BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIII
F
22
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRI QVONDAM ILLVSTRIS

HERMANNI CONRINGII,

POLYHISTORIS CELEBERRIMI, MEDICINAE AC POLITICES
IN ACADEMIA JVLIA, QVAE HELMSTADII EST,
PROFESSORIS MERITISSIMI,

MVLTORVM REGVM AC PRINCIPVM
CONSILIARII,

OPERVM

TOMVS V.

CVIVS ELENCHVS POST PRAEFATIONEM CONSPICITVR,
CONTINENS

SCRIPTA MISCELLANEA,
INPRIMIS
COMMENTARIA IN GROTIVM,
DE
VERITATE RELIGIONIS
CHRISTIANAE,
ET LIBRVM TACITI DE MORIBVS
GERMANORVM,
ANTIQVITATES ACADEMICAS ET QVAE
AD STATVM VETERIS GERMANIAE SPECTANT.

CVRANTE
COMMENTARIISQVE SVIS HÆC OPERA PASSIM AVGENTE
ET ILLVSTRANTE
JOHANNE WILHELMO GOEBELIO
IN ACADEMIA JVLIA JVRECONSVLTO,
REGIÆ SCIENTIARVM SOCIETATIS BEROLINENSIS MEMBRO.

*CVM GRATIA ET PRIVILEGIO SERENISSIMI DVCIS BRVNSVICENSIVM
ET LVNEBVRGENSIVM.*

BRVNSVIGÆ,
SVMTIBVS FRIDERICI WILHELMI MEYERI. MDCCXXX.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google



PRAEFATIO

ad Tomum V. Operum Conringianorum.

Ne ab inſtituti noſtri ratione deflectamus, ſed diſſertatione præliminari Benevolo Lectori indicemus, quid de opuſculis, hocce Tomo comprehenſis, judicandum ſit, en Tibi ſequentia probe ante notanda, quam ad eorum lectionem accedas. Primum locum tum ob gravitatem ipſius orationis, tum ob annotationum præſtantiam dedimus

I. Viri ſummi, HUGONIS GROTII libro aureo: De veritate religionis Chriſtianæ,

Commentariis CONRINGII illuſtrato; quos quidem ante aliquot annos primum in lucem produxit clar. JOHANNES CHRISTOPHORVS KOECHERVS, Philoſophiæ in academia Jenenſi Magiſter. Qui calamum ſuum in comparandis inter ſe ſummis Viris GROTIO & CONRINGIO noſtro, ad imitationem vitarum parallelarum PLVTARCHI, & recentiori ævo doctiſſimorum Gallorum RAPINI, PERRAVLTI & BLONDELLI (a) exercere vellet, is profecto ampliſſimum ſcribendi campum haberet, remque faceret orbi erudito gratam, & Germanorum, Batavorumque genti glorioſam. Id ſiquidem nemo temere inficiabitur, Duumviros hosce non uni civitati, non ſuæ nationi tantum, ſed toti Europæ, eruditionis ſuæ gloria ſplendidiſſimum intuliſſe decus, & utrumque ſimili fere æmulatione & clementia a ſummis orbis Regibus expetitum cultumque, immo pari gloria in ſuo quemque genere novos disciplinarum fontes ita aperuiſſe, ut poſteri viam ſemel tentatam facillimo negotio ulterius inveſtigare & feliciter perficere poſſint. De vita Grotii heic multa adferre, non patitur inſtituti noſtri ratio, ne a ſcopo & præfationum legibus recedere videamur. Illuſtravit eam jam tum P. BAYLIVS *in dictionario hiſtorico-critico*, B. Abbas JOH. FABRICIVS *in bibliothecæ ſuæ Parte I, n.63. p.316.* Omnium copioſiſſime autem BATEVS & ante aliquot annos ANONYMVS, cujus ſequens liber anno 1727. Lipſiæ (licet frons nomen *Delphorum* mentiatur) nitidiſſime prodiit: HVGONIS GROTII, *Belgarum Phœnicis manes ab iniquis obtrectationibus vindicati; accedit ſcriptorum ejusdem tum editorum tum ineditorum conſpectus triplex.* Nobis tantum præſens de VERITATE RELIGIONIS CHRISTIANAE Opus in meta eſt, cujus hiſtoriam & fata clar: KOECHERVS peculiari libello complecti, promiſit. Quid auctorem ad eum componendum induxerit, ipſe in præfatione ad HIERONYMVM BIGNONIVM candide fatetur: *Propoſitum nempe ipſi fuit, omnibus civibus ſuis, ſed præcipue navigantibus operam navare utilem, ut in longo illo marino otio impenderent potius tempus, quam fallerent, arteque navigandi, tanquam divino beneficio, non ad ſuum tantum quæſtum, ſed & ad Chriſtianæ religionis propagationem uterentur.* Itaque præſens argumentum quam potuit maxime populariter expoſuit & verſibus incluſit, quo rectius memoriæ mandaren-

(a) *Les comparaiſons* des grands hommes de l' antiquité, qui ont le plus excellé dans les belles lettres par R. P. R. RAPIN. Amſterd. 1693. *Parallele* des anciens & des modernes, en ce qui regarde les arts & les Sciences par Mr. PERRAULT. Paris, 1693. *Comparaiſon* de Pindare & d' Horace par M. BLONDEL, maitre de mathematiques de Mr. le Dauphin. Amſterd. 1693.

Digitized by Google

darentur: Fecitque illud, cum carcere detineretur Lœwenſteinenſi in Batavia. Poſtea cum Lutetiæ Pariſiorum ex patria profugus commoraretur, a viris magnis rogatus latine illum vertit, Bignonioque amico ſuo inſcripſit. BAYLIVS hoc ſcriptum vocat *ouvrage tres excellent; les notes qui l' accompagnent, ſont remplies d' une profonde erudition.* MORHOFIVS *in Polybiſtore Tom. III. Lib. V. §. 7. Hugo Grotius*, inquit, *eleganti libello rem iſtam tractavit, exiguo quidem, ſed pondere argumentorum pleno.* Eam ſane felicitatem nactus eſt, quam vix ullus alius liber, ut non tantum in potiores Europæ, ſed etiam diverſas orientales linguas translatus, totiesque recuſus ſit, ut ſupra dictus *Manium Grotii vindicatorum* Auctor memoret, latine in proſa *quinquagies ter*, germanice *duodecies*, gallice *ſepties*, anglice *quater*, Batavice *quinquies* recuſum eſſe. Translatus ſcilicet eſt in idioma latinum, Belgicum, Anglicum, Gallicum, Germanicum, Græcum, Perſicum, Arabicum, Malabaricum, Sinenſe & in quod non? Unde jam citatus auctor *p.* 589, notanter ſcribit: *Neque hi libri partes tantummodo penetrarunt terrarum ſingulas, Bataviam, Galliam, Germaniam, Angliam, Sueciam, Arabiam, Perſiam, Malabariam, Græciam, verum omnes quatuor terrarum orbis plagas pervolarunt, omnem Europam, Aſiam, utramque Americam, Africam ſimul & Aethiopiam forſan extremam.* An autem omnes iſtæ verſiones, in quas aureus hic liber translatus eſt, typis exſcriptæ ſint, de eo nos quidem cum Baylio dubitamus. Arabicam ab EDVARDO POCKOK, Anglo factam, Londini anno 1660. in 8. impreſſam eſſe, idem in *dictionario ſub artic. Grotius* teſtatur. Imo jam tum multi Arabica lingua ſcripti ſunt libri de negotio religionis, unde cepiſſe multa GROTIVM aliosque qui contra Mahumedanos & Judæos ſcripſerunt, ſuſpicantur. Verum GROTIVM ab hac ſuſpicione præter alios abſolvit MORHOF. *in Polyhiſt. T. III. L. V. §. 22.* Conf. BAYLE *in dictionar. ſub voce Henichius.* Sed hæc obiter. Latinæ verſionis, quam nos ſiſtimus, quaſi mater eſt editio, quæ Lugduni Batavorum ex officina *Joh. Maire* anno 1627. publici juris facta eſt. Quam excepit editio de anno 1629. cujus exemplar ab ipſo GROTIO frequenti tractatum manu, multisque in locis caſtigatum inclyta bibliotheca Uffenbachiana ſervat, & ad cujus fidem viri clariſſimi HEVMANNVS & KOECHERVS textum Grotianum emendarunt. His autem longe præſtat ea, quæ Grotii annotationibus primum ornata anno 1640. Pariſiis, ſumtibus *Sebaſtiani Cramoiſii*, typographi regii, & ipſo auctore præſente typorumque curam gerente (a) prelo ſubjecta, eodemque anno Lugduni Batavorum, ſublatis typorum erroribus, in officina *Joh. Maire* recuſa eſt. Et hanc editionem, quæ omnium princeps habetur, ſecutus eſt vir ſumme Reverendus, ERNESTVS SALOMON CYPRIANI, qui libellum cum doctiſſimis *analectis* ſuis & conſultatione *de eligenda inter Chriſtianos religione diſſidentes ſententia*, anno MDCCXXVI. Lipſiæ recudi curavit; nec non V. Cl. JOH. CHRISTOPH. KOECHERVS, qui eundem eodem anno, veterum teſtimoniis accuratius pleniusque allegatis, additisque criticis ſuis, & qui in Rabbinicis Talmudicisque auxiliatrices ipſi præbuit manus, DANIELIS GOTFRIEDI WERNERI (b) ordinis Philoſophici Jenenſis Adjuncti, obſervationibus Jenæ publicavit, quam editionem & nos hoc loco ſiſtimus. Idem KOECHERVS anno in ſequenti omiſſo textu, veluti in ſupplementum, junctim edidit notas & animadverſiones in Grotium de V. R. C. CONRINGII, HENICHII, (c) CYPRIANI, (d) LIMBORCHII, (e) CLERICI, (f) STOLLII, (g) HEUMANNI, (h) ex quibus, quæ Conringii nomen referunt, ſuo loco huic noſtræ editioni inſeruimus. De horum fatis autem in Præfatione ſequentia prodit: „Primo loco *Hermanni Conringii* annota„tiones comparent, quæ diu in ſcriniis eruditorum oblivione velut ſepultæ jacuerunt. In „harum notitiam cum perveniſſem, tam felici mihi eſſe licuit, ut duo iſtarum nactus ſim „exempla. Primum *Hala Saxonum* ad me allatum eſt, idque fratrum illuſtrium virorumque „ſummorum pari CHRISTIANO & GOTHOFREDO THOMASIO debeo. GODOFREDVS quippe „THOMASIVS, litteratiſſimus apud Norimbergenſes medicus, in bibliotheca ſua illud olim „ſervavit, poſtea CHRISTIANO THOMASIO Halam transmiſit, qui, GOTTLIEB STOLLIO ejus „favorem mihi parante, humaniſſime iſtud commodavit. Equidem hoc exemplar, cum ab „ipſo Conringio non adornatum eſſet, & unum ſaltem ac alterum Grotii librum explicaret,

mino-

(a) Patet hoc ex Epiſtolis ejus num. 1330. fol. 604. & num. 485. ſeqq. ad fratrem fol. 892. ſq.
(b) Cujus ſpecimina libro potiſſimum quinto reperiuntur & littera W. indicantur.
(c) JOHANNES HENICHIUS, Profeſſor acad. Rintelenſis edidit Tr. *de veritate religionis Chriſtianæ, quo ea quæ H. Grotius de hac materia commentatus eſt, aliquanto uberius exponuntur.* Rintelii 1667. 12mo. Ex hoc pauca Kœcherus excerpſit.
(d) CYPRIANI in Grotium *analectorum* ſupra mentio facta.
(e) PHILIPPI LIMBORCHII *meditationes*, quæ Libro V. Grotii illuſtrando, ſolum inſerviunt, habentur in ejus *commentario in acta Apoſtolorum.* Roterod. 1711. fol.
(f) JOHANNES CLERICUS *notulas* ſuas, ut ipſe appellat, in GROTIUM de V. R. C. anno 1724. publicavit.
(g) GOTLIEB STOLLIUS obſervationes ſuas in Grotium cum KOECHERO, qui eas primum produxit, communicavit.
(h) CHRISTOPHORVS AVGVSTVS HEVMANNVS tribus diſputationibus in Grotii librum I & II. de V. R. C. commentatus eſt.

Digitized by Google

„minoris primum feci, ſummaque alia Conringiana eaque perfectiora videndi cupidine ac-„cenſus ſum. Explicavi deſiderium meum inter alios venerando Viro, JO. CHRISTOPH. „COLERO, qui *Parte XIV. p.196. biblioth. ſuæ Theologicæ ſelectæ* repetendum illud duxit. At-„que hinc factum eſt, ut alterum obſervationum Conringianarum Hala Suevorum ad me „deferretur exemplum, quod excellentiſſimus vir, JO. LAVRENTIVS à JEMGVMER „CLOSTER Senator Halæ Suevorum ſpectatiſſimus, ſingulari humanitate mecum „communicavit. Hoc cum accepiſſem, mox cum illo exemplari, quod jam in mani-„bus erat, contuli, perſpexique non ſine ſumma admiratione & voluptate, idem utriſque „exemplis initium eundemque finem eſſe, eundem porro animadverſionum Conringiana-„rum in Grotium noſtrum utrobique & numerum & ordinem deprehendi. Cœpi igitur, „cum exempla iſta tam mire convenirent, & Suevicum quoque non Conringii, ſed aliena „manu exaratum erat, Thomaſiano illi majus ſtatuere pretium, atque eorum fere pœnite-„re, quæ ad celeberrimum COLERVM dicto loco ſcripſeram. Poſteaquam enim exempla-„rium mirum conſenſum animadverti; poſtquam etiam nobiliſſimus JEMGVMER CLOSTER „per litteras mihi affirmavit, exemplum illud, quod mihi miſerat, ex autographo patris „ipſius, Syndici quondam & Conſiliarii ſenioris reipubl. Halenſis in Suevia, qui & popula-„ris, & domeſticus & commenſalis Conringii exſtiterit, atque Conringiana illa ex ipſius „Conringii ore hauſerit exceperitque, deſcriptum eſſe; in eam ingreſſus ſum ſententiam, „me Conringii in Grotium de V.R.C. dicta plena & integra nactum, nec de aliis porro la-„borandum eſſe. Qua in opinione me ipſe CONRINGIVS valde confirmavit. Is enim in „*Conringianis*, neſcio ad quem, ita ſcribit: *Ad librum unum alterumque de V.R.C. fateor quæ-„dam a me dictari. Sed extemporanea ſunt, ſolius memoriæ ſubſidio adducta.* Exemplaribus „vero, quæ deſcripſi ita uſus ſum, ut non omnes ac ſingulas Conringii notas in Commen-„tarios noſtros referrem -- -- trita ac vulgaria premenda potius, quam evulganda eſſe ar-„bitratus ſum. Sed & aliam prætermiſi obſervationem NB. utique doctam verum longio-„rem, quam ut inter breves notas locum obtinere potuiſſet, quem opportuniorem in Diſ-„ſertationibus ad Grotium de V.R.C. olim in publicum emittendis, inveniet. Hactenus KOECHERVS V. cl. cujus induſtriæ orbis eruditus multum debet. Pergimus ad CONRINGII

II. Adverſaria chronologica de Aſiæ & Aegypti antiquiſſimis dynaſtiis,

anno 1648. publicata, & incomparabili hiſtorico JOHANNI HENRICO MEIBOMIO dedicata. Collegit iſta Conringius admodum adoleſcens, nec initio illius pretii eſſe putavit, ut in lucem prodirent. Maturior autem ætate & judicio factus, reque magis penſitata, collectanea iſta reſumens in ordinem redegit, & præſenti libello complexus eſt. Refutat in eo vulgares chronologorum, immo ipſius JOSEPHI SCALIGERI, commiſſos errores, autoritatemque HERODOTI in toto hoc argumento potiſſimum ſibi ſequendam duxit. Explodit itaque Cteſiana de Medici regni temporibus tradita, oſtenditque poſt Medorum defectionem ſatis diu ſuperfuiſſe Aſſyriorum rempublicam. Inquirit porro in epocham ampliſſimi Aſſyriorum regni, agitque de nominibus horum Regum valde incertis, de temporibus Babyloniorum, de fide BEROSI hiſtoriæ Chaldaicæ, de Babylonici regni fatis, de canone mathematico Nabonaſſaris, de Belſazare & Dario Medo Babyloniorum regibus, Danieli memoratis, de initio & fine LXX. annorum captivitatis Babylonicæ, de hiſtoria Aegyptiaca a Pſammiticho uſque ad Cambyſen, ut brevitatis ſtudio alia taceamus. Excipiunt hæc

III. In Juſtini hiſtorici Præfationem & integrum Librum I. Exercitationes XI,

quas CASPAR SAGITTARIVS, celeberrimus ille academiæ Jenenſis quondam Polyhiſtor, in juventute proprio marte elaboravit, & in academia Julia Præſide noſtro CONRINGIO anno 1665. & 1666. tuitus eſt. Nos eo minus iſta Conringianis operibus adjungere dubitavimus, quo magis Conringio de tam excellenti auditore gratulamur: Et velut ex ungue leonem, ita ex doctiſſimis hiſce commentariis de præſtantia utrorumque judicare poſſumus. Propoſitum autem fuit exercitationum auctori, hiſtorias Juſtini ad prudentiam civilem, tanquam ad lydium lapidem recenſere, ejuſdemque tam præcepta, quam exempla aliorum ſcriptorum beneficio illuſtrare. Quod quam præclare præſtiterit, B. L. ipſe judicet. Provocat ad JUSTI LIPSII de Juſtino judicium, qui ipſum velut variarum rerum, gentium, temporum compendium commendat. Et ipſe Auctor noſter judicat, nullum eſſe librum, immo nullum fere caput, ex quo non poſſimus egregia documenta capere, quid de ipſius prudentia ſit judicandum, ut adeo eundem ipſi TACITO, SALLVSTIO & CUR-

Digitized by Google

TIO ſi non præferendum, ſaltim æquandum ducat. Similem fere cum SAGITTARIO ſcopum in illuſtrando Juſtino habuit doctiſſimus Argentoratenſium Polyhiſtor JOH. HENRICUS BOECLERUS, cujus *decas quæſtionum hiſtorico-politicarum ex Juſtini Lib. I. collectarum, Tomo III.* Diſſertationum ejus academicarum exſtat. Tota autem tractatio paucis foliis, & his quæſtionibus abſolvitur. 1) Utrum monarchia præſtet polyarchiæ? 2) An reſpublica aliqua poſſit conſiſtere ſine legibus? 3) An bellum gloriæ parandæ cauſſa ſuſceptum, ſit legitimum? 4) An mulieres deceat, regium ſolium aſcendere? 5) Utrum princeps ipſe coram, an per internuncios negotia ſua expedire ac reſponſa dare debeat? 6) An nonnunquam reſectis fugæ mediis neceſſitas pugnandi militibus imponenda? 7) An fuga duci interdum ſit honeſta? 8) An mulieribus bellum gerere liceat? 9) An in hoſtilis terræ direptione rebus ſacris ſit parcendum? 10) An in electione Regis ſorte ſit utendum? Quæ cuncta BOECLERUS exemplis egregrie illuſtrat. De litibus criticis, utrum JUSTINUS ad auream, an ad ferream ætatem ſit referendus, nec non de variis ejus editionibus commentatoribusque, ablegamus B. L. ad MORHOFII *Polyhiſt. T. I. Lib. IV. c.* 14. *§.* 1. His junctus eſt

IV. Agricola Dux, ſeu exemplum illuſtre pace belloque imitandum Duci:

Quæ diſſertatio reſpondente ERICO JOH. PHOENIX Sueco, anno 1667. ex cathedra academica defenſa eſt. Sequitur Auctor filum Taciti, qui vitam JULII AGRICOLAE ſoceri ſui eleganter expoſuit, agens de naſcendi ſorte, educatione, ſtudiorum litterarumque tractatione, rudimentis caſtrorum, otio, conjugio, variarum expeditionum nunc civilium nunc bellicarum ſolertia agendi, virtute cum exercitu in ſolo hoſtili probata, & tandem de vita ejus privata. Quæ omnia Auctor præſenti diſſertatione tribus membris complexus eſt, quorum primo oſtendit, quid agendum ſit ipſi, qui militiæ ſe credere velit & armis clarus fieri; quam tractationem iterum in ſex capita diviſit. Secundo, quid jam dux conſtitutus faciat, quod quatuor capitibus abſolvitur; Tertio, quomodo vivat dux remotus ab exercitu. Quæ ex hiſtoria tam veteri, quam recentiori, larga exemplorum copia, illuſtrantur. Simile examen politicum Agricolæ hujus vitæ inſtituit CYRIACUS LENTULUS, cujus *in Taciti Germaniam & vitam Jul. Agricolæ ſtrenui ducis militiæ & conſummati aulici* commentarii politici anno 1666. Marburgi Cattorum prodierunt. Sed hi Lentuli conatus, ut & ejus *arcana regnorum & rerumpublicarum* nonniſi vulgarem locorum communium continent farraginem. Examen hoc politicum comitatur

V. De habitus corporum Germanicorum antiqui ac novi cauſis liber ſingularis:

Quem CONRINGIUS primum anno 1646. dein auctum anno 1652. poſtremo novis ornatum acceſſionibus anno 1666. edidit, magnoque Regis Galliæ Adminiſtro & muſarum Mecænati JOHANNI CAPELLANO dedicavit, ad quem in epiſtola notanter ſcribit: *Spectavi ſingularem tuum erga hunc ipſum libellum affectum, qui ſcilicet te movere potuit, uti Chriſtianiſſimi Regis gratia conciliata recipi me inſperato curaveris in numerum illorum, quibus inuſitata munificentia regiâ paſſim terrarum cum proœmium aliquod jam partæ, tum calcar parandæ amplius doctrinæ accipere conceſſum eſt.* Inter doctiſſima profecto ingenii Conringiani monumenta referendus, agiturque in illo ex intimioribus naturalis philoſophiæ & medicæ artis penetralibus, de uniformis priſcæ corporum ſimilitudinis cauſſa, de veteris proceritatis & hodiernæ brevitatis cauſſis, de cauſſis candoris ejusque mutationis in cute, de cauſſis priſcæ & novæ oculorum habitudinis, de cauſſis priſci ac novi pilorum habitus. Quibus præmiſſa ſunt ſequentia: 1) Olim eundem fuiſſe habitum corporum. 2) Priſcos Germanos omnes inſigni fuiſſe proceritate. 3) Inſigni etiam cutis candore. 4) Oculis trucibus & cœruleis, 5) & capillitio promiſſo ac recto etſi varie culto. In ipſa tractatione diſſeritur etiam de butyri, caſei, cereviſiæ, vini & tabaci uſu. Totus hic liber erudito orbi adeo ſe probavit, ut Vir Clar. JOH. PHILIPP. BURGGRAVIUS, Medicus apud Francofurtenſes doctiſſimus, anno 1727. eundem annotationibus uberrimis dilucidaverit, & opuſculum in ſectiones, capita, articulos & paragraphos primus diſtinxerit. Quæ de victus ratione Germanorum Conringius recenſito libro ex principiis phyſicis demonſtravit, ea cum omni reipublicæ Germanicæ veteris œconomia quaſi in compendio refert

VI. C. Cornelius Tacitus de moribus Germanorum, &
Collectio monumentorum veterum de antiquiſſimo ſtatu Germaniæ:

Quibus

Digitized by Google

Quibus olim ſubjunctæ erant, nunc vero præmiſſæ ſunt

Quatuor Epiſtolæ de notitia Germaniæ antiquæ ejusque uſu:

Quarum priore dedicatoria ad CHRISTIANVM LVDOVICVM Principem de anno 1635. (p. 257.) inprimis negat, jus publicum Germanicum ex Romanis legibus petendum eſſe, modumque quo notitia rerum imperii poſſit comparari, oſtendit. Quemadmodum autem ſuper hoc argumento nactus eſt adverſarium JOH. OTTONEM TABOREM; ita poſteriore epiſtola ad Lectorem, editioni Taciti de anno 1652. præfixa, (p. 273.) ſe contra eum defendit. Tertia (p. 278.) JOHANNI BVNONI, Cluverianam Germaniæ antiquæ epitomen edenti; quarta vero GEORGIO CASPARI KIRCHMAIERO, Profeſſori Vitenbergenſi, commentarios in Tacitum publicanti, inſcripta eſt. Hisce omnibus præfixa eſt tertia ultimæ editionis de anno 1677. quam nos hic ſiſtimus, præfatio, in qua de ſingulis excerptis & autoribus hic exhibitis docte differit. In TACITI libellum ipſum duos exhibemus CONRINGII commentarios, alterum hiſtorico-politicum, quem a clariſſ. TREUERO, Collega noſtro æſtumatiſſimo acceptum nunc primum ex MSto edimus, & textui una cum noſtris meditationibus ſubjecimus: Alterum criticum, quem Auctor, dum viveret, ipſe publicavit. Quod ad excerpta Tacito ſubjuncta attinet, en B.L. ſequentem eorum ſyllabum:

(1) Ex Libro IV. & VI. de bello Gallico commentar. C. JVL. CAESARIS. p. 318
(2) Ex STRABONIS Geographiæ Lib. IV. & VII. p. 322.
(3) Ex POMPONII MELAE Libro III. p. 329
(4) Ex C. PLINII Lib. IV. naturalis hiſtoriæ ibid.
(5) Ex C. J. SOLINI cap. XIX & XX. p. 331
(6) Ex Cl. PTOLOMAEI Lib. II. Geographiæ p. 332
(7) Ex AMMIANI MARCELLINI Lib. XV & XXVIII. p. 339
(8) Ex itinerario Antonini p. 341
(9) Ex libello provinciarum & civitatum Galliæ p. 347
(10) Ex totius orbis expoſitione p. 348
(11) Ex notitiæ imperii utriusque Lib. II. & GVIDI PANCIROLLI commentario ibid.
(12) Ex PHILIPPI CLUVERII introductionis in geographiam Lib. III. p. 351

Secutus eſt Conringium in colligendis ejusmodi antiquitatis Germanicæ monumentis, Illuſtris LEIBNITIVS, cujus memoria pectus noſtrum effodit, in *Tomo I. ſcriptorum ad hiſtoriam Brunsvicenſem ſpectantium*, eadem fere immo plura exhibens. Quilibet patriæ hiſtoriæ amans lacinias iſtas, & ſervatas quaſi ex naufragio tabulas eo magis exoſculabitur, quo luculentiora de majorum noſtrorum virtute & continentia communibus ſuffragiis ſiſtunt teſtimonia. Quemadmodum autem modo recenſita univerſam veteris Germaniæ faciem ob oculos ponunt, ita quæ ſequuntur:

VII. De antiquiſſimo ſtatu Helmſtadii & viciniæ conjecturæ,

particularem terrarum Brunsvicenſium, Chaucorum quondam ſedis, inprimis autem dilectiſſimæ urbis noſtræ hiſtoriam illuſtrant. In dedicatione ad AVGVSTVM ſcribit Auctor, ea quæ hoc libro docuerit, eſſe nova & a receptis in commune ſententiis haud parum diſſidere, ut: Supereſſe in his locis cataclysmi univerſalis indicia, ſediſſe hic quondam Gothos, antequam in Scandinaviam migrarent, huc etiam pertinere Chaucos, & ante Saxones rerum hic potitos Thüringos: Neque Helmſtadium conditum a Ludgero, ſed florentiſſimæ familiæ principalis imperium in hoc oppidum eſſe longe vetuſtius. Verum enim vero his hypotheſibus multa appoſuit V. Cl. ECCARDVS, Profeſſor quondam in academia noſtra, jam conſiliarius Episcopi Herbipolitani, in Programmate *de antiquiſſimo Helmſtadii ſtatu*, & nonnulla annotavit B. FABRICIVS *Bibliothecæ ſuæ Parte VI. n. 9.*

Præter CONRINGIVM antiquitates Helmſtadienſes inveſtigarunt OVERHAMVS, cœnobii Ludgeriani prope Helmſtadium quondam Præpoſitus doctiſſimus, cujus *chronicon* multis diplomatibus ex archivo Verdenſi maximam partem deſumtis inſtructum, apud Cœnobitas noſtros in MSto latet. MEIBOMIVS in orationibus binis *de origine urbis Helmſtadienſis*, quem CONRINGIVS in hoc libello paſſim refutat. B. Abbas JOH. ANDR. SCHMIDIVS in Diſſ. *de ſacello St. Annæ prope Helmſtadium*, in qua multa notabilia de monumento lapideo in monte Lubbonis ſ. Cornelii prope urbem noſtram verſus occaſum exſtructo, occurrunt; & in ejusdem diſſ. *de Helmſtadio per Frauenradam adflicto*, in qua ſimiliter rerum patriarum curioſus invenit, quo animus paſcatur. Luſtratis urbis noſtræ antiquitatibus, academiæ in ea conditæ memoria quaſi nos ducit ad exquiſitiſſimas

VIII. De antiquitatibus academicis diſſertationes ejusque ſupplementa.

Sunt autem orationes ſex, quas Auctor ab anno 1637. ad ann. 1640. publice recitavit, anno 1651. vero auctiores ornatioresque junctim primo edidit. Argumenti novitas & præſtantia brevi tempore exemplaria diſtraxit, ut CONRINGIUS induceretur, eas caſtigatas & integro Supplementorum libro auctas anno 1674. edere. De hac nova editione anno 1673. ad BALUZIUM ita ſcripſit: *Horis ſucciſivis dum recenſeo librum meum de antiquitatibus academicis, eique integrum librum addo ſupplementorum de ſcholis omnium gentium vetuſtis, hæreoque in ſcholis monaſticis & epiſcopalium collegiorum, videtur diſcedendum in quam multis mihi eſſe, a vulgaribus mihique ipſi antehac placitis ſententiis, niſi tu, quem ego unum, harum rerum intelligentem novi, me adjuves.* Dedicavit hanc alteram editionem FERDINANDO, Episcopo Paderbornenſi, Principi litteratiſſimo, qui anno 1672. utrum id liceat, a Conringio per litteras tentatus reſpondit: *Magno mihi ducam honori, ſi librum de antiquitatibus academicis nobis dedicaveris, qui bonas litteras tanti æſtimamus & tantopere viros litteratos diligimus.* Et cum integrum opus accepiſſet, egregio dono Auctorem ornavit, ut videre eſt ex ejus epiſtola ſub Nr. 42. Tomo VI. horum Opp. Illuſtris BOINEBURGIUS, accuratus optimorum librorum cenſor, in ep. ad JOH. CONR. DIETERICUM p. 294. de hoc libro ita judicat: *Conringius, meus totus, de antiquit. academ. egregie commmentatus eſt: Cumprimis in eo libro varii argumenti litterarii additamenta notavit.* Et MORHOFIUS *in Polyhiſt. T. I. Lib. I. cap. 16 §. 72. Liber eſt doctus,* inquit, *& in hoc argumento pene unicus: Nam qui alias in hoc negotio verſati ſunt, jejunam tantum operam præſtiterunt, & in generalioribus occupati aut in iis, quæ ad jura academica ſpectant, præcipua tamen hiſtorica, primasque origines ne attigerunt quidem. --- Conringius quoque ipſe in ſpecialioribus deficit: Hiſtoria enim ſpecialior academiarum ab aliquo deducenda hactenus deſideratur, &c.* Immo vero ipſe CONRINGIUS in præfatione fatetur, non omnia academica vetera ſe perſecutum, primum tamen ſe credit, qui materiam hanc eruderare ſit aggreſſus. Tentavit id poſtea FRIDERICUS LUCAE, collegii hiſtorici imperialis ſocius, cujus *Europæiſcher Helicon*, ut opus poſthumum Francofurti 1711. prodiit; reſpectuque Germaniæ ſuperavit FR. JUNIUM MIDDENDORPIUM, nec non DÖRINGIUM, qui in *bibliotheca juris* voce *Academia* Germaniæ inprimis academias illuſtrat. Anno MDCCXXIII. Altorfi ſub præſidio EUCHARII GOTLIEB RINCK, Juris publici P. P. prodiit diſſertatio hujus rubri: *Imperatores primi perpetui ac ſoli academiarum in Germania autores:* Cujus ſumma heic capita recenſere, B. L. non ingratum fore ſperamus. In parte prima agit de academiis in genere, & inquirit, an veteres Germani litteras habuerint; quod cum CLUVERIO negandum putat, licet HEIGIUS in *Quæſt. jur. L. I. q. 7. n. 58.* & illuſtris BERGERUS in diſſ. *Priſcam Germaniam haud illiteratam*, nec non MORHOFIUS *im Unterricht von der teutſchen Sprache Cap. VI.* contrarium tueantur. Quod autem Germani ſuo modo eruditionem habuerint, ſcholæque Druidum apud Gallos inſtitutæ, academiarum ſpeciem retulerint, cum CLUVERIO admittit, fortaſſis etiam gradus & honores eruditionis accepiſſe auditores, ex ſpatio temporis, quod impendere debebant, colligi poſſe. Immo Romanos, in Germaniæ confinibus latinas ſcholas, ut hoc pacto feritatem animorum paulatim abſtergerent, condidiſſe, cum BEATO RHENANO *L. 2. rer. Germ.* docet. Germanorum Principes etiam, v. c. Arioviſtum, Arminium, Flavium, Segeſtum, Maroboduum, linguæ & litterarum Romanarum notitiam habuiſſe. Pergit dein ad Francicorum Regum ſcholas palatii, quarum mentionem faciat ALCUINI epiſtola ad Carolum M. & quod adhuc tempore Lotharii imp. cultæ fuerint, oſtendat JOH. LAUNOI *de ſcholis a Carolo M. & poſt illum in occidente inſtauratis cap. IV.* Docet etiam quales fuerint ſcholæ monaſticæ, & collegia epiſcopalia. Ad priorem claſſem refert ſcholas Benedictinas *Fuldenſem*, cujus auctorem facit Baugulfum abbatem, ſecus ac BRUSCHIUS id Sturmio adſcribens; *Hirſaugienſem, San-Gallenſem, Corbejam novam ad Viſurgim.* Collegiorum vero epiſcopalium originem S. Auguſtino deberi, ex POSSIDIO probat, affertque exempli loco Osnabrugenſem ſcholam, cujus inſtitutio Carolo M. tribuitur. Has autem ſcholas non diu in eodem permanſiſſe ſtatu, canonicosque inprimis ſeculares, retentis priſcorum officiorum titulis, curam informandi aliis reliquiſſe; præſertim poſtquam Epiſcopi ſimul duces & provinciarum rectores facti, canonicique ipſis in regimine adjuncti fuerint: Ceterum poſt annum milleſimum ubique terrarum has ſcholas monaſticas & epiſcopales ferme defeciſſe. Ex his ruinis tandem enatas ſcholas in urbibus conditas, ipſasque academias, quod illuſtrat exemplis ſcholæ *Oxonienſis*, ſeculo IX. ab Alfredo rege conditæ; *Pariſienſis* a Carolo M. inſtitutæ, licet ortum ejus recentiorem velint LAUNOYUS de *ſcholis celebrioribus a Carolo M. & poſt illum in occidente inſtitutis*, cujus libri, etiamſi anno

ſi anno 1672 Pariſiis lucem adſpexerit, notitiam Conringius non habuit; & CLAVDIVS JOLY in erudito opere de *ſcholis epiſcopalibus*, aſſerentes, primam ejus mentionem fieri a REMIGIO ANTISSIODORENSI anno 882. Sed probe monet clar. RINCKIVS §. 11. Pariſienſis ſcholæ diverſas eſſe periodos, primoque philoſophiæ ſtudium ibi tantum floruiſſe, quo & factum, ut Rector Pariſienſis ex philoſophica facultate tantummodo eligatur. Vid. JOH. FILESACVS *de ſtatutis facultatis Theolog. Paris.* LAUNOYVS l. c. & CAS. EGAS. BVLAEI *hiſtor. Univerſit. Paris. T. I.* Sed exteris ſcholis omiſſis venit ad academias Germanicas, primumque locum reſpectu primi inſtituti, non vero ſolennis introductionis, aſſignat *Heidelbergenſi*, quæ anno 1343. condita, ut patet ex nummo memoriali, quo tertium Jubilæum celebravit academia apud LVCAE *in dem Fürſten-Saal* P. II. cap. VII.

D. O. M. S.
FVNDATA cIↃ CCCXLIII.
INTRODVCTA XVIII. OCTOB. cIↃ CCCXXCVI.
A RVPERTO SENIORE ELECT. PALAT.

Quod ad Pragenſem attinet, BALBINVS *in epitome rer. Bohem. Lib. III. c. 21.* per litteras originales Clementis VI. Pontificis Avenione datas, quas in manibus habuiſſe aſſerit, demonſtrat, quod Carolus IV. hanc academiam A. 1347. publice introduxerit. Differentiam tantummodo in uno anno conſiſtere, ſcribit cl. RINCKIVS §. 13. prærogativam Pragenſi relinquens, reſpectu ſolennis introductionis, etiamſi quoad primam diſpoſitionem Heidelbergenſi academiæ prior locus ſit aſſignandus. Cum ſcilicet viderit Comes Palatinus, quanto ordine & quanta ſolennitate Carolus IV. Pragenſem illam introduxiſſet, ad hujus exemplum rem denuo majori ſolennitate repetiiſſe anno 1386. & ex Pragenſi academia duos adhuc doctores evocaſſe, cum antea tantum tres haberet Profeſſores. Vid. TÖLNER *in cod. diplom. Palat. p. 123.* De academia Viennenſi communem refutat errorem, eam a Friderico II. Imp. anno 1235. erectam, LAMBECIOque adſtipulatur, in *comment. biblioth. Vindobon. Lib. I. cap. 5.* ſcribenti: *Falſum hoc eſſe, liquet tum ex diplomate Urbani V. Pontificis, quo villæ Wiennenſi anno 1356. generale ſtudium omnium Facultatum licitarum, præterquam Theologiæ, conceſſum eſt; tum etiam ex litteris Urbani VI. Pontificis, queis villæ Viennenſi A. 1384. generale ſtudium in theologica facultate indulſit.* Digreſſione facta ad academias equeſtres, quorum veſtigia in ſchola equitum & peditum *L. 6. C. de advoc. diverſ. jud.* & in undecim ſcholis militum *L. ult. C. de locat.* fortaſſe latent, inquirit in vulgatam iſtam quæſtionem, an tempore Maximiliani I. comitiali decreto Electoribus ſit impoſitum, ut quivis eorum erigat Univerſitatem, & vigore hujus cæſarei mandati erecta fuerit a Saxone Wittebergenſis, & a Brandenburgo Francofurtenſis academia? Ut quidem putant BOECLERVS *fol. 275. in commentariis de rebus ſeculi XVI.* LAMBECIVS *in Comment. de biblioth. cæſar. Lib. I. fol. 31.* LUDEWIG *in Diſſert. de different. jur. Rom. & Germ. p. 62.* SENNERT *in Athen. Witenberg. L. I. cap. 1.* LUCAE *im Europæiſchen Helicon pag. 546.* Clar. RINCKIUS vero id plane negat, cum in actis comitialibus Wormatienſibus anni 1495. nec apud DATTIUM nec apud MÜLLERUM ejus rei fiat mentio, & Elector Saxoniæ Fridericus III. Sapiens jam ante regimen Maximiliani I. in mente habuerit, erigere academiam in ſuis provinciis, ut videre eſt ex ejus teſtamento, Torgaviæ die Martis poſt Lætare A. 1493. vivo adhuc Friderico III. imper. condito, (apud GEORG. FABRICIUM *hiſtor. Saxon. Lib. VIII.*) Præterea oratio, quam JOHANNES Elector Brandenb. moriens ad filium JOACHIMUM habuiſſe, a RENTSCHIO fingitur, ſuſpectæ ſit fidei, & optimi ſcriptores Brandenburgici de mandato cæſareo prorſus ſileant. Sed pergimus ad ſecundam Diſſertationis Rinckianæ partem, in qua docet, non tantum Romanis, ſed etiam Germanicis Imperatoribus jus condendi academias competiiſſe, Pontificisque conſenſum tres ob cauſſas expetitum eſſe, nimirum ob facultatem docendi theologiam & jus Canonicum, item quia videbant, quod omnes ſcholæ pertinerent ad legem diœceſanam. Nihilominus Univerſitates Theologica facultate carentes plenaria conſtituiſſe corpora, ut exemplo academiæ Altorfinæ conſtaret, quæ ab initio Facultate Theologica caruit. Eam tamen ſtatim quatuor facultates habuiſſe, & Poëticam pro certa facultate tunc temporis reputatam, docet ZIEGLERUS *de jure erigendi academias §. 35. ſqq.* Movet deinde RINCKIVS quæſtionem, an jus conſtituendi academias ad ſpiritualia pertineat, & cum Zieglero reſpondet, quod ſit negotium mixtum, magis tamen ad ſtatum publicum & ſecularem reſpiciat; Pontifici etiam ex ſola liberalitate & conniventia cæſarea jus aliquod circa academias tribui. Imperatores

autem ſolos in Germania circa hoc negotium diſponere, inter alia pateſcere ex privilegio, quod Maximilianus I. Friderico III. Sapienti, electori Saxoniæ, anno 1502. conceſſit, de erigenda academia Wittebergenſi, ubi: *Omnium ſcientiarum tutela & patrocinium penes Romani imperii moderatores conſiſtit, gymnaſia undique in S. R. Imperio inſtituerunt & erexerunt: Nos itaque prædeceſſorum noſtrorum veſtigia imitamur.* Totum exhibet GOTHOFRED. SVEVUS in Tractatu quem vocat: *Academia Wittebergenſis ab anno* 1502. *ad ann.* 1655. Tradit porro, cum facultas erigendi academias fluat ex majeſtate ſumma, eam per privilegium Statibus Imperii abſolute concedi non poſſe, quemadmodum per privilegium conceditur v. c. jus monetale: Nec tantum Cæſari competere jus concedendi privilegia, ſed etiam illa interpretandi & conſervandi. Tandem mota quæſtione, an Status Imperii propria auctoritate in ſuis provinciis academiam erigere & Doctores creare valeant? In negativam inclinat, ſecutus auctoritatem ſummorum virorum LAMPADII, CARPZOVII, LIMNAEI, BRAVTLACHII, HORNII & RHETII. Tantum ex diſſertatione Rinckiana.

Antequam ulterius progredimur, communicabimus cum B. L. *Capitulare Lotharii I. Imp.* ad antiquitates academicas apprime faciens, quod ex Codice MSto Cathedralis Mutinenſis, produxit V. Cl. LVDOV. ANTONIVS MVRATORIVS *Tom. I. Script. rer. Ital. Parte II. p.* 151. exſtatque inter capitula *de episcoporum cauſis c. VI.* „De doctrina vero, quæ ob nimiam incuriam atque ignaviam quorumque præpoſitorum cunctis in locis eſt funditus „exſtincta, placuit, ut ſicut a nobis conſtitutum eſt, ita ab omnibus obſervetur. Videlicet „ut ab his, qui noſtra diſpoſitione Artem docentes alios per loca denominata ſunt conſti„tuti, maximum dent ſtudium, qualiter ſibi commiſſi ſcholaſtici ita proficiant, atque do„ctrinæ inſiſtant, ſicut præſens expoſcit neceſſitas. Propter opportunitatem tamen omni„um apta loca diſtincte ad hoc exercitium providimus, ut difficultas locorum longe poſi„torum ac paupertas nulli fieret excuſatio. Id ſunt

„Primum *in Papia* conveniant ad Dungallum de Mediolano; de Brixia, de Laude, de „Bergamo, de Novaria, de Vercellis, de Artona, de Aquis, de Genua, de Haſte, de Cu„ma. In *Eboreja* ipſe Episcopus hoc per ſe faciat. In *Taurinis* conveniant de Vighintimi„lio, de Albegano, de Vadis, de Alba. In *Cremona* diſcant de Regia, de Placentia, de Par„ma, de Mutina. In *Florentia* de Tuſcia reſipiſcant. In *Firmo* de Spoletinis civitatibus „conveniant. In *Verona* de Mantua, de Tridento. In *Vincentia* de Patavi, de Tarviſio, „de Feltris, de Ceneta, de Aſilo. Reliquæ civitates *Forumjulii* ad ſcholam concurrant.

Ad hæc clar. MVRATORIVS p. 152. de academia Ticinenſi ſequentia commentatur: „Jam diu Ticinenſes ſibi perſuaſere, ſuum Gymnaſium ſive Univerſitatem publicamque „academiam a Carolo M. fundatam fuiſſe. Quod argumentum multa eruditione pertracta„vit anno 1704. doctiſſimus Vir ANTONIVS GATTVS in eodem Lyceo publicus juris in„terpres, edito libro, cui titulus: *Hiſtoria Gymnaſii Ticinenſis:* Et quidem ille Notkerum „San-Gallenſem monachum teſtem affert, ab eodem Carolo Papiam miſſum circiter an„num 780. monachum (*Johannem Albinum* quidam appellant) natione Scotum, ut illic ju„venes liberalibus diſciplinis erudiret. Neque vero episcopalem aut cœnobialem eam „ſcholam fuiſſe, ſed publicam academiam, conjecturis nonnullis nixus ille contendit, ſcri„ptoribus etiam laudatis, quorum nonnulli ab eodem Imperatore fundatas arbitrantur aca„demias *Pariſienſem, Ticinenſem & Bononienſem*, alii *Patavinam* ac *Oſnabrugenſem*, ac tandem „alii *Turonenſem, Lugdunenſem & Fuldenſem.* Verum ut multarum illuſtrium familiarum „ita & præclariorum academiarum immixtam fuiſſe fabulis primam originem tam certum „eſt, quam quod certiſſimum. - - - Miſerit quidem Carolus M. ad Ticinenſes *Johannem* „*Albinum;* publice quoque hic diſciplinas Ticini tradiderit; non unus certe magiſter Uni„verſitatem uti nunc vocant, conſtituere potuit. - - Quantum ergo conjicere poſſumus, „Grammaticam duntaxat artem monachus ille Ticini ſuis auditoribus explicabat, quam „dixi tunc magiſtram variæ eruditionis ſummo in honore fuiſſe. ALBINVS cognomento „ALCUINVS in epiſtola XV. ad Carolum M. regem in edit. DU-CHENII p. 1511. hæc de Pe„tro quodam habet magiſtro:

„Dum ego adoleſcens Romam perrexi, & aliquantos dies in Papia regali civitate de„morarer, quidam Judæus Julius nomine cum Petro magiſtro habuit diſputationem. „Idem Petrus fuit, qui in Palatio Veſtro Grammaticam docens claruit.

„En quales eorum temporum in Italia magiſtri forent, & quales in ipſis Regum palatiis flo„rerent. Unde amabo oſtendas, illum eumque unum, quem Carolus Ticinum poſtea mi„ſit, ſublimiorum artium atque diſciplinarum omnium ſcholam aperuiſſe. Quod reſtat, „vides decem vix annis poſt Caroli M. obitum, Lothario Auguſto ejus nepote teſte, *doctri-*

nam

„*nam funditus exſtinctam* fuiſſe in Italia, ut ex ejus capitulari conſtat, adeoque nullum eſſe „locum eo tempore excogitatis academiis, *quæ aliquot tantum ſecula poſt apud nos excitatæ fue-„runt.* Hactenus MURATORIUS. Pergimus ad epiſtolam Conringii

IX. De bibliotheca Auguſta, quæ eſt in arce Wolfenbuttelenſi,

ad virum Illuſtr. JOH. CHRISTIANUM L. B. à BOINEBURG anno 1661. ſcriptam in qua ſimul de omni re bibliothecaria diſſeritur. Recuſa eſt primum cura filii JOH. HERM. CONRINGII anno 1684. in qua editione notæ margini a B. auctore adjectæ locis congruis ipſi textui ſunt inſertæ. Tertium anno 1702 cura B. Abbatis SCHMIDII iterata, variis commentarionibus de bibliothecis atque archivis, quas collectas ediderat antea Maderus, eſt adjuncta. Qui venerabilis SCHMIDIUS laudabili inſtituto duas novas *de bibliothecis* collectiones anno 1703 & 1705. opuſculo Maderiano ſuperaddidit, quas in compendio recenſent *Acta Eruditorum Lipſienſia* & *Bibliothecæ Fabricianæ Pars V. n.* 167. *p.* 495. *ſqq.* Quemadmodum ſuperiori anno Clar. Altorfenſium Profeſſor KOELERUS Syllogen auctorum, qui *de bene ordinanda Bibliotheca* ſcripſerunt, recudi fecit. Quod ad bibliothecam Auguſtam attinet, præter Auctoris noſtri Epiſtolam ad ejus notitiam faciunt ſcriptum, quod anno 1649. ſub rubro: *Bibliotheca Auguſta ſereniſſimi, illuſtriſſimi Principis ac Domini Auguſti, Ducis Brunsv. & Luneburg: quæ eſt Wolferbyti*, prodiit, & anno 1660. typis Sternianis ſub titulo: *Bibliothecæ Auguſtæ generalis ſciagraphia* recuſum, poſtea vero ab alio, neſcio quo, poſt auctoris JOH. SCHWARZKOPFII J. U. D. & Cancellarii Wolfenbuttelenſis, obitum, multum auctum eſt. Porro huc ſpectat: *Epiſtola ad amicum, qua ea, quæ C. H. E. D. in relatione de itinere ſuo Anglicano & Batavo annis* 1706 *&* 1707 *facto, de Auguſta bibliotheca Wolfenbuttelenſi, recenſet, examinata multiplicis arguuntur falſitatis. Hannoveræ apud Nicol. Førſter* CIↃ IↃ CCX. nec non quæ anno CIↃ IↃ CCXXIIII. Helmſtadii prodiit V. Cl. RUD. ANTON. FABRICII. B. Abbatis noſtri filii Diſſ. de *tranſpoſitione bibliothecarum memorabili.* Specialem ſplendidiſſimi ædificii in quod bibliotheca Auguſta anno MDCCXXIII tranſlata eſt, deſcriptionem, ac librorum in claſſes ſuas diſtributionem non adjungimus, præſertim quum certiores ſimus facti, fore ut hiſtoria hujus bibliothecæ per ipſum ejuſdem illuſtrem Præfectum Dn. HERTELIUM cum orbe erudito communicetur. Devenimus jam ad

X. Leonis III. Papæ epiſtolas ad Carolum M. Imp. cum Capitulari Caroli M. de villis ſuis.

Epiſtolas has edidit CONRINGIUS ex vetuſtiſſimis bibliothecæ Helmſtadienſis membranis, easque eruditis admodum illuſtravit notis. Patet ex iis luce meridiana clarius, Pontifices ævo Caroli M. eam, qua hodie turgent, ambitionem tantosque ſpiritus ſibi non ſumſiſſe, ſed majeſtatem Imperatoriam, cui ſua accepta referebant, ſubmiſſe coluiſſe. Inprimis autem oſtendunt genuinam veterum eleemoſynarum, piarumque oblationum indolem. Capitulare de villis, quod dicto epiſtolarum Leonis III. volumini adhæret, itidem primus in lucem protraxit Auctor noſter, oſtenditque hoc ipſo providam rerum œconomicarum, quæ vetuſtiſſimis temporibus in Principibus eminuit, curam. De conditore capitularis nihil certi definire audet, ævo tamen Caroli M. ejusque prudentiæ maxime convenire arbitratur. Interim in epiſtola capitulari ſubjuncta ſcribit: *Si quis nihilominus exiſtimaverit, non Caroli ſed alterius alicujus Imperatoris eſſe hoc monumentum, cum eo nolo contendere. Cujuscunque enim fuerit, mihi ſatis eſt, ſi veteri aliquo & illuſtri exemplo poſſim Principes noſtros ad œconomicæ rei ſtudium permovere.*

XI. Hiſtoria electionis Alexandri VII. Papæ;

Cui juncta ſunt huic argumento adfinia opuſcula:

a) Enumeratio Cardinalium, quibus jus ſuffragii in comitiis illis fuit p. 631
b) H. CONRINGII epiſtola de electione Alexandri VII. Papæ oppoſita appendici examinis Erbermanniani p. 632
c) Erbermanni examinis Conringiani appendix ipſa de electione Papæ p. 642
d) HERM. CONRINGII caſtigatio appendicis alterius examinis Erbermanniani de electione Alexandri VII. cui illa ipſa appendix eſt inſerta. p. 645
e) Charta *Curſoris volantis* nomine ſcripta Romæ d. 20 Febr. 1655 ferventibus maxime comitiorum illorum ſtudiis p. 657
f) Opuſculum de factione volante p. 660

Ex quibus antehac nihil typis editum eſt, præter epiſtolam Conringii, & utramque Erbermanni appendicem, ut & fortaſſis Cardinalium deſignationem.

Digitized by Google

XII. De electione Urbani VIII & Innocentii X. Pontificum commentarii hiſtorici duo; adjectis aliis nonnullis ejusdem argumenti,

Qualia ſunt

a) Gregorii XV. bulla de electione Pontificis, in qua ille ſedulam curandis ejusmodi electionum morbis operam impendit. p. 718

b) JOH. FRANC. LOTTINI diſſ. de ſacris Cardinalium comitiis ſive de conclavi. Edita primum Italice cum aliis diſſertationibus politicis in volumine, cui *Teſoro politico* eſt nomen, a CASP. ENS autem latine reddita. Et hæc judice Conringio legi meretur, quoniam breviter, etſi nonnihil confuſius & cum quadam obſcuritate omnes omnino artes ſacri conclavis nos docet. p. 704

c) Diſſertatio anonymi de creatione Pontificum. Scripta eſt circiter annum 1585. & partim illa confirmat, quæ a Lottino ſunt dicta, partim & alia habet non contemnenda: quamquam & nonnulla poſt mutaverint, ut quod de Gallorum circa electionem Papæ ſtudiis narrat. p. 710

d) Excerpta ex ONUPHRII PANVINII notis ad PLATINAE Gregorium X. & Clementem V. p. 711

e) Pii IV & Gregorii XV. bullæ de conclavi ejusque ceremoniis 701 & 713

In prooemio CONRINGIUS pluribus disputat contra nimiam poteſtatem in ſpiritualibus & civilibus, quam curia Romana ejusque gnathones tribuunt Papæ, oſtenditque, quomodo vetus illa & genuina Pontificis electio inde jam a multis temporibus degeneraverit. In præfatione autem de ſingulis fere ſcriptis verba facit, ſuumque indicat propoſitum, quod ſit, clariſſimis documentis oſtendere, Conclave Cardinalium antiquis moribus & morbis hodieque agitari, quantumlibet illis curandis poſt alios Gregorius XV. medicam adhibere manum ſuſtinuerit. Alia ſcripta huc ſpectantia recenſet GRYPHIUS *de ſcriptoribus hiſtoriam ſeculi XVII. illuſtrantibus Cap. VIII. §. 3.*

XIII. Conringii Orationes duæ in laudem Ariſtotelis,

quarum prior habita in Academia Julia d. XX. Sept. anno CIƆ IƆ C XXXII. & Cancellario ARNOLDO ENGELBRECHT inſcripta eſt. Prodiit autem una cum oratione altera, quam V. Cl. BARLAEO dedicavit, in ſequenti anno CIƆ IƆ C XXXIII. ad cujus ultimæ dedicationem reſponſoria epiſtola reperitur inter epiſtolas Barlæanas. Præfationes harum orationum reperiuntur inter epiſtolas Conringii junctim editas Tomo VI. horum operum. Si tritum illud: *Laudatur ab his, culpatur ab illis;* in quenquam, in Ariſtotelem certe quadrat. Ita jam ſuo ævo ſuos habuit & maximos obtrectatores, & maximos encomiaſtas. Quam fortunam in ſequentibus temporibus apud orbem litterarium expertus ſit, peculiari libello docuit JOH. LAUNOJUS *de varia Ariſtotelis fortuna;* cum quo conferri poſſunt, quæ habet P. RAPIN in libro cui titulum fecit: *Comparaiſon de Platon & d' Ariſtote,* BAYLE in locupletiſſimo dictionarii ſui articulo: *Ariſtote Tom. I. p. 321. ſq.* & MORHOFIUS *in Polyhiſtore T. II. Lib. I. Cap. VIII.* quod agit de Ariſtotele, ſcriptoribusque de ſecta ac philoſophia peripatetica iſagogicis ac hiſtoricis; Cap. IX. De interpretibus Ariſtotelis Græcis; Cap. X. de interpretibus Ariſtotelis Arabicis. Cap. XI. de interpretibus Ariſtotelis latinis. Cap. XII. de Ariſtotelis impugnatoribus. Ut eos taceamus, qui ex inſtituto vitam hujus Philoſophi ſibi illuſtrandam ſumſerunt, AMMONIUM, GUARINUM VERONENSEM, JOH. JACOB. BEURERUM, LEONHARDUM ARETINUM, & HIERON. GEMUSAEUM, Medicum ac Philoſophum Baſileenſem.

XIV. De univerſæ eruditionis propagatione & omnis eruditionis Scriptoribus XVII ſeculorum poſt Chriſtum natum.

Habuimus ad manus quatuor hujus ſcripti exempla manu exarata, ex quibus illud, quod Vir ſumme Rever. REIMMANNUS nobiscum communicavit, initio publicare conſtitueramus, additis variantibus lectionibus ex editione hujus libri, quam V. Cl. GOTTLOB CRANZIUS, Gymnaſii Eliſabethani Breslavienſis Rector anno 1703. adornavit, cum Clar. STOLLIUS *in Introd. ad hiſtor. litterar. P. I. in prolegom.* provocans ad Dn. REIMMANNI *Introduct. in hiſtor. litter. Vol. I. p. 237.* magnam inter utrumque exemplar differentiam eſſe doceat. Sed cum diſcrepantiam iſtam in minutiis verſari obſervaremus, & Prolegomena additionesque, quas Clar. CRANZIUS ſuæ editioni adjunxit, nobis valde placerent, nos ipſi vero, ut ſummariam hanc CONRINGII ſciagraphiam ſupplementis noſtris illuſtraremus, temporis anguſtia prohiberemur; opuſculum hoc, prout illud CRANZIUS publicavit, huic Tomo inſerendum duximus. VOGLERUS *in univerſali introductione in notitiam cujusque generis bonorum ſcriptorum Cap. V.* Commentarium hunc a CONRINGIO privatis lectionibus conceptum, multorumque commoda

moda adjuturum eſſe, ſi lucem viderit, teſtatur MORHOFIUS *in Polyhiſtore T. I. Lib. I. Cap.* *Cap. XVI. §. 6.* eum compendiarium vocat, quem quidem ex temporalibus ipſi diſſertationibus natum ſuſpicatur, multis acceſſionibus augendum. Videri quoque poſſunt STRUVII *introd. ad notit. rei litterar. Cap. I. §. 11.* & quæ CRANZIUS in præfatione, de fatis hujus Collegii refert. In conferendis his & aliis Conringii manuſcriptis nobiliſſimus RUDOLPHUS AUGUSTUS NOLTENIUS, p. t. Magdeburgi Juris practicus, laudabilem nobis diligentiam probavit, qui etiam codices quosdam MStos conquiſivit.

XV. De familia Lotharingiæ Ducum,

jam primum ex Codice manuſcripto bibliothecæ Caſſellanæ, cujus copiam nobis V. Cl. SCHMINCKIUS benevole fecit, & cui publico nomine gratias agimus, typis vulgamus, B. Lectori egregia quæque de illis promittentes.

XVI. De bello contra Turcas prudenter gerendo, libri varii ſelecti & uno volumine editi cura HERM. CONRINGII, Anno 1664.

In præfatione laudat Auctor NICOLAI REUSNERI aliquot volumina epiſtolarum, orationum & diſſertationum *de ea, quod Chriſtiano orbi cum Turcis eſt bello*, doletque non multo poſt ſumma ingratitudine nomen ejus expunctum eſſe. CONRINGIUS autem collegit ſequentia ſcripta.

a) LAZARI SORANTII Patricii Veneti Ottomannus ſive de imperio Turcico; ex Italico vertit JACOB GEUDERUS ab HEROLTZBERGA. p. 917

b) ACHILLIS TARDUCCII Turca vincibilis in Ungaria, latine verſus a JAC. GEUDERO ab HEROLTZBERGA. 971

c) Anonymi Diſſertatio de Statu Imperii Turcici, cujusmodi ſub Amurathe III. fuit: Deque ejus evertendi modo; latine vertit JAC. GEUDER. ab HEROLTZBERGA 1016

d) AUGERII GISLENII BUSBEQUII de re militari contra Turcam inſtituenda conſilium 1018

e) JOANNIS Comitis TARNOVII de bello cum Turcis gerendo disputatio cum præfatione JOANNIS STRASII ad Carolum V. Imp. 1029

f) LAZARI SUENDI conſilium quomodo Turcis ſit reſiſtendum. 1034

g) FELICIS PETANCII libellus de itineribus aggrediendi Turcam. 1040

h) CHRISTIANI FRANCI dolium Diogenis, ſtrepitu ſuo collaborans dynaſtis Chriſtianis, bellum in Turcas parantibus. 1043

i) HENRICI TURRII ad Regem Chriſtianiſſimum de bello Turcico oratio, habita anno 1663 1047

Alios auctores ad hoc argumentum ſpectantes recenſet ſupra citatus GRYPHIUS *Cap. XIV. §. 4.*

XVII. Diſſ. de militia lecta, ſocia & mercenaria.

Inter politicos ventilata eſt controverſia, num ex civibus ſuis legere milites, an exteros mercede conducere, præſtet? Ubi auctor noſter non ſine ratione lectam indigenis præferendam ducit reliquis. Quam ſententiam quoque tuetur in Diſſ. *de republica antiqua veterum Germanorum §. 32.*

XVIII. JOH. HECTORIS MITHOBII diſſertatio de jure quod in Succiam Regi ad Livoniam regno Poloniæ nullum competit, cum præfatione CONRINGII.

Ipſum CONRINGIUM ſub nomine Mithobii latere voluiſſe docet WITTENIUS *diar. biograph. A. 1682. d. 12. Januar.* Quod etiam valde credibile videtur PLACCIO *de ſcript. anonym. nr. 1198. p. 304.*

XIX. CYRIACI THRASYMMACHI de juſtitia armorum Suecicorum in Polonos, perque ea liberata a magnis periculis Germania ad Andr. Nicanorem epiſtola. Helmſt. 1655.

Hoc ſcriptum iterum eſſe pſeudonymum, & CONRINGIUM auctorem agnoſcere, præter alios docet GRYPHIUS *l. c. Cap. X. §. 7. Cum Carolus Guſtavus Poloniam invaderet, Conringius bellum illud defenſurus, ſeu potius belli cauſſas redditurus (nam tunc temporis nondum erat moris, ut reges nulla edita cauſſa inſtar latronum vicinos invaderent) ſub nomine Cyriaci Thraſymmachi epiſtolam compoſuit, in qua juſtitiam armorum Suecicorum demonſtrare conatur.* Conringio tamen ſe mox oppoſuit, tum, qui LUCAE de GABRIIS nomen aſſumſit, in *Injuſtitia armorum Suecicorum in Polonos* 1657. in 4. tum alius in *reſponſione ad enumerationem cauſſarum, ob quas rex Sueciæ Polonos bello adoriri quaſi coactus ſit.* 4. anno 1656. Alios huc ſpectantes auctores commemorat iterum GRYPHIUS *l. c. Cap. X. §. 7. p. 527.*

Tantum præfaminis loco ad Tomum hunc attuliſſe ſufficiat.

Elenchus Tomi V.

I.	*Hugonis Grotii* lib. de veritate religionis Chriſtianæ cum notis *Conringii*	p. 1
II.	*Conringii* de Aſiæ & Aegypti antiquiſſimis dynaſtiis	106
III.	Exercitationes II. in Juſtini præfat. & Lib. I. Cap. I.	139
IV.	Exercit. in Juſtini Lib. I. Cap. II. & ſeqq.	153
V.	Agricola Dux	199
VI.	De habitus corporum Germanicorum antiqui ac novi cauſſis	222
VII.	*C. Cornel. Taciti* lib. de moribus Germanorum cum notis Conringii	253
VIII.	Collectio monumentorum veterum de antiquo ſtatu Germaniæ	318
IX.	De antiquiſſimo ſtatu Helmſtadii & viciniæ conjecturæ	356
X.	De antiquitatibus academicis Diſſertationes	398
XI.	Supplementa Diſſ. de antiquitatibus academicis	473
XII.	De Bibliotheca Auguſta, quæ eſt in arce Wolffenbuttelenſi, epiſtola ad illuſtr. Boineburgium	549
XIII.	Leonis III. Papæ epiſtolæ ad Carolum Magnum Imperatorem	587
XIV.	Hiſtoria electionis Alexandri VII Papæ	614
XV.	De electione Urbani IIX & Innocentii X. pontificum commentarii hiſtorici duo	664
XVI.	Orationes duæ in laudem Ariſtotelis	726
XVII.	De Scriptoribus XVI. poſt Chriſtum natum ſeculorum commentarius	762
XVIII.	De familia Lotharingiæ ducum	871
XIX.	De bello contra Turcas prudenter gerendo libri varii	913
XX.	De militia lecta, mercenaria & ſocia diſcurſus politicus	1053
XXI.	De controverſiis Sueco-Polonicis, ſ. de jure, quod in Sueciam regi, ad Livoniam regno Poloniæ, nullum competit differtat. Mithobii	1060
XXII.	Traſymmachi de juſtitia armorum Suecicorum in Polonos, perque ea liberata a magno periculo Germania	1084

Hugo

Digitized by Google

HVGO GROTIVS

De veritate Religionis Chriſtianæ,

Cum annotationibus

HERMANNI CONRINGII.

HVGO GROTIVS

De veritate (a) Religionis Chriſtianæ,

Ad Virum Ampliſſimum,

HIERONYMVM BIGNONIVM, *

Advocatum Regium

In ſummo Auditorio Pariſienſi.

LIBER PRIMVS.

§. I. *Occaſio Operis.*

QUærere identidem ex me ſoles, Vir & de patria tua, & de literis, &, ſi id adjici pateris, de me quoque optime merite, HIERONYME BIGNONI, * quod argumentum ſit eorum librorum, *quos pro religione Chriſtiana patria mea ſermone ſcripſi.* (b) Neque id quærere te miror. Non enim ignoras, ut qui omnia legi digna, & quidem tanto cum judicio legeris, quantum excoluerint iſtam materiam philoſophica ſubtilitate Ræmundus Sebundus, dialogorum varietate Ludovicus Vives, maxima autem tum eruditione, tum facundia veſtras Mornæus. Quam ob cauſam videri poteſt magis ex uſu fuiſſe; alicujus illorum in ſermonem popularem verſio, quam inchoatio novi operis. Sed quid alii hac de re judicaturi ſint, neſcio: te quidem, tam benigno ac facili judice, facile ſpero me poſſe abſolvi, ſi dicam, me lectis non illis tantum, ſed & Judæorum pro Judaica vetere & Chriſtianorum pro Chriſtiana religione ſcriptis, uti voluiſſe meo qualicunque judicio, & animo dare negatam, cum id ſcriberem, corpori libertatem. Exiſtimabam enim pro veritate non niſi veritate certandum, & quidem tali, quam ipſe animo approbarem: fruſtra enim daturum me operam, ut perſuaderem aliis, quæ non ante mihi perſuaſiſſem. Itaque ſelegi ex veteribus ac novis, quæ mihi ſe probabant maxime, omiſſis argumentis, quæ parum mihi ponderis habere videbantur, & auctoritate eorum librorum, quos ſubditicios eſſe aut certo ſciebam, aut merito ſuſpicabar. Quibus autem ipſe aſſentiebar, ea & ordine certo diſpoſui & expoſui, quam potui maxime populariter, & verſibus incluſi, quo rectius memoriæ mandarentur. Propoſitum enim mihi erat, omnibus quidem civibus meis, ſed præcipue navigantibus, operam navare utilem, ut in longo illo marino otio impenderent potius tempus, quam, quod nimium multi faciunt, fallerent. Itaque ſumpto exordio a laude noſtræ gentis, quæ navigandi ſolertia cæteras facile vincat, excitavi eos, ut hac arte, tanquam divino beneficio, non ad ſuum tantum quæſtum, ſed & ad veræ, hoc eſt, Chriſtianæ religionis propagationem, uterentur. Neque enim deeſſe materiam, cum per longinqua itinera paſſim incurrerent, aut in Paganos, ut in Sina & Guinea; aut in Mahumetiſtas, ut ſub imperio Turcæ, Perſæ & Pœnorum; tum vero Judæos, & ipſos jam Chriſtianismi profeſſos hoſtes, diſperſos per maximas partes terrarum orbis: Neque deeſſe impios, qui abditum metu venenum ex occaſione apud ſimplices prodant: adverſum quæ mala optare me, ut recte armati ſint noſtrates, & qui ingenio præſtant, incumbant pro virili revincendis erroribus, cæteri ſaltem id caveant, ne ab aliis vincantur. Ac primo quidem libro, ut oſtendam, non eſſe rem inanem religionem, ab ejus fundamento ordior; quod eſt, Numen eſſe aliquod.

§. II. *Deum eſſe.*

Id autem probare ſic aggredior. Res aliquas eſſe, quæ eſſe cœperint, ſenſu ipſo & confeſſione omnium conſtat. Eæ autem res ſibi non fuerunt cauſſa ut eſſent: nam quod non eſt, agere non poteſt, nec ipſa res eſſe potuit, antequam eſſet. Sequitur igitur, ut aliunde habuerint ſui originem: quod non tantum de illis rebus, quas ipſi aut conſpicimus, aut conſpeximus, fatendum eſt; ſed

(a) *De veritate*) GOEBEL. De libri hujus fatis vide BAYLE *in dictionario hiſtorico critico.* Conſtitueram & ego annotationes quasdam libro adjicere: Verum cum moram huic negotio ſufficientem bibliopola concedere noluerit, propoſitum mutare, & tantum CONRINGII annotationes cum iis, quas doctiſſimus KOECHERVS Grotiano textui ſubjecit, & aſteriſco deſignavit, ſubjungere coactus fui.

* *Bignonum* itemque *Bignone* in primis & antiquiſſimis editionibus de A. MDCXXVII. & MDCXXIX. obſervo.

(b) *quos pro religione Chriſtiana patriæ meæ ſcripſi*) CONRING. Scripſit hos libros autor ſermone Batavico, cum carcere detineretur Lœwenſteinii in Batavis.

Digitized by Google

ſed & de iis, unde illæ ortum habent, donec tandem ad aliquam cauſam perveniamus, quæ eſſe numquam cœperit, quæque ſit, ut loqui ſolemus, non contingenter, ſed neceſſario. Hoc autem, qualecunque tandem ſit, de quo mox agemus, idipſum eſt, quod Numinis, aut Dei voce ſignificatur. Alterum argumentum, quo probamus, Numen eſſe aliquod, ſumitur a manifeſtiſſimo conſenſu *omnium gentium*, (a) apud quas ratio & boni mores non plane exſtincta ſunt inducta feritate. Nam cum, quæ ex hominum arbitratu veniunt, nec eadem ſint apud omnes, & ſæpe mutentur; hæc autem notio nusquam non reperiatur, neque temporum viciſſitudine mutetur, quod ipſi etiam Ariſtoteli * notatum, homini ad talia minime credulo: omnino cauſam ejus aliquam dari convenit, quæ ſe ad omne genus humanum extendat: quæ alia eſſe non poteſt, quam aut oraculum Dei ipſius, aut traditio, quæ a primis humani generis parentibus manarit; quorum prius ſi admittimus, conſtat de quo quæritur: ſin poſterius, nulla ſane ratio aſſignari poterit idonea, cur primos illos parentes credamus, falſum aliquod in re momenti maximi ad omnes poſteros prodidiſſe. Accedit quod ſive olim cognitas, ſive nuper repertas orbis partes ſpectemus, ubi modo, ut diximus, aliquid eſt humanitatis, exſerit ſe hæc notitia; tum apud gentes ſapientia, aut ingenio valentes, tum apud ſtupidiores alias; quarum nec illas omnes decipi potuiſſe, nec has reperiſſe, quo alii alios deciperent, ullo pacto credibile eſt. Nec eſt, quod opponat hic quisquam paucos in multis ſæculis, qui Deum eſſe aut non crederent, aut non credere ſe profiterentur. Nam & paucitas ipſa, & quod ſtatim intellectis argumentis rejecta univerſim eſt eorum opinio, oſtendit, non provenire hoc ex uſu rectæ rationis, quæ hominibus communis eſt; ſed aut ex ſtudio novitatis, quali tenebatur, qui nivem atram eſſe contendebat; aut ex mente corrupta, ſicut vitiato palato res, non ut ſunt, ita ſapiunt: præſertim cum & hiſtoriæ, & alia ſcripta doceant, quo quisque fuit probior, eo diligentius ab ipſo cuſtoditam de Deo notitiam. Atque adeo a pravo ingenio eorum maxime, quorum intereſt, ne quis ſit Deus, id eſt, humanarum actionum judex, venire hanc a tam recepta antiquitus ſententia diſceſſionem, vel hinc apparet, quod quicquid illi ponunt, ſive generum ſucceſſionem absque ullo primordio, ſive atomorum concurſum, ſive aliud quidvis; id non minores, ſi non majores, habere difficultates, neque eo, quod receptum eſt, magis eſſe credibile, cuivis ad rem mediocriter attendenti ſatis apparet. Quod enim obtendunt nonnulli, quia non videant Deum, eo ſe nec credere; ſi quid vident, ſatis vident, quam hoc ſit homine indignum; qui modo mentem habere ſe credat, quam nec ipſam videt. Nec ſi capere Dei naturam noſtro ingenio non poſſumus, ideo talem eſſe naturam negandum eſt. Eſt enim id inferioris cujusque proprium, ut quæ ſe ſuperiora atque excellentiora ſunt, capere non poſſit. Ne beſtiæ quidem, quid homo ſit, capiunt; multoque minus ſciunt, qua ratione homines respublicas inſtituant, ac regant, aſtrorum curſus metiantur, mare navigent. Hæc enim omnia ipſarum captum ſuperant. Atque ex hoc ipſo homo, quippe ſupra beſtias nobilitate naturæ conſtitutus, idque non a ſeſe, inferre debet id, a quo ſuperior beſtiis eſt conſtitutus, non minus ſeſe eſſe ſuperius, quam ipſe ſit beſtiis; ideoque eſſe aliquam naturam, quæ utpote excellentior, ſui captus modum excedat.

§. III. *Deum eſſe unum.*

Evicto Numen eſſe aliquod, reſtat ad attributa ejus veniamus; quorum primum hoc occurrit, *non plures eſſe Deos*, (b) ſed unum Deum. Hoc inde colligitur, quod Deus, ut ſupra jam dictum eſt, eſt id, quod eſt neceſſario, ſive per ſe: neceſſario autem, ſive per ſe, quidque eſt, non qua in genere conſideratur, ſed qua actu eſt: actu autem ſunt *res ſingulæ*. (c) Quod ſi plures Deos ponas, jam

(a) *omnium gentium*) CONRING. Hæc ratio non exigui eſt ponderis; recte enim TVLLIVS I. *Tuſculan.* omni in re conſenſio omnium gentium lex naturæ putanda eſt. Ipſe quoque ARISTOTELES hoc fundamento oſtendit, Dei ſedem in cœlis eſſe. Certum autem eſt, nullam gentem in hoc quidem terrarum orbe ita obbrutuiſſe, ut nihil Dei coluerit, atque adeo eſſe Deum aliquem, dubitarit. TERTVLLIANVS *libro de reſurrectione carnis. c. III.* Quædam & natura nota ſunt, ut immortalitas animæ penes plures, & Deus noſter penes omnes. Apud XENOPHONTEM SOCRATES cultum Deorum legem eſſe ait, quæ apud omnes æque gentes valeat. Quod & CICERO tum *lib. I. de natur. Deor.* tum *lib. II. de invent. orat.* affirmat; & POMPEJVS JCtus religionem erga Deum juri adſcribit gentium. Eſt autem jus gentium, in quod omnes gentes conſentiunt. Quod autem de Braſilianis quidam memorant, nullam in iis Numinis curam eſſe, id & JOHANNIS LVCII & ANDREÆ THENATI & JO. STADII & omnium, qui eas terras adierunt, conſentiente teſtimonio refellitur.

* *Lib. XI. Metaphyſ. cap. VIII.* Ubi memoratis fabulis de Diis, ita loquitur: ὧν εἴ τις χωρίσας αὐτὸ λάβοι μόνον τὸ πρῶτον, ὅτι θεοὺς ᾤοντο τὰς πρώτας οὐσίας εἶναι, θείως ἂν εἰρῆσθαι νομίσειε, καὶ κατὰ τὸ εἰκὸς πολλάκις εὑρημένης εἰς τὸ δυνατὸν ἑκάστης καὶ τέχνης καὶ φιλοσοφίας καὶ πάλιν φθειρομένων, καὶ ταύτας τὰς δόξας ἐκείνων οἷον λείψανα περισεσῶσθαι μέχρι τοῦ νῦν: *Quorum ſi quis, diſtinctione facta, hoc tantum ſumat, quod primum fuit, quod Deos eſſe putarent primas ſubſtantias, divine dicta exiſtimet, &, ut credibile eſt, ſæpius inventa, quoad licuit, omni arte & philoſophia & iterum deperdita, hasce illorum opiniones, quaſi reliquias, ad hæc tempora ſervatas fuiſſe.*

(b) *non plures eſſe Deos*) CONRING. Unum eſſe aliquem maximum Deum, illi etiam, qui plures Deos coluerunt, omnes confeſſi ſunt, ſeu veteres Chaldæos & Perſas ſpectemus, ſeu de Ægyptiis, Græcis Latinisque illis loquamur. Multo minus Philoſophi Græcorum aliter cenſuerunt. Et quidem Chaldæorum ſecretior Theologia in Deorum ſacro ordine, id quod unum appellant, principe omnium loco collocant. Similiter Magi Perſarum Zarnum Arimaſtæ ac Arimanii parentem ſuper cœleſtibus ut patrem ac doctorem totius univerſi ſtatuerunt. Græcorum autem & Latinorum Jupiter tanquam pater & princeps omnium Deorum ex poetarum ſcriptis in vulgo notus eſt. Philoſophorum Græcorum pariter & Latinorum de divina unitate teſtimonia cum ab aliis, tum imprimis diligentiſſime ab AVGVSTINO STEVCHO collecta ſunt. Neque fere alia produnt de noſtri etiam ævi idololatris, quotquot res eorum ſcriptis mandarunt. Ut unitas illa maxima Deorum, atque adeo monarchia hujus univerſi non minus fere omnium conſenſu gentium poſſit probari, quam illud, eſſe Deum aliquem, eumque ſancto cultu reverendum.

(c) *res ſingulæ*) CONRING. Vulgatum eſt Metaphyſicorum

jam in ſingulis nihil invenias, cur neceſſario ſint: nihilque cur magis duo quam tres, aut decem quam quinque credantur. Adde quod multiplicatio rerum ſingularium congenerum eſt ex cauſarum fœcunditate, pro qua plures ipſæ res enaſcuntur, aut pauciores. Dei autem nec origo, nec cauſa ulla eſt. Tum vero in ſingulis diverſis ſunt quædam proprietates ſingulares, quibus inter ſe diſcriminentur: quas in Deo, qui natura eſt neceſſaria, ponere non eſt neceſſarium. Neque vero uſquam ſigna deprehendas *Deorum plurium.* (a) Nam tota hæc univerſitas unum facit mundum: in eo unum pulcherrimum, ſol; in homine etiam unoquoque unum imperat, mens. Præterea, ſi duo eſſent, aut plures dii, libere agentes & volentes, poſſent contraria velle: impediretur autem alter ab altero, quo minus quod vellet efficeret: impediri autem poſſe Deo indignum eſt.

§. IV. *In Deo eſſe omnem perfectionem.*

Ut cætera Dei attributa noſcamus, omne id, quod perfectionis nomine intelligi ſolet, (utamur nunc ſane hoc vocabulo, quando aliud lingua Latina non ſuppeditat, Græcum eſt τελειότης) *in Deo eſſe*, (b) hinc intelligitur: quod quæcunque eſt perfectio in rebus, ea aut cœperit, aut non cœperit. Quæ non cœpit, Dei eſt. Quæ cœpit, neceſſe eſt habuerit, unde inciperet. Et cum a nihilo nihil fiat eorum quæ ſunt, ſequitur, ut quæ in effectis apparent perfectiones, in cauſa fuerint, ut ſecundum eas cauſa efficere aliquid poſſit, & proinde omnes *in prima cauſa.* (c) Neque prima cauſa ulla perfectione poſtea orbari potuit: non aliunde, quia quod æternum eſt, ab aliis rebus non pendet, neque quicquam ab illarum actione patitur: neque vero a ſe, quia natura omnis ſuam perfectionem appetit.

§. V. *Et quidem infinitam.*

Addendum eſt, eſſe has perfectiones *in Deo modo infinito:* (d) quia attributum cujusque finitur, aut quia cauſa, per quam exſiſtit, tantum, nec plus ei communicavit; aut quia ipſa tantum, nec amplius, capiebat. Deo autem nulla natura quicquam ſui communicat: nec ipſe aliunde capit quicquam, exſiſtens, ut ante diximus, per ſe ſive neceſſario.

§. VI. *Deum eſſe æternum, omnipotentem, omniſcientem, omnino bonum.*

Cum vero apertiſſimum ſit perfectiora dici ea, quæ vivunt, iis, quæ non vivunt; quæ agendi pollentiam habent, iis, quæ non habent; quæ intelligunt, non intelligentibus; quæ bona ſunt, his, quæ minus ſunt talia; ſequitur ex his, quæ modo diximus, hæc omnia attributa Deo convenire, & quidem infinite. Itaque eſſe eum vitæ infinitæ, id eſt, æternum, pollentiæ immenſæ, id eſt, omnipotentem, ſic & omniſcientem, & omnino ſine ulla exceptione bonum.

§. VII. *Deum eſſe cauſam omnium.*

Quæcunque autem ſubſiſtunt, a Deo exſiſtendi habere originem, connexum eſt his, quæ ante diximus. Concluſimus enim, id quod per ſe, ſive neceſſario eſt, unum eſſe. Unde ſequitur, ut alia omnia ſint orta ab aliquo diverſo a ſeipſis. Quæ autem aliunde orta ſunt, ea omnia in ſe, aut

rum pronunciatum, quicquid eſt, quatenus eſt, eatenus eſt actu. Item: omne ens actu exiſtens unum ſingulare eſt.

(a) *Deorum plurium.*) CONRING. Argumentum hoc multæ probabilitatis eſt, neque enim ullum eſt indicium ariſtocratici in cœlo hujus univerſi, regiminis, quin imo in omnibus, quæque optime ordinata ſunt, ab uno aliquo principio dependere reliqua certum eſt, ut multis locis in ipſa natura rerum ab ARISTOTELE obſervatum eſt; qui etiam *metaphyſ. XII. cap. ult.* in hoc ipſo argumento de diis laudat HOMERI illud: ἐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔστω. Quod ſi autem melior abſolute unus principatus, neque ullum eſt indicium deorum multitudinis, cur non intrepide confiteamur mundi hanc monarchiam.

(b) *in Deo eſſe*) CONRING. Perfectum dicitur illud, cui nihil deeſt eorum, quæ non tantum ad eſſe, verum etiam ad bonum eſſe, requiruntur. Qua de re conſulendus ARISTOTELES *lib. V. metaphyſ. cap. 16.* Perfectio autem eſt, qua res perfecta redditur. Proinde cum magna ſit rerum diverſitas, non una quoque eſt perfectorum natura. Eſt enim alia canis, alia equi, alia hominis perfectio. Neque enim imperfectus canis eſt, quod ratione deſtituatur, ſicut nec homo imperfectus homo eſt, quod ad angelicam excellentiam non accedat. Judicari itaque non poteſt de re alicujus ſeu perfectione, ſeu imperfectione, niſi probe ante perſpecta cujuslibet rei natura atque conditione. Videtur tamen, quasdam perfectiones ſimpliciter & abſolute loquendo excellentiam quandam indicare, quæ proinde ſcholaſticis doctoribus perfectiones ſimpliciter ſimplices appellari conſuevere. Verum enimvero, quænam illæ ſint, quidve hoc nomine dignum ſit, cognitu mortalibus nobis valde eſt difficile atque explicatu arduum. Certo pronunciare tantum licet, ſummo Numini nihil deeſſe, quod aut ſimpliciter dicit perfectionem aut ad naturam divinam poſtulatur. Intelligere eſt perfectio hominis, ergo & Deus intelligit; nam & ambulare poſſe, hominis perfectio eſt, nec tamen Deus ambulat.

(c) *in prima cauſa*) CONRING. Notandum tamen in arte factis multa reperiri poſſe, quæ magnam partem non ab arte quam ab ipſa materia rerum dependeant. Ita ſerra ſecare non poteſt niſi ex ferro confecta eſſet, ferrum autem non facit ars, ſed a materia producto utimur. Longe aliter res ſe habet de Deo, quippe qui nihil invenit materiæ ex qua mundum conderet, ſed ipſum & materiam ex nihilo produxit, ut proinde plane nihil ſit in hac rerum natura, quod in Deo excellenti quodam gradu non reperiatur. Nam quis de Deo cogitat, tanquam de artifice aliquo qui materiam in qua perfectiones omnium rerum jam dudum latent, aliunde capit.

(d) *in Deo modo infinito*) CONRING. Infinitum eſt, quod aut nullum finem habet actu, aut quod finiri vel plane nequit, vel non niſi difficulter. Notandum autem terminum illum imperfectionem arguere, cujus naturæ eſt omnis ille, extra quem aliquid perfectionis ac virtutis reperitur: alium vero imperfecti nihil dicere, ſed innuere tantum ipſam perfectiſſimam eſſentiam ſemetipſa terminatam. Quicquid enim eſt, quatenus eſt, unum quid eſt, atque adeo ſuamet eſſentia finitum ac terminatum. In Deo quidem nihil eſt, ſed omnia infinita, ſi primam videas ſignificationem. Omnis enim perfectio ſummo ſuo gradu in Deo reperitur. Altero vero ſignificatu Deus eſſentia ſuamet ipſa finitur.

aut in cauſis ſuis, orta eſſe ab eo, quod ortum nunquam eſt, id eſt a Deo, jam ante vidimus. Neque ratio tantum, ſed ipſe id quodam modo ſenſus evincit. Nam ſi humani corporis admirabilem conſtructionem intus extraque conſpicimus, & ut omnia ibi, etiam minima, ſuos uſus habeant, nullo ſtudio, nulla induſtria parentum, arte vero tanta, ut philoſophorum ac medicorum præſtantisſimi nunquam eam ſatis poſſint admirari, oſtendit hoc opificem naturæ eſſe mentem excellentisſimam: qua de re videri poteſt * Galenus, præſertim qua parte oculi & manus uſum examinat. Imo & mutorum animantium corpora id loquuntur. Non enim ex vi materiæ, ſed ad finem certum collocatæ ac figuratæ ſunt eorum partes. Neque animantium tantum, ſed & plantarum & herbarum, ut a Philoſophis accurate notatum eſt. Idem egregie 1 Strabo notavit in aquarum poſitu, quæ, ſi materiæ qualitatem reſpicias, mediæ eſſe debuerunt inter terram atque aërem, cum nunc terris interfuſæ ſint; nimirum, ut terræ fœcunditati hominumque vitæ nihil obſtaret. Ob finem autem agere non eſt, niſi intelligentis naturæ. Neque vero ſingula tantum ad peculiarem ſuum finem ordinantur, *ſed & ad communem univerſi;* (a) ut apparet in aqua, quæ contra naturam ſibi propriam ſurſum movetur, ne inani interpoſito hiet univerſi compages, ita facta, ut continua partium cohæſione ſemet ſuſtineat. Finis autem hic univerſalis intendi, & vis ad eum finem inſeri rebus non potuit, niſi ab intellectu, cui ſubeſſet hoc univerſum. Quin & beſtiarum nonnullæ actus exercent *ita ordinatos* (b) atque directos, ut omnino eos appareat a ratione aliqua proficiſci: quod in formicis, & apibus maxime apparet; ſed & in aliis quibuſdam, quæ ante omne experimentum aut nocitura fugiunt, aut profutura quærunt. Non ipſis ineſſe vim hoc aut inveniendi aut dijudicandi, inde apparet, quod ſemper agunt conſimiliter, & ad alia neutiquam graviora nihil valent: quare ab extrinſeca ratione ipſas aut dirigente, aut efficaciam ſuam ipſis imprimente, neceſſe eſt iſta proficiſci: quæ quidem ratio non aliud eſt, quam quod Deus vocatur. Jam vero cœleſtia quoque ſidera, & quæ in iis maxime eminent, ſol & luna, curſus agunt ita attemperatos ad terrarum fœcunditatem, & animantium valetudinem, ut ne excogitari quidem aptius quicquam poſſit. Nam cum alioqui multo ſimplicior fuiſſet per æquatorem motio, aliam illis attributam videmus per obliquum circulum, quo ad plura terrarum ſpatia beneficia ipſorum pertingerent. Sicuti vero terrarum uſus penes animantia eſt, ita animantium cæterorum penes hominem maxime, qui violentisſima quæque exſuperantia ingenii ſibi ſubjicit. 2 Unde mundum hominis cauſa factum etiam Stoici colligebant. Cum vero eo usque vis hominis non poſſit pertingere, ut & cœleſtia lumina ſibi ſervire cogat, nec illa ultro ſe homini mancipaſſe credenda ſint: ſequitur, ut ſuperior quædam ſit mens, cujus imperio pulcherrima illa corpora homini tanto infra poſito operas perpetuas præſtent: quæ ipſa mens non alia eſt, quam opifex ſiderum, atque univerſi. 3 Motus autem ſiderum, qui eccentrici, quique epicyclici dicuntur, manifeſte oſtendunt non vim materiæ, ſed libere agentis ordinationem. Idem teſtantur aſtrorum alii ex hac, alii ex altera cœli parte poſitus, terrarumque ac marium tam inæqualis forma. Nec alio referri poteſt, quod ſidera in hanc magis, quam in illam partem eunt. Ipſa vero mundi figura perfectisſima, rotunda ſcilicet, & partes ejus in cœli quaſi ſinu concluſæ, atque ordine admirabili diſpoſitæ, ſatis loquuntur, non caſu hæc confluxiſſe, ſed ab intellectu, & quidem excellentisſimo, eſſe conſtituta. Nam quis adeo ſtultus eſt, ut a caſu aliquid tam accuratum exſpectet, quaſi credat, caſu lapides & ligna 4 in domus ſpeciem coalitura, aut ex jactis forte literis exſtiturum poëma: cum & qui figuras geometricas in littore viderat, hominis ſe dixerit videre veſtigia, ſatis perſpiciens a caſu talia proficiſci non potuiſſe? Præterea

1. *Strabo notavit*) Locus eſt libro XVII. (*fol.* 517.) ubi cum diſtinxiſſet opera φύσεως, *naturæ*, id eſt, *materiæ*, & προνοίας, id eſt, *divinæ providentiæ*, addit: ἀλλ' ἐπειδὴ τῇ γῇ περίκειται τὸ ὕδωρ, οὐκ ἔστι δ' ἔνυδρον ζῷον ὁ ἄνθρωπος, ἀλλὰ χερσαῖον, καὶ ἐναέριον, καὶ πολλοῦ κοινωνικὸν φωτός, ἐποίησεν ἐξοχὰς ἐν τῇ γῇ πολλὰς καὶ εἰσοχάς, ὥστ' ἐν αἷς μὲν ἀπολαμβάνεσθαι τὸ σύμπαν ἢ καὶ τὸ πλέον ὕδωρ, ἀποκρύπτον τὴν ὑπ' αὐτῷ γῆν· ἐν αἷς δ' ἐξέχειν τὴν γῆν ἀποκρύπτουσαν ὑφ' ἑαυτῇ τὸ ὕδωρ, πλὴν ὅσον χρήσιμον τῷ ἀνθρωπείῳ γένει καὶ τοῖς περὶ αὐτὸ ζῴοις καὶ φυτοῖς. *Sed cum circum terram ſitus ſit aquæ naturalis, homo autem non ſit animal aquaticum, ſed partim terreſtre, partim aëreum, multisque partibus lucis capax, fecit providentia multas in* ** *aqua exſtantias, depreſſionesque, ut hæ quidem reciperent aquam aut plurimam ejus partem, qua occultaretur quod ſub ea eſt terræ: per illas vero attolleret ſe terra, ac ſub ſe aquas occultaret, niſi quatenus ea ipſa* *** *generæ, & quæ humano generi inſerviunt, animalibus plantisque eſſent uſui.* Obſervarunt hoc inter Hebræos Rabbi Juda Levita, **** & Abenesdra: (*ad Gen. I. v. 2.*) inter Chriſtianos vero Chryſoſtomus de ſtatuis nono ſermone. (*ſive homil. IX. ad populum Antiochen. tom. I. opp. fol.* 112. *ſeq.*

2 *Unde mundum hominis cauſa factum etiam Stoici colligebant.*) Docet Cicero de officiis primo, (*cap.* 7.) & de natura Deorum ſecundo. *cap.* 61. *fin. & init. cap.* 62. *it. cap.* 53.

3 *Motus autem ſiderum, qui eccentrici, quique epicyclici dicuntur.*). Tractat docte hoc argumentum Maimonides Ductore dubitantium parte 11. c. 24. Quod ſi terram perpetuo moveri ſtatuas; res ſub aliis nominibus eodem redibit.

4 *in domus ſpeciem.*) Aut navis, aut baliſtæ.

* *De uſu partium lib. III. cap.* 10. qui locus lectu digniſſimus, at prolixior, quam huc transferri queat, obſervante *Clerico* ad hunc locum.

(a) *ſed & ad communem univerſi*) CONRINGIUS. Omnis hic mundus eſt inſtar ædificii, in quo proportione ſervata omnia inito quodam ordine inter ſe mutuo conſpirant, quod cum ab aliis tum ab ARISTOTELE præclare docetur *lib. XII. metaphyſ. cap. ult.*

(b) *ita ordinatos*) CONRING. De ſolertia animalium præclarum libellum reliquit PLUTARCHUS. Multa de eodem argumento hoc ex Plutarcho tranſcripſit PORPHYRIUS libro περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων. Operæ pretium etiam eſt legere *lib. VII. & IX. hiſtor. anim.* ARISTOTELIS & quæ in variis ſparſim narrat ÆLIANUS in Halieutico, OPPIANUS & alii paſſim.

** Secundum Græca *terra* vertendum erat.

*** *Humano generi, & quæ* &c. ita corrigere hæc verba ipſe me *Grotius* jubet *epiſtol. part. altera epiſtola* CCCCLXXXV. *ad fratrem* A. 1640. ſcripta *fol.* 892.

**** In libro *Cosri*, cujus a quibuſdam autor habetur, *part. V. ſect. X. p.* 333. edit. & verſion. *Buxtorff.* W.

terea non ab æterno exſtitiſſe *hominum genus*, (a) ſed a certo tempore communem ſtirpi ſumpſiſſe originem, evincunt inter alia, 5 artium progreſſus, & *inculta olim terra* (b) quæ habitari poſtea cœperunt, quod & inſularum ſermo teſtatur profectus a terris adjacentibus. Tum vero inſtituta quædam ita hominibus communia, ut non tam naturæ inſtinctui, aut evidenti rationis collectioni, quam perpetuæ & vix paucis in locis per malitiam aut calamitatem interruptæ traditioni, accepta ferri debeant: qualis olim fuit victimarum *in ſacris mactatio*, (c) & nunc quoque pudor circa res Veneris, nuptiarum ſolemnia, & *inceſtorum fuga*. (d)

§. VIII. *Ad objectionem de mali cauſa.*

Neque ab eo, quod diximus, dimovere nos debet, quod mala multa evenire cernimus, quorum

5 *Artium progreſſus & incultæ olim terræ, quæ habitari poſtea cœperunt.*) Tertullianus ex hiſtoriis hoc tractat, libro de anima, ſectione XXX. *Invenimus autem apud omnes commentarios, etiam humanarum antiquitatum, paulatim humanum genus exuberaſſe*, &c. Et mox: *Ipſe orbis in promptu eſt cultior in dies & inſtructior priſtino.* Duo hæc argumenta Ariſtotelis ſententiæ, quæ numquam cœpiſſe vult genus humanum, auctoritatem apud hiſtoriarum peritos adement, etiam apud Epicureos. Lucretius V. (*v.* 325.)

Præterea ſi nulla fuit genitalis origo
Terrarum & cœli, ſemperque æterna fuere,
Cur ſupra bellum Trojanum & funera Trojæ,
Non alias alii quoque res cecinere Poëtæ?
Quo tot facta virum toties cecidere; nec uſquam
Æternis famæ monumentis inſita florent?
Verum, ut opinor, habet novitatem ſumma, recensque
Natura eſt mundi, neque pridem exordia cepit.
Quare etiam quædam nunc artes expoliuntur,
Nunc etiam augeſcunt, nunc addita navigiis ſunt
Multa, modo organici melicos peperere ſonores.

& quæ ibi ſequuntur plura. Virgilius Ecloga VI. (*v.* 33.)

\- - - - - - *ut his exordia primis*
Omnia, & ipſe tener mundi concreverit orbis.

Idem Georgicon I. (*v.* 133. *ſeqq.*)

Ut varias uſus meditando extunderet artes,
Paulatim & ſulcis frumenti quæreret herbam,
Et ſilicis venis abſtruſum excuderet ignem.
Tunc alnos primum fluvii ſenſere cavatas,
Navita tum ſtellis numeros & nomina fecit,
Pleiadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton.
Tum laqueis captare feras & fallere viſco
Inventum, & magnos canibus circumdare ſaltus:
Atque alius latum funda jam verberat amnem
Alta petens: pelagoque alius trahit humida lina:
Tum ferri rigor atque argutæ lamina ſerræ,
Nam primi cuneis ſcindebant fiſſile lignum:
Tum variæ venere artes.

Horatius lib. I. Satyra III. (*v.* 99. *ſeqq.*)

Cum prorepſerunt primis animalia terris,
Mutum & turpe pecus, glandem atque cubilia propter,
Unguibus & pugnis, dein fuſtibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quæ poſt fabricaverat uſus:
Donec verba, quibus voces ſenſusque notarent,
Nominaque invenere: dehinc abſiſtere bello,
Oppida cœperunt munire & ponere leges:
Ne quis fur eſſet, neu latro, neu quis adulter.

Plinius libro tertio naturalis hiſtoriæ circa initium: (*ſeu procemio*) *Quare ſic accipi velim, ut ſicubi vidua fama ſua nomina, qualia fuere primordio ante ullas res geſtas, nuncupentur.* Idem robora Hercynia mundo congenita dixit lib. XVI. (*cap. II.*) Et in * pleno cuncto mortalium genere minorem indies fieri menſuram obſervatum ait libro VII. (*cap. XVI.*) Seneca apud Lactantium: (*lib. III. cap. XVI.* §. 14.) *Nondum ſunt mille anni ex quo initia ſapientiæ nota ſunt.* Tacitus annalium III. (*Cap. XXVI.* §. 1. *ſeqq.*) *Vetuſtiſſimi mortalium nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eoque ſine pœna aut coercitionibus agebant: neque præmiis opus erat, cum honeſta ſuopte ingenio peterentur: & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At poſtquam exui æqualitas, & pro modeſtia ac pudore, ambitio & vis incedebat, provenere dominationes, multosque apud populos æternum manſere. Quidam ſtatim, aut poſtquam regum pertæſum, leges maluerunt. Hæ primo rudibus hominum animis ſimplices erant* Neque vero non aliis tantum, ſed nec plene ſibi ipſi probavit Ariſtoteles illam ſuam, de hominum genere numquam cœpto, ** (eſſe) ἀΐδιον. Hæſitanter enim compluribus in locis ea de re loquitur, ut notatum Moſi Maimonidæ Ductoris dubitantium parte II. in præloquio. (*pag.* 184. *add. C. XV. p.* 223. *ſeqq.*) Libri ſecundi de cœlo, capite primo, ejus quod ipſe hac in re ponit πίστιν perſuaſionem eſſe dicit, non autem dicit ἀπόδειξιν, demonſtrationem. Eſt vero ejuſdem Philoſophi dictum

(a) *hominum genus*) CONRING. Hoc loco incipit autor argumentari, ut loquuntur, a poſteriori, eſtque ratio hæc colligendi omnium evidentiſſima, ita ut nec a plebejo potuerit rejici. Non tantum autem ſatis veriſimiliter oſtendi poteſt humani generis origo, ſed etiam omnem mundum incepiſſe aliquando, ex iſta re facile probatu eſt. Quo imprimis facit omnium gentium unanimis conſenſus de mundi exordio. Neque enim gens ulla, imo ne ſapiens quidem ullus celebrior ante ARISTOTELEM, æternitatem mundi unquam aſſeruit. Tametſi enim PROCLVS & alii in eandem cum ARISTOTELE ſententiam PLATONEM quoque trahunt, abludit tamen hoc cum a disertis PLATONIS ſententiis, tum ab ARISTOTELIS teſtimonio, quem certe nihil potuit latere eorum, quæ magiſtro PLATONI olim viſa ſunt.

(b) *incultæ olim terræ*) CONRING. Non deſunt inter veteres qui ſe αὐτόχθονας ſeu Aborigines jactitarunt; verum iſta ſtultitia facile melioribus rationibus refellitur. Inprimis autem obſervandum in electione hiſtoriarum, antiquiſſimas colonias ex Aſia uſque profectas eſſe. TACITVS quidem libro *de moribus Germanorum*, Germanos illius terræ indigenas eſſe, non vero aliunde adveniſſe, conatur oſtendere, ſed nauci ſunt, quæ adfert ſententiæ ſuæ probandæ, quale eſt, claſſibus advehi, qui mutare ſedes quærunt. Quaſi vero non plurimi populi pedibus modo in hanc, modo in illam regionem ſe tranſtulerint; nec Germania noſtra niſi claſſibus adiri poſſit, cum tantum minima ſolum ſui parte oceano alluatur, & immenſis contra pateat campis in Pannoniam, Daciam & Illyricam. Nec melioris commatis eſt, quod ait: *quis præter periculum horridi & ignoti maris, Aſia & Africa relicta, Pannoniam peteret: informem terris, aſperam cœlo, triſtem cultu aſpectuque, niſi ſi patria ſit?* Atqui extremi Aſiæ fines ne nunc quidem vel pilo meliores ſunt & fortaſſe non conſilio, ſed vi potius ac metu majoris periculi, has in terras majores noſtri compulſi ſunt.

(c) *in ſacris mactatio*) CONRING. Victimis expiari atque averti iram numinis, nulla licet evidenti ratione oſtendere, & tamen nulla olim ante Jeſu Chriſti quidem adventum fuit gens, quæ non victimis cæſis Deos ſuos coluerit. Merito igitur quæritur: unde inſtitutum hoc ad omnes æque gentes pervenerit. Facili autem negotio patet, cum collectioni ingenii nullus ſit locus, ad traditionem recurrendum eſſe, quod fieri non potuit, niſi ab una origine genus humanum omne dependeret.

(d) *inceſtorum fuga*) CONRING. De inceſtorum prohibitione nihil videtur ex naturæ jure oſtendi poſſe. Quare non abſque cauſa quis fidem adhibuerit Judæis, qui hic ad leges Noacho ejusque filiis a Deo latas recurrunt, vel quod alii ajunt, ipſis primis parentibus ſevera lege hoc interdictum. Vide GROT. *lib. II. de J. B. & P. cap. V. n.* 12. & 13.

* Sunt editiones libri noſtri veteres juxta ac recentiores, quæ *in pleno cuncto*; ſunt, quæ *in plerorumque* legunt: neutrum ad mentem *Plinii*, cujus hæc verba exiſtunt: *In plenum autem cuncto mortalium generi minorem* (*ſtaturæ menſuram*) *indicis fieri, prope nodum obſervatur.*

** Expungendum hoc verbum, licet antiquis inſit editionibus.

rum videtur origo Deo adſcribi non poſſe; ut qui perfectisſime, ſicut ante dictum eſt, bonus ſit. Nam cum diximus, Deum omnium eſſe cauſam, addidimus, *eorum, quæ vere ſubſiſtunt.* (a) Nihil enim prohibet, quominus ipſa, quæ ſubſiſtunt, deinde cauſæ ſint accidentium quorundam, quales ſunt actiones. Deus hominem & mentes, ſublimiores homine, creavit cum agendi libertate; quæ agendi libertas vitioſa non eſt, ſed poteſt ſua vi aliquid vitioſum producere. Et hujus quidem generis malis, quæ moraliter mala dicuntur, omnino Deum adſcribere auctorem nefas eſt. At ſunt, quæ alio ſenſu dicuntur mala, quia certæ perſonæ doloris aut damni adferunt aliquid, quæ a Deo proficiſci, puta ad emendationem hominis, aut etiam in pœnam delicto reſpondentem, nihil vetat: cum in eo nihil ſit, quod bonitati repugnet: imo ſæpe hæc ab ipſa bonitate proficiscantur, ſicut a bono medico ingratum ſapori pharmacum.

§. IX. *Contra duo principia.*

Rejicienda autem hic obiter eorum ſententia, qui duo principia agentia, alterum bonum, alterum malum poſuerunt. Ex duobus enim pugnantibus inter ſe deſtructio ſequi poteſt, ordinata conſtructio non poteſt. Neque vero ſicut aliquod eſt per ſe bonum, ita aliquod eſſe per ſe & omni modo malum poteſt: cum malum defectus ſit quidam, qui eſſe nequit, niſi in re exſiſtente: ipſum autem exſiſtere jam boni eſt aliquid.

§. X. *Univerſum a Deo regi.*

Dei autem providentia regi *hoc univerſum,* (b) inde apparet, quod non tantum homines, quippe intellectu præditi, ſed & aves, feræ, quadrupedes, quibus aliquid eſt quaſi vice intellectus, curam habent eorum, quæ a ſe producta ſunt. Quæ perfectio cum pars ſit bonitatis, a Deo removenda non eſt; eoque magis, quod ſit ipſe, & omniſcius, & omnipotens, ita ut non poſſit non cognoſcere ea, quæ aguntur, aut agenda ſunt, eaque ipſe temperare, ac dirigere facillime poſſit: quo & illud pertinet, quod ſupra jam diximus de motu rerum contra naturam propriam ob finem univerſalem.

§. XI. *Etiam ſublunaria.*

Multum autem errare eos, qui providentiam hanc cœli orbibus includunt, tum ex ratione jam allata, & ad res omnes conditas vim ſuam exſerente apparet: tum inde etiam, *quod aſtrorum curſus,* (c) ut Philoſophorum potisſimi agnoſcunt, & experientia ſatis demonſtrat, ordinati ſint ad uſum hominum. Æquum autem eſt, ut magis curetur id, cujus gratia eſt aliud, quam quod in uſum alterius comparatum eſt.

Etiam

dictum libro III. de anima, cap. III. δόξῃ ἕπεται πίστις. *Opinionem ſequitur perſuaſio.* Præcipuum autem ejus argumentum eſt ex abſurdo contrariæ ſententiæ: ea autem ponebat non creatum cœlum & univerſum, ſed generatum, quod eſt ἀγένητον. Libro XII. * metaphyſicorum cap. VIII. veriſimile ait eandem artem ſæpius inventam corruptamque, libro autem III. capite ultimo de generatione animantium ſic loquitur: Διὸ καὶ περὶ τῆς τῶν ἀνθρώπων καὶ τετραπόδων γενέσεως ὑπολάβοι τις ἄν, εἴπερ ἐγίγνοντό ποτε γηγενεῖς, ὥσπερ φασί τινες, δύο τρόπων γίνεσθαι τὸν ἕτερον· ἢ γὰρ ὡς σκώληκος συνισταμένου τὸ πρῶτον, ἢ ἐξ ᾠῶν. *Quare & de hominum ac quadrupedum ortu non abſurde quis conjiciat, ſi olim ex terra editi ſunt, id duorum modorum altero eveniſſe, aut ut vermiculi primum exiſterent, aut ut ex ovis ederentur.* Utrumque hunc modum cum explicaſſet, addit: ὅτι μὲν οὖν, εἴπερ ἦν τις ἀρχὴ τῆς γενέσεως πᾶσι τοῖς ζῴοις, εὔλογον δυοῖν τούτων εἶναι τὸν ἕτερον φανερόν. *Quare ſi quod initium exſiſtendi animalibus fuit, id altero de duobus iſtis modis contigiſſe manifeſtum eſt.* Idem Ariſtoteles topicorum I. Cap. IX. (*potius XI.*) Ἔστι δὲ προβλήματα καὶ ὧν ἐναντίοι εἰσὶν οἱ συλλογισμοί (ἀπορίαν γὰρ ἔχει, πότερον οὕτως ἔχει ἢ οὐχ οὕτως, διὰ τὸ περὶ ἀμφοτέρων εἶναι λόγους πιθανούς) καὶ περὶ ὧν λόγον μὴ ἔχομεν, ὄντων μεγάλων, χαλεπὸν οἰόμενοι εἶναι τὸ διὰ τί ἀποδοῦναι, οἷον πότερον ὁ κόσμος ἀΐδιος, ἢ οὔ. καὶ γὰρ τὰ τοιαῦτα ζητήσειεν ἄν τις. *Quæſtiones ſunt de quibus & in alteram partem eſt ratiocinari: ubi nempe diſputari poteſt res ſic ſe habeat, an aliter, quia in utramque partem argumenta ſunt probabilia. Tum etiam de quibus certi aliquid non habemus, quia cum res ipſæ ſint graves, cauſas cur ſic vel ſic ſe res habere pro certo habeatur, non invenimus: ut an ab æterno ſit mundus, an non: nam talia ſolent venire in diſputationem.* De eadem re idem diſſerens libro I. de cœlo, cap. 10 ἅμα δὲ μᾶλλον ἂν εἴη πιστὰ τὰ μέλλοντα λεχθήσεσθαι, προακηκοόσι τὰ τῶν ἀμφισβητούντων λόγων δικαιώματα. *Sic & credibiliora erunt quæ dicentur, ſi prius diſputantium momenta recte expenderimus.* Merito igitur Tatianus, ubi cauſas adfert, cur ſacris ſcripturis credat, etiam hanc non tacuit, (*orat. contra Græcos fol.* 165.) τῆς τοῦ παντὸς ποιήσεως τὸ εὐκατάληπτον, comprehenſu facile illud quod tradunt de univerſi hujus fabricatione. Sume de Platone mundi originem fuiſſe aliquam: ab Ariſtotele non eſſe genitum: & habebis ipſam Judæorum Chriſtianorumque ſententiam.

(a) *eorum quæ vere ſubſiſtunt*) CONRING. Produxit Deus omnes ſubſtantias, inditis viribus agendi; homini etiam conceſſit libertatem agendi, quicquid velit, quæ libertas per ſe nihil vitii habet. Quinimo requiritur ad ſummam hominis perfectionem, etiam ſi ſæpe numero id, quod ab illa libertate proficiſcitur, malum ſit. Non magis itaque Deus peccati autor eſt, quam quivis pater peccatorum ſui filii, aut artifex ejus fortaſſe mali cauſa dici poteſt, quod opere ab illo confecto perpetratur.

(b) *hoc univerſum*) CONRING. Deum curam habere rerum hujus univerſi omnium, itidem gentium teſtimonio oſtenditur, ut jam ſupra diximus. Cum enim nulla gens non coluerit Deum, nulla etiam potuit dubitare de divina mundi gubernatione; imo ipſum Dei nomen apud omnes gentes curam illam involvit, ut Deum agnoſcere, & providentiam negare, ſit valde ludere vocabulis, vel impie ſibimet ipſi contradicere.

(c) *quod aſtrorum curſus*) CONRING. Facile oſtenditur, cœleſtia corpora inferiori conditione eſſe humano genere. Nam illa quidem ratione omni carent, nos vero intellectu etiam præditi ſumus. Jam motum aſtrorum propter hæc inferiora eſſe Philoſophorum unanimi conſenſione conſtat & probatur: iniquum autem fuerit negligi a Deo nobiliſſimas creaturas, inter quas profecto homo eſt, & contra curari & adminiſtrari illud, quod longe eſt ignobilius; neque vero quia durabili magis conſtitutione aſtra ſunt, præcellunt etiam nos excellentia, niſi & arbores & lapides & metalla homine credamus nobiliora.

* Verius *lib.* λ. *i. e. XI.* Haud dubie *Grotius* editione operum *Ariſtotelis*, quæ ex bibliotheca *Iſ. Caſauboni Aureliæ Allobrogum* MDCV. prodiit, uſus eſt. Hæc enim numeros latinos ſæpe confundit, atque ibi *lib. XII.* ponit, ubi XI. ſcribendum fuiſſet.

Digitized by Google

Etiam ſingularia.

Neque minus falluntur, qui univerſalia *ab eo curari volunt,* (a) non & ſingularia. Nam ſi ignorari a Deo ſingularia volunt, quod quidam profitentur, ne ſe ipſe quidem Deus agnoſcet. Neque vero infinita erit ſcientia, quod jam ante concluſimus, ſi ad ſingula non extenditur. Quod ſi & illa cognoſcit Deus, quidni & curet, præſertim cum & ſingula, qua ſingula ſunt, ordinentur ad finem certum tum peculiarem, tum univerſalem: & ipſa rerum genera, quæ a Deo conſervari illi ipſi auctores agnoſcunt, non ſubſiſtant, niſi in ſingulis, ita ut ſi ſingula perire poſſint, abdicata a divina providentia, poſſint & ipſa genera.

§. XII. *Probatur id ex conſervatione imperiorum.*

Providentiæ divinæ circa res hominum non leve argumentum & Philoſophi & Hiſtorici agnoscunt in conſervatione rerumpublicarum: primum univerſim, quod ubicumque ordo ille regendi parendique receptus eſt, manet ſemper: deinde ſæpe etiam ſpecialiter, in longa duratione hujus aut illius formæ imperii per multa ſæcula, ut regii apud Aſſyrios, Ægyptios, Francos; optimatum apud Venetos. Quamquam enim humana ſapientia aliquid in hoc poteſt: tamen, ſi recte conſideretur multitudo malorum hominum, & quæ extrinſecus nocere poſſint, & agnatæ quaſi rebus viciſſitudines, non videtur tam diu imperium aliquod poſſe ſubſiſtere, niſi peculiari quadam Divini Numinis cura, quæ evidentius etiam ſpectatur, 1 ubi Deo viſum eſt mutare imperia. Nam quibus ille, tum ad eam rem, tanquam ſibi deſtinatam, inſtrumentis utitur, puta Cyro, Alexandro, Cæſare dictatore, apud Tartaros Cingi, 2 apud Sinenſes Namcaa: his omnia, etiam quæ ab humana prudentia non pendent, fluunt ſupra votum, magis quam fert ſolita caſibus humanis varietas: quæ tanta eventuum ſimilitudo, & ad certum finem quaſi conſpiratio, indicium eſt providæ directionis. Nam * in alea (in talis) Venerium aliquoties jacere caſus eſſe poteſt: at centies ſi quis eumdem jaciat, nemo erit qui non hoc ab arte aliqua dicat proficiſci.

§. XIII. *Ex miraculis.*

At certiſſimum divinæ providentiæ teſtimonium præbent miracula & prædictiones, quæ in hiſtoriis exſtant. Referuntur quidem multa id genus fabuloſa: ſed quæ teſtes ſui temporis idoneos habuerunt, id eſt, tales quorum nec judicium, nec fides laboret, rejicienda non ſunt, quaſi omnino talia fieri non poſſint. Nam cum Deus ſit omniſcius & omnipotens, quid eſt, cur non poſſit aut quod ſcit ſignificare, aut quod vult agere, etiam extra communem naturæ ordinem, quippe a ſe conſtitutum, & ſibi opificii jure ſubjectum? Quod ſi quis dicat, talia quædam etiam a mentibus Deo inferioribus potuiſſe proficiſci, concedi ſane poteſt: ſed hoc ipſum viam ſtruit, ut facilius de Deo idem credatur: tum vero & quod illæ mentes tale faciunt, Deus aut per ipſas facere, aut ſapienter permittere cenſendus eſt; cum in regnis bene conſtitutis nihil fieri ſoleat extra communes leges, niſi ſummi rectoris arbitratu.

§. XIV. *Præſertim autem apud Judæos, quibus fides adſtruitur ex duratione religionis.*

Miracula autem aliqua revera aliquando eſſe conſpecta, etiamſi de aliarum hiſtoriarum fide dubitari poſſit, vel ſola Judaica religio facile evincat; quæ jampridem omnibus humanis auxiliis deſtituta, imo contemtui ac deriſui expoſita, per omnes ferme mundi plagas, 3 in hunc diem perdurat;

1 *ubi Deo viſum eſt mutare imperia.*) Lucretius ipſe (*de rerum natura, lib. V. v.* 1234.)

Usque adeo res humanas vis abdita quaedam
Obterit.

2 *apud Sinenſes Namcaa.*) Suo jure nominari hic poscit Peruani imperii inchoator Mancacaputus. **

3 *in hunc diem perdurat.*) Hecatæus de Judæis, qui ante Alexandri tempora fuere: Τοιγαροῦν καὶ κακῶς ἀκούοντες ὑπὸ τῶν ἀστυγειτόνων καὶ τῶν εἰσαφικνουμένων πάντων, καὶ προπηλακιζόμενοι πολλάκις ὑπὸ τῶν Περσικῶν βασιλέων καὶ Σατραπῶν, οὐ δύνανται μεταπεισθῆναι τῇ διανοίᾳ, ἀλλὰ γεγυμνωμένως περὶ τούτων καὶ αἰκίαις καὶ θανάτοις δεινοτάτοις μάλιστα πάντων ἀπαντῶσι, μὴ ἀρνούμενοι τὰ πάτρια. *Quare quamquam & maledictis impeti ſoleant a vicinis advenisque, & injurioſe ſæpe*

(a) *ab eo curari volunt*) CONRING. Et Arabibus & Græcis interpretibus non defuere, qui hunc errorem erraverint. Fundamentum eorum præcipuum eſt, quod vel ignoret Deus ſingularia, vel infra ejus majeſtatem ſit certo iſthæc curare. Sed primo ſi Deus ignoret ſingularia, ignorat ea, quæ ſunt potiſſima in adminiſtratione hujus mundi. Res enim omnes, quatenus quidem exiſtunt & fiunt, ſingulares ſunt, ut res mundi hujus adminiſtrare, & ſingularia neſcire, contradictio mera ſit. Deinde ut recte autor noſter ait, ſi ignorat omnia ſingularia Deus, ne ſe ipſum quidem agnoſcet, quod dictu abſurdum eſt. Porro perfectioris longe eſt ſcientiæ, in practicis quidem ſingularia quam univerſalia ſcire. A Deo vero quicquam abeſſe perfectæ cognitionis impium dictu eſt. Quod ſi vero curat ſpecies rerum, ut ipſi confitentur, non poteſt non curare ſingula, cum ſpeciei ſalus & conſervatio tantum in ſingularibus hæreat. Si autem & noviſſe eum ſingula confiteantur, nihil profecto obſtat, cur non & eadem curet; quin imo argumentum fuerit magnæ cujuſdam impotentiæ aut immiſericordiæ, ſi & cujuslibet hominis videat ærumnas ac miſeriam ſine omni, ut ita loquar, affectu animi & auxilio.

* Verba hæc primum ita conceperat *Grotius: Nam in alea Canem aliquoties* &c. Sed priusquam ederetur latine libellus, mutari iſta voluit, ita *A.* MDCXXVI. *d.* 17. *Jul.* ad fratrem ſcribens: *libro primo in argumentis pro providentia bis poſui Canem, ſed quia is jactus infelix eſt, velim poni Venerium, & pro in alea rectius erit in talis.* Vid. *Grotii epiſtol. part. altera, epiſt.* CXXVIII. *ad fratr. fol.* 792. Miror itaque in prima libelli Grotiani editione emendationem illam neglectam, ſed magis miror, in editionibus, quæ ſecutæ ſunt, veterem Grotii ſcripturam quoad partem ſolum correctam fuiſſe.

** Rectius *Mancacapac* hanc vocem ſcripſeris, uti ex *Garſilazzi de la Vega Hiſtoria Incarum Jo. Clericus monet biblioth. Choiſie, tom. XIIX. pag.* 233.

Digitized by Google

durat; cum 1 religiones aliæ omnes (excepta Chriſtiana, quæ Judaicæ quaſi perfectio eſt,) aut evanuerint, ſimulatque ſubducta eſt ipſis vis atque auctoritas imperantium, ut Paganicæ omnes; aut eadem imperii vi adhuc perpetuo ſuſtententur, ut Mahumetiſmus. Quod ſi quæratur, quæ ſit cauſa, cur Judaica religio in Hebræorum omnium animos tantas egerit radices, ut evelli nequeat; nulla poterit alia adferri aut fingi, quam quod, qui nunc ſunt *a ſuis parentibus*, (a) ut illi rurſum a ſuis, atque ita porro, donec ad eos veniatur, qui Moſis ac Joſuæ ætate vixerunt, certa ac conſtanti traditione acceperint ea miracula, quæ tum alias, tum maxime in ipſo Ægypti exitu, atque itinere, & in Cananeæ ingreſſu, contigerant; quorumque ipſi illi progenitores eorum teſtes fuerant. Neque vero credibile eſt, alioqui fieri potuiſſe, ut ingenii ſatis contumacis populus, legem tot ritibus oneroſam in ſe ſuſciperet: aut ut homines ſapientes ex multis, quæ reperire humana ratio poterat, notis religionis, circumciſionem eligerent; quæ & 2 ſuſcipi ſine dolore gravi nequiret, & 3 ab externis omnibus derideretur, nec quicquam haberet, quo ſe commendare poſſet, extra Deum auctorem.

§. XV. *Moſis veracitate & antiquitate.*

Moſis quoque ſcriptis, quibus illa miracula memoriæ prodita ſunt, *fidem maximam conciliat*, (b) non tantum, quod Dei oraculo ipſum commendatum ac populo præfectum perpetua inter Hebræos fama ſemper conſtitit: ſed & quod nec ſuæ gloriæ, nec ſuorum commodis eum ſtuduiſſe, ſatis appareat, cum & peccata ſua, quæ diſſimulare poterat, ipſe tradiderit, & regni ſacerdotiique dignitatem aliis aſſignaverit, ſua poſteritate in Levitarum plebem redacta: quæ omnia ſatis oſtendunt, nihil ei cauſæ fuiſſe, cur mentiretur: ſicut nec fucata aut illecebroſa utitur oratione, qualis mendacio fidem impetrare ſolet; ſed ſimplici, & convenienre rei ingenio. Accedit indubitata ſcriptorum Moſis antiquitas, cui nullum aliud ſcriptum poſſit contendere: cujus argumentum & hoc eſt, quod Græci, unde omnis ad alias gentes fluxit eruditio, 4 litteras ſe aliunde accepiſſe fatentur, quæ apud ipſos

ſæpe tractati ſunt a Perſicis Regibus ac Satrapis, non poſſunt a ſententia deduci, ſed pro ea palam omnes cruciatus ſæviſſimasque mortes ſubeunt, nec adduci poſſunt ut patria inſtituta abdicent. Locum nobis ſervavit Joſephus contra Appionem primo, (*fol.* 1048. *opp.*) & ex eodem Hecatæo exemplum addit Alexandri temporum, cum ad reparandum Beli templum Judæi milites operam ſuam conſtanter negarunt. Bene autem, libro contra Appionem altero, (*fol.* 1073. & 1080.) oſtendit Joſephus, hinc apparere firmam Judæorum ab antiquo perſuaſionem de Deo legum ſuarum auctore, quod non, ut cæteri populi, mutare quicquam in illis legibus auſi ſunt umquam, ne tunc quidem cum in exiliis longinquis ſub exterorum Regum imperio omni genere & minarum & blandimentorum tentarentur. Addendum his Taciti (*hiſtor. V. cap. V.* §. 4. 5.) illud de proſelytis: *Transgreſſi in morem eorum idem uſurpant; nec quicquam prius imbuuntur, quam contemnere Deos: exuere patriam, parentes, liberos, fratres vilia habere.* Nempe, præ Dei lege, quod immerito culpat homo irreligioſus. Vide & quæ de Judæorum conſtantia Porphyrius tradidit libro de non edendis animalibus ſecundo. (*circa finem pag.* 235. *ſeq.*) & quarto; (*pag.* 380. *ſeqq.*) ubi & Antiochi mentio, & inter Judæos ſpeciatim conſtantiæ Eſſenorum.

1 *religiones aliæ omnes.*) Imo & leges etiam illæ laudatiſſimæ Lycurgi, quod & Joſephus (*lib. II. contra Apionem fol.* 1076.) notavit & Theodoretus. (*Therapeut. ſerm. IX. fol.* 611. *tom. IV. opp.*)

2 *ſuſcipi ſine dolore gravi nequiret.*) Μετὰ χαλεπωτάτων ἀλγηδόνων, cum gravibus doloribus factum ait Philo. (*lib. de circumciſione fol.* 810. *opp.*)

3 *& ab externis omnibus derideretur.*) Idem Philo (*loc. cit.*) πρᾶγμα γελώμενον παρὰ πολλοῖς. Hinc Judæi curti, verpi, recutiti apud Poetas.

4 *litteras ſe aliunde accepiſſe fatentur.*) Herodotus Terpſichore. (*ſeu lib. V. cap.* 58.) Ἴωνες παραλαβόντες διδαχῇ παρὰ τῶν Φοινίκων τὰ γράμματα, μεταῤῥυθμίσαντες σφέων ὀλίγα, ἐχρέωντο. χρεώμενοι δὲ ἐφάτισαν, ὥσπερ καὶ τὸ δίκαιον ἔφερε, ἐσαγαγόντων Φοινίκων ἐς τὴν Ἑλλάδα, Φοινικήια κεκλῆσθαι. *Iones cum a Phœnicibus litteras didiciſſent, uſi eis ſunt cum immutatione quadam. Et cum uſu effecere,* * *ut litteræ illæ, quod eas Phœnices in Græciam attuliſſent, Phœniciæ dicerentur.* Timon dixit: **

Φοινικικὰ σήματα Κάδμου.
Cadmi Phœnicia ſigna.

Callimachus: ***

Κάδμος ἀφ' οὗ γραπτὰς Ἑλλὰς ἔχει σελίδας.
Cadmus, ab hoc ſcriptos Græcia nacta libros.

Litteras Phœnicicas ſive Punicas dixit & Plutarchus Sympoſiacorum lib. IX. problemate III. ubi & Alpha linguæ Phœnicum ait ſignificare bovem, quod veriſſimum Eupolemus

(a) *a ſuis parentibus*) CONRING Majorum hoc teſtimonium ſatis eſt firmum, primo: quod omnes ita tradunt unanimi conſenſu. Neque vero intra paucos ſtat hæc fides, quia plus quam ſexcenta millia virorum ex Aegypto abierunt, quos omnes in unum mendacium in totius orbis conſpectu, inque re non ita ſibi arridendi conſenſiſſe, ſicut nunquam auditum, ita fieri etiam non potuit; fide igitur ſatis ſunt digni. Secundo quæcunque illi narrant miracula omnia ſpectante populo & audientibus finitimis contigerunt, ut non potuerint non certi eſſe, falli autem non potuerint. Accidit quod nihil veroſimile traditioni huic objici poſſit, ſed omnia potius in ejus veritatem conſentiant. Denique toto terrarum orbe inaudita ſunt, quæ ſibi divinitus per hos mille fere annos contigiſſe etiam infiniti fatentur Judæi.

(b) *fidem maximam conciliat*) CONRING. Quæ in Moſis ſcriptis narrantur, alia ſoli dicuntur Moſi tradita, alia populo etiam ſpectanti. Illis fidem faciunt ea quæ hic adducit Autor. Primo numinis divini audiente populo commendatio. Secundo miracula per eum edita. Tertio vitæ integritas utpote qui nec errata ſua diſſimulavit, nec vel regni vel ſacerdotii honores aut ſibi aut ſuæ familiæ aſſignavit. Certe tanti hæc eſt, ut etiam quivis hodieque iſthæc omnia in Moſis libris legens non poſſit non credere Moſen legem illam non confinxiſſe ſed accepiſſe a Deo.

* Ne manca ſit & mutila hæc verſio, adjiciendum hoc loco: *ſicut & æquum erat.*

** Prout auctor eſt *Sextus Empiricus lib. I. adv. Mathemat. cap. II. n.* 53. *fol.* 227. edit. *Jo. Alb. Fabricii.*

*** In *Callimachi* carminibus fruſtra hoc teſtimonium quæſiveris, etiam in illis, quæ hinc inde apud veteres ſcriptores diſperſa præſtantiſſima *Spanhemiana* editio in unum volumen collecta exhibet. Ne itaque eundem cum *Grotio* errorem erres, ſcias, *Zenodotum Stoicum* iſtum verſum inter alios compoſuiſſe, ceu idonei & luculenti nobis teſtes exiſtunt: *Diog. Laertius lib. VII de Vit. Philoſoph. ſegm.* 30. & *Suidas in Lexico* voce Κάδμος ὁ Μιλήσιος. Conf. *Lud. Kuſterus* ad hunce *Suidæ* locum & *Ægid. Menagius Obſervat. ad Diog. Laertium pag.* 277. In nexu vero cum aliis ita verba apud iſtos fluunt:

\- - - - - Κάδμος,
Κεῖνος, ἀφ' οὗ γραπτὰς Ἑλλὰς ἔχει σελίδας.

ipſos litteræ & ordinem & nomen & ductum quoque veterem non alium habent, quam Syriacæ ſive Hebraicæ: ſicut & 2 antiquiſſimæ leges Atticæ, unde & Romanæ poſtea deſumptæ ſunt, ex legibus Moſis originem ducunt.

§. XVI. *Teſtimoniis extraneorum.*

Accedunt ad hæc non paucorum alienorum a Judaica religione teſtimonia, quæ oſtendunt, vetuſtiſſimam apud omnes gentes famam ita habuiſſe, ut Moſis ſcripta prædicant. Nam quæ ille de mundi origine ſcripta reliquit, eadem ferme erant & 1 in antiquiſſimis Phœnicum hiſtoriis, quas a Sanchu-

polemus libro de Judææ Regibus ait:* Τὸν Μωσῆν πρῶτον σοφὸν γενέσθαι καὶ γραμματικὴν πρῶτον τοῖς Ἰουδαίοις παραδοῦναι, καὶ παρ' Ἰουδαίων Φοίνικας παραλαβεῖν. *Moſem primum fuiſſe ſapientem, atque ab eo datam litteraturam Judæis, quæ ab Judæis ad Phœnices pervenerit.* Nimirum lingua vetus eadem Judæis quæ Phœnicibus aut certe paululum diverſa. Lucianus: (*Pſeudomanti pag.* 869. *tom. I. opp.*) ὁ δὲ φωνάς τινας ἀσήμους φθεγγόμενος, οἷαι γένοιντ' ἂν Ἑβραίων ἢ Φοινίκων. *Loquebatur is verba quædam ignota: qualia ſint Hebraica aut Phœnicia.* Chœrilus in verſibus de Solymis, quos ad lacum habitaſſe dicit, Alphaltiten puto,

> ** Γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφιέντες.
> *Hi vero ore ſuo Phœnicia verba ſonabant.*

Vide ſcenam Punicam Plauti, (*in comœdia, cujus nomen Pœnulus actu V. ſcen. I.*) ubi quæ poſita ſunt lingua Punica bis habes, ex duplici ſcriptura, deinde interpretationem Latinam, unde corrupta facile corrigas. Sicut autem lingua Phœnicibus eadem & Hebræis, ita & litteræ Hebræorum vetuſtiſſimæ eædem quæ Phœnicum. Vide hac de re viros magnos, Joſephum Scaligerum in diatriba ad annum Euſebii clɔ Ιɔcxvii. (*fol.* 110. *ſeqq. animadverſ. in Chronolog. Euſebii*) & Gerardum Voſſium Grammatices libro I. cap. X. Adde, ſi placet, Clementem Alexandrinum Strom. libro I. (*fol.* 306. *ſeq.*) & Euſebium Præparatione Evangelica, libro X. cap. V.

2 *antiquiſſimæ leges Atticæ*) Exemplum habes illuſtre in fure nocturno, qua de re egimus lib. II. de Jure belli cap. I. §. 12. Alterum in lege illa quam Sopater recitat, τῇ ἐπικλήρῳ ἐπιδικάζεσθαι ὁ ἀγχιστεύς, quam Terentius (*Phormione act. I. ſcen. II. v.* 75.) ſic exponit,

> *Lex eſt, ut orbæ qui ſint genere proximi*
> *Iis nubant, & illos ducere eadem hæc lex jubet*

Donatus autem ad eum locum ſic: *Orba proximo nubat: orbam proximus ducat: lex Attica eſt.* Sumpta nimirum ex lege Moſis Numerorum ultimo: qua de re alibi plenius agendi erit locus. Multa alia reperiet, ſi cui cura fuerit quærere. Ut ὀσχοφόρια ex feſto Tabernaculorum: legem ne Pontifex niſi virginem & civem ducat: ut poſt ſorores ad ſucceſſionem vocentur agnati.

1 *In antiquiſſimis Phœnicum hiſtoriis, quas à Sanchuniathone collectas vertit Philo Biblius*) Inde hæc nobis ſervavit Euſebius lib. 1. Præparationis capite X. Φοινίκων θεολογία τὴν τῶν ὅλων ἀρχὴν ὑποτίθεται ἀέρα ζοφώδη καὶ πνευματώδη, ἢ πνοὴν ἀέρος ζοφώδους, καὶ χάος θολερὸν, ἐρεβῶδες. ταῦτα δὲ εἶναι ἄπειρα καὶ διὰ πολὺν αἰῶνα μὴ ἔχειν πέρας. ὅτε δὲ, φησιν, ἠράσθη τὸ πνεῦμα τῶν ἰδίων ἀρχῶν καὶ ἐγένετο σύγκρασις, ἡ πλοκὴ ἐκείνη ἐκλήθη πόθος. αὕτη δὲ ἀρχὴ κτίσεως ἁπάντων. αὐτὸ δὲ οὐκ ἐγίνωσκε τὴν αὐτοῦ κτίσιν, καὶ ἐκ τῆς αὐτοῦ συμπλοκῆς τοῦ πνεύματος ἐγένετο Μώτ. τοῦτό τινές φασιν ἰλὺν, οἱ δὲ ὑδατώδους μίξεως σῆψιν, καὶ ἐκ ταύτης ἐγένετο πᾶσα σπορὰ κτίσεως καὶ γένεσις ὅλων. *Phœnicum Theologia principium hujus univerſi ponit aërem tenebroſum & ſpiritalem, ſive ſpiritum aëris tenebroſi, & chaos turbidum ac caligine involutum. Hæc porro infinita fuiſſe, multoque tempore ignara termini. At ubi ſpiritus amore principiorum ſuorum tactus eſt, factaque eſt inde mixtio, huic nexui nomen factum Cupidinis. Tale fuit initium procreationis rerum omnium. At ſpiritus generationem ſui nullam agnoſcebat. Ex connexione autem ejus ſpiritus, prodiit Mot. Hoc limum nonnulli, alii aquoſæ mixtionis putredinem eſſe volunt. Et hinc factum eſt ſeminium omnis creaturæ & omnium rerum generatio.* In Moſe habes ſtatim tenebras, habes & ſpiritum. Amoris ſignificatio eſt in voce מרחפת. Plutarchus Sympoſiacon VIII, probl. 1. Platonem explicans, Deum ait mundi eſſe Patrem, non emiſſione ſeminis, ſed alia quadam vi genitabili materiæ inſerta; quod iſto ſimili illuſtrat:

> Πλήθουσι γάρ τοι καὶ ἀνέμων διέξοδοι
> Θήλειαν ὄρνιν.
> *Namque & volucrem fœminam perflans ſolet*
> *Implere ventus.*

Μὼτ vero מוט unde Græcum μόθος, eſt תהום ἄβυσσος jam commota. Eſt enim ἄβυσσος nihil aliud quam ingens ἰλὺς Ennio, *** ſi recte ſenſum ejus accipio,

> *Corpore Tartarino prognata Paluda virago.*

Is limus diſceſſit deinde in tellurem ac mare. Apollonius Argonauticorum IV. (*v.* 676. *ſeq.*)

> - - - - - ἐξ ἰλύος εὐλάοντο
> Χθὼν αὐτή.
> - - - - - *edita limo*
> *Terra fuit.*

ubi Scholiaſtes: **** Ζήνων τὸ παρ' Ἡσιόδῳ χάος ὕδωρ εἶναί φησιν, ἐξ οὗ τὰ πάντα γίνεται, οὗ συνιζάνοντος ἰλὺν γενέσθαι, ἧς πηγνυμένης ἡ γῆ στερεμνιοῦται. *Zeno chaos illud apud Heſiodum aquam eſſe dicebat, unde fiunt omnia, ea ſubſidente factum limum, limo concreto terram ſolidatam.* Nota autem Zenonem hunc fuiſſe e Phœnicibus quorum colonia Cittium, unde omnes transmarini כתים Hebræis. Non abit hinc Virgilius Eclog. VI. (*v.* 35.)

> *Tum durare ſolum & diſcludere Nerea ponto*
> *Cœperit, & rerum paulatim ſumere formas.*

Numenius citatus Porphyrio de Nympharum antro ***** ait, τὸν προφήτην εἰρηκέναι ἐμφέρεσθαι ἐπάνω τοῦ ὕδατος τοῦ Θεοῦ πνεῦμα. *Dixiſſe prophetam* (Moſem ſcilicet) *Dei ſpiritum ſupervectatum* (ea voce Tertullianus utitur de baptiſmo) *aquis.* Quia vero vox מרחפת proprie incubitum columbæ ſuper ovo ſignificat, ideo in iſto limo animantia, id eſt, ſidera, ut in ovo fuiſſe, ſequitur apud Sanchuniathonem; & hinc ſpiritus ille columbæ dictus nomine, cujus columbæ ſimilitudine etiam vocem illam מרחפת explicat Rabbi Salomo. Nigidius apud Scholiaſten Germanici: (*ad tit. Piſces p.* 112. *inter Aſtronomica veterum ex officina Sanct Andreana* 1589.) *Ibi ovum inveniſſe miræ magnitudinis; quod volventes ejecerunt in terram, atque ita columbam inſediſſe, & poſt aliquot dies excluſiſſe Deam Syriæ, quæ vocatur Venus.* Lucius Ampelius libro ad Macrinum: (*tit. de duodecim ſignis p.* 8. *prout Floro ex edit. Salmaſii in* 12*mo junctus eſt.*) *Dicitur & in Euphratis fluvio ovum piſcis columba adſediſſe dies plurimos, & excluſiſſe Deam benignam & miſericordem hominibus ad bonam vitam.* Ovum mundi ſimulacrum Macrobio Saturnalium lib. VII. cap. XVI. ἀρχὴ γενέσεως, initium geniture in Orphicis, memorante Plutarcho Sympoſiacon II. cap. III. & Athenagora. (*Legat. pro Chriſtian. p.* 146. & 148. *opp.*) Hinc ovorum progenies Dii Syrii, apud Arnobium. ****** Dii id eſt aſtra. Sequitur enim in

* Servarunt nobis hunc locum *Euſebius lib. IX. Præparat. Evang cap.* 26. *Clemens Alexandr. lib. I. Stromat. fol.* 343. *ſq. opp. Cyrillus contra Julianum, lib. VII. fol.* 231.

** Habes hunc verſum inter alios *Choerili* apud *Flavium Joſephum lib. I. contra Apionem fol.* 1047. *opp.* & *Euſebium lib. IX. Præparat. Evangel. cap.* 9.

*** *lib. I. Annal. v.* 69. edit. *Pauli Merulæ.* Adi quoque *Varronem lib. VI. de lingua lat.* §. 3.

**** Scholion iſthoc ad præſens effatum haudquaquam ſpectat, ſiquidem in editione *Apollonii*, quam *Jer. Hoelzlinus A.* 1641. publicavit, ad illos verſus, qui infra *not.* 5. hujus paragr. ex *Apollonio* a *Grotio* proferuntur, collocatum apparet. Nec prætermittendum, quod ibi poſt verba εἶναί φησιν iſta deſint: ἐξ οὗ τὰ πάντα γίνεται.

***** *Plag. E.* 3. edit. Aldinæ de A. 1521. cum *Quæſtion. Homericis.*

****** Haud dubie hæcce *Arnobii*: *Numquid à nobis dicitur, ut ciconias, ut palumbes, ex ovis eſſe progenitos quoſdam*

Digitized by Google

Sanchuniathone collectas vertit Philo Biblius; 2 partim & apud Indos 3 & Ægyptios; 4 unde

in Phœnicum Theologia. Καὶ ἐξέλαμψε Μὼτ ἥλιός τε καὶ σελήνη, ἀστέρες τε καὶ ἄστρα μεγάλα. *Luce illuſtratus eſt limus, & ſol, & luna, & ſtellæ, & aſtra magna.* Vides, hic ut apud Moſem lucem ſole priorem. Quod autem mox dicit Moſes ארץ ubi plane ab aquis ſicca exſtitit appellatam יבשה, id Pherecydes Syris uſus magiſtris (ut & alii nos docent, & primo contra Appionem Joſephus *) ſic extulit, Χθονίῃ δὲ ὄνομα ἐγένετο γῆ ἐπειδὴ Ζεὺς αὐτῇ γέρας διδοῖ. *Chthonia nomen telluris accepit, poſtquam Deus ei honorem attribuit.* Exſtat locus apud Diogenem Laërtium (*lib. I. de vitis Philoſ. ſegm.* 119.) & alios. Anaximander ** vero mare dixit τὰς πρώτας ὑγρασίας λείψανον, *id quod reſtitit de primo illo madore rerum.* Confuſas autem res fuiſſe, qua de re Moſis verba habes apud Chalcidium Timæi explicatione, (*pag.* 372.) antequam diſcernerentur, etiam Linus *** didicit docuitque,

> Ἦν ποτέ τοι χρόνος οὗτος ἐν ᾧ ἅμα πάντ' ἐπεφύκει.
> *Tempore primævo ſimul omnia mixta fuerunt.*

Anaxagoras: **** πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ πεφυρμένα· ὁ νοῦς δὲ αὐτὰ διῆρε καὶ διεκόσμησε, καὶ ἐκ τῆς ἀταξίας εἰς τάξιν ἤγαγε. *Cuncta ſimul erant: at Mens ea diſcrevit ornavitque, & quæ confuſa erant ordinavit.* Atque ob id ipſi Anaxagoræ Mentis inditum nomen, indicante id Timone Phliaſio. *****

> Καί που Ἀναξαγόρην φασ' ἔμμεναι ἄλκιμον ἥρω,
> Νοῦν, ὅτι δὴ Νόος αὐτῷ, ὃς ἐξαπίνης ἐπεγείρας
> Πάντα συνεσφήκωσεν ὁμοῦ τεταραγμένα πρόσθεν.
> *Atque ubi Anaxagoram dicunt Heroa morari*
> *Egregium, mentem: nam mens illi eſſe putatur,*
> *Quæ turbata prius ſubito digeſſit in unum.*

A Phœnicibus hæc omnia, quorum vetuſtiſſima cum Græcis commercia. Linum a Phœnice veniſſe tradunt veteres. Sic & Orpheus ſua a Phœnicibus hauſit, cujus hoc eſt apud Athenagoram, (*Legat. pro Chriſtian. pag.* 144. *opp.*) ἐκ τοῦ ὕδατος ἰλὺς κατέστη, *ex aqua factus eſt limus.* Deinde ovi ingentis facit mentionem quod in duas partes diſſilierit, cœlum & terram. Ex eodem Orpheo citat Timotheus Chronographus: Ἦν χάος καὶ νὺξ ζοφερά, πάντα δὲ ἐκάλυπτε τὰ ὑπὸ τὸν αἰθέρα. *Erat chaos & nox tenebroſa omnia occultans quæ ſub æthere.* ****** Ἡ γῆ ὑπὸ τοῦ σκότους ἦν ἀόρατος· τὸ δὲ φῶς ῥῆξαν τὸν αἰθέρα ἐφώτισε πᾶσαν τὴν κτίσιν. *Terra præ tenebris erat inconſpicua: ſed lux æthera perrumpens illuminavit omnem creaturam.* Vide locum apud Scaligerum initio lib. 1. Græcorum Chronicorum Euſebii. (*fol.* 4.) In ſequentibus Sanchuniathonis mox dicitur βάαυ. Id omnino eſt בהו Moſis. Ventus autem qui ibi dicitur κολπία eſt קל-פי-יהוה vox oris Dei.

2 *partim & apud Indos*) Eorum ſententiam ſic Megaſthenes exprimit apud Strabonem libro XV. (*fol.* 490.) Περὶ πολλῶν καὶ τοῖς Ἕλλησιν ὁμοδοξεῖν. ὅτι γὰρ γενητὸς ὁ κόσμος καὶ φθαρτὸς λέγειν κἀκείνους, καὶ ὅτι σφαιροειδής. ὅτι διοικῶν αὐτὸν καὶ ποιῶν θεὸς δι' ὅλου διαπεφοίτηκεν αὐτοῦ. ἀρχὰς δὲ τῶν συμπάντων ἑτέρας, τῆς δὲ κοσμοποιίας τὸ ὕδωρ. *De multis eos cum Græcis ſentire, ut quod mundus & ortus ſit & interiturus; quod eum opifex ejus & gubernator Deus univerſum pervadat: univerſarum rerum diverſa eſſe primordia, mundi autem facti aquam.* Ipſius vero Megaſthenis hæc verba e tertio Indicorum nobis Clemens depromſit, Strom. I. (*fol.* 305. *opp.*) Ἅπαντα μέντοι τὰ περὶ φύσεως εἰρημένα παρὰ τοῖς ἀρχαίοις, λέγεται καὶ παρὰ τοῖς ἔξω τῆς Ἑλλάδος φιλοσοφοῦσι, τὰ μὲν παρ' Ἰνδοῖς ὑπὸ τῶν Βραχμάνων, τὰ δὲ ἐν τῇ Συρίᾳ ὑπὸ τῶν καλουμένων Ἰουδαίων. *Omnia quæ antiquitus de rerum natura dicta ſunt, etiam apud eos tradita fuere qui extra Græciam ſunt philoſophati, quales apud Indos Brachmanes, in Syria vero hi qui dicuntur Judæi.*

3 *& Ægyptios*) De quibus Laërtius in prooemio: (*ſegm.* 10.) Ἀρχὴν εἶναι τὴν ὕλην, ὅτι τὰ τέσσαρα στοιχεῖα ἐξ αὐτῆς διακριθῆναι, καὶ ζῷά τινα ἀποτελεσθῆναι. *Principium eſſe molem confuſam: ex hac diſcreta elementa quatuor, & animalia perfecta.* Poſtea vero (*ſegm.* 11.) τὸν κόσμον γενητὸν καὶ φθαρτόν. *Mundum ut ortum ita interiturum.* Diodorus Siculus (*Bibliotheca Hiſtor. lib. I. fol.* 7.) eorum ſententiam ſic explicat: Κατὰ γὰρ τὴν ἐξ ἀρχῆς τῶν ὅλων σύστασιν μίαν ἔχειν ἰδέαν οὐρανόν τε καὶ γῆν, μεμιγμένης αὐτῶν τῆς φύσεως· μετὰ δὲ ταῦτα διαστάντων τῶν σωμάτων ἀπ' ἀλλήλων, τὸν μὲν κόσμον περιλαβεῖν ἅπασαν τὴν ὁρωμένην ἐν αὐτῷ σύνταξιν, τὸν δὲ ἀέρα κινήσεως τυχεῖν συνεχοῦς· καὶ τὸ μὲν πυρῶδες αὐτοῦ πρὸς τοὺς μετεωροτάτους τόπους συνδραμεῖν, ἀνωφεροῦς οὔσης τῆς τοιαύτης φύσεως διὰ τὴν κουφότητα· ἀφ' ἧς αἰτίας τὸν μὲν ἥλιον καὶ τὸ λοιπὸν πλῆθος τῶν ἄστρων ἐναποληφθῆναι τῇ πάσῃ δίνῃ· τὸ δὲ ἰλυῶδες καὶ θολερὸν μετὰ τῆς τῶν ὑγρῶν συγκρίσεως ἐπὶ ταὐτὸ καταστῆναι, διὰ τὸ βάρος· εἰλούμενον δ' ἐν ἑαυτῷ, καὶ συστρεφόμενον συνεχῶς, ἐκ μὲν τῶν ὑγρῶν τὴν θάλασσαν, ἐκ δὲ τῶν στερεμνιωτέρων ποιῆσαι τὴν γῆν πηλώδη καὶ παντελῶς ἁπαλήν. ταύτην δὲ τὸ μὲν πρῶτον τοῦ περὶ τὸν ἥλιον πυρὸς, καταλάμψαντος πῆξιν λαβεῖν, ἔπειτα διὰ τὴν θερμασίαν ἀναζυμουμένης τῆς ἐπιφανείας, συνοιδῆσαί τινα τῶν ὑγρῶν κατὰ πολλοὺς τόπους, καὶ γενέσθαι περὶ αὐτὰ σηπεδόνας ὑμέσι λεπτοῖς περιεχομένας. ὅπερ ἐν τοῖς ἕλεσι καὶ τοῖς λιμνάζουσι τῶν τόπων ἔτι, καὶ νῦν ὁρᾶσθαι γινόμενον· ἐπειδὰν τῆς χώρας κατεψυγμένης ἄφνω διάπυρος ὁ ἀὴρ γένηται, μὴ λαβὼν τὴν μεταβολὴν ἐκ τοῦ κατ' ὀλίγον, ζωογονουμένων δὲ τῶν ὑγρῶν διὰ τῆς θερμασίας τὸν εἰρημένον τρόπον, τὰς μὲν νύκτας λαμβάνειν αὐτίκα τὴν τροφὴν ἐκ τῆς πιπτούσης ἀπὸ τοῦ περιέχοντος ὀμίχλης, τὰς δ' ἡμέρας ὑπὸ τοῦ καύματος στερεοῦσθαι. τὸ δ' ἔσχατον τῶν κυοφορουμένων τὴν τελείαν αὔξησιν λαβόντων, καὶ τῶν ὑμένων διακαυθέντων τε καὶ περιρραγέντων, ἀναφυῆναι παντοδαποὺς τύπους ζῴων· τούτων δὲ τὰ μὲν πλείστης θερμασίας κεκοινωνηκότα πρὸς τοὺς μετεώρους τόπους ἀπελθεῖν, γενόμενα πτηνά. τὰ δὲ γεώδους ἀντεχόμενα συγκρίσεως ἐν τῇ τῶν ἑρπετῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐπιγείων τάξει καταριθμηθῆναι. τὰ δὲ φύσεως ὑγρᾶς μάλιστα μετειληφότα πρὸς τὸν ὁμογενῆ τόπον συνδραμεῖν ὀνομασθέντα πλωτά· τὴν δὲ γῆν ἀεὶ μᾶλλον στερεουμένην ὑπό τε τοῦ περὶ τὸν ἥλιον πυρὸς καὶ τῶν πνευμάτων, τὸ τελευταῖον μηκέτι δύνασθαι μηδὲν τῶν μειζόνων ζωογονεῖν. ἀλλ' ἐκ τῆς πρὸς ἄλληλα μίξεως ἕκαστα γεννᾶσθαι τῶν ἐμψύχων. ἔοικε δὲ περὶ τῆς τῶν ὅλων φύσεως οὐδ' Εὐριπίδης διαφωνεῖν τοῖς προειρημένοις, μαθητὴς ὢν Ἀναξαγόρου τοῦ φυσικοῦ· ἐν γὰρ τῇ Μελανίππῃ τίθησιν οὕτως.

> Ὡς οὐρανός τε γαῖά τ' ἦν μορφὴ μία·
> Ἐπεὶ δ' ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα,
> Τίκτουσι πάντα κἀνέδωκαν εἰς φάος,
> Δένδρη, πετεινά, θῆρας, οὕς θ' ἅλμη τρέφει,
> Γένος τε θνητῶν.

Καὶ περὶ μὲν τῆς πρώτης τῶν ὅλων γενέσεως τοιαῦτα παρειλήφαμεν. τὸ δὲ ἐξ ἀρχῆς ζωογονεῖν τὴν γῆν εἰ καὶ παράδοξον εἶναί τισι φαίνεται τὴν τότε ἐνέργειαν, φασὶ καὶ τὰ μέχρι νῦν γινόμενα μαρτυρεῖν ἑαυτοῖς. κατὰ γὰρ τὴν Θηβαΐδα τῆς Αἰγύπτου, καθ' ὃν ἂν καιρὸν πλεονάσῃ τὴν ἀνάβασιν ὁ Νεῖλος, καὶ τῆς μὲν γῆς διὰ τοῦτο καθύγρου γενομένης, τῆς δὲ περὶ τὸν ἥλιον θερμασίας ἄφνω προσπεσούσης, καὶ διὰ τοῦτο κατὰ πολλοὺς τόπους τῆς ἐπιφανείας σήψεως γενομένης, πλῆθος μυῶν ἐκ γῆς ἀναρίθμητον γεννᾶσθαι. ὑπὸ τ' ἐν τῆς γῆς σκληρᾶς γεγενημένης, καὶ τοῦ περιέχοντος ἀέρος οὐκέτι διατηροῦντος τὴν ἐξ ἀρχῆς εὐταξίαν καὶ συγκρασίαν φύεσθαι ζῶα, φανερὸν εἶναι λέγουσι, διότι καὶ τὴν ἐξ ἀρχῆς τῶν ὅλων γένεσιν ἐκ τῆς γῆς συνέβαινε

Deos lib. IV. *adverſus gentes p.* 143. in mente habuit Grotius.

* *Fol.* 1034. *opp.* quanquam Φερεκύδην τὸν Σύρον ſolum nominet, de Syris magiſtris nihil memorans, in quo cum ipſo conveniunt *Clemens Alex. lib. I. Stromat. fol.* 299. & *Euſebius Præparat. Evang. lib. X. cap.* 41.

** Referentibus id *Euſebio Præparat. Evang. lib. XV. cap.* 59. & *Plutarcho lib. III. de Placitis Philoſoph. cap.* 16.

*** Teſte *Diog. Laertio de Vitis Philoſoph. Prooem. Segm.* 4.

**** Cujus verba forſitan ex diverſis Autoribus in hunc ſenſum *Grotius* contraxit. Etenim *Laertius de Vit. Philoſoph. in prooem. ſegm.* 4. & *lib. II. ſegm.* 6. *Euſebius lib. X. Præp. Evang. cap.* 14. & *lib. XIV. cap.* 14. *Theodoretus Therapeut. Serm. II. fol.* 489. *tom. IV. opp. Sextus Empiricus lib. IX. adv. Mathemat. num.* 6. *fol.* 549. edit. Fabricii. *Stobæus Eclog. Phyſic. cap. XIII. fol.* 26. *Plutarchus de Placitis Philoſoph. lib. I. cap.* 3. & 7. ad unum omnes, iſthanc doctrinam *Anaxagoræ* fuiſſe, tradunt, neuter tamen eorum iis verbis, quibus *Grotius* illam exponit.

***** Apud *Diog. Laertium de vitis Philoſoph. lib. II. ſegm.* 6.

****** Paulo poſt, alia licet verborum conſtructione, hæc ſequuntur.

4 unde apud Linum, 5 Heſiodum, & Græcorum plures Chaos, ab aliis ovi nomine ſignificatum, & animantium, ac poſtremo hominis, & quidem ad divinam effigiem exſtructio; & in animantia cætera

συνίστασθαι ζωογονουμένων παντοίας φύσεις ἐμψύχων. Cum primum res univerſæ exiſtere cœpere, unius vultus fuiſſe cœlum ac terram, permixta eorum natura. Poſteaquam diſceſſiſſent à ſe iſta corpora, Mundo contigiſſe eum quem nunc videmus ordinem, aërem autem perpetui motus factum compotem. Hujus quod maxime erat igneum ad ſublimia loca evectum, quippe cum ſurſum tendat ob levitatem talis natura: eademque de cauſa ſolem & cæteram ſiderum multitudinem manſiſſe in perenni vertigine: quod vero cœnoſum ac turbidum, cum humida concretione uno ſubſediſſe in loco, vi gravitatis. Sed hoc quoque cum volutaretur in ſe verſareturque continuo, ex humidis mare, ex ſolidioribus edidiſſe terram, ſed lutoſam mollemque valde. Hanc vero, ut primum qui Soli adeſt ignis collucere cœpit, coaluiſſe: tum vero cum fermentaretur ſumma facies, intumuiſſe pluribus in locis humentia, inque iis putredines exſtitiſſe tenuibus pelliculis circumdatas. Quod etiam nunc in ſtagnis locisque uliginoſis fieri conſpicitur, ubi poſt refrigeratum ſolum ſubito incaleſcit aër, non autem paulatim immutatur. Cumque ad eum modum ex calore fœtu impleta eſſent quæ madebant, iis fœtibus advenisse alimentum noctibus ex circumfuſa nebula, diebus vero eos ab æſtu ſolidatos. Poſtremo cum ad ſui plenitudinem veniſſent ii fœtus, perustaque atque ita rupta eſſent membranarum involucra, enatas apparuiſſe omnimodas animantium formas. Horum alia plurimum ſortita caloris ad loca ſupera abiiſſe, facta volucria. At quæ terreſtri craſſitie eſſent prædita, ea in reptilium & aliorum humi viventium poſita claſſe. At quæ de humente natura traherent plurimum, ea quoque ad locum perlata cognatum ſibi, dicique natantia. At tellurem, cum & ab æſtu Solis & à ventis magis magiſque induruiſſet, ad poſtremum non ſuffeciſſe gignendis majoribus animantium, ſed ea ex mutuo coitu cœpiſſe gigni. Videtur ab his quæ dicta ſunt nec Euripides diſſentire, qui Anaxagoræ phyſici diſcipulus fuit. Nam is in Melanippe ſic loquitur:

Figura ut una fuerit & cœli & ſoli:
Secreta quæ mox ut receperunt ſtatum,
Cuncta ediderunt hæc in oras luminis,
Feras, volucres, arbores, ponti gregem,
Homines quoque ipſos.

De prima igitur rerum origine talia ſunt quæ accepimus. Quod ſi cui mira videatur illa vis terræ in producendis initio animantibus, adferunt ei rei ab iis, quæ adhuc fiunt argumenta. Nam in Thebaide Ægypti, quo tempore maxime exundat Nilus, atque inde humectata tellure ſubito Solis calor ſupervenit, atque ex eo multis in locis in facie terræ putredo facta eſt, gigni murium vim incredibilem. Cum ergo ex terra jam indurata & aëre non jam illam primam ſervante temperiem modumque, tamen aliqua naſcantur animalia, inde manifeſtum ajunt, rerum initio ex terra omnia edita eſſe genera animantium. Hic ſi addas Deum opificem, qui Mens dicitur Anaxagoræ, videbis multa cum Moſe & Phœnicum traditione congruentia, permixtum cœlum & terram, motum aëris, limum ſive abyſſum, lucem, deinde ſidera, diſceſſionem cœli, maris, terræ: deinde volucres, reptilia, piſces, aliaque poſtremo animantia, etiam hominem. Ex Ægyptiis hæc habet Macrobius Saturnalium VII. cap. 16. *Si concedamus, ut ab adverſa parte dictum eſt, hæc quæ ſunt ex tempore aliquod ſumpſiſſe principium, natura primum ſingula animalia perfecta formavit. Deinde perpetuam legem dedit, ut continuaretur procreatione ſucceſſio; perfecta autem in exordio fieri potuiſſe, teſtimonio ſunt nunc quoque non pauca animantia, quæ de terra & imbre perfecta naſcuntur, ut in Ægypto mures, & aliis in locis ranæ ſerpenteſque, & ſimilia.* Merito autem veteribus Græcorum Phyſicis Anaxagoram præfert Ariſtoteles metaphyſicorum 1. cap. 111. tanquam ſobrium ebriis, quod illi ſolam materiam ſpectaſſent, hic vero addidiſſet eam cauſam quæ ex propoſito agit; quam Ariſtoteles Naturam vocat, Anaxagoras felicius Mentem, Deum Moſes: ut & Plato, de quo vide Laërtium (*lib. III. de vit. Philoſ. ſegm.* 69.) ubi de principiis ex ſententia Platonis agit, & Apuleium de dogmatibus Platonis (*Lib. I. pag.* 3. *ſeq. opp.*) Thales hoc primus docuerat ante Anaxagoram. Velleius apud Ciceronem primo de natura Deorum: (*cap.* 10.) *Thales enim Mileſius, qui primus de talibus rebus quæſivit, aquam eſſe dixit initium rerum: Deum autem eam mentem, quæ ex aqua cuncta fingeret.* Ubi aquam intellige ἰλὺν, quæ terra Xenophani & aliis: neutrum male, ſi rectus intellectus adhibeatur.

4 *unde apud Linum*) Verſu ſupra citato. (*not.* 1. *pag.* 10.)

5 *Heſiodum*) In Theogonia (*v.* 116. *ſeqq.*)

Ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖ', εὐρύστερνος πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
Ἀθανάτων, οἳ ἔχουσι κάρη νιφόεντος Ὀλύμπου,
Τάρταρά τ' ἠερόεντα μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης.
Ἠδ' ἔρος ὃς κάλλιστος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι,
Λυσιμελὴς, πάντων τε θεῶν, πάντων τ' ἀνθρώπων
Δάμναται ἐν στήθεσσι νόον καὶ ἐπίφρονα βουλήν.
Ἐκ χάεος δ' Ἔρεβός τε μέλαινά τε Νὺξ ἐγένοντο.
Νυκτὸς δ' αὖτ' Αἰθήρ τε καὶ ἡμέρα ἐξεγένοντο,
Οὓς τέκε κυσαμένη, Ἐρέβει φιλότητι μιγεῖσα.

Principio natum chaos, hinc prodiit in auras
Larga ſinu tellus, divum certiſſima ſedes,
Summa tenent qui templa nives tangentis Olympi,
Tartaraque obſcuro terra concluſa receſſu.
Inde etiam Divos inter pulcherrimus omnes
Curarum depulſor Amor, hominumque Deûmque
Sollertes animos & fortia pectora mulcens.
Hinc Erebum ſimul & Noctem Chaos edidit atram,
Æthera ſupremum genuit Nox atra, diemque,
Quos commiſta Erebo grato concepit Amore.

Confer hæc cum Phœniciis quæ modo habuimus: videbis inde adumbrata. Vicinus ſcilicet Thebarum Bœotiæ, quas Cadmus Phœnix condidit, fuit Heſiodus. Ἔρεβος eſt ערב Moſis, quem ſequitur nox & dies in hymnis, qui Orphei nomen præferunt. *

Ἀρχαίου μὲν πρῶτα χάους ἀμέγαρτον ἀνάγκην.
Vim primum immenſam chaëos, quæ rebus origo.

In Argonauticis ejuſdem nominis: (*v.* 419. *ſeqq.*)

Πρῶτα μὲν ἀρχαίου χάεος μελίφθογγον ὕμνον,
Ὡς ἐπάμειψε φύσεις, ὥς τ' οὐρανὸς ἐς πέρας ἦλθε,
Γῆς τ' εὐρυστέρνου γένεσιν, πυθμένας τε θαλάσσης,
Πρεσβύτατόν τε καὶ αὐτοτελῆ πολύμητιν Ἔρωτα,
Ὅσσα τ' ἔφυσεν ἅπαντα, διέκρινε δ' ἄλλον ἀπ' ἄλλου.

Antiqui chaëos mellitum ante omnia carmen,
Naturam ut mutarit, & ut ſit conditus æther,
Terraque latipatens, fundaminaque æquoris alti,
Conſiliique potem, quo nil prius exſtat, Amorem,
Diſcernens aliis aliud qui cuncta creavit.

Unde hæc ſua ſumſit Apollonius, in ejuſdem argumenti libro: (*libr. I. v.* 496.) **

Ἤειδεν δ' ὡς γαῖα καὶ οὐρανὸς ἠδὲ θάλασσα,
Τὸ πρὶν ἐπ' ἀλλήλοισι μιῇ συναρηρότα μορφῇ,
Νείκεος ἐξ ὀλοοῖο διέκριθεν ἀμφὶς ἕκαστα.

Namque canebat, uti tellus, cœlumque, ſalumque
Miſta aliis alia & communem nacta figuram,
Cœperunt cæca tandem diſcedere pugna.

Epicharmus Comicorum vetuſtiſſimus antiquam traditionem referens: ***

Ἀλλὰ λέγεται μὲν χάος πρῶτον γενέσθαι θεῶν.
Sed Deos primum exſtitiſſe fertur ante omnes chaos.

Ariſtophanes in Avibus conſervatus **** a Luciano in Philopatride (*tom. II. opp. p.* 999.) & Suida: (*voce* χάος.)

Χάος ἦν καὶ Νὺξ Ἔρεβός τε μέλαν πρῶτον καὶ Τάρταρος εὐρύς.
Γῆ δ' οὐδ' ἀὴρ, οὐδ' οὐρανὸς ἦν. Ἐρέβους δ' ἐν ἀπείροσι κόλποις
Τίκτει πρώτιστον ὑπηνέμιον Νὺξ ἡ μελανόπτερος ᾠὸν,

ἐξ

* Quid ſibi velit *Grotius* iſta de hymnis Orphicis obſervatione, cum ignariſſimis ſcio, cum verſus, quem mox ſubjungit, inter *Argonautica Orphei* deprehendatur, & quidem *v.* 12.

** Conf. huc, quæ ſupra annotavimus *pag.* 9. *not.* ****

*** Exhibente ejus verſum *Diog. Laërtio in vita Platonis Lib. III. vitar. Philoſoph. ſegm.* 10.

**** Imo inter ipſius *Ariſtophanis* opera ſuperſunt, quæ heic recitat *Grotius*, dicta *Comœdia*, quæ Ὄρνιθες ſeu *Aves* inſcribitur v. 694. *ſeqq.*

tera dominium homini datum: quæ paſſim apud plurimos ſcriptores, 6 ac poſtremo *apud Ovi-*

Ἐξ ἧ περιτελλομέναις ὥραις ἔβλαστεν Ἔρως ὁ ποθεινὸς,
Στίλβων νῶτον πτερύγοιν χρυσαῖν, εἰκὼς ἀνεμώδεσι δίναις.
Οὗτος δὲ χάει πτερόεντι μιχθεὶς νυχίῳ, κατὰ Τάρταρον εὐρὺν,
Ἐνεόττευσε γένος ἡμέτερον, καὶ πρῶτον ἀνήγαγεν εἰς φῶς.
Πρότερον δ' οὐκ ἦν γένος ἀθανάτων πρὶν Ἔρως συνέμιξεν ἅπαντα.
Συμμιγνυμένων δ' ἑτέρων ἑτέροις γένετ' οὐρανὸς ὠκεανός τε
Καὶ γῆ, πάντων τε θεῶν μακάρων γένος ἄφθιτον.
Chaos & nox primum erat atque Erebus nigricans & Tartarus ingens:
Nec humus, nec cœlum erat aut aër, tunc cen vi flaminis ovum
Gremium ſuper infinitum Erebi peperit Nox decolor alis:
Ex quo bonas inde emerſit Amor circumvolventibus horis,
Radians tergo aureolis pennis, par magni turbinis auræ:
Qui deinde volans miſtusque chao, ſtabat qua Tartarus, atro,
Noſtrum genus edit & in dias producit luminis oras.
Neque enim Divûm genus ante fuit quam junxit cuncta Cupido:
Simulatque hæc ſunt aliis commiſta alia, æther prodit & æquor,
Et terra, beatorumque Deûm genus immortale.

Cuivis vel leviter inſpicienti apparet ſumpta hæc e traditione Phœnicum, quibuscum vetus Atticæ incolis, Ionum antiquiſſimis, commercium. De Erebo jam diximus. Tartarus eſt תהום, ἄβυσσος. Amor ex voce מרחפת, ut ſupra indicatum eſt: quo & illud Parmenidis * pertinet:

Πρώτιστον μὲν Ἔρωτα θεῶν μητίσατο πάντων.
Omnibus ex divis primum perfecit Amorem.

Et Simmiæ Rhodii carmen alarum figuram præferens.

6 *ac poſtremo apud Ovidium, qui ex Græcis iſta transſcripſit.*) Locus eſt in promptu, primo Metamorphoſeon (*ſtatim ab initio v. 5. ſeqq.*) Dignus tamen qui & hic legatur, quod præcipua eorum quæ in Moſe, verbis ad Moſem proxime accedentibus, enunciet, multumque iis quæ jam diximus, afferat lucis, & ab iis viciſſim accipiat.

Ante mare & terras, & quod tegit omnia cœlum,
Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis indigeſtaque moles,
Nec quicquam niſi pondus iners, congeſtaque eodem
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum.
Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan,
Nec nova creſcendo reparabat cornua Phœbe.
Nec circumfuſo pendebat in aëre tellus
Ponderibus librata ſuis: nec brachia longo
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.
Quaque erat & tellus, illic & pontus & aër.
Sic erat inſtabilis tellus, innabilis unda,
Lucis egens aër: nulli ſua forma manebat:
Obſtabatque aliis aliud: quia corpore in uno
Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,
Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.
Hanc Deus & melior litem natura diremit.
Nam cœlo terras & terris abſcidit undas:
Et liquidum ſpiſſo ſecrevit ab aëre cœlum.
Quæ poſtquam evolvit, cæcoque exemit acervo,
Diſſociata locis concordi pace ligavit,
Ignea convexi vis & ſine pondere cœli
Emicuit, ſummaque locum ſibi legit in arce.
Proximus eſt aër illi levitate locoque,
Denſior his tellus, elementaque grandia traxit,
Et preſſa eſt gravitate ſui: circumfluus humor,
Ultima poſſedit, ſolidumque coërcuit orbem.
Sic ubi diſpoſitam, quisquis fuit ille Deorum,
Congeriem ſecuit, ſectamque in membra redegit,
Principio terram, ne non æqualis ab omni
Parte foret, magni ſpeciem glomeravit in orbis.
Tum freta diffudit, rapidisque tumeſcere ventis
Juſſit, & ambitæ circumdare littora terræ.
Addidit & fontes, & ſtagna immenſa, lacusque,
Fluminaque obliquis cinxit declivia ripis,
Quæ diverſa locis partim ſorbentur ab ipſa,
In mare perveniunt partim, campoque receptæ
Liberioris aquæ, pro ripis littora pulſant.
Juſſit & extendi campos, ſubſidere valles,
Fronde tegi ſilvas, lapidoſos ſurgere montes.
Utque duæ dextra cœlum, totidemque ſiniſtra
Parte ſecant zonæ, quinta eſt ardentior illis:
Sic onus incluſum numero diſtinxit eodem
Cura Dei, totidemque plagæ tellure premuntur;
Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu;
Nix tegit alta duas; totidem inter utramque locavit,
Temperiemque dedit, miſta cum frigore flamma.
Imminet his aër, qui quanto eſt pondere terræ,
Pondere aquæ levior, tanto eſt oneroſior igne.
Illic & nebulas, illic conſiſtere nubes
Juſſit, & humanas motura tonitrua mentes,
Et cum fulminibus facientes frigora ventos.
His quoque non paſſim mundi fabricator habendum
Aëra permiſit. Vix nunc obſiſtitur illis,
Cum ſua quisque regat diverſo flamina tractu,
Quin lanient mundum: tanta eſt diſcordia fratrum.
Eurus ad auroram, Nabathæaque regna receſſit,
Perſidaque, & radiis juga ſubdita matutinis.
Veſper, & occiduo quæ littora ſole tepeſcunt,
Proxima ſunt Zephyro: Scythiam ſeptemque trionem
Horrifer invaſit Boreas: contraria tellus
Nubibus aſſiduis, pluvioque madeſcit ab Auſtro.
Hæc ſuper impoſuit liquidum & gravitate carentem
Æthera, nec quidquam terrenæ fecis habentem.
Vix ita limitibus diſcreverat omnia certis,
Cum, quæ preſſa diu maſſa latuere ſub ipſa,
Sidera cœperunt toto efferveſcere cœlo.
Neu regio foret ulla ſuis animalibus orba,
Aſtra tenent cœleſte ſolum, formæque Deorum:
Ceſſerunt nitidis habitandæ piſcibus undæ:
Terra feras cepit, volucres agitabilis aër.
Sanctius his animal mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet,
Natus homo eſt: ſive hunc divino ſemine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo,
Sive recens tellus ſeductaque nuper ab alto
Æthere, cognati retinebat ſemina cœli:
Quam ſatus Japeto, mixtam fluvialibus undis,
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.
Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumque videre
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Vides hic hominis in cuncta hæc inferiora dominatum: vides factum eum ad Dei aut cœlitum imaginem. Euryſus Pythagoreus libro de fortuna: ** Τὸ σκᾶνος τοῖς λοιποῖς ὅμοιον, οἷα γεγονὸς ἐκ τᾶς αὐτᾶς ὕλας, ὑπὸ τεχνίτα δὲ εἰργασμένον λῴστω, ὃς ἐτεχνίτευσεν αὐτὸ ἀρχετύπῳ χρώμενος ἑαυτῷ. *Hominem corpore ſimilem reliquis, quippe ex eadem conſtantem materia: ſed ab optimo effictum artifice, qui in eo faciendo ſemetipſum habuit exemplar.* Ubi σκῆνος eſt corpus ut Sapientiæ IX. 15. II. Cor. V. v. 1. & 4. Adde quod Horatius animam vocat, (*lib. II. Satyra II. v. 79.*)

- - - *Divinæ particulam auræ.*

Virgilius, (*Æneid. VI. v. 742.*) *Ætherium ſenſum.* Juvenalis vero Satyra XV. (*v. 143. ſeqq.*)

- - - *atque adeo venerabile ſoli*
Sortiti ingenium, divinorumque capaces,
Atque exercendis capiendisque artibus apti,
Senſum a cœleſti demiſſum traximus arce,
Cujus egent prona & terram ſpectantia mundi.
Principio indulſit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque.

Adde egregia ad hanc rem Platonis Alcibiade (*I. fol. 449. opp.*) & Phædone (*fol. 60. ſeq.*) Cic. de Natura Deorum II. *** *Nam*

* Quod nobis recenſent *Plato in dial.* qui *convivium* dicitur, *fol. 1178. opp.* itemque *Sextus Empiricus lib. IX. adv. Mathemat. num. 9. fol. 550.* edit. Fabricii.

** Ex quo reliquias has depromſit *Clemens Alexandr. Lib. V. Strom. fol. 559. ſeq. Opp.*

*** Fefellit *Grotium* memoria, alias *Lib. I. Ciceronis de Legibus Cap. 9.* nominaſſet, quo iſta leguntur.

Ovidium, (a) qui ex Græcis iſta transſcripſit, invenias. Verbo Dei facta omnia, 7 etiam Epicharmo 8 & Platonicis proditur, & ante eos Scriptori antiquiſſimo, non illorum hymnorum, quos nos ſub eo nomine habemus; ſed 9 eorum carminum, quæ vetuſtas Orphica appellavit, non quod Orphei eſſent, ſed quod ab eo tradita continerent. Solem non eſſe lucem primigeniam, ſed lucis receptaculum, δόχημα καὶ ὄχημα τοῦ πυρὸς, ut veterum Chriſtianorum quidam loquitur, 10 agnovit & Empedocles:

Nam cum cæteras animantes abjeciſſet ad paſtum, ſolum hominem erexit, ad cœlique quaſi cognationis & domicilii priſtini conſpectum excitavit. Saluſtius initio belli Catilinarii: (*cap. I.*) *Omnes homines qui ſeſe ſtudent præſtare cæteris animalibus, ſumma ope niti decet, ne vitam ſilentio transeant, veluti pecora, quæ natura prona atque ventri obedientia finxit.* Plinius libro II. cap. 26. *Hipparchus numquam ſatis laudatus, ut quo nemo magis approbaverit cognationem cum homine ſiderum, animasque noſtras partem eſſe cœli.*

7 *etiam Epicharmo.*) *

Ὁ δέ γ' ἀνθρώπου λόγος πέφυκ' ἀπὸ τοῦ Θείου λόγου.

Et Dei a ratione ratio naſcitur mortalium.

8 *et Platonicis*) Amelius Platonicus: Καὶ οὗτος ἄρα ἦν ὁ λόγος καθ' ὃν αἰεὶ ὄντα τὰ γινόμενα, ὡς ἂν καὶ ὁ Ἡράκλειτος ἀξιώσειε, καὶ νὴ Δί' ὃν ὁ βάρβαρος ἀξιοῖ, ἐν τῇ τῆς ἀρχῆς τάξει τε καὶ ** ἀταξίᾳ καθεστηκότα πρὸς Θεὸν εἶναι, *** δι' οὗ πάνθ' ἁπλῶς γεγενῆσθαι, ἐν ᾧ τὸ γενόμενον ζῶον καὶ ὂν πεφυκέναι. *Hæc itaque illa Ratio per quam ſemper ſunt quæ ſunt facta, quomodo & Heraclitus cenſuit: eadem profecto quam barbarus ille indicat, in primo rerum conditu, imo & in incondito ſtatu Deo adſtitiſſe, per quem omnia omnino facta, in quo id quod fit animal eſſe ſuum haberet.* Barbarus quem dicit, eſt Joannes Evangeliſta, cujus temporibus ſerior aliquanto Amelius. Verba ejus ſervavit nobis Euſebius Præparationis lib. XI. cap. 19. & Cyrillus lib. VIII. contra Julianum. (*fol.* 283.) Meminit ejusdem Ameliani loci & Auguſtinus libro X. c. 29. de civitate Dei, & confeſſionum **** libro VIII. Tertullianus adverſus Gentes: (*ſeu Apologetico cap. XXI.*) *Apud veſtros quoque ſapientes* λόγον, id eſt, *ſermonem atque rationem conſtat artificem videri univerſitatis. Hunc enim Zeno determinat factitatorem, qui cuncta diſpoſitione formaverit.* Locus Zenonis erat libro περὶ οὐσίας, ubi τὸ ποιοῦν, cauſam effectricem, vocabat λόγον, quem ſecuti Cleanthes, Chryſippus, Archedemus, Poſidonius, docente Laërtio in Zenone. (*lib. VII. de vit. Philoſ. ſegm.* 134.) Seneca *rationem facientem* vocat epiſtola LXV. Chalcidius ad Timæum: (*pag.* 135.) *Et ratio Dei Deus eſt humanis rebus conſulens, quæ cauſa eſt hominibus bene beateque vivendi, ſi non conceſſum ſibi munus a ſummo Deo negligant.* Idem de Moſe alio loco ***** (*p.* 373.) *Aperte indicans, præeunte divina ſapientia, cœlum terramque factam, eandemque ſapientiam divinam eſſe univerſitatis primordium.*

9 *eorum carminum quæ vetuſtas Orphica appellavit.*) Verſus ſunt hi:

Αὐδὴν ὁρκίζω σε πατρὸς τὴν φθέγξατο πρώτην,
Ἡνίκα κόσμον ἅπαντα ἑαῖς στηρίξατο βουλαῖς.

Illa mihi teſtis vox ſit quæ prima parenti
Edita, cum totum fundavit juſſibus orbem.

Exſtant in admonitione ad Græcos inter opera Juſtini. (*fol.* 16.) ****** Et hi:

Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστὶ, θύρας γ' ἐπίθεσθε βέβηλοις.
Πᾶσιν ὁμοῦ. σύ γ' ἄκουε φαεσφόρου ἔκγονε μήνης.
Μουσαῖ ἐξερέω γὰρ ἀληθέα· μηδέ σε τὰ πρὶν
Ἐν στήθεσσι φανέντα φίλης αἰῶνος ἀμέρσῃ.
Εἰς δὲ λόγον θεῖον βλέψας τούτῳ προσέδρευε
Ἰθύνων κραδίης νοερὸν κύτος, εὖ δ' ἐπίβαινε
Ἀτραπιτοῦ· μοῦνον δ' ἐσόρα κόσμοιο ἄνακτα,
Εἷς ἔστ' αὐτοτελής· ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται.
Ἐν δ' αὐτοῖς αὐτὸς περινίσσεται· οὐδέ τις αὐτὸν
Εἰσοράᾳ θνητῶν· αὐτὸς δέ γε πάντας ὁρᾶται.

Queis fas eſt audire canam, procul ite profani,
Ite foras; tibi ſed Lunæ Muſæ nepoti,
Vera tibi pandam, ne quæ prius inſita menti
Hæreſcunt dulcis ſpolient te munere vitæ,
Divinam ſpectans rationem pectus ad illam
Dirige, & ima animi ſemper præcordia; recta
Nec deflecte via: fictorem conſpice mundi:
Unus is æternus: ſuntque omnia facta per unum.
Ipſe agitat totam præſenti numine molem,
Mortalis quem nemo videt, videt unicus omnes.

Exſtant in admonitione ad Græcos, item in libro de Monarchia in operibus Juſtini Martyris, (*fol.* 15. & 104.) in Clementis Alexandrini libro Strom. V. ******* in Euſebio lib. XIII. ******** Præparationis Evangelicæ ex Ariſtobulo.

10 *agnovit & Empedocles.*) De quo Laërtius, (*lib. VIII. de vit. Philoſ. ſegm.* 77.) τὸν ἥλιόν φησι πυρὸς ἄθροισμα μέγα. *Solem dicebat magnum eſſe acervum ignis.* Is qui placita ſcripſit Philoſophorum quæ ſunt in operibus Plutarchi lib. II. cap. 6. Ἐμπεδοκλῆς τὸν μὲν αἰθέρα πρῶτον διακριθῆναι, δεύτερον δὲ τὸ πῦρ, ἐφ' ᾧ τὴν γῆν ἐξ ἄγαν περισφιγγομένης τῇ ῥύμῃ τῆς περιφορᾶς, ἀναβλύσαι τὸ ὕδωρ· ἐξ οὗ θυμιαθῆναι τὸν ἀέρα καὶ γενέσθαι τὸν μὲν οὐρανὸν ἐκ τοῦ αἰθέρος, τὸν δὲ ἥλιον ἐκ τοῦ πυρός. *Empedocles primum omnium ſecretum ajebat æthera, deinde ignem, poſt terram, quæ conſtricta impetu ipſo agitationis, ebulliſſe inde aquam: ex hac exhalaſſe aerem: cœlum autem ex æthere natum: ſolem ex igne.* Et cap. 20. Empedocles δύο ἡλίους, τὸν μὲν ἀρχέτυπον, τὸν δὲ φαινόμενον. *Duos ſoles, alterum originalem, alterum eum qui appareat.* Philolaus vero, ut ibidem legimus, dixit ſolem ὑαλοειδῆ, δεχόμενον μὲν τοῦ ἐν τῷ κόσμῳ

(a) *apud Ovidium*) CONRING. Similia habet & MANTILIUS, jam & Chaldæos usque adeo de mundi creatione nihil dubitaſſe conſtat ex JULIO FIRMICO, ut & autumno conditum illum non ſint veriti aſſerere.

* Ex ejus περὶ τοῦ λόγου ἐν τῇ πολιτείᾳ libro *Euſebius Præparat. Evang. lib. XIII. cap.* 13. *fol.* 682. & *Clemens Alexandr. lib. V. Stromat. fol.* 605. *opp.* hunc verſum ad nos transmiſerunt.

** *Euſebii* editio, qua nos utimur, variat in Amelianis verbis exprimendis, ſpeciatim loco ἀταξίᾳ legit ἀξίᾳ ex MSto, ac proinde verba: ἐν τῇ τῆς ἀρχῆς τάξει τε καὶ ἀξίᾳ καθεστηκότα, ita vertit: *apud Deum in principii gradu ac dignitate conſtitutum.* Quæ ideo notamus, quia doctrinæ Chriſtianæ de Chriſti divinitate, quæ illum in principii gradu, ſeu eodem a principio gradu & dignitate cum Deo & apud Deum eſſe, affirmat, quam proxime accedunt, atque a *Cyrillo* loco a *Grotio hac nota* citato & *Theodoreto Therapeut. Serm. II. fol.* 500. *tom. IV. opp.* qui eandem vocem ἀξίᾳ habent, egregie confirmantur.

*** Καὶ Θεὸν εἶναι: *imo & Deum ſimul eſſe.* Editionem noſtram & *Theodoretum* dicto loco ſecuti, hæc addenda putamus.

**** Fruſtra ad hunc librum provocat *Grotius.* Nulla enim ibi *Ameliani loci* mentio, niſi trahere huc velis, quod *cap.* 2. *Auguſtinus* narrat: *gratulatum ſibi fuiſſe Victorinum, quod inciderit in libros Platonicorum, in quibus omnibus modis inſinuetur Deus & ejus verbum.*

***** Non de *Moſe*, ſed de *Salomone* iſta profert *Chalcidius*, ex cujus *Proverbiis* proxime ante hæc attulerat: *Creavit me Deus progreſſionis ſuæ ſemitam, cui nitens efficeret &c.*

****** Nec non in *Cyrilli* opere *adverſus Julianum lib. I. fol.* 33. ubi etiam *fol.* 26. quæ heic ſequuntur, *Orphica* recitantur.

******* Hoc loco *fol.* 585. & 607. *opp.* unus ſaltem & alter memoratorum verſuum deprehenditur; in *Protrept.* vero ſeu *Admonitione ad gentes fol.* 48. omnes ac ſinguli exhibentur.

******** *Cap.* 12. qui tamen duos adhuc verſus, unum poſt primum; alterum poſt ſeptimum mutato præcedentium nexu inſerit.

Digitized by Google

docles: 11 ſupra aſtrorum loca divinum eſſe domicilium Aratus 12 & Catullus: in eo lucem perpetuam Homerus. Antiquiſſimum rerum eſſe Deum, quippe non genitum; pulcherrimum mundum, quippe Dei opus; tenebras luce priores 13 ex veteri diſciplina docuit Thales: quorum poſtremum 14 etiam apud Orphicos 15 & Heſiodum eſt, atque inde 16 antiqui moris retinentisſimæ gentes tempora per noctes numerabant. 17 A ſuprema mente ordinata omnia, Anaxagoras; 18 ſidera a Deo facta, Aratus; 19 Spiritu Dei infuſam rebus vitam, poſt Græcos Virgilius; 20 hominem ex luto formatum Heſiodus, 21 Home-

κάτοπτρον πυρὸς τὴν ἀνταύγειαν, διηθοῦντα δὲ πρὸς ἡμᾶς τὸ φῶς, vitreæ naturæ, qui ignis ejus qui in mundo eſt, repercuſſum in ſe ſplendorem recipiat, lumen autem ad nos deſtillet. Anaxagoras, Democritus, Metrodorus, ſolem maſſam quandam ignitam dicebant: ut ibidem dicitur. Et has ſententias eſſe antiquiſſimas oſtendit Democritus narrante Laërtio. (*lib. IX. de vit. Philoſ. ſegm.* 34.)

11 *ſupra aſtrorum loca divinum eſſe domicilium. Aratus:* (*Phænomenon v.* 359.)

Οἷον γὰρ κἀκεῖνο θεῶν ὑπὸ ποσσὶ φορεῖται
Λείψανον Ἠριδανοῖο πολυκλαύτου ποταμοῖο.
Quantus & ille vides ſubter veſtigia divum
Se ferat Eridani gurges, lacrimabilis amnis,

12 *& Catullus.*) Coma Berenices apud Callimachi interpretem Catullum ſic loquens inducitur: (*Carmine LXVII. v.* 69.)

Sed quanquam me nocte premunt veſtigia divum.

13 *ex veteri diſciplina docuit Thales.*) Teſtis Diogenes Laërtius. (*lib. I. de vit. Philoſ. ſegm.* 35. 36.) Fuit autem Thales Phœnix origine, teſtibus Herodoro * & Leandro.

14 *etiam apud Orphicos.*) Hymno noctis, (*verſu ſtatim* 1.)

Νύκτα θεῶν γενέτειραν ἀείσομαι, ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.
Noctem concelebro genetricem hominumque Deumque.

15 *& Heſiodum.*) Cujus hac de re verſus ſupra poſuimus. (*not.* 5. *pag.* 11.)

16 *antiqui moris retinentiſſimæ gentes.*) Οἱ Νομάδες τῶν Λιβύων οὐ ταῖς ἡμέραις, ἀλλὰ ταῖς νυξὶν αὐτῶν ἀριθμοῦσι τὸν χρόνον. *Numidæ in Libya non ex diebus, ſed ex noctibus tempora ſua computant*, ait Nicolaus Damaſcenus. ** De Germanis Tacitus: (*de morib. Germ. cap. XI. ſ.* 3.) *Nec dierum numerum, ut nos, ſed noctium computant; ſic conſtituunt: ſic condicunt: nox ducere diem videtur.* Vide Speculum Saxonicum lib. 1. art. 3. (*verius* 2.) 67. & alibi, & doctiſſimum Lindebrogium ad vocem Noctis, in vocabulario ad leges Germanicas. Servant hunc morem etiam nunc vicinæ gentes Bohemi & Poloni: olim & Galli. Cæſar libro VI. belli Gallici: (*cap.* 18.) *Spatia omnis temporis non numero dierum, ſed noctium finiunt.* De Druidibus Plinius libro XVI. hiſtoriæ naturalis, capite ultimo. (*i. c.* 44. *prope finem.*) *Luna, quæ principia menſium annorumque his facit.* De Hebræis nota res. Athenienſes addit Gellius libro III. cap. 2. Phœnicum hac quoque in re diſcipulos.

17 *A ſuprema mente ordinata omnia Anaxagoras.*) Verba ejus poſuimus ſupra, *** quæ habes apud Laërtium, Scriptorem de placitis Philoſophorum, & alios. Etiam Timonis de ejus ſententia verſus ſupra habes. (*not.* 1. *p.* 10.)

18 *ſidera a Deo facta, Aratus.*) Phænomenon initio: (*ſtatim v.* 1. *ſeq.*)

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα· τὸν οὐδέποτ᾽ ἄνδρες ἐῶμεν
Ἄρρητον· μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί,
Πᾶσαι δ᾽ ἀνθρώπων ἀγοραί· μεστὴ δὲ θάλασσα,
Καὶ λιμένες· πάντη δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες.
Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. ὁ δ᾽ ἤπιος ἀνθρώποισι
Δεξιὰ σημαίνει, λαοὺς δ᾽ ἐπὶ ἔργον ἐγείρει.
Μιμνήσκων βιότοιο· λέγει δ᾽ ὅτε βῶλος ἀρίστη
Βουσί τε καὶ μακέλῃσι· λέγει δ᾽ ὅτε δεξιὸς ὥρα
Καὶ φυτὰ γυρῶσαι καὶ σπέρματα πάντα βαλέσθαι.
Αὐτὸς γὰρ τάγε σήματ᾽ ἐν οὐρανῷ ἐστήριξεν,
Ἄστρα διακρίνας· ἐσκέψατο δ᾽ εἰς ἐνιαυτὸν
Ἀστέρας, οἵ κε μάλιστα τετυγμένα σημαίνοιεν
Ἀνδράσιν ὡράων, ὄφρ᾽ ἔμπεδα πάντα φύωνται.
Τῷ μιν ἀεὶ πρῶτόν τε καὶ ὕστατον ἱλάσκονται.
Χαῖρε πάτερ, μέγα θαῦμα, μέγ᾽ ἀνθρώποισιν ὄνειαρ.

Quæ nos olim ſic vertimus:

Ab Jove Muſarum primordia: ſemper in ore
Plurimus ille hominum eſt, qui compita numine magno,
Conciliumque virum complet, pelagusque profundum,
Et pelagi portus: fruimur Jove & utimur omnes.
Nos genus illius: nobis ille omine læto
Dextera præſignat, populumque laboribus urget,
Conſulat ut vitæ: quando ſit terra ligoni
Aptior aut bubus movet, & quo tempore par ſit
Aut ſerere, aut ſeptas lymphis adſpergere plantas.
Ipſe etiam in magno defixit ſidera mundo
Ordine quæque ſuo, atque in totum providus annum
Aſtra dedit, quæ nos moneant, qua quælibet hora
Apta regi, certa naſcantur ut omnia lege.
Idem ergo primus placatur & ultimus idem,
Magne pater, magnum mortalibus incrementum.

Jovem hic intelligendum Deum verum mundi opificem & res docet & Paulus Apoſtolus in Actis XVII. 28. Ovidius ſua Phænomena his verſibus terminavit, ut ex Lactantio (*Inſtitut. div. lib. II. cap. V. §.* 24.) diſcimus:

Tot numero, talique Deus ſimulacra figura
Impoſuit cœlo, perque atras ſparſa tenebras
Clara pruinoſæ juſſit dare lumina nocti.

Chalcidius ad Timæum (*pag.* 223.) *Cui quidem vel Hebræorum quoque ſententia concinit, qui perhibent exornatorem mundi Deum, mandaſſe provinciam, ſoli quidem, ut diem regeret, lunæ vero ut noctem tueretur: cæteras quoque ſtellas diſpoſuiſſe, tanquam temporum limites annorumque ſigna, indicia quoque futurorum proventuum.*

19 *Spiritu Dei infuſam rebus vitam, poſt Græcos Virgilius.*) In ſexto Æneidos, (*v.* 719.) quem Servius (*ad v.* 1. *ej. Æneid.*) ait ex plurimis veterum ſcriptis fabricatum:

Principio cælum & terras campoſque liquentes,
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.
Igneus eſt illis vigor & cæleſtis origo
Seminibus.

Explicandis his illa ſerviant ejuſdem Georgicon IV. (*v.* 218. *ſeqq.*

His quidam ſignis atque hæc exempla ſecuti,
Eſſe apibus partem divinæ mentis & hauſtus.
Æthereos dixere: Deum namque ire per omnes
Terraſque tractusque maris, cælumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſcere vitas.

20 *hominem ex luto formatum Heſiodus.*) Operibus ac diebus: (*v.* 60.)

Ἥφαιστον δ᾽ ἐκέλευσε περικλυτὸν, ὅττι τάχιστα
Γαῖαν ὕδει φύρειν, ἐν δ᾽ ἀνθρώπου θέμεν αὐδήν.
Mulciberumque moras jubet omnes ſolvere & undas
Commiſcere ſolo, atque humanam imponere vocem.

21 *Home-*

* Quinam *Herodotus*, an *Halicarnaſſeus* ille *lib. I. Hiſtor. cap.* 170. an alius, apud *Hyginum Aſtronomico p.* 183. inter *Aſtron. veter. ex offic. Sanct Andr. An.* MDLXXXIX. intelligendus ſit ex mente *Grotii*, non ſatis exploratum, cum uterque *Thaletem* origine Phœnicem fuiſſe, perhibeat. Conf. *Ger. Jo. Voſſium de Hiſtoricis Græc. lib. III. p.* 375. Mihi, cum de *Leandro*, qui etiam in teſtimonium heic vocatur, nihil hodie ſuperſit, præſens locus ex *Clemente Alex.* transſcriptus videtur. Ita enim ille *lib. I. Stromat. fol.* 300. *opp.* ἀλλὰ καὶ Θαλῆς, ὡς Λέανδρος καὶ Ἡρόδοτος ἱστοροῦσι, Φοῖνιξ ἦν. *Quin etiam Thales, ut referunt Leander & Herodotus, erat Phœnix.*

** Apud *Stobæum Sentent. Serm. XLII fol.* 293.

*** *Not.* 1. *pag.* 10. Lege vero, quæ ibi obſervavimus.

21 Homerus, 22 Callimachus; denique unum eſſe ſummum Deum, rerum omnium cauſam, conſenſu gentium traditum aſſeverat 23 Maximus Tyrius. *Et intra ſeptem dies* (a) peracti operis memoria ſervata non apud Græcos tantum & Italos, honore diei ſeptimi, quod 24 ex Joſepho, 25 Philone, 26 Tibullo, 27 Clemente Alexandrino, & 28 Luciano diſcimus, (nam de Hebræis notiſſimum eſt) ſed & 29 apud Celtas & Indos, quibus omnibus per hebdomadas digeſta tempora: quod nos docent 30 Philoſtratus, 31 Dion Caſſius, Juſtinus Martyr, 32 & vetuſtiſſima dierum nomina. Primam hominis vitam

21 *Homerus.*) Iliados II (*v* 99.)

Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.
At vos in tellurem omnes abeatis & undam.

Redeunt enim omnia eo unde venerunt. Euripides Hypſipyle, ut nos docet Stobæus titulo: (*i. e. Sententiar. Serm. CVI. fol.* 568.) Eventus rerum fortiter ferendos;

- - - κατὰ δ' ἄχθονται βροτοὶ
Εἰς γῆν φέροντες γῆν· ἀναγκαίως δ' ἔχει
Βίον θερίζειν, ὥστε κάρπιμον στάχυν,

Quæ Cicero ita vertit Tuſculanarum tertio (*cap.* 25.)

Quæ generi humano angorem nequicquam adferunt,
Reddenda eſt terræ terra: tum vita omnibus
Metenda, ut fruges; ſic jubet neceſſitas.

Idem Euripides Supplicibus: (*v.* 531. *ſeqq.*)

Ἐάσατ' ἤδη γῇ καλυφθῆναι νεκρούς.
Ὅθεν δ' ἕκαστον εἰς τὸ σῶμ' ἀφίκετο,
Ἐνταῦθ' ἀπῆλθε, πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα,
Τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν· οὔτι γὰρ κεκτήμεθα
Ἡμέτερον αὐτὸ πλὴν ἐνοικῆσαι βίον·
Κἄπειτα τὴν θρέψασαν αὐτὸ δεῖ λαβεῖν.
Jam ſinite terræ mortuos gremio tegi:
Res unde quæque ſumpſerat primordium,
Eo recipitur. Spiritus cælo redit,
Corpusque terræ: jure nec enim mancupi,
Sed brevis ad ævi tempus utendum datur,
Mox terra repetit ipſa quod nutriverat.

Quæ vide quam pulchre conveniant cum Moſe, Geneſ. III. 19. & Salomone Eccl. XII. 7.

22 *Callimachus.*) Cui in Scazonte homo πηλὸς ὁ Προμήθειος, *lutum Prometheum.* * Hujus luti mentio & apud Juvenalem & apud Martialem. Adde Cenſorini locum: (*lib. IV. de die natali.*) *Democrito vero Abderitæ ex aqua limoque primum viſum eſt homines procreatos. Nec longe ſecus Epicurus.*

23 *Maximus Tyrius.*) diſſertatione I. (*pag.* 3.) ἐν τοσούτῳ δὴ πολέμῳ καὶ στάσει καὶ διαφωνίᾳ, ἕνα ἴδοις ἂν ἐν πάσῃ γῇ ὁμόφωνον νόμον καὶ λόγον, ὅτι θεὸς εἷς πάντων βασιλεὺς καὶ πατὴρ, καὶ θεοὶ πολλοὶ, θεοῦ παῖδες, συνάρχοντες θεῷ. ταῦτα ὁ Ἕλλην λέγει, καὶ ὁ βάρβαρος λέγει, καὶ ὁ ἠπειρώτης καὶ ὁ θαλάττιος, καὶ ὁ σοφὸς καὶ ὁ ἄσοφος. *In tanta pugna ac diſcordia & diſcrepantia, unam videas per terras omnes legem famamque conſentientem, Deum eſſe unum rerum univerſarum & regem & patrem, multos præterea Deos, Dei filios, adminiſtrationis participes. Hæc & Græcus dicit, & dicit barbarus, dicit qui in continentibus terris, dicit qui in oris maritimis habitat, & ſapiens & ſapientia deſtitutus.* Adde his loca quæ attulimus libro II. de Jure belli ac pacis, cap. XX. § 45. & illud Antiſthenis relatum a Cicerone primo de natura Deorum: (*cap.* 13.) *Populares Deos multos, naturalem unum eſſe.* Addit Lactantius lib. I. cap. V. ex eodem Antiſthene, *ſummæ totius artificem.* Sophocles: **

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν εἷς ἐστιν θεὸς
Ὃς οὐρανόν τ' ἔτευξε καὶ γαῖαν μακρὰν
Πόντου τε χαροπὸν οἶδμα κἀνέμων βίας.
Unus profecto eſt, unus eſt tantum Deus,
Cæli ſolique machinam qui condidit,
Vadumque ponti cærulum & vim ſpiritus.

Adde Varronis locum, qui apud Auguſtinum de civitate Dei libro IV. cap. 31.

24 *ex Joſepho.*) Adverſus Appionem II. circa finem (*fol.* 1081. *opp.*) nullam eſſe ait urbem Græcam, nullam barbaram, ἔνθα μὴ τὸ τῆς ἑβδομάδος, ἣν ἀργοῦμεν ἡμεῖς, τὸ ἔθος οὐ διαπεφοίτηκεν, quam non pervaſerit mos ſeptimæ diei qua Judæi feriantur.

25 *Philone*) De die ſeptima: *** Ἑορτὴ γὰρ οὐ μιᾶς πόλεως, ἢ χώρας ἐστὶν, ἀλλὰ τοῦ παντός. *Eſt enim feſtus dies non uni urbi, aut regioni, ſed univerſo.*

26 *Tibullo.*) ****

Cultaque Judæo ſeptima ſacra viro.

Loquitur autem de iis feriis, quas & Romanæ mulieres obſervabant.

27 *Clemente Alexandrino.*) Qui Strom. V. (*fol.* 600. *opp.*) ex Heſiodo adfert ἕβδομον ἱερὸν ἦμαρ, *lux ſeptima ſancta*, & ſimilia ex Homero & Callimacho. Adde quæ ex Ariſtobulo adfert Euſebius libro XIII. cap. 12. Theophilus Antiochenus libro II. ad Autolycum. (§. 17. *p.* 134.) Περὶ τῆς ἑβδόμης ἡμέρας ἣν πάντες ἄνθρωποι ὀνομάζουσι: *De ſeptimo die quem omnes homines celebrant.* Suetonius Tiberio XXXII. *Diogenes grammaticus diſputare ſabbatis Rhodi ſolitus.*

28 *Luciano.*) Qui pueros luſiſſe diebus ſeptimis nos docet in Paralogiſta. (*vel Pſeudologiſta tom. II. opp. pag.* 595.

29 *apud Celtas*) Oſtendunt antiquiſſima etiam apud Celticas gentes, id eſt, Germanos, Gallos, Britannos dierum nomina. Idem de Slavis docet nos Helmoldus lib. I. c. 84. *****

30 *Philoſtratus.*) Libro III. cap. 13. (*rectius* 41.) ubi de Indis.

31 *Dion Caſſius.*) lib. XXXIII. (*verius XXXVII. fol.* 37.) Τὴν ἡμέραν τὴν τοῦ Κρόνου καλοῦμεν. *Diem quam Saturni dicimus.* Addit ibidem morem per ſeptenos dies tempora computandi ab Ægyptiis ad omne humanum genus manaſſe. Non autem recentem eſſe hunc morem, ſed vetuſtiſſimum docet nos Herodotus libro II. ****** Adde de Romanis Iſidorum lib. V. cap. 30. & 32.

32 *& vetuſtiſſima dierum nomina.*) Vide oraculum & Or-

(a) *Et intra ſeptem dies*) CONRING. Hebdomadum obſervatio multum profecto illuſtrat creationis memoriam; neque enim cauſa hujus rei ulla in medium adduci præter illam poteſt, quam ſacræ hiſtoriæ prodiderunt. Videatur tamen hac de re JOSEPHUS SCALIGER, qui in dubium videtur vocare, quod ab autore noſtro hic traditur.

* Extat apud *Clementem Alex. lib. V. Stromat. fol.* 597. *opp.* ex quo repetit *Euſebius Præparat. Evang. lib. XIII. cap.* 13. minime vero apud *Scholiaſten Ariſtophanis* ad Σφῆκας, ut in ſua *fragmentorum Callimachi* collectione *Anna Fabri* nobis perſuadere voluit *pag.* 258. edit. *Ezech. Spanhemii.*

** Vindicantibus ejus verſus ab oblivione *Cyrillo lib. I. contra Julian. fol.* 32. *Juſtino cohortat. ad Græcos fol.* 17. *ſeq. opp.* itemque *Clemente Alexandr. lib. V. Stromat. fol.* 603. *opp.*

*** Memoria fretus *Grotius* in libro *Philonis de Septenario, & feſtis diebus* ſe legiſſe heic allata opinatus eſt. Verum inveniuntur libro *de mundi opificio fol.* 20. *opp.*

**** Non *Tibulli* ſed *Ovidii* hicce verſus eſt. Vide ipſum *lib. I. de arte amandi, v.* 76.

***** Vereor, ut *Helmoldus* jure hoc loco in teſtimonium vocari poſſit. Etenim *c.* 84. quod aliis 83. nihil lego, quod præſentem rem confirmare poſſit, niſi hoc: *Proxima die dominico convenit univerſus populus terræ ad forum Lubecenſe.* Aſt ſatis luculenter patet, *Helmoldum* in narratione iſta diem ex ſua ipſius mente definiviſſe. Quo modo enim nomen Chriſtianum, quale erat *dies dominica*, ad numerandos dies ſuos gentiles adhibuiſſent?

****** Tantum abeſt, ut *Herodotus* dicto libro, vetuſtiſſimum eſſe morem per ſeptenos dies tempora computandi, teſtetur, ut dubitare poſſis: num vel ullum hujus rei veſtigium in ipſo exiſtat. Quanquam enim *Petr. Dan. Hue-*

tius

Digitized by Google

vitam 33 cum ſimplicitate fuiſſe, 34 & nudo corpore, docebant & Ægyptii; unde aurea poëtarum ætas, 35 etiam Indis celebrata, ut apud Strabonem eſt. 36 Adami, Evæ, arboris, ſerpentis hiſtoriam apud Indos idololatras, ſuo tempore exſtitiſſe 37 notavit Maimonides; eandemque apud Peguenſes, & Calaminſamenſes paganos ejusdem Indiæ populos repertam, apud Brachmanas Adami quoque nomen, apud Siamenſes ab orbe condito 38 ad ſex annorum millia putari, 39 noſtri quoque ſæculi teſtes perhibent. Eorum, qui primos homines ſecuti ſunt, vitam ad mille ferme annos duraſſe, 40 Beroſus in Chaldaicis, Manethos in Ægyptiacis, Hieronymus in Phœniciis, Heſtiæus, Hecatæus, Hellanicus in Græcis prodiderunt: & inter poëtas Heſiodus: quod eo minus incredibile, quando & 41 majora

& Orphei verſus in prolegomenis Scaligeri ad emendationem temporum. *

33 *cum ſimplicitate fuiſſe.*) Vide quæ in hanc rem produximus lib. II. cap. 1. (*potius II.*) §. 11. de Jure belli, & in notis ad eum locum.

34 *& nudo corpore docebant & Ægyptii.*) Quorum ſententiam ſic refert Diodorus Siculus libro 1. (*fol.* 8.) Τοὺς ἐν πρώτους τῶν ἀνθρώπων, μηδενὸς τῶν πρὸς βίον χρησίμων εὑρημένου ἐπιπόνως διάγειν, γυμνοὺς μὲν ἐσθῆτος ὄντας, οἰκήσεως δὲ καὶ πυρὸς ἀήθεις, τροφῆς δ' ἡμέρου παντελῶς ἀνεννοήτους. *Primos homines, cum nihil eorum quæ ſunt ad vitam utilia repertum adhuc eſſet, vixiſſe durius: quippe nulla veſte amictos, domicilii & ignis inſuetos, manſuetioris victus rudes.* Plato in Politico. (*fol.* 537. *opp.*) Θεὸς ἔνεμεν αὐτοὺς αὐτὸς ἐπιστατῶν, καθάπερ νῦν ἄνθρωποι, ζῷον ὂν ἕτερον θειότερον, ἄλλα γένη φαυλότερα αὐτῶν νομεύουσι. *Deus eos paſcebat, cuſtosque eorum ipſe erat, ſicut nunc homines, divinius animal, paſcunt animantium ſequiora.* Deinde: (*eod. fol.*) Γυμνοὶ δὲ καὶ ἄστρωτοι θυραυλοῦντες τὰ πολλὰ ἐνέμοντο. *Nudi autem & ſine ſtragulis ſub dio plerumque paſcebant.* Dicæarchus Peripateticus citatus tum Porphyrio libro IV. (*pag.* 343.) de non eſu animalium, tum, quoad ſenſum, Varroni de re ruſtica: (*lib. I. cap.* 2.) Τοὺς παλαιοὺς καὶ ἐγγὺς θεῶν γεγονότας, βελτίστους τε ὄντας φύσει καὶ τὸν ἄριστον ἐζηκότας βίον, ὡς χρυσοῦν γένος νομίζεσθαι. *Primos illos Diisque proximos mortales, optimæ fuiſſe indolis, vitamque vixiſſe optimam, unde & auream hanc dici ætatem.*

35 *etiam Indis celebrata, ut apud Strabonem eſt.*) Libro XV. (*fol.* 492.) Calanum Indum loquentem inducit: Τὸ παλαιὸν πάντ' ἦν ἀλφίτων καὶ ἀλεύρων πλέω, καθάπερ καὶ νῦν κόνεως· καὶ κρῆναι δ' ἔρρεον αἱ μὲν ὕδατος, γάλακτος δ' ἄλλαι, καὶ ὁμοίως αἱ μὲν μέλιτος, αἱ δ' οἴνου, τινὲς δ' ἐλαίου. ὑπὸ πλησμονῆς δ' οἱ ἄνθρωποι καὶ τρυφῆς εἰς ὕβριν ἐξέπεσον. Ζεὺς δὲ μισήσας τὴν κατάστασιν, ἠφάνισε πάντα, καὶ διὰ πόνου τὸν βίον ἀπέδειξε. *Olim omnia ita plena erant farinæ ex tritico & hordeo, ut nunc pulvere. Fontes fluebant aqua nonnulli, lacte alii, rurſum alii vino ac melle. Sed homines præ copia rerum ac deliciis ad contumeliam ſe tranſtulere: quem ſtatum exoſus Deus omnia ea abolevit, aliudque vitæ genus per laborem agendæ inſtituit.*

36 *Adami, Evæ, arboris, ſerpentis hiſtoriam.*) In iis quæ Philo Biblius ex Sanchuniathone vertit, (*apud Euſebium Præparat. Evang. lib. I. cap.* 10. *fol.* 34.) πρωτόγονος eſt אדם, αἰὼν eſt חוה, mortalium primi, repertores fructus arborum. Et in antiquiſſimis Græcorum myſteriis acclamatum Εὐα, ſimulque monſtratus ſerpens. Meminere ** Heſychius, Clemens in Protreptico, (*fol.* 9. *opp.*) Plutarchus Alexandro. *** Chalcidius ad Timæum: *pag.* 245. *ſeq.*) *Juxtaque Moyſen Deus vitæ primigeniis interdixit, ne edulibus arborum, ex quibus notitia boni malique animis eorum obreperet, veſcerentur.* Idem alio loco: (*nempe pag.* 400.) *Quibus Hebræi concinunt, cum dicunt homini quidem a Deo datam eſſe animam ex inſpiratione cœleſti, quam rationem atque animam rationabilem appellant: mutis vero & agreſtibus, ex ſilva rationis expertem juſſu Dei vivis animantibus & beſtiis terræ gremio profuſis: quorum in numero fuerit etiam illa ſerpens, quæ primitus generis humani malis ſuaſionibus illaqueaverit.*

37 *notavit Maimonides.*) Doctoris dubitantium parte III. c. 29.

38 *ad ſex annorum millia putari.*) Cum hoc numero bene convenit, quod ex Porphyrio tradidit Simplicius commentario XVI. (*accuratius XLVI.*) in librum II. de cœlo, obſervationes quas Babylone collectas ad Ariſtotelem miſit Calliſthenes, fuiſſe ad illa tempora annorum cIↄ Iↄ ccccIII. id enim a diluvii tempore non multum abit.

39 *noſtri quoque ſeculi teſtes perhibent.*) Vide inter alios Ferdinandum Mendeſium de Pinto. ****

40 *Beroſus in Chaldaicis, Manethos in Ægyptiacis, Hieronymus in Phœniciis, Heſtiæus, Hecatæus, Hellanicus in Græcis prodiderunt.*) Omnes hos ſcriptores, ſuo adhuc tempore manentibus libris, teſtes citat Joſephus antiquæ hiſtoriæ libro I. cap. 4. ac præter hos Acuſilaum, Ephorum, Nicolaum Damaſcenum. Arcadas ad CCC annos vivere ſolitos notat ad VIII. Æneidos Servius. *****

41 *majora multo olim fuiſſe hominum corpora.*) Joſephus antiquæ hiſtoriæ lib. V. cap. 2. Ὑπελείπετο δὲ τῶν γιγάντων ἔτι γένος, οἳ διὰ σωμάτων μεγέθη καὶ μορφὰς οὐδὲν τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις παραπλησίας παράδοξοι ἦσαν θέαμα, καὶ δεινοὶ ἄκουσμα· δείκνυται δ' ἔτι καὶ νῦν τούτων ὀστᾶ, μηδὲν τοῖς ὑπὸ πίστιν ἐρχομένοις ἐοικότα.

---

tius idem ſe in *Herodoto* vidiſſe profiteatur, *Demonſtr. Evang. Prop. IV. cap. XI. §.* 1. *pag. m.* 265. imo *Jo. Marshamus in Canone Chron. Sec. IX. p.* 197. diſerta ex *Herodoti lib. II. cap.* 82. verba nobis ſiſtat: καὶ τάδε ἄλλα Αἰγυπτίοισί ἐστι ἐξευρημένα· μείς τε καὶ ἡμέρη ἑκάστη θεῶν ὅτευ ἐστί. *Alia etiam ab Ægyptiis inventa ſunt: quis menſis & quis dies cujusque ſit Deorum;* eaque ita interpretetur: Ἡμέραι τῶν Θεῶν, *Dies Deorum ſunt dies ſeptimanæ, a VII. planetis denominati:* illud tamen mentem facit dubiam: Si Deorum dies ita explicandæ ſunt, quid de menſibus Deorum erit cenſendum? Arcte enim apud *Herodotum menſis & dies qualibet Deorum* cohærent. Qua igitur ratione unum exponis, eadem & alterum exponere teneris. Cum vero menſes a VII. planetis menſes Deorum dici nequeant, multa ſpecie hinc colligo, neque dies apud Ægyptios dies Deorum propterea appellatos eſſe, quod nomen a VII. planetis duxerint. Sed judicent alii, qui acutioris ſunt naris.

* *Fol.* 46. *ſeq.* Docent autem iſtud oraculum ex *Porphyrio* deſumtum æque ac *Orphei* verſus, vetuſtiſſimam dierum appellationem a planetis apud Græcos quoque derivatam eſſe.

** Uter: *Grammaticusne*, an *Mileſius*? Utriusque monumenta, ſed fruſtra adii. Et ſane fruſtraneum fore hunc meum conatum, facile prævidere poteram, ubi animadverti, *Ger. Jo. Voſſium, cap. IX. Theol. gentil. cap. XXVI. fol.* 276. edit. Amſtelod. MDCLXVIII. de eodem myſterio ex inſtituto agentem, *Heſychii* teſtimonio nequaquam uti. Conferre interim juvabit *Euſebium Præparat. Evang. lib. II. cap.* 3.

*** Neque in *Alexandro*, neque in *orationibus, quas de Alexandri M. fortuna & virtute Plutarchus* dixit, horum quicquam legitur.

**** Non aliud *Mendeſii* ſcriptum, præter *Itinerarium* ejus *in Europam, Aſiam & Africam* &c. innuere poteſt *Grotius*. Illud vero, licet placita *Chinenſium* ac *Siamenſium* de ipſorum natalibus, de mundi origine, de diluvio, cujus omnino memoria apud eos ſupereſt, & ceteris copioſe enarret *pag.* 161. *ſeqq.* 170. 210. 313. *ſeq.* Verſionis German. quæ prodiit *Amſtelodami* MDCLXXI. 4to; hujus tamen, de ſex annorum millibus ab orbe condito, apud *Siamenſes* obſervationis nec volam nec veſtigium illic deprehendere licet.

***** Hoc *Servii* teſtimonium in *Commentatione* ejus ad *VIII. Æneid. Virgilii* ſpeciatim ad *v.* 352. *ſeq.* quo *Arcadum* injicitur mentio, duas licet *Virgilii* cum *Servii* notis editiones, alteram *Venetiis* MCCCCXCII. alteram *Baſileæ* MDXLIIII. impreſſam, conſuluerim, invenire haudquaquam potui. Juſtam hinc conjecturam facio, aut *Grotium* hallucinatum eſſe, aut ea legiſſe in ſuo exemplari, quæ non ubique extant. Etenim *inter editiones Servii dici non poteſt, quanta ſit varietas*, docente *Jo. Alb. Fabricio biblioth. Lat. lib. I. cap. XII. not.* 9. *ad §.* 5. *pag.* 207.

Digitized by Google

jora multo olim fuiſſe hominum corpora nudatis ſepulcris compertum, plurimarum gentium hiſtoriæ prodiderunt, ac nominatim Græcorum 42 Pauſanias, & 43 Philoſtratus, Romanorum 44 Plinius. Sicut & viſa divinitus obtigiſſe hominibus, antequam frequentia & magnitudo delictorum Deum, 45 & famulantes ei mentes, ab hominum familiari commercio quaſi ſecluderent, 46 poſt Græcos plurimos refert Catullus. Gigantum ferina vita, cujus Moſes meminit, ubique ferme 47 apud Græcos, & 48 Latinos quosdam legitur. De diluvio notandum, in ejus hiſtoriam ferme omnium gentium memoriam deſinere; etiam earum, quas diu incognitas parentum noſtrorum ætas noſtræ notitiæ tradidit: unde & 49 Varroni omne id tempus ignotum vocabatur. Sed quæ a poetis fabularum licentia involuta legimus, ea ex vero, id eſt, Moſi convenienter, vetuſtiſſimi ſcriptores tradiderant, 50 Chaldæorum Bero-

bucina. Reſtabat etiam tum gigantum genus, qui ob corporis magnitudinem ac figuras multum aliis hominum diſpares, ſtupendum erant ſpectaculum, & fama terribilis: monſtrantur in hunc diem eorum oſſa, fidem omnem vulgi excedentia. Gabinius in Mauritaniæ deſcriptione * dicebat a Sertorio reperta Antæi oſſa, quorum compagem fuiſſe cubitorum ſexaginta. Phlegon Trallianus mirabilium cap. IX. ** meminit effoſſi capitis Idæ, quod triplæ eſſet ad ſolitum modum quantitatis. Addit idem in Dalmatia reperta corpora multa, quorum ulnæ XVI. ulnas excederent. Narrat idem ex Theopompo, in Boſphoro Cimmerio repertam oſſium humanorum compagem longam XXIV. cubitos. Ejusdem Phlegontis extat libellus de longævis, dignus ſane lectu.

42 *Pauſanias.*) Is in Laconicis (*fol.* 200. *edit. Guil. Xylandri Hanoviæ* 1613.) meminit oſſium humanorum, ſed inſolitæ magnitudinis, quæ in templo Æſculapii ad Aſopum urbem oſtendebantur: & in Eliacorum priore, (*fol.* 311.) oſſis e mari educti, quod olim Piſæ cuſtoditum Pelopisque creditum fuerat.

43 *Philoſtratus.*) In Heroicorum initio (*cap.* 1. §. 4.) multa ait gigantea corpora in Pallene detegi per imbres aut terræ motus.

44 *Plinius* libro VII. cap. 16. *In Creta, terræ motu rupto monte inventum eſt corpus ſtans, quod alii Orionis, alii Etionis fuiſſe tradunt. Oreſtis corpus oraculi juſſu refoſſum ſeptem cubitorum fuiſſe monumentis traditur. Jam vero ante annos prope mille vates ille Homerus non ceſſavit minora corpora mortalium, quam priſca conqueri.* Solinus cap. 1. (*potius cap. V. Polyh. ſt.*) *Quis enim non ævo iſto minor parentibus ſuis naſcitur? Priſcorum autem teſtantur molem etiam Oreſtis ſupremam, cujus oſſa Olympiade quinquageſima & octava Tegeæ inventa a Spartanis oraculo monitis, diſcimus impleſſe longitudinem cubitorum ſeptem. Scripta quoque quæ ex antiquitate memorias accerſunt in fidem veri, hoc etiam receperunt, quod bello Cretico cum elata flumina plus quam vi amnica terras rupiſſent, poſt diſceſſum fluctuum inter plurima humi diſcidia humanum corpus repertum ſit cubitûm trium atque triginta: cujus inſpectandi cupidine L. Flaccum legatum, Metellum etiam ipſum impendio captos miraculo, quod auditu refutaverant oculis potitos.* De molari hominis dente a ſe conſpecto vide Auguſtinum libro XV. de civitate Dei. cap. XI. (*verius cap. IX.*)

45 *& famulantes ei mentes.*) De his vide pulchra apud Plutarchum de Iſide, (*fol.* 360. *ſeq. tom. II. opp.*) Maximum Tyrium diſſertatione prima (*pag.* 3.) & XVI. (*pag.* 97. *ſeq.*) Julianum hymno ſolis. (*ſive orat. IV. fol.* 145. *opp.*) Ipſum nomen ἀγγέλων, in hac re, uſurpant præter Græcos veteris fœderis Interpretes Labeo, *** Ariſtides, Porphyrius, **** Jamblichus, (*de myſteriis Ægypt. l. II. c.* 3. *ſeqq.*) Chalcidius: (*comment. in Timæum Plat. pag.* 225. *ſeq.*) & his omnibus antiquior Hoſtanes citatus Minutio. (*in Octavio cap.* XXVI. §. 10.) Heraclitus, teſte quem dixi Chalcidio, (*loc. cit. p.* 346.) aſſerit, præmoneri meritos inſtruentibus divinis poteſtatibus.

46 *poſt Græcos plurimos refert Catullus.*) Epithalamio Pelei & Thetidos: (*carmine LXV. v.* 392. *ſeqq.*)

Sed poſtquam tellus ſcelere eſt imbuta nefando,
Juſtitiamque omnes cupida de mente fugarunt:
Perfudere manus fraterno ſanguine fratres,
Deſtitit exſtinctos natus lugere parentes,
Optavit genitor primævi funera nati,
Liber ut innuptæ potiretur flore novercæ:
Ignaro mater ſubſternens ſe impia nato,
Impia non verita eſt divos ſcelerare penates:
Omnia fanda, nefanda malo permiſta furore
Juſtificam nobis mentem avertere Deorum.

47 *apud Græcos.*) Homerum Iliados θ'. ***** Heſiodum in operibus. (*v.* 142. *ſeqq. it.* 174. *ſeqq.*) Huc pertinent Deorum pugnæ, quarum & Plato meminit de republica II. (*fol.* 604. *ſeqq. opp.*) & ſegreges iſti dominatus, quorum idem Plato mentionem facit de legibus III. (*fol.* 806.)

48 *& Latinos quosdam legitur.*) Vide Ovidium I. metamorphoſeon, (*v.* 126. *ſeqq.* 151. *ſeqq.*) & Lucanum libr IV. (*v.* 594. *ſeqq.*) Seneca natur. quæſt. 30. (*lib. III.*) ubi de diluvio: *Exſtinctis pariter feris, in quarum homines ingenia tranſierant.*

49 *Varroni omne id tempus ignotum vocabatur.*) Cenſorinus: (*de die natali cap. XXI.*) *Nunc vero id intervallum temporis tractabo, quod hiſtoricon Varro appellat. Hic enim tria diſcrimina temporum eſſe tradit. Primum ab hominum principio ad cataclyſmum priorem, quod propter ignorantiam vocatur ἄδηλον. Secundum a cataclyſmo priore ad Olympiadem primam: quod, quia in eo multa fabuloſa referuntur, μυθικὸν nominatur. Tertium a prima Olympiade ad nos: quod dicitur ἱστορικὸν, quia in eo res geſtæ veris hiſtoriis continentur.* Tempus illud, quod Varro ἄδηλον, Hebræorum Rabbini vocant inane. Diluvii autem univerſalis notam conchas, quæ in montibus reperiuntur, notavit Philo de mundi immortalitate. (*fol.* 960. *opp.*)

50 *Chaldæorum Beroſus.*) De quo ſic Joſephus contra Appionem primo: (*fol.* 1044.) Οὗτος τοίνυν ὁ Βηρωσσος ταῖς ἀρχαιοτάταις ἐπακολουθῶν ἀναγραφαῖς, περί τε τοῦ γενομένου κατακλυσμοῦ καὶ τῆς ἐν αὐτῷ φθορᾶς τῶν ἀνθρώπων, καθάπερ Μωϋσῆς οὕτως ἱστόρηκεν, καὶ περὶ τῆς λάρνακος, ἐν ᾗ Νῶχος ὁ τοῦ γένους ἡμῶν ἀρχηγὸς διεσώθη, προσενεχθείσης αὐτῆς ταῖς ἀκρωρείαις τῶν Ἀρμενίων ὀρῶν. *Hic Beroſus antiquiſſima ſcripta ſequens eadem quæ Moſes narrat de magno diluvio, hominumque per id interitu, ac de arca, in qua Noachus generis noſtri auctor ſervatus eſt, cum ea ad cacumina Armeniorum montium ſe applicuiſſet.* Poſt recitatam autem diluvii hiſto-riam

* Jamdudum literatorum conſpectui ſeſe hic liber ſubduxit. Superſunt vero a Grotio heic obſervata apud *Strabonem lib. XVII. fol.* 570. *Geogr.* Quæ, ſi judicio ejusdem Strabonis ſtandum eſt, inter prodigioſas fabulas locum merentur.

** Quod *cap. IX.* apud *Phlegontem* legi *Grotius* ait, ex *cap. XI.* adducit *Petr. Dan. Huetius quæſt. Alnetan. lib. II. cap. XII.* §. 3. *pag. m.* 144. Utrum eorum rectius citaverit, meum non eſt, dijudicare, cum editione, quæ in capita *Phlegontis* ſermonem dividat, deſtituar. Sufficit, cuncta, quæ heic obſervat *Grotius*, a *Phlegonte* perhiberi *pag.* 81. 83. (91. *ſeqq. verſ. lat.*) edit. *Xylandri* MDXC.

*** Quæ de *Labeone* animadvertit *Grotius*, *Auguſtini* fide *lib. IX. de civit. Dei cap.* 19. nituntur.

**** Ille *lib. II. de abſtin. ab animant. pag.* 194. *ſeq.* δαίμονας ἀγαθοὺς διαγγέλλοντας τὰ παρ' ἀνθρώπων θεοῖς καὶ τὰ παρὰ θεῶν ἀνθρώποις: *Genios bonos, Deorum cum hominibus & hominum cum diis nuncios* ex Platonis diſciplina appellat, deque iis verboſe diſſerit. Ipſiſſimam ἀγγέλου & ἀρχαγγέλου vocem in *epiſtola ad Anebonem* uſurpat *ſigno c. lin.* 2. prout eam cum *Jamblicho de myſteriis Ægypt.* publicavit *Thomas Gale* Oxonii A. MDCLXXVIII.

***** Aut fallor cum *Grotio*, aut ſeditio, quam adverſus Deorum patrem, Jovem, Juno & Minerva concitarunt, ex dicta *Iliade v.* 352. *ſeqq.* huc pertinet.

Beroſus, 51 Aſſyriorum Abydenus, 52 qui & columbæ emiſſæ meminit, ut & ex Græcis Plutarchus: & 53 Lucianus, qui apud Hierapolim Syriæ vetuſtiſſimam ait exſtitiſſe hiſtoriam & de arca, & de ſervatis per

tiam hæc verba addidit Beroſus, quæ idem ille Joſephus habet antiquæ hiſtoriæ libro primo, capite quarto. Λέγεται δὲ καὶ τοῦ πλοίου ἐν τῇ Ἀρμενίᾳ πρὸς τῷ ὄρει τῶν Κορδυαίων ἔτι μέρος εἶναι, καὶ κομίζειν τινὰς τῆς ἀσφάλτου ἀφαιροῦντας. χρῶνται δὲ μάλιστα οἱ ἄνθρωποι τῷ κομιζομένῳ πρὸς τοὺς ἀποτροπιασμούς. *Dicitur autem etiam nunc in Armenia, in Cordyæorum monte, pars eſſe ejus navigii, & quosdam inde bitumen auferre. Eo autem ablato utuntur homines maxime pro amuleto.*

51 *Aſſyriorum Abydenus.*) Servavit nobis ejus locum Euſebius libro IX. præparationis, cap. 12. & Cyrillus primo adverſus Julianum: (*fol. 8. ſeq.*) Μεθ' ὃν ἄλλοι τε ἦρξαν, καὶ Σείσιθρος, ᾧ δὴ Κρόνος προσημαίνει μὲν ἔσεσθαι πλῆθος ὄμβρων Δεσίου πέμπτῃ ἐπὶ δέκα, κελεύει δὲ πᾶν ὅ, τι γραμμάτων ἦν ἐχόμενον ἐν Ἡλίου πόλει τῇ ἐν Σιππάροισιν ἀποκρύψαι. Σείσιθρος δὲ ταῦτα ἐπιτελέα ποιήσας εὐθέως ἐπὶ Ἀρμενίης ἀνέπλεε, καὶ παραυτίκα μὲν κατελάμβανε τὰ ἐκ Θεοῦ. Τρίτη δὲ ἡμέρῃ ἐπεί τε ὧν ἐκόπασε, μετίει τῶν ὀρνίθων, πείρην ποιούμενος, εἴκου γῆν ἴδοιεν τοῦ ὕδατος ἐκδῦσαν· αἱ δὲ, ἐκδεχομένου σφέας πελάγεος ἀχανέος, ἀπορέουσαι ὅκῃ κατορμίσονται, παρὰ τὸν Σείσιθρον ὀπίσω κομίζονται, καὶ ἐπὶ αὐτῇσιν ἕτεραι. ὡς δὲ τῇσι τρίτῃσιν ἐνετύχεε (ἀπικέατο γὰρ δὴ πηλοῦ κατάπλεοι τοὺς ταρσοὺς,) Θεοί μὶν ἐξ ἀνθρώπων ἀφανίζουσι· τὸ δὲ πλοῖον ἐν Ἀρμενίῃ περίαπτα ξύλων ἀλεξιφάρμακα τοῖσι ἐπιχωρίοισι παρείχετο. *Poſt hus imperarunt alii, ac deinde Siſithrus, cui Saturnus præſignificavit ingentem vim imbrium futuram. Deſii decima quinta; juſſit autem quicquid erat literarum cum Heliopoli, quæ in Sipparis eſt, abſcondere. Siſithrus hæc cum impleſſet, ſtatim in Armeniam navigavit, ac ſubito vera deprehendit quæ Deus dixerat. Tertia die poſtquam remiſerat tempeſtas, avium quasdam emiſit, experimentum capturus an illæ terræ aliquid viſuræ eſſent e mari exſtans. Illæ vero exceptæ ab immenſo pelago, non habentes ubi conſiderent, ad Siſithrum retro redière, & poſt eas aliæ. At cum miſiſſet tertio (redierant enim aves alis limo plenis) Dii eum humanis rebus exemerunt. Navigium in Armeniam pervenit, ibique vicinis ligna præbuit amuleti vim habentia.* Siſithrus, ut & Ogyges, & Deucalion, nomina ſunt idem aliis linguis ſignificantia, quod Noë Hebraico ſermone, quo ſcripſit, nominaque propria, ita ut eorum vis ab Hebræis intelligi poſſet, expreſſit Moſes: quomodo ſcilicet Alexander Polyhiſtor Iſaacum Græce ſcribens Γέλωτα vocavit, ut ex Euſebio (*lib. IX. præparat. evang. cap. 19.*) diſcimus: multaque ſunt talia, apud hiſtoricos omnes. Philo de præmiis & pœnis: (*fol. 913. opp.*) Τοῦτον Ἕλληνες μὲν Δευκαλίωνα, Χαλδαῖοι δὲ Νῶε ἐπονομάζουσιν, ἐφ' ᾧ τὸν μέγαν κατακλυσμὸν συνέβη γενέσθαι. *Hunc Græci Deucaliona, Chaldæi Noë vocant, ſub quo magnus ille cataclyſmus evenit.* Deucalionis autem diluvium fuiſſe illud univerſale tradebant Ægyptii, teſte Diodoro lib. I. (*fol. 10.*) Ad Italiam etiam pertinuiſſe Plinius lib. III. cap. 14. Ut ad nominum illam in alias linguas transfuſionem redeam, inſignis eſt ea de re Platonis in Critia (*fol. 1102. ſeqq. opp.*) locus: Τὸ δ' ἔτι βραχὺ πρὸ τοῦ λόγου δεῖ δηλῶσαι, μὴ πολλάκις ἀκούοντες Ἑλληνικὰ βαρβάρων ἀνδρῶν ὀνόματα θαυμάζητε, τὸ γὰρ αἴτιον αὐτῶν πεύσεσθε. Σόλων ἐπινοῶν εἰς τὴν αὑτοῦ ποίησιν καταχρήσασθαι τῷ λόγῳ, διαπυνθανόμενος τὴν τῶν ὀνομάτων δύναμιν, εὗρε τούς τε Αἰγυπτίους τοὺς πρώτους ἐκείνους αὐτὰ γράψαντας, εἰς τὴν αὑτῶν φωνὴν μετενηνοχότας· αὐτός τε αὖ πάλιν ἑκάστου τὴν διάνοιαν ὀνόματος ἀναλαμβάνων, εἰς τὴν ἡμετέραν ἄγων φωνὴν ἀπεγράφετο. *Illud in hujus ſermonis limine dicendum vobis, ne miremini ſi Græca ſæpe audiatis virorum barbarorum nomina; cauſam jam intelligetis. Cum Solon carminibus ſuis inſerere hanc narrationem vellet, vim ipſam ſignificationemque nominum perſcrutatus, reperit Ægyptiorum primos, qui de rebus iſtis ſcripſerant, in ſuam ea linguam tranſtuliſſe. Ipſe vero percepta nominis cujusque ſignificatione, ea ipſa noſtro veſtivit ſermone.* Cum Abydeni verbis congruunt illa Alexandri Polyhiſtoris, quæ ſervavit nobis Cyrillus dicto libro primo adverſus Julianum: (*fol. 8.*) Ὠτιάρτου δὲ τελευτήσαντος, τὸν υἱὸν αὐτοῦ Ξίσουθρον βασιλεῦσαι σάρους δεκαοκτώ. ἐπὶ τούτου τὸν μέγαν φασὶ γενέσθαι κατακλυσμόν. εἶτα σωθῆναι λέγει τὸν Ξίσουθρον, προαπαγγείλαντος αὐτῷ τοῦ Κρόνου τὸ ἐσόμενον, καὶ ὅτι προσήκει ναυπηγήσασθαι λάρνακα. καὶ ὁμοῦ πτηνοῖς, ἑρπετοῖς τε καὶ κτήνεσι πλεῖν ἐν αὐτῇ. *Mortuo Otiarte filium ejus imperaſſe Xiſuthrum per octodecim annos, quos Saros vocant. Hujus temporibus fuiſſe ajunt diluvium magnum. Narrat deinde ſervatum Xiſuthrum, Saturno ipſi quod futurum erat prænuntiante, & fabricandam ipſi arcam: in ea ipſi una cum volucribus reptilibus ac jumentis navigandum.* Aſſyriis autem, ut & aliis quibusdam gentibus, Deus ſummus ab ea ſtella vocabatur, quæ ut Taciti utar verbis, e ſeptem ſideribus, queis mortales reguntur, altiſſimo orbe & præcipua potentia ferebatur; aut certe Syriacum איל, quod Deum ſignificat, Græci interpretes Κρόνον ideo vertere, quod is Syris איל dicebatur. Philo Byblius, Sanchuniathonis interpres: Ἦλον τὸν καὶ Κρόνον citat Euſebius: (*præp. ev. lib. I. cap. X. fol. 38. & 40.*) apud quem mox ex eodem Philone ſequitur: Κρόνος ὃν οἱ Φοίνικες Ἰσραὴλ ὀνομάζουσι. Sed error eſt librarii, qui pro ἰλ quod contracte pro Ἰσραὴλ Græcis Chriſtianis poni ſolet, poſuit Ἰσραήλ, cum ἰλ ſit, ut diximus, איל, quomodo Syri dicunt, quod אל, Hebræi.

52 *qui & columbæ emiſſæ meminit, ut & ex Græcis Plutarchus.*) Libro, terreſtria an aquatica animantia plus habeant ſolertiæ: (*fol. 968. tom. II. opp.*) Δευκαλίωνί φασι περιστερὰν ἐκ τῆς λάρνακος ἀφιεμένην δήλωμα γενέσθαι, χειμῶνος μὲν εἴσω πάλιν ἐνδυομένην, εὐδίας δ' ἀποπτᾶσαν. *Columbam ajunt ex arca emiſſam certum indicium detuliſſe Deucalioni, cum rediret, tempeſtatis, ubi emanebat, ſerenæ.* Notanda autem & in hoc Plutarchi & in illo Polyhiſtoris loco, non minus quam in Nicolai Damaſceni & Apollodori libris, & in iis ſcriptoribus quibus utitur Theophilus Antiochenus libro III. (*§. 18. pag. 334.*) vox λάρνακος, quæ plane reſpondet voci תבה, quam in hac hiſtoria Moſes uſurpat, neque vero aliter eam vertit Joſephus. (*loc. not. 50. exhibito.*)

53 *Lucianus.*) Libro de Dea Syria, (*pag. 882. ſeqq. tom. II. opp.*) cum de templo vetuſtiſſimo quod erat Hierapoli agere cœpiſſet, adjungit. Οἱ μὲν ὦν πολλοὶ Δευκαλίωνα τὸν Σκύθην τὸ ἱερὸν εἵσασθαι λέγουσι· τοῦτον Δευκαλίωνα, ἐπὶ τοῦ τὸ πολλὸν ὕδωρ ἐγένετο· Δευκαλίωνος δὲ πέρι λόγον ἐν Ἕλλησι ἤκουσα, τὸν Ἕλληνες ἐπ' αὐτῷ λέγουσιν· ὁ δὲ μῦθος ὧδε ἔχει. ἥδε ἡ γενεὰ, οἱ νῦν ἄνθρωποι, οὐ πρῶτοι ἐγένοντο, ἀλλ' ἐκείνη μὲν ἡ γενεὰ πάντες ὤλοντο· οὗτοι δὲ γένεος τοῦ δευτέρου εἰσὶ, τὸ αὖτις ἐκ Δευκαλίωνος ἐς πληθὺν ἀπίκετο· ἐκείνων δὲ πέρι τῶν ἀνθρώπων τάδε μυθέονται. ὑβρισταὶ κάρτα ἐόντες ἀθέμιστα ἔργα ἔπρασσον, οὔτε γὰρ ὅρκια ἐφύλασσον, οὔτε ξείνους ἐδέκοντο, οὔτε ἱκετέων ἠνείχοντο, ἀνθ' ὧν σφισὶ ἡ μεγάλη συμφορὴ ἀπίκετο. αὐτίκα ἡ γῆ πολλὸν ὕδωρ ἐκδιδοῖ, καὶ ὄμβροι μεγάλοι ἐγένοντο, καὶ οἱ ποταμοὶ κατέβησαν μέζονες, καὶ ἡ θάλασσα ἐπὶ πολλὸν ἀνέβη, ἐς ὃ πάντα ὕδωρ ἐγένοντο καὶ πάντες ὤλοντο· Δευκαλίων δὲ μοῦνος ἀνθρώπων ἐλίπετο ἐς γενεὴν δευτέρην, εὐβουλίης καὶ τῆς εὐσεβέης εἵνεκα· ἥδε ἡ σωτηρίη ἥδε ἐγένετο. λάρνακα μεγάλην, τὴν αὐτὸς εἶχε, ἐς ταύτην δὲ (* ἐκβιβάσας παῖδάς τε καὶ γυναῖκας ἑωυτοῦ ἐσέβη· ἐσβαίνοντι) οἱ ἀπίκοντο σύες, καὶ ἵπποι,

* Per lapſum typographicum hæc in antiquioribus editionibus abeſſe, ex veſtigiis, quæ ad hunc ſermonem ſpectat, manifeſtum eſt.

per eam non hominibus modo ſelectis, ſed & de animantibus cæteris. 54 Apud Molonem quoque, 55 & Nicolaum Damaſcenum hiſtoria eadem exſtabat: quorum hic Arcæ quoque nomen habebat, quod & in Deucalionis hiſtoria apud Apollodorum reperitur. 56 Sed & in Americæ partibus Cuba, Mechoacana, Nicaraga, diluvii, animalium ſervatorum, quin & corvi & columbæ ſervatam memoriam, diluvii ipſius etiam in ea parte quæ nunc Caſtella aurifera vocatur, Hiſpani complures teſtantur. Qua parte terrarum homines ante diluvium egerint, vel illud loquitur, 57 quod Plinio notatum eſt Joppen ante diluvium conditam. Locus in quo poſt diluvium ſubſedit Arca 58 in montibus Gordiæis ab omni ævo 59 in hunc diem, Armeniorum conſtante memoria monſtratur. 60 Japetus Europæorum genitor,

ἵπποι, καὶ λεόντων γένεα καὶ ὄφιες, καὶ ἄλλα, ὁκόσα ἐν γῇ νέμονται, πάντα ἐς ζεύγεα· ὁ δὲ πάντα ἐδέκετο. καὶ μιν οὐκ ἐσίνοντο ἀλλὰ σφίσι μεγάλη διόθεν φιλίη ἐγένετο. καὶ ἐν μιῇ λάρνακι πάντες ἔπλευσαν, ἔς τε τὸ ὕδωρ ἐπεκράτεε. τὰ μὲν Δευκαλίωνος πέρι Ἕλληνες ἱστορέουσι. τὰ δὲ ἀπὸ τούτου, λέγεται λόγος ὑπὸ τῶν ἐν τῇ ἱρῇ πόλει μεγάλως ἄξιος θαυμάσαι, ὅτι ἐν τῇ σφετέρῃ χώρῃ χάσμα μέγα ἐγένετο, καὶ τὸ σύμπαν ὕδωρ καταδέξατο. Δευκαλίων δὲ, ἐπεὶ τάδε ἐγένετο, βωμούς τε ἔθετο, καὶ νηὸν ἐπὶ τῷ χάσματι Ἥρης ἅγιον ἐστήσατο. ἐγὼ δὲ καὶ τὸ χάσμα εἶδον, καὶ ἔστι ὑπὸ τῷ νηῷ κάρτα μικρόν. εἰ μὲν ὦν πάλαι καὶ μέγα ἐὸν, νῦν τοιόνδε ἐγένετο, οὐκ οἶδα. τὸ δὲ ἐγὼ εἶδον μικρόν ἐστι. σῆμα δὲ τῆς ἱστορίης τόδε πρήσσουσι. δὶς ἑκάστου ἔτεος ἐκ θαλάσσης ὕδωρ ἐς τὸν νηὸν ἀπικνέεται· φέρουσι δὲ οὐκ ἱρέες μόνον, ἀλλὰ πᾶσα Συρίη καὶ Ἀραβίη. καὶ πέρηθεν τοῦ Εὐφράτεος πολλοὶ ἄνθρωποι ἐς θάλασσαν ἔρχονται. καὶ πάντες ὕδωρ φέρουσι. τὸ, πρῶτα μὲν ἐν τῷ νηῷ ἐκχέουσι, μετὰ δὲ ἐς τὸ χάσμα κατέρχεται, καὶ δέκεται τὸ χάσμα μικρὸν ἐὸν ὕδατος χρῆμα πολλόν. τὰ δὲ ποιέοντες Δευκαλίωνος ἐν τῷ ἱρῷ τόνδε νόμον θέσθαι λέγουσι, συμφορῆς τε καὶ εὐεργεσίης μνῆμα ἔμμεναι. ὁ μὲν ὦν ἀρχαῖος αὐτοῖς λόγος ἀμφὶ τοῦ ἱροῦ, τοιόσδε ἐστί. *Plerique a Deucalione ſtructum ajunt hoc templum; eo ſcilicet Deucalione cujus ætate vis aquarum fuit maxima. De eo autem Deucalione in Græcia audivi quod Græci narrant. Eſt autem ſermo talis: Hoc quod nunc eſt hominum genus non ab initio exſtitiſſe, ſed id periiſſe ſtirpitus: qui vero nunc ſunt homines ſecundi eſſe generis, quod ortum a Deucalione paulatim in ingentem multitudinem excrevit. De illis autem, qui ante fuerant, hominibus hæc ſunt quæ memorantur. Contumelioſi homines cum eſſent, iniqua facinora perpetrabant: nam neque jusjurandum ſervabant, neque excipiebant hoſpites, neque curabant ſupplices: ob quas res maxima eis ſupervenit calamitas. Statim enim terra plurimum aquæ de ſe extulit, tum vero plurimi de cœlo cecidere imbres: flumina quoque ultra modum exundavere, & mare ipſum ſuperfuſum eſt terris, ita ut res omnes aqua fierent, homines vero perirent omnes. Solus tunc ad ſecundi generis exordium Deucalion relictus eſt, prudentiæ & pietatis ergo. Servatus autem hoc modo eſt. In arcam magnam, quam habebat, liberos mulieresque domus ſuæ impoſuit, ipſeque eam ingreſſus eſt: quod cum faceret, venere apri & equi & leonum genera & ſerpentes, & alia quæ in terra paſcuntur, bina quæque: ille hæc ad ſe animantia recepit omnia, quæ nihil nocuere: ſed magna ei cum illis divinitus amicitia obvenit: unaque in arca navigarunt omnes, quamdiu aqua ſuper terras fuit. Hæc ſunt quæ de Deucalione referunt Græci. De iis vero quæ poſt acciderunt, fertur ab illis qui Hierapolim habitant res admirabilis, in ſua regione terræ fuiſſe hiatum, qui aquam abſorpſerit omnem. Id ubi factum eſſet, a Deucalione poſitas aras & Junonis templum ſuper illo hiatu. Hiatum ipſe vidi. Valde exiguus eſt ſub templo, quod dixi. An olim major fuerit, contractusque ſit cum tempore, equidem neſcio: id ſcio, quod vidi, parvum eſſe. In hiſtoriæ hujus ſignum quod agunt, hoc eſt: bis anno ex mari aqua in templum defertur. Ferunt aquam non ſacerdotes tantum, ſed omnis Syria Arabiaque Quin ab Euphrate usque eunt ad mare homines, omnesque aquam ferunt: eam primum effundunt in templum. Deſcendit in hiatum aqua: & is hiatus, quamvis parvus, immenſam vim aquæ recipit. Hoc cum faciunt, ritum hunc ajunt a Deucalione inſtitutum, in calamitatis ſimul & ſalutis partæ memoriam. Talis eſt vetus de templo hoc ſermo.*

54 *Apud Molonem quoque.*) Verba ejus tradidit nobis Euſebius libro IX. præparationis evangelicæ. cap. XIX. Κατὰ τὸν κατακλυσμὸν ἀπὸ τῆς Ἀρμενίας ἀπελθεῖν τὸν περιλειφθέντα ἄνθρωπον μετὰ τῶν υἱῶν, ἐκ τῶν ἰδίων ἐξελαυνόμενον ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων· διανύσαντα δὲ τὴν μεταξὺ χώραν, ἐλθεῖν εἰς τὴν ὀρεινὴν τῆς Συρίας, οὖσαν ἔρημον. *Sub diluvii tempus exceſſiſſe ex Armenia eum hominem, qui cum liberis ſuis diluvium evaſerat, ejectum rebus ſuis vi indigenarum. Eundem, cum loca interjecta tranſiiſſet, perveniſſe in Syriæ regionem montanam tunc vacuam.*

55 *& Nicolaum Damaſcenum.*) Ejus verba ex hiſtoriæ univerſalis libro XCVI. ſic exhibet dicto jam loco * Joſephus: Ἔστιν ὑπὲρ τὴν Μινυάδα μέγα ὄρος κατὰ τὴν Ἀρμενίαν, Βάρις λεγόμενον, εἰς ὃ πολλοὺς συμφυγόντας ἐπὶ τοῦ κατακλυσμοῦ λόγος ἔχει περισωθῆναι, καί τινα ἐπὶ λάρνακος ὀχούμενον, ἐπὶ τὴν ἀκρώρειαν ὀκεῖλαι, καὶ τὰ λείψανα τῶν ξύλων ἐπὶ πολὺ σωθῆναι· γένοιτο δ᾽ ἂν οὗτος ὅντινα καὶ Μωσῆς ἀνέγραψεν ὁ τῶν Ἰουδαίων νομοθέτης. *Eſt ſuper Minyada* (quam Milyada vocant Strabo (*Geogr. fol.* 458.) & Plinius,) (*lib. V. Hiſt. natural. cap.* 32.) *ingens in Armenia mons Baris dictus, in quo fama eſt ſervatos eſſe ex Cataclyſmo multos: unum vero in arca vectum ad ſummum ejus jugum appuliſſe, diuque lignorum ejus arcæ manſiſſe reliquias. Hic, credo, is fuerit cujus Moſes meminit, qui Judæis leges condidit.* His ſcriptoribus addendi Hieronymus Ægyptius, qui res Phœnicias ſcripſit, & Mnaſeas, memorati Joſepho. (*lib. I. antiquit. Judaic. cap.* 4.) Forte & Eupolemus, quem ex Polyhiſtore producit Euſebius Præparationis lib. IX. cap. 17.

56 *Sed & in Americæ partibus.*) Vide Joſephum Acoſtam & Antonium Herreram.

57 *quod Plinio notatum.*) lib. V. cap. 13. Conſentiunt Plinio Mela (*lib. I. de orbis ſitu cap.* 11.) & Solinus. (*Polyhiſt. c. XXXVII.*) Confer quæ ex Abydeno jam attulimus.

58 *in montibus Gordiæis*) Quos Moſes Ararath vocat, Kardu tranſtulere Chaldæi interpretes, Cordyæos Joſephus, *l. I. Antiq. Jud. c.* 4.) Cordæos Curtius, (*l. V. hiſtor. cap. I. §.* 14.) Gordiæos ſcribit Strabo libro XVI. ** Plinius libro VI. cap. 27. & Ptolomæus (*Geograph. lib. V. cap.* 13.

59 *In hunc diem.*) Monſtratas ſuo ævo has arcæ reliquias ait Theophilus Antiochenus libro III. (§. 18. *pag.* 340.) Epiphanius contra Nazaræos. (*Hæreſ. XVIII. num.* 3.) Ὡς ἔτι καὶ δεῦρο τὰ λείψανα τῆς τοῦ Νῶε λάρνακος δείκνυται ἐν τῇ τῶν Κορδυαίων χώρᾳ. *Ad hoc usque tempus reliquiæ arcæ Noë monſtrantur in Cordyæorum terra:* Chryſoſtomus oratione de perfecta dilectione. (*fol* 748. *tom. VI. opp. edit. Savilii.*) Iſidorus lib. XIV. Originum, cap. 8. *Ararath mons Armeniæ, in quo arcam hiſtoriæ poſt diluvium reſediſſe teſtantur. Unde & usque hodie ibidem lignorum ejus videntur veſtigia.* Adde ex Haitone Armenio hæc, quæ habet capite nono: (*Hiſtor. Oriental.*) *In Armenia eſt altior mons quam ſit in toto orbe terrarum, qui Ararath vulgariter nuncupatur, & in cacumine illius montis poſt diluvium arca *** primo ſedit.* Adde Geographum Nubienſem & Itinerarium Benjaminis. (*pag.* 61. *edit. L'Empereur. A.* 1633.

60 *Japetus.*) Eſt ipſa vox יפת. Nam eandem literam

* Nempe *lib. I. antiquit. Jud. cap.* 4. quem locum *not.* 50. allegaverat.

** Hoc libro & quidem ejus initio *Gordyæos* gentes, *lib. XI.* vero *fol.* 359. *Gordyæos* montes *Strabo* commemorat.

*** Editio noſtra de An. MDCLXXI. in 4to notanter apponit: *Noe.*

genitor, *& inde Ion*, (a) aut ut olim eloquebantur, 61 Javon Græcorum, Afrorum vero 62 Hammon, nomina ſunt, quæ apud Moſem quoque apparent, ſicut & cæterorum veſtigia in gentium locorumque vocabulis 63 Joſephus *& alii obſervant.* (b) Jam vero 64 affe-

ram פ alii ut π, alii ut φ pronunciabant; qualis differentia & nunc eſt inter Germanos & Belgas. Notavit id de Hebræa litera ad Danielem Hieronymus. (*ad cap. X. forſitan. tom. IV. opp. fol.* 519.)

61 *Javon.*) Nam ἰάονες ſæpe eſt apud vetuſtos ſcriptores. Id in Ariſtophanis Acharnenſibus (*v.* 104. *Act. I. Scen. III.*) Perſa pronunciat ἰαοναῦ. Jam vero mos antiquior erat inter duas vocales interponere digamma, quod poſtea per υ ſcribi cœpit, olim ſic F. ita ἀϝὼς erat quod nunc ἀὼς & ταϝὼς ταὼς, pavus, ἰαϝονας τοὺς Ἕλληνας καλοῦσι. Suidas.

62 *Hammon.*) Nam ח per aſpirationem reddere, aut etiam omittere Græci ſolent: ut חצר־מות Ἀδραμυτῆος, vel Ἀδραμυτῆος. חכמות ἀχμώθ, apud Irenæum & alios חברה focia ἄβρα Græcis veteribus, חיה αἰὰν. חנה, Hanno vel Anno. חנר־בעל Hannibal vel Annibal: חצר־בעל Haſdrubal vel Aſdrubal. חשי□ ἀζωμῖται. ω vero Græca eſt deſinentia. Hic non Libyum tantum, ſed & multarum aliarum gentium pater conſecratus ab ipſis in Jovis ſtellam. Lucanus IX. (*v.* 520.)

Quamvis Æthiopum populis Arabumque beatis
Gentibus atque Indis unus ſit Juppiter Ammon.

Ægyptum quoque in hujus parte ponunt ſacræ litteræ Pſal. LXXVIII. 51. CV. 23, 27. CVI. 22. Hieronymus in traditionibus Hebraicis ad Geneſin: (*ad cap. IX. fol.* 380. *col. B. tom. I. opp.*) *A quo Ægyptus usque hodie Ham patria Ægyptiorum lingua dicitur.*

63 *Joſephus & alii obſervant.*) Is (*lib. I. Antiquit. Jud. cap.* 7.) a גמר dicit eſſe Γομαρεῖς Galatas, ubi oppidum Comara Plinio: Comari populi Melæ libro 1. (*de ſitu orbis cap.* 2.) Ex מגוג Scythas, a quibus condita Scythopolis in Syria; & altera urbs Magog Plinio lib. V. cap. 23. aliis dicta Hierapolis & Bambyce. A מדי Medos eſſe apparet: ab יון, quod diximus, Iavonas, Iaonas, Ionas. A תבל Joſephus (*loc. cit.*) ait eſſe Iberos Aſiæ, in quorum vicinia Thabilacam urbem vetuſtæ originis veſtigia ſervantem ponit Ptolemæus (*Geograph. lib. V. cap.* 12.) A משך eſt urbs ipſi (*lib. V. cap.* 6.) memorata Mazaca, cujus & Strabo meminit lib. XII. (*fol.* 370. *ſeq.*) & Plinius lib. VI. 3. & Ammianus Marcellinus libro XX. (*cap.* 10.) Adjice huic Moſchos nominatos Straboni lib. XI. (*fol.* 342.) & Melæ libro tum primo, (*cap.* 2.) tum tertio, (*c.* 5.) quos Moſchenos dixit Plinius lib. VI. c. 9. & Moſchicos montes apud eosdem Melam (*lib. I. de ſitu orbis cap.* 20.) & Plinium (*lib. V. Hiſt. Nat. cap.* 27.) A תירס□ eſſe Thraces, cum Joſepho tradunt conſenſu alii, & vox indicat: præſertim ſi obſervemus Græcum ξ ab initio reſpondiſſe Syriacæ literæ ܣ, quod ordo indicat. De iis qui ab אשכנז, corruptus eſt apud Joſephum locus, ſed dubitandum non eſt quin inde nomen habeat Aſcania Homero memorata pars Phrygiæ & Myſiæ: de qua Strabonem vide lib. XII. (*fol.* 388. *ſeq.*) & Plinium lib. V. c. 32. & Aſcanius lacus, & ex lacu amnis apud eundem Strabonem lib. XIV. (*fol.* 468.) & apud Plinium dicto cap. 32. lib. V. Aſcanius portus apud Plinium lib. *, cap. 30. Aſcaniæ inſulæ eidem lib. IV. cap. 12. & lib. V. cap. 31. A ריפת eſſe Paphlagonas dicit Joſephus, Riphatæos dictos alii, quibus locis Riphaces ponit Mela libro I. (*cap.* 2.) Ab אלישה eſſe αἰολεῖς, idem ille nos docet Joſephus, & Jeroſolymitanus Paraphraſtes ei adſtipulatur pro Æolibus Græcos nominans, totum pro parte: neque abludit Hellas terræ nomen. A תרשיש eſſe Cilices Joſephus idem dicit, probatque ex urbe Tarſo. Multis enim in locis evenit, ut quæ populorum nomina fuerant, urbium facta ſint nomina. De כתי□, unde Κίτιον, ſupra attigimus. A כוש Æthiopes Chuſæi & ſibimet ipſis & vicinis, ut Joſephi tempore ita & nunc vocantur: unde & fluvius apud Ptolemæum, * & apud Geographum Arabem urbes Æthiopiæ duæ nomen retinent: pariterque a מצרי□, qui Μισρὼς Philoni Byblio, (*loc. mox cit. fol.* 30.) Meſori ſibi ipſis & accolis ii qui Græcis Ægyptii, & menſis apud eos nomen Μεσορί. Cedreno ** terra ipſa Μέσρα. Vere & hoc Joſephus a פוט eſſe in Mauritania amnem. Meminit ejus amnis & Plinius lib. V. cap. 1. *Phut & juxta eum regio Phutenſis usque in præſens dicitur,* ait Hieronymus Traditionibus Hebraicis in Geneſin. *** Eſt non longe a Feſa, manente nunc etiam vocabulo. Qui Moſi eſt כנען, is contractius Sanchuniathoni, & ex eo Philoni Byblio Χνᾶ. Invenies id apud Euſebium lib. I. Præparat. c. 10 (*fol.* 39.) Et terra ipſa ſic dicta. Stephanus de urbibus: (*voce* Χνᾶ) Χνᾶ, οὕτως ἡ Φοινίκη ἐκαλεῖτο. *Chna, ſic appellatur Phœnice.* Et ſuo tempore ait Auguſtinus libro expoſitionum epiſtolæ ad Romanos, (*lib. expoſitionis inchoatæ fol.* 321 *col. A. tom. IV. opp.* **** ruſticos ad Hipponem ſi interrogentur qui eſſent, reſpondere Canaani. Et Meſtraimi & Canaanis nomina ſunt & in Eupolemi loco, ut eum profert Euſebius præparat. IX. 17. A רעמה Regema Ptolemæo ***** in Arabia felice, nimirum ע in γ mutato, ut in Gomorra aliisque vocibus. A סבא Sabæos deducit Joſephus, notam gentem: quarum & urbs princeps Sabæ Straboni lib. XVI. (*fol.* 531.) Ubi a סבתה Sabatenos Joſephus ponit, ibi Plinio urbs eſt Sobotale lib. VI. c. 28. להבי□ a Libyum nomine non abit, nec a נפתחי□ Nepata urbs Æthiopum Plinio lib. VI. c. 29. Napata Ptolemæo: (*lib. IV. Geogr. cap.* 7.) nec a פתרסי□ Pharuſi Plinio lib. V. 8. Phauruſii Ptolemæo (*lib. cit. cap.* 6.) in Æthiopia. A צידן nota urbs omnibus poëtis & hiſtoricis Sidon. A גרגשי oppidum Goroſa ****** Ptolemæo. Ab ערקי Arca, urbs Phœnices Ptolemæo (*lib. V. geogr. cap.* 15.) memorata, & Plinio lib. V. c. 18. Ab ארודי Aradus inſula memoratus Straboni lib. XVI. (*fol.* 527. *&* 539.) Plinio lib. V. c. 20. & Ptolemæo (*loc. cit.*) in Syria. A חמתי Amathus Arabiæ nominata Herodoto in Euterpe & Thalia. ******* Ab עיל□ Elymæi Medis contigui apud Strabonem lib. XVI.

(a) *& inde Ion,*) CONRING. Omnes olim Græci dicti ſunt Iones, uti ex profanis quoque ſcriptoribus conſtat. Proditum enim eſt, Græcos omnes colonias eſſe Ionum. Horum pars quia olim habitavit circa Dodonem & Acheloum amnem, partim ſelli, partim γραικοὶ dicti ſunt; poſt autem Hellenes, quod & ARISTOTELES tradit *lib. I. Meteor. cap.* 13.

(b) *& alii obſervant*) CONRING. Operæ pretium eſt, annotare hic, quæ ex Eupolemo recitat Alexander Polyhiſtor. apud EUSEBIUM de *præparat. evang. lib. IX. cap.* 17. Βαβυλωνίους inquit, λέγειν πρῶτον γενέσθαι Βῆλον, ὃν εἶναι Κρόνον· ἐκ τούτου δὲ γενέσθαι Βῆλον καὶ Χαναάν, τοῦτον δὲ τὸν Χαναὰν γεννῆσαι τὸν πατέρα τῶν Φοινίκων· τούτου δὲ Χοὺμ υἱὸν γενέσθαι, ὃν ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων λέγεσθαι Ἀσβόλον, πατέρα δὲ Αἰθιόπων, ἀδελφὸν δὲ τοῦ Μεστραεὶμ πατέρα Αἰγυπτίων. *Babylonios dicere ſolitos; primum extitiſſe Belum, qui Saturnus vulgo nominetur, quique Belum alterum cum Chanaane ſuſceperit: hunc vero Chananaem Phœnicum parentem genuiſſe, cujus filius Chumus extiterit, quem Asbolum Græci nominant, Eum Meſtraimi fratrem Æthiopumque ſimul & Ægyptiorum parentem fuiſſe.*

* *Chuſarii* cujusdam fluvii nomen eſt *lib. IV. Geograph. cap.* 6.

** *Hiſtor. compendio fol.* 9. edit. *Xylandri Baſileæ* MDLXVI. Exprimit vero hæc æque ac recentior *Pariſienſis Cedreni* editio vocem iſtam: Μεσραΐα.

*** *Ad cap. X. fol.* 381. *col. A. tom. I. opp.* Verba *Hieronymi* integriora ita ſeſe habent: *Phut, Libyæ: a quo & Mauritaniæ fluvius usque ad præſens Phut dicitur, omnisque circa eum regio Phutenſis.*

**** Edit. Coloniæ Agrippinæ MDCXVI.

***** *Lib. VI. geograph. cap.* 7. Dicitur autem ipſi *Rhegma*, quam ſcripturam etiam *Hieronymus* obſervat in *tradition. Hebraic. in Geneſ. loc. jam cit.*

****** Puto vitium typographicum heic ſubeſſe. *Goroſa* enim nullibi apud *Ptolemæum* occurrit. Eſt vero urbs *Geraſa* & in *Syria* & in *Arabia Petræa*, cujus utriusque memoriam ſervavit *Ptolemæus lib. V. geograph. cap.* 15. *&* 17.

******* Mihi *Amathum* nec in *Euterpe* nec in *Thalia* reperire licuit; nominatur tamen in *Terpſichore* ſeu *lib. V. cap.* 105. *Amathus* urbs quædam *Cypri.* Num vero hanc indigitaverit *Grotius*, definire non audeo.

64 affectati in cœlum itineris, *quis non Poetarum meminit?* 65 Sodomorum incendium eſt apud Diodorum

XVI. (*fol.* 507. & 512.) Plinium lib. V. (*verius VI. cap.* 25. *ſeqq.*) cap. 26. & 27. & apud Livium lib. XXXVII. (*cap.* 40.) Horum traduces in Phrygia Elymi apud Athenæum lib. IV. * Ab אשור Aſſyrii noti omnibus, ut & a לוד Lydi, unde & vox Ludorum latina. Ab ארם in hunc diem ſemper appellant, qui Græcis ab urbe צור Syri: nam צ modo per τ, modo per σ vertitur; unde urbs illa צור quæ Tyrus Græcis, Sarra Ennio, & Sinæ aliis Tinæ. Strabo libro XVI. in fine: Λέγει δὲ καὶ τοὺς Ἀρίμους ὁ ποιητὴς, οὕς φησι Ποσειδώνιος δέχεσθαι δεῖν μὴ τόπον τινὰ τῆς Συρίας, ἢ τῆς Κιλικίας, ἢ ἄλλης τινὸς γῆς, ἀλλὰ τὴν Συρίαν αὐτήν. *Nominat Homerus & Arimos: ea autem voce vult Poſidonius intelligi, non partem aliquam Syriæ, aut Ciliciæ, aut alterius regionis, ſed Syriam ipſam.* Idem Strabo lib. XIII. (*fol.* 431.) Οἱ δὲ τοὺς Σύρους Ἀρίμους δέχονται, οὓς νῦν Ἀραμαίους λέγουσι. *Sunt qui per Arimos Syros intelligant, qui & nunc Arami dicuntur.* Libro autem primo (*fol.* 28.) Τοὺς γὰρ ὑφ᾽ ἡμῶν Σύρους καλουμένους ὑπ᾽ αὐτῶν τῶν Σύρων Ἀραμμαίους καλεῖσθαι. *Nam qui a nobis dicuntur Syri, eos ab ipſis dici Arammæos.* Ab עוץ Auſanitis regio apud LXX. Interpretes in Jobo: Auſitida dixit Ariſtæus. A חול urbs Cholla Ptolemæo (*lib. V. geogr. cap.* 15.) poſita in Syria. A גתר Gindarus urbs apud Ptolemæum (*loc. cit.*) & populus Gindareni Plinio v. 23. in Cœle-Syria. A מש Maſius mons non procul Niſibi apud Strabonem lib. XI. (*fol.* 359.) & Ptolemæum (*lib. alleg. cap.* 18.) in Meſopotamia. Nomina יקטן ut & חצרמות & חולן (חוילה) Geographi Arabes nobis in Arabia repræſentant nominibus Balſatjaktan, Hadramuth, Chaulan, ut notavit Capellus ** vir eruditiſſimus. Nomen אופר retinet ni fallor Opharus fluvius, & populus Opharitæ circa Mæotim Plinio lib. VI 7. Etiam urbes eas quarum hoc in loco meminit Moſes, antiquiſſimas eſſe collatione ſcriptorum apparet. De Babylone res notiſſima. ארך eſt Aracca, quam in Suſiane ponit Ptolemæus, (*lib. VI geograph. cap.* 3.) unde Araccæos campos Tibullo dici notavit in Solinianis vir infinitæ lectionis Cl. Salmaſius (*parte altera ſ. tom. II. fol.* 1194. *col. A.*) Ab אכד Acabenen corrupte pro Acadene dictam ſuſpicatur probabiliter diligens in Scripturarum interpretatione Franciſcus Junius, *** qui & alia non pauca obſervavit eorum quæ jam poſuimus. כלנה eſt Calliniſum oppidum ad Euphratem, cui id nomen ad Ammiani manſiſſe tempora, ex libro ejus XXIII. (*cap.* 2.) docemur. Terra שנער eſt Σενναὰρ τῆς Βαβυλωνίας apud Hiſtiæum Mileſium, in loco quem nobis conſervavit Joſephus antiquæ hiſtoriæ lib. I. cap. 7. (*verius cap.* 5.) & in Chronico, (*lib. I. fol.* 13.) itemque in præparatione (*lib. IX. cap.* 15.) Euſebius. Scripſit is res Phœnicum, lectus etiam Stephano. At rurſum ע in γ mutato Singarum hinc montem Ptolemæus (*lib. V. cap.* 18.) in Meſopotamia nominat, Plinius autem Singaram oppidum lib. V. c. 24. Hinc Singarana regio Sexto Rufo: (*pag.* 685. *inter alios Hiſtor. Rom. Lugd Bat. A.* 1632. *in* 12. *edit.*) נינוה haud dubie eſt quæ Græcis contractius Ninos. In epitaphio **** Sardanapali.

> Καὶ γὰρ ἐγὼ σποδός εἰμι, Νίνου μεγάλης βασιλεύσας.
> *Ipſe Nini magnæ modo Rex nil ſum niſi pulvis.*

Eſt id nomen & apud ***** Theognidem, Strabonem libro XVI. (*ab initio ſtatim.*) Plinium lib. VI. cap. 13. cujus verba ſunt. *Fuit & Ninos impoſita Tigri ad ſolis occaſum ſpectans quondam clariſſima.* Lucanus III. (*v.* 215.) *Et felix, ſic fama, Ninos.* Habet id nomen & Ptolemæus (*lib. VI. cap.* 1. *geograph.*) in Aſſyria. A כלח urbe principe nomen habet regio Calachena. Straboni lib. XI. bis, (*fol.* 347. & 365.) deinde initio lib. XVI. רסן eſt Reſaina apud Ammianum libro XXIII. (*cap.* 5.) Sidon nota omnibus. עזה nemo dubitare poteſt, quin litera ע per γ, ut diximus, reddita ſit Gaza Palæſtinorum, nominata Straboni lib. XVI. (*fol.* 522.) Melæ lib. I. (*cap.* 11.) qui ingentem & munitam admodum vocat, Plinio lib. V. 13. VI. 28. & alibi. ספרוים eſt Heliopolis urbs Sipparorum in loco Abydeni, quem modo produximus. Sippara ****** Ptolemæo in Meſopotamia. אור eſt Ur caſtellum Ammiano memoratum libro XXV. (*cap.* 11.) חרן Carræ Craſſorum clade nobiles.

64 *affectati in cœlum itineris*) Homerus Odyſſ. Λ. (*v.* 304. *ſeqq.*) Ovidius 1. Metamorphoſeos: (*fab. VI. v.* 2.)

> *Affectaſſe ferunt regnum cæleſte gigantes.*

Vide & Virgilium Georgicon 1. (*v.* 278. *ſeqq.*) & Lucanum lib. VII. ******* Frequens eſt apud omnes gentes loquendi genus, ut quæ ſupra communem altitudinem attollantur, dicantur οὐρανομήκη, ut apud Homerum ſæpe. Sic & Deut. I. 28. & IX. 1. Sibyllæ neſcio cujus locum de inſana illa turris ſubſtructione agentem citat Joſephus (*lib. I. antiq. Jud. cap.* 5.) talem. Πάντων ὁμοφώνων ὄντων τῶν ἀνθρώπων πύργον ᾠκοδόμησάν τινες ὑψηλότατον, ὡς ἐπὶ τὸν οὐρανὸν ἀναβησόμενοι δι᾽ αὐτοῦ· οἱ δὲ θεοὶ ἀνέμους ἐπιπέμψαντες ἀνέτρεψαν τὸν πύργον, καὶ ἰδίαν ἑκάστῳ φωνὴν ἔδωκαν· καὶ διὰ τοῦτο Βαβυλῶνα συνέβη κληθῆναι τὴν πόλιν. *Cum homines omnes una lingua uterentur, altiſſimam turrim ædificare quidam cœperunt, velut per eam in cœlum ſcanſuri. At dii ventis immiſſis evertere turrim hanc, & ſuam cuique linguam attribuere: unde urbi Babylon factum eſt nomen.* At ex Abydeno hæc nobis profert Euſebius præparationis IX. c. 14. & Cyrillus libro I. contra Julianum. (*fol.* 9.) Ἔνθεν δ᾽ οἱ λέγουσι τοὺς πρώτους ἐκ γῆς ἀνασχόντας ῥώμῃ τε καὶ μεγέθει χαυνωθέντας, καὶ δὴ θεῶν καταφρονήσαντας ἀμείνονας εἶναι, τύρσιν ἠλίβατον ἀείρειν, ἵνα νῦν Βαβυλών ἐστιν. ἤδη τε ἆσσον εἶναι τοῦ οὐρανοῦ, καὶ τοὺς ἀνέμους θεοῖσι βωθέοντας ἀνατρέψαι περὶ αὐτοῖσι τὸ μηχάνημα. τοῦ δὴ τὰ ἐρείπια λέγεσθαι Βαβυλῶνα· τέως δὲ ὄντας ὁμογλώσσους ἐκ θεῶν πολύθροον φωνὴν ἐνείκασθαι. μετὰ δὲ Κρόνῳ τε καὶ Τιτᾶνι συστῆναι πόλεμον. *Sunt qui dicant primos illos e terra editos homines, cum & viribus & mole ſua ſuperbirent, ita ut ſe plus diis poſſe jactarent, vertiſſe ſe ad turrim ſtruendam, quo loco nunc eſt Babylon. Cumque jam prope ad cœlum perveniſſet opus, ventorum vi diis auxiliantium, disjectum id ſuper ædificantes: ruinis impoſitum nomen Babylonis. Cum vero ad id temporis unius ſermonis fuiſſent homines, immiſſam in eos a diis linguarum diſcrepantiam. Poſt id extitiſſe bellum Saturnum inter & Titana.* Falſo autem a Græcis proditum, conditam a Semiramide Babylonem, etiam Beroſus in Chaldaicis prodidit, ut nos Joſephus docet contra Appionem 1. (*fol.* 1045.) eundemque errorem tum ex Philone Byblio, tum ex Dorotheo Sidonio refellit Julius Firmicus. ******** Vide & quæ de gigantibus & turri ex Eupolemo nobis adducit Euſebius præparat. evangelicæ lib. XX. (*verius IX*) cap. 17.

65 *Sodomorum incendium eſt apud Diodorum Siculum.*) libro XIX. (*fol.* 733. *ſeq.*) ubi poſt lacus Aſphaltitæ deſcriptionem:

(a) *quis non poetarum meminit*) CONRING. Quæ de Promethei furto fabulantur poetæ; an omni careant veri fundamento, non certe dixerim, neque enim rapti ignis ulla ſit mentio in ſacris litteris, tantum turris iſtius ſuperba extructio Japheti fratrumque poſteris vitio datur, quam ſecutum eſt omne illud malum, cujus meminit HORATIUS *lib. I. carm. Od.* 3.

* *Elymos*, quos apud *Athenæum* ſibi inveniſſe viſus eſt *Grotius*, non omnes ibi videbunt. Is enim *lib. IV. Deipnoſophiſt. fol.* 176. *ſeq.* de ἐλύμοις αὐλοῖς de *Elymis tibiis*, non gentibus, verba facit, easque non alias, quam *Phrygias*, id eſt a *Phrygibus* repertas eſſe, notat.

** Cum duo ſint *Cappelli* variaque eorum ſcripta, optandum fuiſſet, ut locum plene indicaſſet *Grotius*. Ego & *Ludovici* & *Jacobi Cappelli annotationes in Geneſin* nominatim *cap. X.* conſulendas putavi, nullibi vero memoratam obſervationem inveſtigare potui.

*** *Num.* 43. *ſcholiorum ad Gen. X. v.* 10. quæ ipſius *verſioni Bibliorum* adjecta ſunt.

**** Equidem deeſt hicce verſus in *Sardanapali* epitaphiis, quæ *Diodorus Siculus biblioth. Hiſtor. lib. II. fol.* 110. & *Athenæus Deipnoſoph. lib. XII. fol.* 529. laudant; attexuit tamen cum ceteris, atque ita conſervavit *Theodoretus Therapeut. ſerm. XII. fol.* 678. *ſeq. tom. IV. opp.*

***** In *Theognidis ſententiis* vocem *Ninos* difficulter animadvertes.

****** *Sipphara* accurate legeris ex *lib. V. geogr. cap.* 18. Nam *Sippara* eſt urbs *Indiæ*, memorata *Ptolemæo lib. VII. cap.* 1.

******* *Verſu* 145. *ſeqq.* Adde *lib. VI. v.* 665.

******** Par fuiſſet *Grotium* ſignificaſſe, ubi id *Julius Firmicus*

rum Siculum, 66 Strabonem, 67 Tacitum, 68 Plinium, 69 Solinum. 70 Circumciſionis vetuſtiſſimo mori teſtimonium præbuerunt Herodotus, 71 Diodorus, 72 Strabo, 73 Philo Byblius: præbent etiam nunc 74 ortæ ab Abrahamo gentes, non Hebræi tantum, ſed 75 Idumæi, 76 Iſmaë-

ptionem: ὁ δὲ πλησίον τόπος ἔμπυρος ὢν καὶ δυσώδεις ποιεῖ τὰ σώματα τῶν περιοικούντων ἐπίνοσα καὶ παντελῶς ὀλιγοχρόνια. *Vicina regio cum igni ſubardeat, fœtumque odorem exhalet, in cauſa eſt cur accolarum corpora morbida ſint minimeque vivacia.*

66 *Strabonem.*) Libro XVI. (*fol.* 526.) poſt Aſphaltitæ deſcriptionem. Τοῦ δ' ἔμπυρον τὴν χώραν εἶναι τὰ ἄλλα τεκμήρια φέρουσι πολλά. καὶ γὰρ πέτρας τινὰς ἐπικεκαυμένας δεικνύουσι τραχείας περὶ Μοασάδα, καὶ σύραγγας πολλαχοῦ, καὶ γῆν τεφρώδη, σταγόνας τε πίσσης ἐκ λισσάδων λειβομένας, καὶ δυσώδεις πόρρωθεν ποταμοὺς ζέοντας, κατοικίας δὲ ἀνατετραμμένας σποράδην. ὥστε πιστεύειν τοῖς θρυλλουμένοις ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων, ὡς ἄρα ᾠκοῦντό ποτε τρισκαίδεκα πόλεις ἐνταῦθα, ὧν τῆς μητροπόλεως Σοδόμων σῴζοιτο κύκλος ἑξήκοντά που σταδίων. ὑπὸ σεισμῶν τε καὶ ἀναφυσημάτων πυρὸς καὶ θερμῶν ὑδάτων ἀσφαλτωδῶν τε καὶ θειωδῶν ἡ λίμνη προπέσοι καὶ πέτραι πυρίληπτοι γένοιντο. αἵ τε πόλεις αἱ μὲν καταποθεῖεν, ἃς δ' ἐκλείποιεν οἱ δυνάμενοι φυγεῖν. *Eſſe in hoc ſolo ignem, multa indicia adferunt. Nam & petras oſtendunt aſperas & exuſtas circa Moaſada: tum multis in locis exeſas cavernas, terram cinerofam, picis guttas de petris ſtillantes, ferventia non ſine fœdo odore flumina: quæ cuncta fidem faciunt famæ apud indigenas vulgatæ,* XIII. *olim in ea regione habitatas urbes, quarum princeps Sodoma fuerit, cujus ambitus etiam nunc oſtenditur in* LX. *ſtadia patens: terræ autem motibus, erumpente igne aquisque calidis & bituminoſis, exſtitiſſe qui nunc eſt lacum, ſaxa concepiſſe ignem, urbium abſorptas alias, alias ab iis qui fugere potuerunt, derelictas.*

67 *Tacitum.*) Hiſtoriarum V. (*c. VII.* §. 1. 2.) *Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes magnisque urbibus habitatos, fulminum jactu arſiſſe: & manere veſtigia, terramque ſpecie torridam, vim frugiferam perdidiſſe. Nam cuncta ſponte edita aut manu ſata, ſive herba tenus aut flore ſeu ſolitam in ſpeciem adoleverе, atra & inania velut in cinerem vaneſcunt.*

68 *Plinium.*) Is Aſphaltiten deſcribit libri V. cap. 16. & lib. XXXV. cap. 15.

69 *Solinum.*) Cap. 36. edit. Salmaſianæ: (*aliis XXXVIII.*) *Longo ab Hieroſolymis receſſu triſtis ſinus panditur, quem de cœlo tactum teſtatur humus nigra & in cinerem ſoluta. Duo ibi oppida, Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrum, apud quæ pomum quod gignitur, habeat licet ſpeciem maturitatis, mandi tamen non poteſt: nam fuliginem intrinſecus favillaceam ambitus tantum extimæ cutis cohibet, quæ vel levi preſſa tactu fumum exhalat, & fatiſcit in vagum pulverem.*

70 *Circumciſionis vetuſtiſſimo mori teſtimonium præbuerunt Herodotus.*) Cum errore tamen. Verba ejus ſunt in Euterpe. (*ſc. lib. II. cap.* 104.) Μοῦνοι πάντων Κόλχοι καὶ Αἰγύπτιοι καὶ Αἰθίοπες περιτάμνονται ἀπ' ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα. Φοίνικες δὲ καὶ Σύριοι οἱ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ καὶ αὐτοὶ ὁμολογοῦσι παρ' Αἰγυπτίων μεμαθηκέναι. Σύριοι δὲ οἱ περὶ Θερμώδοντα καὶ Παρθένιον ποταμὸν, καὶ Μάκρωνες οἱ τούτοισιν ἀστυγείτονες ὄντες ἀπὸ Κόλχων φασὶ νεωστὶ μεμαθηκέναι. οὗτοι γάρ εἰσιν οἱ περιταμνόμενοι ἀνθρώπων μοῦνοι καὶ οὗτοι Αἰγυπτίοισι φαίνονται ποιεῦντες κατὰ ταὐτά. αὐτῶν δὲ Αἰγυπτίων καὶ Αἰθιόπων οὐκ ἔχω εἰπεῖν, ὁπότεροι παρὰ τῶν ἑτέρων ἐξέμαθον. *Soli ab antiquo circumciſi ſunt Colchi & Ægyptii & Æthiopes. Phœnices autem & qui in Palæſtina ſunt Syri fatentur hunc ſe morem ab Ægyptiis accepiſſe. Syri vero qui ad Thermodontem & Parthenium ſunt amnem, & Macrones horum vicini, a Colchis dicunt ſe didiciſſe. Hi enim ſoli ſunt, qui circumciduntur, faciuntque ea in re eadem quæ Ægyptii. De Æthiopibus autem & Ægyptiis, utri ab alteris acceperint, liquido dicere non poſſum.* In Syria Palæſtina nullos fuiſſe circumciſos præter Judæos vere dicit Joſephus antiquæ hiſtoriæ libro VIII. cap. 4. & contra Appionem priore libro. (*fol.* 1047. *opp.*) De quibus Judæis Juvenalis, (*Sat. XIV. v.* 99.) *præputia ponunt.* Et Tacitus: (*hiſtor. V. cap. V.* §. 4.) *Circumcidere genitalia inſtituere, ut diverſitate noſcantur.* Vide & Strabonem libro XVII. (*fol.* 566. *ſeq.*) Tantum vero abeſt ut Judæi faſſi ſint unquam ab Ægyptiis ſe accepiſſe hunc morem, ut contra aperte dicant Ægyptios ab Joſepho didiciſſe circumcidi. Vide ſcriptorem Lexici Aruch, quem citat optime meritus de ſacris literis Druſius libro VI. præteritorum. (*ad cap. VII. I. ad Corinth. Epiſt. v.* 17. *pag.* 225. *edit.* 1632.) Neque vero commune omnibus Ægyptiis fuit circumcidi ut Judæis: quod vel Appionis hominis Ægyptii exemplo, apud Joſephum * diſcas. Phœnicas Herodotus haud dubie pro Idumæis dixit: ut & Ariſtophanes avibus, (*v.* 507. *totius com.*) ubi Ægyptios & Phœnicas ψωλοὺς vocat. Ammonius de verborum differentiis: (*voce Ἰδουμαῖοι.*) Ἰδουμαῖοι δὲ τὸ μὲν ἀρχῆθεν οὐκ Ἰουδαῖοι, ἀλλὰ Φοίνικες καὶ Σύροι. *Idumæi non ab origine Judæi, ſed Phœnices ac Syri.* Æthiopes autem illi qui circumciſi ſunt ex Cethuræ erant poſteris, ut jam dicemus. Colchi & eorum vicini ex decem ſunt tribubus, quas tranſtulit Salmanaſar. Inde in Thraciam quidam venere. Scholiaſtes ad Ariſtophanis Acharnenſes. (*ad v.* 155. *act. I. ſcen. IV.*) Ὀδομάντων ἔθνος Θρᾳκικόν. Φασὶ δὲ αὐτοὺς Ἰουδαίους εἶναι. *Odomantum gens eſt Thracica. Dicuntur autem eſſe Judæi.* Ubi Judæos intellige improprie, Hebræos, ut ſæpe. Ab Æthiopibus trans Oceanum circumciſio venit in novum orbem, ſi vera ſunt quæ de eo more reperto in variis ejus orbis locis narrantur.

71 *Diodorus.*) Libro I. (*ſect. II. fol.* 50.) de Colchis. Ὅτι δὲ τοῦτο τὸ γένος Αἰγυπτιακόν ἐστι, σημεῖον εἶναι τὸ περιτέμνεσθαι τοὺς ἀνθρώπους παραπλησίως τοῖς κατ' Αἴγυπτον, διαμένοντος τοῦ νομίμου παρὰ τοῖς ἀποίκοις, καθάπερ καὶ παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις. *Gentem hanc ab Ægyptiis ortam argumento ſit, quod circumciduntur & ipſi more Ægyptiorum, quorum mos in hac colonia manſit, ut & apud Judæos.* Cum Hebræi ab antiquo circumciſi ſint, nihilo magis oſtendit circumciſio Colchos illos ab Ægyptiis eſſe, quam quod nos diximus, ab Hebræis. Idem libro III. (*fol.* 105.) Troglodytas circumciſos narrat, Æthiopum ſcilicet partem.

72 *Strabo.*) Libro XVI. (*fol.* 533.) de Troglodytis: Εἰσὶ δὲ περιτετμημένοι τινὲς καθάπερ Αἰγύπτιοι. *Sunt horum quidam circumciſi, ut Ægyptii.* In eodem libro (*fol.* 524.) περιτομὰς tribuit Judæis.

73 *Philo Byblius.*) In fabula de Saturno, apud Euſebium lib. I. cap. 10. (*fol.* 38.)

74 *ortæ ab Abrahamo gentes.*) Cui Abrahamo primo omnium datum circumciſionis præceptum etiam Theodorus docuit in carmine de Judæis, unde hos verſus nobis Euſebius dedit lib. IX. præparationis evangelicæ cap. XXII.

Ὅς καθ' ἑὰς πάτρας ἐξήγαγε δῖον Ἀβραάμ,
Αὐτὸς ἀπ' οὐρανόθεν κέλετ' ἀνέρα παντὶ σὺν οἴκῳ
Σάρκ' ἀποσυλῆσαι πόσθης ἄπο, καὶ ῥ' ἐτέλεσσεν.
Qui ſanctum patris Abrahamum eduxit ab oris,
Idem ipſum totamque domum genitalia ferro
Tegmina præcepit præcidere; paruit ille.

75 *Idumæi.*) Ab Eſavo ita dicti, qui Οὔσωος Philoni Biblio. (*apud Euſebium lib. I. præp. Ev. cap.* 10. *fol.* 35.) Ei enim alterum nomen erat Edom, quod Græci Ἐρυθρὸν transtulere, unde dictum mare Erythræum: quippe eo usque pervenit vetus Eſavi poſterorumque ejus imperium. Originis

micus agat; neque enim in *libris VIII. matheſeos, ſive de vi ac poteſtatibus ſtellarum*, nec in opere *de errore profanarum religionum* de iſta re diſputat.

* Ad id ſine dubio *Grotius* digitum intendit, quod *lib. II. adv. Appionem fol.* 1069. *opp.* de Appione refert *Joſephus*: eum neceſſario circumciſum blaſphemiæ erga patrias leges pœnam dediſſe. Περιτμηθεὶς γὰρ inquit, ἐξ ἀνάγκης, ἑλκώσεως αὐτῷ περὶ τὸ αἰδοῖον γενομένης, καὶ μηδὲν ὠφεληθεὶς ὑπὸ τῆς περιτομῆς, ἀλλὰ σηπόμενος ἐν δειναῖς ὀδύναις ἀπέθανε: *Etenim neceſſario circumciſo, circa genitalia vulnera ei facta nihil profuerunt, & putrefactis in magnis doloribus expiravit.*

76 Iſmaëlitæ, 77 & alii. Abrahami, Iſaaci, Jacobi, Joſephi hiſtoria Moſi conſonans 78 exſtabat olim apud Philonem Byblium ex Sanchuniathone, 79 apud Beroſum, 80 Hecatæum, 81 Damaſcenum, 82 Artapanum, Eupolemum, Demetrium, partim & 83 apud vetuſtiſſimum Orphicorum ſcriptorem:

ginis ignari eos cum Phœnicibus, ut modo dixi, confuderunt. Ammonius (*de different. verborum voce:* Ἰδουμαῖοι.) Idumæos circumciſos ait, ut & Juſtinus dialogo cum Tryphone, (*fol.* 245. *ſeq. opp.*) & Epiphanius contra Ebionæos. (*hæreſi XXX. num.* 33.) Horum pars Homeritæ, quos ſuo etiam tempore circumciſos docet nos Epiphanius contra Ebionæos. (*loc. cit.*)

76 *Iſmaëlitæ*) Circumciſi hi ab antiquo, ſed eo ætatis anno quo Iſmaël. Joſephus lib. I. cap. 12. & 13. Τίκτεται δὲ παῖς ἑκατέρων τῷ ὑστάτῳ ἔτει. ὃν εὐθὺς μετ' ὀγδόην ἡμέραν περιτέμνουσι. κἀξ ἐκείνου μετὰ τοσαύτας ἔθος ἔχουσιν οἱ Ἰουδαῖοι ποιεῖσθαι τὰς περιτομάς. Ἄραβες δὲ μετὰ ἔτος τρισκαιδέκατον· Ἰσμαῆλος γὰρ ὁ κτίστης αὐτῶν τοῦ ἔθνους, Ἀβράμου γενόμενος ἐκ τῆς παλλακῆς, ἐν τούτῳ περιτέμνεται τῷ χρόνῳ. *Naſcitur Abrahamo & Saræ anno ſæculi ſui ultimo puer, quem ipſo die octavo circumcidunt: quem diem etiam nunc Judæi in circumcidendis liberis obſervant. At Arabes circumciduntur poſt annum ætatis tertium & decimum. Nam princeps eorum generis Iſmaëlus ea ætate circumciſus eſt, filius & ipſe Abrahami, ſed ex ancilla.* Origenes in pulchra diſſertatione contra fatum, quæ & apud Euſebium exſtat lib. VI. (*præparat. evang.*) c. 11. (*fol.* 293.) & in collectione Græca cui φιλοκαλίας (*cap. XXIII. pag.* 77.) nomen: οὐκ οἶδ' ὅπως δυνήσονται σῶσαι τὸ τῶν μὲν ἐν Ἰουδαίᾳ σχεδὸν πάντων τοιόνδε εἶναι τὸν σχηματισμὸν ἐπὶ τῆς γενέσεως. ὡς ὀκταήμερον αὐτοὺς λαβεῖν περιτομὴν ἀκρωτηριαζομένους καὶ ἑλκουμένους, καὶ φλεγμονῇ περιπεσουμένους καὶ τραύμασι, καὶ ἅμα τῇ εἰς τὸν βίον εἰσόδῳ, ἰατρῶν δεομένους· τῶν δὲ ἐν Ἰσμαηλίταις τοῖς κατὰ τὴν Ἀραβίαν τοιόνδε, ὡς πάντας περιτέμνεσθαι τρισκαιδεκαετεῖς· τοῦτο γὰρ ἱστόρηται περὶ αὐτῶν. *Neſcio quomodo defendere hoc poſſint, iis qui in Judæa naſcuntur prope omnibus talem eſſe poſituram ſiderum naſcentibus, ut octavo die debeant circumcidi, mutilari, ulcerari, vulnera & inflammationes incurrere, ac medici ope egere ſimul atque vitæ limen intraverint. At Iſmaëlitis, qui in Arabia ſunt, talem eſſe poſituram ſiderum, ut circumcidendi ſint omnes ætatis anno tertio & decimo: id enim de iſtis proditum eſt.* Hos Iſmaëlitas Epiphanius, contra Ebionæos diſputans, (*hæreſ. XXX. num.* 30.) explicat Sarracenos: recte admodum. Semper enim hunc morem obſervarunt Sarraceni, & ab eis accepere Turcæ.

77 *& alii.*) Nempe illi a Cethura, de quibus locus eſt egregius Alexandri Polyhiſtoris, apud Joſephum lib. I. c. 16. quem & Euſebius adducit præparationis evangelicæ lib. IX. c. 20. * Κλεόδημος φησὶν ὁ προφήτης, ὁ καὶ Μαλχᾶς, ὁ ἱστορῶν τὰ περὶ Ἰουδαίων, καθὼς καὶ ὁ Μωυσῆς ἱστόρησεν ὁ νομοθέτης αὐτῶν, ὅτι ἐκ Χετούρας Ἀβραάμῳ ἐγένοντο παῖδες ἱκανοί, λέγει δὲ αὐτῶν καὶ τὰ ὀνόματα ὀνομάζων τρεῖς, Ἀφὲρ, Ἀσοὺρ, Ἀφρά· καὶ ἀπὸ Ἀσοὺρ τὴν Ἀσσυρίαν κεκλῆσθαι· ἀπὸ δὲ τῶν δύο, Ἀφρά τε καὶ Ἀφὲρ, πόλιν τε Ἄφραν καὶ τὴν χώραν Ἀφρικὰν ὀνομασθῆναι· τούτους δὲ Ἡρακλεῖ συστρατεῦσαι ἐπὶ Λιβύην καὶ Ἀνταῖον. γήμαντα δὲ τὴν Ἄφρα θυγατέρα Ἡρακλέα, γεννῆσαι υἱὸν ἐξ αὐτῆς Δίδωρον· τούτου δὲ γενέσθαι Σοφῶνα, ἀφ' οὗ τοὺς Βαρβάρους Σόφακας καλεῖσθαι. *Cleodemus propheta Malchas dictus in libro de Judæis, eadem dicit quæ Moſes qui Judæis leges condidit, ex Chettura Abrahamo multos eſſe natos liberos, quorum tres ab ipſo nominantur Afer, Aſſur, Afra. Ab Aſſur dictam Aſſyriam. Ab aliis duobus Afra & Afer urbem Afram, terramque Africam. Hos Herculi commilites fuiſſe in Libyam & Antæum. Herculem autem cum Afræ duxiſſet filiam, ex ea filium genuiſſe Dedorum nomine. Ex hoc natum Sophona, unde barbaros Sophacas dictos.* Hic cætera nomina exſcriptorum vitio, nec cum Moſe, nec inter ſe collatis Joſephi & Euſebii, quales habemus, codicibus congruunt. At Ἀφὲρ haud dubie eſt qui Moſi עפר. Herculem autem intellige non Thebanum, ſed multo antiquiorem Phœnicem; cujus & Philo Byblius meminit, Euſebio citatus in dicto ſæpe capite 10. libri primi præparationis evangelicæ (*fol.* 38.) Is ipſe eſt Hercules cujus exercitum in Africam veniſſe Salluſtius in Jugurthino (*cap. XVIII.*) commemorat. Videmus ergo unde Æthiopes, pars magna Afrorum, circumciſionem acceperint, quam & Herodoti habuerunt tempore, & nunc etiam qui eorum Chriſtiani ſunt, non ex religionis neceſſitate, ſed ex vetuſtiſſimi moris reverentia, retinent.

78 *exſtabat olim apud Philonem Byblium ex Sanchuniathone*) Certe ad Abrahamum pertinere putat Scaliger quædam, quæ ex Philone Byblio nobis ſervavit Euſebius (*præpar. evang. lib. I. cap.* 10. *fol.* 38. *&* 40) Ipſum vide in Auctuario ad emendationem temporum. ** Eſt tamen cur de eo dubitem.

79 *apud Beroſum.*) Ejus verba ſervavit nobis Joſephus antiquæ hiſtoriæ lib. I. cap. 8. Μετὰ δὲ τὸν κατακλυσμὸν δεκάτῃ γενεᾷ, παρὰ Χαλδαίοις τις ἦν δίκαιος ἀνὴρ, μέγας καὶ τὰ οὐράνια ἔμπειρος. *Poſt cataclyſmum decima ſtirpe apud Chaldæos vir exſtitit juſtus & eximius, interque cætera cœleſtium peritus.* Hæc ad Abrahamum recte referri temporum ratio oſtendit.

80 *Hecatæum.*) Is librum de Abrahamo ſcripſit qui periit, ſed exſtabat Joſephi tempore. ***

81 *Damaſcenum.*) Nicolaum illum virum illuſtrem, amicum & Auguſto & Herodi, cujus reliquias aliquot nuper accepimus beneficio viri Ampliſſimi Nicolai Peireſcii, in cujus morte & literæ & literati omnes damnum incredibile fecerunt. Ejus Nicolai Damaſceni verba hæc refert Joſephus dicto jam loco: Ἀβράμης ἐβασίλευσε Δαμασκοῦ ἔπηλυς σὺν στρατῷ ἀφιγμένος ἐκ τῆς γῆς ὑπὲρ Βαβυλῶνος Χαλδαίων λεγομένης, μετ' οὐ πολὺν δὲ χρόνον μεταναστὰς, καὶ ἀπὸ ταύτης τῆς χώρας σὺν τῷ σφετέρῳ λαῷ, εἰς τὴν τότε μὲν Χαναναίαν λεγομένην, νῦν δὲ Ἰουδαίαν, μετῴκησε, καὶ οἱ ἀπ' ἐκείνου πληθύναντες, περὶ ὧν ἐν ἑτέρῳ λόγῳ διέξειμι τὰ ἱστορούμενα· τοῦ δὲ Ἀβράμου ἔτι καὶ νῦν ἐν τῇ Δαμασκηνῇ τὸ ὄνομα δοξάζεται, καὶ κώμη ἀπ' αὐτοῦ δείκνυται, Ἀβράμου οἴκησις λεγομένη. *Abrames in Damaſco regnavit qui advena cum exercitu illuc venerat, ex ea regione quæ ſupra Babylonem ſita, Chaldæorum dicitur. At non multo poſt tempore cum ſua multitudine etiam hinc emigrans pervenit in terram, quæ tunc Chananæa vocabatur, nunc Judæa dicitur, ubi & illi habitarunt qui ab eo orti ſunt plurimi, quorum res alibi memorabo. Abramæ autem in Damaſcena regione etiam nunc celebre eſt nomen, monſtraturque vicus qui ab eo dicitur Abramæ habitaculum.*

82 *Artapanum, Eupolemum, Demetrium.*) Habes quæ horum nomine ex Alexandro Polyhiſtore adfert Euſebius in præp. lib. IX. cap. 16. 17. 18. 21. 23. Loca ſunt longiora, quam ut huc transſcribam. Ante Euſebium nemo eſt, qui ea produxerit. Sed ex altari in Bethel ab Jacobo ſtructo, de quo agitur Gen. XXXV. venit fabula τῶν Βαιτυλίων, quam ex Philone Byblio habet Euſebius lib. I. præpar. cap. 10. (*fol.* 37.)

83 *apud vetuſtiſſimum Orphicorum ſcriptorem.*) Certe enim de alio accipi iſta non poſſunt, quæ apud Clementem Alexandrinum Strom. V. (*fol.* 607.) & Euſebium libro XIII. capite 12. legimus:

Οὐ γάρ κέν τις ἴδοι θνητῶν μερόπων κραίνοντα
Εἰ μὴ μουνογενής τις ἀπορρὼξ φύλου ἄνωθεν
Χαλδαίων, ἴδρις γὰρ ἔην ἄστροιο πορείης,
Καὶ σφαίρης κίνημ' ἀμφὶ χθόνα ὡς περιτέλλει
Κυκλοτερὲς, ἐν ἴσῳ τε κατὰ σφέτερον κνώδακα.
Nemo illum novit mortalia cuncta regentem,
Unicus ille niſi Chaldæo ſanguine cretus:
Norat enim ſolis qua ſe aſtrum lege rotaret,

Et

* Locus hic ex *Joſepho* transſcriptus eſt, *Euſebii* enim ſermo in nonnullis diſcrepat.

** Sive in *notis ad veterum Græcorum fragmenta ſelecta*, quæ operi *de emendatione temporum* ſubjiciuntur, *fol.* 48.

*** Ceu ipſe teſtatur *lib. I. antiquit. Judaic. cap.* 8.

rem: exſtat & nunc aliquid 84 apud Juſtinum ex Trogo Pompejo. 85 Apud eoſdem ferme omnes exſtat & Moſis actorumque ipſius memoria. 86 Nam & aqua extractum, & duas a Deo tabulas ei datas, Orphica carmina diſerte memorant. His 87 adde Polemonem, 88 & de exitu ex Ægypto non pauca ex Ægyptiis, Manethone, Lyſimacho, Chæremone. Neque vero cuiquam prudenti credibile fiet Moſem, 89 qui non Ægyptios tantum hoſtes habebat, ſed & plurimas gentes alias, 90 Idumæos, 91 Arabas, 92 Phœnicas; vel de mundi ortu & rebus antiquiſſimis ea auſum palam prodere, quæ aut aliis ſcriptis prioribus revinci poſſent, aut pugnantem ſibi haberent perſuaſionem veterem atque communem: vel de ſui temporis rebus ea prædicaſſe, quæ viventium multorum teſtimoniis poſſent refelli. Meminerunt Moſis & 93 Diodorus Siculus, 94 & Strabo, 95 &

Et circum terram magnus ſe volveret orbis
Æqualiſque tereſque, intus ſita circumplectens.

Ubi Abrahamus μονογενὴς ſic dicitur, ut apud Eſaiam LI. 2. אחד Ex cognitione autem ſiderum celebratus Abrahamus etiam Beroſo, ut jam audivimus. Eupolemus apud Euſebium (*lib. IX. præparat. evang. cap. XVII.*) de eodem: ὃν δὴ καὶ τὴν ἀστρολογίαν καὶ τὴν Χαλδαϊκὴν εὑρεῖν. *Hunc repertorem fuiſſe & ſcientiæ ſideralis & diſciplinæ inſuper Chaldaicæ.*

84 *apud Juſtinum ex Trogo Pompejo.*) Lib. XXXVI. cap. 2. (§. 1. & 4.) *Judæis origo Damaſcena, Syriæ nobiliſſima civitas. Poſt Abraham & Iſrael Reges fuere.* Reges hos ut Nicolaus, ſic Trogus Pompeius dixere, quod in ſuis familiis jus regium obtinuerint. Itaque & χριστοὶ vocantur Pſ. CV. 15.

85 *Apud eoſdem ferme omnes exſtat & Moſis actorumque ejus memoria.*) Vide Euſebium dicto lib. IX. c. 26. 27. 28. Quæ ex Tragico Judæo Ezechiele ibidem citantur, vera ſunt, & partem eorum habes apud Clementem Alexandrinum Strom. 1. (*fol. 344. ſeq. opp.*) qui ex myſtarum libris adfert Ægyptium a Moſe verbis occiſum: & Strom. V. (*verius eod. lib. I. fol. cit.*) ex Artapano quædam habet ad Moſem pertinentia, ſed non ſatis ex vero. Juſtinus ex Trogo Pompeio (*lib. & cap. jam citato §. 13.*) de Moſe: *Dux igitur exſulum factus, ſacra Ægyptiorum furto abſtulit: quæ repetentes armis Ægyptii, domum redire tempeſtatibus compulſi ſunt: itaque Moſes Damaſcena, antiqua patria repetita, montem Sinan occupat:* & quæ ſequuntur vera falſis mixta. Ubi Arvas apud eum ſcribitur, Arnas legendum eſt. Is eſt Aaron, non filius, ut hic exiſtimavit, ſed frater Moſis & ſacerdos.

86 *Nam & aqua extractum & duas a Deo tabulas ei datas Orphica carmina diſerte memorant.*) Ut quidem ea emendavit maximus Scaliger, * qui litera vicini admodum ductus mutata, pro eo quod ex Ariſtobulo Euſebius præparationis evangelicæ libro XIII. cap. 12. citat ὑλογενὴς, legere nos juſſit ὑδογενὴς, ut verſus ſic habeant,

Ὡς λόγος ἀρχαίων, ὡς ὑδογενὴς διέταξεν,
Ἐκ Θεόθεν γνώμαισι λαβὼν κατὰ δίπλακα θεσμόν.
Ut veterum fama eſt, ut juſſit flumine natus,
Dona Dei tabulas geminas qui ſenſibus hauſit.

Subjungit autem hæc, quiſquis ille fuit vetuſtiſſimus ſcriptor Orphicorum, poſtquam dixerat unum Deum eſſe colendum rerum omnium artificem ac moderatorem.

87 *adde Polemonem.*) Videtur is vixiſſe temporibus Ptolemæi Epiphanis, qua de re vide utiliſſimum viri Cl. Gerardi Voſſii de Græcis hiſtoricis librum. (*lib. I. cap. XIIX, p. 119. ſeqq.*) Africanus hiſtorias Græcas ab eo ſcriptas ait, qui idem liber eſt quem Ἑλλαδικὸν vocat Athenæus. (*lib. XI. Deipnoſoph. fol. 479.*) Sunt autem ejus hæc verba: Ἐπὶ Ἄπιδος τοῦ Φορωνέως μοῖρα τοῦ Αἰγυπτίων στρατοῦ ἐξέπεσεν Αἰγύπτου, οἳ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ λεγομένῃ Συρίᾳ οὐ πόρρω Ἀραβίας ᾤκησαν. *Regnante Apide Phoronei filio pars exercitus Ægyptiaci Ægypto exiit, habitaruntque illi in ea Syria, quæ Palæſtina dicitur, ab Arabia non longe.* Sicut Polemonis locum Africanus, ita Africani ſervavit in Chronicis (*lib. I. fol. 26.*) Euſebius.

88 *& de exitu ex Ægypto non pauca ex Ægyptiis, Manethone, Lyſimacho, Chæremone.*) Loca ſunt apud Joſephum contra Appionem (*lib. I. fol. 1052. ſeqq. opp.*) plena mendaciis, utpote profecta a gente ſemper Judæis infeſtiſſima, unde & ſua hauſit Tacitus. (*hiſtor. lib. V. cap. II. & III.*) Apparet autem ex his omnibus, inter ſe collatis, Hebræos ab Aſſyriis ortos, parte Ægypti potitos, ibi paſtoralem egiſſe vitam: ſed operis poſtea ſervilibus preſſos, exiiſſe Ægypto, Ægyptiis etiam quibuſdam ipſos comitantibus Moſe duce, perque Arabum terras poſtremo perveniſſe in Syriam Palæſtinam, ibique inſtituta eos ſecutos Ægyptiorum inſtitutis contraria. Cæterum quomodo in his quæ huic hiſtoriæ adſperſere mendaciis ſcriptores Ægyptii inter ſe, quidam & ſecum ſinguli pugnent, quotque illa ſæculis ab antiquitate Moſis librorum vincantur, egregie oſtendit in illo libro eruditiſſimo Joſephus. (*loco cit. & lib. II. fol. 1060. ſeqq.*)

89 *qui non Ægyptios tantum hoſtes habebat.*) A quibus cum vi abſceſſerant: quorum inſtituta reſciderant Judæi. De odio Ægyptiorum implacabili adverſus Hebræos, vide Philonem, tum contra Flaccum, (*fol. 969. opp. & 971. ſeq.*) tum in legatione: (*fol. 1008. ſeqq. 1017. ſeqq. opp.*) ac Joſephum in utroque contra Appionem libro. (*lib. I. fol. 1051. lib II. fol. 1062. & alibi.*)

90 *Idumæos.*) Heredes veteris odii inter Jacobum & Eſavum, ad quod nova acceſſit cauſa, cum Hebræis Idumæi tranſitum negarunt. Num. XX. 14.

91 *Arabas*) Illos, ſcilicet, ab Iſmaële ortos.

92 *Phœnicas.*) Chananæos ſcilicet vicinaſque gentes, in quos Hebræis bellum æternum.

93 *Diodorus Siculus.*) Is libro I. (*fol. 48.*) agens de iis, qui Deos auctores ſuis legibus inſcripſerint, addit: παρὰ δὲ τοῖς Ἰουδαίοις Μωσῆν τὸν Ἰαὼ ἐπικαλούμενον Θεόν. *Ut Moſes apud Judæos Deum, qui Iao vocatur.* Ubi Ἰαὼ eſt יהוה, quod eodem modo extulere & oracula & Orphica antiquis memorata, & hæretici Baſilidiani aliique Gnoſtici. Idem nomen Tyrii, ut ex Philone Biblio (*apud Euſebium lib. I. præp. evangel. cap. X. fol. 31.*) diſcimus, extulere Ἰευὼ alii Ἰαοὺ, ut apud Clementem Alexandrinum (*Strom. lib. V. fol. 562. opp.*) eſt: Samaritani Ἰαβαὶ, ut apud Theodoretum ** legimus. Nimirum orientis populi iiſdem vocibus alii alias tribuebant vocales, unde in propriis nominibus veteris Teſtamenti tanta diverſitas. Eſſe in hac voce τοῦ ὄντος ſignificationem vere dictum Philoni. (*loc. Clementis Alex. cit.*) Præter Diodorum qui Moſis meminerint, Parænefis ad Græcos, (*fol. 9. & 10. opp. Juſtini Martyr.*) quæ Juſtino adſcribitur, nominat Polemonem, Appionem, Ptolemæum Mendeſium, Hellanicum, Philochorum, Caſtorem, Thallum, Alexandrum Polyhiſtorem. Quoſdam horum & Cyrillus contra Julianum libro I. (*fol. 15.*)

94 *& Strabo.*) Locus eſt libro ejus XVI. (*fol. 523.*) ubi quod Ægyptium ſacerdotem Moſem fuiſſe putat, ab Ægyptiis habet ſcriptoribus, ut ex Joſepho apparet. Addit deinde, dogmata ejus non ſine aliquo errore deſcribens: Συνεξῆραν αὐτῷ πολλοὶ τιμῶντες τὸ Θεῖον· ἔφη γὰρ ἐκεῖνος καὶ ἐδίδασκεν, ὡς οὐκ ὀρθῶς φρονοῖεν οἱ Αἰγύπτιοι θηρίοις εἰκάζοντες καὶ βοσκήμασι τὸ Θεῖον, οὐδ᾽ οἱ Λίβυες· οὐκ εὖ δὲ οὐδὲ οἱ Ἕλληνες, ἀνθρωπομόρφους τυποῦντες. εἴη γὰρ ἓν τοῦτο μόνον Θεὸς τὸ περιέχον ἡμᾶς ἅπαντας καὶ γῆν καὶ θάλατταν, ὃ καλοῦμεν οὐρανὸν καὶ κόσμον καὶ τὴν τῶν ὄντων φύσιν. τούτου τίς ἂν εἰκόνα πλάττειν θαρρήσειε νοῦν ἔχων ὁμοίαν τινὶ τῶν παρ᾽ ἡμῖν; ἀλλ᾽ ἐᾶν δεῖ πᾶσαν ξοανοποιΐαν, τέμενος δ᾽ ἀφορίσαντας καὶ σηκὸν ἀξιόλογον τιμᾶν ἕδους χωρίς. *Affirmabat ille, docebatque non recte ſentire Ægyptios, qui ferarum pecorumque imagines numini tribuerent: ſed nec Afros & Græcos qui humanas. Nihil aliud eſſe Deum, quam unum illud, quod nos cunctos terramque & mare contineret, quod cælum dicimus & mundum rerumque naturam. Huic, ajebat, quis*

prude ſ

* Conf. ejus *notas in veterum Græcorum fragmenta ſelecta*, quæ operi *de emendatione temporum* junguntur, *fol. 48.*

** *Quæſt. XV. in Exod. tom. I. opp. fol. 86.* ubi Ἰαβὲ & *lib. V. hæret. fabul. cap. III. de Spiritu S. fol. 760. tom. IV.* ubi Ἰαβαὶ id expreſſum videbis.

95 & Plinius, 96 Tacitus quoque, 97 & poſt eos Dionyſius Longinus de ſermonis ſublimitate: Jamnis autem & * Mambris, qui in Ægypto Moſi reſtiterunt, 98 præter Thalmudicos, 99 Plinius & 100 Apuleius. Legis ipſius per Moſem datæ, ac rituum, 101 tum alibi nonnulla exſtant, 102 tum apud Pythagoricos

prudens audeat fingere imaginem rebus, quæ apud nos ſunt, ſimilem? Abſtinendum ergo ab omni ſimulacrorum effictione: ſed ſtructo templo inque eo adyto quam magnificentiſſimo, ibi ſine ulla figura colendum Deum. Addit viris bonis id perſuaſum. Addit inſtituta ab eo ſacra & ritus nec impenſis gravia, nec lymphatico furore odioſa. Narrat circumciſionem, cibos vetitos, alia: & cum oſtendiſſet hominem natura ſua animal eſſe ſocietatis civilis appetens, ad eam ducere præcepta humana ac divina, divina vero efficacius.

95 *& Plinius*) Libro XXX cap. 1. *Eſt & alia magices factio a Moſe.* Juvenalis (*Satyra XIV. v.* 101.)

Judaicum ediſcunt & ſervant & metuunt jus,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes.

96 *Tacitus quoque.*) Hiſtor. V. (*cap. III. §.* 2.) ubi juxta Ægyptiorum fabulas *Unus exſulum* dicitur.

97 *& poſt eos Dionyſius Longinus.*) Vixit is tempore Aureliani Imperatoris, gratus Zenobiæ Palmyrenorum Reginæ. Is in libro de ſublimi dicendi genere, (*ſect. VII. p.* 35. *edit. Oxonienſ.*) cum dixiſſet de Deo loquentes curare debere, ut eum nobis magnum ſincerumque & impermiſtum exhibeant: Ταύτῃ καὶ ὁ τῶν Ἰουδαίων θεσμοθέτης, οὐχ ὁ τυχὼν ἀνήρ, ἐπειδὴ τὴν τοῦ Θείου δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐχώρησε κἀξέφηνεν, εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τῶν νόμων· εἶπεν ὁ Θεός, φησί· τί; γενέσθω φῶς· καὶ ἐγένετο. γενέσθω γῆ· καὶ ἐγένετο. *Sic egit & is qui Judæis leges condidit, vir minime vulgaris ingenii, ut qui Dei poteſtatem digne & conceperit & elocutus fuerit, ſtatim in principio legum hæc ſcribens: Dixit, ait, Deus. Quid? Fiat lux: & facta eſt. Fiat terra: & facta eſt.* Chalcidius multa ex Moſe habet, & de eo ſic loquitur: (*comment. in Timæum Plat. pag.* 372.) *Sapientiſſimus Moſes, non humana facundia, ſed divina, ut ferunt, inſpiratione vegetatus.*

98 *præter Thalmudicos.*) In Gemara titulo de oblationibus, cap. Omnes oblationes Synagogæ. (*ſeu cod. Menachoth cap. IX. fol.* 85. *col.* 1.) Adde Tanchuma ſive Ilmedenu. ** Dicuntur ibi principes Magorum Pharaonis, & colloquium eorum cum Moſe refertur. Accedat Numenius lib. III. de Judæis. Verba ejus profert Euſebius lib. VIII. (*potius IX.*) cap. 8. Τὰ δ' ἑξῆς Ἰαννῆς καὶ Μαμβρῆς Αἰγύπτιοι ἱερογραμματεῖς ἄνδρες οὐδενὸς ἥττους μαγεῦσαι κριθέντες εἶναι, ἐπὶ Ἰουδαίων ἐξελαυνομένων ἐξ Αἰγύπτου· Μουσαίῳ γοῦν τῷ Ἰουδαίων ἐξηγησαμένῳ, ἀνδρὶ γενομένῳ Θεῷ εὔξασθαι δυνατωτάτῳ οἱ παραστῆναι ἀξιωθέντες ὑπὸ τοῦ πλήθους τοῦ τῶν Αἰγυπτίων, οὗτοι ἦσαν, τῶν τε συμφορῶν ἃς ὁ Μουσαῖος ἐπῆγε τῇ Αἰγύπτῳ τὰς νεανικωτάτας αὐτῶν ἐπιλύεσθαι ὤφθησαν δυνατοί. *Deinceps vero Jamnes & Mambres ſacrorum ſcribæ Ægyptii, magicis artibus præſtare crediti, quo tempore exacti ſunt ex Ægypto Judæi. Nam qui ab omni Ægyptiorum multitudine electi ſunt, ut Muſæo reſiſterent Judæorum duci, viro precibus apud Deum potentiſſimo, hi fuere, ac graviſſimas calamitates a Muſæo in Ægyptum invectas coram omnibus depellere quiverunt.* Ubi Moſem voce vicina & Græcis uſitata Muſæum vocat, ſicut alii Jeſum Jaſona, Saulum Paulum. Ad eumdem Numenii locum nos remittit Origenes adverſus Celſum IV. (*pag.* 198. *ſeq.*) Artapanus apud eumdem Euſebium lib. IX. c. 27. hos vocat, τοὺς ἱερεῖς ὑπὲρ Μέμφιν, *Sacerdotes ſupra Memphim*, quibus a rege ait mortem indictam, ni paria Moſi patrarent.

99 *Plinius.*) Dicto jam loco. (*vid. not.* 95. *p. h.*)

100 *Apuleius.*) Apologetico ſecundo. (*pag.* 331. *opp.*)

101 *tum alibi nonnulla exſtant.*) Ut apud Strabonem (*lib. XVI. f.* 523. *ſeq.*) Tacitum (*hiſt. lib. V. cap. IV. & V.*) Theophraſtum, productum a Porphyrio de non edendis animalibus ſecundo, (*pag.* 167.) ubi de ſacerdotibus & holocauſtis; & quarto ejusdem operis, (*pag.* 380. *ſeqq.*) ubi de vetitis edi tum piſcibus, tum animantibus aliis. Vide & Hecatæi locum apud Joſephum primo contra Appionem, (*fol.* 1048. *ſeqq. opp.*) & apud Euſebium in præpar. lib. IX. c. 4. Legem vitandæ conſuetudinis alienigenarum habes in Juſtini (*lib. XXXVI. cap. II. §.* 15.) Tacitique (*hiſt. lib. cit. cap. V. §.* 2. 3.) hiſtoria: de ſuilla non edenda apud Tacitum, (*loc. cit. cap. IV. §.* 3.) Juvenalem, (*Satyra XIV. v.* 98.) Plutarchum Sympoſ. IV. cap. 5. Macrobium *** ex antiquis. Apud Plutarchum dicto loco & Levitas & σκηνοπηγίας reperies.

102 *tum apud Pythagoricos plurima.*) Hermippus vita Pythagoræ, citatus ab Joſepho adverſus Appionem II. (*verius I. fol.* 1046.) Ταῦτα δὲ ἔπραττε καὶ ἔλεγε, τὰς Ἰουδαίων καὶ Θρᾳκῶν δόξας μιμούμενος καὶ μεταφέρων εἰς ἑαυτόν. ἀληθῶς γὰρ ὁ ἀνὴρ ἐκεῖνος πολλὰ τῶν παρὰ Ἰουδαίοις νομίμων εἰς τὴν αὐτοῦ μετήνεγκε φιλοσοφίαν. *Hæc faciebat dicebatque Judæorum ac Thracum opiniones imitans & ſibi vindicans. Vere enim vir ille multa Judæorum inſtituta in ſuam philoſophiam tranſtulit.* Τὸ θνησιμαίων ἀπέχεσθαι, abſtinere morticinis, inter Pythagoræ præcepta ponit Hierocles, (*commentar. in aur. carmin. Pythagoræ ad v.* 67. *ſeqq. pag.* 298. *edit. Londinenſ.* 1654.) Porphyrius epiſtola ad Anebonem, **** & Ælianus lib. IV. (*cap. XVII.*) id eſt ex Levit. VII. 15. (24.) Deut. XIV. 21. Θεῶν τύπον μὴ ἐπίγλυφε δακτυλίῳ, ex Pythagora eſt apud Malchum ſive Porphyrium ***** hortatione ad philoſophiam, & apud Diogenem Laertium; (*lib. VIII. de vit. Philoſ. ſegm.* 17.) id ex Decalogi eſt præcepto ſecundo. Quod non poſuiſti ne tollas, inter Judaica ponit Joſephus contra Appionem libro altero, (*fol.* 1075.) inter Pythagorica Philoſtratus. ****** Jamblichus: (*de vita Pythagoræ cap. XXI. num.* 99.) ἥμερον φυτὸν καὶ ἔγκαρπον μήτε βλάπτειν, μήτε φθείρειν, *arbor mitis & frugifera ne corrumpatur, neve ei noceatur:* ex Deut.

* Diſputant viri docti, quæ accuratior ſit ſcriptura: *Mambres*, an *Jambres*? Conf. *Jo. Alb. Fabricii codicem Pſeudepigr. V. T. num. CLI. pag.* 816. & *codicem Apocryph. N. T. part. I. ad Evangelium Nicodemi pag* 150. Apud quos ſacri N. Teſt. codicis, qui *II. Tim. III.* 8. nomina magorum illorum recenſet, *Origenis* aliorumque autoritas quid valet. *Jambres* iſtam vocem efferunt. Id ego ſcire percuperem, ad cujus editionis ductum *Grotius* in *Euſebiano* textu Μαμβρῆς heic exhibeat. Noſtra enim *Vigeriana* editio non modo, ſed ceteræ quoque, quas laudat *Fabricius loc. cit.* in voce Ἰαμβρῆς ſingulæ conſpirant.

** Male *Grotius* ita hunc commentarium allegat, quod etiam *Druſius* in quibusdam locis fecit. *Ilmedenu* plane nihil ſignificat. Sed, quoniam auctor ſæpius incipit ילמדנו *docebit nos*, inde vocatur ita, quod melius exprimitur *Jelammedenu*. Commemorantur vero nomina Magorum Ægypti ibi in *Sect.* כי תשא Conf. *Jo. Buxtorfii Lexicon Chald. Talmud. col.* 945. *ſeq. Jo. Alb. Fabricius codice Pſeudepigr. V. T. n. CLI. pag.* 813. *ſeqq.* W.

*** Niſi ad facete dictum *Auguſti*: *Melius eſt, Herodis porcum eſſe quam filium*, quod *Macrobius lib. II. Saturnal. cap.* 4. refert, reſpexerit *Grotius*, vix erit, quod alibi in *Macrobio* hac de re quæras.

**** Reliquiæ illæ, quas ex *Porphyrii ad Anebonem Ægyptium epiſtola* ad nos tranſmiſerunt *Euſebius præparat. evang. lib. III. cap.* 4. & 7. *lib. V. cap.* 7. & 10. *lib. XIV. cap.* 10. *Theodoretus Therapeut. ſerm. I.* ac *III. fol.* 472. *ſeq.* & 517. *ſeq. tom. IV. opp. Cyrillus lib. IV. contra Julianum fol.* 125. nihil hujus rei continent; neque *Thomas Gale*, qui *epiſtolam* iſtam, in unum conflatam *Jamblicho de myſteriis Ægyptiorum* A. MDCLXXVIII. Oxonii edito præmiſit, eandem exhibet.

***** Loco *Malchi* ſeu *Porphyrii Jamblichus* laudandus fuiſſet. Hic enim Προτρεπτικοὺς λόγους εἰς φιλοσοφίαν, *hortationes ad Philoſophiam* ſcripſit, quarum *cap. XXI num.* 23. inter ſymbola Pythagoræ præceptum illud habetur.

****** *Philoſtratus* minus recte in partes heic vocatur, quippe qui nullibi Pythagoricum iſtud dogma profitetur. Quin juſte ambigeres: num id unquam docuerit *Pythagoras*, cum & cæteri, qui de rebus ipſius litteris aliquid conſignarunt, ſcriptores ſileant, & ex *Diog. Laertii lib. I. de vit. Philoſ. ſegm.* 57. conſtet, *Solonem* inter alia præcepiſſe: Ἃ μὴ ἔθου, μὴ ἀναίρει: *Quæ non poſuiſti, ne tollas.*

ricos plurima. 103 Veteribus Judæis inſigne & religionis & juſtitiæ teſtimonium perhibent, & Strabo, & ex Trogo Juſtinus: ita ut jam, quæ de Joſua, aliisque, aut reperiuntur, aut reperta olim ſunt, Hebræorum libris conſentientia, adferre ne opus quidem ſit; cum qui Moſi fidem habeat, quæ, niſi inverecunde admodum, negari ei non poteſt, is omnino crediturus ſit eximia olim prodigia a Deo edita: quod hic præcipue ſpectamus. Poſteriorum vero temporum miracula, puta 104 Eliæ, Eliſæi & aliorum, eo minus conficta cenſeri debent, quod illis temporibus & innotuiſſet jam magis Judæa, & ob diverſitatem religionis in magno eſſet odio vicinorum, quibus facillimum fuiſſet refellere naſcentem mendacii famam. Jonæ hiſtoria, qui triduo intra cetum fuerit, 105 eſt apud Lycophronem, & Æneam Gazæum; niſi quod ſubjectum eſt nomen Herculis, in cujus claritatem referri ſolitum quicquid ubique magnificum eſſet, 106 notatum Tacito. Certe Julianum, Judæorum, non minus quam Chriſtianorum hoſtem, hiſtoriæ evidentia coëgit fateri, & 107 viros divino ſpiritu afflatos vixiſſe inter Judæos, & 108 ad Moſis atque Eliæ ſacrificia ignem cœlitus delapſum. Ac ſane notandum in hac parte eſt, non modo 109 ſupplicia gravia apud Hebræos conſtituta fuiſſe in eos, qui Prophetiæ munus falſo ſibi arrogarent; ſed 110 plurimos reges qui auctoritatem ſibi eo modo conciliare poterant, plurimos viros eruditiſſimos, 111 qualis Eſdras, atque alii, numquam auſos eum ſibi honorem arrogare, 112 nec aliquot ſæculis quemquam ante Jeſu tempora. Multo vero minus imponi populo tot millium potuit in aſſeveratione prodigii quaſi perpetui ac publici; id eſt, 113 oraculi ejus, quod ex pe-

ctorali

Deut. XX. 19. Non tranſeundum locum ubi aſinus in genua ſederit, Pythagoræ tribuit is quem dixi Hermippus. (*loco apud Joſephum cit.*) Origo ex hiſtoria quæ eſt Num. XXII. 27. Platonem quoque multa ex Hebræis ſumpſiſſe agnoſcebat Porphyrius, ut Theodoretus notat ſermone contra Græcos I. (*fol.* 466. *tom. IV. opp.*) Partem eorum videbis in præparatione Euſebii (*lib. XI. cap.* 8. 9. 10. 11. *ſeqq. conf. & lib. IX. c.* 6.)

103 *Veteribus Judæis inſigne & religionis & juſtitiæ teſtimonium perhibent & Strabo & ex Trogo Juſtinus.*) Strabo quidem lib. XVI. (*fol.* 524.) poſt Moſis hiſtoriam: Οἱ δὲ διαδεξάμενοι χρόνους μέν τινας ἐν τοῖς αὐτοῖς διέμενον δικαιοπραγοῦντες καὶ θεοσεβεῖς, ὡς ἀληθῶς ὄντες. *Succeſſores vero ad aliquod tempus in iiſdem inſtitutis manſere, juſti vereque religioſi.* Idem paulo ante (*fol.* 523.) eos qui Moſi crediderant ait fuiſſe τιμῶντας τὸ θεῖον, *Dei reverentes*, εὐγνώμονας, *æqui amantes.* Juſtinus vero ſic lib. XXXVI. c. 2. *Quorum* (Regum ſcilicet & Sacerdotum) *juſtitia religione permixta, incredibile quantum coaluere.* Ariſtoteles quoque magnum ſapientiæ & eruditionis teſtimonium Judæo, quem viderat, præbuit, Clearcho teſte libro ſecundo de ſomno, quem exſcripſit Joſephus. * Tacitus (*hiſtor. lib. V. cap. V.* § 8.) inter multa falſa hoc vere, coli ab Judæis, *ſummum illud & æternum, neque mutabile neque interiturum*, id eſt Deum, ut de iiſdem Judæis agens Dio Caſſius (*hiſt. Rom. lib. XXXVII. fol.* 37.) loquitur, ἄῤῥητον καὶ ἀειδῆ. *qui nec voce exprimi, nec a nobis conſpici poſſit.*

104 *Eliæ.*) De cujus prophetia Eupolemo ſcriptum librum dicit Euſebius præp. lib. IX. c. 30. Ejuſdem locum de Jeremiæ prophetiis profert eodem libro Euſebius cap. XXXIX.

105 *eſt apud Lycophronem.*) Verſus hi ſunt: (*Alexandra ſeu Caſſandra v.* 33. *ſeqq.*)

Τριεσπέρου λέοντος, ὅν ποτε γνάθοις
Τρίτωνος ἠμάλαψε κάρχαρος κύων
Ἔμπνους δὲ δαιτρὸς ἡπάτων φλοιδούμενος
Τινθῷ λέβητος, ἀφλόγοις ἐπ᾽ ἐσχάραις
Σμήριγγας ἐστάλαξε κωδείας πέδῳ.
Triveſperi leonis, olim quem ſuis
Malis voravit ſæva Tritonos canis,
Cum vivus intra, ceu coquus, verſans jecur
Imo lebetis in ſine ignibus foco,
Sudore totum per caput madeſceret.

Ad quem locum Tzetzes: Διὰ τὸ ἐν τῷ κήτει τρεῖς ἡμέρας ποιῆσαι: *quia per triduum intra cetum fuit.* Æneas Gazæus Theophraſto: (*pag.* 72. *ex recenſione Caſp. Barthii A.* 1653.) ὥσπερ καὶ Ἡρακλῆς ᾄδεται, διαῤῥαγείσης τῆς νεὼς ἐφ᾽ ἧς ἔπλει, ὑπὸ κήτους καταποθῆναι καὶ διασώζεσθαι. *Sicut Hercules narratur, fracta qua vehebatur nave, a ceto voratus & incolumis factus.*

106 *notatum Tacito.*) (*de mor. Germ. cap.* 34.) Et Servio, (*ad VIII. Æn. Virgilii v.* 564.) tum Varrone, tum Verrio Flacco auctoribus.

107 *viros divino ſpiritu afflatos vixiſſe inter Judæos.*) Libro III. apud Cyrillum (*fol.* 106.)

108 *ad Moſis atque Eliæ ſacrificia ignem cœlitus delapſum.*) Julianus in libro Cyrilli decimo: (*fol.* 343.) Προσάγειν δὲ ἱερεῖα βωμῷ καὶ θύειν παρῃτήσασθε. πῦρ γάρ, φησιν, οὐ κάτεισιν ὥσπερ ἐπὶ Μωσέως τὰς θυσίας ἀναλίσκον· ἅπαξ τοῦτο ἐπὶ Μωσέως ἐγένετο, καὶ ἐπὶ Ἠλίου τοῦ Θεσβίτου πάλιν μετὰ πολλοὺς χρόνους. *Aris admovere victimas & ſacrificare defugitis. Nempe quod ignis de cælo non deſcendat ut Moſis tempore, & victimas conſumat. Atqui id ſemel tantum accidit ſub Moſe, & multo poſt tempore cum viveret Elias Theſbita.* Vide & ſequentia de igne cœleſti. Cyprianus teſtimoniorum III. (*capitulo* 101.) *Item in ſacrificiis quæcumque accepta habebat Deus, deſcendebat ignis de cælo qui ſacrificata conſumeret.* Menander autem in Phœnicum hiſtoria meminerat ſummæ illius ſiccitatis, quæ Elia florente contigit, id eſt, regnante apud Tyrios Ithobalo. Vide Joſephum antiquæ hiſtoriæ lib. VIII. cap. 7.

109 *ſupplicia gravia apud Hebræos conſtituta fuiſſe in eos, qui prophetiæ munus falſo ſibi arrogarent.*) Deut. XIII. 5. XVIII. 20. & ſeqq.

110 *plurimos reges.*) Nemo id auſus poſt Davidem.

111 *qualis Eſdras.*) Ad illa tempora adſcribere ſolent Hebræi: *Hactenus Prophetæ, jam incipiunt ſapientes.*

112 *nec aliquot ſæculis quemquam ante Jeſu tempora.*) Itaque libro I. Maccab. IV. 46. legimus contaminati altaris lapides ſepoſitos ſeorſum, μέχρι τοῦ παραγενηθῆναι προφήτην τοῦ ἀποκριθῆναι περὶ αὐτῶν. *Donec veniret propheta qui de iis reſponderet.* Ejuſdem libri cap. IX. 27. Καὶ ἐγένετο θλῖψις μεγάλη ἐν τῷ Ἰσραήλ, ἥτις οὐκ ἐγένετο ἀφ᾽ ἧς ἡμέρας οὐκ ὤφθη προφήτης αὐτοῖς. *Facta eſt tribulatio magna in Iſraël, quæ non eſt facta, a qua die non eſt viſus propheta eis.* Idem legis in Thalmude, titulo de Synedrio.

113 *oraculi ejus, quod ex pectorali ſummi Pontificis effulgebat.*) Vide Exodi XXVIII. 30. Levit. VIII. 8. Num. XXVII. 21. Deut. XXXIII. 8. 1. Sam. XXI. 11. (*forte* 1. 2. *ſeqq.*) XXII. 10. 13. 15. XXIII. 2. 5. 9. 10. 11. 12. XXVIII. 6. Adde Nehemiam VII. 65. Adde Joſephum lib. III. 9. (*potius cap.* 8.) Hoc eſt ἐρώτημα δήλων apud Sirachidem XXXIII. 4. ** Nam vox δῆλα proprie reſpondet Hebræo אורים, atque ita vertunt LXX. dictis locis Num. XXVII. 21. 1. Sam. XXVIII. 6. & alibi δήλωσιν, ut Exodi XXVIII. 26. Levit. VIII. 8. התמים vero iidem vertunt ἀλήθειαν. Imitati hoc, ſed ut pueri virorum res imitantur, Ægyptii. Diodorus lib. I. (*ſect. II. fol.* 45.) in rebus Ægyptiorum deſcribit ἀρχιδικαστὴν ἔχοντα τὴν ἀλήθειαν ἐξηρτημένην ἐκ τοῦ τραχήλου. *Summum judicem qui haberet de collo pendentem veritatem.* Atque iterum poſtea: (*fol.* 68.) Συντάξεις δὲ τῶν ἀναγκαίων παρὰ τοῦ βασιλέως τοῖς μὲν δικασταῖς

ἱκανὰς

* Vide ejus *lib. I. contra Apionem fol.* 1047. *opp.* ubi tamen non ſecundum, ſed primum *Clearchi* de ſomno librum nominat, atque ex eo dicta adducit.

** Ἐρώτημα δικαίου, non δήλων, apud Sirachidem & quidem v. 3. cap. XXXIII. legitur. Capite autem XLV. 10. de δήλοις ἀληθείας ipſi ſermo eſt, id quod ad præſentem diſputationem omnino ſpectat.

ctorali ſummi Pontificis effulgebat: quod duraſſe ad excidium usque templi primi, tam firme a Judæis omnibus ſemper creditum eſt, ut neceſſe omnino ſit, eorum majores id habuiſſe compertiſſimum.

§. XVII. *Probatur idem, quod ſupra, ex prædictionibus.*

Huic ex miraculis argumento adfine eſt alterum ad probandam Dei providentiam non minus efficax, ex prædictionibus rerum futurarum, quæ apud Hebræos plurimæ exſtant, & apertiſſimæ: 1 ut de orbitate ejus, qui Hierichuntem reſtitueret: de exſcindendo per regem, Joſiam nomine, templo Bethelis, 2 trecentis & amplius annis priusquam res eveniret. Sic 3 Cyri quoque nomen ipſum ac res præcipuæ præſignificatæ ab Eſaia, exitus obſidionis, qua Chaldæi Hieroſolyma cinxerunt, ab Jeremia: 4 a Daniele vero translatio imperii ab Aſſyriis ad Medos ac Perſas, 5 inde ad Alexandrum Macedonem; 6 cujus deinde ex parte ſucceſſores forent Lagidæ & Seleucidæ; quæque mala populus Hebræus ab his omnibus, 7 maxime vero ab Antiocho illuſtri accepturus eſſet, adeo perſpicue, 8 ut Porphyrius, qui hiſtorias Græcas ſuo adhuc tempore exſtantes cum vaticiniis iſtis contulit, aliter ſe expedire non potuerit, quam ut diceret ea, quæ Danieli tribuebantur, poſt eventum fuiſſe ſcripta: quod perinde eſt, quaſi quis neget, quæ ſub Virgilii nomine exſtant, & pro Virgilianis habita ſunt ſemper, ab ipſo ſcripta Auguſti ævo. Non enim de iſto, quod dicimus, magis umquam dubitatum inter Hebræos fuit, quam de hoc apud Romanos. Addi his poſſunt oracula plurima & clariſſima, 9 apud Mexicanos & Peruanos, quæ Hiſpanorum in eas terras adventum, & ſecuturas inde calamitates prædixerunt.

Argumentis aliis.

Referri huc poſſunt & ſomnia non pauca, tam exacte congruentia cum eventibus, qui & in ſe, & in cauſis ſuis, ſomniantibus erant plane incogniti, ut ad caſum, aut cauſas naturales referri, niſi inverecunde, non poſſint: cujus generis illuſtria exempla ex probatiſſimis ſcriptoribus, 1 libro de anima Tertul-

ἱκανὰ πρὸς διατροφὴν ἐχορηγεῖτο· τῷ δ' ἀρχιδικαστῇ πολλαπλάσια· ἐφόρει δ' οὗτος περὶ τὸν τράχηλον ἐκ χρυσῆς ἁλύσεως ἠρτημένον ζῴδιον τῶν πολυτελῶν λίθων, ὃ προσηγόρευον ἀλήθειαν· τῶν δ' ἀμφισβητήσεων ἤρχοντο ἐπειδὰν τὴν τῆς ἀληθείας εἰκόνα ὁ ἀρχιδικαστὴς προσθοῖτο. *Salaria ad victum resque alias neceſſarias a rege judicibus præbebantur: ampliſſima autem ſummo judici. Geſtabat is de collo pendens ex aurea catena ſimulacrum e pretioſis lapidibus, cui nomen veritas. Cauſæ autem dictio tunc incipiebat, cum hoc veritatis ſimulacrum ſibi ſummus judex aptaſſet.* Ælianus variæ hiſtoriæ lib. XIV. cap. 24. Δικασταὶ δὲ τὸ ἀρχαῖον παρ' Αἰγυπτίοις ἱερεῖς ἦσαν· ἦν δὲ τούτων ἄρχων ὁ πρεσβύτατος, καὶ ἐδίκαζεν ἅπαντας. ἔδει δὲ αὐτὸν εἶναι δικαιότατον ἀνθρώπων καὶ ἀφειδέστατον. εἶχε δὲ καὶ ἄγαλμα περὶ τὸν αὐχένα ἐκ σαπφείρου λίθου, καὶ ἐκαλεῖτο τὸ ἄγαλμα, ἀλήθεια. *Apud Ægyptios qui judicabant, ſacerdotes erant. Eorumque princeps, qui ætate antecedebat cæteros: is in omnes jus dicebat. Eum vero eſſe oportebat omnium & juſtiſſimum & parcentem nemini. Gerebat autem de collo imaginem ex ſapphiro, eaque imago veritas dicebatur.* Gemara Babylonica capite 1. codicis Joma ait, in ſecundo templo defuiſſe quæ in primo fuerant, arcam cum propitiatorio & Cherubim: Ignem cœlitus lapſum: Schechina: Spiritum ſanctum: Urim & Thumim.

1 *ut de orbitate ejus qui Hierichuntem reſtitueret.*) Confer Joſuæ VI. 26. cum 1. Reg. XVI. 34.

2 *trecentis & amplius annis.*) CCCLXI. ut Joſephus putat antiquæ hiſtoriæ lib. X. cap. 5.

3 *Cyri quoque nomen ipſum ac res præcipuæ præſignificatæ ab Eſaia.* *) Cap. XXXVII. XXXVIII. Implementum vide cap. XXXIV. & LII. Et prophetiæ & implementi teſtimonium ex Eupolemo adfert Euſebius præpar. lib. IX. c. 39.

4 *a Daniele vero translatio imperii ab Aſſyriis ad Medos ac Perſas.* Daniel. II. 32. 39. v. 28. VII. 5. VIII 3. 20. X. 20. XI. 2.

5 *inde ad Alexandrum Macedonem.*) Dicto cap. II. 32. & 39. VII. 5. 6. VIII. 6. 7. 8. 21. X. 20. XI. 3. 4.

6 *cujus deinde ex parte ſucceſſores forent Lagidæ & Seleucidæ.*) cap. II. 33. 40. VII. 7. 19. 23. 24. VIII. 22. XI. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

7 *maxime vero ab Antiocho illuſtri accepturus eſſet.*) VII. 8. 11. 20. 24. 25. VIII. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 23. 24. 25. 26. XI. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. XII. 1. 2. 3. 11. Hæc loca, ſicut nos, exponunt Joſephus lib. X. c. 12. XII. c. 11. & de bello Judaico lib. I. c. 1. Chryſoſtomus II. adverſus Judæos, (*al. lib. III. fol. 426. ſeqq. tom. I. opp.*) Joſephi utens teſtimonio: & Polychronius Græcorumque alii.

8 *ut Porphyrius,* &c.) Vide Hieronymum paſſim ad Danielem. (*cap. V. VII. XI. fol. 506. ſeq. 511. 523. ſeqq. tom. IV. opp. Adde proœm. in Dan. init.*)

9 *apud Mexicanos & Peruanos.*) Mira ſane ſunt quæ de iſtis oraculis referunt Incha, ** Acoſta, Herrera, alii. Vide & Petrum Ciezam tomo II. rerum Indicarum.

1 *libro de anima Tertullianus.*) cap. XLVI. ubi notabilia refert ſomnia Aſtyagis, Philippi Macedonis, Himeræ fœminæ, Laodices, Mithridatis, Balaridis Illyrici, M. Tullii, Artorii, Polycratis Samii filiæ, ejus quæ Gerula Ciceroni, Cleonymi Pyctæ, Sophoclis, Neoptolemi tragœdi. Habes quædam horum & apud Valerium Max. lib. I. cap. 7. præterea Calpurniæ de Cæſare, P. Decii & T. Manlii Conſulum, T. Atinii, M. Tullii in exſilio, Annibalis, Alexandri Magni, Simonidis, Crœſi, matris Dionyſii tyranni, C. Sempronii Gracchi, Caſſii Parmenſis, Aterii Rufi equitis Romani, Amilcaris Pœni, Alcibiadis Athenienſis, Arcadis cujusdam

* Grave hoc loco mendum in recentiores editiones irrepſit. Namque capita, quæ *Eſaiæ* eſſe dicuntur, ad rem noſtram prorſus non faciunt. Quod ſi vero pro *Eſaia* ſubſtituas *Jeremiam*, omnia recte ſeſe habent. Atque id quidem innuere volunt & noſtra probatior & cæteræ antiquiores editiones, quando hæc præſenti notæ verba præfigunt: *Cyri quoque nomen ipſum ac res præcipuæ præſignificatæ ab Jeremia.* Cum vero hoc pacto notæ inſcriptio textus verbis non reſpondeat, conjecturam facio; omnem illam textus ſeriem: *Cyri quoque nomen* &c. usque *ab Jeremia* ad notæ titulum pertinere, atque a *Grotio* olim hac ratione expreſſam fuiſſe: *Cyri quoque nomen ipſum ac res præcipuæ præſignificatæ - - - ab Jeremia.* Fieri autem facile potuit, ut linea illa, quæ loco reliqui textus aderat, in typorum emendatione negligeretur, atque ita cuncta in unum nexum confluerent.

** *Incha* non eſt nomen Hiſtorici, qui annales *Mexicanorum* condidit, uti verba *Grotii* interpretari quis poſſet, ſed regum, qui *Peruanis* imperant. Namque & *Garcilaſſo de la Vega Hiſtoire des Yncas Rois de Perou* compoſuit, & ipſe *Grotius* noſter ad *Incharum hiſtoriam* infra *lib. IV §. 5. not. 1.* lectores ſuos remittit. Imo ipſius *Garſias Laſo de la Vega Hiſtoire des Yncas Rois de Perou* in pectore habuit *Grotius*. Etenim hunc, quod maternum genus ex imperiali Incarum ſtirpe traheret, Inca volgo audiiſſe, ex *Nic. Antonii bibliotheca Hiſpan. part. poſter. tom. I. fol.* 394. nunc demum didici.

Tertullianus congeſſit: & 2 ſpectra non viſa tantum, ſed & loqui audita, tradentibus hæc hiſtoricorum etiam illis, qui a ſuperſtitioſa credulitate abſunt longiſſime: & noſtri quoque ævi teſtibus qui in Sina, quique in Mexicana & aliis Americæ partibus vixere. Neque ſpernenda publica illa 3 ad tactum ignitorum vomerum innocentiæ examina, quorum tot Germanicarum nationum hiſtoriæ, ipſæque leges meminerunt.

§. XVIII. *Solvitur objectio, quod miracula nunc non conſpiciantur.*

Nec eſt, quod quiſquam objiciat, talia miracula hoc tempore non conſpici, nec audiri tales prædictiones. Satis enim eſt ad probationem divinæ providentiæ, factum id eſſe aliquando; qua ſemel conſtituta, conſequens eſt, ut tam provide ac ſapienter nunc credatur Deus abſtinere a talibus, quam olim ea uſurpaverit. Neque vero æquum fuit, leges univerſo datas, de rerum curſu naturali & futurorum incertitudine, temere aut ſemper excedi: ſed tum demum, cum digna incidiſſet cauſa: ut quo tempore veri Dei cultus toto prope orbe ejectus in uno mundi angulo, id eſt, in Judæa reſidebat, & adverſus circumfuſam impietatem novis ſubinde præſidiis muniendus erat; aut cum Chriſtiana religio, de qua peculiariter mox agemus, ex Dei decreto, per totum orbem primum ſpargi debuit.

§. XIX. *Et quod tanta ſit ſcelerum licentia.*

Solent nonnulli, ut de divina providentia dubitent, moveri conſpectu ſcelerum, quorum velut diluvio quodam hic orbis obruitur; quæ coërcere atque reprimere præcipuum contendunt divinæ providentiæ, ſi qua eſſet, opus futurum fuiſſe. Sed facilis eſt reſponſio: cum hominem Deus condidiſſet liberum ad bene maleque agendum, ſibi reſervata bonitate plane neceſſaria atque immutabili, 1 æquum haud fuiſſe, ut malis actionibus impedimentum poneret ei libertati contrarium. Cæterum quæcumque ſunt impediendi rationes, cum libertate data non pugnantes, ut legis conſtitutio ac promulgatio, monitus interni externique, cum minis etiam & promiſſis, earum nulla a Deo prætermittitur: ſed nec malitiæ effectus finit, quo poſſent, evagari, unde nec imperia everti, nec legum divinarum cognitio plane deleri umquam potuit. Quæ vero permittuntur ſcelera, non carent interim ſuo fructu, cum adhibeantur, ut attingere ſupra cœpimus, aut ad puniendos alios non minus ſceleratos, aut ad corrigendos, qui extra virtutis viam prolapſi ſunt, aut ad exigendum ſpecimen eximium patientiæ atque conſtantiæ ab his, qui magnos in virtute profectus fecerunt. Poſtremo & ipſi, quorum ad tempus diſſimulata videntur ſcelera, pœnas eorum cum temporis uſura ſolent ſolvere; ut de iis fiat, quod Deus voluit, qui fecerunt, quod Deus noluit.

§. XX. *Sæpe ita ut opprimantur boni.*

Quod ſi quando nulla apparent ſcelerum ſupplicia, &, quod multos infirmos ſolet offendere, boni quidam, malorum violentia oppreſſi, non vitam modo agunt ærumnoſam, ſed & mortem ſæpe ſub-

cujusdam. Sunt & notabilia apud Ciceronem de divinatione, (*lib. I. cap. 20. ſeqq. & lib. II. cap. 65. ſeqq.*) nec indignum memoratu quod Plinius habet lib. XXV. cap. 2. de matre in Luſitania militantis. Adde illa Antigoni & Artuculi, qui Oſmanidarum generit auctor in monitis Lipſianis lib. I. cap. V. (*monito.*) 5. & alia quæ collegit vir magnæ diligentiæ Theodorus Zuingerus voluminis V. (*rectius vol. III. fol. 364.*) lib. IV. titulo de inſomniis.

2 *ſpectra non viſa tantum, ſed & loqui audita.*) Vide Plutarchum, vita Dionis & Bruti, (*fol. 958. 982. & 1000. tom. I. opp.*) & de eodem Bruto Appianum Civilium quarto, (*pag. 668. edit. Stephani & p. 1067. ed. Tollii Amſtelod. A. 1670.*) & Florum lib. IV. cap. 7. Adde Tacitum de Curtio Ruſo annalium XI. (*cap. XXI. § 2.*) quæ eadem hiſtoria eſt in epiſtola Plinii XXVII. lib. VII. ſimul cum altera, de eo quod vidit Athenis philoſophus ſapiens & intrepidus Athenodorus. Vide & quæ apud Valerium Max. lib. I. cap. VIII. præſertim (*exemplo 8.*) de Caſſio homine Epicureo exterrito ad conſpectum Cæſaris a ſe occiſi, & apud Lipſium monitorum lib. I. cap. V. (*monito*) 5. Multas hiſtorias tales congeſſerant Chryſippus, Plutarchus libro de anima, Numenius ſecundo libro de animarum immortalitate, memorante Origene contra Celſum quinto. (*p. 268. ſeq.*)

3 *ad tactum ignitorum vomerum innocentiæ examina.*) Vide teſtimonia hac de re congeſta a Franciſco Jureto ad epiſtolam Ivonis Epiſcopi Carnotenſis 74. Quam autem id antiquum ſit, docet Sophocles Antigone, (*v. 269. ſeqq.*) ubi ſic Thebani Oedipodæ loquuntur:

Ἦμεν δ' ἕτοιμοι καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν,
Καὶ πῦρ διέρπειν, καὶ θεοὺς ὁρκωμοτεῖν,
Τὸ μήτε δρᾶσαι, μήτε τῳ ξυνειδέναι.
In hoc parati tangere ardentes ſumus
Maſſas, per ignes ire, jurare aut Deos,
Nos hujus eſſe nec reos, nec conſcios.

Docet & ex iis quæ in luco Feroniæ apud Soracte olim ſpectata ferunt Strabo lib. V. (*fol. 156.*) Plinius hiſt. natur. lib. VII. c. 2. & ad Virgilium XI. Æneidos Servius. * His naturæ ordinem egredientibus addi poſſe arbitror, quæ contra telorum jactus tutandis corporibus uſurpari videmus. Vide & de iis qui exſecta ob religionem lingua locuti, teſtes certiſſimos Juſtinianum l. I. C. de officio præfecti prætorio Africæ, (*lib. I. cod. tit. XXVII. leg. 1. init.*) Procopium Vandalicorum 1. (*p. 24. edit. Grotii A. 1655.*) Victorem Uticenſem libro de perſecutionibus, (*lib V. pag. 77. edit. Chiffletii A. 1664.*) Æneam Gazæum Theophraſto. (*fere circa fin. pag. 11. ex recenſione Barthii A. 1653.*)

1 *æquum haud fuiſſe, ut malis actionibus impedimentum poneret ei libertati contrarium.*) Tertullianus adverſus Marcionem II. (*cap. VI.*) *Tota ergo libertas arbitrii in utramque partem conceſſa eſt illi, ut ſui dominus conſtanter occurreret, & bono ſponte ſervando, & malo ſponte vitando: quoniam & alias poſitum hominem ſub judicio Dei, oportebat juſtum illud efficere de arbitrii ſui meritis, liberi ſcilicet. Cæterum nec boni nec mali merces jure penſaretur ei, qui aut bonus aut malus neceſſitate fuiſſet inventus, non voluntate. In hoc & lex conſtituta eſt non excludens, ſed probans libertatem, de obſequio ſponte præſtando, vel transgreſſione ſponte committenda. Ita in utrumque exitum libertas patuit arbitrii.* Mox: (*cap. VII.*) *Igitur conſequens erat, uti Deus ſecederet a libertate ſemel conceſſa homini, id eſt, contineret in ſemetipſo & præſcientiam & præpotentiam ſuam, per quas interceſſiſſe potuiſſet, quo minus homo, male libertate ſua frui aggreſſus, in periculum laberetur. Si enim interceſſiſſet, reſcidiſſet arbitrii libertatem, quam ratione & bonitate permiſerat.* Tractat hoc ipſum erudite, ut ſolet, Origenes quarto contra Celſum, (*pag. 163.*) ubi hoc inter alia: Ἀρετῆς ἐὰν ἀνέλῃς τὸ ἑκούσιον, ἀνεῖλες αὐτῆς καὶ τὴν οὐσίαν. *Virtuti humanæ ſi auferas libertatem, ipſam ejus naturam ſuſtuleris.*

1 *Hoc*

* Quæ apud montem *Soracten* aliquando evenisse, *Servius ad v. 785. Æneid. XI. Virgilii* narrat, ab iis, quæ *Strabo* ac *Plinius* referunt, prorſus aliena ſunt, noſtrumque adeo argumentum nihil juvant.

ſubeunt, & quidem infamem: non ideo mox tollenda eſt a rebus humanis Dei providentia, quæ tam validis, ut jam diximus, argumentis eſſe oſtenditur; ſed potius, cum ſapientisſimis viris, ita colligendum eſt:

§. XXI. *Retorquetur hoc ipſum, ad probandum animos ſupereſſe corporibus.*

Cum Deus curet actiones juſtusque ſit, & ita interim fiant, exſpectandum eſt aliquod poſt hanc vitam judicium; ne aut inſignis improbitas ſine pœna, aut magna virtus ſine ſolatio præmioque maneat. 1 Hoc autem ut ſtatuamus, etiam animos ſupereſſe corporibus ſtatui neceſſe eſt.

§. XXII. *Quod confirmatur traditione.*

Quæ antiquiſſima traditio (a) a primis (unde enim alioqui?) parentibus ad populos moratiores pene omnes manavit; ut 1 ex Homeri carminibus apparet, & 2 ex Philoſophis *non Græcorum tantum*, (b) ſed

1 *Hoc autem ut ſtatuamus, etiam animos ſupereſſe corporibus ſtatui neceſſe eſt.*) Qui argumentum hoc fuſius tractatum volet legere, recurrat ad Chryſoſtomum ad 2. Cor. cap. XVIII. * in Ethico, eundem tomo VI. contra eos qui a dæmonibus ajunt res humanas adminiſtrari, (*tom. V. opp. fol.* 711.) & quarto ſermone de providentia. (*tom. I. opp. fol.* 727. *ſeqq.*)

1 *ex Homeri carminibus apparet.*) Maxime in ea parte quæ νεκυία dicitur, ** cui addi poſſunt ſimiles νεκυίας apud Virgilium, *** Senecam in Oedipode, **** Lucanum, ***** Statium, ****** & quod eſt 1. Sam. XXVIII.

2 *ex Philoſophis.*) Pherecyde, Pythagora ac Platone, omnique horum ſchola. His Empedoclem & oracula plurima adjungit Juſtinus Apologetico 11. (*fol.* 65. *opp.*) Anaxagoram & Xenocratem Theodoretus. (*Therapeut. ſerm. V. fol.* 546. *tom. IV. opp.*)

3 *quos*

(a) *Quæ antiquiſſima traditio*) CONRING. Quod ſi quis percurrat totum terrarum orbem, atque omnium ſeculorum revolvat hiſtoriam, nullam inveniet gentem, quæ non præmium aut pœnam pro meritis expectavit: tametſi enim pauci quidam non defuerint, qui animas cum corpore interire credere maluerint, nunquam tamen illud integro alicui populo perſuaderi potuit, ut recte dixerit TERTULLIANUS *lib. de reſurrectione carnis cap. III. quædam etiam naturæ ſunt, ut immortalitas noſtra penes plures, ut Deus noſter penes omnes.* Cæterum, qui hac de re dubitarunt, plerique ventri & luxui fuere dediti, ut non mirum ſit, aliud potius illos maluiſſe credere. Soli in Græcis Philoſophis Peripatetici, cum in honeſtate vitæ felicitatem collocaſſent, hunc nihilominus errorem erraverunt, inducti, ut arbitror, quod dogmatis illius, de divino judicio poſt hanc vitam expectando, vix aliud fundamentum præter majorum traditionem invenirent, quæ ſciendi ratio nunquam videtur arriſiſſe Ariſtoteli. Id vero unice obſervandum eſt, omnes illos, qui vel rejecerunt immortalitatem, vel de ea hæſitanter locuti ſunt, eam tamen vim agnoviſſe veri & communis, ut una hac ſententia mortales in officio contineri, atque adeo hanc ſocietatem humanam illi de judicio divino perſuaſioni inniti aſſeruerint. Quod reapſe eſt dogmatis illius veritatem confiteri; ſuumque errorem arguere. Neque enim id verum eſſe poterit, quod ſocietatem humanam evertit, aut falſum quod eandem conſervat.

(b) *non Græcorum tantum*) CONRING. Apud populos Græcorum dogma illud de immortalitate animæ & judicio divino fuit vulgatiſſimum & commune; ideoque PLATONI lib. XII. de legibus appellatur lex patria. Soli eorum ſapientes, qui ſe Philoſophos voluerunt diſcernere; ita etiam hic quidam eorum novum aliquid commenti ſunt. Ita Pythagoricis placuit μετεμψύχωσις. Socrates & Plato vulgari ſententiæ maluerunt quidem accedere, non tamen ſine hæſitatione eam amplectuntur. Peripatetici conjunctam animæ, quam vocant, ſempiternitatem ſuſtulerunt. Stoici diu quidem manſuras dixerunt animas, ſemper tamen fore negaverunt. Epicurei nihil a morte ſupereſſe docuerunt; ſed hi, quod ante dixi, ventris cauſa in hanc ſententiam inducti ſunt, cujus intereſt, ne ſupplicium improbis infligat Numen. Obſervandum autem eſt, omnes illos, qui in honeſtatis officiis felicitatem vitæ hujus collocaverunt, & nihilominus tamen exceſſu hujus vitæ animam ipſam deleri crediderunt, ſibi metipſis aperte adverſatos. Aut enim honeſtati non eſt ſtudendum ſemper & omni tempore, aut a morte probis non eſt infelix aliquis ſtatus expectandus. Quod ſi autem ſimul cum hac vita tranſigitur de hominis beatitudine, fieri non poteſt, ut illud natura homini poſſit eſſe bonum vel ſectandum, quod hominem vita poteſt privare: nulli enim rei id poteſt eſſe bonum, quod rem illam deſtruit evertitque; honeſtatis vero actiones ſæpenumero non tantum conjicere optimos quosque in ſummas ærumnas, verum etiam plane de mediis tollere, cognitiſſimum eſt. Quin imo inter virtutes haud poſtremo loco numeratur fortitudo, quæ etiam ipſam mortem ſubeundam docet ac jubet. Ideoque cum ſatis a Philoſophis atque ipſo adeo Ariſtotele demonſtratum ſit, nihil eſſe hac quidem in vita homini melius virtute, honeſtatemque eſſe aliquid per ſe bonum, non debuit quoque ab iisdem negari animæ ſempiternitas. Quocunque autem adigimur ab eo, quod vere bonum eſt, non poteſt eſſe malum: atque ab honeſtate ſæpe ad mortem compellimur; manifeſtum igitur eſt, a morte iis, qui honeſte vixerunt, ſi non melius, certe non deterius fore, quam in hac vita. Vidit ex parte difficultatem hanc & robur argumenti hujus ARISTOTELES, ideoque in hæc verba erumpit *lib. I. ad Nicom. cap. I. Honeſta & juſta tantam d ver ſitatem habent, ut non natura, ſed ex conſtituto tantum eſſe videantur. Similis quædam deceptio & error ineſt & iis, quæ bona ſunt, quoniam plurimis damna inde naſcuntur, nonnulli enim etiam periere propter divitias, alii etiam propter fortitudinem.* Atque ita quidem Philoſophi Græcorum, ipſum autem vulgus, quod etiam ſupra dixi, conſtanter dogmati communi de animarum ſempiternitate & futuro judicio adhæſit. PLATO *lib. XII. Quod*, inquit, *verus eſt homo (eſt autem illud ipſum & dicitur anima, quod cum ſit immortale pergit ad Deos alios) redditurus eſt rationem, quemadmodum patria lex dicit, bonus quidem & probus fidenter, formidoloſe vero improbus.* Idem in *apologia: ſin autem mors eſt quaſi hinc in alium locum demigrare, & ea ſunt, quæ dicuntur, eſſe defunctos illic omnes, quid eo melius dari poteſt?* Idem in Epinomide: *Optima ſpe ſum ſupereſſe aliquid mortuis, & ſicut olim dictum, longe melius eſſe bonis, quam malis.* Similiter MARCUS TULLIUS loquitur: *Authoribus*, inquiens, *ad iſtam ſententiam quam vis obtineri uti optimis poſſumus, quod in omnibus cauſis & ſolet & debet valere plurimum. Et primum quidem in omni antiquitate quæ quo propius aberat ab ortu & divina progenie, hoc melius ea fortaſſe quæ erant vera, cernebat. Itaque unum illud inſitum erat priſcis illis, eſſe in morte ſenſum, neque exceſſu vitæ ſic deleri hominem, ut funditus interiret.*

* Vitioſe hæc poſita ſunt, cum tredecim ſaltem poſterioris ad *Corinthios epiſtolæ* capita exiſtant. Puto itaque, *Grotium homil. IX. ad II. Cor. cap. IV.* voluiſſe *tom. V. comment. in N. Teſt. fol.* 594. *ſeqq.*

** *Odyſſeam* λ. ſeu XI. *Homeri* intelligit, quæ a *v.* 36. plena eſt apparitionum animarum defunctarum.

*** Vid. *lib. II. Æneid. v.* 772. *ſeqq.*

**** *v.* forte 174. *ſeqq.*

***** *Lib. VI. Pharſalic. v.* 758. *ſeqq.*

****** *Thebaid. lib. IV. v.* 520. *ſeqq.*

ſed & Gallorum veterum, 3 quos Druidas vocabant, 4 & Indorum, quos Brachmanes: & ex iis 5 quæ de Ægyptiis 6 & Thracibus, quin & *Germanis* (a) ſcriptores plurimi prodiderunt. Quin & de judicio divino poſt hanc vitam plurima exſtitiſſe videmus non *apud Græcos* (b) tantum, 7 ſed & apud Ægyptios & 8 Indos, ut nos Strabo, Diogenes Laërtius, 9 Plutarchus docent; quibus addi poteſt traditio de mundo hoc conflagraturo, quæ olim 10 apud Hyſtaſpen & Sibyllas, nunc quoque 11 apud Ovi-

3 *quos Druidas vocabant.*) Docebant hi non interire animas teſte Cæſare l. VI. de bello Gallico (*cap.* 14.) Strabo lib. IV (*fol.* 136.) de iiſdem: ἀφθάρτους δὲ λέγουσι καὶ οὗτοι καὶ ἄλλοι τὰς ψυχάς. *Et hi & cum his alii interitus expertes dicunt animas.*

4 *& Indorum, quos Brachmanes.*) Quorum ſententiam ſic exprimit nobis Strabo lib. XV. (*fol.* 490.) Νομίζειν μὲν γὰρ δὴ τὸν ἐνθάδε βίον, ὡς ἂν ἀκμὴν κυομένων εἶναι. τὸν δὲ θάνατον γένεσιν εἰς τὸν ὄντως βίον καὶ τὸν εὐδαίμονα τοῖς φιλοσοφήσασι. *Hanc vitam habendam eſſe quaſi recens concepti fœtus ſtatum: mortem vero partum eſſe ad eam, quæ vere vita eſt, planeque beatam, iis ſcilicet qui ſapientiam ſectati fuerint.* Vide & inſignem de hac eorum ſententia locum, libro IV. Porphyrii de non edendis animalibus. (*pag.* 410. *ſeq.*)

5 *quæ de Ægyptiis.*) Herodotus Euterpe (*nempe lib. II. hiſt. cap.* 123.) Ægyptiorum ait eſſe dogma: ὡς ἀνθρώπου ψυχὴ ἀθάνατός ἐστι *morte carere humanas animas.* Idem tradit de iis Diogenes Laërtius in prœmio. (*ſegm. II.*) Tacitus lib. V. hiſtor. (*cap. V. ſ.* 7.) de Judæis: *Corpora condere quam cremare e more Ægyptio. Eademque cura, & de infernis perſuaſio.* Vide de anima Oſiridis Diodorum Siculum (*biblioth. hiſt. lib. I. ſect. II. fol.* 76.) & Servium ad VI. Æneidem, * cujus pleraque ab Ægyptiis deſumta ait. (*ad v.* 1. *Æn. VI.*)

6 *& Thracibus.*) Repete hic locum Hermippi de Pythagora, quem modo ex Joſepho protulimus. Mela lib. II. (*cap.* 2.) de Thracibus: *Alii redituras putant animas obeuntium: alii etſi non redeant, non exſtingui tamen, ſed ad beatiora tranſire.* De iiſdem Solinus c. X. (*alias XVI.*) *Nonnulli eorum putant obeuntium animas reverti: alii non exſtingui, ſed beatas magis fieri.* Hinc mos ille lætitiæ ſignis funera proſequendi, & his ſcriptoribus memoratus. & Valerio Maximo lib. I. c. VI. 12. ** Facit ea res credibile quod ex Scholiaſte Ariſtophanis modo diximus, Hebræorum quoſdam jam olim veniſſe in Thraciam.

7 *ſed & apud Ægyptios.*) Quæ de inferis Orpheus prodidit, ab Ægyptiis ſumta ait Diodorus Siculus lib. I. (*ſect. II. fol.* 86.) Repete quæ ex Tacito jamjam habuimus.

8 *Indos.*) In quorum ſententiis ponit Strabo libro XV. (*fol.* 490.) τῶν καθ' ᾅδου κρίσεων, de judiciis quæ apud inferos exercentur.

9 *Plutarchus.*) De his qui ſero a Deo puniuntur, (*tom. II. opp. fol.* 560. *it.* 563. *ſeqq.*) & de facie in orbe lunæ. (*tom. II. opp. fol.* 943. *ſeqq.*) Vide & egregium ejus locum ex dialogo de anima recitatum ab Euſebio præparationis evangelicæ libro XI. (*cap.* 38.)

10 *apud Hyſtaſpen & Sibyllas.*) Teſtis Juſtinus apologetico altero, (*fol.* 66. *opp.*) & Clemens Stromateon VI. *** unde & illud ſumtum quod ex tragœdia citatur:

Ἔσται γὰρ ἔσται κεῖνος αἰῶνος χρόνος,
Ὅταν πυρὸς γέμοντα θησαυρὸν σχάσῃ
Χρυσωπὸς αἰθήρ· ἡ δὲ βοσκηθεῖσα φλὸξ
Ἅπαντα τἀπίγεια καὶ μετάρσια
Φλέξει μανεῖσ', ἐπὰν δ' ἂρ ἐκλίπῃ τὸ πᾶν
Φροῦδος μὲν ἔσται κυμάτων ἅπας βυθός.
Γῆ δενδρέων ἔρημος, οὐδ' ἀὴρ ἔτι
Πτερωτὰ φῦλα βαστάσει πυρούμενος.
Nam veniet ille, veniet haud dubie dies,
Laxabit ignis cum redundantes opes
Auratus æther: lege tum ſpreta furens
Terras, & illis quidquid eſt ſublimius,
Depaſcet ardor: inde cum defecerit
Hoc omne, nullas jam ferent undas vada,
Neque ulla ramos eriget tellus, neque
Exuſtus aer paſcet aligerum genus.

11 *apud Ovidium.*) Metamorphoſeon I. (*fob. IX. v.* 17.)

Eſſe

(a) *Germanis*) CONRING. Germanorum veterum de anima ſententias ex optimis quibusque ſcriptoribus collegit PHILIPPUS CLUVERUS *lib. I. de Germania antiqua.* APPIANUS tract. *de bello Gallico* teſtatur Arioviſtum & Germanos contemſiſſe mortem ſpe reviviſcendi ductos, ut non tantum immortalitatem animæ, ſed & ipſam quodammodo reſurrectionem majores noſtros agnoviſſe videantur. Extant hodie in Scandia antiquiſſima Normannorum Gothorumque monumenta characteribus, quos illi appellabant, Runicis ipſis rupibus inſcripta, quæ fere omnia ſpem futuræ vitæ aperte loquuntur. Itaque merito licet locum hunc concludere his PLATONIS verbis, quæ reperiuntur *lib. XI. de legibus:* Defunctorum animæ vim habent quandam, rerumque humanarum curam gerunt. Hæc autem veriſſimis & antiquiſſimis ſermonibus circumferuntur, fidemque adhibere neceſſe eſt omni, quæ de hac re jactatur famæ, cum ſit tam multa & adeo priſca.

(b) *apud Græcos*) CONRING. Supra audivimus a Platone hanc de judicio divino opinionem patriam legem & antiquam famam appellari. Notum etiam ex Homero idem eſt, & poetarum tum Græcorum tum Latinorum carminibus decantatiſſimum. Ita enim etiam Pindarus ipſe apud Græcos & Virgilius apud Latinos de præmiis pœnisque cecinerunt, ut ex Chriſtianorum ſcholis profecti videri poſſint. Ex Pythagoræis TIMÆUS in calce operis ſui *de mundo* ita ait: adeſt vindicta ex legibus ex oraculis terrores injiciens vel inducens cœleſtes & ſubterraneos, quoniam ſupplicia inexorabilia apud inferos parata ſunt impiis. ÆSCHINES Socraticus (cujus eſt non vero Platonis dialogus, qui inſcribitur ἀξίοχος) *proficiſcuntur,* ait, *animæ in locum ferreis clauſtris clavibusque munitum; hæc patefacta ſtatim ferunt ad flumen Acherontem; exin tranandus eſt Cocytus; huc animæ profectæ ad judices aguntur, vocaturque is locus campus veritatis. Hic ſedentes diſquirunt, quam quisque vitam vixerit, quo ſtudio vel inſtituto in corpore uſus fuerit.* PLUTARCHUS in hæc verba erumpit: *ſi vera ſunt ut par eſt quæ priſci poetæ & philoſophi tradiderunt, pios qui deceſſiſſent, honoribus affici, quemadmodum fertur, eſſeque iis in locum repoſitum, in quo eorum animæ morabantur.* Idem ait: *eſt providentia, idque veris apparet exemplis, hæc docet animas immortales poſt mortem remanentes manere vel coronas vel ſupplicia.* Ea nempe eſt ratio providentiæ immortalitatis animorum, & denique judicii divini, ut uno horum poſito, neceſſario reliqua omnia concedenda ſint. Ideoque fieri vix potuit, ut a quoquam populo vel animorum ſempiternitas vel futurum illud judicium negaretur, cum ab omnibus gentibus providentiam agnitam eſſe certiſſimum ſit.

* Quæ *Servius* ad v. 154. *Æneid. VI. Virgilii* de Oſiride prodit, non ejus animam, ſed membra concernunt, de quibus narrat, quod ab Iſide non inventa fuerint. Cæterum luculenta ipſius *Servii* de animarum immortalitate diſputatio, ad v. 719. dictæ *Æneid.* prolata, expendi omnino meretur.

** Obſcurius paulo, quod ex *Valerio Maximo* petitur, eſt argumentum. Scilicet prodigia, quæ Pompejo evenere, ibi exponuntur, inter quæ & illud: *ſonum tympanorum Pergami abditis delubris editum.* Quod cum Pompeji mortem portenderet, hinc, lætitiæ ſigna in funeribus audita fuiſſe, collegiſſe videtur *Grotius*, quo argumenti robore, alii videant.

*** *Hyſtaſpis & Sibyllarum* de mundo hoc conflagraturo traditionis nequaquam memorato libro teſtis eſt *Clemens Alex.* Illud tamen, quod ex tragœdia heic citatur *lib. V. Strom. fol.* 606. *ſeq.* recitat, id quod etiam ſub *Sophoclis* nomine *Juſtinus Martyr. lib. de Monarchia Dei fol.* 105. *opp.* habet. Cum vero græca in quibusdam paulo aliter inflectantur, ac hoc loco exhibentur, *Grotius* ipſe conferendus in *excerptis ex tragœdiis & comœdiis græcis pag.* 144. edit. Pariſ. MDCXXVI.

Ovidium 12 & *Lucanum* (a) 13 & Indos Siamenſes reperitur: cujus rei indicium 14 & Aſtrologis notatum, ſol ad terras propius accedens. Etiam cum in Canarias, Americam, & alia longinqua loca primum ventum eſt, reperta ibi quoque eadem de animis & judicio ſententia.

§. XXIII. *Cui nulla ratio repugnet.*

Neque vero ullum poteſt reperiri ex natura petitum argumentum, quod hanc tam veterem, tam late patentem traditionem refellat. Nam quæ perire cernimus omnia, ea pereunt, aut oppoſitu contrarii validioris, ſicut frigus perit vi magna caloris; aut ſubtractione ſubjecti, a quo pendent, ut magnitudo vitri fracto vitro; aut defectu cauſæ efficientis, ut lux ſolis abitu. Nullum autem horum poteſt de animo dici. Non primum: quia nihil poteſt dari, quod animo ſit contrarium; imo ea eſt ejus natura peculiaris, ut quæ inter ſe contraria ſunt, ea pariter, & eodem tempore in ſe capiat, ſuo, id eſt intellectuali modo. Non ſecundum: quia nec ſubjectum eſt ullum, a quo pendeat animi natura. 1 Si quod enim eſſet, id eſſet corpus humanum. At id non eſſe ex eo apparet; quod cum vires, quæ corpori inhærent, agendo laſſentur, ſolus animus actione laſſitudinem non contrahit: item 2 corporis vires læduntur a nimia excellentia rei objectæ, ut viſus a ſolis luce: at animus, quo circa excellentiora verſatur, ut circa figuras a materia abſtractas, circa univerſalia, 3 eo redditur perfectior. Quæ corpori inhærent vires, occupantur circa ea, quæ locis ac temporibus definita ſunt, quæ eſt natura corporis. At animus etiam circa infinitum & æternum. Quare cum in operando animus a corpore non pendeat, ne eſſe quidem ipſius inde pendet. Nam rerum, quas non cernimus, natura aliunde, quam ex operationibus, colligi nequit. Sed nec tertius ille pereundi modus hic locum habet. Neque enim dari poteſt cauſa effectrix, a qua animus ſemper emanet. Non enim parentes dixeris, cum iis mortuis vivere filii ſoleant. Quod ſi quam omnino velimus eſſe cauſam, unde emanet animus, non poteſt alia ea eſſe, quam cauſa prima atque univerſalis, quæ ex parte poteſtatis numquam deficit. Ex parte autem voluntatis eam deficere, hoc eſt velle Deum, ut exſtinguatur animus, nullo poteſt probari argumento.

§. XXIV. *Multa faveant.*

Imo argumenta ſunt *non levia* (b) in contrarium: datum homini 1 dominium in ſuas actiones, appe-

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur adfore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

12 *& Lucanum*) Libro 1. (*v. 72. ſeqq.*)

- - - - Sic cum compage ſoluta
Sæcula tot mundi ſuprema coegerit hora,
Antiquum repetent iterum chaos omnia: miſtis
Sidera ſideribus concurrent: ignea pontum
Aſtra petent: tellus extendere littora nolet,
Excutietque fretum: fratri contraria Phœbe
Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata, diem poſcet ſibi, totaque diſcors
Machina divulſi turbabit fœdera mundi.

Præiverat Lucano patruus Seneca, ſive ad Marciam (i. e. *Libro de conſolatione ad Marciam cap XXVI.*) *Sidera ſideribus incurrent, & omni flagrante materia, uno igne, quicquid nunc ex diſpoſito lucet, ardebit.*

13 *& Indos Siamenſes.*) Vide Ferdinandum Mendeſium. (*itinerario per Europam, Aſiam &c. pag. 157 verſ. German.*)

14 *& Aſtrologis notatum.*) Copernico revolutionum lib. III. c. 16. Joachimo Rhætico ad Copernicum, Gemmæ Friſio. Vide & Ptolemæum lib. III. c. 4. ſyntaxeos mathematicæ. Mundum non illis viribus ſtare, quibus prius ſteterat, idque ipſum loqui mundum, & occaſum ſui rerum labentium probatione teſtari, ait Cyprianus ad Demetrianum. (*paulo poſt initium.*)

1 *Si quod enim eſſet, id eſſet corpus humanum.*) Id non eſſe bene probat Ariſtoteles ex ſenibus, libro de anima 1. cap. 4. Idem lib. III. cap. 4. Anaxagoram laudat quod νοῦν ἀμιγῆ dixerit, mentem impermixtum aliquod, nimirum, ut res alias poſſit cognoſcere.

2 *corporis vires læduntur a nimia excellentia rei objectæ.*) Ariſtoteles lib. III. de anima, c. 4. ὅτι δ' οὐχ ὁμοία ἡ ἀπάθεια τοῦ αἰσθητικοῦ καὶ τοῦ νοητικοῦ φανερὸν ἐπὶ τῶν αἰσθητηρίων καὶ τῆς αἰσθήσεως· ἡ μὲν γὰρ αἴσθησις οὐ δύναται αἰσθάνεσθαι ἐκ τοῦ σφόδρα αἰσθητοῦ, οἷον ψόφου ἐκ τῶν μεγάλων ψόφων, οὐδ' ἐκ τῶν ἰσχυρῶν ὀσμῶν καὶ χρωμάτων, οὔτε ὁρᾶν, οὔτε ὀσφραίνεσθαι· ἀλλ' ὁ νοῦς ὅταν τι νοήσῃ σφόδρα νοητὸν, οὐχ ἧττον νοεῖ τὰ ὑποδεέστερα, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον· τὸ μὲν γὰρ αἰσθητικὸν οὐκ ἄνευ σώματος, ὁ δὲ νοῦς χωριστός. *Non eſſe autem ſimilem impatibilitatem partis ſentientis & intelligentis, apertum eſt ex ſentiendi inſtrumentis, ipſaque ſenſione. Senſus enim, ubi nimia eſt res ſenſibilis, ſentire nequit, id eſt, nec audire ſonos vehementes, nec odores tales olfacere, nec conſpicere colores. At mens ubi aliquid concepit quod egregium ſit intellectu, non minus id intelligit quam minora, imo & magis: id eo venit, quod ſentiens pars non ſit ſine corpore, mens autem aliquid a corpore ſeparabile.* Adde Plotini locum egregium, quem poſuit Euſebius in præparatione libro XV. c. 22. Adjunge, quod animus eos qui ex corpore naſcuntur affectus vi ſua vincit, ipſique corpori cruciatus interitumque imperat.

3 *eo redditur perfectior.*) Et quæ magis animum a corpore ſeducunt, eæ ſunt animi actiones excellentiores.

1 *dominium in ſuas actiones.*) Et in animantia quævis. Adde notitiam Dei & naturam immortalium: Θεῶν δὲ ἰδὲν ἀθάνα-

(a) *Lucanum*) CONRING. Hic lib. I. ita canit:

- - - - - Sic cum compage ſoluta
Secula tot mundi ſuprema coegerit hora.

Ex vulgine autem ſententia an Stoicæ potius ſcholæ, cujus ille cum patruo Seneca ſectator audiebat, haud facile dixerim. Cæteroquin notum in vulgus eſt, Stoicorum de mundi conflagratione placitum verum illud quidem aliqua ſui parte, falſum tamen, quod hanc ἐκπύρωσιν non ex divino arbitratu, ſed naturæ quodam vitio futuram exiſtimarent. Ita etiam MARCUS TULLIUS Stoicus quendam loquentem inducit: *ex quo eventurum noſtri putant, ut ad extremum omnis mundus igneſceret, cum omni humore conſumto, neque terra ali poſſet, neque remearet aer, cujus ortus aqua omni exhauſta eſſe non poſſit, ita relinqui nihil præter ignem.* Vide LIPSIUS *lib. I.* de phyſiologia Stoicorum. Sed ineptum eſt, omnem humorem naturali quodam vitio abſumi poſſe, cum vere omne illud, quod ignis virtute ſua exhalat, ubi in vapores vel nubes condenſatum eſt, in aquam iterum colliqueſcat. Ea ſane eſt mundi hujus firmitas, ut ſuapte quidem ſponte, ne rimam quidem, ut ita loquar, poſſit ducere, tantum abeſt, ut inſtar lutei cujusdam corporis, inteſtino quodam morbo poſſit interire. Cæterum nec Americanis quidem populis mundi hoc exitium ignotum eſt, ſi ſcriptoribus credimus in notis ad HIERONYMUM BENZONEM *lib. III. c. XX.* Mundum quoque interiturum perhibent, ſed non prius, quam ingens quædam ſiccitas & conflagratio aeris acciderit, qua ſol ipſe & luna hauriantur. Nec alio videntur ſpectare, quod Druidas dixiſſe paulo ante audivimus, mundum quidem æternum fore, interdum tamen ſuperare vel aquam vel ignem.

(b) *ſunt non levia*) CONRING. Pro ſempiternitate animorum.

appetitus *immortalitatis inſitus*, (a) conſcientiæ vis conſolantis ſe ob actiones bonas quamvis moleſtiſſimas, & ſpe quadam ſuſtentantis; 2 contra cruciantis ſeſe ob prave acta, præſertim circa mortem, tanquam ſenſu imminentis judicii: quam vim 3 ſæpe nec peſſimi tyranni intra ſe exſtinguere, cum maxime id vellent, potuerunt, ut multis exemplis apparet.

§. XXV. *Cui conſequens eſt, ut finis hominis ſit felicitas poſt hanc vitam.*

Quod ſi animus & ejus eſt naturæ, quæ nullas habeat in ſe intereundi cauſas, & Deus multa nobis ſigna dedit, quibus intelligi debeat, velle ipſum, ut animus ſuperſtes ſit corpori; non poteſt finis homini ullus proponi ipſo dignior, quam ejus ſtatus felicitas: & hoc eſt, quod Plato, & Pythagorici dixerunt, 1 bonum eſſe hominis Deo quam ſimillimum reddi. Qualis autem ea ſit felicitas, & quomodo comparetur, poſſunt quidem homines *conjecturis indagare*: (b) ſed ſi quid ejus rei a Deo patefactum eſt, id pro veriſſimo & certiſſimo haberi debet.

§. XXVI. *Ad quam comparandam indaganda vera religio.*

Quod cum Chriſtiana religio ſupra alias ſe nobis adferre polliceatur, ſitne ei fides habenda, ſecunda hujus operis parte examinabitur.

LIBER SECUNDUS.

§. I. *Ut probetur, hunc titulum Chriſtianæ religioni competere, oſtenditur Jeſum vixiſſe.*

SECUNDUS igitur liber, fuſis ad Chriſtum in cœlo jam regnantem precibus, ut ea nobis Spiritus ſui auxilia ſubminiſtret, quæ ad rem tantam nos idoneos reddant, conſilium explicat, non hoc eſſe, ut omnia

ἀθάνατον οἶδε, ait Salluſtius Philoſophus, (*de diis & mundo cap. VIII.*) *Nulli naturæ mortali immortalis natura cognita eſt.* Notitiæ autem ingens ſignum, quod nihil eſt tam grave, quod non Dei cauſa animus ſoleat contemnere. Adde quod potentiam intelligendi agendique non habet circumſcriptam, ut cætera animantia, ſed infatigabilem, & in infinitum patentem, & ſic Deo ſimilem; quæ differentia hominis a cæteris animantibus etiam Galeno notata.

2 *contra cruciantis ſeſe ob prave acta, præſertim circa mortem.*) Plato de republica primo: (*fol. 573. opp.*) Ἐπειδάν τις ἐγγὺς ᾖ τοῦ οἴεσθαι τελευτήσειν, εἰσέρχεται αὐτῷ φόβος καὶ φροντὶς περὶ ὧν ἐν τῷ πρόσθεν οὐκ εἰσῄει. *Cum jam prope eſt ut quis moriturum ſe putet, tunc metus eum ac ſollicitudo ſubit, de quibus ante non inſtituerat cogitare.*

3 *ſæpe nec peſſimi tyranni intra ſe exſtinguere, cum maxime id vellent, potuerunt.*) Teſtis illa Tiberii ad ſenatum epiſtola: *Quid ſcribam vobis, Patres Conſcripti, aut quomodo ſcribam, aut quid omnino non ſcribam hoc tempore? Dii me deæque pejus perdant, quam perire quotidie ſentio, ſi ſcio.* Qua recitata, addit Tacitus annalium VI. (*cap. VI.*) *Adeo facinora atque flagitia ſua ipſi quoque in ſupplicium verterant: Neque fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt, ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe aſpici laniatus & ictus; quando ut corpora verberibus, ita ſævitia, libidine, malis conſultis, animus dilaceretur.* Plato eſt is quem hic indicat Tacitus, qui de republica nono (*fol. 733.*) de tyranno: Πένης τῇ ἀληθείᾳ φαίνεται, ἐάν τις ὅλην ψυχὴν ἐπίσταται θεάσασθαι, καὶ φόβου γέμων διὰ παντὸς τοῦ βίου σφαδασμῶν τε καὶ ὀδυνῶν πλήρης. *Mendicus revera eſt, ſi quis univerſum ipſius animum recte norit inſpicere, plenus formidinis per omnem vitam, plenus mœroris & cruciatuum.* His ſimilia idem philoſophus habet in Gorgia. (*f. forte 326. 327. opp.*) Suetonius capite 67. eam quam dixi Tiberii epiſtolam recitaturus ſic præfatur: (*cap. 66. in Tiberio.*) *Poſtremo ſemetipſe pertæſus talis epiſtolæ principio tantum non ſummam malorum ſuorum profeſſus eſt.* Ad Platonis locum etiam Claudianus reſpexit, Rufinum carmine ſecundo (*ſeu lib. II. v. 504. ſeq.*) deſcribens:

- - - - pectus inuſtæ
Deformant maculæ, vitiiſque inolevit imago.

1 *bonum eſſe hominis Deo quam ſimillimum reddi.*) Quod a Platone accepere Stoici. Notat Clemens, Strom. V. (*fol. 594. opp.*)

morum aſtruenda meo judicio hæc potiſſimum valent: 1. Si eſt providentia, ut eſt, anima quoque immortalis eſt, & judicio divino vel præmium vel pœnam a morte conſequitur. Certum enim eſt, hac in vita noſtra nec bonis interdum bene, neque malis male eſſe, contra quam tamen fieri aliquando omnino debet, ſi quidem humanarum rerum curam aliquam Deus Opt. Maximus habet. 2. Eſt utique homini propoſita ſumma quædam felicitas, quæ ſine jucunditate & bonorum omnium affluentia virtutumque omnium complexu nequit obtineri, horum enim, ſi quid defuerit, vera felicitas locum non habet. At vero nemo mortalium hac quidem in mortalitate noſtra tam felici ſtatu frui poteſt. Ergo vel dicendum eſt, iſtiusmodi propoſitum eſſe ſcopum humano generi, quem nemo quisquam poſſit aſſequi, aut fatendum, alibi nos poſſe beatos, adeoque animos noſtros defunctis quoque corporibus ſupereſſe. 3. Conſtat honeſtati operam eſſe dandam, atque hujus officia non permittunt hominem hiſce in terris felicem agere vitam, imo ſæpe de medio tollunt & vita privant. Neceſſario igitur concedendum eſt, non interire plane quicquid in homine eſt, cum corpus animaque diſſolvantur, cæteroquin aliquod vere bonum homini noxium eſſet, quod eſt ſibimetipſi contradicere.

(a) *immortalitatis inſitus*) CONRING. Feruntur profecto omnes homines deſiderio quodam immortalitatis. Verum enim vero ſitne hoc homini inſitum, an vere aliunde inductum in animos noſtros, non item apparet. Videtur vero potius a ratiocinatione hanc expectationem eſſe, quam a naturæ aliquo inſtituto. Quæcunque enim a natura proveniunt, ea in omnibus æquali ſe habent ratione, neque mutari poſſunt. Videas vero multos optare funditus extingui, nec defuerunt inter doctiſſimos, quibus hæc animorum immortalitas perſuaderi non potuit.

(b) *conjecturis indagare*) CONRING. Via ad ſalutem non eſt pervia ratiocinationi humanæ. Poteſt autem hoc oſtendi. 1. Conſenſu totius terrarum orbis, nulla enim gens unquam extitit, vel nunc reperitur, quæ ſuo hac in re fiſa ſit ingenio, omnibus ad revelationem divinam, licet ſæpe inanem ac falſam, ſæpe etiam mere diabolicam, recurrentibus. Deinde etiam id reapſe patet, quia ratio omnis honeſti ac virtutis erroribus hominum & propria quadam obſcuritate ita involuta eſt, ut ipſo quoque Ariſtotele teſte, quid rectum vel injuſtum ab humana intellectu vix poſſit percipi. Ut taceam ipſam illam æternam beatitudinem naturali mentis judicio ita eſſe incognitam, ut non niſi ægre cognoſcatur, eſſe eam. Denique facile apparet, cum Deus ſit rector univerſi, non poſſe illum non offendi peccatis humani generis, ideoque fieri non poſſe, ut quisquam hominum æterna potiatur beatitudine, cum nemo non indignum ſeſe peccatis ſuis tanta felicitate reddiderit. Proinde cum etiam rectæ rationi pateat, ſummo jure humanum genus excludi felicitate ſua, facile etiam id patet, non niſi ex mera quadam gratia poſſe nos quaſi poſtliminio in integrum reſtitui, quicquid autem ex gratia eſt. illud ex arbitratu tantum adeoque contingenti quodam principio fluit, proindeque cognoſci nequit, niſi Deus O. M. ſententiam ſuam decretumque divinum revelaverit.

omnia dogmata Chriſtianiſmi tractentur: ſed ut oſtendatur, religionem ipſam Chriſtianam veriſſimam eſſe atque certiſſimam, quod ſic orditur. Jeſum Nazarenum vixiſſe quondam in Judæa, rerum Romanorum potiente Tiberio, non tantum Chriſtiani per omnes terrarum oras ſparſi conſtantiſſime profitentur; ſed & Judæi omnes, qui nunc ſunt, & qui umquam poſt illa tempora ſcripſerunt: teſtantur idem & Pagani, hoc eſt, nec Judaicæ, nec Chriſtianæ religionis ſcriptores, ut 1 Suetonius, 2 Tacitus, 3 *Plinius junior*, (a) & poſt hos multi.

§. II. *Eundem affectum morte ignominioſa.*

Eumdem Jeſum a Pontio Pilato, Judææ præſide, cruci affixum, omnes itidem Chriſtiani, quanquam ignominioſum videri poterat talem Dominum colentibus, fatentur; 1 fatentur & Judæi, cum tamen non ignorent, eo ſe nomine, quod majores ſui Pilato id ſtatuendi auctores fuerint, graviſſimam invidiam apud Chriſtianos, quorum ſub imperiis paſſim degunt, ſuſtinere. Pagani vero, quos jam diximus, ſcriptores idem memoriæ prodiderunt: imo multo poſt tempore extiterunt 2 acta Pilati, quibus id conſtaret, ad quæ Chriſtiani *nonnumquam provocabant.* (b) Neque Julianus, aut alii oppugnatores Chriſtianiſmi id umquam in controverſiam vocarunt: ita ut nulla excogitari poſſit hiſtoria, quæ certior hac ſit; ut quæ tot, non dicam hominum, ſed populorum inter ſe diſcordantium teſtimoniis approbetur.

§. III. *Et tamen poſt mortem adoratum etiam a viris ſapientibus.*

1 Quod cum ita ſit, videmus tamen per ditiſſimas mundi regiones ipſum, ut Dominum, coli: neque

1 *Suetonius.*) Claudio cap. 25. ubi *Chreſto* ſcribitur pro *Chriſto*, quia nomen illud Græcis & Latinis notius.

2 *Tacitus.*) Libro XV. (*cap. XLIV. §. 4.*) ubi de Chriſtianorum ſuppliciis: *Auctor nominis ejus Chriſtus, qui Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat.* Ubi flagitia & odium generis humani nihil aliud ſunt quam falſorum Deorum neglectus: quam eandem cauſam etiam Judæis maledicendi Tacitus habuit, & Plinius major cui Judæi dicuntur gens contumelia numinum inſignis. Nimirum, Romani plerique ita erant facti, ut, quod Seneca laudat, civilis Theologiæ partes in animi religione non haberent, ſed in actibus fingerent, ſervarentque tanquam legibus juſſa, credentes cultum magis ad morem quam ad rem pertinere. Varronis & Senecæ hac de re ſententiam, quæ eadem Taciti, vide apud Auguſtinum lib. IV. cap. 33. (*rectius forte cap.* 31.) & lib. VI. cap. 10. de civitate Dei. Interim nota, Jeſum, qui a Pontio Pilato ſupplicio affectus eſt, jam Neronis tempore a multis etiam Romæ pro Chriſto habitum. Confer quæ apud Juſtinum ſunt Apologetico II. de hac hiſtoria,* ubi Imperatores & Senatum Romanum alloquitur, qui ex actis noſſe iſta poterant.

3 *Plinius Junior.*) Epiſtola omnibus obvia, quæ libri decimi eſt XCVII. cujus & Tertullianus apologetico (*cap. II.*) meminit, & Euſebius in chronico. (*lib. II. fol* 209.) Ubi vides Chriſtianos carmen Chriſto, quaſi Deo, dicere ſolitos, obſtrictosque inter ſe, non in ſcelus aliquod, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent. Pervicaciam & inflexibilem in iis obſtinationem culpat Plinius, in hoc uno, quod Deos appellare & ſimulacris numinum thure ac vino ſupplicare, ac Chriſto maledicere nollent, neque ut id facerent ullis tormentis cogi poſſent. Epiſtola quæ ei reſpondet Trajani, cum ait re ipſa manifeſtum facere Chriſtianum ſe non eſſe, qui diis Romanis ſupplicet. Hiſtoriam quandam de Jeſu etiam, apud Numenium Pythagoricum exſtitiſſe docet nos Origenes contra Celſum quarto. (*pag.* 198.)

1 *fatentur & Judæi.*) Qui eum vocant תלוי, id eſt, ſuſpenſum. Jeſum Hieroſolymis occiſum agnoſcit Benjaminus Tudelenſis in itinerario. **

2 *acta Pilati.*) Vide Epiphanium in Teſſareſcædecatitis. (i. e. *hæreſi L. num.* 7.)

1 *Quod cum ita ſit, videmus tamen per diutiſſimas mundi regio-*

(a) *Plinius Junior*) CONRING. Hic *lib. X. epiſt.* 97. refert Trajano de Chriſtianis eorumque ſuppliciis, ubi luculenta etiam Chriſti mentio habetur. Huic proxima epiſtola reſpondens Trajanus non minus etiam meminit Chriſtianorum. Hunc ſecutus eſt Hadrianus. Chriſtianorum & Chriſti his verbis meminit epiſtola ad Servianum conſulem, quem ex Phlegontis liberti hiſtoriis tranſſcripſit FLAVIUS VOPISCUS *in ſaturnino: Ægyptum quam mihi laudabas, Serviane cariſſime, totam didici, levem, pendulam, & ad omnia famæ momenta volitantem. Illi, qui Serapin colunt, Chriſtiani ſunt, & devoti ſunt Serapi, qui ſe Chriſti epiſcopos dicunt. Nemo illic Archiſynagogus Judæorum, nemo Samarites, nemo Chriſtianorum presbyter, non mathematicus, non aruſpex, non aliptes. Ipſe ille Patriarcha cum Ægyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Chriſtum.* Hic ſi credimus ÆLIO LAMPRIDIO, Chriſtum inter Deos recipere voluit; verba hujus ſunt *de Alexandro Severo cap. XLIII. p.* 370. *Chriſto templum facere voluit, eumque inter Deos recipere.* Idem pag. 355. de Alexandro Severo narratur, quod in Larario (locus eſt, in quo rem divinam peragebant) inter alios etiam Chriſti effigiem collocaverit. JUSTINUS *apol. II.* ad Antoninum Pium recitat epiſtolam Adriani Imperatoris ad Min. Fundanum, qua jubet, ut ſecundum leges animadvertatur in Judæos non nudis clamoribus. Judæorum autem nomine intelliguntur Chriſtiani. Quid Verus & Antoninus ſtatuerint in eos, qui Judaicam, hoc eſt, Chriſtianam ſuperſtitionem ſequuntur, docet ULPIANUS *tit. de decurionibus leg. generaliter 3. §. eis, qui Judaicam &c.* ARRIANUS *libr. II. cap.* 9. meminit Judæorum baptizatorum, hoc eſt Chriſtianorum.

(b) *nonnunquam provocabant.*) CONRING. De actis Pilati ita loquitur inter alia JOSEPHUS SCALIGER *lib. VI. de emendatione temporum: Vana fuit jactatio illorum, qui profitebantur ex actis Pilati ſe verum diem Paſſionis tenere, eumque fuiſſe ad diem VIII Cal. Aprilis, hoc eſt XXV. die Martii. Alia rurſus acta Pilati reperiſſe ſcribit Epiphanius, quæ Chriſtum paſſum dicerent XV. Calend. April. qui erat ſtupor aſininus.* Hinc liquet multa tunc exemplaria actorum Pilati manibus trita fuiſſe.

* Non de hac hiſtoria: *jam Neronis tempore a multis etiam Romæ pro Chriſto habitum* Servatorem noſtrum, quam modo notaverat *Grotius*; quippe de qua *Juſtinus* nihil perhibet. Sed de illa hiſtoria, quod Jeſus Nazarenus vixerit in Judæa imperitante Tiberio, atque per procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus fuerit. Hujus enim veritatem ut Romanis ob oculos ponat *Juſtinus*, ad *acta & commentarios*, qui ſub Pilato ſunt conſcripti, provocat *fol.* 76 & 84. *opp.* Quin & illud hic adnotandum: *Juſtinum*, ut probet, Chriſtum Bethlehemi natum eſſe, *deſcriptiones cenſus acti*, quæ ſub Cyrenio ſunt confectæ, ceu locupletiſſimas ejus rei teſtes allegare, nominata *apolog. II. fol.* 75.

** Etenim dum ſepulchri *viri illius, quem omnes voto conſtricti adeunt*, id eſt, Salvatoris noſtri, quod *Hieroſolymis viſitur*,

neque noſtris tantum, aut actis paullo ante temporibus, ſed & ſuperioribus, usque dum ad ætatem rei geſtæ proximam veniatur; puta ſub Neronis imperio, quo tempore plurimos Chriſti venerationem profeſſos ob id ipſum affectos ſupplicio is, quem diximus, Tacitus, & alii teſtantur.

§. IV. *Cujus rei cauſam aliam eſſe non poſſe, quam miracula ab ipſo edita.*

Fuerunt autem ſemper, inter cultores Chriſti, plurimi, & judicio præditi, & literarum non rudes: quales (ut de Judæis nunc taceamus) 1 Sergius Cypri præſes, 2 Dionyſius Areopagita, 3 Polycarpus, 4 Juſtinus, 5 Irenæus, 6 Athenagoras, 7 Origenes, 8 Tertullianus, 9 Clemens Alexandrinus, ac porro alii: qui tales cum eſſent, cur homini ignominioſa morte affecto ſe cultores addixerint; præſertim cum prope omnes in aliis religionibus educati eſſent, nec in Chriſtiana quicquam eſſet, aut honoris, aut commodi; nulla poteſt cauſa reddi, præter hanc unam, quod diligenti inquiſitione, qualis viros prudentes in maximi momenti negotio decet, comperiſſent, veram & firmis teſtibus ſubnixam fuiſſe famam, quæ de miraculis ab eo editis percrebuerat; ut de ſanatis ſola voce, & quidem palam, morbis gravibus atque inveteratis, de viſu reddito ei, qui cœcus natus eſſet, auctis non ſemel panibus in alimenta multorum millium, quæ id teſtari poterant, de mortuis in vitam revocatis, & quæ plura ſunt ejusmodi: quæ quidem fama tam certam atque indubitatam habuit originem, ut edita a Chriſto prodigia aliqua, 10 *neque Celſus*, (a) 11 neque Julianus, cum in Chriſtianos ſcriberent, negare auſi fuerint, 12 Hebræi vero in Thalmudicis libris aperte fateantur.

§. V. *Quæ miracula non naturali efficaciæ, neque diabolicæ adſcribi poſſint, ſed omnino a Deo ſint profecta.*

Naturali vi non patrata fuiſſe quæ diximus opera, ſatis hoc ipſo apparet, quod prodigia ſive miracula appellantur. Neque vero per naturæ vim fieri poteſt, ut ſola voce, aut contactu, morbi graves, & quidem ſubito tollantur. Quod ſi ad naturalem efficaciam referri opera iſta aliquo modo potuiſſent, dictum jam pridem id fuiſſet ab iis, qui ſe aut Chriſti in terris agentis, aut evangelii ipſius hoſtes *profeſſi ſunt*. (b) Simili

regiones ipſum, ut dominum, coli.) Tractat hoc fuſius Chryſoſtomus ad II. ad Cor. v. 7. *

1 *Sergius Cypri Præſes.*) Act. XIII. 12.

2 *Dionyſius Areopagita.*) Act. XVII. 34.

3 *Polycarpus.*) Qui martyrium paſſus in Aſia anno Chriſti CLXIX. juxta Euſebium. (*in chronic. lib. poſt. fol.* 214.)

4 *Juſtinus.*) Qui pro Chriſtianis ſcripta edidit anno Chriſti CXLII. Vide eundem Euſebium. (*ibid. fol.* 212.)

5 *Irenæus.*) Floruit Lugduni anno Chriſti CLXXXIII.

6 *Athenagoras.*) Athenienſis hic fuit. Floruit autem circa annum Chriſti CLXXX. ut ex libri inſcriptione apparet.

7 *Origenes.*) Floruit circa annum Chriſti CCXXX.

8 *Tertullianus.*) Celeber anno Chriſti CCVIII.

9 *Clemens Alexandrinus.*) Circa idem tempus. Vide Euſebium. (*loc. cit. fol.* 216.)

10 *neque Celſus.*) Cujus verba apud Origenem lib. II. (*pag.* 87.) *Ἐπιστεύσατε αὐτὸν εἶναι υἱὸν Θεοῦ, ἐπεὶ χωλοὺς καὶ τυφλοὺς ἐθεράπευσε. Credidiſtis eum eſſe Dei filium, ideo quod claudos & cæcos ſanavit.*

11 *neque Julianus.*) Imo rem fatetur cum dicit verbis recitatis a Cyrillo lib. VI. (*fol.* 191.) *Εἰ μή τις οἴεται τοὺς κυλλοὺς καὶ τυφλοὺς ἰάσασθαι, καὶ δαιμονῶντας ἐφορκίζειν ἐν Βηθσαϊδᾷ καὶ ἐν Βηθανίᾳ ταῖς κώμαις, τῶν μεγίστων ἔργων εἶναι. Niſi quis exiſtimat inter maxima eſſe opera, claudos & cæcos integritati reſtituere, & dæmonio correptos adjuvare in vicis Bethſaida aut Bethania.*

12 *Hebræi vero in Thalmudicis aperte fatentur.*) In titulo Aboda Zara. **

viſitur; dum & templi Domini, noſtri ſcilicet Domini Jeſu Chriſti, mentionem injicit, *itinerario pag.* 42. edit. *L' Empereur* A. MDCXXXIII. coll. *L' Empereurii notis pag.* 173. Jeſum noſtrum *Hieroſolymæ* occiſum fuiſſe, hoc ipſo fateri neceſſe habet. Diſertiora ac magis perſpicua fruſtra a *Benjamino* expectabis.

(a) *neque Celſus.*) CONRING. Servatorem noſtrum miracula multa edidiſſe, nunquam a Paganis olim legitur negatum, quod ſatis certo ea fides conſtaret, quippe cum opera illa non noctu nec uno aut altero præſente, nec pauca numero, nec levia, ſed in aperta hominum luce multis millibus ſpectantibus, naturæ vires prorſus excedentia & quidem quam plurima edita eſſent. Ideoque maligni hoſtes primis illis ſæculis magicarum potius artium Servatorem noſtrum poſtularunt. ARNOBIUS tamen *lib. I.* diſputat adverſus quosdam, qui negarunt miracula iſta geſta eſſe, ſed fortasſe hi fuerunt pauci. De miraculorum Chriſti veritate vide diſſertationem JOANNIS PICI MIRANDULÆ COMITIS *lib. I. de fide pag.* 237.

(b) *profeſſi ſunt.*) CONRING. Ex evangelii hoſtibus nemo quisquam aſſerere auſus eſt olim, opera illa Chriſti a naturalibus principiis fluxiſſe. Tantum qui hodie ſunt Athei, aut præſtigiarum titulo illa infamant, aut vel naturales facultates in defenſionem ſuæ impietatis accerſunt. Ideoque ſatis eſt, ſi contra hos oſtenderimus, cum revera a Chriſto eſſe ea patrata, quæ evangelicis hiſtoriis commemorantur, tum longiſſime iſthæc naturæ virtutem excedere. Quod profecto facile oſtenſu eſt in iis, quos ſolo verbo e morbis graviſſimis atque inveteratis ſanavit, vel de mortuis in vitam revocavit. Quia, cum in hisce omnibus nihil rei naturalis præter vocem, & quidem non, qua magi ſolent incantare, ſed vulgarem, claram & perſpicuam, adhibitum eſt, non poſſunt etiam naturali alicui rei accepta hæc referri.

* Cum dicto loco nihil huc ſpectans inveniatur, vitium typographicum heic latere, ominor. Forte *homil. XXVI. ad II. Corinth. XII. Grotius* citavit. Ibi enim *fol.* 740. *tom. V. comment. in N. Teſt.* præter alia luculenter *Chryſoſtomus* affirmat: *ὅτι ἡ δύναμις τοῦ σταυρωθέντος ἐκλάμψασα εἰς τὸ αὐτοῦ ἐπεσπάσατο σέβας τὴν οἰκουμένην ἅπασαν: Quod potentia crucifixi effulgens, univerſum orbem ad ſui cultum pertraxerit.* Et paulo poſt: *Κἂν εἴπωμεν, ὅτι ὁ ἐσταυρωμένος ζῇ, γέλως εὐθέως, καίτοι τῆς οἰκουμένης βοώσης ἁπάσης, καὶ πάλαι, καὶ νῦν· τότε μὲν ἀπὸ τῶν σημείων, νῦν δὲ ἀπὸ τῶν ἐπιστρεψάντων. Quod ſi crucifixum vivere dixerimus, riſus ſtatim conſequitur: quamlibet etiam univerſus orbis, & olim & nunc quoque id clamet, tum videlicet per miracula; nunc autem per eos, qui ad eum ſe convertunt.*

** Provocat *Grotius* ad codic. *Abboda Sara*, quæ citatio nimis laxa eſt. Quod Judæi alias confiteantur, Jeſum miracula vel prodigia feciſſe, oſtendit *Eiſenmengerus in Judaiſmo detecto part. I. cap.* 3. W. Imo ſunt, qui nobis certo affirmant, Judæos nullibi in *Aboda Zara* Chriſti miracula confiteri.

Simili argumento colligimus, *nec præſtigias fuiſſe:* (a) quia pleraque opera palam geſta ſunt, [1] inſpectante populo, & in populo multis eruditis Chriſto male volentibus, cuncta ipſius opera obſervantibus. Adde quod ſimilia opera ſæpe repetita: & ipſi effectus non momentanei, ſed permanentes. Quibus, ut oportet, expenſis, omnino ſequitur, quod & Judæi fatentur, opera hæc proceſſiſſe a virtute aliqua plusquam humana; id eſt, a ſpiritu aliquo bono, vel malo. A malo autem ſpiritu non eſſe profecta hæc opera, inde probatur, quod doctrina Chriſti, cui probandæ iſta opera adhibebantur, malis ſpiritibus adverſatur. Vetat enim malos ſpiritus coli, abſtrahit homines ab omni immunditia morum, qua tales ſpiritus delectantur. Rebus quoque ipſis apparet, ubicumque ea doctrina recepta eſt, collabi dæmonum cultum, [2] & artes magicas, & unum Deum coli, cum deteſtatione dæmonum: quorum vim ac poteſtatem Chriſti adventu infractam [3] Porphyrius ipſe agnovit. Credendum autem non eſt, quemquam malum ſpiritum adeo eſſe imprudentem; ut ea faciat, & quidem ſæpiſſime, ex quibus nihil honoris ſibi, aut commodi, contra vero maximum detrimentum ac dedecus accedat. Sed neque ſapientiæ, aut bonitati ipſius Dei ullo modo convenit, ut paſſus credatur, aſtu dæmonum illudi hominibus ab omni malitia alienis, & ſui metuentibus; quales fuiſſe primos Chriſti diſcipulos, vita ipſorum inculpata, & multæ calamitates conſcientiæ cauſa toleratæ manifeſtum faciunt. Quod ſi dicas, *a bonis mentibus,* (b) Deo tamen inferioribus, profecta Chriſti opera; jam eo ipſo fateris, illa Deo placuiſſe, & ad Dei honorem pertinuiſſe, cum bonæ mentes nihil faciant, niſi quod Deo gratum, ipſique glorioſum ſit: ut jam taceamus, quædam Chriſti opera eſſe talia, quæ Deum ipſum auctorem teſtari videantur, ut mortui non unius in vitam revocatio. Jam vero Deus miracula nec facit, nec fieri ſinit abſque cauſa: id enim ſapientem legis conditorem decet, a legibus ſuis non niſi ob cauſam, & quidem gravem, recedere. Cauſa autem nulla alia reddi poteſt, cur hæc facta ſint, quam ea, quæ a Chriſto allata eſt; nempe ut doctrinæ ipſius redderetur teſtimonium. Neque vero, qui ea adſpicerent, aliam cauſam ullam animo concipere potuerunt: quos inter cum multi, ut diximus, pio eſſent animo, Deum hoc egiſſe, ut eis imponeret, impium eſt creditu. Et hæc una fuit cauſa cur Judæorum plurimi, qui circa Jeſu tempora vixerunt, etiam [4] qui induci non poſſent, ut legis a Moſe datæ partem ullam omitterent, quales fuerunt qui Nazareni & Ebionæi dicebantur, nihilominus Jeſum, ut miſſum cœlitus magiſtrum, agnoſcerent.

§. VI. *De ipſius Jeſu reſurrectione conſtare teſtimoniis fide dignis.*

Miraculis a Chriſto editis par argumentum præbet Chriſti ipſius poſt crucem, mortem, ſepulturam, admirabilis reditus in vitam. Id enim non modo ut verum, ſed ut præcipuum ſuæ fidei fundamentum, adferunt omnium locorum & temporum Chriſtiani: quod fieri non potuit, niſi qui primi Chriſtianam fidem docuerunt, certo auditoribus ſuis perſuaſerint, rem ita geſtam. Certo autem perſuadere hoc non potuerunt hominibus aliquo judicio præditis, niſi affirmarent, ſemetipſos oculatos rei teſtes eſſe: ſine qua affirmatione nemo mediocriter ſanus illis habuiſſet fidem, præſertim iis temporibus, cum illis credere maximis malis ac periculis conſtaret. Affirmatum hoc ab ipſis magna conſtantia, etiam libri ipſorum, [1] & aliorum docent: imo ex libris apparet, provocaſſe eos [2] ad teſtes quin-

1 *inſpectante populo.*) Act. XXVI. 26. Luc. XII. 1.

2 *& artes magicas.*) Quarum & libri hortatu diſcipulorum Jeſu combuſti. Act. XIX. 19.

3 *Porphyrius ipſe agnovit.*) Locus eſt apud Euſebium præparationis lib. V. cap. 1. ἰησοῦ τιμωμένου, οὐδεμιᾶς τις θεῶν δημοσίας ὠφελείας ᾔσθετο. *Ex quo Jeſus coli cœptus eſt, publicam Deorum opem nemo ſenſit.*

4 *qui induci non poſſent, ut legis a Moſe datæ partem ullam omitterent.*) Vide Actor. XV. Rom. XIV. Hieronymus in chronico Euſebiano ad annum Chriſti CXXV. cum Chriſtianos Epiſcopos Hieroſolymitanæ eccleſiæ quindecim nominaſſet: *Hi omnes usque ad everſionem, quam ab Hadriano perpeſſa eſt Jeruſalem, ex circumciſione Epiſcopi præfuerunt.* Severus Sulpitius * de illorum locorum ac temporum chriſtianis, *Chriſtum Deum ſub legis obſervatione credebant, & ex circumciſione eorum eccleſia habebat ſacerdotem.* Adde Epiphanium, ubi de Nazarenis & Ebionitis agit. (*hæreſi XXIX. n. 6. 7. & XXX. num. 2.*) Nazareni non eſt nomen partis alicujus, ſed omnes in Palæſtina chriſtiani, ideo quod dominus eorum Nazarenus fuiſſet, ſic appellabantur: Act. XXIV. 5.

1 *& aliorum.*) Etiam Celſi, qui adverſus Chriſtianos ſcripſit. Vide Origenem lib. II. (*pag. 87.*)

2 *ad teſtes quingentos.*) Paulus 1 ad Corinth. XV. 6. quosdam

(a) *nec præſtigias fuiſſe.*) CONRING. Triplici argumento fere apparet, nihil prodigioſi in miraculoſis illis Chriſti operibus inveniri. Primo, quod pleraque ejus naturæ ſint, quæ præſtigias nullo modo admittunt. Sanati enim fuere a Jeſu Chriſto, non qui ab ipſo aut ejus diſcipulis adfuere electi, verum ii, qui forte fortuna occurrerunt, vel ab ipſis quoque inimicis adducti. Deinde multum ab ipſa usque nativitate vel claudi vel cæci fuerunt. Lazari cadaver jam diffluebat ſanie fœtebatque, & tamen uno verbo tantum hunc reduxit in vitam, & illos optata beavit ſanitate. Alterum eſt, quod illa opera non clam, & ut ille ait, nocte teſte, vel ſolis amicis aut paucis aliquibus, e rudi plebe ſpectantibus, fuerunt geſta, ſed in præſentia plurimorum & hoſtium & virorum cum dignitate tum doctrina prudentiaque excellentium, non ſemel, ſed multoties imo eadem plurimis vicibus repetita. Tertio, quia præſtigiarum neque veteres calumniatores ſive ex gentibus ſive ex Judæis accuſare illum ſunt auſi, quemadmodum ex iis, quæ ante adduximus, ſatis manifeſtum eſt.

(b) *a bonis mentibus*) CONRING. Qui angelorum auxilio miracula a Chriſto edita, forte fatentur, quales quidem, quod ſciam, nulli reperiuntur, facile refelli poſſunt. Præterquam enim, quod multa eorum, quæ a Jeſu Chriſto ſunt facta, longe excedunt potentiam illorum ſpirituum, coguntur utique fateri, Chriſtum Deo placuiſſe. Neque enim permiſerit Deus, angelos bonos, licet etiam velint, malis operibus auxilio eſſe. Quod ſi vero acceptus Deo fuit Chriſtus, non mentitus profecto eſt, cum ſua omnia non angelis, ſed proximo Deo ipſi adſcriberet.

* Ex *hiſt.* ejus *ſacr. lib. II. cap.* 31. hæc ſunt deſumta, perverſo tamen ordine. Hic enim ibi verborum deprehenditur nexus: *Et quia Chriſtiani ex Judæis potiſſimum putabantur (namque tum Hieroſolymæ nonniſi ex circumciſione habebat eccleſia ſacerdotem) ---- quia tum pene omnes Chriſtum Deum ſub legis obſervatione credebant.*

quingentos, qui Jeſum poſt mortem redivivum conſpexerint. Non eſt autem mos mentientium, ad tam multos teſtes provocare. Neque fieri poteſt, ut in falſum teſtimonium tam multi conſpirent. Et ut alii teſtes non fuiſſent, quam duodecim illi notiſſimi Chriſtianæ doctrinæ primi propagatores, ſufficere hoc debebat. *Nemo gratis malus eſt.* (a) Honorem ex mendacio ſperare non poterant, cum honos omnis eſſet penes Paganos, aut Judæos, a quibus ipſi probris & ignominia afficiebantur: non divitias, cum contra hæc profeſſio ſæpe & bonorum, ſi qua eſſent, damno mulctaretur: atque ut hoc non fuiſſet tamen Evangelium doceri ab ipſis non poſſet, niſi omni bonorum temporalium cura omiſſa. Neque vero alia ulla vitæ hujus commoda ad mentiendum movere eos potuerunt, cum ipſa Evangelii prædicatio laboribus, fami, ſiti, verberibus, carceribus eos objecerit. Fama duntaxat inter ſuos tanti non erat, ut propterea homines ſimplices, & quorum vita ac dogma a faſtu abhorrebat, tantam malorum vim ſubirent: neque vero ſperare ullo modo poterant tantum progreſſum ſui dogmatis, cui & intenta commodis ſuis natura, & ubique imperantium auctoritas repugnabant, niſi ex divino promiſſo. Accedat, quod etiam hanc qualemcunque famam nullo modo durabilem ſibi poterant promittere, cum, Deo de induſtria ſuum in hoc conſilium celante, [3] mundi totius exitium quaſi de proximo imminens opperirentur; quod & ipſorum, & ſequentium Chriſtianorum ſcripta apertiſſimum faciunt. Reſtat ergo, ut religionis ſuæ tuendæ cauſa mentiti dicantur; quod omnino, ſi res recte expendatur, dici de illis non poteſt. Nam aut religionem illam veram ex animi ſententia crediderunt, aut non crediderunt. Si non crediduiſſent veram, imo ſi non crediduiſſent optimam, nunquam hanc elegiſſent omiſſis religionibus aliis magis tutis, magiſque honoratis: imo quamvis veram, profeſſi non eſſent, niſi & profeſſionem ejus crediduiſſent neceſſariam; præſertim cum & facile prævidere poſſent, & experimento ſtatim diſcerent, hanc profeſſionem poſt ſe trahere mortem immenſi agminis, cui ſine juſta cauſa cauſam dare a latrocinii ſcelere non abſcedebat. Quod ſi crediderunt religionem ſuam veram, imo & optimam, & profitendam omnino, & quidem poſt Magiſtri ſui mortem: ſane id fieri non potuit, ſi fefelliſſet eos Magiſtri ſui de ſua reſurrectione pollicitatio. Nam [4] id cuivis ſano homini ſatis fuiſſet, ad excutiendam etiam ante conceptam fidem. Rurſum religio omnis, præſertim vero Chriſtiana, [5] mendacium ac falſum teſtimonium maxime in divinis rebus prohibet: non potuerunt ergo religionis, & quidem talis amore, ad mendacium permoveri. Adde jam, quod viri fuerunt vitæ ne ab adverſariis quidem culpatæ, & quibus nihil objicitur [6] præter ſolam ſimplicitatem, cujus ingenium a confingendo mendacio longiſſime abeſt. Nemo etiam eorum fuit, qui non graviſſima quæque paſſus ſit, propter illam profeſſionem de Jeſu reſuſcitato. Multi etiam ipſorum morte exquiſitiſſima ob id teſtimonium affecti ſunt. Jam vero, ut quis ſenſus ſui compos talia toleret ob conceptam animo opinionem, fieri poteſt; at ut ob falſum, quod falſum eſſe norit, tam dura pati velit, non unus aliquis, ſed plures, quorum id falſum credi nihil intereſſit, res eſt plane incredibilis. Amentes autem eos non fuiſſe, & vita & ſcripta ſatis teſtantur. Quod de primis illis diximus, idem de Paulo quoque dici poteſt; qui Chriſtum in cœlo regnantem a ſe conſpectum [7] palam prædicavit, [8] cum nihil eruditionis Judaicæ ipſi deeſſet; nec ſpes honorum, ſi patrum viam inſtitiſſet: contra vero ob illam profeſſionem & odiis cognatorum ſuorum ſubjacere, & toto orbe peregrinationes difficiles, periculoſas, laborioſas ſuſcipere deberet, ac poſtremo etiam ſupplicium cum infamia perpeti.

§. VII. *Solutio adverſus objectionem ſumtam ab eo, quod Reſurrectio videatur impoſſibilis.*

Sane tantis ac talibus teſtimoniis fidem detrahere nemo poteſt, niſi dicat, rem ipſam talem eſſe, ut

dam eorum eo tempore mortuos eſſe dicit: ſed horum quoque liberi & amici ſuperſtites audiri poterant, ac teſtati quæ audierant. Major autem horum pars etiam vivebat, ſcribente iſta Paulo. Hæc apparitio in monte Galilææ contigit.

3 *mundi totius exitium quaſi de proximo imminens opperirentur.*) Vide 1. Theſſal. IV. 15, 16. 1. Cor. XV. 52. Tertullianus de Monogamia: (*cap. III.*) *Quum magis nunc tempus in collecto factum ſit.* Hieronymus ad Gerontiam: * *Quid ad nos, in quos fines ſeculorum devenerunt?*

4 *id cuivis ſano homini ſatis fuiſſet ad excutiendam etiam ante conceptam fidem.*) Fuſius hoc argumentum exſequitur Chryſoſtomus ad 1 Corinth. I. in fine. (*homil. V. fol. 46. ſeq. tom. V. comment. in N. Teſt.*)

5 *mendacium ac falſum teſtimonium, maxime in divinis rebus, prohibet.*) Matth. XII. 36. Joh. VIII. 44. 55. Eph. IV. 25. Rom. IX. 1. 2. Cor. VII. 19. (*rectius 14.*) XI. 31. Gal. I, 20. Col. III. 9. 1. Tim. I. 10. & II. 7. Jac. III. 14. Matth. XXII. 16. Marc XII. 14. Luc XX. 21. Joh. XIV. 16. (*& 17.*) Eph. V. 9. ** 1. Tim. II. 7. & alibi.

6 *præter ſolam ſimplicitatem.*) Etiam Celſus. Vide Origenem lib. I. (*pag. 48.*)

7 *palam prædicavit.*) 1. Cor. XV 9. (8.) 2. Cor. XII. 4. Adde quæ diſcipulus Pauli Lucas ſcribit Act. IX. 4, 5, 6. & XXII. 6, 7, 8.

8 *cum nihil eruditionis Judaicæ ipſi deeſſet.*) Act. XXII. 3. Gamalieles duos eruditionis nomine Hebræi prædicant. Horum alterius diſcipulus fuit Paulus, neque legis tantum, ſed & eorum quæ a magiſtris erant tradita, apprime gnarus. Vide Epiphanium. ***

(a) *Nemo gratis malus eſt.*) CONRING. Multa affert autor noſter pro adſtruenda fide Apoſtolorum, eaque momenti longe maximi, quibusque nihil poteſt opponi veriſimile. Superat tamen omnia hæc, quod hanc doctrinam de ſuſcitato Chriſto infinitis miraculis Deus O. M. non per Apoſtolos tantum, ſed per omnes fere primitivos fideles illuſtravit. Quo teſtimonio nullum majus aut præclarius poteſt reperiri. Pertinet huc etiam locus Marci *cap. XVI. v. 20.* Inprimis autem eodem facit illud Pauli de prædicatione ſua 1. *Cor. II. 4. Et ſermo meus, & prædicatio mea non fuit in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in demonſtratione ſpiritus & virtutis.* In Græco τοῖς πειθοῖς λόγοις opponitur ἀποδείξις, quæ uti notum eſt, ſignificat probationem, quæ fit certis & neceſſariis rationibus. Jam vero ſi demonſtrationis robur obtinent miracula, ea autem procul dubio intelliguntur τεράτων καὶ δυνάμεων vocabulis) poteſt nihil hoc argumenti genere eſſe firmius, tantum abeſt, ut in eo quicquam merito poſſit deſiderari.

* Dedit *Hieronymus* ad *Gerontiam* epiſtolam *de Monogamia*, quæ in *epiſtolarum* ordine XI. eſt. In illa, quæ recenſentur, invenire nullus potui.

** Secunda vice, atque ita abundanter, hic locus affertur.

*** Forſan *lib. I. adv. hæreſ. hæreſi XLII. fol. 361. tom. I. opp. edit. Dion. Petavii* Pariſiis A. MDCXXII.

ut nullo modo fieri poſſit; qualia ſunt, quæ contradictionem, ut loquuntur, implicant. 1 Id autem hac de re dici non poteſt. Poſſet ſane, ſi quis eumdem tempore eodem & vixiſſe, & mortuum fuiſſe, pronunciaret. Cæterum ut mortuo vita reddi poſſit, præſertim per ejus efficaciam, qui vitam primum homini dedit, cur pro impoſſibili habeatur, nihil cauſæ eſt. Neque vero viri ſapientes id impoſſibile crediderunt; cum 2 Eri * Armenio id eveniſſe ſcripſerit Plato, mulieri cuidam 3 Heraclides Ponticus, 4 Ariſtæo Herodotus, 5 alii Plutarchus; quæ ſive vera, ſive falſa ſunt, oſtendunt opinionem eruditorum de ea re tanquam poſſibili.

§. VIII. *Reſurrectione Jeſu poſita, evinci dogmatis veritatem.*

Quod ſi nec impoſſibile eſt, ut Chriſtus in vitam redierit, & ſatis magnis teſtimoniis id conſtat, quibus convictus Judæorum Magiſter ** Bechai veritatem hujus rei agnovit: is ipſe autem Chriſtus, ut & ſui & alieni fatentur, novum protulit dogma tanquam mandato divino, ſane ſequitur, ut dogma id verum ſit; cum divinæ juſtitiæ ac ſapientiæ adverſetur tam excellenti modo eum ornare, qui falſum in re tanta commiſiſſet: præſertim vero, cum ipſe ante mortem ſuam, & mortem, & mortis genus, & reditum ſuum in vitam prædixiſſet ſuis, & quidem addito, 1 hæc ideo eventura, ut de ſui dogmatis veritate conſtaret.

§. IX. *Chriſtianam religionem præſtare aliis omnibus.*

Et hæc quidem ex factis ipſis *veniunt argumenta*; (a) veniamus ad ea, quæ veniunt *ex natura dogma-*

1 *Id autem hac de re dici non poteſt.*) Reſponſio ſeptima ad objecta de reſurrectione in Juſtini operibus (*fol.* 210.) Ἄλλο τὸ πάντῃ ἀδύνατον, καὶ ἄλλο τό τινι ἀδύνατον. πάντῃ μὲν ἀδύνατόν ἐστιν, ὡς τὴν διάμετρον τὸ σύμμετρον εἶναι τῇ πλευρᾷ. τινὶ δὲ ἀδύνατόν ἐστιν, ὡς τῇ φύσει τὸ χωρὶς σπέρματος ποιεῖν ζῶον. τίνι τούτων τῶν ἀδυνάτων ὑποβάλλουσι τὴν ἀνάστασιν οἱ ταύτης ἀπιστοῦντες; ἀλλ' εἰ μὲν τῷ πρώτῳ, ψευδής ἐστιν ὁ λόγος. οὐ γὰρ κατὰ ἀνάστασιν σύμμετρος γίνεται ἡ διάμετρος τῇ πλευρᾷ. οἱ δὲ ἄνθρωποι κατὰ ἀνάστασιν ἀνίστανται. εἰ δὲ τῷ τινί, ἀλλὰ τῷ Θεῷ πάντα δυνατὰ τὰ τινι ἀδύνατα. *Aliud eſt quod omnino eſt impoſſibile, aliud quod alicui. Omnino impoſſibile, ut dimetiens par ſit lateri. Alicui impoſſibile, quomodo naturæ eſt impoſſibile ſine ſemine animans producere. Utri horum duorum impoſſibilis generum reſurrectionem conferunt, qui ei non credunt? Si priori, falſa eſt illatio: neque enim nova creatio hoc facit, ut dimetiens par ſit lateri. Reſurgent autem homines per novam creationem. At ſi intelligunt id quod alicui impoſſibile eſt, certe Deo poſſibilia ea omnia quæ impoſſibilia tantum alicui.* De diſcrimine hoc impoſſibilium vide quæ docte notat Maimonides Ductoris dubitantium parte III. cap. 15.

2 *Eri Armenio.*) Locus hac de re Platonis exſtat de republica decimo: (*fol.* 761. *ſeq. opp.*) tranſcriptus Euſebio præparatione evangelica libro XI. cap. 35. Hiſtoriæ autem ipſius memoria apud Valerium Maximum lib. I. c. VIII. exemplo externorum primo; in Protreptico, *** quod eſt inter Juſtini opera, apud Clementem Strom. V. (*fol.* 598. *ſeq. opp.*) apud Origenem lib. II. contra Celſum, (*pag.* 70.) apud Plutarchum Sympoſiacon IX. 5. apud Macrobium initio ad ſomnium Scipionis. (*i. e. lib. I. cap. I.*)

3 *Heraclides Ponticus.*) Ejus erat liber περὶ ἄπνου, cujus meminit Diogenes Laërtius in proœmio (*ſegm.* 12.) & Empedocle, (*lib. VIII. de vit. philoſ. ſegm.* 60. 61.) & Galenus (lib) VI. (*cap. V.*) de locis affectis. De eo ſic Plinius lib. VII. cap. 32. (*rectius cap.* 52.) *Nobile illud apud Græcos volumen Heraclidis, ſeptem diebus fœminæ exanimis ad vitam revocatæ.* At triginta dies ei tribuit Diogenes Laërtius loco poſteriore.

4 *Ariſtæo Herodotus.*) Melpomene. (*i. e. lib. IV. cap.* 13. *ſeqq.*) Vide & Plinium hiſtoriæ naturalis libro VII. c. 52. & Plutarchum Romulo, (*tom I. opp. fol.* 35.) & Heſychium de philoſophis. (*ſeu claris viris voce:* Ἀριστεύς.)

5 *alii Plutarchus.*) Theſpeſio. Habet hoc Plutarchus libro de ſera Dei vindicta. (*fol.* 563. *tom. II. opp.* Item Antyllo, de quo Plutarchi locum ex primo de anima nobis ſervavit Euſebius præp. lib. XI. cap. 36. & Theodoretus ſerm. XI. (*fol.* 654. *tom. IV. opp.*)

1 *hæc ideo eventura, ut de ſui dogmatis veritate conſtaret.*) Vide Joh. XVII. (*aut potius Joh. XIV.* 19. 20. 29.) Luc. XXIV. 46. 47.

* Pro *Armenio* ſcribendum eſſe accuratius *Harmonio*, contendit *Petr. Dan. Huetius demonſtr. ev. prop. IX. cap. CXLII. §.* 11. *pag. m.* 1041.

** De indaganda *R. Bechai* confeſſione doctiſſimi viri fuerunt ſolliciti; vid. *biblioth. hiſtor. philolog. theol. claſſe V. faſc. III. pag.* 562. quam cum nemo adhuc plenius indicaverit, cauſam omnino habemus, cur de hac veritatis teſtimonio dubitemus. Neque ſumme reverendo Doctori *Danzio*, viro, cui in litteratura orientali etiam ex iis, qui peritiſſimi ſunt, nemo anteponendus, de iſta *Bechai* confeſſione quid conſtat. Alias Judæos fateri, Meſſiam ben David aliquando moriturum, ſed & revixurum ex סוכה *fol.* 52. *col. a.* & ר׳ החליל *lin.* 23. *ſeqq.* & *Jalkut P. II. in Pſalm.* 11. §. 629. *fol.* 90. *col.* 2. *lin.* 10. *ſeqq.* item, Meſſiam ben David reſuſcitaturum eſſe ben Joſeph ex אבקת רוכל *lib. I. part. I. ſign. IX. pag.* 138. apud *Anton. Hulſium in theol. Jud. par. I.* idem vir ſummus nos humaniſſime edocuit.

(a) *veniunt argumenta.*) CONRING. Ex factis duo exſtruxit argumenta auctor, alterum a miraculis, alterum a reſurrectione petitum. Sed videtur poſſe tertium quoque & quartum addi. Et illud quidem ex nativitatis circumſtantiis, hoc vero ex variis teſtimoniis. Primo quidem ipſius Dei, cujus vox cœlitus audita eſt adſtantibus, deinde Johannis, quem ipſi quoque Judæi interque hos FLAVIUS JOSEPHUS *lib. XV. antiquit. cap.* 18. virum optimum fuiſſe, ac prophetica indole non negarunt; tum Simeonis aliorumque, ipſorum denique dæmonum invita conteſtatione. Verum enim vero minus hæc argumenta illuſtria fuerunt, quod non omnibus æque potuerit de nativitate quidem & teſtimonio Dei patris conſtare. Reliquorum minor forte apud multos autoritas fuit. Ipſe tamen Servator & Johannes teſtimonium & vocem illam cœleſtem interdum adducit. Omnibus tamen hiſce primum illud, quod a miraculis petitum, præfert Johannes *cap. V.* 36.

*** Nullus allegationis hujus eſt ſenſus, quoniam nihil *Juſtinus* conſcripſit, quod *Protreptici* titulo veniat. Quod ſi *Parænesin* ejus ſive *cohortationem ad Græcos* intelligere velis, etiam fruſtra eris, neque de *Eris Armenii* reſurrectione in illa quid obſervabis.

Digitized by Google

dogmatis. (a) Sane aut omnis omnino Dei cultus repudiandus eſt, quod nunquam ei in mentem veniet, qui & Deum eſſe, & curare res conditas credat, & hominem conſideret tum intellectu eximio, tum vi electrice boni malique moralis præditum, ac proinde ut præmii, ita & pœnæ in ipſo eſſe materiam: aut hæc admittenda religio, non tantum ob factorum teſtimonia, de quibus jam egimus, verum etiam ob ea, quæ religioni ſunt intrinſeca: cum nulla ex omnibus ſæculis ac nationibus proferri poſſit, aut præmio excellentior, aut præceptis perfectior, aut modo, quo propagari juſſa eſt, admirabilior.

§. X. *Præmii propoſiti excellentia.*

Nam ut a præmio, id eſt, a fine homini propoſito, incipiamus, quia id, ut dici ſolet, in exſecutione eſt ultimum, ſed intenditur primum, 1 Moſes in religionis Judaicæ inſtitutione, ſi diſerta legis pacta reſpicimus, nihil promiſit ſupra hujus vitæ bona, terram uberem, penum copioſam, victoriam de hoſtibus, longam & valentem ſenectam, poſteros cum bona ſpe ſuperſtites. Nam ſi quid eſt ultra, id umbris obtegitur, aut ſapienti ac difficili ratiocinatione colligendum eſt: quæ cauſa fuit, cur multi, qui legem Moſis ſequi ſe profiterentur, ut 2 Sadducæi, ſpem omnem de bonis poſt hanc vitam adipiſcendis projicerent. *Apud Græcos* (b) ad quos eruditio usque a Chaldæis & Ægyptiis perlata eſt, qui de vita poſt hujus conſpicuæ vitæ interitum ſpem habebant aliquam, 3 valde de ea re hæſitanter loquebantur, 4 ut ex Socratis diſſertationibus, ex ſcriptis 5 Tullii, 6 Senecæ, 7 aliorumque apparet. Et cum ad eam rem argumenta conquirerent, *nihil ferme adſerebant certi.* (c) Nam quæ adferunt,

1 *Moſes in religionis Judaicæ inſtitutione, ſi diſerta legis pacta reſpicimus, nihil promiſit ſupra hujus vitæ bona.*) Vide Deut. XI. cap. XXVIII. Hebr. VIII. 6.

2 *Sadducæi, ſpem omnem de bonis poſt hanc vitam adipiſcendis projicerent.*) Matth. XXII. 23. Lucæ Act. XXIII. 8. Joſephus: (*lib. XVIII. antiquit. Jud. cap. 2.*) Σαδδουκαίοις τὰς ψυχὰς ὁ λόγος συναφανίζει τοῖς σώμασι. Alibi: (*lib. II. de bello Jud. cap. 7. in fin.*) ψυχῆς δὲ τὴν διαμονὴν καὶ τὰς καθ' ᾅδου τιμωρίας καὶ τιμὰς ἀναιροῦσι. Hieronymus de eiſdem: (*ad cap. XXII. Matth. tom. VI. opp. fol. 48*) *Animam putabant interire cum corporibus.*

3 *valde ea de re hæſitanter loquebantur.*) Notatum hoc Chryſoſtomo 1 ad Cor. cap. I. 25. (*homil. IV. circa fin. fol. 39. tom. V. comment. in N. Teſt.*)

4 *ut ex Socratis diſſertationibus.*) In Platonis Phædone: (*fol. 48. opp.*) Νῦν δὲ εὖ ἴστε ὅτι παρ' ἄνδρας τε ἐλπίζω ἀφίξεσθαι ἀγαθούς· καὶ τοῦτο μὲν οὐκ ἂν πάνυ διισχυρισαίμην. *Hoc ſcitis, ſpem mihi eſſe venturum me ad viros bonos: quod tamen non nimium affirmaverim.* Et poſtea: (*fol. 68.*) Εἰ μὲν τυγχάνει ἀληθῆ ὄντα ἃ ἐγὼ λέγω, καλῶς δὴ ἔχει τὸ πεισθῆναι· εἰ δὲ μηδέν ἐστι τελευτήσαντι, ἀλλ' οὖν τοῦτόν γε τὸν χρόνον αὐτὸν τὸν πρὸ τοῦ θανάτου ἧττον τοῖς παροῦσιν ἀηδὴς ἔσομαι ὀδυρόμενος· ἡ δὲ ἄνοιά μοι αὕτη οὐ ξυνδιατελεῖ (κακὸν γὰρ ἂν ἦν) ἀλλ' ὀλίγον ὕστερον ἀπολεῖται. *Si enim vera ſunt quæ dico, pulchrum eſt ea credere. Si vero mortuo nihil ſupereſt, hoc tamen tempore, quod mortem antecedit, minus torquebor præſentibus: hic autem meus error non manebit (id enim malum foret) ſed paulo poſt interibit.* Tertullianus de anima: (*cap. ſtatim I.*) *Adeo omnis illa tunc ſapientia Socratis de induſtria venerat conſultæ æquanimitatis, non de fiducia compertæ veritatis.* Idem in Socrate obſervat Parænelis, quæ eſt inter opera Juſtini. (*fol. 33.*)

5 *Tullii.*) Ut Tuſculanarum I. (*cap 12.*) *Expone igitur mihi, niſi moleſtum eſt, primum animos, ſi potes, remanere poſt mortem, tum, ſi id minus obtinebis (eſt enim arduum) docebis carere omni malo mortem.* Deinde: (*cap. 21.*) *Præclarum autem neſcio quid adepti ſunt, quod didicerunt ſe, cum tempus mortis veniſſet, totos eſſe perituros: quod ut ita ſit, (nihil enim pugno) quid habet iſta res aut lætabile, aut glorioſum?* Poſtea: (*cap. 34.*) *Fac enim ſic animum interire, ut corpus: Num igitur aliquis dolor, aut omnino poſt mortem ſenſus in corpore eſt? nemo id quidem dicit.* Citat ex eodem Cicerone hoc ejus poſt diſputationem de animo dictum Lactantius libro VII. cap. 8. (§. 9.) *Harum ſententiarum quæ vera ſit, Deus aliquis viderit.*

6 *Senecæ.*) Epiſtola LXIV. (*aliis* LXIII.) *Et fortaſſe (ſi modo ſapientum vera fama eſt, recipitque nos locus aliquis,) quem putamus periiſſe, præmiſſus eſt.*

7 *aliorumque.*) Generaliter Juſtinus Martyr colloquio cum Tryphone: (*fol. 222. opp.*) Οὐδὲν ἴσασι περὶ τούτων οἱ φιλόσοφοι, οὐδὲ γὰρ ὅ τί ποτέ ἐστι ψυχὴ, ἔχουσιν εἰπεῖν. *Nihil horum norunt philoſophi: neque vel quid ſit anima, valent dicere.*

(a) *ex natura dogmatis.*) CONRING. Argumenta, quæ contra Paganos pro Chriſtianæ doctrinæ veritate poſſunt adduci in duo recte genera diſpeſcuntur: quorum primum ſit ex ipſa natura atque indole doctrinæ, alterum ab iis, quæ circa doctrinæ hujus vel primam promulgationem contigerunt, vel ſubſequentem propagationem, ut ita poſterius illud genus in duas ſubdividi ſpecies queat. Hoc autem inter illa omnia diſcriminis invenitur, quod ea, quæ circa promulgationem ipſam ſunt facta, aſſenſum exprimere poſſint, etiam ante auditum ipſum dogma; faciunt enim fide dignum doctorem, etiam antequam quicquam in medium protulerit. Dogma vero non niſi tum, cum jam auditum ac judicatum eſt, poteſt ſibi fidem impetrare; propagatio vero non niſi ſero in argumentum veritatis poteſt venire. Ceterum illa argumenta, quæ ex natura dogmatis fluunt, ut tempore & aſſenſione miraculis poſteriora ſunt, ita ſi quis ea ſpectet, minoris fortaſſis roboris ſunt; quoniam in placitis doctrinæ Chriſtianæ inveniuntur, quæ vera ſint, nec ne, ex indole ipſius doctrinæ nequit judicari, quod ingenii humani captum ſuperent, & ex parte a liberrimo Dei arbitratu unice dependeant. Itaque neque Trinitatis myſterium neque ſpes ulla reſurrectionis poteſt ex natura ipſa horum dogmatum probari. Contra quam ſe res habet de argumentis, quæ ex factis petuntur; horum enim robur rectæ rationis lumini ſtatim conſpicuum eſt.

(b) *Apud Græcos.*) CONRING. Ex Græcis Philoſophis quidam, quod etiam ſupra diximus, animas cum corporibus interire, crediderunt, nihilque hac vita præclarius reperiri. *Catervæ veniunt*, ait MARCUS TULLIUS *lib. I. Tuſcul. contradicentium non ſolum Epicureorum, ſed & Dicæarchus contra hanc immortalitatem diſſeruit, & tres libros ſcripſit, in quibus vult efficere animos eſſe mortales. Similiter & Panætius, ut idem ait, interire vult. Stoici vero uſuram nobis largiuntur tanquam cornicibus, diu manſuros ajunt animos, ſemper negant.* PLINIUS *lib. VII. cap. 55. Puerilium*, inquit, *iſta deliramentorum avidæque nunquam deſinere mortalitatis commenta ſunt.* Ubi & Democritum ridet; *ſimilis*, inquiens, *& de aſſervandis corporibus hominum ac reviviſcendi promiſſa Democrito vanitas, qui non revixit ipſe. Quæ (malum) iſta dementia eſt, iterari vitam morte?* LUCRETIUS ex Epicuri diſciplina *lib. III.* multis immortalitatem oppugnat. ARISTOTELES ipſe *lib. I. Ethic.* contra Solonem diſſerens, abſurdum penitus eſſe, ait, beatum quempiam eſſe poſſe ab obitu.

(c) *nihil ferme adſerebant certi.*) CONRING. Quæcunque a PLATONE in *Phædone* & a TULLIO in *Tuſcul.* & ab aliis etiam Philoſophis pro animæ ſempiternitate diſputantur, illa omnia ejus ſunt notæ, cujus inſimulat Grotius. Socrates etiam paralogiſmis utitur, ut recte reſponſum eſt a CORNELIO MARTINI parte altera *analyt. Logic.* Omnia iſta argumenta accurate expendit PETRUS POMPONATIUS opere, quod *contra animæ immortalitatem* conſcripſit.

ed by Google

ferunt, pleraque 8 nihil magis de homine, quam beſtiis, procedunt. Quod cum alii animadverterent, mirandum adeo non eſt, 9 ſi tranſitum animarum *de hominibus in beſtias,* (a) de beſtiis in homines, commenti ſunt. Rurſum vero, cum hoc quoque nullis teſtimoniis, aut argumentis certis niteretur; & tamen negari non poſſet, quin homini finis aliquis eſſet propoſitus: eo perducti ſunt *alii, ut dicerent,* (b) 10 virtutem ſibi eſſe præmium, & ſatis beatum eſſe ſapientem, etiam in Phalaridis tauro. Sed & hoc non ſine cauſa *aliis diſplicuit,* (c) qui ſatis videbant, 11 in ea re, quæ ſecum haberet pericula, incommoda, cruciatum, interitum; felicitatem, præſertim ſummam, non poſſe eſſe poſitam; niſi verborum ſonum, ſine rerum ſenſu ſequi liberet: ideoque bonum ſupremum finemque hominis collocarunt in iis rebus, quarum voluptas ſenſibus perciperetur. Sed hæc quoque ſententia a plurimis, & quidem efficaciter, refutata eſt; ut quæ honeſtum omne, cujus ſemina quædam in animo condita habemus, exſtingueret, hominemque ad ſublimia erectum dejiceret in cenſum pecudum, quæ pronæ nihil niſi terreſtre reſpiciunt. In tantis dubitationibus incertum palabatur genus humanum ea ætate, cum Chriſtus veram finis cognitionem intulit; promittens ſectatoribus ſuis poſt hoc ævum vitam non modo ſine morte, ſine dolore ac moleſtia, verum etiam ſummo gaudio comitatam: neque id parti tantum hominis, id eſt, animo, de cujus ſperanda poſt hanc vitam felicitate partim conjectura, partim traditio aliqua exſtabat; *verum etiam corpori,* (d) & id quidem *juſtiſſime,* (e) ut corpus, quod ob legem divinam ſæpe incommoda, cruciatus, atque interitum pati debet, repenſationis expers non eſſet.

Gaudia

8 *nihil magis de homine, quam beſtiis procedunt.*) Ut illud Socratis ſive Platonis: *quod ſe movet, æternum eſt.* Vide Lactantium dicto jam loco. (§. 4.)

9 *ſi tranſitum animarum de hominibus in beſtias, de beſtiis in homines commenti ſunt.*) Ut Brachmanes olim, & nunc quoque, a quibus hauſit Pythagoras & ejus ſchola.

10 *virtutem ſibi eſſe præmium, & ſatis beatum eſſe ſapientem, etiam in Phalaridis tauro.*) Vide Ciceronem Tuſculanarum II. *cap. 7. & 20.*) & Lactantium lib. III. inſtitutionum, cap. 27. ubi contra hanc ſententiam fortiter diſputat, ut & Auguſtinus epiſtola LII.

11 *in ea re, quæ ſecum haberet pericula, incommoda, cruciatum, interitum, felicitatem, præſertim ſummam, non poſſe eſſe poſitam.*) Lactantius lib. III. cap. 12. (§. 7.) *Virtus per ſeipſam beata non eſt, quoniam in perferendis, ut dixi, malis tota vis ejus eſt.* Et mox cum Senecæ adduxiſſet locum: (§. 12.) *Sed & Stoici, quos ſecutus eſt, negant ſine virtute effici quemquam beatum poſſe. Ergo virtutis præmium beata vita eſt, ſi virtus, ut recte dictum eſt, beatam vitam facit. Non eſt igitur, ut ajunt, propter ſeipſam virtus expetenda, ſed propter vitam beatam, quæ virtutem neceſſario ſequitur. Quod argumentum docere eos potuit, quod eſſet ſummum bonum. Hæc autem vita præſens & corporalis beata eſſe non poteſt: quia malis eſt ſubjecta per corpus.* Bene Plinius hiſtoriæ naturalis lib. VII. cap. 7. (*rectius cap. 40.*) *Mortalium nemo felix.*

(a) *de hominibus in beſtias.*) CONRING. Hoc dogma περὶ μετεμψυχώσεως, ſive, ut Tertullianus vertit, de transactione vel reciproco diſcurſu & recidivatu animarum videtur primo natum apud Magos Perſarum, ab his accepit Pythagoras, qui multis Græcorum id perſuaſit. Apud OVIDIUM ita loquitur *lib. XV. Metamorph.*

Morte carent animæ, ſemperque priore relicta
Sede, novis domibus vivunt habitantque receptæ.

Hodieque opinio hæc placet Brachmanibus Indorum. Nec procul ab hoc errore Phariſæos abfuiſſe teſtatur JOSEPHUS *lib. II bell. Jud. cap.* 17. & *lib. XV. antiquitat. cap.* 2. Quanquam veriſimile non ſit, placuiſſe illis animas hominum in brutorum corpora commigrare, quod Perſis, Indis & Pythagoricæ ſcholæ viſum eſt.

(b) *alii, ut dicerent*) CONRING. Virtutem ſibi eſſe præmium, ſententia eſt Ariſtoteli cum Stoicis communis. Sapientem vero in Phalaridis etiam tauro eſſe felicem, tantum Stoicis placuit. Hi enim fortunæ bona vel adverſitates nihil ad felicitatem vel contra eam facere judicaverunt, cum Peripatetici ſine ſecunda fortuna felicitatem humanam non abſolvi dicerent. Ariſtoteles probaturus, ſibi ipſi præmium eſſe virtutem, hoc adfert pro argumento, quod virtus ſit ſummum bonum poſſeſſionum humanarum. At vero eſt quidem in his terris nihil virtute excellentius, attamen aliquid ſupra illam eſſe poſſe in cœlis, certum eſt.

(c) *aliis diſplicuit.*) CONRING. Autor noſter tantum oppugnat Stoicos, contra tamen Peripateticos jure hoc afferas, quod nemo hominum unquam felicitatem illam, quam illi maximam prædicant. & vitæ noſtræ ſcopum eſſe ſtatuunt, ſit conſecutus. Apparet id facili labore. Nam in operationibus virtutum omnium cum ſumma fortuna conjunctis beatitudinem illi collocant, cum tamen exacta virtus in humanitatem noſtram non cadat, multo minus in ſumma fortuna hæc inveniatur. Atque ſtulta profecto fuerit natura, ſi pro ſcopo humanæ vitæ id conſtituiſſet, quod nullis viribus unquam quis poſſit aſſequi. Omnis enim ſcopus eſt inſtitutus, ut tandem obtineatur. Stoici non potuerunt effugere vim iſtius ſyllogiſmi, quem ex veterum diſputationibus opponit illis Grotius. Neque enim fieri poteſt, ut quis ullam actionem rite exerceat inter ſummos cruciatus, quales miſeri in Phalaridis tauro experiebantur.

(d) *verum etiam corpori.*) CONRING. Animam hominis a morte ſupereſſe, uti & ſupra jam diximus, fere totius humani generis conſtans fuit a prima usque mundi origine ſententia. De corporis autem futura quadam reſurrectione & beatitudine vix quidquam mortalibus perſuaſum fuit. Recte enim AUGUSTINUS: *In nulla re tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixe & contentioſe contradicitur fidei Chriſtianæ, ſicut de carnis reſurrectione. Nam & de animæ immortalitate multi etiam Philoſophi gentium multa diſputaverunt, & immortalem eſſe animam humanam plurimis & multiplicibus libris conſcriptum reliquerunt. Cum ventum fuit ad reſurrectionem carnis, non titubant, ſed aperiſſime contradicunt, & contradictio eorum talis eſt, ut dicant, fieri non poſſe, ut caro iſta terrena poſſit in cœlum aſcendere. Certum porro eſt, omnes illos, qui aliam vitam expectandam aſſeruerunt, adeo iniquos fuiſſe corpori, ut animi pondus ac pœnam appellare illud non dubitaverint.* PLATO in *Phædone: ſi quando ſumus pure aliquid intellecturi, recedere a corpore oportet, atque ipſo animo res ipſas conſiderare.* Ipſe inter Mahummedanos ſive Muslinos AVICENNA ſingulari libello reſurrectionem impugnat. Fuere nihilominus non tantum in Judæis, (etſi horum aliqui Sadochum Magiſtrum ſecuti cum Paganis fecerint,) verum & in aliis gentibus jam olim, qui de reſurrectione aliquid per ſomnium vidiſſe videntur. Magi autem Perſarum, ut DIOGENES LAERTIUS ex Theopompo refert, revicturos homines atque immortales futuros crediderunt. A quibus procul dubio id didicerat Democritus, quem his verbis ſuggillat PLINIUS *lib. VII. cap.* 55. *Similis*, inquiens, *& de adſervandis corporibus hominum ac reviviſcendis promiſſa Democrito vanitas, qui non revixit ipſe.* AVERROES quoque *opere contra Algazelem* tradit, in Zabiorum lege (quo nomine forte intelliguntur Chaldæi & reliqui Orientales; ut Joſepho etiam SCALIGERO viſum eſt *ep. ad Caſaubonum*) vel reſurrectionem vel religionem promitti, verum de his paulo poſt latius.

(e) *juſtiſſime.*) CONRING. Ab hac juſtitiæ ratione optimum & validiſſimum deducitur argumentum pro reſurrectione. Certe inter omnia ratiocinationis noſtræ momenta nullum illo potius eſt, uti optime judicat CALIXTUS *lib. VI. de reſurrect. cap.* 8. ideoque paſſim illud adhibent priſci Doctores.

Gaudia autem, quæ promittuntur, non vilia ſunt, 12 ut epulæ, quas poſt hanc vitam ſperant craſſiores Judæi, 13 & concubitus, quos ſibi promittunt Mahumetiſtæ; ſunt enim hæc caducæ vitæ propria, mortalitatis remedia, illud quidem ad ſingulorum animantium conſervationem; hoc vero ad durationem generum: ſed in corporibus vigor perpetuus, & pluſquam ſiderea pulchritudo; in animo intellectio ſine errore, etiam Dei ac divinæ providentiæ, & ſi quid nunc occultum latet; voluntas vero tranquilla, maxime in Dei conſpectu, admiratione laudibusque occupata; in ſumma, majora multo ac meliora omnia, quam optimarum ac maximarum rerum comparatione concipi poſſint.

§. XI. *Solvitur obiter objectio inde ſumpta, quod diſſoluta corpora reſtitui nequeant.*

Solet hic præter eam objectionem, cui jam ante reſpondimus, alia adferri, quaſi omnino fieri nequeat, ut quæ diſſoluta ſunt hominum corpora, in eandem *compagem redeant:* (a) ſed hoc ratione nulla nititur. Cum enim inter pleroſque Philoſophos conſtet, rebus quantumcunque mutatis, manere materiam diverſarum *ſpecierum capacem:* (b) quis dicat, aut Deum neſcire, quibus in locis, etiam longiſſime diſtantibus, ſint materiæ ejus, quæ ad humanum corpus pertinuit, partes; aut deeſſe ei potentiam, qua eas reducat, atque recomponat, idemque faciat in ſuo univerſo, quod in fornacibus, aut vaſis, facere Chymicos videmus, ut, quæ congenera ſunt, quamvis disjecta, colligant? Ut vero, ſpecie quantumvis mutata, res tamen ad originis ſuæ *formam redeat,* (c) ejus & in rerum natura exempla ſunt, ut in arborum animantiumque ſeminibus. Neque inſolubilis eſt ille, qui a multis nectitur, nodus de humanis corporibus, quæ in ferarum aut pecudum alimenta tranſeunt, quibus ita paſtis homines iterum paſcantur. Nam eorum, *quæ comeduntur,* (d) pars maxima non in corporis noſtri partem abit, ſed in excrementa, aut acceſſiones corporis; quales ſunt & pituita, & bilis: & de eo, quod alendi vim habet, morbis, interno calore, circumfuſo aëre multum abſumitur: quæ cum ita ſint, Deus, qui etiam mutorum animantium genera ita curat, ut nullum eorum intereat, poteſt humanis corporibus ſingulari

12 *ut epulæ quas poſt hanc vitam ſperant craſſiores Judæi.*) Loca adducentur infra ad librum V. *

13 *& concubitus quos ſibi promittunt Mahumetiſtæ.*) Alcorani Azoara II. (*com.* 25.) V. (*Sura III. com.* 14. 15.) XLVII. (XXXVII. *com.* 49.) LIV. (XLIV. *com.* 53.) LXV. (LV. *com.* 55. & 70.) LXVI. (LVI. *com.* 24. 38.)

(a) *compagem redeant.*) CONRING. In humano corpore quaſi duo ſunt; materia, quam vocant, prima, & variæ qualitates ac formæ etiam ſubſtantiales cujuscunque partis. Ideoque ut eadem redeat compage, non tantum eadem quaſi particula materiæ primæ requiritur, quod Durandus olim arbitratus eſt, quem refellit CALIXTUS *lib. I. de reſurrect. cap.* 9. verum etiam ipſæ formæ & qualitates eodem debent numero redire. Sane ARISTOTELES *fine lib. II. de generatione & corruptione* ad identitatem, uti loquuntur, numericam requirit alicujus rei durationem interruptam. Quod ſi ita eſſet, *ἀδύνατον* etiam foret, idem numero reſurgere. Sed non eſt, cur nos ad hanc definitionem Ariſtotelicam patiamur adſtringi. Fac enim lapides coagmentatos figuræ pyramidalis eſſe, tametſi omnes ſejunxeris, iisdem tamen rurſus eodem modo compoſitis, eadem redibit figura, non ſpecie tantum, ſed & numero, quamvis non par fortaſſe ratio ſit identitatis hujus figuræ bis exortæ, quæ foret, ſi nunquam fuiſſet deſtructa. Facile itaque apparet, ſi eodem numero materia noſtri corporis, quæ olim adfuit, recolligatur a Deo atque uniatur, nullo negotio poſſe Deum easdem formas atque qualitates, quas vivi habuimus, reſuſcitare. Atque huc imprimis facit objectio illa vulgaris, abſurdum enim creditum atque impoſſibile, ut illa materia tot modis disjecta ac diſperſa in eundem denuo locum redeat.

(b) *ſpecierum capacem.*) CONRING. Conſtat ſane inter Philoſophos, eſtque longe veriſſimum, materiam, quam vocant, primam naturæ viribus nunquam interire. Sicuti ex nihilo res nulla generatur, ita fieri etiam non poteſt, naturalibus quidem facultatibus, ut aliquid in nihilum diſſolvatur. Cum itaque maneat materia cujuslibet corporis, tametſi huc & illuc diſſipetur, tantum id requiritur ad reſurrectionem demortuorum corporum, ut Deus colligat disjectam illam materiam, atque ex ea nova nobis corpora condat. Hoc quod Deo ſit facillimum, cum illum nihil latere, omnia vero in illius poteſtate, tanquam in artificis manu, ſita eſſe, certum ſit, quis paulo ſanior negaverit?

(c) *formam redeat.*) CONRING. Hæc altera pars difficultatis hujus eſt. Id enim merito videri poſſit impoſſibile, corporum noſtrorum materiam, tam multis modis immutatam, poſſe redire in priſtinam naturam. Verum enim vero cum conſtat, materiam primam omnium omnino formarum capacem eſſe, quare fieri nequeat, ut illam iterum formam induat, quam habuit olim? Certe vel leviter rerum naturam intuentibus, quotidie hujus rei infinita fere in omnibus exempla ultro ſe offerunt. Ita videmus unam eandemque rem modo frigere, & gravem eſſe, modo calefieri, levemque reddi, & poſt iterum priſtinæ frigiditati & gravitati reſtitui. Aqua autem frigida & gravida levi calore in vaporem transmutatur, qui viciſſim facile aqueam induit ſubſtantiam.

(d) *quæ comeduntur.*) CONRING. Ad hanc objectionem in priſcorum patrum monumentis duplex reperitur reſponſio, quarum altera ATHENAGORÆ, altera AUGUSTINO libro *de civitate Dei lib. XXII. cap.* 20. placuit. Quæ hic adfert A. N. ex Athenagora videntur depromta, nam & hic ait: *Fieri non poteſt, ut unquam humana corpora ſui generis corporibus confundantur, quibus præter naturam in cibum obtruduntur, etiamſi in horum ventres ex aliqua perquam acerba calamitate ingerantur.* Verum recte AUGUSTINUS: *ſi quisquam confectus fame atque compulſus veſcatur cadaveribus hominum, num quis veridica ratione contendit, totum digeſtum fuiſſe per imos meatus, nihilque inde in ejus carnem mutatum atque converſum, cum ipſa macies, quæ fluit & non eſt, ſatis indicet, quæ illis eſcis detrimenta ſuppleta ſint.* Recte hoc, inquam, Auguſtinus. Probat enim experientia, pingueſcere etiam corpora hominum humana carne devorata, ut negari nequeat, aliquid illius profani alimenti in ſubſtantiam corporis transmutatum eſſe. Neque vero quod adfert Athenagoras, cibum illum *παρὰ φύσιν* homini eſſe, quicquam ad rem facit. Eſt enim *παρὰ φύσιν* rectæ rationis & mentis judicio iſte cibus, non tamen facultati, quam vocamus vegetativam, quod hic præcipue attenditur. Alio itaque modo ſolvendus hic nodus eſt. Primo enim non id requirit reſurrectio, ut omne illud, quod aliquando pars ſubſtantiæ noſtri corporis fuit, reſurgat, imo dictu abſurdum id eſt. Cum enim corpus perpetuo nativi ignis virtute & contabeſcat & reparetur, in enormem molem excreſcerent omnes partes, cum reſurgunt, adeoque nihil minus, quam ejusdem cum priſtina natura conditionis eſſent. Ut itaque idem corpus reſurgat, ſatis eſt, ſi ad novi iſtius corporis conſtitutionem non alia materia admittatur, quam qua nos olim fuimus præditi. Ideoque etſi una eademque particula fuerit olim & in Petri corpore & in Pauli, nihil hoc contra ejusdem corporis reſurrectionem facit, cum nequidem neceſſe ſit, ipſam illam particulam reſurgere. Siquidem ex aliis portionibus, quæ olim adfuerunt, perque naturalem illum fluxum interierunt, quicquid ad novi iſtius corporis etiam optimam conſtitutionem depoſcitur, poteſt reſtitui.

* Sui oblitus *Grotius*, iſto libro neutiquam hoc argumentum illuſtravit.

gulari quadam cura proſpicere, ut quod inde ad aliorum hominum eſcam pervenit, non magis in ſubſtantiam eorum vertatur, quam ſolent venena, aut medicamenta; eoque magis, quod quaſi naturaliter conſtet humanam carnem ad hominum victum non datam. Id ſi non ſit, & aliquid, quod poſteriori corpori aliunde acceſſerit, inde debeat decedere, non hoc tamen efficiet, ut non *idem ſit corpus.* (a) 1 cum etiam in hac vita major contingat particularum mutatio: 2 imo & papilio inſit in verme, & herbarum ſubſtantia, aut vini in minimo aliquo, unde iterum inſtaurentur in veterem magnitudinem. Certe cum & hæc, & alia multa, non incommode poni poſſint, nulla eſt cauſa, cur inter impoſſibilia habeatur reſtitutio diſſoluti corporis; cum viri eruditi, 3 *Zoroaſter* (b) apud Chaldæos; 4 *Stoici* (c) prope omnes, 5 & inter Peripateticos *Theopompus*, (d) eam & fieri poſſe, & futuram crediderint.

§. XII.

1 *cum etiam in hac vita major contingat particularum mutatio.*) Alfenus in l. Proponebatur. D. de judiciis. (*lib. V. digeſt. tit. I. leg. 76.*) *Quod ſi quis putaret partibus commutatis, aliam rem fieri, fore ut ex ejus ratione nos ipſi non iidem eſſemus, qui abhinc anno fuiſſemus: propterea quod, ut philoſophi dicerent, ex quibus particulis minimis conſiſteremus, hæ quotidie ex corpore noſtro decederent, aliæque extrinſecus in earum locum accederent.* Seneca epiſtola LVIII. *Corpora noſtra rapiuntur fluminum more: quicquid vides, currit cum tempore: nihil ex his quæ videmus manet. Ego ipſe, dum loquor mutari iſta, mutatus ſum.* Vide quæ pulchre hac de re diſſerit Methodius, cujus verba nobis ſervavit Epiphanius, qui Origenianos refutat (*hæreſi LXIV.*) numeris XII. XIII. XIV. XV.

2 *imo & papilio inſit in verme.*) Ovidius ultimo Metamorphoſeon (*i. e. lib. XV. v. 372.*)

Quæque ſolent canis frondes intexere filis
Agreſtes tineæ, res obſervata colonis,
Ferali mutant cum papilione figuram.

Addam ex Plinio quædam hiſtoriæ naturalis lib. X. cap. 5. (*verius lib. IX. cap. 51.*) de ranis: *Mirumque ſemeſtri vita reſolvuntur in limum, nullo cernente, & rurſus vernis aquis renaſcuntur, quæ fuere natæ.* Eodem lib. cap. 9. *Coccyx ex accipitre videtur fieri, tempore anni figuram mutans.* Libro XI. cap. 20. *Sunt qui mortuas, ſi intra tectum hieme ſerventur, deinde ſole verno torreantur, ac ficulneo cinere toto die foveantur, putent reviviſcere.* Ibidem cap. 22. de bombycibus: *Et alia horum origo e grandiore vermiculo, gemina protendens ſui generis cornua. Hi erucæ ſunt. Fit deinde quod vocatur bombylius; ex eo necydalus; ex hoc in ſex menſibus bombyces.* Ibidem cap. 23. de bombyce Coa: *Fieri autem primo papiliones parvos nudoſque.* cap. 26. de cicadis: *Fit primum vermiculus, deinde ex eo quæ vocatur tettygometra, cujus cortice rupto circa ſolſtitia evolant.* cap. 30. (*potius cap. 36.*) *Muſcis humore exanimatis, ſi cinere condantur, redit vita.* cap. 32. *Multa autem inſecta & aliter naſcuntur. Atque aſilus imprimis ex rore: inſidet hic raphani folio primo vere, & ſpiſſatus ſole in magnitudinem milii cogitur. Inde oritur vermiculus parvus, & triduo mox eruca, quæ adjectis diebus creſcit immobilis, duro cortice, ad tactum movetur araneæ. Hæc eruca, quam chryſalidem appellant, rupto deinde cortice volat papilio.*

3 *Zoroaſter apud Chaldæos.*) Vide Clementem Strom. V. (*fol. 598. ſeq.*)

4 *Stoici prope omnes.*) Clemens Strom. V. (*fol. 549.* Οἶδεν γὰρ οὗτος ἐκ τῆς βαρβάρου φιλοσοφίας μαθὼν, τὴν διὰ πυρὸς κάθαρσιν τῶν κακῶς βεβιωκότων, ἣν ὕστερον ἐκπύρωσιν ἐκάλεσαν οἱ Στωϊκοί. καθ' ἣν καὶ τὸν ἰδίως ποιὸν ἀναστήσεσθαι δογματίζουσι τοῦτ' ἐκεῖνο τὴν ἀνάστασιν περιέποντες. *Norat enim ille* (Heraclitus) *edoctus e barbara philoſophia, mundum a malis hominibus purgatum iri per ignem, quod* ἐκπύρωσιν *poſtea Stoici dixere, qui & per eam hunc talem quemque revicturum docent, his vocibus obtegentes reſurrectionis rem.* Origenes lib. IV. adverſus Celſum *: Φασὶ δὴ οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς κατὰ περίοδον ἐκπύρωσιν τοῦ παντὸς γίνεσθαι, καὶ ἑξῆς αὐτῇ διακόσμησιν πάντ' ἀπαράλλακτα ἔχουσαν. *Ajunt ii porticus philoſophi poſt ſæculorum circuitus fore incendium univerſi, deinde ejuſdem formationem quæ eadem omnia habeat.* Poſtea: * Κἂν μὴ ὀνομάζωσιν οὖν τὸ τῆς ἀναστάσεως ὄνομα, τὸ πρᾶγμά γε δηλοῦσιν· *quamquam igitur reſurrectionis non uſurpant vocabulum, rem tamen agnoſcunt.* Addit hic Origenes Ægyptios. Chryſippus de providentia citatus Lactantio lib. VII. inſtitutionum, c. 23. Τούτου δὲ οὕτως ἔχοντος, δῆλον ὡς οὐδὲν ἀδύνατον, καὶ ἡμᾶς μετὰ τὸ τελευτῆσαι, πάλιν περιόδων τινῶν εἰλημμένων χρόνου, εἰς ὃ νῦν ἐσμὲν ἀποκαταστῆναι σχῆμα. *Hoc cum ita ſe habeat, apparet non eſſe impoſſibile, ut & nos poſt mortem, ſæculorum certis circuitibus evolutis, reſtituamur in eum in quo nunc ſumus ſtatum.* Vide ſi vacat Nathanaelem Carpentarium liberæ philoſophiæ exercitatione XVI.

5 *& inter Peripateticos Theopompus.*) De quo Diogenes Laërtius initio libri. (*ſeu proœmio ſegm. 8 & 9.*) Καὶ Θεόπομπος ἐν τῇ ὀγδόῃ τῶν Φιλιππικῶν, ὃς καὶ ἀναβιώσεσθαι κατὰ τοὺς μάγους φησὶ τοὺς ἀνθρώπους, καὶ ἔσεσθαι ἀθανάτους, καὶ τὰ ὄντα ταῖς αὐταῖς ἐπικλήσεσι διαμενεῖν· *Theopompus vero etiam octavo Philippicorum, qui revicturos homines ex magorum ſententia tradit, immortaleſque futuros, & omnia in ſuis iiſdem ſemper manſura nominibus.*

(a) *idem ſit corpus.*) CONRING. Vereor, ut nodum recte ſolvat. Hoc enim præcipue quæritur, quomodo idem numero corpus, id quod reſurrexit, cum eo eſſe poſſit, quod olim vixit, ſi non omne illud, quod aliquando ſubſtantiam viventis corporis conſtituit, in novo iſto reperiatur. Id ſane negari nequit, corpus reſurgens non eſſe ſimpliciter numero id, cum omni illo, quod in veteri adfuit, attamen etiam id certum eſt, nihil eſſe in novo corpore, quod non fuit in veteri. Unde manifeſtum quoque eſt utrumque corpus numero idem eſſe. Exempla autem quæ hic adferuntur, neſcio, an ad rem faciant. Neque enim negari poteſt, animal quodvis ratione corporis ſui non ſemper idem numero manere. Ita multo minus partes papilionis eædem cum corpore vermis ſunt, tametſi ex verme papilio naſcatur. Obſervatum Ariſtoteli eſt, inſecta omnia alata triplici quaſi generatione naſci; primo enim ex ovo vermis, ex verme deinde fit aurelia ſeu χρυσαλλὶς & ejus exteriore cute, ceu ex ovi putamine proſilit ultimo papilio.

(b) *Zoroaſter.*) CONRING. ÆNEAS GAZÆUS Platonicus Philoſophus *in Theophraſto*, *Zoroaſter*, inquit, *vaticinatur, fore tempus, quo ſit omnium mortuorum reſurrectio futura.* Notavimus nos ſupra, reſurrectionis dogma & Perſarum ſapientibus non fuiſſe ignotum, qui Zoroaſtrem hunc Magiſtrum venerantur.

(c) *Stoici.*) CONRING. Notum in vulgus eſt, Stoicorum hoc de reſurrectione placitum. Ita SENECA *epiſtola XXXVI. Mors*, inquit, *quam pertimeſcimus & recuſamus, intermittit vitam, non eripit. Veniet iterum, qui nos in lucem reponat, dies, quem multi recuſarent, niſi oblitos reduceret. Æquo animo debet rediturus exire.*

(d) *Theopompus.*) CONRING. Neſcio an hoc ita certum ſit. Sane ÆNEAS GAZÆUS, cum id, quod modo de Zoroaſtre ex illo adduximus, retuliſſet, tandem hoc addit: *Scivit etiam Theopompus quod dico, idque ipſum alios quoque docet.* Quæ verba fortaſſis nihil aliud indicant, quam a Theopompo hanc Zoroaſtris opinionem litterarum monumentis eſſe traditam. Et ſane conſtat ex Diogene Laertio, Theopompum hunc nobilem ex Peripato hiſtoricum, magis Perſarum hanc opinionem adſcripſiſſe; quorum magiſtrum Zoroaſtrem eſſe, paulo ante diximus.

* Eorum, quæ ex *Origene lib. IV. adv. Celſum* heic recitantur, prius, ſaltem quod ad rem ipſam attinet, *pag. 167. & 208.* iſtius libri legitur; poſterius neque quoad rem, nec quoad verba ibi occurrit.

Digitized by Google

§. XII. *Præceptorum eximia ſanctitate, circa Dei cultum.*

Secundum, quo Chriſtiana religio omnes alias, quæ aut ſunt, aut fuerunt, aut fingi poſſunt, exſuperat, eſt ſumma *ſanctitas præceptorum*; (a) tum in iis, *quæ ad Dei cultum*, (b) tum quæ ad res cæteras pertinent. *Paganorum ſacra* (c) ferme per totum orbem terrarum, ut late oſtendit 1 Porphyrius, & noſtri etiam ſæculi navigationes docent, plena erant crudelitatis. Nam receptum *ferme ubique*, (d) ut & humano ſanguine Dii placarentur: quem morem *nec Græca eruditio*, (e) nec Romanæ *leges ſuſtulerunt*: (f) ut apparet ex iis, quæ 2 de victimis factis Baccho Omeſtæ apud Græcos, *de Græco & Græca*, (g)

3 Gallo

1 *Porphyrius*) De abſtinentia ab eſu animalium. (*lib. II pag.* 133. 169. *&* 221. *ſeqq.*) Unde multa ſumpſit Cyrillus IV. contra Julianum. (*fol.* 128. *ſeq. & alibi*)

2 *de victimis factis Baccho Omeſtæ apud Græcos.* Meminit

(a) *ſanctitas præceptorum*) CONRING. Non numerat hoc loco inter præcepta Salvatoris noſtri fidem autor. Alioqui ſacræ litteræ mandatorum vocabulo hanc includunt ut Johannes *epiſt. I. cap.* 3. com, 23. Eſtque profecto fides inter actus ejus obedientiæ, quam a nobis requirit Deus, longe ſanctiſſimus & graviſſimus, ita, ut reliqui ex hac tanquam ex fonte quodam vivo promanent. Non agit autem autor de fide, quoniam tota ejus natura ignota fuit olim omnibus extra eccleſiam viventibus.

(b) *quæ ad Dei cultum*) CONRING. Sub initium animadverſionum noſtrarum attulimus aliquot teſtimonia eruditiſſimorum hominum, qui cultum divinum ceu rem natura notam habuerunt; neque enim ulla gens non aliquid Dei ſpecie coluit, tametſi unus & alter in tanta hominum multitudine non defuerit, qui primas illas de colendo Deo notitias ſuſtulerunt, quos tamen in bene conſtitutis civitatibus coercitos ſtatim legimus, quomodo Diogenes Mileſius & poſt Epicurei ex bene moratis civitatibus ſæpenumero ejecti ſunt. Cæterum uti Deum colendum eſſe, apud nullum non populum ratum atque conſtitutum fuit, ita circa illum cultum vix ulla gens non graviter lapſa eſt, quod vel de Dei natura non recte ſentirent, vel rationem colendi Dei abſurdam & iniquam obſervarent. Certe Dei cognitio lapſu temporum, laborantibus in deceptionem hominum præcipue dæmonibus, hominibusque ipſis in fœda maximam partem ſcelera prolapſis, apud multos populos tantum non obliterata fuit. Quos enim nos Paganos dicimus, quorum mores & conſuetudines olim fere totum terrarum orbem occupavere, neque hodie penitus extincta ſunt, illi unanimi etiam conſenſu ſcientes volentesque non unum tantum Deum, verum etiam mentes creatas, adeoque illas, quas & ipſi malas eſſe profitebantur, adorabant. Plerique & hominibus vita functis exhibuerunt cultum, non niſi Deo uni tribuendum. Alii aſtra & elementa, alii bruta animantia, alii facta ſimulacra, alii etiam illas res, quæ non ſubſtantiæ, ſed horum accidentia ſunt, ut febrim, impudentiam, ſanitatem, bonam fortunam, amorem, metum & ſimilia haud ſecus, quam ipſum ſummum Deum, venerati ſunt. Neque vero ulla lex vel unius civitatis iſthæc non dico prohibuit, ſed non authoritate ſua iſthæc ſanxit; unam ſi Judæorum legem & poſt noſtri Salvatoris & Mahumetis denique exceperis.

(c) *Paganorum ſacra*) CONRING. Hoc nomine cœperunt jam olim ſub Chriſtianis Imperatoribus, invaleſcente ubique terrarum Chriſtiana religione, falſorum Deorum cultores appellari, quod illo ævo in pagis potiſſimum inter ruſticos ſua ſacra celebrabant. Vid. CALIXTUS *diſput. de veritate relig. Chriſt. th. II.* Intelligit autor noſter Paganorum civilem, quem vocant, cultum. Alioquin apud Græcos & Romanos triplex erat theologiæ vel religionis genus; quorum unum fabuloſum erat, inque poetarum ſcriptis continebatur; alterum in Platonis, Ariſtotelis & Stoicorum monumentis reperitur; tertium demum in civitatibus publice obtinebat; ideoque civilis titulo uſurpabatur. Fuit enim apud Græcos & Romanos mira ſemper poetarum licentia, itaque his quidvis fingere de ipſorum diis eorumque cultu fas erat. Minori quidem libertate apud Græcos primo philoſophi erant, ſed tamen & hi poſt Socratem magnam licentiam editis ſcriptis publica civitatum ſacra perſtrinxerunt, & populari ludibrio expoſuerunt, quod apud alias gentes haud perinde in uſu fuiſſe videtur. Porro triplicis hujus theologiæ Græcanicæ generis & EUSEBIUS olim *lib. IV. de præparat. evang.* & AUGUSTINUS *lib. VI. de civitate Dei* ex Marco Varrone mentionem fecerunt.

(d) *ferme ubique*) CONRING. Hinc haud immerito de iſtis ſacris reclamavit PLINIUS: *adeo iſta toto mundo conſenſere, quanquam diſcordi & ſibi ignoto lib. XXX. c. I.* Operæ vero pretium inprimis legere, quæ de impio hoc ſacrificio ex omnium monumentis collegit GROTIUS *cap. X. defenſionis fidei catholicæ de ſatisfactione Chriſti contra Socinum*, & GEORG. CALIXTUS in *epit. theol. moral.* ubi de legibus agit. Fere enim omnia, quæ huc faciunt, mira ibi diligentia collecta habes.

(e) *nec Græca eruditio*) CONRING. Fatendum eſt, non vulgare hoc ſacrificium græcis gentibus fuiſſe. Hinc PLATO in *Minoë*: *nobis homines immolare, leges non permittunt, ſed nefarium eſt. Aſt apud Carthaginenſes juſtum ſanctumque habetur, adeo, ut eorum nonnulli filios Saturno ſacrificent, ut ipſe forſitan audiviſti.* Verum enim vero fortaſſis illo ævo moratior ac cultior Græcia barbarum illum morem aboleverat. Notum enim alioquin, ad Trojam Iphigeniam, tum Polyxenam immolatas, & diſerte PLINIUS *lib. VIII. cap.* 22. *in ſacrificio, quod Arcades Jovi Lyceo humana etiam tum hoſtia faciebant.* Quod & PAUSANIAS teſtatur in Arcadicis, qui eundem ritum & Ionibus Achajæ incolis adſcribit, idem factum olim in Cypro, Rhodo, Chio, Thenede, Salamine fatetur, quem ſupra laudavimus, Porphyrius. Ut taceam nunc, quæ de Bacchi Omeſtæ ſacrificio hoc ipſo loco tradit autor noſter. Itaque veriſimile eſt, quod ante diximus, mutatum poſt hunc ritum eſſe ut barbarum & immanem. Sane narrat Porphyrius, Diphilum Cypri regem pro humana bovis mactationem ſurrogaſſe, & apud eundem commemorat Manethes, Amoſin Ægypti regem pro hominibus cereas imagines ſubſtituiſſe. Ipſis autem gentibus ſuſpecta erat hæc ſacrificiorum crudelitas. Quare & PORPHYRIUS *lib. de ſuperſtitione* de hisce ſacris locutus, in hæc prorumpit verba: *quod ſi Typhones vel Gygantes diis profligatis imperarent, quibus adeo victimis delectarentur, aut quæ alia ſacra poſtularent?* Quare & Gelo hæc ſacrificia apud ipſos Carthaginenſes, qui præcipue tam immanibus ſacris infames ſunt, tandem potuit abolere.

(f) *leges ſuſtulerunt.*) CONRING. LIVIUS *lib. XXII.* ſacrificia hæc ordinaria appellat. Sed tamen nimis poſtea frequens fuit. Tametſi CICERO *oratione pro Fontejo*, cum Gallorum ſimilem crudelitatem commemoraſſet, non dubitet addere: *quali fide, quali pietate exiſtimatis eſſe eos, qui etiam Deos immortales arbitrentur hominum ſcelere & ſanguine facillime poſſe placari.* Verum tamen etſi jure merito ita in Gallos invehatur Cicero, fuit tamen, ut ante dixi, ſacrificiorum hæc crudelitas in nimis frequenti uſu etiam Romanis, ut poſt apparebit.

(g) *de Græco & Græca.*) CONRING. LIVIUS *lib. XXII.* Ubi de bello Punico agit, *ex fatalibus*, ait, *libris ſacrificia aliquot extraordinaria facta*, (uti facile apparet, non caſu, aut unius fortaſſis ſacerdotis ſuperſtitione hoc factum, ſed ipſarum ſacrarum legum autoritate) *inter quæ Gallus & Galla, Græcus & Græca in foro boario ſub terra vivi demiſſi ſunt.* PLINIUS *lib. XXVIII. cap.* 2. *Boario in foro Græcum Græcamque defoſſos, aut aliarum gentium, cum quibus tum res eſſet, etiam noſtra ætas vidit.* Vixit autem ad Veſpaſiani usque imperium. TERTULLIANUS *Scorpiaci cap. III. Latio*, inquit, *in hodiernum Jovi media in urbe humanus ſanguis ingeſtatur.* Floruit autem Severo Imperatore, cujus σύγχρο-

νος,

3 Gallo & Galla mactatis Jovi Latiali legimus. Myſteria autem *illa ſanctiſſima*, (a) ſive Cereris, ſive Liberi patris, pleniſſima fuere omnis obſcœnitatis, ut apparuit, poſtquam ſemel, perrupta arcani religione, evulgari cœperunt: quod late exſequuntur 4 *Clemens Alexandrinus*, (b) 5 & alii. Tum vero illi dies, qui Deorum honori ſacrati erant, talibus ſpectaculis celebrabantur, 6 quibus intereſſe *Catonem puduit*. (c) *At*

nit Plutarchus Themiſtocle, (*tom. I. opp. fol.* 118. *ſeq.*) & Pauſanias. * Similia ſacra Meſſeniorum, Pellæorum, Lyctiorum in Creta, Lesbiorum, Phocæentium habes apud Clementem *Protreptico*. (*fol.* 27.)

3 *Gallo & Galla mactatis Jovi Latiali.*) Antiquum in Italia homines immolare docet nos libro I. (*antiquit. Rom. fol.* 30. *edit. Francofurt.* A. 1586.) Dionyſius Halicarnaſſenſis. Quamdiu id manſerit Plinius libro XXVIII. cap. I. *Boario vero in foro Græcum Græcamve defoſſos, aut aliarum gentium cum quibus tum res eſſet, etiam noſtra ætas vidit.* Manſit mos ad Juſtini & Tatiani tempora. Juſtinus enim ſic Apologetico I. (*fol.* 50.) Romanos alloquitur: Τῷ παρ' ὑμῖν τιμωμένῳ εἰδώλῳ, ᾧ οὐ μόνον ἀλόγων ζώων αἵματα προσραίνεται, ἀλλὰ καὶ ἀνθρώπεια, διὰ τοῦ παρ' ὑμῖν ἐπισημοτάτου καὶ εὐγενεστάτου ἀνδρὸς τὴν πρόσχυσιν τοῦ τῶν φονευθέντων αἵματος ποιουμένου. *Ut ei quod vos colitis idolo, cui non tantum ratione carentium animantium ſanguis aſpergitur, ſed & humanus, nobiliſſimo atque illuſtriſſimo veſtrum, occiſorum hominum affundente, ſanguinem.* Tatianus vero: (*orat. contra Græc. fol.* 105.) Εὗρον παρὰ μὲν Ῥωμαίοις τὸν Λατιάριον Δία λύθροις ἀνθρώπων, καὶ τοῖς ἀπὸ τῶν ἀνδροφονιῶν αἵμασι τερπόμενον. *Cum compererim apud Romanos Latialem Jovem humano cruore, & per homicidium fuſo ſanguine oblectari.* Porphyrius ad Adriani tempora manſiſſe talia ſacra nos docet. (*lib. II. de abſtinentia pag.* 225.) Apud Gallos mos is vetus humanis victimis litandi, ut ex Cicerone pro M. Fonteio, (*cap.* 10.) & ex Plutarcho de ſuperſtitione (*fol.* 171. *tom. II. opp.*) diſcimus. Eum ſuſtulit inde Tiberius: memorante Plinio lib. XXX. cap. I. De Britannis eundem ibi Plinium vide, & Dionem Nerone **, & Solinum ***. De Slavis vero Helmoldum lib. I. cap. 3. **** Porphyrius libro de non eſu animantium ſecundo manſiſſe ad ſuam ætatem ait, (*pag.* 169. *col.* 226.) & in Arcadia & Carthagine, imo & ἐν τῇ μεγάλῃ πόλει, id eſt Romæ, ſacrum nominans Jovis Latialis.

4 *Clemens Alexandrinus.*) In Protreptico. (*fol.* 10. *ſeqq.*)

5 *& alii.*) Maxime Arnobius. (*lib. V. adverſus gentes pag.* 174. *ſeqq.*)

6 *quibus intereſſe Catonem puduit.*) Martialis initio epigrammarum (*lib. I.*) (*epigr.*) I. Gellius X. 13. ***** Valerius Maximus lib. II. cap. X. (*exemplo* 8.)

nes. MINUTIUS FELIX *in Octavio* de ſuo ævo ſimiliter ait: *hodieque a Romanis Latiaris Jupiter homicidio colitur, & quod Saturni filio dignum eſt, mali & noxii hominis ſanguine ſaginatur.* Quod ne quis confictum ab his, tanquam a Chriſtianis Paganorum adverſariis arbitretur, accedit Porphyrii quoque teſtimonium, qui demum ſuo ævo (vixit autem ad Diocletiani usque imperium) crudelia iſthæc ſacra deſiiſſe Romæ celebrari, diſertis verbis teſtatur lib. II. ejus operis, quod *de abſtinentia ab eſu animalium* inſcripſit, atque a nobis ſæpe laudatum eſt.

* Hiſtoriam *de victimis factis Baccho Omeſtæ Pauſanias*, quantum mihi perſpicere licuit, non confirmat, alia tamen ei convenientia exponit *lib. VII. fol.* 434. *& L. VIII. fol.* 457. edit. *Xylandri* Hanoviæ MDCXIII.

** *Lib. LXII. fol.* 704. *hiſtor. Rom.* narrat *Dio Caſſius, quod Britanni captivas fœminas Romanas nudas ſuſpenderint, earumque corpora in longitudinem palis præacutis transfixerint. Quæ omnia fecerint contumelioſe, dum ſacrificarint in ſuis templis, & epulati ſint, maxime in luco Andates.* Neſcio, num hæc confirmandis Grotii dictis inſerviant.

*** Hujus *Polyhiſtor cap. XXII.* quo de Britannia exponit, nihil iſtius rei continet.

**** Altum ibi apud *Helmoldum* de Slavorum more, humano ſanguine Deos placandi, eſt ſilentium.

***** Neque hoc, neque alio loco id de *Catone Gellius* memoriæ prodidit.

(a) *illa ſanctiſſima.*) CONRING. Fœditatem illorum, uti loquebantur, myſteriorum ſive Eleuſiniorum ſive Dionyſiorum, nemo ferme patiatur vel audire vel legere. Quidam horum actuum, qui etiam in propatulo fiebant, caſtos oculos non admittebant, certe nemo prudentior illos ferebat. Operæ pretium legere eſt, quod contra Bacchi ſacra jam olim Romæ diſſeruiſſe magnum virum Catonem, commemorat Plinius; inprimis autem apparuit myſteriorum illorum obſcœnitas, cum Chriſtiana religio paſſim terrarum innoteſceret.

(b) *Clemens Alexandrinus.*) CONRING. CLEMENS Protreptico contra gentes, & inprimis ARNOBIUS *libr. V. contra gentes*, quo nemo diligentius aut accuratius Græcorum & Latinorum εἰδωλομανίας ac ſuperſtitionem memoriæ tradidit. Plurima paſſim ab omnibus illis, qui pro religione Chriſtiana contra Paganos ſcripſerunt, ejusdem notæ memorantur, quorum catalogum habet CALIXTUS *diſp. de verit. Relig. Chriſt.*

(c) *Catonem puduit.*) CONRING. Memorat hoc Livius. Cæterum A. N. a Paganorum civili religione ſtatim facit tranſitum ad Judaicam. Fortaſſis tamen operæ pretium facturus ſit, ſi quis philoſophorum quoque theologiam in contentionem cum Chriſti doctrina adducat. Poſſit enim quis opinari, hos non item circa cultum divinum aberraſſe. Verum enim vero etſi haud æque inſanierint fortaſſis ſapientiores iſti, uti a vulgo factum vidimus, ita tamen a plerisque de ſacrorum ratione erroribus omnia ſunt inquinata, ut etiam ex hac comparatione Chriſti doctrinæ divinitas manifeſto poſſit parere. Equidem non dico Philoſophiam, ſiquidem iſto vocabulo rectæ rationis notitiam intelligas, revelatæ Chriſtianorum religioni contradicere, tametſi negari nequeat, longe illam imperfectiorem eſſe atque imbecilliorem, quam ut poſſit omnia iſthæc, in quibus Dei cultus conſiſtit, etiam maximo acumine ſuo aſſequi ac penetrare. Id tantum volo, neminem illorum, qui Philoſophiæ ac ſapientiæ titulo olim claruerunt, non graviſſime hic lapſum eſſe. Nihil dicam de Ægyptiorum, Perſarum, Chaldæorum, Judæorumque ſapientibus, hos enim conſtat magiſtros & duces fuiſſe popularium ſuperſtitionum. Soli Græcorum Philoſophi, ſicut in religionis hoc negotio a vulgi ſententiis, impetrata poſt Socratis obitum ſcholis ſuis maxima docendi libertate, longiſſime diſceſſerunt, interque ſeſe ipſos plurimum habuerunt diſſidii, ita horum ſententiæ ſeorſim hic adducendæ videntur. Igitur primo Pythagoræ ſcholam quod attinet, certum eſt, illam ſuperſtitionum Ægyptiacarum inprimis pleniſſimam. Apparet illud cum ex aliis, tum ex ſolis PORPHYRII & JAMBLICHI ſcriptis *de Pythagoræ vita*. Ita carnis eſum abominabantur, ita fabis abſtinebant, ita ſua inſtituerant ſacrificia expiatoria, ita arcanis herbis geniorum commercium ſibi comparabant, non abſtinentes interim ab omnibus idololatricis vulgi cultibus. Sane Pythagoricus audire voluit Appollonius Thyanæus, Apulejus Madurenſis, & ſi qui alii dæmoniacis miraculis Chriſtianæ religioni obſtiterunt. Tum certum eſt, omnem illam gentilis ſuperſtitionis hydram, quæ aliquot ſeculis per philoſophos Chriſtianis magnum negotium faceſſivit Pythagoricæ Philoſophiæ titulo ſive pallio quodam ſplendido indutam eſſe. Prodiiſſe olim ex Pythagoræ ſchola & legislatores illi celeberrimi, Zaleucus & Charondas, narrantur, quorum ille in proœmio legum ſuarum laudante JOANNE STOBÆO ſerm. 42. ſatis bene divinæ gratiæ conciliandæ modum proponere videtur: *Deus*, inquiens, *ab impio homine non honoratur, neque colitur ſumtibus, ſed virtute & inſtituto bonorum juſtorumque operum, quare neceſſe eſt, quemvis, qui Deo charus ſit futurus, pro virili tum facto tum propoſito bonum eſſe.* Hoc quidem, inquam, ſatis recte ille: certum tamen eſt, etiam hunc ipſum Locrenſibus ſuis idololatricam ſuperſtitionem legum autoritate injunxiſſe. Quomodo recte etiam Pythagoras ipſe videtur loqui, quando ait: *Deum colimus, ſi mentem quæ in nobis eſt, omnis vitii tanquam maculæ expertem puramque reddiderimus.* Verum enim vero latet ſub illa ſpecie veritatis ſuperſtitionis monſtrum, puritatem

ritatem enim & perfectionem illam animæ non uno virtutis ſtudio, ſed per Theurgicas conſecrationes conſecuturos ſe, omnes ejus diſcipuli arbitrati ſunt. Ita Porphyrius dicente AUGUSTINO *lib. X. de civitate Dei cap.* 9. quandam quaſi purgationem animæ per Theurgiam cunctanter tamen & pudibunda quodammodo diſputatione promittit. JAMBLICHUS lib. *de myſteriis*, cum dixiſſet, maximam ſacrificiorum vim in eo conſiſtere, quod iis liberemur a peſte, fame, penuria & opportunos imbres impetremus; addit: conſequi nos iisdem purificationem quoque perfectionemque animorum, & ab hac generationis provincia libertatem. Quin certum eſt, non alium fuiſſe ſcopum τῶν τελετῶν, ſive conſecrationum Theurgicarum, quam illum; quem OLYMPIDORUS in *Phædone* oſtendit, nempe *εἰς τέλος ἀναγαγεῖν τὰς ψυχὰς ἐκεῖσε, ἀφ' ὧ τὴν πρώτην ἐποιήσαντο.* Hoc igitur cum & ipſi Pythagoræi exiſtimarent, omnes ad Theurgica ſua ſacra, tanquam ad ſacram anchoram & colendi Dei optimam rationem confugerunt. Eodem profecto faciunt illa Longiniani Philoſophi ad Auguſtinum verba quæ adducit CALIXTUS diſput. *de verit. religionis Chriſt.* § 4. Nam & ille virum bonum non tantum piis verbis ac dictis ad Deum credit pervenire, ſed purgari eundem vult antiquorum ſacrorum, (verba ejus ſunt) *piis præceptis, expiationibusque puriſſimis & abſtemiis obſervationibus.* Nempe cum peccando quaſi maculam contrahat anima, vel in vitia pronitatem, credebant emaculari illam ac purgari poſſe Theurgicis ſacris, ſimulque expiari omnem reatum. Verum enim vero ſuperſtitioſum hunc fuiſſe cultum, facile oſtenſu eſt. Principio enim recta profecto ratio, ſuo innitens diſcurſui, ignorat illam purgandæ animæ rationem. Non potuit autem proficiſci ex vera aliqua, cœlitus tradita, doctrina, quia nemo unquam illis ſacrificiis conſequi potuit, quod pollicebantur. Sufficerit teſtimonium unius Porphyrii, hominis omnium myſteriorum, quæ appellabant Pagani, callentiſſimi. Dicit autem Porphyrius, teſte AUGUSTINO *lib X. de civitate Dei cap.* 32. *nondum receptam unam quandam ſectam, quæ univerſalem viam animæ contineat liberandæ vel a Philoſophia veriſſima aliqua vel ab Indorum moribus ac diſciplina aut inductione Chaldæorum aut alia qualibet via, nondumque in ſuam notitiam eandem viam hiſtoriali notitia perlatam. Idem* AUGUST. *lib. X. de civ. Dei cap.* 9. hisce verbis Porphyrii de Theurgicis ſacris ſententiam profert: *Porphyrius quandam quaſi purgationem animæ per Theurgiam, cunctanter tamen & pudibunda quodammodo diſputatione promittit, reverſionem vero ad Deum hanc artem præſtare cuiquam, negat. Nunc*, ait AUGUSTINUS, *velut ejus laudatoribus cedens, utilem dicit eſſe mundandæ parti animæ, non quidem intellectuali, qua rerum intelligibilium percipitur veritas, nullas habentium ſimilitudines corporum, ſed ſpirituali, qua corporalium rerum capiuntur imagines. Hanc enim dicit per quasdam conſecrationes Theurgicas, quas τελετὰς vocant, idoneam fieri atque aptam ſuſceptioni ſpirituum & angelorum ad videndos Deos, & quibus tamen Theurgicis τελεταῖς fatetur, intellectuali animæ nihil purgationis accedere, quod eam faciat idoneam ad videndum Deum ſuum & perſpicienda ea, quæ vera ſunt.* Pergit de Porphyrio Auguſtinus: *conqueritur inquit*, ſcil. Porphyrius, *vir in Chaldæo bonus purgandæ animæ magno molimine fruſtratos ſibi eſſe ſucceſſus, cum vir ad eadem potens, tactus invidia adjuratus ſacris precibus potentias alligaſſet, ne poſtulata concederent.* Hæc Auguſtinus ex Porphyrio, unde vanitas imo impietas Theurgiæ facile patet. Si enim illa non potuit animas, quod ipſe fatetur Porphyrius, ad Deum deducere, non fuit etiam vera Dei ratio colendi, quippe cum cultu divino Deo reddamur vicini atque accepti. Deinde ſi per Theurgiam poteſt impediri etiam illa, quam tantopere affectabant, Theopſia, quæ poſſit eſſe veri cultus divini pars? Sane impium dictu eſt, ipſa quoque pietate vera ac ſancta poſſe impediri magnam aliquam hominis felicitatem. Poſtremo ex hac ipſa confeſſione patet, nihil ad Dei viſionem ſed tantum ad ſpirituum quorundam apparitionem Theurgica iſthæc valuiſſe. Atque videre ſpiritum aliquem, quid confert felicitati humanæ, cum videamus contingere hoc improbiſſimis quibusque mortalibus? Non aliud ergo ſua Theurgia conſecuti olim ſunt iſti Pythagoræi, quam quo hodie peſſimas & ſceleratiſſimas aniculas frui certum eſt. Sane non alius generis ſpirituum viſiones, quibus Plotinus, Porphyrius, Jamblichus, hujusque plerique diſcipuli ab Eunapio homine inepte ſuperſtitioſo laudantur, fuiſſe, nemini non liquet, cui hiſtoriæ illarum cognitæ ſunt. Quod uti vanitatem ſatis atque impietatem Theurgici cultus arguit, ita contra religionis noſtræ divinitatem ac veritatem commendat vera iſta animorum purgatio & ſanctificatio, quam Chriſtiani facili labore & quidem ſincera tantum in Chriſtum ſuum fide conſequuntur. Inprimis enim mirabile hoc habet cultus Chriſtianus, quod cultores ſuos ex impiis & ſceleratis reddat probiſſimos, omnique inſtituat virtutis genere. Non poteſt autem non cultus ille ſanctus verus eſſe, qui homines reddit ſanctos, uti contra ſtultus ille cultus merito habendus, qui nihil probitatis ac virtutis confert colentibus. Neque enim fieri poteſt, ut Deus non purget illorum animos, qui veram colendi Dei rationem obſervant. Verum de his alias latius. Nunc ad Platonicos pergamus. Et hi quidem non videntur eadem ſenſiſſe ſemper cum magiſtro ſuo, ſiquidem qui poſt primum a Servatore noſtro nato ſeculum Platonicorum titulo voluerunt audire, Pythagoricos quoque ſe ferebant & omnium myſteriorum Paganorum admiratores obſervatoresque. Qui vero Platonis ævo fuere propinquiores, non videntur ad hunc modum ſuperſtitioſis ritibus fuiſſe dediti. Cæterum Platonem ipſum, ſi quis adeat, certum eſt, hunc nihil ſacrorum Græcanicorum non voluiſſe in rebus publicis atque optimis civitatibus obſervari. At vel ſerio ille hoc fecit, atque ex animi ſui ſententia, vel ut fucum rudi plebi faceret. Primum ſi dixeris, fuit profecto iisdem erroribus deditus, quibus inſana gentilium plebs detinebatur. Si vero non ex ſententia probavit ſuæ gentis ſacrificia & ſuaſit tamen illa, inque optimas civitates voluit introducere, nimis ſane impius fuerit. Quæ enim major poſſet eſſe impietas, quam docere colendi Dei rationem, quam ipſe damnas, Deoque inviſam eſſe noſti. Quod argumentum valet etiam contra reliquos Philoſophos, quos certum eſt improbaſſe vulgaria ſacra, cum nihilominus vellent illa vulgo obſervari. Ita ARISTOTELES longiſſime diſceſſit in ſuis de Deo placitis a vulgi ſententiis & tamen *lib. VII. polit.* ut & alibi avitos ritus ac ceremonias obſervandas ſuaſit. Cæteroquin germana ejus hominis ſententia de hoc negotio noſtro adeo impia eſt; ut omnem omnino cultum divinum e medio tollat. Dum enim tollit divinam mundi gubernationem, ſimul quoque abolet omnes preces, omnem timorem divinum ac numinum reverentiam: Ait ille quidem *X. eth. ad Nicomachum* ac alibi, homines probos ac eruditos Deo eſſe acceptiſſimos, id tamen potius dicis gratia videtur allatum. Quomodo enim vere Deo amicus ſit & gratus, qui an ſit, nec ne in rerum natura, ab ipſo quoque numine ignoratur? Eodem in luto & Epicuræi hærent, imo ipſis quoque Peripateticis longe fuere impudentiores. Hi quippe utut ita abſurde de divino cultu ſentirent, contra religionem tamen nihil in vulgus diſſeruerunt, imo editis ſcriptis contra animi quoque ſententiam religionem tutati ſunt: quomodo tradit LAERTIUS, a Theophraſto Ereſio, Ariſtotelis diſcipulo & in ſchola ſucceſſore librum de adoratione conſcriptum eſſe. At vero Epicuræi ne in publico quidem erubuerunt, virulentis conviciis Deum atque ſacra omnia proſcindere. Ideoque ſæpe numero e moratioribus urbibus ejecti, quod Peripatetico cuiquam contigiſſe, nullis traditur monumentis. Moratiores ac religioſiores habuit Porticus. Itaque ea in M. Annæo Seneca & Epicteto apud ARRIANUM *diſſertat.* AULI item PERSII (nam & hic Stoicus fuit) *Satyra* 2. paſſim leges, quæ ad ſanctimoniam præceptorum religionis noſtræ vicine ſatis accedunt. Nectare ſane ſuaviora ſunt iſta PERSII:

Quin damus id ſuperis de magna quod dare lance
Non potuit magni Meſſalæ lippa propago:
Compoſitum jus faſque animi ſanctosque receſſus,
Mentis & incoctum generoſe pectus honeſto.

Ne alia nunc vel ex iſthac pia ſatyra vel aliunde in medium afferam. His ſane nihil præclarius aut rectius dici poteſt. Cæterum uti omnibus prudentibus facile apparuit, veriſſimum longe illud eſſe, quod cum Deus ſit

ani-

At Judaica religio nihil quidem habuit illicitum, (a) aut inhoneſtum; ſed tamen 7 *ne pronus ad idololatriam populus* (b) a vera religione deſciſceret, multis præceptis earum rerum, quæ per ſe nec bonitatem, nec malitiam habebant, oneratus eſt; qualia ſunt pecudum mactationes, circumciſio, exacta quies ſabbati, & ciborum aliquam multorum interdictio; quorum nonnulla mutuati ſunt Mahumetiſtæ, addita vini prohibitione. At Chriſtiana religio Deum, *ut mentem puriſſimam*, (c) 8 pura

7 *ne pronus ad idololatriam populus a vera religione deſciſceret, multis præceptis earum rerum, quæ per ſe nec bonitatem nec malitiam habent, oneratus eſt.*) Hanc cauſam talium præceptorum reddit & Maimonides, * quem ſequitur Joſephus Albo,

8 *pura mente colendum docet.*) Joh. IV. 24.

animus, præcipue illum pura mente eſſe colendum, atque adeo nihil magis Deo placere, quam mentem virtuti & honeſtati deditam; ita hactenus quidem recte ſentiunt Stoici, nihilominus tamen ſeu ſerio rem egerint, ſeu populari conſuetudine abrepti, & ipſi nihil non vulgaris ſuperſtitionis obſervarunt, ut etiam in hos philoſophorum omnium probatiſſimos & ſanctiſſimos quadret illud Apoſtoli Rom. I, 21. Gentes cum Deum agnoviſſent, nihilominus tanquam Deum non glorificaſſe, neque gratias ei egiſſe. Mutarunt ſcilicet & hi gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem corruptibilis hominis & volucrium & quadrupedum & reptilium, atque ita Dei veritatem transmutarunt in falſitatem (h. e. loco veri Dei coluerunt inane aliquid) & venerati ſunt creaturas & ſervierunt iis, præterito conditore, qui eſt benedictus in ſecula.

(a) *At Judaica religio nihil quidem habuit illicitum.*) CONRING. Ut eo rectius Judaica religio cum noſtra Chriſtiana poſſit comparari, operæ pretium eſt quædam præmittere. Notandum igitur inprimis, cultum divinum partim ex naturæ inditis præceptis, partim etiam ex divinitus traditis conſtitutionibus provenire. Quæ itaque ex naturæ veniunt præſcripto, ſicut non poſſunt non longe eſſe optima, ita religio quoque illa vera eſſe non poteſt, quæ, non dicam illis adverſatur præceptis naturæ, ſed non graviſſime iſthæc officia poſtulat ac mandat. Neque vero fieri poteſt, ut naturæ leges aboleantur & abrogentur. Quæ vero divinitus nobis revelata ſunt, habent illa quidem naturam legum poſitivarum vel conſtitutionum; quædam tamen, ut in legibus poſitivis fieri ſolet, ad neceſſitatem iſtam legum naturalium quam proxime accedunt. Hæc cum ita ſe habeant, manifeſtum utique eſt, legem Judaicam, cum recta ſit ac ſana, non cedere ulla ex parte religioni noſtræ in illis præſcriptis, quæ circa cultum divinum ab ipſa natura dictata ac præſcripta ſunt. Contra quam tamen ſcriptor noſter videtur diſſerere, dum Chriſtianæ religioni præ Judaica tribuit, quod doceat, Deum ut mentem puriſſimam pura mente colendum, & iis operibus quæ ſuapte natura etiam citra præceptum honeſtiſſima ſunt. At quæ hujus ſunt naturæ, qui potuerunt abeſſe a Judaica religione, quam ſanctiſſimam fuiſſe, confitemur? Certa enim religio, quid fuiſſet, iſthæc niſi poſtulaſſet? Tum vero ea ipſa, quæ hic peculiariter Chriſtianæ religioni attribuit Grotius, ſæpiſſime diſertis verbis in veteri lege jubentur. Ita quid aliud eſt, Deum amandum eſſe ex toto pectore, tota anima, toto ingenio & omnibus viribus, quam quod hic ait Chriſtiana lege mandari? Similiter res in reliquis ſe habet, quæ hic in medium adducuntur. Hactenus igitur he ſolam quidem vetus atque nova lex inter ſe differunt. Quod autem additur ab autore noſtro, Deum oneraſſe quondam populum Judaicum ceremoniis multis, quæ per ſe nec honeſtatem nec notitiam habent, illud, ut, ex parte verum eſſe, nolim diffiteri, ita de ipſis quoque ſacrificiis omnibus verum eſſe, non facile aſſeruero. Ratio dubitationis eſt, quod conditionata quadam neceſſitate peccatorum ſacrificii alicujus interventus videatur requiri. Neque enim veriſimile eſſe dicitur vel videtur, voluiſſe Deum O. M. unigeniti filii ſui morte expiari humani generis peccata, niſi rigor juſtitiæ tale quid poſtulaſſet. Fuerunt autem ſacrificia veteris fœderis & ipſa expiationes quædam peccatorum. Id quidem certum eſt, unum illud Servatoris noſtri in cruce exhibitum Patri ſuo placamentum non tantum ſufficere ſequentium ſeculorum criminibus expiandis, ſed virtutem ſuam etiam in antecedentia tempora porrigere; neſcio tamen, annon etiam victimæ illæ V. T. ſicut revera fuere expiationes, ita etiam ob nondum peractum magnum illud crucis ſacrificium ex neceſſitate quadam, ſaltem ob relaxationem pœnarum temporalium in uſu fuerint. Cæteroquin circumciſionem & ciborum diſcrimina & quæ plurima alia populo Judaico fuere injuncta, fuiſſe mere arbitraria, pereſt veriſimile. Cæterum autem hac quidem parte ita differimus nos a Judæis, ut nihil habeamus ceremoniarum a Deo inſtitutarum, ſiquidem & nos loco circumciſionis baptiſmum & victimarum vice ſolemnis illius ſacrificii Servatoris morte exhibiti frequentiſſimam memoriam ex divino præcepto in Euchariſtia, quod vocamus, ſacramento, obſervare tenemur. Illa itaque tantum parte in hoc negotio ſuperamus Judæos, quod illi graviſſimo, imo ut Petrus ait, intolerabili onere ceremoniarum fuerint preſſi, nobis contra in maximam aſſertis libertatem. Atque hoc eſt, quod toties in apoſtolicis ſcriptis de veteris teſtamenti ſervitute, & novi fœderis libertate diſſeritur. Nempe ut recte AUGUSTINUS *lib. III. de doctrina Chriſtiana cap.* 9. ait: *quædam pauca pro multis eademque factu facillima & intellectu auguſtiſſima, & obſervatione caſtiſſima ipſe Dominus & apoſtolica tradit diſciplina, ſicut eſt baptiſmi ſacramentum & celebratio corporis & ſanguinis Chriſti.* Idem alibi: *Tenere te volo*, inquit, *Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſicut ipſe in evangelio loquitur, leni jugo nos ſubdidiſſe & ſarcinæ levi, unde ſacramentis numero pauciſſimis & obſervatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem novi populi colligavit.*

(b) *ne pronus ad idololatriam populus.*) CONRING. Maxima cura ſemper legumlatoribus omnibus fuit, ut populos ſuos ad eum ſcopum, quem reipubl. ſuæ præfigebant, quotidianis exercitiis quam expeditiſſimos redderent. Ita qui nihil majus habebant potentia & imperii latitudine, nunquam non cives ſuos armis exercebant. Ad eundem plane modum Deus optimus maximus cum Hebræorum gentem ad pietatem, quam ſcopum ejus reipublicæ, ut recte obſervat Flavius Joſephus, conſtituerat, perduceret, optimo etiam conſilio multarum illi ceremoniarum onus impoſuit, ut nunquam non de divino cultu & adoratione commonerentur.

(c) *ut mentem puriſſimam.*) CONR. Quæ hic enumerat Grotius ex ipſis naturæ legibus fluunt, ideoque non minus in Hebræorum quoque præceptis inveniuntur. Patet autem hoc ipſum facile, quia mens optima, qualis Deus eſt, non poteſt non maxime amare id, quod in homine optimum eſt. Eſt autem nihil melius in hominibus mente pura. Quod ſi vero honeſtate atque integro animo delectatur Deus, non poteſt etiam non præ omnibus aliis puritatem illam atque virtutem in animo deſiderare, hinc adeo ipſis quoque gentibus hoc longe fuit cognitiſſimum. Tritum ſane eſt Catonianum illud:

Si Deus eſt animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipue ſit pura mente colendus.

Jam ſupra adduximus aureos Perſii verſiculos, tum multa, quæ huc faciunt omni ex antiquitate Græcorum & Latinorum in *apparatu* ſuo & diſputat. de *verit. relig. Chriſt.* collegit D. CALIXTUS, quæ ſane diligenter expendiſſe operæ eſt pretium; quin imo ipſe etiam Ariſtoteles id fatetur tum *lib. X. ethic. ad Nicomachum*, tum in plurimis eodem opere locis.

* Conf. ejus *More Nebochim part. III. cap. XXIX. p.* 424. *cap. XXXVII. XLV. XLVI.* integr. XLVII. *pag.* 492. *XLVIII. pag.* 496. *XLIX. pag.* 507. *ſeq.*

ra mente colendum docet, 9 & iis operibus, quæ ſuapte natura etiam citra præceptum honeſtiſſima ſunt. Sic 10 *non carnem vult circumcidi*, (a) ſed cupiditates: 11 non ab omni opere, ſed *ab illicito nos feriari:* (b) non pecudum ſanguinem, aut adipem *Deo ſacrare*, (c) ſed ſi opus ſit, 12 pro veritate ipſius teſtanda noſtrum offerre ſanguinem: & 13 quæ de bonis noſtris egentibus damus, Deo data credere: *non certis ciborum potusve generibus abſtinere*, (d) ſed 14 utroque uti cum modo, qui ſanitati conveniat; 15 interdum & jejuniis ſubactum corpus animo addicere, quo is alacrior ad ſublimia feratur. *Præcipua vero pars religionis ubique oſtenditur* (e) poſita 16 in pia fiducia, 17 qua compoſiti ad fidele obſequium, 18 in Deum toti recumbimus, 19 ejusque promiſſis non dubiam habemus fidem; 20 unde

9 *& iis operibus quæ ſuapte natura etiam citra præceptum honeſtiſſima ſunt.* Unde λογικὴ λατρεία dicitur, cultus rationi conſentiens Rom. XII. 1. Adde Philipp. IV. 8.

10 *non carnem vult circumcidi, ſed cupiditates.*) Rom. II. 28, 29. Philipp. III. 3.

11 *non ab omni opere, ſed ab illicito nos feriari.*) 1. Cor. V. 8.

12 *pro veritate ipſius teſtanda noſtrum offerre ſanguinem.*) 1. Corinth. X. 16. (13.) Hebr. XII. 4. 1. Petr. II. 21.

13 *quæ de bonis noſtris egentibus damus, Deo data credere.*) Matth. VI. 4. Luc. XII. 33. 2. Cor. IX. 7. Hebr. III. 6. (*verius XIII.* 16)

14 *utroque uti cum modo, qui ſanitati conveniat.*) Luc. XXI. 34. Rom. XIII. 13. Eph. V. 18. Gal. V, 21. 1. Petr. IV. 3. 1. Tim. V. (IV.) 3.

15 *interdum & jejuniis ſubactum corpus animo addicere.*) Matth. VI. 18. XVII. 21. 1. Corinth. VII. 5.

16 *in pia fiducia*) Ut Joh. XII. 44.

17 *qua compoſiti ad fidele obſequium.*) Luc. XI. 28. Joh. XIII. 17. & ſequentibus. Rom. I. 5. 1. Petr. I. 2. 1. Cor. VII. 19.

18 *in Deum toti recumbimus.*) Matth. XXI. 21. 2. Tim. I. 12.

19 *ejusque promiſſis non dubiam habemus fidem.*) Rom. IV. 20. 2. Cor. VII. 1. Gal. III. 29.

(a) *non carnem vult circumcidi*) CONRING. Non quidem obligamur nos circumcidere carnem, fuit enim illud ſignum tantum arbitrarium fœderis cum Abrahamo initi: habemus tamen & nos ejus loco poſitivam aliquam ceremoniam, nempe baptiſmum. Sicuti autem nos præterquam, quod corpus abluere in ſignum fœderis novi juſſi ſumus, animum maxime purum illo ipſo externo ritu reddere commonemur; conſimili olim ratione non carnem imprimis circumcidi voluit Deus, ſed & ipſum animum ejusque cupiditates. Ideoque hac quoque phraſi paſſim utuntur prophetæ. *circumcidite*, inquientes, *corda veſtra* (i. e. cupiditates) *& non carnem*. Neque vero non potuit Deus cupiditatum circumciſionem etiam Judæis mandare, cum etiam hoc ipſum ex jure naturæ profluere cognitiſſimum ſit. Quid enim vulgarius, quam moderandos eſſe virtute affectus, & virtutem ipſam, ad cujus officia natura obligamur omnes, in temperatione cupiditatum collocari?

(b) *ab illicito nos feriari.*) CONRING. Ne in veteri quidem lege omne opus feſtis diebus prohibitum fuit. Fatendum tamen eſt, ſtrictam ſatis atque arctam regulam celebrandis feſtis in ea præſcribi. Cæterum hoc quidem non niſi ex arbitrario jure erat, feriandum autem ab illicitis operibus eſſe, etiam recta ratio novit. Judæis igitur non minus quam alia hujusmodi cognitiſſima fuerunt.

(c) *Deo ſacrare*) CONRING. Ita eſt: ſacrificare non tenemur, quoniam Salvator noſter idemque autor novi noſtri fœderis ſemetipſum victimam Deo obtulit perfectam. Victimarum tamen loco etiam jure nos aliquo adſtringimur ad ſolemnem commemorationem magni illius ſacrificii. Quod autem hoc loco de ſanguine fundendo pro teſtanda fidei veritate adducit Grotius, id vero ad ſacrificia nullo modo reſpicit, ſed etiam olim a Judæis & ab omnibus hominibus primogenia naturæ lege poſtulatum. Hoc enim eſt illud ipſum quod fortitudinis appellatione ipſi quoque philoſophi deprædicarunt.

(d) *non certis ciborum potusve generibus abſtinere.*) CONRING. Hoc fateor jugo liberati ſumus, relicti tantum naturæ ſimplici præcepto, quod temperantiæ appellatione laudatur etiam gentilibus. Patet ſane rectæ mentis judicio, ita utendum cibis eſſe, ut neque animus, neque corpus, quidquam ab iis detrimenti capiat. Manifeſtum enim eſt, nihil agendum, quod animo poſſit noxium eſſe. Nocet autem non tantum, quod poeta ait:

- - - - Corpus onuſtum
Heſternis vitiis animum quoque prægravat ipſum
Atque affigit humi divinæ particulam auræ:

Verum etiam officit animo, ſi nunquam jejunes. Conſtat enim jejunio & temperata inedia torpeſcentem animum ad divina ſtudia excitari.

(e) *Præcipua vero pars religionis ubique oſtenditur.*) CONRING. Hoc quoque Hebræi juſſi ſunt facere ideoque fundamentum legum omnium ponitur illud: *Diliges Dominum Deum tuum e toto corde.* Patrem autem ſimiliter Deus ſemetipſum in propheticis ſcriptis facit appellare. Quin imo, ne hoc quidem nativum mentis judicium poteſt latere. Siquidem providentia illa paterna Dei circa res humanas illi non eſt ignota, atque adeo huc pertinet nectarium illud Satyrici:

Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano,
Fortem poſce animum & mortis terrore carentem.
Qui ſpatium vitæ extremum inter munera ponit
Naturæ, qui ferre queat quoscunque dolores,
Neſciat iraſci, cupiat nihil & potiores
Herculis ærumnas credat ſævosque labores
Et venere & plumis & cœnis Sardanapali.

Quomodo & SENECA ait: *omnia ad ſanitatem animi deinde & corporis.* CONRING. Patet vero pronunciati hujus æquitas, quia notiſſimum eſt, præ omnibus aliis ſtudendum eſſe, ut reddamur probi, reliqua vero caduca æquo ac temperato animo amanda eſſe. Si itaque quicquam impetrare precibus a Deo poſſumus, in propatulo itidem eſt, non fluxa illa & fragilia, ſed inprimis bonam mentem ponendam eſſe. Fatetur ſane ARIST. lib. II. *Nicom.* Si quid conſilii conferant hominibus, Dii nihil illis magis honeſto animo dare poſſe. Cæterum hic tametſi conſequentiam illam ſatis perſpexerit, ſi quid Deus tribuit hominibus, nihil illum majus concedere nobis poſſe, hac quidem in vita noſtra, quam animum virtute imbutum, reapſe tamen ut omnem religionem, ita & adorationis doctrinam deſtruxit. Neque enim ſupplicationes & preces locum habent, ſublata e medio providentia, aut neceſſitatis legibus obſtricto divino numine, quorum utrumque affirmavit STAGIRITES. Igitur non niſi in ſpeciem editus ab illo fuit liber de adoratione, quem in catalogo ſuo refert LAERTIUS. Neque alio nomine diſcipulus ejus THEOPHRASTUS, inque ſchola ſucceſſor, ſcripſiſſe judicandus eſt unum de pietate & alterum de feſtis librum. Quamvis vero ſimulaverint hi ſanctimoniam aliquam, Deumque adorandum eſſe ſecrete negaverint, facile tamen apparet, hoc abſurdiſſimum eſſe, modo rectam rationem conſulere velimus. Quippe poſita vera doctrina de providentia divina, reliqua omnia, quæ ad cultum pertinent, ſuapte inde ſponte ſtatim promanant. Nam ſi Deus largitur hominibus omnia, quæ ad corporis animique dotes pertinent, utique facile liquet, gratias illi maximas agendas eſſe pro ſummis beneficiis. Porro cum non niſi liberaliter hæc omnia nobis largiatur, & ſæpe quoque non concedat, etiam illud manifeſtum eſt, orandum eſſe Deum, ut ab animo atque corpore, externa denique fortuna probe valeamus. Quod ſi denique etiam vindex eſt peccatorum, & delinquentes punit, uti revera punit, quis non confeſtim etiam videat, pro peccatorum remiſſione preces eſſe fundendas. Nimirum adorationum duo quaſi ſumma ſunt genera, quorum alterum complectitur gratiarum actiones pro beneficiis acceptis, laudes item ac hymnos; alterum preces pro impetrandis iis, quæ uſui nobis eſſe poſſunt, comprehendit. Sunt autem poſteriora hæc duas iterum in ſpecies diviſa. Aut enim petimus liberari a malis, quibus premimur,

vel

[20] unde & ſpes exſurgit, [21] & verus amor, tum Dei, tum proximi, quo fit ut præceptis ipſius pareamus, [22] non ſerviliter pœnæ formidine, [23] ſed ut ipſi placeamus, [24] ipſumque habeamus pro ſua bonitate patrem [25] *ac remuneratorem.* (a) [26] Precari vero jubemur, non ut divitias, aut honores nanciſcamur, & quæ alia multum optata plurimis male ceſſerunt: ſed primum quidem ea, quæ Deo ſunt glorioſa, nobis vero de rebus caducis ea, quæ natura deſiderat, reliquum permittentes divinæ providentiæ, utramcunque in partem res ceciderit ſecuri; ea vero, quæ ad æterna ducunt, omni ſtudio, nempe retro commiſſorum veniam, in poſterum auxilium Spiritus, quo firmati adverſus minas omnes atque illecebras in pio curſu perſtemus. *Hic eſt Dei cultus in religione Chriſtiana,* (b) quo certe nihil excogitari poteſt Deo dignius.

§. XIII. *Circa ea officia humanitatis, quæ proximo debemus, etiam læſi.*

Similia ſunt quæ adverſus proximum exiguntur officia. *Mahumetis religio in armis nata, nihil ſpirat, niſi arma,* (c) armis propagatur. *Sic & Laconum inſtituta,* (d) quæ inter Græcanica maxime laudabantur, etiam Apollinis oraculo, tota ad vim bellicam fuiſſe directa, [1] notat & in culpa ponit Ariſtoteles.

20 *unde & ſpes exſurgit.*) Hebr. VI. 11. Rom. VIII. 24. XV. 4.

21 *& verus amor tum Dei, tum proximi.*) Gal. V. 6. 1. Theſſ. III. 6.

22 *non ſerviliter pœnæ formidine.*) Rom. VIII. 15.

23 *ſed ut ipſi placeamus.*) Hebr. XII. 28.

24 *ipſumque habeamus pro ſua bonitate patrem.*) Rom. VIII. (15. 16.)

25 *ac remuneratorem.*) Coloſſ. III. 24. 2. Theſſ. I. 6.

26 *Precari vero jubemur.*) Matth. VI. (9.) 10.

1 *notat & in culpa ponit Ariſtoteles.*) Polit. VII. cap. 14. *Παραπλησίως δὲ τούτοις καὶ οἱ ὕστερόν τινες γραψάντων ἀπεφήναντο τὴν αὐτὴν δόξαν· ἐπαινοῦντες γὰρ τὴν Λακεδαιμονίων πολιτείαν ἄγανται τοῦ νομοθέτου τὸν σκοπὸν, ὅτι πάντα πρὸς τὸ κρατεῖν καὶ πρὸς τὸν πόλεμον ἐνομοθέτησεν. ἃ καὶ κατὰ τὸν λόγον ἐστὶν εὐέλεγκτα, καὶ τοῖς ἔργοις ἐξελήλεγκται νῦν.* *Pari modo & qui poſterius ſcripſerunt, oſtenderunt ejuſdem ſe eſſe ſententiæ. Nam in laudatione Lacedæmoniorum reipublicæ, admirantur propoſitum conditoris legum in eo, quod leges omnes ad bellicas res victoriamque direxit: quod & ratione refelli facile poteſt, & ipſis factis refutatum nunc apparet.* Euripides Andromacha (*v. 724. ſeqq.*) Ariſtoteli præiverat:

- - - - εἰ δ' ἀπῇ δορὸς
Τοῖς Σπαρτιάταις δόξα καὶ μάχης ἀγὼν,
Τ' ἄλλ' ὄντες ἴστε μηδενὸς βελτίονες.
- - - - *ſi vis Martia,*
Vobis Lacones abſit & ferri decus,
Spectatur ultra quod ſit eximium nihil.

vel quæ imminent, quæ beneficia haud male privativa dixeris ſive liberantia; aut vero beneficiis volumus affici realibus, ut ita loquar, ac poſitivis, ſive hujus ſint ævi ſive futuri ſeculi, tum ſive ad corpus ſive ad animum pertineant. Hæc inquam natura notiſſima ſunt, ideoque apud omnes peræque gentes Deus eſt colendus. Videatur hic etiam GROTIUS *lib. I. de J. B. & P. c. 20. n. 44. ſeqq.*

(a) *ac remuneratorem.*) CONRING. Adde &: ut liqueat nos intelligere, præcepta ejus eo digniſſima eſſe, & naturæ noſtræ ita convenire, ut meliora, aut æque convenientia alia, nemo comminiſci poſſit. Itaque & grati animi cauſà, & quod optima ac præſtantiſſima ſint ejus præcepta, ei nos parere decet: quamvis nullæ eſſent pœnæ luendæ non parentibus, præter ipſius facti turpitudinem. Hoc demum eſt Deo filiorum, non ſervorum inſtar, parere.

(b) *Hic eſt Dei cultus in religione Chriſtiana.*) CONRING. GROTIUS noſter tantum ea recenſuit divini cultus officia, quæ ſimul connato ingenii noſtri lumine poſſunt prævideri. Oſtendimus autem nos in ſuperioribus quidem quoque alia, ingenio noſtro minus pervia, quæ tamen nihil habeant abſurditatis, ex divino arbitratu naturalibus iſtis præceptis acceſſiſſe, ut fides in Chriſtum & ſacramentorum, quæ appellantur, ceremoniæ. Neque vero abſurdum cuique videri debet, præter iſthæc primigeniæ naturæ mandata & aliud aliquid ulterius a Deo præſcriptum eſſe. Nam ſi gentium quidem conſenſum videamus, nulla unquam fuit, quæ intra naturales limites legis ſe continuerit; tum vero in propatulo eſt, non minus Deum primæ iſti legi poſſe aliquid addere, quam nobis hominibus conſuetum eſt, indies novas in civitate leges quam plurimas condere.

(c) *Mahumetis religio in armis nata, nihil ſpirat niſi arma.*) CONRING. Vide infra lib. VI. ubi agit de propagatione religionis Mahumeticæ. Nobile etiam eſt ſcitum illud Mahumetis: *converti nolentes interficite.* Tamen ex hiſtoriis notum eſt, nonniſi armorum felicitate tantos progreſſus religionem iſtam ſumſiſſe. At vero hoc indicio eſt, falſum eſſe dogma Mahumetis; repugnat enim naturali legi hominum mentibus inſcriptæ, doctrinam aliquam armis propagare. Mens enim non niſi argumentis ac rationibus poteſt ad perſuaſionem perduci. Voluntas quidem uti libera eſt, ita & pœnis poteſt flecti, intellectus vero imperium non admittit, nec cogi poteſt, quippe qui libertate non gaudet. Neque enim in arbitratu eſt noſtro, quidvis credere, vel non credere, etiamſi in poteſtate noſtra ſitum ſit, animum advertere vel non advertere. Hactenus igitur ſupplicio & pœnæ locus eſt, quouſque diligentia aut negligentia valet. Uti enim laude dignus eſt, qui ſtudium atque operam, quam poteſt, ad eruditionem confert adipiſcendam, ita vituperio ac pœna dignus, qui, quam poteſt operam, non adhibet. Ulterius vero ſupplicium aut pœnam extendere, id ſane injuſtiſſimum eſt. Quod ſi Mahumetes levibus pœnis ad inquiſitionem & examen ſuæ doctrinæ adegiſſet, vel negligentiam examinandi puniendam morte dixiſſet, habuiſſet ſpeciem atque excuſationem aliquam illius dogma. Nunc vero nihil minus quam hoc voluit, quippe qui aperte vetuit inquiri in veritatem doctrinæ ſuæ; tum vero non levi pœna, ſed morte ſtatim vult animadvertendum. Atqui nemo tali ſupplicio ad ſedulitatem adigetur, quippe quod omnem diſcendi atque ad frugem veniendi occaſionem præſcindat. Neque enim in negligentes animadvertit, ſed ſimpliciter in omnes, quos ille vocat incredulos. Eſt quidem certum, Deum O. M. æterno ſupplicio affecturum, qui fidem non adhibuerunt Chriſti doctrinæ; at vero non puniet quempiam ſimpliciter, quod non crediderit verbo divino, ſed quod noluerit credere, & vel leviter attendere tam manifeſtæ veritati. Ea nempe claritas eſt & perſpicuitas ejus veritatis, quæ in doctrina Chriſtiana reperitur, ut non minus ad aſſenſum rapere illa intellectum humanum, divina gratia inſtructum, poſſit, quam tritum illud: bis duo ſunt quatuor; ut nulla ratio incrudelitatis hic ſit, quam negligentia & contemtus manifeſtæ veritatis. Alioquin nunc quidem tantum abeſt, ut examinari doctrinam ſuam noluerit Salvator, ut etiam ampliſſimis propoſitis præmiis & metu ſuppliciorum, ſi intermittamus, ad diligentem inquiſitionem ac ſcrutationem ſuæ doctrinæ nos invitaverit. Breviter itaque res ſe habet ita: Ubi peccatum non eſt, ibi nec pœna habet locum, peccatum autem omne voluntarium eſt, contra intellectus aſſenſiones voluntatis nihil habent, ideoque neque præmiis neque pœnis poſſunt ſubjacere.

(d) *Sic & Laconum inſtituta.*) CONR. Non tantum lex Mahumetis hac in parte ſocietatem humanam ſuis dogmatibus læſit, verum etiam Græcorum quoque, imo illorum, qui inter Græcos habiti ſunt ſapientiſſimi, præcepta ac leges ſimiliter valde jus illud primogenium naturæ oppugnarunt. Exemplo Lycurgus eſt Spartanorum

teles. *Sed idem in barbaros bellum dicit eſſe naturale;* (a) *cum contra verum ſit inter homines*

rum legislator maximus, quique ſapientiæ titulo celeberrimum ſibi nomen invenit. Ipſum Apollinis oraculum hominem hunc præ cæteris commendavit, ut refert PLUTARCHUS in vita illius. XENOPHON etiam libro *de republica Lacedæmoniorum* valde prædicavit Lycurgi prudentiam. Hic tamen ipſe Lycurgus nihil videtur magis in reipublicæ ſuæ inſtitutione intendiſſe, quam ut illa bellicoſiſſima eſſet, & quam plurimis aliis latiſſime dominaretur. Vidit hoc eſt coarguit ARISTOTELES lib. II. polit. cap. 3. *Suppoſitioni quoque*, inquit, (appellat autem ſuppoſitionem Ariſtoteles ſcopum ac propoſitum Lycurgi) *merito quis ſuccenſeat, ad partem enim virtutis tota ordinatio illarum legum contendit, ſcilicet bellicam. Itaque ſalvi erant gerentes bella, peribant vero, ubi rerum potiti eſſent, quoniam nec otium agere, nec quicquam aliud exercere ſciebant præſtabilius, quam rem militarem.* Idem lib. VII. polit. cap. 2. videri poteſt. Cæterum de Lycurgi republica etiam ante hunc obſervaverat erratum illud PLATO tum lib. I. *de legibus*, tum in *Lachete*. Ubi inquit, nihil aliud Lacedæmoniis in tota vita curæ eſſe, quam ita ſe exercitatione & diſciplina inſtituere, ut bello mortales omnes exſuperent. Graviſſime autem reprehendit Lycurgum, omnesque illos legumlatores, qui hunc ſcopum civitati ſuæ præfixerunt laudato ſupra lib. VII. cap. 2. quem omnino operæ pretium erit conſuluiſſe.

(a) *Sed idem in barbaros bellum dicit eſſe naturale.*) CONRING. Notatu dignum eſt, ipſum Ariſtotelem virum ſapientiſſimum, quique recte coarguit errorem Lycurgi, ea tamen prodidiſſe, quæ ſimpliciter jus illud ſpeciale, quod inter homines natura ipſa ſanxit ac conſtituit, non minima ex parte corrumpunt, ac quadantenus tollunt. Ita quid aliud eſt, quam everſio naturalis inter homines amicitiæ, id quod fortaſſe loco in Ariſtotele citato tangit Grotius? Videtur tamen vulgarem hanc ſententiam fuiſſe Græcorum populis, ita enim loquitur ARISTOTELES I. polit. cap. 2. *apud barbaros fœmina & ſervus eodem gradu habentur, cauſa vero hujus eſt, quoniam qui natura dominetur, non habent, ſed fit eorum ſocietas ex ſervo & ſerva. Quemadmodum ajunt Poetæ, Græcos barbaris dominari oportere, quod idem ſit natura barbarus & ſervus.* Poetæ autem vocabulo intelligit EURIPIDEM, in hujus enim *Iphigenia* pro navium Græcorum felici curſu mactanda miſera puella, Clytemneſtra, matri ait: *barbaris imperare Græcos, æquum eſt, non barbaros Græcis.* Eodem pertinet Ariſtotelis conſilium illud, quod teſte PLUTARCHO *de fortuna Alexandri*, bellum Alexandro in Perſas movente, dedit: ut Græcis ceu Princeps præeſſet, (hoc eſt tanquam liberis hominibus) Perſis vero ut dominus imperaret, in hos enim Græcis bellum naturale eſſe. Habebat enim Perſas in pari cum reliquis, qui Græcis barbari appellabantur, conditione. Cæterum longe rectius canit BOETHIUS lib. *de conſol. philoſ.*

An diſtant quia diſſidentque mores,
Injuſtas acies & fera bella movent,
Alternisque volunt perire telis?
Non eſt juſta ſævitiæ ratio.

Rectiſſime ſane. Primo enim non omnes, quos Græci inter barbaros habebant, fera aut ſervili natura erant, quin imo quidam eorum non paulo cultiores ipſis Græcis. Quid enim melioris conditionis & culturæ defuit populo Judaico? Tum vero certum eſt, melioris ſuæ doctrinæ primordia Græcos ab Ægyptiis partim, partim a Phœnicibus, partim ab Aſſyriis, Perſarumque magis accepiſſe. Qua in parte ceſſerunt Græcis Romani, quos tamen & ipſi numerabant inter barbaros? Hos igitur omnes ſervilis ingenii accuſare & ruditatis arguere, profecto inſanum eſt. Similis nuper faſtus fere & Hiſpanorum fuit, omnes enim Americanos pari habebant loco, ſed egregie retudit hanc ſuperbiam JOSEPHUS ACOSTA *præfat.* in lib. *de promulgatione Evangel. apud Indos*, oſtendens Mexicanorum & Peruanorum reſpublicas parum a civitate Europæ etiam ante Hiſpanorum adventum abfuiſſe. Eſt igitur non injuſtum fortasſis bellum in illos barbaros, qui usque adeo ab honeſtate deſciverunt, ut in Deum ac parentes nefarie impii ſint, qui everſo hoſpitalitatis jure adventantes quosque & peregrinos ſine diſcrimine occidunt; qui humanam carnem epulantur, qui non niſi rapto vivunt; (quo jure Hercules & Theſeus multis populis ſceleratis atque immanibus bellum intuliſſe commemorantur, injuſtiſſimum tamen fuerit bellica ſævitia in eos etiam invehere, qui mores aliquos civiles ex arbitrio ſolum ſine jure profluentes non obſervant. Neque enim revera peccare hi credendi ſunt, quippe qui non obligantur illa obſervare, quæ ex arbitratu aliorum populorum veniunt, uti præclariſſime diſputat GROTIUS lib. II. *de Jure B. & P.* cap. XX. n. 41 42. & 43. In omnes itaque gentes Græcis permittere bellum cum Ariſtotele, eſt totum profecto terrarum orbem concutere, atque non tantum innoxium ſanguinem eorum, quibus cum natura nobis ſocietas intercedit, fundere, (quo nihil ſceleratius eſt) verum etiam jus omne ac fas evertere. Secundo neſcio, annon Philoſophus noſter dilataverit illam naturalem barbarorum ſervitutem plus æquo. Nam diffitendum quidem non eſt, eos, qui mere barbari ſunt, natura eſſe ſervos h.e. ejusmodi ut aliorum prudentiorum arbitrio debeant regi, non vero ſui juris eſſe. Cæterum revera non patet illa naturalis ſervitus ulterius, quam in actionibus manifeſtarum ac potiſſimarum virtutum vitiorumque. Præſcribit enim natura hanc quidem legem omnibus, qui aut imbecillitate judicii aut affectibus præpediti, ſuopte ſe conſilio regere nequeunt, ut obtemperent recte monentibus; ideoque peccant etiam graviſſime in legem humanæ naturæ, qui prudentibus nolentes morem gerere, proprio tantum arbitratu vivunt. Cæterum præter virtutes & vitia atque adeo illas actiones, quæ ad ſcopum humani generis ſummum pertinent, aliæ quoque res ſunt plane ἀδιάφοραι, ideo dictæ, quod natura nihil certi de illis præſcripſerit; hæ igitur cum totæ humano arbitratui ac gentium conſtitutionibus ſint commiſſæ, neque naturalem aliquam ſervitutem aut dominationem admittunt. Sunt vero hujusmodi, ut alias latius oſtendam, omnia illa, quæ ad ſummam felicitatem obtinendam per ſe non faciunt, ideoque numero pene infinita. Hoc vero diſcrimen neſcio, an Ariſtoteli ſatis obſervatum ſit. Itaque concedimus quidem, competere hactenus barbaris, imperium meliorum prudentiorumque agnoſcere, quatenus ſemetipſos regere non valent in morum honeſtate; concedimus ſimpliciter, niſi velint obtemperare melioribus, ſed in ſceleribus ſuis pergunt, licere in eos bello animadvertere, atque hactenus quidem licentiam vivendi ex arbitratu ſuo adimere. Velle vero id extendere ſtatim ad illa indifferentia, eorumque illis libertatem eripere, propter illa in naturam commiſſa crimina, id vero iniquiſſimum eſt. Credimus ergo, quod Panathenaico dicebat Iſocrates, juſtiſſimum eſſe bellum in belluas, proximum in homines belluæ ſimiles. Cæterum facile apparet, iſtiusmodi bellandi poteſtatem non niſi melioribus ac prudentioribus concedi. Quales profecto non omnes Græciæ populi erant. Deinde non extendi illud imperium, niſi in actionibus virtutum ac vitiorum. Cum tamen Græci fas ſibi crederent, omnem omnino libertatem barbaris eripere. Apparet etiam hinc, iſtiusmodi bellum ab hominibus vix geri poſſe, certe hucusque non eſt geſtum. Quis enim victor vel hunc belli ſuſcipiendi ſcopum habuit, vel hos inter limites poſt victoriam ſe continuit? Videatur omnino GROTIUS loco ſupra laudato. Unde tertio & hoc patet, ſatius eſſe, ut ab illa qualicunque libertate abſtineamus, quam ut bellum inferamus barbaris, quia per mortalitatis noſtræ peccata ac vitam inquinatam bella noſtra plerumque ita ſe habent, ut facile excedant limites illos a natura collocatos. Merito enim hic locum videtur habere poſſe, quod vulgo dicimus: licere quidem per primogenium naturæ jus in omnes improbos animadvertere, nec tamen licere, quoniam reipublicæ non expedit. Et quod in Evangelio dicitur, permittendum eſſe, ut cum tritico lolium etiam ſuccreſcat in meſſem usque, quod ſine ipſius tritici damno evelli lolium nequeat. Nimirum ita comparatæ ſunt leges omnes, ut facile ab una alterave circumſtantia communitas earum atque vis illa univerſalis infringatur.

nes (a) a natura amicitiam ac ſocietatem conſtitutam. 2 *Quid enim iniquius, quam ſingulas cædes puniri*, (b) occiſarum gentium, velut glorioſum facinus, triumphis oſtentari? *Et tamen illa adeo celebrata Romana civitas*, (c) quo tantum nomen, niſi bellis, 3 ſæpe manifeſte injuſtis, 4 ut de bello in Sardiniam 5 & Cyprum ipſi fatentur, conſecuta eſt? *Et certe generatim, ut a præclaris annalium conditoribus*

2 *Quid enim iniquius, quam ſingulas cædes puniri, occiſarum gentium velut glorioſum facinus triumphis oſtentari?*) Senſus ex Senecæ epiſtola 96. (*aliis XCV.*) & de ira lib. II. cap. 8. ex Cypriani epiſtola ſecunda.

3 *ſæpe manifeſte injuſtis.*) Petronius: (*Satyr. p. 156. edit. Francofurt.* 1621. 8vo.)

- - - - *ſi quis ſinus abditus ultra,*
Si qua foret tellus fulvum quæ mitteret aurum,
Hoſtis erat. - - - -

4 *ut de bello in Sardiniam.*) Vide Polybium Hiſtoriarum III. (*maxime cap.* 28.)

5 *& Cyprum ipſi fatentur.*) Florus l. III. c. 9 *Divitiarum tanta erat fama, nec falſo, ut inſtar gentium populus, & donare regna conſuetus, Publico Clodio tribuno duce, ſocii vivique Regis confiſcationem mandaverit.* Meminit ejusdem rei Plutarchus Catone (*Minore fol. 776. ſeq. tom. I. opp.*) Appianus l. II. civilium, (*p. 441. ed. Steph. p. 728. ed. Tollii Amſtel. A.* 1670.) Dion. l. XXXVIII. (*fol.* 78.) Vide eundem Florum de bello Numantino & de Cretico. (*lib. II. cap.* 18. *& lib. III. c.* 7.)

(a) *cum contra verum ſit inter homines.*) CONRING. Neſcio an hoc ſtringat Ariſtotelem noſtrum. Eſt enim quidem veriſſimum, omnes homines ad ſocietatem eſſe natos, non tamen id eo usque extendendum eſt, ut hæc ſocietas naturale illud bellum poſſit tolerare. Regula enim illa tantum valet, ut ita loquar, antecedentes, h. e. vult, ut omnes nos amemos mutuo, quoad fieri ejus licet, cæteroquin fracta illa ſocietate licet jam animadvertere in fœdifragos illos, quippe qui ſemetipſos juribus ſocietatis humanæ privaverunt.

(b) *Quid enim iniquius, quam ſingulas cædes puniri.*) CONRING. Ad eundem modum ait SENECA: *Homicidium compeſcimus & ſingulas cædes, quid bella & occiſarum gentium glorioſum ſcelus? Non avaritia, non crudelitas modum novit. Ex ſenatusconſultis plebisqueſcitis ſæva exercentur & publice jubentur vetita privatim.* Hæc ille longe veriſſime. Tametſi enim bella iſta publica victrici populo gloriam vulgo pariant, niſi tamen etiam cauſa juſta ſubſit, nihil aliud ſunt, quam magna latrocinia, ut proinde Alexander, tametſi a rebus geſtis magni cognomentum adeptus ſit, merito a Seneca latro, a Lucano prædo ſit appellatus, nec injuria in ſceleris ignominiam ejusdem a pirata olim tractus ſit, ſi non juſtis de cauſis in Perſas aliosque Aſiæ populos movit. Cæterum uti hæc veriſſima ſunt, ita dubito, an contra ARISTOTELEM hoc loco fuerint afferenda, cum non omne bellum hic probaverit, quin imo eos, quibus victoria nihil dulcius eſt, quippe tantum ut aliis imperent, gerunt bellum, crudelitatis ac tyrannidis accuſaverit cum alibi, tum vero *polit. lib. VII. cap.* 2.

(c) *Et tamen illa adeo celebrata Romana civitas, ut de bello in Sardiniam & Cyprum ipſi fatentur.*) CONRING. Ita quidem eſt, ſi rectam rationem conſulamus, immerito tantum gloriæ tribuimus bellicis artibus. Eſt enim virtus illa bellica non niſi ex accidenti humano generi neceſſaria; nam ſi nemo faceret injuriam, ne bello quidem opus eſſet, cujus una cauſa juſtitia eſt injuriæ vel imminentis propulſatio, vel acceptæ vindicta. Nihilominus tamen neſcio, quo fato malo, ſicut divitiæ ac honores, imo & voluptates corporis honeſtati apud vulgus primum locum eripuerunt; ita & hæc particula virtutis, eaque nonniſi per accidens neceſſaria, κατ' ἐξοχὴν magnificum illud virtutis nomen ſola occupavit, præmiumque omnium maximum præ reliquis conſequatur. Cæterum Romanos quod attinet, laudati ſemper hi fuerunt juſtitia in bellis ſuſcipiendis pariter ac finiendis. Ita Rhodii apud LIVIUM lib. XLV. *Certe quidem*, inquiunt, *vos eſtis Romani, qui ideo, felicia eſſe bella veſtra, quia juſta ſint, præ vobis fertis: nec tam exitu eorum, quod vindicatis, quam principiis, quod non ſine cauſa ſuſcipiatis, gloriamini.* RUTILIUS de Roma ita canit:

Juſtis bellorum cauſis nec pace ſuperba
Nobilis ad ſummas gloria venit opes.

DIONYSIUS HALICARNASSÆUS ſummis laudibus religionem, ita loquitur, Romanorum in bellis, qua Græcos ſuos caruiſſe confitetur, tantum non in cœlum evehit. *Nam omnium*, ait, *bellorum initia apparebit juſta fuiſſe, atque adeo Deos merito propitios ſenſiſſe & faventes.* Et merito ſane laudandum eſt, quod belli indicendi jus totum noluerint tribuere ſenatui aut populo ſuo, ſed rem omnem ante ad publicos ſacerdotes, quos illi feciales appellabant, deferri voluerint. Quæ cauſa eſt, cur CICERO *lib. I. officior.* dicebat: *Belli quidem æquitas ſanctiſſime feciali populi Romani jure præſcripta eſt, ex quo intelligi poteſt, nullum bellum eſſe juſtum, niſi quod aut rebus repetitis geratur, aut denunciatum ante ſit & indictum.* Sed etſi non minus a juſtitia bellica, quam rebus geſtis nomen Romani acceperint, tamen poſt Carthaginem ſublatam inprimis longe fuerunt injuſtiſſimi, vitiisque omnibus coinquinati. Fatetur id ipſum SALUSTIUS *bello Catilinari*, ubi plurimis invehitur, in corruptiſſimos urbis mores, *poſt*, inquiens, *ubi contagio quaſi peſtilentia invaſit, civitas immutata, imperium ex juſtiſſimo atque optimo crudele intolerandumque factum.* Item: *hi ignaviſſimi homines per ſummum ſcelus omnia ea ſociis adimere, quæ fortiſſimi viri victores hoſtibus reliquerunt. Proinde quaſi injuriam facere, id demum eſſet imperio uti.* Idem SALUSTIUS *lib. I. hiſtor.* apud AUGUSTINUM ita ait: *Poſtquam remoto metu Punico ſimultates exercere vacuum fuit, plurimæ turbæ, ſeditiones & ad poſtremum bella civilia orta ſunt, dum pauci potentes, quorum in gratia plerique conceſſerunt, ſub honeſto patrum aut plebis nomine dominationes affectabant, bonique & mali cives appellati, non ob merita in rempublicam omnibus pariter corruptis, ſed uti quisque locupletiſſimus & injuria validior, quia præſentia defendebat, pro bono ducebatur. Ex quo tempore majorum mores non paulatim ut antea, ſed torrentis modo præcipitati, adeo juventus luxu atque avaritia corrupta eſt, ut merito dicatur genitos eſſe, qui neque ipſi habere poſſent res familiares, neque alios pati.* Apud eundem SALUSTIUM *lib. IV. hiſtor.* Mithridates non immerito de Romanis ad regem Arſacem loquitur: *Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis una & ea vetus bellandi cauſa eſt, cupido profunda imperii & divitiarum.* CICERO laudato loco *de officiis* & alibi Corinthum immerito deletam eſſe funditus confitetur, qui lib. III. ita ait: *utilitatis ſpecie in republica ſæpiſſime peccatur, ut in Corinthi deturbatione noſtri.* Jam ante bellum Punicum tertium occupaverunt Romani, tum Cyprum, tum Sardiniam, ubinam vero Romani ipſi ſcriptores fateantur, inique occupatas illas inſulas, fateor me neſcire. Tantum POLYBIUS de Sardinia, contra quam convenerat, Carthaginenſibus erepta conqueritur, verum ille fortaſſis inter Romanos ſcriptores numerari non meretur. Cauſa Cyprii belli manifeſte injuſta fuit, quippe cum non alia cauſa Cyprum Romani occupaverint, quam quod rex ejus inſulæ ingratus haberetur. Injuſta quoque belli Punici ſecundi tempore in Philippum Macedonem arma fuerunt, quod in ſuo ſolo munitionem aliquam extruxiſſet, unde damnum in ſe derivari aliquando poſſe, Romanis erat veriſimile. Ut nihil nunc dicam de illis temporibus Cæſarum, quando ſocios ipſos atque amicos populi Romani duriſſime habitos eſſe atque iniquiſſime, Romani ipſi non diffitentur. Apud TACITUM *lib. IV. hiſtoriarum* civilis Batavus primores gentis ſuæ conveniens injurias & raptus cæteraque ſervitii mala enumerat. *Neque enim* (verba ſunt Taciti) *ſocietatem ut olim, ſed tanquam mancipia haberi, quoniam legatum gravi quidem comitatu & ſuperbo cum imperio venire; tradi ſe præfectis, centurionibusque, quos ubi ſpoliis & ſanguine repleverint, mutari exquirique novos ſinus & varia prædandi vocabula.* Tum vero memorabilia ſunt, quæ Romanis objiciunt Britanni apud eundem TACITUM *in Julii Agricolæ vita.* Sed quid opus multa commemorare de Romana injuſtitia, cum omnes pene libri utraque pagina id conquerantur.

toribus memoria proditum eſt, 6 *latrocinia extra fines plerisque gentibus nullam habebant infamiam.* (a) 7 *Ultionis exactionem* (b) Ariſtoteles, & Cicero, in virtutis parte ponunt. 8 *Gladiatorum mutuæ dilaniationes inter oblectamenta* (c) erant publica Paganorum: 9 *exponere liberos quotidianum.*

6 *latrocinia extra fines plerisque gentibus nullam habebant infamiam.* (Thucydides lib. I. (*fol. 4. edit. Æmilii Porti de A. 1594.*) Οἱ γὰρ Ἕλληνες τὸ πάλαι, καὶ τῶν βαρβάρων οἵ τε ἐν τῇ ἠπείρῳ παραθαλάσσιοι, καὶ ὅσοι νήσους εἶχον, ἐπειδὴ ἤρξαντο μᾶλλον περαιοῦσθαι ναυσὶν ἐπ᾽ ἀλλήλους, ἐτράποντο πρὸς λῃστείαν, ἡγουμένων ἀνδρῶν οὐ τῶν ἀδυνατωτάτων, κέρδους τοῦ σφετέρου αὐτῶν ἕνεκα καὶ τοῖς ἀσθενέσι τροφῆς. καὶ προσπίπτοντες πόλεσιν ἀτειχίστοις καὶ κατὰ κώμας οἰκουμέναις, ἥρπαζον καὶ τὸ πλεῖστον τοῦ βίου ἐντεῦθεν ἐποιοῦντο, οὐκ ἔχοντός πω αἰσχύνην τούτου τοῦ ἔργου, φέροντος δέ τι καὶ δόξης μᾶλλον. δηλοῦσι δὲ τῶν τε ἠπειρωτῶν τινες ἔτι καὶ νῦν, οἷς κόσμος καλῶς τοῦτο δρᾶν, καὶ οἱ παλαιοὶ τῶν ποιητῶν, τὰς πύστεις τῶν πλεόντων πανταχοῦ ὁμοίως ἐρωτῶντες, εἰ λῃσταί εἰσιν. ὡς οὔτε ὧν πυνθάνονται ἀπαξιούντων τὸ ἔργον, οἷς τ᾽ ἐπιμελὲς εἴη εἰδέναι οὐκ ὀνειδιζόντων. ἐλῄζοντο δὲ καὶ κατ᾽ ἤπειρον ἀλλήλους, καὶ μέχρι τοῦδε πολλὰ τῆς Ἑλλάδος τῷ παλαιῷ τρόπῳ νέμεται, περί τε Λοκροὺς τοὺς Ὀζόλας καὶ Αἰτωλοὺς καὶ Ἀκαρνᾶνας, καὶ τὴν ταύτῃ ἤπειρον. *Olim quippe Græci non minus quam barbari, tum qui in continente, tum qui per inſulas vivebant, poſtquam ſæpius alii ad alios navibus tranſire cœperunt, ad latrocinandum ſe contulerunt, ad quam rem viri illuſtres duces ipſis erant, partim quæſtus ſui cauſa, partim ut victum ſuppeditarent egentibus: adortique civitates mœnibus carentes, aut per vicos ſparſas, diripiebant eas, maximamque partem hinc ſe alebant, nondum infami eo vitæ genere, quin & nonnihil habente gloriæ. Manifeſtum id faciunt etiam nunc quidam continentis terræ habitatores, qui pro decoro habent ſtrenue id facere, & vetuſti poetarum, apud quos frequentes ſunt interrogationes ad navigantium obvios, an prædones eſſent; nimirum, quod nec defugituri id nomen illi eſſent qui interrogabantur, nec exprobraturi hi qui interrogabant. In ipſa quin etiam terra continente, ſpoliabant alii alios, & nunc quoque magna portio Græcorum ſic vivit, apud Locros Ozolas, apud Ætolos, apud Acarnanas & vicina terrarum.* Interrogantia illa, cujus Thucidides meminit, eſt apud Homerum Odyſſeâ T. * ubi Scholiaſtes: οὐκ ἄδοξον ἦν παρὰ τοῖς παλαιοῖς τὸ λῃστεύειν, ἀλλ᾽ ἔνδοξον. *Apud veteres latrocinari adeo infame non erat, ut & gloriæ duceretur.* Juſtinus lib. XLIII. c. 3. de Phocenſibus: *Studioſius mare quam terras exercuere, piſcando, mercando, plerumque etiam latrocinio maris (quod illis temporibus gloriæ habebatur) vitam tolerabant.* De Hiſpanis vide Plutarchum Mario: (*tom. I. opp. fol. 408.*) & Diodorum lib. V. de Tyrrhenis: (*fol. 315. 310. luculentius forte lib. XI. fol. 67.*) Servium ad VIII. ** & X. Æneidos: de Germanis Cæſarem, (*lib. VI. de bello Gall. cap. 23.*) Tacitum, (*annal. XII. cap. 27. §. 2. coll. de mor. Germ. cap. 29. §. 1.*) Saxonem Grammaticum. (*lib. II. hiſt. Dan. fol. 25. 26. lib. III. fol. 48. edit. Stephani 1644.*)

7 *Ultionis exactionem Ariſtoteles & Cicero in virtutis parte ponunt.*) Ariſtoteles de moribus ad Nicomachum IV. 11. Δοκεῖ γὰρ οὐκ αἰσθάνεσθαι οὐδὲ λυπεῖσθαι, μὴ ὀργιζόμενός τε οὐκ εἶναι ἀμυντικός· τὸ δὲ προπηλακιζόμενον ἀνέχεσθαι ἀνδραποδῶδες. *Videtur talis & ſenſu & dolore carere, & cum non iraſcatur, vindictæ eſſe negligens. Servile, ſi contumelioſe tracteris, id tolerare.* Cicero autem de inventione II. (*cap. 22.*) inter ea, quæ ad jus naturæ pertinent, ponit vindicationem, *per quam vim aut contumeliam defendendo aut ulciſcendo propulſamus.* Ad Atticum: *Odi hominem & odero: utinam ulciſci poſſem.* In Antonium: *Sic ulciſcar facinora ſingula, quemadmodum a quibusque ſum provocatus.*

8 *Gladiatorum mutuæ dilaniationes inter oblectamenta erant publica Paganorum.*) Vide Lactantium libro II. (*verius lib. VI. cap. XX. §. 10. ſeqq.*) Tertullianum de ſpectaculis cap. 19.

9 *exponere liberos quotidianum.*) Juſtinus apologetico ſecundo. (*fol. 70. opp.*) Tertullianus apologetico cap. 9. Vide & Lactantium lib. VI. inſtitutionum, cap. 20. (*§. 18. ſeqq.*) & Terentii Hecyram. (*act. III. ſcen. III. v. 39. 40.*)

* Quæ ibi v. 105. eſt interrogatio: *Quis? unde es virorum? ubi tibi civitas & parentes?* argumentum noſtrum exhaurire non videtur.

** Ad *Æneid. VIII. Virg. v. 479. Servius* de Tyrrhenis latrocinia teſtatur, ad X. *Æneid.* vero id vitium minime ipſis exprobrat.

(a) *Et certe - - - latrocinia extra fines plerisque gentibus nullam habebant infamiam.*) CONRING. Cognatio illa naturalis hominum dici non poteſt, quam non ante diluvium tantum, verum etiam poſt illud penitus fere ex mentibus hominum fuerit deleta. Tanta certe invaluit paſſim extra fines ſuæ civitatis apud omnes populos totius terrarum orbis latrocinandi licentia, ut nonniſi novo pacto inito ab ea temperandum ſibi ducerent. Hinc illud amicitiæ fœdus, cujus frequens in hiſtoria Romanorum memoria reperitur. Quippe Romanis amici illi tantum dicebantur, quos armis petere propter novum aliquod fœdus nefas erat. Vide GROTIUM *de J. B. & P. cap. XXV. n. 5.* Eodem modo ex Demoſthene patet, non omnibus peregrinis in quavis civitate jus eſſe dictum, ſed inter aliquot respublicas nova, quodam ac ſingulari pactione eſſe inſtitutum. Quomodo notum eſt, apud plerasque olim gentes peregrinos, quibus cum nullum fœdus amicitiæ intercedebat, hoſtium loco eſſe habitos. Quomodo non ita pridem Sinenſes, peregrinum neminem ſuas terras intrare permiſerunt, & Romanis olim peregrinus omnis hoſtis appellabatur, quo nomine perduellem intelligi notiſſimum eſt. ARISTOTELES *lib. I. polit. cap. 8. & lib. I. œconom. cap. 2.* inter vivendi rationes naturales, quanquam infimo loco, collocat πολεμικήν. Quæ omnia ſatis aperte indicant feritatem illam primorum ſeculorum. Repugnant hæc, ſi quæ alia, naturæ legibus. Neque enim naturalis eſt vivendi diteſcendique ratio ἡ πολεμική, cum ars illa non niſi ex pravo eventu corruptisque hominum moribus neceſſaria ſit, natura vero ipſa malit nullum hujus uſum eſſe. Quam injuſtum vero eſt, peregrinum innoxium depelli vel arceri ſocietate, quam inter omnes homines natura ipſa inſtituit; multo vero magis iniquiſſimum eſt, hoſtis quoque loco habere eum, quem naturæ lege amare atque juvare obligamur. Notandum vero inprimis, quod manſuetudinem ſuam ſequentia hæc ſecula debeant præcipue Chriſtianæ religioni; ex quo tempore illa imbutæ fuerunt gentes, ceſſit illa feritas, habitumque nefas eſt, mortalium aliquem ſine cauſa lædere. (occidere)

(b) *Ultionis exactionem.*) CONRING. De ultione duo poſſunt quæri: (1) an liceat ſe vindicare? (2) an, ſi liceat, etiam teneamur id facere? ARISTOTELES videtur poſterius affirmare *lib. IV. Nicomach. cap. II.* quo de manſuetudine agit: *Tolerare*, inquiens, *ſi laceſſeris, patique, ut tui contumelia afficiantur, ſervile profecto eſt.* Similiter videtur & CICERO *lib. I. offic.* Longe probabilius eſt, licere fortaſſis vindictam. Quanquam obſervandum ſit, in ultione multiplicem poſſe finem obſervari vel ſpectari. Aut enim tantum dolor intenditur ejus, a quo nobis injuriam factam credimus; cum nempe alieno dolore, qua ille eſt dolor, ſaturare animum exoptamus; aut vero non hoc quidem ſpectamus, ſed vel utilitatem aliquam vel juſtitiæ læſæ ſatisfactionem. Priorem rationem ſe ulciſcendi tantum abeſt, a ſapientibus hominibus approbatam eſſe, ut illa ſemper ſummæ iniquitatis ſit accuſata. Conſulatur GROTIUS *lib. II. de jure belli & pacis. cap. XX. num. 45.*

(c) *Gladiatorum mutuæ dilaniationes inter oblectamenta.*) CONRING. Nulla ſpectacula Romani fere illuſtriora habuerunt Amphitheatralibus. Committebantur in arena tum homines cum hominibus, tum homines quoque cum brutis, qua crudelitate nihil immanius fingi poteſt, cum ſine ulla cauſa mutuis cædibus amica alioquin, certe nulla injuria cognita, pectora conciderent. Crudelitatem illam ipſi quoque Pagani videntur agnoviſſe, dum caveam latiari Jovi, h. e. Plutoni conſecrarent. Legatur de immanitate hac TERTULLIANUS lib.

dianum. (a) *Apud Hebræos ſane lex melior*, (b) ſanctior diſciplina; ſed tamen in populo impotentis iræ

lib. I. de ſpectaculo. Primus Conſtantinus, qui magni cognomen tum meruit, cum Chriſtiana humanitate eſſet imbutus, crudelia iſta ſpectacula vetuit, atque ita abolitionem tam nefandæ rei Chriſtianis legibus unice debemus.

(a) *exponere liberos quotidianum.*) CONRINGIUS. Athenienſibus inprimis reliquisque Græcorum populis nihil familiarius fuit, quam liberos ſuos vel exponere, vel interimere. Apud Romanos priſcos arbitrium vitæ & necis in liberos etiam adultos habebant parentes, donec crudelitati parentum æquioribus legibus poſt contra itum eſt. Ante enim impune licebat etiam innoxios filios interimere, per jus patriæ, quod appellant, poteſtatis. Ne ſapientiores quidem iſthæc omnia emendarunt. PLATO *lib. V. de republica*, quicquid etiam dicit MARSILIUS FICINUS, jubet exponi omnes, qui nati ſunt a parentibus ætate provectioribus, mancos item omnes ac mutilos. Videatur etiam ARISTOTELES *lib. VII. polit. cap.* 16. Meminerunt etiam hujus moris multi veterum DIONYSIUS HALICARNASS. *lib. II.* PLINIUS *lib. X. epiſt.* 71. Crudelitatem JUSTINUS *apolog. II.* ATHENAGORAS, TERTULLIANUS graviter accuſant. LACTANTIUS *lib. VI. cap.* 20. *Tam nefarium eſt exponere, quam necare.* Hoc poſtea ſeveris legibus prohibitum *lib. II. cap. ult. l. de infant. expoſit.* Nocere non tantum videtur is, qui partum præfocat, ſed & is, qui in publicis locis miſericordiæ cauſa exponit, quam ipſe non habet. PAULUS JCtus *l. 4. ff. de agnoſc. & alend. liberis.*

(b) *Apud Hebræos ſane lex melior.*) CONRING. Antequam progreſſum faciamus ad legem Judaicam, & eam, quæ eſt a Servatore noſtro lata, haud fortaſſis inconſultum fuerit, accuratius de omni hoc officio, quid lex naturæ ſtatuerit, indicaſſe, certe faciet hoc ad intellectum eorum, quæ ſequuntur. Tum vero ita differentes videmus non veteres tantum, ſed etiam recentiores de ſocietate illa, quam inter homines natura creditur inſtituiſſe; ut propemodum locum nullum ipſi quoque pœnarum aut bellorum juſtitiæ reliquiſſe videantur. Sæpe enim numero affirmare illos deprehendas; nefas omnino eſſe hominem ab homine lædi, cum tamen pœna nulla ſine læſione vel mente poſſit concipi. Ut adeoque nefas quoque habendum ſit, pœnis in reos animadvertere. Hoc igitur primo videamus, an omnes homines promiſcue ac ſine diſcrimine amare ſe teneantur, vel ſi non amare, ſaltim an non teneantur omnes ſe non odiſſe. Cæterum ut eo rectius hæc expediatur controverſia, quod in omni accurata demonſtratione fieri par eſt, id etiam hoc loco agimus. Ideoque initio vocabulis explicatis axiomata quædam afferemus, quibus omnino hac in re utendum eſt. Amare igitur nobis denotat affectum cum deſiderio benefaciendi, vel ſaltem benevolentia, contra odiſſe notat affectum cum cupiditate lædendi. Non odiſſe minus eſt, quam amare, ut non amare, quam odiſſe. Quæ ut notiſſima ſunt, ita etiam hæc extra omnem controverſiam collocantur: omnis amoris atque odii aliquam eſſe cauſam, atque adeo naturalis amoris vel odii cauſam quoque naturalem exiſtere; tum vero amorem omnem vel honeſtæ, vel utilis, vel jucundæ rei eſſe; ac denique odio nihil poſſe vel debere haberi, quod mihi noxium nihil inſtituit. Hiſce poſitis ac conſtitutis primum facile apparet, non potuiſſe naturæ lege præſcribi nobis amorem omnium hominum ſine ullo diſcrimine, quia non in omnibus hominibus reperitur vel honeſtas, vel utile aliquid, aut delectabile. Similiter etiam hoc in confeſſo, non poſſe nos non odiſſe homines aliquos, ſed etiam odium quorundam ab ipſa natura nobis præſcriptum eſſe. Sicut enim naturalis amor eſt honeſti, ita etiam naturale odium eſt iniquitatis. Ideoque naturale eſt inter homines quosdam odium, tantum abeſt, ut inter omnes natura dilectionem inſtituerit. Cæterum cum, ut ante diximus, triplex cauſa amoris ſit, & triplici quoque fundamento odium omne innitatur, fieri interdum poteſt, ut una cauſa amoris vel odii adſit, reliquis abſentibus. Certum quoque eſt, honeſti amorem & odium inhoneſti rectæ rationi inſcriptum eſſe, ac mandatum; utilis vero rei delectationem, ut noxæ odium, jucundæ item rei amorem, ut triſtis odium in appetitu tantum ſenſitivo reſidere, hunc vero rectæ rationi parere oportere. Quamobrem apparet etiam ſuapte ſponte, neminem hominem, quem recta ratio ob probitatem amore, aut ob ſummam improbitatem habere odio mandat, contra illud dictamen rationis, ita ab appetitu ſenſitivo propter utilitatem aliquam aut voluptatem amandum eſſe, vel contra propter damnum, aut dolorem, qui ab illo profectus eſt, habendum odio eſſe, ut amor, quo ob probitatem, vel odium, quo ob improbitatem homo ille dignus erat, exoleſcat. Nam diffitendum quidem non eſt, etiam naturam præcipere dilectionem illorum, qui aut uſui nobis ſunt aut voluptati, ſed dilectio longe inferior non eſt, quæ debetur rebus honeſtis; ideoque quando in uno homine pugnaverint utilitas vel delectatio cum virtute, ita ut delectationis quidem vel utilitatis in re familiari parum aut nihil poſſit ab illo exſpectari, imo vero dolori nobis ſæpe fuerit aut damno, reapſe tamen probus ſit, merito hunc proſequimur amore. Uno verbo maximus amor maximumque odium, quod natura imperavit hominibus, intra limites virtutum ac vitiorum verſatur. Alter gradus utriusque affectus debetur iis, qui aut uſui nobis ſunt, aut delectationi, aut damno, aut dolori. Hinc patet omnes illos, qui non tantum improbi ſunt, ſed etiam noxii humanæ vitæ, omnibus titulis odio proſequendos. Quæ etiam cauſa eſt, quare illos cuncti de medio juſte tolli poſſe arbitremur. Patet ſimiliter ex eodem hoc fundamento, ſocietatem maximam poſſe iniri cum omnibus illis, qui nec mali ſunt, nec etiam noxii, ſed potius probi atque utiles. Atque hoc fere eſt fundamentum ſocietatis civilis: ineunt enim cives inter ſe ſocietatem atque ſe mutuo amant civiliter propter utilitatem, quam mutuo ſibi præbent & probitatem morum. Civis enim omnis vir quoque probus eſſe debet, alioquin non licitam inibunt ſocietatem, ſed non minus injuſtam, quam qua latrones & fures uniti ſunt. Cæteroquin in primordia naturæ intuentes, facile videmus, id voluiſſe atque optaviſſe rerum naturam, ut omnes homines ſummo ſe amore proſequerentur. Voluit enim omnes eſſe honeſtos, tum ita creavit omnes, ut alter alterius ope indigeat, adeoque duplici nomine commendavit amorem omnium hominum, tum honeſti, tum utilis, a quibus cum non poſſit abeſſe delectatio, ille quoque amor etiam ultimo hoc titulo perfectus evadit, triplici nempe fundamento innitens. Cæterum non ſuaſit iſtiusmodi amorem omnium hominum categorica, ut ita loquar, lege, ſed ea tantum conditione, ſi omnes honeſti, utiles ac delectabiles forent. Ex quo vero per malitiam noſtram factum eſt, ut rerum natura non potuerit optato fine potiri, & plurimi mortalium ſumme ſint improbi & damno ſibi invicem maximo, alii vero inutiles quidem non ſint, nec tamen valide probi, alii vero & probi & utiles. Hinc adeo evenit, ut pro amore quibusdam ſummum odium debeatur, quibusdam vero prout magis aut minus probi ſunt, vel etiam magis aut minus utiles ex parte amor competat, ex parte vero non competat. SENECA *lib. II. de ira cap.* 31. ait: *Ut omnia inter ſe membra conſentiunt, quia ſingula ſervari totius intereſt, ita homines ſinguli parcent, quia ad cœtum geniti ſumus. Salva autem eſſe ſocietas niſi amore & cuſtodia partium non poteſt.* Similiter CICERO *lib. III. officiorum* contra naturam eſſe dicit, alteri aliquid detrahere ſui commodi cauſa, quia ſi id fiat, ſocietas hominum & communitas evertatur, neceſſe ſit. Eodem modo & alii cauſam, quare nefas ſit lædere alium, adducunt utilitatem illam ſeu conſervationem ſocietatis humanæ, quæ hinc dependet. Sed negari quidem nequit, non levem hanc eſſe cauſam, tantum vero abeſt, unicam illam eſſe, ut ne inter præcipuas quidem habenda ſit. Hæc enim cauſa non amorem proximi generat, ſed tantum id facit, ne homines ſe mutuo odio habeant. Quin imo id ipſi non diffitentur, ideoque aiunt, id conſequi hinc mortales, ut ſe mutuo non lædant, vel nolint lædere. Hoc vero nihil aliud eſt, quam non odiſſe.

iræ diſſimulata quædam, aut etiam ipſis conceſſa: 10 *ut vis in populos ſeptem id meritos;* (a) *qua non contenti,* 11 *omnes a ſe diſſidentes crudeli odio ſunt perſecuti;* (b) 12 cujus ſigna nunc etiam in ipſorum precibus adverſus Chriſtianos conceptis apparent. At 13 dolorem ſuum talionis judicio exſequi, homicidam propinqui ſui privata manu occidere, lege ipſa permittebatur. *Chriſti vero lex omnino* 14 *prohibet*

10 *ut vis in populos ſeptem id meritos.*) Exodi XXXIV. 11. 12. Deut. VII. 1. 2.

11 *omnes a ſe diſſidentes crudeli odio ſunt perſecuti.*) Dandam operam ut eis damnum quovis modo inferatur, docet R. Levi ben Gerſon: non reddenda illis quæ furtis ſubducta ſunt, Bechai.

12 *cujus ſigna nunc etiam in ipſorum precibus adverſus Chriſtianos conceptis apparent.*) Vide libellum precum editum Venetiis forma minima fol. 8. & librum Germanicum Antonii Margaritæ. Maimonidem ad XIII. Articulos, * ubi perdendos ait, qui eos non credunt. Et dictum eſt in ore Judæorum: *Omnes ſectarii ſubito pereant.* Similia ſunt dicta R. Iſaaci in Beretchith rabha: & Thalmud in Baba Kama, & Baba Bathra.

13 *dolorem ſuum talionis judicio exſequi.*) Levit. XXIV. 20. Deut. XIX. 21.

14 *probibet injuriam ſive verbis ſive rebus factam reponere.*) Matth. V. 38-44.

odiſſe. At vero id quidem jubet natura, ſed non hoc tantum, verum etiam amorem exoptaverat omnium hominum mutuum, & nunc quoque aliquos non tantum vult non lædi, ſed etiam ſumme amari, ſicut quoſdam præcipit lædere. Atque hoc eſt, quod in lege Moſis mandabatur: *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Proximi enim voce intelligitur omnis is, qui merebatur pars dici civitatis Hebræorum; amor vero iſtiusmodi præcipitur, quo vix quisquam major poteſt reperiri. Interim tamen iidem Hebræi non cogebantur pari amore erga reliquos etiam homines eſſe. Sed contra ea, quæ hactenus diſſeruimus, videtur id facere: quod hisce poſitis, non liceat cuiquam improbo benefacere, cum odio habendus ſit. At vero in promtu reſponſio eſt, improbi enim hactenus tantum odio ſunt proſequendi, quia ſunt improbi; quoniam vero adhuc reliqua in iis ſupereſt ſpes emendationis, eatenus licet adhuc illis benefacere. Cum itaque nos neſciamus mentes hominum, atque adeo non poſſimus non emendationem aliquam ſperare, facile apparet, non licere quoque nobis hominem aliquem ita odiſſe, ut omnem omnino ſeponamus amoris adfectum. Hinc etiam non videtur licere homini, ut alium de vita tollat ſimpliciter propter odium impietatis, cum contra ſuperſit amor vel certe ſupereſſe debeat ex ſpe melioris frugis conceptus. Ideoque in capitalibus ſuppliciis nos quidem homines maxime intendimus conſervationem ſocietatis humanæ, quæ abſque pœnis ac animadverſionibus nequit conſiſtere. Ex his etiam, quæ hactenus diximus, liquet, non illicitum eſſe, fœdera quoque inire cum hominibus malis, modo ne fœdera illa tollant juſtum illud odium, quod improbis quatenus ſunt tales debetur. Licet itaque & bellica fœdera & nautica, vel negotiatoria, aut ſi quæ ſunt hujus generis alia, quæ in utilium tantum rerum limitibus verſantur, inſtituere, cum ſalvis illis fœderibus nihilominus ſalvum eſſe queat juſtum odium iniquitatis illorum hominum. Summatim loquendo: natura jubet etiam propter utilitatem amari quemlibet, minus tamen, quam propter probitatem fieri par eſt. Sane hisce fundamentis unice innititur juſtitia & libertas, quam natura omnibus hominibus præſcripſit in omni amore atque odio, adeoque in ſocietate omni ac diſſidio. Atque hæc ſufficiant de jure naturæ circa hoc fundamentum; paulo poſt inſtituemus comparationem hujus legis cum lege Chriſti, quo clarius poſſit patere, nihil ſancte mandatum eſſe a lege naturæ, quod non pari reverentia obſervari quoque Salvator noſter voluerit, hoc eſt, nihil eorum, quæ naturæ lex præſcripſit, Chriſtianæ doctrinæ deeſſe. Nunc auctorem noſtrum ſecuti Hebræorum præcepta examinabimus. Atque auctor quidem noſter quando ait, in populo impotentis iræ diſſimulata quædam, aut etiam ipſis conceſſa, videri poteſt adfirmaſſe, quod Deus conceſſerit Judæis quædam naturæ lege prohibita. Attamen haud crediderim hanc eſſe illius mentem; tum vero longe illud eſt falſiſſimum. Sicut enim, quod verum eſt, non poteſt non verum eſſe, ita quod per naturæ vocem, ut ita loquar, vetuit Deus, non potuit non vetuiſſe, vel quod idem eſt, non potuit hoc tanquam licitum concedere. Fieri quidem poteſt, ut impune quædam permittantur abire in ſocietate civili, quæ alioqui illicita ſunt, ſed hoc indemnitatem vel impunitatem quidem præſtat, ut autem peccatum non committatur, qui tale aliquid agit, non præſtat. Quicquid igitur naturæ lex illicitum aſſirmavit, non potuit etiam non Moſaica lege prohiberi, ſi ſane illa perfecta quædam lex eſt, ac talis, quæ nihil habet admiſtum iniquitatis.

* Id eſt in *epiloge ad XIII. articulos fidei.* Vid. *cod. Sanhedrin. fol.* 121. *col.* 1. & *Eduardi Pocockii portam Moſis pag.* 178. edit. Oxonienſ. A. MDCLV.

(a) *ut vis in populos ſeptem id meritos.*) CONRING. Neſcio an exemplum hoc ſatis conveniat iis, quæ promiſerat auctor. Modo enim dicentem audivimus, in illo populo quædam eſſe diſſimulata aut etiam conceſſa; at vis illa in ſeptem populos non diſſimulata aut conceſſa, ſed diſertis verbis & quamplurimis locis a Deo O. M. mandata eſt, imo ſæpe hoc nomine increpari Hebræi, quod mitius, quam juſſi erant, cum illis populis agerent.

(b) *qua non contenti, omnes a ſe diſſidentes crudeli odio ſunt perſecuti.*) CONRING. Notum jam olim fuit Vannianum illud Judæorum in reliquos homines odium; hinc JUVENALIS illud de Judæis:

Non monſtrare vias eadem niſi ſacra colenti,

& paſſim alibi inſociabilis vivendi ratio Judæis objicitur apud ſcriptores vetuſtiſſimos, ut egregie GROTIO noſtro obſervatum eſt *lib. II. de Jure B. & P. cap. XV. num.* 9. Eodem modo certum eſt, Judæos hoſtili animo eſſe in omnes Chriſtianos, uti recte hic notatur. Cæterum hoc uti repugnat legi naturæ, ita etiam adverſatur apertis mandatis juris Moſaici. Sæpe enim jubentur benefacere peregrinis, ut qui ipſi olim peregrini in Ægypto vixerint. Lex itaque hæc Hebræorum non repugnat juri naturæ, ſed idem illud confirmat atque expresſius declarat. Neque enim arbitrandum eſt ea, quæ mox addit auctor noſter, adverſari naturali æquitati; quale eſt, dolorem ſuum talionis judicio exſequi, homicidam propinqui ſui privata manu occidere. Tametſi enim dicat auctor, vulgoque ita feratur, iſthæc Hebræorum lege tantum permiſſa eſſe; conſtat tamen aperte ipſa legis verba inſpicientibus, non permiſſa tantum eſſe, ſed aperte etiam a Deo mandata. Ita *Exod. XXI.* 23. ſimiliter *Deut. XIX.* 18. *ſeqq.* Ex quibus verbis aperte patet, exegiſſe Deum iſtiusmodi talionem, non vero tantum permiſiſſe. Sed primo quidem contra amorem illum, quem jus poſtulat naturæ ab omnibus, hoc ipſum jus non pugnat, quia lex naturæ etiam exigit odium iniquitatis, & illorum læſionem, qui humanam ſocietatem temerarunt. Deinde nec contra juſtitiam commutativam, quam in pœnarum afflictionibus exigendam eſſe, norunt eruditi, pugnat hæc talio. Tametſi ARISTOTELES *V. ethic.* recte contra Pythagoricos de talione diſputaverit, tamen manet adhuc ſalvum, merito idem pati, qui hominem læſerat, vel lædere cogitabat, ut multis diſputatur ad *V. ethic.* Quod attinet ultimum illud de propinquis interfecti hominis, quibus licebat hominem interficere, non quidem illud mandavit, fateor, Deus, mandavit tamen homicidam interfici. Neque vero ulli homicidæ impunitatem præſtari Deus voluit, quin imo juſſit omnes homicidas interficere. Eo enim pertinet illud ſtatim a diluvio promulgatum præceptum: *Sanguinem animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum & de manu hominis, de manu viri & de manu fratris ejus requiram animam hominis. Quicunque*

hibet (a) injuriam ſive verbis, ſive rebus factam reponere, ne quam in aliis improbamus malitiam,

cunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus eſt homo. Hac lege poſita unicuivis executionem ejus mandati permiſit Deus. Sicut enim ſub initium rempublicam nullam conſtituit Deus, ſed arbitratui hoc humano reliquit; ita neque peculiariter alicui in ſontes animadvertendi poteſtatem conceſſit, quæ poſtea in multis civitatibus voluntaria populi conceſſione in rectores atque magiſtratus devoluta eſt, ita tamen ut jam in multis aliis civitatibus priſcæ illius libertatis in puniendis ſontibus haud exigua remanſerint veſtigia, ut præclariſſime traditum etiam a GROTIO noſtro eſt *lib. II. de J. B. & P. cap. XX.* §. 8. & 9. Ex hac primogenia libertate puniendi erat adhuc mos ille apud Judæos, quo cuivis licebat homicidam e medio tollere. Quod profecto non habebat quicquam in ſe injuſti, cum ſimpliciter loquendo, homicidam interficere juſtum ſit. Quis autem interficere debeat, vel non, ex arbitraria hominum conſtitutione dependet.

(a) *Chriſti vero lex omnino prohibet.*) CONRING. Quæ hoc loco auctor diſſerit, caute accipienda ſunt, prima enim fronte videtur ita diſſerere, quaſi illa a Chriſto juſſa injuſta fuerint Moſaico codice. Accuratius tamen rem æſtimanti, hoc quidem in argumento nihil præter merum naturæ jus Salvator noſter videtur attuliſſe, ideoque nec potuerunt illa Moſaicis tabulis plane licere, etſi forte impunitatem aliquam iſthac in republica habuerint. Quod enim ſæpe diximus, nihil divino jure poſſe licitum pronunciari, quod vetitum eſt naturæ præcepto, id vero longe veriſſimum eſt. Atqui equidem haud dixerim, quod multi tradunt, extra credendi præcepta & baptiſmi cœnæque ceremonias nihil in evangelica lege, quod juris non ſit naturalis, reperiri, imo id ipſum facile conceſſerim de concubinatu, divortio ac polygamia: in his tamen humanitatis officiis haud crediderim, ſupra jus naturæ quicquam exigi. Igitur ne illud quidem conceſſerim, quod ſumit hic ſibi GROTIUS *lib. I. de J. B. & P. cap.* 2. §. 5. 6. oſtendere etiam conatur, hac quidem in parte quicquam nobis præceptum eſſe a Chriſto noſtro, quod Hebræorum leges non exegerunt. Sane poſito, quod hæc præcepta Chriſti ex jure etiam naturæ fluant, etiam alterum dicendum venit, ſcilicet reperiri eadem etiam in Moſaicis tabellis. Utrumque igitur mihi demonſtrandum eſt, primum, nihil hic additum veteri legi Hebræorum, deinde etiam nihil naturæ præſcriptis hoc quidem in loco acceſſiſſe. Quod ut fiat eo rectius, operæ pretium fortaſſis fuerit, Servatoris noſtri leges ipſas conſideraſſe. Habentur autem illæ maximam partem *Matth. V.* Horum autem ſimilia, non minori ſeveritate profert Servator noſter etiam alias. Et ſane negari nequit, prima fronte videri hoc loco opponi præcepta hæc antiquis tabellarum Moſaicarum legibus. Id enim innuere videntur illa: *audiſtis dictum fuiſſe veteribus: & ego vero dico vobis.* Quæ enim veteribus hic dicuntur dicta, ea fere totidem verbis in Hebræorum jure extant. Tum vero ſupra monſtravimus, nihil potuiſſe mandari lege Moſaica, quod lex naturæ vel non ante juſſerit, vel certe non permiſerit, & tamen in his particulis Moſaicæ legis pars maximam naturam mandati habet, non vero permiſſionis tantum. Nam ut ſupra oſtenſum eſt, illud: *Odio habeto inimicos veſtros*, item: *dentem pro dente, &c.* præceptiva, non autem permiſſiva eſſe. Quamobrem videtur omne hoc, quod hic Salvator noſter ait, non Moſaicæ tantum legi, verum naturali quoque juri acceſſiſſe. Verum enimvero contra Grotium quidem adverſam ſententiam defendere, haud fortaſſe difficile fuerit. Concedit autem hic præceptis illis Chriſti nihil aliud, quam privatam ultionem prohiberi, atque hoc ipſum jure quoque naturæ eſt vetitum. Notiſſimum enim illud fuit etiam olim ipſis gentilibus paulo moratioribus, propriam vindictam iniquam eſſe; pugnat enim (uti recte ait ipſe GROTIUS *lib. II. de J. B. & P. cap.* 7. §. 5.) Cum natura agentis ex ratione & ob finem, alieno dolore, qua dolor eſt, ſatiari, atque adeo gaudere ejus, qui nos læſit, malo; cum vero ipſa naturæ lege fatente Grotio vetita ſit iſtiusmodi ultio, non potuit etiam eſſe illa licita Moſaica lege, niſi quoad impunitatem in jure civili: Multa enim pœnam quidem conſtitutam civilem non habent, quæ tamen peccata ſunt, quia pœnæ in republica in illis tantum habent locum, quæ apertæ ſunt malitiæ atque ejusmodi, ut facile vitari queant, nec tamen admitti ſine civitatis ſummo diſcrimine. Jam vero nihil aliud voluiſſe Chriſtum hiſce præceptis ſuis, quam tantum privatam ultionem vetare, egregie oſtendit GROTIUS *lib. I. de J. B. & P. cap.* 2. Cæterum videamus ſeorſim quælibet præcepta, ut eo magis noſtræ ſententiæ veritas eluceat. Primo ait Servator: *Quicunque iraſcitur fratri ſuo temere.* Hiſce autem verbis, quid aliud quam temeraria, & quæ cum injuria conjuncta eſt, proximi indignatio prohibetur? Cæteroquin Paulus noſter 2. *Cor. VII. verſ.* 11. laudat Corinthios zeli, iræ atque vindictæ nomine. Atque hactenus etiam ipſa natura prohibet iram, & lex item Moſaica, quæ diſertis verbis ait: *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Neque eſt enim, cur nullo præcepto Hebraicæ legis temerariam indignationem cum Socinianis prohibitam arbitremur. Eodem modo prohibitum illud *Racha & Fatue* eſt illa lege Hebraica: *Diliges proximum*, quod ſimiliter ipſa recta ratio mandat. Tantum autem prohibitum maledicere cuiquam, aut cujusquam nomen convitiis proſcindere ſine cauſa. Alioquin ſcapham, quod ajunt, ſcapham appellare, hoc eſt fatuum fatuum, ſcelus ſcelus, id, ſicut naturæ lex, ita & Chriſtus permittit; utpote qui cum exemplo nobis ſit perfectæ virtutis, tamen multis ignominioſis titulis improbos Judæos ac Phariſæos ſit proſecutus. Notandum tamen nullum ſupplicium in lege Moſaica poſitum eſſe, qui indignabatur tantum aut maledicebat fratri, niſi quod magiſtratui maledicere ſevera pœna prohiberetur. Hactenus ergo Chriſtus fortaſſis aliquid addidit, quod etiam horum peccatorum pœnas ſtatuerit juſtas, quæ alioqui in civitate Hebræorum non quidem non erant peccata, habebant tamen impunitatem. Illud vero: *Oculum pro oculo*, cum ſit mandatum divinum non poteſt primo adverſari legi naturæ, ut manifeſtum eſt; neque pertinet ad omnes, ſed ad magiſtratus: ab his enim hanc in pœnis exigendis talionis legem obſervari vult Deus, ut omnium æquiſſimum ac convenientiſſimum reipublicæ tuendæ morem, ipſi autem plebi non injunxit Deus, ut & illi nullam realem injuriam condonaret; verum alibi & remiſſionem peccatorum iis quam maxime commendavit. Videtur tamen a Phariſæis ac Scribis ita vulgo hanc legem eſſe explicatam, quaſi nulla ſit cuiquam injuria condonanda, atque ita obligari quemvis ex plebe ad vindictam atque pœnam flagitandam. Cæteroquin enim non apparet, quomodo Chriſtus ſua illa, quæ adducit, potuiſſet legi illi Moſaicæ opponere, niſi forte cum Socinianis omnem animadvertendi in facinoroſos poteſtatem magiſtratui Chriſtiano eripere velis, quo nihil abſurdius dici excogitarique poteſt. Cum itaque in ea opinione Judæi, & Phariſæi cum falſa verſarentur explicatione, nullam injuriam licere condonare, facile quoque apparet, quid illa Chriſti: *Neque obſiſtite improbo &c.* ſibi velint. Nempe nihil aliud, quam ne omnem injuriam velint vindicare, ſed cedant quoque hominibus improbis, maxime autem in levibus injuriis, qualis eſt alapæ & pallii vel tunicæ ſubreptio. Hæc ſane eſt explicatio omnium meo judicio facillima & vix aliter expediri difficultas poterit. Falſa autem omnino erat explicatio illa vulgaris Phariſæorum, & apertis Moſaicarum tabularum præceptis adverſa Levit. XIX, 18. *Non quæras*, ait lex, *ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Apud Zachariam eſt: *malitiam proximi ſui ne recogites.* Ne nunc dicam, liquidum eſſe verba iſta legis pertinere ad magiſtratum. Omnis tamen ejus ætatis abſurda illa Phariſaica doctrina infectos non fuiſſe, conſtat ex PHILONE, apud quem Judæi Alexandrini ita loquuntur: *Non delectamus, o Domine, ultione de inimico, nam ex ſacris legibus didicimus hominum miſereri.* Cum Phariſæis autem videntur fere & Stoici (ut in aliis quoque multis) feciſſe, negantes ignoſcendum cuiquam eſſe, quod merito in iis reprobat GROTIUS *lib. II. de J. B. & P.*

tiam, rurſum probemus imitando: bene fieri vult bonis quidem præcipue, ſed & malis, 15 ad Dei exemplum, a quo ſolem, aſtra, aërem, ventos, imbres habemus communia in homines quosvis dona.

§. XIV. *Circa conjunctionem maris & fœminæ.*

Conjunctio maris cum fœmina, per quam propagatur genus humanum, digniſſima res eſt legum cura. (a) *Quam partem neglectui habitam a Paganis* (b) haud mirum eſt, cum eorum, quos colerent, 1 Deorum ſtupra, & adulteria narrarentur. Quid quod & 2 concubitus marium cum maribus Deorum exemplis

15 *ad Dei exemplum, a quo ſolem, aſtra, aërem, ventos, imbres habemus communia in homines quosvis dona.*) Matth. V. 45.

1 *Deorum ſtupra & adulteria.*) Euripides Jone: (*v.* 436. *ſeqq*)

- - - νουθετητέος δέ μοι
Φοῖβος, τί πάσχει, παρθένους βίᾳ γαμῶν.
Προδίδωσι παῖδας ἐκτεκνούμενος λάθρα,
Θνήσκοντας ἀμελεῖ. μὴ σύγ', ἀλλ' ἐπεὶ κρατεῖς,
Ἀρετὰς δίωκε. καὶ γὰρ ὅστις ἂν βροτῶν
Κακὸς πεφύκῃ, ζημιοῦσιν οἱ θεοί.
Πῶς οὖν δίκαιον, τοὺς νόμους ὑμᾶς βροτοῖς
Γράψαντας, αὐτοὺς ἀνομίαν ὀφλισκάνειν;
Εἰ δ' οὐ γὰρ ἔσται, τῷ λόγῳ δὲ χρήσομαι,
Δίκας βιαίων δώσετ' ἀνθρώποις γάμων,
Σὺ καὶ Ποσειδῶν, Ζεὺς θ' ὃς οὐρανοῦ κρατεῖ.
Ναοὺς τίνοντες ἀδικίας κενώσετε.

- - - monendus, ſi tamen fas eſt, mihi
Apollo, per vim virginum minuit decus,
Quosque ipſe ſevit liberos, interfici
Clam patitur, ab ne tu iſta: ſed quando imperas,
Honeſta ſequere. Si quis eſt mortalium
Qui ſcelera patrat, exigunt pœnam Dii:
At nonne iniquum eſt, vos, ſuas leges quibus
Gens debet hominum, jure nullo vivere?
Si, quod futurum non erit, dicam tamen,
Hominibus æquo ſtupra lueretis modo,
Neptunus & tu, rexque ſupremi poli,
Vacuaret omnes mulcta templorum domos.

Vide hæc fuſe tractata apud Clementem protreptico, (*fol.* 10. *ſeq.* 20. *ſeqq.*) Athenagoram, (*legat. pro Chriſt. p.* 158. *ſeqq.* 172. *ſeqq.*) Tatianum, (*orat. contra Græc. fol.* 147. *ſeq.* 168. *ſeqq. & alibi.*) Arnobium libro IV. (*p.* 14c. *ſeqq. it.* 149. *ſeqq.*) Nazianzenum I. contra Julianum, (*i. e. orat. III. num.* 114. *ſeqq. fol.* 104. *ſeq. &* 108. *edit. Jac. Billii*) Theodoretum Sermone III. (*fol. inprimis* 512. *tom. IV. opp.*)

2 *concubitus marium cum maribus.*) Hæc quoque vide apud Clementem & Theodoretum dictis locis.

& P. cap. XX. §. 21. Eadem eſt ratio ſequentis præcepti Moſaici: *diliges proximum tuum;* hoc autem explicatione ſua ita corruperunt Phariſæi, ut ſuum illud: *odio habebis inimicos tuos*, iſthoc præcepto includi crederent. Neque enim ullibi in lege quadam Moſaica hæc extant verba; imo vero diſertis verbis ait lex Exod. XXIII. 4. & 5. *Si occurreris bovi inimici tui aut aſino erranti, reduc eum. Si videris aſinum odientis te jacere ſub onere non pertranſibis ſed ſublevabis eum.* Modo vero eandem legem audivimus prohibentem injuriæ memoriam. Contra Phariſæi perſuaſerunt fere populo lege iſthac Moſis: dilige proximum tuum, duo injungi: I. neminem inuui præter proximum h. e. popularem, unde oriebatur illa Judæorum inſociabilis vivendi ratio. II. Omnem inimicum odio habendum, quod merito Chriſtus improbat, utpote quod etiam naturali lege adverſaretur. Tota itaque res ſic ſe habet, nullibi hactenus adverſatur ipſi legi Moſaicæ Salvator, ſed ejus Phariſaicæ explicationi. Ita [illegible] proximum illud: *Quisquis occiderit, damnatus erit judicii*, Phariſæis erat: Quisquis neminem occidit, ille nullius, h. e. ne judicii quidem divini damnatus eſt; cum tamen hoc nullo modo vellet Moſes. Chriſtus igitur non aliter opponit ſe hisce Moſis verbis quam quatenus illa ſenſu Phariſaico intelligebantur. Atque hæc cauſa eſt, cur hisce comparationibus ſuis Salvator proxime illud præmiſerit: *Dico autem vobis niſi abundaverit juſtitia veſtra, plus quam Scribarum & Phariſæorum non intrabitis in regnum cœlorum.* Manet nihilominus ſumma laus doctrinæ Chriſtianæ, quod huic renovata ſepulti dudum apud quamplurimos mortales juris naturæ memoria debeatur, & quod ſola hæc nullibi ceſpitet, ubi omnes & ſapientisſimos certum eſt, graviter lapſos eſſe. Poſſunt vero illa, quæ hactenus ea de re diximus, his paucis breviter comprehendi. Chriſtus nihil præter id, quod jam ante juris erat naturalis, hac in parte demandavit. Ergo nihil addidit legi Moſaicæ. Ad objectionem, quod tamen Chriſtus diſerte ſua opponat iis, quæ dicta ſunt veteribus, reſpondendum: per veteres hic intelligendos Phariſæos & Scribas, quæ etiam alias ſeniores dicuntur populi. Certe hæc, quæ Chriſtus ait dicta eſſe veteribus, non eſſe a Moſe eo ſenſu, quo Chriſtus illis ſua opponit, dicta, patet primo quia Chriſtus ait. *dictum eſſe veteribus, odio habebis inimicos tuos*, quod tamen non reperitur in lege Moſaica, ſed contrarium potius. Neque valet, quod ajunt per inimicos hic intelligi ſeptem populos; id enim falſum eſſe, patet ex Chriſti oppoſitione, qui ſimpliciter inimicis opponit amicos, & omnino de amore omnium loquitur inimicorum. In reliquis vero nulla plane eſſet oppoſitio, ſi eo ſenſu caperentur illa verba, ſicut debent accipi in lege Moſaica: & tamen manifeſtum eſt, Chriſtum ſua opponere iis, quæ ait dicta eſſe veteribus.

(a) *Conjunctio maris cum fœmina - - digniſſima res eſt legum cura.*) CONRING. Merito profecto. Cum enim leges illa omnia, quæ ad vitam recte inſtituendam requiruntur, præſcribere debeant, merito ſane hoc negligi non debet, cum conjunctioni maris & fœminæ omnia fundamenta civitatis innitantur. Et obſervatum id quoque fuit optimis legislatoribus. Nam & Platonem videmus uberrime hoc de argumento diſputare, & ARISTOTELES *lib. VII. polit.* optimam civitatis adminiſtrationem traditurus quædam haud levia de maris & fœminæ conjunctione monet, & plura fortaſſis in deperditis libris deſcripſerat. In lege Hebræorum multa quoque hujus argumenti invenias, nec pauca Romani aliæque gentes de nuptiis ac conjugio ſanxerunt.

(b) *Quam partem neglectui habitam a Paganis.*) CONR. Quomodo a naturali lege gentes fere omnes deſciverunt, alii ſatis reſponderunt, deſcribentes varios variarum gentium mores ac ſtatus. Suffecerit hic legiſſe pauca, quæ CALIXTUS recitat *epit. Theologiæ moral. pag.* 56. Certe ſcortationes ſimplices etiam apud Græcos nullam habebant pœnam unde illud apud Comicum: *non eſt flagitium adoleſcentulis ſcortari.* Imo usque adeo obbrutuerat ratio humana, ut Apoſtoli coacti ſint peculiari interdicto gentibus ſcortationem prohibere, uti legitur in Actis. Bene autem ait autor noſter, mirum non eſſe, quod in eam abſurditatem devenerint prudentiſſimi populi, cum Deorum ſuorum ſtupra & inceſtos concubitus quotidie narrarent, & audirent, & ſpectarent. Certe cœleſtium, uti credebant, impuritatem omnes pagellæ poëtarum loquuntur. Quos eam ob cauſam cum ſuis carminibus e republica ejiciendos eſſe, maximus vir PLATO judicavit. Neque refert ſtupra iſta Deorum non fuiſſe credita prudentioribus, quia credebantur vulgo, haud exiſtimantes turpe, cujus Deum habebant exemplum. Tum vero certum eſt, apud multos Paganos ſtupra ac impuritates illas inter ceremonias religioſi cultus fuiſſe habitas, & denique vel ſolæ illæ narratiunculæ corrumpunt mores. Ideoque & Romulus, teſte DIONYSIO HALICARNASSÆO fabulas illas ſpurcas Deorum in vulgus vetuit referri, præſentibus fœminis & pueris.

plis defendebantur? in quorum numerum eo merito relati olim Ganymedes, [3] poſtea Antinous; quod flagitium apud Mahumetiſtas quoque frequens eſt, apud Sinenſes, & gentes alias etiam pro licito: *a Græcia autem philoſophis in id laboratum videtur*, (a) [4] ut rei turpi honeſtum nomen imponeretur. *Inter eosdem Græciæ philoſophos præſtantiſſimi*, [5] *communione mulierum laudata*, (b) quid aliud quam ex civitate tota unum fecerunt lupanar, [6] cum etiam inter muta animantia quædam ſit fœdus aliquod conjugale? quanto æquius ne ſanctiſſimum animal homo incerto ſemine naſcatur, extinctis etiam parentum & liberorum inter ſe affectibus? *Lex Hebræa omnem quidem ſpurcitiem inhibet*, (c) ſed & [7] plures uni concedit uxores, [8] & marito dimittendæ ob quasvis cauſas uxoris jus facit: quod & hodie uſurpant Mahumetiſtæ, & olim Græci, ac Latini, tanta licentia, ut & uxores ad tempus utendas aliis darent [9] Lacones, & Cato. *At perfectiſſima Chriſti lex ad ipſas penetrat vitiorum radices*, (d) & eum, qui attentavit mulieris cujusquam pudicitiam, vel oculis libavit, [10] reum habet,

3 *poſtea Antinous.*) Meminit Juſtinus apologetico II. (*fol.* 72.) Clemens protreptico: (*fol.* 32.) Origenes libro contra Celſum tertio (*pag.* 132. *ſeqq.*) & octavo: (*pag.* 384.) Euſebius hiſtoriæ eccleſiaſticæ IV. 8. Theodoretus octavo: (*ſcil. Therapeut. ſerm. fol.* 597. *tom. IV. opp.*) & hiſtorici illorum temporum.

4 *ut rei turpi honeſtum nomen imponeretur.*) Ita ſane cenſeat non Lucianus tantum libello de amoribus, (*tom. I. opp. p.* 1066. *ſeqq. maxime* 1040. *ſeqq. it.* 1048. *ſeqq.*) ſed & Gregorius Nazianzenus oratione III. (*num.* 67. *fol.* 78. *edit. Jac. Billii.*) contra Julianum, & ad eum Elias Cretenſis & Nonnus, Cyrillus contra Julianum libro VI. (*fol.* 186. *ſeqq.*) & late Theodoretus libro XII. ad Græcos. (*fol.* 670. *ſeqq. tom. IV. opp.*) Philonis, qui Platoni favit plurimum, locum hic omittere non poſſum e libro de vita contemplatrice: (*fol.* 898. *opp.*) Τὸ δὲ Πλατωνικὸν ὅλον σχεδόν ἐστι περὶ ἔρωτος, οὐκ ἀνδρῶν ἐπὶ γυναιξὶν ἐπιμανέντων, ἢ γυναικῶν ἀνδράσιν αὐτὸ μόνον· ἐκτελοῦνται γὰρ αἱ ἐπιθυμίαι αὗται νόμῳ φύσεως· ἀλλὰ ἀνδρῶν ἄρρεσιν ἡλικίᾳ μόνον διαφέρουσι· καὶ γὰρ εἴ τι περὶ ἔρωτος καὶ οὐρανίου Ἀφροδίτης κεκομψεῦσθαι δοκεῖ, χάριν ἀστεϊσμοῦ παρείληπται: *Platonicum autem convivium totum fere in amoribus conſumitur, non virorum modo in mulieres, mulierum in viros inſanientium: tales enim cupiditates lege naturæ explentur: ſed virorum in ſexus ejusdem ſola ætate diſpares: nam ſi quid ibi de Venere & amore cœleſti ſpecioſe dici auditur, id honeſti obtentus cauſa aſſumitur.* Tertullianus de anima, (*cap. I.*) Chriſtianam ſapientiam præferens Socraticæ: *Nec nova inferens dæmonia, ſed vetera depellens, nec adoleſcentiam vitians, ſed omni bono pudoris informans.*

5 *communione mulierum laudata.*) Platonem vide tum alibi, tum maxime de republica IV. (*potius V. fol.* 655. *opp.*)

6 *cum etiam inter multa animantia quædam ſit fœdus aliquod conjugale.*) Plinius l. X. c. 33. (*alias* 34.) *Ab his columbarum geſta ſpectantur maxime, ſimili ratione. Mores iisdem, ſed pudicitia illis prima, & neutri nota adulteria: conjugii fidem non violant.* De palumbium caſtitate conjugali vide Porphyrium de non eſu animantium tertio. (*pag.* 274.)

7 *plures uni concedit uxores.*) Apparet id Deut. XXI. 16. 17. XXI. 15. 2. Sam. XII 8. Sic legem intelligunt Hebræi, & Chryſoſtomus 1. ad Cor. XI. (*homil. XVI. fol.* 286. *tom. V. comment. in N. Teſt.*) Auguſtinus de doctrina Chriſtiana libro III. cap. 12. & veterum alii. Joſephus legis peritiſſimus, antiquitatum XVI. (*accuratius lib. XVII. cap. I.*) πάτριον ἐν ταὐτῷ πλείοσιν ἡμῖν συνοικεῖν. *Mos nobis patrius eodem tempore plures habere uxores*

8 *& marito dimittendæ ob quasvis cauſas uxoris jus facit.*) Deut. XXIV. 1. 2. 3. 4. Levit. XXI. 14.

9 *Lacones & Cato.*) Vide Herodotum libro VI. (*cap.* 61. *ſeq. forte.*) Plutarchum Lycurgo & Catone Uticenſi, (*fol.* 48. *ſeq. &* 770. *ſeq. tom. I. opp.*)

10 *reum habet, inſpectore cordis Deo judice, concupiſc. nec peracti criminis.*) Matth. V. 28.

(a) *a Græciæ autem philoſophis in id laboratum videtur.*) CONRINGIUS. Id ab ipſo factum SOCRATE, qui, cum & ipſe ſuſpectus eſſet hujus ſceleris, multa de iſto amore diſſeruit paſſim apud PLATONEM, & imprimis quidem in *ſympoſio*. Eodem faciunt & tres diſputationes *Maximi Tyrii de amore Socratis*. APULEJUS *lib. I. apolog.* recitat & verſiculos ipſius Platonis in puerum Aſterem. Ut taceam Epicurum, & alios ipſos quoque inter Stoicos, qui hoc ſe crimine polluerunt.

(b) *Inter eosdem Græciæ philoſophos præſtantiſſimi communione mulierum laudata.*) CONRING. Cynicorum impudentiam caninam ut & Epicureorum luxuriam non eſt, cur hic exagitemus. Notum alioquin eſt, quam fœde utraque diſciplina ſeſe geſſerit. Suffecerit in contentionem cum religione Chriſtiana præſtantiſſimos adduxiſſe, Socratem, hominem inſigni vitæ probitate & hujus diſcipulum ac præconem Platonem, quique hunc ſecuti ſunt, viros doctos alios. Plato enim eſt, qui communionem mulierum laudavit, inque optimam rempublicam introductam voluit. Hic enim cum duo conſcripſerit de civitatis adminiſtratione volumina, atque altero quidem ſecundum votum civitatem deſcripſiſſet, altero qualis illa haberi poteſt; illius de *republica* inſcripti *lib. V.* multa diſputat de mulierum iſthac communione. Defenderunt eandem ſententiam Platonici, quin imo Plotinus, uti quidem refert PORPHYRIUS in hujus vita, Platonicam civitatem in Italia condere conatus fuit; imo condidiſſet, niſi interceſſiſſent aulæ cæſareæ familiares. Alii abſurditatem illam Platonis palliare conſtituerunt. Cæterum quæ argumenta autor noſter hic adducit, ſunt illa quidem brevibus concepta verbis, valde tamen operoſa. Primum eſt, quod & bruta quædam animantia fœdus aliquod ſervent conjugale, ut multo æquius ſit, obſervandum hoc hominibus eſſe. Secundo communione mulierum introducta incerto homines ſemine naſcerentur, & denique affectus liberorum & parentum extinguerentur, quæ omnia abſurdiſſima ſunt. Satis ſit legiſſe, quæ ARISTOTELES *lib. II. polit. cap.* 2. 3. 4. & ex parte *cap.* 5. ubertime doctiſſimeque contra Platonem diſputat.

(c) *Lex Hebræa omnem quidem ſpurcitiem inhibet.*) CONRING. Inter omnia gentium inſtituta ac leges omnes, item ſapientum virorum traditiones ac præſcripta nulla fuit lex melior, caſtior & accommodata nihilominus populi genio, quam illa Hebræorum, quippe quæ non tantum prohibet omnem ſpurcitiem, verum etiam graviſſime in ſontes animadvertit. Ita lex eſt Deut. XXIII. *Non erit meretrix de filiabus Iſrael.* Ita in omnem ſtupratorem, qui quidem vim intulerat ex lege capitis pœna animadvertebatur. Ita omnis adultera & adulter ſine omni venia lapidandus erat; imo ne cum ancilla quidem ac mancipio extra matrimonii vinculum coire domino permittebatur. Jam inceſta conjugia ſeveriſſime prohibuit eadem lex ac punivit. Tantum populo liberorum procreationis ſtudioſo & fortaſſis pronio ri, quique & mos eſt calidorum atque ex oriente hominum, plures mulieres & divortia indulſit: quorum tamen neutrum a naturæ lege multum abit. Uti enim notum eſt, concedendum eſt civitati, pauxillum ad majoris mali evitationem. Ideoque nec hæc argui imperfectionis lex Hebræa debet, quoniam illa civilis lex eſt, quæ non potuit ſemper pœnam cuivis peccato infligere: agitur autem de divortio Deut. XXII. & XXIV.

(d) *At perfectiſſima Chriſti lex ad ipſas penetrat vitiorum radices.*) CONRING. Ita ſane eſt, quicquid lex naturæ vetuit, idem etiam prohibuit lex Chriſti. Quod tamen autor noſter hoc quidem loco tangit, illud neſcio, an naturali legi acceſſerit. Reſpicit enim GROTIUS illud *Matth. V. v.* 27. *Auditis dictum fuiſſe a veteribus: non mœchaberis, ego vero dico vobis: quicunque aſpicit mulierem,*

habet, inſpectore cordis Deo judice, concupiti nec peracti criminis. ***Cumque omnis vera amicitia perpetua ſit & inſolubilis***, (a) 11 merito talem eam eſſe voluit, quæ cum animorum ſocietate corporum quoque continet communionem: quod etiam ad rectam liberorum educationem haud dubio eſt utilius. ***Inter Paganos paucæ gentes una uxore contentæ fuerunt***, (b) ut Germani & Romani. 12 ***Sequuntur & hoc Chriſtiani***; (c) ut ſcilicet animus ab uxore in ſolidum marito datus, 13 æquali retributione

11 *merito talem eam eſſe voluit, quæ cum animorum ſocietate corporum quoque continet communionem.)* Matth. V. 32. IX. (XIX.) 9.

12 *Sequuntur & hoc Chriſtiani.)* Paulus Apoſtolus 1. Cor. VII. 4. Lactantius Inſtitutionum VI. 23. Hieronymus adverſus Oceanum. (*i. e. epiſt. XXX. cap. I.*)

13 *æquali retributione penſetur.*) Bene enim Salluſtius Jugurthino: * *Apud eos qui plures uxores habent, levis iſta ducitur neceſſitudo, quod animus multitudine diſtractus nullam pro ſocia obtinet, omnes pariter viles ſunt.* Ammianus de Perſis lib. XXIII. (*cap. 12.*) *Per libidines varias caritas diſperſa torpeſcit.* Claudianus bello Gildonico: (*v. 441. ſeqq.*)

- - - *Connubia mille:*
Non illis generis nexus, non pignora curæ,
Sed numero languet pietas.

rem, ut eam concupiſcat, jam adulteravit eam in corde ſuo. Atque conſtat concupiſcentiam alieni uxoris etiam tabulis Moſaicis fuiſſe interdictam. Tum vero lex naturæ quoque omne illud prohibet concupiſcere, quod exequi nefas eſt. Non igitur adjecit hactenus aut Moſaicæ vel naturali legi Chriſtus aliquid; adeoque illud: *Ego vero dico vobis,* non aliter accipiendum eſt, quam alibi explicavimus, nempe cum Phariſæi crederent, ſolum adulterium mereri pœnam; Chriſtus etiam concupiti, nec peracti criminis illius, eundem coram Deo reatum & malitiam eſſe commonſtrat. Nempe etiam hic locum habet illud vulgare: Voluntas habetur pro facto.

* *Cap.* LXXX. cujus verba ad mentem ipſius hæc damus: *Verum ea neceſſitudo apud Numidas Maurosque levis ducitur, quia ſinguli pro opibus quisque quam plurimas uxores, denas alii, alii plures habent; ſed reges eo amplius. Ita animus multitudine diſtrahitur, nullam pro ſocia obtinet, pariter omnes viles ſunt.*

(a) *Cumque omnis vera amicitia perpetua ſit & inſolubilis*) CONRINGIUS. Divortiorum illam licentiam Judæis, Romanis, aliisque gentibus conſuetam, non poteſt quis diffiteri a Salvatore noſtro circumſcriptam ac limitatam eſſe. Vid. *Mat. V*, 25. *XIX*, 7. *Marc. X*, 4. *Luc. XVI*, 18. conſulatur & epiſt. 1. *ad Cor. c. VII.* Multis veterum Chriſtianorum, ut & Pontificiis hodie, viſum fuit omne divortium a Chriſto prohibitum. Ideoque nullum eccleſia Romana verum admittit divortium, ſed hujus loco ſeparationem tantum, ut vocant, ad thorum & menſam; ad thorum & menſam ſimul, neutri parti nubendi conceſſa libertate. Ab hac ſententia abeunt eccleſiæ Proteſtantium, verum divortium locum interdum habere exiſtimantes, & quidem vel in alterutrius ſcortatione, vel maligna deſertione. Hisce enim duobus rumpi ſocietatem conjugalem arbitrantur. Diſputabat in eam ſententiam jam ante Lutherum ſatis acriter Eraſmus Roterodamus, adeo ut illam lege Moſis conceſſam divortiorum libertatem cum fructu eccleſiæ & reipublicæ reduci poſſe ac debere cenſuerit. Non quidem negat Eraſmus, honeſtius longe eſſe & Chriſtianæ doctrinæ conformius, ſi nunquam rumpatur matrimonium, tamen ob majoris mali evitationem, non rigidis vinculis adſtringenda eſſe omnium hominum matrimonia exiſtimat. Sane operæ pretium fuerit legere, quæ ab ERASMO diſputantur *ad epiſt. ad Corinthios*, & alibi *in notis ad novum teſtamentum.* Quicquid ſit recte a noſtris diſputatum eſt, non omne divortium Chriſti lege prohiberi. Cæterum obſervatu dignæ ſunt duæ illæ rationes, quas hoc loco pro non temere dirimendis matrimoniis adfert autor. Eſt enim utraque ſatis robuſta.

(b) *Inter Paganos paucæ gentes una uxore contentæ fuerunt*) CONRINGIUS. Notum eſt, ne Hebræos quidem a pluribus uxoribus abſtinuiſſe, nec vero lege veteri plures una uxores adſciſcere ſibi fuit vetitum, imo vero Deus ipſe imputat Davidi, quod uxores ei plures atque illuſtres largitus ſit. Reliquos vero orientales populos etiam laboraſſe uxorum copia, vulgatum eſt. De noſtris Germanis veteribus in hunc modum loquitur TACITUS: *Severa illis matrimonia, nec ullam morum partem magis laudaveris. Nam prope ſoli barbarorum ſingulis uxoribus contenti ſunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, ſed ob nobilitatem pluribus nuptiis ambiuntur.* Et quidem quod de nobilibus hic ait, manſit ille mos etiam tum, cum nomen Chriſtianæ religioni dediſſent, uti ex Francorum regum hiſtoria manifeſtum eſt. Romanorum monogamia vulgatiſſima eſt; imo idem apud Græcos veteres obtinuit. Teſte enim ATHENÆO Cecrops unam fœminam uni marito tribuit, qui mos ad poſteros quoque traductus eſt, niſi quando nova lege, qua civitati paucitate civium laboranti ſuccurreretur, ab illa lege veteri receſſum eſt, quod Socratis ætate contigiſſe notum eſt.

(c) *Sequuntur & hoc Chriſtiani*) CONRINGIUS. Conſtat monogamiam obſervari ab omnibus hodie Chriſtianis, imo credi, polygamiam ab ipſo Chriſto diſerte eſſe prohibitam. Nec deſunt tamen, qui illud *Matth. XIX.* tantum ad divortia applicant, nec patiuntur Chriſti verba ad polygamiam, utpote qua de re nulla tum haberetur quæſtio, extendi. Etſi enim Chriſtus adducat eo loci primam illam inſtitutionem conjugii & inprimis illud: *Erunt duo in carne una*; iis tamen verbis reſpexiſſe tantum ad arctum illum nexum conjugalem. Cæterum prohibitane ſit polygamia Chriſti illo ſermone, nec ne, non jam anxie disquiramus: id videtur, primo eccleſiæ exordio etiam inter Chriſtianos repertos, qui una ſimul plures uxores habebant. HIERONYMUS certe epiſtola ad Oceanum locum illum 1. *epiſt. ad Timoth.* qua presbyteris unum tantum uxorem permittit Apoſtolus, ita explicat: *Ex Judæis erat Apoſtolus, prima Chriſti eccleſia ex Iſraelis reliquiis congregabatur, ſciebat lege conceſſum, & exemplo Patriarcharum a Moſis populus noverat in multis uxoribus liberos parere. Ipſis quoque ſacerdotibus hujus licentiæ patebat arbitrium. Præcipit ergo, ne eandem licentiam eccleſiæ ſibi vindicent ſacerdotes, ne bina & trina pariter conjugia ſortiantur, ſed ut ſingulas uno tempore uxores habeant. Idem* HIERONYMUS *in commentariis ad epiſtolam ad Titum*, ita loquitur: *Quidam de hoc loco ita ſentiunt: Judaicæ, inquiunt, conſuetudinis fuit, vel binas habere uxores vel plures, quod etiam in veteri lege de Abrahamo & Jacobo legimus, & hoc nunc volunt eſſe præceptum, ne is qui Epiſcopus eligendus eſt, uno tempore duas uxores pariter habeat.* Idem ad eundem locum notat fere CHRYSOSTOMUS, & probat illam interpretationem Theodoretus. Unde patet in primitiva eccleſia ad Chriſtianum cœtum admiſſos etiam polygamos, h. e. qui plures ſibi uxores copulatas habebant, non tamen hinc liquet, illos, qui jam Chriſtiano cœtui dederunt nomen, duxiſſe plures ſimul in matrimonium. Fortaſſis moti primi Chriſtiani Romanorum ſunt continentia, cum ipſi Chriſtiani longe ſeveriſſimis ſe legibus continentiæ ultro adſtrinxerunt. Nam ſane haud pauci ex optimis etiam ſecundas nuptias deteſtati ſunt, & Chriſtianum unius tantum uxoris matrimonio contentum debere eſſe, neutiquam vero ad ſecunda vota tranſire illi licere, docuerunt. Quomodo ATHENAGORAS ſecundas nuptias ſpecioſum adulterium appellat, & neſcio, an ipſe JUSTINUS MARTYR easdem improbet. TERTULLIANUS certe libro integro de monogamia eas abominatur. Fortaſſis itaque cum Chriſtiani in hanc continentiam ultro irent, & accederet Romani populi conſuetudo, ſub cujus imperio naſcebatur eccleſia, tandem ex more honeſto lex orta eſt, & quod jam obtinebat, etiam a Salvatore fuiſſe mandatum viſum eſt. Conſtat ſane centum annis a Chriſto expletis illam Judaicam licentiam plures ducendi uxores inter

butione penſetur, 14 rectiusque procedat ſub una præſide domeſticum regimen; neu diverſæ matres diſcordiam liberis inferant.

§. XV. *Circa uſum bonorum temporalium.*

Ad uſum eorum, quæ bona vulgo dicuntur, ut veniamus, furta videmus a gentibus paganis quibusdam, 1 ut Ægyptiis 2 & Spartiatis, permiſſa: & qui privatis non permiſerunt, publice hoc ferme unum agebant, ut Romani: 3 quibus ad caſas redeundum dicebat Romanus orator, ſi ſuum cuique reddere deberent. Hebræis nihil quidem tale, ſed 4 fœnus tamen in extraneos permiſſum, ut eorum ingenio ſe lex aliquatenus aptaret; 5 quæ propterea legem ſervantibus inter cætera divitias pollicebatur. At 6 Chriſtiana lex non modo omne injuſtitiæ genus, & in quosvis prohibet; 7 ſed & vetat nos ſtudium noſtrum rebus illis caducis impendere: quia ſcilicet non ſufficiat animus noſter ad duo ſedulo curanda, quæ ſingula hominem totum requirant, & ſæpe in contraria conſilia nos trahant: deinde vero & in quærendis, & in ſervandis divitiis, 8 ſollicitudo ſervitutem quandam, & cruciatum ſecum ferat, quæ ipſam voluptatem, quæ ex divitiis ſperatur, corrumpant: 9 ea vero, quibus natura contenta eſt, & pauca ſint, & facile ſine magno labore aut impendio parentur. Quod ſi quid tamen Deus ultra indulſerit, non hoc in mare projicere jubemur, 10 ut philoſophi quidam imprudenter fecerunt; neque detinere inutile, neque prodigere; ſed ſupplere inde hominum aliorum inopiam, 11 ſive donando, 12 ſive dando mutuum id rogantibus; 13 ut decet eos, qui ſe non dominos harum rerum, ſed Dei ſummi parentis procuratores ac diſpenſatores credant: bene enim locatum beneficium 14 theſaurum eſſe bonæ ſpei plenum, in quem nec furum improbitati, nec caſuum varietati quicquam liceat. Cujus veræ, non fucatæ, liberalitatis exemplum admirabile præbuerunt Chriſtianorum primi, 15 cum usque ex Macedonia & Achaja ea mitterentur, quæ Palæſtinorum egeſtatem ſublevabant: non aliter, quam ſi orbis totus una eſſet familia. Atque hic illa quoque cautio in Chriſti lege additur, 16 ne qua repenſationis aut honoris ſpes beneficentiam defloret: 17 cujus apud Deum perit gratia, ſi aliud præter Deum reſpicit. Ac ne quis, ut fieri ſolet, obtendat tenacitati ſuæ velum, quaſi metuat, ne ipſe olim ſenex, aut a calamitate aliqua deprehenſus, ſuis rebus opus habeat, 18 promittit lex curam ſpecialem pro his, qui illa præcepta ſervaverint; & quo magis confidant, in mentem illis revocat 19 conſpicuam Dei providentiam in alendis feris ac pecudibus, & in ornandis herbis, floribusque: rem vero fore indignam, ſi Deo tam bono, tam potenti, tanquam malo nomini non credamus ultra, quam dum pignori incumbimus.

§. XVI. *Circa jusjurandum.*

Perjurium vetant leges aliæ; 1 hæc vero etiam jurejurando extra neceſſitatem omnino vult abſtineri, & ita coli veracitatem in quovis ſermone, 2 ut jusjurandum a nobis ne exigatur quidem.

§. XVII.

14 *rectiusque procedat ſub una præſide domeſticum regimen; neu diverſæ matres diſcordiam liberis inferant.*) Utrumque recte concepit & expreſſit Euripides Andromacha (*v. imprimis* 177. *ſeqq. it.* 464. *ſeqq.*)

1 *ut Ægyptiis.*) Diodorus Siculus Hiſtoriarum libro I. (*ſect. II. fol.* 72.)

2 *& Spartiatis.*) Plutarchus Lycurgo. (*tom. I. opp. fol.* 58.)

3 *quibus ad caſas redeundum dicebat Romanus orator, ſi ſuum cuique reddere deberent*) Verba hunc in ſenſum Ciceronis ex tertio de republica recitat Lactantius in epitome cap. I.

4 *fœnus tamen in extraneos permiſſum.*) Deut. XXIII. 19. (20.)

5 *quæ propterea legem ſervantibus inter cætera divitias pollicebatur.*) Levit. XXVI. 5. Deut. XXVIII. 4. 5. 6. 7. 8. 11. 12.

6 *Chriſtiana lex non modo omne injuſtitiæ genus & in quosvis prohibet.*) Matth. VII. 12. Epheſ. V. 3.

7 *ſed & vetat nos ſtudium noſtrum rebus illis caducis impendere.*) Matth. VI. 24. & ſequentibus XIII. 22. Luc. VIII. 14. 1. Tim. VI. 9.

8 *ſollicitudo ſervitutem quamdam & cruciatum ſecum ferat.*) Matth. VI. 34. Philipp. IV. 6.

9 *ea vero quibus natura contenta eſt, & pauca ſint, & facile ſine magno labore aut impendio parentur.*) 1. Tim. VI. 7. 8.

10 *ut philoſophi quidam imprudenter fecerunt.*) Habent hoc de Ariſtippo Laërtius (*lib. II. de vit. philoſ. ſegm.* 77.) & Suidas, (*voce* Ἀρίστιππος) de Cratete Philoſtratus. (*lib. I. de vita Apollonii* cap. XIII.)

11 *ſive donando.*) Matth. V. 42.

12 *ſive dando mutuum id rogantibus.*) Matth. ibidem. Luc. VI. 35.

13 *ut decet eos qui ſe non dominos harum rerum, ſed Dei ſummi parentis procuratores & diſpenſatores credant.*) 1. Tim. VI. 17. 18.

14 *theſaurum eſſe bonæ ſpei plenum, in quem nec furum improbitati, nec caſuum varietati quicquam liceat.*) Matth. VI. 20.

15 *cum usque ex Macedonia & Achaja ea mitterentur, quæ Palæſtinorum egeſtatem ſublevabant.*) Rom. XV. 25. 26. & ſequentibus. 2. Cor. IX, 1. 2. 3. 4. Philipp. IV. 18.

16 *ne qua repenſationis aut honoris ſpes beneficentiam defloret*) Matth. VI. 1. 2. Luc. XIV. 12.

17 *cujus apud Deum perit gratia, ſi aliud præter Deum reſpicit.*) Matthæus dicto jam loco.

18 *promittit lex curam ſpecialem pro his qui illa præcepta ſervaverint.*) Matth. VI. 32. Luc. XII. 7. XXI. 18.

19 *conſpicuam Dei providentiam in alendis feris ac pecudibus & in ornandis herbis floribusque.*) Matth. VII. (VI.) 26. 28.

1 *hæc vero etiam jurejurando extra neceſſitatem omnino vult abſtineri.*) Matth. V. 33. 34. 35. 36. 37. Jac. V. 12.

2 *ut jusjurandum a nobis ne exigatur quidem.*) Matthæus dicto jam loco.

ter Chriſtianos non toleratam eſſe. JUSTINUS enim MARTYR exprobrat Judæorum Rabbinis *in dialogo cum Tryphone*, quod etiam illo tempore quatuor aut quinque uxores habere permitterent: exprobrare autem ut Judaicum quid non potuiſſet, ſi & inter Chriſtianos fuiſſet licitum. Quicquid ſit, merito componimus mores noſtros ad primitivæ eccleſiæ ſanctimoniam, nefas certe fuerit germanum hominem, qui Chriſto ſe addixit, intemperatiorem ſe præbere ipſis gentilibus majoribus ſuis. Cæteroquin quid natura de polygamia iſta conſtituerit, alibi oſtenſum eſt: nec vero de nihilo ſunt tria iſta, quæ hoc loco autor adducit. Revera enim æquum eſt, ut, quando animum ſuum uxor marito in ſolidum tradit, etiam illa animum mariti in ſolidum recipiat, quo æqualis ſocietas ſit; rectius etiam procedit ſub una præſide regimen domeſticum, nec niſi in ampliſſimis familiis ſine diſcordia duæ uxores cohabitant.

§. XVII. *Circa facta alia.*

Ac plane nihil egregium reperiri poteſt, aut in Græcorum philoſophicis ſcriptis, aut in ſententiis Hebræorum, aliarumve gentium, quod non hic contineatur, & quidem ut ſancitum divina auctoritate; puta 1 de modeſtia, 2 temperantia, de 3 bonitate, 4 de morum honeſtate, 5 de prudentia, 6 de officio magiſtratuum & ſubditorum, 7 parentum & liberorum, 8 dominorum & ſervorum, 9 item conjugum inter ſe, maxime vero de vitandis vitiis, quæ ſpecie quadam honeſti plurimis Græcis Romaniſque impoſuerunt; 10 cupiditatibus ſcilicet honorum ac gloriæ. Summa vero præceptorum ſolida brevitate admirabilis, 11 ut Deum amemus ſupra omnia, proximum vero juxta nos ipſos; 12 id eſt, ut alteri faciamus, quod nobis velimus fieri.

§. XVIII. *Solvitur objectio ſumta ex controverſiis, quæ ſunt inter Chriſtianos.*

Opponat forte aliquis, contra dogmatum Chriſti excellentiam, quam prædicamus, magnam opinionum inter Chriſtianos diſcrepantiam, unde orta ſit & ſectarum multitudo. Sed parata reſponſio, idem in omnibus ferme artibus accidere, partim imbecillitate humani ingenii, partim quod ſtudiis judicium impeditur: ſed ſolent iſtæ opinionum varietates conſiſtere intra certos terminos, de quibus convenit, & unde ad ambigua argumentum petitur; ſicut in mathematicis, an quadrari circulus poſſit diſputatur, non item an, ſi æqualibus æqualia demantur, quæ remanent ſint æqualia; idemque in phyſicis, medicina, & aliis artibus, videre eſt. Sic & diſcrepantia illa opinionum inter Chriſtianos impedire nequit, quo minus de præcipuis, id eſt, de præceptis illis, ex quibus Chriſtianam religionem maxime commendavimus, ſatis conſtet: eorumque certitudo hoc ipſo emicat, quod qui odiis inter ſe inflammati quærunt diſſidendi materiam, eo progredi non auſint, ut hæc negent a Chriſto imperata; ne illi quidem ipſi, qui vitam ſuam ad eam normam nolunt componere. Quid ſi quis etiam his velit contradicere, par habendus ſit philoſophis, qui nivem albam negarunt. Nam ut hi ſenſu refelluntur, ita illi conſenſu omnium gentium Chriſtianarum, & librorum, quos ſcripſerunt Chriſtianæ religionis primi, ac primis proximi, & deinceps ſecuti doctores, etiam illi, qui ſuam in Chriſtum fidem morte teſtati ſunt. Nam quod hi omnes ut Chriſti dogma agnoſcunt, id omnino pro tali habendum eſt ab æquo rerum judice: ſicut Platoni, Xenophonti, aliisque Socraticis credimus, de dogmatibus Socratis; Stoicorum ſcholæ de his, quæ Zeno tradidit.

§. XIX. *Probatur amplius præſtantia Chriſtianæ religionis, ex præſtantia ipſius magiſtri.*

Tertium, quo Chriſtianam religionem omnibus aliis, quæ ſunt, aut fingi poſſunt, præſtare diximus, eſt ipſe modus, quo tradita fuit ac propagata: qua in parte, prima eſt inſpectio de ipſo dogmatis auctore. Græcæ ſapientiæ auctores nihil ferme certi ſe adferre ipſi fatebantur: quippe 1 veritatem velut in puteo demerſam, & 2 mentem noſtram non minus caligare ad divina, quam oculos noctuæ ad lumen ſolis. Ipſorum præterea 3 nemo non aliquo vitio obſitus, 4 alii regum adulatores, 5 alii ſcortorum amoribus addicti, 6 alii caninæ impudentiæ. Invidiæ vero omnium inter ſe magnum argumentum, 7 rixæ de verbis, aut nullius momenti rebus: frigoris vero in Dei cultu,

1 *de modeſtia*) 1. Petr. III. 3.

2 *temperantia*) Tit. II. 12. 1. Tim. II. 9.

3 *bonitate*) 2. Cor. VI. 6. Galat. V. 22. Coloſſ. III. 12. 1. Cor. XIII. 4.

4 *de morum honeſtate*) Phil. IV. 8. 1. Tim. II. 2. III. 4. Tit. II. 7.

5 *de prudentia*) Matth. X. 16. Eph. I. 8.

6 *de officio magiſtratuum & ſubditorum.*) 1. Tim. II. 2. Rom. XIII. 1. Petr. II. 13. 17.

7 *parentum & liberorum.*) Col. III. 20. 21. Eph. VI. 1. 2. 3. 4.

8 *dominorum & ſervorum*) Epheſ. VI. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Coloſſ. III. 22. 23. 24. 25.

9 *item conjugum inter ſe.*) Epheſ. V. 22. 23. 24. 25. 28. 33. Coloſſ. III, 18. 19. 1. Tim. II. 12.

10 *cupiditatibus ſcilicet honorum & gloriæ.*) Matth. XVIII. 4. XXIII. 12. Luc. XIV. 11. XVIII. 14. Joh. V. 44. Epheſ. IV. 2. Coloſſ. II. 18. II. 23. (*fortaſſe* III. 22. 23.) 1. Joh. II. 16. Philipp. II. 3. 1. Theſſ. II. 6. 1. Petr. I, 24. V. 5.

11 *ut Deum amemus ſupra omnia, proximum vero juxta nos ipſos.*) * Matth. IX. 18. XXII. 37. 39. Luc. X. 27. Rom. XIII. 9. 10. 11. Galat. V. 14. Jac. II. 8.

12 *id eſt ut alteri faciamus, quod nobis velimus fieri.*) Matth. VII. 12. Luc. VI. 31. Laudabat hoc Imperator Alexander. Vide Dionem ** & qui latine vitam ejus Imperatoris ſcripſit.

1 *veritatem velut in puteo demerſam.*) Democriti eſt ἐν βυθῷ ἀλήθεια, memoratum & aliis & Ciceroni in Academicis. (*& lib. I. cap. 12. & lib. II. cap. 10.*)

2 *mentem noſtram non minus caligare ad divina, quam oculos noctuæ ad lumen ſolis.*) Ariſtoteles Metaphyſicorum II. cap. 1. ὥσπερ γὰρ καὶ τὰ τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει τὸ μεθ' ἡμέραν, οὕτω καὶ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νοῦς πρὸς τὰ τῇ φύσει φανερώτατα πάντων. *Sicut enim veſpertilionum oculi ad lumen diei ſe habent, ita & animi noſtri mens ad ea quæ omnium ſunt clariſſima.*

3 *nemo non aliquo vitio obſitus.*) Maximo conſenſu omnium laudatur Socrates. At ejus ſummam iracundiam, quæ in dictis & factis ſe oſtenderit, ante oculos nobis Porphyrii verbis ponit Cyrillus ſexto adverſus Julianum. (*fol.* 185.)

4 *alii regum adulatores.*) Plato, Ariſtippus.

5 *alii ſcortorum amoribus addicti.*) Marium Zeno Stoicæ ſectæ princeps: Fœminarum prope omnes, Plato, Ariſtoteles, Epicurus, Ariſtippus. Athenæus libro III. (*aut XII. fol.* 544.) & XIII. (*fol.* 563. 566. & 588.) Laërtius, *lib. VII. de vit. philoſ. ſegm.* 13. *&* 17. *lib. III. ſegm.* 29. *ſeqq. lib. V. ſegm.* 314. *lib. X. ſegm.* 3. *ſeqq. lib. II. ſegm.* 74. 75.) Lactantius, (*lib. III. inſtit. div. cap. XV.* 5. 7. *ſeqq.*) teſtes. Theognis ipſe de ſe multis in locis. (*Sentent. v.* 994. *ſeqq.* 1059. *ſeqq.*)

6 *alii caninæ impudentiæ.*) Dicti inde Cynici.

7 *rixæ de verbis aut nullius momenti rebus.*) Bene id notatum Timoni Phliaſio:

> Σχέτλιοι ἄνθρωποι, κακ' ἐλέγχεα, γαστέρες οἶον,
> Ποίων ἐκ τ' ἐρίδων καὶ λεσχηνάχων πεπλάνησθε;
> Ἄνθρωποι, κενεῆς οἰήσιος ἔμπλεοι ἀσκοί.

Mortales

* Error haud dubie heic latet, allegatus enim locus nihil omnino probat.

** *Dion Caſſius* eo loco, quo *Alexandri Severi* res geſtas exponit, i. e. *lib. LXXVI. hiſt. Rom.* hujus rei nullam facit mentionem; qui vero latine vitam iſtius Imperatoris enarravit, ſcil. *Ælius Lampridius*, illius autor exiſtit in *vita Alexandri Severi cap. LI.*

cultu, quod & qui Deum unum crediderunt, tamen illo ſepoſito, aliis, & quidem, quos Deos non crederent, cultum exhibuerunt, 8 religionis normam ſtatuentes id, quod receptum eſſet publice. De præmio quoque pietatis nihil adſeverabant certi, 9 quod vel ex ultima illa Socratis morituri diſputatione apparet. Mahumetes, late ſparſæ religionis auctor, 10 projectus ad libidinem per omnem vitam ne a ſuis quidem negatur. Tum vero nullam fidem dedit, qua conſtare poſſit, quod ipſe promiſit præmium, in epulis & Venere poſitum, id vere exſtiturum; cum ipſius in corpus vitam rediiſſe ne dicatur quidem, imo in hunc diem Medinæ ſitum ſit. At Hebrææ legis conditor Moſes, vir eximius, non tamen ab omni culpa liberatur, 11 cum & legationem ad Regem Ægyptium a Deo ſibi mandatam multo cum reniſu vix ſuſceperit, 12 & ad pollicitum Dei de aqua e rupe excitanda diffidentiæ nonnihil oſtenderit, ut Hebræi fatentur. Eorum vero, quæ per legem ſuis promiſit, præmiorum vix quicquam ipſe conſecutus eſt, deſertis in locis 13 jactatus perpetuis ſeditionibus, 14 neque ingreſſus in terram illam felicem. At Chriſtus 15 peccati omnis expers a ſuis deſcribitur, 16 nec ab aliis ullius commiſſi allatis teſtimoniis arguitur; tum vero 17 quicquid præſcripſit aliis, id præſtitit ipſe. Quæ enim ſibi a Deo mandata erant implevit fideliter, 18 in vita omni ſimpliciſſimus, 19 injuriarum ac cruciatuum patientiſſimus, quod in ipſo crucis ſupplicio oſtendit, amantiſſimus hominum etiam inimicorum, etiam a quibus ad mortem actus fuerat, 20 ita ut pro iis etiam Deum deprecaretur. Quod autem ſuis promiſit præmium, ejus ipſe compos factus excellentiſſimo modo & perhibetur, & certa fide comprobatur. In vitam enim redditum 21 viderunt multi, audierunt, palparunt etiam: 22 in cœlum evectus eſt, ſpectantibus duodecim: ibi poteſtatem, quæ ſuprema eſt, conſecutus oſtenditur eo, quod ſuos ſectatores, & 23 linguarum, quas non didicerant, loquela, 24 & aliis mirificis virtutibus donavit, 25 ita ut facturum ſe diſcedens promiſerat:

Mortales miſeri, probra peſſima, nil niſi ventres,
Quæ vos vaniloquo ſaliunt certamine lites?
O homines, tumidis inflati faſtibus utres.

Item:

Φοιτᾷ δὲ βροτολοιγὸς ἔρις κενεὰ λαλαγεῦσα,
Νείκεος ἀνδροφόνοιο κασιγνήτη τε καὶ ἔριθος,
Ἥ τ' ἀλαλὴ περὶ πάντα κυλίνδεται· αὐτὰρ ἔπειτα
Ἔς τε βροτοὺς στήριξε κάρη, καὶ ἐς ἐλπίδα βάλλει.
Aſpera lis quædam provenit inania clamans,
Incenſi in cædes odii ſoror atque miniſtra.
Quæ cæca huc illuc circumque voluta, ſupremum
Mortales capite incurrit, ſpemque injicit illis.

Item:

Τίς δ' ἄρ τοὺς δ' ὀλοῇ ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι;
Ἠχοῦς σύνδρομος ὄχλος· ὁ γὰρ σιγῶσι χολωθεὶς
Νοῦσον ἐπ' ἀνέρας ὦρσε λάλην, ὀλέκοντο δὲ πολλοί.
Ecquis eos tanto pugnæ inflammavit amore?
Ad ſtrepitum accurrens plebs atque exoſa ſilentes:
Unde loquax morbus multa cum peſte cucurrit.

Invenies hæc * apud Clementem Strom. V. (*fol.* 550. *ſeq.*) apud Euſebium in fine præparationis, (*lib. XV. cap.* 62.) & apud Theodoretum ſermone II. (*fol.* 489. *tom. IV. opp.*)

8 *religionis normam ſtatuentes id, quod receptum eſſet publice.*) Xenophon memorabilium V. (*verius lib. I. c. III.* §. 1.) oraculum recitat, quo jubentur Dii coli ex lege cujusque civitatis. Repete hic Senecæ verba, quæ ex Auguſtino (§. *I. not.* 2. *p.* 33.) ſupra citavimus: poſt quæ ſic Auguſtinus: (*l. VI. de civit. Dei cap.* 10.) *Colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat.* Nimirum, ut Plato dixit in Timæo, ** & alibi, & Porphyrius loco qui eſt apud Euſebium præparat. lib. IV. cap. 8. periculo non caret vera de rebus divinis apud vulgus diſſerere. Ejus autem periculi metum Græca & Latina & barbara philoſophia pluris fecit, quam veri ſinceram profeſſionem: quod vel unum ſufficit, ne quis tales ſibi per omnia ſequendos putet. Notat hoc in Platone Juſtinus martyr parænesi ad Græcos. (*fol.* 18. & 20. *ſeqq.*)

9 *quod vel ex ultima illa Socratis morituri diſputatione apparet.*) Vide quæ attulimus ſupra. (§. *IX. not.* 4. *pag.* 144.)

10 *projectus ad libidinem per omnem vitam ne a ſuis quidem negatur.*) Vide quæ dicentur libro VI. (§. *IV. not.* 8.)

11 *cum & legationem ad regem Ægyptium a Deo ſibi mandatam multo cum reniſu vix ſuſceperit.*) Exodi IV. 2. 10. 13. 14.

12 *& ad pollicitum Dei de aqua e rupe excitanda diffidentiæ nonnihil oſtenderit.*) Num. XX. 12.

13 *jactatus perpetuis ſeditionibus.*) Exodi XXII. (*potius XXXII*) Num. XI. XII. XIV. XVI. XX. XXV.

14 *neque ingreſſus in terram illam felicem.*) Num. XX. 12. Deut XXXIV. 4.

15 *peccati omnis expers a ſuis deſcribitur.*) Joh. VIII. 46. X. 32. 2. Cor. V. 21. 1. Petri II. 22. Hebr. IV. 15. Pietatem ejus etiam oraculo, apud gentes auctoritatem habente, laudatam oſtendemus ad lib. IV.

16 *nec ab aliis ullius commiſſi allatis teſtimoniis arguitur.*) Notatum id Origeni libro III. contra Celſum. (*pag.* 123.)

17 *quicquid præſcripſit aliis, id præſtitit ipſe.*) Bene Lactantius fine inſtitutionum: (*i. e. lib. VII. cap. XXVII.* § 7.) *Nec monſtravit tantum, ſed etiam præceſſit, ne quis difficultatis gratia iter virtutis horreret.*

18 *in vita omni ſimpliciſſimus.*) 1. Petri II. 22.

19 *injuriarum ac cruciatuum patientiſſimus.*) Matth. XXVI. 50. 52. Joh. VIII. 23. Act. VIII. 32.

20 *ita ut pro iis etiam Deum deprecaretur.*) Luc. XXIII. 34.

21 *viderunt multi, audierunt, palparunt etiam.*) Joh. XX. 27. 28. 29. Joh. I. epiſt. I. 1. Matth. XXVIII. Marci XVI. Luc. XXIV. 1. Cor. XV. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

22 *in cœlum evectus eſt ſpectantibus duodecim.*) Marci XVI. 19. Luc. XXIV. 51. 52. Actor. I. 9. 10. 11. Adde Actor. VII. 55. IX. 3. 4. 5. XXII. 6. 1. Cor. XV. 8.

23 *linguarum quas non didicerant loquela.*) Actor. II. 3. 4. X. 46. XIX. 6. 1. Cor. XII. 10. 28. 30. XIII. 1. 8. XIV. 2. 4. 5. 6. 9. 13. 14. 18. 19. 22. 23. 26. 27. 39.

24 *& aliis mirificis virtutibus donavit.*) Actor. III. (*v.* 1. *ſeqq.*) V. (12. 15.) VIII. (6. 7. 13.) IX. (33. *ſeqq.*) X. (44. *ſeqq.*) XI. (21.) XIII. (9. *ſeqq.*) XIV. (3. 8. *ſeqq.*) XVI. (16. *ſeqq.*) XIX. (11. *ſeqq.*) XX. (9. *ſeqq.*) XXI. (4. 9. *ſeqq.*) XXVIII. (3. *ſeqq.*) Rom. XV. 19. 2. Cor. XII. 12. Hebr. II. 4. Oſtendunt hujus rei veritatem *** & Juſtinus cum Tryphone diſputans, & Irenæus libro II. Tertullianus apologetico, Origenes adverſus Celſum VII. Lactantius, & alii.

25 *ita ut facturum ſe diſcedens promiſerat.*) Joh. XIV. 12. **** XVII. 28. Marci XVI, 17.

* Neque tamen ſingula iſta carmina apud hosce ſcriptores æque invenies, ſiquidem apud *Theodoretum* primum illud ſolum exiſtit, cujus initium Σχέτλιοι ἄνθρωποι; apud *Clementem* vero & *Euſebium* duo poſteriora leguntur.

** *fol.* 1047. *opp.*

*** Non eſt, quod copioſam virtutis patrandi miracula, qua pollebant Apoſtoli, demonſtrationem a laudatis ſcriptoribus deſideres. Eorum enim quibusdam, *Juſtino*, *Tertulliano*, *Origeni* nullus plane in nominatis libris; quibusdam, ut *Irenæo lib. II. adv. hæreſ. cap.* 57. & *Lactantio lib. IV. cap.* 21. *divin. inſtitut.* non adeo multus ea de re eſt ſermo.

**** Neque tot verſus habet iſtud caput, quot ad hanc allegationem requiruntur, neque alibi in eo quicquam deprehendo, quod huc trahi queat.

rat: quæ omnia faciunt, ut nec de fide, nec de potentia ejus ad retribuendum nobis id, quod pollicitus eſt, præmium, dubitare ullo modo liceat. Ac ſic collegimus, hanc religionem in hoc quoque eminere ſupra cæteras, quod ejus magiſter, quæ juſſit, ipſe præſtitit; quod promiſit, ipſe eſt conſecutus.

§. XX. *Ex admirabili propagatione iſtius religionis.*

Videamus jam etiam effectus allati ab ipſo dogmatis; qui profecto, ſi recte animadvertantur, tales ſunt, ut ſi Deo ulla eſt cura rerum humanarum, non poſſit hoc dogma non divinum credi. Conveniebat divinæ providentiæ id efficere, ut quod optimum eſſet, pateret quam latiſſime. Id autem contigit religioni Chriſtianæ, quam ipſi videmus per Europam omnem, 1 ne ſeptentrionis quidem receſſibus excluſis, doceri: 2 nec minus per Aſiam omnem, 3 etiam ejus inſulas in Oceano, 4 per Ægyptum quoque, 5 per Æthiopiam, 6 & alias aliquot Africæ partes, 7 poſtremo & per Americam. Neque id nunc tantum fieri, ſed & olim factum, oſtendunt omnium temporum hiſtoriæ, libri Chriſtianorum, acta ſynodorum, vetus traditio nunc quoque apud barbaros conſervata 8 de itineribus ac miraculis Thomæ, 9 Andreæ, aliorumque Apoſtolorum. Jam ſuis temporibus quam late Chriſti nomen celebraretur, apud Britannos, Germanos, aliasque ultimas gentes, 10 notant Clemens, 11 Tertullianus, 12 & alii. Quæ eſt religio, quæ cum tam lata poſſeſſione poſſit contendere? nam

1 *ne ſeptentrionis quidem receſſibus excluſis.*) Vide Adamum Bremenſem *, & Helmoldum **, & qui de Islandia ſcripſere.

2 *nec minus per Aſiam omnem.*) Vide acta conciliorum univerſalium.

3 *etiam ejus inſulas in Oceano.*) Vide Oſorium in Luſitanicis.

4 *per Ægyptum quoque.*) Apparet ex actis conciliorum univerſalium, ex hiſtoria eccleſiaſtica vetere, ac nominatim Euſebio VI. 34. (*forte lib. II. cap.* 16.) ex liturgia Coptitarum.

5 *per Æthiopiam.*) Vide Franciſcum Alvareſium.

6 *& alias aliquot Africæ partes.*) Vide Tertullianum, Cyprianum, Auguſtinum, & conciliorum per Africam acta, præcipue ejus concilii quod Cypriani operibus ſubtexitur. (*ſtatim ab initio.*)

7 *poſtremo & per Americam.*) Vide Acoſtam & alios de rebus Americanis.

8 *de itineribus ac miraculis Thomæ.*) Vide Abdiam lib. IX. (*paſſim*) Euſebium hiſtoriæ eccleſiaſticæ lib. I. in fine, (*cap.* 13.) & libro II. capite primo: & initio (*i. e, c. I.*) libri III. Ruffinum lib. X. (*ſeu lib. I.*) cap. 9. Adde Oſorium & Linſchotium de rebus Indiæ orientalis, & Freitam de imperio Luſitanorum Aſiatico. Sepulcrum ejus Apoſtoli in terra Coromandel etiam nunc monſtratur.

9 *Andreæ*) Euſebius dicto libro III. initio, (*i. e. cap. I.*) & Origenes ad Geneſin. ***

10 *notant Clemens.*) Chriſtum is dicit omnibus notum gentibus Strom. V. ****

11 *Tertullianus.*) Adverſus Judæos I. (*rectius c. VII.*) *In quem enim alium univerſæ gentes crediderunt, niſi in Chriſtum, qui jam venit? cui enim & aliæ gentes crediderunt, Parthi, Medi, Elamitæ, & qui inhabitant Meſopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, & incolentes Pontum & Aſiam & Pamphyliam: immorantes Ægyptum & regionem Africæ quæ eſt trans Cyrenen inhabitantes, Romani & incolæ: tunc & in Hieruſalem Judæi & cæteræ gentes: ut jam Getulorum varietates & Maurorum multi fines, Hiſpanorum omnes termini, & Galliarum diverſæ nationes, & Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto vero ſubdita: & Sarmatarum & Dacorum: & Germanorum & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & provinciarum & inſularum multarum nobis ignotarum; & quæ enumerare minus poſſumus, in quibus omnibus locis Chriſti nomen, qui jam venit, regnat.* Mox oſtendit quanto latius Chriſti regnum ſuis temporibus, id eſt, fine ſæculi ſecundi, patuerit quam olim Nabuchodonoſoris, & Alexandri aut Romanorum: *Chriſti autem regnum ubique porrigitur, ubique creditur ab omnibus gentibus ſupra enumeratis* (numeraverat autem Babylonios, Parthos, Indiam, Æthiopiam, Aſiam, Germaniam, Britanniam, Mauros, Getulos, Romanos;) *colitur, ubique regnat, ubique adoratur, omnibus ubique tribuitur æqualiter.*

12 *& alii.*) Irenæus Tertulliano vetuſtior, lib. I. cap. 3. *Nam etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, virtus traditionis una & eadem eſt. Et neque hæ quæ in Germania ſunt fundatæ eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt: neque hæ quæ in Iberis ſunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Libya, neque hæ quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ: ſed ſicut ſol creatura Dei in univerſo mundo unus & idem eſt, ſic & lumen, prædicatio veritatis ubique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire.* Origenes homilia ad Ezechielem IV. (*fol.* 631. *tom. I. opp. edit. Baſil.* 1571.) *Confitentur & miſerabiles Judæi hæc de Chriſti præſentia prædicari: ſed ſtulte ignorant perſonam, cum videant impleta quæ dicta ſunt. Quando enim terra Britanniæ, ante adventum Chriſti in unius Dei conſenſit religionem? quando terra Maurorum? quando totus ſemel orbis?* Arnobius lib. II. (*pag.* 50.) *Virtutes ſub oculis poſitæ, & inaudita illa vis rerum, vel quæ ab ipſo fiebat palam, vel ab ejus præconibus celebrabatur in orbe toto: ea ſubdidit appetitionum flammas, & ad unius credulitatis aſſenſum mente una concurrere gentes & populos fecit, & moribus diſſimillimas nationes. Enumerari enim poſſunt atque in uſum computationis venire ea quæ in India geſta ſunt apud Seras, Perſas & Medos: in Arabia, Ægypto, in Aſia, Syria, apud Galatas, Parthos, Phrygas: in Achaia, Macedonia, Epiro: in inſulis & provinciis omnibus, quas ſol oriens atque occidens luſtrat: ipſam denique apud dominam Romam.* Athanaſius in epiſtola ſynodica quæ apud Theodoretum eſt libro IV. (*hiſtor. eccleſ.*) cap. 3. Eccleſias Chriſtianas commemorat Hiſpaniæ, Britanniæ, Galliæ, Italiæ, Dalmatiæ, Myſiæ, Macedoniæ, Græciæ, Africæ, Sardiniæ, Cypri, Cretæ, Pamphiliæ, Lyciæ, Iſauriæ, Ægypti, Libyæ, Ponti, Cappadociæ. Theodoretus adverſus Græcos ſermone VIII. (*fol.* 592. *tom. IV. opp.*) de Apoſtolis ſic loquitur: Ἡνίκα μὲν γὰρ μετὰ τῶν σωμάτων ἐπολιτεύοντο, νῦν μὲν παρὰ τούτους, νῦν δὲ παρ᾽ ἐκείνους ἐφοίτων, καὶ ἄλλοτε μὲν Ῥωμαίοις, ἄλλοτε δὲ Ἰσπανοῖς, ἢ Κελτοῖς διελέγοντο· ἐπειδὴ δὲ πρὸς ἐκεῖνον ἐξεδήμησαν ὑφ᾽ οὗ μετεπέμφθησαν, ἅπαντες αὐτῶν ἐνδελεχῶς ἀπολαύουσιν, οὐ μόνον Ῥωμαῖοι, καὶ ὅσοιγε τὸν τούτων ἀγαπῶσι ζυγὸν, καὶ ὑπὸ τούτων ἰθύνονται, ἀλλὰ καὶ Πέρσαι, καὶ Σκύθαι, καὶ Μασσαγέται, καὶ Σαυρομάται, καὶ Ἰνδοὶ, καὶ Αἰθίοπες, καὶ ξυλλήβδην εἰπεῖν, ἅπαντα τῆς οἰκουμένης τὰ τέρματα. *Olim enim mortale corpus induti, nunc hos, nunc illos accedebant, modo Romanis loquentes, modo Hiſpanis, aut Gallis: at poſtquam ad eum iverunt a quo miſſi fuerant, omnes populi illorum fruuntur laboribus, non Romani tantum, & qui Romana amant imperia, & ab ipſis reguntur; ſed & Perſæ, & Scythæ, & Maſſagetæ, & Sauromatæ, & Indi, & Æthiopes, &, ut ſummatim rem eloquar, omnes qui ſunt intra oras habita-*

* *Hiſtor. eccleſ. lib. I. cap.* 7. *ſeqq. lib. II. cap.* 15. *ſeqq.* 27. *ſeqq. lib. III. cap.* 22. *ſeq. lib. IV. cap.* 42. *ſeq.* & alibi.

** *Chron. Slavor. lib. I. cap. I,* 3. *ſeqq.* 14. 20. 41. 46. 48. *lib. II. cap.* 4. 12. *ſeq.* 40.

*** De miraculis Apoſtolorum, nominatim *Andreæ*, nulla hoc loco verba facit.

**** Quæ ego hoc libro animadvertere potui, in his conſiſtunt: *Paulum Rom. XV. ſpirituale donum vocare plenitudinem Chriſti per revelationem myſterii, quod nunc ſit manifeſtatum per ſcripturas propheticas, ad obedientiam fidei in omnes gentes cogniti.* Vid. *fol.* 578. *opp.*

nam ſi Paganiſmum dixeris, nomen unum dixeris, non religionem unam. Nam nec idem adorabant: alii enim aſtra, alii elementa, alii pecudes, alii res non ſubſiſtentes, nec eadem ex lege, nec ullo communi magiſtro. Judæi ſparſi quidem, ſed gens una, nec poſt Chriſtum eorum religio ulla accepit notabilia incrementa: imo lex ipſorum magis per Chriſtianos, quam per ipſos innotuit. Mahumetiſmus ſatis multas terras inſidet, ſed non ſolus. Nam per eaſdem terras colitur & Chriſtiana religio, aliquibus in locis numero majore: cum contra Mahumetiſtæ non reperiantur in partibus pleriſque, ubi ſunt Chriſtiani.

§. XXI. *Conſiderata infirmitate ac ſimplicitate eorum, qui eam primis temporibus docuerunt.*

Sequitur & hoc videamus, quibus inſtrumentis progreſſus fecerit Chriſtiana religio, ut hac quoque parte cum aliis contendatur. Videmus ita pleroſque homines comparatos eſſe, ut regum & potentum exempla facile ſequantur: eoque magis ſi lex etiam & coactio adſit. Hinc Paganicarum religionum, hinc Mahumeticæ incrementa. At qui Chriſtianam religionem primi docuerunt, non modo ſine imperio omni fuerunt, ſed & fortunæ humilis, piſcatores, textores, & ſi quid his ſimile. Et horum tamen opera dogma illud intra annos triginta, aut circiter, 1 non tantum per omnes Romani imperii partes, ſed ad Parthos quoque, & Indos pervenit. Nec tantum ipſo initio, ſed per tria ferme ſæcula, privatorum opera, ſine minis ullis, ſine ullis invitamentis, imo renitente quam maxime eorum vi, qui imperia obtinebant, promota eſt hæc religio; 2 ita ut antequam Conſtantinus Chriſtianiſmum profiteretur, hæc pars Romani orbis prope major eſſet. Apud Græcos, qui morum præcepta tradiderunt, aliis ſimul artibus reddebant ſe commendabiles, ut geometriæ ſtudio Platonici, Peripatetici animantium ac plantarum hiſtoria, Stoici dialectica ſubtilitate, numerorum & concentuum cognitione Pythagorici; multis adfuit & admirabilis quædam facundia, ut Platoni, Xenophonti, Theophraſto. At primis Chriſtianiſmi doctoribus ars talis nulla, 3 ſermo ſimpliciſſimus & ſine illecebris, ſola præcepta, promiſſa, minas nuda oratione proferens: quæ cum per ſe non habeant efficaciam parem tantis progreſſibus, omnino neceſſe eſt ſtatuamus, aut miracula adfuiſſe, aut arcanam Dei actionem adſpirantem negotio, aut utrumque.

§. XXII. *Et maximis impedimentis, quæ homines retraherent ab ea amplectenda, aut a profitenda deterrerent.*

Cui conſiderationi & hæc addenda eſt, quod qui Chriſtianiſmum illis docentibus receperunt, animum non habebant a certa norma religionis vacuum, ac proinde ductilem, ut qui Paganica ſacra, & Mahumetis legem primi ſuſceperunt; multoque minus antecedente quadam inſtitutione præparatum, ſicut Hebræi circumciſione & unius Dei cognitione ad legem Moſis acceptandam idonei erant redditi; ſed contra impletum opinionibus & conſuetudine, quæ velut altera natura eſt, repugnante cum iſtis novis inſtitutis; educati ſcilicet legumque & parentum auctoritate confirmati in ſacris Paganicis, aut Judaicis ritibus. Huic obſtaculo accedebat non minus alterum; graviſſima ſcilicet mala, quæ Chriſtianiſmum ſuſcipientibus eam ob cauſam ferenda aut metuenda conſtabat. Cum enim a malis talibus abhorreat humana natura; ſequitur, ut, quæ eorum malorum cauſæ ſunt, non

habitabiles. Idem libro IX. (*fol. 614 ſeq. tom. IV. opp.*) converſis gentibus adnumerat Perſas, Maſſagetas, Tibarenos, Hyrcanos, Caſpios, Scythas. Hieronymus epitaphio Nepotiani * Chriſtianis annumerat Indos, Perſas, Gothos, Ægyptios, Beſſos, & pellitos populos: in epiſtola ad Lætam ** Indos, Perſas, Æthiopas, Armenios, Hunnos, Scythas, Getas: in Orthodoxi & Luciferani dialogo *** Britannos, Gallos, Orientem, Indorum populos, Iberos, Celtiberos, Æthiopas. Chryſoſtomus homilia VI. ad priorem ad Corinthios: (*fol. 57. tom. V. comment. in N. Teſt.*) Πῶς δ' ἂν τὰ γραφέντα καὶ εἰς τὴν βαρβάρων καὶ εἰς τὴν Ἰνδῶν καὶ πρὸς αὐτὰ τὰ Ὠκεανοῦ τὰ πέρατα ἀφίκετο, ἂν ὄντων τῶν λεγόντων ἀξιοπίστων; *Quomodo vero quæ ab iis ſcripta ſunt, ad terras barbarorum, etiam Indorum, ipſos denique fines Oceani perveniſſent, niſi auctores illi fide digni fuiſſent?* Idem poſteriore homilia in Pentecoſten (*fol. 505. tom. V. opp.*) Ἔρχεται τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν εἴδει γλωσσῶν, ἑκάστῳ μερίζον τὰς κατὰ οἰκουμένην διδασκαλίας τὰ κλίματα, καὶ διὰ τῆς δοθείσης γλώττης, καθάπερ δέλτῳ τινὶ, γνωρίζον ἑκάστῳ τῆς ἐμπιστευθείσης ἀρχῆς τε καὶ διδασκαλίας τὸν ὅρον. *Venit Spiritus Sanctus in linguarum ſpecie, dividens unicuique orbis regiones, quas inſtituerent, & per conceſſum linguæ donum velut codicillis quibuſdam definiens terminos mandati ipſis magiſtralis imperii.* Idem oratione egregia, Chriſtum eſſe Deum: (*cap. I. fol. 736. tom. V. opp.*) Ἐδείξαμεν ὅτι οὐκ ἔστιν ἀνθρώπου ψιλοῦ τοσαύτην ἐν βραχεῖ καιρῷ περιελθεῖν οἰκουμένην καὶ γῆν καὶ θάλατταν, καὶ ἐπὶ τοιούτοις καλέσαι πράγμασιν ἔτι, καὶ ταῦτα ὑπὸ ἀτόπου συνηθείας προκατειλημμένους ἀνθρώπους, μᾶλλον δὲ ὑπὸ τοσαύτης κακίας κατεχομένους. Καὶ ὅμως ἴσχυσε τούτων πάντων τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος ἐλευθερῶσαι, οὐχὶ Ῥωμαίους μόνον ἀλλὰ καὶ Πέρσας, καὶ ἁπλῶς τὰ τῶν βαρβάρων γένη. *Non eſt meri hominis, tantum orbis brevi ſpatio peragrare, terra marique, ad res tales tali modo vocare homines, mala conſuetudine occupatos, imo a tanta malitia poſſeſſos; Et tamen ab his malis liberare humanum valuit genus, non Romanos tantum, ſed & Perſas, & omnes barbarorum gentes.* Vide & quæ ſequuntur lectu digniſſima.

1 *non tantum per omnes imperii Romani partes.*) Rom. XV. 19.

2 *ita ut antequam Conſtantinus Chriſtianiſmum profiteretur, hæc pars Romani orbis prope major eſſet.*) Jam ſuo ævo Tertullianus dixerat II. apologetico: (*accurate c. XXXVII. apologetici.*) *Heſterni ſumus, & veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum. Sola vobis relinquimus templa.*

3 *ſermo ſimpliciſſimus.*) Prudenter id notatum Chryſoſtomo 1. ad Corinth. I. 17. (*homil. III. fol. 26. tom. V. comment. in N. Teſt.*) & Theodoreto, poſt recitata jam verba. ****

* *id eſt epiſt. III. ad Heliodorum fol. 7. col. B. tom. I. opp.*

** *id eſt epiſt. VII. fol. 15. tom. cit.*

*** *fol. 107. tom. II. opp.*

**** Scilicet §. *XX. not.* 12. *p.* 186. ubi ex *Theodoreti ſerm. VIII. Therapeut.* quædam commemoravit *Grotius.* Poſt illa de ſermone Apoſtolorum ſimpliciſſimo Theodoretus diſſerit.

non niſi difficillime recipiantur. Honoribus arcebantur diu Chriſtiani, acceſſerunt mulctæ, & bonorum publicationes, & exſilia: ſed levia hæc; damnabantur ad metalla: iis afficiebantur tormentis, quibus crudeliora nulla reperiri poterant: ſupplicia vero ad mortem tam frequentia, ut teſtentur illorum temporum ſcriptores, nulla fame, nulla peſtilentia, nullo bello plus hominum uno tempore abſumptum. Nec vulgaria erant mortium genera, ſed 1 vivicomburia, cruces atque id genus pœnæ, quæ ſine maximo horrore legi aut cogitari non poſſunt: atque hæc ſævitia, quæ non longis interpoſitis ſpiramentis, & his ipſis non ubique, ad Conſtantini ferme tempora in orbe Romano, alibi longius duravit, adeo eos non imminuit, ut contra ſanguis eorum ſemen eſſe diceretur: ita reciſis plures ſuccreſcebant. Comparemus hic quoque cum Chriſtianiſmo religiones alias. Græci, Paganique cæteri, ſoliti ſua in majus attollere, paucos numerant, qui dogmatis cauſa mortem toleraverint, Gymnoſophiſtas aliquos, Socratem, haud multò plures: ſed his viris notiſſimis quin aliqua ineſſe potuerit famæ ad poſteritatem transmittendæ cupiditas, vix eſt ut negetur. At inter Chriſtianos, mortem ob ſuum dogma perpeſſos, fuere homines de plebe plurimi, vix vicinis ſuis cogniti; mulieres, virgines, adoleſcentes, qnibus nec appetitus inerat, nec ſpes probabilis duraturi nominis; ſicut & pauci ſunt, quorum nomina in martyrologiis extant, 2 præ numero eorum, qui eam ob cauſam ſupplicium tolerarunt, & tantum in cumulum recenſentur. Accedit, quod levi aliqua ſimulatione, puta thuris jactu in aram, plerique ſe liberare a tali pœna potuerunt; quod de illis dici non poteſt qui qualemcunque ſenſum in corde premerent, certe in factis conſpicuis ad vulgi mores ſe aptaverant: ita ut * prope (proprie) ob Dei honorem mortem ſubiiſſe non aliis tribui poſſit, quam Judæis, & Chriſtianis: ac ne Judæis quidem poſt Chriſti tempora: ante ea vero paucis, ſi cum Chriſtianis comparentur, quorum plures in una aliqua provincia pro Chriſti lege ſupplicium tolerarunt, quam unquam Judæi, quorum omnis patientia ejus generis ferme ad Manaſſis & Antiochi tempora redigitur. Quare cum Chriſtiana religio, hac quoque in parte, tam immenſum cæteras excellat, merito aliis anteponenda eſt. Ex illa tanta multitudine omnis generis ſexusque hominum tot locis ac ſæculis diſtinctorum, qui pro hac religione mori non dubitarunt, colligendum, magnam aliquam tantæ conſtantiæ fuiſſe cauſam, quæ alia cogitari non poteſt, quam lux veritatis, & Dei Spiritus.

§. XXIII. *Reſpondetur his, qui plura & validiora argumenta requirunt.*

Si quis allatis hactenus argumentis, pro Chriſtiana religione, ſatis ſibi factum non putet, ſed magis urgentia deſideret; ſcire debet, 1 pro rerum diverſitate, diverſa quoque eſſe probandi genera, alia in mathematicis, alia de affectionibus corporum, alia circa deliberationes, alia ubi facti eſt quæſtio: in quo genere ſane ſtandum eſt nulla ſuſpicione laborantibus teſtimoniis: quod ni admittitur, non modo omnis hiſtoriæ uſus periit, medicinæ quoque pars magna; ſed & omnis, quæ inter parentes liberosque eſt, pietas, 2 ut quos haud aliter noſcamus. Voluit autem Deus id, quod credi a nobis vellet, ſic ut illud ipſum credere tamquam obedientiam a nobis acceptaret, non ita evidenter patere, ut quæ ſenſu aut demonſtratione percipiuntur; ſed quantum ſatis eſſet ad fidem faciendam, remque perſuadendam homini non pertinaci: ut ita ſermo evangelii tanquam lapis eſſet Lydius, ad quem ingenia ſanabilia explorarentur. Nam cum ea, quæ diximus, argumenta tam multos probos, eosdemque ſapientes in aſſenſum traxerint; hoc ipſo liquet, apud cæteros incredulitatis cauſam non in probationis penuria eſſe poſitam, ſed in eo, 3 quod nolint verum videri id, quod affectibus ſuis adverſatur; quod ſcilicet durum illis ſit, honores & alia commoda parvi ducere, quod faciendum ſit, ſi ea recipiant, quæ de Chriſto narrantur, ac propterea etiam Chriſti præceptis obtemperandum putent. Idque eo ipſo detegitur, quod multas alias narrationes hiſtoricorum pro

1 *vivicomburia, cruces, atque id genus pœnæ.*) Domitius Ulpianus nobilis Juriſconſultus libros ſeptem ſcripſit, quibus pœnis affici deberent Chriſtiani. Lactantius meminit libro V. capite II. (*in fine.*)

2 *præ numero eorum, qui eam ob cauſam ſupplicium tolerarunt, & tantum in cumulum recenſentur.*). Ut Maſſa candida trecentorum Carthagine, quorum memoria in martyrologio Romano XXIV. Auguſti: Plurimi in Africa ſub Severo: ſub Valeriano, Antiochiæ & in Arabia, Cappadocia, & Meſopotamia: in Phrygia, in Ponto ſub Maximino: Nicomediæ, in Numidia, Romæ, in Thebaide, Tyro, Treveris ſub Diocletiano: in Perſide ſub Cabada, Sapore: quorum ſine nominibus mentio in martyrologio. **

1 *pro rerum diverſitate diverſa quoque eſſe probandi genera.*) Ariſtoteles Ethicorum ad Nicomachum lib. I. (*cap. I.*) *Λέγοιτο δ' ἂν ἱκανῶς εἰ κατὰ τὴν ὑποκειμένην ὕλην διασαφηθείη· τὸ γὰρ ἀκριβὲς οὐχ ὁμοίως ἐν ἅπασι τοῖς λόγοις ἐπιζητητέον. Satis de re dictum erit ubi ea explicabitur, quantum fert materia: exacta enim tractatio non pari modo in omni genere quærenda eſt.* Metaphyſicorum I. parte poſteriore capite ultimo: *Τὴν δ' ἀκριβολογίαν τὴν μαθηματικὴν οὐκ ἐν ἅπασιν ἀπαιτητέον. Certitudo mathematica non in omnibus rebus quærenda eſt.* Chalcidius ad Timæum (*pag. 220.*) ex Platonis ſententia: *Credulitatem omnes doctrinas præcedere, maxime cum non quorumlibet, ſed magnorum & prope divinorum virorum ſit aſſertio.*

2 *ut quos aliter haud noſcamus.*) Homerus: ***

Οὐ γάρ πώ τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω.
Generis nemo ſibi conſcius ipſe eſt:

Exactiſſimo ſcilicet ſciendi genere.

3 *quod nolint verum videri id quod affectibus ſuis adverſatur.*) Tractat hoc pulchre Chryſoſtomus 1. Cor. cap. III. in principio. (*homil. VIII. fol. 82. tom. V. comment. in N. Teſt.*) Idem ad Demetrium: (*ſeu lib. I. de compunct. cordis fol. 101. tom. IV. opp.*) *Τὸ ἀπιστεῖν ταῖς ἐντολαῖς ἐκ τοῦ πρὸς τὴν ἐκπλήρωσιν ἐκλελύσθαι τῶν ἐντολῶν γίνεται: Quod præceptis non creditur, ex inertia ad implenda quæ præcepta ſunt venit.*

* Vox *prope* in exemplari, quod ſequimur, pariter ac in editionibus aliis extat, cum tamen jam in ſecunda libri noſtri editione manu ſua in *proprie Grotius* eam mutaverit, quæ ſcriptura planiorem omnino ac veriorem ſenſum fundit.

** *Die VI. Januarii, d. IX. Aug. XXIV. Decembr. XI. Mart. XXII. Jun. VII. April. IV. Mart. XXIII. Jun. XI. Febr. I. & IV. Mart. XVII. Jun. XXVIII. Jul. V. Jan. VI. Octobr. VIII. Febr. IX. Maji, IV. Aug.*

*** Dubito: an *Homerus* hujus verſus ſit habendus autor. Certe in operibus ejus, quæ *Iliados* & *Odyſſeæ* nomine veniunt, iſtum deprehendere, mihi datum non fuit.

pro veris habeant; quas tamen veras eſſe ſola auctoritate conſtet, non etiam manentibus in hunc diem veſtigiis; qualia habet Chriſti hiſtoria, partim confeſſione Judæorum, qui nunc ſuperſunt, partim iis, qui ubique reperiuntur Chriſtianorum cœtibus; quorum omnino cauſam aliquam exſtitiſſe oportuit. Cumque illa religionis Chriſtianæ tam diuturna continuatio, & tam late diffuſa propagatio ad nullam humanam efficaciam referri poſſit: ſequitur, ut tribuenda ſit miraculis, aut ſi quis miraculis neget id factum, 4 hoc ipſum, quod ſine miraculo tale quid tantas acceperit vires, majus habendum eſt omni miraculo.

LIBER TERTIUS.

§. I. *Pro auctoritate librorum novi fœderis.*

QUi jam his, quæ allata ſunt, argumentis, aut ſi qua præter hæc ſunt alia, perſuaſus, eam quam Chriſtiani profitentur, religionem veram optimamque crediderit; ut partes ejus omnes diſcat, mittendus eſt ad libros antiquiſſimos eam religionem continentes, quos novi teſtamenti, aut fœderis potius libros dicimus. Inique enim faciat, ſi quis neget illis libris eam religionem contineri, ſicut Chriſtiani omnes affirmant, cum omni ſectæ, ſive bonæ, ſive malæ, æquum ſit credi in eo, quod aſſerunt, hoc aut illo libro ſua dogmata contineri; ſicut Mahumetiſtis credimus Mahumetis religionem contineri Alcorano. Quare cum ſupra jam probata ſit veritas religionis Chriſtianæ; ſimulque conſtet eam ipſam his libris contineri, ſatis vel hoc ſolo adſtruitur illis libris ſua auctoritas. Si quis tamen eam magis ſpeciatim ſibi monſtrari poſtulet, primum illam ponemus uſitatam apud æquos omnes judices regulam, ut qui impugnare velit ſcriptum aliquod multa per ſæcula receptum, 1 ei incumbat onus adferendi argumenta fidem ſcripto derogantia: quod ſi id facere nequeat, defendendum librum velut in poſſeſſione ſuæ auctoritatis.

§. II. *Libros qui nomina præſcripta habent eorum eſſe, quorum nomen præferunt.*

Dicimus ergo, ſcripta, de quibus dubitatum inter Chriſtianos non eſt, quæque certum nomen præferunt, ejus eſſe ſcriptoris cujus titulo inſigniuntur: quia ſcilicet primi illi, puta Juſtinus, Irenæus, Clemens, ac deinceps alii ſub his ipſis nominibus eos libros laudant: cui accedit, quod 1 Tertullianus aliquot librorum ipſa archetypa ſuo adhuc tempore ait exſtitiſſe: quodque omnes eccleſiæ illos libros tanquam tales, antequam conventus ulli communes habiti eſſent, receperunt: neque aut Pagani, aut Judæi umquam controverſiam moverunt, quaſi non eorum eſſent opera, quorum dicebantur: 2 Julianus vero aperte etiam fatetur, Petri, Pauli, Matthæi, Marci, Lucæ, eſſe ea, quæ Chriſtiani legunt iisdem nominibus inſcripta. Homeri aut Virgilii eſſe, quæ eorum dicuntur, nemo ſanus dubitat, ob perpetuum de hoc Latinorum, de illo Græcorum teſtimonium: quanto magis de horum librorum auctoribus ſtandum eſt teſtimonio prope omnium, quotquot per orbem ſunt, gentium?

§. III. *De libris olim dubitatis ſublatam dubitationem.*

Sunt ſane in eo, quo nunc utimur, volumine libri aliquot non ab initio pariter recepti; ut Petri altera, ea quæ Jacobi eſt, & Judæ, duæ ſub nomine Joannis presbyteri, Apocalypſis, & ad Hebræos epiſtola: ſed ita tamen, ut a multis eccleſiis ſint agniti, quod oſtendunt Chriſtiani antiqui, cum illorum teſtimoniis tanquam ſacris utuntur: unde credibile eſt, eccleſias, quæ ab initio eos libros non habuerunt, eo tempore eos ignoraſſe, aut de iis dubitaſſe: poſtea autem de rei veritate edoctas, ad cæterarum exemplum iis libris uti cœpiſſe, ut nunc ferme omnibus in locis fieri videmus. Neque vero cauſa idonea fingi poteſt, cur illos libros quiſquam ſuppoſuerit; cum nihil inde colligi poſſit, quod non aliis indubitatis libris abunde contineatur.

§. IV. *Libris ſine nomine conſtare auctoritatem ex qualitate ſcriptorum.*

Non eſt etiam, quod fidem quis detrahat epiſtolæ ad Hebræos eo ſolo nomine, quod neſciatur ejus ſcriptor; ac ſimiliter duabus epiſtolis Johannis, & Apocalypſi, quod dubitent nonnulli, an earum ſcriptor Johannes ſit Apoſtolus, an alius quis ejus nominis. In ſcriptoribus enim qualitas magis, quam nomen attenditur. Itaque multos libros hiſtoricos recipimus, quorum ſcriptores neſcimus; ut de bello Alexandrino Cæſaris; nempe quia videmus eum, quiſquis fuit, & illis vixiſſe temporibus, & rebus interfuiſſe. Sic etiam cum, qui libros ſcripſerunt, de quibus nunc agimus, & prima ætate ſe vixiſſe teſtentur, & donis Apoſtolicis fuiſſe præditos, ſufficere id nobis debet. Nam ſi quis dicat potuiſſe fingi has qualitates, item in aliis ſcriptis etiam nomina; rem dicat minime credibilem; eos ſcilicet, qui ubique veritatis ac pietatis ſtudium inculcant, nulla de cauſa voluiſſe ſe crimine

4 *hoc ipſum, quod ſine miraculo tale quid tantas acceperit vires, majus habendum eſt omni miraculo.*) Tractat hoc argumentum Chryſoſtomus 1. ad Cor. cap. I. in fine, (*homil. V. fol. 46. ſeq. tom. V. comment. in N. Teſt.*) & Auguſtinus de civitate Dei libro XXII. cap. 5.

1 *ei incumbat onus adferendi argumenta fidem ſcripto derogantia.*) Baldus (*comment. in ſecund. partem digeſt.*) in rubrica de fide inſtrumentorum. Vide & Gailium lib. II. obſ. CXLIX. num. 6. & 7. & quos ibi profert.

1 *Tertullianus.*) De præſcriptione adverſus hæreticos. (*cap. XXXVI.*) *Age jam qui voles curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſident, apud quas ipſæ authenticæ literæ eorum recitantur.* Quidni ipſa manus Apoſtolorum tum exſtiterit, cum Quintilianus (*inſtitut. orator. lib. I. cap. VII. p. 53. edit. Ulr. Obrechti.*) dicat ſuo tempore exſtitiſſe manum Ciceronis, Gellius (*noct. Attic. lib. II. cap. 3.*) Virgilii ſuo tempore?

2 *Julianus vero aperte etiam fatetur Petri, Pauli, Matthæi, Marci, Lucæ eſſe ea, quæ Chriſtiani legunt iisdem nominibus inſcripta.*) Exſtat locus libro Cyrilli decimo. (*ab init. fol. 327.*)

crimine falſi obſtringere; quod non tantum apud bonos omnes deteſtabile eſt, ſed 1 Romanis etiam legibus capite puniebatur.

§. V. *Hos ſcriptores vera ſcripſiſſe, quia notitiam habebant eorum, quæ ſcribebant.*

Conſtare ergo debet, libros novi fœderis ſcriptos ab illis, quorum nomina præferunt, aut a talibus, quales ipſi ſe teſtantur: quibus ſi accedat, ut itidem conſtet illis & nota fuiſſe quæ ſcriberent, neque ſtudium fuiſſe mentiendi, ſequetur, ut quæ ſcripſerunt, vera ſint; cum omne falſum aut ab ignorantia, aut a mala voluntate debeat proficiſci. Matthæus, Johannes, Petrus, Judas, ex ſodalitio illorum duodecim fuere, quos Jeſus vitæ ſuæ ac dogmatum teſtes elegerat, 1 ita ut notitia illis eorum, quæ narrant, deeſſe non potuerit. Idem de Jacobo dici poteſt, qui aut Apoſtolus fuit, aut, ut alii volunt, 2 proximus conſanguineus Jeſu, & ab Apoſtolis conſtitutus Hieroſolymorum Epiſcopus. Paulus quoque ignorantia falli non potuit circa dogmata, quæ ſibi ab ipſo Jeſu in cœlo regnante revelata profitetur; neque magis circa res a ſe geſtas falli ipſe potuit, aut etiam Lucas, 3 individuus ei itinerum comes. Idem Lucas, quæ de vita ac morte Jeſu ſcripſit, facile ſcire potuit, natus in locis proximis, per ipſam Palæſtinam peregrinatus, 4 ubi & locutum ſe ait cum iis, qui oculati rerum teſtes fuerant. Haud dubie præter Apoſtolos, quibuſcum amicitiam habuit, alii quoque multi tum vivebant ab Jeſu ſanati, & qui morientem ac redivivum viderant. Si Tacito & Suetonio credimus de iis, quæ multo ante eos natos contigerunt, quod eorum diligenti inquiſitioni confidamus: quanto huic ſcriptori æquius eſt credi, qui ſe omnia ab ipſis, qui inſpexerant, hauſiſſe dicat? 5 Marcum conſtans fama eſt Petro ſemper hæſiſſe comitem, ita ut, quæ ſcripſit ille, habenda ſint quaſi Petrus, qui res illas ignorare non potuit, ipſe dictaſſet: præter quod, quæ iſte ſcribit, etiam in Apoſtolorum ſcriptis reperiuntur pene omnia. Neque falli potuit Apocalypſeos ſcriptor in iis viſis, 6 quæ ſibi divinitus immiſſa dicit; 7 aut ille ad Hebræos, in iis, quæ profitetur ſe, aut a Dei Spiritu, aut ab Apoſtolis ipſis didiciſſe.

§. VI. *Et quia mentiri nolebant.*

Alterum, quod diximus, non fuiſſe ipſis mentiendi voluntatem, connexum eſt cum eo, quod ſupra tractavimus, cum generatim Chriſtianæ religionis, & hiſtoriæ reſurrectionis Chriſti fidem adſtrueremus. Qui teſtes ex parte voluntatis refellunt, neceſſe eſt aliquid adferant, quo voluntatem credibile ſit a vero dicendo diverti. Id autem hic dici non poteſt. Nam ſi quis objiciat ipſorum cauſam agi, videndum erit, cur ipſorum ſit hæc cauſa: non ſane commodi conſequendi, aut vitandi periculi alicujus gratia; cum hujus profeſſionis cauſa, & commoda omnia amitterent, & nulla non adirent pericula. Cauſa ergo hæc ipſorum non fuit, niſi ob Dei reverentiam, quæ certe neminem inducit ad mentiendum, in eo maxime negotio, unde humani generis æterna ſalus pendeat. Tam impium facinus de illis credi vetant, & 1 dogmata pietatis ubique pleniſſima, & vita ipſorum nunquam ullius mali facinoris accuſata, ne ab inimiciſſimis quidem, qui ſolam illis imperitiam objiciunt, quæ non eſt nata falſimoniam parere. Quod ſi vel minimum quid in ipſis fuiſſet malæ fidei, non ipſi ſuas culpas æternæ memoriæ prodidiſſent, 2 ut de omnium fuga in Chriſti periculo, 3 de Petro ter negatore.

§. VII. *Adſtruitur ſcriptoribus fides inde, quod miraculis illuſtres fuerint.*

Contra vero bonæ ipſorum fidei Deus ipſe teſtimonia illuſtria reddidit, editis prodigiis, 1 quæ cum magna fiducia ipſi, ipſorumve diſcipuli, publice adſeverarunt, additis perſonarum locorumque nominibus & circumſtantiis cæteris; ita ut faciliime poſſet a magiſtratibus, inquiſitione facta, veritas aut falſitas adſeverationis detegi: inter quæ dignum obſervatione eſt, quod & 2 de linguarum, quas non didicerant, uſu apud multa hominum millia, & de ſanatis ſubito corporum vitiis in populi

1 *Romanis etiam legibus capite puniebatur.*) L. Falſi nominis. D. de lege Cornelia (*i. e. lib. XLVIII. digeſt. tit. X. leg.* 13.) Paulus libro V. Sent. (*tit.*) XX. §. 10. & 11. Pœnæ exempla vide apud Valerium Maximum librorum ejus fine, (*i. e. lib. IX. cap.* 15.) & apud Capitolinum in Pertinace. (*cap. X.*)

1 *ita ut notitia illis eorum quæ narrant deeſſe non potuerit.*) Joh. XV, 27. Idem 1. epiſt. I. 1. Actor. I. 21. 22.

2 *proximus conſanguineus Jeſu.*) Ita & alii ſentiunt non pauci, & ubique Chryſoſtomus. Vide & Joſephum. (*lib. XX. antiquit. Jud. cap.* 8.)

3 *individuus ei itinerum comes.*) Vide Actor. XX. & ſequentia. Coloſſ. IV. 14. 2. Tim. IV. 11. Philem. 24.

4 *ubi & locutum ſe ait cum iis, qui oculati rerum teſtes fuerant.*) In proœmio evangelicæ hiſtoriæ.

5 *Marcum conſtans fama eſt Petro ſemper hæſiſſe comitem.*) Irenæus lib. III. c. I. Clemens Hypotypoſeon libris citatus in eccleſiaſtica Euſebii hiſtoria. (*lib. II. cap.* 15.)

6 *quæ ſibi divinitus immiſſa dicit.*) Apoc. I. 1. 2. IV. 1. & ſequentibus. XXII. 18. 19. 20. 21.

7 *aut ille ad Hebræos, in iis, quæ profitetur ſe, aut a Dei Spiritu, aut ab Apoſtolis ipſis didiciſſe.*) Hebr. II. 4. * V. 14. XIII. 7. 8. 23.

1 *dogmata pietatis ubique pleniſſima.* Et mendacio infeſta: Johan. XIV. 17. XV. 26. XVI. 13. XVII. 17. 19. XVIII. 37. Actor. XXVI. 25. Rom. I. 25. 2. Theſſ. II. 20. (10.) 1. Joh. (I.) 6. 8. II. 4. 21. 2. Cor. VI. 8. Eph. IV. 15. 25. Coloſſ. III. 9. Apoc. XXII. 15. 2. Cor. II. 31. (17.) Gal. I. 20. Vide quam ſollicite Paulus diſtinguat quæ a ſe ſunt, & quæ a Domino, 1. Cor. VII. 10. 12. quam formidet dicere, quæ vidit, in corpore, an extra corpus viderit, 2. Cor. XII. 2.

2 *ut de omnium fuga in Chriſti periculo.*) Matth. XXVI. 31. 56.

3 *de Petro ter negatore.*) Matth. XXVI. 69. & ſequentibus. Marc. XIV. 66. & ſequentibus. Luc. XXII. 54. & ſequentibus.

1 *quæ cum magna fiducia ipſi ipſorumve diſcipuli publice aſſeverarunt.*) Vide tota acta Apoſtolica: 2. Cor. XII. 12.

2 *de linguarum, quas non didicerant uſu.*) Loca ſupra producta ſunt. (*ſ. XIX. not. 23. p.* 59.)

* Extrema hæc ſcripturæ oracula præter *v. 7. cap. XIII.* quo probandi nervo *Grotius* adduxerit, me latere fateor, ſine dubio error typographicus ſubeſt.

Digitized by

populi conſpectu conſtantiſſime prodiderunt. Neque eos deterruit, quod ſcirent, iis temporibus Judæos magiſtratus ſibi eſſe infeſtiſſimos, & Romanos iniquos admodum: qui nullam omiſſuri eſſent ipſos, tanquam novæ religionis auctores, aliquo crimine traducendi materiam. Neque vero aut Judæi, aut Pagani unquam negare proximis illis temporibus auſi ſunt, prodigia ab his viris edita; 3 imo Petri miracula Phlegon Adriani Imperatoris libertus in annalibus ſuis commemoravit: & ipſi Chriſtiani in his libris, quibus fidei ſuæ rationem imperatoribus, ſenatui, præſidibus reddunt, 4 facta hæc tanquam notiſſima, & de quibus dubitari non poſſet, affirmant: imo & apud ſepulcra eorum vim mirificam duraſſe per aliquot ſæcula, aperte prædicant, cum non neſcirent, ſi id falſum eſſet, facillime a magiſtratibus cum ipſorum pudore ac ſupplicio revinci poſſe. Fuit vero prodigiorum apud ſepulcra, quæ dixi, editorum tanta frequentia, tot eorum teſtes, 5 ut etiam Porphyrio ejus rei confeſſionem expreſſerint. Sufficere quidem hæc debent, quæ diximus, ſed & alia ſuppetunt in cumulum argumenta, quæ fidem librorum illorum nobis commendant.

§. VIII. *Et ſcriptis inde, quod ibi multa ſint quæ eventus comprobavit divinitus revelata.*

Multa enim in illis prædicta apparent de rebus, quas homines ſuapte vi noſſe non quirent, quæ ipſo eventu mire ſunt confirmata: 1 ut de ſubita atque ingenti hujus religionis propagatione, 2 de duratione ejus perpetua, 3 de ea rejicienda a Judæis pleriſque, 4 amplectenda vero ab extraneis, 5 de odio Judæorum in profitentes hanc religionem, 6 de ſuppliciis graviſſimis ob eam ſubeundis, 7 de obſidione & exſcidio Hieroſolymorum ac templi, 8 ſummiſque Judæorum calamitatibus.

§. IX. *Tum etiam ex cura, quam decebat a Deo ſuſcipi, ne falſa ſcripta ſubjicerentur.*

Ad hæc addo, quod ſi recipimus, curare Deum res humanas, & maxime eas, quæ ad honorem ſuum cultumque pertineant: non poteſt fieri, ut is tantam multitudinem hominum, quibus nihil aliud propoſitum erat, quam Deum pie colere, paſſus ſit falli mendacibus libris. Jam vero quod, poſt ſubortas, tot in Chriſtianiſmo ſectas, vix ulla reperta fuit, quæ non hos libros, aut omnes, aut pleroſque, exceptis paucis, qui nihil ſingulare continent, amplecteretur; magnum eſt argumentum, quo credatur, nihil illis libris potuiſſe opponi; cum illæ ſectæ tantis inter ſe odiis exarſerint, ut quicquid his placuiſſet, aliis ob id ipſum diſpliceret.

§. X. *Solutio objectionis, quod multi libri a quibusdam rejecti fuerint.*

Fuerunt ſane inter eos, qui Chriſtiani dici volebant, pauci admodum, qui eorum librorum omnes rejicerent, quos ſuo peculiari dogmati videbant adverſari: puta qui aut Judæorum odio, 1 Deum Judæorum mundi opificem & legem maledictis inſectabantur; aut contra formidine malorum, quæ Chriſtianis erant ſubeunda, 2 latere volebant ſub nomine Judæorum, 3 quibus impune licebat ſuam religio-

3 *imo Petri miracula Phlegon Adriani Imperatoris libertus in annalibus ſuis commemoravit.*) Libro XIII. Teſtis Origenes contra Celſum II. * Eſt autem hic ipſe Phlegon, cujus reliquias de mirabilibus rebus & de hominibus longævis habemus.

4 *facta hæc tanquam notiſſima, & de quibus dubitari non poſſet, affirmant.*) Loca ſunt plurima, maxime apud Origenem. (*lib. II. adv. Celſum pag. 80. ſeq. lib. III. pag. 124 lib. VII. pag. 334.*) Vide totum caput VIII. Auguſtini libro XXII. de civitate Dei.

5 *ut etiam Porphyrio ejus rei confeſſionem expreſſerint.*) ** Vide Cyrillum lib. X. contra Julianum, & Hieronymum adverſus librum Vigilantii.

1 *ut de ſubita atque ingenti hujus religionis propagatione.*) Matth. XIII. 33. (31.) & ſequentibus. Luc. X. 18. Joh. XII. 32.

2 *de duratione ejus perpetua.*) Luc. I. 33. Matth. XXVIII. 20. Joh. XIV. 16.

3 *de ea rejicienda a Judæis pleriſque.*) Marc. (*Matth.*) XXI. 33. & ſequentibus XXII. in principio. Luc. XV. 11. & ſequentibus.

4 *amplectenda vero ab extraneis.*) Iiſdem in locis, ac præterea Matth. VIII. 11. XII. 21. XXI. 43.

5 *de odio Judæorum in profitentes hanc religionem.*) Matth. X. 17.

6 *de ſuppliciis graviſſimis ob eam ſubeundis.*) Matth. X. 21. 39. XXIII. 34.

7 *de obſidione & excidio Hieroſolymorum ac templi.*) Matth. XXIII. 38. XXIV. 16. Luc. XIII. 34. XXI. 24.

8 *ſummiſque Judæorum calamitatibus.*) Matth. XXI. 33. & ſequentibus. XXIII. 34. XXIV. 20.

1 *Deum Judæorum mundi opificem & legem maledictis inſectabantur.*) Vide Irenæum lib. I. cap. 29. Tertullianum contra Marcionem: (*ſpeciatim lib. I. cap. 19. ſeqq.*) Epiphanium de eodem. (*hæreſi XLII. num. 3. ſeq.*)

2 *latere volebant ſub nomine Judæorum.*) Vide Gal. II. 11. VI. 13. 14. Philip. III. 18. Irenæum lib. I cap. 28. (*verius* 26.) Epiphanium de Ebionæis. (*hæreſi XXX. num. 1. ſeq.*)

3 *quibus impune licebat ſuam religionem profiteri.*) Actor. IX. 20. XIII. (*v. 5. 14. ſeq. 43. ſeq.*) & eo libro ſæpe. Philo contra Flaccum, (*fol. 972.*) & de legatione. (*fol. 1014. ſeq. 1034. ſeqq. opp.*) Joſephus paſſim. Adde L. Generaliter. D. de decurionibus. (*lib. L. digeſt. tit. II. leg. 3. §. 3.*) L. I. C. de Judæis. (*lib. I. cod. tit. IX. leg. 1. ſeqq.*) Tertullianus apologetico: (*cap. XIIX.*) *Sed & Judæi palam lectitant; vectigalis libertas vulgo aditur ſabbatis omnibus.*

* Fallitur *Grotius*, dum *Phlegontem*, miracula Petri commemorantem, ex *Origene* nobis producere conatur. Potius præſcientiæ Chriſti & Petri teſtem ipſum citare potuiſſet. Ita namque de eo diſſerit *Origenes lib. cit. p. 69.* Φλέγων μέν τοι ἐν τρισκαιδεκάτῳ ἢ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ (οἶμαι) τῶν Χρονικῶν, καὶ (τὴν) περί τινων μελλόντων πρόγνωσιν ἔδωκε τῷ Χριστῷ συγχυθεὶς ἐν τοῖς περὶ Πέτρου ὡς περὶ τοῦ Ἰησοῦ· καὶ ἐμαρτύρησεν, ὅτι κατὰ τὰ εἰρημένα ὑπ' αὐτοῦ τὰ λεγόμενα ἀπέβαινε: *Phlegon certe, in decimo tertio aut, ni fallor, in decimo quarto chronicorum ſuorum volumine, fatetur ingenue Chriſtum præſciviſſe futura, confundens Petrum cum Jeſu, teſtaturque eveniſſe quicquid prædictum fuerat.*

** Imo & *Juliano*. Quæ enim apud *Hieronymum loc. cit. fol. 160. col. B. tom. II. opp. Porphyrii*; ea apud *Cyrillum lib. cit. fol. 335. & 339. ſeq.* non itidem *Porphyrii*, ſed *Juliani* de ſignis, quæ in baſilicis martyrum fiebant, eſt confeſſio.

ligionem profiteri. Sed hi ipſi [4] ab omnibus aliis, qui ubique erant, Chriſtianis abdicati ſunt [5] illis temporibus, cum adhuc omnes ſalva pietate diſſentientes magna cum patientia, ex Apoſtolorum præſcripto, tolerarentur. Horum Chriſtianiſmi adulteratorum prius illud genus ſatis refutatum arbitror ſupra, cum oſtendimus, unum eſſe verum Deum, cujus opificium ſit mundus: & ſane ex ipſis etiam libris, quos illi, ut Chriſtiani aliquo modo videantur, recipiunt, [6] quale eſt imprimis Lucæ Evangelium, ſatis patet, eumdem Deum, quem Moſes & Hebræi coluerunt, a Chriſto prædicatum. Genus alterum tum opportune refellemus, cum eos, qui Judæi & ſunt & dici volunt, oppugnabimus. Interim hoc dicam, miram eſſe eorum inverecundiam, qui Pauli auctoritatem elevant, cum nemo fuerit Apoſtolorum, qui plures eccleſias inſtituerit; & cujus tot miracula narrata ſint jam eo tempore, cum, ut modo dicebamus, facilis eſſet facti inquiſitio. Quod ſi miracula edidit, quid cauſæ eſt, cur non & de viſis cœleſtibus acceptaque a Chriſto inſtitutione ipſi credamus? Quod ſi Chriſto tam carus fuit; ut quidquam doceret Chriſto ingratum, id eſt falſum, fieri non poteſt. Quodque unum in illo culpant, dogma nempe de libertate Hebræis parta a ritibus, per Moſem olim imperatis; ejus docendi præter veritatem nulla ei cauſa fuit, [7] cum & circumciſus eſſet ipſe, [8] & pleraque legis ultro obſervaret; [9] religionis autem Chriſtianæ cauſa, multa & faceret difficiliora, & duriora ferret, quam lex imperabat, aut legis occaſione habebat exſpectandum; [10] atque eadem & faciendi & ferendi auctor eſſet diſcipulis ſuis: quo apparet, nihil ipſum dediſſe auribus aut commodis auditorum; qui pro ſabbato [11] ſingulos dies divino cultui impendere docebantur: pro exiguis ſecundum legem impendiis, [12] bonorum omnium ferre jacturam, [13] & pro pecudum ſanguine, ſuum ipſorum Deo conſecrare. Jam vero palam affirmat ipſe Paulus, [14] ſibi a Petro, Johanne, & Jacobo in ſignum conſenſus datas dexteras: quod ni verum fuiſſet, numquam auſus eſſet dicere, cum ab ipſis adhuc viventibus mendacii potuiſſet argui. His ergo, quos dixi, excluſis, qui vix Chriſtianorum nomine cenſeri poſſunt, tot reliquorum cœtuum manifeſtiſſimus in recipiendis his libris conſenſus, ſupra ea, quæ modo diximus de miraculis, quæ ſcriptores ediderunt, & de ſingulari Dei curatione circa res hujus generis, æquis omnibus ſufficere debet, ut fides narratis habeatur: quippe cum aliis quibusvis hiſtoricorum libris, quibus nulla ejus generis adſunt teſtimonia, credi ſoleat, niſi valida ratio in contrarium adferatur, quæ hic certe nulla eſt.

§. XI. *Solutio objectionis, quaſi his libris contineantur impoſſibilia.*

Nam ſi quis dicat, quædam in his libris narrari, quæ fieri non poſſint, [1] cum jam ſupra oſtenderimus, eſſe quædam, quæ ab hominibus præſtari non poſſint, a Deo autem poſſint; quæ ſcilicet nullam in ſe repugnantiam includunt; atque earum rerum in numero eſſe etiam illas, quas maxime miramur, prodigioſas virtutes, & mortuorum in vitam revocationem; evaneſcit iſta objectio.

§. XII. *Aut a ratione diſſona.*

Neque magis audiendi ſunt, ſi qui dicant, dogmata quædam in his libris reperiri, quæ a recta ratione diſſonent. Nam primum refellitur hoc tanta multitudine virorum ingenio, eruditione, ſapientia valentium; qui horum librorum auctoritatem ſecuti ſunt, jam inde a primis temporibus. Tum vero quæcumque in primo libro oſtenſa ſunt congruere rectæ rationi, puta Deum eſſe, & quidem unicum, perfectiſſimum, immenſæ virtutis, vitæ, ſapientiæ, bonitatis; facta ab ipſo quæcumque ſubſiſtunt; curam ejus ad opera omnia, præſertim ad homines pertingere; poſſe eum, etiam poſt hanc vitam, præmia reddere ſibi obtemperantibus; frænum injiciendum ſenſuum cupiditatibus; cognationem eſſe inter homines, ac proinde æquum ut alii alios diligant: omnia hæc in his libris apertiſſime tradita reperias. Ultra hæc pro comperto aliquid affirmare, aut de Dei natura, aut de ejus voluntate, [1] ſolo ductu humanæ rationis, quam ſit intutum ac fallax, docent tot diſſonantia non ſcholarum modo inter ſe, ſed & ſingulorum philoſophorum placita. Neque vero id mirum. Nam ſi [2] de mentis ſuæ natura differentes in longiſſime diſtantes opiniones dilabuntur: quanto magis neceſſe

4 *ab omnibus aliis, qui ubique erant, Chriſtianis abdicati ſunt.*) Tertullianus adverſus Marcionem I. (*cap.* 21.) *Nullam Apoſtolici cenſus eccleſiam invenias, quæ non in creatore chriſtianizet.*

5 *illis temporibus, cum adhuc omnes ſalva pietate diſſentientes magna cum patientia ex Apoſtolorum præſcripto tolerarentur.*) Vide quæ hac de re dicentur ad finem libri VI. (§. *XI. not.* 50.) Adde Irenæi epiſtolam ad Victorem, & quod de ea in catalogo ſcribit Hieronymus. (*voc. Irenæus.*) Cyprianus concilio Africano: (*ſeu concilio Carthagin. de baptizandis hæreticis proœm.*) *Neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes.*

6 *quale eſt imprimis Lucæ Evangelium.*) Oſtendit id manifeſtiſſime Tertullianus adverſus Marcionem libro IV. (*cap.* 6. *ſeqq.*)

7 *cum & circumciſus eſſet ipſe.*) Philipp. III. 5.

8 *& pleraque legis ultro obſervaret.*) Actor. XVI. 3. XX. 6. (16.) XXI. (*v.* 23. *ſeqq.*) & ſequentibus.

7 *religionis autem Chriſtianæ cauſa multa & faceret difficiliora & duriora ferret, quam lex imperabat: aut legis occaſione habebat exſpectandum.*) 2. Cor. XI. 23. & ſequentibus, & paſſim in actis. Vide & 1. Cor. II. 3. 2. Cor. XI. 30. XII. 10.

10 *atque eadem & faciendi & ferendi auctor eſſet diſcipulis ſuis.*) Actor. XX. 29. Rom. V. 3. VIII. (*v.* 18. 28. 35. *ſeqq.*) XII. 12. 2. Cor. I. 4. 8. II. 4. VI. 4. 1. Theſſ. I. 6. 2. Theſſ. I. 6.

11 *ſingulos dies divino cultui impendere docebantur.*) Act. II. 46. V. 42. 1. Tim. V. 5. 2. Tim. I. 3.

12 *bonorum omnium ferre jacturam.*) 2. Cor. VI. 4. XII. 10.

13 *& pro pecudum ſanguine, ſuum ipſorum Deo conſecrare.*) Rom. VIII. 36. 2. Cor. IV. 11. Philipp. I. 20.

14 *ſibi a Petro, Johanne & Jacobo in ſignum conſenſus datas dexteras.*) Gal. II. 9. Adde 1. Corinth. XV. 11. 2. Corinth. XI. 5. XII. 11.

1 *cum jam ſupra oſtenderimus.*) Libro II. (§. *VII. pag.* 139.)

1 *ſolo ductu humanæ rationis, quam ſit intutum ac fallax.*) Matth. XI. 27. Rom. XI. 33. 34. 35. 1. Cor. II. 11. 16.

2 *de mentis ſuæ natura differentes in longiſſime diſtantes opiniones dilabuntur.*) Vide in operibus Plutarchi librum IV. de placitis philoſophorum: (*cap. II. ſeqq.*) Stobæum in phyſicis capite XI. (*verius cap. XXV. fol.* 93. *ſeqq.*)

ceſſe fuit id accidere de ſuprema illa, tantoque ſupra nos poſita mente, definire aliquid cupientibus? 3 Si Regum conſilia indagare rerum prudentes periculoſum ajunt, nec ideo nos aſſequi; quis eſt, qui ita ſit ſagax, ut quid Deus velit ex earum rerum genere, quas libere velle poteſt, id ſuapte conjectura ſperet ſe poſſe deprehendere? Quare optime Plato 4 horum nihil ſciri poſſe dicebat, ſine oraculo. Jam vero nullum proferri poteſt oraculum, quod tale revera eſſe majoribus teſtimoniis conſtet, quam ea ſunt, quæ in libris novi fœderis continentur. Tantum abeſt, ut probetur, ne adſeritur quidem, Deum quidquam de natura ſua hominibus prodidiſſe, quod his libris repugnet; neque de voluntate ipſius ulla poteſt proferri, quæ credibilis ſit, poſterior ſignificatio. Nam ſi quid in eo genere rerum, quæ aut plane ſunt mediæ, aut certe non omnino per ſe debitæ, nec plane turpes, ante Chriſti tempora aliter imperatum aut permiſſum fuit; id his libris non obſtat, 5 cum in talibus leges poſteriores prioribus derogent.

§. XIII. *Solutio objectionis, quod his libris quædam inter ſe repugnantia contineantur.*

Solet a nonnullis objici, eſſe quamdam in his libris interdum ſenſuum diſcrepantiam. Sed contra, quisquis hanc rem æquis animis volet dijudicare, reperiet hoc quoque argumentis pro eorum librorum auctoritate poſſe adjici; quod in rebus, quæ aliquod dogmatis aut hiſtoriæ momentum in ſe habent, manifeſtiſſima eſt ubique conſenſio; qualis nulla alibi inter ejusdem ſectæ ſcriptores reperiatur, 1 ſive Judæos ſumas, 2 ſive Græcos Philoſophos, 3 aut Medicos, 4 ſive Romanos Juriſconſultos: in quibus omnibus ſæpiſſime reperias, non modo pugnare inter ſe, qui ſectæ ſunt ejusdem, 5 ut Platonem & Xenophontem; ſed & 6 eumdem ſæpe ſcriptorem nunc hoc, nunc illud, velut ſui oblitum, aut quid ſtatuat incertum, adſeverare. At hi, de quibus agimus, ſcriptores, credenda eadem inculcant, eadem dant præcepta, etiam de Chriſti vita, morte, reditu in vitam: ſumma ubique eſt eadem. Quod vero ad exiguas aliquas circumſtantias, & ad rem nihil facientes attinet, facillime fieri potuit, ut non deſit commoda conciliatio, ſed nos lateat, ob res ſimiles diverſis temporibus geſtas, nominum ambiguitatem, aut hujus hominis, aut loci plura nomina, & ſi quid his ſimile eſt. Imo hoc ipſum ſcriptores illos ab omni doli ſuſpicione liberare debet; 7 cum ſoleant, qui falſa teſtantur, de compacto omnia ita narrare, ut ne in ſpeciem quidem quidquam diverſum appareat. Quod ſi ex levi aliqua diſcrepantia, etiam quæ conciliari nequiret, totis libris fides decederet, jam nulli libro, præſertim hiſtoriarum, credendum eſſet: cum tamen & Polybio, & Halicarnaſſenſi, & Livio, & Plutarcho, in quibus talia deprehenduntur, ſua apud nos de rerum ſumma conſtet auctoritas: quo magis æquum eſt, ut nihil tale eorum fidem deſtruat, quos videmus ex ipſorum ſcriptis pietatis & veri ſemper fuiſſe ſtudioſiſſimos? Alius reſtat modus teſtimonia refellendi, ex contrariis extrinſecus teſtimoniis.

§. XIV. *Solutio objectionis ex teſtimoniis extrinſecis: & oſtenſum ea magis eſſe pro his libris.*

At ego cum fiducia affirmo, talia repertum non iri, niſi forte eo referre quis velit dicta multo poſt natorum, & quidem talium, qui inimicitias adverſus Chriſtianum nomen profeſſi, ſub teſtium nomine non veniunt. * Imo contra, quamquam eo opus non eſt, multa habemus teſtimonia, quæ hiſtoriæ iſtis libris traditæ partes aliquot confirmant. Sic Jeſum cruci affixum, ab ipſo & diſcipulis ejus miracula patrata,

3 *Si Regum conſilia indagare rerum prudentes periculoſum ajunt, nec ideo nos aſſequi.*) Habet id Tacitus annalium VI. *

4 *horum nihil ſciri poſſe dicebat ſine oraculo.*) Locus eſt Phædone. (*fortaſſe fol. 64. opp.*) Paria in Timæo. ** Bene Ambroſius: *Cui magis de Deo, quam Deo credam?*

5 *cum in talibus leges poſteriores prioribus derogent.*) *Αἱ μεταγενέστεραι διατάξεις ἰσχυρότεραι τῶν πρὸ αὐτῶν εἰσι. Conſtitutiones tempore poſteriores plus valent prioribus:* Dictum eſt Modeſtini L. ultima. D. de conſtitutionibus principum. (*digeſt. lib. I. tit. IV. leg. 4.*) Tertullianus: *Puto autem etiam humanas conſtitutiones atque decreta poſteriora priſtinis prævalere.* Idem apologetico: (*cap. IV.*) *Veterem & ſquallentem ſilvam legum novis principalium reſcriptorum & edictorum ſecuribus truncatis & cæditis.* Et de baptiſmo: (*cap. XIII.*) *In omnibus poſteriora concludunt, & ſequentia antecedentibus prævalent.* Plutarchus Symp. IX. (*quæſt. 13.*) Ἔν τε δόγμασι καὶ νόμοις, ἔν τε συνθήκαις καὶ ὁμολογίαις, κυριώτερα τὰ ὕστερα νομίζεται καὶ βεβαιότερα τῶν πρώτων. *Et in decretis & in legibus & in contractibus ac pactis poſteriora prioribus validiora ac firmiora habentur.*

1 *ſive Judæos ſumas.*) Quorum diverſiſſimas ſententias tum alibi videas, tum apud illarum litterarum doctiſſimum Manaſſem Iſraelis filium, libris de creatione & reſurrectione.

2 *ſive Græcos philoſophos.*) Vide dictum modo librum de placitis philoſophorum.

3 *aut Medicos.*) Vide Galenum de ſectis, & de ſecta optima; & Celſum initio (*i. e. præfat. ad libr. de medicina.*) de re medica. Tum vero Spagiricos adde.

4 *ſive Romanos Juriſconſultos.*) Nota olim diſcordia Sabinianorum & Proculianorum: nunc eorum qui Bartolum & ſequentes eum, quique Cujacium & alios litteratiores ſequuntur. Vide & Gabrielii ſententias communes, communiores, communiſſimas.

5 *ut Platonem & Xenophontem.*) Vide epiſtolam (*tot.*) Xenophontis ad Æſchinem Socraticum: Athenæum XI. (*fol. 504. ſeq.*) Laërtium Platonis vita: (*ſc. lib. III. de vit. philoſ. ſegm. 34.*) Gellium libro XIV. (*cap. 3.*)

6 *eumdem ſæpe ſcriptorem nunc hoc, nunc illud, velut ſui oblitum, aut quid ſtatuat incertum, adſeverare.*) Oſtendere id multi in Ariſtotele: in Romanis Juriſconſultis alii.

7 *cum ſoleant, qui falſa teſtantur, de compacto omnia ita narrare, ut ne in ſpeciem quidem quidquam diverſum appareat.*) Hoc eſt, quod dicit Imperator Adrianus, videndum in teſtibus utrum unum eundemque meditatum ſermonem attulerint L. teſtium. D. de teſtibus. (*lib. XXII. Digeſt. tit. V. leg. 3. §. 1*) Speculator lib. I. parte IV. (*rubrica*) de teſte. in pr. n. 81. Exactiſſima circumſtantiarum omnium notitia in teſte non eſt neceſſaria. Vide Luc. I. 56. III. 23. Joh. II. 6. VI. 10. 19. XIX. 14.

* *Cap. VIII. §. 6. in oratione M. Terentii.*

** Ad id reſpexit ſine dubio *Grotius*, quod *Plato*, aliorum nomine diſputaturus, duobus locis *fol.* 1046. & 1059. Deum orat, *ut ex inſolita expoſitione ad veriſimilem doctrinam ipſum traducat.*

trata, & Hebræi, & Pagani memorant. De Herode, Pilato, Feſto, Felice, de Johanne Baptiſta, de Gamaliele, de Hieroſolymorum exſcidio exſtant ſcripta luculentiſſima Joſephi, edita paulo poſt annum a Chriſti abitu quadrageſimum: cum quibus conſentiunt ea, quæ apud Thalmudicos de iisdem temporibus leguntur. Neronis ſævitiam in Chriſtianos Tacitus memoriæ prodidit. Exſtabant olim & libri, tum privatorum, [1] ut Phlegontis, [2] tum & acta publica, ad quæ Chriſtiani provocabant, quibus conſtabat; [3] de eo ſidere, quod poſt Chriſtum natum apparuit, de terræ motu, & ſolis deliquio contra naturam, pleniſſimo lunæ orbe, circa tempus, quo Chriſtus crucis ſupplicio affectus eſt.

§. XV. *Solutio objectionis de mutata ſcriptura.*

Quid amplius opponi his libris poſſit, ſane non video: niſi forte non tales manſiſſe, quales ab initio fuerant. Fatendum eſt, ut aliis libris, ita his quoque accidere potuiſſe, accidiſſe etiam, ut exſcriptorum incuria, aut perverſa cura, literæ quædam, ſyllabæ, verba mutarentur, omitterentur, adderentur. Sed iniquum eſt, ob talem, quæ per multa tempora non poteſt non accidere, exemplorum diverſitatem, tali inſtrumento aut libro moveri controverſiam; cum & mos poſtulet, & ratio, ut quod plurima, & antiquiſſima exempla oſtendunt, id cæteris præferatur. At vero dolo, aut alio quovis modo, omnia exempla vitiata, & quidem in iis, quæ ad dogma, aut inſigne aliquod hiſtoriæ caput pertinerent, numquam probabitur: neque enim (*aut) inſtrumenta ſunt, quæ id doceant, neque teſtes illorum temporum: quod ſi quid, ut jam modo dicebamus, ſerius multo dictum eſt ab iis, qui in horum librorum diſcipulos atrociſſima odia exercebant; id pro convicio, non pro teſtimonio habendum eſt. Et ſufficere quidem hæc, quæ diximus, poſſent adverſus eos, qui ſcripturæ mutationem objiciunt; [1] cum qui id affirmet, præſertim adverſus ſcripturam diu lateque receptam, is, quod intendit, probare ipſe debeat: at nos, quo magis pateſcat illius objectionis vanitas, oſtendemus id, quod illi factum fingunt, nec factum eſſe, nec potuiſſe fieri. Evicimus ſupra libros eorum eſſe ſcriptorum, quorum nomina præferunt: quo poſito, ſequitur, non eſſe alios libros pro aliis ſuppoſitos. Pars quoque aliqua inſignis mutata non eſt. Nam cum ea mutatio aliquid ſibi deberet habere propoſitum, ea pars a cæteris partibus libriſque non itidem mutatis notabiliter diſcreparet, quod nunc nuſquam conſpicitur; imo ut diximus, admirabilis eſt ubique ſenſuum conſonantia. Tum vero ut primum Apoſtolorum aliquis, aut virorum Apoſtolicorum aliquid edidit; dubium non eſt, quin Chriſtiani magna diligentia, ut ipſorum pietatem & ſtudium conſervandæ propagandæque ad poſteros veritatis decebat, exempla ſibi inde plurima ſumſerint; quæ proinde ſparſa ſint, quam late patebat Chriſtianum nomen per Europam, Aſiam, & Ægyptum, quibus in locis Græcus ſermo vigebat: imo & archetypa nonnulla, ut jam ante diximus, ad annum usque duceteſimum ſervata ſunt. Non potuit autem liber aliquis in tot exempla diffuſus, cuſtoditus non privata tantum ſingulorum, ſed & communi eccleſiarum diligentia, falſariam manum recipere. Adde jam, quod proximis ſtatim ſæculis verſi ſunt hi libri in ſermonem Syriacum, Æthiopicum, Arabicum, Latinum, quæ verſiones etiamnum exſtant, & a Græcis libris in nulla alicujus momenti re diſcrepant. Jam vero habemus & ſcripta eorum, qui ab Apoſtolis ipſis, aut ab eorum diſcipulis inſtituti fuerunt, qui loca non pauca ex his libris adferunt eo, quem nos nunc quoque legimus, ſenſu. Neque vero quisquam fuit in eccleſia tantæ auctoritatis per illa tempora, cui mutare quicquam volenti paritum fuiſſet: quod ſatis oſtendunt Irenæi, Tertulliani, & Cypriani liberæ diſſenſiones ab iis, qui in eccleſia maxime eminebant. Poſt hæc, quæ dixi, tempora ſecuti ſunt alii multi magnæ eruditionis, magnique judicii, qui poſt diligentem inquiſitionem hos libros, ut in originaria ſua puritate perſtantes, receperunt. Jam & illud, quod de diverſis Chriſtianorum ſectis modo dicebamus, huc quoque aptari poteſt, illas omnes ſaltem quæ Deum mundi opificem, & Chriſtum legis novæ auctorem agnoſcunt, uti his libris ita, ut eos nos habemus. Quod ſi qui inſtituiſſent partem aliquam interpolare, eos tanquam falſarios cæteri detuliſſent. Neque vero ullam ſectam id unquam habuiſſe licentiæ, ut hos libros mutando ad ſua placita aptaret, vel inde ſatis colligas, quod omnes ſectæ & adverſus omnes hinc ſibi argumenta depromunt. Tum quod de divina providentia attigimus, ad partes præcipuas non minus, quam ad totos libros pertinet, ei non convenire,

1 *ut Phlegontis.*) Libro XIII. chronicorum ſive Olympiadum, his verbis. Τῷ δ' ἔτει τῆς C.B. Ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἔκλειψις ἡλίου μεγίστη τῶν ἐγνωρισμένων πρότερον. καὶ νὺξ ὥρᾳ ς' τῆς ἡμέρας ἐγένετο, ὥστε καὶ ἀστέρας ἐν οὐρανῷ φανῆναι, (** σεισμός τε μέγας κατὰ Βιθυνίαν γενόμενος τὰ πολλὰ Νικαίας κατέστρεψε.) *Quarto autem anno* CCII. *Olympiadis, magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio ſolis facta: dies hora ſexta in tenebroſam noctem verſus, ut ſtellæ in cœlo viſæ ſint, terræque motus in Bithynia Nicææ urbis multas ædes ſubverterit.* Habes hæc in chronico Euſebii & Hieronymi. (*Græco lib. I. fol.* 77.) Sed & Origenes meminit tract. XXXV. ad Matthæum, (*fol.* 200. *tom. II. opp. edit. Baſileæ* 1571.) & adverſus Celſum II. (*pag.* 80.)

2 *tum & acta publica.*) Tertullianus apologetico CXXI. (*accurate cap. XXI.*) *Eum mundi caſum relatum in arcanis veſtris habetis.*

3 *de eo ſidere, quod poſt Chriſtum natum apparuit.*) Chalcidius Platonicus in commentario ad Timæum: (*pag.* 219.) *Eſt quoque alia ſanctior & venerabilior hiſtoria, quæ perhibet ortu ſtellæ cujusdam non morbos morteſque denunciatas, ſed deſcenſum Dei venerabilis ad humanæ conſervationis, rerumque mortalium gratiam: quam ſtellam cum nocturno itinere inſpexiſſent Chaldæorum profecto ſapientes viri, & conſideratione rerum cæleſtium ſatis exercitati, quæſiſſe dicuntur recentem ortum Dei, repertaque illa majeſtate puerili veneratos eſſe, & vota Deo tanto convenientia, nuncupaſſe.*

1 *cum qui id affirmet, præſertim adverſus ſcripturam diu lateque receptam, is, quod intendit, probare ipſe debeat.*) L. ult. C. de edicto Divi Adriani tollendo. (*h. e. lib. VI, cod. tit. XXXIII. leg.* 3.)

* *Aut* hoc loco otioſe poſitum, atque hinc ex voluntate *Grotii* ipſius, qui in editione de A. MDCXXIX. iſtud ſua manu delevit, delendum jure eſt.

** Hæc quoque ut ſubnectantur, licet in antiquioribus editionibus haud compareant, interpretatio adjecta poſtulat.

nire, ut ſiverit Deus tot millia hominum pietatis ſtudioſa, & æternam ſalutem ſincero propoſito quærentia, induci in eum errorem, quem vitare omnino non poſſent. Et hæc quidem pro novi fœderis libris dicta ſunto, qui ſi ſoli extarent, ſatis eſſet, unde veram religionem diſceremus.

§. XVI. *Pro auctoritate librorum veteris fœderis.*

Nunc cum Deo viſum fuerit, etiam Judaicæ religionis, quæ vera olim fuit, & Chriſtianæ non exigua teſtimonia præbet, inſtrumenta nobis relinquere, non abs re erit, his quoque fidem ſuam adſtruere. Eſſe autem hos libros eorum, quorum dicuntur, pari modo conſtat, quo id de noſtris libris probavimus. Hi autem, quorum nomina præferunt, aut Prophetæ fuerunt, aut viri fide digniſſimi, qualis & Eſdras; qui eos in unum volumen collegiſſe creditur, quo tempore adhuc Prophetæ vivebant Aggæus, Malachias, Zacharias. Non repetam hic, quæ in Moſis commendationem dicta ſunt ſupra. Neque vero pars tantum illa prima a Moſe tradita, ut primo libro oſtendimus, ſed & recentior hiſtoria multos Paganorum habet adſtipulatores. Sic 1 Davidis & Salomonis no-

1 *Davidis & Salomonis nomina & fœdera cum Tyriis præferebant Phœnicum annales.* Vide quæ ex iis recitat Joſephus antiquæ hiſtoriæ lib. VIII. cap. 2. (*fol.* 258. *opp.*) ubi addit volentem exempla habere epiſtolarum, quas inter ſe ſcripſere Salomo & Iromus, petere ea poſſe a publicis Tyri archivorum cuſtodibus. De Davide locus eſt inſignis ex IV. hiſtoriarum Damaſceni, Joſepho citatus antiquæ hiſtoriæ lib. VII. cap. 6. Μετὰ δὲ ταῦτα πολλῷ χρόνῳ ὕστερον τῶν ἐγχωρίων τις Ἄδαδος ὄνομα πλέον ἰσχύσας, Δαμασκοῦ τε καὶ τῆς ἄλλης Συρίας ἔξω Φοινίκης ἐβασίλευσε. πόλεμον δ᾽ ἐξενέγκας πρὸς Δαυίδην βασιλέα τῆς Ἰουδαίας, καὶ πολλαῖς μάχαις κριθείς, ὑστάτῃ τε παρὰ τὸν Εὐφράτην ἐν ᾗ ἡττᾶτο, ἄριστος ἔδοξεν εἶναι βασιλέων ῥώμῃ τε καὶ ἀνδρείᾳ. * τελευτήσαντος δ᾽ ἐκείνου, ἀπόγονοι ἐπὶ δέκα γενεὰς ἐβασίλευον, ἑκάστου παρὰ τοῦ πατρὸς ἅμα τῇ ἀρχῇ καὶ τοῦτο ὄνομα τοῦτο ἐκδεχομένου, ὥσπερ οἱ Πτολεμαῖοι ἐν Αἰγύπτῳ. μέγιστον δὲ πάντων δυνηθεὶς ὁ τρίτος, ἀναμαχέσασθαι βουλόμενος τὴν τοῦ προπάτορος ἧτταν, στρατεύσας ἐπὶ Ἰουδαίους ἐπόρθησε τὴν νῦν Σαμαρεῖτιν καλουμένην. *Multo poſt hæc tempore indigenarum quidam Adadus nomine prævalens factus, & Damaſcum & Syriæ, præter Phœnicen, cætera regno tenuit. Sed ſuſcepto in Davidem Judææ regem bello, cum multis præliis concurriſſet, poſtremo ad Euphratem commiſſo victus eſt, præſtantiſſimus regum habitus animi virtute & roboris excellentia. Eo mortuo poſteri ejus in decem ſtirpes regnarunt, ſimulque cum paterno imperio nomen ejus acceperunt, quomodo Ægypti reges Ptolemæi dicuntur. Tertius horum cum multum invaluiſſet, reparare volens novo decore avi cladem, in Judæos profectus Samaritidem populatus eſt.* Priorem hiſtoriæ hujus partem habes 2. Sam. VIII. 5. 1. Chron. XVIII. poſteriorem 1. Reg. XX. ubi Joſephum vide. Adadus ille Joſepho Ader dicitur, Adores Juſtino (*lib. XXXVI. cap. II. §. 3.*) ex Trogo. Plura de Davide ex Eupolemo nobis dat Euſebius præparat. evang. lib. IV. (*rectius IX.*) cap. 30. Idem Joſephus eodem cap. ** & priore contra Appionem (*fol.* 1042. *opp.*) hunc locum profert ex Dii hiſtoria Phœnicia. Ἀβιβάλου τελευτήσαντος, ὁ υἱὸς αὐτοῦ Εἴρωμος ἐβασίλευσεν. οὗτος τὰ πρὸς ἀνατολὰς μέρη τῆς πόλεως προσέχωσε, καὶ μεῖζον τὸ ἄστυ πεποίηκε, καὶ τοῦ Ὀλυμπίου Διὸς τὸ ἱερὸν καθ᾽ ἑαυτὸ ὂν ἐν νήσῳ, χώσας τὸν μεταξὺ τόπον, συνῆψε τῇ πόλει, καὶ χρυσοῖς ἀναθήμασιν ἐκόσμησεν. ἀναβὰς δὲ εἰς τὸν Λίβανον ὑλοτόμησε πρὸς τὴν τῶν ναῶν κατασκευήν. τὸν δὲ τυραννοῦντα Ἱεροσολύμων Σολομῶνα πέμψαι φασὶ πρὸς τὸν Εἴρωμον αἰνίγματα καὶ παρ᾽ αὐτοῦ λαβεῖν ἀξιοῦν· τὸν δὲ μὴ δυνηθέντα λῦσαι τὰ αἰνίγματα πολλὰ τῶν χρημάτων εἰς τὸ ἐπιζήμιον ἀναλῶσαι. ἔπειτα δὲ Ἀβδήμονόν τινα Τύριον ἄνδρα τὰ προτεθέντα λῦσαι, καὶ αὐτὸν ἄλλα προβαλεῖν, ἃ μὴ λύσαντα τὸν Σολομῶνα, πολλὰ τῷ Εἰρώμῳ προσαποτῖσαι χρήματα. *Abibalo mortuo regnavit filius ejus Iromus. Hic ad ortum regionem urbi addidit, ipſamque urbem veterem fecit majorem, etiam Jovis Olympii templum, quod ſeorſim in inſula erat, aggerato quod intercedebat ſpatio, urbi annexuit, ornavitque donariis aureis. Ajunt & qui Hieroſolymis tunc regnabat Solomonem ad Iromum ænigmata miſiſſe quædam, & cupiiſſe ab ipſo alia accipere. Sed Iromum cum ænigmata illa ſolvere nequiret, magnam pecuniæ vim pro mulcta pependiſſe: poſtea vero Abdemonum hominem Tyrium ſolviſſe ea, quæ propoſita fuerant, ac propoſuiſſe viciſſim alia, quæ cum ſolvere Solomon nequiſſet, Iromo ab eo magnas pecunias perſolutas.* Addit deinde (*lib. I. contra Apionem fol.* 1043.) Menandri Epheſii, qui regum tam barbarorum quam Græcorum res perſcripſit, locum illuſtrem: Τελευτήσαντος δ᾽ Ἀβιβάλου, διεδέξατο τὴν βασιλείαν υἱὸς αὐτοῦ Εἴρωμος, βιώσας ἔτη τριάκοντα τέσσαρα. οὗτος ἔχωσε τὸν εὐρύχωρον, τόν τε χρυσοῦν κίονα τὸν ἐν τοῖς τοῦ Διὸς ἀνέθηκεν· ἔπειτα ὕλην ξύλων ἀπελθὼν ἔκοψεν, ἀπὸ τοῦ λεγομένου ὄρους Λιβάνου, κέδρινα ξύλα εἰς τὰς τῶν ἱερῶν στέγας, καθελών τε τὰ ἀρχαῖα ἱερά, καινοὺς ναοὺς ᾠκοδόμησε. τό τε τοῦ Ἡρακλέους καὶ τῆς Ἀστάρτης τέμενος ἀνιέρωσε· πρῶτός τε τοῦ Ἡρακλέους ἔγερσιν ἐποιήσατο ἐν τῷ Περιτίῳ μηνί, ὅτε τοῖς Ἰτυκαίοις ἐπεστρατεύσατο, μὴ ἀποδιδοῦσι τοὺς φόρους, οὓς καὶ ὑποτάξας ἑαυτῷ πάλιν ἀνέστρεψεν. ἐπὶ τούτου δέ τις ἦν Ἀβδήμονος παῖς νεώτερος, ὃς ἐνίκα τὰ προβλήματα, ἃ ἐπέτασσε Σολομὼν ὁ Ἱεροσολύμων βασιλεύς. ψηφίζεται δὲ ὁ χρόνος ἀπὸ τούτου τοῦ βασιλέως ἄχρι τῆς Καρχηδόνος κτίσεως οὕτως. τελευτήσαντος Εἰρώμου διεδέξατο τὴν βασιλείαν Βαλέαζαρος ὁ υἱός, ὃς βιώσας ἔτη τεσσαράκοντα τρία, ἐβασίλευσεν ἔτη ἑπτά. μετὰ τοῦτον Ἀβδάσταρτος ὁ τούτου υἱὸς βιώσας ἔτη εἴκοσι ἐννέα, ἐβασίλευσεν ἔτη ἐννέα· τοῦτον οἱ τῆς τροφοῦ αὐτοῦ υἱοὶ τέσσαρες ἐπιβουλεύσαντες ἀπώλεσαν, ὧν ὁ πρεσβύτερος ἐβασίλευσεν ἔτη δέκα δύο· μεθ᾽ οὓς Ἀστάρτος ὁ Δελαιαστάρτου, ὃς βιώσας ἔτη πεντήκοντα τέσσαρα, ἐβασίλευσεν ἔτη δώδεκα· μετὰ τοῦτον ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ Ἀσέρυμος βιώσας ἔτη τέσσαρα καὶ πεντήκοντα, ἐβασίλευσεν ἔτη ἐννέα. οὗτος ἀνῃρέθη ἀπὸ τοῦ ἀδελφοῦ Φέλλητος. ὃς λαβὼν τὴν βασιλείαν ἦρξε μῆνας ὀκτώ, βιώσας ἔτη πεντήκοντα. τοῦτον ἀνεῖλεν Εἰθώβαλος ὁ τῆς Ἀστάρτης ἱερεύς, ὃς βασιλεύσας ἔτη τριάκοντα δύο, ἐβίωσεν ἔτη ἑξήκοντα ὀκτώ. τοῦτον διεδέξατο Βαλέζωρος υἱός, ὃς βιώσας ἔτη τεσσαράκοντα πέντε, ἐβασίλευσεν ἔτη ἕξ. τούτου διάδοχος γέγονε Μάττηνος ὁ υἱός, ὃς βιώσας ἔτη τριάκοντα δύο, ἐβασίλευσεν ἔτη ἐννέα. τούτου διάδοχος γέγονε Φυγμαλίων. βιώσας δὲ ἔτη πεντήκοντα ἕξ, ἐβασίλευσεν ἔτη τεσσαράκοντα ἑπτά. ἐν δὲ τῷ ἐπ᾽ αὐτοῦ ἑβδόμῳ ἔτει ἡ ἀδελφὴ αὐτοῦ φυγοῦσα ἐν τῇ Λιβύῃ πόλιν ᾠκοδόμησε Καρχηδόνα. *Mortuo Abibalo ſucceſſit in regnum filius ejus Iromus, qui vixit annos XXXIV. Hic aggeravit latam, quæ dicitur, regionem: idem auream columnam poſuit quæ in Jovis eſt templo. Deinde materiam excidit e monte Libano, cedrinas arbores ad templi tecta, templiſque veteribus dejectis fecit nova. Etiam Herculis & Aſtartes delubra ſacravit. Sed Herculis primo menſe Peritio, deinde Aſtartes, quo tempore Tityis arma intulit, tributa non ſolventibus, eoſque ſibi cum ſubjeciſſet reverſus eſt. Hac ætate Abdemonus vixit juvenis, qui victor fuit explicando problemata miſſa a Salomone Hieroſolymorum Rege. Tempus autem ab hoc Rege ad conditam Carthaginem ſic computatur. Mortuo Hiromo regnum ejus accepit filius ejus Baleazarus, qui vixit annos* XLIII. *regnavit* VII. *Poſt hunc Abdaſtratus ejus filius annos vixit* XXIX. *regnavit* IX. *Hunc nutricis ipſius filii quatuor de inſidiis interfecere: quorum qui maximus natu erat, regnavit annos* XII. *poſt quos Aſtartus Delæaſtarti filius, qui vixit annos* LIV. *regnavit* XII. *Poſt hunc frater ejus Aſerymus vixit annos* LIV. *regnavit* IX. *Hic a fratre Phelete occiſus fuit: qui accepto regno imperavit menſes* VIII. *vixit annos* L. *Hunc interemit Ithobalus Sacerdos Aſtartes, regnavitque annos* XXXII. *vixit* LXVIII. *Succeſſit ei filius Badezorus, qui vixit annos* XLV. *regnavit* VI. *Hujus ſucceſſor fuit filius* Matge-

* Interjecta una & altera linea ſequentia demum leguntur.

** Non *Sexto lib. VII. antiquit.* quod ultimo allegaverat Grotius, ſed *cap.* 2. *lib. VIII. antiquit. fol.* 268. *opp.* cujus etiam textum affert, cum *lib. I. contra Apionem* verboſiora extent.

nomina, & fœdera cum Tyriis, præferebant Phœnicum annales. 2 Nabuchodonoſori, 3 &

Matgenus: vixit is annos XXXII. *regnavit* IX. *Excepit hunc Phygmalion, vixit annos* LVI. *regnavit* XLVII. *Septimo hujus anno, ſoror ipſius profuga urbem in Africa ſtruxit Carthaginem.* Locum hunc Menandri, ſed contractiorem, poſuit Theophilus Antiochenus libro ad Autolycum tertio. (*c. XXI. pag.* 358. *ſeqq.*) Tertullianus apologetico capite 19. [*aliis* XX.) *Referenda antiquiſſimarum etiam gentium archiva, Ægyptiorum, Chaldæorum, Phœnicum,* * *per quos notitia ſubminiſtrata eſt, aliqui Manethon Ægyptius & Beroſus Chaldæus, ſed & Iromus Phœnix Tyri rex: ſectatores quoque eorum Mendeſius Ptolemæus, & Menander Epheſius & Demetrius Phalereus, & Rex Juba & Appion & Thallus.* Iromi illius & Solomonis ei coævi mentionem etiam apud Alexandrum Polyhiſtorem, Menandrum Pergamenum, & Lætum in Phœniciciis exſtitiſſe ait Clemens ſtrom. I. (*fol* 326. *opp.*) unde corrigendus Tatianus (*orat. contra Græc. fol.* 171.) apud quem Χαῖτος pro Λαῖτος ſcribitur, diciturque is in Græcum tranſtuliſſe quæ Phœnices Theodotus, Hypſicrates & Mochus ſcripſerant. Azaelis Syriæ Regis, qui nominatur 1. Reg. XIX. 15. 2. Reg. VIII. 11. (8. *ſeqq.*) XII. 17. XIII. 3. 24. memoria Damaſci divinis honoribus conſervata, tradente Joſepho antiquæ hiſtoriæ libro IX. cap. 2. Eſt idem nomen apud Juſtinum ex Trogo (*lib. XXXVI. cap. II. §.* 2. 3.) De Salmanaſare, qui decem tribus in ſervitutem avexit, ut narratur 2. Reg. XVII. 3. & ſequentibus; & Samariam cepit 2. Regum XVIII. 9. locus eſt Menandri, quem diximus, Epheſii apud Joſephum libro eodem nono, capite XIV. Καὶ Ἐλυλαῖος ὄνομα ἐβασίλευσεν ἔτη τριάκοντα ἕξ. οὗτος ἀποστάντων Κιτταίων ἀναπλεύσας, προσηγάγετο αὐτοὺς πάλιν· ἐπὶ τούτους πέμψας δὲ τῶν Ἀσσυρίων βασιλεὺς, ἐπῆλθε Φοινίκην πολεμῶν ἅπασαν, ὅστις σπεισάμενος εἰρήνην μετὰ πάντων ἀνεχώρησεν ὀπίσω. ἀπέστη τε Τυρίων Σιδὼν καὶ Ἄρκη καὶ ἡ Παλαίτυρος καὶ πολλαὶ ἄλλαι πόλεις, αἳ τῷ τῶν Ἀσσυρίων ἑαυτὰς βασιλεῖ παρέδοσαν. διὸ Τυρίων οὐχ ὑποταγέντων, πάλιν ὁ βασιλεὺς ἐπ' αὐτοὺς ὑπέστρεψε, Φοινίκων συμπληρωσάντων αὐτῷ ναῦς ἑξήκοντα καὶ ἐπικώπους ὀκτακοσίους. αἷς ἐπιπλεύσαντες Τύριοι ναυσὶ δεκαδύο, τῶν νεῶν τῶν ἀντιπάλων διασπαρεισῶν, λαμβάνουσιν αἰχμαλώτους ἄνδρας εἰς πεντακοσίους. ἐπετάθη δὴ πάντων ἐν Τύρῳ τιμὴ διὰ ταῦτα. ἀναζεύξας δ' ὁ τῶν Ἀσσυρίων βασιλεὺς, κατέστησε Φύλακας ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ, καὶ τῶν ὑδραγωγιῶν οἳ διακωλύσουσι Τυρίους ἀρύσασθαι, καὶ τοῦτο ἔτεσιν πέντε γενόμενον ἐκαρτέρησαν, πίνοντες ἐκ Φρεάτων ὀρυκτῶν. *Elulæus nomine apud Tyrios regnavit annos* XXXVI. *Hic Cittæos qui ab imperio ſuo deſciverant claſſe eo vectus ad obſequium reduxit. Sed in hos miſit Rex Aſſyriorum, Phœnicen omnem bello incurſavit: mox tamen pace cum omnibus facta, rediit retro. Verum deſcivere a Tyriorum imperio Sidon, Arce, Palætyrus, multæque urbes aliæ, quæ ſe Aſſyrio Regi dediderunt. Cum tamen non ob id ſe dederent Tyrii, Aſſyriorum rex bellum eis rurſus intulit, cum accepiſſet a Phœnicibus naves ſexaginta, remiges octingentos. In quas invecti Tyrii navibus duodecim, disjectis hoſtium navibus, homines fecere captivos quingentos. Aucta hinc apud Tyrios rerum omnium pretia. Cum abiret Rex Aſſyriorum, conſtituit cuſtodes ad flumina & aquæ ductus, qui Tyrios ab aquæ hauſtu arcerent: toleratumque id Tyriis per annos quinque, bibentibus interim ex puteis quos foderant.* Addit Joſephus eodem loco ipſum hujus Regis nomen Salmanaſarum exſtitiſſe ad ſua tempora in Tyriorum archivis. Sennacheribi, qui Judæam prope omnem, exceptis Hieroſolymis, ſubegit, ut narratur 2. Reg. XVIII. 13. 2. Paral. XXXII. 1. Eſai. XXXVI. 1. & nomen & expeditiones in Aſiam & Ægyptum in Beroſi Chaldaicis reperias teſtatur idem ille Joſephus lib. X. cap. 1. Ejusdem Σαναχάριβος Sennacheribi meminit & Herodotus libro II. (*cap.* 141.) vocatque Arabum & Aſſyriorum Regem. Baladæ Babyloniorum Regis mentio eſt 2. Reg. XX. 12. & Eſaiæ XXXIX. Ejusdem nomen in Beroſi Babylonicis exſtitiſſe teſtatur Joſephus antiquæ hiſtoriæ lib. X. cap. 3. Herodotus prælii illius in Mageddo, quo Nechao Rex Ægypti Judæos vicit, quæ hiſtoria eſt 2. Paral. XXXV. 22. Zach. XII. 1. (11.) meminit dicto libro II. (*cap.* 159.) his verbis: Καὶ Σύροισι πεζῇ ὁ Νεκῶς συμβαλὼν ἐν Μαγδόλῳ ἐνίκησε. *Et cum Syris* (ita ſemper Judæos vocat Herodotus, ut & alii,) *Necos congreſſus in Magdolo eos vicit.*

2 *Nabuchodonoſori.*) De hoc Beroſi locum nobis ſervavit Joſephus antiquæ hiſtoriæ X. (*cap. XI. in fine.*) & adverſus Appionem libro I. (*fol.* 1044. *opp.*) conferendus cum Euſebio, qui & in chronico (*lib. I. fol.* 48. *ſeq.*) circa hæc tempora, & præparationis libro IX. cap. 40. & 41. hunc, & qui ſequitur Abydeni locum, producit. Ἀκούσας δὲ ὁ πατὴρ αὐτοῦ Ναβοπολλάσαρος ὅτι ὁ τεταγμένος σατράπης ἔν τε Αἰγύπτῳ, καὶ τοῖς περὶ τὴν Συρίαν τὴν κοίλην, καὶ τὴν Φοινίκην τόποις ἀποστάτης γέγονεν, οὐ δυνάμενος αὐτὸς ἔτι κακοπαθεῖν, συστήσας τῷ υἱῷ Ναβουχοδονοσόρῳ ὄντι ἔτι ἐν ἡλικίᾳ μέρη τινὰ τῆς δυνάμεως, ἐξέπεμψεν ἐπ' αὐτόν. συμμίξας δὲ Ναβουχοδονόσορος τῷ ἀποστάτῃ, καὶ παραταξάμενος, αὐτοῦ τε ἐκυρίευσε, καὶ τὴν χώραν ἐξ ἀρχῆς ὑπὸ τὴν αὐτοῦ βασιλείαν ἐποίησε· τῷ τε πατρὶ αὐτοῦ συνέβη Ναβοπολλασάρῳ κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν ἀρρωστήσαντι ἐν τῇ Βαβυλωνίων πόλει μεταλλάξαι τὸν βίον ἔτη βεβασιλευκότι εἰκοσιεννέα· αἰσθόμενος δὲ μετ' οὐ πολὺ τὴν τοῦ πατρὸς τελευτὴν Ναβουχοδονόσορος, καταστήσας τὰ κατὰ τὴν Αἴγυπτον πράγματα, καὶ τὴν λοιπὴν χώραν, καὶ τοὺς αἰχμαλώτους Ἰουδαίων τε καὶ Φοινίκων καὶ Σύρων καὶ τῶν κατὰ τὴν Αἴγυπτον ἐθνῶν συντάξεις τισὶ τῶν Φίλων μετὰ τῆς δυνάμεως, καὶ τῆς λοιπῆς ὠφελείας ἀνακομίζειν εἰς τὴν Βαβυλωνίαν, αὐτὸς ὁρμήσας ὀλιγοστὸς παρεγένετο διὰ τῆς ἐρήμου εἰς Βαβυλῶνα. καταλαβὼν δὲ τὰ πράγματα διοικούμενα ὑπὸ Χαλδαίων, καὶ διατηρουμένην τὴν βασιλείαν ὑπὸ τοῦ βελτίστου αὐτῶν, κυριεύσας ἐξ ὁλοκλήρου τῆς πατρικῆς ἀρχῆς, τοῖς μὲν αἰχμαλώτοις παραγενόμενος συνέταξεν αὐτοῖς ἀποικίας ἐν τοῖς ἐπιτηδειοτάτοις τῆς Βαβυλωνίας τόποις ἀποδεῖξαι. αὐτὸς δ' ἀπὸ τῶν ἐκ τοῦ πολέμου λαφύρων, τό, τε Βήλου ἱερὸν καὶ τὰ λοιπὰ κοσμήσας Φιλοτίμως, τήν τε ὑπάρχουσαν ἐξ ἀρχῆς πόλιν καὶ ἑτέραν ἔξωθεν προσχαρισάμενος καὶ ἀνακαινίσας πρὸς τὸ μηκέτι δύνασθαι τοὺς πολιορκοῦντας, τὸν ποταμὸν ἀναστρέφοντας, ἐπὶ τὴν πόλιν κατασκευάζειν, περιεβάλετο τρεῖς μὲν τῆς ἔνδον πόλεως περιβόλους, τρεῖς καὶ τῆς ἔξω τούτων, τοὺς μὲν ἐξ ὀπτῆς πλίνθου καὶ ἀσφάλτου, τοὺς δὲ ἐξ αὐτῆς πλίνθου. καὶ τειχίσας ἀξιολόγως τὴν πόλιν, καὶ τοὺς πυλῶνας κοσμήσας ἱεροπρεπῶς, προσκατεσκεύασε τοῖς πατρικοῖς βασιλείοις ἕτερα βασίλεια ἐχόμενα ἐκείνων, ὑπεραίροντα ἀνάστημα καὶ τὴν πολλὴν πολυτέλειαν· μακρὰ δ' ἴσως ἔσται, ἐάν τις ἐξηγῆται· πλὴν ὄντα γ' ὑπερβολὴν ὡς μεγάλα καὶ ὑπερήφανα συνετελέσθη ἡμέραις δεκαπέντε· ἐν δὲ τοῖς βασιλείοις τούτοις ἀναλήμματα λίθινα ὑψηλὰ ἀνοικοδομήσας, καὶ τὴν ὄψιν ἀποδοὺς ὁμοιοτάτην τοῖς ὄρεσι, καταφυτεύσας δένδρεσι παντοδαποῖς ἐξειργάσατο, καὶ κατάσπους ἐξειργάσατο, καὶ κατασκευάσας τὸν καλούμενον κρεμαστὸν παράδεισον, διὰ τὸ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ ἐπιθυμεῖν τῆς ὀρείας διαθέσεως, ὡς τεθραμμένην ἐν τοῖς κατὰ Μηδίαν τόποις. ** μετὰ τὸ ἄρξασθαι τοῦ προειρημένου τείχους, ἐμπεσὼν εἰς ἀρρωστίαν, μετηλλάξατο τὸν βίον, βεβασιλευκὼς ἔτη τεσσαράκοντα τρία.

Cum

* Ut ſenſus plenus ſit, inſerendum heic ex probatiſſimis editionibus: *Advocandi municipes eorum, per quos &c.*

** Hæc non conjuncta apud Joſephum cum prioribus cohærent, ſed nonnullis aliis interjectis demum, quamquam eodem folio ſequuntur.

*Cum audiſſet pater ejus Nabopollaſarus eum, qui in Ægypto Syriaque Cæle & Phœnice præpoſitus fuerat, Satrapen defeciſſe, ipſe ferendis laboribus per ætatem impar, filio Nabuchodonoſoro adhuc juveni tradidit partem exercitus, ut deſertorem bello peteret. Hic autem cum eum aggreſſus eſſet prælio, ipſum cepit, regionemque omnem iterum ſub imperium redegit. Sub id tempus evenit, ut pater Nabopollaſarus, cum morbum contraxiſſet, in urbe Babylone de vita decederet, poſtquam regnarat annos XXIX. Nabuchodonoſor poſt id, ſimul patris morbum intellexit, rebus Ægypti vicinarumque gentium bene ordinatis, amico cuidam commiſit captivos ex Judæis, Phœnicibus, ac Syris, & ex Ægypti populis, una cum exercitu rebusque aliis ſervari dignis, reportandos Babylonem. Ipſe cum comitibus paucis, breviore per deſertum via, Babylonem ſe contulit. Ibi cum reperiſſet res a Chaldæis adminiſtrari, & ipſum regnum aſſervari ab eorum potiſſimo, totum patris quod fuerat imperium adeptus eſt, captivisque conſpectis juſſit illis idoneas per Babylonicum imperium colonias aſſignari. Ipſe vero de belli manubiis Beli aliaque templa ornavit, urbemque Babylonis quæ jam erat, nova altera addita, inſtauravit eum in modum, ne poſſent poſthac qui ad obſidendam venirent urbem abacto flumine eam aggredi, ternaque mœnia urbi interiori, totidem exteriori circumdedit, partim ex cocto latere & bitumine, partim ex latere ſolo. Bene munita urbe, portisque magnifice ornatis, ad paternam regionem novam adjecit, ſupereminentem & altitudine & omni ſplendore, quem longum ſit exſequi. Suffecerit dicere, hoc opus & magnitudine & omni rerum paratu eximium intra dies perfectum eſſe quindecim. In hac regia ex lapide ſublimia extulit ambulacra, ſpeciemque dedit montibus perſimilem, omnis etiam generis arboribus ibi conſitis, addito & paradiſo penſili, quod uxor ejus in Mediæ locis educata montium aſpectu delectaretur. * Sed inter hæc opera morbo implicitus mox de vita exceſſit, cum regnaſſet annos* XLIII. Uxor illa Nabuchodonoſori eſt Nitocris Herodoto, libro ejus primo, (*cap.* 185.) ut docuit magnus Scaliger in præclara temporum emendatorum appendice. ** Interpretatur hæc Curtius libro V. (*cap. I. §. 24. ſeqq.*) quem vide, partim & Strabo lib. XV. (*fol.* 500. *ſeqq.*) & Diodorus libro II. *** Beroſus, ex quo hæc & alia ſupra protulimus, Beli ſacerdos fuit poſt Alexandri Magni tempora, cui ob divinas prædictiones Athenienſes publico in gymnaſio ſtatuam inaurata lingua ſtatuere, memorante Plinio hiſtoriæ naturalis libro VII. cap. 37. Librum ejus Babylonica vocat Athenæus XV. (*potius lib. XIV. fol.* 639.) Tatianus, (*orat. contra Græc. fol.* 171.) qui & ipſe Nabuchodonoſori Beroſum meminiſſe affirmat, & Clemens Chaldaica. (*Protrept. fol.* 42. *& lib. I. Strom. fol.* 329. *opp.*) Ex iis Rex Juba profitebatur accepiſſe ſe quæ de rebus Aſſyriis ſcripſit, ut notat Tatianus. (*fol.* 171.) Meminere ejus & Vitruvius (*de architectura lib. IX. cap.* 7. *&* 9.) & Tertullianus apologetico, (*cap. XX.*) & ſcriptor chronici Alexandrini. (*pag.* 48. *edit. Matth. Raderi. Monachii.* 1615.) Nabuchodonoſori mentionem alteram ex Abydeno Aſſyriorum ſcriptore nobis tradidit Euſebius tum in chronico, (*lib. I. fol.* 49.) tum in fine (*i. e. cap. XLI.*) noni de præparatione. Verba hæc ſunt: Μεγασθένης δέ φησι Ναβουκοδρόσορον Ἡρακλέος ἀλκιμώτερον γεγονότα ἐπί τε Λιβύην καὶ Ἰβηρίην στρατεῦσαι· ταύτας δὲ χειρωσάμενον, ἀπόδασμον αὐτέων εἰς τὰ δεξιὰ τοῦ Πόντου κατοικίσαι. μετὰ δὲ λέγεται πρὸς Χαλδαίων, ὡς ἀναβὰς ἐπὶ τὰ βασιλήϊα κατασχεθείη θεῷ ὅτεῳ δή. φθεγξάμενος δὲ εἶπεν οὕτως. Ἐγὼ Ναβουκοδρόσορος, ὦ Βαβυλώνιοι, τὴν μέλλουσαν ὑμῖν προαγγέλλω συμφορήν, τὴν οὔτε Βῆλος ἐμὸς πρόγονος, οὔτε βασίλεια Βῆλτις ἀποτρέψαι Μοίρας πεῖσαι σθένουσιν· ἥξει Πέρσης ἡμίονος τοῖσι ὑμετέροισι δαίμοσι χρεώμενος συμμάχοισι, ἐπάξει δὲ δουλοσύνην· οὗ δὴ συναίτιος ἔσται Μήδης τὸ Ἀσσύριον αὔχημα· ὡς εἴθε μιν, πρόσθεν ἢ δοῦναι τοὺς πολιήτας, χάρυβδίν τινα, ἢ θάλασσαν εἰσδεξαμένην ἀϊστῶσαι πρόρριζον, ἤ μιν ἄλλας ὁδοὺς στραφέντα φέρεσθαι διὰ τῆς ἐρήμου, ἵνα οὔτε ἄστεα, οὔτε πάτος ἀνθρώπων, θῆρες δὲ νομὸν ἔχουσι καὶ ὄρνιθες πλάζονται, ἔν τε πέτρῃσι καὶ χαράδρῃσι μοῦνον ἀλώμενον, ἐμέ τε, πρὶν ἐς νόον βαλέσθαι ταῦτα, τέλεος ἀμείνονος κυρῆσαι. ὁ μὲν θεσπίσας παραχρῆμα ἠφάνιστο. *Megaſthenes auctor eſt Nabucodroſorum Hercule ipſo fortiorem fuiſſe, belloque usque in Africam & Hiſpaniam illato quos inde deportaverat collocaſſe ad dextram Ponti oram. Præterea vero narrant de eo Chaldæi, quondam cum regiam conſcendiſſet, numine aliquo afflatum cum hæc prædixiſſe: Ego Nabucodroſorus, o Babylonii, imminentem vobis prænuncio calamitatem, quam ut arceant Parcæ numquam eas aut Belus generis noſtri auctor, aut regina Beltis permovere poterunt. Perſicus veniet mulus, qui veſtris Diis auxiliantibus ſervitium imponet. Hujus mali adjutor erit Medus, Aſſyriorum gloriatio. Utinam eum, antequam cives prodat, Charybdis aut mare abſorptum funditus interimat, aut ipſe alio raptus erret per ſolitudines, ubi neque urbes neque hominum ulla ſint veſtigia, ubi feræ paſcantur, circumvolentque liberæ aves, ut ibi inter rupes faucesque ſolus vagetur: utinamque & egó felicem exitum ſortitus fuiſſem, priusquam hæc animo meo obverſarentur. Hæc ubi effatus erat, ſtatim diſparuit.* Confer hæc poſtrema cum iis, quæ in Danielis libro de hoc Nabuchodonoſoro habemus. Prima illa ex Megaſthene etiam Joſephus habet libro X. antiquæ hiſtoriæ, cap. II. (*prope fin.*) & ait exſtare indicorum IV. Habet ex Abydeno etiam hæc de Nabùchodonoſoro Euſebius: (*loc. præparat. cit.*) Λέγεται δὲ πάντα μὲν ἐξ ἀρχῆς ὕδωρ εἶναι, θάλασσαν καλεομένην· Βῆλον δέ σφεα παῦσαι, χώρην ἑκάστῳ ἀπονείμαντα, καὶ Βαβυλῶνα τείχεϊ περιβαλεῖν· τῷ χρόνῳ δ' ἱκνουμένῳ ἀφανισθῆναι· τειχίσαι δὲ αὖθις Ναβουχοδονόσορον, τὸ μέχρι τῆς Μακεδόνων ἀρχῆς διαμεῖναν, ἐὸν χαλκόπυλον. *Fama eſt ubi nunc eſt Babylon omnia aquam fuiſſe, dictam mare. Id ſuſtuliſſe Belum, agrosque diſtribuiſſe viritim, & mœnia circumjeciſſe Babyloni, quæ tempus aboleverit. Nova autem mœnia ſtructa a Nabuchodonoſoro, eaque manſiſſe ad imperii Macedonum tempora, portis æneis.* Poſtea: Ναβουχοδονόσορος δὲ διαδεξάμενος τὴν ἀρχὴν, Βαβυλῶνα μὲν ἐτείχισε τριπλῷ περιβόλῳ ἐν πεντεκαίδεκα ἡμέρῃσι, τόν τε Ἀρμακάλην ποταμὸν ἐξήγαγε, ἐόντα κέρας Εὐφράτεω, τόν τε Ἀκράκανον. ὑπὲρ δὲ τῆς Σιππαρηνῶν πόλιος λάκκον ὀρυξάμενος, περίμετρον μὲν τεσσαράκοντα παρασαγγέων, βάθος δὲ ὀργυιέων εἴκοσι, πύλας ἐπέστησε, τὰς ἀνοίγοντες ἄρδεσκον τὸ πεδίον· καλέουσι δ' αὐτὰς ἐχετογνώμονας. ἐπετείχισε δὲ καὶ τῆς Ἐρυθρῆς θαλάσσης τὴν ἐπίκλυσιν, καὶ Τερηδόνα πόλιν ἔκτισε, κατὰ τὰς Ἀράβων εἰσβολάς· τά τε βασιλήϊα δένδρεσι ἤσκησε, κρεμαστοὺς παραδείσους ὀνομάσας. *Nabuchodonoſorus, ubi in imperium ſucceſſerat, Babylona munivit trinis mœnibus, intra dies quindecim, & Narmalcam amnem, qui divergium eſt Euphratis, ſimulque Acracanum amnem divertit. Tum in gratiam civitatis Sipparenorum, foſſam effecit, quæ in ambitu haberet paraſangas XL. in altum vicies quantum patent ſparſæ manus, appoſuitque ſepta quibus apertis irrigaretur ager. Ea ſepta appellant aquæductuum normas. Maris quoque rubri eluvionem operibus circumdatis repreſſit, Teredonem condidit, ad reprimendos Arabum impetus, regiam præterea inſtruxit arboribus, quas paradiſos penſiles vocant.* Confer Danielem IV. 27. Strabo libro XV. (*fol.* 472.) ex eodem Megaſthene hoc adfert: Ναβοκοδρόσορον δὲ τὸν παρὰ Χαλδαίοις εὐδοκιμήσαντα Ἡρακλέους μᾶλλον, καὶ ἕως στηλῶν ἐλάσαι. *Nabucodroſorum, cujus apud Chaldæos fama Herculem vincit, ad columnas veniſſe cum exercitu.* Fuere & alii qui ejus Regis hiſtoriam attigere, ſed quorum nunc nomina tantum ſuperſunt, Diocles Perſicorum ſecundo, Philoſtratus tum in Indicis, tum in Phœnicicis, qui Tyrum ab eo obſeſſam ait per annos XIII. ut Joſephus nos docet, tum antiquæ hiſtoriæ dicto jam loco, tum adverſus Appionem priore, (*fol.* 1046.) ubi ex Phœnicum actis publicis hæc profert: Ἐπὶ Εἰθωβάλου τοῦ βασιλέως ἐπολιόρκησε Ναβουχοδονόσορος τὴν Τύρον ἔτη τρία καὶ δέκα. Μετὰ τοῦτον ἐβασίλευσε Βαὰλ ἔτη δέκα. μετὰ τοῦτον δικασταὶ καθεστάθησαν καὶ ἐδίκασαν αὐτοί, Ἐκνίβαλος Βασλήχου μῆ-

νας

* Hæc non uno eodemque contextu apud *Joſephum* cum prioribus cohærent, ſed poſt alia nonnulla ſequuntur.

** Id eſt in *notis ad veterum Græcorum fragmenta ſelecta fol.* 14. *&* 41.

*** Saltem hortum penſilem hic memorat, cumque deſcribit *loc. cit. fol.* 98. *ſeq.*

3 & aliorum Chaldæorum Regum Beroſus non minus, quam Hebræi libri, meminerat. 4 Qui Vaphres Ægypti Rex Jeremiæ, 5 Apries eſt Herodoto. Jam 6 Cyri, & ſucceſſorum ejus 7 ad Darium uſque,

ἔτη δύο, Κέλβης Ἀβδαίου μῆνας δέκα, Ἄββαρος ἀρχιερεὺς μῆνας τρεῖς, Μύτγονος καὶ Γεράστρατος τοῦ Ἀβδηλίμου δικασταὶ ἔτη ἕξ, ὧν μεταξὺ ἐβασίλευσε Βαλάτορος ἐνιαυτὸν ἕνα· τούτου τελευτήσαντος, ἀποστείλαντες μετεπέμψαντο Μέρβαλον ἐκ τῆς Βαβυλῶνος, καὶ ἐβασίλευσεν ἔτη τέσσαρα· τούτου τελευτήσαντος μετεπέμψαντο τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Εἴρωμον, ὃς ἐβασίλευσεν ἔτη εἴκοσιν· ἐπὶ τούτου Κῦρος Περσῶν ἐδυνάστευσεν. *Itbobalo apud Tyrios regnante, Nabuchodonoſorus Tyrum obſedit per annos* XIII. *Poſt hunc regnavit Baal annos* X. *Poſt hunc judices conſtituti ſunt, qui Tyrum rexere, Ecnibalus Baslachi menſes duos, Chelbes Abdæi menſes decem, Abbarus Sacerdos ſummus menſes tres, Mytgonus & Geraſtratus Abdelimi judices fuere per annos ſex, ſed medio inter hos tempore annum unum cum poteſtate regia Tyro præfuit Balatorus. Quo mortuo, miſere Tyrii qui ex Babylone Merbalum advocarent, regnavit is annos* IV. *Hoc quoque mortuo, advocarunt fratrem ejus Iromum, qui regnavit annos* XX. *Hujus temporibus Cyrus apud Perſas potens fuit.* Hæc ſupputatio quam pulchre cum ſacris libris congruat, vide Joſephum dicto contra Appionem libro. Sequitur ibidem apud Joſephum de Hecatæo: (*fol.* 1049.) Πολλὰς μὲν γὰρ ἡμῶν, φησίν, ἀνασπάστους εἰς Βαβυλῶνα Πέρσαι πρότερον αὐτῶν ἐποίησαν μυριάδας. *Noſtrorum ille multa millia ait a Perſis Babylonem tranſlata.* Et de bello Senacheribi, & de deportatione per Nabuchodonoſorum facta, vide Demetrii locum apud Clementem ſtrom. I. (*fol.* 337. *opp.*)

3 *& aliorum Chaldæorum Regum.*) Apud Beroſum, poſt modo prolata, hæc ſequebantur, Joſepho duobus quos indicavimus locis * id referente. Τῆς δὲ βασιλείας κύριος ἐγένετο ὁ υἱὸς αὐτοῦ Εὐιλμαράδουχος· οὗτος προστὰς τῶν πραγμάτων ἀνόμως καὶ ἀσελγῶς, ἐπιβουληθεὶς ὑπὸ τοῦ τὴν ἀδελφὴν ἔχοντος αὐτοῦ Νηριγλισσοορόορου ἀνῃρέθη, βασιλεύσας ἔτη δύο. μετὰ δὲ τὸ ἀναιρεθῆναι τοῦτον, διαδεξάμενος τὴν ἀρχὴν ὁ ἐπιβουλεύσας αὐτῷ Νηριγλισσορόορος ἐβασίλευσεν ἔτη τέσσαρα. τούτου υἱὸς Λαβοροσοάρχοδος ἐκυρίευσε μὲν τῆς βασιλείας παῖς ὢν μῆνας ἐννέα, ἐπιβουλευθεὶς δὲ διὰ τὰ πολλὰ ἐμφαίνειν κακοήθη, ὑπὸ τῶν φίλων ἀπετυμπανίσθη· ἀπολομένου δὲ τούτου, συνελθόντες οἱ ἐπιβουλεύσαντες αὐτῷ κοινῇ τὴν βασιλείαν περιέθηκαν Ναβοννήδῳ τινὶ τῶν ἐκ Βαβυλῶνος, ὄντι ἐκ τῆς αὐτῆς ἐπισυστάσεως· ἐπὶ τούτου, τὰ περὶ τὸν ποταμὸν τείχη τῆς Βαβυλωνίων πόλεως ἐξ ὀπτῆς πλίνθου καὶ ἀσφάλτου κατεκοσμήθη· οὔσης δὲ τῆς βασιλείας αὐτοῦ ἐν τῷ ἑπτακαιδεκάτῳ ἔτει, προεξεληλυθὼς Κῦρος ἐκ τῆς Περσίδος μετὰ δυνάμεως πολλῆς, καὶ καταστρεψάμενος τὴν λοιπὴν Ἀσίαν ἅπασαν, ὥρμησεν ἐπὶ τῆς Βαβυλωνίας· αἰσθόμενος δὲ Ναβόννηδος τὴν ἔφοδον αὐτοῦ ἀπαντήσας μετὰ τῆς δυνάμεως καὶ παραταξάμενος, ἡττηθεὶς τῇ μάχῃ καὶ φυγὼν ὀλιγοστὸς, συνεκλείσθη εἰς τὴν Βορσιππηνῶν πόλιν· Κῦρος δὲ Βαβυλῶνα καταλαβόμενος καὶ συντάξας τὰ ἔξω τῆς πόλεως τείχη κατασκάψαι, διὰ τὸ λίαν αὐτῷ πραγματικὴν καὶ δυσάλωτον φανῆναι τὴν πόλιν, ἀνέζευξεν ἐπὶ Βόρσιππον, ἐκπολιορκήσων τὸν Ναβόννηδον· τοῦ δὲ Ναβοννήδου οὐχ ὑπομείναντος τὴν πολιορκίαν, ἀλλ᾽ ἐγχειρίσαντος αὐτὸν πρότερον, χρησάμενος Κῦρος φιλανθρώπως, καὶ δοὺς οἰκητήριον αὐτῷ Καρμανίαν, ἐξέπεμψεν ἐκ τῆς Βαβυλωνίας. Ναβόννηδος μὲν οὖν τὸ λοιπὸν τοῦ χρόνου διαγενόμενος ἐν ἐκείνῃ τῇ χώρᾳ, διέστρεψε τὸν βίον. *Regnum accepit filius ejus Evilmaradochus. Hic cum inique ac per malam libidinem res adminiſtraret, petitus inſidiis Nerigliſſorori, qui ſororem ejus in matrimonio habebat, interiit, poſtquam per annos regnaverat decem. Eo ſublato regni compos factus interfector ejus Nerigliſſoroorus imperium tenuit per annos quatuor. Hujus filius Laboroſoarchodus puer adhuc regnum tenuit menſes novem: ſed quia pravæ in illo indolis multa ſigna apparerent, inſidiis amicorum trucidatus eſt. Hoc mortuo cum inter ſe coiiſſent ejus facinoris participes, communi conſenſu regnum detulere ad Nabonnidum ex Babyloniis unum, qui & ipſe in eadem conjuratione fuerat. Hoc regnante meliora facta ſunt ea quæ ad amnem erant ex latere & bitumine Babylonis mœnia. Cum vero regni ejus annus ageretur decimus & ſeptimus, venit ex Perſide multo cum exercitu Cyrus, reliquaque Aſia ſubacta, ad Babylonem perrexit. Adventu ejus cognito, Nabonnidus occurrit magno & ipſe exercitu, prælioque facto victus, cum paucis fugit, concluſitque ſe in urbem Borſippenorum. Cyrus autem Babylone capta conſtituit exteriora ejus munimenta diruere, quod civitatem videret ad res novas mobilem, urbem vero capi difficilem: inde in Borſippum proficiſcitur ad obſidendum Nabonnidum. Verum is obſidionis non tolerans ſe dedidit. Cyrus benigne exceptum e Babylonia exire eum ad Carmaniam habitandam juſſit. Atque ibi Nabonnidus, tranſacto vita cætero, diem ſuum obiit.* Abydeni, poſt ea quæ modo attulimus de Nabuchodonoſoro verba, hæc nobis ſervavit Euſebius dicto loco: ὁ δέ οἱ παῖς Εὐιλμαλούρουχος ἐβασίλευσε· τὸν δὲ ὁ κηδεστὴς ἀποκτείνας Νηριγλισάρης λείπει παῖδα Λαβασσοάρασκον· τούτου δὲ ἀποθανόντος βιαίῳ μόρῳ Ναβαννίδοχον ἀποδεικνῦσι βασιλέα, προσήκοντά οἱ οὐδέν· τῷ δὲ Κῦρος ἑλὼν Βαβυλῶνα, Καρμανίης ἡγεμονίην δωρέεται. *Poſt hunc filius regnavit Evilmaluruchus. Hujus interfector, qui affinis ipſi fuerat, Nerigliſſares, filium reliquit Laboſſoaraſcum. Hoc violenta morte exſtincto, Babylonii Nabannidochum regem faciunt cum rege mortuo nullo junctum ſanguine. Cyrus hunc, cum Babylona cepiſſet, Carmaniæ præfecit.* Evilmaraduchus iſte nominatur 2. Reg. XXV. 27. De cæteris vide Scaligerum. ** Iſta de Babylone a Cyro capta congruunt cum iſtis Herodoti: (*lib. I. hiſtor. cap.* 190.) Οὕτω Κῦρος ἤλαυνε ἐπὶ τὴν Βαβυλῶνα· οἱ δὲ Βαβυλώνιοι ἐκστρατευσάμενοι ἔμενον αὐτόν, ἐπεὶ δὲ ἐγένετο ἐλαύνων ἀγχοῦ τῆς πόλιος, συνέβαλόν τε οἱ Βαβυλώνιοι, καὶ ἑσσωθέντες τῇ μάχῃ κατειλήθησαν, ἐς τὸ ἄστυ. *Sic Cyrus in Babylonem movit. Babylonii autem educto contra exercitu eum exſpectarunt. At poſtquam Cyrus urbi appropinquavit, pugnarunt cum eo Babylonii, ſed prælio victi in intima urbis ſe receperunt.* Cum quibus confer Jeremiam LI. 20. 30. 31. de fuga ad Borſippa eundem Jeremiam LI. 30. de exſiccato amnis alveo Herodotus conſentit Jeremiæ LI. 32. Verba Herodoti: (*lib. cit. cap.* 191.) Τὸν γὰρ ποταμὸν διώρυχι ἐσαγαγὼν ἐς τὴν λίμνην ἐοῦσαν ἕλος, τὸ ἀρχαῖον ῥέεθρον διαβατὸν εἶναι ἐποίησε, ὑπονοστήσαντος τοῦ ποταμοῦ. *Amnem diffidit, parte ejus in lacum paluſtrem deducta, ac ſi veterem alveum fecit pervium, aqua derivata.* An ea quæ de Beleſi Chaldæo narrat Diodorus lib. II. (*fol.* 110.) ad Danielem poſſint referri, cui nomen Chaldæum fuit בלטשאצר Dan. I. 7. cogitemus.

4 *Qui Vaphres Ægypti Rex Jeremiæ,*) Ita ſeptuaginta & Euſebius (*præparat. evang. lib. IX. cap.* 31.) vertunt quod in Hebræo Jeremiæ XLIV. 3. (30.) eſt חפרע. Fuit is Nabuchodonoſoro coævus.

5 *Apries eſt Herodoto.*) lib. II. (*cap.* 161. *ſeqq.*)

6 *Cyri.*) Vide loca jam allata. Diodorum Siculum libro II. (*fol.* 118. *&* 120.) Cteſiam Perſicis, (*ab init.*) Juſtinum libro IV. (*rectius* I.) cap. 5. & ſequentibus. Sub Cyro jacta templi Hieroſolymitani fundamenta, ſub Dario conſummatum opus, Beroſo teſte probat Theophilus Antiochenus. (*lib. III. ad Autolyc.* §. *ult. ſ.* XXXI. *pag.* 400.)

7 *ad Darium uſque.*) Codomannum. Vide eoſdem & Æſchylum Perſis, (*paſſim*) & ſcriptores rerum Alexandri. Sub hoc Dario ſummus Hebræorum ſacerdos fuit Jaddus, Nehem. XII. 22. is qui Alexandro victori ivit obviam,

* Scilicet tum *lib. I. contra Apionem fol.* 1045. *opp.* tum *lib. X. antiquit. Jud. capite* vero non 11. quod proxime nominarat, ſed 12. cujus initio pauca quædam cum heic allatis congruentia exponuntur.

** In *notis ad veterum Græcorum fragmenta ſelecta*, quæ operi *de emendatione temporum* annexa ſunt, *fol* 22. *ſeq.*

uſque, pleni Græcorum libri. Multaque alia ad Judæorum gentem pertinentia adfert Joſephus in libris contra Appionem; quibus jungi poſſunt, 8 quæ ex Strabone, & Trogo ſupra attigimus. Nos vero, qui Chriſtiani ſumus, omnino non eſt, quod de eorum librorum fide dubitemus, cum ex illis pene ſingulis teſtimonia exſtent in libris noſtris, quæ in Hebræis itidem reperiuntur. Neque Chriſtus, cum plurima in legis doctoribus, & temporis ſui Phariſæis reprehenderet, umquam eos accuſavit falſimoniæ in libros Moſis aut Prophetarum commiſſæ, aut quod ſuppoſitis mutatisve libris uterentur. Poſt Chriſti tempora ſcripturam in iis, quæ momentum habent, vitiatam, neque probari poteſt, neque vero credibile fiet, ſi quis recte cogitaverit, quam longe lateque ſparſa eſſet per orbem terrarum gens Judæorum illos ubique libros cuſtodientium. Nam primum ab Aſſyriis abductæ in Mediam decem tribus, duæ poſtea: & ex his quoque, poſt conceſſum a Cyro reditum, multi in terris exteris ſubſederunt. 9 Macedones in Alexandriam magnis commodis eos invitarunt. Antiochi ſævitia, Aſmonæorum civilia arma, externa Pompeji & Soſſii, multos disjecerunt. Plena Judæis erat 10 Cyrenaica: plenæ 11 urbes Aſiæ, 12 Macedoniæ, 13 Lycaoniæ, etiam inſulæ 14 Cyprus, 15 Creta, atque aliæ. Jam 16 Romæ numerus eorum ingens vel 17 ex Horatio, 18 Juvenali & 19 Martiali diſcatur. Tam diſſitis inter ſe cœtibus imponi nulla arte potuit: nec magis ipſi in falſum convenire. Adde quod 20 trecentis ferme ante Chriſtum annis, cura Ægypti regum, Hebræorum libri in Græcum ſermonem ab his, qui LXX. dicuntur, verſi ſunt; ita ut jam & a Græcis, ſermone quidem alio, at ſenſu in ſummam eodem poſſiderentur, eoque minus mutationem reciperent. Quin & in Chaldaicum, & in Hieroſolymitanum, (* id eſt ſemi-Syriacum) tranſlati ſunt iidem libri, 21 partim paulo ante, 22 partim non multo poſt Chriſti tempora. Secutæ deinde verſiones in Græcum aliæ, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, quas cum illa interpretum LXX. Origenes contulit, & poſt eum alii, nulla hiſtoriæ, aut rerum pondus habentium diverſitate. Philo Caligulæ ævo floruit, Joſephus ad Veſpaſianorum tempora provixit. Uterque ex Hebræorum libris ea adferunt, quæ nos hodieque legimus. His autem

viam, narrante Joſepho antiquæ hiſtoriæ lib. I. (*verius XI.*) 8. His ipſis temporibus vixit Hecatæus Abderita celebratus Plutarcho libro de Iſide, (*tom. II. opp. fol.* 354.) & Laërtio in Pyrrhone. (*lib. IX. de vit. philoſ. ſegm.* 69.) Is de Judæis librum ſcripſit ſingularem, unde egregiam & urbis Hieroſolymorum & templi deſcriptionem depromſit Joſephus adverſus Appionem libro priore; (*fol.* 1049. *opp.*) quem locum habet & Euſebius præparationis evangelicæ lib. IX. cap. 4. Uterque horum etiam Clearchi habent locum, qui Ariſtotelis verbis Judaicam ſapientiam commendat. Laudatores etiam Judæorum rerumque Judaicarum teſtes Joſephus dicto libro (*fol.* 1051.) nominat Theophilum, Theodotum, Mnaſeam, Ariſtophanem, Hermogenem, Euemerum, Cononem, Zopyrionem & alios.

8 *quæ ex Strabone & Trogo ſupra attulimus.*) Libro I. (*ſ. XVI. not.* 103. *pag.* 26.)

9 *Macedones in Alexandriam magnis commodis eos invitarunt.*) Hecatæus Joſepho deſcriptus, in libro priore contra Appionom, (*fol.* 1049. *opp.*) de Judæis loquens. Οὐκ ὀλίγαι δὲ (nempe μυριάδες, ex præcedentibus) καὶ μετὰ τὸν Ἀλεξάνδρου θάνατον εἰς Αἴγυπτον καὶ Φοινίκην μετέστησαν, διὰ τὴν ἐν Συρίᾳ στάσιν. *Non paucæ etiam milia poſt Alexandri mortem in Ægyptum & Phœnicen migrarunt, ob exortas in Syria ſeditiones.* Adde Philonem in Flaccum. (*fol.* 971. *opp.*). Ὅτι οὐκ ἀποδέουσι μυριάδων ἑκατὸν τὴν Ἀλεξάνδρειαν καὶ τὴν χώραν Ἰουδαῖοι κατοικοῦντες ἀπὸ τοῦ πρὸς Λιβύην καταβαθμοῦ μέχρι τῶν ὁρίων Αἰθιοπίας. *Non minus decies centenis millibus Judæos in Alexandria & regione circumſita habitare ab Africæ deſcenſu ad fines Æthiopiæ.* Adde Joſephum libro XII. cap. 2. 3. & ſequentibus, libro XIII. cap. 4. 5. 6. 7. 8. XVIII. 10. Et habebant Judæi Alexandriæ jus civitatis: Joſephus XIV. 17.

10 *Cyrenaica.*) Joſephus antiquæ hiſtoriæ libro XVI. 10. & alibi. Actor. VI. 9. XI. 20.

11 *urbes Aſiæ.*) Joſephus XII. 3. XIV. 17. XVI. 4. Actor. XIX. (10.)

12 *Macedoniæ.*) Act. XVII. (*accuratius XVI.* 9.)

13 *Lycaoniæ.*) Act. XIV. 18. (6.)

14 *Cyprus.*) Act. XIII. 5. (4.)

15 *Creta.*) Act. II. 11.

16 *Romæ.*) Joſephus XVIII. hiſtoriæ antiquæ cap. 5. Act. XVIII. 2. XXVIII. 17.

17 *ex Horatio.*) Lib. I. Sat. IV. (*v. penult.*)

- - - numero plures ſumus: ut te
Judæi cogemus in hanc concedere turbam.

Sat. V. (*v.* 100.)

- - - credat Judæus Apella.

Sat. IX. (*v.* 69.)

- - - hodie triceſima ſabbata, &c.

18 *Juvenali.*)

Quidam ſortiti metuentem ſabbata patrem,

Et quæ ſequuntur. Sat. XIV. (*v.* 96. *ſeqq.*)

19 *Martiali.* III. (*potius lib. IV. epigram.*) 4.

Quod jejunia ſabbatariorum.

Et alibi: ut VII. 29. & 34. XI. 97. (*aut* 95.) XII. 57. Adde Rutilium itinerarii libro I.

Atque utinam numquam Judæa ſubacta fuiſſet
Pompeii bellis, imperioque Titi!
Latius exciſæ peſtis contagia ſerpunt,
Victoresque ſuos natio victa premit.

Quod ex Seneca deſumptum, qui dixerat de iiſdem Judæis: *Cum interim uſque eo ſceleratiſſimæ gentis conſuetudo convaluit, ut per omnes terras recepta ſit. Victi victoribus leges dederunt.* Locus eſt apud Auguſtinum de civitate Dei libro VI. cap. 11. Sceleratiſſimam gentem vocat tantum ob legum quæ Dei unius cultum damnabant neglectum, ut ſupra notavimus, quo nomine & Socratem culpabat Major Cato. Adde latiſſime ſparſi Judæi nominis teſtem Philonem in legatione: (*fol.* 1023. *opp.*) Ὅσον ἐστὶ ἐν πολυανθρωπίᾳ, ὅπερ οὐκ ἐξεδέξατο καθάπερ τῶν ἄλλων ἕκαστον μία χώρας τῆς ἀποκεκληρωμένης αὐτῷ μόνῳ περίβολος, ἀλλ' ὀλίγου δέω φάναι πᾶσα ἡ οἰκουμένη· κέχυται γὰρ ἀνά τε τὰς ἠπείρους καὶ νήσους ἁπάσας, ὡς τῶν αὐθιγενῶν μὴ πολλῷ τινι δοκεῖν ἐλαττοῦσθαι. *Quanta illa gens eſt hominum numero, quam non ut cæteras una continet attributa regio, ſed paullo minus terra tota. Diffuſa enim eſt per terras continentes perque inſulas omnes, ita ut videri poſſit ipſis indigenis non multo minor.* Dion Caſſius libro XXXVI. (*rectius XXXVII. fol.* 37.) de Judæorum genere: Κολουσθὲν μὲν πολλάκις, αὐξηθὲν δὲ ἐπὶ πλεῖστον, ὥστε καὶ παῤῥησίας τῆς νομίσεως ἐκνικῆσαι. *Cohibita ſæpe nihilominus aucta plurimum: ita ut & libertatem inſtitutorum ſuorum evicerit.*

20 *trecentis ferme ante Chriſtum annis.*) Vide Ariſteam, (*de LXX. interpr. hiſtor.*) & Joſephum libro XII. 2.

21 *partim paulo ante.*) Ut ab Onkeloſo, forte & ab Jonathane.

22 *partim non multo poſt.*) Ut a ſcriptore Thargumi Hieroſolymitani, & Joſepho cœco, aut quisquis ille eſt qui Jobum, Pſalmos, Proverbia, & quæ Hagiographa dicuntur, vertit, unus, ſive plures.

* Neſcio, qui factum ſit, ut hæc in editione libelli noſtri, quæ omnium prima eſt, dilucide expreſſa in noſtra Pariſienſi & alia de A. MDCXL. haud conſpiciantur.

autem ipſis temporibus, magis magiſque ſpargi cœpit Chriſtiana religio, quam profitentium 23 multi Hebræi erant, 24 multi Hebræas litteras addidicerant, quibus proinde promptum fuit, ſi quid a Judæis falſi fuiſſet admiſſum, in parte, inquam, inſigni, id ipſum collatis libris antiquioribus deprehendere, apertumque facere. At non modo id non faciunt, ſed etiam plurima adducunt ex veteri fœdere teſtimonia plane in eum ſenſum, quo apud Hebræos exſtant: quos ſane Hebræos cujusvis potius criminis, quam, non dicam falſi, ſed vel negligentiæ circa hos libros convincas; 25 cum eos ſumma religione deſcribere ac conferre ſoleant, etiam ut litteras quoties quæque occurrat numeratas habeant. Addatur ultimo loco & hoc minime ſpernendum non mutatæ per Judæos de induſtria ſcripturæ argumentum, quod Chriſtiani ex iis ipſis, quos Judæi legunt, libris evincunt, & quidem, ut confidunt, valide, ſuum Magiſtrum Jeſum eſſe illum ipſum Meſſiam, qui Judæorum majoribus jam olim ſit promiſſus. Quod vel maxime, ne fieri poſſet, caviſſent Judæi, poſt ortum inter ipſos & Chriſtianos certamen, ſi umquam in eorum poteſtate fuiſſet mutare quæ vellent.

LIBER QVARTUS.

§. I. *Refutatio ſpecialior religionum a Chriſtiana diſcrepantium.*

QVartus liber, initio facto ab ea voluptate, quam plerique homines capiunt ex ſpectaculo alieni periculi, cum ipſi extra periculum poſiti ſunt, oſtendit, ſummam Chriſtiani hominis in hac vita eam eſſe debere, ut non modo de reperta veritate ſibi gratuletur, ſed & aliis, qui in variis errorum anfractibus palabundi verſantur, opem ferat, & eos tanti boni participes faciat. Quod nos aliquo quidem modo conatos (* conati ſumus) facere libris prioribus, quia veri demonſtratio in ſe contineat erroris refutationem: ſed tamen, cum ſingula religionum genera, quæ ſe Chriſtianis opponunt, Paganiſmus puta, Judaiſmus & Mahumetiſmus, præter id, quod inter ſe habent commune, proprios quoſdam errores habeant, & peculiaria quædam argumenta, quæ nobis ſoleant opponere; non abs re fore (** credimus,) ſi ſpecialem adverſus hæc ſingula diſputationem inſtituamus, rogatis lectoribus, ut & a ſtudiis, & a longa conſuetudine, tanquam bonæ mentis impedimentis, judicium liberent, quo æquiore animo de iis, quæ dicenda ſunt, cognoſcant.

§. II. *Ac primum Paganiſmi. Unum tantum eſſe Deum. Mentes creatas bonas eſſe, aut malas. Bonas non colendas, niſi ad præſcriptum ſummi Dei.*

Ac primum adverſus Paganos dicimus, ſi plures Deos ſtatuant æternos & æquales, id jam primo libro ſatis refutatum; cum docuimus, unum duntaxat eſſe Deum rerum omnium cauſam. Quod ſi Deorum nomine vocent mentes creatas homine ſuperiores, eas aut bonas eſſe, aut malas. Si bonas dicant, primum conſtare ipſis deberet hoc, an bonæ ſint; 1 ne forte periculoſe labantur, inimicos

23 *multi Hebræi erant.*) Aut vicini Hebræis, ut Juſtinus qui fuit Samarita.

24 *multi Hebræas literas addidicerant.*) Ut Origenes, Epiphanius, maxime vero Hieronymus.

25 *cum eos ſumma religione deſcribere ac conferre ſoleant.*) Joſephus priore contra Appionem: (*fol.* 1036. 1037. *opp.*) Δῆλον δ' ἐστὶν ἔργῳ πῶς ἡμεῖς τοῖς ἰδίοις γράμμασι πεπιστεύκαμεν· τοσούτου γὰρ αἰῶνος ἤδη παρῳχηκότος, οὔτε προσθεῖναί τις οὐδὲν, οὔτε ἀφελεῖν αὐτῶν, οὔτε μεταθεῖναι τετόλμηκεν. *Quantam vero fidem nos ſcriptis apud nos receptis habeamus, rebus ipſis apparet. Cum enim tot ſæcula tranſierint, nemo aut addere quidquam, aut demere, aut mutare aliquid eſt auſus.* Vide legem Deut. IV. 1. (2.) Thalmudem titulo Schebuoth.

1 *ne forte periculoſe labantur, inimicos pro amicis, transfugas pro legatis recipientes.*) 2. Cor. XII. 14. Porphyrius ſecundo de abſtinendo ab animatis: (*pag.* 203) Διὰ μέντοι τῶν ἐναντίων καὶ ἡ ἅπασα γοητεία ἐκτελεῖται. τούτους γὰρ μάλιστα καὶ τὸν προεστῶτα αὐτῶν ἐκτιμῶσιν, οἱ τὰ κακὰ διὰ τῶν γοητειῶν *** πάσης φαντασίας ἐνεργεῖν ἱκανοὶ... Οὗτοι γὰρ ἱκανοὶ διὰ τῆς τερατουργίας ἀπατῆσαι. δι' αὐτῶν φίλτρα καὶ ἐρωτικὰ κατασκευάζουσιν οἱ κακοδαίμονες· ἀκολασία γὰρ πᾶσα καὶ πλούτων ἐλπὶς καὶ δόξης διὰ τούτων, καὶ μάλιστα ἡ ἀπάτη, τὸ γὰρ ψεῦδος τούτοις οἰκεῖον· βούλονται γὰρ εἶναι θεοί, καὶ ἡ προεστῶσα δύναμις αὐτῶν δοκεῖν θεὸς εἶναι. *Per illos oppoſitos Diis omnis ars malefica perficitur. Nam qui per malas artes animis illudere ac res pravas efficere ſtudent, illos ſpiritus & eorum præſidem maxime colunt: poſſunt enim hi prodigiorum ſpecie imponere. Per hos philtra & alia ad amores pertinentia miſeri homines ſibi quærunt. Omnis enim mala libido & opum ſpes & gloriæ ab his maxime ſpiritibus, præcipue vero fraudes: mendacium enim his proprium. Dii ſiquidem eſſe volunt, & qui eorum princeps eſt, Deus ipſe haberi.* Deinde **** de Ægyptiis ſacerdotibus: Οἱ δὲ εἶναι μὲν ἔξωθεν τίθενται τὸ ὑπήκοον γένος ἀπατηλῆς φύσεως, παντόμορφόν τε καὶ πολύτροπον, ὑποκρινόμενον καὶ θεοὺς καὶ δαίμονας καὶ ψυχὰς τεθνηκότων· καὶ διὰ τοῦτο πάντα δύνασθαι τῶν δοκούντων ἀγαθῶν ἢ κακῶν εἶναι, ἐπεὶ εἰς τά γε ὄντως ἀγαθά, ἅπερ ἐστὶ κατὰ ψυχήν, μηδὲν καθάπαξ συμβάλλεσθαι δύνασθαι, μηδὲ εἰδέναι ταῦτα, ἀλλὰ κακοσχολεῖσθαι καὶ τωθάζειν, καὶ ἐμποδίζειν πολλάκις τοὺς εἰς ἀρετὴν ἀφικνουμένους, πλήρεις τε εἶναι τύφου καὶ χαίρειν ἀτμοῖς καὶ θυσίαις. *Illi vero illud quidem extra controverſiam*

* Pro *conatos*, quæ vox in probatæ fidei exemplis adeſt, recte emendareque, quisquis fuit, iſta ſcripſit.

** Vetuſtiores, quotquot inſpeximus, editiones hoc verbum, ad ſenſum apprime neceſſarium, omittunt. Hinc ab aliena manu adſperſum illud arbitramur.

*** Emendarem heic textum ſecundum meum *Porphyrii* codicem, uti exemplum mihi prævivit celeberrimi *Cypriani* editio; niſi *Jo. Clericus biblioth. choiſie tom. XIIX. pag.* 245. *ſeq.* bene ſtatuiſſet: intactum relinquendum eſſe hunc locum, quod ex verſione appareat, Græca ita ſeſe habuiſſe in editione, quæ *Grotio* fuit ad manus, prout heic recenſentur. Et ſane ſunt eadem Græca apud *Cyrillum lib. IV. contra Julian. fol.* 124. unde ſua, ni fallor, hauſit *Grotius.*

**** Facile quis adduci poſſet, ut credat, eadem ſerie in *Porphyrii de abſtinentia libro* hæc de Ægyptiis ſacerdotibus tradi. Aſt fallitur, qui ita ſentit. Videtur *Grotius* utrumque *Porphyrii* dictum, & quod præcedit, & quod jam ſequitur, ex *Cyrillo lib. IV. contra Julian. fol.* 124. *ſeq.* obſervaſſe, id vero, quod Cyrillus alterum recitaturus ſignificat: *alio loco illud a Porphyrio proferri,* non attendiſſe. Innuit autem non alium locum *Cyrillus*, quam *Porphyrii epiſtolam ad Anebonem Ægypt.* ceu ex *Auguſtini lib. X. de civit. Dei cap.* 11. perſpicue diſcimus, qui iſthanc *Porphyrii* obſervationem latine ex dicta epiſtola exponit. Hinc recte quoque in ejus reliquiis, quas undique *Thom. Gale* congeſſit, locus huic ſermoni datus fuit.

micos pro amicis, transfugas pro legatis recipientes: tum vero ratio exigit, ut evidens aliquod in ipſo cultu diſcrimen ſit inter Deum ſummum, & has mentes: deinde ſciendum eſſet, quis inter eas mentes ſit ordo, quid a quaque boni exſpectari poſſit, quo quamque honore affici velit rex ſummus: quæ omnia cum deſint in ipſorum religione, ſatis hinc apparet, quam ea nihil in ſe certi habeat: quantoque facerent tutius, ſi ad unius Dei ſummi cultum ſe transferrent; quod ſapientis hominis eſſe officium, [2] etiam Plato dixit; eoque magis, quia cum bonæ mentes Dei ſummi miniſtræ ſint, [3] non poſſit eas non ſibi addictas habere, qui Deo utatur propitio.

§. III. *Malos ſpiritus adoratos a Paganis probatur, & oſtenditur quam id ſit indignum.*

At vero non bonas, ſed malas fuiſſe mentes, quibus Paganorum cultus impendebatur, non levibus conſtat argumentis. Primum, [1] quod cultores ſuos non rejecerunt ad cultum ſummi Dei, imo eum cultum, quantum poterant, ſuſtulerunt; aut ſaltem omnibus modis ſe ſummo Deo in cultu æquari voluerunt. Secundo, quod unius ſummi Dei cultoribus mala maxima procurarunt, concitatis in ipſorum pœnas magiſtratibus & populis. Nam cum poetis impune liceret Deorum parricidia & adulteria canere, & Epicureis divinam providentiam e rebus tollere, neque ulla eſſet religio alia tam ritibus diſſona, quæ non in ſocietatem admitteretur, ut Ægyptiaca, Phrygia, Græca, Thuſca ſacra Romæ: ſoli Judæi paſſim [2] deridiculo erant, ut ex ſatyris & epigrammatis apparet, [3] interdum & relegabantur: [4] Chriſtiani vero præterea etiam atrociſſimis afficiebantur ſuppliciis: cujus rei non alia poteſt reddi cauſa, quam quod hæ duæ ſectæ unum Deum venerarentur, cujus honori recepti Dii adverſabantur, non tam inter ſe, quam illius æmuli. Tertio ex modo cultus, qui bonam honeſtamque mentem non deceat, [5] per ſanguinem humanum, [6] per nudorum hominum in templis curſationem, per ludos [7] & ſaltationes plenas ſpurcitiæ: qualia nunc etiam conſpiciuntur apud Americæ & Africæ populos Paganiſmi tenebris obſitos. Imo, quod eſt amplius, & olim fuerunt, & nunc ſunt populi, qui malas mentes adorant, quas tales norunt ac profitentur; [8] ut Arimanium Perſæ, Græci Cacodæmonas, [9] Vejoves Latini, & nunc alios Æthiopum & Indorum quidam: quo nihil poteſt magis impium excogitari. Nam cultus religioſus quid eſt aliud, quam teſtimonium ſummæ bonitatis, quam agnoſcas in eo, quem colas? qui ſi malo ſpiritui impenditur, falſus eſt ac mendax, & in ſe continet rebellionis crimen; cum debitus regi honos non modo ei ſubtrahitur, ſed & in deſertorem ejus atque hoſtem transfertur. Stulta autem eſt perſuaſio, qua fingunt, Deum bonum id non vindicaturum, quia id a bonitate alienum eſſet. Nam [10] clementia, ut juſta ſit, ſuos habet limites, & ubi ſcelera modum excedunt, pœnam juſtitia ex ſe quaſi neceſſario producit. Neque minus culpandum, quod metu adductos ſe dicant malis mentibus præſtare obſequium: cum is qui ſumme bonus eſt, ſit etiam ſumme communicativus, ac proinde etiam naturarum cæterarum productor. Quod ſi eſt, ſequitur, ut in naturas omnes, tamquam opificia ſua, jus ſupremum habeat; ita ut ab earum nulla aliquid poſſit fieri, quod ipſe plane impedire cupiat. Quibus poſitis, facile colligitur, ei, qui Deum ſummum ac ſumme bonum faventem habeat, malos ſpiritus non amplius nocere poſſe, quam Deus ille boni alicujus cauſa velit pati, ut fiat. Neque vero a malis

verſiam ponunt, eſſe genus quoddam ſpirituum omni fraudulentiæ inſerviens, multiforme, verſutum, quod modo Deos ſimulat, modo dæmones, modo mortuorum animas, eoque modo omnia eos poſſe immittere quæ bona, quæque mala habentur. Ad vera autem bona, quæ in animo conſiſtunt, nihil eos poſſe, neque eorum eos habere notitiam; ſed male uti otio, ludificari & impedire eos qui in via ſunt ad virtutem, plenos eſſe faſtus, gaudentes nidoribus ac victimis. Arnobius lib. IV. adverſus nationes: (*pag.* 134.) * *Sic Magi haruſpicum fratres ſuis in actionibus memorant antitheos ſæpe obrepere pro veris: eſſe autem hos quosdam materiis ex craſſioribus ſpiritus, qui Deos ſe fingunt.* Idem ſenſus eſt, ne nimium multa transſcribam, apud Jamblichum de myſteriis Ægyptiorum lib. III. cap. 32. (*potius* 31.) & libro IV. cap. 17. (*verius* 13.)

2 *etiam Plato dixit.*) Μετὰ μὲν Διὸς ἡμεῖς, ἄλλοι δὲ μετὰ ἄλλων δαιμόνων. *Cum Jove nos: cum aliis Diis alii.* Citat Origenes contra Celſum VIII. (*pag.* 382.)

3 *non poſſit eas non ſibi addictas habere, qui Deo utatur propitio.*) Pulchre hoc exſequitur Arnobius libro III. (*init. ſtatim pag.* 100. *ſeq.*)

1 *quod cultores ſuos non rejecerunt ad cultum ſummi Dei.*) Bene hoc exſequitur Auguſtinus de civitate Dei libro X. cap. 14. 16. 19.

2 *deridiculo erant.*) Ut curti, recutiti, ſabbatarii, nubium & cœli adoratores, clementes in porcos.

3 *interdum & relegabantur.*) Joſeph. XVIII. 5. Tacitus annalium II. (*cap.* 85. *ſ.* 4.) Seneca epiſtola CIX. (*al. CVIII.*) Actor. XVIII. 1. Suetonius Tiberio cap. XXXVI.

4 *Chriſtiani vero præterea etiam atrociſſimis afficiebantur ſuppliciis.*) Tacitus annalium XV. (*cap. XLIV.* §. 7. *ſeqq.*) quo & illa pertinent Juvenalis: (*Satyra I. v.* 155.)

- - - tæda lucebis in illa
Qua ſtantes ardent, qui fixo gutture fumant,
Et latus mediam ſulcus diducit arenam.

5 *per ſanguinem humanum.*) Vide quæ hac de re dicta lib. II. (§. *XII. inpr. not.* 2. 3. *pag.* 42. *ſeq.*)

6 *per nudorum hominum in templis curſationem.*) Ut in Lupercalibus. Livius libro I. (*cap. V.*) Plutarchus Antonio, ** & alii.

7 *& ſaltationes plenas ſpurcitiæ.*) Ut in Floralibus. Ovidius quarto faſtorum. (*verius quinto. v.* 331.) *ſeqq.*) Adde Tatianum, (*orat. contra Græc. fol. forte* 161.) Origenem octavo contra Celſum. ***

8 *ut Arimanium Perſæ.*) Plutarchus de Iſide & Oſiride: (*tom. II. opp. fol.* 369. *ſeq.*) Diogenes Laërtius in præfatione. (*ſegm.* 8.)

9 *Vejoves Latini.*) Cicero III. de natura Deorum. (*cap.* 24.)

10 *clementia, ut juſta ſit, ſuos habet limites.*) *Quomodo diliges, niſi times non diligere?* Tertullianus adverſus Marcionem I. (*cap.* 27.)

* Paulo aliter in noſtra editione hæc verba leguntur, ſenſu tamen non multum variato.

** *Tom. I. opp. fol.* 921. Magis fortaſſe ad rem facerent, quæ narrantur *in Cæſare fol.* 736. *tom. alleg.*

*** Nulla apud hunc ritus cultusque illius eſt memoria.

lis ſpiritibus quidquam impetrari poteſt, quod non rejiciendum ſit, quia 11 malus bonum cum ſimulat, tunc eſt peſſimus, & 12 hoſtium munera inſidiæ ſunt.

§. IV. *Contra cultum exhibitum hominibus vita functis, in Paganiſmo.*

Fuerunt & Pagani, & ſunt nunc etiam, qui vita functorum hominum animis cultum exhibere ſe ajunt. Sed primum hic quoque cultus diſtinguendus notis conſpicuis fuerat a ſummi Dei cultu: tum vero inanes ſunt ad illos preces, niſi ab illis animis aliquid nobis tribui poſſit; de quo nihil cultoribus conſtat, nec quidquam eſt, cur magis id dicant fieri, quam non fieri. Illud vero peſſimum, quod quibus hominibus hunc honorem habuerunt, ii comperiuntur magnis vitiis fuiſſe inſignes: ebrioſus Bacchus, mulieroſus Hercules, impius in fratrem Romulus, in patrem Jupiter: ita ut illorum honos ad Dei veri & probitatis ipſi placentis ignominiam redundet, 1 dum vitiis ſatis per ſe adblandientibus addit ex religione commendationem.

§. V. *Contra cultum exhibitum aſtris & elementis.*

Vetuſtior iſto fuit cultus aſtrorum, & quæ elementa dicimus, ignis, aquæ, aeris, terræ: ne ipſe quidem magno vacans errore. Nam cultus religioſi pars maxima ſunt preces, quæ adhiberi, niſi ſtulte, non poſſunt niſi apud naturas intelligentes. Tales autem non eſſe eas, quæ elementa dicimus, ſenſu quodammodo apparet. De aſtris ſiquis aliud affirmaverit, nihil habebit, quo id probet; cum ex aſtrorum operationibus, quæ naturarum ſunt indices, nihil tale poſſit colligi; imo contrarium ſatis aperte colligitur ex motu non vario, qualis eſt eorum, quæ voluntatem habent liberam, 1 ſed rato atque præſcripto. Jam vero alibi oſtendimus, aſtrorum curſus ad hominum uſus eſſe temperatos: unde homo agnoſcere debuit ſe Deo & ſimiliorem parte ſui potiore, & cariorem eſſe, ac proinde nobilitati ſuæ injuriam ſe facere, ſi ſe iis rebus ſubjiciat, quas Deus ipſi donaverit; cum contra pro illis Deo gratias agere debeat, quod ipſæ pro ſe non poſſunt, aut poſſe non docentur.

§. VI. *Contra cultum animantibus mutis exhibitum.*

Illud vero indigniſſimum, quod & 1 ad beſtiarum cultum delapſi ſunt homines, Ægyptii præſertim. Quamquam enim in quibusdam aliqua ſe oſtendit quaſi umbra intelligentiæ; ea tamen ipſa nihil eſt, ſi ad hominem ſpectetur, cum nec internos conceptus diſtinctis vocibus ſcripturaque explicent: neque opera diverſorum generum faciant, neque ejusdem generis opera diverſo modo; multo minus numerorum, dimenſionum, cœleſtiumque curſuum cognitionem aſſequantur. 2 Contra vero

11 *malus bonum cum ſimulat, tunc eſt peſſimus.*) Syri mimi verſus. (*ſententiarum v.* 390.)

12 *hoſtium munera inſidiæ ſunt.*) Sophocles: (*Aiace flagellif. v.* 675.)

Ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα κ' οὐκ ὀνήσιμα.
Damnoſa ab hoſte dona, quin nec dona ſunt.

1 *dum vitiis ſatis per ſe adblandientibus addit ex religione commendationem.*). Exemplum vide in Eunucho Terentiana actu III. Scena V. Cyprianus epiſtola II. (*fol.* 7 *col. B. edit. Pariſ. A.* 1643.) *Deos ſuos quos venerantur, imitantur. Fiunt miſeris & religioſa delicta.* Auguſt. epiſt. CLII. * *Nihil homines tam inſociabiles reddit vitæ perverſitate, quam illorum Deorum imitatio, quales commendantur & deſcribuntur literis eorum.* Chalcidius in Timæo: (*pag.* 221.) *Itaque factum ut pro gratia quæ ab hominibus debetur divinæ providentiæ, origo & ortus ſacrilegio panderetur.* Vide locum totum.

1 *ſed rato atque præſcripto.*) Quo argumento motus quidam Rex Peruanus negabat ſolem eſſe poſſe Deum. Vide hiſtoriam Incarum.

1 *ad beſtiarum cultum delapſi ſunt homines, Ægyptii præſertim.*) De quibus Philo in legatione: (*fol.* 1012. *opp.*) *οἱ κύνας καὶ λύκους καὶ λέοντας καὶ κροκοδείλους, καὶ ἄλλα πλεῖστα θηρία καὶ ἔνυδρα καὶ χερσαῖα καὶ πτηνὰ θεοπλαστοῦντες.* *Qui canes, leones, lupos, crocodilos, aliaque aquatica, terreſtria, volucria animantium pro Diis habent.* Adde longam ea de re diſſertationem lib. I. Diodori Siculi. (*ſect. II. fol.* 74. *ſeqq.*)

2 *Contra vero homo validiſſima quæque animantia, feras, aves, piſces capit ſolertia ingenii ſui.*) Euripides Æolo: **

Βραχύ τοι σθένος ἀνέρος,
Ἀλλὰ ποικιλίαις πραπίδων
Δαμᾷ φῦλα πόντου,
Χθονίων τ' ἀερίων τε παιδεύματα.
Vis exigua eſt, quamcumque homini
Natura dedit: ſed conſiliis
Variis artes, quæ nata mari
Et quæ terra cœloque domant.

Antiphon: ***

Τέχνῃ κρατοῦμεν ὧν φύσει νικώμεθα.
Natura quorum ſuperat, arte hæc vincimus.

Non male hinc explices quod eſt Gen. I. 26. Pſal. VIII. 8. Latiorem hac de re diſſertationem qui deſiderat, videat Oppianum initio quinti de piſcatu, (*potiſſimum v.* 10. *ſeqq.*) & Baſilium in hexaemeron homilia X. (*circa medium.*) Origenes contra Celſum lib. IV. (*pag.* 215.) Καὶ ἐνταῦθα δὲ ὁρᾷς τίνα τρόπον ἡ σύνεσις μέγα βοήθημα ἡμῖν δέδοται, καὶ παντὸς ὅπλου κρεῖττον οὗ δοκεῖ ἔχειν τὰ θηρία. ἡμεῖς γοῦν οἱ πολλῷ τῷ σώματι τῶν ζώων ἀσθενέστεροι, τινῶν δὲ καὶ εἰς ὑπερβολὴν βραχύτεροι, κρατοῦμεν διὰ τὴν σύνεσιν τῶν θηρίων, καὶ τοὺς τηλικούτους ἐλέφαντας θηρεύομεν, τὰ μὲν πεφυκότα τιθασσεύεσθαι, ὑποτάσσοντες τῇ ἡμετέρᾳ ἡμερότητι. κατὰ δὲ τῶν μὴ πεφυκότων, ἢ μὴ δοκούντων ἡμῖν χρείαν παρέχειν ἐκ τῆς τιθασσείας, οὕτω μετὰ τῆς ἡμετέρας ἱστάμεθα ἀσφαλείας, ὥστε ὅτε μὲν βουλόμεθα ἔχομεν τὰ τοιαῦτα θηρία κατακεκλεισμένα· ὅτε δὲ χρῄζομεν τροφῆς τῆς ἀπὸ τῶν σωμάτων αὐτῶν, οὕτως αὐτὰ ἀναιροῦμεν ὡς καὶ τὰ μὴ ἄγρια τῶν ζώων. δοῦλα οὖν πάντα τοῦ λογικοῦ ζώου καὶ τῆς φυσικῆς αὐτοῦ συνέσεως κατασκευάσεν ὁ δημιουργός. *Vel hinc videas quam validum nobis auxilium datum ſit intellectus, quantoque præſtet omnibus armis, quibus inſtructas feras videmus. Nos enim corpora habentes multo imbecilliora, & immenſum minora aliorum animantium corporibus, horum tamen potimur vi mentis, & elephantes illos tantos venamur, quæque ſunt ita nata ut manſueſcere poſſint, ea noſtra naturæ manſueta ſubdimus: quæ vero aut talia non ſunt, aut nullam ex manſuetudine utilitatem nobis promittunt, ea cum noſtra ſecuritate ita tractamus, ut cum lubet ea teneamus concluſa; ubi eorum carne*

* In iſta verba allata non reperi.

** *Euripidis* verſuum ex *Æolo* partem habes apud *Stobæum ſentent. ſerm. LII. fol.* 360. omnes autem in *Grotii excerptis ex Tragæd. & Comœd. Græcis pag.* 367. edit. Pariſ.

*** Repete hoc ex iisdem *Grotii excerptis pag.* 439.

vero, homo validiſſima quæque animantia, feras, aves, piſces capit ſolertia ingenii ſui, partim etiam ſub leges ſuas ſubigit: ut elephantas, leones, equos, boves: ex iis, quæ maxime ſunt noxia, utilitates ſibi deducit, ut medicamenta ex ſerpentibus: hunc certe uſum ex omnibus habet, quem ipſæ ignorant, quod corporum compagem ſitumque partium ſpeculatur, & tum ſpecies, tum genera inter ſe comparans, hic quoque ſuam dignitatem diſcit, quanto humani corporis perfectior cæteris, nobiliorque ſtructura eſt: quæ ſi quis recte conſideret, tantum abeſt, ut pro Diis animantia colat cætera, potius ſeſe illorum quaſi Deum quemdam ſub ſummo Deo conſtitutum arbitrabitur.

§. VII. *Contra cultum exhibitum iis rebus quæ ſubſtantiæ non ſunt.*

Adoratas legimus a Græcis, Latinis, atque aliis etiam, eas res, quæ non ſubſiſtunt, ſed aliarum rerum ſunt accidentia. Nam ut ſæva illa 1 febrim, impudentiam, & ſimilia omittam: Sanitas nihil eſt aliud, quam partium corporis recta temperies: Fortuna bona ſimilitudo eventus, cum hominis deſiderio: affectus vero, quales amor, metus, ira, ſpes, atque alia ex conſideratione rei vel bonæ, vel malæ, facilis, vel difficilis, motus quidam in ea animi parte, quæ corpori per ſanguinem maxime connectitur, qui ſui juris non ſunt; ſed voluntatis tamquam dominæ imperio ſubſunt, certe quod durationem ac directionem eorum attinet. Virtutes vero, quarum diverſa ſunt nomina, circa utilis electionem prudentia, in periculis ſubeundis fortitudo, in abſtinentia alieni juſtitia, in voluptatum moderatione temperantia, & porro alia, pronitates quædam ſunt ad rectum in animo longa exercitatione adultæ, quæ ipſæ ut augeri, ita & neglectu minui, imo & interire in homine poſſunt. 2 Honor vero, cui & ipſi templa dicata legimus, aliorum eſt de aliquo tamquam virtute prædito judicium; quod ſæpe & malis contingit, & bonis non contingit, ingenita hominibus errandi facilitate. Hæc ergo cum non ſubſiſtant, ac proinde rebus ſubſiſtentibus dignitate comparari nequeant, neque precum aut venerationis intellectum habeant ullum; pro Diis colere a recta ratione alieniſſimum eſt, cum ob hæc ipſa is colendus ſit, a quo hæc dari conſervarique poſſunt.

§. VIII. *Solutio objectionis Paganorum ſumptæ a miraculis apud ipſos.*

Solent a Paganis ad religionis ſuæ commendationem miracula adferri: ſed adverſus quæ multa excipi poſſint. Nam qui ſapientiſſimi inter ipſos Paganos fuere, multa horum, 1 ut nulla idonea teſtium fide ſuffulta, planeque conficta, rejiciunt. Quædam quæ facta dicuntur, contigerunt in receſſu, nocte, coram uno aut altero; quorum oculis falſa rerum ſpecie, per aſtus ſacerdorum, imponi facile potuit. Sunt & alia, quæ admirationem tantum ſui conciverunt apud ignaros rerum naturalium, præcipue occultarum proprietatum; quale quid accideret, ſi quis apud populos ejus rei ignaros magnete ferrum duceret: 2 quibus artibus Simonem & Apollonium Tyanæum valuiſſe, a multis proditum eſt. Non negem, conſpecta & quædam his majora, quæ ex cauſis naturalibus ſola humana vi non potuerint elici; ſed talia tamen quæ vim vere divinam, id eſt, omnipotentem non deſiderarent, cum ad eas ſufficerent ſpiritus inter Deum hominemque interpoſiti, qui pro ſua celeritate, efficacia, atque ſolertia, facile poſſent diſſita transferre, & quamvis diverſa componere ad effectus tales, qui homines in ſtuporem darent. Sed ſpiritus, per quos id effectum eſt, bonos non fuiſſe, ac proinde nec bonam religionem, jam ex iis, quæ ſupra diximus, apparet; tum inde etiam 3 quod certis carminibus invitos ſe cogi dicerent, cum tamen inter ſapientiſſimos etiam Paganorum conſtet,

carne ad victum indigemus, ea non minus facile quam manſueta animalium interficimus. Apparet igitur a ſummo opifice facta cuncta ſerva animanti ratione utenti & agnato ei intellectui. Claudius Neapolitanus apud Porphyrium de non eſu animantium primo: (*pag.* 39.) ſic de homine loquitur. ὃς τῶν ἀλόγων δεσπόζει πάντων, ὡς ὁ Θεὸς ἀνθρώπων. *Qui mutis animantibus omnibus dominatur, non minus quam hominibus Deus.*

1 *febrim, impudentiam.*) Cicero de legibus II. (*cap. XI.*)

2 *Honor vero cui & ipſi templa dicata legimus.*) Cicero dicto loco. * Livius libro XXVII. (*cap.* 27.)

1 *ut nulla idonea teſtium fide ſuffulta; planeque conficta rejiciunt.*) Livius initio: (*i. e. præfatione ad libros hiſtor.*) *Quæ ante conditam condendamve urbem poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum geſtarum monumentis traduntur, ea nec affirmare nec refellere in animo eſt. Datur hæc venia antiquitati, ut miſcendo humana divinis, primordia urbium auguſtiora faciat.*

2 *quibus artibus Simonem & Apollonium Tyanæum valuiſſe a multis proditum eſt.*) Tatianus: (*orat. contra Græc. fol.* 155.) Εἰσὶ μὲν οὖν καὶ νόσοι καὶ στάσεις τῆς ἐν ἡμῖν ὕλης· δαίμονες δὲ αὐτοὶ τούτων τὰς αἰτίας, ἐπειδὰν συμβαίνωσιν, ἑαυτοῖς προσγράφουσιν. *Sunt enim morbi & diſſidia quædam in materia hac noſtra: Ea cum eveniunt, dæmones eorum cauſas ſibi adſcribunt.*

3 *quod certis carminibus invitos ſe cogi dicerent.*) Oraculum Hecates apud Porphyrium: **

Ἤλυθον εἰσαΐουσα τεῆς πολυφραδμόνος εὐχῆς,
Ἣν θνητῶν φύσις εὗρε, θεῶν ὑποθημοσύνῃσι.
Advenio precibus ſapientibus indigetata,
Quas genus humanum monitu reperere Deorum.

Item:

Τίπτε μ' ἀεὶ θείοντος ἀπ' αἰθέρος ὧδε χατίζων,
Θειοδάμοις Ἑκάτην με θεὰν ἐκάλεσσας ἀνάγκαις;
Cujus egens Hecaten me ſummo ex æthere tractam
Carmine vinxiſti, ſuperos cui cogere fas eſt?

Et Apollinis apud eumdem:

Κλῦθί μευ οὐκ ἐθέλοντος, ἐπεί μ' ἐπέδησας ἀνάγκῃ.
Invitum me audi, quando me lege ligaſti.

Hi ſunt ſecretarum artium ritus, quibus afflantur neſcio quas poteſtates, ut Arnobius loquitur, (*lib. II. adverſus gentes pag.* 52.) καταναγκαζομένας δούλας τὰς ἐπῳδὰς πεποιηκότες, quaſi eas ſibi famulas carminibus feciſſent, ut Clemens (*in Protrept. fol.* 39.) explicat. Minarum formula eſt apud Jamblichum in myſteriis Ægyptiorum libro VI. capite 5. 6. 7. Habet eadem Lucanus libro IX. *** in verbis Minoris Pompeji, & ex Porphyrio Euſebius lib. V. cap. 10. (*aut potius cap.* 8. *ſeqq.*) Præpar. Alias formulas comminationum habes apud Lucanum, **** ubi de Erichtho agit; & Papinium, ***** ubi de Tireſia.

* Luculentiora ſunt *lib. II. de natura deor. cap.* 23.

** Depromſit oraculum hoc una cum ſequentibus autor ex *Euſebio lib. V. præparat. ev. cap.* 8. & *Theodoreto Therapeut. ſerm. X. fol.* 627. *ſeq. tom. IV. opp.*

*** *v.* 158. *ſeqq.*

**** *lib. VI. v.* 438. *ſeqq.* 695. *ſeqq.*

***** *lib. IV. Thebaid. v.* 470. *ſeqq.*

conſtet, in verbis nullam talem vim eſſe poſſe ſitam, ſed ſuadendi tantum, idque pro modo ſignificationis. Eſt & illorum nequitiæ indicium, quod 4 in amorem ſæpe hujus aut illius, hunc illumve renitentem ſe pellecturos ſuſcipiebant, aut vana pollicitatione, aut effectu injurioſi; 5 cum hoc etiam humanæ leges tamquam veneficium interdicant. Neque eſt, quod miretur quiſquam, paſſum eſſe ſummum Deum, ut mira quædam a pravis ſpiritibus ederentur; 6 cum deludi talibus præſtigiis meriti eſſent, qui a veri Dei cultu pridem defecerant. Tum vero impotentiæ eorum argumentum, quod eorum opera nullum inſigne bonum ſecum adferebant. Nam & ſi qui viſi ſunt in vitam revocari, non permanſerunt in vita, nec viventium functiones exercuerunt. Quod ſi quid aliquando a divina pollentia procedens in Paganorum conſpectu apparuit, non tamen prædictum eſt id eventurum, ad probandam ipſorum religionem; unde nihil impedit, quo minus divina efficacia cauſas ſibi longe alias propoſitas habuerit. Exempli cauſa, ſi verum eſt per Veſpaſianum cœco viſum eſſe redditum, factum id eſt 7 ut is hac re venerabilior imperium Romanum facilius adipiſceretur: lectus quippe Deo judiciorum ipſius in Judæos miniſter: ſimileſque aliorum prodigiorum cauſæ exſiſtere potuerunt, quæ cum religione nihil haberent commune.

§. IX. *Et ab oraculis.*

Eadem ferme omnia aptari poſſunt & ad id ſolvendum, quod de oraculis opponunt, præcipue quod diximus, meritos eos homines, ut ſibi illuderetur, contemptis illis notitiis, quas cuique ratio aut vetuſtiſſima traditio ſuggerit. Tum vero 1 verba oraculorum ferme ambigua, & quæ facile interpretationem ex qualicumque eventu acciperent. Quod ſi quid definitius prædictum ab illis, non tamen neceſſe eſt ab omniſcia mente profectum; cum aut talia ſint, quæ ex cauſis naturalibus jam exiſtentibus præſentiri poterant, 2 ſicut medici quidam venturos morbos prædixerunt; aut probabiliter ex eo, quod plerumque evenit, conjectari, 3 quod & a rerum civilium peritis factum ſæpe legimus. Quod ſi quando etiam apud Paganos, aliquorum vatum opera uſus eſt Deus ad ea prædicenda, quæ cauſas certas nullas, extra Dei voluntatem, habere poterant; non id pertinuit ad confirmandam religionem Paganicam, ſed magis ad eam evertendam: qualia ſunt, 4 quæ apud Maronem exſtant ecloga quarta, ex Sibyllinis carminibus deprompta; quibus ille, id neſciens, Chriſti adventum & beneficia nobis depingit. Sic in iiſdem Sibyllinis erat, 5 pro Rege agnoſcendum, qui vere Rex noſter eſſet, & 6 ab oriente venturum, qui rerum omnium potiretur. 7 Apollinis oraculum apud

4 *in amorem ſæpe hujus aut illius, hunc illumve renitentem ſe pellecturos ſuſcipiebant.*) Vide Pharmaceutriam Theocriti (*Idyllio β.*) & Virgilii. (*ſeu eclog. VIII. v. 62. ſeqq.*) Vide Porphyrii confeſſionem apud Euſebium lib. V. præparat. cap. 17. (*rectius 7.*) & apud Auguſtinum libro X. de civitate Dei cap. XI. Vide eumdem Porphyrium libro II. (*pag. 199. & 204.*) de non eſu animantium, & Origenem contra Celſum libro VII. *

5 *cum hoc etiam humanæ leges tamquam veneficium interdicant.*) L. ejusdem. §. adjectio. D. ad legem Corneliam de ſicariis & veneficis. L. ſi quis §. qui abortionis. D. de pœnis. (*Vid. digeſt. lib. XLVIII. tit. VIII. leg. 3. §. 2. it. tit. XIX. leg. 38. §. 5.*) Paulus ſententiarum lib. V. tit. XXIII. (*§. 7. & 8.*)

6 *cum deludi talibus præſtigiis meriti eſſent, qui a veri Dei cultu pridem defecerant.*) Deut. XIII. 3. 2. Theſſ. II. 9. 10. Epheſ. II. 2. 3.

7 *ut is hac re venerabilior imperium Romanum facilius adipiſceretur.*) Tacitus hiſtoriarum IV. (*cap. LXXXI. §. 1.*) *Multa miracula evenere, quis cœleſtis favor & quædam in Veſpaſianum inclinatio numinum oſtenderetur.*) Dixerat ante hiſtoriarum I. (*cap. X. §. 6.*) *Occulta lege fati & oſtentis ac reſponſis deſtinatum Veſpaſiano liberisque ejus imperium poſt fortunam credidimus.* Suetonius eadem miracula narraturus ſic præfatur cap. 7. *Auctoritas & quaſi majeſtas quædam, ut ſcilicet inopinato & quaſi novo principi deerat: hæc quoque acceſſit.* Eumdem Suetonium vide paulo ante cap. 5. Joſephus de eodem Veſpaſiano libro belli Judaici III. cap. 27. ** *Τῦ Θεῦ διεγείροντος αὐτὸν εἰς ἡγεμονίαν ἤδη, καὶ τὰ σκῆπτρα δι᾽ ἑτέρων σημείων προδεικνύντος. Deo jam illum excitante ad principatum, aliisque etiam ſignis ei ſceptra præſignificante.*

1 *verba oraculorum ferme ambigua.*) Vide Oenomai hac de re loca apud Euſebium lib. IV. cap. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. Hinc Phœbus dictus Græcis Λοξίας. Flexiloqua & obſcura oracula Apollinis dicit Cicero de divinatione II. (*cap. 56.*) *Utrum eorum accidiſſet*, inquit, *verum oraculum fuiſſet.*

2 *ſicut medici quidam venturos morbos prædixerunt.*) Chalcidius ad Timæum: (*pag. 275.*) *Aut enim alitum volatu, aut extis, aut oraculis homines præmonentur, prædicente aliquo propitio dæmone, qui ſit eorum omnium quæ deinceps ſequuntur ſcius, perinde ut ſi medicus juxta diſciplinam medendi prædicat vel exitium, vel ſanitatem.* Et terræ motus Anaximander & Pherecydes. Plin. lib. II. cap. 79.

3 *quod & a rerum civilium peritis factum ſæpe legimus.*) Scriptor vitæ Attici: (*cap. XVI. §. 3. ſeqq.*) *Ei rei ſunt indicio præter eos libros, in quibus de eo facit mentionem* (Cicero) *qui in vulgus jam ſunt editi, ſexdecim volumina epiſtolarum, ab conſulatu ejus usque ad extremum tempus ad Atticum miſſarum: quæ qui legat, non multum deſideret hiſtoriam contextam illorum temporum. Sic enim omnia de ſtudiis principum, vitiis ducum, mutationibus reipublicæ perſcripta ſunt, ut nihil in iis non appareat: & facile exiſtimari poſſit, prudentiam quodammodo eſſe divinationem. Non enim Cicero ea ſolum, quæ vivo ſe acciderunt, futura prædixit, ſed etiam quæ nunc uſu veniunt, cecinit ut vates.* Cicero vere de ſeipſo libri ſexti epiſtola ſexta: *Quo in bello nihil adverſi accidit, non prædicente me. Quare, quam ut augures & aſtrologi ſolent, ego quoque augur publicus ex meis ſuperioribus prædictis conſtitui apud te auctoritatem augurii & divinationis meæ, debebit habere fidem noſtra prædictio. Non igitur ex alitis involatu, nec ex cantu ſiniſtro oſcinis, ut in noſtra diſciplina eſt, nec ex tripudiis ſoliſtimis aut ſomniis tibi auguror: ſed habeo alia ſigna quæ obſervem.* Sic Solon prædixit a Munychia maxima mala Athenis fore: Thales in vico, tunc deſpecto, forum aliquando Mileſiorum futurum. Plutarchus Solone. (*tom. I. opp. fol. 84.*)

4 *quæ apud Maronem exſtant ecloga quarta.*) Vide Auguſtinum de civitate Dei lib. X. cap. 27.

5 *pro Rege agnoſcendum, qui vere Rex noſter eſſet.*) Cicero meminit II. de divinatione. (*cap. 54.*)

6 *ab oriente venturum qui rerum omnium potiretur.*) Suetonius de Veſpaſiano cap. 4. Tacitus hiſtoriarum IV. (*verius lib. V. cap. XIII. §. 3.*)

7 *Apollinis oraculum apud Porphyrium legitur.*) Vide Auguſtinum de civitate Dei libro XX. (*potius XIX.*) cap. 23. & Euſebium præparationis IV. cap. 4. (*verius lib. IX. cap. 10.*) Idem Porphyrius in libro de oraculis.

* Non procul a fine *pag.* 378.

** Secundum Græcorum capitum numerum, prout vero in verſione latina diſtinguuntur, *cap. XIV. fol.* 854.

apud Porphyrium legitur, quo ait, cæteros Deos aerios eſſe ſpiritus, colendum autem unum Hebræorum Deum: cui dicto ſi parent Apollinis cultores, jam tales eſſe deſinunt: ſi non parent, ſuum Deum mendacii accuſant. Adde jam, quod, ſi ſpiritus illi ſuis oraculis conſultum voluiſſent humano generi, ante omnia generalem propoſuiſſent vivendi normam, & certam fidem feciſſent remunerationis, quæ maneret ita viventes, quorum neutrum ab ipſis factum eſt. Contra 8 laudati ſæpe eorum carminibus reges quamvis improbi, 9 pugilibus decreti honores divini, 10 pellecti homines in amores etiam non legitimos, 11 ad mala lucra captanda, 12 ad cædes faciendas, quæ multis exemplis demonſtrari poſſent.

§. X. *Rejicitur Paganica religio ex eo, quod ſponte defecerit, ſimul ac humana auxilia defuerunt.*

Tum vero ingens nobis præter ea, quæ ſupra ſunt allata, argumentum ſuppeditat contra ſe Pagana religio; eo quod, ubicumque humana vi deſtituta eſt, plane concidit, tamquam ſublato, quo uno ſtabat. Nam ſi oculos circumferas per quotquot ſunt imperia Chriſtianorum aut Mahumetiſtarum; videbis Paganiſmi nullam niſi in libris memoriam. Imo docent hiſtoriæ, etiam illis temporibus, cum Imperatores aut vim & ſupplicia, ut priores; aut eruditionem & ſolertiam, ut Julianus, adhiberent ad ſuſtentandam religionem Paganicam, in dies ei aliquid deceſſiſſe; non oppoſita vi ulla, non generis fulgore (fabri enim filius * vulgo Jeſus habebatur.) non litterarum flore, cujus expers fuit oratio Chriſti legem docentium, non donis (pauperes quippe illi erant,) non ulla aſſentatione, cum contra omnia commoda ſpernenda, nihil non adverſi ejus legis cauſa ſubeundum dicerent. Vide quanta fuerit Paganiſmi imbecillitas, cum talibus auxiliis deſtructus ſit. Neque tantum credulitas Paganorum evanuit ad illam doctrinam; ſed & ipſi ſpiritus ad Chriſti nomen 1 exceſſerunt e corporibus, compreſſerunt vocem, & interrogati de ſilentii cauſa, 2 dicere ſunt coacti, nihil ſe poſſe, ubi Chriſtus invocaretur.

§. XI. *Reſponſio ad id, quod religionis ortus & interitus aſtrorum efficaciæ adſcribitur.*

Fuere philoſophi, qui ut ortum ita interitum religionis cujuſque aſtris adſcriberent. Sed ipſa, quam iſti ſcire ſe profitentur, ſideralis ſcientia tam diverſis ſub normis traditur; 1 ut nihil in ea certi reperiatur, præter hoc ipſum, certi eſſe nihil. Non de illis loquor effectibus, qui ex natura neceſſitate cauſarum ſequuntur; ſed de his, 2 qui ab humana procedunt voluntate, quæ ita ſuapte vi libera eſt, ut nihil ei neceſſitatis extrinſecus imprimi poſſit. Quod ſi ex impreſſione tali neceſſario ſeque-

culis. * τὴν δὲ εὕρετον ὁ θεὸς Αἰγυπτίους ἐμαρτύρησε, Φοίνικάς τε καὶ Χαλδαίους, Λυδούς τε καὶ Ἑβραίους. *Veræ viæ repertores Deus* (Apollo ſcilicet) *eſſe teſtatur Ægyptios, Phœnicas, Chaldæos, Lydos & Hebræos.* Paræneticus ad Græcos inter Juſtini opera hoc citat oraculum. (*fol.* 12. *it.* 23.)

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίην λάχον, ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι,
Αὐτογένητον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἁγνῶς.
Soli Chaldæi ſapiunt, & Hebræa virum gens,
Qui puro haud genitum venerantur pectore numen.

Et illud: (*circa fin. parænef. fol.* 136. *opp.*)

Ὃ πρῶτον πλάσας μερόπων, Ἀδάμ τε καλέσας.
Qui primum finxit mortalem, Adamque vocavit.

De ipſo Jeſu Hecates oracula ſunt duo, quæ ex Porphyrio tranſcripſit Euſebius in evangelica demonſtratione. (*lib. III. cap.* 9.)

Ὅττι μὲν ἀθανάτη ψυχὴ μετὰ σῶμα προβαίνει,
Γιγνώσκει σοφίῃ τετιμημένος· ἀλλά γε ψυχὴ
Ἀνέρος εὐσεβίῃ προφερεστάτη ἐστὶν ἐκείνου.
Morte carere animas exutas corpore novit
Quemcunque exornat ſapientia: ſed pietate
Eſt anima illius quæ longe excelluit omnes.
Σῶμα μὲν ἀδρανέσιν βασάνοις αἰεὶ προβέβληται,
Ψυχὴ δ' εὐσεβέων εἰς οὐράνιον πόλον ἵζει.
Illius invalidos corpus tulit usque dolores:
Aſt anima adſcendit cœleſtia templa piorum.

Eorumdem meminit ex eodem Porphyrio Auguſtinus lib. XIX. cap. 23. de civitate Dei, ubi & aliud adfert oraculum, quo Apollo dixerit, legem omnium Deorum eſſe patrem, quem valde ſancti honorant Hebræi.

8 *laudati ſæpe eorum carminibus Reges quamvis improbi.*) Vide ea quæ adfert Oenomaus apud Euſebium præparationis evangelicæ lib. V. 23. (*rectius forte* 33.) & cap. 35.

9 *pugilibus decret. honores divini.*) Ibidem cap. 32. (34.) de Cleomede. Habet hoc & Origenes contra Celſum III. (*pag.* 125.)

10 *pellecti homines in amores etiam non legitimos.*) Oſtendimus jam ſupra. (*§. VIII. not.* 4. *pag. præced.*)

11 *ad mala lucra captanda.*) Vide Euſebium præparationis V. cap. 22.

12 *ad cædes faciendas.*) Oenomaus oracula hujus generis recitat, quæ reperies dicto jam Euſebii libro cap. 19. & 27.

1 *exceſſerunt e corporibus, compreſſerunt vocem.*) Actor. V. 16. VIII. 7. XVI. 18.

2 *dicere ſunt coacti nihil ſe poſſe, ubi Chriſtus invocaretur.*) Tertullianus apologetico. (*cap. XXIII.*) Vide & Lucianum Pſeudomanti. (*pag.* 878. *ſeq.* 888. *tom. I. opp.*) Apollo in Daphne: ** Νεκρῶν τὸ χωρίον ἡ Δάφνη μεστόν· καὶ τοῦτο κωλύει τὸν χρησμόν. *Locus hic Daphne, plenus mortuis: id oracula impedit.* Mortui illi erant Babylas & alii Chriſtiani martyres. Vide Chryſoſtomum contra gentiles. (*loc. infra not.* *** *cit.*)

1 *ut nihil in ea certi reperiatur præter hoc ipſum, certi eſſe nihil.*) Vide egregiam hac de re Bardeſanis Syri diſſertationem, quam reperies in Philocalia *** de Origene collecta, & apud Euſebium præparationis lib. VI. cap. 10.

2 *qui ab humana procedunt voluntate, quæ ita ſuapte vi libera eſt, ut nihil ei neceſſitatis extrinſecus imprimi poſſit.*) Vide Alexandrini Aphrodiſæi hac de re librum. ****

---

* Ex quo id excerpſerunt *Euſebius lib. IX. præparat. ev. cap.* 10. & *Theodoretus therapeut. ſerm. I. fol.* 472. *tom. IV. opp.*

** Apollinis hoc oraculum *Chryſoſtomus* notavit in *libro*, qui ſecundum quosdam primus eſt *contra gentiles* atque *homiliæ de S. Babyla martyre* ſubjicitur, *tom I. opp. fol.* 676.

*** Noli credere, te *Bardeſanis* diſſertationem in *Philocalia Origenis* reperturum. Ipſi *Origeni* tribuenda, quæ ibi *cap. XXIII. pag.* 75. *ſeqq.* ex *commentariis* ejus *ad Geneſ. I. v.* 14. repetitur, de virtute aſtrorum in res humanas diſputatio, adeo docta ac elegans viſa *Euſebio*, ut eam integram tranſcriberet *præparat. Ev. lib. VI. cap.* 11.

**** Quem inſcripſit Περὶ εἱμαρμένης καὶ τοῦ ἐφ' ἡμῖν, *de fato, deque eo, quod in noſtra poteſtate eſt*, cujus partem dedit *Euſebius lib. VI. præparat. Evang. cap.* 9. interpretationem vero *Grotius* ipſe in *philoſophorum ſententiis de fato collectis.* Pariſ. MDCXLVIII. editis.

Digitized by Google

ſequeretur actus voluntatis, jam vis in anima deliberandi atque eligendi, 3 quam ſentimus ipſi, fruſtra eſſet data, 4 omniumque legum, præmiorumque ac pœnarum æquitas ſublata; cum neque culpa, neque meritum eſſe poſſit in eo, quod plane ſit inevitabile. Tum vero cum actiones voluntatis malæ quædam ſint, ſi certa neceſſitate ex cœlo procedunt, eo quod cœlo cœleſtibusque corporibus vim talem Deus attribuerit; jam ſequetur Deum, qui perfectiſſime bonus eſt, 5 malitiæ moralis veram eſſe cauſam; & cum lege poſita profiteatur ſe deteſtari malitiam, cujus vim effectricem atque inevitabilem inſeruerit ipſis rebus, velle eum duo quæ inter ſe ſunt contraria, ut idem fiat & non fiat: & peccari in eo, quod quis agat divino impulſu. Probabilius ab aliis dicitur, aſtrorum influxibus aerem primum, deinde & corpora noſtra contingi, & qualitates quaſdam imbibere, quæ plerumque in animo excitent reſpondentes ſibi appetitiones: ab his autem voluntatem illici, & iis obſequi ſæpe. Verum hoc ita conceſſum nihil facit ad eam, quam tractare cœpimus, quæſtionem. Nam Chriſti religio cum homines vel maxime abducat ab iis, quæ corpori placent, ex corporis affectibus ortum habere non potuit, ac proinde nec e vi ſiderum, quæ, ut diximus, in animum non agunt, niſi per eos affectus. Prudentiſſimi Aſtrologorum 6 eximunt a ſiderum legibus viros vere ſapientes ac bonos: at tales revera fuere, qui primi Chriſtianam religionem ſuſceperunt, quod vita ipſorum probat. Quod ſi eruditioni quoque ex litteris aliquam vim damus, adverſus corporis contagium; fuerunt ſemper inter Chriſtianos etiam, qui hac laude florerent. Tum vero ſiderum effectus, ut doctiſſimi fatentur, certas mundi plagas reſpiciunt, & temporarii ſunt. Hæc autem religio jam per mille ſexcentos annos durat, nec in una, ſed in diſſitiſſimis mundi partibus, & quæ longe ſub alio ſunt ſiderum poſitu.

§. XII. *Oſtenditur præcipua Chriſtianæ religionis probari a ſapientibus Paganorum: & ſi quid in ea eſt difficile creditu, paria apud Paganos reperiri.*

Eo vero minus Pagani habent, quo Chriſtianam religionem oppugnent, quod ejus partes ſingulæ tantæ ſunt honeſtatis, ut ſuapte luce animos quaſi convincant; ita ut inter Paganos quoque non defuerint, qui dixerint ſingula, quæ noſtra religio habet univerſa: utpote 1 religionem non in ritibus,

3 *quam ſentimus ipſi.*) Euſebium vide præparat. evangel. libro VI. cap. 6. (*fol.* 244. *ſeqq.*)

4 *omniumque legum, præmiorumque ac pœnarum æquitas ſublata.*) Juſtinus apologetico II. (*fol.* 80. *opp.*) Εἰ μὴ προαιρέσει ἐλευθέρᾳ πρὸς τὸ φεύγειν τὰ αἰσχρὰ καὶ αἱρεῖσθαι τὰ καλὰ δύναμιν ἔχει τὸ ἀνθρώπειον γένος, ἀναίτιόν ἐστι τῶν ὁπωσδήποτε πραττομένων. *Niſi enim electione libera facultatem habet humanum genus ut turpia fugiat, honeſta ſumat, in neutram partem ipſi adſcribenda actionis cauſa.* Vide & quæ ibidem ſequuntur. Tatianus: * Ἐλευθερία τῆς προαιρέσεως, ὅπως ὁ μὲν φαῦλος δικαίως κολάζηται, δι' αὐτὸν γεγονὼς μοχθηρός. ὁ δὲ δίκαιος ἐπαινῆται κατὰ τὸ αὐτεξούσιον, τοῦ Θεοῦ μὴ παραβὰς τὸ βούλημα. *In hoc data voluntati libertas, ut qui malus eſt puniatur juſte, quippe ſua culpa factus improbus: qui vero juſtus eſt, laudetur, ut qui eadem libertate caverit divina violare præcepta.* Adde Chalcidii hac de re diſputationem in Timæo, (*pag.* 246. *ſeqq*)

5 *malitiæ moralis veram eſſe cauſam.*) Contra quam dixit Plato de republica II. ** Αἰτία ἑλομένου· Θεὸς δ' ἀναίτιος. *Cauſa penes optantem: Deus extra culpam.* Ut vertit in Timæo Chalcidius, (*pag.* 245.) quod cum Moſe congruere ait Juſtinus dicto loco. (*apolog. II. fol.* 81.)

6 *eximunt a ſiderum legibus viros vere ſapientes ac bonos.*) Zoroaſter: (*oracul. X. v.* 254.) Μὴ σύγε αὔξανε τὴν εἱμαρμένην. *Fatum augere noli.* Ptolemæus ***: Δύναται ὁ ἐπιστήμων πολλὰς ἀποστρέψαι ἐνεργείας τῶν ἀστέρων. *Poteſt vir ſapiens multas aſtrorum efficientias avertere.*

1 *religionem non in ritibus, ſed in animo eſſe poſitam.*) Menander: ****

> Θεῷ δὲ θῦε διὰ τέλους δίκαιος ὤν,
> Μὴ λαμπρὸς ὢν ταῖς χλαμύσιν ὡς τῇ καρδίᾳ.
> *Deo ſacrifica ſemper ingenio probo,*
> *Neu tu album veſtem magis quam mores induas.*

Cicero de natura Deorum II. (*cap.* 28.) *Cultus autem Deorum eſt optimus, idemque caſtiſſimus atque ſanctiſſimus, pleniſſimusque pietatis, ut eos ſemper pura, integra, incorrupta & mente & voce veneremur.* Idem de legibus II. (*cap.* 10.) *Caſte jubet lex adire ad Deos: animo videlicet, in quo ſunt omnia.* Perſius Satyra II. (*v.* 71. *ſeqq.*)

> *Quin damus, id ſuperis, de magna quod dare lance*
> *Non poſſit magni Meſſalæ lippa propago,*
> *Compoſitum jus, faſque animo, ſanctosque receſſus*
> *Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto;*
> *Hoc cedo, ut admoveam templis, & farre litabo.*

Qui verſus reſpicere videntur Pythiæ oraculum, quod eſt apud Porphyrium de non eſu animantium ſecundo, (*pag.* 145. & 147. *ſeqq.*) ubi aliquid a viro pio oblatum Hecatombis alterius præfertur. Eodem libro (*pag.* 154. *ſeq.*) hæc habet paris argumenti Porphyrius: Νῦν δὲ ἐσθῆτα μὲν λαμπρὰν περὶ σῶμα καὶ καθαρὰν ἀμφιεσαμένοις, οὐκ ἀρκεῖν νομίζουσι πρὸς τὸ τῶν θυσιῶν ἁγνόν· ὅταν δὲ τὸ σῶμα μετὰ τῆς ἐσθῆτός τινες λαμπρυνάμενοι μὴ καθαρὰν κακῶν τὴν ψυχὴν ἔχοντες, ἴωσι πρὸς τὰς θυσίας, οὐδὲν διαφέρειν νομίζουσιν, ὥσπερ οὐ τῷ θειοτάτῳ τῶν ἐν ἡμῖν χαίροντα μάλιστα τὸν Θεὸν διακειμένῳ καθαρῶς, ἅτε συγγενεῖ πεφυκότι. ἐν γοῦν Ἐπιδαύρῳ προεγέγραπτο,

> Ἁγνὸν δὲ ναοῖο θυώδεος ἔνδον ἰόντα
> Ἔμμεναι. - - -

ἁγνεία δ' ἐστὶ φρονεῖν ὅσια. *Nunc vero eum qui non candida puraque amictus ſit veſte, idoneum negant qui pure ſacrificet. Ubi vero & corpore & veſtitu nitentes quidam, animum interim a malis purum non habent, & ſic ad ſacra accedunt, id nihil referre exiſtimant; quaſi non Deus maxime delectetur, eo quod in nobis diviniſſimum eſt bene ſe habente, ut cui cum ipſo ſit cognatio. At vero in Epidauri templo præſcriptum erat,*

> *Caſtus odorati venias ad limina templi,*
> *Fas jubet.* - - -

Caſtimonia

* Verba ejus in *orat. contra Græc. fol.* 146. noſtræ editionis ita proponuntur, ut non ſimplici vice ſint interpolanda. Primum eorum initium hoc pacto efferendum: Τῇ δὲ ἐλευθερίᾳ τῆς προαιρέσεως ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων ἀπολελυμένον ὅπως &c. Deinde inter δίκαιος & ἐπαινῆται interponendum: χάριν τῶν ἀνδραγαθημάτων ἄξιος.

** Quanquam de malorum cauſis omnino diſputet *Plato*, omnemque iſtorum culpam a Deo ſtudioſe removeat *lib. II. de Republ. fol.* 605. *ſeqq. opp.* hoc tamen effatum, quod apud *Juſtinum* eſt loco allegato, inter cætera non obſervo.

*** Si quid hujus habet, puto id fieri in *quadripartita conſtructione*, ſeu *de judiciis aſtrorum libris IV.* Et ſane rem ipſam *lib. I. cap.* 3. quo docet, *aſtronomicarum prævifionum ſcientiam utilem eſſe*, invenio; de verbis vero ipſis judicare haud valeo, cum Græca inſpicere mihi datum haud fuerit.

**** Siſtunt nobis ejus verſus *Euſebius præparat. Evang. lib. XIII. cap.* 13. *fol.* 683. atque *Clemens Alex. lib. V. ſtrom. fol.* 606. Cum vero apud *Euſebium* alia ſit illorum forma, licet idem ſenſus; apparet inde, *Grotium* in tranſcribendo eos *Clementem Alexandr.* ſecutum eſſe.

ritibus, ſed in animo eſſe poſitam; 2 adulterum eſſe etiam, qui adulterium committere voluit; 3 non reponendam injuriam; 4 uni marito unam uxorem jungendam; 5 fœdus matrimonii debere eſſe perpetuum; 6 hominis officium eſſe homini cuivis benefacere, 7 præſertim egenti; 8 juramento quan-

Caſtimonia autem in eo ſita eſt, ut ſancta cogites. Et aliquando poſt: (*pag.* 185.) Θεῷ μὲν τῷ ἐπὶ πᾶσιν, ὥς τις ἀνὴρ σοφὸς ἔφη, μηδὲν τῶν αἰσθητῶν μήτε θυμιῶντες, μήτε ἐπονομάζοντες· οὐδὲν γάρ ἐστιν ἔνυλον ὃ μὴ τῷ ἀΰλῳ εὐθύς ἐστιν ἀκάθαρτον. διὸ οὐδὲ λόγος τούτῳ ὁ κατὰ φωνὴν οἰκεῖος· οὐδ' ὁ ἔνδον, ὅταν πάθει ψυχῆς ᾖ μεμολυσμένος. *Deo ei qui ſuper omnia eſt, ut vir quidam ſapiens dixit, nihil eorum quæ materiam habent aut adoleri, aut indigetari debet. Nihil enim eſt materiæ particeps, quod non impurum ſit materia carenti, quare nec ſermo illi convenit qui voce exprimitur: ac ne ille quidem internus, ſi ex animi perturbationibus vitium contraxerit.* Iterum ibidem: (*pag.* 210. *ſeq.*) Οὐ γὰρ δὴ ἐν μὲν ἱεροῖς ὑπ' ἀνθρώπων θεοῖς ἀφωρισμένοις, καὶ τὰ ἐν ποσὶ καθαρὰ δεῖ εἶναι καὶ ἀκηλίδωτα πέδιλα, ἐν δὲ τῷ νεῷ τοῦ πατρὸς, τῷ κόσμῳ τούτῳ, τὸν ἔσχατον καὶ ἐκτὸς ἡμῶν χιτῶνα τὸν δερμάτινον οὐχ ἁγνὸν προσήκει διατηρεῖν, καὶ μεθ' ἁγνοῦ διατρίβειν ἐν τῷ νεῷ τοῦ πατρός. *Neque enim convenit, ut in iis templis, quæ homines Diis dicarunt, etiam pedum vincula pura requirantur, & ſine maculo calcei, in templo vero ſummi patris, mundo hoc ſcilicet, non oporteat puram ſervare illam externam noſtri corporis ultimam e pellibus veſtem, eaque quam caſtiſſima verſari in illo patris templo.* Ne hoc quidem ex eodem libro (*pag.* 233.) omittam: Πεισθεὶς δὲ ὅτι τούτων χρείαν οὐκ ἔχουσιν οἱ θεοὶ, εἰς δὲ τὸ ἦθος ἀποβλέπουσι τῶν προσιόντων, μεγίστην θυσίαν λαμβάνοντες τὴν ὀρθὴν περὶ αὐτῶν τε καὶ τῶν πραγμάτων διάληψιν, πῶς οὐ σώφρων καὶ ὅσιος καὶ δίκαιος ἔσται; *Qui vero perſuaſus eſt victimis suis non egere Deos, ſed ad animum ſpectare offerentis, optimumque eis conferri ſacrificium, rectam tum de diis, tum de rebus ſententiam, quomodo non is temperans, pius juſtusque evadat?* Ubi tria iſta nota quæ apud Paulum Tit. II. 12. σωφρόνως καὶ δικαίως καὶ εὐσεβῶς, *temperanter, juſte, & pie.* Charondas * in legum anteloquio: Ἔχειν τὴν ψυχὴν καθαρὰν πάσης κακίας, ὡς τῶν θεῶν οὐ χαιρόντων τῶν πονηρῶν θυσίαις τε καὶ δαπάναις, ἀλλὰ ταῖς τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν δικαίαις τε καὶ καλαῖς ἐπιτηδεύσεσι. *Omnis malitia pura mens eſto: neque enim gaudent Dii pravorum hominum ſacrificiis & impendiis, ſed juſtis & honeſtis bonorum actionibus.* Seneca Lactantio prolatus, lib. VI. Inſtitutionum, capite 25. (§. 3.) *Vultisne Deum cogitare magnum & placidum & majeſtate leni verendum, amicum & ſemper in proximo? Non immolationibus & ſanguine multo colendum,* ** *ſed mente pura, honeſtoque propoſito. Non templa illi, congeſtis in altitudinem ſaxis, exſtruenda ſunt, in ſuo cuique conſecrandus eſt pectore.* Sensum eundem habes apud Dionem Pruſæenſem orat. 3. (*fol.* 45. *edit. Fed. Morelli Lutet.* 1604.) Thucydides lib. I. *** Ἑορτὴ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ τὸ τὰ δέοντα πρᾶξαι. *Feſtus dies nihil eſt aliud quam officium facere.* Diogenes: **** Ἀνὴρ ἀγαθὸς οὐ πᾶσαν ἡμέραν ἑορτὴν ἡγεῖται; *Vir bonus, nonne omnem diem feſtum habet?*

2 *adulterum eſſe etiam, qui adulterium committere voluit.*) Ovidius. (*lib. III. amor. eleg. IV. v.* 4.)

Quæ quia non licuit, non facit, illa facit.
Ut jam ſervaris bene corpus, adultera mens eſt,
Omnibus excluſis intus adulter erit.

Seneca pater: (*excerpt. contr. lib. VI. controverſia* 8.) *Inceſta eſt etiam ſine ſtupro, quæ cupit ſtuprum.* Alibi: ***** *Non immerito in numerum peccantium refertur, quæ pudicitiam timore præſtitit, & non ſibi.*

3 *non reponendam injuriam.*) Plato Critone (*fol.* 36. *ſeq. opp.*) Maximus Tyrius diſſertatione ſecunda, (*tota*) Menander: ******

Οὗτος κράτιστός ἐστ' ἀνὴρ, ὦ Γοργία,
Ὅς τις ἀδικεῖσθαι πλεῖστ' ἐπίσταται βροτῶν.
O Gorgia ille vir, virorum eſt optimus,
Qui melius aliis callet ferre injurias.

Ariſton Spartianus: ******* *Dicenti cuipiam, regium eſſe amicis bene, inimicis male facere: imo inquit amicis benefacere: inimicos amicos reddere.* Et apud Plutarchum (*Dione tom. I. opp. fol.* 978.) Dion ille, Siciliæ liberator, philoſophici ſtudii veram demonſtrationem in eo ait poſitam, non ut quis in amicos benignus ſit; ſed ſi quis, injuria affectus, ſit exorabilis & clemens in eos qui peccarunt.

4 *uni marito unam uxorem jungendam.*) Vide quæ ſupra ex Salluſtio & aliis ad hanc rem attulimus. Euripides Andromache: (*v.* 177. *ſeqq.*)

—— οὐδὲ γὰρ καλὸν
Δυοῖν γυναικοῖν ἄνδρ' ἕν' ἡνίας ἔχειν.
Ἀλλ' εἰς μίαν βλέποντες εὐναίαν Κύπριν
Στέργουσιν, ὅς τις μὴ κακῶς οἰκεῖν θέλει.
—— *non etenim decet*
Unum imperare feminis binis virum.
Contentus uno conjugis vivat toro,
Quicumque cupiet rite curatam domum.

In ejusdem tragœdiæ choro plura ſunt in hunc ſenſum.

5 *fœdus matrimonii debere eſſe perpetuum.*) Quale fuit apud Romanos, ad annum urbis viceſimum & quingenteſimum, Valerio Maximo teſte lib. II. cap. 1. (*Ex.* 4.) Anaxandrides in hunc ſenſum: ********

Ὁ γὰρ δίαυλός ἐστιν αἰσχύνην ἔχων.
Reciprocum iter hoc numquam vacat infamia.

6 *hominis officium eſſe homini cuivis benefacere.*) Terentius Heautontimorumeno: (*Act. I. Scen. I. v.* 25.)

Homo ſum: humani nihil a me alienum arbitror.

Inter nos cognationem quandam natura conſtituit, ait Florentinus Juriſconſultus L. Ut vim D. de juſtitia. (*lib. I. digeſt. tit. I. leg.* 3.) Eodem ſpectat proverbium, *homo homini Deus.* Cicero de officiis primo, (*cap.* 7.) hominibus inter ipſos, omnibus inter omnes, ſocietatem eſſe ait.

7 *præſertim egenti.*) Horatius lib. II. ſat. II. (*v.* 103.)

Cur eget indignus quisquam te divite?

In Mimo: (*ſentent. v.* 88.)

Bona comparat præſidia miſericordia.

8 *juramento quantum fieri poteſt abſtinendum.*) Pythagoras: ********* μὴ ὀμνύναι θεούς· ἀσκεῖν γὰρ αὑτὸν δεῖν ἀξιόπιστον παρέχειν. *Non jurandum per deos: quemque enim id curare debere ut nec jurato ſibi credatur.* Quod ipſum late ad aureum carmen explicat Hierocles. (*ad v. ſcil.* 2. *pag.* 33. *ſeqq. commentar. edit. Londinenſ. an.* 1654.) M. Antoninus lib. III. (*cap.* 5.) in viri boni deſcriptione, μήτε ὅρκου δεόμενος.

* *Zaleuco* piiſſimæ hujus legis vindicanda eſt gloria, monitore *Diodoro Siculo biblioth. hiſtor. lib. XII. fol.* 84.

** Non prætermittenda parentheſis, quam addidit *Lactantius*: (*quæ enim ex trucidatione immerentium voluptas eſt?*)

*** Talis eſt apud *Thucydidem lib. I. fol.* 46. edit. *Æm. Porti* A. MDXCIV. de Athenienſibus oratio: Καὶ μήτε ἑορτὴν ἄλλό τι ἡγεῖσθαι, ἢ τὸ τὰ δέοντα πρᾶξαι, quæ ita reddit *Laur. Valla*: *Et diem feſtum nihil aliud eſſe putant, quam conficere, quæ conducunt.*

**** Quo autore illud *Diogenis* effatum *Grotius* referat, ego ſcire pervelim. Certe mihi, non *Diog. Laertium lib. VI. ſegm.* 20. *ſeqq.* quo & res geſtas & dicta illius percenſet, non *Dionem Chryſoſtomum* ſolum *orat. VI. VIII. ſeqq.* quibus plures *Diogenis* ſententiæ ſervantur: ſed etiam *Stobæi Florilegium*, illum doctrinarum philoſophorum theſaurum, perluſtranti, illud ante oculos non venit.

***** Cave, ab eodem *Seneca* patre hæc dicta putes; filius *Lucius Seneca* ita ſapienter ratiocinatur *lib. IV. de benefic. cap.* 14.

****** Apud *Stobæum ſentent. ſerm. V.* init. ſtatim *fol.* 63.

******* *Ariſton Spartianus* adeo non pro eo habendus, qui ſapientem illam ſententiam recenſeat, quem ſenſum verborum ſtructura ſuadere videtur, ut ipſe potius ejusdem autor ſit laudandus. Id quod pluribus nos condocet, locupletiſſimus ſcriptor, *Plutarchus* in *apophthegm. Lacon.* voce Ἀρίστων *fol.* 218. *tom. II. opp.*

******** Auctore *Stobæo ſerm. LXXII. ſentent. fol.* 437.

********* Cujus hoc placitum legas apud *Diog. Laertium lib. VIII. de vit. philoſoph. ſegm.* 22.

quantum fieri poteſt abſtinendum; 9 contentos nos in victu & veſtitu eſſe debere ad naturam neceſſariis. Quod ſi quid eſt in Chriſtiana religione creditu difficile, apud ſapientiſſimos Paganorum paria inveniuntur: quod de animorum immortalitate, & reditu corporum in vitam, ſupra oſtendimus. Sic Plato a Chaldæis edoctus 10 Divinam naturam diſtinguit in patrem; mentem paternam, quam & Dei germen vocat, mundi opificem; & animam qua cuncta contineantur. Cum humana natura divinam jungi poſſe, 11 Julianus tantus Chriſtianorum hoſtis credidit, & exemplum dedit in Æſculapio; quem volebat, ad tradendam hominibus medendi artem, de cœlo veniſſe. Crux Chriſti multos offendit: at quæ de Diis non narrant Paganorum auctores? alios famulos regum fuiſſe; fulminatos alios, diſſectos, vulneratos. Et vero lætius eſſe honeſtum, quoties magno ſibi conſtat, ſapientiſſimi ipſorum dixere. 12 Plato de republica II. quaſi præſcius, ait, ut vere juſtus exhibeatur, opus eſſe, ut virtus ejus omnibus ornamentis ſpolietur, ita ut ille habeatur ab aliis pro ſceleſto, illudatur, ſuſpendatur denique. Et certe ſummæ patientiæ exemplum ut exſtaret, aliter obtineri non poterat.

μετ. *Cui juramento uti non ſit opus.* Sophocles Oedipode Coloneo: (*v.* 642.)

Οὔ τοι σ' ὑφ' ὅρκου γ' ὡς κακὸν πιστώσομαι.
Nolo te adigere jurejurando, ut malum.

Clinias Pythagoricus trium talentorum litem perdere maluit, quam jurejurando rem veram affirmare. Narrat Baſilius de legendis Græcorum libris. (*fol.* 498. *tom. I. opp. edit. Pariſ.* 1638.)

9 *contentos nos in victu & veſtitu eſſe debere ad naturam neceſſariis.*) Euripides: *

Ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι πλὴν δυοῖν μόνον,
Δήμητρος ἀκτῆς, πώματος θ' ὑδρηχόου,
Ἅπερ πάρεστι καὶ πέφυχ' ἡμᾶς τρέφειν;
Homini quid eſt neceſſe, præterquam duo,
Cereale germen atque lympharum latex,
Quæ ſunt parata ſemper & vitæ ſatis?

Lucanus: (*lib. IV. v.* 381.)

Satis eſt populis fluviuſque Cereſque.

Ariſtides: Ἐσθῆτος γὰρ οἶμαι καὶ σκέπης καὶ τροφῆς δεόμεθα. *Opus nimirum habemus veſte, tecto & alimentis.*

10 *Divinam naturam diſtinguit.*) Plato epiſtola ad Dionyſium. ** Vide & Proclum in Timæum. Primum principium Plato vocat Patrem: Secundum principium, omnium cauſam & præſidem, in epiſtola (*quæ VI. inter epiſt. Plat. in fine.*) ad Hermiam, Eraſtum & Coriſcum. Id ipſum mentem vocat Plotinus libro V. περὶ τριῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων. (*ſeu Ennead. V. lib. I. cap.* 6. *ſeqq.*) Numenius Δημιουργὸν opificem, item filium, Amelius λόγον, ut videre eſt apud Euſebium libro XI. cap. 17. 18. 19. Vide & Cyrillum libro contra Julianum III. IV. & VIII. (*fol.* 97. *ſeq.* 145. 147. 270. *ſeqq.*) Chalcidius ad Timæum (*pag.* 267. *ſeq.*) Primum nominat ſummum Deum; ſecundum mentem, vel providentiam; tertium animam mundi, vel mentem ſecundam. Alibi tria hæc ſic diſcriminat: *** Ordinans jubens, inſinuans. De ſecundo ſic idem: (*ibid. pag.* 135.) *Ratio Dei Deus eſt humanis rebus conſulens, quæ cauſa eſt hominibus bene beateque vivendi, ſi non conceſſum ſibi munus ſummo a Deo negligant. Pythagorici ternarium numerum perfectum ſummo Deo aſſignant*, ait Servius ad eclogam ſeptimam. **** Unde non abit quod habet de iiſdem Pythagoricis Ariſtoteles primo de cœlo in ipſo initio. (*ſc. cap.* 1.)

11 *Julianus tantus Chriſtianorum hoſtis credidit.*) Libro VI. (*Cyrilli contra Julianum fol.* 200.) ὁ γὰρ Ζεὺς ἐν μὲν τοῖς νοητοῖς ἐξ ἑαυτοῦ τὸν Ἀσκληπιὸν ἐγέννησεν· εἰς δὲ τὴν γῆν διὰ τῆς ἡλίου γονίμου ζωῆς ἐξέφηνεν. οὗτος ἐπὶ γῆς ἐξ οὐρανοῦ ποιησάμενος πρόοδον, ἑνοειδῶς μὲν ***** περὶ τὴν Ἐπίδαυρον ἐφάνη, &c. *Jupiter inter ea quæ intellectu percipiuntur, de ſe Æſculapium genuit. Eundem terris cerni dedit, per ſolis vitam genitabilem. Hic vero ex cœlo in terram progreſſu facto unica ſpecie apud Epidaurum apparuit.* Porphyrius, verba ejus referente Cyrillo libro quem diximus VIII. (*fol.* 287.) Γένος εἶναί τι θεῶν, οἳ δὴ καὶ τρέπονται κατὰ καιροὺς εἰς ἀνθρώπους. *Genus quoddam Deorum eſſe, quod ſuo tempore in homines mutetur.* Quæ hac de re fuerit Ægyptiorum ſententia, vide Plutarchum VIII. Symp. quæſtione I. Adde his locum Actorum XIV. 10. (11.)

12 *Plato de republica II. quaſi præſcius ait.*) Græca ſic habent: (*fol.* 594. *opp.*) Μαστιγώσεται, στρεβλώσεται, δεδήσεται, ἐκκαυθήσεται τὼ ὀφθαλμώ, τελευτῶν, πάντα κακὰ παθὼν, ἀνασχινδυλευθήσεται. Unde Cicero illud ſumpſit, & in tertium de republica librum retulit: ****** *Bonus ille vir vexetur, rapiatur, manus ei denique auferantur, effodiantur oculi, damnetur, vinciatur, uratur.* Lactantius libro VI. inſtitutionum cap. 17. (§. 28.) hunc nobis locum Senecæ ſervavit: *Hic eſt ille homo honeſtus,* ******* *qui ſive toto corpore tormenta patienda ſunt, ſive flamma ore recipienda eſt, ſive extendendæ per patibulum manus, non quærit quid patiatur, ſed quam bene.* Talem nobis & Euripides ob oculos ponit iſtis verſibus: ********

Πίμπρη, κάταιθε σάρκας, ἐμπλήσθητί μου
Πίνων κελαινὸν αἷμα. πρόσθε γὰρ κάτω
Γῆς εἶσιν ἄστρα, γῆ τ' ἄνεισ' εἰς αἰθέρα,
Πρὶν ἐξ ἐμοῦ σοι θῶπ' ἀπαντῆσαι λόγον.
Ure hæc, cremaque membra & impletor mei
Potans rubentem ſanguinem: in terram prius
Deſcendet æther, terra ſe in cœlum feret,
Quam noſter unquam ſermo aduletur tibi.

Tali vere convenit illud Æſchyli, Platoni memoratum dicto loco: *********

Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει,
Βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος,
Ἀφ' ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.
Namque allaborat eſſe, non credi, optimus,
Sulcos profundos corde demerſos gerens,
Unde illa ſeſe pulchra conſilia exſerunt.

* Priores duos *Euripidis* verſus, ſed ſub *Menandri* nomine, *Stobæus* recitat *ſentent. ſerm. V. fol.* 63.

** Hæc lego *epiſt. II. Platonis ad Dionyſium fol.* 1269. *opp.* Περὶ τὸν πάντων βασιλέα πάντ' ἐστὶ, καὶ ἐκείνου ἕνεκα πάντα· καὶ ἐκεῖνο αἴτιον ἁπάντων τῶν καλῶν. δεύτερον δὲ περὶ τὰ δεύτερα, καὶ τρίτον περὶ τὰ τρίτα. *Circa omnium regem cuncta ſunt, ipſius gratia omnia: ipſe pulchrorum omnium cauſa, circa ſecundum ſecunda, tertia circa tertium.* Cæterum nulla *epiſtolarum ad Dionyſium* allatam ex mente *Platonis* divinæ naturæ diſtinctionem nobis proponit.

*** *Chalcidius comment. in Tim. Platonis pag.* 278. ad verbum ita loquitur: *Summus Deus jubet, ſecundus ordinat, tertius intimat.*

**** In *commentationibus Servii*, tum quas ad *eclogas*, tum quas ad alia *Virgilii* monumenta dedit, verba illa in oculos meos non incurrerunt. Eſt tamen, qui ea, quæ ex *Servio ad eclogam ſeptimam* adducit *Grotius*, apud eundem *ad eclog. VIII.* tradi affirmat, *Petr. Dan. Huetius in quæſt. Alnetan. lib. II. cap.* 3. *pag. m.* 94. Qua in re ſi non lapſi ſunt viri ſummi utrique, ſaltem egregie hinc confirmantur, quæ ad *lib. I. §. XVI. not.* 40. *pag.* 16. de *Servii* teſtimoniis monuimus. Quicquid autem ſit de verbis, rei ipſius ſummam *Servius* profiteri videtur, ubi ad *eclog. V. v.* 66. & *VIII. v.* 75. *Apollinis triplicem eſſe poteſtatem*, itemque: *Numen impari numero gaudere*, docet.

***** Inſpergenda ſunt ſecundum noſtram editionem verba: ἐν ἀνθρώπου μορφῇ *in hominis forma.*

****** Vid. *Lactantium inſtit. divin. lib. V. cap. XII. §.* 5. nec non *Auguſtinum lib. II. de civit. Dei cap.* 21.

******* Inter hæc, & quæ ſequuntur, alia quædam poſita ſunt parum huc facientia.

******** Conf. *Grotii excerpta ex tragœd. & comœd. Græcis pag.* 429. edit. Pariſ. A. MDCXXVI. in quibus illa ſervantur.

********* Ubi tamen primus verſus non plane idem eſt cum præſenti; velim itaque, adeas *excerpta cit. pag.* 21.

LIBER

LIBER QVINTUS.

§. I. *Refutatio Judaiſmi incipiens ab allocutione ad Judæos.*

QVale eſt, quod ex obſcuro ſpecu enitentibus paulatim ſe oſtendit inter lucem tenebraſque medium, talem ſe nobis ex denſa Paganiſmi caligine gradum moventibus Judaiſmus offert, pars & primordium veri. Quare Judæos compello, ne nos averſi audiant. Cognitum nobis, 1 eſſe ipſos progeniem ſanctorum virorum, quos Deus & per Prophetas, & per Angelos ſuos, inviſere ſolebat; ex eadem gente natum Meſſiam, & primos Chriſtianiſmi doctores; ipſorum eſſe arborem, cui nos ſumus inoculati; cuſtodes eſſe ipſos oraculorum Dei, quæ nos non minus ipſis veneramur, ac cum Paulo ſuſpiria pro ipſis ad Deum emittimus; orantes ut quamprimum veniat illa dies, cum ablato 2 velamento, quod vultui eorum impendet, clare nobiſcum viſuri ſunt 3 complementum legis, cumque, ut habent veterum vaticinia, noſtrum, qui alienigenæ ſumus, quilibet 4 Hebræi viri penulam apprehendet, rogans ut concordi pietate colamus unicum illum Deum, Deum Abrahami, Iſaaci, & Jacobi.

§. II. *Oſtenditur Judæos debere miracula Jeſu habere pro ſufficienter probatis.*

Primum ergo rogantur, ne iniquum exiſtiment in cauſa aliena, quod in ſua æquum judicent. Si quis Paganus ab ipſis quærat, cur credant miracula a Moſe facta, nihil dicant aliud, quam inter ſuos adeo perpetuam conſtantemque ejus rei fuiſſe famam, ut non potuerit, niſi ex teſtimonio eorum, qui vidiſſent, proficiſci. Sic 1 ab Eliſæo auctum apud viduam oleum, 2 purgatum ſubito a mala ſcabie Syrum, 3 hoſpitæ filium ad vitam revocatum, & ſimilia alia credunt Judæi: non aliam ſane ob cauſam, quam quod teſtes bonæ fidei id proditum ad poſteros tranſmiſerunt. 4 De Eliæ vero in cœlum raptu, unius Eliſæi, tamquam viri omni exceptione majoris, teſtimonio fidem habent. At nos, de Chriſti adſcenſu in cœlum, 5 duodecim proferimus teſtes vitæ inculpatæ: 6 de Chriſto poſt mortem in terris viſo, multo plures: quæ ſi vera ſunt, verum ſit neceſſe eſt & Chriſti dogma: planeque nihil a Judæis pro ſe adferri poteſt, quod non & nobis pari, aut potiori jure poſſit aptari. Sed ut teſtimonia omittamus, res prodigioſas a Chriſto factas, 7 ipſorum Thalmudiſtarum & Judæorum confeſſio eſt: quod ipſum ſufficere debet. Neque enim poteſt Deus dogmati, per hominem promulgato, auctoritatem efficacius conciliare, quam miraculis editis.

§. III. *Solvitur, quod objiciunt, facta hæc miracula ope dæmonum.*

At ope dæmonum facta ab eo prodigia, dixerunt aliqui: verum hæc calumnia ſupra jam refutata eſt, eo quod ubi Chriſti dogma innotuit, omnis poteſtas dæmonum confracta eſt. Quod addunt aliqui, didiciſſe Jeſum in Ægypto magicas artes, ſpeciem veri multo minorem habet, quam ſimilis Paganorum adverſus Moſem accuſatio, 1 quam apud Plinium 2 & Apulejum videmus. Nam fuiſſe Jeſum umquam in Ægypto, non conſtat, niſi ex diſcipulorum libris; qui addunt, infantem adhuc inde rediiſſe. At Moſem magnam ætatis adultæ partem in Ægypto exegiſſe, 3 & ipſius, 4 & aliorum narratione certum eſt. Sed & Moſem, & Jeſum, valide purgat hoc crimine lex utriusque, 5 tales artes diſerte vetans, ut Deo inviſas. Tum vero ſi Chriſti, & ejus diſcipulorum tempore, usquam aut in Ægypto, aut alibi exſtitiſſet ars ulla magica, quæ poſſent ea fieri, quæ de Chriſto prædicantur, muti omnes ſubito ſanari, claudis greſſio, cœcis viſus dari; Imperatores, 6 Tiberius, 7 Nero, atque alii, qui ad inquirenda talia nullis impendiis pepercerunt, haud dubie eam deprehendiſſent. Et ſi verum eſt, 8 quod tradunt Judæi, ſenatores magni ſynedrii gnaros fuiſſe magicarum artium, ut reos

1 *eſſe ipſos progeniem ſanctorum virorum.*) Sumpta hæc, & quæ ſequuntur, ex Rom. IX. X. XI. Adde Matth. XV. 24.

2 *velamento.*) 2. Cor. III. 14. 15. 16.

3 *complementum legis.*) Rom. III. 21. VIII. 14. (4.) X. 4. XIII. 8. Gal. III. 24.

4 *Hebræi viri penulam.*) Zachariæ VIII. 20. & ſequentibus. Eſaiæ II. 2. XIX. 18. & 24. Michææ IV. 2. Oſeæ III. 4. Rom. XI. 25.

1 *ab Eliſæo auctum apud viduam oleum.*) 2. Reg. cap. IV.

2 *purgatum ſubito a mala ſcabie Syrum.*) Ibidem cap. V.

3 *hoſpitæ filium ad vitam revocatum.*) Dicto cap. IV.

4 *De Eliæ vero in cœlum raptu.*) Dicto libro cap. II.

5 *duodecim proferimus teſtes.*) Marci XVI. 19. Luc. XXIV. 52. Actor. I.

6 *de Chriſto poſt mortem in terris viſo multo plures.*) Matth. XXVIII. Marc. XVI. Luc. XXIV. Joh. XX. XXI. 1. Cor. XV. (*v. 5. ſeqq.*)

7 *ipſorum Thalmudiſtarum & Judæorum confeſſio eſt.*) Vide quæ allata ad librum II. (*§. IV. not. 12. pag. 34.*)

1 *quam apud Plinium.*) Libro XXX. cap. I.

2 *& Apulejum.*) Apologetico II. (*pag. 331. opp.*)

3 *& ipſius.*) Exodi II. IV. & ſequentibus.

4 *& aliorum narratione certum eſt.*) Manethonis, Chæremonis, Lyſimachi apud Joſephum contra Appionem (*fol. 1052. ſeqq. opp.*) primo, Juſtini, (*lib. XXXVI. cap. II. §. 11. ſeqq.*) Taciti. (*forſan hiſtor. V. cap. III. §. 2.*)

5 *tales artes diſerte vetans.*) Exod. XXII. 18. Levit. XX. 6. 27. Num. XXIII. 23. Deut. XVIII. 10. 1. Sam. XXVIII. 9. 2. Reg. XVII. 17. XXI. 6. Actor. XIII. 8. 9. 10. XVI. 18. XIX. 19

6 *Tiberius.*) Tacitus annalium VI. (*cap. XX. §. 3. 4. & cap. XXI.*) Suetonius ejus vita cap. LXIII. & LXIX.

7 *Nero.*) De quo Plinius libro XXX. cap. II. In Magiæ hiſtoria: *Non cithara tragicique cantus libido illi major fuit.* Poſtea: *Nemo umquam ulli arti impenſius favit. Ad hæc non opes illi defuere, non vires, non diſcendi ingenium.* Mox narrat magicis cœnis initiatum a Tiridate Rege.

8 *quod tradunt Judæi.*) Thalmud titulo de ſynedrio: & titulo de ſabbato. *

* *Tit. de ſynedrio fol. 17. a. in fine.* Conf. *Maimonid. Hilc. Sanhedrin. cap. II. §. 1.* - An idem legatur in *titulo de ſabbatho*, dubito. Certe nec autor *Keſeph Miſchne*, nec auctor *Migdalos* ad *Maimonid. l. c.* eo lectorem ablegavit. W.

reos poſſent convincere; ſane cum iidem Jeſu inimiciſſimi fuerint, & honori ejus maxime per miracula creſcenti invidentes, aut opera ſimilia ex eadem arte edidiſſent ipſi, aut certis argumentis apertum feciſſent ipſius opera non aliunde proficiſci.

§. IV. *Aut vi vocum.*

Quod vero Judæorum nonnulli prodigia Jeſu adſcribunt nomini cuidam arcano, quod a Salomone in templo poſitum duo leones per mille & amplius annos cuſtodierint, quodque ab Jeſu ſublectum ſit, non mendaciter modo, ſed & impudenter confictum eſt: cum de illis leonibus, re maxime inſigni atque admiranda, nec libri Regum, nec Paralipomena, nec Joſephus quidquam prodant; ſed nec Romani, qui cum Pompejo templum intrarunt, ante Jeſu tempora, tale aliquid compererint.

§. V. *Oſtenditur divina fuiſſe Jeſu miracula, quia is docuit cultum unius Dei, qui mundi eſt opifex.*

Verum poſito a Chriſto edita eſſe prodigia, quod Judæi fatentur, dicimus, ex ipſa lege Moſis ſequi, fidem ei adhibendam. Dixit enim Deus Deut. XVIII. (*v. 15. 18. 19.*) futurum, ut poſt Moſem, alii quoque Prophetæ a Deo excitarentur, iiſque obediendum a populo; niſi id fieret, graves pœnas denuncians. 1 Certiſſimæ autem Prophetarum notæ ſunt prodigia. Neque enim illuſtriora alia animo concipi poſſunt. At Deut. XIII. (*v. 1. 2. 3.*) dicitur, ſi quis Prophetam ſe ferens prodigia ediderit, ei non credendum, ſi populum ad novum Deorum cultum pelliciat. Nam illa prodigia ut fiant, in hoc tantum a Deo permitti, ut experiatur, an ſatis conſtans ſit populus in veri Dei cultu. Ex quibus locis collatis inter ſe 2 Hebræi interpretes recte colligunt, omni ei, 3 qui miracula faciat, credendum, extra quam ſi a veri Dei cultu abducat; quia in eo ſolo caſu prædictum ſit, ne miraculis, quamvis ſpecioſis, fides habeatur. Jeſus autem non modo falſos Deos coli non docuit; 4 ſed contra hoc, tamquam crimen graviſſimum, diſerte vetuit, docuitque nos & Moſis & qui eum ſecuti ſunt, Prophetarum ſcripta venerari: quare nihil eſt, quod miraculis ejus objici poſſit.

§. VI. *Solutio objectionis ſumptæ ex diſcrepantia inter legem Moſis & legem Jeſu: ubi oſtenditur lege Moſis perfectiorem aliam dari potuiſſe.*

Nam quod quidam objiciunt, legem Jeſu aliqua in parte a Moſis lege diſcrepare, id non ſufficit. Nam ipſi Hebræorum doctores normam hanc ponunt: 1 ad imperium Prophetæ, id eſt, miracula facientis, qualecunque præceptum intrepide poſſe violari, excepto illo de unius Dei cultu. Et ſane poteſtas leges condendi, quæ penes Deum fuit, cum per Moſem daret præcepta, poſtea ab eo non abiit: nec quiſquam, qui ſuo jure leges dedit, eo impeditur alias etiam pugnantes dare. Quod Deum eſſe immutabilem objiciunt, id nihil eſt: non enim de intrinſeca Dei natura, ſed de operibus agitur. Lux tenebris mutatur, juventus ſenectute, æſtas hieme, quæ omnia Dei ſunt opera. Adamo olim Deus poma cætera permiſit, 2 unius arboris fructu interdixit; nempe quia ita libuit. Prohibuit generaliter homines occidere: 3 Abrahamo imperavit ut filium mactaret. Victimas ſeorſim a tabernaculo 4 alias vetuit, alias accepit. Nec ſequitur, ſi bona fuit lex per Moſem data, nullam dari potuiſſe meliorem. Solent parentes cum infantibus balbutire, ad ætatis vitia connivere, cruſtulo eos ad diſcendum allicere. At ubi proceſſit ætas, corrigitur ſermo, inſtillantur virtutis præcepta, oſtenditur quæ ſit honeſti pulchritudo, quæ ejus præmia. 5 Non fuiſſe autem ejus legis præcepta ſumme perfecta, vel eo liquet, quod multi illorum temporum viri ſancti vitam ſecuti ſunt illis præceptis excellentiorem. Moſes qui ultionem doloris partim manu, partim judicio exigi permittit, ipſe atrociſſimis injuriis vexatus, 6 precatorem ſe pro inimicis conſtituit. Sic 7 David rebelli filio parci vult, 8 maledicta in ſe jacta fert patienter. Dimiſiſſe uxores viri boni nuſquam leguntur, cum tamen id lex permitteret. Nimirum 9 ad majorem populi partem aptantur leges: itaque in il-

lo

1 *Certiſſimæ autem Prophetarum notæ ſunt prodigia.*) Et futurorum prædictiones, quæ & ipſæ prodigiis recte accenſentur. Deut. XVIII. 22.

2 *Hebræi interpretes.*) Vide Moſem Maimonidem, & alios productos in conciliatore Manaſſis, quæſtione IV. ad Deuteronomium. *

3 *qui miracula faciat.*) Cujusque prædicta impleantur. Hoc argumento valide pugnat Chryſoſtomus V. adverſus Judæos, (*al. VI. tom. I. opp. fol. 474. ſeq.*) & ſermone Chriſtum eſſe Deum (*cap. XI. XIII. XIV. fol. 755. & 762. tom. V. opp.*) in tomo VI. Saviliano.

4 *ſed contra hoc tamquam crimen graviſſimum diſerte vetuit.*) Marci XII. 29. 32. Joh. XVII. 3. Act. XV. 20. 1. Cor. V. 10. 11. 18. VI. 9. X. 7. XII. 2. 2. Cor. VI. 16. 1. Theſſ. I. 9. 1. Joh. V. 21.

1 *ad imperium Prophetæ, id eſt, miracula facientis, qualecumque præceptum intrepide poſſe violari.*) Ponitur hæc regula in Thalmude titulo de ſynedrio. ** Sic ad præceptum Joſuæ violata lex ſabbati Joſ. VI. Et extra locum lege præſcriptum ſacrificarunt Prophetæ, ut Samuel, 1. Sam. VII. 17. XIII 8. (*& ſeqq.*) & Elias 1. Reg. XVIII. 38.

2 *unius arboris fructu interdixit.*) Gen. II. 17.

3 *Abrahamo imperavit ut filium mactaret.*) Gen. XXII. 2.

4 *alias vetuit, alias accepit.*) Diximus modo de hac re.

5 *Non fuiſſe autem ejus legis præcepta ſumme perfecta.*) Hebr. VIII. 7.

6 *precatorem ſe pro inimicis conſtituit.*) Exod. XXXII. 11. 12. 19. 31. Num. XI. 2. XII. 13. XIV. 13. & ſequentibus: XXI. 7. 8. Deut. IX. 18. 26. XXXIII.

7 *David rebelli filio parci vult*) 2. Sam. XVIII. 5.

8 *maledicta in ſe jacta fert patienter.*) 2. Sam. XVI. 10.

9 *ad majorem populi partem aptantur leges.*) Origenes adverſus Celſum III. (*prope finem ferme p. 159.*) ὥσπερ ἔλεγέ τις τῶν νομοθετῶν πρὸς τὸν ἐρωτῶντα εἰ τοὺς καλλίστους ἔθετο τοῖς πολίταις νόμους, ὅτι οὐ τοὺς καθάπαξ καλλίστους, ἀλλ' ὧν ἐδύνατο τοὺς καλλίστους. *Quod quidam ait legum conditorem dixiſſe interrogatum, an optimas dediſſet leges civibus, non omnium*

* Solum *Moſem Maimonidem* ibi producit Manaſſes.

** *Cap. X. fol. 90. a. lin. 30. Conf. Maimon Hilcoth Jeſode thora cap. IX. §. 3. W.*

lo ſtatu par fuit quædam diſſimulari, ad perfectiorem regulam reducenda illo tempore, quo majore vi ſpiritus populum novum ex cunctis populis Deus ſibi erat collecturus. Etiam præmia lege Moſis aperte propoſita, ad hanc vitam mortalem ſpectant omnia: unde fatendum eſt, 10 legem aliquam illa lege meliorem dari potuiſſe, quæ æterna præmia, non ſub umbris, ſed aperte proponeret, quod lege Chriſti factum videmus.

§. VII. ***Ab Jeſu in terris obſervatam legem Moſis, nec poſt abolita, niſi ea præcepta, quæ intrinſecam bonitatem non habebant.***

Notandum hic obiter ad vincendam iniquitatem Judæorum, qui Jeſu coævi fuerunt, Jeſum peſſime ab ipſis tractatum, & ſupplicio deditum, cum nullum ejus admiſſum adverſus legem poſſet adferri. 1 Circumciſus erat, 2 cibis utebatur Judaicis, 3 veſtitu ſimili, 4 purgatos ſcabie mittebat ad ſacerdotes, 5 paſchata, & alios dies feſtos religioſe obſervabat. Si quos ſanavit ſabbato, 6 oſtendit non tantum ex lege, 7 ſed & ex receptis ſententiis talia opera ſabbato non interdicta. Tum vero primum cœpit promulgare 8 legum quarumdam abrogationem, cum morte devicta in cœlum evectus, etiam Spiritus Sancti conſpicuis donis ornaſſet ſuos, iisque rebus oſtendiſſet adeptum ſe 9 poteſtatem regiam, 10 in qua continetur legis condendæ auctoritas: idque ſecundum Danielis vaticinium, cap. III. & VIII. collato etiam capite VIII. & XI. qui prædixerat fore, ut paulo poſt deſtructa regna Syriæ & Ægypti (quorum poſterius ſub Auguſto contigit) Deus regnum daturus eſſet 11 homini, qui plebejus videretur, in omnis tractus ſermoniſque populos, & quidem numquam deſiturum. Pars vero illa legis, cujus neceſſitas a Chriſto ſublata eſt, nihil continebat ſua natura honeſtum: ſed conſtabat ex rebus per ſe mediis, ac proinde non immutabilibus. Nam ſi eæ res per ſe aliquid haberent, cur faciendæ eſſent, 12 omnibus populis, non uni eas præſcripſiſſet Deus, & ab initio ſtatim, non poſtquam bis mille, & quod excedit, annos vixerat humanum genus. Abel, Enoch, Noe, Melchiſedec, Job, Abraham, Iſaac, Jacob, omnes viri pii & Deo eximie cari, hanc legis partem ignorarunt, aut totam, aut ferme totam, neque eo minus acceperunt teſtimonium & ſuæ in Deum fiduciæ, & amoris divini in ſe. Neque Moſes ſocerum Jethronem ad hos ritus ſuſcipiendos adhortatus eſt, neque Jonas Ninevitas, nec alii Prophetæ Chaldæos, Ægyptios, Sidonios, Tyrios, Idumæos, Moabitas, ad quos ſcribunt, ob eos non ſuſceptos reprehendunt, cum peccata ipſorum ſatis exacte enumerent. Peculiaria ergo erant hæc præcepta, 13 ſive ob vitandum aliquod malum, in quod proni erant Judæi, ſive ad experimentum obedientiæ, ſive ad rerum futurarum ſignificationem introducta. Quare non magis mirandum eſt, ea aboleri potuiſſe, quam ſi quis Rex municipalia quædam ſtatuta tollat, ut toti imperio jus idem ſtatuat. Neque vero quidquam adferri poteſt, quo probetur, Deum ſe adſtrinxiſſe, ne quid ejus mutaret. Nam ſi dicas, præcepta hæc vocari perpetua, 14 eadem voce utuntur ſæpe & homines, cum ſignificare volunt, quæ ſic jubent, non eſſe annalia, 15 aut certis

omnium dediſſe ſe optimas; ſed quantum fieri poterat. Porphyrius lib. I. (*pag.* 55.) de non eſu animantium de legum conditoribus: Εἰ δὲ ἦσαν πρὸς τὸν κατὰ φύσιν λεγόμενον μέσον βίον ἀφορῶντες καὶ ὃ προσίοιντ᾽ ἂν καὶ οἱ πολλοὶ, οἷς τὰ ἐκτὸς καὶ τὰ ἀγαθὰ ἢ κακὰ, καὶ τὰ τοῦ σώματος ἅπαντας ὑπείληπται, νομοθετοῦντες, τί τις τὸν τούτων παραφέρων νόμον ἀνατρέπει βίον; *Quod ſi illi reſpicientes ad vitam illam quæ ſecundum naturam eſt, & media vocatur, & ad ea quæ capiant homines, qui externa, quæque in corpore ſita ſunt, bona malaque exiſtimant, leges condidere; in quo lædit vitam qui talibus legibus melius aliquid adjicit?*

10 *legem aliquam illa lege meliorem dari potuiſſe, quæ æterna præmia non ſub umbris, ſed aperte proponeret, quod lege Chriſti factum videmus.*) Hebr. VII. 19. 22. VIII. 6. 2. Tim. I. 10.

1 *Circumciſus erat.*) Luc. II. 21.

2 *cibis utebatur Judaicis.*) * Gal. IV. 5.

3 *veſtitu ſimili.*) Matth. IX. 20.

4 *purgatos ſcabie mittebat ad ſacerdotes.*) Matth. VIII. 4. Marc. I. 44. Luc. V. 14.

5 *paſchata & alios dies feſtos religioſe obſervabat.*) Luc. II. 41. Joh. II. 13. 23. XI. 56. XII. 1. Joh. VII. 2.

6 *oſtendit non tantum ex lege.*) Matth. XII. 5.

7 *ſed & ex receptis ſententiis talia opera ſabbato non interdicta.*) Matth. XII. 11.

8 *legum quarumdam abrogationem.*) Actor. X. (15.) Coloſſ. II. 14.

9 *poteſtatem regiam.*) Actor. II. 36. Apoc. I. 5.

10 *in qua continetur legis condendæ auctoritas.*) ** Jacob. I. 25.

11 *homini, qui plebeius videretur.*) Dan. II. 45. (44.) VII. 13. Nam filius hominis Hebræis vilitatem quamdam ſignificat. Et ſic vocantur Prophetæ, comparati cum angelis: ut & Iacchiadæ notatum ad Dan. X. 16.

12 *omnibus populis, non uni eas præſcripſiſſet Deus.*) Id autem tantum abeſt, ut leges aliquot, puta de primitiis, de decimis, de congregatione ad feſtos dies, expreſſe ſe referant ad unum Judææ locum, quo certe omnes gentes coire non poterant. Vide Exodi XXIII. 19. XXXIV. 26. Deut. XXVI. 2. & ſequentibus. Item Deut. XII. 5. & ſeqq. XIV. 23. & ſeqq. Item Exodi XXIII. 17. XXXIV. 2. 23. 24. Deut. XVI. 16. De ſacrificiis legem eodem modo interpretata eſt vetuſtiſſima conſuetudo. Solis Hebræis, non & alienigenis, datam Moſis legem docet Thalmud in titulo de ſynedrio. (*fol.* 59. *a. l. n.* 2. *ſeqq.*) & titulo Chagigas (*fol.* 13. *a. lin* 29.) Maimonides *** ad Deut. XXXIII. & Bechai.

13 *ſive ob vitandum aliquod malum, in quod proni erant Judæi.*) Rituales ſupra modum, eoque ad idololatriam proni. Oſtendunt id paſſim Prophetæ: maxime Ezechiel XVI.

14 *eadem voce utuntur ſæpe & homines.*) L. Hac edictali. C. de ſecundis nuptiis. (*lib. V. cod. tit. IX. leg.* 6.) L. Hac in perpetuum. Cod. de diverſis prædiis, libro XI. (*cod. tit. LXIX. leg.* 6.) & alibi ſæpe.

15 *aut certis temporibus, puta belli, pacis, caræ annonæ accommodata.* L. Valerius apud Livium lib. XXXIV. (*cap.* 6.) *Quas tempora aliqua deſiderant leges, mortales, & temporibus ipſis mutatas video: quæ in pace latæ ſunt plerumque bellum abrogat: quæ in bello, pax.*

* Aut locus hic prorſus huc non pertinet, aut, ſi v. 4. addas, in genere, Chriſtum legi Judæorum ſubjectum fuiſſe, comprobat.

** Editio hujus libri noſtri de A. MDCXL. *Lugduni Batav.* apud *Jo. Maire* locum *Jac. IV.* 12. citat, qui omnino ad rem præſentem propius accedere videtur.

*** *Maimon. Hilc. Melach. cap. VIII. §. 10. cap. X. §. 9.* Male itaque ponitur *Maimon. ad Deuteron. XXXIII.* Forte per ſphalma typographicum locus *Deuteron.* relatus eſt ad *Maimonidæ* nomen, cum pertineat ad *Bechai.* Nam *Bechai* id, quod vult *Grotius*, tradidit ad *Deut. XXXIII. v. 4. fol. 227. col. 1. lin. 21. a fine. W.*

certis temporibus, puta belli, pacis, caræ annonæ accommodata: quo tamen non impediuntur, quo minus novas de iiſdem rebus conſtitutiones edant, ubi id publica utilitas exegerit. Sic & Dei præcepta data Hebræis alia erant temporaria, [16] quamdiu in locis deſertis ageret populus, [17] alia adſtricta habitationi terræ Chananææ: ab his ergo ut illa diſtinguat, perpetua vocat, quo intelligi poſſit, non debere ea usquam aut unquam intermitti, niſi Deus contrariæ voluntatis daret ſignificationem. Quod loquendi genus, cum omnibus populis ſit commune, eo minus mirari debent Hebræi, qui ſciant in lege ſua [18] jus perpetuum & ſervitutem perpetuam vocari, quæ duret a Jubilæo ad Jubilæum. [19] Meſſiæ vero adventus ab ipſis vocatur complementum Jubilæi, ſive magnus Jubilæus. Quid quod novi fœderis olim ineundi promiſsio, apud Prophetas Hebræos exſtat, [20] ut Jeremiæ XXXI. (*v.31. ſeqq.*) ubi pollicetur Deus novum ſe pactum initurum, quod ipſis mentibus ſit inſcripturus: neque opus habituros homines, ut religionem alii ex aliis diſcant, apertam enim omnibus fore. Præterea veniam ſe daturum ante delictorum. Quæ res ferme ita ſe habet, ac ſi rex aliquis, poſt graves civium inter ſe inimicitias, ad pacem ſtabiliendam, ſublata legum varietate, communem omnibus eamque perfectam legem imponat, & inpoſterum ſe emendantibus polliceatur omnium commiſſorum impunitatem. Hæc quamquam ſufficiant, euntes per partes ſingulas ſublatæ legis, oſtendemus, eas tales non eſſe, ut aut Deo per ſe placere poſſent, aut ſemper durare deberent.

§. VIII. *Ut ſacrificia, quæ nunquam per ſe Deo placuerunt.*

Præcipuum, & quod maxime in oculos incurrit, ſunt ſacrificia, de quibus multi Hebræi ſentiunt, prius [1] ab hominum ingenio ea excogitata, quam a Deo juſſa. Certe id apparet, Hebræos multorum rituum fuiſſe appetentes, [2] ita ut ſatis cauſæ fuerit, cur Deus plurimos eis injungeret, vel ob hoc, ne ad falſorum Deorum cultum memoria Ægyptiaci incolatus redirent. At cum eorum poſteri plus æquo hæc æſtimarent, tamquam per ſe Deo grata, & veræ pietatis partem, reprehenſi ſunt per Prophetas. *Sacrificiorum cauſa,* * inquit Deus apud Davidem Pſalmo, qui eſt apud Hebræos quinquageſimus, (*v.8. ſeqq.*) *ne verbum quidem tecum velim commutare: nempe, ut holocauſta alia ſuper alia mihi mactes, ut juvencos, aut hircos accipiam de tuis ſeptis. Nam certe quidquid animantium per ſaltus paſcitur, aut per montes errat, meum eſt. In numerato habeo & volucres & feras: ita ut, ſi eſurirem, nihil opus eſſet mihi te convenire; mihi, inquam, cujus eſt hoc univerſum, & quidquid in eo conſpicitur. Putasne veſci me carne pingui, aut bibere hircorum ſanguinem? imo laudem Deo ſacrifica, & vota redde.* Sunt inter Hebræos, qui hæc eo dici ajunt, quod qui ſacrificia illa offerebant, animo vitaque impuri eſſent. At aliud docent, quæ attulimus verba, rem ſcilicet per ſe nihil habere Deo gratum. Et, ſi ſeriem totam Pſalmi conſideres, pios illis verbis alloquitur Deus. Dixerat enim: (*v.5.*) *Congregate mihi pios:* deinde, (*v.7.*) *Audi popule mi:* hæc docentis ſunt. Poſtea finitis, quæ attulimus, ut fieri ſolet, ad impios ſermo convertitur: (*v.16.*) *Impio autem dicit Deus.* Eumdem ſenſum oſtendunt loca alia, ut Pſalm. LI. (*v.18.19.*) *Sacrificia ut tibi dem, gratum tibi non eſt, neque holocauſtis delectaris. Sed quod vere tibi placet ſacrificium, eſt animus culpa ſua ſenſu dejectus: mentem enim quaſi fractam atque contritam, o Deus, non deſpicis.* Simile eſt illud Pſal. XL. (*v.7. ſeqq.*) *Victima & oblato libo non delectaris. Sed me tamquam perfoſſa aure tibi mancipas: non exigens aut holocauſtum, aut victimam piacularem. Itaque reſpondi, en adſum: ** ac tamquam ex pacto conſcripto faciam, quod velis; quæ voluptas mea eſt: Lex enim tua cordi meo inhæret. *** Æquitatis tuæ laudes non intra cogitationes meas claudo: ſed veracitatem tuam ac benignitatem prædico ubique: præſertim vero miſericordiam tuam atque fidem celebro in numeroſo cœtu.* Apud Eſaiam cap. I. (*v.11.12.*) ſic Deus loquens inducitur: *Quo mihi tot victimæ? Satias me tenet holocauſtorum ex arieti-*

16 *quamdiu in locis deſertis ageret populus.*) Ut Exodi XXVII. Deut. XXIII. 12.

17 *alia adſtricta habitationi terræ Chananææ.*) Ut Deut. XII. 1. 20. XXVI. 1. Num. XXXIII. 52.

18 *jus perpetuum & ſervitutem perpetuam.*) Exodi XXI. 6. 1. Sam. I. 22. Et ſic vocem לעולם in lege rituali accipi poſſe ſenſit Joſephus Albo lib. III. Fundamentorum capite 16. etiam ſacerdotium Phineæ dicitur עד עולם, Pſal. CVI. 30. 31. εἰς τὸν αἰῶνα, Sirachide XLV. 28. 29. 30. ἱερωσύνη αἰωνία, 1. Macc. II. 55. (54.)

19 *Meſſiæ vero adventus ab ipſis vocatur complementum Jubilæi.*) In Pereck Cheleck **** & alibi, idque ex Eſaia LXI. 2.

20 *Jeremiæ XXXI.*) v. 31. & ſequentibus.

1 *ab hominum ingenio ea excogitata.*) Chryſoſtomus de ſtatuis (*ſive ad populum Antiochen. fol. 144. tom. I. opp.*) de Abele locutus: Οὐ γὰρ παρά τινος μαθὼν, οὐδὲ νόμου περὶ ἀπαρχῶν διαλεγομένου τότε ἀκούσας, ἀλλ' οἴκοθεν καὶ παρὰ τοῦ συνειδότος διδαχθεὶς, τὴν θυσίαν ἐκείνην ἀνήνεγκε. *Non enim ab ullo edoctus, non lege accepta quæ de primitiis aliquid conſtitueret, ſed apud ſe ſuapte motus conſcientia ſacrificium illud obtulit.* In reſponſis ad orthodoxos, in operibus Juſtini, ad interrogatum LXXXIII. (*fol. 442. opp.*) Οὐδεὶς τῶν θυσάντων τὰ ἄλογα θυσίαν τῷ Θεῷ πρὸ τοῦ νόμου κατὰ τὴν θείαν διάταξιν ἔθυσε, κἂν φαίνηται ὁ Θεὸς ταύτην προσδεξάμενος, τῇ ταύτης ἀποδοχῇ δεικνὺς τὸν θύσαντα εὐάρεστον αὐτῷ. *Nemo eorum qui ante legem pecudes Deo obtulit, divino id juſſu fecit, quamquam patet talia acceptaſſe Deum, & eum qui offerebat.*

2 *ita ut ſatis cauſæ fuerit, cur Deus plurimos eis injungeret, vel ob hoc, ne ad falſorum Deorum cultum memoria Ægyptiaci incolatus redirent.*) Hanc ipſam cauſam legis de ſacrificiis affert Maimonides, in doctore dubitantium lib. III. cap. 32. Tertullianus adverſus Marcionem II. (*cap. 18.*) *Sacrificiorum quoque onera & operationem, & oblationum negotioſas ſcrupuloſitates nemo reprehendet, quaſi Deus talia proprie ſibi deſideraverit, qui tam manifeſte exclamat; Quo mihi multitudinem ſacrificiorum? Et, quis exquiſivit iſta de manibus veſtris? Sed illam Dei induſtriam ſentiat, qua populum pronum in idololatriam & transgreſſionem, ejuſmodi officiis religioni ſuæ voluit adſtringere, quibus ſuperſtitio ſæculi agebatur, ut ab ea evocaret illos, ſibi jubens fieri quaſi deſideranti, ne ſimulacris faciendis delinqueret.*

* In transferendo *Pſalm. L. v. 8. ſeqq.* non verborum interpretem, ſed paraphraſten agit *Grotius.* Talem & in ſequentibus ſeſe præbet.

** Hebrææ dictionis hic eſt ſenſus: *in volumine libri ſcriptum eſt de me.*

*** Paucis complectitur *Grotius*, quæ in Hebræorum lingua fuſius dicuntur.

**** In Pereck Cheleck nihil occurrere ad iſtum locum *Jeſaiæ*, jam *Clericus* obſervavit; cui, omni adhibita cura, aſſentior. W.

Digitized by Google

arietibus: & adipis quamvis pinguiſſimi. Nec amo ſanguinem, ſive ille juvencorum eſt, ſive agnorum, ſive hædorum, ut cum eo apud me appareatis. Nam quis hoc de vobis exegit, ut eo modo ſubdialia impuraretis? Apud Jeremiam vero VII. (*v. 21. ſeqq.*) locus eſt huic geminus, & ejus interpres: *Sic ait Dominus Angelorum, Deus Iſraelis. Holocauſta veſtra congerite cum victimis, & ipſi earum carne veſcimini. Nam quo primum tempore majores veſtros eduxi ex Ægypto, nihil exegi, aut præcepi de holocauſtis & victimis. Sed hoc eſt quod illis ſerio edixi, ut mihi obedientes forent: ſic me fore Deum ipſorum; ipſos vero meum populum. Utque ea incederent via, quam ego ipſis eram imperaturus. Sic omnia ipſis proſpere eventura.* Apud Oſeam hæc ſunt Dei verba cap. VI. (*v. 6.*) *Beneficentiam in homines multo* [3] *acceptiorem habeo, quam ſacrificium: de Deo recte ſentire ſupra omnia eſt holocauſta.* Apud Michæam vero cap. VI. (*v. 8.*) cum quæſtio eſſet inſtituta, quomodo quiſpiam Deum ſibi optime conciliaret, arietum ingenti numero, vi magna olei: an vitulis anniculis: reſpondet Deus, *dicam tibi quid ſit vere bonum, mihique gratum. Nimirum* [4] *ut ſuum cuique reddas, ut bene aliis facias, & ut Deo humilem ac ſubmiſſum te præbeas.* Quibus ex locis cum appareat, ſacrificia non eſſe earum rerum in numero, quas Deus per ſe aut primario velit; populus vero irrepente paulatim, ut fit, prava ſuperſtitione, in illis poſuerit potiſſimam pietatis partem, & victimis ſuis crediderit peccata ſatis compenſari; quid mirum eſt, ſi tandem Deus ſuſtulit rem ſuapte natura mediam, ſed cujus uſus jam in vitium fluxerat; [5] cum Rex quoque Ezechia a Moſe erectum æreum ſerpentem confregerit, ideo quod populus eum religioſo cultu venerari cœpiſſet? Neque vaticinia deſunt, quæ ſacrificia illa, de quibus controverſia eſt, deſitura prædixerint; quod facile quivis intelliget, qui modo conſiderarit, ſecundum Moſis legem ſacrificare ſoli Aaronis poſteritati conceſſum, idque duntaxat in ſolo patrio. Jam vero Pſalmo CX. (*v. 24.*) ſecundum numerum Hebræum, promittitur Rex latiſſime dominaturus, initio regnandi facto ex Sione; qui Rex idem & ſacerdos in perpetuum futurus eſſet, idque inſtar Melchiſedeci. Eſaias vero cap. XIX. (*v. 19. 20.*) dicit, altare viſum iri in Ægypto, ubi non tantum Ægyptii, ſed Aſſyrii quoque, & Iſraelitæ Deum ſint culturi: & cap. LXVI. (*v. 19. ſeqq.*) ait, futurum ut longiſſime diſſiti & omnium ſermonum populi non minus, quam Iſraelitæ munera Deo offerant, & ex ipſis quoque conſtituantur, qui ſint ſacerdotes, & Levitæ: [6] quæ omnia, ſtante Moſis lege, fieri non poterant. His adde, quod apud [7] Malachiam cap. I. (*v. 10. 11.*) Deus futura prædicens, faſtidio ſibi eſſe ait Hebræorum munera: ab ortu ad occaſum, apud gentes omnes nomen ſuum celebrari, ſuffitumque ſibi fieri, & puriſſima ſibi offerri. Daniel vero cap. IX. (*v. 27.*) Gabrielis Angeli de Chriſto oraculum referens: *abolebit*, inquit, *ſacrificium & munus.* Neque verbis tantum, ſed & rebus ipſis ſatis ſignificat Deus, non amplius probari ſibi præſcripta per Moſem ſacrificia; cum jam, per annos amplius mille ſexcentos, patiatur Judæos eſſe ſine templo, ſine altari, ſine certo generum cenſu, unde conſtare poſſit, qui ſint, * quibus ſacra facere fas ſit. (* qui ſacra facere rite poſſint.)

§. IX. *Item ciborum diſcrimen.*

Quod de ſacrificiorum lege oſtendimus, idem oſtendamus & de ea, qua ciborum certa genera interdicuntur. Conſtat ergo, poſt magnum diluvium [1] Noæ, ejusque poſteris a Deo jus datum quolibet victu utendi; quod jus proinde non ad Japetum tantum, & Chamum, ſed & ad Semum, ejusque poſteros Abrahamum, Iſaacum, Jacobum tranſiit. Sed cum poſtea populus in Ægypto pravis ſuperſtitionibus ejus gentis imbutus eſſet; tum primum Deus quædam animantium genera edi vetuit, [2] ſeu quod illa potiſſimum Ægyptii Diis ſuis offerrent, & ex illis aruſpicium facerent; [3] ſeu

3 *acceptiorem habeo, quam ſacrificium.*) Ita & Chaldæus interpres hunc locum exponit.

4 *ut ſuum cuique reddas, ut bene aliis facias, & ut Deo humilem ac ſubmiſſum te præbeas.*) Itaque ajunt Judæi legis præcepta numero DCXIII. ab Eſaia contracta in ſex XXXIII. 15. a Michæa hoc loco in tria; ab Eſaia in duo LVI. 1. ab Abacuco in unum II. 4. Item ab Amoſo V. 6.

5 *cum Rex quoque Ezechia a Moſe erectum æreum ſerpentem confregerit.*) 2. Reg. XVIII. 4.

6 *quæ omnia, ſtante Moſis lege, fieri non poterant.*) Adde locum Jeremiæ III. 16. *In diebus illis, dixit Dominus, non dicent ultra, arca fœderis Domini, neque ejus rei veniet in cogitationem aut memoriam, neque viſitabunt arcam neque ultra, ut nunc fuit.* (** *fiet.*)

7 *Malachiam capite I.*) Vide hujus loci luculentam paraphraſin, apud Chryſoſtomum II. adverſus gentes. ***

1 *Noæ, ejusque poſteris a Deo jus datum quolibet victu utendi.*) Obſtare videtur mentio animalium mundorum & immundorum, in diluvii hiſtoria. Sed aut id κατὰ πρόληψιν dictum eſt ad eos quibus nota lex, aut immunda intelligi debeant ea quæ hominum victus naturaliter defugit: quæ profana dixit Tacitus hiſtoriarum VI. (*potius lib. IV. cap. LX. §. 2.*) niſi malis munda accipere quæ herbis aluntur, immunda quæ aliis paſcuntur animantibus.

2 *ſeu quod illa potiſſimum Ægyptii Diis ſuis offerrent, & ex illis aruſpicium facerent.*) Origenes libro IV. contra Celſum: (*pag. 225.*) Δαίμονές τινες φαῦλοι καὶ (ἵν᾽ οὕτως ὀνομάσω) Τιτανικοὶ ἢ γιγάντιοι, ἀσεβεῖς πρὸς τὸ ἀληθῶς θεῖον καὶ τοὺς ἐν οὐρανῷ ἀγγέλους γεγενημένοι, καὶ πεσόντες ἐξ οὐρανοῦ, καὶ περὶ τὰ παχύτερα τῶν σωμάτων καὶ ἀκάθαρτα ἐπὶ γῆς καλινδούμενοι, ἔχοντές τε τι περὶ τῶν μελλόντων διορατικὸν, ἅτε γυμνοὶ τῶν γηΐνων σωμάτων τυγχάνοντες, καὶ περὶ τοιοῦτον ἔργον καταγινόμενοι, βουλόμενοι ἀπάγειν τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος, ὑποδύονται τῶν ζώων καὶ τὰ ἁρπακτικώτερα, καὶ ἀγριώτερα καὶ ἄλλα πανουργότερα, καὶ κινοῦσιν αὐτὰ πρὸς ἃ βούλονται, ἢ τὰς φαντασίας τῶν τοιῶνδε ζώων τρέπουσιν ἐπὶ τὰς πτήσεις καὶ κινήσεις τοιάσδε, ἵν᾽ ἄνθρωποι διὰ τῆς ἐν τοῖς ἀλόγοις ζώοις ἁλισκόμενοι μαντικῆς, Θεὸν μὲν τὸν περιέχοντα τὰ ὅλα μὴ ζητῶσι, μηδὲ τὴν καθαρὰν θεοσέβειαν ἐξετάζωσι, πέσωσι δὲ τῷ λογισμῷ ἐπὶ τὴν γῆν, τοὺς ὄρνεις, τοὺς δράκοντας, ἔτι δ᾽ ἀλώπεκας καὶ λύκους· καὶ γὰρ παρατετήρηται τοῖς περὶ ταῦτα δεινοῖς, ὅτι αἱ ἐναργέστεραι προγνώσεις διὰ τῶν τοιούτων ζώων γίγνονται, ἅτε μὴ δυναμένων τῶν δαιμόνων ἐν τοῖς ἡμερωτέροις τῶν ζώων τοσοῦτον, ὅσον

* Prior lectio primæ editioni recentioribusque probatur; poſterior noſtræ nobiliori & alii de A. MDCXL.

** Inter variantes lectiones, ubi duæ de A. MDCXL. editiones: *fuit;* tertia: *ſacrificabitur;* noviſſimæ vero: *fiet* habent, ultima hæc Hebræis optime reſpondet.

*** De *Chryſoſtomi* libro, quo demonſtrat, *quod Chriſtus ſit Deus*, cujus quoque *contra gentiles* inſcriptio eſt, ſine dubio hæc ſunt interpretanda. Ejus enim *cap. VII. fol. 746. tom. V. opp. Malachiæ* vaticinium nonnihil illuſtratur.

[3] ſeu quod in lege illa umbratica certis animantium generibus certa hominum vitia notarentur. Non eſſe

ὅσον δύνανται διὰ τὸ παραπλήσιον τῆς κακίας, καὶ οὐ κακίας μὲν, οἱονεὶ δὲ κακίας οὔσας ἐν τοῖς τοιοσδὶ τῶν ζώων, ἐνεργῆσαι τάδε τὰ ζῶα· ὅθεν εἴπερ ἄλλο τι Μωϋσέως τεθαύμακα, καὶ τὸ τοιοῦτον θαύματος ἀποφαίνω ἄξιον εἶναι, ὅτι φύσεις κατανοήσας ζώων διαφόρους, καὶ εἴτ' ἀπὸ τοῦ θεοῦ μαθὼν τὰ περὶ αὐτῶν, καὶ τῶν ἑκάστῳ ζώῳ συγγενῶν δαιμόνων, εἴτε καὶ αὐτὸς ἀναβαίνων τῇ σοφίᾳ ἐν τῇ περὶ ζώων διατάξει, πάντα μὲν ἀκάθαρτα ἔφησεν εἶναι τὰ νομιζόμενα παρ' Αἰγυπτίοις καὶ τοῖς λοιποῖς ἀνθρώποις εἶναι μαντικά, ὡς ἐπίπαν δὲ εἶναι καθαρὰ τὰ μὴ τοιαῦτα. *Malequidam dæmones, & (ut ſic loquar) Titanici aut gigantei, qui impie in verum numen & cæleſtes angelos ſe geſſere, ideoque e cœlo ejecti ſunt, circa corporum craſſiora & impuriora in terris ſe agitant; cumque habeant aliquam circa futura perſpicaciam, ut qui a terrenis corporibus ſint liberi, & in talibus negotiis multum verſati, hoc unice ſtudentes humanum genus ut abducant a vero Deo, inſinuant ſe in animantium fera ac rapacia maxime, deinde & in callidiora, & ea, quoties volunt, quo volunt movent, aut etiam talium animantium vim imaginoſam incitant ad hos aut illos volatus motionesve, ut homines capti divinationibus quæ per muta fiunt animalia, Deum cuncta continentem non quærant, neque veram exerceant pietatem, ſed cogitationibus ſuis decidant in terram, in aves, in dracones, quin etiam in vulpes & lupos. Obſervatum enim eſt harum rerum peritis, prædictiones maxime notabiles per id genus animantia fieri, non valentibus, ut videtur, dæmonibus tantum efficere in manſuetis animantium, quantum prava iſta animantia poſſunt in aliis quæ diximus animantibus, ob id quod iſta habent vitio ſimile, non vitium proprie, ſed quaſi vitium. Quamobrem ſi quid aliud in Moſe & miratus ſum ipſe, & dignum miratu exiſtimo, hoc eſt, quod cum percepiſſet naturas animantium diverſas, ſive a Deo edoctus ea, quæ ad animantia & ad dæmones animantium cuique affines pertinebant, ſive propria ipſe ſcientia perductus ad noſcendos animantium gradus, omnia ea impura pronunciavit, quæ ab Ægyptiis aliisque gentibus vim divinandi habere cenſebantur; contra vero omnia ea pura, quæ extra illum eſſent cenſum.* Similia habet Theodoretus libro VII. adverſus Græcos. (*fol. 584. ſeq. tom. IV. opp.*) Non plane alienum hinc quod Manetho dixit, * Νομοθετήσας καὶ πλεῖστα ἄλλα, μάλιστα τοῖς Αἰγυπτίοις ἐθισμοῖς ἐναντιούμενα. *Cum plurima conſtituiſſet alia, Ægyptiorum inſtitutis pugnantia.* Et quod Tacitus de Judæis: (*hiſtor. V. cap. IV. §. 1.*) *Profana illis omnia quæ apud nos ſacra.* Deinde: (§. 2.) *Cæſo ariete velut in contumeliam Ammonis. Bos quoque immolatur, quem Ægyptii Apim colunt.*

3 *ſeu quod in lege illa umbratica certis animantium generibus certa hominum vitia notarentur.*) Barnabas in epiſtola: (*num. VIII. p. 21. ſeqq. edit. Jonch. Jo. Maderi* 1655. *4to.*) Ὅτι δὲ Μωσῆς εἴρηκεν, οὐ φάγεσθε χοῖρον, οὐδ' αἐτὸν, οὐδὲ ὀξύπτερον, οὐδὲ κόρακα, οὐδὲ πάντα ἰχθὺν ὃς οὐκ ἔχει λεπίδα, ἐν αὐτῷ τρία ἔλαβεν ἐν τῇ συνέσει δόγματα. πέρας γέ τοι λέγει λόγοις αὐτοῖς ἐν τῷ Δευτερονομίῳ· καὶ διαθήσονται πρὸς τὸν λαὸν τοῦτον τὰ δικαιώματά μου· ἆρα οὐκ ἔστιν ἐντολὴ τοῦ Θεοῦ τὸ μὴ τρώγειν. Μωσῆς δὲ ἐν πνεύματι ἐλάλησε. τὸν οὖν, χοῖρον. πρὸς τοῦτο εἴρηκεν. οὐ μὴ κολληθήσῃ, φησὶν, ἀνθρώποις τοιούτοις, οἵ τινες ὅμοιοί εἰσι χοίροις. ὅταν γὰρ σπαταλῶσιν, ἐπιλανθάνονται τοῦ κυρίου ἑαυτῶν. ὅταν δὲ ὑστερηθῶσιν ἐπιγινώσκουσι τὸν κύριον. καὶ χοῖρος ὅταν τρώγῃ, οὐκ οἶδε τὸν κύριον, ὅταν δὲ πεινάζῃ, κραυγάζει, καὶ λαβὼν πάλιν σιωπᾷ. οὐδὲ μὴ φάγῃς, φησὶ, τὸν αἐτὸν, οὐδὲ τὸν ὀξύπτερον. οὐδὲ τὸν ἰκτῖνα, οὐδὲ τὸν κόρακα. οὐ μὴ, φησι, κολληθήσῃ ἀνθρώποις τοιούτοις, οἵ τινες οὐκ οἴδασι διὰ κόπου καὶ ἱδρῶτος πορίζειν ἑαυτοῖς τὴν τροφὴν, ἀλλ' ἁρπάζουσι τὰ ἀλλότρια ἐν ἀνομίᾳ αὐτῶν, καὶ ἐπιτηροῦσιν ὡς ἐν ἀκεραιοσύνῃ περιπατοῦντες. καὶ καθήμενα ἀργὰ ταῦτα ἐκζητεῖ πῶς ἀλλοτρίας σάρκας καταφάγῃ, ὄντα λοιμὰ τῇ πονηρίᾳ αὐτῶν. καὶ οὐ φάγῃς, φησὶ, σμύραιναν, οὐδὲ πολύποδα οὐδὲ σηπίαν. οὐ μὴ, φησιν, ὁμοιωθήσῃ κολλώμενος ἀνθρώποις τοιούτοις, οἵ τινες εἰς τέλος εἰσὶν ἀσεβεῖς καὶ κεκριμμένοι τῷ θανάτῳ. ὡς καὶ ταῦτα τὰ ἰχθύδια μόνα ἐπικατάρατα ἐν τῷ βυθῷ νήχεται, μὴ κολυμβῶντα ὡς τὰ λοιπὰ, ἀλλ' ἐν τῇ γῇ κατὰ τοῦ βυθοῦ κατοικεῖ. ἀλλὰ καὶ τὸν δασύποδα οὐ φάγῃ, φησὶν· πρὸς τί; οὐ μὴ γένῃ παιδοφθόρος, οὐδὲ ὁμοιωθήσῃ τοῖς τοιούτοις. ὅτι ὁ λαγωὸς κατ' ἐνιαυτὸν πλεονεκτεῖ τὴν ἀφόδευσιν· ὅσα γὰρ ἔτη ζῇ τοσαύτας ἔχει τρύπας. ἀλλ' οὐδὲ τὴν ὕαιναν φάγῃ· οὐ μὴ, φησιν, γένῃ μοιχὸς, οὐδὲ φθορεύς. οὐδὲ ὁμοιωθήσῃ τοῖς τοιούτοις. πρὸς τί; τοῦτο γὰρ τὸ ζῶον παρ' ἐνιαυτὸν ἀλλάσσει τὴν φύσιν, καὶ ποτὲ μὲν ἄρρεν, ποτὲ δὲ θῆλυ γίγνεται. ἀλλὰ καὶ τὴν γαλῆν ἐμίσησε καλῶς, οὐ μὴ γὰρ, φησιν, ὁμοιωθήσῃ τοῖς τοιούτοις, οἵους ἀκούομεν ἀνομίαν ποιοῦντας τῷ στόματι δι' ἀκαθαρσίαν, οὐδὲ κολληθήσῃ ταῖς τὴν ἀνομίαν ποιούσαις τῷ στόματι. τὸ γὰρ ζῶον τοῦτο τῷ στόματι κύει. Περὶ τῶν βρωμάτων μὲν οὖν Μωσῆς τρία δόγματα ἐν πνεύματι ἐλάλησεν. οἱ δὲ κατ' ἐπιθυμίαν τῆς σαρκὸς, ὡς περὶ βρωμάτων ἐδέξαντο. Λαμβάνει δὲ τριῶν δογμάτων γνῶσιν Δαβὶδ, καὶ λέγει ὁμοίως· Μακάριος ἀνὴρ ὃς οὐκ ἐπορεύθη ἐν βουλῇ ἀσεβῶν· καθὼς οἱ ἰχθύες πορεύονται ἐν σκότει εἰς τὰ βάθη· καὶ ἐν ὁδῷ ἁμαρτωλῶν οὐκ ἔστη, καθὼς οἱ δοκοῦντες φοβεῖσθαι τὸν κύριον, ἁμαρτάνουσιν ὡς χοῖροι. καὶ ἐπὶ καθέδρα λοιμῶν οὐκ ἐκάθισε, καθὼς τὰ πετεινὰ τὰ καθήμενα εἰς ἁρπαγήν. ἔχετε τελείως καὶ περὶ τῆς γνώσεως. ἀλλ' εἶπε Μωσῆς, φάγεσθε πᾶν δίχηλον καὶ μαρυκώμενον. τί λέγει; ὁ τὴν τροφὴν λαμβάνων οἶδε τὸν τρέφοντα αὐτὸν, καὶ ἐπ' αὐτῷ ἀναπαυόμενος, εὐφραίνεσθαι δοκεῖ· καλῶς εἶπε, βλέπων τὴν ἐντολήν. τί οὖν λέγει, κολλᾶσθαι μετὰ τῶν φοβουμένων τὸν κύριον· μετὰ τῶν μελετώντων, ὃ ἔλαβον διάσταλμα ῥήματος ἐν τῇ καρδίᾳ· μετὰ τῶν λαλούντων τὰ δικαιώματα κυρίου καὶ τηρούντων, μετὰ τῶν εἰδότων, ὅτι ἡ μελέτη ἔργον ἐστὶν εὐφροσύνης, καὶ μαρυκωμένων τὸν λόγον τοῦ κυρίου. τί δὲ τὸ διχηλοῦν; ὅτι ὁ δίκαιος ἐν τούτῳ κόσμῳ περιπατεῖ, καὶ τὸν ἅγιον αἰῶνα ἐκδέχεται. βλέπετε πῶς ἐνομοθέτησε Μωσῆς καλῶς. *Quod dixit Moſes, ne veſcimini porco, neque aquila, neque oxyptero, neque corvo, neque piſce qui ſquammis careat, in ſecreto intellectu tria comprehendit dogmata. Quo tendat, diſerte ipſe in Deuteronomio oſtendit: Et teſtabuntur populo meo juſta mea. Non igitur præceptum Dei proprie eſt, hoc vel illo non veſci: ſed in ſpiritu dixit iſta Moſes. De porco hoc eſt quod voluit: nolite conglutinari cum hominibus illis, qui porcis ſunt ſimiles. Nam dum luxu diffluunt, obliviſcuntur domini ſui: Ubi autem res contra eunt, agnoſcunt dominum. Nam & porcus ubi comedit, non curat dominum: ubi eſurit, clamat: & rurſum ubi quod edat accepit, tacet. Neque comedas, inquit, aquilam, neque oxypterum, neque milvium, neque corvum: Hoc dicit, ne conglutineris hominibus ejuſmodi, qui labore ac ſudore victum ſibi neſciunt quærere, ſed aliena rapiunt injuſte factis ſuis, inſidiasque ponunt ſpecie ſumpta bona fide ambulantium. Sic & animantia illa otioſa dum deſident ſpeculantur quomodo alienis ſe paſcant carnibus, noxia malo ſuo ingenio. Ne comedas etiam murænam, inquit, nec polypum, nec ſepiam. Hoc dicit, ne agglutinando ſimilem te reddas hominibus talibus, qui perpetuo ſunt impii & morti ſervantur: ſicut piſcium illi ſoli qui damnantur, in fundo natant, nec in ſummo, ut cæteri, fluitant, ſed in imo ſolo degunt. Sed nec daſypodem comedas, inquit: Cur vero? id eſt, ne fias puerorum corruptor, aut ſimilis talibus. Lepus enim anno quoque ad ejectamenta alvi fit opulentior. Quot enim habet annos, totidem & cavernas. Sed nec hyæna, ait, veſcere: id eſt, nec adulter eſto, aut ſimilis adulteris. Unde hoc?*

Hoc

* Vide *Joſephum contra Apionem lib. I. fol.* 1053. *opp.*

eſſe præcepta hæc univerſalia, apparet exemplo ejus, quod conſtitutum eſt de carne beſtiæ fato ſuo mortuæ Deut. XIV. (*v. 21.*) ut Iſraelitis quidem ea veſci non liceret, 4 incolis autem liceret; quos quidem incolas Judæi omnibus officiis, tamquam Deo commendatos, proſequi jubentur. Veteres quoque Hebræorum magiſtri aperte tradiderunt, 5 Meſſiæ temporibus ceſſaturam legem de cibis vetitis, & ſuillam non minus puram fore, quam bubulam. Et certe, cum ex omnibus populis unum ſibi colligere Deus voluit, æquius fuit ut libertatem, quam ut ſervitutem in rebus talibus communem faceret.

§. X. *Et dierum.*

Sequitur inſpectio feſtorum dierum. Hi univerſim omnes inſtituti ſunt in memoriam beneficii a Deo accepti, cum ex Ægyptiaca calamitate liberarentur, atque deinde deducerentur in terram promiſſam. Jam vero Propheta Jeremias XVI. (*v. 14. 15.*) & XXIII. (*v. 7. 8.*) capite ait, tempus venturum, quo nova, multoque majora beneficia iſtius beneficii memoriam ita obſcurent, ut ejus vix ulla mentio ſit futura. Tum vero, quod modo de ſacrificiis dicebamus, etiam de feſtis diebus verum eſt, iis quoque confidere populum cœpiſſe; tamquam his bene obſervatis, non magni ducenda eſſent, quæ de cætero peccarentur. Unde Eſaiæ cap. I. (*v. 14.*) Deus ait ſe calendas ipſorum & dies feſtos faſtidire, & oneri tanto ſibi eſſe, ut vix queat ſuſtinere. De ſabbato ſpecialiter opponi ſolet, eſſe præceptum univerſale, & perpetuum; quippe non uni populo datum, ſed in ipſa mundi origine, Adamo omnium parenti. Reſpondeo, aſſentientibus Hebræorum doctiſſimis, duplex eſſe præceptum de ſabbato, 1 præceptum recordandi, Exodi XX. 8. 2 & præceptum obſervandi, Exod. XXXI. 31. (*rectius 13.*) Præceptum recordandi impletur religioſa memoria mundi conditi. Præceptum obſervandi ſitum eſt in exacta abſtinentia ab omni alio opere. Prius illud præceptum ab initio datum fuit, atque ei haud dubie 3 paruerunt viri pii ante legem, Enoch, Noe, Abraham, Iſaac, Jacob; quorum quidem poſtremorum cum multæ peregrinationes legantur, 4 nullum usquam indicium eſt itineris ob ſabbatum intermiſſi, quod poſt exitum ex Ægypto perpetuo reperias. Nam poſtquam eductus ex Ægypto populus, & feliciter tranſgreſſus rubrum mare, primum diem ſecurum egit ſabbatum, eoque cecinit Deo epinicium, ex eo tempore imperata eſt exacta illa ſabbati quies, cujus prima mentio eſt in collectione mannæ, Exod. XXXV. 2. Levit. XXIII. 3. Et hoc ſenſu cauſa legis de ſabbato redditur liberatio ex Ægypto, Deut. V. 21. (*potius 15.*) Et ſimul hac lege conſultum eſt ſervis adverſus dominorum duritiem, nullam ipſis a laboribus reſpirationem indulgentium, ut dictis locis videre eſt. Verum eſt, 5 hac lege obſtrictos fuiſſe etiam incolas; quia, ſcilicet, una debebat eſſe totius populi quieſcentis facies. Cæterum aliis populis non datam hanc exactæ quietis legem, vel inde apparet, quod multis in locis vocatur ſignum, atque etiam fœdus ſpeciale inter Deum & Iſraelitas, ut Exodi XXXI. 13. 16. Jam vero, quæ in memoriam exitus ab Ægypto inſtituta ſunt, non eſſe talia, ut numquam ceſſare debeant, ſupra jam oſtendimus ex promiſſo majorum multo beneficiorum.

Hoc enim animal quotannis mutat naturam, & nunc mas fit, nunc fœmina. Sed & muſtelam merito odio habuit. Nimirum, hoc monet, noli ſimilis eſſe illis, quos audimus ore infamia patrare, neque aggrega te fœminis in eum modum morigerantibus: nam animal illud ore concipit. De cibis ergo loquens Moſes tria dogmata in ſpiritu elocutus eſt. At illi pro cupidine carnis ſuæ ſimpliciter de cibis ea accepere. At trium illorum dogmatum cognitionem etiam David conſecutus eſt. Dicit enim: Beatus vir qui non ambulavit in conſilio impiorum, nimirum, quomodo piſces verſantur in tenebris in profundo abditi. Et in via peccatorum non ſtetit; nimirum, ut illi, qui cum videantur Deum timere, peccant porcorum inſtar. Et in cathedra peſtilentium non ſedit; nimirum, ut volucres quæ raptui imminent. Habete & ea quæ ad ſcientiam pertinent. Dixit Moſes: Edite omne biſidum ungulis & ruminans. Quid ait? qui cibum ſumit, agnoſcitque altorem ſuum, & in eo acquieſcens lætatur. Bene dixit ad præceptum reſpiciens. Quid igitur dicit? Adhærendum iis qui Dominum timent, iis qui in corde meditantur, quod accepere in verbis præceptum: iis qui loquuntur juſta Dei, eaque ſervans, iis qui norunt meditationem opus eſſe lætitiæ, iis qui ſermones divinos ruminant. Quid vero biſidum ungulis? quia vir juſtus in hoc ævo ambulat, & alterum ævum exſpectat. Vide quam pulchre leges dederit Moſes. Laudat hæc Barnabæ Clemens Strom. V. (*fol. 571. ſeq. opp.*) Habes autem multa partim his eadem, partim ſimilia, in Philone libro de agricultura, (*tum I. fol. 189. & 198. ſeqq. tum II. fol. 227. ſeqq. opp.*) & libro, pejorem inſidiari meliori, (*fol. 176. opp.*) quæ longum eſſet transſcribere. Similia ex Ariſtæo habet Euſebius lib. VIII. cap. 9.

4 *incolis autem liceret.*) Piis ſcilicet, ſed non circumciſis, de quibus agitur & Levitici XXII. 25. XXV. 4. 7. & in Thalmudicis titulis de Rege * & Synedrio, & apud Maimonidem libro de idololatria. (*forte cap. X. §. 4.*)

5 *Meſſiæ temporibus ceſſaturam legem de cibis vetitis, & ſuillam non minus puram fore, quam bubulam.*) Ita R. Samuel in Mecor Chaim. Thalmud in titulo Nida, legem ait non manſuram niſi ad tempora Meſſiæ. Notandum etiam quosdam Judæorum magiſtros, inter quos eſt Bechai, ſentire leges de cibis vetitis proprias eſſe terræ Palæſtinæ, nec extra eos fines quemquam illis obligari. Multa etiam animantium nomina quid ſignificent, aut ignotum eſſe Judæis, aut inter ipſos controverſum; quod credi non debet permiſſurum fuiſſe Deum, ſi ad hunc diem maneret obligandi vis.

1 *præceptum recordandi.*) זכור.

2 *& præceptum obſervandi.*) שמור. Diſtinctio eſt Moſis Gerundenſis, & Iſaaci Aramæ.

3 *paruerunt viri pii ante legem.*) A quibus etiam ad Græcos ſeptimi diei veneratio aliqua pervenit, ut notatum Clementi. Vide quæ huc pertinentia diximus libro I. (*§. XVI. not. 24. ſeqq. pag. 15*)

4 *nullum usquam indicium eſt itineris ob ſabbatum intermiſſi.*) Hoc ſenſu illorum temporum pios *σαββατίζειν*, id eſt, ſabbata obſervaſſe negat Juſtinus cum Tryphone (*fol. 236. 241. 245. opp.*) diſputans, & Tertullianus adverſus Judæos duobus locis. (*fine II. & init. III. itemque V. capite.*)

5 *hac lege obſtrictos fuiſſe etiam incolas.*) Non etiam alios qui extra Judæam præcepta poſterorum Noe data obſervabant. Ita ſentiunt Hebræi.

* Nullus titulus Talmudicus eſt *de Rege*. In *Hilcoth Melachim* ſeu *ſtatutis de regibus Maimon* egit *cap. VIII. IX. X.* de jure peregrinorum; quæ capita latine edidit *Humfr. Prideaux* in tr. de *jure pauperum* &c. Præſertim *cap. VIII. §. 11. pii mundi* vocantur, *qui partem habent in futuro ſeculo*. Quæ deſumſit *Maimonides* ex Cod. *Sanhedrin cap. ult.* quo ablegat auctor *Keſeph Miſchne*. W.

rum. Adde quod, ſi lex de quiete ſabbati fuiſſet ab initio lata, & eo ſenſu, ut tolli numquam poſſet, ſane prævaluiſſet illa lex in conflictu aliarum legum, quod nunc contra ſe habet. Nam 6 circumcidi infantes recte in ſabbato conſtat: 7 ſicut & ſtante templo victimæ ſabbatis non minus, quam diebus aliis, jugulabantur. Mutabilitatem hujus legis ipſi Hebræorum magiſtri oſtendunt, cum ajunt, ad imperium Prophetæ recte opus fieri ſabbato; quod probant exemplo captæ Hierichuntis, die ſabbati, imperante Joſua. Meſſiæ autem temporibus, diſcrimen dierum ſublatum iri non male eorumdem nonnulli oſtendunt ex Eſaiæ loco LXVI. 23. ubi prædicitur, fore ut perpetuus ſit Dei cultus a ſabbato ad ſabbatum, a novilunio ad novilunium.

§. XI. *Circumciſionem quoque externam.*

Veniamus ad circumciſionem, quæ ſane Moſe eſt antiquior, quippe Abrahamo imperata, ejusque poſteris. Sed hoc ipſum præceptum inchoatio fuit fœderis per Moſem publicati. Sic enim dixiſſe Deus Abrahamo legitur Geneſ. cap. XVII. (*v. 8. 9. 10.*) *Dabo tibi, & poſteritati tuæ terram, in qua peregrinus egiſti, terram, inquam, Chananæam in poſſeſſionem duraturam.* * *Tu ergo fœdus meum ſerva, tu, inquam, & poſteritas tua per ſecula. Hoc eſt fœdus inter me, & vos, veſtramque poſteritatem, ut circumcidatur omnis mas.* Atqui jam ſupra intelleximus in hujus fœderis locum ſucceſſurum fœdus novum, & quidem commune populis omnibus, quam ob cauſam ceſſare etiam debuit neceſſitas illa notæ diſcriminatricis. Eſt & hoc manifeſtum, in præcepto circumciſionis contineri myſticam quandam & excellentiorem ſignificationem; quod oſtendunt Prophetæ, 1 cum jubent cor circumcidi, quo ſpectant Jeſu præcepta omnia. Quare & promiſſa circumciſioni addita ſimili modo neceſſe eſt ad majus aliquid referantur: nempe, illud de poſſeſſione terreſtri 2 ad revelationem poſſeſſionis vere æternæ, quæ numquam apertius, quam per Jeſum facta eſt: & 3 de Abrahamo conſtituendo in patrem plurimarum gentium ad id tempus, quo non pauci aliquot populi, ſed innumeri toto orbe diffuſi, imitaturi eſſent illam adeo memoratam Abrahami in Deum fiduciam: quod profecto non niſi per evangelium contigit. Mirum autem non eſt, umbras deſtinati operis auferri, opere impleto. 4 Dei vero gratiam huic ſigno adſtrictam non eſſe, ſatis hinc diſcas, quod non vetuſtiores tantum, ſed & ipſe Abrahamus adhuc incircumciſus Deo placuit; 5 &, toto tempore itineris per Arabum deſerta omiſſa ab Hebræis circumciſio fuit, Deo ob id nihil expoſtulante.

§. XII. *Et tamen in his quoque tolerandis, faciles fuiſſe Apoſtolos Jeſu.*

Certe erat, cur magnas gratias agerent Jeſu & ejus legatis Hebræi; quod gravi illo rituum onere per ipſum liberarentur, certique ſuæ libertatis fierent, 1 per dona ac miracula Moſi nihil cedentia. Sed tamen primi noſtri dogmatis publicatores ne hoc quidem ab illis exegerunt, ut ſuam hanc felicitatem agnoſcerent: ſed ſi præcepta Jeſu omnis honeſtatis pleniſſima ſuſciperent, facile paſſi ſunt eos in rebus mediis 2 ſequi, quem vellent vivendi modum; 3 ita tamen ut alienigenis, quibus lex illa rituum numquam data fuerat, ejus obſervandæ neceſſitatem non imponerent: quod vel unum ſatis eſt, ut evidenter oſtendatur, inique a Judæis rejecta Jeſu dogmata, prætextu illo legis ritualis. Soluta hac objectione, quæ prope unica miraculis Jeſu opponi ſolet, veniamus ad alia argumenta, quæ ad Judæos convincendos ſunt idonea.

§. XIII. *Probatio adverſus Judæos, ex eo, quod in confeſſo eſt promiſſum eximium Meſſiam.*

Conſtat inter nos & ipſos, in Prophetarum vaticiniis ſupra multos, qui Hebræis divinitus contigerunt, magnorum bonorum auctores, unum multo cæteris excellentiorem promitti; quem nomine communi quidem, ſed huic uni eximie competente, Meſſiam vocant. Eum nos pridem veniſſe adſerimus: illi venturum exſpectant. Supereſt, ut de ea lite judicium quæramus in iis libris, quorum auctoritatem pariter agnoſcimus.

§. XIV.

6 *circumcidi infantes recte in ſabbato conſtat.*) Proverbium Hebraicum, מילה דוחה את השבת, *circumciſio pellit ſabbatum.* Vide Joh. VII. 22.

7 *ſicut & ſtante templo victimæ ſabbatis non minus, quam diebus aliis jugulabantur.*) Num. XXVIII. 9.

1 *cum jubent cor circumcidi.*) Deut. X. 16. XXX. 6. Jer. IV. 4.

2 *ad revelationem poſſeſſionis vere æternæ.*) Hebr. IV. (v. 8. 9.)

3 *de Abrahamo conſtituendo in patrem plurimarum gentium ad id tempus, quo non pauci aliquot populi, ſed innumeri toto orbe diffuſi imitaturi eſſent illam adeo memoratam Abrahami in Deum fiduciam.*) Gen. XVII. 5. Rom. IV. 11. 13. 16. 17. Luc. XIX. 9. Gal. III. 7.

4 *Dei vero gratiam huic ſigno adſtrictam non eſſe.*) Ἐπεὶ δὲ εἰς σημεῖον ἦν δεδομένη, ἀλλ' οὐκ εἰς δικαιοπραξίας ἔργον, ait Juſtinus colloquio cum Tryphone (*fol. 366. opp.*) *Siquidem iſta veſtra circumciſio in ſignum data erat, non in opus juſtitiæ.* Irenæus lib. IV. cap. 30. *Quoniam autem & circumciſionem, non quaſi conſummatricem juſtitiæ, ſed in ſigno eam dedit Deus, ut cognoſcibile perſeveret genus Abrahæ, ex ipſa ſcriptura diſcimus. Dixit enim, inquit, Deus ad Abraham: Circumcidetur omne maſculinum veſtrum, & circumcidetis carnem præputii veſtri, & erit in ſignum teſtamenti inter me & vos.*

5 *& toto tempore itineris per Arabum deſerta omiſſa ab Hebræis circumciſio fuit.*) Joſuæ V. 4. 5. 6.

1 *per dona ac miracula Moſi nihil cedentia.*) Miracula Meſſiæ majora eſſe debere quam Moſis dixit R. Levi ben Gerſom, ** quod vel maxime patuit in mortuis reſuſcitatis.

2 *ſequi quem vellent vivendi modum.*) Actor. XVI. 3. XXI. 24. Rom. XIV. (1.) 1. Cor. IX. 17. (20. 21.) Gal. V. 6. Coloſſ. III. 11.

3 *ita tamen ut alienigenis, quibus lex illa rituum numquam data fuerat, ejus obſervandæ neceſſitatem non imponerent*) Actor. XV. Galat. I. 6. Gal. I. 3. 15. (*accuratius* Gal. II. 3. 6. 15.) IV. 10. VI. 12.

* Supplenda hæc tranſlatio ex Hebræis fontibus ita: *Et ero vobis in Deum. (veſter Deus). Et dixit Deus Abrahamo: tu ergo* &c.

** In *Commentar. in Pentateuch. fol.* 198. *col.* 2. in *Paraſcha Balack* ad verba ex *Deuteron. XXXIV. v.* 10. adducta, & *fol.* 245. *col.* 2. Verba legas apud *Eiſenmengerum part. II. Judaiſmi detect. pag.* 898.

§. XIV. *Oſtenditur eum jam veniſſe ex præſignificatione temporis.*

Daniel, 1 cui ſummæ pietatis teſtimonium Ezechiel perhibuit, neque nos decipere voluit, neque deceptus eſt ab Angelo Gabriele. Is autem Angelo dictante, cap. IX (*v. 24. ſeqq.*) conſcriptum reliquit, poſt promulgatum edictum de inſtauranda urbe Hieroſolymorum, non elapſuros annos quingentos, 2 quin adeſſet Meſſias. Atqui in hunc diem elapſi ſunt ab eo tempore plus bis mille anni, nec adeſt is, quem Judæi exſpectant: nec quemquam alium nominare poſſunt, in quem id tempus quadret: In Jeſum autem tam bene convenit, ut magiſter Hebræus * Nehumias, qui annis quinquaginta eum præceſſit, aperte jam tum dixerit, non poſſe ultra eos quinquaginta annos protrahi tempus Meſſiæ a Daniele ſignificatum. Cum hac temporis nota congruit altera, quam ſupra attigimus, 3 de imperio in omnes nationes dando divinitus, 4 poſtquam Seleuci & Lagi poſteritas regnare deſiiſſet; quarum poſterior in Cleopatra deſiit, non multo antequam Jeſus naſceretur. Tertia nota eſt dicto c. IX. (*v. 26.*) apud Danielem, quod poſt Meſſiæ adventum exſcindenda eſſet urbs Hieroſolyma, quod de exſcidio urbis vaticinium 5 ipſe Joſephus ad ſuam refert ætatem: unde ſequitur, tempus Meſſiæ adventui præſtitutum jam tum præteriiſſe. Eodem pertinet quod apud Aggæum cap. II. (*v. 10.*) Deus Zorobabelem Ethnarcham, & Jeſum Joſedeciden Pontificem Maximum mœſtos, quod viderent excitatum a ſe templum non reſpondere magnitudini prioris templi, ſolatur hoc promiſſo, futurum ut major honos iſti templo, quam priori, contingeret; quod profecto neque de mole operis, neque de materia, neque de arte, neque de ornatu dici poſſe hiſtoria horum temporum in ſacris litteris, & apud Joſephum, collata cum ea, quæ eſt de templo Salomonis, indubitatum facit. Adde quod Hebræorum magiſtri adnotant, duas maximas dotes defuiſſe templo poſteriori, quæ priori adfuerant; 6 conſpicuam quandam lucem divinæ majeſtatis indicem, & divinum afflatum. Sed quo templum hoc poſterius priori præſtiturum ſit, ibi quidem breviter oſtendit Deus, 7 cum pacem ſuam, id eſt, gratiam & benevolentiam, in eo templo ſe quaſi fœdere certo ſtabiliturum dicit, latius autem exſequitur Malachias cap. III. (*v. 1.*) *Ecce miſſurus ſum legatum meum, qui vias meas præparet. Brevi veniet in templum ſuum* (vixit autem Malachias tempore ædificati templi poſterioris) 8 *Dominus ille, quem vos deſideratis, internuncius ille fœderis, deliciæ veſtræ.* Venire ergo debuit Meſſias, ſtante templo ſecundo, 9 quo nomine apud Hebræos venit totum illud ævum a Zorobabele ad tempus Veſpaſiani; quia Herodis Magni temporibus templum non ex ruinis reſuſcitatum fuit, 10 ſed paulatim

1 *cui ſummæ pietatis teſtimonium Ezechiel perhibuit.*) XIV. 14. XXVIII. 3. Joſephus de Daniele fine libri X. (*i. e. cap.* 12.) ὅτι τὸ Θεῖον αὐτῷ Πνεῦμα συμπάρεστι. *Spiritus Dei ei aderat.* Deinde: Ἅπαντα γὰρ αὐτῷ παραδόξως ὡς ἑνί τινι τῶν μεγίστων εὐτυχήθη Προφητῶν, καὶ παρὰ τὸν τῆς ζωῆς χρόνον τιμή τε καὶ δόξα παρὰ τῶν βασιλέων καὶ τοῦ πλήθους, καὶ τελευτήσας δὲ μνήμην αἰώνιον ἔχει. τὰ γὰρ βιβλία ὅσα δὴ συγγραψάμενος καταλέλοιπεν, ἀναγινώσκεται παρ᾽ ἡμῖν ἔτι καὶ νῦν, καὶ πεπιστεύκαμεν ἐξ αὐτῶν ὅτι ὡμίλει τῷ Θεῷ. *Omnia illi ſupra fidem, & quantum maximorum Prophetarum ulli ſuccedebant: dumque vixit, in ſumma gratia ac honore fuit apud Reges & populum: & poſtquam mortuus eſt, æterna ejus viget memoria. Leguntur enim apud nos in hunc diem libri, quos a ſe conſcriptos reliquit, quorum teſtimonio credimus fuiſſe Danieli cum Deo commercium.*

2 *quin adeſſet Meſſias.*) Filium hominis apud Danielem eſſe Meſſiam conſentiunt magni Judæorum magiſtri Salomon Jarchi, Rabbi Joſe citatus ab Abenesdra, & Saadias. (*ad Dan. VII.* 13.) Sic & Rabbi Joſe qui exſcidium templi vidit, Meſſiæ tempus adveniſſe dicebat, ut teſtatur R. Jacob in Caphthor.

3 *de imperio in omnes nationes dando divinitus.*) Lapidem illum, cujus percuſſu imago illa imperiorum figuram habens comminuenda eſſet, Meſſiam eſſe tradidit R. Levi ben Gerſon: & regnum illud cætera regna abſumpturum eſſe regnum Meſſiæ docent Rabbi Salomo, R. Abenesdra, & R. Saadia: (*ad Dan. II. v.* 44.) Filium hominis apud Danielem eſſe Meſſiam R. Levi ben Gerſon, & Saadia. (*ad Dan. VII.* 13.)

4 *poſtquam Seleuci & Lagi poſteritas regnare deſiiſſet.*) Vide quæ hac de re annotata ad librum primum. (§. *XVII. not. inprimis.* 6. *pag.* 27.)

5 *ipſe Joſephus ad ſuam refert ætatem.*) Libeo X. cap. 12. Τὸν αὐτὸν δὲ χρόνον Δανιῆλος καὶ περὶ τῆς Ῥωμαίων ἡγεμονίας ἀνέγραψε, καὶ ὅτι ὑπ᾽ αὐτῶν ἐρημωθήσεται. ταῦτα πάντα ἐκεῖνος Θεοῦ δείξαντος αὐτῷ συγγράψας κατέλειψεν, ὥστε τοὺς ἀναγινώσκοντας καὶ τὰ συμβαίνοντα σκοποῦντας θαυμάζειν ἐπὶ τῇ παρὰ Θεοῦ τιμῇ τὸν Δανιῆλον. *Eodem tempore Daniel etiam de Romanorum ſcripſit imperio, & fore ut ab eo gens noſtra vaſtetur. Hæc omnia ille Deo indicante perſcripta reliquit, ita ut non poſſint qui iſta legunt, & eventus conſiderant, non admirari Danielem, ob honorem a Deo acceptum.* Septuaginta annorum hebdomadas finire in exſcidio templi ſecundi etiam Iacchiades docet ad Dan. IX. 24.

6 *conſpicuam quandam lucem divinæ majeſtatis indicem & divinum afflatum.*) In titulo de documentis. Gemara Hieroſolymitana cap. 3.

7 *cum pacem ſuam, id eſt, gratiam & benevolentiam, in eo templo ſe quaſi fœdere certo ſtabiliturum dicit.* Notandum eſt quod præcedit. *Veniet deſiderium omnium gentium, & implebo domum hanc gloria.* Quod mirifice convenit cum iis, quæ jam addimus ex Malachia, ita ut hi duo Prophetæ mutuo interpretum fungantur vice. Venire debuiſſe Meſſiam in templum ſecundum ſenſit Rabbi Akiba, multique alii teſte Rabbino Salomone.

8 *Dominus ille, quem vos deſideratis.*) Hunc Malachiæ locum communiter Judæi de Meſſia exponunt.

9 *quo nomine apud Hebræos venit totum illud ævum a Zorobabele ad tempus Veſpaſiani.*) Ut in Thalmude capite ultimo de Synedrio, & titulo Joma, & titulo Roſch Haſſchana.

10 *ſed paulatim per partes innovatum, qualis mutatio facit idem templum appellari.*) Philo de mundo: (*incorruptibili fol.* 963. *opp.*) Οὐ γὰρ δήπουθεν ὃ πάντα μέρη φθείρεται

* Quis ſit hic *Nehumias*, & quo in loco iſtam confeſſionem ediderit, jam olim ex *Grotio* quæſiverunt viri eruditi. Conf. *Claud. Sarravii epiſt. num. XXXVII. ſeq. pag.* 38. & *Grotii epiſt. ad Gallos pag.* 479. *ſeq.* Eandem quæſtionem recentiori ætate movit *Theod. Haſæus*, cujus hac de re cogitationes ex *biblioth. theol. hiſtor. philolog. claſſe V. faſc. III. p.* 561. *ſeq.* cognoſcendæ, cum quibus conf. *Jac. Frid. Reimanni introduct. in hiſtor. theologiæ Jud. p.* 358. *ſeqq. not.* 1. Ego parum iſti teſtimonio tribuendum cenſeo, inprimis ubi expendo, quæ, cum prima vice latine evulgandus erat liber, ad fratrem *epiſt. num. CXLVII. fol.* 797. *Grotius* ſcripſit: *Libro quinto, qui eſt adverſum Judæos in paragrapho, qui oſtendit Meſſiam veniſſe ex præſignificatione temporis, deſignavi ſine nomine magiſtrum Hebræum, qui annis quinquaginta Dominum noſtrum præceſſit, negavitque ultra quinquaginta annos protrahi poſſe tempus adventus. Nomen tunc non ſuccurrebat. Poſt reperi eſſe Nehumiam. Itaque ſcribe in eo loco: in Jeſum tam bene convenit, ut magiſter Hebræus Nehumias qui annis quinquaginta &c.*

tim per partes innovatum, qualis mutatio facit idem templum appellari. Et ſane tam conſtans apud Hebræos & vicinos fuit opinio, illis temporibus exſpectandum Meſſiam, ut 11 multi Herodem, 12 alii Judam Gauloniten, 13 alii alios, qui circa Jeſu tempora vixerunt, pro Meſſia haberent.

§. XV. (*Cum ſolutione ad id quod dicitur, dilatum adventum ob peccata populi.*)

Sentiunt ſe premi his argumentis de Meſſiæ adventu Judæi: quæ ut eludant, nonnulli ajunt ſua peccata in cauſa fuiſſe, quo minus promiſſo tempore adveniret. 1 Ut omittam, in dictis vaticiniis definitum, non aliqua conditione ſuſpenſum decretum indicari: quomodo ob peccata differri adventus potuit, cum hoc quoque prædictum eſſet, 2 ob plurima & maxima populi peccata urbem exſcindendam paulo poſt Meſſiæ tempora? Adde quod Meſſias venturus erat hac quoque de cauſa, 3 ut corruptiſſimo ſeculo medicinam faceret, ſimulque cum emendandæ vitæ regulis criminum veniam adferret; unde de ejus temporibus apud Zachariam dicitur cap. XIII. (*v. 1.*) fore tunc fontem apertum domui Davidis, & Hieroſolymitis omnibus, ad peccata abluenda: & apud ipſos Hebræos receptum eſt Meſſiam appellare 4 Iſch Chopher, hoc eſt, placatorem. Plane autem a ratione abhorret, dicere ob morbum aliquem dilatum id, quod præciſe ei morbo erat deſtinatum.

§. XVI. *Item ex ſtatu præſenti Judæorum collato cum his quæ lex promittit.*

De eo, quod dicimus, adveniſſe pridem in terras Meſſiam, ipſe etiam ſenſus Judæos poteſt convincere. 1 Promiſit Deus, fœdere per Moſem inito, ipſis felicem poſſeſſionem terræ Palæſtinæ, quamdiu vitam ſuam ad legis præſcriptum componerent: 2 contra ſi adverſus eam graviter delinquerent, exſilium aliaque id genus mala ipſis minatus eſt. Quod ſi tamen, aliquo tempore preſſi malis, & pœnitentia peccatorum ducti, ad obedientiam rediiſſent, ſe miſericordia populi tactum iri, effecturumque, ut, quamvis in ultimas mundi plagas diſperſi, redirent in patriam: ut videre eſt, tum alibi, tum Deuteronomii XXX. (*v. 1. 2. 3. ſeqq.*) & Nehemiæ I. (*v. 8. ſeqq.*) Atqui jam anni ſunt mille & ultra quingentos, quod Judæi patria carent, templo carent, 3 & ſi quando novum ædificare voluerunt, ſemper ſunt impediti: etiam flammarum globis ad fundamenta erumpentibus cum operarum pernicie, 4 quod ab Ammiano Marcellino, ſcriptore non Chriſtiano, proditum eſt. Cum olim populus graviſſimis ſceleribus ſe contaminaſſet, liberos paſſim ſacrificaſſet Saturno, adulteria pro nihilo duceret, viduas & pupillos expilaret, inſontem ſanguinem magna copia funderet, 5 quæ omnia illis Prophetæ exprobrant; paſſus eſt exſilium, ſed 6 non diutius annis ſeptuaginta; atque interea non omiſit Deus 7 per Prophetas illos alloqui & ſolari ſpe reditus, 8 indicato etiam ejus tempore. At nunc, 9 ex quo ſemel ejecti patria ſunt, manent extorres, contemti: nullus ad eos venit Propheta: nulla

ται, φθαρτὸν ἐστιν ἐκεῖνο, ἀλλ' οὗ πάντα τὰ μέρη ἅμα καὶ ἐν τῷ αὐτῷ ἀθρόα κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον. *Non cujus partes pereunt utique interitui obnoxium eſt, ſed cujus omnes partes ſimul & eodem tempore pereunt.* Adde L. proponebatur. D. de judiciis (*lib. V. digeſt. tit. I. leg. 76.*) & L. Quid tamen. §. in navis D. Quibus modis uſusfructus amittatur. (*lib. VII. digeſt. tit. IV. leg. 10. §. 7.*)

11 *multi Herodem*) Hi Herodiani Matth. XXII. 16. Marc. III. 6. VIII. 15. XII. 13. Tertullianus in hæreticorum enumeratione. (*cap. XLVI. de præſcript. hæretic.*) *Cum his etiam Herodianos qui Chriſtum Herodem eſſe dixerunt.* Paria habet de his Epiphanius: (*hæreſi XX. num. 1.*) quibuſcum convenit vetus ad Perſium ſcholiaſtes: (*Cornutus ſc. ad ſatyr. V. v. 108.*) *Herodes apud Judæos regnavit tempore Auguſti in partibus Syriæ. Herodiani ergo diem natalem Herodis obſervabant, ut etiam ſabbata, quo die lucernas accenſas & violis coronatas in feneſtris ponunt.*

12 *alii Judam Gauloniten.*) Vide Joſephum XVIII. 1. Act. V. 36.

13 *alii alios.*) Actor. XXI. 38. Joſephus plura exempla habet temporibus Felicis: (*lib. II. de bello Jud. cap. 12. & lib. VII. cap. 25. & 31.*) & poſt exſcidium quædam.

1 *Ut omittam in dictis vaticiniis definitum, non aliqua conditione ſuſpenſum decretum indicari.* Id diſerte affirmat R. Jochanan in Schemoth Rabba, & R. David Kimchi in Pſal. CVIII. 5. Bene de Daniele Joſephus libro X. circa finem: (*ſcil. cap. 12.*) Οὐ γὰρ τὰ μέλλοντα μόνον προφητεύων διετέλει, καθάπερ καὶ οἱ ἄλλοι Προφῆται, ἀλλὰ καὶ καιρὸν ὥριζεν εἰς ὃν ταῦτα ἀποβήσεται. *Non enim ſolum futura prædixit toto vitæ ſuæ tempore, ut & alii Prophetæ, ſed & tempus definivit, quo quæque eventura erant.* Nulla conditione ſuſpenſum fuiſſe decretum de Meſſia illo tempore mittendo, apparet & ex Malachiæ III. 1. Præterea cum novi fœderis auctor deberet eſſe Meſſias, ut & ibi Malachias & alii Prophetæ oſtendunt, non potuit ejus adventus ſuſpendi a conditione obſervati fœderis, quod antiquatum venerat.

2 *ob plurima & maxima populi peccata urbem exſcindendam paulo poſt Meſſiæ tempora.*) Dan. IX. 24.

3 *ut corruptiſſimo ſeculo medicinam faceret, ſimulque cum emendandæ vitæ regulis criminum veniam adferret.*) Eſaias LIII. 4. & ſequentibus. Jeremias XXXI. 31. & ſequentibus. Ezechiel. XI. 19. 21.

4 *Iſch Chopher.*) Vide Chaldæum paraphraſten Cant. I. 14. Meſſiam peccata noſtra portaturum dicit R. Judas in Chaſidim, R. Simeon in Bereſchith Rabba.

1 *Promiſit Deus, fœdere per Moſem inito, ipſis felicem poſſeſſionem terræ Palæſtinæ, quamdiu vitam ſuam ad legis præſcriptum componerent.*) Exod. XV. (26.) Levit. XVIII. (26. ſeqq.) Deut. VI. (10. ſeqq.) VII. (12. ſeqq.) XI. (8. ſeqq.) XXVIII.

2 *contra ſi adverſus eam graviter delinquerent, exſilium aliaque id genus mala ipſis minatus eſt.*) Lev. XXVI. (v. 14. ſeqq.) Deut. IV. XI. (16. 17. 28.) XXVIII. (15. ſeqq.)

3 *& ſi quando novum ædificare voluerunt, ſemper ſunt impediti.*) Sub Adriano, ſub Conſtantino, ſub Juliano: Chryſoſtomus II. adverſus Judæos. (*al. III. fol. 431. ſeqq. tom. I. opp.*)

4 *quod ab Ammiano Marcellino ſcriptore non Chriſtiano proditum eſt*) Libro XXIII. (*initio cap. 1.*) Chryſoſtomus II. adverſus Judæos: (*ibid. fol. 433.*) Πῦρ ἐκπηδῆσαν ἐκ τῶν θεμελίων εὐθέως κατέφλεξέ τε πολλοὺς ἀνθρώπους, ὁ μετ' αὐτῶν καὶ τοὺς λίθους τοῦ τόπου ἐκείνου. *Ignis e fundamentis exſiliens multos homines combuſſit, ipſos quin etiam loci illius lapides.* Totus locus dignus qui legatur. Paria habet ſcriptor idem in Matthæum homilia IV. (*fol. 35. tom. I. comment. in N. Teſt.*) & ſermone Chriſtum eſſe Deum (*cap. XIV. fol. 763. tom. V. opp.*)

5 *quæ omnia illis Prophetæ exprobrant.*) Eſai. I. 17. III. 14. 15. V. 23. XI. 2. 3. LIX. (v. 2. ſeqq.) LXV. Amos II. 6. Jer. II. III. V. VII. 31. VIII. IX. XI. XVI. (v. 10. ſeqq.) XXII. Ezech. II. (v. 3. ſeqq.) VI. VII. VIII. XVI. XXII. XXIV. Dan. IX. Michæas II. 1. 2. 3.

6 *non diutius annis* LXX.) Objicit hoc R. Samuel in epiſtola ad R. Iſaacum.

7 *per Prophetas illos alloqui & ſolari ſpe reditus.*) Jer. XXX. XXXI. XXXIII. Ezech. XXXVI. XXXVII.

8 *indicato etiam ejus tempore.*) Jerem. XXV. 15. (11. 12.) XXIX. 10.

9 *ex quo ſemel ejecti patria ſunt, manent extorres, contemti, nullus ad eos venit Propheta.*) Thalmud in Baba Bathra.

nulla futuri reditus ſignificatio: magiſtri ipſorum, quaſi ſpiritu vertiginis afflati, ad turpes fabulas & ridicula dogmata delapſi ſunt; quibus ſcatent libri Talmudici, quos legem ore datam audent dicere, & cum iis, quæ Moſes ſcripſit, conferre, aut iis præferre etiam. Nam quæ ibi leguntur 10 de Dei fletu, quod urbem paſſus ſit exſcindi, 11 de ejus quotidiana diligentia in legenda lege, 12 de Behemotho & Leviathane, 13 multisque rebus aliis, tam ſunt abſurda, ut etiam referre tædeat. Et tamen tanto tempore Judæi, nec ad falſorum Deorum cultus deflexerunt, ut olim, nec cædibus ſe contaminant, nec de adulteriis accuſantur: 14 Deum vero & precibus, & jejuniis, certant placare: nec exaudiuntur. Quæ cum ita ſe habeant, omnino ex duobus alterum ſtatuendum eſt, aut fœdus illud per Moſem factum omnino eſſe abolitum, aut teneri Judæorum univerſitatem gravis alicujus peccati, tot jam per ſecula durantis: quod quale ſit, ipſi dicant; aut ſi dicere non poſſunt, nobis credant, peccatum illud eſſe contemti Meſſiæ, qui ante advenerit, quam hæc mala ipſis contingere cœperunt.

§. XVII. *Probatur Jeſus eſſe Meſſias ex his quæ de Meſſia prædicta fuerunt.*

Et hæc quidem, ut diximus, oſtendunt, veniſſe jam ante tot ſecula Meſſiam: addimus nos, non alium eum eſſe, quam Jeſum. Nam quicumque alii pro Meſſia haberi ſe voluerunt, aut habiti ſunt, nullam reliquerunt ſectam, in qua ea opinio perſeveraret. Nulli nunc aut Herodis, aut Judæ Gaulonitæ, aut qui Adriani temporibus Meſſiam ſe dixit, 1 & doctiſſimis quibusdam impoſuit, 2 Barchochebæ ſectatores ſe profitentur. At Jeſu qui nomen dent, ex quo ipſe in terris fuit, in hunc diem fuerunt, 3 ſuntque plurimi, nec in una regione, ſed quam late hic orbis patet. Poſſem hic multa alia adferre olim de Meſſia prædicta aut credita, quæ in Jeſu eveniſſe credimus, cum de aliis ne adſeverentur quidem: quale eſt, 4 quod ex Davidis fuit poſteritate, 5 quod ex virgine natus eſt, 6 edocto ea de re cœlitus eo, qui virginem eam duxerat, cum ex alio prægnantem in matrimonio non fuerat retenturus, 7 quod natus eſt Bethlehemi, 8 quod dogma ſuum ferere cœpit in Galilæa, 9 quod omne genus morbos ſanavit, cœcis viſum, claudis greſſum dedit: ſed uno contentus ſum, cujus effectus in hunc diem durat. Ex 10 Davidis, 11 Eſaiæ, 12 Zachariæ, 13 Oſeæ vaticiniis manifeſtiſſimum eſt, Meſſiam non tantum Judæorum, ſed & aliarum gentium magiſtrum fore: 14 per ipſum collapſuros cultus falſorum Deorum, & ad unius Dei cultum perducendam ingentem multitudinem alienigenarum. Ante Jeſu adventum, ſub falſis cultibus totus fere orbis jacebat: deinde paulatim evaneſcere illi cœperunt, nec ſinguli tantum homines, ſed & populi & reges ad unius Dei cultum converti. Hæc non Judæorum Rabbinis debentur, ſed Jeſu diſcipulis, eorumque ſucceſſoribus: ita 15 popu-

10 *de Dei fletu, quod urbem paſſus ſit exſcindi.* Præfatio Echa Rabbathi. (*fol.* 289. *col.* 4.) Similia in Thalmude, titulo Chagiga, (*fol.* 5. *col.* 2.) in Debarim Rabba & in Berachoth. * (*fol.* 285. *col.* 4.)

11 *de ejus quotidiana diligentia in legenda lege.*) Thaanith: Aboda Zara. (*fol.* 3. *col.* 2. *lin.* 19. *ſeq.*)

12 *de Behemotho & Leviathane.*) Thalmud Baba Bathra. (*fol.* 74. *col.* 2.) Paraphraſtes Chaldæus ad Cant. Canticorum VIII 2.

13 *multisque rebus aliis.*) Quorum multa transſcripſit Chriſtianus Gerſon in ſuo ad Judæos libro. Vide ejus capita de diabolis, de Meſſia, de revelationibus per Eliam, de Gehenna, de regno decem tribuum trans amnem ſabbaticum, de Rabbinorum facinoribus.

14 *Deum vero & precibus & jejuniis certant placare.*) Quod ſi ipſis credendum eſt, optime de Deo merentur, Meſſiam falſum, quem tanta pars humani generis recepit, repudiando.

1 *& doctiſſimis quibusdam impoſuit.*) Ut Rabbi Akibæ. Thalmud in titulo de ſynedrio, & liber Zemach David. **

2 *Barchochebæ.*) Qui ὁ τῆς Ἰουδαίων ἀποστάσεως ἀρχηγέτης Juſtino. (*apologia II. pro Chriſtian. fol.* 72. *opp.*) Mentio ejus apud Euſebium, (*lib. IV. hiſt. eccleſ. cap.* 6. *&* 8.) Hieronymum (*ad Dan. IX. fin. fol.* 519. *tom. IV. opp. col. A. & catal. ſcript. eccl. voc. Agrippa.*) Oroſium, (*lib. VII. hiſtor. adv. Pagan. cap.* 13.) Thalmudico titulo de ſynedrio *** in Bereſchith Rabba, apud Rabbinos Johannem & Abrahamum Salmanticenſem, & alios multis in locis.

3 *ſuntque plurimi, nec in una regione, ſed quam late hic orbis patet.*) Vide quæ hac de re allata ad librum ſecundum: (§. *XX. pag.* 60. *ſeqq.*)

4 *quod ex Davidis fuit poſteritate.*) Pſal. LXXXIX. 4. Eſa. IV. 2. XI. 10. Jer. XXIII. 5. Ezech. XXXIV. 24. Mich. V. 2. Matth. I. 1. **** V. 20. IX. 27. XII. 23. XV. 22. XX. 30. 31. XXI. 9. 15. XXII. 24. & ſequent. Marc. X. 47. XII. 35. 36. 37. Luc. I. 27. 32. 69. II. 4. 11. XVIII. 38. 39. XX. 42. 44. Joh. VII. 42. Actor. XIII. 34. XV. 16. Rom. I. 3. 2. Tim. II. 8. Apoc. V. 5. XXII. 16.

5 *quod ex virgine natus eſt.*) Eſa. VII. 14. Matth. I. 18. 22. 23. Luc. I. 35.

6 *edocto ea de re cœlitus eo qui virginem eam duxerat.*) Matth. I. 20.

7 *quod natus eſt Bethlehemi.*) Mich. V. 2. Matth. I. (*rectius cap. II. v.* 1. *&c.*) II. 2. 3. 4. 5. 6. Lucæ II. 4.

8 *quod dogma ſuum ferere cœpit in Galilæa.*) Eſaiæ IV. 1. Matth. IV. 12. 13. Marc. I. 4. Luc. IV. 14. 15. 16. & alibi ſæpe.

9 *quod omne genus morbos ſanavit, cæcis viſum, claudis greſſum dedit.*) Eſaias XXXV. 5. LXI. 1. Matth. XI. 5. Luc. IV. 18. & alibi paſſim. Adde quod mortuos reſuſcitavit, quod inter præcipuas Meſſiæ notas ponit R. Levi ben Gerſon. *****

10 *Davidis.*) Pſal. II. 8. XXII. 28. LXVIII. 32. LXXII. 8. 17.

11 *Eſaiæ.*) II. 2. XI. 10. XIV. 1. XIX 18. XXVII. 13. XXXV. XLII. (v. 1.) & XLIII. (9.) præcipue XLIX. 6. LI. 5. LII. 15. LIV. LV. 4. 5. LX. 3. & ſequentibus. LXV. 1. 2. LXVI. 19. & ſeqq.

12 *Zachariæ.*) II. 11. VIII. 20. & ſequentibus. IX. 9. 10. 11. XIV. 16.

13 *Oſeæ.*) II. 24. (23.)

14 *per ipſum collapſuros cultus falſorum Deorum.*) Eſa. II. 18. 20. XXXI. 7. XLVI. 1. Sophonias I. 4. 5. 6. Zach. XIII. 2.

* Conf. *Eiſenmengeri Judaiſm. detect. part I. cap. I. pag.* 16. 71. 22. W.

** *Part. I. ad an* DCCCLXXX. *fol.* 28. *col.* 2. Vid. *Maimon. Hilcoth Melachim cap. XI.* §. 3. W.

*** *Fol.* 93. *col.* 2. *lin.* 27. *fol.* 97. *col.* 2. *lin.* 27. ubi vocatur בר כוזבא *filius mendacii* ſeu *mendax*, quia falſus fuit Meſſias, quod ex eventu demum ſero cognoverunt Judæi. W.

**** Locus hic omitti potuiſſet ſine bonæ cauſæ detrimento.

***** Loca ſupra laudavimus §. *XII.* ad *not.* 1. *pag.* 90.

[15] populus Dei factus eſt, qui ante non erat, & impletum eſt, quod per Jacobum prædictum fuerat, Geneſ. XLIX. (*v. 10.*) antequam plane tolleretur civilis poteſtas a poſteris Judæ venturum Silo; quem [16] Chaldæus, & alii interpretes, Meſſiam exponunt, [17] cui pariture eſſent etiam exteræ gentes.

§. XVIII. *Solutio ejus quod dicuntur quædam non impleta.*

Opponi hic a Judæis ſolet, quædam de temporibus Meſſiæ prædicta eſſe, quæ non conſpiciantur impleta. Sed quæ adducunt, obſcura ſunt, aut diverſam recipiunt ſignificationem; propter quæ non debent deſeri ea, quæ ſunt manifeſta, qualia ſunt ſanctitas præceptorum Jeſu, præmii excellentia, & in eo proponendo ſermo perſpicuus; quibus cum accedant miracula, ſufficere hæc ad amplectendum ejus dogma debebant. Ad vaticinia, [1] quæ libri clauſi nomine nuncupari ſolent, recte intelligenda, opus ſæpe eſt Dei quibusdam auxiliis; quæ merito illis ſubtrahuntur, qui aperta negligunt. Loca autem, quæ objiciunt, varie exponi, ne ipſi quidem ignorant: & ſi cui conferre libeat interpretes veteres, qui in Babylonico exſilio, aut alioqui circa Jeſu tempora extiterunt, cum his, qui ſcripſerunt, poſtquam Chriſtianorum nomen in odio apud Judæos eſſe cœpit; inveniet explicationes novas repertas partium ſtudio, cum olim receptæ eſſent aliæ, quæ cum Chriſtianorum ſenſu ſatis conveniebant. Multa in ſacris litteris non ex proprietate verborum, [2] ſed figura quadam eſſe intelligenda, ne ipſi quidem ignorant: [3] ut cum Deus deſcendiſſe dicitur, cum ei [4] os, [5] aures, [6] oculi, [7] nares tribuuntur. Quidni ergo hunc in modum explicemus & pleraque de Meſſiæ temporibus dicta? qualia ſunt, [8] lupum cum agno, pardum cum hœdo, leonem cum pecore ſtabulaturum, luſurum cum anguibus infantem, [9] montem Dei ſurrecturum ſupra montes alios, venturos eo alienigenas, ut ſacra faciant. Sunt quædam promiſſa, quæ ex antecedentibus aut conſequentibus verbis, aut etiam ex ipſo ſenſu conditionem in ſe tacitam continent. Sic multa Hebræis promiſit Deus, ſi Meſſiam miſſum reciperent, eique parerent: quæ ſi non eveniunt, habent ipſi, quod ſibi imputent. Quædam vero etiam definite & ſine conditione promiſſa, ſi impleta nondum ſunt, adhuc poſſunt exſpectari. Conſtat enim etiam apud Judæos, [10] tempus ſive regnum Meſſiæ, durare ad finem ſæculorum.

§. XIX. *Et ad id quod opponitur de humili ſtatu & morte Jeſu.*

Offendit multos humilis Jeſu fortuna: inique vero: cum in ſacris litteris paſſim dicat Deus, [1] erigi a ſe humiles, & ſuperbos ſterni. [2] Jacob extra ſe nihil præter baculum ferens Jordanem tranſiit: rediit eodem maxima vi pecoris ditatus. Moſes exſul, pauper, pecora paſcebat, [3] cum ei in rubo Deus apparuit, populique ſui ei ductum mandavit. [4] David itidem gregem paſcens ad regnum

15 *populus Dei factus eſt qui ante non erat.*) Oſeæ II. 24. (23.)

16 *Chaldæus*) Tam Jonathan, * quam Hieroſolymitanæ paraphraſeos ſcriptor. Item Thalmudici titulo de ſynedrio, (*fol. 98. col. 2. lin. 9. a fine.*) Bereſith Rabba, Jakumus ** ad Pentateuchum, Rabbi Salomo (*ad Gen. 49.*) & alii. שבט quod nunc Judæi volunt eſſe virgam caſtigationum, Thargum Chaldæo exponitur שלטן, & Græcis eodem ſenſu ἄρχων: Aquilæ σκῆπτρον, Symmacho ἐξουσία. שילה autem per בנו filius ejus exponunt Chaldæus, R. Siloh, R. Bechai, R. Salomo, Abeneſdra & Kimchi. (*omnes ad Gen. 49.*) Vide pulchre dicta de hoc loco apud Chryſoſtomum, ſermone Chriſtum eſſe Deum. (*cap. III. fol. 739. tom. V. opp.*)

17 *cui pariture eſſent etiam exteræ gentes.*) Vide dictum locum Eſaiæ XI. 10. qui huic lucem adfert.

1 *quæ libri clauſi nomine nuncupari ſolent.*) Eſaias XXIX. 11. Daniel XII. 4. 9. & ibi Iacchiades. Vide quæ hanc ad rem differit Chryſoſtomus ſermone II. Cur obſcurum ſit Vetus Teſtamentum. ***

2 *ſed figura quadam eſſe intelligenda, ne ipſi quidem ignorant.*) Quomodo Maimonides in libro **** I. ad locum Eſaiæ XI. 6. de Meſſiæ temporibus ἀλληγορικῶς vult intelligi. Idem dicit ad ipſum Eſaiæ locum David Kimchi: qui & ſimilia habet ad Jerem. II. 15. V. 6.

3 *ut cum Deus deſcendiſſe dicitur.*) Ut Gen. XI. 5. XVIII. 21. Vide de his ſimilibusque locutionibus Maimonidem doctoris dubitantium ***** parte I. cap. 10. & II. 29. & ſequentibus & eundem ad Deuter. ubi de Rege. Meſſiæ res fore cœleſtes ait liber Cabaliſticus Nezael Iſrael. ******

4 *os.*) Ut Jeremiæ IX. 12.

5 *aures.*) Ut Pſal. XXXI. 3. XXXIV. 16.

6 *oculi.*) Loco Pſalmi proxime citato.

7 *nares.*) Pſalm. XVIII. 9. Jer. XXXII. 37.

8 *lupum cum agno.*) Dicto loco Eſaiæ XI. 6. & ſequentibus.

9 *montem Dei ſurrecturum ſupra montes alios.*) Eſ. II. 2. Michææ IV. 1. & ſeqq.

10 *tempus ſive regnum Meſſiæ durare ad finem ſæculorum.*) Perek Chelek p. 97. (*potius fol. 97.*)

* 1 *erigi a ſe humiles, & ſuperbos ſterni.*) 1. Reg. II. (*rectius* 1. Sam. II.) 8. Pſal. XXXIV. 19. Proverb. XI. 2. Eſaias LVII. 15. LXVI. 2.

2 *Jacob extra ſe nihil præter baculum ferens Jordanem tranſiit.*) Gen. XXXII. (v. 10.) & ſeqq.

3 *cum ei in rubo Deus apparuit.*) Exodi III.

4 *David itidem gregem paſcens ad regnum vocatur.*) 1. Sam. XVI. 7. 11.

---

* Eſt *Pſeudo-Jonathan ben Uziel*: quem autor nominat, non ſolum autem hic, cum auctore Hieroſolymitanæ paraphraſeos, ſed etiam *Onkelos* interpretatus eſt iſta de Meſſia. W.

** An *Jakumus* in rerum natura fuerit, qui commentatus ſit ad *Pentateuchum*, dubito. W.

*** *Tom. III. opp. fol.* 814. *ſeq.* Repetenda vero omnino, quæ *ſerm. I.* de Prophetarum obſcuritate dixerat in fine *fol.* 811. *tom. cit.*

**** Quid velit *Grotius* cum *Maimonide in libro I. ad locum Eſaiæ XI.* neſcio. W.

Quod ſi in mentem tibi veniat ejus *doctor dubitantium*, cujus forſan *part.* ſeu *lib. I.* iſta interpretatio haberi queat, neque hac ratione rem ſalvam eſſe, experieris; ſiquidem in ea ad *Eſaiæ XI.* nullibi commentatur, *parte* autem *III. cap. XI. pag.* 354. in explicando illo *Eſaiæ* oraculo in alia omnia abit.

***** *Parte I. cap.* 10. *& ſequentibus & II. ſcil. part. cap.* 29. Ita formanda erat allegatio. Confuſio inde nata eſt, quod primum *Grotius* hanc fecit citationem: *Part. I. cap.* 10. *& ſeqq.* deinceps vero: *II.* 29. adſpergi, idque additamentum male medium inter 10. *& ſequentibus* locari juſſit.

****** Intelligit forte librum נצח ישראל *victoria Iſraelis R. Jehuda Levi filii Bezaleelis.* W.

gnum vocatur, multisque aliis exemplis talibus plena eſt ſacra hiſtoria. De Meſſia vero legimus, fore eum 5 lætum pauperibus nuntium, 6 non clamorem excitaturum in publico, aut jurgiis uſurum; ſed acturum leniter, ita ut parcat arundini concuſſæ, & in ellychnio fugimante alat, quod reſtat caloris. Neque magis cætera ejus mala, & mors ipſa, inviſum eum cuiquam facere debent. Nam ſæpe a Deo permitti, ut pii ab impiis non vexentur modo, 7 ut Lotus a Sodomæ civibus, ſed interficiantur quoque, manifeſtum eſt 8 exemplo Abelis parricidio enecti, 9 Eſaiæ diſſecti, 10 Maccabæorum fratrum cum matre ad mortem excruciatorum. Ipſi Judæi Pſalmum canunt LXXIX. (*v.2.3.*) in quo hæc verba ſunt: * *Dederunt ſervorum tuorum cadavera in cibum volucrium, reliquias eorum, quos tu, o Deus, amas, beſtiis: ſanguinem eorum effuderunt in pomœrio Hieroſolymorum: nec quiſquam fuit, qui eos ſepeliret,* & quæ ſequuntur. Ipſum vero Meſſiam debuiſſe per ærumnas & mortem pervenire ad regnum ſuum, & ad poteſtatem ſummis bonis ornandi familiam ſuam, negare nemo poterit; qui ad iſta Eſaiæ verba, 11 capite LIII. (*integro*) animum volet attendere. * *Quotusquisque credidit ſermoni noſtro, & vim Dei agnovit? Idque ideo, quia ſurrexit ille, Deo adſpectante, tamquam tener ſurculus, tamquam herba ex ſolo arenoſo: in vultu ejus nihil pulchri, nihil decori, nec ſi adſpiceres, quidquam erat quod oblectaret; contemtui patebat, & inter homines erat velut abjectiſſimus, multos dolores, multas ægritudines expertus: omnes ſe ab eo avertebant: tanto erat deſpicatui, nulloque in pretio. Sed vere 12 noſtros ille morbos pertulit, noſtra mala toleravit. Nos illum habuimus tamquam de cælo tactum, a Deo ictum atque depreſſum: ſed ob noſtra peccata vulneratus eſt, attritus ob noſtra crimina. 13 Pœna, quæ nobis ſalutem pareret, ipſi impoſita eſt: tumices ipſius dati ſunt nobis pro remedio. Certe enim nos ut oves aberraveramus omnes huc atque illuc: ipſi Deus inflixit pœnam, quæ noſtris criminibus debebatur: Et tamen cum opprimeretur & graviſſime cruciaretur, vocem non emiſit; ſicut agnus mactandus, aut ovis, quæ tondetur, ſilent muta. Poſt vincula, poſt judicium, e medio ſublatus eſt: ſed rurſus vitæ ejus durationem quis digne eloqui poterit? Nimirum, ex hoc loco, in quo nos vivimus, ereptus eſt: ſed hoc malum ei evenit, ob populi mei ſcelera.* ** *Ad mortem usque & ſepulturam datus eſt in manus potentium atque impiorum, cum tamen nemini feciſſet injuriam, neque in ſermone ejus deprehenſus fuiſſet umquam dolus malus. Sed quamquam Deus eo usque eum paſſus eſt conteri, doloribusque affici, tamen 14 quia ſe conſtituit hoſtiam piacularem, 15 videbit poſteritatem, vitam aget durabilem, & quæ Deo ſunt placita, per ipſum feliciter curabuntur. Liberatum ſe a malo conſpiciens, ait Deus 16 voluptate ſatiabitur, eo maxime, quod dogmate ſuo ipſe juſtus ſervus meus multos abſolvet, eorum crimina auferens. Dabo ei partem eximiam, 17 ubi inter præliatores ſpolia dividentur, quia morti ſe dedidit, & ſceleratis adnumeratus eſt, cumque pœnas alienorum criminum ferret ipſe, pro ſontibus ſe conſtituit precatorem.* Quis poteſt nominari, aut regum, aut prophetarum, in quem hæc congruant? Nemo ſane. Quod autem recentiores Judæi commenti ſunt, agi hic de ipſo populo Hebræo diſperſo in omnes gentes, ut ſuo exemplo ac ſermone multos ubique proſelytos faceret; is ſenſus primum plurimis ſacrarum litterarum teſtimoniis repugnat, quæ clamant, Judæis 18 nihil mali accidiſſe, quod non ipſum, & inſuper majora multo, ſuis factis eſſent promeriti. Deinde ipſa Propheticæ orationis ſeries eam non fert interpretationem. Dicit enim ſive Propheta, quod iſti loco videtur convenientius, ſive Deus: *hoc malum illi evenit, ob populi mei ſcelera.* Populus autem Eſaiæ, aut etiam populus Dei peculiaris, eſt populus Hebraicus. Quare is, qui tam gravia perpeſſus ab Eſaia dicitur, non poteſt idem populus eſſe. Melius antiqui Hebræorum

5 *lætum pauperibus nuntium.*) Eſaias LXI. 1. Matth. XI. 5. Adde Zach. IX. 9.

6 *non clamorem excitaturum in publico aut jurgiis uſurum, ſed acturum leniter.*) Eſaias XL. (*** XLII.) 2. 3. 4. Matth. XII. 19. 20.

7 *ut Lotus a Sodomæ civibus,*) Gen. XIX. (*v.* 4 *ſeqq.*)

8 *exemplo Abelis parricidio enecti,*) Gen. IV. (*v.* 8.)

9 *Eſaiæ diſſecti*) Ita habet Judæorum traditio, ad quam reſpicit ſcriptor ad Hebræos XII. (XI.) 37. & Joſephus (*antiquit. Jud.*) X. 4. Chalcidius in Timæum: (*pag.* 263.) *Cum Propheta a conſceleratis, unus membratim ſectus, alter obrutus ſaxis.*

10 *Maccabæorum fratrum cum matre ad mortem excruciatorum.*) 2. Maccab. VII. Joſephus libro περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ. (*ſeu de Machabæis ad calcem opp.*)

11 *capite* LIII.) Quem locum de Meſſia interpretantur Chaldæus paraphraſtes, & Gemara Babylonica titulo de ſynedrio. ****

12 *noſtros ille morbos pertulit.*) Morborum voce quævis mala intelligi docet ad hunc locum Abarbanel. (*Comment. in Proph. poſter. fol.* 80. *a. col.* 1.)

13 *Pœna, quæ nobis ſalutem pareret, ipſi impoſita eſt.*) De Meſſia hæc explicat Rabboth & Salomon Jarchi ad Gemaram titulo de ſynedrio.

14 *quia ſe conſtituit hoſtiam piacularem.*) De malis volente animo toleratis hic agi ait Alſeck. *****

15 *videbit poſteritatem.*) Voce ſeminis quæ in Hebræo eſt, ſignificari diſcipulos ait hic Alſeck. Sic ſemen ſerpentis Hebræi interpretantur Chananæos. Nec aliter accipiunt nonnulli eorum filios, Eſaiæ VIII. 18. ut Thalmud Hieroſolymitanum notat titulo de ſynedrio.

16 *voluptate ſatiabitur.*) Hæc ad futurum ſeculum refert Abarbanel.

17 *ubi inter præliatores ſpolia dividentur.*) Hæc ſpirituali modo intelligenda docet Gemara Babylonica titulo ****** סוטה. Per ſpolia intelligi ſapientum honores & præmia dicit Alſeck ad hunc locum.

18 *nihil mali accidiſſe, quod non ipſum, & inſuper majora multo, ſuis factis eſſent promeriti.*) Apparet id locis Prophetarum jam ſupra poſitis, & Danielis IX. & Nehemiæ IX. Adde quod, de quo agit Eſaias, deprecaturus erat Deum pro ethnicis, quod Judæi non faciunt.

* Magis ad rem ipſam, quam ad verba in exponendis hiſce ſermonibus ſacris animum autor advertit.

** Plane ſingularis eſt hæc interpretatio, ad indolem vero linguæ ſanctæ examinata, omni fundamento deſtituitur.

*** Priorem locum antiquiores editiones, poſteriorem recentiores afferunt. Utrumque adſcripſimus, cum uterque unum idemque dicat.

**** *fol.* 98. *b. lin.* 7. *a fin.* ubi nomen *leproſi* imponitur Meſſiæ, ob ea, quæ dicta ſunt *Jeſ. LIII. v.* 4. Quod *Jonathan ben Uſiel*, & veteres Judæorum ſapientes caput hoc *Eſaiæ* de Meſſia expoſuerint, idem teſtatur *Abarbanel in Prophetas poſter. fol.* 78. *b. col.* 2. *poſt med.* W.

***** Male *Alſeck*, verum nomen eſt *Alſchech.* W.

****** סוטה non eſt inter codices Thalmud. Titulumne סוכה, an כוטה voluerit *Grotius*, inveſtigandum reſtat.

rum magiſtri fatebantur hæc de Meſſia dici; quod cum viderent quidam poſteriorum, 19 duos Meſſias commenti ſunt, quorum alterum vocant Joſephi filium, qui mala multa & mortem cruentam pateretur; alterum Davidis filium, cui cuncta proſpere ſuccederent; 20 cum multo facilius eſſet, & Prophetarum ſcriptis congruentius, unum agnoſcere, qui per adverſa & mortem ad regnum eſſet perventurus, quod nos de Jeſu credimus, & verum eſſe res ipſa docet.

§. XX. *Et quaſi viri probi fuerint, qui eum morti tradiderunt.*

Retinet multos a ſuſcipienda Jeſu diſciplina præconcepta quædam opinio, de virtute ac probitate majorum ſuorum, ac maxime ſacerdotum; qui Jeſum præjudicio damnarunt, & dogma ejus repudiarunt. Sed quales ſæpe majores ipſorum fuerint, ne me ſibi maledicere exiſtiment, audiant ipſis verbis, & legis ſuæ, & Prophetarum, a quibus ſæpe appellantur 1 incircumciſi auribus & corde; 2 populus labiis & rituum apparatu Deum honorans, animo autem remotiſſimus. Majores ipſorum fuerunt, 3 qui Joſephum fratrem ſuum parum abfuit quin interficerent, re autem ipſa in ſervitutem vendiderunt. Majores ipſorum & illi, 4 qui Moſem perpetuis ſeditionibus ad vitæ tædium adegerunt, ducem ſuum ac liberatorem, cui terra, mare, aër obediebant: 5 qui panem cœlitus miſſum faſtidierunt, 6 qui velut de ſumma penuria conqueſti ſunt, cum aves comeſtas adhuc ructarent. Majores ipſorum fuerunt, 7 qui Davide, tanto ac tam bono Rege, deſerto, ſecuti ſunt defectorem filium. Majores ipſorum fuerunt, 8 qui Zachariam, Jojadæ filium, trucidarunt in loco ſanctiſſimo, victimam crudelitatis ſuæ facientes ipſum ſacerdotem. Jam vero 9 Pontifices quod attinet, tales fuerunt, qui Jeremiæ falſo crimine mortem machinati ſunt, & perfeciſſent, niſi procerum quorumdam obſtitiſſet auctoritas: 10 extorſerunt tamen, ut captivus haberetur, ad ipſum usque momentum captæ urbis. Si quis putet, meliores fuiſſe eos, qui Jeſu temporibus vixerunt, eum ab hoc errore liberare Joſephus poterit, qui atrociſſima eorum facinora deſcribit, & pœnas graviores omnibus umquam auditis, 11 & tamen, ut ipſe cenſet, infra meritum. Neque de ſynedrio melius exiſtimandum; præſertim cum eo tempore ſenatores non veteri more cooptari, manibus impoſitis, 12 ſed ex potentium nutu legi ſolerent; ut & Pontifices, non jam perpetua, 13 ſed annali & ſæpe empta dignitate. Non mirari ergo debemus, ſi homines arrogantia tumidi, ambitione & avaritia inſatiabiles, in furorem acti ſunt, conſpecto homine, qui ſanctiſſima præcepta adferens vitam ipſis ſuam ipſa diverſitate exprobrabat. Nec aliud illi crimini datum, quam quod olim optimo cuique. 14 Sic Michæas ille, qui Joſaphati tempore vixit, in cuſtodiam datus eſt, quod intrepide verum contra quadringentos falſos Prophetas adſeruiſſet. 15 Eliæ Achabus objecit, plane ut Jeſu ſacerdotes, ipſum eſſe, qui pacem Iſraelis turbaret. 16 Jeremiæ quoque crimini datum, id quod Jeſu, vaticinatio adverſus templum. Addendum hic, quod Magiſtri Hebræorum veteres 17 ſcriptum reliquerunt, temporibus

19 *duos Meſſias commenti ſunt.*) Thalmud titulo Succha: * R. Salomo; R. David Kimchi.

20 *cum multo facilius eſſet & Prophetarum ſcriptis congruentius unum agnoſcere, qui per adverſa & mortem ad regnum eſſet perventurus.*) Quod ipſum non uno in loco ad hoc Eſaiæ caput ſequitur Abarbanel.

1 *incircumciſi auribus & corde.*) Jerem. IV. 4. VI. 10.

2 *populus labiis & rituum apparatu Deum honorans, animo autem remotiſſimus.*) Deut. XXXII. 5. 6. 15. 28. Eſaias XXIX. 13. Amos V. 21. Ezech. XVI. 3.

3 *qui Joſephum fratrem ſuum parum abfuit quin interficerent, re autem ipſa in ſervitutem vendiderunt.*) Gen. XXXVIII. (*rectius* XXXVII.)

4 *qui Moſem perpetuis ſeditionibus ad vitæ tædium adegerunt.*) Loca notata ſupra ad librum II. (*§. XIX. not.* 13. *pag.* 59.)

5 *qui panem cœlitus miſſum faſtidierunt.*) Num. XI. 6.

6 *qui velut de ſumma penuria conqueſti ſunt, cum aves comeſtas adhuc ructarent.*) Dicto cap. XI. in fine.

7 *qui Davide, tanto ac tam bono Rege, deſerto ſecuti ſunt defectorem filium.*) 2. Sam. XV.

8 *qui Zachariam, Jojadæ filium, trucidarunt.*) 2. Paralip. XXIV. 21.

9 *Pontifices quod attinet, tales fuerunt, qui Jeremiæ falſo crimine mortem machinati ſunt.*) Jeremiæ XXVI. (*v.* 11.)

10 *extorſerunt tamen, ut captivus haberetur ad ipſum usque momentum captæ urbis.*) Jerem. XXXVIII. (*v.* 28.)

11 *& tamen, ut ipſe cenſet, infra meritum.*) Dicit is neque urbem aliam talia perpeſſam mala, neque ab omni ævo ætatem fuiſſe omnium ſcelerum feraciorem. Plus Judæis mali a ſemetipſis illatum, quam a Romanis, qui illorum facinora expiaturi venerant.

12 *ſed ex potentium nutu legi ſolerent.*) Joſephus XIV. 19. **

13 *ſed annali & ſæpe empta dignitate.*) Joſephus, XVIII. 3. & 6.

14 *Sic Michæas ille, qui Joſaphati tempore vixit, in cuſtodiam datus eſt.*) 1. Reg. XXII. (*v.* 26. *ſeqq.*)

15 *Eliæ Achabus objecit, plane ut Jeſu ſacerdotes, ipſum eſſe, qui pacem Iſraëlis turbaret.*) 1. Reg. XVIII. 17. Achabus Eliæ dicit, האתה זה עכר ישראל, ubi Græci, *εἰ σὺ ὁ διαστρέφων τὸν Ἰσραήλ; Nonne tu es qui turbas Iſraëlem?* Sic ſacerdotes de Jeſu apud Lucam XXIII. 2. *Τοῦτον εὕρομεν διαστρέφοντα τὸ ἔθνος. Hunc invenimus turbare Iſraëlem.*

16 *Jeremiæ quoque crimini datum, id quod Jeſu, vaticinatio adverſus templum.*) Jer. VII. 4. & ſequentibus XXVI. 6. 11.

17 *ſcriptum reliquerunt, temporibus Meſſiæ homines fore canina impudentia, aſinina contumacia, ferina crudelitate.*) Thalmud de ſynedrio, Ketuboth, & Sota. *** R. Salomo ad dictum titulum de ſynedrio C. Helech. Thalmud titulo de ponderibus. Traditio Rabbi Judæ in **** Maſoreta ad eundem titulum de ſynedrio C. Helech: *quo tempore adveniet filius David, domus inſtitutionis divinæ fiet lupanar.* Vide Jerem. X. 21. ***** XXIX. 14.

* *Fol.* 52. *col.* 2. *lin.* 25. Duos Meſſias paſſim ſtatuunt Judæi, ut etiam fecit *Abarbanel* in *comment.* ſuo *in Propb. poſter. fol.* 78. *b. col.* 2. *poſt med.* W.

** *Cap.* 17. noſtræ edit. quod ſecundum alios 19. numeratur, *fol.* 486. de Hyrcano *Joſephus* narrat, quod ipſe & poſteri ejus Pontificis inter Judæos dignitatem Julii Cæſaris autoritate obtinuerint. Hoc *Grotium* mente tenuiſſe, neceſſe eſt, alias omnis citatio vana eſſet.

*** Locum ex *Sota* & alia hujus teſtimonia citavit *Eiſenmengerus part. II. Judaiſmi detect. cap. XIII. p.* 673. W.

**** *Maſoretha* per errorem heic ſcriptum, atque *Gemara* corrigendum eſſe, totius orationis ſenſus ſtatim nos commonefacit. Conf. *Jo. Clericum pag.* 077. edit. libelli noſtri A. MDCCXVIII. *in not.*

Traditio *R. Jehudæ* legitur in tit. *de ſynedrio fol.* 97. *a. lin.* 18. ubi ſimilis argumenti traditio *R. Nehorai lin.* 35. *R. Nehemiæ lin.* 37. ſubjungitur. Hunc eundem locum cod. *Sanhedrin* eſſe, quem initio hujus notæ *Grotius* allegavit, arbitror. W.

***** Extrema hujus allegationis nullus uſus eſſe videtur.

poribus Meſſiæ homines fore canina impudentia, aſinina contumacia, ferina crudelitate. Deus ipſe, qui, quales Judæi plerique exſtituri eſſent Meſſiæ tempore, multo ante præviderat, futurum dixerat, 18 ut, qui populus ſuus non fuiſſet, in populum adſumeretur, 19 ex Judæorum autem urbibus ac vicis ſingulis vix unus, & alter, irent ad ſacrum montem: ſed quod ad illorum numerum deeſſet, id expleturos extraneos: item 20 Meſſiam Hebræis in ruinam fore: ſed lapidem hunc rejectum ab ædificio præfectis potiſſimo loco poſitum iri ad coagmentationem operis.

§. XXI. *Reſponſum ad objectionem, plures Deos a Chriſtianis coli.*

Reſtat, ut duabus accuſationibus reſpondeamus, quibus Judæi & dogma & cultum Chriſtianorum impetunt. Prius eſt, quod plures a nobis Deos ajunt coli. Sed hoc nihil eſt, niſi in odium contorta alieni dogmatis explicatio. Quid enim eſt, cur magis id Chriſtianis objiciatur, quam 1 Philoni Judæo, qui ſæpe tria in Deo ſtatuit, & Dei rationem ſive 2 ſermonem vocat Dei nomen, 3 mundi opificem, 4 neque ingenitum, ut eſt Deus Pater omnium, neque ita genitum ut ſunt homines; 5 quem & Angelum ſive legatum univerſum hoc curantem & ipſe Philo, 6 & Moſes Nehemanni filius appellat: 7 aut Cabaliſtis, qui Deum diſtinguunt in tria lumina, & quidem nonnulli iiſdem, quibus Chriſtiani, nominibus, Patris, Filii, ſive Verbi, & Spiritus Sancti. Et ut id ſumam, quod apud omnes Hebræos maxime confeſſum eſt, Spiritus ille, quo agitati ſunt Prophetæ, non eſt aliquid creatum, & tamen

18 *ut, qui populus ſuus non fuiſſet, in populum adſumeretur.*) Oſeæ II. 24. (23.)

19 *ex Judæorum autem urbibus ac vicis ſingulis vix unus & alter irent ad ſacrum montem: ſed quod ad illorum numerum deeſſet, id expleturos extraneos.*) Jeremiæ III. 14. 17. Adde Eſaiam LIII. (v. 11. 12.)

20 *Meſſiam Hebræis in ruinam fore: ſed lapidem hunc rejectum ab ædificio præfectis potiſſimo loco poſitum iri ad coagmentationem operis.*) Eſaiæ VIII. 14. Pſal. CXVIII. 22.

1 *Philoni Judæo, qui ſæpe tria in Deo ſtatuit.*) De ſacrificiis Abel & Cain: (*fol.* 139. *opp.*) Ἡνίκα ὁ Θεὸς δορυφορούμενος ὑπὸ δυοῖν τῶν ἀνωτάτω δυνάμεων, ἀρχῆς τε αὖ καὶ ἀγαθότητος, εἷς ὢν ὁ μέσος τριττὰς φαντασίας ἐνεργάζετο τῇ ὁρατικῇ ψυχῇ, ὧν ἑκάστη μεμέτρηται μὲν οὐδαμῶς, ἀπερίγραφοι γὰρ αἱ δυνάμεις αὐτοῦ, μετρεῖται δὲ τὰ ὅλα. *Cum Deus comitatus duabus ſummis ſuis efficaciis, imperio, ac bonitate, medius ipſe & unus, tres conceptus operatus eſt animo perſpicaci, quorum nullus menſura capitur; immenſæ enim ejus efficaciæ: ſed ſingula totum metiuntur.* Mox (*eod. loco & fol.*) ἀρχὴν etiam vocat ἐξουσίαν, & ἀγαθότητα vocat εὐεργεσίαν, aitque a pio animo non enunciari, ſed in ſilentii arcano adſervari. Similia habet in libro de Cherubim. (*fol.* 112.) Libro ſecundo de agricultura Noæ vocat * τὸ ὂν, τὸ ἡγεμονικὸν, τὴν ἵλεω δύναμιν, *id quod eſt, vim dominam, vim beneficam.* Maimonides initio libri de fundamentis, ** & poſt eum Joſeph Albo diſtinguunt in Deo, *id quod cognoſcit, quo cognoſcitur, & cognitionem.* Habet quæ huc pertinent & Abenesdra ad Geneſ. XVIII. & Maimonides doctoris dubitantium parte I. cap. 68.

2 *ſermonem vocat Dei nomen.*) In allegoriis, (*lib. I. fol.* 45. & 52.) & de confuſione linguarum. (*fol.* 341. *opp.*)

3 *mundi opificem.*) In allegoriis: *lib. II. fol.* 79. *opp.*) ὁ λόγος αὐτοῦ ᾧ καθάπερ ὀργάνῳ προσχρησάμενος ἐκοσμοποίει. *Verbum ejus quo velut inſtrumento uſus mundum fecit:* De Caino: *** Ὄργανον δὲ λόγον τοῦ Θεοῦ δι' οὗ κατεσκευάσθη. *Inſtrumentum autem Dei videbis eſſe ipſum verbum Dei, per quod factus eſt mundus.*

4 *neque ingenitum, ut eſt Deus pater omnium, neque ita genitum ut ſunt homines.*) Locus eſt libro, quis hæres ſit rerum divinarum. (*fol.* 509. *opp.*), Idem verbum Philoni vocatur Dei imago, libro de monarchia: (*fol.* 823.) & de ſomniis a Deo immiſſis: (*fol.* 576.) interdum ἀπεικόνισμα, ut libro pejorem inſidiari meliori: (*fol.* 170. *opp.*) & χαρακτὴρ libro II. de agricultura. (*fol.* 217.) Confer Johan. I. & Hebr. I. 3.

5 *quem & angelum ſive legatum univerſum hoc curantem, & ipſe Philo.*) Ἄγγελον vocat in allegoriis, (*lib. II. fol.* 93. *opp.*) & libro de Cherubim: (*fol.* 108.) Ἀρχάγγελον vero libro de hærede divinorum bonorum, (*fol.* 509. *opp.*) & libro de confuſione linguarum. (*fol.* 341.) Idem & angelus & יהוה dicitur R. Samueli in Mecor Chaim.

6 *& Moſes* **** *Nehemanni filius.*) Ejus verba ſic tranſtulit doctiſſimus Maſius ad Joſuæ cap. V. (v. 13. 14. *fol.* 1541. *tom. II. crit. ſ. Londin.*) *Iſte angelus, ſi rem ipſam dicamus, eſt angelus Redemptor: de quo ſcriptum eſt: Quoniam nomen meum in ipſo eſt: Ille, inquam, angelus qui ad Jacob dicebat: Ego Deus Bethel. Ille, de quo dictum eſt: Et vocabat Moſem Deus de rubo. Vocatur autem angelus, quia mundum gubernat. Scriptum eſt enim: Eduxit nos Jehova (id eſt, Dominus Deus) ex Ægypto, & alibi: Miſit angelum ſuum, & eduxit nos ex Ægypto. Præterea ſcriptum eſt: Et angelus faciei ejus ſalvos fecit ipſos. Nimirum, ille angelus qui eſt Dei facies: de quo dictum eſt: Facies mea præibit, & efficiam ut quieſcas. Denique ille angelus eſt, de quo vates: & ſubito veniet ad templum ſuum Dominus, quem vos quæritis, & angelus fœderis quem cupitis.* Rurſum alia ejusdem verba ſic: *Animadverte attente quid iſta ſibi velint. Moſes enim & Iſraelitæ ſemper optaverunt angelum primum. Cæterum quis ille eſſet, vere intelligere non potuerunt. Neque enim ab aliis percipiebant, neque prophetica notione ſatis adſequebantur. Atqui facies Dei ipſum ſignificat Deum: quod apud omnes interpretes eſt in confeſſo. Verum ne per ſomnium quidem iſta intelligere quisquam poſſit, niſi ſit in myſteriis legis eruditus. Mox: Facies mea præcedet, hoc eſt, angelus fœderis, quem vos cupitis, in quo videbitur facies mea. De quo dictum eſt: Tempore accepto exaudiam te. Nomen enim meum in eo eſt. Faciamque ut quieſcas, ſive efficiam, ut ipſe ſit tibi lenis & benignus. Neque te ducat per jus rigidum: ſed placide & clementer.* Confer quæ habet Manaſſis Conciliator ad quæſtionem XIX. ſuper Geneſim.

7 *aut Cabaliſtis, qui Deum diſtinguunt in tria lumina, & quidem nonnulli iiſdem, quibus Chriſtiani, nominibus, Patris, Filii, ſive Verbi, & Spiritus Sancti.*) Vide additamenta ad lexicon Hebraicum Schindleri in notis אבן. Et ספירות in Deo non obſtare unitati, ait liber dictus Schep-tal.

* Ipſiſſima hæc verba in neutro *de agricultura* & *plantatione Noe* libro ob oculos nobis ponuntur; ſenſus tamen eorum *lib. II. de agricult.* ſeu *plantat. Noe fol.* 226. *opp.* hiscе, ni fallor, refertur: Ἐπεκάλεσε γὰρ ὄνομα, κύριος ὁ Θεὸς αἰώνιος· αἱ τόπῳ λεχθεῖσαι προσρήσεις τὰς περὶ τὸ ὂν ἐμφαίνουσι δυνάμεις; ἡ μὲν γὰρ κύριος, καθ' ἣν ἄρχει· ἡ δὲ Θεὸς, καθ' ἣν εὐεργετεῖ: *Invocavit enim nomen hoc, dominus Deus æternus: quæ appellationes ejus quod eſt indicant potentias: Dominus eam, qua imperat, Deus eam, qua eſt beneficus.*

** *Cap. II. §.* 13. Verba autem ex verſione *Guil. Vorſtii* ita efferuntur: *Ipſe* (Deus) *eſt & intelligens, & intelligibile, atque ipſamet cognitio.*

*** Quid hoc ſibi vult: *de Caino?* Num librum hoc titulo inſcripſit *Philo*, in quo iſta tradantur, an tractatum ipſius *de ſacrificio Abelis & Caini Grotius* innuit? Minime omnium. Ex libro *de Cherubim*, quo de *Caino* nonnulla memoratu digna exponuntur, hæc etiam petas *fol.* 129. *opp.*

**** *Nomen patris hujus Rabbini melius efferatur Nachman, nam ſcribitur* נחמן *Nahhman.* Hæc eſt *Joh. Clerici* caſtigatio *in notis* ad hunc locum.

tamen diſtinguitur a mittente: quomodo & illud, 8 quod Schechina vulgo vocant. Jam vero in Meſſia habitaturam eam vim divinam, quam ſapientiam vocant, 9 plurimi Hebræorum tradiderunt, 10 unde Chaldæo paraphraſtæ Meſſias Dei Verbum dicitur: ſicut & 11 auguſto illo Dei 12 itemque Domini nomine Meſſias appellatur apud Davidem, Eſaiam, & alios.

§. XXII. *Et humanam naturam adorari.*

Æque parata reſponſio eſt ad alterum, quod objiciunt nobis; nos ſcilicet cultum Deo debitum impartiri naturæ a Deo conditæ. Dicimus enim, a nobis Meſſiæ non alium honorem, aliumve cultum exhiberi, quam exigunt 1 Pſalmus II. (*v. 12.*) & Pſalmus CX. (*v. 3.*) quorum illum in Davide rudi modo impletum, ſed excellentius ad Meſſiam pertinere, etiam 2 David Kimchi, magnus Chriſtianorum adverſator, agnoſcit; poſterior vero de alio, quam de Meſſia, exponi non poteſt. Nam quæ recentiores Judæi alii de Abrahamo comminiſcuntur, alii de Davide, alii de Ezechia, frivola ſunt. Pſalmus ipſe Davidis eſt, ut docet Hebræa inſcriptio. Quod ergo David Domino ſuo dictum dicit, id nec Davidi ipſi, nec Ezechiæ, qui inter poſteros Davidis fuit, Davide nulla re excellentior, aptari poteſt. Abrahamus autem ſacerdotium aliquod eximium non habuit, imo Melchiſedecus 3 ei tamquam ſe minori bene precatus eſt. Sed & hoc, & quod additur 4 de ſceptro ex Sione exituro & perventuro in oras ultimas, plane in Meſſiam competit, 5 ut loci ſimiles de Meſſia haud dubie agentes patefaciunt: nec aliter acceperunt vetuſtiores Hebræi & paraphraſtæ. Proprie autem Jeſum Nazarenum eſſe, in quo hæc impleta ſint, poſſem vel ſolis ipſius diſcipulis id affirmantibus credere, ob ſummam eorum probitatem; ſicut & Judæi Moſi credunt de iis, quæ ſine teſte alio, a Deo ſibi tradita dixit. Sed adſunt præter hoc plurima & 6 validiſſima argumenta ſummæ illius poteſtatis, quam obtinere Jeſum dicimus: conſpectus ipſe vitæ redditus a multis: conſpectus in cœlum avehi: tum vero dæmones ejecti, morbique ſanati ſolo ipſius nomine, & linguarum dona data diſcipulis, quæ regni ſui ſigna Jeſus ipſe promiſerat. His adde, quod ſceptrum ejus, id eſt, ſermo evangelii ex Sione profectus, nulla humana ope, ſola divina vi ad ultimos terrarum fines pervaſit, populosque & reges ſibi ſubegit, plane ut Pſalmi prædixerant. Judæi Cabaliſtæ inter Deum & homines medium ſtatuunt 7 Enochi quemdam filium, nullo tantæ poteſtatis indicio. Quanto nos juſtius illum, qui tanto dedit ſui documenta? Neque ad Dei Patris imminutionem id pertinet, 8 a quo venit hæc poteſtas Jeſu, 9 & ad quem reditura eſt, 10 & cujus honori illa inſervit.

§. XXIII. *Abſolutio hujus partis, cum precibus pro Judæis.*

Subtilius iſta rimari non hujus eſt operis, neque de his egiſſemus, niſi ut pateret, nihil eſſe in Chriſtia-

8 *quod Schechina vulgo vocant.*) Et diſtinguunt a Spiritu Sancto: Gemara Hieroſolymitana titulo de documentis cap. 3. & Gemara Babylonica titulo Joma cap. I. (*fol. 21. b. lin. 21.*) Schechina per annos tres & dimidium ſe tenuiſſe in monte oliveti, exſpectantem converſionem Judæorum, ait R. Jonathan in præfatione Ecka Rabthi; * quo recte accepto nihil verius.

9 *plurimi Hebræorum tradiderunt.*) ** Rabbi Salomo. Idem ad Geneſ. XIX. 18. agnoſcit a Deo adſumi poſſe humanam naturam: quam & olim ad tempus adſumptam putat, cui conſentit Thalmud, titulo Schebuoth & Sabbathoth.

10 *unde Chaldæo paraphraſtæ Meſſias Dei Verbum dicitur.*) Ut Oſeæ cap. VII.

11 *auguſto illo Dei.*) Nempe יהוה Jonathan & David Kimchi ad Jeremiam XXIII. 6. cum quibus conſentit R. Abba in Ecka Rabbathi. יהוה צבאות Zachariæ XIV. 16. Futurum eo tempore ut Deus יהוה digito monſtretur, ait Talmud in Thaanith (*cap. IV. in fin. fol. 31.*) ex Eſaia XXV. 9.

12 *itemque Domini nomine.*) אלהים Pſal. XLV. 7. quem Pſalmum de Meſſia agere agnoſcit Chaldæus ibi paraphraſtes, ut & jam dicto Eſaiæ loco. Item אדוני in Pſ. CX. quem de Meſſia agere jamjam patebit.

1 *Pſalmus II. & Pſalmus CX.*) Hæc loca & Zachariæ IX. 9. de Meſſia exponit doctiſſimus Rabbi Saadia.

2 *David Kimchi.*) De Meſſia eumdem II. exponunt Abraham Eſdra, & R. Jonathan in Bereſith Rabba.

3 *ei tamquam ſe minori bene precatus eſt.*) Et ab eo decimas ſacerdotali jure accepit Gen. XIV. 19. 20.

4 *de ſceptro ex Sione exituro, & perventuro in oras ultimas.*) Pſ. CX. 2.

5 *ut loci ſimiles de Meſſia haud dubie agentes patefaciunt.*) Ut Geneſ. XLIX. 10. & qui ex Prophetis adducti ſunt ſupra.

6 *validiſſima argumenta ſummæ illius poteſtatis, quam obtinere Jeſum dicimus.*) Quæ vide tractata libro ſupra II. (*§. IV. ſeqq. p. 34. ſeqq. itemque §. XIX. pag. 59.*) Adde & quæ dicta hujus libri initio.) (*§. II. ſeqq. pag. 83. ſeqq.*)

7 *Enochi quemdam filium.*) Nomen quod ei faciunt Hebræi eſt מטטור *Metator.* Ita Latinis dicitur, qui Regi viam parat. Lucanus: (*lib. I. v. 382.*)

Audax Heſperios veniam metator in agros.

Vegetius libro II. (*cap. 7.*) *Metatores in caſtris dicuntur, qui præcedentes locum caſtris idoneum eligunt.* Suidas: (*voce* Μετάτωρ *tom. II. opp. fol. 567. edit. Kuſteri.*) Μετάτωρ ὁ προπεμπόμενος ἄγγελος πρὸ τοῦ ἄρχοντος. *Metator, nuncius qui a principe præmittitur.*

8 *a quo venit hæc poteſtas Jeſu.*) Ipſo fatente: Johan. V. 19. 30. 36. 43. VI. 36. (37.) 57. VIII. 28. 49. X. 18. 29. XIV. 28. 31. XVI. 28. XX. 21. & Apoſtolis Hebr. V. 5. Rom. VI. 4. 1. Cor. XI. 4. (3.)

9 *& ad quem reditura eſt.*) Fatente Apoſtolo 1. Cor. XV. 24.

10 *& cujus honori illa inſervit.*) Joh. XIII. 31. XIV, 13. Rom. XVI. 27. Ideo Thalmud in titulo de ſynedrio negat Jeſum idoli eſſe nomen, quando Chriſtiani in ejus honore reſpiciant Deum mundi opificem.

* *Fol. 56. col. 2. lin. 2. ſeqq.* Ex obſervatione ſumme rever. *D. Dantzii* in *program. I.* de שכינה A. MDCCXX. propoſito.

** *R. Salomo* nihil ejusmodi tradit ad *Gen. XIX.* 18. niſi, quod commemoret, tradere Talmudicos doctores אדוני nomen ſanctum eſſe, quo compellatus fuerit ipſe Deus. Quod invenies tract. *Schebuoth fol. 35. b. lin. 21.* Idem ad *Geneſ. XVIII.* 3. commemorat, alios ita hunc locum interpretari, ut אדוני nomen ſanctum Dei ſit, quem Abraham expectare juſſit. Unde colligere potes, ſtatuiſſe interpretationis iſtius auctores, Deum ipſum, adſumto humano corpore adparuiſſe. Quocum convenit, quod traditur in tract. *Schabb, fol. 127. a. lin. 7. a fine,* quod Abraham Deum expectare juſſerit. Sed quid inde præſidii nanciſcatur *Grotius*, non video. Aliud eſt, ſub forma corporis humani apparere Deum, aliud, Deum naſci hominem. W.

Chriſtiano dogmate aut impium, aut abſurdum; quod obtendere quis poſſit, quo minus religionem tantis prodigiis ornatam, tam honeſta præcipientem, tam eximia pollicentem, amplecti poſſit. Nam eam qui ſit amplexus, is jam de ſpecialibus quæſtionibus conſulere debet libros illos, quibus religionis Chriſtianæ dogmata contineri ſupra oſtendimus. Quod ut fiat, oratur Deus, ut Judæorum mentem ſua luce colluſtret, & efficaces reddat preces, 1 quas ipſe Chriſtus jam in cruce pendens pro illis fudit.

LIBER SEXTUS.

§. I. *Refutatio Mahumetiſmi; origo ejus.*

Sextus liber Mahumetiſtis oppoſitus, præfationis vice, Dei judicia adverſus Chriſtianos ad ipſam usque Mahumetiſmi originem deducit: quomodo ſcilicet, 1 vera illa atque ſimplex pietas, quæ inter Chriſtianos graviſſime vexatos oppreſſosque floruerat, paulatim refrigeſcere cœperit; ex quo per Conſtantinum & ſequentes Imperatores effectum eſt, ut ea profesſio non tuta tantum, ſed & honorata eſſet, 2 mundo velut intruſo in eccleſiam: 3 principes primum Chriſtianos nullum feciſſe bellandi modum, etiam cum pace frui liceret: 4 Epiſcopos acerrime inter ſe certaſſe de ſummis ſedibus; ac 5 ſicut olim arbori vitæ prælata arbor ſcientiæ maxima dederat mala, ita tunc quoque curioſam eruditionem pietati antehabitam, 6 & ex religione artem factam: cui deinde conſequens fuerit:

1 *quas ipſe Chriſtus jam in cruce pendens pro illis fudit.*) Luc. XXIII. 34.

1 *vera illa atque ſimplex pietas, quæ inter Chriſtianos graviſſime vexatos oppreſſosque floruerat.*) Ammianus Marcellinus fine libri XXI. (*cap.* 15.) de Conſtantino: *Eratque ſuper his adimere facilis quæ donabat, Chriſtianam religionem abſolutam & ſimplicem anili ſuperſtitione confundens: in qua ſcrutanda perplexius, quam componenda gravius, excitavit diſſidia plurima; quæ progreſſa fuſius aluit concertatione verborum, ut catervis antiſtitum, jumentis publicis ultro citroque diſcurrentibus per ſynodos, quas appellant, dum ritum omnem ad ſuum trahere conatur arbitrium, rei vehiculariæ ſuccideret nervos.*

2 *mundo velut intruſo in eccleſiam.*) Vide de hac re pulchre dicta Chryſoſtomi morali ſecundo ad 2. Corinth. cap. XII. poſt v. 10. *

3 *principes primum Chriſtianos nullum feciſſe belland. modum, etiam cum pace frui liceret.*) Marciani laudabile dictum apud Zonaram: Μὴ δεῖν ὅπλα βασιλέα κινεῖν, ἕως εἰρηνεύειν ἐξεῖν. *Non debere principem arma ſumere, quam diu pace frui liceret.*

4 *Epiſcopos acerrime inter ſe certaſſe de ſummis ſedibus.*) Ammianus lib. XXVII. (*cap.* 2.) *Et hunc quoque* (Viventium ex quæſitore Palatii) *discordantis populi ſeditiones terruere cruentæ, quæ tale negotium excitavere. Damaſus & Urſicinus, ſupra humanum modum ad rapiendam epiſcopalem ſedem ardentes, ſciſſis ſtudiis aſperrime conflictabantur, adusque mortis vulnerumque diſcrimina adjumentis utriusque progreſſis: quæ nec corrigere ſufficiens Viventius, nec mollire, vi magna coactus ſeceſſit in ſuburbanum: & in certatione ſuperaverat Damaſus, parte quæ ei favebat inſtante. Conſtatque in baſilica Sicinini, ubi ritus Chriſtiani eſt conventiculum, uno die CXXXVII. reperta cadavera peremptorum: efferatamque diu plebem ægre delinitam. Neque ego abnuo, oſtentationem rerum conſiderans urbanarum, hujus rei cupidos, ob impetrandum quod appetunt omni contentione laterum jurgari debere; cum id adepti futuri ſint ita ſecuri, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis inſidentes, circumſpecte veſtiti, epulas curantes profuſas, adeo ut eorum convivia regales ſuperent menſas. Qui eſſe poterant beati revera, ſi magnitudine urbis deſpecta, quam vitiis opponunt, ad imitationem antiſtitum quorundam provincialium viverent, quos tenuitas edendi potandique parciſſime, vilitas etiam indumentorum, & ſupercilia humi ſpectantia perpetuo numini verisque ejus cultoribus, ut puros commendant & verecundos.* Poſtea: (*cap.* 8. *eod. lib.*) *Hæc inter Prætextatus præfecturam urbis ſublimius curans, per integritatis multiplices actus & probitatis, quibus ab adoleſcentiæ rudimentis inclaruit, adeptus eſt id quod raro contingit, ut cum timeretur, amorem non perderet civium, minus firmari ſolitum erga judices formidatos: cujus auctoritate juſtisque veritatis ſuffragiis tumultu lenito, quem Chriſtianorum jurgia concitarunt, pulſoque Urſicino, alta quies pari jam propoſito civium Romanorum aptiſſime adoleſcebat, gloria clari rectoris plura & utilia diſponentis.* Hic eſt Prætextatus, de quo hiſtoriam, haud indignam quæ hic ponatur, narrat Hieronymus ad Pammachium contra errores Joannis Hieroſolymitani (*i. e. epiſt. LXI. cap. III. fol.* 179. *col. a. tom. II. opp.*) *Prætextatus, qui deſignatus Conſul eſt mortuus, ſolebat ludens beato Papæ Damaſo dicere: Facite me Romæ urbis Epiſcopum, & ero protinus Chriſtianus.* Vide & quæ idem habet Ammianus libro XV. (*fine cap.* 6.) Non fruſtra concilium Africanum Cœleſtinum Romanæ urbis Epiſcopum monet: *Ne fumoſum typhum ſæculi in eccleſiam Chriſti, quæ lucem ſimplicitatis, & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere.* Addo nobiles epiſtolas Gregorii Romani Epiſcopi, vere magni, lib. IV. 32. 34. 36. lib. VI. 30. lib. VII. indict. I. epiſt. 30.

5 *ſicut olim arbori vitæ prælata arbor ſcientiæ maxima dederat mala.*) Gen. II. (*v.* 9. 16. 17.) & III. (*v.* 1. *ſeqq.*)

6 *& ex religione artem factam.*) Vide quæ jam produximus ex Ammiani libro XXI. Idem libro XXII. (*fine cap.* 3.) in Juliani hiſtoria. *Utque diſpoſitorum roboraret effectum, diſſidentes Chriſtianorum antiſtites cum plebe diſciſſa in palatium intromiſſos monebat, ut civilibus diſcordiis conſopitis quisque nullo vetante religioni ſuæ ſerviret intrepidus: quod agebat ideo obſtinate, ut diſſenſiones augente licentia, non timeret unanimantem poſtea plebem, nullas infeſtas hominibus beſtias, ut ſunt ſibi ferales plerique Chriſtianorum, expertus.* Procopius Gotthicorum I. (*cap.* 3.) cum temperamento tamen hic ut & alibi audiendus: Πρέσβεις ἐκ Βυζαντίου παρὰ τὸν Ῥώμης ἀρχιερέα ἦκον, ὅ, τε τῆς Ἐφέσου ἱερεὺς Ὑπάτιος, καὶ Δημήτριος ἐκ τῶν ἐν Μακεδόσι Φιλίππων, δόξης ἕνεκα, ἣν Χριστιανοὶ ἐν σφίσιν αὐτοῖς ἀντιλέγουσιν ἀμφιγνοοῦντες. τὰ δὲ ἀντιλεγόμενα ἐγὼ ἐξεπιστάμενος, ὡς ἥκιστα ἐπιμνήσομαι. ἀπονοίας γὰρ μανιώδους τινὸς ἡγοῦμαι εἶναι, διερευνᾶσθαι τὴν τοῦ θεοῦ φύσιν, ὁποία ποτέ ἐστιν. ἀνθρώπῳ γὰρ οὐδὲ τὰ ἀνθρώπεια ἐς τὸ ἀκριβὲς (οἶμαι) καταληπτά, μή τοί γε τὰ ἐς θεοῦ φύσιν ἥκοντα. ἐμοὶ μὲν οὖν ταῦτα ἀκινδύνως σεσιωπήσθω, μόνῳ τῷ μὴ ἀπιστεῖσθαι τὰ τετιμημένα. ἐγὼ γὰρ οὐκ ἂν οὐδὲ ἄλλο περὶ θεοῦ, ὅ, τι ἂν οὐκ εἴποιμι, ἢ ὅτι ἀγαθός τε παντάπασιν εἴη, καὶ ξύμπαντα ἐν τῇ ἐξουσίᾳ τῇ αὐτοῦ ἔχει. λεγέτω δὲ ὥς πῃ γινώσκειν ὑπὲρ αὐτῶν οἴεται καὶ ἱερεὺς καὶ ἰδιώτης. *Hæc dum ille agitat, legati a Byzantio ad Romæ antiſtitem veniunt, Epheſi antiſtes Hypatius, Philipporum vero Macedoniæ provinciæ Demetrius, ob ea quæ inter ſe controverſa Chriſtiani habent. Ea vero quæ ſint, quamquam percognita, memorare me tædeat. Inſanæ enim temeritatis eſſe exiſtimo, naturam Dei qualis ſit ſcrutari. Homini enim nec humana, quantum ego exiſtimo, plane in aperto ſunt: tantum abeſt ut ei pateant ea quæ ad æternum numen pertinent. Liceat ergo mihi impune de talibus ſilere, non commoventi ea quæ aliis ſancta habentur. Ipſe hoc tantum de Deo quod*

* *Morale ſecundum*, quod præſenti rei inſerviat, nihil omnino in medium affert. Hinc *primum ad* 2. *Corinth. XII. v.* 1. nominandum duco, quo de religione Chriſtiana late ſparſa deque cultu Chriſti ab imperatoribus quoque recepto multa diſſeruntur. Vide *Homil. XXVI. tom. V. comment. in N. Teſt. fol.* 639. *ſeqq.*

fuerit: ut 7 ad exemplum eorum, qui turrim Babylonicam ædificabant, affectatio temeraria rerum ſublimium diſſonas locutiones & diſcordiam pareret: quibus plebs conſpectis, ſæpe neſcia quo ſe verteret, culpam in ſacras litteras rejecit, & eas tamquam venenatas cœpit fugere. Religio autem paſſim non in mentis puritate, ſed, quaſi reducto Judaiſmo, in ritibus collocari cœpit: 8 & in iis, quæ corporis magis exercitationem, quam animi emendationem in ſe continent, 9 itemque in ſtudio flagrante ſemel electarum partium: 10 tandemque evenit, ut ubique multi eſſent Chriſtiani nomine, re pauciſſimi. Non diſſimulavit Deus hæc populi ſui vitia: quin 11 ex ultimo Scythiæ 12 ac Germaniæ receſſu immenſa agmina, quaſi diluvio, effudit in orbem Chriſtianum: & cum datæ ab his ſtrages maximæ non ſatis profeciſſent ad corrigendos ſuperſtites, juſto Dei permiſſu, in Arabia Mahumetes novam ſevit religionem, pugnantem eam directa fronte cum Chriſtiana religione, ſed quæ verbis quodammodo exprimeret vitam magnæ partis Chriſtianorum. Accepta hæc religio primum a Saracenis, qui ab Heraclio Imperatore defecerant: quorum armis brevi ſubacta Arabia, Syria, Palæſtina, Ægyptus, Perſis, poſt infeſſa Africa, & trans mare etiam Hiſpania. Sed Saracenorum potentiam tum alii, 13 tum Turcæ maxime exceperunt, gens & ipſa pugnaciſſima; quæ poſt longa adverſum Saracenos certamina, in fœdus invitata facile ſuſcepit religionem ſuis moribus congruentem, imperiique majeſtatem in ſe tranſtulit. Captæ Aſiæ Græciæque urbes, & promota armorum felicitate, in Hungariam Germaniæque fines deventum eſt.

§. II. *Everſio fundamenti Mahumetiſtarum, de non inquirendo in religionem.*

Hæc religio plane ad fundendum ſanguinem facta multum ritibus gaudet, 1 credique ſibi vult, nulla inquirendi libertate: unde & librorum, quos ſanctos habet, lectio plebi interdicta eſt. Quod ipſum ſtatim manifeſtum eſt (*indicium) iniquitatis. Merito enim ſuſpecta merx eſt, quæ hac lege obtruditur, ne inſpici poſſit. Verum quidem eſt, non æqualem eſſe omnibus ad omnia cognoſcenda perſpicaciam, multos arrogantia, alios affectibus, conſuetudine nonnullos in falſum abripi: ſed 2 ut via ad æternam ſalutem cognoſci nequeat ab his, qui nullo commodi aut honoris reſpectu eam quærunt, ſe ſuaque omnia Deo ſubjicientes, & eum pro auxilio orantes, bonitas divina vetat credi. Et ſane cum judicandi vim Deus inſeruerit humanæ menti, nulla pars veri dignior eſt, in quam ea impendatur; quam illa, quæ ignorari, ſine amittendæ ſalutis æterno periculo, non poteſt.

§. III.

quod dicam habeo, eſſe eum omnino bonum ejusque poteſtate omnia contineri. Qui plus ſciverit, plus de eo dicat, ſive in ſacerdotum eſt ordine, ſive in plebe. Laudat Gregoras libro VIII. (*fol. 145. edit. Hier. Wolfii Baſil. 15. 62.*) dictum Lyſidi Pythagorici, deinde Syneſii: τὸ δημοσίᾳ φιλοσοφεῖν μεγάλης ἐς ἀνθρώπους ἦρξε τῶν θείων καταφρονήσεως. *Apud populum ſubtiliter philoſophari, cauſa hominibus fuit magni contemptus rerum divinarum.* Idem libro X. (*fol. 235.*) multum diſſuadet tales diſputationes, & de Latinis ſui temporis loquens: Τοὺς Ἰταλοὺς διασύρω καὶ μέμφομαι ἱκανῶς αὐτοὺς καὶ μετὰ πολλῆς τῆς ὀφρύος τῇ θεολογίᾳ ἐπιπηδῶντας. *Italos ego rideo atque contemno, quod ita temere magnoque cum ſupercilio ad theologiam proſiliant.* Addit mox: (*fol. 236.*) ὄντω γὰρ παρ' αὐτοῖς ἐκκεῖσθαι τοῖς βαναύσοις ἐπικέχυται τὰ θεολογίας μυστήρια καὶ ὅσα πλήθει ἅπαντες ἀεὶ τῷ συλλογιστικῷ ἐμβατεύειν τοῖς λόγοις αὐτῶν, ὥσπερ ἐπὶ τῇ χλόῃ καὶ νομαῖς τὰ βοσκήματα. καὶ ἃ τὰ πιστεύειν ὀρθῶς ἀμφίβολα ἔχοντες, καὶ οἱ μηδ' ὅπως δεῖ πιστεύειν εἰδότες μηδ' ὅ, τι ἐστὶν ὃ πιστεύειν φασὶν, ἀγορὰς καὶ περιπάτους καὶ θέατρα πάντ' ἐμπεπλήκασι τῆς θεολογίας, καὶ οὐδὲ τοῦτον τὸν ἥλιον αἰσχύνονται μάρτυρα τῆς ἀναιδείας ποιούμενοι. *Ita apud illos etiam ſellulariis opificibus effluunt Theologiæ myſteria: ita hiant omnes ut per ſyllogiſmos tractent talia, ſicut pecudes ad herbas & pabula: & qui ea, quæ omnino recte credenda ſunt, in ambiguo habent, & qui nec quomodo credendum ſit ſciunt, nec quid ſit quod ſe dicant credere, hi fora omnia & ambulacra & theatra implent theologia, neque ſolem verentur talis impudentiæ teſtem facere.*

7 *ad exemplum eorum qui turrim Babylonicam ædificabant.*) Gen. XI. Exprobrat has controverſias Chriſtianis ſæpe Mahumetes, præſertim Azoara XXVI. (*Sura XVI. com. 64.*) XXXII. (*XXII. com. 68. ſeqq.*)

8 *& in iis, quæ corporis magis exercitationem, quam animi emendationem in ſe continent.*) 1. Tim. IV. 8. Coloſſ. II. 23.

9 *itemque in ſtudio flagrante ſemel electarum partium.*) Rom. X. 2. 1. Cor. I. 12. & ſequentibus.

10 *tandemque evenit, ut ubique multi eſſent Chriſtiani nomine, re pauciſſimi.*) Salvianus libro III. de gubernatione Dei: (*pag. 91. edit. Conr. Rittershuſii 1623. 8vo.*) *Præter pauciſſimos quosdam qui mala fugiunt, quid eſt aliud omnis cœtus Chriſtianorum, quam ſentina vitiorum?*

11 *ex ultimo Scythiæ.*) Hunnos, Avaros, Sabiros, Alanos, Euthalitas, Turcas.

12 *ac Germaniæ receſſu.*) Gotthos, Erulos, Gepidas, Vandalos, Francos, Burgundiones, Suevos, Alemannos, Saxonas, Varnos, Longobardos.

13 *tum Turcæ maxime exceperunt.*) Vide Turcica Leunclavii, & Laonicum Chalcocondilam. **

1 *credique ſibi vult nulla inquirendi libertate.*) Alcoranus Azoara XIII. (*Sura V. com. 110. ſeqq.*) ut habet prima editio Latina, *** quam hic in lectoris gratiam ſequimur.

2 *ut via ad æternam ſalutem cognoſci nequeat ab his, qui nullo commodi aut honoris reſpectu eam quærunt, ſe ſuaque omnia Deo ſubjicientes, & eum pro auxilio orantes, bonitas divina vetat credi.*) Reſponſio ad quæſtionem IV. ad Orthodoxos, inter opera Juſtini: (*fol. 394.*) ὅτι δὲ ἀδύνατόν ἐστι μὴ τυχεῖν τῆς εὑρέσεως τὸν ἐν ὅλῃ καρδίᾳ τε καὶ δυνάμει ἐπιζητοῦντα τὴν ἀλήθειαν, μαρτυρεῖ ὁ κύριος λέγων· πᾶς ὁ αἰτῶν λαμβάνει, καὶ ὁ ζητῶν εὑρήσει, καὶ τῷ κρούοντι ἀνοιγήσεται. *Fieri autem nequire ut non ad inventionem perveniat, qui toto corde ac viribus quærit veritatem, teſtatur Dominus dicens: Quisquis petit, accipit: & qui quærit inveniet, & pulſanti aperietur.* Origenes VIII. contra Celſum: (*pag. 412.*) Ἐχρῆν δ' αὐτὸν συνιδεῖν, ὅτι πάντ' ἐφορῶν καὶ πάντ' ἐπακούων ὁ κοινὸς πάντων πατὴρ καὶ δημιουργὸς, τὴν ἑκάστου προαίρεσιν ζητοῦντος αὐτὸν καὶ εὐσεβεῖν βουλομένου, κατ' ἀξίαν κρίνει, καὶ τούτοις τινὰ ἀπονέμει καρπὸν τῆς προστασίας αὐτοῦ. *Cogitare eum oportuit communem omnium opificem ac patrem, qui cuncta ſpectat, auditque, æqua retribuere voluntati ipſum quærenti, ac pie vivere cupienti, eique fructum largiri aliquem ſui patrocinii.*

* Omittunt probatiſſimæ editiones fere omnes hanc vocem, licet ſine ea oratio conſtare ſibi nequeat.

** *Leunclavii annales Turcicos*: & *Chalcocondilæ libros de origine ac rebus geſtis Turcarum* intelligit. Qui, ut *Grotii* ſcopum aſſequaris, a principio ad finem usque legendo perſequendi erunt.

*** De ea editione hæc eſſe accipienda, quæ juſſu *Petri Abbatis Cluniacenſis* per *Robertum Retinenſem* & *Hermannum Dalmatam* A. MCXLIII. adornata; atque cura *Theod. Bibliandri* MDXLIII. & MDL. typis deſcripta fuit, ex frequenti ipſius uſu compertum habemus. Ad cujus editionis ductum, cum iſta dudum rarior facta ſit, nos *Alcorani* allegationes formaverimus, ſuo loco ſignificavimus.

§. III. *Probatio adverſus Mahumetiſtas, ex libris ſacris Hebræorum & Chriſtianorum, eosque non eſſe corruptos.*

1 Moſem a Deo miſſum, 2 item Jeſum, 3 & viros ſanctos fuiſſe, qui Jeſu diſciplinam primi propagarunt, Mahumetes ejusque ſectatores fatentur. At in Alcorano, lege Mahumetis, 4 multa narrantur plane contra quam a Moſe & ab Jeſu diſcipulis ſunt prodita. Ut ex multis unum ſumamus exemplum, Jeſum in cruce mortuum, intra tertium diem in vitam rediiſſe, conſpectumque a multis omnes Apoſtoli diſcipulique Jeſu maximo conſenſu teſtantur. Contra docet Mahumetes, 5 Jeſum clam ſubductum fuiſſe in cœlum, cruci autem affixum fuiſſe quoddam ejus ſimulacrum; ac proinde non mortuum Jeſum, ſed deceptos Judæorum oculos. Hæc objectio evadi non poteſt, niſi dicat Mahumetes, quod & dicit, 6 libros tum Moſis, tum diſcipulorum Jeſu, non quales fuerant manſiſſe, ſed corruptos eſſe. Sed hoc commentum jam ſupra a nobis libro tertio refutatum eſt. Certe ſi quis Alcoranum corruptum diceret, negarent hoc Mahumetiſtæ, idque ſufficere dicerent adverſus non probantes: at ipſi ultro adferre pro integritate ſui libri ea argumenta non poſſent, quæ nos afferimus, de ſparſis ſtatim exemplis per orbem terrarum, & quidem, non ut Alcorani; uno ſermone, cuſtoditisque fide tot ſectarum tam diſcrepantium circa cætera. Perſuadent ſibi Mahumetiſtæ, Johannis capite XIV. ubi de Paracleto mittendo agitur, exſtitiſſe aliquid ſcriptum de Mahumete, quod Chriſtiani deleverint. Sed hic ab ipſis libet quærere, hanc ſcripturæ mutationem velintne factam poſt Mahumetis adventum, an antea. Poſt Mahumetis adventum fieri plane non potuit, cum jam eo tempore exſtarent toto orbe plurima, non Græca tantum, ſed Syriaca, Arabica, & in diſſitis ab Arabia partibus, Æthiopica, & Latina exemplaria non unius verſionis: hæc autem omnia eo in loco conſentiunt, nulla ſcripturæ varietate. Ante Mahumetis adventum nulla fuit mutandi cauſa: nemo enim ſcire poterat, quid docturus eſſet Mahumetes. Imo ſi Mahumetis dogma nihil haberet Jeſu dogmati contrarium, non magis difficiles fuiſſent Chriſtiani, in libris ejus recipiendis, quam in libris Moſis & Prophetarum Hebræorum fuerunt. Ponamus utrimque nihil ſcriptum fuiſſe, aut de Jeſu dogmate, aut de Mahumetis: doceret æquitas, pro Jeſu dogmate habendum, in quod Chriſtiani omnes; pro Mahumetis, in quod Mahumetiſtæ conſentirent.

§. IV. *Ex comparatione Mahumetis cum Chriſto.*

Conferamus jam utriusque dogmatis adjuncta atque affectiones, ut videamus, utrum utri præferendum ſit: ac primum de auctoribus videamus. 1 Jeſus Mahumetis ipſius confeſſione erat Meſſias ille in lege & Prophetis promiſſus: 2 ab ipſo Mahumete vocatur Dei verbum, 3 mens, 4 ſapientia: 5 dicitur eidem nullum ex hominibus patrem habuiſſe. 6 Mahumetes, ſolito naturæ ordine, genitus

1 *Moſem à Deo miſſum.*) Azoara V. (*Sura III. forte com.* 83. XXI. (*XI. com.* 18. 97. 111.)

2 *item Jeſum.*) Azoara V. (*III. com.* 48.) XII. (*V. com.* 54.)

3 *& viros ſanctos fuiſſe, qui Jeſu diſciplinam primi propagarunt.*) Azoara V. LXXI. *

4 *multa narrantur plane contra quam a Moſe & ab Jeſu diſcipulis ſunt prodita.*) Ut templum Mechæ ſtructum ab Abrahamo Azoara II. (*com.* 126. *ſeqq.*) Alia de Abrahamo, Azoara XXXI. (*XXI. com.* 52. *ſeqq.*) Confuſa Gedeonis & Saulis hiſtoria, Azoara III. (*II. com.* 250. *ſeqq.*) in hiſtoria Exodi multa, Azoara XVII. (*VII. com.* 104. *ſeqq.*) & XXX. (*XX. tota fere.*) & XXXVIII. (*XXVIII. com.* 3. *ſeqq. pluribus.*) In hiſtoria Joſephi multa, Azoara XXII. (*XII. integra.*) de avibus ab Abrahamo diſſectis, & in vitam revocatis, Azoara IV. (*II. com.* 261.) de Maria apud Zachariam educata, Azoara V. (*III. com.* 37.) de avibus ex luto factis per Jeſum, ibidem, (*ſcil. Sura III. com.* 48.) & XIII. (*V. com.* 119.)

5 *Jeſum clam ſubductum fuiſſe in cœlum, cruci autem affixum fuiſſe quoddam ejus ſimulacrum, ac proinde non mortuum Jeſum, ſed deceptos Judæorum oculos.*) Azoara XI. (*IV. com.* 156.)

6 *libros tum Moſis tum diſcipulorum Jeſu, non quales fuerant manſiſſe, ſed corruptos eſſe.*) Azoara IX. (*Sura IV. com.* 44.)

1 *Jeſus Mahumetis ipſius confeſſione erat Meſſias ille in lege & Prophetis promiſſus.*) Azoara XXIX. **

2 *ab ipſo Mahumete vocatur Dei verbum.*) Azoara V. (*Sura III. com.* 45.) XI. (*IV. com.* 169.) & in libro doctrinæ Mahumetis. (*fol.* 199. *tom. I. collect. Bibliandri.*) Jeſum a Mahumete vocari λόγον, καὶ πνεῦμα Θεοῦ, ait Euthymius Zigabenus in diſputatione contra Saracenos. (*§.* 2. 4. *pag.* 2. *&* 6. *ſeq.*)

3 *mens.*) *** Azoara IV. XI. XXIX. & in dicto libro.

4 *ſapientia.*) *** Dictis locis.

5 *dicitur eidem nullum ex hominibus patrem habuiſſe.*) Azoara XXXI. (*Sura XXI. com.* 91.)

6 *Mahumetes ſolito naturæ ordine genitus etiam a ſuis creditur.*) Vide librum generationis Mahumetis. (*ſpeciatim fol.* 207. *tom. I. collect. Bibliandri.*)

* Vix ac ne vix quidem argumentum pro ſanctitate diſcipulorum Jeſu ex dictis *Azoaris* exſculpes. Quos enim ibi *Bibliandri* verſio producit *viros albis indutos veſtibus*, qui Jeſum noſtrum ſecuti fuerint, unde colligendi anſam absque dubio arripuit *Grotius*; eos accuratior *Maracciana Alcorani* verſio utroque loco *Sura III. com.* 51. & *LXI. com.* 14. ſimpliciter per *Apoſtolos* reddit.

** Videant alii, an ex verſione *Bibliandri*, quæ ante oculos fuit *Grotio*, aut *Maraccii Sura XIX. com.* 29. *ſeqq.* in his de Jeſu Meſſia *Mohammedis* lateat confeſſio: *Ego ſum Dei ſerviens* (ita Jeſum loquentem *Mohammed* introducit) *qui mihi librum tribuens, me Prophetam conſtituit, & loco quocunque meliorantem & utilem poſuit. Mihi quidem orationes fundere, & eleemoſynas ac beneficia diſtribuere, & meam matrem honorare, dum inter homines converſarer, injunxit: nec me virum difficilem, ſed malorum expertem creavit. Et ſuper me eſt divina ſalus in die mea nativitatis & mortis, & qua vivus iterum accedam. Hoc eſt de Chriſto Mariæ filio verbum verax.*

*** Non ſine animadverſionibus quibusdam allegationes iſtæ ſunt dimittendæ. En vero caſtigationes noſtras: *Azoara IV.* apud *Bibliandrum* hæc ſunt: *Chriſto Mariæ filio animam noſtram* (dicit Deus pater) *proprie conferentes, vim atque virtutem præ cæteris tribuimus*: quæ *Maraccius Sura II. com.* 254. hoc modo exponit: *Et dedimus Jeſu filio Mariæ argumenta clara* (*id eſt vim faciendi miracula*) *& roboravimus eum ſpiritu ſanctitatis.* *Azoara XI.* quæ *Maraccio IV. com.* 169. dicitur Jeſus noſter *Spiritus a Deo.* *Azoara XXIX. Maracciana XIX.* neque *mentis* nec *ſapientiæ* nomen ipſi imponit. *Liber* denique *de doctrina Mahumetis tom. I. collect. Bibliandri fol.* 199. *Spiritum & virtutem Dei*, non *mentem*, non ſapientiam, Jeſum appellat.

genitus etiam a ſuis creditur. Jeſus vitæ ſemper immaculatæ, cui nihil objici poſſet: 7 Mahumetes diu raptor, 8 mulieroſus ſemper. 9 Jeſus in cœlum evectus, fatente Mahumete: Mahumetes in ſepulcro detinetur. Uter potius ſequendus ſit, quis non videat.

§. V. * *Item facta utriusque.*

Accedant utriusque facta. 1 Jeſus viſum cœcis, claudis greſſum, ægrotis ſanitatem dedit, imo fatente Mahumete, etiam vitam mortuis. 2 Mahumetes ſe miſſum ait, non cum miraculis, ſed cum armis. Secuti tamen ſunt, qui ei & miracula attribuerent: at qualia? Nempe, quæ aut arte humana facile poſſunt effecta reddi, ut de columba ad aurem advolante: aut quorum nulli ſunt teſtes, ut de camelo noctu ei locuto: aut quæ ſui abſurditate refelluntur, 3 ut de magna lunæ parte in manicam ipſius delapſa, & ab ipſo remiſſa, ad reddendam ſideri rotunditatem. Quis non dicat in cauſa dubia, ei legi ſtandum, quæ certiora pro ſe habet divinæ approbationis teſtimonia? Videamus & eos, qui hanc & illam legem primi ſuſceperunt.

§. VI. *Eorum qui primi utramque religionem receperunt.*

Qui Jeſu legem amplexi ſunt, viri erant Dei timentes, vitæ ſimplicis: convenit autem Deo, ut tales neque ſermonum præſtigiis, neque ſpecie prodigiorum, decipi patiatur. At 1 qui Mahumetismum primi ſuſceperunt prædones erant, homines ab humanitate ac pietate alieni.

§. VII. *Modorum, quibus lex utraque propagata eſt.*

Sequitur & modum oſtendamus, quo religio utraque propagata eſt. De Chriſtiana aliquoties jam diximus, incrementa ejus eſſe ex miraculis, non Chriſti tantum, ſed & diſcipulorum, & qui eis ſucceſſerunt, tum vero ex ipſa malorum & ſuppliciorum patientia. At Mahumetiſmi doctores nulla ediderunt miracula, nullas graves ærumnas ac dura mortium genera ob eam profeſſionem pertulerunt. Sed 1 religio illa, quo arma eunt, ſequitur, armorum acceſſio eſt, 2 nec aliud ipſi argumentum pro ea magiſtri adferunt, quam bellorum ſucceſſum, & imperii magnitudinem, quibus nihil ad hanc rem fallacius. Paganica ſacra ipſi improbant. Et tamen ſcimus, quantæ fuerint Perſarum, Macedonum, Romanorum victoriæ, quam late patuerint eorum imperia. Neque Mahumetiſtis ſemper proſperi bellorum eventus. Notæ clades, quas plurimis in locis terra marique acceperunt: tota Hiſpania pulſi ſunt. Non poteſt res, quæ vices tam incertas habet, quæque bonis ac malis communis eſſe poteſt, nota eſſe certa veræ religionis: eoque minus, quod arma eorum injuſta ſunt; 3 cum ſæpe ea moveant adverſus populos ſibi non moleſtos, nulla injuria cognitos, ita ut nihil armis obtendere poſſint, niſi ſolam religionem, quod maxime eſt irreligioſum. Nam 4 cultus Dei nullus eſt, niſi ab animo volente procedat. Voluntas autem docendo & ſuadendo elicitur, non minis, non vi. Coactus qui credit, non credit, ſed credere ſe ſimulat, ut malum vitet. Qui mali ſenſu aut metu extorquere aſſenſum vult, eo ipſo oſtendit, ſe argumentis diffidere. Rurſus autem hunc ipſum obtentum religionis ipſi deſtruunt, cum ſubactos ſub imperium patiantur uti, qua velint, religione, imo & 5 palam agnoſcant interdum, Chriſtianos in ſua lege ſervari poſſe.

§. VIII.

7 *Mahumetes diu raptor.*) Vide chronica Mahumetis verſa ex Arabico. (*fol.* 216. *tom. I. collect. Bibliandri.*) Vide diſputationem** Saraceni & Chriſtiani a Petro Abbate Cluniacenſi editam.

8 *mulieroſus ſemper.*) Azoara*** XLII. XLIII. (*XXXIII. com.* 31. *ſeqq.* 47. *ſeqq.*) LXXV. (*LXV. com.* 1.) & LXXVI. (*LXVI. com.* 1. *ſeq.*) Vide dictam diſputationem. (*Tit. de impudicitia Mahumetis fol.* 6. *ſeq.*)

9 *Jeſus in cœlum evectus fatente Mahumete.*) Azoara XI. (*IV. com.* 157.)

1 *Jeſus viſum cœcis, claudis greſſum, ægrotis ſanitatem dedit, imo fatente Mahumete etiam vitam mortuis.* (Azoara V. (*Sura III. com.* 48.) XIII. (*V. com.* 119.)

2 *Mahumetes ſe miſſum ait, non cum miraculis, ſed cum armis.*) Azoara III. (*II. com.* 216. *ſeqq.*) XIV. (*VI. com.* 4 & 36.) XVII. (*VII. com.* 202.) XXX. (*XX. com.* 134. *ſeq.*) LXXI. (*LXI. com.* 4. 11.)

3 *ut de magna lunæ parte in manicam ipſius delapſa, & ab ipſo remiſſa.*) Azoara LXIV. (*LIV. com.* 1. *paucis.*) Vide latius hanc fabulam ex capite Ceramur, apud Cantacuzenum oratione (*II.*) in Mahumetem §. 23.

1 *qui Mahumetiſmum primi ſuſceperunt prædones erant.*) Oſtendit vox ipſa Saraceni, quod λῃστὴς ſignificat. Vide Scaligerum de emendatione temporum lib. III. (*rectius lib. II. fol.* 111.) cap. de periodo Arabum.

1 *religio illa, quo arma eunt, ſequitur, armorum acceſſio eſt.*) Azoara X. (*Sura IV. com.* 88. *ſeqq.*) XVIII. (*VIII. a com.* 5. *paſſim per totum.*) XXVI. (*XVI. com. forte* 110.)

2 *nec aliud ipſi argumentum pro ea magiſtri adferunt, quam bellorum ſucceſſum, & imperii magnitudinem.*) Azoara XXXII. (*XXII. com.* 45. 46.) XLVII. (*XXXVII. com.* 173. *coll.* 170. *ſeqq.*)

3 *cum ſæpe ea moveant adverſus populos ſibi non moleſtos.*) Vide Azoara XIX. (*Sura IX. com.* 6. 30. 39. 40. 43. *& alibi.*)

4 *cultus Dei nullus eſt, niſi ab animo volente procedat.*) Lactantius libro X. cap. 20. (*rectius lib. V. cap. XIX.* §. 23.) *Nihil eſt enim tam voluntarium quam religio, in qua ſi animus ſacrificantis adverſus eſt, jam ſublata, jam nulla eſt.*

5 *palam agnoſcant interdum Chriſtianos in ſua lege ſervari poſſe.*) Azoara I. (*Sura II. com.* 62.) & XII. (*V. com.* 54 75. 77. 78.) Liber de doctrina Mahumetis.**** Vide Euthymium.*****

* Declinarunt a principe editione exemplaria de A. MDCXL. atque perperam nullam ad hunc paragraphum inſcriptionem appoſuerunt.

** Puto illam *diſputationem*, quæ *tom. II. collect. Bibliandri* hoc titulo extat: *Diſputatio Chriſtiani eruditiſſimi, qui diu verſatus eſt apud principem Sarracenorum cum magna dignatione: & Sarraceni ſodalis ipſius* &c. & quæ ibi *tit. de furtis & latrociniis Mahumetis fol.* 4. *ſeq.* referuntur, a *Grotio* hoc loco indicari.

*** Polygamiæ probri hac *Azoara Mohammed* non inſimulatur.

**** Hæc deprehendo in libro iſto *tom. I. collect. Bibliandri fol.* 190. *Et contingit tamen, ut ſi quis ex Judæis aut Chriſtianis ſive gentilibus ad fidem Saracenorum converſus ante opus morte occupetur, fides ſufficiat. Sicque ſive Judæus, ſive Chriſtianus, ſive etiam gentilis omni pietatis operi ſatisfaciens, nec id amore Dei, & ipſum & opus ejus ignis aſſumet.* Quæ accuratius expenſa id non dicunt, quod probare iisdem contendit *Grotius.*

***** Haud dubie in *diſputatione adverſus Saracenos* ſeu *cap. XXVIII. Panopliæ*, ad quam hoc libro ſæpius provocat *Grotius.* Parum vero præſidii præſenti argumento inde petes.

§. VIII. *Præceptorum inter ſe.*

Contendamus inter ſe & præcepta. Hinc patientia præcipitur, imo & benignitas in male volentes: inde ultio. Hinc perpetua matrimonii fides, morum mutua toleratione: 1 inde diſcedendi licentia. Hic maritus, quod ab uxore exigit, præſtat ipſe, & affigendum uni amorem exemplo ſuo docet: 2 ibi aliæ ſuper alias mulieres, nova ſemper libidinum irritamenta. Hic intus ad animum revocata religio, ut eo bene culto fructus exſerat humano generi utiles: ibi eadem 3 in circumciſione, 4 aliisque rebus per ſe mediis, vim ſuam prope totam conſumit. Hic temperatus ciborum vinique uſus permittitur: ibi 5 vetitum ſue veſci, 6 bibere vinum, quod tamen magnum Dei munus eſt ad animi & corporis bona cum modo ſumptum. At ante quidem legem perfectiſſimam, qualis eſt Chriſti, rudimenta quaſi puerilia præceſſiſſe, non mirum eſt: poſt eam vero publicatam redire ad figuras præpoſterum. Neque ulla poteſt cauſa adferri, cur poſt Chriſtianam religionem longe optumam, aliam decuerit proferri.

§. IX. *Solutio ejus quod objiciunt Mahumetiſtæ de Dei filio.*

Offendi ſe ajunt Mahumetiſtæ, quod Deo filium demus, cum uxore non utatur; quaſi filii vox in Deo non poſſit diviniorem habere ſignificationem. At ipſe Mahumetes multa Deo adſcribit non minus indigna, quam ſi uxorem habere diceretur: puta 1 manum ipſi frigidam eſſe, idque ſe tactu expertum: 2 geſtari in ſella, & his ſimilia. Nos vero cum Jeſum Dei filium dicimus, hoc ſignificamus, quod ipſe, 3 cum eum Verbum Dei dicit: 4 verbum enim ex mente ſuo quodam modo gignitur: adde jam, quod ex virgine, ſola Dei opera vim paternam ſupplente, natus eſt, (* in vitam revocatus) quod in cœlum evectus Dei poteſtate; quæ & ipſa Mahumeti confeſſa oſtendunt 5 Jeſum, ſingulari quodam jure, Dei filium appellari poſſe, & debere.

§. X. *Abſurda plurima in libris Mahumeticis.*

At contra in ſcriptis Mahumeticis 1 quam multa ſint a veritate hiſtoriæ aliena, quam multa plane ridicula, longum foret eloqui. Talis eſt fabula 2 de pulchra muliere; quæ ab Angelis vino captis ſolenne didicerit carmen, quo in cœlum adſcendi & ex eo deſcendi ſolet: quæ cum adſcendiſſet in multam cœli altitudinem, deprehenſam a Deo, ibique fixam, atque eam eſſe ſtellam Veneris. Talis illa 3 de mure in nave Noe nato, ex elephantis ſtercore: 4 contra autem fele ex leonis halitu. Atque illa maxime 5 de morte in arietem commutanda, qui medio inter cœlum & inferos ſpatio ſit ſtabulaturus, 6 & de epulis in vita altera excernendis per ſudorem, 7 deque mulierum gregibus cuique aſſignandis, ad concubitus voluptates: quæ profecto talia ſunt omnia, ut oporteat culpa ſua eſſe in ſtuporem datos, qui iſtis fidem habent, præſertim cum evangelii lux ipſos circumfulgeat.

§. XI.

1 *inde diſcedendi licentia.*) Vide Euthymium, (§. 18. *pag.* 34.) & eos qui de rebus Turcicis ſcripſere.

2 *ibi aliæ ſuper alias mulieres.*) Azoara III. (*II. com. forte* 230.) VIII. (*IV. com.* 3.) IX. (*IV. com.* 22. 24.) XXXIII. (*XXIII.* 6. 7.)

3 *in circumciſione.*) Vide & Bartholomæum Georgevitium de ritibus Turcarum. (*cap. I. fol.* 182. *ſeq. collect. Bibliandri tom. III.*)

4 *aliisque rebus per ſe mediis.*) Ut lotionibus. Azoara IX. (*IV. com.* 42.) Vide & Euthymium. (§. 12. *pag.* 29.)

5 *vetitum ſue veſci.*) Azoara II. (*com.* 175.) XXVI. (*XVI. com.* 115.)

6 *bibere vinum.*) Vide Euthymium (§. 20. *pag.* 38.) & alios qui res Saracenicas ſcripſere.

1 *manum ipſi frigidam eſſe, idque ſe tactu expertum.*) Locum vide apud Richardum contra Mahumetiſtas cap. I. & cap. XIV. & apud Cantacuzenum, oratione in Mahumetem II. §. 18. & oratione IV. non longe a principio (*fol.* 351. *tom. II. collect. Bibliandri.*)

2 *geſtari in ſella.*) Ibidem.

3 *cum eum Verbum Dei dicit.*) Vide ſupra. (§. *IV. not.* 2.)

4 *verbum enim ex mente ſuo quodam modo gignitur.*) Vide Platonem in convivio, ** & Abarbanelem in dialogo qui vulgo Leonis in Hebræi dicitur. Vide hac de re & Euthymium in dicta diſputatione, (§. 4. *pag.* 9.) ubi ait, ὥσπερ ὁ ἡμέτερος λόγος ἐν τῷ νῷ γίνεται [illegible], & cætera: Cardinalem Cuſanum lib. I. cap. 13. & ſequentibus contra Mahumetiſtas (*ſeu cribrationis Alcorani.*) Richardum cap. 9. & 15. (*fol.* 156. & 172. *ſeqq. tom. II. collect. Bibliandri.*)

5 *Jeſum ſingulari quodam jure Dei filium appellari poſſe & debere.*) Luc. I. 35. Johan. X. 36. Actor. III. 13. 14. 15. XIII. 33. Hebr. I. 5. V. 5. In dicto libro doctrinæ Mahumetis (*fol.* 197. *tom. I. collect. Bibliandri.*) Jeſus inducitur Deum ſuum patrem appellans.

1 *quam multa ſint a veritate hiſtoriæ aliena.*) Ut de Alexandro Magno, qui ad fontem pervenerit, in quo ſol quieſceret, *** Azoara XXVIII. de Salomone, Azoara XXXVII. (*XXVII. com.* 18. *ſeqq.*)

2 *de pulchra muliere.*) In libro doctrinæ Mahumetis (*fol.* 197. *ſeq. tom. I. collect. Bibliandri*) eſt hæc fabula, ſumpta ex libro enarrationum. Vide & Cantacuzenum oratione II. in Mahumetem, c. (*ſeu* §.) 15.

3 *de mure in nave Noë nato ex elephantis ſtercore.*) Sunt hæc dicto libro doctrinæ Mahumetis. (*fol.* 197. *tom. I. collect. Bibliandri.*)

4 *contra autem fele ex leonis halitu.*) Ibidem. (*fol. eod.*)

5 *de morte in arietem commutanda.*) In fine dicti libri doctrinæ Mahumetis. (*fol.* 200. *tom. I. collect. Bibliandri.*)

6 & *de epulis in vita altera excernendis per ſudorem.*) Dictus liber de doctrina Mahumetis. (*fol.* 197. *jam cit.*)

7 *deque mulierum gregibus cuique aſſignandis ad concubitus voluptates.*) Vide quæ ſupra adducta ad librum ſecundum. (§. *X. not.* 13. *pag.* 40.)

---

* Notatu dignum eſt, quod, cum deliberato conſilio verba iſta reliquis adjungi voluerit *Grotius*, ceu ex *epiſt. CXLIX. ad fratrem fol.* 797. conſtat, ea etiam in antiquiſſima de A. MDCXXVII. editione legantur; tamen in veteribus A. MDCXL. omnibus pariter ac hodiernis editionibus amplius haud ſuperſint. A *Grotio* iſta rurſus reſecta eſſe, vix credo.

** Quod ad *Platonem*, *verbum ex mente ſuo quodam modo gigni*, aſſerentem in *convivio* attinet, nulla *Grotio* habenda fides.

*** In textu *Arabico* de *Bicorni* quodam hæc referuntur, ut ex *Maraccii* translatione liquet *Sura XVIII. com.* 87. quem alii *Alexandrum M.* alii Regem alium, angelum quendam alii interpretantur. *Bibliandri* verſio, quæ *Grotio* inſtar normæ fuit, *Alexandrum M.* rotunde nominat.

§. XI. *Peroratio ad Chriſtianos, qui ex occaſione antedictorum officii ſui admonentur.*

Hac ultima diſputatione abſoluta, ſequitur peroratio, non jam ad extraneos, ſed ad omnis generis ac nominis Chriſtianos: ſummatim monſtrans eorum uſum, quæ dicta ſunt hactenus, ut & quæ recta ſunt fiant, & quæ prava vitentur. Primum [1] ut puras manus elevent ad Deum illum, [2] qui omnia conſpicua atque inconſpicua fecit ex nihilo, [3] cum certa fiducia eum curam noſtri gerere: [4] cum, niſi ejus permiſſu, ne paſſer quidem cadat; [5] ac ne eos timeant, qui tantum corpori nocere poſſunt, præ eo, cui & in corpus, & in animum, æquale jus eſt. [6] Confidant non Deo tantum Patri, ſed & Jeſu: [7] quando in terris aliud nomen non eſt, quod nos ſalvos præſtet: [8] quod recte facturos, ſi cogitaverint, non qui illum Patrem, hunc Dominum voce nuncupant, æternum victuros, ſed qui ex eorum voluntate vitam componunt. Monentur deinde [9] ſanctum illud dogma Chriſti, ut pretioſiſſimum theſaurum, ſollicite cuſtodire: atque eam ob rem etiam [10] ſæpe legere ſacra ſcripta, quibus nemo poſſit decipi, niſi qui prius ſe ipſe deceperit. [11] Nam & fideliores fuiſſe eorum ſcriptores & afflatus divini pleniores, quam ut neceſſaria veritate nos fraudare vellent, eamve nube aliqua obtegere: [12] ſed adferendum animum paratum obſequio: id ſi fiat, [13] nihil eorum nos fugiturum, quæ credi, ſperari, aut fieri a nobis debent: [14] atque eo modo ali & excitari in nobis illum Spiritum, [15] qui futuræ felicitatis arrhabo eſt datus. Abſterrentur præterea ab imitatione Paganorum: [16] primum in cultu falſorum Deorum, [17] qui nihil ſunt, niſi vana nomina, [18] quibus mali dæmones utuntur, [19] ut nos a veri Dei cultu avertant: [20] quare non poſſe nos eorum ſacris participare, ita ut ſimul & Chriſti ſacrificium nobis proſit: [21] ſecundo, in vivendi modo licentioſo, nec aliam habente legem, quam a cupiditate dictatam; [22] unde Chriſtianos longiſſime abeſſe oporteat, [23] qui non tantum Paganis præſtare multum debeant, [24] ſed & Judæorum legiſperitis & Phariſæis, quorum juſtitia in externis quibuſdam factis conſiſtens non ſufficit, ut ad cœleſte regnum perveniatur. [25] Nullo nunc in pretio eſſe circumciſionem manu factam, ſed alteram internam cordis, [26] obſervationem mandatorum Dei, [27] novum opificium, [28] fiduciam in diligendo efficacem, [29] unde agnoſcantur veri Iſraelitæ, [30] myſtici Judæi, hoc eſt, Dei laudatores. [31] Ciborum diſcrimina, [32] ſabbata, [33] dies feſtos, [34] umbras eſſe rerum, quæ in Chriſto & Chriſtianis exſiſtant. Ex occaſione Mahume-

1 *ut puras manus elevent ad Deum.*) 1. Tim. II. 8. Jac. IV. 8. Tertullianus apologetico: (*cap. XXX.*) *Illuc ſuſpicientes Chriſtiani manibus expanſis, quia innocuis: capite nudo, quia non erubeſcimus: denique ſine monitore, quia de pectore oramus pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum.*

2 *qui omnia conſpicua atque inconſpicua fecit ex nihilo.*) Coloſſ. 26. (*accuratius cap. I. 16.*) Hebr. XI. 3. Actor. IV. 24. XVII. 24. 2. Mach. VII. 28.

3 *cum certa fiducia eum curam noſtri gerere.*) 1. Petr. III. 11. (12.) V. 7.

4 *cum niſi ejus permiſſu ne paſſer quidem cadat*) Mat. X. 29.

5 *ac ne eos timeant, qui tantum corpori nocere poſſunt, præ eo, cui & in corpus & in animum æquale jus eſt.*) Matth. X. 28. Luc. XII. 4.

6 *Confidant non Deo tantum Patri, ſed & Jeſu.*) Joh. XIV. 2. Hebr. IV. 15. 16. Eph. III. 12. & 17.

7 *quando in terris aliud nomen non eſt, quod nos ſalvos præſtet.*) Actor. IV. 12.

8 *quod recte facturos, ſi cogitaverint, non qui illum Patrem, hunc Dominum voce nuncupant, æternum victuros, ſed qui ex eorum voluntate vitam componunt.*) Joh. VIII. 41. & ſequentibus. Matth. VII. 21. Joh. XV. 14. 1. Joh. II. 3. 4.

9 *ſanctum illud dogma Chriſti, ut pretioſiſſimum theſaurum ſollicite cuſtodire.*) Matth. XIII. 44. 45. 1. Cor. IV. 7. 1. Tim. VI. 20. 2. Tim. I. 14.

10 *ſæpe legere ſacra ſcripta.*) Coloſſ. IV. * (III.) 16. 1. Theſſ. V. 27. Apoc. I. 3.

11 *Nam & fideliores fuiſſe eorum ſcriptores, & afflatus divini pleniores, quam ut neceſſaria veritate nos fraudare vellent.* Tertullianus de hæreticis ſic loquitur in præſcriptione: (*cap. XXII.*) *Solent dicere, non omnia Apoſtolos ſciſſe, eadem agitati dementia, qua rurſus convertunt: omnia quidem Apoſtolos ſciſſe, ſed non omnia omnibus tradidiſſe: in utroque Chriſtum reprehenſioni ſubjicientes, qui aut minus inſtructos, aut parum ſimplices Apoſtolos miſerit.* Vide & quæ ſequuntur ibidem longe utiliſſima.

12 *ſed adferendum animum paratum obſequio.*) Johan. VII. 17. V. 44. Matth. XI. 25. Philipp. III. 15. 2. Petri III. 16. Oſeæ XIV. 10.

13 *nihil eorum nos fugiturum, quæ credi, ſperari aut fieri a nobis debent.*) 2. Tim. III. 15. 16. Johan. XX. 31. 1. Petr. I. 23.

14 *atque eo modo ali & excitari in nobis illum Spiritum*) 2. Tim. I. 6. 1. Theſſ. V. 19.

15 *qui futuræ felicitatis arrhabo eſt datus.*) Epheſ. I. 14. 2. Cor. I. 22. V. 5.

16 *primum in cultu falſorum Deorum.*) 1. Cor. VIII. 5. 6.

17 *qui nihil ſunt niſi vana nomina.*) Ibidem V. (*i. e. verſu.*) 4. & X. 19.

18 *quibus mali dæmones utuntur.*) 1. Cor. X. 20. Apoc. IX. 20.

19 *ut nos a veri Dei cultu avertant.*) Eph. II. 2. Apoc. IX. 9. (*forte* 19.) 2. Theſſ. II. 9. Matth. XIII. 19. Epheſ. II. 12.

20 *quare non poſſe nos eorum ſacris participare, ita ut ſimul & Chriſti ſacrificium nobis proſit.*) 1. Cor. X. 20.

21 *ſecundo, in vivendi modo licentioſo, nec aliam habente legem, quam a cupiditate dictatam.*) Eph. II. 3. Tit. II. 14.

22 *unde Chriſtianos longiſſime abeſſe oporteat.*) 2. Corinth. VI. 15.

23 *qui non tantum Paganis præſtare multum debeant.*) Matth. V. 47. VI. 7. 32.

24 *ſed & Judæorum legiſperitis & Phariſæis, quorum juſtitia in externis quibuſdam factis conſiſtens non ſufficit, ut ad cœleſte regnum perveniatur.*) Matth. V. 20. XXIII. 23. Rom. III. 20. Galat. II. 16.

25 *Nullo nunc in pretio eſſe circumciſionem manu factam, ſed alteram internam cordis.*) 1. Corinth. VII. 19. Galat. V. 6. VI. 15. Philipp. III. 3. Epheſ. II. 11. Coloſſ. II. 11. Rom. II. 29.

26 *obſervationem mandatorum Dei.*) 1. Cor. VII. 19.

27 *novum opificium.*) Galat. VI. 15.

28 *fiduciam in diligendo efficacem.*) Galat. V. 6.

29 *unde agnoſcantur veri Iſraelitæ.*) Rom. IX. 6. 1. Cor. X. 18. Gal. VI. 16. Joh. I. 47. (48.)

30 *myſtici Judæi, hoc eſt, Dei laudatores.*) Rom. II. 28. Philo de allegoriis: (*lib. I. fol. 55. opp.*) Τοῦ ἐξομολογουμένου ὁ Ἰούδας σύμβολον. *Judas ſymbolum ejus qui Deum profitetur.*

31 *ciborum diſcrimina.*) Actor. X. 13. 14. 15. XV. 19. 20. 1. Cor. X. 25. Col. II. 16. 21.

32 *ſabbata*) Coloſſ. dicto loco.

33 *dies feſtos.*) Ibidem Rom. XIV. 5.

34 *umbras eſſe rerum, quæ in Chriſto & Chriſtianis exiſtant.*) Col. II. 17. Hebr. X. 1.

* *Cap. IV.* habent veteres, *cap. III.* hodiernæ editiones. Utrumque recte.

Mahumetiſmi hæc adferuntur monita, 35 prædictum a Domino Jeſu, venturos quoſdam poſt ſua tempora, qui a Deo ſe miſſos mentirentur; 36 ſed etiamſi Angelus de cœlo veniret, non recipiendum eſſe dogma aliud, 37 quam illud Chriſti, tantis teſtimoniis probatum. Quippe 38 olim quidem Deum multis variiſque modis allocutum pios, qui fuerunt: poſtremo autem voluiſſe eum nos compellare per Filium ſuum, 39 rerum omnium Dominum, 40 ſplendoris paterni effulgentiam, ſubſtantiæ ejus expreſſam imaginem, 41 per quem condita ſunt, quæ fuerunt, aut erunt, 42 qui ſuo imperio agit ac fert omnia, 43 & expiatis peccatis noſtris ad dextram Dei ſublatus, 44 dignitatem ſupra Angelos conſecutus eſt: 45 quo proinde legis auctore nihil poteſt exſpectari magnificentius. Revocatur etiam eadem occaſione ipſis in memoriam 46 arma Chriſti militibus aſſignata, non eſſe qualibus Mahumetes nititur, ſed Spiritus propria, apta expugnandis munitionibus, quæ ſe adverſus Dei cognitionem erigunt: pro ſcuto fiduciam, quæ tela ignita diaboli repellat: pro lorica juſtitiam ſive rectitudinem vitæ; 47 pro galea, quæ quod infirmiſſimum eſt tegat, ſpem æternæ ſalutis, 48 pro enſe vero tradita divinitus verba, penitiſſimas animi partes penetrantia. Sequitur poſt hæc exhortatio 49 ad mutuam concordiam, quam Chriſtus ſuis abiens tam ſerio commendavit: 50 non multos inter nos eſſe doctores debere, ſed unum Jeſum Chriſtum: 51 omnes Chriſtianos in idem nomen baptizatos: 52 quare non debere inter ipſos ſectas eſſe & ſciſſuras, quibus ut remedium tandem adhibeatur aliquod, ſuggeruntur dicta illa Apoſtolica, 53 ſapiendum temperanter, 54 pro modo cognitionis, quam cuique Deus admenſus eſt: 55 ſi qui minus omnia intelligant, eorum ferendam imbecillitatem, 56 ut placite ac ſine jurgiis nobiſcum coaleſcant: 57 ſi qui intelligentia præſtent cæteris, par eſſe, ut & ſtudio erga cæteros excellant: 58 hos vero, qui aliter aliqua in parte ſentiunt, exſpectandos donec & ipſis Deus veritatem latentem aperiat: 59 interim, de quibus conſtat, retinenda, & opere implenda. 60 Nunc ex parte ſciri: 61 venturum illud ævum, quo omnia certiſſime cognoſcenda ſint. Etiam hoc rogantur ſinguli, 62 ne inutile detineant talentum ſibi concreditum: 63 ſed omnem impendant operam, ut alios Chriſti acquirant: 64 quam ad rem non tantum adhibendos rectos ſalutareſque ſermones, 65 ſed & emendatæ vitæ exemplum; ut ex ſervis de bonitate Domini, & ex actionibus de legis puritate judicium fiat. Poſtremo loco reverſa, unde exierat, ad lectores populares oratio obſecrat eos, 66 ſi quid hic boni eſt, de eo agant Deo gratias: 67 ſi quid minus placeat, rationem ut habeant, tum communis naturæ hominum ad multos errores pronæ, tum & loci ac temporis, quo opus hoc effuſum verius, quam elaboratum eſt.

35 *prædictum a Domino Jeſu, venturos quoſdam poſt ſua tempora, qui a Deo ſe miſſos mentirentur.*) Joh. V. 43. 2. Theſſ. II. 9. Matth. VII. 15. XXIV. 11. Marci XIII. 22. 1. Joh. IV. 1.

36 *ſed etiamſi angelus de cœlo veniret, non recipiendum eſſe dogma aliud.*) Gal. I. 8.

37 *quam illud Chriſti tantis teſtimoniis probatum.*) 1. Joh. V. 7. 8. Hebr. II. 9. XII. 1. Johan. I. 7. 32. V. 32. 37. 39. 46. Luc. XXIV. 27. Actor. II. 22. 32. X. 43.

38 *olim quidem Deum multis variiſque modis allocutum pios, qui fuerunt: poſtremo autem voluiſſe eum nos compellare per Filium ſuum.*) Hebr. I. 2. (1.)

39 *rerum omnium Dominum.*) 1. Corinth. XV. 27. Hebr. II. 5.

40 *ſplendoris paterni effulgentiam, ſubſtantiæ ejus expreſſam imaginem.*) Hebr. I. 3.

41 *per quem condita ſunt, quæ fuerunt, aut erunt.*) Ibidem. Coloſſ. I. 16.

42 *qui ſuo imperio agit ac fert omnia.*) Hebr. I. 3. Apoc. I. 5.

43 *& expiatis peccatis noſtris ad dextram Dei ſublatus.*) Hebr. I. 3. IX. 12. Matth. XX. 28. 1. Joh. II. 2. IV. 10. Matth. XXVI. 64. Marci XVI. 19. Act. II. 33. 34. VII. 55. 56. Rom. VIII. 34. Epheſ. I. 20. Coloſ. III. 1. Hebr. VIII. 1. X. 12. XII. 5. (2.)

44 *dignitatem ſupra angelos conſecutus eſt.* 1. Petr. III. 22. Hebr. I. 13. Eph. I. 21.

45 *quo proinde legis auctore nihil poteſt exſpectari magnificentius.*) Hebr. II. 3. 4. 5. 6. 7. 8. III. 3. 4. 5. 6.

46 *arma Chriſti militibus aſſignata.*) Rom. XIII. 12. 2. Cor. VI. 7. V. (*verius X.*) 4. Epheſ. VI. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

47 *pro galea.*) Vide præter dictum ad Epheſios locum, 1. Theſſ. V. 8.

48 *pro enſe vero.*) Vide præter dictum locum, Eph. VI. 17. Hebr. IV. 12. Apoc. I. 16.

49 *ad mutuam concordiam, quam Chriſtus ſuis abiens tam ſerio commendavit.*) Joh. XIV. 27. XIII. 34. 35. XV. 12. 17. XVII. 20. & ſequentibus. XX. 19. 26. 1. Joh. I. (III.) 23. Adde Eph. III. 14. & ſequentibus. VI. 16. (15.) Hebr. XIII. 20. Matth. V. 9.

50 *non multos inter nos eſſe doctores debere, ſed unum Jeſum Chriſtum.*) Matth. XXIII. 8. Jacob. III. 1.

51 *omnes Chriſtianos in idem nomen baptizatos.*) Rom. VI. 3. 4. 1. Cor. I. 13. 15. Galat. III. 27. Epheſ. IV, 5. Coloſſ. II. 12.

52 *quare non debere inter ipſos ſectas eſſe & ſciſſuras.*) 1. Cor. I. 10. XI. 18. XII. 25.

53 *ſapiendum temperanter.*) Rom. XII. 3. 16. 1. Cor. IV. 6.

54 *pro modo cognitionis, quam cuique Deus admenſus eſt.*) Dicto loco ad Romanos, & XII. 6. 2. Corinth. X. 13. Epheſ. IV. 7. 15. 16.

55 *ſi qui minus omnia intelligant, eorum ferendam imbecillitatem.*) Rom. XIV. XV. 2. 1. Cor. VIII. 7.

56 *ut placide ac ſine jurgiis nobiſcum coaleſcant.*) Rom. XIV. 1. 2. Corinth. XII. 20. Gal. V. 20. Philipp. I. 16. II. 3. 15. 1. Cor. XI. 16.

57 *ſi qui intelligentia præſtent cæteris, par eſſe, ut & ſtudio erga cæteros antecellant.*) Rom. VIII. 1. 2. 3. 9. XII. 8. XIII. 3 (*rectius forte cap. XIV.* 16. 21.) 14. 16. 1. Cor. XIII. 2. 2. Corinth. VI. 6. VIII. 7. 2. Petr. I. 5. 6.

58 *hos vero, qui aliter aliqua in parte ſentiunt, exſpectandos donec & ipſis Deus veritatem latentem aperiat.*) Philipp. III. 15. Eph. IV. 2. 1. Corinth. XIII. 4. 7. 1. Theſſ. V. 14. 2. Cor. VI. 6. Galat. V. 22. Coloſſ. III. 11. 2. Timoth. IV. 2. Luc. IX. 54. 55.

59 *interim de quibus conſtat retinenda & opere implenda.*) Philipp. III. 16. Jacobi I. 22. 23. 24. 25.

60 *Nunc ex parte ſciri.*) 1. Cor. XIII. 9. 12.

61 *venturum illud ævum, quo omnia certiſſime cognoſcenda ſint.*) Ibidem V. (*i. e. verſu*) 10. 12. 1. Joh. III. 2. Matth. V. 8.

62 *ne inutile detineant talentum ſibi concreditum.*) Matth. XXV. 15. & ſequentibus.

63 *ſed omnem impendant operam, ut alios Chriſto acquirant.*) 1. Cor. IX. 19. 20. 21. 22.

64 *quam ad rem non tantum adhibendos rectos ſalutareſque ſermones.*) Galat. VI. 6. Epheſ. IV. 29. 2. Timoth. I. 13. Tit. II. 8.

65 *ſed & emendatæ vitæ exemplum, ut ex ſervis de bonitate Domini, & ex actionibus de legis puritate judicium fiat.*) 1. Petr. III. 1. 16. Eph. VI. 6. 2. Tim. II. 24. 1. Petr. II. 12. Epheſ. IV. 1. Philipp. I. 27.

66 *ſi quid hic boni eſt, de eo agant Deo gratias.*) Jacob. I. 17. 2. Theſſ. I. 3. 1. Corinth. I. 4.

67 *ſi quid minus placeat, rationem ut habeant, tum communis naturæ hominum ad multos errores pronæ.*) Jac. III. 2. Galat. VI. 1. 2.

HERMANNI CONRINGII

De

Aſiæ & Ægypti antiquisſimis dynaſtiis Adverſaria Chronologica.

Anno CIƆ IƆ C XLIIX.

Doctrina multiplici & medendi uſu

Excellentisſimo Viro

JOANNI HENRICO MEIBOMIO

Archiatro reipublicæ Lybecenſis

Amico meo

HERMANNUS CONRINGIUS.

S. P. D.

COnſcribenti librum de Hermetica medicina, cum recurrendum ſubinde veniat ad illos *ὑπομνημάτων* commentarios, in quibus, more Peripateticorum antiquiſſimo, illa quæ ad hiſtoriam univerſæ ſapientiæ faciunt, admodum adoleſcens conſignavi, dant ſeſe in manus etiam iſthæc adverſaria, in quibus cum *χρονολογικὰ* alia tum nonnullas teneræ ejuſdem meæ ætatis, de primorum Aſiæ & Ægypti regnorum temporibus, meditationes, tumultuarie ut fieri ſolet, annotavi. Nec enim vel tum credidi operæ me aliquod pretium facere in hiſtoria poſſe, niſi temporum doctrina ſic ſatis probe perſpecta. Quamvis vero ab illo ſtudiorum genere dudum fuerim alieniſſimus, tamen neſcio qui adeo me usque afficit illa pene jam oblita primorum annorum exercitatio, ut non dubitaverim in ordinem redigendis ſaltim meis iſtis paradoxis meditationibus, (alia enim tangere non viſum: *ἀδολεσχία γὰρ τὰ φανερὰ λέγειν*) hisce aliquot diebus horas pauculas ſucciſivas rurſum impendere. Video ſane ne nunc quidem abire me poſſe ab iis quæ in mentem tum venere: licet a vulgaribus chronologorum imo ſummi viri Joſephi Scaligeri placitis plurimum diſſentiant, neque me hodie omnino lateant cum aliorum, tum Dionyſii Petavii hoc in argumento ſubtiliſſime (utinam & ea, qua par erat, animi moderatione) diſputata; quæ cum primum iſthæc mihi naſcerentur vel nondum prodierant in lucem vel fugerunt adoleſcentis manus. Perſtat enimvero ſententia, Herodotum præ aliis Græcis in barbararum gentium rebus ſequendum, & per ſummam injuriam hiſtoriæ illum Græcæ patrem vulgo exſibilari. Cumprimis autem per mihi eſt hæc revolventi jucundum, etiam in hisce minutiis ſacræ hiſtoriæ veritatem denuo advertere, firmis rationibus ex antiquiſſimis variarum gentium monumentis ita comprobatam, ut oblatrantium frontes in ruborem non poſſint non agi, ſi quis impiis pudor ſupereſt. Verum fallar ne ego animi, an autem ſim aſſecutus, ut exiſtimo, veritatem, longe me rectius Tu, Excellentisſime MEIBOMI, judicaveris: nec enim hominum quisquam ſibi non blanditur interdum plus juſto, eoque de meis quidem laboribus non idoneus ego judex ſum. Tu vero ad philoſophiam & medicam artem, raro exemplo, eam omnium temporum omnium gentium ex Græcis Latinisque ſcriptoribus peritiam adjeciſti, ut nihil eorum temere te lateat quæ in arcanis jactitant ipſa philologorum Eleuſinia. Id ſane cum mihi aliunde notum eſt, tum poſteritati tutemet oſtendiſti jam elegantiſſimo in Hippocraticum *ὅρκον* noſtrum commentario, luculentiſſime probabis in Mæcenatis hiſtoria & Medicorum vitis, quorum deſiderio orbem literatum feciſti flagrare. Quod ſi tibi operam luſiſſe videbor: tantum ut me tueri velis adverſus illorum *ὁμοτέχνων* noſtrorum obtrectationes, qui ultra artem quid tentare Medico nefas judicant, etiam atque etiam rogo; quo ut antehac ita & impoſterum liceat, tempus, quod illi forſan alea, vino, otio, conterunt, ſine famæ medicæ diſpendio ſtudiis alienis nonnunquam concedere. Vale. Helmeſtadii ex academia Julia Kalend. Martiis Anno CIƆ IƆ C XLIIX.

HERMANNI CONRINGII

De Aſiæ & Ægypti antiquisſimis dynaſtiis adverſaria Chronologica.

CAPUT I.

Quæ Cteſias & illum ſecuti alii de Medici regni temporibus tradiderunt, omnia eſſe falſa.

MEdorum defectione Aſſyriacum vaſtum aliquod Aſiæ imperium multum fuiſſe debilitatum, ejusque loco cumprimis creviſſe rempublicam Medorum, conſtanter veterum eſt monumentis traditum. Utrum vero Aſſyriacum imperium eo ipſo omnino corruerit, an etiam poſt aliquamdiu manſerit ſuperſtes viribus tamen fractis, quo præterea tempore Medica illa reſpublica cœperit, non una veterum omnium ſententia eſt. Videas nimirum in duas quaſi factiones hic diviſos hiſtoricos. In quorum capita inquirentibus haud difficile obſervatu fuerit, alte-

ram

Digitized by

ram Herodotum, alteram Cteſiam Cnidium ſequi auctorem. Eoque recte Diodorus Siculus *l. II. c. 32.* utriusque narrationes in medium proponit.

Primum quæ *Cteſias* (a) de tempore Medici regni prodidit, examinabimus. Nactus enim ille eſt *ſectatores plures* (b) quam Herodotus, & doctrinæ fama illuſtriores: quos inter ipſe princeps chronologorum eſt Joſephus Scaliger. Cteſias autem retulit, per rebellionem Medorum concidiſſe *ſtatim* (c) omne Aſſyriacum imperium, Medosque novem Regibus ordine ſibi ſuccedentibus regnatos usque ad Cyrum Perſam, per annos plus quam trecentos. Ut quidem ex ejus mente narrat Diodorus. Etenim illo teſte regnavit Arbaces poſt Sardanapalum annos XXIIX, Mandauces L, Soſarmus XXX, Artycas L, Arbianes XXII, Arſæus XL, Artynes XXII, Aſtybaras XL. Apandas, Græcis Aſtyages dictus, quot annos regnaverit non addit quidem Diodorus; veroſimile tamen eſt, cum proximis Regibus totidem annos tribuerit, quot iis adſcripſit Herodotus, etiam hunc ex Cteſiæ ſententia regnaſſe annos XXXV. Hi autem anni collecti ſummam faciunt CCCXVII. Joſephus Scaliger cum cætera recenſeat ex Diodoro *l. 2. canon. iſagogicor. p. 131.* Aſtyagi tribuit annos XL, ut anni dynaſtiæ Medorum ſint CCCXXII. Sed quinque illi anni nulla nituntur fide, eoque haud conſtat illos a Cteſia eſſe agnitos. Cteſiam itidem ſecutus eſt Euſebius. In Græcis tamen Euſebianis Scaligeri, Regum anni & nomina aliter ſe habent, & quidem ut ſumma temporis Medici fuerit tantum annorum CCLIX. Etſi vero haud facile ſit dictu, quid horum Cteſiæ menti ſit propius, Euſebiana autem omnia errorum & mutationum ſint plena, veroſimilius tamen eſt, Diodori illa fidelius ex Cteſia expreſſa eſſe.

Cæterum quicquid horum *Cteſias* (d) dixerit, neutram ſummam Medorum imperio convenire, nec Medorum defectione omnino everſam eſſe Aſſyriorum potentiam, certum habeo, rationibus inductus (niſi fallor) ponderis maximi. Seorſim nunc adducemus quæ tempora attinet regni Medici: ſigillatim poſt videbimus, num Medorum defectione ſtatim Aſſyriacum imperium omne exſpiraverit. *Primum* igitur apud omnes utique conſtat, & notatum ipſi quoque eſt Cteſiæ, eo tempore quo Medi defecerunt, patuiſſe Aſſyrium regnum quam latiſſime per omnem Aſiam. At profecto nec illo ab Euſebio, nec iſto a Diodoro indicato tempore Aſſyrium regnum memorabili fuit amplitudine. Neque enim Aſſyrios vel proximam Syriam tum tenuiſſe quæ tamen tota ab Aſſyriis imperantibus nomen eſt conſecuta, luculenter docet Hiſtoria Sacra. Etenim hæc nusquam memorat per Syriam & Syriæ proxima Aſſyriorum aliquam potentiam, ante Phul, qui Cyrum non niſi ducentos decem annos præceſſit. Quando vero ſecundum Diodorum Medi defecerunt, per Syriam late dominabantur Damaſceni reges, quorum potentia demum fracta eſt ab Jeroboamo id nominis ſecundo Iſraelis Rege, ea tempeſtate qua ſecundum Euſebium deſiit Aſſyriorum monarchia. Quin hoc unum ſufficiat Cteſianæ ſententiæ confutandæ, non dubito.

Addimus vero & aliud majoris ponderis. Etenim conſtat ex eadem ſacra hiſtoria, eam fuiſſe Aſſyriorum potentiam a Phul usque ad Aſſarhaddon, adeoque fere ad tempora Dejocis vel Arſæi Medorum Regis, ut terminos imperii in Ægyptum usque extenderint, imo Medis ipſis & Babyloniis fuerint dominati. Phul nimirum Iſraelitarum Regem Manahemum tributarium ſibi reddidit: *Teglath Phul Aſſar* (e) plurimos Iſraelitarum abegit in Aſſyrios: idem Damaſco everſa ejus incolas eduxit in Cyrenen: Salmanaſſar integras decem tribus Iſraelis transtulit in civitates Medorum, in vacuas terras reductis novis incolis ex Babylone & Perſide: Sennacherib usque in Ægyptum excurrit. Et vero illam Salmanaſſaris & Sanacheribi potentiam memorarunt olim, teſte Joſepho, etiam Tyriorum, Ægyptiorum, & Babyloniorum annales. Indicant autem hæc omnino, vaſtisſimum & longe potentiſſimum fuiſſe tum per Aſiam Aſſyriorum imperium, longe amplius quam antehac unquam: item Medos, Perſas, Babylonios fuiſſe in numero ſervientium populorum, utpote quos huc illuc transferre non minus atque Iſraelitas regii arbitrii fuerit.

Quibus nihil poteſt adverſa magis fronte cum Cteſia pugnare. Nimirum nunquam magis floruerunt Aſſyrii quam quo tempore ſecundum Cteſiam gemuerunt ſub Medis & Babyloniis: ex adverſo Medi atque Babylonii duriſſimam ſervitutem paſſi ſunt ab Aſſyriis. quando Medi Aſſyriis ſecundum Cteſiam imperarunt.

Vidit has ſalebras ex parte Euſebius: ut tamen Cteſiam tueretur finxit, *Salmanaſſarem* (f) tantum fuiſſe aliquem Medorum Regis Satrapam Aſſyriis præfectum, quaſi ille omnia egerit in commodum

(a) *Cteſias*) Hic imperante Cyro juniore cum Xenophonte in Perſidem deſcendit. Artis medicæ peritia cum captus eſſet, ſe Artaxerxis Mnemonis gratiæ inſinuavit, in cujus aula 17. annos verſatus eſt. Tradit ſe hiſtoriam ſuam, quam Græcis transmiſit, *ex diphteris Regiis, in quas Perſæ Regis juſſu*, res antiquas relatas habent, Herodoto, quo junior, non ſolum in Aſſyriorum Regibus, ſed & malus adverſatur MARSH. *can. chr. p.* 521.

(b) *ſectatores plures*) Inter recentiores VLRICVM HVBERVM in diſſert. *de genuina Aſſyriorum ætate & regno Medorum*, quæ habetur in *inſtit. hiſtor. civil. Franequeræ* 1703. *editis*; SCHVRTZFLEISCHIVM *in oper. hiſt. polit. p.* 5.

(c) *ſtatim*) SCHVRTZFLEISCH *Aſſyrio-Chaldæorum primordiis p.* 4.

(d) *Cteſias*) Ab ejus ſententia ut erronea diſcedunt quoque CELLARIVS *in diſſert. de princip. regn. & hiſtor.* TVRCKIVS *in ſpecim. hiſtor.* & MASCAMP. *inſtit. hiſt.* VLRICVS tamen HVBERVS Cteſiam peculiari diſſert. vindicare conatus eſt. Adde GRÆVIVM in *notis ad Juſtinum p.* 64. CLERIC. *ad Geneſ. X.* SCHROERVM *in tract. de imperio Babylonio p.* 128.

(e) *Teglath Phul Aſſar*) PRIDEAVX *in connex. veter. & novi Teſtam. cum Judæorum & vicinorum populorum hiſtoria p.* 17. *ſeqq.*

(f) *Salmanaſſarem*) RVPERTVS ad BESOLDI *ſynopſin pag.* 46. MARSHAM *in canone chron. ſecul. XVII. p.* 510.

modum reipublicæ Medicæ. Videantur Euſebiana Græca Scaligeri *pag.38.* At vero præterquam quod in ſacra hiſtoria nullum hic ſit veſtigium Medorum regni, ſed omnia ipſorum adſcribantur Aſſyriorum auſpiciis, quod unum ſatis eſt commento illi explodendo; tantum velim obſervari, Rabſacen Sennacheribi legatum hiſce ſuperbiæ plenis verbis Hieroſolymitanos eſſe allocutum: *Hæc dicit Rex magnus, Rex Aſſyriorum*; item: *quomodo poteſtis reſiſtere ante unum ſatrapam de ſervis Domini mei minimis?* item: *quinam illi ſunt in univerſis diis terrarum, qui eruerunt regionem ſuam de manu mea, ut poſſit eruere Dominus Jeruſalem de manu mea?* Hi ejuſdem Sennacheribi legati dixerunt: *Tu ipſe audiviſti quæ fecerint Reges Aſſyriorum univerſis terris, quomodo vaſtaverint eas; num ergo tu ſolus poteris liberari?* Ezechias in precibus ſuis fatetur: *Vere Domine, diſſipaverunt Reges Aſſyriorum gentes & terras omnium.* Hiſce certe verbis ſole clarius fit, ipſorummet Aſſyriorum auſpiciis & robore omnia geſta eſſe, eorumque potentiam fuiſſe tum multo maximam. Accedunt in pondus verba ipſius Dei apud Eſaiam X. 8. *Dicit enim Aſſur: numquid non principes mei ſimul reges ſunt.* 12. *Et erit cum impleverit Dominus cuncta opera ſua in monte Sion & in Jeruſalem, viſitabo ſuper fructum magnifici cordis Regis Aſſur & ſuper gloriam altitudinis oculorum ejus. Dixit enim: in fortitudine manus meæ feci & in ſapientia mea intellexi, & abſtuli terminos populorum & principes eorum deprædatus ſum, & detraxi quaſi potens in ſublimi inſidentes: & invenit quaſi nidum manus mea fortitudinem populorum; & ſicut colliguntur ova quæ derelicta ſunt ſic univerſam terram ego congregavi, & non fuit qui moveret pennam & aperiret os & ganniret.* Præter hæc ſane, ut Euſebio aliquid reponam non eſt neceſſum.

Scaliger & qui eum ſequuntur, evidentia illa permoti, fatentur quidem Reges illos Aſſyriorum, laudatos in ſacris, fuiſſe juris ſui; cauſantur autem illos Medorum jugo abjecto ſeſe rurſum in libertatem vindicaſſe, parte Mediæ occupata. Verum hoc quidem non tam eſt Cteſiam defendere quam prodere. Mediæ enim regnum defeciſſe iterum, revireſcente Aſſyriorum potentia, non memoravit ſane Cteſias, fidus ſcilicet ille διφθερῶν Perſicarum interpres, non dixit veterum Cteſiæ laudatorum aliorumve quiſquam. Ex ſacris porro liquet, non tam iterum vires aliquas recuperaſſe Aſſyrios, quam eorum imperium omnium antegreſſorum temporum potentiam ſuperaſſe. Quod qui factum fuerit, ſalva Medorum republica, aut ſalva Cteſiæ fide, equidem non video. Medorum præterea non niſi partem ab Aſſyriis occupatam fuiſſe, mera Scaligeri hariolatio eſt, omni teſtimonio carens veteris ævi. Tamen ſi ne ſua quidem domi potuerunt Medi defendere ab Aſſyriis, quantum fuerit eorum imperii ſpacium? Certe vicina quæque juris fuiſſe Aſſyriaci manifeſtum. Quamcunque ſane in formam Cteſiani ſe verterint, dicendum ipſis venit: aliquamdiu floruiſſe per omnem Aſiam Aſſyriorum imperium maximum, quod etſi fuerit ipſo Olympiadum principio longe recentius, a nemine tamen ſit ſcriptorum memoratum; qui tamen tenues ejus gentis res vetuſtiſſimas & procul remotas magni per Aſiam imperii titulo venditarint. Quo nihil profecto eſt dictu abſurdius. Quid? quod ipſe Scaliger *l.3. canon. iſagogicor. p.314.* fateatur, Eſaiam cap. XIII. Aſſyriæ exitium minari a Medis. Bis ergo deleverint Aſſyrios Medi, quod nemo veterum dixit. Neque enim huc facit Oroſii illud quod Scaliger laudat: *Exin Regum Aſſyriorum imperium in Medos conceſſit, deinde multis præliis undique, quæ per ordinem differere nequaquam aptum eſt, per varios proventus ad Scythas Chaldæosque & rurſus ad Medos parili via rediit.* Loquitur enim Oroſius tantum de fortuna inter Medos Scythas & Babylonios reciprocante, quam etiam Herodotus memoravit: ad Aſſyrios veteris gloriæ aliquid rediiſſe, ne quidem ille dicit.

Igitur ante Sennacheribum profecto a Medis res Aſſyriorum eſſe fractas, procul eſt a vero. Dixeris tamen forte, mereri fidem Cteſiam. *Hic enim*, ut ait Diodorus, *e regiis membranis (in quibus res antiquas Perſæ, juſſu legis cujuſdam, ordine deſcriptas habebant) ſtudioſe indagavit ſingula, inque hiſtoriarum ordinem redacta ad Græcos tranſtulit.* Non diffiteor iſta profeſſum Cteſiam, atque hunc in modum ſeſe jactitaſſe. Fateor etiam iſtis maximis promiſſis homines doctiſſimos in fidem Cteſiæ adductos. At vero Ariſtoteles homini ætate pene ſuppar, judicio certe maximus, fabulantibus illum annumerat. Verba ejus *l.2. de generat. animal. cap.2.* ſunt: Κτησίας γὰρ ὁ Κνίδιος ἃ περὶ τοῦ σπέρματος τῶν ἐλεφάντων εἴρηκε φανερός ἐστιν ἐψευσμένος· φησὶ γὰρ οὕτω σκληρύνεσθαι ξηραινόμενον, ὥστε γίνεσθαι ἠλέκτρῳ ὅμοιον. *Cteſias Cnidius in iis quæ de ſemine elephantum dixit manifeſto mendax eſt. Inquit enim ita denſari exſiccatum, ut electro fiat ſimile.* Item *l.8. hiſtoriæ animal. c.28.* Ἐν δὲ τῇ Ἰνδικῇ, ὥς φησὶ Κτησίας οὐκ ὢν ἀξιόπιστος, οὔτε ἥμερος οὔτε ἄγριος σῦς. *In India, ceu dicit Cteſias auctor non fide dignus, nec manſuetus eſt nec ferus ſus.* Ejuſdem operis *l.2. c.1.* de mantichora Indica Cteſiæ fide cum nonnihil eſſet narrandum additur: εἰ δεῖ πιστεῦσαι Κτησίᾳ. Non alium videtur tangere Ariſtoteles etiam V. *polit. c. 11.* cum narraſſet illa de Sardanapali *inter mulieres* (a) putida converſatione, ſcribens: εἰ ἀληθῆ ταῦτα οἱ μυθολογοῦντες λέγουσιν. Princeps enim Cteſias videtur hoc Græcis narraviſſe, utpote qui Græcorum primus res Aſſyrias memoriæ tradidit poſt Herodotum, qui nihil tale habet de Sardanapalo. Non vero Ariſtoteles tantum ita ſenſit, ſed Cteſiam vanitatis arguit etiam gravis ſcriptor Plutarchus *in vita Artaxerxis.* In Æneæ Gazæi dialogo confutaturus Axiotheus Apollonii Tyanæi fabulam de Indorum ſapientibus, quaſi illi noverint animarum ſuarum ante nativitatem variam fortunam, addit: οὔτε γὰρ Κτησίας πολλὰ καὶ μυθώδη περὶ τῶν Ἰνδῶν συντεθεὶς, οὐδαμοῦ τοῦτο μυθολογεῖ. Idem judicium eſt Photii, acerrimi cenſoris; qui cum nobis excerpta Cteſiana tranſmiſerit, invitos etiam lectores trahit in ſententiam. Neque enim illis quidquam eſt vanius & mendacius. Idem olim judicaſſe

(a) *inter mulieres*) RVPERTVS *ad ſynopſin* BESOLDI *p.* 43. 44. VSSERIVS *annal. tom. I. p.* 83. WITSIVS *in Ægyptiacis p.* 383.

caſſe merito dixeris *Jubam*, (a) qui Aſſyriorum hiſtoriam perſecuturus Beroſum ſequi maluit quam Cteſiam. Joſephus Scaliger *notis ad fragmenta operis de emend. temporum ſubnexa p. 39.* ſic judicat: *ineptum Graculum, modo Herodoto adverſetur nihil penſi habere: multa ab eo humanitus, multa etiam conſulto per ζηλοτυπίαν peccari, atque id non obſcure cognoſci ex Photii parietinis.* Ut proinde merito mireris non dubitaſſe eundem Scaligerum hiſce verbis uti *l. 3. canon. Iſagogic. p. 34. Medorum Reges & annos ordine exponit Diodorus Siculus: ita ut regna aut annorum numerum alium ab hoc ſtatuere, hoc ſit inſanire; quum & numerum Regum & annos ipſos conceptos haberent διφθέραι, ſive κεφαλίδες Perſica, in quibus omnes Reges & geſta Regum, tam Medorum quam Perſarum, perſcribi ſolita perhibet Diodorus. Itaque ab illis diſcedere eſt hiſtoriæ praſcribere.* Tanta nimirum confidentia ad unum Cteſiam διφθέρας Perſarum jactitantem provocare, non profecto convenit illi ſententiæ paulo ante ab eodem pronunciatæ.

CAPVT II.

Cteſianam Medorum æram a Scaligero male ad periodum Julianam eſſe collatam.

ANteaquam Cteſiam dimittamus, videtur etiam admonendum aliquid de illa Cteſianæ Medorum æræ ad *Julianam periodum* (b) collatione, quam Scaliger inſtituit. Finem ejus collocat anno 4162. initium 3841. Neutrum videtur eſſe ad Cteſiæ mentem. Neque enim Cteſias voluit (ut ex Diodoro liquet) Aſtyagem aliquot annos una cum Cyro regia potitum fuiſſe dignitate: Scaliger tamen ultima Aſtyagis conjicit in Cyri annum Perſicum octavum. Non item Cteſias Aſtyagi annos adſcripſit quadraginta, quod Scaliger fecit ſine ullo teſtimonio. Certe per eſt veroſimile, a Cteſia tantum XXXV. annos Aſtyagi eſſe adſignatos. Si Cteſias vero annos Aſtyagis non protendit ultra initia Cyri (quod veteres in annum I. Olympiadis LV. remittunt) ſed in proximo illam præcedente terminat, finis imperii Medorum pertinebit ad annum periodi Julianæ 4153. A quo ejuſdem regni annorum ſummam, quæ eſt ſecundum Cteſiam tantum CCCXVII, ſi retro computes, initium Medici imperii incidit in annum 3837.

Latet error partim in quinque ſuppoſititiis Aſtyagis annis, partim & quidem potiſſimum in eo, quod Scaliger loco certiſſimi argumenti habuerit Cyaxarem Medorum Regem cœpiſſe anno ſecundo Olympiadis ſeptimæ triceſimæ. *Actum*, inquit, l. 3. canon. Iſagog. p. 314. *tum de epocha Beli atque Regibus Medis eſſet, tum etiam de epocha Arbacis, niſi initium Cyaxaris haberemus, quem anno ſecundo Olympiadis* XXXVII. *imperium iniiſſe & Euſebius noſter & alii veteres auctores ſunt. Deprehenſo itaque Cyaxaris initio non ſolum Arbacis ſed etiam Beli initium adipiſcimur. Jamdudum mendum apud Diodorum notavimus, apud quem legimus Cyaxarem regnum iniiſſe anno 2. Olympiadis* XVII. *quum legendum ſit ὀλυμπιάδος λζ non autem ιζ: eſt enim error librarii non autoris.* Videtur quidem Euſebius id dicere quod ait Scaliger; poſſit tamen videri initium Cyaxaris in primum Olympiadis illius XXXVII. collocare potius quam in alterum, ſi Latinum ſane videas chronicon Euſebianum. Dixerit vero id Euſebius. Nondum certo tamen conſtat vero etiam conſentaneum id eſſe, aut omnino tale, cui ſtatim tuto poſſis credere. Certe ipſemet Scaliger Euſebiana plerumque ſolet accuſare neglectæ τῆς ἀκριβείας atque interdum perſtringit acerrime. Diodorus vero non loquitur de vero Cyaxare, Aſtyagis patre, ſed de Dejoce, quem per μνημονικὸν ἁμάρτημα, ut arbitror, Cyaxaris appellat nomine. Certe Herodoti ille ſententiam recitat de tempore Medorum regni ſatis recte, tantum quod primum Regem appellet Cyaxarem qui Dejoces eſt. Dejocem vero non quidem ſecundo, tertio tamen Olympiadis XVII. cœpiſſe, omnino verum eſt: cum Cyri initium pertineat ad annum I. Olympiadis quinquageſimæ quintæ; & Medorum regnum βασιλευτὸν duraverit annos CL. quod poſtremum docuit nos Herodotus.

Hinc ſimul liquet, nihil eſſe cauſæ quare verba Diodori contra exemplarium fidem mutemus cum Scaligero, & pro Olympiade XVII. treceſimam ſeptimam ſubſtituamus. Verba omnia Diodori recitabimus, tantum prout illa vertit doctiſſimus Rhodomannus, ut clariſſima ejus fiat ſententia. *Herodotus ſane qui Xerxis tempore floruit, Aſſyrios cum quingentis annis Aſia imperium antea tenuiſſent, a Medis ſubactos eſſe, tradit. Hinc per multas atates nullum fuiſſe Regem, qui ſummum imperium ſibi vendicaſſet, civitatemque ſuo quamque loco populari ſub adminiſtratione ſe continuiſſe. Tandem poſt multorum annorum decurſum Cyaxares (ait) vir juſtitia inſignis a Medis ad regnum evectus fuit. Et hic primus vicinos Medis populos ſua ditioni ſubjunxit, ſummoque imperio initium dedit. Cujus poſteri ſubinde prolatatis in propinqua finibus regnum ampliarunt, ad uſque Aſtyagem: quem Cyrus cum Perſis bello edomuit. Quorum nunc ſumma tantum capita perſtrinximus, ſingula deinceps, ubi ad competentia illis tempora deventum eſt, ſtylo noſtro diligentius evoluturi. Nam ſecundo decima ſeptima Olympiadis anno, ut Herodotus tradit, Rex a Medis Cyaxares evectus eſt.* Hæc Diodorus.

CAPVT III.

Tempora regni Medici ab Herodoto tradita exacte cum ſacris hiſtoriis convenire, eoque veritati eſſe conſentanea.

CTeſiacis fabulis longe ſunt, me judice, veriora, quæ de Medici regni temporibus habet *Herodotus.*

(a) *Jubam*) Hic Jubæ Mauritianæ Regis filius, quem puerum Julius Cæſar devicto patre Romam adduxerat, eruditione præcelluit ita, ut non ſolum quæ de Aſſyriorum rebus ex Beroſo maximam partem collegerat, ſed & ejus hiſtoria Romana Græce conſcripta veterum laudibus celebretur. Utrumque tamen opus periit.

(b) *Julianam periodum*). De ærarum diverſitate. Vid. WAGNERI *inſtit. hiſtor. lib. I. p. 28.* præcipue vero de Juliana periodo *diſſertationem* ANTONII PAGI.

tus. (a) Imo non dubito illa veriſſima pronunciare, quod exactiſſime conveniant cum monumentis ſacris, ad quæ tanquam ad cynoſuram omnia ſunt exigenda. Sed optimi viri & hiſtoriæ Græcæ patris ſententia primum ab obſcuritate eſt liberanda. Quod, niſi fallor, hunc in modum fieri poteſt. Herodotus l. 1. ſcribit: *Medos centum ac duo de triginta annos, omni ſupra Halym fluvium Aſia dominatos, excepto tempore quo Scythæ regnaverunt.* Idem teſtatur Scythas Aſiæ imperium obtinuiſſe annos viginti octo, Cyaxaris Medorum Regis ætate. Hinc conſequens eſt, ab initio ad finem usque Aſiatici Medorum imperii fluxiſſe annos centum quinquaginta ſex. Cum vero eodem teſte regnaverit Dejoces annos LIII, Phraortes XXII, Cyaxares XL, *Aſtyages* (b) XXXV, qui anni collecti ſunt tantum centum quinquaginta; neceſſum eſt ſex reliqui fuerint ἀβασίλευτοι, quales aliquot Dejocis initia anteceſſiſſe idem Herodotus narrat. Hos centum & quinquaginta ſex annos ſi retro numeres, ab anno Julianæ periodi 4154. qui primus eſt Cyri in regno Perſico, incidit initium reipublicæ Medorum, adeoque eorum ab Aſſyriis defectio, in annum Julianæ periodi 3998.

Hæc temporum Medicorum hiſtoria pulcherrime cum ſacris noſtris monumentis conſonat. Primum enim illa teſtantur, maxime omnium floruiſſe rem Aſſyriorum, circa illa tempora quando hæc ab Herodoto indicata Medorum defectio contigit. Florentiſſimas certe Aſſyriorum res indicant Teglatphulaſſaris, Salmanaſſaris, Sennacharibi geſta in ſacris memorata. Ante Medorum vero defectionem potentiſſimum fuiſſe Aſſyriorum imperium, in id profecto conſentiunt omnia ſcripta etiam τῶν ἔξω quotquot hanc rem attigerunt. Ex ſacris porro literis itidem manifeſtum eſt, Salmanaſſare Rege, hoc eſt paulo ante defectionem, Medos non tantum paruiſſe Aſſyriis, ſed & adeo aſpere habitos, ut in eorum civitates Iſraelitarum colonias Aſſyrii deduxerint. Quæ ratio ſubjectionis ſane duriſſima eſt. Quid enim durius quam ſi cogaris agros & urbes tuas aliis incolendas tradere? Imo haud obſcure colligere eſt, jam tum, id eſt ſeptennio ante defectionem, Medos Aſſyriis fuiſſe ſuſpectos affectatæ libertatis. Inter artes enim tyrannicas eſt, iſthuc colonias ducere peregrinas, ubi motus metuendi ſunt. Nullum ſane eſt dubium, coloniis illis novis Iſraelitarum, & quidem valde copioſis, irritatos Medorum animos, adeo ut ex eo maxime cœperint rebellandi occaſiones quærere. Cumprimis huc facit, quod codices ſacri memorant anno qui defectionem anteceſſit, Sennacharibum ingentem cladem paſſum, divina peſte 185000. militibus una nocte *amiſſis*, (c) nec multo poſt a duobus filiis in ſacra æde interfectum eſſe. Tanta ſane mala nunquam non in maximis imperiis motus atque ſeditiones civiles concitant, præſertim ſi qui potentiores male erga rempublicam affecto ſint animo: quo erga Aſſyrios non potuerunt non eſſe Medi adeo ſerviliter habiti, nec adeo pridem coloniis peregrinorum validis irritati.

In illud vero *Sennacharibi tempus* (d) incidere hæc Medorum initia certiſſimum ex ſacris eſt. Ut enim accuratior docet Iſraeliticorum temporum ſupputatio, quartus decimus annus Ezechiæ Judæorum Regis, quem ſignat clades illa divina & mors Sennacharibi, idem eſt cum periodi Julianæ anno 3997. cui proximo defeciſſe Medos Herodotus perhibet. Quid? quod Herodoteo anno illo defectionis Medorum Sardanapalum, a quo Medos defeciſſe vulgaris eſt fama, Aſſyriis imperaſſe itidem ſacris noſtris codicibus ſignificetur. Referunt videlicet illi *Sennacharibo ſucceſſiſſe filium Aſſar haddon:* (e) quem LXX. interpretes Ἀσορδὰν appellant, hanc autem vocem peraffinem eſſe Sardanapali, nemo non videt. Et vero forte audiit ille *Aſardan-bal;* (f) ut Græcis facile fuerit inde ſuum Sardanapalum conficere. Niſi mavis Nabal a ſuis dictum per contemptum, Regem luxu & ſtultitia perditum. Deformitatem aliquam in homine videtur & Cicero notaſſe l. 3. de legibus: *Sardanapalus ille vitiis multo quam nomine ipſo deformior.* Joſephus Scaliger in *animadverſionib. Euſebianis p. 59.* notat, in manuſcriptis nomen illud ſcribi Sardanapallus, pallum autem & phallum idem eſſe: ut nomen non minus fuerit obſcœnum atque vita.

Quod de Beleſis Babylonii rebellione, (g) Medorum defectionem comitante, refert fama, itidem fidem aliquam

(a) *Herodotus*) Græcorum hiſtoricorum, qui exſtant, eſt vetuſtiſſimus. MARSHAM. *can. chron. ſec. XVII. p. 522. 523.*

(b) *Aſtyages*) JACOBI USSERII *annales veteris & novi teſtamenti p. 71. ſeqq.*

(c) *amiſſis*) Talmud Babylonicum, cum quibusdam ejus interpretibus, aſſerit, tempeſtate quadam violenta tot hominum millia enecata eſſe. Alii contagioſo vento, qui in iſtis regionibus frequens eſt, id adſcribunt. PRIDEAUX *lib. I.* Huc ſpectare putant, quæ HERODOTUS *lib. I.* de Peluſio ab Aſſyriorum obſidione per glires liberato fabulatur.

(d) *Sennacharibi tempus*) Hanc obſervationem CONRINGII de conſenſione Herodoti cum S. literis ſequitur HARDVINVS *in chronol. V. T. p. 88.* etſi pro more ſuo, ne ſemel quidem ejus teſtimonio uſus ſit, quemadmodum obſervat LA CROZE *in vindiciis veterum ſcriptorum contra Harduinum p. 115.* addens, ſecutum eum etiam in iis quæ de Sardanapalo ſcripſit, licet hoc loco levicula & nullius momenti mutatione plagium celare curaverit.

(e) *Sennacharibo ſucceſſiſſe filium Aſſar haddon* ſive Sardanap.) Ita fere cum CONRINGIO quoque conjiciunt GILBERTVS GENEBRARDVS *in chronico p. 70. 85.* NICOLAVS ABRAMVS *in Pharo V. T. lib. 6. p. 164.* HARDVINVS *in chron. V. T. opp. ſelect. p. 546.* qui nomen illud Aſſar haddon putat compoſitum ex Aſar & Hardan & contractum deinde in Sardan vel Sordan, cui poſtea Græci adjecerint alteram ἁπαλὸς mollis, quoniam Aſſyrii molles. At vero VLRICVS HVBERVS *l. c. p. 125.* negat omnino, Aſſar haddonem eſſe Sardanapalum, & contra Harduinum cumprimis diſputat SCHVRTZFLEISCHIVS *in animadverſ. ad Græcum Euſebii chronicon n. 1178.* quas *notitiæ bibliothecæ Vinarienſis* frater ejus H. L. SCHVRTZFLEISCHIVS *pag. 217.* adjunxit.

(f) *Aſardan-bal*) VSSERIVS *annal. tom. I. p. 83.* Pulum Regem Aſſyriorum, de quo 2. *Reg.* 15. 19. putat fuiſſe patrem Sardanapali, qui ab eo Sardanapul dictus ſit. Imo conſideratis annis, ait WITSIVS *diſſ. de 10. tribubus cap. 2. §. 5.* ab Africano & Euſebio Pulo aſſignatis, quem ille Acracarnem hic Octazapem vocat, atque ab initio Nabonaſſari &, quem cum eo conjungit Uſſerius, Sardanapali exitu retro numeratis, hic ille ipſe quoque videri poſſet, qui prædicatione Jonæ Prophetæ ad reſipiſcentiam adductus fuit.

(g) *Quod de Beleſis Babylonii rebellione*) VSSERIVS *in annalibus ad a. 3254. p. 49.* dum Sardanapalum eodem anno periiſſe ſtatuit Creſiam ſecutus, proinde Nabonaſ-

aliquam accipit ex ſacris literis noſtris. Memorant quippe, Merodach Baladan Babyloniorum Regem, forte eodem quo Sennacharibus interiit anno, ad Ezechiam tanquam ad amicum miſiſſe legatos, ſciſcitatum de prodigio retrogradæ ſolaris umbræ. Quis crediderit vero ad hoſtem Aſſyriaci imperii amicam adeo miſſam legationem, niſi ab eo qui itidem in illam rempublicam malo erat animo? Certe præfectus aliquis Regis Aſſyriorum, integris reipublicæ rebus, non id fuiſſet auſus.

Denique id etiam haud parum confirmat Herodoti hiſtoriam, quod luculente pateat ex ſcripturis, poſt Sennacharibum illico decreviſſe horribilem illam Aſſyriorum potentiam. Non ſolet autem potentia tantum decrementum pati niſi mutato reipubl. ſtatu & defectione ſubditorum. Per Medorum autem defectionem magnam & primam jacturam paſſos Aſſyrios, certum eſt. Taceo nunc, quod quæ de Scythis, Ægyptiis, Babyloniis, Aſſyriis cum Medorum hiſtoria connectit Herodotus, Cteſias autem ſilentio præteriit, itidem conveniant plane cum hiſtoria ſacra, neque præter Cteſiacas fabulas ab Herodoto temere quid diſſentiat. Quod magnum veritatis argumentum eſſe, nemo prudens negaverit.

Cæterum hisce omnibus expenſis nihil ſupereſt dubii, quantum arbitror, tempora Medorum defectionis ab Herodoto recte aſſignata eſſe. Superpondii tamen loco addemus teſtimonia duo, alterum Dionyſii Halycarnaſſei hominis *κριτικωτάτου*, alteram Joſephi qui primus ſuorum ad hiſtoriam ſacram aliarum gentium annales contulit. Dionyſii verba ſunt lib. I. c. 2. antiquitatum Romanarum: *Antiquum illud Aſſyriorum imperium retro ad fabuloſa usque pertingens tempora, modicam quandam Aſiæ partem obtinuit: deinde in Medos translatum, & auctum etiam opibus, non longo duravit tempore, ſed in quarta ætate deſiit.* Hoc videlicet illud eſt quod ſcribit Herodotus, imperium illud in Rege quarto Aſtyage finem ſuum accepiſſe. Joſephus *libro decimo antiquit. Judaicarum c. 3.* ubi de Ezechia agit: *ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ συνέβη τὴν τῶν Ἀσσυρίων ἀρχὴν ὑπὸ Μήδων καταλυθῆναι.*

Habent igitur ſeſe tempora reipublicæ Medorum ad periodum Julianam comparata, quemadmodum in ſubjecto laterculo videre eſt.

Anni reipubl.	Anni periodi Jul.	Anni collecti.
1 ἀβασίλευτος	3998	1
6 ἀβασίλευτος	4003	6
1 Dejocis	4004	7
53 Dejocis	4056	59
1 Phraortis	4057	60
22 Phraortis	4078	81
1 Cyaxaris	4079	82
40 Cyaxaris	4118	121
1 Aſtyagis	4119	122
35 Aſtyagis	4153	156

CAPUT IV.

Poſt Medorum defectionem ſatis diu ſuperfuiſſe Aſſyriorum rempublicam, idque recte ab Herodoto eſſe traditum, ex ſacra hiſtoria demonſtratur.

NUm defectione Medorum interierit ſtatim omne Aſſyriorum imperium nec ne, jam ante diximus, itidem inter ſe diſſentire Herodotum & Cteſiam. Prius narraſſe Cteſiam liquet ex Diodoro Siculo, qui late excidium illud ex Cteſia recenſet *l. 2. biblioth.* Quin videntur ſecundum Cteſiam Medi in omne Aſſyriorum imperium ſimul ſucceſſiſſe. Poſterius Herodotus memoravit. Nam principes Medos in libertatem ſeſe aſſeruiſſe, eorum autem tantum exemplum dein alios populos ſecutos: Medos porro ſolius ſuæ gentis libertate fuiſſe contentos usque ad Phraortem Regem, h. e. per annos quinquaginta novem: Phraortem vero primum Perſas, mox alium atque alium Aſiæ populum Medorum imperio ſubjeciſſe. Ea vero potentia etiam tum adhuc floruiſſe Aſſyrios Nini incolas, ut Phraortes *expeditione adverſus illos ſuſcepta ſecundo ac viceſimo quam regno potitus eſt anno, cum pleraque exercitus parte perierit.* Hujus filium Cyaxarem ſtatim initio regni in paternæ necis ultionem Ninum urbem obſediſſe: non tamen niſi poſt Scythas deletos, circa ultima tempora Cyaxaris admoto iterum exercitu Ninum in Medorum poteſtatem veniſſe. Hæc omnia narrat Herodotus *l. 1.* ubi Medici regni geſta potiſſima recenſet. Alibi in eodem libro ſatis clare ſignificat, pene eadem tempeſtate bellum, quod inter Lydos & Medos erat exortum Labyneti Babylonii Regis interventu compoſitum eſſe: imo poſt Nini urbis interitum Babylonem a Nitocri Regina operoſe demum munitam ſuique juris manſiſſe ad Cyri usque tempora.

Etiam vero hanc Herodoti narrationem Cteſiacis illis longe eſſe veriorem, imo Cteſiaca illa omnia a vero eſſe alieniſſima non minus luculente ex ſacris literis diſcere eſt, quam illa de temporibus Medicæ defectionis. Etenim Medos in omnia Aſſyriaci imperii nunquam ſucceſſiſſe (ut de illo

ſarum ſe reperiſſe credit in famoſo illo Beleſi Arbacis ſocio in Scriptura S. Baladan dicto. Ab hoc autem licet non immerito hic recedat CONRINGIUS, in eo, quod Nabonaſſarum ſatrapam ſaltim Babylonium fuiſſe ſtatuit, tamen in eo diverſus non eſt, quod Beleſin arbitretur eundem eſſe, qui in S. literis dicitur Merodach Baladan, qui cum Arbace rebellaverit contra Aſſarhaddonem, ſive Sardanapalum. Utriusque opinionem examinans JOH. FRIDER. SCHROEERUS *l. c. p.* 180. *ſeqq.* concedit quidem, quod Nabonaſſar poſſit eſſe Baladan ille, quem Joſephus Babyloniæ Regem appellet, negat tamen idcirco propter aliqualem nominum convenientiam Baladan eundem eſſe, qui ſit Beleſis, quod nomen vi vocis proprie ſit Beli ſacerdos, neque vir ſed fœmina; Merodachum autem eſſe Baladan filium ſumto ab idolo Merodach nomine *Jerem.* 50, 2. appellatum, in canone Ptolomæi Mardokempadum eſſe ait, idque quod apertus illius cum Hiskia ſynchroniſmus quoq; loquatur.

Digitized by Google

illo dicam prius) argumento eſt quod in ſacris nullum extet veſtigium Medorum potentiæ in Syriam trans Euphratem porrectæ, etſi de illarum regionum ſtatu omni haud pauca commemorentur. Imo tradunt codices illi, Babylonios a Nabuchodonaſare usque ad Cyrum late per omnes illas terras in Ægyptum usque imperitaſſe. Nabuchodonoſor certe Danieli audit c. II, 37. *Rex regum, cui Deus cæli regnum & fortitudinem & imperium & gloriam dederit.* Non corruiſſe porro illico cum Medorum defectione Aſſyriorum imperium, conſtat ex eo primum, quod Manaſſes Ezechiæ filius Judæ Rex ab Aſſyriorum exercitu captus ac catenis vinctus Babylonem deductus ſit 2. *Paralipom. XXXIII, 11.* Manaſſes vero regnare cœpit anno periodi Julianæ 4013. Medicæ defectionis XVI. Hinc ſane diſcere eſt, Babylonem ipſam quæ Mardokempado Rege videtur Medorum exemplo defeciſſe, ſub jugum Aſſyriacum iterum rediiſſe, eoque Aſſyriis non tantum Cœleſyriam & Phœniciam ſed Meſopotamiam quoque & Chaldæam, poſtquam Medi jamdudum defecerant, paruiſſe. Quamdiu illa potentia duraverit haud equidem dixerim. Manaſſes enim libertati reſtitutus ſui videtur fuiſſe juris, nulli fortaſſis amplius obnoxius, ut qui aluerit in omnibus Judææ munitis urbibus exercitum. Ne quidem poſteri ejus imperio Aſſyriaco fuere ſubjecti, quantum liquet ex ſacris. Solum Joſiam Manaſſis nepotem Aſſyrios, non niſi comiter tamen, obſervaſſe, colligere eſt ex illo quod Ægyptiis in Aſſyrios ducentibus exercitum ſeſe ac ſuos oppoſuerit. Neque enim aliam temere cauſam conatuum Joſiæ attuleris: ut patet ex verbis Nechi Ægyptii 2. Paralipom. c. XXXV, 25. Id certum eſt ultimo Joſiæ anno, h. e. periodi Julianæ 4100. cum Aſſyriis ad Euphratem pugnare conatum eſſe regem illum Ægyptium. 2. Reg. XXIII, 29. *In diebus ejus aſcendit Pharao Necho Rex Ægypti contra Regem Aſſyriorum ad flumen Euphratem.* Ejusdem adhuc Joſiæ Regis ætate Zophonias Nini urbis excidium tanquam futurum prædixit. Verba ejus cumprimis ſunt memoranda cap. II, 13. *Et extendet manum ſuam ſuper aquilonem & perdet Aſſur, & ponet Niniveh in ſolitudinem & vaſtitatem ſicut deſertum. Et accubabunt in medio ejus greges, & omnes beſtiæ gentium, etiam onocrotalus, etiam ericius in ſuperliminaribus ejus commorabuntur: vox avis cantabit in feneſtris, deſolatio erit in poſtibus, quoniam cedrum ejus nudavit. Hæc eſt urbs illa lætabunda, quæ habitabat confidenter, quæ dicebat in corde ſuo: ego ſum, & extra me non eſt alia præter me. Quomodo ergo facta eſt in deſertum cubile beſtiæ?* Hæc Propheta. Incidunt autem Joſiæ tempora in ætatem Regis Cyaxaris, a quo Ninum penitus exciſam tandem eſſe memorat Herodotus. Mirifice vero & Ezechiel cum Herodoti narrationibus conſentit. Anno enim duodecimo (quem credibile eſt eſſe captivitatis Jechoniæ, adeoque periodi Julianæ 4122.) futurum interitum regni Ægyptii exemplo Aſſyrii jam exciſi quaſi confirmat. Verba ejus ſunt cap. XXXII, 2[illegible]. *Ibi* (in inferno ſcilicet) *Aſſur & omnis multitudo ejus: in circuitu illius ſepulchra ejus: omnes interfecti ceciderunt gladio, cujus ſepulchra poſita ſunt in lateribus ſepulchri: eſtque multitudo ejus per circuitum ſepulchri ejus: omnes ipſi interfecti ceciderunt gladio, qui dederunt formidinem in terra viventium.* Eſt vero ille annus ab Ezechiele deſignatus, Aſtyagis quintus atque ita quartus a Cyaxaris obitu, quem ultimis imperii annis Ninum evertiſſe teſtis eſt Herodotus. Ezechiele adhuc proximior Herodoto eſt Jeremias, cujus hæc ſunt verba capit. L, 18. *Propterea hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſrael: Ecce ego viſitabo Regem Babylonis & terram ejus ſicut viſitavi Aſſur.* Contigiſſe nimirum hoc vaticinium anno quarto Zedechiæ, liquet ex capitis LI. verſu 59. quartus autem Zedechiæ eſt periodi Julianæ 4115. & Cyaxaris trigeſimus ſeptimus. Quo confirmatur, hoc demum tempore Aſſyrium regnum funditus everſum eſſe: id quod & Herodotus docuit. Eum ſane in modum everſam iri Babylonem, cernere eſt in capite L. Quid? quod ejus cladis, quam Medos paſſos eſſe *ab Aſſyriis Phraorte Rege* (a) idem docet Herodotus, luculenta exſtet memoria in Judithæ hagiographis? Sane cap. I, 6. legitur a Nabuchodonoſore Aſſyriorum Rege victum ingenti prælio Arphaxadum Medorum Regem. Hunc autem non eſſe Dejocem, ut quidam volunt, argumento eſt quod Dejocem ſolis Medis imperaſſe nec in prælio ab Aſſyriis ſuperatum perhibeat Herodotus: Arphaxadus autem multas gentes imperio ſuo ſubjugaverit, & in prælio adverſus Aſſyrios perierit, ut habet Judithæ hiſtoria. At de Phraorte Herodotus: *Phraortes ſolo imperio Medorum non contentus, bellum ante omnes intulit Perſis, eosque primus in poteſtatem redegit. Quibus nationibus potitus, valida utraque, mox Aſiam ſubegit, aliam deinceps atque aliam invadendo gentem, donec ad Aſſyrios oppugnandos pervenit;* ad

(a) *ab Aſſyriis Phraorte Rege*) Sequitur in ea ſententia, qua Phraortem Dejocis filium conjicit eſſe Arphaxadem illum, de quo in libro Judith tam mira narrantur, autorem HARDVINVS *in chronol. V. T. p. 92.* Cæterum de univerſa hiſtoria, quæ in libro Judith narratur, variæ ſunt eruditorum ſententiæ. Sunt qui eam ante captivitatem Judæorum Babylonicam, uti BELLARMINVS aliique; ſunt qui poſt illam data Judæis libertate ſub Perſarum monarchia contigiſſe arbitrantur, iique urgent, quod ſi ante illam contigerit, mirum cui videri debeat, bellum illud neque Manaſſis, neque Principum ejus, ſed ſacerdotis Jojakim auſpiciis geſtum eſſe, & qui fieri potuerit, ut Holoferni Aſſyrio duci *Judith.* V, 3. populus iſte, quem ducem haberet, incognitum fuiſſet, Manaſſe jam paulo ante captivo Babyloniam deportato & poſt ejus reditum pace omni ſublata, quod tamen non congruat cum *Judith.* XVI, 29. Quando autem poſt captivitatem id contigiſſe exiſtimant, iterum divortiis ſententiarum ſcinduntur, cui Perſarum Monarchæ hiſtoriam accommodent, utrum Cambyſi, an Dario Hyſtaſpidi, vel Xerxi, vel Artaxerxi Ocho. Sed quoniam obſtat, quod nulli Perſarum Regi nomen Nabuchodonoſoris hæſerit, proinde alii judicant, librum hunc non hiſtoriam, ſed tragœdiam eſſe hoc inſtituto ſcriptam circa tempora Antiochi Epiphanis, ut Judæi exemplo fictitio licet animati ſpe divinæ liberationis confirmarentur. Sane Grotio Judith eſt gens Judæa, Bethulia domus Dei, Nabuchodonoſor diabolus, Holofernes lictor ſerpentis ſive inſtrumentum diaboli nimirum Antiochus Epiphanes, Jojakim & Eliakim quaſi *Deus ſurget.* Nec diſſentire videntur ALTINGIVS *theol. hiſtor. lib. 2. p. 95.* & HEIDEGGERVS *in enchiridio Biblico p. 359.* Libri Judith defenſionem quidem ſuſcepit HARDVINVS *l. c. pag.* 639. nec non MONTFAVCONIVS, qui veritatem hiſtoriæ Judithæ Gallice edidit, Pariſ. 1690. 12. Eum tamen adverſus nonnulla excipiunt BASNAGIVS *in hiſt. eccleſ. tom. I. lib. 8. c. 9. n. 5. p. 441.* & BVDDEVS *in hiſt. eccleſ. V. T. tom. II. p. 614. ſeqq.* Libri vero [illegible] probat luculenter SCHROEERVS *p. 224. 225. ſeqq.*

ad eos Aſſyrios qui Ninum incolebant, quondam omnium principes, ſed tunc a ſociis per defectionem deſertos, alioqui per ſe bene habentes. Adverſus hos expeditione ſuſcepta Phraortes, ſecundo ac viceſimo quam regno potitus eſt anno, cum pleraque exercitus parte periit. Quæ omnia Arphaxado pulchre conveniunt. In uno diſſenſio eſt, quod Herodotus Ecbatanam ſcribat conditam a Dejoce, auctor *hiſtoria Judith* (a) ab Arphaxado. Sed forſitan incepit Dejoces, Phraortes perfecit: ſat frequens autem eſt ſcriptoribus, ut opus alii primo auctori, alii illi qui ultimam imponit manum acceptum ferant. Eſt autem annus ultimus Phraortis periodi Julianæ 4078. Joſiæ Regis Judæorum nonus. Quo tempore a populis etiam Syriæ, Meſopotamiæ, Ciliciæ & Phœniciæ Aſſyrios fuiſſe per defectionem deſertos, clare itidem loquitur Judithæ liber: *Tunc* inquit c. I, 7. *exaltatum eſt regnum Nabuchodonoſoris & cor ejus elatum eſt, & miſit ad omnes qui habitabant in Cilicia & Damaſco, & Libano, & ad gentes qua ſunt in Carmelo & Cedar, & inhabitantes Galilaam in campo magno Eſdrelon, & ad omnes qui erant in Samaria, & trans flumen Jordanem usque ad Jeruſalem, & omnem terram Jeſſe, quousque perveniatur ad terminos Æthiopia. Ad hos omnes miſit nuncios Nabuchodonoſor Rex Aſſyriorum, qui omnes uno animo contradixerunt, & remiſerunt eos vacuos, & ſine honore abierunt. Tunc indignatus Nabuchodonoſor Rex ad omnem terram illam, juravit per thronum & regnum ſuum, quod defenderet ſe de omnibus regionibus his.* Cæterum poſt cladem illam Medorum Aſſyrii veteris potentiæ jura acerrime iterum vindicarunt, per Holofernem ducem; ut hagiographa illa luculente narrant. Quin veroſimile eſt hinc ortum eſſe cultum illum, quo multis poſt annis Aſſyrios adhuc proſequutus eſt Judæorum Rex optimus Joſias.

Indubie vero brevi rurſum defecit rediviva Aſſyriorum illa potentia, turpi fuga Holofernis exercitu Palæſtinam relinquente, & Scytharum illa inuſitata felicitate in Ægyptum & Palæſtinam usque excurrendi, quam memoriæ commendavit nobis unus Herodotus *l. 1.* præterquam quod indicia quædam ejus in ſacris etiam, apud Jeremiam & Ezechielem præcipue, reperire ſit. Acceſſit, poſt Scythas, Cyaxaris iſthæc potentia eximia qua potuit ipſam Ninum tandem exſcindere, teſte Herodoto. Cum excidio autem tam vaſtæ urbis ſimul funditus quoque everſum eſſe imperium Aſſyriorum nemo eſt qui dubitet. *Contigit autem ille Nini interitus ultima Cyaxaris atate* (b) ut ex Herodoto haud obſcurum collectu eſt. Labaſcentis Aſſyriorum potentiæ circa annum Nabonaſſareum CXL. argumentum eſt Babylonici pariter & Ægypti regni per illa tempora ingens robur. Etenim ſacræ nos hiſtoriæ docent, auſum tum Nechum Ægyptium omnia quæ juris erant Aſſyriaci cis Euphratem ſibi ſubjicere. Sic & Nabuchodonoſarem Babylonium Aſſyriis obnoxium non fuiſſe, ex ſacris, ut & aliis qui ejus meminerunt ſcriptoribus, perſpicuum eſt.

Verum de ſtatu Aſſyriorum poſt Medicam defectionem plus ſatis forte dictum eſt.

CAPUT V.

Herodoti de Medici regni temporibus narrationes conſentaneas etiam eſſe antiquiſſimis finitimarum gentium hiſtoriis.

TEmpora & fortunam Medici regni recte ab Herodoto deſcripta eſſe, ex iis quæ attulimus in medium, ſole clarius eſt. Ne quis tamen putet tantum ſacræ hiſtoriæ auctoritate fidem omnium ſtare, argumenta veri ex Syriorum, Babyloniorum, Ægyptiorum, aliorumque populorum antiquiſſimis annalibus addemus.

Primum autem, Aſſyriorum imperium paulo ante Medorum illam ab Herodoto indicatam defectionem, non tantum fuiſſe ſuperſtitem, ſecus quam tradidit Cteſias, ſed omnino maxime tum floruiſſe demonſtrabimus. Salmanaſſaris potentiam ex Tyriorum annalibus hisce verbis narrat Menander Epheſius apud Joſephum l. IX. antiquit. c. XIV. Καὶ Ἐλυλαῖος ὄνομα ἐβασίλευσεν ἔτη τριάκοντα ἕξ. οὗτος ἀποστάντων Κιτταίων ἀναπλεύσας, προσηγάγετο αὐτοὺς πάλιν. ἐπὶ τούτους πέμψας δὲ τῶν Ἀσσυρίων βασιλεὺς, ἐπῆλθε Φοινίκην πολεμῶν ἅπασαν. ὅστις σπεισάμενος εἰρήνην μετὰ πάντων ἀνεχώρησεν ὀπίσω. ἀπέστη τὸ Τυρίων. Σιδὼν καὶ Ἄρκη καὶ ἡ Παλαίτυρος, καὶ πολλαὶ ἄλλαι πόλεις, αἳ τῷ τῶν Ἀσσυρίων ἑαυτὰς βασιλεῖ παρέδοσαν. διὸ Τυρίων οὐχ ὑποταγέντων, πάλιν ὁ βασιλεὺς ἐπ' αὐτοὺς ὑπέστρεψε, Φοινίκων συμπληρωσάντων αὐτῷ ναῦς ἑξήκοντα, καὶ ἐπικώπους ὀκτακοσίους. αἷς ἐπιπλεύσαντες Τύριοι ναυσὶ δεκαδύο, τῶν νεῶν τῶν ἀντιπάλων διασπαρεισῶν, λαμβάνουσιν αἰχμαλώτους ἄνδρας εἰς πεντακοσίους. ἐπετάθη δὲ πάντων ἐν Τύρῳ τιμὴ διὰ ταῦτα. ἀναζεύξας δ' ὁ τῶν Ἀσσυρίων βασιλεὺς, κατέστησε φύλακας ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ καὶ τῶν ὑδραγωγιῶν, οἳ διακωλύσουσι Τυρίους ἀρύσασθαι, καὶ τοῦτο ἔτεσι πέντε γενόμενον ἐκαρτέρησαν πίνοντες ἐκ φρεάτων ὀρυκτῶν. *Is deinde qui Elulaus nominabatur regnavit annos triginta ſex. Hic deficientes Citaeos cum claſſe eo profectus ſub imperium ſuum retraxit. Contra quos miſſo exercitu Aſſyriorum Rex Phœnicem totam invaſit: facta deinde pace, cum copiis domum reverſus eſt. Paulo poſt Sidon, Arce, Palatyrus cum multis aliis oppidis a Tyriis ad Aſſyriorum Regem defecerunt: Et cum ſoli Tyrii facere ejus imperata detractarent, reverſus eſt contra eos cum ſexaginta navibus, quas Phœnices inſtruxerunt impoſitis & octingentis remigibus. Quibus occurrentes Tyrii, cum duodecim navibus disjecta hoſtili claſſe, quingentos ex ea captivos abduxerunt, quo facinore non mediocrem rei navalis gloriam ſibi comparaverunt. Reverteus autem Rex Aſſyrius cuſtodes ad fluvium*

(a) *hiſtoria Judith*) PRIDEAVX *lib. I. p. 47. 48. tranſlat. germ.* Judithi librum GROTIVS in *præfat.* piis annumerat commentis.

(b) *Contigit autem ille Nini interitus ultima Cyaxaris atate*) At vero præfuit Cyaxares annis 40. a quibus ſi 22 abſtrahantur, anni 18. remanent, ſpatium temporis non exiguum. Quin etiam Cyaxares poſt Nini caſum adhuc bellum Lydicum per 6. annos geſſit, apud HERODOTVM *lib. I. c. 47.* obſervante SCHROEERO *pag. 248.* Adde autorem infra.

fluvium & aquæ ductus diſpoſuit, qui aquari Tyrios prohiberent: quod cum per continuos quinque annos fieret, coacti ſunt effoſſis puteis inde ſe ſuſtentare. Hæc omnia Tyriorum annales.

Sennacheribi in Aſiam & Ægyptum expeditiones commemoravit *Beroſus* (a) Chaldæus apud Joſephum l. X. c. 1. Sed ipſa verba Beroſi exciderunt. Joſephus ita loquitur: Βηρωσσὸς δ' ὁ τὰ Χαλδαϊκὰ ἐγγεαψάμεν☉-, μνημονεύει τῦ βασιλέως τῦ Σεναχηρίβυ, καὶ ὅτι τῶν Ἀσσυρίων ὑπῆρχε, καὶ ὅτι πάσῃ ἐπεςρατεύσατο τῇ Ἀσίᾳ καὶ τῇ Αἰγύπτῳ, λέγων ὕτως. *Beroſus autem Chaldaicarum rerum ſcriptor Sennacheribi regis meminit; & quod apud Aſſyrios regnaverit, totamque Aſiam atque Ægyptum bello infeſtaverit, his verbis narrat.* Ex Ægyptiorum ſacerdotum narrationibus refert Herodotus l. 12. hujus Sannecheribi, quem Aſſyriorum & Arabum Regem appellat, validam expeditionem in Ægyptum.

Porro, cum Sardanapalo non defeciſſe Aſſyriorum regnum, teſtis locuples eſt etiam Caſtor Rhodius, Joſepho, Africano, Euſebio, Tatiano & aliis laudatus chronographus, quem libros duos de Babylone, unum de Nilo, unum χρονικῶν ἀγνοημάτων, unum de iis qui imperio maris ſunt potiti, edidiſſe, auctor eſt Suidas. Liber ille de temporum ignoratione forte dictus eſt Canon, & ex eo deprompta illa ſive Julii Africani ſive Euſebii quæ habentur in Græcis Euſebianis Scaligeri pag. 38. Ἕτεροι φασὶ (verba Euſebiana ſunt) μετὰ Σαρδανάπαλον κρατῆσαι τῆς Ἀσσυρίων ἀρχῆς Νῖνον, ὥσπερ καὶ Κάστωρ ἐν τῷ κανόνι αὐτῦ φησὶν ὧδε. Πρώτους μὲν εἶναι τὺς Ἀσσυρίων βασιλεῖς κατετάχαμεν, τὴν μὲν ἀρχὴν ἀπὸ Βήλυ πεποιημένυς· τὸ δὲ τὰ τῆς βασιλείας αὐτῦ ἔτη μὴ παραδίδοσθαι σαφῶς, τῦ μὲν ὀνόματ☉- μνημονεύομεν, τὴν δὲ ἀρχὴν τῆς χρονογραφίας ἀπὸ Νίνυ πεποιήκαμεν, καὶ κατηγάγομεν ἐπὶ Νίνον τὸν διαδεξάμενον τὴν βασιλείαν παρὰ Σαρδαναπάλυ. Idem fortaſſe teſtati ſunt illi quibus auctoribus Africanus prodidit, Aſſyrios quadraginta unum Reges habuiſſe, eorumque imperium duraſſe annos mille quadringentos & octoginta quatuor. Quinque enim illi Reges & annos centum viginti quatuor plures quam Cteſias numerarunt.

Non in omnia porro Aſſyriorum ſucceſſiſſe Medos, ſed ſaltim Babylonios latiſſime dominatos eſſe omni Syriæ, non minus fere ex Beroſi, Megaſthenis, Alexandri Polyhiſtoris fragmentis eſt diſcere, quam ex codicibus ſacris. Pertinent enim huc illa Beroſi de Nabuchodonoſare ejusque poſteris, quæ recitat Joſephus l. X. antiq. c. 12. & l. 1. contra Apionem, ut & quæ Abydenus habet ex Megaſthene apud Euſebium l. IX. προπαρασκευῆς cap. 41. quæ denique ex Alexandro Polyhiſtore idem Euſebius recitat l. IX. cap. 39.

De tempore quoque everſæ Nini haud multum ab Herodoto, plurimum vero a Cteſia diſſentit Joſephus. Libro quippe IX. antiquit. cap. XI. *Naumi Prophetæ de Nini excidio vaticinium*, (b) centum quindecim annos poſt Regem Jothamum eventu ait eſſe comprobatum: quod tempus cum primordio Cyaxaris convenit, qui tamen ſub *finem demum vitæ* (c) Ninum deſtruxit.

Cum Herodoto præterea facere Joſephum ut & Dionyſium Halycarnaſſeum de tempore Medicæ defectionis, jam tum ſupra dictum eſt. Licet vero addere & Vellejum Paterculum. Ille enim *l. 1. c. 6.* ita loquitur: *Inſequente tempore imperium Aſiaticum, ab Aſſyriis qui id obtinuerunt annis mille ſeptuaginta,* (d) *translatum eſt ad Medos, ab hinc annis ferme ſeptingentos ſeptuaginta.* In hunc modum enim habent conſtanter codices cum typis excuſi tum manuſcripti, non vero DCCCLXX. ut Lipſius & Scaliger legendum cenſent. Edidit autem hiſtoriam ſuam Vellejus Marco Vinico conſule, h. e. (ut faſti conſulares monſtrant) anno periodi Julianæ 4743. a quo retro ſi numeres annos ſeptingentos ſeptuaginta pervenis quidem ad annum periodi ejusdem 3973. qui viginti quinque tantum annis defectionem anteceſſit: attamen ipſe quoque Vellejus ſatis ſignificat juſto longius eſſe intervallum illud inter Vinici conſulatum & Medorum initia, eoque diſerte tot *ferme* annos effluxiſſe ſcribit.

Magnum poſtremo veritatis argumentum eſt, quod poſita Herodoti ſententia de tempore defectionis Medicæ, longe magis vero appareant conſentanea, quæ de Aſſyriaci imperii duratione paſſim traduntur, quam ſi Cteſiæ fabulis inhæreas. Verum hoc ſeorſum demonſtrare fortaſſis fuerit haud absque operæ pretio.

CAPUT VI.

Epocham aliaque ampliſſimi Aſſyriorum imperii definire ob ſcriptorum veterum diſcordiam difficile quidem eſſe, aliquid tamen de illis colligi poſſe ex hiſtoria ſacra.

INitio Medici regni conſtituto, Aſſyriorum tempora digeri certius poſſunt, utpote quum Medicum initium quaſi regat horum ἐποχήν. Omnes enim pene Aſſyriaci imperii tempora ad Medorum defectionem usque numerant.

Nume-

(a) *Beroſus*) Vid. CALVISII *iſagog. chronolog. part. III. cap.* 28, 29.

(b) *Naumi Prophetæ de Nini excidio vaticinium*) Hoc vaticinium de urbis Ninive excidio ad allegoriſmos convertunt, qui Cteſiam ſequuntur & conſenſum hunc non vident, uti JOH. DRVSIVS, GROTIVS & MARKIVS. Cæterum de eo pluribus diſſerentem lege BOCHARTVM *in Phaleg lib. 4. c. 14. p.* 276.

(c) *finem demum vitæ*) MARSHAM *can. chron. p.* 523.

(d) *mille ſeptuaginta*) LIPSIVS etiam hæc corrigit & ponit 1230. dubitat vero, num verba Velleji germana ſint, cui hac in re adſtipulatur BOECLERVS. Quicquid vero hujus ſit, ait SCHVRTZFLEISCHIVS *l. c. p.* 52. dubius hic Velleji locus rationibus noſtris officere non poteſt, quæ æra quoque Babylonica a CALLISTHENE prodita firmantur, ut HELVICO & PETAVIO eſt obſervatum. Nec Africani calculos ſequi licet, qui ſi ad numeros Moſaicos referantur, ante tempora diluvii initium Beli producunt.

Numerant vero alii aliter. Eoque primum narrationes potiores recenſebimus. Herodotus *l. 1.* inquit: *Aſſyriis annis quingentis viginti ſuperiorem Aſiam obtinentibus primi Medi ab ipſis deficere cœperunt.* Diodorus Siculus *l. 11. c. 25. Ad eum prope modum & cæteri Reges ad XXX. hominum ætates per ſucceſſionem paternum imperium adminiſtrarunt ad Sardanapalum usque, cujus tempore Aſſyriorum imperium, cum annos cIↄ CCCLX, (ut Cteſias Gnidius libro ſecundo tradit) duraviſſet ad Medos devolutum eſt.* Idem c. 28. *Hoc ergo modo Aſſyriorum imperium, quod a Nino ad trigeſimam usque progeniem cIↄ CCCC. amplius annos ſteterat, a Medis everſum eſt.* Sed poſteriore hoc loco indubie irrepſit nota unius centenarii, adeoque ſcribendum eſt cIↄ CCC. Juſtinus Trogi epitomator l. 1. *Imperium Aſſyrii qui poſtea Syri dicti ſunt, annos cIↄ CCC. tenuere. Poſtremus apud eos regnavit Sardanapalus, vir muliere corruptior.* Vellejus Paterculus l. 1. *Inſequenti tempore imperium Aſiaticum ab Aſſyriis, qui id obtinuerant annis mille ſeptuaginta, translatum eſt ad Medos.* Cephalion neſcio quis in Euſebianis Græcis Scaligeri p. 30. ubi Nini Semiramidis filii meminiſſet, addit: καὶ τῶν λοιπῶν εἰς χίλια ἐτῶν ἀριθμὸν ἦρχον παῖς παρὰ πατρὸς ἐκδεχόμενος τὴν ἀρχήν. Proxime autem hic convenit cum Vellejo, utpote quum mille annos velit a ſucceſſoribus *Nini* (a) & Semiramidis regnatum eſſe. Euſebius in chronico Latino *edition. Scaligeri p. 111. Usque ad id tempus fuiſſe Reges Aſſyriorum hiſtoria refert. Et ſunt ſimul anni MCXCIIX. Omnes autem regni Aſſyriorum a primo anno Nini ſupputantur MCCXL.* In ejusdem Græco chronico Julio Africano auctore adſcribuntur imperio Aſſyriaco anni cIↄ CCCCLXXXIV. Joſephus Scaliger ab initio Beli ad Sardanapali obitum colligit annos MCCCCLXXXIV. Mitto aliorum diſſonas ſententias.

Non minor autem eſt diſſenſio & de imperii illius cum *amplitudine* (b) tum Regum numero. Etenim Africanus quadraginta unum, Euſebius triginta ſex recenſet. Vellejus Paterculus: *Sardanapalum tertio & tricesimo loco ab Nino & Semiramide natum*, refert. Cephalionis verba ſunt: Τοὺς δὲ βασιλεῖς εἴ τις εἰδῆσαι βούλεται, Κτησίας ἐστὶν ὁ λέγων τὰ ὀνόματα αὐτῶν, κ. οἶμαι καὶ γ. Diodorum audivimus jam tum; imperium illud ad triginta hominum ætates, item ad trigeſimam usque progeniem duraſſe. Idem Sardanapalum appellat a Nino trigeſimum. Scaliger tamen a Diodoro vult agnoſci Reges triginta quinque, eoque corrigendum ultima illa & ſcribendum Σαρδανάπαλος δὲ τριάκοστος καὶ πέμπτος, quoniam ita legerit Euſebius. Et ſane legitur ita in Græcis Euſebianis Scaligeri p. 29. l. 49. attamen cum alibi etiam, & bis quidem, non niſi triginta Reges habeat Diodorus, veriſimilius eſt nihil mutandum in tertio iſto loco & in Euſebiana perperam illud καὶ πέμπτος præterque Diodori mentem irrepſiſſe. Conſuli tamen Scaliger poteſt, ſi ita libet, *notis ad Euſebiana p. 254. libro 3. canon. iſagogicor. p. 281. & p. 312.*

Porro idem Diodorus ita narrat, quaſi a Nino & Semiramide omnia Aſiæ a Tanai usque ad Nilum, præter Indiam, fuerint domita, quaſique tam latum imperium ad poſteros conſtanter propagatum primum in Sardanapalo defecerit. Idem & alii nonnulli memorant. Herodotus vero Aſiaticum illud imperium reſtringit ad ſolam Aſiam ſuperiorem. Hunc ſequitur Dionyſius Halycarnaſſenſis l. 1. c. 2. *Antiquum illud Aſſyriorum imperium retro ad fabuloſa usque pertingens tempora, modicam quandam Aſiæ partem obtinuit: deinde in Medos translatum, & auctum etiam opibus non longo duravit tempore. Perſæ porro Medis devictis Aſia quidem pene tota tandem potiti ſunt, cæterum Europæas etiam gentes bello tentare auſi non multum profecerunt.*

In tanta ſcriptorum diſcordia verum a falſo diſcernere quam ſit difficile nemo non videt. Indubie tamen illa ſunt veriſſima, quæ ſacris hiſtoriis magis ſunt conſentanea. Produnt autem illæ, principem filium Chuſi Chamique nepotem Nimrodum cœpiſſe potentem eſſe in terris. *Fuit autem* (inquit Moſ. Geneſ. X.) *principium regni ejus Babylon & Arach, & Achad, & Chalanne in terra Sennaar. De terra illa egreſſus eſt Aſſur & ædificavit Niniven, & plateas civitatis, & Chale, Reſin quoque inter Niniven & Chale, hæc eſt civitas magna.* Eſt autem Sennaar regio Babylonica, Σεναὰρ τῆς Βαβυλωνίας dicta etiam Heſtiæo Mileſio apud Joſeph. *l. 1. antiq. c. 7.* Atque ita omnes Nimrodi urbes unius illius regionis ambitu fuerunt definitæ. Et vero *Arach videtur eſſe Aracca* (c) urbs a Ptolomæo in Suſiana collocata; Chalanne Calliniſum oppidum ad Euphratem Ammiano etiam memoratum l. 23. nec inſcite creditur ab Acad Acabenen dictam corrupte tamen pro Acadene. Hoc regnum itaque Sennaar ſeu Babylonium Nimrodo auctore, eſt a diluvio inter magna antiquiſſimum, indubie tamen recentius, utut haud multum, gentium diſperſione & confuſione linguarum. Inſequenti demum tempore cœpit Aſſur (incertum Semi filius, an unus poſterorum Nimrodi, an denique populus Aſſyriorum) Nino aliisque urbibus exſtructis novum regnum in Aſſyria circa Tigrim amnem condere. A Chale enim videtur regio Calachæna Straboni memorata *l. XI. & initio XVI.* ut Reſin audit Reſaina Ammiano *l. XXIII.* Cæterum quo demum tempore cœperit illud Aſſyrium regnum, in ſacris haud definitur. *Etſi enim ſtatim poſt Nimrodum recitetur Aſſur,* (d) familiare tamen ſacris eſt ſcriptoribus ut & aliis, connectere hiſtorias rerum magno temporis intervallo ſeparatarum.

Abraha-

(a) *Nini*) Secundum nonnullos Nini pater & anteceſſor in regno Belus eſt, quem cum Nimrodo, cujus ſacer codex mentionem injicit, eundem eſſe putant. SCHVRTZFLEISCH *Aſſyro-Chaldæorum primord. §. XVII. ſeqq.*

(b) *amplitudine*) VSSERIVS *in chronologia ſacra*, quam THOMAS BARLOVIVS accuravit *p.* 38. SCHVRTZFLEISCHIVS *l. c. §. 26. ſeqq.*

(c) *Arach videtur eſſe Aracca*) Ita & ſentit BOCHARTVS *l. c. IV, 16.* PERIZONIVS autem *in origin. Babylon. p.* 346. ab Erechi nomine mavult derivare Orchoen (unde Orcheni dicti ſunt) quam Araccam ultra Tigrin ſitam.

(d) *Etſi enim ſtatim poſt Nimrodum recitetur Aſſur*) Nimirum *Gen. X, 11.* Nonnulli tamen hoc loco Aſſur non pro hominis, ſed pro regionis nomine habent, ut ſenſus ſit, Nimrodum poſtea egreſſum eſſe verſus Aſſyriam, ut pro regnandi libidine regni ſui fines proferret, eamque cum ditione ſua conjunxiſſe. Vide inprimis

Abrahami ætate, anno circiter periodi Julianæ 2794. certum eſt per Syriam nihil valuiſſe Aſſyrios, ſed ſuperfuiſſe etiam tum Babyloniorum regnum, ut tamen latiſſime tum imperaverint Elamitæ. Sunt enim Elamitæ illi, qui Elymei alias nuncupantur, Medis contigui apud Strabonem l. XVI. Plinium l. V. c. 26. & 27. Livium l. XXXVII. adeoque trans Tigrim habitarunt: & tamen horum Regi Cedar-Laomari ſervierunt aliquamdiu Reges Sodomæ & Gomorræ. Geneſ. XIV, 4. Ut proinde quicquid a Medorum finibus usque in Palæſtinam porrigitur Elamitis tum videatur paruiſſe. Comprehenditur vero illo ſpacio etiam Aſſyria. Forte igitur tum nondum inſtitutum erat regnum illud. Certe ſi jam cœpit, veroſimile eſt Elamitis paruiſſe.

Numeror. XXIV, 22. ait Bileam de Cinæis: *Aſſur capiet te.* Indubie igitur tum jam ortum erat Aſſyriorum regnum. Cæterum potentiam illius imperii trans Euphratem ſeſe haud porrexiſſe aliquammultis poſt ſeculis, & quidem ante Iphiti fortaſſis æram, argumento eſt, quod ejus imperii cis Euphratem nulla vel minima fiat mentio in ſacra hiſtoria ante Regem Phul, quæ tamen defectionem Medicam tantum quinquaginta circiter annis præceſſit. Meſopotamiæ itidem illos haud imperaſſe anno periodi Julianæ 3288. liquet ex libro Judicum cap. III, 8. ubi Chuſanriſathaim Meſopotamiæ Rex ea ſcribitur fuiſſe potentia, ut Iſraelitas, ſatis longe diſſitum populum, integros octo annos ſervire ſibi fecerit. Eandem ſui adhuc juris fuiſſe ætate Davidis, haud obſcure patet ex iis, quæ narrantur 1. Paralipom. XIX. Imo videntur ultimo demum tempore, Phulle fortaſſis Rege, Meſopotamiæ potiti Aſſyrii. Ita enim inter alia loquitur Sennacheribi legatus 2. Reg. XIX, 12. *Numquid liberaverunt dii gentium ſingulos, quos vaſtaverunt patres mei, Gozam videlicet & Haran, & Reſeph, & filios Eden, qui erant in Thalaſſar?* Haran ſane eſt notiſſima Meſopotamiæ urbs Charræ.

CAPVT VII.

Quæ Herodotus aliique Herodoti ſectatores de Aſſyriaci regni fortuna & exordio prodiderunt, quam optime cum ſacris hiſtoriis convenire; quæ Cteſias autem & ex illo habent alii fabuloſa eſſe.

His poſitis non adeo forte difficile fuerit de illis diſcordibus ſententiis ſcriptorum aliquid certi affirmare. *Primo* enim id utique jam ſole eſt clarius, fabuloſum eſſe, Aſſyrios a Tanai ad Nilum & Indos, atque per omnem Aſiam, mille trecentis amplius annis imperium tenuiſſe. Salmanaſſaris & Sennacheribi Regum ductu auctum per omnem Syriam Aſſyriorum imperium, nemo negaverit. Verum hæc felicitas tantum fuit ultimorum temporum; paulo poſt Medica defectione ſubſequente. Num primus Nini urbis conditor bello per omnem Aſiam fuerit graſſatus, eamque ſubjicere ſibi tentaverit, incertum arbitror. Certe ſi tempora ejus ad ætatem Nimrodi accedunt, nihil eſt in ſacris monumentis, unde illam famam vel convellas vel affirmes. Ex adverſo videtur, omne illud de præclare geſtis Nini & Semiramidis, ad Græcos per Cteſiam deveniſſe. Ex hoc uno ſane omnia deſcripſit Diodorus Siculus: Herodotus non tantum nihil horum habet, ſed plane alia. Quis autem fabuloſo imo mendaciſſimo ſcriptori fidem tuto commodet? Si ſane Ninus, ut fama eſt, gentes Aſiaticas perdomuit, non tamen magnitudinem quæſitæ dominationis continua poſſeſſione firmavit. Multis enim ſeculis omnem Syriam, etiam illam quæ Aſſyriis finitima maxime eſt, ſui juris fuiſſe, certe haud paruiſſe Aſſyriis, ex ſacris codicibus fecimus manifeſtum.

Quantum patuerit per Aſiæ reliqua imperium Aſſyriorum, aut quamdiu invaluerit illorum potentia, itidem affirmari haud poſſe exiſtimo. Plato in *Epinomide*, Trojanum Phrygum regnum ſcribit, partem fuiſſe Aſſyriorum in Nino monarchiæ per Aſiam. Trojæ vero excidium contigit, ſecundum Scaligerum circa annum periodi Julianæ 3530. h. e. quadringentis ſexaginta circiter annis ante Medicam defectionem. Scribit autem hoc Plato fortaſſis fide Cteſiæ æqualis ſui. Namque ex Cteſia idem narrat Diodorus *l. 1. cap. 22.* ſed ita ut Ægyptiorum hiſtoriis coarguat Cteſiæ fabulas de ſubſidio Trojanis ab Aſſyriis miſſo. Nihil vetat tamen quin credamus cum Dionyſio Halicarnaſſenſi, Aſſyrios *modicam Aſiæ partem*, aut cum Herodoto, quem Dionyſius omnino ſequitur, ſuperiorem Aſiam annos DXX. tenuiſſe ante Medorum defectionem. Non aſſenſerim tamen illi, quod de ſuo adjecit Dionyſius, per Medos auctum imperium. Neque enim illi in Babylonios aut cis Euphratem potentiam extenderunt: quæ tamen omnia fuerunt in ditione Aſſyriorum ſaltim ab ævo usque Salmanaſſaris.

Tempora Aſſyriaci imperii illius, quod ſuperiore Aſia fuit circumſcriptum, certo definire in illo ſcriptorum diſſenſu haud licet. Etenim de rebus trans-Euphratenſibus, multo magis de remotioribus, rara eſt in ſacris memoria, eoque nihil eſt ad quod tanquam ad regulam exigas diſſenſiones. Herodotus tamen quod adfert a vero non eſt alienum: nempe annos quingentos viginti ante Medorum defectionem Aſiæ ſuperioris imperium penes Aſſyrios fuiſſe. Incideret vero illo auctore epocha regni illius Aſſyriaci in periodi Julianæ annum 3478. adeoque pene in tempora expeditionis Argonauticæ.

BOCHARTVM *lib. 4. c. 19. & 12.* CHRISTIANVM SCHOTANVM de *ſecunda mundi ætate p.* 120. quibuscum JOH. GERHARDVS & SEB. SCHMIDIVS conſentiunt. Maximi momenti ratio, quam affert BOCHARTVS, hæc eſt, alienam eſſe hoc loco, ubi habetur genealogia filiorum Chami, mentionem Aſſuri filii Semi fieri, neque pati ordinem hiſtoriæ, ut Aſſuri geſta referat Moſes v. 11. nativitatem v. 22. Cui vero reſponderi poteſt, cum ſcopus Moſis rerum origenes docentis eſſet primos imperantes poſt diluvium eadem orationis ſerie indicare, tam utique Nimrodum & Aſſurem conjunctim nominandos fuiſſe. Conf. SCHVRTZFLEISCH. *opera hiſt. polit. p.* 49.

ticæ. Haud inquam a vero illa ſunt aliena, ſi de imperio per ſuperiorem Aſiam loquaris: diu alias autem ante condidiſſe aliquod regnum Aſſyrios, exſtructis urbibus maximis, certum eſt.

Quæ Cephalion & Vellejus Paterculus habent de mille & quod excurrit annis, fortaſſis per errorem ex Cteſiacis ſunt deſcripta. Cteſias videlicet tradiderat, ut habet Diodorus, ultra mille annos imperium jam Aſſyrios tenuiſſe cum bellum Trojanum oriretur: id forte per incuriam, minime tamen tolerandam, ad Medicam defectionem eſt translatum. Cephalionem ſane peſſima fide aliorum ſcripta tractaſſe, vel pauca illa, quæ ejus nomine ſuperſunt in Euſebianis, magno ſunt documento. Quale enim illud eſt, quod non dubitavit Herodotum quoque in teſtem citare rerum a Nino & Semiramide geſtarum? Verum eſt tamen mendo laborare Cephalionis fragmentum: namque eodem loci ſcribit: *Χιλίων δ' ἐτῶν ἀπὸ Σεμιράμεως εἰς Μητραῖον βασιλέα ἂν ἀριθμεῖτο, περιτελλομένων Μηδεία Κολχὶς ἀνεχώρησεν Αἰγέως.* Huic addit ſucceſſiſſe Teutonum, quo tempore bellum Trojanum ſit geſtum.

Diodorus indubie tempora imperii Aſſyriaci fide Cteſiæ tradidit. Incidit vero epocha illa, ſi Medicam defectionem cum Herodoto colloces & numeres annos mille trecentos ſexaginta imperii Aſſyriaci, in annum periodi Julianæ 2638. qui eſt ætatis Peleg adeoque confuſionis linguarum CXIIX. Quo tempore Ninum urbem conditam, aut imperium aliquod Aſſyriorum cœpiſſe, late per Aſiam factis excurſionibus, non eſt vero abſimile. Quod ſi autem Cteſiam ſequare in temporibus defectionis Medicæ, adeoque colligas retro annos illos Aſſyriacos ab anno periodi Julianæ 3827. incidis in ejusdem periodi annum 2467. qui natalem Peleg antecedit annis 53. id quod a vero alienum eſt: conſtat quippe ante linguarum confuſionem non eſſe conditam Babylonem, Babylone vero Ninivem eſſe poſteriorem. Ut proinde etiam ita pateat, juſto longius Medorum tempora Cteſiam produxiſſe.

Cum Cteſia fecit & Trogus Pompejus, etſi ejus epitomator Juſtinus, ut rotundum numerum exprimeret, ſexaginta annorum haud meminerit. Quod Euſebius vero tantum ↀCCLX. ſupputaverit, fide unius Caſtoris eſt factum, ſi credimus Georgio apud Scaligerum in *animadverſionibus ad Euſebium pag. 59.* annumeravit tamen Caſtor iſti imperio Aſſyriaco annos tantum MCCLXXX. Cæterum nihil ſuppetit, quo vel refellas hunc & illum vel defendas.

Julius Africanus vero quæ tradit nimium quantum a vero abludunt; ut qui in Medicis temporibus Cteſiam quoque ſit ſequutus. Longe ſane ultra diluvium ita excurrit Aſſyriaci imperii initium. Fortaſſis vero ille ſecutus eſt aliquem auctorem, qui annos illos Aſſyriacos definierit ultimo Nini urbis excidio, quod cum ultima Cyaxaris ætate convenit. Eſto ergo ultimus Aſſyriacus ſecundum illum computum annus periodi Julianæ 4118. primus fuerit 2641, qui eſt confuſionis linguarum CXXI. In hunc modum profecto ſi inſtituas computum, proxime acceſſeris ad illa paulo ante a nobis allata, neque aliqua in multitudine annorum fuerit abſurditas.

Scaligeri porro ratio cum ultra diluvium itidem excurrat non eſt, quod nos moretur.

Id dignum eſt obſervatu, videri Æmilium Suram in temporibus regni Medici ſecutum Herodotum, in Aſſyriacis autem proxime ad numerum Cteſiacum accedere. Canonion ejus neſcio qua manu Paterculo inſertum ita ſeſe habet: *Aſſyrii principes omnium gentium rerum potiti ſunt, poſtea Perſæ, deinde Macedones; exinde duobus regibus Philippo & Antiocho, qui a Macedonibus oriundi erant, haud multo poſt Carthaginem ſubactam devictis, ſumma imperii ad populum Romanum pervenit. Inter hoc tempus & initium Nini Regis Aſſyriorum, qui princeps rerum potitus, interſunt anni mille nongenti quinque.* Joſephus Scaliger *l. 3. can. iſagogic. p. 313.* verba Suræ recitat tanquam ille numeraſſet annos MDCCCCXCV. at profecto totos illos nonaginta annos addit de ſuo, contra quam habent codices Vellejani. Suram quoque perperam accipit, quaſi annos putaverit, ad everſam a Scipione Carthaginem; cum tamen ille loquatur de fine regni Macedonici, utpote quo uno iſta imperii gentium poteſtas ad Romanos quaſi devenerit. Nec vero ille meminit everſæ ſed ſubactæ Carthaginis: quorum hoc bello Punico ſecundo, illud tertio contigit. Eſt autem ultimus Macedonici regni annus periodi Julianæ 4545. ultimus ſcilicet etiam Perſei, qui cum Philippo ſucceſſiſſet meruit, ut hujus anni Philippicis annecterentur. Quod ipſum factum quoque eſt a Polybio, numerante ab initio Philippi annos LIII. ad finem regni Macedonici. Excluſo autem anno periodi Julianæ 4546. ſi retro numeres annos mille nongentos quinque, initium Nini incidit in annum ejusdem periodi 2641. illum ipſum quem modo collegimus putantes tempora Aſſyriaci imperii cum ultimo Cyaxaris, quo præter propter videtur Ninus exciſa.

CAPUT IIX.

Regum Aſſyriorum nomina pleraque incerta eſſe fidei.

Regum Aſſyriorum nomina primus forte Cteſias ad Europæos transmiſit. Certe a Cteſia memorata eſſe nomina teſtatur Diodorus *l. 2. c. 22.* & Cephalion *in Euſebianis.* Recenſuerat autem tantum triginta, ut refert Diodorus. Cephalion, dubitanter tamen, ſcribit tradita Cteſiæ nomina Regum viginti trium. Forte vero numerus eſt mendoſus ſcribendumque *κ οἶμαι ἢ λ*: eodem enim loci a Cephalione Rex viceſimus ſextus Aſſyriorum refertur in tempora Argonautica. Unde Cteſias illa ſit nactus, incertum; procul dubio autem eadem fide tradidit, qua cætera, hoc eſt nulla, vel vehementer *dubia.* (a) Hæſiſſe ipſummet in hiſce, vel ex eo apparet, quod in fragmentis apud Photium ſcribat, Sardanapalum ab aliis Anacindaraxis, ab aliis Anabaxaris filium cenſeri.

(a) *dubia)* WAGNERI *inſtit. hiſtor. lib. III. p. 192. ſeqq.*

Julius Africanus quæ dedit nomina, num eadem ſint cum Cteſiacis haud dixerim: imo veroſimile eſt eſſe diverſa & prorſus alia. Totos enim undecim Reges numerat ille præter Cteſiam. Primus porro illi eſt Belus, de quo nihil Cteſias, ultimus Monos concoleros, quod nomen cum Sardanapali voce nihil commune habet.

Ex Julio Africano ſua deſumſit, ſed ex ingenio interpolata Euſebius; ex hoc Jornandes aliique deſcripſerunt, librariorum tamen culpa plurimum mutata & deflexa in prorſus alia. Unde vero acceperit Africanus latet.

Id notandum, non apparere illo in catalogo nomina Aſſyriorum Regum ſacris literis memorata. Et tamen tantæ olim fuere iſthæc famæ, ut Salmanaſſaris nomen in Tyriorum annalibus ætate Joſephi fuerit ſuperſtes, Sannecheribi hodieque ex ſacerdotum Ægyptiorum *παραδόσει* apud Herodotum reperiatur.

Ut fatear quod ſentio, Regum illorum cum nomina tum anni incerta admodum fide videntur niti; imo conficta potius videntur, quam vera accepta traditione. Saltim enim aliquod in iis veſtigium reperiretur nominum in ſacris laudatorum. Quid, quod fortaſſis *Nini nomen deflexum ſit ex Nimrod*, (a) adeoque in Regum Aſſyriorum numerum detruſus Rex Babyloniorum? Certe Belus, quem primo loco habet Africanus, Chaldæum numen eſt: num & Aſſyrium fuerit, merito dubites. Ita *a Semiramide Aſſyriaca fœmina conſtructam eſſe Babylonem*, (b) Beroſus in Chaldaicis jam olim negavit teſte Joſepho *l. 1. contra Apionem*, Philonis Byblii & Dorothei Sidonii teſtimoniis confutavit idem Julius Firmicus. Ut proinde & Aſſyriaca fœmina ſit perperam detruſa in res Chaldæorum. Sed de his ſatis.

CAPVT IX.

Quæ de temporibus olim Babylonii docuerunt, aut falſa eſſe aut incerta.

DE temporibus ſuis ipſi olim *Babylonii* (c) non idem tradiderunt. Diodorus Siculus l. II. c. 31. ſcribit: *Chaldæorum collegium ad expeditionem Alexandri in Aſiam quadringenta & ſeptuaginta duo millia numerare, ex quo ſidera obſervari cœptum ſit.* Cicero l. 1. de divinat. *Contemnamus etiam Babylonios. Condemnemus inquam hos aut ſtultitiæ, aut vanitatis, aut impudentiæ, qui CCCCLXX. millia annorum, ut ipſi dicunt, monumentis comprehenſa continent.* Idem ex Panætii ſententia l. 2. *nam quod ajunt, quadringenta & ſeptuaginta millia annorum in periclitandis experiundiſque pueris, quicunque eſſent nati, Babylonios poſuiſſe, fallunt.* Codices quidam Ciceroniani longe minorem numerum legunt, ſed eadem plane ex libro primo Lactantius inſeruit l. 7. inſt. c. 14. Itaque recte ſeſe habet vulgata lectio. Proclus Lycius *l. 1. commentarior. in Timæum Platonis* auctoritate Jamblichi coarguit Hipparchum, quod dixiſſet Chaldæos per ſeptem & viginti myriadas annorum ſidera obſervaſſe: illos enim totas circumvolutiones & periodos ſeptem mundi dominorum memoriæ prodidiſſe. Fortaſſis autem & ille Hipparchus non XX. ſed XL. ſcripſerat myriadas. Et vero ita ejus relatio exacte Ciceroniano numero convenit.

In Euſebianis Græcis p. 5. & 6. habentur quædam ex Beroſo, partim ab Apollodoro partim ab Alexandro Polyhiſtore excerpta. Et Alexander quidem ſcribit, dicere Beroſum: *ἀναγραφὰς πολλῶν ἐν Βαβυλῶνι φυλάσσεσθαι μετὰ πολλῆς ἐπιμελείας ἀπὸ ἐτῶν πυ ὑπὲρ μυριάδων ιε περιεχούσας χρόνον. περιέχειν δὲ τὰς ἀναγραφὰς ἱστορίας περὶ τοῦ οὐρανοῦ καὶ θαλάσσης, καὶ πρωτογονίας καὶ τῶν κατ᾽ αὐτοὺς πράξεων.* Igitur a condito mundo ad Alexandrum M. effluxerint plusquam centum quinquaginta annorum millia, & tot annorum hiſtorias habuerint Chaldæi. Longe ſuperatur tamen hæc ſumma a ſolis IX. Babyloniæ Regibus, quos ante diluvium Beroſus ſcripſit rerum potitos per ſaros centum viginti. Enimvero Abydeno interprete *Sarus Babyloniis* (d) eſt numerus trium millium ſexcentorum

(a) *Nini nomen deflexum ſit ex Nimrod*) Ex adverſo SCHVRTZFLEISCHIVS *diſſ. de Nino urbe l. c. p.* 49. Nimrodum ex veterum fuiſſe Belum, & Ninum Nimrodi filium, qui & Aſſur dicatur Gen. 10. quoniam omnes referunt, Ninum Belo genitum, idemque *p.* 6. 7. *l. c* quod Belus ipſe Nimrod fuerit, pluribus oſtendit.

(b) *a Semiramide Aſſyriaca fœmina conſtructam eſſe Babylonem*) Beroſo autem, cum id negat, accedit S. codicis autoritas, quæ Babylonem Semiramide vetuſtiorem aperte tradit: fœminam tamen hanc, cum bellum in ultimas Aſiæ regiones moliretur, exquiſitiore cura Babylonis opera & moles feciſſe, & muros foſſasque circumdediſſe, cum Nimrodo arx & rude opus poſſent ſufficere, unde extiterit, quod illi prima Babylonis initia tribuerentur, obſervat SCHVRTZFLEISCH. *l. c. p.* 10. de eo dubitari quoque poſſe monet *p.* 50. *ſeqq.*

(c) *Babylonii*) Vid. PERIZONII *Ægyptiaca.*

(d) *Sarus Babyloniis*) SVIDAS ex opinione EDMUNDI HALLEJI *in emendatione & notis in tria loca Plinii vitioſa* (de quibus vide *acta erudit.* a. 1692. p. 529.) per Saros periodum renovatarum & in orbem redeuntium eclipſium intellexit, idque oſtendit Hallejus ex ipſa voce Sari, quæ Chaldæis non niſi periodicam corporum cœleſtium revolutionem ſignificet. ISAACVS JAQVELOTIVS *in diſſert. de exiſtentia Dei c.* 19. Saros ab Ægyptiorum Thoth ſive Cyclo annorum 1460. non diverſos ſtatuit, idque hac de cauſa, quod a canicula nomen ille Cyclus acceperit Arabibus Alshaari vocata. Verum SYNCELLVS myriadas Beroſi Saris ſuperſtructas diſerte de zodiaci ſive ſphæræ ſtellarum fixarum ad primum, quem initio rerum obtinuit, ſitum recurſu, qui aſtronomis annus magnus dicitur, interpretatur. Chaldæi autem teſte Euſebio Sarum per 360. annos, Nirum per 600. Soſum per 60. annos definiverunt. Contra vero SALMASIVS tr. de *annis climactericis* Sarum per 600. annos, uti & Nirum & Soſum definivit, Jam cum ante diluvium numerentur 120. Sari, ſic ex Euſebii calculo effluxiſſent 432000. ex Salmaſii 864000. anni, qui numerus certe omnem fidem ſuperat. Proinde PANODORVS, Monachus Ægyptiacus, ut conciliaret immanem gentilium chronologiam cum annis Moſaicis, ſtatuit Saros non eſſe annorum ſed dierum. Quemadmodum etiam Ebræis annum יום ſive diem dici WILHELMVS LANGIVS *de annis Chriſti lib.* 1. *cap.* 17. ex 1. *Sam. I*, 3. probare contendit. Sed quoniam ſic numerus juſto minor prodiret, proinde SCALIGER etymon vocis Sari de luna vel menſe capiens, Sarum definivit uno magno menſe annorum 120. ut fere cum ſeculo Romanorum conſpiret. Quicquid ſit, non diebus ſed annis Saros conſtitiſſe, id longe certius creditur. Quantum vero annorum numerum complexi fuerint, quis in tanta rerum obſcuritate certo ſtatuet, niſi in tantum, quæ vulgo ex Chaldæorum traditionibus afferuntur, admittantur, aut niſi alia forte ratio ineatur.

rum: eoque ſari centum viginti ſunt annorum quadringenta triginta duo millia; quæ ſumma propius ad prius dictam accedit. Aut mendum igitur eſt in polyhiſtore, aut Abydenus perperam interpretatus eſt numeros illos Chaldaicos, ſarus, nirus, ſoſus. Poſterius vero eſt ſimilius; quis enim ſanæ mentis crediderit, regnatum a novem regibus quadringentis triginta annorum millibus? Superat hoc portenta omnia mendaciorum. Hinc Panodorus & Georgius monachi non annos ſed dies intelligendos cenſuerunt, ut ſarus unus ſignificet ter mille & ſexcentos dies, h. e. decem annos Chaldaicos exceptis quinque epagomenis. Quam illorum ſententiam reperias in notis Scaligeri ad Euſebium p. 246. Sed vereor ne hæc interpretatio mera ſit ex ingenio conjectura. Nihil enim præter ſolitum fuerit, ſi Regum aliquis ante diluvium regnaverit annos centum triginta aut paulo amplius: & tamen Joſepho teſte *l. 1. antiquit. c. 4.* etiam Beroſus conſenſit cum ſcripturæ doctrina de hominum longævitate ante diluvium. Quod enim idem, teſte Plinio l. 2. c. 49. negavit vita humana excedi poſſe annos CVII. id de ſtatu hominum a diluvio eſt accipiendum. Igitur in dubio maneat *quid ſit Sarus Chaldaicus:* (a) maneat etiam, ſecundum Beroſum ab initio mundi ad magnum Alexandrum numerata centum quinquaginta millia annorum. Ab initio inquam mundi. Etſi enim ſcribat Diodorus *l. II. cap. 30.* Chaldæos ſempiternam mundi naturam perhibuiſſe, *procul tamen id a vero eſſe*, (b) liquido apparet ex illa ſacra Oannis doctrina, quam ex Beroſo recitat Alexander Polyhiſtor.

Plinius l. ſeptimo naturalis hiſtoriæ cap. 56. ſcribit: *Epigenes apud Babylonios DCCXX. annorum obſervationes ſiderum coctilibus laterculis inſcriptas docet, gravis auctor inprimis: qui minimum, Beroſus & Critodemus CCCCLXXX. annorum.* Simplicius com. 46. in librum alterum de cœlo Ariſtotelis, ut quidem latine verſus eſt: *Propterea quod nondum obſervationes illæ cæleſtes, quas Ariſtotelis mandato Calliſthenes Babylone miſit, in Græciam pervenerunt: quas quidem annorum fuiſſe mille nongentorum trium, auctor eſt Porphyrius, ad Alexandri usque Macedonis tempora ſervatas.*

Hæc fere Chaldæi aut Babylonii olim de temporibus prodiderunt. Quæ multum inter ſe diſſonare, nemo non videt. Docet vero vel ſolus ille diſſenſus nihil certi illos habuiſſe. Neque enim multum adeo diſcrepaſſent ſententiis. Adhoc autem, qui per tot myriadas annorum annotaverint Babylonii naſcentium fata, ſi omnis ſiderum obſervatio tam brevi tempore, quale vel Calliſthenes, vel Epigenes, vel Beroſus memoravit, fuit circumſcripta? Alterutrum certe falſum ſit oportet. Cæterum omnes illas annorum myriadas inani mendacio eſſe confictas, ex ſacra quidem hiſtoria abunde omnibus eſt perſpicuum: licet tamen etiam inde ſcire, quod omnes Chaldaicæ obſervationes ſiderum quæ ad Græcos pervenerunt, *æra Nabonaſſarea* (c) terminentur. Nemo autem dixerit, in Græcorum notitiam pleraque non veniſſe. Qui enim victi fuerint auſi victores horum aliquid celare ſciendi avidos? Cupidiſſimos autem ſciendi victoresque fuiſſe Græcos, utique certum eſt. Non tantum vero non Ptolemæum ſed nec Hipparchum ullam cognoviſſe obſervationem ſideralem Chaldaicam, quæ Nabonaſſari excedat æram, liquidum profecto eſt ex utriusque, cumprimis autem Ptolomæi codicibus. Quid, quod videatur ipſe Beroſus ultra Nabonaſſarum nullam prodidiſſe ſideralem hiſtoriam? Hujus ſane libris aſtrologicis & Hipparchus uſus eſt & Ptolomæus. Illi etiam quadringenti octuaginta anni, quos Beroſus ſideralibus Chaldæorum obſervationibus adſcripſit *teſte Plinio*, (d) numerati ab initio Nabonaſſareæ æræ, id eſt ab anno ſecundo Olympiadis IIX. attingunt extrema Antiochi Σωτῆρος tempora. Huic Antiocho autem Chaldaicam hiſtoriam Beroſus inſcripſerat, ut affirmat Tatianus: Βηρωσσὸς ἀνὴρ Βαβυλώνιος, ἱερεὺς τοῦ παρ' αὐτοῖς Βήλου, κατ' Ἀλέξανδρον γε-

(a) *quid ſit Sarus Chaldaicus*) Niſi forte placeat JOH. PEARSONII ſententia in *expoſit. ſymboli Apoſtol. pag.* 106. Suidam ex codice Vaticano reſtituentis, atque adeo Sarum conficere menſes lunares 223. Saros vero 120. annos fere 2230. arbitrantis. Sane conjectura inde enata eſt EDVARDO STILLINGFLEET *in orig. ſacris lib. I. cap. 4. pag.* 153. quod Beroſus ſecutus ſit verſionem Græcam LXX. interpr. quæ a rerum exordio usque ad diluvium numerat 2242. annos, ſupponit autem Beroſum ſcripſiſſe temporibus Ptolomæi Philadelphi.

(b) *procul tamen id a vero eſſe*) Scilicet ex mente Diodori formæ novitatem non vero materiæ Chaldæi crediderunt, uti & veterum plurimi revelatione deſtituti intelligi debent, quando vel de mundi æternitate, vel de ejus initio loquuntur. Interim tamen & id Diodorus dicere videtur, non quod proprie mundi æternitatem Chaldæi crediderint, ſed quod ex eorum jactantia ea conſequatur.

(c) *æra Nabonaſſarea*) Hanc æram vel epocham inde derivant SCALIGER *ad fragm. veterum emendationi temporum adjecta p.* 41. & PERIZONIVS *antiq. temp. reſt. cap.* 12. *p.* 144. quod Nabonaſſar (quem USSERIVS contra putat fuiſſe Beleſin adjutorem Arbacis Medi contra Sardanapalum) primus jugum Medorum excuſſerit; ſed quoniam ne γρῦ quidem apud veteres de hoc Babyloniorum bello contra Medos, aut tali regni Nabonaſſarei initio legitur, proinde longe veriſimiliora videntur eſſe, quæ PERIZONIVS *orig. Babyl. p.* 340. *ſeqq. &* 18. *ſeqq.* affert, cum ait, æram hanc inde dictam, vel quod Nabonaſſar ipſe conſtituerit in publico & ſacro loco album aut annales, in quibus & ipſe primus cœperit ſingulas ſiderum obſervationes diligentius annotare, vel quod Aſtrologi Babylonii aliquanto poſt Nabonaſſarum collegerint hanc ſeriem obſervationum, & non aſcenderint tunc ultra Nabonaſſarum, quia non repererint ante ejus tempora continuam & ſatis accuratam illarum annotationem, ſicuti ab ejus tempore habemus, qua ratione etiam ipſo oſtendente epocha Olympiaca non aſcendat usque ad vera Olympiadum initia, ſed tantum usque ad Olympiadem 28.

(d) *teſte Plinio*) *Hiſt. natur. lib. VII. cap.* 56. Utuntur hoc loco PLINII SCALIGER ad *Euſebium pag.* 407. & VOSSIVS *de hiſtoricis Græcis*, nec non MARSHAMVS *ſeculo XVII. p.* 474. *edit. Anglic.* hic quidem, ut CALLISTHENIS vel PORPHYRII teſtimonium eludat, ſuamque de recentiore Babylonis origine ſententiam firmet. Illi vero, ut ex eo Beroſi ætatem & editarum ab eo hiſtoriarum annum eruant, quos ſequitur CONRINGIVS. PERIZONIVS tamen & HARDVINVS locum hunc PLINII mendoſum & corruptum eſſe ſtatuunt, atque pro annis 720. Epigenis annos 720000. & pro Beroſi & Critodemi illis 480. reſtituenda eſſe 480. millia annorum, ut ſic poſterior ſumma accedat ad fabuloſam illam a Cicerone & Diodoro Siculo expreſſam ſummam.

Digitized by Google

γενόμενος. Αντιόχῳ τῷ μετ' αὐτὸν τρίτῳ τὴν χαλδαίων ἱστορίαν ἐν τρισὶ βιβλίοις κατατάξας. Euſebius l. X. præparat. perperam habet *Αντιόχῳ τῷ μετὰ Σέλευκον.* At Soter Antiochus tertius eſt ab Alexandro, ſi & hunc in tribus illis numeres, & ſecundo loco habeas Seleucum.

Si recens autem adeo eſt fides hiſtoriarum ſideralium apud Babylonios, id ſaltem manifeſtum eſt, vana jactantia myriadas annorum illos oſtentaſſe. Ab Hipparcho id mendacii approbatum fuiſſe, haud crediderim Jamblicho ſive Proclo: uterque ſane in iis quæ Chriſtian... ...ei ſunt, cujusmodi eſt mundi creatio, ita ſeſe gerit, ut aperte falſa, inepta, imo portentoſa mendacia non dubitent profiteri. Ne Epigenis quidem aut Porphyrii narrationi tuto fidem adhibueris. Mirum enim, ſi Calliſthenes miſerit Ariſtoteli complurium ſeculorum hiſtorias ſiderales, ipſi Beroſo imo omnibus aliis Græcis ignoratas. Quis temere crediderit plures Babyloniorum obſervationes Epigeni quam Beroſo homini Babylonio obtigiſſe? Niſi forte Epigenes multum ſit Beroſo recentior, adeoque vixerit fortaſſis æræ Nabonaſſareæ ſeptingenteſimo anno & vigeſimo, atque ita ad ſuum usque ævum hiſtoriam ſideralem numeraverit. Unde Porphyrius acceperit illam Calliſthenis epiſtolam ad Ariſtotelem, in medio relinquendum eſt. Ecquis enim illud definierit, quod alius nemo memorat? Fortaſſis non tam de obſervationibus aſtrorum locutus eſt Calliſthenes in literis ad Ariſtotelem, quam de hiſtoria temporum Babyloniorum. Et vero annis mille nongentis ac tribus deductis ab periodi Julianæ 4384. quo Babylon ab Alexandro Magno eſt capta, caput illius æræ incidit in ejusdem periodi annum 2481. *qui eſt a diluvio 62.* (a) A quo usque tempore fortaſſis haud defuit Babyloniis certior rerum hiſtoria. Etſi enim turris Babylonicæ inſanum opus nondum moliti tum fuerint ſtulti mortales, eoque Babelis nomen nondum auditum, tamen jam tum terra iſthæc a maxima hominum parte videtur habitata.

Si autem Babyloniorum hiſtoria illo annorum numero fuit incluſa, profecto falſum eſt quicquid ſive alii ſive Beroſus de annorum myriadibus tradiderunt. Mirum vero ſi & Hipparchus teſtimonio ſuo probaverit myriades illas, cum tamen ille nullam obſervationem ſiderum potuerit conſequi Nabonaſſare antiquiorem. Mihi ſane non ſit probabile, ab Hipparcho id proditum eſſe. Certe ſi dixit per fecit imprudenter; vanam oſtentationem re ipſa ſtatim confutante. Scite Tullius ex ſententia Panætii doctiſſimi Stoicorum: *Quod ajunt quadringenta & ſeptuaginta millia annorum in periclitandis experiundisque pueris, quicunque eſſent nati, babylonios poſuiſſe, fallunt: ſi enim eſſet factitatum non eſſet deſitum, neminem autem habemus auctorem qui aut fieri dicat aut factum ſciat.* Optime. Qui enim verum ſit, tot annorum experimento Chaldæos iſthæc *γενεθλιακὰ* didiciſſe, ſi uſus doceat omne hoc inanis eſſe operæ? Bene etiam Phavorinus apud Gellium l. XIV. cap. 1. *Diſciplinam iſtam Chaldæorum tanta vetuſtatis non eſſe quanta videri volunt: neque eos principes auctoresque eſſe quos ipſi ferunt, ſed id præſtigiarum atque offuciarum genus commentos eſſe homines aruſcatores & cibum quæſtumque ex mendaciis captantes.* Ipſe etiam Diodorus numerum illum annorum, quibus Chaldæi dixere mundi ſeſe obſervationibus vacaſſe, *haud facile credi*, confitetur. Porro ſi *aliquot millibus* (b) annorum, non multis tamen, effluxis ſit *ἀποκατάστασις* rerum omnium, ex ſententia ipſorummet Chaldæorum, qui potuit apud Babylonios eſſe memoria tot myriadum? Profecto illa univerſi mutatio non poteſt non oblivionem omnium inducere. Taceo Beroſum ipſum prodere, falſo jactari, apud Babylonios ſupereſſe per tot annorum myriadas *ἀναγραφὰς* rerum ab orbe condito. Quæ ſane de mundi creatione diſſerit, fatetur deberi narrationibus Oannis, qui aliquot demum viſus ſit ſeculis poſt rerum initia. Fabuloſa vero illa omnia de Oanne eſſe vel Ægyptii docuerint; cum enim illis iſthæc debuerint eſſe eo notiora quo propiores ſunt Erythræo mari, unde dæmonii illud monſtrum prodiiſſe volunt Babylonii, in Ægyptiacis tamen monumentis de Oanne & traditis per ipſum mortali generi artibus ac ſcientiis, altum eſt ſilentium.

CAPUT X.

Beroſi hiſtoriam Chaldaicam non fuiſſe omni ex parte fide dignam.

Antequam pergamus fortaſſis haud abs re fuerit, paucis quædam de Beroſo addere, quoniam ille, ut homo Chaldæus, præ aliis laudatur vulgo Chaldaicas res memoriæ diligenter commendaſſe. Nec tamen eſt animus verbulum miſcere de *Annii Viterbienſis fictitio Beroſo*, (c) ſed tantum de illo veteribus deprædicato. Hunc tribus libris Chaldaicam hiſtoriam ſcripſiſſe, cum *ipſe eſſet gente Chaldæus*,

(a) *qui eſt a diluvio 62.*) GERH. JOH. VOSSIVS, PERIZONIVS aliique, qui chronologiæ ſacræ poſt Abrahamum usque ad Salomonem tria plus minus ſecula adjiciunt, obſervationum Babylonicarum ſive annorum a CALLISTHENE deſignatorum initium ad Abrahami ætatem adeoque ad ſerius tempus rejiciunt, id quod multo veriſimilius exiſtimant, quam ejusmodi obſervationes ſeptem annis ante Phalegi ortum & ipſam diſperſionem fuiſſe ab iſtis hominibus adhuc tum incultis nec uſu ullo edoctis factas, & in poſteritatis gratiam annotatas ſtatuere. Quicquid ſit, præclarum eſt, & Scripturæ S. congruens illud PORPHYRII vel potius CALLISTHENIS teſtimonium, quippe quod vel in ipſam Babylonis primam originem in S. codice memoratam confert, vel non longe infra eam locat antiquiſſimum obſervationum Chaldaicarum initium.

(b) *aliquot millibus annorum*) Conf. SENECAM *lib. 3. cap. 29. nat. quæſt. p. 720. edit. Andr. Schotti*, apud quem Beroſus ſtatuit omnia ſidera, cum in cancrum conveniunt, incendium mundi, cum in capricornum diluvium portendere. Adde SYNCELLI *chronogr. p. 17.*

(c) *Annii Viterbienſis fictitio Beroſo*) POSTELLVS *libro de Etruriæ origine* fragmenta illa Beroſiana vera agnoſcit, neque ab Annio Viterbienſi demum conficta, eo quod in Germania & Gallia extiterint, antequam in manus Annii inciderunt. Qui & apologiam pro illo ad Petrum Franciſcum Giambularium perſcripſit, quam & operi ſubjungit, ubi ex ipſa Armenia allatum hunc librum, & a Georgio Apoſtolicæ profeſſionis homine Latinum Annio datum fuiſſe ait, neque tamen certioribus documentis confirmavit judice MORHOFIO in *polyh. tom. I. lib. I. c. 10. n. 12.* Scripſit quoque pro eodem

dæus, (a) diſerte teſtatur Tatianus florentiſſima illa ad gentiles oratione. Τὴν χαλδαίων ἱστορίαν ἐν τρισὶ βιβλίοις κατατάξας. Tertium ejus librum χαλδαϊκῶν citat Joſeph. *l. 1. contra Apion. l. X.* ἀρχαιολογίας & Clemens Alexandrinus in *protreptico*. Primo libro videtur perſecutus hiſtoriam mundi conditi: altero res Chaldaicas ad initium æræ Nabonaſſareæ: tertio reliqua ad Alexandrum Magnum. Etenim Alexander Polyhiſtor apud Euſebium l. 1. chronicor. edit. Scaligeri pag. 6. ubi quædam de regione Babylonica & mundo condito ex Beroſo recitaſſet ſubjungit: Ταῦτα Βηρωσσὸς ἐν τῇ πρώτῃ φάσκει. Ἐν δὲ τῇ δευτέρᾳ τοὺς ι βασιλεῖς τῶν χαλδαίων, καὶ τὸν χρόνον τῆς βασιλείας αὐτῶν σάρους ρκ. Idem Alexander ex ſecundo libro nonnulla habet de diluvio. Quæ ex tertio autem libro Joſephus de Nabopolaſſare, Nabuchodonaſare, & eorum poſteris ad Cyrum, aut Clemens Alexandrinus de Veneris Tanaitidis imagine per Artaxerxem Ochi filium erecta memorat, illa poſt Nabonaſſarem contigiſſe liquidum eſt.

Hiſtoriam illam inſigni præconio mactavit Joſephus l. 1. contra Apionem: *Beroſus*, inquit, *antiquiſſimas ſecutus hiſtorias de facto diluvio, de hominum in eo corruptione, ſicuti Moſes conſcripſit: ſimul & de arca in qua generis noſtri princeps ſervatus eſt, devecta ſcilicet ea in ſummitatem montium Armeniorum. Deinde ſcribens eos qui ex Noe progeniti ſunt, & tempus eorum adjiciens usque ad Nabupolaſſarum pervenit.* Cæterum etſi multa ex vero admiſcuerit Beroſus, tamen pleraque non bonæ fuiſſe notæ, ſaltim illa, quæ ante Nabonaſſarem contigerunt, non ea qua par erat fide fuiſſe tradita, haud difficile eſt perſpectu. Certe quæ primo libro narravit de mundo condito, illa fabuloſa fuiſſe docent fragmenta illa Euſebiana. Pari ratione habuiſſe ſeſe quædam libri ſecundi, ex iis quæ modo diximus jam apparet. Illo libro nihil ab ipſo dictum fuiſſe de turris illa immani ſtructura eamque ſubſecuta confuſione linguarum, videtur; & tamen quam maxime hoc pertinuiſſet ad res Babylonias. Indicio autem hoc certiſſimo eſt, falſo multorum ſeculorum annales a Babyloniis & Beroſo fuiſſe jactatos. Quæ a Nabonaſſaris ætate usque contigerunt, forte rectius tradidit Beroſus ex annalium fide. Etenim haud injuria dixeris, quod Græcis Olympiades, id Babyloniis æram illam fuiſſe Nabonaſſaris; ut quæ hanc præceſſerunt fuerint & apud illos ἢ ἄδηλα ἢ μυθώδη.

Et vero neſcio num & Beroſus ipſe fucum facere voluerit ſuis plusquam centum quinquaginta mille annis, quorum memoriam Babylone ſcripſit conſignatam repeciri, in animo habens non niſi Nabonaſſaræa illa tempora. Sane ſi pro annis dies ſubſtitueris, confecta & plana res eſt: utpote cum totidem dies conficiant annos quadringentos ſedecim & dies centum ſexaginta, quot forte præciſe Nabonaſſaræi anni effluxerunt ad Alexandrum Magnum, licet canon mathematicus tantum numeret annos CCCCXVI. Certe illius tantum æræ initio clauſiſſe omnes obſervationes ſiderum Babylonias Beroſum, ex Plinio conſtat *l. VII. c. 56.* Quadringenti nimirum & octuaginta anni, quanto ſpacio ævi apud Babylonios exſtare ſiderum obſervationes ille prodiderat, ſi a capite Nabonaſſaræ æræ numerentur, attinguntur tempora Antiochi Σωτῆρος, cui videtur hiſtoriam ſuam inſcripſiſſe Beroſus, ceu ex Tatiano jam ante notavimus. Indubie vero id ipſum traditum fuit a Beroſo in opere aliquo, quo ἀστρονομίαν aut Chaldæorum philoſophiam docuerat, cujusmodi ab eo fuiſſe ſcripta etiam Joſephus *l. I. contra Apionem* teſtatur, ut qui tantum illo in loco valuerit, ſi Plinio credimus *l. VII.* c. 36. ut illi *ob divinas prædictiones Athenienſes publice in Gymnaſio ſtatuam inaurata lingua poſuerint.* Verum huic famæ ſive ademeris ſive præbueris fidem, perinde eſt. Fortaſſe certius eſt id quod de horologiis variis Vitruvius ſcripſit: *Hemicyclium excavatum ex quadrato ad enclymaque ſucciſum Beroſus Chaldæus dicitur inveniſſe.*

CAPUT XI.

Babylonici regni, fabulis rejectis & confutatis, fortuna ex veriſſimis monumentis eruitur, monſtrato cum ſacris literis conſenſu.

ANte κατακλυσμὸν decem Regibus Babylonem eſſe regnatum, Beroſus ſane tradidit; ut perſpicere eſt ex iis quæ Abydenus, Alexander Polyhiſtor & Apollodorus ex illo exſcripſerunt, & nunc in Euſebianis chronicis recitantur. Neque enim vel Euſebius vel Africanus Beroſum ipſum videntur legiſſe: eoque illi ſemper recitant Beroſiana aliena fide. Verum illi reges fortaſſe ſunt fabuloſi. Cum ſacer codex tamen decem itidem generationes hominum ab Adamo ad Noachum numeret, videtur hinc orta fabula.

Quæ

apologeticum THOMAS MAZZA ex ordine prædicatorum, quem cum anonymus quidam nobilis refutaſſet, defendit poſtea FRANCISCVS MACEDVS. A plerisque tamen adverſus hunc Annium ut veteratorem & falſarium conclamatum eſt argumentis in medium productis non contemnendis, de quibus legatur VOSSIVS *lib. I. de hiſtor. Græcis c.* 22. quanquam nonnulli alii id criminis impoſtori alteri impingant, Annium vero a ſuſpicione excuſent, nominatim MVNSTERVS *lib. V. cosmogr. cap.* 8. alii quoque non omnia apud Annium eſſe conficta, ſed quædam genuina aſſerant, uti DAVID CHYTRÆVS, THOMAS REINESIVS. Fuit autem L. Joh. Annius Viterb. ordinis prædicatorum monachus a. 1437. natus, vir Latinæ linguæ, Grææ, Chaldaicæ & Arabicæ eruditus & antiquitatis ſtudioſiſſimus. Cæterum de eo præter VOSSIVM confer BAYLIVM in *diction.* ſub voce *Nonnius*, Celeb. BVRCHARD. GOTTH. STRUVIVM *de doctis impoſtoribus* §. 25. *ſeqq.* HVMPHRIDVM PRIDEAVX *hiſt. V. T. tom. I. p.* 712. JOH. ALB. FABRICIVM *in bibl. latin. vol. I. lib. IV. c.* 13. *p.* 877. *vol. III. p.* 886. *ſeqq.* BENJAMIN HEDERICVM *in notitia autorum antiqua ſect.* 32. 113. 128. 131. 139. 144. 158.

(a) *ipſe eſſet gente Chaldæus*) Vivit paulo ante principatum Alexander M. & ſacerdos fuit Chaldæorum, cujus filiam Sibyllam, quæ poſtea Cumas venit, JVSTINVS MARTYR in *paræn. ad Græcos pag.* 34. facit, quo tamen inſigni anachroniſmo illum MONTACVTIVS *in analect. eccl. exercit.* 4. liberat, ab gloſſatore inepto illa verba interjecta judicans.

Quæ de Babyloniorum regibus poſt diluvium tradidit Beroſus, illa omnia deſiderantur usque ad Nabopolaſſarem & Nabuchodonaſarem. Attamen de inſana turris conſtructione & ſubſecuta confuſione linguarum in Babylone, haud multum ſacris noſtris hiſtoriis diſſimilia recitat Joſephus quædam, ex neſcio qua Sybilla *l. 1. antiq.* & Euſebius *l. 9. προπαρασκευῆς c. 14.* ex Abydeno, quæ inde, quantum videtur, more ſuo, transſcripſit Cyrillus *l. 1. contra Julianum.* Habentur autem illa Abydeni etiam in chronicis Euſebianis Græcis Scaligeri. Ubi & fragmentum illuſtre exſtat Heſtiæi Mileſii, de linguarum confuſione & ſeparatione gentium, acta in Sennear poſt diluvium. Videtur vero de his omnibus nihil tradidiſſe Beroſus, quod jam ante diximus: alioquin enim ejus teſtimonio illuſtraſſet hunc locum ſaltem Joſephus, quem Beroſi libris eſſe uſum ſatis liquet.

A diluvio Julius Africanus (ſi credimus Scaligeri Euſebianis Græcis) primos Babylonios ſcribit reges ſibi conſtituiſſe: *οἱ Χαλδαῖοι πρῶτοι ἀπηγόρευσαν ἑαυτοῖς βασιλεῖς*; recenſet idem mox duas dynaſtias regni in Babylone, alteram Chaldæorum regum ſeptem, qui regnaverint annos CCXXIII, alteram Arabum quinque regum, annorum CCXVI. Hos demum ſubſecutum Ninum reliquosque quadraginta Aſſyriorum reges. Quo auctore illa narret Africanus, incertum eſt.

Primum autem apud Chaldæos cœpiſſe regnum aliquod ſolito majus & potentius, ex ſacris quoque hiſtoriis novimus. Etiam vero ex Cteſiæ fabulis conſtat, ante Aſſyrios imperio Babylonios floruiſſe. Diodorus Siculus Cteſiæ fide l. 2. cap. 1. *Ninus Aſſyriorum Monarcha Arabis ſubſidio inſtructus immenſo cum exercitu finitimos ſibi Babylonios invaſit. Babylon autem quæ nunc eſt illo tempore nondum erat condita, ſed alias Babylonia urbes non contemnendas habebat. Cujus incolis tam facile in poteſtatem redactis, quod diſcriminum belli rudes & imperiti eſſent; ipſis quidem annui penſionem tributi imperavit, regem vero debellatum cum liberis captivum abduxit & interemit.*

Cæterum an integris quadringentis & quadraginta annis libera republica fuerint uſi Chaldæi, dein ab Aſſyriis ſubacti, omnino eſt incertum. Si ita eſt, cœperunt Aſſyriis ſubjici circa annum periodi Julianæ 2963. Nam a nativitate Peleg præter propter, non autem ante; cœpiſſe Nimrodum, manifeſtum eſt ex ſacris. Et vero Chaldæos non paruiſſe Aſſyriis Abrahami ætate, jam tum ſupra docuimus contra Cteſiæ fabulas. Ratio vero fugit Africanum, quando ſtatim in Nino primo Aſſyriorum Rege exſtinctas vult Babyloniorum illas dynaſtias: utpote qui ipſo autore haud multum a diluvio cœperit. Fortaſſis Aſſur, primus in Nino urbe Aſſyriorum monarcha, vicit quidem Chaldæos, hi tamen recuperata libertate propagaverunt potentiam per annos quadringentos & quadraginta, inde demum omni ſunt ab Aſſyriis exuti imperio. Falſum vero & illud eſt, quod ſignificat Africanus, quaſi poſt Ninum usque ad Monon-Concoleron nulli fuerint Chaldæorum proprii reges. A Nabonaſſaro enim ſaltim usque ad Cyrum non defuiſſe illis reges, ſolus canon aſtronomicus Nabonaſſaræus doceat: ne nunc dicam, in ipſis ſacris Merodach Baladanum memorari, quo tempore debilitatum quidem defectione Medorum fuit Aſſyriorum imperium, at nondum exſtinctum.

Porro ex ſacris quidem monumentis, quemadmodum habuerint ſeſe Babylonii ab Abrahamo usque ad Ezechiam Regem, non poteſt peti. Ne quidem in aliis ſcriptis quicquam hujus argumenti extat usque ad Nabonaſſarem, qui paulum ætate Ezechiam præceſſit, præter unum illud de Semiramide Aſſyria. Beroſus enim, teſte Joſepho *l. 1. contra Apion. μέμφεται Ἑλληνικοῖς συγγραφεῦσιν, ὡς μάτην οἰομένοις, ὑπὸ Σεμιράμιδος τῆς Ἀσσυρίας κτισθῆναι τὴν Βαβυλῶνα, καὶ τὰ θαυμάσια κατασκευασθῆναι περὶ αὐτὴν, ὑπ' ἐκείνης ἔργα ψευδῶς γεγραφόσι.* Qui factum vero, ut a Nabonaſſare Rege nova cœperit Chaldæorum numerari æra, divinare difficile eſt. Quidam ſuſpicantur illo rege priſcam Chaldæis libertatem redditam: ex ſacra tamen hiſtoria, etiam procedente tempore Aſſyriis Babylonios paruiſſe, paulo poſt demonſtrabitur. Mihi veroſimile fit, Babylonem dudum exhauſtam & prope deſolatam ab Aſſyriis rurſum fuiſſe præclare reſtitutam, dato ipſi primo Rege Nabonaſſare qui tamen præeſſet jure clientelari. *Videtur huc ſpectaſſe Eſaias cap. XXI.* (a) ubi de Tyriorum clade quam a Babyloniis paſſuri erant divinavit: ait enim verſiculo 13. *Ecce terra Chaldæorum, iſte populus non erat: Aſſur fundavit eam navibus, erexerunt arces illas.* Ita enim hunc locum vertit Santes Pagninus. Jam Eſaiæ autem ætate urbem illam fuiſſe pulchre exultam & ædificiis ſuperbam, liquet ex cap. XIII. & XIV.

Nabonaſſaris ævo Babylonem Aſſyriis fuiſſe ſubditam, (b) liquidum eſt ex ſacris noſtris hiſtoriis. Etenim Salmanaſſar, cui decimo ſexto Nabonaſſareæ æræ anno tributarius factus eſt Hoſeas Iſraelis Rex,

(a) *Videtur huc ſpectaſſe Eſaias cap. XXI.*) Locum hunc MARSHAMVS *in canone chronico pag.* 508. pariter de Nabonaſſare, qui & Baladan dicitur, intelligit, ſed ita tamen, ut inde probare contendat, Babylonem urbem non a Nimrodo, ſed a Nabonaſſare conditam fuiſſe; quod autem *Gen. X, 11.* dicitur, id ita interpretatur, Nimrodum verſus Aſſyriam contendiſſe, & condidiſſe Niniven atque Rechoboth.

(b) *Nabonaſſaris ævo Babylonem Aſſyriis fuiſſe ſubditam*) Idem ſtatuit GOARVS *in notis ad Syncellum pag.* 57. *Petavius*, inquiens, *diverſos Nabonaſſarem & Salmanaſſarem contendit, lib. 9. de doctrina temporum cap. 52. hunc nempe Babyloniis, cum alter Aſſyriis imperitaret. Quid tum? Annon unus alteri parere potuit & ut ſatrapa principis ſupremi leges obſervare & ejus militare ſtipendiis?* At a veritate longe abſunt viri docti, ait SCHROEERVS *de imperio Babylonis & Nini pag.* 177. Non enim Salmanaſſar, ſed Aſſarhaddon coloniam illam in Samariam adduxit, quod *ex Eſdræ IV.* 2. nos docet MARSHAMVS in *canone chronico pag.* 510. Iſte vero Aſſarhaddon citra controverſiam fuit Rex Babyloniæ. Interim Salmanaſſaris potentia tanta non fuit, ut ideo negemus, Nabonaſſarem Babyloniæ reddidiſſe libertatem, cum vel in recentiori hiſtoria exempla proſtent, ubi idem factum eſſe certiſſimum eſt. Ita enim Batavi non obſtante Philippi II. Regis Hiſpan. potentia, qui claſſe invincibili Angliam petiit, tamen in libertatem ſe aſſeruerunt.

Rex, usque adeo habuit addictos Babylonios, ut in coloniam eos miſerit: ceu legitur 2. Regum XVII. 24. Poſt defectionem Medorum & Sennacharibi interitum Merodach Baladan, ſive Mardokempadus, videtur alieniore fuiſſe ab Aſſyriis animo, utpote qui auſus fuerit cum Ezechia Aſſyriaci imperii hoſte colere amicitiam, quod colligere eſt ex iis, quæ narrantur 2. Reg. XX. Eſaiæ XXXIX. Paulo poſt rediiſſe Babylonem in Aſſyriorum poteſtatem docet hiſtoria Manasſis Regis. De hoc enim 2. Paralip. XXXI. *Locutus eſt Dominus ad eum & ad populum illius & attendere noluerunt; idcirco ſuperinduxit eis principes exercitus Regis Aſſyriorum, ceperuntque Manaſſem & vinctum catenis & compedibus duxerunt in Babylonem.* Quinimo in eodem obſequio manſiſſe Babylonios usque ad Nabuchodonoſarem, colligas haud perperam ex iis, quæ de Aſſyriorum ſuperſtite poſt Medorum defectionem potentia ſupra diſſeruimus. Etiam hinc ſane videtur dictus Nabuchodonoſar Danieli *caput aureum.* Enimvero illum fuiſſe ſui juris, imo Regem Regum fuiſſe, certum eſt. Jam tum Nabopolaſſari tamen videtur Beroſus magnam vim & potentiam tribuiſſe. Ita enim loquitur apud Joſephum *l. 1. contra Apionem,* & qui Joſephum deſcripſit Euſebium *l. 9. praparat. c. 40.* quaſi Nabopolaſſar Satrapam conſtituerit, qui præeſſet Ægypto, Syriæ & Phœniciæ: contra illum enim rebellantem miſſum a patre ſene Nabuchodonoſarem. Verum falſus eſt Beroſus & fefellit alios. Conferentibus enim ſacram hiſtoriam eſt manifeſtum, illum contra quem duxit exercitum Nabuchodonoſar, quemque omni Syriæ & Phœniciæ ditione exuit, imo Ægypti parte aliqua mulctavit, eſſe Nechum Ægypti Regem. Hic vero non contra Babylonios, ſed adverſus Aſſyrios inſurrexit, ut diſerte legitur *2. Reg. c. XXIV. 29.* Nec in ſacra hiſtoria illum exſtat veſtigium potentiæ Babyloniorum, per Syriam aut in Ægyptum usque ſeſe porrigentis, ante Nabuchodonoſarem, utpote quæ indubie involviſſet res Judaicas. Sed & ex Herodoti *l. 2.* conſtat, illum, qui tum Ægypto præfuit Nechum Regem multum valuiſſe potentia, nec alterius arbitrio fuiſſe obnoxium.

Primus itaque libera poteſtate Babyloniis *Nabuchodonoſar* (a) imperavit. Et vero hunc cum Medis, Aſſyriaci imperii ſummis hoſtibus imo everſoribus, ſummam coluiſſe amicitiam ex Beroſo eſt manifeſtum. Uxorem enim habuit Medicam, adeo ſibi adamatam, ut in ejus gratiam hortum penſilem conſtruxerit. Teſtatur id Beroſus apud Joſephum *l. 1. contra Apionem;* cui potius crediderim quam Cteſiæ, quo autore refert Diodorus *l. 2. c. 10.* hortum illum a Syro quodam Rege in gratiam pellicis Perſicæ inſtitutum eſſe. Dixeris illam Cyaxaris fuiſſe filiam. Pacem inter Lydos & Cyaxarem Babylonii Regis interventu coiiſſe, teſtatur Herodotus *l. 1.* qui etſi Regem illum Labonytum appellet, non poteſt tamen alium quam Nabuchodonoſarem ſignificare, ut qui unus tum regno Babylonio præfuerit. Megaſthenes, teſte Abydeno apud *Euſeb. l. 9. praparat. c. 41.* narrat conqueſtum Nabuchodonoſarem de nimia autoritate aulici cujusdam Medi, quem Darium Medum eſſe, poſt Evvilmerodachi parricidam ſimul & Nabuchodonoſaris generum alias demonſtratur. Si Alexandro Polyhiſtori credimus, Medico auxilio uſus eſt Nabuchodonoſar in expugnanda Hieroſolyma. Verba Alexandri refert Euſebius *l. 9. praparat. c. 37.* neque cauſæ ſatis eſt cur illud in dubium vocarit vel negaverit potius Joſephus Scaliger. Usque adeo vero Medis conjunctus non potuit non ab Aſſyriis alieno eſſe animo. Et vero certum eſt primis imperii illius annis Ninum ipſam a Cyaxare eſſe deſtructam.

Primum igitur a Nabuchodonoſare cœpit novum illud Auguſtum Babylonium regnum; non quidem cum Aſſyriaco comparandum, ſuperans tamen forte ejus terræ omne anteactum ævum. Certe potentiam Nabuchodonoſaris non ſacri tantum codices loquuntur, verum etiam Alexander Polyhiſtor, Abydenus, & qui primo loco erat memorandus Beroſus, locis ante laudatis. Attamen minus videtur veroſimile quod Abydenus habet ex Megaſthene, Nabuchodonoſarem in Lybiam atque Iberiam facto impetu, utriusque jam domitæ colonias in dextram Ponti plagam deportaſſe, aut quod ex Megaſthene ſcribit Strabo l. 15. *Ναβοκοδρόσορον δὲ τὸν παρὰ Χαλδαίοις εὐδοκιμήσαντα ἡρακλέους μᾶλλον, ἕως στηλῶν ἐλάσαι.* *Nabuchodonoſar, cujus apud Chaldæos fama Herculem vincit, ad columnas venit cum exercitu.* Aut denique quod ex Megaſthene habet Joſephus *l. 1. contra Apion.* illum magnam Africæ & Hiſpaniæ partem ſubjugaſſe. Etenim & ſacræ literæ videntur Ægypto claudere Nabuchodonoſaris potentiam, & Herodotus Medis attribuit Aſiaticum illud ad Pontum imperium. Quicquid tamen ejus ſit, a Nabuchodonoſare condita eſſe miranda illa Babylonis mœnia, quæ ad Alexandri usque ætatem duraverunt, certum eſt. Hinc illa vox glorioſi Regis Danielis IV. 27. *Nonne hac eſt Babylon civitas magna, quam ædificavi in domum meam, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei.* Prolixius hiſtoriam ædificatæ ab illo Babylonis perſequitur Beroſus apud Joſephum atque Euſebium, ut & Abydenus

(a) *Nabuchodonoſar*) ſive Nebucadnezar, alibi etiam ſcribitur Nebucadrezar. Melius vero ſec. HYDIUM *de veterum Perſ. relig. p. 67.* ſcribitur, Nebo, Gad Aſar i. e. Mercurius, Jupiter, Mars, quemadmodum Græcis ſcriptoribus, qui dicitur Νεριγασσολάσσαρ Hydio eſt Nergal Aſar. JOH. CHRISTOPH. ARTOPÆUS *in diatribe de Xerxe, Nebucadnezare ac Cyro minore liberatore Judæorum* oſtendit, Nebucadnezarem hunc eſſe, qui alias Xerxes dicitur, idque cum ex aliis, tum etiam inde probat, (1) quod appareat ex 2. Reg. 23. & 24. Nebucadnezarem patre adhuc vivo bella contra Ægyptios & ſocios eorum Judæos ſub Jojakimo geſſiſſe, eademque de Xerxe memoret Herodotus in Polyhymnia, (2) quod Joſephus eum Medorum Regem dicat lib. 10. antiqu. c. 4. (3) quod ſomnium ejus relatum Dan. 2. idem Xerxi contigiſſe a bello contra Ægyptios reverſo legatur apud Herodotum, cum nimirum ille de bello Græcis inferendo ſollicitus cubitum ſe contuliſſet, cui ſimile ſit aliud Artabani ſomnium, (4) quod Xerxes idola urbis Babylonis abſtulerit, & præcipue idolum Beli apud Herodotum, idque cum Nebucadnezaris agnitione Dei vori c. 2. 47. c. 3. 95. 96. conſpirare videatur, (5) quod ſucceſſores Xerxis ſe pariter habeant cum iis, quos ſcriptura recenſeat & quæ ſunt alia.

denus apud eundem Euſeb. *l. 9. præparat. c. 41.* ut illa de Nitocri regina (quæ tamen videtur fuiſſe Medica illa uxor Nabuchodonoſaris) Herodoto memorata omnino ſint falſa. Neque vero eſt quod dicas cum Scaligero, opera illa exſtructa ab uxore, quo tempore furore laborabat maritus. Antequam enim fureret, jam ſtructa erant Babylonis mœnia, ut ex Daniele eſt manifeſtum. Omnino tamen digna ſunt lectu, quæ de Babylone habet Herodotus, ut & quæ de eadem urbe refert Strabo *l. 15.* Diod. *l. 2.* Curt. *l. 5.* Plin. *l. 6. c. 26.* Inter alia dignum animadverſione eſt, a nemine horum ſtructuram turris alicui Regum attribui; quam tamen ita deſcribit Herodotus, ut prope fidem ſuperet. Veriſimile ſane hinc fit, illam Herodoto laudatam *turrim* (a) eſſe illam Babylonicam tanta mole poſt diluvium ſtructam, & ſequente demum ætate quaſi redintegratam. *Certe rudera ejus longe vetuſtiſſimâ Babylonicæ turris*, ſaltim ejus cujus meminit Herodotus, *ſuperant* (b) hodieque, inacceſſa tamen ob ſerpentum aliorumque venatorum animalium copiam. Illam vero turrim ſtatim a diluvio exſtructam & quidem a gigantibus, etiam Eupolemus & Artapanus tradidit, teſte Alexandro Polyhiſtore apud Euſebium *l. 9. præpar. c. 17. & 18.* ne dicam de Abydeno & Sybilla, quorum teſtimonia habet Joſephus *l. 1. antiquit.* Potentia porro Nabuchodonoſaris non ex ſacra tantum hiſtoria patet, ſed etiam ex monumentis Beroſi, Abydeni, Megaſthenis, locis jam laudatis, apud Joſephum, Euſebium, Strabonem. Videndus etiam Demetrii locus apud Clementem *l. 1. ſtromat.* & Philoſtrati, ut & alterius ex publicis Tyriorum actis apud Joſephum *l. 2. contra Appionem.*

Duraſſe præterea illud regnum a Nabuchodonoſare conditum uſque ad Cyrum, diſcere eſt ex Beroſo cumprimis & Abydeno. A quibus perperam videtur diſſentire Herodotus, in eo quod Labynetum ultimum Regem, quem illi Nabonidum appellant, tradiderit Nitocri regina fuiſſe genitum. Idem tamen quæ de capta per Cyrum Babylone, de exſiccato amnis alveo, deque pavore Babyloniorum refert, mirifice illuſtrant ea quæ Jeremias prædixerat cap. L. & LI.

Poſt Cyrum nunquam hactenus terris illis Chaldæorum proprius aliquis Rex fuit Babylonis. Ipſius fatum quale ſuo ævo fuerit, docet nos Plinius l. 6. *Durat adhuc ibi Jovis Beli templum, cætero circuitu in ſolitudinem rediit, exhauſta vicinitate Seleucia, ob id condita a Nicatore intra nonageſimum lapidem.* Illud Jovis Beli templum vetuſtate jam fuiſſe collapſum, teſtatur Diodorus Siculus l. 11. c. 9. qui de Babylone ipſa ita loquitur c. 10. *Regias & alias ſtructuras partim tempus omnino abolevit, partim corrupit. Nam & ipſius Babylonis exigua quædam portio nunc habitatur, maximaque intra muros pars agrorum cultui eſt expoſita.* Solitudinem urbis, ipſo illo templo etiam diruto, latius deſcripſit multo poſt Benjamin Tudelenſis Judæus in *itinerario.* Quibus ſi addas, quæ de ruderibus Babyloniæ urbis Leonhardus Rauvvolfius, *αὐτόπτης* & digniſſimus fide teſtis, patrum memoria ſcripſit, veneraberis nobiscum divinam veritatem prædictionum Eſaiæ & Jeremiæ de fatali florentiſſimæ quondam urbis excidio.

CAPUT XII.

Canonem mathematicum Nabonaſſaræum, in annis regum Babyloniorum, non mereri fidem.

NOmina Regum Babyloniorum a *Nabonaſſare* (c) ad Nabonidum, quem devicit Cyrus *ex Canone quodam mathematico* (d) depromſit Joſephus Scaliger *l. 3. canonum iſagogicorum p. 285.* Illum miſere contaminatum eſſe merito deplorat, eoque ex conjectura Regum tempora aliter partitur. Poſt Scaligerum *Calviſius* (e) & alii eundem Canonem, aliter tamen conformatum, dederunt. Videtur autem vel hoc vel alio ſimili jam tum uſus Ptolomæus. Non tamen annos Regum quos ille deſignat licet cum Canone noſtro componere, ex. cauſa, refert Ptolomæus l. 5. c. 15. defectionem Lunarem

(a) *turrim*) BECMAN. *in analect. hiſtoricis p. 25.*

(b) *Certe rudera ejus longe vetuſtiſſima Babylonicæ turris ſuperant*) Ita cum HIERONYMO aliiſque ſentit autor. Sunt tamen, qui exiſtimant, iſta rudera, quæ ſuperſunt, non eſſe turris illius rudera, ſed vel murorum Babyloniorum, de quibus CVRTIVS *lib.* 5. vel regiæ Beli, de qua CVRTIVS ibid. vel ſepulchri Beli, de quo STRABO *lib.* 15. aut ſec. JOSEPHVM libro *contra Appion.* templi Beli fuiſſe veſtigia, niſi dixeris, Belum hunc fuiſſe ipſum Nimrodum. Conf. MOLTNENIVM *ad Bioronii relig. medici p.* 149. *& de turri Babyl. pecul. opus* ATHAN. KIRCHERI, adde BOCHARTVM *phaleg. lib.* 1. c. 9. *ſeqq.* qui operoſus eſt in ejus deſcriptione & NICOL. GVRTLERVM *in origin. mundi lib.* 1. *cap.* 9. §. 20.

(c) *Nabonaſſare*) Incertum, quinam hic fuerit. Aliqui Salomonaſſarem Aſſyriorum Regem fuiſſe dicunt, vid. MARSHAM *in canon. chron. ſecul. XVII. p.* 510. SCALIGER autem *lib.* 5. *de emendat. temporum* ipſum Babyloniæ Regem facit.

(d) *ex canone quodam mathematico*) Canon iſte, quem SCALIGER omnium veterum epocharum nobiliſſimum vocat, ex tabulis Chaldæorum aſtronomicis & obſervationibus Alexandrinorum cœleſtibus a PTOLOMÆO collectus eſt, quem poſtea Theon Alexandrinus Imper. Heraclius commentariis ſuis illuſtrarunt, & a temporibus Antonini Pii, in quibus ſubſtitit PTOLOMÆVS, cum aliis continuarunt. Quoniam vero inſigne hoc vetuſtatis monimentum variis ſcriptorum Genethliacorum & eccleſiaſticorum mutationibus obnoxium fuit, hinc canon ille fere ſibi diſſimilis factus ægre a SCALIGERO potuit reſtitui. Felicior fuit in eo edendo CALVISIVS, qui eum ex codice quodam Ptolomæi *ὑποθέσεις φαινομένων* continente favore JOH. OVERALLI Londinenſis accepit & *iſagoges chronologicæ* partem fecit. Tandem DIONYSIVS PETAVIVS inprimis ad calcem *rationarii temporum* & HENRICVS DODWELLVS *in appendice ad diſſertationes Cyprianicas p.* 24. *ſeqq.* canonem hunc ſummo ſtudio ad fidem Codicum examinarunt & luci ſuæ reddiderunt, ita ut nunc totius antiquæ chronologiæ baſis poſſit appellari.

(e) *Calviſius*) Hunc enim SCALIGER maxime nactus eſt rationum ſuarum propugnatorem, primumque ſuper Eclipſium fundamento conſilio propemodum divino, uti loquitur MORHOFIVS *polyhiſt. tom.* 3. *lib.* 4. *p. m.* 31. ex aſtronomia per SCALIGERVM ſuggeſto chronologicum opus extruxit, quod SCALIGER ipſe ſummis in cœlum laudibus extulit, inquit enim *in epiſt.* 229. *lib.* 3. ad JAC. CASTELLVM: *Si quid de doctrina temporum, quod tempus ferre poſſit, meditaris*, SETHI CALVISII *exemplum ſequere, qui poſt hominum memoriam ſolus chronicon ſcripſit. Nam quæ hoc nomine circumferuntur reliqua, putaſne me ea in chronicorum cenſum referre.* Calculum ejus etiam ſequitur CHRISTOPH. HELVICVS in theatro.

narem obſervatam anno quinto Nabopolaſſaris, centeſimo viceſimo ſeptimo Nabonaſſaris: ille autem annus Nabonaſſaris non poteſt eſſe Nabopolaſſaris quintus; ſed, ſi ſane decimus ſeptimus Nabonidi eſt Nabonaſſaræus ducenteſimus ſeptimus juxta Canonem meliorem, annus Nabonaſſaræus 127. fuerit Nabopolaſſaris ſeptimus. Quo ſimul liquet, quantum falſus ſit Joannes Bainbridge Anglus, qui Canonem illum, tanquam ſit a Ptolomæo ipſo profectus & poſt a Theone ad Theodoſium magnum productus, cum Procli Sphæra & Ptolomæi hypotheſibus Planetarum Londini publicavit excerptum ex MSt. libro κανόνων προχείρων. Nec enim a Ptolomæo eſſe poteſt, quod a Ptolomæo diſſentit. Ne a Theone quidem eſſe illa additamenta Canonis, argumento eſt, quod in iis Julianus Cæſar audiat παραβάτης, quo nomine profecto non fuit dictus Theoni homini pagano.

Ut autem quod res eſt *de auctoritate illius Canonis* (a) dicamus, videtur nulli illius Canonis exemplari quoad Regum quidem Babyloniorum tempora, multum fidei tribuendum. Quod illorum attinet tempora inquam. Nec enim nunc in dubium vocaverim, utrum hiſtoriæ illæ eclipſium, quas habet Ptolomæus vere contigerint illis Nabonaſſareæ æræ annis quos notavit Ptolomæus. At in Babyloniorum regum calculo (ut de his ſolis nunc agam) quis vel Ptolomæo vel canonibus illis noſtris crediderit, cum certum ſit abire illos a luculentiſſimis illis fragmentis Beroſi, quæ Joſephus recitavit libro primo contra Apionem & ex illo Euſebius retulit l. 9. προπαρασκευῆς c. 40. Neque vero in aliquo quod nunc exſtat exemplari canonis ſit mentio Laboſoroardochi, quem integros tamen novem menſes regnaſſe teſtatur Beroſus. Præteriit vero eundem & Ptolomaicum, ſi quintus Nabopolaſſaris eſt CXXVII. Nabonaſſaræus. Paulo etiam poſt oſtendemus Evvilmerodacho tribuendos annos quinque, canon tamen non niſi duos agnoſcit.

Id mirum, Joſephum Scaligerum tempora (ut de prioribus non dicam) ultimorum Babyloniæ Regum ex libitu ordinaſſe, non tantum contra mathematici canonis fidem verum etiam adverſus ea, quæ aperte Beroſo ſunt prodita. Etenim Nabopolaſſar regnavit Beroſo 21. annos, Scaligero 29. Nabuchodonoſar Beroſo quadraginta tres, Scaligero XXX. Evvilmerodach Beroſo (ut quidem vulgo legitur) II. Scaligero VI. Nirigliſſoroor Beroſo IV. Scaligero V. Laboſoroardochus a Scaligero omittitur, cui Beroſus tribuit menſes novem. Tanta audacia in mutandis temporibus contra fidem veterum monumentorum profecto ferenda non eſt.

CAPUT XIII.

Belſaſarem & Darium Medum Babyloniorum Reges Danieli memoratos, illum Ewilmerodachum, hunc Nirigliſſoroarem Beroſi eſſe, Scaligeri ſententia rejecta, oſtenditur.

Belſaſar & Darius Medus Danieli commemorati, quibus nominibus a Beroſo aliiſque ſcriptoribus appellentur, non una eſt doctorum ſententia. Ut cum uno Scaligero hodie agamus: viſum illi eſt *Belſaſarem eſſe Laboſoroardochum,* (b) *alterum autem Nabonidum.* (c) Neutrum verum eſt. Nabonidus enim non Medus fuit ſed Babylonius. Diſerte Beroſus: ἀπολομένου δὲ τούτου, συνελθόντες οἱ ἐπιβουλεύσαντες αὐτῷ, κοινῇ τὴν βασιλείαν περιέθηκαν Ναβοννίδῳ τινὶ τῶν ἐν Βαβυλῶνι ὄντι ἐκ τῆς αὐτῆς ἐπισυστάσεως. Darius item ubi regnum aggreſſus eſt natus jam fuit annos ſexaginta duos, teſte Daniele c. V, 31. Nabonidus vero longe videtur fuiſſe junior ætate: ut qui non tantum ſeptemdecim annos regno Babylonio præfuerit, ſed victus etiam a Cyro diu ſuperfuerit in Caramania, ut narrat Beroſus. Veroſimile porro eſt, quin etiam placuit ipſi Scaligero, Medum illum de quo apud Megaſthenem conqueritur Nabuchodonoſar, quod cives Babylonios ſit proditurus, eſſe Darium Medum. Nabonidus vero prælio decertavit contra Cyrum pro Babylonico regno, necnon urbis mœnia ſolito ſplendidiora fecit, quod eſt Regis rempublicam non prodentis ſed amantis. Belſaſar præterea filius fuit Nabuchodonoſaris; ut quinquies diſertis verbis legitur Danielis V. Laboſoroardochus vel Labaſoaraſchus autem filius fuit Nirigliſooris, teſte Beroſo & Abydeno. Laboſoroardochus eodem Beroſo

(a) *de autoritate illius Canonis*) Hanc etiam vellicat cum CONRINGIO, HARDVINVS *in chronologia V. Teſt. opp. ſelect. p.* 543. qui vitioſo quoque PLINII loco inductus obſervationes cœleſtes etiam ante Nabopolaſſaris tempora Babyloniis negat. Fidem etiam huic canoni derogat JO. ALBERTVS FABRICIVS *in biblioth. Græc. lib. 4. c. 14. p.* 419. Vindicat tamen inter alios ejus autoritatem & fidem SCHROEERVS *l. c. pag.* 187. *ſeqq.* & reſpondet ad CONRINGII dubia (1) annum Nabopolaſſaris quintum & Nabonaſſareum 127. optima ratione convenire, cum ex inſpectione ipſius canonis manifeſtum ſit, annum Nabonidi 17. ad annum Nabonaſſar. 209. pertinere, ut miro conſenſu ſcriptores Genethliaci omneſque codices habeant, (2) conſentire utique canonem cum antiquis BEROSI fragmentis, (3) SCALIGERI conjecturas, de quibus conqueratur CONRINGIVS, nequaquam in detrimentum ipſius canonis eſſe convertendas.

(b) *Belſaſarem eſſe Laboſoroardochum*) Hanc SCALIGERI ſententiam defendit SCHROEERVS *de imperio Babylonis & Nini* 397. cum omnia, quæ de Belſazāre Daniel refert, in eo reperiantur, nec ipſum nomen licet corruptum, doctiſſime vero a LANGIO expoſitum repugnet. Ad objectionem vero CONRINGII, quod Laboſoroardochus apud Beroſum παῖς ſive puer vocetur, reſpondet, Græcis παῖδα non ſignificare ſemper hominem tenuiſſimæ ætatis, ſed & ita adultiorem forte 25. annorum adoleſcentem appellari, quia iiſdem quoque παῖδα dici filium regium cujuscunque ætatis, teſte ARIANO *lib. 4. p.* 265. HERODIANO *lib. 4. c.* 2.

(c) *alterum autem Nabonidum*) Quod totam hic difficilem reddit controverſiam, πρῶτον ψεῦδος eſt, quaſi ex mente Danielis Darius Medus proximus fuerit Belſazaris ſucceſſor. Hinc SCALIGER ex Nabonido, qui ſecutus Laboſoroardochum ſive Belſazarem, facit Darium Medum. USSERIVS autem & PRIDEAVX ex Nabonido Belſazarem, CONRINGIVS ex Nirigloſſore, Darium Medum, qui ſecutus Evilmerodachum. Quodſi autem ſupponitur, familiare eſſe Prophetis, ut in vaticiniis, quæ diverſi ſunt temporis, conjungant, tempuſque non ſemper proximum ſed remotius reſpiciant, tum inde apparebit vaticinium Danielis non repugnare, quin initium Darii aliquo temporis intervallo ab exitu Belſazaris divellatur. Speciatim de cætero USSERII ſententiam refellit SCHROEERVS *p.* 375. *ſeq.* SCALIGERI idem *p.* 383. CONRINGII vero *p.* 387.

atque Abydeno teſte adhuc puer regni gubernaculis admotus fuit pariter & a ſuis jugulatus: Belſaſar autem jam aluit uxorum & concubinarum gregem, & a Daniele perſtringitur non ut puer aliquis ſed jam adultior, & qui ex ſuo arbitrio dudum rem geſſerit. Laboſoroardochus novem tantum menſes regno præfuit, quod ſcribit Beroſus: Daniel vero cap. IIX. 1. memorat annum tertium Regis Belſaſaris. Cauſatur quidem Scaliger, patrem Laboſoroardochi regnum nomine filii adminiſtraſſe, itaque annos Belſaſaris eſſe eosdem cum annis Nirigliſſoroaris. Verum hæc nullo fulta teſtimonio Scaligeri hariolatio eſt.

Scaligeri itaque rejecta ſententia videtur nobis veriſimillimum Belſaſarem eſſe ipſum Evvilmerodachum, adeoque Darium Medum Beroſo dici Nirigliſſoroarem. Enimvero Evvilmerodachum Nabuchodonoſari patri ſucceſſiſſe, non Beroſus tantum & Abydenus ſed ipſæ ſacræ literæ aliquoties prodiderunt. Alium ejusdem filium itidem regno admotum eſſe, contra Beroſum eſt pariter & Abydenum. At vero jam tum dictum eſt, *Belſaſarem Regem filium fuiſſe Nabuchodonoſaris.* (a) Non poteſt itaque Belſaſar eſſe alius quam ipſe Evvilmerodach. Idem confirmat vita quam Belſaſari Daniel, Evvilmerodacho Beroſus attribuunt, ἐυιλμαλώρουχος, inquit Beroſus, προςὰς τῶν πραγμάτων ἀνόμως καὶ ἀσελγῶς. Talem vero omnino ſe præbet Belſaſar apud Danielem, ut qui in convivio nocturno ebrius fuerit interemptus. Unum videtur opinioni huic obſtare: quod nempe Beroſus huic annos tantum duos tribuat, tertium autem Belſaſaris annum commemoret Daniel. Sed nos infra demonſtrabimus mendoſum eſſe Beroſi illum locum, & Evvilmerodacho tribuendos annos quinque.

Si Belſaſar autem eſt Evvilmerodachus, *non poteſt non Nirigliſſoroar eſſe Darius.* (b) Nirigliſſoroarem autem fuiſſe alienigenam, etiam Beroſus tacite ſignificat, narrans interfecto hujus filio electum aliquem Babylonium in Regem. Pulchre etiam congruunt regni anni quatuor homini jam ſexaginta duos annos nato ubi regia cœpit potiri dignitate. Quod Daniel quoque memorat interfecto Belſaſari ſucceſſiſſe Darium, convenit apprime homini, qui Regi interfecto quaſi jure quodam ſucceſſit. Jure autem aliquo Nirigliſſoroaris ſucceſſio nititur, utpote qui fuerit Nabuchodonoſaris gener. Nec vero eſt quod mireris hominem Medum allectum eſſe in generum Nabuchodonoſaris maximi Regis Babyloniorum. Videtur enim & iſte Darius natus familia regia Medorum, eoque dictus Danieli c. IX. filius Aſſueri de ſemine Medorum. Adhoc uxor Nabuchodonoſaris Meda fuit, eoque ſuæ gentis homines indubie quoad potuit ad dignitates ſummas evexit. Medici autem ſanguinis fuiſſe Nabuchodonoſaris uxorem, diſerte teſtatur Beroſus apud Joſephum *l. 1. contra Apionem.* Accedit quod Medus ille de quo conqueritur Nabuchodonoſar apud Megaſthenem, fuerit jam tum vivo Nabuchodonoſare τὸ Ἀσσύριον αὔχημα. Quam exiſtimationem rebus præclare geſtis indubie commeruit.

CAPUT XIV.

De initio & fine ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ, eorumque cum hiſtoria Babyloniorum Regum collatione.

Unde initium capi & ubi finis poni debeat ſeptuaginta annorum ſervitutis Babylonicæ, *res eſt haud parum deciſu difficilis.* (c) Nos de fine agemus primum.

Scaligeri quidam ſectatores illum connectunt cum anno Periodi Julianæ 4183. Cyri Perſici *regni viceſimo nono*, (d) qui ſit decimus poſt devictum in Nabonido regnum Babylonium, idemque liberationis primus a ſervitute. Quod omne eſt falſum. Primo enim ſacræ literæ ſeptuageſimum illum annum ab anno liberationis per Cyrum diſerte diſtinguunt. 2. Paralipomen. XXXVI. 21. *ut compleretur ſermo Domini ex ore Jeremiæ, & celebraret terra ſabbatha ſua, cunctis enim diebus deſolationis egit ſabba-*

(a) *Belſaſarem Regem filium fuiſſe Nabuchodonoſaris*) Sed nihil hoc juvat doctiſſimum virum, ait SCHROEERVS l. c. quod uterque Nebucadnezaris filius dicatur. Id enim diverſa ratione accipiendum eſt, unum fuiſſe filium proprie talem, alterum ex filia nepotem, quem ſuo more ſcriptura quoque filium appellet, utrique quidem ſcriptores citati etiam malos deperditosque mores tribuunt, propter quam tamen convenientiam unum cum altero confundendum non exiſtimo.

(b) *non poteſt non Nirigliſſoroar eſſe Darius*) Pergit SCHROEERVS l. c. CONRINGIVS deceptus fuit eadem opinione, quaſi proxime Belſaſari ſucceſſerit Darius Medus, hinc eum Nirigloſſoroarem eſſe ait, tacite quoque Beroſum ſignificare, quod alienigena fuerit, dum interfecto hujus filio aliquem Babylonium in Regem electum narret, quaſi inde conſequatur, prædeceſſores Nabonidi Nirigloſſoroarem & filium fuiſſe peregrinos; quæ mihi ſane nimis ſubtilia atque niſi aliunde probentur, a mente BEROSI certe aliena videntur. BEROSVS enim tam late de ortu Nabonidi loquitur, propterea quod genus verum ignoraret. Megaſthenis autem Medum Cyri adjutorem male huc trahit CONRINGIVS. Quid enim unquam rei Nirigliſſoroari cum Cyro, qui ſervitutem Babyloniis attulit longo poſt tempore? Tandem autor ipſe *p. 401. ſeqq.* ſententiam ſuam exponit, & Nabonidum ſtatuit eſſe Belſaſaris interfecti filium hæredem, patrique ſuccedentem, qui vel 17. annorum ſpatio ſe contra invaleſcentem Medo Perſarum potentiam munire ſtuduerit, eum vero apud Danielem quoque ſub Belſaſaris nomine venire, quoniam geminus ſit apud Prophetam Belſaſar, unus cap. 5. alter cap. 2. qui Darium anteceſſerit, cui Cyrus devicto Nabonido regnum tradiderit, ad eundem tamen Dario poſt biennium mortuo rerum ſumma denuo redeunte, quæ quidem aliis nunc dijudicanda relinquimus.

(c) *res eſt haud parum deciſu difficilis*) Diſputatur enim, utrum LXX. anni numerandi ſint a clade & carcere Babyl. tempore Zedekiæ, an vero a deportatione populi tempore Jechoniæ facta. Hinc annorum iſtorum finem alii in primum annum Cyri, alii ad annum ſecundum Darii Hyſtaſpidis, qui Cyri edictum renovavit, referunt: Qui poſterius ſtatuunt, urgent potiſſimum locum Zach. I, 12. ubi vulgatus verba reddidit. Iſte jam ſeptuageſimus annus eſt.

(d) *regni viceſimo nono*) Sequitur in eo SCALIGERVM, CHRISTIANVS SCHOTANVS *hiſtor. ſacr. t. 2. in Sulpic. l. 2. c. 9.* Sed hac ratione fiet, ut dicere neceſſum habeamus, Cyrum 37. annos regnaſſe, quod pugnat cum omnibus veterum hac de re commentariis.

ſabbathum, uſque dum compleremtur ſeptuaginta anni. Anno autem primo Cyri regis Perſarum, ad explendum ſermonem Domini quem locutus fuerat per os Jeremiæ, ſuſcitavit Dominus ſpiritum Cyri regis Perſarum. Jeremiæ XXV, 11. *Et omnes gentes iſta ſervient regi Babylonis ſeptuaginta annis. Cumque impleti fuerint ſeptuaginta anni, viſitabo ſuper regem Babylonis.* Danielis etiam IX, 2. ſcribitur, complendos eſſe ſeptuaginta annos. Si completi autem fuerunt anni ſeptuaginta, annus liberationis per Cyrum proxime demum eſt conſequutus. Secundo adverſatur etiam ſacris literis, integrum decennium duraſſe captivitatem poſt potentiam Babyloniorum jam ſublatam e medio. *Servient* (ait Jeremias) *gentes iſta regi Babylonis ſeptuaginta annis: cumque impleti fuerint ſeptuaginta anni, viſitabo ſuper regem Babylonis.* Septuaginta itaque annis illis captivitatis ſalva fuit potentia Babyloniorum regum. Tertio abſurdum eſt, Judæos alium annum Cyri primum appellaſſe quam eum quo ille Judaicæ genti incepit imperare. Vulgaris ſane loquendi mos id haud patitur. Certe Daniel illum a Scaligeri aſſeclis deſignatum annum non agnovit primum Cyri. Memorat enim ille cap. X, 1. tertium annum Cyri: cum autem Cyrus omnium veterum conſenſu *regnaverit tantum annos triginta:* (a) ſive eundem velis eſſe cum Scaligero annum ultimum captivitatis cum primo liberationis, ſive diverſum, quod ſcripturæ eſſe conſentaneum modo demonſtravimus, adeoque ſi annus liberationis & Cyri primus ſcripturæ laudatus fuerit vel viceſimus nonus vel triceſimus regni Perſici, ſatis apparet tertium aliquem Cyri annum non potuiſſe a Daniele numerari. Eſdras porro ita etiam loquitur, ut haud obſcure pateat, Cyrum poſt primum illum imo & ſecundum annum aliquamdiu ſuperfuiſſe. Meminit enim & ille anni ſecundi reditus ex captivitate cap. III, 8. & cap. IV. narrat poſt demum in aula Cyri per delatores fuiſſe impeditam exſtructionem templi. *Conduxerunt autem*, inquit, *adverſus eos conſiliatores, ut deſtruerent conſilium eorum, omnibus diebus Cyri regis Perſarum.* Quomodo profecto non ſolet loqui ſcriptura niſi de aliquot annorum ſpacio. Nulla præterea cauſa fingi poteſt, quare demum decennio poſt devictos Babylonios libertati reſtituerit Cyrus populum Judaicum. Falſum etiam eſt, illo anno primum per Aſiam rerum potitum eſſe Cyrum, adeoque hunc annum imperio per Aſiam dediſſe initium. Deſtructis enim dudum regnis Medorum, Lydorum, Babyloniorum, quid defuit? cur Cyrus jam ante non audierit Aſiæ dominus? Quid vero etiam Judæis cum Aſiæ regionibus aliis extra Babylonicam ſitis fuit rei, ut ab illis ſuperatis annos Cyri numeraverint?

Omnia hæc planiſſima ſunt, ſi ſeptuageſimum annum ſervitutis dixeris eſſe decimum ſeptimum Nabonidi, & primum liberationis annum primum Cyri in regno Babylonico, qui ſcilicet ſeptimum decimum Nabonidi ſequitur: ut ultimus ſervitutis ultimus etiam ſit regni Chaldæorum, & primus liberationis primus ille quo ſubjecti fuerunt cum Babyloniis Judæi Cyro. Ita ſane omnes illi ſeptuaginta anni fuerunt ſub regibus Babyloniæ: ita primus Cyri fuit primus imperii illius in Judæos: ita denique ſuperfuerunt aliquot anni a primo Cyri ad usque mortem illius, utpote quum Cyri poſt Nabonidum primus ſit Nabonaſſaræus 210. ultimus autem Nabonaſſaræus 218. ſi ſane credimus calculo canonis mathematici.

Si autem finis ſervitutis illius ita ſeſe habet, nemini non liquet initium ejus minime omnium eſſe computandum a clade & carcere Babylonico Regis Zedekiæ. Veriſimilius illud duxeris cum Scaligero & aliis a captivitate Jechoniæ: præſertim cum favere videantur Jeremiæ verba cap. XXIX, 10. ad exules: *Hæc dicit Dominus, cum cœperint impleri ſeptuaginta anni viſitabo vos, reſuſcitabo ſuper vos verbum meum, ut reducam vos ad locum iſtum.* Attamen ne ita quidem ſeptuaginta annos compleveris. Rectiſſime videtur numerari exordium illud ab anno quarto Jojacimi, qui eſt Nabonaſſaræus, obſervante quidem Scaligero, centeſimus quadrageſimus. Eſt autem ille quo ſeptuaginta annorum ſervitutem per Jeremiam Judaico populo Deus ipſe indixit, ut liquet ex cap. XXV. Jeremiæ. Ab hoc ſane ſi annos ſervitutis numeraveris, ſeptuageſimus incidit in Nabonaſſaræum 209. adeoque illum qui Cyri in Babylone imperium proxime antecedit. Ab eo vero usque tempore omnino cœpit ſervitus Babylonica. Danielis I, 1. *Anno tertio regni Joacim Regis Juda venit Nabuchodonoſor Rex Babylonis in Jeruſalem, & obſedit eam; & tradidit Dominus in manum ejus Joacim regem Juda, & partem vaſorum domus Dei & aſportavit ea in terram Sennaar in domum Dei ſui, & vaſa intulit in domum theſauri Dei ſui. Et ait Rex Aſphenati præpoſito eunuchorum, ut introduceret de filiis Iſrael, & de ſemine regis & tyrannorum.* Annum tertium vero appellat Daniel Joacimi illum, quo venit Babylonius obſeſſurus Hieroſolymam. Cum quarto enim anno demum incepit ſervitus ipſa: neque enim initio quarti adhuc paruiſſe Judæam Nabuchodonoſori, argumento ſunt verba Jeremiæ cap. XX. ubi id demum futurum dicitur. Non faciunt vero illa ſupra ex Jeremiæ cap. XXIX. adducta pro Scaligero, licet videri poſſint facere. Epiſtola enim illa Jeremiæ miſſa eſt ad omnes exules quotquot abduxerat Nebucadnezar, ceu liquet ex *verſ. 5.* Ante Jechoniam autem complures jam abductos, certum eſt. Sane ex ſacris literis noſtræ ſententiæ nihil objici videtur poſſe quod ſit quantivis ponderis.

Obiter tamen notandum venit, in computatione annorum captivitatis Jechoniæ videri Jeremiam & Ezechielem uno anno differre. Etenim ſecundum auctorem hiſtoriæ ſacræ Regum & Jeremiam primus ille Jechoniæ incidit in annum ultimum undecimum Joacimi, ſecundum autem Ezechielem primus ille eſt item primus Zedechiæ: ceu patet conferentibus Ezechielis *caput XXIV. v. 1.* cum *cap. XXV. l. 4. Reg. v. 1.* indubie quoniam in confinio regni & Joacimi & Zedekiæ iſta

hæc

(a) *regnaverit tantum annos triginta*) Pervetuſtus ac indubitatus Ptolomæi canon novem imperii Babylonici annos Cyro adſcribit; quos ſi cum expletis annis 21. regni Medici collegeris, conficiuntur 30. anni, quibus univerſum Cyri regnum continetur. Vid. CLEM. ALEXANDR. *Strom. lib. I.*

hæc Jechoniæ captivitas contigerit. Cæterum hæc Jechoniæ captivitas in aliud tempus incidit atque illa altera per ſeptuaginta annos duratura: itaque non niſi obiter hæc animadverſio huc pertinet.

Major difficultas eſt quomodo hæc noſtra cum Chaldæorum Regum hiſtoria componenda ſint. Equidem quartum annum Joacimi *eſſe primum Nabuchodonoſaris* (a) omnino conſtat. Diſerte Jeremias cap. XXV. 1. *ipſe eſt annus primus Nabuchodonoſor Regis Babylonis.* Cui conſonat quod anno octavo Nabuchodonoſaris Jechoniam captum fuiſſe, ſcribatur 2. Reg. XXIV, 12. ille autem captus ſit anno undecimo Joakimi. Nec vero eſt quod ſuſpicemur ab illo quarto Joakimi anno exordium ducendum tantum ejus temporis quo Judæis moleſtus fuit Nabuchodonoſor, non ſignificari autem ſimpliciter annos regni Babylonii. Numerare enim & ſcripturam ſacram annos Nabuchodonoſaris XLIII. liquet ex eo, quod captivitatis Jechoniæ triceſimum ſeptimum conſtituat Evvilmerodachi primum 2. Reg. XXV. 21. & in appendice Jeremiæ cap. LII, 31. Nimirum octavus Nabuchodonoſaris primus eſt captivitatis Jechoniæ, ſeptem autem anni additi ad triginta ſex, quot effluxerunt ab captivitatis illius exordio ad Evvilmerodachum, conficiunt annos ſolidos *quadraginta tres.* (b) Totidem autem annos Babylonici regni Nabuchodonoſari attribuit Beroſus in fragmento apud Joſephum *l. 1. contra Apionem:* totidem habet etiam canon mathematicus Nabonaſſaræus. At iis qui poſt Nabuchodonoſarem regno Babylonio præfuerunt neque Beroſus neque canon eam annorum ſummam adſcribit, ut ſeptuagenariæ illius reliquum abſolvas. Conſentiunt quippe Beroſus & canon, Evvilmerodachum tantum duos, Niriglifforoorem quatuor, Nabonidum ſeptemdecim annos regnaſſe. Addit Beroſus novem menſes Laboſoroardochi. Itaque ſecundum Beroſum a Nabuchodonoſaris exordio ad ultima Nabonidi tantum effluxerunt anni 66. & menſes novem. Totidem annos habet canon, nullis adjectis menſibus.

Cum adeo autem accurate heic ſeſe habeat numerorum in ſacris codicibus ratio, non eſt fortaſſis quod hæc nos cura mordeat. De canonis fide jam antehac monuimus. Etiam vero nec a Beroſo obſervatam accuratam temporis ut & rerum geſtarum rationem ipſa illius fragmenta plus ſatis indicant. Mihi error videtur eſſe in annis Evvilmerodachi: atque huic non duos ſed quinque tribuendos, eoque in ipſo Beroſo pro litera numerali β ſcribendum ε. Ducit me huc ipſa ſcriptura ſacra memorans annum tertium Belſaſaris, quem Evvilmerodachum eſſe jam oſtendimus. Certe ipſo ſcripturæ ſacræ teſtimonio conſtat Evvilmerodachum plus quam duobus annis regnaſſe. Num a librario an Beroſo ipſomet erronea illa ſit annorum conſignatio, haud facile dixerim. Id notum, libro antiquitat. X. cap. 12. a Joſepho tribui Evvilmerodacho annos XVIII. & Nirigliſſoroari annos XL. qui cum alias ſit ſectatus Beroſum argumentum dat, quanti ſoleant in numerandis annis per librariorum incuriam (neque enim dixerim hoc ab ipſomet eſſe Joſepho) errores ſuccreſcere. Cæterum Evvilmerodachum quinque annos regnaſſe, teſtatur quoque in *chronico Græco nondum typis edito Georgius ille qui ἁμάρτωλον & Syncellum ſeſe dixit,* (c) alius tamen ab illo celebri Taraſii Patriarchæ Conſtantinopolitani Syncello Georgio. Ita enim habet codex V. C. Thomæ Reineſii quem inſpexi: *μετὰ δὲ Ναβυχοδονόσορ ἐβασίλευσεν Ουιλμερόδαχ υἱὸς αὐτοῦ ἔτος ε.* Non eſt quidem ſcriptor iſte magni pretii, videtur tamen & ille incidiſſe in meliorem annorum iſtorum annotationem.

CAPVT XV.

Hiſtoriam Ægyptiam Herodoti, a Pſammiticho uſque ad Cambyſem, ſacris literis adeoque veritati ſic ſatis eſſe conſentaneam.

QVæ de regibus Ægypti narrat Herodotus alia ſibi a ſolis Ægyptiis accepta profitetur, alia autem ſimul ab aliis, Græcis puta eoque ſuæ gentis hominibus. Ubi enim eorum hiſtoriam ad Sethonem usque Vulcani ſacerdotem, aut potius duodecim ἄρχοντας hujus ſucceſſores perduxiſſet, ſcribit: *Atque hæc quidem Ægyptii ajunt. Quæ vero cæteri homines cum Ægyptiis conſentientes memorant in hac regione fuiſſe geſta, hæc jam explicabo.* Prudenter profecto. Etenim in quæ & aliæ gentes cum Ægyptiis conſentiunt majoris utique ſunt fidei atque illa quæ ſolo Ægyptiorum teſtimonio nituntur. A Pſammitichi autem ætate non potuerunt ſane Græcis ignotæ eſſe res Ægyptiorum, utpote quum

(a) *eſſe primum Nabuchodonoſaris*) Obſervandum tamen, ſcripturam ſacram duplex Nebucadnezaris initium annotare, *alterum*, quo a patre ad imperii ſocietatem admiſſus Pharaonem Necum debellavit, eoque debellato in Judæam pervenit & Jojakimum ſibi tributarium fecit; *alterum*, quo poſt mortem patris ad totius regni hæreditatem pervenit, quod luculenter patet Dan. II, 1. cum cap. I, 5. V, 18. rite collato. Quamvis alii unum Nebucadnezaris initium ſtatuunt, ſic tamen deficientibus quatuor annis, quos nonniſi conjecturis tegere conantur. Vid. BVDDEVM *in hiſt. eccleſ. V. T. tom. II. ſect. V. p. 757.*

(b) *quadraginta tres.*) His annis Nebucadnezaris cum parentis Nabopalaſſaris annis 4. reſiduis, quibus filius parenti ſocius regnavit, nec non cum ſucceſſorum ejus annis collatis emergunt dilucide 70. captivitatis anni, ſi ſic inſtituimus calculum

anni Nabopolaſſaris	4
Nebucadnezaris	43
Evilmerodach	2
Nerigloſſoris cum Laboroſoardochi 9 menſibus	4
Nabonedi	17
	70

(c) *chronico nondum edito Georgii Syncelli*) GEORG. SYNCELLVS cum Joſepho, Julio Africano, Euſebio inter eos eſt, qui nobis Beroſi Abydenique monumenta ex Chaldæorum tabulis ſumta collectaque conſervavit. Cæterum Euſebii ſectator juxta ac inſectator acerrimus fuit. Siquidem quem ducem ſecutus eſt, eundem tandem deſerit, poſt 18. dynaſtiam Africani usque ad 22. regesque comminiſcitur, qui neque apud Euſebium ſunt, neque apud Africanum, annosque & ſucceſſiones mutilat vel extendit, prout ipſi viſum eſt, magna nominum,

quum ab eo usque tempore Ægyptus acceperit colonias Græcas & inter utrumque populum floruerint commercia. Recte enim Herodotus: *Poſt ſedes ab iſtis* (Jonibus & Caribus) *in Ægypto collocatas Græci cum illis commercium habuerunt: & nos res in Ægypto geſtas, a Pſammeticho Rege exorſi quæ deinceps extiterunt ea ſine ambiguitate nota habemus.*

Cum vero autem illa conſentire argumento etiam eſt codex ſacer, utpote quum ea quæ de Ægypti regibus ſcribit, ſic ſatis accurate conveniant cum nominibus, temporibus, & rebus geſtis Regum Ægyptiorum usque a Pſammiticho ab Herodoto commemoratis. Ita Pſammitichum poſt undetriginta annorum obſidionem Azoton amplam Syriæ urbem cœpiſſe, ſcribit Herodotus. Azotum autem ſive Asdod magnam cladem fuiſſe paſſam, etiam ex Jeremia colligere eſt; qui anno primo Nebucadnezaris juſſus eſt a Deo cum aliis tum *reliquiis Azoti* imminentes calamitates annunciare. *cap. XXV. v. 20.* Nechus Rex Pſammitichi ſucceſſor nominatim memoratur in ſacris voluminibus aliquoties. *Quod porro Herodotus memorat,* (a) illum cum Syris terreſtri acie congreſſum in Magdolo victoriaque potitum eſſe, & poſt prælium Cadyti magna Syriæ urbe; optime quadrat *victoria Nechi* (b) contra Joſiam Regem, quæ memoratur *l. IV. Regum cap. XXIII, 29. & 2. Paralipom. XXXV, 20.* Tantum locus prælii perperam ab Herodoto appellatus eſt Magdolum, cum ſit Mageddum: decepto indubie affinitate vocis, quodque Magdolum eſſet notius, utpote urbs Ægypti, cujus regionis omnia Herodoto fuerunt notiora Syriacis aut Palæſtinis. Imo veroſimile videtur *Cadytum illam* (c) Herodoto memoratam eſſe ipſam Hieroſolymam, iſthoc forte nomine Ægyptiis olim appellatam: certe poſt prælium hanc captam a Necho manifeſtum eſt ex *2. Paralipomen. XXXVI, 3.* Incidit autem illa victoria Nechi in annum ejus fere quintum, ſi Herodoti & ſacri codicis hiſtorias temporum conferamus. Ad illud quod Herodotus narrat Nechum claſſibus etiam pugnaſſe, referendum fortaſſis eſt id quod Jeremias innuit *cap. XLVII, 1. 2. Gazam a Pharaone percuſſam eſſe:* (d) portu quippe nobiles fuiſſe quondam Gazæos vel ex Strabone conſtat. Nihil habet quidem Herodotus de bellis Nechi & Nabuchodonoſaris, ea tamen tempora Necho aſſignat, ut primus Nabuchodonoſaris annus, quo Nechi exercitum ad Euphratem devicit teſte Jeremia c. XLVI, 2. imo omnia quæ hactenus fuerant juris Ægyptii ab Euphrate usque ad Nilum in ſuam poteſtatem redegit Nabuchodonoſar, ut habetur *4. Reg. XXIV, 7.* incidat in annum Nechi circiter octavum.

De Pſammis (e) Regis memorabilibus geſtis non in Herodoto minus quam in ſacro codice altum eſt ſilentium. Quando Hieroſolymam cepit Nabuchodonoſor, Ægypto præfuiſſe jam forte in quintum annum Regem Apryem, tempora ab Herodoto indicata ſupputantibus manifeſtum eſt. Jeremias vero cap. XLIV, 30. regem illum appellat itidem *Hophra* (f). Eundem occiſum iri ab hoſtibus ſanctus vates prædicit, & factum eſſe narrat Herodotus. Quæ de Apriæ tamen fortuna ſcribit Herodotus non videntur cum ſacris literis conſentire. Herodotus enim diſerte teſtatur fuiſſe illum ſecundum Pſammitichum omnium illius ætatis regum *fortunatiſſimum*, (g) donec clade ingenti a Cyrenæis accepta ſubditi adverſus illum rebellaverunt, a quibus per Amaſin victus & poſt occiſus ſit. Contra & Jeremias cap. XLIII. XLIV. & XLVI. & Ezechiel cap. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. conſtanter uno quaſi ore Ægypto ejusque Regi excidium minitantur per Regem Nebucadnezarem. Quæ vaticinia ſi effectu non caruerunt, neceſſum eſt calamitates illæ evenerint tandem Regi Apriæ, ut cujus annus ultimus incidat forte in Nabuchodonoſoris quadrageſimum, Nabonaſſaræ æræ CLXXVII. Sane ſolere nonnunquam Deum commeritas & indictas pœnas ſive remittere ſive differre in aliud tempus, notum eſt. Non auſim tamen profiteri nihil mali ſecutum tantas Dei minas: eoque veroſimilius videtur dictu, lapſum memoria aut falſis narrationibus Herodotum, *Cyrenæis adſcripſiſſe cladem illam quæ Apriæ hactenus fortunato exitium attulit,* (h) quum tribuenda fuerit Babyloniis. Neque

maxima numerorum interpolatione, ut imprudentiam hominis non poſſis ſatis mirari, qui cum aliis rixatur, ipſe cum ſit reprehenſioni maxime obnoxius, prout MARSHAMVS judicat *canon. chron. p. 7.* Ejus *chronographiam* edidit JAC. GOARVS.

(a) *Quod porro Herodotus memorat*) Hanc Herodoti narrationem cum ſacri ſcriptoris loco jam contulerat JOSEPHVS SCALIGER *in animadv. ad Euſebium pag. 85. col. 1.* eumque proinde hic ſequitur CONRINGIVS.

(b) *victoriæ Nechi*) Nechus ille vel Nechaon II. fuit filius Pſammetichi, de quo ſatis ambiguum eſſe, ait PERIZONIVS, quo regni ſui anno & quo in loco pugnaverit cum Joſia, *p. 408. ſeqq.*

(c) *Cadytum illam*) Idem docet CELLARIVS *Geogr. antiqu. Aſiæ p. 540.* idem oſtendit LIGHTFOOT *in decade chorographica horis Ebraicis* in evang. Marci præmiſſa, *tom. II. opp. pag. 408. 409.* & qui hunc atque CONRINGIVM hic ſequitur HARDVINVS *in chronologia V. T. p. 98. & 125. Cadytis,* inquiens, *ipſa eſt Jeruſalem, quam deformato vocabulo ſic repræſentat Herodotus, quoniam a Syris Palatinis non eam aliter audiit appellari, quam ſanctam civitatem Ir hakkodeſch & nobis ille deinde Cadytin non ſemel, etiam lib. 3. p. 184. obtruſit, quod vocabulum vix quisquam abſque Oedipo intelligat, eſſe pro Hieroſolymis poſitum, niſi norit literarum Schin & Thau ſonum apud Hebræos ſæpe in fine permutari, & Chaldæos pro Schin Hebræorum ponere Thau.* Sed vide PERIZONIVM *p. 417.* qui rectius dici Cadytin eſſe urbem Kadeſch Darnea ſitam ad montes paulo ſupra Arabiam arbitratur.

(d) *Gazam a Pharaone percuſſam*) Sequitur hic Conringius Grotium. Alii vero referunt percuſſionem Gazæ ad Pharaonem Hophram addita ratione, quod Prophetæ his capitibus agat de rebus a Nebucadnezare poſt Hieroſ. jam captam peragendis. Vide PERIZONIVM *p. 460.*

(e) *Pſammis*) Julio Africano ille dicitur Pſammuthis, cui alii ſex, alii plures annos tribuunt. Nihil de eo refert HERODOTVS II, 161. niſi quod expeditione in Æthiopiam ſuſcepta ſtatim mortuus ſit. MARSHAMVS tamen in *canone chronico p. 541.* ait, contigiſſe eo regnante defectionem Zedekiæ, Hieroſolymorum & Tyri excidia, Ægypti vaſtationem per Nabuchodonoſarem, adeo ut expeditio Aethiopica de regis hujus fuga intelligi poſſit.

(f) *Hophra*) Filius Pſammis ab aliis Vaphras dictus. Ad hunc autem referenda, quæ de parente docet MARSHAMVS l. c. oſtendit PERIZONIVS *in orig. Ægypt. p. 457.*

(g) *fortunatiſſimum*) HERODOTVS *lib. II. cap. 161.* qui & tradit *cap. 169.* crediditſſe eum adeo valide ſe firmum habere imperium, ut neque Deus quispiam illud extinguere, aut ſibi eripere poſſet, quo cum conſpirant, quæ de eo *Ezech. XXIX, 3. & XXXII, 2.* dicuntur. Cæterum potentem hunc & opibus ſuis inflatum Regem tandem deprehendit Nemeſis & deſtituit fortuna.

(h) *Cyrenæis adſcripſiſſe cladem*) Potius autem videtur dicendum, quod, licet HERODOTVS dicat, Græcos omnia

que vero ſolæ ſacræ litteræ nos docent mala ejusmodi Deum Ægyptiis minitatum: ſed & Megaſthenes olim tradidit a Nabuchodonoſare Africam domitam incolis inde in Ponto proximas regiones abductis, quod fieri non potuit niſi ſubacta ante Ægypto. Habet vero illud ex Megaſthene Strabo *l. XV.* Joſephus *l. 1. contra Apionem*, Abydenus apud Euſebium *l. IX.* *προπαρασκ. cap. 41.* Joſephus ipſe *l. X. ἀρχαιολογίας c. XI.* ſcribit: *Τῷ πέμπτῳ τῆς Ἱεροσολύμων πορθήσεως ἔτει, ὅ ἐστι τρίτον καὶ εἰκοστὸν τοῦ Ναβουχοδονοσόρου, στρατεύει ὁ αὐτὸς ἐπὶ τὴν κοίλην Συρίαν καὶ κατασχὼν αὐτὴν, ἐπολέμησε καὶ Ἀμμανίτας καὶ Μωαβίτας, ποιησάμενος δὲ ὑπηκόα ταῦτα τὰ ἔθνη ἐνέβαλεν εἰς τὴν Αἴγυπτον καταστρεψόμενος αὐτήν· καὶ τὸν μὲν τότε βασιλέα κτείνει, καταστήσας δ' ἕτερον τοὺς ἐν αὐτῇ πάλιν Ἰουδαίους αἰχμαλωτίσας ἤγαγεν εἰς Βαβυλῶνα.* *Quinto excidii Hieroſolymitani anno, qui eſt viceſimus tertius Nabuchodonoſaris, exercitum duxit ille in Syriam cavam, eamque obtinens oppugnavit & Ammonitas & Moabitas. Subactis autem ſibi illis gentibus trajecit in Ægyptum eamque ſubvertit. At Regem quidem, qui tum erat occidit, alio autem conſtituto, qui ibi erant Judæos iterum capiens abduxit in Babylonem.* Hæc Joſephus. Verum haud parum dubito num id ipſum certo aliquo fultus teſtimonio narret. Certe aut omnia quæ de Apries & Amaſis temporibus narrat Herodotus itidem ſunt falſa, aut id certe falſum eſt, omnia hæc contigiſſe quinto poſt Hieroſolymitanum excidium anno, utpote quum ille ab ultimo Apries ſic ſatis diu abſit. Quicquid vero ſit de Joſephi teſtimonio illo, tamen Ægyptum male eſſe a Nabuchodonoſare mulctatam, non ſane videtur temere eſſe negandum.

CAPUT XVI.

Ægyptios ipſos non videri habuiſſe rerum ſuarum paulo antiquiorum certam hiſtoriam literis conſignatam.

Rerum Ægyptiarum hiſtoriam a Pſammiticho usque, qualis illa tradita eſt ab Herodoto, ſic ſatis eſſe ſimilem vero, ex iis quæ diximus eſt manifeſtum. Reliquæ autem omnis antegreſſi ævi longe alia videtur eſſe ratio. Etenim in ea nihil nos poſſunt juvare teſtimonia aliarum gentium, unam ſi Judaicam excipias. Græcis ſane ante Pſammitichum nihil cum Ægyptiis fuiſſe commercii, abunde teſtatur Herodotus. Strabo etiam *l. XVII.* diſerte ſcribit, primis Ægypti Regibus omnes navigantes fuiſſe inviſos imprimis Græcos, quod prædones eſſent & piraticam exercerent. De Pſammiticho etiam Diodorus *l.* 1. cap. 67. *Primus omnium Ægypti Regum gentibus aliis peregrina regionis emporia patefecit, magnamque navigationibus exterorum ſecuritatem præſtitit; nam rerum ante ipſum potiti inacceſſam peregrinis Ægyptum faciebant, appulſos vel morte vel ſervitute multantes. Buſiridis equidem impietatem inhoſpitalitas gentis tam famoſam Græcis reddidit. Merito proinde in dubium quiuque prudentior vocaverit*, (a) num quam fidem mereantur etiam illa, quæ ſoli Ægyptiorum ſacerdotum narrationi ſeſe debere, diſerte Herodotus noſter profeſſus eſt. Et quidem dixerit hoc quis fortaſſis, quoniam eſt veroſimile ſacerdotes notaſſe res quasque memorabiles, ex *libro* autem recenſita ſibi ſi non omnia ſaltim pleraque a ſacerdotibus, ſcribit Herodotus.

Cæterum eſto, ex libro omnia illa fuerint narrata, tamen non poſſe quem tuto credere iſti narrationi argumento eſt, quod vel ipſis Ægyptiis ſacerdotibus defuerint antiqui annales fide digni, vel vero nemo illorum ex monumentis iſtis integra fide quidquam aliis retulerit. Utrum horum ſit verius haud facile fortaſſis eſt definitu. Neque enim videtur veroſimile defuiſſe Ægyptiis tanto in ſacerdotum numero, qui ſaltim rudi modo confecerint annales, quum apud Romanos, doctrinæ haud perinde deditos, hanc curam ſibi ſumpſiſſe Pontifices maximos usque ad P. Mucium, ex unius M. Tullii libro, quem de oratore inſcripſit, abunde notum eſt. Sed & Fl. Joſephus *l. 1. contra Apionem* affirmat, in gente Ægyptiorum publica auctoritate res geſtas quasque memoriæ traditas eſſe. Si tamen hoc factum, neceſſum profecto eſt, vel illos Ægyptiorum non bona fide ab omnibus eſſe ſacerdotibus conſcriptos, vel vero nihil pene ex illis monumentis ad alios ſincera fide perveniſſe.

Hoc ipſum autem liquet ſole clarius *primum* ex miro diſſenſu narrationum Ægyptiacarum. Etenim res gentis illius Regum ex ſacerdotum ore etiam Diodorus Siculus prodidit, exſerte ſcribens l. 1. cap. XLIV. *De omnibus ſacrorum librorum monumenta habent ſacerdotes, per longam a vetuſtiſſimis temporibus ſucceſſionem tradita: quanta cujusque magnitudo, qualis natura fuerit, & quid ſuo quiuque tempore egerit.* Similiter *Manethos Sebennita* (b) ſacerdos Heliopolitanus hiſtoriam ſuam (quam ab ipſo mundi

quæ in Ægypto poſt Pſammetichum geſta, liquido ſcire, nihil tamen illi Ægyptiacarum & Aſiaticarum rerum ſatis per ſe habuerint exploratum, cum ne quidem de Nebucadnezare aliquid memoriæ prodiderint.

(a) *Merito vocaverit in dubium*) Sane in Euterpe HERODOTVS *lib. 2. hiſtor.* de rebus Ægyptiacis multa attulit præclara, verum & inepta multa admiſcuit & nugatoria. Unde & DIODORVS SICVLVS *lib. 1. hiſt. bibl. c. 69. p. 33.* diſerte ſcribit. Herodotum aliosque rerum Ægyptiacarum ſcriptores portenta narrationum pro veritate amplexos & voluptatis gratia fabulas commentos eſſe. Refert etiam SVIDAS, Harpocrationem quendam Ælium ſcripſiſſe de mendacii arguenda Herodoti hiſtoria. Quin JOSEPHVS etiam *lib. 1. contra Apion.* *πολλὰ Ἡρόδοτον*, ait, *τῶν αἰγυπτιακῶν ὑπ' ἀγνοίας ἐψευσμένον*, frequenter Herodotum in Ægyptiacis ignoratione mentitum; id quod vel inde probari poſſe obſervat WITSIVS *in Ægyptiacis p. 126.* quod Herodotus maximopere hallucinetur, mentiaturque, cum dicat (1) Colchos ab initio ſtatim circumciſionem habuiſſe. (2) Syros & Phœnices eam ab Ægyptiis & Colchis accepiſſe.

(b) *Manethos Sebennita*) Vixit ſub Ptolomæo Philadelpho, cui hiſtoriam ſuam dedicavit, & Herodoto aliquanto fuit recentior. Fuit autem flamen ſacrorum & ſcriba adytorum Ægypti genere Sebenita Heliopolites. Græce ſcripſit hiſtoriam, eamque, ut ipſe ait, ex ſacris libris interpretatus, nec non apotelesmatica, de quibus aliisque ſcriptis conf. JOH. ALB. FABRICIVS *in bibl. Græca lib. 3. c. 20. pag. 494.* MARSHAMI *canon. chron. pag. 3.* GERH. JOH. VOSSIVS *de idololatria lib. 1. cap. 28. p. 210.* EDVARD. STILLINGFLEET *orig. ſacr. lib. 1. c. 2. §. 8.* qui l. c. putat, occaſionem hujus Manethonis hiſtoriæ dediſſe Philadelphi Regis curioſitatem, qui cum ex ſacris literis in Græcum ſermonem nuper translatis ea de mundi origine & generis humani propagatione didiciſſet, quæ Moſes tradit, Manethoni in mandatis dederit, ut quæ ex ſuis archivis poterant proferre ſacerdotes Ægypt. exponeret, quo conferri a Rege cum vetuſtis Ebræorum voluminibus poſſent.

di initio exorſus ad Darium Codomannum perductam tribus tomis obtulit Ptolomæo Philadelpho, ceu videre eſt in Euſebii chronicis) itidem ſibi deſcriptam ex antiquisſimis libris eſt profeſſus. Euſebius excerpta operis daturus ita loquitur: *Ex libris Manethonis Sebennitæ, qui cum temporibus Ptolemæi Philadelphi ſummus ſacerdos ſacrorum eſſet, (Ægypti idolorum) eruit iſta ex columnis in Seriadica terra poſitis, ſacra, ut ait, dialecto, & hierographicis literis notatis a Thoyt primo Mercurio, & interpretatione verſis poſt diluvium ex ſacra lingua in Græcam per literas hieroglyphicas, & in libris ab Agathodæmone altero Mercurio patre Tat, in adyta Ægyptiorum ſacrorum relatis. Quæ dicavit eidem Regi, ſecundo Ptolomæo, in Sothios libro ita ſcribens.* Subjungit vero Euſebius epiſtolam ad Philadelphum, in quibus ipſe inter alia dicit, ſecutum ſeſe ἱερὰ βιβλία γραφέντα ὑπὸ τοῦ προπάτορος τρισμεγίστου Ἑρμοῦ. Joſephus quoque *l. 1. contra Apionem* ſemel iterumque ait, Manethonem profeſſum eſſe, ſuam hiſtoriam deſcriptam ἐκ τῶν ἱερῶν γραμμάτων. Indubie ad ſimilia monumenta provocavit in ſua Ægyptiorum *Chæremon* (a) ἱερογραμματεὺς & ipſe Ægyptius. Fecit idem *Ptolomæus Mendeſius*, (b) utpote & ipſe ſacerdos, teſte Tatiano *orat. contra Græcos* & Clemente Alexandrino *l. 1. ſtromat.* & ex iis Euſebio *l. X. προπαρασκ. cap. III.* *Apionem* (c) quoque hominem itidem ſanguine Ægyptium ad narrationes majorum natu Ægyptiorum provocaſſe, liquet ex *l. 2. Joſephi*, quem homini iſti oppoſuit.

Veroſimile forte omnino eſt, etiam Græcos alios Ægyptiacarum antiquitatum ſcriptores ſaltim ſacerdotales traditiones habuiſſe pro teſtimonio ſuarum narrationum. Scripſit autem res Ægyptias Leon quidam teſte Hygino *in poetico aſtronomico*, *Evagoras Lyndius* (d) teſte Suida, ac Lyceas Naucratita cujus Αἰγυπτιακὰ citat Athenæus *l. XIV.* ut quædam ex Lyſimacho Alexandrino recitat Joſephus *l. 1. contra Apionem.*

Plerorumque porro horum pauca quidem hodie ſuperant; collata autem inter ſeſe de una eademque re tantum diſſidii in iis deprehendere eſt, ut major eſſe non poſſit. Una Judæorum hiſtoria ſufficit pro exemplo apud Diodorum, Manethonem, Chæremonem, Ptolomæum Mendeſium, Apionem, Lyſimachum: & tamen ab his omnibus diverſa plane, veritati tamen affiniora ex Heliopolitanorum & Memphiticorum ſacerdotum quorundam ore refert Artapanus l. IX. προπαρασκ. c. 26. apud Euſebium. Recte vero Joſephus *l. 1. contra Apionem*: τῆς ἀληθοῦς ἐστι τεκμήριον ἱστορίας, εἰ περὶ τῶν αὐτῶν ἅπαντες ταῦτα καὶ λέγουσιν καὶ γράφουσιν. Certe ſi quæ certa fuerint apud Ægyptios monumenta, non eam habuiſſent hiſtoriæ ſuæ patriæ diſcordiam.

Secundo confirmat hoc ipſum mirifice illud, quod de pyramidum exſtructione, re utique ſumme digna memoratu, Ægyptii nihil certi potuerint tradere. Aperte Diodorus cap. 64. *De pyramidibus nulla omnino, nec apud indigenas, nec inter ſcriptores eſt conſenſio.*

Cumprimis vero quanti ſit facienda in univerſum fides Ægyptiacæ hiſtoriæ, arguunt fabulæ ſaltim illæ (alias enim non attingam) de diuturno per illas terras imperio Deorum & Semideorum, quas tamen ſacroſanctas creditas fuiſſe illi populo, liquet ex ejus recepta theologia, quodque non tantum Herodotus & Diodorus ſed etiam Manethos illas in commentarios retulerint.

CAPUT XVII.

Manethonis Ægyptii hiſtoriam magna ex parte fuiſſe fabuloſam.

HÆc ſane accurate attendentibus haud difficile pronunciatu videtur, ei quæ Pſammitichi tempora antecedit Ægyptiorum hiſtoriæ, utpote ſolorum Ægyptiorum narrationibus nitenti, non poſſe tuto *fidem adhiberi*, (e) quemcunque etiam placuerit ducem ſectari.

Scaliger, vir ſane maximus, non dubitavit quidem *Manethonem* (f) præ aliis commendare; eoque dynaſtias illius Ægyptiacas omnes, ex Georgio Syncello, ſive malis ex ipſo Julio Africano, Euſebii excerptas ſecundo Canonum Iſagogicorum libro inſeruit. *Manethoni enim huic exploratiora fuiſſe, utpote & Ægyptio & ſacerdoti, quam Herodoto homini peregrino, & cui per malitiam Ægyptii imponere potuerunt, aut cui per linguæ Ægyptiacæ inſcitiam omnia ex illorum relatu aſſequi non licuit.* Ita enim loquitur *l. 3. canon. iſagogicor. 1. pag. 274.* Verum haud ullo colligere eſt indicio Ægyptiis ſacerdotibus fide dignam fuiſſe antiquarum rerum hiſtoriam, aut vero Manethonem tradidiſſe omnia prout acceperat. Sacerdotes illos præter meritum hiſtoriæ veteris peritia ſeſe jactitaſſe, paulo ante oſtendimus;

(a) *Chæremon*) Fuit præceptor Dionyſii Alexandrini ejus qui a Nerone usque ad Trajanum vixit. Ælium Gallum Alexandria navigantem in Ægyptum ſecutus eſt. Ex Tzeza etiam hominis vanitatem detexit VOSSIUS, & JOSEPHUS *lib. 1. contra Appionem* inepta aliquot ejus de rebus Judaicis mendacia refert. Conf. quoque de eo THOMAS GALE *in notis ad Jamblichum de myſteriis Ægyptiorum p.* 303. qui dubitat, utrum iſte Chæremon fuerit, quod alii perhibent, qui PORPHYRIO *lib. 4. de abſtinentia* §. 6. ἀνὴρ φιλαλήθης τε καὶ ἀκριβὴς vir verus & accuratus dicatur, & de ſacerdotum Ægyptiorum inſtitutis ſcripſiſſe perhibeatur. STRABONI enim *l. 17.* homo inſcite arrogans & ſcriptor vaniſſimus dicitur.

(b) *Ptolomæus Mendeſius*) Res Ægyptiacas deſcripſit, meminitque ejus JUSTINUS MARTYR *in cohortatione ad Græcos p.* 10.

(c) *Apionem*) Grammaticum vocatum πλειστονίκης i. e. ſæpe victorem, de cujus ſcriptis conſule CLEMENTEM ALEXANDR. *lib. 1. ſtrom. p.* 320. Docuit Romæ ſub Tiberio & Claudio. In JOSEPHO dicitur diſcipulus Apollonii Archibii, qui & Euphranorem ſenem plus 100. annorum audivit. Didymi magni alumnus & ſucceſſor Theonis.

(d) *Evagoras Lyndius*) Is teſte SVIDA ſub *hac voce tom. I. p.* 1066. ſcripſit inter alia ἐγκώμια περιέχοντα τὰς Αἰγυπτίων βασιλείας.

(e) *fidem adhiberi*) WITSIUS *in Ægyptiacis p.* 87. 88.

(f) *Manethonem*) De HERODOTO autem paulo durius pronuncians l. c. cui adſtipulatur JURIEU *dans l'hiſtoire des dogmes & des cultes de l'Egliſe part. 3. cap. 4. p. 508. in antiquitatibus* dicens *Ægyptiacis Herodotum non verſatum eſſe, adeoque in iis ſibimetipſi contrarium.*

mus; Manethonem autem ſcriptorem fuiſſe fabuloſum *abunde conſtat ex iis, quæ unus Joſephus* (a) *l. 1. contra Apionem* prolixe illi objecit circa res Judæorum. Certe ridicule oſtentat ſeſe antiquiſſimis monumentis ſive Hermetis, ſive aliis, ex columnis, *hieroglyphica literatura* (b) inſignitis, ante diluvium deſcriptis. Ut enim tales aliquas fuiſſe haud negemus, quid juverint hiſtoriam dynaſtiarum quas ipſe vult a diluvio demum Ægyptiis imperaſſe? Per eſt præterea veroſimile, illud quod Diogenes Laërtius *in proœmio* ſcribit, a Vulcani Nili filio ad Alexandrum numerare Ægyptios ἔτων μυριάδας τεσσάρας, καὶ ὀκτακισχίλια ὀκτακόσια ἔτη ἑξήκοντα τρία, ex Manethone deſumptum eſſe, utpote cum hujus τῶν Φυσικῶν ἐπιτομὴν paulo poſt idem Laërtius nominatim citet teſtem. Etſi enim dynaſtiæ Manethonianæ apud Syncellum ad Alexandrum usque habeant tantum annos quinquies mille trecentos ſexaginta quinque, tamen immenſum prope tempus illud attribuit Deorum imperio. Eſt autem revera omnium mendaciorum calidiſſimum: utpote quum Diodoro Siculo ſacerdotes Ægyptii ab Oſiride & Iſide ad regnum Alexandri annos numeraverint tantum plus decies mille, vel paulo minus ter & vicies mille; Herodoto autem ab imperio duodecim deorum ad Amaſim ſive Cambyſem usque annorum quindecim millia.

Dixeris forte, Manethonem minus tamen peccare in definiendo tempore dynaſtiarum humanarum quam Herodotum, ut qui tempori illi ad Sethonem usque Vulcani ſacerdotem adſcribat trecentos quadraginta unum Reges, annos autem undecim mille trecentos & quadraginta. Fateor. Peccat tamen & ipſe graviter, longiſſime ultra mundi conditi initium exporrigens δυναστείας ſuas Ægyptiacas. Nec vero juvat Manethonem ingenioſa Gerardi Joannis Voſſii V. Cl. excuſatio, quam refert *l. 2. idololatr. cap. 28.* annos illos Manethonios eſſe non explicitos ſed cum aliis concurrentes, uno ſcilicet eodemque tempore pluribus dynaſtiis Ægypto imperantibus. Nihil inquam, hoc juvat Manethonem, ut qui utique cenſuerit annos illos omnes non collaterales eſſe ſed ſucceſſorios, imo concurrentium uno eodemque tempore dynaſtiarum vix ſemel meminerit. Certe in commemorandis Regibus etiam alios ſacerdotes non cogitaſſe de illis collateralibus dynaſtiis, manifeſtum eſt etiam ex Herodoto, Diodoro, aliis. Ut taceam ne quidem in ſacra hiſtoria Hebræorum ejus aliquod reperiri veſtigium.

CAPUT XIIX.

Quæ Herodoto Ægyptii ſacerdotes quondam de rebus ſuæ gentis narraverunt, plus habere veriſimilitudinis, quam alias aliorum Ægyptiorum narrationes.

QUod ſi quis conjecturæ locus eſt in re dubia & obſcura, malim pronunciare, Herodotum incidiſſe in ſacerdotes minus reliquis fabuloſos, quique res Ægyptias ſaltim a Seſoſtris usque ætate ſic ſatis bene habuerint cognitas.

Etenim ſi quid veri ſubeſt famoſæ Seſoſtris expeditioni, neceſſum eſt iſthoc nomine venire illum, qui in ſacra hiſtoria *1. Reg. c. XIV, 25. audit Seſak*, (c) quod Joſepho etiam eſt obſervatum *l. IIX. antiqu. c. IV.* utpote quum unius hujus præter Nechum fiat mentio in codice illo ſacro, qui ex Ægypto moverit in Palæſtinam. Neque enim a Seſoſtri non paſſa eſt calamitatem terra illa, ſi quid veri habet hiſtoria, nec ſacri codices tantum damnum ſilentio prætериiſſent. Satis exacte autem conveniunt Seſoſtris illa tempora cum ævo Salomonis & Rehabeami, ſi Herodotum ſequamur. *Numerat quippe pater ille hiſtoriæ Græcæ* (d) a Seſoſtri ad Sethonem Vulcani ſacerdotem, adeoque ad Sennacheribum, Reges decem, quot ætates ſpacium annorum trecentorum circiter abſolvere facile poſſunt.

Similiter Sethonis & nomen & tempus quod eſt apud Herodotum, cum iis quæ *l. IV. Reg. c. XVII. v. 4.* de So Rege Ægyptiorum narrantur, cujus contra Aſſyrios opem imploraverit Hoſea Rex Iſraelitarum ultimus, optime conveniunt.

Eodem tempore Sennacheribum Aſſyriorum Regem non vixiſſe tantum, ſed etiam cum in Ægyptum moviſſet, inopinata exercitus nocturna clade territum receſſiſſe, liquet ex 4. Reg. XIIX. 2. Paralip.

(a) *abunde conſtat ex iis, quæ unus Joſephus*) Cum enim Manethon Ægyptius eſſet, multas odii atque invidiæ adverſus Judæos cauſas ſe habere arbitratus eſt, & cum impuriſſimorum dæmonum ſacerdos eſſet, Deo Iſraelis quicquid ad gloriam ſuam faciebat, invidit. Neque aliunde cognoſcas quam ex ipſo hoc Manethone, quam vel imperiti veræ antiquitatis, vel malevoli illius diſſimulatores, imo vero ſcelerati corruptores Ægyptii fuerint, modo ea quæ de Iſraelitarum in Ægyptum adventu & ex Ægypto exitu ſacræ literæ prodidere, cum iis conferre libeat, quæ nugivendus Manetho ſcriptis conſignavit, & erudite refutavit Joſephus, quemadmodum loquitur WITSIUS *in Ægyptiacis p.* 198.

(b) *hieroglyphica literatura*) Ejusmodi columnis Ægyptum abundare ex itinerariis conſtat, inter quæ merito PAULI LUCÆ commendari meretur. Octavianum Auguſtum obeliſcos duos ab Heliopolitana civitate tranſtuliſſe Ægyptia, AMMIANUS MARCELLINUS *lib. XVII, c. IV.* docet. Conf. STRABO *lib. XVII.* & PLINIUS *hiſtor. natur. lib. XXXVI.*

(c) *audit Seſak*) Scribitur ibi Schioſak, ſed Jerem. 25. 27. Scheſchack, quem locum quidem alii de Rege Babyloniæ intelligunt conferentes hic nomen Schach & σακαία feſtos dies Babyloniis nuncupatos apud ATHENÆUM 9. 14. Sunt tamen, qui etiam hic Regem Ægypt. Sethoſin, Græcis Seſoſtrin dictum intelligi arbitrantur, ob potentiam deinde inter Aſiæ Deos numeratum. Vid. BASNAGE *hiſtoire des Juifs tom. 2. p.* 1023. cui adde MARSHAMUM *pag.* 22. & 299. TORNIELLUM, BOCHARTUM *in Phaleg. IV.* 31. aliosque, licet de cætero PERIZONIUS *in orig. Ægypt. p.* 108. contrarium doceat, & Seſoſtrin longe antiquiorem eſſe oſtendat, illum vero per errorem ab HERODOTO pro Suſaco vel Siſaco haberi, falſo autem a MARSHAMO ſupponi, quod Menes ſit Chamus, & quod ab illo usque ad Seſoſtrin numerandi ſint anni 1400. obſervet.

(d) *Numerat quippe pater ille hiſtoriæ Græcæ*) Sed reſpondent alii, HERODOTUM tribus tantum Regibus ex illis decem adſcribere annos regni, quibus ſolis conficiantur 156. porro a morte Rehabeami usque ad mortem Ezechiæ annos intercedere non 300. ſed 260. adeoque ex conjectura CONRINGII ſeptem reliquis Regibus longe minus ſpatium (104. tantum annorum) relinqui, quam tribus ab Herodoto tribuatur.

lip. XXXII. Eſaiæ XXXVI. Ipſum vero illud nomen Sennacheribi, ut & memoria expeditionis & ſingularis cujuſdam damni, quod una nocte paſſus fuerit Aſſyrius, reperiuntur apud unum Herodotum: non Diodorum, non Manethonem, non Ægyptiarum rerum ſcriptores alios: etſi non omni ex parte veræ etiam ſint ipſæ illæ Herodoti narrationes, & peſtis illa exercitus nocturna mutaverit *in murium fabulam*; (a) niſi & hoc non minus vere ſimul quam peſtis illa contigerit. Ab hoc Sennacheribo graviter paſſam eſſe Ægyptum, inter ſeſe & a Rege ſuo tum diſſidentem, haud difficile liquet ex Herodoto; quæ omnia mirifice illuſtrant vaticinia Jeſaiæ cap. XIIX. XIX. & XX. Narraverat autem illa Sennacheribi cum Ægyptiis bella etiam in Babylonica hiſtoria Beroſus, teſte Joſepho *l. X. antiquit. cap. 1.* ubi tamen Beroſi ipſa verba exciderunt.

Quod porro itidem eſt apud Herodotum *Proteo Rege Paridem* (b) cum rapta Helena ut & poſt Menelaum in Ægyptum adveniſſe, mirifice confirmantur iis, quæ Virgilius cecinit de Ænea & Didone. Conſtat quippe ex annalibus Phœnicum, quorum excerpta nobis dedit Joſephus, a Didone Carthaginem conditam circa annum mundi 3060. quo tempore in vivis eſſe adhuc potuiſſe Proteum, alterum illum a Seſoſtri, non poteſt dubitari. Certe ſi quod veri ineſt illi *Virgiliano carmini*, (c) circa iſthæc demum tempora Ilii excidium contigit: quod Herodoto ipſi, viro utique magni judicii & antiquitatum ſuæ gentis peritiſſimo, itidem placuiſſe manifeſtum eſt. Idem ſane viſum eſt illis qui in Regis Ramiſis ætatem Trojæ ἅλωσιν retulerunt teſte Plinio l. XXXVI. c. 8. Eſt enim Ramiſes plane ille Ramſinitus, qui Herodoto eſt ſucceſſor Protei. Imo non aliud videtur & Theopompo creditum, dum Homerum voluit vixiſſe Olympiade XXII. ducentos enim circiter annos vulgo poſt Trojæ cladem exiſtimatur poeta ille claruiſſe.

Cæterum quæ ante Seſoſtrem contigerunt videntur Herodotei illi Ægyptiorum ſacerdotes ignoraſſe, eoque tantum tegendæ inſcitiæ ſuæ dixiſſe, omnes Seſoſtris anteceſſores nullum memoratu dignum facinus commiſiſſe. Cui enim fiet veriſimile, trecentos & triginta Reges inglorie duxiſſe vitam per annos plusquam decem mille? Memorabile tamen, quod Pharaonis vox ex eorum relatione apud unum Herodotum quodammodo ſit conſervata, dum traditur in Regum ſucceſſione *Piromin Piromi* (d) ſemper ſucceſſiſſe, eſſe autem Piromin idem quod Græce καλοκἀγαθὸν. Ex Herodoto ſane videtur idem hauſiſſe Syneſius *l. 1. de providentia.*

Quos Diodorus Siculus conſuluit ſacerdotes a vero plusquam Herodoteos illos abiiſſe, vel una doceat hiſtoria Regum a Seſoſtri vel Seſooſi usque ad Pſammitichum, quæ legitur a cap. 59. usque ad 66. Tempora certe cum ſacra hiſtoria omnino nihil habent affinitatis. Ne quidem illa quæ a Pſammiticho usque ad Amaſis excidium & Perſarum regnum habet Diodorus, ita cum ſacris conveniunt atque Herodotea, utpote quæ Nechi Regis nec verbulo meminerint. Taceo nunc illa portentoſa mendacia: *Imperarunt, ut quidam ex ipſis fabulantur, initio in Ægypto Dii & Heroes annos paulo minus octies & decies mille, ultimusque Rex fuit Horus Iſide natus. Ab hominibus autem regnatum per quindecim ferme millia annorum ad centeſimam usque octogeſimam Olympiadem, qua nos Ægyptum acceſſimus.* Scripſerat vero Diodorus cap. XXIII. *Annos ab Oſiride & Iſide numerant ad Alexandri regnum plus decies mille, vel ut nonnulli ſcribunt, paulo minus ter & vicies mille.* Item cap. XXVI. *Sacerdotes Ægyptiorum facta ſupputatione temporum a regno ſolis ad Alexandri tranſitum in Aſiam annorum XXIII. millia circiter colligunt.* Item illud cap. LXIX. *ultra quater mille & ſeptingentos Reges indigenas Ægyptum gubernaſſe.*

Res Ægyptiorum a Pſammiticho usque exactius tradi ab Herodoto quam a Manethone ipſemet Joſephus Scaliger coactus eſt fateri: eoque etſi in XXV. dynaſtiis Manethonem, in XXVIta tamen Herodotum ſequitur, *quod conſentanea hiſtoriæ biblicæ ſcribat*, videatur *l. III. canon. iſagogicor. pag. 311.* Et vero ſecundum meam computationem primus Nabuchodonoſaris fuerit etiam primus Pſammitichi, ſi Manethonem ſequaris: debebat autem incidere in aliquem annum Nechi Regis. Si in his autem major fides habenda Herodoto quam Manethoni, quur amabo in aliis prætulerimus hujus fidem ductu Scaligeri optimo Herodoto?

Porro nec anteriora tempora ſi ſpectemus, aliquis juxta Manethonem vixit Ægyptiorum Rex ætate Hoſeæ Regis, cujus nomen alludat *ad So in ſacris laudatum*, (e) ſive illum dynaſtiarum catalo-

 gum

(a) *in murium fabulam*) Qui ſcilicet Aſſyriorum arma & veſtes corroſerint. Cæterum PRIDEAUX *in hiſtor. Jud. part. I.* ventum aliquem ſupponit peſtilentialem, quo proſtratus fuerit exercitus Aſſyr. Et JOSEPHVS hac peſte quoque Hieroſolymitanos ipſos & Hiskiam, cum illi relictam ſupellectilem in urbem aſportaſſent, afflictos fuiſſe tradit.

(b) *Proteo Rege Paridem*) Ex ſententia igitur autoris, bellum Trojanum infra tempora Rehabeami demittitur, cum tamen oſtendente PETAVIO epocha hujus belli Rehabeami initia ſuperet plus 200. annis.

(c) *Virgiliano carmini*) Sæpe in eo in veritatem impingi, ipſis ſatis notum, quibus conſtet, quo temporum intervallo Æneas a Didone diſtet. Dido 300. annis Ænea poſterior. Quin BOCHARTVS in *epiſtola ad Segraiſium* docet, Æneam nunquam veniſſe in Italiam.

(d) *Piromin Piromi*) HERODOTVS refert *lib. 2. p. 143.* illuſtres viros Ægyptiis dictos πίρωμιν & ſacerdotes Ægyptiorum gloriatos, quod treceni quadraginta & quinque ſui ordinis homines fuerint, πίρωμιν ἐκ πιρώμιος. Addit autem *Piromis eſt lingua Græca fortis & bonus.* Hinc ergo etiam nobilis ille juvenis Babylonicus, qui Thisben amavit, Pyramus (de quo vid. OVIDIVM *Metam.* 4. 55.) vocatus videtur, & ſine dubio Pyramides, quæ Regum ſive illuſtrium virorum fuerunt quaſi arces, & ſepulchra, nec non ipſa vox Pharao, de qua porro vide BOCHARTVM *in Phaleg. II.* 26.

(e) *ad So in ſacris laudatum*) Conf. 2. Reg. 17. 4. & 18. 31. JAC. CAPELLVS *in hiſt. ſacr. & exotic. ad a.* 3274. Soum putat eſſe Diodori Seſoſin vel Seſoſtrin. At is ille videtur Sebechus Manethonis & Sethon Herodoti. USSERIVS vero aliique ex Soo faciunt Sabaconem Æthiopem diverſum a Sevecho. Rectius PERIZONIVS *l. c. pag.* 211. *cap.* 13. cum SCALIGERO putat, Soum ſacræ ſcripturæ & Sethonem Herodoti eſſe Bochorin Soitem vel potius Zetum ultimum dynaſtiæ 23. quæ Tanitarum fuit, Regem apud Africanum & Sevechum relinquit Æthiopum dynaſtiæ. Etenim ait, fuerunt tunc plures ſimul Ægypti in diverſis ejus partibus Reges, etiam quos

gum ſequamur, quem recitat Euſebius, ſive quem pro arbitratu interpolavit Scaliger. Nec enim veroſimile eſt, quod ille ait, Bocchorim So Judæis audiiſſe quod eſſet Saites: ne dicam Hebræis *Soan*, quæ vox affinisſima poſſit videri, eſſe Tanin, Saim autem iisdem eſſe Sin, ut ſane perpetuo hasce voces interpretantur LXX. Seniores Ægypti regionum gnari. Aliqua convenientia quidem eſt vocum Τάρακος apud Euſebium & Tiraka Æthiopis apud Jeſaiam cap. XXXVII. Sed tempora non conveniunt, utpote quum ille Æthiops vixerit quo tempore in Ægyptum movit Sennacheribus, *Tarakos autem Manethonis* (a) quinquaginta demum poſt annis. Nec eſt ſatis conſentaneum hiſtoriæ ſacræ Tirakum rerum fuiſſe potitum per Ægyptum; videtur enim potius ſuppetias voluiſſe ferre Ægyptio Regi, idem forte cum eo quem Megaſthenes apud Strabonem *l.15.* memorat Tiarkonem Æthiopem, qui expeditione ſuſcepta ad Herculis usque columnas pervenerit.

Ad hoc juxta Manethonem Salomonis & Rehabeami ætate non vixit Seſoſtris, aut aliquis expeditione in Palæſtinam facta clarus, imo non vixit aliquis cui quæ fuit nominis affinitas cum Seſak ſacris literis memorato.

Porro quæ de Paſtorum & Judæorum ex Ægypto in Palæſtinam tranſitu ex Manethone refert Joſephus, illa utique a ſacris hiſtoriis abſunt quam longisſime. Vanitatem quoque eorum omnium accurate oſtendit Joſephus *l. 1. contra Apionem.* Non convenire præterea cum Aſſyriorum etiam hiſtoria id quod ibi legitur de Aſſyriorum jam tum metuenda potentia, ex ſupra dictis eſt clarisſimum: quibus oſtendimus non fuiſſe illud imperium magnæ amplitudinis niſi ultimis pene temporibus; certe non iis, quibus *Hycſos aut Judæos* (b) vult ex Ægypto migraſſe Manethos. Taceo complura alia.

Certe nihil eſt quur Manethoni plus fidei debeas quam Herodoto, quantumvis monumentorum antiquorum lectione ſeſe jactitaverit, vel genere Ægyptius fuerit & dignitate ſacerdos. Enimvero omne illud ſacerdotum genus nulla polluiſſe ſolida doctrina, ſed vanitate laboraſſe quam maxime, & turpibus mendaciis affectaſſe ſcientiæ opinionem in vulgus, liquido alias demonſtramus.

Alios Ægyptiarum rerum ſcriptores non eſt pretium operæ cum Herodoto contendere, utpote quum nemo ſuperſit a quo multa hujus argumenti liceat petere, quæ in contentionem mereantur venire. Sed &, qui inter eos celeberrimus eſt, ſimulque & ipſemet fuit ἱερογραμματεὺς & domo Ægyptius, Chæremon ejus & inſcitia & arrogantia, illis eſt coloribus depicta a Strabone l. XVII. ut turpe fuerit cum iis Herodotum committere. Unum Artapanum miror, qui nactus ſit illa de Judæorum ex Ægypto migratione vero maxime omnium affinia, quæ Clemens Alexandrinus recitat *l. 1. Stromat.* & poſt illum Euſebius. Certe ſi illa accepit a ſacerdotibus, deprompta ex monumentis antiquis quibusdam, illa Heliopolitanorum non potuerint ſatis laudari. Sed vereor ne ſint recentius conficta.

CAPUT XIX.

Diagramma plerorumque eorum quæ de dynaſtiarum temporibus ſunt diſputata.

QUæ hactenus diſputavimus, clariſſima fuerint ſi oculis ipſis in tabula exponantur. Univerſa tamen ita exhibere operoſum eſt & inutile: eoque fortaſſe ſufficit, ſi duntaxat a Medorum usque primordiis ad extrema regni priſci Ægyptiaci, quando illud juris factum eſt Perſici, proponantur in medium: utpote cum illo temporis ſpacio pleraque memoratu digna, quæ quidem nos tetigimus hac diſquiſitione, contigerint.

Igitur eſto quaſi pro norma, præcipua quidem Periodus Juliana, ſubtile illud *Joſephi Scaligeri inventum,* (c) ſecundaria vero æra Nabonaſſarea, epocha hujus alligata ad annum periodi Julianæ 3967. prout non Scaligero tantum ejusque aſſeclis, ſed & ipſi Dionyſio Petavio viſum eſt.

Pona-

[1] Manetho non memorat, veluti pater Bochoridis, quem Diodorus Gnephachto, Plutarchus Technatin, alii aliter vocant. Tum Anyſis apud Herodotum. Sed & æquales Bochori videntur fuiſſe primi dynaſtiæ 26. Saitarum Reges, ſiquidem quartus ejus Rex Nechao Pſammetichi pater æque ac Bochoris a Sabacone legitur occiſus. Quidni vero his accenſeri poſſit etiam Zetus, qui proxime ante Bochorin & dein Sabaconem ab Africano ponitur. Jam vero cum Sous in ſcriptura ſacra tempore Sennacheribi ante adventum Æthiopis dicatur, Pharao Ægypti & Sethon Herodoti eodem prorſus tempore bellum contra Sennacheribum geſſerit, atque adeo neceſſario ante, non poſt diutinum illud Sabaconis Æthiopis regnum regnaverit, minime a vero abhorrere videtur, Soum illum ſeu Sethonem eſſe Zetum Manethonis, cui Æthiops auxilium tulerit contra Sennacheribum, ſed quem dein hoc jam regreſſo oppreſſerit, quæ & cauſa videtur, quare Zetus ille dynaſtiæ ſuæ fuerit ultimus, illo autem oppreſſo Æthiops deinde Bochorin & Anyſin & Nechaonem occiderit, atque ita totam ſibi Ægyptum ſubjugaverit, donec tempore Eſſarhaddonis ab eo devictus relicta Ægypto in Æthiopiam redierit, quæ res anarchiæ & dodecarchiæ Ægyptiorum cauſa extitit.

(a) *Tarakos autem Manethonis*) PERIZONIVS *loc. cit. p. 156.* Sabaconem & Taraconem eundem hominem fuiſſe arbitratur, a Manethone vero perperam in duos diviſum.

(b) *Hycſos aut Judæos*) Narrat enim Manethos apud Joſephum ſub Timæo Rege præter ſpem ex partibus orientalibus homines genere ignobiles in Ægyptum veniſſe, eamque late poſſediſſe, civitates crudeliter incendiſſe, Deorumque templa evertiſſe, atque hanc gentem (inſinuat autem non obſcure Judæos) Hycſos i. e. Reges Paſtores dictam fuiſſe, Hyc ſecundum ſuorum linguam Regem, Sos vero Paſtorem ſignificat. Addit autem JOSEPHVS, in aliis exemplaribus non Reges ſignificari comperi per appellationem Hyc ſed e diverſo captivos declarari Paſtores. Hyc, enim lingua Ægyptiaca & hac, quando denſo ſono profertur, captivos aperte ſignificat, & hoc potius mihi videtur veriſimile & hiſtoriæ antiquæ convenientius. Qua in narratione latet aliquid veri; ſed fabulis commiſtum & inſigniter depravatum, uti oſtendunt GROTIVS *lib. 1. de verit. relig. Chriſt.* §. 16. & NICOLAVS ABRAMVS *in Pharo lib. 8. cap. 3.* WITSIVS *in Ægyptiacis p. 210. ſeqq.* MARSHAMVM propterea reprehendens, qui nolit concedere eandem ab Moſe & Manethone rem narrari, licet ab illo verius, ab hoc fabuloſius.

(c) *Scaligeri inventum*) Sunt qui putant, ſubtile hoc SCALIGERI inventum multis obnoxium eſſe erroribus.

Ponatur porro, primum Cyri annum Perſicum eſſe periodi Julianæ 4154. Nabonaſſareum 188. Sane ut ita ponamus jubent nos veteres Græcorum hiſtoriæ, quæ annum illum unanimi conſenſu nectunt cum anno 1. Olympiadis quinquageſimæ quintæ; ceu fatentur etiam recentiores, interque eos ipſi principes chronologicæ rei Scaliger & Petavius. Atqui initium Olympiadum incidit in annum periodi Julianæ 3938. quemadmodum operoſe poſt Scaligerum etiam Petavius demonſtravit *l. 9. doctr. temp. c. 37. & ſeq.* Itaque non poteſt non primus quinquageſimæ quintæ Olympiadis eſſe ejusdem periodi 4154. Hoc autem poſito Cyri primordio, quum illud ſit cardinis loco in ſupputationibus rerum Medicarum, Ægyptiacarum, aliarumque, patebit veritas noſtri diagrammatis. Haud me latet, ſi canoni mathematico ſit fidendum, uno anno ſerius nempe 4155. cœpiſſe Cyrum, idque recte a Scaligero, Petavio & aliis eſſe obſervatum. Sed quare illius debeat prævalere auctoritas non video. Quod ſi tamen cui tanti eſt, per me licet illam ſequatur. Fuerint vero ita Medorum etiam Ægyptiorumque tempora uno anno ſerius locanda, adeoque initium regni Medici cum anno 3999. Pſammitichi cum 4044. connectenda. Qua in re nihil eſt incommodi.

Extra controverſiam denique nunc collocabimus: annum Ezechiæ XI. eſſe periodi Julianæ 3994. Nabonaſſareum 28. ſequuti hac in re variis de cauſis ſupputationem illam alteram temporum Judaicorum, quam Scaligerianæ adjunxit Helvicus. Non repugnabimus tamen multum, ſi quis biennio ſerius velit illa Judaica tempora cum aliis ſupputare, obſervata etiam in hoc ipſo canonis mathematici fide, ut cui primus Babylonius Cyri annus eſt Nabonaſſareus 210. ultimus Nabonidi 209. quem ultimum eſſe ſeptuagenariæ captivitatis Judæorum nos demonſtravimus. Neque vero quæ nos diſputavimus quidquam detrimenti accipiunt licet hoc malis: utpote quum etiam ita inciderit defectio Medorum in tempora illius divinæ cladis Aſſyriorum & mortis Sennacheribi; imo ſic a Regum Babyloniorum annis in canone mathematico notatis biennio minus diſſentiamus. Sequimur vero illum canonem & nos in Regibus Babyloniis usque ad Nabopolaſſarem quoad licet, tantum ob defectum meliorum certiorumque. Deinceps nimirum omnino abeundum eſſe ab illo, jam demonſtravimus.

Cæterum hisce præmonitis licet jam diagramma ipſum proponere.

Jul.	*Nab.*	*Reges Judæ.*	*Reges Aſſyriorum.*	*Reges Babyloniorum.*	*Reges Medorum.*	*Reges Ægyptiorum.*
3994	28	11 –	Aſſyriorum res	2 Mardokempad. ſive		
3995	29	12 Ezechi-	maxime florent.	3 Merodach Baladan.		Setho Vulcani ſa-
3996	30	13 as.	Sennacheribi exer-	4		cerdos ſive So.
3997	31	14	citus perit & ipſe	5		
3998	32	15	occiditur: ſucce-	6	1 Medi deficiunt	
3999	33	16	dente filio Aſſar-	7	2 ab Aſſyriis, &	
4000	34	17	haddon ſive Sar-	8	3 primis ſex an-	
4001	35	18	danapalo.	9	4 nis degunt ſine	
4002	36	19		10	5 rege.	
4003	37	20		11	6	
4004	38	21		12	1 Dejoces.	
4005	39	22		1 Arcianus.	2	
4006	40	23		2	3	
4007	41	24		3	4	
4008	42	25		4	5	
4009	43	26		5	6	
4010	44	27		1 Interregnum I.	7	
4011	45	28		2	8	
4012	46	29		1 Belibus.	9	
4013	47	1		2	10	
4014	48	2 Manaſſes	Ninus quidam Rex	3	11	
4015	49	3	poſt Sardanapa-	1 Apronadius.	12	Duodecim Reges
4016	50	4	lum memoratus	2	13	circa hæc tempora
4017	51	5	Caſtori Rhodio.	3	14	Ægypto inter ſe-
4018	52	6		4	15	ſe diviſæ impe-
4019	53	7		5	16	rant.
4020	54	8		6	17	
4021	55	9		1 Rigebelus.	18	
4022	56	10		1 Meſeſimordacus.	19	
4023	57	11		2	20	

4024

Digitized by Google

Jul.	*Nab.*	*Reges Juda.*	*Reges Aſſyriorum.*	*Reges Babyloniorum.*	*Reges Medorum.*	*Reges Ægyptiorum.*
4024	58	12		3	21	
4025	59	13		4	22	
4026	60	14	Aſſyrii Manaſſen	1 Interregnum II.	23	
4027	61	15	bello victum Ba-	2	24	
4028	62	16	bylonem dedu-	3	25	
4029	63	17	cunt captivum,	4	26	
4030	64	18	eoq; & Babyloniæ	5	27	
4031	65	19	& Syriæ omni ad-	6	28	
4032	66	20	huc imperant.	7	29	
4033	67	21		8	30	
4034	68	22		1 Aſſaradinus.	31	
4035	69	23		2	32	
4036	70	24		3	33	
4037	71	25		4	34	
4038	72	26		5	35	
4039	73	27		6	36	
4040	74	28		7	37	
4041	75	29		8	38	
4042	76	30		9	39	
4043	77	31		10	40	1 Pſammitichus.
4044	78	32		11	41	2
4045	79	33		12	42	3
4046	80	34		13	43	4
4047	81	35		1 Saosducheus.	44	5
4048	82	36		2	45	6
4049	83	37		3	46	7
4050	84	38		4	47	8
4051	85	39		5	48	9
4052	86	40		6	49	10
4053	87	41		7	50	11
4054	88	42		8	51	12
4055	89	43		9	52	13
4056	90	44		10	53	14
4057	91	45		11	1 Phraortes.	15
4058	92	46		12	2	16
4059	93	47		13	3	17
4060	94	48		14	4	18
4061	95	49		15	5	19
4062	96	50		16	6	20
4063	97	51		17	7	21
4064	98	52		18	8	22
4065	99	53		19	9	23
4066	100	54		20	10	24
4067	101	55		1 Chyniladanus	11	25
4068	102	1 Ammon.		2	12	26
4069	103	2		3	13	27
4070	104	1 Joſias.	Zophonias exi-	4	14	28
4071	105	2	tium Nini prædi-	5	15	29
4072	106	3	cit.	6	16	30
4073	107	4		7	17	31
4074	108	5		8	18	32
4075	109	6	Aſſyrii Rege Na-	9	19	33
4076	110	7	buchodonaſare	10	20	34
4077	111	8	Phraortem Me-	11	21	35
4078	112	9	dum cum exerci-	12	22	36
4079	113	10	tus magna parte	13	1 Cyaxares.	37
4080	114	11	occidunt & Holo-	14	2 Scythæ devicto	38
4081	115	12	ferno Duce Sy-	15	3 Cyaxare per	39
4082	116	13	riam & Ciliciam	16	4 Aſiam domi-	40
4083	117	14	recuperant.	1 Nabopolaſſar. 17	5 nantur annos viginti.	41

4084

P.Jul.	Nab.	Reges Juda.		Reges Aſſyriorum.		Reges Babyloniorum.		Reges Medorum.	Reges Ægyptiorum
4084	118	15				2	18	6	42
4085	119	16				3	19	7	43
4086	120	17				4	20	8	44
4087	121	18				5	21	9	45
4088	122	19				6	22	10	46
4089	123	20				7		11	47
4090	124	21				8		12	48
4091	125	22				9		13	49
4092	126	23				10		14	50
4093	127	24				11		15	51
4094	128	25				12		16	52
4095	129	26				13		17	53
4096	130	27				14		18	54
4097	131	28				15		19	1 Necos.
4098	132	29				16		20	2
4099	133	30		Aſſyriis usque ad		17		21	3
4100	134	31		Euphratem		18		22	4
4101	135	1 Jojakim.		omnia eripiunt		19		23	5
4102	136	2		Ægyptii, & his		20		24	6
4103	137	3		viciſſim		21		25	7
4104	138	4	Jechonias captivus ducitur Babylonem ibiq; in cuſtodia detinetur usque in annum 37.	Babylonii	1	1 Nebucadnezar.		26	8
4105	139	5		etiam ipſi	2	2		27	9
4106	140	6		deficientes.	3	3		28	10
4107	141	7			4	4		29	11
4108	142	8			5	5		30	12
4109	143	9			6	6		31	13
4110	144	10		Circa hæc	7	7		32	14
4111	145	11	1	tempora	8	8		33	15
4112	146	1 Zede-	2	Ninus ipſa	9	9		34	16
4113	147	2 kias.	3	deſtruitur.	10	10		35	1 Pſammis.
4114	148	3	4		11	11		36	2
4115	149	4	5		12	12		37	3
4116	150	5	6		13	13		38	4
4117	151	6	7		14	14		39	5
4118	152	7	8		15	15		40	6
4119	153	8	9		16	16		1 Aſtyages.	1 Apries.
4120	154	9	10		17	17		2	2
4121	155	10	11		18	18		3	3
4122	156	11	12		19	19		4	4
4123	157		13		20	20		5	5
4124	158		14		21	21		6	6
4125	159		15		22	22		7	7
4126	160		16		23	23		8	8
4127	161		17		24	24		9	9
4128	162		18		25	25		10	10
4129	163		19		26	26		11	11
4130	164		20		27	27		12	12
4131	165		21		28	28		13	13
4132	166		22		29	29		14	14
4133	167		23		30	30		15	15
4134	168		24		31	31		16	16
4135	169		25		32	32		17	17
4136	170		26		33	33		18	18
4137	171		27		34	34		19	19
4138	172		28		35	35		20	20
4139	173		29		36	36		21	21
4140	174		30		37	37		22	22
4141	175		31		38	38		23	23
4142	176		32		39	39		24	24
4143	177		33		40	40		25	25

P. Jul.	*Nab.*	*Reges Judæorum.*	*Ca*	*Reges Babyloniorum.*	*Reges Medorum.*	*Reges Ægyptiorum.*
4144	178	34	41	41	26	1 Amaſis.
4145	179	35	42	42	27	2
4146	180	36	43	43	28	3
4147	181	37	44	1 Evvilmerodach ſive	29	4
4148	182	Jechonias ſolvitur	45	2 Belſaſar.	30	5
4149	183	carcere.	46	3	31	6
4150	184		47	4	32	7
4151	185		48	5	33	8
4152	186		49	1 Nirigliſſoroor ſive Da-	34	9
4153	187		50	2 rius Medus.	35	10
					Regn. Perſar.	
4154	188		51	3	1 Cyrus.	11
4155	189		52	4	2	12
4156	190		53	Laboſoroardochus 9	3	13
4157	191		54	1 Nabonidus. (menſes	4	14
4158	192		55	2	5	15
4159	193		56	3	6	16
4160	194		57	4	7	17
4161	195		58	5	8	18
4162	196		59	6	9	19
4163	197		60	7	10	20
4164	198		61	8	11	21
4165	199		62	9	12	22
4166	200		63	10	13	23
4167	201		64	11	14	24
4168	202		65	12	15	25
4169	203		66	13	16	26
4170	204		67	14	17	27
4171	205		68	15	18	28
4172	206		69	16	19	29
4173	207		70	17	20	30
4174	208	Captivitas ſol-		1 Cyrus incipit	21	31
4175	209	vitur.		2 Babyloniis regnare,	22	32
4176	210			3 adeoque & Judæis	23	33
4177	211			4 qui hactenus ſer-	24	34
4178	212			5 vierant Babyloniis.	25	35
4179	213			6	26	36
4180	214			7	27	37
4181	215			8	28	38
4182	216			9	29	49
4183	217			10	30	40
4184	218				1 Cambyſes	41
4185	219				2	42
4186	220				3	43
4187	221				4	44
4188	222				5	Pſammenit.
4189	223				6	menſ. 6.
4190	224				7	
4191	225				menſ. 5.	
4192	226					
4193	227					

In

Digitized by Google

In

Juſtini hiſtorici præfationem, & libri primi caput primum Exercitationes II.

Præſide

HERMANNO CONRINGIO

Reſpond.

CASPARE SAGITTARIO, Luneburg.

Anno cIↄ Iↄ CLXV.

PRÆFATIO.

Eruditum Juſti Lipſii de Juſtino hiſtorico habemus judicium. Juſtinum, inquit, lege, velut variarum rerum, gentium, temporum compendium. In quam ſententiam, utpote a magno & harum literarum ſcientiſſimo viro profectam, cum accuratius paulo inquirerem, illam quidem vero quam maxime conſentaneam, verum tamen pro dignitate hujus ſcriptoris quodammodo inferiorem deprehendi. Præter enim illam gentium, temporum & rerum, quam ſane magnam in ipſo novimus, varietatem, cur ſummam auctoris prudentiam exprimere Lipſius noluerit, nondum plane video. Ut enim, quod res eſt, dicam, nullum ſane librum, imo nullum fere (ceu appellamus) caput eſſe cenſeo, ex quo non poſſimus egregia documenta capere, quid de ipſius prudentia ſit expectandum atque judicandum. Argutam & *acutam* (a) Taciti eloquentiam jure alii commendant maximo, dignamque & magnatum palatiis & aulicorum muſeis judicant. *Saluſtii hiſtoriam*, (b) tanquam Principe, imo Chriſtiano homine lectu dignisſimam nocturna diurnaque manu Henricum filium verſari cupiebat magnus Rex Britanniæ Jacobus. Lectiſſimis Curtii floribus Alfonſus, dulciſſimis Livii mellibus Ferdinandus Arragoniæ Reges reſtitutam debent *valetudinem*. (c) C. Cæſaris commentaria, ſummis alii extollunt laudibus.

Mihi certe, ſalvis aliorum ſententiis, ſalva item Taciti & reliquorum excellentia *Juſtinus placet*. (d) Hunc lego, hunc excerpo, hunc prædico, & ſi fas eſt, meum appellare ſoleo. Neque me ab illius lectione accurata temporum ſupputatio, nec ſtyli, quem nonnunquam præ ſe ferre videtur, languor, deterrent. Niſi enim omnia me fallunt; illa, & ſi quæ ſunt alia, majoribus ſubinde compenſare ſolet dotibus. Quod vero in Judaicis turpiter adeo ſe dederit, haud equidem ferendum: aliqua tamen ex parte illorum temporum conditioni adſcribendum eſſe cenſeo.

Hujus igitur Juſtini pleraque, imprimis autem quæ ab aliis prætermiſſa, ſi Deus Opt. Max. vitam, vires, otium & patronos indulſerit, ad prudentiam civilem tamquam ad lydium lapidem recenſere, ejuſdemque tam præcepta quam exempla aliorum ſcriptorum beneficio illuſtrare decrevi. Quod dum facio, veniam ab æquis humanitatis cenſoribus ſpero, ſi nonnunquam in amœniſſima philologiæ vireta diverto, ac ibidem nitidos quoſque & fragrantes floſculos excerpendo, juſto diutius exſpatior. Sunt enim hæc ſtudia, ſic cenſente Quinctiliano, at quanto viro! ejuſmodi, ut non modo puerilia ingenia acuere, ſed altiſſimam quoque eruditionem & ſcientiam exercere poſſint. Quodſi vero aliam hujus rei rationem in præſenti afferre non valerem, affatim me virorum clariſſimorum & præceptorum meorum tuebitur auctoritas: quorum ſub umbone ſecurus a malignis zoilorum judiciis deliteſco, & quod ſemel ſum ingreſſus ſtadium, Deo feliciter annuente, pro virili decurrere ſtudeo. At enim lector benevole, quædam minus perfecta, quædam minus commode dicta, nonnulla fortasſis ſuperflua reperies, & in aliis judicium, in quibuſdam ingenium deſiderabis. Fateor equidem & agnoſco. Tu vero & ætatem juvenilem, & quam humani nihil a me alienum fuerit, agnoſce; & cum æque ac ipſe homo ſis, humanitatis tuæ memor eſto.

Prius autem, quam ipſi operi me accingam, non poſſum quin *Ludovici Vivis*, viri longe eruditisſimi & ad veterum gloriam proxime accedentis, digna cedro verba *ex præfatione ad Auguſtinum de C. D.* hic proponam, & cum mea non ſint, exemplo tamen mea faciam: *Non id ego dixerim, quod ægre feram me vel admoneri, vel etiam reprehendi. Deus meliorem mentem! imo deberè me multum profitebor potiora ſuggerenti & reprehendenti docte. Nam & me ipſum non pigebit mutare ſententiam, ſi vel ſtudium vel ætas docuerit meliora.*

Summarium Exercitat. I. ad præfat. Juſtini.

Romani hiſtorias ſuæ gentis Græce ſcripſerunt. Studium linguarum peregrinarum commendatur. Magnatum πολυγλώττων exempla. Aurea bulla illuſtratur. Linguarum exoticarum uſus pro ratione loci diverſus. Scioppii cenſura de lingua Gallica. Æmulatio excitat ſcriptoris ingenium & induſtriam. Cavendum, ne dege-

(a) *acutam*) *Diſcours critique* par AMELOT DE LA HOVSSAIE.

(b) *Saluſtii hiſtoriam*) *In dono regio ſive de inſtit. principis ad Henricum filium* Cæſaris commentarios optima de nota ipſi commendat *lib. II.*

(c) *valetudinem*) BOD. *in præfat. meth. hiſtoriarum.*

(d) *Juſtinus placet*) Sed quantum diſtant erva lupinis. Quod ad ſtylum Juſtini attinet, eum ad ferream nonnulli referunt ætatem.

degeneret in invidiam. Novitas gratiſſima rerum. Res magni corporis. Corpus pro libro. Corporis etymon. Herculea audacia. Eraſmi adagia laudata & contra Philippum Caroli defenſa. Hiſtoriam univerſalem condere difficillimum. Παρήχησις ab auctoribus ſæpe adfectata. Excerpendi ſtudium utiliſſimum. Idem a veteribus diligenter excultum. De excerpendi methodo quinam potiſſimum ſcripſerint. Cognitione digniſſima ſunt excerpenda. Hiſtoriæ adjuncta jucunditas & utilitas. Ab hiſtoriarum lectione quinam convaluerint. Utilitas hiſtoriarum in quo conſiſtat. Corpuſculum florum. Excerpta cum apum operibus conferuntur. Nec in otio ſimus otioſi. Nicolai de Clemangis vera laus. Invidia eruditorum comes. Eadem excellentium ingeniorum peſtis. Poſt fata tamen eam quieſcere unanimis ſcriptorum conſenſus docet.

§. I.

Quum multi ex Romanis res Romanas Græco &c.

QVi res Romanas Græco ſermone conſcripſerunt, fuere olim plurimi, & inter eos Q. *FABIVS* & *L. CINCIVS ALIMENTIVS a DIONYSIO HALICARNASS. lib. 1. antiquit. Rom.* laudati. Quorum alterum *T. LIVIVS lib. XXI.* maximum auctorem appellat. At vero ingentem Quiritum numerum, qui hiſtoriam ſuæ gentis Græco ſermone adornarunt, apud virum ſeculorum memoria digniſſimum, cui divinæ & humanæ litteraturæ principatum minime dubito tribuere, *GERH. JOH. VOSSIVM* (a) in opere de *Græcis & Latinis hiſtoricis*, (b) ſtudioſus harum literarum lector reperiet. Neque enim vel illius vel aliorum ſcrinia compilare aveo. Cauſa autem hujus propoſiti præter reliquas, forſan & illa fuit, quod latina ſuis tantum terminis atque iis exiguis continerentur, ceu ipſe *TVLLIVS*, Græci ſermonis callentiſſimus *in orat. pro Archia poeta* teſtatur.

Peregrinoque ſermone.

Vel ex hoc auctoris loco liquido apparet, Romanos jam olim peregrinarum linguarum cognitionem ſibi comparaſſe. Horum veſtigiis & nos inſiſtamus ſedulo. Quantum enim hæc ipſa linguarum cognitio tum ad exquiſitiorem rerum omnium notitiam, tum ad vitam civilem felicius degendam faciat, rectius illi noverunt, qui in iis addiſcendis non ſine maximo emolumento, ſtudium operamque ſuam collocarunt. Neque tamen id infimi tantum ſubſellii virorum eſt; ſed ut quondam conſularis etiam dignitatis in uſu fuit, ita invictos Europæ Imperatores id laudi ſibi duxiſſe accepimus. Unum illud memorabile eſt, quod de Carolo V. Imp. ſcribunt, huic Gallicanæ dialecti venerem ſalivam adeo moviſſe, ut Thucydidem graviſſimum Græciæ ſcriptorem ſuo Marte in linguam Gallicam converſum aſſiduo legerit, ac perlectam certæ hiſtoriæ periodum cum purpuratis ſuis ſæpius communicaverit, eorumque ſententiam & de dictione & de rebus ipſis popoſcerit. Magnus ille Suecorum Hercules *Guſtavus Adolphus* (c) ſingulis legatis nunc his Italice, illis modo Gallice reſponſa dabat. Sexum fœmininum rerum geſtarum amplitudine longiſſime ſuperans *Eliſabetha*, (d) Britanniæ Regina, Latinam, Gallicam, Italicam & Hiſpanicam linguas non tantum ad amuſſim intelligebat, ſed & expedite loquebatur & erudite ſcribebat. De Guſtavo Seleno vere Auguſto, quantum ille in hoc doctrinæ genere, ut in infinitis aliis, polleat, melius eſt tacere, quam pauca dicere. Neque fruſtra eſt, quod in aurea bulla Caroli IV. diſerte cautum, ut filii Electorum Principum a primis ſtatim annis Latinam, Italicam & Illyricam linguas addiſcant. Turpe enim, inquit *CAMERARIVS oper. ſubciſ. cent. III. cap. 65.* habitum fuit & indecorum, proceres & veluti columnas imperii cum Regibus & Principibus externis eorumve legatis ore tantum alieno colloqui, ipſos autem nutu & ſignis duntaxat quæ velint indicare. Ut autem ille peregrinarum linguarum uſus alibi atque alibi diverſus eſſe ſolet, ita pro cujusque loci ratione aliæ atque aliæ addiſcendæ fuerint, ceu graviſſime monet ὁ θαυμάσιος noſter *CONRINGIVS de civili prudentia cap. XIII. pag. 296.* Hodie præ cæteris principatum obtinet Gallica, de qua ſi vera eſſent, quæ *SCIOPPIVS* tradit *conſultatione II.* de ſcholarum & ſtudiorum ratione, rariores forte inveniret ſeu ſectatores ſeu admiratores. Utut autem ille iniquum forſan cenſorem egerit, placet tamen ejus verba proponere. *De Gallica lingua quod moneam non habeo, cum animum, ut eam addiſcerem, nunquam inducere* (e) *potuerim. Neſcio enim quomodo ſemper fui ſuſpicatus, ejusdem hominis eſſe aliter loqui quam ſcribat, & aliter ſentire quam loquatur. In qua quidem ſuſpicione non parum me confirmavit, quod ex magno eorum numero, qui in Gallia fuerunt, & linguam illam egregie didiciſſe viſi ſunt, neminem adhuc cognovi, qui melior, quam illuc profectus fuerat, in Germaniam reverterit. Pleroſque omnes, ſi minus ab honeſtate animique integritate, a Germanica quidem certe gravitate & maturitate, plurimum deſciviſſe & animos regulis quibusdam ſive maximis, ſtatui Rom. Imperii infeſtiſſimis, imbutos retuliſſe, multi boni atque intelligentes viri non minimo cum dolore compererunt.*

Sive æmulatione gloriæ.

Ita profecto eſt Juſtine! Fit enim plerumque, ut hæc ipſa gloriæ æmulatio excitet ſcriptoris ingenium

(a) *GERH. JOH. VOSSIVM*) Cujus operi de ſcriptoribus hiſtoricis ſupplementa addiderunt. JOH. HALLERVORDIVS, BERNH. A MALLINKROT & CHRISTOPH. SANDIVS. Addi poſſunt BALTH. BONIFACII Rhodigini Epiſc. Tarviſini *de XL. Romanæ hiſtoriæ ſcriptoribus excerpta*, quæ cum judicio CAROLI SIGONII de iisdem a B. BVSMANNO *Helmſt. denuo recenſita ſunt*, nec non FRANC. MATTHÆVS VAYERVS lib. Gallico *de veteribus hiſtoricis Græcis & Latinis*.

(b) *Græcis & Latinis hiſtoricis*) Adde FABRICII *bibliothec. Græc. & Latinam.*

(c) *Guſtavus Adolphus*) Imperator noſter Carolus VI. præter Latinam Hiſpanicam, Italicam & Gallicam callet linguam.

(d) *Eliſabetha*) Adde Belgicam. Vid. LETI *vita Eliſabethæ part. I. lib. II.*

(e) *inducere*) Hæc lingua vitæ civili ſe addicens apprime utilis, imo neceſſaria eſt.

nium & induſtriam. Firmiores ait *QVINCTILIANVS inſtit. orat. lib. I. cap. 2.* in literis profectus alit æmulatio; tantasque vires habet, ut vel inertem ad laborem excitare valeat. Ἧτε καὶ ἀπάλαμνόν περ ὁμῶς ἐπὶ ἔργον ἐγείρει juxta *HESIOD. l. I. op. & dier. v. 20.* Neque minorem propterea laudem magnarum rerum æmuli, quam ipſi merentur auctores, ceu recte cenſet *MAMERTINVS in panegyrico cap. 8.* Atque in eo ipſo ab invidia differt æmulatio: ut enim illa in malitioſas ac perverſas mentes cadit, ita hæc ipſa bonas excitare ſolet. Præclare poſt philoſophum quem vide *rhetoricor. II. cap. XI. inciſ. 3. PHILOSTRATVS epiſt. XIII.* Φθόνος τρέφει τὰς μοχθηρὰς φύσεις, φιλοτιμία δὲ τὰς λαμπρὰς ἐγείρει. Videndum tamen, ne hæc æmulatio, in invidiam, quod plerumque fieri ſolet, degeneret. Nimis enim vera ſunt *MACROBII l. 1. in ſomn. Scip. cap. X.* Æmulatio primum bene incipiens, in invidiam latenter evadit. Et *MANVELIS PALÆOLOGI preceptum XXIII.* educat. Regiæ: γεννᾷ φθόνος τὸν δόλον, καὶ συκοφαντίαν, καὶ μῖσος, αὐτὸς τῷ ζήλῳ γενόμενος. Gignit invidia fraudem & odium, quum ipſa procreetur ab æmulatione.

Et novitate operis delectatur.

Nimirum & illa ad alliciendos hominum animos plurimum valet. Quod non latuit, quem nihil pene latuit, quod humanæ menti eſt pervium, Ariſtotelem, qui *lib. X. Ethic. cap. IV.* Ἔνια δὲ τέρπει καινὰ ὄντα. Ovidii notisſima ſunt e *lib. III. de Ponto el. 4.* Eſt quoque cunctarum novitas gratisſima rerum.

Rem magni corporis adgreſſus.

Hoc de σωματοποιΐᾳ operis, non de robore corporis accipiendum eſſe, jam ante monuerunt alii. Cæterum corporis vocem etiam librum denotare ex Cicerone obſervat Giſanius. *Quo refero illud Tullii* (a) *l. V. ep. ad fam.* A principio conjurationis usque ad reditum noſtrum videtur mihi modicum quoddam corpus confici poſſe. Etymon corporis prolixe exponit *CAMERARIVS Decur. V. prob. 2.* cui ſua debet *Cl. DILHERVS diſp. phil. tom. I. XII.*

§. II.

Herculea audacia.

Proverbialis eſt locutio in vulgus nota; de qua magnus *ERASMVS in adag. Chil. I. cent. VII. 41. & III. cent. II.* Quæ quidem attente ſi legeris, mitius profecto de Herculeis ſummi viri laboribus judicabis, quam ſolet delicatus ille cenſor Philippus Caroli, qui nunquam non illud ἡ μεγάλη βίβλος τὸ μέγα κακὸς, ad nauſeam eructat. At heus bone Philippe, cum nemo noviſſet, vel maximi Reges & Principes, divinum Eraſmi ingenium, incredibilem & multiplicem viri lectionem, cum pari induſtria & dexteritate conjunctam, non agnoverunt modo, verum etiam admirati ſunt. Ut vere de eo *FRIDERICVS NAVSEA in monodia ad Ferdinandum Rom. Regem* dixerit, dum illum vocat unicum & longe maximum non ſolum noſtræ Germaniæ, ſed totius orbis ornamentum & decus, & inauditum pene omnibus ſeculis miraculum. Notum porro de ipſo adagiorum opere Alciati JCtorum & criticorum ſuo ſeculo principis judicium, qui id locupletisſimum & immortalitate dignum cenſet, *de V. S. l. IV. n. 3.* Appoſite de ipſo Roterodamo *GLAREANVS ad Horat.* Eraſmus ad hoc natus eſt, ut errores ex optimorum auctorum libris tolleret, quemadmodum monſtra ex mundo Hercules. Equidem ſic ſentio, illum qui Eraſmum non norit, aut ſtupendum viri ingenium, eruditionis varietatem & excellentiam non admiretur, aut ſaltim non magni faciendam cenſeat, aut hoſpitem eſſe in literis, aut arrogantiæ titulo nimis ſuſpectum. Neque etiam video, quid in Carolinis ſcriptis, ſi paucisſima excipias, novum reperiatur, quodque non jamdudum ab aliis occupatum fuerit, niſi quod aliorum obſervationes exquiſitis verborum lenociniis incruſtare, eademque fercula aliis modo condimentis inferre ſoleat.

Nam cum plerisque auctoribus &c.

Trogi laborem, argumento a minori, quod vocant, commendat Juſtinus: Si illa enim opera, inquit, qua ſingulorum Regum vel populorum geſta conſcripſerunt, aliis auctoribus ardua videtur; multo magis ardua Pompeji cura cenſeri debet, quippe cujus libri omnium ſeculorum, rerum, nationum, populorumque res geſtas complectuntur. Nec a difficultate tantum deprædicare poterat, verum etiam ab inſigni utilitate. Plus enim juvare poteſt talis hiſtoria, quæ circa res omnes exacte tradendas, quam quæ circa unum aliquod ſeu nonnulla duntaxat occupetur, uti vere loquitur ὁ πάνυ *CONRINGIVS de civil. prudent. cap. XIV. p. 303.* Quantæ autem molis, quantæ induſtriæ, quanti demum judicii ſit *univerſalem aliquam hiſtoriam* (b) omnibusque numeris abſolutam condere, vix quis-

(a) *Quo refero illud Tullii*) Adde verba CICERONIS *epiſt. ad Atticum.* Hoc totum σῶμα curabo ut habeas, quo ſenſu etiam nonnulli interpretantur illud corpus Moſis, de quo Michael cum Satana litigavit, cujus mentio ſit in epiſtola Judæ v. 9. nim. de lege Moſaica, quamvis alii illud vel de proprio corpore Moſis, quibus accedit WITSIVS, vel de ſacerdotio Chriſti, cujus corporis umbra fuerit in Moſaico præeunte FRANC. JVNIO, vel de populo V. T. qui corpus Moſis dicatur, quemadmodum populus Chriſtianus corpus Chriſti, quibus accedit OLEARIVS *obſerv. in Matth. p.* 485. malint accipere.

(b) *univerſalem aliquam hiſtoriam*) Qui de antiquioribus temporibus aliquid in literas referunt, autoribus coævis, qui affectibus in transverſum acti multas ſæpe falſas relationes poſteritati tradiderunt, fidem addicunt, illosque ſecure exſcribunt. Præcipue hoc vitium obſervatur in ſcriptoribus univerſalis hiſtoriæ, unde & apud hos plurimi errores reperiuntur. Superat quoque vires humanas ſcribere hiſtoriam univerſalem accuratam. Qui tamen huic negotio ſe accingunt, officio ſuo ſatisfaciunt, ſi facta illuſtria & a nemine in dubium vocanda breviter tangant, fontesque unde hauſerunt, indicent. Scripta eſt ad hanc methodum CELLARII hiſtoria univerſalis, nec non HIER. TREVERI delineatio hiſtoriæ univerſalis, quæ potiſſimum ob methodi & judicii accurationem ſolet commendari.

Digitized by Google

quam opinor, pro dignitate explicabit. Cauſas hujus rei aliquas cognoſcere qui cupit, adeat *DIODOR. SICVLVM lib. IV. cap. 1. CICERON. ad Luccej. l. V. ep. 12.* (a) *PLINIVM lib. V. epiſt. 8.*

§. III.

Inter ſe ſegregati &c.

Mire hic variant ſcripti codd. aliis certatim, aliis gregatim habentibus. Verumtamen, ſi quid video, retineri poteſt vulgata lectio. Neque eſt quod quemquam illa παρήχησις moveat, quam a veteribus, Plauto, Terentio, ipſoque adeo eloquentiæ parente Tullio ſæpius affectatam novimus, & exemplis erudite evincit ſummus & philologus & philoſophus *MICHAEL PICCARTVS, periculor. criticor. cap. V. SCALIGER l. II. poeſ. c. 3. MVRETVS var. lect. lib. I. cap. 15.*

§. IV.

Cognitione quoque digniſſima excerpſi.

Quicunque rectam in omni literarum genere viam inſiſtere, & veros demum ſtudiorum fructus percipere cupit, is optima quæque & cognitione dignisſima ſedulo excerpat, excerpta in libros huic uſui deſtinatos ſtudioſe referat, relata diligenter relegat; ut relecta denique, donec ætas tempus & conditio ita ferant, apte expromere & in uſum convertere poſſit. Cum enim usque adeo labilis ſit hominum memoria, ut omnia retinere divinitatis potius, quam mortalitatis ſit, ceu Imp. Juſtinianus alicubi loquitur, tanta quoque omnis generis ſcriptorum multitudo reperiatur; tanta rerum in illis varietas exprimatur; tum neceſſitas ſumma, tum utilitas ſtudiorum longe maxima requirit, ut ad excerpendi ſubſidium, tanquam ad ſacram quandam ancoram confugiamus, & quæcunque ad inſtitutum noſtrum facere videntur, cum cura annotemus. Sic Græci olim ἐκλογὰς, χρηστομαθείας & Σημειώσεις in promtu habebant, de quibus ad Heſiodum Heinſius, ad Athenæum Caſaubonus quædam obſervarunt. *PLINIVS CÆCILIVS de avunculo ſuo ita ſcribit lib. III. ep. 5. Nihil unquam legit, quod non excerperet.* Quum vero id pauciſſimis datum, imo non ex re ſit omnium, ſatis erit, ſi ad exemplum auctoris noſtri, omiſſis his, quæ nec cognoſcendi voluntate jucunda nec exemplo videntur neceſſaria, digna cognitione excerpamus. Idem etiam inculcant illi, qui de his excerptis, quæ locos communes vulgo appellare ſolemus, peculiari opera commentati ſunt, quos inter Thomas Sagittarius, patruus meus largiori vita dignisſimus, Hieremias Drexelius, vir multæ lectionis & induſtriæ ſtupendæ, & Joh. Petrus Titius, Profeſſ. Gedan. celeberrimus, cujus manuductionis ad *excerpendum* (b) pars I. quid de reliquis ſperandum, tanquam ex ungue leonem arguit. Nec protrita ſunt, quæ affert illuſtre nunc Steciæ decus Joh. Schefferus libro aureo de ſtylo, variisque ſtyli exercitiis ad veterum conſuetud. cap. X. Cui quidem viro Cl. ut ea, quæ partim jam affecta, partim in animo habet, cum erudito orbe communicare queat, vitam longam, valetudinem firmam, quietem placidam, proſperos ſucceſſus ex animo vovemus. Sed de re ipſa juvat audire Drexelium: Selecta & notatu digna excerpe. Nec enim omnia in notas trahenda. Quod obvium, quotidianum, protritum, millies decantatum eſt, ſine damno tranſire poteſt, *part. I. Aurifod. cap. II.* Nec abit Titius: Nobis illorum probatur judicii æquitas, qui viam ingreſſi mediam, nec nihil, nec omnia, ſed quædam, eaque ſelectiora uſuique futura notanda & colligenda eſſe exiſtimant. Illos qui hac in parte nimii, & obvium quicquid in excerpta rapiunt, perſtringens Gellius: Græci maxime, inquit, multa & varia lectitantes, in quas res cunque inciderent, alba, ut dicitur, linea, ſine cura diſcriminis, ſolam copiam ſectati, convertebant, quibus in legendis ante animus ſenio aut tædio languebit, quam unum alterumve repererit, quod ſit aut voluptati legere, aut cultui legiſſe, aut uſui meminiſſe. *fin. N. Attic.*

Omiſſis his, quæ nec cognoſcendi voluptate jucunda nec exemplo erant neceſſaria.

Tacite h. l. auctor noſter & quaſi aliud agens duo præcipua hiſtoriæ adjuncta, jucunditatem videlicet atque utilitatem exprimit, quorum alterum nunc quidem ſecundarium, hoc primarium, ſalva ſecus ſentientium auctoritate appellabimus. Utrumque conjungit Ariſtobulus Michaelis Apoſtoli filius epiſt. quadam: οὐ μετ' οὐ πολὺ δὲ καὶ τὴν ἰωνιὰν ἐνδύσομεν ἐντυπώσαντες. παρ' ἧς οὐχ ὅπως εὐφροσύνην, ἀλλὰ καὶ μεγίστην ὠφέλειαν οἱ σπουδαῖοι καρπώσονται. De jucunditate hiſtoriarum *CICERO l. V. ep. 12.* Nihil eſt aptius ad delectationem lectoris, quam temporum varietas, fortunæque viciſſitudines, quæ etſi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt jucundæ. Tanta certe eſt hiſtoriæ jucunditas, quæ interdum & animi & corporis morbis medeatur, quale quid de Ferdinando & Alfonſo Arragoniæ Regibus accepimus, quorum ille ex T. Livii, hic ex Q. Curtii lectione valetudinem deſperatam recuperavit, teſtibus *ANTON. PANORMITANO de reb. geſt. Alfonſi, ERYCIO PVTEANO orat. XIX.* Laurentium Medices ex narratione hiſtorica de Winsburgenſis arcis *obſidione* (c) convaluiſſe referunt *BODINVS præfat. method. hiſtor. & GERH. JOH. VOSSIVS in arte hiſtorica cap. V.* Maxime enim ipſum affecit callida mulierum verſutia, quæ, cum a Conrado III. Imp. impetraverant, ut maxime neceſſaria humeris exportarent, maritorum bajulæ factæ ſunt.

Utilitas

(a) *Cicer. ep. 12. l. V. ad Lucceium*) Notanda hæc epiſtola cumprimis ideo, quod in ea Lucceium roget Cicero, ut hiſtoriam rerum a ſe geſtarum præcipue conſulatus ſui conſcriberet, etiam neglectis hiſtoriæ legibus, amorique plus quam veritas concedit, largiretur, cum tamen alibi nim. *de oratore lib. 2. cap. 15.* primam eſſe docet hiſtoriæ legem, ne quid falſi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat, ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis.

(b) *excerpendum*) MORHOF. *in polyhiſtore tom. I. lib. III. cap. 1.*

(c) *obſidione*) Quæ hic de uxoribus maritorum bajulis enarrantur fabulam olent, cum veterum deſit autoritas.

Utilitas autem hiſtoriæ ſumma vel ex eo apparet, quod ex ſingularibus exemplis univerſalia præcepta condere, eaque viciſſim ad magnas res gerendas non ſine inſigni fructu accommodare valemus. Latiſſime enim ſe exſerit hiſtoria, & inſignem certe uſum in vita civili præbet, usque adeo ut vera rerum civilium hiſtoria vivus quaſi fons prudentiæ politicæ cenſeatur: quod prolixe declarant hi, quorum integra de hiſtoriæ conſtitutione commentaria habemus, quorum nomina utramque paginam faciunt, pleraque tamen a *KECKERMANNO ſyſtemat. tom. 2. p. 1863.* laudata. Quanta vero cautione juveni præſertim in hiſtoriarum lectione opus ſit, præclare demonſtrat illuſtre Juliæ noſtræ ſidus *HERM. CONRINGIUS lib. de civil. prudent. cap. 13.* Cæterum de hac utilitate eleganter Livius: *Hoc illud præcipue agit in rerum cognitione ſalubre atque frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monimento intueri, unde tibi, tuæque reipubl. quod imiteris, capias, unde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.* Eandem probe perſpectam fuiſſe Auguſto Cæſari, *SVETONII* verba arguunt *cap. 89.* In evolvendis, ait, utriusque linguæ auctoribus nihil æque ſectabatur, quam præcepta & exempla publice vel privatim ſalubria, eaque ad verbum excerpta (Nota ſtudium excerpendi in tanto Imperatore! quem tamen ſuperat in hoc genere ſeculi noſtri *Auguſtus*) (a) aut ad domeſticos, aut ad exercituum, provinciarumque rectores, aut ad urbis magiſtratus plerumque mittebat, prout quique monitione indigerent.

Breve veluti florum corpuſculum.

Corpuſculum pro faſciculo florum auctor noſter uſurpat. Ut autem h. l. floribus excerpta non ineleganter aſſimilantur, ita aliis ſcriptoribus ſolemne eſt hanc excerpendi ſolertiam cum apum operibus comparare. Sic *ISOCRATES orat. ad Demonic. LVCRETIVS lib. III. SENECA epiſt. 84. PLVTARCH. libr. de audiend. Poetis. MACROB. præf. Saturnal. CASSIODORVS prolog. libri de amicitia, ARISTOBVLVS epiſt. in γαλεομαχίαν ἀδήλυ,* alii.

§. V.

Ut & otii mei apud Te ratio conſtaret.

Solebat Plato, quoties e ſchola diſcederet diſcipulis dicere: *Ἄγετε ὅπως εἰς καλόν τι καταθήσεσθε τὴν σχολήν.* Videte ut otio ad honeſtam aliquam rem utamini. Idem nobis omnibus dictum exiſtimemus: quare remiſſa tempora & ab negotiis publicis feriata libris veterum ruminandis more Agorii Prætextati apud *SYMMACHVM lib. I. ep. 53.* expendamus. Strepitum iſtum, inanemque diſcurſum & multum ineptos labores relinquamus, nosque ſtudiis vel otio tradamus. O rectam ſinceramque vitam, o dulce otium honeſtumque, ac pene omni negotio pulchrius! merito cum *PLINIO* exclamamus ex *ep. IX. lib. I.* τὸ ἄπραγμον γὰρ ὐ σώζεται μὴ μετὰ τῦ δραστηρίυ τεταγμένον. Quies & tranquillitas niſi cum agendi ſtudio ſit conjuncta, ſervari non poteſt, ut ait ille apud *THVCYDIDEM lib. II.* Eleganter, ut ſolet *MICHAEL HOSPITALIVS Galliarum Cancellarius epiſt. lib. I.*

- - - Nec enim libet otia, quicquid
Temporis & vacui ſemper transmittere nugis.

Si vero otii hujus naturam perſpectam habere cupis, dabo verbis *MAXIMI TYRII e diſſert. VI.* Τῦτο ἡ σχολὴ ἀληθείας μελέτη, καὶ τέχνη λόγυ, καὶ ῥώμη βίυ, καὶ παρασκευὴ ψυχῆς, καὶ ἄσκησις καλοκἀγαθίας: Hoc eſt illud otium; veritatis ſtudium, ars rationis, vitæ robur, animæ præparatio, probitatis exercitatio. Exſtat in hanc ſententiam elegantiſſima epiſtola numero XXI. apud Nicolaum de Clemangiis, ſcriptorem, ut illa ferebant tempora, imo ultra ætatem illam (vixit enim ſeculo quarto decimo) docte eruditum, prudentem, ſapientem, cujus pleraque omnia elegantiſſimis præceptis & exemplis tanquam pretioſiſſimis gemmis diſtincta reperies; ut jure admirandus ſcriptor a Barthio appelletur in Claud. pag. 1265. Integra epiſtola hic legi mereretur, niſi potior temporis & chartæ habenda eſſet ratio.

Cujus & Cato reddendam operam putat.

De Catone res notiſſima. Nec latere poteſt Publ. Scipionis dictum. Nunquam ſe minus otioſum eſſe quam cum otioſus: quam vocem magnificam & magno viro ac ſapiente dignam jure cenſet *SCHECKIVS ad illa Velleji lib. I. cap. 13.* Neque enim quisquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum otio diſpunxit.

§. VI.

Apud poſteros cum obtrectationis invidia deceſſerit.

Sæpe majores noſtri queſti ſunt, ſæpe nos querimur & poſteri noſtri querentur, adeo *perverſos eſſe etiam doctiorum non paucorum mores,* (b) ut ſi quem virtutis, vel eruditionis nomine aliquatenus emergere videant, illico ipſum aut ipſius opera inceſſant, lacerent, proſcindant, aut abolere conentur profutura, aut a natura lucem obſcurare. Quod quidem peſtilens animi vitium, præterquam quod ſupremo Numini maxime inviſum, excellentium ſæpius ingeniorum ruinam ſecum trahit. Qua de re non ſine ſtomacho L. *VIVES laud. præf.* Hinc deſperatio & deſponſio meliorum ingeniorum, cum pertæſa rem ſic amaram & inamabilem ab omni ſcribendi & juvandæ poſteritatis ratione aver-

(a) *Auguſtus*) Sermo hic eſt de Auguſto, noſtri Auguſti Wilhelmi Principis optimi avo, Principe doctiſſimo, de cujus in bonas literas amore & favore multa adhuc monumenta in illo, quod nominis ſui æternitati Guelferbyti ſtruxit, exſtant monumento.

(b) *perverſos eſſe doctorum mores*) Conf. LILIENTHAL de *Machiavelliſmo literario.*

avertuntur, plerumque & ab ſtudiis etiam: quod tantum abeſt, ut invidia ingenia fieri doleant, ut ſe hoc fructum capere ſingularem exiſtiment, ac laboris ſui præmium: finem vero, quem deſtinarant, ſic conſequantur, ut ceſſent omnes, nemo benefaciat. Verum tamen vix eſt, quod meliorem ſortem noſtra ætas, ingraveſcente undique malitia ſibi polliceatur, quam qualem tot retro ſeculis optimi quique viri ſæpenumero experti ſunt. Si quis tamen præter recte factorum conſcientiam aliud ſolamen huic malo requirit, is immortalem beatamque vitam, quæ æternam pro toleratis pie malis requiem aſſervat, ſedulo conſideret. Cæterum quod plerumque demum poſt fata ceſſare ſoleat invidiæ rabies, multi ſcriptores tam Græci quam Latini egregiis ſententiis adſtruunt, ex quibus nonnulla propter inſigne acumen atque elegantiam decerpere placet. Familiam ducat *SALLUSTIUS: Vivos interdum fortuna, ſæpius invidia fatigat, ubi anima natura ceſſit, ipſa ſe virtus magis magisque extollit. Orat. II. ad Cæſar.* Prodeat nunc *TACITUS:* maxime ſolutum & ſine obtrectatione fuit prodere de iis quos mors odio aut gratiæ exemiſſet ſuum cuique decus poſteritas rependet. *annal. IV. 35.* Valde ſubtilis eſt illa *VELLEJI lib. II. cap. 29.* præſentia invidia, præterita veneratione proſequimur, & his nos obrui illis inſtrui credimus. *AUCTOR de cauſis corruptæ* (a) *eloquentiæ cap. 23, 6.* Etiamſi noſtra judicia, malignitas & invidia tardaverit, verum de nobis dicturi ſunt poſteri. Sed & poetas audiamus *HORATIUM III. Od. 24, 30.*

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.
Et lib. III. epiſt. 1, 13.
Urit enim fulgore ſuo qui prægravat artes
Infra ſe poſitas, extinctus amabitur idem
PROPERTIUM lib. III. eleg. 1, 21.

At mihi quod vivo detraxerat invida turba,
Poſt obitum duplici fœnore reddet honos.
Omnia poſt obitum fingit majora vetuſtas,
Majus ab exequiis nomen in ora venit.
Trita ſunt OVIDII:
Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit,
Tunc ſuus ex merito quemque tuetur honos.

E Græcis placent illa *THUCIDIDIS lib. II.* φθόνος τοῖς ζῶσι πρὸς τὸν ἀντίπαλον, τὸ δὲ μὴ ἐμποδὼν ἀνταγωνίστῳ εὐνοίᾳ τετίμηται. Agmen claudat *DEMOSTHENES;* ἐν τῷ καθ' ἑαυτοὺς βίῳ ταῖς προσηκούσαις αὐτὸν τιμαῖς ὁ φθόνος ἀντιςῇ. Plura hujus generis in promptu ſunt, ſed vereor ne quis idem mihi, quod Scaliger Briſſonio objiciat: Rem vulgatiſſimam teſtimoniis velle probare, hoc vero eſt, quod Græci dicunt, μύρον ἐπὶ φακῇ. Habeo tamen pro Briſſonio & pro noſtro inſtituto quæ Scaligero opponam, quæ forſan alibi expromere audeo. At enim, qui plura hujus generis de invidia cupit, ne & recentiores ſuis careant laudibus, adeat Joh. Magiri Polymnemonem, librum, ſiquis unquam in his ſtudiis, utiliſſimum juxta ac eruditiſſimum, Freinshemii notas ad Curtium, Chabotium ad Horatium, Pareum ad Salluſtium aliorumque commentaria. Obſignamus denique hanc exercitationem Plinianis illis lib. I. epiſt. 16. *Pravum malignumque eſt non admirari hominem admiratione digniſſimum.*

Exercitatio in Juſtini Caput I. Libri I.

Summarium.

Regnum eſt antiquiſſima reipubl. forma, cujus & origo fuſius enarratur. Bodino regni antiquitatem impugnanti reſpondetur. Nimrod cur in ſacris dicatur גִּבּוֹר צַיִד*. Faſtigium majeſtatis pro dignitate regia. Ambitio popularis fugienda. Olim optimi quique in Reges electi. Nec deſunt exempla. Leges an apud antiquiſſimos populos nullæ. Vocabul.* Νόμος *apud vetuſtiſſimos poetas non exſtat. Arbitria Regum quibusdam gentibus loco legum. Quæſtio, num magiſtratus ſine legibus, an leges dominari debeant, ſolvitur. Mos veterum optimus, fines imperii tueri magis quam proferre, fere hodie deſiit. Regna quondam parva. A Nino paſſim hiſtoriam ſuam auſpicantur gentiles. Belus idem cum Nimrodo. Ninus Beli filius. Ninus a Nimrodo diverſus. Ninive a Nino condita. Urbis hujus magnitudo decantata,* Geneſ. X, 11. *varie exponitur. Juſtinus contra Heidmannum defenſus. Ninus imperandi cupidus. Imperii cupido multorum bonorum, ſed injuſta cauſa. Perdomare. Vilis victoria quæ a rudi populo reportatur. Libya etymon. Vexoris & Tonaus quinam. Bella propter gloriæ cupidinem geſta prorſus injuſta. Victor ſæpe victis relinquit, quod habuerant, imperium. Alexander M. eo nomine celebratur. Moderatio victoriæ benevolentiam victori parit. Terræ devictæ quatenus in poſſeſſionem victoris abeant, docetur.* Νόμος αἰδοῦς, κοινὸς πολέμου. *Proxima quæque victoria ſequentis inſtrumentum. De Zoroaſtre quinam ſcripſerint. Ejus nomen pluribus commune. Symbola Zoroaſtris, Magia inventum Zoroaſtris, ſeu potius Dæmonum. Zoroaſter & Eudoxus Aſtronomi. Magorum exitus horrendus. De Nini morte variæ opiniones. Decedere pro mori. Nini Epitaphium, & de eo Heidmanni judicium.*

§. I.

Principio rerum gentium nationumque imperium penes Reges (b) *erat.*

Pro adſtruenda regni, præ cæteris rerumpubl. formis antiquitate, hic ipſe Juſtini noſtri locus potiſſi-

(a) *corruptæ*) Hunc dialogum aliqui TACITO, alii QUINTILIANO, alii denique JULIO GALLIONI tribuunt.

(b) *Reges*) Naturæ rerum convenientius videtur, democratiam regno antiquiorem eſſe.

potiſſimum facit: quem dignum propterea cenſuit incomparabilis eccleſiæ primævæ doctor Auguſtinus, ut ſtupendis ſuis de civitate Dei commentariis ad hæc usque verba; totius orientis populos ſubegit; integrum insereret. *Lib. videl. IV. cap. 6.* Qua quidem in aſſertione plerosque antiquorum ὁμοψήφους habet. Expreſſe *CICERO lib. III. de LL.* omnes antiquæ gentes Regibus quondam paruerunt. Sic *SALLVSTIVS B. Cat. cap. 1.* in terras nomen imperii (Regum) id primum fuit. Ejusdem ſententiæ & Platonem fuiſſe conſtat, qui regnum paſſim cæterarum rerumpubl. matrem vocat. Clariſſime omnium id confirmat *ISOCRATES in Panathenaico pag. 377.* ὅτ' οὐκ ἦν οὔτε δημοκρατίας, οὔτ' ὀλιγαρχίας ὄνομά πω λεγόμενον, ἀλλὰ μοναρχίαι καὶ τὰ γένη τῶν βαρβάρων, καὶ τὰς πόλεις τὰς ἑλληνίδας ἁπάσας διῴκουν. Priusquam & democratiæ & oligarchiæ nomen notum erat, barbaricæ gentes & omnes Græciæ civitates Regibus parebant. Philoſophus *polit. lib. IV. cap. 2.* βασιλείαν, πρώτην καὶ θειοτάτην appellat; quia nimirum ortu primum, & originem ex paterno imperio traxiſſe exiſtimatur. Ut autem clarius antiquiſſima regni origo pateat, nos equidem rem ita ſe habere exiſtimamus: Principio rerum a Deo Opt. Max. domeſticam & ſocietatem & poteſtatem inſtitutam eſſe, cujus providentia cum ingenti numero humanum genus auctum eſſet, homines quodam quaſi naturæ inſtinctu ad vitam ſocialem ſuique conſervationem ab ipſa neceſſitate & egeſtate fuiſſe excitatos, ut quem prudentiæ & juſtitiæ laude præcellere noſſent, illum regem ſibi eligerent. Ac jeciſſe Deum fundamenta Hierarchiarum, politicæ, eccleſiaſticæ & œconomicæ in ipſo mundi exordio, Theologi docent; ac probabile eſt, *etſi in ſtatu innocentiæ permanſiſſent* (a) Protoplaſti, ordinem tamen quendam & relationem in conſulendi eligendique munere fuiſſe, (quamquam longe diverſam ab ea, quæ hodie obtinet, imperantibus æque ac parentibus moleſta) haud dubie ſub capite Adamo, qui imperio digniſſimus & totius generis humani auctor. Poſt lapſum non ſine cauſa conjicimus, Adamum ut liberorum ſuorum patrem & auditorum paſtorem, ita & familiarum dum viveret, principem fuiſſe, ac iis ſaltem maxime moderanter forma imperii patrii imperaſſe. Multiplicato vero genere humano, cum familiæ diſperſæ eſſent, ac in vicos & civitates coiiſſent, credibile itidem eſt, admodum regiminis prioris auctoritate principis ſui, ſenioris familiæ & Patriarchæ reliquos gubernatos fuiſſe forma imperii patrii & *fortaſſis quoque Theocratici.* (b) Sed apud impios Cainitas videtur regnum violentius ortum cum Caino, quem probabile eſt, *urbe condita* (c) regnum adhuc vivo patre fundaſſe, mortuo firmaſſe, & filiis atque poſteris tradidiſſe. Poſt diluvii univerſalem pœnam emerſit novum ſub Noacho imperium, cœlitus gladio & legibus armatum, cujus formam eandem fuiſſe quæ piorum antea, veriſimile putamus, atque in Semi poſteris diu poſtea obtinuiſſe. Sed cum Noachi poſteri diſpergerentur & orbem univerſum implerent, paulatim varia regna, principatus, dynaſtiæ exoriebantur, verumtamen intra ſingulas fere urbes continebantur. Singulæ enim urbes a ſingulis fere Regibus regebantur, finesque regni, ut noſter ait, tueri magis quam proferre mos erat, donec quidem nova imperii cupiditate (aut etiam injuriis irritati) avitum gentibus morem mutarunt, bellaque finitimis intulerunt, proxima quæque vi atque armis perdomando ac ſuo imperio ſubjiciendo; ante quos jam in talibus patrandis præcipuum fuiſſe Nimrodum, non deſunt qui ex ſacra hiſtoria probari poſſe contendunt. *Cum enim ille* גבור ציד *potens venatione Geneſ. X. v. 8.* dicatur, *putant id de latrocinio intelligendum,* (d) quod & loquendi genus Ebræis familiare, & veteres etiam, Plato, Ariſto-

(a) *etſi in ſtatu innocentiæ permanſiſſent)* Quod enim ſtatus innocentiæ ordinem & relationem quandam non tollat, id patet inter alia quoque ex inſtitutione conjugii, circa quam Theologi faciles admittunt diſcrimen quoad gradus imaginis divinæ inter marem & fœminam ad minimum ratione dominii, quia vir fuit imago primæva, mulier vero a primo orta, quod etiam Paulus indicat 1. *Cor. XI,* 7. Etſi hujus dominii demum poſt lapſum *Geneſ. III.* mentio injiciatur, quod tamen de dominio ſaltim gravi & moleſto videtur intelligendum.

(b) *fortaſſis quoque Theocratici)* Quale deinceps fuit in republ. Moſaica, quæ ſummam rerum poteſtatem Numini detulit, unde FLAVIVS JOSEPHVS *antiq. lib. IV. cap.* 8. Moſen inducit Hebræis ſuis in hæc verba præcipientem. *Non eſt cur alterius politiæ vos capiat deſiderium, ſed præſtat ut hac contenti in legum & veſtra ipſorum ſitis poteſtate. Satis enim eſt, Deum habere præſidem.* Idem quoque libro adv. Apionem, iſtum regiminis modum perſignificanter θεοκρατίας poſſe vocari ait, quaſi quis ejusmodi civitatem dixerit, cujus præſes rectorque ſolus ſit Deus. Atque hanc θεοκρατίαν quoque ante diluvium fuiſſe, qua ſcilicet Deus ipſe modo quodam ſingulari jura majeſtatica inter homines adminiſtravit ſolus, non obſcure ex hiſtoria antediluviana colligitur. Si enim verum eſt, quod nemo dubitat, characterem ſummæ majeſtatis principem eſſe jus vitæ & necis, clariſſima hujus Theocratiæ veſtigia habentur in hiſtoria Caini ob homicidium a fratre commiſſum a Deo in jus vocati, ab eoque a pœna ſolenni decreto abſoluti. Quid quod cum Deus jus vitæ & necis poſt diluvium hominibus traderet, id clare docere videatur, ſe iſtud dominium, quod ſolus antea in homines habuerat, nunc cum adminiſtrantibus ſuisque vicariis communicaſſe.

(c) *urbe condita)* Cum cæteri Patriarchæ adhuc in tentoriis viverent *Hebr. XI.* 9. 10. REIMMANNVS tamen *in hiſtoria antediluv. p. 70.* Caino non urbem, ſed turrim tantum ſpeculatoriam conditam fuiſſe arbitratur; & PERIZONIVS *de origin. Babyl. p. 34.* docet, apud Ebræos Ir ſive urbem ſignificare qualemcunque certam & ſtabilem, ſive complurium uno in loco conjunctam, ſive etiam unius hominis & familiæ habitationem oppoſitam vitæ paſtorum Nomadicæ & vagæ, atque ita intelligendum haud dubie, quod Kain qui non paſtor ſed agricola erat, ſibi tantum Ir exſtruxiſſe dicatur, i.e. perpetuum in terra, quam colendam maxime elegerat, domicilium, ne iſto jam tempore urbem multis ædificiis inſtructam, plateis ac vicis diſtinctam aut vallo & foſſa munitam cum JOSEPHO putemus, aut cum AVGVSTINO *de civitate Dei lib. XV. cap.* 8. ad hanc ſententiam ſpecie quadam ornandam multis indulgeamus conjecturis.

(d) *putant id de latrocinio intelligendum)* Nec infrequens eſt, violentos aliorum oppreſſores in ſacris a venatione appellari, *coll. Jerem. XVI,* 16. *Thren. IV,* 18. Ita & acceperunt plerique veterum interpretum, quibus verſio Græca placuit, quæ iſtud *Gibbor-zaid* reddidit venatorem gigantem, unde facilis ſubnata eſt Nimrodi cum gigantibus antediluvianis hominibus ſævis & truculentis comparatio. Acceſſit opinio, venatorem coram Domino idem eſſe, ac contra Dominum, unde Nimrod injuſtiſſimus hominum piorumque inprimis ſuppreſſor

Ariſtoteles, Xenophon latrocinium inter venationum genera retulerint. Quod argumentum inprimis urget *BODINVS*, cum dominatum reliquis rerumpubl. formis priorem eſſe contendit *lib. II. de republ. cap. 2. & 3.* At enim, ut nunc nihil dicam de eo, quod præſtantiſſimi viri, Nimrodum non ab infeſtatione hominum, ſed ferarum potius captura, venatorem appellatum credant, licet etiam Nimrodus imperium violenter ad ſe traxiſſe videatur, non tamen id ad omnium gentium & nationum imperium protinus extendi poſſet. Cæterum, cum Excell. *BALTHASAR CELLARIVS*, Præceptor, Hoſpes & Patronus ætatem devenerandus *lib. II. polit. cap. 2. HENNING. ARNISÆVS doctr. polit. lib. I. cap. 9. & Relection. polit. lib. II. cap. 2. ſect. 15. PICCARTVS ad polit. Ariſtot. lib. III. cap. 15. SCHOCKIVS de Majeſtate th. 37.* & plures inſuper alii hac de re pluribus dixerint; non eſt cur his diutius immoremur.

Ad faſtigium hujus Majeſtatis.

Id eſt, ad dignitatem regiam. Faſtigii autem voce peculiariter Regnum denotari, pluribus exemplis declarat Nobiliſſimus gente, virtute, doctrina, judicio *CASPAR BARTHIVS adverſariorum lib. XXVIII. cap. 7.* & *ad Claudianum in nupt. Honor &c. p. 813.* & denique *ad lib. II. de raptu Proſerp.*

Non ambitio popularis.

Hæc eſt, quum potentia ex vulgi adulatione quæritur, ut habet *NOSTER XIII. 3, 2.* Illa autem ut maxime omnium pernicioſa, ita ſtudioſe cavenda eſt & fugienda. *Miſerrima*, inquit *CICERO offic. lib. I. cap. 20. eſt omnino ambitio bonorumque contentio.* Nec abit *CHRISTIANVS CICERO* (a) *div. inſtit. v. 15.* Profecto in hac vita ſeculari, quoniam brevia & caduca ſunt omnia, & præferunt ſe alteris homines, & de dignitate contendunt, quo nihil fœdius, nihil arrogantius, nihil a ſapientis ratione ſemotius.

Sed ſpectata inter bonos moderatio.

Quia nimirum adminiſtrandæ juſtitiæ gratia unum ad Majeſtatis Regiæ faſtigium provehebat antiquitas, vero non videtur ſimile, ambitioſum huic muneri admotum, ſed omnino cujus probitas ſpectata, quique virtutum exercitio præ cæteris conſpicuus erat. Quo ſpectant illa *ARISTOTELIS polit. III: 15.* quæ ſic latine habent: *Eapropter olim fortaſſe ſub Regibus erant, quia raro viri longe excellentes virtute reperiantur; maxime parvis in civitatibus. Præterea propter beneficia reges conſtituebantur, quod eſt virorum bonorum officium.* Quibus cum conferenda quæ leguntur *eod. libro cap. X. & lib. V. cap. X.* Idem pluribus confirmat graviſſimus ſcriptor *POLYBIVS hiſtoriarum lib. VI.* initio: Idem *SENECA epiſt. XC.* ubi præter alia huc potiſſimum ſpectantia & hæc leguntur: animo olim rector eligebatur, ideoque ſumma felicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior eſſe niſi melior. Gemina de Ægyptiis *DIODORVS SICVLVS lib. I. De Taprobanes incolis SOLINVS cap. LXVI.* De Romanis ſuis *CICERO lib. II. offic.* Mihi quidem non apud Medos ſolum, ut ait Herodotus, ſed etiam apud majores noſtros ſervandæ juſtitiæ cauſa videntur olim bene morati reges conſtituti. Nam cum premeretur inops multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant virtute præſtantem, qui cum prohiberet injuria tenuiores, in æquitate conſtituenda ſummos cum infimis pari jure retinebat. Neque tamen id principio rerum tantummodo uſu venit, ſed omni ævo adeoque & patrum noſtrorum memoria. Hac enim ratione Guſtavus ejusque poſteri in Suecia *regiam poteſtatem* (b) indepti ſunt, imo & *Oſtfriſiorum* (c) principatum iisdem initiis cœpiſſe ſcribunt. Eſt enim ad alliciendam hominum benevolentiam ingens probitatis & juſtitiæ potentia, cujus pulchritudo animos circumfundit & delinitos admiratione luminis ac fulgoris ſui rapit; ut verba *SENECÆ* leviter immutata hic uſurpem e *lib. IV. de benef. c. 22.*

§. II.

Populus nullis legibus tenebatur.

Vetuſtiſſimi mortalium, inquit *TACITVS* de principiis juris diſſerens *annal. III. 26, 1.* nulla adhuc mala

primusque poſt diluvium Tyrannus non ſine infamia paſſim audiit. PERIZONIVS tamen *l. c. p. 230. ſeqq.* Nimrodum proprie venatorem dici ferarum, quæ venatio ipſi fuerit medium ad imperium perveniendi, arbitratur, qua in re præeuntes quosdam interpretes Judæos & Arabes. Nobis non diſplicet eorum ſententia, qui venatum pariter & dominatum hoc vocabulo deſignari exiſtimant. Uterque enim regum deſpoticorum ingeniis convenit, & probatur exemplis Romuli, Cyri, Hadriani, Diocletiani, ut adeo Nimrodus in venando robuſtus & in regnando ferox fuerit, quod autem additur, *coram Domino*, id de imperio ejus nutu providentiaque divina accipiendum eſt. Nam docente AVGVSTINO *lib. V. de Civ. Dei cap.* 19. etiam talibus (nimirum tyrannidis cupiditate præditis) dominandi poteſtas non datur, niſi ſummi Dei providentia, quando res humanas judicat talibus dominis dignas. Mittimus proinde expoſitionem, quæ Nimrodum, quatenus ferarum venatorem deſignat, atque ideo felicem in venatione fuiſſe aſſerit, quia partem prædæ Deo dediſſet, apud GROTIVM *comment. in Gen. X, 9.* Id potius hoc loco innui arbitramur, Nimrodi imperium non domeſticum & paternum, ſed herile prorſus & aſperum fuiſſe, plenaque regnandi cupiditate fundatum, ut certo & continuo ſuccedendi jure niteretur, atque ad hanc ſervilis obſequii legem Chaldæos & Aſſyrios primos omnium inſtitutos fuiſſe, ac proinde herilis imperii initia ab inſtaurato orbe ex Chaldæa in Aſſyriam totamque Aſiam dimanaſſe.

(a) *CHRISTIANVS CICERO*) i. e. LACTANTIVS. Ita enim de eo JOH. FRANCISCVS PICVS MIRANDVLANVS *de ſtudio div. & hum. philoſ. cap. 7.* Quis apud nos, ait, non videat eſſe Ciceronem, ſed Chriſtianum, hoc eſt aliquem, qui eum ad lineam unguemque expreſſerit? quis enim non advertit Lactantium Firmianum æquaſſe ipſum & forte præcelluiſſe in eloquendo. Conf. idem PICVS *lib. III. ep. X.* & JOH. LVDOV. VIVES ſub finem *lib. III. de trad. diſcipl.*

(b) *regiam poteſtatem*) PVFENDORFF & LOCCENIVS in *Suecicis.*

(c) *Oſtfriſiorum*) VBBO EMMIVS.

mala libidine, ſine probro & ſcelere, eoque ſine pœna aut coercitionibus agebant, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. *PORPHYRIUS περὶ ἀποχῆς lib. III.* οὐδὲ νόμοι γραπτοὶ φασὶ παρὰ ἀνθρώποις ἄρχεις ἐυδαιμόνι &c. Quæ ſane loca aliquid reconditum ſapiunt, eaque facili negotio de vita, *quam primævi parentes in paradiſo vivebant*, (a) vere beata nulliſque ſceleribus obnoxia interpretari poſſumus. Alias enim quam perverſa hominum natura & ad vitia & flagitia poſt lapſum prona ſit, præterquam quod divinæ literæ doceant, quotidie proh dolor! experimur, & ab omni ævo procul dubio experti ſunt alii, ut adeo nullis legibus teneri (de poſitivis loquor) vix quidem ad aliam ætatem, quam quæ pertinet ad ſtatum innocentiæ, referendum eſſe cenſeam. Quamquam ne id quidem abſolute: niſi illam de arbore cognitionis boni & mali excipias. Neque tamen diffiteor, pauciſſimas apud vetuſtiſſimos mortalium in uſu fuiſſe, quum forſan plus in illis vitiorum plurimorum ignoratio profecerit, quam in nobis omnium virtutum cognitio; tum vero quod arbitria Principum, ut noſter ait, pro legibus habuerint. Quicquid tamen horum ſit, nonnulli ex eo, quod apud vetuſtiſſimos Poetas Orpheum, Muſæum, Homerum vox Græca Νόμος, non reperiatur, nullis tum legibus Græciæ populos adſtrictos fuiſſe autumant: quorum in numero *CUJACIUS, DUARENUS, EBERLINUS, in commentariis ad Pomponium de origine juris; BODINUS de republ. lib. VI. cap. 6. ARNISÆUS lib. I. doctr. polit. cap. 17.* De Homero certe id *JOSEPHUS*, (ex cujus fonte hæc manaſſe puto) teſtatur *lib. II. contra Apion.* cujus verba prout latine verſa, cum Græca non ſint ad manum, ita ſe habent: *Nec ipſum nomen legis fuiſſe olim apud Græcos agnoſcitur.* Teſtis eſt Homerus, qui nusquam in opere ſuo uſus eſt nomine. De Romanis antiquiſſimis dubito an vera ſint, quæ certatim prædicant ſcriptores, ſine legibus, ſine jure, ſolutos atque liberos vixiſſe. Nec eſt quod quis Aborigines eodem modo, imo quod majus eſt ſine imperio degiſſe Saluſtio id aſſerenti credat, cum illa fere omnia qua *de Aboriginibus* (b) feruntur, fabulæ potius quam hiſtoriæ ſimiliora videantur.

Arbitria Principum pro legibus erant.

Apud quasdam gentes fateor, non certe apud omnes. Aliud enim nos ſacra docet hiſtoria. Nec abludit *TACITUS annal. lib. I.* Quidam ſtatim (de vetuſtiſſimis mortalium ſermo erat) aut poſtquam regum pertæſum, leges maluerunt. Notatu tamen digna ſunt *SENECÆ epiſt. XC.* Primi mortalium, quique ex his geniti naturam incorrupti ſequebantur, eandem habebant & ducem & legem, commiſſi melioris arbitrio. De Romanis priſcis id teſtatur *DIONYS. HALICARNASS. lib. X. cap. 1.* cujus Græca ſic reddit Portus: Tunc nondum erat apud Romanos juris libertatisque dicendi æquabilitas, nec dum omne jus ſcriptum exſtabat: ſed olim eorum Reges jus petentibus dicebant, eorumque lites dirimebant, & quod ab illis fuiſſet judicatum, vim legis habebat. *POMPONIUS de origine juris §. 1.* Initio civitatis noſtræ, populus ſine lege certa, ſine jure certo, primum agere inſtituit, omniaque manu a Regibus gubernabantur. De Athenienſibus Auctor noſter *II. 7. 3.* Civitati nullæ tunc leges erant, quia libido regum pro legibus habebatur. An autem melius ſit, & civium ſaluti commodius, ut Principes ex æquo ut loquimur & bono, an vero leges dominentur, altioris videtur eſſe indaginis. Qui pro lege pugnant, reges, ut ſunt homines, pravis affectibus, iræ, odio, concupiſcentiæ aliisque vitiis & flagitiis obnoxios eſſe, ae proinde ſæpius a juſtitiæ tramite ad devia deflectere cenſent. Quod argumentum ipſe Philoſophus inculcat *polit. lib. III. cap. 16.* ὁ μὲν ὂν τὸν νῦν κελεύων ἄρχειν, δοκεῖ κελεύων ἄρχειν τὸν Θεὸν, καὶ τὰς νόμους. ὁ δ᾽ ἄνθρωπον κελεύων προςίθησι καὶ θηρίον. ἥτε γὰρ ἐπιθυμία τοιοῦτον καὶ ὁ θυμὸς ἄρχοντας διαςρέφει, καὶ τὰς ἀρίςυς ἄνδρας. Qui mentem imperare jubet, Deum & leges jubere imperare videtur. Qui hominem vero jubet, adjungit & belluam. Nam & cupiditas tale quiddam, & ita eos, qui præſunt, etiam optimos viros detorquet. Quo referenda ſunt illa *CICERONIS epiſt. IX. 16.* Sunt omnia incerta cum a jure diſceſſum eſt, nec præſtare quidquam poteſt, quale futurum ſit id, quod poſitum in alterius voluntate, ne dicam libidine. Nec tamen & adverſariis ſua deſunt argumenta, inter quæ facile eminent, quod leges in univerſalibus hæreant, ſingulas vero actiones, earumque circumſtantias, quæ tamen maximopere attendi debent, non attingant; ſecus atque Princeps, qui certa de ſingularibus pronunciet, tam obſcuritati & rigori, quo laborant fere leges, non ſit adeo obnoxius. Præſtat ergo, ut hoc dubium ſolvamus, Principes legibus, & leges viciſſim Principibus adjungere. Illos quidem, ut ſua prudentia rigorem legum mitigent, tum defectum illarum, ſicubi propter univerſalitatem ad omnes & ſingulos, itemque ſpecialia actionum accidentia accommodari nequeant, ſtudioſe ſuppleant, atque emendent: Has autem ne illos in imperando vel judicando ſinant affectibus abripi ab eo, quod honeſtum, verum atque rectum eſt. Quæ ſententia & ipſius eſt Philoſophi *l. III. polit. c. XI.* Δεῖ τὰς νόμυς εἶναι κυρίυς, κειμένυς ὀρθῶς; τὸν ἄρχοντα δὲ ἄντε εἷς, ἄντε πλείυς ὦσι, περὶ τύτων εἶναι κυρίυς, περὶ ὅσων

(a) *quam primævi parentes in paradiſo vivebant*) Sed quam diu? vix per noſtem aliquam: uti oſtendit LILIENTHALIUS tract. Germ. *de vita primi hominis in ſtatu innoc.* Itaque hujus vitæ nulla nobis relicta eſt ſpecialis notitia, neque ad gentiles quoque pervenire potuit. Potuit ſane ejusmodi vita integrior exiſtere, verum longa nequaquam fuit, ideoque pauca ejus extant memoratu digna. Proinde rectius fit, ſi ejusmodi dicta veterum non ad ſtatum Paradiſiacum ſed ad vitam antiquorum hominum ſimpliciorem applicentur.

(b) *de Aboriginibus*) Origo rerumpubl. ut plurimum tenuis eſt & obſcura, quin & ſæpe a latrociniis non multum diſtans; ſtulta hinc ſuperſtitio deterruit hiſtoricos, ne veritatem ſcriberent, ſed potius fabulis eandem involverent. Ex noſtris etiam JOH. AVENTINUS *in hiſtoria Germanica*, quam ipſe ex latino idiomate vertit, abſurdiſſimis de Thuiſcone, Manno, Amazonibus, de gigantibus & aureo ſeculo fabulas recenſuit.

ὅσων ἐξ ἀδυνατοῦσιν οἱ νόμοι λέγειν ἀκριβῶς, διὰ τὸ μὴ ῥάδιον εἶναι καθόλου δηλῶσαι περὶ πάντων. Oportet leges dominas eſſe ſi ſunt recte latæ, qui autem magiſtratum gerit, ſive unus ſive plures fuerint, decernere de illis, de quibus leges exquiſite aliquid præcipere nequeunt, ex eo quia non facile ſit generali ſermone ſingulos caſus comprehendere; quem locum Ariſtotelis luculenter, ut ſolet, declaravit ampliſſ. CONRINGIVS in *prælectionibus publ.*

§. III.

Fines imperii tueri magis quam proferre mos erat.

Mos nunquam pro dignitate laudandus, qui ſi nunquam extra humanos limites migraſſet, pauci ferro, plurimi homines natura jubente fatis ceſſiſſent, nec paucæ urbes vera ævi ſui miracula ſuo etiamnum vigore conſiſterent, quæ deſtructæ jacent, & quarum memoria, niſi eam levis charta foviſſet hactenus ac ſuſtentaſſet, diu radicitus eſſet exſtirpata, uti loquitur *SCHMIDELIVS notis ad h. l.* & pluribus demonſtrat *BERNEGGERVS quæſt. ad Tacit. 189.* Feralis enim vox & vere barbara Tiridatis apud *Tacitum annal. XV, c. 1. ſua retinere privatæ domus, de alienis certare regiam laudem eſſe.* Quod tamen effatum nimis alte multorum animis inſidere, exempla docent. Vix enim hodie reperias, qui conſilium coercendi intra terminos imperii ſerio ſuſcipiant. Fit enim neſcio quomodo, ut qui in eminentiori quadam dignitate conſtituti ſint, quo plura jam adepti, eo majora cupiant; quantumvis neſcii, an iisdem commode potiri aut jam adepta commode tueri poſſint; adeo vetus ac jam pridem inſita mortalibus potentiæ cupido cum imperii magnitudine adoleſcit, ut ſi non augetur, hoc ipſo tamen non videatur minui. Quis enim hodie eſt, qui illud *VALERIANUM IV. 1.* probe conſideret? *Eam demum potentiam tutam eſſe, quæ viribus ſuis modum imponit!:* aut Cornelianum illud, cuncta mortalium incerta, quantoque plus aliquis adeptus ſit, tanto magis in lubrico eſſe. *Annal. 172, 2.* ſed conſideret in juſtitia, & inſuper armata? Nimis profecto verum eſt, quod ille canit.

Nulla fides pactis, nulla eſt mihi crede ſigillis,
More potens leges explicat usque ſuo.

Intra ſuam cuique patriam regna finiebantur.

Non abit a vero Juſtinus, ſiquidem minutos olim fuiſſe Reges ſacra hiſtoria affatim docet, *Geneſ. XIV.* & meminere paſſim gentiles. Eaque imperia, ſi finitimi populi quietis & juſtitiæ ſtudioſi eſſent, feliciora cenſet *AVGVSTINVS de C. D. l. IV. c. 15. Iniquitas eorum,* inquit, *cum quibus juſta bella geſta ſunt, regnum adjuvit, ut creſceret:* quod utique parvum eſſet, ſi quies & juſtitia finitimorum contra ſe bellum geri nulla provocaret injuria: ac felicioribus ſic rebus humanis omnia regna parva eſſent concordi vicinitate lætantia. Et ita eſſent in mundo regna plurima gentium, ut ſunt in urbe domus plurimæ civium.

§. IV.

Primus omnium Ninus Rex Aſſyriorum.

Hic eſt ille Ninus tantopere decantatus, a quo plerique veterum ſuas auſpicantur hiſtorias. Ab hoc Nino, inquit *OROSIVS* (a) *l. II. c. 1.* omnes hiſtoriæ incipiunt. Sic ſupra ipſum nihil præclarum in literas relatum ſcribit *MACROBIVS in ſomn. Scip. l. II. c. 10. DIOD. SICVLO l. I.* vocatur *πρῶτος τῶν ἱστορίᾳ καὶ μνήμῃ παραδιδομένων ὁ βασιλεὺς τῶν Ἀσσυρίων.* Ab eodem *CASTOR RHODIVS apud Euſebium τὴν ἀρχὴν τῆς χρονογραφίας* ſe feciſſe perhibet. Sic Cephalion Gargellius aliorum hiſtoricorum more apud eundem Euſebium: *Ἄρχομαι γράφειν ἀφ' ὧν ἄλλοι τε ἐμνημόνευσαν καὶ τὰ πρῶτα Ἑλλάνικός τε ὁ Λέσβιος καὶ Κτησίας ὁ Κνίδιος, ἔπειτα Ἡρόδοτος Ἁλικαρνασσεύς· τὸν παλαιὸν τῆς Ἀσίας ἐβασίλευσαν Ἀσσύριοι τῶν δὲ ὁ Βήλου Νῖνος.* Sic Tertullianus latinorum patrum antiquiſſimus in libro de pallio: *Sed piget triſtia non minus quam vices regnorum recenſere, quoties & iſta mutaverint. Jam inde a Nino, Beli progenie, ſi tamen Ninus regnavit primus, ut autumat ſuperiorum profanitas; ferme apud vos ultra ſtylus non ſolet aſſurgere, niſi ab Aſſyriis ſi forte ævi hiſtoria pateſcunt.* Sic *HIERONYMVS in cap. II. Oſeæ tom. V. fol. 6. Primum omni Aſiæ regnaſſe Ninum Beli filium, omnes & Græca & Barbara enarrant hiſtoria.* Ex quo quidem apparet, hunc Ninum a multis Beli filium fuiſſe creditum, quo etiam inclinant *AVGVSTINVS de C. D. l. XVI. cap. 17. & lib. XIIX. cap. 2.* & laudatus *HIERONYMVS tradit. Ebraic. in Geneſ. Quem Belum eundem eſſe cum Nimrodo* (b) non pauci ſcriptores aſſerunt, quemadmodum id oſtendunt viri celeberrimi *JOH. GERH. VOSSIVS de idololatr. l. I. c. 16. SAMVEL BOCHARTVS lib. 4. Phaleg. cap. XIII. XII. BENEDICTVS PERERIVS lib. XV. in Geneſ. diſp. 3. AVGVSTINVS TORNIELLVS in annalibus S.* Non audacter tamen id affirmare audet vir Cl. *JOH. HENRICVS VRSINVS epilogo exercitat. de Zoroaſtre & Hermete Triſmeg.* cujus verba ſubjungo: *Ninum fuiſſe Nimrodi filium recitavi, non affirmavi. Ego enim Ninum Nimrodi imperium Babylonicum evertiſſe, & ſic a patre Belo, ſive is Aſſur fuit ſive alius, inchoatam monarchiam Aſſyriorum condidiſſe doctis adſtipulor.* At enim autor *recognitionum Clement. lib. IV. GERHARDVS MERCATOR in chronologicis;* nec non *JVSTVS LIPSIVS lib. II. monit. polit. c. 1. Ninum eundem fuiſſe cum Nimrodo* (c) autumant, quod gemina fere in profanis de

(a) *OROSIVS*) De mendis Oroſianis diſputat SCALIGER *lib. III. canon. iſagog. p. 314*

(b) *Belum fuiſſe Nimrodum*) Allegatis autoribus accedit PERIZONIVS *l. c. p. 93. 94. ſeqq.* Hanc ſententiam vero rejicit BECMAN. *in analect. hiſtor. p. 38.*

(c) *Ninum eundem eſſe cum Nimrodo*) Alii tamen communiter hunc Nimrodi filium dicunt, inter quos eſt SALIANVS ad a. mundi 1931. p. 207. Sed & hoc repudiat PERIZONIVS *l. c. p. 325.* Præterquam enim, ait, quod Euſebius & Syncellus ſeptem Reges inter Nimrodum & Ninum commemorent, ipſe etiam DIODORVS SICVLVS *lib. II. init.* Nini tempore non tantum Medis, Ar-

de ipſo, quam quæ in ſacris de Nimrodo prædicentur. Quod tamen non ferunt *PERERIUS l. c.* & *ARNISÆUS relection. politic. cap. II. ſect. 1.* alii. Ab hoc autem Nino conditam fuiſſe urbium maximam Niniven (quæ Ptolomæo Νινευὴ & Νῖνος; Straboni Νῖνον; Joſepho Νῖνυ βασιλεία; Tacito Ninos; Plinio, Ammiano, Hieronymo Ninus dicitur) plurimi ſcriptores ſtatuunt, & nomen ipſum declarat. Diodorus l. II. c. XXIII. τὴν μὲν πόλιν ἐκάλεσεν ἀφ᾽ ἑαυτῦ Νῖνον. *AMMIANUS: in hac Adiabena Ninus eſt civitas, quæ olim Perſidis regna poſſederat, nomen Nini potentiſſimi Regis, quondam Semiramidis mariti declarans, lib. XXIII.* Cedremus: ὁ μὲν Νῖνος, ὃς καὶ τὴν Νινευὶ τὴν μεγάλην ἔκτισε. compend. hiſtor. p. 12. *Hieronymus:* Ninus apud Aſſyrios Ninum ſui nominis condidit civitatem, *quam Ebræi vocant* נִינְוֵה (a) in cap. 11. Oſeæ. Cyrillus Alexandrin. lib. I. contra Julian. Primus inter Aſſyrios regnavit illuſtris Ninus, Arbeli filius, a quo cognominata civitas Ninive, cujus muros Semiramis Nini conjux magnifice extruxit. Et lib. III. Primus regnavit in Aſſyriorum terra vir ſuperbus & arrogans Arbelus, qui & primus hominum dicitur a ſubditis nomen deitatis accepiſſe. Perſeverarunt igitur Aſſyrii & finitimæ illis gentes ſacrificantes ei & adorantes. Poſtea fuit Ninus, Arbeli filius, & Ninyas Nini, a quo Ninive nomen accepit, quam & uxor hujus Semiramis illic habitans, mœnibus firmiſſimis cinxiſſe dicitur. *Auguſtinus:* quod vero dictum eſt de terra ipſa, id eſt de terra Sennaar, quæ pertinebat ad regnum Nemroth, exiſſe Aſſur & ædificaſſe Niniven & alias quoque contexuit civitates, longe poſtea factum eſt: quod ex hac occaſione perſtrinxit propter nobilitatem regni Aſſyriorum quod mirabiliter dilatavit Ninus, Beli filius, conditor Ninives, civitatis magnæ: cujus nomen ex illius nomine derivatum eſt, ut a Nino Ninive vocaretur. *lib. XVI. de C. D. c. 3.* At enim locus ſacræ ſcripturæ *Geneſ. X. v. 11.* ad quem Auguſtinus reſpicit, admodum difficilis eſt, & quodammodo illorum quos antea laudavi, aſſertionem impugnare videtur; adeo ut nonnulli Aſſurem (ſi modo nomen viri ſit & non regionis potius, quod Hieronymo, Mercatori, Druſio aliisque placet) cum Nino eundem fuiſſe exiſtimarint, nec ex ſtirpe Chami, ſed Semi progenie oriundum: quam ſententiam calculo ſuo approbant *EUCHERIUS comment. in Geneſ. REINERUS REINECCIUS in ſyntagm. hiſtorico:* & pluribus ea de re diſceptant *ad Geneſin PERERIUS, ad Auguſtin. COQUEJUS.* Sunt qui Niniven ab Aſſure exſtructam a Nino inſtauratam & auctam putant: cui ſententiæ accedit *Cl. LOCCENIUS de periodis imperior. lib. I. c. 2.* Difficultatem ejus loci agnovit præter alios etiam χαριστατος noſter *CONRINGIUS adverſar. chronolog. cap. VI.* ita ſcribens: *Aſſur incertum an Semi filius ſit, an unus poſterorum Nimrodi, an denique populus Aſſyriorum.* Hujus vero urbis Ninives magnitudinem diligenter perſequuntur *DIODORUS SICULUS l. II. c. 3. STRABO l. XVI.* & ex recentioribus *L. RAMIREZ de PRADO in Pentecontarcho c. XLV. FULLERUS l. III. miſcell. c. VI. DILHERRUS tom. I. diſp. philol. IIX. URSINUS commentar. in Jonam c. III. & plures alii.* (b) Cæterum Juſtinum, quod non ſatis diſerte contra quos bella Ninus gesſerit, exponat, fulgentisſimum quondam hujus Academiæ lumen *CHRISTOPHORUS HEIDMANNUS* reprehendit *compend. hiſtor. l. I. pag. 14.* Verum enim vero quoniam fabuloſæ magis narrationi, quam hiſtoricæ veritati ſimiliora ſunt, quæ de Nino & infinitis ejus copiis a Diod. Siculo referuntur, cur in his operoſe recenſendis multum deſudare debuerit Juſtinus, nondum videre mihi videor.

Nova imperii cupiditate mutavit.

Gemina de Nino teſtatur *FABIUS PICTOR: Primus omnium Ninus,* inquit, *Rex Aſſyriorum hos avitos mores nova regnandi cupiditate mutavit, & primus limites transgreſſus, bella finitimis movit, & totius Aſiæ populos perdomuit.* Et *JOVIANUS PONTANUS,* (ſiquidem ejus in his valet auctoritas) *lib. V. cap. VI. de obedientia tom. I. p. 134.* Qui mortales primi finitimos bello petierint, affirmare non auſim. Feruntt tamen Regem Aſſyriorum Ninum ampliando regno intentum in proximas terras primum impresſionem feciſſe, armisque ſubegiſſe *nationes plurimas.* (c) Ex quo quidem apparet, unam eandemque veterem bellandi cauſam profundam imperii cupidinem eſſe, ut habet *SALLUSTIUS in fragm. l. IV. hiſtor.* Bene *ISIDORUS PELUSIOTA l. IV. ep. 55.* Ἡ φιλαρχία ἁπάντων αἰτία κακῶν, ἡ καὶ τὰ καθεστῶτα ἀνατρέπειν πειρωμένη, δεινὰς πολέμους ὐ μόνον ἐφ᾽ ἡμῶν, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν παλαιῶν ἐπικωμάσαι παρεσκεύασεν. Imperandi cupiditas omnium cauſa malorum, quæ etiam bene inſtituta evertere conatur, gravia bella non ſolum noſtra memoria, ſed etiam antiquis temporibus invexit in res humanas. Sic in Aſia Cyrum, in Græcia Athenienſes & Lacedæmonios, dum urbes atque nationes ſubigerent, libidinem dominandi cauſam belli habuiſſe, maximamque gloriam in maxumo imperio putaſſe, aperte ſcribit *SALLUSTIUS in Catil. c. 2.* Eodem modo Romani, quo ad majora pervenerant, eo ampliora cupiebant, nec contenti acceſſione virium totius orbis imperium ſola regnandi cupidine affectabant. Facile enim inducor, ut credam Lactantio, div. inſtit. lib. 6. cap. 9. popu-

meniæ, Arabiæ, ſed & Babyloniæ proprios Reges extitiſſe nos docet, quorum ultimum ille vicerit, & occiderit cum liberis. Neutiquam ergo Ninus Rex Aſſyriæ Babylonicum regnum a patre & Nimrodo quidem Babylonio, ut volunt, accepit hæreditarium, ſed armis ſubegit & ultimum ejus Regem hoſtem habuit & bello domuit.

(a) *quam Ebræi vocant Ninive)* Vi vocis Ebraicæ filium notat ſive coloniam, qualis erat Ninus ducta e Babylonia. Nin enim ſive Nun prolem in genere notat, filium ſiſiamque, quæ etiam ratio eſt, quare ſacer codex Babelis origini παρενθετικῶς ſubjungit ortum Nini. Accedunt huic ſententiæ qui Ninive putant componi ex Nin & Nave, quod ſit locus habitationi commodus. Conf. VITRINGAM *obſerv. ſacr. diſſ. 1. p. 74.* Non igitur male videtur locutus HARDUINUS *in chronol. V. T. opp. ſelect. p. 52.* cum *noſtro quidem,* ait, *judicio, qui Niniven a Nino, de quo ſacra ſilet hiſtoria, nomen accepiſſe, negaverit, haud ille minus venia dignus erit, quam qui a Rege Franciam cognominatam eſſe pernegaverit.*

(b) *& plures alii)* Conf. SCHURTZFLEISCH. *diſſ. de Nino urbe in operibus hiſt. politicis recuſam.*

(c) *nationes plurimas)* SCHURTZFLEISCH. *Aſſyrio-Chaldæorum primordia* §. 26.

lum Romanum per feciales bella indicendo ac legitime injurias inferendo, ſemperque aliena cupiendo atque rapiendo poſſeſſionem ſibi totius orbis comparaſſe. Verum tamen utut hæc imperii cupiditas vetuſtiſſima belli gerendi cauſa, utut etiam a multis pro juſtifica fuit habita; tantum tamen abeſt, ut divino humanove jure nitantur, ut ferina potius vel ſi quid ferinis immanius excogitari poteſt, ejusmodi bella exiſtimanda ſint. Graviter *AVGVSTINVS: inferre bella finitimis & inde in cetera procedere, ac populos ſibi non moleſtos ſola regni cupiditate conterere & ſubdere, quid aliud, quam grande latrocinium nominandum eſt. lib. IV. de C. D. c. 6.* Recte *PHILO ad Decalogum: ὅσοι τοίνυν τῶν κλεπτῶν ἰσχὺν προσέλαβον, ὅλας συλῶσι πόλεις ἀλογοῦντες τιμωριῶν, διὰ τὸν ἐπικυδέστεροι τῶν νόμων εἶναι δοκεῖν. οὗτοι δὲ εἰσὶν ὀλιγαρχικοὶ τὰς φύσεις, οἱ τυραννίδος καὶ δυναστείας ἐπιθυμοῦντες, οἱ τὰς μεγάλας ἐργαζόμενοι κλοπάς, σεμνοῖς ὀνόμασι τῆς ἀρχῆς καὶ ἡγεμονίας ἐπικρύπτοντες λῃστείαν τ' ἀληθέστερον. Qui vero furum vires nacti ſunt, totas prædantur urbes, pœnarum ſecuri, quod ſupra leges eminere videantur. Tales ſunt homines ingenio minime civili, dominatus & potentatus avidi, magna furta committentes, qui pulchris nominibus magiſtratuum & imperiorum id obtegunt, quod verius latrocinium appelletur.* Plura hujus generis tum apud alios, tum apud magnum *GROTIVM* reperies *lib. II. de J. B. & P. cap. I. & XXII.* cui etiam hoc Philonis debemus. Maximam proinde laudem meretur Auguſtus Imperator, qui teſte *SVETONIO c. XXI.* nulli genti ſine juſtis & neceſſariis cauſis bellum intulit. Tantumque abfuit a cupiditate quoquo modo imperium vel bellicam gloriam augendi, ut quorundam Barbarorum Principes in æde Martis ultoris jurare coegerit manſuros in fide ac pace quam peterent. Finio hæc cum dicto Eraſmi: qui dilatandi imperii ſtudium injecerunt Monarcharum animis, quid aliud quam perennem bellorum fontem repererunt? *præfat. paraphr. in Evangel. Marci ad Franciscum Galliæ Regem.*

§. V.

Rudes ad reſiſtendum populos perdomuit.

Id eſt omnino domuit. Verbum a Floro, Martiale, Lucano, Livio, Tibullo, Columella aliisque uſurpatum. Licet autem dimidia victoriæ pars ſit belligerare contra rudes & ab experimentis ac ſcientia militari parum inſtructos: Nulla tamen in ea victoriæ, quæ a vilibus reportatur, dignitas, nulla gloriæ exiſtimatio; ut recte cenſet *SENECA de provid. cap. III.*

Terminos usque Libyæ.

Libyam ſæpiſſime pro Africa uſurpari, inque interiorem & exteriorem dividi in vulgus notum eſt. De origine vocis acriter diſceptant Criticorum filii, aliis a filio quodam Meſrai qui Libys vocabatur; ut *JOSEPHVS antiquit. Jud. lib. I.* & *HIERONYMVS tradit. Hebraic. in Geneſ.* aliis autem a Libya Epaphi, nonnullis ab Oceani ex Pompholige filia, Apoſtolium Proverb. Græcor. cent. XVIII, 18. ſecutis, arceſſentibus. Quibusdam dicta inde, quod Libs ventus, quem & Africum vocamus, eam plerumque perflare ſoleat; ut *ISIDORUS l. XIV, 5.* Nonnullis a nigro colore nomen accepiſſe videtur: λιβὸς enim nigrum denotat. Sunt & qui *ἀπὸ τοῦ λείπεσθαι καὶ ὕειν*, quod raro ibi pluat, dictam volunt. *BOCHARTVS* denique *in geogr. S.* ab Arab. *Lub ſitis* derivat. Maxima enim aquarum penuria laborare nemo neſcit. Hinc Lucanus:

Per calidas Libyæ ſitientis arenas.

§. VI.

Fuere quidem temporibus antiquiores Vexoris Ægypti & Scythiæ Rex Tanaus.

Antiquiores hos Nino Rege facit Juſtinus, at antiquitatis tempus accurate non definit. Mirum ergo cur vir clar. *VLRICVS HVBERVS diſſert. I. de ætate Aſſyriorum & Medorum pag. 13.* noſtro affingat, quaſi Vexorin & Tanaum mille quingentis annis Nino vetuſtiores faciat. *Quod ad ipſa Regum nomina*, (a) mirum quantum hic variant & ſcripti libri & ſcriptorum ingenia; qua de re jam pridem Bongarſius, Berneggerus & Voſſius aliquid annotaverunt. *TVRNEBVS adverſar. l. II. c. 15.* pro Seſoſtre pugnat, quem equidem h. l. intelligendum eſſe non admodum negaverim. Attamen. cum illum multis poſt Ninum ſeculis vixiſſe conſtet, non video, qua ratione Juſtino antiquitatem Vexoris prædicanti, *aſſenſum* (b) præbeamus. Quid ſi ergo *Oſiris* (c) legatur? Placuit id quondam Cl. Ruperto,

(a) *Quod ad ipſa Regum nomina*) KIRCHERVS *in œdipo Ægypt. T. I. ſyntagm. I. cap. 10. pag. 92. 93.* Menam, Mitzraim, Mithram, Oſirim, Vexorem, & Uchorea (quem DIODOR. ait Memphin condidiſſe) fuiſſe prorſus eosdem tradit, & proinde ex iis omnibus facit unum & dynaſtiæ ſextæ decimæ quam Paſtorum dicit, primum, hac in re tamen indigniſſimus, cui quispiam auſcultet judice PERIZONIO *de orig. Ægypt. p. 80.* Ipſe vero cum TVRNEBO & GRÆVIO legit p. 112. 121. Seſoſtris, uti quoque habetur in deditione Juntina Florentiæ 1525. curata, eumque Siſaco tempore Rehabeami longe antiquiorem ſtatuit, illumque in finem teſtimonia veterum urget, ex iisque etiam Juſtini, qui Seſoſtrin ante Ninum commemoret, quod & faciat AGATHIAS *lib. II. pag. 51.* cum longe ante navigationem Jaſonis ac tempora Nini victoriis ſuis Aſiam peragraſſe tradens: addit Arianum apud PHOTIVM *cod. 53.* qui Seſoſtrin æqualem faciat Jandyſi Scythæ, quem JONRANDES *in Geticis c. 6.* Thanauſim vocat. Ceterum hunc ab Herodoto Seſoſtrin, a Diodoro Seſoſin, a Juſtino Vexoren, vel itidem Seſoſin, a Manethone Sethoſin, a Dicæarcho Seſonchoſin, ab aliis Rhamſen vel Rameſen appellari obſervat; de Dano autem hujus Seſoſtridis fratre, uti a Manethone traditur, pluribus agit *p. 287. ſeqq.* cui adde HECATÆVM MILESIVM ap. *Diodorum in excerptis Photianis pag. 1152.* referentem, quod Danaus Seſoſtris frater & Cadmus præcipui alienigarum, qui ex Ægypto ejecti fuerint, duces in Græciam navigaverint eo fere tempore, quo Moſes cum Plebejis in Judæam abierit. Vere igitur ſcripſit JVSTINVS Seſoſtrim Nino antiquiorem, quemadmodum etiam pluribus oſtendit SCHROEERVS *de imperio Babyl. & Nini p. 124.* Perperam vero *Antonymiana p. 24.* Vexoren dicunt eundem eſſe Regem, quem Nebucadnezar oppreſſerit.

(b) *aſſenſum*) Vid. RVPERT. *ad Beſoldi ſynopſ. p. 30.*

(c) *Oſiris*) De ejusdem cum Moſe convenientia, vid. WITSII *Ægyptiaca p. 218.*

perto, ſed diſplicuit πολυμαθεστάτῳ Reineſio: Qua de re diſceptantes vide in epiſtolis *REINESIANIS XLII. XLIII. LX. LXIII.* & uberius ſpeſo docebimur e notis poſthumis *RVPERTI ad Juſtinum* noſtrum, utinam brevi prodituris. Quisnam vero Tanaus fuerit nemo ſine exceptione affirmabit puto. Si idem eſt, quem Herodotus Madyen vocat, Cyro non multum eſt ſuperior. Voſſius tamen eundem conjicit cum Targitao, quem Herodotus in Melpomene primum Scytharum Regem facit.

§. VII.

Nec imperium ſibi, ſed populis ſuis gloriam quærebant.

Idem fere de Scythis II. 3. 7. Scythæ victores nihil præter gloriam concupiſcunt. Signanter *CICERO offic. 122.* Multi bella ſæpe quæſierunt propter gloriæ cupiditatem, atque id in magnis animis plerumque contingit. Optimus enim quisque, ut idem alibi ait, maxime gloria ducitur. Id quod egregie declarat *AVGVSTINVS de C. D. l. V. c. 12. & XIII. ſeqq.* & ſi recentem cupis, Ph. *CAMERARIVS hor. ſubciſ. cent. I. 78.* Hinc etiam in libris quos de republ. ſcripſit idem Tullius, eodem Auguſtino teſte Principem gloriæ alendum eſſe cenſuit. Huic ergo vitio (nam vitium revera eſt, ſi paulatim excedas, licet id maxime ſub virtutis quadam imagine blandiatur) non ſolum non reſiſtebant Romani, verum etiam id excitabant & accendebant ſedulo, putantes hoc admodum utile ac proficuum eſſe reipubl. Verum tamen ſummopere caveat Princeps, ne ſolam gloriæ cupidinem juſtam belli cauſam exiſtimet; aut ſi juſta bello ſubſit, ne plus honoris ſtudium, quam jus ipſum ſpectet. Ut enim illud bellum proprie injuſtum facit, ita hoc non leve peccatum arguit. Quapropter non immerito Carolus Burgundiæ Princeps reprehenditur, quod nimia gloriæ cupidine ad priſcorum magnitudinem adſpirans bella ſuſceperit, quæ tamen infelici exitu non caruerunt, ut videre eſt apud *PHILIPPVM COMINÆVM lib. VII.* Maxime ergo hic locum habet, quod olim vir maximus, *MAXIMVS TYRIVS* dixit *ſent. LXV.* ὥσπερ τὰς ἡμέρας διαδέχονται αἱ νύκτες, καὶ τὰ θέρη οἱ χειμῶνες, ὕτω κενοδοξίαν καὶ ἡδονὴν λῦπαι καὶ ὀδύναι, εἴτε ἐν τῷ παρόντι, εἴτε ἐν τῷ μέλλοντι. Quemadmodum diebus ſuccedunt noctes, & æſtates ſuſcipiunt hyemes; ſic inanem gloriæ cupidinem & voluptatem ſuſcipiunt labores & triſtitia, aut in præſenti, aut in futuro ſeculo.

Contentique victoria imperio abſtinebant. (a)

Moderatæ victoriæ ſpecies eſt, victis relinquere, quod habuerant, imperium, quo nomine Antigonus Polybium celebrat, qui cum Spartam haberent in poteſtate τὸν πάτριον πολίτευμα καὶ τὴν ἐλευθερίαν reliquit. Nec minorem laudem Alexander M. meruit, qui devictum Porum contra ſpem omnium in amicorum numerum recepit; mox donavit ampliore regno, quam tenuit. *CVRT. IIX. 14. 45.* Quam quidem animi magnitudinem & victoriæ moderationem extollunt *ARRIANVS lib. V.* & *THEMISTIVS orat. 9.* De eodem *CLAVDIANVS epiſt. ad Hadrian. V. 16.*

Tradita captivo ſpacioſior India Poro.

Egregie huc quadrant illa Senecæ: ſi vero regnum quoque ſuum tuto relinqui apud eum potuit, reponique eo unde exciderat, ingenti incremento ſurgit laus ejus, qui contentus fuit ex Rege victo nihil præter gloriam ſumere. Hoc eſt etiam ex victoria ſua triumphare, teſtarique nihil ſe quod dignum eſſet victore apud victos inveniſſe. *de Clement. lib. I. cap. 21.* Quantam autem hæc ipſa victoriæ moderatio victori tam apud devictos quam apud exteros benevolentiam conciliet, verbis ſat dignis deprædicari nequit. Quare illud *QVINTILIANI* tanquam e tripode profectum æſtimo: *Nulla res perpetuam gratiam ſervat, niſi modeſta victoria. Declam. IX.* Apage enim illos qui ſeveritate fructum victoriæ conſervari debere ſentiunt.

§. IIX.

Ninus magnitudinem quaſita dominationis continua poſſesſione firmavit.

Solet a multis, nec immerito, quæri: Num bello quæſita in continuam victoris poſſesſionem abeant? At enim, ſi cauſa belli juſta fuerit, res ferme citra controverſiam eſt. Tum enim πάντα τῶν νικωμένων ἀγαθὰ τῶν νικώντων γίγνεσθαι ceu Plato dixit, certum eſt. Quo pertinet illud Philoſophi, ὁ νόμος ὁμολογία τίς ἐστιν, ᾧ τὰ κατὰ πόλεμον κρατύμενα εἶναι φασὶ *lib. I. polit. c. VI.* Quæ quidem lex a *XENOPHONTE lib. V.* Cyropæd. ἀΐδιος, a Dionyſio Halicarnaſſ. κοινὸς, a Polybio, Oppiano & Joſepho πολέμου νόμος appellatur, ceu jam ab aliis obſervatum: Injuſta vero ſi fuerit, ut omnes actus qui exinde naſcuntur, ita poſſeſſio injuſta eſt, adeoque victus ſive jure ſive bello ſua repetendi cauſam habet juſtisſimam. Nec eſt quod quis propterea reddenda non eſſe exiſtimet, quod bellantes inter ſe cum bellum inierunt, iſta capientibus donaſſe intelligantur; *Nemo*, enim ut præclare reſpondet *GROTIVS, temere ſuum jactare præſumitur:* & bellum per ſe longe abeſt a contractuum natura. *lib. III. de J. B. & P. cap. X.*

Proxima

(a) *contenti victoria imperio abſtinebant)* Atque inde rationem quoque reddit PERIZONIVS *in orig. Ægypt. pag.* 275. cur in libris Judicum, quorum temporibus iſta bella contigerunt, nulla Seſoſtridis mentio fiat. Ait enim ex HERODOTO II. 106. facile apparere Regis iſtius in Cananæos & conſequenter Iſraelitas (qui tum Canaanæis paruerant) victoriam. Sed non mirum eſt, addit, nullam iſtius Ægyptiacæ expeditionis in ſacris literis ſervatam memoriam, cum Iſraelitæ manerent iisdem Cananæis ſubjecti, & Seſoſtris tam facile iſtic victor breviſſimo haud dubie tempore per Palæſtinam tranſierit [illegible] alias gentes itidem debellandas, ac porro, ſi JVSTINO fides, contentus victoria imperio abſtinuerit, i. e. non mutaverit populorum rempublicam, nec redegerit eos in unius imperii corpus, ſatis habens ad ſummum, ſi tributum ſibi penderent.

Digitized by Google

Proxima quaque victoria inſtrumentum ſequentis.

Veriſſime *TACITVS:* Omnia victoribus prona, atque eadem victis adverſa. *Agric. XXXIII, 7.* Principiis enim belli feliciter ſuperatis, faciliori negotio reliquæ victoriæ ſuccedunt. Præterquam enim quod infelici prælio terreantur adverſariorum animi, victoris milites moleſtiis bellicis magis indies magisque adſueſcunt, ac re ſemel bene geſta confidentiores fiunt, ne dicam nunc acceſſione virium fortiorem & rebus gerendis aptiorem reddi exercitum, nervumque adeo belli gerendi ſummopere confirmari. Hinc Catilina apud Salluſt. Tantummodo incepto opus eſt, certa res expediet. Et *BELLISARIVS apud Procopium lib. II.* Τῶν νενικηκότων ἥκιστα ἐλασσοῦσθαι φιλοῦσιν αἱ γνῶμαι. Qui ſemel vicere, non veriſimile eſt, in futurum animo priori pares non eſſe. Sic Frotho Strunici Sclavorum Regis legatis inducias petentibus reſpondit: quod quisquis primam feliciter militiam geſſerit, conſimilem de cætero fortunam ſperare poſſit. Tale enim quemque omen habiturum pugnæ, quale congreſſionum principia dederint: cum initiales bellorum ſucceſſus ſequentibus augmento eſſe ſoleant. apud *SAXON. GRAMM. lib. V.* Atque hanc tot victoriarum Alexandri non minimam fuiſſe cauſam ſuſpicor, quando auctis ex proxima victoria viribus, fortior ad alias tranſiret, non tam novas comparando, quam priores perſequendo, quod etiam *S. HIERONYMVS* indicare videtur *tom. IV. in Daniel cap. 7.* *Nihil*, inquit, *Alexandri victoria velocius fuit, quia ab Illyrico & Adriatico mari usque ad Indicum & Gangem fluvium non tam præliis quam victoriis percurrit, & in VI. annis partem Europæ & omnem ſibi Aſiam ſubjugavit.*

Poſtremum illi bellum cum Zoroaſtre Rege Bactrianorum fuit.

De Zoroaſtre, cujus nomen alii ἀστροθεάτην alii vivens aſtrum interpretantur, multis fabulantur veteres. Primus ejus meminit Plato, & Platoni æqualis Cteſias. Deinde Ariſtoteles teſte Plinio; etſi conjecturæ locus eſt, in Magico, quem librum laudat Laertius. De eodem *DIOD. SICVLVS, lib. II, 6. PLIN. VII, 16. & XXX, 1. SOLIN. cap. IV. APVLEJ. lib. II. PLVTARCHVS libro de Iſide & Oſiride. AMMIANVS lib. XIII. DIOGENES LAERTIVS lib. I. ARNOBIVS lib. I. adverſ. gentes. AVGVSTINVS de C. D. lib. XXI. cap. 14. HIERONYMVS tom. V. in Oſeam cap. 2. & tom. I. contra Pelagianos cap. 11. EPIPHANIVS contra hæres. lib. I. EVSEBIVS Præparat. evangel. lib. I. cap. 7. & lib. II. AGATHIAS lib. II. SVIDAS in* Ζωροάστρης, *alii:* peculiaribus vero libris *JOH. JESSEN. a JESSEN* & *JOH. HENRICVS VRSINVS.* *Nec indigna lectu ſunt*, (a) quæ ex omni auctorum farragine collegerunt Viri Cl. *JOH. HEVRNIVS philoſoph. barbar. lib. II. cap. 1. ATHANAS. KIRCHERVS lib. I. Obeliſc. Pamphil. JOH. BISSELIVS illuſtr. ruinar. dec. 1. PETRVS LAMBECIVS Prodrom. hiſtor. literar. lib. I. cap. 5. & 7.* Ex quibus inſuper apparebit, non unum tantum, verum duos aut tres, imo vero plures floruiſſe Zoroaſtres, ex quibus tamen Bactrianus noſter antiquiſſimus eſſe creditur. Scripta autem illa ſive ſymbola, quæ Zoroaſtris nomine circumferuntur, quæque ex Philoſophis Platonicis Pſello & Plethone aliisque Rhapſodis Obſopejo & Fr. Patricio ſummo ſtudio collegit, & eruditiſſimis commentariis illuſtravit *ATHANASIVS KIRCHERVS, tom. II. Oedip. Ægyptiac. claſſ. III. cap. 3.* *licet ſpuria ſint & adulterina*, (b) non tamen idcirco inter prohibita cenſet reponenda Vir Cl. *JOHANNES BLOMIVS* Hamburgenſi Bibliothecæ Præfectus, *Indicis Hiſtorico-Philoſoph. part. I.* quia, ut ait, uſui fuerint inſpicere illa interdum in opinionibus dubiis maxime philoſophicis.

Qui primus dicitur artes magicas inveniſſe.

Inventionem magiæ plerique quos laudavi veterum Zoroaſtri adſcribunt. Idem facit Auctor Hiſtoriæ Scholaſticæ a Coquejo ad Auguſtinum laudatus. *HINCMARVS Opuſc. de divortio Lotharii & Thetbergæ:* hæc vanitas magica ex traditione angelorum malorum in toto terrarum orbe auctore Zoroaſtre Rege Bactrianorum, quem Ninus Rex Aſſyriorum prælio devicit &c. Recte autem obſervat Hincmarus traditionibus Angelorum malorum natales ſuos debere magiam: Enimvero, quicquid eſt illarum artium, quas vel occulte vel palam excercent homines, *id omne dæmonum inventum eſſe credo*; (c) nec eſt, quod quis cum *PLINIO lib. XXXI. cap. 1.* e medicina ortum traxiſſe autumet. Bene *AVGVSTINVS de C. D. lib. IIX. cap. 19.* omnia miracula magorum doctrinis fiunt & operibus dæmonum. *Et lib. II. de doctr. Chriſt. cap. 23.* omnes hujusmodi artes vel nugatoriæ, vel noxiæ ſuperſtitionis ex quadam peſtifera ſocietate hominum & dæmonum quaſi pacto infidelis & doloſæ amicitiæ conſtitutæ. Idem ſentit *SARIBERIENSIS lib. I. Policrat. cap. 9.* omnia hæc artificia vel potius maleficia ex peſtifera quadam familiaritate dæmonum & hominum profluxerunt.

(a) *Nec indigna lectu ſunt*) Etiam quæ de Zoroaſtre habent CLERICVS *in addit. ad Stanleji philoſ. orient.* MARSHAM *can. chron. ſec. IX.* HYDIVS *libro de veterum Perſarum religione*, JACOBVS TOLLIVS *in itinerario p. 136.* ubi obſervat Perſis Zarduſcht ſ. Zoroaſter idem eſſe ac amicus ignis, ipſe vero nomen commode derivari poſſe a Zaruch oriens ſplendor, unde ζαρίτης orientalis, per conjecturam arbitratur.

(b) *licet ſpuria ſint*) KIRCHERVS tamen in *Obeliſco Pamphilii lib. I. cap. 3.* genuina illa agnoſcit, in iisque ſe putat Theologiam veterem ab Noacho & Abrahamo traditam reperiſſe. Præter eum quoque FRANCISCVS FLVSSVS CANDALLA, qui a. 1574. Græce & Latine *Poimandrum* Maximiliano II. dedicavit, & HANNIBAL ROSELLVS *in commentariis ſuper hunc Poimandrum* miris modis hæc ſcripta extollunt, quos præter alios refutavit WITSIVS *in Ægyptiacis p. 92.*

(c) *id omne dæmonum inventum eſſe credo*) Huic opinioni, ut videtur, addictus etiam fuit CONRINGIVS *in ſupplem. ad antiquit. academicas.*

Siderumque motus diligentiſſime ſpectare.

Hinc eſt quod Cedrenus Zoroaſtrem vocat περιβόητον ἀστρόνομον ἐν Πέρσαις. Dictio fere eadem apud *PETRONIVM pag. 22. edit. Lotich.* Eudoxus quidem in cacumine excelſiſſimi montis conſenuit, ut aſtrorum cœlique motus deprehenderet: eundem credo Eudoxum cum illo Pliniano, qui ampliter certe mentitus eſt, quando Zoroaſtrem noſtrum bis millibus annorum ante Platonis mortem fuiſſe prodidit. Vid. *PLIN. lib. I.*

Hoc occiſo.

Sunt tamen qui fulmine percuſſum & conſumtum fuiſſe ſcribunt, quibus accedit Iſon Magiſter *Gloſſis in prudent. pag. 883.* Quocumque autem modo ſe res habeat, certum eſt, quod magicarum artium ſectatores fere ſemper in his terris infelicem ſortiantur exitum, cujusmodi cum paſſim extent exempla, tum inſignia quædam conſignavit *PHILIPPVS CAMERARIVS, oper. ſubciſiv. cent. II. cap. LXX.*

Et ipſe deceſſit.

Ergone Ninus naturali morte occubuit? ita enim ſolet hanc vocem uſurpare noſter, quemadmodum loca a Freinshemio in indice collecta declarant. Multi tamen in alia omnia abeunt, quos inter *OROSIVS*, qui *lib. I. cap. 1.* ſcribit, Ninum ſagittæ ictu interiiſſe, dum deficientem a ſe urbem oppugnaret. Nec deſunt, qui fraudibus uxoris circumventum & necatum tradunt, quorum in numero *PLVTARCHVS* & *ÆLIANVS V. H. lib. VII. cap. 1.* videatur & *DIODORVS SICVLVS lib. II. cap. 20.* quorum ſententia præ altera probabilior videtur. Verum enim illud eſt Poetæ:

Ad generum Cereris ſine cæde & vulnere pauci
Deſcendunt Reges & ſicca morte tyranni.

Epitaphium Nini (a) e *XENOPHONTIS AMMIANI libello de Æquivocis* his concipiunt verbis:

MIHI PATER JVPITER BELVS, AVUS SATVRNVS BABYLONIVS, PROAVUS CHVS SATVRNVS ÆGYPTIVS, ATAVUS CÆLVS PHOENIX OGYGES, AB OGYGE AD MEVM AVUM SOL LVSTRAVIT MVNDVM SEMEL AC TRICIES ET CENTIES, AB AVO AD PATREM SEXAGIES BIS.

Poſtea ſubſcriptum fuit:

COLVMNAM, TEMPLVM, STATVAM JOVI, BELO SOCERO ET MATRI RHEÆ IN HOC OLYMPO SEMIRAMIS DICAVI.

Quid vero de hoc Epitaphio ſentiendum, non meis ſed Cl. *HEIDMANNI* verbis e *compendio hiſtorico* depromptis dabo expeditum. Epitaphium *Nini a Semiramide* in columna inciſum referunt, quidam ex *XENOPHONTIS*, ut ferunt, *Aequivocis*, quod Oedipum videtur interpretem poſtulare, neque tamen ſcio an fidem citato habere poſſimus. Confer ſi placet *JOH. MICRÆLIVM ſyntagm. polit. lib. I. ſect. II. quæſt. IX.*

In

Juſtini hiſtorici libri primi Caput II. & ſequentia usque ad finem Exercitationes IX.

Sub Præſidio

HERMANNI CONRINGII

Publice examinandas proponit CASPAR SAGITTARIVS, Luneburg.

Anno cIↃ IↃc LXVI.

Summarium Exercitat. in Juſtini Lib. I. Caput II.

Immaturum proprie de frugibus dicitur. Ætas, virgo, puella immatura &c. An laudanda Semiramis, quod imperium filio debitum retinuerit, declaratur. Fœmina poſt obitum mariti rempubl. optime adminiſtrarunt. In Gallia tutorio nomine id factum a Reginis: neque id in fraudem legis Salicæ contra Arniſæum oſtenditur. Fœminis invito parent viri, idque præcipue ob ſexus imbecillitatem. Romæ mulieres a negociis publicis excluſæ. In Aſia usque a Semiramide gynæcocratia nonnumquam obtinuit. Semiramis ſe ſimulat Ninyam filium. Talium ſimulationum exempla quinam collegerint. Semiram. ſtatura mediocris. Statura nihil facit ad virtutem. Carolus M. Henricus M. Alexander M. item Tydæus minoris fuerunt ſtaturæ. Vox gracilis ſeu acuta fœminis fere familiaris. In cauſas hujus rei inquiritur. Similitudo faciei rara; quod majeſtatem creatoris arguit. Exempla tamen contraria adſunt, quorum ſcriptores laudantur. Velamenta crurum apud Perſas. Ἀναξυρίδες. Tiara pileus Perſicus; ejus etymon. Tiara duplex, recta Regum, & quibus Rex concederet, reliquorum deorſum

(a) *Epitaphium Nini*) Epitaphium quoque Semiramis vide apud PLVTARCHVM *in apoph.* & STOBÆVM *ſerm. X.* quod HERODOTVS *tamen I. 187.* Nitocri tribuit.

deorſum inflexa. Quid recta tiara denotaverit. Tiara VII. Magorum percuſſoribus peculiares. Tiaræ materia, color, ornatus: cur lunata dicta. Dempſterus refellitur. Luna Perſarum ſymbolum. κύρβασις, κυρβασία, πῖλος, πίλημα, Cidaris. Quid inter mitram & tiaram diſcriminis? Tiaram detrahere mos ſalutantium. Ritus caput aperiundi vetuſtus. Tiara ſacerdotum Phrygum. Scriptores in univerſum de tiara enumerantur. Diadema, & quinam de eo ſcripſerint. Nummus Conringii. Diadema externorum originem forte debet diademati Pontif. M. Ebræorum. Semiramis quo fine novum habitum ſumpſerit. Imperantes ſua ſæpe facinora volunt eſſe publica. Incentivis ad vitia non opus eſt. Vita Principis cenſura morum. Facilius vitia quam virtutes Principum æmulari ſubditos, exempla declarant. Ludovicus XI. Galliæ Rex cur filium a ſtudiis arcuerit. Invidiam interdum vinci docetur, quanquam id difficillimum. L. Vivis elogium. Ut flamma fumum, ſic ingens gloria tollit invidiam. Et fœminas licet reperire fortes. Laudantur eo nomine Tamyris, Artemiſia, Zenobia, Agrippina, Valaſca, Eliſabetha Angliæ, Chriſtina Sueciæ Regina. Eruditionis fœmininæ præcones proferuntur. Gynæcocratia tamen his exemplis ſtabiliri nequit. Babylon urbs celeberrima. Nomen ejus ad Ebræo בבל. De ejus conditoribus diſquiritur. Multi Semiramidi ejus ſtructuram adſcribunt, non pauci Belo ſeu Nimrodo, quibus favere videtur locus Geneſ. X, 10. Nimrodus forſan eam condidit, aut reſtauravit & mœnibus cinxit Semiramis. Nabuchodonoſor ejuſdem amplificator. Daniel IV, 17. explicatur. Scaliger, Ariſtæus, Philoſtratus, Stephanus, Suidas notantur. Diſquiſitionis ἀνακεφαλαίωσις. Muri Babylon. inter VII. mundi miracula. Materia eorum cocti lateres. Lateritii muri antiquiſſimi. Tegularii. Bitumen interſtratum muris Babylonicis. Varia lectio in Juſtino detegitur. In bituminis naturam inquiritur. Ἄσφαλτος. Aſphaltites lacus. Bitumen aliud aridum, aliud liquidum; quod idem cum Naphtha. Scriptores Naphthæ laudantur. Exæſtuare. Quis ambitum mœnium & altitudinem, ut & turres illorum deſcripſerit. Horti Babylonis penſiles. Turris Babylonica. Gigantomachia inde conficta videtur. Quid de ejus ruderibus ſentiendum. Nova Babylon ſita eſt ad Nilum, ubi nunc Cairus. Babylonis nomen pluribus urbibus commune. Bangetti laus. Urbs Bagdad non plane ſeceſſit in locum veteris Babylonis, ſed diſtat ab ea unius diei itinere. Hæc in deſertiſſima ſolitudine jacet ſecundum Eſaiæ vaticinium. Judicium de Benjaminis Tudelenſis & Rauwolffii itinerariis. Fr. Alvarez deſcriptio Æthiopiæ celebratur. Semiramidis bellum Indicum. Semiramis concubitum filii petiit. Ejuſmodi concubitus naturæ adverſantur. Quædam bruta eoſdem detrectarunt. Inſignia ejus rei exempla afferuntur. Plurima tamen animantia promiſcue coeunt, quod horum exemplo non licet hominibus. Semiramis equum adamavit. An eadem mares primum caſtraverit? Num amaſios ſuos occiderit? Utrum inceſtas nuptias ratas eſſe voluerit? Apud quoſdam populos eadem connubia fuere licita; apud moratiores non item. Deus ſeverus inceſtuum vindex. Raro ſunt virtutes ſine vitiorum miſtura. Semiramidis exceſſus e Diodoro deſcribitur. Fabula de ipſa in columbam converſa. Columba ab Aſſyriis culta. Epitaphium Semiramidis. Ninya non fuit bellicoſus. Heroum liberi non raro degeneres. Cauſa ejus rei præcipua prava educatio. Princeps ſibi caveat a nimio mulierum conſortio. Internuntii Perſarum. De Syrorum & Aſſyriorum nomine diceptatio. Seldeni ſententia reliquis præfertur. Diſſertatio de epocha imperii Aſſyriaci. Variæ ſcriptorum ſententiæ inter ſe collatæ, ſed Herodotea judicio Conringii reliquis prælata.

§. I.

Hæc nec immaturo auſa tradere imperium.

IMmaturo idem fere eſt, quod cap. præced. dixerat, impuberi. Immaturum autem plerumque de frugibus ante maturitatem decerptis dicitur: ut apud *PLINIUM lib. XII. N. H. cap. 13.* & *ULPIANUM ff. lib. IX. tit. 2. lib. 27. § 25.* Transfertur autem ſubinde ad alia, & cumprimis de ætate uſurpatur, uti apud *JUSTINUM* noſtrum *lib. XXIX. cap. 1. §. 7.* Sic *lib. XXIV. cap. 4. §. 11.* Immaturus juvenis, quem *PLUTARCHUS ἐν ἐρωτικοῖς, cap. 9.* *ἄωρον ἄνδρα* eleganter dixit. Sic virgo immatura apud *ULPIANUM lib. XLVII. tit. 10. leg. 25.* reperire eſt, & a *SUETONIO in Tiber. cap. 61.* immatura puella dicitur ea, quæ nondum cenſetur viri potens, ut eſt *leg. 38. ff. lib. XLVIII. tit. 19. & lib. XXIX. tit. 5. leg. 1. §. 32.* Græcis ea dicitur *ἄνηβος, κόρη πρὸ τῆς ἥβης: περὶ βίας παρθένος.* Hanc Varro, ut eſt apud Nonium, & *TERTULL. de veland. virgin. cap. 11.* acerbam dixit. Cui opponitur matura apud *VIRGILIUM lib. VII. Æn. Jam matura viro, jam plenis nubilis annis:* & *HORATIUM lib. III. Od. 6.* Sic apud Petronium Arbitrum, nequitiæ arbitrum, in ſatyr. Ephebus dicitur plenæ maturitatis. Cæterum quod ad rem ipſam attinet, placet adſcribere, quæ Schmidelius ad hunc locum commentatur: ſi bonum ac pacem publicam, & non potius pravam imperandi libidinem habuiſſet auctorem, laude digniſſimum eſſet hoc factum Semiramidis: quemadmodum laudem eximiam merebatur in Maria Hiſpaniæ Regina (vid. *MARIAN. lib. XXV. hiſt. Hiſp. cap. 1.*) Caſtellæ coronam in pupillari filii ſui Regis Ferdinandi IV. ætate ſartam tectam conſervante. Duobus enim præcipue hoc pacto malis obviam itur. Primo abalienationi regni, quæ fors ſit ab alio, a matre non metuenda. Secundo tutius ab honeſtatis via ob imbecillitatem ætatis exorbitantes corrigi & reprehendi poſſunt a matre, quam ab aliis. Timendum enim his ſubinde eſt, ne memores ejus cenſuræ valde tum moleſtæ in vindictam poſtea abripiat maturior ætas; ſiquidem odium in flore ætatis primulo conceptum ægre ſequentibus aboletur, a quo tamen timore matrem & religio & natura inſita erga parentes veneratio eximit. Quod autem puero plenaria regnum adminiſtrandi poteſtas committenda ſit, extremo ſpiritu diſſuadet Carolus IX. Rex Galliæ apud *THUAN. hiſtor. lib. LVII. gaudere ſe* inquiens, *quod in illa ætate (XXIV. annorum) moriturus filios nullos regni hæredes relinqueret:* re enim ipſa ſe expertum, quam miſera Regum puerorum conditio eſſet, quamque deplorandus ſit ille reipubl. ſtatus. Hæc ille. Sunt tamen & alia in promptu exempla, cum fœminæ defunctis vita maritis, regni curam ſumma cum cura adminiſtrarunt. Sic Alexandra per novennium habuit regnum Judæorum, no-

mine

Digitized by Google

mine duorum filiorum Hyrcani & Ariſtobuli. *JOSEPH. lib. 13.* Et Conſtantinus Ducas Eudociæ uxori regni moderamen & tutelam liberorum moriens commendavit. Zonaras in vita Ducæ. In Gallia tutorio nomine regnum non raro adminiſtrarunt Reginæ, quas Regentes Galli vocant: quamvis id in fraudem legis Salicæ, ut putat *ARNISÆVS lib. 2. de rep. c. 2. ſect. 12. n. 38.* Verum enim vero legem illam non loqui de regni negotiis, aut ſucceſſione regia, ſed tantum de re agraria præclare oſtendit vir ſummus, bonoque publico natus *HERMANNVS CONRINGIVS libro de origine juris Germ. c. VII.* Quemadmodum etiam *Medicea,* (a) Ludovici XIII. nomine ſummam rerum aliquamdiu adminiſtravit. In quo quidem Catharinam ex eadem familia Henrici II. uxorem ſecuta, quæ regnum pro Franciſco II. & Carolo IX. ſuſcepit, niſi quod nimio ambitionis aſtu tumidam fuiſſe ſcribat *THVANVS lib. XCIV.*

Vix patienter uni viro nedum fæmine parituris. Utpote quam natura unius viri arbitrio ſubjectam fecit.

Sane inter cauſas illas, ob quas a fœminino ſexu imperii faſces plerumque abjudicentur, præcipua, imo vel ſola eſſe videtur, ſui ſexus ad virilem collati naturalis quædam indignitas. Τὸ ἄρρεν πρὸς τὸ θῆλυ φύσει τὸν μὲν κρεῖττον. τὸ δὲ ἀρχόμενον, inquit Philoſophus *lib. I. polit. c. 3.* Et *cap. 8.* Τό τε γὰρ ἄρρεν φύσει τῦ θήλεος ἡγεμονικώτερον. Gemina inculcat Stagiritæ præceptor Plato, fœminino generi alias non parum addictus *lib. VI. de republ.* Ἡ θήλεια φύσις ἐςὶ πρὸς ἀρετὴν χείρων τῆς τῶν ἀρρένων. Hinc & Menander olim cecinit: γυναικὶ ἄρχειν ὀ δίδωσιν ἡ φύσις. Quandoquidem, ut eſt apud Caniſium, in viro animus, corpus, vox, viſus, & omnia ſunt robuſtiora atque reverentiam creant; in fæmina vero levia & mollia omnia, flectentia magis ad amorem: in illo prudentia & conſtantia, in iſta argutiæ & in decretis ſenſibusque. *EVRIPVS orat. pro Gallia.* Hinc etiam apud Romanos a negotiis publicis prorſus excluſas antiquorum monimenta docent. Fœminarum genus ait *ARNOBIVS lib. 7.* a negotiis publicis conditio fragilitatis excepit. Ad quæ videatur Elmenhorſtius. Verum de gynæcocratia explicatius infra diſſerendi forſan locus erit, & ſcatent paſſim hujus generis politicorum ſcripta. Illud tamen minime prætermittendum duxi, *quod jam inde ab hac Semiramide* (b) fœminis etiam imperii tractandi poteſtas in Aſia conceſſa fuerit; uti *ARRIANVS lib. I. de rebus geſtis Alex. l. VII. c. 25.* memorat. Quo etiam *CLAVDIANVM* reſpexiſſe puto *lib. I. in Eutrop. v. 321.*

— — Medis levibusque Sabæis
Imperat hic ſexus, Reginarumque ſub armis
Barbariæ pars magna jacet.

Sic Orſines apud *CVRTIVM X. I. 37.* Audieram in Aſia olim regnaſſe fœminas.

Simulat ſe pro uxore Nini filium.

Iſtiusmodi ſimulationum plena omnis eſt hiſtoria, infelici tamen ſemper cum cataſtrophe. Exempla aliquarum multa ſunt apud hunc noſtrum, & plura congeſſerunt *VALERIVS MAX. l. IX. c. 15. BAPTISTA FVLGOSVS lib. IX. c. 15. ZWINGERVS in theatro V. H. vol. 7. THOLOSANVS de republ. lib. 7. cap. 18. LIPSIVS monit. & exempl. pol. II. 5. RICHTERVS axiom. œconom. CCLXXII.* inprimis vero Coraſius in annotationibus ad arreſtum Arnoldi Tillii, qui ſe pro Martino Guerra geſſit, quas una cum arreſto latinitate donavit Hugo Surdus.

§. II.

Statura utrique mediocris.

Id eſt, neque adeo procera, neque tamen omnino breviſſima. Ex quo quidem manifeſto apparet, non ſemper ad virtutem corporis excelſam ſtaturam, quam nonnulli in legatis laudant, requiri. Ridiculum revera eſt, inquit *ZEVECOTIVS obſervat. polit. ad Sueton. Cæſar. c. XLV.* ſtaturam alicujus aut laudare aut accuſare. Sæpe in exiguo corpore magna habitat anima, & ſtultos frequentius longos videmus, quam parvos. Breviori ſtatura fuere Carolus M. Alexander M. & alii multi. Nec Tydæo corporis exiguitas obſtitit apud Statium in Thebaide, quo minus plures hoſtes ſolus trucidaret. Hæc ille ſatis eleganter, ut ſunt omnes ejus obſervationes perquam elegantes. Quod autem de Tydæo affert, cui major in exiguo regnabat corpore virtus, uberius illuſtravit, & geminis exemplis confirmavit *BARTHIVS ad Statium tom. II. pag. 145.* Illud tamen mirum alicui videatur, cur Carolo M. breviorem ſtaturam tribuat Zevecotius, cum tamen multi in alia omnia abeant. Certe ſi Turpino fidem habemus, ex quo id repetunt *SVFFRIDVS* Presbyter Miſnenſis *l. I.* & *LINDENBROGIVS in Carol. chron.* ſtatura Caroli octo pedum fuit, facies vero longitudinis palmi cum dimidio. Verum quicquid eſt illius commenti jam pridem confutavit vir celeberrimus Marquardus Freherus libello ſingulari ea de re edito, qui Carolum quidem eminenti fuiſſe ſtatura ſcribit, ſed ut juſtam non excederet. Zevecotium

(a) *Medicea)* Conf. GRAMONDVS & VASSORIVS.

(b) *quod jam inde ab hac Semiramide)* Etſi alias ab exemplo Semiramidis jus ſucceſſionis fœminarum cum HVGONE GROTIO *de J. B. & P. part. II. 7. 12. annot.* & MARSHAMO *in canone chronico p. 68. 69.* minime repetendum ſit monente SCHVRTZFLEISCHIO in *opp. hiſt. polit. p. 17.* quoniam illa non jus imperandi, quod a Belo inde usque ad Sardanapalum maribus deſcendentibus proprium & peculiare eo in regno fuit, ſed adminiſtrationem duntaxat filio ad regnandum immaturo mater præripuit ac pro ſtatu illorum temporum ſibi vindicavit.

tium tamen qui defendas non reperio, quippe qui etiam proceram eidem denegaſſe videtur. Aliud enim docemur ab *ECKEHARDO Jun. cap. I.* Carolus erat homo præter decoræ faciei dotem & ſtaturæ proceræ. Helperici verſus neſcio an Turpini fabulas ſapiat.

Rex Carolus cunctos humeris ſupereminet altis.

Vox pariter gracilis.

Gracilem vocem eſſe reor, quam oratores & poetæ acutam vocant, quippe *quæ cum ſtridore quodam tenuis editur*, (a) quamque mulieribus ferme naturalem eſſe experientia docet, & cauſam ejus rei potiſſimam eſſe volunt vaſorum anguſtiam: cui tamen alii exſufflatiorem remiſſam, facultatem infirmiorem & calorem parciorem addere ſolent, *ALEXANDER APHORIDIS. probl. CXVII. Cur*, inquit, *mulieres acuta ſunt voce, itemque ſpadones & pueri?* quia ab humiditatis abundantia arteria eis in amplum minime protenditur. Caliditatis enim officium eſt, meatus laxare in amplum. Ut ergo anguſta tibia acutum edit ſonum, ſic & aſpera arteria cum anguſta eſt. Confer ejusdem *ALEXANDRI probl. XI.* & *MACROB. Saturnal. lib. VII. cap. 10.* & ſi recentiorem cupis Melchiorem Sebizium diſputat. de differentiis corporis virilis & muliebris.

Et lineamentorum qualitas matri ac filio ſimilis.

Rara admodum eſt illa lineamentorum ſimilitudo, quam in multis hominum millibus vix reperire licet. Ex quo quidem ſumma Numinis æterni majeſtas cuivis paulo attentius conſideranti clariſſime patere poteſt. Nam de aliis hujus diſſimilitudinis cauſis quas nonnulli ex influxu planetarum, aliisque rebus petunt, nunc non ero ſollicitus. Qui tamen hiſce capitur, adeat præter alios *GEORGIVM PICTORIVM ſubciſiv. lection. dialog. IX.* Præclare *SENECA epiſt. CXIII. Circumſpice omnia corpora, nulli non & color proprius eſt, & figura ſua & magnitudo.* Inter cætera, propter quæ mirabile divini artificis ingenium eſt, hoc quoque exiſtimo, quod in tanta copia rerum nunquam in idem incidit, & jam quæ ſimilia videntur cum contuleris diverſa ſunt. Tot fecit genera foliorum, nullum non ſua proprietate ſignatum, nulli ſimilitudo cum altero convenit. De eadem diſcrepantia *FIRMIVS l. I. c. 3. aſtron.* Prodeant ſimul patres, liberi, fratres, cum enim ſint unica omnium neceſſitudine ſanguine juncti, diverſa tamen formarum deſignatione cernuntur. Nec invenitur aliquis ita ſimilis, ut non vultus ejus ab alterius vultu ex aliqua parte diſſentiat. Eandem facierum varietatem miratur *FELIX PATERVS, quæſt. phyſic. XII. Et hoc mirum*, inquit, *in homine præſertim, ex una forma faciei tam affabre conſtructa tot differentes formas enaſci, ut alterius rei in toto mundo diverſitates vix inveniantur, nec una ſit facies, quæ in tanta hominum multitudine alteri per omnia ſimilis exiſtat, ſed plerumque plurimum inter ſe, etiam inter eos, qui ex eiſdem parentibus nati ſunt, diſcrepet.* Et licet ſimilitudo quoque aliqua facierum in quibusdam non ſolum conſanguineis, ſed & ſanguine alienis deprehendatur, interdumque tanta ut in aliquibus, atque inter eos præſertim qui eodem partu nati fuerunt, contingere vidimus & legimus, ut vix ab invicem dignoſcerentur, hæc tamen tam exacta minime eſt, quin certis quibusdam notis differentibus, ſi modo recte obſerventur, ab alterius forma diſtinguerentur. At enim quo rarius harum ſimilitudinum ſe offerunt exempla, eo majorem ad admirationem traducimur, quando duos ita ſimiles reperimus, ut in iis diſcernendis aut ſemper aut frequenter erremus; uti loquitur *B. AVGVSTINVS de C. D. l. XXI. c. 8.* Et ſane, ne Deo videretur adſcribi, ex imbecillitate virtutum ejus omnes homines ſibi eſſe diſſimiles, ſæpiſſime voluit eſſe aliquos mira faciei vultusque ſimilitudine conſpicuos, ut & inde divina virtus novis miraculis eluceret; ceu non inepte diſſerit *MAJOLVS dier. canicul. tom. I. colloq. 4.* Conſignarunt autem ejusmodi exempla *ARISTOTELES de nat. animal. lib. VI. c. 7. PLINIVS N. H. l. VII. c. 12. SOLINVS c. 5. PLVTARCHVS de placitis philoſoph. v. 12. LACTANTIVS de opif. Dei cap. XII. BAPT. CAMPOFREGOSVS memorabil. lib. IX. cap. 15. L. VIVES in laud. loc. Auguſt. KORNMANNVS de miraculis vivorum. L. N. A MOLTKEN in not. ad religion. Medici. parte II. ſect. 2. MAJOLVS* & *CORASIVS l. l.*

§. III.

Igitur brachia ac crura velamentis tegit.

Mirum quantum hic varient ſcripti libri, aliis virilis veſtis, aliis calceamentis habentibus, *quod quidem & Salmaſio in notis ad hiſtor. Aug. placuit:* (b) qua de lectione forſan plura alibi. Bongartio tamen, Modio, Berneggero vulgata arridet, quam etiam *Autor II. 1. 6.* repetit. Eandem calculo ſuo approbat *BRISSONIVS* in docto *de Perſarum principatu* opere *l. 2. p. 253.* ubi illa crurum velamenta a Græcis *ἀναξυρίδας*, a Latinis braccas & feminalia fuiſſe dicta aſſerit. Adi eundem *BRISSONIVM pag. 41. ſeqq.* ubi alium *ISIDORI* locum e *lib. XIX. orig.* Perſæ brachia & crura velamentis (cum antea lineamentis legeretur) caput tiara tegunt; feliciſſime e noſtro reſtituit.

Caput

(a) *quæ cum ſtridore quodam tenuis editur*) Quid ſi hinc reſpicere dicamus, quod DIODORVS SICVLVS refert, Semiramis eſſe nomen Syriacum & columbam ſignificare. Ex Judæis ſane R. Azarias exiſtimavit, id nominis eſſe ab avium pipitu aut titillatione, nimirum ut Semiramis ſit ex Simra, quæ vox exilem & querulum avium cantum denotat. Judicent alii. Conf. autorem p. 8181. de cultu Semiramidis ſub ſpecie columbæ.

(b) *quod & Salmaſio placuit) In notis enim ad hiſtor. Auguſt.* 223. pro velamentis hic ex fide MS. codicum reponit calciamentis & explicat de faſciis cruralibus & fœminalibus, quomodo POLLVX etiam *ὑποδήματα* vocat *τὰ πίλωτρα* & HESYCHIVS *ἀρβύλας, ὑποδήματα*, cum tamen *ἀρβύλαι* & *πίλωτροι* potius pedulia quam calcei ſint. *Ἀναξυρίδας* certe ſ. braccas (Polluci proprium Perſarum geſtamen) cæteraſque veſtes illis coreaceas initio fuiſſe tradit HERODOTVS *l. 71. obſervante* MATTHIA BERNEGGERO *in h. l.*

Caput tiara tegit.

Lubet hic pauliſper exſpatiari, & quod cum lectoris venia fiat, veterum Perſarum tiaras paulo attentius contemplari. Tiaras vel tiara, Græcis τιάρα genus erat pileoli, quo Perſarum Chaldæorumque gens utitur, ut ſcribit *HIERONYMVS in cap. III. Daniel* & *TZETZES hiſt. chiliad. VIII. 139.* Τιάρα, σκέπη κεφαλῆς ὑπῆρχε παρὰ Πέρσαις. Et gemina habet doctiſſimus ſcholiaſtes *ARISTOPH. ad Acharnan. act. I. ſcen. 2.* Hinc & feſtiviſſimus Anacreon:

> Καὶ παρθένους τοὺς ἄνδρας
> Ἐγνώρισεν τιάρας.

J. C. SCALIGER in *Exercitat. ad Cardanum* a Perſico Taron deducit, *VOSSIVS* autem in *lexico etymolog.* ab Ebræo עֲטָרָה corona, quod radicem habet עָטַר coronavit, cinxit, non inepte derivat. Erat autem Perſarum tiara in duplici potiſſimum differentia; Regum recta & ſurſum elata apice ſeu cono in ſublime erecto; reliquorum vero ἐπικεκλιμένη & hoc amplius ἐπτυγμένη καὶ εἰς μέτωπον προβάλλουσα, deorſum vergebat & implicata involutaque in frontem deducebatur, quemadmodum id *XENOPHON Cyroped. lib. 2. & 8. ARRIANVS lib. 3. & 6. ARISTOPHANES in avibus ejusque ſcholiaſtes pag. 387. JOSEPHVS l. XX. c. 3. PLVTARCHVS περὶ Φιλαδελφίας, it. lib. 2. de fort. Alex.* Lucianus paſſim: *EUNAPIVS in Ædeſio. SENECA lib. VI. de beneſ. cap. 31. SVIDAS in* Τιάρας. *HESYCHIVS, DIO, CHRYSOSTOMVS orat. 14.* aliique plures diſertis verbis affirmant. Hinc cum a Rege cuipiam concederetur rectam tiaram geſtare, ſummi inſtar erat beneficii: quod quidem Demarato a Xerxe permiſſum fuiſſe legimus apud Senecam d. l. Plutarchum in Themiſtocle, & Suidam. Indicare autem voluerunt hoc pacto magni Reges, ut arbitratur *BARTHIVS in Claud. pag. 608.* excelſo ſe & ſummo imperio uti, nec ulli eſſe ſubditos, nec ullius potentiam metuere. Verum VII. Perſis, Magorum percuſſoribus eorumque poſteris præmii loco conceſſum fuiſſe, ut in anteriorem partem capitis prominentem tiaram geſtarent, Plutarchus in politicis docet; atque ita, ut Briſſonius oſtendit, & a Regibus & a cæteris e vulgo diverſam tiaram geſtaſſe videntur; propterea quod non ut Reges erecta ac velut in perpendiculum in caput elata, neque ut privati in frontem propendente & demiſſa, ſed medio quodam ſtatu in ſynciput projecta prominenteque ingrederentur. Quod ad materiam tiaræ: eam non ex coactilibus, id eſt e lanis villisque confectam, ſed ex pannis compactam fuiſſe, ex Herodoto docet *BRISSONIVS de pr. Perſ. pag. 31.* ubi etiam de figura ejus pluribus disquirit. Colorem purpureum ei tribuit *OVIDIVS lib. XI. met. fab. V.*

> *Tempora purpureis tentat velare tiaris.*

Gemmis & margaritis diſtinctam oſtendit *VALERIVS FLACCVS lib. VI. Argon.*

> *Ad viridem gemmis & Eoa ſtamine ſylva*
> *Subligat extrema patriam cervice tiaram.*

Cæterum non immerito quærimus, cur Sidonius Apollinaris lunatam, ſive ut alii legunt lunatum (nam & eo genere uſurpari notum eſt) eandem appellarit *Carm. 2. verſ. 51. & carm. 23. v. 251.* Dimidiatæ lunæ effigiem minime præ ſe tuliſſe certum eſt, quicquid dicat *DEMPSTERVS ad Roſin. lib. V. c. 35.* neque id voluiſſe Sidonium certo mihi perſuadeo, ut injuria ergo reprehendatur a *BVLENGERO lib. de veſtiment. Pontif. cap. V.* Sed potius effictam in ea aut appictam credo lunæ imaginem: quam Perſarum ſymbolum & omnem augendi imperii cauſam fuiſſe novimus. Qua quidem in opinione conſentientem habeo eruditiſſimum *PASCHALIVM lib. IX. de coronis cap. 18.* Quamquam non ſum neſcius ſcriptorem Anonymum de pileo ab Anshelmo Solerio paucos ante annos editum id de diademate, tiaræ plerumque addi ſolito, & ſic dimidiatâm lunam quodammodo referente explicare. Vocabatur tiara alio nomine κύρβασις vel κυρβασία, ut Ariſtophanis Scholiaſta & Suidas habent, itemque πῖλος, ut *POLLVX* ſcribit *lib. VII. onomaſt. c. 7.* nec non a Strabone πίλημα, ut annotavit Briſſonius. Cæterum tiaram a cidari, quod Perſicorum Regum capitis tegumentum *CVRTIVS* deſcribit *lib. III.* vix niſi nomine diſcrepare, *ALEXANDER Neapolit. lib. I. gen. dier.* docuit, & pluribus tradunt eruditi. Quid autem inter mitram & tiaram diſcriminis fuerit, primus ex Herodoto & Maximo Tyrio Briſſonius monuit: & tangunt auctor de pileo pag. 87. & Dempſterus d. l. Unum adhuc de tiara notari meretur, quod eam honoris cauſa detrahere ſoliti ſint in eorum, quos venerari volebant, conſpectu: quemadmodum id quoque annotavit πολυμαθέστατος *BRISSONIVS l. II. pag. 247.* Ex quo morem caput aperiundi vetuſtiſſimum eſſe cognoſcimus, quemadmodum id inſuper ex Salluſtio, Seneca, Arnobio aliisque clariſſime conſtat, & pluribus id obſervarunt *HERALDVS ad Martial. lib. III. ep. 58. PH. CAROLI ad Curt.* Erat autem præterea tiara ſacerdotum apud Phryges tegmen, quod per malas veniens mento ſubligabatur: quod ex *SENECÆ Thyeſt. act. IV. ſc. 1. JUVENALIS ſat. VI. VALERII FLACCI Argonaut. l. VI. SERVII in lib. VI. Æn.* jam alii monuerunt; quare etiam nonnulli Phrygiam vocem eſſe crediderunt. Plura de tiara congerere nolo, & legi ea poſſunt apud laudatos Briſſonium, Barthium, Dempſterum, Anonymum de pileo; tum vero apud Salmaſium commentar. de coma. *TIRAQVELLVM ad Alex. gen. dier. lib. I, cap. 28. & V. 18.* item *in III. leg. connub. gloſſ. I. part. 3. TAVBMANNVM ad Plautum in Perſ. IV. 2. & ad Virgil. VII. Æn. v. 247. HERALDUM ad Martial. l. X. epiſt. 27. DILHERRVM part. I. diſput. philol. p. 140. ELMENHORSTIVM in indice Apuleji, BVRTONVM* in λείψαν linguæ Perſicæ, & inprimis apud *PASCHALIVM l. X. de coronis c. 1. & 2.* quippe quem præ cæteris in excutienda tiara diligentem fuiſſe video. De diademate vero, quod ad rectam Perſarum tiaram accedebat, & faſcia erat plerumque candida, quod capiti circumligabant,

ligabant, ut id *ex antiquis numismatibus* (a) clarum eſt, quorum aliquot in ſcriniis ſervat æternum Academiæ noſtræ ornamentum Hermannus Conringius, plerique quos laudavi diſſerunt: quos inter merito eminet Caroli Paſchalii opera; quibus jungas *RADERUM* & *FREINSHEMIUM ad Curt. lib. III. c. 3. LIPSIUM ad Tacit. annal. VI. VOSSIUM* & *FUNGERUM in lexicis etymolog. CAMERARIUM oper. ſubciſ. cent. I. cap. 61. PANCIROLLUM var. lect. lib. I. c. 9. MARQUARDUM FREHERUM* (hunc enim eſſe reor) qui notas ad donationem Conſtantini M. ſcripſit *pag. 55.* Hoc externorum diadema fere acceſſit ad vitam illam hyacinthinam, cui lamina illa aurea Max. Judæorum Pontificis fronti alligata erat; de qua videantur *SELDENUS de ſucceſſione in pontific. lib. II. c. 7. AUCTOR de pileo ſect. XII. SAUBERTUS*, (b) præceptor & patronus ætatem colendus *commentar. de ſacerdot. Ebraeor. part. II. c. 6.* ut adeo facile crediderim gentiles diadema ſuum, ut multa alia e Judæa accepiſſe. Hodierna demum Perſarum tegmina contemplaturus adeat *ADAMI OLEARII* viri ſummi, & quæ ſumma ejus laus eſt humaniſſimi, Mæcenatis mei obſervandi *itinerarium Perſicum lib. V. c. 14.*

Et ne novo habitu aliquid occultare videretur.

Rem paulo aliter geſtam narrat *DIODORUS lib. II. cap. 6.* videl. Semiramidem, ad virum Menonem in caſtra exitam, ut multorum dierum iter eo commodius conficeret, ſumpſiſſe ſtolam, quo & nativum calorem contra aeris æſtum tutaretur, & agilitate juvenili ad quodvis negotium expedita foret: tantamque impoſterum veſtis gratiam apud Medos & Perſas fuiſſe, ut Semiramidis ſtolam, hoc eſt quæ ei & nomen & originem debebat, crebro geſtaverint.

Eodem ornatu & populum veſtiri jubet.

Etſi perſæpe Principes facinora, quæ ſuſpectos ſeſe atque exoſos populo reddere poterant, ne unice ſibi reſervarent, cum ſubditis communicaverint, quale quid de Claudio accepimus, qui poſtquam filiam fratris Agrippinam uxorem duxit, eas nuptias ratas impoſterum lege juſſit. Vid. *TACIT. XII. ann. 7.* Quod alibi Tacitus appellat ſocietate culpæ invidiam declinare, & iterum, ſocietate culpæ tutiorem eſſe, *lib. II. hiſt. 52. & IV. 41.* Tamen juſſu ad ea, quæ in Principibus vident exſequenda minime opus eſſe cenſeo. Cum enim in eos ſubditi tanquam in edito loco poſitos & clariſſima luce verſantes oculos conjiciant, omnia curioſe & diligenter inquirant, quid agant, quid loquantur, quomodo vivant, quemadmodum conviventur, ac ſe veſtiant, & per haſce quaſi rimulas ipſum illorum animum intueantur & excutiant; fieri certe non poteſt, quin & ſibi ex his exemplum ſumant, & ad illorum mores vitam ſuam componant. Scilicet in vulgus manant exempla regentum, & verum eſt, quod ait *PLINIUS in Panegyr. cap. XLV. Vita Principis cenſura eſt eaque perpetua; ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur, nec tam imperio nobis opus eſt, quam exemplo* Et *LEO* philoſophus *in Tacticis II. c. 51.* Τοῖς τῶν ἀρχόντων φρονήμασιν ἀεὶ πῶς συνδιατίθεται τὸ ἀρχόμενον. Neque res tam clara teſtibus aut exemplis eget, in quibus tamen conquirendis magna manus eruditorum deſudavit, ex quibus ſaltim nominaſſe ſufficiat *LIPSIUM polit. lib. 2. cap. 9. BARTHIUM ad Claud. p. 207. & 653. & ad Papinium tom. II. pag. 466. CAMERAR. cent. 1. cap. 66. GRUTERUM diſcurſ. in Tacit. 6. MAGIRUM in polymnem. pag 954.* Et notum inprimis illud de Rege claudicante, ad cujus morem & alii claudicare cœperunt: nec minus iſtud de Philippo Bono Burgundo, & de Franciſco I. Galliarum Rege, ad quorum morem præcipua nobilium corona comas, quæ illo ſeculo magna cura nutriebantur, radi juſſit. Neque eſt de nihilo quod quidam non inſcite judicabat; quod ſi Galliæ Princeps barbam denuo alere cœperit, exemplo Gallos, & hos quidem Germanos noſtros, (qui in Gallorum mores tamquam in ſpeculum quoddam nunquam non inſpiciunt, & quod facto opus ſit, ab iis continuo diſcunt) paulatim ſecuturos. Facilius autem præ virtutibus vitia regentum, ad quæ alias natura ſic ſatis ſumus proclives, imitantur ſubditi; adeo ut *D. GREGORIUS NAZIANZENUS orat. XXI. apolog. fuga*, nullam tam paratam imbuendo veſtem ad colorem, neque tam idoneam ad odorem recipiendum, neque tam peſtilentem halitum in aëre diffundi cenſet, cujus contagio animantia inficiantur, quam ſoleat celeriter Principum virorum pravitate atque vitiis compleri vulgus & multo quidem citius, quam econtrario virtutibus. Non enim ibi conſiſtunt exempla, unde cœperunt, ſed quamlibet in tenuem recepta tramitem latiſſime evagandi viam ſibi faciunt; & ubi ſemel recto deerratum, in præceps pervenitur, nec quisquam ſibi putat turpe, quod alii fuit fructuoſum, ut eſt apud *VELLEJUM lib. II.* Graviter ea de re *JUVENALIS ſat. XIV.*

Sit

(a) *ex antiquis numismatibus*) De quibus confer EZECH. SPANHEIMIUM.

(b) *SAUBERTUS de ſacerdotio*) Ex recentioribus vero huc præcipue conferri meretur BRAUNIUS in opere egregio *de veſtitu ſacerdotum Ebræorum.* Cæterum, quod addit autor, gentiles ut alia multa, ita & diadema ſuum ſive infulam & tiaram ſacerdotalem e Judæa accepiſſe, idem jam pridem contra SPENCERUM & MARSHAMUM, WITSIUS, LEIDECKERUS & alii integris libris diſputarunt. Brevibus PRIDEAUX *in orat. de veſtibus Aaronis*, apud WITSIUM *in Ægyptiacis p. 261.* Ut fuerunt, inquit, ethnici illi in aliis eccleſiæ ſimiæ, ita in iſta veſtium ſacrata ſolemnitate nihil omiſiſſe videntur, quo vel reverentiam perſonis vel religionem myſteriis ſuis pro ratione loci aut colentium conciliarent. Quis enim non legerit apud Herodotum, Plinium, Plutarchum & alios Ægyptios ſuas tunicas, lineas & hyacinthinas, ſua pectoralia, ſua etiam ſiſtra argutum tinnitu conſtrepentia in ſacris ſolennioribus adhibuiſſe? Lapidibus duobus onychinis ſuper humeros Aaronis conſpicuis corallia quædam inter ſacerdotes Indicos memorat fuiſſe analoga Alexander ab Alexandro. Infulæ, mitræ & tiaræ quam obvia ſunt apud Apulejum, & alios profanos autores vocabula. Ita dictavit ipſa natura, non peragendum eſſe divinum cultum absque omni cultu, ſed ceremonias nonnullas ad illum conducere &c.

Sic natura jubet, velocius & citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica, magnis
Cum ſubeant animos auctoribus.

Sed priusquam hæc mittamus, unicum adhuc in ſcenam producemus Ludovicum XI. Galliæ Regem: is cum Carolum filium Latina diſcere, præter unum illud: Qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare, ſerio vetaret; Ludovici conſilium ita acceperunt aulici, ac ſi nullis jam amplius litteris opus eſſet, adeo ut ex eo nullum non ſtudiorum genus alto ſupercilio deſpexerint, ceu Vincentius Lupatus & ex eo Phil. Camerarius recenſet. Quamquam *JOHANNES RIVIUS decad. III. rerum Francic. lib. VII.* ex Gaguino Ludovicum hunc excuſat, idque non ex odio in literas, ſed propter filii imbecillitatem factum eſſe contendit. Sed ne nimis extra oleas, obſignabimus hoc quicquid eſt dictorum aureo Senecæ effato. Inter cauſas malorum noſtrorum eſt, quod vivimus ad exempla, nec ratione componimur, ſed conſuetudine abducimur. Quod ſi pauci facerent, nollemus imitari; cum plures facere cœperunt, quaſi honeſtius ſit, quia frequentius ſequimur, & recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus eſt. *epiſt. CXXXIII.*

§. IV.

Ubi invidiam ſuperatam putat.

Invidiam non niſi poſt obitum quieſcere multis teſtimoniis *exerc. 1.* evicimus. Verum enim vero, uti fere nulla datur regula, quæ non aliquando quandam admittat exceptionem, ita nunc invidiam rerum geſtarum amplitudine interdum poſſe ſuperari, ad mentem Juſtini noſtri aliorum ſententiis adſtruemus. Cæterum non diffiteor, id adeo difficile eſſe, ut vix unus ex multis hominum millibus ad tantum gloriæ faſtigium perveniat. *Difficillimum eſt inter homines*, inquit *SALLUSTIUS in Jugurtha, gloria invidiam vincere, ſive ut vetus Panegyriſta ait: Difficillimum eſt invidiam virtute ſuperare.* Stat tamen ſententia aliquando ſuperari. Sicut enim ſol ejus umbram, ſupra cujus caput adſtiterit, ſuis adſpergendo radiis aut prorſus extinguit, aut longe minorem reddit, ita & felicitas cum magnam nacta altitudinem fuerit, & ſupra invidiæ caput adſtiterit, ſplendoremque adſperſerit, eam attenuat expellitque: ut habent illa *PLUTARCHI* a *RHODIGINO lib. XX. cap. 30.* Latine verſa. Scilicet magnanima invidia virtus caret: ut canit *SILIUS lib. XIV.* Elegans in hunc ſenſum locus eſt apud Claudianum III. de laud. Stilic. quem propterea huc tranſcribere non pigrabor.

Facta ſequebatur quamvis ingentia livor,
Solus hic invidiæ fines virtute reliquit,
Humanumque modum. Quis enim liveſcere poſſit
Quod nunquam pereant ſtellæ, quod Jupiter olim
Poſſideat cælum? Quod noverit omnia Phœbus?
Et aliquod meriti ſpatium, quod nulla ferentis
Invidiæ menſura capit.

Eleganti id declarat ſimili Lud. Vives, vir maximus ſui ævi & ab Henrico Angliæ Rege tantopere æſtimatus, ut literas amorum & gratiarum plenas ad ipſum ſcriberet *lib. III. de anima: Langueſcit*, inquit, *invidia felicitate eo usque progreſſa, vel in nobis ipſis vel in æmulo, qui omnem æqualitatem tollat, ſicut in fortuna Alexandri, quem odiſſe poterant multi, invidere nemo.* Opprimitur enim invidia magnitudine non aliter quam fumus ingenti flamma. Eandem ſimilitudinem paulo clarius inculcat Romani Floriſimia Germanici Flori auctor *WASSEMBERGIUS Bell. Suetic. p. 306.* Conſuevit enim fieri, ait, ut flammam primum emicantem multus comitetur fumus, qui non niſi invaleſcente & explicante ſe flamma evaneſcat. Sic res egregias aggredientem initio multa premit invidia, donec aucta gloria jam virtus major invidiæ fumum diſcutiat. Sed deſino talia congerere, quamquam belle ut puto & ſapienter dicta.

§. V.

Quod mulier non fœminas modo virtute ſed etiam viros anteiret.

Aut nimis, aut minus ſapere mihi viſi ſemper fuerunt illi, qui omnes fortitudinis partes viris, nullas fœminis concedunt; ait *ZEVECOTIUS obſerv. ad Flori lib. II. cap. 15.* Rarum eſt, mulierem fortem evadere, fateor: imo rariſſimum, non tamen ut fieri non poſſit. Quin imo quo rarius eſt, & ſexus ille imbecillior, eo præclarius ac nobilitate dignius factum. Et ut ad exempla veniamus, quis non de Scytharum Regina Tamyri, de qua cum *HERODOTO lib. I. Noſter I. 8. 2.* de Halicarnaſſium Artemiſia, de qua iidem ſcriptores; *de Palmyrenorum Zenobia* (a) totius orientis mulierum omnium nobiliſſima, & ut Capitolinus tradit, omnium formoſiſſima, de qua Pollio: de Agrippina quæ virilibus curis fœminarum vitia exuerat, ut habet *TACITUS annal. VI. 25. 2.* de Valaſca Boemorum, qua de *ÆNEAS SYLVIUS in deſcript. Boem. cap. 7. 8.* vel fando inaudivit? Ut taceam exempla tam ſacra, quæ omnibus ſunt aut certe eſſe debent perſpecta, externaque alia plurima, quibus recenſendis tempus me citius quam numerus & oratio deficeret. Ex pluribus tamen, quæ Patrum memoria immortalitati nomen ſuum tranſcripſere, cape ſis exemplum unicum. Quadraginta quatuor annos ſine ullo

(a) *de Palmyrenorum Zenobia*) Vid. ZONARAM *in Aureliano.*

ullo virtutis aut famæ detrimento ſceptrum geſſit *Eliſabetha* (a) Angliæ Regina, ad quam inter cætera *COELIVS CVRIO epiſt. prælimin. in Fulvia Olympia* opera præfari non dubitat. Quæ viri non potuerunt, tu majeſtate Regina, ætate puella, integritate virgo præſtitiſti. Unde Principes, verbis utor Lanſii orat. pro Britannia, eam coluerunt ut matrem benigniſſimam, hoſtes metuerunt ultricem juſtiſſimam, & totus Chriſtianus orbis cum admiratione ſuſpexit ut pacis & tranquillitatis publicæ conſervatricem. Nec minori eruditionis, prudentiæ & virtutis gloria conſpicua nuper fuit Magni illius Guſtavi Adolphi Sueciæ Regis *Chriſtina filia, niſi eandem gloriam ſeceſſione facta* (b) a religione illa, pro qua pater glorioſiſſimus etiam cum vitæ diſpendio fortiter pugnarat, non parum obſcuraſſet, & tantum non prorſus extinxiſſet. Sed nec de ſumma multarum *fœminarum eruditione*, (c) qua etiam doctisſimos quosque viros anteivere, multum diſſerendi locus eſt: cum id jamdudum exſecuti ſint alii viri clarisſimi, quorum ſcrinia compilare mihi eſt religio. Conſuli interea poſſunt vir ſtupendæ lectionis *ANDREAS TIRAQVELLVS leg XI. connub. n. 30.* cujus meſſi falcem bona pars ſequentium, qui hujus argumenti quædam tractarunt, immiſiſſe deprehenditur, *ZWINGERVS in Theatro V. H. RADVLPHVS FORNERIVS rerum quotidian. lib. V. cap. 21. MAJOLVS dier. canic. tom. I. colloq. 4. RAVISIVS officin. tom. I. MAGIRVS in polymnem.* & qui ſexus fœminini præſtantiam peculiari libello commendavit Joh. Petrus Lotichius. Neque tamen hæc eo dicta exiſtimari velim, quaſi ex ea fœminarum virtute & eruditione præditarum multitudine gynæcocratiam probari poſſe ſentiam. Minime omnium. Verum cum *ARNISÆO lib. II. de republ. cap. 2. ſect XII.* iſtam non moramur, eo quod ſi ad infinitam virorum excellentiam, mulierum vero vitioſarum æſtimentur multitudinem partim rara ſint, partim vero a communi lege naturæ exorbitent.

§. VII.

Hæc Babyloniam condidit.

De Babylone urbe, Chaldaicarum gentium capite, quæque diu ſummam claritatem obtinuit in tota orbe, ut loquitur *PLINIVS N. H. lib. VI. cap. 27.* quamque Ariſtoteles gentis ſeu provinciæ potius, quam civitatis ambitum habuiſſe cenſet *lib. III. polit. cap. 2.* multi multa dixerunt, quos exſcribere non eſt inſtituti noſtri. Attamen auctorem noſtrum ſecuti, primum de nomine, mox de ejus conditoribus, poſtea de illius mœnibus, ac demum de ſtructuræ illius materia diſſeremus: ubi tum coronidis loco cum alia huc facientia, tum hodiernam Babyloniæ faciem pauliſper contemplabimur. Quod ad nominis originem ſpectat, neminem eandem latere arbitror, cum iſta clare ſatis indicetur *Geneſ. XI. v. 9.* Nomen videlicet habet a בָּלַל confudit: quod ibidem linguarum confuſio propter turris Babylonicæ ſtructuram facta ſit. Et agnoſcit *JOSEPHVS lib. I. cap. 6. antiquit. Judaic.* ὁ δὲ τόπος ἐν ᾧ τὸν πύργον ᾠκοδόμησαν νῦν Βαβυλὼν καλεῖται, διὰ τὴν σύγχυσιν τῆς περὶ τὴν διάλεκτον πρώτον ἐναργοῦς: ἑβραῖοι γὰρ τὴν σύγχυσιν Βάβελ καλοῦσι. Sic *AVGVSTINVS* admirandi operis *de civit. Dei lib. XVI. cap. 4.* Iſta civitas quæ appellata eſt confuſio, ipſa eſt Babylon, cujus mirabilem conſtructionem gentium etiam commendat hiſtoria: Babylon quippe interpretatur confuſio. Idem etymon *ABYDENVS* ſcriptor gentilis *apud EVSEBIVM* agnoſcit *lib. IX. præp. evang. cap. 4.* Non inepte Lyra ad laudatum Geneſ. locum: Et ceſſaverunt ædificare: quia quando unus petebat lapides, alter præſtabat cæmentum, vel aliquid ſimile, & ſic credebat unus ſe derideri ab alio, propter quod mota inter eos eſt rixa & contentio, & ſic oportuit, quod ceſſarent ab ædificando. Et idcirco vocatum eſt nomen ejus Babel, id eſt confuſio; videlicet juxta proprietatem Hebraici ſermonis mixtio; quod homines ad invicem mixti non intelligebant ſe mutuo propter multitudinem idiomatum. Sed quid rei tam apertæ diutius immoror? De conditoribus nunc dicere animus eſt. Et primam quidem hujus urbis ſtructuram Semiramidi cum Juſtino tribuunt *DIODORVS SICVLVS bibliothec. lib. II. cap. 7. STRABO Geograph. lib. XVI.* initio: ex parte *HERODOTVS lib. I. DIONYSIVS PERIEGETES: SOLINVS cap. LXX. POMP. MELA lib. I. SCHOLIASTES ARISTOPH. ad aves. VELLEJVS lib. I. cap. 5. PLVTARCHVS de fort. Alex. lib. II. cap. 8. HYGINVS fab. CCLXXV.* Sic & *PROPERTIVS lib. III.* Perſarum ſtatuit Babylona Semiramis urbem. A Semiramide tamen non exſtructam eſſe Babylonem jam olim negavit Beroſus in Chaldaicis teſte *JOSEPHO lib. I. contra Apion:* idem Philonis Byblii & Dorothei Sidonii teſtimoniis confutavit Julius Firmicus, quemadmodum id obſervat Ampliſs. noſter *CONRINGIVS adverſ. chronolog. cap. VIII. pag. 41.* Idem negat & Herodotum eo nomine, minus tamen quam par eſt, perſtringit *STEPHANVS περὶ πόλεων.* cujus verba deinceps in medium afferemus. *Alii Nimrodum Babylona condidiſſe* (d) aſſerunt; & iisdem quoque ipſæ ſacrarum lite-

(a) *Eliſabetha*) Hæc de Angliæ Regina leguntur, quæ habent CAMBDENVS *in annalibus Eliſab.* MELVILLVS *in comment.* BAYLIVS *ſub voce Eliſab.* BVRNETVS *in hiſtoria reform. Anglic.* Cur nunquam conjugio ſe addixerit, ejus rationes affert HVBERVS *inſtit. hiſt. civil. p. 315.* quod vel metu id factum fuerit, quia nunquam mater ob arctitudinem vita ſalva fieri poſſet, vel animi magnitudine non ferentis ſocium vel dominum.

(b) *Chriſtina filia, niſi eandem gloriam ſeceſſione facta*) Conſtans tamen fama eſt, parcam & infrequentem fuiſſe cultricem divini Numinis, atque omnes religiones juxta i. e. nihili feciſſe. Ita enim de ea referunt CHEORÆANA *tom. I. p. 25.* *Cette Princeſſe fit a Inſpruck l'abjuration publique de la religion Lutherienne, & on la regala de la comedie l'apres dinee, Meſſieurs, dit elles a des perſonnes du premier ordre, qui avoient aſſiſte a ſon changement de religion, il eſt bien juſte que vous me donnez la comedie apres vous avoir donne la farce.* Conf. WAGENSEIL *peram libr. juvenil. tom. IV. p. 821.*

(c) *fœminarum eruditione*) Conf. *Lexicon eruditarum fœminarum*, nec non MEVSCHENII *theatrum illuſtrium & principum fœminarum eruditione celebrium Germanice a 1706. editum.* Adde MENAGII *hiſtor. mulierum philoſopharum.*

(d) *Alii Nimrodum Babylona condidiſſe*) Id negat MARSHAMVS *in canone chronico p. 476-478.* proinde, quando

literarum pandectæ quodammodo adſtipulari videntur. Nam de Nimrodo teſtatur mundi naſcentis Hiſtoricus *Geneſ. X. v 10.* quod initium regni ejus fuerit Babylon. Idem plane hoc ipſo ſcripturæ loco adductus ſtatuit *AVGVSTINVS de civ. Dei lib. XVI. cap. 4.* Idem ſtatuunt *OROSIVS lib. II. cap. 7.* Idem *GEORGIVS MONACHVS*, cujus hæc ſunt verba: *ὁ Νιμβρὼθ κτίσας τὴν βαβυλῶνα πόλιν.* Nec aliter Methodius Pataræ Epiſcopus, cujus verba laudat *BVLENGERVS eclog. ad ARNOB. lib. II. cap. 3.* Verum enim vero cum Nimrodus ab externis ſcriptoribus juxta multorum ſententiam Belus appelletur, quemadmodum Exercit. priori oſtendimus, hinc forſan factum, ut Belo ſtructuram urbis plures adſeruerint. Hinc etiam *CVRTIVS lib. V. Semiramis Babylonem condidit, vel ut plerique credidere Belus.* Idem vult *ABYDENVS apud EVSEBIVM lib. IX. præparat. cap. 4.* Nec falluntur forſan illi, qui a Nimrodo ſive Belo fundatam, a Semiramide vero, poſtquam inundationibus Euphratis pene diruta & vaſtata, inſtauratam murisque circumvallatam eſſe ſcribunt. Sic *AMMIANVS MARCELL. lib. XXIII. cap. 20.* Mœnia urbis a Semiramide bitumine ſtructa fuiſſe ait, arcem antiquiſſimum Regem Belum condidiſſe. Et *OROSIVS* quoque *lib. II. cap. 7.* Babyloniam a Nemrod gigante fundatam a Nino vel Semiramide reparatam ſcribit. Et jam ante *AVGVSTINVS de C. D. lib. XVIII. cap. 2.* Semiramidem putant nonnulli condidiſſe Babylonem, quam quidem potuit inſtaurare. *JVLIANVS Imperator orat. II. in laud. Imperat. Euſebiæ: Τότε ἐν Βαβυλῶνι τεῖχος οἰκοδομεῖ πεντακοσίων σαδίων μικρὸν ἀποδεόν. Καὶ τὰ περὶ τὴν πόλιν ὀρύγματα καὶ ἄλλα πολυτελῆ καὶ δαπανηρὰ κατασκευάσματα ἐκείνης ἔργα γενέσθαι λέγουσι.* Quæ ſic vertit Petavius: Cæterum (Semiramis) Babylone murum excitavit quingentorum fere ſtadiorum & quæ circa hanc urbem fere foſſiones aut cæteræ id genus magnificæ ac ſumptuoſæ ſtructuræ ſunt, ab ea omnia perfecta dicuntur. Et dudum ita ſenſit pater hiſtoriæ Herodotus, qui Babylonis ſtructuram pluribus Regibus, mœnium vero Semiramidi & Nitocri (quam Nabuchodonoſari uxorem fuiſſe cenſet *CONRINGIVS adverſar. chronolog. cap. X. p. 56.*) adjudicat. Ita Arienus Dionyſii interpres:

— — *Babylon producitur arce*
Procera in nubes: hanc priſca Semiramis urbem
Vallavit muris, quos non abſumere flamma
Non aries penetrare queat.

Et *OVIDIVS lib. IV. Metam. fab. 4.* ubi dicitur: *altam*
Coctilibus muris cinxiſſe Semiramis urbem

Quem ad Poetam provocat *HIERONYMVS tom. VI. in cap. 2. Oſeæ: Nini uxor Semiramis*, inquit, *de qua multa & miranda referunt, muros Babylonis exſtruxit:* de qua inſignis *POETA* teſtatur, dicens:

— — *Quam dicitur olim*
coctilibus muris cinxiſſe Semiramis urbem.

Verum quid ad ea Prophetæ *DANIELIS* (a) qui Nabuchodonoſorem ſic ſe magnifice efferentem introducit: *Nonne hæc eſt Babylon magna quam ædificavi?* Verum cum ſæpius fiat, ut nomen auctoris non primo ſolum fundatori, ſed & amplificatori & reſtitutori tribuatur, quemadmodum *NEHEMIAS* auctor murorum Hieroſolymitanorum dicitur *eccleſiaſt. cap. XLIX. v. 15.* quos tantummodo refeciſſe legimus, *cap. 1. & 2.* Nehemiæ; ita hoc in loco geminum accidiſſe puto. Quod probe intellexit minime ineptus S. Scripturæ interpres *LYRA*, cujus hæc ſunt verba: *Non ædificaverat Nabuchodonoſor ſimpliciter illam civitatem, ſed fecerat eam metropolim ſuæ monarchiæ, & eam amplificaverat & fortificaverat ad robur regni ſui & decorem.* Atque huc pertinent illa Abydeni apud Euſebium, quæ Georg. Trapezuntius ſic vertit: De Babylone quoque Abydenus hæc ſcribit: omnia, inquit, illa loca aquis circumtecta fuiſſe dicuntur. Belus autem regionem ſiccaſſe perhibetur & Babyloniam condidiſſe, quæ mœnia aquarum illuvione deleta Nabuchodonoſorus reſtituit, quæ remanent ad hæc Macedonum tempora. Et poſt pauca; cum principatum Nabuchodonoſorus accepiſſet, continuo Babylonem triplici muro quindecim diebus munivit, & fluvios Armachalem atque Acrachanum ab Euphrate ortos obſtruxit: paludem etiam effodit XX. paſſuum altitudinis paraſangarumque XL. portasque in ea fecit, quas Rivo tenentes appellabant, quibus apertis Babyloniæ campos irrigabant, rubrique maris inundationem obſtruxit, & Teredonem urbem ad ſuſtinendos Arabum impetus condidit, & in regia penſiles hortos plantavit. Hoc ab Abydeno ſumere placuit. Quoniam legitur apud Danielem; Nabuchodonoſorem in templo ſuo ambulantem arrogantia motum dixiſſe: annon eſt iſta Babylon magna, quam ego in potentia mea ad laudem gloriæ

Gen. X, 10. dicitur, Nimrodo initium regni fuiſſe Babelem, id ita exponit: initio Babyloniam occupavit Nimrod, in qua poſtea iſtæc oppida condita fuerint. Cum vero partes illæ inundationibus amnium Euphratis & Tigris obnoxiæ eſſent, exiit in Aſſyriam & ædificavit Niniven & Rechobot. Concludit ex his, quod cum ex Babylonia egreſſus ſit, Babylonis conditor haberi nequeat. Tandem ait, Babylonem Nabonaſſari ætate ab Ægyptiis conditam. Contra illum inter alios pluribus diſputat PERIZONIVS *p. 32. ſeqq. p. 98. ſeqq. p. 343. ſeqq. p. 53. 54. ſeqq.*

(a) *Dan. IV, 27.*) Ibi non dicitur ædificari ſimpliciter ſed cum addito, in domum regiam i. e. ut eſſet ſedes regni ſeu Rege & regno digna, vere regia urbs & ut ſit gloria majeſtatis meæ, bene obſervante PERIZONIO *orig. Babylon. p. 55.* Cæterum male inde colligit autor Anonymianorum ſive obſervationum in varia loca autorum *p. 33.* exinde elucescere, quod Nebucadnezar in ſ. literis non alius ſit quam qui profanis dicitur Ninus & Semiramis, ita ut Nebucadnezar lingua Aſſyriaca Ninus, additoque honoris titulo Semiramis dictus fuerit, quoniam de iisdem quoque profani referant, per eos Babylonem vel conditam vel amplificatam fuiſſe, aliaque quæ optime cum Nebucadnezare conveniant, quales cogitationes auctor nonniſi per phantaſiam productis rationibus nonnullis obtrudit lectoribus, quo pacto alia quæcunque forte ſimilia videntur, in hiſtoria facile poſſunt commiſceri.

riæ meæ in domum regni conſtruxi & adhuc iſta loquentem everſum fuiſſe. Huc usque Euſebius. Neque tamen quisquam negaverit verba Nabuchodonoſoris veſanam quandam jactantiam redolere, & plus auctori quam par erat tribuere, uti jam ante præclare ſenſit *ARNISÆVS de republ. cap. 2. ſect. I. n. 7.* Non autem Excell. *CONRINGIVS adverſar. chronol. cap. XI. p. 57.* Scaligerum audiendum cenſet, qui mœnia illa ab uxore, quo tempore furore percitus erat maritus, exſtructa autumat; cum ante illud tempus jam conſtructa e Daniele perſpicue pateat. Neque ego audiendum cenſeo Ariſtæum apud Euſebium. l. c. qui ἐπὶ Ναβοννίδος τὰ περὶ ποταμὸν τείχη τῆς βαβυλωνίων πόλεως ἐξ ὀπτῆς πλίνθου καὶ ἀσφάλτου κατεκοσμηθῆναι ſcribit, id eſt a Nabonide, (quem Bulengerus Balthaſarem eſſe ſuſpicatur) muros urbis Babyloniorum, qui juxta fluvium ſunt, ex latere cocto & bitumine conſtructos. Neque eſt, quod Philoſtratum moremur, qui Apollonii Medeæ opus eſſe perhibet. Sed adhuc quid *Stephanus de noſtra Babylone* (a) ſcribat audiemus: Βαβυλὼν περσικὴ πόλις μητρόπολις Σελευκία καλουμένη, βαβυλῶνος ἀνδρὸς κτίσμα πολιτάτου σοφωτάτου παιδὸς Μήδου. οὐχ ὡς Ηρόδοτος ὑπὸ Σεμιράμιδος ταύτης γὰρ ἦν ἀρχαιοτέρα ἔτεσι χιλίοις δύο ὡς Ἑρράνιος. Hæc autem qui conficta eſſe non videt, nihil videt. Quod ſi enim hæc ita ſe haberent, ultra diluvium excurreret Babylonis ſtructura: qua quidem nihil dici poteſt abſurdius, nihil a veritate alienius. Plane quoque a vero abſona eſt illa opinio, quam neſcio unde hauſtam Suidas refert in Σεμίραμις. Hanc videlicet Reginam Ninivem mœnibus cinxiſſe & mutato nomine Babylonem vocaſſe duabus nobiliſſimis civitatibus abſurde in unam confuſis. Sed juvat ipſum audire Suidam. Σεμίραμις αὕτη βασιλεύσασα τῶν Ἀσσυρίων πρώτη καὶ καταδυναστεύσασα, καὶ πολλοὺς ἀνθρώπους ἀνελοῦσα; πρώτοι μὲν ἐξεῦρε τὰ μέταλλα. τοῖς δὲ αἰχμαλώταις τὴν τούτων ἐργασίαν ἐπέτρεψε περιέθηκε δὲ καὶ τείχη πρώτη τῇ Νινευί; μετονομάσασα ταύτην βαβυλῶνα καὶ τοῖς ποταμοῖς περιέβαλε στόμια &c. Et tantum quidem de conditoribus clariſſimæ urbis ſufficiant, ad alia mox tranſituro. Ut autem æquo lectori de mente mea clarius conſtet, paucis eam repetere Jubet. Primum conditorem Babylonis Nimrodum fuiſſe exiſtumo, quem cum alii Belum Nini patrem fuiſſe dicant, & huic urbis ſtructuram aſſignent, eosdem pedibus in meam ſententiam ire puto. Sed quia eam urbem exiguam & Euphratis inundationibus forſan dirutam reſtauravit Semiramis, & longe ampliori murorum circuitu circumvallavit, non immerito tantæ urbis exſtructionem eidem adſcribi credo: quam poſtea contemptam ab Aſſyriorum Regibus, qui prætulerunt ei Niniven, Nabuchodonoſor inſtauraſſe eoque ſedem regni tranſtuliſſe, muros quoque aut plane novos exſtruxiſſe, aut a Semiramide exſtructos ampliaſſe credendus eſt. Nunc vero ad ipſa urbis mœnia propius accedere animus eſt, quæ quidem olim adeo omnium ora atque oculos in ſe converterunt, ut inter VII. orbis miracula adſcribi mererentur, ceu præter *CASSIODORVM lib. VII. variar. HYGINVM fabula CXXIII.* etiam ille verſus Martialis, ſive quis alius autor libri de ſpectaculis, indicat: *Aſſyrius jactet nec Babylona labor:* placet enim præ vulgata lectione *aſſiduus* illa Bulengeri emendatio. Sic enim & Antipater: ἀσσυρίης χῶμα Σεμιράμιδος. Sic autem pergit Juſtinus:

Murumque urbi cocto latere circumdedit.

De lateribus eorumque differentiis pluribus nunc agere plane ſupervacaneum eſſe cenſeo, cum id jamdudum egerit *VITRUVIVS lib. II. de architectur. cap. III.* & ad eum *PHILANDER in Animadverſ. PLINIVS N. H. lib. XXXV. cap. 14. & ibidem* Dalechampius. Coctum autem laterem, id eſt maſſam ex argilla ſeu luto, ſole vel igne durato in muris Babylonicis agnoſcunt plurimi. *CVRTIVS.* Murus inſtructus laterculo coctili. *PROPERTIVS.*

Perſarum ſtatuis Babylona Semiramis urbem,
Ut ſolidum cocto tolleres aggere opus.

MARTIAL. lib. IX. ep. 77. *Nec latere cocto*
Quo Semiramis longam Babylona cinxit.

HYGIN. fab. CCXXIII. *Murus in Babylonia*
Quem fecit Semiramis Dercetis filia latere cocto.

Sic *VICTRUVIVS lib. I. cap. 5. & lib. VIII. cap. 3. OVIDIVS & HIERONYMVS dd. ll.* ita *SCHOLIASTES JUVENALIS ſat. V.* Babylonem Semiramis coctili latere munivit. Imo *SIDONIVS* ipſam Babylona propterea coctam appellavit *carm. IX.*

Non coctam Babylona perſonabo.

In Græcia cocto lateri reſpondet ὀπτὴ πλίνθος, cujus in murorum Babyloniorum ſtructura meminere *HERODOTVS lib. I. DIODORVS lib. II. cap. 7. STRABO lib. XV. Geogr. ARISTÆVS apud Euſebium d. l.* Eo reſpexit Ariſtophanes in avibus: περιτειχίζειν μεγάλαις πλίνθοις ὀπταῖς ὥσπερ Βαβυλῶνα. Ad quæ ſic commentatur eruditiſſimus ſcholiaſta: Φασὶ γὰρ τὴν Βαβυλῶνα ἀπὸ ὀπτῶν πλινθῶν οἰκοδομηθῆναι. καὶ ἀντὶ γύψου ἀσφάλτῳ συνδεθῆναι τοὺς πλίνθους. Atque hinc procul dubio eſt, quod *JUVENALIS ſat. X. verſ. 170.* a figulis munitam urbem dicit, cum Babylonem nominat. Ex quo quidem clare ſatis patet, lateritios parietes & muros exſtruendi artificium eſſe antiquiſſimum. Nam & *PLINIVS lib. VII. cap. 56.* obſervationes ſiderum apud Babylonios lateribus inſcriptas eſſe ex Epigene docet. Quam robuſta vero fuerit talis ſtructura, quam propterea ſcriptores lateritios æternos non nemo appellare non dubitavit, antiquiſſima rudera teſtantur. Elegans hanc in rem locus eſt apud Guntherum in Ligurino, quem tanquam huc apprime facientem adſcribo.

Heu

(a) *Stephanus de noſtra Babylone*) STEPHANVS de urbibus in voce Babylon Herennium Philonem ait, ſcribere quod a Babylone Beli filio condita, isque 1800. annis antiquior fuerit.

Heic præter validas turres, quibus undique ſedes
Tuta videbatur, rubeo nitidiſſima muro
Pro ſaxo laterem validiſſima turris habebat.
Hanc ibi Tarquinium quondam fundaſſe ſuperbum,
Rumor erat, nomenque loco retinente, ſuperba
Illa vocabatur longo jam tempore turris.

His lateribus conficiendis certi erant apud Romanos præfecti homines, Tegularii dicti, de quibus videri poteſt Chriſtophorus Colerus, homo judice Barthio judicii & lectionis non contemnendæ; *Parerg. cap. XXX.* Subjungit *JVSTINVS:*

Harena vice bitumine interſtrato.

Varietas hujus lectionis (a) valde exercuit viros eruditos. Hanc quam propoſui, amat Bongarſius, eo quod in Cujacii cod. repererit, & nemo in conſtructione murorum Babylonicorum harenæ aut picis meminerit. *BARTHIO* tamen *in animadverſ. ad Gallum p. 65.* placet Aldinorum exemplarium lectio, *arenæ & calcis vice:* cum ſic *VITRUVIVS* de iisdem muris diſſerens *lib. I. cap. 5.* habeat: *Non enim*, inquit, *uti Babylone abundantes liquido bitumine pro calce & arena ex cocto latere factum habent murum.* Quod autem bitumen interſtratum fuerit muris Babylonicis, in eo plerique conſentiunt, idque procul dubio propterea factum, ut eo longius duraret coagmentatio. *CVRT.* murus inſtructus laterculo coctili, bitumine interlitus: *DIODORVS*, τὰς πλίνθυς ἐις ἄσφαλτον ἐνδυσαμένας eleganter ſcribit: *THEOCRITVS Idyll. XVII.*

— ὅπη πλατὺ τεῖχος
Ἀσφάλτῳ δήσασα Σεμίραμις ἐμβασίλευεν.

Bituminis præterea in horum murorum exſtructione mentionem fecere *HERODOTVS lib. I. ARISTÆVS ap. EVSEB. d. l. NAZIANZENVS in monodia in Baſilii M. vitam*, ubi VII. orbis miracula recenſet, & plures alii. Hujus autem bituminis tantam vim eſſe ſcribunt veteres, ut muros ferro quovis ſolidiores faciat, quemadmodum Xiphilinus Dionis epitomator refert in Ulpio Trajano. *HYGINVS* autem *fab. CCXXIII.* loco bituminis ſulfur ſubſtituit: murus in Babylonia latere cocto & ſulfure ferreo vinctus. Barthius quidem loc. laud. legendum ſuſpicatur latere cocto & aſphalto, quod ſoleat Hyginus Græcis ſæpius uti. Verum hac mutatione minime opus eſſe cenſeo, cum non tantum *PLINIO* teſte *l. XXV. c. 15.* ſulfuris & bituminis vicina ſit natura, verum etiam *CASSIODORVS lib. VII. variar.* ſulfuris meminerit. Cæterum quoniam in hanc mentionem bituminis venimus; forſan non abs re fuerit quædam de eo dicere, quod Græcis bitumen ἄσφαλτος dicitur, quod aſphaltitidi lacui, cui copioſum ſupernatat, ut Tacitus loquitur, nomen dedit, (quo de lacu plura apud *JOSEPHVM lib. IV. & V. antiquit. EGESIPPVM lib XIV. cap. 18. ANDREAM BACCIVM de thermis lib. V. cap. 13. MAJOLVM dier. canic. tom. I. colloq. 12. BARTH. BARRIENTIVM in annotat. ſylva cap. 2.* & inprimis Fortunium Licetum peculiari diſput. eaque ultima hydrologiæ Peripateticæ legi poſſunt) eſtque nihil aliud quam corpus minerale ex pinguedine radicali ſuccisque ſubterraneis conflatum maxime naturæ igneæ capax; ſic definiente *LIBAVIO III. ſing. lib. I. cap. I.* Duplicis erat generis, aridum alterum, alterum vero liquidum. Juvat audire Strabonem ſed latine loquentem: In Babylonia etiam bitumen multum naſcitur; de quo Eratoſthenes dicit, liquidum, quod Naphtham vocant, in Suſiano agro naſci: Siccum vero, quod congelaſcere poteſt in Babylonio, cujus fons eſt prope ipſam Naphtham: hoc autem inundante ex liquefactione invium & effuſionem in fluvium facit: hic glebæ maxime coëunt ad ædificia idoneæ, quæ ex coctilibus lateribus fiunt. Sunt qui liquidum bitumen etiam in Babylone naſci dicunt. De ſicco quidem dictum eſt, quantus ſit ejus ad ædificia uſus. Pluribus deinde de Naphtha diſſerit, quæ huc omnia arceſſere non lubet. Qui plura de nomine ejus & mirabili natura ſcire cupit, conſulat *HESYCHIVM & SVIDAM in* νάφθα. *Scholiaſt. ad Nicandri Alexipharm. PLVTARCH. in vita Alex. & SYMPOSIAC. l. V. quæſt. 7. PLINIVM lib. II. c. 105. & XXXV. 15. DIONEM NICÆVM in Pompejo & Alex. Severo. TACITVM hiſt. lib. V. AMMIANVM lib. XXIII. BRISSONIVM lib. II. de regno Perſic. BAPT. PORTAM magia natur. c. X. OLEARIVM itinerar. Perſ. l. VI. c. 9. BELLONIVM rer. antiqu. lib. III. SALMVTH ad PANCIROLL. de antiq. deperd. tit. 36. BACCIVM de thermis &c. Bitumen autem in illis locis paſſim e terra exæſtuare* (b) ſignanter ſcribit noſter. Non enim placet illa de erectis ſtatuis lectio, exæſtuare enim proprie eſt liquidorum cum fervore ebullientium. Sic Virgilius: Fundoque exæſtuat imo: Suetonius foſſas omnes; ait, in quas Nilus exæſtuat &c. Sic a Pomp. Mela ſcribitur, garumna obviis oceani exæſtuantis acceſſibus adaugeri. Idem verbum Boethio reddunt Sitsmannus & Vallinus, & familiare eſt Curtio, cujus loca in indicem collegit Freinshemius. Et tantum quoque de Babylonis mœnibus

(a) *Varietas hujus lectionis*) Sic in editione a. 1500. excuſa curante Sabellico habetur, harena bitumine interſtrata. SALMASIVS *in exercit. Plinianis in Solinum p.* 1228. conjecit, legendum eſſe arenati vice, ut calx arena permixta intelligi poſſit, quæ VITRUVIO & CATONI arenatum dicitur, quare & alii calcem addunt, leguntque arenæ & calcis vice, quoniam alterutra ſola in muris extruendis locum non habeat, unde & de oratione non cohærente dictum a Caligula SVETON. *cap.* 53. arenam eſſe ſine calce. Sed PLINIVS *lib. XXXV. cap.* 15. bitumen ait calcis uſum præbuiſſe ita ferruminatis Babylonis muris.

(b) *Bitumen in illis locis paſſim ex terra exæſtuare*) Unde GROTIVS in eam deductus fuit opinionem, quod vortices illi bituminoſi exæſtuantes, quales in campis Babyloniis fuerint, forte per flammeum gladium angeli ante paradiſum locati intelligantur Gen. 3.

bus dicta ſunto, quibus alia non minus digna obſervatu jungi potuiſſent, niſi auctoris veſtigia premere animus fuiſſet. Quare etiam de murorum ut & turrium in iis ſitarum altitudine deque ambitus ſpacio dicere ſuperſedeo. Si quis tamen iis delectatur, diſceptantes ea de re audiat *TZETZEN chiliad. IX. 275. BRISSONIVM de R. Perſ. p. 58. BVLENGER. eclog. ad Arnob. RADERVM ad Curtium V. 1. CAMERTEM in Solinum: BARTHIVM ad Gallum*, & ſi qui ſunt alii. Quod autem quadrigæ in iiſdem muris ſibi obviam factæ ſine ullo incommodo commeare potuerint, præter alios etiam confirmant Curtius, Diodorus, Propertius. Quæ de hortis Babylonis penſilibus circumferuntur, (quos potius a Nabuchodonoſore in gratiam uxoris Medicæ, prout teſtatur *BEROSVS apud Joſephum lib. I. contra Apion.* quam a Cyro quodam Rege in gratiam pellicis, veluti ex Cteſia *DIODORVS lib. II. cap. 10.* refert, exſtructos cenſet Herm. Conringius) ut veteres taceam, quos recentiores paſſim laudant, peti poſſunt e Briſſonio, Bulengero, Radero & Freinshemio laud. loc. De turri Babylonica, quæ vulgatisſimam illam gigantomachiam peperiſſe videtur, uti id egregie declarat excell. præceptor meus, vir *πολυμαθέστατος VALENT. HENRIC. VOGLERVS commentar. mytholog. cap. XV.* pluribus disquirunt commentaria antiquorum & recentiorum in Geneſin. *AVGVSTINVS de C. D. l. XVI. c. 4. & in notis LEONH. COQVEJVS.* Ejus rudera adhuc ſupereſſe itineraria produnt. Certe Hieronymi tempore extitiſſe accepimus. Quamquam nobilisſimus *L. N. A MOLKEN* hæc rudera non tam turris ipſius, quam vel murorum Babyloniorum, vel regiæ aut templi, vel etiam ſepulchri Beli reliquias fuiſſe exiſtimat, *annot. in auctorem relig. Medici part. I. ſect. 21.* De hodierna Babyloniæ facie nunc *ἐπιμέτρου* vicem quædam in medium afferre viſum eſt. Et novam quidem Babylonem in Ægypto ad Nilum quidam geographi collocant. Verum hanc non eſſe illam, de qua nobis ſermo eſt, quæque ad Euphratem ſita erat, liquido conſtare arbitror. Plures autem fuiſſe urbes hujus nominis in vulgus notum eſt, & monet barbari illius ævi ſic ſatis bonus hiſtoricus *ARNOLDVS Abbas Lubecenſ. chron. Slavor lib. VII. c. 9.* In Ægypto certe Babylonem agnoſcit Stephanus *περὶ πόλεων*, eamque Ptolomæus Africæ vocat Babylin: eſtque procul dubio ea, aut in ejus locum ſeceſſit, quæ nunc Cairus vulgo Alcairus dicitur, quam deſcribunt Leo Africanus *αὐτόπτης*, Petrus Martyr, Martinus a Baumgarten, Paulus Æmilius, Martinus Cruſius, Paulus Jovius, omnes & ſinguli ab *HENRICO BANGERTO*, hiſtorico celeberrimo, præceptore quondam meo optimo, & longiori fato dignisſimo, in *eruditiſſim. notis ad Arnold. p. 542.* laudati, quibus ſi vacat *WENDELINVM* jungere poteris de *admirandis Nili cap. XXV. §. 3.* Propius ad rei veritatem neque tamen omni ex parte accedunt illi, qui Bagdad florentisſimam ac nobilisſimam illam ad Tigridem ſitam urbem, quam *SCALIGER animadverſ. ad Euſebium* eandem cum veterum *Seleucia* (a) eſſe cenſet, (quo nomine tamen eum reprehendit Edoardus Brerevvodus Anglus in ſcrutinio religion.) eo loco, quo quondam Babylon ſita erat, ſtatuunt. Aliud tamen nos docent viri clarisſimi, interque eos *ADAMVS OLEARIVS*, quem primum honoris cauſa nomino. Hujus enim verba, prout a Cl. Bunone latina facta *in notis ad Cluveri introduct. geograph. p. 564.* dabo. Ea urbs quæ hodie ad Tigrim eſt, Bagdad appellata, vulgo eadem habetur quæ Babylon. Verum *Bagdad* (b) illa ad Tigrim jacet, & Babylon fuit ad Euphratem, quæ loca ſunt multum inter ſe diverſa. Credunt Perſæ ex Babylone deſtructa ortam eſſe Bagdad, quo loco frequentes tum fuerint horti, id quod ex nomine Bag, quod hortum ſignificat, colligunt, ac loci amœnitate homines inductos, ut novam ibidem extruerent urbem. Cum Oleario plane conſentit *JOH. CARTWRIGTHIUS Anglus in itinerario*, cujus excerpta nobis dedit *JOH. DE LÆT. in libello de regni Perſici ſtatu: Hæc civitas*, inquit, *Bagdad a nonnullis nova Babylon appellatur, quia e veteris, quæ haud longe abeſt, ruinis excitata creditur.* Gemina habet *PETRVS TEIXERA in itinerar. Perſ. Plerique*, ait, *hanc urbem confundunt cum Babylonia, forte quia illius reliquiæ non niſi unius diei itinere hinc diſtent:* verum eos falli vel hoc argumento eſt, quod Babylon apud Euphratem ſita fuerit, hæc ad Tigridem. Ex quo quidem manifeſto apparet veteris Babyloniæ ſitum a nova, quam Bagdad appellari diximus, unius diei itinere diſtare. Atque in eo conſentiunt *AVCTOR Mercurii Gallici & PHILIPPVS de S. Trinitate in itinerario orientali lib. II. cap 6.* Veterem autem Babylonem in locum incultum & inacceſſum eſſe mutatam & vere draconibus aliisque feralibus beſtiis habitaculum fuiſſe factam, prout *ESAIAS cap. XIII. v. ult.* vaticinatus eſt, certisſimus rerum magiſter eventus docuit, cum nihil de veteri forma habeat, quam ruinas & cubilia ferarum: quod uberius declarat vir Cl. & de ſacra antiquitate optime meritus *JOH. CVNR. DIETERICHIVS antiquit. ſacrar. lib. III.* Hoc quippe tempore, inquit, tota in ruinis jacet, factaque *μεγάλη πόλις, μεγάλη ἐρημία*, inacceſſa ob venenatarum beſtiarum habitacula, quas Perſico nomine Eglo vocari, easque lacertis majores, bicipites, & coloribus variegatas eſſe Dreſſerus & Wenceslaus a Budovvitz perhibent. Imo Hieronymus ſuo tempore omnis generis beſtias murorum Babylonis ambitu fuiſſe teſtatus fuit; nec aliud teſtatur *BENJAMIN TVDELENSIS in itinerar. ubi vide Conſtant. L'Empereurii notas.* Nunc etiam ingens Babylon Bagdado vicina ita exſtincta eſt, ut vix veſtigium aliquod appareat, nihil habens præter cicatrices atque veſtigia priſcæ calamitatis, ut dicere oporteat: jam ſedes eſt & habitaculum draconum, ubi Babylon fuit. Sed præſtat ipſum audire Benjaminem ita de his ruinis diſſerentem: Inde Babel unico itinere diſtat. Hæc eſt antiqua illa Babel jam devaſtata: quæ plateis ſuis ad XXX. milliaria extendebatur. Ubi etiam-

(a) *Seleucia*) Poſt Alexandrum M. a Seleuco condita fuit Seleucia, qua ſpoliis Babylonis ornata illa antiqua Babylon neglecta fuit a ſucceſſoribus ejus Syriæ Regibus, & ſic deinceps in ſolitudinem & vaſtitatem paulatim reducta, in qua ad hæc usque tempora manſit oſtentans tantum antiqui ſplendoris reliquias, rudera & muros. Vide BOCHARTVM *in phaleg. lib. 4. c. 15.*

(b) *Bagdad*) Bagdad ab Almanſore Arabum ſive Saracenorum Principe condita a. 762. Vid. ABVLFARAGIVM *p. 141. 143.* ELMACINVM *p. 102.*

etiamnum vaſtatum Nebucadneſaris palatium viſitur, eoque homines ingredi verentur propter ſerpentes & ſcorpiones locum occupantes. Quem Benjaminem, licet hominem vaniſſimum & ex innato gentis vitio longe mendaciſſimum & futiliſſimum ſcriptorem non ignorem, tamen in his minime vanum eſſe tot graviſſimi ſcriptores ὁμόψηφοι arguunt. Nam ſi etiam viſes ad ea quæ de ruderibus Babyloniæ urbis (verba ſunt excell. *CONRINGII adverſar. chronol. p. 58*) Leonardus Rauvvolffius, αὐτόπτης & digniſſimus fide teſtis, patrum memoria ſcripſit, veneraberis nobiſcum divinam veritatem prædictionum Eſaiæ & Jeremiæ de fatali florentiſſimæ quondam urbis excidio. Et tantum quidem nunc de Babylone ſufficiant, quibus ſi diutius, quam par erat, immoratus ſum, veniam ardori meo dabis lector benevole, cum mihi ipſe, forſan & aliis quandam quaſi epitomen eorum, quæ multi ſparſim de hac urbe dixerunt, conficere voluerim.

§. IIX.

Multa & alia præclara hujus Reginæ fuerunt.

Quænam illa fuerint, mox docet Juſtinus, pluribus autem enarrat Diodorus Siculus, cujus ſumma capita compendio ſuo hiſtoriæ inſeruit *CHRISTOPH. HEIDMANNUS lib. I.*

Æthiopiam quoque imperio adjecit.

De Æthiopiæ ſitu & partibus multis nunc non agam, ne nimium excreſcat hæc exercitatio. *Ex recentioribus* (a) eam copioſe & diligenter deſcripſit Franciſcus Alvarez Luſitanus, qui per ſexennium legatus in aula Preto Joannis Principis Æthiopum commoratus fuit. Exſtat etiam liber *DOMIANI A GOES, equitis Luſitani, de fide, religione & moribus Æthiopum*, quamquam hæc fere omnia luculenter ſatis laudatus Alvaretz ſit perſequutus.

§. IX.

Sed & Indiæ bellum intulit.

Cujus belli initia admodum facilia, exitum imparem & infauſtum fuiſſe docet *DIODORUS lib. II. cap. 16. 19.*

§. X.

Ad poſtremum cum concubitum filii petiiſſet, ab eodem interfecta eſt.

Si vera ſunt quæ narrat auctor, propudioſam hanc Semiramidem, virtute licet clariſſimam diris omnibus devovendam cenſeo. Et quis non mecum ſentiat? cum ſcilicet per hos concubitus & ſumma, quæ parentibus a liberis debetur reverentia, & naturalis inter concubentes ſocietatis æqualitas plane tollatur: quod probe intellexit impia Myrrha impio & nefando in patrem amore exarſa, quam ſic loquentem introducit *OVIDIUS lib. X. fab. 9. metam,*

Dii precor & pietas, ſacrataque jura parentum,
Hoc prohibete nefas, ſceleri que reſiſtite noſtro.

Jure igitur hic cum diſertiſſimo *ARNOBIO lib. V. adv. gentes* exclamo. Etiamne in filium cupiditatis infandæ ſpem cepiſti? nec ab illius appetitionis ardore horror te quivit avertere, quem non hominibus ſolum, ſed animalibus quoque nonnullis natura ipſa ſubjecit & ingeneratus ille communiter ſenſus. Quod de brutis prædicat Arnobius, id certatim decantari video. De equis tale quid memorant *ARISTOTELES hiſtor. animal. lib. IX. c. 47. VARRO lib. II. de R. R. c. 7. PLINIUS lib. IIX. c. 42. ÆLIANUS hiſt anim. l. IV. c. 6. ANTIGONUS hiſt. mirab. c. 59.* De camelis gemina produnt *ARIST. d. l.* Auctor libri de *mirab. auſcult.* Ariſtoteli vulgo adſcripti *cap. 2. ÆLIAN. l. III. c. 45 ALB. MAGNUS de animal. lib. VIII. tractat. V c. 2.* Duo hujus rei exempla ſunt apud *JOH. JOVIANUM PONTANUM libro de immanitate*; quæ huc referre operæ pretium eſſe cenſeo. Ita autem ille cap. XVII. Fuit mihi in deliciis caſella nomine Capuana, quam etiam verſibus celebravi, de genere catulorum eorum, qui camuſi dicuntur. Erat ejus proles Aſterion omnium catulorum formoſiſſimus pariter ac nitidiſſimus. Advenit tempus geſtiendi, eam ego, aliis ne miſceretur canibus, in abdito cum Aſterione concludi juſſi, quo ex utroque ſoboles procrearetur. Nunquam paſſa eſt mater a filio ſe iniri, & quamvis meis a pueris comprehenſa teneretur, nihilominus ea mordicus pueros a ſe rejecit, & in filium illata illum dentibus male habuit. Alterum exemplum ita habet. Joannem Vigintimillum Marchionem Giracienſem memini narrantem, fuiſſe ſibi equam apprime nobilem & celeritate ac robore, cumque ineundam eam a filio procuraret, admittere illum ad coitum matrem nunquam voluiſſe, adhibitaque cum ars fuiſſet, intecto filio alius pili corio, ornamentisque aliis quibusdam obvoluto, deceptam matrem paſſam tandem illum eſſe. At ubi artem intellexiſſet, vidiſſetque ornamenta & corium filio detrahi, tum eam in dolorem ac mœrorem verſam inedia inde ad paucos dies vitam finiiſſe. Ut dicere prorſus liceat atque aſſeverare; quantum illi ipſi (quos ſcil. paulo ante memorarat) a natura hominis deſcierint ad belluas, tantum duas has belluas a natura ferarum ad humanam ſe applicuiſſe. Quæ quidem manifeſto ſatis demonſtrant, ipſa nonnunquam bruta, neſcio an naturæ, an quodam inſtinctu alio ab his inceſtis nuptiis abhorruiſſe. Quamquam non diffiteor rariora hæc eſſe exempla & plerumque evenire, quod Myrrha loc. laud. ait:

(a) *Ex recentioribus*) Præcipue hic commemorandus eſt JOBUS LUDOLFUS *in hiſtoria Æthiopica* multa quoque ad geographiam hujus regni ſpectantia afferens.

— coëunt animalia nullo
Cætera delicto: nec habetur turpe juvencæ,
Ferre patrem tergo, fit equo ſua filia conjux,
Quasque creavit, init pecudes caper: ipſaque cujus
Semine concepta eſt ex illo concipit ales.

Quo tamen argumento cum uſi ſunt Diogenes & Chryſippus, ut talia parentum cum liberis connubia natura licere oſtenderent, nimis mihi inſaniiſſe videntur: cum minime id ſemper nobis, quod brutis ſit conceſſum. Hæc enim nullam fœtus ſui generatoribus debent reverentiam, & cœco tantum ductu ab illis generati ac nutriti ſunt ſine ulla inſtitutione aut educatione; quod ſecus ſe habere apud homines ad Dei altisſimi imaginem conditos manifeſto ſatis patet. Cæterum quod hiſtoriam attinet, cum Juſtino faciunt *AUGUSTINUS de C. D. lib. XIIX. c. 2. Apud Aſſyrios regnabat filius Ninus poſt matrem Semiramidem, quæ ab illo interfecta perhibetur, auſa filium matrem inceſtare concubitu.* Et *AGATHIAS lib. II. de bello Goth.* Cujus verba laudat ad Auguſtinum Coquejus. Sic *BAPTISTA MANTUANUS eclog. IV.* canit: *concubitum filii longæva Semiramis ardet.* Neque id mirum in Semiramide, quæ etiam equum usque ad coitum adamavit, uti *JUBA* autor eſt apud *PLINIUM l. VIII. c. 42.* Imo ſi fides habenda erit *AMMIANO*, prima mares caſtraſſe dicitur: Ita enim *lib. XIV.* ſcribit. *Ut quaqua inceſſerit quisquam, cernens mutilorum hominum agmina, deteſtetur memoriam Semiramidis reginæ illius veteris, quæ teneros mares caſtravit omnium prima, velut vim injectans naturæ.* Dubitanter tamen id aſſerit *CLAUDIANUS lib. I. in Eutrop. v. 340.*

— ſeu prima Semiramis aſtu
Aſſyriis mentita virum, ne vocis acutæ
Mollities levesque genæ ſe prodere poſſent,
Hos ſibi conjunxit ſimiles: ſeu Parthica ferro
Luxuries vetuit naſci lanuginis umbram.

Alii tamen aliter, (a) quorum ſententias vide ſis in *BRISSONIO de regno Perſ. p. 234. FREINSHEIM. in indice Curtiano, voce* Spado, *HENEILO otii Vratiſlav. cap. XXXV.* & auctore libri qui inſcribitur: Eunuchi nati, facti, myſtici ex ſacra & humana litteratura illuſtrati Divione anno 1655. editi; quem nonnulli a Theophilo Raynaudo Jeſuita confectum eſſe, conjiciunt. Sunt qui ſcribunt, Semiramidi in more fuiſſe, ut eos qui forma & decore cunctis præſtarent, ad concubitum ſollicitaret, verum re peracta omnes, ne ejus incontinentia in vulgus emanaret, e medio tuliſſe: demum etiam tentaſſe filium & ab eo eſſe interfectam, vel quod idem fatum timeret, vel tam fœdum facinus abominaretur. *OROSIUS* tamen *lib. I. hiſtor. cap. 4.* illam inceſtum cum filia perpetraſſe ſcribit, & ut privatam ignominiam publico ſcelere obtegeret, præcepiſſe, ut inter parentes & filios & filias nulla naturæ reverentia de conjugiis appetendis obſervaretur, ſed quod cuique libitum eſſet licitum foret. Idem fere ſtatuit *CONSTANTINUS MANASSES annal.* ὁ δὲ Νινύας ἔλαβε τὴν ἑαυτοῦ μητέραν εἰς γαμετὴν καὶ σύνοικον ἐξ ἐρωτομανίας ἔρον νοσήσας ἀσελγῆ καὶ παρὰ φύσιν ἔρον καὶ Σεμιράμιδος αὐτῆς τοῦτο συνθελησάσης ἐκ οὗ καὶ νόμος γέγονε πρὸ τοῖς Ἀσσυρίοις μητρογαμεῖν καὶ τοὺς δεσμοὺς τῆς φύσεως συγχέειν τὸ πρᾶγμα δὲ τὸ μυσαρὸν τοῦτο καὶ βδελυκτέον ἐξ Ἀσσυρίων ὁρμηθὲν μετέβη καὶ πρὸς Πέρσας. Quodſi res ſe ita habet, plures proh dolor æmulos utriusque ſexus nacta eſt Semiramis. Certe apud Perſas jus fuit miſceri cum matribus, ut refert Minucius in Octavio, & exempla tum apud has, tum alias etiam gentes fuerunt obvia, quæ collegerunt *TIRAQUELLUS in leg. IX. connub. §. 101. item ad Alex. ab Alex. l. I. 24. FREINSHEMIUS ad Curt. VIII. 2. 19. ELMENHORSTIUS ad Minucium Felicem, JACOBUS OISELIUS in notis elegantiſſ. ad inſtit. Caji.* Et pertinent huc illa Myrrhæ:

— gentes tamen eſſe feruntur,
In quibus & nato genetrix & nata parenti
Jungitur, & pietas geminato creſcit amore.

Verum apud cæteras gentes paulo moratiores deteſtabiles ſemper habitæ ejusmodi permiſtiones. Et notum eſt, quantopere ſe pollutum crediderit Oedipus, cum hujusmodi flagitium ignarus commiſiſſet. Atque conſtat Græcos adeo hoc crimen deteſtatos fuiſſe, ut integras gentes ac civitates iſtiusmodi facinore admiſſo pollui, eoque expiationibus illas indigere crediderint. Et vero quam graves ſæpe pœnas tanti tamque horrendi ſceleris rei ſeverisſimo libidinum vindici Deo dare ſoleant, plurima alia exempla declarant. Illud demum quod alibi pluribus demonſtrabitur, ex hac hiſtoria diſcere eſt, maximas virtutes non raro comitari ſolere vitia inſignia. Eleganter *LOCCENIUS de periodis imperior. lib. I. cap. 3.* ut malo Punico putrida grana, ita Semiramidi ſua quoque vitia inerant; imprimis fœda libido, qua non ſolum familias, ſed etiam filium ſuum ad concubitum ſollicitavit, aliaque indigna perpetravit; ut ſolet iſte ſexus, ſi proſtituat pudorem, alia omnia non abnuere. Diodorus vero Semiramidi, ut videtur, æquior, ita ultima ejus tempora deſcribit cap. XX. Tempore aliquanto poſt inſidiis filii per quendam Eunuchum petita, priſtinum Hammonis reſponſum in memoriam revocat (id cap. XIV. recenſuit; fore videl. ut ex hominum conſpectu abiret, & immortalem ab nonnullis Aſiæ gentibus honorem adipiſceretur, quando filius Ninyas ei inſidias ſtruxerit) ideo nihil acerbi in inſidiatorem ſtatuit, ſed regno ipſi tradito omnibusque legitimo Regi parere juſſis, confeſtim ex hominum conſpectu, ut ad Deos juxta oraculi fidem migratura ſe ſubduxit. Sunt qui in columbam converſam fabulantur, compluribus enim columbis in palatium ejus dilapſis, una cum illis avolaſſe creditur: & hinc factum eſt, ut Aſſyrii, dum Semiramidem diis immortalibus accenſent,

(a) *Alii tamen aliter*) Scribit enim obſervante VOSSIO *in h. l.* CONON Semiramin cum imprudens & ignara cum filio coiſſet, re cognita eidem nupſiſſe & ex eo tempore licitum ſemper fuiſſe Perſis commiſceri matribus.

tenſent, columbam pro Deo honorent. Hujusmodi prout jam dictum eſt, Semiramis totius Aſiæ præter Indiam Regina, vitæ exitum habuit, cum vixiſſet annos LXII. regnaſſetque XLII. ita Diodorus. Quæ autem de columbis ab Aſſyriis divinis honoribus cultis refert, in id diligentius inquiſivere Viri Clariſſimi *LAURENT. RAMIREZ DE PRADO in Pentecontarcho c. XLIV. SELDENUS de Diis Syris ſyntagm. II. cap. 3. URSINUS in analect. ſacris lib. I. loc. 7. SAUBERTUS de ſacrificiis cap. 23. pag. 596. SCHEDIUS de Diis Germ. Syngr. I. cap. 9. NICOL. LOENSIS Misc. Epiphyllid. lib. VI. cap. 22.* Num vero id ex eo factum, quod Semiramidem expoſitam a columbis enutritam crediderint, an a nomine Semiramidis id unice dependeat, quod juxta Heſychium montanam columbam denotat, an ad aliam quandam originem commode referri poſſit, aliis disquirendum relinquo. *PORPHYRIUS lib. III. περὶ ἀποχῆς:* Semiramidi columbam in deliciis fuiſſe ſcribit. Epitaphium Semiramidis, & quid cum eo actum enarrat *APOSTOLIUS proverb. Græcor. cent. XII, 90.* cujus verba Latina adſcribo: *Quicunque Rex Perſarum pecunia indiguerit, aperiens ſepulchrum, quantum voluerit, capiat.* Darius illud aperiens pecuniam non invenit, ſed literas ſculptas deprehendit: niſi improbus vir eſſes & pecuniæ inexplebilis, defunctorum ſepulchra non moviſſes. Eadem fere *PLUTARCHUS in apophthegm. & STOBÆUS ſerm. X.* Herodotus tamen Nitocri tribuit, qui Semiramide poſterior eſt, quod tamen jam tum Berneggerum monuiſſe video.

§. XI.

Filius ejus Ninya belli ſtudia depoſuit.

Illuſtre hoc loco documentum nobis præbet Ninya, non ſemper fortes creari fortibus & bonis. Sed nonnunquam contingere diſſimilem filium generari, ut loquitur *CASSIODORUS in præfat.* unde & *DEMOSTHENES* dixit: *τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν, ὥσπερ εἱμαρμένη ἦν, φαύλους ἀποβαίνειν τοὺς υἱούς.* A viris egregiis, perinde quaſi fato id accidat, improbos proficiſci filios. Jamdudum id notavit pater & princeps Poetarum Odyſſ. E.

Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται
Οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.
Æquat rara patrem ſoboles, ſed plurimi ab illis
Degenerant, pauci ſuperant probitate parentem.

Declarat hoc argumentum Ælius Spartianus in Severo Cæſare & ita fere uſu veniſſe oſtendit, ut viri ſeu virtute, ſeu litteris, ſeu fortunæ indulgentia inſignes, aut nullos omnino liberos habuerint, aut tales reliquerint, ut magis ex uſu rerum humanarum fuerit, illos absque liberis deceſſiſſe. Nimis adeo vera hæc ſunt, ut propterea in proverbium abierit: *Ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πήματα.* Quo etiam ſpectat illud Plauti dicterium: Num quid aliud fecit, niſi quod faciunt ſummis gnati generibus. Iſtiusmodi exempla cum in tanta paſſim occurrant frequentia neminem præter degenerem Ciceronem hic ſiſto. Hic enim ut patrem nactus eſſet optimum, & ut *VELLEJUS* dicit *lib. II. cap. 34. ut vita clarum, ita ingenio maximum:* ipſe tamen ex paterno ingenio nihil præter urbanitatem habuit, teſte Seneca Svaſor. ult. imo ita poculis indulſit, ut binos congios ſimul haurire ſolitus ſit, quod ei Tergilla objecit apud *PLINIUM lib. XIV. cap. 22.* Et ſane, ſi quis per omnium ſeculorum hiſtoriam ire vellet, ingens de liberis degeneribus volumen contexere poſſet, quemadmodum *ZEILERUS* cenſet *epiſt. 484.* Cauſas hujus rei alii alias recenſent: nonnulli ad naturæ indigentiam referunt, quo etiam collineare videtur *PHILOSOPHUS lib. I. polit. cap. 4.* quidam ad malitiam ſeculi confugiunt; aliqui in poſitu ſiderum eas quærunt. Equidem tamen, ſi quid video, a negligenti & indulgenti parentum educatione hoc quicquid eſt degeneris naturæ, potiſſimum dependere puto: Sicut enim vaſa odorem, ita & ingenia quas primum formas imaginatione concipiunt, nunquam aboleri ſinunt, ne aliis quidem inſuper affluentibus; ceu prudenter cenſet Philo libro: quod liber ſit quisquis virtuti ſtudet. Arctiore igitur, ut ait Lactantius, diſciplina minor ætas ad probitatem juſtitiamque formetur, quæ niſi metu cohibeatur, licentia pariet audaciam, quæ ad omne flagitium & facinus evadet. Vid. *divin. inſtit. lib. VI. cap. 19.*

Raro a viris viſus, in fœminarum turba conſenuit.

Caveat ſibi Princeps, & quisquis virtutis ſtadium decurrere ſtudet, a nimio & intemperanti ac tot tantisque conviciis proſciſſo mulierum conſortio, quod raro aliquid moderabile ſuadet, & incautos ſæpius ad extrema quævis, & tantum non ad tartara detrudere ſolet. Mulieres enim libidinoſas, famoſa illa eſſe crede Sirenum monſtra, quarum ſuavitate ſi nimium capimur atque illicimur, in iisque honeſtatis obliti requiem requirimus, quaſi in molli ſtrato languido inertique otio torpeſcimus, & qui vigili ad virtutem curſu tendere debueramus, dulcia harum carmina pernicioſe blandientia bibula aure accipimus, illisque capti & conſopiti, tum veram animæ quietem fugimus, & in exitiale periculum pertrahimur: ut illa quæ de voluptatibus generatim dixit optimus malorum temporum ſcriptor *CLEMANGIUS epiſt. I.* ego ad mulieres verbis pauliſper immutatis traducam. Hæc ergo fœminarum turba procul dubio Ninyam noſtrum, ceu plures alios ſeduxit, ut illum ſeceſſum non dignitati tuendæ, ſed voluptati velandæ, turpique otio tegendo elegerit. Quamquam forte etiam amicorum ſuaſu in otium ſeceſſiſſe credendus eſt, qui ipſo deliteſcente interim ſummam rerum omnium commodius ad ſe rapere potuerunt.

§. XII. Po-

§. XII.

Poſteri reſponſa gentibus per internuncios dabant.

De his internunciis vide BRISSON. *de regno Perſ. lib. I. p. 18. & 136.*

§. XIII.

Aſſyrii qui poſtea Syri dicti ſunt.

Imò Syri qui poſtea Aſſyrii, judicio magni SALMASII *exercit. ad Solin. 1228. quamquam nihil mutandum cenſet* (a) Berneggerus codicum Ms. conſenſum ſecutus, & potius παρόραμα auctoris quam librariorum eſſe cenſet. Quamquam ego neque librariorum exiſtimo, ſecutus ſententiam maximi viri SELDENI, *qui prolegom. in libros de Diis Syris cap. I.* erudite docet, Europæos regionum Aſiaticarum nimium ignaros, tanti nihilominus imperii nomen ſuſpicientes, quicquid a mari Sidonio ad imperii usque ſedem patebat, Aſſyriam dixiſſe, & incolas Aſſyrios: deinde Syriam, Syrios & Syros extuliſſe, haut aliter primam vocabuli ſyllabam decurtantes, quam qui ex Hiſpania Spaniam, aut Abelione Belinum fecere; inde etiam poſtea eveniſſe, ut Aſſyrios vocem eſſe barbaram, Syrios autem Græcam docuerint.

Imperium Aſſyrii mille trecentis annis tenuere.

Si quisquam in rebus Chronologicis nodus exercuit viros eruditos, hic certe præ aliis fuit: quippe cum tot ſint de ampliſſimi Aſſyriorum imperii epocha veterum ſcriptorum ſententiæ, quot ſunt eorum capita, adeo ut ſic cenſente ampliſſimo noſtro Conringio (cujus adverſaria chronologica fere in hoc nodo Gordio ſolvendo unice deſudant) cap. VI. difficile ſit eandem accurate definire. Forte autem non incommodum erit variantes ſententias huc arceſſere, & de iis ſummi viri judicium audire. Eum autem ſervabimus ordinem, ut a numero omnium maximo exorſi in minimo demum finiamus. Primum igitur locus enumerandus eſt Julii Africani, qui in Græcis Euſebianis Scaligeri Aſſyriaco imperio tribuit CIↃCCCCLXXXIV. annos. Sequitur Joſephus Scaliger, qui ab initio Beli ad Sardanapali exitum totidem annos numerat. DIODORUS SICULUS a Nino ad trigeſimam usque progeniem, donec a Medis everteretur CIↃCCCC. plus annis Aſſyriacum imperium ſtetiſſe ſcribit *lib. II. cap. 28. fin.* Idem tamen DIODORUS *lib. II. cap. 21.* annos CIↃCCCLX. duraſſe ex mente CTESIÆ GNIDII *lib. II.* tradit, cum quo etiam facit Georgius Monachus. Nunc Juſtinum collocamus, qui CIↃCCC. annos expreſſit. Sequitur Caſtor Rhodius, qui apud Euſebium annos CIↃCCLXXX. enumerat. Euſebius vero Aſſyrios CIↃCCXL. annis imperium tenuiſſe ſcribit. VELLEJUS *lib. I. cap. 5.* Aſſyrios CIↃLXX. annis regnaſſe tradit. Proxime ad Vellejum accedit Cephalion, qui in Græcis Euſebianis Scaligeri CIↃ annos habet. Namque ἐις χίλια ἐτῶν manſiſſe prodit. Denique Herodotus, quem Dionyſius Halicarn. fere ſequitur, omnium minimum habet numerum, videl. IↃLXX. Aſſyriis, inquit Herodotus, annis DLXX. ſuperiorem Aſiam obtinentibus, Medi ab ipſis deficere cœperunt. Quod igitur ad Julium Africanum & Joſephum Scaligerum, nimium quantum illi a vero abludunt, adeo ut eorum ſupputatio longe ultra diluvium excreſcat, quod tamen plane videtur eſſe abſonum, uti docet Excell. CONRING. *pag. 39.* Deinde in altero illo Diodori loco notam unius centenarii irrepſiſſe conjicit laud. Conringius. Mox altera Diodori ſententia ſuccedit, quæ cum genuina ſit, Cteſiæ fabulatoris (quem tamen omnes illi, qui tempore nimis diuturno Aſſyriaci regni periodum circumſcripſere, ſecuti ſunt) tanquam valde ſuſpecta, prorſus abjicienda eſt. Juſtinus noſter rotundum Cteſiæ numerum expreſſit, neque illorum LXX. mentionem facere voluit. Quo Caſtorem & qui eum ſecutus eſt Euſebium (ſic enim cenſet Scaliger) vel refellas, vel defendas non ſuppetit. In Vellejo majorem numerum ſuffarcinare conantur Lipſius & Scaliger, ſed minime id ferendum exiſtimat Ampliſs. CONRINGIUS *cap. 3. pag. 30.* idem tamen Conringius Cephalionem & Paterculum millenarium ſuum per errorem ex Cteſiacis deſcripſiſſe auguratur. Cum enim Cteſias, ut habet Diodorus, ultra mille annos jam imperium Aſſyrios tenuiſſe tradiderat, cum bellum Trajanum oriretur, id forte per incuriam ad Medicam defectionem illi transtulerunt. Herodotus tamen quod affert, a vero non eſt alienum; utor ipſiſſimis τὸ πάνυ Conringii verbis; nempe annos 510. ante Medorum defectionem Aſiæ ſuperioris imperium penes Aſſyrios fuiſſe; incideret vero illo auctore epocha regni illius Aſſyriaci in periodi Julianæ annum 3478. adeoque fere in tempora expeditionis Argonauticæ. Haud inquam a vero illa ſunt aliena, ſi de imperio per ſuperiorem Aſiam loquaris, diu alias autem ante condidiſſe aliquod regnum Aſſyrios extructis urbibus maximis certum eſt. Quibus hanc ſuam ſententiam argumentis accurate ſtabiliat, id nimis longum foret enarrare, & poſſunt quidem apud ipſum videri. At enim cum omnia & ſingula aurei hujus libelli exempla propter rerum, quæ in illo tractantur, nobilitatem dudum ſint diſtracta, ut novam editionem & quidem ceu ſperamus inſigniter locupletatam & cum eruditis & cum diſcendi cupidis Vir Ampliſs. propediem communicare velit, ad calcem hujus exercitationis exoptamus.

Exer-

(a) *quamquam nihil mutandum cenſet*) Antiquius omnino videri debet integrum Aſſyriorum, quam quod ex eo decurtatum eſt Syrorum. Et exploratum prorſus eſt unde integrum illud originem traxerit, ſcilicet a nomine Aſſuris filii Semi, qui regionem eam, quæ Aſſyria dicta fuit, occupavit judice VOSSIO.

Exercitatio in Juſtini Caput III. Libri I.

Summarium.

NUmerus & nomina Regum Aſſyriorum incerta. Ejus rei cauſa. Sardanapalus ab aliis Sardanapallus ſcribitur. Παλλὸς, Φαλλὸς. Phallagogia. Pſeudantoninus Σαρδανάπαλλος dictus. Probatur lectio vulgata. Origo vocis Syriaca. Alia Sardanapali nomina enumerantur. Ejus ingluvies notatur. An idem cum Aſſarbaddone. Convicia in Sardanapalum. Mulierum vituperia. Medi. Arbactus, Arbaces, Arſaces &c. Princeps faciles interpellantibus præbeat aditus. Laudantur eo nomine Ptolomæus & Balduinus III. reprehenditur vero Hieronymus Siculus. Princeps proceres de republ. bene meritos & populo gratos ne offendat temere. Ambitio. Purpura; eadem privatis interdicta. Atramenti vices ſupplet purpura. Calcei purpurei, alia. Q. An viro muliebribus, mulieri contra virilibus veſtimentis uti liceat? Deus id vetuit, vetuere idem ſapientes plurimi. Nec tamen ſimpliciter id vetitum, ſed in quibusdam caſibus forſan conceſſum. Interpretatio legis Deuteron. XXII, 5. Oculorum laſcivia. Oculi mobiles amantium; ſtantes & compoſiti ſedatorum. Proverb. IV, 22. illuſtratur. Oculi animi feneſtræ. Iidem in amore duces. Averte oculos ne videant vanitatem. Sardanapali oculi fuco tincti. Id moris fuit apud Medos. Oculi nigelli orientalibus in deliciis. Fuligo. Καλλιβλέφαρον. In gynaceis virginibus potiſſima lanæ cura. Hera penſa inter virgines partiebatur. Ad auctoritatem Principis facit, ſi ejus actiones mirentur ſubditi. Contemptus mutationis tyrannidum cauſa. Ariſtotelis in eam rem locus, ubi dubitat de Sardanapali hiſtoriæ veritate. Viri molles per contemptum mulieres dicti. Indigna viro opera muliebria. Plauto lux datur. Memorabile ex Narſetis hiſtoria. Beleſus ſeu Belochus Arbaci ſocius, Rex forte fuit Babyloniorum & idem cum Merodacho. Beſoldus contra Rupertum defenſus. Pyra & rogus nam differant. Sardanapali divitiæ. Illius interitus. Diſcurſus de Αὐτοχειρία. Hanc non eſſe viri fortis ſed timidi potius, Joſephi & Ariſtotelis argumentis oſtenditur. Cato αὐτόχειρ. Stoicis probata αὐτοχειρία. Lipſii dicta pro eadem ſuſpecta. Αὐτοχειρία prorſus prohibita. Elegans Freinshemii locus. Quid de exemplis Rhazis & Samſonis. Sepultura prohibiti Αὐτόχειρες. Sardanapali epitaphium.

§. I.

Poſtremus apud eos regnavit Sardanapalus.

INterceſſerunt ſane inter Ninyam.& Sardanapalum Reges aliquot; quorum tamen & numerum & nomina pleraque omnia incertæ eſſe fidei, cum alii, tum imprimis Ampliſs. Conringius in laudatis adverſariis chronologicis præclare docuit. Quod ad numeri diverſitatem attinet, ne quid intactum nobis abeat, annorum ſeriem ſecuti eam paucisſimis dabimus. Numerat autem Julius Africanus XLI. Reges, Euſebius XXXVI. At Vellejus XXXIII. *DIODORVS SICVLVS lib. II. cap. 21. ad XXX.* hominum ætates, idem ad trigeſimam usque progeniem Aſſyr. regnum duraſſe ſcribit. Idem Sardanapalum a Nino facit trigeſimum. Scaliger quidem ex Euſebianis Græcis Diodoro numerum quinarium addere mavult, quomodo etiam Diodori Græca referre *GEORGIVM MONACHVM ad prolog. I. Trogi* docet Bongarſius. Sed id magnopere improbat Nobiliſs. Conringius & in Euſebiana illud πέμπτος irrepſiſſe autumat. Et licet cum Diodoro facere videatur Cephalion tamen ejus etiam verba mendoſa eſſe *CONRINGIVS cap. VIII. p. 40.* cenſet. De nominibus illorum regum id ſciendum, Cteſiam ad Europæos illa primum transmiſiſſe, nam & *DIODOVS SICVL. lib. I. cap. 22.* & *CEPHALION in Euſebianis* a Cteſia memorata eſſe teſtantur. Unde vero Cteſias illa nactus fuerit, in incerto eſſe, & procul dubio eadem, qua cætera, fide, id eſt, plane nulla vel vehementer dubia, iſta recenſere merito judicat laud. loco Conringius. Tradit dein eorum nomina *Julius Africanus,* (a) quæ tamen diverſa, & prorſus alia eſſe a Cteſiacis conſtat, cum & totos XI. Reges præter Cteſiam numeret. Ex Africano ſua deſcripſit, ſed ex ingenio interpolata Euſebius, & ex eo Jornandes aliique, librariorum tamen culpa mutata & deflexa in prorſus alia: quod præter cæteros etiam Frider. Lindenbrogius in notis ad Jornandem oſtendit. Quoniam autem in illorum numero regum Aſſyriorum nomina in ſacris memorata (quæ inter tamen Salmanaſſaris tantæ fuit claritudinis, ut in Tyriorum annalibus Joſephi ætate fuerit ſuperſtes) non comparent, admodum incerta fide niti, imo conficta potius quam vera traditione accepta videri, præclare judicat Excellentiſs. Conringius, in cujus ſententiam non poſſumus non argumenti pondere adducti ſecedere. Neque tamen mirum alicui videatur, cur tanta ſcriptorum diſſenſio, tot ſententiarum divortia in his rebus reperiantur; cum & Syriaca Græcis & Latinis parum perſpecta fuerint, & ipſa adeo locorum longinquitas ac maxima temporum diſtantia obſtiterint, quo minus accurata cognitione ea comprehendere potuerint.

Sarda-

(a) *Julius Africanus*) Ille enim verſionem Græcam LXX. interpr. ſecutus, cum Cteſiæ catalogus longe infra ejus calculos ſubſiſteret, eundem denuo auxit, præpoſuitque Chaldæorum & Arabum dynaſtiis, quo tempora Nimrodi juxta Græcos calculos attingeret, quod ἔγκλημα tamen non modo SCALIGER a Julio Africano omni ſtudio amoliri conatus eſt, ſed & ISAACVS VOSSIVS, uti & PAVLVS PEZRONIVS ita propugnarunt, ut Judæos atque inter hos præcipue R. AKIBAM tempore Hadriani chronologiam ſacram corrupiſſe, atque ab æra mundi conditi usque ad tempus Abrahami 15. ſecula ſuffuratos eſſe ſtatuerent, quorum poſteriorem autem JOH. MARTIANÆVS, MICHAEL LE QVIEN, GVILIELMVS BONJOVR aliique Gallorum editis ſcriptis pro defenſione textus Ebraici contra antiquitatem temporum reſtitutam ad ſaniorem mentem reduxerunt.

Digitized by Google

Sardanapalus.

Euſebii codd. Ms. hunc geminato λ Sardanapallum vocant, ceu obſervavit *SCALIGER in animadverſ. Euſeb. & ad Priapeja pag. 211.* quique hoc nomen in obſcœnam notam a Græcis detortum putat. παλλὸς enim & φαλλὸς Græcis vocantur partes illæ, quas pudor communis abſcondere atque naturalis verecundiæ lex jubet, unde Ityphallus & Phallagogia feſtum, in quo proh ſcelus! phallos ferebant, adorabant, oſculabantur in honorem Bacchi. Lucianus lib. de Dea Syria: φάλλως ἕλληνες τῷ Διονύσῳ ἐγείρουσιν. ἐπὶ τῶν καὶ τοῖον δέ τι φέρουσι ἄνδρας μικρὰς ἐκ ξύλυ πεποιημένους, μεγάλα αἰδοῖα ἔχοντες: & loca alia indicarunt *ERASMVS chil. 3. cent. 3. adag. 63. ELMENHORSTIVS & HERALD. ad Arnobii lib. V. PVTEANVS in genial. ſerm.* unde & Pſeudantoninus Σαρδανάπαλλος dictus, ut eſt apud *DIONEM in excerptis lib. LXXIX.* apud Conſtantinum Porphyrog. quemadmodum id obſervavit Voſſius, qui item ſe apud Heſychium inveniſſe ſcribit, Σαρδανάπαλλα ἀλλοῖα, ubi reſtituit αἰδοῖα. Verum nos cum eodem Voſſio, Berneggero aliisque, tum hic tum alibi vulgatam ſcriptionem retinendam cenſemus, cum purum putum ſit Aſſyriacum שרדנפל Sardanpal, quæ vox dominum excelſum & everſorem ſignificat, cujus poſterior vocula etiam legitur in medio nomine Regis Teglathphal Eſar. Hic Sardanapalus autem alio nomine dictus Thonosconcoleros teſtibus Hieronymo & Euſebio in chronicis: item Jornande de regnor. ſucceſs. aliquoties. Suidæ tamen Conoſconcoleros etſi genuina eſt lectio, Julio Africano Monoſconcoleros audit. *SCHICKARDVS* hunc in Orientalium ſcriptis Zabum Nadharem ex fratre Thahmas nepotem deſcribi putat *in Tarich. pag. 41. 43.* vocatur enim in iisdem guloſus, commeſſator, helluatione deditus. Et ſane ingluviem Sardanapali illa Nazianceni, neſcio unde petita arguunt, quod ſibi diuturnioris voluptatis ergo guttur prolixius, quam congruum eſſe ſolet, optaverit. *Eundem autem forſan cum Aſſarbaddone* (a) in ſacris memorato fuiſſe, conjicit *CONRINGIVS adverſ. cap. 3. p. 19.* Quum enim is a LXX. vocetur Ἀσορδὰν, facile potuit in affine huic nomen tranſire. Et vero forte, pergit Conringius, audiit ille Aſardanpal, ut Græcis facile fuerit ſuum Sardanapalum conficere. Niſi mavis Nabal a ſuis dictum per contemptum Regem luxu & ſtultitia perditum.

Vir muliere corruptior.

Nemo fere eſt ſcriptorum, qui non cum præfatione vituperii Sardanapalum nominet. Sic Vellejus vocat mollitiis fluentem & nimium felicem malo ſuo. *VALERIVS M. lib. IV. cap. 7.* ejus amicitiam in conſortione deliciarum & luxuriæ contabuiſſe ſcribit. Suidas τὸν τὰ γυναικεῖα φρονοῦντα καὶ περὶ τρυφὰς ἀσχολούμενον, adeo ut *EVSTATHIVS in Homeri Odyſſ. v. 1. pag. 1834.* ejus nomen in proverbium abiiſſe, & τρυφητὰς ſic appellatos eſſe commentetur. Quod vero muliere corruptiorem auctor noſter illum æſtimat, id ſane in mulierum vituperium vergit, quas fere eo ipſo extreme corruptas facit: in quo quidem tot ὁμοψήφους habet, quot frutices ſylvæ, quot flavas Tibris arenas, mollia quot Martis gramina campus habet: & quod mireris ipſos etiam graviſſimos eccleſiæ priſcæ doctores. Sic enim *CHRYSOSTOMVS homil. XXXII.* ſuper verba Matthæi: Non expedit nubere. Mulier, inquit, eſt amicitiæ inimica, neceſſarium malum, naturalis tentatio, deſiderabilis calamitas, domeſticum periculum, delectabile detrimentum &c. Quæ tamen in honeſtarum mulierum opprobrium minime dicta ſunt. Multas enim a talibus vitiis & flagitiis plane alienas & e contrario omni virtutum genere conſpicuas reperiri, certum eſt, id quod ſupra jam indicavimus, & alibi forte fiet pluribus.

§. II.

Medis præpoſitus.

De Medorum gente non eſt quod nos poſt tantos heroas, & ut habet adagium, Iliada poſt Homerum dicamus. Præter Geographos tamen præcipue laudari meretur *JVLIVS CÆSAR BVLENGERVS*, qui prolixe de illis *in eclogis ad Arnob. lib. II. p. 171. ſeqq.*

Nomine Arbactus.

Varie apud varios hoc nomen effertur, quod jam obſervarunt alii. Diodoro, Straboni, Athenæo, Agathiæ, *Suidæ eſt* Ἀρβάκης, (b) apud Vellejum mendoſe Phamaces, ſed reclamat Urſinus, & ex hiſtoria nummisque Græcis ſcribendum cenſet Arſaces, cui olim non potuit accedere, poſt tamen acceſſit Clar. Rupertus obſervat. ad Vellej. Bongarſio quondam placuit Arvaces. Quicquid ſit, jampridem hoc nomen ambiguum fuiſſe, docent illa *OROSII lib. XIX. & XXII.* Arbacus, quem alii Arbacem vocant.

Cum admitti magna ambitione ægre obtinuiſſet.

Aditum ad Principem non admodum debere eſſe difficilem ſumme niſu ſuadent, qui Principis mores & munia dedita ſibi opera formanda ſumpſerunt. Laudabile eſt Imperatorem faciles interpellantibus præbere aditus, nec de occupatione cauſari, inquit Auſonius in gratiarum actione. Ea via eſt ad conciliandum ſibi citra ullos ſumptus omnium benevolen-

(a) *Eundem forte cum Aſſarbaddone*) Eandem tenet opinionem VORSTIVS *ad h. l. in editione Juſtini Græviana*, compoſitumque hoc nomen eſſe ait ex Eſar, Haddon & Pul, uti Salmanaſſer, Tiglatpileſſar & alii. SCHROEERVS *tract. de imperio Babylonis & Nini* eam defendi poſſe arbitratur diſtinctione inter duplicem Sardanapalum, unum ſtrenuum & fortem, alterum vero delicatulum ſive ipſum Aſſarhaddonem facta *p.* 211.

(b) *Suidæ eſt Arbaces*) Hanc lectionem etiam ex vetere prologo hujus libri probat VORSTIVS, cui accedit SCHEFFERVS.

volentiam, qui ex eo te patrem patriæ potius quam dominum prædicabunt, præclara ſunt Baſilii Imp. verba ad Leonem filium exhortat. c. LI. Laudatur eo nomine Rufo Ptolemæus, qui & pacis artibus quam militiæ major & clarior, modico civilique cultu, liberalis imprimis, adituque facilis, nihil ex faſtu regio aſſumſerat IX. 8, 23. & Guilielmo Tyrio Balduinus III. Rex Hieroſolymitanorum. Hic enim tanta affabilitatis gratia præeminebat, ut etiam contemptibiles perſonas ex improviſo, & nominatim ſalutationibus deprehenderetur affatus, & ad ſe ingredi volentibus vel occurrentibus paſſim mutuæ collocutionis aut offerret ultro commercium, aut poſtulantibus non negaret. Unde tantam ſibi plebis & patrum conciliaverat gratiam, ut præceſſorum ſuorum quilibet amplius utrique claſſi haberetur acceptus libro XVI. c. 2. Notatur contra Livio dec. III. l. 4. Hieronymus Siciliæ tyrannus, quod aditus ad ipſum non alienis modo, ſed etiam tutoribus difficilis fuerit. Sed de his, potior alibi diſſerendi locus. Inprimis autem caveat ſibi Princeps, ne proceres ſummosque in aula miniſtros & de republ. optime meritos & populo acceptos hac ipſa aditus difficultate abſque ullo ipſorum merito offendat & in ultionem ſui ſtimulet; cum vel unius hominis a ſubditis cari, publicus contemtus & ignominia totam ſæpe rempubl. turbare, & tantum non in graviſſimum diſcrimen adducere poſſit, quod hic ſive Arbaces ſive Arſaces Sardanapalum, alios alii, ſatis ſuperque docuerunt. Cæterum *ambitionis vocabulum* (a) hic genuina & prima ſignificatione ſumi, tam clarum eſſe arbitror, ut nulla id declaratione egeat, niſi quis forſan pro gratia & favore ſeu *ἀρεσκεία*, qua ſe Sardanapalo commendavit Arbaces, accipere malit, qua de notione uberius *ad Arnobii lib. VII.* egit *HERALDUS.*

Purpuram colo nentem.

De purpura quæ erat ex conchyliorum genere, cujus cruore lanæ pretioſæ ad veſtes inde contexendas tingebantur, omnia vulgata, nihil ſcripſiſſe benigne eſt. Quis enim eſt qui neſciat, regiæ dignitatis aſſumptæ indumentum fuiſſe? uti loquitur *LACTANTIUS lib. IV. c. 7.* quo uterentur ad eminentiam præ omnibus aliis poteſtatibus oſtendendam: quare etiam pro ſummo magiſtratu ponitur ap. *PLINIUM lib. X. c. 21.* & βασιλεῦς item βασιλικὴ vocatur apud *HERODIANUM l. I. & 6.* *Purpura vicem atramenti* (b) ſcripſiſſe Imperatores Græcos, notavit *PANCIROLLUS de antiq. deperd. tit. II. & NICOL. ALEMANNUS ad ἀνέκδοτα Procopii.* Calceis item utebantur purpureis, quod capite huic mori dicato in commentario de calceis veterum, ἐὰν Θεὸς θελήσῃ, oſtendam, & a reliquis diſtinguebantur, quo de *ad Claudian. BARTHIUS p. 844.* Reliqua B. L. cogniturus adeat *FABIUM COLUMNAM de purpura, SALMASIUM exercitat. Plinian. SALMUTH ad Panciroll. d. l. JOHANNEM BLOMIUM* fautorem colendum *diſſertat. pecul. de purpura & cocco, DIETERICHUM antiquit. S. part. 2. DALECHAMPIUM ad Plinium. GEORGIUM monachum Carmelitam ad Tertullianum de pudicitia cap. 8.*

Invenit eum muliebri habitu.

Commoda ſane & elegans moveri ſolet quæſtio: num promiſcuus habitus tolerandus, ſive ut dicam clarius, num viro muliebria, mulieri veſtimenta virilia, liceat induere. Non deſunt certe, qui negativam acriter tuentur, minimeque id licere credunt, cum præſertim id ſevera lege Deus prohibuerit *Deuteron. XXII. 5. Non induetur mulier veſte virili, neque vir utatur veſte feminea: Abominabilis enim apud Deum, qui hæc facit.* Quam legem ſic explicat *PHILO περὶ ἀνδρείας.* Voluit lex virum in veſtitu ſuo, ut virum decet, ſe gerere, quem cum die noctuque circumferat, talis eſſe debet, ut eum ſemper decori honeſtatisque admoneat; Sic & mulieres ornatas pro dignitate, vetat viriles veſtes ſumere; longe ſubmovens tum effeminatos viros, tum plus æquo viriles fœminas. Et *JOSEPHUS lib. IV. antiquit. c. ult. Cavete maxime in bello, ut neque mulier habitu virili utatur; neque vir ſtola muliebri.* Hinc etiam in *concilio Gangrenſi can. XIII.* adverſus hanc legem peccans anathematis fulmine percutitur. Verba ſicut referuntur a *GRATIANO cap. ſi qua mulier. diſt. 30.* ita habent. *Si qua mulier propter continentiam, quæ putatur, habitum mutat, & pro ſolito muliebri amictu virilem ſumit, anathema ſit.* Sic *CONCIL. CONSTANTINOP. 6. general. can. 62. Nullus vir deinceps veſte muliebri induatur, nec mulier veſte virili.* Et ſane, præterquam hanc veſtium differentiam ipſius ſexus diſcrimen perſuadeat, ipſa etiam honeſtas atque pudicitia, quæ alias haut levem jacturam paterentur, unanimi conſenſu eam inculcare videntur. Hinc etiam Plato, cum Dionyſius in convivio juſſiſſet, ut ſinguli veſte muliebri ſaltarent, id facere recuſavit, adjectis trimetris e fabula quadam petitis, quæ ſic latine ſonant.

Muliebri ego haut quaquam indui queo ſtola,
Vir natus ipſe & ex viri ſemine.

Hinc graviter *SENECA epiſt. CXXII. Non videatur tibi contra naturam vivere qui commutat cum feminis veſtem?* Nec abit *AMBROSIUS l. IV. ep. 15. ad Irenaum.* Si vere diſcutias, incongruum eſt, quod ipſa abhor-

(a) *ambitionis vocabulum*) Ambitio hic obſervante VORSTIO pro ſtudio, induſtria, & contentione aliquid impetrandi aut faciendi ponitur, uti & apud CICERONEM 1. *ad Attic.* 1. dicitur, in quo uno maxime ambitio noſtra nititur. Sic & ambitioſus non modo eum notat, qui honores affectat, ſed & eum, qui magna contentione & ſtudio aliquid facit, quemadmodum OVIDIUS 3. *de Ponto* 1. ait:

Sed tamen hoc factis adjunge prioribus unum
Pro noſtris ut ſis ambitioſa malis.

(b) *purpura vicem atramenti*) Purpureus color olim [illegible] ſubſcriptiones imperatorias adhibitus fuit, cujus primam ἐργασίαν ſive confectionem Callias Athenienſis inveniſſe creditur. Vid. BERNH. *de* MONTFAUC. *c. I. palæographiæ Græcæ*, ubi & obſervat, viridi colore uſum Tutorem imperatoris adhuc impuberis.

abhorret natura. Cur enim homo non vis videri eſſe, quod natus es? cur alienam aſſumis ſpecienf cur mentiris fœminam? vel tu fœmina virum? ſuis unumquemque ſexum induit natura indumentis. Denique diverſus uſus, diverſus color, motus, inceſſus, diverſæ vires, diverſa vox eſt in viro & fœmina. Mendacium & in verbo turpe eſt, nedum in habitu. Verum enim vero, nondum me hæc omnia movent, ut ſimpliciter, & ſine ulla cautela hæc accipienda eſſe credam, ſic ut nulla vel temporis vel loci, vel perſonarum conditio has leges emollire valeat. Libido equidem ſi in his talibus ſpectetur, qualem certe ſpectavit Sardanapalus, utique removenda & graviſſimis pœnis coercenda erit. Aliud tamen judicium eſto, cum vel amor conjugalis, vel patriæ ſalus, vel etiam ſumma in rebus honeſtis neceſſitas, quam legibus ſolutam tradidit antiquitas, hanc veſtium mutationem ſuadeat, aut potius jubeat. Hinc etiam quidam divinæ illius legis interpretes eam non tam ſtricte, ſed cum grano ſalis accipiendam monent. Audiemus hac vice unicum Lyranum, qui ut ſæpe alias, ita & hoc loco erudite. Non induetur mulier veſte virili. Quod exponunt doctores aliqui, & bene ut credo, quod hic intelligantur arma, quibus viri utuntur. Unde in Ebræo habetur: Non erit vas viri ſuper mulierem, & accipitur alibi vas in ſcriptura pro armatura, unde *1. Reg. XX.* dicitur de Jonatha; qui tradidit puero arma ſua: in Hebræo habetur *vaſa ſua.* Prohibetur autem hoc quod mulier non portet arma viri, tum quia indecens mulieri & præſumtuoſum; tum quod pro tunc erat, ſuperſtitioſum. Quare gentiles mulieres in ſacris Martis portabant arma viri, & in ſacris Veneris portabant ornamenta mulierum & inſtrumenta earum, utpote colum, fuſum & ſimilia: ideo ſubditur: *Abominabilis apud Deum eſt, qui hac facit.* Abominatio enim in ſcriptura communiter accipitur pro idololatria ſeu pro aliquo ad idololatriam pertinente. Si autem litera prædicta intelligitur de veſte communi, prohibetur hic talis uſus vel potius abuſus, qui eſt occaſio libidinis, quod mulier in veſte virili poſſit licentius cum hominibus luxuriam exercere, & ſimiliter vir in veſte mulieris, quod liberius poſſet loca ſecreta mulierum ingredi. Hæc ille. Gerſon autem Cancellarius Pariſienſis hanc legem judicialem eſſe cenſet, quæ non obliget in nova lege, illamque in caſibus neceſſitatis vel evidentis utilitatis vel approbatæ conſuetudinis vel ex autoritate, & diſpenſatione ſuperiorum non valere putat; quam quidem ſententiam nos in medio relinquimus. Si quis autem plura de hac quæſtione ſcire laborat, *CAMERARII oper. ſubciſiv. cent. III. cap. 76. PETRI FABRI ſemeſtr. l. I. c. 15. GVIL. FORNERII ſelect. l. I. c. 15.* & *DIETERICHI antiq. ſacr. part. II.* evolvere poterit.

Cum mollitia corporis.

Mollitia eſt omne genus excedentis teneritudinis. Et ſic *VELLEJVS* extremæ teneritatis delicias in Mæcenate vocat *lib. II. cap. 18.* Simul vero aliquid ex negotio remitti poſſet, otio ac molliciis pœne ultra fœminam fluens.

Et oculorum laſcivia.

Quæ Petronio oculorum mobilis petulantia: Lycurgo Rhetori apud Rutilium Lupum oculi ad petulantem laſciviam apti; noſtro ſimpliciter oculorum laſcivia dicitur. Oculi certe mobiles & currentes amatorum ſunt, ipſamque adeo illorum laſciviam exprimunt. Hinc Silius ubi de Scipione in bivio Herculis conſtituto, voluptatem ſic inter alia deſcribit:

> —— *laſcivaque crebras*
> *Ancipiti motu jaciebant lumina flammas.*

Hinc & *GELLIVS* eos appellat *ludibundos* atque *illecebra voluptatiſque plenos l. III. N. A. c. 5.* Oculi contra ſtantes & compoſiti ſedatorum ſunt. *SILIVS l. c. de virtute.*

> *Alterius diſpar habitus, frons hirta, nec unquam*
> *Compoſita mutata coma, ſtans vultu, & ore*
> *Inceſſuque viro propior.*

Et hanc oculorum conſtantiam ipſa ſacra ſcriptura commendat, imo vero præcipit. *Proverb. IV, 25. Oculi tui recta videant, & palpebra tua dirigantur coram te.* Ubi in Ebræo eſt לנכח regione recta, directe, quod LXX. reddidêre ὀρθά. Lutherus commode. *Laſs deine Augen ſtracks vor ſich ſehen.* Cum enim oculos mentis noſtræ quaſdam quaſi feneſtras ſciamus, & omnes improbæ cupiditates per hos quaſi naturales cuniculos introire ſoleânt, ceu eleganter loquitur *SALVIANVS lib. III.* ubi vide *RITTERSHVSIVM p. 96.* & confer, ſi placet, *FABRVM l. III. ſemeſtr. cap. 19. PASSERATIVM* & *GEBHARDVM ad Propertium lib. II. eleg. 12.* cum hi, uti canit Propertius, in amore duces eſſe ſoleant: (Quod licet fere omnibus obvium, paſſim tamen declarant eruditi, & hos inter *ERASMVS in adagiis chil. I. cent. 2. 79. MICH. NEANDER notis ad Coluthum p. 70. CLAVD. MINOS comment. ad Alciati embl. CXV. WEITZIVS ad Ovid. l. II. triſt. el. 1. KORNMANNVS in libello, qui inſcribitur: linea amoris)* illos avertere debemus, ne vanitati nimium indulgendo capiantur & accendantur. Egregium eſt *LIPSII* monitum. *Oculos primum claude, & averte longe ab illecebroſo hoc adſpectu, aditus enim mali morbi hinc eſt: nec amor aut cupido facile irruperit, niſi per geminas has feneſtras: cent. 1. ep. 22.* Væ enim ei qui vadit poſt oculos ſuos, quos novit eſſe filios ſcortationum, ut habetur in Proverbio Ben Syræ. At enim, quo nos deducit *Sardanapali oculorum laſcivia?* (a) De amatoriis oculis in gratiam philologiæ ſtudioſorum pluribus commentatur *DIETERICHVS in antiquitat. S. lib. I. pag. 76. LAMB. ALARDVS ad Val. Flacc. lib. VI. Argonaut. v. 657. & in Epipbillid. philolog. lib. II. cap. 13. BARTHIVS adverſar. l. III. c. 17.* &

(a) *Sardanapali oculorum laſcivia*) Unde Sardanapalus a MAXIMO TYRIO *diſſ.* 19. dicitur τῷ ὀφθαλμῷ ἐντετηκὼς i. e. Perſii verbis 1. 18. patranti fractus ocello.

& præcipue ad *Claudian. in nupt. Honor. & Maria v. 7.* per plures Philyras. Freinshemius tamen hanc oculorum laſciviam referre mavult ad oculos picturatos tinctaque fuco ſupercilia, quæ Sardanapalo tribuit *ATHENÆUS lib. XII. 17. NICOL. DAMASCENUS in excerptis Peireſcianis p. 424. EUSTATIUS in Homeri Odyſſ. Δ. p. 1489.* & Medis in more fuiſſe ſcribit *XENOPHON l. I. & VIII. Cyropæd.* ex quo procul dubio hauſit *ALEXANDER ab ALEXANDRO*, qui de illis *l. V. c. 10.* ita ſcribit: *Medorum mos erat oculis pictis incedere, colorato capillo: quem ſi quis ſequi velis, mihi perinde erit.* Enim vero id quoque novimus orientalibus populis oculos nigellos in deliciis fuiſſe, quos forte ſecuti ſunt Græci & mox Romani, qui pulvere nigro, his fuligô, illis καλλιβλέφαρον dicto ſupercilia denigrarunt. Veteres non laudo. Hos enim laudant *ELMENHORSTIUS* & *STEWECHIUS ad Arnob. lib. II. 1. DOUZA, PRACIDAN. ad Petron. l. II. c. 9. HERALDUS ad Martial. l. IX. ep. 38. SCHEDIUS de Diis Germ. ſyngr. II. c. 6.* & qui nuper de capillis adſcititiis ſcripſit, *CONR. TIBURTIUS RANGO.*

Penſa inter virgines partientem.

Niſi totus fallor, hæc ex antiquitatibus Gynecæorum deprompta ſunt, de quibus erudite multa commentantur *TIRAQUELLUS in leg. connub. X. §. 21. ſeqq. BARTHIUS adverſar. l. XLII. c. 1. FESSELIUS adverſar. S. l. IV. c. 18.* Excell. *SAUBERTUS diſput. de Haalmab. c. II. §. 10.* In his enim virgines lanæ præcipue operam dabant, eo quidem modo, ut major ſive ætate ſive auctoritate opus inſpectaret, & penſa inter reliquas partiretur. Præter Pollucem, Civium, Propertium ab aliis jam laudatos id indicare videtur *OVIDIUS lib. II. faſtor.*

> *Inde cito paſſu petitur Lucretia, cujus*
> *Ante torum calathi, lanaque mollis erat.*
> *Lumen ad exiguum famulæ data penſa trahebant*
> *Inter quas tenui ſic ait illa ſono.*

§. III.

Indignatus tali fœminæ tantum virorum ſubjectum.

Sola majeſtas eſt, quæ ſubditos in obſequio erga Principem continet. Hæc ſi cadit, ſimul cadit imperium. Ad majeſtatem autem Principis non exiguum adfert momentum, ſi eorum geſta & actiones admiratur populus, eaque a ſuperiori potius quam ab humana Principis indole manare credit. Contemtum autem, quem præcipue a diſſolutis imperantium moribus excitari novimus, maximarum ſæpius turbarum cauſam eſſe, nec raro imperia, potiſſimum vere tyrannica evertere, hoc ipſo Sardanapali exemplo docet princeps prudentiæ civilis *ARISTOTELES l. V. polit. cap. X.* quem juvat ipſum audire. Αἱ δὲ διὰ καταφρόνησιν (ἐπιθέσεις γεγένηνται) ὥσπερ Σαρδανάπαλον ἰδών τις ξαίνοντα μετὰ τῶν γυναικῶν εἰ ἀληθῆ ταῦτα οἱ μυθολογοῦντες λέγουσιν εἰ δ' ἐπ' ἐκείνου, ἀλλ' ἐπ' ἄλλου γε ἂν γένοιτο ἀληθές. Cauſam hujus contemtus idem eodem capite exprimit. Ἀπολαυστικῶς γὰρ ζῶντες εὐκαταφρόνητοί τε γίγνονται, πολλοὺς καιροὺς παραδιδόασι τοῖς ἐπιτιθεμένοις. Cum in voluptatibus degant, & contemti fiant, multas conjurantibus præbent occaſiones. Uberius hæc poſſent declarari, ſed nolim Ariſtotelicæ purpuræ meos adſuere centones. Valde tamen ſunt elegantia, quæ de hoc argumento ad Florum differit *ZEVECOTIUS l. I. c. 6.* quod autem ad hiſtoriam ſpectat, non parum de ea dubitat Philoſophus, qui quidem per τοὺς μυθολογοῦντας Cteſiæ latus præ cæteris tangere videtur, ut qui talibus fabulis comminiſcendis multum laboraverit; ſic etiam cenſente ampliſſ. *CONRINGIO cap. I. adverſ. chronol. p. 13.*

Tali fœminæ &c.

Viri molles & imbecilles per contemtum mulieres & muliebri genere nominari ſolent. Sic Catullus Gallum appellat Gallam, Varro Heram. Sic Curionem filium filiolam Curionis aliquando vocat Cicero. Cæterum locus hic docere poteſt, indignas viro curas muliebres ab antiquitate fuiſſe habitas. Unde lucem capit illa ſenis indignatio apud *PLAUTUM MENÆCHM. v. 2. 45.*

> — — *Servirem' tibi*
> *Poſtulas viros? dare una opera penſum poſtules,*
> *Inter ancillas ſedere jubeas: lanam carere?*

Quapropter Eutropium eunuchum, Arcadii Imp. pædagogum, & totius imperii rectorem ita perſtringit prudentiſſimus poeta *CLAUDIANUS lib. I. v. 271.*

> — — *quid te turpiſſime bellis*
> *Inſeris aut ſævis pertentas Pallida campis?*
> *Tu potes alterius ſtudiis hærere Minervæ,*
> *Tu telas non tela pati, tu ſtamina noſſe;*
> *Tu ſegnes operum ſolers urgere puellas*
> *Et niveam dominæ penſis involvere lanam.*

Hinc quam ægre tulerit Narſes, vir ſane ſtrenuus, & ut antiqua habet inſcriptio glorioſiſſimus, convicium a Sophia Juſtini uxore profectum, quæ ſcripſerat, ſe ipſius caſtrati (vere enim talis erat) opera in gynæceo indigere; illic ad colum inter nentes jura daturum, & penſa daturum, & penſa in quas illos diviſurum; vel inde manifeſto conſtat, quod Auguſtæ non modo hæc reſcripſerit: Exordiar ſane telam, quam nulla Penelope, nec quicquid uſquam eſt muliebrium Sophiarum retexere poteſt;

 verum

verum etiam odio & ultionis cupiditate accenſus Longobardos in Italiam ex Pannonia ſumma cum Romanorum clade exciverit, uti *DIACONVS lib. II. de geſtis Longobard.* enarrat.

Progreſſus ad ſocios &c.

Quorum præcipuus Beleſus ſeu Belochus in veteri hiſtoria decantatur, quique σατραπείαν τῆς Βαβυλωνίας (uti loquitur *DIODORVS bibl. l. II. c. 24.*) conſecutus eſt. At enim excellentiſſ. noſter *CONRING.* hunc Belochum non ſatrapam ſed Regem Babyloniorum fuiſſe autumat, & eundem cum Merodacho Baladanis, cujus mentio fit *4. Reg. XX. v. 12.* quique ibidem ad Ezechiam tanquam amicum, legatos ſuos de prodigio retrogradæ ſolis umbræ ſciſcitatum miſiſſe dicitur. *Quis enim crediderit*, pergit *CONRINGIVS adverſ. chron. c. III. p. 19. ad hoſtem Aſſyriaci imperii adeo amicam miſſam legationem, niſi ab eo, qui itidem in illam rempubl. malo erat animo.* Certe præfectus aliquis Regis Aſſyriorum id nunquam fuiſſet auſus. Quæ quidem ſententia ſi firmo ſtat talo, non eſt quod vir Cl. Chriſtoph. Adamus Rupertus tantopere inſultet Beſoldo; quod Belochum Babyloniæ Monarcham appellaverit. Vide *obſervat. RVPERTI in Beſoldi ſynopſin minor. c. III. p. 50. 51.*

§. IV.

Non ut vir regnum defenſurus.

Aliter Diodorus, qui diu ſe defendiſſe, & non ſemel hoſtium vires fregiſſe, prolixe docet.

§. V.

Exſtructa incenſaque pyra.

Pyram appellabant veteres & ignem rogi, & ſtructu illam lignorum ad cadaver comburendum paratam. Scholiaſtes Euripidis in Hecubam: πυρὴ τὸ πῦρ τὸ ἐπὶ νεκρῷ ἁπτόμενον, καὶ ὁ τόπος, ἐν ᾧ τὸ πῦρ ἅπτεται. Sunt autem pyra & rogus ſynonima. Gloſſæ vett. Rogus, πυρὰ νεκρῶν. Rogus πῦρ. Servius quidem diſcrimen inter ea conſtituere laborat, dum pyram putat eſſe lignorum congeriem, rogum, cum jam ardere cœperit, ſed id a latinis ſcriptoribus non obſervari, tum ipſum etiam Servium hac eadem in re ſeorſim ſentire monet *KIRCHMANNVS de funeribus l. III. c. 1.* Ingenioſe quidem Voſſius in etymologico, pyram de ſtrue ubi accenſa ſit, interpretari laborat: rectene vero an ſecus eruditi judicent.

Et divitias ſuas.

Sardanapali divitias *HERODOTVS* quoque prædicat *lib. II.* ubi ſimul, qua ratione fures iiſdem per cuniculos ſubterraneos inſidiati fuerint, pluribus enumerat.

Se in incendium mittit: hoc ſolo imitatus virum.

Imo minime in eo imitatus eſt virum Juſtine. Audi quæſo *JOSEPHVM*, ſed latina loquentem in præclara illa oratione, quam habuit ad ſocios, ut eos a voluntaria nece revocaret, quæque extat *lib. III. de bello Judaico c. 14.* & apud *EGESIPPVM lib. III. cap. 18. Timidus eſt, qui non vult mori quando oportet, & qui vult, quando non oportet.* Et mox: Quis ignorat fœmineæ timiditatis eſſe & muliebris formidinis ne moriare, mori velle. An quia graviora ſupplicia exacturus eſt adverſarius, ideo præveniendum putatis? An viri fortis eſt ſemet occidere; imo vero ignaviſſimi, quantum opinor. Nam & gubernatorem timidiſſimum puto qui tempeſtatem metuens ante vim turbinis navem ſponte ſubmergit. Quin etiam propria manu perire a communi omnium animalium natura diſcrepat, eoque modo in creatorem noſtrum Deum ſcelus admittitur. Et quæ plura ibidem cedro digna reperies, quibus αὐτοχειρίαν non viri, ſed abjectiſſimæ fœminæ animique prorſus enervati eſſe docet. Sed Chriſtianum, aut rectius Judæum excipis. Non hominem ſed argumenta inſpice. At vero quam facile nobis eſt alium ſufficere. *ARISTOTELEM* attende. At quantum virum! Ita autem ille *lib. III. eth. c. 7.* Τὸ ἀποθνήσκειν φεύγοντα, πενίαν, ἢ ἔρωτα, ἤ τι λυπηρὸν, οὐκ ἀνδρείου ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ. Μαλακία γὰρ τὸ φεύγειν τὰ ἐπίπονα. καὶ οὐχ ὅτι καλὸν ὑπομένει, ἀλλὰ φεύγων κακόν. Mortem ſibi conſciſcere, ut vel paupertatem, vel amorem, vel quidquam moleſti fugiamus, fortis viri minime eſt, ſed potius timidi. Mollities enim eſt res ærumnoſas & laborioſas fugere. Neque quiſquam hanc mortem ſuſtinet, quod honeſtum ſit, ſed quod malum fugere ſtudeat. Ariſtotelica ſic παραφράζει doctus & acutus, & quod hoc in genere caput eſt, probus valde interpres *EVSTRATIVS p. 184. Nonnulla ſunt, quæ licet ad ignavum & imbellem hominem ſpectent, ſpeciem tamen quandam fortitudinis præ ſe ferunt, ut paupertatis vel amoris vel moleſtiæ alicujus alterius evitandæ cauſa mortem ſibi conſciſcere. Moleſtias enim fugere quocumque modo velle, mollis ac languidi hominis eſt, ac mollitia tolerantiæ eſt oppoſita, atque ob id a forti viro aliena.* Quæ quidem Philoſophi verba ſi attentius paulo inſpicimus duo continere videntur argumenta, quæ per ſyllogiſmum nobis ſic eruere placet. Prior ita ſe habeat. Quicunque non poteſt ſuſtinere moleſta, is mollis potius & effæminatus quam fortis eſt dicendus. Atqui qui paupertatem aut amorem aliaſque hujusmodi adverſitates fugiens ſe ipſe interficit, quædam moleſta ſuſtinere non poteſt. E. is mollis potius &c. eſt dicendus. Poſterius autem argumentum, a fine fortitudinis, quem honeſtatem eſſe nemo prudens facile negaverit, petitum eſt. Qui enim mortem intrepide quidem adeunt, non tamen honeſtatis gratia, ſed ut malis ſe ſubducant, ii neutiquam ſunt fortes; ſed αὐτόχειρες: mortem intrepide quidem adeunt, non tamen honeſtatis gratia &c. E. αὐτόχειρες non ſunt fortes. Et ex hac quidem Ariſtotelis palæſtra plures deinde alios eandem hauſiſſe ſententiam monet *LIPSIVS ad Taciti hiſtor. lib. II. cap. 46.* Neque dubito *AVGVSTINVM* eo collimare, quando *lib. I. de C. D. cap. 22.* mortem voluntariam ad animi magnitudinem

dinem nequaquam pertinere luculenter oſtendit. Ejusdem Auguſtini caput XXIII. huc apprime ſpectat, utpote in quo contra illos diſputat, qui ignominiam ab hoſte victore alias perpetiendam ut declinent, ab *αὐτοχειρίᾳ* remedium petunt; ubi imprimis Catonis factum perſtringit, quod alias certatim enarrant, imo eximiis elogiis ornant *CICERO lib. I. offic. & Tuſc. quæſt. lib. I. & lib. IX. epiſt. famil. 18. SENECA epiſt. 24. & 67. it. de tranq. animi cap. 15. de provid. cap. 2. HIRTIVS de bello Afric. cap. 88. LIVIVS lib. XIV. DIO CASSIVS lib. XLII. APPIANVS de bell. civil. lib. II. FLORVS IV, 2. 70. PLVTARCHVS in vita cap. 89. GELLIVS lib. XV, 18. PLINIVS H. N. V. 4. &c.* & ex Poetis *HORATIVS lib. II. Od. I. v. 24. LVCANVS lib. IX. v. 601.* *ςοβάζει* autem hic Juſtinus noſter: Stoici enim *αὐτοχειρίαν* aliquando licere putabant, pro patria nempe & amicis, in animi atque corporis inſanabilis dolore, in extremo ſenio, imo rebus etiam lætis & corpore valido; ob damnationem denique publicam, aut quamvis aliam ignominiam injuriamve. *Et hoc quidem Stoicæ ſectæ dogma* (a) pluribus explicat, eruditius autem mox rejicit, & minime licere, rationibus & teſtimoniis declarat *LIPSIVS lib. III. manuduct. ad Philoſoph. Stoicam. diſſert. XXII. & XXIII.* quas diſſertationes ſuo polymnemoni operi, ut equidem puto, erudito inſeruit, & elegans inſuper auctarium adjecit Johannes Magirus. Ipſe tamen Lipſius, quod mireris *αὐτοχειρίαν* alibi defenſurus videtur, dum videlicet ad iſta *TACITI loc. laud. Majore animo tolerari adverſa quam relinqui:* ſe pro Stoicis ſcutum habere ſcribit, quod opponat, niſi vetaret religio. Et hoc ſcutum, exceptionibus tamen nonnullis munitum ex armario ſuo depromit *cent. II epiſt. miſc. 22.* & audacius puta vibraſſet in Thraſia ſuo, ubi locum iſtum magnifice tractaverat, niſi juſtitia, & ut ipſe appellat, voces calumnioſi ævi timuiſſet. Verum, ne quis me tanto viro injuriam facere putet, legat ea quæ habet vir ingenio pariter & judicio præſtantiſſimus *CHRISTOPH. ADAMVS RVPERTVS diſſert. ad Val. M. lib. II. cap. 6. pag. 160.* & tum Lipſii dicta vix ſine impietatis ſuſpicione legi judicabit. Cæterum quid miramur Lipſium? cum & hic forte perinde, ut in aliis pluribus, levitatem ſuam & inconſtantiam (quamvis de conſtantia tam præclare, ut nihil ſupra, ſcripſerit) clare ſatis prodiderit. Qua quidem in ſententia plurimos conſentientes habeo, & illos inprimis, qui viri Cl. Thomæ Sagittarii Lipſium Protea curioſius inſpexerunt. Nobis vero id tenendum eſt, vocem divinam: non occides; non ad alios tantum, ſed ad nos ipſos quoque ſpectare; atque adeo non licere nobis ex ſtatione noſtra, in qua nos Deus Opt. Max. collocavit, ſummi illius imperatoris injuſſu abire. Graviter & diſerte *LACTANTIVS lib. III. cap. 18.* Sicut in hanc vitam non noſtra ſponte venimus, ita rurſus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis aſſignatum eſt, ejusdem juſſu recedendum eſt, qui nos in hoc corpus condixit tam diu habitaturos, donec jubeat emitti, & ſi vis aliqua inferatur, æqua mente id ferendum eſt, cum exſtincta innocentis anima inulta eſſe non poſſit, habeamus vindicem magnum, cui ſoli vindicta ſemper integra eſt. E recentioribus maximopere me affecerunt ſummi viri *JOHANNIS FREINSHEMII* verba, quæ ſi ex *aureis ipſius in Curtium commentariis* repeto, me neque ſcriptionis neque lectorem lectionis pœnitebit. *Et certe,* inquit, *omnia exempla, qui ſibi manus intulerunt, quot quidem eorum in meam notitiam pervenerunt, exacte conſiderans, deprehendere viſus ſum profecta ex quadam animi mollitie, cum officii ſui contemtu, quod ab unico illo bono magiſtro nondum didicerant, aut ſi didiciſſent, flagitioſe neglexerant.* Etiam quæ ſpecioſiſſima videntur, eadem ſcabie penitus infecta conjicere eſt. Excedere enim ajunt ſe vita, ut ſuo potius arbitrio, quam alieno moriantur, ne contumeliis & doloribus ad juſſum alicujus tyranni corpus atque membra præbeant: ut denique oſtendant nihil in ſe licere quantumvis potenti domino, ſi ipſi noluerint. At totum hoc quid aliud eſt, niſi quædam animi teneritas, qui infirmitatis ſuæ conſcientia, quicquid moleſtum ſentit, fugit potius, quam conſtanter aut perfert aut profligat? Falſa perſuaſione cœcatus, hac ratione finem malorum quæri. Sed o miſeros, qui ſero deprehendunt, infinitis partibus majora pluraque ſupplicia in immortali iſta morte, ubi nihil præter pœnam vivit, eſſe perferenda, quorum effugium alia ulterior mors non reperiat. Hæc Freinshemius. Neque vero exempla Samſonis & Rhazis in ſacris memorata quemquam tueri poſſe ſatis patet, cum jamdudum quid de iis ſentiendum clare expoſuerint *AVGVSTINVS de C. D. lib. I. cap. 21. & 26. & lib. II.* contra *Gaudentii epiſt. alteram cap. 31. HIERONYMVS tom. III. epiſt. ad Evagrium fol. 38. ISIDORVS HISPALENSIS commentar. in Judic. cap. 8.* alii. Demum ne *αὐτοχειρίας* crimen etiam his in terris impune abiret, *αὐτόχειρες* ſepulturæ honore ut olim, ita hodie privari ſolent. Quo refero illa *Philoſophi lib. V. Nicom. cap. 11.* *Καὶ τὶς ἀτιμία πρόσεστι τῷ ἑαυτὸν διαφθείραντι, ὡς τὴν πόλιν ἀδικοῦντι.* Hinc etiam quædam ignominia manet ſe ipſum exanimantem, ut qui civitatem injuria afficiat. Ad quæ ſic *MICHAEL. EPHESIVS p. 317.* Sed quæ animadverſio & mulcta in eum eſſe poteſt, qui ſe necavit & non amplius vivit? ea ſcilicet, ut ſepultura civium indignus habeatur, aliquaque alia hujusmodi contumelia afficiatur, quæ mortuis inferri poteſt. Verum quum hoc argumentum plures jam tractaverint, equidem de eo dicere ſuperſedeo. Sufficiat laudaſſe *H. GROTIVM* (b) *lib. II. de J. B. & P. cap. 19. KIRCHMANNVM de funeribus Rom. append. c. 9. QVENSTED de*

ſepultura

(a) *Et hoc Stoicæ ſectæ dogma*) Conf. BVDDEI *diſſ. 4. de erroribus Stoicorum in philoſ. morali §. 5.* & *in analectis hiſt. philoſ. p. 192. ſeqq.*

(b) *HVGONEM GROTIVM*) Ille tamen de *J. B. & P. lib. II. cap. 19. §. 5.* monet, Ebræos excipere caſum, ſiquis videat ſe deinceps vivere in opprobrium Dei, quo poſito *αὐτοχειρία* licita ſit, quod probent exemplo Raſis & Simſonis. Cæterum quæ de fine regni Aſſyriaci ſub Sardanapalo ad Alexandri Polyhiſtoris fragmentum, in quo Saracus dicatur, monet SCHROEERVS l. c. legenda ſunt *p. 236. ſeqq.* qui & *pag. 241.* de epitaphio Sardanapali id æque ac alia hujus generis inter otioſorum hominum commenta referendum eſſe docet, cum contrarium loquantur facta Sardanapali apud ipſum DIODORVM, STRABONEM & alios. Hunc enim Sardanapalum, ſub quo deletum fuit imperium Aſſyriacum, non adeo imbellem fuiſſe, adeoque ab altero Sardanapalo, quia CALLISTHENI duo ejusmodi nominis memorentur, ſedulo diſtinguendum arbitratur.

ſepultura vet. cap. III. Tantum de αὐτοχειρίᾳ dicturis Sardanapali nobis ſuppeditavit interitus. Denique ad calcem hujus exercitationis Sardanapali, quod fertur, epitaphium ex veteribus, Diodoro, Strabone, Athenæo, Tzetze, Arriano, Plutarcho, Suida, Cicerone aliisque erutum producere animus erat; Verum poſtquam *BRISSONIVM ad finem lib. I. de regno Perſ.* id jam factitaſſe vidi, ne alienæ meſſi falcem immiſiſſe viderer, ab his curis abſtinui. Unius tamen Michaelis Apoſtolii teſtimonium Briſſonianis addere placet. Ita autem ille *Prov. cent. XVII,26.* Ἐν Νίνῳ δὲ ἐπὶ τοῦ μνήματος αὐτοῦ τοῦτο ἐπιγέγραπται: Σαρδανάπαλος ὁ Ἀνακυνδαράξου παῖς Ταρσόν τε καὶ Ἀγχιάλην μὲν ἡμέρῃ μιῇ ᾠκοδόμησε. Σὺ δ' ἔσθιε, πίνε, ὄχευε, ὡς τάγε ἄλλα οὐδὲ τούτου ἐστὶν ἄξια; τοῦτ' ἔστι τούτων δακτύλων ἀπὸ κροτήματος. Τὸ γὰρ ἐφεστὸς τῷ μνήματι ἄγαλμα, ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς ἔχοντας χεῖρας πεποίηται ὡς τ' ἀνακροτεῖν τοῖς δακτύλοις. ταυτὸν καὶ ἐν Ἀγχιάλῳ τῇ πρὸς Ταρσὸν ἐπιγέγραπται, ἥτις νῦν καλεῖται Ζεφύριον. Quæ ſic expreſſit Petrus Pantinus: Nini autem in ipſius ſepulcro hoc inſcriptum eſt: Sardanapalus Anacyndaraxi filius Tarſum & Anchialem una die condidit. Tu autem ede, bibe, Veneri da operam. Nam cætera ne tantum quidem ſunt, hoc eſt ne digitorum quidem crepitum valent. Statua enim ſepulchro impoſita manus ſuper caput habens fabricata eſt tamquam digitis ſtrepitum edens. Idem Anchialo prope Tarſum inſcriptum eſt.

Exercitatio ad Lib. I. Juſtini Cap. IV.

Summarium.

Medorum regnum fuit diuturnum, ſed in IV. Rege deſiit. Naturalia pro genitalibus. Firmicus hanc in rem a Rutgerſio emendatus. Natura apud Tullium & Lucretium. Aſtyagis filia Mandane. Somnium Aſtyagis iteratum ad divina ſomnia referendum. Somnia aliquot memorabilia de fortuna liberorum recenſentur. Hariolus unde dictus. Hariola, hariolari. Nobilitas ad virtutem animos accendit. Id pluribus teſtimoniis & exemplis declaratur. Cambyſes Cyri pater generis mediocris. Diſſenſus Herodoti e Ruperto examinatus. Oraculo Crœſo dato lux affunditur. Mulus patre aſino, matre equa naſcitur. Imperandi libido execrabilis. Cyrus Harpago non exponendus ſed occidendus traditur, quæ eſt Valerii Max. Lipſii & Cluveri oſcitantia. Cædis adminiſtri magnis expoſiti ſunt periculis. Circumſpecte agat, cui tale quid in mandatis datum. Expoſitio infantum ipſa cæde atrocior. Veteres ſtrangularunt infantes. Quos Deus magnis imperiis deſtinavit, fruſtra de medio tollere laborant tyranni. Hominum a brutis nutritorum exempla. Herodoti ſententia Juſtino præferenda. Stabulum pro domo, diverſorio, lupanari. Stabularius pro caupone. Canis Medis Spaco.

§. I.

Poſt multos deinde Reges.

Forte non adeo multi fuerunt Medorum Reges, ſi recte capimus ea, quæ Ampliſs. noſter *CONRINGIVS adverſar. chronolog. cap. III.* præclare diſſeruit, ubi Herodoti, Dionyſii Halicarnaſſei, & Joſephi teſtimoniis haud diu illud imperium duraſſe, ſed in Rege IV. deſiiſſe luculenter evincit.

§. II.

Ex naturalibus filia. (a)

Quam Herodotus & Valerius Max. Mandanen vocant. *ÆLIANO. V. H. lib. XII. 42.* eſt Μανδάλη, quem tamen ex Herodoto emendandum cenſet Bongarſius, quæ emendatio etiam probatur Johanni Scheffero in notis ad Ælian. Naturalia autem dicit noſter partem illam corporis, per quam ſexus fœmineum & ſobolem prodere & nomen ſolet acquirere genti, uti loquitur *ARNOBIVS lib. V. Gloſſa Vett.* Naturalia αἰδοῖα. Sic *FIRMICVS lib. VI. Aſtron. cap. 21.* Si vero ſint in tropico -- faciunt naturale mulieris incorrupto aditu glutinatum. Et *lib. VII. cap. 3.* in renibus vero XXVIII. & XXIX. & in naturali ſola XXX. eſt collocata. In utroque enim loco gloſſema corpus delendum cenſet *JAN. RVTGERSIVS Var. lect. lib. III. cap. 18.* Eandem corporis partem naturam dixit *CICERO lib. II. de divinat. Parere quædam matrona cupiens, dubitans eſſetne prægnans, viſa eſt in quiete obſignatam habere naturam.* Sic etiam in illo Lucretii, quem tamen nonnulli aliter capiunt. Nixibus ex alvo matris natura profudit. Hujus generis alia vide ſis apud *BARTHIVM Adverſ. lib. XXI. cap. 10.*

Vitem enatam.

HERODOTVS, & qui eum ſequuntur, *VALERIVS lib. I. c. 7.* & *SABELLICVS lib. I. cap. 1.* bis ſomniantem faciunt Aſtyagem, & primum quidem de urina univerſam Aſiam inundante. Alterius etiam *SIDONIVS* meminit *carm. II.*

Aſtyages Cyro pellendus forte nepoti
Inguinis expavit diffuſum vite racemum.

Cujus palmite omnis Aſia obumbraretur.

Nolumus hic ea, quæ multi *de ſomniorum cauſis & generibus* (b) operoſe diſputarunt, recoquere. Num vero

(a) *Ex naturalibus filia*) Filiam hanc Aſtyagis Mandanen vocat HERODOTVS *lib. CVII.* & VALER. MAX. *lib. VII.* quæ ÆLIANO *var. hiſtor.* 12, 42. eſt Μανδάλη.

(b) *de ſomniorum generibus*) Aut enim ὄνειρος, ſec. Græcos, quod Latini ſomnium dicunt, aut eſt ὅραμα quod viſio appellatur, aut eſt χρηματισμὸς, quod oraculum dicitur, aut eſt ἐνύπνιον, aut φάντασμα, quorum duo poſteriora interpretationis ſunt indigna, tribus cæteris

vero hoc ipſum Aſtyagis ad naturalium, aut ad ea quæ præter naturam accidere ſolent ſomniorum claſſem referendum, dictu non eſt admodum difficile. Licet enim non negaverim, quod ad illum modum, quo vigilantes de futuris rebus & præteritis plurima nobis imaginamur, ita per ſomnum quoque variarum rerum ſimulacra nobis occurrere poſſint; ad fatidicorum tamen claſſem potius, quæ non piis tantum, verum gentilibus etiam virtutis exercitio claris, Deus O. Max. immiſit, hoc ipſum pertinere arbitror. Ut namque æqua lance ſolem ſuum & pluviam juſtis æque ac injuſtis diſtribuit, ſic profanos etiam de capeſcenda republ. de gerendis bellis, cæteriſque rebus ſuggeſto cœlitus ſomnio inſtruxit. Neque enim magnorum atque illuſtrium eventuum prænuncia ſomnia; quæ priſcis Heroibus atque Regibus extra eccleſiam viſa ſunt, omnia, una quod ajunt moneta percutienda, hoc eſt, nullum ex illis divino, ſed cuncta pariter dæmonum afflatu futura iis prædixiſſe ſentio. Et cum ex divinorum librorum interpretibus plurimi ad hanc divinorum ſomniorum claſſem, Pharaonis, Abimilechi, Nabuchodonoſoris exempla referunt, eo magis in mea confirmor ſententia. Imprimis autem e veteri hiſtoria, ut noviſſima taceam, notari meretur, quod non raro parentes de naſcitura ſobole ſolliciti illius fortunam oblata ſomniorum imagine prædivinarint. Olympias qua nocte Alexandrum concepit viſa per quietem eſt cum ingenti ſerpente volutari; apud noſtrum *lib. XII. cap. 16.* Sic Hecuba Priami uxor Paridem enixura ardentem in Aſiæ & Europæ incendium facem utero ſe geſtare ſomniavit. *SABELLICUS lib. I. cap. 1.* Dionyſii Siculorum tyranni mater ſomniavit ſe peperiſſe Satyriſcum. *CICERO lib. I. de divinat. & VALER. M. lib. I. cap. 7.* Aliud ſomnium matris Phalaridis, quod futuræ filii crudelitatis indicium fuit, ex Pontico Heraclide refert *CICERO d. l.* Atria Auguſti mater prægnans per ſomnum vidit ſua inteſtina in omnem terræ ambitum explicari, veriſſimo præſagio per omnem pene terrarum orbem proferendæ dominationis. Ejuſdem fortunæ imagine pater Octavius filium mortali ſpecie ampliorem cum fulmine & ſceptro exuviiſque Jovis ac radiata corona ſupra currum laureatum biſſenis equis candore eximio trahentibus videre ſibi viſus eſt. *SUETON. cap. XLIX.* Attilæ mater uterum gerens, viſa eſt videre in ſomnis puerum ex ſe naſci, cui ſtanti demiſſus e coelo Mars enſem accingeret, & flagellum divinæ iracundiæ daret. *BONFIN. l. III. dec. 1.* Et Georgii Caſtrioti, Scanderbegi vulgo appellati, mater ſomniabat, ſe parere anguem, cujus caput ad fines Turcicos, cauda ad Venetos pertingeret. *MARTINUS BARBETIUS libro de rebus geſtis Scanderbegi. EVAGRIUS* demum *lib. IV. c. 10.* de Mauritio Imp. narrat quod tempore conceptionis ipſius parens in ſomniis viderit vitem maximam e cubili ſuo prodeuntem, plurimiſque uvis iiſque maturis onuſtam; quod quidem exemplum propter eam, quam habet cum Aſtyagis ſomnio affinitatem, prætermittere nolui.

§. III.

Conſulti barioli.

Hariolus, quaſi fariolus, a fando nomen accepit, vel ab halando, quia halitu ſoleat mortalem animam quaſi excludere, ut recipiat divinam. *DONATUS in Phorm. IV, 4.* vel denique ab ara, quaſi qui aris inhalans numen de nidore concipit; ut loquitur *TERTULLIANUS in apologet. cap. XXIII.* Sane in veteribus gloſſis vertitur hariolus βωμοσκόπος, quo etiam Hincmarum collimare puto in opuſc. de divortio Lotharii & Tethbergæ. Arioli ſunt, inquit, qui circa aras idolorum nefarias preces emittunt, & funeſta ſacrificia offerunt, hiſque celebritatibus dæmonum reſponſa accipiunt. Sequiori genere hariolas dixit *PLAUTUS Mil. III. 4. 48.* Hariolari ex Terentio & Tullio notum.

§. IV.

Ne paterna maternaque nobilitas nepoti animos extolleret.

Ita eſt. Non parum ad virtutis ſtimulum generis nobilitas facit, cujus beneficio quædam quaſi neceſſitudo nobilibus impoſita videtur, ne a majorum virtute degenerent, ut præclare ſentit *BOETHIUS lib. III. proſ. 5.* cui conſentit *CASSIODORUS var. lib. VIII. ep. 16.* & qui primo loco nominandus erat, *ARISTOTELES rhetor. lib. II. cap. 15.* Εὐγενείας μὲν ἦν ἦθός ἐςι τὸ φιλοτιμότερον εἶναι τὸν κεκτημένον αὐτήν. πάντες γὰρ ὅταν ὑπάρχῃ τι πρὸς τοῦτο σωρεύειν εἰώθασιν. *SALLUSTIUS Jugurth. cap. IV.* Memoria rerum (a nobiliſſ. majoribus) geſtarum, ingentem flammam egregiis viris in pectore creſcere, neque prius ſedare, quam virtus eorum famam atque gloriam adæquaverit; rectiſſime ſtatuit. Præclare hanc in rem *CLAUDIANUS in laud. Serenæ Reginæ v. 34.* *Quod ſi nobilitas cunctis exordia pandit laudibus, atque omnes redeunt in ſemina cauſſæ. Quis venerabilior ſanguis? quæ major origo, quam regalis erit?* Et ſunt talia nobilitatis elogia ubivis obvia, quemadmodum nec exempla apud noſtrum deſunt: Pyrrhi videl. XVIII, 1. 2. Hannibalis XXIX, 1. Mithridatis XLII, 2. 3. Vber porro ſeges eſt apud Tiraquellum in locupletiſſimis de nobilitate commentariis, ut Gruteri diſcurſus ad Livium, & Berneggeri quæſtiones ad Tacitum, aliorumque monimenta taceam.

Cambyſi mediocri viro.

Hinc explicat Herodotus reſponſum illud, quod Crœſo oraculum dederat, tum ſcilicet ipſi ac regno exitium fore, cum mulus in Perſide regnaret. Ajunt enim hoc modo indicatum fuiſſe Cyrum, quod quemadmodum mulus naſcitur patre ignobili aſino, matre generoſa equa, contra quam in

autem in ingenium divinationis inſtruimur. Cæterum de ſomniis ſive ex mera phantaſia, ſive a diabolo ſive a Deo oriundis egerunt VOETIUS *pec. diſſert.* nec non REUTERUS *in regno diaboli,* aliique.

in hinno fit (*VARRO l. n. de R. R. c. 8. PLINIVS. VIII. cap. 44. COLVMELLA lib. VII, 37.*) ſic Cyrus habuerit matrem Regis Aſtyagis filiam, patrem vero Cambyſen obſcuro loco natum. At enim paternam etiam originem antiquam & non minus claram fuiſſe, Xerxis verba, quæ patrem Cambyſis faciunt Achæmenidem apud *HERODOT. lib. XII.* declarant: quo de loco quid ſtatuendum egregie oſtendit Vir. Cl. *CHRISTOPH. ADAM. RVPERTVS, obſerv. ad ſynopſ. Beſold. c. V. p. 83.*

Ut ſub avi potiſſimum oculis.

Tantum valet exſecrabilis dominandi cupido, quæ ipſius naturæ vincula diſſolvit, quamque propterea cunctis affectibus flagrantiorem vere dixit *TACITVS XV. ann. cap. 53.*

§. VI.

Natus infans datur occidendus Harpago.

Qui *AMMIANO lib. XV.* eſt Harpalus, niſi eſt librarii error. Non autem exponi juſſus eſt Cyrus, quæ manifeſta eſt Valerii Max. oſcitantia *lib. I. cap. 7. ext. 5.* Quem tamen errorem etiam *LIPSIVM comment. ad Senecam* & *JOANNEM CLUVERVM in epit. hiſtor.* erraſſe, notat ſæpius nobis laudatus *RVPERTVS ad Beſold. cap. III. pag. 59.* addito hoc elogio: *Intolerandum in utroque Herodotum tam negligenter & legere & citare.*

§. VII.

Is veritus ſi ad filiam.

Neque id injuria veritus eſt Harpagus. Nam & veteris & noſtri ævi hiſtoriæ docent non raro cædis adminiſtros, graves pœnas, quasque ab auctoribus exigere non potuerunt, cognatis dediſſe. Ne nunc dicam illos ipſos cædis principes, ut a ſuſpicione ſceleris ſe liberarent, executores de medio tuliſſe. Nobilis eſt obſervatio *TACITI* ad exemplum Aniceti *ann. XIV. 62. 2.* quo miniſtro uſus erat Nero ad parricidium: Levi, inquit, poſt admiſſum ſcelus gratia fuiſſe, dein graviori odio: quia malorum facinorum miniſtri quaſi exprobrantes adſpiciuntur. Et alia ejusmodi obſervarunt, prudentiſſ. Viri *FORSTNERVS & BOEGLERVS comment. in ann. Taciti lib. VI. §. 7.* Circumſpecte igitur agat, cui in mandatis tale quid datum eſt, videatque num medium inveſtigare poſſit, quo neutrum offendat, aut ſi illud non ſuccedit, injuſta imperanti nequaquam obediat. Præclarum Senecæ monitum. Pars interior mancipii, mancipio dari non poteſt, ab hac quicquid venit, liberum eſt. Non enim aut nos omnia jubere poſſumus, aut in omnia ſervi parere coguntur. Contra rempubl. imperata non facient, nulli ſceleri manus commodabunt.

Paſtori puerum (a) *exponendum tradit.*

Mitior ſane Harpago videtur cæde expoſitio. Exponere idem eſt quod necare: imo *LACTANTIO lib. VI. cap. 20.* videtur ipſa cæde atrocius. Quid illi, inquit, quos falſa pietas cogit exponere? Non poſſunt innocentes exiſtimari, qui viſcera ſua in prædam canibus objiciant, & quantum in ipſis eſt crudelius necant, quam ſi ſtrangulaſſent. Strangulaſſe autem veteres aliquando infantes, tum hoc tum alia teſtimonia evincunt. Sic *lib. V. cap. 9.* Non de noſtro ſed illorum numero ſemper exiſtunt, qui natos ex ſe pueros aut ſtrangulent, aut ſi nimium pii fuerint, exponant. *ARNOB. lib. II. Vos video procreatos filios nunc feris & avibus exponere, nunc ad ſtrangulatos miſero mortis genere elidere.* At de expoſitione infantum alias uberius; quamvis non pauca jam attulerint *LIPSIVS cent. I. ad Belg. ep. 85. DEMPSTERVS ad Poſin. lib. I. cap. 1. CVJACIVS obſerv. lib. XVI. cap. 36. HERALDVS lib. I. digreſſion. ad Tertull. apolog. VIII. ELMENHORSTIVS & OVZELIVS ad Minucii Octavium.*

§. X.

Canem fœminam parvulo ubera prabentem.

Cedro digna ſunt *LEVNCLAVII verba lib. I, hiſt. Muſulm.* Fieri plerumque, ut quo magis impedire homines progreſſus eorum nituntur, quos cœleſtis providentia magnis deſtinavit imperiis, eo faciliorem ipſis ad præfixam divinitus metam perveniendi viam efficiant. Evenit enim nihilo ſecius, ceu notat ad hoc exemplum Sabellicus, quod neceſſe fuit evenire; *lib. I. cap. 1.* Nam Deus Opt. Max. id genus exemplis providentiam ſuam clariſſime demonſtrat, quamque facile ipſi ſit crudelibus hominum conatibus reſiſtere. Veterum multa huic ſimilia reperimus, quibus tamen fabulas, ceu fieri ſolet, admiſtas eſſe reor. Sic Jovem, Platonem, Pindarum ab apibus, Midam a formicis, Habidem a cerva, Semiramidem a columbis, Romulum & Remum a lupa enutritos accepimus. Et plura hujus generis antiquorum monumenta diligentius rimanti ſeſe offerent. Neque enim Tiraquellum ad Alexandr. Freinshemium & Rupertum ad Florum omnia occupaſſe puto. Signanter *PLINIVS lib. VIII. cap. 17.* Quæ de ferarum lacte nutritis, cum eſſent expoſiti traduntur, ſicut de conditoribus noſtris a lupa, magnitudini fatorum accepta ferri æquius quam ferarum naturæ arbitror. Quicquid tamen horum ſit, neſcio an veroſimilior ſit Herodoti ſententia, quod quia paſtoris uxori Medica voce Spaco, quod Latinis canem ſonat, nomen erat, fabula hinc de Cyro a cane enutrito emanarit. Cum Juſtino tamen faciunt *LVCIANVS de ſacrificiis & ÆLIANVS V. H. lib. XII. cap. 41.*

§. XI. *Pue-*

(a) *Paſtori puerum*) HERODOTVS paſtoris nomen fuiſſe Mithridates refert, addit præterea, paſtoris infantem mortuum fuiſſe natum.

§. XI.

Puerum defert ad ſtabula.

Scilicet ad tugurium. Neque enim ſtabulum tantummodo pro loco in quem armenta concludi ſolent, ſed etiam pro habitatione quavis accipitur, quo ſenſu Virgilius dixit: Ardua tecta petit ſtabuli. In ſpecie veteres ſic appellabant loca, in quæ longo itinere feſſi ſuccedebant, quod hoſpitium vel diverſorium dicimus, Gloſſæ vett. ſtabulum πανδοχεῖον. Inde Stabularius apud *SENECAM l. I. de benef. c. 14.* & *APVLEJ. metam. l. I.* Gloſſæ πανδοχεύς, ſtabularius, diverſoriarius, caupo; item Hieronymum & Optatum, quos hanc in rem laudat *BARTHIVS adverſ. l. XXXIII. cap. 11.* Loca etiam, in quibus obſcœnæ Veneri litabant, eodem nomine veteribus veniſſe, vel ex Petronio liquet; vel quod in ea hominum turpiſſimorum colluvies diverteret, vel quod inſtar pecudum ibidem quærerent, id quod etiam Wovverio notas ad Satyricum ſcribenti in animo fuiſſe video.

§. XIV.

Quia canem Perſæ ſic vocant. (a)

Imo vero Medi: Herodotus. Τὴν γὰρ κύνα καλέουσι Σπάκα Μῆδοι.

Exercitatio in Juſtini lib. I. caput V.

Summarium.

HErodotea pueritiæ Cyri deſcriptio fabuloſa videtur Ruperto. Cyri nomen. Suidas notatur. Ludus animi ſpeculum. De ſorte quadam. Nefas erat civem Roman. virgis cadere. Flagella verbera ſervilia. Ingenuus, εὐγενής. Vultus intrepidus animi conſtantiæ indicium. De præclara indole multa afferuntur. Rodolfi agricolæ de Eraſmo præſagium. Animus minax. Horrendum Aſtyagis Harpago filium epulandum tradentis facinus. Amor naturalis maximum vindictæ incitamentum. Dolor, vulnera, cruciamenta orbitatis, Orbona Dea. Exinterare. Litterarum occulte transferendarum magnus in bello uſus. Eadem globulis tormentariis inſerta. Columba tabellaria. Venatores olim ſervi.

Puer deinde cum inter paſtores eſſet.

EAndem fabulam prolixe enumerat Herodotus. Quid vero de ea ſentiendum, verbis *CHRISTOPH. ADAMI RVPERTI in obſerv. ad ſynopſin Beſold. c. V. p. 136.* exponam. Videtur, inquit, Diodorus (cujus verba, ut in excerptis Peireſc. habetur, laudaverat) longe aliud cenſuiſſe de Cyri adoleſcentia, quam quæ Herodotus ſcripta reliquit, fuiſſe patri ereptum Aſtyagis imperio & clam educatum in bubulci domo, miraque tandem fortuna accidiſſe, ut agnoſceretur. Hæc ut jucunda lectu, ſic comœdiæ quam hiſtoriæ ſimiliora ſunt. Cenſet nimirum Rupertus, Diodorum potius & Cteſiam, qui a patre Cambyſe Cyrum optime inſtitutum & regiis artibus imbutum tradunt, quam Herodotum audiendos eſſe. Vix enim fieri potuiſſe autumat, ut qui tantum imperium condidit, tot bellicoſiſſimas nationes ſubegit, tam egregiis artibus ſubditos ſibi devinxit, hæc in caula & non potius in principali domo didicerit. Habeo equidem, quæ Ruperto ejusque argumentis opponerem, ſed vetat ætas juvenilis. Meum ergo, quod tenue eſſe non ignoro, tanti viri judicio hac quidem in parte lubens ſubjicio.

Cyri nomen accepit.

Id Perſis ſolem ſignificare (b) ex Cteſia, Plutarcho, Plethone jam Berneggerus & qui hunc exſcripſiſſe videtur Guil. Burtonus in λείψαν linguæ Perſicæ monuerunt. Non immerito autem ridetur Suidas, qui exotici nominis etymon e Græcia petere non dubitavit.

§. II.

Mox Rex inter ludentes &c.

Ludum interdum animi ſpeculum eſſe docemur:

Καὶ γὰρ ἐπὶ σμικροῖσι νόος διαφαίνεται ἀνδρὸς
Καὶ κυβὸς ἀγγέλλει βένθος ἐλεφροσύνης.

Etenim in parvis animus apparet viri, & cubus judicat fundamentum ſapientiæ, ut habet epigramma IV. l. 4. Interdum namque ſolent colludentes pueri imitari ea, quæ maxime ſeria ſunt; nec raro animadverſum eſt, eorum ludicris quandam futuræ ſortis atque conditionis ſignificationem contineri: quem locum elegantibus exemplis cum *MVRETVS in variis lib. XIII. cap. 9.* declaraverit, nobis plura de eo diſſerendi materiem præripuit.

Rex ſorte delectus.

Antiquiſſimum eſſe ſortitionis inſtitutum nemo neſcit, & peculiaribus ſcriptis illuſtrarunt Troilus Malvetius & Thomas Gatakerus, ut Dempſteri paralipom. ad Roſin. ſat. VI. v. 482. taceam. Ludus

(a) *canem Perſæ Spacum vocant*) Hodie Saac appellatur ut eſt in *edit. Juſtini Graciana* quod eſt curam habere, cuſtodire, unde & canis cuſtos.

(b) *Cyrus Perſis ſolem ſignificat*) Uti & nunc Chur & Churſia apud Perſicos poetas ſol dicitur. Conf. HYDIVM de veterum Perſarum relig.

dus ille, in quo pueri Regem eligunt, nondum deſiit, vocaturque propterea pluribus in locis *das König-Spiel.*

Ingenuos homines ſervilibus verberibus affectos.

More Romano noſter loquitur flagella generatim vocans verbera ſervilia. Lege enim Porcia (Non Porcii Catonis ſed Porcii Lecæ vid. Anton. Auguſtinum de LL.) cautum fuiſſe novimus, ne quis civem Romanum virgis cæderet necaretve, uti Cicero, Salluſtius, Livius alii indicant. Et clare *ACCVRSIVS* aliique interpretes *digeſt. l. XLIX. tit. 14. de jure fiſci, leg. 12.* ſervilia verbera interpretantur flagella. Hinc flagella ſervorum apud *SENECAM lib. de ira c. 28. JUVENAL. ſat. hic frangit ferulas, rubet ille flagello.* Et *PERSEVS ſat. V. v. 125.* ſervum depingit, quem ad ſtrigiles ſcutica & metus egit herilis. Vid. *LIPSIVM de cruce l. II. c. 3.* Quisnam vero ſit ingenuus, docet Imperator *Inſtitut. l. I. tit. 4.* nempe is, qui ſtatim ut natus eſt liber eſt. Græci vocant εὐγενῆ. Gloſſarium Græco-Lat. εὐγενὴς generoſus, ingenuus. Nempe non ſemper Græca vox nobilem ſignificat, in quo falſum Galeni interpretem monuit Briſſonius. Homines autem ingenuos ſine periculo ſervilibus verberibus vix affici, pluribus forſan alibi dicemus, & jam ad Valerium Max. quædam Rupertum dixiſſe memini.

§. III.

Nihil mutato vultu.

Uti generatim vultus index animi eſſe ſolet, ita ſpeciatim ejusdem conſtantia conſtantem animum atque intrepidum arguit. Vultum contra qui permutat, fraudem parat, non ſatisfactionem, uti loquitur Petronius. Et *BLEPSIDEMVS apud Ariſtoph. in Pluto II. 3. v. 33.*

Ἀλλ᾽ οὐδὲ τὸ βλέμμ᾽ αὐτὸ κατὰ χώραν ἔχει
Ἀλλ᾽ ἐςὶν ἐπὶ δηλόντι πεπανουργηκότι.

Sed neque vultum ſatis fixum habet; & mobiles oculi veteratorium animum palam arguunt. Hinc Alex. M. a vultu Philippi Medici non movebat oculos, ratus aliquas conſcientiæ notas in ipſo ore poſſe deprehendi; apud *CVRTIVM III. 6. 10.*

Feciſſe ſe ut Regem.

Simonis Terentiani regulam *Andr. II. 25.* Nam antea qui ſcire poſſes aut ingenium noſcere, dum ætas, metus, magiſter prohibebant; non raro exceptiones admittere, tot puerorum & adoleſcentum animo ſenili præditorum exempla declarant. Nimirum ſunt cunabula quædam & elementa animi procedente tempore ad ſummum gloriæ culmen perventuri certo cum indolis experimento, uti loquitur *VALERIVS lib. III. cap. 1.* quod totum caput exemplis hujus indolis abſolvitur. Germanorum noſtrorum proverbium eſt: *Was ein guter Hacke werden will, krümmet ſich in der Zeit:* quem in ſenſum Græci hunc laudant verſiculum:

Αὐτίκα καὶ φυτὰ δῆλα ἃ μέλλει κάρπιμ᾽ ἔσεσθαι.

Et præclarum eſt illud Ciceronis pro M. Cœlio: *ſtudia in adoleſcentia, tanquam in herbis ſignificant, quæ virtutis maturitas & quanta fruges induſtria ſint futura.* Sic ille apud *RVTILIVM l. I. itin. v. 469.*

Non exſpectatos penſavit laudibus annos
Vita flore puer, ſed gravitate ſenex.

Ad quæ multa hujus generis ſtudioſe congeſſit nobiliſſ. *BARTHIVS.* Sic *SILIVS lib. IIX. v. 465.*

Ductor Piſo viros ſpernaces mortis agebat
Ore puer, puerique habitu; ſed mente ſagaci
Æquabat ſenium atque aſtu ſuperaverat omnes.

Et Stiliconem hoc elogio mactat *CLAVDIANVS l. I. v. 40.*

— *mens ardua ſemper*
A puero tenerisque etiam fulgebat in annis
Fortunæ majoris honos.

Epiphanium cana conſilia in annis puerilibus meditatum, tradit *ENNODIVS vita Epiph.* de Pompejo *PLVTARCHVS:* Τῷ νεαρῷ καὶ ἀνθοῦντι διέφαινεν εἶδος καὶ ἀκμὴ τὸ γεραρὸν καὶ τὸ βασιλικὸν ὁ ἦθος. In vigore floreque juventutis ſenilis elucebat & regia majeſtas. Quo pertinet inſcriptio apud *GRVTERVM pag. 207.* LVC. PROCVLO L. F. XVI. ANNOS NATO, QVI NIHIL CVM ADOLESCENTE COMMVNE HABVIT, SENES SAPIENTIA ANTEIVIT, SEX. TERTVLLIA HOC MONVMENTVM EREXIT. Mira etiam de Ciceronis, Auguſtini, Athanaſii, Chryſoſtomi, Origenis, Bernhardi aliorumque præclara indole narrantur, & quam tempeſtive illius excellentis indolis egregia documenta dederint. Quos enim Deus ad res maximas gerendas vocat, his quoque ejusmodi indolem nonnunquam dare ſolet, quæ eximiarum virtutum magna expectatione inſtructa ſit: ut pateat illos divinitus vocari, foveri, adjuvari. Sed *de hac indole* (a) præclara ad hunc locum a Cl. Ruperto olim diſſertata, non autem publici juris facta anxie deſideramus. Unicum tamen ex recenti hiſtoria Rudolfi Agricolæ de Eraſmi Roterodami indole præſagium affero. Forte oſtenderat Hegius Eraſmi præceptor, hoſpiti Rudolfo ſcholam ingreſſo diſcipulorum ſcripta: qui cum

(a) *de hac indole*) Conferantur hic ii, qui de ingeniis præcocibus ſcripſerunt, ſpeciatim DAVID SCVLTETVS, VAN SEELEN, GOEZIVS aliique.

cum tyrocinium probaret, prætulit tamen Eraſmicum ſcriptum cæteris, adeoque eo delectatus eſt, ut cuperet videre puerum. Erat tum ferme XII. annos natus, ex quo accerſito pauca ſciſcitatur, conſiderata figura capitis & oculorum, hortatur eum ad diſcendum, addito hoc elogio, tu eris olim magnus. Vid. D. *CHYTRÆI orat. de Weſtphalia.*

§. V.

Agitato inter paſtores regno.

Lucem huic loco dabit Herodotus. Et tangit *JULIANUS orat. in Conſtantii Imp. laudem.* εἰς τὴν βασιλείαν, καθάπερ ὁ Κῦρος παίζοντα μιμεῖσθαι.

Animum minacem. (a)

Sic ſenſus minaces dixit *CLAUDIAN. l. I. in Rufin. v. 98.*

§. VI.

Filium interfecit, (b) *epulandumque patri tradidit.*

Graviter de his Thyeſteis epulis *JOANNES JOVIANUS PONTANUS libro de immanitate cap. XVIII.* In hoc tam nefario, inquit, nunquam ante alias comperto ſcelere, tragicum illud opportune ex Annæo objiciam:

Quis Colchus hoc, quis ſedis incertæ Scytha
Commiſit? aut quæ Caſpium tangens mare
Gens juris expers auſa? non Buſiridis
Puerilis aras ſanguis adſperſit feri,
Non parva gregibus membra Diomedes
Epulanda poſcit.

Nec vero patrem immanitatis damnabimus, quippe qui ignorans deceptusque epulabatur, infelicitatem fortaſſe ſuam augurans: verum ſolem ipſum miramur potius, non retro vertiſſe greſſus ſuos, non obvolviſſe profundiſſima etiam caligine radios, lucemque obtexuiſſe ſqualoribus, ne truculentiſſimi Regis facinus tam immane videret cœnamque adeo exſecrabilem.

§. VII.

In vindictæ occaſionem diſtulit.

Amor naturalis maximum vindictæ incitamentum eſſe ſolet, cujus memorabile exemplum ex *PUTEANO ad Valerium l. IX. c. 10.* notat Rupertus. Qualis autem hæc vindicta & quousque licita ſit, erudite exponit idem *RUPERTUS ad Vellejum l. I. c. 1. §. 3.*

§. VIII.

Dolore orbitatis admonitus.

Sic c. VIII. §. 9. orbitatis dolorem non in lacrumas effudit, ſed in ultionis ſolatium intendit. *FIRMICUS de errore prof. relig.* Dolor ex orbitate veniens nullis ſolatiis mitigatur. *ARNOBIUS l. IV. vulnera orbitatis; & lib. VI. cruciamenta orbitatis* dixit. Quæ quidem omnia nos docent, quam grave orbitatis malum ſit, adeo ut etiam Romani peculiarem deam Orbonam colerent, ne orbos faceret, cujus deæ meminere *PLINIUS lib. II. c. 7.* & *ARNOBIUS lib. IV.* Gravis A. Caſellii vox eſt apud *VALERIUM lib. VI. c. 2.* Duæ res, quæ hominibus amariſſimæ videntur, magnam mihi licentiam præbent, ſenectus & orbitas. Quam vocem cum amplius illuſtraverint *BERNEGGERUS ad noſtrum l. XXVI. c. 1. §. 8.* & *GRUTERUS ad Tacit. diſc. XXXI.* non opus multa hujus generis coacervare. Forte tamen non abs re erit, hunc orbitatis dolorem elegantiſſimis temporum noſtrorum ſcriptoris verbis delineare: Affectibus humanis omnibus tenerior eſt æternitatis cupiditas, quam cum ſibi promittere nemo poſſit, quærit tamen in poſteris, quorum anima etiam morituri credunt, ſe vivere. Iniquiſſime expirant, qui fruſtra affectato paterno nomine nihil ſui relinquunt; ii præſertim qui majorum ſuorum agmen claudunt ultimi, & non ſibi tantum ſed nomini generique parant exequias, quod denique radicitus perire eſt.

§. X.

Epiſtola exinterato lepori inſeritur.

Sic ſcriptum in MS. reperit Bongarſius, voce ab interioribus ducta, ſed Voſſius in lexico etymol. mavult exenterato quaſi ab ἔντερον derivata. Hiſtoriam habent *HERODOTUS part. I. cap. 123. POLYÆNUS Strateg. lib. VII. SABELLICUS l. X. c. 6.* Cætera, non leve rei bellicæ momentum in literis occulte transferendis ſitum eſſe conſtat, adeo ut ſi illæ pereant, ſaluberrima ſæpe conſilia non tantum irrita fiant, verum etiam in proprium mittentis exitium convertantur. Varia igitur hoc fini excogitata ſunt ſtrategemata, quæ ex *POLYÆNO, FRONTINO l. III. c. 13. CASAUBONO ad Æneæ Poliorcet. ZWINGERO theatr. V. H. vol. VII. l. 3. RANZOVIO commentar. belli lib. II. cap. 7.* aliisque peti poſſunt. Sic calceis, ocreis, cingulis, baculis, ipſisque adeo tormentariis globulis inſeruerunt

(a) *Animum minacem fregit*) Alii legunt, fregit animum minatione ſive comminatione, qua Cyrum ab ulteriore conatu ſatis deterrere poſſe ſibi viſus eſt.

(b) *Filium interfecit*) Commemorat idem SENECA *de ira lib. 3. c. 15.* Perperam autem hoc facinus THEOPHILUS *ad Autolycum lib. III.* non Aſtyagi ſed Cambyſi tribuit.

Digitized by Google

runt literas. Audi *THVANVM* 1. Corruptus ab ordinibus Belgii Stenvicæ in Friſia defendendæ præfectus, cum incerta auxilii res urbem turbaret, hanc mittendarum & recipiendarum literarum rationem commentus eſt. Globos plumbeos bilibres biforatos fundi jubet, unique epiſtolam, alteri ex foraminibus igneam materiam apte inſeri, ut globi fumantes indicio inde facto facilius percipi poſſent. Hoc artificio inter obſeſſos & auxiliares, qui non procul erant, quotidie commeabant, l. LXXIV. Eosdem globos tabellarios in obſidione Turinenſi regionis Pedemontanæ annis abhinc XXIV. adhibitos fuiſſe accepimus. De columbis tabellariis *MAJOLVS tom. I. colloq. 6. & tom. II. dier. canic. colloq. 2. ROB. REVCHENIVS ad Frontin. lib. III. c. 13.* & qui reliquorum omnium induſtriam vicit vir Cl. *HENR. BANGERTVS in edecumatis ad chronic. Slavor. Arnoldi notis l. V. c. 3.* Pulchra vero imprimis ſunt cedroque dignisſima, quæ de toto hoc argumento diſſeruit Sereniſſ. *GVSTAVUS SELENUS in cryptograph. l. IIX. c. 7.*

Ut ſub ſpecie venatoris.

Qui antiquisſimis temporibus ſervierant, quod vel ex Salluſtio conſtat, qui in 8. Catil. venationem inter ſervilia munia refert. Non fuit conſilium ſocordia atque deſidia bonum ocium conterere: neque vero agrum colendo aut venando ſervilibus officiis intentum ætatem agere.

Exercitationis ad Juſtini lib. I. cap. VI.

Summarium.

VEteres aliquid divini ſomniis ineſſe credebant. Dux ſomni ſit impatiens. Antelucanum tempus gerendis rebus aptiſſimum. Ergaſtulum. Iſidorus reprehenditur. Servi ergaſtularii foſſores dicti. Ergaſtularius. Quinam de ergaſtulis ſcripſerint. Compedes ſervorum in ergaſtulis. Pedes annulati. Perſepolis laudes, palatium, ejusque rudera. Duces ante pugnam ſpe prædæ aliorumque præmiorum milites excitant. Ejusmodi promiſſa ſunt honeſta. Homini injuria affecto nihil tuto committendum. Roſarium Sadi Perſicum laudatur. Princeps an pugna intererit? Fugiendi occaſio militibus præſcindenda. Fuga deſperatio victoriæ cauſa. Perſepolitanarum mulierum præmium. Pudor victoriæ pararius. Cyrus non occidit patrem, ſed regno exuit. Hyrcania. Finis imperii Medorum.

§. I.

Eadem ſomnio aggredi juſſus eſt.

FOrte propterea, quod antiquitas divinitatis quidquam ineſſe ſomniis credebat, monentibus aliis, interque eos *DEMPSTERO ad Roſin. l. II. c. 2.*

§. II.

Antelucano tempore.

Nimirum ſomni impatientem eſſe decet ad magna adſpirantem, & imprimis ductorem exercitus. *JVLIANVS orat. III.* de Conſtantii laudibus imperatoris mores efformans, ipſum ſomno haut multum indulgentem eſſe cupit. Ὕπνῳ τε εἴκων ὀλίγα, καὶ τὴν ἀργίαν ἀποστρεφόμενος. Ἀληθῶς γὰρ οὐδεὶς οὐδενὸς οὐδὲν ἄξιος καθεύδων ἀνήρ, ἢ καὶ ἐγρηγορὼς τοῖς καθεύδουσιν ἐμφερής. Imperator ſomno haud multum indulgeat, ac deſidiam averſetur. Etenim revera nullam ad rem utilis eſſe poteſt homo dormiens, aut vigilans dormienti ſimilis. De Æneæ vigilantia *VIRGILIVS I. Æneid.*

At pius Æneas per noctem plurima volvens,
Ut primum lux alma data eſt exire, locosque
Explorare novos.

Qualis etiam ille de quo *VALERIVS FLACCVS Argon. l. I. v. 296.* Impatiens ſomni ductor manet. Agiſelaum eo nomine commendat *PLVTARCHVS in apophth.* quod videlicet ſomno uſus ſit non ut domino, ſed eum in omnibus actionibus ſuis habuerit obedientem. Et Cæſarem *VELLEJVS l. II. c. 41.* quod ſomno in vitam non in voluptatem uſus fuerit. Et plura ſane hujus generis pasſim in hiſtoriis obſervare licet: quemadmodum non pauca jam tum obſervavit Jacobus Andreas Cruſius in eruditiſſ. de nocte lucubrationibus cap. VI. Quantopere autem antelucanum tempus gerendis rebus aptum ſit, neminem opinor latebit, niſi cui pulchrum eſt in medios dormire dies & ad ſtrepitum citharæ ceſſatam ducere curam, ut *HORATIVS canit lib. I. epiſt. 2.*

Servum de ergaſtulo.

Ergaſtulum, quod a Græco ἐργάζεσθαι nomen habet, locus erat, in quo ſervi vincti operabantur. Philoxenus in gloſſis: Ergaſtulum τόπος, ἐν ᾧ δεσμῶται ἐργάζονται, quæ verba apud *VOSSIVM in etymolog.* ita ſe habent: Ergaſtulum, ἐργαστήριον; item ergaſtula τόποι ἐν οἷς ἐργάζονται. Δεσμωτήρια. Iſidorus uberius, ſed minime verius ita deſcribit: *Ergaſtula, ubi deputantur noxii ad aliquod opus faciendum, ut ſolent gladiatores & exules, qui marmora ſecant & tamen vinculorum cuſtodiis alligati ſunt.* Non ſemel in hac deſcriptione peccaſſe Iſidorum præclare oſtendit *LIPSIVS in electis:* quæ huc omnia referre nec libet nec licet. Potiſſimus ergaſtulorum finis erat agricultura, quemadmodum id multa veterum loca evincunt. Clariſſime omnium *FLORVS lib. III. cap. 19.* Hic ad cultum agri frequentia ergaſtula. Hinc etiam vincti illi ſervi foſſores dicebantur: Lucanus, vincto foſſore coluntur Heſperiæ ſegites. *HORATIVS lib. III. Od. 18.* inviſam foſſori terram canit. Talis foſſo-

foſſoris imago cernitur in antiqua ærea icuncula, quam in commentario de ſervis exhibet Pignorius. Præfectus huic carceri ergaſtularius dicebatur teſte *COLVMELLA lib. I. cap. 8* quem etiam ergaſtulum vocatum fuiſſe Nonius ex Lucilio confirmare conatur, quamquam Lipſius ſervos ipſos, non cuſtodes intelligi, atque idcirco Nonium in eo hallucinari putat. Et recte quidem, cum & *FLORVS lib. IV. cap. 5.* ergaſtula pro ſervis ergaſtulariis dixerit. Plura non addam, tum omnem ergaſtulorum antiquitatem ex vetuſtis literarum monimentis plures jam eruerint, interque eos *BARNABAS BRISSONIVS ſelectarum ex jure civili antiquit. lib. II. cap. 9. LAVRENTIVS PIGNORIVS commentar. de ſervis pag. 251. CLAVDIVS SALMASIVS ad Ælium Spartianum, JOHANNES RHODIVS notis ad Scribonium p. 313.* & omnium optime *JVSTVS LIPSIVS elector. lib. II. c. 15.* ubi ergaſtulorum origines, finem, locum, homines, modum diſtincte ediſſerit.

Demptis compedibus.

Hæ erant ſervis ergaſtulariis dicatæ. *CICERO pro Rabirio:* ille ex compedibus atque ergaſtulo *GRACCHVS. JUVENAL. ſat. II.*

Squallidus in magna faſtidit compede foſſor.

TIBVLLVS eleg. VII.

Spes etiam valida ſolatur compede victum,
Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.

PLAVTVS captiv. III. 5. 64. Ducite, ubi ponderoſas, craſſas capiat compedes. Et mox: Jube huic craſſas compedes imponi. Et *V. 1. 24.* in lapicidinas compeditum condidi. *TERENTIVS Phorm. I. 5. 19.* habendæ compedes: opus ruri faciundum. Hinc *FLORVS III. 19. 3.* ſervos hos appellat catenatos cultores: & Apulejus pedes iis tribuit annulatos. Nam & annulorum nomine compedes nonnunquam venire ex Martiale conſtat, id quod jam tum obſervarunt *LIPSIVS II. & KIRCHMANNVS de annulis cap. 1. RVPERTVS ad Florum lib. IV. c. 8. p. 654.*

Perſepolim. (a)

Quæ a *noſtro XI, 14. 10. CVRTIO, II, 5. 28. PLINIO VI. 25.* caput Regni Perſici; a Diodoro μητρόπολις τῆς Περσῶν βασιλείας appellatur. Curtii digna memoratu verba, poſtquam incendium huic urbi ab Alexandro illatum recenſuerat, hæc ſunt. Hunc exitum habuit regia totius orientis, unde tot gentes ante jura petebant, patria tot Regum, unicus quondam Græciæ terror &c. Palatium in hac urbe exſtruxit Cyrus teſte *ÆLIANO lib. I. animal. cap. 35.* Cujus magnificam ſtructuram deſcribit *DIODORVS lib. XVII.* Rudera hujus palatii luſtraturus adeat Nobiliſs. *JOH ALBRECHT a MANDESLO itinerar. orientale lib. I. cap. 5.* & conferat in id notas Excell. *ADAMI OLEARII.*

§. VII.

Latis omnibus.

Hiſtoriam enumerant *HERODOTVS lib. I. POLYÆNVS lib. VII. FRONTINVS lib. I. cap. 11. STRATEV S. 19.* Exemplum autem Cyri æmulantur prudentes belli duces, cum militum animos præmiorum pollicitatione & jucundæ vitæ poſt res in prælio bene geſtas illecebris excitant. Sic enim fieri ſolet, ut ad hoſtiles copias fundendas non parum alacriores reddantur, nihilque intentatum relinquant. Ita Bremnus ad acuendos ſuorum animos prædæ ubertatem omnibus oſtendebat; *JVSTIN. XXIV. 7. 10.* Ad efficiendos milites promtos & alacres, inquit Cyrus, nihil mihi magis idoneum videtur eſſe, quam bonas in eorum animis ſpes excitare poſſe; apud Xenophontem in Cyro pæd. Videndum tamen ne hæ pollicitationes honeſtatis limites excedant. Quis enim non damnet illius ducis impietatem, qui ſtuprorum poſt exantlatos labores licentiam militibus polliceatur?

Aſtyages meriti ſui in Harpagum oblitus.

Proprium humani ingenii eſt, ait *TACITVS, odiſſe quem laeſeris. Agric. XLII, 6.* ideoque diligenter providendum eſt, ne homini, qui aliqua graviori injuria affectus eſt, aut ſaltem affectum eſſe ſeſe exiſtimat, magni momenti res procuranda committatur. Tanta enim ultionis cupiditas in animis hominum manet, ut in omnes temporum occaſiones excubent, eaque oblata occultam diu iram effundant. Egregius hanc in rem locus eſt in Musladini Sadi Roſario monitis & exemplis politicis refertiſſimo, quem πολυμαθέστατος *ADAMVS OLEARIVS* Germanice, *GEORGIVS GENTIVS* Latine loquentem fecit. *lib. III. cap. 27. Sapientum ſententia eſt: cujuscunque animum offenderis ſemel, etſi poſtea centum beneficia contuleris, a vindicta illius unius injuriæ ſecurus eſſe nolito.* Sagitta quidem eximitur vulneri, ſed acceptæ injuriæ memoria in animo altiſſime reſidet. Quam bene monuit Bechtoſchus & Chiltaſchus:

Si hoſtem exacerbaveris, ſecurus ne eſto,
Securus eſſe nolito, in animi dolores incides,
Si te auctore animus offenſus fuerit.
Lapidem in arcis murum ne projicias,
Fieri quippe poteſt, ut ex arce lapis quoque ruat.

§. X. *Ipſi*

(a) *Perſepolin*) Eam reſtauratam poſt Alexandri everſionem a nemine traditur, quamvis & Ptolomæus & Ammianus ejus meminerint. Sita erat in confinibus Carmaniæ ad Araxen fluvium. Cæterum non modo Perſepolis apud Curtium, ſed & Babylon caput & ſedes imperii apud Strabonem dicitur: atque adeo Cyrus ſubjectis ſibi populis Aſiaticis deinde diverſas ſedes regias habuit, quarum in numero etiam Suſæ commemorantur apud Strabonem, quorſum Cyrus ſedem tranſtulerit, poſtquam ſubactis Medis e re publica eſſe duxerit, ut regia in interiora regni promoveretur.

§. X.

Ipſe Aſtyages in Perſas proficiſcitur.

Quæritur a ſtudioſis rei bellicæ, utrum conducat, ut Princeps ipſe in diſcrimen prælii deſcendat, an per duces ſuos id adminiſtrari curet. Affirmant alii multis argumentis, nec ſine illis pugnant contrarium ſentientes. Nos mediam viam ſecuti inter bella diſtinguimus, quæ ſi minoris momenti ſunt, ſi extra imperii fines, ſi nondum ſatis firmatus ſit Princeps, tutius ducibus committuntur; cum vero hoſtis ad viſcera regni penetrat, & de ſumma rerum alea jacienda eſt, & ab unius prælii eventu res ad incitas redactæ dependent, ſummi capitis præſentia requiritur. Tum enim pugnet alacriter & vel victoria vel morte glorioſa præveniat pejorem fortunam. Et hanc quidem diſtinctionem etiam Alexandri duces proponunt apud *CVRTIVM IX, 6, 14. Obſcura bella & ignobiles pugnas nobis depoſcimus: temetipſum ad ea ſacra, quæ magnitudinem tuam capiunt.* Conf. ſi placet *GRVTERVM Diſcurſ. in Tacit. XXI. LIPSIVM lib. V. polit. cap. 41. FREINSHEMIVM ad Curt. III. 2, 1. BERNEGGERVM quæſt. miſc. in Tacit. Germ. LXX. ZEVECOTIVM ad Suetonii Julium cap. 62. MAJOLVM dier. canic. tom. III. colloq. 2. RANZOVIVM comment. Bell. lib. II cap. 1. MAGIRVM in polymn. p. 823. ſeqq.*

Partem exercitus a tergo ponit &c.

Optimo ſane conſilio Aſtyages fugæ tranſitum præcluſit militibus; quo ipſo ingens poſt neceſſitatem pugnandi animus exercitui acceſſit: cum e contrario, quanto plus ſpei ad effugium, tanto minor eſt ad reſiſtendum animus; ut inquit *TACITVS hiſt. III, 18.* Eodem conſilio infra *lib. XXXI, 8.* M. Æmilius tribunus militum ad tutelam caſtrorum relictus fugientibus minatur, morituros dicens, niſi in prælium revertantur, infeſtioraque ſua quam hoſtium caſtra inventuros. Vide etiam *LIVIVM lib. IV. dec. 7.* Sic Q. Furius averſo exercitu cum occurriſſet, affirmavit non recepturum ſe in caſtra quemquam niſi victorem: reductisque in aciem ſuis, victoria potitus eſt. Et Scipio apud Numantiam cum averſum ſuum videret exercitum, pronunciavit, ſibi pro hoſte futurum, quisquis in caſtra rediſſet; quemadmodum hæc & hujus generis alia recenſet *FRONTINVS ſtrategem. lib. II. cap. 8.* ubi etiam illud Philippi omnino notandum, qui veritus, ne impetum Scytharum ſui non ſuſtinerent, fideliſſimos equitum a tergo poſuit, præcepitque, ne quem commilitonum ex acie fugere paterentur, perſeverantius abeuntes trucidarent. Qua denunciatione cum effeciſſet, ut etiam timidiſſimi mallent ab hoſtibus quam a ſuis interfici, victoriam acquiſivit. Geminum quoque ſupplicium apud Valer. Max. militibus ſuis minitatus eſt Q. Metellus, qui etiam his minis adacti iniquitatem loci & multitudinem hoſtium ſuperarunt; *lib. II. cap. 7, 10.* Exemplo veterum, Alexandri inprimis Curtio & Diodoro teſtibus; Agathoclis Juſtino XXII. 6. 4. Corcyræorum Thucydide III. 13, 22. Patrum noſtrorum memoria generoſus comes Mauritius Naſſovius in prælo Neoportenſi cum Archiduce, naves omnes a littore juſſit abduci, ut omnem fugituris ſpem ſalutis præriperet: cujus etiam conſilii beneficio eam victoriam obtinuit, cujus fama dum mundus erit, omnes horrore ſimul & ſtupore percellet. Acerrima igitur virtus eſt, quam ultima neceſſitas extundit, inquit *SENECA lib. I. de Clement. cap. 12.* Et juxta Valerium, humanæ imbecillitatis efficaciſſimum duramentum eſt neceſſitas, quæ deſperatos in rabiem vertit; & plerumque qui penitus de vita deſperaverant, ex timidis longe pugnaciſſimos facit, ut cenſet *JOVIVS lib. II. hiſtor.* Sed deſino, & quæ de hac deſperatione dici debent, in commodiorem locum differo.

§. XIII.

Matres & uxores.

Refert idem PLVTARCHVS (a) *libro de virtutibus mulierum cap. 9.* & addit a Cyro proinde lege lata cautum, ut quotiescunque Rex peregre rediens, vel aliunde adveniens Perſepolim ingrederetur, ſingulis matronis aureum donaret nummum: atque hujus largitionis evitandæ gratia, rarius eam regionem & urbem Principes aliquot adiiſſe: Ochum vero, hominem extreme avarum ejus ingreſſu plane abſtinuiſſe: Alexandrum contra bis intraſſe & gravidis duplum perſolviſſe.

§. XV.

Hac repreſſi caſtigatione.

SILIVS Ital. lib. I.

Tum pudor accendit mentem, nec conſcia fallit
Virtus preſſa loca.

Pudor eſt qui animos generoſos urit, & labantes etiam ad virtutem ſtimulat. Pudor eſt qui ſæpe res perditas ſervavit in præliis, inquit *PLINIVS, lib. XXXVI, 15.* Sophoclis Græca ſunt in Ajace Lorario verſ. 101.

Δέος γὰρ ᾧ πρόσεστιν αἰσχύνηθ' ὁμοῦ
Σωτηρίαν ἔχοντα τόνδ' ἐπίστασο.

Quæ ſic vertit Scaliger: Nam qui timoris & pudoris compos eſt, hunc poſſe ſpera ſoſpitem conſiſtere. Sæpius igitur inclinatas militum acies pudor repreſſit, cum videlicet duces vel oratione vel factis ipſis in ruborem ſuos dederunt, & ſic a fuga ad pugnam, a pugna ad victoriam revocarunt: quod Syllæ & Cæſaris exempla demonſtrant, quæ ex *PLVTARCHO in Sylla cap. XLII.* & *APPIANO de bello civil. lib. II.* peti poſſunt.

§. XVI. Cui

(a) *Refert Plutarchus*) Nec abſimilia TACITVS *de Germanis cap.* 8. ab init.

§. XVI.

Cui Cyrus nihil aliud quam regnum abſtulit &c. (a)

At enim *JULIANUS orat. I. de Conſtantii laudibus*, id quoque vituperio dignum arguit. Sic enim ille Conſtantium alloquitur: Ἀρ᾽ ἐκ τούτο μὲν ἄμεινον καὶ δικαιότερον προσηνέχθης: ἢ Κῦρος τῷ Πάππῳ. Et poſtea: ὁ δὲ, Cyrum cape, ἀφείλετο τὴν ἀρχὴν τὸν Πάππον quaſi quodammodo indignabundus exclamat. Quam quidem indignationem homine Chriſtiano, qualis tum adhuc erat Julianus, non indignam eſſe cenſeo. Sed plane in Cyrum noſtrum injurius eſt Iſocrates, qui παρ᾽ ἱστορίαν, ut Evagoræ cauſam duntaxat amplificaret, Κῦρον τὸν πατέρα τῆς μητρὸς occidiſſe, declamare non erubuit.

Eumque maxima genti Hyrcanorum præpoſuit.

Sed *XENOPHON lib. IV. Cyropæd.* non adeo magnam fuiſſe ſcribit: Hyrcani, inquit, ſunt Aſſyriis finitimi: natio non illa quidem magna: qua etiam de cauſa imperio Aſſyriorum ſubjecti erant. Hyrcaniæ ſitum, flumina, gentes, urbesque deſcripſit *PTOLEMÆUS lib. VI. cap. 2.* & tangunt *STRABO lib. XI. SOLINUS cap. XXVII. CURTIUS lib. V. 4. 16.* Hodiernam ejus faciem præclare delineavit *ADAMUS OLEARIUS itinerar. Perſ. lib. V. cap. 3.* cui propterea multum debent Geographorum filii.

§. XVII.

Hic finis Medorum imperii fuit.

Sunt qui Aſtyagem Darium Medum, (b) quem alii Cyaxarem appellant, genuiſſe, & in eo imperii Medorum finem fuiſſe putant. Sed erroneam eorum eſſe ſententiam oſtendit *RUPERTUS obſerv. ad Beſold. cap. IV. pag. 63. ſeq.*

Exercitatio in Juſtini Libri I. Caput VII.

Summarium.

Illuſtre matrimonium magnorum meritorum præmium. Novum imperium mutationibus obnoxium; ejus rei cauſa. Mediolanum cur a Ludovico XII. defecerit. In novo imperio probe omnia diſponenda. Crœſi divitiæ. Facilitas ferendi auxilii multis pernicioſa. Memorabile Philippi Haſſiæ Landgravii dictum. Crœſus ſua ſibi culpa hoſtem attraxit. Bella contra cohortes auxiliares juſta. Adverſum prælium multa comitantur incommoda. Crœſi clades miraque fortuna. Clementia non minus victori quam victo utilis. Principe in aliis bellis occupato deficiunt noviter ſubacti. Victis arma adimuntur. Voluptatibus tyranni in officio continent, quos armis nequeunt. Voluptates imbelles reddunt milites. Lydorum Reges. Lectio vulgata Juſtini defenſa. Candaulis hiſtoria. Stulti amantes loquaces. Secreta matrimonii non publicanda. Gyges, Gygis annulus. Nudum corpus ſpectare turpe. Non omnes mulieres exuta tunica verecundiam exuunt.

§. I.

Cyrus ſororem ſuam Sybari in matrimonium dedit.

Æquum eſt ut magnis virtutibus magna proponantur præmia. Quodnam autem majus eſſe poteſt præmium, quam ſi princeps viro humili, aut ſaltim longe inferiori, quam eſt ipſe loco nato, inſignibus tamen meritis conſpicuo, filiam aut ſororem in matrimonium collocet? Quod quantopere ſit æſtimandum vel hæc Davidis verba arguunt. : Num parum vobis videtur Regis generum eſſe, 1. Sam. 18. verſ. 23. Exempla apud omnes fere Hiſtoricos ſunt obvia, ut non opus ſit ea huc transſcribere.

Tributariæ civitates mutato imperio &c. defecerunt.

Acute *TACITUS hiſt. V. 10. 4.* Simul manere apud exercitus Titum ad omnes principatus novi eventus caſusve utile videbatur. Si quod enim rebus novis tempus aptum eſt, novum certe eſt imperium. Quemadmodum enim remotis gubernatoribus navim frangi, magnaque & eminentia ædificia ſubrutis columnis collabi neceſſum eſt, ſic futurarum calamitatum & imminentium turbarum minus fallax ſæpe eſt indicium, quando viri Principes, quorum & prudentia & fortitudine cum pari felicitate juncta, reſpubl. velut ſuffulta diu ſtetit, decedunt, aut quod illi habuerant, in alios, quocunque demum modo id fiat, transfertur imperium. Quare non male Alexander apud *CURTIUM VI. 3. 8. Quid? creditis tot gentes alterius imperio ac nomine adſuetas, non ſacris, moribus, non commercio linguæ nobiſcum cohærentes eodem prælio domitas eſſe, quo victæ ſunt? Veſtris armis continentur, non ſuis moribus: & qui præſentes metuunt, in abſentia hoſtes erunt. Hinc eſt quod tributarii populi novum imperium belli cladibus non ſatis domiti aſpernentur.* Tum enim & vetera quæ olim cineribus quaſi obvoluta & ſubinde exſtincta videbantur odia, in maximas erumpunt flammas, & dum non-

(a) *Cyrus regnum abſtulit*) De juſtitia hujus belli videatur quoque SCHURTZFLEISCH *in opp. hiſt. polit. pag.* 28. 29.

(b) *Sunt qui Aſtyagen Darium Medum genuiſſe*) Ita ſentiunt JAC. USSERIUS *annal. æt. mundi* 6. *pag.* 82. ex eoque GEORG. HORNIUS *annot. in Sulpit. Severi hiſt.* 2. *cap.* 10. & JOH. CHRISTOPH WAGENSEILIUS *in mantiſſa de* 70. *hebdomadibus Danielis pag.* 40. ſecuti hac in re JOSEPHUM *antiq. Jud. X,* 12. a quibus tamen diſſentit SCHURTZFLEISCH *l. c. p.* 22. 23. *ſeqq.* JOH. MARSHAMUS autem *in canone chronico ſec.* 18. *p.* 605. 620. hanc controverſiam ita dirimere conatus fuit, ut duos Reges Aſtyagis nomine inſignitos ſtatueret, ſed ingenio magis hac in re indulſit.

nondum pœna firmatum eſt noviter imperantis ſolium, ſpes excutiendi jugum creſcit, & non raro etiam felicia incrementa capit. Præterea eos etiam, qui conſilio atque ope Principem juverunt, ab ipſo novis copiis alendis aliisque incommodis, quæ recens occupatum imperium ſecum trahit, offendi ſæpe neceſſe eſt. Interdum quoque horum de Principe concepta opinio & affectio mutat, quod vel virtutes, quas in illo expectaverant, non inveniant: vel ſe pro meritorum magnitudine ab ingrato Principe parum coli aut beneficiis affici arbitrentur. Quæ cauſa fuit, ob quam a Ludovico XII. Galliæ Rege Mediolanenſes defecerunt. Perſuaſerant enim illi ſibi enormem quandam & inexhauſtam Regis liberalitatem, & omnium vectigalium immunitatem. Qua cum ſpe exciderent, amorem in odium verterunt. (*Vid. GVICCIARDIN. in lib. IV. hiſtor.*) Quapropter etiam in novo regno accurate omnia & diligenter diſponenda & munienda ſunt, ne quid præter opinionem accidat, quodque majoribus periculis anſam præbeat. Et hanc etiam cauſam fuiſſe reor, cur nonnunquam mors Principum tamdiu celata fuerit, donec omnes & ſingulæ res firmando imperio ſint diſpoſitæ.

Croeſi opes & divitiæ inſignes ea tempeſtate.

Hujus divitiæ tantæ referuntur, ut etiam in proverbium abierint. Meminit illarum *PLATO* in *dialog. CICERO lib. IV. de finibus. JUVENAL. Sat. XIV. PLINIVS lib. XXXIII. c. 3. TERTVLLIAN. apologet. c. XI. DIO CHRYSOSTOM. orat. LXIV. AVSON. epig. LIII. SVIDAS in κροῖσος, EVSTATH. ad Iliad. Homeri B. pag. 366.* Huc etiam reſpexiſſe puto *PAPINIVM in Surrentino lib. II. ſylv. 2. v. 121.* Vive Midæ gazis & Lydo ditior auro.

§. IV.

Cyrus poſt victoriam bellum transfert in Lydiam. (a)

Facilitas ferendi auxilii multorum vires fregit, ipſosque avito imperio exuit. Niſi ergo id aut honeſtatis ratio, aut ſumma reipubl. ſalus expoſcat, minime te alienis bellis immiſce. Triſtia tot exempla de infelici exitu te docent, melius rebus tuis proſpicere. Nam ſi is, cui in auxilium venis, ditionibus ſuis plane excidit, proximus tu eris, aut ſi victo leges præſcribuntur, non raro, ne ipſe pereat, te a pacis conſortio excludere neceſſum habet. Quodſi Ragozius a turbis Polonicis abſtinuiſſet, ſibi, poſteris, regioni ſuæ forſan & univerſæ Hungariæ finitimisque populis, melius conſuluiſſet. Dignum obſervatu eſt, quod de Philippo Seniore Haſſiæ Landgravio circumfertur. Cum enim ille a quibusdam imperii ſtatibus ad bellum Alſaticum ſollicitaretur, ac inter cœnandum obdormiſceret, paulo poſt expergefactus legatos, qui de felici hujus eventu & inſignibus commodis interea diſſeruerant, Germanicis hisce rythmis dimiſit: *Iſt dir wol, ſo bleib davon, daſs du nicht kriegeſt böſen Lohn.* Prudenter etiam fecerunt Heraclienſes, de quibus *MEMNON apud Photium cap. XXXIIX.* L. Muræna & Mithridates pro ſe quisque contra alterum per legatos Heraclienſes de auxiliis ſollicitabant. Sed cum potentia Romanorum formidabilis videretur ipſis, & Mithridatis etiam vicinitatem timerent, legatis reſpondent: in tanta bellorum tempeſtate difficulter ſe proprios lares tueri, nedum aliis auxiliari poſſe. Atque hæc quæ dixi illuſtrat etiam Græcorum adagium, quod eſt apud Apoſtolium Proverb. *Ἀνδρὶ Λυδῷ πράγματα οὐκ ἦν, ἀλλ' αὐτὸς ἐλθὼν ἐπρίατο ἐπὶ τῶν κακὰ ἑαυτοῖς ἐπισπωμένων. Κροῖσος γὰρ ἑαυτῷ πόλεμον ἐπεσπάσατο Κῦρον.* Viro Lydo non erant negotia, ſed ipſe veniens ſibi coemit de iis, qui ſibimetipſis mala accerſunt. *Crœſus enim ſua ſibi culpa Cyrum hoſtem attraxit.* (b) Et vero juſtam hujusmodi bellorum cauſam eſſe vix dubitamus. Si enim eos, qui hoſtibus res neceſſarias tantummodo ſubminiſtrarunt, ſecundum Grotium pro hoſtibus agnoſcere & debellare licet, multo magis id tum licebit, cum ipſi cum exercitu hoſtibus in auxilium veniunt.

§. V.

Ibi fortuna prioris prælii jam perculſum Croeſi exercitum &c.

Hoc eſt, quod ad cap. 1. dixi, ad illa Juſtini: Proxima quæque victoria inſtrumentum ſequentis. Quam in rem pulchra congeſſit *FREINSHEMIVS ad Florum II. 1. 2.* Quo etiam illa Cominæi refero: Dici non poteſt, quantas ſecum incommoditates trahat adverſum prælium: ubi qui victoriam adeptus eſt, amplificat ſuam auctoritatem, & facile quidvis impetrat, & militem habet ad quævis obſequentem. Aliam inſuper cauſam affert *ZEVECOTIVS obſ. ad Flor. II. 1.* Primæ Principum victoriæ, inquit, plerumque ſequentes inſtruunt, & earum ſunt cauſæ: dum victores non ſuis tantum, ſed eorum etiam quos vicerunt, armis reliquos invadunt. Auctori vero noſtro conſentit ille apud Thucydid. lib. II. *Ἡσσημένων ἀνδρῶν οὐκ ἐθέλουσιν αἱ γνῶμαι πρὸς τοὺς κινδύνους ὁμοῖαι εἶναι.* Virorum qui victi fuerunt, animi ad eadem pericula ſubeunda pares eſſe non ſolent. Sed de Crœſi clade miraque fortuna vid. *HERODOT. lib. I. NICOLAVM DAMASC. in excerpt. Peireſc. p. 454.* quæ etiam habentur *in epiſt. GROTII ad Gallos cap. X. p. 307.* & tangunt *BOETHIVS de conſol. Phil. lib. II. proſ. 2. SENECA de tranq. animi cap. 11. AVSON. in ludo VII. ſapient.*

§. VIII. *Hæc*

(a) *bellum transfert in Lydiam*) Sic etiam STRABO *geogr. lib. XV.* ait, Cyrum redactis in poteſtatem Medis ſtatim invaſiſſe Lydos, & reliquos Aſiæ populos viciſſe ditionique ſuæ ſubjeciſſe. Apud Medos autem Lydosve magnam tum temporis fuiſſe opum vim, quæ nervum belli & robur, materiamque ſtipendiis præbet, oſtendit SCHVRTZFLEISCH *l. c. p. 23. ſeqq.* idemque *pag. 32.* JVSTINVM hic ordinem bellorum & temporum invertiſſe obſervat, dum Babylonios ante Lydos ſuperatos memoriæ prodidit, quod in expedito ſit, ex primo Herodoti & Xenoph. Cyropæd. ſeptimo libris corrigere.

(b) *Crœſus ſua ſibi culpa hoſtem attraxit*) Verum obſervante VOSSIO *in h. l.* omnes tradunt, jam tum temporis Crœſum a Cyro victum captumque fuiſſe, cum Babylonis bellum inferret, unde videri nequeat, quomodo iis opem tulerit. Proinde Trogus videtur, ut ſæpe, alios autores ſecutus

§. VIII.

Hæc clementia non minus victori quam victo utilis fuit.

Dixi quædam de victoris clementia *exercitat. II.* & dixere alii multis. Certe inexpectata ejusmodi clementia, ſiquidem victi ingenuo ſint ingenio, ex inimicisſimis conjunctisſimos ſæpe facit; non raro etiam apud victi ſocios eandem ſibi victor parat benevolentiam, qui dum nihil crudelius conſultum in victum ſentiunt, non habent quod querantur, nil quod victori exprobrent. Quam magnifice ergo ſuam hanc clementiam deprædicat *Alexander apud CVRTIVM VIII. 8. 10. Veni in Aſiam, non ut funditus everterem gentes; nec ut illos quoque, quos bello ſubegiſſem, victoria mea non pæniteret.* Quantivis pretii dictum inquit, *FREINSHEMIVS:* cui tamen par illud Theodorici *apud CASSIOD. var. epiſt. III. 43.* Nobis propoſitum eſt Deo juvante ſic vincere, ut ſubjecti ſe doleant noſtrum dominium tardius acquiſiviſſe. Hinc Corn. Scipionem tum demum victoriam & apud Deos & apud homines minimum invidiæ habituram crediditſe, cum plurimum humanitatis habuiſſet; ſignanter ſcribit *VAL. MAX. lib. V. cap. I.* Nihil enim tam Deo ac hominibus inviſum quam poſt victoriam impotens animus. Omnes autem clementiæ laudes ſuperat me judice unicus Claudiani verſus:

Sola Deos æquat clementia nobis.

§. XI.

Occupato in aliis bellis Cyro Lydi rebellavere.

Commodum ſane tempus ſe in priſtinam libertatem vindicandi, aut amiſſa recuperandi; quod vel recentisſima exempla teſtatum fecere.

§. XII.

Quibus iterum victis arma & equi ademti.

ὀυκ ἔχοντες ὅπλα γίνονται χεδὸν δῦλοι τῶν τὰ ὅπλα κεκτημένων. Qui arma non habent, facile ſervi fiunt eorum, qui arma poſſident, inquit *PHILOSOPHVS l. II. polit. c. 8.* Quare inter cætera continendis in officio gentibus inventa hoc etiam non poſtremum fuit, ut ferro privarentur, niſi quantum agrorum cultus poſceret; cujus rei inſigne in ſacris extat exemplum, 1. Reg. XIII. 22. Cum Philiſtæorum cura effectum eſt, ut non inveniretur enſis & lancea in manu totius populi, qui erant cum Saule & Jonathane, quo de loco vide quæ notavit Cl. *VRSINVS analect. ſacr. lib. II. quæſt. 3.* In fœdere, quod expulſis Regibus pop. Rom. dedit Porſenna, nominatim comprehenſum invenimus, inquit *PLINIVS l. XXXIV. 14.* ferro niſi in agricultura uterentur. Sic Poſthumius apud *FLORVM II. 3. 5.* Ligures ita exarmavit, ut vix reliquerit ferrum, quo terra coleretur. Eadem pœna ſeditioſos Talabrigenſes Brutus compeſcuit, ceu legere eſt apud *APPIANVM lib. de bello Hiſp. fol. 395.* M. Portius Coſ. cum multos ſubjugaſſet Hiſpaniæ populos iique defeciſſent, arma iis ademit: quam rem adeo ægre paſſi ſunt, ut mortem multi ſibimet ipſis conſciſcerent. *LIV. dec. IV. 4.* Sic qui juſſu Clementis VII. Anconam nobilem Italiæ urbem, ad id usque tempus liberam, per fraudem occuparant, Bernardus a Cara Caſalenſis Epiſcopus & Ludov. Gonzaga, ſummus exercitus Pontificii imperator, arma civibus omnibus ademerunt. Trajanus Decebalo Dacorum Regi pacem flagitanti, ut arma & bellica inſtrumenta machinasque & artifices traderet, imperavit; teſte Dione Caſſio. Verum non arma tantum victis ademta legimus, ſed interdum etiam materiam, ex qua cudi ſolent, quin & ipſam cudendi licentiam. Magna enim ubi populi eſt frequentia & materiæ copia in promptu, facile tum arma uſui accommoda parari poſſe certum eſt.

Juſſique caupona & ludicras artes & lenocinia exercere.

Hinc etiam natum eſt proverbium, quod habet *APOSTOLIVS cent. XII. 17.* Λύδος καπηλεύει, Κῦρος περιγινόμενος τῶν Λυδῶν καπηλεύειν ἀυτοῖς προςάξαι. Fertur Cyrus devictis Lydis, ut cauponas agerent injunxiſſe. Cæterum obſervari meretur callidum Cyri conſilium, quo devictos Lydos in officio continendos eſſe cenſuit; quo de ſic ad *TACITI lib. I. annal. FORSTNERVS:* Tyrannidis mitiſſimum arcanum eſt, velle luxui eſſe deditos, quorum ferocia imperantium arbitrio obſtitura timetur: in præcipuis urbibus vaſta exſtruere theatra, amphitheatra, circos, lacus in quibus ſaltationes, ludi, naumachiæ exerceantur, quarum rerum inſana dulcedine ubi ſemel ineſcatur vulgus, neque reip. curam ullam habere, neque militaris decoris & honeſti gloria tangi ſolet. Tum omne quod vivunt, vino & teſſeris impendunt & luſtris, & voluptatibus & ſpectaculis; eisque templum & habitaculum & concio & ſpes omnis circus eſt maximus; *AMMIAN. MARCELL. 28.* Hoc ille. Atque hoc arcanum tangens alibi Tacitus aſſerere non dubitat, plus voluptatibus quam armis Romanos adverſus ſubjectos valuiſſe. *Hiſt. IV. 65.* Sic Agricola inſtigante feroces illi Britanni paulatim diſceſſerunt ad delinimenta vitiorum, porticus & balnea & conviviorum elegantiam. Idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars ſervitutis eſſet. Quo conſilio efficitur, ut, quod idem hiſt. l. 30. ait, luxuria liberalitatis ſpecie imponat.

§. XIII.

Et ſic gens induſtria quondam potens &c.

Elegans in hanc rem eſt *CVRTII* locus *VI. 2. 1.* *Sic militarium rerum quam quietis otiique patientiorem Alexandrum excepere voluptates, & quem arma Perſarum non fregerant, vitia vicerunt.* *Summatim*

autem id notandum de militibus, eos a labore ac virtute degenerare aſſuetudine voluptatum, quæ ſunt verba *TACITI hiſt. II. 62. 2.* Quantopere elanguuerit in hybernis Campaniæ Hannibalis militum ardor, graviter ediſſerit *LIVIVS l. XXIII. c. 18.* Eodem modo exercitum ſuum corrupit Vitellius. De quo *TACITVS lib. II. hiſt. cap. 62. & 99.* Probe igitur attendat imperator illud *CLAUDIANI in IV. conſ. Honor. v. 320.*

— ſi bella tonant, prius agmina duris
Exerce ſtudiis & ſævo præſtrue Marti.
Non bruma requies: non hybernacula ſegnes
Enervent torpore manus.

Et paulo poſt:

Neu tibi regificis tentoria larga redundent
Deliciis, neque imbelles ad ſigna miniſtros
Luxuries armata trahat.

§. XIV.

Fuere Lydis multi ante Croeſum Reges.

Quinam vero illi fuerint diſceptant eruditi. *VBBO EMMIVS l. V. rer. chronol.* Heraclidas primos ibi regnaſſe autumat, ſed *RVPERTVS in obſ. ad Beſold.* id tam falſum, quam quod falſiſſimum eſſe ſcribit. Scaliger dynaſtiam primam in Agrone Nini tertio filio cœpiſſe: alteram fuiſſe Heraclidarum, ex quibus Princeps Atys, Herculis ex Omphale filius: tertiam Mermnadarum ab Agelao Lamente ſive Laomedonte; laud. loc. ſtatuit. Sed in hiſtoriis tam remotis nolim ego acrem contentionis ſerram cum aliquo reciprocare.

Nullus tamen fortuna Candauli comparandus.

Sunt qui fortuna auferendi caſu reſcribant, ſed invito Cl. Gronovio, qui obſervat. in eccleſ. ſcriptores c. X. vulgatam tuetur, & utroque modo gignendi caſum veteres extuliſſe plurimis exemplis evincit. Ita mox §. XIX. cædes Candauli & lib. III. c. 7. conſilia Pericli &c. Hiſtoria Candaulis exſtat apud *HERODOTVM l. I. c. 8. PLVTARCHVM ſympoſ. 1. quæſt. 5. SABELLICVM l. III. enn. 2. FVLGOSVM l. VI. memorab. c. I.* Uxorem ejus quidam Tudam, alii Clytiam vocant, Abro Abbas vetus ſcriptor, Nyſſam *PTOLOMÆVS HEPHÆSTION* apud *Photium cod. 190.*

§. XV.

Hic uxorem prædicare omnibus ſolebat &c.

Nemo ſtultus amans in ſinu gaudere poteſt. Idem infortunium jactantia ſua ſibi peperit Collatinus apud *LIVIVM l. I. c. 57.* nec in alium cenſum referri merentur Otho apud *TACITVM ann. XIII. 46.* item Oſmanes apud *LEVNCLAVIVM l. II. hiſt. Muſelm.* qui non didicerant, duobus in locis myſteriorum religionem eſſe in menſa & in thoro. Geminum exemplum annotavit *JANVS NICIVS ERYTHRÆVS* (ita enim vocari voluit Johannes Victorius Roſcius Romanus) *exempl. virtut. & vitior. LI.* Bene ergo *PATRITIVS lib. IV. de republ. c. IV.* monet: *Secreta matrimonii intra cubiculi parietes deliteſcere debere.*

Niſi matrimonii reticenda publicaret.

Satellitem facit Herodotus: alii amicum fuiſſe ſcribunt. Hujus alias Gygis annulus celebris eſt apud veteres, de quo vid. *PLATON. l. VI. de rep. CICER. l. III. offic.* aliosque a *KIRCHMANNO c. XIII. de annulis* laudatos; quibus adde *NAZIANZEN. invect. 1. in Julian.* item *orat. in laud. Baſilii. APOSTOLIVM proverb. Græc. cent. VI. 60.* Herodotus autem, cum hiſtoriam Gygis ſcriberet, apud Lydos aliosque populos magno probro fuiſſe ſcribit, etiam virum nudum conſpici. Et recte quidem. Nihil enim æque valet libidini excitandæ quam nudum ſpectare corpus. Nam brutus & vehemens quidam affectus eſt libido, & facile concitatur pudendarum rerum ſpectaculo. Quare etiam apud quasdam gentes turpe habitum fuit, ſi vel maritus nudum conjugis corpus ſpectaret. Quod autem Gyges apud eundem ſcriptorem, mulierem exuta tunica & verecundiam pariter exuere putat, id quidem minus recte dictum cenſet Plutarchus, cum caſtæ mulieres, poſita veſte ejus loco verecundiam induant.

Exercitatio in Juſtini Lib. I. Cap. IIX.

Summarium.

TAmyris Scytharum Regina. Muliebriter. Araxis fluvius. Quæſtionis, an domi hoſtis expectandus, an in propria ſede adoriundus; uberior diſcuſſio. Fluminis objectu fuga difficilior. Fuga hoſtis doloſa. Victi mero, bello victi. Nimium vini militi ante prælium datum, venenum. Filius unicus unice diligitur. Mulieres quare ad fletum proclives. Victores recenti victoria exultantes victi. Vulnus pro clade. Hoſtis an ad anguſtias perducendus. Ingens clades ubi ne nuncius ſupereſt. Extrema ſævitia ſævire in mortuos. Fulviæ crudelitas in caput Tullii. Sitire, διψᾶν, pro vehementer cupere. Sepulchrum Cyri.

§. II. *Scy-*

Digitized by Google

§. II.

Scytharum Regina Tamyris. (a)

NOmen hujus Reginæ non excutio. Hiſtoriam pete ex *HERODOTO lib. I. FRONTINO Strateg. l. II. c. 5.* Meminit ejus *TIBVLLVS l. IV.*

Nec quæ regna vago Tamyris finivit Araxe.

Quæ non muliebriter territa.

Muliebriter id eſt mulierum more. Horat. Muliebriter expavit enſem. Cicero, muliebriter ſe lacrymis lamentisque dedere. &c.

Tranſitu Araxis fluminis. (b)

Hunc fluvium tam accurate deſcripſit vir ſummus *ADAMVS OLEARIVS in itinerar. Perſ.* ut reliquorum omnium diligentiam vicerit. E veteribus ejus ſitum utcunque delineant *HERODOT. lib. I. STRABO lib. II. SOLINVS cap. XXV. PLVTARCHVS in Pompejo. MELA lib. III. CVRTIVS V. 4. 7.* Videndum tamen ne Armenium Araxen cum Perſico confundamus.

Faciliorem ſibi pugnam intra regni ſui terminos rata.

An permittendus hoſti in regionem noſtram, a qua prohiberi poſſit, tranſitus; ſive, an domi hoſtis expectandus, an vero expediat in tempore eidem obviam ire, & ſi commode id fieri poſſit, in ipſius regione adoriri; a multis diſputari ſcio. Nobis de eo quid videatur, paucis expediemus. Et cum Tamyridi noſtræ domi hoſtem expectare placuit, placet quæ pro ipſa pugnant argumenta, prius exponere. Et primum quidem minori impendio domi bella parari poſſe videntur, cum fere majores ſumtus, majusque periculum commeatui extra patriam deportando conjuncta ſint, quod non ſit quando in noſtra ditione bella paramus. Tum enim commeatu & rebus aliis ad res gerendas neceſſariis ſine periculo fere nos munire poſſumus. Deinde grave eſt, ut ait Livius, bellum ibi gerere, ubi nullus eſt portus claſſi apertus, non ager pacatus, non civitas ſocia, non conſiſtendi aut procedendi locus: quocunque circumſpexeris hoſtilia omnia. Meliori etiam fortuna pugnare ſolet, cui loci ingenium probe eſt cognitum, & ſi fortuna forſan adverſa, plures abeundi viæ, & promtior vires recolligendi occaſio; cum contra apud exteros non ſit tutum eis habere fidem, qui ſe itineris comites, duces, & amicos profitentur. Cæterum illi qui domi exſpectant hoſtem, ſi minus feliciter res procedat, facile totam regionem, quam tanto diſcrimini expoſuerunt, amittere poſſunt, quando quidem prima clades non ita illico ſarciri, aut novus exercitus, quem militibus recenti victoria exultantibus opponas, comparari queat. Tum vero agri devaſtantur, bona ſubditorum diripiuntur, nec horum opera & opibus, ſi quæ ſuperſunt, tuto uti licet: cum ſemper ad nova pronum ſit vulgus, ac quo fortuna, eorum ſe illius quoque favor inclinet. Ut nunc taceam, in aliena terra victoriam ſemper ampliorem eſſe, ac ut Mamertinus cenſuit, tum demum hoſtes funditus ſubverti poſſe, ſi in propriis ſedibus vincantur; in *paneg. ad Maximinian. cap. VIII.* Fortiores inſuper videntur, qui provocare non dubitant, & plus animi eſt inferenti periculum quam propulſanti; cenſente ita *LIVIO hiſt. l. XXVIII.* Ex quo non poteſt non illuſtre nomen, famaque, qua bella conſtant, ampla naſci. Feliciter bellum quod domi ferre non poterat, in Africam tranſtulit Agathocles: gnarus aliter domi, aliter foris bella tractari. Domi ea ſola auxilia eſſe, quæ patriæ vires ſubminiſtrent, foris hoſtem etiam ſuis viribus vinci. *JVSTIN. XXII. 5. 4.* Nec minori felicitate Romani Pœnorum impetus, quibus domi ſuſtinendis impares erant, in proprio ſolo fregerunt, ut qui paulo ante pacis leges præſcripturi viderentur, ad petendam pacem cogerentur. Ut ergo nobilem hanc quæſtionem ſolvamus, omnes circumſtantias probe conſiderandas cenſemus. Imprimis autem regionis ſitus & conditio attendenda erit: quæ ſi vaſtis ſolitudinibus conſtat, nec ædificiorum, nec divitiarum ſplendore ſuperbit; ſi aditus difficiles, ſi ipſa vel arte vel natura ſatis munita, hoſtem plerumque tutius expectabis. Nec Craſſo in Parthiam, nec Dario Hyſtaspis filio aut Lyſimacho Pergami Regi bene ceſſit in Scythas expeditio. Domi pugnam detrectare potes, foris vix potes. Quodſi etiam exercitum commeatu promto alere, & ſi morbo aut prælio minuatur, commode ſupplere nequis, ſatius eſt, ut domi te contineas, nec te præſenti periculo temerarie exponas. At ſi bellum ſit juſtum, & ſatis tibi ſit virium, queis & munita loca tueri, & exercitum inſtruere poſſis, ſi hoſti domeſticis diſcordiis diviſo ægre pareant ſubditi, vel is alibi forte occupetur, aut ad vim repellendam ſit imparatus, teque non tam cito ſuſpicetur invaſurum, audacter invade, & quod Germani dicunt, equos tuos alienis ſeptis alliga. Certe ſic hoſtis rationes ac conſilia perturbabis, & cibum in alieno ſolo dulciorem, cumque hilari labore parabilem deprehendes. Turcæ ſane, quod dolendum! contra Chriſtianos multas res bello præclare geſſerunt,

non

(a) *Scytharum Regina Tamyris*) Alii ſcribunt Tomeris, alii Thamoris, alii Thamyris, quamvis poſtremum hoc nomen viris attribuatur non fœminis. Timour enim Scythicum nomen eſt, ſicut & Tamerlan quod Temer claudum denotat. Lanus enim Turcis claudum ſignificat. Proinde videtur Græcorum eſſe commentum, quod de Tamyri tanquam muliere memoriæ prodiderunt. Teimur enim maſculum nomen ſemper apud Scythas fuit, obſervantibus THYSIO & VOSSIO in h. l. Cæterum HERODOTVS refert, Cyrum, honeſto matrimonii nomine, quo Tomyrin ambiverit, regnandi libidinem obtexiſſe, Reginamque hoc ſubtili commento ſecuram reddere & incautam fallere voluiſſe, quod tamen Tomyris ſentiens conjugium averſata fuerit, unde extiterint belli initia.

(b) *Tranſitu Araxis fluminis*) Præter OLEARIVM in *itin. Perſ.* de hoc fluvio videatur etiam JOH. CARTWRIGHTVS *in ſimili itinerario* allegatus in editione JVSTINI GRÆVIANA *p. 25.*

non domi eos opperiendo, ſed conſilia atque adeo cogitationes eorum avertendo. Quare nunc hanc, nunc illam provinciam adorti, Chriſtianos ita defatigatos tenuerunt, ut ad ipſos oppugnandos nihil temporis reliquum habuerint; hacque ratione immenſum terrarum ſpacium ſuo ſubjecere imperio. O ſi & noſtris idem ſemper animus fuiſſet, nec in ſua viſcera ſævire maluiſſent! dudum, ubi nunc Muhamedana regnat impietas, Chriſtiana ſacra iterum florerent. Plura non addo, niſi quod ingenioſiſſimi Zevecotii obſervationes ad Sueton. Cæſarem, tamquam huc apprime pertinentes, inſpiciendas moneam.

Hoſtibus objectu fluminis fugam difficiliorem.

Fluminis objectu fugam hoſti admodum difficilem eſſe, vel nupera Turcorum ad Rabnitium clades non ſine inſigni totius Chriſtiani orbis emolumento edocuit.

§. IV.

Simulato metu quaſi refugiens.

De fugæ ſimulatione, cujus beneficio magnus etiam exercitus circumventus & ad internecionem cæſus, ne ego multa dicerem, fecit virorum Clariſſ. diligentia *ZWINGERI Th. V. H. vol. 7. lib. 5. BERNEGGERI in Tacit. quæſt. 26. 28. RVPERTI ad Flor. 1. 3. 4.* De Parthis hoc ſtrategemate celebribus dicam alibi.

§. VII.

Cyrus ſaucios opprimit.

Adeo verum eſt illud *JUVENALIS ſat. XV. 47.*

- facilis victoria de madidis &
Blæſis atque mero titubantibus.

Hoc modo devicti ſunt Hiſtri. Cum enim Cn. Manlii caſtra cepiſſent, opimæque prædæ incubarent, epulantes ac ludibundos pleroſque ac ubi eſſent præ poculis neſcientes Appius pulcher invadit. Sic cum ſanguine & ſpiritu male partam evomuere victoriam. Quæ ſunt verba Flori II. 10. ad quem gemina notavit Rupertus: at confer *FRIDERICVM FORNERIVM de temulentia & ebrietate lib. I. c. 12.* Unde ſane neſcio an conſultum ſit militi prælium inituro, aut urbem occupaturo, tantum aduſti vini præberi, ut neque pes neque manus recte ſuum officium facere queat. Licet enim tales ferociam nonnunqam ab ebrietate ſumant, difficultates tamen & pericula non ea qua par eſt attentione conſiderant, nec rite propterea ea declinare hoſtique nocere poſſunt. Quid enim hoc alius, quam iniquiſſimo tempore & loco præſtantiſſimos milites mactandos hoſti tradere!

§. IX.

Et quod gravius dolendum, unico filio. (a)

Filius enim unicus unice diligitur; quia ab eo ſalus paternæ familiæ unice dependet. Μουνογενὴς δὲ παῖς σώζει πατρώϊον οἶκον, ut canit *HESIODVS.* Quo ſpectant illa *HOMERI lib. IX. Iliad.*

Καί με φιλήσ᾽ ὡσεί τε πατὴρ, ὃν παῖδα φιλήσῃ
Μοῦνον, τηλύγετον πολλοῖσιν ἐπὶ κτεάτεσσιν.

Et *lib. XVI. Odyſ.*

Ὡς δὲ πατὴρ ὃν παῖδα φιλοφρονέων ἀγαπάζει
Ἐλθόντ᾽ ἐξαπίνης γαίης δεκάτῳ ἐνιαυτῷ
Μοῦνον.

Et iſta Tullii Philipp. IX. Eſt autem ita affectus, ut nemo unquam unici filii mortem magis doluerit, quam ille mœror patris. Nec male *NONNVS VI. Dionyſ. v. 31.*

— — Μουνοτόκοι γὰρ
Τηλυγέτης διὰ παῖδας ἀεὶ τρομέουσι τοκῆες.

Qui unam ſobolem genuerunt, unicos ob liberos ſemper trepidant parentes.

Orbitatis dolorem in lacrymas effudit.

Ad quas alias ſic ſatis promtæ ſunt mulieres, usque adeo ut ploratus ipſis fere armorum inſtar eſſe ſoleat. Fletus, ut ait Cicero, muliebri ingenio additus, *Tuſc. Q. lib. II.* Cauſam ejus rei volunt eſſe tum humoris halituumque in earum corporis proventum largiorem, tum animorum quoque ad triſtitiam faciliorem commutationem.

Hoſtes recenti victoria exultantes circumvenit.

Si qua in bello cautione opus eſt, ea certe poſt victoriam adhibenda erit, ne quod ſæpius acciſſe legimus, victoribus iterum eripiatur victoria. Nam dum hi incurioſius omnia agunt, & quod noſter ait, recenti exultant victoria, ſæpius victis redit in præcordia virtus, ut nihil tale cogitantibus hoſtibus ſuperveniant, & palantes ac prædæ inhiantes trucident. Prudenter *CLAVDIAN. de IV. conſ. Honor. v. 334.*

— — multis damnoſa fuere
Gaudia, diſperſi pereunt, ſomnoque ſoluti
Sæpius incauta nocuit victoria turba.

Quem

(a) *unico filio*) Qui Spargapiſes dicitur ab aliis.

Digitized by Google

Quem locum luculentis exemplis declarat *BARTHIVS pag. 661.* Hinc etiam civitates recens captas non alia magis occaſione, quam hoſtium ſecuritate receptas eſſe legimus; quomodo Franciſcus Sfortia Brixiam aliquot poſt diebus, quam capta erat, recepit. Nocuit eadem ſecuritas Maximiliani I. Imp. exercitui, A. C. cIↄ ᴅcxɪx. qui victoria adverſus Helvetios parta negligentius & ordinibus deſertis domum rediens, ab iisdem Helvetiis qui ſe recollegerant, cæditur, & ita variante Martis alea, uno eodemque die exercitus & victus & victor extitit. *GERHARD. DE RHOO in Auſtr. lib. XI.*

§. X.

Propter vulnus acceptum.

Vulnus pro clade ſæpe noſter, item Tacitus, Florus, Valerius, Saxo.

Cyrum ad anguſtias usque perduxit.

Hoſtem, qui in anguſtiis vexari poſſit, in loca plana non admittendum eſſe, multorum ſcriptorum auctoritate evincere laborat *SCIPIO AMMIRATVS diſcurſ. polit. ad Tacit. XIIX, 1.* qua de re nobis libro II. ſi Deus volet, agendum erit.

§. XII.

Ne nuncius quidem tantæ cladis ſuperfuit.

Ejusmodi memorabilia ad *FLORI lib. III. 10. 11.* & in Indice ad illum congeſſit *FREINSHEMIVS:* vide etiam *JVSTINVM XXIV. 8. 16.*

§. XIII.

Caput Cyri amputatum in utrem humano ſanguine repletum conjici regina jubet.

Extremum ſævitiæ genus eſt inſultare mortuis; quo ſpectat illa Puteani exclamatio: O deteſtabile & abominandum facinus, in mutum & quod pejus in mortuum ſævire! Saltim melioribus conditionibus urſæ, leones, tigres nobiscum agunt. Feræ ſunt, ſed eorum tamen crudelitas, ut volunt, mortuum haud attingit. In putris maſſæ laniena, in effoſſo vitaque caſſo corpuſculo, tamquam cruenti vultures lividis roſtris hæremus, ut ambitio & vindicta ſatientur. Capiti Craſſi reciſo aurum liquidum in rictum oris infuſum quis neſcit? Vid. *FLORVM III. 11. 11.* & quæ ibidem notat ſolertiſs. *FREINSHEMIVS.* De ſævitia Fulviæ in caput Ciceronis vid. *PETR. CRINITVM lib. I. de hon. diſcipl. cap. 8. & lib. III. de poet. Latin. cap. 57.* & meminit *HIERONYMVS in Rufinum* his verbis: *Nec magnopere glorieris, ſi facias, quod faciunt ſcorpiones atque cantharides. Fecerunt hoc & Fulvia in Ciceronem & Herodias in Johannem.*

Satia te ſanguine (a) *quem ſitiſti.*

Id eſt, vehementer deſideraſti. Solent enim ſitire hoc ſenſu Latini uſurpare, ſicuti id exemplis perquam multis declarant *ELMENHORSTIVS ad Arnob. lib. I. RITTERSHVSIVS ad Salvian. lib. IV. in Paralip.* Et Græcum διψᾶν eodem ſenſu uſurpari docet *HERALDVS ad Arnobium p. 24.*

De ſepulchro Cyri (b) prolixe *BRISSONIVS in calce lib. I. de regno Perſ.* quem vide. Græcus verſus ita habet:

Ἐνταδ' ἐγὼ κεῖμαι Κῦρος βασιλεὺς βασιλήων.

Exercitatio in Juſtini Lib. I. Caput IX.

Summarium.

Portentoſa Ægyptiorum ſuperſtitio. Ad religionem nemo cogendus. Mnevis & Apis boves ab Ægyptiis culti. De Apidis figura, morte, inventione, ſepulchro &c. Iſraelitarum vitulus aureus Apidi originem debet. Cambyſes & Ochus percuſſores Apidis. Templum Ammonis ubi ſitum? Ammonis nomen unde? Ejus mentio in ſacris litteris. Corniger Ammon. Nummi veteres. Ammon cornutus. Cambyſis exercitus harenis obrutus. Sacrilegia etiam apud gentiles graviter punita. Pietate ſublata tollitur juſtitia. Magi Perſarum. Per quod quis peccat, per idem punitur & idem. Apud Perſas Rex ſub ſpecie majeſtatis occultabatur. An princeps, quo ſit venerabilior, oculis ſubditorum ſe ſubtrahere debeat, perinde quaritur. Nimia familiaritas parit contemptum. Nimia gravitas index ſuperbiæ. Friderici Daniæ regis majeſtas humanitate temperata. Amor & benevolentiam

(a) *Satia te ſanguine*) DIODORVS SICVLVS aliam adjungit facti περίστασιν atque affirmat, reginam Scytharum victo Perſarum exercitu Cyrum in prælio captum cruci affixiſſe; *lib. II. cap. 44.* Verum ab his omnibus, qui præter hunc & JVSTINVM, nec non VALER. MAXIMVM, HERODOTVM & SVLPITIVM SEVERVM Cyrum violenta morte periſſe referunt, diſſentit plane XENOPHON, qui *Cyroped. 8.* cum neque in acie occubuiſſe, neque occiſum fuiſſe, ſed provecta ætate placidum & tranquillum ex hac vita exitum habuiſſe tradit. CTESIAS refert, Cyrum in bello cum Dejocibus geſto jaculo ictum & ex vulnere ſaucium in caſtra relatum mortuumque deinceps fuiſſe, in *eclogis apud* PHOTIVM. JOHANNES ANTIOCHENVS refert, in prælio navali eum occubuiſſe. Quicquid ſit, id certum eſt, omnes ſcriptores excepto uno Xenophonte (qui in Cyropædia tamen non hiſtoriam vitæ ſed imaginem tantum boni & ſapientis Regis in Cyro voluit effingere) in parte mortis violentæ conveniunt, etſi in ſpeciali ac definita aliquot circumſtantiarum deſignatione diſcrepent.

(b) *De ſepulchro Cyri*) STRABO Cyrum ſepultum memorat, & ſepulchri inſcriptionem ex ARISTOBVLO & ONESICRATO adducit *Geogr. XV.* pariterque de ſepulchro Cyri tradunt PLVTARCHVS *in Alexandro*, CVRTIVS *X. 1. 30.* & ARRIANVS *lib. VI. de exped. Alex.* Apud PLVTARCHVM *l. c. pag. 703.* inſcriptio eſt ἐγὼ Κῦρος εἰμὶ Πέρσαις κτησάμενος τὴν ἀρχήν. Apud ARRIANVM autem. Ἐγὼ Κῦρος εἰμὶ ὁ Καμβύσου ὁ τὴν ἀρχὴν Πέρσαις κατακτησάμενος.

Digitized by Google

tiam parit & reverentiam. Quæſtio propoſita Piccarti rationibus ſolvitur. Rodolfi I., Trajani, Hadriani humanitas laudatur. In novo imperio utilis clementiæ fama. Tributa a novis Principibus remiſſa. Briſſonius refellitur. Pellices multæ regibus Perſarum. De aurium mutilatione apud Perſas. Septem conjurationis ſocii. In conjurationibus celeritate opus eſt, ne detegantur conſilia. Male ſibi conſcii plerumque timidi.

Cambyſes offenſus ſuperſtitionibus Ægyptiorum.

ÆGyptiorum ſumma olim erat ſuperſtitio, qua boves, feles, canes, ſcarabæos aliaque id genus bruta animantia pro numinibus colebant; quam ipſi etiam gentiles, ut e Chriſtianis Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Minucium Felicem, Firmicum, Hieronymum, Athanaſium, Athenagoram alioſque taceam, falſe perſtringunt. *CICERO lib. V. Tuſc. quæſt.* Ægyptiorum morem quis ignorat? quorum imbutæ mentes pravitatis erroribus; quamvis carnificinam prius ſubierint, quam ibim, aut aſpidem, aut felem, aut canem, aut crocodilum violent. *LVCANVS lib. VIII.*

Hunc genuit cuſtos Nili creſcentis in arva
Memphis, vana ſacris:

JUVENALIS ſat. XV. Quis neſcit - - qualia demens Ægyptus portenta colat? Et quis non irridendos cenſeat Ægyptios, cum hortenſia olera, porrum, cepe, allia numinum vicem venerarentur? quod iterum notat Satyricus.

Porrum & cæpe nefas violare ac frangere morſu,
O ſanctas gentes quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina!

Non immerito ergo Ægyptus idololatriæ ac ſuperſtitionis mater appellatur *in decret. cauſſ. 26. quæſt. 2. c. ſed & illud & a SARISBERIENSE lib. I. de nugis curial. cap. 10.* Nec minus recte dixit *HIERON. in Eſaiam cap. 46. fol. 149.* Nulla gens ita idololatriæ dedita fuit & tam innumerabilia portenta venerata eſt quam Ægyptus. Cæterum utrum Princeps vi & ferro ad amplectendam certam religionem populum cogere, eique repugnantem perſequi & ſupplicio afficere debeat, diſputari ſcio. Nobis placet *LACTANTII* ſententia e *lib. V. inſt. div. cap. 19.* petita: *Non eſt opus vi & injuria, quia religio cogi non poteſt; verbis potius quam verberibus res eſt agenda ut ſit voluntas.* Et paulo poſt: *Defendenda eſt religio non occidendo ſed moriendo, non ſævitia ſed patientia, non ſcelere ſed fide. Illa enim malorum eſt, hæc bonorum.* Et neceſſe eſt bonum in religione verſari, non malum. Nam ſi ſanguine, ſi tormentis, ſi malo religionem defendere velis, jam non defendetur illa, ſed polluetur atque violabitur. Nihil enim tam eſt voluntarium quam religio: in qua ſi animus ſacrificantis averſus eſt, jam ſublata, jam nulla eſt. In quam ſententiam etiam Tertullianus. Non eſt religionis religionem cogere velle; cum ſponte ſuſcipi debeat, non vi, cum & hoſtiæ ab animo lubenti poſtulentur. Et notarunt alii, vix ulli umquam bene ceſſiſſe uſurpatum in conſcientias imperium. Vide *CONRINGII noſtri exercitat. de majeſtatis civilis auctoritate circa ſacra.*

Apis cæterorumque Deorum.

Inter bruta animalia monſtroſa illa & ridicula ſuperſtitione ab Ægyptiis culta præcipuus erat bos: quem tamen geminum fuiſſe ex *STRABONE lib. XVII. ÆLIANO hiſt. anim. lib. X. c. 8. PLVTARCHO de Iſide & Oſiride* docemur. Scilicet alter Mnevis nuncupatus, ab Heliopolitanis in honorem ſolis cultus; alter vero Apis dictus & a Memphitis in honorem lunæ pro numine habitus. Erat autem Apis, non coitu pecoris (ita nugabantur) ſed cœleſti igne ſeu radiis lunaribus conceptus, colore nigro, quadrato in fronte candore, macula dextro lateri ingenita & corniculantis lunæ imaginem referente conſpiciendus. Hoc bove mortuo, ſive potius poſt ævi ſpatium in ſacris libris reſcriptum ad Nilum necato, alius quærebatur & reperiebatur vitulus coloris ejuſdem (quæ verba ſunt *AVGVSTINI de C. D. lib. XIIX. cap. 5.*) albis quibuſdam maculis ſimiliter inſignitus. Neque dubito cum Auguſtino partum hujus bovis dæmonis præſtigiis adſcribere. Cum autem inventus eſſet Apis, ſolemni pompa Memphim Ægyptiorum regiam deduci a ſacerdotibus ſolebat, pueris in ſacro illo comitatu carmen honori Numinis gregatim præcinentibus, multumque erat ob natum & repertum Deum & publicum gaudium, imo πανδαισία ſive lautiſſimum convivium, ut ſcribunt SVIDAS & *APOSTOLIVS Prov. Græc. cent. III. 85.* inſtruebatur. Quam ridicula autem religione eum coluerint Ægyptii, vel inde patet, quod eo mortuo etiam capillum poſuerint, ſcribente Luciano in fine libri de ſacrificiis, cum alias, ſi Herodoto fides habenda, lugentes non tonderentur. Quin adeo ſanctus erat hic bos, ut ejus ſepulchrum indicare piaculum fuerit: *ARNOB. lib. VI.* nec exactam deſiderat curam, quam pœnam conſtituerit Ægyptus in eum qui publicaſſet, quibus locis Apis jaceret abſconditus. Meminere autem hujus Apis paſſim ſcriptores plurimi, interque eos *HERODOTVS lib. III. DIODORVS Biblioth. lib. I. CICERO lib. I. de N. D. PLINIVS lib. VIII. cap. 46. SOLINVS. cap. XXXV. MELA. lib. I. cap. 9. LVCIANVS in concilio deor. TACITVS hiſtor. V. 4. 2. SPARTIANVS in Hadriano. AMMIANVS lib. XXII. DIO lib. LI. MACROBIVS Saturn. lib. XXI. SVETONIVS in Tito. c. V. ATHENÆVS lib. VII. PORPHYRIVS περὶ ἀποχῆς lib. IV. LIBANIVS SOPHISTA in encomio bovis.* E Poetis *OVIDIVS lib. II. amor. eleg. 13. LVCANVS lib. IX. v. 157. PAPINIVS ſylv. lib. III. v. 197. TIBVLLVS lib. I. eleg. 7. CLAVDIANVS lib. V. conſ. Honorii verſ. 576.* E Chriſtianis *MINVTIVS in Octavio, ARNOB. lib. I. ATHANAS. libro contra gentiles, NAZIANZENVS ad Nemeſ. it. orat. II. in Julian. BASILIVS in Noemum. orat. VI. EVSEBIVS lib. XI. chronic. lib. II. præparat. evang. c. 1. CLEMENS ALEXANDRIN. Paræneſ.* Et ab hoc Ægyptiorum bove veterum doctorum nonnulli originem traxiſſe volunt vitulum illum aureum, quem Iſraelitæ ſibi in deſerto erigebant colebantque. Vid. *PHILON. lib. III. de vita Moyſis, & lib.*

& lib. de ſpecialibus legibus. LACTANT. lib. IV. cap. 10. TERTULLIAN. adv. Judæos lib. I. AMBROSIUM in epiſtol. ad Rom. cap. 1. & lib. I. de pœnit. cap. 6. HIERONYM. ad cap. 4. Oſea. RUFFIN. ad AMOS lib. I. id quod pluribus declarant Viri Celeberrimi *SELDENUS de Diis Syris ſyntagm. 1. c. 4. VOSSIUS lib. I. de idololatria cap. 29. DILHERRUS diſput. philol. tom. I. VIII. SAUBERTUS de ſacrificiis cap. XXII. DIETERICHUS antiquit. S. lib. I. SCHEDIUS de Diis Germ. ſyngr. 1. cap. 4. & qui peculiari libro de vitulo aureo egit MONCÆUS* (a). Occidit autem Cambyſes Apin, perinde ut Ochus fecit, teſtibus *ÆLIANO V. H. L. IV. cap. 8. & lib. VI. cap. 8. & SUIDA in ὦχος.*

§. III.

Ad Ammonis quoque nobiliſſimum templum.

Nobiliſſimum hoc templum ultra Cyrenem in extimo ſinu apud Garamantes in vaſtis ſolitudinibus & campis torridis ſitum fuit: ad quod ſole exurente æſtu flagrantiſſimo, per immenſas arenarum moles, vaſtamque planitiem calori & ſiti infeſtam iter vix cuiquam tolerabile erat. Meretur ea de re legi *CURTIUS*, qui Alexandri iter eo inſtitutum diſerte deſcribit *lib IV. c. 7.* Templum autem illud oraculo Jovis Ammonis admodum nobile erat; cujus nomen alii derivant a Græca voce ἄμμος, quæ arenas denotat, quemadmodum *FESTUS, PLINIUS*, & vulgo Græci & Latini ſentiunt: quibus ſubſcribit *DAUSQUEJUS ad Silium III v. 667.* alii vero ab Ægyptia voce Ἀμοῦν deducunt, quod occultatum ſignificare ex Manethone prodit *PLUTARCHUS de Iſide c X* & tangit *CELSUS apud Origen. lib. V.* Quidam tamen ab ejusdem nominis paſtore ortum volunt, ut auctor eſt *EUSTATHIUS ad Dionyſ v. 212. Quanquam mihi rectius ſentire videntur*, (b) qui & oraculi & ipſius nominis originem ad Chamum Noachi filium referunt; quod eo magis mihi videtur veriſimile, quo certius conſtat poſteritatem Chami ea loca inſediſſe; ut argumenta reliqua, quibus hæc ſententia ſuffulta eſt, prætercam. In Scripturis ejus nominis aperte fit mentio *ISAIÆ, XXX. v. 25. JEREM. XLVI. v. 25 NAHUM. III. v. 8.* ubi אמון מנא: & apud Jeremiam quidem Amon de No nihil aliud videtur eſſe, ac Deus Amon, cujus honori templum fuit conſecratum in urbe No: quæ exinde & compoſito nomine in reliquis locis vocatur Hamon No & No Amon, quamquam אמון & המון interpretum alii tumultum, quidam multitudinem, cæteri nutricium reddiderint: nonnulli etiam nomen regis eſſe voluerint: quemadmodum id præclare obſervavit Vir Cl. *JACOBUS EURELIUS in elegantibus ad Minucium Felicem obſervationibus p. 120.* Cultus autem in hoc templo fuit Jupiter Ammon ſub forma arietis cornuti. Hinc paſſim apud Poetas corniger Ammon audit. *Vid. OVID. lib. III. de Arte ſin. & lib. XV. Metam. fab. 5. LUCAN. lib. IX. v. 514. SILIUM Ital. lib. III. & IX. Punic. VALERIUM FLACC. Argon. l. 12. CLAUDIAN lib. IV. de conſul. Honor. v. 143.* Et ita conſpicitur in nummo argenteo Cyrenæorum pervetuſto, adducto ab Yrone Villiomaro, hoc eſt *JOSEPHO SCALIGERO animadv. in loc. controverſ. Rob. Titii lib. VIII. 6 24.* Eadem forma exhibetur in numo Trajani, teſte *SCHOTTO de relig. priſcorum*, & in alio ejusdem Imperatoris, quem *DAUSQUEJUS ad Silium III, 9.* exhibet, arieti inſidens exprimitur. Neque alio ex fonte fluit, quod Alexander M. qui Jovis Ammonis filius dici voluit, cornutus in numis conſpiciatur; quo de videſis *URSINUM Analect. Sacr. lib. I. cap. 34.* Cur autem Ammonem cornutum finxerint in incerto eſt. *MACROBIUS lib. I. Saturn. cap. 21.* eo vim ingentem ſolis denotari putat. Aliter *SERVIUS in IV. Æn.* Jovi Ammoni templum cum ſimulacro cum cornibus arietis conſtitutum, quod ideo fingitur, quia ſatis ejus ſint involuta reſponſa. Alii tamen ad potentiam Chami & poſterorum ejus denotandam id factum fuiſſe aſſerunt: quo & ipſo ſimul antiquitatis & ſtirpis regiæ inſigne repræſentaretur.

Qui tempeſtatibus & harenarum molibus oppreſſus interiit.

Hiſtoriam habent *HERODOTUS III, 26. PLUTARCHUS Alex. c. XLVI.* qui tamen addit L M. fuiſſe arenis ex Cambyſis copiis oppreſſa. De eadem *SENECA N. q. lib. II. cap. 30.* ſic philoſophatur: *Aliquando Cambyſes ad Ammonem miſit exercitum, quem arena auſtro mota, & more nivis incidens texit, deinde obruit.* Tunc quoque veriſimile eſt fuiſſe tonitrua fulminaque attritu arenæ ſe affricantis. Interea hoc exemplum evidenter docet ſacrilegia raro impunita abire, cujusmodi alia occurrunt apud Valerium, Florum, Livium & quos non alios? quæ uti transſcribere nihil attinet, ſic eo diligentius conſideranda ſunt, ut appareat, cum etiam ii, qui res idolis ſuis ac deaſtris conſecratas religionis contemtu rapuerunt, tantas poenas dederint, quanta duriore plaga coercendi ſunt ii, qui

(a) *peculiari libro egit MONCÆUS*) Peculiarem tamen fovens ſententiam. Arbitratur enim Aaronem hunc vitulum aureum finxiſſe non ad exemplum Apidis bovis Ægypt. ſed potius Cherubinorum, quibus inſidentem Deum viderat, cum apparuit ſenioribus *Exod. 24, 10.* Verum quoniam ibi Deum viſum a Cherubo vectum, aſt vituli ſpecie non legimus, diſerteque etiam negatur *Deut. 4, 15.* Iſraeli tunc apparuiſſe ullius animalis ſpeciem, proinde ad exemplum bovis Ægyptii hunc vitulum factum, uti & in Jeroboami vitulis poſtea 1. *Reg. XI, 40.* accidit, facile creditur, idque pluribus præter alios etiam oſtendit WITSIUS *in Ægyptiacis lib. II. cap. 2. p. 60. 61. ſeqq.* Ait enim in Ebræorum hoc foedo crimine Ægyptiorum ſuperſtitionibus omnia fuerunt ſimilia. Nomen ipſum Egel, pro quo græci μόσχος habent, convenit cum illo Herodoti: μόσχος ὁ Ἆπις καλούμενος, vitulus qui Apis vocatus. Alias plerumque Taurus & Bos dicitur, uti & *Pſ. 106, 10.* Disquiri etiam poſſet, numquid ad Apidis notas pertineat, id quod de Aarone dicitur *Exod. 32, 12.* eum formaſſe vitulum ſtylo vel graphio. Dicuntur enim Ægyptii Apin finxiſſe colore atro, quadrato in fronte candore &c. Si tamen hoc ſubtilius videatur, in eo certe Ægyptios æmulati ſunt Iſraelitæ, quod commeſſationes & choros inſtituerint. coll. SUIDA in voce *Apis*, & PHILONE *de vita Moſis lib. 3.* adde de hac re ANDREÆ BEYERI *additamenta ad Seldenum de Diis Syris pag. 20. 230. ſeqq.*

(b) *Quanquam mihi rectius ſentire videntur*) Inter alios BOCHARTUS, cujus quædam excerpta exhibentur *in editione Juſtini Graviana.*

qui neglecta contemtaque vera religione rebus ſacris manus injiciunt. Sed cur apud Ethnicos punita ſint talia, non male ſenſit *SENECA VII. de Benef. 7.* Punitur quia tanquam Deo facit. Opinio illum noſtri ac ſua obligat poena. Certe clariſſimis quibusdam viris ita videri video.

§. VI.

Erat difficile ut parceret ſuis &c.

Exſtincta erga divinum Numen reverentia nullum tam immane flagitium eſt quod locum non inveniat. Pietate enim ſublata fides etiam & ſocietas humani generis, & una excellentiſſima virtus juſtitia tollitur, merito exclamat *CICERO lib. I. de N. D.* Et Deus qui contemnit, haut dubie nihil aliud quoque magni faciet, inquit ad *AVGVSTVM MÆCENAS apud Dionem Caſſium lib. LII.*

§. VII.

Magum quendam.

De Perſarum Magis (a) omnia occuparunt *BRISSONIVS de Regno Perſ. BVLENGERVS in Eclogis ad Arnob. TIRAQVELLVS ad Alex. ab Alex.* de eorum nomine *BVRTONVS* λειψαν. *lingua Perſica, JACOB. OVZELIVS ad Arnob. aliique.*

§. IIX.

In femore graviter vulneratus occubuit.

Notat *HERODOTVS lib. III.* Cambyſem perſtrinxiſſe gladio ſuum femur, in ea ſcilicet parte, in qua prius ipſe tanquam opportune ad feriendum Apim Deaſtrum percuſſerat. Ex quo, ſi vera eſt fabula, perſpicere eſt, quam verum ſit illud:

Per quod quis peccat, per idem punitur & idem.

Exempla ſunt & in ſacra & in externa Hiſtoria ubivis obvia, & quid Perillo evenerit, ſeptennibus pueris notum eſt.

§. XI.

Apud Perſas perſona Regis ſub ſpecie majeſtatis occulitur.

De hoc Perſarum inſtituto uberius *BRISSONIVS de Regno Perſ. lib. I.* At enim num Principes, ut venerabiliores exiſtant, a vulgi conſuetudine penitus arcendi ſint, non immerito hoc loco quæritur. Si *VALERIVM MAXIMVM* audimus: Quicquid in excelſo faſtigio poſitum eſt, humili & trita conſuetudine, quod ſit venerabilius, vacuum eſſe convenit. *lib. II. cap. 6.* Quod quidem viri docti a Valerio in Tiberii gratiam, qui minime comis erat Imperator, ſcriptum eſſe conjiciunt. Hic enim, ut ſcribit *SVETONIVS*, integra ætate ac valetudine e medio ſeceſſit, ut vitato aſſiduitatis ſtudio auctoritatem abſentia tueretur. Si *LIVIVM:* Continuus adſpectus minus verendos magnos homines ipſa ſatietate facit. *lib. XXXV. cap. 10.* Si *APVLEJVM:* Parit converſatio contemtum, raritas conciliat admirationem. Quapropter Velledam, fatidicam apud Germanos, regiæ dignitatis virginem, coram adire alloquique negatum. Arcebantur adſpectu, quo venerationis plus ineſſet. Pericles quoque, ut auctor eſt *PLVTARCHVS*, cum ſe ad Rempubl. capeſſendam accinxiſſet, ne nimia familiaritate ſui contemtum amicorum animis propinaret, convivia & omnem id genus comitatem atque convictum plane vitavit, adeo ut toto eo tempore, quo in Rep. verſatus eſt (quod ſane longum fuit) ad nullius amicorum coenam venerit. Quin etiam veritus, ne continua præſentia ſatietatem ſui apud populum gigneret, quaſi per intervalla in concionem venit, non de quacunque re oblata orationem habens, neque ſemper ad multitudinem progrediens: ſed tum demum ſui copiam faciens, cum magna aliqua res operam ipſius requireret, reliqua amicis & ſociis oratoribus ſubmiſſis expediebat. Philippus II. Hiſpaniæ Rex poſtquam ſeceſſerat in Curiale ſui conſpectum perraro, nec temere Hiſpanis exhibebat: nec quisquam vel potentiſſimus in adſpectum admittebatur, niſi cui longiſſimo tempore poſtulanti id in ſummi favoris gratiam concedebat. Verum enimvero licet minime me fugiat, nimia familiaritate auctoritatem Principis labaſcere, & ut Paulus J. C. ait, ex æquali converſatione contemtum naſci, quo peccaſſe memorantur *Julianus* Imp. apud *AMMIANVM lib. XXV.* & Henricus III. Galliæ Rex, apud *THVANVM lib. LXVI.* tamen id quoque tam certum eſt quam quod certiſſimum: nimiam gravitatis ſpeciem non raro ſuperbiæ titulo ſuſpectam eſſe, eandemque animos ſubditorum a Principe facillime abalienare poſſe. Ideoque hanc auctoritatem humanitate temperandam cenſeo. Id quod egregie calluiſſe Fridericum Daniæ Regem, paſſim non ſine elogiis memorant Hiſtorici. Sæpius enim amicos, quaſi ſepoſita Regis perſona ad ſales & jocos, & in quæ liberior animus ruit, provocabat; monens jucunda agerent, & tempori genioque indulgerent, dum Rex abeſſet. Poſtquam ſatis luſum fuerat, recepta gravitate regia: Heus amici, inquit, mittamus nugas: nam Rex rediit. Non igitur majeſtas humanitatem excludit, & bene dixit *NICOLAVS* quidam ſenex *apud Diodorum lib. XIII.* Τὲς φιλανθρώπως ἀφηγεμένες βεβαίως ἀγαπῶντες ἀὶ συναύξεσι τὴν ἡγεμονίαν. Eos qui cum benevolentia præſunt, diligunt (ſubditi) & incrementum ſemper capit eorum dominatio. Et ſapienter *PLINIVS ad Maximum* ſcripſit *lib. VIII. epiſt. ult. Male terrore veneratio acquiritur: longeque valentior amor ad obtinendum quod velis, quam timor; nam timor abit, ſi recedas, manet amor: ac ſic ut ille in odium, hic in reverentiam vertatur. Vide annon amor etiam reverentiam parare poſſit?* Et ſi Poetis hic locus eſt, audi *CLAVDIANVM*, ſed Poetam prudentiſſimum *de VI. Conſ. Honor. v. 60.*

Alter-

(a) *De Perſarum Magis*) Præcipue vero de iiſdem exactius egit TH. HYDIVS libro de veterum Perſarum religione.

Alternos cum plebe jocos, dilectaque paſſus
Jurgia, patriciasque domos, privataque paſſim
Viſere depoſito dignatus limina faſtu.
Publicus hinc ardeſcit amor, cum moribus æquis
Inclinat populo regale modeſtia culmen.

Quo etiam ſpectant illa ejusdem Poetæ:

O quantum populo ſecreti numinis addit
Imperii præſens ſpecies, quantamque rependit
Majeſtas alterna vicem.

Sane Piccartus, qui peculiari oratione, quam in philoſophia Altdorphina ab interitu vindicavit Vir Cl. Joh. Paulus Felvvingerus, omne hoc argumentum exſecutus eſt, & rationibus non contemnendis, minime expedire Principi, ut ſe oculis ſubditorum ſubtrahat, præclare aſſeruit: cujus disquiſitionis ſumma huc potisſimum redit: quod Rex ſubditis ſuis conſpicuus eſſe debeat, qui Dei inconſpicui vicem in his terris gerat, qui populi necesſitatibus ſuccurrat, jus eidem dicat, & accepta ab inviſibili Deo imperandi prudentia recte & ſine cujusquam querela præſit. Atque ſi ibi ſit, ubi eum eſſe maxime oporteat, ſi ſcilicet in templis ſacra procuret, in judicio jus dicat, in bello pro ſalute patriæ decertet, nihil ei verendum eſſe ut contemnatur, ut potius tanto magis admirabilis gravisque ſubditis futurus ſit. Nec vero poſſe Principem, ſi domi veluti a ſeipſo obſeſſus clauſusque delitescat, & paucisſima videat audiatve, tantam ſibi, quæ a rebus agendis unice dependeat, acquirere prudentiam: qua tamen ſi careat, auctoritatem facilius decoquere posſit. Præterea ipſorum ſubditorum virtutem tantum non elanguescere, ſi princeps eos ignoret, cum cæteroquin ejus oculus & adſpectus animos ad virtutem acuat, vires accendat, ac vitæ ſanguinisque merces pulcherrima reputetur teſtimonium Principis. Cauſas autem cur Perſicus iſte error paulatim ſerpere potuerit & alias quoque aulas inficere tres potisſimum affert, quorum una eſt imperantium infirmitas & imperitia; altera eorundem male ſibi conſciorum metus; & tertia demum aulicorum remoto Principe regimini inhiantium perfidia, qui, ut clare indicat Lampridius, perdunt Principes ſuos, cum a populo ſummovent, claudentes eum & agentes ante omnia ne quid ſciat, internuncii ſunt, ſed aliud ſæpe, quam reſpondetur, referentes; & clarius adhuc Vopiscus: Colligunt ſe IV. aut V. in aulis atque unum conſilium ad decipiendum imperatorem capiunt, dicunt quid probandum ſit: imperator, qui domi clauſus eſt, vera non novit, cogitur tantum hoc ſcire, quod illi loquuntur, facit judices, quos fieri non oporteat, amovet a republ. quos debebat retinere. Quæ res movit optimum imp. Rudolphum I. Habsburgicum, qui cum ſubmoveri a ſatellitio ſuo tenuiores quosdam ad ſe viam affectantes videret, non ſine ſtomacho dixit: per Deum! ſinite homines ad me venire: non enim ideo ſum ad imperium vocatus, ut in arcula includar. Eandem Trajani comitatem celebrat *PAVLVS DIACONVS lib. X. Hiſt. Miſc. cap. 4.* Nam amicis eum culpantibus, quod nimium circa omnes communis eſſet, reſpondit: talem ſe Imperatorem eſſe privatis, quales eſſe ſibi Imperatores privatus optaſſet. Et Hadrianus Cæſar, teſte *ÆLIO SPARTIANO c. XX.* in colloquiis etiam humiliorum civilisſimus fuit, deteſtans eos, qui ſibi hanc voluptatem humanitatis, quaſi ſervantes faſtigium principis inviderent. Concludo ergo aureo dicto Xenophontis: *Νομίζων αἰσχρουργίᾳ μὲν τὸ ἀφανίζεσθαι πρέπειν, τῷ δ' ἐς κάλλος βίῳ τὸ φῶς μᾶλλον κόσμον παρέχειν.*

§. XII.

Magi ad favorem populi conciliandum tributi *&* *militiæ* vacationem (a) *permittunt.*

Prudenter *TACITVS: Novum imperium inchoantibus utilis clementiæ fama. Hiſt. IV. 63, 2.* Hinc magnum novo Principi favorem & benevolentiam conciliat in ſubditos liberalitas, utpote tributorum & militiæ ad certum tempus vacatio permiſſa; qua de *BODINVS de Rep. lib. VI.* ita diſſerit: Prudentisſimi Principis eſt ineunte imperio extraordinaria ſuperioris Principis tributa aut tollere, aut certe magna ſui parte mitigare: ac potisſimum populo rogante, imo ne rogante quidem: nec Roboami deſipientis factum imitari, qui juniorum perniciosisſima conſilia ſecutus, non modo ſubditorum rogationibus non acquievit, verum etiam crudeliorem ſe futurum propalam minatus eſt quam pater antea fuiſſet, ex quo decem tribuum orta defectio eſt ac novi regis creatio. Ejecto Tarquinio a patribus multa blandimenta plebi per id tempus data: annonæ imprimis habita cura: & ad frumentum comparandum miſſi alii in Valſeos, alii Cumas, ſalis quoque vendendi arbitrium, quia impenſo pretio veniebat, in publicum omni ſumtu adempto conceſſum privatis; portoriis quoque & tributo plebe liberata; teſte *LIVIO lib. II.* Ita Cappadocibus in formam provinciæ redactis a Romanis quædam ex regiis tributis deminuta, quum mitius Romanum imperium ſperaretur. *TACIT. ann. II. 56, 4.* De Macedonibus gemina *LIVIVS XLV. 18.* & apud noſtrum Mithridates debita civitatibus publica privataque remittit, & vacationem quinquennii concedit. *XXVIII. 3, 9.* Sic Agricola animorum provinciæ prudens, doctus per aliena experimenta, frumenti & tributorum auctionem æqualitate munerum moliri voluit. *TACITVS cap. XIX.* Etiam cum imperii ſui primo quinquennio Nero virtutis adhuc ſtudium præ ſe ferret, illud quoque, teſte *TACITO XIII. 50, 1.* laudi ipſi datum fuit, quod

(a) *tributi vacationem*) Editio Graviana legit: tributa & militiæ vacationem remittunt; ibique VORSTIVS in notis pluribus diſputat de duplici vi ſubjecta voci remittere. Verum ſi tributi, non tributa legatur, tum permittunt rectius legitur quam remittunt.

quod dubitavit, an cuncta vectigalium omitti juberet, idque pulcherrimum donum generi mortalium daret. Non raro tamen id ab illis fieri conſuevit, qui peſſimis artibus imperium ad ſe rapuerunt; idem enim horrendo iſto regicidio infamem Cromvvellium factitaſſe edocti ſumus. Quicquid tamen ſit, hac ipſa tributorum imminutione, ut cætera taceam commoda, id demum aſſequuntur Principes, *ut poſtea ſubditi neceſſitate ita jubente ad dandum promtiores ſint*; quam rationem tangit *CASSIODORVS IV. Varior. 36.* his verbis: *Providentiſſimi Principis eſt graviter imminutis relinquere tributariam functionem: ut redivivis ſtudiis ad implenda ſolennia recreentur, qui preſſi damnorum acerbitate defecerunt. Nam ſi feſſus minime relevetur, neceſſitate cernitur jacere proſtratus. Melius eſt enim præſentia damna contemnere, quam exiguo quæſtu perpetua commoda non habere.*

§. XV.

Quia ſingulæ (pellices) ſeparatim recludantur.

Hunc locum ita accepit *BRISSONIVS lib. I. de regno Perſ. p. 78.* quaſi id ex inſtituto Perſarum perpetuo factum fuerit, cum tamen clare ſatis indicet *HERODOTVS III, 36.* id tum primum a Magonore introductum fuiſſe. Pellicum autem turbam, ſive, ut Curtius loquitur, greges iſtis Perſarum regibus fuiſſe, ex pluribus ſcriptoribus docemur; nec hodie id defeciſſe teſtis eſt *Cl. ADAMVS OLEARIVS itiner. Perſ.*

§. XVII.

Magio Cambyſes aures utraſque præciderat.

Apud Perſas aures more regio pro delictis ſecari ſolitas ſcribit *AMMIANVS lib. XXX.* & vide quæ de hoc ſupplicio quoque notarunt *BRISSONIVS de R. P. lib. XI. p. 262. FREINSHEMIVS ad Curt. V. V. 6. HENELIVS otii Vratiſlav. c. XVII.*

§. XIX.

Septem tantum conſcii fuere hujus conjurationis.

Ita eſt: ſeptem fuere conjurationis ſocii, ut eſt apud *HERODOT. III. 78.* quorum etiam meminit *FLORVS III. 5, 1.* non ſeptem fuere magi, qui poſt mortem Cambyſis regno præfuerunt, uti confundit *AMMIANVS lib. XXIII.* quamquam & *VALERIVS MAXIMVS* ſeptem magorum meminit, *lib. III. 2.*

Qui ex continenti.

Notari merentur *FORSTNERI dicta ad Tacit. annal. IV. 2.* *Periculoſa conſilia quo accuratius perpenduntur, eo ſegnius conſtitui atque expediri ſolent, ſicque plerumque ut omnes conjurationes, quibus conficiendis aliquid ſpatii intercedit, evulgentur. Quod eo magis fit, ſi inter plures inita ſit conjuratio; cum enim cuncta præmio & metui pervia ſint, difficillime ſecretum inter tot homines retineri poteſt.* Hæc ille. Ideoque in his conſiliis decreta factis jungenda, ut ait *VELLEJVS II. 18.* & ut *TACITVS* nervoſe: Nullus cunctationi locus eſt in eo conſilio quod non probatur niſi peractum.

§. XX.

Nec ipſis quidem animus in auxilium defuit.

Qui tamen male ſibi conſciis plerumque deeſſe ſolet. Verum enim illud eſt *OVIDII lib. I. Faſtor.*

> *Conſcia mens ut cuique ſua eſt, ita concipit intra*
> *Pectora pro facto ſpemque metumque ſuo.*

Exercitatio in Juſtini Lib. I. Caput X.

Summarium.

Valerii locus reſtitutus. Difficilis de paribus electio, quam difficultatem ſors tollit. Juſtini locus a Freinshemio explicatus. Sol Perſis ſub Mithra nomine cultus. Plurima gentes heliolatriæ dediti. Ejus rei cauſa Germanis de trinuno Deo nihil conſtitiſſe contra Cluverium aſſeritur. Equi ſolis apud Perſas, Armenios, Maſſagetas. Hinnitus ex deſiderio equæ. An quædam Perſis in hinnitu religio. Hinnitus alacris victoriæ præſagium. Equis deſilire reverentiæ ſignum. De forma Principis quædam. Matrimonium ad majora nitendi decus & robur. Zopyri hiſtoria. Transfugarum fluxa fides. Zopyri factum improbatur. Concluſio.

§. II.

Erant virtute & nobilitate ita pares &c.

Hinc eſt quod *VALERIVS MAX. lib. VII. cap. 3.* Darium ſex adjutoribus ejuſdem dignitatis aſſumtis pactum cum præclari operis conſortibus feciſſe ſcribat; quem locum ſic feliciter reſtituit *JANVS CASP. GEVARTIVS elect. lib. I. cap. 1.* eoque hanc correctionis gloriam Ruperto, ceu ipſe fatetur diſſert. ad Valerium, præripuit. Quod vero ad ſententiam autoris noſtri verum videtur, illud *VITELLII* effatum apud *Tacitum hiſt. lib. 56.* minore diſcrimine ſumi Principem quam quæri, quod quidem diſcrimen eo majus eſſe ſolet, quo major eſt principatum ambientium numerus, maximum vero, ſi virtute & nobilitate ſint ita pares, ut difficilem ex illis electionem æqualitas faciat; quo ipſo latus inimicitiis ſæpe aperitur campus, quæ ad internecionem plerumque ſæviunt. Et ſane tum vix melius ſortitione remedium adhiberi poteſt, cum etiam ſecundum ſapientiſſimi Regis dictum contradictiones comprimat ſors, & inter potentiores quoque dijudicet. *Proverb. XII.*

§. V. Se-

§. V.

Solem Perſæ unum Deum eſſe credunt.

Cum ex tot aliis ſcriptoribus liquido conſtet, Perſas non hunc ſolum habuiſſe Deum, ſed & plures alios, facile largior *FREINSHEMIO comment. ad Curtium III. 3. 11.* hunc locum ita explicandum eſſe, ut verba unum Deum non velint ſolum atque unicum, ſed unum potius ex Diis, ut iſtud Deûm ſit ſecundus pluralis numeri caſus. *Colebatur autem ſol apud Perſas potiſſimum ſub Mithræ nomine.* (a) *STRABO Geogr. lib. XV.* Τιμῶσι τὸν ἥλιον ὃν καλοῦσι Μίθραν; quod pluribus declarant *BRISSONIVS de regno Perſ. l. II. VOSSIVS de idololat. l. II. c. 9. DEMPSTERVS ad Roſin. l. II. c. 8. REINESIVS hiſt. LXIX, 644. ſeqq. SAVBERTVS de ſacrific. c. XXIII. SCHEDIVS de diis Germ. ſyntagm. I. 4. WOWERIVS not. ad Firmic. de errore prof. relig. BERNARTIVS fin. lib. 1. Theſ. Statii, BVLENGERVS Eclog. ad Arnob. l. II. c. 4.* Habuere autem Perſæ hanc heliolatriam cum pluribus gentibus commmem; cum Phœnicibus, Ægyptiis, Aſſyriis, Babyloniis, Sabæis, Arabibus, Æthiopibus, Marmaricis, Pœnis, Græcis & Romanis, aliisque fere toto orbe populis, quemadmodum teſtimonia probatæ fidei ſcriptorum evincunt; & probat id præ cæteris vir magnus, licet cum maximis comparandus, *GERARD. JO. VOSSIVS lib. de idololatria;* cujus ſcrinia compilare nolim. Inquirenti vero mihi in cauſas, cur præ cæteris aſtris ſolem veteres divinis honoribus affecerint, videntur Pagani ex magnitudine ejus infinita, ex ſingulari pulchritudine, ac æquali illo minimeque interrupto ejus motu, ut & mirandis in hæc inferiora operationibus capti fuiſſe, ut honorem, quem conditori ejus & opificii deberent, creaturæ attribuerent: quamquam non deſunt, qui per ſolem illos Deum ipſum indigitare voluiſſe cenſeant, quibus omni ex parte conſentire nequeo. Intolerandus vero error *PHILIPPI CLUVERII,* qui *lib. 1. Germ. antiq. c. 29.* priſcos Germanos per ſolem, Vulcanum & Lunam, quos invocaſſe illos Cæſar prodit, unum verum Deum in Trinitate intellexiſſe ſcribit: quod idcirco merito refellunt *VOSSIVS l. 1. de idolol. c. 37. & JOH. HENR. MEIBOMIVS comment. ad juſjur. Hippocratis.*

Et equos eidem Deo ſacratos ferunt.

Vide *BRISSONIVM* & *BVLENGERVM laud. loc. SAVBERTVM de ſacrific. p. 580.* quod etiam de Armeniis & Maſſagetis prædicant *HERODOTVS fin. lib. II.* & *XENOPH. Ἀναβας. lib. 4.* De ſacris majorum noſtrorum equis vide quæ ſcribit *TACITVS Germ. cap. X.* & quæ ibi notarunt viri docti. Sed præterquam quod Perſæ ſoli equos ſacros alebant, etiam ſacerdotes ei deſtinabant. *JVSTIN. X. 2. 4.* per ſolem jurabant. *ÆLIAN. V. H. l. 1. c. 33. PLVTARCH. in Artaxerx.* nec unquam ante ortum ſolem exercitum movebant. *CVRT. III. 2. 3. & III. 3. 8.* etiam ſoli dicatis locis pepercere, quemadmodum Delus & Epheſus experta, ut interpres Ariſtoph. in Irenam & *CIC. Verr. 1.* tradunt.

§. IX.

Ex deſiderio fœminæ hinnitum ſtatim edidit.

CARDANVS de rer. variet. lib. 7. c. 32. aliquot hinnitus ſpecies facit, inter quas eſt etiam ille, qui fit ex deſiderio ſociæ, qua de re equiſones viderint. Addit autem Herodotus & ejus fide forſan Valerius, equi cuſtodem manum in equæ genitalia demiſſam poſt, cum ad ſtatutum locum deveniſſent, naribus equi admoviſſe, eoque odore irritatum, hinnitum edidiſſe. An vero nove hoc præſagium a Perſis excogitatum, an illis quoque aliqua in hinnitu religio, perinde ut Germanis olim, equidem non determinarim. *COLERVS* tamen *not. ad Valer.* eo fere inclinat. Cæterum equos hinnitu alacriore & ferociore fremitu prælium inituris victoriam portendere etiamnum perſuaſum eſſe militibus, teſtatur *PEVCERVS de divinatione lib.*

Ut confeſtim equis deſilierint.

Qui mos honorem ſuperiori exhibendi olim erat in uſu. Sic *ARNOB. lib. VII.* ut ſi quiſpiam viſo potentiſſimi nominis viro via decedat, aſſurgat, caput revelet, vehiculoque deſiliat, tum deinde ſalutet acclinis. Et *SALLVSTIVS V. hiſt. apud Nonium:* Quibus de cauſis Sullam in victoria Dictatorem ſibi equo deſcendere, ſibi uni adſurgere de ſella. *TACITVS ann. XV, 28.* Et viſo Corbulone Rex prius equo deſiliit.

§. XI.

Regnum tam levi momento (b) in unum collatum eſt.

Quantum imperium, inquit *VALERIVS*, quam parvo interceptum eſt vaframento:

(a) *colebatur ſol ſub Mithræ nomine)* Alias alia nomina eſſe, quibus ſolem appellant Perſæ, obſervat *HYDIVS l. c. p. 108.* At in religionis negotio, ait, ſol præcipue vocatur *Mihr*, qua voce primario ſignificatur amor, miſeratio, miſericordia, quia ſol totum orbem foveat & recreet, & quaſi amore complectatur, notione haud multum diverſa, quæ apud Ebræos ſol dicitur Schemeſch i. e. totius orbis miniſter & famulus. Græci, cum difficilis eſſet ipſis pronunciatio Myr vel Mihr, inſeruerunt θ & dixerunt Mithra, ut & in Mithridates, quod eſt Myr dat. i. e. amor juſtitiæ. Græci Perſis imputarunt Mithræ divinum cultum, unde HESYCHIUS, Μίθρα ὁ πρῶτος ἐν Πέρσαις θεός. Sed errant illi, quoniam Perſæ agnoverunt utique ſolem eſſe Dei creaturam, quem in finem Hydius pro ſe allegat Saaſonii verba ex ejusd. libro de hodierno ſtatu Perſiæ.

(b) *Regnum tam levi momento)* Unde poſtea Darium in ſigillo habuiſſe ſculptum equum, per quem hinnitum edentem Rex factus fuerit, a ſcholiaſte Thucydidis eſt annotatum:

§. XIII.

Præter formam.

Formæ decus ſi adeſt, aliquid ad auctoritatem principis facere arbitror; præſertim apud tales, ubi in corporum majeſtate veneratio, quique magnorum operum non alios capaces putant, quam quos eximia ſpecie donare natura dignata eſt, ut habet *CVRTIVS IV. 5. 29.* Attamen vim & adminiſtrationem regni in forma ſitam, tantum abeſt ut concedam, ut contra, ſi abſit, & modo prudentia aliisque virtutibus inſtructus ſit Princeps, facilem ejus jacturam cenſeam.

§. XIV.

Darius regalibus nuptiis regnum firmaturus.

Sæpe Principibus in matrimonio commodo non auctoritatis tantum, ſed & ipſius principatus fulcrum ſitum eſſe conſtat. Hinc etiam Perdiccas, ut viribus auctoritatem regiam acquireret, ad nuptias Cleopatræ ſororis Alex. M. & alterius quondam Alexandri uxoris intendit, noſter XIII. 6. 4. Hinc *TACITVS de Agricola:* Domitiam Decidianam ſplendidis natalibus ortam ſibi junxit, idque matrimonium ad majora nitendi decus ac robur fuit. Spectavit hoc quoque Clemens VII. in Alexandro nepoti ſtabiliendo principatu Florentino. Jungi enim illi fecit Caroli V. filiam, ut ſoceri majeſtate Florentinos in officio contineret. Plura *CLAPMARIVS de arcan. rerumpubl. l. IV. c. 9.* & *PICCARTVS obſerv. hiſtorico-polit. decad. VI. c. 3.*

§. XV.

Zopyrus (a) *domi ſe verberibus lacerari jubet.*

Vid. *HEROD. III. 153. PLVTARCH. apophth. reg. c. 3. POLYÆN. ſtrateg. lib. VII. FRONTIN. ſtrateg. III. 3. 4.* qui tamen Zopyrum eam operam Cyro navaſſe ſcribit, item Ariſtid. orat. *κατὰ τῶν ἱεροσυλημένων. SVIDAM* in Ζώπυρος. *NAZIANZEN. orat. 11. in Julian. Apoſtol. Prov. Græc. cent. IX. 58. & XI. 61. FVLGOSVM lib. VII. c. 4.*

§. XVI.

Transfuga titulo Babyloniam proficiſcitur.

Transfugis non temere credendum eſt, cum, ſi mala fide id faciant, multum nocere poſſint. Sic enim Tarquinius Gabios *FLOR. I. 7. FRONTIN. III. 3. PLIN. XIX. 8. VALERIVS M. VII. 4. 2. POLYÆN. I. 8.* Mezeres Craſſum; *FLOR. III. 11. 7.* Rhadamiſtus Mithridatem, *TACIT. Ann. XII. 44.* alii alios in ultimum diſcrimen deduxere. Cujusmodi plura exempla ſedulo collegerunt *ZWINGERVS Th. V. H. vol. 7. l. 3. FREINSHEMIVS ad Curtium IV. 6. 15.* & idem cum *RVPERTO & ZEVECOTIO ad Flor. l. 1. c. 7.* Zevecotius porro ad Suetonii Julium c. 75. Unum tamen his ex *SAXONIS hiſtor. Danic. l. 11.* petitum placet, ubi Frotho permutata cum ancillulis veſte, peritam ſe pugnandi puellam ſimulat, depoſitoque virili cultu fœmineum æmulatus, transfugæ titulo oppidum petit, illic omnibus curioſius exploratis poſtridie emiſſo comite exercitum adſtitit jubet, portasque ſua pandendas opera pollicetur. Taliter eluſis vigilibus urbs ſomno ſepulta diripitur, ſecuritatis pœnas interitu luens, deſidiaque ſua quam hoſtium virtute miſerior. Nihil enim in re militari perniciofius animadvertitur, quam per ocium metu vacuum ſolutis neglectisque rebus nimiæ fiduciæ præſumtionibus torpeſcere.

Non immerito autem hoc loco quæritur, num factum iſtud Zopyri honeſtum, an vero inhoneſtum fuerit, ac propterea vel laudem vel vituperii notam mereatur. Plerique fere, qui illud deſcripſere, inſignibus Zopyrum extollunt elogiis: & Plutarchus quidem ipſum eo nomine virum bonum appellare non dubitavit. Attamen ſi æqua lance rem perpendimus, contrarium ſentientibus calculum noſtrum non poſſumus non adjicere. Licet enim finis ejus bonus & honeſtus fuerit, tamen media eo facientia inhoneſta & illegitima fuiſſe videntur. Neque vero ipſius in Regem fides, in eos ad quos transfugerat perfidiam ſatis puto excuſavit. Atque hic quidem libri I. finis eſto! Tibi vero o æterne Deus, o ſancta & individua Trinitas laus, honor & ſempiterna ſit gloria in ſeculorum ſecula. Amen.

FINIS.

(a) *Zopyrus*) Simile fere factum vide apud *FLORVM I. 7. 6.* Darius proinde dixiſſe fertur, ſe unum Zopyrum malle integrum, quam centum Babylonas capere. Et oblato malo granato tantum optaſſe ſibi Zopyrorum, quantum ibi granorum ineſſet.

Agricola Dux
Seu
Exemplum illuſtre pace belloque imitandum Duci
occaſione verborum
apud Corn. Tacit. in vit. Jul. Agr. cap. 41. §. 3.

RESPONDENTE

ERICO JOHAN. PHOENIX, O-Gothia Sueco

D. XXX. Mart. An. cIↄIↄCLXVII.

VERBA TEXTVS
Cit. cap. 41. §. 3.

Poſcebatur ore vulgi, Dux Agricola.

PROOEMIVM.

I.

DUcem imitandum, non aliunde ſumo, quam ex Imperio Rom. apud majores, ſumma authoritate geſto, venerando omnibus, (a) cujus pater Mars (b) Deus creditur; & populus Martius (c) victorque (d) & princeps gentium, (e) quem neque Rex, neque civitas, neque gens ulla, imperii magnitudine ſuperavit. (f) Ejus itaque propria eſt rei militaris conſideratio, inſpectioque tota, (g) in qua quum virtute multum valuit, tum plus etiam diſciplina (h) caſtrenſi; cujus tenaciſſimum vinculum, & militaris rationis diligens obſervatio (i) penes ipſum erat. Sed nec minus domi, quam militiæ boni mores colebantur. (k) Quid enim prodeſt foris eſſe ſtrenuum, ſi domi male vivitur? Expugnentur licet urbes, corripiantur gentes, regnis injiciantur manus: niſi foro & curiæ, officium ac verecundia ſua conſtiterit, partarum rerum æquatus cœlo cumulus ſedem ſtabilem non habebit. (l) Quo cognito proinde, ne expeditius vincere, quam tueri, & rapere, quam continere viderentur (m) Romani; ſtuduerunt audaciæ, hoc eſt fortitudini maſculæ in bello; & ubi pax evenerat, æquitati: his nempe duabus partibus ſeque remque publicam curabant. (n) Unde jure ſibi facere videbatur, qui exclamavit, ubi eſt imperium, niſi apud Romanos? (o) vel quæ tanta gravitas, quæ tanta conſtantia, magnitudo animi, probitas, fides, quæ tam excellens in omni genere virtus in ullis fuit, ut cum Rom. comparanda (p) veniat? Adeo nullæ literæ ſatis dignis laudibus cæleſtem hujus populi ſpiritum proſequi (q) poſſunt.

II.

Cæterum nec propriam tamen huic populo dotem illam, ſed cum aliis quoque nonnullis eſſe communem (a) annuere cogor; vix conticentibus hiſtoriis, ubi pace belloque maxime fœdum atque miſere felicem hunc populum oſtenſum itur. (b) Nec locum quemcunque eligo in Imperio Rom. vel urbem quamlibet, huic ſervituram negotio meo; ſed unicam, eamque Romam, Regum patriam, (c) terrarum Deam, gentiumque Reginam, (d) quæ omni genere mirificorum exemplorum totum orbem terrarum replevit, (e) unde in omnia regimen, (f) quia domicilium Imperii orbis terrarum (g) audivit. In hac urbe tanquam in ipſo imperii lare (h) ducem admiror, ex equeſtri nobilitate & ordine ſenatorio ortum Agricolam. (i) Cujus nomen vitaque ideo non tanta habentur, quod præclara ingenia, ſi præter hunc Tacitum noſtrum aliqua eſſent, ea ſuſtuliſſent, (k) quorum tamen nihil eſt, ex ira, ſtudio, (l) amore, odio, (m) vel ſpe & metu (n) quemquam nominare, ſed quod inclaruit gloria & arte militari, ducis boni, imperatoria virtute, (o) cujus in ſinu ac tutela ſerenus tranquillusque beatæ pacis ſtatus acquieſcit, (p) cum, quod etiam reipubl. intereſt, ne præclara facinora ſua laude fraudentur; neve poſteritati ſubtrahantur exempla in æmulationem (q) & imitationem: Tum, quia nulla cujusquam ducis præſtantior vita imitatu; præſertim, ubi comparas ejus vigorem, conſtantiam, & expertem bellis animum cum inertia & formidine eorum, (r) quibus idem, quod ipſi, commiſſum erat imperium: nec commodior alias carptim ſcripturo, & quaſi aliud jam mihi acturo, ac hujus vita, a tam celebri conſignata autore, qui eſt Cornelius Tacitus; quem præ reliquis in hoc argumenti genere præeunte Lipſio (s) prudentiæ magiſtro (t) eminere vidi, & intellexi

(a) *Herodianus lib. 2. cap. 10. p. m. 334.* (b) *Valer. Max. lib. 2. cap. 7. §. 7.* (c) *Flor. lib. 3. cap. 3.* (d) *Id. lib. 4. c. 12.* (e) *Id. lib. 4. cap. 2.* (f) *Onoſand. in præfat. ad Strategic. p. m. 2.* (g) *Idem ibid.* (h) *Cic. Tuſc. diſp. lib. 1. p. m. 9.* (i) *Valer. Maximus lib. 2. cap. 9.* (k) *Salluſt. bell. Catil. p. m. 6.* (l) *Valer. Max. lib. 2. cap. 9.* (m) *Curtius lib. 4. cap. 11. §. 8. & 9.* & ad hunc locum *Freinsh.* (n) *Salluſt. bell. Catil. p. m. 6.* (o) *Ælius Lampridius in Alex. Severo p. m. 220.* (p) *Cic. Tuſc. diſp. l. 1. p. m. 10.* (q) *Valer. Max. lib. 4. cap. 8. §. 5.*

(a) *Conring. in epiſtola ad Boineburg. de bibliotb. Aug. p. m. 47.* (b) *Salluſt. bell. Catil. & Jug. Sueton. in Aug. c. 23.* (c) *Eutrop. biſtor. Rom. lib. 2. p. m. 405. & Juſtin. lib. 18. cap. 2. 10.* (d) *Pomp. Læt. biſt. Rom. comp. in Gall. p. m. 456.* (e) *Valer. Max. lib. 2. cap. 7. §. 6.* (f) *Tacit. annal. lib. 3. cap. 47. §. 2.* (g) *Corn. Nep. in Attic. cap. 3. §. 3.* (h) *Herodian. lib. 2. cap. 10.* (i) *Tacit. Agric. cap. 4. §. 12.* (k) *Salluſt. bell. Catil. p. m. 6.* (l) *Tacit. annal. lib. 1. cap. 1.* (m) *Id. biſt. lib. 1. cap. 1.* (n) *Salluſt. bell. Catil. p. 3.* (o) *Tacit. Agric. cap. 39. 3.* (p) *Valer. Max. lib. 2. cap. 7. 8. Lipſ. polit. lib. 5. cap. 14. 6. & ad b. l. Becler.* (q) *Conring. de bibliotb. Aug. p. m. 27.* (r) *Tacit. Agric. cap. 41. 3.* (s) *Lipſ. polit. lib. 1. cap. 9. item in ſyllab. autor.* (t) *Bernegg. quæſt. in Tacit. 140. orat. Academ. 4. p. 128.*

Digitized by Google

tellexi ex analyſi Joan. Schefferi, (u) hoſpitis quondam Upſaliæ, atque nutritii mei, reverendisſime colendi.

III.

Hæc utut beatus ſum, cætera certe non æque, quia identidem audiam, quod & etiamnum exaudire videor: me non ſolum autores, ſed & eorundem loca, imo & verba, integrasque ſententias frequentius allegaſſe, quam decuit; ſagitta, in me immittenda, depromta ex pharetra Jacobi Cujacii JCti, hunc morem ut fallacem reprehendentis. (a) Et facile ſuccederet, non negem, niſi clypeus mihi eſſet Freinshemius, ſtrenue non manu ſed mente ac calamo pugnans (b) ejusmodi telis impetitus, ſed innocue, quia retorquebat manu exercita. (c) Addent demum: inertiæ & exiguæ lectionis judicium eſſe, toties ex uno, quod laudabilius ex multis, ſcriptore colligere, atque combinatione integrarum ſententiarum ſtylum occultari rudem. Hoc lubens in me derivo, ſed non item alii in ſe, quorum vexilla novitius ſequor; Nec aſſequor, quoniam judicium minus cultum eſt; & memoria, quamvis capax omnium rerum, tamen non omnium tenax. (d) Propterea que, cum ad alios autores divertere hic loci libuit, ad priores alibi familiariores mihi redeundum fuit: unde factum eſt, quod nec nullos autores habere vellem, nec omnes poſſem. (e) Laudem non ſpero, utinam omnia recte! forſan eſt difficile, (f) gratulari tamen licebit, magis neceſſitate errandi, quia me exerceo, quam errorum amore. (g) Quod niſi haberet triſte mortalitas privilegium, ut liceret aliquando peccare (h) cum, quia cognatum ſit homini peccare, (i) dudum damnata occubuiſſet. Qua itaque lege & ego hic utor & addo.

IV.

Proponitur hic vita AGRICOLÆ imitanda duci, quatenus & ipſa ducem informare poteſt: Noſtri officii haud immemores prius inquirere, qua ratione modoque commode quis imitetur; quam ulterior progreſſus fuerit; dabimus a Tacito diſpoſitionem, quam vocabulis ſaltem aliis impoſitis ſervabimus. Ille autem naſcendi ſortis, educationis, ſtudiorumque litterarum tractationi (a) ſubjungit aliud caput, (b) quod agit de rudimentis caſtrorum; inde facta multis verbis conjugii, otii, variarum expeditionum, nunc civilium, nunc bellicarum mentione, (c) deprædicat ſolertiam Agricolæ, fortitudinemque jam conſtituti cum integro exercitu in ſolo hoſtili. (d) Idque omne excipit alius ſermo de reliqua ejus vita, remotis militibus. (e) Denique ſub finem ſoceri ſui morbum & obitum conqueritur. Servata hæc ſub breviori titulo ad tria membra referemus. Quorum

I. quid agendum ipſi ſit, qui militiæ ſe credere velit, & armis clarus fieri.
II. quid jam dux conſtitutus faciat.
III. quomodo vivat remotus ab exercitu.

Idque ad legem, cui nos modo addiximus; adpoſitis ſententiis aliunde petitis. Sed & prius invocabo Deum. (f)

— — — *Tu mihi, magne Deus,* (g)
Da facilem curſum, atque audacibus annue cœptis, (h)
— — — *& percipe grato,*
Quæ loquor auditu, nec inexorabilis eſto. (i)

Et tu, æque lector, ſis memor flectere quædam, ſi non omnia, in benigniorem partem, (k) præſertim quia nusquam reperitur, qui poſſit penitus approbari. (l)

MEMBRVM PRIMVM.

Quid agendum ipſi ſit, qui militiæ ſe credere velit, & armis clarus fieri.

CAP. I.

Exhibens ducis nomen, ejusque varias acceptiones: quem hic intelligimus, deſcriptione patebit. Obiter de ſummo magiſtratu, cujus auſpicio & fortuna noſter militat; deque felicitate miniſtri, cui adſcribitur.

I.

Ne error aliquis in principio ſubortus ſit malum augurium de reliquis, ordiar de nomine, ut dixi, ducis; quod a ducendo provenit. Nimirum omnis is, qui aliud ducit ſeu præeundo dirigit, vel adminiſtrat, hoc nomine inſigniri poteſt. Unde legenti hiſtorias occurrit paſſim, dux viæ & itineris, (a) & operis, quemadmodum Tacitus noſter operarum theatralium ducem vocat Percennium, qui, antequam gregarius miles factus eſſet, (b) theatrorum curam habebat, Romanis uſitatam. (c) Cæterum ſepoſitis hisce ducem ab exercitum ducendo, (d) quod hic velimus, ſtatuimus propter excellentiam nomen accipere; iisque qui ætate & gloria belli ante alios inſignes (e) honoris & officii memoria impoſitum. Unde Germanis ex virtute deſumebatur dux, (f) idque muneris hiſtorici

variato

(u) *A. 1664. privat.*
(a) *Jac. Cujac. in ep. dedic. præmiſſ. conſult. Juris Lutet. a. 1576.* (b) *Lipſ. polit. lib. 5. cap. 1. in marg.* (c) *Freinsh. in prolegom. ad Tacit. p. m. 3. & Lipſ. polit. lib. 1. cap. 1.* (d) *Drexel. in de legendis & excerp. autor. cap. 3.* (e) *Schef. ad ſuam Muſæ.* (f) *Ariſtot. polit. lib. 2. c. 2.* (g) *Blemmius in diſcurſ. de educ. & collat. temp. Sen. de ira cap. 9.* (h) *Euphorm. ſatyric. part. 1. p. m. 4.* (i) *Grot. de I. B. & P. lib. 2. cap. 20. 19.*
(a) *Tacit. Agric. cap. 4.* (b) 5. (c) 18. (d) 41. (e) 43.
(f) *Roſin. antiqu. Rom. lib. 2. cap. 20.* (g) *Lipſ. polit. lib. 1. c. 1. 2.* (h) *Virg. Georg. lib. 1. verſ. 40. & ad h. l. Taubmann.* (i) *Flacc. orphei Argonaut. p. m. 2.* (k) *Lipſ. polit. præf. ad lect. monit. 3.* (l) *Trebellius Pollio in de 30. Tyran. 2. p. m. 265.*
(a) *Curt. lib. 3. cap. 13.* (b) *Tacit. Annal. lib. 1. cap. 16. 4.* (c) *Alex. ab Alex. gen. dier. lib. 5. cap. 16.* (d) *Livius lib. 44. cap. 22. 6.* (e) *Tacit. Annal. lib. 1. cap. 27. 2.* (f) *Id. Germ. c. 7. & Alex. ab Alex. gen. dier. lib. 4. cap. 23. p. m. 239.*

variato vocabulo, pro more ſuo nunc Imperatoris, (g) nunc Principis exercitus, (h) Principis militiæ (i) voce, intimabant; ad intelligendum non magis exemplo ſi ante aciem agant, quam imperio præeſſe. (k) Quo ſenſu, duces belli priſcis Suecis *Höffwitzmänne*, vel *Häär Hoffwitzmänne* dicti, quaſi capita exercitus; hinc *OLYMPIODORUS* apud *PHOCIUM*, Principes militum Gothicorum, qui Radagaiſum in Italiam ſecuti ſunt, κεφαλαιώτας ſua lingua appellatos ait, a κεφαλή capite (l). Similiter Florus ut efficaciter ſatis, ſed paucis abſolveret hoc munus in *Viriato*, vocat eum ducem & imperatorem (m) ſimul. Verum hæc copia verborum eſt, quod omnes uno verbo ductorem appellamus (n) & rectorem. Reliqua pro me dabit Kirchmaierus, (o) ſed maxime magnus ille Conringius (p).

II.

Hoc poſito, & verborum concertatione ſublata (a) liquet; nos hic non intelligere velle & debere ſummum aliquem magiſtratum, ſive is unus ſit, ſive plures, ſive omnes: Sed illum, qui ab hoc legitime conſtituitur, ut præſit exercitui, libereque ad ſummam rerum conſulere debeat (b) ex nutu imperantis, qui alias ſummo proximus dicitur Grotio, (c) & Lipſio, qui ſaltem ſuo ductu, non auſpicio rem gerit. (d) Ita ferme comparatum eſt, ut qui ſub imperio alieno agunt, expectandum eſſe ipſis, atque exequendum nutum ejus, qui ſummam poteſtatem tenet, (e) puta, de belli cauſis & conſequentibus tranſigere, ad belli ducem, ut ducem, non pertinere; (f) licet nec dubitandum, quin dux milites obliget inter eos actus, qui ſolent ab ipſis imperari, (g) hoc eſt, ſecundum leges militares retinere militem obſequentem; præmiis bonum, immorigerum afficere pœnis, & id genus alia, quod deinceps patebit. (h) Propterea antiquis, ut & hodiernis temporibus in bellicis expeditionibus habebat Dux jus vitæ & necis, (i) non pro voluntate, ſed ut Agamemnon

Longe ſi quem a pugna diſcedere cernam,
Effugiet non ille canes dirasque volucres,
Me penes arbitrium cum ſit necis.

Quemadmodum Heinſius Homeri verſus transfert in latinum. (k) Cætera etiam in imperatoris ſunt poteſtate; dimicare aut abſtinere pugna, obſidere urbes, ſolvere obſidia, & ſimilia, decreto ſemel bello: idque ob varios & incertos rerum eventus, proſperitate, utilitateque conſultorum non ubique concordantibus. (l) De illis certe nemo commodius rectiusque ſtatuere poteſt, quam qui præſens negotiis intereſt bellicis: ubi optimæ occaſiones rerum gerendarum omitterentur, ſi hinc inde mittendo ſenatus, aut populi, aut Principis, exquireretur voluntas. (m) Atque hoc eſt quod intelligere volunt Hiſtorici, cum dicunt, ſummam belli committi, (n) vel ſummam imperii teneri, (o) vel imperium tradi; (p) unde & imperatores ſummi (q) ejusmodi exercitui præfecti appellabantur; vel etiam aliter, prout amat ſcriptorum ſtylus variare, nominaque celare & ducere.

III.

Alium etiam ducem pie agnoſcimus, qui omnium eſt Princeps, (a) eumque ſummum, (b) cujus auſpiciis res geruntur: (c) nam pleraque certe, ſi non omnia, in ſumma fortuna, auſpiciis & conſiliis, quam telis & manibus geruntur; (d) quod optime novit Jul. Cæſar, cujus ad trepidum navigii gubernatorem extat vox, quid times? Cæſarem vehis: (e) & Antiochus Rex Syriæ, pugnaturus adverſus Romanos, fretus dicitur regio nomine: (f) nec aliter ſentiendum de fortuna Alexandri Magni, quamvis imperitus quiſpiam negabit, temeritatem geſtiens vocare, quæ ſæpenumero avertebat hoſtes. (g) Darius tamen, qui auſpicio non virtute rex factus, (h) auſpicio huic vix conſonam vocem extulit minus regie, *pluribus curam, omnibus abfuiſſe fortunam;* (i) quaſi aliam ſibi polliceri debeat fortunam is qui in caſtris eſt, quam quæ eſt magiſtratus, cujus partes ſuſtinet. (k) Quod putandum diſſimulaſſe perfidum illum Nabarzanem perſuaſurum Domino ſuo, ut auſpicium & imperium (puta regium) alii traderet, qui rex appelletur; novis initiis & ominibus opus eſſe, (l) veluti ſi ipſe vel alius quiſpiam, Darii accepto nomine, Alexandrum ſuperaret: ſed gratis: quia fortuna regis cum duce mutari non ſolet: (m) quamvis Deus reſpiciat non raro virtutem humanam in attollenda hujus potius quam illius populi potentia & majeſtate (n) variisque uti ſolet hominibus, prout imperiorum fortunam diſpenſare conſtituit, (o) non negamus. Interim tamen fortunam imperii (p) dependere ab ultoribus vel auſpicibus diis, qui ſemper pro meliori parte ſtant; (q) juxta ſententiam, cœptorum eventus ſuperæ ſibi vindicant poteſtates (r). Hanc belli fortunam, quia in bello ut pluri-
mum

(g) *Nepos Milt. cap.* 1. (h) 2. *Reg.* 4, 13. (i) 2. *Reg.* 5, 1. (k) *Tacit. german. cap.* 7, 1. (l) *Loccen. antiq. Suec. Goth. lib.* 2. *cap.* 4. (m) *Florus lib.* 2. *cap.* 17. (n) *Cic. Tuſc. diſp. lib.* 1. *p. m.* 44. & *lib.* 2. *p. m.* 70. (o) *Kirchmaier in notis ad Taciti germ.* 7. (p) *Conring. in de germ. Republ. acroam.* 3. *p.* 77-96.

(a) *Cic. Tuſc. diſp. lib.* 2. *p. m.* 70. (b) *Cæſar comm. de bell. civil. p. m.* 295. (c) *Grot. de J. B. & P. lib.* 3. *cap.* 22. 1. *Gebhard. Spicileg. in vita Conon. cap.* 1. *Nepotis.* (d) *Lipſ. polit. lib.* 5. *c.* 14. §. 5. (e) *Dict. Cretenſ. de bell. Troj. lib.* 5. *p. m.* 129. (f) *Grotius l. c.* §. 6. (g) *Idem ibid. & Jacobus Lampad. in de Rep. Rom. germ. part.* 1. §. 55. *Curt. lib.* 6. *cap.* 1. *Freinsh. ad h. l.* 20. (h) *Membr.* 2. *cap.* 4. §. 1. 2. (i) *Ariſt. polit. lib.* 3. *cap.* 10. (k) *Heinſ. ad h. l.* (l) *Ammian. Marcell. lib.* 25. *p. m.* 602. (m) *Forſtner. not. in Tacit. Ann. lib.* 1. *p. m.* 59. 60. *ſeqq.* (n) *Juſtin. lib.* 1. *c.* 6. 8. (o) *Cæſ. bell. Gall. lib.* 3. *p. m.* 77. (p) *Curt. lib.* 3. *cap.* 5. (q) *Dar. Phryg. in de excid. Trojan. p. m.* 186.

(a) *Ariſt. polit. lib.* 3. *cap.* 4. (b) *Grot. de J. B. & P. lib.* 3. *c.* 22, 1. (c) *Lipſ. polit. lib.* 5. *c.* 14. (d) *Tacit. annal. lib.* 13. *cap.* 6. (e) *Flor. lib.* 4. *cap.* 2. (f) *Id. lib.* 2. *cap.* 8. (g) *Curt. lib.* 4. *cap.* 9. (h) *Juſt. lib.* 1. *cap.* 10. (i) *Curt. lib.* 3. *cap.* 2. (k) *Scheff. not. ad Curt.* 3. *c.* 3. (l) *Curt. lib.* 5. *cap.* 9. (m) *Juſtin. lib.* 2. *cap.* 14. §. 5. (n) *Scheff. exercit. polit. ad vit. Romul.* §. 2. (o) *Boeclerus lib. comment. ad Nepot. p. m.* 34. (p) *Bartl. Argen. lib.* 2. *cap.* 10. *p. m.* 122. (q) *Curt. lib.* 4. *c.* 1. §. 13. (r) *Amm. Marc.*

mum apparuit; anxium de inſtantium eventu, humanum genus duello, ante pugnam experiebatur. Ejus gentis, cum qua bellum eſt, captivum quoque modo interceptum cum electo popularium ſuorum Germani, patriis quemque armis committunt; victoria hujus vel illius, pro præjudicio accipitur. (s) Sed hæc majora ſunt quam capi, nedum dijudicari poſſint a nobis; ingenue fatemur; & cupidum ſcire plura aſſertionis noſtræ teſtimonia, ablegamus ad Ariſtotelem (t) Stobæum (u) Suetonium (x) Barclajum (y) Freinshemium (z) ſed maxime Boeclerum (aa) Gruterum (bb) Forſtnerum (cc) Xerxis vitam apud Juſtinum (dd) Auguſtinum (ee) alioſque.

IV.

Et hoc equidem eſt id auſpicium, quod venerabantur parentes ſeu miniſtri, cum ad Imperantem proſperos ſuos ſucceſſus retulerunt: quamvis victoria elatus ille Pauſanias devicto Mardonio Medo, ex præda aureum tripodem Delphis poſuit, epigrammate ſcripto, in quo ſibi Platæenſem victoriam ſolum adſcribit, (a) modeſtiores tamen alii, quia prudentiores, ideoque meliori ſemper ſucceſſu & gratia penes magiſtratum. Quorum noſter Agricola unus, qui nunquam in ſuam famam geſtis exſultavit, ad autorem & ducem, ut miniſter fortunam referebat; (b) nec alius Germanicus, qui in congerie armorum quam ſtruxit, debellatis inter Rhenum Albimque nationibus, de ſe nihil addidit. (c) Nec eſſe quemquam, credo, diverſimode ſentientem, qui defugiendam autoritatem illorum, quorum auſpiciis & nomine res geſtæ ſunt; & laudem non in medium potius conferendam, quam ex communi ad ſe trahendam putet (d). Ad Principem igitur refer, cujus auſpiciis pugnas per ejus fortunam (ita res eſt) fortunatus: Dirigit enim hæc ſuprema providentia, & miniſtros quoque attollit aut deprimit ejus, in quo alterutrum vult fieri (e). Cæterum licet cælitus omnia noſtra gubernari, nemo audeat ire inficias; tamen ſapiens non vario conſilio multa adverſa effugere poteſt; inconſultum & inſipientem proſperi ſucceſſus prætereunt, (f) propterea duces ſua laude fraudandi minime ſunt, (g) cum id valde ingrati animi eſſet, ducem adepta victoria illaudatum prætermittere; ac omnino uni fortunæ referre gratiam: ſicut & profligato exercitu criminari fortunam, imperatorem prorſus inculpatum dimittere. (h) Omnibus tamen hiſce ad hanc ſtateram examinatis, ut fortuna ad principem, gloria atque decus ad conſilium ingeniumque ducis unice referendum: nam reliquorum quidem eventuum ut cauſa; ita gloria militibus cum duce communis eſt (i).

V.

Gravis magis, quam injucunda, hic quæſtio enata occurrit ſolvenda: quid nempe dicendum cogitandumve de iis miniſtris, quorum ope fortitiataque virtute id conſecuti videntur imperantes, quod ipſi vel quiſpiam alius, abſens præſensve, vix perficere poterat? nonne merito his fortuna hæc ſolum tribuatur? Primus inſurgit hic Davidis aliquis fautor contra Saulem, cum fœminis Iſraeliticis (a) & ipſe Naaman, per quem dedit Jehovah ſalutem ipſi Aram. (b) Hos ſi ingenio tantum æſtimamus, rem indignam facimus, cum plus ſit in ingenii fomento, ac interiore cum Deo commercio (c) & ſic captum noſtrum effugit, quicquid de ipſis impræſentiarum affirmari poſſet; tantum, quatenus juſſa ſuperiorum exſequi debebant, etiam felices ſuperſtite adhuc fortuna, quorum vices ſuſtinuerint. Quomodo Alcibiadem laudamus, quem fortuna Lacedæmoniorum, cum pro ipſis pugnavit; & rurſus illis deſertis, Athenienſium ſecuta felicitas perhibetur (d). Et quamvis Hamilcar ubi adfuit, nunquam hoſti ceſſit; (e) deferat tamen cum Soſia ſervo ad herum Amphitruonem, ſe viciſſe imperio & auſpicio ejus, ſed vi & virtute militum (f). Quemadmodum Britanniam victam aſſerit noſter Agricola auſpiciis Rom. Imperii, ſed fide & opera militum, (g) quippe in hoc negotio ratus Germanicus, conſcientiam facti ſatis eſſe, (h) ſi quid ſupereſt majoris conſecuti ſucceſſus, ipſi a cujus partibus quis ſteterit, tanquam pretium auſpicii communicati; referendum nec vocandum adulationis artificium, quo utuntur geſtientes aucupare gratiam ſui magiſtratus (i). Hinc David non exultavit ſuperbe: nec Joſephus inſolentior, quin ſemper, ut & alii facient, gratias egerunt Deo, exemplo Timoleontis Corinthii, qui cum ſuas laudes audiret prædicari, nunquam aliud dixit, quam ſe in ea re maximas diis (tu Deo) gratias agere atque habere; quod cum Siciliam recreare conſtituiſſent, tum ſe potiſſimum ducem eſſe voluiſſent. (k) Sed hoc perfectius habet, ſicut omnia, primus in notis Curtianis Loccenius (l).

CAP. II.

Abſolvit educationem, quæ melior infanti, ſi mater quam quævis alia, illam adminiſtrat: Inſtitutio recta, eſt adhortatio ad virtutem, quæ acquiritur uſu, & ubi is? Nempe in locis celebrioribus, quæ inhabitant ſapientia clari viri, ſcite erudientes.

I.

Hiſce diſcuſſis, quæ videbantur facere aliquid ad inſtituto noſtro uberiorem ſœnerandam lucem;

cell. lib. 25. p. m. 602. (s) *Tacit. germ. c. 10. §. 7.* (t) *Ariſt. polit. lib. 1. cap 8.* (u) *Stob. Eclog. Phyſic. lib. 1. de Mort.* (x) *Suet. in Jul. Cæſ. p. m. 6.* (y) *Barcl. Argen. lib. 1. p. m. 36.* (z) *Freinsh. ad Curt. lib. 3. c. 2. §. 1.* (aa) *de auſpic. Reg. cap. 2. ſeq.* (bb) *Diſc. 1. ad Tacit.* (cc) *Not. ad Tacit. ann. lib. 3. p. m. 245. ſeq.* (dd) *lib. 2. c. 13. 14.* (ee) *de civit. Dei lib. 5. cap. 21.*

(a) *Nep. Pauſ. cap. 1. §. 3.* (b) *Tacit. Agric. c. 8. 4.* (c) *Tacit. ann. lib. 2. cap. 22. §. 1.* (d) *Boſius not. ad Nep. c. 1. Pauſ.* (e) *Lipſius polit. lib. 5. cap. 11. §. 12.* (f) *Pomp. Lal. hiſt. Rom. comp. in Aurel. p. m. 440.* (g) *Curt. lib. 4. cap. 16.* (h) *Onoſand. præf. ad ſtrateg.* (i) *Scheff. exercit. polit. ad Liv. in vit. Priſc. §. 30.*

(a) *1. Sam. 18, 7.* (b) *2. Reg. 5, 1.* (c) *Boecl. libr. continent. ad Nep. p. 34.* (d) *Nep. Alcib. cap. 6, 2.* (e) *Id. Hamilc. cap. 1, 2.* (f) *Plaut. in Amphitr. Act. 1. ſc. 1. v. 36. 37.* (g) *Tacit. Agric. cap. 33.* (h) *Tacit. ann. lib. 2. c. 22. §. 1.* (i) *Boecler. not. in cap. 2. lib. 3. polit. Lipſ.* (k) *Nep. in ejus vita c. 4. §. 3.* (l) *Loccen. ad Curt. lib. 8. cap. 1.*

cem; accingimus nos ad id, quod rem ipſam magis concernit, Educationem, quæ grata & incolumi infantis productione ex utero materno in mundum, inſtituenda eſt recta, quod eſt præcipuum, & juxta Plutarchum, *ἓν πρῶτον, καὶ μέσον καὶ τελευταῖον ἐν τούτοις κεφάλαιον, ἀγωγὴ σπουδαία καὶ παιδεία νόμιμός ἐστι.* (a) Vel propterea maxime, cum a teneris aſſueſcere multum eſt, (b) & ſemel imbuta recens ſervabit odorem teſta diu. (c) Itaque cum matre ipſa nulla ſit fidelior nutrix in infantes, præſtat fieri in materno amplexu ad exemplum noſtri Agricolæ, in Juliæ Procillæ matris raræ caſtitatis matronæ ſinu indulgentiaque educari (d). Sua quemque mater, apud Germanos antiquos, uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur (e) liberi, nec diverſi Romani, quorum uxoris præcipua laus tueri domum & ſervire liberis, (f) idque naturæ valde conveniens (g) magisque utile, quam ſtatim natus mutato alimento divellatur ab uberibus genetricis, ſugatque mammas, quas præbet alia quævis conducta, cujus benevolentia atque cura pueri eſt, quanta ſit ejus merces; (h) nunquam corde, opere deſtinata nutrix & quoniam pacto conjugali nunquam in domum deducta, proinde quotidie nubit, ut nutrix fiat, ſi non a ſemine ducit, a lacte certe ſugit pravum effectum. (i) Conſultius itaque videtur, ſi ulla ratione fieri poteſt per matris conſtitutionem, materno lacte primum infans enutriendus eſt: Sin minus, de nutrice caſta, bene morata, ſana, quæ non diu peperit, nec uterum gerat, proſpiciendum. (k)

II.

Cæterum cum ad bonam vitam diſciplina & virtus maxime contendant, (a) ita ut nihil æque, ac inſtitutio requiratur & virtus; (b) neceſſum eſt, poſtquam ea ſint bene collata, ut ab uberibus ſuæ matris abſtrahi poſſit puer, aliaque alimenta pati quam lac valeat: tum, cum annis ſucceſcentibus, alia atque alia præcepta morum vitæque inculcentur. Primo omnium ſemina virtutis ſpargenda, tanquam hominis proprii boni, (c) qua, quicquid in rebus bellicis gerendum ſit, faciendum eſt, (d) ejusque præcipua pars pietas, (e) ut cognoſcat Deum, quoad ejus eſſentiam atque voluntatem; mox rite colat & veneretur devote, alias virtuti nunquam vere ſtudet; (f) commendatio deinceps ſequatur ad gloriam, quæ ex bellicis rebus comparari poteſt (g). Idque ſedulo hic loci, ut credat ob egregia facta magis, quam ob nobilitatem, quæ bonum quidem quoddam eſt, ſed majorum bonum, (h) illam accipi. Et licet divitiæ utiles ob honores, (i) naturæ tamen parabiles (k) ſuadendæ: quia fortunæ poſſeſſiones cito ſuperveniunt, cito & elabi poſſunt: animusque, quem cupido divitiarum invaſit, nulla diſciplina, nullis bonis artibus, emendatur, (l) quin etiam fidem, probitatem, artes bonas ſubvertit, corpus animumque effœminat (m). Quid eſt enim nequius aut turpius effœminato viro? (n) Sardanapalum aliquem tibi finge. (o) Vnica itaque virtutis via induſtria; qua alitur gloria, (p) virtutis præmium, cui impigre ut inſiſtat, rogandus: licet ardua, arcta & anguſta ſit via, per quam ingredimur; ſed ſummus & magnus eſt fructus, cum pervenimus ad gloriam, (q) cujus obtinendæ quidvis bellorum, diſcriminum, famis, frigoris, caloris & aliarum moleſtiarum ferendum. (r)

III.

Hunc ſenſum conciliat, atque hanc virtutis poſſeſſionem, quam gloria neceſſario ſequitur, (a) roborat ipſe uſus & conſuetudo cum plurimis, iisque optimis, quæ ad virtutis poſſeſſionem, maximum momentum adjicit (b). Deſinant ergo loqui glorioſe (c) quicunque cum Bruto in verbis tantum eſſe virtutem (d) aſſerunt, & non in opere & actione magis? cum admonendi juniores ſint ad virtutem, non ſolum adhortando, ſed etiam *περὶ τὰς πράξεις*, circa negotia demonſtrando, quales eſſe oportet & decet bonos viros, (e) totumque ſapientiæ ſtudium, non verbis aut decretorum ſcientiis, ſed gravitate morum, vitæque innocentia uſurpandum; (f) cujus gratia cultiores gentes loca commoda exædificaverunt juventuti conveniendæ, virtutis exercitia inſtituere, quæ poſtmodum ſcholas, porticus, gymnaſia, academias, (g) forum liberale ſeu ingenuum (h) appellarunt. Talis erat Agricolæ noſtri tempore Maſſilia, locus græca comitate & provinciali parſimonia mixtus ac bene compoſitus, (i) in qua urbe *Romanorum filii*, (*) antequam ad Atticas epulas proficiſcerentur, veluti in promulſide, guſtum elegantiorum literarum & diſciplinarum perceperunt, (k) non quod quid habeat genius hujus loci præ aliorum communicare virtutis, ſi commoditatem tollas, quam Muſæ habere amant, & ipſam celebritatem aliisque exemplo, vita, doctrinaque inſigniores viros. Unde Cicero filium dicit oportere abundare præceptis inſtitutisque philoſophiæ: propter ſummam & doctoris (Cratippi) autoritatem, & urbis (Athenarum) quorum alter ipſum ſcientia augere poſſet; altera exem-

(a) *Plut. in de puer. inſtit. part. 3. de nutr.* (b) *Horat.* (c) *Horat. epiſtolarum lib. 1. epiſt. 2.* (d) *Tacit. Agric. c. 4. §. 3.* (e) *Tacit. germ. c. 20. §. 2.* (f) *Id. ſeu Quintil. de orat. c. 28. 5.* (g) *Ariſt. polit lib. 1. c. 1.* (h) *Plut. cit. loc.* (i) *Blum. in diſcurſ. de educ. & collat. temp. a. 1625. Norib.* (k) *Burgersdicius id. doctr. Oecon. cap. 4. §. 8. & Freinsh. ſupplem. in Curt. lib. 1. p. 2. §. 6.*

(a) *Ariſt. polit. lib. 3. cap. 8.* (b) *Heinſ. ad ill. loc.* (c) *Tacit. hiſtor. lib. 4. cap. 17. §. 9.* (d) *Flav. Vopisc. in Aurel. p. m.* 287. (e) *Lipſ. polit. lib. 1. cap. 2.* (f) *Plato de legibus lib. 10. Georg. Gemiſt. Pletho orat. 2. Peloponneſ. §. 13.* (g) *Cic. offic. lib. 2. p. m. 84.* (h) *Plutarch. in de inſtit. puer.* (i) *Ariſt. polit. lib. 3. cap. 8.* (k) *Cic. Tuſc. diſp. lib. 5. p. m.* 188. (l) *Salluſt. epiſt. 2. de ord. republ. ad C. Cæſar.* (m) *Id. Bell. Catil. p. m. 7.* (n) *Cic. Tuſc. diſp. lib. 3. p.* 101. (o) *Juſt. lib. 1. c. 3.* (p) *Salluſt. ep. 2. de ord. rep.* (q) *Cyprianus lib. 1. ep. 2. ad Pomp. Fr.* (r) *Locc. in not. Curt. lib. 5. cap. 16.*

(a) *Cic. Tuſc. diſp. lib. 1. & orat. in Piſon. p.* 235. (b) *Plutarch. in de inſtit. puer. p. m.* 14. (c) *Cic. Tuſc. diſp. lib. 3. p. m.* 106. (d) *Flor. lib. 4. cap. 7.* (e) *Iſocr. orat. 3. ad Nicocl. p. m.* 21. (f) *Herodian. lib. 1. p. m.* 317. (g) *Cic. Tuſc. diſp. lib. 1. p. 12. lib. 2. p. m. 68. lib. 4. p.* 149. (h) *Barn. Briſſ. lib. 2. de regn. Perſ. p.* 189. (i) *Tacit. Agr. c. 4. §. 4.* (k) *Corvin. part. 2. in Maſſil.*

(*) *Romanorum filii*) GOEBEL. HEIDENREICH *Maſſilia c. 2. Hiſtoire de la ville de Marſeille par* ANTOINE RVFF.

exemplis (l) optimis. Præſtabit itaque talis locus, in quo nihil aſſervatur, quo animi juvenum a deorum (DEI) cultu avocantur (m); quem etiam literæ & facundia, & laudabilis civilis ordo diſciplinæ, veluti templum habent atque profitentur, (n) ut vere dicas illum eſſe ſedem atque magiſtram ſtudiorum. (o)

IV.

Exempla daturos diximus viros vita doctrinaque illuſtres; præſit itaque hic utilis eruditorum frequentia, maximeque induſtria ac docta; quæ, quod poteſt velit, & quod vult exſequatur in diſcentis utilem doctrinæ acquiſitionem, cum voluptate. Atque ex hac uni alicui committetur, inchoaturus ſtudere, potius quam multis vel pluribus; quod intima ſtudiorum affinitas, eorundemque arcta conjunctio ſervat doctiori. Ipſi nempe, qui vel id ſtudii genus profitetur, quod noſter deſiderat, vel non multum ab eo alienus eſt. Sit hic unus præceptor, cum videtur patris naturalis vices ſuſtinere. Ideoque & patris nomen meretur & honorem; Sic Eliam vocavit patrem Eliſa diſcipulus. (a) Paulum Timotheus (b), Achilles Phœnicem (c) aliique innumeri, qui parentibus redditi, id eſt, magiſtris traditi ſunt (d) non propterea quod ſint corporum, ſed animorum parentes (e) quia naturam cœcam, qua cum quis naſcitur, illuſtrant, cultioremque reddant & aptant omni eo, quod virtutis eſt atque doctrinæ, vitæ civili ſervituræ. Quo autem felicius id eveniat, cognitum ſit ante omnia vitæ genus, in quo tandem acquieſcat diſcens; ut tempus interveniens dividatur inter ſtudia, & quæ ſtudia, quæque alia aliis magis neceſſaria videantur. Noſter autem qui ad pacis bellique artes cognoſcendas properat, probe inculcatis iis, quæ prius dicta ſunt, (f) erudiendus eſt, in militaribus curis, & ſeveritate morum: in præceptis exercitiisque eloquentiæ & comitate honeſta (g): uti & rempubl. domi militiæque, quantumque armis, viris, opulentia poteſt, cognitum habeat (h): ante tamen omnia, ut AMET STATVM PATRIÆ SVÆ. Hæc & ſimilia, ut ſerio, quod in hoc negotio haut ultimum eſt, agantur: nunquam aſſentator exiſtat informator: quo genere hominum peſtilentius nullum, (i) quomodo Veſpaſianus pravis magiſtris didicit, auſusque mala (k): optimique Dionis filius mala educatione circumventus ac deperditus (l). Arceat proinde diſcipulum præceptor ab illecebris peccantium, (m) quamprimum fieri poteſt, ne ex actionibus deliberatis ac frequentibus gignatur proclivitas, quæ adulta dicitur habitus: (n) quo facto, neceſſe eſt vinolentia invitet, inflet ſuperbia, iracundia inflammet, rapacitas inquietet, crudelitas ſtimulet, ambitio delectet, libido præcipitet, (o) & ubi in vitiis tantum progreſſus eſt factum, haud facile quiſpiam ad vitam revocari poteſt. (p) Hic vere locum habet, quod canit Poeta:

- - revocare gradum, hoc opus hic labor eſt (q)

In tanto præcipiti curſu adeo neceſſaria in regendo ſapientia, in educando honeſtas, in inſtituendo fides & caritas (r), quod videre eſt apud Plutarchum (s) Gellium (t) Alexandr. ab Alexand. (u) Barnabam Briſſonium, (x) Blumium, (y) Loccenium, (z) Freinſhemium; (aa) Curtium Ruff. (bb) eminet tamen magnificus præſes, Conringius in *differtat. ad leg. 1. Codic. Theodoſ. de ſtud. liberal. urb. Rom. & Conſtant.*

CAP. III.

In quo artes honeſtæ commendantur: eloquentia primum, ejus dignitas, unde habetur & cui fini. Lectio Hiſtorica utilis valde; & linguarum peritia, non omnium, neceſſariarum tantum. Ars denique pictoria & palæſtra recenſetur, ſed breviter.

I.

Studia nunc ſequuntur Agricolæ, quæ in imitationem tranſmittimus: ea lege, ut primum artes honeſtas, (a) ſepoſitis tamdiu Philoſophia & Jure, quæ deinceps, demus. Quarum prima eloquentia, ars & ipſa dicta, (b) & ad eandem præparatio, quæ facit ut diſcas; quia grammaticæ artis clavis fores recludit hiſtoriarum, docetque verborum vim, ſignificationem uſumque: illa vero, ut cogitata bene exprimas, quod multo melius, quam vel acutiſſime ſine ipſa cogitare. (c) Quid quæſo prodeſt omnia ſcire, omnia prudenti cogitatione ſecum volvere? niſi facile eadem oratione explices? (d) Nec hic ſermonem quemcunque intelligimus, cujus beneficio utile & inutile, juſtum & injuſtum indices, (e) ſed ſermonis copiam atque elegantiam, quæ petitur ex Poetarum, Hiſtoricorum, oratorum, omninoque bene loquentium dictis & ſcriptis (f) crebriſque exercitiis, (g) quod tuum erit: interim tamen, cum hæc dicimus, Tiberiana vix commendatur, qua verba expenderet, validus ſenſibus aut conſulto ambiguus, (h) nec Druſum imitator rudem dicendi, (i) nedum egentem aliquem alienæ facundiæ Neronem, (k) ſed ſis medius, (l) ita ut ſatis habeas eloquentiæ (m), quo multitudinis animos ad benevolentiam allicias; militesque (quod tuum eſt auſpicate dux) blande appellando, ſermone delinias & adhorteris (n); idque illico obtinebis, quippe magna eſt admiratio copio-

(l) *Cic. offic. lib. 1. pag. 1.* (m) *Valer. Max. lib. 1. cap. 12. de relig. obſ.* (n) *Juſt. lib. 2. c. 6.* (o) *Tacit. Agric. cap. 4. §. 4.*

(a) *2. Reg. 2, 12.* (b) *Phil. 2, 22.* (c) *Hom. Iliad. 9.* (d) *Cic. Tuſc. diſp. lib. 3. p. m. 86.* (e) *Loccen. ſynopſ. Jur. p. m. 315.* (f) *Theſ. 2. h. c.* (g) *Tacit. ann. l. 3. c. 2. ſ. 1. 2.* (h) *Salluſt. ep. 2. de ord. rep. ad C. Caeſ.* (i) *Plut. in de inſtit. puer.* (k) *Tacit. hiſtor. lib. 2. c. 84.* (l) *Nep. in Dion. p. m. 194.* (m) *Tacit. Agric. c. 4. 4.* (n) *Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 10. §. 6.* (o) *Cypr. lib. 2. Ep. 2. ad Donat. p. m. 45.* (p) *Sen. in Hypol. act. 1. ſub fin.* (q) *Virg. Æn.* (r) *Blum. in diſc. de educ. p. m. 18.* (s) *de puer inſtit.* (t) *Gell. Noct. Attic. lib. 1. cap. 9.* (u) *Alex. ab Alex. gen. dier. lib. 2. cap. 25. p. m. 100.* (x) *Barnab. Briſ. de Regn. Perſ. lib. 2. a pag. 189. ad 204.* (y) *Blum. in diſc. cit.* (z) *Locc. de period. imp. lib. 2. cap. 2.* (aa) *Freinsh. ſuppl. Curt. lib. 1. cap. 1. 3.* (bb) *Curt. lib. 5. cap. 1. lib. 8. c. 6. lib. 9. cap. 1.*

(a) *Tacit. Agric. cap. 4, 3.* (b) *Id. Ann. lib. 13. c. 3, 5. Bernegg. orat. acad. 9. p. 239.* (c) *Cic. offic. lib. 1. p. m. 63.* (d) *Nep. Themiſt. cap. 1.* (e) *Ariſt. polit. lib. 1. cap. 2.* (f) *Petr. Ram. Ciceronian. p. m. 18.* (g) *Scheff. in de ſtil. cap. 13.* (h) *Tacit. ann. lib. 13. c. 35.* (i) *Id. ann. lib. 1. c. 29, 1.* (k) *Id. ann. lib. 13. c. 35.* (l) *Vellej. Paterc. lib. 1. cap. 27.* (m) *Nep. Milt. c. 2.* (n) *Cic. offic. lib. 2. p. 85.*

copioſe ſapienterque dicentis; quem qui audiunt, intelligere etiam & ſapere plus quam ceteros arbitrantur (o). De ſuada illa admirabili obtinenda non ſis ſollicitus, quia requirit multam eruditionem, plurimas artes, & omnium rerum ſcientiam: & ejus eſt, qui de omni quæſtione, pulchre & ornate, apte & commode dicere debebit. (p) Nos revocato te ad ſummum illud literatorum decus Lipſium, (q) tranſimus ad reliquas, nec ubique nec penitus nunquam verborum curioſitatem (r) ſuadentes; quia prodeſt, (s) quamquam militariter debeas loqui. (t)

II.

Huic felicius conſequendæ ſuccurrit commode lectio illa attenta magis, quam ſolicita hiſtoriarum; atque in politicis haud inutilis labor, ita ut habeat, quod exprimat, roboretque ſuam ſententiam aliorum dictis & factis; nec deſtituatur ſermo rationibus, vel ſit coactus & exſanguis, ac pallidus; ſemper iisdem inhærens verbis & figuris, quæ vel omnibus obviæ, vel minus gratæ ſunt: ſed ſit floridus, præferens leporem, cum interiori vi ad perſuadendum, aptusque rei, de qua dicitur & dici debet. Hoc perfectius faciat, quanto eſt peritior ejus linguæ, quem alloquitur, vel cum quibus geſtiat vivere una: quippe multum intereſt, & intereſſe debet, an per interpretem quis animi ſui ſenſa palam facit, vel alterius cognoſcit: an ipſi ſe invicem intelligunt, qui colloquium habent? (a) hinc laudabilis & utilis linguarum cognitio duci commendanda. Omnium? abſit, cum & id ferme impoſſibile, corrupto hujus ſeculi genio, & plus aviditatis quam ſatietatis eſſet, id conſequi velle: ſed eorum ſufficit, quos vel bello laceſſere animus eſt, & cauſa vel mos invaluit; vel cum quibus aliquod aliud commercium habet, vel etiam adhuc utile inſtitui poſſit. In bellicis præſertim, quod hic maxime attenditur, expeditionibus: ubi ſi victor, quod ſemper ſperandum, cum victis de pace ejusque conditionibus; nam tum ejus eſt leges dicere accipiendas victo, (b) agat: vel de vectigalibus, commeatu, manu auxiliari, arcium cuſtodia, captivorum conditione, fide, & obſequio devictorum conſultandum ſit, commodum certe erit, uti peregrino ſermone: ſin victus, abſit tamen procul invidens virtuti fortuna! eadem erit facilitas de impetrandis iis, quæ, ſi ipſe victor, hoſti eſſet relicturus. Imo & in ipſa acierum diſpoſitione, quæ ut plurimum ex variis hominibus, linguæ commercio non cohærentibus, conſtant, præſtat alloqui militem quemlibet, ſua lingua & hortari. Hac tamen ſubducta ratione, ne ſæpius loquatur peregrinum ſermonem, quam urgeat ſumma neceſſitas, ne ſit ſignum odii ſermonis patrii & contemtus morum. (c)

III.

Sequitur Pictoria, qua adoleſcentes ingenui inſtrui ac erudiri ſoleant; utilis valde eſt illa ad vitam & multifariam commoda: (a) quippe alit memoriam, judiciumque acuit; & inſervit nobili cujusvis rei oculis ſubjectæ perfectionis inquiſitioni; delectat domi, in pace jucundum exercitium, quia liberale foris belloque res militares expedit; adjuvat, res longe diſſitas præſentes facit, ideoque neceſſarium adjumentum. Sed hic circumſcribi debet certis limitibus, intra quos magnum largitur uſum, delectationemque: Sed illos ſi tranſilierit, noſtrum hunc ducem perdit & corrumpit. Nempe requirit accuratior illa & intentior hæc ars hominis vel maximam partem ætatis, in evolvendis omnis eruditionis autoribus, qui vel de poëſi, hiſtoria; vel de opticis, geometricis, phyſicis & ethicis aliquid ſingulare & doctum reliquerunt. Sicut moleſto cum labore, & felici Minerva obſervavit generoſ. atque nobiliſſ. vir Dn. Griepen Hielm, S. R. Mtis Sueciæ ſtudiorum ac morum rector, ſecretarius & Aulæ conſiliarius excellentiſſimus, (b) ut & Schefferus, (c) Voſſius, aliique. Cætera quæ & mihi ultima erit, eſt palæſtra, conducens ad fortitudinem. (d) Quia vires corporis ad confirmandam exercet valetudinem; ideoque & bonum corporis inducit habitum. Nam jaculari & ferire, ſive punctim velis, ſive cæſim, & inflectere equos, atque ad alia id genus, ſine quibus militaris geri res non poteſt, obeunda omnia, inſtruit tyronem. (e) Et hæc eſt illa ars, quam maxime Plato cenſuit exercendam, non modo puellis, quæ alias Spartæ nudæ exercebantur, palæſtra & curſibus; (f) ſed & aniculis, ut patientes laborum facile res arduas ſubirent. (g) Verum abſurdum eſt, eadem ſtudere mulieres, quæ viros oportere. (h) Hæc exercitia inſtituenda quidem ſunt, ſed quamdiu literis incumbis, ſparſim & caute, magis ut videaris amare ea, quam inclareſcere; cum vel, ut ſanitas conſervetur, vel ut ſeriis obſequiis membra præparentur; (i) commendantur. De reliquis, quæ ab autoribus adponi ſoleant, (k) & hic annotari poſſent, ſilemus, ad ſtudia ſeveriora feſtinantes.

CAP. IV.

Aſſeritur hic, ſtudium philoſophiæ & juris ſciendum eſt duci, Agricolæ exemplo: & ad id probandum introducuntur alii duces, qui literis dedere operam & bello felices. Quia literæ & arma ſe invicem amant & adjuvant, contra nonnullorum opinionem; quæ falſa deprehenditur & refutatur.

I.

Habuimus ſtudia Agricolæ adoleſcentis, quæ Tacito vocantur artes honeſtæ: nec omnes dicas, fatemur, quia adhuc recenſeri poſſunt plures, & ab iis id fit, qui ex profeſſo in id laborarunt, quod noſtrum non eſt. Addemus itaque reliqua, quæ reſpectu ætatis & eruditionis, quod hic agi-

(o) *Id. ibid. & Iſocrat. orat. 3. ad Nicocl. p. 3.* (p) *Quintil. orat. dial.* (q) *Lipſ. pol. l. 1. c. 10.* (r) *Plat. polit. p. m. 261.* (s) *Tacit. annal. lib. c. 1. 42. 4. Suet. Calig. p. 229. & in Jul. & Aug Nep. p. m. 277.* (t) *Tacit. hiſt. l. 2. c 80.*

(a) *Lipſ. polit. lib. 3. c. 4. §. 4.* (b) *Curt. lib. 4. cap. 5.* (c) *Curtius lib. 6. c. 9.*

(a) *Ariſtot. polit. l. 8. c. 3.* (b) *in de ſtatu Rom. cap. 7. & de ſculptura Pompon. Gauric. Neapolit.* (c) *Graphe ſeu de art. pict. lib. ſing. nondum edit. & Gerh. Voſſius in de graphice.* (d) *Ariſtot. polit. lib. 8. c. 3.* (e) *Heinſ. ad cit. loc. Ariſt. ſub ſin.* (f) *Tuſc. diſp. lib. 2. p. 72.* (g) *Alex. ab Alex. gen. dier. lib. 2. cap. 25. pag. m. 100.* (h) *Ariſt. polit. lib. 2. cap 3.* (i) *Freinsh. ſuppl. Curt. lib. 1. c. 3. §. 1.* (k) *Gerhard. Voſſius in de 4. artib. popular.*

mus, excoluerit ſtudia juvenis jam factus, vocanturque philoſophiæ & juris. Sed de priori primum. Idque commendatur duci, vel propterea maxime, quia virtus expetitur, cujus adipiſcendæ cauſa, philoſophia quæſita, (a) ex qua culpæ & vitiorum, peccatorumque noſtrorum omnis petenda correctio. (b) Ab illa ſi non vivere, habemus tamen honeſte vivere: (c) nam ut voluere illi veteres, comprehendebat, quicquid notitiæ in rebus humanis atque divinis haberi poſſet. (d) Has *Metaphyſica* (*) comprehendebat, & erat ipſis theologia dicta, ſed improprie hoc nomen meretur, obſervante theolog. Doct. Calovio. (e) Illas involvebant partim phyſica & matheſis, quibus tamen relictis, utut neceſſaria magis quam libentur a duce, reperiuntur. Practicam malumus, quia mores emendat, virtute hominem inſtruit, & vitam univerſam prudentem & ſanctam reddit, (f) habetque illa præſidia vitæ & ſolatia. (g) Ea præſertim pars ethica dicta, ſeu moralis ſcientia, quæ agit non de moribus ſingulorum hominum ſeorſim, incerta aliqua vitæ practicæ ſpecie: ſed tradit generalia principia, ex quibus vitæ practicæ mores formandi ſint, tum in familia, quod fit in œconomia: tum in civitate, quod fit in politia. (h) Et hæc eſt illa univerſalis meta, & terminus omnium actionum, ad quem dux referat omnes ſuas vires & cogitationes; nempe, ut *quam optime* (**) vivat, pie, nulli moleſtus, nec etiam hoſti, niſi injuriæ animo vindicandæ; temperans ipſe & induſtrius; patriæ, cui natus bonus civis, avertendo malo, ſuccurrendo ruituræ, promovenda ſalute.

II.

Alterum eſt ſtudium juris, (a) ortum debens, tanquam ſuis principiis, *tribus iſtis regulis* (***) juris nobiſcum natis; neminem lædere, honeſte vivere, cuique quod ſuum eſt tribuere. Non hic multum ſolliciti ſimus, perſuadere duci ſingula in jure, quam ex jure præcipua. Quantum nimirum egenis ſuccurrere queat: vel privilegiis ſingulorum, h. e. juri ad privatorum utilitatem ſpectanti, (b) conſulere nitatur; nec indiligens commercii, pacis bellique cum exteris cognoſcendi; quin quam ſtudioſiſſimus, quia civis; quem ſtatus ſuæ patriæ fugere non debet. Ne ipſe alicubi impingat in id, quod turpe eſt, vel prætereat id, quod in vita honeſtum; juxta naturalem illam normam moralium operationum (c) dirigenda. Nec inſuetum veteribus, etiam quid amplius in jure ſcire velle, quemadmodum Cato, qui reipubl. peritus erat & conſultus & magnus imperator, (d) eandem laudem conſecutus in foro magis, quam in literis ſolum, ut Alcibiades, qui multos ſibi devinxit *opera forenſi*. (e) (†) Magnamque habebat prudentiam Cimon, Milthiadis filius, cum juris civilis, tum rei militaris. (f) Et Q. Maximi ſcientiam juris magnis laudibus effert Cicero; qui & ſe ipſum aſſerit, tractare jus augurum, pontificum & civile. (g) Hoc aliique quorum laus rei militaris haut exigua perhibetur. Cæterum, hic definire tempus, quando & quamdiu, noſtrum non eſt; ſemper ſcientes, alios aliis feliciores memoria methodoque eſſe; alios denique tardioris ingenii. Cicero, quem ab inſtituto noſtro alieniſſimum eſſe, libenter annuimus, anno ætat. 18. aſſiduus erat apud Q. Scevolam, (h) hominem in jure peritiſſimum, (i) ſed nec Ciceronem aliquem hic præparamus; monitum tamen a Cicerone dare placet noſtro duci; nempe diſcat quamdiu velit; tamdiu autem velle debebit, quoad ipſum, quantum proficiat, non pœnitet: (k) & ipſi imitandus Agricola, qui quamvis difficillimum erat, retinuit tamen ex ſapientia modum. (l) Pomponiusque Atticus didicit ita principum philoſophorum præcepta, ut iis ad vitam agendam, non ad oſtentationem uteretur. (m) Quod vitæ eſt, non ſcholæ diſcere: (n) nam ſi literis ſtudioſius incumbis, minus ad bella idoneus fueris. (o) Lege itaque, nec tamen nimium intentus libello. (p) Reliqua ſtudia duci commendanda, pete ex Lipſio. (q) Ego de aliis ſtudiis, quæ vel tractaverit Agricola, vel cognoſcenda duci, plura affirmare nec ſuſtineo, quia dubito, & tacet Tacitus; nec ſubducere, quæ accepi, debui, (r) quia Tacitus habuit.

III.

Atque hæc ſunt illa ſtudia, quæ præſcribente legem Tacito, commendamus in Agricola: ſed erit forſan nobis haut per omnia bonus interpres verborum, cui lingua promta eſt dicere, ad hæc ſtudia nec teneri ducem. Nec aliqui multi ex veteribus hæc ſtudia tractaſſe leguntur. Illi, ne & hic victas demus manus, reſpondebimus, allegatis aliorum imperatorum vitis, paucos, quorum nomina ad nos pervenerunt, felices fuiſſe bello, qui literarum cognitione caruerunt: imo, literarum ſcientiſſimos, feliciſſimos; quia arma & literæ ſe invicem adjuvant, quod probabimus, ut vel conniventibus oculis videas & intelligas. Hadrianus Imperator, poëmatum & literarum omnium ſtudioſiſſimus, Arith-

(a) *Cic. Tuſc. diſp. lib. 3. p. m. 107. & in Piſon. p. m. 243.* (b) *Id. Tuſc. l. 5.* (c) *Plut. in Alex. c. 3.* (d) *Burgersd. id. phil. nat. diſp. 1.* (e) *Calov. Iſag. ad Theol. lib. 1 cap. 1. §. 8.* (f) *Hornej. præf. civil. doctr.* (g) *Franciſc. Bacon. de ſap. vet. dedic.* (h) *Burgerdick. id. philoſ. moral. cap. 1. §. 22.*

(a) *Tacit. Agric. cap. 4. 5.* (b) *Corvin. enchir. juris tit. 1 p. m. 5. & 6.* (c) *Meiſn. de legibus lib. 3. de lege nat.* (d) *Nep. in Cat. cap. 1. §. 1.* (e) *Nep. Alcib. pag. 129.* (f) *Id. Cim. cap. 2.* (g) *Cic. Cat. Maj. p. m. 157.* (h) *Franciſcus Fabric. in de vita Cicer.* (i) *Pet. Ramus Cicer. p. m. 78.* (k) *Cic. offic. lib. 1. c. 2. p. 4.* (l) *Tac. Agr. c. 4. 6.* (m) *Nep. in Attic. c. 17. § 3.* (n) *Sen. ep. 106.* (o) *Joh. Bapt. Egnat. lib. 1. in Claud. p. m. 692.* (p) *Flor. lib. 4. cap. 12.* (q) *Lipſ. polit. l. 1. c. 10.* (r) *Curt. lib. 9. cap. 1.*

(*) *metaphyſica*) GOEBEL. Vid. orat. mea *de contemtu literarum.* Fallitur autem CALOVIVS, quod metaphyſica theologia improprie tractatur. Ejus enim nobiliſſima pars eſt theologia naturalis.

(**) *quam optime*) GOEBEL. Vita militaris a virtutum ſtudio longiſſime ſæpe abeſt, & abiit in proverbium; vitam militarem eſſe peſſimam. Talis tamen eſſe non deberet hæc vita. vid. LAZARI von SCHWENDI *Krieges-Diſcours.*

(***) *tribus iſtis regulis*) GOEB. Optime hæc præcepta explicat THOMASIVS *in fundam.*

(†) *opera forenſi*) GOEB. Sed tritura forenſis ad rem militarem non pertinet. Calleat igitur belli dux aliquo ſaltim modo illam jurisprudentiæ partem, quæ ad militares cauſas decidendas requiritur, ne totus ex prætoris militaris cerebro & ore pendere teneatur.

Arithmeticæ, geometriæ, picturæ peritiſſimus: idem armorum & rei militaris ſcientiſſimus; (a) Gratianus, carmen facere, ornate loqui, explicare controverſias, *Rhetorum more* (b) (*) eloquentiam, ſtudiaque liberalia, ab ætate prima, cupide & laborioſiſſime exercuit Auguſtus: (c) quæ cauſa; quia eruditi ipſimet erant, erat præcipua regnorum ſtabiliendorum. Quamvis Licinius Imperator literas virus ac peſtem publicam appellaret; (d) habet tamen hoc ſuum vigorem dictum, reſpublicas tum demum fore beatas, ſi aut illi, qui imperant, ſint philoſophi; aut qui conſilia dabunt, philoſophantur; unde & M. Antonino philoſophi nomen inditum, quaſi nihil non calleret in philoſophia & artibus. (e) Sed quid refugii nanciſcimur apud Principes? cum de ducibus nobis ſermo eſt. Scipio Africanus, tam elegans liberalium ſtudiorum, omnisque doctrinæ & autor & admirator fuit, ut non ſolum Socraticum Xenophontem; (f) ſed & Polybium, Panætiumque, præcellentes ingenio viros, domi militiæque habuerit. (g) At Epaminondæ, tam literarum ſtudium quam philoſophiæ, doctrina tanta, ut mirabile ſit; unde tam inſignis militiæ ſcientia, homini inter literas nato. (h) Quis diſertior Alcibiade? cujus tanta erat commendatio oris atque orationis, ut ei dicendo nemo poſſet reſiſtere. (i) Iphicratis ſupra ætatem admirabilis virtus; in quo non imperatoriæ tantum verum & oratoriæ artes fuere. (k) Et quid, ut tandem repetitioni ſit modus, referam de Philippo Macedone? qui non ſolum bellica laude clarus, & dicendi peritus, ſed & doctrinam magni fecit, (l) & filium ſibi natum non perinde diis gratias habuit, quam quod contigit, ipſum ſub Ariſtotele educari & inſtitui; (m) quaſi hoc eſſet vere regere alios, regere ſe ipſum: quod non commodius ſit; quam per commercium librorum doctorumque hominum. (n) Sed quis ſit, qui valeret, nomina dare eorum, qui clari literis belloque erant? Non ego, ingenue fateor; alius erit, cujus induſtria omnes græcos, latinosque ſcriptores perlegerit, & vix quidem ille; cum multa geſta ſint a multis populis, quæ literis conſignata non ſunt; quia partim ea copia non fuit (o) partim quod gerendis, quam memorandis rebus, incumbere, majoris gloriæ exiſtimaverint. (p) Quam ergo difficile dictu, duces floruiſſe, vel florere poſſe, abſque literis & philoſophia.

IV.

Sed neſcio certe, quem Salluſtianum Marium (a) inſuſurrantem exaudiam, quid muſis cum Marte? (b) Viros militiæ natos factis eſſe magnos oportet, ad verborum linguæque certamen rudes. (c) Quaſi ignoraremus, canem timidum latrare vehementius quam mordere. Altiſſima quæque flumina minimo ſono labi. (d) Sed gratis mi Mari, quia utrumque & nos hic velimus; nam qui factis non eſt magnus, ille bello inidoneus, caret quippe experientia; & qui procul a contentione non eſt, (e) in bello cuncta perdit; nec placuere unquam, quibus grave tacere fuit, (f) & cui lingua pro gladio eſt. Minime metuendus ille eſt, (g) cujusmodi milites Darii erant debellaturi ſuper menſa Alexandrum, (h) melior mihi lingua cum gladio, quod hic volumus, ut dictis addant fidem facta. Hisce facile ſubſiſteres quisquis es; niſi ſpes tibi eſſet, futura præſentibus fore potiora, (i) qualia ſunt. Authoritas viro militari pro facundia eſt, (k) quique dicat, melior mihi dextra lingua eſt (l) dextra mihi Deus & telum (m) idque confidentius; quod in ipſo concurſu prælii abit res a conſilio ad vires vimque pugnantium; (n) atque ſic concludens credis, ut plerique alii, militaribus ingeniis ſubtilitatem deeſſe, quia caſtrenſis juriſdictio ſecura & obtuſior, ac plura manu agens, calliditatem fori non exerceat. (o) Cæterum clauſis his rivulis reſpondemus: Non armis tantum, ſed & *conſiliis* (**) quoque dimicandum eſſe; (p) & quicquid accurate ſcire velis & feliciter perficere; ἐμπειρία μετὰ καὶ φιλοσοφία (q) experientia aggredere atque philoſophia; hæc docet conſulere, quia ex rationum collatione conſtat, (r) illa conſulta exſequi, quia eſt efficaciſſimus rerum omnium magiſter, (s) ſuperans omnium magiſtrorum præcepta. (t) Conjungendas itaque vires animi corporisque cenſemus, & merito ſtatuimus, ita adeo, ſi fieri poſſibile, uniendas, ut res diu mente agitatas non ſolum optes animi viribus tueri, ſed & corporis exſequi. (u) Cætera haberi poſſunt apud Ælianum; (x) Salluſtium, (y) Ciceronem, (z) Onoſandrum, (aa) Lipſium, (bb) Arniſæum, (cc) Boſium, (dd) Scheſferum, (ee) Pierium Valeſianum Bolzanum (ff) aliosque, qui de hac re aliquid diſerte annotarunt.

CAP. V.

(a) *Æl. Spartian. in Hadrian. p. m.* 141. (b) *Sext. Aur. Vict. in Grat. p. m.* 399. (c) *Suet. in Aug. cap.* 84. *ſſ. pag. m.* 36. (d) *Joh. Bapt. Ignat. lib.* 1. *princip. Rom. p. m.* 694. (e) *Jul. Capitol. in Anton. p. m.* 151. *ſſ.* (f) *Cic. Tuſc. diſp. lib.* 2. *pag.* 13. *ſub fin.* (g) *Vell. Paterc. lib.* 1. *cap.* 13. (h) *Juſt. lib.* 6. *c.* 8. (i) *Nep. in Alcib. cap.* 1. (k) *Juſt. lib.* 6. *cap.* 5. § 3. (l) *Ælian. var. hiſtor. l.* 4. *c.* 19. (m) *Freinsheim. ſupplem. Curt. lib.* 1. *cap.* 1. *cit. Agell.* 9. 3. (n) *Eraſm. Roter. ep. ad duces Saxon. Antw. a.* 1517. *non. Julii.* (o) *Salluſt. bel. Catil. pag.* 6. (p) *Ol. Verelius Upſal. in not. ad Rolſonem cap.* 1.

(a) *Sall. bell. Jugur. cap.* 25. (b) *Eraſm. colloqu. p. m.* 20. (c) *Liv. lib.* 10. *cap.* 22. 6. (d) *Curt. lib.* 7. *cap.* 4. § 13. (e) *Tacit. Agric. cap.* 9. § 6. (f) *Curt. lib.* 4. (g) *Virg. Malvez. March. Princeps p. m.* 49. (h) *Curt. lib.* 7. *c.* 4. § 7. (i) *Curt. lib.* 4. *c.* 1. (k) *Tacit. annal. lib.* 13. *cap.* 6. (l) *Ovid. Met. lib.* 9. *verſ.* 29. *fab.* 5. (m) *Virg.* (n) *Nep. Thraſib. cap.* 1. (o) *Tacit. Agr. cap.* 9. § 2. (p) *Flor. lib.* 1. *cap.* 19. (q) *Iſocrat. ad. Nicocl. or.* 2. (r) *Cic. Tuſc. diſp. lib.* 4. *ſub fin.* (s) *Plin. lib.* 26. *c.* 2. (t) *Cic. lib.* 1. *de orator. cap.* 4. (u) *Cic. offic. lib.* 3. *ſub fin.* (x) *Ælian. var. hiſt. lib.* 3. *c.* 17. (y) *Sall. bel. Catil. cap.* 1. *& ep.* 2. *ad C. Caeſ. de ord. rep.* (z) *Cic offic. lib.* 1. *pag. m.* 31. (aa) *Onoſ. ſtrateg. c.* 5. (bb) *Lipſ. polit. l.* 5. *c.* 16. (cc) *Arniſ. polit. l.* 1. *c.* 12. *p. m.* 320. (dd) *Boſ. not. c.* 13. *Nepot. Hannib.* (ee) *Scheff. ad Ælian. l.* 3. *c.* 17. *not. & Ælian. l.* 7. *c.* 13. (ff) *Pier. Val. Bolz. in Leon. ſeu c.* 1. *hierogl. Ægypt. p.* 2. *&* 15.

(*) *Rhetorum more*) GOEB. Sed hæc & talia in belli duce requiruntur.

(**) *conſiliis*) GOEB. Conſilia requirunt experientiam, & cum propria non ſufficit, aliorum ex libris hauriendæ.

CAP. V.

Abſoluta ſtudia excipiunt corporis exercitia: quorum reliquis non ſpretis, venatio convenientior, quia eſt pars quaſi belli. Tirocinia deponenda, & ubi? perinde eſt, modo optimo cuique duci rudimenta caſtrorum probentur; & quomodo vivendum in caſtris, ut habeatur amor & detur ſpes.

I.

Sed quoniam ingenium nemo ſine corpore exercebat, (a) corporis exercitia addere jubet ordo; quia tanta eſt militiæ præſtantia, dignitasque, ut non ſolum animum exercitatum deſideret, ſed & ipſum corpus bene compoſitum. Propterea cum Hercule, qui τὸ σῶμα πόνοις ἐγύμνασε, (b) corpus exerce; fidelius multo & ſtudio ardentiori, quam ubi literis incubuiſti. Nam tum corpus exercendum diximus ſed modice & diſpoſitive, ut ita dicam; donec poſitis probe literarum fundamentis, electoque vitæ genere, magis magisque deveniendum ad clariora exercitia. Ita ferme hic comparatum eſt, cum literis & exercitiis, vel animi viribus & corporis excolendis; ac cum lancibus, quarum altera præponderat, vecte aſſurgente & declinante, cum hypomochlio angulos alternatim æquales faciente; ut Mechanica nos docet. Eaque exercitia Juſtinus vocat rudimenta pueritiæ, quæ Philippus, Alexandri M. pater, in urbe ſeveritatis antiquæ Thebis & in domo Epaminondæ, ſummi & philoſophi & imperatoris depoſuit, (c) quæ exercitia juventutis amavit & Verus imperator; venatus puta, palæſtras & alia ejusmodi. (d) Atque tam diu pilo tere & ſagittis exerceas, & cæteris armorum officiis, (e) donec ad ſeveriora aſcendere queas, ad jaculationes, arcus, venationes, (f) non, ut modo priori diſciturus; ſed ut venator per noctes in nive, in montibus, uri te patiaris. (g) Quod omnibus artibus ſtudiorum liberalium excultus non moleſtum feret, tradi ad munia, haut multum ſervilibus miniſteriis abhorrentia, (h) cum magnorum præfectorum & ducum hæc incrementa ſunt & rudimenta. (i) Ita, ne exemplo deſtituamur penitus, magnus ille dux Epaminondas, & ſummorum ducum informator, exercebatur plurimum currendo, & luctando, magis tamen ſervivit velocitati, quam magnitudini virium; quippe illam ad utilitatem belli exiſtimabat pertinere. (k) Quamvis & hanc non ut inutilem rejiciendam putamus, ne primus a militia deficiat, ſed poſtremus, (l) quia cæteris ſit exemplum, (m) ſed præcipue venationem ſuademus; quia quod hic fera animalia, ſunt ibi hoſtes: qua de cauſa venandi ars pars belli dicitur, qua uti oportet & ad belluas, & in homines, (n) illa nempe venatio, quæ inſtituitur in non timidas beſtias, ſed feroces; ubi corpora omnibus laboribus perferendis aſſueta ſiunt; & animi in quibusvis periculis imperterriti redduntur; hic exuviæ erunt trophæa & obtentæ victoriæ monumenta. (o)

II.

Facto hoc experimento in feras, & corpore jam aſſueto iis, quæ in bello evenire poſſint, in bellum eundum eſt: parum intereſt, ubi tyrocinia depoſueris, ſive in Græcia, ut Alexander M. (a) ſive ut Jul. Cæſar in Aſia, (b) ſive mitti in Illyricum cum Druſo, (c) ſive cum Themiſtocle in pugna Marathonia, (d) vel in Hiſpania ſicut Hannibal, (e) vel quemadmodum Agricola noſter in Britannia, (f) ſive cum aliis alibi, modo ubicunque fueris id facias, ut inter cæteros tua gloria emicet, appareatque indoles futuræ imperatoriæ dignitatis. (g) Nam ferme, ita ſibi quilibet mortalium perſuadet: neminem unquam perveniſſe ad virtutem ſummam jam maturum; niſi qui puer, ſeminario virtutis generoſiore concretus, aliquid inclytum deſignaſſet. (h) In id maxime incumbendum, ut talis etiam ſit futurus, qualem cognitum judicarunt cives (i) & judicabunt ſemper communi omnium ſententia. Quod nimirum facillime in optimam partem cognoſcuntur adoleſcentes, qui ſe ad claros & ſapientes viros, bene conſulentes reipubl. (h. e. rebus bellicis) (k) contulerunt: quibus cum ſi frequentes ſint, opinionem afferunt populo, eorum fore ſe ſimiles, quos ſibi ipſi delegerunt ad imitandum. (l) Atque cum hæc talia ſint, vel eſſe credantur; neceſſum eſt, ut approbes prima rudimenta caſtrorum diligenti ac moderato alicui duci: ſicut Agricola Suetonio Paulino. (m) Sub militia patris Philippi *tyrocinii rudimenta* (*) depoſuit Alexander M. (n) M. Thermi prætoris contubernio uſus eſt Jul. Cæſar, (o) caſtra M. Claudii Neronis ſecutus eſt M. Porc. Cato, (p) Hannibalem filium ſecum duxit pater Hamilcar, (q) cum patre Milthiade Cimon, (r) Datames apud Ataxerxem, (s) aliique alios ſibi viſos optimos elegerunt ſequendos, vel ætas popoſcit.

IV. Demon-

(a) *Salluſt. bell. Catil. p.* 6. (b) *Iſocr. orat. ad Demon. pag. m.* 3. (c) *Juſt. lib.* 7. *c.* 5. (d) *Jul. capit. in Ver. p. m.* 160. (e) *Flav. Vopiſc. in Aurel. p. m.* 281. (f) *Plutarch. in de puer. inſtit.* (g) *Cic. Tuſc. diſp. lib.* 2. *p. m.* 74. (h) *Curt. lib.* 8. *cap.* 6. 2. (i) *Id. l.* 5. *c.* 1. *vide huic parall loc. Ælian. var. hiſt. l.* 19. *c.* 49. *Freinsh. not. Curt. l.* 8. *c.* 6. *lib.* 5. *c.* 1. §. 41. (k) *Nep. Epam. c.* 2. (l) *Onoſ. ſtrateg. cap.* 1. §. 5. (m) *Curt. lib.* 4. *cap.* 14. (n) *Ariſtot. polit. lib.* 1. *cap.* 5. (o) *Virg. Malvez. Marcb. princep. p. m.* 17. 18.

(a) *Juſtin. lib.* 9. *cap.* 1. §. 8. (b) *Suet. Jul. Caſ. cap.* 2. (c) *Tacit. annal. lib.* 2. *c.* 44. §. 1. (d) *Juſtin lib.* 2. *cap.* 9. §. 15. (e) *Nep. Hannibal. c.* 3. 1. (f) *Tacit. Agric. c.* 5. §. 1. (g) *Juſtin. lib.* 2. *cap.* 9. §. 15. (h) *Flav. Vopiſc. in Probo c.* 3. *ſub fin.* 299. (i) *Nep. Milt. cap.* 1. (k) *Plaut. in amphitr. act.* 1. *ſc.* 1. (l) *Cicero offic. lib.* 2. *pag.* 85. (m) *Tacit. Agric. cap.* 5. §. 1. (n) *Juſt. lib.* 9. *cap.* 1. §. 8. *Freinsh. ſupplem. in Curt. lib.* 1. *c.* 5. §. 3. (o) *Suet. Jul. Caſ. cap.* 2. (p) *Nep. in Cat. cap.* 1. §. 2. (q) *Id. Hamilc. c.* 3. §. 1. (r) *Id. in Cim.* (s) *Id. Datam.*

(*) *tyrocinii rudimenta*) GOEB. Guſtavus Adolfus rudimenta militiæ ſub ipſo patre poſuit. BERNEGGER. *in laudat. funebri Guſtavi M.* Traditur, deinde ſumto ignoto habitu ſub Mauritio in Belgio militaſſe. Carolus Guſtavus bellandi artes ſub Leonardo Torſtenſonio addidicit. PUFFENDORF. in *reb. geſt. Caroli Guſtavi lib. VII.* §. 3.

IV.

Demonſtratus eſt locus, ubi etiam duces accepti, exemplo & fortuna clariſſimi: ſupereſt parentis officium, quod tertium erit; quomodo nempe ſe gerat in caſtris ſub imperante. Id diſcat ſicut reliqua ex Agricola hoc noſtro; ſi magnam aliquam laudem, & a ſummo viro, & ab exercitu conſequi (a) velit: Non licenter more juvenum militiam in laſciviam vertere: ſed noſcere provinciam, noſci exercitui, diſcere a peritis, ſequi optimos, nihil appetere jactatione, nihil ob formidinem recuſare, ſimulque anxius & intentus agere (b). Quam induſtriam & animum fortem, dux, ſub quo militare contigerit, fovebit, nunc contubernio; (c) modo labores & diſcrimina, mox & gloriam communicabit: ſæpe parti exercitus in experimentum, aliquando majoribus copiis ex eventu præficiet (d). Quo facto, eveniet tibi quisquis es, quod Agricolæ, cujus vitam imitaris. Qui poſcebatur ore vulgi dux, (e) & Hannibali, qui Asdrubale imperatore ſuffecto, equitatui omni præfuit: ſed illo interfecto, univerſus exercitus ſummam imperii ad eum detulit, Carthaginenſibus conſentientibus (f). Cæterum antequam electioni huic factæ creatio conjungatur, pauca addere placet, quæ mentem detinebunt piam patriæ ſtatui.

CAP. VI.

Dux in urbe capeſcat magiſtratum, quam integro præficiendus eſt exercitui: conjugium ineundum, veluti certa pietatis indicium in patriam, ex quo fulcra Reipubl. liberi naſcuntur. Vaga libidinatio prohibetur & cur? Licet foeda proles interdum aſſurgit. De comitatu * *foeminarum in bello diſputatur, ſed caute. Quid præſtat favor militum; & quibus conciliatur, paucis diſſeritur.*

I.

Excultis ita probe animi corporisque viribus, nihil ſupereſſe videtur, quod excolendum cenſeamus duci futuro, quo minus etiamnum exercitui præficiatur univerſo. Sed cum ejus arbitrii eſt, cujus in poteſtate arma ſunt, maneat an ſecus Reſpubl. h. e. Reipubl. ſtatus; (a) caute (de neceſſitatis lege mihi non jam ſermo eſt) hic mercari prodeſt; commode huc applicans, quod de Philoſophis ſapienter ſapiens ille Rom. protulit, non ex ſingulis vocibus Philoſophos ſpectandos, ſed ex perpetuitate atque conſtantia (b). Sed hic magis, cum haut raro ea in caſtris didicere quidam, quæ poſtea in contrariis faciunt (c). Valet itaque id & ſemper valebit, parum eſſe adipiſci aliquid potuiſſe, cum plus ſit quod adeptum eſt poſſe ſervare. (d) Merito proinde, ad capeſſendos magiſtratus in urbe eligetur, (e) antequam majoribus rebus præeſſe incipiat; (f) vel ſi mavis; ut primum experimentum faciat in coërcenda domo ſua, quod plerisque haud minus arduum eſt, quam provinciam regere (g) non negemus, id exigente Politico (h) ſi modo idem hiſtoria & ratio permittere velint. Cum optimum ducem & imperatorem Auguſtum ſobole & diſciplina domus fortuna deſtituit. (i) Sed quo dilabor? continuabit virtutem, hoc eſt, vigorem corporis ingeniique, & ſimul animi probitatem, (k) quibus ſublatis, facile evaneſcunt cætera expectanda a duce: etiam ipſa fortitudo nulla, cum ex animo probo ſejungitur; nec de pietate, qua nulla vis major eſt, (l) aliter ſentiendum, ubi ipſa charitas patriæ ſincera non exiſtat: pro qua tamen totius orbis terrarum divitiæ non ſunt accipiendæ (m) cui & ipſa vita debetur (n).

II.

Intra hanc virtutis orbitam conſtituto matrimonium, quod ad majora nitenti decus atque robur ſit, ineundum (a) eſt. Nam præter id quod natura ſibi vindicat juris, nullus mihi videtur illo melior cive, qui liberos ex juſto matrimonio ſuſceptos recte inſtruit: ex quibus tandem participes civitatis oriuntur (b). Quæ enim Reſpubl. tandem futura, ſi veteres, ut ſic dicam, arbores exſcindantur, aut concidant, novellæ ſtirpes non depangentur in earum locum? vaſtitas profecto & tenebræ (c) vel quid majus ſubſidii in domo ſperandum, quam liberorum? vel quid denique optabilius ſolatium iis, ex quibus procreati ſunt, contingere queat, quam videre paternam gloriam, tanquam hæreditatem ad liberos deſcendere, (d) nomenque patris, ſed apud ſexum maſculinum, (e) quem hic amplectimur, ad poſteros usque propagari? Hinc creduntur parentes id velle, ut liberis quam optime proſpectum ſit (f). Proinde & fidelius ſuos informant, quia ſunt parentes: quod patet ex Romanis (g) aliisque; & commodius; quia habent eos intra domeſticos parietes, ubi accipere poſſunt filii ſignum, hoc eſt, monitum aliquod loco vexilli (h). Quod hominum generi natura prope datum ſit; non ſolum, ut liberi parentum laudes adament, ſtudioſeque proſequantur: ſed & multo ſtudioſius a parentibus ad eas excitentur (i). Et licet interdum imo frequentius voto oculi

(a) *Cic. offic. lib. 2. p. m.* 84. (b) *Tacit. Agric. cap.* 5. §. 23. (c) *Id. Agric. lib.* 5. §. 1. (d) *Id. ibid. c.* 8. 3. (e) *Id. ibid. c.* 41. §. 3. (f) *Nep. Hannibal. cap.* 3.

* *comitatu*) Germanis in bellum euntibus foeminas comites fuiſſe ex TACITI *Germania* conſtat.

(a) *Ariſt. polit. lib.* 7. *cap.* 9. (b) *Cic. Tuſc. diſp. lib.* 5. *p.* 166. (c) *Vell. Paterc. lib.* 2. *cap.* 9. (d) *Cypr. lib.* 1. *ep.* 5. *ad Rogat. Presbyt. p. m.* 21. (e) *Tacit. Agr. c.* 6. §. 1. (f) *Nep. Datam. cap.* 1. (g) *Tacit. Agr. cap.* 19. §. 2. (h) *Ariſt. polit. lib.* 1. *c.* 1. (i) *Suet. Aug. c.* 65. *p.* 31. (k) *Lipſ. polit. lib.* 5. *cap.* 15, 6. (l) *Sen. in Thyeſt. act.* 3. (m) *Nep. Epam. pag.* 263. (n) *Juſt. lib.* 18. *cap.* 6. §. 4.

(a) *Tacit. Agric. c.* 6. 1. (b) *Ariſt. polit. lib.* 1. *cap.* 8. *ſub fin.* (c) *Blum. in diſcurſu de educat. p. m.* 14. (d) *Cic. offic. lib.* 1. *p.* 32. (e) *Alex. ab Alex. gen. dier. lib.* 5. *c.* 4. *p.* 256. (f) *Grot. de J. B. & P. lib.* 2. *cap.* 7. §. 5. (g) *Quintil. orat. cap.* 28. *& ſeqq.* (h) *Valer. Max. lib.* 2. *cap.* 7. *& Bad. ad h. l.* (i) *Petr. Ram. Ciceron. p. m.* 19. *& Onoſand. ſtrateg. cap.* 1. 9.

oculi nihil gentile, nec patrium micent (k) clariſque majoribus connexi, ſuam tamen ipſi nobilitatem, ſuum ſanguinem perditum eant, (l) donec nihil ex paterna majeſtate præter ſpeciem nominis retineant, (m) lutumque audiant ſanguine maceratum (n). Sed hos ut grave onus magna nobilitas premit (o) neſcios, quod qui genus jactet ſuum, aliena laudat. (p) Interim tamen a majoribus ortum eſſe, ſtimulus eſt animis generoſis: quippe dedecori ſibi putant, debere aliorum factis inclareſcere (q) & paternam laudem penes alias familias eſſe. (r) Qui fit, quod ſæpenumero renaſcuntur patres in filiis, quos progenerant (s) & ſic

Generoſa in ortus ſemina exſurgunt ſuos. (t)

Quaſi non his non illis diverſo tempore admixtum eſſet animis aurum a Deo, ſed iisdem ſemper (u).

Dii itaque conjugales: tuque genialis
Thori Lucina cuſtos. - - - -
adeſte adeſte (x).

Quia fœmina nobilitate decora, & ſanctimonia inſignis delecta eſt. (y) Hæc, quibus roboravi mentem meam, haberi poſſunt planiora, ſi videantur Geneſis (z) Eccleſiaſtes (aa) Juſtinus (bb) Horatius (cc) Tacitus (dd) Nepos (ee) Gebhardus (ff) Joan. Conradus Dieterichius (gg) Paulus Jovius (hh) Lipſius. (ii)

III.

Conjugium ſuadere, etiamnum rationes haut leves ſuperſunt; quarum vel maxima eſt immoderatus ille amor, ſine quo Mars non pugnare (a) videtur; ortum debens peſſimæ illi diætæ in cibo & potu, ex quibus repletur venter & intempeſtiva vis cupidinis; ſicut in hoc negotio loquitur Piccartus. (b) Ut autem Venus frigeſcat, neceſſe eſt Cererem & Liberum removendos eſſe, ſine quibus invalida eſt, (c) Parcimonia nempe ciborum & ſomni, immani adjutrice temperantiæ (d) ſed id ſtatuere, eſt vitam velle tollere militarem, quid ineptius? ne dicam inhumanius? Remedium igitur conjugium, ni fallor, ejusque caſta memoria. Idque legitime magis, quam infames liberos procreare; quod infortunium haut leviter debilitat bonorum virorum reliquam felicitatem. (e) Qua contumeliæ macula ne inuretur victor hoſti lætitiæ, precari ſolebant a Diis veteres: Non veniat unquam, tam malus miſeris dies, qui prole foeda miſceat prolem inclytam. (f) Licet & illi extra juſtum conjugium nati, haud raro magni evadant; & reliquos virtute & fortuna longe ſuperent; quod hic induſtriæ propriæ & Numini ſupremo, cujus immenſæ bonitatis nulla eſt ratio, tribui decet & debet: * deteſtanda tamen occaſio & procreationis modus, quamvis occultus, ut illicitus etiam cum captiva ſuſceptus. (g) Hæc cum dicimus, non ſtatim accipi velimus verba: quaſi omnis is, cui generoſa ſtirps deeſt, (h) aliquid inclyti non præſtaret, & per virtutem non emergeret; veluti ignorantes, nec gloriam nec ignominiam ex ortu exſpectandam eſſe. (i) Nec generis humilitatem unquam obſtare poſſe, quo quis minus etiam, ad ſummum dignitatis gloriæque faſtigium enitatur. (k) Præſtare tamen, ubi haberi poſſunt duces boni claris natalibus; vel quod magis hic quærimus filium habere, ſi quid fato accidat, (l) quem tanquam optimi parentis ſtirpem horreat (m) metuatque hoſtis, quia veteri eſt auctoritate. (n) Milites vero alacriores, ubi dicere poſſunt, non datus, ſed nobiscum natus eſt dux, (o) nempe in caſtris genitus, in contubernio eductus. (p) Ille tandem ipſe exclamare poteſt cum Antonino ad Parthorum Regem Artabanum, Principem ſe eſſe & Principe natum. (q) Et cum Xerxe Darii filio, ſe & matre regina natum; & patrem non niſi regem vidiſſe. (r) Quæ omnia, non ut dominationis ſubſidia accipi velim; ſicut hæc dicta aliis uſurpantur. (s) Sed ut virtutis incitamenta. Proinde laudamus Datamem, qui non ſolum paternis incubuit meritis; ſed ſuam induſtriam atque virtutem adjunxit, (t) incuſantes ſemper filios qui nulla ſua induſtria, ſed cuncta patris claritudine adipiſcuntur. (u)

IV.

Sed videor hic forſan confidentius quam cautius adſerere conjugium ineundum noſtro duci. Ipſi præſertim, qui cum Severo Cæcina, uxorem comitem denegare (a) ſtudet. Sed nec magis id, quam quod ſtatim ambabus manibus amplectar eorum morem, quamvis Meſſalinus quiſpiam autor eſſet & Princeps, qui fœminas quavis de cauſa comitari velint; eo fine, ut ſint præcipuum fortitudinis incitamentum, (b) vel victoriæ hortamenta & pulſis pudor. (c) Sicut quid tale erant Perſis ſuis matres atque uxores in pugna adverſus Aſtyagem. (d) Cæterum, quamquam Galgaçus cum ſuis

(k) *Sen. Hypol. act.* 2. (l) *Tacit. annal. lib.* 4. *c.* 66. *ſ.* 3. (m) *Vellej. Paterc. lib.* 1. *c.* 10. (n) *Suet. Tiber. cap.* 57. (o) *Sen. Troad. act.* 3. (p) *id. Hercul. Furent. act.* 2. (q) *Virg. Malvez. l. c. p. m.* 24. (r) *Tacit. ann. lib.* 2. *cap.* 52. §. 5. (s) *Virg. Mal. Princ. p.* 47. (t) *Sen. Troad. act.* 3. (u) *Ariſt. polit. lib.* 2. *cap.* 3. (x) *Sen. in Med. act.* 1. (y) *Tacit. ann. lib.* 12. *cap.* 6, 2. (z) *Gen.* 1, 27. *c.* 24, 48. (aa) *Eccleſ. cap.* 4. *v.* 8. 9. 10. *ſeqq.* (bb) *Juſt. lib.* 2. *c.* 6. 7. (cc) *Horat. lib.* 4. *Od.* 4. (dd) *Tacit. ann. lib.* 4. *c.* 33. §. 2. (ee) *Nep. Timol. c.* 1. (ff) *Gebhard. not. ad hunc loc. & Epam. pag.* 282. (gg) *Joan. Dieter. de Tiber. & Claud optimor. parent. peſſ. fil.* (hh) *Paul. Jov. lib.* 1. *eclog. illuſtr. viror.* (ii) *Lipſ. polit. lib.* 3. *c.* 10. §. 4. *not.*

(a) *Ælian. Var hiſt. lib.* 3. *c.* 9. (b) *Piccart. in Ariſtot. polit. lib.* 2. *c.* 7. (c) *Terent. Eunuch. act.* 4. *ſc.* 5. (d) *Amm. Marcell. lib.* 29. *pag. m.* 602. (e) *Gebhard. not. ad Nep. Epam. pag.* 282. (f) *Sen. Med. act.* 3. *pag.* 176. * *Lauter. in Geneſ. cap.* 19. *p. m.* 521. *tom. IX. Altenb. a.* 1663. (g) *Grot. de J. B. & P. lib.* 3. *c.* 4. §. 13. *Joh. Klenck inſtit. jur. nat. & gent. p.* 135. (h) *Nep. Epam. c.* 1. §. 2. (i) *Virg. Malv. Princ. p.* 23. (k) *Scheffer not. Ælian. Var. hiſt. lib.* 14. *c.* 30. (l) *Tacit. hiſtor.* 3. *c.* 38. §. 9. (m) *Sen. Troad act.* 3. (n) *Tacit. ann. lib.* 1. *cap.* 60. §. 2. *Forſtn. not. ann.* 3. *pag.* 231. (o) *Herodian. lib.* 1. *cap.* 5. (p) *Tacit. ann. lib.* 1. *cap.* 41. §. 4. (q) *Herodian. lib.* 4. *cap.* 10. (r) *Juſt. lib.* 2. *c.* 10. §. 7. (s) *Forſtn. not. ad Tac. ann. lib.* 1. *p. m.* 11. (t) *Gebhard. Datam. not.* 8. (u) *Tacit. hiſt. lib.* 3. *cap.* 86. §. 1. *& germ. cap.* 13. §. 4.

(a) *Tacit. ann. lib.* 3. *c.* 33. (b) *Id. Germ. c.* 7. §. 8. (c) *Id. hiſt.* 4. *c.* 18, 4. (d) *Juſtin. lib.* 1. *cap.* 16. §. 14. 15.

ſuis victoria amiſſa frangebatur aſpectu pignorum ſuorum, ſæpius concitabatur ſcilicet irrumpere ulterius in Agricolam victorem: (e) deſtitit tamen; quaſi jam conſcius, ejusmodi laudatores & teſtes victoriæ, nihil conferre ad victoriam obtinendam. Quin potius fortes viros fortius quicquid acciderit laturos; ſi charisſimam ſui partem extra communis periculi ſortem habeant. (f) Certe quem neque gloria, neque præda, neque pericula excitant, vel animus ulciſcendi, ne quidquam horteris. (g) Verum dicas, quod honeſtius quam uxorium levamentum revertentibus, duci puta & militibus poſt laborem? (h) Et quia labor militiæ mollior eſt dulcedine uxorum, (i) ideoque & captis interdum unicum ſolatium uxores, ſors & necesſitas applicare ſolent. (k) Quæ rationes, utcunque veriores prioribus; habent tamen aliquid arcani ad aliud, quod ſpecie veritatis latet. Unicam valituram ais, devitandæ ſcortationis & promiſcuæ more pecudum Veneris, uxore præſente. Hic inter ſacrum ſaxumque ſto; nec quid dicam ſcio. (l) Si negavero, participem me facio peccati, quod quis forſan perpetraturus eſt cum captiva? vix impune feram, quamvis dixerim, bello leges ſilere cogi. (m) Sin affirmavero, pretioſam nempe ſuppellectilem, pellicesque & ſpadonum agmina? iterum pecco: quia nihil aliud ſunt, quam onera & impedimenta. (n) Malo tamen hic quam ibi; cæterum ſi placet, duci certo tempore locove uxorem comitem permittere, vix incogitantior videaris. Interim ſuademus adeas Forſtnerum, (o) Loccenium, (p) Gruterum.

V.

Cognita jam eſt virtus domi militiæque, (a) ſupereſt favor militum, quem neceſſario adeſſe velimus. Nam invito milite belligerari quid ſit, declarant Romæ excidium, & nuper (puta anno 1529. res apud Viennam (Solimanno Turcarum Imperatore) geſtæ. (b) Dignum ſibi milites quærunt principem, (c) & in quem favor, in eum eſt & ſpes eadem, (d) cujus vigorem, conſtantiam, & expertem bellis animum habent. (e) Vigorem volunt militarem, hoc eſt, ut ſit ætas juſta & vires cum apta membrorum diſpoſitione: reluceat quædam agilitas in agendo, & rebus perficiendis haud imbecillis tolerantia; vel ut alius, ſit dignitas honeſta, & vires ad laborem ferendum firmæ, neque tam magnum corpus, quam figura honeſta. (f) Nempe moles corporis non ſit ſuperflua & immanis, ita ut ab omnibus telis undique petatur, ſi major cæteris. (g) Nec minor, ne vel contemnatur, vel conſpici non poſſit, niſi difficulter inter reliquos. Hiſce ſi adjunxeris conſtantiam, rectum nimirum ac immotum animi robur, non elati externis aut fortuitis, non depreſſi, (h) qualis non unius aut alterius prælii eventu paveſcit, (i) habebis certe milites obſequentes. Præſertim ubi & ſciverint, ipſum conſuetum in armis ævum agere, (k) atque ibi didiciſſe ante bellum nil niſi prudenti cogitatione & actionibus: in bello, nihil niſi utili cunctatione, præter timorem & damnum: & denique poſt bellum, vel victoria obtenta, vel clade accepta, omnia ad ſuorum commodum, & hoſtium terrorem componere. Nunquam occaſio ſit moræ belli, ut damnum timeatur; aut cauſæ rebellandi, ut laſciviat miles. (l) Talem optant milites imperatorem, precamur nos; talis eſt hoſti terrori!

MEMBRVM SECVNDVM.

Quid jam dux conſtitutus faciat. (*)

CAP. I.

Dux conſtitutus exercitui præficietur; ſed an ſolus? affirmatur: milites eligit, non tam multos quam bonos; eosque exercitabit & quamdiu? Arma acquiret, eaque juſta & quæ illa? Pecuniarum & commeatuum ut non negligens, ita & milites arceat, ne cuiquam injurii ſint, quod legis caſtrenſis eſt.

I.

HAc natura, & conſtitutione, pulvereque bellico induratum, tuto quisquis es, qui magiſtratum ſummum tenes, præfice armatis. (a) Nec dubita, quia meruit; & ſolus, quia ſalus tua ſuadet & ratio; (b) nec deliberes, an ad unum deferendum, quod facilius plures adminiſtrent? (c) veluti perſuaſum erat Athenienſibus in prælio adverſus Darium: ſed magna erat contentio, antequam unus Miltiades plusquam collegæ valeret. (d) Prudentior Alex. Magn. qui Parmenioni juſſit obedire reliquos, ubi nempe ipſe non aderat. (e) Et ea eſt ferme conditio belli, ut non aliter conſtet, quam ut ab uno regatur; (f) ne excercitus vario tumultu cuncta turbet, ad unum non intentus. (g) Quod facillime fit, ubi plures duces ſimul imperant, ſententiis, fama, & authoritate diſpares. (h) Hoc viſo, Carthaginenſes & Lacedæmonii, qui etſi domi uſi ſunt paucis regere rempublicam; tamen in bello uno

(e) *Tacit. Agr. c. 38. §. 1.* (f) *Curt. lib. 4. c. 3.* (g) *Salluſt. bell. Catil. p. 43.* (h) *Tacit. annal. lib. 3. c. 34.* (i) *Juſtin. lib. 12. cap. 4. §. 3.* (k) *Curt. lib. 5. c. 5.* (l) *Plaut. cap. 3. 4. verſ. 84.* (m) *Lucan. lib. 1. p. m. 18.* (n) *Curt. lib. 5. c. 1.* (o) *Forſtn. ad Tacit. ann. l. 3. p. 262.* (p) *Locc. ad Curt. 3. not. 11.*

(a) *Cic. Tuſc. diſp. lib. 5. p. 174.* (b) *Eraſm. Roterod. ad Camp. Card. ep. a. 1530. 10. Aug.* (c) *Trebell. Pol. in Gall. p. m. 261.* (d) *Tacit. ann. lib. 1. c. 33. §. 3.* (e) *Tacit. Agric. c. 41.* (f) *Nep. Eumen. cap. 11. §. 5.* (g) *Curt. lib. 6. c. 1.* (h) *Blum. in de critice ſtylo p. m. 12.* (i) *Tacit. Agr. cap. 15. §. 8.* (k) *Cic. Tuſc. diſp. lib. 2. p. m. 78.* (l) *Tacit. Agric. cap. 34. §. 5.*

(a) *Forſtn. not. Tacit. ann. lib. 1. p. m. 61.* (b) *Bodin. de rep. lib. 4. c. 2.* (c) *Tacit. ann. l. 1. c. 11. §. 4.* (d) *Nep. Milt. c. 4. §. 4. & c. 5. §. 2.* (e) *Curt. lib. 3. c. 11.* (f) *Tacit. ann. lib. 1. c. 9. 4.* (g) *Curt. lib. 3. c. 8.* (h) *Locc. not. Curt. lib. 3. not. 33.*

(*) GOEB. Jejuna admodum ſunt, quæ LENTVLVS in *Agricola & imperatore* habet. Rectius quæ duci incumbunt, ex maximorum heroum vitis & rebus geſtis addiſci poſſunt.

uno Rege ſunt uſi. (i) Et quid quæſo potiſſimum Romanos, qui alias unius imperio infenſiſſimi erant, coëgit dictatorem creare, ſi non ratio belli? Quaſi certo experti, non poſſe res arduas in republica commode expediri; ubi non ſit juſta poteſtas in magiſtratu ſummo, hoc eſt, in uno aliquo, qui haberet ſummam poteſtatem. (k) veluti regiæ adminiſtrationis utilitates; qua non alia commodior ad bella & repentinos tumultus compeſcendos. (l) Hiſce, licet & aliis rationibus, non negem, commotus Ariſtoteles, & qui eum ſcite interpretantur adſerere; fortiorem & ad bellica aptiorem haud aliam gentem eſſe illa, quæ natura unum regem amat, eligit & ſequitur in otio; quem tamen in bello ſeu rebus trepidis, ultimum conſilium ſit creaturum. (m) Proinde cum jam unius arbitrio res bellicæ optime gerantur, (n) unus aliquis tantæ molis capax (o) eligatur, eique totum negotium adminiſtrare committendum, ne ſi plures ſint, alius in alium culpam referat, quod in adverſis rebus ſolet fieri; (p) vel in ſecundis proſpera omnes ſibi vindicent, (q) quæ uni debentur. Hæ altercationes, ex quibus invidiæ promanant, ſemper ſunt rerum gerendarum occaſioni impedimento, ut Forſtnerus (r) obſervavit.

II.

Quo facto, prima cura ſit eligendi milites; cum non ſolum aſſiduis præliis conſumuntur, ſed etiam ſecundis præliis atteruntur copiæ. (a) Nec hic multos ſuademus, quam optimos: licet hiſtorias legenti occurrat, quosdam non tam virtute, quam multitudine hoſtium victos, quam vincendo fatigatos occubuiſſe, (b) quibus victoria ceſſiſſet, ſi adeſſent alii, qui vulneratorum acie excedentium locum occupare poſſent. (c) Quod fatendum eſt; itaque tali & ejusmodi alii periculo ſufficiendi ſunt milites, atque in promtu habendi, qui vel inclinantem exercitus partem ope ſua erigant, vel etiam integris viribus adoriri poſſent feſſos. (d) Si major fuerit ipſe exercitus, mole ſua ruit; ſi quidem non alia res magis exitio eſſe ſoleat, quam ipſa exercitus magnitudo. (e) Non enim turba, ſed animi faciunt viros & victores. (f) Hæc vero militum conſcriptio etiam inter paucos inſtituenda eſt delectu; quæ non ſtudiis privatis, nec ex commendatione aut precibus centurionum oriatur, cum optimus quisque fidelisſimus putandus. (g) Legat itaque ex gente bello læta (h) & ex iis, qui - - - *genus durum ſumt, experiensque laborum;* (i) *quique dare certa ferat dare vulnera poſſunt hoſti.* (k) Nec tamen hic promiſcue, ſed etiam viritim (l) potiſſimos, (m) feroces ingenii, (n) fama inſignes, quæ haut ſemper errat, aliquando eligit, (o) ad vulnera paratos, (p) non ad fugam & ſervitutem natos, * aliosque bonæ notæ viros, quorum corporibus poſitionem cœli habitum dediſſe, (q) compertum eſt. Sed id caute, quia ferre laborem, contemnere vulnus, conſuetudo docet. (r) Quæ acquiritur crebris exercitiis & exercitationibus militaribus, per centuriones & decuriones. Nam habet hoc incommodi natura noſtra; ut ſi idonea cuicunque rei præficiendæ aptetur, imprimis exerceatur, ſciatque quid ſit illud, quod aget, quam aggredietur idem. Unde mos Romanis uſitatus, quod imperatores ad bellum profecturi munus gladiatorum & venatus darent, vel propterea, ut civium ſanguine litato; ſpecie pugnarum ſe Nemeſis, id eſt, vis quædam fortunæ ſatiaret, (s) vel etiam, quod veroſimilius credo, ut milites ad bellum ituri deberent pugnas videre, & vulnera & ferrum & nudas inter ſe cohortes: nec dimicantes in bello, armatos hoſtes timerent; aut vulnera, aut ſanguinem perhorreſcerent, (t) alias, ſi in ipſo negotio conſilium & experientiam capias, cave, ne tum omnia deficiant. (u) Hinc videre veteres, tantum intereſſe inter novum, rudem & inexercitatum exercitum & veterem, quanti experti eſſent, (x) ſemper ſtuduerunt, quam exercitatisſimum educere militem. Cyrus neque prandebat neque cœnabat unquam, niſi prius militaria obiiſſet *munia*, (*) quod & milites ſui facerent. (y) Nec ſegnior Alvidius Caſſius, arma militum ſeptima die reſpexit; qua die omnes milites ſagittas mitterent, & armis luderent: dicebat enim miſerum eſſe, cum exercerentur athletæ, venatores & gladiatores; non exerceri milites, quibus minor eſſet futurus labor ſi conſuetus eſſet. (z) Si cum cura hoc factum fuerit, milites ad nutum monentis ſint intenti; ſequi ſigna, ordinesque ſervare; quod imperatur exaudient, obſiſtere, circuire, diſcurrere in cornu, mutare pugnam aliaque. (aa) Quomodo non tantum in patrio, ſed & ceſſantibus armis in hoſtili ſolo, validam manum & prælio paratam (bb) ſemper habebis, adverſa quævis toleraturam. (cc)

III.

Arma jam deſiderantur, (a) non Vulcania, id eſt fortitudo, (b) ſed belli inſtrumenta (c) & militum membra; quibus expeditis, ut membris pugnare poſſunt. (d) Cujusmodi ſunt, varia armorum genera, quibus eminus vel cominus nos defendimus, & hoſti damnum inferre conamur; utpote arcus, ſagittæ, conti, lanceæ, cujuscunque generis ſcuta, caſſides, ſpathæ & gladii, quos παραμηρίδας vocant,

(i) *Iſocr. orat. 3 ad Nicocl. p. m. 9.* (k) *Oldendorp. reſtaur. polit. Rom. in Pomp. Mel de dict.* (l) *Zonar. tom. 2. p. 21.* (m) *Liv. lib. 4. cap. 56. 5.* (n) *Nep. Alcib. cap. 7. §. 1.* (o) *Tac. ann. l. 1. c. 11. §. 3.* (p) *Curt. l. 4. c. 3.* (q) *Tacit. Agr. c. 27. 2.* (r) *Forſtn. not. Tacit. ann. 1. p. m. 59.*

(a) *Curt. lib. 4. c. 6.* (b) *Juſt. lib. 2. c. 11. §. 18.* (c) *Curt. lib. 3. cap. 11.* (d) *Onoſ. ſtrateg. c. 22.* (e) *Flor. lib. 4. c. 2.* (f) *Loccen. ad Curt. lib. 3. not. 5.* (g) *Tacit. Agr. c. 19. §. 3.* (h) *Id. hiſt. lib. 4. c. 16. §. 2.* (i) *Ovid. met. lib. 1. fab. 11.* (k) *Id. met. lib. 1. fab. 13.* (l) *Nep. Pauſ. c. 1.* (m) *Tacit. hiſt. l. 2. c. 11. §. 3.* (n) *Vellej. Paterc. l. 2. c. 1.* (o) *Tacit. Agric. c. 9. §. 7.* (p) *Cic. Tuſc. diſp. lib. 2. p. m. 73.* * *Appian. Alex. bell. civil. lib. 2.* (q) *Tacit. Agric. ep. 11. §. 4.* (r) *Cic. Tuſc. diſp. lib. 2.* (s) *Pomp. Læt. hiſtor. Rom. compend. de triumpho. & orat. p. m. 443.* (t) *Julii Capit. in Max. & Balb. p. m. 253.* (u) *Caſ. bell. Gall. l. 5. pag. m. 126.* (x) *Cic. Tuſc. diſp. lib. 2. pag. m. 75.* (y) *Alex. ab Alex. gen. dier. lib. 1. c. 20.* (z) *Vulcat. gallican. in Avid. Caſſ. p. m. 177.* (aa) *Curt. lib. 3.* (bb) *Tacit. ann. lib. 2. cap. 79. §. 5.* (cc) *Id. hiſt. lib. 4. cap. 23. §. 4.*

(a) *Ariſt. polit. lib. 7. cap. 8.* (b) *Cic. Tuſc. diſp. lib. 2.* (c) *Curt. lib. 9. c. 3.* (d) *Alex. ab Alex. gen. dier. lib. 1. c. 18. p. m. 78. & Flor. lib. 2. c. 18.*

(*) *munia*) GOEB. Idem de Carolo XII. Suecorum Rege dici poteſt.

cant, quod femori accinguntur; (e) varia genera tormentorum & telorum: Ferrum, fuſtis, lapis, & quidvis aliud ſub teli nomine veniens (f) venabula & cultri, (g) funda & haſtæ igne duratæ, quæ vel feras excipientibus (h) uſurpantur vel neceſſitati ſatisfit, illis fortes viri non repelluntur. (i) Sint juſta arma, hoc eſt, ad militum commodum, & hoſtis damnum fabricata: eaque nec leviora nec graviora; ſi id, exiguum aut penitus nullum inferunt damnum: ſin hoc, impediunt magis quam defendunt. Si vel juſtum pondus figuramque excedant vel non æquent, inhabilia certe inferendis ictibus (k) habentur. Juxta id & hoc obſervandum; quod non tantum rationem habeas tuorum armorum, quæ vel commoda ſunt vel probari poſſunt; ſed etiam hoſtis tui, quibus iſte conſuevit eminus & cominus hoſtem propellere; hoc viſo, alterum ipſi minus optabile pugnæ genus inſtitue; ſi eminus is, tu cum Agricola, rem ad mucrones manus adduc, (l) & vice verſa; ita tamen ut ademto hoſti armorum uſu; tu tuis fac utaris in aliqua parte conflictus, ne ſint fruſtra, unde damnum inprimis, & poſtmodum dedecus egregium tibi. (m) Quæ ratio in utendis recte armis non minor eſt, quam ſcite acquirendis. Cæterum hæc arma, quorum jam brevis eſt facta mentio, vel fieri etiamnum poſſet, voluere quidam auro & argento polita eſſe, quo tenaciores eorum in prælio eſſent milites, metu damni. (n) At gratis: cum neque pugnat miles ut arma retineat; ſed ut per arma vitam: Nec dimicat pro obtinendis armis, ſed pro obtinenda patriæ libertate, gloria, vel injuria vindicanda & ſimilibus; imo ſtultum eſt incitamenta pugnandi dare hoſti! Verum, ſi ad aliam decoris gloriæve ſpeciem, victor hæc habere velit, nec ubi vincatur, cum cæteris præſtat, (o) non gloria dignum, ſed & prædicatione cenſemus; præſertim ubi & ipſe miles curat, ne rubigine conſumantur, aut ſordida fiant arma, quæ fortibus honeſta debent eſſe. (p) Alias auri fulgor atque argenti eſt vanus aſpectus, qui neque tegit neque vulnerat, (q) ſed robur atque fortitudo, obedientia & diſciplina, ordo & promptitudo, peritia belli, abſtinentia & temperantia; quibus ſi temperentur arma, proſperitatem comitem habebit. (r) Reliqua vide apud Lipſium. (s)

IV.

Cæterum, cum ad hos uſus militares neceſſaria ſit quædam copia pecuniarum, (a) ſine qua fruſtra militem & quæris & habes, & pugnat ipſe: paranda itaque tibi eſt annona & commeatus, & quicquid eſt neceſſarium ubique militi, (b) quaſi impoſſibile eſſet, militem ſine ſtipendio alere, (c) vel ſtipendia habere ſine tributis, (d) quæ expendent incolæ regni vel hoſtis. Certum eſt equidem, militem non debere annonam gratuitam comedere, (e) vel eſſe fundi calamitatem (f) ſui ruſtici; ſed ut hoſtem communem odio habeat, & juſſu ſui magiſtratus armis propulſet, ſive in regno ſive extra. Interim tamen, non quavis accepta occaſione, vicinum bello inquietabit, ut alatur; quia omne bellum præcedere debere legitimam & neceſſariam cauſam: neque moleſtus propterea ſit incolis injuriam inferendo vel bona auferendo: quaſi militum in numerum accito omnia licerent pro lubitu agere; quin contineat ſe intra leges præſcriptas, accepta mercede honora in patria; quæ augenda videtur in bello conſtituto; & hoc tuum eſt imperator providere & curare, ne vel cui ex populo contumeliam faciat, neve quam viatorem pulſet. (g) Tibique dictum ſit, quod quondam Aurelianus, cujus ad tribunos ſuos hæc extat legum militarium admonitio: Si vis Tribunus eſſe, imo ſi vis vivere, manum contine militum; nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat, uvam nemo auferat, ſegetem nemo deterat, oleum, ſalem, lignum nemo exigat, annona ſua contentus ſit: de præda hoſtis, non de lacrymis provincialium habeat - - - in hoſpitiis ſe caſte agat. (h) Quam diſciplinam militarem diligenter exercebit (i) dux; cum plus ſemper ſit in imperio, quam in victoria. (k) Hæc ut præclara ſunt, ſi intra hos verecundiæ limites continetur miles; ita jugum hoc ſervitutis militiæ elevetur interdum aliquo alio commodo, ut videatur miles amari & beneficiis ornari, quod erit ſpoliorum diviſio & aliorum munerum donatio, inter præſtantiores: communis tamen erit commeatus eorum puta, qui ſunt ejuſdem officii graduſque. Solent præterea adhibere currus & vehicula ad portandam prædam & alia impedimenta, vel etiam arma, ſi illa graviora ſunt. Verum ſcutum, gladium, galeam in onere ſtrenui milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus. (l) Sed ut horum humeros decent geſtamina (m) armorum; ita minime utile videtur, ut laſſi fiant præda onuſti, quod longum iter alias aggravat etiam onus leve. Nec facile impetrari id a ſe poſſet, paratus itineri ſimul & prælio. (n) Cæterum in hiſce obtemperandum tempori, itineri & mori gentium, ſufficit hic commeatus, ne multitudini deſit, providiſſe, (o) reliqua ſibi ſervet fortuna.

(e) *Jacob. Cujac. in expoſit. novell.* 85. (f) *Grot. de I. B. & P. lib. 2. cap.* 1 §. 12. (g) *Tacit. ann. lib.* 3. *c.* 43. §. 4. (h) *Herodian. l.* 7. *p. m.* 273. (i) *Curt. l.* 3. *c.* 2. (k) *Tacit. annal. l.* 3. *c.* 43. §. 4. (l) *Id. Agric. cap.* 36. §. 2. 3. (m) *Curt. lib.* 8. *c.* 14. *Tacit. ann. lib.* 2. *c.* 14. §. 3. (n) *Suet. Jul. Caſ. c.* 6. 7. (o) *Curt. l.* 8. *c.* 5. (p) *Tacit. Agric. cap.* 30. §. 3. (q) *Id. ibid. c.* 32. §. 6. (r) *Locc. in Curt. lib.* 3. *not.* 7. *&* 11. (s) *Lipſ. polit. lib.* 5. *cap.* 13. §. 68. *& poliorc.*

(a) *Ariſt. polit. l.* 7. *c.* 8. (b) *Flav. Vopiſc. in Prob. p. m.* 381. (c) *Forſtn. ad Tac. lib.* 1. *ann. p.* 116. (d) *Tacit. hiſt. l.* 4. *c.* 74. §. 2. (e) *Flav. Vopiſc. in Prob. p.* 303. (f) *Terent. Eun. proleg. ſub fin.* (g) *Herod. l.* 2. *pag. m.* 329. (h) *Flav. Vopiſc. in Aurel. p. m.* 282. (i) *Dio Caſſ. in Adrian. p. m.* 431. (k) *Flor. lib.* 1. *c.* 14. (l) *Cic. Tuſc. diſp. lib.* 2. *pag. m.* 72. (m) *Ovid. metam. lib.* 1. *fab.* 13. (n) *Curt. lib.* 3. *c.* 8. (o) *Id. l.* 4. *cap.* 14.

CAP. II.

In hoſtili terra conſtitutus dux, ſpeculatores premittet, ut habeat occaſionem vel retrocedendi, quod raro; vel muniendi locum, in quo eſt; vel declinandi in alium: Hoſtem inquietum reddet, unde ſecuritas, vel timor naſcitur: Famæ ſtudebit, quia magna ejus vis in utramque partem. Cum ultimum diſcrimen adeundum ſit, numen adorabit, milites oratione firmabit, inſtinctosque ordinabit.

I.

Duo videntur ante omnia duci in hoſtili ſolo conſtituto, eventura, inſidiæ & conflictus: quorum unum tenditur; ſed tandem eventurum. Ad igitur devitandas inſidias, plurimum faciunt præmiſſi ſpeculatores, qui reverſi referant cognita. (a) Ex quibus vel iter hoſtium edoctus, continuare ac mutare repente queas conſilium tuum, (b) vel acceſſus (c) eorum, quo ſit tibi tempus, vel retro abeundi; quod tamen raro, quia fama bella ſtant, & is qui recedit, fugere (d) creditur: vel in eodem tumulo, in quo verſaris caſtra muniendi. (e) Et quam neceſſarius ſit tibi hic explorator, ne aliquid ex iis, quæ parat hoſtis, ſit incognitum, (f) tam neceſſe eſt, ut ſit fidus, qui vera quantum potens eſt, narret: quod ubi variis experimentis compertum eſt, indici habenda fides (g) potius, quam falſa ſtatim credenda, quæ vera non probantur. (h) Si jam procedendum ſit, accepto hoc nuncio & hoſtis timetur, leviter armatos præcedere jube, (i) expeditasque cohortes; (k) easque potius ex auxiliari manu, (l) ſi apertum eſt damnum, quam ex tuis. Sin vero expectandum, locum elige, ubi neque circumveniri multitudine adverſariorum potes, neque impediri; quo minus ipſe ad dimicandum manum habeas expeditam, (m) ſi congrediendi animo accedit. At ſi forte fortuna, ut ſaltem commeatu te privatum obſideat, inquirenda ſtatim occaſio erumpendi, quod facile erit, ſi huc & illuc tuleris arma, aliudque iter, quod impeditius, intentatum hoſtibus incautum fuerit acceptum. (n) Atque ſic deceptum illoque felicitatis gradu pulſum relinque paululum, non ut fugias; ſed ut ſepares ejus exercitum, cujus tibi proximam partem aggredere: qua fuſa fugataque, nullo aut certe per exiguo negotio ſemel perculſum exercitum fundes. (o) Nam primis eventibus metus aut fiducia gignitur. (p) Quamvis interdum futura præſentibus videntur eſſe potiora, (q) fama tamen in novis cæptis validiſſima eſt, (r) & haut minus quam bellum timetur. (s) Præcipue valitura eſt, ſi identidem immittis exercitum, in obſtupefactos hoſtes. (t) Nihilque apud eos quietum pateris, quo minus ſubitis excurſibus populareris: & ubi ſatis terrueras, (u) aggredi rurſus inopinantes. (x) Unde ſic ad bellum venienti nihil arduum aut invictum credant. (y) Rurſus iterum fingere fugam & cætera, quæ ſecuritatem bellicam oſtendunt. (z) Sed hoc mirum & ſalubre pugnandi genus vide apud Tacitum (aa) & Forſtnerum. (bb)

II.

Quibus prudenter, & ſumma cum vigilantia peractis; accingas te ad diſcrimen aliquod ſubeundum, quod ultima quaſi neceſſitas, & unicum experiendæ fortunæ remedium eſt. Inquire itaque in locum æquum & commodum, qui tanto utilior judicatur, quanto fuerit ſuperior occupatus. (a) Nam non ſolum tela gravius deſcendunt, ſed & difficilior aſcendentibus pugna; & acies in ejusmodi locis conſiſtens, terrorem incutere ſolet. (b) Valde etiam utile eſſet, ſi ipſe locus ſeptus eſſet vel montibus vel amne, (c) ſylvis vel paludibus, (d) vel qua parte deficeret mons, aliud munimentum fretum objici poſſet. (e) Et ubi natura voto non reſponderet, addendas foſſas obicesque ſaxorum, (f) quo ab alterutra parte tutus & ſecurus ſis. Cæterum, cum cæptorum eventus ſuperæ ſibi vindicant poteſtates; (g) & nihil rerum humanarum feliciter ſine Deorum (Dei) numine agites, (h) Numen inprimis adorandum ſit, (i) ejusque opes expoſcendæ. (k) Quemadmodum moris erat Romanis, qui nihil pace vel bello, domi militiæque egerunt, niſi auſpicato. (l) Quid de Lacedæmoniis dicam? omnia ad oracula referre conſuetis. (m) Sed reliquis præteritis, unus erit exemplo Guſtavus Adolphus, Sueciæ Rex P. æ & Gloriæ M. æ. d. qui ſi pugnæ Lutzenſi ſupervixiſſet, parem non habuiſſet: ut primum ſolum Germanicum attigit, in genua procumbens oravit; precatusque eſt Deum pro felicitate belli; (n) & tulit certe fructum pietatis. (o) Omnia enim proſpera eveniunt colentibus Deos (Deum) adverſa ſpementibus. (p) Sæpe non ab hoſtibus, ſed diis ipſis ſuperati ſunt, qui Deorum auſpicia *contemſerunt*. (q) (*) Progredere itaque neutiquam inſalutato numine: (r) nam illud eſt, quod apertis cœlis, quando pugnatur, proſpectat; & partem quam inſpicit juſtam,

(a) *Curt. lib.* 3. (b) *Tac. Agr. cap.* 26. 1. 2. (c) *Flor. l.* 1. *c.* 17. (d) *Curt. lib.* 3. *c.* 8. (e) *Id. l.* 4. *c.* 12. (f) *Tacit. annal. lib.* 2. *c.* 20. §. 1. (g) *Tacit. ann. lib.* 2. *cap.* 12. (h) *Id. ann. lib.* 14. *cap.* 51. §. 6. (i) *Curt. lib.* 9. *cap.* 4. (k) *Tacit. ann. l.* 1. *c.* 50. §. 4. (l) *Id. ann.* 3. *cap.* 45. 1. (m) *Nep. Datam. cap.* 6. 2. (n) *Tacit. ann. lib.* 1. *cap.* 56. (o) *Juſtin. lib.* 1. *c.* 1. §. 5. (p) *Tacit. ann. lib.* 12. *c.* 31. §. 1. *hiſt. lib.* 2. *c.* 20. §. 6. (q) *Curt. l.* 4. *c.* 1. (r) *Tacit. ann. l.* 13. *cap.* 8. §. 4. (s) *Id. Agr. cap.* 20. §. 1. (t) *Id. Agr. cap.* 18. §. 7. (u) *Id. Agr. c.* 20. §. 2. (x) *Juſt. l.* 2. *c.* 4. §. 18. & *Forſtn. Tac. ann. l.* 1. *p. m.* 36. (y) *Jul. Capit. in Anton. philoſ.* (z) *Tacit. Agr. c.* 18. §. 7. (aa) *Tacit. ann. l.* 12. *cap.* 14. §. 1. (bb) *Forſtn. not. Tac. annal. lib.* 1. *pag. m.* 95.

(a) *Veget. lib.* 3. *c.* 13. (b) *Tacit. Agr. cap.* 35. 4. (c) *Id. ann. l.* 4. *cap.* 71. (d) *Id. ann. l.* 2. *cap.* 5. 3. (e) *Curt. l.* 5. *c.* 4. (f) *Tacit. hiſt. l.* 4. *cap.* 71. (g) *Amm. Marcell. lib.* 25. *p. m.* 602. (h) *Nep. Timol cap.* 4. §. 4. (i) *Ovid. de Pont. lib.* 3. *eleg.* 1. *p. m.* 530. (k) *Curt. lib.* 4. *c.* 6. *lib.* 3. *c.* 8. (l) *Alex. ab Alex. gen. dier. lib.* 4. *c.* 7. *p.* 190. (m) *Nep. Lyſand. c.* 3. §. 1. (n) *Bapt. Burg. lib.* 1. *p. m.* 64. *de bello Germ.* (o) *Nep. Attic. c.* 5. (p) *Liv. lib.* 5. *cap.* 51. §. 7. (q) *Flor. l.* 1. *c.* 2. (r) *Barcl. Argen. lib.* 2. *p. m.* 115.

(*) *contemſerunt*) GOEBEL. Videtur igitur aliquid ex iniquo habere Turennii dictum, Deum cum majori multitudine ſolere ſtare.

Juſtam dat ei palmam. (s) Suadent hoc alii, qui in hac re hoc idem præcipiunt; educendas copias puras & luſtratas, juxta ea, quæ vel legibus ſacris ſancita; vel ab vatibus præſcripta ſunt; omnem publicæ alicujus maculæ, aut impietatis conſcientiam projiciendam (t). Nec tantum Deo reconciliatus erit exercitus educendus; ſed & ab itinere refectus: ut ſic animo & corpore rite curatis, expeditius feliciusque prælium aggrediatur. (u) Hæc pulvinaria ſi compoſueris advectandi tecum Deos, fauſtis profectus ominibus, (x) quia tum Deus eſt in pectore tuo, (y) reverteris cum victoria. Cæterum, ne hiſce deceptus, etiam invitis diis bellum iniri (z) feliciter poſſe credas, habito ſermone cum numinibus. (aa) At fruſtra? Quia fruſtra auxilium a cœlo expectatur, ad eas res promovendas, quæ cœlo adverſæ ſunt (bb). Imo, qui ad illa facinora (bella) ſponte provolat, nullum illorum poteſt a juſto Deo ſperare veniam. (cc) Utinam qui pugnant, certa ſtarent erga Deum fide! (dd) forſan bella, aut melius caſura eſſent, aut omitterentur.

III.

Atque ſic . . . . *hinc & illinc Jovi*
votis ſuſceptis hortari exercitum. (a)

ſuadeo; licet verba viris virtutem non addunt. (b) Interim tamen, ubi varia oratione, ut cujusque animis aptum ſit, alloquimur, (c) ſtatim ſubſequi ſolet militum ardor (d). Quæ ut apta ſit illa oratio, conſtabit argumentis, ductis vel ab honeſto, facili, utili & neceſſitate; quod apparet in Alexandri M. orationibus, (e) vel a virtute & laude præſentium præteritorumque: vel a poſſibili, in contemtum hoſtium: ab injuriis, vi & jure vindicandis; a cupiditate prædæ tanquam pretio laboris & ſigno victoriæ, ſimilibusque aliis. Quæ compleſſe videtur Antonius, pudore & probris: multos laude & hortatu; omnes ſpe & promiſſis accendens. (f) Sed hæc argumenta ab una aliqua oratione vix ſperanda ſint; quamvis variis hominibus conſtet exercitus, qui ſi non diſcreti domo, ingenio certe, unde dicitur, quot homines tot ſententiæ (g) & totidem ſenſus: Ergo ex multis colligas, quod multi habent, ad multa ingenia accommodandum. Horum argumentorum ut efficax ſatis, id de præda obtinenda; ita periculis non caret. Quippe ſi nimium deprædicas prædam, cave ne qualibet accepta occaſione, vel in ipſa pugna te deſerat miles, animo hoſtis præoccupandi, vel cuſtodiendi ſuum. Itaque quotiescunque ejus mentio occurrat, dicendum; prædam non eſſe captandam, niſi hoſte profligato; (h) tamdiu prædæ immemores, parta victoria, cuncta ipſis ceſſura (i) non ſolum ſua eos recuperaturos, ſed omnium quæ hoſtium ſunt occupaturos; (k) ut Suetonius ſuos adverſus Bodiceam hortatur: & Alexander M. ſuum Parmenionem. Atque hoc eſt maximum interdum lucrum, pecuniam in loco negligere. (l) Alterum, quod eſt de virtute ejusque laude, habet etiam aliquid difficultatis: Verum equidem eſt, virtutis verus ac fidus cultor, nil facit niſi id quod virtutis eſt. Interim tamen cum ſæpenumero fictis utamur verbis & vocabulis illique tribuamus virtutem, hoc eſt, fortitudinem bellicam, qui vel parum aut nihil id quod virtutis eſt, egerit; ſolet propterea is, totiens ſibi tributa laude ſuperbire; & poſt pugnam rebellandi quærere occaſionem; quaſi is ipſe ſolus viciſſet. Cui malo remedium eſt idem, quod Ariſtoteles (m) Lacedæmoniis dedit de Helotis ipſorum, & adhuc interpretes obſervant. Reliqua argumenta ſunt tutiora magis, ſed non æque efficacia; quia licet plus indignationis, habent tamen minus laudis. Mixtis ita exhortationibus & precibus, (n) facile apparebit ardor pugnandi, ſi conjunxeris ingentia ſpei gloriæque incitamenta, (o) apud ſuos inveniendæ; quibus nulla res majorem militis animis ardorem, ad ſtrenue cum hoſtibus confligendum ingenerat. (p)

IV.

Sed jam inſtructam aciem hoſtis admovit; (a) & tua in armis nondum eſt; (b) ordinandus eſt exercitus. Sed cum militum ordines plures ſint, exque diverſis formis inſtrui acies conſuevit, & firmari ſubſidiis: ideoque certa aliqua lex de inſtruendis diſponendisque aciebus tradi nequit: (c) Quia licet habeatur ratio, quod tamen inprimis obſervandum dicimus, armaturæ militum, locorum (addo aëris) copiarumque hoſtilium, (d) tamen in ipſo prælii congreſſu quanto inferior es artibus hoſtium, (e) & neceſſitati intentior, (f) tanto felicius dirigas, vel hoſtem invadendo, vel ejus vim excipiendo. Communiter in tres partes omnis dividitur exercitus: in frontem, cornua ſeu alas, & mediam aciem; quibus adjunguntur alii, qui pro vallo ſtabunt tergumque defendent, qui ad ſubita belli retinendi ſint (g). Hac ſimilitudine tripartita uſi ſunt veteres absque dubio, ad repræſentandum corpus humanum, quod facile ſibi conſtat his tribus partibus integris: ſed alterutro vel debili vel dempto, mancum & imperfectum. Unde partibus labantibus ſumma turbatur (h). Quibus obſervatis, quantum ratio & tuum conſilium permittere videntur, adhibe conſentientes copiarum duces; nec eos tantum, ſed & milites veteres & ſenes; ac bene meritos, & locorum peritos

(s) *Aug. ep. 194. cit. Loccen. not. Curt. lib. 3. 7.* (t) *Onoſ. ſtrateg. c. 5.* (u) *Loccen. ad Curt. lib. 3. not. 32.* (x) *Juſt. lib. 20. cap. 2. § 14.* (y) *Ovid. de Pont. lib. 3. eleg. 4. p. m. 549.* (z) *Curt. lib. 5. cap. 13.* (aa) *Eutrop. Hiſt. Rom. lib. 3.* (bb) *Virgil. Malvez. March. Princep. pag. m. 82.* (cc) *Forſtn. not. Tacit. ann. lib. 1. pag. m. 29.* (dd) *Pomp. Lætus Hiſt. Rom. Comp. in Jul. Licin. p. m. 447.*
(a) *Plaut. Amphitr. act. 1. ſc. 1.* (b) *Salluſt. Bel. Catil. p. m. 43.* (c) *Curt. lib. 3. c. 10.* (d) *Tacit. ann. lib. 2. cap. 14.* (e) *Curt. lib. 3. cap. 10.* (f) *Tacit. hiſt. lib. 3. c. 24. § 1.* (g) *Terent. Phorm. act. 2. ſcen. 4.* (h) *Juſt. lib. 1. cap. 8. § 7.* (i) *Tacit. ann. lib. 14. c. 36. § 4.* (k) *Curt. lib. 4. cap. 15. Loccen. ad h. l.* (l) *Ter. Adelph. act. 2. ſc. 2.* (m) *Ariſt. polit. lib. 2. cap. 3.* (n) *Tacit. ann. lib. 14. cap. 36. § 1.* (o) *Curt. lib. 4. cap. 14.* (p) *Virg. Malvez. March. Tyran. pag. m. 158.*
(a) *Curt. lib. 4. cap. 13.* (b) *Sen. in Thebaid. act. 3.* (c) *Alex. ab Alex. gen. dier. lib. 4. cap. 7.* (d) *Onoſ. ſtrateg. cap. 15.* (e) *Tacit. annal. lib 2. cap. 2. § 5.* (f) *Onoſ. ſtrateg. cap. 16.* (g) *Tacit. Agric. cap. 37. 1.* (h) *Curt. lib. 3. cap. 8.*

tos ac be[illegible]orum & caſtrorum; & omnes literatos, maxime eos, qui hiſtoriam norunt. (i) Mox in hoſtem ire jube. Si quid adverſi accidat, cujus cauſa ordinatio illa dici poſſet, te excuſa & dici nos noſtras, more noſtro & modo inſtruximus legiones (k). Multas acierum diſpoſitiones vide apud Florum, (l) Joan. a Kochier, (m) Curtium, (n) Tacitum, (o) Lipſium, (p) Mauritium, ejusque primum translatorem Schefferum.

CAP. III.

In ipſo prælio deſideratur non militis tantum, ſed & ducis officium, & in quibus id conſiſtit: unde perit quæſtio illa de ducis præſentia in bello, quamvis certa ſedes aſſignari nequeat: belli fortuna diu incerta oſtentat: Duplici de cauſa decipi poteſt Dux, vel amore prædæ ante victoriam, vel nimia fiducia conſectandi hoſtem: Quid denique faciendum ſi fortuna minus benigna occurrat.

I.

Vidimus jam ea hactenus, quæ prudentis ſunt ducis, & in patria & in hoſtili ſolo conſtituti, antequam ad certamen res deducta ſit: ſed jam præſens eſt pugna, quæ trahendi belli omnem occaſionem adimit. Neceſſum habemus fateri, etiam hic diviſa eſſe inter exercitum ducesque munia: & ſicut militibus pugnandi cupido convenit: (a) ita duci, ut medius ſit inter imperatorem & militem, (b) hoc eſt; non tantum aciem peritiſſime inſtruere, ſed & promtiſſime dimicare (c). Sicut Jul. Cæſar ipſe prenſare diligenter non neglexit, fugientes confirmare, per totum denique agmen oculis, manibus, clamore volitare (d). Nec tranſire poſſum Catilinam fortiſſimum virum in tantum laudandum, in quantum laborantibus ſuccurrebat, id eſt maxime; quippe integros pro ſauciis accerſivit, omnia providit: multum ipſe pugnavit, ſæpe hoſtem ferit: ſtrenui militis, & boni imperatoris officia ſimul exſecutus eſt (e). Quod ipſum, non ſolum decere ducem, vidit Antonius; ſed & plurimum valere ad obtinendam victoriam. Ideoque nullum conſtantis ducis, aut fortiſſimi militis officium omiſit: occurſat paventibus; retinet cedentes, ubi plurimus labor, unde aliqua ſpes: conſilio, manu, voce inſignis hoſti, conſpicuus ſuis (f). Omitto Cottam, qui nulla in re communi ſaluti deerat, & in appellandis, cohortandisque militibus, & in pugna militis officia præſtabat (g). Sed vereor, ne mihi enumeranti quædam eorum exempla multitudo ſubducat. Sufficit me penicillo ſi non calamo, boni imperatoris in pugna delineaſſe officium; ne habeant alii, quo id abnuant, dicentes, corporis munus a milite, ab imperatore animi poſcitur, vel quaſi quoddam inferius ſuo munere, ad labores cum gregario quolibet communes ſe iterum dimittere. Hæc vera æſtimanti longe alia diſcreta occurrat ratio; nam hi ipſi labores non ſunt æque graves imperatori & militi: quod ipſe honos, qui ducem manet, laborem leviorem facit imperatorium. (h)

II.

Cæterum, vix grata loquor iis, qui primi in fuga & poſtremi in prælio ſunt, timidi ne vivi in poteſtatem hoſtium veniant (b), ideoque Ulyſſis ſinceri fratres libentius abeſſe, quam intereſſe geſtientis (c). Sed quid galeati lepores in prælio? (d) cum duces ſe præbent fugientibus. Et licet aliquid tentent. Quota tamen pars armorum, unus miles? (e) Non ſuadeo, cum attingunt magis res bellicas, quam ex deſtinato (f). Adeoque merito abſit dux? Sed nec id, cum ducem velimus, qui vincere ipſe velit, non voto, ſed opere, quem tanquam fortitudinis exemplum ſive ignaviæ imitentur milites (g). Quod ut melius ipſum ſequantur, ante *prima ſigna* * dimicabit, more Agricolæ noſtri, qui ipſe ante agmen, quo cæteris par animus ſimili periculo eſſet, erexit aciem (h). Eamque ſedem digniorem aliis in acie quibuscunque haut ambigendum ſit: quam poſt principia, ut Thraſo voluit (i). Licet confidentius adſerere queamus, ducem ubique eſſe debere frequentem (k). Nunc cum primis, nunc cum extremis, aliquando cum iis, qui in medio ſint, incedet (l). Cunctos conſiderans, ſimulque ſicubi hæſitatur, præmonſtrans & mox initio quodcunque erratum corrigens, (m) omnia prudenter. Et hoc eſt præclari ducis, ita ſe gerere, ut milites, non ſolum dicta, ſed & facta ejus ſequantur, nec tantum diſciplinam, ſed & exempla ab eo capiant. (n)

III.

Cum jam in ipſo conflictu verſatur dux, duo certe non negligenda occurrere poſſunt: Primum, ſi fortuna favere videtur, ne ſtatim credat victoriam obtentam eſſe. Cum omnis fortuna non ſolum volubilis erret; (a) ſed & omnipotens (b) plurimumque potens, cum in reliquis rebus, tum præcipue in bello (c). Ubi pendet, diuque inter utrumque volat, dubiis pennis, (d) quas non ſtatim comprehendere ſinit, quum manus porrigit. (e) Itaque ne glorieris accinctus, æque ac jam discinctus.

(i) *Ælius Lamprid. in Alex. Sev. p.* 220. (k) *Plaut. Amphitr. act.* 1. *ſc.* 1. (l) *Flor. lib.* 2. *cap.* 6. *lib.* 3. *c.* 3. & 5. (m) *Joann. a Koch. ad Onoſ. ſtrateg. capp.* 15. & 16 (n) *Curt. lib.* 3. *cap.* 9. *lib.* 4. *cap.* 13. (o) *Tacit. ann. lib.* 1. *c.* 51. & *Agr. c.* 35. *ſ.* 2. (p) *Lipſ. polit. lib.* 5. *c.* 16.

(a) *Tacit. hiſt. lib.* 3. *c.* 20. § 2. (b) *Flor. lib.* 4. *c.* 2. (c) *Curt. lib.* 4. *cap.* 16. (d) *Flor. lib.* 4. *cap.* 2. (e) *Salluſt. Bel. Catil. ſub fin.* (f) *Tacit. hiſt. lib.* 3. *cap.* 17. § 1. (g) *Amm. Marcell. lib.* 25. *p.* 603. (h) *Cic. lib.* 2. *p.* 83.

(a) *Juſt. lib.* 2. *c.* 10. § 23. (b) *Curt. lib.* 3. *c.* 11. (c) *Cic. offic.* (d) *Cornif. Poet.* (e) *Tacit. hiſt. lib.* 3. *cap.* 25. *ſ.* 5.

(f) *Suet. Calig. c.* 43. (g) *Curt. lib.* 4. *cap.* 14. (h) *Tacit. Agr. cap.* 18. *ſ.* 4. (i) *Terent. Eun. act.* 4. *ſcen.* 7. (k) *Tacit. Agr. cap.* 37. *ſ.* 5. (l) *Joan. a Kockier in Onoſ. ſtrateg. cap.* 16. (m) *Id. ibid.* (n) *Locc. not. Curt. lib.* 3. *not.* 42.

(a) *Ovid. lib.* 5. *Triſt. eleg.* 8. *verſ.* 15. (b) *Virg. Æn. lib.* 8. *verſ.* 334. (c) *Cæſ. Bel. civil. lib.* 3. *p.m.* 606. (d) *Ovid. Metam. lib.* 8. *fab.* 1. (e) *Curt. lib.* 7. *cap.* 8. 25.

* *prima ſigna*) GOEBEL. Hoc non puto neceſſum eſſe; ducis enim potius munus eſt, aciem moderari, quam pugnare.

ctus. (f) Time cum Mithridate incertum belli, (g) & perge vincere, hoc eſt, inſiſtere hoſti, vel jam repugnanti, vel jam retrocedenti, donec in veram fugam projectus fuerit. Nec ſollicitus ſis vaniſſimi vulgi vanam opinionem, in prælio fortiorem eſſe qui ſpoliat (h). Imo, vel maxime juvat ad victoriam hoſtium aviditas omiſſa cæde prædam ſectantium. (i) Cyzicus ingenti prædæ deceptus amore. * Itaque Alexander M. Parmenionem docuit, contemnere ſarcinarum damnum, fortiter dimicare (k). Nam ſi vinceris, omnia tua; ſi non, nihil etiam tuum. Et quoniam bellatori neceſſe eſt non nunquam cedere, non nunquam ex inclinata jam acie rurſum hoſtem aggredi, proque loco & tempore fortunæ ſeſe imperiis accommodare, (l) ordines itaque firmiter ſervatos ad pugnæ modum paululum inflectere debet vel mutare; & ubi facile eſt vincere non repugnantes (m), quam maxime inſtare, & ſequi terga fugientium. Verum & id caute; quia ſunt quidam, qui non tam metu, quam contumacia locum deſerunt, (n) magisque aſtu per formidinem cedunt, (o) ut te in inſidias pertrahant, vel vincendi ardorem extinguant, ſimulata fuga. Sed hujus doli prudens, reprimes tuos, ne longius ſecutus ultro in inſidias præcipiteris (p). Habes exemplum Agricolam, quem Britanni, hoc dolo decipere ſtuduerunt; nempe fuſi fugientesque poſtquam ſylvis appropinquarunt, collecti primos ſequentium incautos & locorum ignaros circumveniebant (q). Quippe ſemper extra agmen præſidium aliquod locant, ne, ſi fortuna cœptis abfuerit, etiam intercidat fuga, fugientesque excipiet. (r) Scitus profecto & prudens dolus, ſi hoc modo adverſarios decipere poſſes: interim tamen neceſſario debes cavere, ne ipſe decipiaris. (s)

IV.

Alterum, quod obſervandum venit in ipſa † *concertatione*, eſt, ne inopinata videatur ſupervenire adverſa fortuna. Cum cogitandum ſemper, cuilibet contingere poſſe, quod cuiquam contigit (a) ex ſorte humana & rebus, quæ accidunt variabiles inter homines; Unde raro proſperitas ſimul utilitasque conſultorum ubique concordant (b). Hanc itaque ſortem tollere, imprimis valida ſunt Vulcania arma, id eſt fortitudo, (c) quæ audacia & neceſſitate temperatis acuitur quaſi & excitatur. Quarum illa ex maxima timiditate oriens, (d) non ſolum ingenia confirmare, (e) ſed & in prælio pro muro haberi ſolet; (f) ita tamen ut virtutem non ſuperet, ne felix temeritas audiat: Sed comitari debet virtuti impeditæ incitamentum, ſecundum rationem, quibusdam quaſi præceptis confirmans vim fortitudinis. (g) Idque vel tum maxime, ubi neceſſitas, quæ alias ſcutum infelicium (h) & efficaciſſimum duramentum (i) dicitur, in rationem verſa (k) acceſſerit. Nam credi periiſſe multos ab interitu arcuit. (l)

Una ſalus victis nullam ſperare ſalutem. (m)

Non præterea, quod fortitudo deſideret advocatam audaciam; ſatis eſt enim inſtructa, armata, parata per ſeſe, ut Cicero alicubi in Tuſculanis diſputat: ſed cum magna ſit vis in virtutibus, quæ ſi forte dormiunt, excitandæ, jam tibi aderit princeps fortitudo adverſus ipſam fortunam, quæ percellere nos ſolet & pungere, interdum etiam vires frangere, (n) ubi aliqua acris virtus ſe non opponit, quam ultima neceſſitas exprimat. (o) Atque ſic juxta illud Poetæ, & ſecundum audaciam & ſecundum prudentiam utrumque ſpectandum, alterutrum ſolum nihil valet. *

Incertis quo fata ferunt (p)

In audacia ſpes erit ſalutis, (q) fortesque fortuna juvabit, (r) ſi modo vincere audeant. (s) Reliqua habes apud Loccenium (t) & Gruterum. (u)

CAP. IV.

Profligato hoſte quid faciat dux victor, differitur: milites præmiis exornabit, ſed ſtrenuos maxime: Sauciorum vulnera obliganda & corpora occiſorum humanda: Etiam hoſtium ſed diverſo apparatu. Seditiones tollendi datur ratio optima. Tandem Deo gratia agendæ pro felici ſucceſſu, & victis quomodo imperitandum, docetur.

I.

In fugam conjecto hoſte, ut ne quid tentet ulterius, vel audeat deſtitutus fortuna & copiis, victoris erit in caſtra ſive hoſtium ſive ſuorum ſe recipere, ſervatis ſemper vigiliis, ne ſubitus hoſtis laſſos, portis minus firmis ſtationibus (a) inquietet. Idque tam neceſſarium, ut per ſemetipſum vigiliarum vices & ſtationum exploret. (b) Quo facto viros præmiis exornabit, præſertim gloria belli ante alios inſignes. (c) Quamquam milites nunquam fraudandi ſint ſua laude; (d) tamen

(f) 1. *Reg.* 20. (g) *Juſt. lib.* 38. *cap.* 1. §. 8. (h) *Tacit. Agric. c.* 15. §. 5. (i) *Tacit. ann. lib.* 1. *c.* 65. §. 6. *Forſtn. ad h. l. pag.* 63. * *Flaccus Argon. lib.* 3. (k) *Curt. lib.* 4. *c.* 15. (l) *Pier. Valer. Bolz. Equus ſ. lib.* 4. (m) *Cic. Tuſc. diſp. lib.* 1. *pag. m.* 10. (n) *Tacit. ann. lib.* 1. *cap.* 65. §. 3. (o) *Id. ann. lib.* 1. *cap.* 56. 6. (p) *Tacit. hiſt. lib.* 2. *c.* 25. §. 1. 2. (q) *Id. Agr. cap.* 37. 4. (r) *Barcl. Argen. lib.* 2. *p. m.* 115. (s) *Onoſ. ſtrategem. cap.* 11. *ſub fin.* (t) *H. Conring. ep. ad Boineb. de bibl. Aug. p.* 34. (u) *Ammian. Marcell. lib.* 25. *p. m.* 602. (c) *Cic. Tuſcul. diſp. lib.* 2. *p. m.* 71. (d) *Virg. Malvez. March. Princeps p. m.* 15. (e) *Plin. ep.* 7. *lib.* 4. (f) *Salluſt. bel. Catil. p. m.* 44. (g) *Cic. Tuſc. diſp. lib.* 2. *p.* 62. (h) *Virg. Malvez. Princeps pag. m.* 56. (i) *Val. Max. lib.* 2. *cap.* 7. (k) *Curt. lib.* 4. *c.* 10. (l) *Sen. Troad. act.* 3. (m) *Virg. Æn. lib.* 2. *v.* 354. (n) *Cic. Tuſc. diſp. lib.* 3. *p. m.* 101. (o) *Forſtn. not. Tacit. ann.* 1. *p. m.* 37. * *Eurip. Phœniſſ. p.* 155. (p) *Virg. Æn. lib.* 3. *v.* 7. (q) *Tacit. hiſt. lib.* 4. *cap.* 49. §. 5. (r) *Terent. Phorm. act.* 1. *ſcen.* 4. (s) *Curt. lib.* 4. *cap.* 49. §. 5. (t) *Loccen. Curt. lib.* 5. *not p. m.* 85. (u) *Grut. diſc. in Tacit. p.* 33.

(a) *Tacit. ann. lib.* 1. *c.* 25. 1. (b) *Amm. Marcell. l.* 25. *p. m.* 602. (c) *Tacit. ann. lib.* 1. *c.* 27. 2. (d) *Curt. lib.* 4. *c.* 16. *ſub fin.*

† *concertatione*) Quænam hic ſunt partes omnium optime ab ipſo, qui copiis præfuit, addiſci poteſt.

men qui periculis non aſſuerunt, præmiorum expertes ſint. (e) Et id merito, quod is, qui maximè periculi ſe ſocium non præbuit, non æquum eſt, ut communis feſtivitatis particeps fiat. (f) Imo haut facile quispiam gratuito eſt bonus, ubi præmia malos ſequuntur (g). Ipſe tamen dux, pene unus prædæ communis exſors, in colendis ornandisque militibus uſurpabit victoriæ præmia, (h) omnia dividet, niſi ſibi tela & arma ſervare velit, (i) quo juſtior amabiliorque videatur ſuis. Sed hæc victoriæ pretia, ſi quæſiveris quænam ſint? certe non alia quam aurum, argentum, aliaque metalla, (k) prætereaque libertas, divitiæ, decus, gloria; quæ omnia fortuna victoribus præmia ponit, (l) veluti fructus laborum, præmia periculorum & virtutis inſignia. (m) Perennis donatio ſupremo magiſtratui reſervatur, de qua nobis hic nullus eſt ſermo. (n) Nec tamen ſufficit hæc feciſſe, quia capienti prædam, prædam deberi putant, adeoque in nullo genere beneficiorum numerant. Circumibit itaque ſaucios, facta ſingulorum extollet: vulnera intuens, alium ſpe, alium gloria, cunctos alloquio, & cura ſibi firmabit. (o) Nam ſaucii omnium profecto miſerrimi, quibus aut vivere, aut ſubito mori negatur. (p) Nunquam per alios geſta avidus intercipiat: ſeu Centurio, ſeu Præfectus, incorruptum facti teſtem habebit. (q) Adeo victoribus decus, gloria, quæ domi chara: quæ in caſtris honeſta memoranda (r). Atque ſic vivorum, ſive illi ſaucii ſint, ſive incolumes, cura habita, ad mortuos ſe convertet honeſto militari funere (s) ſepeliendos, quo & ſuperſtites excitentur deinceps ad fortiter pugnandum, ad pulchra vulnera, contemtumque mortis (t) properare. Et interemtis affinium dolorem & vulnus mortis vel leniri vel obligari; ubi & extrema ſint duci curæ. Alias certe

- - - - *Eſſe ſupplicium ſolet*
- - - - *Inſepultos ſpectare.* (u)

Nunquam invidendum ſepulturæ, (x) ob caſus bellorum & ſortem hominum. (y) Ideoque permittendum eſſe hoſti ſuos ſepelire, ſi ipſe nolis, pro habitu præſentis fortunæ. (z)

II.

Sed cum omnis multitudo, & maximè militaris mobili impetu fertur, (a) facilisque & prona eſt ſeditiones & tumultus excitare, modo autor & dux quispiam ſeſe offerat; ſtatim poſt alius alium quaſi prudentiorem ſequuntur, (b) etiam vel nulla de cauſa vel leviſſima. Plerumque tamen de matura miſſione, de largioribus juvenum ſtipendiis, cuncti modum miſeriarum expoſcere ſolent (c). Qui motus cum exſurgere incipiunt, & milites magis magisque vecordes ac diſciplinæ militaris immemores ſeditioſis vocibus caſtra complent, (d) dividat & ſpargat ipſum exercitum, quo remedio nullum eſt efficacius (e). Non milites ſemel imbuti odio, refrenari nequeunt, (f) ſi præſentes ſint omnes; Extenuandus conſenſus ſeparatione (f). Sed & id tacita quadam arte, quaſi neſcius tumultus enaſcendi: quippe ſi ſenſerit miles, illam ſejunctionem fieri metu ſeditionis orituræ, certe aut non abibit, quo imperatur; aut non quieſcet, quin perficiat; ratus in ejusmodi conſiliis perículoſius eſſe deprehendi quam audere, (g) præcipue ubi jacta eſt alea (h). Atque tunc non ut prius admurmuratione, ſed voce, ſed clamore, ſed palam jugo obedientiæ excuſſo frangere tentet (i) potentiam imperatoris. Et certe franget niſi noveris naturam majori impetu quam conſtantia validam, ubi eſt, quod illi reſiſtet: ſed qui paululum illam ſibi relinquit, poſtmodum illa utitur ad proprium emolumentum (k). Quod noſter Agricola & ſcivit optime & prudenter fecit: quaſi omnia ſcire, non omnia exſequi; parvis peccatis veniam, magnis ſeveritatem commodare; nec pœna ſemper, ſed ſæpius pœnitentia, contentum eſſe, (l) communem quandam regulam in hoc negotio utendam. Ut videant tumultuantium quidam, virtuti militum multa concedi (m). Sin minus, etiam manſuetiſſimum ducis ingenium, ad tempus depoſita clementia, ſæviori uti ſeveritate cogetur. (n) Atque tunc cruciatu & præmio pervia cuncta erunt. (o) Hac præmiſſa obſervatione, nec ipſe imperator paſſus eſt militem peccaſſe. (p) Reliqua huc pertinentia habentur apud Forſtnerum, (q) Ælium Lampridium, (r) Tacitum. (s) Cujus citata loca, ſi quis exercitii gratia voluerit in juſtam orationis formam redigere, eo ordine, quo a nobis poſita ſunt; habebitur certe integer modus & ordo compeſcendi tumultus militares.

III.

Diximus breviter de iis, quæ duci inſervire poſſunt, vel retinendis animis militum, ſi boni; vel emendandis, ſi deteriores licentia aliqua, quod ut plurimum fit, (a) facti ſint. Supereſt & ea addere,

(e) *Tacit. hiſtor. lib. 3. c. 53. §. 5.* (f) *Ælian. var. hiſt. lib. 9. cap. 5.* (g) *Sall. frag. hiſt. lib. 1. p. m. 145.* (h) *Curt. lib. 4. c. 14.* (i) *Flav. Vopiſc. in Prob. p. m. 300.* (k) *Tacit. Agr. c. 12. §. 8.* (l) *Sall. bell. Catil. p. m. 14.* (m) *Cic. in Piſon. p. 237.* (n) *Grot. de J. B. & P. lib. 3. cap. 6. §. 14. 15. Tacit. hiſt. lib. 3. 19. 4.* (o) *Tacit. ann. lib. 1. cap. 71. §. 3.* (p) *Dio Caſſ. in Trajan. p. m. 127.* (q) *Tacit. Agr. cap. 22. §. 5.* (r) *Id. ann. lib. 1. cap. 67. §. 2.* (s) *Nep. Eumen. cap. 13. §. 4.* (t) *Forſtn. not. Tacit. ann. lib. 1. p. 37.* (u) *Sen. Thyeſt. act. 4.* (x) *Tacit. ann. lib. 1. cap. 22. §. 3.* (y) *Id. ann. 1. cap. 61. §. 1.* (z) *Curt. lib. 3. cap. 12. & Loccen. not. Curt. lib. 5.*

(a) *Curt. lib. 9. cap. 4.* (b) *Salluſt. ep. 1. de ord. Republ. ad C. Cæſar.* (c) *Tacit. ann. lib. 1. c. 31. §. 4. Curt. lib. 9. cap. 8. §. 10. cap. 2. §. 12.* (d) *Id. lib. 10. cap. 2.* (e) *Forſtn. ad Tacit. lib. 4. ann. p. m. 317. Curt. lib. 7. c. 2.* (f) *Tacit. hiſt. lib. 4. 47. 10.* (g) *Tacit. Agr. c. 15. §. 10. Forſtn. not. Tacit. ann. lib. 5. p. m. 450.* (h) *Suet. in Jul. Cæſ. cap. 32.* (i) *Cic. in Piſon. p. m. 226.* (k) *Virg. Malvez. Merch. Princeps p. m. 15.* (l) *Tacit. Agric. c. 19. §. 4.* (m) *Cæſar. bel. civ. lib. 3. p. 400.* (n) *Val. Max. lib. 2. cap. 7. §. 11. 12.* (o) *Tacit. ann. lib. 15. cap. 59. §. 3.* (p) *Flav. Vopiſc. in Prob. p. m. 308. Tac. Agr. 16. 5.* (q) *Forſtn. not. Tacit. lib. 4. ann. p. m. 317. & ſeqq.* (r) *Ælius Lamprid. in Alex. Sever. pag. m. 230.* (s) *Tacit. ann. lib. 1. capp. 29. §. 4. 5. 25. §. 2. 28. §. 10. 38. §. 2. 34. §. 4. 41. §. 5. 38. §. 2. 48. §. 1. 2. 28. §. 6. 46. §. 2. & denique cap. 59. lib. 15. ann. §. 3.*

(a) *Terent. Heaut. act. 9. ſc. 1.*

re, quæ amorem conciliant devictorum victori, ne audiat barbarus, cum vincit, in ſolentior eſt. (b) Itaque

— · — Noſcere hoc primum decet,
Quid facere victor debeat & victus pati. (c)

Hic licet lex a victoribus datur & a victis accipitur. (d) Quarum

Nulla capto parcit, aut pœnam impedit. (e)

Sed clamant, in hoſtes jus victoris exercendum. (f) Tamen illa victoria putatur eſſe præclarior, in qua plus ſit clementiæ, quam crudelitatis, (g) ut hoſtis fortem eandem ſentiat & mitem manum. (h) Quæ clementia non tantum profugos revocat, (i) vicinos ab armis diſcedere compellit: (k) ſed & retinet hoſtem obedientem, ſi toleranda viris imperantur, (l) puta delectum ac tributa, & alia injuncta imperii munera: Sed abſint injuriæ, (m) quæ ſi ſequuntur, parum profecto eſt armis profici. (n) Hæc providi eſt cernere victoris; omnia caute, omnia juſte, qui vincere & conſulere victis ſcivit. (o) Cæterum quo hæc ſtabiliora ſint; ipſi, cujus auxilio victoria obtenta eſt, gratias agat Deo immortali, ipſo tantæ cladis nomine. (p) Quia ille conſiliis & actionibus hominis ſuperne imminet inſpector Deus, qui per ſecundas illas cauſas ipſe prima rerum omnium cauſa, omnia flectit, torquet, dirigit ad eventum ſibi placitum, illis bonum. (q) Idque ſincero corde adjectis victoriæ pretiis, quæ ſibi poſcit, (r) templa, ædes, ſtipendia, aliaque futura poſteris incitamenta, venerari Deum. Ad quæ tuum eſt, feliciſſime victor, coronas, donaria & ſpolia transmittere, ſed non conſecrare, quod P. ſenatusque Romani eſt, hoc eſt, ſummi magiſtratus & pontificis. (s) Sic Alexander Magnus poſt pugnam feliciter peractam cum Dario, tres aras in ripa Pyrami amnis, Jovi, Herculi, Minervæque ſacravit. (t) Nec magiſtratui Chriſtiano obtenta aliqua victoria inſuetum; etiam hodiernis temporibus, ſolennes precationum dies proclamare, vel ædes ſacras exſtruere in memoriam auxilii Dei, paciſque temporum. Denique, ne miles omiſſa expeditione ad ſecuritatem, & hoſtis ad occaſionem vertatur, (u) habendus non in convivio, ſed in campo; non in vacationibus, ſed in exercitationibus; nec inter ſodales, ſed inter coæquales, aut equo, aut curſu, aut viribus contendet. (x) Nam ſi ſemel deſes & luxuria diſſolutus fuerit, poſtmodum invitiſſimus ad exercitia militaria producitur. (y) Quæ cura ſucceſſori provinciam tradere quietam tutamque haut poſtrema erit. (z) Sic apud majores noſtros multa finita ſunt bella, ſic cœpta. (aa)

MEMBRVM TERTIVM.

Quomodo vivat dux, remotus ab exercitu.

CAP. I.

Juſſus dimittet exercitum dux, præmiaque accipiet; & cur? de ſuſpicionibus, quas ſæpe numero fovent magiſtratus de civibus, paucis diſſeritur, unde oriantur, & an vere? Et denique quomodo tolli poſſint aut devitari.

I.

CÆterum, ſi in hoc articulo rerum & conditione miſſo nuncio dixerit rex: pro me gerebas bella; (a) redde arma: (b) Tunc juſſa ſequi, tam poſſe mihi, quam velle neceſſe (c) fateberis: quia Regis voluntati mos gerendus eſt, (d) exemplo Ageſilai venire non dubitabis, ut non minus tua pietas ſuſpiciatur, quam virtus bellica: Nam is cum victori præeſſet exercitui, maximamque haberet fiduciam regni Perſarum potiundi: tanta modeſtia dicto audiens fuit jusſis abſentium magiſtratuum, ut ſi privatus in comitio eſſet Spartæ. (e) Nec contra negare exercitum remittere velle, quin potius præmia armorum armis defendere. (f) Quod ſi factum fuerit, nullus ſalutis Hercule infenſo eſt locus. (g) Cum hoc Reges ingens habent & magnificum, (h) ut te abſentem damnare poſſint, (i) ſi animo retinendi exercitus ire recuſas. Quod infortunium ut evitet, relictis rebus bene compoſitis, Regiam Majeſtatem ſupplex adibit; ea ſpe & fiducia, ne omnium victor omnium ſit inops, (k) requieſve ipſa inops, (l) cum præmia ſemper debent eſſe majora periculis. (m) Ideoque ad honora officia evehendus, conſilia daturus literis & experientia profutura. Verum ſi nihil ſciverit tractare niſi arma? (n) quantus erit muneris honos, ubi nullus literarum eſt uſus?

II.

Hanc, in honorandis ducibus militibusque rationem, obſervarunt plerique regum. Sicut Guſtavus I. priſcæ libertatis vindex fortisſimus, Rex Sueciæ ſancivit; ſi qui militum, in acie vel prælio, membris

(b) *Pomp. Læt. hiſt. Rom. compend. in Gallum.* (c) *Sen. Troad. act. 2. pag. m.* 141. (d) *Curt. lib. 4. c. 5.* (e) *Sen. Troad. act. 2. p.* 143. (f) *Flor. lib. 3. c. 7.* (g) *Nep. Timoleont. c. 2.* (h) *Sen. Troad. act. 2.* (i) *Tacit. ann. l. 1. c. 57. §. 4.* (k) *Juſt. lib. 1. Herodian. lib. 2. p. 329. c. 7. §. 8. 9. 10. & Grut. diſc. Tacit. p. 57. ſeqq.* (l) *Flor. lib. 2. c. 18.* (m) *Tac. Agr. cap. 31. 1.* (n) *Id. ibid. c. 19. §. 1.* (o) *Curt. lib. 4. c. 1.* (p) *Flor. l. 1. c. 13.* (q) *Forſt. not. Tacit. ann. lib. 3. pag. m.* 247. (r) *Flor. lib. 1. cap. 20.* (s) *Flav. Vopiſc. in Aurel. Prob. p.* 287. 302. (t) *Curt. lib. 3. c. 12.* (u) *Tacit. Agr. cap. 18. §. 1.* (x) *Juſt. l. 38. cap. 4. §. 1.* (y) *Æl. Spart. in Juliano p. m.* 165. (z) *Tacit. Agric. cap. 20. §. 3.* (aa) *Flav. Vopiſc in Aurel.*

(a) *Sen. Hercul. Oet. act. 2.* (b) *Id. Hercul. Furent. act. ultim.* (c) *Lucan. lib. 1. p. 23.* (d) *Nep. Datam. pag.* 234. (e) *Id. Ageſil. p.* 294. (f) *Flor. lib. 4. c. 2.* (g) *Sen. Herc. Fur. act. 4.* (h) *Id. Med. act. 2.* (i) *Nep. Themiſt. c. 8. 2.* (k) *Curt. lib. 9. cap. 3. §. 11.* (l) *Tacit. ann. lib. 1. c. 35. §. 3.* (m) *Curt. lib. 9. c. 2.* (n) *Trebell. Pollio in de 30. Tyran. 7.*

Digitized by Google

bris mutilentur, aut bello inutiles reddantur: illis victum & *alimenta* (*) R. M. promiſit, usque ad extremum vitæ diem ex publico præbenda, (a) quod Vadſteni etiamnum, alibique locorum in regno iſto per tot tantique nominis & rerum hæreditarios Reges durat promiſſum. Nec militibus tantum gregariis, verum & longa conſuetudine tribunis, præfectis, comitibus & ducibus, qui pro augendo vel defendendo imperio conſenuerunt, dantur agri, villæ, baronatus, comitatusque, non ut neceſſaria tantum ſuppetant, quoad vivant: ſed ut habeant liberi, quo incitentur amare patriæ ſtatum, eumque præclare defendere. (b) Quomodo Conſtantinus Imperator ſancivit in initio, ut agri, villæ, oppida, quæ ad victum emeritorum contributa erant, ad hæredes tranſirent. Unde milites ſibi magis obnoxios ac deditos reddidit. (c) Et quid reliquit in ordinandis militibus ſuis Alexander Magnus, ſi fides Curtio habenda? complures bello inutiles exautoravit, magnificentiſſimeque donatos dimiſit; ſcribens quoque ad Antipatrum Macedoniæ præfectum, eis ad ſpectanda certamina priores in theatro ſedes aſſignari; coronatosque ſedere juſſit: Defunctorum quoque liberos pupillos, paterna contrahere ſtipendia voluit. (d) Nec parcior in bellica virtute honoranda Cæſ. Auguſtus, (e) qui agros veteranis, in caſtris pretium militiæ perſolvebat, (f) ne deeſſet ſibi miles in acie. (g) Et hæc, ut Philiſci verbis ad Alexandrum roborem mentem meam, ſunt pacis commoda; habere rationem ſanitatis & ſalutis ſubditorum, (h) ne miſeri milites fruſtra effudiſſe ſanguinem videantur. (i) Quam meritorum compenſationem non licet hic interpretari, liberalem donationem, ſed obligationis diſſolutionem. (k) Nam munus aliquod hic non datur, ſed perſolvitur debitum, (l) Quamvis interdum brevi oſculo & nullo ſermone duces excipiuntur revertentes, (m) hoc eſt, exiguo aut plane nullo beneficio hoſtimenti vice.

III.

Ut tandem bonis avibus ultima manus imponatur huic noſtro exercitio, de duce: placet paucis diſſerere, quod & lex præſcripta nobis a Tacito etiam poſcit, de ſuſpicionibus, quas Reges vel quilibet alius ſummus magiſtratus fovent conceptas. Easque duplices dabimus longe diſcretas: Prima ex virtutibus gliſcit; unde imperanti metus: Alteram gignunt res malæ geſtæ, adeoque cum damno magiſtratus. Nam ſi bene geſtum fuerit bellum, Deorum immortalium adjutorio imputatur: quod autem male, ducum culpæ. (a) Quam iniquiſſimam bellorum conditionem, quod proſpera omnes ſibi vindicant, adverſa uni imputantur, (b) ſequitur miſera ducum vita, vel ſuſpecta. Antipatrum viciſſe, Alexander ne tacitus quidem indignabatur, (c) quia ſimplicius famam æſtimabat in hoſte quam in cive. (d) Nec ullus erat, ex fide Æliani loquor, imperatorum, cujus aliqua virtus non eſſet metuenda ſibi. Quippe Perdiccam odio habuit, quia erat bellicoſus: Lyſimachum, quia erat Imperatoriæ artis: Seleucum, quod erat forti animo: Antigoni liberalitas, Attali dignitas imperatoria, eum offendebat & Ptolomæi proſperitas. (e) Ipſe Auguſtus Imperator pace belloque clariſſimus habuit tamen in regno quosdam capaces regni, ideoque ſuſpectos, Manium Lepidum; alium vidit avidum imperii Gallum Aſinium: Arruntius minime indignus odio habebatur. Quem etiam Tiberius timuit vel propterea maxime, quia erat dives, promtus, artibus egregiis, & pari fama publice (f) Metium Pompoſianum, quod habere imperatoriam geneſin vulgo ferebatur, odio habuit Domitianus, (g) cui & maxime formidoloſum erat privati (Agricolæ) hominis nomen ſupra Principis attolli; fruſtra ſtudia fori & civilium artium decus in ſilentium acta, ſi militarem gloriam alios occuparet. (h) Sin autem minus proſpere res geſtæ fuerint, ducis culpæ tribuunt; cum eum, aut negligenter aut malitioſe feciſſe loquantur, nihil enim eum non efficere poſſe volunt. (i) Adeo eſt & illud regum fere omnium proprium, ut ipſi ad ſuam (quod ajunt) umbram expaveſcant: ita potentiæ comes additus uniuscujusque metus. (k) Et illis ducibus moleſtum, qui aliquid præclare effecere: & his periculoſum, quorum virtuti minus reſponderit fortuna. Huc confer *GRVTERVM in diſcurſ. ad Tacit. pag. 101. 102. ad 115. ſeqq.*

IV.

Huic malo, quod maxime ſequitur Principes, ut umbra corpus, putamus absque dubio eſſe nimiam opinionem ingenii atque virtutis, (a) quæ concipitur ex felici ſucceſſu rerum a ducibus geſtarum, quam ignarum vulgus admiratur, & amat, oculis & uſu omnia dimetiens. Interrupta itaque hoc modo gloria regum illis animus creſcit, his ipſis metus. Merito mihi videntur facere, ſi ſuam majeſtatem atque autoritatem prudentia & cauta attentione munitum eant; quippe illorum intereſt, cuncta ad famam nomenque dirigere, (b) cujus contemtu ipſæ etiam virtutes regiæ contemni ſolent. (c) Imo juſta videbatur cauſa timoris Athenienſibus, Alcibiadis potentia, cum multos

(a) *Legum militar. leg. 27. anno* 1554. (b) *privileg. nobil. Suec.* (c) *Pomp. Læt. hiſt. Rom. comp. in Conſtant. p. m.* 448. (d) *Curt. lib.* 10. *cap.* 4. (e) *Suet. Aug. cap.* 38. (f) *Flor. lib.* 4. *c.* 5. (g) *Ælian. l.* 4. *c.* 5. (h) *Id. lib.* 14. *c.* 11. (i) *Pomp. Læt. hiſt. Rom. comp. in Gall. pag.* 455. (k) *Forſtn. ad Tacit. annal. lib.* 1. *p. m.* 114. (l) *Herod. l.* 2. *p.* 535. (m) *Tacit. Agric. cap.* 40. §. 3.

(a) *Val. Max. lib.* 2. *c.* 7. 1. *ext.* (b) *Tacit. Agr. cap.* 27. 2. (c) *Curt. l.* 6. *c.* 1. (d) *Id. l.* 8. *c.* 14. (e) *Ælian. var. hiſt. l.* 12. *c.* 16. (f) *Tacit. ann. lib.* 1. *cap.* 13. §. 1. 2. *lib.* 15. *c.* 71. 6. (g) *Suet. Dom. p.* 466. (h) *Tacit. Agr. cap.* 39. §. 3. (i) *Nep. Alcib. cap.* 7. §. 2. *Lipſ. polit. lib.* 2. *cap.* 6. *Amm. Marc.* 28. 30. (k) *Pier. Valer. Bolz. Elephaſ. l.* 2. *hierogl. Ægypt. p.* 18.

(a) *Nep. Alcib. cap.* 7. 3. (b) *Tacit. ann. lib.* 4. *cap.* 40. 2. (c) *Id. ib. c.* 38. 7.

(*) *alimenta*) GOEB, Optime his in Gallia & Anglia proſpectum eſt.

tos liberalitate devinxerat, plures etiam opera forenſi ſuos reddiderat. (d) Et recte Germanicum formidabat Tiberius, in cujus manu, hoc eſt poteſtate, tot legiones, immenſa ſociorum auxilia, mirus apud populum favor. (e) Unde facile, ſicut Alexander fecit, credere erat ſuam magnitudinem deſtrui poſſe. (f) Idque quærunt illi, qui ſe quodammodo arbitrantur adipiſci imperium: Nam hic fortitudo potentiam nacta, audacia eſt. (g) Qualis Arbacti Sardanapalum evertentis, (h) Beſſi & Nabarzanis irrumpentium in Darium. (i) Cujusmodi, aliique eminentes viri & ultra privatorum conditionem potentia, divitiis, favore populi, opibusque pollentes non abſque cauſa, & principibus, & liberis ſuisque legibus viventibus rebuspublicis metuendi habentur: Ideoque aliena debeant inhiberi poteſtate, qui exceſſerunt ſuam, (k) alias aut ſe perdant aut alium.

V.

Periculoſa eſt etiam ducum vita, in ſe ipſa; quia ægre amittitur memoria præteritorum. Et ut ille, ingenuitas non patitur contumeliam, (a) præſertim nacta divitias: Nam tum opulento homini hoc magis ſervitus dura eſt. (b) Illi certe ſervitus & ſervitute magis videtur, vivere privatus; cui in omnes imperia: quique multum in imperiis, magiſtratibusque verſatus eſt, non poteſt eſſe privatus, cum conſuetudine ad imperii cupiditatem trahatur. (c) Non enim grave eſt non adipiſci: at cum adeptus ſis, rurſum amittere, id moleſtum eſt. (d) Quæ omnia hæc egregie deſcripta habet Cyprianus: Quando parſimoniam diſcat, qui epularibus cœnis, & largis dapibus aſſuevit; & qui pretioſa veſte conſpicuus in auro, atque in purpura fulſit, ad plebejum ſe ac ſimplicem cultum quando deponet? Faſcibus ille oblectatus & honoribus, eſſe privatus & inglorius non poteſt; Hic ſtipatus clientum cuneis, & frequentiore comitatu officioſi agminis honeſtatus, pœnam putat eſſe cum ſolus eſt. (e) Quare & Dionyſius Tyrannus Syracuſis expulſus, Corinthi pueros docebat, usque eo imperio carere non poterat. (f) Sic ſuſpectus ille Pauſanias ſua ſponte ad exercitum imprudens rediit. (g) Sed pleni ſunt omnes libri, plena eſt vita exemplorum, modus eſt hic adhibendus (h) & mox terminus.

VI.

Hoc unico poſito, regum ducumque clementiam non in ipſorum modo, ſed etiam in illorum qui parent, ingeniis ſitam, (a) itaque hoc temperamentum ſervandum. Sint cauti reges prudentesque & principes, (b) ſi volunt ipſi eſſe ſecuri. (c) Nec ſint invidi alicujus divitiis, nec infenſi virtutibus cujusquam optimi civis; quin ubi nulla ſubeſt cauſa periculi & odii, nec crimen ullum aut querela cujusquam læſi, (d) non convenit de ejusmodi claris viris ſuſpicionibus judicari, (e) niſi palam ſontibus, atque tunc feriendos omnino (f) putamus. Metuat invidiam civis virtute præditus; ut prudenter vivat & bene, ſub bono Rege bene agier oportet; quia omnia tum bona, fama fatoque inani jactatione gloriæ non provocatis. (g) Alibi intutior virtus, ubi regnant plures vel unus immeritus. Prævia tamen cuncta obſequio, modeſtia, induſtria, vigore. (h) Cum etiam Chriſtus ſævo Tiberio dari tributa juſſit. (i) Sed hic præſto erit ubique clypeus, vivo illo felicitatis charactere utrimque deſcriptus. Illi diu tutoque imperitant, qui non metum ex crudelitate, ſed amorem ex bonitate civium ſuorum animis inſtillant: neque enim quos ſervire neceſſitas coëgit, ſed quos obtemperare ſua quemque voluptas adegit, ii ſunt in agendo patiendoque a ſuſpicione omni aſſentationeque vacui nunquamque imperia detrectant, niſi violenter contumelioſeque ſint habiti. (k) Sicut exempla Antipatri ſub Alexandro, (l) Dionis imperante Dionyſio, (m) Germanicus erga Tiberium, (n) in Domitianum noſter Agricola (o) teſtantur. Cætera, quæ vel hæc illuſtrare clarius poſſunt, vel confirmare validius, ſuppeditabunt Gruterus, (p) Forſtnerus, (q) Lipſius, (r) Fred. a Marſelaer, (s) Cyriacus Lentulus, (t) Joh. Baptiſt. Lenccius, (u) & clariſsima optimorum politicorum ſuper hac materie ſententiarum conciliatio magni nominis viri Herm. Conringii in not. Lampadian.

(d) *Nep. Alcib. cap. 3. 4.* (e) *Tacit. ann. lib. 1. cap. 7. §. 6.* (f) *Curt. lib. 8. cap. 14.* (g) *Ariſt. polit. lib. 5. cap. 10.* (h) *Juſt. lib. 1. cap. 3. 4.* (i) *Curt. l. 5. cap. 9. & 10.* (k) *Forſt. not. Tacit. ann. l. 2. p. m. 128.*

(a) *Publ. Syrus.* (b) *Plaut. amphitr. act. 1. ſc. 1. verſ. 12. Eurip. Hec. pag. m. 17.* (c) *Nep. Milt. c. 8. ſ. 2.* (d) *Ælian. var. hiſt. lib. 14. cap. 1.* (e) *Cypr. ep. lib. 2. ep. 2. ad Donatum. pag. m. 45.* (f) *Cic. Tuſc. diſp. l. 3. p. m. 97. & lib. 5. p. m. 177.* (g) *Nep. Pauſ. c. 3.* (h) *Kirchmay. ad il. loc.*

(a) *Curt. lib. 8. cap. 8. 8.* (b) *Pomp. Læt. hiſt. Rom. comp. in Nemeſ. dea pag. 444.* (c) *Ælius Lampr. in Ant. Diad. p. m. 207.* (d) *Tacit. Agr. c. 41. 1.* (e) *Nep. Pauſ. cap. 3. 7.* (f) *Curt. lib. 6. cap. 11.* (g) *Tacit. Agric. c. 42.* (h) *Id. ibid. cap. 42. ſ. 7.* (i) *Jac. Lamp. in de rep. rer. germ. part. 1. §. 28.* (k) *Herodian. lib. 1. pag. m. 317.* (l) *Curt. lib. 6. cap. 1.* (m) *Nep. in Dion. cap. 1.* (n) *Tacit. ann. lib. 1. cap. 34. ſ. 1. & lib. 2. cap. 7. 23.* (o) *Tacit. Agr. cit. loc.* (p) *Grut. diſc. in Tac. 25. ſeq.* (q) *Forſtn. not. Tacit. annal. lib. 2. pag. 124. & ſeqq. & in lib. 3. p. m. 272. & ſeqq.* (r) *Lipſius polit. lib. 3. c. 11. not. ad §. 13. & lib. 6. cap. 5.* (s) *Fred. a Marſ. legat. lib. 2. diſſert. 43. pag. m. 638. ſeqq.* (t) *Cyr. Lent. compl. polit. in Tacit. comment. vit. Agric.* (u) *Jo. Lenc. obſervat. polit. 223.*

HERMANNI CONRINGII

De

Habitus corporum Germanicorum antiqui ac novi cauſis

Liber ſingularis.

Viro Illuſtri JOANNI CAPELANO, Chriſtianisſimo Regi a ſanctioribus conſiliis,

felicia quæque precatur

HERM. CONRINGIUS.

OFfero, VIR ILLUSTRIS, libri de Germanicorum corporum habitu, intra viginti unumque annos tertiam, & ætate jam in ſenium vergente, ſuprema manu emendatam atque auctam editionem; adeoque totum tui unius nomini jam ultimo quaſi elogio volumen illud conſecro. Argumentum fateor ex artis medicæ naturalisque philoſophiæ penu tantum non omne depromptum eſt, ac proinde tibi non ſatis conveniens, ſi dignitatem videam & amplisſimum illud munus quo in republica fungeris. Cumque non omnino ſit novus liber, posſit videri tantum in partem te venire conſecrationis. Ego vero ſpectavi & eruditionem tuam per omnes doctrinæ campos diffuſam, a qua nihil eſt alienum; tum ſingularem erga hunc ipſum libellum affectum, qui ſcilicet te movere potuit, uti Chriſtianisſimi Regis gratia conciliata, recipi me inſperato curaveris in numerum illorum, quibus inuſitata munificentia regia pasſim terrarum cum præmium aliquod jam partæ tum calcar parandæ amplius doctrinæ accipere conceſſum eſt. Sed & defunctis jam primis libri Mœcenatibus, quaſi undequaque orbum ſuis tutoribus & patronis fœtum, in novam clientelam tutelamque dare, mei & juris pariter & officii eſſe exiſtimavi. Ad hoc non illum ſcribendi characterem, quo in reliquis & medicis & philoſophicis voluminibus uti ſoleo, quique adeo obſervandus unice eſt in ſcriptis & ſcholis apud eos, quos *οἰκείους ἀκροατὰς* Ariſtoteles meus quondam appellabat, adhibui, ſed alium longe floridiorem & auribus quoque *τῶν φιλολογούντων* attemperatum: in quo doctorum ordine cum prima ſubſellia teneas, ne argumenti quidem moroſior ſeveritas poterit tibi eſſe ingrata. Cæterum quandoquidem pridem probavit jam ſeſe favori tuo liber, non equidem dubito, unice tibi poſthac deditum patrocinio te dignaturum. Id tantum rogo, uti & offerentis animum ad alia quæque ſtudia devotum tibi eſſe certo credas, meque ceu antehac benevolentia tua inpoſterum proſequaris. Helmeſtadii octavo Id. Jun. anno CIƆ IƆ CLXVI.

In alteram editionem libri de habitu corporum Germanicorum, quæ prodiit Helmeſtadii 1652.

Illuſtrisſimis Comitibus ac Dominis ENNONI LUDOVICO, GEORGIO CHRISTIANO, EDZARDO FERDINANDO, Fratribus, Comitibus ac Dominis Oſtfriſiorum, Dominis Eſenæ, Stedesdorpii & Witmundæ.

LIbellus hic iterata modo editione auctus caſtigatusque, ad gratiæ Veſtræ aram, PRINCIPES, non tam affectat viam, quam ſuapte ſponte feſtinat propemodum; idque memoria cumprimis ductus ejus benignitatis, qua illum abhinc ſeptem annos recenti tum fœtura editum illuſtrisſimus Veſter quondam parens excepit. Et vero eram ego optimo iſti principi non niſi fama cognitus, ut qui maximam vitæ partem extra patriam a prima usque pueritia exegiſſem; ubi tamen libellum hunc mole quamvis exiguum pietatis cauſa nomini ſuo vidit conſecratum, id quaſi operam ille confeſtim dedit, uti intelligerem, & me & munuſculum meum gratum ſibi eſſe, ſimulque res meas majori impoſterum curæ futuras. Sed erant turbulenta tum reipubl. tempora; & non multo poſt gravis Principem morbus, tandemque mors præpropera abripuit, ut optime cogitata expedire minus licuerit. Poſteaquam vero in patris locum, cui ille ceu primogenito patriæ legibus debetur, ENNO LUDOVICE, ſucceſſiſti, cum ætas Tua adhuc tenera gerendis rebus minus eſſet idonea, illuſtrisſimæ quidem matris voluntate, cum valetudinis Tuæ Tuorumque, tum præcipue nutantis nonnihil reipublicæ, curam ego ſuſcepi: ſuperiore tamen anno, quum ex longa peregrinatione redux clavum regiminis aggredereris, multis modis ita oſtendiſti mox ipſemet, quantum Tibi placeant res omnes conſilio operaque mea hactenus geſtæ, ut & gratias Tibi hoc nomine ego debeam, & haud injuria de favore Tuo queam forte gloriari. Proinde quum libellus meus hæreditario quaſi jure, PRINCIPES, ad omnes Vos optimo patre dignos filios pertineat, & vel eo, quod jam olim benigne adeo fuerit a patre habitus, Veſtram quoque gratiam merito ſibi ſpondeat, Tuus vero erga me animus, ENNO LUDOVICE, ſingulatim mihi ſit perſpectus, forte peccem ego, ſi illi patronum alium quæram. Hic ipſe tamen annus (fateor) me monet, ut alio potius ſcripto quodam, quod nempe patriæ reipublicæ majori ſit uſui, illuſtrisſimum affectum Veſtrum demerear. Ducenti ſcilicet adeo nunc anni ſunt, quando omnis Oſtfriſiæ populus pertæſus ingentium malorum, quæ non libertas amplius ſed licentia longo jam tempore pepererat, principatu in familiam Veſtram collato, tranquillitati publicæ veræque libertati conſulere impoſterum propoſuit. Ea res quam feliciter illi ceſſerit,

quamve proſpero ſucceſſu libertas principatu legitimo, (ſecus quam nonnulli exiſtimant, qui res illas natura ſua inſociabiles exiſtimant) fuerit temperata, & publice intereſt, ut omnes intelligant, & mei muneris, quo apud Te fungor, ENNO LUDOVICE videtur eſſe, ut ſingulari libro doceam. Verum fortaſſe poteſt hæc ſcriptio aliquantulum differri. Id quod ſi Vobis etiam videtur, PRINCIPES, jure nunc acquieſco; in magna ſatis felicitate hodie habiturus, quod libellum hunc eo, quo olim Illuſtrisſimus Veſter parens, clemente vultu dignemini.

Epiſtola dedicatoria præmiſſa libro de Germanicorum corporum habitu antiquo & novo, Helmeſtadii anno 1645. & 52.

Illuſtrisſimo Comiti ac Domino ULRICO, Comiti ac Domino Friſiæ Orientalis, Domino Eſenæ, Stedesdorpii & Witmundæ.

S. P. D.

NEſcio pene quo ſit Genio factum, ſi ita loqui fas eſt, *Illuſtrisſime Comes*, ut cum aliarum gentium omnium veterum recentiorumque hiſtoria multum me ſemper delectaverit, nulla tamen affecerit perinde, atque memoria eorum quæ in Germania aut Germanicis populis omni tempore contigerunt. Neque enim hæc noſtra aliis illis omnibus præferenda exiſtimo: cum nonnullis Germanorum facta ne contendere quidem auſim: monumenta etiam pleraque noſtra ſordes & quisquilias dixerim præ illis, quibus Romanorum Græcorumque res ſunt comprehenſæ; & tamen ſingulari me voluptate noſtra iſthæc potius ad ſe pertraxere volvenda pernoſcendaque. Ea ſane occulta ratione identidem hodieque adigor, ut quas horas a negotiis ſtudiisque ſeverioribus vacuas nanciſcor, quales tamen oppido raræ mihi obtingunt, rerum noſtrarum ſtatui & fortunæ inveſtigandæ magna animi delectatione impendam. Neque enim ſufficere arbitror, in iis quæ a ſcriptoribus noſtris ſunt annotata, acquieſcere, ſed in cauſis quoque rationibusque eorum quos illi memorant eventuum inquirendis, (quod illi aut non ſatis intellexerunt, aut habuerunt inſuper) præcipuam curam cenſeo mihi collocandam. Eapropter certe permotus quoque ſum, ut corporum Germanicorum habitum, & qualis ille eſt ab antiquis memoratus, & qualis nunc ſupereſt, diligentius non tantum annotarim, ſed & quid utramque illam conditionem effecerit, ſumpſerim exponendum. Fuit autem hoc quidem eo jucundius, quo ſpeculatio iſthæc in intimiora naturalis philoſophiæ & medicæ artis, queis præcipue vitam addixi, penetralia me quaſi manu duxit. Non tamen vel haſce meditationes meas publicare facile inſtituiſſem, niſi mihi perſuaderem, fore ut ex earum lectione nonnihil utilitatis in commune ſit redundaturum. Enimvero, niſi admodum fallor, luculente a me, & quidem domeſtico noſtro perilluſtri exemplo eſt oſtenſum, quantum in omnem partem ad corpora mutanda victus valeat & ratio vivendi: cumprimis vero naturæ congruentisſimam eſſe ſimplicem illam, quæque hodie ruſtica cenſetur & barbara vita: hac conſervari ſanitatem, hac vires ali, hac formæ decus parari; ex adverſo ſumptuoſi illius & luxurioſi victus elegantiam hominum potius opinione quam veritate conſtare, quin & vires & ſtaturam eo corripi, nec niſi morborum aliquod ſeminarium & ampliſſimam ſegetem hinc præberi medicinæ, nihil tamen vel parum proficientis in corruptela illa perpetua. Plena ſunt doctrinæ hujus cum aliorum tum medicorum ſcripta: & præter nos alii etiam vicini populi (ut veteres nunc taceam) idem nobiſcum ex ſimili vita corporum ſuorum detrimentum patiuntur; fortasſis tamen noſtros proprium potius gentis damnum in meliorem ſententiam perduxerit, quam vel tot præcepta, vel mala aliorum. Nec tamen ego vel ſperare auſim, perſuaderi omnibus noſtris poſſe, ut ſuam hanc, elegantem ſcilicet vitam, cum ſimplice majorum commutent: nec id quo obtinerem hæc diſſerui. Adeo enim rediiſſe mores dudum intelligo, ut plerique nec vitia nec vitiorum remedia toleremus. Ne maximis quidem propoſitis pœnis aut præmiis Cæſar ipſe Principesque vel Germanicum vulgus, cui quidem aliquid in bonis ſupereſt, illuc adegerint; ut quod malit non vivere quam non luxurioſe vivere. Saltim aliquos tamen & bonos & intelligentes frugi fore majus damnum veritos exiſtimo. Si & illa ſpes decollet, & boni viri & boni medici officio tamen functus ſum: qui ſtuduerim pro virili recte monendo antevertere morbos, & corpora ad pacis & belli artes idonea præparare: de reliquo bonum factum ratus, ſi pro conditione temporum & morum fecerim medicinam, quamvis non laudatam, carentem tamen mea culpa. Enimvero non in medicorum ſed aliorum potius uſum totum hoc a me ſcriptum eſt: eoque & orationem adhibui auribus populi magis quam ſcholæ attemperatam, & in ſolemni Academiæ panegyri, quum ante hos octo menſes magiſtratus mihi crederetur, priorem partem coram juventute noſtra virtutis & ſapientiæ ſtudiis conſecrata recitavi, reliqua jam tum eodem loco additurus, ſi ſtato tempore abire provincia licuiſſet. In Tuum vero nomen, *Illuſtrisſime Comes*, quicquid hoc eſt edo: tantum ut leve aliquod ad poſteritatem exſtet mei erga eum, quem naſcendi lex Principem mihi dedit, devoti animi monumentum. Etſi enim puer annis abhinc viginti quatuor amplius ſtudiorum gratia huc miſſus, ex eo numquam pene non extra patriam vixerim, quin ex Batavia præter ſpem huc revocatus, jam tredecim annos, munere profeſſorio ſuſcepto, Lares heic fixerim, adeoque poſſim a natali ſolo fere alienus videri; non tamen vel patriæ amor, vel Principis mei nativi cultus, tanta temporum locorumque intercapedine quidquam eſt in me deminutus, ut non jure cum quovis aliorum, qui magnis a patria bonis præ me ſunt ornati, pia mentis gratitudine etiamnum queam contendere. Nec vero in nullo beneficio colloco, quod terra iſthæc maternam familiam ab omni memoria aluerit, jam a centum amplius annis avum paternum Drentia ac Tranſiſalania civili bello pulſum benigne exceperit, patri, (cujus grandævi ſenis ante hoſce quatuor menſes pie defuncti mortem nunc lugeo) non ſolum naſcenti

primam

primam auram, ſed etiam ultra nonaginta vitæ annos cum domicilium tum dignitatem publicam conceſſerit, cognationem denique meam pene omnem hodieque vel mortuam teneat, vel vivam ſinu ſuo quaſi foveat. Omnes certe, Illuſtriſſime Comes, Tibi inprimis Tuisque conſiliis debemus, quod ſic ſatis feliciter & tranquille vitam degere licuerit. Quæ cuncta niſi mente grata recolam, impius equidem fuero. Vale, *Illuſtriſſime Comes*, in plurimos annos patriæ bono: & ſi hoc addere fas eſt, me utut peregrino loco poſitum inter cives Tuos numerare ne deſine. Helmeſtadii, in academia Julia, 11. Kal. Martii CIↃ IↃ CXLV.

HERMANNI CONRINGII

De

Habitus corporum Germanicorum cauſis

Liber Singularis.

INtuenti mihi res Germanicas, ſuborta ſæpenumero eſt admiratio, non rempublicam duntaxat & mores, ſed ipſum quoque corporum habitum a priſco multum adeo diſcedere, ut niſi aliunde nobis certo de origine conſtaret, poſſit cui videri, non illis nos majoribus cretos qui Germanorum nomine olim claruerunt, aut vero laborare fidem veterum monumentorum, illa de majoribus prodentium quæ nobis nepotibus profecto non conveniunt. Verum arguere fidem ſcriptorum antiquorum nefas eſt. Non enim quidquam cauſæ fuit, cur mentirentur homines alias minime vani & perſpectæ probitatis. Nec enim licuit illis mentiri, etiamſi voluiſſent; quum paſſim toto *jam tum terrarum orbe* (a) militarint Germani, adeoque nemini vulgo non fuerit facillimum, refellere impudens mendacium. Ne nunc dicam, in Europa, Aſia, & Africa, per multa ſecula prorſus eadem de antiquis Germanis commemorari: ut tamen tanto temporis locorumque intervallo in unum mendacium quaſi ex compacto omnes conſenſerint, id omnino eſſe *ἀδύνατον*. Multo minus autem fas eſt dubitare, num antiquis nos Germanis ſimus progeniti. Quis ſanus certe id negaverit?

In cauſas proinde factæ mutationis inquirere *ex uſu fuerit.* (b) Dignum id ſane philoſophia, quæ nihil non ſcrutari nos patitur quo ducit admiratio. Videmur etiam hoc & majoribus pariter noſtris & nobis debere, jure quodam maximo; illis quidem, quoniam majorum omnia nepotibus ſeſe quaſi religione quadam commendant ne ignorentur; nobis autem, ut edocti habitus noſtri rationes, vel corrigamus quæ deflexerunt in pejus, vel eo firmius teneamus quibus corpora noſtra reddita ſunt ſolito meliora. Saltim argumenti jucunditas merito nos ad hanc curam invitaverit. Quid enim jucundius, quam vetera cum noſtris conferre, omniumque adeo remotorum naturam cauſasque uno pene momento pervidere?

Cæterum priſcam memoriam excutienti mihi primo illud ſemper conſiderationem ſingularem viſum eſt mereri, quod Cornelius Tacitus ſcribit: *habitus corporum* (c) *quanquam in tanto hominum numero idem omnibus.* Nec vero alii ſcriptores abeunt in diverſum. Nuſquam enim legas, Germanorum alicui peculiare quid a reliquis, iſta quidem ætate, attributum. Diſerte Juvenalis *Satyra V.*

Cærula quis ſtupuit Germani lumina, flavam
Cæſariem, & madido torquentis cornua cirro?
Nempe quod, hæc illis natura eſt omnibus una.

De Britannis contra idem Tacitus *in vita Agricolæ* ſoceri ſui: *habitus varii atque ex eo argumenta* originis. Igitur ut forte nonnulli fuerint diſpari ab aliis habitu, id certum videtur, iſthac Taciti tempeſtate raram fuiſſe diverſitatem, & quæ non meruerit attendi in tanta pene omnium ſimilitudine. Confirmatur hoc ipſum quam maxime illa Julii Firmici reſponſione ad argumentum, adverſus Matheſeos vanitatem, a colore candido Germanorum *omnium* petitum, atque vulgo tum objici ſolitum. Tantum enim hoc adfert *l. 1. c. 4.* *Ecce illius Germani candor ex aliqua parte nigri coloris tenui adumbratione ſordeſcit: illius* (Æthiopis) *nigram faciem* (d) *ſplendor modici candoris illuminat.* Quod profecto eſt fateri, perparum differentiæ in omnium æqualitate etiam tum, h. e. Cæſare Conſtantino, fuiſſe. Juſtiniano imperante adhuc ita loquutus eſt Procopius *l. 1. Vandal.* de Oſtrogothis, Vandalis, Wiſigothis & Gepidis, ubi omnes illos Gothicos eſſe populos & unius linguæ dixiſſet: *Neque aliis ii præterquam nomine differunt: candidi corpore omnes, comis rutili, proceri, pulchra facie.*

In

(a) *jam tum terrarum orbe*) Ab omni tempore Germani ſanguinem circumtulerunt venalem. Vid. TACIT. *in Germania.* Utitur autem hic autor ſynecdochica locutione. Neque neceſſum eſt, cum Aventino fabuloſas majorum noſtrorum fingere expeditiones, aut Darii exercitui ſua mole laboranti Suevos adſcribere.

(b) *ex uſu fuerit.*) Argumentum admodum curioſum eſt, non autem æque utile. Quam enim inde utilitatem trahere queamus, quod majores noſtri corporis mole prævaluerint, non video. Utinam virtutis quantitate ipſos ſuperemus aut ſaltim æquemus. Non ſemper ille, qui corporis robore & magnitudine præſtat, victoriam canit. In magno corpore minor nonnunquam ſolet eſſe virtus.

(c) *habitus corporum*) Medicus Francofurtanus BURGGRAVIUS ad hæc verba totam venarum & arteriarum corporis humani compagem excutit. Sed optandum eſſet, ut hic vir diligentiam, quam generi adhibuit, ſpeciei impendiſſet. Proh dolor! in quot volumina excreſcerent commentarii, ſi ſpeciei annotationes ad quævis extendi deberent generica. Deinde, quod obiter ſaltim notaverim, neſcio, quid virum cæteroquin doctum commoverit, ut venam portæ a venarum principalium numero excluſerit; cum tot ejus ſint & æque principalia officia, quam venæ pulmonalis & cavæ. Cæterum de flaveſcentibus Germanorum capillis, glaucis & cœruleis oculis, & candido colore alibi locutus ſum.

(d) *nigram faciem*) Nigrum & ſubfuſcum colorem nonniſi cœli & aëris intemperiei deberi arbitror. Fabula enim eſt, Æthiopes nigredine eſſe deformes, quum ex maledicta Canaani ſint propagine, aut ex nigro procreatos ſemine.

In habitu porro corporum ipſo quatuor cumprimis olim majoribus noſtris attributa obſervare eſt: proceritatem inſignem, candorem cutis, oculos cæſios ac truces, capillitium rectum flavi aut ruffi coloris. In hanc rem ſane extant hodieque teſtimonia plurima.

Pomponius Mela *l. III. c. 3.* Germanos in univerſum ſcribit *immanes eſſe animis atque corporibus.* Tacitus *magna corpora* omnibus tribuit. Idem inquit: *in omni domo nudi ac ſordidi, in hos artus, in hæc corpora quæ miramur, excreſcunt.* Jam ante utrumque Cæſar *l. IV. belli Gall.* Germanos *immani corporum magnitudine homines* pronunciaverat. Columella etſi *l. III. c. 8.* ſcribat, *naturam alias quoque gentes non in totum fraudaſſe præcipua ſtatura viris,* & viſum ſibi *Judææ gentis hominem proceriorem celſisſimo Germano,* hoc tamen fatetur, eandem naturam *Germaniam decoraſſe altiſſimorum hominum* (a) *exercitibus:* quaſi commune id fuerit Germaniæ quod rarum alibi & præ infrequentia mirandum. Apud Joſephum belli Judaici *l. II. cap. 16.* Agrippa rex tumultuantes Judæos ita alloquitur: *Quis veſtrum fando non accepit Germanorum multitudinem? Proceritatem enim & magnitudinem corporum ipſi vidiſtis ſæpisſime.* De Cimbris, Germanica gente, ſeorſim Quintilianus (liceat enim hoc nomine ſcriptorem iſtum nunc appellare) *declamat. III. nec minus animorum immanitate quam corporum belluis ſuis proximi.*

Haud me latet, a Vitruvio nude dictum: *ſub ſeptemtrionibus nutriuntur gentes immanibus corporibus:* & præſtante corporis magnitudine a Romanis olim Hiſpanos quoque Britannos & Gallos laudatos eſſe, adeoque videri poſſe nihil habuiſſe hac parte majores noſtros præcipuum. At vero Britannis quidem, non niſi illis qui Calidoniam (hodie nobis Scotia eſt) incolunt, magnitudinem corporum adſcribit Tacitus, qui ingenium populi illius omnis habuit, ſaltim ex ſoceri Agricolæ relatu ſi non aliunde, compertisſimum. Imo cum ex vario Britannorum habitu variam gentis originem, partim Hiſpanicam, partim Gallicam collegiſſet, de illis Calidoniis addit: *rutila Calidoniam habitantium coma & magni artus Germanicam originem aſſeverant.* Eoque indubie hujus gentis Calidoniæ juvenes conſpexerat Strabo, ſcribens lib. IV. minus tamen circumſpecte de Britannis omnibus: *οἱ ἄνδρες εὐμηκέστεροι τῶν Κελτῶν εἰσὶ, viri Gallos proceritate ſuperant.* Gallos ſane Germanis breviores fuiſſe non patiuntur nos dubitare ipſæ Gallorum voces apud Cæſarem *l. 1.* comment. belli Gallici. *Dum paucos,* inquit Cæſar, *dies ad Veſontionem rei frumentariæ commeatusque cauſſa moratur Cæſar, ex percunctatione noſtrorum, vocibusque Gallorum ac mercatorum (qui ingenti magnitudine corporum Germanos, incredibili virtute atque experientia in armis eſſe, prædicabant, & ſæpenumero ſeſe cum his congreſſos ne vultum quidem atque aciem oculorum ferre potuiſſe) tantus timor omnem exercitum occupavit, ut non mediocriter omnium mentes animosque perturbaret.* Hæc Cæſar. Dixeris præ formidine omnia in majus extendiſſe meticuloſos Gallos. Neque nos renuerimus. Attamen & ex vero illos loquutos, confirmat Strabo *l. VII. Statim trans Rhenum,* inquiens, *poſt Gallos orientem verſus habitant Germani, a Gallico populo parum differentes, augmento & feritatis & magnitudinis.* Vere ergo majores Gallis fuere Germani. Manifeſtum idem eſt ex Vegetio; qui poſtquam dixiſſet *nulla alia re populum Romanum ſibi orbem ſubegiſſe terrarum, niſi armorum exercitio, diſciplina caſtrorum, uſuque militiæ;* addit: *Quid enim adverſus Gallorum multitudinem paucitas Romana valuiſſet? Quid adverſus Germanorum proceritatem brevitas potuiſſet audere? Hiſpanos quidem non tantum numero ſed etiam viribus corporum noſtris præſtitiſſe, manifeſtum eſt. Aphrorum dolis atque divitiis ſemper impares fuimus. Græcorum artibus prudentiaque nos vinci nemo unquam dubitavit.* Hæc Vegetius, ſolos Germanos commendans a proceritate, non utique id facturus, niſi hi Gallis iſthac parte præſtitiſſent.

Nec tamen gigantea quis credat magnitudine majores omnes fuiſſe. Nemo veterum ſane id prodidit; ſed paulo tantum fuere Gallis majores, ceu ante Strabonem audivimus. Idem autem Strabo, Britannos ſcribens proceriores fuiſſe Gallis, teſtatur viſos ſibi illos non niſi ſemipedem longiores procerisſimis Romanorum: at Britanni illi Germanis fuere æquales. Huc facit quod Sidonius Apollinaris, Francos & Burgundiones a proceritate laudaturus, ſeptipedes eos appellitet.

Spernit, inquit, *ſemipedem ſtilum Thalia*
Ex quo ſeptipedes videt patronos.
item:
Hic Burgundio ſeptipes frequenter
Flexo poplite ſupplicat quiete.

Quæ magnitudo tamen ſat inſignis eſt. Neque enim Herculi ſuo aliam fabuloſa Græcia attribuit: & apud Romanos juſtam ſtaturam legendi tyronis militisve quinque pedes cum ſeptem unciis uſualibus explevere: quantum ex Vegetii *lib. 1. cap. 5.* & Theodoſiani codicis *lib. 3. de tyronib.* colligere eſt, recteque jam obſervatum doctisſimo Cujacio *obſerv. 5. lib. XXI.*

Nec tamen negaverim repertos jam tum olim nonnullos gigantea pene proceritudine. Burgundiones utique nonnullos in eam ſtaturam excreviſſe, non ſpernendis argumentis probat ὁ χαρίεστατος Chiffletius *parte 1. Veſontionis cap. 47.* Scandinaviam quoque ſic ſatis frequentes olim immani *corpore gigantes* (b) habitaſſe, & jampridem Saxo Sialandicus *in proœmio hiſtoriæ ſuæ Danicæ,* & Arngrimus Jonas in *Islandia* patriæ ſuæ *deſcriptione cap. 4.* per fecerunt veroſimile. Imo & alibi pasſim per Germaniam vixiſſe quondam ejus homines ſtaturæ ac roboris, niſi vehementer fallor, indicant quæ viſuntur

(a) *altisſimorum hominum*) SCHEDIVS *de Diis Germanorum p. 16.*

(b) *corpore gigantes*) Fabulæ de gigantibus alibi exploſæ ſunt. Vide RYKII *orationem de gigantibus.* Figmenta quæ de miræ magnitudinis cadaveribus repertis traduntur, eo minus hominem circumſpecti judicii in ſuum pertrahent aſſenſum, quo magis conſtat, belluarum ſceleta ſæpe ſub giganteorum cadaverum ſpecie feſelliſſe.

ſuntur etiam hodie ſtupendæ magnitudinis ſaxa ſaxis curioſe impoſita: ad quæ movenda diſponendaque *machinas* (a) profecto artificioſas majoribus defuiſſe nemo non fatebitur, cui haud ignota eſt vetus ruditas & barbaries. Quod jam olim fuit Saxonis argumentum. Præſtat vero & illius audire verba. *Danicam regionem*, inquit, *giganteo quondam cultu exercitam, eximiæ magnitudinis ſaxa veterum buſtis ac ſpecubus affixa teſtantur. Quod ſi quis vi monſtruoſa patratum ambigat, quorundam montium excelſa ſuſpiciat, dicatque ſi callet, quis eorum verticibus cautes tantæ granditatis invexerit. Inopinabile namque quivis miraculi hujus æſtimator advertet, ut molem ſuper plano minime vel difficile mobilem, in tantum montanæ ſublimitatis apicem ſimplex mortalitatis labor aut uſitatus humani roboris conatus extulerit.* Adhoc reperta frequenter ſunt in terris aut ſpecubus, (cujusmodi eſt ad vicinam Elbingerodam Baumanni caverna) ſolitam magnitudinem longe ſuperantia humana oſſa; & vulgo fertur de gigantibus fama, riſen aut hynen (nequaquam ab Hunnis, populo nunquam a proceritate laudato ſed feritate, tracto vocabulo) noſtra lingua nuncupatis. Quantumvis autem gigantes hic terrarum habitaverint, Germanico tamen ſanguine illos fuiſſe ortos, non certo conſtat. Ne quid enim nunc dicam, quam ſit multiplex in oſſibus deceptio, veriſimile eſt, gigantea quæ hic feruntur oſſa ipſo magno cataclyſmo eſſe antiquiora, ut & illa quæ gigantei roboris ſuperſunt opera. Id quod alias forte prolixius oſtendemus. Ad Germanicos igitur populos nihil illa gigantea attinent: licet interdum & illorum aliquis in eam magnitudinem excreverit. Enimvero etiam hoc ſemper fuit rarum in Germanis, & vetera multa ſunt fabuloſa. Qualia ſunt quæ nonnulli turpiſſimum fabulatorem Turpinum ſecuti, de Caroli Magni, alii neſcio quibus auctoribus niſi ſeipſis, de Rolandi immani ſtatura prodiderunt. Præſertim quum ex ipſomet Eginharto conſtet, Carolum *corpore* quidem fuiſſe *amplo & robuſto, ſtatura eminentem* (quod eſt, ut cum Euripide loquamur, εἶδος ἄξιον τυραννίδος) ut tamen *juſtam magnitudinem non excederet*; & rem hanc omnem eleganter ſingulari φιλοπονήματι ſit perſequutus Marquardus Freherus. Rolandi quoque ſepulchrum, quod ſupereſt mediocri longitudine Blaviæ in Xantonibus, ſatis refellit mendacium: cumprimis poſteaquam ea quæ de oſſium ibi contentorum magnitudine feruntur, fabuloſa deprehenderit is qui vitam Friderici ſecundi Palatini Electoris deſcripſit, αὐτόπτης Hubertus *Thomas Leodius.* (b)

Cæterum quicquid ſit de gigantibus vere Germanicis, haud profecto numeroſis ſi modo ulli fuerunt, eximia olim Germanicam gentem in univerſum præ aliis populis longitudine fuiſſe corporis, certum eſt: commendatam vero etiam a cutis candore non minus eſt certum. Nec tamen obſervare eſt, præſtitiſſe illos etiam hic vicinis Gallis: æque ſcilicet & illos legas candore cutis placuiſſe. De ipſis Gallis Aſiaticis Livius: *nudi pugnant, & ſunt fuſa & candida corpora.* Simpliciter quoque Plinius: *adverſa plaga mundi atque glaciali candida cute eſſe gentes:* ut & Vitruvius: *ſub ſeptentrionibus nutriuntur gentes candidis coloribus.* Non negaverim tamen, hiſce ſcriptoribus in mente cumprimis fuiſſe Germanos, dum id exararent. Huc ſane facit illud quod Julius Firmicus habet *lib. 1. c. 1.* mathematicis artibus olim oppoſitum: *Si Luna facit candidos, Mars rubros, Saturnus nigros; cur omnes in Æthiopia nigri, in Germania candidi, in Thracia rubri procreantur?* Ejusdem Firmici verba alia, ut & quæ Procopius de gentium omnium Gothicarum cute narrat, jam tum attulimus.

Verum truces & cærulei oculi magis forte proprium olim noſtro populo. Enimvero inter primas notas Tacito memorantur. *Habitus*, inquit, *corporum, quanquam in tanto hominum numero, idem omnibus: truces & cærulei oculi.* Juvenalis quoque:

> *Cærula quis ſtupuit Germani lumina?*
> *Nempe quod hæc illis natura eſt omnibus una.*

Plutarchus in vita Marii Cimbris tribuit oculos χαροποὺς, qui non alii ſunt quam cærulei aut cæſii. De Herulis, populo Germanico, Sidonius Apollinaris videtur quidem nonnihil aliter cantare, reapſe tamen idem fortaſſe voluit. Verba ejus ſunt:

> *Hic glaucis Herulus genis vagatur,*
> *Imos Oceani colens receſſus,*
> *Algoſo prope concolor profundo.*

Alibi ſane de Germanis idem:

> *Tum lumine glauco*
> *Albet aquoſa acies.*

Vitruvius porro *iis qui ſub ſeptemtrionibus nutriuntur gentibus* diſerte adſcribit *cæſios oculos.* Nusquam vero temere legas, Gallis vicinis aut Hiſpanis adſcriptum colorem eundem oculorum. Etiam de Budinis tamen ita loquitur in Melpomene Herodotus: Βουδῖνοι δὲ ἔθνος ἐὸν μέγα καὶ πολλὸν, γλαυκόν τε πᾶν ἰσχυρῶς ἐστι καὶ πυῤῥόν: *Budini gens procera & numeroſa oculis vehementer cæſiis eſt univerſa & pilo ruſo.* Sed merito forte ſuſpiceris, Budinos hoſce gentem fuiſſe Germanicam: quales inter Sarmatas & Scythas, Taciti quoque ævo, ad Pontum usque Euxinum habitavere Peucinorum & Baſtarnarum nominibus, perinde ut hodie Daciam incolunt nonnulli Saxonum. A vicinis Scythis certe & lingua & vivendi ratione fuiſſe diverſos, etiam ex ipſomet eſt Herodoto manifeſtum.

De capillis ſeptemtrionalium gentium Vitruvius diſerte, *directo capillo*, (c) inquit, *& ruſo.* Easdem Plinius *flavis*, ait, *promiſſas crinibus:* opponens Æthiopibus, qui ſunt *aduſtis ſimiles* (d) *barba & capillo vibrato.* Silentio non præterit omnino comam Tacitus, ubi habitum corporum Germanicorum quaſi

(a) *machinas*) Omnia hæc vectibus fieri potuerunt.
(b) *Thomas Leodius*) *In annalibus & vita Friderici Electoris Palatini lib. I. p. 5.*
(c) *directo capillo*) MALPIGHIVS *oper. poſth. pag.* 93. BVRGGRAV. *p.* 92. *ſeq. in comment.*
(d) *aduſtis ſimiles*) JOBVS LVDOLPHVS *in comment. ad lib. I. cap. 5. hiſtor. Æthiopicæ p.* 96. 97. *ſeqq.*

quaſi depingit; inquit enim, *rutila coma.* Alibi ſolis tamen Suevis, (quo nomine major tum pars populorum Germaniæ venit) tribuit morem *obliquandi crinem nodoque ſubſtringendi, vel religandi in ipſo ſolo vertice.* Verum etſi ille crinium cultus & obliquandi mos Suevis ſolis fuerit familiaris, tamen ipſe etiam ille mos manifeſtum præbet indicium directi & promiſſi capillitii: quippe quod in nodum cogi nequeat vel in vertice vel in cervice niſi rectum & promiſſum. Omnibus vero omnino Germanis comam alere tum fuiſſe familiare, vel ex eo patet, quod neque Tacitus neque quiſquam alius memoret tonſuram ſtrictam ulli Germaniæ populo ſuetam. Imo quoniam Plinio ſaltem Rheno viciniores Germani fuerint notiſſimi, & tamen ille etiam in univerſum pronunciaverit de ſeptemtrionalibus omnibus, promiſſis illos eſſe crinibus, non licet fidem tanto auctori derogare. Seorſim de Chaucis, qui victi mutato poſt nomine Saxones a victoribus ſunt dicti, *l. 1.* Lucanus:

Et vos crinigeros bellis arcere Chaycos
Oppoſiti, petitis Romam.

Ipſi Saxones diffuſa per ſcapulas cæſarie Francis (qui nempe tum ſtrictim tondebant) quondam fuere admirationi, teſte Witikindo Corbejenſi *l. 1.* Simpliciter Germanis omnibus cirros in cornua tortos tribuit Juvenalis; quales capilli fingi nequeunt niſi nodo ſubſtringas.

Cærula quis ſtupuit Germani lumina, flavam
Cæſariem, & madido torquentis cornua cirro?

Et vero *crinis coactus in nodum*, genti Germanicæ fuit olim aliquid *publicum*, ceu loquitur Seneca: Hinc etiam de Sicambris, nequaquam Suevicæ originis populo, Martialis *ſpectaculis:*

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri,
Atque aliter tortis crinibus Æthiopes.

Ut proinde non tam ille nodo ſtringendi crinem mos quam obliquatum religandi, Suevis fuerit proprius. Nec vero eſt quod dubites de comæ quidem communi uſu, aut objicias Taciti illud de Cattis: *& aliis Germanorum populis uſurpatum rara ac privata cujuſque audentia, apud Cattos in conſenſum vertit; ut primum adoleverint crinem barbamque ſubmittere, nec niſi hoſte cæſo exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum.* Submiſſio enim illa intelligenda de neglectu disjecti & omni ex parte intonſi capillitii, crinibus in ipſum os & frontem dependentibus. Hinc ſane Tacitus depoſitionem illius habitus indicans, addit: *ſuper ſanguinem & ſpolia revelant frontem, ignavis & imbellibus manet ſqualor.* Frontem ſcilicet exporrigere licuit imbellium nemini, incomptis ac intonſis crinibus obtectam. De civili Batavo idem *hiſt. l. IV.* Tacitus: *Civilis barbaro voto poſt capta adverſus Romanos arma, propexum rutilatumque crinem patrata demum cæde legionum depoſuit.* Propexum crinem quem dixeris, niſi pendulum antrorſum? De Saxonibus quoque bello Suevico ſuperſtitibus, illis quantum arbitror qui hodie Daciam incolunt, ſcribit Longobardicæ hiſtoriæ ſcriptor Paulus Warnefredus l. 3. c. 7. *Sex millia Saxonum qui bello ſuperfuerant devoverunt ſe, neque barbam neque capillos inciſuros, niſi ſe de hoſtibus Suevis ulciſcerentur.* Strictim vero nec Saxones tonſos ſed cæſarie fuiſſe inſignes, jam audivimus. Fateor tamen, Francos (qui iidem cum Cattis, ut alias demonſtravimus) ſecuto tempore caput tonſos omnes, ſolis regibus conceſſo comæ promiſſæ jure. Ad quem regium cultum ſpectat fortaſſis jam tum illud Claudiani ad Stiliconem:

— — *Ingentia quondam*
Nomina, crinigero flaventes vertice Reges.

De promiſcuo Francorum vulgo utique idem Claudianus l. in Eutropium:

Militet ac noſtris detonſa Sicambria ſignis.

Illa tonſura autem fueritne totius capitis, quave de cauſſa cœperit, difficilius eſt aſſertu. Videtur enim occiput tonſum non ſinciput, & cœpiſſe morem, eo quod a dominatu Romano in libertatem Franci ſeſe aſſeruiſſent. Tale quid ſane videtur ſignificaſſe Sidonius Apollinaris l. 8. epiſt. 9.

Et ſic crinibus ad cutem reciſis
Decreſcit caput, additurque vultus.
Sic tonſo occipiti ſenex Sicamber,
Poſtquam victus es, elicis retrorſum
Cervicem ad veterem novos capillos.

Et vero videtur tum tonſura illa fuiſſe in uſu, quæ hodie eſt gentis Polonicæ. Id quod liquet ex hiſce ejuſdem Apollinaris:

Hæc quoque monſtra domas, rutili quibus arce cerebri
Ad frontem coma tracta jacet, nudataque cervix
Setarum per damna nitet: tum lumine glauco
Albet aquoſa acies: ac vultibus undique raſis,
Pro barba tenues perarantur pectine criſtæ.

Quicquid ſit, ſolis Francorum regibus fas fuiſſe comam alere, certum eſt, cum aliunde tum vel ex iis, quæ de regibus crinitis diſſerit Gregorius Turonenſis *l. 2. cap. 9.* Ex adverſo in Francia, occidentali quidem, plebi interdictam comam, donec demum Petri Lombardi, Pariſienſium illius epiſcopi quem ſententiarum magiſtrum theologicæ ſcholæ appellitant, interceſſione, eam alendi licentia impetrata eſt, ſunt qui referant. Quanquam de Lombardo aliud longe narret Tilius, doctiſſimus utique rerum Franco-Gallicarum ſcriptor, in chronico ad annum 1160. *Lombardi*, inquiens, *epiſcopi ſuaſu & auctoritate actum eſt, ut barba raderentur.* Id quod ſi eſt verum, forte ex ſacra ſuperſtitione quadam cœpit: paulatim tum ſerpente in vulgus de vini euchariſtici *μετουσίᾳ* dogmate. Cæterum ne quidem hoc aſſeveraverimus. At vero conſtat, Francorum capillitii tonſuram cœpiſſe demum poſt

ævum

ævum Taciti. Forte quo tempore excuſſo Romano jugo in libertatem ſe vindicantes, Franci i. e. liberi, ut erant, & dici & haberi voluerunt, inſigni libertorum Romanorum ſibi uſurpato: quos capite tonſo fuiſſe & pileato notiſſimum eſt, ceu paulo etiam ante innuimus. Longe porro alium fuiſſe cultum capillitii in gentibus Gothicis, & quidem ex lege publica, diſcere eſt ex Iornande. Memorat enim a Diceneo legiſlatore Gothico alia inter etiam ſancitum, uti populus non aleret duntaxat cæſariem ſed etiam hinc appellaretur. *Reliquam* ait *gentem capillatos dicere juſſit: quod nomen Gothi pro magno ſuſcipientes adhuc hodie ſuis cantionibus reminiſcuntur.* Et vero huc videtur reſpicere illa Theodorici Oſtrogothorum Regis epiſtola, quæ l. 4. varior. Caſſiodori epiſt. 49. ita inſcribitur: *Univerſis provincialibus & capillatis, defenſoribus & curialibus Suavia conſiſtentibus.*

Verum hæc fortaſſis ſunt extra oleas, quod aiunt. Et vero fatemur, cultum capillorum non a natura ſed populorum arbitrio, plerumque vano ac inepto, dependere. Redeundum itaque nunc ad ea quæ circa pilos ipſi naturæ debentur. Igitur colore quidem pilorum Germanos olim promiſcue omnes fuiſſe rutilo, clare Tacitus memorat. *Rutilæ*, inquit, *comæ*. Alibi in vita Agricolæ: *Rutilæ Caledoniam habitantium comæ & magni artus Germanicam originem aſſeverant.* Juvenalem jam ante non ſemel audivimus, Germanis tribuentem *flavam cæſariem.* Martialis item de omni promiſcue Germania:

Flava per ingentes ſurgit Germania partus.

De Suevis, quo nomine maxima olim Germanorum pars audiit, concinit Lucanus *l. II.*

Fundat ab extremo flavos Aquilone Suevos
Albis, & indomitum Rheni caput.

De Getis, ſeu Gothis potius, Hieronymus ad Lætam: *Getarum rutilus & flavus exercitus eccleſiarum circumfert tentoria.* Procopium jam audivimus, omnibus Gothis flavum crinem tribuentem. De Biſſula, formoſa Alemannica puella, inter alia multa ſic Auſonius:

— — Germana maneret
Ut facies, oculos cærula, flava comas.

Francorum reges *vertice flaventes* jam nobis cecinit Claudianus. Idem ſimpliciter de omnibus Francis, qui iſthac ætate crediti iidem cum Sicambris:

Ante ducem noſtrum flavam ſparſere Sicambri
Cæſariem.

Libro item tertio de laudibus Stiliconis:

— — Illinc flavente Sicambri
Cæſarie, nigris hinc Mauri crinibus irent.

Pene de ſingulis gentibus Germanicis teſtimonia ex priſco ævo ſuperant; ut non ſit dubium, fuiſſe hoc univerſis commune, & quaſi proprium. Hinc Antoninus Caracalla Cæſar, ut Germanicum habitum æmularetur, flavam capiti cæſariem impoſuit. Herodianus l. IV. *κόμας τε τῇ κεφαλῇ ἐπετίθετο ξανθὰς καὶ εἰς κουρὰν τῶν Γερμανῶν ἠσκημένας.* Sed & Romanæ matronæ flavum capillitium ſibi a Germanis emerunt. Unde Ovidius:

Jam tibi captivos mittit Germania crines:
Culta triumphatæ munere gentis eris.

Seneca *l. III. de ira cap. XXVI.* rufum crinem Germanis adſcribit. *Non eſt*, inquiens, *Æthiopis inter ſuos inſignitus color: nec rufus crinis & coactus in nodum apud Germanos. Utrumque decet. Nihil in uno judicabis notabile aut fœdum, quod genti ſuæ publicum eſt.* Hunc ergo ſi audimus, rufus crinis æque vulgaris olim Germanis fuit atque niger Æthiopibus. Martialis in apophoretis epigrammate CLXXIV, cui lemma eſt perſona Germanica:

Sum figuli luſus rufi perſona Batavi.
Quæ tu derides hæc timet ora puer.

Saltim itaque Batavi olim rufo capillo uſi, teſte Martiali. Jam vero paulo ante Vitruvium adduximus, *rufum* capillum adſcribentem omnibus ſeptemtrionum populis. Quamvis autem videri poſſint præclari illi ſcriptores diverſa tradere, non eſt tamen quod turbemur, quum voces illæ promiſcue ſoleant accipi de coloribus leviter tantum gradu quodam differentibus. Quod plurimis teſtimoniis jam tum alii oſtenderunt, eſtque vulgo ſatis notum, nec hujus inſtituti probare: etſi id fortaſſe quis exigat.

Non eſt etiam quod exiſtimes, colorem hunc pilorum aliis quoque olim vicinis gentibus familiarem fuiſſe. De Gallis fateor poſſit qui fieri veriſimile, legenti illa Tertulliani ex *libro de cult.* excerpta: *Pudet fœminas nationis ſuæ, quod non Germanæ aut Gallæ procreatæ ſint, ita patriam capillo transferunt:* Aut potius Claudiani illud:

Inde truces flavo comitantur vertice Galli.

At vero illa quidem neminem merito moveant: cum interiorem Rheni ripam, adeoque eximiam Galliæ partem, qui jam tum coluerunt, Germanicæ fuerint originis, etſi ſoli natione Gallis accenſerentur. Hos igitur Germano-Gallos, ut ita loquar, itidem flavo fuiſſe pilo, non dubito: & de his commode queunt illa Tertulliani & Claudiani intelligi. Sane ſi Gallis omnibus promiſcue fuiſſet flavum capillitium perinde ut Germanis, non profecto ab optimis auctoribus præcipue dotis nomine potuiſſet Germanis adſcribi. Cæterum de his ſatis.

Id velim quiſque animo ſuo jam perpendat, num ea, quam olim fuiſſe rationem corporum Germanorum modo retulimus, hodieque ſit ſuperſtes. Num hodie vere quis dixerit, de omnibus Germanis, vel iis tantum qui Germanica lingua & inſtitutis utuntur, (ne nunc tangamus qui in Italorum

lorum, Gallorum, Hiſpanorum, Britannorum mores tranſiere, patria terra relicta) num, inquio, vel de his ſolis vere dixeris: *habitus corporum idem omnibus:* aut, *natura eſt omnibus una?* Num hodie vel omnes vel plerique Germanorum ſeptipedali proceritate? Num hodie præſtant inſigni corporis candore? Utrum omnibus pili recti & flavi? An ſaltim plerique cæſiis oculis? Equidem, non minus nos atque alios populos vicinos habitu multum inter nos differre, arbitror; quantum ſane me oculi docent. Proceri forte plures in Germania quam in Gallia, Hiſpania, Italia: candidi quoque plures & rufi & χαροποὶ hic quam terrarum alibi. In nonnullis tamen Germaniæ nationibus breves, nigri & criſpi alios illos numero longe antecedunt. Profecto ſi ſtaturam aut colorem videas, longe plurimos ſub Pyreneo aut Apennino natos potius jures, quam inter Hercynios ſaltus aut ad Rheni atque Albis flumina.

Quæ cauſa vero, dixeris, tantæ ab antiquo mutationis, tantæque hodie varietatis? Ego ſane fateor, malle me aliorum heic ſententiam audire quam meam promere. Verum hactenus quidem pene fruſtra fui: quoniam nemo ſeſe mihi quidem obtulit, qui iſthuc data opera quærendum ſuſceperit; ſemina tamen, ut ita dicam, reperi, paſſim in variis ſcriptis ſparſa recti, niſi fallor, ſenſus. Itaque licebit nunc fortasſis aperire paucis cogitationes noſtras, non in comparationem tamen curæ & ingenii aliorum, ſed donec meliora illi docuerint. Neque enim dubito, noſtris hisce conatibus alios ad prodendam veritatem excitatum iri.

Igitur, ut ordine ſingula attingamus, ſimilitudinis quidem illius quæ olim fuit in corporum habitu originem, ſecutus Hippocratem, deduxeris forte ab æquabili regionis temperie. Is enim eximio illo opuſculo, quod *de aëre, aquis & locis* inſcripſit, ut omnia quæ ad formas & mores hominum attinent, cœli temperamento potisſimum adſcribit, ita Ægyptiorum omnium & Scytharum inter ſeſe æqualitatem haud alicunde quam a regionum illa ſimili undique natura proficiſci docet. *Reliquum enim in Europa hominum genus cum magnitudine tum forma inter ſe eſſe diſſimile, propter magnas & crebras anni tempeſtatum mutationes.* Verum quod maximi viri pace dixerimus, nimis ille multum aëri & aquis attribuere videtur. Enimvero ſemina etiam animalium, adeoque & hominum, a cœli conditione nonnihil pati, id quod Hippocrates cauſatur, non equidem negaverim. Attamen non perinde in his cœlum valet atque in plantis: ſed longe imbecillior ejus heic vis eſt. Id quod uſus oſtendit. Neque in Germania eadem eſt regionum omnium ratio, ſed multum diverſa: perinde ut nec Scythia olim nec Ægyptus omnibus fuit partibus ſibi ſimilis. Quod ſi porro a cœlo olim fuit iſthæc corporum ſimilitudo, illa ſupereſſet hodieque, cum utique *non ſit mutata* (a) a priſtino cœli conditio. Imo vero debuiſſet jam olim eadem, quæ eſt hodie, corporum diſparitas fuiſſe, ſi Hippocratem audimus; quandoquidem jam tum olim tempeſtatum aëris in Germania magna fuit ſemper diverſitas.

Verum admirandæ illius quæ olim fuit Germanicarum formarum ſimilitudinis cauſam graviorem, paulo rectius, meo judicio, Cornelius Tacitus indicavit. *Ipſe*, inquit, *eorum opinionibus accedo, qui Germaniæ populos nullis aliarum nationum connubiis infectos, propriam, & ſinceram, & tantum ſui ſimilem gentem extitiſſe arbitrantur: unde habitus quoque corporum, quanquam in tanto hominum numero, idem omnibus.* De Britannis idem: *Britanniam qui mortales initio incoluerint, indigenæ an advecti, ut inter barbaros, parum compertum: habitus corporum varii, atque ex eo argumenta.* Magna ſane ejusdem originis ad paritatem corporum vis eſt; parentum naturam plerumque liberis referentibus, præſertim ſi & parens uterque haud diſpari fuerint ingenio, nec in avis aut atavis multum diſſimile ſit deprehenſum.

Et vero, qua fuerunt ferocia majores, in aliarum gentium connubia non tranſierunt, niſi poſtquam pars a Romanis victa in longinquas terras militiæ ergo protracta eſt; aut ipſi extera petierunt, & in vicinia per Romanas colonias morum feritas nonnihil eſt correcta. Ita ſane jam ante hos mille ſexcentos annos Vbij cum Romanis per connubia ſociati ſunt, quod ipſi teſtantur apud Tacitum *libro hiſtoriarum quarto.* Similia paulatim plurima contigiſſe, ad Rhenum & Danubium præcipue, copioſo Romano milite flumina illa a Julii Cæſaris ætate ad Valentinianum tertium usque per annos quingentos amplius tenente, imo longe plurimis Romanorum in ſervitutem per mediam Germaniam abductis, nullum eſt dubium. Ut igitur olim ex pari connubio idem habitus, quidni ex diſpari diſpar ſenſim invaluerit?

Cæterum hac cauſa, quamvis gravi, mirum ſi non majus momentum in utramque partem attulerit tota vitæ ratio, ut majoribus eadem, ita poſteris maxime varia. Enimvero corporis omnis naturam indolemque formari quaſi a victu cæteraque vivendi ratione, tanquam certum exploratumque habeo. Eſt vero & poſt aliquid hac de re iterum loquendum. Jam autem qui antiquæ profecto Germaniæ mores nobis deſcripſere, neminem videas vivendi aliquod diſcrimen, quod ſit dignum memoratu, ſervis & dominis, pauperibus & opulentis, vel integris ſeorſim nationibus, attribuere. Diſerte Tacitus: *dominum ac ſervum nullis educationis deliciis dignoſcas: inter eadem pecora, in eadem humo, degunt, donec ætas ſeparet ingenuos, virtus agnoſcat.* Eundem ſane victum, laboresque eosdem, Germanis promiſcue omnibus priſci adſcribunt. Quæ nunc quanta ſunt varietate, quanto diſtant diſcrimine! *Cibus* (b) hodie quam multiplex ſingulis Germaniæ nationibus! Potus quam diverſus! Aliis

(a) *non ſit mutata*) Multum in corpora humana aërem poſſe, extra omne ponendum eſt dubium; immeat enim illa, & tam ad internum, quam externum habitum formandum concurrit. Nec dubito, quin aliquam in ſolo patrio aëris paſſus ſit mutationem, cum excîſis tot ſilvis liberius vagari queat, quod ipſe autor noſter fatetur.

(b) *Cibus*) Alimenta potiſſimum in temperamentum, & habitum corporis conſtituendum influunt, ita ut prope miraculum habeatur, ſi ruſticis nutritus cibis ruſticam non induat indolem. Fateor tamen, non ſola alimenta hoc operari, ſed multum & quidem præcipuum dependere ab organorum & partium in corpore humano diſpoſitione. Unde evenit, ut inter ruſticos indole quadam valentes reperiantur, qui ad majora haud dubie evaderent incrementa, ſi craſſiora abeſſent alimenta, & cultus aliquis accederet.

nempe vinum idque itidem indolis diſſimillimæ, aliis cereviſiam, nec illam unius notæ, aliis aquam, aliis lac potantibus. Vita ipſa quam variis hodie ſtudiis agitur & corporum exercitiis! Nonnullis ſcilicet in otio torpeſcentibus, alii duriſſimo labore indies corpus defatigant, aut agrum colentes, aut navigantes ad Seres & Indos usque, aut multis modis aliis. Et miremur hodie Germanicorum corporum varios habitus?

Nec tamen nuper demum ab illa uniformi vita majoribus ſueta abire cœpit, ſed jam tum a pluribus ſeculis; præcipue ex quo barbari mores Chriſtiana pietate imbuti nonnihil ſunt & mitigati. Una enim cum pietatis doctrina luxuria ſuccrevit & avaritia, vetera pacis & otii mala: unde diverſiſſimas longe vivendi rationes, cupiditati ſuæ quique indulgentes, pene ſinguli ſibi elegerunt. Habitus inde corporum, ex vita & miſto connubio primum variegatus, jam quaſi in hereditatem venit: ut etiamſi ad priſcam vivendi æqualitatem redieremus, par tamen forma recuperari nequeat: contracta jamdudum ea diverſitate corporum, quam in unum ordinem redigere viciſſim eſt impoſſibile.

Ejus igitur, quod primo loco diximus de Germanorum corporum habitu dignum eſſe notatu, cauſæ hæ quidem ſunt. Ad reliqua nunc pergendum. Cæterum quid majoribus eximiam promiſcue proceritatem conciliaverit, quidque poſt hæc multos contraxerit in brevitatem, videtur difficilius explicatu. Neque vero deſunt, qui hujus quicquid fieri ſolet ipſi cœlo imputent: cujus occulta inclinatione ſenſim decreſcere corpora, multo ipſis quoque vitæ annis detracto. Quorum rationibus & Stoici olim faviſſe videntur & Epicuri aſſeclæ. Hi tamen non cœlum duntaxat, ſed & quicquid hujus mundi reliquum eſt, tractu temporis in ſenium prolabi, viribus omnibus deficientibus, exiſtimavere. Hoc enim eſt quod canit unicus Epicureæ ſcholæ vates Lucretius;

Jamque adeo effata eſt ætas, effœtaque tellus
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit
Secla, deditque ferarum ingentia corpora partu.

Stoici ſuum mundi *annum magnum* (a) cauſantur; eas enim toti orbi, vertentibus longis ſiderum intervallis, viciſſitudines, quæ ſolis annuo decurſu veniunt, imminere, & nunc quidem dudum in æſtatem omnia excurrere, cujus flammis tandem ſint exarſura, quomodo olim aquarum diluvione perierunt; interea æſtu ſenſim corpora exareſcere, ut in veterem proceritatem aſſurgere amplius nequeant. Quam doctrinam fortaſſis illi Stoici non tam ſuo ingenio, quam antiquiſſimis Ægyptiis debuerunt; nam & hos paria pene docuiſſe, ex iis, quæ Julius Maternus Firmicus *l. 3. Mathes. c. 1.* diſſeruit, haud difficulter collegeris.

Quamvis vero ſubtiliter & ingenioſe excogitata hæc videantur, nec difficulter multitudinis impetrent aſſenſum, etiam agricolis, defatigatum ævum & ſolum effœtum benignitate priſtina non reſpondere ſpei & impenſo labori, vulgo conquerentibus; multum tamen nihil non horum a veritate abeſſe, certum habeo. Quod ſi enim quæ fuerit præceps aut cœli aut totius mundi inclinatio, proderet utique illam non unum hominum genus, ſed ipſa hæc omnis rerum natura non illa eſſet vegeta facie qua antehac: tardius ſane nunc ſidera curſum abſolverent: etiam pecus omne & quicquid eſt animantium plantarumque exilius crearetur. At ſidera quidem viam ſuam emetiri curſu conſtante non minus atque antehac, compertiſſimum adeo eſt, ut motum illorum, perinde uti olim, nos etiam queamus in futurum prædicere. Nec ſtirpes nunc aut animantium genera quidquam priſtini perdidiſſe, ex antiquiſſimis commentariis, ante hos bis mille amplius annos exaratis, manifeſtum eſt. Neque eſt quod moremur ruſticorum querimonias: utpote quas mille ſexcentis abhinc annis jam repulerit prudenter & ſolide Junius Columella, omnis agricolationis conſultiſſimus artifex, ſcite *l. II. c. 1.* concludens diſputationem hanc: *non igitur fatigatione, quemadmodum plurimi crediderunt, nec ſenio, ſed noſtra ſcilicet inertia minus benigne nobis arva reſpondent; licet enim majorem fructum percipere, ſi frequenti & tempeſtiva & modica ſtercoratione terra refoveatur.* Porro quod ſi mundi aut cœli vitio ab antiqua magnitudine deficiant homines, non hi aut illi ſed omnes pariter decrementum illud paterentur. Quin omnes hodie eadem eſſemus longitudine, non minus atque a mundi origine pari diſtamus intervallo. Neque vero ſi dixeris, etiam aliis de cauſis contrahi corpora, adeoque non eſſe neceſſarium, ut par omnium ſit conditio, non prodis & falſi ſuſpectam reddis tuam philoſophiam, quæ paulo ante unico cœli & mundi ſenio accepta omnia referebat.

Eſt autem fortasſis nec illud verum, genus omne humanum contractiore nunc magnitudine eſſe. Si ſane ab eo tempore quo paucis exceptis cuncta pene undis deleta ſunt, rationem ineas. Nec enim priora illa decernere eſt, deficientibus monumentis ac teſtimoniis, unde in alterutram partem poſſimus inſtitui & adjuvari. Non me latet ſecus aliis, & jam olim & nunc placuiſſe. Plinius ſane diſerte contrait: *in plenum autem, cuncto mortalium generi minorem indies ſtaturam fieri propemodum obſervatur.* Solinus item ſcribit: *corruptam degeneri ſucceſſione ſubolem noſtri temporis per naſcentium detrimenta decus veteris proceritudinis prodidiſſe.* De ſuo ævo addit: *quis enim jam ævo iſto non minor parentibus ſuis naſcitur?* Ejusdem ſententiæ eſt Phlegon Trallianus, quantum liquet ex *libri de mirabilibus capite quinto decimo.* Imo omnibus hiſce longe antiquior Homerus *opinatus eſt* (verbis utar Gellii l. III. cap. X.) *vaſtiora prolixioraque fuiſſe corpora antiquorum hominum, & nunc, quaſi jam mundo ſeneſcente, rerum atque hominum detrimenta eſſe.* Quem imitatus eſt Virgilius de Turno canens:

Nec

(a) *annum magnum*) *MACROBIUS libr. II. in ſomn. Scipionis cap. XI. THOMASIUS de Stoica mundi exuſtione diſſert. V.*

Nec plura effatus ſaxum circumſpicit ingens,
Saxum antiquum ingens, campo qui forte jacebat,
Limes agro poſitus litem ut diſcerneret arvis.
Vix illud lecti bis ſex cervice ſubirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Juvenalis item in eandem ſcribens ſententiam:

— nec hunc lapidem, quali ſe Turnus & Ajax
Et quo Tydides percuſſit pondere coxam
Ænea, ſed quem valeant emittere dextra
Illis diſſimiles, & noſtro tempore nata.
Nam genus hoc vivo jam decreſcebat Homero.
Terra malos homines nunc educat atque puſillos.

Ita illi. Quibus equidem non recuſem accedere, ſi de plurimis non autem omnibus populis ſua accepta velint. Nam & Germanos noſtros defeciſſe multum a majorum forma, certum eſt, idque cur acciderit jam quærimus. Sed & *Gallis plerumque, præ magnitudine corporum ſuorum, brevitatem Romanam contemptui fuiſſe*, teſtis eſt Cæſar: quibus hodie ſane nulla eſt cauſa quare aliorum exilitatem deſpiciant. Græcos quoque decreviſſe haud negaverim: & de ſolis illis fortaſſe locutus eſt Homerus. A quo tamen, ut & Virgilio, fabuloſa profeſſis, non eſt cur veri auctoritatem exigamus.

Imo, in univerſum plures olim gigantea fuiſſe prolixitate quam hodie, credo equidem cum rerum indiciis quamplurimis, tum ſacrorum codicum aliorumque priſcorum & recentiorum non uni teſtimonio. Nec enim auſim ego refragari iis, quæ de mira oſſium humanorum, nudatis per terræ motus, imbres, diluvia ſepulchris, paſſim gentium repertorum magnitudine, Plinius *l. 7. c. 16.* Phlegon Trallianus *l. de mirabil. c. 9.* Pauſanias *in Laconicis & 1. Eliacor.* Philoſtratus *in Heroicis.* Solinus *cap. 1. & 13.* Auguſtinus *l. 15. de Civit. Dei cap. 9.* & ſeorſim de oſſibus giganteis filiorum Enakin ſuo adhuc ævo Hebrone monſtratis Joſephus *l. 5. ἀρχαιολ. c. 2.* ex veteribus; ex novitiis Acoſta *hiſtor. Americanæ l. 7. c. 3.* Fabius Columna *in diſſertatione de gloſſopetris*, Simon Majolus *colloquio 11.* Baptiſta Fulgoſus *l. 1. c. 2. & 6.* Thomas Fazellus *l. 1. hiſtor. Siculæ*, & alii complures prodiderunt. Nec tamen ſum neſcius, ingentium belluarum oſſa pro humanis frequenter jam tum olim eſſe oſtentata, unde Suetonius dixerit (vere an falſo jam non diſputo) *in Auguſto c. 72.* fuiſſe *Capreis immanium belluarum ferarumque membra prægrandia, quæ dicuntur gigantum oſſa.* Multo minus ignoro, mirabilium narrationes parum ſæpe habere ex vero. Nec tamen dicam, ſive naturæ, quod Theophraſto Ereſio & Georgio Agricolæ magnis ſane viris (ne de aliis, ut Plinio, Goropio & ſimilibus, dicam) viſum eſt, ſive interdum & geniorum (quod tamen veroſimilius videatur) luſu in ſimilitudinem membrorum humanorum brutorumque multa *ex terra & lapidibus fingi*, (a) anima tamen omni deſtituta. Et vero iſtius forte ſequioris generis fuere, quæ inepte Teutobochi Cimbri nomine in Gallia pridem ſunt circumlata. Nec enim vero ſunt abſimilia quæ produxit Gaſſendus, *libro de vita Peireskii.*

Quomodo autem cunque iſthæc ſeſe habeant, hinc quidem colligere non eſt, omne prorſus mortale genus pleniore quondam fuiſſe incremento; non magis, atque omnes tum gigantea forma eminuiſſe. Certe complures hodieque alit Germania hæc noſtra, qui nihilo ſunt inferiores ea magnitudine quam in majoribus admirati ſunt Romani, timuerunt Galli. Supereſſe & nunc integrum populum immani corporum vaſtitate, ad Magellanici freti littus Septentrionale, teſtantur noſtri ævi monumenta. Sed & quæ ſuperant vetuſtiſſima regum & vatum, per Palæſtinam præcipue, ſepulchra, illa item a priſcis Ægyptiis ante mille amplius annos condita & usque huc aſſervata defunctorum corpora, porticus demum & oſtia antiquiſſima (qualia utique ſunt illa Ægyptiarum pyramidum,) in univerſum quidem nihil memorabile ſtaturæ omni veteri intra proximos aliquot mille annos eſſe detractum, liquido oſtendunt.

Largiamur vero, omnes in univerſum mortales, ut origini rerum fuere propiores, ita noſtri ſeculi corporibus exſtitiſſe: ſenio tamen vel cœli vel naturæ corripi indies formam, pernegamus. Quantuli enim ſint hodie Itali, quorum brevitas jam prope mille abhinc & ſeptingentos annos vicinæ Celticæ fuit deſpectui? Illi vero nihil decrementi tanto ævi ſpacio paſſi ſunt. Imo celſos hodie & amplos Africum cœlum generat: olim parvos dabat atque exiles, quod teſtatur Silii Italici ſententia:

Princeps ſigna tulit Tyria Carthagine pubes,
Membra levis, celſique decus fraudata ſuperbum
Corporis.

Aſiaticum quoque cœlum alit hodie inſigni proceritudine populos, quos olim fuiſſe infra Germanos, jam certum fecimus. Usque adeo remotum eſt a vero, cœli vitio ſenſim decerpi priſtinam corporum excelſitatem.

Et vero quæ de magno anno ejusque ἐκπυρώσει Stoici adferunt, ridicula plane ſunt. Ut mirari ſubeat, Plinium Epicureum quoque erupiſſe in hæc verba: *raros patribus proceriores, conſumente ubertatem ſeminum exuſtione, in cujus vices nunc vergat ævum.* Ut enim prætercam, nullis argumentis iſthæc fingi; ſi procedit hic orbis in æſtus illos, tepeſcerent magis magisque hyemes & arderent æſtates. Atqui nos illas perinde gelu & nivibus graves atque noſtri majores, has itidem minus juſto æſtuoſas ſæpe magno malo noſtro experimur. Nec pluviæ nunc quam olim rariores, diluvia etiam aquarum nimium

(a) *ex terra & lapidibus fingi*) Vid. REISKIUS *de gloſſopetris Luneburgenſibus p. 2. ſeqq.*

nimium frequenter intercipiunt fortunam. Quantulum vero ineſt humoris plantarum & animalium minutis ſeminibus, ut tot ſeculorum occulta tabe non ſit penitus abſumtum? Jamdudum ipſam corporum proceritatem defeciſſe omnem oportuit, non ſtaturam. Incendio tandem omnia hæc peritura novimus; at momento, at Dei arbitrio, non in vices illas ipſo provehente ſe mundo. Donec ſane Deo erit viſum, generabilis erit hic ſol; nulla etiam ille minabitur incendia ſubjectæ telluri.

Vicina nonnihil Stoicorum commento magni Hippocratis ratio eſt, libro *de aëre, aquis & locis* propoſita. Ita enim fere auctor ille, ceu jam ante vidimus, diſſerit; quaſi corporum indoles omnis & conditio ab aëris, qui pro terrarum tractu & plagis varius eſt, ſtatu & temperie unice ſit ſuſpenſa. Quem imitatus Plinius in eandem ſententiam multa *cap. CXXVIII. lib. II.* locutus, Æthiopiæ pariter & ſeptemtrionali plagæ proceritatem corporum tribuit: *illic*, inquiens, *ignium niſu, hic humoris alimento: medio vero, terra ſalubris utrinque mixtura fertilis ad omnia, modicus corporum habitus.* Imo jam ante Plinium Ariſtoteles, ſive quis alius operis Problematici (eſt enim ex variis illud centonibus veterum Peripateticorum conſutum) collector, decimæ quartæ ſectionis octavo problemate ſcripſit de iis qui frigidam & fervidam plagam incolunt: *μεγάλοι δὲ ἄμφω εἰσίν· οἱ μὲν γὰρ ἐν τοῖς ψυχροῖς διὰ τὴν ἐν αὐτοῖς σύμφυτον θερμότητα· ἐν δὲ τοῖς θερμοῖς διὰ τὴν ἐν τῷ τόπῳ· ἐν γὰρ τοῖς θερμοῖς καὶ ὑπὸ τοῦ θερμοῦ αὐξάνονται· τὸ δὲ ψῦχος πληκτικόν ἐστιν· ἅτε οὖν, τῶν μὲν ἐν αὐτοῖς ἐχόντων τὴν ἀρχὴν τῆς αὐξήσεως σφοδρά, τῶν δὲ ἀκωλυομένων ὑπὸ τῆς ἔξωθεν ψυχρότητος, εἰκότως ἐπὶ πολὺ τὴν αὔξησιν ἐπιδέχονται. Utrique autem proceri ſunt: illi quidem in locis frigidis ob innatum internum calorem, hi vero in locis calidis ob calorem ipſiusmet loci. In calidis enim locis creſcunt etiam vi caloris. Frigus autem calorem cohibet. Igitur cum alteri quidem principium augendi inter ſe contineant vehemens, alteri non prohibeantur ullo externo frigore, merito utrique plenius incrementum conſequuntur.* Hoc etiam ille. Quod ipſum ſi eſt verum, multum ſane mutaverit Germanicus aër neceſſum eſt, ut qui olim proceros omnes, nunc breves plurimos progeneret. Verum, quod pace tantorum dixerim virorum: qui quidem totis plagis habitus corporum dividunt, næ illi leviter orbem hunc terrarum oculis & cogitatione transmittunt. Ecquid enim notius, quam in pari plaga, in eodem tractu, inſignia eſſe corporum *discrimina?* (a) Quin imo nihil eſt certius notiusve, quam una in provincia, imo una in urbe, maximam reperiri diverſitatem. Et vero ſi ab aëre iſthæc proficiſcuntur, quidni aliorum animalium & hominis par ſit conditio? Auctus ſane corporum & his & illis ab una eſt eademque cauſa. At quo tempore Germania homines dedit proceriſſimos, eadem aluit *pecora plerumque improcera,* (b) teſte Tacito: *ne armentis quidem ſuus fuit honor aut gloria frontis.* Cæſar *lib. IV.* ſcribit, *jumenta nata apud Germanos parva fuiſſe atque deformia.* Nunc homines multum ſolito ſunt breviores, jumenta quibusdam in Germaniæ tractibus magnitudine ſua paſſim provocant alias mundi partes. Utque dixeris mutata cœli facie hæc evenire, etiam hominibus incrementi aliquid oportuit acceſſiſſe non minus ac brutis, aut his aut illis aliquid decerptum. Par enim omnium eſt ratio. Alium porro omni Germaniæ nunc *aërem* (c) eſſe, cui fiet veriſimile? Quæ fœda olim terra, quæ triſtis, illa cultu quidem ſatis elegans hodie reddita eſt: nec ſylvarum amplius ea ſolitudo eſt, nec paludum viarumque ſupereſt informitas. Itaque hac re mitigatum nonnihil ipſummet etiam aërem, ut fieri ſolet, (namque & Avernum ſuccifis arboribus, Servio teſte, amœnum reddidit Cæſar Auguſtus) haud negaverim. Quoniam ipſa autem ſidera & montes & flumina nihil abeunt a priſtino, ab his autem fluit magnam partem aëris ratio, ecquis non videt, ſi quæ facta eſt mutatio, levem illam eſſe; non idoneam certe, quæ usque adeo corripiat humana corpora! *Frugiferarum arborum impatiens terra:* ſcripſit quidem olim Tacitus: at vero ſi de ficu & olea locutus eſt, ne quidem nunc mutavit quidquam; ſi de vite & pomis mitibus, ſolo cultu didicit poſt tellus hæc ferre, non aëris nova aliqua clementia. Cœli eadem eſt quæ olim aſperitas, ſi contendas cum Græciæ, Italiæ, & Hiſpaniæ caloribus, & in univerſum æſtimes rem Germanicam. Quod fieri par eſt, & fecere Romani ſcriptores ac Græci, a quibus veterum rerum memoriam accepimus. Quod ſi porro a cœlo usque corporum forma eſt arceſſenda, debuerunt utique non illi, qui extremæ, ſed qui mediæ cœli plagæ ſubjacent præ aliis eminere. Heic enim omnia caloris atque humiditatis pari virtute & ubertate gaudere dixeris: quo ad incrementum nihil eſt efficacius. Ex adverſo, ut in gelida regione humiditatis ſit affatim, obſtabit auctui caloris defectus: in æſtuoſa eundem ſiccitas prohibebit. Neque vero hoc non attendit Hippocrates noſter. Hinc enim ad ſeptentriones vivere homines pallore ac macie deformes, & Aſiam pulcriora omnia & majora gignere quam Europam, in ipſa Aſia illam cumprimis regionem, quæ in medio calidi & frigidi quaſi ſpatio ſita eſt, producere formæ ac magnitudinis eximiæ corpora, pronunciavit. Quod a Pliniana philoſophia permultum eſt ſemotum; non minus atque Hippocraticum illud pronunciatum ex toto verum non eſt. Contra Plinium autem ſeorſim facit & hoc, quod Samojedæ,

(a) *discrimina*) Id exinde provenire dicunt, quod quædam natura ſint ſubjecta incapacia, in quæ aër nullum poſſit habere effectum, aut ſaltim non talem, ac in alia corpora, quæ magis ad operationes ejus recipiendas ſint capacia. Nam aër in corpora dura & magis arctis gaudentia poris non tam efficaciter, quam in corpora mollia & fluida, ubi pori ſunt patentiores, aut facilius ab aëris gravitate penetrari poſſunt, agere valet. Vid. VOLDERI *quæſt. academ. de aëris gravitate*, ROHAULTI *phyſica c. 2. p. 111.*

(b) *improcera*) Dicendum forte hic quoque erit, pecora illa minus fuiſſe idonea, ad ſuſcipienda quædam incrementa ex aëre, atque pecorum genera, quibus Germania quibusdam in locis jam excellit, aliunde fuiſſe adducta.

(c) *aërem*) Late de aëre in *ſelecta diætetica* ratiocinatur DN. BEHRENS, medicus & hiſtoricus doctiſſimus.

Samojedæ, ſeptemtrionalium in Europa hodie *ultimi*, (a) poſtremi item Americanorum plerique ſaltim, puſillo omnes corpore ſint, vix quatuor pedum altitudine; accolæ etiam Magellanici freti auſtrales puſilli, ſeptemtrionales proceri ab iis, qui fretum illud emenſi ſunt, prodantur; quod porro breves etiam Arabes ſint teſte Bellonio, ut & qui ad promontorium habitant Bonæ ſpei, quem locum validisſime ſol torret. Ne opus ſit antiquas de Indorum ſive Thracum *pygmæis* (b) fabulas (liceat ita loqui, pace magni Ariſtotelis, longe ſecus pronunciantis in ſuo octavo animalium hiſtoriæ libro) commemorare.

Nos aëris & cœli vim etiam ipſimet agnoſcimus facere non leviter ad corporis naturam omnem, adeoque & auctum; multa autem eſſe & propiora & longe fortiora arbitramur, quibus rectius & jure majori oporteat iſthæc referre accepta. Sunt autem, ut ſummatim dicamus, partim in parentibus illa, partim in primæ ætatis educatione poſita. Scilicet ut ſtirpes magnitudinem ſuam, ac ſi quod eſt felicius incrementum, debent ante omnia generoſæ ſeminum virtuti, inde largæ humiditati quæ in alimentum cedit, & benigno calori humoris illam luxuriem edomare ac concoquere apto; eædem autem ſi effœto ſemine genitæ aut ſolum nactæ fuerint vel aridum, vel ſalſum, vel frigidius, maligne admodum proveniunt, & in humilem formam vix exſurgunt: ita & in animantium genere lætisſime omnium adoleſcunt, quibus & parentes robore inſignes, & prima ætate victus ratio calore atque eximia humiditate dives nullisque infracta laboribus obtigere: quorum utrumque aut etiam unum ſi deſit, fruſtra ſpecioſum aliquod corporis decus expectaveris.

Sive autem antiquas ſive novas Germanicæ vitæ res intueare, haud ſane difficile amplius fuerit, ab his principiis cauſas & rationem cum priſci tum novi habitus arceſſere. Erit id cuivis perſpicuum, ubi ſingula, quæ huc faciunt, excuſſerimus.

Atque circa parentes quidem id cumprimis notatu dignum olim fuiſſe arbitramur, quod Tacitus memorat. *Sera juvenum Venus* (c) *eoque inexhauſta pubertas; nec virgines feſtinantur: eadem juventa: ſimilis proceritas: pares validique miſcentur.* Idem vero & Julio eſt Cæſari proditum: *Qui diutisſime impuberes permanſerunt, maximam inter ſuos ferunt laudem. Intra annum vero vigeſimum fœminæ notitiam habuiſſe, in turpisſimis habent rebus.* Diſcere autem hinc omnino eſt, primum illud: non niſi ex robuſtis jam & ætatis plenæ parentibus quenquam majorum eſſe genitum: quod ad corporis proceritatem conſequendam facit profecto in natis plurimum. Non præteriit vero hoc ipſum & Cornelium Tacitum; quippe qui ſtatim ſubjungat: *ac robora parentum liberi referunt.* Sed & jamdudum ante hunc id viderat is, quem nihil pene fugit ejus quod humanæ eſt menti hiſce in rebus pervium, Ariſtoteles: eoque optimam rempubl. conſtituturus, connubia adoleſcentum cum aliis de cauſis, tum ob liberorum imbecillitatem damnavit. Sermo viri incomparabilis plane aureus eſt. *ἔςι δὲ τῶν νέων συνδυασμὸς φαῦλος πρὸς τεκνοποιΐαν· ἐν γὰρ πᾶσι ζώοις ἀτελῆ τὰ τῶν νέων ἔγγονα καὶ θηλυτόκα μᾶλλον καὶ μικρὰ τὴν μορφήν· ὥς ἀναγκαῖον ταυτὸ τῦτο συμβαίνειν καὶ ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων· τεκμήριον δὲ· ἐν ὅσαις γὰρ τῶν πόλεων ἐπιχωριάζεται τὸ νέυς συζευγνύναι καὶ νέας, ἀτελεῖς καὶ μικροὶ τὰ σώματά εἰσιν. Eſt autem adoleſcentulorum conjunctio ad liberorum procreationem inepta. Nam in omnibus animantibus adoleſcentium fœtus imperfecti ſunt, & fœmina eduntur potius quam mares, & brevi corporis figura: quare neceſſario idem hoc etiam in hominibus evenit. Cui rei id argumento eſt, quod in quibuscunque civitatibus hoc in more poſitum eſt, ut adoleſcentes cum puellis adoleſcentulis matrimonio jungantur, imperfectis & brevibus corporibus præditi ſint.* In eandem ſententiam diſſerit idem vir maximus, *quincto hiſtoria animal. libro cap. XIV.* Nec vero aliud in mente olim fuit Agamemnoni in *Troadibus* Senecæ, ubi Pyrrho convitium dicturus inquit:

> *Ex virginis concepte furtivo ſtupro,*
> *Et ex Achille nate ſed nondum viro.*

Diſcere porro ex iis Taciti ac Cæſaris teſtimoniis, paulo ante in medium prolatis, licet, natos olim omnes ex parentibus *inexhauſtæ pubertatis*, non per Venerem ſcilicet prima ætate fracta.

Iidem vero teſtantur, alias etiam omni in vita continentiæ & caſtitatis laudem maximam majores commeritos. Diſerte Tacitus: *Severa illic matrimonia; nec ullam morum partem magis laudaveris, nam prope ſoli barbarorum ſingulis uxoribus contenti ſunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, ſed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur.* Idem: *Paucisſima in tam numeroſa gente adulteria: quorum pœna præſens & maritis permiſſa.* Præclare idem: *Nemo illic vitia ridet, nec corrumpere & corrumpi ſeculum vocatur.* Diu poſt laus hæc continentiæ quaſi propria manſit gentium Germanicarum; utpote quam ne quidem ſeculo quinto, jam victores Romanarum provinciarum, medio in luxu corruperint: quod æternis Vandalorum, Gothorum, Francorum & Saxonum præconiis proſequutus eſt vir ſanctisſimus & ævi ſui Hieremias Salvianus, idque non uno loco ejus præclari operis quod de gubernatione divina hodieque ſupereſt. Quin imo ipſos Saxones noſtros ciſmarinos Britannicis illis ſuis in exemplum hoc nomine proponere, haud dubitavit ſeculo Chriſtiano octavo Bonifacius. Operæ non eſt pretium aliis adductis ſoli facem, quod ajunt, fœnerari. Quis eſt vero qui neſciat, quantum & hæc paren-

(a) *ultimi*) Spectant huc Beraudini, Sibetienſes, Zemblienſes, Oſtiaci. *Nouveau voyage du Nort.*

(b) *pygmæis*) *JOBUS LUDOLFUS in hiſtoria Æthiopica comment. p. 69. ſeqq.*

(c) *Sera juvenum Venus*) Vid. *BURGGRAVIUS pag. 143. Ad laudabilem vero vivendi rationem quam maxime quoque pertinet abſtinentia a Venere præcoci & intempeſtiva, quippe ad ſanitatem & corporis robur adeoque vitam ipſam diu incolumem conſervandam plurimum conducens. Quo nomine quoque præ aliis priſcos Germanos laudat Tacitus: ſera, inquit, juvenum Venus eoque inexhauſta pubertas. Qua laude an omnes poſteri eorum laudari queant, res ipſa docet. VOGLERUS in libro uno dietet. comment. cap. 1. De la generation de l'homme par VENETTE pag. 113.*

parentum caſtitas adferat momenti ad robur liberorum & incrementum? Scilicet in rara Venere concoctius eſt *ſemen*, (a) adeoque robuſtioribus generandis aptius; quod per libidinis indulgentiam aqueſcit propemodum & cruditate ſua quaſi evaneſcit. Ea ſane unica de cauſa numeroſiore ſtirpe gaudet omnis pene ſeptemtrio: deficit ex adverſo proles iis qui ſive corporis temperie, ſive conſuetudine, ſive cœli æſtu, in Venerem proni exhauriunt vires ſeminum ante maturitatem.

Non eſt inſtituti hujus multis exponere, quibus rebus effectum olim fuerit, ut caſtitas tum in morem adeo abierit gentis noſtræ, bellicoſæ cæteroquin & præ ferocia ſeveras leges non audientis. Nec in difficili tamen eſt vel ex Tacito diſcere rationem non unam. De uxoribus ita ille loquitur: *ergo ſepta pudicitia agunt, nullis ſpectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptæ: litterarum ſecreta viri pariter ac fœminæ ignorant.* Inde vero jam intelligimus, defuiſſe majoribus illa fomenta, illa incitamenta, illa ſuccendicula impuræ libidinis; quibus Romanorum aliorumque populorum mores indignum quam fuerint infecti, imo penitus corrupti. Ad hoc vero acceſſiſſe ipſam corporum indolem, non poteſt latere, qui noverit, quantam hac in re vim habeat ingens proceritas, laxitas & humiditas carnis, frequens temulentia, cœlo minus æſtuoſo. Quin merito hanc corporum naturam forte dixeris primam continentiæ cauſam: ita pleriſque viventibus mortalium, ut hactenus verum ſit, quod Galenus ſingulari libello minus alias recte adſtruere eſt conatus, *mores ſequi corporis temperamentum.* (b)

Sed hæc hujus non ſunt loci: ſatis eſt notaſſe, etiam illam parentum laudabilem abſtinentiam profeciſſe ad auctum liberorum. Utpote quum hi nati fuerint plane concoctis ſeminibus: quod ad ſtirpium proceritatem facere in vulgus eſt cognitisſimum.

Niſi autem admodum fallor, præter hæc haud parum ad inſigne illud incrementum juvit, quod cum uterque parens itidem fuerit eximia proceritudine, vitam illi omnem ita inſtituerint, ut primæ quidem liberorum conſtitutioni nihil potuerit deeſſe ad ſimilem magnitudinem. Nimirum eſt quidem ita fere comparatum, ut, quod ille ait,

> *Fortes creantur fortibus & bonis;*
> *Eſtque in juvencis, ſive in equis patrum*
> *Virtus; nec imbellem feroces*
> *Progenerent aquilæ columbam:*

eſt tamen, ut ad patrum robur & longitudinem neutiquam aſſurgant filii, ſed ut animo ita & corpore hi degenerent plurimum, non ſuo tamen ſed parentum vitio, fracta cumprimis ſeminum vi per morbos, ſive aliunde, ſive mala victus ratione enatos. In univerſum autem Germanos, ante illam connubiorum cum aliis brevioribus gentibus commiſtionem, præpolluiſſe corporum excelſitate, jam probatum eſt. Quod ſi vero credendum antiquis teſtimoniis, ne in vita quidem illi quidpiam temere commiſerunt, quo plus juſto aut exſiccata corpora illorum ſint aut aduſta aut refrigerata. Quali labe ad patrum ſemina quoque, ut fit, aut maternum ſanguinem penetrante, non poſſunt non ſubſequi naſcentium detrimenta. Fruſtra ſim, ſi ego coner hodie docere, quod vel tyrones norunt medicorum, vitiis corporum ſemina etiam infici, horum vero indolem in liberos propagari. Ne quidem arbitror opus eſſe, ut verbulo doceam, per alimenta, laborem, curas, ac ſimilia, uberem corporum humiditatem plus juſto abſumi, ſubſequente ſive calore ſive frigiditate nimia ipſorummet etiam ſeminum, quorum utrumque infra patres prolem diminuat. Abunde enim & hoc in medicis commentariis redditur manifeſtum.

Majorum autem noſtrorum corpora humiditate & calore perinde luxuriaſſe, & teſtimoniis & indiciis multis haud difficile eſt oſtendere. Septemtrionalibus enim omnibus non dubitavit Flavius Vegetius copioſum ſanguinem adſcribere, ad quos utique pertinent Germani. Verba viri memoratu ſunt digna. *Omnes nationes quæ vicina ſunt ſoli, nimio calore ſiccata, amplius quidem ſapere, ſed minus habere ſanguinis dicunt: ac propterea conſtantiam ac fiduciam cominus non habere pugnandi, quia metuunt vulnera, qui ſe exiguum ſanguinem habere noverunt. Contra ſeptemtrionales populi, remoti a ſolis ardoribus inconſultiores quidem: ſed tamen largo ſanguine redundantes, ſunt ad bella promptiſſimi.* Hæc Vegetius. Sed illum forte deceptum dixeris: nec enim ego robur ejus quidem ratiocinationis, quæ ex animoſitate colligitur *ſanguinis copia*, (c) laudaverim: nam & pauci ſanguinis deprehendere eſt animoſos, & timidos nonnunquam laborare ejus plenitudine. Multa tamen ad hoc alia ejus abundantis cum caloris tum humiditatis ſunt ſigna reliqua. Saltim enim primam ætatem iis bonis abundaſſe, luculente indicat iſta corporis altitudo, in quam ætas iſthæc tum ſuccrevit. Jam vero illa communis omnium corporum fluxitas, illa ſitis atque æſtus impatientia, manifeſto itidem indicant humoris quandam & caloris ubertatem. Neque enim in ſudorem reſolvi facilis eſt caro, niſi humore multo madeat: nec ſitis quem magis urget, quam cui multa humiditas familiaris eſt. Sed abundans humiditas calore juſto deſtituta affligit valetudinem. Ea tamen integra olim Germani valuere, quamdiu ſuis moribus ſuoque aëri ſunt relicti. Ut proinde non ſit dubium, largum corporum humorem caliditate idonea fuiſſe ſubactum. Huc ſane faciunt illa Taciti: *laboris atque operum non eadem patientia: minimeque ſitim æſtumque tolerare aſſueverunt.* Idem libro hiſtoriarum ſecundo ſcribit: *Jam Germanos, (quod genus militum apud hoſtes atrociſſimum) fluxis corporibus mutationem ſoli cœlique haud toleraturos.* Ejusdem libri

(a) *ſemen*) Hæc omnia ex principiis phyſicis & medicis Cl. BVRGGRAVIVS *in comment.* demonſtrat.

(b) *temperamentum*) *WEDEL in phyſiologia medica ſect. II. c. VIII. ſeqq.*

(c) *ſanguinis copia*) Sanguinei ſolent eſſe molles, meticuloſi & effeminati; cholerici autem validi, fortes & audaces.

libri fine legas: *Adjacentia Tiberi Germanorum Gallorumque obnoxia morbis corpora, fluminis aviditas & æſtus impatientia labefecit.* In eandem ſententiam de Cimbris, gente utique Germanica, Polyænus lib. VIII. *Marius cum Cimbris conflicturus ex frigidis regionibus profectis, ſciebat eos glaciem & nives ferre poſſe, calorem ac ſolem non item; æſtu confectos plurimum ſudorem cum ſpiritu emittere.* Eadem & de Gallicis antiquis corporibus notata Livio, Plutarcho, Paterculo, Polybio, aliis. Eleganter de illis *l. V. c. XVI.* Paulus Oroſius: *Incaleſcente ſole fluxa Gallorum corpora in modum nivium diffluxerunt.*

Nec vero eſt, quod miremur eam corporum habitudinem: ſi videamus omnem vivendi rationem Germanis præcipue tum obſervatam. Fuit ſcilicet illa tota ad humidi calidique luxuriem quandam inducendam compoſita atque inſtituta: quod haud multo poſt illuſtrabitur. Quis ambigat vero, etiam hanc corporum indolem multum in generantibus valuiſſe ad procreandum eximiæ longitudinis liberos? Præterquam ſane, quod ſeminiis hinc ſuum fuerit robur natum, a multo illo ſanguine fœtus indubie ipſo in materno utero largum nactus eſt alimentum: quod apprime Hercles ad auctum in tenera illa vita utile eſt.

In educanda ſobole itidem multa olim ſunt obſervata, quibus generoſa illa parentum virtus jam ante in prolem propagata non potuit non excitari, imo promoveri in majus. Eorum haud ſane pauca animadvertit jam tum C. Jul. Cæſar, de Suevis, gente, illo tempore, Germanorum omnium longe maxima & bellicoſiſſima, utpote quum Suevorum communi nomine bona pars populorum Germaniæ olim venerit, in hæc verba loquens: *Neque multum frumento ſed magnam partem lacte ac pecore vivunt: multumque ſunt in venationibus. Quæ res & cibi genere, & quotidiana exercitatione, & libertate vitæ, (quod a pueris nullo officio aut diſciplina aſſuefacti, nihil omnino contra voluntatem faciant) & vires alit, & immani corporum magnitudine homines efficit.* Idem l. VI. de omnibus in univerſum Germanis ſcribit: *Qui diutiſſime impuberes permanſerunt, maximam inter ſuos ferunt laudem, hoc ali ſtaturam, ali hoc vires nervosque confirmari putant. Intra annum vero vigeſimum fœminæ notitiam habuiſſe, in turpiſſimis habent rebus.* Fortaſſis & illud huc referendum, quod de Suevis ſeorſim memorat idem: *Vinum ad ſe omnino importari non ſinunt, quod ea re ad laborem ferendum remolleſcere homines atque effœminari arbitrantur.* Forte & Tacitus aliquid huc faciens voluit indicare: *In omni domo*, inquiens, *nudi ac ſordidi, in hos artus in hæc corpora quæ miramur excreſcunt:* quaſi ſcilicet & nuditas illa & cultus neglectio juveſit incrementum.

Enimvero permultum ad ſtaturam intereſt in utramque partem, quo modo quove victu adoleſcentia tranſigatur. Nec enim ſatis eſt, quod vulgo multis creditum, ut parentum ac ſeminum habeatur ratio: horum enim ut vitia emendationem, ita vires jacturam ab educatione ſæpius accipiunt. Quod luculente nos exemplo ſuo docent ſata. Quam frequenter enim vile granum videas in lætiſſimum culmum ſoli cœlique felicitate adoleſcere? Quam ſæpe ex adverſo triticum optimum, quod ager aut tempeſtas non reſpondeat voto, ſterili ſpica corrumpitur? Evenire idem & in jumentis noſtris aliisque animalibus uſus docet familiaris. Sane & ipſamet illa evadere ſola curatura parentibus ſuis nunc meliora, nunc deteriora, notiſſimum eſt pecuariæ rei magiſtris. Ut ne quis miretur, idem de homine eſſe judicandum, & judicaſſe cum alios prudentes quosque, tum ipſos quoque majores noſtros, quamvis in barbaris numeratos.

Et vero cum auctus corporum per complures primæ ætatis annos procedat, materiam ſuggerente cibo ac potu, quidni in facili fuerit, tanto intervallo temporis ſaltim ab alimento diverſitatem aliquam alterutro modo creſcentem ætatem capere? Nulla poteſt cui dubitatio hac in re ſupereſſe, qui noverit duo cumprimis eſſe neceſſaria ad omnem corporum accretionem, caloris nempe vim, &, ſi non omnium partium, ſaltim earum quæ corpus erigunt, cujusmodi ſunt oſſa, molliciem quandam & lentitudinem. Oſſa etenim quo diutius & amplius humiditate ſua nativi ignis noſtri impetum ſequi idonea ſunt, eo felicius exſurgunt: ex adverſo ſi intempeſtive contrahant ſiccitatem, præ duritie nequeunt ultra extendi, eoque infra quam oportet conſiſtit ſtatura. Ad illam vero ſive rigiditatem præmaturam, ſive ſatis longam oſſium ſequacitatem, non poſſunt profecto non primi illi anni cum victu tum reliqua omni vita plurimum facere; utpote quum illa in corporibus quaquaverſum commutandis valeant unice.

Cæterum ita olim majores adoleſcentiam egiſſe, quaſi conſilio quodam corpora ſua humore pariter ac calore, illis maximis omnis proceritatis cauſis ac principiis, voluerint non imbuere tantum ſed inſtruere, cum alia, tum vel illa doceant, quæ ex Cæſare & Tacito in medium protulimus. Enimvero ut ordine ſingula perluſtremus, principio utique alimentis ſiccis parum, humidis multum ſunt uſi: iisque non acribus, non ſalſis, non in alios ſapores conditis, ſed dulcibus & jucundis, qualia natura ipſa ſuppeditat teneris animalibus ad vires juxta & augmentum. Cæſaris verba erant: *non multum frumento ſed maximam partem lacte atque pecore* (a) *vivunt:* Idem commentario VI. ſcribit: *agriculturæ non ſtudent, majorque pars victus eorum in lacte & caſeo & carne conſiſtit.* In eandem ſententiam Tacitus: *cibi ſimplices, agreſtia poma, recens fera, & lac concretum.* Non ego cum Æthiopibus illis longævis, quorum Herodotus meminit, frumentum & *panem* (b) ſtercus eſſe dixerim, atque idcirco ejus uſum officere vitæ aſſenſerim; memoriam tamen veterem repetentibus id pene apparet, omnes

(a) *lacte & pecore*) Lac & caro plurimum nutriunt VOGLER. *l. c. cap. XV.* Adde *diſſertat.* quam hic ſub CONRINGII præſidio *de lacte* habuit, nec non CASTELLAN. & ARN. de VILLANOVA *de eſu carnium.*

(b) *panem*) Panis enim parum habet nutrimenti & maximam partem in excrementa abit. VOGLERUS *l. c.* cl. BEHRENS *de recto ac conveniente ad ſanitatem ratione ſect. II. c. II. §. 11. ſeqq.*

omnes & annorum & ſtaturæ longitudine eximios olim parciore frumento victitaſſe. Æthiopibus certe illis, qui Cambyſis tempeſtate crediti mortalium *maximi* & *pulcerrimi*, pro cibo caro cocta fuit, pro potu lac: ſi fides habenda iis, quæ narrat Herodotus *lib. III.* Cyclopes quoque, interque eos maxime immanem Polyphemum, lacte & carne non pane vixiſſe, in fabulis eſt Vlyſſeis apud Homerum. Eamque ob cauſam de monſtro illo fortaſſis inquit vates:

— — οὐδὲ ἐώκει
Ἀνδρί γε σιτοφάγῳ.

De Britannis, quos forma Germanis fuiſſe pares accepimus, Cæſar com. V: *Interiores plerique frumenta non ſerunt, ſed lacte & carne vivunt.* De Gallis, gente itidem procera, l. IV. Strabo: *Cibus plerumque cum lacte & carnibus omnis generis.* De iisdem apud Athenæum Poſidonius l. IV. cap. XLIII. *Cibus eſt panis quidem paucus, at multa carnes.* De Scythis in univerſum Herodotus l. IV. *Non ab aratro, ſed ex pecoribus vivunt.*

Et ſane minus ſuggeri a frugibus alimenti quam a *lacte* (a) & carne, haud eſt dubitandum. Minus certe ſucci liquidi præbere plantarum ſemina apta ſunt. Ne nunc dicam a ſanguinis ingenio illa remotiora eſſe, cui lac plane ἀδελφὸν eſt καὶ συγγενές: quod dixiſſe olim Hippocratem, ſcribit Galenus l. XIV. de uſ. part. c. IIX. Scilicet tametſi lac non ex ſanguine fiat jam perfecto, quaſi ille tantum *ſpiritu multo & calore exalbuerit*, ceu loquitur apud Gellium Phavorinus, (quod adverſus vulgi ſententiam alibi conſtituimus) ſed potius rudi illi a ventriculo ſubacto ſucco, quem vulgo chylum appellamus, in venas tamen abrepto, par ſit: certum tamen eſt, quicquid nonnulli dixerint, nullum alimentum aut in ſanguinem promtius lacte converti, aut amplius alere. Quod vel natura quem admoneat, ut, quæ in maximo animalium genere tenero fœtui & imbecilli tantum de hoc alimento proſpexit, quaſi hoc ſolum ab illa etiam ætate ſubigi, & nativam debilitatem queat corrigere. Nec vero breviore tempore majus incrementum capiunt animantia, quam dum paſcuntur hoc ex maternis uberibus educto ſucco. Quin videas præ aliis læte adoleſcere, quibus hoc cibo contigit diutius frui. Et ſane, quemadmodum in illo, quæ vivos pariunt fœtus animalium ordine & robuſtiora ſunt multa & prolixiora, quam in oviparis; ita illis ſolis benignum iſtud lactis alimentum conceſſum eſt, tanquam hoc maxime roboret & amplificet corpora. Paulo ante audivimus, proceriſſimas gentium, Æthiopes, Cyclopes, Germanos, Britannos, Gallos, Scythas, plurimo olim lacte victitaſſe. Apud Homerum Getæ, Scythæ, Nomades, ab illius unico uſu nomen invenere τῶν γαλακτοφάγων & γαλακτοπότων. Illas vero gentes robur ſuum, quo valuerunt, lacti debuiſſe potiſſimum, etiam Ariſtoteles judicavit: eandem ob cauſam illud beatorum ſuorum civium pueritiæ commendans. Ipſa eruditiſſimorum maximi verba merentur heic recitari. Γενομένων δὲ τῶν τέκνων, οἴεσθαι μεγάλην εἶναι διαφορὰν πρὸς τὴν τῶν σωμάτων δύναμιν, τὴν τροφὴν, ὁποία τις ἂν ᾖ. φαίνεται δὲ διά τε τῶν ἄλλων ζώων ἐπισκοποῦσι, καὶ διὰ τῶν ἐθνῶν, οἷς ἐπιμελές ἐστιν εἰσάγειν τὴν πολεμικὴν ἕξιν, ἡ τοῦ γάλακτος πληθύουσα τροφὴ μάλιστα, οἰκεία τοῖς σώμασιν. *Filiis autem procreatis, magni referre ad vires corporis putandum eſt, quali cibo nutriantur. Sed & ex cæteris animantibus ac gentium conſuetudine, quæ bellicæ habitudini ſemper ſtudent, ſi quis animadvertat, facile intelligat, lactis copioſum cibum corporibus eſſe convenientiſſimum.* Hæc ille. Sicut robur autem, ita profecto & celſitudo corporum a lacte eſt. Ut proinde merito inter cauſas ejus quæ in majoribus fuit proceritatis primo loco Julius Cæſar lac collocaverit. Non ſane vel Ariſtomachus Athenienſis, olim ad vires & incrementum infantum nutricibus in lactis defectu cythiſum ſtudioſe adeo laudans, aliud quam lac copioſum videtur commendaſſe, ut quod cythiſi virtute gignatur plurimum.

Nec tamen eſt quod credamus, merum duntaxat lac illa eſſe virtute, etiam lactaria opera multa uberrime nutrire, in placitis eſt præſtantium medicorum. Quæ tamen illa tempeſtate fuit ruditas, indubie pauca, nec niſi vulgaria ex lacte majores noſtri confecere. Cæſar caſei meminit in cibis Germanicis, Tacitus lactis concreti. Non temere autem dixeris quale illud fuerit lac concretum: neque enim una eſt concreſcendi ratio, ſed varia ac multiplex: de caſeo etiam dubitaveris, num ille majoribus notus. Sane vox illa a Romanis accepta eſt qua ipſam illam rem Germani nos hodie appellamus; quod in aliis pene omnibus haud infidum plerumque eſt apud nos ſignum etiam rei ipſius aliunde mutuatæ. Videtur vero & Plinius ſpectaſſe Germanos, in hæc verba lib. XI. c. XLI. loquutus: *Mirum barbaras gentes, quæ lacte vivunt, ignorare aut ſpernere tot ſeculis caſei dotem; denſantes id alioquin in acorem jucundum & pingue butyrum. Spuma id eſt lactis, concretiusque quam quod ſerum vocatur.* De Britannis exſerte Strabo l. IV. Τὰ δ' ἤθη τὰ μὲν ὅμοια τοῖς Κελτοῖς. τὰ δ' ἁπλούστερα καὶ βαρβαρώτερα. ὥς τινὰς γάλακτος εὐποροῦντας μὴ τυροποιεῖν διὰ τὴν ἀπειρίαν: *moribus partim ſimiles Celtis, partim ſimpliciores & magis barbari, adeo ut nonnulli, quamvis lacte abundent, caſeum tamen non conficiant propter imperitiam.* Nihilo autem vel cultiores vel peritiores Britannis fuiſſe noſtros majores exiſtimes. Nec Cæſari omnia noſtra ita fuere perſpecta, ut in omnibus tuto illi poſſis credere. Igitur dixeris potius Germanis caſei omne decus fuiſſe olim ignotum.

Verum *lac concretum* illud Taciti forte idem eſt atque acor ille jucundus Plinii. Nec tamen quid hodie utroque nomine veniat, perinde certum eſt. An reſpexere ad illud concreti lactis genus,

(a) *lacte*) Lac eſt quinta eſſentia, ut ajunt, omnis nutrimenti quod eſt in carne. Aptius autem eſt ad nutriendum, quam ipſa caro, cum tot non ſit commixta particulis ad carnis conſtitutionem, non autem ad nutrimentum facientibus, quæ natura ab iis, quæ in chylum convertuntur ſeparari debet. Sæpe autem natura admodum eſt imbecillis & ſtomachus non recte diſpoſitus, ita ut concoctio & ſeparatio illa debite fieri nequeat; inde fit, ut multæ particulæ nutritiæ materiæ carnis, quæ per alvum deinde abjicitur, nimium involutæ, corpore exeant. Quod in lacte ad digeſtionem ob craſſiorum particularum abſentiam aptiſſimo aliter ſe habet.

nus, in quod hodieque nonnulli lac ovillum præcipue condenſant, haud multo fortaſſe diverſum ab eo, quod *ὀξύγαλα* Æginetæ nuncupatur? Eſt ſane illud jucunde acidulum ſimul & denſum. An Plinium intellexiſſe potius denſatum illum lacteum liquorem, qui in butyri præparatione naſcitur, eſt veroſimilius? Ita ſane ille loquitur, quaſi utrumque uno fuerit opere confectum. Eſtque liquor iſte ſimul maxime familiaris Germanicæ plebi, & jucundi acoris, & quaſi ſpuma quædam lactis, ac ſero quid proximum quidem concretius tamen. Quin imo per eſt probabile, Cornelio Tacito eundem humorem itidem fuiſſe in mente, *lactis concreti* appellatione. Saltim non aliud eſſe videtur, id quod *ἀφρόγαλα* Galeno audit. Si ſane & videas uſum medicum Galeno laudatum, & conferas Plinii illam ſpumam cum *ἀφρόγαλα* vocis etymologia. Quid? quod merito forte dixeris, poſt Plinii ævum Romanis ſemigermanica voce liquorem illum lacteum *Meleam* appellatum. Ut apud Galenum *τὸ ἀφρόγαλα* & *μέλκα* non niſi voce differant. Apud primum ſane Galenum vox illa Romana reperitur: nulli antehac rei ruſticæ aut cibariæ latino ſcriptori memorata: quæ vero Galenus *Melca* attribuit, illa quam maxime lacteo iſti liquori conveniunt. Digna cumprimis lectu ſunt, quæ Galenus *l. VII. meth. med. cap. 4. de Melcæ Romanis dictæ* uſu eximio ad calidam ventriculi intemperiem: ut & Ægineta Paulus, ad ciborum inappetentiam, laudavere. Illud ipſum ſane eſt commodum, quo etiamnum lac noſtrum ebutyratum & blanditur edentibus & prodeſt.

Videtur vero *lac concretum* Taciti non acorem duntaxat illum, ſed & *butyrum* (a) comprehendere. Eſt ſane & butyrum lac aliquod concretum, eoque & Plinius dicebat *denſari lac in pingue butyrum.* Enimvero idem Plinius & l. XXIIX. cap. IX. ipſos noſtros Germanos innuere videtur, dicens: *E lacte fit & butyrum, barbararum gentium laudatiſſimus cibus, & qui divites a plebe diſcernat; plurimum e bubulo & inde nomen: pinguiſſimum ex ovibus fit & ex caprino.* Vox pleriſque hodie Germanis vernacula fateor & ipſa cum Latino convenit, aut, ſi malis, Græco; ut non ſine ratione & ipſi huic rei originem adſcripſeris non peregrinam tantum ſed & Romanam. Et vero borealiſſimis Germaniæ populis quæ in uſu eſt appellatio butyri, a Græca aut Romana illa terminatione multum eſt diverſa. Suntque mire ſuaves etymologici ſcriptores Græci circa vocis illius ex Græciæ fontibus derivationem petendam. Fortaſſis tamen a Scythicis gentibus ſeptemtrionalibus *ad ipſosmet Græcos* (b) vox illa butyri pervenit, non autem in Græcia eſt nata. Id videor mihi poſſe recte colligere ex nonnullis, quæ *libro quarto de morbis*, ab auctore ſane antiquiſſimo, ſi non eſt Hippocrates ipſe aut Polybius, memorantur. Expoſiturus enim ille exemplo quodam conturbati ſanguinis naturam ſcribit: *ἔοικε δὲ τοῦτο, ὥσπερ οἱ Σκύθαι ποιέουσιν ἐκ τοῦ ἱππείου γάλακτος. ἐγχέοντες γὰρ τὸ γάλα ἐς ξύλα κοῖλα, σείουσι· τὸ δὲ ταρασσόμενον ἀφρέει καὶ διακρίνεται· καὶ τὸ μὲν πῖον ὃ βούτυρον καλέουσι, ἐπιπολῆς διΐσταται, ἐλαφρὸν ἐόν. τὸ δὲ βαρὺ καὶ παχὺ κάτω ἵσταται. ὃ καὶ ἀποκρίναντες ξηραίνουσιν· ἐπὴν δὲ παγῇ καὶ ξηρανθῇ ἱππάκην μιν καλέουσιν·* *Simile vero hoc eſt, ac quod Scythæ faciunt ex lacte equino. Effuſum enim in cava ligna lac agitant. Illud vero conturbatum ſpumeſcit ac diſcernitur: & pingue quidem, quod butyrum vocant, cum leve ſit, in ſummo ſeponitur; grave vero & craſſum ſubſidet. Id quod etiam ſecernentes ſiccant, quando autem concretum & ſiccatum eſt, hippacen appellant.* Hæc ſane antiquiſſima eſt nominis butyri memoria: a Scythis autem (quos tamen alios a Germanis fuiſſe, indicat vel unus ille equini lactis uſus, a quo veteres Germani fuerunt alieni) profectum illud nomen non minus atque alterum illud *hippace*, tantum non diſerte heic proditur. Quin omnem butyri conficiendi rationem Græciæ tum ignoratam eſſe, hinc patet; nec enim opus alias fuiſſet ad Scythas provocare in re vulgari. Et vero non alia de cauſſa etiam ab Herodoto curioſe adeo præparationem illam equini lactis Scythicam in Melpomene memorari, eſt veroſimile. *Ἐπὰν δὲ* inquit, *ἀμέλξωσι τὸ γάλα, ἐγχέαντες ἐς ξύλινα ἀγγήϊα κοῖλα, καὶ περιστήσαντες κατὰ τὰ ἀγγήϊα τοὺς τυφλοὺς δονέουσι τὸ γάλα· καὶ τὸ μὲν αὐτοῦ ἐπιστάμενον ἀπαρύσαντες ἡγέονται εἶναι τιμιώτερον. τὸ δὲ ὑπιστάμενον ἧσσον τοῦ ἑτέρου.* *Poſteaquam emulxere lac, in concava vaſa lignea effundunt. His circumpoſiti cæci lac agitant. Cujus quod ſummum eſt delibatur pretioſiusque habetur: vilius autem quod ſubſidit.* Dixeris Herodoto voces quidem Scythicas illas fuiſſe ignotas, non rem ipſam. Ipſimet vero Ariſtoteli, animalium rei maximo auctori, videtur & nomen & rem fuiſſe incognitam. Is enim tertio libro hiſtoriæ viceſimo capite de lacte in hæc verba ſcribit: *Genus unumquodque lactis habet tum ſaniem dilutam, quod ſerum vocamus, tum corpulentum quiddam quod caſeus dicitur:* butyri nulla facta mentione. Pene ſub calcem tamen ejus capitis inquit: *ὑπάρχει δὲ ἐν τῷ γάλακτι λιπαρότης, ἣ καὶ ἐν τοῖς πεπηγόσι γίνεται ἐλαιώδης.* At non quælibet pinguedo lactis butyrum eſt; concreti autem lactis nomine Ariſtoteli utique non niſi caſeus hoc loco venit: in quo ſane, ſiquidem ex lacte integro fuerit confectus (ceu par eſt) pinguitudo quædam ſæpenumero viſitur quaſi oleum referre. Poſt illa vero ſenſim cum nomine & res ipſa cœpit magis magisque Græciæ innoteſcere. Forte poſteaquam in Palæſtinam copiæ Græcæ tranſierunt. Namque & Hebræis antiquis cognitum fuiſſe parandi butyri modum, vetat nos dubitare Salomonis *γνώμη.* quæ habetur *cap. triceſimo.* Etſi enim a ſeptuaginta antiquis interpretibus ſic quidem illa Græce olim fuerit verſa: *ἄμελγε γάλα καὶ ἔσται βούτυρον*: & a Latino interprete vetere: *qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum:* ut pene juraveris, non de butyro ſermonem eſſe, certe iis interpretibus incognitam butyri confectionem liquido appareat (quomodo enim ex uberibus butyrum emulſeris?) planius tamen & rectius redditur iſtud veriverbium: *qui premit lac faciet exire butyrum.* Id quod butyri confectionem ſic ſatis clare exprimit. Ex divini porro vatis Eſaiæ cap. ſeptimo diſcimus, butyrum quoque in cibum veniſſe. Imo jamdudum

(a) *butyrum*) *VOGLER. diætet. comment. c. IX.* ubi refutat Hoffmannum, qui contendit butyrum non habere vim alendi. Junge BARICELLI *opuſcula de lactis ſeri & butyri facultatibus.*

(b) *ad ipſosmet Græcos*) *VOGLERVS l. a.*

dum ante hoſpitibus ſuis butyrum Abrahamus in opſonium exhibuit: velut ſacra Moſis hiſtoria memorat. Quod de alia Aſiatica gente haud temere ſcriptum legas. Multis tamen poſt ſeculis traditum eſt Straboni ſeptimo decimo libro, Æthiopibus id fuiſſe pro oleo. Indubie vero Hebræi butyrum ſuum non ex equino ut Scythæ, ſed bubulo aut alterius manſueti pecoris lacte confecere. Quo butyri rationem rectius etiam Græci ſunt edocti. Quorum nonnulli tandem, quos inter & Galenus ipſe eſt & his accedens Plinius, plurimum butyri e bubulo fieri obſervantes, ſuam vocem crediderunt eſſe, quam debebant Scythis: quaſi a bove enata ejus originatione: cum tamen primum Græcis memoratum butyrum ex lacte equino non bubulo expreſſum ſit. Proindeque vocem illam non a Romanis, ut caſei nomen forte accepimus, ceu paulo jam ante diximus, ſed (quod eſt veroſimilius) antiquiſſimi retro apud majores (etſi non omnes, nec enim hodieque omnes vel parant illud vel butyri nomine appellitant) non minus atque apud Scythas uſus ſimul cum re ipſa fuit. Quin butyri in cibo dotes pene Græci Romanique omnes, ſive per imperitiam, ſive per contemptum neglexere. Neque enim usquam non Homeri tantum & antiquioribus ſeculis, ſed longe etiam infra illa tempora, in cibis aut opſoniis numeratum legas. Hinc ſane nulli veterum illorum dum rem cibariam tractant butyrum memoratur. Ne quidem in proventibus rei pecuariæ a diligentiſſimis agricolationis ſcriptoribus, Græcis, Latinis, Punicis, butyrum eſt relatum. Enimvero Græcos pariter Punicosque ruſticæ rei veteres ſcriptores jam tum Varro, ſi non & Cato legerat. Neuter tamen, ut nec Columella, nec Palladius, butyrum tradit inter lactariæ rei fructus. Nihil hujus legas vel in Conſtantini collectaneis, ſequioris licet ævi. Nec vero eſt, quod turbent quemquam illa Maronis: *preſſi copia lactis.* Caſeum enim illa *περίφρασις* ſignificat: ceu jam olim Servius annotavit. Ne Plinio quidem rationem conficiendi butyri aliter quam lectione fuiſſe cognitam, docent quæ hac de re memorantur l. XXIIX. cap. IX. ubi poſteriora & abs re & ab iis, quæ prius narrata erant multum ſunt aliena. Solis Barbaris aliquem butyri uſum in victu Plinium tribuere, jam tum notavimus. Tantum igitur veteres inter Græcos unus Dioſcorides de butyro verba faciens l. II. cap. 81. inquit: *recens etiam opſoniis pro oleo admiſcetur, uti & placentis adipis vice.* Quod ipſum tamen fuiſſe perrarum, arguit omnium aliorum ſilentium. Et viſum id Dioſcoridi forte in Syria alicubi, aut Ægypto, aut Illyrio, aut alibi, non inter Græcos. Quomodo & hippacen laudavit minime profecto Græcis uſurpatam, ſed ſolis Scythis. Ne nunc quidem receptior in cibo butyri uſus eſt ullis quam Germaniæ magnæ populis: etſi etiam horum nonnulli ex Italiæ Galliæque vicinæ more parce illo veſcantur. Sed jam tum olim laudatiſſimum fuiſſe cibum, ſolis tamen divitibus familiarem, ex Plinio didicimus.

Eoque non eſt vero abſimile, ceu ante diximus, hoc etiam eſſe illud Taciti *lac concretum.* Etſi merito mireris quur ille unum hoc, vel ſimul etiam acorem illum Plinianum, voluerit ex omni re lactaria memorare: niſi veriſimile ſit aliis modis nullis ceſſiſſe tum lac Germanis in alimentum. Attamen fortasſis etiam tum, perinde ut hodie fit in Germania paſſim terrarum, hippacen aliquam majores paravere, poſt jam elicitum & a ſero ſeparatum butyrum, velut Scythæ olim ex ſimili lacte quamvis equino. Quæ res etſi viciniſſima ſit caſeo Romanis ita dicto, Plinio tamen indigna eſt viſa caſei nomine, ideoque miratus eſt barbaras gentes *ſpernere caſei dotem.* Et vero eſt illius rudioris, ut ita loquar, caſei parandi apud Germanos omnes uſus antiquiſſimus; alterius vero caſei mitioris ex lacte non privato ſua pinguetudine (qui ſolus antiquis Romanis caſei nomine venit) longe recentior, & ne nunc quidem niſi in paucis Germaniæ populis multo pecore abundantibus, quales præ aliis ſunt Friſii mei, receptus. Apud Rhætos caſei artifices hodie percelebres ante triginta demum annos cœpiſſe hoc, ſcripſit ad Conradum Geſnerum Jacobus Bifrons Rhætus anno ſeculi ſuperioris poſt quinquageſimum ſexto.

Verum interea dum diſſerimus, quænam ex lacte olim Germani noſtri in cibi uſum paraverint, plus juſto ab inſtituto diſcedimus; redeundum denique in viam eſt. Igitur id ſaltim eſto conſtitutum, non ſolo lacte mero & integro paſtos majores, ſed etiam butyro: caſeo item, non quidem miti illo & Romanis Græcisque laudato, ſed alterius rudioris generis butyraceæ pinguedinis experte: melca denique ſive lacte, ut ita dixerim, ebutyrato, ſimilibusque. Quantumvis autem hodie nonnulli & omnem illum caſeum, ut & omne butyrum damnent, atque extra ordinem ſalubrium ciborum proſcribant, nolo tamen cum illis heic contendere, ad uſum duntaxat experientiamque facta provocatione. Et vero robuſtiſſimos quosque agreſtium cernere eſt veſci etiam indies illo rudiore caſeo: idque cum virium eximio incremento, ſine ulla valetudinis jactura, citraque omnes illos morbos, quos ſollicita nimis medentium multorum cura jubet vulgo metuere. Butyrum olim, Plinio teſte, pene ut hodie, pauperrimam plebem a ditioribus diſcrevit, nec proinde omnibus ceſſit in victum, imo in univerſum condimenti potius loco fuit quam cibi. Egregie tamen & butyrum nutrire, niſi virus aliquod aut ſenio aut quo alio vitio contraxerit, itidem uſu edocemur. Et quid ni hoc præſtet, cum olei referat indolem, fovendoque animali noſtro igni, & ſimul ſiccitati partium molliendæ, ſit aptiſſimum? Nec vero non laudem meretur propterea, quoniam copioſius juſto ingeſtum ſtomacho, præſertim ille ſi vel laxior ſit vel æſtuoſior, nocet. Satis eſt, quod ſanis proſit; quo uno ciborum ſalubritas eſt æſtimanda. Quod in univerſum ſane Plinius l. XI. cap. XIV. jam olim ſcripſit: hippacen pariter & butyrum exiguo guſtu famem & ſitim ſedare, id fere hodie etiam experimur. Ebutyratum poſtremo lac temperat utique æſtum omnem inſigniter: ſi coquas, itidem haud maligne nutrit. Cum hæc itaque lactaria opera in frequente cibo fuerunt priſcis Germanis, (quod ſaltim per fecimus veriſimile) quid miramur, illos valetudine proſpera in robur corporis eximium efloruiſſe?

Fuerunt veteres illi præterea (ceu jam tum audivimus) & multa carne indies in victum uſi.

Non

Non longe autem lacte eſt inferior carnis facultas, ſive ferinam ſive peculinam videas. Utraque certe numeratur a medicis inter πολύτροφα. Utraque autem carne, eaque plurima, veſci ſolitos Germanos veteres, ex Cæſare audivimus. Ferinam tamen frequentiorem fuiſſe indicat Tacitus, hanc unam commemorans; atque indubie ingentes tum ſilvæ hominibus per otium venatui deditis feræ multum dederunt. Pomponii quidem Melæ de Germanis antiquis verba ſunt l. III. cap. 3. *Victu ita aſperi incultique, ut cruda etiam carne veſcantur, aut recenti, aut cum rigentem in ipſis pecudum coriis manibus pedibusque ſubigendo renovarunt.* Idque multum obfuerit ſanitati neceſſum eſt. At procul dubio rarum id & infrequens olim fuit: cocta enim carne alias paſtos, indicat ipſa illa vocula *etiam*. Quin imo omne hoc jactum forte quidem de Germanis, ab iis qui ferociam illorum & vim metuebant, ſed falſo auctum in majus, ut ſolet. Et vero nihil ſimile apud alios ejus ætatis auctores eſt legere: nec infrequens Melæ, fabuloſas vulgi voculas pro vero referre. Proindeque nec hoc eſt quur credamus. Diſerte Athenæus lib IV. cap. XIII. *Γερμανοὶ, ὡς ἱστορεῖ Ποσειδώνιος ἐν τῇ τριακοστῇ, ἄριστον προσφέρονται κρέα μεληδὸν ὀπτημένα. Germani, ut auctor eſt Poſidonius lib. XXX. in prandium adferunt carnes membratim aſſas.* Strabo etiam lib. VII. tradit Germanos Gallis *& facie & moribus & victu ſimiles:* nemo autem crudam carnem Gallis fuiſſe in cibo aſſerit. Ut recte dixeris, non minus Germanis quam Gallis cibum fuiſſe *panes quidem paucos, at carnes multas elixas in aqua, vel ſuper prunis aut in verubus aſſas:* quod apud Athenæum dicit de Gallis Poſidonius. *Aſſa* (a) tamen potius carne quam elixa delectatos olim majores, per eſt veroſimile. Etenim & Græcos veteres belli Trojani tempore aſſis plerumque, elixis raro, uſos, multo minus piſcibus vel condimentis, idque eſſe militare, jam tum Platoni eſt annotatum lib. 3. de legibus. Quam rem egregie illuſtravit & Wovverius l. de polymathia cap. X. Ex veteri Germanico more proinde merito ſentias factum eſſe, quod Carolus quoque Magnus carni aſſatæ potiſſimum aſſueverit, eamque in omnem cœnam per venatores verubus inferri fecerit. Id quod Eginhartus dignum memoratu cenſuit. Utcumque autem hoc olim ſeſe habuerit, certum eſt, frequentiſſimo Germanis olim in cibo carnem fuiſſe. Quis dubitet vero, præter lacticinia multam etiam illam carnem adoleſcentibus plurimum ad corporis robur & incrementum profuiſſe? Conſtat ſane, poſt lac nihil æque alere. Facili nimirum in ſanguinem reditu noviter ex ſanguine concretæ ſubſtantiæ: qualis utique caro eſt.

Sed non diſpar ratio & potus tum fuit; *humoris* quippe præter lac *ex hordeo aut frumento in quandam ſimilitudinem* (b) *vini corrupti*, ut Tacitus loquitur. Neque enim vinum importari ad ſe permiſere tum Germanorum plerique: tantum *proximi ripæ* Rheni etiam *vinum mercati ſunt*, quod idem Cornelius ſcribit. Eo autem inducor equidem, ut mendoſa credam illa Athenæi: *Germani, ut auctor eſt Poſidonius libro XXX. in prandium ferunt carnes membratim aſſas: καὶ ἐπιπίνουσι γάλα καὶ τὸν οἶνον ἄκρατον.* Legendum nempe videtur *οἶνον κρίθινον*, quo nomine cereviſia eidem Athenæo l. X. cap. XIII. aliiſque uſurpatur. Sive autem ex hordeo ſive ex frumento (qua voce indubie triticum ſignificatum Tacitus voluit) paratus tum fuerit ille potus, cum & ipſe multum præbeat alimenti, ac miris modis corpora ſaginet, non potuit non & ipſo illo potus genere ætatis creſcentis augmentum mirifice proficere. Uſu ipſo certe edocti tum majores, *vino ad laborem ferendum emolleſcere homines* judicavere; robur & vires ſibi addi ex familiari ſuo potu reapſe ſentientes. Sed & fortaſſis illa tempeſtate plus valuit potus illud genus ad corporis auctum, quam poſſit noſtrum: idque quia lupulum non ita habuit incoctum, atque adeo dulcius noſtro fuerit, & minus quoque præditum vi & facultate medicata. Certe nusquam legas, lupulum priſco illo ævo Germanis aliiſque paſſim populis potui iſti ſuo eſſe inditum: quum tamen potus hic toto olim terrarum orbe fuerit notiſſimus, forte etiam antiquitate ſuperet uſum vini. Recentiore ſcilicet demum is invento acceſſit, *acceleranda* (c) ebrietati, acuendo ſapori, & in diuturnitatem quidem, cum nutritionis tamen detrimento fortaſſis haud exiguo. Et vero cereviſiam (quidni enim hac recepta voce & nos utamur?) quæ a lupulo amaricat, minus dulcioribus nutrire, docet uſus. Nequaquam ſane audiendi, qui omnem hunc ex hordeo aut frumento potum *mali ſucci damnant:* (d) quamvis & Dioſcoridem & Galenum & alios auctores habeant, zythum Ægyptiorum vituperantes. Nam ut hi fortaſſis de Ægyptio illo potu verum dixerint, ita eos, qui ſimpliciter omne hoc ex frumento hordeoque paratum, proſcriptum velint; etiamnum hodie refellunt utique nitida pulcra & erecta corpora bibentium.

Jam videat mihi pro ſe quiſque veterum Germanorum vitam quoque reliquam. Cajus Cæſar: *Vita omnis in venationibus*, inquit, *atque in ſtudiis rei militaris conſiſtit; ab parvulis duritiei ac labori ſtudent.* Pomponius Mela: *ad in ſitam feritatem vaſte exercent bellando animos, corpora ad conſuetudines laborum.*

(a) *Aſſa*) Plus ſucci & nutrimenti retinere quam elixa tradunt. Quamvis bene cocta maſticationi & concoctioni aptiora a nonnullis credantur, quam aſſata, *WEDEL in phyſiologia medica ſect. III. c. 7. 8.* Vid. *Cel. BEHRENS l. c. ſect. II. c. 1. §. 7. & c. 8. §. 13.*

(b) *quandam ſimilitudinem*) Talem liquorem ab Hiſpanis celiam, cujus *FLORUS lib. II. cap.* 18. mentionem facit, dictum. Sunt qui putant inde cereviſiam dictam. *KIRCHMAIERI diſſert. de veterum Celtarum celia ocha & zytho.*

(c) *acceleranda*) Audiamus de lupuli uſu loquentem *Dn. BEHRENS l. c. ſect. III. c. 3. §. 14. Additur*, inquit, *cereviſiæ in decoctione, ut ſali ſuo volatili & quaſi aromatico eandem a ſitu conſervet, farinaceum ac lentum gluten attenuet, perque vias urinarias deducat. Ejusmodi cereviſia magis calefacit, ac meſenterium & viſcera obſtruit, citius tamen caput ſimul afficit, inebriat ac ſomnolentiam imo incubum inducit, eoque certius, quo cereviſia majori quantitate lupuli referta amariorque eſt & lupulus ipſe conſtitutus fuerit.*

(d) *mali ſucci damnant*) Exſtat *JULIANI* epigramma in *antholog. Græc. lib. I. tit.* εἰς οἶνον, quo hunc potum falſe ridet. Nutrit tamen & ſanitati inſervit una cereviſia præ alia. Vid. *VOGLER comment. diætetic. cap.* 10. *BEHRENS ſelect. diætet. ſect. III. c. 3. 4.*

borum. Poſſint videri hisce adverſari illa Taciti: *laboris atque operum non eadem patientia.* Item: *quotiens bella non ineunt, multum venatibus plus per otium tranſigunt, dediti ſomno ciboque.* Non adverſantur tamen. Venatio enim aut exercitatio bellica Tacito non habita fuit in *laboris* parte: quo nomine videlicet ipſi venit omnis dura & ſervilis opera. Hinc recte Cæſar alibi, *multum* ſcribit quidem, *Germanos eſſe in venationibus, a pueris* tamen *nullo officio aut diſciplina aſſuefieri, & nihil omnino contra voluntatem facere.* Dixeris ſcilicet de illis Germanis priſcis, quod de Ponti inſulæ cujusdam habitatoribus multo poſt, ſeculo ſcilicet duodecimo Chriſtiano, *l. 6. Ligurini* Guntherus cecinit.

Non vitem copulat ulmo,
Nec legit arboreos, autumni munera, fœtus:
Venatu tantum, crebrisque alimenta rapinis
Quærit, & aſſiduus pirata ſeneſcit in undis.

Ex more autem priſco Germanico indubie profluxit, quod adhuc ſuo ævo ſolere inter Francos, notavit Eginhartus Caroli Magni domeſticam vivendi rationem dum proſequitur: *Exercebatur aſſidue equitando ac venando, quod illi gentilitium erat, quia vix ulla in terris natio invenitur, quæ in hac re Francis poſſit æquari.* Hinc vero fit manifeſtum, nec deſide otio in ignaviam data iſthoc ævo antiquo Germanorum corpora, nec vehementibus & moleſtis laboribus defatigata, ſed iis exercitiis, quæ ad valetudinem & habitum bellicum juxta faciunt, moderate fuiſſe compoſita.

Sapienter vero Cæſar quotidianam quoque *illam exercitationem* (a) in venando poſitam cauſam credidit admirandæ illius magnitudinis. Ut enim torpor ac deſidia gravat, validus coactusque labor abſumit, ita moderatum exercitium excitat erigitque nativum ignem ad ſubigendos crudos ſuccos. Qua parte gravisſime olim eſt peccatum a Græciæ athletis, qui duriſſimo a pueris usque labore intempeſtivam ſibi & ſenectutem & brevitatem vitæ contraxerunt: iſthoc nomine acriter ab Hippocrate, Platone, Ariſtotele, Galeno, aliisque increpiti. Neque vero non ex limpidisſimis medicæ artis fontibus hauſta eſt politica illa Ariſtotelis doctrina: *Proxima ætas usque ad annum quintum, quam nec diſciplina convenit nec laboribus neceſſariis* (id eſt gravibus & moleſtis) *tradi, ne augmentum impediatur, motu debet, ſed quatenus modo deſidiam effugiat, exerceri.* Item: *debet ad pubertatem usque levioribus exercitationibus tradi, victu violento & laboribus neceſſariis* (quæ in uſu tum athletis erant) *remotis, ne ſint augeſcentibus impedimento.* Quarto demum a pubertate anno in athleticas leges admittit quodammodo adoleſcentiam idem Ariſtoteles. Tantum illo judice gravis labor officit incremento. Majoribus vero noſtris omnem illam rigidam gymnaſticam diſciplinam ignoratam, nec prima ætate quidquam niſi ex voluntate actum, jam ex Cæſare & aliis conſtat. Ut proinde hac quidem re nihil tum detritum fuerit auctui, aut ille vel leviter ſufflaminatus.

Non dubitandum tamen, ipſam etiam pueritiam, per venationes aliosque ludos operasque, inſignem in modum fuiſſe tum exercitam. Probavimus ſane ex Cæſare, etiam illi ætati venationem in exercitatione fuiſſe quotidiana. Venatio autem qualis & quomodo tum ſit inſtituta, haud difficile conjectu eſt, ſi animadvertas quam parum ab artefactis inſtructa, & quibus armis uſa ſit tempeſtas illa. Neque vero eſt quod *accipitres* (b) cogitemus, aut retia, aut viſcum, aut ſi quid aliud ad fallenda animalia & quo operæ parcatur, callidis ingeniis eſt excogitatum. Ne in ſagittis quidem aliqua tum ſpes; quia plerique tum Germanorum omnem arcus uſum ignoraverunt. De venatu urorum ita Cæſar: *Hos ſtudioſe foveis captos interficiunt: hoc ſe labore durant adoleſcentes, atque hoc genere venationis exercent; & qui plurimos ex his interfecerunt, relatis in publicum cornibus, quæ ſint teſtimonio, magnam ferunt laudem.* Igitur venatio omnis equis, canibus, curſu, framea, fuſte, gladio tunc acta, & quidem in ſolis feris: aquatilibus & avibus majorem exigentibus apparatum quam fuit captus ejus temporis. Quod ipſum illud plane eſt venationis genus, quo ſolo juvenes exerceri optavit Plato. Nam quum ſeptimo Legum libro tres numeraſſet ſpecies venandi, aquatilium, volatilium, & terreſtrium, improbatis duabus prioribus, de tertia loquitur in hæc verba: Πεζῶν δὴ μόνον θήρευσίς τε καὶ ἄγρα λοιπὴ τοῖς παρ' ἡμῖν ἀθληταῖς. ὧν ἡ μὲν τῶν ἑυδόντων αὖ, κατὰ μέρη νυκτερεία κληθεῖσα, ἀργῶν ἀνδρῶν. οὐκ ἀξία ἐπαίνου ὀδ' ἡ τῶν διαπαύματα πόνων ἔχουσα, ἄρκυσί τε καὶ πάγαις, ἀλλ' ὁ φιλοπόνου ψυχῆς νίκῃ χειρουμένων τὴν ἄγριον τῶν θηρίων ῥώμην. Μόνη δὴ πᾶσι λοιπὴ καὶ ἀρίστη ἡ τῶν τετραπόδων, ἵπποις καὶ κυσὶ καὶ τοῖς ἑαυτῶν θήρα σώμασιν. ὧν ἁπάντων κρατοῦσι, δρόμοις καὶ πληγαῖς καὶ βολαῖς αὐτόχειρες θηρεύοντες, ὅσοις ἀνδρείας τῆς θείας ἐπιμελές. *Noſtris igitur athletis ſola relinquitur venatio & captura quadrupedum. Quarum illa etiam quæ circa dormientia occupatur, nocturna ex parte appellata, pigrorum eſt hominum. Ne quidem meretur laudem illa laborum intermiſſiones habens, retibus & laqueis, non autem laborioſi animi victoria, aggredientium ferum robur animalium. Sola omnium igitur reliqua & optima captura quadrupedum, quæ fit equis & canibus, & propriis corporibus. Quos omnes ſuperant, currendo feriendo & jaculando, propriis manibus venantes, quibus cura eſt divina fortitudo.* Hæc Plato. Ut autem nihil hoc venatu ad bellicum uſum, ita nec ad ſanitatem ſervandam quidquam temere utilius. Certe laudans adeo in valetudinis uſum venationem Galenus noſter, hanc ejus ſpeciem indubie ſignificatam voluit. Nec vero primi etiam medicinæ parentes, Æſculapius, Machaon, Podalirius, Chiron, qui non minore quam artem ſuam ſtudio venationem (ſi credimus Xenophonti) ſunt proſequuti, aliam perinde commendavere.

Fuere

(a) *illam exercitationem*) Particulæ enim & potentiæ quæ in corporis humani incrementa conſpirare debent, citra motum torpent, & ſe in actum exſerere non poſſunt.

(b) *accipitres*) Carolingorum tempore falconum ſive accipitrum in venatione uſum fuiſſe, ex capitularibus, & Hincmaro, ubi de falconariis, & quod ſervi Dei non debeant habere falcones, ſermo eſt, colligi poteſt; imo in capitulari de villis accipitrum mentio fit.

Fuere autem & præter venationem alia juventutis Germanicæ exercitia olim non minus eximia. Enimvero jam audivimus dicentem Cæſarem: *vitam omnem in ſtudiis* quoque *militaribus* tum *conſtitiſſe:* & *ab parvulis ſtuduiſſe* Germanos *duritiei ac labori:* Melam item, exercitata fuiſſe corpora (in juventute indubie) *ad conſuetudinem laborum.* Huc vero omnino pertinent ea quæ Seneca ep. XXXVI. ſcribit: *Si in Parthia natus eſſet, arcum infans ſtatim tenderet: ſi in Germania, protinus puer tenerum haſtile vibraret.* De Tencteris Tacitus: *Nec major apud Cattos peditum laus, quam Tencteris equitum. Sic inſtituere majores, poſteri imitantur. Hi luſus infantium, hæc juvenum æmulatio, perſeverant ſenes.* Non tangam nunc natandi actus ſaltim plerisque Germanorum juvenibus olim perquam familiares, utpote cujus, teſte Mela, vulgo *non patientia tantum, ſed & ſtudium fuit.* Et vero illum morem apud Francos, ad Caroli usque Magni ætatem integrum duraviſſe, ex Eginhardo qui vitam inclyti illius herois deſcripſit, notum eſt. *Delectabatur*, inquit, *vaporibus aquarum naturaliter calentium, frequenti natatu corpus exercens, cujus adeo peritus fuit, ut nullus ei juſte potuerit præferri.*

Sed non tangam nunc hæc exercitia: multo minus dicam, fœminis juxta ac liberis domus & rei ruſticæ curam potisſimam incubuiſſe, non in magnos proventus tamen, ſed quantum ad uſum vitæ. *Nec enim cum ubertate & amplitudine ſoli labore contenderunt* majores: nec *beatum* credidere *agris ingemere*, ut Taciti verba faciam mea, ſed *agriculturæ non ſtuduerunt*, ceu Cæſar loquitur. Itaque omnis quamvis ruſtica opera levior, multo tum fuit atque eſt hodie; illam quoque ſervi potius obierunt quam ingenui.

Nemo autem prudens dubitaverit, quicquid fuerit ejusmodi mediocrium exercitationum, ut ad ſanitatem, ita ad corporis robur & augmentum multum conduxiſſe. Equidem cum Cajo Cæſare etiam hoſce leves labores, & hanc liberalem juventutis educationem, non in poſtremis habeo cauſis tam prolixi habitus. Non poſſum non ejus de Suevis, hoc eſt ſaltim plerisque tum Germanorum, ſermonem integrum repetere, quia rem hanc omnem perquam egregie docet. *Quæ res*, inquit, *& cibi genere, & quotidiana exercitatione, & libertate vitæ, quod a pueris nullo officio aut diſciplina aſſuefacti nihil omnino contra voluntatem faciant, & vires alit & immani corporum magnitudine homines efficit.* Hæc Cæſar: quorum nihil non uſus quotidianus approbat. Et vero experimentis docemur maxime vulgaribus, etiam in neglecto cultu haud parum eſſe ad ſtaturam collocatum. Quomodo ex adverſo ille in Comœdia conqueritur de curatura virginum Atticarum,

— *quas matres ſtudent*
demiſſis humeris eſſe, vincto pectore, ut gracilæ ſient,

reddi illas ſolere junceas. Nudos vero & ſordidos, interque pecora ſuccreviſſe, in artus, in toros, in lacertos mirandos adoleſcentiam olim Germanicam, etiam Tacitus ita memoravit, ut appareat illam ipſam vivendi rationem fuiſſe tum in proceritatis cauſa, ex ipſius quidem ſententia.

Quantum præſidium porro corporis ſimul fuit illa ſera juvenum Venus & inexhauſta pubertas! Quantum illa juverit ad parentum robur jam tum ſupra diximus. Nunc igitur id duntaxat monemus, quam multum juverit *adoleſcens robur* (a) primæ ætatis ipſa illa caſtitas. Jam ſane olim id vidit Ariſtoteles: καὶ τὰ τῶν ἀῤῥένων σώματα. inquiens, βλάπτεσθαι δοκεῖ πρὸς τὴν αὔξησιν ἐὰν ἔτι τοῦ σώματος αὐξανομένου ποιῶνται τὴν συνουσίαν. *Maſculorum corpora etiam noxam in creſcendo capere videntur, ſi dum adhuc augeſcit corpus, cum fœminis conſueſcant.* Non latuiſſe autem hoc ipſum & Germanis priſcis, diſerte utique prodidit Cæſar. Cum enim dixiſſet: *Qui diutiſſime impuberes permanſerunt, maximam inter ſuos ferunt laudem:* ſtatim ſubjungit: *Hoc ali ſtaturam, ali hoc vires nervosque confirmari putant.* Indubie autem longo & quotidiano uſu comperta majoribus fuit illius rei ad auctum facultas. Et vero qui vel plebem rudem circa hominum corpora fugiat, quod in omni animantium, equorum, boum, ovium, ſuum, caprarum, imo & volucrium genere indies obſervat?

Quid, quod & illam tolerandi frigoris a teneris aſſuefactionem merito habeas in cauſis ut ſanitatis ita proceritudinis? Enimvero non equidem cætera eximio imo incomparabili antiquarum Germaniæ rerum illuſtratori *Philippo Cluverio aſſenſerim*, (b) nudatis ipſismet genitalibus majores inceſſiſſe. Quantumvis ille hoc paradoxon non tantum in opere Germaniæ antiquæ proponere, ſed & in volumine Italiæ antiquæ defendere, & quidem acriter, haud dubitaverit. Quis enim veterum id quidem memoravit? Memoraſſent autem indubie rem adeo turpem complures. De fœminis ipſis ex adverſo non aliud Tacitus, quam: *nuda brachia ac lacertos, ſed & proxima pars pectoris patet;* quin addit, *ſevera* tamen *matrimonia;* item *eſt non alius fœminis quam viris habitus.* Fuit proinde nuditas Germanorum veterum male tecto corpore incedere: quo ſignificatu vox illa paſſim ſolet accipi. Ne dixerim quidem, Germanis fuiſſe tum uſitatum, primo natos deferre ad flumina, & jam tum durare quaſi ſævo gelu: quod de illis tamen acceperat Galenus, uti liquet ex primo de Sanitate tuenda libro; & hodieque a quam multis interque eos & Cluverio traditur. Etenim nec illud veterum alius quisquam præter unum Galenum de Germanis quidem aperte, ſed Ariſtoteles ac Polybius de Celtis, (qua voce ſemper etiam Germanos comprehendi, etſi ſæpe olim id fuerit factum, non tuto dixeris) prodidere. Utque Ariſtotelis ævo tale quid etiam Germani fecerint, poſt tamen fortasſis agere id deſierunt, non minus atque Galli. Nec vero huc pertinet quod ſeculo adhuc quarto Chriſtiano de Rheni

(a) *adoleſcens robur*) Demonſtrat hoc *BVRGGRAVIVS p. 148. 149. & obſervat. illuſtrat. p. 245.*

(b) *Cluverio aſſenſerim*) Sunt qui hic Cluverium ſequuntur, contendentes, credibile admodum eſſe majores noſtros inteſtis genitalibus inceſſiſſe, cum teſte Cæſare non in turpibus poſuerint in aliorum conſpectu cum uxoribus rem habere; quanquam alii fidem Cæſaris hic in dubium vocent.

ni accolis Celtis Julianus *ὁ παραβάτης*, Gregorius Nazianzenus, Claudianus aliique memoraverunt: quod ſcilicet illi infantes ſuos Rheno immerſerint. Factum enim illud, explorandorum per *magicas vires* (a) natalium cauſa, non roborandi corporis; quod ſatis diſerte iidem illi auctores ſunt teſtati. Perinde fortasſis atque hodie, vetuſtisſimo inter Germanos more, dæmoniaci fœderis ſuſpecti aquæ frigidæ innatatione indicantur.

Cæterum a teneris omnes olim Germanos magna corporis parte nudos, aut tantum ſagulo fuiſſe leves, frigori item aſſueviſſe, locupletisſimis conſtat teſtimoniis, non minus atque tolerantisſimos fuiſſe frigoris. Præ aliis egregie Cæſar, quamvis de ſolis Suevis verba faciens: *In eam ſe conſuetudinem adduxerunt, ut locis frigidisſimis, neque veſtitus præter pelles habeant quicquam, quarum propter exiguitatem magna eſt corporis pars aperta, & laventur in fluminibus.* Ea res autem quanti ad ſanitatem momenti ſit, jam olim Ariſtoteles haud ignoravit; ideoque non aliter beatorum civium liberos voluit educari in politicis ſuis. Et ſane ſic viget nativus ignis, ſic cibus in ventre, ſic in venis humor omnis quam optime digeritur; unde creſcere corpora & roborari neceſſum eſt.

Indubie vero multum ad proceritudinem juvit iſthæc quondam veterum Germanorum in ſomnum ſimul & cibum propenſio. Tacito ſcilicet teſte, *dediti* illi fuere *ſomno ciboque*, quotiens bella non inierunt; quin *ſomnum in diem plerumque extraxere*, mox *ſimulac lauti ceperunt cibum.* At vero ipſimet athletæ quoque Græcorum ſomnolentiæ nomine male audiunt Platoni tertio de Legibus volumine. Utque in medio relinquas nunc, an *pervigilio præcipue vincantur cibi*, (b) quod Plinius XI. libro cap. penultimo affirmat, & patrum memoria vero fecit perſimile doctrina & ingenio præſtans Laurentius Joubertus paradoxo primæ decuriæ octavo; an potius ſomno, quæ eſt receptior ſententia: tamen certum eſt, ipſo fatente Plinio, *ſomno concoquere corpulentiæ utile eſſe*, ſi non firmitati. Ut proinde non ſit mirum, ita ſomno atque cibo optimo, nec niſi moderatis exercitiis indulgentes, inſignem in magnitudinem excreviſſe. Enimvero etiamnum duris laboribus ferendis agreſtium corpora roborantur quam maxime etiam illo, quod ſimul ſomno ſoluti ſunt ſtatim cibo capto foveantur.

Dicerem vero & unctionem corporum profeciſſe ad ſtaturam, ſi conſtaret majores unctos. Aſt a nemine id dictum eſt ex ævo vetere. Nec enim Plinii illa de butyro: *non omittendum in eo olei vim eſſe, & barbaros omnes infantesque noſtros ita ungi;* ad alios quam infantes videtur pertinere. Agnoſco tamen apud Athenæum lib. X. ab Hecatæo tradi, Pæonas *ἀλείφεσθαι ἐλαίῳ ἀπὸ γάλακτος*, quibus ille verbis circumlocutus eſt butyrum: hodieque Hibernos ſylveſtres butyro ſalſo ac vetere ad ignem oblini. Facit alioquin unctio ad oſſium lentitudinem & mollitiem tendinum ac nervorum; quæ cumprimis ad auctum corporis eſt neceſſaria.

Cæterum nolo ego ab incerto proceritudinis cauſam repetere. At vero lavacra priſcis Germanis frequentisſima, quoniam in vicem unctionum omnino habenda, ſilentio heic præterire, non patitur inſtitutum. Enimvero creberrime Germanos noſtros olim lavacris uſos, idque modo frigidis modo calidis, conſtanter docent Romana antiquisſima teſtimonia. Quin poſſit videri Tacito memoratum, quotidie a ſomno lauta corpora tota omnium. Ait enim: *Statim e ſomno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur; ſæpius calida, ut apud quos plurimum hiems occupat; lauti cibum capiunt.* At non diffitebor, manus duntaxat & faciem a ſomno fortaſſe ſtatim tum lautas, & mox captum cibum. Qui mos hodieque per eſt communis & vulgatus. Attamen jam tum audivimus, quantum olim fuerit natandi ſtudium, & laviſſe olim majores noſtros in fluminibus, locis etiam frigidisſimis; nullo autem id factum ſexus diſcrimine ſed *promiſcue in fluminibus perlui* ſolere, diſerte affirmat Cæſar lib. VI. Quandoquidem vero, Tacito teſte, ſæpius olim calida lavere Germani, indubie & *balnea* (c) aquæ calidæ jam tum fuerunt in frequente ſatis uſu, etſi non atque hodie. Sane & Carolum Magnum balneis thermarum delectatum adeo ferunt, ut extremis vitæ annis *non ſolum filios ad balneum, verum optimates & amicos, aliquando etiam ſatellitum & cuſtodum turbam invitaverit, ita ut nonnunquam centum vel eo amplius homines una lavarentur.* Quantumvis autem immodicus balneorum uſus officiat valetudini, frequenti tamen lotione emolliri corpus, atque primam ætatem ad incrementum ea re multum juvari, omnium prudentium medicorum conſenſio eſt. Ut proinde etiam hoc profuiſſe ad inſignem majorum proceritatem, non ſit dubitandum.

Multum poſtremo ad ſanitatem corporum indubie fecit illa a pueris bellica exercitatio. Scilicet ingrata olim genti omni quies, nec arare terram aut exſpectare annum tam facile tum perſuaſiſſes, quam vocare hoſtem & vulnere mereri, ut verba Taciti faciam mea. Igitur non aliud etiam adoleſcentiæ ſtudium tunc fuit, nec aliunde major delectatio quæſita. Tacitus ſane teſtatur, gladio jam frameaque ornatos juvenes ſtatim in comitatum ſe dediſſe robuſtiorum ac jam pridem probatorum Principum, magna inter comites æmulatione, cum ventum in aciem, pugnandi pro principe: ſi civitas in qua orti longa pace & otio torpuerit, pleroſque nobilium adoleſcentum petere ultro ſolitos eas nationes quæ bellum aliquod gerebant. Militaria autem iſthæc exercitia quidni tantundem præſtiterint ad tuendam ſanitatem & roborandas vires, atque venationes illæ ferarum paullo ante nobis laudatæ?

Poſſem hoc argumentum etiam aliis illuſtrare, ſed fortaſſe non eſt pretium operæ adeo curioſe omnia

(a) *magicas vires*) Rheno numen forte aliquod præſidere crediderunt, quod hoc modo recens natorum legitimos aut illegitimos aperiret natales.

(b) *vincantur cibi*) *BVRGGRAVIVS p.* 259. *ſeqq.*

(c) *balnea*) *Cl. BVRGGRAVIVS in comment. pag.* 271. *VOGLER dictat. comment, cap.* 29. *BEHRENS l. c. ſect. VIII. cap.* 2.

omnia quaſi cum pulviſculo (ut ita loquar) conquirere, quæ in victu Germanicarum gentium olim obtinuerunt magna laude digniſſima. Et ſane vel ex hiſce, quæ ſunt in medium adducta, nemini non liqueat, quam idonea fuerit antiqua illa vivendi ratio amplificando corpori & alendis viribus. Abunde enim me jam tum docuiſſe arbitror, ita vitam ſuam olim parentes egiſſe, ut non potuerit non in ſobolem par corporum robur transmitti: ita liberos adoleſcentiam, ut patrum virtus non tantum nihil detrimenti ceperit, ſed amplius provehi debuerit atque educi in majus.

Haud neſcio tamen ſequius de Germanorum victu pronunciaſſe ſummum artis medicæ magiſtrum Claudium Galenum. Namque infantes Germanorum ne nutriri quidem, contendere ſe poſſe, affirmat ille primo de tuenda ſanitate libro: adeoque ſuam illam doctrinam non prodere ſeſe Germanis, non magis quam urſis, apris, leonibus, aut aliis id genus feris, ſed Græcis, aut iis, qui Græcorum ſtudia æmulantur. *Ἀλλ' ἡμεῖς*, inquit, *νῦνγε ὅτε Γερμανοῖς, ὅτε ἄλλοις τισὶν ἀγρίοις ἢ βαρβάροις ἀνθρώποις ταῦτα γράφομεν, ὅτι μᾶλλον ἢ ἄρκτοις, ἢ κάπροις, ἢ λέουσι, ἢ τινι τῶν ἄλλων θηρίων.* Verum, quod pace liceat regerere magni illius doctoris, quei non fuerint optime nutriti Germanorum infantes, cum ſtatim in illos artus in illamque celſitudinem promiſcue excreverint, quam ſolis heroibus ſuis Græculi per fabulas affingunt? Neque vero opus tum Germanis fuit ſanitatis magiſtro Pergameno aliquo, aut Coo, aut Epidaurio, cum ſolo uſu ſatis edocti eſſent quæ corporis robur atque valetudinem conciliare idonea ſunt. Quid quod omnia fere illa, paucis exceptis, quæ in Germanico victu ante a nobis ſunt laudata, unice commendet ipſemet quoque Galenus? A robuſta certe valetudine Germanica quam multum abfuit Galeni Græcia? quamvis vita Græca elegantiæ & cultus nomine blandita ſit mollium cumprimis & effœminatorum gregi. An Galenus fuiſſet auſus ſuorum brevitatem & invalidos artus cum Germanorum robore & longitudine committere? Sequitur autem omnino corporum ſtatus victum: optimus optimum.

Bene vero, quod Galenus noſter tantum ignorantia vitæ Germanicæ ductus ita pronunciaverit, adeoque falſa aliorum narratione deceptus iniquam illam ſententiam tulerit. Neque enim aliam pronunciati ſui ille rationem attulit, quam quod accepiſſet, calentem ab utero fœtum Germanos gelido flumine mergere: id quod etiam nos jam tum ante falſi damnavimus. Et ſane cui vero fiat ſimile, id feciſſe eos, qui etiam adulti *ſæpius calida*, Tacito teſte, laverunt?

Quid, quod & illa infantilium corporum in frigidam merſio fortaſſis non mereatur tam diram execrationem? Ariſtoteles certe, vir non minor Galeno omnigena naturæ calliditate, ſi non ſuperior, quo loco optimam educandi lectiſſimos cives rationem docere annititur, haud videtur illam improbaſſe, morem hunc Celticum in teſtimonium laudans. Eſtque longe veriſſimum quod ait; *utile eſſe ſtatim ab ineunte ætate frigoribus aſſueſcere, quoniam tum ad valetudinem tum ad munera militaria prodeſt, habitum vero puerorum natura aptum eſſe propter calorem qui frigore exerceatur:* quod multis docere ab hoc loco alienum eſt.

Utut vero ſeſe hæc habeant, id etiam atque etiam dignum eſt obſervatu, non alio pene victu primos mortalium, quos & ævi ſpacio & forma feliciſſimos prædicamus, vixiſſe, quam illo vetere Germanico. Neque enim eſt quod moremur Græcorum fabulas de glandibus, quas illi ferunt principio omnium in alimentum ceſſiſſe, nondum repertis frugibus. Quis enim ſanus & mentis compos, (quales profecto fuere mortalium antiquiſſimi) ſuſtineat glande veſci in omnium mitiorum rerum abundantia? Sed & ſacræ hiſtoriæ narrant, ſtatim initio alios agrum coluiſſe, alios paſtoritiam exercuiſſe, indubie in uſum victus, non multo poſt diluvium quosdam, interque eos Iſaacum Patriarcham ipſum, & ferinam obſonatos.

VERUM de illa antiqua vivendi ratione plus ſatis fortaſſe in medium adduximus. Neque enim arbitror latere adhuc, qui factum olim fuerit, ut corpora Germanica promiſcue in eximiam illam longitudinem excreverint. Non difficile autem nunc amplius etiam fuerit memorare, quibus de cauſis honos ille formæ in quam multis fecerit jacturam. Quidni enim & heic ut alibi ſemper, contrariæ contrariorum fuerint cauſſæ? Et ſane ita paſſim mutavit omnis vita, itaque omnia inſtitui cœpere, ut pene ſit mirum reliquias ſupereſſe veteris amplitudinis.

Primum etenim in Germanicum ſanguinem per connubium inſerta eſt vicinarum gentium cumprimis olim Romanorum, brevitas; nec id raro ſed frequenter; nec tempore exiguo, ſed longo ſeculorum aliquot decurſu. Hinc vero citra dubium nati plurimi infra Germanicam longitudinem quidem, Germanis tamen nihilominus accenſiti. Qui viciſſim prolem ſubmiſere ut ſibi ſimilem, ita Germanis antiquis multum diſſimilem: ad nos usque contage illa ſenſim proſerpente, ut fieri aſſolet.

Forte tamen non adeo multum damni hæc res dediſſet, niſi fomento quodam creviſſet malum. Eſt enim ut ſupra parentes liberi ſeſe erigant, & jam tum laudata nobis illa quæ hodie eſt Aſiaticorum prolixitas, quos olim exiles fuiſſe accepimus.

Majus longe detrimentum exiſtimo a vitæ ratione iſthac enatum, inſtitutis veterum ex adverſo quaſi oppoſita. Equidem illam non dubito primariam ſubſecutæ brevitatis cauſſam dicere, quamvis nunc ſecundo loco a me commemoretur. Neque vero mirum eſt, victu diminutam formam, cum ejusdem vi inſignem in modum olim corpora adoleviſſe, longo hactenus ſit ſermone oſtenſum. Et ſane paſſim locorum novam illam vivendi rationem introductam obſervo: quam non potuit non conſequi ſiccitas incremento corporum perinimica. Aucto ſcilicet præter naturæ leges nativo corporum noſtrorum igne: qui invaleſcens depaſcitur plus juſto humorem, unde ali & amplificari corpus oportebat, quemque proinde nos in antiquis illis prolixis Germanis ad luxuriam usque abundaſſe notavimus.

Ut enim ab aëre ipſo initium faciamus, non tantum fugimus nos ſolito magis frigora ejus & aſperitatem, ſed etiam varia arte æſtum conciliantes propemodum aduri aëre gaudemus: Quam exquiſite enim nunc plerique veſtimur a prima usque infantia præ ævo vetere? Quam cavemus ne quam partem nudam aſpiret aura horridior?

Ignota majoribus fuere & hypocauſta quæ vocant, omni pene Germaniæ hodie frequentiſſima. Ferenda quidem imo laudanda, niſi plurimi iis torreri affectent potius, quam ut hyemis rigorem emolliant. Niſi madeas, imo niſi ſudore diffluas, male tecum agi creditur. Ita hyems a perquam multis tranſigitur; quam tamen Germania longiſſimam pene anni partium experitur. Nec vero *totos dies juxta focum atque ignem agentibus*, quod de majoribus proditum eſt Tacito, dixeris æque olim uſta corpora; cum etiam ſic pars maxima pateat frigori.

Quid de lectis noſtris dicemus molliſſima pluma ſuffarctis? quorum vicem humus quondam fuit, aut tenuis herba, aut vero ſtraminis aliquid vel fœni. Profecto & lecti ſiccant multum corpora & calefaciunt: & quidem eo plus, quo ſunt molliores; maxime ſi & lodice utaris plumea, qui mos Germaniæ itidem hodie tantum non eſt communis. Non ego cum Roderico Fonſeca in univerſum *damnaverim eorum uſum*, (a) tamen calidioribus nonnihil & aridis corporibus minime convenire non eſt dubitandum. Et vero vel hinc variorum morborum proventus haud eſt exiguus. Utque nulli inde ſint morbi, ſucci tamen multum ſubduci ita corporibus, neceſſum eſt.

Quam exſiccant porro & urunt illæ aridæ ſudationes per Laconica excoctæ, noſtrum quibusdam adeo gratæ & frequentes! Neque enim vel illæ majoribus ullo in uſu fuere, tantum lavari calida aſſuetis.

In illo autem quaſi perpetuo æſtu a prima usque infantia educatis, numquid miremur, exuſto humore, ſenſim correptam formam, & a majoribus nepotes degeneraſſe? Enimvero quei perinde ut ante nunc adoleſcerent corpora, quæ non perinde ut ante nunc humiditate ſua luxuriant, qua ſine fruſtra expectes aliquod lætius incrementum?

Ille vero externus & ambiens corpora fervor non hac tantum ratione videtur obſtare auctui, ſed etiam quod hoc ipſo ſeminum vis quaſi enervetur. Certe jam olim eſt Ariſtoteli obſervatum: *βορείοις ἀῤῥενοτοκεῖν μᾶλλον ἢ νοτίοις flantibus aquilonibus mares gigni magis quam auſtru:* quod ex paſtorum experimentis etiam Columella prodidit. Id præſtat autem aquilo, augendo inſitum ſeminibus ignem, qui externis membris frigore condenſatis ſeipſo fit intenſior. Quæ mares vero producit vis, eadem valet fere in univerſum robuſto & amplo fœtui producendo. Ut proinde etiam ſeminibus haud exiguum deceſſerit adſcititio illo æſtu noſtro. Nec tamen nunc urgebo, quantum alias ardor noceat corporibus jam adultis; quorum morbi & vitia cum itidem in ſemina tranſeant, multis modis labefieri ſeminum robur ab una illa eademque cauſa neceſſum eſt.

Plus longe detrimenti a cibis accepit veteris decus proceritudinis. Quaſi enim conſpirare & illi cœperunt in præproperam corporum ſiccitatem caloremque, duo validæ adoleſcentiæ maxime inimica mala. Non urgebo nunc multum, panis hodie majorem eſſe quam olim uſum. Lacte vero, illo auctus fomento potiſſimo, quam paucisſimos non adultos tantum ſed & adoleſcentes nunc vivere, cumprimis reor animadvertendum. Ne carnes quidem a nobis, perinde ut a majoribus, expetuntur in cibum. Ex adverſo in gulæ libidinem omnia melle, ſaccharo, *varioque aromatum genere* (b) condiuntur: imo ipſa illa condimenta quamplurimis fere pro cibo ſunt. Usque adeo nunc diſceſſere mores a leniter dulcibus, cujusmodi ſunt lacticinia & carnes, ut nihil ferme placeat, niſi quod urat aut vellicet palatum. His non juvenes tantum aut pueri, ſed & infantes vivunt. Atqui iſthæc omnia ſimul nativum etiam ſuccum mirifice deprædantur. Pene dixeris in nonnullos convenire illa Plautina:

Ei homines cœnas ſibi coquunt: cum condiunt
Non condimentis condiunt, ſed ſtrigibus,
Vivis convivis inteſtina quæ exedunt.
Hoc hic quidam homines tam brevem vitam colunt,
Cum hasce herbas hujusmodi in ſuum alvum congerunt,
Formidoloſas dictu, non eſu modo:
Quas herbas pecudes non edunt, homines edunt.

Jam pro cibo ſimplice quam infinita varietas portentoſis illis ganeæ magiſtris eſt excogitata! Quanta dapum copia onerantur menſæ, farciuntur accumbentium ventres! Pudet fateri, quo prolapſi ſimus luxuriæ. Optime vero olim Flaccus:

Accipe nunc victus tenuis quæ quantaque ſecum
Afferat. Inprimis valeas bene. Nam varia res
Ut noceant homini, credes memor illius eſcæ
Quæ ſimplex olim tibi ſederit. At ſimul aſſis
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis:
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum
Lenta feret pituita.

Veriſſime profecto hæc Flaccus & ad mentem ipſiusmet artis medicæ. Quum illæ epulæ autem valetu-

(a) *damnaverim eorum uſum*) BEHRENS *l. c. ſect. VII. c. II. §. V.* VOGLER. *p. 181. ſeqq.*

(b) *varioque aromatum genere*) *Homini cibus ſimplex utiliſſimus, acervatio ſaporum peſtifera & condimenta perniciosiora.* PLINIUS *hiſtor. natural. lib. XI. c. LIII.*

Digitized by Google

valetudinem proſternant, aut ſaltim debilitent, quidni & incremento illæ officiant plurimum, fructui integræ & robuſtæ ſanitatis?

Et tamen plus quam cibos damni arbitror dare potum, qualis ille nunc quidem in conſuetudinem eſt *receptus*. (a) Neque vero mirum eſt, majorem turbandi corporis vim potulentis quam cibo ſicco ineſſe: nam *ἡ τοιαύτη τροφὴ κυριωτέρα τῆς ξηρᾶς ἐςι, τῷ πλεῖςον εἶναι, καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν σιτίων τὸ ὑγρὸν γίνεσθαι τροφὴν*, ut eleganter loquitur *ſect. I. probl. XV.* Ariſtoteles.

Non reprehendam nunc lupulum, quo cereviſiæ noſtræ, Hiſpanico forte invento (Hiſpaniæ enim vetuſtatem ferre ea potus genera, teſte Plinio, docuerunt, hanc vero maxime præſtat *lupulus:* (b) eoque & Iſidorus Hiſpalenſis Hiſpanicæ celiæ confectionem docens l. XX. Originum cap. 3. non aliud videtur ſpectaſſe iis verbis: *fermentato jam ſucco ſapor auſteritatis & calor ebrietatis adjicitur:* quorum utrumque efficit lupulus) condiuntur: ne videar ſimul & bona quæ confert, ſane inſignia, damnare. Et tamen eſt certum, æque multum illo deteri alimentariæ virtutis, quam perit dulcedinis: quoniam hoc ipſo in medicamenti naturam abit propemodum quod non niſi alimentum debebat eſſe.

Vini vero noxam ſilere nullus poſſum. Ignorabat olim vitem omnis Germania: major populi pars & fortiſſima ne vinum quidem ad ſe ſinebat importari; tantum proximi ripæ Rheni & Danubii illud mercati ſunt, indubie tamen perraro, nec niſi opulentiores. Gallis & Pannoniis Probus Imperator, ſcribitur a Vopiſco in ejus vita, primus omnium vineas permiſiſſe, imo eorum colles vinetis repleviſſe; adactis in illam curam otioſis legionibus. Antiquata ſcilicet Domitiani lege, ut in provinciis vineta ſuccideréntur: cujus meminit in Domitiano Suetonius, & in Scopeliano Sophiſta Philoſtratus. Ex eo Gallica Rheni & Pannonica Danubii ripa vitem coluit; forte & Transrhenana Germania accepit, utpote quum idem Imperator, *urbes Romanas & caſtra in ſolo Barbarico poſuerit*, eodem Flavio Vopiſco teſte. Cæterum in Cisrhenana indubie jam inde vitis lætisſime ſuccrevit: in reliquam Transrhenanam ſerius recepta eſt. In annalibus Francicis legimus, anno poſt natum Chriſtum DCCCXLII, quum vaſtum illud Francorum regnum tres in partes, filios inter Ludovici Pii, divideretur, Ludovico juniori præter Germaniam Transrhenanam cis Rhenum *multas civitates* ceſſiſſe (Moguntiacum ſcil. Nemetum & Vangionum oppida) *cum adjacentibus pagis propter vini copiam.* Quod videtur argumento eſſe, in Transrhenana Germania vitis cultum nondum ea ætate valuiſſe. Id obſervandum, etſi jam Probo Cæſare inceperint vineæ Rhenanæ, multo tamen poſt adhuc *zythi uſum* (c) illis in terris ſuperfuiſſe. Non alibi profecto cereviſiam bibit *ὁ παραβάτης* Julianus, quum lepido in eam epigrammate Græce invectus eſt: cujus ſenſum elegantia non multum forte diſpari (parem enim non patitur utriusque linguæ diſpar genius) ſi Latine expreſſeris:

Quis Dionyſe? unde es? Nam Bacchum juro per ipſum,
Te minime novi, ſed Jove noſco ſatum.
Alter olet nectar: Tragon aſt tu. Gallia nempe
Te flava e ſpica vitis inops genuit.
Quin Cerealem igitur te dixero, non Jovialem,
Spicigenam potius & bromon, haud bromium.

Ita, inquam, forte haud inepte vertas: ſervata ipſa tragi voce, qua hoc loco non hircum, ceu vulgo creditur, ſed illud ex olyra aut tritico confectum illique ævo celebratum ſignificari, per mihi fit veroſimile. Forte vero & ultima illa ſic rectius reddideris:

Quin Demetrius ergo audis ſed non Dionyſus,
Spicigenusque magis & bromos, ac bromius.

Meliora tamen ſunt Græca, eoque præſtat audire.

Τίς; πόθεν εἶς Διόνυσε; μὰ γὰρ τὸν ἀλήθεα Βάκχον
Οὔ σ' ἐπιγιγνώσκω· τὸν Διὸς οἶδα μόνον.
Κεῖνος νέκταρ ὄδωδε, σὺ δὲ τράγον. ἦ ῥά σε Κελτοὶ
Τῇ πενίῃ βοτρύων τεῦξαν ἀπ' ἀςαχύων
Τῷ σε χρὴ καλέειν Δημήτριον, οὐ Διόνυσον
Πυρογενῆ μᾶλλον καὶ βρόμον, ἢ βρόμιον.

Hæc Julianus: cujus tamen judicium non eſt quod magnopere moremur. Tantum ſatis nunc eſt nobis, inde didiciſſe, ne tum quidem Cisrhenanos cereviſiam deſiiſſe coquere.

Quo autem cunque momento vinum potare Germania didicerit, equidem ejus uſu multum poſt corporibus deceſſiſſe, non dubito. Nec enim illud cui a vero alienum videri debet, qui & vini temperaturam perſpectam habet, & aviditatem potandi, noſtræ genti, antiquiſſimo bellicoſorum populorum vitio, nimis quam familiarem. Non eſt mei nunc inſtituti agitare multis modis; quæ va-

rios

(a) *receptus*) Sermo hic eſt de Thee, Caffee & Chocolade. Sed liquores iſti modice ſumti adjuvant & augent ſanitatem. Vide BVRGGRAVIVM *p.* 322. *ſeqq.* Merito autem a frequentiori illa & nimia decocti Thee potione, quam Buntekoe & Waldſchmidius ſuaſerunt, abſtinendum eſt. Idem etiam de potu Caffe & Chocolada dicendum eſt. Interim etiam ad varias hic ætates & temperamenta eſt reſpiciendum. BEHRENS *l. c. ſect. IV, c. I, II. III.*

(b) *lupulus*) *BVRGGRAVIVS p.* 216.

(c) *zythi uſum*) *PLINIVS lib. XXII. cap.* [illegible]. *Galli*, inquit *DIOSCORIDES lib. V. c.* 26. *horum fructuum (vini & olei) expertes ex hordeo ſibi potum conficiunt.* Nomen a ſeeden habere putarem. Quid enim neceſſum eſt, radices linguæ noſtræ in linguis peregrinis quærere? Miror vocem beer a Græco, Latino aut Hebraico repetere velle. Quidni, ſi de radice non conſtat, dicere poſſemus vocem eſſe primitivam. Puto tamen appellationem ab effectu eſſe deſumtam, & forte derivari beer a boeren, quia ſpiritus inde in caput tolluntur, & hoc ab eis in ebrietatem propellitur.

rios eruditos non ſemel occupavit de vini temperie, quæſtionem, frigidumne ſit an calidum, numve exſiccet potius quam humectet. Bene enim conſtitutum vinum omne, quale eſt in quo ab exſuperante aqua virtus vini genuina diluta non eſt & fracta, quod meracum dixeris & vinoſum, calefacere multum, haud crediderim in dubio ponendum eſſe. Fulva certe pleraque & antiqua omnium conſenſu calida facultate inſignia ſunt. Quamvis etiam liquida omnia ſint vina, comprehendunt tamen indubie multum ſubtilis ignei corporis, eoque exſiccandi vi pollent; magis minusve, pro copia illius ignis aut penuria. Quod quoniam in hac controverſia arbiter lectus Hieronymus Fracaſtorius, autor ingenio & judicio maximus, ſingulari opuſculo, & ipſe ille pro quo ſententiam tulerat Antonius Fumanellus medicinæ peritia itidem inſignis, multis libellis cum contra alios, tum inprimis Conſalvum Barredam, & Johannem Baptiſtam Conſalonerium, qui vinum omne humidum pronunciaverant, jam ante hoſce centum annos perdocte & copioſe demonſtraverint, non eſt cur ego vel verbulo rurſus nunc idem adſtruam.

Ea vero cum ſit vini meraci & generoſi (quo præcipue delectamur) natura, ecquis dubitet quotidiano & largo ejus potu plus juſto & *caleſieri* (a) corpora & exareſcere? At multi noſtratium ingurgitant ſeſe igneo illo potu pene quotidie; nec adulti tantum aut jam viri, pro lacte nutricis prope ab infantibus bibitur. Et tamen ad altitudinem aliquam ſpecioſam excreſcerent corpora, primis ſtatim annis tantum non exſiccata? Qualem credis ſanguinem a matribus meri potricibus ſuggeri fœtui anteaquam miſellus ille prodit in lucem? Quantum ardent indubie ſemina patrum potulenti iſtius ignis plena? Tam corruptis primordiis natus infans quomodo efferat corpus in decoram aliquam prolixitatem? At vitioſos natales excipit pejor educatio, ne prima quidem ætate a mero ſibi temperante: adoleſcentes etiam helluantur. Multum ſane abſumus ab optimis Platonis legibus, qui pueris ante duodeviceſimum annum vino interdixit, inde ad triceſimum non niſi moderatum ejus hauſtum conceſſit, addita cauſa: ne *ignis igni* (b) addatur. Quod ille quidem ita cenſuit morum gratia, qui vini imo omnis inebriantis liquoris potu in juvenibus efferantur: trahere vero etiam ad valetudinem licet atque auctum corporum. Non quidem quaſi vinum plus nimio augeat ſanguinem puerorum, quo jam tum abundant, calidi nempe & humidi natura, quod Galenus noſter cauſatur *in iis quæ de tuenda ſanitate & virtutibus animalibus* ſcripſit: id enim potius lac præſtat, ætati tamen illi maxime conveniens: ſed quod tenuiore & exhalabili ſui parte, ſive, (ut nunc vulgo loquimur) ſpiritu ſuo tentet facile caput, quod in pueris per ſe humoris eſt plenum, unde comitialium affectuum imminet periculum, ceu *l. de ſomno c. 3.* acutiſſime obſervatum eſt Ariſtoteli: tum etiam quod plus quam par ſit, abſumat nativum ſuccum amplificandis corporibus idoneum & paratum. Certe quantum valeat ad incrementum cohibendum vini in primis annis quotidianus uſus, vel ſimiæ nos doceant & quadrupedes digitis præditæ: quas jam tum olim veteres prodiderunt, minus creſcere ſi meri potui aſſueſcant.

Cerne vero hunc terrarum orbem, & inquire in ſtaturam hominum, quanta fuerit ignota adhuc vite, & poſt temeti conſuetudinem. Deprehendes utique, quaqua inceſſit vinum, priſtinam altitudinem ſenſim correptam, & mutilata corporis dignitate robur ipſum eſſe imminutum: alibi viciſſim, damnato per religionem vino, ut in Aſia, priſcam corporum brevitatem nova altitudine emendatam. In ipſamet Germania noſtra, quæ pars vitem non alit, aut vino rarius, lacte aut cereviſia frequentius, utitur, nonne plures educat majorum adeo laudata magnitudine inſignes, præ illa cui vinum eſt in familiari & multo potu? Quid? quod & in terris vite fœcundis lætius adoleſcant aquæ potores, aut amatores vini ὀλιγοφόρου, quique meri vires multa aqua caſtigant, vel, ut Plinius loquitur, vinum caſtrant.

Et tamen pene in univerſum natura ſunt mitiore vina Germanica aliis: quæ vel ignea ſua vi, vel terrea, imo lapidea fæce in prœmaturam ariditatem tendines ligamenta atque oſſa ipſa præ noſtris conjiciunt alias, & potores ſuos non brevitate tantum, ſed etiam exquiſitis doloribus ac deformi turpique articulorum nunc rigiditate, nunc curvitate nonnunquam & fœda elephantiaſi, peſſime mulctant. Nec tamen ipſa illa vina noſtra quamvis optima, prorſus innocentia quis pronunciaverit. Graſſantur enim & illa in viſcerum totiusque corporis nativum ſuccum calore ab indole corporis noſtri alieno, eumque intempeſtive conſumunt: quo adoleſcentiæ incrementum intercipitur, adulti in ſenium præcipitantur.

Non ego temperatum *vini uſum accuſo.* (c) Abſit. Meri & quidem unius quotidianam potationem alendo corpori haud cenſeo convenire. Illa autem Scythis olim interdum uſitata *ἀκρατοποσία* usque adeo in mores nonnullorum irrepſit, ut alia omnia pocula faſtidiant, imo fortiſſimo tantum vino in ipſa menſa cibum diluant. Quod mendoſum eſſe nec a Flacco fuit diſſimulatum, ſatis bibulo alias homine:

— quia nil vacuis committere venis,
Nil niſi lene decet; leni præcordia mulſo
Prolueris melius.

Scilicet

(a) *caleſieri*) Aliqui duos in vino calores ſtatuunt, quibus calor ſolis accedit. Quo igitur ſolis calor eſt intenſior aut remiſſior, eo vinum etiam magis aut minus eſt calidum. Concurrunt autem tres illi calores ad unum calorem ſingularem conſtituendum. Alii in vino diſtinctos nec numero nec ſpecie agnoſcunt calores, ſed econtra duplex illi ineſſe humidum dicunt continuans & aquoſum; hoc in aquoſa vini ſubſtantia, illud in vinoſa. *JUNGII phyſica.*

(b) *ignis igni*) Exſiccat vinum & parum nutrit. VOGLER. *l. c. p.* 33. 66.

(c) *vini uſum accuſo*) *BEHRENS l. c. ſect. III. c. V.*

Scilicet blando calore quam rectiſſime cibus edomatur: ſi plus juſto auxeris, aſſat ille potius ac adurit quam ut coquat, unde crudi ſucci in venis omnibus proventus. Imo, quod mirere, frequens ventriculi ex alieno calefactio nativum illius calorem dejicit. Exemplo ſuo teſtantibus id paſſim noſtris temeti potoribus: ne quid nunc dicam de Hippocrate, qui ex Græcorum ſuorum uſu id medicis aphoriſmis inſeruit. Hi ſane languorem ex crapula contractum ſimilibus poculis depellunt, tandemque invaleſcente malo non aliter poſſunt tueri quod ſupereſt ſanitatis, quam remedio ex noxa quæſito. Quanto majus vero eſt indubie damnum, ſi merum non duntaxat in neceſſarium ceſſerit potum, ſed etiam dies noctesque ita combuſſeris, ceu ille ait? Quod nimis (heu!) genti noſtræ nunc familiare eſt.

Emolleſcere homines ad ferendum laborem atque effœminari vini iſthac ingurgitatione, jam tum olim majores uſu ipſo deprehenderant; eam unam ob cauſam importari ad ſe vinum prohibentes. Quidni vero & ſtaturam multum ſufflaminet quod tantum detrahit viribus? Niſi ſane dicere malueris, diminutione virium corpus amplificari, fatendum hoc fuerit.

Ut vero innoxium ſit vinum ſibi & naturæ ſuæ relictum, profecto tantum non venenum eſſe illud incipit mangoniis illis, quibus non tam conditur quam adulteratur. Sulphuris & reſinæ fumum, calcem & gypſum quis in corpus admiſerit? Quis non ab arſenico albo illo factitio abſtineat tanquam a veneno? At vero his ſimilibusque ſapor & robur & ætas vino conciliari ſolet. Hæc vino commiſta in intima viſcera rapiuntur. Non poteſt non tacite quicquid eſt boni ſucci tam doloſo igne conſumi.

Non pergam in vini ingurgitati noxam declamare: quum illa jam pateat, & præclare eam dudum oſtenderit ſingulari libro decus illud rei literariæ Adrianus Turnebus, cui hoc nomine præ ipſis medicinæ magiſtris ſanitatis tuendæ ars æternas laudes debet & gratias.

Utinam vero non & majore flamma adurere vitalia mos eſſet! Divinum ſane inventum eſt ille chemica arte prolectus, quem vocant, vini ſpiritus: neque omnino vana opinione Arnoldo *Villanovano* (a) & *Raimundo Lullio* (b) (qui primi videntur hoc genus liquoris Europæ laudaviſſe) eſt creditum, ſi quod eſt unum omnibus vel certe pleriſque malis affectibus corrigendis idoneum remedium, Elixiris *illo Arabico* (c) dignum nomine, hoc eſſe illud. Neque vero non jure quodam illi aquæ vitæ appellatio debetur. Cæterum ex quo parandi ejus peritia in infimum vulgus, ipſumque, cum medicamentum eſſet rarius, in familiarem potum pene tranſiit, lethalis, imo tantum non Stygius factus eſt ille vitæ perpetuandæ dicatus liquor. Et vero qui melior poſſit fructus exſpectari ab ejusmodi, ut ita dicam, epota flamma, plurimum ſuperante omnem fortisſimi etiam vini ardorem? Non eſt meum enumerare nunc ſingula quæ ex immodico ejus hauſtu damna valetudo patitur: quantum impediat auctum corporis, ſatis hodie eſt ſi animadvertamus. Neque vero in difficili eſt iſthuc pernoſcere, quum multis jam oſtenderimus, nihil æque obſtare auctui atque præcocem primæ ætatis ſiccitatem: qualem non poteſt non producere flammeus ille liquor, ſive ille ipſammet illam ætatem diluerit, ſive ſemina parentum & maternum ſanguinem infecerit. Solet vero nonnunquam fieri utrumque: quæ ſunt nonnullarum etiam fœminarum vitia. Enimvero multis jam ſeculis nihil deterius de ſtatura noſtra & robore quam vinum meretur: indubie vero plus longe illi decedet paulatim, ſi ad vini uſum frequens potatio hujus quoque rei acceſſerit; ut jam tum in mores noſtros illa ſeſe inſinuat.

Quin arbitror haud parum daturum damni & *tabaci fumum*, (d) quem nuper adeo conciliandæ ebrietati America cœpit noſtro orbi mittere, quaſi deeſſent nobis inſtrumenta dementiæ. Siccat videlicet & ille mirum in modum: cumprimis exhaurit ſucco ſuo caput, ut ſolent ἀποφλεγματισμοὶ: etſi minore noxa.

Illis vero cauſis decrementi noſtri omnino annumeranda eſt præpropera quorundam Venus; quæ more majorum erat ſatis ſera. Abunde nimirum & rationibus & ſapientum teſtimoniis jam ante confecimus, properantia illa & ſeminum robur frangi, & exhauriri ſuccum incremento adoleſcentiæ neceſſarium, eoque plurimum ſic detrahi juſtæ prolixitati. Etiam in juvenculis uteri anguſtiam, & ſanguinis non illam copiam quæ pariter & alendo fœtui & corporis proprii auctui par ſit, licet accuſare: quemadmodum Ariſtoteles ab his cauſis nanorum ortum arcesſivit *ſect. X. probl. XIV.* Minus tamen hac parte a noſtris quam a nonnullis gentibus vicinis peccari, eſt quod gaudeamus. Et vero ſuperſtitis nonnihil avitæ magnitudinis haud levis eſt cauſa illa a majoribus derivata continentiæ conſuetudo. Nec tamen hodie antiqua omnes ſeveritate vivimus, ſed virorum peccatis quandoque & adoleſcentia ſe contaminat, dum major eſt quam olim parentum indulgentia: eſt etiam apud nos ubi corrumpere & corrumpi ludus cenſetur, & a ſeculi moribus invenit non veniam tantum ſed ferme applauſum.

Forte nunc & celerius quam olim ipſa pubertas multorum prodit ſeſe, ac puellæ haud paucæ ſororiantibus ante annos mammillis ſe maturas oſtentantes viros invitant. De majoribus verba Melæ

(a) *Villanovano*) In tractatu *de conſervanda juventute pag.* 532. *ſeqq.*

(b) *Raimundo Lullio*) *De ſecret. naturæ part. II. pag.* 95. Ortus autem deſtillatæ hujus potionis in Europa XIII. ſeculi fini aut XIV. initio adſcribendus videtur. De uſu ſpiritus vini conf. *BEHRENS l. c. ſect. IV. c.* 5.

(c) *illo Arabico*) An Arabes ſpiritus vini ſint inventores, aliquibus non omnimode certum videtur. Nonnulli liquoris hujus in tot hominum perniciem nati Ægyptiis adſcribunt primordia. Quanquam plures pro origine deſtillationum Arabica pugnent. Vid. *RUBEUM de deſtillationibus ſect. I. c. 4. WEDELII diſſert. de ſpiritu vini.* Dubium tamen ſemper manet an ſpiritus vini inter prima deſtillationis Arabicæ fuerit. Vid. *Cl. TREVERI obſervatio de origine ſpiritus vini.*

(d) *tabaci fumum*) Nimium Nicotianæ uſum cerebrum exſiccare, memoriam enervare, & quæ ſunt alia interna capitis mala progenerare dicunt. Jacobus Angliæ Rex gentis ſuæ nimium tabaci uſum ægre ferens contra eum librum cui titulus Miſocapnus, conſcripſit.

læ ſunt: *Maximo frigore nudi agunt antequam puberes ſint & longuſſima apud eos pueritia eſt.* Unde intelligere eſt, tardius tum ipſam pubertatem adventaſſe: quæ tamen plerisque hodie ſueto aliis gentibus tempore effloreſcit. Cujus mutationis quam cauſam dixeris aliam, quam vivendi rationem in præmaturum calorem ſiccitatemque nunc adeo pronam præ ævo vetere? Scilicet ut olitor præcoques fructus fimo multo & calce ſubjecta aut tepefacto per artem aëre evocat: ita & vitæ modus calidior juſto citius elicit pubertatem, inque Venerem impellit ætatem cæteroquin haud dum nubilem. Quod ipſum in molliter educatis manifeſto eſt deprehendere, qui præ agreſtibus & pauperibus jam tum pueri ſunt veſticipes; veluti & puellæ ejusmodi in teneris adhuc annis jam pruriunt.

Quantum porro hodie diſceſſum eſt a veterum *ſomnolentia!* (a) Quam duris laboribus ipſa ſtatim pueritia in magna parte hominum affligitur! Quæ nunc curæ, quæ ſollicitudines corpus macerant! Atqui ab hisce omnibus quum majores ſibi temperarint, plurimum fomenti eo ipſo additum eſſe accremento corporum, luculente a nobis jam eſt demonſtratum. Ut proinde nullum ſuperſit dubium, etiam his ipſis carpi priſcam magnitudinem, & vel ſolas haſce ob cauſas ad ſpecioſam illam & firmam corporum pulcritudinem non poſſe nunc a plerisque perveniri.

Tacebo in præſens, quantum auctui detrahant varii in prima ætate morbi: neque vero eſt qui ignoret, multum illis impediri juſtam adoleſcendi vim. Ut autem alias in omni vita minus hodie majoribus noſtris valemus, ita dubio procul præ illis ipſa pueritia noſtra pluribus eſt ægritudinibus obnoxia.

Verum de cauſis antiquæ magnitudinis & ſubſecuti paſſim decrementi, plus ſatis fortaſſe verborum fecimus. Certe ut quidquam addamus, nullum fuerit pretium operæ. Tam multa autem omnino adferenda fuerunt, ſaltim ut eo manifeſtius fieret, olim corpora Germanica non minus humiditate quam calore luxuriaſſe, illam vero temperiem nova vivendi ratione, & quidem præcipue alimentis hactenus inſuetis, in aliam naturam degeneratam. Neque vero hæc corporum diverſa conſtitutio tantum ſtaturæ illam varietatem effecit: verum etiam haud ferme aliunde cauſæ reliquorum, quæ ab initio in cute, oculis, pilis notavimus, ſunt arceſſendæ. Ut eapropter nec fuerit impoſterum opus prolixa quadam oratione; poſtquam bene adeo etiam illorum, quæ ſunt adducenda, jacta jam ſint fundamenta. Et vero nos reliqua iſta non niſi paucis expediemus.

CANDIDA omnes CUTE olim præſtitiſſe Germanos, nunc vero etſi plerique aviti adhuc ſint coloris, ſatis tamen multos ſubflavos aut ſubfuſcos videri, jam tum dictum eſt. Sed in cauſas eſt inquirendum. Et ſane cum veterum pariter tum recentiorum aliquam multi eximia doctrina viri candorem quidem *plagæ hujus ſeptemtrionalis* (b) frigori unice acceptum retulerunt; perinde atque Æthiopum nigredinem patrii illorum cœli maximo æſtui. Forte haud abs re fuerit unum ſuper hac re in medium producere Julium Firmicum, qui lib. I. cap. 4. ita loquitur: *Iſtarum quinque zonarum vis atque natura quarundam gentium homines uniformi colore progenerat. Quæcunque igitur gens hominum illi adjacet zonæ, quæ ſempiterna aduſtione ignibus accenditur, licet ſit ſub ejus zonæ partibus collocata quæ eſt compoſita moderatione formata, ad fingendos tamen colores hominum ignem ſibi ex vicina ſocietatis conjunctionibus mutuatur, ut homines ad imitationem inuſtarum rerum atri ſemper forma coloris infuſcet. Quæ vero partes glacialibus adjacent zonis, quæ viduata ac deſerta ſolis ardoribus perpetuis pruinarum nivibus opprimuntur, gentes illas hominum quas in vicino poſita zona progenerat, nitore faciunt omnes ſplendidi candoris ornari.* Hæc Firmicus ex ſententia mathematicæ ſuæ disciplinæ. Qui tamen ut & reliqui illi in utroque iſto haud leviter erravere.

Enimvero Æthiopes non in illam nigredinem a ſole peruri argumento eſt, quod illic loci ex utero usque materno fœtus ſecum adferant colorem gentis. Id quod recte jam olim objecit, Strabone teſte, Oneſicritus, is quem Alexander Magnus una cum aliis ad Indorum ſapientes ablegavit. Porro jam olim Ptolomæus in interiore Lybia Æthiopes albos prodidit: etiam nunc vero inſula S. Thomæ, æque validis caloribus atque Æthiopia ipſa expoſita, albos gignit; imo medios inter Æthiopes, in regnis Melindæ Monbaſii Congii aliisque, Luſitana progenies non degenerat a colore avito, etſi jam centum annos amplius eosdem æſtus toleraverit, quæ non minus recte advertit in Congiani regni deſcriptione Eduardus Lopez. Addendum vero: Americæ cœlum, alicubi licet æſtuoſiſſimum, nullos alios tamen agnoſcere Æthiopes quam ex Africa advenas: inque maximis Aſiæ ardoribus paucos fuſcos inveniri, inter medias vero ſeptentrionum nives Æthiopem parentem cuticula liberorum poſſe prodi. Ne nunc dicam quod haud omnis Æthiopum patria æque ardeat, ſolem licet in vertice patiatur, atque nonnulla extra vertentes circulos collocata: plurimum nempe a vero remota, licet paſſim recepta, illa habitabilis terræ in zonas diviſione.

Ut vero non illa Æthiopum nigredo æſtui, ita nec Germanicæ cutis candor frigori unice adſcribi debuit. Sane extimi ſeptemtrionalium Europæ non candicant, ſed colore ſunt ſubfuſco, quod bene eſt in hiſtoriæ methodo annotatum a Joanne Bodino, & de Samojedis ab aliis proditum: in Aſia iidem ſi nonnullis credimus, in luteum propendent: quos in America ad ſui nominis fretum invenit Forbisherus, capillo fuere nigro, colore cutis olivam referente; qui Forbisherum ſecuti Samojedis ſimiles deprehenderunt. Quantam porro plaga iſta ſeptemtrionalis animalium omnis generis comprehendit multitudinem, quæ nullo præſtant candore præ iis quæ aliæ mundi partes nutriunt? Debuit vero

(a) *ſomnolentia*) Durante ſomno vires humanos reſtaurari & corpora potiſſimum augeri, & ex eo colligi poteſt, quod non ſolum externorum ſed & internorum ſenſuum operationes, & ſpirituum officia maximam partem quieſcant. conf. *THOMAS. diſſert. de jure circa ſomnum & ſomnia §. 27. ſeqq. VOGLER. de diætet. comment. pag.* 146. 147.

(b) *plagæ hujus ſeptemtrionalis*) Vid. *PAULINUM de candore cap.* 2.

vero ad omnia pariter animantia cœli illa vis pertinere, ſi quæ tantum poſſit in humanam cutem. Quamvis enim brumali tempore nonnulla extremi ſeptemtrionis animantia in canitiem pilos mutent, non hoc tamen eſt omnibus commune, adeoque non tam aëri debetur quam aliis cauſis. Sed nec adeo magno riget frigore Germania atque vel olim eſt creditum, vel hodie nonnulli, qui terrarum orbem non niſi cogitatione intra parietes ſuos otioſi perluſtrant, forte arbitrantur. Quæ ſane ex Firmico paulo ante recitavimus, quaſi ſeptemtrio omnis *perpetuis pruinarum nivibus opprimatur*, a vero ſunt alieniſſima. Imo vero longiſſimi æſtate dies plerumque æſtum alicubi inducunt pene intolerabilem. Quid? quod perquam multi hodie qui Germani nati ſumus, candore aliquo cuticulæ nihil aliis gentibus præcellamus, ſubflava aut rubente aut fuſca ſatis facie: cum tamen non mutaverit a priſtino cœlum, nec uni magis quam alteri blandiatur. Ut proinde nemini non facile liqueat, & antiqui illius omnium plane Germanorum communis, & ejus qui nunc eſt in nobis varii coloris, cauſam a cœlo tanquam unico principio minime advocandam eſſe.

Propius fortaſſis ad rem collimabimus, ſi quaſi fundamenti loco collocaverimus, in univerſum duplicis eſſe ordinis quæ cuticulæ colorem inducunt: alia intus in homine ipſo comprehenſa, alia foris eundem ambientia. Neque vero hac de re quis paulo rerum peritior temere dubitaverit. Ecquis enim ignorat, quantum in omnem modum valeant fuci, pigmenta, ſordes, lotiones atque id genus alia? Cutem candidam in rubedinem ab æſtu aduri, in vulgus eſt cognitiſſimum: non minus atque candorem illum a bene temperato aëre integrum defendi. Præ frigore partes ſanguine turgidas liveſcere, quis itidem neſcit? adhoc ut reliqua corporis, ita & cuticulam, vi ſeminum genitalium & materni ſanguinis, ſimilem parentibus naturam perfrequenter contrahere, omnibus utique eſt compertiſſimum.

Et vero iſthac potiſſimum ratione ex Æthiope Æthiopem naſci, per eſt veroſimile. Videtur ſane jam olim ita Ariſtoteles etiam ſenſiſſe: ut qui in exemplis earum ſimilitudinum queis liberi parentes referunt, ſexto hiſtoriæ animalium libro recitet, id quod in Sicilia contigerat de mulieris quæ adulterium cum Æthiope commiſerat filia, ipſa quidem alba, ſed in filium avi colorem propagante. Idem vero Ariſtoteles illarum ſimilitudinum cauſam haud aliam quam ſeminum vim agnovit in iis quæ quarto de animalium generatione libro, more ſuo, ſubtiliſſime diſputavit. Nec Strabo XV. libro, quid aliud quam ſeminis diſpoſitionem ſimilius vero reperire potuit in cauſis ejus, cur in ipſo materno utero nigricet Æthiops: utut primariam nigredinis cauſam æſtum aëris habuerit. Quid? quod a ſeminum natura jam tum Herodotus olim colorem iſtum derivarit? inepte tamen cauſatus ipſorummet ſeminum ſimilem nigredinem: quo nomine recte illum confutavit *l. 2. de generat. animal c. 2.* Ariſtoteles. Haud facile tamen dixerim, quo auctore aut qua de cauſa primo omnium iſte color cœperit, anteaquam quaſi in hereditatem venit. Ut enim non ægre conceſſerim quod vulgo Hebræi, imo inter vetuſtiores eorum ipſemet Joſephus *lib. I. ἀρχαιολογίας cap. 7.* tradunt: Æthiopes omnes ab uno Chus propagatos: quoniam ut olim ita & hodie ſibi pariter viciniſque Chuſi nuncupantur; ut fortaſſis etiam verum ſit, illum Chus iſthac cute omnium primo inſignitum: tamen id difficile eſt dictu, unde Chus ille præ aliis ejuſmodi colorem ſit conſecutus. Neque vero non fabulis ſimillimum eſt quod Guilielmus Poſtellus ſcribit, diris Noachi, queis Chamum ille filium devovit, in nepotem Chus nigredinem hanc derivatam. Ecquis enim alius id prodidit? aut quis temere credat viro mentis luxatæ? Et cur parentis Chami culpa ſolum Chus traxerit in pœnam? Ex ſacris literis ſane, potius Chanaanem Chami filium ſceleris fuiſſe participem, dixeris. Ego vero occulto numinis operi primam nigredinis illius originem malim quidem adſcribere, quam naturæ alicui ſive vitio ſive luſui: ſi quod ſentio fatendum eſt. Qui tamen unius Chus poſteritatem ita a reliquo mortalium genere diſtinguere Deo placuerit, fateor me fugere.

Sed quorſum prolabimur? Occulta quadam ſeminum, primive ejus quem a matre fœtus accipit ſanguinis, facultate ſaltem poſſe cuticulam tingi, extra dubium cenſeo collocandum: cum longe majora & quaſi divina hinc proficiſcantur. Porro quam turpi pallore deformat corpora fames juſto longior! quam ex adverſo nitida & pulcra eſt cutis hominum molliter viventium! In ipſis alimentis ad omnes ferme colores contrahendos facultas utique inſignis ineſt. Ut rubent omni facie Liberi patris ſtrenui illi nepotes! Dixeris miniatos Joves, aut Silenos

Sanguineis ebuli baccis minioque rubentes.

Aquarum quanta ſit vis in pilis animalium mutandis, in facili eſt præclariſſimorum ſcriptorum teſtimoniis demonſtrare. Quidni vero illæ multum etiam valeant in tingenda ipſamet cuticula? Sane Oneſicritus olim, quantum ex Strabone videre eſt, ſolis aquis acceptam retulit nigredinem Æthiopum: quam tamen ſententiam non facimus noſtram. Curas quoque alioſque animi vehementes diuturnoſque affectus plurimum hac in re poſſe, ne quidem pueri ignorant. Multo minus quem latet vis morborum. Utique & viſcerum ſanguiniſque abdita vitia prodit cuticula: & perſæpe iis omnibus rectiſſime ſe habentibus, ſoli ſubcutanei humores ſi male affecti fuerint triſti colore nos deturpant. Id quod muliebri ſexui per eſt frequens: fruſtra in viſceribus corrigendis occupata medentum cura: de quo optime ad Hippocratem de mulierum morbis Mauritius Cordæus diſſeruit. Imo & ipſa cutis ſi laboret, quidni in partem trahatur incumbens cuticula? Non quod hæc ſemper colorem cutis referat (eſt enim Æthiopibus cutis ipſamet ſatis candida) ſed quod tota illa ſi habeat ſeſe præter naturam, non poſſit non aliquid eſſe mali a malo tam vicino.

Cæterum de colorum illorum cauſis exquiſitius agere ad *ἀκροατήρια* medica potius pertinet: hic vero ſermo noſter quam maxime iis, qui myſteriis medicæ artis haud initiati ſunt, conſecratus eſt. Haud difficile vero eſt vel ex hiſce paucis quæ in medium ſunt allata, intelligere, & illius olim omni-

bus majoribus communis candoris, & ejus qui nunc eſt in nobis varii coloris originem. Ecquis enim non agnoſcat hac in re occultam quandam ſeminum vim, ſive majorum naturam ſive noſtram attendas? Enimvero quis dubitet, olim quidem communi adeo rei communem aliquam cauſam fuiſſe? nec tamen præter vim aëris, cujus imbecillitatem patefecimus, quidquam commune invenias temere, ſi ſeminum virtutem exceperis. Quam fuiſſe tum uniusmodi, non eſt quod miremur, quum victus ratio, cujus maxima in ſeminibus mutandis vis eſt, una fuerit atque eadem. Et ſane plurimum ad calorem ſervandum poteſt, illa quæ tum fuit vita multa humiditate luxurians.

Quanta autem ea in re facta fuit ſecuto ævo discesſio! Ut enim taceam illa cum gentibus ſubfuſcis permiſta connubia: quis miretur alimentis illis calidis & ſiccis, omnium pene palato usque adeo gratis & quotidiani uſus, ipſa pasſim ſemina in eam naturam tranſiiſſe, ut pro candidis ſubinde facilius nunc ſubflavi aut ſubfuſci generentur? Quam multis ſunt ægritudinibus corpora noſtra obnoxia, præ ævo vetere, in ipſa ſemina penetrante vitio! Sane non poſſunt non etiam hinc plures hodie naſci decolores.

Non perdidit porro nativum candorem olim, atque nunc fit, ſolis ardor: quia pauci tum agrum aratro coluere, aliisque laboribus qui non niſi ſub dio queunt peragi fuere dediti. Quo genere tamen vivendi nunc magna Germanorum pars occupatur; quam eapropter in rubedinem aut ſubnigredinem quandam plerumque aduſtam cernimus.

Verum quid hisce immoramur? ad cauſas veteris novæque *oculorum* (a) habitudinis pergendum. Nec tamen hujus eſt noſtri inſtituti, multis nunc quaſi generatim diſputare de oculorum coloribus: cui ſcilicet parti eorum inhæreant proxime, quidve eos ita effingat. Scilicet in pupillæ colorem inquirere prorſus eſt a nobis alienum: cum illa nihil mutaverit, & in univerſum omni hominum generi nigricet: neque enim moramur fabulas de pupilla viridi quorundam Æthiopum. Iridis vero varietatem non a diverſa humorum oculi quantitate, quod ingenioſe viſum olim fuit Ariſtoteli; non ab eorundem innato lumine, quod Galeno noſtro ejusque ſectatoribus plerisque, imo fortasſis Empedocli etiam placuit, proficiſci, usque eſt adeo cognitum hodie, ut iis refellendis dare amplius operam, ſit operam pariter & tempus ludere. Ecquis enim nunc, in tanta anatomicæ rei luce, dubitet, num verum dixerit jam ante hoſce octingentos annos ſubtilisſimi ingenii Arabs ille Alhaſenus, eos iridis colores in antica uveæ quam appellant tunicæ facie inſidere? Sane ejus ignorantia non posſit amplius ut olim veniam reperire.

Itaque id quidem extra eſt omnem controverſiam, illam circa oculos mutationem quæ Germanis nobis contigit, alia tantum atque alia tunicæ iſtius ratione hactenus eveniſſe. Videtur autem perdifficile, ut in univerſum omnium colorum, ita eorum qui in tunica iſta comparent, cauſas atque originem exponere. Quemadmodum enim recte obſervatum *quinto de animalium generatione libro* eſt Ariſtoteli, uni pene hominum generi inter cuncta animalia non unus eſt oculorum color, nec aliis animantibus per ætatem coloris illius fit inſignis mutatio. Ipſe quoque ille color ea eſt collocatus in hominibus differentia, ut cæſius omnium pene ſeptentrionalium, niger eorum qui meridiem verſus habitant quaſi proprius habitus olim ſit; id quod ſcribitur *quarta decima problematum ſectione;* nec vel hodie usquam plures cæſii quam inter Germanos & conterminas ſeptemtrionum gentes, aut plures nigri ſunt quam inter Æthiopes Arabesque.

Cæterum ut in breve omnem hanc diſputationem contrahamus, nunc quidem credi nobis poſtulabimus: colores non aliunde eſſe, quam a *diverſa ratione luminis*, (b) in ſuperficie corporis nonnihil quidem pellucidi in quo tamen opacitas præpolleat: & porro plus cœruleo pellucidi illius ſubeſſe quam nigro. Quorum utrumque ſummus etiam magiſter Ariſtoteles docuit.

Illud itidem in comperto eſt: ut alios oculorum affectus, ita etiam colores eorum a cerebri diverſa ratione haud leviter dependere. Nec enim vel hoc ipſum latuit doctisſimis quibusque philoſophiæ hujus ſcrutatoribus. Eſt vero cerebrum homini quidem præ animalibus aliis proportione corporis longe maximum; in humano genere ſeptemtrionalibus plerumque (præ Æthiopibus ſane & Arabibus) humidius, cum natura, tum aëris in quo vivunt temperie. Enimvero quam longe ſint noſtris ſicciora Æthiopum capita vel calvariæ eorum indicant: quæ profecto denſitate ac duritie noſtras longe antecellunt. Quod ipſi ſpectavimus non ſemel, & jam olim ex parte etiam de Ægyptiis ab Herodoto fuit proditum: quemadmodum cerebrum Æthiopum ſiccum eſſe diſerte pronunciat Ariſtoteles. Eſt vero utrumque caliditati cordis, quæ in utroque eſt populo ſic ſatis magna, valde quam conveniens; utpote quum æſtui majori (qualis eſt in pectore ſeptemtrionalium pene omnium) major cerebri humiditas, infirmiori paucior natura providente opponenda fuerit: quæ etiam eſt de cerebri uſu Ariſtotelis philoſophia.

Quidni vero etiam ipſæmet oculorum tunicæ referant nonnihil cerebri majorem minoremque humiditatem, adeoque in Æthiopibus ſint ſiccæ magis quam in plerisque Germanorum? Jam vero humidum omne uſtulatum nigredinem contrahere, quod autem pellucidum eſt adhuc, minusque a calore paſſum, in cœruleum vergere, notum eſt.

An non ergo liceat illam oculorum cæſeitatem derivare a cerebri tunicarumque oculi humiditate, quæ minus ſit æſtum paſſa atque illa quæ reperitur in oculis nigris? Id ſane doceat nos exemplo ſuo puerilis pariter ætas ac ſenilis: quæ utraque cæſii coloris oculis eſt inſignis non minus atque cerebri humiditate. Eſt vero jam tum ab Avicenna etiam atque Averroë (acutisſimis profecto viris) ob-

(a) *oculorum*) *WEDEL in phyſiologia medica ſect. IV. cap. 2. Celeberr. HEISTER in anatomia p. 119. ROHAULTI phyſica cap. 28. ſeqq.*

(b) *diverſa ratione luminis*) *ROHAULTI phyſica c. 27.*

obſervatum, colorem iſtum indicare aliquam oculorum frigiditatem. Sed & uſu experimur, cæſios illos glaucomati longe magis obnoxios eſſe atque nigros: qui affectus a decumbente multo frigido humore plerumque proficiſcitur: ipſo morbo prodente temperiem ſanæ partis. Minus quidem lucem ferunt cæſii oculi quam nigri, & prævalent noctu: at hinc non eſt colligere plus humoris ineſſe nigris quam cæſiis. Verum evenit utrumque; quod iridis nigredo congreget lucem, ut eo rectius penetrent ſpecies per pupillam in obſcurum illum oculorum ſpecum: quæ res immane quantum ad ſpecierum illarum facit ſuſceptionem, ſed noſtram expoſitionem nunc quidem non poſtulat. Arcet nimirum ſplendidius omne lumen nigredo, idque rectius quam color cœruleus. Contra heic colore adjuvatur lumen tenue, quod non poteſt fieri a nigredine. Haud negamus etiam, quod Ariſtoteles eſt cauſatus, multum humidi nigrum, paucum cœruleum videri: eſt autem hoc ipſum non niſi de apparente colore verum: qualis utique non eſt ille oculorum, ut qui non in humoribus (quod Ariſtoteles exiſtimabat) ſed in tunicis ipſis ſit collocatus, ac proinde etiam in erutis oculis & humore omni jam vacuis conſpicuus.

Quin ergo abſque omni dubitatione pronunciemus, cæſios olim in univerſum omnes fuiſſe majores noſtros, ob minorem cerebri caliditatem pariter ſiccitatemque: quæ cum poſtea in quammultis haud leviter creverit, hinc hodie alios ſubflava, ſubviridi, ſubrubra eſſe, aut ſubnigra oculorum varietate. Non tamen dicimus intemperie quadam frigida humidaque laboraſſe capita Germanorum: ad id ſane ut cæſii ſint oculi, non intemperie quadam opus eſt. Eoque Pallas ipſa dea ſapientiæ credita, in veterum Græcorum fabulis γλαυκῶπις audit; ſive ita finxerint illorum vates, ſive (quod mihi eſt veroſimilius) hoc vultu deæ illius imaginem dæmonum aliquis inter apparitiones expreſſerit. Quicquid ſit, nemo utique credidit ipſum ſapientiæ numen a cerebro laboraſſe.

Non eſt vero quod quiſquam miretur, olim illa quidem temperie fuiſſe cerebrum Germanorum, at nunc eam in nonnullis mutaſſe; quum corpus univerſum eodem prorſus modo quondam affectum fuerit, nunc ſeſe habeat multo aliter. Quorum cauſas quum ſupra expedierimus, nolumus jam actum agere, ac denuo illas in hunc campum advocare.

Non aliunde ferme dependet quoque vetus ac nova capillitii Germanici ratio; ut ad ultimam partem diſſertationis noſtræ tandem aggrediamur. Obſervavimus autem olim quidem triplici quodam modo pilos Germanorum fuiſſe eximios: rectitudine ſcilicet, prolixitate, & flavedine aut rutilo colore: quæ omnia nunc in multis haud leviter a veteri communi conſuetudine deflexerint. Et vero eorum quæ *pilis* (a) accidunt pene omnium, cum potiſſimæ cauſæ ſint petendæ a materia unde naſcuntur, & virtutis generantis alia atque alia natura, quidni & horum quæ memoravi non alia aut diſpar eſt conditio? quorum utrumque præſtat quidem maxime caput ipſum, ex parte vero & externis nonnullis ferendum eſt acceptum. Omne hoc de pilis argumentum usque adeo & præclare & prolixe exſecutus eſt Ariſtoteles noſter, quinto cumprimis libro operis illius admirandi quod de animalium generatione conſcripſit, ut non tantum omnibus idem conantibus præripuerit palmam, ſed & vix quidquam ſuperſit quod a cujusquam induſtria poſſit accedere. Ut proinde nobis quidem nunc liceat tam feliciter inventis ſecure adquieſcere, & transferre duntaxat in nos & majores noſtros, quæ ab illo generatim magis, quod philoſophum decebat, diſputata ſunt.

Igitur promiſſum omnibus olim & rectum capillitium fuit ob humoris quo aluntur pili in capite multitudinem: quam etiam paulo ante produximus in medium velut cauſam cæſii oculorum coloris. Illa vero quum mutaverit per aliam victus rationem in permultis, neceſſum ſane fuit & criſpiores nonnullis pilos naſci & minus longos. Ariſtotelis ipſiusmet hæc verba ſunt: *Scythæ Ponti incolæ & Thraces pilo ſunt promiſſo & ſimplici. Nam & ipſi humidi ſunt, & aër qui circa eos eſt humidus eſt. Æthiopes contra qui loca incolunt calida, criſpo ſunt pilo: ſiccum eſt enim & cerebrum eorum & aër ambiens.* At vero juvat quidem indubie ad humiditatis illius cum copiam tum inopiam ambientis aëris humiditas vel ſiccitas: potiorem tamen vim ex ipſo corpore manare, argumento eſt, quod in Æthiopum cœlo multi hodieque ſimpliciſſimo ſint pilo, in Germanico quidam criſpitate vel Æthiopem vicerint, nec ipſe Æthiopum capillus heic quidquam fere mutet.

Plus auxilii dixerim a cultu ipſo pilorum in utramque partem promanaſſe. Namque majores quidem noſtri delectati ſunt promiſſa coma, eoque fuere intonſi; quin & crines in altitudinem erexerunt aut obliquarunt, & in cervice vel vertice religantes coegerunt in nodum: poſt tonſura cœpit, imo & calamiſtra non paucis jam adhibentur. Quorum cultuum prior promovit utique & ſimplicitatem pariter & longitudinem: poſterior duritiam pilis inducit & criſpitatem. Fortaſſis etiam frequentius quondam madefacti ſunt crines. Imo id neceſſum fuit, quo rectius ſubſtringerentur nodo. Neque enim pilos ſiccos ita facile coegeris. Et vero hoc innuunt illa Juvenalis verba hactenus nonnihil obſcura viſa:

— *& madido torquentis cornua cirro.*

Acido neſcio quo butyro (fortaſſis autem lac ebutyratum ſignificatum voluit) perfuſos Burgundionum crines, memorat Sidonius Apollinaris:

Quid me, etſi valeam, parare carmen
Feſcenninicolæ jubes Diones?
Inter crinigeras ſitum catervas,
Et Germanica verba ſuſtinentem,
Laudantem, tetrico ſubinde vultu
Quod Burgundio cantat eſculentus,
Infundens acido comam butyro.

Ejus-

(a) *pilis*) Celeb. *HEISTERVS in anatomia pag.* 51.

Ejusmodi ſane cultura non potuere non remolleſcere crines & amplificari. Non latuit vis illa cultus Diodorum Siculum, quippe qui denſitatem comæ Celticæ exſertis verbis adſcribat *τῇ κατεργασίᾳ.*

Ab iisdem omnino cauſſis & color eſt pilorum, cum ille quem in majoribus notavere Græci Romanique ſcriptores, tum hic quo nos nunc conſpicui ſumus. Recte ſcilicet modo laudatus Diodorus de antiquis Celtis, (quo nomine illa ætate Græci etiam Germanos ſignificabant) *ταῖς δὲ κόμαις ὀ μόνον ἐκ φύσεως ξανθοὶ, ἀλλὰ καὶ τῆς κατασκευῆς ἐπιτηδεύουσιν αὔξειν τὴν φυσικὴν τῆς χρόας ἰδιότητα: comam non modo natura gerunt flavam, ſed cura etiam augere ſtudent nativam coloris proprietatem.*

Et ſane ea olim fuit natura majorum, ut vix cui alius pilorum color potuerit contingere. Non equidem ego temere aſſenſerim iis quæ Galenus noſter habet ſecundo de temperamentis libro: *Fit niger pilus cum denſo vi caloris vapore excrementum in exactam fuliginem mutatur: Flavus vero cum vapor minus torretur: quippe quod tum eſt impactum flava bilis non nigra faculentum excrementum eſt: Albus vero pilus ex pituita naſcitur: Rufus, ſicuti coloris flavi albique eſt medius, ſic ejus generatio ex pituitoſa bilioſaque facie media quadam natura provenit.* Non inquam hiſce acceſſerim facile. Neque enim ejusdem neceſſum ſit coloris pilus ipſe cum materia qua alitur: quemadmodum ex ſanguine rubro nihil non fit partium corporis etiam albarum. Itaque flavedo pili non indicat ſtatim materiam ſuam eſſe flavam bilem: ut nec albedo pituitam, aut nigredo arguit humorem melancholicum. Nec omnes qui pilo ſunt flavo aut rufo, in venis multum continent flavæ bilis. Certe ſanguis illorum æque eſt plerumque dulcis atque alborum, neque plus flavedinis in eo quam in aliorum cruore deprehendas.

Quanto rectior eſt Ariſtotelis philoſophia! Colorum illam varietatem eſſe a diverſa coctione humorum in ipſis pilis. Scilicet veriſſimum eſt quod ille notavit: ipſis pilis congenitam eſſe vim aliquam caloris, quo ſe amplificant & nutriunt. Stirpis enim alicujus inſtar habent: eoque & mortuo animali identidem propria virtute ſolent creſcere. Quæ natura etiam eſt unguium, imo & cornuum: quorum hæc prope Goam, regiam Luſitanorum Indiæ metropolin, terris defoſſa plantarum modo ſparſis radicibus capiunt incrementum, teſte Johanne Hugone Linſchotano. Illius ergo propriæ coctionis virtute, ut alia, ita etiam colorem ſuum pili nanciſcuntur. Illa vero coctio alia eſt atque alia pro caloris ipſius multitudine, proque diverſitate ipſius nutrimenti quod in pilos abit.

Et calor quidem potiſſimum ab ipſo capite, non parum tamen etiam ab ambiente aëre fovetur, atque huc illuc flectitur. Ipſa vero etiam quæ ore accipiuntur alimenta haud leviter huc faciunt in omnem partem. Aquarum in colorandis animalibus poteſtatem eximiam agnoſcit ipſemet Ariſtoteles & tertio hiſtoriæ & quarto quintoque de generatione animalium libris: in ſectione nona problematum in eandem ſententiam diſſeritur. Strabo etiam hoc nomine inſignes aliquot fluvios paſſim memorat: nec paucos eisdem dotibus præditos recenſet Plinius, cum alibi tum præcipue libro tertio poſt triceſimum. Neque id hodie rei pecuariæ ſtudioſis non eſt uſu compertiſſimum.

Sed hæc extra viam. Non enim animus nobis eſt de omni pilorum colore diſſerere. Redeundum unde abiimus. Dixeramus vero, neceſſitate quadam naſcendi flavum rufumque colorem pilis majorum inductum olim eſſe. Et ſane ita ſeſe res habet. Pinguis enim humor mediocri calore perfuſus, ſi in tenui hæreat corpore, quale pilus eſt, flavum; ſi nonnihil uratur, rufum colorem exhibet. Ejusmodi vero fuiſſe olim humorem pilorum alimentarium jam tum eſt dictum.

Cæterum & cultura indubie multum acceſſit adjumenti. Ut enim nunc taceam ipſam illam comæ prolixitudinem, nec tangam nunc iſtam pilorum apricationem, (liceat ita loqui) illud cinere rutilandi pilos inſtitutum adeo tum uſitatum ſilere non debeo. Rutilaſſe videlicet nunquam non Celtas crinem ſuum, & quidem calce, teſtis eſt Diodorus: *Τιτάνου ἀποπλύματι σμῶσι τὰς τρίχας συνεχῶς.* Plinius aliter & rectius habet libri viceſimi octavi duodecimo capite. *Prodeſt & ſapo. Gallorum hoc inventum, rutilandis capillis ex ſevo & cinere, optimus fagino & caprino; duobus modis, ſpiſſus ac liquidus, uterque apud Germanos majore in uſu viris quam feminis.* Unde diſcimus ipſam ſaponis vocem non minus atque rem videri Celticam eſſe, & varium fuiſſe ſaponis conficiendi modum, nonnullosque fortaſſis calcem ipſam adhibuiſſe. Diſcimus præterea, frequentiſſimo in uſu fuiſſe Germanis priſcis, & quidem viris æque, imo his magis quam fœminis, ſaponis uſum rutilandis capillis. Rutilaſſe ſane & viros capillitium, pro exemplo eſſe poterit Civilis Batavus: cui Tacitus diſerte l. IV. hiſtoriar. tribuit rutilatum crinem poſt capta adverſus Romanos arma: quod ille ſcilicet antehac cum nomine Romano & Romanum cultum corporis aliquamdiu æmulatus, tunc fuiſſet redditus Germanicis moribus. Cæterum ſaponis vim non ſemel olim decantavit Martialis. Libro ſeptimo habet:

— mutat Latias ſpuma Batava comas.

libro quarto decimo:

Cauſtica Teutonicos accendit ſpuma capillos.

Alibi inquit:

Si mutare paras longævos cana capillos,
Accipe Mattiacas (quo tibi calva?) pilas.

Neque enim Batava ſpuma aliud eſt quam ſapo Batavus aut Germanicus inter lavandum deſpumans: nec Mattiaca pila aliud quid videtur notare, quam Germanicum ſaponem illum formatum in pilas, rem hodieque tonſtrinis notisſimam. Videtur inquam. Nec enim certo dixerim: cum ſapo non perinde valeat canis rutilandis: & Ovidius memoret neſcio quas herbas Germanicas fucandæ canitiei Romanis fœminis frequentatas, inquiens:

Femina canitiem Germanis inficit herbis,
Et melior vero quæritur arte color:

familiare denique fuerit vetulis Romanis canitiem nigredine diſſimulare. Quod vel ex illis Tertulliani

liani liqueat: *Quamvis & aurum ex albo conantur facere, quas pœnituit ad ſenectam vixiſſe.* Cæterum quicquid hujus ſit (exigui enim aut nullius eſt diſcriminis, quidnam ſtatueris) ſi Latium ipſum nigrum pilum rutilare ſapo potuit, (ſtuduiſſe enim flavo capillo in univerſum Romanas fœminas, ipſasque adeo & matronas, quicquid dixerit Servius ad quarti Æneidos illa:

Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat;

ex veterum monumentis palam eſt) quidni plus ille valuerit in capillo Germanico natura flavo? Potuit vero utique: & quidem virtute ſua cauſtica, utpote qua inconcoctus nonnihil humor non potuit non quadamtenus quaſi accendi. Fuit autem hoc ipſum non raro ſed frequentisſime, nec a fœminis duntaxat ſed etiam viris, imo ab his maxime, factum olim: ceu modo loquentem audivimus Diodorum pariter & Plinium.

Ab illo autem omnium tum communi colore multos nunc eſſe alienos non eſt mirum. Ne enim nunc accuſem denuo permiſta cum nigris connubia; quomodo non in nigrum mutatus ſit multorum pilus, cum in calidum ſiccumque tota corporum quorundam temperies diſceſſerit, exuſti autem humores nigredinem præ ſe ferant? Jam vero & capiti tegumenta dudum cœpta ſunt imponi præter morem veterum: unde crines multorum aquoſi humoris copia neceſſum eſt plus ſcateant atque olim, utpote qui a ſole & ventis non diſſletur & abſumatur. Etiam ſic vero nigreſcere pilos, non ſola aduſtione vaporum, certum eſt. Jamque tum Stratoni Lampſaceno, magni Peripatetici Theophraſti Ereſii haut multum, ſatim in naturalis philoſophiæ peritia, impare diſcipulo & in lyceo ſucceſſore (is enim auctor eſt elegantisſimi de coloribus libri) eſt proditum: rufos puerorum capillos ſenſim ob affluentis alimenti ubertatem nigricare. Certe quantum ad flavedinem pilorum faciat diuturna ſub ſole mora, notum eſt fœminis, quas jamdudum hoc nomine Tertullianus perſtrinxit. Quid? quod ad nigredinem etiam nonnihil juvet tonſura viris nobis hodie ita familiaris; quod docemur uſu. Juvat autem non alia forte quam modo allata ratione, ob copiam nempe humiditatis; niſi etiam facilius aduri ſic poſſe vaporoſum pilorum alimentum cenſueris. Cumprimis vero indubie multum ad hanc rem facit, quod non perinde hodie ſtudeamus rutilandis capillis, noſtrum multis nigredinem potius affectantibus. Hæc profecto omnia in utramque partem ad capillorum colorem valent plurimum. Imo a ſimilibus cauſis exiſtimamus eſſe, quod Æthiopes Congiani rufo ſint pilo præter morem gentis, teſte Eduardo Lopez.

SED de cauſſis colorum, quibus pili Germanici aut fuere olim aut nunc ſunt affecti, fortaſſe ſatis. Quod quoniam eſt ultimum eorum quæ circa corporum Germanicorum habitum expedienda fuere, jure tandem diſſertationi huic omni finem imponimus.

C. CORNELIVS TACITVS
De
Moribus Germanorum
cum notis Criticis.

Collectio monumentorum veterum de antiquo ſtatu Germaniæ.

De notitia Germaniæ antiquæ ejusque uſu epiſtolæ quatuor.

Omnia HERMANNI CONRINGII cura.

Anno cIↃ IↃ CLXXVIII.

Inclyti ducatus Brunſvico-Luneburgici illuſtris provinciæ Hannoveranæ ORDINIBVS, perquam Reverendis Generoſis & Prudentisſimis Dominis,

librum hunc

gratitudinis & obſervantiæ teſtandæ cauſa

inſcribo & offero

HERM. CONRINGIVS.

ANnis illis quadraginta ſex, quibus profeſſorio munere fungor in Julia hac academia, variis equidem amicitiæ beneficiis fui affectus a quam multis illuſtris provinciæ veſtræ Ordinum hominibus. Quum porro rerum potiretur immortali dignus memoria GEORGIVS DVX, annosque aliquot omnia belli onera ab illis ſacris fundis in provincia veſtra ſitis, quibus ultimus ſuæ familiæ idemque Optimus DVX FRIDERICVS VLRICVS academiam hanc liberaliſſime dotaverat, in ſeſe inuſitata quadam benignitate ultro provincia veſtra derivaſſet, atque ita proventibus iſtorum fundorum frui conceſſum academiæ huic fuit, etiam me, fateor, pene ſola iſta munificentia omni iſthoc

temporis ſpacio nutrivit. Abs illo utique ſi fuiſſet, non potuiſſem ego hic ſubſiſtere, imo actum fortaſſe de academia omni tunc fuiſſet, aliunde in ſuſtentationem noſtram nihilo pene propter publicas calamitates ſuppeditato. Et vero tunc temporis, non minus quam illuſtres Wolfenbuttelenſes, Ordines veſtri Hannoverani propenſo in academiæ ſalutem erant animo: ac proinde anno hujus ſeculi triceſimo ſeptimo per ſuos quoque delegatos res academiæ viſitari & quadamtenus conſtitui fecerunt: id quod ad omnem poſteritatem laudari commeretur. Sane obverſantur meo quidem animo hactenus omnia iſtæc tantum non ſemper, nec unquam excident; officii tamen mei eſſe judico, etiam publice meam cum gratitudinem tum hoc nomine debitam obſervantiam palam profiteri. Faciam hoc rite alias, ſimulatque licuerit per valetudinem, quæ nunc vetat aliquid magni agitare, juſtæ auctoritatis documento iſtum meum affectum conteſtari. Interea rogo etiam atque etiam, perquam Reverendi Generoſi ac Prudentiſsimi Domini, hunc librum ſaltim arrhæ vice acceptare ne dedignemini. Etſi enim pleraque ejus variorum ſint ſcriptorum vetera monumenta, ac proinde aliena; quoniam tamen multo meo ſtudio in unum ſunt collecta, & infinitis locis recenſita: ſaltim hactenus quaſi mea ſunt reddita haud fere minus quam reliqua omnia. Ut de veſtra benevolentia etiam hoc mihi conceſſum iri, auſim polliceri, efficit perſpectus pridem multis experimentis erga me omnium affectus. Deum igitur duntaxat obſecro, ut ſub alis Sereniſsimæ Ducalis domus liceat cum huic Veſtræ, tum reliquis inclyti ducatus Brunſvico-Luneburgici provinciis, ſimulque noſtræ Juliæ academiæ, ſecure ac tranquille conquieſcere. Helmeſtadii V. Aprilis anno cIↃ IↃ C L X X I I X.

Benevolo lectori

HERMANNVS CONRINGIVS

S. P. D.

TErtia jam vice produco Tacitum de Germanorum moribus, mea cura recenſitum ſtipatumque pariter Græcis ac Latinis monumentis antiquas Germaniæ res illuſtrantibus; quales fuerunt, donec quinto Chriſtiano ſeculo imperii Romani occidentalis provinciæ tantum non omnes a gentibus Germanicis fuerunt novo & perpetuo dominatu occupatæ. Produco autem plura longe quam antehac, quia etiam illa haud parum adjuvare propoſitum idonea ſunt, & tamen quam rariſsime ſunt in manibus. Nec tamen etiam ſic comparent hoc loco omnia omnino; quibus videlicet & bella a Germanicis populis cum Romanis geſta memorata ſunt. Nimis enim excreviſſet volumen. Illa igitur duntaxat hic congeſta ſunt monumenta, quæ terras, mores, rempublicam & populorum varia diſcrimina recenſent, ſuntque adeo reliquis omnibus hactenus præferenda.

Ea autem inter principem locum merito dedimus Taciti libello: quoniam hoc in genere omnibus antecellit.

Quæ ex Cæſare, Strabone & *Pomponio Mela* (a) attulimus non ſpernenda ſane ſunt: attamen parum juvant & accepta ſunt incertiore fide, quoniam illorum ætate Germania noſtra cœperat primum innoteſcere Romanis, & vulgi ſermonibus frequenter fabuloſis creditum tunc fuit.

Recentior hisce eſt quidem *Solinus*; (b) ſed huic grammatico homini videtur præcipue fuiſſe curæ, admirandarum naturæ rerum commemoratio, fere qualis inter Græcos fuit Antigonus Caryſtius: merito etiam non in illo minus quam hoc judicium limatum deſideraveris. Nec vero ex eo quod Claudius Salmaſius, ſummi nominis auctor, vaſti voluminis commentario libellum Solini eſt proſecutus, licet magnam de ſcriptore illo ſpem facere: in diverſiſsimis enim *Salmaſius* (c) eſt occupatus, & quæ ad Solinum pene nihil faciunt, ut non niſi veſtigia Solini eminus ſit ſecutus. Germaniæ ſane vetera perquam parce ex Solino poteris mutuari.

Plura longe & certiora de Germaniæ populis retulit Plinius. Et vero potuit ille prioribus iſtis excellentius hæc præſtare: quia non tantum varia doctrina & ſtupenda induſtria prævaluit, ſed etiam rerum Germanicarum notitia. Etenim juvenis militavit contra Germanos, contubernio uſus caſtrenſi Titi poſt Auguſti Imperatoris, ac præfectus alæ: imo & *bella omnia*, ut ſcribit illius ex ſorore nepos *Plinius* (d) Novocomenſis ep. V. lib. 3. *quæ unquam cum Germanis geſta ſunt viginti voluminibus comprehendit.* Utinam vero non fuiſſet contentus, in ſuæ naturalis hiſtoriæ grandi volumine docere tantum ea quæ ad chorographiam pertinent! cujusmodi videlicet ſunt ea quæ hic produximus. Quin longe plura & exactiora de republica quoque & moribus Germanorum tradiderit in illo de bellis opere, non patitur quem dubitare perſpecta viri diligentia. Sed illud opus pridem periit: etſi C. Geſnerus auditum ſibi teſtetur, illud Auguſtæ Vindelicorum ſupereſſe.

Paulum

(a) *Pomponio Mela*) Hic Claudio Imperatori coævus fuit. Ex tribus ejus de ſitu orbis libris nobis nulla propemodum capita, quam libri tertii ſecundum de Gallia, & tertium de Germania aliquam præſtare poſſunt utilitatem. Gronovii editionem, quæ anno 1693. in lucem edita, aliis præferunt.

(b) *Solinus*) Hujus *polyhiſtor* primum Venetiis an. 1483. deinde Pariſils an. 1629. & tandem 1689. Trajecti ad Rhenum prodiit. Curam hujus novæ editionis geſſit PTISCVS.

(c) *Salmaſius*) Exercitationes, quas adjecit, alias Plinianas vocat, quia Solinum cum Plinio, quem exſcripſit, contulit; aliæ ſunt de homonymiſi hyles iatricæ, quibus comment. de manna & ſaccharo adjecit. *Vener. dn. Abb. FABRICII biblioth. Fabr. part. III. p.* 218.

(d) *Plinius*) Sed videntur PLINII iſti libri ſecul. IV. jam tum inter rariores fuiſſe; id enim patet ex SYMMACHO *lib IV. epiſtola* 18. ubi hæc habentur: *enitar, ſi ſors votum juvet, etiam Plinii II. Germanica bella conquirere.* In Auguſtana bibliotheca non adeſſe ſumme reverend. Dn. REIMANNVS polyhiſtor celeberrimus teſtatur *hiſtor. literar. tom. I.* FRANCISCVS IRENICVS in *exegeſi Germ. lib. I. c. I.* tradit, Catonem, Plinio autore, librum de Germania ſcripſiſſe, qui non exſtat: ſed unquam exſtitiſſe non ſine ratione laudatus dominus Reimannus dubitat.

Paulum Plinio junior fuit *Tacitus* (a) noſter, ad Trajani ſcilicet potisſimum tempora, quibus ſua conſcripſit, referendus. Habuit vero & ille Germaniam noſtram univerſam quaſi præ oculis, utpote qui ſub Veſpaſiano rationes *Galliæ Belgicæ* (b) (quo nomine tunc veniebat omnis Rheno proxima Gallia fere ſolis Germanicis populis habitata) procuravit: quod nos docet *Plinius lib. VII. hiſt. nat. c. 16.* Ut proinde etiam hoc nomine fides viri merito debeat nobis ſancta exiſtimari.

Cæterum Ptolemæo, ex cujus Geographico opere excerpſimus primum illa, quæ Germaniam magnam, deinde & quæ Rhætiam, Vindeliciam & Noricum (quia a ſeculo usque quinto Chriſtiano etiam hæ regiones ſolos Germanos incolas habuerunt) attinent, Plinianisque excerptis ſubjunximus, non perinde atque Plinio & Tacito *Germania innotuit.* (c) Nec vero vel Italiam patriæ ſuæ Ægypto propinquam & ſaltim ob imperii majeſtatem præ omnibus regionibus quam maxime conſpicuam & viſu dignam, videtur oculis luſtraſſe; quanto minus remotiorem quamque Europæ partem, interque eas Germaniam. Ab alio igitur accepit etiam ea quibus Germaniam eſt perſecutus, ſicut etiam reliqua tantum non omnia. Etſi vero jam imperante Marco Antonino, quando vixit *Ptolemæus*, (d) Germania univerſa Romanis erat ſic ſatis explorata, adeoque potuerint Ptolomæo ſaltim chorographica noſtra plenius quam ante narrari, liquet tamen, frequenter fuiſſe in hisce aberratum. Non potuerunt porro non in nominum & numerorum deſignatione ab imperitis librariis errores iſti cumulari, cum præſertim nihil adeſſet quo corrigerentur. Sed & populis Germaniæ magnæ iſthac tempeſtate raro fuerunt conſtantes ſedes, ſed modo huc modo illuc iſti commigrabant, & vicos ſuos in ſolitudinem ipſimet flamma redigebant: adeoque hac etiam de cauſa incerti nos ſumus, num quæ a Ptolomæo prodita ſunt, re ipſa habuerint ſeſe ita nec ne. Utut vero ſit, fatendum omnino venit, complura in Ptolomaicis iſtis reperiri ad populorum, fluminum, montium, ſylvarum ſitum pertinentia, noſtra quoque ætate comprobata, quorum in omnibus aliis antiquis monumentis ne veſtigia quidem invenire eſt. Ac proinde multum nos debemus Ptolomæo, quantumvis omni ex parte tuto ipſi credi nequeat. Legendus nempe eſt nobis Ptolomæus cum aliqua reverentia, non autem ſuperbe explodendus, ut nec ſecure admittendus.

Poſt integros demum ducentos annos Ptolomæi ævum ſecutus eſt *Ammianus Marcellinus*, (e) quippe qui floruit Valentiniano ac Gratiano Imperantibus: quo tempore Franci, Alemanni & Burgundiones aliique Germanici populi plurimum negotii faceſſebant Romanis in Gallia, Rhætia, Vindelicia, Norico & Pannonia. Habuit ille quamvis gente Græcus Germaniæ res ſatis notas, quia jam ſub Conſtantio & Juliano Auguſtis ſtipendia meruit adverſum Germanos militans. Recte ſane de illo ſic judicat incomparabilis Voſſius: *Eſt hic ſcriptor gravis plane ac ſerius, & dignus qui ab omnibus, ac Germanis præcipue, ametur: mirifice enim illuſtrat Germaniæ ſitum.* Quoniam tamen illa Germanica operi ſuo hiſtorico tantum inſperſit interim dum bella narrat Marcellinus, non libuit in unum collecta hic exhibere: fuique contentus, allato illo uno de Burgundionum regibus, Germaniæ populis reliquis inſolito. Dedimus vero quæ Marcellinus ille narravit de Gallia & Rhætia: quia jam tum Germaniam primam ac ſecundam, Belgicam item primam ac ſecundam, ut & Sequanorum terras, Galliæ

(a) *Tacitus*) Natus eſt in civitate Interamenſi (Terni) anno ultimo imperii Claudii aut Neronis primo. Non ex antiquo Cornelianorum, ſed longe inferiore ſanguine genus duxit. *ANGELONI in hiſtor. de Terni p. 42.* *BOCCALINI in relationibus ex Parnaſſo* ipſum Olearii Ternenſis filium dicit. *JOSEPHVS NERI in collect. lib. II. cap. 39.* ait: *Sed Taciti patriam adhuc quærebamus; Interamnates tamen illuſtrem civem ſibi aſſerere remque non obſcuris argumentis oſtendere audio.* Atque hæc vera credens POMPEJVS VGONIVS ſequens compoſuit epitaphium, quod ſtatuæ ei Interamni ponendæ baſi incidi debuit.

Advenæ peregrini, quibus
C. Cornelius Tacitus
Princeps hiſtor. Roman.
rectius auditur ſuſpectus
hic eſt
omnes omnium gentium, qui docti
marmoream ejus ſtatuam
venerabundi
cognoſcite, ſpectate
poſuerunt
Interamnatium municipes civi ſuo immortali
cauſa
accipiendi
honoris haud dandi
ann. 1614. &c.

LORENZIVS PIGNORIVS in libro, qui inſcribitur compomimenti hæc refert: *C. Cornelio Tacito Eq. Ro. Pr. Gall. Belgicæ P. R. Vrbano XV. Viro Sac. Fac. Coſ. auguſtisſimoque rerum auguſtarum Scriptori, M. Claudii Taciti & Marci Antonii Floriani fratrum Cæſarum affini, Interamnates Nahartes ad renovandam clarisſimi civis memoriam & ad excitandos inflammandosque poſterorum animos poſuerunt.* VOPISCVS teſtis eſt Imperatorem Tacitum hiſtoricum hujus nominis parentem ſuum vocare eſſe ſolitum. *ANGELONI l. c. p. 45.* De Taciti editionibus, Cod. Mſc. & dictione. Vid. *RYKII præfat. ad Lectorem:* Hic etiam examinat ſententiam Trajani Boccalini, Tacito conſtitutum fuiſſe in libris annalium ſub hiſtoria Tiberii & reliquorum principum integumento tradere, quibus modis dominatio invitis civibus poſſideri cuſtodirique poſſit.

(b) *Galliæ Belgicæ*) Atque eo minus dubitandum, hunc rerum Germanicarum notitiam habuiſſe, quam non ſolum in libello de Germania, ſed & in annalibus & hiſtoriarum libris explicuit. Vid. *BAYLE dans le dictionaire hiſtorique critique tom. III. p. 2653. ſeqq.* Varios in Germaniam ejus habemus commentatores: B. RHENANVM, ALTHAMERVM, WILLICHIVM, GLAREANVM, BEVTHERVM, ACKELEJVM, BERNEGGERVM, KIRCHMAIERVM, LENTVLVM. Horum ſecundus, tertius & quartus apud *SCHARDIVM tom. I. ſcript. Germ.* reperiuntur.

(c) *Germania innotuit*) Interſerit tamen quædam ad ſtatum populorum resque geſtas attinentia. DN. HERM. DIEDER. MEIBOM. *de genuin. hiſtor. German. fontibus pag. 8.*

(d) *Ptolomæus*) Natales Peluſiæ debuit, quæ non magno in Ægypto ab Alexandria diſtabat intervallo, & cum in utroque per vices commoraretur loco, & Peluſiota & Alexandrinus eſt dictus. Quæ de Germaniæ urbibus refert, haud dubie non ad loca munita ſpectant: ea enim illo tempore in Germania nulla aut infrequentisſima fuerunt.

(e) *Ammianus Marcellinus*) Hic Græcus rerum Germanicarum ſatis peritus fuit. In caſtris enim Conſtantini & Juliani bellum Germanis inferentium ſtipendia meruit. Prodiit cum notis VALESII, LINDENBROGII & GRONOVII. Dolendum ex 31. libris tantum 15. ſuperesse.

liæ provincias, Germani incolebant, nec multo poſt omnia iſthæc in perpetuam habitationem Germanis ceſſerunt, & hodie magnam imperii Germanici partem conſtituunt.

Proximum a Marcellino locum dedimus excerptis ex itinerario Antonini. In quibus tamen nihil continetur quod illuſtret Germaniam magnam, ſive illam quæ Romanis fuit trans Rhenum ac Danubium poſita, ſed duntaxat illas Galliæ & Rhætiæ provincias paulo ante memoratas. Ideoque circa illa tantum loca poſſunt quoque hæc excerpta nobis eſſe uſui. Conſcriptum primo eſſe itinerarium illud poſt Marcellinum, nec tamen multo poſt, indicio vel illud unum eſt quod provinciam Sequanorum appellet maximam, quo nomine a Maximo tyranno demum dici illa cœpit: quodque urbes provinciarum iſtarum ita memorentur, quaſi itinera adhuc tuta tum fuerint ſub Romanis, cum tamen jam circa initia quinti ſeculi Chriſtiani pleraque illorum in Germanorum ditionem pervenerint. Auctor itinerarii aliis Antonius Auguſtus, aliis *Antonius* (a) Auguſtalis, Julius aliis Orator, aliis Æthicus Iſter, vulgo Antoninus audit: quod nomen igitur etiam nos ſecuti ſumus, etſi neutiquam velimus, deberi libellum Antonino Auguſto Imperatori. Expreſſimus autem noſtra excerpta, partim, qualia emendavit Marcus Velſerus in ſuo Auguſtanarum rerum opere, partim ſicut edidit Simlerus, niſi quod nonnulla nos quoque mutaverimus nimis falſa. Quod ſi typographus faviſſet, addidiſſemus etiam tabulæ illius itinerariæ, quam ex illuſtri *Peutingerorum* (b) bibliotheca a Marco Velſero depromptam Antvverpiæ anno 1598. octonis ſegmentis edidit Joannes Moretus celebris typographus, ſaltim tria priora: quia multum illuſtrare apta ſunt itinerarii excerpta, cumprimis addito ad priora duo ſegmenta Velſeri Commentario, & quia ex omni ævo vetere tabula quædam geographica alia non ſupereſt, incertiore multum fide cum ſint Ptolomaica, quæ Agathodæmoni Grammatico feruntur accepta. Sed impenſas recuſanti typographo fuimus coacti obſequi. Non multum quoque & nos reluctati; quandoquidem pauca duntaxat, nempe ſola Germanica provinciarum Galliæ, Rhætiæ & Pannoniæ itinera, ex iſtis ſegmentis licet petere.

Eidem vero, cui itinerarium, ævo videtur deberi libellus provinciarum Galliæ: qui propterea a nonnullis item audit itinerarii cognomento, certe eſt ejus appendix. Nos hic dedimus ejus pauca excerpta provincias Germanicas Galliæ attinentia: invitati maxime expreſſione nominum, quibus civitates illarum provinciarum ſunt deſignatæ, cum a Romanis tum Germanis ipſis. Cujusmodi quid haud reperias alibi: modo non ſint a manu recentiore vernaculæ noſtræ iſtæ appellationes.

Vetus illa orbis deſcriptio, quam primus Jacobus Gothofredus græce ac latine edidit ac doctiſſimis notis illuſtravit, jam tum ſub Conſtantio & Conſtante conſcripta, atque adeo ipſomet Marcellino nonnihil eſt vetuſtior: quod inde tamen excerpſimus poſt demum collocatum eſt, quoniam perexiguum eſt ejus quod nos poſſit juvare, & ſolam Treverim concernens. Gothorum quoque meminit plane alieno loco: utpote qui iſthac tempeſtate non Rheno fuerint propinqui & Galliæ, ſed Iſtro & Thraciæ.

Agmen monumentorum veterum *claudi* (c) poſtremo fecimus excerptis ex Notitia utriusque Imperii, ejusque incomparabili commentario a Guido Pancirolo confecto. Notitia ipſamet haud dubie conſcripta eſt jam ſeculo Chriſtiano quinto, Theodoſio juniore imperante: paulum ante Vandalorum, Francorum aliorumque Germanorum ut & Attilæ funeſtam toti Romanæ hactenus, Galliæ & Rhætiæ tempeſtatem. Id ſane multa oſtendunt, & fortaſſis etiam in manuſcripto aliquo codice obſervavit Andreas Alciatus; quia non dubitavit *lib. V. cap. 13.* in parergis vocare Notitiam: *Breviarium Theodoſii Junioris.* Quamvis autem excerpta illa nihil nos doceant ad Germaniam magnam pertinens; quoniam tamen oſtendunt, quemadmodum quaſi agonizans ſeſe in Galliis habuerit Romanum imperium, Rhætia, Vindelicia ac Norico a Germanis jam fere totis occupatis, (qua de cauſa omiſimus quoque illa, quæ de iis provinciis habet notitia,) & quia ſimul memorant præcipuas tum adhuc a Romanis poſſeſſas urbes, duximus haud abs re futurum etiam iſthæc adjicere, & quidem una cum Panciroli uberrimo commentario.

Continentur quidem porro in monumentis Græcis ac Romanis antiquis, quæ a Julii Cæſaris ævo ad ſeculum usque ſextum conſcripta ſunt, haud pauca etiam alia res Germanicas illuſtrantia; verum, ceu jam tum diximus, non niſi ſparſim & minimis particulis ac proinde nimis operoſa collectu, certe indigna quæ in hanc farraginem conjicerentur, ideoque hic quidem ſunt neglecta. Quamvis tamen etiam illa alias legi atque expendi velimus ab iis, qui plenam affectant etiam iſtius vetuſti ævi rerum Germanicarum peritiam. Illorum igitur vice dedimus duntaxat excerpta quædam ex Philippi Cluverii in Geographiam introductione: idque quoniam apta ſunt lectores manuducere ſaltim ad novæ non minus quam veteris Germaniæ χωρογραφίαν. Nec vero ex ejusdem Germaniæ antiquæ vaſto volumine quidquam hic delibare fas eſſe arbitratus ſum, quoniam integrum illud opus eſt cum cura legendum omni rerum noſtrarum veterum ingenue curioſo, non diſcerpendum in partes.

Finem denique huic libro impoſuimus repetita editione nonnullorum, quæ ipſimet de uſu peritiæ veteris Germaniæ ſtatus jampridem fuimus commentati. Nec vero nos fugit, quam hæc omnia a paucis ſuo pretio æſtimentur, imo quam hæc a plerisque ſoleant contemni. Etſi enim haud exiſtimem poſſe omnes in rationis gyrum flecti, & vel illa mea ſufficiant meliori menti excitandæ; nihilominus officii mei eſſe judico itemtidem inculcare, quod reipublicæ eſt commodum. Perinde atque nunquam omitti debent feriæ ad pietatis cultum invitationes, etſi pauci velint arctam illam ſemitam am-

(a) *Antonius*) Vid. *THOMÆ GALE comment. ad Anton. iter Britann. p. 1.*

(b) *Pentingerorum*) *BERTIUS in comment. rer. German. cap. 23.*

(c) *claudi*) Plura ſunt apud *LEIBNITIUM tom. I. ſcript. Brunſv.*

ambulare. In iis autem, quæ jam ante hoſce quadraginta tres annos fui præfatus, non hoc tantum docui, ſed etiam de univerſæ hiſtoriæ uſu, & cumprimis de notitia reipublicæ imperii Germanici, undenam ſit petenda, prolixius diſſerere fui coactus; quia vulgo tunc temporis plane alia erant perſuaſa magno cum publico damno. Qua in re factum a me operæ aliquod pretium, deprehendo ſane. Nec enim niſi ſolus Thabor tanto temporis ſpacio palam auſus fuit contra quidquam mutire; imo etiam ille mox novis me calumniis maluit petere, quam inhærere primis objectionibus. Cæterum & vetera Germanica inſtituta noviſſe, quantum hodieque interſit, niſi valde fallor, quaſi in ſpeculo conſpicuum quoque feci, in variis meis de republica imperii exercitationibus, in libro de origine juris Germanici, in opuſculo de Germanicorum corporum habitu, ut & in conjectaneis de antiquiſſimo ſtatu Helmeſtadii, paſſimque alibi: quin imo obſervo, inſtitiſſe jam illis meis veſtigiis etiam alios ſcriptores præclaros. Utinam reliquis idem queam perſuadere! Enimvero omni cura etiam hæc opera ſpectat unice publica commoda, meum privatum nihil. Mihi proinde ne etiam impoſterum favere dedigneris, LECTOR OPTIME, etiam te atque etiam rogo.

Helmeſtadii in academia Julia V. April. Anno Chriſti CIↃ IↃ CLXXVII, ætatis meæ ſeptuageſimo ſecundo.

Præfatio in editionem libelli TACITI, quæ publicata eſt anno CIↃ IↃ CXXXV.

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. GEORGII Ducis Brunſvicenſium & Luneburgenſium, Domini ſui Clementisſimi

Natu Maximo Filio,

CHRISTIANO LUDOVICO

ſummæ exſpectationis Principi

HERMANNUS CONRINGIUS

S. P. D.

VOluptatem ſummam ex hiſtoriis qui negat capi, *Princeps CHRISTIANE LUDOVICE*, næ ille aut numquam eas legit vel audivit, aut vero excors eſt nec ſincero ac liberali quodam animi affectu commovetur. Nam videmus quidem alios ventris turpibus illecebris, alios nummis quærendis, alios honoribus parandis ita deditos atque occupatos, ut nihil præter hæc faciant flocci aliaque re nulla delectentur. Verum illi quum nihil homine dignum ſapiant, extra humanitatis fines cum ventre ſuo ſuoque auro atque honore ſint proſcripti. Sed qui vere homo eſt, illum arbitror non poſſe non hiſtoriarum lectione vehementer affici. Præterquam enim quod vulgus experimento id habeat cognitum, cauſam ejus delectationis Philoſophi viri non ignorant. Quum nimirum hominibus nobis ingenitum ſit ſciendi deſiderium, idque vel externis ſenſuum inſtrumentis vel arcana mentis agitatione expleatur, alterius notitiæ mirum eſt compendium hiſtoria, alterius quaſi manuductor. Quæcunque enim ſenſus percipiunt, ſive illæ res ſint naturæ ſive negotia humana, iſthæc omnia exponit oculis *hiſtoria*. (a) Neque vero tantum levia quædam aut obvia iſthoc licet quaſi in ſpeculo cernere, ſed quæ multis ante ſeculis inque remotiſſimis ſunt terris viſa, imo quæ intra paucorum conſcientiam ſteterunt & quaſi nocte teſte ſunt geſta, aperta hic in luce oſtenduntur. Nihil hic arcanum, nihil clauſum, nihil tam ſanctum aut venerabile quod abigat oculum curioſum: nihil porro tam plenum periculi, quod non noſtra ſine diſpendii parte queat agitari. Naſcitur ergo delectatio ceu ex rerum miraculis coram palpatis: & creſcit illa eo maxime, quod ante incognita eaque cum multa tum uno quaſi momento ita ſit addiſcere. Non enim ſigillatim & pauca ſpectanda hiſtoria præbet, ſed & momento unico & plurimas exhibet res diverſaſque. *τὸ δὲ μανθάνειν ῥαδίως ἡδὺ φύσει πᾶσιν ἐστι*, ut recte pronunciat Ariſtoteles. (*lib. III. Rhet.*) Hæc adeo cauſa eſt, quur multi nulla æque re capiantur quam hoc ſtudio: non quod fructum aliquem hinc ferant, ſed quod animus incredibili voluptate ſemel illectus, ſuaviſſimo hoc pabulo nequeat ſaturari. Sed illorum hic labor fortaſſis non caret juſta reprehenſione, etſi in illo ſoli liberalis ingenii homines occupentur, adeoque videri poſſit decere quemvis libera natum conditione. Facile quippe in iis, quæ ad vitam aut neceſſaria non ſunt aut non perinde utilia, non minus quam in aliis, intemperantia laboratur: deſinitque tandem ſæpenumero hæc diligentia in Appionis aut Dydimi curioſam quandam vanitatem. Nec tamen ignoro, olim hoc ſtudium præclaris philologiæ, litteraturæ imo eruditionis nominibus appellatum, hodieque reperiri qui in eo arcem ac palmarium doctrinæ omnis autumant collocatum. Verum hi quidem quantum fallantur haud difficile perſpectu eſt: quin tamen a libere nato homine, etſi non omnino, aliquatenus tamen, attingi iſthæc debeant, non eſt dubitandum. Habet ſcilicet in hujusmodi rebus locum illud, quod de philoſophia minus recte olim Neoptolemus Ennianus pronunciavit: *Philologandum eſt* (liceat ita nunc loqui) *ſed paucis; nam omnino non placet.* Fortaſſis tamen & ſocietatis humanæ intereſt, quosdam melioribus nonnihil relictis totos ſeſe ſequioribus impendere: quo ingenio nonnullos etiam natos cernimus; quos eapropter Antiſthenes haud inſcite Penelopes procis comparabat. Sed de his alias. Illud certum eſt: hiſtoriæ jucunditatem illam maximam, ſi non aliunde, hinc tamen dependere,

(a) *hiſtoria*) Vid. BOECLERI *diſſert.* quam inſcribit *hiſtoria Princip. ſchola.*

pendere, quod ſit compendium eorum omnium, quæ ſenſu quondam percepta ſunt. Eſt vero præter illam & alia nobiliorque amœnitatis iſtius cauſa. Quum enim ſcientiæ atque artes omnes, ſolas ſi mathematicas, quas puras vocant, exceperis, experientia rerum ut quam maxime indigeant, neque ſine hac ullam earum liceat aſſequi, hinc jam neceſſitas etiam ſumma hiſtoriæ oritur, veluti quæ exhibeat complexum aliquem experientiæ cujuslibet generis. Neque vero datum eſt hominibus natis omnia per ſeipſos explorare, ſed multa certis aliorum teſtimoniis accipienda ſunt; quæ porro conſenſu meliorum jam ſunt conteſtata, illa vocare in dubium non niſi impudentis fuerit. Igitur mirum eſt, quantum adferat lucis doctrinæ cuilibet ea, quæ illi reſpondet, hiſtoria: ceu naturali philoſopho naturalis, aſtronomo cœleſtis, civili civilis, medica medico, ſingulis ſua. Manuductrix igitur ſeveriorum ſcientiarum eſt hiſtoria, tantumque parit delectationis quantum ſcientiæ atque artes quælibet largiuntur. Sed hanc ejus voluptatem atque hunc illius fructum percipere non eſt cujusvis. Tantum enim iis id conceſſum eſt, qui communes leges atque præcepta univerſalia aut ipſimet ſuopte ingenio norunt conſtruere ex ſingularibus eventis, aut vero a magiſtris hactenus ea didicerunt, ut ad abſolutam omnibus numeris rerum ſcientiam nil præter experimenta poſtuletur. Horum autem primum perquam eſt difficile: ſcientias enim condere excelſæ eſt operæ & animi peracuti. Ea certe ratio eſt, quare multi civilem prudentiam fruſtra ex hiſtoricis monumentis petant: quos videas optime quidem dicta factaque identidem inculcare, ſæpe tamen numero in rem præſentem transferre quæ nihil attinebant, quod cauſas & occaſiones & circumſtantias eventuum haud ſatis curate advertiſſent. Fidem autem eorum quæ ab magiſtris ita univerſalius fuere pronunciata, exigere ad hiſtoriam, (quod ſecundum erat) id vero ut magna caret difficultate, ita ad perfectam exactamque notitiam rerum quarumcunque per eſt neceſſarium. Quid enim facilius, aut quid jucundius, quam ea quæ quodammodo confuſa animo circumfers, nunquam viſa, credita tamen, ceu clara in luce per partes conſpicere? Vel quis auſit profiteri, certo ſeſe id ſcire, quod hactenus nullis uſurparum ſenſibus, ſola magiſtri auctoritate fuit perſuaſum? Parum vero intereſt ad fidem, tuisne oculis rem videris, an ab aliis viſam certa acceperis narratione. Tali ergo diſcipulo hiſtoria quaſi lapis eſt Lydius aut amuſſis quædam: ut quæ experientiæ compendium ſit, ad quam omnes leges omniaque præcepta ac pronunciata communia explorare quemvis abſolutæ eruditionis affectatorem oportet. Cæterum quam expedita ſit altera hæc & poſterior via, quæ a prudentiæ præceptis ad hiſtoriam pergit, præ illa quæ vulgo commendatur ab hiſtoriis ad præcepta ducens, quamque conveniat magis civilis ſapientiæ tyronibus, alias luculente oſtendimus: nullum tamen eſt dubium, quin hiſtoriarum peritia non dico utilis ſit ad comparandam illam prudentiam, verum per etiam neceſſaria, quacunque tandem via graſſari ad illam fuerit libitum.

Atque hactenus quidem omnes paulo moratiores conveniunt conſentiuntque: omnes enim & jucunditatem illam hiſtoriæ maximam & ad civilem comparandam prudentiam utilitatemque agnoſcunt atque confitentur: porro vero euntibus diſſidentes licet ſententias obſervare. Quum enim immenſa quædam hiſtoriæ amplitudo ſit, per omnes ſcilicet res mortalium porrecta, alii ad omnem feruntur ſine diſcrimine, alii hanc aut illam ſibi ſeorſim addiſcendam ſumunt, reliquam contemnentes. Quosdam ſane videmus patriam hiſtoriam ſolam commendare, quosdam contra peregrinam aliquam, ut Romanam ac Græcam, patriæ rebus præferre. Fortasſis autem complures affectu magis, ut fieri ſolet, ducuntur quam certo aliquo & ſano conſilio. Accuratius tamen rem omnem intuentibus facile apparet, ſi voluptatis ſolius gratia ſit tractanda hiſtoria, perinde fortasſis eſſe ad quamnam feraris dummodo delectet. Quamquam id valeat cumprimis ea quæ & varia maxime eſt & res narrat multum a vulgari conſuetudine remotas; talia enim jucunda ſunt maxime. At qui per hiſtoriam ad prudentiam atque rempubl. affectant viam, iis liquet delectum aliquem obſervandum eſſe. Non enim quævis pari ad illam ratione eſt utilis. Qualis vero ille delectus eſſe debeat, quove ſit conſilio inſtituendus, ſic forte habendum eſt. Rempublicam aliquam prudenter curaturum ſumma ope niti decet, ut ante omnia noſcat prudentiæ leges ac præcepta in communi, deinde vero ſuæ illius reipubl. naturam atque conditionem. Plane ſicut artem medicam facturo mihi neceſſarium eſt, & præceptorum artis & ægroti habere notitiam. Utrumque expoſcit hiſtoriæ auxilium. Nam quin ad prudentiam illam communem parandam hiſtoria neceſſaria ſit, nullum eſt dubium. Qua vero ratione bene quis conſulet privatim huic aut alteri civitati, quomodo recte ejus erroribus medebitur, quomodo ſaluti ejus proſpiciet in futurum; niſi quibus initiis illa ſua civitas creverit, quæ vitia illam olim corruperint, quei in illa jura ac leges, quibus in præſenti utitur, conſenſerit, habeat in numerato? Haud dico, nullum conſilium rectum dari poſſe ab eo qui iſthæc ignorat. Summam reipublicæ, aut totam illam, curari recte poſſe ab ejusmodi quodam imperito homine, inficior. Scilicet etiam hac parte ſimilis medico prudentiæ conſultus eſt. Vulnus ille inflictum ſanat haud perſpecta omni ægri conditione: de valetudine tamen tota deliberare, eique omni ex parte proſpicere non poteſt, niſi univerſum valetudinis ſtatum a primis incunabulis animo comprehenderit. Quid? quod ne majoris paulo momenti affectum aliquem medicus temere ſuſcipiat curandum, non ante præmiſſa corporis integri cura. Omnino autem geminus medico homo vere politicus eſt: ideoque nec toti reipublicæ nec nobiliori ejus parti manum audet admovere, niſi ante memoria comprehenſis reipublicæ illius rebus, iisque ab ovo, ut ita loquar, repetitis. Unde & ante omnia conſequens eſt, hiſtoriam ejus reipublicæ, cui præeſt quis ſive auctoritate ſive conſilio, eſſe omnino neceſſariam in republ. verſanti homini, negligi certe haud poſſe ſine publico detrimento. Nec tamen plerumque ejus cognitio hiſtoriæ tanti eſſe momenti ſolet, ut ad prudentiam ipſam civilem qua confirmandam qua parandam ſufficiat. Eſt enim amplius prudentiæ campus, ut qui popularem, opti-

ma-

matium, regiamque omnem gubernationem comprehendat: eſtque ergo illius qui ad omnem adſpirat prudentiam officium, per hiſtorias ire non regnorum duntaxat, ſed & popularium, optimatiumque ſtatuum: vel ſi ſeorſim ex. gr. regiam adminiſtrandi rationem velit noſſe, regnorum multorum par eſt ut conſtitutiones inſpiciat ac obſervet. Cæterum ſi rerum civilium ſcriptores omnes ſuo feciſſent ſatis officio, non porro aliud fortaſſis inter hiſtorias, quantum hunc quidem ſcopum attinet, diſcrimen eſſet obſervandum, quam quod ab ipſis eſt rebuspubl. quarum aliæ prudenter, aliæ imprudenter adminiſtrantur. Quin enim cognitio prudenter adminiſtratarum civitatum debeat præpollere, dubium nullum eſt; quanquam & errores videre imprudentium, haud parum ad prudentiæ faciat complementum. Verum enimvero raros hiſtoriæ ſcriptores eſt cernere, qui *ſcribendi præcepta* (a) aut intelligant aut obſervent: quod vel affectu præpediti devient a veritate, vel præjudicii tenuitate non penetrent in abditiora rerum, vel denique animo viriliter concepta pueriliter eloquantur. Tres enim ſunt hiſtorici virtutes: veritas, prudentia, atque eloquentia; quæ ut magna per ſe ſunt, ita raro ſociantur. Conſtat autem facile, ei cui propoſitum eſt prudentiam ex hiſtoriis capere, ea maxime verſanda eſſe monumenta quæ prudenter conſcripta ſunt, h. e. quæ non modo caſus eventusque rerum ſed cauſſas etiam rationesque exponunt. Præclare enim Polybius: (*lib. III.*) *ἱστορίας γὰρ ἐὰν ἀφέλῃ τις καὶ διὰ τί, καὶ πῶς, καὶ τίνος χάριν ἐπράχθη, καὶ τὸ πραχθὲν πότερα εὔλογον ἔχει τὸ τέλος, τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς, ἀγώνισμα μὲν, μάθημα δὲ οὐ γίνεται. Ab hiſtoria ſi quis auferat, Quare, Quomodo, Quo fine quodque ſit geſtum, & an ex ratione ſatis ceciderit; quicquid in eo reliqui, id ludicrum magis erit quam doctrina.* Quinam vero ſcriptores hanc laudem ſint conſequuti, rectamque hiſtoriæ viam calcaverint, alterius eſt inſtituti docere: nobis nunc ſufficit oſtendiſſe, illi qui ad rempublicam appellit animum, primo hiſtoriam ejus reipubl. cui ſuam operam addixit, deinde & peregrinas prudenti ſtilo exaratas, omni ſtudio diligentiaque volvendas eſſe.

Ego ſane, SERENISSIME PRINCEPS CHRISTIANE LVDOVICE, quum bene me de republ. meriturum exiſtimarem, ſi, tametſi aliud mihi ipſi genus vitæ elegerim, ingenioſos aliquot adoleſcentes ad civilem illam prudentiam manuducerem, ſimulque patriæ recte curandæ præpararem, hanc ipſam viam hactenus inſtiti, atque hoc tramite ſum progreſſus. Initio quippe omnem cujusque civitatis, qua illa cunque tandem facie fuerit, adminiſtrandæ rationem ex Ariſtotele docui. Quo auctore neque locupletius, neque diſertius, neque ſapientius poſt homines natos quiſquam argumentum hoc eſt perſequutus, quemadmodum illud & ipſa res docet & alias a me oſtenſum eſt. Inde ad hiſtoriam provectus, præceptorumque civilium uſum atque fructum ſingulari quadam in republica monſtraturus, operæ me pretium facturum judicavi, ſi imperii Germanici res atque ſtatum, ab usque prima origine in hæc tempora deductum, oculis exponerem. Nempe quum Germaniæ patriæ noſtræ optime conſultum præcipue velim, atque illi juvenes non alibi terrarum operam ſuam facile ſint impenſuri, omnem imperii noſtri ſtatum naturamve, quantum fieri eius licet, exacte pleneque, præ rebuspubl. aliis peregrinis ſive veteribus ſive recentibus, ediſcendum illis cenſui. Tametſi enim plerique eorum aut etiam omnes, numquam fortaſſis in Cæſaris ipſius ſanctiore ſervitio habebuntur, ſed vel huic ducatui veſtro, Princeps, vel vicinæ alteri reipubl. conſilium ſuum commodabunt, adeoque imperii curam ab iis nonnihil olim remotiorem fore queat videri: longe tamen alia (fateor) mihi eſt ſententia. Eſt enim ducatus omnis aut comitatus, aut epiſcopatus, aut urbs etiam Germanica, etſi ſuis quisque videatur legibus uti ſuæque frontis eſſe, pars integri illius corporis quod imperium dicimus, adeoque communi illo ſpiritu vivit floretque. Quapropter neque conſula recte ulli eorum poteſt, nihil recte curatur, niſi imperii totius ratione habita, directisque communem in ſalutem omnibus legibus privatis atque inſtitutis. Nam qui ſeorſim ita partes hasce curant, quaſi illæ nihil cum corpore illo magno habeant commercii, illi & privatim ſpecie quadam utilitatis ſibi ſuisque imponunt, & in publicum exitioſi ſunt, adeoque digni qui exterminentur. Scilicet vetus illud eſt ac conſtitutum; partem omnem in quantum pars eſt propter totum eſſe, quin & eſſentiam ſuam toti debere. Tum vero ea natura eſt plerorumque imperii membrorum, ut per ſe infirma ac debilia, tantum ſocietate communi roborentur externamque majorem vim arceant. Itaque ut revertar in viam, quemvis patriæ amantem civem, recteque vel huic privatim florentiſſimo ducatui, vel alteri cuidam imperii membro conſulturum, arbitror decere, nihil eorum ignorare quæ ad illam communem imperii formam attinent, quoniam de parte deliberari non poſſit, niſi toto perſpecto corpore. Quod ipſum in doctrina de anima Socrates, de corpore Hippocrates obſervavere. Ac proinde quum apud Platonem quæſiviſſet Socrates: *ψυχῆς οὖν φύσιν ἀξίαν λόγου κατανοῆσαι οἴει δυνατὸν εἶναι, ἄνευ τῆς τοῦ ὅλου φύσεως;* reſpondet Phædrus: *εἰ μὲν Ἱπποκράτει τε τῷ τῶν Ἀσκληπιαδῶν δεῖ τι πείθεσθαι, οὐδὲ περὶ σώματος ἄνευ τῆς μεθόδου ταύτης.*

Cæterum nec abludunt multum ab hoc conſilio ea quæ nunc paſſim tractantur ſtudia. Qui enim ad rempubl. aliquam noſtram appellunt animum, ſui eſſe officii cenſent, jus imperii publicum verſare. Floruitque inter alia hæc etiam doctrina jam a centum annis in Germanicis academiis, quas inter nonnullæ & nomen magnum hinc conſequutæ ſunt. Neque vero defuere ingenio atque eruditione præſtantes quidam viri, qui & uſum ejus viderunt & viam qua ad illam pervenitur. Vereor tamen multum, ut perinde omnes ſcopum ſuum ſint aſſequuti. Quidam certe hoc in negotio errores duos videntur committere: quod ſcilicet primo non ſatis hanc doctrinam ab ipſa diſtinguant prudentia civili, quod deinde non ex juſtis illam fontibus ſed peregrinis atque turbidis deducant. Apparet

(a) *ſcribendi præcepta*) vid. LVCIAN. *quomodo hiſtoria ſcribenda ſit.*

Apparet autem cuivis vel leviter in hanc publici juris ſcientiam intuenti, nihil illam aliud polliceri, quam notitiam eorum, quæ circa publica hoc in Romano Germanorum imperio ſunt conſtituta, adeoque ſive conſenſu Ordinum aperto, ſive tacita conſuetudine vim legis acceperunt. A quo profecto multum diverſa *civilis prudentia* (a) eſt. Hæc enim nihil ſigillatim de hac noſtra republ. ut nec de ulla alia, præcipit; ſed in communi tantum occupata, ut natura eſt artium omnium & ſcientiarum, ad ſingula neutiquam demittitur. Hæc non reſpicit unius ſolum civitatis ſalutem, ſed omnium omnino in univerſum æqualem curam habet. Hæc denique non jubet, quid agendum ſit ex decretis ante factis, ſed quomodo ipſa ſint decreta condenda, quid eorum obſervandum, quid mutandum & qua cautione, uſu id ipſum publico poſtulante. Tanto ſcilicet diſcrimine diſtat utraque hæc cognitio, quanto medica ars ipſa ab ea cognitione abeſt, qua novit medicus quid in Socrate ex. gr. ſanum ſit aut invalidum: reſpondet enim medicina prudentiæ civili, & juris publici ſcientia pene gemina eſt illi notitiæ, quam de Socratis valetudine ſibi medicus aliquis comparavit.

Verum hic primus error levior fortaſſis eſt, quam ut animadverſionis egeat; eſtque jam tum a nobis ante reprehenſus, altera qua Ariſtotelem laudavimus oratione. Sed fortaſſis haud paulo major eſt poſterior; etſi frequentia ſua ac vetuſtate mitiorem nonnihil ſententiam mereatur. Videmus enim, homines nonnullos clariſſimos de imperii noſtri conſtitutionibus juribusque publicis, non niſi in ſubſidium teſtimoniumque Juſtinianeis legibus advocatis, diſſerere: quaſi hæ norma ſint ad quam publicæ imperii res veniant exigendæ. Itaque fere ad tertium quodvis verbum cernere eſt citatam ex illo volumine legem, ceu unicum veritatis robur inde ſit petendum.

Atque in exordia quidem ejus opinionis intuentibus apparet, non uno illam tempore ubivis terrarum imperii noſtri invaluiſſe, ſed in Italia natam ſero demum in Germaniam hanc trans Alpes penetraſſe. Quingenti præter propter enim ſunt anni, quum in Italia *e tenebris* (b) & ſitu in lucem reductum eſt illud Romanarum legum corpus ut appellant, quod Juſtiniani Auguſti mandato Tribonianus olim confecerat. Erat tum gens Itala ut avida novarum rerum, ita emortuæ dudum Romanorum potentiæ ac libertatis deſiderio tumida; quod fracto magnam partem Germanicorum Cæſarum per Italiam robore, Germanos nos ut barbaros habentes Itali imperium quoque Germanicum aut detrectarent, aut vellent mutatum. Involarunt itaque avide in reviviſcentes illas leges, easque abrogatis ſuis inſtitutis quibus jam aliquot erant ſeculis uſi, in forum, neſcio temere ne potius an conſulto, traduxerunt. Creſcente vero iſtarum legum auctoritate, non ad privatas tantum illæ controverſias adhiberi cœperunt, ſed ad earum mentem de publico etiam imperii ſtatu, inter doctores præcipue academicos, fuit diſputatum. Quæ res cum Pontificis Romani immenſæ ambitioni adverſaretur, ille contra leges a ſe latas aut approbatas (quibus illa plurimum nititur) doceri fecit ac defendi. Ita de maximi momenti negotiis imperiique ſummam attingentibus cœptum eſt varias in partes apud Italos tum controverti, hactenusque inaudita ultro citroque adferri. Quum enim Romani juris doctores invenirent majeſtatem Juſtiniani Cæſaris admodum auguſtam, potentiamque ejusdem per Europam, Aſiam, Africam late porrectam; quum viderent multa de libertate ac dignitate Romani populi prædicari, multa quoque de præſidum, judicum, præfectorum, epiſcoporumque officiis juberi: quidam illorum eam demum imperii Romani faciem juſtam atque legitimam judicantes, eandem majeſtatem ac potentiam convenire Germanicis illis ſuis ſui ævi Cæſaribus, eandem competere Romano populo etiam nunc dignitatem, eaque eſſe Ducum ac Comitum quæ præſidum olim ac præfectorum officia, nec majora nunc Epiſcopis quam olim deberi, magna animi contentione docuerunt. Quorum profecto nihil auditum erat, ex quo Germanici populi Cæſareum ſibi nomen vindicaverant. Neque vero inanes tantum hæ voculæ fuerunt, ſed & eruperunt in nervum, magnisque motibus & prætextum dederunt & incitamentum: præſertim cum ex adverſa parte Pontificem extollerent *canonici doctores* (c) juris, decretisque Papalibus adductis Cæſaream majeſtatem opprimerent. Jam ſtatim a viſis illis legibus, anno Chriſtiano poſt mille ac centenos quinto quadrageſimo, in Spirenſibus comitiis, oratores Romanæ plebis jugi Pontificii pertæſæ, hisce verſiculis Conradum Cæſarem ſunt alloquuti:

Rex valeat, quicquid cupit obtineat, ſuper hoſtes
Imperium teneat, Roma ſedeat, regat orbem,
Princeps terrarum ceu fecit Juſtinianus.
Cæſaris accipiat Cæſar, quæ ſunt ſua Præſul.

Nec deſierunt illi animorum motus ac bella Italiæ civilia, aliquot per ſecula: evehentibus Cæſaream dignitatem Romani juris doctoribus, Papalem vero canoniſtis. Loquuntur annales feralia illa diſſidia cum horrore quodam: ea autem Cæſari & Pontifici, utrinque a ſuis, legum ſpecie antiquarum ſunt attributa, quæ nemo doctior ſine ſtupore aut riſu legerit. Verum hæc latius narrare alterius eſt temporis atque argumenti. Tametſi autem illa ætate conflagraverit pene Italia diſputationibus hisce, & imperii forma ad illam Romanarum legum amuſſim novo exemplo fuerit exacta: Germania nihilominus noſtra quievit, nec tale quicquam audiit ante ſeculum quintum decimum; quo tempore videlicet primum aliquis earumdem legum in transalpina hac imperii parte cœpit uſus eſſe.

Ex

(a) *civilis prudentia*) Habes hic differentiam juris publici a politica. vid. HERT. *de jurisprudent. univerſali ſect. II.* ubi docet quomodo prudentia civilis a jure publico univerſ. juris natural. parte, & J. P. particulari parte diſtinguatur.

(b) *e tenebris*) Vid. MAVRITII differt. *de libr. J. C. rumque uſu.* BRENCMANNI *hiſtor. pandect.* MABIL. *iter Ital.* 184. 185. *ANGELVS POLITIANVS.*

(c) *canonici doctores*) Vid. *THOMASII hiſtoriam juris,* quæ multa autoris noſtri libro *de origine jur. Germ.* & *PANCIROLLO de clar. legum interpret.* debet.

Ex eo nimirum ſerpere & apud nos ejuſcemodi ſententiæ, & a nonnullis defendi non ſine detrimento publicæ quietis inceperunt. A pleriſque tamen contra eſt itum, & quidem ab illis etiam quibus alioquin familiare eſt, nulla non occaſione captata doctrinam hanc juris publici Tribonianæis legibus interpolare.

Ac origo quidem illius moris progreſſusque hic fere eſt. Operæ autem pretium fortaſſis fuerit ſermone non prolixo oſtendere, quantum ille a recto abeat, & juſtitiæ adverſetur. Intereſt enim pacis ac ſalutis publicæ, vel nihil loqui in vulgus de ſtatu publico, quod Platonis conſilium eſt, vel certe non aliter de illo loqui quam ſeſe res habet. Dubium autem nullum eſt, quin periculoſæ ſunt illæ quorumdam ſententiæ: juſtum eſſe ut ſecundum Romanas leges imperii reſpubl. conformetur. Quum enim noſtra hæc longe ſit diverſiſſima maximeque ab illis remota, injuſtitiæ præſens ſtatus arguitur: quod motibus excitandis multum profecto valet. Neque enim vel Cæſar vel Ordinum aliquis aut Principum ea debeat eſſe qua nunc eſt conditione, ſi iſti homines non fallunt nos aut falluntur. Sed non difficile perſpectu eſt quantum decipiantur. Quod ſi enim Romanis iſtis legibus reſpubl. noſtra tenetur obedire, cauſſa ejus rei fuerit: vel quod leges illæ ejus ſint juſtitiæ, ut eas non obſervare omnimodo injuſtum fuerit: vel vero quod ſponte in illas ſine diſcrimine juraverimus & noſtra ætas ultro ſeſe illis ſubmiſerit; vel denique quod iſtæ leges nobis præſcriptæ ſint ab aliis, queis refragari ſit nefas.

Sed nihil non horum aſſertu fortaſſis ridiculum ſit. Quid enim aliud quam riſum mereatur, qui omnes illas leges, vel illarum eas, quæ publicam imperii adminiſtrationem cernunt, ipſimet naturali velit juri coæquare? quaſi ſcilicet eas non obſervare fuerit perinde ac ſi æternum illud jus mentibus humanis inſitum violetur. In vulgus quippe innotuit pleraſque illarum legum (ut fieri alias quoque ſolet) ex arbitrio profluxiſſe, neque aliam habere vim quam quæ eſt ex conſtituto. Tum in univerſum de reipublicæ ſingularis adminiſtratione natura propemodum nihil ſanxit, ſed humanæ illam prudentiæ & libertati reliquit: certe quando ab univerſaliſſimis pronunciatis abierimus, honeſti inhoneſtique ratio amplius non comparet, eorum locum utili & inutili occupantibus, quemadmodum illud alibi oſtenditur. Jam vero ne illud quidem, eam reipubl. formam quæ Juſtiniano Cæſare obtinuit, aut eſſe omnium optimam, aut convenire moribus noſtris atque huic ætati, quod proximum eſt, temere quis civilis prudentiæ conſultus affirmaverit.

Pari autem modo & alterum dictu ridiculum fuerit; omnes promiſcue leges illas, aut vero illas juris publici, ultro ceu reipubl. normam eſſe admiſſas. Principio enim conſtat, ne forum quidem ullum in privatis controverſiis finiendis ſolo ſtare illo Romano jure, ſed ad hoc leges ſæpe plane adverſas *conſuetudineſque domeſticas* (a) obſervare: tantum abeſt ut omnia illius Tribonianei corporis ulla reſpublica ſine diſcrimine approbaverit. Quo porro tempore imperium Germanicum juravit in jus publicum illud Juſtinianeum? Tacite ne illud factum eſt, an aperte? Si aperte; producatur illud aut ſenatus noſtri conſultum, aut plebiſcitum, aut decretum comitiorum. Si non poteſt produci, ſaltim teſtimonium tam grandis ac ſpiſſi negotii ex monumentis antiquis petatur. Atqui iſta nihil tale memorant. Forte tacito quodam id conſenſu factum. Quando, aut qua occaſione? An quum Romanorum Imperatores Cæſareſque cœperunt dici primo Francorum Reges Carolini, mox Reges Germanici a magno Ottone? Id enim video nonnullos velle. At vero ea tempeſtate ſepultæ erant Tribonianeæ iſtæ leges, qui ergo eas voluerint obſervari? Neque in officio Cæſaris eſt Romani haſce leges probare præ aliis. Fuerit enim ejus Romanas leges defendere; cur ad has præcipue obſtringitur, quarum magna portio florentibus Romanorum rebus fuit ignorata? Fuerit ejus leges iſtas ſtabilire in ſolo Romano; quo jure magna noſtra Germania ſervare illas obligatur, quæ Romano populo numquam olim paruit, & nunc Romanis dat Cæſares non autem accipit? Neque vero Cæſar in quantum Cæſar eſt Germanis imperat, ſed in quantum Rex eſt Germanorum: quem cum eligunt ſeptemviri ſimul etiam Romanis ſuum Imperatorem eligunt. Nec, ſi proprie atque accurate loqui animus eſt, (ut ſane fieri decet) hæc Germania noſtra pars Romani eſt imperii, etſi ita a multis temporibus loquamur cum vulgo: quod nunc ſolet etiam Hiſpanico regno illa adſcribere, quæ ſive in Germania ſive in Italia ſive alibi terrarum Rex Hiſpaniæ diverſiſſimis longe titulis poſſidet. Forte ne Italia quidem omnis nomen iſthoc meretur. Carolus certe cognomento magnus, ille qui Francorum Regum primus Cæſareum nomen indeptus eſt, ſtudioſe diligenterue ea quæ Longobardici regni erant in Italia ab iis quæ Romani imperii dicebantur, ſeparavit. Verum hæc alibi rectius clariusque diſputantur. Id patet: Germaniam noſtram non obſtringi legibus Romanis ullis eo quod Regem habeat Cæſarem Romanum, adeoque non tacite ſemet ſubjeciſſe Romano juri, ex quo Cæſares Romano populo dedit. Quid, quod ne in iis quidem terris quæ proprie Romanæ merentur dici, neceſſum ſit leges illas Triboniani audire? Sive enim populi, ſive Cæſaris, ſive utriusque fuerit ferendi leges poteſtas, cujus eſt ferre, & abrogare ejuſdem eſt & antiquare. Potuerunt itaque novæ leges condi abrogatis Iuſtinianeis, aut reliquis priſcis omnibus. Neque vero alia in ſententia hactenus fuerunt Cæſares Germanici Principeſque. Sive enim Francorum illa priſca tempora, ſive inſequentia hunc usque in diem ſecula reſpexerimus, apparet profecto clariſſime, numquam vel verbo monitum de republ. ad normam illam Iuſtinianei imperii ordinanda, ſed antiquis moribus & ſervatam illam hactenus, & eſſe ſervandam judicatum. Tum vero leges illæ Iuſtiniani non niſi in forum litibus privatis finiendis receptæ ſunt, neque initio quidem tam Cæſarum juſſu quam privata quorun-

(a) *conſuetudineſque domeſticas*) *THOMASII hiſtoria juris & CONRADI SINCERI ſive CVLPISII diſſ. epiſtolica.*

dam voluntate. Ut taceam, quod commentario de origine juris Germanici probavimus, leges illas intra ducentos circiter annos in Germania cœpiſſe, nec aliquo publico Ordinum aut Cæſaris decreto, ante inſtitutum Spiræ Nemetum judicium, fuiſſe ſtabilitas. Tantum ergo in foro earum uſus eſt; quoniam hactenus tantum ſunt admiſſæ in provinciis imperii hujus Germanici: qui ad alia itaque & publica quidem illa extendunt eas, vim ii reipublicæ faciunt, certe præter ſententiam agunt omnium Cæſarum aliorumque civitatis hujus Ordinum. Scilicet non arctius nos leges illæ adſtringunt quam vel Galliam, vel Hiſpaniam, vel Britanniam: quæ & ipſæ in foris ſuis obſervari eas mandaverunt, nihilo mutata reipubl. forma. *Imo ubi academiæ & profeſſiones juris* (verba recito Joannis Tilii locupletiſſimi Francogallicæ reipubl. ſcriptoris *l. I. c. 1. de republ. Gall.*) *in Gallia inſtitutæ ſunt & ornatæ privilegiis, nominatim proteſtati ſunt Reges, ſe jura illa non auctoritatis loco ſed rationis tantum accipere.* Quod ipſum & I. Bodinus & Petrus Pithœus, & E. Baro aliique præclariſſimi JCti rerumque Gallicarum peritiſſimi affirmant. *Quin etiam* (ait Bodinus *l. I. de republ. c. 8.*) *Reges Hiſpanorum capitali pœna vetuerunt Romanorum leges ſui juris teſtes appellare, ut ſcribit Oldradus:* (*conſ. 69.*) *ac tametſi nihil eſſet in moribus ac inſtitutis patriis, quod cum legibus Romanorum diſcreparet, ea tamen ejus interdicti vis eſt, ut ab omnibus intelligatur, judices in cauſſis civium Romano jure non teneri, ac multo minus Principem ipſum, qui judicum religionem legibus peregrinis obligari pernicioſum eſſe judicavit.* Nec vero aliud voluit Stephanus Hiſpanus Caſtulonum Rex, quando, Polycrate teſte, (*l. VIII. c. 22.*) Romanorum leges in Hiſpania doceri prohibuit, quoniam plebs ſacroſanctas patriisque inſtitutis juſtiores has eſſe exiſtimaret. Sed quorſum prolabor? Satis eſt ſi probaverimus, (credo autem nos id clariſſime probaſſe) imperium Germanorum, ſive cis ſive transalpinum, numquam aut expreſſo aut tacito conſenſu rempubl. ſuam Romanis illis Juſtiniani conſtitutionibus ſubjeciſſe, etſi earum uſum aliquem voluerit in foro eſſe.

Supereſt tertium: nempe non ſponte quidem id unquam eſſe factum, nihilominus iis imperium noſtrum obligari quoniam a Romanis ſunt latæ, illis orbis terrarum dominis. At vero non tulere Romani haſce leges Germanis nobis qui trans Rhenum ac Danubium vivimus: non enim Germanici hi populi niſi ad breve tempus Romanis paruere, contra vero horum potentia omnis a Germanicis eſt gentibus deleta, & provinciæ potiores ab iisdem hodieque regnantur. Ad nos ergo certe leges Romanæ iſthoc titulo non pertinent. Ex illo enim, quod Imperatores antiqui dominos ſe mundi vocaverint, aut quod in ſacro Lucæ Evangelio Romani imperii orbis οἰκουμένης voce ſit appellatus, credere cum quibusdam, nihil non terrarum Romanis paruiſſe, non amplius forte error ſed ſtupor eſt. Reliqua transalpina imperii Germanici portio paruit illa quidem Romanis olim Cæſaribus: Juſtiniani tamen ætate jamdudum iſthoc jugum abjecerat. Unam Italiam fractis Gothorum viribus aſſeruerat ſibi tempeſtate illa Cæſar Juſtinianus: ſed & iſta maximam partem Romanis per Longobardos ſtatim poſt erepta, numquam illis donata iterum, multo minus armis vindicata eſt. Ergo tametſi legibus illis olim paruiſſet, poſteaquam tamen bello victa ceſſit victoribus, nihil amplius in illam juris leges illæ Romanæ habent. Multa enim imperii illius veteris ut bello quæſita ita bello amiſſa ſunt; alia derelicti occupatione, nonnulla pactionibus, ut olim parta Romanis ita poſt aliarum in gentium imperium tranſierunt. Neque enim alia ratio acquirendæ ſeu amittendæ poſſeſſionis pro imperio illo antiquo, quam contra illud valet; ſed quibus quondam ſua paravit modis ac juribus, iisdem illa nunc amiſit.

Cæterum Romanarum legum dignitatem inſectari, aut vero operam fortaſſis ludere videor, *Princeps CHRISTIANE LUDOVICE*, & patientia tua abuti, qui tam operoſe oſtendo, perperam a nonnullis diſſeri de republ. noſtra ex legibus illis Romanis forenſibus; quum error ille per ſeſe nimis pelluceat, nec detrimenti hinc capere aliquid poſſit fortuna publica. Verum enimvero procul a me eſt, ut in fori negotiis quidquam illis legibus, quibus tamdiu prætoria noſtra ſteterunt, detractum velim: tantum ne cancellis illis exeant, videtur prohibendum. Porro cum alias quælibet perverſa de republ. opinio exitioſa eſt, præſertim ſi auctores habeat aut probatores homines auctoritate inſignes; tum vero multum vereor, ne hic ipſe error plus quam credi aut dici poſſit, damni jam tum dederit. Forte enim nihil facilius fuerit, quam malorum hinc enatorum ſegetem maximam nunc metere. Verum etſi nondum quidquam detrimenti attuliſſet hæc opinio, quis tamen non videt quam in futurum fuerit noxium, ſi improvidæ mentes aut rerum novarum cupidæ hujuscemodi erroribus imbuantur? Sacer ſc. morbus opinio eſt: mundus tamen hic nulla perinde re quam hac ipſa regitur. Ita & futiles nonnunquam ſententiæ faſcinant animos, & usque adeo judicii aciem obfuſcant, ut ne claro quidem meridie veritatis ſolem contemplemur. Quamobrem & veniam dabis *Princeps*, operoſius refutanti mihi ſententiam reipubl. ſaluti detrimentoſam: præſertim quum illam non licuerit non tangere, quando inſtitutum meum poſtulat, hiſtoriarum imperii noſtri ſtudia commendare. Eo enim inprimis nomine laudanda illa veniunt, quod, cum interſit Germaniæ ut quibus reipubl. cura eſt commiſſa quique clavum ejus gerunt, penitius ſtatum omnem pernoſcant publicum; quod (inquam) ad hanc accuratam imperii notitiam majus momentum nullum quam ab hiſtoria noſtrate conferatur. Quam contra illi ſentire quum videantur, qui reipubl. noſtræ naturam ex Romanis legibus diſcendam cenſent, habenda hic fuit ejus ſententiæ ratio, ut hiſtoriæ Germanicæ fructus eo magis pateſcat.

Verum haud abs re fortaſſis fuerit paulo clarius monſtrare hunc fructum, rationemque cognoſcendi imperii hujus Germano-Romani diſertius indicare. Sed id agentibus ante omnia conſtare debeat quid ſit illud: *ſtatum publicum imperii noſſe:* neque enim ab omnibus idem hiſce vocabulis intelligitur. An eſt ſcire leges adminiſtrandi imperii ſaltem publicas, atque adeo officium Cæſaris & Ordinum non ignorare? At vero fieri poſſit, ut quæ officii ſunt quisque negligat: & docet uſus, rempubl. lege ἀριστοκρατικὴν, exercitio atque reapſe ſæpenumero ὀλιγαρχικὴν eſſe aut popularem. Ergo legum

legum imperii publicarum ſcientia non omnino idem eſt cum cognitione ſtatus imperii: cæteroquin enim, qui jus ſcit publicum, ſciret conditionem quoque omnem ſtatus imperialis. An tamen is qui ſtatum penitus pernovit poteſt ignorare jus imperii publicum? Non ſane. Leges enim illæ anima civitatis ſunt; quis ergo imperii noverit naturam ignoratis ejus legibus? At vero manifeſtum hinc fit, juris publici noſtri (ne quid nunc dicam de privato) notitiam partem eſſe ejus cognitionis, qua ſtatus imperii comprehenditur: hæc enim ambitu ſuo, quantum apparet, illam complectitur. Fortaſſis tamen & ad alia ſeſe exporrigit illa imperii cognitio: ut enim etiam ſupra indicatum eſt, exacte hæc reſpondet illi, qua medici novimus ejus naturam omnem cujus valetudinem habemus nobis concreditam. Ut enim medentis eſt, qui artem ſuam velit facere, ſtatum ex. gr. Socratis noſſe; ita artificis civilis recte imperio noſtro conſulturi eſt ſtatum imperii pervidere. Tum vero demum credimur medici naturam omnem noſtri Socratis perſpexiſſe, quum didicimus omne illud, quod in eo eſt ſive ſanum ſive morbidum ſive ambiguæ inter hæc conditionis: id quod eſt, noſſe originem atque cauſas omnium illorum, quæ ad valetudinem Socratis quoquo modo pertinent. Non enim ſatis eſt ſcire, quam ille naturam materno ex utero produxerit, aut quantum ab illa poſt receſſum ſit, quidque priſtino etiamnum ſeſe modo habeat: ſed & cauſas affectuum omnium, ſive illi ſecundum ſive præter naturam ſeſe habeant, oportet notas eſſe: ut pateat, quidnam corrigi queat aut reſpuat medelam. Simili prorſus ratione igitur rerum imperii vere conſultum decuerit, non ſcire tantum quasnam in leges illud conſenſerit, (quod pene geminum eſt conditioni nativæ Socratis,) aut vero, quantum iis hodierni mores vel adverſentur vel congruant: ſed & origo occaſioque & legum latarum & eorum quæ contra fiunt, intelligenda eſt.

Verum ſi his limitibus definitur atque hac natura abſolvitur ſtatus imperii notitia, (ut profecto ſeſe res habet) nihil fortaſſis eſt quur velimus alio illam quam hiſtoricæ peritiæ cognomento appellare. Plane enim hoc ipſum, & nihil pene aliud agere in officio eſt hiſtoriæ imperii rerum. Hujus enim eſt exponere temporum ſerie obſervata, qua ratione unum in corpus & regnum unum omnis Germania primum mox & Italia magnaque Galliæ pars concreverit, quidve nonnullas ejus corporis partes poſt ſolverit communi illo vinculo; quæ Cæſarum aut fiſci regii potentia & olim fuerit & nunc ſit; quomodo ſemper leges latæ, & quænam olim latarum vel poſt ſint abrogatæ vel etiamnum ſerventur: quæ belli ratio & pacis: quæ forma eligendi magiſtratus: quis modus judiciorum: ac ſi quæ his ſunt ſimilia. Quod ſi autem hoc eſt argumentum hiſtoriæ Germanici imperii, ſique omnia hæc docere munus illius eſt, utique horum ſcientia ſaltim magna ex parte hiſtorica eſt.

Utinam vero, Princeps CHRISTIANE LUDOVICE, haberemus res imperii noſtri a prima usque origine ita conſignatas ac traditas, ne quid hiſtoriæ legum merito in iis ſcriptis deſideretur! Multum autem vereor ut hactenus ſimus hanc laudem conſequuti: etſi egregiam a nonnullis eo in negotio operam eſſe collocatam, haud duxerim diffitendum. Multi enim per partes id exequi præclare quidem aggreſſi ſunt, ſed univerſim qui tractaverit, ea qua decet aut fide aut prudentia aut eloquentia, fortaſſis vix unus eſt. Pleriſque ſcriptoribus quantum apparet, viſum ſatis eſſe, non mentiri. Et ſane quis neſcit recte ſcripſiſſe Tullium: (*lib. II. de oratore*) *primam eſſe hiſtoriæ legem, ne quid falſi dicere* (a) *audeat; deinde ne quid veri non audeat; ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis?* Verum hæc tantum fundamenta hiſtoriæ ſunt nota omnibus & facilia: ipſa vero exædificatio longe operoſior eſt ac difficilior. Inciderunt autem prima & potiſſima imperii Germanici tempora in melioris literaturæ maximam egeſtatem. Præterquam enim quod ſpiſſa barbariæ nubes toti tum Europæ incubuerit, in Germania nemo fere potentiorum vel primas literas calluit, ſed & hæc rudis eruditio intra ſola pene *monachorum clauſtra* (b) delituit. Hi vero quum vitæ inſtituto ad θεωρητικὰ potiſſimum propenderent, τὰ πρακτικώτερα quod aut neglexerint, aut obiter tantum viderint & quaſi per transennam, non eſt mirum. Itaque primo orationis culturam nullam ad hiſtoriæ ſcriptionem adferre potuerunt homines illi: deinde neque res ipſas ſatis aſſequuti ſunt, quod remoti a republica vel vero leviter & plebejo ritu in illa verſati, conſilia, acta, eventus non perviderint. Fuit itaque illis hiſtoria nihil aliud niſi annalium confectio: h. e. uno conſtans alteroque verbo memoria earum rerum, quæ viſæ ſunt illuſtres maxime, per annos ſingulos deducta. Ejus certe, non alius, notæ ſunt monumenta noſtrum omnium pene, qui a Carolo Magno ad Maximilianum usque, vel potius Carolum id nominis quinctum Cæſarem, rebus imperii facem conati ſunt allucere. Unus fortaſſis Lambertus Schafnaburgenſis, Hirsfeldenſis cœnobii monachus, & præter hunc ille Magni Caroli, ut vulgo perperam tamen creditur, gener Eginhartus, meruit meliorem laudationem. Hic enim ea ſcripſit dictionis puritate atque elegantia, ut alia plane tempeſtate natum jures. De illo autem non dubitavit maximus vir Joſephus Scaliger (*de emendat. tempor.*) hæc in verba ſcribere: *Equidem miror in ſeculo tam barbaro tantam hominis & in loquendo puritatem & in temporum putatione ſolertiam fuiſſe, ut in chronologis noſtri temporis pudorem exprimere poſſit, ſi aliquem ſenſum harum rerum haberent.* Juſtus etiam Lipſius (*not. ad l. I. c. 9. polit.*) exquiſiti cenſor judicii, inter optimæ laudis hiſtoricos & ad civilem prudentiam juvantes hunc numerat, *bonum eſſe*, addens, *quantum potuit in tali ævo.* Et ſane prudentiæ non minus quam eloquentiæ palmam, (ut ſileam accuratam temporum rationem,) non ſuæ tantum ætatis omnibus, ſed & diſertioris ævi pluribus præripuit. Cæterum unius circiter decennalis hiſtoriæ hoc præconium eſt, qua ſcilicet Henrici IV. Cæſaris res nonnullas ſua ætate geſtas eſt perſequutus: reliqua quæ præcedunt prorſus alia ſunt conditione; ut mirari merito ſubeat, quur tam diſſimilia uno illi placuerit volu-

(a) *ne quid falſi dicere*) Vide quæ CAMBDENUS *annalibus ſuis* lectori inſcripta præmiſit.

(b) *monachorum clauſtra*) Vid. MABILLON *de ſtudiis monaſticis.*

volumine comprehendere. Eginhartum quoque rectius fortaſſe præconem quis dixerit quam hiſtoricum: etſi, ut tempora tum ferebant, haud omnino infelicem ſeſe C. Suetonii tranquilli imitatorem exhibuerit.

Sed non eſt propoſitum mihi, in virtutes ac vitia ſcriptorum noſtrorum per partes nunc animadvertere: alterius id fortaſſis aliquando operæ erit. Jam ſolummodo, quaſi in gentis noſtræ contemptum aut ambitioſius dicta, accipi hæc quæ proculi nolim, quum fatear non ingenii crimine illum ſtribliginis ſitum contractum eſſe ſed temporis, in quo tum vivebat Europa omnis. Tum vero haud me fugit, non multo melius Græcos ipſos ac Latinos initio ſcriptitaſſe. *Qualis apud Græcos*, ait Marcus Tullius, (*lib. II. de oratore*) *Pherecydes, Hellanicus, Acuſilas fuit, aliique permulti, talis noſter Cato, & Pictor, & Piſo. Qui neque tenent quibus rebus ornetur oratio: modo enim iſta ſint importata, & dum intelligatur quid dicant, unam dicendi laudem putant eſſe brevitatem. Non exornatores rerum ſed tantummodo narratores fuerunt.* Idem annalibus maximis (qui prima fuerunt Romanis rerum monumenta) nihil eſſe jejunius, alibi (*lib. I. de legibus*) pronunciat: ſcriptionis nempe faciem haud aliam eſſe quam illam, qua Cato Pictor & Piſo ſunt uſi: *qui ſine ullis ornamentis monumenta ſolum temporum, hominum, locorum, geſtarumque rerum reliquerunt.* Apud Græcos, *primum ab Herodoto ac Thucydide, (ut ait Theophraſtus) hiſtoria commota eſt, ut auderent uberius quam ſuperiores & ornatius dicere.* Herodotus certæ Græcæ hiſtoriæ pater eſt. Erexit vero ſeſe nonnihil & apud nos hiſtoria, ante centum annos & quod excurrit, brevique magnam de ſeſe ſpem excitavit. Namque haud pauci & in omnes imperii res prima ab ejus origine magno ſtudio inquiſiverunt, & de obſcuris acute diſputarunt, productis in medium latentibus monumentis. Nonnulli ad hoc & tempora ſuperiora deſcripſere, & ſuæ ætatis geſta partim paterna partim Latina lingua (quæ eruditorum nunc orbi quaſi propria eſt) ita ſunt proſequuti, uti Romanæ Græcæque laudi non ſint impares. Certe, ut duntaxat unum memorem, Joannes Sleidanus noſtras eo judicio, ea fide, ea diligentia, ea etiam fortaſſe dictionis caſtimonia commentarios ſuos de religione & republ. exaravit, ut pleroſque illum Græcorum Latinorumque ſuperaſſe fatendum nobis veniat, niſi extera laudare vulgi more velimus potius quam domeſtica.

Aſt (quod & ſupra dixi,) alienum eſt ab hoc inſtituto meo, vel laude vel vituperio nunc proſequi labores noſtrorum hominum; etſi ſtudium omnium in diſpari etiam ſucceſſu, fortaſſis perinde ſit laudandum: potius viam indicare oportet, qua itur ad hiſtoricam illam reipublicæ cujuslibet, inprimis vero imperii noſtri, peritiam, quam omnem Germanicis rebus recte conſulturum decere, ante probatum eſt. Atque nobis quidem id paucis expeditum dare animus eſt; prius tamen in memoriam revocandum fuerit, ad ejusmodi aliquam ſcientiam non eventorum duntaxat aut aperte geſtorum ſed & cauſarum latentium notitiam pertinere. Habet videlicet & heic ſuum aliquem locum Ariſtotelis illud: *ſcire eſſe rem per cauſam cognoſcere.* Eſt vero horum id diſcrimen, quod res quæ geruntur atque eventa omnibus plerumque pateant, aut certe poſſint non difficulter patere, cauſæ vero ipſæ lateant ſæpe in occulto. Multa enim doloſe fiunt, & ſub virtutis ſimulacro ſcelera abſconduntur. Tum vero ſæpenumero rerum initia nobis imponunt, ut cauſæ eorum videantur eſſe, quibus cum non niſi ex accidente conjunguntur ac forte fortuna. Quis autem iſthæc arcana atque abdita penetraverit, quis tam abſtruſa judicii acie aſſequatur, niſi rerum humanarum gnarus ac probe conſultus? Civilis igitur prudentiæ patet peritum eſſe oportere, qui exactam aliquam & non plebejam ejusmodi ſibi cognitionem nititur comparare. Quemadmodum nimirum Socratis valetudinem æſtimare unius medici eſt: ita de ſtatu reipubl. alicujus recte judicare tantum prudens civilium rerum poteſt. Neque vero diſſimili etiam multum indagine ad ſuum quisque ſcopum obtinendum utitur. Medicus enim primum ad ea reſpicit, quæ ſive nunc ſive alias in ſenſus incurrunt; deinde artis præceptis inſtructus multo maxima mentis agitatione callida aſſequitur. Illi vero qui regni alicujus aut alterius reipublicæ, ſive hujus ſive illius, naturam conditionemque ſtudet pervidere, pari plane modo neceſſum eſt, ut quidem rationem ante omnia habeat eorum, quæ aperte aut geruntur aut dicuntur, occultiora tamen, quæve in vulgus haud ita patent, ſecundum leges atque monita civilis prudentiæ perſcrutetur. Principio igitur conſtitutum eſto, omnem qui ad notitiam accuratam imperii noſtri conatur pertingere, civilem artem non tantum remedii ergo, ſed & hujus adeo ipſius peritiæ comparandæ cauſa, adferre oportere. Hoc eſt, in hiſtorico iſthoc noſtro, quo de agimus, illam merito deſiderari.

Præter hanc vero, etiam morum jurisque naturalis prudentiam recte eumdem ob finem requiri, haud difficile judicatu eſt. Intelligo autem illam ſcientiam quæ, quemadmodum vitam ſuam homo cum erga ſemetipſum, tum erga alios, maxime vero erga Deum (nam & hoc juſtitiæ opus eſt) debeat gerere, exponit; omnia enim hæc artis unius ſunt, ſi intra connata menti noſtræ præcepta maneamus, licet hodie varias ſit in partes docentium conſuetudine diſcerpta. Quin imo haud inane fortaſſis fuerit, doctrinæ Chriſtianæ revelatæ non proletariam ſcientiam, ab illo hiſtorico aut eo, qui ad hanc hiſtoriam affectat viam, poſcere. Quur enim ita ſentiamus, in promptu eſt docere. Quoniam nimirum ſapientia civilis, quod alias probatur, fundamenti loco religionis, juris, morumque omnium prudentiam habet, ſuper quam ſua magnam partem extruat atque ædificet; eadem profecto neceſſitate ad hanc addiſcendam aſtringitur hiſtoricæ illius noſtræ affectator ſcientiæ, qua tenetur prudentiam civilem ſibi comparare. Verſantur præterea res maximæ, quas ſcire ille deſiderat, circa religionis negotia, circa fœdera, pactiones, & conditiones populorum, tributa, judicia, pœnas, præmia, rerum acquiſitiones ac derelictiones, omnia denique belli ac pacis jura, quorum ſcientia præſtabilis profecto eſt & tantum non divina. Ac diſci quidem hæc aut unde poſſint, aut qua via quam commodiſſime, alterius eſt inſtituti explicare; nunc ſufficit demonſtraſſe, quemvis civitatis alicujus ſummam naturamque, ut & res ejus, accurate cogniturum, cumprimis hanc quoque doctrinam decere, nec ſatis circumſpecte illos loqui,

loqui, qui ejuſcemodi hiſtorici boni virtutes enumerantes hanc ſolent ſilentio præterire. Multum ſane vera illa & non fucata naturalis juris philoſophia a civili abeſt, etſi utramque Joannes etiam Bodinus *confuderit*; (a) nec minus tamen hæc quam illa ad hiſtoriam neceſſaria eſt.

Cæterum duo hæc in quovis plane reipubl. alicujus exploratore (qualis ille tandem cunque fuerit) requiruntur: ad notitiam itaque imperii Germanici poſtulantur quidem, non ad illam tamen ſolam pertinent, quippe quum jura illarum rerum, quarum modo meminimus, non ex noſtræ civitatis conſtituto valeant, ſed inter omnes populos liberos intercedant, qui alioquin non tenentur mutuo mere civilibus, adeoque nec Romanis Juſtiniani inſtitutis. Tertium vero, quod nunc tangendum, Germanicæ hiſtoriæ proprium atque domeſticum eſt. Eſt autem hoc, ſcire quid actum aut decretum aliquando ſit in reipublicæ noſtræ, adeoque imperii hujus Romani, quod appellamus, negotiis. Hoc enim ipſiſſimum jam opus noſtrum hiſtoricum eſt: etſi accurate fieri nequeat ſine eorum quæ diximus, adminiculo, adeoque pretium operæ ſuæ ille demum ſit hoc in campo facturus, qui non niſi iſtis inſtructus aliis id negotii aggrediatur. Apparet autem facile, acta decretaque imperii partim a te præſente, dum ipſis interes rebus, poſſe addiſci, partim vero aliorum ex teſtimoniis eſſe cognoſcenda. Quæ enim ante natos nos contigerunt qui ſciamus, niſi aliena fide? Conſulendi igitur omnes rerum Germanicarum gnari, monumenta ſcrutanda, excutienda ſcrinia, inſpicienda (quoad fieri licet) omnia, unde rerum imperii memoriam licet petere.

Atque cum noſtra quidem ætate præclare ſane actum eſt præ omnibus retro temporibus, quod divino typographicæ artis beneficio, ſtudioque inſignium aliquot virorum, ea copia paſſim verſentur nunc imperii rerum monumenta, quam nemo unus veterum unquam vel per transennam vidit. Seculum enim (quod & ante diximus) nunc eſt ac quod excurrit, quum excitata literarum luce, atque ad præclara ſtudia erectis omnium animis, hoc quoque inter alia negotii ſibi datum ſublimes quædam animæ crediderunt, ut aut ipſimet patriæ res poſteritati traderent, aut ſaltim monumenta antiqua a ſitu & carie vindicarent. Neque vero non reſpondit fortuna præclaris conatibus. Haud longo enim temporis ſpacio tot & tam varia e tenebris apertam ſunt in lucem tracta, ut imperii natura ex eo tantum non in vulgus potuerit innoteſcere: certe ſol quidam rebus noſtris ex eo videtur illuxiſſe. Quicquid enim in abditis *cœnobitarum clauſtris* (b) hactenus latuit, imo quicquid rerum noſtrarum unquam literis conſignatum, id fere omne, exiguo temporis tractu, operaque paucorum hominum, in medium productum eſt. Nec tantum ea, quibus memoriam rerum noſtrarum diverſi diverſis temporibus ſunt perſequuti, prodierunt, verum ipſæ leges antiquiſſimæ noſtræ, ipſa Cæſarum, Ordinumque decreta aut literæ in omnium manus devenere. Certatim ſcilicet patriæ illuſtrandæ incubuerunt centum hisce annis inſignia quædam nomina, nullo profeſſionis diſcrimine: nam etſi alios ſacrorum curatura, alios forum aut curia, alios ægrorum valetudo, alios poſtremo diverſa vitæ inſtituta occupaverint, hanc tamen operam patriæ præſtare officii ſui cenſuerunt. Et ſane eo factum, ut pleraque comparatu hodie haud ſint difficilia, unde hiſtoria iſthæc imperii noſtri haurienda eſt. Primo enim *leges omnes*, (c) quibus Germanicæ gentes Francorum imperio ſubditæ Caroli Magni tempeſtate & poſt ſunt uſæ, ſive per hanc Germaniam noſtram, ſive per Italiam, ſive denique per Galliam, opera primum Joannis Baſilii Heroldi, nuper iterum ſingulari diligentia Clariſſimi viri Friderici Lindenbrogii, JCtorum accepimus. Pertinent eodem Saxonicarum & Suevicarum legum monumenta, quibus notum eſt Germaniam pene omnem ſeculis aliquam multis floruiſſe: illa vero toties eaque ſunt cura edita ut omnium nunc manibus verſentur. Tametſi autem leges illæ circa privatas magna ex parte controverſias occupentur, ſaltim leviter tamen quæque ſui ævi faciem publicam exponunt. Neque enim difficile factu eſt ex Franciciis illis Francorum rempublicam, ex Suevicis & Saxonicis legibus poſt ſecutam imperii rationem quadamtenus docere; certe multa quæ eo faciunt haud aliunde didiceris. Verum nec deſunt hodie nobis ipſæ de rebus ſummis Imperatorum Ordinumque conſtitutiones. Nam non tantum comitiorum *decreta* (d) omnia, ab anno usque poſt mille quadringentos ſecundo quadrageſimo, unum in corpus collecta jamdudum prodierunt: ſed & Cæſarem Fridericum illum tertium antecedentium temporum inſtituta publica pleraque nobis dedit Melchior *Goldaſtus* (e) Haimensfeldius, vir editis hujuscemodi monumentis tam bene de patria meritus, ut absque dubio Athenienſes illum olim in Prytaneo aluiſſent, ſi quidem illud in ævum incidiſſet. Conſimili autem ratione & hiſtoricis majorum ſcriptis ex ſitu & tenebris productis in lucem, nihil nunc vulgarius eſt. Nam & ſingulatim a diverſis varii auctores producti, & conjunctim magno numero aliquot in codices tranſierunt. Immortali ſiquidem nominis laude eam in rem a nonnullis longe optimis viris, opera poſita eſt: quos inter honoris cauſa Simonem Schardium, Marquardum Freherum, Piſtorium, Reuberum, Vrſtiſium, & *Goldaſtum*, (f) Romanarum pariter ac noſtrarum legum conſuetudinumque conſultiſſimos ſcriptores: diſertim mihi hoc loco nominandos cenſeo. Quan-

(a) *confuderit*) *GROT. in proleg.* §. 57.

(b) *cœnobitarum clauſtris*) Quanquam diplomatum & chartarum veterum collectiones ſua propemodum laborare videantur mole: attamen ingentem eorum adhuc in archivis tam Principum & urbium, quam monaſteriorum latitare numerum certum eſt.

(c) *leges omnes*) *THOMASII hiſtor. juris* §. 82. *ſeqq. BALVZ. ECCARD ad L. S.*

(d) *decreta*) De receſſuum imperii collectionibus agit *MAVRITIVS in diſſert. de receſſibus imperii* §. 36. 37. Ultima editio eſt de anno 1707, quæ non paucis ſcatet mendis.

(e) *Goldaſtus*) Vid. *MAVRITIVS l. c.* §. 39.

(f) *Goldaſtum*) Hic ſcriptores rerum Alemannicarum & Suevicarum collegit. Accedunt his collectionibus aliæ; PITHOEI CANISII *lect. ant.* ut LINDENBROGII, CVLPISII, MEIBOMII, PAVLINI, LEIBNITII, ECCARDI, S. S. LVDWIGII *Ser. Bambergenſ. & Wurtzburgenſ. HOFMANNI ſcript. Luſat. &c.* De præcipuis collectoribus agit *DN. HERMAN. DIEDRICH MEIBOM, de genuin. hiſtor. German. fontibus p.* 11. *ſeqq.*

Quanquam forte nefas aliquod fuerit, non memorare hic etiam noſtræ hujus Juliæ æternum illud decus Reinerum Reineccium; quem præter hoc nihil fere veteris recentioriſque omnium gentium hiſtoriæ latuiſſe, eſt manifeſtum.

Iſta atque alia monumenta PRINCEPS CHRISTIANE LUDOVICE, pandunt nobis atque aperiunt omnem imperii rationem, naturamque: ea, quid legitimum ſit in republica, quibus initiis illa creverit, quomodove ſenſim deminuta atque in miſerum hunc ac turbulentum ſtatum devenerit, exponunt. Hæc igitur conſulenda ſunt, hæc volvenda diligenter iis, qui ad nobilem illam publicarum imperii noſtri legum artem, eximiam iſtam partem imperii notitiæ, aſpirant: aliunde qui illas petunt & operam ludunt & in diſcrimen rempublicam conjiciunt. Ita enim ſeſe res habet. De vita quidem moribuſque omnis in univerſum humani generis, quatenus illa ſpectant veram omnibuſque propriam beatitudinem, multa ſic conſtituit ac ſanxit Opt. Maxim. Deus, ut ipſa mens noſtra iſta quæ contra fiunt iniquitatis ſtatim atque inhoneſti titulo infamet, de civili tamen ſocietate vix paucula eo rigore divinitus inſtituta licet cernere, quod ſcilicet illa faciat potiſſimum ad momentaneam, & qua carere poſſis, hiſce duntaxat in terris, felicitatem conſequendam. Hinc permulta, queis ſtat tamen quævis reſpublica, non ad rigidam illam honeſti aut inhoneſti amuſſim queunt exigi, quoniam ſcilicet alterius ſunt naturæ; ſed uſu duntaxat vel damno civilis fortunæ metienda ſunt. Ergo & eorum quæ ad noſtram pertinent imperii rempublicam longe maxima pars extra honeſti atque inhoneſti vim eſt ſita, adeoque hujuſcemodi æternis naturæ legibus non aſtringitur, ſed leges atque jura ſua ab iis accipit; quos penes ferendi iſta arbitrium ac poteſtas eſt. Habent vero hodie hanc poteſtatem & hoc arbitrium nullæ exteræ gentes, olim Romani non habuerunt; ſed ut quoniam ita & nunc temporis noſtræ ſpontis Germani ſumus, idque demum in commune quidem penes omnes juſtum eſſe arbitramur, quodcunque una cum Cæſare Ordines expreſſe decreverunt, aut in morem tranſire ſunt paſſi. Undenam ergo decreta aut conſuetudines Germanici imperii Ordinum quis diſcat, quam ex ipſis rebus noſtris, earumque monumentis vetuſtis recentibuſque? Scilicet hæc ſunt illa ſcrinia publica leges imperii continentia; etſi earum utilitas aut inutilitas tantum ex præceptis prudentiæ civilis queat dignoſci.

Verum difficile nimis negotium & ſupra ingenii unius vires poſitum exigere fortaſſis videor, PRINCEPS, quum nihilominus imperii notitiam commendaverim omnibus reipubl. potiſſimis conſultoribus. Quum enim tanta ſit hiſtoricorum ſcriptorum legumque noſtrarum copia, quumque morum illa ac juris philoſophia, ſimulq communior iſthæc prudentia civilis tam late pateat, haud videtur fieri poſſe, ut unus aliquis homo natus tot rebus ediſcendis ſufficiat. Sed non quidem cujusvis id eſſe, facile conceſſerim: ſicut nec omnes ea naturæ ſumus felicitate, ut idonei ſimus reipubl. adminiſtrandæ. Quin tamen a nonnullis non hæc tantum, verum etiam longe plura haud magno queant negotio addiſci, nullum dubium arbitror: quum vel hæc vita noſtra quotidie monſtret viros ejuſcemodi, in quibus omnigenæ omnino prudentiæ ſimulque rerum noſtrarum nihil quidquam deſideraveris. Neque vero tantæ difficultatis negotium hoc eſt reapſe, quantæ prima videatur fronte: modo quis ab ingenio ſatis inſtructus rectam ineat ſtudiorum rationem. Illa enim niſi obſervetur, fateor, doctrinam hanc percipere non difficile tantum eſſe, verum & ἀδύνατον. Quemadmodum indies cernimus, plurimos hac una de cauſa & operam pariter omnem ac tempus perdere. Atque via quidem, qua ad civilem aut morum juriſque philoſophiam itur, alias monſtratur: illa vero utraque inſtructus ubi monumenta iſthæc legum ac rerum volutaveris, non tantum expeditum eſt ad imperii notitiam iter ſed quoque admodum breve. Non enim eſt quur quem deterreat magnitudo voluminum aut copia ſcriptorum. Primo namque illa infra mediocritatem ſubſiſtunt; prout nunc ſtudiorum ſeſe moduli habent, quando quælibet diſciplina numero atque magnitudine ſcriptorum laborat. Deinde pleraque illorum non multam poſtulant mentis agitationem quo intelligantur: contra quam profecto in aliis artibus atque ſcientiis uſu venit. Quod enim nonnulli pretium operæ in lectionem impenſæ non capiant, non ſublimitati rerum, ſed aut infelici naturæ aut alioquin legentium imperitiæ eſt adſcribendum. Fuit autem jam ante non ſemel monitum, & ingenii vires, ceu in omnibus, & prudentiam variam ad lectionem hanc adferendas eſſe. Hiſce vero adjutus qui eſt, is quaſi ictu oculi id pervidet, circa quod alius cæci inſtar oberrat, & ſubito tranſit in quibus moram abſque fructu trahunt reliqui. Nam ne rudis quidem illa majorum ſcriptio obſtat hujuſcemodi lectori, quo minus in pleriſque eventorum conſilia ſilentio etiam præterita ille adſequatur. Scilicet ut peritus medicus ex plebeja narratione facile intelligit & illa quæ tacentur, ſupplente defectum narrationis medici peritia; quæ tamen indoctior aliquis ne magno quidam niſu perceperit: Ita & reipublicæ vitæque humanæ prudens lector, ex levibus indiciis cognoſcit non dicta, abditaſque rerum cauſas exponit in apricum, in ſubſidium prudentiæ naturæque viribus advocatis. Demum & hoc addendum eſt, eo citius percurri monumenta noſtra poſſe, quo plura continent ab imperii illis maximis negotiis aliena: quorum notitiam nunc tamen in primis habemus propoſitam. Sæpe enim in aliis plane verſantur, quæ quidem uſum ſuum habent, non hunc tamen.

Paucis videlicet capitibus conſtat reipublicæ cujuslibet cognitio, præſertim ſi per ſumma tantum rerum placuerit ire, nec deſcendere ad minuta velis. Aurea enim ſunt illa Ariſtotelis noſtri verba: *ἔϛι δὲ τρία μόρια τῶν πολιτειῶν πασῶν περὶ ὧν δεῖ θεωρεῖν τὸν σπυδαῖον νομοθέτην, ἑκάϛῃ τὸ συμφέρον. ὧν ἐχόντων καλῶς, ἀνάγκη τὴν πολιτείαν ἔχειν καλῶς, καὶ τὰς πολιτείας ἀλλήλων διαφέρειν, ἐν τῷ διαφέρειν ἕκαϛον τύτων· ἔϛι δὲ τῶν τριῶν τύτων ἓν μέν τι τὸ βυλευόμενον περὶ τῶν κοινῶν· δεύτερον δὲ τὸ περὶ τὰς ἀρχάς· τρίτον δὲ τί τὸ δικάζον. Omnium rerumpubl. tria ſunt membra, quorum quid cuique expediat attendere diligentem legiſlatorem addecet, queis ſcilicet recte ſeſe habentibus neceſſum eſt & rempubl. recte ſe habere, atque pro quorum cujuslibet differentia & reſpubl. ipſa inter ſe differunt. Eſt autem trium horum primum, quidnam ſit, quod de publicis communibuſque rebus conſultat: ſecundum, quod circa magiſtratus verſatur:*

verſatur: tertium vero, quid jus dicat. Intra hos cancellos ut aliarum rerumpublicarum, ita etiam imperii noſtri notitia fere conſtricta eſt: tantum ſi addatur aliquid de terra ipſa, quæve hæc habet ad victum & ad pacis ac belli artes omnes idonea, ut & de ipſis imperii civibus, adeoque & de eo, quænam terræ ad civitatem noſtram aut pertineant hodie aut olim pertinuerint; quæ tamen quæſtio non tam de republ. eſt ipſa quam de ejus ſubjecto, ut cum ſcholis loquar. Quod ſi enim conſtiterit, quomodo ab initio hunc usque in diem affecta fuerit, aut quos penes ſteterit poteſtas illa ſumma decernendi aliquid de bello & pace, de ſocietatibus aut fœderibus, de morte aut exſilio civium imperii noſtri, quos immediatos vulgo vocamus, de bonorum publicatione vel confiſcatione, deque referendis rationibus: (qua in poteſtate τὸ κύριον ſitum eſt reipubl.) tum quemadmodum hæc adminiſtrari ſoleant: Quod ſi porro noverimus omnem naturam magiſtratuum noſtrorum (hos inter autem & Cæſaris & Ducum & Epiſcoporum & Comitum officia numero) quot nempe magiſtratuum munia imperium noſtrum agnoſcat, quibus illa temporibus definierit, quomodove illa conſtituat, h. e. quibusnam illa committat & per quos, & ſortito ne an ſuffragio an certo natalium jure: Quod ſi ad ultimum perſpecta fuerit jurisdictionis noſtræ ratio, circa quæ & quemadmodum verſetur illa, judices vero ex quibus quove modo creentur: His inquam cognitis nihil magni deeſt imperii notitiæ, & hæc ſola in monumentorum iſtorum lectione obſervaſſe, reliquis fere inſuper habitis, ad noſtrum hunc quidem ſcopum ſatis eſt.

Quam facile vero notari iſthæc poterunt ab homine, cujus oculos ars illa civilis & morum jurisque philoſophia illuſtravit? Igneus ſcil., ut ita dicam, illi redditus intellectus eſt; itaque penetrat omnia, conjungit τὰ ὁμογενῆ, aliena ſeparat, & quidem quaſi in momento: id quod ignis in naturalium rerum præſtat coagmentatione. Non tam grave igitur, PRINCEPS OPTIME, hoc negotium eſt, quin & ſine alterius magiſterio expediri id a quovis poſſit, modo aut a natura non fuerit deſtitutus, aut illis quæ diximus adminiculis caruerit. Dubium certe nullum eſt, quin magiſtro docto & ſedulo præeunte, non longo temporis tractu, effectu id facile ſit. Nec ſi quis non omnia quiverit perveſtigare, nullum hinc capiat fructum operæ: nam & *eſt quadam prodire tenus;* & ea conditio mortalitatis noſtræ, ut raro unus aliqua ſit in arte modo omni perfectus; dum ſingulorum ignorantiam univerſitas emendat. Certe hac de cauſa multitudinem quamvis ſingulatim rudem in commune conſulendo ſibi optime cernimus providere.

At ſatis multa mihi de imperii noſtri notitia forte dicta ſunt, PRINCEPS *Illuſtriſſime.* Me ſane ipſum tædere incipit tam prolixi ſermonis, etſi unius publici boni cauſſa illum extorſerit. Non poſſum tamen non attingere etiam præcedentium temporum res noſtras. Octingenti enim præter propter nunc anni ſunt, quum rerum potiente Carolo, cui virtus Magni cognomentum peperit, Gallia, Germania & Italia in unum corpus concrevit: Septingenti, quando Gallia illa quæ trans Rhodanum ac Moſam nobis eſt res ſuas curante, Germania noſtra Italiam gubernandam ſimul cum Auguſto Cæſarum & Romani imperii titulo, in Ottone id nominis primo Saxone, accepit. Ergo imperii illius noſtri res octo aut tantum, ſi mavis, ſeptem ſeculorum ambitu continentur: adeoque longe maxima & plurima, quæ ante hæc geſta ſunt, non comprehendunt. Quamvis autem quæ ad imperim pertinent, ſint præ omnibus aliis maxime non digna tantum ſed & neceſſaria cognitu, ut ſupra oſtenſum eſt: videtur tamen ne hic quidem ſubſiſtendum libere nato atque ad eruditionem educato homini, ſed etiam pergendum ultra inque vetuſtiora etiam, quoad licet, inquirendum. Vereor enim ne putidiuſculum ſit; virum qui ſeſe doctum profitetur, gentis ſuæ originem neſcire, atque in alienis quidem ſapere, domi autem doctore indigere. Certe non Græcorum, non Romanorum doctiores in ſeſe hoc ipſum paſſi ſunt deſiderari: ſed tantum non anxie primordia ipſa ſua ſcrutati ſunt. Quin & Ægyptii Chaldæique vetuſta illa ſuarum rerum memoria admodum ſeſe jactaverunt.

Habet vero & haud exiguum ad res imperii noſcendas uſum vetuſtiorum illorum accuratior notitia. Si enim ad reipubl. formam reſpexerimus, quomodo illa aut quando cœperit Germanicis gentibus allubeſcere, ex antiquiſſimis demum licet monumentis addiſcere. Ita & multa quæ ad populi libertatem, ad nobilium Principumque ſtatum, ad ſervitutem & alia pertinent, ſicut antequam magnum hoc imperii corpus coaluit, cœpere, ita & altius ducta origine arceſcenda ſunt. Taceo nunc, Germaniam mediam incolere hodie *Sarmaticas gentes;* (a) quæ unde advenerint aut qui ſeſe noſtras in terras effuderint, in rem haud parum fuerit non neſcire. Illud ſilentio nefas fuerit præterire, non poſſe rectius nobis ingentem Dei erga nos gratiam ac miſericordiam innoteſcere, quam ſi antiquam illam Germaniæ faciem cum hodierna conferamus. Inde enim diſcimus, omnem culturam noſtram, omnem hanc elegantiam, Chriſtianæ religionis profeſſioni ferendam acceptam. Cum hac enim exutam feritatem, ablutas ſordes, correptam ruditatem, moderatam licentiam eſſe: ipſam terram olim informem, ſylvis horridam, paludibus fœdam, cœlo aſperam, triſtem cultu aſpectuque, nunc Chriſtianiſmi interventu ſplendore urbium formoſisſimam, nemoribus amœnam, paludibus mundam, cœlo mollem, aſpectu longe jucundiſſimam redditam. Quæ profecto volvere animo, magnum pietatis incitamentum ſunt: decet autem nos, niſi fallor, beneficia hæc divina etiam ſæpius recordari, quod raro exemplo præ aliis terris Germania iſtis affecta ſit. Itaque vel hac ſola de cauſa pretium operæ fuerit, ad antiqua iſta nonnunquam recurrere, præſertim quum ſevero edicto Deum Opt. Max. ab Ebræis ſuis idem illud certum ſit exegiſſe. Cæterum & alia multa ſunt quæ id flagitent. Videmus enim

(a) *Sarmaticas gentes*) Loquitur de Bohemis & Moravis, qui Slavicæ ſunt originis. *GOLDAST. de regno Bohemiæ pag.* 13, 86, 110. Sunt & adhuc in aliis Germaniæ provinciis.

enim in Italia, Gallia, Hiſpania, Britannia, Germaniaque omni, Romanorum poſt tempora, nova quaſi gentium jura exorta, quæ non aliunde quam ex antiquiſſimis Germaniæ inſtitutis profluunt. Quemadmodum enim Itali olim vicinæque gentes Græcorum mores legesque, Dionyſio Halycarnaſſenſi teſte, ſunt ſequutæ, unde jus aliquod gentium improprie ita dictum exortum eſt: ita, (verba ſunt ſummi viri Hugonis Grotii, *lib. 2. de jure belli c. 8. §. 1.*) *& revera factum videmus, ex quo Germanica nationes Europam ferme omnem* (a) *invaſerunt. Sicut enim olim jura Græca, ita nunc Germanica inſtituta paſſim recepta ſunt, & nunc etiam vigent.* Obſervare autem licet plerorumque illorum in antiquiſſimis etiam monumentis noſtris haud levia indicia: quod ad rectam legum intelligentiam haud parum facit. Silebo nunc, regnorum principatuumque in potiſſima Europæ parte formas conſtitutionesque ab antiquis Germanorum conſuetudinibus derivari. Solum illud unicum addo, Romani imperii extrema absque Germanicarum rerum notitia illa non percipi, eo quod ab Germanis Romana illa vis fracta ſit & perdita. Vandali enim, Gothi, Gepidæ, Heruli, Rugii, Suevi, Burgundiones, Alemanni, Longobardi, Franci, Saxones, Angli Germanica nomina ſunt, atque ex Germaniæ ſolo provenere, vacua transAlbim Sarmatis Venedis relicta ſede. Sed quid pergo fructus hujus ſcientiæ commendare? quum vel ſola jucunditas, vel ea quam majoribus debemus pietas ac reverentia, vetet res illas antiquiſſimas ab oblivione non vindicare? Certe his cauſis motæ præclaræ illæ animæ fuerunt, quæ magno ſtudio hisce cumprimis proximis centum annis, in primordia noſtra inquirentes, obſcuris lucem, obſoletis nitorem, dubiis fidem, & pereunti memoriæ quaſi animam iterum reddiderunt.

Verum enim vero priſca illa repetentibus, PRINCEPS, originesque noſtras eruentibus perquam multa ſeſe objicere impedimenta videntur. Nam qui res illas perſequuti ſunt diverſiſſimas longe vias ſunt ſequuti, ut dubitet quis merito quibusnam potius ſit accedendum. Alii enim ſolum exteris Græcorum atque Romanorum narrationibus cenſent hoc in argumento eſſe ſtandum: alii ad patriam ac domeſticam aliquam memoriam provocant: ſunt qui & conjectando ex nominum quadam ſimilitudine & nonullis hujusmodi aliis indiciis rem ſeſe magnam præſtitiſſe gloriantur. Ita fit, ut dum illi diſſident inter ſeſe, nonnulli modeſtiſſimum arbitrantur eſſe, nullos horum refellere, ſed omne hoc ſtudium, veluti quod comperti nihil, nihil ſinceri habeat, non attingere. Fortaſſis vero res ita ſeſe non habet, & modeſtiæ quidem ſuæ ſatis illi conſulunt, non tamen rerum veritati. Etenim, ut de poſtremis quid primo loco afferam, ex ſola quidem affinitate nominum conjicere de gentium rebus, ſi nullum aliud adſit argumentum, audax eſſe & temerarium facinus quis non videt? Quaſi vero quidquam vulgarius ſit, quam ut ſoni quadam cognatione diverſiſſimæ res in diverſis linguis conveniant. Itaque Getas eſſe Gothos, Sacas Saxones, Myſios Miſnenſes, *Dacos Danos*, (b) Phryges Friſios, Vandalos Venedos, atque in univerſum Carmanos Perſas eſſe nos Germanos, tantum propter hanc ſoni aliquam convenientiam quotquot credunt, neſcio annon riſum potius mereantur quam refutationem. Certe mirum eſt inventos, & in doctorum ordine, quibus iſthæc placuerunt. Non negaverim, aliquid illi argumento ponderis ineſſe ſi & alia confirment idem: at ex unico illo tot gentium cognationes, migrationes atque hiſtorias condere, dedecet profecto gravem veritatis ſectatorem. Quare hæc quidem via calcanda non eſt: quicquid autem paſſim ſcriptoribus noſtris ſolo hoc ex fonte eſt hauſtum, inter fabellas numerandum illud ac germanas gerras.

Cæterum rectius multo videntur illi ire, qui veſtigia monumentorum domeſticorum inſequuntur. Quum enim teſtimonium omne aut domi aut foris petendum ſit, manifeſtum eſt id quod domo adfertur, exquiſitius altero eſſe poſſe, modo domi prudentes ſint fideque digni homines, nec res foris geſta ſit. Sed ut monumentorum noſtratium conditio pateſiat apertius, dividenda illa ſunt in literis prodita & ἄγραφα. Atque illorum quidem quin potior ſit prævaleatque auctoritas, nullum dubium eſt. Recte enim T. Livio, (*lib. 6.*) magno ſane viro, *literæ* ſunt *una cuſtodia fidelis memoriæ rerum geſtarum.* Neque vero famæ alicui ſola memoria ſubnixæ quis tuto crediderit, ſi aut intra paucos haud magni pretii homines illa ſtet, (nam quæ omnium conſenſu roboratur aliud habet pondus) aut præter propter ducentos ultra annos retro ſit porrecta. Inde enim (imo & infra illud ſpatium) incipit præ vetuſtate & fingendi licentia, & errandi pronitas, dum nihil eſt, quo vel temere lapſi poſſint erigi vel de induſtria mentientes convincantur. Jam autem Cornelii quidem noſtri Taciti ætate, unum apud Germanos annalium genus *carmina erant:* (c) *literarum ſecreta* (d) viri pariter fœminæque ignorabant. Nec id mirum ſane, quum illo ævo ne vicinis quidem cultioribus gentibus multus literarum uſus fuerit. Acceperant Galli a Maſſilienſibus Græcis literarum characteres: ſed iis ad epiſtolas quidem & rationes patrio ſermone ſcribendas utebantur, leges tamen & ſacrorum ritus ne I. Cæſaris quidem tempore iis exprimebant, multo minus geſtas res. In Hiſpania præter colonos Phœnices & Græcos ſolis, Strabone auctore, Turditanis olim literarum rudis quædam peritia fuit: memoriam tamen illos rerum parce conſignaſſe indicio eſt, quod quæ Trogus, Varro, Plinius de Hiſpania prodiderunt, nullis ſcriptorum teſtimoniis confirment. Similiter in Britannia nullam rerum memoriam vel Julius Cæſar vel multo poſt C. Cornelius Tacitus invenerunt. Etſi autem in iis terris, ſequentibus ſeculis, exortum aliquid literaturæ per Romanos ſit: interim tamen Germania literas perrexit ignorare. Non enim erat unde eas ſibi acciperet, quum Romanos odio plus quam Vatiniano proſequeretur. Multo poſt tempore Latinis characteribus Francicum ſermonem exarare quidem

(a) *Europam ferme omnem*) Celtharum & Gallorum nomine etiam Germanos venire, B. COCCEJUS probatum ivit.

(b) *Dacos Danos*) Vid. SPELMANN. *in notis ad præfat. vitæ Aelfredi magni.*

(c) *carmina erant*) *MEIBOMII programma cum hiſtoriam civilem noviſſ. duorum ſeculor. auſpicaretur.*

(d) *literarum ſecreta*) Quomodo hæc intelligenda ſunt alibi docetur.

quidem conatum, difficultate tamen territum id omiſiſſe Carolum Magnum Cæſarem, teſtis eſt Eginhartus. Nec vero, tametſi unus alterque poſt idem aggreſſus ſit, in morem ſtatim id abiit, ſed vix ante ſeculum Chriſtianum tertium decimum frequentatum. *Antiquiſſima* (a) certe imperii conſtitutio, quæ noſtratis ſit linguæ, demum Friderico II. Cæſare condita eſt anno clↄ cc xxxvi: quare ejus rei ut inſolitæ hactenus diſerte meminit Godofredus Agrippinenſis ad S. Pantaleonis monachus. (*in annal.*) Neque credo memoriam aliquam rerum vernaculo ſermone ante iſthæc tempora conſignatam usquam reperiri: hactenus ſane nihil tale editum in lucem eſt. Quæcunque ergo monumenta a noſtris majoribus tradita ſunt literis, ſi illud ævi antecedant, peregrino ſunt ſermone exarata. Nec tamen aliam temere linguam potuerunt adhibere quam Romanam: quum ea ſola inter omnes vicinas tunc ſcripta ſit, ea ſola culta. Qui vero aut potuerint aut voluerint quidquam iſthoc ſermone chartis committere, priusquam ille cœperit in pretio eſſe? Licet autem obſervare, Romani ſermonis uſum aliquem in Germanicis populis non niſi cum pietate Chriſtiana incepiſſe: atque ea propter quo citius aut ſerius hac ſunt imbuti, eo etiam vetuſta aut recentia magis illius exordia eſſe. Non dico neminem quemquam Germanorum antehac Romanam linguam calluiſſe: abſurdum enim id dictu fuerit, quum jam a Cæſaris ævo Germani in commilitium ſint a Romanis aſſumpti, & vel ex Tacito conſtet, Arminium hominem Cheruſcum *Latine* (b) locutum. Tantum in pretio aut magno quodam uſu (ut nunc fit) eam linguam ante religionis noſtræ primordia liberis Germanis gentibus fuiſſe, inficior. Sed quid opus verbis eſt, quando pro ſe teſtimonium res dicit? Etenim. aut quæ Chriſtianismum antecedant, aut quæ alio ſint ſermone ſcripta monumenta, nullus Germaniæ populus oſtenderit: quin imo quo quis aut citius aut ſerius nomen Salvatori noſtro dederit, eo magis minusve antiquam ſuarum rerum memoriam habet. Haud neſcio jactari ab Arctois gentibus *rupes Runicis*, (c) quas appellant, literis a remotisſimis usque ſeculis loquentes: aſt vero (quod illarum pace liceat proferre) primum, nihil tale habet Balthico mari ſubjecta Germania, quæ & nobilisſima eſt & imperii Romani nunc gaudet cognomento; deinde, non multum illæ rupes habent rerum antiquarum; quædam poſtremo multa ficta narrando fidem omnium vehementer ſuſpectam reddiderunt. Certe longe hoc monumenti genus etiam infra Americanos Quipos videtur collocandum.

Quæ conditio ergo ſit literis traditorum domeſticorum noſtrorum monumentorum, quæve eorum antiquitas, hinc manifeſtum eſt: de iis quæ literis conſignata non ſunt, nunc dicendum. Horum autem duo quaſi genera recenſentur: alia enim numeris ſunt incluſa, alia ſine iſthoc vinculo vulgi ſermonibus ac memoria conſtant. Neque enim hæc potuerunt majoribus noſtris deeſſe, quum quaſi natura mortales omnes actorum aliquam memoriam circumferamus. Ut autem de poſterioribus primum verbo aliquid moneam, nemini non apparet, quantum illis ſit fidei tribuendum. Notum quippe, majores noſtros ut ingenio non excultos, ita poſteritatis parum curioſos fuiſſe. Neque enim tam gloriæ in longum extendendæ fuerunt ſtudioſi, quam recti conſcientiæ; *optimus quisque facere, quam dicere: ſua ab aliis benefacta laudari, quam ipſe aliorum narrare ſolebat.* (*Sal. l. de bello Catil.*) Porro in quam famam omnes conſenſerunt, eam haud de nihilo eſſe fatendum ſane eſt: at quæ paucis conſtat auctoribus, parum profecto certi habet. Itaque licet fortasſis nobis affirmare, nihil eorum temere credendum eſſe, quæ traditione hujuscemodi duntaxat ſubnixa, Chriſtianiſmi initia annis ducentis antecedunt: quoniam hoc cumprimis ſpatio fides talis memoriæ circumſcripta eſt, quemadmodum & ſupra diximus.

Aſt carminum certior forte eſt veritas. Et ſane eſt hoc antiquisſimum nobis annalium genus. Neque enim tantum uno id loco jam olim C. Cornelius Tacitus aſſeruit, ſed & alibi Arminii geſta majoribus *cantata* (d) idem affirmavit. Laudat cantilenas Gothorum Anſibus dictas *Jornandes*, (e) Germanicorum ſcriptorum antiquisſimus. Earum in Longobardica hiſtoria meminit & *Paulus Warnefridus*. (f) Ex iisdem Waſthali hiſtoriam ad Clodovæum usque, per annos Iↄ cccc xxvi, continuaſſe memoratur Francus *Hunibaldus*, (g) Nec raro iis utitur in Danica ſua hiſtoria Saxo Sialandicus, & avorum memoria in annalibus Bajoaricis I. Aventinus, ut alios nunc *ſilentio prætercam*. (h) Sunt enim haud pauci & in doctorum ordine, qui non dubitant illorum fidem Græcorum Latinorumque teſtimoniis in ambiguo anteferre. Sed nemo quidem temere illa carmina rejecerit: ſi enim nullo alio ſaltim vetuſtate ſe commendant, & dubio procul nonnihil quoque trahunt ex vero. At vim certæ ſententiæ in iis collocare, neſcio an non fuerit veſtigia in lubrico ponere. Quis enim a poëtis veram exigat rerum fidem, quorum ars omnis in fictione eſt? Quis veritatem credat ſervatam integram infido paucorum, plerunque vanorum partiumque ſtudiis deditorum, teſtimonio? Porro laboraſſe jam olim carminum noſtrorum fidem vel ex eo conſtat, quod Taciti tempeſtate, celebrarint *Tuiſconem* (i) Deum terra editum & filium ejus Mannum, alia adhoc plures Deo ortos, originem gentis

(a) *Antiquiſſima*) Nondum tamen proferri potuit diploma Germanico idiomate ante Rudolphi I. tempora conſcriptum. Maximilianus magnum ipſi pollicebatur præmium, qui inſtrumentum in vernacula noſtra ante quingentos annos exaratum exhibere poſſet. BEATVS RRENANVS *lib. II. rer. Germ. HERT. de fide diplom. ſect I. §. II.*

(b) *Latine*) Ductor enim popularium in caſtris Romanorum fuit.

(c) *rupes Runicis*) Vid. *STEPHANI not. ad Saxon. Grammatt. OLAVS WORMIVS de literat. Danic. VERELIVS* & *WORMIVS in Runographia. KEYSLER. in antiquitatibus ſelectis ſeptentrion. p. 465. ſeqq.*

(d) *cantata*) *lib. II. annal. in fine.*

(e) *Jornandes*) *Quemadmodum*, inquit, *& in priſcis eorum carminibus pene hiſtorico ritu in commune recolitur.*

(f) *Paulus Warnefridus*) *de geſt. Longob. lib. I. cap. 27. JORNANDES c. 49.*

(g) *Hunibaldus*) Hunc Hunibaldum figmentum eſſe, alibi monuimus.

(h) *ſilentio prætercam*) EGINHARTVS autor eſt antiquisſima illa carmina quibus veterum Regum actus & bella cantabant, ſcripſiſſe memoriæque mandaſſe.

(i) *Tuiſconem*) *SCHEDIVS de diis Germanis p. 194.*

gentis noſtræ conditoreſque: quæ falſi damnant ſacri Hebræorum codices, fictionis ob *vetuſtatis licentiam* ipſe Cornelius accuſat. Taceo illa, quæ ex iis ſive Hunibaldus, ſive Saxo, ſive Aventinus, ſive alii adducunt, aut nullius eſſe momenti, aut ejus notæ ut fidem iis habere ſit Romanis detrahere. Neque vero hæc ſententia in majorum vergit dedecus: ſimilis enim conditio & aliarum eſt cultiſſimarum gentium. Quippe antiquiſſimæ Græcorum res fabularum tormentis ſunt jactatæ; quare & C. Lactantius (*l. 7. cap. 22.*) *poëtas multo antiquiores*, ait, *eſſe, quam hiſtoricos & oratores & cætera genera ſcriptorum.* De Britannorum Bardis hunc in modum canit Lucanus:

Vos quoque qui fortes animas belloque peremptas
Laudibus in longum vates diffunditis ævum,
Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.

Quid vero de iis, ut & illis quos nunc Scoti Seneciones appellant, ſentiendum ſit, perdocte gravis auctor G. Buchananus (*l. 2. rer. Scot.*) dudum expoſuit. Ferme autem gemini hi fuerunt noſtris illis majorum vatibus: ut idem de utriſque judicium ſit ferendum.

Igitur jam patet hinc in univerſum, quanti facienda ſint, quæ aut exteris ſcriptoribus indicta, aut contra quam illi tradidere, ex majorum monumentis nonnulli deprompta ſibi profitentur. Nempe aut fabuloſa eſſe ac commentitia, aut ſaltim dubia atque incomperta. Proinde, ut ſuarum rerum tempora Græci olim in *ἄδηλον, μυθικόν καὶ ἱστορικόν* diſtinxerunt; ita fortaſſis haud abſurde, ſi intra domeſtica ſit ſtandum, nobis quoque memoriæ hiſtoricæ cognomento ſola illa, quæ litteris a Chriſtianiſmi initio usque eſt conſignata, appellanda eſt: carminum aliarumque narrationum *ἀγράφων* fides fabuloſa, reliqua ſpiſſæ tenebræ ſunt æſtimanda.

Quod ſi ergo rerum noſtrarum antiquiorum notitiam aliquam certam placuerit comparare, manifeſtum eſt, peregrina inprimis ſcripta Græcorum Latinorumve (quos penes literarum in Europa olim gloria ſtetit) conſulenda eſſe. Ex Græcis tamen non multum fortaſſe præſidii quis ceperit. Etſi enim illa gens mirandæ fuerit ad extera pariter ac domeſtica cognoſcenda curioſitatis: tamen, multis demum poſt florentiſſimas res Ægyptiorum, Chaldæorum, Ebræorum & Phœnicum ſeculis, excoli literis cœpit. Itaque (ut recte ſcribit Flavius Joſephus *lib. I. contra Appion.*) primi *qui hiſtorias apud eos conſcribere tentavere, Cadmus Mileſius & Acuſilaus Argivus, & poſt hunc quicunque alii fuiſſe memorantur, paululum Perſarum contra Græcos expeditionem præceſſere.* Quin conſtat, nullam illis certam temporum ſeriem ante illa ludicra Iphiti inſtituta fuiſſe obſervatam. Ergo, ſicuti ſuis in antiquitatibus infantes fuere, (quod jure olim exprobratum Soloni ab Ægyptiis eſt) ita peregrinorum in rebus minus ſapuerunt quam infantes, adeoque fruſtra ab illis primordia rerum noſtrarum expectaveris. Deinde, ne tum quidem quando omni doctrinarum genere claruerunt, ea, quæ ad ſeptemtriones aut alias paulo remotiora erant, habuerunt *comperta:* (a) quod cum res ipſa loquitur tum vero non dubitavit fateri locupletiſſimus teſtis Strabo Amaſenus. (*l. 1. & 12.*) Omnes enim aquilonares atque occidentales populi uno confuſo *Scytharum* (b) nomine comprehenſi ſumus, donec paulatim diſtinctiora illa Celtarum Iberorumque cognomenta invaluerunt. Neque enim nos priſcis illis Græcis alio nomine, quam Celtarum aut Scytharum uſurpamur; Germanorum appellatione plane tunc ignorata & multo poſt demum reperta. Apud primum Ariſtotelem (*l. I. Meteor. c. XIII.*) legimus memoratos Harcynios montes: ne quis laudem hanc cum Julio Cæſare Eratoſtheni eat adſcriptum. Poſt hunc, Pythiam Maſſilienſem de ſuccini in Germaniæ littoribus collectione haud multum vero abſimilia prodidiſſe, ex Plinio (*l. XXXVII. cap. II.*) diſcimus. Tametſi enim illum mendacii nugarumque accuſet Strabo (*lib. I.*) apud illum tamen principem cernere eſt Teutonorum, Guttonumque, Baſiliæ item ſeu (quod Timæus maluit) Balthiæ inſulæ memoriam. Præter hæc vix quidquam noſtrarum rerum in antiquis Græcorum ſcriptis reperimus: cum, quod alias ea tempeſtate præ feritate morum raris commerciis humanum genus ſibi invicem fuerit notum: tum vero quoniam præter ſuccinum & ferarum pelles (horum enim vetuſtiſſima apud nos mercatura eſt) nihil illo tempore habuerit Germania, quo alliceret emptorem.

Longe notior Romanis fuit gens noſtra: ideoque contra plane hic accidit, quam quod alibi Strabo (*lib. III.*) dicit, *ubi Græci deficiunt haud multum eſſe quod a Romanis compleatur:* quicquid enim de noſtris rebus diſtinctius atque planius in Græcis legimus ſcriptis, id omne *Romanorum* (c) diligentiæ debetur. His tamen ſatis ſero cœpimus innoteſcere. *Sexcenteſimum* (ait Tacitus) *& quadrageſimum annum urbs noſtra agebat, cum primum Cimbrorum audita ſunt arma.* Ea vero tempeſtate usque adeo incognita Romanis Germania fuit, ut de Cimbrorum origine portenta mendaciorum paſſa ſit ſibi perſuaderi. Non niſi armis autem famam aliquam Romano in populo majores conſecuti ſunt. Sed cum tempore profecit noſtri cognitio, ſimul ac armorum vis magis magisque mutuo excrevit. Ex quo enim Gallia pulſus a Julio Cæſare Arioviſtus fuit, neque Romani dubitaverunt Rheno trajecto nos patrio in ſolo laceſſere, plurimis ſeculis rara nobis cum illis pax, nec niſi ad tempus aut infida, donec illorum potentia omnis per nos fracta concidit. Interea vero primum quidem terræ nationesque Rhenum inter, Danubium atque Albim ſitæ ferro igneque ipſa Auguſti tempeſtate ſunt Romanis perluſtratæ: mox & reliqua non potuerunt ignorari, propter mutuas clades aut commercia aut denique & commilitium. Certe jam tum Trajano imperante ita aperta bello Germania fuit, ut licet

Strabo

(a) *comperta*) *TACIT. lib II. annal c. 88.* de Arminio inquit: *Græcorum annalibus ignotus, qui ſua tantum mirantur.*

(b) *Scytharum*) *ANTON. SCHOENHOV. de origine Francor.* apud *MATTH. in veter. ævi analect.*

(c) *Romanorum*) *TACITVS de ſua gente lib. II. annal. c. 88. Dum vetera extollimus recentium incurioſi.*

Strabo (*lib. VII.*) quondam dixiſſet: *quæ trans Albim ad Oceanum ſunt, nobis prorſus ſunt ignota:* tunc tamen temporis fuerint, etiam ipſæ ſuper Suevicum mare immenſæ peninſulæ exploratæ. Ex horum itaque ſcriptis num quis dubitet optime cognoſci, quæ ad res noſtras illorum temporum pertinent? Niſi fortaſſe credideris, res cognitas illos mendaciis voluiſſe incruſtare: quod de nemine tamen *bono præſumi* (a) alias ſolet; de his ſcriptoribus nefas fuerit ſentire & inſanum, utpote quum & hi in aliis fidem

(a) *bono præſumi*) Fateor, in veterum libris eſſe quædam de majoribus, quæ a veritate abhorrere videntur: inde tamen autoribus illis omnem demere fidem, abſonum eſt. Ponamus Jul. Cæſarem & Tacitum quædam, de quibus aliquid memoriæ mandarunt, non recte cognita habuiſſe, falſisqve aliorum ſeductos eſſe relationibus: quis inde colligeret, igitur in nullo verum attigerunt. Hoc ſi locum haberet nullus plane eſſet annalium fides; nullus enim eſt autor, cujus veritates non aliquod erroris læſit confinium. Hinc judicio hiſtorico opus, inter cujus principes eſt canones; ne in hiſtoria nimis ſimus creduli. Quæ autem autor anonymia[illegible]orum *part. III.* contra Julium Cæſarem & Tacitum profert, tanti eſſe non videntur, ut ad fidem eorum imminuendam ſufficiant. Largior ambiguum videri, Hercyniæ ſylvæ longitudinem intra 60, & latitudinem intra novem demum dies peragrando abſolvi potuiſſe: verum ſi cogitamus, per Hercyniam ſylvam veteres intelligere continuationem ſylvarum, quæ Germaniam ad dextram flexoſis ambagibus interſecant, res eſt clara. *Hoc ſcire refert*, inquit *PIRCKH. explicat. Germ. opp. fol.* 108. *Germaniæ montes ac ſylvas, licet diverſis appellentur nominibus, ab Alpibus tamen omnes incipere ac poſtea ſemper continuo quaſi tractu hinc inde diſcurrere, rurſusque in ſeipſas reflecti ac magna ex parte ad montana Bohemiæ & ſylvam illam concurrere.* Adde *Dn. SCHMINCK in not. ad Goldaſt. Bohem. p.* 1. *MUNSTERUS in Coſmographia lib. III. cap.* 312. Hercyniæ ſylvæ caput in ſylva nigra, in qua pagus Hercyngen notus, quærit; alii in Gabretta ſylva Thuringicæ ſylvæ parte illud ſtatuunt. *JUNCKERS Anleitunge zur mittlern Geographie pag.* 143. Sed quidni in ipſis Alpibus ejus figamus primordia. *BECMAN. hiſtor. O. T. p.* 295. Quod autem ad extrema ejus attinet, illa in Polonia vel etiam Lithuania reperiri tradunt. Vide *CELLARII tabulam Germaniæ antiquæ*, in qua *ORTELIUM* ſecutus eſt. Quis jam ambigeret, tot longitudinum ſpacia nonniſi intra ſexaginta dies iter faciendo confici poſſe. Quod vero ad latitudinem ſpectat, Cæſaris verba non ita ſunt intelligenda, ac ſi illa ſylva ubiq; ejusdem fuerit latitudinis. Notum eſt, ſi de regionis aut urbis loquimur latitudine, nos illum ſignificare locum, ubi omnium latiſſime patent. Deinde eadem Romanis viſa ſylva, licet nonnunquam quædam occurrerent ſpacia ab arboribus vacua, modo plerumque inter arbores & frutices iter faciendum & in ſylveſtribus locis pernoctandum eſſet. Porro Julius Cæſar de militaribus forte loquitur, ubi tot uno die abſolvi non potuerunt milliaria: Exercitus enim lente ſolent incedere, ne, ſi forte ex improviſo cum hoſte ad manus veniendum, ex accelerato itinere feſſi & palantes vincantur. Inprimis autem Romanis per Germanicas lento gradu, circumquaque reſpiciendo, eundum fuit ſylvas; nam Germani amabant inter arbores virgultaque & ad paludes prælia inire. *TACITUS annal. lib. II. c.* 64. 68. Huic accedit, quod pedites Romani, ſarcinis apte quidem, ſed maxime onerati, graviſſime incederent: Tenebantur enim ferre præter arma galeam, haſtam, gladium & ſcutum, ſerrum & corbem, rutrum & ſecurim, amplius lorem, falcem & catenam; imo cacabum, ollam, ahenum & talia. Hiſce ſæpe addebantur cibaria & valli. Vide *LIPSIUM de militia Romana lib. V. pag.* 288. ubi militem hoc modo oneratum e columna Trajani depictum refert. Neque obliviſcendum, quod iter difficilius adhuc redditum per vaſtiſſima montium juga, quæ ſæpe in illa ſylva ſuperanda erant. *MUNSTERUS lib. III. pag.* 716. Sic & notari meretur, in ejusmodi rebus nonnunquam numerum certum pro incerto poni. Neque objectio illa cujusdam eſt momenti, viatoribus in tanto ſylvarum tractu inedia aut ferarum gula pereundum fuiſſe. Nam quidni ad exemplum illorum, qui per arabicum faciunt iter deſertum, ſe cibariis inſtruere & contra feras ſe telis munire potuiſſent. Etiam in ſylva non tantæ amplitudinis a beſtia quadam invadi poſſumus. Huic addendum, illam ſylvam vel potius ſylvarum continuationem, æque ac hodie ſylva nigra & Thuringica eſt, habitationibus non deſtitutam fuiſſe. *MUNSTERUS l. c. p.* 717. Unde & illa corruit objectio, ſi Hercynica ſylva tam lata Germaniæ ſpacia complexa fuiſſet, unde patria noſtra tot hominum myriades producere potuiſſet. Non exiguam Germaniæ partem hodie adhuc ſylvis horridam & paludibus fœdam eſſe, illis, qui Weſtphaliæ, & partium quarundam interioris Saxoniæ notitiam habent, ignotum eſſe non poteſt. Nec ab eis Germania ſuperior plane libera eſt. Porro notaſſe juvat, Tacitum in libello ſuo de Germania non abſolute ſed comparate loqui, prout ſe Romanorum, & provinciarum latinarum intuitu habebat. Non ſolum autem in Germania ſed & in annalibus de Teutonicarum terrarum ſylvis & plaudibus teſtatur. *annal lib. II. cap.* 64, 67, 68. Ut ſileam, Tacitum nonniſi de Germania ſibi cognita ſermonem feciſſe. Nec hiſtoricis ſynecdochica locutio infrequens eſt. Quis unquam negavit, Germanos agros habuiſſe. *TACITUS in Germania cap.* 15. ait, majores noſtros militari vitæ aſſuetos, agrorum curam fœminis ſenibusque delegaſſe. Quid ſi agros non exercuiſſent, unde hordeum aut frumentum, ex quo liquorem in ſimilitudinem vini corruperunt, ſumere potuiſſent, in tanta nummorum penuria? Igitur præter neceſſitatem ex Tacito locus adducitur, ubi Romanos Germanorum agros depopulatos eſſe teſtatur. Nec moror, Julium Cæſarem commemorare, Germanos agricultura non ſtudere. Id enim de cultura artificiali intelligendum eſſe, alibi monui. Huc etiam reſpicere videtur verbum ſtudere. Imo dici etiam poteſt, & hoc comparate intelligendum, intuitu aliarum gentium, quæ diligentius agriculturæ operam dabant. Id certiſſimum, olim non tantum agrorum numerum ac hodie in Germania cultum fuiſſe, majoremq; partem victus Germanorum lacte, carne & caſeo, pomis aliarumque arborum frugibus conſtitiſſe. Hodie adhuc inter agreſtes Weſtphaliæ obſervatur, ut ſervis & ancillis nec non liberis jentaculi aut merendæ loco concretum lac aut poma dentur. Infinita propemodum deſerta loca eradicatis arboribus ad agriculturam inter tot annorum centena aptata eſſe, ipſa Germaniæ territoria comprobant. Teſtari quoque de eo poſſunt tabularia & cataſtra. Imo frequentes in Germania de decimis novalibus conſtitutiones promulgatæ ſunt. Tantum autem ſylvarum numerum in Germania hodie eſſe, uti olim fuit, nemo facile, qui terrarum noſtrarum aliquam ſaltim habet notitiam, aſſeret. Negligentiores namq; ſunt Germani noſtri in conſerendis arboribus ſylveſtribus, & hodie longe major in Germania lignorum conſumitur quantitas, poſtquam luxus eam invaſit. Cineres in vitra conflantur, metalla a ſcoriis ope carbonum & ligni ſeparantur; olim vero argenti venæ in Germania ignorabantur aut maxime infrequentes erant. Quot ligna vel carbones ab aurifabris, ſtannariis, fabris & qui ſunt hujus generis homines, conſumuntur? Ligni quoque non levis copia conſumitur in coquendis lateribus, calcibus, gypſis & vaſibus figulinis. Horum numerus inſigniter auctus eſt, poſtquam tot variis onerari & ornari volumus menſas ferculis. Deinde non amplius ut olim factum eſſe videtur, plures familiæ ad eundem ignem ſuos coquunt cibos. Quot ligna ex Germania in uſum navium ad exteros transferuntur, aut in domeſticas naves aptantur? Multorum eſt vaſium & utenſilium ligneorum uſus, quæ veteribus plane incognita erant. Quot ligna ad ædificia, templa, munimenta exſtruenda requiruntur? In calefaciendis hypocauſtis & amplificatis auctisque valde focis non minus ingens ligni multitudo in cineres redigitur, cum olim plures familiæ ad unum caluiſſe videntur ignem, & quidem ad eundem ad quem ſtomacho aptiores reddebant cibos. Nec res braxatoria majorum noſtrorum tempore tot opus habuit lignis. Et quia cre-

fidem doctrinamque ſuam ſatis probaverint, & res noſtræ alioquin integris legionibus per vaſtos temporum tractus fuerint perſpectæ, quale quid non fert mendacium.

Equidem illis, qui in defectu domeſticarum literarum, monumentis Græcis & præcipue Romanis, unice exiſtimant inſiſtendum, neminem paulo doctiorem gravioremque calculum ſuum denegaturum eſſe, prorſus confido. Tantum optarim, ſupereſſe illa omnia, quæ olim iſti de gente noſtra prodiderunt. Præter enim illa quæ in commentariis ſuis C. Jul. Cæſar memoriæ reliquit, aut iſta quæ ſparſim in variis libris aliis etiamnum invenire eſt, jam olim præclara plurima ſunt conſignata, propriis etiam hujus ipſius argumenti voluminibus, quæ nobis poſterius ævum invidit. Sane T. Livium haud pauca de gente noſtra memoraſſe ex epitomatore ejus conſtat. Scripſerat & Aſinius Quadratus de Germania, Strabone & Agathia teſtibus. C. Plinius bellorum Germaniæ libros xx. confecerat. Ut tamen horum deſiderium æquius feramus, unus libellus C. Cornelii Taciti effecit. Ut enim illis tempore poſterior eſt, ita dubio procul magis comperta Tacitus omnia habuit, adeoque fide ſcripſit certiore. Non in laudes viri digrediar, ut quem conſtat familiam ducere omnes inter hiſtoricos, qua prudentiam, qua ſincerum mentis judicium, qua poſtremo ipſam dictionis gravitatem. At patriæ noſtræ non poſſum non gratulari, quod ipſis in hoſtibus hominem hunc dignitate, doctrina, prudentia atque eloquentia plane maximum, ſcriptorem invenerit ac laudatorem. Haud ignoro, tantum virum a nonnullis noſtratium fictionis poſtulari: doleo duntaxat tam malam pro optime meritis gratiam referri. Quur credamus ignotam illi Germaniam fuiſſe non eſt: quemadmodum & ante oſtendimus. Et vero quantulum aut Rhenus aut Danubius obſtabat illo tempore, quo minus nota Romæ Germania fuerit, quum utriusque amnis littora pluribus legionibus defenderentur, & in media Roma miles Germanus excubaret? Diligentiam autem viri circa res noſtras inquirendas loquuntur ſcripta: utpote quum nemo de nobis plura, nemo certiora prodiderit. Neque vero eſt quur fidem ejus habeamus ſuſpectam, propterea quod ab Jul. Cæſare, Plinio, Strabone atque aliis diverſa nonnunquam narret. Facile enim probatu eſt, pro hujus ſententiis ſequentium ſeculorum monumenta facere. Ut taceam per ſeſe liquere, illis minus comperta fuiſſe noſtra præ novitate; quando dies diem docet. Nec, etſi non Saxonum, non Francorum, non Bajoariorum, non Thuringorum nominatim meminerit, ideo oſcitanter ſcripſiſſe Tacitum æſtimandum eſt. Namque alias multis probavimus, Chaucorum titulo hodiernos Saxones, Cattorum præcipue Francos, Marcomannorum Bajoarios, Cheruſcorum & Hermundurorum Thuringos illi uſurpatos, quamquam non iis quibus nunc ſedibus ævo Taciti uſos; quodque ſoli inter Germanos Friſii antiquo adhuc nomine nuncupentur, qui & ipſi tamen pomœria ſua multum dilataverunt, in Oceani littora a Chaucis & Cimbris forte deſerta diffuſi. Quid? quod ne poſterorum quisquam hanc illi palmam fecerit dubiam? Ipſe ille princeps vulgo creditus Geographorum Cl. Ptolemæus, *in Germania cisrhenana quam turpiter multipliciterque ſit lapſus, item transrhenanam Germaniam quam miſere turbaverit omnem, noviſſima vetuſtiſſimis, ima ſummis confundens*, a doctiſſimis eſt viris jam demonſtratum, & quidem ipſis iis, qui ne quidem Peluſio proxima recte ab illo deſcripta annotaverunt. Neque vero alia ratio quam hæc una eſt, quur magno quidam ingenio viri, quum antiquiſſimas res noſtras tantum ex monumentis Græcis Romanisque petendas recte cenſuiſſent, quicquid multo ſtudio argumenti hujus comportarant, quicquid ut ita loquar tenſis ingenii nervis inquiſierant, id omne ad Tacitum ceu ad cynoſuram atque amuſſim quandam narraverint. Id enim, ut alios ſileam, & Beatus Rhenanus & Andreas Althamerus & Jodocus Willichius præſtitere. Nec filum aliud ſecutus nuper eſt Philippus Cluverius princeps Geographorum noſtra tempeſtate: qui tribus Germaniæ antiquæ ſcriptis libris tantum conatus omnium ſuperavit, quantum ingenii viribus & iſtarum literarum uſu alios pleroſque antecelluit. Ego quoque (ut liceat & hoc addere) libelli illius admirabili & eloquentia & prudentia & ſub brevi ſermonis tegmine incredibili amplitudine fui motus, ut quum juvenes aliquot res noſtras prima ab memoria usque docere, adeoque reipubl. præparare ſuſcepiſſem, pretium me laboris capturum judicaverim, ſi quæ de republ. aut religione aut privatis moribus, item de gentium noſtrarum originibus, ſedibus & geſtis rebus, ad priſcum illud ævum pertinentia, obſervata mihi erant, illa omnia ad hujus adeo libelli explicationem, aut dixerim, aut ſuggerente memoria in calamum & chartam dictaverim.

Sed quid pergo Taciti illud opuſculum commendare, quod ne invidia quidem ſine rubore contempſerit? Quin potius venia mihi petenda eſt, quod tam multis de omni hiſtoriæ noſtræ ſtudio non dubitaverim coram te, PRINCEPS SERENISSIME, loqui. Et ſane crevit præter ſententiam hic ſermo, jamque dudum eos, quos initio conſtitueram limites, egreſſus eſt. Rapuit ſcilicet me quamvis pene invitum cauſa communis ſalutis, ſimulque illa, quam patriæ Germaniæ debeo, coëgit quaſi pietas;

deret in terra, quæ ad agrorum uſum præparata eſt, arborum relinqui radices, ut renaſci poſſent. Quem enim ex conſitis ſeminibus agricolæ haberent uſum, ſi renaſcentes arbores fruges enaſcentes obumbarent? Radices quoque impediunt, quo minus agris recte aratra induci poſſint. Hinc ſedulo radices, quas forte illico, amputata arbore, eradicare non poſſunt, poſtquam putredine corruptæ ſunt, eradicant. Revoces tibi, precor, in memoriam, quotnam in Germ. ſint loca, quæ ex *roten* compoſita ſunt. Denique non dubito, quin paludium illarum non paucæ exaruerint, quanquam in nonnullis terris ſat magnus earum reliquus ſit numerus. Imo Tacitus, quod de paludibus aſſerit, non de omnibus Germaniæ provinciis æqualiter intellectum voluit; ait enim de Cattis. *initium ſedis ab Hercynio ſaltu inchoant, non ita effuſis ac paluſtribus locis*. Nullibi profecto autor noſter dixit, quod in Germania non niſi ſylvæ & paludes eſſent. Urbes autem ei tantum in ſenſu Romano accepta voce derogat. Quod autem Romani Germaniæ inhiaverint, id non ob regionum beatitudinem fecerunt, ſed ne a bellicoſa gente amplius quid timendum haberent; deinde quia ſupremum gloriæ gradum putabant, tantæ imperare genti. Huic accedebat inſignis utilitas, ſi Germanorum vires ad alios hoſtes debellandos adhibere potuiſſent.

tas, apertius nonnihil monſtrare viam ad illas artes, quibus ſine respubl. noſtra ſalva eſſe, aut eam quam habet dignitatem tueri non poteſt. Tum vero ne quid diſſimulem, indignum arbitror facinus, Græciæ gentes & ſuæ nationis & peregrinas respubl. omnes poſteritati commendate ſtuduiſſe; nos vero noſtra negligere, ceu haud magni momenti. Et tamen non tantum imperii ipſum illud corpus, ſed & ejus membra multam prudentiam variasque reipubl. formas non minus, quam olim Græcia, exhibent. Quippe quum regna in ſingulis principatibus, oligarchias in Noriberga & Lyneburgo, democratias in multis, ariſtocratias plerisque in urbium, ſaltim magna ex parte habeamus. Taceo Amphyctionum conſeſſum umbram aliquam, ad imperium noſtrum ſi conferas, videri, & cum Achaicum tum Ætholicum fœdus, quibus Græcia nihil illuſtrius habuit, abeſſe quam longiſſime a potentia & dignitate Helvetici pariter atque Belgico Germanici fœderis.

Quod igitur pluribus illam viam, qua ad imperii rerumque Germanicarum itur notitiam, monſtraverim, ignoſces mihi ſcio, OPTIME PRINCEPS; præſertim quum ipſemet hac etiam tenera ætate hiſtorico ſtudio plurimum delecteris, jam tum ingente omnibus ſpe excitata, fore ut ibi adoleveris, præclaræ illæ artes civiles, quæ nunc temporum injuria tantum non ſunt emortuæ, tuis auſpiciis iterum eſſloreſcant. Certe nec omina deſunt id quæ promittant, ſi qua illorum fides eſt: quando tam multa in felicitatem tuam indies conſpirant. Interea Deum venerabor, ut Celſ. T. per hos vitæ ſcopulos velit ducere, & pace nobis reddita ad tam præclaros conatus præparare. Geſtit ſcilicet animus videre illud tempus, quum, abolito hoc civilis belli monſtro, illæ artes atque illa ſtudia, tuo illuſtriſſimo exemplo, recuperata priſtina ſua dignitate, rurſus excolentur.

Præfatio in editionem libelli TACITI, quæ prodiit anno CIↃ IↃ C LII.

BENEVOLO LECTORI.

SEptimus hodie decimus annus agitur, quum Taciti hunc libellum variis additis veterum ſcriptorum fragmentis, pene illo quo nunc modo, publicarem: idque in gratiam potiſſimum academicæ noſtræ juventutis, quæ per infelicia illa tempora librario commercio omni propemodum interciſo, non ſine magno ſtudiorum diſpendio, illis veteris ævi præclaris monumentis deſtituebatur. Erat mihi quamvis juveni, omnino jam tunc perſuaſum, ad ſolidam perfectamque ejus etiam quæ nunc ſupereſt, Germanicæ reipublicæ notitiam, plurimum conducere illam non tantum a Carolino Francorum ævo, quando primum hæc imperii civitas *coaluit*, (a) ſed & ab antiquiſſima retro memoria, rei noſtræ omnis publicæ privatæque factam repetitionem: imo facere illam ad plenum regnorum ferme univerſæ Europæ intellectum, quoniam pleraque iſthæc a gentibus Germanicis condita plurimum hodieque retinent moris priſci; quæ, inſcitia rerum illarum veterum, turbulenti quidam, tanquam vitio nuper demum introducta, criminantur. Nec vero aliud tum conſilium erat, quam juvenum animos ad rempubl. noſtram parare: cujus naturam atque inſtituta vulgo a paucis, & perperam addiſci, antequam illi adhibeant manum, idque ſummo cum ſalutis publicæ damno fieri, ſerio dolebam. Hinc prolixe tunc præfatus ſum de omni reipublicæ noſtræ accuratiore notitia, quis ejus uſus, unde petenda demum ſit, & quam graviter permulti heic vel oſcitanter ſe gerant, vel a regia aberrent via. Qua in re operæ abs me factum pretium aliquod, ſi oſtenderem ſubſecuto doctiorum applauſu, multisque hinc inde corrogatis teſtimoniis, haud fortasſis arrogantiæ merito poſtularer; certe non ſine exemplo celebrium in literis hominum, eoque ſic ſatis paſſim recepto peccarem. Verum illud quidem pudor meus haud ſiverit: nec mihi hactenus ille mos probare ſeſe potuit. Et tamen qui iſthac in doctrina mea quidquam deſideraverit, etſi illa a vulgo haud parum diſſideat, vix unus alterve, quod equidem ſciam, usque huc repertus eſt, neuter vero mentem meam probe aſſecutus.

Id luculenter adeo circiter hoſce tres annos oſtendi V. Clariſſimo Joanni Ottoni Tabori, impetuoſe antehac in me invecto, ut tametſi in Racemationibus ſuis criminalium definitionum varia reponere ſit conatus, non tamen vel verbulo probare fuerit auſus, a ſeſe jure me accuſatum, quaſi omnem Juſtinianei juris publici in Germania *uſum* (b) exploſiſſem, & doctrinam publici juris univerſam transſcripſiſſem politicæ; quo inter alia nomine graviter de injuria mihi facta eram conqueſtus. Verum illi videtur familiare, ubi injuriæ & calumniæ ſunt manifeſtæ, culpam veterem diſſimulare, & quo memoria illius obliteretur, per convitia & novas συκοφαντίας ſubſidium petere. Ita calumnia calumniæ pro tegula eſt, ne perpluat ſcilicet. Et vero cum in epiſtola Epidemeticis ſuis præfixa, apud ipſum Sereniſſimum Dominum meum, Principem & literatiſſimum & juſtitiæ legumque acerrimum vindicem, in univerſum omnes illos, qui Juſtinianei juris publici obſervantia, niſi quantum ejus denuo eſt liberrime receptum, haud obſtringi Germaniam ſtatuunt, ceu hoſtes ipſiusmet juſtitiæ & jurisprudentiæ, implorata Principis vindicta, publice ſumma cum injuria perſtrinxiſſet; in ipſoque libro me præ aliis iſthoc in cenſu notaviſſet nominatim; ad querelas meas nihil regesſit aliud, quam quod epiſtolam illam exarans de me haud cogitaverit, nec meam in Tacitum præfationem, quam impugnandam ſibi ſumpſerat, *vel integram, vel cum cura ſibi perlectam*, in convitiis & no-

(a) *coaluit*) In unum ſcilicet corpus. Olim diſtinctæ Germaniam conſtituebant respublicæ, quæ nulla jungebantur re, imo ſæpe nec quidem fœdere contra communem hoſtem ſibi proſpiciebant. Fatendum tamen, illam hanc imperii civitatem ſub Carolingis & poſt eorum tempora varias eſſe paſſam mutationes.

(b) *uſum*) Exiguus admodum erit, ſi quis ſupereſt. Imperium enim Romanum & noſtrum toto fere cœlo differunt. Imo juris Romani in libris ejus reliquiæ tantum quædam ſat levidenſes ſuperſunt.

me diſertis verbis de ætate *Friderici III.* (a) Cæſaris; quæ utique non in tertium ſed quintum decimum ſeculum incidit. Haud dubie quoque me tactum voluit Racemationum ſuarum pag. 314. ſcribens: *Authentica juſſu Imperatorum Germanorum codici inſerta novam illorum hæreſin ſatis redarguunt, qui juris Romani auctoritatem ultra ſeculum in Germania viguiſſe negant.* Ineptitudinem argumenti non arguam nunc; ſed illud nequeo diſſimulare; quod mihi tribuat, quaſi ego ſeculi unius limitibus circumſcribam Romani juris per Germaniam vetuſtatem; quum tamen ex profeſſo probaverim, paulo ante ſeculum quintum decimum illud jus hic cœpiſſe, adeoque jam ultra ducentos quinquaginta annos invaluiſſe. Paris notæ eſt illud quod *pag. 442.* adfert Racemator: *me id operam potiſſimum dare, ut omiſſa juris Juſtinianei & Imperatoris rectitudine in ſuperiorum ſeculorum barbariem ab omnibus bonis damnatam, relabamur.* E contrario tamen *cap. ult. libri de orig. juris pag. 205, 206, 207, & 210.* liquido oſtendi, nequaquam vetera mihi omnia inſtituta ſe probare, & cum ex aliis tum Romanis legibus, quod utiliſſimum videbitur, a juris peritis ævi noſtri melioribus colligendum eſſe. Enimvero ſatis ita indicavi ex eo me numero eſſe, de quibus Ariſtoteles: *ζητοῦσι δὲ ὅλως οὐ τὸ πάτριον, ἀλλὰ τἀγαθὸν πάντες.* Paſſim denique me criminatur, quaſi ex Hippolythi a Lapide libro multa acceperim: & tamen Hippolythi illud ſcriptum anno demum ſexto poſt quadrageſimum in manus vulgi devenit: mihi ſane antehac neque viſum neque auditum fuerat. Nec ignorat Tabor, jam tum anno poſt triceſimum quinto præfationem in Tacitum, poſt quadrageſimum tertio librum de origine Germanici juris publicatum eſſe. Ipſo vidente, audiente, probante, Argentorati doctorum juris dignitas, ſententiis ex meo opere iſthoc potiſſimum deſumptis, a Georgio Melchiore Tilone adverſus quædam Hippolythi minus commode dicta publice defenſa eſt.

Tot tantasque calumnias cui affectui alii quam nimiæ illi animi impotentiæ, quæ judicii aciem, qua alias Tabor non videtur deſtitui, obtundit, adeo ut in clariſſimo meridie ceſpitet, acceptum tuleris? An alicunde profectum dixeris fatalem ſtuporem iſtum, qui non patitur illum advertere, quantum ſibimet ipſi adverſetur, dum usque adeo urget: teneri nos Germanos ad Juſtinianei juris obſequium: & tamen ultro fatetur, idque citra omnem indignationem, cum alibi tum *l. de Metat. cap. 5. n. 6. & 7.* privatum illud jus *miſeris alicubi & nimiis ſubtilitatibus laborare, nec ullum fere caput inveniri, quod non poſteriorum Principum ac inprimis modernorum ſtatutorum* (b) *ac conſuetudinum placitis immutatum ſit.* Si ſimpliciter obligamur ad leges Juſtinianeas, utique omnis quæ ab illis facta eſt ſeceſſio iniqua eſt: ſi hæc nihil habet iniquitatis, non ſimpliciter etiam tenemur illas ſequi. Quam cauſam aliam dixeris illius, quod meam de auctoritate Juſtinianei juris ſententiam paradoxis & novitatibus accenſuerit, cum ſit apud omnes, etiam Romanarum legum doctores, receptiſſima? Nec vero, quod equidem ſciam vel Germanorum juris peritorum quiſpiam leges publicas, ſtatuta & conſuetudines Juſtinianeo juri adverſantes, injuſtitiæ iſthoc quidem nomine poſtulavit: omnes ſecundum illas non minus ac ſecundum iſthæc Juſtinianea populo jus dicunt, & dixere hactenus, idque potiore auctoritate habita novarum conſtitutionum & provincialium præ Juſtinianeis, ipſimet imo multarum ejusmodi Juſtiniano adverſantium legum auctores ſunt & hactenus fuerunt. Scite Matthias Stephani *proœm. comment. in novellas n. 52.* & plane ex mente mea: *Leges Juſtiniani, quatenus a moribus noſtris non ſunt approbatæ,* (c) *non magis nobis jus facere potuerunt, aut nos obligare, quam Leonis philoſophi aliorumque Græcorum Imperatorum novellæ, quæ receptæ non ſunt. Unde nemo non intelligit nos altero oculo in jus ſcriptum Juſtiniani, altero autem in mores ſeculi intentos eſſe oportere; & præſertim quid de unoquoque juris articulo in camera imperiali, tanquam ſupremo in Romano imperio judicio obſervetur.* Chriſtophori etiam Beſoldi *cap. 5. part. 3. tract. poſth. de jure publico* hæc diſerta verba ſunt: *Inter regalia Statuum imperii præcipua videntur eſſe illa; quod poſſint ſtatuta condere, ſecundum quæ in ipſorum territoriis vivere & judicari debent ſubditi, magiſtratus item atque judicia conſtitui: eaque* ſtatuta (d) *ejus vigoris eſſe reputantur, ut aſſeſſores etiam cameræ imperialis ſecundum ea, in cauſis per appellationem ad illos devolutis, PRÆCIPUE judicare teneantur: ac ſi in caſibus demum in ſtatutis iſtis omiſſis aut per localem conſuetudinem non deciſis, jus commune ſequi debeant. Kammer-Gerichts-Ordnung parte I. tit. 57.* Pridem ante idem Beſoldus *diſſ. de Majeſt.* Treutlerum confutaverat ſecus ſentientem. Idem docuerat, modernorum Cæſarum poteſtatem jure Juſtinianeo definiendam nequaquam eſſe. In eandem ſententiam diſſerit Gailius *l. 1. obſervat. 36.* Wehnerus *practic. obſerv. voce Gewonheit,* Carpzovius *ad l. reg. cap. 9. ſect. 1.* Ritterſhuſius *de differ. juris civil. & canon. in proœmio:* ut ſileam alios. Quid, quod nonnulli longe peritiſſimi Germanici juris, interque eos ipſemet Reinkingius *l. 2. de regim. ſec. & eccleſ. claſ. 2. cap. 14. n. 30.* Beſold. *de rep. mixta c. 2.* non dubitent aſſerere, in camerali judicio leges non pro auctoritate ſed pro ratione allegari? Quorum ſententiæ tamen ego quidem haud temere acceſſerim: quamvis haud ignorem eam eſſe ampliſſimi illius Senatus auctoritatem, & in legibus non obſervandis libertatem, ut in ipſomet fori proceſſu juris civilis ſolennitatem & circa proceſſum commiſſas nullitates haud attendere ſoleat;

(a) *Friderici III.*) *THOMASII hiſtoria juris p. 65.* Tabor exemplum fuit JCti, qui præter leges Romanas & quædam themata logica & metaphyſica omnia alia ignoravit. Quam recte rebus ſuis conſuluiſſet, ſi quid temporis chronologiæ & hiſtoriarum ſtudio dediſſet. Vid. *orat.* quæ in noſtra Julia 1640. *de uſu chronologiæ & hiſtoriarum in jure privato* habita.

(b) *modernorum ſtatutorum*) v. *THOMAS. de nævis juriſpr. Romanæ & de recte formando ſtatu controverſiæ an legum Romanarum frequens an exiguus ſit uſus.*

(c) *non ſunt approbatæ*) Vid. *CONRADI SINCERI epiſtola.*

(d) *ſtatuta*) *STRYCK. de uſu & autoritate juris Romani in foris Germanicis §. 27, 28.* In praxi eorum obtinet ſententia, qui dicunt, pro jure Romano eſſe præſumtionem, ita ut alter ſtatutum, vel conſuetudinem in contrarium probare debeat.

ſoleat, modo de meritis cauſæ conſtet. Cæterum omnino præclare, de Romani juris in omnibus liberis rebuspublicis (qualis utique & Germanica eſt) vi etiam loquitur *c. 11. libri de imperio maris* Jacobus Gothofredus, vir ſummus, & cujus morte cum juris vere Romani prudentia, tum omnis res literaria ingens nuper damnum fecit. Cum enim diſſeruiſſet, Rhodiam legem a Romanis admiſſam, ſolo æquitatis reſpectu habito, non quod ea tenerentur, addit: *Sic ſane Romanis hodie legibus utuntur* liberrima (a) *omnium regna populique, tanquam æqui bonique fonte. Quo qui aliter utuntur, næ illi perquam ſuaves ſunt, parumque ſibi conſulunt: cum, verſo hodie regnorum populorumque ſtatu in aliam quam Romanum olim imperium formam, juri Romano non niſi abſurde quiquam ſeſe illiget. Et prudentiſſime omnium Galli, qui eo loco leges Romanas habent, quo & quatenus fontem boni æquique: quo ſimul & dignitati ſuæ recte conſulunt, & veram juris dicundi orbitam tenent. Quod quidem & hic ἐν παρόδῳ additum volui, adverſus irrationalia quorundam hac de re judicia, qui Gallos ea de re perquam inique pipulo differunt.* Non patitur inſtitutum ſimilia teſtimonia plura huc adferre, quorum cæteroquin copia ad manum eſt: utpote quum hæc Germaniæ conſuetudo hodie in omnium paſſim locorum judiciis ſit recepta; ut recte dicit Gailius. Ne quidem nunc urgebo, quod noſtrorum juriſperitorum alii non dubitent ipſam Juſtinianei *juris æquitatem* (b) oppugnare, alii novum jus condendum ſuadeant. Et vero fruſtra provoces ad doctorum ſuffragia, cum in confeſſo ſit Cæſaris Ordinumque imperii libera ferendarum legum poteſtas: quæ ſalva eſſe nequit ſi adſtricta eſt Germania unico Juſtinianeo juri. Certe & qui nunc eſt imperii ſtatus, fuerit iniquus, & actum eſt de libertate reipublicæ, ſi verum eſt quod Tabor profitetur. Ejus ſane opinio iſthæc ipſamet ſubruit ſtatus publici fundamenta.

Si ea tamen eſt Tabor confidentia, ac ſi placet illi exequi quod minitatur, per me licet, eam quam exiſtimat Romani juris privati obligationem propugnet acriter, ſimulque ejus per Germaniam originem oſtendat aliam quam a me factum eſt. Diſputet vero argumentis, iisque non trivialibus ſed ſolidis: non convitiis, non obtrectationibus, non calumniis: armis turpibus impotentis animi, indignis viro doctum ſe profeſſo, indigniſſimis juris philoſopho ac ſacerdote. Habeat rationem cum ſui tum mei loci.

Ἔλεγχε ἐλέγχου· λοιδορεῖσθαι δ᾽ οὐ πρέπει
Ἄνδρας φιλοσόφους ὥσπερ ἀρτοπώλιδας.

Parcat mihi, parcat ſibi; nec maledicendo ordinem noſtrum dehoneſtet. Si dicere tamen perrexerit quæ vult, forte illa audiet quæ non vult. Nam & olim fas Senatori fuit habitum remaledicere, quamvis maledicere non liceret. Tunc *exiſtimet*

Reſponſum non dictum eſſe, quia læſit prius.

Neque dubitet, longe plurima in ſuis libris ſeſe offerre acrem animadverſionem commerita: ut proinde nec mihi deeſſe poſſint tela acerrima quibus illum petam, ſi fuerit tanti. De Romani juris ſtudio, num diffundere illud etiamnum ſeſe debeat ad quævis Tribonianei corporis etiam obſoleta, nulla mihi cum Tabore eſt contentio; ac propterea fruſtra ille mihi Cujacium obducit. Fateor tamen operam mihi videri perdere, qui prolixo adeo labore ad forum affectant viam. Cui enim hoc duntaxat eſt propoſitum, quare deſudet in iis, quæ ex uſu amplius non ſunt, & in foro nihil valent! Nec vero hæ quidem antiquatæ ſunt forenſis noſtræ prudentiæ regulæ; quod tamen videtur Tabor affirmare. Ad plenam peritiam hiſtoricam Romani juris, (qua cumprimis excelluit Cujacius) non tantum Juſtinianeæ leges omnes ſine diſcrimine, ſed etiam ſi quarum ex vetuſtiſſimo ævo memoria ſuperat, requiruntur. Ad νομοθετικὴν prudentiam comparandam facit itidem haud parum omnis etiam dudum abrogati juris notitia. Tantum de eo mihi cum Tabore non convenit: Num Juſtinianeæ leges ex ſeſe obligent Germaniam, non attenta ſcilicet ulla in eas recentiore imperii Ordinum conſenſione.

COGOR unum pro me adjicere de teſtamenti factione Germanis priſcis haud uſitata. Scripſeram ego: *Haud dubie ad præcavendas lites multum juvit etiam prohibita teſtamenti factio, eoque hereditatis ratio certa ac plana: qualem tum obtinuiſſe, teſte Tacito, novimus.* Ea res male habet Taborem, ac proinde opponit verba quædam ex legibus Bohemicis Ferdinandi, (cum potuiſſet in eandem ſententiam verba Conſtantini Magni adferre *ex l. 1. cod. de S. S. eccleſ.* niſi me recentiore auctoritate Cæſarea opprimere ſtatuiſſet) de omnimoda teſtandi libertate: quaſi illa demum cum naturali æquitate conſentiat, adeo ut nunquam majore homo libertate frui debeat, quam moriturus circa bona ſua diſponenda. Cæterum fac eam eſſe vim nativæ libertatis humanæ; nihilominus poteſt verum eſſe, illud teſtandi arbitrium cauſam multis litibus dare. Verum autem eſſe, utinam non uſus doceat quotidianus! *Omnes pragmatici* (verba ſunt Franc. Hottomanni Anti Triboniani c. 6.) *fatentur, quod materia teſtamentaria ſit* fons & nutricula (c) *maximæ litium partis, captionumque quæ ibi fiunt ubi jus civile viget.* Itaque illa quidem objectio me non ferit. Jam ſi omnino fas eſt, ut cumprimis ultimæ voluntatis libertas undique integra ſit, utique omnis in univerſum limitatio ejus iniqua fuerit. Iniqui igitur fuerint tantum non omnes populi; utpote cum omni retro ætate, ut & hodie, pene nuſquam non, frenum libertati iſti per leges teſtamentarias injectum ſit, alibi adſtrictius, alibi laxius. Ipſo divino Ebræorum jure ſucceſſio omnis, in bona ſaltim agrorum immobilia, non niſi legitima fuit. Athenis ante Solonem *non erat jus teſtamentum condere, ſed penes defuncti genus, pecunias & domum remanere*

oportebat

(a) *liberrima)* *ARTH. DUCK. de uſu & autoritate J. C.*

(b) *juris æquitatem)* Vid. *THOMAS. nævv. juriſprud. Romanæ, CYPRIAN. REGNER. in injuſtit. leg. Roman. adverſ. Maſtert. & in cenſ. ſuis paſſim.* Nec *HUBERI eunomia*, ad omnia illa, quæ contra jus Romanum in medium proferuntur, declinanda ſufficit.

(c) *fons & nutricula)* Vid. *THOMASII diſſert. de origine ſucceſſ. teſtament.*

oportebat. Hic vero liberum fecit, liberis non exiſtentibus, cui viſum eſſet ſua donare. Nec temere tamen aut ſimpliciter dare indulſit: ſed, ſi non per morbum, pharmacumve, neque vinculis, aut neceſſitate conſtrictus, vel uxoris blanditiis inductus eſſet, quæ fere verba ſunt Plutarchi. Sine dubio nonniſi Athenienſium exemplo apud Romanos item magna illa data eſt teſtandi legandique licentia, uni tamen patrifamilias, per duodecim tabularum leges, cujusmodi erat illa: *Paterfamilias uti de re ſua legaſſet, ita jus eſto.* Verum hanc licentiam plurima reipubl. incommoda attuliſſe, vel ſola illa teſtamentariarum legum Romanarum prope infinita cum varietas tum multitudo, quæ poſt ſecuta eſt, docuerit. Longe ſcilicet veriſſimum eſt, & ſapientibus omnibus probatum illud Iſocratis: *τά γε πλήθη καὶ τὰς ἀκριβείας τῶν νόμων σημεῖον εἶναι τοῦ κακῶς οἰκεῖσθαι τὴν πόλιν αὐτήν.* Sed & diſerte legandi illa libertas teſtandique, per varias leges, cumprimis *Furiam*, (a) Voconiam, Falcidiam, Velleiam, Corneliam, Caniniam, plurimis modis iterum reſtricta atque in ordinem eſt coacta, & *quia plerumque parentes ſine cauſa liberos ſuos exheredabant vel omittebant, inductum ut de inofficioſo teſtamento agere poſſent liberi*, & data his legitima patrimonii portio. *Ex eo teſtamenti factio non privati ſed publici juris fuit*, ceu loquebatur *Papinianus:* (b) *nec nuda voluntate conſtitutum eſt teſtamentum*, ceu idem inquiebat: *& nemo potuit in teſtamento ſuo cavere, ne leges in ſuo teſtamento locum haberent:* quæ eſt ſententia *Pomponii.* (c) Nec vero probata illa teſtamenti formula: *Lucius Titius hoc meum teſtamentum ſcripſi ſine ullo juris perito, rationem animi mei potius ſecutus quam nimiam & miſeram diligentiam; & ſi minus aliquid legitime, minusve perite fecero, pro jure legitimo haberi debet hominis ſani voluntas.* Emollivit rurſus hunc rigorem Cæſar Conſtantinus, Juſtinianus longe plurima abolevit: neuter tamen uni liberrimæ voluntati teſtatorum omnia commiſerunt, quod notiſſimum eſt. Hodiernis Europæ univerſæ moribus ut & noſtris, ne quidem illa a Juſtiniano permiſſa teſtandi libertas toleratur in bonis potiſſimis, qualia fere ſunt feudalia; ut nec in aliis. Num igitur & illas divinas Ebræorum, & Romanorum iſtas, ut & noſtras, aliarumque gentium omnium teſtamentarias leges conſuetudinesque injuſtitiæ accuſaveris, propterea quod iis tanquam repagulis libera teſtatorum voluntas coërcita ſit; Utique hóc quidem abſurdum factu fuerit; & tamen faciendum eſt, ſi eſt nefas conſtringere nonnihil ultimam voluntatem. Quare autem non minus illam liceat frenare, quam reliquam omnem bonorum diſpoſitionem? Imo vero, cum ſimpliciter bona omnia civium ſint obſtricta publico civitatis commodo, nunquam non integrum reipublicæ eſt jus ſuum, de bonis diſponendi in uſum communem. Naturali quadam æquitate ſane nihil huic rerumpublicarum omnium juri eſt detractum, ideoque locus eſt poſitivæ legi, prout exigit quælibet civitas. Et ſane intereſt multum, cum ad formam reipublicæ, tum ad civium familiarumque ſalutem, quemadmodum omnis illa ſucceſſio ſeſe habeat, (quod etiam a Platone eſt monitum *l. 2. de legib*) ac propterea prudens legislator non utique meræ ſingulorum voluntati rem tantum permiſerit. Ipſamet illa eccleſiis & clericis monachisque legandi facultas, cui, in favorem preſſæ hactenus eccleſiæ, commendandæ usque adeo in univerſum libertatem teſtandi Conſtantinus Magnus laudavit, quam multum nocuerit paſſim terrarum rebuspublicis pene omnibus, in vulgus jam innotuit; & præclare oſtenſum eſt a Paulo *Servita*, (d) *aliisque* (e) Venetorum contra Papam Paulum V. defenſoribus; eoque ipſimet proxime ſecuti Conſtantinum ſucceſſores, & alibi in occidentali hoc orbe ſummæ quæque poteſtates prudentiores, legem hanc Conſtantini improbavere, minime id facturi, ſi illa a Magno Cæſare addita legi ratio placuiſſet. Quei porro ſaltem originariorum civium ſalutem tuteris illa teſtandi licentia? Et tamen horum commodis maxime ſtudendum eſt a legislatore, utpote quoniam reſpubl. omnis horum præcipue gratia initio inſtituta ſit. Præclare Iſocrates orator prudentiſſimus in Sociali: *καί τοι χρὴ πόλιν μὲν εὐδαιμονίζειν μὴ τὴν ἐξ ἁπάντων ἀνθρώπων εἰκῇ πολλοὺς πολίτας ἀθροίζουσαν, ἀλλὰ τὴν τὸ γένος τῶν ἐξ ἀρχῆς τὴν πόλιν οἰκησάντων μᾶλλον τῶν ἄλλων διασώζουσαν: Ea demum civitas felix eſt habenda, non quæ e promiſcua hominum colluvie multos cives temere colligit, ſed quæ antiquiſſimas & primas familias maxime conſervat.* In Iſraelitarum ſane republica non permiſit Deus agrorum poſſeſſionem ſtabilem pervenire, niſi ad ſolos illos, non autem ad peregrinos ſive alienigenas. Hinc etiam *quid utilius plebiſcito Voconio de coërcendis mulierum hæreditatibus?* dicebat Phavorino apud Gellium ipſemet Sextus Cæcilius jureconſultorum ejus ætati facile princeps. Nec vero ille eandem apud Armenios uſu receptam de ſuccedendo legem cum Juſtiniano *ed. 3. cap. 1.* appellaſſet *barbaricam inſolentemque, & quæ neque Romanos neque ſua republica juſtitiam deceat.* Sapientiſſimus vir Ariſtoteles *quinto politicor. libro cap. 8.* inter Oligarchiæ tutamenta laudat: *καὶ τὰς κληρονομίας μὴ κατὰ δόσιν εἶναι, ἀλλὰ κατὰ γένος μηδὲ πλειόνων ἢ μιᾶς τὸν αὐτὸν κληρονομεῖν· οὕτω γὰρ ἂν ὁμαλώτεροι αἱ οὐσίαι εἶεν, καὶ τῶν ἀπόρων εἰς εὐπορίαν καθίσταντο πλείους.* Idem prudenter *l. 2. c. 7.* notat, cum lege cautum fuiſſet ne quis patrimonium alienet, utque antiquæ hereditates conſerventur, eo apud Leucada ſublato popularem factam eorum rempubl. *οὐ γὰρ ἔτι συνέβαινεν ἀπὸ τῶν ὡρισμένων τιμημάτων εἰς τὰς ἀρχὰς βαδίζειν.* Capite item nono ejusdem libri Lycurgum reprehendit, quod patrimoniorum venditionem vetuiſſet, permiſſa donandi ac teſtandi facultate: cum hinc tamen eadem incommoda oriantur. Num igitur ex bono reipublicæ Juſtinianus Cæſar laxaverit teſtandi illud frenum, & annon ex parte in gratiam quorundam teſtamenti captatorum illud ſit factum, judicent prudentes. Sane iis, perinde ut olim perſæpe, aulam illam abundaſſe, imo horum artibus ipſummet fuiſſe Cæſarem obnoxium,

(a) *Furiam*) Conf. GRAVINAM *de origine juris civilis.*
(b) *Papinianus*) *l. 3. ff. qui teſtamenta facere.*
(c) *Pomponii*) *l. 55. ff. de leg. 1.*
(d) *Servita*) Loquitur autor de Franciſco Paulo Sarpeta, qui ſe in hiſtoria concilii Tridentini Petrum Suavem vocat. Scriptum ejus Italicum ſequentem habet titulum: *Hiſtoria particolare delle coſe paſſade tra'l ſommo Pontifice & la ſereniſſima republica di Venetia.*
(e) *aliisque*) Hos alibi memoravimus.

xium, non patitur nos amplius ignorare arcana Procopii hiſtoria poſtquam illam ex Vaticanæ bibliothecæ latebris produxit Nicolaus Alemannus.

Sed non eſt hic locus pro dignitate hoc quidem agendi. Facile tamen apparet vel ex hiſce paucis quæ attulimus, potuiſſe me non uno nomine legitimam ſucceſſionem majoribus olim, ut hodieque ſeptemtrionalium permultis uſitatam, teſtamentariæ præferre: neque Taboris objectionem momenti ullius eſſe. Cum unius alicujus igitur tantum commodi cauſa morem priſcum laudaverim, & quidem ejus qui apud omnes paulo prudentiores in confeſſo eſt, nonne loliginis ſuccus eſt & mera ærugo illa Taboris vellicatio? An ex parte & ab juris quadam imprudentia eſt profecta? Sane ſic ſatis doctum legulcium & lati juris peritum ſeſe oſtendit paſſim, prudentem ſive lati ſive ferendi juris perquam raro. De quo diſcrimine dictum alibi eſt accuratius, & Taborem fortaſſe jam docuit Antonius Faber, plenius autem docuiſſet Joachimus Hopperus vir ſummus, & de quo cive merito ſibi Friſia gratuletur, ſi veræ juriſprudentiæ Tabor dediſſet aliquando operam.

CÆTERUM Tabore relicto, (cum enim *eos qui violento affectu odioque ſemel correpti fuerint perquam ſit difficile ſanare*, quod recte dicitur *Nov. 40. in ſ. praf.* fruſtra cum Tabore mihi multa res eſt) revertor ad ea, quæ Tacito quondam præmiſi prolegomena. In iis (ceu ante dixi) nihil hactenus deprehendi, quod alii animadverſione dignum judicaverint, ſi unum alterumque excipias, quorum cenſuram non eſt forte quod multum morer, inter tot aliorum laudationes. Ipſemet ego nonnulla quidem paulo aliter ſcripta malim: ſed fortaſſis haud fas eſt, juvenilem laborem omnem exactioris ætatis trutina expendere, & ſingulis temporibus ſuus aliquis nævus relinquendus eſt, modo non nimium dedecoret: ac proinde non eſt cur quidquam mutem. Eſt vero etiamnum idem qui olim animus, in reipubl. noſtræ uſum educandi nonnullos, quibus

De meliore luto finxit præcordia Titan.

Neque nunc etiam video, quei id fieri poſſit rectius, quam ſi poſt ipſam civilem philoſophiam probe perceptam, reipublicæ Germanicæ negotia omnia a prima usque memoria repetantur. Igitur cum prioris illius editionis exempla dudum fuerint vendita; & a multis nova flagitarentur, obtemperavi tandem illi deſiderio; præſertim ne qua videar juventutis ſtudioſæ commodo defuiſſe. Quin imo ut eo majori uſui nova hæc editio cederet, prolegomena quidem præmiſi fere qualia olim exaraveram; reliqua vero omnia cum plenius tum emendatius, addo & longe nitidius ſolito, exhibui. Ipſum namque Taciti libellum additis notis reddere correctiorem inſtitui: in aliorum autem veterum monumentorum fragmentis exprimendis, laudatiſſimorum exemplarium Lipſii, Caſauboni, Dalechampii, Schotti, Bertii veſtigium potiſſima ex parte (quædam enim meæ induſtriæ debentur) ſecutus ſum. Superant quidem paſſim & alia ex priſco illo ævo, in Græcorum Latinorumque ſcriptis, rem Germanicam illuſtrantia; quoniam pleraque tamen ſunt minuta, aut in manibus tantum non omnium, non placuit huc quidem illa congerere. Adjeci vero nonnihil ex Philippo Cluverio: quod quaſi in una tabella *τὴν χωρογραφίαν* antiquæ recentisque Germaniæ exprimant, atque ita non minus in vetera quam recentia lectorem quaſi manuducant. Quæ ipſemet de antiquis illis Germaniæ rebus, ſacris, profanis, iisque publicis privatisque, deque Germanicarum gentium originibus, migrationibus ac fortuna univerſa commentatus ſum, ubi plus otii fuero nactus, alias fortaſſe dabo: modo Tu lector benevole, conatibus meis ſtudiisque favere perrexeris. Helmeſtadii in acad. Julia, XI. Kal. Septembr. cIↃ IↃ CLII.

Epiſtolæ duæ

ad Viros Clariſſimos

IO. BVNONEM, GEORG. CASP. KIRCHMAIERVM,

quarum prima epit. Germaniæ antiquæ, altera commentario in Tacitum præfixa eſt.

HERM. CONRINGIVS

Viro Clariſſimo

JOHANNI BVNONI

S. P. D.

REipublicæ ſingularis cujuslibet cognitio, Clariſſime BVNO, in iis potiſſimum, quæ vel præſentia adhuc ſunt vel proxime anteceſſere, conſiſtit quidem; ea tamen denique cunctis eſt numeris perfecta, quæ ſimul omnium retro temporum memoria excuſſa, nihil omnino vetuſtiſſimarum quarumque rerum ejus ignorat. Quamvis ſane ad deliberationes præſentia cumprimis aut recentisſima quæque alia ſcire conducat, ac vetuſtiſſimorum raro habeatur ratio; eſt tamen haud infrequenter, ut & illa debeant merito attendi. Idque modo, ut reipublicæ bonis quibusdam inſtitutis, quæ apud imperitos novitatis forte accuſabantur, juſta ſua prodita vetuſtate auctoritas conſervetur; modo, ut reipublicæ mutata a priſtino facies eo rectius appareat: modo etiam, ut bona malaque, omnium temporum facta collatione, quam penitisſime intelligantur. Si perſuadendum ſit aliquid, multum etiam valet, (certe debet tum valere) antiquum reipublicæ tuæ ſtatum poſſe in exemplum adducere; quo præſentia vel corrigantur inſtitutis ad priſcam formam revocatis, vel roborentur adverſus inanes opiniones novaturientium. Sed & quamvis nihil talis commodi adferre ſit idonea vetuſti illa ævi peritia, habet tamen neſcio quid latentis voluptatis, qua ſe omnibus commendet, præſertim in republica illa verſantibus. Nec fortaſſis haud eſt turpe, ſaltim ſenatorem virum ignorare, quæ in civitate ſua,

cui

cui operam addixit, etiam olim acciderunt. Ea res præter alia (quæ nunc repetere nihil attinet) effecit, ut jam tum juvenis commendaverim noſtris hominibus adeo diligenter accuratiorem in veteris quoque Germaniæ inſtituta, mores, actus inquiſitionem; ob commoda ſcilicet, quæ exinde ad Germanicæ reipublicæ noſtræ ſtatum pernoſcendum, queant promanare. Serius enim quidem Germanicum hoc imperium in unum illud vaſtum corpus coaluit; ab omni tamen retro memoria Germanicis populis ſuæ reſpublicæ fuere: ab eaque antiquisſima origine hæc ipſa etiam noſtra propagata eſt. Et juvat itaque & utile eſt ſcire, quæ olim reipublicæ fuerit aliarumque rerum conditio; quamobrem multa a priſco mutaverint, multa ſaltim veſtigia ſuperent. Reliqua videlicet adhuc ſunt haud rara ultimæ vetuſtatis, circa ipſum reipublicæ regimen, circa ſtatum perſonarum, circa mores publicos privatosque, indicia, longe a Romanis diverſa; quæ intolerabili errore, ſola Romana doctis nonnullis, nova & nupera eſſe exiſtimantur.

Non ſolum vero ad noſtri Germanici imperii plenam notitiam iſthæc faciunt, ſed etiam ad tantum non omnium univerſæ Europæ rerumpublicarum aliarum. Enimvero habet hodieque ſeptentrio latisſimos Sueonum, Danorum, Norvvegorumque populos, Germaniæ magnæ ab omni memoria partes eximias: eoque nunc etiam plurimum trahentes ex antiquisſimis Germaniæ moribus atque inſtitutis. Hiſpania a Gothis, Gallia a Francis, Britannia ab Anglis & Saxonibus, Italia a Longobardis aliisque Germaniæ gentibus occupatæ, etiamnum bonam partem Germanicis legibus reguntur: etſi ſenſim alibi atque alibi nonnulla mutaverint. Venedi jam olim veſtitu & lingua Sarmaticam originem prodiderunt; fere Germanico tamen more habuere rempublicam: ceu ipſis Taciti docemur monumentis. Ut non ſit mirum, in Polonis & Bojohemis ſimilem Germanico regimini ſtatum adhuc obſervari; more videlicet communi priſco omnium Venedorum, quorum hi reliquiæ ſunt. Plurimum ſane diverſa & fuit olim & nunc eſt reipublicæ ratio, per Aſiam & Africam univerſam: neque hæc olim in Europa obtinuit forma, priusquam Romani imperii occidentales quæque provinciæ a Germaniæ populis occuparentur. Quo ipſo omnis pene Europa in Germaniæ gentium ditionem tranſiit. Soli Hungari & Turcæ & Tartari ut Aſiaticæ ſunt originis, ita & Aſiaticas reſpublicas colunt: Hungaris tamen jamdudum in Venedicos & Germanicos mores Scythica gentis inſtituta commutantibus.

Cæterum priſca illa Germanica ex domeſticis monumentis accipi a nobis nequeunt: quandoquidem nulla talia majoribus quondam fuere, contentis recti conſcientia & rerum fortiter geſtarum rudibus cantilenis: a Julii tamen Cæſaris ævo Romani Græcique bona nos fide haud pauca docuerunt. Quos inter eminet profecto Cornelius Tacitus; ſingulari etiam libello avorum mores atque inſtituta de induſtria & conſulto perſecutus. Utinam vero qui noſtra ætate vetera illa tradere iidem ſuſceperunt, ſola illa fidelis memoriæ monumenta ſequenda ſibi credidiſſent! Non profecto cum ineptiis & fabulis luctaremur; quæ doctrinæ opinione claris auctoribus perſuaſæ vulgo, utilisſimæ rei vim ſuam auctoritatemque detraxere. Eapropter æternam mihi laudem mereri ſemper eſt Philippus Cluverius; in hoc campo ſcilicet rectum iter tenens, varia & ſumme induſtria, integræ fidei ſcriptorum lectione ſubnixus; ſpretisque inanibus conjecturis, ſpretis figmentis, ſpretis ſequioris ævi malæ notæ narrationibus. Quamvis enim & ipſemet ſuas omnes ſententias neutiquam mihi probaverit, quod minime omnium ignoras, Clarisſime BVNO, alibique a me multæ earum ſint iis rationibus confutatæ, ut nec Tu meis partibus accedere dubitaveris, ſi populorum aliquot antiquas ſedes, mutata nomina, & in univerſum veſtitus omnium, & mores nonnullos, ac reipublicæ ſtatum ſpectemus: pleraque tamen ea diligentia, eo judicio, ea elegantia, ea integritate perſecutus mihi videtur, ut omnes qui hoc in ſtudio quidquam ſunt conati, longisſimo intervallo ſuperatos non dubitem equidem pronunciare.

Etiam tu igitur, optime BVNO, præclare mereris non tantum de noſtri Germanici imperii, ſed univerſæ etiam Europæ rebuspublicis, exhibens per epitomen omnibus harum rerum curioſis, quæ vaſto opere tradita a Cluverio, partim raritate voluminis, partim prolixitate ſua, juſto pauciores hactenus lectores invenerunt. Nec vero dubito, impoſterum utilem hanc curam ſolito pluribus fore cordi: idque cum eximio in publicum commodo. Juviſti ſcilicet hactenus quammultos, Italia & Sicilia antiqua ejusdem nunquam ſatis laudati Cluverii ſimili brevitate editis. Aſt ille fructus fere ſolo veterum Latinorum pariter Græcorumque ſcriptorum rectiore intellectu, ut ita dicam, quaſi abſorptus fuit: qui ex hoc autem tuo libro promanat, in ipſam noſtram, imo univerſas Europæ respublicas, redundabit. Non minus certe utilis hæc tua opera fuerit, atque illa quam nuperrime Geographico Cluverii aureo illi libello impendiſti. Deum obſecro, ut diu ſuperſis integra valetudine; quo diu posſis præclare adeo, ceu hactenus, te gerere. Ab ignavo enim otio alienum, valde aptum vero excolendæ illuſtrandæque hiſtoriæ Te eſſe, certus ſum, multis experimentis edoctus. Helmeſtadio ex academia Julia Non. Martii, anno CIↃ IↃ C LXIII.

Clarisſimo Viro

GEORGIO CASPARI KIRCHMAIERO, Profeſſori publico in illuſtri academia Wittenbergenſi, amico ſuo eximio.

S. P. D.

PRæclarum eſt inſtitutum tuum, Clarisſime KIRCHMAIERE, docendi juventutem antiquisſima etiam quæque Germanicarum rerum. Ingenuum ſcilicet eſt, & liberalem animum cumprimis decet, non recentia tantum noviſſe, ſed ab omni retro repetita tempore quævis gentis noſtræ etiam ve-

tuſtisſima: ſaltim ne pueri habeamur, quod Soloni & Athenienſibus olim Ægyptii exprobravere. Et vero in pueris natis merito excuſaveris iſtam ignorantiam; ut & in illis, quos vel fortunæ iniquitas, vel ſors naſcendi anguſta, vel occupationum quædam major vis, ad juſto humiliora vota deprimit: ſaltem illos tamen qui videri affectant ſapientes, atque vulgi ultra vilitatem provecti, majorum res ignorare indecens eſt. Intereſt vero & reipublicae, probe omni quidem ex parte adminiſtrandae, veterum illorum perquam accurata cognitio. Enimvero eſt utique primum deliberationum quarumvis caput, quam exactisſime noviſſe rem illam quæ in curam venit: ac proinde & de ipſa republica tunc demum undequaque perfecta inſtitui conſultatio poteſt, quando nihil ejus temere ignoratur. Id quod haud obtinueris, niſi ad maxime priſca ſubinde reflexeris quoque memoriam, atque adeo nova ab antiquis juſte diſcreveris. Plurimum certe juvat, haud neſcire, quando quave ratione reipublicæ ſingula cœperint, quando item quave de cauſa mutaverint nonnulla, ut & quamdiu & quemadmodum alia hactenus integra perſtiterint. Et vero a noſtris hominibus quammultis videas hac in re gravisſime peccari, qui noſtro Romani imperii titulo decepti, quæcunque aliena a Romanis ſunt moribus tanquam nova & haud ſatis legitima deſpiciunt; cum ſint tamen ſæpenumero vetuſtisſima majorum inſtituta, Romana vero illa nunquam apud nos obtinuerint, nec posſint vel debeant obtinere. Id haud difficile eſt intellectu, modo quis hæc noſtri ævi cum iis etiam, quæ Tacitus aliique priſci de Germanorum inſtitutis poſteritati tradidere, contenderit. Quamvis enim memoria iſthæc veterum rerum perquam ſit tenuis: neutiquam ſane omnia pro dignitate perſequatur: attamen vel illa quæ ſuperant, facem ingentem noſtris reipublicæ negotiis allucere, idonea ſunt. Quid quod vetera illa Germanica noviſſe, plurimum quoque conducat accuratæ notitiæ quarumvis univerſæ pene Europæ civitatum aut rerumpublicarum. Ex quo videlicet gentes Germanicæ Romani imperii veteris tantum non omnes occidentales regiones, ſuam in poteſtatem redegerunt, omnibus illis in locis per Germanicos antiquos mores compoſitæ ſunt reſpublicæ: quorum proinde reliquiæ adhuc plurimæ pasſim exſtant. Ut nullam fere Europæ rempublicam intime pleneque cognoveris, niſi ex Romanis monumentis quaſi in auxilium adſcita veterum Germaniæ rerum memoria. Ex Romanis, inquam, monumentis: quandoquidem domeſtica vetera omnia deficiunt; majoribus noſtris agere fortiter doctis quidem, literarum vero uſum omnem ignorantibus.

Sed quo prolabor? Hoc volebam. Perquam placere mihi, Clarisſime KIRCHMAIERE, exquiſitos tuos, revocandi juvenes ad Germanica etiam priſca addiſcenda, conatus: cum quod eorum cognitio deceat liberalius quodque ingenium, tum quoniam abſque illa imperii etiam Germanici, ejus quod nunc eſt, exacta notitia haberi nequeat. Et vero quia Taciti libellus, quem ille de moribus ſuæ tempeſtatis Germanorum ſcripſit, quaſi theſaurus eſt antiquitatis noſtræ, hujus merito ſequeris ductum, atque ad hunc ornandum illuſtrandumque appellis tuas curas. Ad exemplum nempe tot magnorum nominum, quæ itidem in hoc campo famam ingentem ſibi pepererunt. Perge vero qua cœpiſti via idque ſtrenue. Nemo ſane reipublicæ noſtræ rerum plene addiſcendarum cupidus, imo erectioris animi nemo, non applaudet tam laudabili ſtudio tuo. Ego certe Deum obſecro, uti tua hæc opera æterno cedat imperii Germanici emolumento. Helmſtadii in academia Julia IV. Eid. Quinctil. anno CIↃ IↃ C LXIV.

C. CORNELII TACITI de ſitu, moribus, & populis Germaniæ, Libellus.

Cap. I. GERMANIA omnis *a Galliis Rhætiisque* (a) & Pannoniis Rheno & Danubio fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu ac montibus ſeparatur. Cætera Oceanus ambit, latos ſinus & inſularum immenſa ſpatia complectens; nuper cognitis quibusdam Gentibus ac Regibus, quos bellum aperuit. *Rhenus Rhæticarum Alpium* (b) inacceſſo ac præcipiti vertice ortus, modico flexu in occidentem verſus, ſeptentrionali Oceano miſcetur. Danubius molli & clementer edito montis *Abnobæ* (c) jugo effuſus, plures populos adit, donec in Ponticum mare ſex meatibus erumpat: ſeptimum enim os paludibus hauritur.
Cap. II. *Ipſos Germanos indigenas crediderim*, (d) minimeque aliarum gentium *adven-*

(a) *a Galliis Rhætiisque*) *GOEBEL.* Vide *PLIN. in hiſtor. natur. lib. IV. c. 17. KIRCHMAIER. p. 14. ALTHAMER. pag. 2. 3.* & Dominum DITMARUM ad hæc verba. Recte autem monet KIRCHMAIERUS *pag. 819.* alios Germaniam noſtram pro diverſis ſuis ætatibus habuiſſe limites. Vid. *WERLHOFF. in notitia imperii enucleata lib. I. cap. 2. §. 19. ſeqq.*

(b) *Rhenus Rhæticarum Alpium*) CONR. Rheni primam memoriam invenimus in CÆSARIS *comm. IV. de B. G.* poſt magis magisque innotuit. Quod fontes ejus attinet, unius tantum meminerunt veteres, at hodie novimus duas ejus ſcaturigines, duosque alveos anterioris, poſteriorisque nominibus inſignes poſt quadraginta tria millia paſſuum confluentes. Deſcribit Rhenum poſt *CÆSAREM MELA lib. III. cap. 2. DIODOR. lib. XXXIX. STRABO lib. IV. & VII. PLINIUS* porro, ut & Tacitus hic & in *annalibus*, & denique *AMMIANUS MARCELLINUS. GOEBEL.* Vid. *GLAREANUM pag. 71. & BECMANNI hiſtoriam orbis terrarum p. 65.* De Rheno Germaniæ fluvio agit *PLIN. hiſt. nat. lib. II. c. 14. TACITUS lib. I. annal. cap. 3. lib. IV. cap. 5. lib. II. c. 6. hiſtor. cap. 12. AMMIANUS MARCELLINUS lib. XXVII. cap. 10. KIRCHMAIERUS p. 18. ſeqq.*

(c) *Abnobæ*) *GOEBEL.* Abnobas montium jugum ab Rheni Arolæque confluctibus ad Danubii fontem Nicrumque ſe extendit, ut refert LACARIUS ex PLINIO. Fons ejus eſt in vico Eſchingen Furſtenbergiorum SIGISM. VON BIRCKEN *Donau Strands vid. pag. 11. ſeqq. BECMAN. hiſtor. orbis terr. p. 65.* ait: *Terra ibidem plana neque montibus jugoſa, niſi quod cœmeterium juxta quod exit clivum leniter ſe attollentem repræſentet.* Vid. *BEUTH. comment. in h. l. JUNCKERI Geographia p. 130. WILLICH. p. 41. GLAREAN. p. 71.*

(d) *Germanos indigenas crediderim*) CONR. Originem gentis noſtræ quod attinet, illud ſane extra controverſiam eſt, nos ab Adamo & Noacho eſſe progenitos. Facile etiam apparet, cum tres fuerint filii, noſtram originem a Japheto nos capere. Verum cum hujus etiam familia in plures filios fuerit diviſa, non ita certum eſt, quemnam horum parentem habuerimus. Sunt qui a

adventibus (a) & hoſpitiis mixtos: quia nec terra olim, *ſed claſſibus* (b) advehebantur qui mutare ſedes quærebant: & immenſus ultra, utque ſic dixerim, adverſus Oceanus raris ab orbe noſtro navibus aditur. Quis porro, præter periculum horridi & ignoti maris, Aſia aut Africa aut Italia relicta Germaniam peteret, *informem terris*, (c) aſperam cœlo, triſtem cultu aſpectuque, niſi ſi patria ſit? Celebrant *carminibus antiquis* (d) (quod unum apud illos memoriæ & annalium genus eſt) *Tuiſtonem* (e) deum terra editum & filium Mannum, originem gentis conditoreſque. Manno tres filios aſſignant: e quorum nominibus proximi Oceano *Ingævones*, (f) medii Herminones, cæteri Iſtævones vocentur. Quidam autem, licentia vetuſtatis, plureis deo ortos, pluresque gentis appellationes, *Marſos, Gambrivios*, (g) *Suevos*, (h) Vandalios affirmant. Eaque vera & antiqua nomina. Cæterum Ger-

Togarma originem noſtram deducunt, ſed levia habent ſuæ conjecturæ argumenta: Tantum enim quod affinitatem aliquam appellationis τοῦ Germani & τοῦ Togarma invenerunt, in hanc ſententiam devenerunt. Ab Aſcenace nos progenitos vulgo credunt omnes Judæi, conaturque idem aſtruere Philippus Cluverius. Sed fortaſſis hoc eſt in medio relinquendum potius, ceu incompertæ certitudinis. Neque enim vel Judæi vel Cluverius quicquam afferunt quo certo hoc poſſit monſtrari. Tunc etiam ex ſacris literis conſtat, nonnihil objici poſſe, quod huic ſententiæ maxime adverſetur. Ita apud Jeremiam Prophetam de Babylonis excidio vaticinantem legimus c. 51. Attollite vexillum in terra, clangite buccina in gentibus, comparate contra illam gentes promulgantes, convocate contra illam regna Ararat, Minni & Aſcenacis. Quomodo autem Germaniæ populi exciderunt Babylonem, id equidem neſcio, Cluverius credit intelligi Galatas. Sed primo nititur hæc ſententia iſta hypotheſi, quod Galli & Germani ejusdem ſint originis, id quod tamen falſum eſt. Deinde Babylonem excitum manibus Galatorum non conſtat.

(a) *adventibus*) GOEBEL. ANDREAS ALTHAMERVS apud SCHARDIVM *p.* 4. KIRCHMAIERVS *pag.* 25. *ſeqq.* LENTVLVS *p.* 65. *ſeqq.* qui pro more ſuo multa ἀλλότρια admiſcet. BEBELIVS apud SCHARD. *p.* 105. A Tacito revelationi non addicto, requirere non poſſumus, ut ſtylum ſuum ei accommodaverit, videmus ipſum de origine gentis noſtræ dubie loqui. Quid enim incertius, quam gentium incunabula definire. KIRCHMAIERVS horum verborum occaſione Francos a Trojanis cum Tritheimio, cujus tractatus de origine Francorum in Schardii rerum Germanicarum tomo legitur, derivantium ridet ineptias. Nos de hoc argumento alibi egimus.

(b) *ſed claſſibus*) GOEBEL. Hoc dubium habet. Vide LEIBNITII *not. tom. I. Scr. Brunſv. p.* 8.

(c) *informem terris*) GOEBEL. Vid. SENEC. *de provid. c.* 4. *& loc.* ÆNEÆ SYLVII apud ALTHAMMER *p.* 4. In cauſas inquirunt MVTIVS & BERNEGGERVS. Aſt hodie paſſim longe aliter ſe habet. BEBEL. *de veter. Germ. c.* 17. Unde *VVIMPHELINGVS in fine catalogi Germanorum, profecto*, inquit, *ſi nunc videat Corn. Tacit. Germaniam, non ſcriberet* (*ut olim*) *informem terris, aſperam cœlo, triſtemque cultu adſpectuque.* Remanent tamen adhuc priſtini illius ſtatus quædam veſtigia, præſertim in aliquibus Weſtphaliæ tractibus. CLVVER. *introduct. in Geograph. c.* 15. Nota eſt controverſia inter Lipſium & Domannum de Weſtphaliæ ſtatu. Laudandus Domanni conatus, quem ad occulenda patriæ vitia adhibuit, modo a tanta verborum virulentia abſtinuiſſet, præſertim cum terrarum Weſtphalicarum notitiam habentibus Lipſii hyperbole, quam in epiſtolis ad Douſam, Hautenum, Heurnium, Colvium recitat, non ſine omni eſſe veritate videatur. Fateor Weſtphalos ſuis non eſſe defraudandos laudibus. Vid. CHYTRÆI *orat. de Weſtphalia:* Vera tamen & hæc ſunt, quæ ROLEVINCK de ſitu & moribus Weſtphalorum *lib. I. cap.* 1. habet: *ſunt proinde quædam Weſtphaliæ partes ita ſteriles, ut vix aquila ibi pullos ſuos nutrire poſſet, & tamen ſtupore grandi homines ibi habitant fortes, ſani, decori quaſi rore cœli ſuſtentati. Hi tamen ex vicinis provinciis auxilia victus ſibi per labores & induſtriam procurare ſolent.* Dolendi profecto illorum vices, qui in Weſtphalorum pagis & oppidis hoſpitio excipi debent, vix alium inveniet apparatum aliosque cibos quam qui in Lipſii epiſtola ad Heurnium deſcribuntur. Imo urbes ſæpe ab hoc non ſunt liberæ malo, nec illud non tantum Weſtphaliam, ſed & magnam Saxoniæ inferioris partem affligit. Vid. quæ in TOLLII *epiſtola itineraria* 15. 16. 17. leguntur. Quanquam non dubitem hic omnia peregrinatorem ſtylo in majus auxiſſe. Illis qui territoriarum curam habent, incumberet huic malo medelam adhibere.

(d) *carminibus antiquis*) GOEBEL. Vid. KIRCHMAIER *p.* 35. *ſeqq.* PERIZON *in animadverſ. hiſtoric. c.* 6. RVDBECKIVS *Atlantic. cap.* 24. §. 3. *n.* 1. ea cum Bardis ſolis Sueonibus minus recte vindicat. Vide AMMIANVM MARCELLIN. *lib. XV. c.* 9. STRABONEM *lib. IV. Geograph.* DIODORVM SICVLVM *lib. V.* LVCANVM *lib. I.* In Anglia poetæ rythmici dicebantur bardi. Hi rythmos plerumque componebant vel ad juventutis corruptelam vel ad ſeditionis incitamentum, qui abuſus fecit, ut quædam ſtatuta Parlamenti adverſus ipſos ſint facta. WARÆVS *in antiquitatibus Hibern. c.* 5.

(e) *Tuiſtonem*) GOEBEL. Vid. LEIBNIT. *l. c.* & *Gundlingiana.* Quod autem Germani per Tuiſtonem Deum, per Mannum Adamum intellexerint a vero haud dubie abhorret. Has ineptias ad illorum ſpectare puto catalogum quæ in Cluverio occurrunt. Hic enim vir cultum ſolis lunæ & ignis, in quo majores noſtri gentiliſmi labe commaculati potiſſimam religionis ſuæ partem conſtituiſſe dicuntur, in aliqualem myſterii triados notitiam, & immerſionem liberorum recens natorum in aquam in baptiſmi ſymbolum interpretatur. Nec minus multis obnoxium dubiis, quod ſub Tuiſtonis vel Tuiſconis perſona Aſcenas vel T-aſcon latitet, ut aſſerit WALDENFELS *in ſelectis antiquitatibus lib. IX. c.* 1. *n.* 3. Conglomerat hic multa ex fictitio Beroſo aut Annio Viterbienſi fabuloſa, ex quorum numero eſt, quod *l. c. c.* 18. Aſcenaci ſive Tuiſconi XI. tribuat filios 1) Mannum 2) Ingævonem 3) Iſtævonem 4) Herminonem 5) Marſum 6) Gambrivum 7) Suevum 8) Vandalum 9) Hunnum 10) Herculem (Herulum) 11) Teutanem.

(f) *Ingævones*) GOEBEL. LEIBNIT. *l. c. p.* 9. CLVVER. *lib. III. Germ. antiquæ c.* 46. KIRCHMAIER *p.* 57. Sunt Ingævones i. e. interius habitantes, & Iſtævones, i. e. verſus orientem vel occidentem, ut alii interpretantur, habitantes, ex quinque principum populorum, quorum PLINIVS *lib. IV. hiſtor. natur. cap.* 14. mentionem facit, numero: Verum præter hos quinque nullos alios principes fuiſſe populos nemo facile, qui Taciti Germaniam inſpexerit, ſibi perſuadet. Non enim Tacitus autor eſt, Ingævones, Iſtævones & Herminones, quorum nomina mox deſiiſſe videntur, principes tantum hos in ſubſequentibus habitos eſſe populos. Sic nec Strabo primarios Germaniæ populos ad ſenarium præciſe adſtringere numerum videtur. Et licet ſex fuiſſent tales populi, ut opinatur etiam Coccejus, qui in eorum cenſum Marcomannos refert, iſtum numerum tamen perpetim in Germania obſervatum & ſex circulis originem dediſſe, annalium fidei repugnat. Et quis crederet Maximilianum circulorum autorem, ad exolet illa reſpexiſſe.

(g) *Marſos Gambrivios*) GOEBEL. Fabulis merito Marſus Germanorum Rex, cum aliis hujus tenoris annumeratur. Rectius forte dixeris, a campis irriguis, inter quos habitabant, nomen habere. LEIBNIT. *l. c. p.* 9. Quanquam alii vocis originem aliunde repetant. Cæterum quod ad Gambrivios attinet, eos non tam cum Cimbris, quam cum Ambriviis vel Ambronibus Ambriæ accolis, & Cimbrorum Teutonumque in bello Italico ſociis, eandem fuiſſe gentem putarem.

(h) *Suevos*) GOEB. Unde horum nomen derivandum, du-

Germaniæ vocabulum recens, & nuper auditum: (a) quoniam qui primi Rhenum transgreſſi Gallos expulerint, nunc Tungri nunc Germani vocati ſunt. Ita nationis nomen non gentis evaluiſſe paulatim: ut omnes, primum a victore ob metum, mox a ſeipſis invento nomine Germani vocarentur.
Cap. III. Fuiſſe apud eos & *Herculem memorant*, (b) primumque omnium virorum fortium ituri in prælia canunt. Sunt illis hæc quoque carmina: quorum relatu, quem *Barditum vocant*, (c) accendunt animos, futuræque pugnæ fortunam ipſo cantu augurantur. Terrent enim, trepidantve, prout ſonuit acies. Nec tam vocis ille quam virtutis concentus videtur. Affectatur præcipue *aſperitas ſoni*, (d) & fractum murmur objectis ad os ſcutis, quo plenior & gravior vox repercuſſu intumeſcat. Cæterum & Ulixem quidam opinantur, longo illo & *fabuloſo errore* (e) in hunc Oceanum delatum, adiſſe Ger-

bium eſt. Interim videntur a vero non aberrare, qui, ſicut Vandalos a *wandeln*, (quia frequenter migrabant,) ſic etiam Suevos a *ſchweiffen*, circumvagari, vel etiam latius habitare, dictos eſſe volunt.

(a) *Germaniæ vocabulum recens & nuper auditum*) Synodo Turonenſi primum fit mentio hujus noſtri Theutiſci nominis. Verba Canonis hæc ſunt: Viſum eſt unanimitati noſtræ, ut quilibet Epiſcopus habeat homilias continentes, neceſſarias admonitiones, & ut easdem homilias quisque apte transferre ſtudeat, in ruſticam (Gallicam vocat ita, quia ex Latina lingua eſt corrupta) Romanam linguam aut Theutiscam, quo facilius poſſint intelligere cuncta, quæ debentur. Cæterum gentem noſtram antiquiſſimis temporibus non accepiſſe a ſemetipſa Germanorum appellationem, non Strabo tantum teſtis eſt, ſed etiam Cornelius Tacitus. Ille enim docet nos ita primum dictos a Romanis, quibus nonniſi ſero innotuimus, & quidem tum maxime, cum armis nobiscum confligere imperatore in Galliis Cajo Julio Cæſare cœperunt. Hoc vero diſerte idem addit Germaniæ vocabulum recens eſſe, & nuper additum, tumque Tungerorum nationi primum inditum. Unde patet illorum error, qui cum Germanorum nomen apud HERODOTUM *lib. I.* inter Perſiæ populos invenerunt, inter Perſas tum temporis nos numeratos putant. Quaſi vero Γερμανίοι Herodoto non ſint illi, qui Diodoro Straboni, Plin. & Ptolom. tot ſeculis Γερμανίοι & Γέρμανοι gens ad fauces Perſici ſinus tum quoque habitans dicti ſunt; quarumque regio hodie Κέρμαν appellatur. Ergo id quidem, quod a Tacito & Strabone aſſeritur, quaſi certum habeatur: Videndum tamen unde hæc appellatio promanarit. Atque Strabo quidem Germanos ita a Romanis dictos autumat, quod habiti ſint quaſi fratres Gallorum. Cæterum primo hoc adverſatur Tacito, qui refert ob metum ita dictos: deinde a Romanis primam hanc appellationem cepiſſe: ſimiliter Tacito item contrarium, qui a victis aut a victore eam ortam aſſeverat. Porro nulla eſt cauſa cur Germanos voluerint potius appellare Gallorum fratres quam Britannos aut alios populos. Poſtremo ratio multiplex eſt, cur Germani tum quidem temporis non potuerint fratres Gallorum cenſeri, quippe qui non lingua tantum, verum etiam toto corporis habitu, toto ingenio, omni denique vivendi ratione a Gallis quamplurimum diſſiderent. Igitur credamus potius Tacito, ob metum hoc nomen illos, qui primum Rhenum transgreſſi ſunt, adeptos eſſe. Qua in re videtur veroſimilis Philippi Cluverii ſententia, Germanorum nomen originem ſumſiſſe a Gerra vel Guerra, quod bellum hodie Gallis notat, & vulgari vocabulo Man, quaſi quis latini bellatorem virum dicat. Hoc enim nomen metuendum eſt populo ignavo, qualis tum temporis erat Gallorum. Noſtri vero majores omnes toto ingenio ad bellum fuere nati, & facti. Igitur qui primi Theutiscorum Rhenum ſunt transgreſſi, ſedibusque ſuis Gallos expulere, illi quidem domi aliis nominibus ſunt appellati, a Gallis tamen ob ferociam militarem Germani dicti ſunt. Placuit deinde hæc appellatio ipſis victoribus, ut qui maxime haberi vellent bellicoſi, & truces: demumque ab una natione translata ad gentem omnem, quod pari cum prioribus illis feritate morum eſſent. Quænam autem fuerit illa natio, quæ prima hoc nomen meruit, diſerte indicat Tacitus, nempe Tungrorum. Atque hoc quidem nomen non invenitur apud Cæſarem, ſed videtur poſt natum. Eo tamen ſignificari illos populos, qui quinque nominibus diſcretis, Eburones, Condruſus, Cureſi, Segni, & Pemani, uſurpantur Cæſari, recte probat PHILIPPUS CLUVERIUS *lib. II. germ. antiquæ c. 20.* CÆSAR ipſe *comment. lib. II.* ait: *Condruſos, Eburones, Cureſos, Pemanos, qui uno nomine Germani appellantur, arbitrari ad quadraginta millia.* Idem *comment. 6. Segni Condruſique ex gente & numero Germanorum, qui ſunt inter Eburones Treviroſque.* Hi ſunt quinque illi populi, qui primi hoc Germanorum nomen acceperunt. Quos conſtat non tantum late impleviſſe ea quæ ſunt inter Rhenum & Moſam loca, ſed & ad Scaldim usque terminos ſuos produxiſſe. GOEBEL. Verba Taciti, ad quæ hæc autor commentatur, interpretum crux vocantur: Sed recte monet illuſtr. quondam LEIBNITIUS, *l. c. pag. 9.* comparative eſſe intelligenda, intuitu vetuſtiorum nominum, quibus ſingulares Germaniæ gentes veniebant. Conf. quoque PICHEN. *pag.* 248. De origine vocis German. vid. LEIBNIT. *l. c.* & KIRCHM. *pag.* 54. 55. Cæterum, quod ad ipſum gentis ortum attinet, de eo tot fere ſunt ſententiæ quot ſunt eruditorum capita. Nec Aſchenaz tantum ut Aſchaffenburgi conditor & communis Germanorum pater advocatur; ſed & Trojani, Hunni, Græci, Alexandri milites, Scythæ, Latini, Veneti, imo ipſi Cananitæ ab ARNGRIMO JONA W ut Germanorum ſatores celebrantur: Verum id quod de Aſchenaze traditur, æque ac aliæ opiniones incertitudine laborat. Notum enim eſt, arcem Aſchaffenburg a flumine Aſchaffa nomen habere, & Chaldaicæ verſioni, quippe quæ primum poſt virginis partum compoſita eſt, nihil hic fidei attribui poteſt. Ut ſileam, ibi non de Germania, ſed Caramannia, ut Japhetis poſterorum parte ſermonem eſſe. Quod autem ad linguarum convenientiam attinet, argumentum inde deſumtum admodum vacillat; quoniam una gens per converſationem & commercia quæ cum alia gente habet, non ſolum ejus mores & res imitari, ſed & vocabula quibus talia veniunt retinere & ſuæ linguæ accommodare ſolet. Deinde non dubito, quin permultæ linguæ eandem habeant matrem & ſic multorum vocabulorum quoad radicem ſaltim convenientiam. Vid. ECCARDUS *in hiſtoria ſtudii ethymologici linguæ Germanicæ cap.* 2. 8. 12. 25.

(b) *Herculem memorant*) GOEBEL. Figmentum haud dubie fictitii Beroſi eſt Alemannum cognomento Herculem primum Bojorum conditorem fuiſſe. Vid. AVENTINI *lib. I. annal. Boj.* SCHED. *de Diis Germ. Syngr. III.* Has nænias ſequitur etiam WALDENFELS *l. c. c. 9.* qui cæteroquin veterum de variis Herculibus traditis plura implet folia. A veritate non alienum videtur, Germanos heroem aliquem Deorum numero habuiſſe, cui a Romanis Herculis nomen fuit impertitum.

(c) *Barditum*) GOEBEL. ALTHAMMERUS legendum putat Blaritum, LIPSIUS autem Baritum; ille vocem a Blavitus, hic a baeren ducendam putat, ita ut baritus in hoc ſignificatu nihil aliud ſit quam inſignis vocis, elevatio vel magnus clamor. Notum eſt vernaculum noſtrum *blarren*. Galli cantores vel poetas ſuos bardos dixiſſe feruntur. Hos celebrandis carminice heroum geſtis deſtinatos, & in judiciorum partem veniſſe dicunt. Bardos hoſce originem cantoribus illis, qui *die Meiſter-Senger* vocantur, dediſſe, ſunt qui putant. De his WAGENSEILII habemus commentationem.

(d) *aſperitas ſoni*) GOEBEL. TACITUS *lib. II. annal.* de Germanicarum cohortium truci memorat cantu, & *lib. IV. hiſtor.* de virorum cantu & fœminarum ululatu, quibus acies ſonuit.

(e) *fabuloſo errore*) GOEBEL. Imo fabuloſus eſt error

Germaniæ terras, *Aſciburgiumque*, (a) quod in ripa Rheni ſitum hodieque incolitur, ab illo conſtitutum, nominatumque *ἀσκιπύργιον*. Aram quin etiam Ulixi conſecratam, adjecto Laërte patris nomine, eodem loco olim repertam: monumentaque, & tumulos quosdam *Græcis literis* (b) inſcriptos in confinio Germaniæ Rhætiæque adhuc exſtare. Quæ neque affirmare argumentis, neque refellere in animo eſt: ex ingenio ſuo quisque demat vel addat fidem. Ipſe eorum opinionibus acce- Cap. IV.
do, qui Germaniæ *populos nullis* (c) (aliis) aliarum nationum connubiis infectos, propriam & ſinceram & tantum ſui ſimilem gentem exſtitiſſe arbitrantur. Unde habitus quoque corporum, quamquam in tanto hominum numero, *idem omnibus*: (d) *truces & cærulei* (e) oculi, *rutilæ comæ*, (f) *magna corpora*, (g) & tantum *ad impetum valida*, (h) *laboris* (i) atque operum non eadem patientia, minimeque *ſitim* (k) æſtumque tolerare, frigora atque inediam cœlo ſolove aſſueverunt. Terra etſi Cap. V.
aliquanto ſpecie differt, in univerſum tamen aut *ſylvis horrida*, (l) aut paludibus fœda: *humidior qua Gallias*, (m) ventoſior qua Noricum ac Pannoniam aſpicit. ſatis ferax. frugiferarum arborum impatiens. pecorum fœcunda; ſed *plerumque improcera*; (n) ne armentis quidem ſuus honor, aut *gloria frontis*. (o) numero gaudent. eæque ſolæ & gratiſſimæ opes. *Argentum & aurum propitii an irati dii negaverint*, (p) dubito. Nec tamen affirmaverim, nullam Germaniæ venam argentum aurumve gignere: quis enim ſcrutatus eſt? Poſſeſſione & uſu haut perinde afficiuntur. Eſt videre apud illos argentea vaſa, legatis & principibus eorum muneri data, non in alia vilitate, quam quæ humo finguntur. Quanquam proximi ob uſum commerciorum aurum & argentum in pretio habent,

Ulyſſem, ſi quid etiam ejus navigario ex vero haberet, in Oceanum Germanicum fuiſſe delatum. Vid. *CLUVER. in Sicilia antiqua lib. I. cap* 17. Impenſe igitur nugatur *OLAVS VREDIVS*, quando *in addit. ad Flandriam ethnicam & Chriſt. p.* 47. 48. Vliſſingam in Zelandia Ulyſſi & nomen & originem debere, aſſerit. Vid. *LIPS.*

(a) *Aſciburgiumque*) GOEBEL. Meminit quoque hujus loci *TACITVS lib IV. hiſt. c.* 33. Sunt qui Moguntinæ diœceſi, alii Cliviæ tribuunt. Quod autem ab Aſchenaze una cum aliis in vicinia locis conditum ſit, inter maxime incerta imo falſa refertur.

(b) *Græcis literis*) GOEBEL. Hic locus Kirchmaiero, in veros literarum apud Teutonos natales inquirendi, occaſionem præbuit. Conf. quoque *ÆGIDII SCHVDI Rhætiae Alpinae cap. 36. apud Schard. tom I. p.* 297. LIPS. Hinc colligunt, veteres Germanos Græcis uſos fuiſſe literis, atque illud ex eo magis adhuc pateſcere, dicunt, quod, Cæſare de bello Gallico tradente, in Germanorum caſtris codicilli in Romanorum contumeliam Græcis literis ſcripti ſint reperti. Vid. *VELS. in antiquit. Auguſt.* Verum hoc argumentum mihi videtur fallax, quoniam in Germanico exercitu eſſe potuit Græcarum literarum peritus quidam, qui ſcriptum illud compoſuit illisque literis, ita tamen, ut literarum illarum notitiam, non a popularibus ſuis, ſed forte ab ipſis Græcis, quorum caſtra ſecutus, hauſerit. Ex hoc vero Taciti loco contrarium potius apparere videtur; ille namque ex Græcis literis tumulis inſcriptis colligit Græcos ibi adfuiſſe, igitur oportet in Germania Græcarum literarum, Taciti tempore, nullum fuiſſe uſum.

(c) *populos nullis*) GOEBEL. Vid. *KIRCHMAIER. p.* 72. *ſeq.*

(d) *idem omnibus*) GOEBEL. Hæc intuitu aliarum gentium, inprimis Romanorum dicta ſunt, in quibus non tanta habitus corporum fuit convenientia, ac in Germanis.

(e) *truces & cærulei*) GOEBEL. Glauci oculi inter Germanos hodie quoque admodum frequentes ſunt.

(f) *rutilæ comæ*) GOEBEL. Vid. *CLUVER. in Germ. antiqua lib. I. c.* 14. & *KIRCHMAIERVM*, *LIPSIVMque ad h. l.* Haud dubie inter gentes Germanicas rutilæ flavæque comæ minus raræ fuerunt, ac inter Romanos. Cauſas hujus rei in *methodo hiſtor. BODINVS* ſcrutatur.

(g) *magna corpora*) *GOEBEL. CÆSAR de bello Gallico lib. I.*

(h) *ad impetum valida*) GOEBEL. Quod Germani tantum impetu valuerint, id artis militaris imperitiæ maximam partem attribuo. Ex quo enim Romanorum legiones turmasque primo impetu diſpellere non potuerunt, pedem, utpote laxatis plerumque ordinibus pugnantes, referre coacti ſunt, atque tunc ab equitum alis, legionibusque, qui tergis ſæpe fugam capeſſentium circumfundebantur, haud ita difficulter cædi potuerunt.

(i) *laboris*) GOEBEL. Etenim non æque diſciplina militari ac Romani coercebantur.

(k) *ſitim*) GOEBEL. Bibacitatis labem in majoribus noſtris *KIRCHMAIERVS p.* 78. excuſare allaborat, quoniam non ſoli hoc ſe commaculaverint vitio, ſed aliis quibusdam gentibus in compotationibus fuerint inferiores. Vide quæ nos ad *diſſert de republ. veter. Germanorum* diximus.

(l) *ſylvis horrida*) GOEBEL. Germaniam longe plures olim aluiſſe ſylvas ac hodie, majoresque noſtros ſylveſtria illa inhabitaſſe loca; neque jam in permultis Germaniæ terris paludes deeſſe, ad præfationem docui. KIRCHMAIERVS *ad h. l.*

(m) *humidior qua Gallias*) *GOEBEL. KIRCHM. p.* 89.

(n) *plerumque improcera*) *GOEBEL. PLINIVS hiſtor. natur. lib. XVII. c.* 4. *p.* 413. *Num quid laudatius*, inquit, *Germaniæ pabulis?* Aluntur in quampluriinis Germaniæ locis pecora minora & deformia, cujus & Cæſar commeminit. Sic *PLINIVS hiſtor. nat. c XXII. lib. X.* de Germanorum anſeribus ait: *Candidi ibi verum minores gamzie vocantur.*

(o) *gloria frontis*) GOEBEL. Suſpicor penes Romanos pecora juxta frontis habitum eſſe electa.

(p) *Argentum & aurum*) GOEBEL. Hodie Germania, ſi quæ unquam regio metallis eſt frequens. *WILLICHIVS ad h. c. p.* 46. *ALTHAMMERVS p.* 8. apud *SCHARDIVM.* Tacito autem hic non eſt ſermo de cujusvis metalli, ſed de auri argentique fodinis. Nam ferrum Noricum temporibus Tacitum antecedentibus jam tum in pretio fuiſſe, *Dn. REVSCHIVS in diſſert. de origine metalli fod.* ex ſcriptoribus antiquis probatum ivit. Exiſtimo libellum de Germania æque ac libros hiſtoriarum ante annales conſcriptum eſſe; in eo namque ait: *quis ſcrutatus eſt*, nempe argenti aurique venas: in annalibus vero *lib. XI c.* 20. de Curtio Rufo tradit, quod in agro Mattiaco, id eſt in tractu Marburgenſi, recluſiſſet ſpecus quærendis venis argenti, unde tenuis fructus. Sunt & alia veterum teſtimonia, quibus primo & ſubſequentibus ſeculis metallis nobilioribus in Germania ſcrutandis operam datum eſſe conſtat. Cum vero fructus inde percepti, ex inveſtigantium forte ignorantia aut deſidia, non admodum fuerint magni, aut qui eis inveſtigandis inſudare tenebantur, rem lente ſatis pertractaverint, aut ſæpe etiam ab excavanda terra abſtinuerint, oportuit, ut per vices ad idem reditum fuerit opus, unde factum, ut primordia recluſarum venarum modo ad hæc modo ad illa ſint relata tempora. Nec Carolingorum ævum, nec Henrici aucupis tempora metallorum fodinas in Germania plane ignorant: verum enim vero, cum notabilior illa imperante Ottone I. ad Goslariam aperta fuerit vena, hujus ætati venarum in Germania inventarum adſcribunt initia. *WITTIKINDVS lib. III. annal. p* 659. *DITMARVS lib. II. pag.* 333. *SIGEBERTVS Gemblacenſis ad ann.* 968. *OTTO Friſing. chron. lib. VI, cap. XXIV.*

bent, formasque quasdam noſtræ pecuniæ agnoſcunt, atque eligunt. Interiores, ſimplicius & antiquius, permutatione mercium utuntur. Pecuniam probant veterem & diu notam, *ſerratos, bigatosque.* (a) Argentum quoque magis quam aurum ſequuntur: nulla affectione animi, ſed quia numerus argenteorum facilior uſui eſt, promiſcua ac vilia mercantibus. Ne ferrum quidem ſuper-

Cap. VI. eſt; ſicut ex genere telorum colligitur. *Rari gladiis* (b) aut majoribus lanceis utuntur. haſtas, vel ipſorum vocabulo frameas gerunt, anguſto & brevi ferro, ſed ita acri & ad uſum habili, ut eodem telo, prout ratio poſcit, vel cominus vel eminus pugnent. Et eques quidem ſcuto frameaque contentus eſt: pedites & miſſilia ſpargunt, pluraque ſinguli atque in immenſum vibrant, nudi aut *ſagulo* (c) leves.

(a) *ſerratos, bigatosque*) GOEBEL. Vid. quæ de his nummis *ad antiquam German. republicam* diximus.

(b) *Rari gladiis*) CONR. Armorum alia tantum defendendo corpori valent, alia vero hoſti damnum inferunt. Illa fere Germanis nulla fuere, uti ex Tacito facile manifeſtum eſt. Pertinet quippe huc lorica, caſſis, galea; pertinet quoque huc ſcutum. Cæterum de loricis, caſſide & galea loquitur ita Tacitus: *Paucis loricæ, vix uni alterive caſſis aut galea.* Habuere tamen ſua ſcuta, verum quam rudi illa textura conſtiterint, oſtendit Germanici oratio ad militem Romanum *lib. 2. annal. TACITI.* *Nec enim*, inquit, *immenſa barbarorum ſcuta, enormes haſtas inter truncos arborum & enata humo virgulta perinde haberi, quam pila & gladios & hærentia corpori tegmina; non loricam Germano, non galeam, ne ſcuta ferro quidem nervove firmata, ſed viminum textus, vel tenues & fucatas colore tabulas* &c. Unde patet ſcuta quidem fuiſſe ingentia, ſed defendendo corpori minus valida, quippe quæ rudi materia conſtantia non poſſunt elidere inſultantium impetus. Eadem quoque ſcuta conſtat nullo modo fuiſſe polita, etſi agreſtium forte in morem coloribus fuerint diſtincta & variegata. Huc enim ſpectant illa *TACITI: nulla cultus jactatio, ſcuta tantum lectiſſimis coloribus diſtinguunt.* Item illa Druſi: *Tenues fucatas colore tabulas.* De Cimbris refert PLVTARCH. in vita Marii: ſplenduiſſe illos thoracibus ferreis, ſcutis candidis. Quamquam autem plerisque Germanis eadem fuerit ſcutorum ratio, oblonga ſcilicet, tamen Rugiis Lemoviisque figura diſpar erat. *TACITVS de morib. German.* Protinus deinde ab oceano Rugii Lemoviique, omniumque harum gentium inſigne rotunda ſcuta, & breves gladii, & erga Reges obſequium. Fuit autem ſcutorum uſus etiam equiti & pediti communis, uti ſimiliter ex TACITO manifeſtum eſt. Eques, ait, ſcuto frameaque contentus eſt. In univerſum igitur æſtimanti, præter ſcutum miles Germanus, quo corpus ſuum tegeret, habuit nihil, nudus ſcilicet aut ſagulo levis; cum contra Romanis denſa lorica & caſſis & galea & ferrea ſcuta eſſent. Sicut autem hæc armatura fuit rudis tunc temporis, ita & illa, qua damnum hoſti infertur. Neque enim Germanis quicquam tunc temporis fuit, præter gladios, lanceas, frameas & miſſilia. Cæterum ne gladii quidem niſi admodum fuere rari, ut & lanceæ majores, ut teſtatur TACITVS. Rari gladiis aut majoribus lanceis utuntur. Similiter & Druſus gladiorum penuriam objectat Germanis ea oratione, quam modo laudavimus. PLVTARCHVS tamen in Mario narrat, Cymbris fuiſſe gladios ingentes. TACITVM quoque modo audivimus, Rugiis & Lemoviis breves gladios adſcribentem. Cæterum Cimbri fortaſſis gladios, quos in Italiam tranſtulere, Gallis eripuerunt, & pari fortaſſis ratione ſibi eos Rugii & Lemovii comparaverant, alioquin vero non potuit non rarus in Germania gladiorum uſus eſſe, quod nec ferrum effoderent, niſi quod a Gothinis, cogentibus Quadis victoribus eorum terræ viſceribus extractum eſt, multo minus artem conficiendi gladios noſcerent, per commercia vero rariſſime tum temporis adirentur. Haſtæ ſeu ut veteri utar majorum vocabulo, frameæ quales fuerint, apparet ex multis TACITI ſententiis: prælongæ ſcilicet, ad uſum tamen habiles. Ita 2. *annal.* ait: nec minor Germanis animus, ſed genere pugnæ & armorum ſuperabantur, cum ingens multitudo arctis in locis prælongas haſtas non protenderet, non colligeret, neque aſſultibus & velocitate corporum uteretur. Easdem brevi ferro tantum munitas fuiſſe, teſtatur TACITVS, quando ait: Frameas gerunt anguſto & brevi ferro, ſed ita acri, & ad uſum habili, ut eodem telo, prout ratio poſcit vel cominus vel eminus pugnent. Eodem pertinet illud Germanici: enormes haſtas & inter truncos arborum & enata humo virgulta. Sed nec omnibus Germanis fuere iſtiusmodi rudes haſtæ. Germanicus in oratione *lib. 2. annal.* ait: primam utcunque aciem haſtatam, cæteris præuſta aut brevia tela. De Cimbris teſtatur PLVTARCHVS in Mario, quod ipſis teli genus bina manibus jacula fuerint. Eodem pertinent ea, quæ TACITVS appellat miſſilia, quæ a pedite eſſent ſparſa. Præter hæc alia fuiſſe quædam majoribus noſtris, quibus eminus potuerint hoſtem petere, non apparet, quando eorum uſus cœperit, & an unquam ſequentibus temporibus obtinuerit. De Francis loquitur Juſtiniani ævo *PROCOP. lib. 2. rer. Gothor.* Neque arcus habebant. Et *AGATH. lib. 2. Arcubus aut fundis non utuntur.* Finnis tamen jam tum TACITVS tribuit arcus: Finnis, inquit, mira feritas, fœda paupertas, non arma, non equi, non penates, ſola in ſagittis, quas inopia ferri oſſibus aſperant. Sed hi Sarmaticæ fuere originis, ut alias oſtenditur. Gothos etiam copia ſagittariorum ſuperaſſe Romanos teſtatur VEGETIVS *lib. I. cap. X.* Sed & hi fortaſſis arcuum uſum a conterminis acceperant Sarmatis. De aliis Germaniæ populis non liquet, vel unde acceperint arcus, vel quando. Imo ne conſtat quidem, an omnes iis uſi fuerint. Quam rudis igitur & levis armatura majorum noſtrorum fuerit, hinc conſtat, neque vero præter hæc arma habuerunt quicquam, quo ſe aut defenderent aut hoſtem oppugnarent. Hinc propter armorum levitatem, ubi in paludoſis locis pugnandum fuit, Germani ut plurimum victoriam reportarunt, levi inſtructi armatura. Gravis enim armatura facit ad imperium ſuſtinendum, levis ad inferendum. Non machinæ etiam illis erant, quibus Romani & Græci robuſtiſſimas arces oppugnabant. *TACIT. lib. 4. hiſtor.* ubi agit de rebellione Batavorum, qui tum jam diu Romana ſtipendia meruerant, ita ex edit. Lipſii p. 306. loquitur: *Machinas etiam, inſolitum ſibi, auſi, nec ulla ipſis ſolertia, perfugæ, captivique docebant ſtruere materias in modum pontis, mox ſubjectis rotis propellere, ut alii ſuperſtantes tanquam ex aggere prœliarentur, pars intus occulti muros ſubruerent* &c. Imo ne cultioribus quidem ſeculis multo melior fuit armaturæ Germanicæ ratio, uti ſatis oſtendunt armamentaria totius Germaniæ. Francorum rudem armaturam deſcripſit *LEHMAN. lib. 2. chronic. Spirenſ. cap.* 43. Apparet autem ex illo ſcriptore loricam ferream & galeam etiam florentibus Francorum rebus nonniſi equeſtris ordinis hominibus aut paulo ditioribus in uſu fuiſſe. Erant autem & reliqui quidem loricati, ſed thorace ex cannabe confecto. Gladiorum item tanta fuit raritas, ut ſi quis aliquem qui gladios conficeret occidiſſet, non minore pœna afficeretur, ac ſi aliquem ex nobiliſſimis interemiſſet. Arietum etiam & aliarum machinarum in hiſtoriis obſidii urbium rariſſima eſt mentio. Autor *fragment. hiſtor.* quæ habentur *tom. 2. hiſt. Germ. ed.* URSTISII, machinam, quæ vulgo poſtea *Tribock* fuit appellata, Ottonis demum 4. contra Landgrav. Thuringiæ pugnantis temporibus inventam fuiſſe narrat. GOEBEL. Verum Friderici tempore varias jam tum Germanos habuiſſe machinas ex Ottone Friſingenſi conſtat. Quod ad vetera hæc Taciti attinet, inſerviunt iis intelligendis a WILLICHIO ALTHAMMERO & KIRCHMAIERO dicta, quibus adde CLUVERIVM *l. I. c.* 44. PONTANVM *lib.* I. *cap.* 19.

(c) *ſagulo*) GOEBEL. LACARIVS ſagulum palli quadrati aut tapetis ex collo ad tergum pendentis ſpeciem retuliſſe tradit. Similitudinem forte quandam cum pelliceo tegumento, quod Poloni vocant *eine Bersk*, habuit,

leves. Nulla cultus jactatio: *ſcuta tantum lectiſſimis* (a) *coloribus* (b) diſtinguunt. *Paucis loricæ:* (c) vix uni alterive caſſis aut galea. *Equi non forma non velocitate conſpicui:* (d) ſed nec variare gyros in morem noſtrum docentur. in rectum aut uno flexu dextros agunt, ita conjuncto orbe, ut nemo poſterior ſit. In univerſum æſtimanti, *plus penes peditem* (e) roboris: *eoque mixti præliantur*, (f) apta & congruente ad equeſtrem pugnam velocitate peditum, *quos* (g) ex omni juventute delectos ante aciem locant. Definitur & numerus: *centeni* (h) ex ſingulis pagis ſunt: idque ipſum inter ſuos vocantur: & quod primo numerus fuit, jam nomen & honor eſt. Acies per *cuneos* (i) componitur. Cedere loco, dummodo rurſus *inſtes*, (k) conſilii quam formidinis arbitrantur. Corpora ſuorum etiam in dubiis præliis *referunt*. (l) *Scutum reliquiſſe* (m) præcipuum flagitium. nec aut ſacris adeſſe, aut concilium inire ignominioſo fas. multique ſuperſtites bellorum, infamiam laqueo finierunt. Reges ex nobilitate, *duces ex virtute* (n) ſumunt. Nec Regibus *infinita aut libera poteſtas:* Cap. VII.

(a) *ſcuta tantum lectiſſimis*) *GOEBEL. Materia ſcutorum,* inquit *KIRCHMAIERVS, vimen tabulæ aut cortex fuit, figura ad ſtaturam militis cujusque oblonga, plana, quadrata.* Miſſilium quædam recenſentur apud *TACITVM hiſtor. lib. 7. cap. 15.*

(b) *coloribus*) GOEBEL. Scutis animalium imagines ad pinxiſſe dicuntur: inde autem cum KIRCHMAIERO aliisque inſignium uſum repetere velle, non ſatis ad veritatem quadrare puto. Tantum enim abeſt, animalium illa ſimulacra familiis aut gentibus fuiſſe perpetua, ſed pro ſuo quisque ingenio & arbitrio ſcuto ſuo picta addebat ornamenta. Inſignium uſus longe poſterioris ævi videtur eſſe inventum, ita ut expeditionum ſacrarum tempora non antecedere, ſint qui putent. Vid. SPENERVM.

(c) *Paucis loricæ*) *GOEBEL.* Vid. *CLUV. l. 1. c. 14.*

(d) *Equi non forma non velocitate conſpicui*) *CONR. CÆSAR lib. IV. de B. Gallico* ait: *Qui & jumentis, quibus Galli maxime delectantur, quæque immenſo parant pretio Germani, importatis non utuntur. Sed quæ ſunt apud eos nata parva atque deformia hæc quotidiana exercitatione, ſummi ut ſint laboris, efficiunt. Equeſtribus præliis ſæpe ex equis deſiliunt, ac pedibus præliantur, equosque eodem remanere veſtigio aſſuefaciunt, ad quos ſe celeriter, cum uſus poſcit, ſe recipiunt, neque eorum moribus turpius quicquam aut inertius habetur, quam ephippiis uti.* Itaque ad quemvis numerum ephippiatorum equitum pauci adire audent. GOEBEL. Vid. VVILLICHIVM *p. 48.*

(e) *plus penes peditem*) GOEBEL. An peditatus equitatu ſit præſtantior non omnium eadem eſt ſententia: Vide tamen *VEGETIVM lib. II. de re militari,* aliosque pro peditatus præſtantia verba facientes a KIRCHMAIERO citatos. Germanorum equitatum laudibus effert *STRABO in geograph. lib. IV.* De Cimbrorum autem equitatu fulgidis armis & virorum numero inſigni *PLVTARCHVS* in *Mario* tradit.

(f) *eoque mixti præliantur*) CONR. Pertinet huc illud CAJI *JVL. CÆSARIS l. I. de bello Gallico: Arioviſtus his omnibus diebus exercitum caſtris continuit, equeſtri prælio quotidie contendit. Genus hoc erat pugnæ quo ſe Germani exercuerant, equitum millia erant, ſed numero totidem pedites velociſſimi ac fortiſſimi, quos ex omni copia ſinguli ſingulos ſuæ ſalutis cauſa delegerant. Cum his in præliis verſabatur; ad hos ſe equites recipiebant: hi ſi quid erat durius concurrebant. Si qui, graviore vulnere accepto, equo deciderant, circumſiſtebant. Si quo erat longius prodeundum, aut celerius recipiendum, tanta erat horum exercitationis celeritas, ut jubis equorum ſublevati curſum adæquarent.* Hæc Cæſar, cui adeo placuit hæc militandi ratio, ut ipſe eadem poſtea fuerit uſus.

(g) *quos pedites*) *GOEBEL.* Vid. *ONOSANDER in ſtrategmat. c. 17.*

(h) *centeni*) *GOEB.* Vid. *KIRCHMAIERVM p. 112.*

(i) *cuneos*) *GOEB.* Cuneum Græc. Δ figuram retuliſſe ferunt. *VEGETIVS lib. III. c. 19. CLUV. lib. I. c. 17.*

(k) *inſtes*) *GOEB. WILLICH. & KIRCHMAIERVS.*

(l) *referunt*) *GOEB.* Id obinde potiſſimum factum arbitror, ut hoſti, quot ſuorum in prælio amiſerant, tegerent. Nam Romani ſepulturæ hoſtium invidere non ſolebant.

(m) *Scutum reliquiſſe*) CONR. Manſit illa lex diu etiam poſt in Germanorum populis, ſicuti apparet ex Francorum legibus. Ita enim illæ, *lib. 6. cap. 253.* ſonant: *Placuit ut omnis, qui aut in expeditionem exercitus abſque gravi neceſſitate non progreditur, aut de exercitu fugerit, teſtimonio dignitatis ſuæ ſit irrevocabiliter carens, ita ut in quibusdam villulis vel territoriis ſive vicis teſtes hujus infamationis habitatores illorum locorum ſint degeneres, & teſtificandi ſive accuſandi nullam habeant licentiam. Lib. 3. cap. 70.* ita legitur: *Quicunque abſque licentia vel permiſſione principis de hoſte reverſus fuerit, quod factum Franci Heriſchlitz dicunt, volumus ut antiqua conſtitutio ſeu capitalis ſententia erga puniendum cuſtodiatur. GOEBEL.* Vid. *HACHENBERGII Germania differt. IV.*

(n) *duces ex virtute*) CONR. Non omnibus populis German. licuit, duces eligere, ſed illis tantum, qui libertate fruentes regium imperium non agnovere. Tali autem conditione fuiſſe pleroſque Germanorum populos cum alias oſtenditur, tum usque adeo id fuit familiare, ut in univerſum Cæſar de Germanis pronunciet lib. 6.: in pace nullum communem magiſtratum Germanis fuiſſe. Hi autem populi non potuerunt non ingruente bello unius ſe poteſtati ſubjicere. Ut enim in pace civitas recte adminiſtretur a multis, in bello tamen non niſi ab uno rite gubernari poteſt. Atque hic unus eſt ille, quem TACITVS hoc loco ducem appellat, nos noſtrate lingua *Hertzog* appellamus. Apparet autem ex *TACITO lib. I.* electum talem aliquem eſſe, libero ſcilicet populi ſuffragio, deinde poteſtatem ejus belli tempore eſſe terminatam. Porro in electione nullam habitam rationem nobilitatis, ſed ſolius virtutis. Cæterum qui ritus in electione ducum fuerint obſervati, ex eodem TACITO *lib. 4. hiſt.* manifeſtum eſt. *Erat,* inquit, *in Caninefatibus ſtolidæ audaciæ Brinio, claritate natalium inſigni. Pater ejus multa hoſtilia auſus Cajanarum expeditionum ludibrium impune ſpreverat. Igitur ipſo rebellis familiæ nomine placuit, impoſitusque ſcuto more gentis, & ſuſtinentium humeris vibratus, dux deligitur.* Scilicet iidem ritus in electione Ducis apud majores noſtros ſunt obſervati, qui obtinebant in electione Regum, ut alias latius oſtendemus. Cæterum de auctoritate & poteſtate ducum non videtur idem JVLIVS CÆSAR & TACITVS aſſerere. Ille enim *lib. 6. de bell. Gall.* ita loquitur: *Cum bellum civitas aut illatum defendit, aut infert, magiſtratus, qui eo bello præſint, ut vitæ necisque habeant poteſtatem deliguntur.* Contra Tacitus *duces exemplo potius quam imperio præfuiſſe. Cæterum neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem niſi ſacerdotibus permiſſum: non quaſi in pœnam, nec ducis juſſu* diſerte affirmat. Vero ſimilior videtur Taciti narratio, utpote qui res Germanorum longe magis habuit exploratas. Ideoque credendum eſt, non aliam fuiſſe ducum poteſtatem in pœnis ſumendis, quam quod delinquentes coram concilio damnaverint, quos deinde damnatos Deorum illi internuncii ſacerdotes, quaſi Diis imperantibus ſuppliciis affecere. Nec tamen credendum eſt, nullam plane fuiſſe imperandi dignitatem ducibus, alioquin enim ducum poteſtas fuiſſet umbratilis. Vide *CÆSAREM de bello Gall. cap. 23.* De Arminio enim Cheruſcorum duce tradit *TACIT. annal. 2.* profugiſſe ab hoc cum manu clientum Inguiomerum, non aliam ob cauſam (verba ſunt Taciti) *quam quia fratris filio juveni patruus ſenex parere dedignabatur. ADAMVS BREMENS.* de Suedis verba faciens: *Domi pares eſſe gaudent, at in prælium euntes omnes obedientiam præbent Regi,* uti ei, qui ductor cæteris a Rege præficitur. Exemplum autem ſtrenui Germanici ducis, qualem deſcribit Tacitus, præbet nobis Arminius cum *lib. I.* tum *2. annal.* ſive pugnaverit cum Romanis, ſive res illi cum Maraboduo fuerit. Quanta

teſtas: (a) & duces exemplo potius quam imperio: ſi promti, ſi conſpicui, ſi ante aciem agant, admiratione præſunt. Cæterum neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem niſi ſacerdotibus *permiſſum:* (b) non quaſi in pœnam, nec ducis juſſu, ſed velut Deo imperante, quem adeſſe bellantibus credunt: effigiesque & ſigna quædam *detracta lucis* (c) in prælium ferunt. Quodque præcipuum fortitudinis incitamentum eſt, non caſus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, ſed *familiæ & propinquitates,* (d) & *in proximo pignora;* (e) *unde feminarum ululatus* (f) audiri, unde vagitus infantium. hi cuique ſanctiſſimi teſtes, hi maximi laudatores. ad matres, ad conjuges vulnera ferunt: nec illæ numerare, aut exugere plagas pavent, ciboſque & hortamina
Cap. VIII. pugnantibus geſtant. Memoriæ proditur, quasdam acies inclinatas jam & labentes *a feminis reſtitutas,* (g) conſtantia precum & objectu pectorum, & monſtrata cominus captivitate, quam longe impatientius *feminarum ſuarum nomine timent:* (h) adeo ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obſides puellæ quoque nobiles imperantur. *Ineſſe quin etiam ſanctum aliquid* (i) & providum

alioquin fuerit ſacerdotum auctoritas, oſtenditur infra clarius, ubi de republica ſumus acturi. GOEBEL. Ingenui natales antiquisſimis Germanorum temporibus, ubi præter ingenuos, ſervos & libertos, qui non multum ſupra ſervos, nulli Germaniam inhabitabant, nobilitatem conſtituebant: in ſequentibus vero temporibus ad certarum ingenuarum generationum numerum attendi cœpit, usque dum in eam qua hodie eſt nobilitas formam excreverit. Orta eſt poſtmodum diſtinctio nobilium in primi & ſecundi ordinis tales ex officiorum diverſitate, quæ temporaria ab initio, deinde perpetua & hæreditaria facta certisque provinciis alligari cœperunt. Acceſſerunt porro ſub clypeorum nomine ſeptem gradus, qui jam tum Friderici Barbaroſſæ tempore cogniti fuerunt. Vid. *SCHILT. ad c. 1. I. F A. & diſſ. mea de ſtatu nobilitatis.*

(a) *infinita aut libera poteſtas)* *GOEBEL.* Gentium Germanicarum quasdam habuiſſe Reges, ex Tacito liquet; illi enim Maraboduus Suevorum Rex memoratur *lib. I annal. cap.* 26. Apud Suev. unus imperitabat. *TACIT. in Germ. c.* 44. & *Rugii erga Reges obſequium c.* 42. Apparet autem modicam admodum Regum fuiſſe poteſtatem, & non tam imperio, quam conſiliis & ſuaſionibus regnaſſe. Ducum munus pacis tempore exulabat, & ſic nulla eorum ut talium tunc fuit poteſtas: bellicum autem eorum regimen ſine aliqua poteſtate & imperio eſſe non potuit; quanquam & hoc moderatum admodum fuiſſe ſuadent, quæ a Tacito adjiciuntur: Duces exemplo potius quam imperio præſunt.

(b) *permiſſum)* *GOEBEL.* Id LIPSIVS ad tempora pacis reſtringit. Magna ſic ſatis in Germania ſacerdotum fuit poteſtas, non tamen tanta, quantam Gallorum Druydes habebant. Hoc Julio Cæſari anſam dediſſe videtur in Germania nullos fuiſſe Druydes ſtatuendi. De his vide *SCHVRTZFLEISCH. diſſert.* Non ſolum autem Germani, ſed & aliæ gentes ſacerdotes maxime reveriti ſunt. *BERNEGGERVS quæſt.* 37. Quanquam hoc aliquo modo in noſtra gente in deſuetudinem abierit: Sit tamen ſacerdotio ſuus honos; nam hoc contemto contemnitur religio.

(c) *detracta lucis)* GOEBEL. Perſuaſum ſibi habebant Numina opaca & ſylveſtria amare loca. Eligebantur autem ſacris curandis potiſſimum luci roboribus majoris molis conſpicui; quercus enim ſupremo numini ſacras eſſe omnium pene gentium ferebat opinio. Apud Germanos autem non in omni robore hoc obtinuiſſe videtur; ſed tantum in electis, & ad id conſecratis. In his deinde ſuſpendebantur effigies & ſigna quæ ex ſacris arboribus divini quid attrectaſſe rati, in prælia ferebant, ut ſub eorum umbra proſperiorem haberent armorum ſucceſſum, *inde depromptæ ſylvis lucisque ferarum imagines, ut cuique genti prælium inire mos eſt.* *TACITVS annal. lib. IV. c.* 22. Vid. *CLUV. lib. I. c.* 31. *SCHED. de diis Germ. ſyngram. II. c.* 24. Hic multas veterum de quercubus conglomerat fabulas.

(d) *familiæ & propinquitates)* *GOEBEL.* Sanguis enim nexus in mutuam defenſionem magis pugnantes ut fortiter agerent, commovebat.

(e) *in proximo pignora)* CONR. Hunc morem antiquiſſimum eſſe Germanis apparet ex Plutarchi Mario, ubi Cymbrorum clades deſcribitur. Arioviſtus ſimiliter apud *CÆSAREM lib. I. de bello Gallico* eundem in modum aciem ſuam inſtruxit. Verba Cæſaris ſunt: omnem aciem ſuam rhedis & carris circumdederat, ne qua ſpes in fuga relinqueretur. Eo mulieres impoſuerunt, quæ in prælium proficiſcentes milites paſſis manibus plorabant, ne ſe in ſervitutem Romanis traderent.

(f) *unde feminarum ululatus)* *GOEBEL.* Cariſſima enim illa pignora, in propinquo collocata, eo magis dimicantibus in memoriam revocare debuerunt, victoriam eſſe, qua ab hoſtium liberarentur jugo & poteſtate.

(g) *a feminis reſtitutas)* *GOEBEL.* Ira in maritos propinquos terga hoſti obvertentes efferveſcebant, imo ſævitia non abſtinebant. In Mario Cimbrorum victore ait PLVTARCHVS: *Nam mulieres quæ nigro amictu ad currus ſtabant, fugientes neci tradebant.*

(h) *feminarum ſuarum nomine timent)* *GOEBEL.* Maximo apud majores noſtros in pretio fuerunt illibata virginitas & pura matrimonia. Hinc verebantur ne uxores aut virgines, captivarum aut obſidum locum habentes, illicitis pollucrentur amplexibus.

(i) *Ineſſe quin etiam ſanctum quid)* CONR. Antiquisſima hæc fuit perſuaſio majorum noſtrorum, ideoque & domi & in caſtris mulieres ſuas fatidicas habuerunt. De Cymbris, qui populus inter Germanos primus Romanis innotuit, teſtatur illud ipſum *STRABO lib.* 7. In Arioviſti exercitu tales quoque adfuiſſe conſtat ex *lib.* 1. *CÆSARIS de bell. Gall.* Cum ex captivis, ait ille, quæreret Cæſar, quamobrem Arioviſtus prælio non decertaret, hanc regerebant cauſam, quod apud Germanos ea conſuetudo eſſet, ut matres familias eorum ſortibus & vaticinationibus declararent, utrum prælium committi ex uſu eſſet, nec ne; eas ita dicere: Non eſſe fas Germanos ſuperare, ſi ante novam lunam contendiſſent. Veſpaſiani ævo quantæ autoritatis fuerit Velleda fatidica fœmina, tum ex eo conſtat, quod Tacitus dicat, diu apud pleroſque numinis loco habitam, tum vero imprimis ex 4. *hiſt. TACITI.* Poſt eam in eodem honore fuiſſe Gynnam teſtis eſt *DIOD. l.* 6. 67. De Gothis Germanica gente Gothus ipſe *JORNANDES lib. de reb. geſt. Gothorum* ita loquitur: Filimer Rex Gothorum reperit in populo ſuo quasdam magas, mulieres, quas patrio nomine Aliorunas gens ipſe cognominat. Similes mulieres etiam Longobardis fuiſſe teſtatur *PAVL. WARNEFRIDI lib.* 1. *de reb. geſt. Longob.* Verum autem eſt, quod ait JORNANDES, ſagas illas patrio nomine dictas eſſe Aliorunas, quoniam hodieque cum hoc nomine tum ſapientum mulierum appellatione nominantur. Vnde fortasſis quis cum LIPSIO *in notis ad TACIT. Germ. pag.* 548. credit, Auriniam Taciti non tam unam fœminam fuiſſe, quam commune nomen divinantium mulierum. Veroſimile autem eſt, omnino mulieres majorum ad divinandum longe fuiſſe promptiores, quam viros, eo quod viri feritate morum ac animo bellicoſo ſuperſtitionem illam ac diaboli technas potius illuderent, cum mulieres contra placidiore animo ſint, & facile a diabolo circumveniantur. GOEBEL. *Mummius Lupercus legatus legionis inter dona miſſus Veledæ. Ea virgo nationis Bructeræ late imperitabat vetere apud Germ. more, quo pleraſque fœminarum fatidicas & augeſcente ſuperſtitione arbitrentur Deas. Tuncque Veledæ autoritas adolevit, nam proſperas Germanis res & excidium legionum prædixerat.* *TACITVS hiſtor. lib. IV. c.* 61. *Quum ex captivis quæreret Cæſar, quamobrem Arioviſtus prælio non decertaret, hanc regerebant cauſam: quod apud Germanos ea eſſet conſuetudo, ut matres familias eorum ſortibus & vaticinationibus declararent, utrum prælium committi ex uſu eſſet, nec ne; eas ita dicere: Non eſſe fas Germanos*

vidum putant: nec aut conſilia earum aſpernantur, aut reſponſa negligunt. Vidimus ſub divo Veſpaſiano Velledam, diu apud pleroſque numinis loco habitam. Sed & olim *Aurinam* (a) & complureis *alias* (b) venerati ſunt; non adulatione, nec tamquam facerent deas. *Deorum* (c) Cap. IX.
ma.

ſuperare, ſi ante novam lunam prælio contendiſſent. JVLIVS CÆSAR *de B. G. lib. I. c.* 50. Adde STRABON. *lib. VII. Geograph. & PLVTARCHVM in Caſare.*

(a) *Aurinam*) GOEBEL. An ab hac Germanorum vox *bure* deſcendat, ut non nemo putat, aliis dijudicandum relinquam.

(b) *alias*) GOEBEL. De Ganna DIO *lib.* 47. teſtatur, quod a Celtis divinis culta fuerit honoribus.

(c) *Deorum*) CONR. Quemadmodum apud omnes gentes in toto terrarum orbe, cultus aliquis divinus fuit obſervatus, ita non eſt mirum, Germanos quoque majores noſtros ſua numina coluiſſe, ſed quænam illa fuerint, quando diverſa relatione exiſtunt, ideoque ſcire admodum difficile eſt. Omnium primus res noſtras accuratius videtur commemoraſſe JVL. CÆSAR *lib. VI. comment. de bell. Gall.* ubi ait: *Deorum numero eos ſolos ducunt, quos cernunt & quorum opibus aperte juvantur. Solem & Vulcanum & Lunam, reliquos ne fama quidem acceperunt.* Ita ille. Ceterum quo minus id ipſum credamus facit TACITI auctoritas, qui res Germanorum profecto longe accuratius Cæſare pernovit. Primum, inquit, Deorum maxime Mercurium colunt, Herculem item & Martem conceſſis animalibus placant. Pars Suevorum & Iſidi ſacrificat. Idem etiam terram matrem ab omnibus fere Suevis magna veneratione adoratam tradit. Naharualis item numen cultum nomine Alcis. Facit contra Cæſarem etiam conſenſus hiſtor. Tacito longe recentiorum, utpote qui multos Deos variaque eorum nomina diverſis Germaniæ populis adſcribant. Tantum igitur abeſt, ut poſſimus Cæſari credere, præter ſidera & ignem aliaque hujuscemodi nihil olim in cultu Germanis fuiſſe, uti nequidem aſſerere audeamus, hæc ipſa ab illis olim adorata; cum nemo hiſtoricorum recentiorum, quando paganos ritus majorum recenſent, inter eos ſolis aut lunæ venerationem recenſeant. Porro ne ita quidem nos Tacitum accipimus qua ſi Mercurii, aut Martis, aut Jovis, aut Iſidis cognomento Deos aliquos coluerint. Sunt enim hæc nomina partim Græca partim Latina, nec tamen religionem ſuam vel a Græcis vel a Romanis priſci illi Germani acceperunt. Tum vero nomina Deorum gentilia, quæ annales noſtri commemorant, ab illis latinis græcisque cognomentis multum differunt. Quapropter veroſimile eſt, Romanis viſum fuiſſe, ſuos illos Deos a Germanis coli, eo quod aut ſimilitudo aliqua nominum aut ſacrificiorum in Germanica gente reperiretur. Neque enim hoc improbabile videri debet, utpote cum hunc morem fuiſſe omnibus fere gentibus, cumprimis vero Græcis & Latinis, monumenta conteſtantur. Quin imo ipſo hoc in libro TACITVS *de germ. moribus* exemplum manifeſtum eſt. Apud Naharvalos, ait, antiquæ religionis lucus oſtenditur. Præſidet ſacerdos muliebri ornatu: ſed Deos interpretatione Romani Caſtorem & Pollucem memorant. Ejus numinis nomen Alcis. Nulla ſimulacra, nullum peregrinæ ſuperſtitionis veſtigium, ut fratres tamen ut juvenes venerantur. Unde manifeſtum eſt, certius quid de Germanicis Diis haberi poſſe ex annalibus & monumentis patriæ, quam ex ſcriptis Latinorum & Græcorum. Celebrantur autem avitis monumentis tum alii Dii, tum hi imprimis Saxonum nempe Crodo & Irmin; de quo utroque tum alii habent multa, tum imprimis CRANTZIVS *lib. I. metrop.* & ſeorſim de columna Irmin, quæ vulgo Irmenſola appellatur, jucunda & docta legere licet in ſingulari tractatu HENRICI MEIBOMII. PAULUS WARNEFRID. *lib. I. de rebus Longob.* & poſt eum alii memorant Wodan ſeu Guodan Deum, ejusque uxorem Frejam. ADAM. BREM. *hiſt. populorum ſeptentrional.* a Suconibus Vpſaliæ tres Deos uno in templo adoratos ſcribit nominibus, Thor, Wodan, & Frivo. Ex TACITO conſtat duos fratres juvenes Alcis cognomento a Naharvalis fuiſſe cultos. Ex eodem ſcimus Hertam, vel uti nunc loquimur, Erdam h. e. terrarum matrem veneratos eſſe omnes Suevos. Memorantur etiam alia cognomenta quædam Deorum Germanicorum, a quibus tamen omnino ſejungendi Dii Gallorum, quos ſine omni cauſa Germanis etiam tribuit Cluverius, Dii item Venetorum: Neque enim hi populi inter Germanos recenſendi. His vero cognomentis cum Dii noſtri olim fuerint appellati, quinam illorum Mercurium aut Martem expreſſerint, certo affirmare non licet. Ætate Caroli M. cum primum Germanica nomina diebus ſeptimanæ ſunt indita, apparet fuiſſe creditum Wodan Deum, latinorum eſſe Mercurium. Hinc enim hodieque dies Mercurii exprimitur a Batavis, Weſtphalis, Anglis & ſeptentrionalibus populis *Wodersdag*, vel contracte *Wonſdag*. Quæ ſententia PAULO WARNEFRIDO & poſt hunc GOTHOFREDO VITERBIENSI placuit; ut cumprimis apud eum videre eſt *lib. I. de geſt. Longob.* Similiter Frejam Venerem eſſe creditam, docet dies Veneris, German. *Freitag* interpretatus. Porro Jovem eſſe creditum illum Thor, indicat item appellatio diei Jovis, qui hodie ſeptentrionalibus *Thorſdag*, etſi nobis paulo aliter *Donnerſtag* nuncupetur. Qua in ſententia etiam Adamus Bremenſ. fuit, quando ait: Thor præſidet in aere, qui tonitru, fulmina, ventos, imbresque, ſerena & fruges gubernat. Et paulo poſt: Thor cum ſceptro Jovem exprimere videtur. Martem vero quemnam crediderint Germani tum temporis haud conſtat certo: utpote cum nullibi memoretur, Deus aliquis nomine This aut *Dings*, unde tamen diem noſtrum Martis appellationem ſuam accepiſſe certum eſt. Ceterum tametſi ad hunc modum illi qui primum impoſuerunt diebus Germanica cognomenta, nomina Deorum Romanorum indigitamentis ſuorum numinum patriorum appellaverint, apparet tamen totum hoc negotium meris conjecturis niti, neque quicquam ſolidæ veritatis ſubeſſe, utpote cum Germani propria & patria ſacra habuerint, multum a Græcis Romanisque diverſa. Hæc etiam cauſa eſt, cur nomina iſthæc Germanica aliter alii interpretati ſunt. Ita de Wodan ait Adamus: Alter Wodan fortior bella gerit, hominumque miniſtrat virtutem contra inimicos. Et paulo poſt: Wodanum vero ſculpunt armatum, ſicuti noſtri Martem ſculpere ſolent. Unde patet Adamo creditum fuiſſe Wodam Martem. Similiter Irmin maximum illum Deorum Saxonicorum diverſimode diverſi ſunt interpretati: WITECHINDO quippe *lib. I.* Martem; aliis placet Mercurium etiam hoc nomine eſſe adoratum. Perſuadent illi maxime hoc ſibi eo argumento, quia hunc Deum bello pacique præeſſe crediderint, quod officium ſuo Marti Græci & Latini erant adſcriptum. Hi vero qui Mercurium interpretantur, ſonum nominis reſpiciunt, ut qui Græcis ἑρμῆ olim audierat, & ſane ſi quid conjectando licet aſſequi, ad hunc Irmin reſpexit Tacitus, quando ait: Germanos maxime Mercurium coluiſſe, eique humanis quoque hoſtiis litaſſe. Neque enim major Deus Rhenum inter atque Albim Irmino fuit habitus. Eidem vero etiam humanas victimas immolatas teſtatur Meibomius in Irmenſola. Neque vero credendum eſt cum quibusdam doctis item viris, Irmin eſſe illum Arminium, Quintilii Vari triumque legionum trucidatorem, cum nulla monumenta vel levi indicio ſignificent, homines demortuos a Germanis eſſe adoratos. Notatu vero dignum, primos illos dierum Germanicorum indigitatores inter omnes Deos ſuos non inveniſſe, qui Saturnum exprimeret. Certe unica hæc cauſa eſt, quare illi uni diei proprium Germanicum nomen deſit. Namque aliis quidem Germaniæ antiquis populis antiqua conſuetudine ſemilatino vocabulo *Satersdag* appellatur, aliis vero a veſpera ſequentis diei. GOEBEL. Vid. SCHEDIVS *de Diis Germanorum.* HACHENBERG. *in Germania media differt. VII.* ALBERTVS FABRICIVS *in bibliographia antiqua c.* 8. § 16. Apud Græcos & Romanos ἀποθεώσεις & Semideorum fictiones frequentes fuiſſe, ex annalibus conſtat. Vid. additamenta ad SELDENVM *de Dis Syris p.* 160, 161. ἀποθέωσιν autem Germanis ignotam fuiſſe, ſunt, qui putant; a quorum tamen ſententia

maxime Mercurium (a) colunt; cui certis diebus humanis quoque hoſtiis litare, fas habent. Herculem ac Martem conceſſis animalibus placant. Pars Suevorum & *Iſidi ſacrificat.* (b) Unde cauſa & origo peregrino ſacro, parum comperi; niſi quod ſignum ipſum in modum liburnæ figuratum, docet advectam religionem. *Cæterum nec cohibere parietibus* (c) deos, neque in ullam humani oris ſpeciem aſſimilare, ex magnitudine cœleſtium arbitrantur: *lucos ac nemora* (d) conſecrant, deorumque
Cap. X. nominibus appellant ſecretum illud, quod ſola reverentia vident. *Auſpicia ſorteſque* (e) ut qui maxime obſervant. Sortium conſuetudo ſimplex. *Virgam frugiferæ* (f) arbori deciſam in ſurculos am-

diſcedendum eſſe arbitror, quoniam & Germanis arcanum illud reipublicæ ſuos ad virtutem imprimis militarem excitandi, non ignotum fuiſſe reor. Suadent illud magis adhuc exempla; ſub Mercurii enim imagine, niſi hoc nomen numini majorum noſtrorum tantum a Romanis inditum, VVodanum Odinum, Tuiſtinem Teuthonem Celto Scytarum heroem coluiſſe creduntur. *PAVL. DIACONVS de rebus Longob. lib. I. c. 8. JOHANNES BOBIENSIS in vita Columbani c. 54. STEPHAN. STICH. in not. ad Saxon. p. 49.* Porro Hermanno veſtigia ævi legenti divinos quoque poſt mortem exhibitos fuiſſe honores, eique ſtatuam illam, quæ Irmenſulæ nomine celebris eſt, poſitam fuiſſe, ſunt qui putant. Nec Saturnum majoribus noſtris quibusdam in partibus plane incognitum fuiſſe, ex eo colligunt, quod Belgis dies Sabbathi *Saterdag* dicatur.

(a) *Mercurium*) CONR. Videntur Germani Martem potius quam Mercurium coluiſſe, PROCOP. *lib. II. Goth.* de Scandinaviæ incolis: Hoſtiarum illis pulcherrimus eſt homo, quem omnium primo in prælio ceperint; hunc Marti immolant, ut quem deorum maximum ducunt. Tencteri ad Agrippinenſes in hæc verba loquuntur apud TACITVM *lib. IV. hiſt. p. 320 edit. Antw. a. 1609. Rediiſſe vos in corpus nomenque Germaniæ communibus diis, ſed præcipuo deorum Marti gratias agimus.* *PHILIPPVS CLVVERIVS* ideo maxime Germanis cultum autumat, quod Mercurii ſpecie adeoque Teut cognomento cœli creatorem & terræ ſint venerati. Sed Mercurium Germanis eſſe Teut dictum fabula mera eſt. Teut eſſe Ditem illum, quem maxime Gallos coluiſſe, Jul. Cæſar autor eſt, utpote cum Dis potius ſimilis Plutoni fuerit tenebrarum deo, uti conſtat ex ipſo Cæſare. Quid JORNANDES de hoſtia Marti data a Gothis dicat vid. *in not. LIPS. ad Tacit. Germ. p. mihi* 549. *GOEBEL. CLVVERIVS* hic nihil immutandum putat, cum etiam aliis diis, præter Martem humanis hoſtiis litari potuerit; ita ut in Germania Mercurius inprimis humanis, Hercules autem ac Mars animalium victimis placatus fuerit. De perverſo hoſtias humanas immolandi conſuetudine confer. SELDENVS *de diis Syris ſyntagm. I. c. 6. p.* 167. MEINDERS *de ſtatu religionis & reipublicæ ſub Carolo M. & Ludovico Pio in veteri Saxonia p.* 161.

(b) *Iſidi ſacrificat*) GOEBEL. Iſidis cultum ex Aſia vel ab Ægyptiis ad Germanos eſſe delatum, CLVVER. *in German. antiq. lib. I. c.* 27. aſſerit: rectius autem mihi videntur illi ſentire, qui Tacitum Treyæ aut alterius cujusdam Germanorum Deæ ſacra pro Iſidis culta habuiſſe dicunt. Adde KIRCHMAIERVM *pag.* 157. *TENTZEL de diis Sorab. c.* 9.

(c) *nec cohibere parietibus*) CONR. Eandem ob cauſam nullas ædes ſacras conſecravere, neque etiam ſimulacra conſtituerunt, ſed ſub dio, inque excelſis montibus, aut in opacis locis ſacra ſua celebraverunt. Sicut autem ab ea conſuetudine Perſæ paulatim receſſerant, ita videntur etiam Germani ſimulacrorum & templorum uſum a vicinis gentibus paulatim aſſumſiſſe. TACIT. *lib. I. annal. c.* 51. memorat Tanefanæ templum in Bructeris famoſum: veroſimile autem eſt nondum in iſtis templis ſimulacrum aliquod Dei fuiſſe collocatum, cum hoc loco in univerſum affirmet, non cohibere Germanos deos ſuos parietibus. Poſt tamen certum eſt, & templa & ſimulacra diis fuiſſe conſtituta. Nam ſimulacra quidem quod attinet, erant illa jam ætate Taciti, etſi non in humanam effigiem formata. Ita enim Iſidis ſignum ait, in modum liburnæ fuiſſe figuratum. Et aperte inquit: adeſſe bellantibus credunt, effigieſque & ſigna quædam detracta lucis in prælium ferunt. Similiter & ſignum quoddam terræ matris fuiſſe veroſimile eſt; TACITVS refert: fuit illa vecta vehiculo veſte contecto, *c.* 40. Cæterum poſt etiam ſimulacra humani oris invaluiſſe apud Germanos, ſimul cum magnis ædibus, oſtendit hiſtoria Irmenſulæ. Tametſi enim ADAMVS BREMENS. *lib. I. hiſt. eccleſ. c.* 6. dicat Irminſulam fuiſſe truncum ligni non parvæ magnitudinis erectum in altum ſub dio. Reliqui tamen ſcriptores omnes, inter quos etiam eſt poeta Anonymus, qui vitam Caroli M. conſcripſit, eique ætate admodum fuit vicinus, non columnæ tantum verum etiam ſimulacri columnæ impoſiti meminerunt. Conſimiliter de Sueonum populis Adam. Bremenſ. teſtatur, habuiſſe illos templum Vpſaliæ, ut ipſe loquitur, totum ex auro paratum, inque eo tres ſtatuas deorum populum eſſe veneratum. Et ſane formam humanam illos præ ſe tuliſſe teſtatur idem, quod dicit de ſimulacro Fricconis. Verba ejus ſunt: Fingunt ingentem Priapum. Wodanum vero ſculpunt armatum, ſicut noſtri Martem ſculpere ſolent. Thor autem cum ſceptro Jovem exprimere videtur. Quæ indicia manifeſta ſunt mutati antiqui moris. GOEBEL. Celebre quoque inter Germanos Tanfanæ templum fuit. *TACITVS annal. lib. I. c. 31. CLVVER. lib. I. antiquit. German cap.* 16. opinatur, vocabulum ex *Anfang* corruptum eſſe, quia ibi principio omnium rerum divinus exhibitus eſſet cultus. Alii Tanfanam eandem cum Hertha Dea fuiſſe ſuſpicantur. *SCHATEN. in hiſtor. Weſtphal. pag.* 75. Alii vocem ex Celtarum Than præſes, & feen paludes formatam eſſe volunt, ac ſi ibi numen locis paluſtribus præſidens cultum fuerit; conditum enim hoc templum erat in Marſis. Alii denique derivant a Than abies, & Fan Dominus. Haud ita pridem vero THEODORVS HASÆVS *in disquiſitione Leviath. Jobi pag.* 115. exiſtimat, non ex Tan magnus & Pan Dominus eſſe compoſitum. Sed rectius mihi videntur illi hariolari, qui vocis originem in ipſa lingua Germanica quærunt.

(d) *lucos ac nemora*) GOEB. Frequens olim erat Numina nemoribus venerari. vid. *STVCKIVM de ſacris ſacrificiiſque gentilium*, & *ESCHENBACH de gentilium lucis in ſyntagm. II. diſſertat. philologic.* Sigillatim vero de quercuum & lucorum cultu apud Germanos conferatur *CLAVDIANVS in laudibus Stiliconis c.* 218. & *AVENTINVS in annal. Bojor. lib. III. c.* 1. Commemorantur autem inprimis ſylvæ ſacræ apud Semnones infra *cap.* 39. Caſtum nemus in inſula Oceani, in quo vehiculum veſte contectum Herthæ i. e. terræ matri dicatum aſſervabatur, *cap.* 40. Apud Naharvalos antiquæ religionis lucus oſtendebatur *cap.* 43. Tanfanæ lucus *annal. lib. cap.* 31. Baduhennæ lucus *annal. IV. cap.* 73. Sylva Herculi ſacra *annal. II. cap.* 12. Videntur autem nemora & luci ſacris faciendis potiſſimum deſtinati, quod creditum fuit numina in ſenſus externos non cadentia & a turbis mundanis vacua in locis opacis & quietis coli amare, vel etiam ibi minus a ſacris averti cogitationibus qui flumina colere vellent.

(e) *Auſpicia ſorteſque*) *GOEBEL. CLVVER. lib. I. c. 36. SCHED. de dis Germ. ſyngr. I. c.* 44.

(f) *Virgam frugiferæ*) GOEBEL. Hic mos divinandi & vaticinandi aliis quoque gentibus uſitatus fuit. Alanis eum adſcribit *AMMIANVS MARCELLINVS lib. XXXI. cap.* 7. De Scythis tradit *HERODOTVS lib. IV. p.* 278. Morem hunc virgæ baculoque, quo Moſes in editis miraculis uſus eſt, aut etiam Aaronis virgæ deberi, valde dubito. Rectius forte dicis, Vallamontii errorem ac ſi virgulæ ſcrutandis metallis deſtinatæ etiam ad detegendos fures & homicidas ſint aptæ ſuperſtitioni huic quodammodo adſcribendum eſſe, ſed vapulavit graviter ab autore epiſtolarum, qui *Decouvrent l'Illuſion des philoſophes.*

amputant, eosque notis quibuſdam diſcretos ſuper candidam veſtem temere ac fortuito ſpargunt; mox ſi publice conſulatur, ſacerdos civitatis, ſin privatim, ipſe paterfamiliæ, precatus deos, cœlumque ſuſpiciens, ter ſingulos tollit, ſublatos ſecundum impreſſam ante notam interpretatur. Si prohibuerunt: nulla de eadem re in eundem diem conſultatio. Sin permiſſum: auſpiciorum adhuc fides exigitur. Et illud quidem etiam hic notum, *avium voces* (a) volatusque interrogare: proprium gentis, *equorum* (b) quoque præſagia ac monitus experiri. Publice aluntur iisdem nemoribus ac lucis, candidi & nullo mortali opere contacti; quos preſſos ſacro curru ſacerdos ac Rex vel Princeps civitatis comitantur, hinnitusque ac fremitus obſervant. Nec ulli auſpicio major fides non ſolum apud plebem, ſed apud proceres, apud ſacerdotes: ſe enim miniſtros deorum, illos conſcios putant. Eſt & alia obſervatio auſpiciorum, qua gravium *bellorum eventus* (c) explorant. Ejus gentis cum qua bellum eſt, captivum quoquo modo interceptum cum electo popularium ſuorum, patriis quemque armis, committunt. Victoria hujus vel illius pro præjudicio accipitur. *De minoribus rebus principes* (d) conſultant, de majoribus omnes: ita tamen, ut ea quoque quorum penes plebem arbitrium eſt, Cap. XI.

(a) *avium voces*) *GOEBEL. WILLICHIVS* apud *SCHARDIVM p. 50.*

(b) *equorum*) GOEBEL. Sed commune Germanis cum aliis gentibus, ut Perſis, Scythis, Tartaris fuiſſe, vide KIRCHMAIERVM ample de hoc argumento agentem *p. 173. ſeqq.*

(c) *bellorum eventus*) *p. 177.*

(d) *De minoribus rebus principes*) CONRING. Veterem memoriam repetentibus facile apparet, omnibus Germaniæ populis non unam fuiſſe civitatem, unamque rempubl. ſed illos in varias partes abiiſſe. Tantum enim abeſt, ut unum in reipubl. corpus tot populi coaluerint, ut ne fœdere quidem juncti inter ſe fuerint. Ea ſcilicet erat animorum feritas, ut Tacito teſte, ne mutuas quidem ſedes inter ſe paterentur. CÆSAR *comment. de bell. Gall. lib. VI.* ait: civitatibus maxima laus eſt, quamlatiſſimis circum ſe vaſtatis finibus ſolitudines habere. Hoc proprium virtutis exiſtimant expulſos agris finitimos cedere, neque quenquam ſe audere prope conſiſtere, ſimul hoc ſe fore putant tutiores, repentinæ incurſionis metu ſublato. Eadem inculcat & ſuo teſtimonio corroborat Mela. Quapropter in Romanis monumentis legimus, Germaniæ populos non cum vicinis populis, verum inter ſe perpetua bella geſſiſſe. Tametſi vero non in unam rempubl. tot populi potuerint conſpirare, unius licet originis atque linguæ eſſent, ſingulis tamen populis non fuit nulla reipubl. forma. Sicut enim in univerſum nulla ſocietas ſine legibus continetur: ita neque ſine legibus & imagine quadam reipubl. populi iſti feroces vivere potuerunt. Sane non eſt dubium optimam reipubl. formam illis populis tum temporis defuiſſe, utpote qui rudes eſſent & veræ virtutis civilis imperiti; manifeſtum tamen non illas nullam habuiſſe. Quænam vero ea fuerit, oſtendunt nobis clariſſime Romanorum ſcripta, & ſi non aliunde conſtaret, ipſis quoque tacentibus, bellicoſus majorum noſtrorum animus & ferocia ſatis illam oſtenderent. Diſcimus quippe ab ipſis Romanis florentibus imperii rebus nullum fuiſſe populum inter omnes, quibus cum populo Romano res fuit, magis aptum ad bella & ferociam. TACITVS *de moribus Germanorum*, *cap.* 37. annum prodit, quo initia belle ceperunt. *Sexcenteſimum & quadrageſimum*, inquit, *urbe noſtra annum agebat, cum primum Cimbrorum arma audita ſunt; Cecilio Metello & Papirio Carbone conſulibus. Ex quo, ſi ad alterum Trajani conſulatum computemus,* 210. *ferme anni colliguntur. Tamdiu Germania vincitur. Medio tam longi ævi ſpatio multa invicem damna. Non Samnis, non Pœni, non Hiſpaniæ Galliæve, ne Parthi quidem ſæpius admonuere, quippe regno Arſacis acrior eſt Germanorum libertas.* Hæc ille: majora profecto dicturus, ſi fractas imperii vires Germanicis oculis conſpexiſſet. In tanta autem Germanorum omnium ferocia & fortitudine quis non crediderit incredibile fuiſſe libertatis ſtudium? Eſt quippe libertas finis quaſi fortitudinis omnis militaris rei & gloriæ vel mater vel nutrix. Sed tamen & illam majoribus noſtris fuiſſe in animo cumprimis non tantum conjectura ſcimus, verum etiam claris & apertis Romanorum hoſtium noſtrorum teſtimoniis. Illorum enim paginæ omnes prædicant noſtram libertatem, & quidem eo magis, quo minus æquiore animo ereptam ſibi eam per Cæſares doluerunt. LVCANVS *lib. VII.*

Libertas ultra Tanaim, Rhenumque receſſit;
Et toties nobis jugulo quæſita negatur,
Germanorum Scyticumque bonum.

At ubi libertatis cura maxima, ibi ſine dubio non poteſt non ſuapte ſponte prodire aliquid illius reipublicæ quam democraticam vel popularem vulgo appellamus. Hæc enim reipublicæ forma ſe præ omnibus effert civium ſuorum libertate; adeo ut libertatis vocabulum regio & ologarchico dominatui ab optimis ſcriptoribus opponatur. Veroſimile tamen per ſe ſtatim ſit etiam ſilentibus, imo amiſſis Romanorum monumentis, non potuiſſe meram aliquam democratiam tum temporis ullo in populo Germanico obtinere. Ubicunque enim populus rudis eſt, avidus tamen bellandi; ſtatim ſponte ſua abitur a pura democratica forma, & nonnihil ariſtocratici ſtatus ſuboritur: poteſtatem majorem quamlibet neceſſitate tantum nobilioribus adeo prudentioribus imponente. Et ſane fuit omnino talis reipubl. ſtatus in Germanicis populis & civitatibus. Itaque non potuit non commune olim fuiſſe omnibus Germaniæ populis & civitatibus, reipubl. formam non ſimplicem habere, ſed ex populari & optimatum ſtatu temperatam. In quibuſdam etiam neceſſario aliquid regium non potuit non commiſceri; quia nempe in perpetuis bellis vixerunt. Neque enim bella adminiſtrari recte, niſi uno imperatore poſſunt, qui perpetuus ſit neceſſe eſt; ſiquidem bellum perpetuo trahendum ſit. Atq; hactenus dictum nobis eſt de republ. German. argumento ex ingenio & moribus populi deſumto. In populo enim libero reipubl. forma ex ingenio civium differentiam & eſſentiam ſuam capit; Cæterum confirmant idem etiam veterum monumenta. Principio enim omnis Germaniæ respubl. aliquid habuiſſe populare, cum eo indicatur, quando omnibus in univerſum libertas attribuitur, tum præcipue ex inſtitutis mere popularibus. Cum enim tria ſint, in quibus maxime verſatur reipubl. forma, conſultatio de ſumma republ. electio magiſtratuum & demum juriſdictio, uti recte obſervatum Ariſtoteli: in omnibus his inſtitutis popularia quammulta licet reperire & obſervare. Primo enim libertatem popularem indicat, quod neque Regi neque Principi neque Duci animadvertere in quemquam licuerit populo inconſulto. Docet hoc ipſum TACITVS quoque noſter, *cap.* 7. quando ait: *nec Regibus infinita aut libera poteſtas: & Duces exemplo potius, quam imperio, ſi prompti, ſi conſpicui, ſi ante aciem agant, admiratione præſunt. Cæterum neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem, niſi ſacerdotibus permiſſum.* Quo pertinet etiam illud ejuſdem, quando narrat in conciliis, populique conventibus ſilentium per ſacerdotes, quibus tum fuit coercendi jus, imperatum eſſe. Secundo non tantum ulla criminalia, ſed ne ulla quidem civilia judicia inſtitui potuerunt citra populi conſenſum. Apparet quippe ex Tacito principes illos, qui per pagos vel vicos jus dicebant, aut ut Cæſar loquitur, controverſias minuerant, habuiſſe ex plebe comites centenos concilii pariter, & autoritatis loco. Cæterum tametſi populi autoritas fuerit ſatis magna, conſtat quoque nobilitatis non parum præ plebe dignitatis fuiſſe. Principio ſiquidem omnia potuerunt nobiles, quæ plebs valuit. Ideoque neque de ſumma reipubl. quidquam decernere, neque conſtituere aliquid circa magiſtratum, neque judicia exercere ſine nobilium ſuffragiis licuit. Tum vero probabile eſt in omnibus hiſce ſuffragia nobilium dignitatis aliquid amplioris,

phoris habuiſſe præ ſuffragiis plebejis, utpote cum talem præeminentiam ordo civitatis exigat. Deinde habuit nobilitas proprium aliquod ſibi cum plebe communicabile. Primo enim omnia majora magiſtratuum munia penes ſolam tamen nobilitatem fuerunt. De Regibus diſerte Tacitus ex nobilitate electos ait. De Ducibus par dubio procul ratio fuit. Etſi enim Tacitus, quando ait, duces ex virtute, reges ex nobilitate electos, videatur indicare ducum quoque poteſtatem & dignitatem plebejis communicatam, tamen exemplo omni caret, ideoque verba illa Taciti ſunt accipienda, in Regum electione præcipue nobilitatis habitam rationem fuiſſe; in Ducum autem electione non reſpexiſſe Germanos tam ad eminentiam nobilitatis, quam ad virtutem. Porro poteſtatem quoque judiciariam & reliqua magiſtratuum munia, penes ſolam fuiſſe nobilitatem conſtat inde, quod principes ex ſolo illo ordine fuerint electi. Etſi enim id ipſum Tacitus non diſerte affirmet, monumenta tamen hiſtorica omnia teſtantur, principes quoslibet fuiſſe ex ordine nobilium. Nullibi enim ſit mentio Principis alicujus Germanici, ex plebejo ordine profecti. Tum vero videtur ex ipſo id Tacito patere. Cum enim dixiſſet, eligi in comitiis principes. mox ſubdit, comites illis jungi ex plebe, ut ita principes plebeji ordinis non fuerint. Idem indicat quoque in Principum electione nobilitatis rationem habitam, quando ait, inſignis nobilitas, aut magna patrum merita principis dignationem etiam adoleſcentulis aſſignant. Poſtremo & ſacerdotes quoque, veroſimile eſt, ex eo tantum ordine fuiſſe ſumptos. Fuit quippe ſacerdotum autoritas, uti ex Tacito manifeſtum eſt, certe longe major quam principum. Itaque ſi Principis auctoritate non potuit plebejus aliquis gaudere, multo minus ſacerdotali. Ex primo etiam libro annal. ejusdem Taciti conſtat, Arminii affinem ſacerdotali officio fuiſſe inſtitutum. Et vero in univerſum apud omnes gentes in toto terrarum orbe obtinuit olim, ut ſacerdotalis dignitas honoratioribus tantum & nobilioribus concederetur. Quæ cauſa etiam eſt, quare ſequentibus ſeculis inter nos præcipua eccleſiaſtica munia ſoli fuerint nobilium ordini collata, etiamſi ex defectu nobilium doctorum quoque nonnulli plebeji ad easdem dignitates fuerint admiſſi. Ubi obſervandum eſt, tametſi hæc dignitas atque prærogativa, de qua ante diximus, omnium nobilium ordini videatur fuiſſe communis, eveniſſe tamen etiam tum, uti ea nonniſi ad paucos pertineret, reliqua parte nobilitatis, ſive ut nunc loquimur, ordinis equeſtris, parum ſupra plebejum ſtatum elevata. Notum enim primo eſt, ad regiam dignitatem non potuiſſe evehi quamlibet familiam nobilem, ſed omnium nobiliſſimam & præcellentiſſimam, adeoque ab illa dignitate fere omnes una quadam familia excepta fuiſſe excluſos. Similiter etiam Principum dignitas ad paucos tantum reapſe fuit adſtricta; quippe cum in hujus dignitatis collatione inſignis quoque nobilitatis habita fuerit ratio, & in liberos a parentibus quodammodo propagata; eo ſane non potuit non evenire, ut reliqua nobilitatis multitudo inhonorata maneret. Quodſi porro Ducis dignitas in ſolos quoque Principes potuit conferri, ut ſupra probavimus, ſimiliter quoque facile ſit manifeſtum pauciſſimos ex nobilitate ad illum honoris gradum potuiſſe pervenire. Quapropter apparet etiam tum duplicem quaſi ordinem fuiſſe ipſius nobilitatis: ſicuti etiam apparet ex Longobardorum hiſtoria, ubi ſolæ illæ familiæ, quæ principum potiebantur dignitate, Adellingi appellantur. Quique adeo mos in ipſo quoque imperio obtinuit, ut ex priſca conſuetudine curia Romana ſolos Comites & Duces nobilitatis appellatione honoret. Cæterum hi certe nobiles, quibus ita aditus fuit ad omnes illos honores, quin magnam præ reliquis omnibus habuerint dignitatis prærogativam, nullum eſt dubium, utpote ad quos præcipui honores ſolos pertinuerint. Nec tantum in honorum adeptione reliquis omnibus fuere eminentiores, verum etiam quod habuerint deliberandi de minoribus rebus inter ſeſe poteſtatem, populo plane inconſulto quidem, menſe quovis vicibus binis. Certe a minoribus rerum conſtitutionibus omnis populus fuit excluſus, ſive plebem videas, ſive reliquos nobiles, qui dignitate illa Principum non gaudebant. Porro etiam in ipſis majorum rerum deliberationibus hoc quoque Principes iſti habuerunt, quod tametſi illæ penes populi arbitrium conſiſterent, apud principes tamen ſeorſim ſint pertractatæ, uti diſerte loquitur Tacitus. In conventionibus illis quoque ſolis illis proponendi id, quod in deliberationem veniebat, poteſtas fuit; quæ quantum habeat momenti in rebus gerendis, norunt illi, qui ſuffragiis colligendis vel ſenatui interfuerunt. Rem vero ita ſe habuiſſe indicat Tacitus, quando ait: Mox Rex vel Princeps, prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia eſt, audiuntur. Unde manifeſtum eſt in omnibus Germaniæ rebuspubl aliquid haud parum oligarchicum paulatim obtinuiſſe ad pauciores reſtricta omni dignitate. Tametſi autem reliqui nobiles plebejis fuerint prælati generis dignitate; tametſi in reſpubl. adminiſtratione parum habuerint momenti, utpote qui a maximis honoribus cum plebe fuerunt excluſi: in eo tamen præ plebe valuerunt & hi, quod in miniſterio Principum, Ducum, Regum, ſoli fere plebe excluſa fuerint verſati. Dubio enim procul de iis ſermo eſt Tacito, quando ait: *cap.* 13. Cæteris robuſtioribus, ac jampridem probatis aggregantur. Nec rubor inter comites, aſpici. Gradus quin etiam & ipſe comitatus habet, judicio ejus, quem ſectantur. Teſtantur enim recentiora monumenta, inter Francorum, Gothorum, aliorumque principum miniſtros, ſolos olim nobiles iſtos ſecundi ordinis floruiſſe, unde & miniſteriales hiſtoricis antiquis nominantur. Quæ res quantum in republ. valeat, notum eſt, præſertim cum raro principes ſuo ex conſilio actiones inſtituant. Atque hactenus oſtendimus, quomodo rempubl. Germani ex populari & oligarchico ordine conſtituerint. Invenimus tamen & aliam rationem miſtionis quibusdam in civitatibus, quæ ſuos inſuper Reges habuerunt. Atque Julii quidem Cæſaris ævo admodum fuiſſe raras illas, inde conſtat, quod aperte affirmet *lib. VI. comment. de bello Gall.* in pace fuiſſe Germanis nullum communem magiſtratum, ſed principes regionum atque pagorum inter ſuos jus dixiſſe & minuiſſe controverſias. Quodſi enim populi Rheno vicini reges tum temporis habuiſſent, utique non ita in univerſum potuiſſet aſſerere, in pace nullum hisce fuiſſe communem magiſtratum. Tacitus tamen non ſemel inculcat, civitatibus quibusdam Germaniæ reges non defuiſſe. Ubi obſervandum, videri mentionem facere Cæſarem duplicis ordinis principum, quippe cum inquit, alios Principes regionum, alios pagorum fuiſſe. In quam ſententiam videntur etiam Taciti illa accipienda. Eliguntur & Principes, qui jura per Pagos vicosque reddunt. Atque Principes regionum procul dubio fuere, qui nobis *Fürſten* dicuntur, ut pagorum qui nunc Comites ſeu *Grafen* appellantur. Atque illi quidem qui integræ regioni præſiderunt, non raro latinis ſcriptoribus Reges appellantur. Et ſic illæ civitates proprie ſub regio imperio eſſe dicerentur, quæ cum integrum populum complecterentur, unum caput agnoſcebant. Ita WITECHINDVS *lib I.* memorat, Saxones ante Caroli M. ævum nullum communem Regem habuiſſe, ſed Duces tres; & tamen unus illorum ducum Witechindus, quibusdam ſcriptoribus Rex appellatur, Weſtphalorum, vel Angrivariorum: nempe quod hi Duces vel Principes ſuis in regionibus ſinguli id valerent, propemodum quod in tota gente valebat Rex aliquis. Cæterum integris populis quoque unum aliquem fuiſſe præfectum regia autoritate jam priſcis illis temporibus, tametſi neget Julius Cæſar, ex Taciti tamen monumentis apertum eſt, ut non neceſſe ſit, multis id teſtimoniis comprobare. Magis operæ pretium fuerit, Regum Germanicorum autoritas & poteſtas quæ fuerit, oſtendere. Neque vero regium nomen eandem ſemper poteſtatem notat, ſed varia regnorum genera ſunt, ut ex civili prudentia eſt notum. Tacitus Regum autoritatem ſic circumſcribit. Nec Regibus infinita aut libera poteſtas. *Id. lib. XIII. annal.* de duobus Friſiorum Regibus verba faciens ſubdit, in quantum Germani regnantur. *Idem lib. de moribus Germanorum* de Sueonibus: Eſt apud illos & opibus honos, eoque unus imperitat, nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi &c. Notans ſcilicet apud Suecones diverſam plane regiam fuiſſe autoritatem. *Idem*, Gothones regnantur paulo jam addictius, quam cæteræ Germanorum gentes, non tamen ſupra libertatem. Ambiorix Eburonum Germani populi Rex his verbis affatur Romanos *lib. VIII. de bell. Gall.* apud CÆSAREM. Poſtquam *c.* 42. de Quadis tradidit: *ad noſtram memoriam reges manſerunt ex gente ipſorum*, addit, *ſed vis & potentia ex regibus Romanis.* Neque id quod fecerunt de oppugnatione caſtrorum, aut judicio aut voluntate ſua feciſſe, ſed cunctæ civitatis: ſuaque eſſe hujusmodi imperia, ut non minus in ſe haberet juris multitudo, quam ipſe in multitudinem. De Maraboduo Marcomannorum Rege hæc verba VELLEJVS PATERC. *lib. II.* Maraboduus genere nobilis,

corpore

corpore prævalens, animo ferox, natione magis quam ratione barbarus, non tamen tumultuarium, neque fortuitum, neque mobilem & ex voluntate parentium conſtantem inter ſuos occupavit principatum; ſed certum imperium vimque regiam complexus animo ſtatuit avocata procul a Romanis gente ſua eo progredi &c. Præter morem ſcilicet Germanicorum populorum. Cæterum quo clarius pateat regia autoritas, deſpiciendum quomodo in hujusmodi regnis olim habuerint ſeſe conſtitutiones de rebus maximis, electiones, & judicia. Et quidem res maximas conſtituendas quod attinet, neque belli, neque pacis, neque legum ſimiliumque rerum in uno rege poteſtatem fuiſſe indicat, quod de majoribus rebus conſtituendi aliquid arbitrium penes concilium ſeu conventum omnium fuerit, ut ex Tacito jam ante eſt oſtenſum. Et ſane ne quidem ſequentibus temporibus invaleſcente paulatim regia dignitate quidquam horum unius regii fuiſſe arbitratus, teſtantur monumenta cum Francorum, tum Suecorum, Gothorum item & Longobardorum, qui inter Germaniæ populos potentiſſima regna habuerunt. Dubio procul tamen indictio conventuum publicorum penes reges fuit, ſicut idipſum quoque ſequentium temporum hiſtoriæ oſtendunt. In ipſis etiam comitiis abſque dubio deliberanda omnia proponere ſoli fuit regi permiſſum, quomodo autem auditus fuerit Rex, quidque valuerit, indicat Tacitus, quando ait: ſilentium per ſacerdotes, quibus tum & coercendi jus eſt, imperatur. Mox rex vel princeps prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia eſt, audiuntur, autoritate ſuadendi magis, quam jubendi poteſtate. Eo pertinent & illa, quæ ſuperius adduximus Ambiorigis verba, non ſe oppugnaſſe caſtra Romanorum ſuo judicio & voluntate ſed cunctæ civitatis. Quod & inde perſpicere licet, quantum valuerit regia autoritas in conventibus indicandis, quod Tacito teſte, non ſimul, nec juſſu convenerint vitio quodam libertatis. Non tantum vero maxima illa non conſtituere ex ſuo arbitratu regi licet, ſed ne minima quidem ad ſummam tamen reipubl. pertinentia in regis arbitratu fuere ſita. Quod enim ait Tacitus de minoribus principes conſultaſſe, idem poſt quoque in regnis Germanicis obtinuiſſe argumento eſt, quod florentibus Francorum hiſtoriis duplicis generis conventus memorantur. Majores nempe, quibus ipſa quoque multitudo interfuit; & minores ex ſolis principibus ac comitibus conſtantes. Et ſane obſervare eſt, maximas res tantum in majoribus, minores in minoribus conventibus fuiſſe agitatas. Præterea electio quoque magiſtratuum, aut tota eorum ordinatio in regnis non minus quam in rebuspubl. liberis ex multorum potius conſilio & autoritate fuit inſtituta. Quod vero Tacitus ait: Electos eſſe in conventibus & principes majores pariter ac minores, idipſum quoque in regnis Germanicis fuit obſervatum. Docet hoc ſimiliter Francorum hiſtoria. Etſi enim recentiores quidam affirment, Francorum reges ex arbitratu ſuo conſtituiſſe duces & comites, id tamen falſum eſſe noſtra hiſtorica monumenta teſtantur. Neque enim ullo exemplo oſtendere licet, a nutu regum dependiſſe ducum & comitum autoritatem, ut recte docet LEHMANN. *lib. II. chronic. Spirenſ. c.* 39. *&* 42. Huc pertinent AMMOIN. Francicarum rerum ſcriptoris *lib. V. c.* 36. verba: *Regni primores indignati, quod quibusdam honores dederat ſine illorum conſenſu, & ob id adverſus illum conſpirarunt.* Ducum quoque exautoriſationes ad conventus publicos pertinuiſſe, vel una poſſet docere Taſſilionis Bajoariorum Ducis hiſtoria. Quin imo in regnis quoque obſervatum credimus, id quod TACITVS ajebat: Inſignis nobilitas aut magna patrum merita principis dignitatem etiam adoleſcentibus contuliſſe. Liberos quidem parentibus, ſiquidem ſeſe non indignos præbuiſſent, in publicis muneribus ſucceſſiſſe, vel una poſſet oſtendere 3. *epiſt. HINCMARI ARCHIEPISCOPI.* Leges etiam Bajoariæ mentionem faciunt juris alicujus, quod Bajoariæ ducatus pertinuerit ad Agilolfingos. Similiter hiſtoriæ aliæ Germanicæ ducatus comitatusque in certis familiis jam a temporibus Caroli M. usque permanſiſſe, non vero ab una familia ad aliam fuiſſe translatos, manifeſte docent. Etſi non ita fuerint familiis iſtis munera iſthæc obſtricta, prout nunc refert conſuetudo. Porro ne regia quidem dignitas ipſa in regnis omni ex parte fuit hæreditaria, ſed aliquando jus penes omnem manſit civitatem. Id ſane videtur voluiſſe indicare TACITVS quando ait: *Germanos reges ſuos ſumpſiſſe ex nobilitate.* Tum vero deficiente familia regia conſtat ex eodem Tacito, Germanicas gentes ſponte aliquem ad eam dignitatem evexiſſe. Ita memorat Italum a Cheruſcis Roma petitum in regem. Hiſtoriæ quoque Longobardorum ut & Gothorum & Francorum libere electos fuiſſe Reges, cum ante nullos cognoſcerent, commemorant. Ideoque & Reges omnes legimus olim in comitiis conſtitutos, tametſi populus nunquam temere, quamdiu ſupereſſet aliquis regiæ ſtirpis, niſi proximum ſanguine elegerit. Optimum illud eſt Taciti, Reges ex nobilitate eſſe ſumptos, ideoque jam antiquiſſimis temporibus apud Germanicas gentes & hæreditariæ aliquid ſucceſſionis conſtitutio regum habuit, & nihilominus remanſit aliquid liberæ electionis. TACITVS *lib. II. annal.* Eodem anno Cheruscorum gens Regem Roma petiit, amiſſis per interna bella nobilibus & uno reliquo ſtirpis regiæ, qui apud urbem habebatur nomine Italus. Paternum huic genus e Flavio fratre Arminii. Mater ex Lattumero Cattorum principe erat. Idem narrat eodem loco, cum quidam adverſus hunc Italum inſurrexiſſent, reliquos tamen pro rege ſuo pugnantes reſpondiſſe: quando nobilitate cæteros anteiret, virtutem experirentur, an dignum ſe patruo Arminio, aut Lattumero præberet. Idem *de moribus Germanorum* Marcomannorum reges appellat nobile Marabodui & Tudri genus. Gothicæ hiſt. Jornandis duas memorant regias familias, Amalam & Baltam, quæ ſolæ ad regiam dignitatem ex illis populis fuere admiſſæ. Ex hiſtoria Francica conſtat, Merovei poſteros ad Pipini usque tempora regia poteſtate Francis præfuiſſe. Nec Longobarditæ hiſtoriæ niſi duarum regiarum familiarum mentionem faciunt, quarum ultima Flavia in Deſiderio demum ultimo regum exſpiravit. Simile & apud Burgundos, & apud Thuringos & Friſios aliosque Germaniæ populos ſub uno quoque rege viventes ex hiſtoriis manifeſtum eſt. Nec tamen, ut ante dixi, ullibi fere dignitates regiæ fuerant hereditariæ, niſi tantum apud Gothones, ſive ut nunc dicuntur Norwegos: ideoque & de his ſolis memorat Tacitus, mulieres illis imperitaſſe, hereditario nempe jure ad fœminas quoque translata regia dignitate. Quod hodieque illa in gente obſervatur, utpote cum illud regnum ita in patrimonio Regis ſit, uti & teſtamento ex regia voluntate poſſit in exteros transferri, contra quam in reliquis Germaniæ populis ſemper conſuetudo ſe habuit. Atque ea quidem, quæ ad maximas res rerumpubl. vel magiſtratuum pertinent, in regnis Germanis ad hunc modum fuere inſtituta. Quod autem ultimo jurisdictionem attinet, procul dubio illa non ex omni parte antiquiſſimis illis temporibus a regibus fuit remota. In omnibus quippe regnis totius terrarum orbis, aliqua jurisdictionis pars regibus commiſſa fuit, tum vero haud veroſimile eſt, inferiori fuiſſe conditione reges in Germanicis populis, quam principes, qui per pagos & vicos jura reddiderunt. Itaque credimus etiam obtinuiſſe in Germanicis regnis ex parte illa etiam, quæ poſt in Francorum regno fuerunt obſervata: jurisdictionem nempe ex parte apud principes & comites a regibus conſtitutos & populo fuiſſe, ex parte vero ad reges pertinuiſſe. Atque ratio quidem judiciorum, qualis in Francorum regnis fuit obſervata, ſatis egregie cum ab aliis tum imprimis a CHRISTOPHORO LEHMANNO *lib. II. chron. Spir.* explicatum eſt. Itaque ex ejus ſimilitudine de reliquorum regnorum conditione conjectura facienda eſt. Conſtat autem Regibus Francorum jurisdictionem criminalium rerum circa illuſtres perſonas non fuiſſe conceſſam, imo ne civilium quidem rerum maximarum in regum fuiſſe poteſtate ſitam: verum maxima illa judicia peracta eſſe in populi conventibus publicis. Atque nos quidem eodem etiam trahenda credimus illa Taciti: Licet apud concilium accuſare quoque, & diſcrimen capitis intendere. Cæterum ratio quidem regnorum Germa-

manicorum, quomodo ſeſe plerumque habuerit, hactenus explicatum eſt. Conſtat autem etiam ex Tacito tunc temporis nonnullos Germaniæ populos fuiſſe addictius regnatos, imo apud quosdam *παμβασιλικὸν* imperium obtinuiſſe. Trans Lygios, ait *cap.* 43. Gothones regnantur, paulo jam addictius, quam ceteræ Germanorum gentes, nondum tamen ſupra libertatem. Statim vero ſubdit: *Protinus deinde ab Oceano Rugii & Lemouii; omniumque harum gentium inſigne rotunda ſcuta, breves gladii, & erga reges obſequium.* Mox de Suconibus. *Eſt apud illos & opibus honos, eoque unus imperitat, nullis jam exceptionibus, nec precario jure parendi. Nec arma ut apud ceteros Germanos in promiſcuo, ſed clauſa ſub cuſtode, & quidem ſervo: quia ſubitos hoſtium incurſus prohibet Oceanus, otioſæ porro armatorum manus facile laſciviunt. Enimvero neque nobilem neque ingenuum, neque libertinum quidem armis præponere, regia utilitas eſt.* Hæc Tacitus. Quibus verbis ſane non amplius libertatem populi, ſed tyrannicum imperium unius deſcribit. Inferior quoque conditio Sitonum fere fuit. Ait enim TACITVS *cap.* 45. *Suionibus Sitonum gentes continuantur. Cetera ſimiles uno differunt, quod fœmina dominatur. In tantum non modo a libertate, ſed etiam a ſervitute degenerant.* Notum autem eſt Suiones & Sitones trans Balthicum mare habitaſſe; Lemovios autem & Rugios ſtatim ad ejus littora. Itaque imminuta libertas Germanica tantum in extremis illis oris fuit, in reliqua omni parte ſui juris. Tametſi vero ſeptentrionales illi populi præ reliquis Germaniæ civitatibus addictius, imo pene ſerviliter Taciti ævo fuerint regnati; conſtat nihilominus illos etiam in libertatem ſe vindicaſſe ſequentibus temporibus, paremque cum reliquis Germanis regni habuiſſe conſtitutionem. De Suionibus ſeu Suedis ADAMVS BREMENS. *cap.* 230. ita loquitur: *Reges habent ex genere antiquos, quorum tamen jus pendet in populi ſententia.* Quod in commune laudaverint omnes, illum confirmare oportet, niſi ejus decretum potius videatur, quod aliquando ſequuntur inviti. Itaque domi pares eſſe gaudent, in prælium euntes omnes obedientiam præbent regi. Et ſane ea populi libertas etiam aliquot poſt ſeculis remanſit integra. Quomodo vero & Norwegii ſeu Sitones ad majorem libertatem paulatim pervenerint, vel ſola Norwegia Crantzii poteſt docere; etſi nunc iterum grave jugum dominatus patiantur. De Gothonibus ſeu Gothis ipſe Imperator Theodoſius ita loquitur: Quamquam quidem ne honore quidem & reverentia Rex inter eos potiebatur; ſed ejusdem menſæ participes eos habebat, atque contubernales, denique benevolentiam eorum captabat, rixas vero eorum atque contentiones nunquam effugiebat. Et profecto eam fuiſſe regis apud Gothos conditionem cum ex Oſtrogothicis, tum ex Weſtrogothicis hiſtoriis abunde perſpicere eſt. *JORNANDES lib. de reb. Goth. c.* 58. notat, primum Theodoricum regem patrio veſtitu mutato, regium amictum ex more ſcilicet Romanorum Cæſarum, quaſi Gothorum Romanorumque regem, aſſumſiſſe. Similiter *ISIDORVS in chronico Goth.* de rege Legiwoldo Gothico in Hiſpanis qui regnare cœpit anno 2. Juſtini junioris in hæc verba narrat: *Ærarium quoque ac fiſcum primus iſte auxit, primusque inter ſuos regali veſte opertus ſolio reſedit. Nam ante eum & habitus & conſeſſus communis ut genti, ita & regibus erat.* Porro non diſpar etiam Herulorum ſeu Lemoviorum fuit fortuna; quamquam enim etiam his obſequium erga reges attribuat Tacitus. PROCOPIVS tamen *lib. III. rer. Gothic.* ita de illis loquitur: Quamquam & antea nomen quidem apud eos rex habuit, a privato viro nihil fere differebat, nam & aſſidere ei omnes & una conveſci, & imprudenter, ut cuique libitum, convivari jurgarique ſolebant. Sicuti autem ſeptentrionales hi populi mutata fortuna tandem libertate majori potiti ſunt, ita reliquas Germaniæ civitates momentaneam tyrannidem interdum paſſas, antiquis etiam temporibus, teſtantur monumenta. Atque de Maraboduo quidem, quomodo ille regiam dominationem non tantum in Marcomannos ſuos, verum etiam reliquos Suevorum populos exercuerit, jam ante ex Vellejo Paterculo indicatum eſt. Pulſum tamen illum regno, tandem ignobili morte periiſſe, ex *lib. VII. annal. TACITI* manifeſtum eſt. Sed & eadem auſum Catualdem, qui Maraboduum regno ejecerat, eadem quoque fortuna excepit, eodem Tacito teſte. De Arminio quidem ita loquitur ſub *fine 2. annal. Ceterum Arminius abſcedentibus Romanis & pulſo Maraboduo regnum affectans, libertatem popularem adverſam habuit, petitusque armis, cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit.* Quare & ejus regnum nonniſi momentaneum fuit. De Italo ejusdem Cheruſcorum populi rege ſimiliter loquitur Tacitus: *Aſtrepebat huic alacre vulgus & magno inter barbaros prælio victor, Rex, dehinc ſecunda fortuna ad ſuperbiam prolapſus, pulſusque regno ac rurſus Longobardorum opibus refectus, per læta, per adverſa, res Cheruſcas affligtabat.* Earum opum quas magiſtratus aliquis poſtulet, quædam pertinent ad illum privato quidem jure; quædam titulo ipſius magiſtratus. Tametſi enim natura non obliget ſubditos ad tributa aut opum collationem magiſtratuum ſuorum reſpectu, ſed quarundam etiam civitatum ex re ſit nullum fructum ex magiſtratu capere, ſeu in politicis prudenter ab Ariſtotele eſt obſervatum. In pleriſque tamen rebuspubl. quocunque etiam illæ regimine fuerint adminiſtratæ, obtinuit, ut is, qui magiſtratum adminiſtraret, vel dignitatis ſuæ tuendæ cauſa, vel alioquin ratione meritorum commodi aliquid ex officio ſuo caperet. Non eadem tamen omnibus in civitatibus illius fructus aut commodi fuit ratio. In quibusdam enim ingentes opes ex officio publico redundarunt, in quibusdam contra admodum tenues. Atque apud alios quidem populos quænam horum bonorum fiſci (ita enim opes has Romani appellaverunt) fuerit conditio, non eſt noſtri inſtituti enarrare. Tantum de fiſco Germanicorum principum nonnihil eſt agendum. Atque Tacitus ſane duo indicat, quæ ſuo tempore ad fiſcum Germanicorum principum pertinuerunt; unum eſt mulcta, alterum eſt voluntaria quædam omnium ſubditorum donatio. Primum his verbis notat: *Sed levioribus delictis, pro modo pœnarum equorum pecorumque numero convicti mulctantur: pars mulctæ regi vel civitati, pars ipſi qui vindicatur, vel propinquis ejus exſolvitur.* De altero in hunc modum loquitur: *Mos eſt civitatibus ultro ac viritim conferre principibus, vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum, etiam neceſſitatibus ſubvenit.* Præter hæc duo nihil memorat, quo principum fiſcus ea ætate potuerit ditari. Veroſimile tamen eſt etiam alia quædam fuiſſe fiſci juris, quoniam liceat obſervare, quaſi gentium jure adſcriptum ſequentibus ſeculis aliquid principibus eſſe, per omnem non tantum Germaniam, verum etiam Galliam, Italiam, Britanniam, & quocunque tandem pervenerunt Germaniæ populi, quod apud alias gentes regibus aut principibus permiſſum non fuit. Sane in omnibus illis Europæ regionibus, quas modo enarravimus, quaſi jure aliquo communi gentium ab antiquiſſimis temporibus ſemper obtinuit, uti principum ſeu regum crederentur etiam quæcunque in privatum dominium non pervenerunt, aut eodem exciderunt. Ita etſi Romanis legibus aves, feræ, piſces, jure gentium dicuntur communes eſſe, illa tamen omnia Germanicorum populorum conſuetudine in principum ſolorum ſunt peculio. Similiter theſauri, ut & alia *ἀδέσποτα* in omnibus nunc illis Europæ regnis ex antiquiſſimo more principum ſunt, licet aliarum gentium inſtituto inventoribus aut aliis quibusdam fuerint adſcripta. Etſi vero Germaniæ populi a reliquarum gentium conſuetudinibus hac in parte abierint, non imprudenter tamen ita judicarunt. Cum enim omnino crederent eſſe quædam principibus ac regibus aſſignanda bona, unde ſuam ſuſtinerent dignitatem, ea potius illis aſſignanda fuerunt; quæ, quod privato dominio carerent, ſine alicujus damno poſſent tribui, quam quæ jam privatum dominium ſubierant. Præter hæc vero non eſt veroſimile, liberos ſubditos regibus aut principibus ſuis quicquam conceſſiſſe. Eorum vero qui ſerviebant tota ſcilicet regione in provinciam redacta procul omni dubio ſemper diſpar ratio fuit. Obſervare enim licet ex Francorum, Gothorum, Longobardorumque hiſtoriis provincialibus, utpote jure quodam belli ſervientes admodum duris tributis victoribus regibus paruiſſe. Habeban-

tur

eſt, apud principes *pertractentur.* (a) Coëunt, niſi quid fortuitum & ſubitum inciderit, certis diebus, cum aut *inchoatur luna* (b) aut impletur: nam agendis rebus hoc auſpicatiſſimum initium credunt. Nec dierum numerum ut nos, *ſed noctium* (c) computant. ſic conſtituunt, ſic condicunt. nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitium, quod non ſimul nec juſſi conveniunt, ſed & alter & tertius dies contatione coëuntium abſumitur. Ut turbæ placuit, conſidunt armati. Silentium per ſacerdotes, quibus tum & coërcendi jus eſt, imperatur. *Mox Rex vel Princeps,* (d) prout ætas cuique, prout *nobilitas,* (e) prout decus bellorum, prout facundia eſt, audiuntur; auctoritate ſuadendi magis quam jubendi poteſtate. Si diſplicuit ſententia, fremitu aſpernantur: ſin placuit, *frameas concutiunt.* (f) Honoratiſſimum aſſenſus genus eſt, armis laudare. Licet *apud concilium accuſare* (g) quoque, & diſcrimen capitis intendere. Diſtinctio pœnarum ex delicto. Proditores & transfugas arboribus ſuſpendunt. Ignavos & imbelles & *corpore infames,* (h) cœno ac palude, injecto inſuper crate, mergunt. Diverſitas ſupplicii illuc reſpicit, tanquam ſcelera oſtendi oporteat dum puniuntur, flagitia abſcondi. Sed & levioribus delictis, pro modo pœnarum, equorum pecorumque numero convicti multantur. *Pars mulctæ Regi* (i) vel civitati, pars ipſi qui vindicatur vel propinquis ejus exſolvitur. *Eliguntur* (k) in iisdem conciliis & Principes, qui jura *per pagos vicosque reddunt.* (l) Cap. XII.

tur ſcilicet victi ſervili quadam conditione, ideoque quod præſtare alioquin Germanicis populis domeſticis ſervi ſolebant, id integræ gentes bello victæ victori populo & maxime ejus populi ſummo capiti regi exhibere coacti ſunt. Itaque de provincialium horum conditione judicium capere ex ſervili ſtatu alioquin apud Germanos uſitato licet. Sane vero his verbis deſcribit TACITVS: *Suam quisque ſedem, ſuos penates regit, frumenti modum dominus, aut pecoris, aut veſtis ut colono injungit, & ſervus hactenus paret.* Sic reges Francorum conſtat graviſſimis tributis & oneribus alios populos ſubjugatos omnes, non Gallos tantum ſed & Germanos h. e. Burgundos, Alemannos, Bajoarios, Thuringos, Friſios aliosque gravaſſe. Tantum enim de ſolis Saxonibus legitur, ex parte illos liberatos ab omni onere tributorum, ſicuti conſtat ex vita Caroli M. quam Eginhardus aliique deſcripſerunt. Eo factum fuit, ut ex eo tempore univerſa fere Germania, Gallia, Italia, ſub graviſſimo onere tributorum Franciæ regibus ſervierint, & regis fiſcus, ſeu ut tunc locuti ſunt, Dominicum (quod vocabulum hodie Galli verterunt in Domanium) in infinitum excreverit, ſolis Francis omnes illos inter populos priſca gaudentibus libertate. Notum autem eſt in jure Francorum regum antiquorum ſucceſſiſſe poſt eos Galliæ reges, tum imperatores Germanicos. Unde etiam imperatorum & Galliæ regum opes longe fuere maximæ, donec illi ſua in feudum & quidem hæreditarium paulatim ducibus, comitibusque, epiſcopis & abbatibus concederent, quæ nobis vulgo regalia bona appellantur. Nimirum obtinuit fere apud omnes Germaniæ populos ex antiquiſſimis usque temporibus, ut regibus licuerit, de omnibus illis bonis regiis ſtatuere aliquid ex arbitratu, quaſi fuerint mere hæreditaria: id quod tamen non tantum juri & æquitati, verum etiam publicæ utilitati ſumme eſt pernicioſum. Ea quippe bona, quæ regibus quatenus reges ſunt, debentur, non niſi jure uſufructuario ad illos pertinent, ut recte a JCtis oſtenſum eſt: ideoque alienare regibus nullo modo permiſſum eſt, utpote quorum proprietas penes populum ſit, non autem penes reges. Porro permiſſa regibus licentia donandi ita & abalienandi, & profundendi bona publica, non poteſt non tandem ſubſequi egeſtas publica, creſcentibus interim privatorum bonis, adeoque nervo rerum gerendarum regibus adempto, ipſa respubl. non poteſt non in aliam ſenſim formam commutari.

(a) *pertractentur*) GOEBEL. In præcedenti annotatione Conringius ea, quæ variis capitibus illuſtrandis inſerviunt, colligavit. Nos autem, ne quid inexplicatum maneat, ſingula perluſtrabimus capita. Tumultuarie omnia haud dubie in populi concilio pertractata fuiſſent, niſi materiæ, quæ populo proponi debebant, ad id præparatæ fuiſſent; præſertim, ubi in gente noſtra id ex libertate obtinuerit vitium, ut facile refragata ſit. Conventus illos principum cum conventibus noſtris circularibus aliquam habuiſſe ſimilitudinem, forte dixeris.

(b) *inchoatur luna*) GOEBEL. Majoribus noſtris conſuetum fuiſſe ante novam lunam prælio non contendere ex *CÆSARE* quoque *de B. G. lib. I. c.* 50. patescit. Si conjicere fas eſt, dicendum videtur, majoribus noſtris opinionem hæſiſſe, ſub renaſcentis lunaris numinis auſpiciis, & recentem fore & vegetum proſperumque ſucceſſum armorum, aut plenum & perfectum, ſi lumine accepto totum ſuum luna impleverit orbem. Quæ de luna veterum fuerint fabulæ ex *SELDENO de Diis Syris ſyntagm. I. p.* 86. *ſeqq. ſyntagm. II. p.* 239. & *HOBERZO de religione gentilium cap.* 6. & *NATALIS ALEXANDRI mythologia* patescit.

(c) *ſed noctium*) GOEBEL. Hebræorum igitur more, inquit *KIRCHMAIER p.* 190. poſt ſolis occaſum vel a nocte ipſa tempus quotidianum numerabant. Vid. *ECCARDVM ad L. S. p.* 74. *CVJACIVM lib. XV. cap.* 31. *obſervat. BERNEGGER. quæſt.* 15. Numerationis hanc puto fuiſſe rationem, quod noctem die priorem crediderint.

(d) *Mox Rex vel Princeps*) GOEBEL. Hoc de diverſis intelligendum puto rebuspublicis; veroſimile enim eſt regem ſemper jus proponendi habuiſſe; & ſi facundia non polluerit, alii vices ſuas committere potuiſſe: in rebuspublicis autem ubi nemo fuit rex, ad illum principem qui donis naturæ & prærogativis præ aliis erat inſtructus principibus, hoc munus eſſe delatum.

(e) *nobilitas*) GOEBEL. In nobilitate ad magna patrum merita attendiſſe reor.

(f) *frameas concutiunt*) GOEBEL. *TACITVS annal. lib. V. c.* 17. *n.* 5. Nec non Gallis & Romanis hic mos receptus fuit. *CÆSAR de bello Gallico lib. VIII. c.* 24. *LIPSIVS de militia Romana dialogo IX. & XI.*

(g) *apud concilium accuſare*) GOEBEL. In plerisque Germanorum rebuspublicis ſumma rerum erat penes populum, atque ita nemo niſi populus in membri alicujus corpus aut caput ſtatuere potuit. Interim pauca apud majores noſtros delicta erant, quæ ultimo luebantur ſupplicio. Vide Dn. *MEINDERS de judiciis centenariis §.* 38. *ſeqq.*

(h) *corpore infames*) GOEB. Lipſius legendum eſſe putat, torpore infames, ut majores a *παιδεραστίας* liberet infamia! Sed etiam ſi cum Pichena aliisque vulgarem retinere malimus lectionem, dici poteſt, ſummam inter Germanos, gentem plane militarem, habitam eſſe ignominiam & infamiam, tam marceſcente & fluitante aliquem fuiſſe corpore, ut belli & præliorum ſudores ferre non potuerit. Tria igitur illa, ignavos, imbelles & corpore infames, conjunctim ſunt accipienda, ita ut cœno ac palude, injecto inſuper crate, illos tantum meruerint, quorum ignavia & ad arma torpor tantus erat, ut inde corpore fluitarent, in tantum ut ad omnes plane militares operas inepti eſſent. Vide *KIRCHMAIERVM p.* 168. 199.

(i) *Pars mulctæ Regi*) *GOEBEL. KIRCHMAIER pag.* 200.

(k) *eliguntur*) *GOEBEL. KIRCHMAIER pag.* 201. *ſeqq. CÆSAR de B. G. lib. VI. c.* 23.

(l) *per pagos vicosque reddunt*) *GOEBEL. CÆSAR de B. G. lib. VI. cap.* 23. Notum eſt, Germaniam olim in varios pagos i. e. tractus, varia complectentes loca, diſtributam eſſe. Exſtant de his Meibomii, Paulini aliorumque commentarii, qui quampluribus laborant defectibus. Singulis pagis ſui præſidebant principes, qui a Romanis comites, a noſtratibus, ut eſt in ſententia non-

Centeni (a) ſingulis ex plebe comites, conſilium ſimul & auctoritas, adſunt. Nihil autem, neque publicæ, neque privatæ rei, niſi armati agunt. Sed *arma ſumere* (b) non ante cuiquam moris, quam civitas ſuffecturum probaverit. Tum in ipſo concilio vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus ſcuto frameaque *juvenem ornant.* (c) Hæc apud illos *toga*, (d) hic primus juventæ honos: ante hoc domus pars videntur, mox reipublicæ. Inſignis nobilitas aut magna patrum merita, Principis dignationem etiam adoleſcentulis aſſignant. *Ceteris* (e) robuſtioribus ac jampridem probatis aggregantur. Nec rubor inter comites aſpici. Gradus quin etiam & ipſe comitatus habet, judicio ejus quem ſectantur. Magnaque & comitum *æmulatio*, (f) quibus primus apud Principem ſuum locus: & Principum, cui plurimi & acerrimi comites. Hæc dignitas, hæc vires, magno ſemper electorum juvenum globo circumdari; in pace decus, in bello præſidium. Nec ſolum in ſua gente cuique, ſed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria eſt, ſi numero ac virtute comitatus emineat. Expetuntur enim legationibus, & muneribus ornantur, & ipſa plerumque fama bella profligant.

Cap. XIV. Cum ventum in aciem, turpe Principi virtute vinci, turpe comitatui virtutem Principis non adæquare. Jam vero infame in omnem vitam ac probroſum, ſuperſtitem Principi ſuo ex acie receſſiſſe. Illum defendere, tueri, ſua quoque fortia facta gloriæ ejus aſſignare, præcipuum ſacramentum eſt. Principes pro victoria pugnant: comites pro Principe. Si civitas, in qua orti ſunt, longa pace & otio torpeat, plerique nobilium adoleſcentium petunt ultro eas *nationes*, (g) quæ tum bellum aliquod gerunt. Quia & ingrata genti quies, & facilius inter ancipitia clareſcunt, magnumque comitatum *non niſi vi belloque* (h) tueare. Exigunt enim Principis ſui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam. Nam epulæ, & quamquam incomti, largi tamen apparatus, pro ſtipendio cedunt. Materiæ munificentia per bella, & raptus. Nec arare terram, aut exſpectare annum, tam facile perſuaſeris, quam vocare hoſtes & vulnera mereri. Pigrum quinimo

Cap. XV. & iners videtur ſudore acquirere, quod poſſis ſanguine parare. Quotiens bella non ineunt, *non multum venatibus*, (i) plus per otium tranſigunt, dediti ſomno ciboque. Fortiſſimus quisque ac bellicoſiſſimus nihil agens, delegata domus & penatium & agrorum cura fœminis ſenibusque, & infirmiſſimo cuique ex familia. Ipſi hebent: mira diverſitate naturæ, cum iidem homines ſic ament inertiam, & oderint quietem. Mos eſt civitatibus ultro ac *viritim conferre* (k) Principibus vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum, etiam neceſſitatibus ſubvenit. Gaudent præcipue finitimarum gentium donis, quæ non modo a ſingulis, ſed publice mittuntur: electi equi, magna arma, pha-

neminis, dicti ſunt *Gauwers* vel *Gauwreſs*, inſpectores pagorum, *der Gauwen*, quæ deinde vox contracte pronunciata eſt per *Growe*, unde tandem *Graff* factum. Atque tales verborum contractiones, ita ut interdum voces derivativæ a primitivis ſuis quodammodo alienæ videantur, in Weſtphalia frequentiſſimæ ſunt. Obtinuit deinde, ut ſæpe voci huic a radice ſua multum deflectenti, majoris perſpicuitatis gratia, additum ſit vocabulum *Gauw*, unde *Gauw-Graeve*. Sed largior, & circa hanc originationem eſſe quæ moneri poſſunt. Sic & illorum forte ſententia non omnibus placebit, qui vocem derivant a *grau*, quia hæc ſparta nonniſi canitie venerabilibus collata fuerit: cum ex Tacito conſtet, in eligendis principibus non ad ætatem, ſed ad nobilitatem & magna patrum merita reſpectum eſſe. Exemplum nobis ſit Arminius, qui in vegetiori juventutis flore rebus præfuit. Hinc Maroboduus apud TACITVM *lib. II. c.* 46. eum rerum neſcium vocat. Claſſicus nobilitate & opibus erat ante alios. TACITVS *lib, X. annal. c.* 55. Et Claudius Civilis ortus regia ſtirpe multo ceteros anteibat. TACITVS *lib. IV. hiſt. c.* 13. Quanquam Civilem provectioris fuiſſe ætatis ex eo conſtet, quod adultum filium habuerit. *Civilem etiam beneficii memoria flexit, quod filium ejus primo rerum motu in Colonia Agrippinenſi deprehenſum honorate cuſtodierunt.* TACITVS *lib. IV. c.* 63. Qui pluribus pagis majoribus præſidebant, ſubſequentibus demum ſeculis Ducum elogio ornati ſunt. Taciti enim tempore, durante pace in Germania, nulli erant Duces. Neque negari poteſt, temporis ſucceſſu magnam tam Ducum quam Comitum ſtatum induiſſe mutationem, ſed de hoc alibi agendi locus erit. Illud obiter adhuc notandum, Gowgravios hodie nihil aliud eſſe, quam præfectis ſubordinatos judices paganos.

(a) *Centeni*) *GOEBEL. KIRCHMAIER* pro centenis legendum eſſe certis, ſibi perſuaſum habet, atque illius opinio a veritate abhorrere non videtur. Quis enim crederet, tot Principi ex plebe datos aſſeſſores? vel potius dicendum erit, vocabulum *centenis* ex Germanorum *zehnt* eſſe corruptum. Oportet tamen ut certi illi vel decem ex plebe, qui principi fuerunt conſilium & autoritas, cum plena libertate manumiſſi fuerint: nam ſervi aſſeſſorum judicialium munere fungi non potuerunt. Aut oportet, ut illo tempore non omnes ex plebe in ſervorum fuerint numero, quod veritati convenientius videtur. De centenariorum utpote comitum vicariorum de minoribus judicantium officio & dignitate vide CANGIVM *in Gloſſar. ſub voce: Centen.* Fuiſſe autem centenarios hos a Zentgrafiis diverſos, præter SCHILTERVM *in praxi juris Romani in foro Germ.* docet ECCARDVS *ad L. S. p.* 88.

(b) *arma ſumere*) GOEBEL. Hinc repetunt antiquiſſimum illum morem quo nobiles juvenes impacta alapa ad pedeſtrem, dorſo vero vel humeris leviter verberatis ad equeſtrem admiſſi ſunt militiam. Vide BAIERI *ſpecim. jur. Germ. lib. I. c. 3. p.* 15. 16.

(c) *juvenem ornant*) GOEBEL. KIRCHMAIER *l. c. &* LIPSIVS *ad cap.* 13.

(d) *toga*) GOEBEL. Apud Romanos pueri geſtabant prætextam, quæ candida erat. Cum ad annum ætatis XV. perveniſſent, poſita prætexta virilem ſumebant togam. KIPPING. *antiq. Romanor. lib. IV. c.* 5.

(e) *Ceteris*) GOEBEL. Litigant an hæc lectio ſit retinenda, an cum FREINSHEMIO & LIPSIO legendum ceteri: ſed probat KIRCHMAIERVS, vulgatam lectionem omnino ſervandam eſſe, quoniam Tacito conſtitutum ſit tradere, ex quo quis reipublicæ pars factus & principis dignationem propter inſignem nobilitatem & magna patris merita acceperit, reliquis robuſtioribus aggregari.

(f) *æmulatio*) GOEBEL. Hæc maximum ad virtutem calcar ſuppeditat.

(g) *nationes*) GOEBEL. Et ſic videmus Germanos omni tempore venalem circumtuliſſe ſanguinem.

(h) *non niſi vi belloque*) GOEBEL. Opibus enim plerumque deſtituebantur, ita ut niſi prædam ex hoſte agere, aut in alius gentis caſtris ſtipendia mereri datum fuiſſet, comitatui ſuo ea, ad quæ præſtanda ipſi tenebantur, ſuppeditare non potuiſſent.

(i) *non multum venatibus*) GOEBEL. Ut hic locus cum eo quod CÆSAR *de B. G. lib. VI. c.* 21. *Vitam Germanorum omnem in venationibus & ſtudiis rei militaris conſumi*, conciliari queat, particula negativa eſt delenda.

(k) *viritim conferre*) GOEBEL. Colligere hinc licet, Taciti tempore principibus tributa imperare non licuiſſe, ſed civitatibus morem fuiſſe ultro ac viritim conferre.

phaleræ,torqueſque. Jam & *pecuniam accipere* (a) docuimus. *Nullas Germanorum populis urbes habitari,* (b) *ſatis* Cap. XVI.

(a) *pecuniam accipere*) GOEBEL. Putant hæc ad Trojani tempora ſpectare, ubi Germani corruptionibus obnoxii fuiſſe dicuntur.

(b) *Nullas Germanorum populis urbes habitari*) Verba illa eſſe accipienda de illis Germanorum populis, qui trans Danubium & trans Rhenum Taciti ætate habitarunt, ſatis notum eſt. Alioquin enim jam tum temporis præclaræ fuerunt ad Rhenum pariter & Danubium urbes Germanicis populis, ſub Roman. tamen imperio habitatæ. Ptolomæus quoque in ipſa magna Germania multas collocat, quas appellat πόλεις, ideoque videtur Tacito adverſari. Cæterum non πόλεως vocabulo urbes intelligendæ ſunt, h. e. civitates munitæ vallo aut mœniis, ſed oppida vel vici majores, quarum magnum numerum in Germania fuiſſe illa ætate negari non poteſt. Germanici populi quatuor nobis indicat genera Tacitus, *primum* nobilium duplici tamen diſcrimine, cum alii nempe præcipuæ, aliæ infimæ nobilitatis fuerint: *ſecundum* liberorum hominum plebejorum: (3) libertorum & libertinorum, (4) denique ſervorum. Atque nobilitatis quidem utriusque plebis item liberæ atque ingenuæ quis ſtatus quæve conditio iſthoc fuerit tempore, ſupra explicatum eſt; libertorum & libertinorum ſortem his verbis nobis breviter deſcribit TACITVS: Liberti non multum ſupra ſervos ſunt, raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate, exceptis duntaxat iis gentibus quæ regnantur; ibi enim & ſuper ingenuos & ſuper nobiles aſcendunt. Apud cæteros impares libertini libertatis argumentum ſunt. Unde patet aliam libertinorum conditionem apud Germanos quam Romanos veteres fuiſſe. Notum ſiquidem in urbe libertinis etiam fuiſſe ſuas tribus adeoque poteſtatem de ſumma reipubl. conſultandi: At apud Germanos eorum in civitate momentum nullum. Tantum ergo libertorum Germanorum Romanorumque par ſtatus fuit in regiis imperiis, hoc eſt ſub dominio Cæſarum aut in Germania Regum, qui ſuo arbitratu rempubl, adminiſtravere. Servitutis idem conditionem nobis Tacitus deſcribit diverſam multo a ſtatu ſervili apud Romanos uſitato. Romanorum quippe ſervi ut & aliorum populorum orientalium, in familiis erant ſervi, dominorum diverſa miniſteria ſubeuntes. Apud Germanos vero domus officia pleraque uxores ac liberi dominorum ſunt exſecuti. Servi autem in ſuis quisque ædibus vixere familiam, dominis ſuis nonniſi ad panem conferendum obligati. Eo autem ſervi Romanorum & Germanorum fuere pares,quod domini in hos jus vitæ necisque, vendendi item ac donandi aliisque modis abalienandi vim habuerint. Cæterum facile collectu eſt, omnem agricolendi, armentorum item ſimiliumque rerum curam ſolis ſervis apud Germanos fuiſſe commiſſam. Notum quippe homines ingenuos Germanos tum temporis ſolis laboribus bellicis delectatos, a reliquis vero imprimis autem ab agricultura prorſus abhorruiſſe. Itaque ſervi tum quaſi coloni fuerunt dominorum ſuorum, id quod & Tacitus innuit: frumenti modum (inquiens) dominus aut pecoris, aut veſtis, ut colono injungit, & ſervus hactenus paret. Quemadmodum autem Taciti ævo in quatuor ordines gentes Germanicæ fuere diviſæ, ad eundem modum res quoque ſeſe habuit multis poſt ſeculis. De Saxonibus ADAM BREMENS. *lib. I. cap.* 5. in hæc verba loquitur: *Quatuor differentiis gens Saxonum conſtitit, nobilium, liberorum, libertinorum, & ſervorum. In legibus Saxonicis totidem memorantur, libertinorum conditione vocabulo liti expreſſa.* *WITICHINDVS* monachus ſimiliter quatuor ordines recenſet, nominibus licet omiſſis, *lib. I. NITHARDVS lib. IV. de diſſenſionibus filiorum Ludovici Pii: Sunt inter alios qui Edelingi ſunt, qui Frylingi ſunt, qui Laſſi eorum lingua dicuntur.* Latina vero nomina ſunt hæc: Nobiles, ingenuales, ſerviles. Omittit vero ille libertos,eo quod ſtatus libertorum non multum diſpar fuerit etiam illa ætate a ſtatu ſervili, quippe qui & ipſi agros colerent ſuisque patronis deberent tributa, perſonali tantum libertate gaudentes, plane ut hodie noſtri agreſtes. Hinc *gloſſa juris Saxonici lib. II. des Landrechts c.* 59. in hæc verba prorumpit: *Wer in Sachſen Recht zu Zinsguth geboren iſt, der iſt ein Laſſen, der mag ſich des Zinsguths nicht ohne der Ehre willen unterziehen, die ſind die unſere Eltern lieſſen ſitzen, da ſie das Land bezwungen auf Beſcheidt.* Quaſi ſcilicet *die Laſſen* dicti ſunt a Germanis a *gelaſſen*, ſicut Latinis ſervi appellati a ſervando. In *lege Ripuaria* Francorum *tit. LXIV.* §. 4. etiam litus exponitur tributarius; quodſi ſcilicet libertus etiam domino ſuo obligaretur ad tributa. Lex Saxonica *tit. X.* ita ait: quicquid ſervus aut litus jubente domino perpetraverit, dominus emendet. *Lex* item *Friſiorum tit. XI.* Si litus ſemetipſum propria pecunia a domino ſuo redemerit &c. Similiter loquitur etiam Ludovici Pii conſtitutio, apud *ANSEGISVM lib. IV. c.* 102. Aldiones & Aldianæ ea lege vivunt in Italia in ſervitute dominorum ſuorum, qua fiſculini & liti vivunt in Francia. Ex quibus profecto apparet, rariſſime eſſe, quæ ſupra diximus, omnem agriculturam reique pecuariæ curam & ſervis pariter & liberis fuiſſe commiſſam. Cæterum cum agri resque pecuaria in proximis temporibus partim ad eccleſiaſticos partim ad privatos homines pertinuerit, eo factum eſt, ut in legibus monumentisque Francorum Saxonumque tria fere genera libertorum pariter atque ſervorum memorentur. Ita alios ſervos videmus appellatos fiſculinos, qui ad fiſcum regium pertinentes, alios eccleſiaſticos,alios vulgares. Cœpit autem ſervilis ſtatus non aliis initiis apud Germanos, quam apud gentes totius terrarum orbis alias. Obtinebat ſiquidem etiam hic terrarum illud jus gentium, quo fas creditur, ut omnis juſto bello captus ſerviat duriſſima conditione. Tantum obſervamus apud Tacitum quosdam etiam Deo juſſu in ſpontaneam ſervitutem ſeſe dediſſe. Procul dubio autem maximus ſervorum numerus apud Germanos ex bello captis conceditur, non autem ex pretio emptis aut alio modo comparatis. Et ſane hæc cauſa eſt, quare in populis Germanicis non eadem fuerit ſervorum copia & multitudo, quo enim victor populus plures ſubjeciſſet, eo etiam plures ſub ſeſe ſervos habebat. Ita notamus in hiſtoriis Francorum, omnem Alemanniam ac Sueviam duriſſimo ſervitutis vinculo paruiſſe. De Saxonibus ſimiliter id quidam memorant, illorum tamen libertati cautum fuiſſe, neque in ſervitutem fuiſſe redactos a Carolo M. ex ſcriptoribus iis, qui antiquiſſimis temporibus res geſtas Caroli deſcripſere, manifeſtum eſt. Quemadmodum autem eadem fuere initia ſervitutis apud Germanos & alias gentes, ita & manumiſſio ſive emancipatio ſervorum non minus apud Germanos quam alias gentes obtinuit. Obſervare autem licet circa manumiſſionem illam Germanicis populis ritus quosdam fuiſſe obſervatos alius alios. De Longobardis ita loquitur PAVLVS WARNEFRIDVS *lib. I. c.* 13. *Longobardi ut armatorum poſſent ampliare numerum, plures a ſervili jugo ereptos ad libertatis ſtatum perduxerunt, utque rata eorum haberi poſſit poteſtas, ſanciunt more ſolito per ſagittam immurmurantes nihilominus ob rei firmitatem quædam patria verba.* Alios ritus Francis uſitatos egregie enarrat LEHMANNVS, *lib. II. Chron. Spirenſ. cap.* 20 Ritus Saxonibus uſitatos circa manumiſſionem in codicibus legum Saxonicarum deſcriptos videre licet. Cæterum manifeſtum eſt, etſi priſcis temporibus aliquem habuerit uſum, non tamen adeo frequentem,niſi ſumma exigente neceſſitate,fuiſſe; ſicuti de Longobardis modo audivimus,magnam ſervorum copiam libertate donaſſe, cum numerus militum deficeret. Et ſane eam ob cauſam conſtat & alias gentes ſæpe numero ſervos ſuos manumiſiſſe, quod nempe & honeſtum minus & reipubl. inutile haberetur armis ſervos inſtruere. At vero ea neceſſitas non ſæpe ita adfuit, itaque & aliæ cauſæ fuerunt frequentiores manumiſſionis. Quæ vero illæ fuerint ſatis videtur manifeſtem ex eo, quod paulatim hominibus Germanicis, ut & aliis populis Chriſtiana religione imbutis perſuaſum fuerit requirere charitatem & libertatem Chriſtianam, ut omnis ſervitus dura e medio tollatur. Et ſane hæc ratio eſt, quare in antiquis monumentis & literis manumiſſorum domini profiteantur, ſe ſalutis æternæ conſervandæ gratia ſervos ſuos libertate donare. Enimvero

ſatis notum eſt: (a) ne pati quidem inter ſe *junctas ſedes.* (b) Colunt diſcreti ac diverſi, *ut fons, ut campus,* (c) ut nemus placuit. Vicos locant, non in noſtrum morem, connexis & cohærentibus ædificiis: ſuam quisque domum ſpatio circumdat, ſive adverſus caſus ignis remedium, ſive *inſcitia ædificandi.* (d) Ne cæmentorum quidem apud illos aut *tegularum uſus.* (e) Materia ad omnia utuntur informi, & citra ſpeciem aut delectationem. Quædam loca diligentius illinunt *terra,* (f) ita pura ac ſplendente, ut picturam ac lineamenta colorum imitetur. Solent & ſubterraneos ſpecus *aperire,* (g) eosque multo inſuper fimo onerant, ſuffugium hiemi & *receptaculum* (h) frugibus: quia rigorem frigorum ejusmodi locis molliunt: & ſi quando hoſtis advenit, aperta populatur, abdita autem & defoſſa aut ignorantur, aut eo ipſo fallunt quod quærenda ſunt.

Cap. XVII. Tegumen omnibus *ſagum* (i) fibula, aut, ſi deſit, ſpina conſertum. Cætera intecti, totos dies juxta focum atque ignem agunt. Locupletisſimi veſte diſtinguuntur: non fluitante, ſicut Sarmatæ & Parthi, ſed ſtricta & ſingulos artus exprimente. Gerunt & ferarum pelles, proximi ripæ negligenter, ulteriores exquiſitius, ut quibus nullus per commercia cultus. Eligunt feras, & detracta velamina ſpargunt maculis, pellibusque belluarum, quas exterior Oceanus atque ignotum mare gignit. Nec alius fœminis quam viris habitus; niſi quod fœminæ ſæpius *lineis amictibus* (k) velantur, eosque *purpura* (l) variant: partemque veſtitus ſuperioris in manicas non extendunt, nudæ brachia ac lacertos, ſed & *proxima pars pectoris* (m) patet.

Cap. XVIII. Quamquam ſevera *illic matrimonia.* (n) Nec ullam morum partem magis laudaveris. nam prope ſoli barbarorum ſingulis uxoribus contenti ſunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, *ſed ob nobilitatem* (o) plurimis nuptiis ambiuntur. *Dotem non uxor marito, ſed uxori maritus,* (p) offert.

---

hanc arbitror potisſimam eſſe cauſam, quare ſervitus non tantum in plerisque Germaniæ populis, verum etiam in aliis Europæ regionibus tantum non penitus exoleverit, etiamſi ſervilis ſtatus Chriſtianæ libertati per ſe non adverſetur, quemadmodum ex epiſtolis Paulinis apparet, ſed tantum nimius ille dominorum rigor, qui alioquin & rectæ rationis dictamini contra it.

(a) *ſatis notum*) GOEB. In Germania magna & Caroli M. tempora rariora fuiſſe loca mœnibus cincta, ad diſſertat. de urbibus larius traditur. De Germaniæ urbibus ſub Romanorum jugo gementibus vid. AMMIAN. MARCELL. *lib. XVI. c.* 3.

(b) *junctas ſedes*) GOEBEL. In epiſcopatu Monaſterienſi & ducatu Luneburgenſi multi in hunc, quem Tacitus enarrat modum, habitantes reperiuntur.

(c) *ut fons, ut campus,*) GOEBEL. Vide CLVVER. *in Germania antiqua lib. I. cap.* 13. Hoc haud dubie eſt ratio, quare tam multa in Germania locorum nomina ex *Feld*, *Wald*, aut *Born* vel *Brun*, ſint compoſita. Vid. ALTHAMMERVM *in notis, & MEIBOMII programma anno* 1686. *publicis in Tacitum lectionibus præmiſſum.*

(d) *inſcitia ædificandi.*) GOEB. Dubium eſt, quando Germani aliquam architecturæ civilis cœperint habere notitiam, Gothica primum ars ſtruendi ædificia delibari cœpit; quanquam non ignorem, a peritioribus multos in hac condendi arte oſtendi defectus.

(e) *tegularum uſus.*) GOEBEL. Atque ſic procul dubio majorum noſtrorum tuguria ſtramine injecto contecta fuerunt. Hunc morem in Weſtphalia & Saxonia inferiori pasſim adhuc in burgis & pagis adhiberi, conſtat. Et inconſultum profecto fuiſſet domicilia æternitati cuidam ſtruere, cum vix unum annum easdem occupare ſedes ſoliti fuerint. Conf. CÆSAR *de bell. Gall. lib. I. c.* 13. *lib. VI. c.* 22. *Hujus rei multas afferunt cauſas,* inquit CÆSAR, *ne asſidua conſuetudine capti ſtudium belli gerendi agricultura commutent, ne latius fines parare ſtudeant potentioresque humiliores poſſesſionibus expellant, ne accuratiora ad frigora & æſtus vitandos, ædificent, ne qua oriatur pecuniæ cupiditas, qua ex re factiones diſſenſionesque oriantur, ut animi æquitate plebem contineant, quum ſuas quisque opes cum potisſimis æquari videat.* Add. *STRAB. lib. VII. Geograph.* Putat MEIBOMIVS in *citato programmate* Germanos talibus domunculis uſos, ſub quibus aliquo ramorum nexu contegerentur, eosque domunculos *Loewen* dictos, manente dein voce in vicis oppidisque poſtmodum exſtructis. Similiter ab illis ſepibus ex arborum caudicibus ramisque contextis, quibus primum domos dein vicos & urbes muniverunt, nomen *tuyn* prædiis, pagis & oppidis inprimis in Belgio & Anglia manſiſſe.

(f) *terra*) GOEBEL. Argillam fuiſſe nonnulli putant.

(g) *aperire*) GOEBEL. SENECA *de ira lib. I.* Hunc habitandi morem majoribus noſtris cum aliis gentibus communem fuiſſe, docent PLINIVS *lib. XIX. c.* 1. *MELA lib. II. cap.* 1. *XENOPH. in expeditione Cyri cap.* 4. Vid. *CLVVER. lib. I. cap.* 13. *p.* 97. Videntur a ſpecubus illis quædam in Germania loca nomen retinuiſſe: ut *Wiſſe-Loch*, *Deber-Loch*, *Schwader-Loch*, *Heider-Loch.*

(h) *receptaculum*) GOEBEL. In hisce forte ſpecubus [illegible] linum præpararunt, de quo teſtatur PLINIVS *in hiſtoria naturali lib. XIX. c.* 1. Stuvarum, ut vocantur, originem iſtinc petentes LIPSIO aberrare dicuntur, quanquam ille ex SENECA *de providentia c.* 4. doceat, hujus tempore Romanos tale quid eſſe commentos, effectu quidem pari cum Stubis, forma non prorſus.

(i) *ſagum*) *GOEBEL.* Vid. *HACHEN. in German. diſſert. IX. CLVVERIVS lib. I. cap.* 16. *KIRCHMAIER p.* 251. *ſeqq.*

(k) *lineis amictibus*) *GOEBEL. PLINIVS hiſtor. natural. lib. XIX. c.* 1.

(l) *purpura*) GOEBEL. i. e. colore rubro reſperguntur. Quis enim crederet, Germanos in tanta nummorum penuria, rerum externarum & luxus contemtu purpuram marinam, ad variandos ea lineos amictus comparare voluiſſe?

(m) *proxima pars pectoris*) GOEBEL. Hæc in fœminis patens inter malorum nonnunquam incitamenta eſt referenda; ſed in tanta Germanorum caſtimonia, nihil inde mali ſuſpicandum; præſertim cum ex Cæſare & Tacito conſtet, quamplurimos utriusq; ſexus plane nudos incesſiſſe.

(n) *illic matrimonia*) GOEBEL. Libidinibus omnes propemodum ardescebant Romæ: Intuearis quæſo non ſolum prætorum, ſed & annalium volumina. Neque una tantum Romæ erat Julia aut Meſſalina. Cognitum habemus, Romæ libidinem plerasque tantopere invaſiſſe, ut gravibus Senatus decretis libidinem fœminarum coercere neceſſum habuerit, cautumque ne quæſtum corpore faceret, cui avus, aut pater, aut maritus, eques Romanus fuiſſet. Et quod maxime merito mireris, Viſtilia prætoria familia genita antea licentiam ſtupri apud ædiles vulgaverat, more inter veteres recepto, qui ſatis pœnarum adverſum impudicas in ipſa profesſione flagitii credebant. TACITVS *annal. lib. II. c.* 85. Julia filia & neptis Auguſti omnibus probris contaminatæ relegatæ ſunt. SVETONIVS *in vita Auguſti c.* 76. Livia Druſi uxor & Tiberii nurus ſe municipali adultero, Sejano ſcilicet, fœdabat. TACITVS *annal. lib. IV. c.* 3. Meſſalina facilitate adulterorum in faſtidium verſa, ad incognitas libidines profluebat. *annal. lib. XI. c.* 26. Poppæa Neronis pellex, deinde uxor, famæ nunquam pepercit maritos & adulteros non diſtinguens, neque affectui ſuo aut alieno obnoxia, unde utilitas oſtenderetur, illic libidinem ferebat. TACITVS *annal. lib. XIII. c.* 45.

(o) *ſed ob nobilitatem*) GOEBEL. Duæ Arioviſti uxores memorantur apud CÆSAREM *de B. G. lib. I. c.* 53.

(p) *Dotem uxori maritus*) GOEBEL. De dote mariti late egimus ad *diſſertat. de antiq. Germ. republ.* Quid Gallis hic fuerit receptum, docet CÆSAR *de bello Gall. lib. VI. c.* 19.

offert. Interſunt parentes & propinqui, ac munera probant: *munera* (a) non ad delicias muliebres quæſita, nec quibus nova nupta comatur, ſed boves & frenatum equum cum framea gladioque. In hæc munera uxor accipitur. atque in vicem ipſa armorum aliquid viro affert. Hoc maximum vinculum, hæc arcana ſacra, hos conjugales deos arbitrantur. Ne ſe mulier extra virtutum cogitationes extraque bellorum caſus putet, ipſis incipientis matrimonii auſpiciis admonetur, venire ſe laborum periculorumque ſociam, idem in pace, idem in prælio, paſſuram auſuramque. Hoc *juncti boves*, (b) hoc paratus equus, hoc data arma denunciant. Sic vivendum, ſic pereundum. Accipere ſe quæ liberis inviolata ac digna reddat, quæ nurus accipiant, rurſusque ac nepotes referant. Ergo Cap. XIX.
ſepta pudicitia agunt, nullis *ſpectaculorum illecebris*, (c) nullis conviviorum irritationibus corruptæ. *Literarum ſecreta* (d) viri pariter ac fœminæ ignorant. Paucisſima in tam numeroſa gente adulteria; quorum pœna præſens, & maritis permiſſa. *Acciſis crinibus* (e) nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. Publicatæ enim pudicitiæ nulla venia. Non forma, non ætate, non opibus maritum invenerit. Nemo enim illic vitia ridet, nec *corrumpere* (f) & corrumpi ſeculum vocatur. Melius quidem adhuc eæ civitates, in quibus tantum virgines nubunt, & cum ſpe votoque uxoris ſemel tranſigitur. *Sic unum accipiunt maritum* (g) quomodo unum corpus, unamque vitam: ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tamquam maritum ſed tamquam matrimonium ament. Numerum *liberorum finire*, (h) aut quemquam ex agnatis necare, flagitium habetur: plusque *ibi boni mores valent*, (i) quam alibi bonæ leges. In omni domo nudi ac ſordidi, Cap. XX.
in hos artus, (k) in hæc corpora, quæ miramur, excreſcunt. Sua quemque *mater uberibus* (l) alit: nec ancillis ac nutricibus delegantur. Dominum ac ſervum nullis educationis deliciis dignoſcas. *Inter eadem pecora*, (m) in eadem humo degunt, donec ætas ſeparet ingenuos, virtus agnoſcat. *Sera juvenum Venus*, (n) eoque

(a) *munera*) *GOEBEL. KIRCHMAIER p.* 165.

(b) *juncti boves*) GOEBEL. Obiter moneo, minus recte huc quadrare quod KIRCHMAJERVS ex EGINHARDO refert, quod Childericus bobus junctis & bubulco ruſtico more agente tractus ſit. Junctis bobus nihil aliud ſignificare voluerunt, quam quod inter conjuges laborum debeat eſſe ſocietas & periculorum, ut recte hoc Tacitus interpretatus eſt.

(c) *ſpectaculorum illecebris*,) GOEBEL. Spectaculis Romani adjectisſimi, quæ inſequi ſolent familiariores notitiæ, imo ſpectacula libidinum alimenta fovent. Vid. HERT. *in notitia veter. Germ. popul. p.* 27.

(d) *Literarum ſecreta*) GOEBEL. Jamdudum viris doctis perſuaſum fuit, Tacito hic ſermonem eſſe de occulto ſcribendi modo per notas & ſiglas, quem Romani in amatoriis adhibere ſolebant epiſtolis. Quod autem Germani non plane literarum fuerint imperiti, id probare ſatagunt ex Marabodui epiſtola quam ad Tiberium dedit. TACITVS *lib. II. annal. c.* 63. Idem tradit *l. c. c.* 88. lectas fuiſſe in ſenatu Adgandeſtrii Cattorum Principis literas: Verum hæc probatio non admodum ſtringit; nam unius aut alterius Principis linguæ forte Romanæ peritia id, quod Tacitus de gente in genere dicit, evertere non poteſt.

(e) *Acciſis crinibus*) GOEBEL. Pœna pro atrocitate delicti ſatis levis, ſed tum major non requirebatur in illa gente, ubi adulteria admodum erant infrequentia. Duo hic notanda veniunt: 1.) quod ex fœmina adultera pœnam hanc ſumere potuerit maritus. Quod aliquibus improbandum videtur, cum omnia rectius per judices agantur: putarem tamen hoc nonniſi marito, qui fœminam in flagranti deprehenderit delicto, datum eſſe, eoque verba, *quorum pœna præſens*, ſpectare arbitrarer. Quod autem 2.) pœnam ipſam attinet, acciſos crines ſummæ ignominiæ nota erat, & in gravisſimorum criminum reos hæc ſtatuebatur tonſura. Vid. CANGIVS *in gloſſario ſub voce decalvatio.* Excipiebatur tamen puerorum & clericorum tonſura. Conf. ZIEGLER *de clericorum tonſura.* Ab hoc more vocis *Hur* originem repetendam, non nemo exiſtimat, ita ut tali nomine per *ἀντίφρασιν* venerit, quæ in ſignum proſtitutæ pudicitiæ nudatum crinibus habuerit caput. Opinatur enim ille, & innuptam vitiatam forficem paſſam eſſe. Ego inde ritum, quod fœminæ, non viduæ, quarum illæſa creditur pudicitia, ad confarreatum ſacerdotis ope matrimonium provolantes, in illibatæ virginitatis indicium ſæpe fallax cirros in dorſo fluitantes oſtendant, quodammodo profluxiſſe autumo. De adulterii pœnis apud Suecos vid. STIRNHOECK *de jure Sueconum lib. II.* Quæ autem apud Saxones tempore Bonifacii atrocior adulterii pœna recepta fuerit, docet. CLVVER. *c.* 43. Quænam adulterorum in Germania hodie ſint pœnæ, ex uniuscujusque territorii conſtitutionibus & conſuetudinibus, quæ ſæpe a jure communi recedunt, eſt addiſcendum.

(f) *corrumpere*) GOEBEL. Quam vellem hi mores adhuc hodie valerent.

(g) *Sic unum accipiunt maritum*) GOEBEL. Et apud Græco-Romanos ſecundæ nuptiæ ex eccleſiæ doctorum placitis ſummo erant in odio. Vid. BRVNNEM. *ad auth. ſequent. C. de ſecundis nuptiis.*

(h) *liberorum finire*,) GOEBEL. Penes Romanos vetuſtioribus temporibus licitum erat, liberos exponere & necare, quod ex immoderata illa, quam pater in liberos habuit, provenit poteſtate. DIONYSIVS HALICARNASSEVS *lib. II. antiquitat. Romanor. c.* 27. Morem illum adhuc ſub Chriſtianis duraviſſe imperatoribus aſſerit NODT *in Julio Paulo cap.* 4. contenditque, tempore Pauli JCti partus expoſitionem inter inhoneſta fuiſſe relatum; aſt nulli delictum illud ſubfuiſſe pœnæ; quoniam ejus in *lib. IV. ff. de agnoſcendis & alendis liberis* nulla fiat mentio: ſed refutatus eſt a BINKERSHOECKIO Celeberrimo Batavorum JCto.

(i) *ibi boni mores valent*,) GOEBEL. Autori noſtro non fuit animus tradendi, ac ſi Germani omnibus omnino deſtituti fuerint legibus, quoniam nulla ſine legibus eſſe poteſt reſpublica: ſed tantum innuere vult, Germanos ex conſuetudine magis & virtutis amore, quam legum præcepto & metu pœnarum, ad virtutem latos fuiſſe. Interim vigente illo virtutis cultu, paucisſimis haud dubie opus fuit legibus; cum enim honeſta ſuopte ingenio peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabatur.

(k) *in hos artus*) GOEBEL. De cauſis magnitudinis, quam Romani in Germanis tantopere mirabantur, peculiaris autoris noſtri extat tractatus. Vide CÆSAREM *de bello Gallico lib. IV. c.* 1. HERTIVM *l. c. p.* 42.

(l) *mater uberibus*) GOEBEL. KIRCHMAIER *pag.* 251. CLVVER. *lib. I. c.* 21.

(m) *inter eadem pecora*) GOEBEL. Sunt hodienum in Germania loca, ubi eadem adhuc vitæ ratio inter ruſticos obſervatur.

(n) *Sera juvenum Venus*) GOEBEL. CÆSAR *de B. G. lib. VI. c.* 21. Inde magis adhuc colligere posſumus, a veritate alienum eſſe, quæ SEXTVS EMPIRICVS *Pyrrh. hypoth. lib. I. c.* 24. tradit, majores noſtros maſcula ſe polluiſſe venere. Multo veriora ſunt, quæ QVINTILIANVS habet: *Nihil tale novere Germani & ſanctius vivitur ad Oceanum. HERTIVS de notitia veteris Germaniæ populorum.* Phyſicorum doctrina eſt, gentes ſeptentrionales non ita ac verſus orientem & meridiem habitantes in venerem ardeſcere. Quod ſi hoc ubique ita ſe haberet, ADAMO BREMENSI *lib. IV. c.* 84. de Suecis aſſerenti: *In ſola mulierum copula modum neſciunt*, fides non eſſet adhibenda. Nec hodie apud nos æque ac in Hiſpania & Italia aliisque regioni-

eoque inexhauſta pubertas. nec virgines feſtinantur. *eadem juventa*, (a) ac ſimilis proceritas. pares validique miſcentur. ac robora parentum liberi referunt. Sororum filiis idem apud avunculum, qui apud patrem honor. Quidam ſanctiorem arctioremque hunc nexum ſanguinis arbitrantur, & in accipiendis obſidibus magis exigunt, tanquam ii & animum firmius & domum latius teneant. Heredes tamen ſucceſſoreſque ſui *cuique liberi:* (b) & *nullum teſtamentum*. (c) Si liberi non ſunt: proximus gradus in poſſeſſione, fratres, patrui, avunculi. Quanto plus propinquorum, quo major affi-

Cap. XXI. nium numerus, tanto gratioſior ſenectus. nec ulla orbitatis pretia. Suſcipere tam *inimicitias* (d) ſeu patris ſeu propinqui quam amicitias neceſſe eſt. *Nec implacabiles* (e) durant. Luitur enim etiam *homicidium* (f) certo armentorum ac pecorum numero, recipitque ſatisfactionem univerſa domus; *utiliter in publicum*, (g) quia *periculoſiores ſunt inimicitiæ juxta libertatem*. (h) Convictibus & *hoſpitiis* (i) non alia gens effuſius indulget. Quemcunque mortalium arcere tecto, nefas habetur: pro fortuna quisque apparatis epulis excipit. Cum defecerit, qui modo hoſpes fuerat, monſtrator hoſpitii & comes, proximam domum non invitati adeunt. nec intereſt. pari humanitate accipiuntur. Notum ignotumque quantum ad jus hoſpitii nemo diſcernit. Abeunti, ſi quid popoſceris, concedere moris: & poſcendi invicem eadem facilitas. Gaudent muneribus. ſed nec data imputant; nec acce-

Cap. XXII. ptis obligantur. Victus inter hoſpites comis. Statim e ſomno, quem plerumque *in diem extrahunt*, (k) lavantur; ſæpius calida, ut apud quos plurimum hiems occupat. Lauti, cibum capiunt. *Separatæ ſingulis* (l) ſedes, ſua cuique menſa. Tum ad negotia, nec minus ſæpe ad convivia, procedunt armati. Diem noctemque continuare *potando*, (m) nulli probrum. Crebræ, ut inter vinolentos, rixæ, raro conviciis, ſæpius cæde & vulneribus tranſiguntur. Sed & de reconciliandis invicem inimicis, & jungendis affinitatibus, & adſciſcendis principibus, de pace denique ac bello, plerumque in conviviis conſultant: tamquam nullo magis tempore, aut ad ſimplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incaleſcat. Gens *non aſtuta* (n) nec callida, aperit adhæc ſecreta pectoris licentia loci. Ergo detecta & nuda omnium mens poſtera die *retractatur:* (o) & ſalva utriusque temporis ratio eſt. Deliberant, dum fingere neſciunt: conſtituunt, dum errare non poſſunt.

Cap. XXIII. *Potui humor ex ordeo* (p) aut frumento, in quandam ſimilitudinem vini corruptus. Proximi ripæ & vinum mercantur. *Cibi ſimplices:* (q) agreſtia poma, recens fera, aut *lac concretum*. (r) Sine apparatu,

bus calidioribus matrimonia maturantur; licet hoc, ante vigeſimum annum fœminæ notitiam habuiſſe, æque ac illud, paucisſima in tam numeroſa gente adulteria, longe ab uſu receſſerit.

(a) *eadem juventa*) GOEBEL. Inæqualia matrimonia multorum malorum cauſa ſunt, & non raro exhauſtarum virium ſenes matrimonium cum juvencula contractum innata ex ſecta Pythagoræ littera fronti luunt, aut novæ veneris amplexibus nimium indulgentes, ſibi fata approperant.

(b) *cuique liberi*) GOEBEL. In quantum parentum bona liberorum complectuntur alimenta, in tantum his in ea ipſo naturali jure debetur ſucceſſio.

(c) *nullum teſtamentum*) GOEBEL. Et Suecos nulla olim habuiſſe teſtamenta STIERNHOEC *l. c.* tradit. Quod ut hodie quoque obtineat, in multorum, quibus infinitæ propemodum fori de teſtamentis lites notæ ſunt, eſt votis.

(d) *inimicitias*) *GOEBEL.* Vid. *PICCART. in obſervat. hiſtor. politic. decad. VI. c. 6.* Chriſtianismi regulis magis conveniens, in parentum & proximorum inimicitiis nullas habere partes.

(e) *nec implacabiles*) GOEBEL. Hoc Hiſpanorum moribus aliter ſe habere, illuſtris fœmina Comes d'AVNOY *in itinerario ſuo Hiſpanico* docet

(f) *homicidium*) GOEBEL. Videmus itaque in Germanicis gentibus homicidia etiam doloſa pecuniæ ſumma non ita magna lui potuiſſe. Niſi forte dixeris, pro nummi illius temporis paucitate mulctam hanc ſatis magnam fuiſſe. Quid hic in medio ævo tam liberorum quam ſervorum intuitu obtinuerit, addiſcendum eſt ex lege Salica *tit. 28, 44. capitular.* apud BALVZ. *tom. I. p. 303. 305. Leg. Bajuw. tit. III. c. 25. 309. 310.* De Suecis ait STIRNHOEC *p. 351.* *Ceterum quod Tacitus in communi Germanis tribuit, circa luitionem homicidiorum, id præcipue apud nos obtinuit, ſatisfactionem ſcilicet homicidii univerſam domum recepiſſe; quam utiliter in publicum non dixerim.* Eſſent hic omnino quædam de ratione diverſitatis legum pœnalium veterum Germanorum, ad homicidia attinentium, dicenda: ſed ob nimiam typographi feſtinationem hæc alii tempori erunt reſervanda.

(g) *utiliter in publicum*) GOEBEL. Utilitatis hujus hæc forte fuit ratio, quod eo magis ab homicidiis abſtinuerint, quia non neſciebant, totam familiam fore, cujus incurrerent odia, & cui ſatisfieri deberet.

(h) *periculoſiores inimicitiæ juxta libertatem*) GOEB. Hæc forte verba inter obſcuriora Taciti loca ſunt referenda, quæ pretium libri, quem tantis elogiis celebrat CLVVERIVS *lib. I. Germ. antiquæ c. 1.* imminuere dicuntur. Verum enim vero ſunt, qui hæc non Tacito, ſed amanuenſium incuriæ & imperitiæ tribuenda eſſe judicant. Mihi videtur hunc poſſe verborum eſſe ſenſum, toti familiæ idem videri, ſi caput aliquod amittunt, ac ſi omnium libertati inſidiæ ponerentur.

(i) *hoſpitiis*) GOEBEL. CÆSAR *de bello Gallico lib. VI. c. 23.* MELA *de ſitu orbis lib. III.* CLVVER. *lib. CXIX. §. 5.* Suecones ob hoſpitalitatem admodum celebrat ADAMVS BREMENSIS *de ſitu Daniæ p. 35.* Vid. HERT. *p. 35.*

(k) *in diem extrahunt*) GOEBEL. Hoc corporis robori, & proceræ ſtaturæ incrementa dediſſe, in *diſſertatione de habitu corporum Germanicorum* docetur.

(l) *ſeparatæ ſingulis*) *GOEBEL.* Vid. *CLVVER. in German. antiqua lib. I. c. 17.*

(m) *potando*) *GOEBEL.* Ebrioſitatis vitium, quod majoribus imputari ſolet, ad *diſſertat. de antiqua republica Germanor.* excuſare anniſus ſum. Vid. GROT. *in proleg. hiſt. Goth. Vand. p. 19. CLVVER. lib. I. c. 9.*

(n) *non aſtuta*) GOEBEL. Hoc alibi de dominationis flagitiis & tectis fallendi artibus interpretatus ſum. Imo ſi VELLEJO PATERCVLO adhibenda fides, verſutisſimi fuere. Abſit tamen huic & Straboni, Germanos genus mendaciorum, & fidem fallere edoctum, criminantibus, ſubſcribere velle; fide enim & armis nihil unquam mortalium ante Germanos fuit.

(o) *retractatur*) GOEBEL. Neſcio an hic genuinus ſit verborum ſenſus, ac ſi altero die rem reſumſerint, & iterum tractaverint. Potius ex Taciti ſententia dicendum videtur, majores noſtros id, quod obnubilata hordei liquore mente, in ſui detrimentum pacti erant, revocaſſe, cum facultate cognoſcendi, quam conſenſus præſupponit. non fuerint uſi.

(p) *potui humor ex hordeo*) GOEB. Vid. KIRCHMAIER. *p. 301. ſeqq.*

(q) *Cibi ſimplices*) GOEB. Vid. CÆSAR. *de bello Gall. lib. VI. c. 22.* Ubi majorem partem victus eorum in carne, lacte & caſeo conſiſtere dicit. Idem de *Suevis lib. IV. c. 1.* ait: *neque longius anno remanere uno in loco, incolendi cauſa, licet, neque multum frumento, ſed maximam partem lacte & carne vivunt.* *CLVVER. lib. I. cap. 17.*

(r) *lac concretum*) GOEBEL. Per hoc aliqui butyrum intelligunt.

ratu, ſine blandimentis expellunt famem; adverſus ſitim non eadem temperantia. Si indulſeris ebrietati ſuggerendo quantum concupiſcunt, haut minus facile vitiis quam armis vincentur. *Genus*
Cap. XXIV.
ſpectaculorum (a) unum atque in omni cœtu idem. Nudi juvenes, quibus id ludicrum eſt, inter gladios ſe atque infeſtas frameas ſaltu jaciunt. exercitatio artem paravit, ars decorem. non in quæſtum tamen aut mercedem. quamvis audacis laſciviæ pretium eſt voluptas ſpectantium. *Aleam* (b) (quod mirere) ſobrii inter ſeria exercent; tanta lucrandi perdendive temeritate, ut cum omnia defecerunt, extremo noviſſimo jactu de libertate & de corpore contendant. Victus voluntariam *ſervitutem* (c) adit. Quamvis junior, quamvis robuſtior, alligari ſe ac venire patitur. Ea eſt in re prava pervicacia: ipſi fidem vocant. Servos conditionis hujus per commercia tradunt, ut ſe quoque
Cap. XXV.
pudore victoriæ exſolvant. *Cæteris ſervis*, (d) non in noſtrum morem deſcriptis per familiam miniſteriis, utuntur. Suam quisque ſedem, ſuos penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut veſtis, ut colono injungit: & ſervus hactenus paret. cætera domus officia, uxor ac liberi exſequuntur. Verberare ſervum, ac vinculis & opere coercere, rarum. occidere ſolent, non diſciplina & ſeveritate, ſed impetu & ira ut inimicum, niſi quod impune. Liberti non multum ſupra ſervos ſunt, raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate. Exceptis duntaxat iis gentibus, quæ regnantur. Ibi enim *& ſuper ingenuos & ſuper nobiles* (e) *aſcendunt.* (f) Apud cæteros, *impares* (g) libertini libertatis argumentum ſunt. *Fenus agitare* (h) & in uſuras extendere, ignotum:
Cap. XXVI.
ideoque magis ſervatur, quam ſi vetitum eſſet. Agri pro numero cultorum *ab univerſis per vices* (i) occupantur, quos mox inter ſe ſecundum dignationem partiuntur: Facilitatem partiendi camporum ſpatia præſtant. Arva per annos mutant, & ſupereſt ager. Nec enim cum ubertate & amplitudine ſoli labore contendunt, ut pomaria conſerant, & prata ſepiant, & hortos rigent. ſola terræ *ſeges imperatur.* (k) Unde annum quoque ipſum non in totidem digerunt ſpecies. Hiems & ver & æſtas intellectum ac vocabula habent; *autumni* (l) perinde nomen *ac bona ignorantur.* (m) *Funerum nul-*
Cap. XXVII.
la (n) ambitio. Id ſolum obſervatur, ut corpora clarorum virorum *certis lignis crementur.* (o) Struem rogi

(a) *Genus ſpectaculorum*) GOEBEL. Vide tamen *deſcript. Gothiæ, Sueciæ Tinnungiæ* apud Dom. HAHN *in collect. monum. veter. tom. II p.* 241. Ludi tales armati exercitii cauſa & Carolingorum tempore frequentabantur. NITHARDVS *de diſſenſionibus filior. Ludovici Pii lib. III. p.* 474. Habebant & Græci & Romani talia exercitia.

(b) *Aleam*) GOEBEL. Sunt qui per aleam luſum Schachorum intelligendum eſſe arbitrantur; cum ille ſit luſus quodammodo militaris. Hoc tamen ludendi pruritu non totam gentem, ſed viliſſimum quemvis ex ea contaminatum fuiſſe, putat CLVVERIVS.

(c) *ſervitutem*) GOEBEL. Contemtiſſimi omnium erant, qui hoc modo libertatem amiſerant, itaque & venditioni obnoxii erant.

(d) *Cæteris ſervis*) GOEBEL. Vide STAM *de ſervitute perſonali.* POTGIESERVM *de ſervis*, HERTIVM & THOMASIVM *de hominibus propriis*, & meam differtat. *de jure & judicio ruſticorum fori.* Quæ ſervorum in Weſtphalia ſub Carolo M. fuerit conditio, tradit MEINDERS *de ſtatu religionis & reipublicæ p.* 229. *ſeqq.*

(e) *& ſuper ingenuos & ſuper nobiles*) GOEBEL. Per nobiles haud dubie hic intelliguntur, qui ob munus aliquod in republica cæteris ingenuis antecedebant. Nonnulli putant nobiles ſ. Adelingos peculiarem & ingenuis contradiſtinctam conſtituiſſe ſpeciem, & fuiſſe, ex quibus Reges, Duces & Grafiones, qui Tacito Principes vocantur, ſumti ſunt, ita tamen, ut ſi in belli ducem quis eligendus eſſet, non tam ad nobilitatem, quam ad virtutem cooptantes oculos intenderint. Atque ſi forte ex nobilitate non adeſſet, qui virtute militari emineret, etiam ex ingenuis belli duces juxta id quod Tacitus tradit, electos eſſe dicunt.

(f) *aſcendunt*) GOEBEL. Videntur liberti ideo a Regibus ad tantum dignitatis apicem elevati, quia ab ipſis utpote manumiſſionis beneficio affectis, gratum animum & in rebus agendis illibatam expectabant fidem.

(g) *impares*) GOEBEL. Imparis potius legendum eſſe puto, ac ſi libertini apud populos qui non regnantur inferioris & non æqualis fuerint libertatis.

(h) *Fenus agitare*) GOEBEL. Huc pertinet illud JVSTINI de Scytis: *plus apud illos valet ignoratio vitiorum, quam cognitio virtutis.* Cæterum fenus agitare, æquitati naturali non repugnat, cum ſolertia hominum pecuniam in ſe rem ſterilem maxime fructiferam fecerit. Vid. NODT *de fœnore & uſuris*, GROT. *de J. B. & P. lib. II. c.* 12. §. 20.

(i) *ab univerſis per vices*) GOEBEL. GROT. *de jure B. & P. lib. II. c.* 8. §. 9. cum CLVVERIO & KIRCHMAIERO aliisque ſtatuit, male legi per vices, ſed legendum eſſe per vicos, ita, ut a populo occupata deinde inter ſingulos ex illo populo diſtributa fuerint, & quæ indiviſa manſerunt, ad populum ſpectaverint. Vide HERTIVM *in notis ad PVFFENDORF. de J. N. & G. lib. IV. c.* 6. §. 3. *SCHILT. exercit. IV. ad pandectas* §. 13. *Dn. DITMAR ad h. l.*

(k) *ſeges imperatur*) GOEBEL. Et ſoli agro frumentario intentiorem ſolebant operam navare, ita ut terræ quaſi frumenti copiam imperare viderentur.

(l) *autumni*) GOEBEL. Majores noſtros dimenſionum anni ſecundum æquinoctia & ſolſtitia non æque peritos fuiſſe conſtat. Attamen non ſoli Germani tria tantum anni tempora conſtituerunt. Id enim cum quibusdam orientis gentibus commune habuerunt. CLVVER. *lib. I. c.* 33.

(m) *ac bona ignorantur*) GOEBEL. Hoc ad vices & alia autumni bona, quæ culturam requirunt, intelligendum eſt.

(n) *Funerum nulla*) GOEBEL. De Romanorum ambitione circa funera agunt GVTHERIVS *de jure manium & KIRCHMAIERVS de funeribus Romanorum.* Majores noſtri inania illa ceremoniarum contemtim habentes, cadaver aut terræ mandabant, aut in cineres redigebant. Equidem non ita procul a vero abeſſe, ut *CLVVERIVS G. A. lib. I. cap.* 53. ſibi perſuadet, opinor, clarorum tantum virorum corpora cremata eſſe. Enimvero locus DIODORI, quem ille adducit, non probat quod omnia corpora fuerint combuſta. Deinde dici poſſet, ſi quid ille locus ex univerſali haberet: illud ad ingenuos tantum ſpectare, quippe qui tantum armis inſtructi fuere. Quodſi quique demortui ſervilis etiam conditionis homines cremati eſſent, haud dubie major urnarum numerus reperiretur; niſi dixeris, virorum ſaltim clarorum exuvias urnis fuiſſe commiſſas. Mos cremandi cadavera in noſtra gente per Carolum M. ſublatus eſt, qui in id audentes pœnam ſanxit capitalem. BALVZ. *tom. I. p.* 252. *capitul.*

(o) *certis lignis crementur*) GOEBEL. Non facile definiveris, quæ conſtruendæ pyræ majores noſtri adhibuerint ligna. Clariſſimus DITMARVS *in commentar.* quercina Germanis inprimis ſacra fuiſſe ſuſpicatur. Romani varia hic adhibere ſoliti fuerunt ligna; præſertim ea, quæ facile concipiebant flammam, quæque adjectis pice papyroque adhoc magis apta reddebantur. *Procumbunt piceæ, ſonat icta ſecuribus ilex fraxineæque trabes cuneis & fiſſile robur ſcinditur, advolvunt ingentes*

rogi nec veſtibus nec odoribus cumulant. *Sua cuique arma*, (a) quorundam igni & equus adjicitur. Sepulcrum *ceſpes erigit.* (b) Monumentorum arduum & operoſum honorem, ut gravem defunctis, aſpernantur. Lamenta ac lacrumas cito, dolorem & triſtitiam tarde ponunt. Fœminis lugere honeſtum eſt: viris meminiſſe.

Cap. XXVIII. Hæc in commune, de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus. Nunc ſingularum gentium inſtituta, ritusque, quatenus differant, quæ nationes e Germania in Gallias commigraverint, expediam. Validiores olim Gallorum res fuiſſe ſummus auctorum divus Julius tradit. eoque credibile eſt, etiam Gallos *in Germaniam transgreſſos.* (c) Quantulum enim amnis obſtabat, quo minus, ut quæque gens evaluerat, occuparet permutaretque ſedes, promiſcuas adhuc & nulla regnorum potentia diviſas? Igitur inter Hercyniam ſilvam Rhenumque & Mœnum amnes, *Helvetii:* (d) ulteriora *Boji*, (e) Gallica utraque gens, tenuere. Manet adhuc *Bojemi nomen* (f) ſignificatque loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus. Sed utrum *Avariſci* (g) in Pannoniam ab Oſis Germanorum natione, an Oſi ab Avariſcis in Germaniam commigraverint, cum eodem adhuc ſermone, inſtitutis, moribus utantur, incertum eſt: quia pari olim inopia ac libertate, eadem utriusque ripæ bona malaque erant. *Treveri* (h) & *Nervii* (i) circa affectationem Germanicæ originis ultro ambitioſi

---

montibus ornos. VIRGIL. *Æneid. VI.* Ne autem gravi uſtrinæ odore populi circumſtantis offenderetur corona, rogus cupreſſo cingebatur. Vid. *SERVIUM* ad *lib. VI. Æneid. OVID. lib. III. triſt. eleg. XIII. KIRCHMAIER de funer. Roman. lib. III. c. 1.*

(a) *Sua cuique arma*) GOEBEL. Gallis morem fuiſſe, quicquid vivis cordi fuerit rogo eorum adjicere, etiam ſervos & clientes, quos ab iis dilectos eſſe conſtabat, teſtis eſt CÆSAR *de B. G.* Id etiam Indicis quibusdam gentibus uſu receptum eſſe, itinerariorum autores tradunt; ſic ut conjuges quoque, quæ inter ſuos honeſtatis fama celebrari, aut potius ab infamiæ macula ſe liberare volunt, mariti rogo ſe injicere cogantur. Vid. THEVENOTIVS. Solenne hoc etiam Scythis, Indis, antiquis Thracibus, Æthiopibus & Herulis fuiſſe SERVIVS *lib. V. Æneid. CICERO V. Tuſc. HERODOTVS lib. IV. c. 71.* aliiq; quos *KIRCHMAIERVS de funeribus Romanorum pag.* 334. refert, teſtantur. Non alia hujus inſtituti fuit ratio quam ne in altera vita eorum uſu aut ſocietate, quæ maxime, hujus lucis uſuram trahens, in amoribus habuerat, deſtitueretur. SOLINVS *cap.* 17. late & erudite hanc rem pertractat. Cæterum hinc colligere licet, majores noſtros opinionem foviſſe, animam mortalem corpori valedicentem ad alteram quandam transferri vitam. POMPONIVS MELA *de ſitu orbis lib. 3. cap. 3. STRABO in geograph. lib. VII. VOSSIVS lib. II. theolog. gentil. LVDEWIG de conceptu gentilium in vita æterna credenda*, & *KEYSLER in antiquitatibus ſeptentrionalibus.*

(b) *ceſpes erigit*) *GOEBEL.* Conſulendi hic ſunt, qui de tumulis & urnis ſepulchralibus ſcripſerunt, ut DANIEL MAJOR *in Cimbria ſua, JOH. CHRISTOPH. SCHVLENBVRG & BLVMIVS de urnis Bremenſibus. GEORG FRIDERICH MITHOFIVS de urnis Vendicis prope Luchoviam, in collect. etymol. LEIBNIT. p. 335. SCHMINCKIVS de urnis Haſſiacis NVNINGIVS de ſepulchreto Weſtphaliæ*, & varii autores de hoc argumento *in novis literariis maris Balthici, RICHEGVS de tumulis ſepulchralibus & urnis Holſaticis*, KEYSLERVS *de monumento Salisburienſi Stonchenus dicto & de urna Nedlingenſi veteris Marchiæ, STIEFIVS de urnis Arnſtadienſibus, CHRIST. FRID. REVSCHIVS de urnis & tumulis in Pruſſia.* Sunt qui putant, monumenta ſepulchralia, quæ paſſim in Germania reperiuntur, non Germanorum ſed Romanorum eſſe opera, quoniam Tacitus notatis verbis addit: *Monumentorum arduum & operoſum honorem aſpernantur.*

(c) *in Germaniam transgreſſos*) GOEBEL. Hunc locum nec non *c. 24. lib. VI. JVLII CÆSARIS de B. G. & LIVII lib. V. c.* 34. citant Bodinus, Lacarius aliique Francorum originem magnæ hominum multitudini ſeſe quondam trans Rhenum ex Gallia in Germaniam effundenti adſcribentes. Hanc deinde transmiſſo aut occupato, quod ad dextram Rheni ripam, ad ejus divergium jacet, Rhenum transgreſſum, antiquas ſedes patriæ poſtliminio velut recuperaſſe. Attamen refelluntur hanc foventes opinionem a MONZAMBANO *c. 1. ſ. 4.* COCCEJO *in prolegomen. J. P. p.* 17. Non enim ſcriptorum Romanorum autoritas in rebus gentis, cujus antiquitates non, ut par eſt, callebant, omni exceptione major eſt; deinde ipſe Tacitus tantum credibile dicit, Gallorum coloniam in Germaniam migraſſe, quia Cæſar validiores quondam Gallorum res fuiſſe auctor eſſet; porro non videtur probabile, cum Triboci, Nemetes, Vangiones, Treviri Germanicam jactaverint originem, oram hisce fere oppoſitam a Gallis fuiſſe occupatam; denique quomodocunque etiam hæc ſeſe Gallica habeat migratio, gentem per tot ſeculorum lapſum in Germanico habitantem ſolo moresque & linguam Germanorum adoptantem pro Germanis habendam eſſe dubio caret. MONZAMBANO *l. c.*

(d) *Helvetii*) GOEBEL. Hos Galliæ tribuit Cæſar & cum eo autor noſter. Verum ab autoribus antiquitatum peritis jamdudum monitum, Galliæ vocabulum interdum Celtiæ eſſe ſynonymon, quod ex ipſo etiam Cæſare liquet, & tam late Gallorum vel Galatarum vocabulum accipi, ut etiam Germanos complectatur. AMMIANVS MARCELL. *lib. XV. c.* 9. COCCEJVS *J. P. in prolegom. §. 9. ſeqq.* Obtinuit autem, ut interdum ſub Germanorum voce quædam tantum eorum gentes intellectæ ſint, quæ Helvetiis ut ſpecies alii ſpeciei ejusdem generis contradiſtinguebantur. Et ponamus, Gallicæ gentis vocabulum a Tacito ſtricte fuiſſe acceptum: Dubium tamen penes Romanos fuiſſe, cuinam genti, an Gallis ſtricte dictis, an vero Germanis Helvetii ſint accenſendi, omnino dicendum. Id etiam ex LIVIO *lib. XXI. c.* 28. conſtat, qui eos ſemi-Germanos vocat. Huic accedit, quod Plinius & Ptolomæus Helvetios in Germania ſuperiori Belgicæ provinciæ parte poſuerint; quanquam aliqui hoc ad illam partem, quæ prope Rhenum eſt, & deinde Alemannia dicta, reſtringant. GVILLIMANNVS *de rebus Helvet. lib. I. p.* 2. Quod reliquum Helvetios origine Germanos fuiſſe, & ex eo patefcit, quod omni tempore Germanica uſi ſint dialecto, quoniam in Helvetia nulla reperiantur veſtigia Gallicam unquam ibi adhibitam fuiſſe linguam.

(e) *Boji*) GOEB. Hi cum Baivariis Germanica gente non ſunt confundendi. Vid. VALESII *notitia Galliæ l. XXIV. ad ann. 725. HERTIVS in notitia veteris Germaniæ populor. c. 2. p. 96.* Interim Boji quoque ex illis fuerunt gentibus, quas Livius Semigermanos vocat. Quid ſi quis affirmaret, Bojos illos originem ſuam Gallis illis, qui ſub Brenni ductu Gallo Græciæ nomen dederunt, debuiſſe: Brennum autem Gallis, ſive Celtis Semnonnibus genti Germanicæ præfuiſſe, veroſimilis maxime eſt opinio. Quæ hic veterum ſint traditiones, docet LAZIVS *de migrationibus gentium p.* 281.

(f) *Bojemi nomen*) GOEBEL. Licet Marcomanni, pulſis Bojis in illas ſedes transierint; Bojemi tamen nomen, cujus & Vellejus Paterculus mentionem facit, ſuperſtes manſit.

(g) *Avariſci*) GOEBEL. CLVVERIVS *in Germania lib. I. cap. 5. §. 4. ANCHTO* apud *SCHARDIVM* eos circa Cremniciam, Oſios autem in Moravia habitaſſe dicit.

(h) *Treveri*) GOEBEL. Horum ſæpe JVLIVS CÆSAR mentionem facit. Vid. HERT. *notitia veter. Germaniæ populorum part. II. c. 1. §. 13. BROWERI annal. Trevir.* CLVVERIVS *Germ. antiq. lib. II. cap.* 14. VALESIVS *in notitia Galliæ ſub voc. Treviri.* Et Celeb. *MASCOV in hiſtor. German. lib. III. §. 5.*

(i) *Nervii*) *GOEBEL.* Hi cum Treviris ad Germanos, quos

ambitioſi ſunt, tamquam per hanc gloriam ſanguinis a ſimilitudine & inertia Gallorum ſeparentur. Ipſam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt, *Vangiones*, (a) *Triboci*, (b) *Nemetes*. (c) *Ubii* (d) quidem, quamquam Romana colonia eſſe meruerint, ac libentius Agrippinenſes conditoris ſui nomine vocentur, *origine erubeſcunt*: (e) transgreſſi olim, & experimento fidei ſuper ipſam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut cuſtodirentur. Omnium harum gentium virtute præcipui *Batavi*, (f) non multum ex ripa, ſed inſulam Rheni amnis colunt. *Cattorum quondam populus*, (g) & ſeditione domeſtica in eas ſedes transgreſſus, in quibus pars Romani imperii fierent. Manet honos & antiquæ ſocietatis inſigne. nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit. exemti oneribus & collationibus, & tantum in uſum præliorum ſepoſiti, velut tela atque arma, *bellis reſervantur*. (h) Eſt in eodem obſequio & *Mattiacorum gens*. (i) Protulit enim magnitudo populi Romani ultra Rhenum, ultraque veteres terminos imperii reverentiam. Ita ſede finibusque in ſua ripa, mente animoque nobiſcum agunt; cætera ſimiles Batavis, niſi quod ipſo adhuc terræ ſuæ ſolo & cœlo acrius animantur. Non numeraverim inter Germaniæ populos, quam- Cap. XXIX.

Pp 3 quam

RomaniCisrhenanos appellabant, referuntur. Vide CLVVERIVM *lib. II. c.* 22. VALESIVM *in voc. Turnacum*, HERTIVM *l. c.* §. 10. De horum ſedibus & gentibus vide BVCHERIVM *in Belgio Romano cap.* 30. *Vorbereitung zu Ludwigs Geſchicht-Schreiber von dem Biſchoffthum Würtzburg c.* 11. *p.* 28. Hanoniam hodie ut plurimum eſſe, ex Bucherio notat Hertius, & tum gentis caput Bavacum (Bagacum) Hanoniæ urbem hodie nomen poſt tot ſecula retinere Bavai; quanquam alii hoc Cameracum fuiſſe contendant, cujus tamen nec in Antonii itinerario, nec in Peutingeriana tabula mentio injicitur. Nerviis vicini erant Aduatici, de quibus JVLIVS CÆSAR *lib. II. c.* 28. *de B. G.* ſcribit, ex Cymbris Teutoniſque procreatos eſſe; & habuiſſe præter cætera oppida & caſtella unum oppidum egregie a natura munitum: Hoc nonnullis eſt Namurcum, Vid. VALES. *in notit. Gall. voc. Advatici*, *CLVVER. lib. II. Germ. antiq. c.* 21. Hic in Aduaticorum locum Bethoſios, quorum TACITVS *lib. IV. hiſt. I. c.* 56. commeminit, ſucceſſiſſe autumat. Gentis nomen in vico Beth prope Dimeram reliquum dicunt. Jungi his poſſunt Sunici de quibus TACITVS *lib. IV. hiſtoriarum c.* 66. loquitur: Videntur cum Cæſaris Segnis iidem eſſe, & locum haud dubie in territorio Limburgico tenuerunt, ubi hodie adhuc pagus Sinnich notus eſt. HERTIVS *l. c.* §. 11. BUCHERIVS *c.* 12. CLVVERIVS *lib. II. c.* 19. MENSO ALTINGIVS *notitia German. infer. antiquæ voc. Sunici.*

(a) *Vangiones*) *GOEBEL.* TACITVS *annal. XII. c.* 27. *lib. IV. hiſtor. c.* 76. CLVVERII *Germania antiqua lib. II. c.* 13. Tractum illum, ubi hodie Wormatia eſt, inſederint. Caput regionis Borgotomachus, deinde a gente Vangiones item Vangionum civitas dicta. *Vorbereitung zu des Herrn von LVDWIGS VVürtzburgiſchen Geſchicht-Schreiber. p.* 34. WILLICHIVS apud SCHARDIVM *fol.* 59.

(b) *Triboci*) GOEBEL. De his *BEBELIVS diſſertat.* conſcripſit. Plinio & Straboni Tribochi dicuntur, quos Tacitus cum Cæſare Tribocos & Triboces vocat. Strabo auctor eſt eos in Galliam eſſe translatos. Eosdem cum his Argentoratenſes eſſe dubitat WILLICHIVS *fol.* 60. Hic Ptolomæum ſequitur, qui Borbelomagum & Argentoratum Vangionum urbes facit. Vid. tamen *cit. Vorbereitung c.* 3. *p.* 32. CLVVER. *G. A. lib. II. c.* 2. & MASCOV *lib. III.* §. 5. Meminit quoque Caracatium *lib. IV. hiſtor. c.* 70. Sed dubium, an Triboccis, an vero Nemetibus ſint accenſendi; ad priores eos Valeſius, ad poſteriores Cluverius refert.

(c) *Nemetes*) GOEBEL. Hi PTOLOMÆO, JVLIO CÆSARI *lib. I. c.* 51. & TACITO *lib. XII. c.* 27. memorantur. PLINIVS *lib. IV. c.* 17. Gallici ſoli partem, quæ Rheno adjacet, eos occupaſſe, teſtatur, & Zonaras vocat Nemezos gentem Gallicam: ſed notum eſt [illegible] Celtarum populum, etiam Germanos complexum eſſe. Igitur haud quaquam neceſſum eſt in dubium vocare, an Zonaræ Nemezi iidem cum Nemetibus ſint. Dici etiam poteſt, Gallos a ſolo, quod inhabitabant, vocatos eſſe, cum trans antiquos Germaniæ limites in Gallico habitaverint ſolo. Princeps gentis civitas a Ptolomæo Neomagum & in tabula Peutingeriana aut Theodoſiana Neomagus appellatur. Hanc hodie ſub Spiræ nomine venire, ſunt qui putant. Vid. *Vorbereitung* ad LVDWIGII *ſcriptores Wurtzburgenſes p.* 32. 33.

(d) *Ubii*) GOEBEL. Gens Germanica ab Agrippa Agrippinæ avo in fidem accepta, poſtea Romana colonia auctior reddita. TACIT. *annal. XII. c.* 27. Vid. PLINIVS *in hiſtor. natur. lib. IV. c.* 17. *cit. Vorbereitung p.* 39. *ſeqq.* CLVVERIVS *Germ. antiqua lib. II. c.* 17. WILLICHIVS *fol.* 60. apud SCHARDIVM.

(e) *origine erubeſcunt*) GOEBEL. Videtur hic particula negativa addenda, ut monet Lipſius.

(f) *Batavi*) GOEBEL. TACITVS *lib. II. annal. c.* 6. & *lib. IV. hiſtor. c.* 12. HERTIVS *de veteris Germaniæ populis parte altera c.* 1. §. 3. *cit. Vorbereitung p.* 44. *ſeqq.* Germaniæ eos vindicat JUNIUS *in Batavia c.* 4. *p.* 34. *ſeqq.* quem CLUVERIUS *lib. II. c.* 34. in vanum refutare laborat.

(g) *Cattorum quondam populus*) GOEBEL. GROTIUS *de antiquitate reipublicæ Batavicæ c.* 2. JANUS DOUSA *in Batavia p.* 3. *ſeqq.* putat, Batavos, antequam ob inteſtinas diſcordias, relicto patrio ſolo, novas ſedes quærere coacti fuerint, circa Adranum & Gilſam fluvios in Waldeccenſis comitatus confiniis ſitos fuiſſe. Cujus rei teſtimonium perhibere videntur & Batobergum arx, edito in colle Adrano alluenti adſidens, & Baddenfeldum prope eundem fluvium, locus nominatus AUCTORI *annalium de geſtis Caroli M.* Hæc repetit HERTIVS *l. c.* §. 3. Douſæ nomine omiſſo. Nec Cattici nominis in Batavia deſunt veſtigia. Nota ibi ſunt loca Catwyk op den Rhyn & Catwyck op ſee. Cæterum in Zelandia Cattorum memoriam tuentur tum Catzium oppidum, quod aquis eſt obrutum, tum e regione ejus vicus Goeſam urbem Cattendyk Cattorum agger dictus. DOUSA & HERT. *l. c.* VALESIVS *voc. Batavia*, CLUVERIUS G. *A. lib. II. c.* 30.

(h) *bellis reſervantur*) GOEBEL. *Batavi ferox gens lib. I. hiſtor. cap.* 59. *nec opibus Romanis ſocietate validiorum attriti viros tantum armaque imperio miniſtrabant. lib. IV. hiſt. c.* 12. JVLIVS CÆSAR *lib. I. c.* 1. *de bello Gallico.* Imprimis autem Batavi equitatu valuerunt. JUNII *Batavia cap.* 5. & 6. Partem inſulæ Batavorum Cattineſates coluerunt. TACITVS *lib. IV. hiſt. c.* 15. JUNIUS *in Batavia p.* 18. *ſeqq.* Docet autem CLUVERIVS *lib. II. c.* 33. hanc Cattorum quoque progeniem illa occupaſſe loca, ubi hodie ſunt Goudewærden, Oudewater, Montfort, Iſſelſtein, Utrecht, Vianen, Culenburg. Batavorum quoque vicini fuerunt Toxandri, de quibus vide PLIN. *lib. IV. H. N. c.* 17. BUCHER *in Belgio Romano lib. I. c.* 14. VALESIVS *notit. Gall. voc. Toxandri.* His jungi poſſunt Tungri, qui in locum Eburonum, a Julio Cæſare, propter legionis ſuæ cædem, exciſorum, ſucceſſiſſe videntur, item Gugerni vel Cugerni, Marſacii, Menapii, de quibus veterum, ut & Cluverii & Valeſii loca affert HERTIUS *l. c.*

(i) *Mattiacorum gens*) GOEBEL. Et hæc fuit Cattorum propago, quæ pulſis Ubiis agros eorum occupavit. HERTIVS *l. c. cap.* 2. §. 26. Non autem Zelandiam inhabitarunt, ut aliqui aberrant; ſed TACITO *lib. I. annal. c.* 56. PLINIO *in hiſtoria naturali l. XXXI. cap.* 2. & AMMIANO MARCELLINO teſtibus ultra Rhenum ultraque veteres imperii terminos habitarunt. Vid. MENSO ALTINGIUS *in notit. veter. German. p.* 122. Huic autori videtur a Romanis W ignorantibus pro Weteraviis, a terra quam inhabitabant, Mattiacos eſſe dictos. Romano deinde more caput gentis Mat-

quam trans Rhenum Danubiumque conſederint, eos qui *Decumates agros* (a) exercent. Leviſſimus quisque Gallorum, & inopia audax, dubiæ poſſeſſionis ſolum occupavere. Mox limite acto pro-
Cap. XXX. motisque præſidiis, ſinus imperii & pars provinciæ habentur. Ultra hos *Catti* (b) initium ſedis ab *Hercynio ſaltu* (c) inchoant, non ita effuſis ac paluſtribus locis, ut ceteræ civitates, in quas Germania pateſcit. durant ſiquidem *colles*, (d) paulatimque rareſcunt: & Cattos ſuos ſaltus Hercynius proſequitur ſimul atque deponit. Duriora genti corpora, ſtricti artus, minax vultus, & major animi vigor. Multum, *ut inter Germanos*, (e) rationis ac ſolertiæ; præponere electos, audire præpoſitos, noſſe ordines, intelligere occaſiones, differre impetus, diſponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem *inter certa* (f) numerare: quodque rariſſimum, non niſi *ratione diſciplinæ* (g) conceſſum, *plus reponere in duce*, (h) quam in exercitu. Omne robur in pedite, quem ſuper arma *ferramentis quoque & copiis* (i) coonerant. Alios ad prælium ire videas, *Cattos ad bellum*. (k) Rari excurſus & fortuita pugna. Equeſtrium ſane virium id proprium, cito parare victoriam, cito cedere.
Cap. XXXI. velocitas juxta formidinem, cunctatio propior conſtantiæ eſt. Et aliis Germanorum populis uſurpatum,

toburgum, ſive ut hodie pronunciatur Marburgum dictum eſſe contendunt CELLARIVS *orbis antiqui lib. II c. 5. LACARIVS in notis.* Quanquam in hoc Menſo Altingius cum iis non coincidat. PLINIVS Mathiacorum in Germania calidorum fontium mentionem facit, quos AMMIANVS MARCELLINVS Mattiacas vocat aquas. Videntur hi fontes Wisbadenſium nomine hodie venire. *Monument. Paderborn. pag.* 221. & DITMARVS *in not. ad h. l. c.* Si conjicere fas eſt, dicerem, amanuenſium forte incuria pro C. eſſe *M.* ſcriptum, & hanc gentem a Romanis dictam eſſe Cattiacos, quoniam a Cattis originem trahebant.

(a) *Decumates agros*) GOEBEL. Sunt qui putant, a Tacito peculiarem hic deſignari gentem, ex Narbonenſi Gallia oriundam. Vid. KIRCHMAIER qui citat PLIN. *in hiſt. natur. lib. III. c. 4.* & POMPON. MELAM in *geogr.* Alii varias gentes agros illos inhabitantes ſeculo III. Alemannos dici cœpiſſe affirmant. CLUVERIUS *lib. III. G. IV. c. 4. & LACARIVS de coloniis Gallicis lib. I. c. 3.* LIPSIUS hos agros nomen a decimis, qui inde ſolvebantur, habuiſſe tradit.

(b) *Catti*) GOEBEL. LEIBNITIUS *in comment. ad excerpta veterum autorum p. 10. tom. I. ſcript. Brunſv.* Cattorum & Heſſorum idem nomen, pronunciatione tantum differre ſecundum dialectos, ſtatuit. Vocabulo originem gentis militarem ſignificari tradunt, quia ad inſtar felium hoſte dilaceraverint. Sunt viri docti, quorum fert opinio, quæ Julius Cæſar, Strabo, Florus de Suevis referunt ad Cattos ſpectare. CLUVER. *lib. III. G. A. cap. 5. CELLARIVS tom. I. lib. II. cap. 5. pag.* 473. Quod autem hic autor Mattiacum ſive Marburgum gentis caput vocet, cum eo in hoc non convenio; nam Mattiaci res ſuas a Cattis ſeorſim habuerunt, & pro horum capite potius Cattorum caſtrum, quod hodie Caſellanum dicitur, habendum eſſe exiſtimo. Late ſatis hæc gens habitavit; *Catti enim ſive Chatti, ut eos vocat Plinius, usque ad Mœnum habitabant, ampliſſima natio & late diffuſa ab ortu usque Salam amnem per Thuringiam, a ſeptentrione in Weſtphaliam ad Paderbornenſes fines, & præter Hasſiam Wetteraviam & partem Rhenani tractus ac ripas Loni fluvii inter hos fines omnia posſidebant CELLARIVS l. c. §.* 473. Haſſorum pagus celebris admodum Carolingorum tempore fuit. WINCKELMANNI *chron. Haſſ. p.* 20.

(c) *Hercynio ſaltu*) GOEBEL. *Hercyniæ ſylvæ magnitudo ſexaginta dierum eſt, ab Iſtro usque ad Neccarum ea Schwartzwald dicitur, a Neccaro ad Mœnum Otenwald, a Mœno usque ad Lonam, quem & Moſul vocavit, prope confluentiam, Weſterwald, inde Franconiam ab Hasſia & Thuringia dividens in Boemiam, Sarmatiam, Panoniam, Getas porrigitur, variis appellata nominibus. AUTOR annotat. ad PLIN. hiſtor. natural. lib. XVI. cap.* 2. Vid. WINCKELMANNI *Chr. Hasſiac. cap.* 7. Plinio admodum hic ſaltus ob roborum vaſtitatem intactam ævis, & congenitam mundo, prope immortali ſorte miracula excedentem &c. celebratur.

(d) *colles*) GOEBEL. Ut ſunt Taunus TACITO *lib. I. c. 56. & lib. XII. annal. c.* 28. memoratus, Meliobocus, quo vocabulo Ptolomæus *den Blocks-Berg* exprimit, & Bocenis. Vide CÆS. *de bello Gall. lib. VI. c.* 10. DITMARUM & JUNCKERUM *in geograph. med. p.* 150. Partes etiam hujus ſylvæ conſtituiſſe videntur Cæſia ſylva, TACITUS *annal. lib. I. c.* 50. Gabreta, de qua Ptolomæus & Strabo tradunt; nec non Semana, Luna & Marciana Ammiano Marcellino memorata. Vid. CLUVER. *G. A. lib. III. c. 47. CELLAR. notit. orb. antiq. tom. I. p.* 462. 463.

(e) *ut inter Germanos*) *GOEBEL.* Hisce autor Cattis non abſolute, ſed reſpective intuitu aliorum Germanorum multum tribuit rationis. Indulget Tacitus gentis ſuæ vitio, quæ Germanos ſtupidiorum habebant numero, quos tamen non ita obtuſæ fuiſſe mentis, ex ipſis rebus adverſus Romanos geſtis conſtat. Imitantur in eo Romanos Bodinus, Bonhurſius: Sed hi & ſi qui ſunt alii hujusmodi criminationum autores egregie vapulant ab AUTORE *vindiciarum nominis Germanici contra quosdam obtrectatores Gallos.* Doctiſſimum ſcriptum nonnulli celeberrimo Croſio (la Croſe) tribuunt.

(f) *inter certa*) GOEB. Omnia præter virtutem fluxa ſunt & caduca; beatus ille, qui eam ita colit, ut nullo vitiorum confinio lædatur. Quam vellem ut hoc elogii etiam hodie ad Teutonum quadraret gentem, Fortuna dubia eſt, & maxime inconſtans, quoniam ex gentilium ſententia non habebat principium aliquod eligens, & dirigens actiones juxta merita; ſed omne quod involvebat, ab abſoluto & cœco dependebat fato, quod non obſervabat regulam, ubi eadem eſt cauſa, ibi idem etiam ſit effectus. Virtus e contra certa eſt, ob principii eligentis & dirigentis certitudinem, ita ut homo in potentias ſuas ipſum in transverſum abripientes juſtum exercens imperium, ita ut ejus actiones nec in officium erga Deum nec ſemetipſum aut alios peccent, eundem ſemper conſequatur effectum nempe virtutem, quæ in vita humana apprime eſt utilis. Cumque fortuna ex eorum opinione tantum a fato, virtus ex merito proveniret, Catti merito a Tacito laudantur, quod fortunam contemtim, virtutem autem in pretio habuerint.

(g) *ratione diſciplinæ*) GOEBEL. LIPSIO autore, in Bambergenſi codice additum eſt Romanæ; eam enim in Germanis plerumque autor noſter deſideravit, eaque illos tantum a Romanis victos eſſe dicit.

(h) *plus reponere in duce*) GOEBEL. Hoc merito diſciplinæ adſcribendum militari; hujus enim præcipuum eſt, ut omnes ad nutum ducis ſint intenti; ubi autem non eſt diſciplina, ibi nec ducis imperata facturi ſunt; ſed unusquisque ſibi ipſi dux eſt: Aſt ubi hoc obtinet, ibi non omnes in unam conſpirant ſententiam; ſed omnes diverſas imo contrarias eligunt vias, & ſic proſpera nequaquam pugnari poterit fortuna. Cumque ſi proſperi quid in bello geri debeat, unius potiſſimum dicto omnes oportet eſſe audientes; quapropter, ut ille dux animo & prudentia valeat, neceſſum eſt. Et ſi deinde vincitur ipſius exemplo & conſilio, victoria non tam militibus, utpote inſtrumentis quaſi paſſivis, quam duci eſt adſcribenda. Quæ in tali duce requirantur tradidit MELLIOTUS *in diſcurſibus politicis ad Taciti annales, & ipſe TACITUS in vita Agricolæ.*

(i) *ferramentis quoque & copiis*) GOEBEL. Per hæc annona militaris, vel cibaria & belli utenſilia intelligenda eſſe, videtur.

(k) *Cattos ad bellum*) GOEBEL. Hoc eo tendit, quod reliquorum Germanorum prælia tumultuaria tantum fuerint; Catti vero antequam ſe huic aleæ commiſerint, de omnibus, quæ bello recte gerendo, vel etiam trahendo inſervire potuerint, ſoliciti fuerunt.

patum, rara & privata cujusque audentia, apud Cattos *in conſenſum vertit:* (a) ut primum adoleverint *crinem barbamque* (b) ſummittere, nec niſi hoſte cæſo exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum. Super ſanguinem & ſpolia revelant frontem; ſeque tum demum pretia naſcendi retuliſſe, *dignosque patria* (c) ac parentibus ferunt. Ignavis ac imbellibus manet ſqualor. Fortiſſimus quisque ferreum inſuper annulum (*ignominioſum id genti*) (d) velut vinculum geſtat, donec ſe cæde hoſtis abſolvat. Plurimis Cattorum hic placet habitus. Jamque canent, inſignes & hoſtibus ſimul ſuisque monſtrati. Omnium penes hos initia pugnarum, hæc prima ſemper acies, *viſu nova.* (e) nam ne in pace quidem vultu mitiore manſueſcunt. *Nulli domus* (f) aut ager, aut aliqua cura: prout ad quemque venere aluntur, prodigi alieni, contemtores ſui, donec exſanguis ſenectus tam duræ virtuti impares faciat. Proximi Cattis certum jam alveo Rhenum quique terminus eſſe ſufficiat, *Uſipii* Cap. XXXII.
ac Tencteri (g) colunt. Tencteri ſuper ſolitum bellorum decus, *equeſtris diſciplina* (h) arte præcellunt. nec major apud Cattos peditum laus, quam Tencteris equitum. Sic inſtituere majores, poſteri imitantur. hi luſus infantium: hæc juvenum æmulatio: perſeverant ſenes. inter familiam, & penates, & jura ſucceſſionum, *equi traduntur.* (i) excipit filius, non ut cætera maximus natu, ſed prout ferox bello & melior. Juxta Tencteros *Bructeri* (k) olim occurrebant: nunc Chamavos & Angri- Cap. XXXIII.
varios

(a) *in conſenſum vertit*) GOEBEL. i. e. In conſuetudinem abiit.

(b) *crinem barbamque*) GOEBEL. Et hæc votorum ratio apud alias quoque obtinuit gentes. SVETONIVS *in Cæſ. TACITVS. hiſt. lib. IV. cap.* 61. *PAVLVS WARNEFRIDVS hiſtor. Longob. cap.* 3. Cæterum magna barbæ in multis gentibus fuit reverentia. Illi nutriendæ viri togati & potiſſimum philoſophi incumbebant, qui tamen ſæpe ſub magna fallebant barba, Non eſt ignotum, quam ſalſe Lucianus & Julianus apoſtata in magnas ludant barbas. Militares autem viri conſultius putabant, eam ſubnectere aut demere, ne ea, ſi cominus pugnaretur, ab hoſte apprehenſa, huic facilem præberet victoriam. Vid. ALEXANDRI ab ALEXANDRO *dier. geneal. p.* 290. *ſeqq. CAMER. horar. ſubciſiv. lib. I. cap.* 36. Non tamen plane barba a Cattis aliisque Germanis depoſita videtur: ſed ſi Diodoro Siculo fides adhibenda, myſtacem retinuerunt. Idem dicendum de coma & cæſarie, quæ multis quoque gentibus in pretio fuit, ſic ut in Francis regiorum natalium ſignum fuerit, capillum nutrire ſolutum inque terga demiſſum. Vid. *Excerpta ex AGATHIA apud Grotium pag.* 532. Multis gentibus uſu receptum fuit, ut bello operam navantes anteriorem ſaltim raderent capillum, ne iis ab hoſtibus raperentur. Quinimo & illam comam, quam occiput alebat, abbreviatam fuiſſe, ne humeris involitare poſſet, aut nodo coactum reor. Denique amplificatus multum capillus, & caput undecunque obſepiens, ad expeditiones & ſudores militares parum quadrat. Igitur & hodierni milites eum complicatum ſub pileum agunt, aut in caudam nectunt.

(c) *dignosque patria*) GOEBEL. Id in republica maximam partem militari, ubi cuncta ad armorum gloriam dirigebantur, non æque barbarum dicendum puto,

(d) *ignominioſum id genti*) GOEBEL. Id eſt, in illa gente ignominioſum reputabatur, tali annulo indutum habere digitum, quo ſignificabatur, gerentem ſe nondum a vinculo, quo patriæ adſtrictus erat, per hoſtis occiſionem liberaſſe.

(e) *viſu nova*) GOEBEL. Id eſt, in ſui admirationem omnes, ob virorum militarium torvos vultus, nonniſi cædes ſpirantes, abripiens. Neque rectius Catti rebus ſuis conſulere potuerunt, quam illis, quibus tantopere jugulare hoſtes in votis erat, & quos nullum patrimonii ſtudium tenebat, initia pugnarum committere. Hi namque rebus præclare geſtis ſuis in exemplum, & hoſtibus in terrorem inſignes erant.

(f) *Nulli domus*) GOEBEL. Viſi enim haud dubie ſunt indigni, in patria domo & agris gaudere, quamdiu nexu, quo ei devincti ſunt, ſe non hoſtis cujusdam cæde quodammodo exſolverint. Eis autem, qui toto vitæ tempore ad canentem usque ſenectam illum retinuerint habitum, tanta fuit rei militaris cura & necandorum hoſtium ardor, ut rem familiarem & œconomica onera plane neglexerint. Videntur tamen hæc non ad totam Cattorum gentem, ſed ad delectum quendam ejus, huic vinculo ſe addicentem, ſpectaſſe.

(g) *Uſipii ac Tencteri*) GOEBEL. Uſipii, Uſipetes ſ. Uſipetæ, Tencteri, Tenchteri, Tanchari & Tincteri a Cattis pulſi Menapiorum occuparunt terras, a Druſo poſtea devicti, & ſub Romanorum jugum redacti ſunt. CÆSAR *lib. IV. c.* 4. TACITVS *lib. IV. hiſtor. c.* 64. *annal. lib. II. c.* 26. CLVVERIVS *lib. III.* CELLARIVS *tom. I. p.* 69. Videntur in comitatibus Lippiaco & Waldeccenſi, epiſcopatu Paderbornenſi habitaſſe, & Uſipetes aliquando Batavorum vicini fuiſſe. Proximi his fuerunt Sicambri, quorum antiqua ſedes fuit ſupra Luppiam, & in extremis finibus eorum fuit Aliſo fluvius & caſtellum. *Monumenta Paderbornenſia.* CELLARIVS *lib. II. cap.* 5. *p.* 471. 472. Cujus commodam ſæpe expertus operam Autor *der Vorbereitunge* ſcriptoribus Würtzburgenſibus præmiſſæ, licet ipſum nonniſi incidenter in teſtem vocet. Sed redeamus ad rem ipſam. Sigambrorum præter Cæſarem & Tacitum mentionem injiciunt SVETONIVS *in Auguſto c.* 20. DIO CASSIVS *lib.* 39. 40. 54. aliique, ab AVTORE *notar. in monument. Paderbornenſ.* citati. Primum illa loca ubi Siga eſt coluiſſe dicuntur, hinc ad Rhenum progreſſi, ad Ruram, ubi Sigeburgi unius ex tribus præcipuis Saxonum caſtellis veſtigia reliqua ſunt; deinde ad Luppiam & pene ad Viſurgim usque fines ſuos protulerunt. *Monumenta Paderbornenſia p.* 12. Ex DIONIS *libr.* 54. apparere videtur, illo tempore quo Druſus Aliſonis caſtrum munivit, Sigambros territorium, quod hodie diœceſin Paderbornenſem conſtituit, incoluiſſe. Vid. *Monumenta Paderbornenſia l. c. & p.* 13. 14. Hunc tractum poſt Aliſonem fluvium, & circa fontes Luppiæ ſaltus Teutoburgenſis, Varriana clade nobilis, attingebat. TACITVS *lib. I. annal. c.* 60. Silva hæc in regione illa, ubi Teutoburgium, quod hodie dicitur Detmolda, Lippienſium comitum primaria ſedes, invenitur. CELLARIVS *l. c. Monumenta Paderbornenſia p.* 31. 32. CLVVERIVS *lib. III. cap.* 15. 19. SCHATENII *hiſtor. Weſtphal. pag.* 67. Incertum, quo dein fato ad illa loca, quæ hodie Geldri ac Clivli tenent, ſint delati. Poſtea in adverſam Rheni ripam, & in Galliam ab Auguſto traducti ſunt. SVETONIVS *in vita Auguſti p.* 142. SCHATENIVS *in hiſtoria Weſtphaliæ p.* 10. Sed ad antiquas rediiſſe ſedes videntur. TACITVS tandem omnes exciſos, STRABO magnam partem relictos tradit.

(h) *equeſtris diſciplinæ*) GOEBEL. CÆSAR *lib. IV. c.* 16 SCHATEN. *H. W. p.* 49.

(i) *equi traduntur*) GOEBEL. Hic nonnulli Heergewette primordia reperiri ſibi perſuaſum habent.

(k) *Bructeri*) GOEBEL. Vid. CELLAR. *l. c. pag.* 465. SCHATEN. *hiſtor. Weſtphal. pag.* 11. CLVVERIVS *lib. III. cap.* 13. Hi Weſtphaliæ meditullium incoluerunt. Strabo minores ad utramque Luppiæ ripam collocat, majores inde ad Chaucorum & Friſiorum fines extendit. Inhabitarunt itaque terras Monaſterienſes, comitatum Zutphanienſem, magnam partem diœceſis Osnabruggenſis & Paderbornenſis, nec non comitatum Retbergenſem & Delbrugiam. SCHATENIVS *hiſt. Weſtphal. p.* 11. Ad Bructerorum potiſſimum terram ſpectant, quæ Tacitus de Germania quod ſylvis horrida & paludibus fœda ſit, tradit. Unde nomen ſcilicet *van broecken* traxiſſe videntur.

ized by Google

varios immigraſſe narratur, pulſis Bructeris ac *penitus excisis*, (a) vicinarum conſenſu nationum; ſeu ſuperbiæ odio, ſeu prædæ dulcedine, ſeu favore quodam erga nos deorum: nam ne ſpectaculo quidem prælii invidere. Super LX. millia non armis teliſque Romanis, ſed quod magnificentius eſt, oblectationi oculiſque ceciderunt. Maneat, quæſo, duretque gentibus ſi non amor noſtri at certe odium ſui: quando urgentibus imperii fatis, nihil jam præſtare fortuna majus poteſt, quam hoſtium diſcordiam.

Cap. XXXIV. *Angrivarios* (b) & *Chamavos* (c) a tergo *Dulgibini* (d) & *Chaſuari* (e) claudunt, *aliæque gentes* (f) haut perinde memoratæ: a fronte Friſii excipiunt. Majoribus minoribuſque *Friſiis* (g) vocabulum eſt ex modo virium. Utræque nationes uſque ad Oceanum Rheno prætexuntur, ambiuntque immenſos inſuper lacus & Romanis *claſſibus navigatos*. (h) Ipſum quin etiam Oceanum illa tentavimus. Et ſupereſſe adhuc Herculis columnas *fama vulgavit:* (i) ſive adiit Hercules, ſeu quidquid ubique magnificum eſt in claritatem ejus referre conſenſimus. nec defuit audentia Druſo Germanico, ſed obſtitit Oceanus in ſe ſimul atque in Herculem inquiri. mox nemo tentavit: ſanctiuſque ac reverentius viſum, de actis deorum credere quam ſcire.

Cap. XXXV. Hactenus in occidentem Germaniam novimus. In ſeptentrionem ingenti flexu redit. Ac primo ſtatim *Chaucorum gens*, (k) quamquam incipiat a Friſiis, ac partem litoris occupet, omnium quas expoſui gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos uſque ſinuetur. Tam immenſum terrarum ſpatium non tenent tantum Chauci, ſed & implent. Populus inter Germanos nobiliſſimus, quique magnitudinem ſuam malit juſtitia tueri, ſine cupiditate, ſine impotentia. Quieti ſecretique, nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur. Idque præcipuum virtutis ac virium argumentum eſt: quod, ut ſuperiores agant, non per injurias aſſequuntur. Prompta tamen omnibus arma, ac ſi res poſcat exercitus; plurimum virorum equorumque: & quieſcentibus eadem

(a) *penitus excisis*) GOEB. Non fuerunt penitus exciſi, ſed conſequentibus ad Pipinum & Carolum M. temporibus armis clari validique. SCHATENIVS *l. c.*

(b) *Angrivarios*) GOEBEL. Celeberrima quondam gens, quæ conſpirantibus cum ea Chamavis Bructeros ad internecionem propemodum delevit. Vetuſtiſſima gentis ſedes in montibus Teutonibus, ubi Engern vicus, arx & monumentum Witekindi Angrivariorum ducis hodienum ſpectatur. SCHATEN. *l. c. p.* 12. Extenderunt autem deinde ſe per Oſnabruggenſem diœceſin Hervordiam & per jugum Teutonicorum montium in ſuperiorem partem epiſcopatus Paderbornenſis & ſubjectam montium planitiem. SCHATEN. *l. c. pag.* 12. CLVVERIVS *lib. III. cap.* 14. *Monumenta Paderbornenſia p.* 132. 133.

(c) *Chamavos*) GOEBEL. Horum ſedes incerta eſt. Haud dubie tamen a Rheni ripa, ubi illo tempore, quo Julius Cæſar in Galliam expeditionem ſuſcipiebat, habitarunt, digreſſi, in Angrivariorum, Ampſivariorum & Cattorum finibus ſedes fixerunt. SCHATEN. *pag.* 11. MENSO ALTINGIVS *voc. Chamav.* CELLARIVS *tom. I. p.* 470. HERTIVS *p.* 75. 76. Videntur etiam terras quaſdam in epiſcopatu Oſnabruggenſi item in comitatu Marcano & Lingenſi inhabitaſſe.

(d) *Dulgibini*) GOEBEL. CLVVERIVS *lib. III. cap.* 15. Leibnitio autore, in eorum regione hodie Tecklenburgii degunt. HERTIVS *p.* 77.

(e) *Chaſuari*) GOEB. Veteribus etiam dicuntur Choſſuarii, Chittuarii Attuarii & Hattuarii. SCHATENIVS *l. c. p.* 13. eos Cattorum partem & clientes fuiſſe putat, in quo illi Strabo favere videtur, qui Cattis proximos fuiſſe affirmat: Cæterum Leibnitius genti nomen fuiſſe, quia Haſæ in Oſnabruggenſi diœceſi accolæ fuerunt, exiſtimat. Vide HERTIVM *in notitia veteris Germaniæ populorum c.* 2. § 11.

(f) *aliæque gentes*) GOEBEL. Dn. DITMARVS recenſet Ambrones, Amſibarios, Langobardos & Tubantes.

(g) *Friſiis*) *GOEBEL.* Clarum Friſiorum inter Germanos nomen. TACITVS *lib. IV. annal. c.* 74. A libertatis ſtudio cum Menſone Altingio genti nomen enatum eſſe arbitror. Cætera fictitium eſſe privilegium Caroli Magni, quo abutuntur publicæ quietis temeratores, alibi moneo. Olim Friſiorum vocabulum multo anguſtius fuiſſe ac hodie, docet UBBO EMMIVS *de Friſiorum republica intra Flevum & Lavicam.* Verba refert *HERTIVS l. c. c.* 5. §. 11. De ſedibus vero majorum & minorum Friſiorum conf. ALTINGIVM *part. I. pag.* 71, 72. *CLUVER. lib. III. c.* 17. *CELLAR. orb. antiq. tom. I. p.* 464. 465.

(h) *claſſibus navigatos*) GOEBEL. *TACITVS annal. lib. I. c.* 79. *&* *lib. II. c.* 8.

(i) *fama vulgavit*) *GOEBEL.* Locus ubi hæ poſitæ fuerint columnæ, hodie eſt incertus. Imo OLAVS RVDBECKIVS *Atlant. part. I. cap.* 7. eas Scandinaviæ & mari Balthico vindicat. Leibnizius, fabulæ de Herculis expeditione in mare Balthicum, ſimilitudinem, quæ eſt inter fretum Danicum & Gaditanum, occaſionem præbuiſſe, aſſerit.

(k) *Chaucorum gens*) CONR. De Chaucis hæc verba loquitur PTOLOMÆVS: Loca juxta Oceanum ſupra Bructeros tenent Friſii uſque ad Amiſiam amnem; poſt hos Chauci minores, uſque ad Viſurgim amnem; deinde Chauci majores, uſque ad Albim flumen. PLINIVS ſimiliter *lib. XVI. hiſt. nat. cap.* 1. Majores minoreſque Chaucos ſibi in ſeptentrione ait viſos. Facit enim verba de iis Chaucis, qui ad Oceanum habitarunt, & quidem ad illos duos lacus, quantum apparet, qui hodie Dollerti & Indæ vocabulo uſurpantur. Atque ad Oceanum Chaucos habitaſſe nullum eſt dubium, præſertim cum idipſum & Tacitus affirmet, quando ait: incipere eos a Friſiis, ac partem littoris, Oceani ſcilicet, occupare. Sine dubio ergo ad occidentem quidem terminus Chaucorum Oceanus eſt: ſed & a ſeptentrione terminatos eodem Albi flumine, modo ex Ptolomæo audivimus. Cæterum meridiem verſus quoſnam habuerint fines, ex Tacito pariter ac Ptolomæo manifeſtum eſt. Ille quippe a Friſiis eos ait incipere, omniumque, quos paulo ante expoſuerat, gentium lateribus obtendi, donec in Cattos uſque ſinuentur. Hic vero ad Amaſin illos amnem collocat. Sunt ergo ad meridiem Chaucorum termini Amaſis fluvius & qui cis illum habitarunt tunc temporis Friſii, littora porro Dulgibinorum, Chaſuariorum, Angrivariorum & Chamavorum uſque in Chattos. Adeoque cis quidem Viſurgim tenuerunt tum temporis Chauci omnes illas terras, quæ hodie Friſiæ orientalis, Oldenburgenſis, Delmborſtani, Diepholdenſis & Hoyenſis comitatus, Mindenſis item epiſcopatus partis ſeptentrionalis appellationibus nominantur. Notum porro eſt ex Tacito, vicinos Chaucorum fuiſſe & Cheruſcos & Cattos. Facile autem apparet ab oriente hodie populos Chaucis fuiſſe vicinos, quippe cum reliquos Chaucorum terminos alii populi conſtituerint, ut ante oſtenſum eſt. Atque Cheruſcos quidem trans Viſurgim habitaſſe, non autem cis illud flumen, ſatis præclare oſtenſum eſt ex veterum monumentis a Philippo Cluverio. Quinam autem Chaucis fuerint conjuncti, aut quouſque eorum termini pertinuerint, haud perinde conſtat. Namque Cluverius quidem trans Viſurgim ſolum archiepiſcopatum Bremenſem iis attribuit: integrum vero magnum illum ducatum Brunſuicenſem & Luneburgenſem uſque ad Semianam ſylvam & Melibocum montem, qui nunc nobis *der Hartz und Brocksberg* appellantur, Cheruſcis aſſignat. A vero autem multum abludere Cluverium & nimis anguſtos limites Chaucis

Chaucis tribuere, facile fortaſſe poteſt reddi veroſimile. Primo enim Chaucos illos, qui trans Viſurgim habitarunt, Ptolomæus diſerte majores nominat Chaucos: a majoribus nempe terris & magnitudine majoris populi collatione facta eorum, qui cis Viſurgim incoluerunt. Atque ſi vera eſſet Cluverii ſententia, longi plus terrarum Chauci cis Viſurgenſes poſſederint, quam trans Viſurgim, adeoque majorum minorumque appellatio prorſus eſſet immutanda, contra Ptolomæi ſententiam. Nihilominus tamen ipſe affirmat, majorum nomen potius competere iis, qui cis Viſurgim habitarunt. Ex Tacito quoque conatur oſtendere olim maj rum appellatione hos Chaucos, non vero illos fuiſſe dictos. Atqui unicuique facile poteſt apparere, Taciti teſtimonium, quod affert, non eſſe tanti ponderis, ut quis propterea Ptolomæi verba plane velit immutare. Deinde diſerte Tacitus immenſum terrarum ſpatium Chaucos tenuiſſe affirmat. Quodſi vero non alias terras Chauci quam ſolum epiſcopatum Bremenſem trans Viſurgim incoluiſſent, non apparet profecto, quo pacto veritas verborum Taciti poſſit ſibi conſtare. Tertio, ea quæ de terminis Cheruſcorum in ſcriptoribus memorantur, manifeſto videntur indicare, Thuringiæ illos & *Misniæ* ſolum tenuiſſe in Bohemiam usque. Primo enim Marcomannis fuiſſe vicinos, qui Bojohemum habitarunt, unicuivis poteſt patere ex eo bello, quod inter Arminium Cheruſcorum ducem & Maraboduum Marcomannorum regem geſtum *lib. II. annal. a CORNEL. TACITO* deſcribitur. Porro eosdem Cheruſcos ab uno latere Melibocum montem & Semanam ſylvam habuiſſe, diſerte teſtatur Ptolomæus. Sub Senonibus, ait ille, habitant Ilingæ, ſub Ilingis Calucones, ex utroque latere Albis fluminis, ſub quibus Cheruſci & Camani usque ad Melibocum montem: ſub Camanis vero Catti. Cæterum Cattos ſub Camanis & Cheruſcis habitaſſe non poteſt intelligi, niſi Cheruſcos in Thuringia collocaverimus, quippe cum ex iis quæ ſupra diſſeruimus manifeſtum ſit, Cattos cis Thuringiam ſylvam, non vero trans illam coluiſſe. Confirmat etiam idipſum luculenter C. JVL. CÆSAR *de bell. Gall.* quando ait, Bazeniut ſylvam pro muro objectam Cheruſcis a Suevis, Suevosque a Cheruſcorum injuriis incurſionibusque prohibuiſſe. Neque vero Bazenis ſilva intelligi debet ea, quæ ad montem Melibocum eſt, cum diſerte Ptolomæus hanc alio nomine, & quidem Semanæ ſylvæ appellat. Melibocus, ait, mons ſub quo eſt Semana ſylva, dicta ſcil. ita a populo accolente Semanorum, qui alias in Ptolomæo, corrupta ut apparet ſcriptura, Camani appellantur. Jam vero ſi Cheruſci pro latere habuerunt Bojohæmum & Melibocum montem, ſi iidem terga clauſerunt Cattorum habitantium cis Thuringicam ſylvam, qui Cæſari Suevi dicuntur, utique manifeſtum eſt illum terrarum tractum, qui Thuringiæ & Voigtlandiæ cognomentis appellatur, tenuiſſe Cheruſcos, non vero trans Melibocum montem ducatum Brunſuicenſem & Luneburgenſem poſſediſſe. Neque enim neceſſe, ut addamus, nullius populi fieri mentionem, qui Thuringiæ ſolum incoluerit, niſi incolas ejus Cheruſcos poſuerimus. Itaque Chauci majores tenuerunt trans Viſurgim quicquid eſt terrarum ab Oceano & Albi usque Melibocum montem & ſylvam vicinam Semanam. Conſtat vero & ex hodierna Germaniæ forma, omnes illos populos, qui immenſum terrarum ſpatium tenent, & unius linguæ, ita eorundem etiam morum eſſe; ſtatim autem cis Melibocum montem, ut aliud idioma linguæ, ita alios quoque mores obtinere. GOEBEL. Conf. CLVVER. G. A. *lib. III. c. 18.* CELLARIVM *tom I. p. 469.* SCHILDIVM & EGGELINGVM *de Chaucis*. Sub his Francos latitaſſe ſunt qui putant. Vid. VALES. *lib. II. rer. Franc. p. 94.* Quod CONRINGIO in ſubſequentibus de Francis agendi haud dubie anſam præbuit. *Francorum* nomen, etſi poſteris ſeculis longe fuit celeberrimum, apud Tacitum tamen, Plinium, Strabonem, Pompon. Melam, Ptolomæum prorſus ignoratum. Ex hiſtoriæ Romanæ ſcriptoribus apparet tamen, Francorum nomen, ut populi inter Germanos fortiſſimi, jam Gallieni, Claudii, Probique Imperatorum temporibus innotuiſſe. Certe ex eo tempore Romano populo cum Francis perpetua interceſſiſſe bella, donec illi tandem, fractis Romani imperii viribus rerum omnium per Galliam, Italiam & Germaniam potiti ſunt, manifeſtum eſt. Cæterum originem ejus populi quod attinet, teſtatur illius ſcriptor Gregorius Turonenſis Epiſcopus, nihil de illa potuiſſe ſeſe comperire. Quod vero illo tempore rumor percrebuerat, Francos Trojanæ aut Scythicæ originis eſſe idipſum præterquam, quod nullo poſſit veriſimili indicio vel leviter oſtendi, falſiſſimum eſſe ſatis manifeſto poteſt probari. Germanicum enim populum Trojanos eſſe, vel ipſa appellatio gentis Germanicæ facile refellere poterit. Præterea vetus Francorum lingua, inſtituta porro civilia cum publica tum privata contrarium luculenter demonſtrant. Veteres item ſcriptores Romani, a quibus primam habemus Francorum memoriam, quibusque profecto Germaniæ res ad Rhenum non potuerunt eſſe incognitæ, unanimi conſenſu Germanicis populis Francos accenſent, nulla facta mentione aut Scythicæ aut Trojanæ nativitatis. Taceo nunc ipſius Trojani belli certam memoriam vix extare, & hiſtoricos illius, ſeu potius nugatores inſcitiam ſuam manifeſto prodere, dum Trojanum excidium tantum non conjungunt cum Valentiniani Imp. temporibus. Similiter ex Ponto usque Francorum populum in Germaniam adveniſſe, itidem luculenter falſum eſt. Primo enim nemo ſcriptorum veterum memorat, circa Pontum gentem aliquam Germanicam conſediſſe. Secundo nemo Latinorum Græcorumve ejus ævi ſcriptorum adventus hujus facit mentionem, cum tamen & res Germaniæ non poſſent ignorare, ſiquidem & aliarum Scythicarum gentium migrationes multis commemorarunt. Tertio falſitas narrationis vel inde poteſt apparere, quod qui id tradiderunt, ſuis fabulis de urbe Sicambria, de origine Trojana, denique de tempore adventus in Germaniam, quem rejiciunt in ſeculum quartum, cum tamen Francorum nomen jam ſeculo tertio in Germania fuerit celeberrimum, fidem ſuam omnem decoxerint penitus. Ergo cum aliunde non advenerint in Germaniam Franci, nec tamen hoc nomine memorentur a Tacito, Plinio, Ptolomæo & aliis, qui tamen ſtudioſe Germanicos populos recenſent, conſequens eſt, ut Germani quidam populi hoc nomen aſſumſerint, cum ante alio titulo dicerentur. Neque enim id videri mirum debet, fieri potuiſſe, cum nihil ſit vulgarius quam ut nomina populorum regionumque paulatim immutentur: in Germania vero etiam longe fuit uſitatiſſimum, quippe cum vix unus vel alter populus eodem adhuc nomine audiat, quo Taciti ævo fuit appellatus. Verum quinam populi priſco ſuo nomine mutato, Francorum appellationem aſſumpſerint, jam videndum eſt. Adrianus Turnebus ex Scandinavia credit oriundos, quoniam in illa inſula Ptolomæus Phiroſſos quaſi voce corrupta ex Francis collocet; ſed ut alia taceam, præter conjecturam nihil affert, ideoque ejus ſententiæ accedere neſcio annon innane fuerit. FRANCISCVS HOTTOMANNVS *lib. IV. Franco Gallia*, quem ſequitur & tantum non exſcribit REINERVS REINECCIVS, Hottomanni licet nomine diſſimulato, commentariolo, quem de Francorum origine inſcripſit, Chaucos Francorum nomen adſumſiſſe arbitratur. Philippus Cluverius non hos tantum ſed & Angrivarios, Dulgibinos, Chamavos, Cattos, Cheruſcos, Vſipios, Tencteros, ſed etiam Friſios hoc olim nomine fuiſſe uſurpatos exiſtimat. Quin imo iis in terris ab omnibus ſcriptoribus multi recenſentur populi a Francis plane diſtincti imo iis adverſi. Ita tradunt monumenta Thuringiæ, regnum Francis acceſſiſſe primum poſt interemptum Hermenfridum Regem. Jam porro ex iisdem conſtat, Saxones omnem Weſtphaliæ terram, & quicquid inter Viſurgim, Albim, Oceanum, & Melibocum montem clauditur jam antiquisſimis temporibus incoluiſſe, ſeque admodum frequenter Francis oppoſuiſſe. HIERONYMVS *in vita Hilarionis* ait: Franciam non tam terram latam, quam validam inter Saxones & Alemannos medio loco eſſe collocatam: Vixit autem ille ſub finem ſeculi quarti poſt Chriſtum. Porro Friſii debellati putantur, & Francorum imperio ſubjecti a Carolo Martello & Pipino, cum ante ſui juris fuiſſent & remp. a Francis diverſam habuiſſent. Jam vero ſeorſim Chaucos non eſſe Francos, uti vult Franciſcus Hottomannus, primum inde apparet, quod alioquin

quin illi populi, qui tam vaſtum terrarum ſpatium incoluerunt, locum ſuum mutaſſent, ſedibus ſuis omnibus cis Viſurgim & in Bohemiam usque translatis, qualis profecto migratio ſine maximis motibus fieri non potuiſſet, nec tamen quisquam ſcriptorum Romanorum, quibus res Germaniæ erant exploratisſimæ, tantæ mutationis vel levem fecit mentionem. Deinde ingenium etiam populi Chaucorum longe diverſum deſcribitur ab ingenio Francorum. Ait enim diſerte Tacitus, populum illum inter Germanos fere ſolum nulla bella provocare, quietum ſecretumque ſine cupiditate ſine impotentia vixiſſe, & magnitudinem ſuam maluiſſe juſtitia tueri. Contra profecto quam ſe habuit ingenium Francorum quippe quorum dominandi cupido fere inſatiabilis fuit. Porro ipſe Philippus Cluverius laudat Zoſimi teſtimonium de rebus ſub Juliano Imperatore geſtis, ubi diſerte Chauci Saxoniæ populis annumerantur, & cum Francis narrantur geſſiſſe bellum. Neque vero vel hilum pro ſententia Hotomanni aut etiam Cluverii faciunt verſus Claudiani de Stiliçonis victoria.

Vt iam trans fluvium non indignante Cayco,
Pascat Belga pecus, mediumque ingreſſa per Albim
Gallica Francorum montes armenta pererrent.

Primo enim profecto tum temporis ad Albis oſtia & Oceanum non habitarunt Franci: ubi enim habitaſſent Saxones, quos conſtat populum tum temporis fuiſſe longe maximum. Qui porro potuiſſet Hieronymus jam ante illa tempora dicere, Francos non eſſe gentem latam, ſed validam potius, medio inter Saxones & Alemannos habitaſſe loco? Neque vero dicit Claudianus, Francorum montes ad Albim pertingere. Vt taceam, nullos ibi eſſe montes, ſed tantum poetica quadam grandiloquentia ait, armenta per Albim ingreſſa paſſim Francorum montes peragrare, quod non omnino abs re eſt; patet enim hodieque per Albim & Salam in Franconiam usque aditus. Similiter etiam Angrivarii multis poſt ſeculis inter Saxones fuere relati, quibus cum Francorum populo multa interceſſere bella. Cæterum accuratius fortasſis nobis res poterit conſtare, ſi obſervaverimus, quasnam terras antiquisſimis illis temporibus Franci inhabitaverint. *Vetus tabula* PEVTINGERIANA Franciam locat ad Rhenum, a Colonia usque Agrippinenſi ad Mœnum amnem. BEATVS RHENANVS ex Ruperto Tuitienſi refert, inſcriptionem antiqui lapidis præ ſeſe tuliſſe Tuitium, quod e regione Coloniæ eſt in terra Francorum. Hiſtoriæ quoque ſatis diſerte probant, Francos ſemper illam oram Rheni habuiſſe infeſtam. Hodie enim Franconiæ partem ad Bohemiam usque porrigimus cis Thuringicam ſylvam. Manifeſtum autem eſt ex ſuperioribus, Cattos dictos eſſe illum populum, qui habitant a ſaltu Hercinico perpetuo tractu cis Bazenim ſylvam fere ad Mundam usque. Conſtat autem Cattos populum fuiſſe admodum bellicoſum & prudentem, nec ullis monumentis eſt proditum, illos alioquin ſuis ſedibus eſſe pulſos. Quapropter nullum etiam dubium eſt, Cattos eſſe illos, qui poſtea Franci audire maluerunt. Confirmatur idipſum etiam ingenio populi: quæcunque enim de Cattis obſervat Tacitus, illa omnia ſolis Francis conveniunt, ut qui præ reliquis Germanis & fortitudine & militari prudentia inclaruerunt. Manifeſtius teſtimonium Sulpitius Alexander apud GREGORIVM TVRONENSEM *lib. I. hiſtor.* habet. Cum enim de Francica terra eſſet locutus, addit, nullo usquam occurſante, niſi quod pauci ex Angrivariis & Cattis Marcomanno duce in ulterioribus collium jugis apparuere. Tabula item Peutingeriana diſerte Cattos Francis accenſet. Non tamen ſoli Catti videntur hoc nomen aſſumſiſſe, ſed & Angrivarios, Chamavos, Bructeros hunc titulum uſurpaſſe liquet. Ita Sulpitius Alexander eo quem ſupra laudavi loco, proximos ait ripæ fuiſſe Bructeros, adeoque primo in eos agmen ductum a Romanis Rheno prope Coloniam Agrippinam trajecto. Narrat autem Tacitus de Bructeris, hos a Chamavis, Angrivariis viciniſque populis penitus fuiſſe exciſos, cum ante juxta Tencteros habitaſſent. Reliquiæ ergo Bructerorum ad ripam illam Rheni diſceſſere & fortaſſis aliquamdiu in Romanorum fuere ditione. Tabula Peutingeriana eos collocat ad ripam Rheni inter Agrippinam & Moſellæ confluentes. Angrivarios ſimiliter Francorum nomen induiſſe, vel ex uno illo Sulpitii Alexandri loco manifeſtum fit. Poteſt tamen & *MARCELLINI* teſtimonium addi: Julianus, ait ille *lib. XX.* in limitem Germaniæ egreſſus, omnique apparatu quem flagitabat inſtans negotium communitus Trajectenſi Molæ oppido propinquabat. Rheno deinde transmiſſo, regionem ſubito pervaſit Francorum, quos Angrivarios vocant, inquietorum hominum &c. Etſi enim quædam exemplaria Attuarios habeant, quin tamen potius legendum ſit Angrivarios, nullus dubito, præſertim cum eos Francorum partem faciat Sulpitius Alexander. Quales autem illi Angrivarii fuerint, queve illorum olim fortuna, ex annalibus Taciti manifeſtum eſt. Falſos illos nimirum a Chaucis, diuque vagatos huc illuc tandem a vicinis gentibus fuiſſe deletos; tandem ſuperſtite imbelli multitudine, quæ prædæ Cattis & Cheruſcis ceſſit, ut nullum ſit dubium Angrivarios medios inter Cattos habitaſſe. Porro & Chamavi in illud nomen ſunt aſſumpti, uti liquide patet ex illo loco Alexandri & Peutingeriana tabula. Non tamen iſto tempore Friſiis fuere proximi, iis ſcilicet locis, qui Taciti ætate Bructeris exciſis occuparant; ſed non procul a Colonia Agrippina habitaſſe, ex Alexandro & Peutingeriana tabula clarisſime conſtat. Quandonam vero quave occaſione iſthæc in loca fuerint ingreſſi non memoratum eſt. In univerſum ergo colligere eſt, eos populos qui a ſaltu Herçinico per illud collium jugum ad usque Rheticonem montem adeoque Rheni ripam, fere eo loci, ubi nunc in ducatu Bergenſi oppida ſunt *Steinbach & Duwald*, ſilvaque denſisſima incipit, habitarunt, Francorum nomen ſibi ſumpſiſſe, ut tamen inter eos nobilisſima, fortisſima & maxima pars Cattorum eſſet. Certe nullum eſt dubium montana & ſylvas Francos habitaſſe, hoc ipſum enim diſerte ex antiquis monumentis eſt colligere. Hinc enim Claudianus Francorum montes canit. Hinc Sulpitius Alexander collium juga memorat, & in hæc verba loquitur: Agrippinam vigente maxima hyeme petiit, ratus tuto omnes Franciæ receſſus penetrandos urendosque, cum decusſis foliis nudæ arenteſque ſylvæ inſidiantes occulere non poſſint. Hinc Ammianus Marcellinus de Juliani in Francos expeditione, & eos quidem qui Angrivarii ſunt dicti, ita loquitur, *quos adortus ſubito, nihil metuentes hoſtile, quod viarum difficultate arcente nullum ſuis pagis introiſſe metuerant, principem ſuperavit negotio levi.* Præter has vero terras longius porrexiſſe Francos terminos ſuos, oſtendi non poteſt. Neque vero quod quidam illorum Salii ſunt dicti, concedendum eſt partem Francorum ad Iſalam habitaſſe, prout vult Cluverius. Id enim nomen a Sala amne potius acceperunt, ad cujus fontes hodieque Franci habitant. Quod enim alii Francorum procul a ripa Rheni, alii proxime habitarent, in duo ſunt genera olim diviſi, Ripuariorum & Saliorum, unde & Francorum leges in duo quaſi corpora ſunt diviſæ, legum ſcilicet Salicarum & Ripuariarum. Quodſi ab Iſala amne Saliorum nomen profectum eſſet, potius Iſalii [illegible] Iſalici dici debuiſſent. Conſtat vero Conradum Imperat. etiam multis poſt ſeculis Salicum appellatum, quod ex orientalibus Francis eſſet oriundus. Posſit tamen cuiquam videri Francos Oceanum accoluiſſe. EVTROPIVS *lib. I.* ubi de Gallieno Imperat. agit, Belgicum ait Armoricæ mare a Francis eſſe infeſtatum. Panegyricus etiam anonym. Conſtantino M. dictus: Franci præter cæteros truces, quorum vis cum ad bellum efferveſceret, ultra ipſum Oceanum æſtu furoris evecta, Hiſpanorum etiam oras infeſtas habebant armis. Præterea notum eſt, Maximiniani & Conſtantini ætate Batavorum inſulam a Francis eſſe direptam. Cæterum ea ſane ætate Chauci Friſiique littora Oceani occuparunt, ideoque Francorum illa piratica per Rhenum amnem procul dubio fuit exercita, quod factum eſſe facillimum liquido apparet. Fortasſis & Francorum pars tranſtulerat ſuas ſedes in Chaucorum Friſiorumque confinia, uti conſtat ex *lib. III.* ZOSIMI *rer. a Juliano geſt.* Francos Salios, qui inſederant littora Rheni prope Friſios, a Saxonibus in Batavorum inſulam fuiſſe protruſos. Quinam ergo populi Franci poſtea ſint dicti, quasve illi terras incoluerint, hinc manifeſtum eſt. Ratio vero appellationis nihil habet obſcuritatis, quippe cum Germanice idiomate *franck* liberum ſigni-

eadem fama. In latere Chaucorum, Cattorumque, *Cheruſci* (a) nimiam ac marcentem diu pacem Cap. XXXVI.

ſignificet; ideoque citra dubium illæ gentes a libertatis ſtudio nomen illud ſibi impoſuerunt Sicut etiam præclare oſtenſum eſt a FRANC. HOTOMANN. *c.* 3. *& 4. Franco-Gall.* Quandonam vero primum cœperit iſta appellatio, vel certe maxime innotuerit, ex iis, quæ ſupra diximus, non poteſt eſſe obſcurum. Facile enim eſt videre, turpiter erraſſe Gregorium Turonenſem & qui hunc ſequuntur, Sigebertum Adonem atque alios, qui Valentiniano imperante id nomen tradunt primo enatum, cum tamen conſtet, Galeni ævo clarum fuiſſe illum Francorum titulum. Concreviſſe autem demum gentes illas in unam maxime rempubl. videntur ex eo tempore, quo unum ſibi impoſuerunt Regem Pharamundum. GOEBEL. De Francorum origine alibi actum. Vid. HERTII *notitia veteris Francorum regni c.* 1. *CLUVER. Germ. A. lib.* 3. *c.*20. *cit. Vorbereitunge c. IX.* Variæ Francici nominis originationes memorantur, inter quas etiam eſt, quam WINCKELMAN *in chr. Haſſiæ* refert, quod nomen idem ſit ac *Franke auſſen* Francones extra Germaniam. Probabilius docet Cluverius, Cheruſcos, Chaucos, Bructeros, Chamavos, Anſivarios, Cattos ob impenſum libertatis ſtudium Francos dictos.

Saxones Germanicæ originis populum eſſe, neque partem olim Perſarum fuiſſe ſub Sacarum nomine deliteſcentes, iiſdem prope argumentis oſtendi poteſt, quibus probarum ivimus, Francos eſſe Germanicam gentem, & quæ exordia ſua non debeat Scythis aut Trojanis. Quapropter etſi quidam Philippi Melanchtonis conjecturas ſecuti, ſequius tradiderunt de Saxonicæ gentis initiis, nos tamen eorum opinionem nunc non refutabimus quidem, verum tanquam certum habebimus, non extra Germaniam prima hujus loci monumenta eſſe inquirenda. Apud Tacitum tamen hoc nomen non leges, nec apud Tacito aliquem priorem, etſi ille Germaniæ res habuerit exploratisſimas. Etſi enim Philippus Cluverius arbitretur, Foſos Taciti corrupta voce Saxones notare, a vero tamen alienam eſſe illam conjecturam ex eo eſt colligere, quod Foſi Cheruſcis fuerint contermini & adverſarum rerum ex æquo ſocii, adeoque fere portio quædam Cheruſcorum, quos in Thuringia oſtendimus habitaſſe, adeoque procul ab iis locis, ubi mentio prima Saxonum alias fit. Primus Ptolomæus Saxones memorat his verbis: Deinde Chauci majores ad Albim usque flumen, hinc ſuper cervicem Cymbricæ peninſulæ Saxones: ipſam vero peninſulam tenent Singulones, deinde Sabilingi &c. Item poſt: Saxones a Chauſo amne ad Suevum usque amnem tenent Pharodeni. Vixit autem Ptolomæus, ſi Suidæ credimus, ſeu ut nos alibi oſtendimus, circa initia ſeculi tertii Marci Imperat. ætate. Ergo Saxonum nomen illo tempore tantum triburum exiguo uni populo trans Albim usque ad exordia Cymbricæ peninſulæ, ubi nunc Holſatia & Schlesvicum, habitanti. Reſpexit eodem Stephanus Grammatticus, qui de urbibus ſcripſit. Saxonis, inquit, gens Cymbricam incolens peninſulam. At non multo poſt latius extenſum hoc nomen, & usque ad Rheni prope littora productum, obſervare eſt. ZOSIMVS quippe *lib. rer. a Jul. geſt.* Francos ait, Rheni ripam habitantes in Batavorum inſulam a Saxonibus eſſe pulſos. AMMIANVS item MARCELL. *l.* 27. in hæc verba loquitur: Gallicanos tractus Franci & Saxones iisdem confines, quia quisque erumpere potuit terra vel mari, prædis acerbis incendiisque & captivorum hominum funeribus violabant. Quodſi vero Saxones Gallicanis tractibus tum temporis fuere confines, ad Rhenum usque profecto pertinuerunt. Factum id ipſum Valentiniano & Valente Imperat. OROSIUS *lib.* 7. *cap.* 13. & qui hunc tránsſcripſit PAULUS DIACONVS *lib. II. miſcell. hiſt.* ejusdem eruptionis ſic meminere. Valentinianus Saxones, gentem in oceani littoribus & paludibus inuiis ſitam, virtute atque agilitate horribilem, in Romanos fines eruptionem meditantem, in Francorum finibus oppreſſit. Unde liquet, & vicinos tum temporis Francos fuiſſe & Saxones, & nihilominus Oceani littora accoluiſſe. Et ſane teſtatur id ipſum HILARIVS *in vita Hilarionis*, quando Francos affirmat, medio eſſe loco Saxones inter & Alemannos collocatos. Neque vero iſthæc poſt tempora iis in littoribus Rheni præter Saxones & Francos ulli populi memorantur. Cum enim ſuperius Francorum termini ſatis ſint definiti, non poteſt non liquere, qua parte Saxones Francis fuerint conjuncti. Caroli M. ætate conſtat, omnes illos populos, qui a Francorum Friſiorumque finibus non modo trans Viſurgim, ſed & trans Albim, ea parte, qua Holſatia & Schlesvicenſis eſt ducatus, habitarunt, Saxonum appellatione fuiſſe uſurpatos. Immenſum vero illum terrarum tractum Tacitus adſcribit Chaucis, Angrivariis, Dulgibinis, Uſipiis & Tencteris, ut tamen major portio fuerit Chaucorum. Poſt Chaucos vero & verſus Cherſoneſum Cymbricam ſolos agnoſcit Cymbros. Quapropter aut Cymbri, qui poſtea Saxones ſunt dicti, Chaucos reliquosque populos vel ſedibus ſuis ejecerunt, vel redigerunt in ſervitutem, ut ita Saxonum nomen tam late potuerit diffundi; vel alia iſtius nominis fuit occaſio. Sed primo PTOLOMÆVS Saxones non in illa peninſula Cymbrica collocat, ſed infra illam. Super cervicem, ait, Cymbricæ Peninſulæ Saxones, ipſam vero peninſulam tenent Singulones, deinde Sabelingii, inde Cobandi, ſupra hos Chali, & ſupra hos magis vero ad occidentem Phrunduſii, ad orientem Charudes, omnium hinc maxime verſus ſeptentrionem ſunt Cimbri. Unde patet Cymbros Taciti, veterumque eſſe eos, quos hodie Juthos appellamus, populum & idiomate & moribus, & republ. ab antiquis temporibus a vicinis Saxonibus trans Albianis plurimum diſſidentem. Jam vero populum aliquem, qui nunc & Holſatiæ & Schleſvicenſis ducatus terras incolit, Chaucorum gentem loco pulſaſſe, plane veroſimile non ſit. Quo enim commigraſſet immenſus populus, quique magnitudine ſua etiam Taciti ætate omnes reliquas Germaniæ civitates ſuperavit. Quantula enim manus fuit Saxonum trans Albianorum, ut valuerint Chaucos ſedibus ſuis expellere? Sed ne quidem in ſervitutem redactos Chaucos a trans Albiano quodam populo veroſimile ſit. Longe enim validiores fuere res Chaucorum, quam ut a tam parva cohorte potuerint ſubigi. Extarent præterea ſervitutis veſtigia in hisce terris, cum tamen contra vix pauca reperiantur. Ergo ſi Chaucis invitis non eſt impoſitum Saxonum nomen, utique ſponte id ipſum illi admiſerunt. Quæ ratio fortasſis & Angrivariorum, & Dulgibinorum, & Tencterorum, Uſipiorumque erit, ſi fortasſis quidam illorum a Saxonibus fuerint devicti. Cæterum quare hi populi priſcis appellationibus relictis Saxones audire maluerint, incompertum eſt. Tantum ſit veroſimile, Chaucos a ſemetipſis iam plurima ante ſecula iſthoc nomine fuiſſe nuncupatos, etſi aliis vicinis gentibus Chauci dicerentur. Certe trans-Albianos illos Saxones ejusdem cum Chaucis civitatis fuiſſe, nullum eſt dubium; utpote quorum lingua & inſtituta nihil differunt ab inſtituto atque idiomate reliquorum Saxonum. GOEBEL. De Saxonibus confer HERTIVM *de veteris Germaniæ populis c. III. part. II.* *CELLARIVM tom. I. p.* 477. *CLUVER. lib. III. c. XXI. SCHAT. hiſtor. Weſtphal. pag.* 72. Probabilior eſt ſententia, genti nomen inditum a quodam ſicarum vel cultrorum incurvatorum genere; quibus in bello utebantur. Hi Seaxes appellabantur. Vid. *præfatio ad Aelfredi M. Regis Anglorum vitam.*

(a) *Cheruſci*) GOEBEL. Nomen a Werra, qui cum Fulda Viſurgim conſtituit, trahere credunt, ita ut Werruſci mutatum ſit in Cheruſcos. Alii vocem Hercinæ ſaltui debere & pro Harcicis vel Harzuscis Cheruſcos dictos eſſe contendunt. Nomen hoc adhuc ſeculo IV. adhibitum eſſe, docet *HERT. l. c. p.* 77. Gentis hujus apud Tacitum paſſim injicitur mentio, *annal. lib. I. cap.* 56. 59. 64. *lib.* 12. *c.* 28. item apud Cæſarem, Vellejum, Strabonem, Plinium, Dionem, & in faſtis Capitolinis. Fuerunt autem Cheruſci inter Cattos & Chaucos ad Viſurgim medii. Varianæ cladis tempore utramque Viſurgis ripam occupaſſe videntur. Sedes eorum

cem illaceſſiti nutrierunt. idque jucundius, quam tutius fuit. quia inter impotentes & validos falſo quieſcas: ubi manu agitur, modeſtia ac probitas nomina ſuperioris ſunt. Ita qui olim boni æquique Cheruſci, nunc *inertes ac ſtulti* (a) vocantur: Cattis victoribus fortuna in *ſapientiam ceſſit.* (b) Tacti ruina Cheruſcorum & *Foſi*, (c) contermina gens: adverſarum rerum ex æquo ſocii, cum in Cap.XXXVII ſecundis minores fuiſſent. Eundem Germaniæ ſinum proximi Oceano *Cimbri* (d) tenent, parva nunc civitas, ſed gloria ingens. Veteriſque famæ late veſtigia manent: utraque ripa caſtra, ac ſpatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis, & tam magni exercitus fidem. Sexcenteſimum & quadrageſimum annum urbs noſtra agebat, cum primum Cimbrorum audita ſunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone COSS. Ex quo ſi ad alterum Imperatoris Trajani conſulatum computemus, ducenti ferme & decem anni colliguntur. Tamdiu Germania *vincitur.* (e) Medio tam longi ævi ſpatio multa invicem damna. *Non Samnis*, (f) *non Pœni*, (g) *non Hiſpania Galliave,* (h) ne *Parthi* (i) quidem ſæpius admonuere; quippe regno Arſacis acrior eſt *Germanorum libertas.* (k) Quid enim aliud nobis quam cædem *Craſſi*, (l) amiſſo & ipſe Pacoro infra Ventidium dejectus Oriens objecerit? At Germani *Carbone* (m) & *Caſſio, & Scauro Aurelio*, (n) & *Servilio Cepione*, (o) M. quoque *Manlio* (p) fuſis vel captis, quinque ſimul conſulareis exercitus populo Romano, *Varum triſque* (q) cum eo legiones etiam Cæſari abſtulerunt. Nec impune C. *Marius*

---

potiſſimum in abbatia Corbeienſi, comitatu Pyrmontano, terris Brunsvicenſibus, comitatu Schaumburgico & epiſcopatu Mindenſi quærendæ ſunt. *CLUV. G. A. lib. III. c.* 19. *CELLARIVS lib. II. c. V. p.* 476. *monum. Paderborn. p.* 36. Clientes hujus gentis ſub Arminio duce celeberrimæ Campſari & Cathulci ſive Cathulcones fuerunt. Vid. *CLUVER. l. c.* Nec a vero abhorrere puto, ſylvam Herculi ſacram in territorio forte Mindenſi ſitam & montem Meliobocum ei vindicandum eſſe. Conf. *CELLARIVS l. c.*

(a) *inertes ac ſtulti*) GOEBEL. Si hic liber ante annales ſcriptus eſt, oportet, ut Cheruſci ad priſtinam redierint virtutem; nam ſub Arminio res præclare geſſerunt.

(b) *ſapientiam ceſſit*) GOEBEL. Certum prudentiæ indicium eſt, ſecundam fortunam moderate ferre, & victoria recte uti.

(c) *Foſi*) GOEBEL. *CLUVERIVS lib. III. cap.* 21. & *KIRCHMAIER ad h. l.* pro Saſis, vel Saxis amanuenſium incuria Foſi ſcriptum eſſe autumant. Hanc ſententiam etiam CELLARIVS *pag.* 477. ſequi videtur: Verum enim vero rectius Leibnitio notante a Fuſa, quem accoluerunt, nomen ſortiti dicuntur. Interfluit autem ille dioeceſin Hildeſienſem & terras Brunsvicenſes.

(d) *Cimbri*) GOEBEL. Vid. CLUV. *l. III. c.* 23. *PONTANI hiſt. Danic. lib. I. CELLARIVS O. A. tom. I, p.* 477. 478. & diſſert. de *Cimbr. & Teut. SCHAT. lib. I. hiſt. Weſtphal. p.* 20. Videtur vox ex *Kemper*, pugnax vel ad latrocinia illo tempore Germanis uſitata probe aptus, corrupta eſſe. Romanis interpretibus idem fuit quod prædo, unde neglectius habiti videntur, quoniam credebant, inconditam illam multitudinem facillime a fortiſſimo ſuo obteri poſſe milite. Ptolomæo teſte Cherſoneſus quoque Cimbrica Saxones Singulones, Sabelingios, Cobandos, Chatos, Phrenduſios & Charudes complexa eſt. Hodie Iutiæ nomine venit peninſula, quod aliqui ex Gothia corruptum dicunt, cum Gothorum, per aliquod tempus, fuerit ſedes. Giutas cum aliis gentibus Britanniæ regno potitos eſſe, alibi a nobis traditum eſt. Conf. *præfat. Aelfredi M. vitæ a SPELMANNO* conſcriptæ præmiſſa. Quæ LAZIVS de Cimbrorum origine fabuloſa habet, apud eum *pag.* 57. *& ſeqq.* legi poſſunt.

(e) *vincitur*) GOEBEL. Id eſt armis fruſtra tentatur.

(f) *Non Samnis*) GOEBEL. Samnitibus cum Romanis cruentiſſima fuerunt bella. Id ſane maxime Romanis ignominiæ fuit, quod miles eorum cum duobus conſulibus ad furcas Caudinas a Samnitibus ſub jugum miſſus fuerit. Vid. LIV. & FLOR.

(g) *non Pœni*) GOEBEL. Si poſt Cannenſem victoriam Hannibal militem Romæ extemplo admoviſſet, & a Campaniæ deliciis abſtinuiſſet, haud dubie id factum, ut deinde Romani a Carthaginenſibus deleri non potuiſſent. Vid. *FLOR. lib. II. c.* 6. LIVIVS *decad. III.*

(h) *non Hiſpaniæ Galliæve*) GOEBEL. Ancipiti ſæpe cum Hiſpanis & Carthaginenſibus pugnatum eſt fortuna. Et Gallia vix inter decem annos in provinciæ formam redigi potuit. Confer. LIVIVS, FLORVS & JVLIVS CÆSAR.

(i) *Parthi*) GOEBEL. Vid. TACIT. *annal. lib. II. c.* 3. *STRABO lib. III.*

(k) *Germanorum libertas*) GOEBEL. i.e. Germanorum respublicæ populares.

(l) *Craſſi*) GOEBEL. Vid. FLORVS *lib. II. c. XI.* VELLEJ. PATERCVLVS *lib. II. c.* 46. XIPHIL. *pag.* 14. *edit. Gall.* CAVSINI. Romanorum ditiſſimus juxta & avariſſimus fuit.

(m) *Carbone*) GOEBEL. *Epitome* LIVII *c.* 63. Cladem hic in Illyria paſſus eſt, quæ ei conſuli obvenerat propugnanda. *SCHAT. hiſtor. Weſtphal.*

(n) *Caſſio & Scauro Aurelio*) GOEBEL. His addendus Junius Silanus Conſul, qui ante eos in Gallia a Cimbris & Teutonibus fuſus eſt. Eum deinde excepit conſul M. Aurelius Scaurus; ſed is minus adhuc proſpera in Cimbros uſus eſt fortuna. Poſt hanc belli aleam Caſſius conſul tentavit: ſed funeſtiorem longe ab iis accepit cladem, in qua ipſe cum Lucio Piſone viro conſulari & Quinto Publitio altero legato periit. Ne autem ad unum omnes Romani exercitus delerentur, ab hoſtium ferro reliqui obſidibus datis & dimidia bonorum parte ceſſa vitam redimere & ſub jugum ire coacti ſunt. In hac victoria Tigurini quasdam habuerunt partes; ſed minus recte cum Oroſio tota ipſis adſcribitur.

(o) *Servilio Cepione*) GOEBEL. Neque faventiorem expertus eſt Martem Quintus Cepio conſul, occumbente Caſſio, Gallicam moderans provinciam. Solus rei militari præſidens, nihil memorabile geſſit, quam quod captæ Tholoſa templum Apollinis ſpoliarit.

(p) *Manlio*) GOEBEL. Dixerant altero anno Romani conſulem, prorogato Cepioni militari imperio. Hinc duplici exercitu Cimbros, Teutones, Ambrones & Tigurinos Galloſque in armorum ſocietatem aſſumtos delere conſtituerunt: ſed ab his Romanis infeſta illata ſunt ſigna, tanta Romanorum ſtrage, ut uterque imperator caſtris exitus & totus exercitus pene cæſus ſit, ita ut vix decem tantæ cladis in patriam nuncii ſuperfuerint. Unusquisque facile ſibi perſuadere poteſt, quantum in animis Romanorum improſpera hæc terrorem concitaverit pugna, & haud ſecus ſe habuit res, quam ſi ex Cannenſi clade Hannibal portis urbium immineret. *Hinc ad Saluſtii ætatem*, inquit SCHATEN. *p.* 21. *Romanis perſuaſum fuit, alia omnia virtuti ſuæ prona eſſe: at cum Gallis & Germanis pro ſalute non pro gloria certari.*

(q) *Varum triſque*) GOEBEL. De hac clade Romanis propemodum exitiabili tantumque mœrorem & metum incutiente, agunt *VELLEJ. lib. II. TACITVS lib. I. c.* 3. *annal. SVETONIVS in Auguſto c.* 23. *in Tiberio c.* 7. *FLORVS lib. IV. c.* 12. *STRABO lib. VII. PLINIVS lib. VII. hiſtor. nat. c.* 45. *SENECA epiſt.* 57. *CLUVER. lib. III. Germ. antiqu. c.* 19. *SCHAT. hiſtor. Weſtph. p.* 58. Huic jungenda Lolliana clades. TACIT. *annal. I. c.* 10.

Marius in Italia, (a) divus *Julius in Gallia*, (b) *Druſus ac Nero & Germanicus* (c) in ſuis eos ſedibus perculerunt. Mox ingentes *C. Caſaris* (d) minæ in ludibrium verſæ. Inde otium; donec occaſione diſcordiæ noſtræ & civilium armorum, expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias affectavere: ac rurſus pulſi inde, proximis temporibus *triumphati magis quam victi ſunt.* (e)

Nunc de SUEVIS (f) dicendum eſt, quorum non una ut Cattorum Tencterorumve gens: Cap. XXXIIX. majorem enim Germaniæ partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque diſcreti, quamquam in commune Suevi vocentur. Inſigne gentis, obliquare crinem *nodoque ſubſtringere.* (g) Sic Suevi a ceteris Germanis, ſic Suevorum *ingenui a ſervis* (h) ſeparantur. Sic in aliis gentibus, ſeu cognatione aliqua Suevorum, ſeu (quod ſæpe accidit) imitatione, rarum & intra juventæ ſpatium; apud Suevos usque ad canitiem horrentem capillum retro ſequuntur, ac ſæpe in ipſo ſolo vertice religant: principes & ornatiorem habent. Ea cura formæ ſed innoxiæ. neque enim ut ament amenturve: in altitudinem quandam & *terrorem*, (i) adituri bella, comta, ut hoſtium oculis, ornantur. Vetuſtiſſimos ſe nobiliſſimosque *Suevorum Semnones* (k) memorant. Fides antiquitatis Cap. XXXIX. religione firmatur. Stato tempore *in ſilvam*, (l) auguriis patrum & priſca formidine ſacram, omnes ejusdem ſanguinis populi legationibus coeunt, cæſoque publice homine celebrant barbari ritus horrenda primordia. Eſt & alia luco reverentia. nemo niſi vinculo ligatus ingreditur, ut minor, & poteſtatem numinis præ ſe ferens. ſi forte prolapſus eſt, attolli & inſurgere haut licitum. per humum evolvuntur. eoque omnis ſuperſtitio reſpicit, tamquam inde initia gentis, ibi regnator omnium deus, cetera ſubjecta atque parentia. Adjicit auctoritatem fortuna Semnonum. *centum pagis habitantur.* (m) magnoque corpore efficitur, ut ſe Suevorum caput credant. Contra *Longobardos* Cap. XL.

(a) *Marius in Italia*) GOEBEL. Vide PLUTARCHUM *in Mario & FLORUM lib. III. c. 3.*

(b) *Julius in Gallia*) *GOEBEL.* Vid. *CELLAR, diſſert. de Caji Julii Cæſaris adverſus Arioviſtum aliosque Germanos geſtis.*

(c) *Druſus ac Nero & Germanicus*) GOEBEL. Druſus quatuor in Germaniam expeditiones, ex ipſorum ſcriptorum Romanorum teſtimonio, non ubique proſperas ſuſcepit, quarum ultima ipſi vitæ finis fuit, corpusque ejus deinde Romam delatum. SUETONIUS *in Tiberio c. VII.* SCHATEN. *hiſtor. Weſtph. p. 40. ſeqq.* Tiberius autem frater poſt mortem ejus novies ab Auguſto in Germaniam miſſus, plura conſilio i. e. internas diſcordias excitando, quam vi perfecit. TACITUS *annal. lib. I. c. 26. SUETON. in Tiberio cap.* 91. 18. *ſeqq. SCHAT. hiſtoria Weſtphaliæ p. 49. ſeqq.* Vellejus Paterculus, qui ſub Tiberio in Germania ſtipendia meruit, eique impenſe adulatur, ipſum Romani imperii vindicem vocat. Germanicus Druſi filius optimus princeps octo apud Rhenum legionibus impoſitus, res quidem præclare in Germania geſſit: Non ſemper tamen, ejus tempore, ſecunda pugnatum eſſe fortuna, ex duobus primis annalium autoris noſtri libris conſtat. SCHATEN. *l. c. p. 74. ſeqq.*

(d) *C. Cæſaris*) GOEBEL. De Caligulæ ludicris in Germanos bellis agit SUETONIUS in *Caligula cap.* 45. *SCHAT. l. c. p.* 99.

(e) *triumphati magis quam victi ſunt*) GOEBEL. TACIT. *lib. II. ann. c. ult.*

(f) *Nunc de Suevis*) *GOEBEL.* Conf. *CÆSAR de B. G. lib. I. III. IV. TACITUS annal. lib. I. c. 44. lib. II. c. 26. lib. IV. c. 44. lib. I. hiſtor. c. 2. LAZIUS de migrationibus gentium p. 454. ſeqq. CLUVER. lib. III. c. 24. CELLAR. tom. I. pag.* 457. Videntur a Suevo monte, cujus PLINIUS *lib. IV. H. N. c.* 13. meminit, aut quod frequentiores ſuſceperint migrationes, ab aliis ita appellati. GROT. *prolegom. hiſt. Goth. p.* 24. 25. De finibus univerſæ Sueviæ, quæ etiam Seduſios & Harudes continebat, agit CLUVER. *l. c.*

(g) *nodoque ſubſtringere*) *GOEBEL. SENECA de ira c.* 26.

(h) *ingenui a ſervis*) *GOEBEL.* Videntur ſervis tonſa fuiſſe capita. POTGIESSER *de ſtatu & conditione ſervorum.*

(i) *terrorem*) *GOEBEL. CLUVER. G. A. lib. I. c. XVI.*

(k) *Suevorum Semnones*) CONR. Semnones Suevos trans Albim habitaſſe ex Paterculo & Ptolomæo liquet. Flumen Albis, ait PATERC. *l.* 2. Semnonum Hermundurorumque fines præterfluit: PTOLOMÆI verba ſunt: populorum introrſus mediterranea colentium maximi ſunt iſti; Suevi, Angli, orientaliores quoque Longobardi, verguntque verſus ſeptentrionem, usque ad mediam Albim: deinde Suevi Semnones, qui trans Albim incolunt, ab dicta amnis parte ad usque Suevum flumen. Ex *lib.* 2. *ann.* TACITI patet, Semnones vicinos fuiſſe Cheruſcis, ut qui arma cum iis potuerint jungere adverſus Marobodum Regem, a quo defecerant. Eſt autem medium præter propter Magdeburgum, ubi ſeptentrionem verſus flectitur flumen, aut ea parte, qua Sala Albi conjungitur. Suevus autem amnis ipſa eſt Odera, ut recte docet Cluverius. Ergo Semnones a Magdeburgo usque portionem electoratus Saxonici, marchiæ Brandenburgenſ. Luſatiæ & Sileſiæ tenuerunt. Quo patet, quomodo Cheruſcis vicini eſſe potuerint, ut qui Thuringiam ad Albim usque coluerunt. Nec minus clarum eſt, qui Semnones in Marabodui poterint eſſe ditione, cum tamen ille Bojohemum inhabitaverit. Cæterum Semnonum nomen Tacito junioribus ſcriptoribus non memoratur, procul dubio quod communis appellatio Suevicarum gentium uni illi κατ' ἐξοχὴν tribueretur. Admodum autem veroſimile eſt, Suevos eos, qui nobis hodie ita dicuntur, quorumque portio in Hiſpaniam tranſiit, regno ſibi proprio conſtituto, eſſe eos Semnones Taciti. Neque enim alioquin apparet cauſa, quare communis appellatio vni hæſerit nationi illi, niſi iam ante peculiari jure, & conſenſu Suevicarum gentium eam obtinuiſſent. Quandonam vero trans Viſurgim inter Rhenum & Danubium commigraverint Suevi noſtri, certe haud licet determinare, niſi id factum fuerit ſeculo 4. & 5. Certe jam Jornandis h. e. Juſtini Imperat. temporibus ii fuerunt Sueviæ termini, qui & hodie ſunt. JORNANDES vero *lib. de reb. Goth. cap.* 55. ita loquitur: Theodemir Rex tam Suevorum quam Alemannorum gentem, utrasque ad invicem fœderatas, devicit, vaſtavit & pene ſubegit. Et paulo poſt: Regio illa Suevorum ab oriente Bojoarios habet, ab occidente Francos, a meridie Burgundiones, a ſeptentrione Thuringos. Quibus Suevis tunc juncti etiam Alemanni aderant ipſique Alpes erectas omnino regentes. Contigit autem hoc ipſum Leone Imperat. Unde conſtat iam tum temporis in unam civitatem Suevos atque Alemannos coiiſſe, adeoque modo hoc, modo illo nomine utramque gentem eſſe appellatam. GOEBEL. Semnones Suevorum nobiliſſimos inter Albim & Viadrum collocat CELLARIVS *l. c. p.* 478. Ex CLUVERIO *lib. III. c.* 25. compertum habemus, ad utramque Viadri ripam habitaſſe: Aſt Leibnitius nec Havelam & Spream excludendos putat, ut ſic etiam Pomeraniæ, trans-Albinæ marchiæ & forte etiam Luſatiæ partem tenuerint. Vid. HERT. *l. c. p.* 52. Hi haud dubie fuerunt, qui Romanis ad Alliam cæſis Romam ceperunt. *DITMARUS ad h. c.*

(l) *in ſilvam*) GOEBEL. Vid. Dn. KEISLERVS *in antiquit. ſeptentr. p.* 60. *ſeqq.*

(m) *centum pagis habitantur*) GOEBEL. Collegit etiam ex hoc CLUVER. *lib. III. c.* 5. quod quæ Cæſar de Suevis tradit, non ad Taciti Suevos trans Salam Albimque habitantes, ſed ad Cattos ſpectare. cum omnibus Suevis, de quibus Cæſar loquitur, centum tantum pagi tribuantur.

bardos (a) paucitas nobilitat: quod plurimis ac *valentiſſimis nationibus* (b) cincti, non per obſequium
ſed prœliis & periclitando tuti ſunt. *Reudingi* (c) deinde & *Aviones*, (d) & *Angli*, (e) & *Varini*, (f)
& *Endoſes & Suardones, & Nuithones* (g) fluminibus aut ſilvis muniuntur. Nec quidquam notabi-
le in ſingulis, niſi quod in commune *Herthum*, (h) id eſt, terram matrem colunt, eamque interve-
nire rebus hominum, invehi populis arbitrantur. Eſt in *inſula Oceani* (i) Caſtum nemus; dica-
tumque in eo vehiculum veſte contectum attingere uni ſacerdoti conceſſum. Is adeſſe penetrali
deam intelligit, vectamque bubus feminis multa cum veneratione proſequitur. Læti tunc dies,
feſta loca quæcumque adventu hoſpitioque dignatur. Non bella ineunt, non arma ſumunt; clau-
ſum omne ferrum; pax & quies tunc tantum nota, tunc tantum amata; donec idem ſacerdos ſa-
tiatam converſatione mortalium deam templo reddat. Mox vehiculum, & veſtes, & ſi credere
velis, numen ipſum ſecreto lacu abluitur. ſervi miniſtrant, quos ſtatim idem lacus haurit. Arca-
Cap. XLI. nus hinc terror, ſanctaque ignorantia, quid ſit illud quod tantum perituri vident. Et hæc quidem
pars Suevorum in ſecretiora Germaniæ porrigitur. Propior (ut quomodo paulo ante Rhenum, ſic
nunc Danubium ſequar) *Hermundurorum* (k) civitas, fida Romanis, eoque ſolis Germanorum non
in

(a) *Longobardos*) GOEBEL. TACITVS *annal. lib. II. c.* 45. *lib. II. c.* 17. *STRABO lib. VII. SUETON. in Aug. c.* 21. Nomen non a longis barbis, aut bipennibus, aut ab alia fabuloſa Pauli Diaconi, vel contorta LAZII *de migrat. p.* 503. ratione, ſed a tractu, quem in ducatu Magdeb. ad Albim inhabitarunt, qui *die lange Böhrde* dicitur, habuerunt, unde ſe in marchiam Brandenburgicam & ducatum Luneburgicum extenderunt. Vide WINCKELMANNI *notitiam veteris Saxo-Weſtphalicæ p.* 259. 260. Ex Pannonia in Italiam a Narſete vocati, ibi regnum quod a Carolo M. deſtructum eſt, inſtituerunt. Vid. PAVLVS DIACONVS, EGINHART, HERTIVS *de veter. Germaniæ populis c. II. §. XXII. & c. IX. CLUVERIVS G. A. lib. III. c.* 26. De aliis eorum ſedibus, modo omnes veræ fuerint, agit *LAZIVS de migrationibus gent. p.* 504. *ſeqq.*

(b) *valentisſimis nationibus*) GOEBEL. Ut ſunt Angli, Cheruſci & Semnones &c.

(c) *Reudingi*) GOEBEL. Putat CLUVERIVS *lib. III. G. A. c.* 27. hic legendum eſſe Doringi, quæ lectio nimis detorta videtur, ut judicant *SAGITTARIVS in antiquit. regni Thuring. lib. I. cap. IV. §.* 14. *HERTIVS in veteris Germaniæ populi notitia p.* 81. Cæterum quod ad Thuringos attinet, de eis hic autor *l. c. c.* 4. agit.

(d) *Aviones*) GOEBEL. CLUVER. *lib. III. c.* 27.

(e) *Angli*) CONRING. Ubi habitaverint patet. WITEKIND. SAXO: Anglia vetus ſita eſt inter Saxones & Chictos habens oppidum capitale, quod ſermone Saxonico *Schleswick*, ſecundum Danos vero Haithus dicitur. Angli vero in Britanniam una cum aliqua parte Saxonum advocati in auxilium a Britannis contra Scotos & Pictos veteribus ſedibus Germanicis relictis commigrarunt, potioremque Britanniæ partem, partim pulſis, partim excifis veteribus incolis occupaverunt, & in hoc usque tempus tenent. GOEBEL. Vid. HERTIVS *pag.* 71. Quod Guitarum vicini ſociique ad liberandam Britanniam profecti, alibi docuimus. Sunt qui eo ex Pomerania ſe contuliſſe contendunt.

(f) *Varini*) GOEBEL. Haud dubie iidem ſunt cum Varnis vel Warnis *PROCOPIO lib. IV. de B. G.* & *FREDEGARIO SCHOLASTICO ad ann.* 595. memoratis. Nomen a Warna fluvio, ad quem forte ſedes habuerunt, ſortiti creduntur. Videntur tamen deinde propius ad Cimbros accesſiſſe.

(g) *Endoſes, Suardones, & Nuithones*) GOEBEL. Hi cum Sidnis ad Vandalorum gentes ſpectaſſe dicuntur. CLUVERIVS *c.* 46. Quæ de ſedibus eorum per Pomeraniam & Marchiam traduntur, refert DITMAR. ad h. c.

(h) *Herthum*) GOEBEL. Terram ſeptentrionales in numinum cenſu habuerunt gentes. *OLAVS RVDBECKIVS atlant. p. II. c. VI.*

(i) *inſula Oceani*) GOEBEL. Hæc Rudbeckio Scandinavia eſt; niſi aliquam Anglis Cymbricis viciniorem dixeris, Femeram forte. MICRÆLIVS autem *in chr. Pom. part. I. p.* 25. per eam Rugiam intelligit.

(k) *Hermundurorum*) CONR. Hos Taciti ætate ad Danubium usque ab Ægræ fontibus cis Hercinium ſaltum fines ſuos extendiſſe, nullum eſt dubium. Easdem ſedes etiam M. Aurelii Imperat. ætate tenuiſſe, ex Julio Capitolino conſtat. Gentes omnes, ait ille, ab Illyrici limite usque in Galliam conſpiraverunt, ut Marcomanni, Nariſci, Hermunduri. Eſt autem Illyrici limes Danubius. At Diocletiano Imp. non iam amplius ad Danubium vixiſſe, ſed ſeptentrionem verſus in mediterranea Germaniæ conceſſiſſe liquet ex eo, quod JORNANDES *de reb. Goth.* affirmat: Iſthoc tempore Wandalos ab occidente habuiſſe Marcomannos, a ſeptentrione Hermunduros, a meridie Danubium. Tam longo igitur ſpatio verſus ſeptentrionem a Danubio tum remoti fuere Hermunduri, ut Danubium inter & Hermunduros numeroſa illa & inquieta gens Vandalorum potuerit reſidere. Ergo aut in Cattorum aut Cheruſcorum ſedes ea ætate Hermunduri tranſierunt. Cæterum Cattos h. e. Francos, gentem ut alias ita tum maxime ferociſſimam, tale aliquid paſſos, quis affirmet? Præſertim cum hodieque ſuas antiquas ſedes eo loci obtineant. Præterea ſi in Cattos tranſiiſſent Hermunduri, qui potuerint Vandali ab occidente tum temporis Marcomannos ſpectare, quos aut Bojohemum, aut (quod veroſimilius eſt) cis Bojohemum, ubi nunc ſuperior palatinatus eſt, incoluiſſe certum eſt. Ergo nonniſi Cheruſcorum terras Hermunduri tum temporis occupaverunt. Confirmatur autem hoc ipſum, quod ſequentibus ſeculis in illis Cheruſcorum ſedibus populum inveniamus Thuringorum appellatione. Quam vocem ex Hermundurorum nomine levi flexione potuiſſe naſci, nemo negabit. Collocat autem Thuringos iis in locis & PROCOPIVS pariter & JORNANDES. Ille enim *lib. I. rerum Gothicar.* ſic loquitur: *Poſt eos in orientem ſolem Thuringi Barbari incolebant, ab his haud procul Burgundiones ad Auſtrum verſus: Suabi deinde ſub Thuringis & Alemanni valida gentes.* Vixit autem Procopius Juſtiniano Imperat. *JORNANDES* vero *lib. de rebus Goth. cap.* 55. jam Leone Imperat. a ſeptentrione Suevis jungit Thuringos. Quinimo Thuringorum has ſedes jam Clodovæo Francis regnante invenimus. CARNSTEDENSIS *l. de rebus Francorum.* Clodius poſt Didionem Rex Francorum III. hic de Thuringorum finibus egreſſus, Rhenum tranſiit, victoque Romano exercitu carbonariam ſylvam tenuit, ſibique ſedem ſtatuit. Quin & Thuringorum regnum a Francis anno Chriſti 524. deletum eſſe, tum alii tum imprimis *GREGORIVS THVRONENSIS lib.* 3. *rer. Franc. cap.* 4. & 7. narrat. Certe hinc ortum Thuringorum nomen longe eſt veroſimilius, quam a Thuregetis, populo non Germanico, ſed Gothico deductum. Philippi vero Cluverii ſententia Reudingos Taciti in Thuringos commutantis mera eſt conjectura, nullo veroſimili, imo ne levisſimo quidem teſtimonio nitens. Certe aut Hermunduri poſtea penitus fuere exciſi, quod nullis poteſt monumentis probari, aut vero res uti nos diximus ſe habet. Cheruſcorum enim populos facile potuiſſe vinci ab Hermunduris non eſt mirum, utpote cum ille jam Taciti ævo otio obtorpuerit. GOEBEL. Sala Hermunduros a Cattis diſtinxit, & in ſeptentrione Cheruſcos attingebant. CLUVERIVS *lib.* 3. *c.* 28. eos inhabitaſſe dicit, quicquid inter Salam & Albim eſt, pars Anhaltini principatus ducatusque Saxoniæ, Miſnia fere tota, Voigtlandia tota, Coburgenſis ducatus pars cum oppido Coburg. Brandenburgicæ ditionis oppida Franconica Culenbach, Cronach, Bareuth, Franconicæ pars ad lævam

in ripa commercium, ſed penitus, atque in ſplendidisſima Rhætiæ provinciæ colonia. paſſim ſine cuſtode transeunt, & cum ceteris gentibus arma modo caſtraque noſtra oſtendamus, his domos villasque patefecimus non concupiſcentibus. *In Hermunduris Albis* (a) oritur; flumen inclitum & notum olim nunc tantum auditur. Juxta Hermunduros *Nariſci*, (b) ac deinde *Marcomani* (c) & *Quadi* (d) agunt. Cap. XLII.
Præcipua Marcomanorum gloria, viresque, atque ipſa etiam ſedes, pulſis olim *Bojis*, (e) virtute parta. Nec

Mœni ripam, ubi oppida Bamberga & Forchheim palatinatus ſuperior, & nobilisſima Noriberga: Denique Sueviæ portio, in qua Nordlinga & Dunckelſpila ſunt. CELLARIVS *tom. I. pag.* 454. 455. An veteris Sueviæ fuerit portio dubitari poteſt, quanquam DANCKWERTHVS *in chron. Holſatiæ pag.* 41. hoc cum aliis aſſerat. Vid. CELLARIVS *l. c.*

(a) *In Hermunduris Albis*) GOEBEL. Potius Egram dicere debuiſſet. COINTIVS *in annal. Franc. eccleſ. ad ann.* 569. §. 17. *HERTIVS l. c. p.* 75. *CONRING de antiquisſimo Helmſt. ſtatu p.* 76.

(b) *Nariſci*) *GOEBEL.* Genuinum eorum nomen die Nabische i. e. fluminis Nabi accolæ haud dubie a Romanis in Nariscos corruptum eſt. Limites eis fuere a meridie Danubius, ab Æni confluente ad Ingolſtadium usque ab occaſu, linea hinc ad Mœni fontes ducta, ab ortu Bojohemici montes ac ſaltus. CLVVER. *lib. III. c.* 29. *CELLARIVS p.* 485.

(c) *Marcomani*) GOEBEL. Creduntur, antequam in Bohemiam profecti ſunt, cum Seduſiis Harudibusque inter Mœnum Danubium & Rhenum habitaſſe. CLVV. *lib. III. c.* 3. CELLARIVS *p.* 485. Interim LEIBNITTII eſt ſententia in Moravia ad Marcam fluvium degiſſe, indeque nomen aſſumſiſſe adſtruit. Neque ei veroſimile videtur, Marcomannos tam facile per tanta terrarum ſpatia a Rheno ad Albim in Pannoniam usque ſedes transtuliſſe proculcatis potentisſima Hermundurorum totque aliis gentibus. Et hæc ratio ab eis qui contrariam ſequuntur opinionem, hactenus non ſatis everſa eſt.

(d) *Quadi*) GOEBEL. AMM. MARC. *lib. XXIX. cap.* 5. TACITVS *lib. II. annal. c.* 63. Paſſim eorum quoque in aliis hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptoribus mentio fit. Bellica laude fuerunt celebres, unde nomen *quad* habuiſſe ſuſpicor, quoniam in lingua Germaniæ inferioris etiam illum, qui facile exardescit in iram & nullius rei, quæ ſibi diſplicet, patiens eſt, *quad* vocant. Moraviæ haud dubie partem hæc gens inhabitavit. CLVVER. *lib. III. c.* 31. CELLAR. *p.* 456.

(e) *Bojis*) CONR. Bojoariorum nomen apud *JORNAND.* fortaſſis primum reperitur, illo enim loco laudato ſæpius, c. 55. ſic loquitur: Danubium congelatum Theodemir cernens pedeſtrem ducit exercitum, emenſoque Danubio Suevis improviſus a tergo apparuit. Nam regio illa Suevorum ab oriente Bajoarios habet, ab occidente Francos &c. Ergo jam Leonis Imp. ætate Bojoarii trans Danubium eas ſedes habuere, quæ nunc iisdem adſcribuntur. Ex PAVLO vero DIACONO *rer. Longob. lib. I. c.* 14. conſtat, jam Juſtiniano Imperat. eosdem cis Danubium iis in locis, quæ etiam nunc occupant, habitaſſe. Et hæc quidem mala, inquit ille, intra Italiam tantum usque ad fines gentium Alemannorum & Bojoariorum ſolis Romanis acciderunt. *Idem lib. III. c.* 3. Noricorum provincia, quam Bojoariorum populus inhabitabat, habet ab oriente Pannoniam, ab occidente Sueviam, a meridie Italiam, ab aquilonis vero parte Danubii fluenta. Conſtat enim ex monumentis hiſtoriæ Francicæ, a Clodovæo Francorum Rege ſimul & Bojoarios in ditionem fuiſſe acceptos, poſteaquam Alemannorum vel Suevorum potentia ad Talbiacum ingenti prælio anno Chriſti 499. concidiſſet, quia ſcilicet illa ætate Bojoarii Alemanniæ ſeu Suevici regni portio fuere. Cæterum cujusnam illa gens Bojoariorum ſit originis, videtur valde obſcurum. Plerique enim etiam doctisſimorum hominum & quidem inter eos Johan. Aventinus, Marcus Velſerus, Phil. Cluverius, nepotes hos eſſe credunt Bojorum illorum, quos Maroboduus Marcomannorum Rex Bojohæmo antiquis ſedibus exegit. Cæterum præter nominis affinitatem, nihil illis videtur ſupereſſe, quod ſit aſtruendæ illi ſententiæ; contra vero maxime facit primum, quod Bojoarii noſtri ſint & Germanici idiomatis & morum quoque Germanicorum, fueruntque ejusmodi jam a ſec. 5. ubi primum memoria iſtius nominis invenitur. At vero Boji Gallica gens fuit, quemadmodum notisſimum eſt. Deinde conſtat non tam validas fuiſſe copias Bojorum, qui Hercinia ſylva ſunt pulſi, ut cis Danubium tantum terrarum ſpatium potuerint implere, cum Geographi Græci, Latinique ſcriptores in Vindelitia & Norico vix levem aliquam Bojorum manum agnoſcant. Quis porro credat obſcuras illas Bojorum reliquias poſteris temporibus, cum res Pannoniæ, Vindeliciæ & Norici Germanorum incurſionibus erant afflictisſimæ, ita inter tot ærumnas interque tam validas & victrices gentes evaluiſſe, ut non tantum tam latum terræ ſpatium cis Danubium, verum & trans Danubium, quicquid hodie ſuperioris Palatinatus vocabulo comprehenditur, potuerint occupare. Jam porro invenimus, Marcomannos & Quados Bojohæmo exceſſiſſe, nec tamen aut in longinquas terras commigraſſe aut penitus exciſos eſſe. Itaque qui a Bojis Bojoarios deducunt, nihil habent, quod poſſint de Marcomannis, Quadis, & Nariſcis narrare, cum tamen validæ gentes rerum natura non potuerint excidere. Nobis veroſimile fit, Bojoarios eſſe illos, qui olim Marcomanni, Quadi & Nariſci fuerunt nuncupati. Cum enim omnino Bojoarii Germani ſint, nulli reperiuntur inter veteres populos, qui Bojoariorum appellationem potuerint rectius ſibi imponere. Neque vero mirum cuiquam eſſe debet, Marcomannos & Quados & Bojoarios dictos; cum enim Bojohæmum habitaverint, facile potuerunt a loco accipere etiam denominationem, ſicut hodie Venedi, Rhætii, Boji, ſeu Bojohæmi nobis dicuntur, qui tamen nihil minus ſunt, quam Boji. Veroſimile ergo eſt appellatos & Marcomannos & Quados & Bojos vel Bojoarios a ſedibus ſcilicet; quas multis ſeculis inſiderunt. Accedit quod certum ſit Marcomannos Quadosque ſedibus ſuis egreſſos eſſe jam quinto poſt Chriſtum ſeculo. Imo vero jam Diocletiano imperante Marcomanni omnino videntur in ſuperiore palatinatu habitaſſe. JORNANDES enim diſerte *c.* 2. Vandalos ita collocat iſta ætate, ut a meridie Danubium, a ſeptentrione Hermunduros, ab occidente Marcomannos habuerint. Si autem Hermunduri tum temporis in Thuringiam penetraverunt, ut ſupra fuit probatum, non potuerunt Vandali a ſeptentrione ſpectaſſe Hermunduros, & ab occidente Marcomannos, niſi Vandalos dixerimus tum temporis in ipſo Bojohæmo, Marcomannos vero cis ſaltum Hercinium coluiſſe. Unde obiter patet falſum eſſe, quod vulgo creditur Marcomannos ſedibus pulſos & exciſos eſſe a Czeſis & Venedis. Sed ille error poteſt etiam ex PAVLI WARNEFRIDI *lib. I. de geſtis Longobardorum* refutari. Hisce temporibus, ait ille, inter Odonerum, qui in Italiam per aliquot jam annos regnaverat, & Feletheum, qui & Feſor dictus eſt, Rugorum regem magnarum inimicitiarum fomes exarſit, qui Feletheus ulteriorem ripam Danubii incolebat, quam a Norici finibus idem Danubius ſeparabat; atque ſi eam ripam Danubii, quæ Noricum ſpectat, tenuerunt, tum temporis Rugii utique habitarunt in Bojohemo, utpote cum Noricum Paulo Diacono, uti ſupra viſum eſt, appelletur quicquid eſt in Suevia h. e. a Lecho amne usque ad Pannoniam, adeoque magnam portionem Vindeliciæ comprehendat. Narrat enim eodem loco Rugios exciſos eſſe ab Odonero, in deſertas terras eosdem Longobardos commigraſſe, donec iis relictis ſedibus in Pannoniam transierunt. Alias etiam oſtendam Venedorum gentem Juſtiniano demum imperante, ſe primum commoviſſe. Ut ergo ad rem revertamur, quantum conjectura licet aſſequi, Marcomanni, Quadi, & Nariſci Bojohæmo vicinis locis jam fuere pulſi ſub finem tertii ſeculi, unde & in tab. Peutingeriana iis in locis Vandali collocantur. Migraſſe autem eos primum in Hermundurorum ſolum, poſt & Danubium transiiſſe & Vindeliciæ Noricique amplisſimas terras occupaſſe.

Nec Nariſci Quadive degenerant. Eaque Germaniæ velut frons eſt, quatenus Danubio pergitur. Marcomanis, Quadisve usque ad noſtram memoriam *reges* (a) manſerunt ex gente ipſorum, nobile Marobodui & Tudri genus; jam & externos patiuntur. Sed vis & potentia regibus, *ex autoritate Romana:* (b) raro armis noſtris, ſæpius pecunia juvantur. Nec minus valent retro *Marſigni*, (c) Gothini, Oſi, Burii: terga Marcomanorum Quadorumque claudunt.

Cap. XLIII. E quibus Marſigni, & Burii ſermone cultuque Suevos referunt: Gothinos Gallica, Oſos Pannonica lingua coarguit non eſſe Germanos, & quod *tributa patiuntur.* (d) partem tributorum Sarmatæ, partem Quadi, ut alienigenis imponunt. Gothini, quo magis pudeat, & ferrum *effodiunt.* (e) Omnesque hi populi pauca campeſtrium, ceterum ſaltus & vertices montium jugumque inſederunt. Dirimit enim ſcinditque Sueviam continuum montium jugum, ultra quod plurimæ gentes agunt. Ex quibus latisſime patet *Lygiorum nomen* (f) in plures civitates diffuſum. Valentisſimas nominaſſe ſufficiet: *Arios, Helveconas, Manimos, Elyſios, Naharvalos.* (g) Apud Naharvalos antiquæ religionis lucus oſtenditur. Præſidet ſacerdos muliebri ornatu, ſed deos interpretatione Romana *Caſtorem Pollucemque* (h) memorant. Ejus numinis nomen *Alcis.* (i) nulla ſimulacra, nullum peregrinæ ſuperſtitionis veſtigium. ut fratres tamen, ut juvenes venerantur. Cæterum Arii ſuper vires, quibus enumeratos paulo ante populos antecedunt, truces, inſitæ feritati arte ac tempore lenocinantur. nigra ſcuta, *tincta corpora,* (k) atras ad prælia noctes legunt: ipſaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hoſtium ſuſtinente novum ac velut infernum aſpectum; nam primi in omnibus præliis oculi vincuntur. Trans Lygios *Gothones* (l) regnantur, paulo jam addictius quam ceteræ Germanorum gentes, nondum tamen

(a) *reges*) GOEBEL. De Marcomannorum regibus agit VELLEJVS PATERCVLVS *lib. II. cap.* 108. *TACITVS annal. lib. II. c.* 46. 62. 63. *& lib. XII. cap.* 29. Fuerunt & Quadis ſui reges de quibus Ammianus Marcellinus inſpiciendus eſt.

(b) *ex autoritate Romana*) GOEBEL. TACITVS *annal. lib. II. c.* 45. *&* 63.

(c) *Marſigni*) GOEBEL. Hi cum Gothinis, Oſis & Buriis Sileſiæ fuerunt incolæ. CLVVER. *lib. III. cap.* 32. HENELIVS in *Sileſiograph. cap.* 1. *§.* 15. *ſeqq. DITMARVS ad h. c.*

(d) *tributa patiuntur*) GOEBEL. Ex his colligi licet, Germanos tributorum fuiſſe impatientes.

(e) *effodiunt*) GOEBEL. Romani ad effodienda metalla non niſi mancipia adhibebant. Harum fodinarum etiam Ptolomæus mentionem habet.

(f) *Lygiorum nomen*) GOEBEL. Hos per Pomeraniam, Sileſiam & Poloniam majorem ſe extendiſſe arbitror. KIRCHMAIERVS *ad h. c.* HERTIVS *l. c. c.* 2. *§.* 21.

(g) *Arios, Helveconas, Manimos, Elyſios, Naharvalos*) GOEBEL. Hos aliqui ad inſulas maris Balthici relegant. An per Elyſios Sileſii intelligendi ſint, alibi examinamus. KIRCHMAIERVS *p.* 425. 426.

(h) *Caſtorem Pollucemque*) *GOEBEL. SCHEDIVS de diis Germ. ſyngr. IV. c.* 9.

(i) *Alcis*) GOEBEL. Non diſſentio a Clariſſ. Ditmaro, qui nomen hujus numinis, infernalis forte cujusdam, non ab Hercule Alcide, Minerva Alcide aut Pythagora, ſed a Germanica voce *Alf* arceſſendam conjicit. Nam in Germania inferiori pasſim obtinet, ut hac voce dæmonium aliquod intelligatur. Hinc ſi credulum vulgus exprimere vult, fœminis, quibus diabolus familiariter uti fertur, aliquid ab eo in donum eſſe allatum, dicunt: *Dat hat de Alp bracht.*

(k) *tincta corpora*) *GOEBEL.* Hoc & aliis gentibus conſuetum fuit. CAMBDENVS *in Britannia p.* 84. Hic ſi non ad peculiare pingendi genus reſpicit, quando ſe pingendi more Germanos nunquam uſos eſſe aſſerit, ex hoc capite erroris convinci poteſt.

(l) *Gothones*) CONRING. Populus qui latisſime trans Iſtrum patuit, Germanicæ originis nullo modo fuit; facile enim hoc eo oſtendi poteſt, quod ſcriptores optimi, qui Germanicorum populorum res habuere exploratisſimas, a Germanis gentibus Getas ſemper disjunxerint. Apparet ſane hoc ipſum manifeſto ex Strabone, Pomponio Mela, Plinio, Tacito & aliis iſtius ævi ſcriptoribus. Neque enim in iis trans Iſtrum alios Germanos, quam Peucinos & Baſtarnas agnoſcunt, reliquos autem omnes a Germanis ſejungunt. Contra vero Gothos ſeu Gottos, eorumque ſocios Gepidas, quorum ſequentibus ſeculis tam clarum fuit nomen tantaque fortitudo, Germanicæ originis eſſe, præterquam quod vel ſola nomina quibus ſunt appellati, Theodoricorum, Harmannaricorum, Alericorum &c. posſint oſtendere, inſtituta quoque probant & mores, tum vero confirmant præclarorum ſcriptorum teſtimonia, qui Gothos ejusdem fuiſſe cum Vandalis & idiomatis & originis aſſeverant. Accedit quod Tacitus in Germanicis gentibus Gothones, C. Plinius ſecundus Guttones vel Guthones Vandalicis gentibus annumeret. Vetus tamen ſententia fuit, Getas eosdem cum Gothis eſſe. Diſerte enim ÆLIVS SPARTIANVS Gethas eſſe illos ait, qui poſtea Gothi ſunt dicti. Eandem ſententiam & Jornandes in ſua hiſtor. Goth. & poſt illum haud pauci novitiorum ſcriptorum ſecuti ſunt. Cæterum quantus ille error ſit, ex iis quæ diximus, facile innotuit. Apparet autem quicquid de Gothis hic recenſet Jornandes, aut enarrant alii, inter quos & inanis ille eſt rerum Gothicarum ſcriptor Joannes M. inepte Gothorum rebus immiſcere. Eadem ſcilicet ineptia hæc eſt, qua idem Jornandes, quicquid de Scythis legerat, id omne Gethis adſcribit, cum tamen Getæ non niſi portio quædam Scytharum fuerint. Eſt autem procul dubio non alia erroris origo, quam tantum Gethici & Gothici nominis affinitas, & præterea quod Getharum terras Gothi aliquando inſederint. Quandonam autem Gothones illi Taciti, ſeu populi Gothoni Daciam Mæſiamque adeoque Getharum terras occupaverint, fortasſis haud difficile eſt ſcitu. Conſtat ſiquidem ex JVLIO CAPITOLINO Gordiano Imp. Gothos & Sarmatas in Thracia & Mæſia, quo ſcilicet trajecto Danubio illi excurrerant, fuſos fugatosque eſſe. Herodianus de Baſ. Caracalla tradit, hunc Germanos trans Iſtrum ſibi junxiſſe, & familiarisſimos habuiſſe, quod eorum mores, veſtitum & habitum ipſe quoque mutaret. Verumtamen an fuerint Gothi, an alii Germanorum populi non expreſſum eſt. Certe ante ſeculum tertium haud facile quis Gothorum nomen in Getarum terris invenerit. Qua autem occaſione Gothici illi populi in diverſas iverint civitates, Oſtro-Gothorum & Weſtro-Gothorum, qui porro Gepidæ a ſocietate deſciverint Gothorum, republ. ſibi ſingulatim conſtituta, cum ex aliis tum ex Jornandis Gothicis licet petere. Suffecerit hoc loco notaſſe Oſtro-Gothorum regnum in Italia a Juſtiniano Imp. per Beliſarium & Narſetem: Weſtro-Gothorum autem res in Hiſpania ſeculo 7. in Roderico Rege a Saracenis fractas concidiſſe. Gepidæ quidem Daciam inter Montana, quæ nunc Transſylvania eſt, tenuerunt etiamnum Imp. Juſtiniano, ut teſtatur JORNANDES *c.* 36. tamen eodem fere tempore regnum illorum deſiiſſe in Cunimundo rege, ſuperato ab Alboino rege Longobard. PAVLVS WARNEFRIDVS nos docet *lib. I. c.* 27. Quod vero porro de origine Gothorum Gepidarumque docet Jornandes, prodiiſſe illos olim ex Scandinaviæ terris, celebrantur Oſtro-Gothorum & Weſtro-Gothorum populi, vocula etiam Gothica plurima a veteribus ſcripto recenſentur, quæ hodie a ſolis illis Suedis ſcilicet Gothis Scandinaviæ incolis intelliguntur. Ut taceam proditam a quibusdam supereſſe memoriam Gothorum in Thraciam habitantium, in antiquisſimis Suedicis legibus, id verumne an falſum ſit,

tamen ſupra libertatem. Protinus deinde ab Oceano *Rugii & Lemovii;* (a) omniumque harum gentium inſigne rotunda ſcuta, breves gladii, & erga reges obſequium. *Suionum* (b) hinc civitates, ipſo in Oceano, præter viros armaque *claſſibus valent.* (c) Forma navium eo differt, quod utrimque prora *paratam ſemper appulſui* (d) frontem agit: nec velis miniſtrantur, nec remos in ordinem lateribus adjungunt. Solutum, ut in quibusdam fluminum, & mutabile, ut res poſcit, hinc vel illinc remigium. Eſt apud illos & opibus honos, eoque unus imperitat, nullis jam exceptionibus, *non precario jure parendi.* (e) nec arma ut apud ceteros Germanos in promiſcuo, ſed clauſa ſub cuſtode & quidem ſervo: quia ſubitos hoſtium incurſus prohibet Oceanus, *otioſa porro armatorum* (f) manus facile laſciviunt. Enimvero neque nobilem, neque libertinum quidem armis præponere, regia utilitas eſt. Trans Sujonas aliud *mare, pigrum,* (g) ac prope immotum; quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides, quod extremus cadentis jam ſolis fulgor in ortus edurat, adeo clarus, ut ſidera hebetet. Sonum inſuper emergentis audiri, formasque deorum, & radios capitis aſpici, perſuaſio adjicit. Illuc usque (& fama vera) tantum natura. Ergo jam dextro Suevici maris littore *Æſtyorum gentes* (h) alluuntur: quibus ritus habitusque Suevorum, lingua Britannicæ propior. *Matrem Deum* (i) venerantur, inſigne ſuperſtitionis formas aprorum geſtant. Id pro armis omniumque tutela, ſecurum deæ cultorem etiam inter hoſtes præſtat. Rarus ferri, frequens fuſtium uſus. Frumenta ceterosque fructus patientius quam pro ſolita Germanorum inertia laborant. Sed & mare ſcrutantur, ac ſoli omnium *ſuccinum,* (k) quod ipſi *gleſum vocant,* (l) inter vada atque in ipſo litore legunt. Nec quæ natura quæve ratio gignat, ut barbaris, quæſitum compertumve. Diu quin etiam inter cetera ejectamenta maris jacebat, donec luxuria noſtra dedit nomen. Ipſis in nullo uſu rude legitur, informe perfertur; pretiumque mirantes accipiunt. *Succum tamen arborum* (m) eſſe intelligas: quia terrena quædam atque etiam *volucria animalia* (n) plerumque interlucent, quæ implicita humore, mox dureſcente materia, cluduntur. Fecundiora igitur nemora lucosque, ſicut Orientis ſecretis, ubi thura balſamaque ſudantur, ita Occidentis inſulis terrisque ineſſe crediderim, quæ vicini ſolis radiis expreſſa atque liquentia in proximum mare labuntur, ac vi tempeſtatum in ad-

Cap. XLIV, Cap. XLV.

incompertum habeo. GOEBEL. Nos de hoc argumento alibi ſententiam noſtram explicavimus. Cæterum de regno Viſigothorum in Gallia & Hiſpania & Oſtgothorum in Italia agit HERTIVS *l. c. part. III. c.* 7. 8. Nomen haud dubie a *Goth* habuerunt. Incolæ dicuntur fuiſſe Pruſſiæ. An eo ex Scandinavia delati ſint, & an hi regnorum iſtorum ſatores fuerint, nonnullis dubium videtur. CELLARIVS *p.* 481.

(a) *Rugii & Lemovii*) GOEBEL. Rugii inſulæ Rugiæ incolæ a fluvio Rega nomen habere videntur. CLVVERIVS *lib. III. c.* 27. 35. Alia forte adhuc in littore maris Balthici hæc gens occupavit territoria. Eos a Lemoviis, qui deinde Herulorum nomen aſſumſiſſe dicuntur, per fluvium Viperam ſeparatos fuiſſe docet CLVVER. *l. c.* Herulorum patriam PROCOPIVS *de bello Gothico lib. II. p.* 259. inſulam Thulen conſtituit. Hic eos graviſſimorum criminum gentilitiorum reos facit. Cæterum quod ad locum habitationis attinet, GROTIVS *in proleg. hiſtor. Goth. &c. p.* 4. 5. 9. per Thulen intelligit Scanziam ſive Scandinaviam, ex cujus parte Herulos per Danos pulſos eſſe dicit: ſed oportet ibi gentis remanſiſſe reliquias; Nam in Italia ſuperſtites, quibus Juſtinianus ſub fidelitatis & obſequii lege vitam largitus erat, cum regem ſuum Ochonem interfeciſſent, alium e Thule inſula regio de genere accire conſtituerunt. Nota eſt controverſia de hac inſula, per quam Pontanus Islandiam intelligit, Adami Bremenſis aliorumque teſtimoniis innitens: ſed refutatur a J. ARNGRIMO *in ſpecimine Islandiæ hiſtorico part. II. membr. I. p.* 90. *ſeqq.* Id certum, Thules deſcriptionem, quam PROCOPIVS *lib. II. p.* 260. 261. habet, ad Islandiam parum quadrare. Mihi videtur uno nomine varias ab antiquis notatas eſſe inſulas.

(b) *Suionum*) GOEBEL. Per hos dubio procul Sueci, in ſago & toga celeberrimi ſunt intelligendi. Vid. elogia gentis, quæ Grotius & Schefferus collegerunt. Collocantur una cum Norwegis in Scandinavia, quam Plinius eumque ſequentes inſulam dicunt. Vid. GROTII *proleg. hiſtor. Goth. Vandal. & Longobard.* Hi maxime quoque ſub Normannorum nomine celebres fuerunt. Vid. LOCCENIVM *in antiquit. Sueo-Gothicis. GROT. proleg. pag.* 6. 10. 12.

(c) *claſſibus valent*) GOEBEL. Saxo Suedorum regem nominat, cui bis mille quingentæ naves fuerint. GROT. *prol. p.* 13. SCHVRZFLEISCH *antiquitates Sueo-Gothicæ.*

(d) *paratam ſemper appulſui*) GOEBEL. De ſimili navigiorum genere in Ponto Euxino uſitato, quas Camaras vocabant, teſtatur TACITVS *lib. III. hiſtor. cap.* 47. Vid. CLVVER. *Germ. antiq. lib. I. c.* 18.

(e) *non precario jure parendi*) GOEBEL. Ab hac autoritate longe alienus erat Herulorum Rex; de eo enim PROCOPIVS *lib. II. hiſtor. Goth. p.* 259. inquit: *reipſa privato vix diſpar, una ſedere una epulari vulgus uſurpaverat, & ſi libuiſſet probris ipſum laceſſere.*

(f) *otioſa porro armatorum*) GOEBEL. Ubi militem nunc habemus perpetuum, conduceret, ut omnes, qui militarem non ſectarentur vitam, armis exuerentur. Nihil enim verius eſt, quam otioſas armatorum manus facile laſcivire.

(g) *mare pigrum*) GOEBEL. Hyperboreum hoc mare mortuum ob nimiam caliginem, a Saturno chronium, & ob frigus quo continuo riget, concretum & glaciale & amalchium vocatur. KIRCHMAIER *pag.* 435. *Nouveau voyage du Nort. p.* 289.

(h) *Æſtyorum gentes*) GOEBEL. CLVVERIVS *lib. III. c.* 46. CELLARIVS *tom. I. p.* 488. Olim Æſtlandia ſatis late patuit, ita ut etiam Finnos complexa ſit.

(i) *Matrem Deum*) GOEBEL. Id eſt terram. RVDBECKIVS *part. II. cap.* 6. KIRCHMAIERVS *p.* 441.

(k) *ſuccinum*) *GOEBEL.* Cum ſuccinum frequentius & abundantius in Pruſſicum littus mare expellat, haud dubie & littori illi vicini Pruſſi tum temporis ſub Æſtis fuerunt. De ſuccino Germanorum loquuntur HERODOTVS *lib. III.* DIODORVS SICVLVS *lib. V.* PLINIVS *hiſtor. natural. lib. XXXVII. c.* 2.

(l) *gleſum vocant*) *GOEBEL.* Quia pellucidum in vitri ſimilitudinem formatum fuerit. Feraces electro inſulas inde nomen gleſſaviarum obtinuiſſe apparet. Loquitur de electridibus his inſulis PLINIVS *lib. IV. cap.* 16. ſed locum ubi ſitæ fuerint, aut ubi Eridanus Balthicum ſubierit mare non indicat: veroſimile tamen Cl. Ditmaro videtur, Eridanum eſſe Kadanum fluvium juxta Gedanum ſe in Fiſtulam evolventem; electrides autem inſulas a Viſtula juxta Æſtiorum littora ad Pillaviam usque excurriſſe.

(m) *Succum tamen arborum*) GOEBEL. PLINIVS *l. c.* idem aſſerit cum multis aliis. Vid. KIRCHMAIER *p.* 447. Verior tamen eſt ſententia, electrum ex bituminoſis & ſalinis effluviis in corticoſa & lignoſa matrice gigni. WIGANDVS *Epiſcopus Pomezarienſis in hiſtor. ſuccini. HARTMANNVS in ſuccincta hiſtoria ſuccini Pruſſici,* ad quos DITMARVS provocat.

(n) *volucria animalia*) GOEBEL. Hæc figmenta & luſus naturæ eſſe arbitror.

adverſa littora exundant. Si naturam ſuccini admoto igne tentes, in modum *tedæ* (a) accenditur, alitque flammam pinguem & olentem: mox ut in picem reſinamve lenteſcit.

Suionibus *Sitonum gentes* (b) continuantur. cetera ſimiles uno differunt, quod femina *dominatur:* (c) in tantum non modo a libertate, ſed etiam *a ſervitute* (d) degenerant.

Cap. XLVI. HIC Sueviæ finis. Peucinorum, Venedorumque, & Fennorum nationes Germanis an Sarmatis adſcribam, dubito. Quamquam *Peucini,* (e) quos quidam Baſtarnas vocant, ſermone, cultu, ſede, ac domiciliis, ut Germani agunt: ſordes omnium ac torpor. procerum connubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum fœdantur. *Venedi* (f) multum ex moribus traxerunt. nam quidquid inter Peucinos Fennosque ſilvarum ac montium erigitur latrociniis pererrant. hi tamen inter Germanos potius referuntur; quia & domos figunt, & ſcuta geſtant, & peditum uſu ac pernicitate gaudent; quæ omnia diverſa Sarmatis ſunt, in plauſtro equoque viventibus. *Fennis* (g) mira feritas, fœda paupertas. non arma, non equi, non penates. victui herba, veſtitui pelles, cubile humus. ſola in ſagittis ſpes, quas inopia ferri oſſibus aſperant. Idemque venatus viros pariter ac feminas alit. Paſſim enim comitantur, partemque prædæ petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbriumque ſuffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur. Huc redeunt juvenes, hoc ſenum receptaculum. Id beatius arbitrantur, quam ingemere agris, illaborare domibus, ſuas alienasque fortunas ſpe metuque verſare. Securi adverſus homines, ſecuri adverſus deos, rem difficillimam aſſecuti ſunt, ut illis ne voto quidem opus ſit.

Cetera jam fabuloſa: Helluſios & Oxionas ora hominum vultusque, *corpora atque artus ferarum* (h) gerere. quod ego, ut incompertum, in medium relinquam.

HERMANNI CONRINGII

In Taciti de moribus Germanorum Notæ Criticæ.

Pag. 280. *Montis Abnobæ*) Ita recte Rhenanus reſtituit, cum eſſet editum *Arnoba.*

ſex meatibus erumpat) Pichena notat in Veneto codice legi, *erumpit.* Sed hoc leve eſt.

Pag. 281. *adverſus Oceanus*) Lipſius malit *obverſus*: Cluverius ut & Curtius Pichena *averſus.* Sed vulgata lectio præplacet. Oceanus enim tunc habitus fuit quaſi adverſus omnibus navigantibus, multo magis novas ſedes quærentibus. Facit mecum C. Colerus.

Tuiſtonem) Alii *Tuitonem* legunt, contra fidem exemplarium. Forte ſcribendum *Tuiſconem* aut Tuitſconem: ut populari lingua ſit dictus *Tuiske*: inde ſane rectius formaveris generale illud nomen *Tuisken.*

Ingævones) Sola diphtongus, quam & Plinius habet in hac ut & in voce *Iſtævonum*, ſatis indicat, perperam has voces nonnullos interpretari *Inwoner* & *Weſtwoner*; quaſi a ſitu incolentium vocabula illa ſint nata. Ne nunc urgeam, diſerte a Tacito dici, a trium filiorum Manni nominibus illa Germanicarum gentium orta cognomenta; & alios dictos Herminones, quæ vox plane nihil habet commune cum ſitu. Itaque ex ſententia Taciti dixeris rectius, tres fuiſſe Manno filios, vulgo nuncupatos *Ingäff, Iſtäff* (quod forte idem cum *Jüſtäff*, vel ut paſſim ſcribitur *Güſtaff*) & *Hermin.*

Herminones) Plinius habet *Hermiones*: ſed altera iſta vox propior antiquiſſimo illi nomini Germanico *Hermin.*

Vandalios) Plinius habet *Vindili.* Sed vox altera ſeculis ſequentibus magis inclaruit. Itaque & in Plinii codice corrigenda.

Eaque vera) Hæc & ſequentia, usque ad illa: *Fuiſſe apud eos,* rectius prioribus junxeris. Narrat enim Tacitus illa omnia ex aliorum *quorundam* ſententia, non ſua.

Pag. 282 *nuper auditum*) Ita placuit Lipſio, cum vulgo legeretur *additum*: nec male.

nunc Germani) Bambergenſis codex, teſte Lipſio in Notis poſterioribus, habet: *tunc Germani.* Idem in Bononienſi quadam editione ſibi repertum teſtatur Pichena in Appendice. Qui ſcilicet nunc Tungri, illi ante Germani audierunt. Sive ipſimet ſibi hoc nomen indiderint, ſive a Romanis aut Gallis ceperit hæc appellatio. Quod poſterius Strabo diſerte teſtatur, & innuit Tacitus addens: *vocati ſunt*: eoque forte eſt veroſimilius. Senſus hic fuerit. Galli, aut potius

(a) *tedæ*) GOEBEL. Unde forte *Bornſtein*, quod deinde in *Cronſtein* corruptum, vocatum eſt.

(b) *Sitonum gentes*) GOEBEL. RVDBECCIVS in media eos collocat Scandinavia; TORFÆVS autem *in hiſtoria Norvegiæ* eos verſus occidentalem habitaſſe plagam affirmat.

(c) *dominatur*) GOEBEL. Fœminæ plerumque ad moderandum reipublicæ temonem ineptæ creduntur: ſed res aliquando aliter ſe habet, & non raro fœminatum imperia proſpere ſatis ceſſerunt, cum virorum ſecutæ ſint conſilia.

(d) *a ſervitute*) GOEBEL. Hæc forte verba eo intelligenda, quod fœminarum dominatus molliores eſſe ſoleant, aut etiam quod adhuc infra ſervitutem habeatur, fœminæ tolerare imperia.

(e) *Peucini*) GOEBEL. Plinio Baſtarnæ dicuntur. STRABO vero *lib. VII. geograph.* Baſtarnarum gentem Admones, Sidones & Peucinos, inſulam Peuce ad Danubii oſtia colentes, comprehendiſſe tradit. Uterque horum eos Germanis, Ptolomæus autem & Dio Sarmatis accenſent. Crederem hos origine Germanos a patriis deinde moribus & ritibus mirum quantum deſciviſſe, & in aliam propemodum transformatam fuiſſe gentem.

(f) *Venedi*) GOEBEL. Hi Sarmaticam habuerunt originem, ut alibi docuimus. Videtur autor noſter eos cum Vandalis confundere, in quo multos habet ſocios.

(g) *Fennis*) GOEBEL. Horum ſedes ſemper incerta manet. Autor & Plinius inſulæ cuidam adſcripſiſſe videntur. PVFENDORFFIVS ſub Monzambani larva, hæc de Lapponibus intelligenda eſſe, ſtatuit. Conf. SCHEFFERVS *de Lapponibus.*

(h) *corpora atque artus ferarum*) GOEBEL. Videntur fabulæ occaſionem præbuiſſe pelles ferarum, quibus induuntur, *ne tremulo quatiatur frigore corpus.*

potius in Gallia commorantes Romani, Tungros Rhenum transgreſſos, quod eodem eſſent habitu corporis, appellavere Germanorum nomine. Tungri hi Gallorum victores ad omnes Transrhenanos nomen hoc ſuum tranſtulerunt, quo metum incuterent: venditantes ſcilicet, omnes etiam illos vinculo fraterno ſibi junctos eſſe. Placuit inde nomen illud recens tunc inventum ipſis Transrhenanis. Neſcio tamen, an quo certo liceat teſtimonio oſtendere; iſthac appellatione Germanos ipſos ſuæ inter linguæ homines unquam uſos. Ita ſi acceperis, haud neceſſum fuerit contra fidem manuſcriptorum pro illo: *a victore ob metum*, cum Cluverio legere, *victores a victis, ob metum:* cum Lipſio pro *a ſeipſis, a re ipſa.*

virorum fortium ituri in prælia) Lipſius hæc diſtinguit: *pr. virorum fortium. Ituri in prælia canunt.* Sed lectio vulgata videtur expeditior, eoque & Cluverio aliiſque probata fuit.

Barditum) Ita ex Farneſiano codice ms. in notis prioribus emendavit Lipſius. Attamen in poſterioribus indicavit, placuiſſe ſibi tunc potius *Barritum*, prout vulgo ante legebatur. Idque Cluverius ac alii retinuere. Et vero vox *Barritus* etiam Ammiano Marcellino uſurpatur pro militari applauſu, ut cum multis aliis hoc etiam vocabulum fuerit tunc receptum militiæ Romanæ.

tam vocis ille quam virtutis) In Bambergenſi codice lectum fuit: *tam vocis quam mentis.* Spernit hoc Lipſius. Colerus probat, ſed fortasſis immerito.

Pag. 283. *Ἀσκιπύργιον*) Lipſius in notis prioribus gloſſema cenſuit, repertum tamen etiam in Farneſiano codice ms. Quin igitur maneat ſuo loco, præſertim quum ipſo Lipſio prodente in notis poſterioribus, conſtanter in ms. vox aliqua Græca hic reperiatur.

nullis aliis) Vox *aliis* redundat, & videtur delenda, quod fecit Cluverius.

propriam & ſinceram) Lipſius ex Bambergenſi codice adducit, non probans tamen: *perpetuam & ſinceram.* Id arridet multum Colero: nec forte ſine cauſa.

minimeque ſitim) Hæc recte a prioribus colo ſeparavit Cluverius.

ventoſior) Lipſius audet legere *verticoſior:* quod etiam Cluverius probavit, idque fortasſis merito. Colerus tamen *ventoſior* retinet ac defendit.

ſatis ferax) Malunt nonnulli *ſati ferax.* Nec improbaverim.

plerumque improcera) Lipſius mavult *plaraque*, & hoc exprimit Cluverius. Forte excidit vocula *hac*, ut lectum fuerit, *ſed plarumque hac improcera.* Nihil tamen muto.

Pag. 284. *ſerratos bigatosque*) Quales hi nummi haut temere dixeris. A figura impreſſa nonnullos ita dictos, non eſt veriſimile. Nec enim ex immenſa nummorum veterum copia vel unum aliquem produxeris ſerra inſignitum: quod & Lipſius annotavit. Et cur Germani præ aliis probaverint illos quibus biga incuſa, cum & rariores ſint & aliis nihilo præſtent? Equidem ſuſpicor vocem illam *bigatos* mendoſam eſſe; & *ſerratos* dici illos (quod & Lipſio non diſplicet) quorum ambitus dentatus atque aſper in modum ſerræ: quod cum ſit indicium probæ notæ, cautum eo fuit Germanorum ſimplicitati. Tales ſibi viſos teſtatur Lipſius, & eſt mihi plane ſimilis vetus triumphalis nummus neſcio cujus Q. Antonii, erutus nuper aratro ex agro Ritbergenſi in Weſtphalis, ubi cum Romanis ob viciniam frequens fuit commercium. An ſcribendum *ratitos ligatosque?*

Pag. 286. *exſugere plagas*) Farneſianus & Romanus codex, teſte Lipſio, habent *exigere plagas.* Ita etiam editum fuit ante Rhenanum. Non male: ſed nec *exſugere*, quod Rhenanus repoſuit, diſplicet; imo videtur rectius convenire cum eo, quod non *pavere* eas dicit Tacitus, & *numerare vulnera.* Facit mecum Colerus.

Pag. 287. *Velledam*) Alii legunt *Veledam*, idque rectius, ut indicat illud Statii - *captivæque preces Veledæ.*

Auriniam) Farneſianus ms. habuit *Fluriniam:* Lipſius putat legendum *Aluerinium.* Aſt *Aluerunum* vox eſt vetuſta Germanica, atque ut jam olim Gothis, teſte Jornande, uſitata, ita nec hodie emortua. Jam olim vero fuit & hodie eſt vox appellativa, magam mulierem quamvis ſignificans, non propria. Itaque non eſt quod *Aurinia* vox hic ſollicitetur.

Pag. 293. *apud principes pertractentur*) Grotius argute: *prætractentur.* Ut penes principes minorum rerum arbitrium, majorum *προβουλία* fuerit. Quem morem multis poſt ſeculis Francos obſervaſſe, alibi notamus: eoque Grotiana illa emendatio plane arridet.

nec juſſi) Rhenanus monet in veteri codice legi: *nec injuſſi;* ex quo, Lipſio judice, bene etiam ſcripſeris; *nec ut juſſi.*

corpore infames) Lipſius in notis poſterioribus cenſet ſcribendum *torpore infames*, ut purget majorum ſanctam famam. At Cluverius quoque & Pichena probat illud vulgatum, nec videtur mutandum, cum torpor non ſoleat infamiam parere. Niſi forte aliud Germanis viſum.

Pag. 294. *Ceteris robuſtioribus*) Aſſentior Lipſio & Freinshemio legentibus; *Ceteri* (nempe quibus non tanta nobilitas aut merita patrum) *robuſtioribus aggregantur.*

præcipuum ſacramentum) Liber ſcriptus monente Lipſio: *Principum ſacramentum.* Præplacet hæc ſcriptio, ut ſenſus ſit, illam comitum ſpontaneam æmulationem fuiſſe Principibus ſacramenti vice: quo ſcilicet ſolet alias miles adſtringi.

& facilius inter ancipitia) Placuit Pichenæ & Colero id quod Venetus codex habuit: *& ut facilius inter.*

belloque tueare) vulgo *tuentur.* Cluverius legit *tuentur.* Parvo aut nullo diſcrimine.

non multum venatibus) Omnino cum Lipſio ejiciendam cenſeo illam negationem *non.* Delevit

eandem & Cluverius. Et vero repugnat moribus Germanorum veterum: tum illi quod ſequitur apud Tacitum, *plus per otium tranſigunt.* Multum ſcilicet, & plus recte ſibi opponuntur, haud ita vero *non multum* & *plus.* Pichena malit: *tum vitam venatibus.* Colerus: *tum vita multum.* At Lipſiana correctio ſimplicior.

Ipſi bebent) Ita primus Lipſius recte expreſſit Farneſianam ſcripturam; cum vulgo legeretur: *ipſi habent miram diverſitatem naturæ.*

ultro & viritim conferre) Locum mutilum eſſe apparet. Rhenanus ſuſpicatur legendum: *Ultro equitium conferre.* Sed ne ſic quidem pendentia verba firmaveris, ut recte dicit Lipſius. Ipſe notam X. credit excidiſſe, quæ decimam ſignificat; quaſi jam tum mos fuerit Principibus decimas frugum & jumentorum conferre: idque illud eſſe quod hodieque obtinet. At vero decimas Principibus ſolutas, antequam illæ ex bonis ſacris devenerint in peculium Principum, non facile probaveris. Cluverius addit voculam *aliquid.* & vero hæc ſufficit.

Pag. 296. *colorum imitetur*) Ita ex Farneſiano reſtituit Lipſius. Vulgati perperam: *colorum invitet.*

ſpina conſertum) Lipſius videtur malle *pinna;* ſed nihil definieris temere.

ſpargere maculis) Illis *maculis* maculam ineſſe ſuſpicatur Lipſius, nihil tamen mutat. Mihi videtur maculam nullam hic reperiri.

non uxor marito) Monet Lipſius, deeſſe in Bambergenſi codice illud *marito:* & abeſſe poſſe ſine fraude.

Pag. 297. *ſed boves*) Pichena ſuſpicatur excidiſſe voculam *binos.* Sed mera eſt ſuſpicio. *Junctos* tamen boves illos fuiſſe, liquet ex iis quæ ſubſequuntur.

arma denunciant) Rhenanus monet, inventum ſibi in codice *renunciant.* Nullo utrumque eſt diſcrimine.

Sic vivendum, ſic pereundum) Rhenanus memorat, ſe alibi legiſſe: *ſic viventes, ſic parientes.* Vulgatum autem illud haud dubie rectius.

quæ liberis inviolata ac digna reddat) Vox *digna* non immerito Lipſio viſa minus ſincera. Et vero dixeris expungendam: vel aliam quandam voculam deſiderari quo illa reſpicit. Heinſius legit hunc in modum: *accipere ſe quæ liberis inviolata reddat, digna quæ nurus accipiant, rurſusque ad nepotes referant.* Non male.

quorum pœna præſens) Bambergenſis codex teſte Lipſio habuit: *quorum pæna parentibus & maritis conceſſa.* Nec male fortaſſis: certe rectæ rationi magis conſentaneus fuerit mos ille. Sequentia tamen indicant, ſolis etiam maritis jus fuiſſe animadvertere in adulteram.

Publicatæ enim) Lipſius mavult *etiam:* non enim hæc ad adulteria trahendum: ſed ad quamlibet conjugum corporum publicationem.

Pag. 298. *ſi quid popoſceris*) Clarius: *popoſcerit,* hoſpes ſcilicet diſcedens.

Sed & de reconciliandis) Ita recte ſcripſit Rhenanus pro: *de reconciliatis.*

aperit adhac) In vulgatis nonnullis eſt *adhuc,* idque recte probat Gruterus, voce accepta pro *amplius, præterea, inſuper.* Tantundem vero valet *τὸ adhoc.*

& ſalva utrimque temporis) Lipſius recte ſcribit, quod & Cluverio eſt probatum: *& ſua utriusque temporis ratio.* Ut ſenſus ſit; non deeſſe rationem, quare Germani inter pocula conſultent, ſobrii conſtituant: deliberare nempe dum fingere neſciunt, conſtituere dum errare non poſſunt. Salvus tamen etiam ſenſus eſt in *ſalva;* quod & Pichenæ viſum.

Pag. 299. *haut minus facile vitiis*) Bambergenſis codex teſte Lipſio habuit: *haut minus facile vino quam armis:* id quod propoſito videtur convenientius.

ideoque magis ſervatur) Lipſius malit *ſpernitur.* Et vero ſenſus hic ſubeſt. Sed hanc haut incommode dat etiam illud: *ſervatur.* Itaque non eſt quod mutes: ceu & Colero eſt viſum.

ab univerſis per vices) Bambergenſis legit: *ab univerſis vicis occupantur.* Forte ſcribendum, *ab univerſis per vicos occupantur.* Quæ ratio agricolendi planior eſt, & propius accedit ad ea, quæ Cæſar de eadem narrat *l. 6. cap. 22.* Imo optime convenit cum illa, quam ſubjungit Tacitus, partitione inter ſingulos. Prima ſcilicet agri in quolibet populo diviſio fuit ſecundum vicos, altera inter ſingulos ſecundum dignationem. Conſentit conjecturæ meæ Pichena & Cluverius.

prata ſepiant) Notat Pichena, in omnibus melioribus libris legi, & *prata ſeparent:* a Rhenano neſcio quem codicem ſecuto eſſe illud, *prata ſepiant.* Ipſe prius approbat, nec ego abnuo. Non tamen & *ſepiant* improbo.

Pag. 300. *potentia diviſas*) Bambergenſis ms. *diverſas.* Senſu eodem: ſed *diviſas* planius.

Bojemi nomen) Lipſius cum legiſſet in Bambergenſi: *manet adhuc Bojis e munere nomen,* ſcribit: *manet adhuc Boyoaſmi* (vel *Boyaimi*) *e re nomen,* ſive *Bojaimum e re nomen.* Forte *Bojemi e re nomen.* Eſt tamen vulgata quoque lectio ſic ſatis tolerabilis.

Pag. 301. *origine erubeſcunt*) Lipſius eumque ſecutus Chr. Colerus: *origine non erubeſcunt.* Ubios enim maluiſſe Germanos cenſeri. Et vero ita eſt: nec tamen requiritur ut mutes quidquam. Loquitur enim Tacitus de origine Ubiorum non illa Germanica, quod Lipſius exiſtimavit, ſed qua colonia cœpit eſſe Romana. Ejus quamvis honoratæ, tamen Ubios puduit. Ita ſi capias, non opus fuerit vel illa Gruteri medela: *Ne Ubii quidem &c.*

tributis contemnuntur) Lipſius in notis poſterioribus judicat, poſſe ferri hanc lectionem: *nam,* ait, *quibus tributa imponuntur, hoc ipſo, ut victi pro contemptis habentur ac deſpectis.* Idem ſentit Chriſt. Colerus. Videtur tamen Lipſius malle *continentur* vel *contunduntur.* Jamdudum ante illum Rhenanus ſuſpicabatur legendum *condemnantur,* vel *comminuuntur.* Stephanus Pighius in Hercule

cule Prodicio maluerat *contenuantur.* Fulvius Urſinus legerat, *conteruntur.* Verum hoc poſterius quidem admitti non poteſt quum paulo poſt ſequatur: *nec publicanus atterit.* Ego vel non ſollicitaverim vulgatam lectionem, vel aliquam illarum vocularum admiſerim, a Rhenanno, Pighio, Lipſio adductarum.

Non numeraverim) Ita recte repoſuit auctoritate vetuſtioris cujuſdam editionis Rhenanus, cum perperam legeretur: *Non numeravimus.*

Pag. 302. *limite acto*) Alii legunt, *limite aucto.* Et vero Trajani, adeoque Taciti, ætate promota erant præſidia & aucti Romani imperii limites.

niſi ratione diſciplina conceſſ.m) Bambergenſis codex habuit: *nec niſi Romana diſciplina.* Lipſius optime judicat, neutram lectionem jure ſpernendam. Probaverim tamen potius Bambergenſem.

ferramentis coonerant) Ita libri omnes veteres, non *onerant:* ut notavit Pichena.

Pag. 303. *rara & privata*) Plane pervertit ſenſum Colerus ſua illa emendatione: *Et aliis Germanorum populis uſurpata rara eſt privata cujusque audentia, apud Cattos in conſenſum vertit.*

Jamque canent inſignes) Lipſius in notis prioribus ſuſpicatus eſt depravationem: in poſterioribus nihil movet. Nec video quidquam, quare ſequius quid cogitare hic debeamus.

viſu nova) Berneggerus voluit: *viſu torva.* Freinshemius *viſu nota.* Videtur nihil mutandum. Sententia eſt: habitum ejusmodi *viſu novum,* hoc eſt, mirum eſſe; præſertim quum ne in pace quidem mitiore vultu emolleſcat.

vultu mitiore) Pichena vult *cultu mitiore;* at ſine cauſa.

Pag. 304. *urgentibus imperii fatis*) Lipſius in ſcripto libro legit: *vergentibus fatis.* Non male.

referre conſenſimus) Idem Lipſius in eodem libro legit: *referre conſuevimus.* Utrumque tolerabile: prius tamen magis redolet dictionem Taciti.

audentia Druſo Germanico) Vir doctiſſimus mavult: *Druſo & Germanico.* Non improbaverim: tantum dubito num Germanicus columnarum Herculis quærendarum cauſa quidquam fuerit conatus: de alia vero expeditione Tacito heic quidem non eſt ſermo.

Pag. 308. *inter impotentes*) Senſus fieret magis perſpicuus, ſi legas, *potentes.* Sane ſi *validi* fuerint etiam animi *impotentes,* ut ſunt plerique, *haud tuto quieſcas* inter illos: non temere tamen legas alibi, voces illas *impotentes* & *validos* iſthoc ſenſu conjungi.

Tacti ruina) Pichena vult: *tracti ruina.* At Gruterus recte defendit *tacti:* loqui enim Tacitum tanquam de fulgure.

Eundem Germaniæ ſinum) Hinc videntur quædam deeſſe. Quoniam Cimbri tenuerunt intima Cherſoneſi, & Chaucorum ſedes Albis finivit; ingens vero ſpatium ſupereſt inter Albim & Cherſoneſi extrema, quod haud dubie variæ gentes tunc tenuerunt, interque eas Saxones jam Ptolomæo memorati. Non eſt autem veroſimile, vel ignoraſſe illos populos Tacitum, vel ne verbo quidem memoraſſe.

magni exercitus) Hanc lectionem debemus conjecturæ Lipſii, cum in libris eſſet *magni exitus.* Non tamen contempſeris illa vulgata.

ſæpius admonuere) Rhenano ſuſpectum viſum eſt vocabulum *admonuere;* maluit *admovere.* At Pichena ſtabilit vulgatam lectionem, quam & nos ſequimur.

Marco quoque Manlio) Liviana epitome l. 6. habet prænomen *Caji.* Forte tamen nihil eſt mutandum: ejusmodi enim ἁμαρτήματα μνημονικὰ optimis etiam autoribus interdum obrepunt.

Pag. 309. *retro ſequuntur*) Hanc lectionem nec Lipſius nec Cluverius nec quidam alii ſollicitant. Verum Theodorus Marcilius ita emendat: apud *Suevos usque ad canitiem horrentem capillum, retrorſum ac ſæpe in ſolo vertice ligant.* Amplectitur hanc emendationem Colerus. Scaliger legendum cenſuit: *capillum retro ſequus, ac ſæpe in ipſo ſolo vertice religant.* Probat hanc correctionem Freinshemius. Placet illa & mihi præ Marciliana, quod propius accedat ad vulgatam lectionem quodque morem Suevicum pulchre exprimat. Alii ſcilicet Suevorum unico nodo in ſolo vertice, alii pluribus retro ſecus flexum crinem ſubſtrinxerunt. qui ſunt illi *cirri* & illa *cornua* Germanorum, priſcis ſcriptoribus memorata.

principes & ornatiorem habent) Ita conſtanter codices. Cluverius paulo aliter quam fit vulgo locum hunc omnem diſtinguit: *Apud Suevos usque ad canitiem horrentem capillum retro ſequuntur. ac ſæpe in ipſo ſolo vertice religant principes, & ornatiorem habent.* Sed ita manet illud inſolens & intellectu difficile: *retro ſequuntur:* nec ſatis apte illa reliqua cohærent. Freinshemius mavult: *retro ſequus & ſæpe in ipſo ſolo vertice religant. Principes & ornatorem habent,* ſervum ſcilicet ornandi capilli peritum, quales erant Romanis. Sane ornatum aliquem Principibus acceſſiſſe certum eſt; num vero in id ſingulares illi habuerint ornatores, dubitare quem faciat priſca ſimplicitas. Videtur ſic ſatis commoda vulgata lectio.

ut hoſtium oculis ornentur) Bambergenſis liber habuit: *armentur.* Sed vulgatam lectionem probavit, idque recte, I. Lipſius.

auguriis patrum) En verſiculum: *Auguriis patrum & priſca formidine ſacram.* Primus illum obſervavit Gerard. Falckenburgius. Num ſit alicujus veteris poetæ, an vero ſponte nec opinanti Tacito exciderit, incertum.

centum pagis habitantur) Ita & in Veneto codice legi, notavit Pichena. Alii ſcribunt minus recte, *habitatur.*

Digitized by Google

Pag. 310. *Longobardos paucitas nobilitat)* Ita beneficio Farneſiani codicis primus recte edidit Lipſius, cum ante legeretur: *Longobardis paucitas nobilitasque.*

Reudigni deinde & Aviones) Cluverius emendat, ſed non niſi ex conjectura: *Deuringi & Caviones, Suardones & Nuithones)* Num rectius, *Suartbones & Vithones?* Populari lingua *Swarten & Witten;* Albi & Nigri. Utriusque ſane populi veſtigia hodieque dixeris ſupereſſe iis locis, quæ ab utroque illo colore per omnem Germaniam nomen acceperunt.

Herthum, id eſt, terram matrem) Notante Lipſio, libri alii *Nerthum,* alii *Verthum* habent. Ipſe veram vocem, nec injuria, cenſet *Aerthum.* Gloſſaria tamen antiqua terram interpretantur *Hertham.*

in inſula Oceani caſtum nemus) Minus ſane nemori aptum eſt *ἐκλῆστον caſtum,* eoque Cluverius legit, *ſacrum.* Perplacet Freinshemiana emendatio, *Vaſtum;* quoniam quam minimum recedit a vulgato, & tritisſimum eſt, vaſta nemora quondam religioſa habita eſſe.

Pag. 311. *Nariſci)* Niſi & apud alios veteres illius ævi eadem vox occurreret, dixerim Tacitum ſcripſiſſe *Noriſci.* Et vero plane iisdem ſedibus qui ex eo usque degerunt populi, dicuntur vulgo *Norgoui.* Aliis hodie regio iſthæc audit *Noricum,* cum tamen Noricum Romana fuerit provincia cis Danubium, *Norgau* autem ſita ſit in media Germania. Si retinenda igitur ea Taciti vox *Nariſci,* dicendum omnino fuerit poſt mutaſſe, & ex *a* factum *o.*

Pag. 312. *quatenus Danubio pergitur)* Scriptus liber, monente Lipſio; habuit *peragitur:* Sed male. Ipſe Lipſius in notis prioribus maluit, *porgitur* ſive *porrigitur.* Poſt ſcripſit: *Danubio prætexitur.* Quod ſecutus etiam eſt Cluverius.

ſed deos interpretatione) Alii legunt: *Sed deos interpretatione Romani Caſtorem Pollucemque nominant.* Quæ tamen nos expreſſimus, videntur meliora.

paulo jam addictius) Bambergenſis & Romanus habuit: *adductius.* Proba utraque voce, ceu etiam Lipſius cenſuit.

Pag. 313. *nec velis miniſtrantur)* Lipſio melius viſum: *velis miniſtrant.* Sane ita & Virgilius: *velisque miniſtrant:* & rectius convenit cum ſequentibus; *nec remos adjungunt.*

in ortus edurat) Pichena legendum putat: *in ortum.*

Sonum inſuper emergentis) Lipſius malit, approbante Cluverio, *ſe mergentis:* Colerus, *immergentis.* Et vero illa rudis fuit plebis perſuaſio, mergi ſolem cadentem, & hinc ſtridorem naſci, perinde ut fit, ſi quando candens ferrum aqua extinguitur. Sonus itaque fuerit non emergentis, ſed ſe mergentis ſolis. Gruterus delet *emergentis* vocem, quoniam in antiquitus editis non viſitur. Quod de Bononienſe ac Veneto teſtatur etiam Pichena *in append.*

formasque Deorum) Colerus, nec male, ſuſpicatur legendum: *formasque equorum;* qui nempe crediti trahere ſolis currum.

Illuc usque & fama vera) Pichena, ut & Colerus, hunc locum ſi quem in hoc libro alium corruptum exiſtimant. Eoque divinat ille ſcribendum: *Illuc usque eſt fama, verum tantum tradita exponam. Dextro Suevici maris &c.* Colerus legendum conjicit: *Illuc usque & fama. Verum tantum natura arguit. Jam dextro Suevici maris &c.* Utraque lectio autem & duri eſt ſenſus & multum valde a recepta abit. Num ſatis eſt ſi ita leviter immutes? *Illuc usque fama vera, & tantum natura;* Vel: *Illuc usque, ut fama fert, tantum natura:* Vel denique: *Illuc usque, ut fama vera, tantum natura.*

omniumque tutela) Lipſius mavult: *omnique tutela.* Sed parum refert.

Pag. 314. *procerum connubiis mixtis)* Rhenanus atque etiam Althamerus legendum putant: *Cæterum connubiis mixtis.* Idem expreſſit Cluverius. Reliqui omnes vulgatam tenent lectionem, niſi quod Colerus velit: *Procérum connubiis mixti.* Quod tamen quare ſequaris, nihil cauſæ video.

ut illis ne voto quidem) Ita primus legit Rhenanus. Malit tamen: *ut illis ne voto quidem opus. Sed cetera.*

Ex lib. IV. & VI.

Commentariorum de bello Gallico C. JVLII CÆSARIS excerpta.

Philip. Cluverus *l. I. Germ. Antiq. c. III.*

Utrum Cæſari tuto ſatis hac in re fides haberi poſſit, equidem haud parum dubito. De negligentia in conſcribendis commentariis recte eum reprehendiſſe Aſinium Pollionem, innumeris hodie convinci poteſt argumentis. Quare etiam haud injuria apud Strabonem ſupra Rheni oſtiis ab Aſinio Quadrato, & ſuper magnitudine Arduennæ ſilvæ ab ipſo Strabone redarguitur.

Ex C. Julii Cæſaris commentariorum de bello Gallico libro IV.

EA, quæ ſecuta eſt, hyeme, qui fuit annus Cn. Pompejo, M. Craſſo Coſſ. Uſipetes Germani, & item Tenchteri, magna cum multitudine hominum flumen Rhenum tranſierunt, non longe a mari, quo Rhenus influit. Cauſa tranſeundi fuit, quod ab Suevis complures annos exagitati; bello premebantur, & agricultura prohibebantur.

Suevorum gens eſt longe maxima, & bellicoſiſſima Germanorum. ii centum pagos habere dicuntur: ex quibus quotannis ſingula millia armatorum bellandi cauſa ſuis ex finibus educunt. Reliqui qui domi remanſerint, ſe atque illos alunt. Hi rurſus invicem anno poſt in armis ſunt: illi domi remanent. Sic neque agricultura, neque ratio atque uſus belli intermittitur. Sed privati

vati ac ſeparati agri apud eos nihil eſt. Neque longius anno remanere uno in loco incolendi cauſa licet. Neque multum frumento, ſed maximam partem lacte atque pecore vivunt: multumque ſunt in venationibus. Quæ res & cibi genere, & quotidiana exercitatione, & libertate vitæ, (quod a pueris nullo officio aut diſciplina aſſuefacti, nihil omnino contra voluntatem faciunt,) & vires alit, & immani corporum magnitudine homines efficit. Atque in eam ſe conſuetudinem adduxerunt, ut locis frigidiſſimis, neque veſtitus, præter pelleis, habeant quicquam (quarum propter exiguitatem magna eſt corporis pars aperta) & laventur in fluminibus. Mercatoribus eſt ad eos aditus magis eo, ut quæ bello ceperint quibus vendant habeant, quam quo ullam rem ad ſe importari deſiderent. Quin etiam jumentis quibus maxime Galli delectantur, quæque impenſo parant precio, Germani importatis non utuntur: ſed quæ ſunt apud eos nata parva atque deformia, hæc quotidiana exercitatione, ſummi ut ſint laboris, efficiunt. Equeſtribus præliis ſæpe ex equis deſiliunt, ac pedibus præliantur, equosque eodem remanere veſtigio aſſuefaciunt, ad quos ſe celeriter, cum uſus poſcit, recipiunt. Neque eorum moribus turpius quicquam aut inertius habetur, quam ephippiis uti. Itaque ad quemvis numerum ephippiatorum equitum, quamvis pauci, adire audent. Vinum ad ſe omnino importari non ſinunt, quod ea re ad laborem ferendum remolleſcere homines, atque effeminari, arbitrantur. Publice maximam putant eſſe laudem, quam latiſſime a ſuis finibus vacare agros. hac re ſignificari, magnum numerum civitatum ſuam vim ſuſtinere non potuiſſe. Itaque una ex parte a Suevis circiter millia paſſuum ſexcenta agri vacare dicuntur.

Ad alteram partem ſuccedunt Ubii, quorum fuit civitas ampla atque florens, ut eſt captus Germanorum: qui paulo ſunt ejuſdem gentis etiam cæteris humaniores, propterea quod Rhenum attingunt, multique ad eos mercatores ventitant: & ipſi propter propinquitatem Gallicis ſunt moribus aſſuefacti. Hos quum Suevi multis ſæpe bellis experti, propter amplitudinem gravitatemque civitatis, finibus expellere non potuiſſent, tamen vectigales ſibi fecerunt, ac multo humiliores infirmioresque redegerunt.

In eadem cauſa fuerunt Uſipetes & Tenchtheri, quos ſupra diximus: qui quum plures annos Suevorum vim ſuſtinuerint, ad extremum tamen agris expulſi, & multis locis Germaniæ triennium vagati, ad Rhenum pervenerunt. Quas regiones Menapii incolebant, & ad utramque ripam fluminis agros, ædificia, vicosque habebant. Sed tantæ multitudinis adventu perterriti, ex his ædificiis, quæ trans flumen habuerant, demigraverunt, & cis Rhenum diſpoſitis præſidiis, Germanos tranſire prohibebant. Illi omnia experti, quum neque vi contendere propter inopiam navium, neque clam tranſire propter cuſtodias Menapiorum poſſent, reverti ſe in ſuas ſedeis regionesque ſimulaverunt. Et tridui viam progreſſi, rurſus reverterunt, atque omni hoc itinere una nocte equitatu confecto, inſcios inopinantesque Menapios oppreſſerunt; qui de Germanorum diſceſſu per exploratores certiores facti, ſine metu trans Rhenum in ſuos vicos remigraverant. His interfectis, navibusque eorum occupatis, priusquam ea pars Menapiorum, quæ citra Rhenum in ſuis ſedibus erat, certior fieret, flumen tranſierunt: atque omnibus eorum ædificiis occupatis, reliquam partem hyemis ſe eorum copiis aluerunt.

Jul. Cæſar Commentarior. de bello Gallico Libro VI.

QVoniam ad hunc locum perventum eſt, non alienum eſſe videtur de Galliæ Germaniæque moribus, & quomodo differant eæ nationes inter ſeſe, proponere.

In Gallia non ſolum in omnibus civitatibus atque pagis partibusque, ſed pene etiam in ſingulis domibus factiones ſunt. earum factionum ſunt principes, qui ſummam autoritatem eorum judicio habere exiſtimantur: quorum ad arbitrium judiciumque ſumma omnium rerum conſiliorumque redeat. Idque ejus rei cauſa antiquitus inſtitutum videtur, ne quis ex plebe contra potentiorem auxilii egeret. Suos enim opprimi quisque, & circumveniri non patitur: neque aliter ſi faciat, ullam inter ſuos habet autoritatem. Hæc eadem ratio in ſumma totius Galliæ: namque omnes civitates in duas partes diviſæ ſunt. Cum Cæſar in Galliam venit, alterius factionis principes erant Hedui, alterius Sequani. Ii quum per ſe minus valerent, quod ſumma autoritas antiquitus erat in Heduis, magnæque eorum erant clientelæ, Germanos atque Arioviſtum ſibi adjunxerant, eosque ad ſe magnis jacturis pollicitationibusque perduxerant. Præliis vero compluribus factis ſecundis, atque omni nobilitate Heduorum interfecta, tantum potentia antecelſerant, ut magnam partem clientium ab Heduis ad ſe traducerent, obſidesque ab his principum filios acciperent, & publice jurare cogerent, nihil ſe contra Sequanos conſilii inituros: & partem finitimi agri per vim occupatam poſſiderent, Galliæque totius principatum obtinerent. Qua neceſſitate adductus Divitiacus, auxilii petendi cauſſa Romam ad Senatum profectus, infecta re redierat. Adventu Cæſaris facta commutatione rerum, obſidibus Heduis redditis, veteribus clientelis reſtitutis, novis per Cæſarem comparatis (quod ii, qui ſe ad eorum amicitiam aggregaverunt, meliore conditione atque imperio æquiore ſe uti videbant) reliquis rebus eorum gratia dignitateque amplificata, Sequani principatum dimiſerant. In eorum locum Rhemi ſucceſſerant: quos quod adæquari apud Cæſarem gratia intelligebatur, ii qui propter veteres inimicitias nullo modo cum Heduis conjungi poterant, ſe Rhemis in clientelam dicabant. hos illi diligenter tuebantur. ita & novam, & repente collectam autoritatem tenebant. Eo tum ſtatu res erat, ut longe principes haberentur Hedui: ſecundum locum dignitatis Rhemi obtinerent.

In

In omni Gallia, eorum hominum, qui in aliquo ſunt numero atque honore, genera ſunt duo: Nam plebs pene ſervorum habetur loco, quæ per ſe nihil audet, & nulli adhibetur conſilio. Plerique cum aut ære alieno, aut magnitudine tributorum, aut injuria potentiorum premuntur, ſeſe in ſervitutem dicant nobilibus. In hos eadem omnia ſunt jura, quæ dominis in ſervos. Sed de his duobus generibus alterum eſt Druidum, alterum equitum. Illi rebus divinis interſunt. ſacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur. ad hos magnus adoleſcentium numerus diſciplinæ cauſa concurrit, magnoque ii ſunt apud eos honore. nam fere de omnibus controverſiis publicis privatiſque conſtituunt: & ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hereditate, de finibus controverſia eſt, iidem decernunt, præmia pœnasque conſtituunt. ſi quis aut privatus aut publicus eorum decreto non ſteterit, ſacrificiis interdicunt. hæc pœna apud eos eſt graviſſima. Quibus ita eſt interdictum, ii numero impiorum ac ſceleratorum habentur: ab iis omnes decedunt: aditum eorum ſermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant: neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur. His autem omnibus Druidibus præeſt unus, qui ſummam inter eos habet autoritatem. Hoc mortuo: ſi quis ex reliquis excellit dignitate, ſuccedit: aut ſi ſunt plures pares, ſuffragio Druidum adlegitur. nonnunquam etiam de principatu armis contendunt. Ii certo anni tempore in finibus Carnutum, (quæ regio totius Galliæ media habetur,) conſidunt in loco conſecrato. huc omnes undique qui controverſias habent, conveniunt, eorumque judiciis decretiſque parent. Diſciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam tranſlata eſſe exiſtimatur: & nunc qui diligentius eam rem cognoſcere volunt, plerumque illo diſcendi cauſa proficiſcuntur. Druides a bello abeſſe conſueverunt, neque tributa una cum reliquis pendunt: militiæ vacationem, omniumque rerum habent immunitatem. Tantis excitati præmiis, & ſua ſponte multi in diſciplinam conveniunt, & a propinquis parentibus mittuntur. Magnum ibi numerum verſuum ediſcere dicuntur. Itaque nonnulli annos vicenos in diſciplina permanent: neque fas eſſe exiſtimant ea literis mandare, quum in reliquis fere rebus, publicis privatiſque rationibus, Græcis litteris utantur. Id mihi duabus de cauſis inſtituiſſe videntur, quod neque in vulgum diſciplinam efferri velint, neque eos qui diſcunt, literis confiſos, minus memoriæ ſtudere: quod fere pleriſque accidit, ut præſidio litterarum diligentiam in perdiſcendo ac memoriam remittant. Inprimis hoc volunt perſuadere, non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem tranſire ad alios: atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto. Multa præterea de ſideribus, atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de deorum immortalium vi ac poteſtate diſputant, & juventuti tradunt.

Alterum genus eſt equitum. Ii, quum eſt uſus, atque aliquod bellum incidit, (quod ante Cæſaris adventum fere quotannis accidere ſolebat, uti aut ipſi injurias inferrent, aut illatas propulſarent) omnes in bello verſantur: atque eorum ut quisque eſt genere copiiſque ampliſſimus, ita plurimos circum ſe ambactos clienteſque habet. Hanc unam gratiam potentiamque noverunt.

Natio eſt omnium Gallorum admodum dedita religionibus: atque ob eam cauſam qui ſunt affecti gravioribus morbis, quique in præliis periculiſque verſantur, aut pro victimis homines immolant, aut ſe immolaturos vovent: adminiſtriſque ad ea ſacrificia Druidibus utuntur: quod pro vita hominis niſi vita hominis reddatur, non poſſe deorum immortalium numen placari arbitrantur: publiceque ejusdem generis habent inſtituta ſacrificia. Alii immani magnitudine ſimulachra habent, quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent: quibus ſuccenſis circumventi flamma exanimantur homines. Supplicia eorum qui in furto, aut latrocinio, aut in aliqua noxa ſint comprehenſi, gratiora diis immortalibus eſſe arbitrantur. Sed cum ejus generis copia deficit, etiam ad innocentium ſupplicia deſcendunt. Deum maxime Mercurium colunt: hujus ſunt plurima ſimulachra. Hunc omnium inventorem artium ferunt: hunc viarum atque itinerum ducem: hunc ad quæſtus pecuniæ mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. Poſt hunc Apollinem, & Martem, & Jovem, & Minervam. De his eandem fere, quam reliquæ gentes, habent opinionem. Apollinem morbos depellere: Minervam operum atque artificiorum initia tradere; Jovem imperium cœleſtium tenere: Martem bella regere. Huic, quum prælio dimicare conſtituerunt, ea quæ bello ceperint, plerumque devovent: quæ ſuperaverint animalia, capta immolant, reliquasque res in unum locum conferunt. Multis in civitatibus harum rerum extructos cumulos locis conſecratis ſuſpicari licet: neque ſæpe accidit, ut neglecta quispiam religione, aut capta apud ſe occultare, aut poſita tollere auderet: graviſſimumque ei rei ſupplicium cum cruciatu conſtitutum eſt.

Galli ſe omnes a Dite patre prognatos prædicant: idque a Druidibus proditum dicunt. Ob eam cauſam ſpatia omnis temporis, non numero dierum, ſed noctium definiunt: & dies natales, & menſium & annorum initia ſic obſervant, ut noctem dies ſubſequatur. In reliquis vitæ inſtitutis hoc fere ab reliquis differunt, quod ſuos liberos, niſi quum adoleverint, ut munus militiæ ſuſtinere poſſint, palam ad ſe adire non patiantur: filiumque in puerili ætate publico in conſpectu patris aſſiſtere turpe ducunt. Viri quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex ſuis bonis æſtimatione facta cum dotibus communicant: hujus omnis pecuniæ conjunctim ratio habetur, fructusque ſervantur: uter eorum vita ſuperarit, ad eum pars utriusque cum fructibus ſuperiorum temporum pervenit. Viri in uxores, ſicuti in liberos, vitæ neciſque habent poteſtatem. Et quum paterfamilias illuſtriore loco natus deceſſit, ejus propinqui conveniunt, & de morte, ſi res in ſuſpicionem venit, de uxoribus in ſervilem modum quæſtionem habent: & ſi compertum eſt, igni atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt. Funera ſunt pro cultu Gallorum

lorum magnifica & ſumptuoſa: omniaque quæ vivis cordi fuiſſe arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia: ac paulo ſupra hanc memoriam ſervi & clientes, quos ab iis delectos eſſe conſtabat, juſtis funeribus confectis, una cremabantur. Quæ civitates commodius ſuam rempubl. adminiſtrare exiſtimantur, habent legibus ſancitum: Si quis quid de republ. a finitimis rumore aut fama acceperit, uti ad magiſtratum deferat, neve cum quo alio communicet: quod ſæpe homines temerarios atque imperitos falſis rumoribus terreri, & ad facinus impelli, & de ſummis rebus conſilium capere cognitum eſt. Magiſtratus quæ viſa ſunt, occultant: quæque eſſe ex uſu judicaverint, multitudini produnt. De republica niſi per concilium loqui non conceditur.

GERMANI multum ab hac conſuetudine differunt. nam neque Druidas habent, qui rebus divinis præſint, neque ſacrificiis ſtudent. Deorum numero eos ſolos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus aperte juvantur: Solem, & Vulcanum, & Lunam: reliquos ne fama quidem acceperunt. Vita omnis in venationibus atque in ſtudiis rei militaris conſiſtit: ab parvulis duritiei ac labori ſtudent. Qui diutiſſime impuberes permanſerunt, maximam inter ſuos ferunt laudem. Hoc ali ſtaturam, ali hoc vires nervoſque confirmari putant. Intra annum vero vigeſimum fœminæ notitiam habuiſſe, in turpiſſimis habent rebus: cujus rei nulla eſt occultatio, quod & promiſcue in fluminibus perluuntur, & pellibus aut parvis rhenonum tegumentis utuntur, magna corporis parte nuda. Agriculturæ non ſtudent, majorque pars victus eorum in lacte & caſeo, & carne conſiſtit. Neque quiſquam agri modum certum aut fineis proprios habet: ſed magiſtratus ac principes in annos ſingulos gentibus cognationibusque hominum qui una coierunt, quantum eis & quo loco viſum eſt, attribuunt agri, atque anno poſt alio tranſire cogunt. Ejus rei multas afferunt cauſas: ne aſſidua conſuetudine capti, ſtudium belli gerendi agricultura commutent: ne latos fines parare ſtudeant, potentioreſque humiliores poſſeſſionibus expellant: ne accuratius ad frigora atque æſtus vitandos ædificent: ne qua oriatur pecuniæ cupiditas, qua ex re factiones diſſenſioneſque naſcuntur: ut animi æquitate plebem contineant, cum ſuas quiſque opes cum potentiſſimis æquari poſſe videat. Civitatibus maxima laus eſt, quam latiſſimis circum ſe vaſtatis finibus ſolitudines habere. Hoc proprium virtutis exiſtimant, expulſos agris finitimos cedere, neque quenquam prope ſe audere conſiſtere. Simul hoc ſe fore tutiores arbitrantur, repentinæ incurſionis timore ſublato. Cum bellum civitas aut illatum defendit aut infert, magiſtratus qui ei bello præſint, ut vitæ neciſque habeant poteſtatem, deliguntur. In pace nullus communis eſt magiſtratus, ſed principes regionum atque pagorum inter ſuos jus dicunt, controverſiaſque minuunt. Latrocinia nullam habent infamiam, quæ extra fines cujuſque civitatis fiunt: atque ea juventutis exercendæ ac deſidiæ minuendæ cauſa fieri prædicant. Atque ubi quis ex principibus in concilio ſe dixit ducem fore, qui ſequi velint profiteantur: conſurgunt ii qui & cauſam & hominem probant, ſuumque auxilium pollicentur, atque ab multitudine collaudantur. Qui ex iis ſequuti non ſunt, in deſertorum ac proditorum numero ducuntur: omniumque rerum iis poſtea fides derogatur. Hoſpites violare fas non putant. qui quaque de cauſa ad eos venerunt, ab injuria prohibent ſanctoſque habent: iis omnium domus patent victuſque communicatur.

Ac fuit antea tempus quum Germanos Galli virtute ſuperarent, & ultro bella inferrent, ac propter hominum multitudinem agrique inopiam trans Rhenum colonias mitterent. Itaque ea quæ fertiliſſima ſunt Germaniæ loca circum Herciniam ſylvam (quam Eratoſtheni, & quibuſdam Græcis fama notam eſſe video, quam illi Orciniam appellant) Volcæ Tectoſages occuparunt, atque ibi conſederunt. Quæ gens ad hoc tempus his ſedibus ſe continet, ſummamque habet juſtitiæ & bellicæ laudis opinionem. Nunc quod in eadem inopia, egeſtate, patientiaque Germani permanent, eodem victu & cultu corporis utuntur: Gallis autem propinquitas, & transmarinarum rerum notitia, multa ad copiam atque uſus largitur: qui paulatim aſſuefacti ſuperari, multiſque victi prœliis, ne ſe quidem ipſi cum illis virtute comparant.

Hujus Herciniæ ſylvæ, quæ ſupra demonſtrata eſt, latitudo novem dierum iter expedito patet: non enim aliter finiri poteſt, neque menſuras itinerum noverunt. Oritur ab Helvetiorum, & Nemetum, & Rauracorum finibus, rectaque fluminis Danubii regione pertinet ad fines Dacorum & Anartium: hinc ſe flectit ſiniſtrorſus, diverſis a flumine regionibus, multarumque gentium fines propter magnitudinem attingit. Neque quiſquam eſt hujus Germaniæ, qui ſe aut audiſſe, aut adiſſe ad initium ejus ſylvæ dicat, quum dierum iter ſexaginta proceſſerit, aut quo ex loco oriatur, acceperit.

Multa in ea genera ferarum naſci conſtat, quæ reliquis in locis viſa non ſint: ex quibus quæ maxime differant ab cæteris, & memoriæ prodenda videantur, hæc ſunt. Eſt bos cervi figura, cujus a media fronte inter aures unum cornu exiſtit excelſius, magiſque directum his quæ nobis nota ſunt cornibus: ab ejus ſummo ſicut palmæ ramique late diffunduntur: eadem eſt fœminæ mariſque natura, eadem forma, magnitudoque cornuum. Sunt item quæ appellantur Alces. Harum eſt conſimilis capris figura & varietas pellium, ſed magnitudine paulo antecedunt, mutilæque ſunt cornibus, & crura ſine nodis articuliſque habent: neque quietis cauſa procumbunt, neque ſi quo afflictæ caſu conciderint, erigere ſeſe aut ſublevare poſſunt. His ſunt arbores pro cubilibus: ad eas ſe applicant, atque ita paulum modo acclinatæ quietem capiunt: quarum ex veſtigiis, quum eſt animadverſum a venatoribus quo ſe recipere conſueverint, omnes eo loco aut a radicibus ſubruunt, aut abſcindunt arbores tantum, ut ſumma ſpecies earum ſtantium relinquatur: huc quum ſe conſuetudine acclinaverint, infirmas arbores pondere affligunt, atque una ipſæ concidunt. Tertium genus eſt eorum qui Uri appellantur: ii ſunt magnitudine paulo infra elephantos, ſpecie & colo-

colore & figura tauri. magna vis eſt eorum, & magna velocitas: neque homini, neque feræ quam conſpexerint, parcunt. Hos ſtudioſe foveis captos interficiunt. Hoc ſe labore durant adoleſcentes, atque hoc genere venationis exercent: & qui plurimos ex his interfecerunt, relatis in publicum cornibus, quæ ſint teſtimonio, magnam ferunt laudem. Sed aſſueſcere ad homines & manſuefieri ne parvuli quidem excepti poſſunt. Amplitudo cornuum & figura & ſpecies multum a noſtrorum boum cornibus differt. Hæc ſtudioſe conquiſita a labris argento circumcludunt, atque in ampliſſimis epulis pro poculis utuntur.

Cæſar poſtquam per Vbios exploratores comperit, Suevos ſeſe in ſylvas recepiſſe, inopiam frumenti veritus (quod ut ſupra demonſtravimus, minime omnes Germani agriculturæ ſtudent) conſtituit non progredi longius: ſed &c.

Excerpta ex Strabonis Geographiæ Libro IV. & VII.

Strabo Geographia Libro IV.

Μετὰ δὲ τὴν Ἀκυϊτανὴν μερίδα, καὶ τὴν Ναρβωνῖτιν, ἡ ἐφεξῆς ἐστὶ, μέχρι τοῦ Ῥήνου παντὸς, ἀπὸ τοῦ Λίγηρος ποταμοῦ καὶ τοῦ Ῥοδανοῦ, καθ᾽ ὃ συνάπτει πρὸς τὸ Λούγδουνον ἀπὸ τῆς πηγῆς κατενεχθεὶς ὁ Ῥοδανός· ταύτης δὲ τῆς χώρας τὰ μὲν ἄνω μέρη τὰ πρὸς ταῖς πηγαῖς τῶν ποταμῶν, τοῦ τε Ῥήνου καὶ τοῦ Ῥοδανοῦ, μέχρι μέσων σχεδόν τι τῶν πεδίων ὑπὸ τῷ Λουγδούνῳ τέτακται. τὰ δὲ λοιπὰ καὶ παρωκεανιτικὰ, ὑπ᾽ ἄλλῃ τέτακται μερίδι, ἣν ἰδίως Βέλγαις προσνέμουσιν. ἡμεῖς δὲ κοινότερον τὰ καθ᾽ ἕκαστα δηλώσομεν. Αὐτὸ μὲν δὴ τὸ Λούγδουνον, ἐκτισμένον ὑπὸ λόφῳ κατὰ τὴν συμβολὴν τοῦ τε Ἄραρος ποταμοῦ καὶ τοῦ Ῥοδανοῦ, κατέχουσι Ῥωμαῖοι. εὐανδρεῖ δὲ μάλιστα τῶν ἄλλων πλὴν Νάρβωνος. καὶ γὰρ ἐμπορείῳ χρῶνται, καὶ τὸ νόμισμα χαράττουσιν ἐνταῦθα, τό, τε ἀργυροῦν, καὶ τὸ χρυσοῦν οἱ τῶν Ῥωμαίων ἡγεμόνες. Τὸ, τε ἱερὸν τὸ ἀναδειχθὲν ὑπὸ πάντων κοινῇ τῶν Γαλατῶν Καίσαρι τῷ Σεβαστῷ, πρὸ ταύτης ἵδρυται τῆς πόλεως, ἐπὶ τῇ συμβολῇ τῶν ποταμῶν· ἔστι δὲ βωμὸς ἀξιόλογος, ἐπιγραφὴν ἔχων τῶν ἐθνῶν ξ τὸν ἀριθμὸν, καὶ εἰκόνες τούτων ἑκάστου μία, καὶ ἄλλος μέγας. προκάθηται δὲ τοῦ ἔθνους τῶν Σεγοσιαυῶν ἡ πόλις αὕτη, κειμένου μεταξὺ τοῦ Ῥοδανοῦ καὶ τοῦ Δούβιος· τὰ δ᾽ ἑξῆς τὰ συντείνοντα πρὸς τὸν Ῥῆνον, τὰ μὲν ὑπὸ τοῦ Δούβιος ὁρίζεται, τὰ δὲ ὑπὸ τοῦ Ἄραρος· οὗτοι μὲν οὖν, ὡς εἴρηται πρότερον, ὑπὸ τῶν Ἄλπεων καὶ αὐτοὶ κατενεχθέντες, ἔπειτ᾽ εἰς ἓν ῥεῖθρον συμπεσόντες, εἰς τὸν Ῥοδανὸν καταφέρονται. Ἄλλος δ᾽ ἐστὶν, ὁμοίως ἐν ταῖς Ἄλπεσι τὰς πηγὰς ἔχων, Σηκοανὸς ὄνομα, ῥέων. Ῥεῖ δ᾽ εἰς τὸν Ὠκεανὸν, παράλληλος τῷ Ῥήνῳ διὰ ἔθνους ὁμωνύμου, συνάπτοντος τῷ Ῥήνῳ τὰ πρὸς ἕω, τά δ᾽ εἰς τἀναντία τῷ Ἄραρι· ὅθεν αἱ κάλλισται ταριχεῖαι τῶν ὑείων κρεῶν, εἰς τὴν Ῥώμην κατακομίζονται. Μεταξὺ μὲν οὖν τοῦ Δούβιος καὶ τοῦ Ἄραρος οἰκεῖ τὸ τῶν Ἐδούων ἔθνος. πόλιν ἔχον Καβυλλῖνον ἐπὶ τῷ Ἄραρι, καὶ φρούριον Βίβρακτα. οἱ δὲ Ἐδουοι καὶ συγγενεῖς. Ῥωμαίων ὀνομάζοντο, καὶ πρῶτοι τῶν ταύτῃ προσῆλθον πρὸς τὴν φιλίαν καὶ συμμαχίαν. Πέραν δὲ τοῦ Ἄραρος οἰκοῦσιν οἱ Σηκοανοὶ, διάφοροι καὶ τοῖς Ῥωμαίοις ἐκ πολλοῦ γεγονότες καὶ τοῖς Ἐδούοις· ὅτι πρὸς Γερμανοὺς προσεχώρουν πολλάκις, κατὰ τὰς ἐφόδους αὐτῶν, τὰς ἐπὶ τὴν Ἰταλίαν· καὶ ἐπεδείκνυντό γε οὐ τὴν τυχοῦσαν δύναμιν, ἀλλὰ καὶ κοινωνοῦντες αὐτοῖς ἐποίουν μεγάλους. καὶ ἀφιστάμενοι, μικρούς. πρὸς δὲ τοὺς Ἐδούους, καὶ διὰ ταῦτα μὲν, ἀλλ᾽ ἐπέτεινε τὴν ἔχθραν, ἡ τοῦ ποταμοῦ ἔρις τοῦ διείργοντος αὐτοὺς, ἑκατέρου ἔθνους ἴδιον ἀξιοῦντος εἶναι τὸν Ἄραρα, καὶ ἑαυτῷ προσήκειν τὰ διαγωγικὰ τέλη. νυνὶ δὲ ὑπὸ τοῖς Ῥωμαίοις ἅπαντ᾽ ἐστί. Τὴν δ᾽ ἐπὶ τῷ Ῥήνῳ πρῶτοι τῶν ἁπάντων οἰκοῦσιν Αἰτουάτιοι, (*Lege* οἰκοῦσι Ναντουάται *ex Strab.*) παρ᾽ οἷς εἰσὶν αἱ πηγαὶ τοῦ ποταμοῦ ἐν τῷ Διαδουέλλα (ἐν τῷ Ἀδούλᾳ.) ὄρει. τοῦτο δ᾽ ἐστὶ μέρος τῶν Ἄλπεων, ὅθεν καὶ ὁ Ἀδούας εἰς τἀναντία μέρη ῥεῖ, τὰ πρὸς τὴν ἐντὸς Κελτικὴν, καὶ πληροῖ τὴν Λάριον

Poſt Aquitaniam & Narbonenſem Galliam, ea ſequitur regio, quæ ad Rhenum pertingit a Ligeri & Rhodano, quo is loco a fontibus delapſus ad Lugdunum accedit. Hujus regionis ſuperiora quæ ſunt ad fontes Rheni atque Rhodani usque ad mediam fere planitiem, Lugduno ſunt ſubdita, reliqua ad Oceanum vergentia, ſub alia ſunt Provincia, quam ſibi Belgæ vindicant. Nos communius ſingula perſequemur. Lugdunum ergo ſub colle conditum, ubi Arar in Rhodanum incidit, Romani obtinent. Poſt Narbonem hæc urbs maxime omnium Gallicarum hominum frequentia pollet. Præfecti enim Romanorum eo utuntur emporio, monetamque ibi tam auream quam argenteam cudunt: & templum ab omnibus communi ſententia Gallis decretum Cæſari Auguſto, ad hanc urbem ad concurſum fluviorum eſt poſitum. Aram habet hoc memorabilem cum inſcriptione gentium LX. numero, & imagine ſingularum, item aliam magnam. Præeſt hæc urbs genti Seguſianorum, ſitæ inter Rhodanum & Dubin fluvios: reliquæ ad Rhenum tendentes, partim a Dubi terminantur, partim ab Arare. Atque hi quidem, ut ante diximus, ab Alpibus ipſi quoque delapſi, conjunctis alveis in Rhodanum exeunt. Eſt & alius fluvius, fontes in iiſdem habens Alpibus, Sequana nomine, is Rheno parallelus per Sequanos ſibi cognominis fluit in Oceanum. Sequani verſus Orientem Rheno, diverſa parte Arari ſunt affines: ex his optima ſuilla ſalſamenta Romam perferuntur. Inter Dubin & Ararim igitur Hedui incolunt, urbem habentes Arari impoſitam Cabullinum, & oppidum Bibracta. Hedui autem Romanorum cognati appellati, primique Gallorum amicitiam & ſocietatem eorum amplexi ſunt. Trans Ararim Sequani habitant, antiquitus Romanorum & Heduorum inimici, & Germanorum in Italiam incurſionibus ſocios ſe præbentes plerumque: qua in re oſtenderunt ſe plurimum potentiæ habere, cum eos ſua conjunctione magnos, diſceſſu impotentes redderent. Heduus cum hæc cauſa eos inimicos fecit, tum de Arari contentio, qui ipſos diſtinguit, utraque gente eum & vectigalia ſibi vindicante: nunc omnia ſunt Romanorum. Ad Rhenum primi omnium habitant Nantuates, apud quos etiam ejus fluvii fontes ſunt in Adula monte. Is mons Alpium eſt pars, ex quo & in alteram partem Addua fluens, in partes interiori vicinas Galliæ, Larium implet

lacum,

λίμνην, πρὸς ᾗ ἔκτισαι τὸ Κῶμον. εἶτ' ἐνθένδε εἰς τὸν Πάδον συμβάλλει, περὶ ὧν ὕστερον ἐροῦμεν. Καὶ ὁ Ῥῆνος δὲ εἰς ἕλη μεγάλα καὶ λίμνην ἀναχεῖται μεγάλην, ἧς ἐφάπτονται καὶ Κερετοὶ καὶ Οὐινδολόγοι (*Scrib.* καὶ Ραιτοὶ καὶ Οὐινδελικοὶ) τῶν Ἀλπείων τινὲς, καὶ τῶν ὑπεραλπείων. Φησὶ δὲ τὸ μῆκος αὐτοῦ, σταδίων ἑξακισχιλίων Ἀσίνιος· οὐκ ἔστι δέ· ἀλλ' ἐπ' εὐθείας μὲν τοῦ ἡμίσους ὀλίγον ἂν ὑπερβάλλοι. τοῖς δὲ σκολιώμασι καὶ Χίλιοι προστεθέντες, ἱκανῶς ἂν ἔχοιεν· καὶ γὰρ ὀξύς ἐστι· διὰ τοῦτο δὲ καὶ δυσγεφύρωτος, καὶ διὰ πεδίων ὕπτιος φέρεται καταβὰς ἀπὸ τῶν ὀρῶν τὸ λοιπόν. πῶς οὖν οἷόν τε μένειν ὀξὺν καὶ βίαιον, εἰ τῷ ὑπτιασμῷ προσδοίημεν, καὶ σκολιότητας πολλὰς καὶ μακράς; Φησὶ δὲ καὶ δίστομον εἶναι, μεμψάμενος τοὺς πλείω λέγοντας. ἐγκυκλοῦνται μὲν δή τινα χώραν ταῖς σκολιότησι καὶ οὗτος, καὶ ὁ Σηκουάνας οὐ τοσαύτην. ἀμφότεροι δὲ ῥέουσιν ἐπὶ τὰς ἄρκτους ἀπὸ τῶν νοτίων μερῶν. πρόκειται δ' αὐτῶν ἡ Βρεττανική, τοῦ μὲν Ῥήνου καὶ ἐγγύθεν, ὥς τε καθορᾶσθαι τὸ Κάντιον, ὅπερ ἐστὶ τὸ ἑῷον ἄκρον τῆς νήσου· τοῦ δὲ Σηκουάνα μικρὸν ἀποτέρω· ἐνταῦθα δὲ καὶ τὸ ναυπήγιον συνεστήσατο Καῖσαρ ὁ Θεὸς, πλέων ἐς τὴν Βρεττανικήν. Τοῦ δὲ Σηκουάνα τὸ πλεόμενον ὑπὸ τῶν ἐκ τοῦ Ἄραρος δεχομένων τὰ φορτία μικρῷ πλέον ἐστὶν, ἢ τὸ τοῦ Λίγηρος, καὶ τὸ τοῦ Γαρούνα· τὸ δ' ἀπὸ Λουγδούνου μέχρι τοῦ Σηκουάνα, ἢ χιλίων σταδίων ἐστὶν ἔλαττον, ἢ διπλάσιον τούτου, ἀπὸ τῶν εἰσβολῶν τοῦ Ῥοδανοῦ μέχρι Λουγδούνου. Φασὶ δὲ καὶ πολυχρύσους τοὺς Ἐλουηττίους εἶναι μηδὲν μέντοι ἧττον ἐπὶ λῃστείαν τραπέσθαι, τὰς τῶν Κίμβρων εὐπορίας ἰδόντας· ἀφανισθῆναι δ' αὐτῶν τὰ δύο φῦλα, τριῶν ὄντων κατὰ στρατείας (*MSS.* στρατίας.) ὅμως δ' ἐκ τῶν λοιπῶν τόπων (*Lege* ἐκ τῶν λοιπῶν τύπων.) τὸ τῶν ἐπιγόνων πλῆθος ἐδήλωσεν ὁ πρὸς Καίσαρα τὸν Θεὸν πόλεμος, ἐν ᾧ περὶ τετταράκοντα μυριάδες σωμάτων διεφθάρησαν. (*Suspect. locus vide Casaubon.*) τοὺς δὲ λοιποὺς σώζεσθαι μεθῆκεν εἰς ὀκτακισχιλίους, ὅπως μὴ τοῖς Γερμανοῖς ὁμόροις οὖσιν, ἔρημον τὴν χώραν ἀναφῇ. (*Vett. lib.* χώραν ἀφῇ.) Μετὰ δὲ τοὺς Ἐλουηττίους, Σηκουανοὶ καὶ Μεδιοματρικοὶ, κατοικοῦσι τὸν Ῥῆνον. ἐν οἷς ἵδρυται Γερμανικὸν ἔθνος περαιωθὲν ἐκ τῆς οἰκείας Τρίβοκχοι. Ἐν δὲ τοῖς Σηκουανοῖς ἐστι τὸ ὄρος ὁ Ἰουράσιος· διορίζει δ' Ἐλουηττίους, καὶ Σηκουανούς. Ὑπὲρ οὖν τῶν Ἐλουηττίων καὶ Σηκουανῶν Ἐδοῦοι, καὶ Λίγγονες οἰκοῦσι πρὸς δύσιν· ὑπὲρ δὲ τῶν Μεδιοματρικῶν, Λεῦκοι καὶ τῶν Λιγγόνων τι μέρος. τὰ δὲ μεταξὺ ἔθνη τοῦ τε Λίγηρος καὶ τοῦ Σηκουάνα ποταμοῦ, τὰ πέραν τοῦ Ῥοδανοῦ τε καὶ τοῦ Ἄραρος, παράκειται πρὸς ἄρκτον, τοῖς τε Ἀλλόβριξι, καὶ τοῖς περὶ τὸ Λούγδουνον· τούτων δ' ἐπιφανέστατόν ἐστι, τὸ τῶν Ἀρουέρνων, καὶ τὸ τῶν Καρνούτων· δι' ὧν ἀμφοῖν ἐνεχθεὶς ὁ Λίγηρ, εἰς τὸν ὠκεανὸν ἔξεισι. δίαρμα δ' ἐστὶν εἰς τὴν Βρεττανικὴν, ἀπὸ τῶν ποταμῶν τῆς Κελτικῆς, εἴκοσι καὶ τριακόσιοι. ὑπὸ γὰρ τὴν ἄμπωτιν ἀφ' ἑσπέρας ἀναχθέντες, τῇ ὑστεραίᾳ περὶ ὀγδόην ὥραν καταίρουσιν εἰς τὴν νῆσον. Μετὰ δὲ τοὺς Μεδιοματρικοὺς καὶ Τριβόκχους, παροικοῦσι τὸν Ῥῆνον Τρευάγροι (*Forte* Τρευίροι *vel* Τρευήροι *ut alibi.*) καθ' οὓς πεποίηται τὸ ζεῦγμα ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων νυνὶ, τῶν στρατηγούντων τὸν Γερμανικὸν πόλεμον· πέραν δὲ ᾤκουν Οὔβιοι κατὰ τοῦτον τὸν τόπον· οὓς μετήγαγεν Ἀγρίππας ἑκόντας εἰς τὴν ἐντὸς τοῦ Ῥήνου· Τρευάγροις δὲ συνεχεῖς Νερούιοι, καὶ τοῦτο Γερμανικὸν ἔθνος· τελευταῖοι δὲ Μενάπιοι τῶν ἐκβολῶν ἐφ' ἑκάτερα τοῦ ποταμοῦ κατοικοῦντες ἕλη, καὶ δρυμοὺς, οὐχ ὑψηλῆς, ἀλλὰ πυκνῆς ὕλης, καὶ ἀκανθώδους. κατὰ τούτους δ' ἵδρυνται Σουγάμβροι Γερμανοί. πάσης δ' ὑπέρκεινται τῆς ποταμίας ταύτης οἱ Σόηβοι

lacum, ad quem Comum urbs ſita eſt, indeque in Padum exit: de quibus ſuo loco dicetur. Rhenus quoque in magnas paludes, magnum lacum, diffunditur, quem attingunt Rhæti & Vindelici, partim in Alpibus partim ſupra Alpes habitantes. Aſinius Rheno longitudinem aſſignat ſtadiorum ıↃↃCIↃ, ſed non eſt ita: nam longitudo ſi rectam lineam intelligas, ſemiſſem hujus numeri non multum excedit, & propter flexus addita CIↃ ſtadia ſufficient: eſt enim celer: ideoque & pontibus difficulter jungitur, & ab montibus delatus, deinceps per campos ſupinus fertur. At quomodo rapidus & celer maneret, ſi ſupinationi huic adderemus etiam obliquitates multas ac longas? Idem duo ei tribuit oſtia, reprehendens eos qui plura. Flexibus quidem ſuis aliquid regionis Rhenus includit, ut & Sequana, ſed non tantundem. Uterque a meridie verſus ſeptentrionem fluit, & eſt eorum oſtiis objecta Britannia, Rheno vicinior, ita ut Cantium, quod eſt orientale inſulæ promontorium, apud oſtia ejus cerni poſſit. Sequana aliquanto longius diſtat. Ibi D. Cæſar naves compegit, cum in Britanniam navigaret. Sequana ab his qui ex Arare merces acceperunt, navigatur aliquanto longius, quam Ligeris a Garumna: a Lugduno usque ad Sequanam, aut duobus ſtadiorum millibus, aut duplum ejus ſpatii, quod ab oſtiis Rhodani Lugdunum usque eſt. Helvetios, ajunt, quanquam eſſent auri divites, tamen latrociniis ſe dediſſe, cum viderent Cimbrorum opes: cumque eſſent in tres gentes diviſi, duas earum expeditionibus bellicis periiſſe. Quanta tamen ex reliquiis enata fuerit multitudo, bellum Helvetiorum contra D. Cæſarem geſtum docuit, in quo hominum CCCC millia deleta ſunt: reliquos ad VIII millenos Cæſar ſupereſſe paſſus eſt, ne finitimis Germanis vacuam regionem relinqueret. Poſt Helvetios ad Rhenum ſunt Sequani & Mediomatrices: in quibus Triboci gens Germanica, eo ex patria ſua tranſlati. In Sequanis mons eſt Juraſſus, qui eos ab Helvetiis diſtinguit. Super Helvetios & Sequanos verſus occaſum habitant Hedui & Lingones: ſuper Mediomatrices Leuci, & pars Lingonum. Populi qui trans Rhodanum & Ararim inter Ligerim & Sequanam ſunt ad ſeptentrionem, adjacent Allobrogibus & Lugdunenſi agro: horum clariſſimi ſunt Arverni & Carnutes, per quos utrosque Ligeris in Oceanum delabitur. A fluminibus Galliæ in Britanniam trajectus eſt ſtadiorum CCCXX: nam ſub defluxum maris veſperi avehentes poſtridie circa octavam horam in inſulam perveniunt. Infra Mediomatrices & Tribocos ad Rhenum incolunt Treviri, apud quos noſtro tempore pons eſt factus a Romanis, qui bellum Germanicum gerunt. Trans fluvium ad iſta loca habitabant Ubii, quos non invitos Agrippa intra Rhenum traduxit. Treviris contigui ſunt Nervii Germanica gens: ultimi ſunt Menapii, qui ex utroque oſtiorum latere paludes incolunt & ſylvas, humilis denſæque materiæ & ſpinoſæ. Juxta illos Sicambri. Supra totam hanc ripam degunt Suevi

(*MS.* οἱ Σουῆβοι) προσαγορευόμενοι Γερμανοὶ, καὶ δυνάμει καὶ πλήθει διαφέροντες τῶν ἄλλων· ὑφ᾽ ὧν οἱ ἐξελαυνόμενοι, κατέφευγον εἰς τὴν ἐντὸς τοῦ Ῥήνου νυνί. καὶ ἄλλοι δὲ κατ᾽ ἄλλους τόπους δυναστεύουσι, καὶ διαδέχονται τὰ ζώπυρα τοῦ πολέμου τῶν πρότερον ἀεὶ καταλυομένων. Τῶν δὲ Τρηουίρων καὶ Νερβίων, Σένωνες (*MS.* Σέγνονες *Lege* Σένονες.) καὶ Ῥῆμοι πρὸς ἑσπέραν οἰκοῦσιν· ἔτι δ᾽ Ἀτρέβατοι, καὶ Ἐβούρωνες. τοῖς Μηναπίοις δ᾽ εἰσὶ συνεχεῖς ἐπὶ τῇ θαλάττῃ Μορίνοι, καὶ Βελλοάκοι, καὶ Ἀμβιανοὶ, Σουεσσιῶνες, (*Lege* Συεσσιῶνες.) καὶ Καλέτοι, μέχρι τῆς ἐκβολῆς τοῦ Σηκοάνα ποταμοῦ. Ἐμφερὴς δ᾽ ἐστὶ τῇ τῶν Μηναπίων ἥτε τῶν Μορινῶν, καὶ ἡ τῶν Ἀτρεβατίων, καὶ Ἐβουρώνων· ὕλη γάρ ἐστιν οὐχ ὑψηλῶν δένδρων, πολλὴ μὲν οὐ τοσαύτη δὲ, ὅσην οἱ συγγραφεῖς εἰρήκασι, τετράκις χιλίων σταδίων. (*Vid. comment. Casauboni.*) καλοῦσι δὲ αὐτὴν Ἀρδουένναν· κατὰ δὲ τὰς πολεμικὰς ἐφόδους συμπλέκοντες τὰς τῶν θάμνων λύγους βατώδεις οὔσας, ἀνέφραττον τὰς εἰσόδους· (*MS.* τὰς παρόδους.) ἔστι δ᾽ ὅπου καὶ σκόλοπας κατέπηττον. αὐτοὶ δὲ κατέδυνον εἰς τὰ βάθη πανοίκιοι. νησίδια ἔχοντες ἐν τοῖς ἕλεσι. ἐν μὲν οὖν ταῖς ἐπομβρίαις ἀσφαλεῖς τὰς φυγὰς (*MS.* τὰς καταφυγάς.) εἶχον· ἐν δὲ τοῖς αὐχμοῖς ἡλίσκοντο ῥαδίως· νυνὶ δ᾽ ἅπαντες οἱ ἐντὸς Ῥήνου καθ᾽ ἡσυχίαν ὄντες ὑπακούουσι Ῥωμαίων. Περὶ δὲ τὸν Σηκοάναν ποταμὸν, εἰσὶ καὶ οἱ Παρίσιοι, νῆσον ἔχοντες ἐν τῷ ποταμῷ, καὶ πόλιν Λουκοτοκίαν· καὶ Μέλδοι, καὶ Ληξοούιοι παρωκεανῖται οὗτοι. Ἀξιολογώτατον δ᾽ ἐστὶν ἔθνος τῶν ταύτῃ, Ῥῆμοι, καὶ ἡ μητρόπολις αὐτῶν Δουρικόρτορα, μάλιστα συνοικεῖται, καὶ δέχεται τοὺς τῶν Ῥωμαίων ἡγεμόνας.

Germanica natio reliquis numero & potentia ſuperiores: a quibus alii pulſi in regionem interiorem Rheno nunc confugerunt: ſed & aliis in locis alii dominantur, belliqueſeminaria excipiunt, prioribus ſubinde debellatis. A Treviris & Nerviis verſus occaſum Senones ſunt & Remi, itemque Atrebates & Eburones. Menapiis contermini ſunt ad mare Morini, Bellovaci, Ambiani, Sueſſiones & Caleti, usque ad Sequanæ oſtia. Menapiorum vero regioni ſimilis eſt Morinorum, Atrebatum, & Eburonum: eſt enim ſylva arborum non excelſarum, magna quidem, ſed non tanta, quantam ſcriptores faciunt, IV. millia ſtadiorum ei tribuentes. Vocant illam Arduennam; at ſub bellorum incurſiones vimina arbuſtorum dumoſorum contexentes, aditus intercludunt, defixis etiam alicubi palis: ipſi cum totis familiis in profunda ſylvæ ſe abdunt, inſulas habentes in paludibus exiguas; ac tempore quidem pluvio facile fuit ipſis effugere: ſiccitate oborta non difficulter ſunt capti: nunc omnes qui intra Rhenum degunt, quieti Romanis parent. Ad Sequanam fluvium ſunt etiam Pariſii, inſulam habitantes in flumine, & urbem Lutetiam. tum Meldæ, & Lexobii ad Oceanum. Inter iſtas autem gentes Rhemi nobiliſſimi ſunt, & eorum urbs primaria Duricortora maxime incolitur, & Romanorum præfectis hoſpitium præbet.

Μετὰ δὲ τὰ λεχθέντα ἔθνη, τὰ λοιπὰ Βελγῶν ἐστὶν ἔθνη, τῶν παρωκεανιτῶν. ὧν Οὐένετοι μέν εἰσιν οἱ ναυμαχήσαντες πρὸς Καίσαρα· ἕτοιμοι γὰρ ἦσαν κωλύειν τὸν εἰς τὴν Βρεττανικὴν πλοῦν, χρώμενοι τῷ ἐμπορίῳ· κατεναυμάχησε δὲ ῥαδίως, οὐκ ἐμβόλοις χρώμενος, (ἦν γὰρ παχέα τὰ ξύλα) ἀλλ᾽ ἀνέμῳ φερομένων ἐπ᾽ αὐτὸν, κατέσπων οἱ Ῥωμαῖοι τὰ ἱστία δορυδρεπάνοις· ἦν γὰρ σκύτινα. διὰ τὴν βίαν τῶν ἀνέμων ἁλύσεις δ᾽ ἔτεινον ἀντὶ κάλων πλατύφυγα δὲ ποιοῦσι, καὶ ὑψίπρυμνα, καὶ ὑψόπρωρα διὰ τὰς ἀμπώτεις, δρυΐνης ὕλης, ἧς ἐστὶν εὐπορία· διόπερ οὐ συνάγουσι τὰς ἁρμονίας τῶν σανίδων, ἀλλ᾽ ἀραιώματα καταλείπουσι· ταῦτα δὲ βρύοις διαβάττουσι, τοῦ μὴ κατὰ τὰς νεωλκίας καπυρωθῆ τὴν ὕλην ἡ νοτιζομένην (*Lege* ὕλην νοτίζ. *Vide Casauboni Comment.*) τοῦ μὲν βρύου νοτιωτέρου ὄντος τῇ φύσει, τῆς δὲ δρυὸς ξηρᾶς καὶ ἀλιπους. Τούτους οἶμαι τοὺς Οὐενέτους, οἰκιστὰς εἶναι τῶν κατὰ τὸν Ἀδρίαν· καὶ γὰρ οἱ ἄλλοι πάντες σχεδόν τι οἱ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ Κελτοὶ μετανέστησαν ἐκ τῆς ὑπὲρ τῶν Ἄλπεων γῆς, καθάπερ καὶ οἱ Βοῖοι καὶ οἱ Σένονες· διὰ δὲ τὴν ὁμωνυμίαν. Παφλαγόνας φασὶν αὐτούς· λέγω δ᾽ οὐκ ἰσχυριζόμενος. ἀρκεῖ γὰρ περὶ τῶν τοιούτων τὸ εἰκός. Ἐνθένδε οἱ Ὀσίσμιοι δ᾽ εἰσὶν, οὓς Τιμίους ὀνομάζει Πυθέας, ἐπί τινος προπεπτωκυίας ἱκανῶς ἄκρας, ὡς τὸν Ὠκεανὸν, οἰκοῦντες οὐκ ἐπὶ τοσοῦτον δὲ, ἐφ᾽ ὅσον ἐκεῖνος ἔχειν (*Malim* ἂν ἔχειν) φησὶ καὶ οἱ πιστεύσαντες ἐκείνῳ. Τῶν δὲ μεταξὺ ἐθνῶν τοῦ τε Σηκοάνα καὶ τοῦ Λείγηρος, οἱ μὲν τοῖς Σηκοανοῖς, οἱ δὲ τοῖς Ἀρουέρνοις ὁμοροῦσι.

Poſt dictas gentes Belgæ ſunt ad Oceanum pertinentes. De his Veneti navali pugna cum Cæſare congreſſi ſunt, parati ejus Britannicam navigationem impedire, quod eo ipſi uterentur emporio. Facile autem Cæſar eos vicit, non confligendo navibus (quippe craſſis lignis eorum naves conſtabant) ſed cum vento incitatæ impetum darent, Romani vela earum faſcibus, quas longuriis præfixerant, diripiebant: nam velis utebantur pelliceis Veneti ad vim ventorum & catenas intendebant loco rudentum: naves faciebant latis carinis, altis proris & puppibus ob æſtum maris, ex materia, qua abundant, querna: tabularum juncturas non committebant, ſed intercapedines relinquebant, quas alga implerent, ne materia cum ſubducuntur naves, exareſceret, neve ei noceret humor: cum alga ſua natura ſit humidior, quercus ſicca & pinguedinis inops. Hos ego Venetos exiſtimo Venetiarum in Adriatico ſinu eſſe autores: (quando reliqui etiam fere omnes Galli qui in Italia ſunt, ex transalpinis eo immigraverunt regionibus, ut Boji & Senones) cum Paphlagonibus, quia illi quoque Heneti ſine Veneti appellantur, alii id adſcribant: neque ego id pro certo tamen affirmo, cum in hujusmodi rebus probabili conjectura par ſit eſſe contentum. Poſt Venetos ſunt Oſiſmii quos Timios Pytheas dicit, verſus Oceanum habitantes in promontorio quodam ſatis longe porrecto, non tamen ita longe, ut ille & qui eum ſecuti ſunt autorem tradiderunt. Gentium quæ inter Sequanam vero & Ligerin degunt aliæ Sequanorum, aliæ Arvernorum ſunt finitimæ.

Τὸ δὲ σύμπαν φῦλον, ὃ νῦν Γαλλικόν τε καὶ Γαλατικὸν καλοῦσιν, ἀρειμανιόν τε καὶ θυμικὸν ἐστι, καὶ ταχὺ πρὸς μάχην· ἄλλως δὲ ἁπλοῦν, καὶ

Univerſa autem hæc natio, quæ Gallica ſeu Galatica nunc uſurpatur, bellicoſa eſt & ferox & ad pugnam prompta, cæterum ingenio ſimplici ac

nulla

ὐ κακόηθες. διὰ δὲ τοῦτο ἐρεθισθέντες μὲν, ἀθρόοι συνίασι πρὸς τοὺς ἀγῶνας, καὶ φανερῶς, καὶ οὐ μετὰ περισκέψεως· ὥστε καὶ εὐμεταχείριστοι γίνονται τοῖς καταστρατηγεῖν ἐθέλουσι. καὶ γὰρ ὅτε βούλεται, καὶ ὅπου, καὶ ἀφ᾽ ἧς ἔτυχε προφάσεως, παροξύνας τις αὐτοὺς, ἑτοίμους ἔσχε πρὸς τὸν κίνδυνον, πλὴν βίας καὶ τόλμης, οὐδὲν ἔχοντας τὸ συναγωνιζόμενον παραπεισθέντες δὲ εὐμαρῶς ἐνδιδόασι πρὸς τὸ χρήσιμον· ὥστε καὶ παιδείας ἅπτεσθαι, καὶ λόγων. τῆς δὲ βίας, τὸ μὲν ἐκ τῶν σωμάτων ἐστὶ μεγάλων ὄντων, τὸ δ᾽ ἐκ τοῦ πλήθους. συνίασι δὲ καὶ κατὰ πλῆθος ῥᾳδίως διὰ τὸ ἁπλοῦν, καὶ αὐθέκαστον, συναγανακτοῦντες (*MS.* συναγανακτούντων.) τοῖς ἀδικεῖσθαι δοκοῦσιν ἀεὶ τῶν πλησίον Νυνὶ μὲν οὖν ἐν εἰρήνῃ πάντες εἰσὶ δεδουλωμένοι, καὶ ζῶντες κατὰ τὰ προστάγματα τῶν ἑλόντων αὐτοὺς Ῥωμαίων. Ἀλλ᾽ ἐκ τῶν παλαιῶν χρόνων τοῦτο λαμβάνομεν περὶ αὐτῶν, ἐκ τῶν μέχρι νῦν συμβαινόντων παρὰ τοῖς Γερμανοῖς νομίμων. καὶ γὰρ τῇ φύσει καὶ τοῖς πολιτεύμασιν, ἐμφερεῖς εἰσιν οὗτοι καὶ συγγενεῖς ἀλλήλοις, ὅμορόν τε οἰκοῦσι χώραν διοριζομένην τῷ Ῥήνῳ ποταμῷ, καὶ παραπλήσια ἔχουσαν. τὰ πλεῖστα ἀρκτικωτέρα δ᾽ ἐστὶν ἡ Γερμανία, κρινομένων τῶν τε νοτίων μερῶν πρὸς τὰ νότια καὶ τῶν ἀρκτικῶν πρὸς τὰ ἀρκτικά.

nulla malignitate devincto. Itaque irritati ad pugnam confeſtim & palam coëunt, idque incircumſpecte: quo fit ut facile circumveniantur, ſi quis calliditate bellica adverſus eos uti velit: facile enim, quando & ubi volet, & quacunque cauſa objecta eos laceſſitos ad prælium conferendum elicuerit, nulla præter vim & audaciam re inſtructos. Iidem facile perſuaderi ſibi ſinunt, ut utiliora amplectantur: itaque diſciplinæ etiam & literis ſe dederunt. Violentiam vero partim a corporum mole habent, partim a multitudine. Sed facile coëunt magno numero ob ſimplicitatem & libertatem, ſemper indignationem ſuſcipientes pro vicinis injuria ſe affectos putantibus. Noſtra quidem ætate omnes pacati ſerviunt, & Romanorum a quibus ſubacti ſunt juſſis parent. Sed quales diximus ſuperioribus temporibus, tales eos fuiſſe intelligemus ex Germanorum adhuc durantibus conſuetudinibus. Nam & natura & vitæ inſtitutis gentes hæ invicem ſimiles ſunt & cognatæ, confinem habitantes regionem, Rheno diviſam, & pleraque inter ſe ſimilia habentem. Magis tamen verſus ſeptentrionem vergit Germania, partibus auſtrinis cum auſtrinis, & borealibus cum borealibus comparatis.

STRABO libro VII.

Εὐθὺς τοίνυν τὰ πέραν τοῦ Ῥήνου μετὰ τοὺς Κελτικοὺς πρὸς τὴν ἕω κεκλιμένα, Γερμανοὶ νέμονται, μικρὸν ἐξαλλάττοντες τοῦ Κελτικοῦ φύλου, τῷ τε πλεονασμῷ τῆς ἀγριότητος καὶ τοῦ μεγέθους, καὶ τῆς ξανθότητος· τἆλλα δὲ παραπλήσιοι καὶ μορφαῖς καὶ ἤθεσι, καὶ βίοις ὄντες οἵους εἰρήκαμεν τοὺς Κελτούς. διὸ δικαιά μοι δοκοῦσι Ῥωμαῖοι τοῦτο αὐτοῖς θέσθαι τοὔνομα, ὡς ἂν γνησίους Γαλάτας φράζειν βουλόμενοι. γνήσιοι γὰρ οἱ Γερμανοὶ κατὰ τὴν Ῥωμαίων διάλεκτον. Ἐστὶ δὲ τὰ μὲν πρῶτα μέρη τῆς χώρας ταύτης τὰ πρὸς τῷ Ῥήνῳ, μέχρι τῶν ἐκβολῶν ἀπὸ τῆς πηγῆς ἀρξαμένοις. σχεδὸν δέ τοι καὶ τοῦτο ἐπὶ τὸ ἑσπέριον τῆς χώρας πλάτος ἡ ποταμία πᾶσα. Ταύτης δὲ τὰ μὲν εἰς τὴν Κελτικὴν μετήγαγον Ῥωμαῖοι, τὰ δ᾽ ἔφθη μεταναστάντα (*MS.* μεταστάντα) εἰς τὴν ἐν βάθει χώραν, καθάπερ Μαρσοί. (ἴσ. Μαρκόμανοι) λοιποὶ δ᾽ εἰσὶν ὀλίγοι καὶ τῶν Συγάμβρων μέρος. Μετὰ δὲ τοὺς παραποταμίους, τ᾽ ἄλλα ἐστὶν ἔθνη τὰ μεταξὺ τοῦ Ῥήνου καὶ τοῦ Ἄλβιος ποταμοῦ, ὃς παράλληλος πως ἐκείνῳ ῥεῖ πρὸς τὸν Ὠκεανὸν, οὐκ ἐλάττω χώραν διεξιὼν ἤπερ ἐκεῖνος· εἰσὶ δὲ μεταξὺ καὶ ἄλλοι ποταμοὶ πλωτοὶ (ὧν ἐν τῷ Ἀμασίᾳ Δροῦσος Βρουκτέρους κατεναυμάχησε) ῥέοντες ὡσαύτως ἀπὸ νότου πρὸς βορρᾶν, καὶ τὸν Ὠκεανόν. Ἐξήρτηται (*Malim* Ἐξῆρται) γὰρ ἡ χώρα πρὸς νότον, καὶ συνεχῆ ταῖς Ἄλπεσι ποιεῖ ῥάχιν τινὰ, πρὸς ἕω τεταμένην, ὡς ἂν μέρος οὖσαν τῶν Ἀλπέων. καὶ δὴ καὶ ἀπεφήναντό τινες οὕτως διά τε τὴν λεχθεῖσαν θέσιν, καὶ διὰ τὸ τὴν αὐτὴν ὕλην ἐκφέρειν, οὐ μὴν ἐπὶ τοσοῦτόν γε ὕψος ἀνίσχει τὰ ταύτης (*MS.* ταύτῃ) μέρη. ἐν ταύτῃ (*MS.* ἐνταῦθα) δ᾽ ἐστὶ καὶ ὁ Ἑρκύνιος δρυμὸς, καὶ τὰ τῶν Σουήβων ἔθνη, τὰ μὲν οἰκοῦντα ἐντὸς τοῦ δρυμοῦ, καθάπερ τὰ τῶν Κολδούλων. (*Suſpecta vox in MS.* Κολδούων.) ἐν οἷς ἐστὶ καὶ τὸ Βουίασμον, (*MS.* Βουαίβιον. *Lege* Βουίαιμον.) τὸ τοῦ Μαροβούδου βασίλειον, εἰς ὃν ἐκεῖνος τόπον ἄλλους τέ μετανέστησε πλείους, καὶ δὴ τοὺς ὁμοεθνεῖς ἑαυτῷ Μαρκομάνους. Ἐπέστη γὰρ τοῖς πράγμασιν οὗτος ἐξ ἰδιώτου μετὰ τὴν ἐκ Ῥώμης ἐπάνοδον. νέος γὰρ ἦν ἐνθάδε, καὶ εὐεργετεῖτο ὑπὸ τοῦ Σεβαστοῦ. ἐπανελθὼν δὲ ἐδυνάστευσε, καὶ κατεκτήσατο πρὸς οἷς εἶπον, Λουίους (*Forte* Λυγίους) τό μέ-

STatim ergo trans Rhenum poſt Celticos populos orientem verſus ſita loca Germani incolunt: a Gallis parum differentes, ſi feritatis, corporum magnitudinis & fulvi coloris excellentiam ſpectes. Sed & forma, & moribus, & victu adſimiles ſunt Gallorum, de quibus diximus. Itaque recte mihi videntur Romani hoc nomen eis indidiſſe, cum eos fratres eſſe Gallorum vellent oſtendere. Prima Germaniæ regio eſt ad Rhenum, a fontibus ejus usque ad oſtia: atque hic fluminis tractus, latus eſt Germaniæ occiduum. Hujus partis populos Romani partim in Galliam traduxerunt: reliqui migraverunt in penitiores Germaniæ partes, ut Marſi. Sed & Sicambrorum exigua reſtat portio. Poſt Rheni accolas aliæ ſunt inter hunc & Albim gentes: qui æquali fere usque quaque ſpatio a Rheno diſtans in Oceanum fertur, neque minorem quam Rhenus regionem peragrat. Inter hos & alia ſunt navigabilia flumina. (de quibus eſt Amaſia, in quo Bructeros Druſus navali prælio vicit) ipſa quoque a meridie Boream verſus & Oceanum fluentia. Etenim Germania verſus meridiem attollitur, ac dorſum quoddam erigit contiguum Alpibus verſus orientem porrectum, ita ut videri pars Alpium poſſit. Quin & hoc affirmavere quidam, ad ſitum reſpicientes, & quod ejusdem eſt ferax materiæ. Sed hujus dorſi partes tamen Alpium altitudinem non æquant. In hac Germania eſt etiam ſylva Hercynia & Suevorum gentes, quarum quædam in ipſa habitant ſylva, ut Colduli, in quibus eſt & Bottiasmum Marobodui regia: in quem locum is cum alios plures tranſtulit, tum Marcomannos gentiles ſuos. Is enim Roma reverſus (ubi juvenis fuit, & ab Auguſto beneficiis affectus) e privato ſtatu ad occupandam dominationem ſe contulit, ac præter Marcomannos ſubjecit ſibi etiam Luios magnam gentem, Zumos, Butones, Mugilones,

γα ἔθνος καὶ Ζύμους, καὶ Βούτονας, καὶ Μουγίλωνας, καὶ Σιβινοὺς, καὶ τῶν Σοήβων αὐτῶν μέγα ἔθνος Σέμνωνας. Πλὴν τά γε τῶν Σοήβων ὡς ἔφην ἔθνη τὰ μὲν ἐντὸς οἰκεῖ, τὰ δὲ ἐκτὸς τοῦ δρυμοῦ, ὅμορα τοῖς Γέταις. Μέγιστον μὲν τὸ τῶν Σοήβων ἔθνος· διήκει γὰρ ἀπὸ τοῦ Ῥήνου μέχρι τοῦ Ἄλβιος· μέρος δέ τι αὐτῶν, καὶ πέραν τοῦ Ἄλβιος νέμεται, καθάπερ Εὐμόνδοροι, (*Scribe* Ἑρμόνδοροι) καὶ Λαγκόσαργοι, νῦν δὲ καὶ τελέως εἰς τὴν περαίαν οὗτοί γε ἐκπεπτώκασι φεύγοντες. Κοινὸν δ' ἐστὶν ἅπασι τοῖς ταύτῃ, τὸ περὶ τὰς μεταναστάσεις εὐμαρὲς, διὰ τὴν λιτότητα τοῦ βίου, καὶ διὰ τὸ μὴ γεωργεῖν. μηδὲ θησαυρίζειν, ἀλλ' ἐν καλυβίοις οἰκεῖν ἐφήμερον ἔχουσι παρασκευήν. Τροφὴ δ' ἀπὸ τῶν θρεμμάτων ἡ πλείστη καθά περ τοῖς Νομάσιν. ὥστ' ἐκείνους μιμούμενοι τὰ οἰκεῖα ταῖς ἁρμαμάξαις ἐπάραντες, ὅποι ἂν δόξῃ τρέπονται μετὰ τῶν βοσκημάτων. Ἄλλα δ' ἐνδεέστερα ἐστὶν ἔθνη Γερμανικὰ, Χηροῦσκοί τε καὶ Χάττοι, καὶ Γαμαβριοῦνοι, καὶ Χαττουάριοι. πρὸς δὲ τῷ Ὠκεανῷ Σούγαμβροί (*Forte* Γαμβρίουοι. *vide Casaub. com.*) τε, καὶ Χαῦβοι, καὶ γρ. Βρούκτεροι, καὶ Κίμβροι. Καῦκοί τε καὶ Κα[illegible]λκοι, καὶ καμψιανοὶ, καὶ ἄλλοι πλείους. Ἐπὶ ταυτὰ δὲ τῷ Ἀμασίᾳ φέρονται, Βισουργίς τε, καὶ Λουπίας ποταμὸς, διέχων Ῥήνου περὶ ἑξακοσίους σταδίους, ῥέων διὰ γρ. Βρουκτέρων τῶν ἐλαττόνων. Ἐστὶ δὲ καὶ Σάλας ποταμὸς, οὗ μεταξὺ καὶ τοῦ Ῥήνου πολεμῶν καὶ κατορθῶν Δροῦσος ἐτελεύτησεν ὁ Γερμανικός· ἐχειρώσατο δ' οὐ μόνον τῶν ἐθνῶν τὰ πλεῖστα, ἀλλὰ καὶ τὰς ἐν τῷ παράπλῳ νήσους, ὧν ἐστὶ καὶ ἡ Βυρχανὶς, ἣν ἐκ πολιορκίας εἷλε. Γνώριμα δὲ ταῦτα κατέστη τὰ ἔθνη, πολεμοῦντα πρὸς Ῥωμαίους. εἶτ' ἐνδιδόντα. καὶ πάλιν ἀφιστάμενα, ἢ καὶ καταλιπόντα τὰς κατοικίας· κἂν πλείω δὲ γνώριμα ὑπῆρξεν, εἰ ἐπέτρεπε τοῖς στρατηγοῖς ὁ Σεβαστὸς, διαβαίνειν τὸν Ἄλβιν, μετιοῦσι (*MS.* μετιέναι) τοὺς ἐκεῖσε ἐπανισταμένους. νυνὶ δ' εὐπορώτερον ὑπέλαβε στρατηγεῖν τὸν ἐν χερσὶ πόλεμον. εἰ τῶν ἔξω τοῦ Ἄλβιος καθ' ἡσυχίαν ὄντων ἀπέχοιτο καὶ μὴ παροξύνοιτο πρὸς τὴν κοινωνίαν τῆς ἔχθρας. Ἤρξαντο δὲ τοῦ πολέμου Σούγαμβροι πλησίον οἰκοῦντες τοῦ Ῥήνου. Μέλωνα ἔχοντες ἡγεμόνα. κἀκεῖθεν ἤδη διεῖχον ἄλλοτ' ἄλλοι, δυναστεύοντες καὶ καταλυόμενοι, πάλιν δ' ἀφιστάμενοι, προδιδόντες, καὶ τὰ ὅμηρα, καὶ τὰς πίστεις. πρὸς οὓς ἡ μὲν ἀπιστία μέγα ὄφελος. οἱ δὲ πιστευθέντες τὰ μέγιστα κατέβλαψαν, καθάπερ οἱ Χηροῦσκοι, καὶ οἱ τούτων ὑπήκοοι. παρ' οἷς, τὰ τρία τάγματα Ῥωμαίων μετὰ τοῦ στρατηγοῦ Οὐάρου Κουϊντιλίου παρασπονδηθέντα, ἀπώλετο ἐν ἐνέδραις. (*MS.* ἐξ ἐνέδρας.) Ἔτισαν δὲ δίκας ἅπαντες, καὶ παρέσχον τῷ νεωτέρῳ Γερμανικῷ λαμπρότατον θρίαμβον, ἐν ᾧ ἐθριαμβεύθη τῶν ἐπιφανεστάτων ἀνδρῶν σώματα καὶ γυναικῶν, Σεμιγοῦντός (*Lege* ὁ Σεγ. *sine* καὶ, *vel* ὁ Σιγιμοῦντος) τε καὶ Σεγέστου υἱός Χηρούσκων ἡγεμὼν, καὶ ἀδελφὴ αὐτοῦ γυνὴ δ' Ἀρμενίου τοῦ πολεμαρχήσαντος ἐν τοῖς Χηρούσκοις ἐν τῇ πρὸς Οὔαρον Κουϊντίλιον παρασπονδήσει, καὶ ἔτι συνέχοντος τὸν πόλεμον, ὄνομα Θουσνέλδα. καὶ υἱὸς τριετὴς Θουμέλικος. ἔτι δὲ Σεσίθακος (Αἰγιμήρου *Forte* Σιγιμήρου.) υἱὸς τῶν Χερούσκων ἡγεμόνος. καὶ ἡ γυνὴ τούτου Ῥαμὶς, Οὐκρομύρου θυγάτηρ, ἡγεμόνος Βαττῶν, (*MS.* Βραττῶν, *Forte* Χαττῶν.) καὶ Δευδόριξ Βαιτόριτος τοῦ Μέλωνος ἀδελφοῦ υἱὸς Σούγαμβρος. Αἰγέστης (*Leg.* Σεγέστης.) δὲ ὁ πενθερὸς τοῦ Ἀρμενίου καὶ ἐξ ἀρχῆς διέστη πρὸς τὴν γνώμην αὐτοῦ, καὶ λαβὼν καιρὸν ηὐτομόλησε, καὶ τῷ θριάμβῳ παρῆν τῶν φιλτάτων, ἐν τιμῇ ἀγόμενος· ἐπόμπευσε δὲ καὶ Λίβυς τῶν Χάττων ἱερεύς. (*MSS.* Λίβης *&* ἱερὸς *non* ἱερεὺς.) καὶ ἄλλα δὲ σώματα ἐπομπεύθη ἐκ τῶν πεπορθημένων ἐθνῶν, Καθύλκων καὶ Αμψάνων,

gilones, Sibinos, & de ipſis Suevis magnam nationem Semnonas. Enimvero Suevorum, ut dixi, alii in ſylva habitabant, alii extra, Getis finitimi. Maxima quidem eſt Suevorum natio: nam & a Rheno ad Albim usque pertingit, & trans Albim habitant pars eorum, ut Hermunduri & Longobardi; atque nunc quidem hi fuga facta omnino in ulteriorem regionem ſe conjecerunt. Commune omnium eſt, qui iſtis in locis degunt, facilis & expedita ſoli mutatio: ob tenuitatem victus, & quod neque colunt agros, neque fructus recondunt, ſed in caſis habitant ſtructura in unum diem conſtantibus. Cibus eis a pecore plurimus, ut & Nomadibus: quorum etiam imitatione rebus ſuis in currus impoſitis facile cum pecore ſuo abeunt, quo viſum fuerit. Aliæ minores Germanorum gentes ſunt Cheruſci & Chatti, & Gamabriuni, Chattuarii: ad Oceanum autem Sicambri, Chaubi, Bructeri, Cimbri, Cauci, Caluci, Campſiani, & aliæ plures. In eandem cum Amaſia partem feruntur Viſurgis & Lupias, qui per Bructeros minores fluit a Rheno diſtans circiter 10c ſtadiis. Eſt & Sala fluvius: inter quem & Rhenum bellum felici ſucceſſu gerens obiit Druſus Germanicus. Hic non gentes modo plurimas ſubegit, ſed & inſulas in legendo littore obvias: quarum eſt Byrchanis ab eo expugnata. Innotuere iſtæ gentes cum bellum contra Romanos gererent, deinde concederent, poſt vel rurſus deficerent vel ſuas habitationes desererent. Ac fuiſſent, ut apparet, plures etiam cognitæ, ſi Auguſtus militibus permiſiſſet, ut transmiſſo Albi eo rebellantes proſequerentur. Sed promptius cenſuit Auguſtus ſe bellum, quod erat præ manibus confecturum, ſi populos ultra Albim ſitos ac nihil moventes, miſſos faceret, neque irritatos maleficio ad ſocietatem cum hoſtibus ineundam invitaret. Belli initium fecere Sicambri Melone duce Rheno vicini: atque huic poſt alii poſt alios ſucceſſerunt, potiti imperio, eoque deturbati poſtea; rurſumque inde deficientes fide & obſidibus proditis. Adverſus hos plurimum utilitatis eſt in incredulitate: quibus fides habita eſt, ii maxima damna intulerunt: ut Cheruſci & eorum ſubditi, apud quod tres Romanæ legiones cum duce Quintilio Varo contra datam fidem inſidiis circumventæ perierunt. Pœnas tamen universi dederunt, ac Germanico Juniori pulcherrimam triumphi materiam: in quo is illuſtriſſimos viros ac fœminas duxit. De quibus, Semiguntus & Segeſti filius Cheruſcorum dux, ſororque ejus, uxor Arminii, qui belli dux fuerat Cheruſcis, cum violatis pactis Varum Quintilium invaderent, atque etiamnum bellum fovet, nomine Thuſnelda, ac filius tres annos natus Thumelicus; nec non Seſithacus Ægimeri filius Cheruſcorum ducis, ejusque uxor Rhamis, Vcromeri filia Chattorum ducis, & Deudorix Bætoritis filius, qui frater erat Melonis, Sicamber. Ægeſtes autem Arminii ſocer, cum initio ſententiæ generi reſtitiſſet, capto tempore ad Romanos transfugerat, tumque triumphum, in quo ducerentur ei chariſſima, in honore ipſe habitus a Romanis ſpectavit. Ductus eſt in pompa etiam Libys Chattorum ſacerdos, aliique multi mortales ex devaſtatis

Βουκτέρων, Νουσίπων, Χηρούσκων, Χάττων, Χαττουαρίων, Λανδῶν, Συβαττίων· Διέχει δὲ τοῦ Ἄλβιος ὁ Ῥῆνος περὶ τρισχιλίους σταδίους, εἴ τις εὐθυπορούσας ἔχοι τὰς ὁδούς· νυνὶ δὲ διὰ σκολιᾶς καὶ ἑλώδους, καὶ δρυμῶν, κυκλοπορεῖν ἀνάγκη. Ὁ δὲ Ἑρκύνιος δρυμὸς πυκνότερός τε ἐστὶ, καὶ μεγαλόδενδρος ἐν χωρίοις ἐρυμνοῖς, κύκλον περιλαμβάνων μέγαν. ἐν μέσῳ δὲ ἵδρυται χώρα καλῶς οἰκεῖσθαι δυναμένη, περὶ ἧς εἰρήκαμεν. Ἔστι δὲ πλησίον αὐτῆς ἥτε τοῦ Ἴστρου πηγὴ, καὶ ἡ τοῦ Ῥήνου, καὶ ἡ μεταξὺ ἀμφοῖν λίμνη, καὶ τὰ ἕλη τὰ ἐκ τοῦ Ῥήνου διαχεόμενα· ἔστι δ' ἡ λίμνη, τὴν μὲν περίμετρον σταδίων πλειόνων ἢ τ, δίαρμα δὲ ἐγγὺς σ. ἔχει δὲ καὶ νῆσον, ᾗ ἐχρήσατο ὁρμητηρίῳ Τιβέριος ναυμαχῶν πρὸς Οὐινδελικούς. (*Vide comment. Casauboni.*) Νοτιωτέρα δ' ἐστὶ τῶν τοῦ Ἴστρου πηγῶν καὶ αὕτη, καὶ ὁ Ἑρκύνιος δρυμός. ὥστ' ἀνάγκη τὸν ἐκ τῆς Κελτικῆς εἰς τὸν Ἑρκύνιον δρυμὸν ἰόντα, (*MS.* τῷ & ἐστὶ, *non* εἰς & ἰόντα.) πρῶτον μὲν διαπεράσαι τὴν λίμνην, ἔπειτα τὸν Ἴστρον, εἶτ' ἤδη δι' εὐπετεστέρων χωρίων, ἐπὶ τὸν δρυμὸν τὰς προβάσεις ποιεῖσθαι δι' ὀροπεδίων. ἡμερήσιον δὲ ἀπὸ τῆς λίμνης προελθὼν ὁδὸν Τιβέριος, εἶδε τὰς τοῦ Ἴστρου πηγάς. προσάπτονται δὲ τῆς λίμνης ἐπ' ὀλίγον μὲν οἱ Ῥαιτοὶ, τὸ δὲ πλέον Ἐλουήττιοι καὶ Οὐινδολικοὶ, καὶ ἡ Βοίων ἐρημία, μέχρι Παννονίων. πάντες, (*Forte legendum* Μέχρι μὲν οὖ Παννονίων πάντες. τ. *Vide comment. Casaub.*) τὸ πλέον δ' Ἐλουήττιοι καὶ Οὐινδολικοὶ οἰκοῦσιν ὀροπέδια, Ῥαιτοὶ δὲ καὶ Νωρικοὶ μέχρι τῶν Ἀλπείων ὑπερβολῶν ἀνίσχουσι, καὶ πρὸς τὴν Ἰταλίαν περινεύουσιν, οἱ μὲν Ἰνσούβροις συνάπτοντες, οἱ δὲ Κάρνοις, καὶ τοῖς περὶ τὴν Ἀκυληΐαν χωρίοις. Ἔστι δὲ καὶ ἄλλη ὕλη Γαβρῆτα μεγάλη, ἔπειτα (*MS.* ἐτίκεινα.) δὲ τὰ τῶν Σουήβων. ἔπειτα δ' ὁ Ἑρκύνιος δρυμός· ἔχεται δὲ κἀκεῖνος ὑπ' αὐτῶν. Περὶ δὲ Κίμβρων τὰ μὲν οὐκ εὖ λέγεται, τὰ δ' ἔχει πιθανότητας οὐ μετρίας. οὔτε γὰρ τὴν τοιαύτην αἰτίαν τοῦ πλάνητας γενέσθαι καὶ λῃστρικοὺς ἀποδέξαιτ' ἄν τις, ὅτι χερρόνησον οἰκοῦντες, μεγάλῃ πλημμυρίδι ἐξελαθεῖεν ἐκ τῶν τόπον. καὶ γὰρ νῦν ἔχουσι τὴν χώραν ἣν εἶχον πρότερον, καὶ ἔπεμψαν τῷ Σεβαστῷ δῶρον, τὸν ἱερώτατον παρ' αὐτοῖς λέβητα, αἰτούμενοι φιλίαν, καὶ ἀμνηστίαν τῶν ὑπηργμένων τυχόντες δὲ, ὧν ἠξίουν ἀπῆραν. Γελοῖον δὲ, τῷ φυσικῷ καὶ αἰωνίῳ πάθει δὶς ἑκάστης ἡμέρας συμβαίνοντι, παροργισθέντας ἀπελθεῖν ἐκ τοῦ τόπου. Ἔοικε δὲ πλάσματι, τὸ συμβῆναι ποτε πλημμυρίδα ὑπερβάλλουσαν· ἐπιτάσεις μὲν γὰρ καὶ ἀνέσεις δέχεται, τεταγμένας δὲ καὶ περιοριζούσας ὁ Ὠκεανὸς ἐν τοῖς τοιούτοις πάθεσιν. Οὐκ εὖ δ' οὐδ' ὁ φήσας ὅπλα αἴρεσθαι πρὸς τὰς πλημμυρίδας τοὺς Κίμβρους, οὐδ' ὅτι ἀφοβίαν οἱ Κελτοὶ ἀσκοῦντες, κατακλύζεσθαι τὰς οἰκίας ὑπομένουσιν, εἶτ' ἀνοικοδομοῦσι, καὶ ὅτι πλείων αὐτοῖς συμβαίνει φθόρος ἐξ ὕδατος, ἢ πολέμου, ὅπερ Ἔφορος φησίν. ἡ γὰρ τάξις ἡ τῶν πλημμυρίδων, καὶ τὸ τὴν ἐπικλυζομένην χώραν εἶναι γνώριμον, οὐκ ἔμελλε ταύτας τὰς ἀτοπίας παρέξειν. δὶς γὰρ ἑκάστης ἡμέρας τούτου συμβαίνοντος, τὸ μηδ' ἅπαξ αἰσθάνεσθαι φυσικὴν οὖσαν τὴν παλίρροιαν καὶ ἀβλαβῆ, καὶ οὐ μόνοις τούτοις συμβαίνουσαν, ἀλλὰ τοῖς παρωκεανίταις πᾶσι, πῶς οὐκ ἀπίθανον; Οὐδὲ Κίταρχος εὖ· φησὶ γὰρ, τοὺς ἱππέας ἰδόντας τὴν ἔφοδον τοῦ πελάγους, ἀφιππάσασθαι, καὶ φεύγοντας ἐγγὺς γενέσθαι τοῦ περικαταληφθῆναι· οὔτε δὲ τοσούτῳ τάχει τὴν ἐπίβασιν ὁρμωμένην ἱστοροῦμεν, ἀλλὰ λεληθότως προσιοῦσαν τὴν θάλατταν· οὔτε τὸ καθ' ἡμέραν γιγνόμενον καὶ πᾶσιν ἔναυλον ἤδη ὂν τοῖς πλησιάζειν μέλλουσι, πρὶν

ſtatis populis, Cathulcis, Ampſanis, Bucteris, Nuſipis, Cheruſcis, Chattis, Chattuariis, Landis, Subattiis. Diſtat ab Albi Rhenus, ſi quis recto itinere proficiſci eo poſſet circiter cIↃ cIↃ cIↃ ſtadiis. Sed obliquo itinere & per circuitum eo via ducit ob paludes & ſaltus. Sylva Hercynia denſior eſt, magniſque conſita arboribus, locis natura munitis magnum includens circulum: in medio ejus ſita eſt regio apta habitationi præclaræ, de qua diximus. Prope hanc regionem origo eſt Iſtri & Rheni, ac lacus inter horum fontes ſitus, & paludes e Rheno effuſæ. Lacus in ambitu habet ſtadia amplius CCC, trajectum prope CC: inque ea eſt inſula, qua pro receptaculo uſus eſt Tiberius, navali pugna cum Vindelicis certans. Cum hic lacus tum ſaltus Hercynius magis Iſtri fontibus verſus meridiem inclinat: ut neceſſe ſit eum, qui e Gallia Hercynium petit ſaltum, prius tranſire lacum, deinde Iſtrum, ac porro per commodiora jam itineri loca & montanas planicies ad ſylvam ipſam progredi. Unius autem diei iter progreſſus a lacu Tiberius, fontes Iſtri vidit. Lacum Ræti exigua parte, majori Helvetii & Vindelici attingunt: inde eſt Bojorum ſolitudo, uſque ad Pannonios. Omnes, magis tamen reliquis Helvetii & Vindelici montanas incolunt planicies, ſed Ræti & Norici uſque ad Alpium ſumma adſurgunt, & verſus Italiam vergunt, alii Inſubres, alii Carnos, & quæ ſunt circa Aquilejam loca attingentes. Eſt & alia magna ſylva Gabreta, deinde Suevorum ſedes, inde Hercynius ſaltus, quem & ipſum Suevi tenent. De Cimbris vero quædam inepte dicuntur, quædam probabilitatem habent non mediocrem. Non enim hac de cauſa eos ut incertis vagarentur ſedibus, & latrociniis victum quærerent, compulſos crediderim, quia e peninſula quam inhabitabant, diluvio fuerint ejecti: cum hodieque antiquas incolant ſedes, nuperque Auguſto lebetem, qui apud ipſos ſacerrimus habebatur, dono miſerint, amicitiam expetentes, & veniam illatarum injuriarum, eaque conſecuti domum redierint. Et ridiculum ſit, eos naturali ac ſempiterno æſtui quotidie bis contingenti iratos ſolum vertiſſe. Quin & figmentum videtur, eluviem aliquando immodicam accidiſſe: cum id genus Oceani accidentia intendantur quidem ea ac remittantur, ſed ordine tamen ſuo atque modo. Non recte etiam is, qui arma adverſus exundationem cepiſſe Cimbros ait: neque id, quod Celtæ ad vacuitatem metus ſeſe aſſuefacientes patiantur domos ſuos aquis obrui, rurſumque ædificent, pluresque eorum aquis quam bello pereant, quod Ephorus tradidit. Nam hæc abſurda non admittit cum ordo æſtuum, tum notitia regionis illuviem paſſæ. Cum enim bis quotidie æſtus accideret, qui credibile ſit tandem nunquam eos ſenſiſſe, naturalem eſſe hanc maris reciprocationem & innoxiam, nec non ſibi cum omnibus ad Oceanum accolentibus communem? Male etiam Clitarchus, equites narrans accurſum maris ſpectantes, citatis equis refugiſſe, & pene fuiſſe a fluxu obrutos: neque enim tanta celeritate accedere mare deprehendimus, ſed ſenſim & latenter: neque id quod fieret quotidie, & omnium ſpectaturorum aures, antequam accederent, perſonaret, tantum potuit his objicere ter-

ἢ θεάσασθαι, τοσοῦτον ἔμελλε παρέξεσθαι φόβον, ὥστε φεύγειν, ὡς ἂν εἰ ἐξ ἀδοκήτου συνέβαινε. (*MS.* προσέπεσε.) Ταῦτα δὲ δικαίως ἐπιτιμᾷ τοῖς συγγραφεῦσι Ποσειδώνιος, καὶ οὐ κακῶς εἰκάζει, ὅτι λῃστρικοὶ ὄντες καὶ πλάνητες οἱ Κίμβροι, καὶ μέχρι τῶν περὶ τὴν Μαιῶτιν ποιήσαντο στρατείαν· ἀπ' ἐκείνων δὲ καὶ ὁ Κιμμέριος κληθεὶς Βόσπορος, οἷος Κιμβρικὸς, Κιμμερίους τοὺς Κίμβρους ὀνομασάντων τῶν Ἑλλήνων. Φησὶ δὲ καὶ Βοΐους τὸν Ἑρκύνιον δρυμὸν οἰκεῖν πρότερον· τοὺς δὲ Κίμβρους ὁρμήσαντας ἐπὶ τὸν τόπον τοῦτον, ἀποκρουσθέντας ἀπὸ τῶν Βοΐων ἐπὶ τὸ Ἴστρον, καὶ τοὺς Σκορδίσκους Γαλάτας καταβῆναι· εἶτ' ἐπὶ Τευριστὰς καὶ Ταυρίσκους, καὶ τούτους Γαλάτας· εἶτ' ἐπὶ Ἐλουιτίους, πολυχρύσους μὲν ἄνδρας, εἰρηναίους δέ. ὁρῶντας δὲ τὸν ἐκ τῶν λῃστηρίων πλοῦτον, ὑπερβάλλοντα τοῦ παρ' ἑαυτοῖς, τοὺς Ἐλουιττίους ἐπαρθῆναι, μάλιστα δ' αὐτῶν Τιγυρίνους τε, καὶ Τωυγενοὺς, ὥστε καὶ συνεξορμῆσαι. Πάντες μέντοι κατελύθησαν ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων, αὐτοί τε οἱ Κίμβροι, καὶ οἱ συναράμενοι τούτοις, οἱ μὲν ὑπερβάλλοντες τὰς Ἄλπεις εἰς τὴν Ἰταλίαν, οἱ δ' ἔξω τῶν Ἀλπέων. Ἔθος δέ τι τῶν Κίμβρων διηγοῦνται τοιοῦτον, ὅτι ταῖς γυναιξὶν αὐτῶν συστρατευούσαις, παρηκολούθουν προμάντεις ἱέρειαι πολιότριχες, λευχείμονες, καρπασίνας ἐφαπτίδας ἐπιπεπορπημέναι, ζῶσμα χαλκοῦν ἔχουσαι, γυμνόποδες. τοῖς οὖν αἰχμαλώτοις διὰ τοῦ στρατοπέδου συνήντων ξιφήρεις· καταστέψασαι δ' αὐτοὺς ἦγον ἐπὶ κρατῆρα χαλκοῦν ὅσον ἀμφορέων εἴκοσι. εἶχον δὲ ἀναβάθραν, ἣν ἀναβᾶσα ὑπερπετὴς τοῦ λέβητος ἐλαιμοτόμει ἕκαστον μετεωρισθέντα· ἐκ δὲ τοῦ προχεομένου αἵματος εἰς τὸν κρατῆρα, μαντείαν τινὰ ἐποιοῦντο. ἄλλαι δὲ διασχίσασαι, ἐσπλάγχνευον ἀναφθεγγόμεναι νίκην τοῖς οἰκείοις. ἐν δὲ τοῖς ἀγῶσιν ἔτυπτον τὰς βύρσας τὰς περιτεταμένας τοῖς γέῤῥοις τῶν ἁρμαμαξῶν. ὡς τὸ ἀποτελεῖσθαι ψόφον ἐξαίσιον. Τῶν δὲ Γερμανῶν, ὡς εἶπον, οἱ μὲν προσάρκτιοι παρήκουσι τῷ Ὠκεανῷ. Γνωρίζονται δ' ἀπὸ τῶν ἐκβολῶν τοῦ Ῥήνου λαβόντες τὴν ἀρχὴν, μέχρι τοῦ Ἄλβιος. Τούτων δ' εἰσὶ γνωριμώτατοι Σούγαμβροί τε καὶ Κίμβροι· τὰ δὲ πέραν τοῦ Ἄλβιος τὰ πρὸς τῷ Ὠκεανῷ, παντάπασιν ἄγνωστα ἡμῖν ἐστιν. οὔτε γὰρ τῶν προτέρων οὐδένας ἴσμεν, τὸν παράπλουν τοῦτον πεποιημένους πρὸς τὰ ἑωθινὰ μέρη, τὰ μέχρι τοῦ στόματος τῆς Κασπίας θαλάττης, οὔθ' οἱ Ῥωμαῖοι προῆλθόν πω εἰς τὰ περαιτέρω τοῦ Ἄλβιος· ὡς δ' αὔτως οὐδὲ πεζοὶ παρωδεύκασιν οὐδένες. Ἀλλ' ὅτι μὲν κατὰ μῆκος ἰοῦσιν ἐπὶ τὴν ἕω, τὰ κατὰ τὸν Βορυσθένην, καὶ τὰ πρὸς βοῤῥᾶν μέρη τοῦ Πόντου χωρία ἅπαντα, (*Caſ.* ἅπαντα *delens* χωρία.) δῆλον ἐκ τῶν κλιμάτων καὶ τῶν παραλλήλων διαστημάτων. τί δ' ἐστὶ πέραν τῆς Γερμανίας, καὶ τί τῶν ἄλλων τῶν ἑξῆς. εἴτε Βαστάρνας χρὴ λέγειν, ὡς οἱ πλείους ὑπονοοῦσιν, εἴτ' ἄλλους μεταξὺ, ἢ Ἰάζυγας, ἢ Ῥωξολάνους, (*Al.* Ῥωξυάλους.) ἤ τινας ἄλλους τῶν Ἁμαξοίκων, οὐ ῥᾴδιον εἰπεῖν οὐδ', εἰ μέχρι τοῦ Ὠκεανοῦ παρήκουσι παρ' ἅπαν τὸ μῆκος, ἔστι τι ἀοίκητον ὑπὸ ψύχους, ἢ ἄλλης αἰτίας, ἢ καὶ γένος ἀνθρώπων ἄλλο διαδέχεται μεταξὺ τῆς θαλάττης καὶ τῶν ἑῴων Γερμανῶν ἱδρυμένον. Τοῦτο δὲ τὸ αὐτὸ ἀγνόημα καὶ περὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐφεξῆς προσαρκτίων ἐλεγεν. οὔτε γὰρ τοὺς Βαστάρνας, οὔτε τοὺς Σαυρομάτας, καὶ ἁπλῶς τοὺς ὑπὲρ τοῦ Πόντου οἰκοῦντας ἴσμεν, οὔθ' ὁπόσον ἀπέχουσι τῆς Ἀτλαντικῆς θαλάττης, οὔτ' εἰ συνάπτουσιν ἐν αὐτῇ. Τὸ δὲ νότιον μέρος τῆς Γερμανίας, τὸ πέραν τοῦ Ἄλβιος, τὸ μὲν συνεχὲς ἀκμὴν ὑπὸ τῶν Σουήβων κατέχεται. εἶθ' εὐθὺς ἡ τῶν Γετῶν συνάπτει γῆ κατ' ἀρχὰς μὲν στενὴ, παρατεταμένη τῷ Ἴστρῳ κατὰ νότιον μέρος· κατὰ δὲ τοὐναντίον τῇ παρορείᾳ

terrorem, ut quaſi de improviſo oblata refugam facerent. Hæc Poſidonius jure in ſcriptoribus reprehendit. Idem non inepta conjectura colligit Cimbros homines fuiſſe prædones ac vagos, armiſque ad Mæotin uſque lacum progreſſos: & fuiſſe ab iis Cimmerium Boſporum denominatum; quaſi Cimbricum, cum Græci Cimbros Cimmeriorum nomine afficiant. Idem perhibet, Bojos quondam Hercyniam incoluiſſe ſylvam: ac Cimbros cum ad ea loca ſe contuliſſent, ab iis repulſos ad Iſtrum ac Scordiſcos Gallos deſcendiſſe: inde ad Teuriſtas ac Tauriſcos, ipſos quoque Gallos: tum ad Helvetios, auri divites, cæterum pacatos. Hos, cum viderent ſuis majores opes latrociniis Cimbrorum partas, maxime Tigurinos ac Tugenos, animum ad prædas adjeciſſe, ac Cimbris Italiam petentibus ſocios ſe adjunxiſſe. Omnes autem a Romanis debellati ſunt & Cimbri & eorum ſocii, partim extra Alpes, partim cum his ſuperatis in Italiam deſcendiſſent. Morem hunc fuiſſe Cimbris uſitatum ferunt. Sequentibus eos in bellum uxoribus, vates quædam comitabantur canæ albo veſtitu, carbaſinis ſupparis deſuper fibulis affixis, cinctu æreo, pedibus nudis. Eæ per caſtra captivis occurrebant ſtrictis gladiis, proſtratoſque ad crateram æneam adducebant amphoras circiter xx. capientem. Super eam pulpitum erat, quo conſcenſo vates ſublimis ſingulis ſupra lebetem elevatis guttur incidebat: e ſanguine autem in crateram fuſo ſuam captabant quandam divinationem. Reliquæ cadavera ſic cæſorum ſcindebant, inteſtiniſque ſpectatis victoriam ſuis vaticinabantur. In prœliis pelles pulſabant cratibus curruum prætentas; quibus ſonitus terribilis edebatur. Germanorum, ut diximus, ſeptentrionales qui ſunt, propter littus Oceani porriguntur: ac noti ſunt ab oſtiis Rheni uſque ad Albim autem, notiſſimi Sicambri & Cimbri. Quæ autem trans Albim ad Oceanum ſunt, nobis prorſus ſunt ignota. Nam neque priorum quenquam compertum habemus illud littus prætemavigaſſe verſus Orientem, uſque ad Caſpii maris fauces: neque ultra Albim ſita Romani adiverunt. Sed ne terreſtri quidem itinere quiſquam illa perluſtravit. Ergo quod, ſecundum longitudinem proficiſcens ortum Solis verſus, per regiones ad Boryſthenem & ſeptentrionalia a Ponto iter faciat, e climatum & æqualiter diſtantium linearum rationibus liquet. Quid autem ſit ultra Germanos, & iis confines alios, ſive ii ſunt Baſtarnæ, ut plerique putant, ſive alii interjecti, ſive Iazyges, ſive Roxolani, ſive alii in curribus domicilia habentes, non eſt facile dictu. Neque, an tota illa in ora Oceani aliqua ſit portio, quæ vel ob frigus, vel alia de cauſa habitari nequeat: item, an aliud genus hominum orientalibus Germanis & Oceano ſit interjectum. Eadem ignoratio reliquorum deinceps ad Boream vergentium ab eo indicatur. Neque enim ſcimus, Baſtarnæ & Sauromatæ & in univerſum qui ſupra Pontum habitant, quantum abſint ab Atlantico mari, aut an eo uſque pertingant. Latus autem Germaniæ meridionale quod eſt trans Albim, continuo Suevi tenent: poſt hos Getarum regio attingit, arcta initio, qua juxta auſtrinam partem ſecundum Iſtrum protenditur, & e regione finibus

τοῦ Ἑρκυνίου δρυμοῦ, μέρος τι καὶ αὐτὴ τῶν ὀρῶν κατέχουσα, εἶτα πλατύνεται πρὸς τὰς ἄρκτους μέχρι Τυριγετῶν· τοὺς δ᾽ ἀκριβεῖς ὅρους οὐκ ἔχομεν φράζειν. Διὰ δὲ τὴν ἄγνοιαν τῶν τόπων τούτων, οἱ τὰ Ῥιπαῖα ὄρη, καὶ τοὺς Ὑπερβορείους μυθοποιοῦντες λόγου ἠξίωνται καὶ ἃ Πυθέας ὁ Μασσαλιώτης κατεψεύσατο τοιαῦτα τῆς παρωκεανίτιδος, προσχήματι χρώμενος τῇ περὶ τὰ οὐράνια καὶ μαθηματικὰ ἱστορίᾳ. Ἐκεῖνοι μὲν οὖν ἐάσθωσαν.

bus Hercyniæ ſylvæ, partem montium ipſa quoque complectens: deinde verſus ſeptentrionalem dilatatur uſque ad Tyrigetas. Limites tamen accurate definire non poſſumus. Atque ignoratione horum locorum factum eſt, ut audirentur, qui Riphæos montes & Hyperboreos commenti ſunt: taliaque de ora Oceani mendacia traderet Pytheas Maſſilienſis, præſcriptione uſus narrationis rerum cœleſtium & mathematicarum. Eos igitur miſſos faciamus.

Excerpta ex Pomponio Mela, C. Plinio & C. Julio Solino.

Philippus Cluverius proœmio in Germaniam antiquam.

MELÆ verba in proœmio operis hæc ſunt: *Dicam alias plura & exactius*, nunc *autem ut quæque erunt clariſſima, & ſtrictius.* Breve igitur hoc tantummodo & exiguum compendium. At in tanta brevitate laudandus imprimis geographus: quem ſequi in plærisque haut pigeat. Quanquam in tanta orbis vetuſtate, quis unus omnia exacte tenuerit? &c.

SOLINUS Plinii eſſe epitomator, manifeſtis indiciis deprehenditur; quanquam & ipſe auctores, quibus Plinius uſus, inſpexerit, indeque nonnulla Plinii curæ adjecerit.

Ipſius PLINII accuratam in tanta brevitate diligentiam ſemper miror. Cui uni debemus, quod extremarum orbis terræ partium, non modo in Europa noſtra, ſed & in Aſia & Africa, antiquitatem noſſe datur. Nam imperite faciunt hujus ævi geographi, ac peſſimam maximeque immeritam induſtriæ ejus referunt gratiam, dum ex Ptolomæi & aliorum ignorantia, ſeu incredulitate, mendacem illum in dictis partibus, aut plane fabuloſum fictorem, aut ſaltim vanum Græcorum fabulatorum ſectatorem judicant, fidemque ejus damnant. Horum ipſorum ſupina in iis quæ tanquam geographi profitentur, hoc opere vel ex una immenſæ Scandinaviæ peninſulæ deſcriptione apertiſſimis convincetur documentis. Non minus igitur copioſus rebus quam verbis ſuccinctus geographus Plinius; & optimus inter Latinos, quorum monumenta ad noſtram pervenere ætatem. Nec tamen is eſt qui omnibus partibus ſit abſolutus. Littora ubique fere quam diligentiſſimus certo veroque ordine perſequitur: circa mediterranea haud perinde curioſus. Specimen ejus rei fit in Italia. &c.

Excerpta ex Pomponii Melæ Libro III.

De Situ Orbis.

RHenus ab Alpibus decidens, prope a capite duos lacus efficit, Venetum & Acronium. Mox diu ſolidus, & certo alveo lapſus, haud procul a mari huc & illuc diſpergitur. Sed ad ſiniſtram amnis etiam tum, & donec effluat, Rhenus: ad dexteram primo anguſtus & ſui ſimilis, poſt ripis longe ac late recedentibus, jam non amnis, ſed ingens lacus, ubi campos implevit, Flevo dicitur, ejusdemque nominis inſulam amplexus, fit iterum artior, iterumque fluvius emittitur. Germania, hinc ripis ejus usque ad Alpes: a Meridie ipſis Alpibus: ab Oriente Sarmaticarum confinio gentium: qua Septemtrionem ſpectat, Oceani littore obducta eſt. Qui habitant, immanes ſunt animis atque corporibus, & ad inſitam feritatem vaſte utraque exercent, bellando animos, corpora ad conſuetudines laborum. maximo frigore nudi agunt antequam puberes ſint, & longiſſima apud eos pueritia eſt. viri ſagis velantur, aut libris arborum, quamvis ſæva hyeme. nandi non patientia tantum illis, ſtudium etiam eſt. bella cum finitimis gerunt. cauſas eorum ex libidine accerſunt, neque imperitandi prolatandique quæ poſſident (nam ne illa quidem enixe colunt) ſed ut circa ipſos quæ jacent vaſta ſint. jus in viribus habent, adeo ut ne latrocinii quidem pudeat; tantum hoſpitibus boni, miteſque ſupplicibus. Victu ita aſperi incultique, ut cruda etiam carne veſcantur, aut recenti, aut cum rigentem in ipſis pecudum ferarumque coriis, manibus pedibusque ſubigendo, renovarunt. Terra ipſa multis impedita fluminibus, multis montibus aſpera, & magna ex parte ſilvis ac paludibus invia. Paludum Sueſia, Mœſia, & Melſiagum maximæ. Silvarum Hercynia, & aliquot ſunt quæ nomen habent, ſed illa dierum ſexaginta iter occupans, ut major aliis, ita & notior. Montium altiſſimi Taurus, & Rhetico, niſi quorum nomina vix eſt eloqui ore Romano. Amnium in alias gentes exeuntium Danubius, & Rhodanus: in Rhenum Mœnis & Lupia: in Oceanum Amiſius, Viſurgis, & Albis, clariſſimi. Super Albim Codanus ingens ſinus magnis parviſque inſulis refertus eſt. Hac re mare quod gremio littorum accipitur, nuſquam late patet, nec uſquam mari ſimile, verum aquis paſſim interfluentibus ac ſæpe transgreſſis, vagum atque diffuſum facie amnium ſpargitur: qua littora attingit, ripis contentum inſularum non longe diſtantibus, & ubique pene tantundem, ut anguſtum & par freto: curvanſque ſubinde ſe, longo ſupercilio inflexum eſt. In eo ſunt Cimbri, & Teutoni: ultra ultimi Germaniæ Hermiones.

Excerpta ex C. Plinii Libro IV.

Natural. Hiſtoriæ.

Cap. XII.

INde oſtia Iſtri. Ortus hic in Germaniæ (*M. Nova.*) jugis montis Abnobæ, ex adverſo Raurici (*M. Saurici*) Galliæ oppidi, multis ultra Alpes millibus, ac per innumeras lapſus gentes Danubii nomi-

nomine, immenſo aquarum actu, & unde primum Illyricum alluit Iſter appellatus, novem amnibus receptis, medio ferme numero eorum navigabili, in Pontum vaſtis ſex fluminibus evolvitur. Primum oſtium Peuces, mox ipſa Peuce inſula: a quo proximus alveus appellatus, (*M. appellatur*) xix M. paſſ. magna palude ſorbetur. Ex eodem alveo & ſuper Iſtropolim lacus gignitur, LXIII M. paſſ. ambitu, Halmyrin vocant. Secundum oſtium Naracuſtoma appellatur. Tertium Caloſtoma juxta inſulam Sarmaticam. Quartum Pſeudoſtoma, & inſula Conopon diabaſis. Poſtea Boreoſtoma & Spireoſtoma. (*M. Borioſt. & Stenoſtoma.*) Singula autem ora tanta ſunt, ut prodatur in xi milia paſſ. longitudinis vinci mare, dulcemque intelligi hauſtum. Ab eo in plenum (*M. in plana.*) quidem omnes Scytharum ſunt gentes: variæ tamen littori appoſita tenuere, alias Getæ, Daci Romanis dicti, alias Sarmatæ, Græcis Sauromatæ, eorumque Hamaxobii aut Aorſi, (*MS. Caſi*) alias Scythæ degeneres & a ſervis orti, aut Troglodytæ: mox Alani & Roxalani. Superiora autem inter Danubium & Hercynium ſaltum, usque ad Pannonica hyberna, Carnunti, Germanorumque ibi confinium. Campos & plana Iazyges Sarmatæ, montes vero & ſaltus pulſi ab his Daci, ad Pathiſſum amnem, a Moro, ſive is Duria eſt, a Suevis regnoque Vanniano dirimens eos. Averſa Baſtarnæ tenent, aliique inde Germani. Agrippa totum eum tractum ab Iſtro ad Oceanum bis ad decies centum millia M. paſſ. in longitudinem, quantum minus quadringentis in latitudinem, ad flumen Viſtulam (*Alii: ad bis decies cent. m. p. t. l. IV. mill. minus cccc. inlati ad fl. Viſt.*) a deſertis Sarmatiæ, prodidit. Scytharum nomen usque quaque tranſit in Sarmatas atque Germanos. Nec aliis priſca illa duravit appellatio, quam qui extremi gentium harum, ignoti prope cæteris mortalibus, degunt.

Cap. XIII.

Incipit inde clarior aperiri fama ab gente Ingævonum, quæ eſt prima inde Germaniæ. (*M. I. q. e. prima: inde Germania.*) Sevo mons ibi immenſus, nec Riphæis jugis minor, immanem ad Cimbrorum usque promontorium efficit ſinum, qui Codanus vocatur; refertus inſulis. Quarum clariſſima Scandinavia eſt, incompertæ magnitudinis; portionem tantum ejus, quod ſit notum, Hillevionem gente quingentis incolente pagis, quæ alterum orbem terrarum eam appellat. Nec eſt minor opinione Eningia. Quidam hæc habitari ad Viſtulam (*Ms. Viſel*) usque fluvium, a Sarmatis, Venedis, Scyris, Hirris tradunt: Sinum Clylipenum (*M. Cylipen.*) vocari, & in oſtio ejus inſulam Latrin: mox alterum ſinum Lagnum, conterminum Cimbris. Promontorium Cimbrorum excurrens in maria longe peninſulam efficit, quæ Cartris appellatur. XXIII inde (*M. xx. m. paſſ. Ind.*) inſulæ Rom. armis cognitæ. Earum nobiliſſimæ, Buchana, Fabaria a noſtris dicta, a frugis ſimilitudine ſponte provenientis. Item Gleſſaria a ſuccino militiæ appellata, a Barbaris Auſtrania. Præterque Actania. Toto autem hoc mari ad Scaldin usque fluvium Germanicæ accolunt gentes. Haud explicabili menſura: tam immodica prodentium diſcordia eſt. Græci & quidam noſtri xxv M. paſſ. oram Germaniæ tradiderunt. Agrippa cum Rætia & Norico longitudinem DCLXXXVI M. paſſuum, latitudinem CCLXVIII M.

Cap. XIV.

Rætiæ prope unius majore latitudine: ſane circa exceſſum ejus ſubactæ. Nam Germania multis poſtea annis nec tota percognita eſt. Si conjectare permittitur; haud multum oræ deerit Græcorum opinioni, & Longitudini ab Agrippa proditæ. Germanorum genera quinque Vindili: (*M. Vandili.*) quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones. (*M. Gottones.*) Alterum genus Ingævones: quorum pars Cimbri, Teutoni, ac Cauchorum gentes. Proximi autem Rheno Iſtævones: quorum pars Cimbri mediterranei. Hermiones: quorum Suevi, Hermunduri, Chatti, Cheruſci. Quinta pars Peucini, Baſtarnæ, ſupradictis contermini Dacis. Amnes clari in Oceanum defluunt, Guttalus, Viſtillus ſive Viſtula, Albis, Viſurgis, Amiſius, Rhenus, Moſa. Introrſus vero, nulli inferius nobilitate, Hercynium jugum prætenditur.

Cap. XV.

In Rheno ipſo, prope centum millia paſſ. in longitudinem, nobiliſſima Batavorum inſula & Canine fatum, & aliæ Friſiorum, Cauchorum, Friſiabonum, Sturiorum, (*M. Tuſiorum.*) Marſatiorum, quæ ſternuntur inter Helium ac Flevum. Ita appellantur oſtia in quæ effuſus Rhenus ab ſeptentrione in lacus, ab occidente in amnem Moſam ſe ſpargit: medio inter hæc ore, modicum nomine ſuo cuſtodiens alveum.

Cap. XVI.

Sunt & qui alias inſulas prodant: Scandiam, Dumnam, Bergos, maximamque omnium Nerigon, ex qua in Thulen navigetur. A Thule unius diei navigatione Mare concretum: a nonnullis Cronium appellatur.

Cap. XVII.

Gallia omnis Comata uno nomine appellata, in tria populorum genera dividitur, amnibus maxime diſtincta. A Scaldi ad Sequanam Belgica. Ab eo ad Garumnam Celtica, eademque Lugdunenſis. Inde ad Pyrenæi montis excurſum Aquitania, Aremorica ante dicta. Agrippa univerſarum Galliarum in Rhenum & Pyrenæum atque Oceanum ac montes Gebennam & Iuram, quibus Narbonenſem Galliam excludit, longitudinem CCCCXX M. paſſ. latitudinem CCCXIII computavit. A Scaldi incolunt extera Toxandri pluribus nominibus; deinde Menapii, Morini, Oromanlaci juncti pago qui Geſſoriacus vocatur, Britanni, Ambiani, Bellovaci, Haſſi: (*M. Baſi.*) introrſus

Caſto-

Caſtologi, Atrebates, Nervii liberi, Veromandui, Sueconi, Sueſſiones liberi, Vlbanectes liberi, Tungri, Rinuci, Friſiabones, Betaſi, Leuci liberi, Treveri liberi antea, & Lingones fœderati, Remi fœderati, Mediomatrici, Sequani, Raurici, Helvetii, Coloniæ Equeſtris & Rauriaca. Rhenum autem accolentes Germaniæ gentium in eadem provincia, Nemetes, Tribochi, Vangiones: hinc Vbii, Colonia Agrippinenſis, Gugerni, Batavi, & quos in inſulis diximus Rheni.

Caji Julii Solini Polyhiſtor.

Cap. XIX.

De Inſulis Scythicis. De Oceano Septentrionali. De ſpaciis inter Scythas & Indos. De formis hominum.

INſula Apollinitarum LXXX millibus paſſuum abeſt a Boſporo Thracio citra Iſtrum ſita; ex qua Lucullus Apollinem Capitolinum nobis extulit. Ante Boriſthenem Achillis inſula eſt, cum æde ſacra: quam ædem nulla ingreditur ales. & quæ forte advolaverit raptim fuga properat. Oceanum Septentrionalem, ex parte qua a Paropaniſo amne Scythiæ alluitur, Hecatæus Amalchium appellat; quod gentis illius lingua ſignificat congelatum. Philemon a Cimbris ad Promontorium Rubeas Morimaruſam dicit vocari: hoc eſt Mortuum mare. Vltra Rubeas id quicquid eſt, Cronium nominant. Mare autem Caſpium, ex altero Ponti latere, ultra Meſſagetas & Apalæos Scythas, eſſe in Aſiatica plaga dulce hauſtu, Alexandro M. probatum eſt mox Pompejo M. qui bello Mithridatico, ſicut commilito ejus Varro tradit, ipſis hauſtibus periclitari fidem voluit. Id evenire produnt e numero fluminum: quorum tanta copia ibi confluit, ut naturam maris vertant. Non omiſerim quod per idem tempus eidem Magno licuit: ex India diebus octo ad Bactros, usque Dalerum flumen quod influit Oxum amnem, perveniri: deinde in mare Caſpium, inde per Caſpium ad Cyri amnis penetrari fluentum, qui & Iberiæ Armeniæ fines interluit. Itaque a Cyro, diebus non amplius quinque itinere terreno ſubvectis navibus, ad alveum Phaſidis pertendi. per cujus excurſus in Pontum usque Indos advehi, liquido probatum eſt. Auctor eſt Xenophon Lampſacenus, littore Scytharum in inſulam Abalciam triduo navigari: ejus magnitudinem immenſam, & pæne ſimilem continenti: nec longe Ozones ſeparari; quas qui habitent, vivant ovis avium marinarum, & avenis vulgo naſcentibus: perinde alias propter conſtitutas æque inſulas, quarum Hippopodes indigenæ humana usque ad veſtigium forma in equinos pedes deſinunt: eſſe & Phanneſiorum, quorum aures adeo in effuſam magnitudinem dilatentur, ut viſcerum reliqua illis contegant, nec amiculum aliud ſit, quam ut membra membranis aurium veſtiant.

Cap. XX.

Germania, in ea de avibus Hercyniis, de biſontibus, de Vris, de Alce; item de Alce Gangavia inſula, de Succino, de Callaico lapide. de Ceraunio albo.

Mons ipſe ingens, nec Ripæis minor collibus, initium Germaniæ facit. Inguæones tenent, a quibus primis poſt Scythas nomen Germanicum conſurgit. Dives virorum terra, frequens populis numeroſis & immanibus. Extenditur inter Hercynium ſaltum & rupes Sarmatarum. Vbi incipit, Danubio, ubi deſinit Rheno perfunditur. De internis ejus partibus, Albis, Guthalus, Viſtula, amnes latiſſimi, præcipitant in Oceanum. Saltus Hercynius aves alit, quarum pennæ per obſcurum emicant, & interlucent, quamvis denſa nox edenſet tenebras. Inde homines plerumque nocturnos excurſus ſic deſtinant, ut illis utantur ad præſidium itineris dirigendi, præjactisque per opaca callium rationem vitæ moderentur indicio plumarum refulgentium. In hoc tractu ſane, & in omni ſeptentrionali plaga, biſontes frequentiſſimi: qui bovis feri ſimiles, ſetoſi colla, jubas horridi, ultra tauros pernicitate, capti aſſueſcere manu neſciunt. Sunt & Uri, quos imperitum vulgus vocat Bubalos: cum Bubali pene ad cervinam faciem procreentur in Africa. Iſtis porro quos uros dicimus taurina cornua in tantum modum protenduntur, ut dempta ob inſignem capacitatem inter regias menſas potuum geruta fiant. Eſt & Alces mulis comparanda, adeo propenſo labro ſuperiore, ut niſi recedens in poſteriora veſtigia, paſci non queat. Gangavia inſula a regione Germaniæ mittit animal, quale Alces. Sed cujus ſuffragines, ut Elephantis, flecti nequeunt. Propterea non cubat: cum dormiendum eſt, tamen ſomnolentam arbor ſuſtinet, quæ ad prope caſuram ſecatur, ut fera dum aſſuetis fulcimentis innititur faciat ruinam. Ita capitur: alioqui difficile eam mancipari: nam in illo rigore poplitum incomprehenſibili fuga pollet. De Germanicis inſulis Gangavia maxima eſt: ſed nihil in ea magnum præter ipſam. Nam Gleſaria dat Cryſtallum, dat & Succinum, quod ſuccinum Germani gentiliter vocant glæſum. Qualitas materiæ iſtius ſummatim antea, Germanico autem Cæſare omnes Germaniæ oras ſcrutante, comperta. Arbor eſt pinei generis; cujus mediale autumni tempore ſuccino lacrymat. Succum eſſe arboris de nominis ſignificatione capeſſas: verum unde profluit, ſi uſſeris, odos indicabit. Pretium operæ eſt ire longius, ne Padanæ ſylvæ credantur lapidem fleviſſe. Hanc ſpeciem in Illyricum barbari intulerunt: quæ cum per Pannonica commercia uſu ad Transpadanos homines foret devoluta, quod ibi primum noſtri viderant, ibi etiam natam putaverunt. Munere Neronis principis apparatus omnis ſuccino inornatus eſt: nec difficulter, cum per idem tempus XIII millia librarum Rex Germaniæ donum ei miſerit. Rude primum naſcitur & corticoſum, deinde incoctum adipe lactentis ſuis expolitur ad quem videmus nitorem. Pro facie habet nomina: Melleum dicitur & Falernum: utrumque de ſimilitudine aut vini aut utique mellis. In aperto eſt, quod rapiat folia, quod

trahat paleas: quod vero medeatur multis vitalium incommodis, medentium docuit diſciplina. Et India habet ſuccinum, ſed Germania plurimum optimumque. Quoniam ad Inſulam Gleſſariam veneramus, a ſuccino cæptum. Nam in Germaniæ continentibus Callaica reperitur, quam gemmam Arabicis anteponunt; vincit enim gratia Arabes. Quidam dicunt, non alibi eam deprehendi, quam in nidis avium, quas melancoryphos vocant: quod nullus recepit, cum apud Germaniæ populos, quamvis rara, in ſaxis tamen pareat. Honore & pretio ad Smaragdos, viret pallidum, jucundius aurum decet. Cerauniorum porro genera diverſa ſunt. Germanicum candidum eſt: ſplendet tamen cærulo, & ſi ſub divo habeas fulgorem rapit ſiderum.

Excerpta ex Claudio Ptolemæo.

Marcus Velſerus rerum Auguſtanarum Vindelicarum Libro I.

QVin igitur, quod res eſt, Ptolemæi peccatum agnoſcimus libere. Volens lubens fateor, nihil a quoquam de Ptolemæo tam magnifice & ſplendide dictum, quin ejus excellens ingenium & ſolers induſtria omnia exuperet: perſpectum tamen habeo, multa hoc tantum ingenium latuiſſe, multa induſtriam ſubterfugiſſe. Neque mirabitur, qui conditionem rerum quas explicandas ſumpſit, univerſi orbis, tum univerſam, tum privatas deſcriptiones, poſuerit ob oculos. Si ipſe redivivus detur, cenſuram ultro agniturum, atque inconſideratam eorum levitatem, ſi qui ſunt, qui aliter fieri potuiſſe perſuaſum habent, riſurum exiſtimo. Quot liceat illius errores manifeſtos colligere, ab iis qui Germanica, Gallica, Hiſpanica, Britannica ſcripſere, obſervatos? Quoties hominem Alexandrinum in Italiæ deſcriptione, qua una propter Imperii ſedem nihil illuſtrius, ſuggillant? Exempli loco non prætereo. Apud Græcos Athaliam, apud Latinos Iluam inſulam, Italiæ adjacere legerat; duas credidit, quæ revera una eadem eſt, binomia Plinio (*lib. 9. cap. 3.*) teſte, & uti credidit in tabulas retulit. Neque diſſimulo, eundem in Strabone errorem, niſi codex corruptus, quem interpres eo loco alias ſuſpectum habet: nam & mihi vix fit credibilis, in homine qui ſe Corſicam, Sardiniam, Athaliam ſuis oculis vidiſſe, alibi teſtatum reliquerit. Sed quidquid hujus ſit, quidquid etiam Ptolemæus in reliquis provinciis vel recte vel perperam deſcripſerit, horum quæ in Alpibus & trans Alpes ſunt, imperitisſimum fuiſſe, palam eſt. Nec quisquam tam inepte ejus fautor, quin fateri neceſſe habeat. Liquido affirmare auſim, nullum eſſe ab Alpibus ad Danubium flumen, nullum populum, nullam urbem, in cujus deſcriptione multis paſſuum millibus non aberrarit; ſive metiendi rationem quæ ab occidente in orientem geographis longitudo, ſive alteram quæ a meridie ad ſeptentrionem latitudo eſt, reſpicimus.

Paulus Merula præfatione in Geographiam.

Ptolomæum frequenter adibam; ſed faſtidium movebant non pauca. Animadvertebam plurima magno auctori ſcripta eſſe ab auditu, & ex aliorum (qui ſæpe fallunt, quorumque, cum quæ viſa narrant, verba nonnunquam non bene capiuntur) fide: eamque ob cauſam ipſius Geographica, ex alieno concinnata relatu, maleque & inemendate ſcripta, innumeris deformata eſſe erroribus; multa item, quæ aliis nominatisſima, negligenter in iis omiſſa; multa ſequiorem nacta eſſe ſtationem, & extra verum locata ſitum; multa dubiam adepta nomenclaturam; infinita non ſuis tributa populis vel regionibus; plurima denique cum ab aliis, tum ab ſeipſo, & alibi dictis, diſſentientia. Probetur hoc, quis petit? Tædium lectorem necaret. Unam Italiæ (qua, præter patriam, vix alia ipſi, transmiſſo magno mari, vicinior) regionem inſpice Picenum: ibi duorum, qui nobilisſimi, fluviorum, Metauri & Iſauri, nullam facit mentionem. Idem in Gallia Ciſpadana Padi fluminis caput ad Larium deſcribit lacum; quod vere, ſenſu docente, meisque oculis teſtantibus, in Veſulo monte. Idem in Tabulis Anſanum, Samnitium opidum, cis Sarum in Frentanis collocare videtur; in pictura vero trans eumdem amnem in Pelignis. Tanto ſcilicet Ptolemæus certiora ſuis elucubrationibus expresſit, nobisque reliquit, quanto cujusque rei meliores habuit teſtes; tanto autem incertiora, quanto pejores. Ideoque ſubinde vel ex aliis, cum antiquioribus, tum recentioribus, vel ex membranis, caſtigandus, ſupplendus, transformandus.

Philippus Cluverius præfatione in Germaniam antiquam.

In his primus ſit PTOLEMÆVS: quem principem vulgo habent noſtri homines omnium geographorum; quemque unum præ omnibus reliquis ſequendum exiſtimant, atque ex hoc reliquos, qui diſſentiunt ab eo, corrigendos. Nullam equidem aliam ob cauſam, quam quod is unus tabulas operi ſuo geographicas adjecit, in quibus ſingula loca, id eſt, oppida, montes, promontoria, ſinuum receſſus, & fluminum fontes oſtiaque in ſuos deſcripta ſunt latitudinis longitudinisque gradus. Qua re mens auctoris, quaſi ob oculos poſita, clare ac diſerte legentibus perſpicitur; quum e diverſo Strabo, Mela, Plinius & alii, ſine ejusmodi tabulis haud facile a quovis intelligantur, meraque videantur ænigmata, & inexplicabiles narrare Sphyngas. Verum libere uti dicere liceat, quod ſincere judico; Ptolemæum ego uti eximium fuiſſe mathematicum conceſſerim, ſic parum peritum in plerisque geographum pronunciaverim: niſi forte bonum probumque geographum eum eſſe contendas, qui nationum, fluminum, montium oppidorum, portuum ac littorum nomina recenſere ſcivit, licet alienisſimis falsisſimisque ſitibus. Vnam ejus introſpiciamus Europam; & in hac propinquiorem nobis notioremque videamus terram Galliam: in qua quid ſani, quid integri habeat, haud ego equidem video, &c.

Sed

Sed omneis ejus errores, quos in una hac Gallia commiſit, longum foret atque incommodum hoc loco recitare. In Rheni citeriore ripa, id eſt, in Germania Ciſrhenanâ, quam turpiter multipliciterque ſit lapſus, item Tranſrhenanam Germaniam quam miſere turbaverit omnem, noviſſima vetuſtiſſimis ima ſummis mirifice confundens, cuivis hoc noſtrum opus, quo Germaniam deſcriptum imus, legenti quam lucidiſſime liquebit. Sed quid ego longinquiora hæc a Peluſio, patria ipſius, & ſeptemtrionis ultima memorem; quum ex proximis de remotioribus judicare liceat. Cyprum inſulam vide. Hujus Strabo eam nobis reliquit deſcriptionem, uti ſitui & figuræ, quam eam habere ſatis hodie nobis compertum eſt, quam maxime conveniat. At longe diverſus ab hoc Ptolemæus; non ſolummodo in littoribus, promontoriis, intimis ſinuum receſſibus, ſed & in opidorum ſitu ac ordine. In his igitur tam fœde ſi erravit, quæ Nili oſtiis & Peluſio fuere proxima, quid tu jam ei in Hiſpania, quid in Britannia, quid in Sarmatia & Scythia credas? Næ illi quam longiſſime cum ipſo erraverint, qui in Britannia atque Hibernia ex aſſe quam religioſiſſime eum ſequuntur. Immenſam illam peninſulam Scandinaviam, quam inſulam veteres crediderunt, Norvagiam Suediam Finnomarchiam & alias regiones comprehendentem, in quam exiguam contraxerit inſulam, quaſi compendium illius exhibiturus, operis hujus de Germania lib. 3. patebit.

Excerpta ex Claudii Ptolemæi geographiæ Libro II.

Cap. XI.

Germaniæ magnæ ſitus.

Τῆς Γερμανίας, τὴν μὲν δυσμικὴν πλευρὰν, ἀφορίζει ὁ Ῥῆνος ποταμός. τὴν δὲ ἀρκτικὴν ὁ Γερμανικὸς ὠκεανός. ἡ περιγραφὴ ἔχει οὕτως.

Μετὰ τὰς τοῦ Ῥήνου ἐκβολάς. αἳ ἐπέχουσι μοίρας
κη νδ

Μαναρμανὶς λιμὴν, (*Palatin.*) μαρμ. κη νδ Ꮭ′ δ
Οὐίδρου ποτ. ἐκβολαί. κη Ꮭ′ νδ γ
Ἀμασίου ποτ. ἐκβολαί κθ νε
Αἱ πηγαὶ τοῦ ποτ. λϐ νβ
Οὐισούργιος ποτ. ἐκβολαί, λα νε δ
Αἱ πηγαὶ τοῦ ποτ. λδ νβ Ꮭ′
Ἄλβιος ποτ. ἐκβολαί λα νς δ
Αἱ πηγαὶ τοῦ ποτ. λθ ν

ΚΙΜΒΡΙΚΗΣ ΧΕΡΣΟΝΝΗΣΟΥ.

Ἡ μετὰ τὸν Ἄλβιν ἐξοχή λϐ νς Ꮭ′ γ
Ἡ ἐφεξῆς ἐξοχή. λε νη γ
* * *
Ἡ ἔτι ἐφεξῆς καὶ ἀρκτικωτάτη
λθ γο νη ς
Τὸ ἀνατολικώτατον αὐτῆς μδ νθ Ꮭ′
Ἡ μετὰ τὴν ἐξοχὴν, πρώτη ἐξοχή.
λθ γ νη δ
Ἡ ὑπὸ ταύτην ἐφεξῆς λζ νζ
Ἡ πρὸς ἀνατολὰς ἐπιστροφή λε νς
Χαλούσου ποτ. ἐκβολαί λζ νς
Σουήβου ποτ. ἐκβολαί λθ Ꮭ′ νε
Οὐιάδου ποτ. ἐκβολαί μϐ ς νς
Οὐιστούλα ποτ. ἐκβολαί με νς
Ἡ κεφαλὴ τοῦ ποτ. μδ νϐ Ꮭ′
Ἡ ἀπὸ δυσμῶν αὐτῆς, καὶ ἐπὶ τὸν Ἄλβιν φέρουσα
μ ς νϐ γο

Τὴν δὲ μεσημβρινὴν πλευρὰν ὁρίζει τοῦ Δανουβίου ποτ. τὸ δυσμικὸν μέρος ὃ θέσιν ἔχει τοιαύτην.
Ἡ κεφαλὴ τοῦ Δανουβίου ποταμοῦ λ με γ
Τὸ κατὰ τὴν ἐκτροπὴν τοῦ εἰς τὴν Γερμανίαν πρώτου ποταμοῦ. λϐ μζ δ
Τὸ κατὰ τὴν ἐκτροπὴν τοῦ πρὸς μεσημβρίαν φέροντος ποτ. ὃς καλεῖται
Αἶνος λδ μζ γ
Τὸ κατὰ τὴν ἐκτροπὴν τοῦ πρὸς τὰς ἄρκτους φερομένου δευτέρου ποταμοῦ, ὡς ἐπὶ τὴν Γαβρῆταν ὕλην
λς με γο
Τὸ κατὰ τὴν ἑξῆς ἐκτροπὴν τοῦ παρὰ τὴν Λοῦναν ὕλην πρὸς ἄρκτους ῥέοντος ποτ.
λθ γ μζ γ
Ἐφεξῆς ἐπιστροφὴ ἀφ᾽ ἧς ἐστιν ἡ ἐκτροπὴ τοῦ πρὸς με-

Germaniæ latus OCCIDENTALE Rhenus terminat, SEPTENTRIONALE vero Germanicus Oceanus. Cujus deſcriptio ſic ſe habet.

Poſt Rheni fluvii oſtia quæ habent gradus
28 54 0

Manarmanis portus (*Pal. Marman.*) 28 54 45
Vidri fluvii oſtia 28 30 54 20
Amaſii fluvii oſtia 29 55 0
Fontes fluvii 32 52 30
Viſurgis fluvii oſtia 31 55 15
Fontes fluvii 34 32 30
Albis fluvii oſtia 31 56 16
Fontes fluvii 39 50 0

CIMBRICÆ CHERSONESI.

Extenſio quæ poſt Albim flu. eſt 32 56 50
Extenſio quæ ſubſequitur 35 58 20
Quæ etiam ſubſequitur 38 50 58 50
Quæ etiam ſequitur, & maxime Septentrionalis eſt 39 59 30
Pars ejus maxime orientalis 40 15 59 30
Poſt eam extenſionem prima extenſio verſus Occidentem 39 20 58 15
Quæ deinde ſubſequitur 37 57 0
Ad ortum flexio 35 56 0
Chaluſi fluvii oſtia 37 56 0
Suevi fluvii oſtia 32 30 59 0
Viadi fluvii oſtia 42 10 56 0
Viſtulæ fluvii oſtia 45 56 0
Fluvii caput 44 12 30
Quæ ab occaſu ipſius ad Albim fluvium ducit
40 10 52 40

MERIDIANVM autem latus terminatur parte Occidentali fluvii Danubii ſic
Danubii caput 30 46 20
Quod apud divertigium eſt in Germaniam primi fluminis 32 47 15
Quod juxta divertigium eſt ad meridiem ferentis fluminis, qui appellatur
AEnus 34 47 7
Quod penes divertigium eſt ad Arctos ferentis ſecundi fluvii quaſi ad ſylvam Gabretam
36 46 40
Quod penes ſubſequens eſt divertigium apud Lunam ſylvam ad arctos fluente fl.
39 20 47 20
Reliqua converſio, apud quam eſt divertigium

Digitized by Google

σημβρίαν ῥέοντ@ ποτ. ὃς καλεῖται Ναραβών μα μζ γο

Ἡ *κατὰ Κύρταν καμπή* μβ μζ

Ἡ *ἐφεξῆς ἐπιστροφὴ κατὰ Κάρπιν, καὶ ἀρκτικωτάτη πασῶν* μβ L' μη

In Græcis codicibus hactenus nobis viſis multa hic deſunt. Neceſſe eſt interpres pleniùs exemplar ſecutus ſit. Sed & aliis in locis non ſine ratione diſſidet interdum a Græcis quæ habemus.

Τὴν δὲ ἀνατολικὴν πλευρὰν ὁρίζει ἡ ἀπὸ τῆς εἰρημένης ἐπιστροφῆς πρὸς τὰ ὑπερκείμενα Σαρμάτικα ὄρη διάστασις.

Ἧς τὸ μὲν νότιον πέρας ἐπέχει μοίρας. μβ L' μη L'

Τὸ δὲ βόρειον. μγ L' ν L'

Καὶ ἡ μετὰ τὰ ὄρη ἐπὶ τὴν εἰρημένην κεφαλὴν τοῦ Οὐϊστούλα ποταμοῦ. καὶ ἔτι αὐτὸς ὁ ποταμὸς ἕως θαλάσσης.

Τῶν δὲ διαζωννύντων τὴν Γερμανίαν ὀρέων ὀνομαστότατά ἐστι τά τε εἰρημένα, καὶ ἰδίως καλούμενα Σαρματικά, καὶ τὰ ὁμώνυμα ταῖς Ἄλπεσι, καὶ ὑπὲρ τὴν κεφαλὴν τοῦ Δανουβίου.

Ὧν τὰ ἄκρα ἐπέχει μοίρας λα μθ καὶ λα νβ

Καὶ τὰ καλούμενα Αἰνόβα, ὧν τὰ ἄκρα ἐπέχει μοίρας. λα μθ καὶ λα νβ

Καὶ τὸ Μηλίβοκον ὄρ@, οὗ τὰ πέρατα ἐπέχει μοίρας λγ νβ L' καὶ λζ νβ L'

Ὑφ' ὃ ἐστὶ ἡ Σημανὰ ὕλη. Καὶ τὸ Ἀσκιβούργιον. οὗ τὰ πέρατα ἐπέχει μοι λθ νδ καὶ μδ νβ L'

Καὶ ἔτι τὰ καλούμενα Σούδητα ὄρη. ὧν τὰ ἄκρα ἐπέχει μοι λ δ ν καὶ μ ν

Ὑφ' ἃ ἐστιν ἡ Γάβρητα ὕλη, ὧν μεταξὺ καὶ τῶν Σαρματικῶν ἐστιν ὁ Ὀρκύνι@ δρυμός

Κατέχουσι δὲ τῆς Γερμανίας. τὰ μὲν παρὰ τὸν Ῥῆνον ποταμὸν ἀρχομένοις ὑπ' ἄρκτον.

Οἵ τε ΒΟΥΣΑΚΤΕΡΟΙ οἱ ΜΙΚΡΟΙ. Καὶ οἱ ΣΥΓΓΑΜΒΡΟΙ.

Ὑφ' οὓς οἱ ΣΟΥΗΒΟΙ ΛΑΓΓΟΒΑΡΔΟΙ. Εἶτα ΤΙΓΓΡΟΙ.

Καὶ ΙΓΓΡΙΩΝΕΣ. μεταξὺ τε Ῥήνου, καὶ τῶν Αἰνοβαίων ὀρέων.

Καὶ ἔτι ΙΝΤΟΥΕΡΓΟΙ.

Καὶ ΟΥΑΡΓΙΩΝΕΣ.

Καὶ ΚΑΡΙΤΝΟΙ.

Ὑφ' οὓς ΟΥΙΣΠΟΙ.

Καὶ ἡ τῶν ΕΛΟΥΗΤΙΩΝ ΕΡΗΜΟΣ, μέχρι τῶν εἰρημένων Ἀλπίων ὀρέων.

Τὴν δὲ παρωκεανῖτιν κατέχουσιν, ὑπὲρ μὲν τοὺς Βουσακτέρους, οἱ ΦΡΙΣΣΙΟΙ. μέχρι τοῦ Ἀμισίου ποταμοῦ.

fluminis ad meridiem fluentis, qui vocatur Nabaron 41 47 40

Flexio quæ apud Curtam eſt 42 47 0

Reliqua converſio per Carpen, & omnium borealiſſima eſt 42 30 48 0

Flexus alius 43 48 0

Alia flexio 44 40 45 40

Alia converſio 45 55

Alia 45 44 30

Divertigium Abiſti fluvii cum Danubio 46 44 15

Poſtea Danubius flectitur ad Auſtrum divertigium Catarabonis fluvii, qui ad Daciam fertur 49 43 30

Pars quæ juxta divertigium eſt, Adlutan amnis, qui ad Septentrionem cum impetu vectus Daciam dividit 50 4 40

Flexio juxta Oeſtum 51 44 0

Flexio juxta Axium civit. & hinc usque ad oſtia vocatur Iſter 45 20 45 45

Flexio juxta Diogeniam civitatem 43 46 40

Oſtia vero quo ordine ſe habeant, infra dicetur, ubi agetur de Myſia inferiore.

ORIENTALE autem latus terminat diſtantia quæ fit a flexu præfato ad ſuperiacentes Sarmatarum montes

Quorum finis auſtralis gradus habet 42 30 48 30

Septentrionalis vero 43 30 50 30

Præterea, diſtantia quæ eſt poſt montes ad dictum caput Viſtulæ fluvii, & ipſe etiam fluvius usque ad mare.

MONTES autem qui Germaniam cingunt notiſſimi ſunt, tum hi qui jam ſunt dicti, tum Sarmatici proprie appellati, & idem cum Alpibus nomen habentes, & qui ſupra caput Danubii ſunt

Quorum extrema gradus habent 29 47 & 33 48 39

Præterea qui vocantur Aunobæ, quorum extrema habent gradus 31 49 & 31 52

Ac mons Melibocus cujus fines 33 52 30 & 37 52 30

Sub iis Semana eſt ſylva, & Aſciburgium, cujus fines habent 39 54 & 44 52 30

Ac montes Sudeti appellati, quorum extrema gradus habent 35 50 & 40 50

Sub quibus eſt Gabreta ſylva, inter quam & Sarmatarum montes Hercynia eſt ſylva.

TENENT autem Germaniam quod circa Rhenum fluvium incipit a parte Septentrionali

BVSACTERI appellati PARVI ac SYCAMBRI

Sub quibus SVEVI LANGOBARDI. Poſtea TINGRI

Et INGRIONES, inter Rhenum & montes Abnobæos.

Præterea INTVERGI.

Et VARGIONES.

Et CARITHNI.

Sub quibus VISPI.

Et ELVETIORVM EREMVS usque ad dictos Alpium montes.

Partem vero quæ ſecus Oceanum eſt habitant ſupra Bujactores, PHRISSII, usque ad Amiſium fluvium.

Μετὰ

Μετὰ δὲ τούτους ΚΑΥΧΟΙ οἱ μικρόι, μέχρι τοῦ Οὐϊσούργιος ποταμοῦ.	Poſt hos CAVCHI, qui appellantur PARVI usque ad fluvium Viſurgim.
Εἶτα ΚΑΥΧΟΙ οἱ ΜΕΙΖΟΥΣ, μέχρι τοῦ Ἄλβιος ποτ.	Poſt hos CAVCHI MAJORES dicti, usque ad Albim fluvium.
Ἐφεξῆς δὲ ἐπὶ τὸν αὐχένα τῆς Κιμβρικῆς Χερσονήσου, ΣΑΞΟΝΕΣ.	Deinde ſupra dorſum Cimbricæ Cherſoneſi SAXONES.
Αὐτὴν δὲ τὴν Χερσόνησον, ὑπὲρ μὲν τοὺς Σάξονας ΣΙΓΟΥΛΩΝΕΣ ἀπὸ δυσμῶν.	Ipſam autem Cherſoneſum ſupra Saxones ab occaſu SIGVLONES.
Εἶτα ΣΑΒΑΛΛΙΝΓΙΟΙ.	Poſtea SABALINGII
Εἶτα ΚΟΒΑΝΔΟΙ.	Poſt COBANDI
Ὑπὲρ οὓς ΧΑΛΟΙ.	Supra quos CHALI
Καὶ ἔτι ὑπὲρ τούτους δυσμικώτεροι μὲν ΦΟΥΝΔΟΥΣΙΟΙ.	Et ſuper iis quoque magis quidem occidentales ſunt PHVNDVSII,
Ἀνατολικώτεροι δὲ ΧΑΡΟΥΔΕΣ.	Magis vero orientalis CHARVDES
Πάντων δὲ ἀρκτικώτεροι ΚΙΜΒΡΟΙ.	Omnium autem maxime Septentrionales CIMBRI.
Μετὰ δὲ τοὺς Σάξονας ἀπὸ τοῦ Χαλούσου ποταμοῦ, μέχρι τοῦ Συήβου ποταμοῦ ΦΑΡΟΔΗΝΟΙ.	Poſt Saxones vero a Chaluſo fluvio usque ad Suevum fluvium tenent PHARODENI.
Εἶτα ΣΙΔΗΝΟΙ, μέχρι τοῦ Ἰαδούα ποταμοῦ.	Poſt SIDENI, usque ad Viadum fluvium
Καὶ ὑπ' αὐτοὺς ΡΟΥΤΙΚΛΕΙΟΙ, μέχρι τοῦ Οὐϊστούλα ποταμοῦ.	Sub ipſis RVTICLII, usque ad fluvium Viſtulam.
Τῶν δὲ ἐντὸς καὶ μεσογείων ἐθνῶν μέγιστα μέν ἐστι τό, τε τῶν ΣΥΗΒΩΝ τῶν ΑΓΓΕΙΛΩΝ, οἵ εἰσιν ἀνατολικώτεροί των Λογγοβάρδων, ἀνατείνοντες πρὸς τὰς ἄρκτους μέχρι τῶν μέσων τοῦ Ἄλβιος ποταμοῦ.	Interiores autem atque mediterraneæ gentes maximæ ſunt SVEVI ANGELI, qui magis Orientalis ſunt quam Longobardi protenſi ad Septentrionem usque ad medium Albis fluvii.
Καὶ τὸ τῶν ΣΥΗΒΩΝ τῶν ΣΕΜΝΟΝΩΝ, οἵ τινες διήκουσι μετὰ τὸν Ἄλβιν ἀπὸ τοῦ εἰρημένου μέρους πρὸς ἀνατολάς, μέχρι τοῦ Συήβου ποταμοῦ.	Tum SVEVI SEMNONES, qui habitant poſt Albim a præfata parte verſus ortum, usque ad Suevum fluvium.
Καὶ τὸ τῶν ΒΟΥΓΟΥΝΤΩΝ τὰ ἐφεξῆς, καὶ μέχρι τοῦ Οὐϊστούλα κατεχόντων.	Præterea qui protenduntur ad Buguntas, qui cætera tenent, quæ inde ſubſequuntur usque ad Viſtulam.
Ἐλάσσονα δὲ ἔθνη καὶ μεταξὺ κεῖνται. Καυχῶν μὲν τῶν μικρῶν καὶ τῶν Συήβων ΒΟΥΣΑΚΤΕΡΟΙ οἱ μείζους.	Minores autem gentes & inter Cauchos parvos atque Suevos jacent, BVSACTERI, qui MAJORES nominantur.
Ὑφ' οὓς ΧΑΙΜΑΙ.	Sub quibus ſunt CHÆMÆ.
Καυχῶν δὲ τῶν μειζόνων καὶ τῶν Συήβων ΑΝΓΡΙΟΥΑΡΙΟΙ.	Inter Cauchos autem majores ac Suevos adjacent ANGRIVARII.
Εἶτα ΛΑΚΚΟΒΑΡΔΟΙ.	Poſt LACCOBARDI.
Ὑφ' οὓς ΔΟΥΛΓΟΥΜΝΙΟΙ.	Sub quibus DVLGVMNII.
Σαξόνων δὲ, καὶ τῶν Συήβων ΤΕΥΤΟΝΟΑΡΟΙ.	Inter Saxones autem & Suevos TEVTONARII.
Καὶ ΟΥΙΡΟΥΝΟΙ.	Et VIRVNI.
Φαραδηνῶν δὲ καὶ Συήβων ΤΕΥΤΟΝΕΣ.	Inter Pharadenos vero & Suevos ſunt TEVTONES
Καὶ ΑΥΑΡΠΟΙ.	Et AVARPI.
Ρουτικλείων δὲ καὶ Βουγούντων ΑΙΛΟΥΑΙΩΝΕΣ.	Inter Rutickos vero & Buntuntas ÆLVÆONES.
Πάλιν ὑπὸ μὲν τοὺς Σέμνονας, οἰκοῦσι ΛΙΓΓΑΙ.	Iterum ſub Semnonibus habitant LINGÆ.
Ὑπὸ δὲ τοὺς Βουγοῦντας, ΛΟΓΓΟΙ οἱ ΟΜΑΝΟΙ.	Sub Buguntis autem LONGI OMANI.
Ὑφ' οὓς ΛΟΓΓΟΙ ΔΙΔΟΥΝΟΙ, μέχρι τοῦ Ἀσκιβουργίου ὄρους.	Sub quibus LONGI DIDVNI usque ad Aſciburgium montem.
Ὑπὸ δὲ τοὺς Λίγγας ΚΑΛΟΥΚΩΝΕΣ ἐφ' ἑκάτερα τοῦ Ἄλβιος ποταμοῦ.	Sub Lincis vero CALVCONES ex utraque Albis fluvii parte.
Ὑφ' οὓς ΧΑΙΡΟΥΣΚΟΙ.	Sub iis CHERVSCI.
Καὶ ΚΑΜΑΥΟΙ, μέχρι τοῦ Μηλιβόκου ὄρους.	Et CAMAVI usque Melibocum montem.
Ὧν πρὸς ἀνατολὰς περὶ τὸν Ἄλβιν ποταμὸν ΒΟΝΟΧΑΙΜΑΙ.	Quorum orientalia circa Albim fluvium tenent BONOCHÆMÆ.
Ὑπὲρ οὓς ΒΑΤΕΙΝΟΙ.	Supra quos BATINI.
Καὶ ἔτι ὑπὲρ τούτους ὑπὸ τῷ Ἀσκιβουργίῳ ὄρει ΚΟΡΚΟΝΤΟΙ.	Supra quos etiam ſub monte Aſciburgio CORCONTÆ.
Καὶ ΛΟΥΤΤΟΙ, οἱ ΒΟΥΡΟΙ, μέχρι τοῦ Οὐϊστούλα ποτ.	Et LVTI, dicti BVRI, usque ad Viſtulam fluvii.
Ὑπὸ δὲ τούτους πρῶτοι ΣΙΔΩΝΕΣ.	Sub iis vero primi ſunt SIDONES.
Εἶτα ΚΟΓΝΟΙ.	Poſt COGNI.
Εἶτα ΟΥΙΣΒΟΥΡΓΙΟΙ, ὑπὲρ τὸν Ορκύνιον δρυμόν.	Poſt VISBVRGII ſupra Hercyniam ſylvam.
Πάλιν ἀπ' ἀνατολῶν μὲν τῶν Αὐνοβαίων ὀρῶν οἰκοῦσιν ὑπὲρ τοὺς Συήβους, ΚΑΣΟΥΑΡΟΙ.	Iterum ab ortu Abnobæorum montium habitant ſuper Suevos CASVARI.
Εἶτα ΝΕΡΤΕΡΕΑΝΕΣ.	Poſt NERTEREANES.

Google

Εἶτα ΔΑΝΔΟΥΤΟΙ.
Ὑφ᾽ οὓς ΤΟΥΡΩΝΟΙ.
Καὶ ΜΑΡΟΥΙΝΓΟΙ.
Ὑπὸ δὲ τοὺς Καμαύους, ΧΑΤΤΑΙ.
Καὶ ΤΟΥΒΑΝΤΟΙ.
Καὶ ὑπὲρ τὰ Σούδητα ὄρη ΤΕΥΡΙΟΧΑΙΜΑΙ.
Ὑπὸ δὲ τὰ ὄρη ΟΥΑΡΙΣΤΟΙ.
Εἶτα ἡ Γαβρῆτα ὕλη.
Καὶ ὑπὸ μὲν τοὺς Μαρουίγγους, ΚΟΥΡΙΩΝΕΣ.
Εἶτα ΧΑΙΤΟΥΩΡΟΙ.
Καὶ μέχρι τοῦ Δανουβίου ποτ. οἱ ΠΑΡΜΑΙΚΑΜΠΟΙ.
Ὑπὸ δὲ τὴν Γαβρῆταν ὕλην, ΜΑΡΚΟΜΑΝΟΙ.
Ὑφ᾽ οὓς ΣΟΥΔΙΝΟΙ.
Καὶ μέχρι τοῦ Δανουβίου ποταμοῦ οἱ ΑΔΡΑΒΑΙΚΑΜΠΟΙ.
Ὑπὸ δὲ τὸν Ὀρκύνιον δρυμὸν, ΚΟΥΑΔΟΙ.
Ὑφ᾽ οὓς τὰ σιδηρυχεῖα, καὶ ἡ ΛΟΥΝΑ ὕλη.
Ὑφ᾽ ἣν μέγα ἔθνος, οἱ ΒΑΙΜΟΙ, μέχρι τοῦ Δανουβίου.
Καὶ συνεχεῖς αὐτοῖς περὶ τὸν ποταμὸν οἱ ΤΕΡΑΚΑΤΡΙΑΙ.
Καὶ οἱ πρὸς τοῖς κάμποις, ΡΑΚΑΤΑΙ.
ΠΟΛΕΙΣ δὲ τίθενται κατὰ τὴν Γερμανίαν ἐν μὲν τῷ ἀρκτικῷ κλίματι αἵ δε.

Poſt DANDVTI.
Sub quibus TVRONI.
Et MARVINGI.
Sub Camanis vero CHATTAE.
Et TVBANTI.
Et ſupra Sudetos montes TEVRIOCHAEMAE.
Sub montibus vero VARISTI.
Poſtea Gabrita ſylva.
Sub Marvingis autem CVRIONES.
Poſtea CHAETVORI.
Et usque ad Danubium fl. PARMAECAMPI.
Sub Gabrita vero ſylva MARCOMANI.
Sub quibus SVDENI.
Et usque ad Danubium fl. ADRABAECAMPI.
Sub ſylva autem Hercynia QVADI.
Sub quibus ferri minera, & LVNA ſylva.
Sub qua gens magna BAEMI usque Danubium.
Quibus contigui ſunt juxta flu. TERCATRIAE.
Et qui penes campos ſunt RHACATAE.
CIVITATES vero in Germania in climate magis ſeptentrionali ſunt hæ.

Φληοῦμ	κη	L'δ	νδ	L'δ	Phleum	28	45	54	45
Σιατουτάνδα	κθ	γ	νδ	γ	Siatutanda	29	20	56	20
Τεκέλια	λα		νε		Tecelia	31		55	0
Φαβίρανον	λα	L'	νε	γ	Phabiranum	31	30	55	40
Τρηούα	λγ	δ	νδ	γο	Treva	33		55	40
Λεφάνα	λδ	δ	νδ	γο	Lephana	34	15	54	40
Λιριμιρίς	λδ	L'	νε	L'	Lirimiris	34	30	55	30
Μαριωνίς	λδ	L'	νδ		Marionis	34	30	54	50
Ἑτέρα Μαριωνίς	λϛ		νε	L'ιβ	Marionis	36		55	36
Κοινόηνον	λϛ	γ	νε	L'	Cœnœum	36	20	55	30
Ἀστουία	λζ	γ	νδ	L'	Aſtuia	37	20	54	30
Ἀλεισός	λη		νε		Aliſus	38		55	0
Λακιβούργιον	λθ		νε	L'ιβ	Laciburgium	39		55	36
Βουνίτιον	λθ	L'	νε	L'	Bunitium	39	30	55	30
Οὐίρουνον	μ	L'	νε		Virunum	40	30	55	0
Οὐιρίτιον	μα		νδ	L'	Viritium	41		54	30
Ῥούγιον	μβ	L'	νε	γο	Rhugium	42	30	55	40
Σκοῦργον	μγ		νε		Scurgum	43		55	0
Ἀσκαυκαλίς	μδ		νδ	δ	Aſcaucalis	44		54	15

Ἐν δὲ τῷ ὑπὸ τοῦτο κλίματι, πόλεις αἵ δε.

In climate vero quod ſub hoc eſt, civitates hæ ſunt.

Ἀσκιβούργιον	κζ	L'δ	νβ	L'	Aſciburgium	27	45	52	30
Ναυαλία	κζ	γο	νγ	δ	Navalia	27	40	53	15
Μεδιολάνιον	κη	ϛ	νγ	L'δ	Mediolanium	28	10	53	46
Τευδέριον	κθ	γ	νγ	γ	Teuderium	29	20	53	20
Βογάδιον	λ	δ	νβ		Bogadium	30	15	52	0
Στερεόντιον	λα		νβ	ϛ	Sterecontium	31		52	10
Ἀμάσεια	λα	L'	να		Amaſia	31	30	51	30
Μουνίτιον	λα	γο	νβ	L'	Munitium	31	40	52	30
Τουλίφουρδον	λβ		νδ		Tuliphurdum	32		54	0
Ἀσκαλίγγιον	λβ	L'	νγ	L'δ	Aſcalingium	32	30	53	45
Τουλισούργιον	λβ	γο	νγ	γ	Tuliſurgium	32	40	53	20
Φεύγαρον	λβ	γο	νβ	δ	Pheugarum	32	40	52	15
Κάνδουον	λγ		να	γ	Canduum	33		51	20
Τρόπαια Δρούσου	λγ	L'δ	νβ	L'δ	Trophæa Druſi	33	45	52	45
Λουππία	λδ	L'	νβ	L'δ	Luppia	34	30	52	45
Μησούιον	λε	L'	ν	L'γ	Meſuium	35	30	53	45
Ἀργέλια	λϛ	L'	νβ	γ	Argelia	37	36	52	20
Καλαιγία	λζ	L'	νβ	γ	Calægia	37	30	52	20
Λουπφουρδον	λη	ϛ	να	γο	Lupfurdum	38	10	51	40
Σουσούδατα	λη	L'	νγ	L'γ	Suſudata	38	30	53	50
Καλαίγκορον	λθ		νγ	L'	Calancorum	39		53	30
Λουγίδουνον	λθ	L'	νβ	L'	Lugidunum	39	30	52	30
Στραγόνα	λθ	γ	να	γο	Stragona	39	20	52	40
Λιμιοσάλειον	μα		νγ	L'	Lumioſaleum	41		53	30

Budo-

Βυδόριγον	μα		νβ	γο	Budorigum	41		52	40
Λευκάρισ۞	μα	L'δ	νβ	γο	Leucariſtus	41	45	52	40
Ἀρσόνιον	μγ	L'	νβ	γ	Arſonium	43	45	52	20
Καλισία	μγ	L'δ	νβ	L'γ	Caliſia	43	45	52	50
Σετίδαυα	μδ		νγ	L'	Setidava	44		53	30

Ἐν δὲ τῷ ὑπὸ τέτῳ κλίματι πόλεις αἵ δε.

In climate vero quod ſub iis eſt, civitates hæ ſunt.

Ἄλεισον	κη		να	L'	Aliſum	28		51	30
Βυδουρίς	κη		να		Budoris	28		51	0
Ματτιακόν	λ		ν	L'γ	Mattiacum	38		50	45
Ἄρταυνον	λ	ς	ν		Artaunum	30	10	51	0
Νυαίσιον	λα		να	ς	Nuæſium	13		51	10
Μηλόκαυ۞	λα	L'	ν	γ	Melocabus	31	30	30	20
Γραυιονάριον	λα	L'	ν	ς	Gravionarium	30	45	50	10
Λοκόριτον	λα	L'	μθ	γ	Locoritum	31	30	49	20
Σεγόδυνον	λα	L'	μη	L'δ	Segodonum	31	30	49	0
Δηύονα	λβ	L'	μθ	L'	Devona	32	30	48	40
Βέργιον	λγ		μθ	L'	Bergium	36		49	30
Μενοσγάδα	λδ		μθ	L'	Menosgada	34		49	30
Βικούργιον	λδ	L'	να	δ	Bicurgium	34	30	51	15
Μαρόβυδον	λε		μθ		Marobudum	35		49	0
Ῥεδιντύινον	λη	L'	ν	L'	Redintuinum	38	30	50	30
Νομιστήριον	λθ		να		Nomiſterium	39		51	0
Μελιόδυνον	λθ		μθ		Meliodunum	39		49	0
Κασουργίς	λθ	δ	ν	ς	Caſurgis	39	15	50	50
Στρευίντα	λθ	δ	μθ	L'	Streuinta	39	15	49	30
Ἡγητματία	λθ	γο	να		Hegetmaſia	39	40	51	0
Βυδοργίς	μ		ν	L'	Budorgis	40		50	30
Ἔβουρον	μα		λθ	L'	Eburum	41		94	30
Ἀρσικούα	μα	γο	μθ		Arſicua	41	40	49	0
Παρίεννα	μβ		μθ	γ	Parienna	42		49	30
Σετούια	μβ		L'	ν	Setuia	42	30	50	0
Καρρόδυνον	μβ	γο	να	L'	Carrodunum	42	40	51	30
Ἄσαγκα.	μγ		ν	γ	Aſanca	43		50	30

Ἐν δὲ τῷ λοιπῷ, καὶ περὶ τὸ Δανούβιον ποτ. πόλεις αἵ δε.

In reliquo vero & penes Danubium civitates hæ.

Ταρόδυνον	κη	γ	μζ	L'γ	Tarodunum	13	20	47	50
Βωμοὶ Φλαούιοι	λ	γο	μη		Aræ Flaviæ	30	40	48	0
Ῥιουσιαύα	λα		μζ	L'	Riuſiava	31		47	30
Ἀλκιμοεννίς	λβ	L'	μζ	L'	Alcimœnnis	32	30	47	30
Καντιοιβίς	λβ	γο	μη	γο	Cantiœbis	32	40	48	40
Βίβακον	λγ		μη		Bibacum	33		48	0
Βροδεντία	λγ	L'δ	μη		Brodentia	33	45	40	0
Σετουάκατον	λγ	μη	γ		Setuacatum	34		48	20
Οὔσβιον	λε		μζ		Vſbium	35		42	0
Ἀβίλουον	λε	γ	μζ	γ	Abiluum	35	20	47	20
Φουργισατίς	λς		μη		Phurgiſatis	36		48	0
Κοριδοργίς	λζ	δ	μη	L'	Coridorgis	37	15	48	30
Μεδοσλάνιον	λη		μζ	ς	Medoſlanium	38		47	30
Φιληκία	λθ		μη	L'	Philecia	32		48	30
Ῥοβόδυνον	λθ		μη		Rhobodunum	39		48	0
Ανδουέτιον	μ	L'	μζ	γο	Andeuium	40	30	47	40
Σινγονή	μα	L'	μη	δ	Singone	41	30	48	15
Ἄναβον	μα	L'γβ	μζ	L'	Anabum	41	56	47	30

Νῆσοι δὲ ὑπέρκεινται τῆς Γερμανίας, κατὰ μὲν τὰς τῦ Ἄλβι۞ ἐκβολὰς αἱ καλύμεναι Σαξόνων τρεῖς.

ὧν τὸ μεταξὺ ἐπέχει μοί λα νζ γο

Ὑπὲρ δὲ τὴν Κιμβρικὴν χερσόννησον, ἄλλαι τρεῖς νῆσοι ΑΛΟΚΙΑΙ καλύμεναι.

ὧν τὸ μεταξὺ ἐπέχει μοίρας λζ νθ γ

Ἀπ' ἀνατολῶν δὲ τῆς χερσοννήσε, τέσσαρες αἱ καλύμεναι ΣΚΑΝΔΙΑΙ, τρεῖς μὲν μικραί. ὧν ἡ μέση ἐπέχει μοίρας μα L' νη

Inſulæ Germaniæ adjacent juxta Albis fl. oſtia tres, Saxonum appellatæ.

Quarum medium gradus habet 31 57 40

Supra autem Cimbricam Cherſoneſum aliæ tres ALOCIÆ dictæ.

Quarum medium gradus habet 36 59 20

Ab orientali parte Cherſoneſi, quatuor, SCANDIÆ nuncupatæ, tres quidem parvæ, ex quibus ea quæ media eſt partes habet 41 30 56 0

Μια δὲ μεγίστη καὶ ἀνατολικωτάτη, κατὰ τὰς ἐκβολὰς τοῦ Οὐιστούλα ποτ. Ἧς μὲν τὸ δυτικώτατον ἐπέχει μοίρας. μγ νη	Vna vero, quæ maxima earum eſt, & maxime Orientalis juxta Viſtulæ fl. eſt oſtia, cujus quidem occidentaliſſima pars habet gradus. 43 58 0
Τὸ δὲ ἀνατολικώτατον μϛ νη	Ejus maxime orientalis pars 46 58 0
Τὸ δὲ ἀρκτικώτατον μδ L′ νη L′	Pars maxime ſeptentrionalis 44 30 58 30
Τὸ δὲ μεσημβρινὸν με νζ γο	Pars ejus meridionalis 45 57 40
Καλεῖται δὲ ἰδίως καὶ αὐτὴ ΣΚΑΝΔΕΙΑ.	Vocatur autem & hæc proprie SCANDIA.
Καὶ κατέχουσιν αὐτῆς τὰ μὲν δυτικὰ, ΧΑΙΔΕΙΝΟΙ.	Et tenent ipſius Occidentalia CHÆDINI.
Τὰ δὲ ἀνατολικὰ ΦΑΥΩΝΑΙ, καὶ ΦΙΡΑΙΣΟΙ.	Orientalia vero PHAVONÆ & PHIRÆSI.
Τὰ δὲ μεσημβρινὰ ΓΟΥΤΑΙ.	Meridionalia GVTÆ.
Καὶ ΔΑΥΚΙΟΝΕΣ.	Et DAVCIONES.
Τὰ δὲ μέσα ΛΕΥΩΝΟΙ.	Media autem tenent LEVONI.

Cap. XII.

Rhætiæ Situs.

Τῆς ΡΑΙΤΙΑΣ, ἡ μὲν δυσμικὴ πλευρὰ, ὁρίζεται, τῷ τε Ἀδούλα ὄρει, καὶ τῇ μεταξὺ τῶν κεφαλῶν τοῦ τε Ῥήνου καὶ τοῦ Δανουβίου ποταμοῦ. ἡ δὲ ἀρκτικὴ, μέρει τοῦ Δανουβίου ποταμοῦ, τῷ ἀπὸ τῶν πηγῶν, μέχρι τῆς τοῦ Αἴνου ἐκτροπῆς. λδ μζ γ	RHÆTIÆ occidentale latus terminatur monte Adula & linea quæ eſt inter capita Rheni atque Danubii. Latus vero Septentrionale ea Danubii terminatur parte, quæ a fontibus eſt usque ad Æni fl. divertigium, quod gradus habet 34 47 20
Ἡ δ᾽ ἀνατολικὴ πλευρὰ αὐτῷ τῷ Αἴνῳ ποτ. οὗ τὸ νοτιώτατον πέρας ἐπέχει μοίρας λδ με δ	Orientale autem latus ipſo Æno flumine terminatur, cujus maxime auſtralis finis continet gradus 34 45 15
Ἡ δὲ ἀπὸ μεσημβρίας ταῖς ἐντεῦθεν ὑπὲρ τὴν Ἰταλίαν Ἄλπιοις ὄρεσιν. ὧν τὰ μὲν πρὸς ταῖς Γραίαις ἐπέχει μοίρας λ με γ	Meridionale vero Alpium montibus hinc ſupra Italiam extenſis, quorum quæ apud Græas ſunt, gradus habent 30 45 20
Τὰ δὲ πρὸς ταῖς Ποιναῖς κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ Λυκίου ποτ. τοῦ εἰς τὸν Δανούβιον ἐμβάλλοντος, ὃς διορίζει τὴν Ῥαιτίαν ἀπὸ τῆς Οὐινδελικίας. λγ L′ με L′	Quæ autem verſus Pœnas ſunt juxta principium Lycii amnis, qui in Danubium exit, qui & Rhætiam a Vindelicia dividit, gradus tenent 31 30 45 30
Τὰ δὲ πρὸς τῇ Ὄκρᾳ ὄρει. λγ L′ με L′	Quæ vero ad Ocra montem, gradus habent 33 30 45 30
Κατέχουσι δὲ τῆς Ῥαιτίας, τὰ μὲν ἀρκτικώτερα ΒΡΙΞΑΝΤΑΙ.	Habitant autem magis ſeptentrionalia Rhætiæ BRIXANTÆ.
Τὰ δὲ νοτιώτερα, ΣΟΥΑΝΙΤΑΙ. καὶ ΡΙΓΟΥΣΚΑΙ.	Magis vero auſtralia SVANITÆ, & RIGVSCÆ.
Τὰ δὲ μεταξὺ ΚΑΛΟΥΚΩΝΕΣ. καὶ ΟΥΙΝΝΩΝΕΣ.	Quæ autem inter hæc ſunt, CALVCONES. Et VINNONES.
Πόλεις τε αὐτῶν μὲν ὑπὸ αὐτὸν τὸν Δανούβιον.	Civitates vero eorum ſub ipſo Danubio fl. hæ ſunt.

Βραγόδουρον	λ		μϛ	γο	Bragodurum	30		46	40
Δρακούινα	λ	γ	μϛ	γο	Dracuina	30	20	46	40
Οὐίανα	λα		μϛ	γο	Viana	31		46	40
Φαινίανα	λα	L′δ	μϛ	L′γ	Phæniana	31	45	46	50
Πρὸς δὲ τὴν κεφαλὴν τοῦ Ῥήνου ποταμοῦ.					At juxta caput Rheni fl.				
Ταξγαίτιον	κθ	L′γ	μϛ	δ	Taxgætium	29	50	46	15
Βριγάντιον	λ		μϛ		Brigantium	30		46	0
Μετὰ δὲ ταύτας.					Poſt has				
Οὐίκος	λ	δ	με	γ	Vicus	30	15	45	20
Ἐβόδουρον	λ	γο	με	γ	Ebodurum	30	40	45	20
Δρουσόμαγος	λα	L′	μϛ	ιβ	Druſomagus	31	20	46	6
Ἐκτόδουρον	λα	γ	μϛ	γ	Ectodurum	31	20	45	20

Cap. XIII.

Vindelicia.

Τῆς δὲ ΟΥΙΝΔΕΛΙΚΙΑΣ, τὰ μὲν ἀρκτικώτερα κατέχουσι ΡΟΥΝΙΚΑΤΑΙ.	Quæ magis ſeptentrionalia ſunt Vindeliciæ tenent RVNICATÆ.
Ὑπὸ δὲ τούτους ΛΕΥΝΟΙ.	Sub his vero LEVNI.
Καὶ ΚΟΝΣΟΥΑΝΤΑΙ	Et CONSVANTÆ.
Εἶτα ΒΕΝΛΑΥΝΟΙ.	Poſt BENLAVNI.
Εἶτα ΒΡΕΥΝΟΙ.	Poſt BREVNI.
Καὶ παρὰ τὸν Λυκίαν ποταμὸν ΛΙΚΑΤΙΟΙ.	Et juxta Lycum fl. LICATII.

Πόλεις

Πόλεις δὲ εἰσιν ἐν τῇ Οὐινδελικίᾳ παρὰ μὲν τὸν Δανούβιον ποταμόν.

Civitates autem ſunt in Vindelicia penes Danubium amnem

Ἀρτόβριγα	λβ	δ	μζ	ς	Artobriga	32	15	47	10
Βοιόδουρον	λγ	L'γ	μζ	δ	Bojodurum	33	50	47	15

Ὑπὸ δὲ ταύτας

Sub iis vero

Αὐγοῦστα Οὐινδελικῶν	λβ	L'	μς	γ	Auguſta Vindelicorum	32	30	46	20
Καρρόδουνον	λγ	L'γ	μς	L'δ	Carrodunum	33	50	46	45
Ἀβουδίακον	λγ	L'	μς	δ	Abudiacum	33	30	46	15
Καμβόδουνον	λβ	L'γ	μς		Cambodunum	32	50	46	0
Μέδουλλον	λγ	L'γ	με	γο	Medullum	33	50	45	40
Ἰνούτριον	λβ	L'γ	με	L'	Inutrium	32	50	45	30

Cap. XIV.

Norici Situs.

Τὸ ΝΩΡΙΚΟΝ περιορίζεται ἀπὸ μὲν δύσεως Αἴνῳ ποταμῷ, ἀπὸ δὲ ἄρκτων, μέρει τοῦ Δανουβίου τῷ ἀπὸ Αἴνου ποταμοῦ μέχρι τοῦ Κετίου ὄρους. οὗ θέσις * * λζ L' μς γ

Noricum terminatur ab occaſu Æno fluvio: A ſeptentrione Danubii parte quæ eſt ab Æno ad Cetium montem, cujus ſitus habet partes 37 30 46 50

Ἀπὸ δὲ ἀνατολῶν αὐτῷ τῷ Κετίῳ ὄρει. ἀπὸ δὲ μεσημβρίας, τῷ τε ὑπὸ τὸ εἰρημένον ὄρος μέρει τῆς Παννονίας τῆς ἄνω, οὗ τὸ δυσμικώτατον πέρας ἐπέχει μοί λς με γ

Ab ortu vero ſolis, ipſo monte Cetio: A meridie vero parte Pannoniæ ſuperioris, quæ ſub dicto eſt monte, cujus finis maxime occidentalis habet partes 36 45 20

Τὸ δὲ μεταξὺ λζ μς γο

Quod vero in medio eſt 37 45 40

Καὶ τῷ ἐντεῦθεν ὑπὲρ τὴν Ἰστρίαν ὄρει, ὃ καλεῖται Καρουάγκας

Et quod inde eſt ſupra Iſtriam, eo monte qui Caruaucas appellatur, cujus medium habet

Οὗ τὸ μέσον ἐπέχει μοίρας λε με γ

35 45 20

Κατέχουσι δὲ τὰ μὲν δυσμικώτερα τῆς ἐπαρχίας ἀπὸ ἄρκτων ἀρχομένοις ΣΕΟΥΑΚΕΣ.

Tenent autem occidentaliora provinciæ a ſeptentrionibus incipientes SEVACES

Καὶ ΑΛΑΥΝΟΙ, οἱ καὶ ΑΜΒΙΣΟΝΤΙΟΙ.

Et ALAVNI, qui & AMBISONTII dicuntur.

Τὰ δὲ ἀνατολικώτερα, ΝΩΡΙΚΟΙ.

Magis vero orientalia NORICI.

Καὶ ΑΜΒΙΔΡΑΝΟΙ.

Et AMBIDRANI.

Καὶ ΑΜΒΡΙΛΙΚΟΙ.

Et AMBRILICI.

Πόλεις δὲ εἰσιν ἐν αὐτῇ, ὑπὸ μὲν τὸν Δανούβιον ποταμόν.

Civitates autem in Norico ſub Danubio ſunt.

Ἀρεδάτη	λε		μζ		Aredate	35		47	0
Κλαυδιούιον	λς		μς	γο	Claudivium	36		46	40
Ὑπὸ δὲ ταύτας Γαυανόδουρον	λς	γο	μς	γο	Sub iis autem Gavanodurum	36	40	46	40
Γησόδουνον	λε	γο	μς	L'	Geſodunum	35	40	46	30
Βάδακον	λδ	δ	με	δ	Badacum	34	15	46	15
Ἄγουντον	λς	L'	με	γ	Aguntum	36	30	46	20
Οὐακόριον	λς		με	L'δ	Vacorium	36		45	45
Ποιδικόν	λζ		μς		Pœdicum	37		46	0
Οὐίρουνον	λς	γο	με	L'δ	Virunum	36	40	45	45
Τεουρνία	λδ	γο	με	γο	Teurnia	34	40	45	40
Ἰδοῦνον	λε	ς	με	L'	Idunum	35	10	45	30
Σιαντικόν	λς		με	L'	Sianticum	36		45	30
Κέλεια	λζ		μς	L'	Celia	37		46	30

Μεταξὺ δὲ Ἰταλίας καὶ Νωρικοῦ.

Inter Italiam vero & Noricum.

Ἰούλιον Κάρνικον	λδ	L'	με	δ	Julium Carnicum	34	30	45	30

Excerpta ex Ammiani Marcellini Hiſt. Lib. XV. & XXVIII.

Ammianus Marcellinus Libro XV.

Cap. VI.

AD quem procinctum Imperator egreſſus, in Rhætias Camposque venit Caninos: & digeſtis diu conſiliis, id viſum & honeſtum & utile omnibus, ut eo cum militis parte Arbetio Magiſter equitum, cum validiore exercitus manu relegens margines lacus Brigantiæ pergeret, protinus Barbaris congreſſuris. Cujus loci figuram breviter, quantum ratio patitur, deſignabo. Inter montium celſorum amfractus impulſu immani Rhenus diſcurrens extenditur per Lepontios, perque deciduas cataractas in-

inclinatione pernici funditur ut Nilus, torrente ab ortu protinus primogenio copiis aquarum propriis irruenti curſu ſimplici. Jamque adjutus nivibus liquatis ac ſolutis, altaque divortia riparum adradens, lacum invadit rotundum & vaſtum, quem Brigantiam accola Rhætus appellat, perque quadringenta & ſexaginta ſtadia longum, parique pæne ſpatio late diffuſum, horrore ſilvarum ſqualentium inacceſſum (niſi qua vetus illa Romana virtus & ſobria iter compoſuit latum) Barbaris & natura locorum & cœli inclementia refragante. Hanc ergo paludem ſpumoſis ſtrependo verticibus amnis irrumpens, & undarum quietem permeans pigram, mediam velut finali interſecat libramento, & tanquam elementum perenni diſcordia ſeparatum, nec aucto nec imminuto agmine quod intulit, vocabulo & viribus abſolvitur integris; nec contagia deinde ulla perpetiens Oceani gurgitibus intimatur. Quodque eſt impendio mirum, nec ſtagnum aquarum rabido tranſcurſu movetur, nec limoſa ſubluvie tardatur properans flumen, & confuſum miſceri non poteſt corpus: quod ni ita agi ipſe doceret adſpectus nulla vi credebatur poſſe diſcerni. Sic Alpheus oriens in Arcadia cupidine fontis Arethuſæ captus, ſcindens Ionium mare, ut fabulæ ferunt, ad usque amatæ confinia progreditur.

Idem Cap. XXVII.

Temporibus priſcis cum laterent hæ partes ut barbaræ, tripartitæ fuiſſe creduntur, in Celtas eosdem Gallos diviſæ, & Aquitanos, & Belgas, lingua inſtitutis legibusque diſcrepantes. Et Gallos quidem qui ſunt Celtæ, ab Aquitanis Garumna diſterminat flumen, a Pyrenæis oriens collibus, poſtque oppida multa tranſcurſa in Oceano deliteſcens. A Belgis vero eandem gentem Matrona diſcindit & Sequana, amnes magnitudinis geminæ: qui fluentes per Lugdunenſem, poſt circumclauſum ambitu inſulari Pariſiorum caſtellum, Lutetiam nomine, conſociatim meant, meantesque protinus prope caſtra Conſtantia funduntur in mare. Horum omnium apud veteres Belgæ dicebantur eſſe fortiſſimi, eapropter quod ab humaniore cultu longe diſcreti, nec adventitiis effeminati deliciis, diu cum Transrhenanis certavere Germanis. Aquitani enim, ad quorum littora ut proxima placidaque, merces adventiciæ convehuntur, moribus ad mollitiem lapſis, facile in ditionem venere Romanam. Regebantur autem Galliæ omnes, jam inde ut crebritate bellorum urgenti ceſſere Julio dictatori, poteſtate in partes diviſa quatuor: quarum Narbonenſis una, Viennenſem intra ſe continebat & Lugdunenſem: altera Aquitanis præerat univerſis. Superiorem & inferiorem Germaniam, Belgasque duæ jurisdictiones iisdem rexere temporibus. At nunc numerantur provinciæ per omnem ambitum Galliarum. *Secunda Germania*, prima ab occidentali exordiens cardine, Agrippina & Tungris munita, civitatibus amplis & copioſis. Dein *Prima Germania*, ubi præter alia municipia Magontiacus eſt, & Vangiones, & Nemetes, & Argentoratus barbaricis cladibus nota. Poſt has *Belgica prima* Mediomatricos prætendit, & Treviros domicilium Principum clarum. Huic adnexa eſt *Secunda Belgica*, qua Ambiani ſunt; urbs inter alias eminens, & Cathelauni & Remi. Apud *Sequanos* Biſontios vidimus, & Rauracos, aliis potiores oppidis multis. *Lugdunenſem primam* Lugdunus ornat, & Cabillones & Senones & Biturigæ, & mœnium Auguſtoduni magnitudo vetuſta. *Secundam* enim *Lugdunenſem* Rothomagi, & Turini Mediolanum oſtendunt; & Tricaſſini. *Alpes Graja & Pœnina*, exceptis obſcurioribus . . . . habent & Aventicum, deſertam quidem civitatem, ſed non ignobilem quondam, ut ædificia ſemiruta nunc quoque demonſtrant. Hæ provinciæ urbesque ſunt ſplendidæ Galliarum.

XXIIX. In *Aquitania*, quæ Pyreneos montes & eam partem ſpectat Oceani, quæ pertinet ad Hiſpanos, prima provincia eſt Aquitanica, amplitudine civitatum admodum culta. Omiſſis aliis multis, Burdegala & Arverni excellunt & Santones, & Pictavi. *Novem populos* Auſci commendant & Vaſatæ. In *Narbonenſi* Eluſa & Narbona & Toloſa, quæ principatum urbium tenent. *Viennenſis* civitatum exſultat decore multarum, quibus potiores ſunt Vienna ipſa & Arelate & Valentia; quibus Maſſilia jungitur, cujus ſocietate & viribus in diſcriminibus arduis fultam aliquoties legimus Romam. His prope Salluvii ſunt & Nicea & Antipolis, inſulæque Stœchades.

Et quoniam ad has partes opere contexto pervenimus, ſilere ſuper *Rhodano* maximi nominis flumine, eſt incongruum & abſurdum. A Pœninis Alpibus effuſiore copia fontium Rhodanus fluens, & proclivi impetu ad planiora digrediens, proprio agmine ripas occultat, & paludi ſeſe ingurgitat nomine Lemano, eamque intermeans nusquam aquis miſcetur externis: ſed altrinſecus ſummitates undæ præterlabens, quæritans exitus, viam ſibi impetu veloci molitur. Vnde ſine jactura rerum per denſa paludium fertur, & Sequanos: longeque progreſſus Viennenſem latere ſiniſtro perſtringit, dextro Lugdunenſem: & emenſus ſpatia fluctuoſa, Ararim, quem Sauconnam appellant, inter Germaniam primam fluentem, ſuum in nomen adſciſcit. Qui locus exordium eſt Galliarum. Exindeque non millenis paſſibus, ſed leucis itinera metiuntur. Vbi auctus Rhodanus aquis advenis locupletior, vehit grandiſſimas naves, ventorum flatu jactari ſæpius adſuetas. Finitusque inter valles, quas ei natura præſcripſit, ſpumeus Gallico mari concorporatur, per patulum ſinum, quem vocant Ad gradus, ab Arelate octavo decimo ferme lapide diſparatum.

XXIX. Sit ſatis de ſitu locorum: nunc figuras & mores hominum deſignabo. Celſioris ſtaturæ & candidi pæne Galli ſunt omnes, & rutili, luminumque torvitate terribiles, avidi jurgiorum, & ſublatius inſoleſcentes. Nec enim eorum quemquam adhibita uxore rixantem, multo fortiore & glauca, peregrinorum ferre poterit globus: tum maxime, cum illa inflata cervice ſuffrendens, ponderansque niveas ulnas & vaſtas, admixtis calcibus, emittere cœperit pugnos, ut catapultas tortilibus nervis excuſſas. Metuendæ voces complurium & minaces, placatorum juxta & iraſcentium. Terſi tamen pari diligentia cuncti & mundi: nec in tractibus illis, maximeque apud Aquitaniam, poterit aliquis videri, vel femina, licet perquam pauper, ut alibi, fruſtis ſqualere pannorum. Ad militandum omnis

ætas

ætas aptiſſima: & pari pectoris robore ſenex ad procinctum ducitur & adultus: gelu duratis artubus, & labore aſſiduo multa contempturus & formidanda. Nec eorum aliquando quiſquam; ut in Italia, munus Martium pertimeſcens, pollicem ſibi præcidit, quos jocaliter murcos appellant. Vini avidum genus, affectans ad vini ſimilitudinem multiplices potus: & inter eos humiles quidam obtuſis ebrietate continua ſenſibus, quam furoris voluntariam ſpeciem eſſe Catoniana ſententia definivit, raptantur diſcurſibus vagis. Vt verum illud videatur; quod ait defendens Fonteium Tullius: Gallos poſt hæc dilutius eſſe poturos, quod illi venenum eſſe arbitrabantur.

Idem Marcellinus Lib. XXVIII. Cap. XXX.

DE BURGUNDIS.

APud hos generali nomine rex appellatur *Hendinos*: & ritu veteri, poteſtate depoſita removetur, ſi ſub eo fortuna titubaverit belli, vel ſegetum copiam negaverit terra: quemadmodum ſolent Ægyptii caſus ejuſmodi adſignare rectoribus. Nam ſacerdos apud Burgundios omnium maximus vocatur *Siniſtus*: & eſt perpetuus, obnoxius diſcriminibus nullis, ut reges.

Excerpta ex Itinerario Antonini.

Marcus Velſerus rerum Auguſtanar. Vindelicarum, Lib. III.

ACcedit ad hanc ſuſpicionem planiſſime eluendam, Itinerarii Antonini auctoritas: quam tum Ptolemæo, tum ceteris omnibus (Severi lapides præcipuos habeo) tantum prætulerim, quantum experimentum præſentemque intuitum rationibus & auditui anteſtare æquum. Exempla quæ in manibus, Conſtantino quidem recentiora ſunt, nam meminere urbium, quibus a Diocletiano Maximiano & Conſtantinis nomina: Verum principium & inſtitutum multo vetuſtius, & qui a Julio, Æthici verbis perſuaſi, deducunt, me volente faciunt. Nec nuperæ urbium appellationes obſtant, cum ſequutis temporibus, pro re nata, adjici potuerint. Itineraria autem, præſidiariorum exercituum uſui præcipue a metatoribus parata. Hinc fides certa. Quæ enim fallendi cauſſa? Fuerit aliqua, tot millia militum, ſive fraus ſive error, in re præſenti num latuiſſet? Itaque viri docti, (quoties occaſio tulit factum frequenter) hoc teſtimonium tamquam locupletiſſimum produxere: ipſe ille cum quo nobis res eſt Aventinus. Unus quidam admonuit, ei temere non fidendum. Quo verbo ſi errores reſpexit, qui a librariis multi, nihil moror. Eadem ratione nullius, quantumvis optimi auctoris, libri ſine cautione legendi; hæc calamitas omnes pervaſit; neque negandum, hunc libellum ob vulgatiſſimum uſum, pejus pleriſque aliis habitum: Sin Itinerarium novitium, vel alias dubiæ fidei credidit, patietur, eum potius leviter opinari, quam auctores Itinerarii temere ſcripſiſſe, eligamus.

Paulus Merula præfat. in Coſmograph.

NEc ſuis caret mendis Antonini, vel cujuſcunque cenſendum, Itinerarium; in quo emaculando, ſuoque nitore reſtituendo, egregiam poſuerunt operam, cum alii, tum vel maxime Abrahamus Ortelius, vir monſtris ex terrarum orbe emoliendis plane natus, & Hieronymus Surita, Cæſarauguſtanus; quo in hoc argumento Hiſpania nunquam habuit feliciorem. Hinc factum, quod majore cum fructu illud uſurparim, commiſſum cum ampliſſima tabula Itineraria; quæ ductu Joannis Moreti, diligentiſſimi typographi, auſpiciis Viri Nobiliſſimi Marci Velſeri, II. Viri Reip. Auguſtanæ, ex illuſtri Peutingerorum bibliotheca in lucem prodiit. Plus habet illa in receſſu, quam frons pollicetur. Licet infinita ibi ſunt depravata, & turbatioris ordinis; tamen comparata cum Antoninianis (quibus & hinc medicina non ſemel per me petita) nullo negotio poſſunt corrigi, & ad ſua revocari caſtra. Quod non infeliciter a me factum in Gallia Italiaque, res ipſa docebit.

DE PANNONIIS IN GALLIAS PER MEDITERRANEA LOCA, ID EST, A SIRMIO PER SOPIANAS TREVIROS VSQVE.

A SIRMIO LAVRIACO	M.	P. *	CCCCXXXVII.	*CCCCXXXXII.
AVGVSTA VINDELIC.	M.	P. *	CCXVI.	* CCIX.
AD FINES	M.	P. *	CXXXVI.	* CXXXVII.
AD TREVIROS	M.	P. *	CCXXXI.	* CXCI.
Vlmos	M.	P.	XXVI.	Pannonia inferior.
Cibalis	M.	P.	XXIIII.	
Murſa	M.	P.	XXII.	
Antianis	M.	P.	XXIIII.	
Sopianis	M.	P.	XXX.	
Limuſa	M.	P.	XXII.	
Cilicenis	M.	P.	XVI.	
Valco	M.	P.	XXVIII.	
Mogetiana	M.	P.	XXX.	Pannonia ſuperior.
Sabaria	M.	P.	XXXVI.	
Scarabantia	M.	P.	XXXIIII.	
Moteno	M.	P.	XII.	
Vindebona	M.	P.	XXII. Al. XXV.	
Comagenis	M.	P.	XXIIII.	Noricum.
Cetio	M.	P.	XXIIII.	

Digitized by Google

	Arlape	M.	P.	XXII.	
	Laco Felice	M.	P.	XXVI.	
	LAVRIACO	M.	P.	XX.	
	Ovilabis	M.	P.	XXVI.	
	Laviaco	M.	P.	XXXII.	
	Juvavia	M.	P.	XXVIII.	
	Bedaio	M.	P.	XXXVI.	
	Ponte Oeni	M.	P.	XVIII.	
Vindelicia.	Iſiniſca	M.	P.	XX.	
	Ambra	M.	P.	XXII.	
	AUGUSTA VINDELIC.	M.	P.	XXVII.	
	Roſtro Nemaviæ	M.	P.	XV.	Al. XXV.
	Camboduno	M.	P.	XXXII.	
	Vemania	M.	P.	XVI.	
	Brigantia	M.	P.	XXIIII.	
	Arbore Felice	M.	P.	XX.	
Rætia.	AD FINES	M.	P.	XX.	
	Vindones Leg.	M.	P.	XXX.	
	Arialbino	M.	P.	XXIII.	Al. XXVI.
	Monte Briſiaco	M.	P.	XXX.	
Gallia.	Argentorato	M.	P.	XXXVIII.	
Maxima.	Tabernis	M.	P.	XIV.	
Sequanorum.	Decem pagis	M.	P.	XX.	
	Divodoro	M.	P.	XX.	
	TREVIROS	M.	P.	XVI.	Al. XIII.

ITEM PER RIPAM PANNONIÆ

Belgica prima.	A TAVRVNO IN GALLIAS AD LEG. XXX.				
*DCXXVIII.	A TAVRVNO LAVRIACO	M.	P.	* DLXXXVII.	
* CCXXIII.	INDE AVGVSTA VINDELICVM	M.	P.	* CCXXI.	
* CCCXXXXIII.	ARGENTORATO	M.	P.	* CCCXXII.	
* CXLI.	AD LEG.	M.	P.	* CXL.	SIC. A TAVRVNO.
	Ritti	M.	P.	XXXIII.	
Pannonia.	In medio Aciminci.	M.	P.	XXV.	
	Cuſi	M. *	P.	XXX.	Al. XXXIII.
	Bononia	M.	P.	XVI.	
	Cucci	M.	P.	XVI.	
	Cornaco	M.	P.	XVI.	
	Teutiburgo	M.	P.	XVI.	
	Murſa	M.	P.	XVI.	
	Ad Novas & Aureo Monte.				
	Antianis	M.	P.	XXIIII.	
Valeria.	Altino in Medio Leg.	M.	P.	XXV.	
	Ad ſtatuas, in medio Aliſca, ad latus				
	Ripa alta	M.	P.	XXVIII.	Al. XXXVIII.
	Luſſunio	M.	P.	XVIII.	
	Anamantia in medio Interciſa	M.	P.	XXIIII.	
	Vetus Salina, in medio Matrica	M.	P.	XXVI.	
	Campona, in medio Aquinquo Leg. II. Adiut.	M.	P.	XXIIII.	
	Laco Felicis, in medio . . .	M.	P.	XXXIII.	
	Crumero Aſao, in medio Bregetione Leg. I. Adiut.	M.	P.	XVIII.	
	Ad muros & ad ſtatuas, in medio Arrobona	M.	P.	XXX.	
Pannonia inferior.	Quadratis, in medio Flexo	M.	P.	XXII.	
	Gerulata, in medio Carnunto	M.	P.	XXX.	Leg. XIIII. Gem.
	Æquinoctio & ala nova, in medio Vindobona	M.	P.	XXVIII.	Leg. X. Gem.
	Commagenis	M.	P.	XXX.	
Noricum.	Cetio	M.	P.	XXX.	
	Arlape	M.	P.	XX.	
	Laco Felice	M.	P.	XXV.	Al. XXII.
	LAVRIACO	M.	P.	XXV.	Leg. III.
	Ovilabis	M.	P.	XVI.	
	Joviaco	M.	P.	XXVII.	
	Stanaco	M.	P.	XVIII.	
	Boioduro	M.	P.	XX.	
Rætia ſecunda.	Quintanis	M.	P.	XXIIII.	
	Auguſtis	M.	P.	XX.	

Regio

Digitized by

Regio	M.	P.	XXIIII.	
Abuſina	M.	P.	XX.	
Vallato	M.	P.	XVIII.	
Sumuntorio	M.	P.	XVII.	
AVGVSTA VINDELICVM	M.	P.	XX.	
Guntia	M.	P.	XXII.	
Cœlio monte	M.	P.	XVI.	Rætia prima.
Camboduno	M.	P.	XIIII.	
Vemania	M.	P.	XV.	
Brigantia	M.	P.	XXIIII.	
Arbore Felice	M.	P.	XX.	
Finibus	M.	P.	XXI.	Gallia Sequanic. Provinc.
Vitoduro	M.	P.	XXII.	
Vindoniſſa	M.	P.	XXIII.	
Rauracis	M.	P.	XXVII.	
Artalbino	M.	P.	XVII.	
Vruncis	M.	P.	XXII.	
Monte Briſiaco	M.	P.	XXIII.	
Helveto	M.	P.	XXVIII.	Germania prima.
ARGENTORATO	M.	P.	XXIX.	
Brocomago	M.	P.	XX.	
Concordia	M.	P.	XVIII. Al. XX.	
Noviomago	M.	P.	XX.	
Bingio	M.	P.	XXV.	
Antonaco	M.	P.	XVII.	Germania ſecunda.
Bodobrica	M.	P.	XIX.	
Bonna	M.	P.	XXII.	

COLONIA AGRIPPINA LEG.

Durnomago	Leg.	VII.	Ala.
Burungo	Leg.	V.	Ala.
Noveſio	Leg.	V.	Ala.
Gelduba	Leg.	IX.	Ala.
Calone	Leg.	IX.	Ala.
Veterib.	Leg.	XXI.	
Caſtra Vlpia	Leg.	XXX.	
Burcinatio	Leg.	VI.	Ala.
Aranatio	Leg.	X.	Ala.

ITEM A LAVRIACO PER MEDIVM AVGVSTA VINDELICVM BRIGANTIAM M. P. * CCCXI. SIC. * CCCXII.

Ovilabis	M.	P.	XXVI.	
Laviaco	M.	P.	XXXII.	Noricum.
Juvavia	M.	P.	XXVIII.	
Bedajo	M.	P.	XXXII.	
Ponte OEni	M.	P.	XVIII.	Vindelicia.
Iſiniſca	M.	P.	XX.	
Ambra	M.	P.	XXXII.	
AVGVSTA VINDELICVM.	M.	P.	XXXVII.	
Roſtro Nemaviæ	M.	P.	XXV.	
Camboduno	M.	P.	XXXIII.	
Vemania	M.	P.	XV.	
BRIGANTIA	M.	P.	XIIII. Al. XXIIII.	

ITEM AB AVGVSTA VINDELICVM VERONAM M. P. CCLXXII. SIC.

Abuzaco	M.	P.	XXXVI.	
Parthano	M.	P.	XXX.	
Veldidena	M.	P.	XXX.	
Vipiteno	M.	P.	XXXVI.	
Sublavione	M.	P.	XXXII.	Ræti
Endidejo	M.	P.	XXIIII.	
Tridento	M.	P.	XXIIII.	
Ad Palatium	M.	P.	XXIIII.	
VERONA	M.	P.	XXXVI.	

ITEM A MEDIOLANO PER ALPES GRAIAS TREVIROS

Argentorato M. P. DLXXVII. ſic:

Ticinum

	Ticinum	M.	P.	XXII.	
Italia.	Laumellum	M.	P.	XXI.	
	Vercellas	M.	P.	XXV.	
	Eporedia	M.	P.	XXXIII.	
	Vitricium	M.	P.	XXI.	
	Auguſta Prætoria	M.	P.	XXII.	
	Arebrigium	M.	P.	XXV.	
	Bergintrum	M.	P.	XXIIII.	
Alpes Grajæ.	Tarantaſia	M.	P.	XVIII.	
	Caſuaria	M.	P.	XXIII.	
Gallia.	Bautas	M.	P.	XVII.	13.
Max. Sequanorum.	Equeſtribus	M.	P.	XVI.	
	Laculauſanio	M.	P.	XX.	
	Urba	M.	P.	XVIII.	
	Ariarica	M.	P.	XXIIII.	
	Viſontione	M.	P.	XVI.	
	Virudoro	M.	P.	XXII.	
	Gramata	M.	P.	XVIIII.	
	Larga	M.	P.	XXV.	
	Virentis	M.	P.	XVIII.	
Germania prima.	Monte Briſiaco	M.	P.	XXIIII.	
	Heluclio	M.	P.	XX.	
	Argentorato	M.	P.	XXX.	

DE ITALIA IN GALLIAS ITEM A MEDIOLANO PER ALPES PENNINAS

Italia.	MOGVNTIACVM	M.	P.	CCCCXIX.	
	Novaria	M.	P.	XXXIII.	
	Vercellas	M.	P.	XVI.	
	Eporedia	M.	P.	XXXIII.	
	Vitricio	M.	P.	XXXI.	21.
Penninæ Alpes.	Auguſta Prætoria	M.	P.	XXV.	
	Summo Appennino	M.	P.	XXV.	
	Octoduro	M.	P.	XXV.	
Max. Sequanorum.	Tarnadas	M.	P.	XII.	
	Pennelocus	M.	P.	XIII.	22.
	Bibiſco	M.	P.	VIIII.	
	Bramago	M.	P.	VIIII.	
	Minnodunum	M.	P.	VI.	
	Aventiculum	M.	P.	III.	
	Petineſca	M.	P.	XIII.	
	Salodurum	M.	P.	X.	
	Auguſta Rauracorum	M.	P.	XXIII.	
	Caribete	M.	P.	XII.	
	Stabulis	M.	P.	VII.	
Germaniæ prima.	Argantovaria	M.	P.	XII.	
	Saletione	M.	P.	VII.	
	Tabernis	M.	P.	XIII.	
	Noviomago	M.	P.	XI.	
	Borbitomago	M.	P.	XXIII.	
	Bouconia	M.	P.	XIII.	
	MOGONTIACVM	M.	P.	XI.	

A MEDIOLANO PER ALPES COTTIAS

VIENNAM M. P. CCCCVIIII.

INDE DVROCORTORO M. P. CCCXXXII.

QVÆ FIVNT LEVGAS CCXXI.

INDE GESORIACO M. P. CLXXIIII.

QVÆ FIVNT LEVGAS CXVI. SIC.

Italia.	Ticinum	M.	P.	XXII.
	Laumello	M.	P.	XXVI.
	Rigiomago	M.	P.	XXXVI.
	Quadratis	M.	P.	XVI.
	Taurinis	M.	P.	XXI.
	Ad Fines	M.	P.	XVI.
Cotiæ Alpes.	Reguſione	M.	P.	XXIIII.
	Ad Martis	M.	P.	XVI.

Brigantio.

Digitized by

Brigantione	M.	P.	XVIII.			
Roame	M.	P.	XVIII.			
Ebroduno	M.	P.	XVII.			
Caturica	M.	P.	XVI.			
Vapinquo	M.	P.	XII.			
Monte Seleuco	M.	P.	XXXIII. 23. vio. M. P. XXVI.			Narbonenſis.
Dea Bocontiorum	M.	P.	XII.			
Auguſta	M.	P.	XXII.			
Valentia	M.	P.	XXII.			
Vrſolis	M.	P.	XXII.			
Vienna	M.	P.	XXVI.			
Lugduno	M.	P.	XXIII.			
AVT PER COMPENDIVM	M.	P.	XVI.			Lugdunenſis,
Aſa Pauli	M.	P.	leug. X.			
Lunna	M.	P.	leug. X.			
Tenurtium	M.	P.	XVIIII.	leg.	XIIII.	
Matiscone	M.	P.	XX.	leg.	X.	
Cabilumno	M.	P.	leg. XIIII.			
Auguſtodunum	M.	P.	XXXIII.	leg.	XXII.	
Sidoleucum	M.	P.	XXVII.	leg.	XVIII.	
Aballone	M.	P.	XXXIIII.	leg.	XVI.	
Autiſſiodorum	M.	P.	XXXIII.	leg.	XXII.	
Eburobrica	M.	P.	XXVIII.	leg.	XII.	
Tricaſis	M.	P.	XXXIII.	leg.	XXII.	
Ariaca	M.	P.	XVIII.	leg.	XII.	
Duracatalaunos	M.	P.	XXXIII.	leg.	XXII.	Belgica.
Sueſſionas	M.	P.	XXXVI.	leg.	XXV.	
Noviomago	M.	P.	XXVIII.	leg.	XVIII.	
Ambianis	M.	P.	XXXIIII.	leg.	XXIII.	
Pontibus	M.	P.	XXXV.	leg.	XXIIII.	
Geſoriaco	M.	P.	XXXVIIII.	leg.	XXVI.	

ITEM A CAVILVNNO TRIVEROS

ITEM A DVROCORTORO

DIVODVRVM VSQVE M. P. LXII. ſic.

Baſilia	M.	P.	X.
Auxuenna	M.	P.	XII.
Virodunum	M.	P.	XVII.
Fines	M.	P.	VIIII.
Ibliodorum	M.	P.	VI.
Divodurum	M.	P.	VIII.

ALIO ITINERE A DVROCOTORO

DIVODURVM VSQVE M. P. LXXXVIII. ſic.

Fano Minervæ	M.	P.	XVIII.
Ariola	M.	P.	XVI.
Caturrigis	M.	P.	VIIII.
Naſium	M.	P.	VIIII.
Tullum	M.	P.	XVI.
Scarponna	M.	P.	X.
Divodurum	M.	P.	XII.

ITEM A DVROCORTORO

TRIVEROS VSQVE leugas. M. P. CXCVIII. ſic.

Yungo. Vicus leg. XXII.
Enviſſius. Vicus leg. XXII.
Orolauno. Vicus leg. M. P. XX.
Andethadnali. Vicus leg. XX.
Triveros civitas leg. XV.

AB AVGVSTVDVNO

LVTETIA PARISIORVM M. P. CLXXXVII. ſic: Lugdunenſis.

Aſilincum	M.	P.	XXII.
Decetia.	M.	P.	XXIIII.
Nevernum	M.	P.	XVI.
Condate	M.	P.	XXIIII.

Digitized by Google

	Bridoborum	M.	P.	XVI.	
	Belea	M.	P.	XV.	
	Canabum	M.	P.	XXII.	
	Solivilita	M.	P.	XXIIII.	
	Lutetia	M.	P.	XXIIII.	

A LVGDVNO CAPVT GERMANIARVM

Germania ſecunda.	ARGENTORATO	M.	P.	CCCXXV.	ſic.
	Albimanis	M.	P.	X.	
	Trajecto	M.	P.	XVII.	
	Mannaritio	M.	P.	XV.	
	Caruone	M.	P.	XXII.	
	Arenario	M.	P.	XXIII.	
	Burginatio	M.	P.	VI.	
	Colonia Trajana	M.	P.	V.	
	Veteribus	M.	P.		
	Calone	M.	P.	XVIII.	
	Noveſiæ	M.	P.	XVIII.	
	Coloniæ Agrippinæ	M.	P.	XVI.	
	Bonna	M.	P.	XI.	
Belgica.	Antonaco	M.	P.	XVII.	
	Confluentibus	M.	P.	VIIII.	
	Vinco	M.	P.	XXVII.	
	Noviomago	M.	P.	XXXIIII.	
	Triveros	M.	P.	XIII.	
	Diviodurum	M.	P.	XXXIIII.	
	Ponte ſarvix	M.	P.	XXIIII.	
Germ. I.	Argentorato	M.	P.	XXII.	

A TRIVERIS.

Belgica.	AGRIPPINAM leg.	P.	LXVII.	ſic.
	Beda vicus leg.	P.	XII.	
	Auſana vicus leg.	P.	VIII.	
	Egorgio vicus leg.	P.	XII.	
	Marcomago vicus leg.	P.	LVIII.	leg. XXVIII.
	Belgica leg.	P.	VIII.	
	Tolpia vicus Supenorum leg.		X.	
	Agrippina civitas leg.		XVI.	

ITEM A TRIVERIS

ARGENTORATO	M.	P.	CCXXVIII.	128. ſic.
Baudobrico	M.	P.	XVIII.	
Saſiſione	M.	P.	XXII.	
Vingio	M.	P.	XXIIII.	
Moguntia	M.	P.	XII.	
Borbitomago	M.	P.	XVIII.	
Argentorato	M.	P.	XVIII.	

ITEM A COLONIA TRAIANA

Germania ſecunda.	COLONIAM AGRIPPINAM	M.	P.	LXXI.	ſic.
	Mediolano	M.	P.	VIII.	
	Sablonibus	M.	P.	VIII.	
	Mederiacum	M.	P.	X.	
	Theudurum	M.	P.	VIIII.	
	Coriovallum	M.	P.	VI.	
	Juliacum	M.	P.	XII.	
	Tiberiacum	M.	P.	VIII.	
	Colonia Agrippina			X.	

A PORTV GEFORIGENSI

Belgica.	BAGACVM VSQVE	M.	P.	LXXXIII.	ſic.
	Tarvenna	M.	P.	XVIII.	
	Caſtello	M.	P.	VIIII.	
	Viroviacum	M.	P.	XV.	
	Tornacum	M.	P.	XVI.	
	Ponti Scaldis	M.	P.	XII.	
	Bagacum	M.	P.	XII.	

A CASTEL-

Digitized by Google

A CASTELLO PER COMPENDIUM

TORNACVM VSQVE	M.	P.	XXVIII. ſic.
Minariacum	M.	P.	XI.
Tornacum	M.	P.	XVII. 27.

A CASTELLO.

COLONIA	M.	P.	CLXXII. ſic.
Minariacum	M.	P.	XI.
Nimetacum	M.	P.	XVIIII.
Camaracum	M.	P.	XIIII.
Pagacum	M.	P.	XVIII.
Vodgoriacum	M.	P.	XII.
Geminiacum	M.	P.	X.
Perniciacum	M.	P.	XXII.
Advagantogrorum	M.	P.	XIIII.
Corivallum	M.	P.	XVI.
Juliacum	M.	P.	XVIII.
Colonia	M.	P.	XVIII.

ITEM A TARVENNA

TORNACVM	M.	P.	XLIIII. ſic.
Nemetacum	M.	P.	XXII.
Tornacum	M.	P.	XXVII.

A TAROVENNA.

DVROCORTORO	M.	P.	CVIII. ſic.
Nemetacum	M.	P.	XXII.
Camaracum	M.	P.	XIIII.
Auguſta Veromanduorum	M.	P.	XVIII. 12.
Conta Aginnum	M.	P.	XIII.
Auguſta Sueſſonum	M.	P.	XII.
Fines	M.	P.	XIII.
Durocortoro	M.	P.	XII.

Excerpta ex Libello Provinciarum Galliæ, & expoſitione totius mundi.

GALLIÆ PROVINCIÆ ATQVE CIVITATES EJUS.

PROVINCIA LVGDVNENSIS QVINTA SEQVANORVM.

Metr. Civ. Criſpolinorum, hoc eſt Veſontionum.
Civ. Equeſtrium hoc eſt Lugduno.
Civ. Elvicorum, hoc eſt Aventic.
Civ. Baſilienſium.
Caſt. Vindonenſe.
Caſt. Ebrodunenſe.
Caſt. Argentarienſe.
Caſt, Rauracenſe.
Portus Abucini.

PROVINCIA BELGICA PRIMA.

Metrop. Civ. Triverorum.
Civ. Mediomatricum, hoc eſt Metis.
Civ. Leucorum, hoc eſt Tullo
Civ. Verdonenſium.

PROVINCIA BELGICA SECUNDA

Metrop. Civit. Remorum.
Civ. Sueſſionum.
Civ. Caſtellanorum.
Civ. Veromanduorum.
Civ. Atrebatum.
Civ. Cameracenſium.
Civ. Turnacenſium.
Civ. Salvanectum.
Civ. Bellovacorum.
Civ. Ambianenſium.
Civ. Morinum.
Civ. Bononienſium.

Digitized by Google

PROVINCIA, GERMANIA PRIMA.

Metr. Civ. Maguntiacenſium.
Civ. Argentoratenſium, Stratisburg.
Civ. Nemetenſium, hoc eſt Spira.
Civ. Vangiorum, hoc eſt Vormatia.

PROVINCIA, GERMANIA SECVNDA.

Metr. Civ. Agrippinenſium, hoc eſt Colonia.
Civ. Tungrorum.

Expoſitio totius mundi.

POſt Pannoniam GALLIÆ provincia eſt: quæ cum maxima ſit & Imperatore ſemper egeat, hunc etiam ex ſe deſiderat. Sed & propter maris opportunitatem omnibus copioſe abundat, quanquam caro pretio. Civitatem maximam habere dicitur, quæ vocatur Triveris, ubi etiam Imperator creari dicitur, eaque mediterranea eſt. Pariter & aliam civitatem habet in omnibus ei adminiculantem, quæ ad mare ſita eſt, quam vocant Arelatum: quæ cum ab omni orbe commercia ſuſcipit, prædictæ civitati ea ſubmittit. Omnis autem regio viros habet bellicoſos & nobiles: quare in bello frequens inde miles & fortis ex Gallia eſſe dicitur. Eſtque in omnibus illa provincia admiratione digna. Adjacentem ea habet barbaram gentem Gothorum.

Excerpta ex notitia utriusque imperii & commentatio GVIDI PANCIROLI.

Notitia.

Sub diſpoſitione viri ſpectabilis Vicarii ſeptem provinciarum.

Conſulares.

Viennenſis.
Lugdunenſis.
Germaniæ primæ.
Germaniæ ſecundæ.

Præſidiales.

Alpium Maritimarum.
Alpium Penninarum & Grajarum.
Maximæ Sequanorum.
Aquitanicæ primæ.
Aquitanicæ ſecundæ.
Novem populorum.
Narbonenſis primæ.
Narbonenſis ſecundæ.
Lugdunenſis ſecundæ.
Lugdunenſis tertiæ.
Lugdunenſis Senoniæ.

Officium autem habet idem vir ſpectabilis Vicarius hoc modo.

Principem de ſchola Agentem in rebus ex Ducenaviis.
Cornicularium.
Numerarios duos.
Commentarienſem.
Ab actis.
Curam epiſtolarum.
Adjutorem.
Subadjuvas.
Exceptores.
Singulares, & reliquum officium.

Guidus Pancirolus notitiæ utriusque imperii libro ſecundo

De Vicario Galliarum ſeu XVII. provinciarum earumque magiſtratibus caput LXVIII.

COMMENTARIVM.

SEcundus Præfecti Galliarum Vicarius ſeptemdecim provincias, in quot Gallia ſcindebatur, regebat. Gallia a Pyreneis montibus usque ad Rhenum fluvium extenditur, & noſtris Alpibus Oceanoque clauditur. Galliam Cæſar in tres partes diviſit. Aquitaniam, Lugdunenſem, & Belgicam: Auguſtus in quatuor, his addita Narbonenſi, quæ diu Proconſulem habuit, ut auctor eſt Tacitus, qui T. Junium Proconſulatu Galliam Narbonenſem ſevere & integre rexiſſe ſcribit; & Capitolinus de Maximo Auguſto loquens, ita ſcribit: *Inde Proconſulatum Bytinia egit; ac deinceps Græcia, ac tertio Narbone.* Conſtantinus vero Galliam in ſeptemdecim regiones partitus eſt. Hæc diviſio noſtræ Notitiæ tempore obſervabatur.

IDEM

Digitized by

IDEM IBIDEM.

GERMANIA antiquitus duplex fuit. Æmilius Macer. *ſi eadem*, inquit, *provincia poſtea diviſa, ſub duob. Præſidibus conſtituta eſt, velut Germania ac Myſia, ex altera ortus in altera adſidebit.* Hæc ille. Domitiano imperante L. Antonius ſuperiorem Germaniam adminiſtrabat. Tranquillus: *Bellum civile*, inquit, *motum a L. Antonio ſuperioris Germaniæ Præſide confecit abſens felicitate mira.* Demum Conſularis fuit altera Germania. Superior ſeu prima, ſuper Rhenum ſita ubi eſt Moguntia. Meridie habet Burgundos & montem Juram, ab ortu Rhenum, ab occaſu Lugdunenſes Senones. Civitates quatuor continet, ut refert itinerarium: Metropolim civitatem Maguntiacenſium quos Dux cum valido præſidio tuebatur: Argentoratenſium, in quorum tractu Comes rei militaris caſtra metabatur: Nemetum, id eſt, Spiram; Vangionenſium; id eſt, Wormenſium. Hic Conſularis Germaniæ primæ ab Eumene ac Rhetore in Panegyrico vocatur *perfectiſſimus.*

Inferior ſeu SECVNDA GERMANIA, ubi eſt Agrippina, inter Moſam & Rhenum ad Germanicum Oceanum porrigitur. Duas tantum ejus urbes itinerarium ponit: Metropolim Agrippinenſem, id eſt, Coloniam, & Tungrorum civitatem.

Inter Moſam vero & Sequanam BELGICA, & ipſa conſularis, quæ a flumine Erhudo dividitur & Belgica PRIMA dicitur: Civitates quatuor continet, inquit itinerarium: Metropolim Treverorum, civitatem Medriomatricorum, id eſt Metis: Leucorum, id eſt Tullo: & Veredunenſem.

BELGICA SECVNDA ſive inferior, ubi nunc eſt Flandriæ pars ad Oceanum pertinens, & tranſitus ad Britanniam & Remos. Duodecim civitates continet, ſecundum itinerarium: Metropolim civitatem Remorum Sueſſionum, Catalaunorum, Veromanduorum, Artebatum, Cameracenſium, Turnacenſium, Siluanectum, Bellovacorum, Ambianenſium, Morinum, id eſt Pontificum Bononienſium. Hic Dux cum tribus præſidiis caſtra metabatur.

Hæ ſunt ſex Galliarum provinciæ conſulares; reliquæ vero præſidiales ſunt undecim.

IDEM IBIDEM.

Sexta præſidialis eſt MAXIMA SEQVANORVM, in qua eſt Veſontienſis. Hæc, & Maxima Cæſarienſis in Britannia, a Clemente Maximo tyranno ſunt denominatæ: quemadmodum Arcadia in Ægypto ab Arcadio, & Valeria a filia Diocletiani. Fuit Maximus genere Hiſpanus, & Theodoſii Magni commilito: qui copiarum comes in Britannia an. ſalut. 383. Auguſtus eſt appellatus, in Galliasque irrumpens per Andragathium Gratianum Auguſtum interfecit, ac conſors imperii cum Valentiniano II. & Theodoſio factus, per quinquennium imperavit. Sed cum rupto fœdere Hiſpanias & Africam invaſiſſet, in Italiam quoque irruit: inde in Pannoniam trajiciens a Theodoſio profligatus & occiſus eſt. Cum diu igitur in Britannia & Galliis Maximus imperaſſet, duas utrobique provincias a ſe Maximas appellavit. Maximæ Sequanorum Sext. Ruffus meminit. Qui a C. Julio Cæſare latius extenduntur. Hi ſunt Burgundi, quorum caput eſt Veſontium vulgo Biſanzonum dictum. Habent a meridie Ararim: ab ortu Helvetios, ab occaſu Lugdunenſes, a ſeptentrione Germaniam ſuperiorem & montem Juram. Novem oppida ſecundum itinerarium continet. Metropolim Viſontienſem, civitatem Equeſtrium id eſt Neuiduno; Eluntiorum id eſt Aventicum: Baſilienſium, id eſt Baſileam: Caſtrum Vindoniſe, Ebrodunenſe, Argentarienſe, Rauracenſe, & Portum Abucini. Hic limite Romani imperii poſito Dux cum militibus excubabat.

IDEM IBIDEM.

Hæ provinciæ numero XVII. Vicario Galliarum parebant: Etſi in Notitia mendoſe ſcriptum eſt VII. provinciarum pro XVII. Hæc erant ante Notitiam. Anno enim ſalutis CCCC VIII, Vandali & Alani Rheno trajecto intrarunt Gallias, & ſexennio poſt exacto Gothi ſub Rege Ataulpho, quibus Honorius Aquitaniam conceſſit. Hos ſecuti ſunt Burgundiones: demum Franci, quorum Dux Pharamundus primus ſe Franciæ Regem appellavit anno CCCCXX. Tandem Clodovæus, Syagrio Ægidii filio P. P. occiſo, imperii Romani milites & magiſtratus e Galliis penitus expulit.

Notitia.

Sub diſpoſitione viri ſpectabilis, Comitis Argentoratenſis, tractus Argentoratenſis.

G. PANCIROLI COMMENTARIVM

De Comite Argentoratenſi caput LXXV.

ARGENTORATVM civitas eſt in Germania prima, inquit itinerarium, ſecundum Rhenum, nunc Argentina dicta. Marcellinus, Aurelius Victor, cum Paulo Diacono, Argentariam vocant. Habet Germania prima Maguntiacum metropolim & Argentoratum: quibus, præter Ducem provinciæ, datus eſt huic Comes illi Dux, ut plures irruentibus in agrum Rom. hoſtibus cum ſuis copiis occurrerent. Huic igitur urbi & ejus tractui proprius Comes cum manu militum præerat, Argentoratenſis nuncupatus. Nulli ſub eo Numeri recenſentur; ſed legionem VIII. Sebaſtam, id eſt Auguſtam, Ptolemæus hic collocat, quæ minimum continet 1000. pedites. Ejus inſignia ſunt liber, eodem modo dorſo inſcriptus, & codicilli, ut in aliis Comitibus eſt dictum. Munitionem magnifice extructam habet. Supra ſcriptum eſt ARGENTORATENSIS, & infra SVB DISPOSITIONE VIRI SPECTABILIS COMITIS ARGENTORATENSIS TRACTVS ARGENTORATENSIS. In quo erant Vangiones & Treveri ſecundum Rhenum ſiti. In indice hic Comes quartum locum tenet, heic poſtremum. Officii etiam illius aut militum nulla fit mentio, quod ea loca tum ab hoſtibus tenerentur. Gothi enim antea Gallias ingreſſi rurſus ſub Ataulpho Rege circiter annum ſalutis 413. eas repetierunt;

perierunt; ac biennio poſt Burgundiones partem Galliæ Rheno conjunctam tenuerunt, quæ ab illis nomen accepit. Circiter annum vero 430. Aëtius Comes, Belgicæ partem Rheno proximam, quam Franci occupaverant, recepit: ſed illi rurſus irruentes, poſt multa & varia prælia, tandem eam obtinuerunt.

Notitia.

Sub diſpoſitione viri ſpectabilis Ducis Mogontiacenſis.

PRÆFECTVS militum Pacenſium Saletione.
Præfectus militum Menapiorum Tabernis.
Præfectus militum Anderecianorum Vico Julio.
Præfectus militum Vindicum Nemetes.
Præfectus militum Martenſium Alta Ripa.
Præfectus militum ſecundæ Flaviæ, Vangiones.
Præfectus militum Armigerorum Mogontiaco.
Præfectus militum Bingenſium Bingio.
Præfectus militum Baliſtariorum Bodobriga.
Præfectus militum Defenſorum Confluentibus.
Præfectus militum Acicenſium Antonaco.
Officium autem habet idem ſpectabilis Dux hoc modo.
Principem ex officio Magiſtrorum militum præſentalium alternis annis.
Numerarium a parte peditum ſemper.
Commentarienſem a parte peditum ſemper.
Auditorem.
Subadjuvam.
Exceptores.
Singulares, & reliquos officiales.

PANCIROLI COMMENTARIVM,

Cap. XC. De Duce Mogontiacenſi.

MOguntiacum, nunc Moguntia nuncupata, itinerario metropolis eſt Germaniæ primæ, ſecundum Rhenum. Cui ut & ejus tractui præerat Dux Mogontiacenſis. Reliquæ Germaniæ primæ alius Dux præfui, & alius Argentorato; quæ & ipſa ejusdem provinciæ erat urbs clarisſima. Ob incurſum Hunnorum tot in eadem provincia copiarum Duces eſſe oportuit, ut hoſtium furori facilius occurrerent, cum unus tam multis in locis ſufficere non poſſet. Marcellinus, ſub Conſtantio principe Gerantium, quem in exilium egit, ſub Valentiniano Florentinum Magontiaci Ducem fuiſſe, ſcribit.

Inſignia habet eadem, quæ & alii Duces cum XI. oppidis, quot erant & Præfecti. Officium vero hoc modo: Principem ex officiis Magiſtrorum militum præſentalium alternis annis, Numerarium a parte peditum ſemper, Adjutorem, Subadiuvam, Regerendarium, Exceptores, Singulares, & reliquos officiales. Itinerarium in hoc tractu VII. alas, & III. legiones locat. Sed Notitia XI. legionum Præfectos ſine Equitibus recenſet, & ſunt ſequentes.

PRÆFECTVS militum Pacenſium Saletione reſidebat. Saliſſonæ in itinerario. Eſt prope Argentoratum. Saliſionem Marcellinus vocat, de quo & ſequentibus ita ſcribit: *Audiens Argentoratum, Britomagum, Tabernas, Saliſonem, Nemetas, & Maguntiacum civitates Barbaros poſſidere, primum omnium Britomagum occupavit.* Hæc una eſt ex legionibus XXXII. Comitatenſibus.

PRÆFECTVS militum Menapiorum Tabernis habitabat. Hujus loci itinerarium meminit, vulgo Tabern. In agro Argentoratenſi Tabernas & Tres tabernas Marcellinus nominat, quas dirutas a Juliano Apoſtata reſtauratas fuiſſe ſcribit. *Julianus* inquit, *ad reparandas Tres tabernas, munimentum ita cognominatum, haud ita dudum obſtinatione ſubverſum hoſtili: quo ædificato conſtabat, ad intima Galliarum ut conſueverant adire, Germanos arceri; & opus ſpe celerius conſummavit.* Hæc ille. Menapii ſunt populi Galliæ Belgicæ, vulgo Geldrenſes dicti. Hæc una eſt ex XXXII. legionibus Comitatenſibus.

PRÆFECTVS militum Anderecianorum, Vico Julio præſidebat. Andes Celtarum populi, a Cæſare Andegavenſes appellantur, ex quibus & Rhetiis hos milites conſtare arbitror. Vico Julium vero eſt Vicus Julii oppidi in Belgis vulgo Julach dicti, prope Maguntiam. Itinerarium legit Juliaceum.

PRÆFECTVS militum Vindicum Nemetes incolebat. Nemetes non longe ſunt a Maguntia ad Rhenum ſiti, ubi Spira. Nemetacum corrupte eſt in itinerario. Vindices a Cajo Julio Vindice Gallo dicti, qui Galbam Imperatorem creavit cum Galliis præeſſet, a Verginio vero Rufo profligatus ſe ipſe interfecit.

PRÆFECTVS militum Martenſium Altam Ripam incolebat. Erat etiam Ripa alta in Valeria, ubi Equites Dalmatæ excubabant. Martenſes vero ex Martia oppido Belgicæ videntur deducti, & ſunt una ex XVIII. Pſeudocomitatenſibus occidentis.

PRÆFECTVS militum ſecundæ Flaviæ Vangiones tuebatur; nunc Vormatium dictum. Et ipſi ſunt ad Rhenum prope Treviros. Hi milites ſunt pars legionis Flaviæ ſecundæ virtutis, quæ eſt una ex XXXII. Comitatenſibus. Hæ omnes erant ſub præfectis legionumque partes.

PRÆFECTVS militum Armigerorum, Mogontiaco præerat. Tacitus & Ammianus Magontiacum, Ptolemæus Mogontiacum, Magontiam Eutropius & itinerarium appellant, quo nomine nunc vocatur.

Ea

Ea eſt ſedes Archiepiſcopi ad Rhenum, ubi oſtia Mœni fluminis. Armigeri una erat ex XII. legionibus palatinis.

PRÆFECTVS militum Bingenſium Bingio præſidebat, a quo milites nomen tulerunt. Itinerarium legit Vingio. Ejus Tacitus & Marcellinus meminerunt, vulgo Bing dicitur. Hanc Julianus Apoſtata acquiſivit. Marcellinus, *civitates*, inquit, *occupata ſunt ſeptem, caſtra Herculis, Quadriburgum, Stricenſium, Nemeſium, Bonna, Antennacum, Bingio.*

PRÆFECTVS militum Baliſtariorum Bodobrigam incolebat. Baudobrico legit itinerarium. Germaniæ oppidum eſt ad Rhenum.

PRÆFECTVS militum Defenſorum Confluentibus, *ubi*, inquit Ammianus, *Moſella Rhenum influit.* Unde Confluentes nomen habuerunt. Hujus loci meminit itinerarium. Legionem primam ſeu Trajanam ibi olim collocatam Ptolemæus ſcribit. Defenſorum Armigerorum legio erat una ex XXXII. Comitatenſibus.

PRÆFECTVS militum Acincenſium Antonaco præerat, Antonacio in itinerario, Antennaco apud Ammianum. Antenocenſe caſtellum nominat Fortunatus. Oppidum eſt ad Rhenum, vulgo Andernach dictum. Ab Acinco vero, quod oppidum Valeriæ Notitia ſupra aſcribit, Acincenſes hi milites ſunt appellati. Sicut & Acincenſis Fabrica ibi ſita.

Horum militum numerus non ponitur, ſed legionibus in præfecturas diviſis, ſingulæ millenos, & quandoque quingenos, ſecundum Conſtantinum Porphyrogennetam, capiebant. Neque enim hoc tempore legiones, ut olim, erant ſex aut ſeptem millium; quas etiam ſuo ſeculo exhauſtas fuiſſe Vegetius conqueritur. Poterant omnes milites eſſe ſex millia.

Excerpta ex PHILIPPI CLUVERII introductionis in geographiam

LIBRO TERTIO

De veteri Germania.

CAP. I.

GErmaniam, quæ nunc terrarum cultu, urbium ſplendore, ædificiorumque magnificentia, cum Italia conferri, reliquis vero regionibus præferri poſſit, *terris informem, montibus aſperam, cultu aſpectuque triſtem, in univerſum ſylvis horridam, aut paludibus fœdam, utrisque inviam,* veteres prodiderunt. In tantum res mutantur.

Nomen Germanorum unde deductum ſit, varium inter autores eſt certamen. A Gallis id inventum, & quinque primo Germanorum nationibus, Eburonibus, Condruſis, Segnis, Cæræſis & Pæmanis, e Germania in Galliam transgreſſis inditum, qui poſtea uno itidem fuere nomine Tungri dicti, ex Cæſaris, Taciti, Dionis, & aliorum ſcriptorum monumentis clarum fit rimantibus. Id poſtmodum Gallorum Romanorumque uſurpatione in univerſam gentem Transrhenanam tranſiit. Ipſa gens ſuo ſibi vocabulo ſemper appellata fuit Teutiſci, vulgo *die Teutſche*, ab ipſius veri æternique Dei, rerum omnium conditoris, antiquiſſima pluribusque gentibus uſurpata appellatione *Teuth.* Ab hoc enim illi, & a primo mortalium *Manno*, id eſt, Adamo, e terra condito, originem ſe ducere prædicarunt: ut latius infra dicetur. Ad limites Germaniæ quod attinet, vehementer errant illi, qui latius nunc quam olim Germaniam patere ex Ptolomæi Geographia adfirmant; maxime ei, qui duplo majorem faciunt. Secus mihi ſententia eſt, qui dimidio minorem cenſeo. Elſatiam, Lotharingiam, Treviros, Luceburgenſes, Brabantios, Juliacenſes, dimidiam partem Geldriæ, Hollandiæ, omnem Selandiam, ac Flandriam hodie acceſſiſſe, ajunt: ego acceſſiſſe nego, manſiſſe aſſevero. Quippe Plinius jam inde Germaniæ limitem ac Scaldim fluvium protendit. Idemque ſimul & Tacitus, ab usque Sequanis omnem Rheni citeriorem ripam Germanos accoluiſſe tradit. Apud Cæſarem ipſi Rhemi, Belgica natio, ultro teſtati ſunt, Belgas pleroſque eſſe ortos a Germanis. Ex Gallia quidem una Helvetia, ex Illyrico veteri Vindelicia & Noricum, quæ inter Alpes Danubiumque ſitæ ſunt regiones, item Pannoniæ ſuperioris pars, extra veteris Germaniæ limites nomenque cenſitæ fuerunt. Verum eis oppono quicquid eſt terrarum hodie Poloniæ citra Viſtulam amnem, qui terminus olim Germaniæ fuit; item Bojohæmum; quarum regionum ſermo aperte genus atque originem incolarum indicat. Pruſſios etiam atque Livones, quia Germanica lingua utuntur, Germaniæ acceſſiſſe illi cenſent, quum antiquitus Venedi, Sarmatica gens, incoluerint. Ego & hos acceſſiſſe nuper, nego; manſiſſe a multis ſæculis, ajo. Quippe Æſtios, qui olim totam Livoniam ac Pruſſiam omnemque fere dexteram ripam Viſtulæ late patentem occuparunt, diſertiſſimis verbis Germaniæ adſcribit Tacitus. Idem auctor, & Plinius, regiones hodie Norvagiam Suediam ac Fennos, & quidquid terrarum Oceano ſeptentrionali, Moſcoviæque confiniis ambitur, Germaniæ attribuunt. Quin etiam Peucini, alio nomine Baſtarnæ dicti a Viſtulæ fontibus olim ad Pontum usque Euxinum & Iſtri oſtia extenſi, Germani fuerunt, teſtibus iisdem ſcriptoribus. Vetuſtiſſimi igitur Germaniæ termini fuere; ab occaſu Rhenus amnis & Oceanus Germanicus; a ſeptemtrione Oceanus ſeptentrionalis ſive Hyperboreus; ab ortu Granvicus & Finnicus ſinus, mare Suevicum ſive ſinus Codanus, Viſtula amnis, a fonte ejus linea ad Sarmaticos montes ducta, qui a ſeptemtrione in meridiem ad Danubii usque ripam protenſi, ibi oppidum nunc Hungariæ *Vacia;* dein a meridie ipſum Danubii flumen. Poſtea vero portiones ei ex Gallia ad lævam Rheni ripam, & ex Sarmatia ad ſinum Codanum & dextram Viſtulæ ripam acceſſerunt, ut dictum eſt. Longitudo ejus ſumma fuit a Scritofinniæ promontorio, vulgo *Noortkiin*, quod in Oceanum ſeptemtrionalem excurrit, ad Danubium usque, mill. Germ. CCCC. Latitudo vero maxima a Rheno amne juxta Baſileam, ad

zed by Google

ad Amadocam usque paludem, quæ in confiniis Ruſſiæ, Lituaniæ ac Podoliæ ſita eſt, mill. Germ. CC.

CAP. II.

Diviſio veteris Germaniæ, ac primum de Vindilis & Ingævonibus.

Genera Germanorum quinque a Plinio traduntur, Vindili, Ingævones, Iſtævones, Hermiones, & Peucini, qui & Baſtarnæ.

Vindili.

Vindili, etiam Vinili, & Vandili, Vandalii, & Vandali Romanis ſcriptoribus ſimul & Græcis dicti ſunt. Horum nationes fuere, Gothones, qui & Gotones, Gutones, ac Gythones, Gothi & Gotthi auctoribus dicuntur; nunc Caſſubiæ pars ad Viſtulæ infimam partem, quæ proprie *Pomerellia* nunc dicitur: ubi nobis natale ſolum. Carini, Pomeraniæ pars, in qua oppida *Stolpe, Colberg, Cörlin, Camin.* Lemovii, ea pars Pomeraniæ, in qua *Stetin, Uſedom, Wolgaſt, Gripiswolda.* Rugii, antiquitus circa *Rege* flumen Pomeraniæ & opidum *Regenwolde*, dein in inſulam transgreſſi, quæ etiam nunc Rugia, vulgo *Rügen* appellatur. Varini, in Meckelburgenſi ducatu, circa flumen & opidum *Warne.* Angili ſive Anglii, reliqua Meckelburgenſis agri pars, ad Lybecam usque. Eudoſes, Suardones, Nuithones, pars Meckelburgenſis agri, Pomeraniæ Marchiæque proxima. Caviones, pars Marchiæ, Dannebergenſi Comitatui proxima. His contermini Deuringi, ſive Thoringi, in eadem Marchia, circa opida *Havelberg & Rapin.* Longobardi, in Marchia media, vulgo nunc *Middelmarch*, inter Albim & Viadrum amneis, circa opida *Grabow, Brandenburg, Berlin, Brötzen.* Semnones, in portionibus Marchiæ, Miſniæ, Luſatiæ, Sileſiæ, atque Poloniæ, inter Albim & Wartam amnem in Viadrum defluentem. Burgundiones, in partibus Caſſubiæ ac Poloniæ, inter Gotones ac Semnones.

Ingævones.

Ingævonum populi fuere iſti. Chauci, qui & Cauchi, & Cauci; inter Amiſiæ Albisque oſtia utramque accoluerunt Viſurgis ripam ſupra Bremam opidum; deinde usque Mindam, qua Chattis jungebantur. Qui apud Tacitum Foſi; reliquis auctoribus Saxones appellantur: horum tota fuit Holſatia ad Cimbricam usque peninſulam. Poſtea omnem oram maritimam occuparunt ab Albi ad Rheni usque oſtia: unde cum Anglis in Britanniam inſulam abiverunt. Cimbri omnem eam tenuerunt peninſulam, quam nunc antiqui nominis itidem gens incolit Iutæ. Teutoni Danicas incoluerunt inſulas; quarum maxima vulgo *Zeeland*, Melæ dicitur Godanonia, nempe a gente Teutonorum, qui variantibus dialectis jam tunc dicebantur Dani Godani & Codani: unde totum hoc mare etiam dicitur Codanus ſinus eidem Melæ ac Plinio, quod Tacito mare Suevicum, quia utrumque Suevi accoluerunt, ut mox oſtendam. Regiones trans dictum mare, quæ nunc ſub Norvvegiæ ac Suediæ Finniæque maxime nominibus veniunt, immenſas Germaniæ inſulas eſſe, falſo crediderunt veteres, quum verius ſint peninſulæ. Harum maximam, quæ Norvvegiæ Suediæque regna continet, a proxima gente quidam dixerunt Scandiam & Scandinaviam: alii a freto, quod eſt inter Danicas inſulas, vulgari vocabulo *Belt*, Baltiam: quod vocabulum poſtea corruperunt in Baſiliam. Altera peninſula, vulgo nunc *Finland*, Plinio dicitur Finningia. In Scandia populi Scandii, ſive Scanii: vulgo nunc *Scanen*, unde toti peninſulæ nomen. His contermini fuere Hilleviones, nunc *Halland.* Ultra utrosque incoluerunt Sitones, nunc Norvegii, vulgo *Norrige*, & *Norge:* quorum terra jam antiquiſſimis Græcorum autoribus dicta Nerigon. Ultra hos ſunt Marchiofinni, vulgo *Marchfinnen.* His continuantur Scritofinni, vulgo *Scritfinnen;* extremi verſus ſeptemtriones apud promontorium, Rutubæ Plinio, vulgo nunc *Noortkiin.* His proximi ſunt verſus orientem Lappiones, ſive Lappii, vulgo *Lappen:* infra hos verſus meridiem ſunt Suiones ſive Sueones, nunc Suedi, vulgo *Sweden.* Infra hos Gutæ ſive Guti, quorum regio nunc vulgo *Gutland.* Hi falſe vulgo appellantur Gothi, & regio eorum Gothia; quum hi fuerint iidem & Gothones ad Viſtulæ oſtia: ut ſupra dictum. Sed hic jam eſt antiquus ſcriptorum error: unde ridiculæ illæ Jornandi fabulæ de Gothorum origine. Finni Ptolemæo ac Tacito dicuntur Fenni, quod nomen hodieque ſervant, variatis dialectis, vulgo *Fennen* & *Finnen* dicti.

CAP. III.

De Iſtævonibus, Hermionibus, atque Baſtarnis, item Suevia, & veterum Germanorum habitationibus.

Jam vero Rheno proximi erant Iſtævones: horum nationes fuere Friſii, Bructeri, Angrivarii, Chamavi, Anſibarii, Dulgibini, Chaſſuarii, Marſi, Tubantes, Marſaci, Sicambri, Ubii, & qui in horum poſtea agros ſucceſſerunt, Uſipii, Tencteri, Juhones, Mattiaci; prætereaque antiquiſſimis temporibus Marcomanni, Harudes & Sedusii: qui tres populi poſtmodum in Bojohæmo inter Hermiones ſedes locarunt. Ex his omnibus Friſii, Marſaci & Bructeri quo ſitu fuerint, jam ante in XVII. inferioris Germaniæ provinciarum deſcriptione dictum eſt. Sed Bructeri poſtea inter ſuperiorem Luppiæ amnis partem & Agrippinenſem Coloniam coluerunt. Marſi, antequam Druſiana foſſa, quæ eſt in Geldria inter Arnhemum & Dusburgium, facta eſt, ſuperiorem Velaviam & Zutphanienſis comitatus partem, qua opida ſunt *Dotechum Grolle & Bredefort*, incoluerunt. Foſſa autem facta, pars eorum intra Rheni divortia incluſi novum vocabulum Marſacorum, ſive Marſatiorum, adſumſerunt; de quibus ſupra: pars autem veteri nomine ſervato in interiora conceſſerunt, inter Amiſiam & Luppiam amneis, oppidumque *Dulmen.* Angrivarii, Bructeris proximi, primum inter Amiſum & Viſurgim amneis, qua eſt oppidum *Minden*, coluerunt: Chamavi vero, ſupra hos inter Amiſiam & Ledam flumen, quod Amiſiæ paullo ſupra Emdam miſcetur. Poſtea vero utraque gens Bructeris expulſis

agros

agros eorum occuparunt: Chamavi verſus occidentem: Angrivarii verſus ſeptentriones. Hinc Dulgibini tenuerunt inter opidum Paterbornam & Viſurgim, qua *Flotow* ei opidum appoſitum. In his Quintilius Varus, cum tribus legionibus, cæſus ab Arminio Cheruſcorum duce, inter opida *Diermelle* & *Horn*. His proximi verſus meridiem fuere Chaſſuarii, qui & Chattuarii, inter Paterbornam & Viſurgim, qua ei opidum *Huxer* impoſitum; pars quondam fuere Chattorum. At Anſibarii tenuerunt inter Viſurgim & lacum *Dommel*, apud quem opidum *Diepbold*. Tubantum varia ſemper fuit ſedes, ad ſuperiorem Amiſiæ partem. Sicambri Rheni ripam tenuerunt a Colonia Agrippinenſi ad Rheni uſque divortium; ab oriente vero uſque ad Cattos, circa fontes Luppiæ, & opidum *Medebach*; poſtea a Tiberio in Galliam transportati, ubi inter Moſam & Rhenum Gugerni dicti. Horum agri portiones deinde tenuerunt in Rheni ripa Uſipii, ſive Uſipetes, & Tencteri: hi apud Coloniam, illi ad Rheni divortia. Ubii in Germania Rheni Mœnique dextras ripas tenuere, ad Coloniam uſque, ab oriente Chattis contermini. Horum agros, Chattorum poſtea partes, occuparunt Juhones & Mattiaci. Horum fuit ſuperior ripa & Naſſovienſis comitatus, cum Wetteravia & Haſſiæ parte, qua Marpurgium nunc eſt, quondam Mattium dictum; unde genti nomen; illi inferiora tenuere, cum Weſtervvaldia. Marcomanni, antequam cum Seduſiis & Harudibus in Bojohemum migrarent, fines habuere inter Rhenum, Danubium, Cocharum & Nicrum amneis. Seduſii inter Cocharum, Nicrum, Rhenum & Mœnum: proximi his fuere Harudes, ad lineam a fonte Mœni ad Danubium uſque & opidum Ingolſtadium ductam. Alemanni Gallorum fuere colluvies ſub Cæſare Auguſto, quum Maroboduus Marcomannos Seduſioſque & Harudes, in Bojohæmum deduceret, in horum fineis inter Danubium Rhenum ac Mœnum transgreſſi; unde & nomen.

Hermiones.

Hermiones verſus meridiem ad Danubii uſque ripam incoluerunt. In his populi fuere iſti: Cheruſci, Chatti, Hermunduri, Nariſci, Marcomanni, Quadi, Oſi, Gothini, Lugii, Burii, Marſigni. Cheruſcorum agros nunc tenent Brunſvvicenſes, ac Luneburgenſes: Chattorum Haſſi & Thuringi. Hermunduri, ab initio inter Salam & Albim & Bojohæmum incoluere Voitlandiam & Miſniæ Saxoniæque ſuperioris parteis; deinde quum Harudes cum Marcomannis ac Seduſiis in Bojohæmum transgreſſi, Harudum porro agros illi occuparunt ad Danubium uſque. Hi poſtea proprie Suevi dicti ſunt. Nariſci tenuerunt inter Bojohæmi occidentale latus & Danubium lineamque a Mœni fontibus ad opidum Ingolſtadium ductam; poſtmodum Armalauſi dicti. Marcomanni Seduſii atque Harudes, Maroboduo duce, a Rheno in Bojohæmum transgreſſi ſunt: ubi tamen Seduſiorum Harudumque nomina obſcurata vel prorſus extincta. Quadi antiquitus inter Bojohæmum Danubium & Marum flumen incoluerunt; poſtea vero nomen eorum ad Sarmatica uſque juga, quæ ſunt in Hungaria, inter duo celebriora quondam opida *Erlam* & *Vaciam*, protenſum fuit. Oſi Moraviæ ac Sileſiæ parteis coluere, inter opida *Oſtram* & *Oſwiecziim*, quorum hoc Viſtulæ illud Maro impoſitum. Infra hos fuere Gothini, itidem Sileſiæ partem inter Mari Vartæque fluminum fonteis colentes. Hinc Lugii, magna gens inter Vartam & Viſtulam, Poloniæ partem tenuere, ad opidum uſque Vladiſlaum Viſtulæ appoſitum. His contermini verſus occidentem Burii, inter Vartam & Viadrum; his Marſigni inter Viadrum & Bojohæmum, utrique finitimi Semnonibus ſupra dictis.

Baſtarnæ ſive *Peucini.*

Baſtarnas quondam a Viſtulæ dextra ripa ad oſtia uſque Iſtri incoluiſſe, ſupra dictum eſt. Ipſos quoque oſtiorum inſulas tenuiſſe, quarum maxima dicebatur Peuce, nomen eorum alterum Peucini indicat.

Æſtii, quos Livoniam Pruſſiamque inhabitaſſe, ſupra dixi, cui quinque generum adſcribendi ſint, dubito: quum ab Rheno quondam in has ſedes inter Ingævones Baſtarnaſque profecti fuerint. Diſtinguebantur in Hirros atque Scyros ſive Sceros: hi Pruſſiam, illi Livoniam habuere.

Suevia.

Cæterum, Suevia antiquiſſimis temporibus erat: quicquid ab occidente Bojohæmicis montibus, Sala, Albi, & Trava amnibus, ſinu Codano, ac mox mari Germanico; a ſeptemtrionibus mari glaciali; ab oriente ſinu albo, lacu Albo, ſinu Botnico, mari Codano, & Viſtula Maroque; a meridie Danubio includebatur. Quod ſpatium Suevi incoluerunt, in nationes ſupra memoratas diſtincti. Eorum antiquiſſimi nobiliſſimique Semnones fuere, utramque late accolentes ripam Viadri, qui amnis antea Suevus dictus; unde genti nomen, & a gente poſtea mari cognomen Suevico, vulgo nunc *die Ooſt-Zee*. Sed poſterioribus ſæculis Suevi proprie habiti ſunt, ceu peculiari nomine, Suevorum pars, Hermunduri: quorum nunc etiam poſteritas durat in regione, quæ vulgo dicitur *Swaben*.

Priſcorum Germanorum habitationes.

Nullas, inquit Tacitus, *Germanorum populis urbeis habitari, ſatis notum eſt: ne quidem pati inter ſe junctas ſedes. Colunt diſcreti ac diverſi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit.*

CAPUT IV.

De Vindelicia & Norico.

Antequam hodierna Germaniæ explicentur, terrarum inter Alpes & Danubium primum exponenda erit antiquitas; nam hæ jam circa annum Dom. CCCC ab Alemannis Marcomannis ac Quadis occupari cœperunt, perpetuoque in hunc uſque diem ab iiſdem nationibus poſſeſſæ ſunt. Unde etiam partes factæ Germanici Imperii. Inter Rhenum igitur, ſive quem Rhenus tranſit, lacum Brigantinum, & Lichum amnem, Rhætos: inter Lichum & Ænum Vindelicos: inter hos & Cetium

montem, qui ad Viennam deſinit, in Danubii ripa, Noricos ponit Ptolomæus: ſed falſo: ut ex Strabonis Pliniique patet Geographia, ſimulque ſitu regionum. Namque Rhæti Alpes tantum incoluere, & earum valles, a Septemtrione ad lacum usque Brigantinum. Sub Alpibus ad Danubium usque fuere inter dictum lacum & Ænum flumen Vindelici. Hinc ad Cethium usque montem Norici; quorum hi etiam ipſas Alpeis tenuerunt apud Fori Julii regionem. Nomen habuerunt a Noreja, urbe ſupra Aquilejam ſita. Reliqua opida clara fuere iſta: Ovilia *Wels* nunc: in Danubii ripa Vindoniana quod corrupte Vindobona & apud Ptolemæum corruptius Julobona, vulgo nunc *Wien*; Lauriacum, nunc *Lorck*. Vindelicorum caput fuit Damaſia, quæ poſtea, colonia Auguſti Cæſaris auſpiciis deducta, Auguſta Vindelicorum dicta eſt. Cætera loca maxime celebria fuere, Juvavium, ſive Colonia Jovavia, vulgo nunc *Saltzburg*. Dein Reginum, ſive Regina caſtra, vulgo nunc *Regensburg*; nomine a flumine Regino, vulgo nunc *Regen*, olim tracto. Hinc Batava caſtra, vulgo *Paſſaw*: & prope hoc opidum, apud Danubii Ænique confluenties, Bojodurum; quod nomen accepit a Bojorum trajectu, qui a Marcomannis e Bojohæmo pulſi in has oras transmigrarunt, quas etiam nunc eorum poſteri tenent, nomine nunc vitiato, Bavari; ſuperioribus ſæculis & Bajoarii, ac Bojovarii dicti. Reliqua opida fuere, Abuſena, *Abenſperg*: Guntzia, *Guntzperg*: Campodunum *Kempten*: Abudiacum, *Fueſſen*, Iſiniſca, *Munchen*.

CAP. V.

De fluviis ſylvis ac montibus Germaniæ.

Celebriores Germaniæ fluvii iidemque navigiorum capaces ſunt: Oceanum petentes; Rhenus, ſecundus claritudine Europæ: qui lacum Brigantinum, vulgo *der Bodenſee*, tranſiens, recipit Nicrum, vulgo *der Necker*; & Mœnum, vulgo *der Meyn*; Luppiamque, vulgo *die Lippe*. Hinc Amiſius ſive Amiſia, vulgo *die Ems*; Viſurgis, *die Weſer*, ſuperiore ſui parte *die Werre*. Inde Albis, nunc vulgo *die Elbe*, Salam, vulgo *die Sale*, una ſecum devehit. In ſinum Codanum ſeſe effundunt, Chaluſus ſive Trava, vulgo *die Trave*: Viadrus, antea Suevus & Plinio Guttalus dictus vulgo nunc *die Oder*: Viſtula ſive Viſtillus, *die Weixel*. At Danubius, vulgo *die Donaw* & *Danaw*, omnium Europæ maximus, a dextra ripa ex Vindelicia Lichum, vulgo *die Lech*, & Ænum, vulgo *der In*, a læva Navam, vulgo *die Nabe*, & Marum, *die Marck*, in Pontum Euxinum defert.

Sylvarum Romanis monumentis celebratæ ſunt; Hercinia, totam fere olim Germaniam occupans; proprie tamen ſic circum Bojohæmum appellata; vulgo nunc *der Bohaymerwaldt*. Bacenis, quæ & Semana, vulgo nunc in Brunſvvicenſi Ducatu *der Hartz*, antiquam Hercyniæ memoriam ſervans. Gabreta, vulgo *der Döringerwaldt*. Luna, inter Moraviam Poloniam & Hungariam. Martiana, ſeu forte rectius Hartiana, nunc *der Schwartzwaldt*. Cæſia, ad dextram Luppiæ amnis ripam, haud procul Veſalia.

Montium nobiliſſimum jugum Hercynium, Bojohæmum cingens, qui & Suditi montes. Dein Abnoba in Ducatu Würteburgenſi circa Danubii Nicrique fonteis. Taunus, ex adverſo Moguntiaci, vulgo *der Hayrich*. Rhætico, ex adverſo Bonnæ, *das Siebengebürge*. Melibocus in Brunſvvicenſi Ducatu, apud Semanam ſilvam, vulgo *der Blocksberg*.

CAP. VI.

De incolis Germaniæ.

De origine gentis Germanorum, multi hoc noſtro ſæculo multa fabulati ſunt, nugatique Germani ſcriptores. Antiquus juxta & gravis imprimis auctor Romanus Tacitus, in libro quem de hac gente conſcripſit: *Celebrant* (inquit) *carminibus antiquis,* (*quod unum apud illos memoriæ & annalium genus eſt*) *Tuitonem Deum terra editum, & filium Mannum, originem gentis conditoresque.* Mannus hic erat Adam, *Theut* vero, ſive *Tuit*, ipſe Deus rerum omnium auctor: qui e terra condidit formavitque primum hominem, Germanis *Man*, Hebræis *Adam* dictum. Ab hujus igitur *Theut* nomine tota gens ſibi nomen adſcivit, *Theutiſci*, ſive, variante dialecto, a *Tuit Tuitiſci*, vulgo *Teutiſche* & *Tuytſche*. Vnam eandemque linguam antiquiſſimis temporibus fuiſſe per univerſam Hiſpaniam, Galliam, Britannicas inſulas, Germaniam & Illyricum, omnesque has nationes in univerſum Græcis dictos fuiſſe Celtas, ſupra in deſcriptione Galliæ dictum. Cæſar in comm. de bell. Gall. *Gallos*, ait, *a Dite patre ſe prognatos prædicaſſe*: quem illi haud dubie intellexere eundem. *Tuitonem*, Germanum: quando Lucanus illorum Deum *Teutatem* memorat. Eundem vero Teutatem Mercurium coluiſſe Hiſpanos, auctor eſt Livius. Ex hoc igitur argumento, ſimulque ex illo de lingua Celtica, colligere licet, omnes prædictas quinque nationes uno vocabulo olim dictas fuiſſe Teutiſcos, *Teutiſche*. Aſcenazem Noachi pronepotem ab urbe Babylone in diſperſione gentium huc deduxiſſe ſuos, alibi demonſtratum eſt. Hinc poſtmodum Hebræis ſemper gens Germanorum dicta fuit *Aſchenazim*. Cæterum, nationes nonnullas jam antiquiſſimis temporibus a Germania in Gallias commigraſſe, Gallos in Germaniam transgreſſos, tradunt apud Romanos maxime Cæſar & Tacitus. Helvetii inter Danubium Rhenum & Mœnum Bojohæmumque, loca tenuere: ipſum Bojohæmum Boji, unde nomen regioni. Poſterioribus ſeculis, quum Germanorum diverſæ nationes Gothi Burgundi Rugii Vandali Langobardi Marcomanni Quadi, alii in Italiam, in Galliam alii & Hiſpa-

Hiſpaniam, proficiſcerentur; conterminа olim trans Viſtulam gens Venedi, ſive Vinedi, quæ iidem & Slavi, magnam Germaniæ partem occuparunt, ad Albim uſque. Hinc crebra in Sileſia, Luſatia, Miſnia, Marchia Brandeburgenſi, Meckelburgenſi Ducatu ac Pomerania, Slavonica urbium caſtellorum ac vicorum nomina. Gens ipſa adhuc incolit totum Bojohæmum atque Moraviam, Luſatiæ item agros magna ex parte.

CAP. VII.

Quota pars Germaniæ ſubjecta fuerit Imperio Romano.

At operæ pretium fuerit, antequam ad hæc noſtra ſecula pergam, primum indicaſſe, quota pars olim Germaniæ Romanorum armis debellata fuerit. Primi igitur Germanorum Romanis nomen ſuum dederunt armaque noſcenda, Cimbri atque Teutoni, ultro Galliam Italiamque petentes: quos C. Marius partim in Gallia, partim in Italia ſub ipſis Alpibus vicit. Cæſar poſt hunc, dum Gallia domita Rhenum transgreſſus Germanos irritavit, perpetuum Romanis bellum cum Germanorum gente concitavit. Reliqua omnia, quocunque arma tulerint, prona illis fuerunt. Germanos ingentibus ſæpe exercitibus triumphatos magis quam victos, ipſimet Romanorum fatentur ſcriptores. At quota pars horum armis tot ſæcula Germaniam petentibus perdomita fuit? Maximis equidem ipſorum Romanorum cladibus, debellati fuerunt populi Rhenum inter & Albim, Auguſti Tiberiique auſpiciis: at poſt hos nihil ſub imperio ſuo retinuerunt, niſi Rheno proximos Friſios, Vſipios, Tencteros, Iuhones, Mattiacos, & his conterminos Alemannos: qui tamen non origine Germani ſed Galli fuerunt, ut ſupra dixi. Sed & hi mox circa annum Chriſti cc rebellarunt, Galliamque crebris incurſionibus vexarunt. Quo tempore quoque cepit Francorum nomen (quod ſibi omnes populi inter Rhenum Albimque incolentes, in unum corpus congreſſi, novum a libertatis argumento impoſuerunt) protinus & ipſi Galliam crebris incurſionibus depopulantes. Reliqua ultra Albim Danubiumque Germania intacta ſemper manſit: quæ & ipſa poſtmodum Suevis, ut ſupra dixi, Gothis Burgundis Vandalis & Langobardis aliiſque nationibus emiſſis, ultro Romanum Imperium petiit, totumque propemodum occupavit. Marcomanni & Quadi Danubii accolæ, jam inde a M. Antonini imperio, Vindeliciam Noricum & Pannoniam Romanorum provincias petere cœperunt. Nec ante Martia hæc Germanorum gens quievit, donec toto Romano Imperio per varias provincias occupato, ipſum tandem Imperii nomen decuſque in fines ſuos pertraheret.

CAP. VIII.

De variis Germaniæ regnis, ac noviſſima ejus diviſione.

Cæterum, liberis olim rebuspubl. Germani, inter Rhenum Danubium Viſtulam & ſinum Codanum, egerunt; principes tamen plerique ſuos habuere, quos falſo nomine ſæpe reges vocant Romani. Ultra ſinum Codanum duo fuere jam inde ingentia regna, Sitonum in Norvegia, & Sueonum in Suedia: quæ etiam nunc durant: niſi quod Norvagiorum imperium translatum eſt ad Danos. His poſtea acceſſerunt Czechorum in Bojohæmo, & Polonorum ad Viſtulam amnem. At Saxonum, Duringorum, Francorum orientalium, Suavorum ad fontes Danubii, ac Bojoariorum, quæ iisdem fere tempeſtatibus orta fuerant, circa Caroli M. tempora abolita ſunt. Hic tandem, Romanorum Imperio in Germaniam delato, in varias provincias atque Ducatus eam diviſit: Norvagia Suedia Daniæque parte, trans mare Suevicum, ac Polonia cis Viſtulam, jam tum a Germania avulſis. Hinc Germania in duas partes, id eſt, in ſuperiorem & inferiorem, diviſa eſt. In ſuperiore ſunt regiones iſtæ: Helvetia, Alſatia, Suevia, Würtenbergenſis ducatus, Bavaria, Franconia, ſive Francia Orientalis, Palatinatus Rheni, Bojohæmum, Moravia, Auſtria, Stiria, Carinthia, Carniola, Tirolis. In inferiore, præter xvii provincias, quas vulgari nunc vocabulo vocant Belgium, ſunt: Leodienſis Epiſcopatus, Lotharingia, Juliacenſis Ducatus, Colonienſis Trevirenſis Moguntiacenſis Archiepiſcopatus, Clivia, Weſtfalia, Haſſia, Düringia, Saxonia, Miſnia, Luſatia, Sileſia, Marchia Brandeburgenſis, Pomerania, Meckelburgenſis Ducatus, Holſatia. Helvetii, poſtquam ↄↄcccc prope annis in Germania, ac noviſſime ſub Germanorum Imperio computati eſſent, jugo tandem Imperii excuſſo, ccxx circiter annos libere agunt. Cæterum, Othone III. imperante, (ut vulgaris opinio eſt,) inter Germaniæ Principes conventum atque decretum fuit, ne quis, niſi Germanici nominis Princeps, Rom. Imperator crearetur. Atque tum Septemviri conſtituti, quibus ob eligendi Imperatorem poteſtatem Electorum nomen inditum. Horum tres Eccleſiaſtici, iidemque Archiepiſcopi & Archicancellarii S. Imperii. Primus, Moguntiacus in Germania: Secundus, Colonienſis in Italia: Tertius Trevirenſis in Gallia. Quatuor reliqui ſunt ſeculares. Primus, Rex Bojohemiæ, pocillator: Secundus, Palatinus Rheni, dapifer: Tertius, Saxo, enſifer: Quartus, Marchio Brandenburgenſis, cubicularius.

HERMANNI CONRINGII
De
Antiquiſſimo ſtatu Helmeſtadii & viciniæ conjecturæ.

Sereniſſimo Principi ac Domino

D. AVGVSTO DVCI BRVNSVICENSI ET LVNEBVRGENSI,

Domino meo clementiſſimo.

QVæ hoc libro docui, Sereniſſime Princeps, Domine clementiſſime, illorum tantum non omnia & auditu eſſe nova, & a receptis in commune ſententiis haud parum diſſidere, neque volo ego diffiteri, neque me id auſum non facile res ipſa confutaret. Non dubitavi ſcilicet de Helmeſtadii veſtri viciniæque illo etiam ſtatu aliquid affirmare, qui fuit prius, quam orbis univerſus aquis inundatus, & hominum & animantium plerorumque, ut & aliarum rerum, genus pene omne ſuum inuſitata jactura perdidit. Oſtendi autem, hiſce etiam in locis varia etiamnum ſupereſſe immenſi illius cataclyſmi indicia; quantaque paſſim heic terrarum jam tum olim immanium gigantum & vis fuerit pariter & multitudo. Docui porro, ſediſſe & heic quondam Gothos, eosque cum Helmeſtadio, tum vicinis locis quammultis ſua dediſſe nomina: idque factum antea, quam illi in Scandinaviam migraverint: quod utique perquam eſt diu. Non temere præterea quis alius Cauchis, fortiſſimo quondam id nominis populo, quaſi & illi ad hæc loca pertinuerint, gratiam ullam retulit. Ego vero, etiamnum illos ſuperare, nec aliam eſſe gentem, quæ jam aliquam multis ſeculis Saxonum cognomento heic utitur, quæve hodie Saxonica audit lingua, illam reapſe Cauchicam eſſe, vero ſaltim ſimile fortaſſis reddidi. Ante Saxones porro etiam Thuringos rerum heic potitos, & hoc nomen ab Hermunduris acceptum, poſtquam illi a Danubii ora huc fuiſſent repulſi, primus forte non uno probavi argumento. Cui denique Crantzii & Chytræi magna in hisce literis auctoritas non hactenus perſuaſerat, conditum Helmſtadium a Ludgero, atque ex eo cœnobitas habuiſſe dominos, donec poſtremo feudi lege Wilhelmo Duci ejusque poſteris fuit traditum? Demonſtratum autem abs me hoc libro eſt, nihil horum vero eſſe conſentaneum, atque Sereniſſimæ familiæ Veſtræ imperium in hoc oppidum longe eſſe vetuſtius, altiorique multum liberiorique origini ferendum acceptum. Quidquid eſt horum aliorumque ſimilium, mihi jampridem equidem fuit perſuaſum: cum tamen auſpicaturus vicarium Serenitatis Veſtræ in academia hac Julia magiſtratum verba in eam ſententiam Januario menſe feciſſem, fuſiorque illius diſſertationis quaſi illuſtratio a quammultis eſſet flagitata, induci me denique paſſus fui, juſto omnia commentario horis ſucciſivis comprehendere. Quamvis enim minime omnium me fugiat, quam ſoleat argumentum hoc univerſum a nonnullis pretii vilis æſtimari, neque ipſemet ego rei aliquod publicæ momentum in eo collocem: ſemper tamen credidi, ab eruditiſſimis quibusque omnis ævi magiſtris edoctus, ſaltim liberalis & erecti eſſe ingenii, etiam antiquiſſima quæque majorum veſtigia animo conſectari, non autem vulgi aut imperitorum ritu intra anguſta pedum ſpacia ſcientiam continere. Multis vero etiam aliis de cauſis, ad me pertinere Helmſtadii viciniæque res, arbitratus ſum. Jam nempe quintus ultra quadraginta effluxit annus, quando in hanc Juliam academiam ſtudiorum cauſa puer admodum ex Friſia miſſus, prima ſublimioris doctrinæ tyrocinia aliquamdiu heic exegi: revocatus poſt præter omnem exſpectationem ex Batavis, jam annos quatuor triginta fruor oppidi hujus aura, munere functus Profeſſorio. Interea quoque commodum mihi domicilium eſt heic partum, & ducta conjux, & numeroſa ſoboles nata, nec ab amicis aut rebus ad vitam neceſſariis unquam fui deſtitutus. Quibus omnibus hoc ipſum Helmſtadium, pro Norda natali oppido, non potuit non tandem allubeſcere. Ad hoc mea in proximo agro prædia, Serenitatis Veſtræ benignitate, equeſtribus inclyti hujus principatus bonis nuper inſerta, nec a viciniæ cura me alienum eſſe permiſerunt. Vt nunc taceam innumera, cum ab aliis hujus terræ plurimis, tum præcipue ab univerſa Sereniſſima Brunſvico-Luneburgenſium Ducum familia, & maxime a Veſtra Sereniſſima Celſitudine, accepta beneficia: quæ niſi Chauco-Saxoniæ hujus venerationem ſacram mihi reddidiſſent, fuerim equidem mortalium ingratiſſimus. Etiam ſingula ſane iſthæc non duntaxat veniam ſcriptioni huic invenire idonea ſunt; ſed graviter fortaſſis me incuſaverint, ſi veterem hanc rerum memoriam porro voluiſſem ſilentio tegere. Ne quid diſſimulem tamen, Veſtræ cumprimis Serenitatis auctoritas maximo mihi fuit ad ſcribendum incitamento. Nam & deſiderium hujus libri frequenter indicatum; cumque de gigantibus noſtris, ac vetuſto in Helmeſtadium Sereniſſimæ familiæ principatu commentarer, ex bibliotheca AVGVSTA & tabulario Ducali etiam adjutus ſum. Quin illis ipſis adeo cauſis, nomini Serenitatis Veſtræ conſecrandi hunc librum, aucta mihi eſt confidentia. Præterquam ſcilicet quod facere me illud jubeat univerſum libri argumentum, agens de oppido populoque Veſtræ ditioni ſubdito, ut & hereditariis in illa Brunſvico-Luneburgicæ Sereniſſimæ domus priſcis imperii juribus in lucem abs me erutis; illa præbita auxilia, illudque deſiderium, magis me magisque incenderunt. Et vero mihi certo polliceor, haud inacceptam fore hanc libri hujus conſecrationem: eoque jam tum & gaudeo plurimum & mihi

gratu-

gratulor: honorificum ducens placuiſſe Principi, qui Neſtori ipſi ut ſenio propemodum par, ita prudentia & rerum uſu neutiquam cedit, eruditione autem multum quoque antecellit. Menſis videlicet jam ſextus anni poſt octogeſimum ſeptimi agitur AVGVSTE Princeps: & tamen corporis ea ſuperat valetudo, qualis ſufficit ampliſſimi ducatus regimini: judicium promptum: ingenium adhuc vividum: memoria firma, eaque recentium non minus rerum quam veterum: labor indefeſſus expediendi omnia, non ſumma duntaxat ſed plurima etiam inferioris ordinis. Ne per fabulam quidem majora Neſtori, Heroum ſuorum ſapientiſſimo & maxime longævo, mendax Græcia auſa eſt tribuere. Quam latius longe patent autem curæ principatus hujus regendi AVGVSTE, atque illæ olim Neſtoreæ ad Trojam! Quam longe majore opus eſt ad regenda hæc prudentia, atque poſtulavit olim Trojanum bellum in Neſtore, ne primario quidem vel illius belli imperatore! Nullum denique Neſtor a doctrina laudem olim invenit: quam a primis usque annis Sereniſſima Tua Celſitudo feliciſſime coluit. Judicavi dignam celeberrimi Cruſii epiſtolam, qualem adjunxit Amalaſuenthæ Oſtrogothorum doctiſſimæ reginæ laudationi grandævus & optimus ſenex, quæ cum hoc libro ſaltim ab academica juventute legatur, in exemplum, quod imitentur probi quique & bono publico nati adoleſcentes. Manere vero, etiam hac ſera ætate, eandem comparandæ propagandæque doctrinæ induſtriam, teſtatur AVGSTÆ bibliothecæ, qua majorem nunquam hic ſol vidit, perpetuum incrementum. Ne quid nunc dicam de ſacro illo opere, cujus nunc demum felicia cœperunt exordia. Quidni itaque gratiſſimum mihi ſit, quod placeat meus liber tanto noſtri hujus ævi Neſtori, quodque illum ſenili adeo manui liceat tradere? Vtinam Serenitati Veſtræ ita prorogentur felices hi anni, uti mea hac etiam felicitate impoſterum frequenter frui mihi liceat! Hoc ſane voveo. Hoc opto. Hoc Deum obſecro.

Sereniſſimæ Celſitudini Veſtræ
ad conſilia & obſequia
devotiſſimus
H. CONRINGIVS.

HERMANNI CONRINGII de antiquiſſimo Helmeſtadii & viciniæ ſtatu conjecturæ.

CEnſorini libro de die natali cap. XXI. verba ſunt: *Varro tria diſcrimina temporum eſſe tradit. Primum, ab hominum principio ad cataclyſmum priorem: quod propter ignorantiam vocetur ἄδηλον. Secundum a cataclyſmo priore ad Olympiadem primam: quod, quia in eo multa fabuloſa referuntur, μυθικὸν nominatur. Tertium a prima Olympiade ad nos, quod dicitur ἱςορικὸν, quia res in eo geſta veris hiſtoriis continentur.* Hæc Varro. De Græcorum Latinorumque rebus, quas reſpexit, non male omnino: ad Germanica autem non recte transtuleris. Nec enim in monumentis, patriis quidem, de cataclyſmo & Olympiadibus ulla hodie memoria ſupereſt; & hiſtoriæ Germanicarum rerum primæ ab Græcis demum & Latinis ſunt petendæ, propriæ annum retro octingenteſimum vix excedunt: verum quoque fabularum, quarum indubie magna olim copia, quoniam carmina pro annalibus tum fuerunt, nihil fere hodie eſt reliquum. Non tamen ἄδηλον omnino dixero, quicquid rerum noſtrarum nec fabulis jactatum eſt, nec certis acceptum monumentis. Imo nec de Græcis id Latinisque rebus aut aliis illis affirmaverim. Eorum enim quæ ab hominibus fiunt, quædam opus aliquod externum poſt ſe relinquere ſolent: ex quo, deficientibus etiam hiſtoriis, ſedula collectione inſtituta, licet quamvis antiquiſſima nonnulla ſatis certo intelligere. Idque ut cataclyſmi etiam tempora antevertas, ſi quod opus ſuperfuerit illo vetuſtius. Quo de nemo dubitabit, gnarus demonſtratoriæ artis: quandoquidem ſcilicet effectus cauſæ naturam certo arguere idoneus eſt; eoque poſſit utique ex antiquiſſimis etiam operibus de tantorum operum auctoribus, quamvis nulla alia ſuppeteret memoria, certa & infallibilis inſtitui demonſtratio, ſi non ſemper, interdum tamen. Nec enim diffiteor, prout magis minusve certo opus ipſum cognoſcitur, ita & quæ hinc fit collectionem, nunc certam, nunc veriſimilem duntaxat, nunc & plane incertam eſſe. Nos de vetuſtiſſimo Helmeſtadii & viciniæ ſtatu nunc acturi, non niſi conjecturas pollicebimur: ne arrogantius quidpiam videamur promittere. Fortaſſis tamen ultra veriſimilitudinem excurrent illæ noſtræ meditationes, & habebunt ſaltim earum nonnullæ aliquid ἀποδεικτικὸν.

Eſt autem conjecturarum noſtrarum prima: *Helmeſtadium hoc & loca proxima quaque habitaſſe olim gigantei roboris* (a) *proceritatisque homines.* Argumento autem nobis ſunt opera quædam ſtupenda plane, & longe ſuperantia vires humanas,

(a) *gigantei roboris*) Dubium valde eſt, an unquam ingentes illæ vaſtorum corporum moles, quas giganteas vocant, fuerint. De affirmantium argumentis examinandis in progreſſu ſoliciti erimus. Id interim certum eſt, unam gentem præ alia ingenti corporum magnitudine fuiſſe conſpicuam, nec defuiſſe, qui humanæ magnitudinis propemodum exceſſerint formam. Conſtat omne quod, ut inconſuetum, nos in ſui abripit admirationem, ex ſenſuum & mentis quaſi obfuſcatione in nimium augeri, & magnitudinem ſæpe certam pro incerta poni, qui tamen modus, rerum quantitates æſtimandi, admodum fallax eſt. Ineptum eſt de ſtatura Adami quærere, & cum a natura, quænam humani corporis forma pro perfecta habenda, non ſit determinatum, proprie dici non poteſt, quænam ſit perfecta & quænam imperfecta. In quavis tamen gente, id quod ab ordinario corporis habitu diſcedit, aut vel ratione quantitatis aut qualitatis ex illius gentis opinione imperfectionem inducit, ut imperfectum reputatur.

Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Ejusmodi ſunt illa in oppido huic proximi montis jugo, circa ejus præcipitium, immania ſaxa ſaxis impoſita. Neque enim natura ipſa tale quid effecit: nec pares ſunt vires noſtræ tanto operi. Quorum neutrum quis negaverit, ſaltim qui expenderit & ſtructuram ipſam, quæ humanam vim manifeſto oſtendit, & cum magnitudinem tum pondus ſaxorum, quæ aliis nunc incumbunt. Non negavero, exquiſitis machinis tractoriis effici id & a noſtrarum virium hominibus potuiſſe. Nec enim me fugit, quanta *quinque potentiarum*, (a) quas appellant, mechanicarum vis ſit: & jam olim iſthac arte ſtupenda ab Archimede eſſe edita, ejusque doctrinam hanc Heronem ſingulari libro complexum, quem Βαρῦλκον ab argumento inſcripſit: qui niſi fallor is eſt, qui Arabice verſus inter manuſcriptos codices Lugdunenſis Batavorum bibliothecæ continetur. Talibus certe machinis etiam longe majora pondera levari & huc illuc diſponi poſſe, certiſſimum eſt. Et vero reapſe patrum quoque memoria talia præſtitit Romæ, in obeliſcis Ægyptiacis Sixti V. Pontificis ſumptu erigendis Dominicus Fontana. Num perinde artificioſis machinis olim & Ægyptii fuerint uſi in obeliſcis & pyramidibus, dubitem merito, lectis quidem expenſisque variis illis Herodoti & Diodori Siculi narrationibus, quas habet ille ſecundo, hic primo libro. Cæterum ut artificioſis ejusmodi trochleis, & quos axes in peritrochæo vocant, ſimilibusque potentiis mechanicis Germani quondam noſtri fuerint uſi, longe alienum eſt a *veteris ævi ruditate*. (b) Ea ſane fuit olim ſimplicitas, ea artium ejusmodi imperitia, ut a Germanis noſtris majoribus illas callidæ ſubtilitatis machinas in ſaxis iſtis collocandis fuiſſe adhibitas, omni careat ſimilitudine veri. Saxa certe ipſa cruda meram arguunt ruditatem: ut quæ nihil omnino artis præ ſeſe ferant. Jam vero ſi machinæ nullæ acceſſere, & tamen qualia noſtra ſunt corpora, effici ab iis tale nihil potuit: conſequens eſt, auctores operis fuiſſe viribus longiſſime robuſtioribus quam ſunt noſtræ. Tales autem nullæ unquam fuere niſi giganteæ. Ut proinde omnino ſit fatendum, vixiſſe quondam hic gigantes, tam inſanæ ſtructuræ conditores. Id quod erat demonſtrandum.

Vidit hanc argumenti vim jam ante hosce amplius quadringentos annos Saxo Danicæ hiſtoriæ ſupra ævi illius captum diſertus ſcriptor: quandoquidem & in extremæ ſeptemtrionalis plagæ altiſſimis nonnunquam montibus, cum ad eundem ut hic apud nos modum ingentia ſaxa ſaxis aliis impoſita, tum & ſeorſim collocata, non ſine ſequentis ævi hominum ſtupore viſuntur. Eoque hæc in verba erupit operi præfatus. *Danicam vero regionem giganteo quodam cultu exercitam, eximiæ magnitudinis ſaxa veterum buſtis ac ſpecubus affixa teſtantur. Quod ſi quis vi monſtroſa patratum ambigat, quorundam montium excelſa ſuſpiciat: dicatque, ſi callet, quis eorum verticibus tantos tantæ granditatis cautes invexerit? Inopinabile namque quivis miraculi æſtimator advertet, ut molem ſuper plana minime aut difficile mobilem, in tantum montanæ ſublimitatis apicem, ſimplex mortalitatis labor aut uſitatus humani roboris conatus extulerit.* Saxonis veſtigiis inſiſtens Olaus Magnus Suecus, non ex merito æſtimatus in vulgus hodie rerum ſeptemtrionalium ſcriptor l. V. cap. I. ſcripſit: *Regiones extremæ, Finmarchia, Biarnia, Scritfinnia, Helſingia adeo evidentia monumenta gigantum curioſis, ſeu ſtudioſis inſpectoribus ubique exhibent, ut admiratione prævia credere cogantur, tam ſublimem ſaxorum molem, tamque immanem collium congeriem, nullo naturæ compendio, ſed portentoſis hominum viribus fuiſſe congeſtam ac abſolutam: etiam in campis, ſylvis ac montibus regnorum Sueciæ Gothiæ ac Norvvegiæ, ubi ſimilia ſaxa conſpiciuntur.* His ſimilia quammulta habentur ejusdem Olai l. 1. c. 16. 17. & 18. Plane eodem argumento inductus ſcripſit Arngrimus Jonas, doctiſſimus Islandorum quotquot unquam literis famam ſibi pepererunt, *cap. 4. Deſcriptionis Islandiæ: In Norwegia, Suecia, & terris vicinis, ut quodque antiquiſſimum, ita gigantum indolem & naturam maxime refert.* Reſpexit ſcilicet etiam ille indubie ad ſaxea illa monumenta noſtro huic Helmeſtadienſi ſimilia.

Viſuntur autem paris ſtructuræ ſaxa paſſim in editiſſimis etiam quibusdam vicinis montibus: quos flexa ex Germanico voce *Hartzicos* (c) cum Alberto Stadenſi rectius forte appellaveris, quam cum eruditorum vulgo Hercynios, quoniam hæc vox Germanicis auribus inſolens, & Græcis duntaxat Latinisque ſcriptoribus olim jam ab Ariſtotelis ævo (nam & in hujus Meteorologico opere reperitur) memorata eſt, omnibusque ſeptemtrionalis plagæ ſylvis & montibus fuit tum communis. Illa Hartzica opera autem eo magis produnt gigantes ſtructores, quo magis excedit vires, immania ejusmodi ſaxa, in locis altiſſimis, ubi alias talia nulla ſunt, collocare, imo ex depreſſis iſtuc adducere, quæ nec in planis campis vires noſtræ moverint. Enimvero equidem eadem de cauſſa dixerim, a gigantea quoque manu eſſe illa ex inuſitatæ magnitudinis lapidibus congeſta monumenta, quæ ſuperant in Hümmelincko Monaſterienſis regionis parte alibique in Weſtphalia, quamvis nullis montibus difficili loco. Nec enim vel illis ſtruendis noſtra corpora fuiſſent paria, nullis ſuppetentibus machinis: quarum defectum etiam ibi arguit ſaxorum ruditas.

Gigan-

(a) *quinque potentiarum*) Ut ſunt vectis, axis in peritrochio, trochica, cuneus & cochlea, vid. SCHOTTI *curſ. mathemat. lib. XV. c. 3. p.* 431.

(b) *veteris ævi ruditate*) Non opus fuit, ad erigenda talia monumenta, giganteo illo & fictitio robore; nec Fontanæ machinis; ſed a coadunata hominum multitudine, adhibitis vectibus, maximæ etiam magnitudinis ſaxa in locum aliquantulum etiam eminentem attolli potuerunt. Vid. Dom. *d'ECCARD programma de antiquiſſimo Helmſtadii ſtatu.* Scio eſſe, qui tradunt, ipſi diluvii aquarum violentiæ ſaxorum illorum coacervationes adſcribendas eſſe. Sed dubito, an ordinata illa lapidum conjunctio & unius ſuper alium impoſitio, elemento, quod facultate directrice caret, tribui queat. Deinde ſaxum, quod quidam maris impetus remiſſius agens in alium lapidem devolutum ibi reliquiſſet, alius fluctus vi venti vehementius exagitatus & impulſus iterum dejeciſſet.

(c) *Harzicos*) Harzicæ ſylvæ prima fit mentio apud ARISTOTELEM *lib. I. meteorolog.*

Giganteum porro opus omnino etiam ſunt illa, quæ in altiſſimo monte Blanckenburgici comitatus, quem Homburgum appellant, longo ſatis tractu ſuperant in iisdem Hartzicis mœnia. Accolis hodie vulgo *Dæmonum mœnia* (a) audiunt; quaſi nulla humana vis illis ſtruendis potuerit ſufficere. Cæterum, ita quidem ex ſaxis immanibus congeſta ſunt illa mœnia, & illa eſt muri iſtius longitudo, ut vires humanas, quales illæ nobis ſunt cognitæ, ſtructura iſthæc multum exuperet; giganteum tamen robur neutiquam excedit. Ut proinde dæmonibus cum vulgo adſcribere neceſſum haud fuerit opus, quod a gigantibus potuit effici. Eſto igitur potius ſecundi generis indicium giganteæ in vicinia habitationis.

Non petam probationem a ſtupenda arce Reinſteinia: quæ tota fere ex vivo ſaxo prope Blankeburgum exciſa eſt. Hoc enim potuit & a noſtræ ſortis hominibus fieri: quamvis ſit forte ſine exemplo in Germania quidem, & gigantes ejusmodi in ſcopulis & rupibus exciſas domos habitaſſe olim alibi terrarum, multis liceat teſtimoniis oſtendere. De *Siciliæ Cyclopibus* (b) ſane id veterum multi olim tradiderunt, imo & de ſeptemtrionalis *Americæ* (c) Chichimecis Mexicani etiamnum narrant, teſte *Joſepho Acoſta l. 7. hiſtoriæ Americanæ cap. 3.* At vero ipſa etiam humilitas cœnaculorum & cubilium Reinſteiniæ arcis, ſatis forte indicat non in uſum gigantum illa exſtructa eſſe.

Majoris roboris argumentum gigantei quondam incolatus vicinorum ſaltim locorum, queat videri accipi poſſe ab repertis ibi giganteis oſſibus. Et vero de Baumanni quem appellant ſpecu, famæ dudum in Hartzicis itidem prope Blankeburgum celeberrimæ, Henricus Eckſtormius ita ſcribit: *Inventa eſt in hoc ſpecu integra compages oſſium humani corporis, ea magnitudine, quæ longe ſuperet, qualia nunc hominum producit corpora tellus: quæque non dubie evincant, fuiſſe olim homines gigantea magnitudine præ reliquis præditos.* Simile antrum vero & in iisdem montanis eſt prope *Schatzfeldam:* (d) ubi ſæpius effoſſa itidem ſunt oſſa inuſitatæ magnitudinis. Servat in cimeliarchio ſuo Sereniſſimus Princeps Antonius Ulricus, AUGUSTI Ducis ut filius ita & virtutum æmulus, quo eſt inſignium rerum congerendarum ſtudio & φιλόκαλος, inde acceptum femoris os, longitudine æquans ulnam noſtratem integram & quadrantes prope tres, triginta circiter librarum, etſi nonnulla ejus fractura perierint. Nactus & ipſe ſum indidem præter oſſa alia partem inferiorem femoris, ea magnitudine & illo pondere, ut totum quidem ſi non ſuperaverit, ſaltim æquaverit femur prius illud. Cum femur autem integri corporis, quod quidem juſta eſt membrorum συμμετρία, ſit pars quarta, manifeſtum eſt, homines illos, quorum femora adhuc ſuperant, fuiſſe proceritate ulnarum ſeptem aut quatuordecim pedum geometricorum. Quæ magnitudo longe quidem eſt infra eam, quæ in cadaveribus gigantum Siciliæ fuit deprehenſa, ut quorum unum, Thoma Fazello *dec. 1. l. 1. cap. 6.* teſte, fuerit octodecim, unum viginti duorum, unum viginti cubitorum: ut & infra magnitudinem Chichimecorum Americanorum, quorum dens molaris viſus Acoſtæ eſt æquare pugni virilis magnitudinem, quales & aliis ſunt viſi: ne quid nunc dicam de illo immani corpore, quod Solinus memorat cubitum fuiſſe trium atque triginta. Vere tamen & hæc proceritas gigantea fuit: atque adeo & hæc oſſa antiquiſſimorum ſunt gigantum reliquiæ. Nec tamen audeo ego hinc certo aſſerere, iſtos gigantes olim heic locorum habitaſſe; quandoquidem in cavernis illis reperiuntur etiam oſſa ignotorum plane huic orbi animalium, & ex iis quæ paulo poſt adferemus forte manifeſtum fiet, ex longinquis regionibus in illos ſpecus vi aquarum quam multa potuiſſe pervenire. Ut proinde firma collectione nequeat probari, oſſa illa quæ ſuperant, reliquias eſſe priſcorum incolarum hujus terræ.

Alii forte & cum Goropio Becano (cujus γιγαντομαχία multam hominis doctrinam arguit, cum pari tamen dementia conjunctam) hæc oſſa dixerint non hominum ſed belluarum, aut vero & luxuriantis naturæ luſus eſſe. Et vero Goropius aliique eum ſecuti non verecundati ſunt, hisce prætextibus nihil non giganteum eludere. Quo forte & Peireskius propendit: quantum colligere eſt ex hiſtoria illa, qua vitam viri optimi inuſitata diligentia perſequutus eſt Petrus Gaſſendus. Cæterum hoc quidem impudentiam fere ſapit. Multorum enim fide dignorum hominum conſtantibus teſtimoniis, in iis quæ & in oculos incurrerunt & manibus palpata ſunt, nolle credere, haud profecto caret culpa. Jam vero ſpectatæ palpatæque ſunt integræ adhuc compages giganteorum corporum, humana utique non belluina figura: ubi non locum habet deceptio, quæ ſparſis oſſibus poteſt incauto ſubrepere. Suffecerit legiſſe unum Thomam Fazellum de Siculorum gigantum corporibus. Quamquam ex omni ævo liceat æque certa ejus rei teſtimonia in medium adducere. Etſi porro imperitioribus imponant belluarum pro humanis ſuppoſita oſſa ſingula: non tamen idem de omnibus, & quidem humanam ὀςεολογίαν edoctis, fas eſt ſuſpicari. Poſſe vero naturam, relictam ſine omnibus adminiculis, oſſa undequaque perfecta condere, qualia in fœtu primum conformantur, deinde in adultis diuturna nutritione animali perfici ſolent, id vero eſt ἓν τῶν ἀδυνάτων. Eoque ſolius naturæ luxuriantis luſui tribuere confectionem tot in uſus vitæ conformatorum & omnibus modis abſolutorum oſſium, utique ſine nota ſummæ abſurditatis haud licuerit.

Haud

(a) *Dæmonum mœnia*) Sed hæc haud dubie, ut alia in vicinia, naturæ opus ſunt.

(b) *Siciliæ Cyclopibus*) Quæ de his traduntur, poëtarum ſunt figmenta. PHILOSTRATVS.

(c) *Americæ*) Notum eſt itineraria mendaciis perſæpe indulgere. Interim negare nolo, & in terris extra Europam formidandæ cujusdam vaſtitatis exſtitiſſe homines. Conf. FREZIER *dans la relation du voyage de la mer de Sud, & ROGER dans le voyage au tour de monde.*

(d) *Schatzfeldam*) Quæ in Baumanni & Schazfeldenſi ſpecubus ſub giganteorum oſſium ſpecie fallentia reperiuntur, aut naturæ luſus, aut belluarum marinarum vel terreſtrium, cataclysmo biblico vel alio quodam deletarum, cadavera eſſe non uni contendunt. Quod autem plura præter univerſale illud Germaniam noſtram inundaverint diluvia, ex variis ſtratis, gloſſopetris, conchyliis, teſtis, & membris animalium ſæpe refertis, & graminibus variis terra aluminoſa limo ſabuloque obductis apparere videtur; cum unum ſtratorum alteri ſuper impoſitum inveniatur. Vid. Dn. *ECCARD. l. c.*

Haud nego tamen, interdum belluarum oſſa pro humanis *ſolere venditari.* (a) Hinc fortaſſis non vane ſuſpicatus eſt Peireskius, quem ex Africa ſibi miſerat dentem Thomas Arcoſius, non gigantis ſed elephanti eſſe. *Fortaſſis* inquam: *vir enim multiſcius* fuit Arcoſius, ipſomet Gaſſendo fatente: ille vero ſignificarat ex ora Tunetana, *cadaver giganteum Tuneti effoſſum immenſæ magnitudinis.* Non etiam fortasſis fuit de nihilo illa Suetonii ſuſpicio, de ingentibus osſibus, *quæ gigantum ferebantur, cum eſſent immanium belluarum ferarumque membra prægrandia.* Dico iterum *fortaſſis:* mirum enim, ſi ipſemet Auguſtus belluarum ferarumque membra pro gigantum osſibus paſſus ſit ſibi ſubſtitui, & delectatus illis ſit, ceu *rebus vetuſtate ac raritate notabilibus:* quod ipſe Suetonius teſtatur factum eſſe *l. 2. cap. 72.* Agnoſco etiam miram naturæ vim in formandis variis figuris corporum etiam anima carentium, quæque adeo organica non ſunt, ac proinde certam figuram non videntur exigere. Et vero fateor, eorum quæ in lapidibus contingunt ejusmodi generis, eorum plærorumque hactenus neminem cauſſas docuiſſe. Quin imo, quandoquidem in nonnullis lapidibus, etiam eorum quæ mere ſunt artificialia imagines viſuntur, equidem non dubito profiteri, a geniis eſſe quicquid tale fieri ſolet. Solent autem ejusmodi imagines cumprimis in marmore jaſpide & achate conſpici. Quo de argumento hic agere, non patitur inſtitutum. Illud vero conſtat, neque belluina eſſe membra, neque naturæ luſus, quæ nos tanquam gigantum oſſa produximus. Illa tamen non liquido oſtendere, habitaſſe olim heic locorum gigantes cum jam tum ſimus confesſi, hunc quidem locum deſerere jam licebit.

Quandoquidem vero habitationem gigantum nihilominus aſtruxerimus, conſequens eſt inquirere in tempus illud, quo opera iſthæc gigantum fuerint condita, & gigantes adeo terras hasce coluerint. Igitur ex ſacris quidem literis diſcere eſt; cum ante tum poſt cataclysmum repertos in terris gigantes. De iis qui ante vixerunt, diſerta utique ſunt ſacra verba Geneſeos ſexto capite: *Gigantes* (b) *erant in terra in diebus illis.* Imo & ipſum primum totius humani generis patrem Adamum nonnulli haud dubitant gigantibus annumerare, inducti illo quod habetur Joſuæ cap. XIV. *Nomen Hebron antea vocabatur Kiriath Arba. Adam maximus inter Enacim* (c) *ibi ſitus eſt.* Verum ita quidem habet interpres vulgatus latinus: at *τὸ Adam* ibi potius eſt vox appellativa: quemadmodum a Sante etiam Pagnino aliisque doctisſimis quibusque & fidelisſimis interpretibus eſt accepta. Septuaginta qui appellantur Græci interpretes ſimpliciter habent *Ἀρβαὶ, μητρόπολις τῶν Ἐνακὶν αὕτη.* Utque vox Adam ibi fuerit proprium nomen, non eſt tamen quare certo debeat referri ad primum patrem noſtrum: potuit enim & gigantum aliquis hujus fuiſſe nominis. Et vero gigantes nonnihil ſerius cœpiſſe in terris, & quidem demum poſt illa filiorum Dei hominumve qui appellantur *connubia,* (d) ſic ſatis aperte ſcriptura indicat, ita ut pene videatur infelicibus illis nuptiis hos demum natos eſſe. Agnoviſſe vero & veterum gentium alios, ex antiqua & fabulis mixta majorum traditione, giganteam vim quæ cataclysmum præceſſerit, vel ex iis notum eſt, quæ de gigantibus illis canit Ovidius primo Metamorphoſeos libro. Imo quod in Orphei & Heſiodi eſt carminibus, de ortu gigantum ex cœli & terræ commiſtione, forte ſumptum eſt ex fama infelicium illarum, quas dixi nuptiarum. Poteſt autem ex illo Geneſeos loco, ipſa quoque jam tum ſparſa pasſim per terram gigantum multitudo haud obſcure colligi. Familiaris enim eſt ſcripturæ hæc indefinita dictio: *erant ſupra terram:* quando ſignificatum vult, aliquid per terram omnem fuiſſe diffuſum.

Quantumvis autem res ita ſeſe habeat, num tamen ad noſtras quoque terras iſthæc pertineant, nondum hinc conſtat. Fortasſis enim recentiores multo gigantes illi fuerunt, quorum labore inſana illa, quæ hodie hic miramur, monumenta ſunt conſtructa. Et vero diu poſt cataclysmum, ſaltim in Syriæ Palæſtinæ locis, iterum fuiſſe enatos aliquot gigantes, ſacra hiſtoria abunde itidem teſtata eſt. Multa etiam narrant Suecorum, Danorum, Norvvegorumque annales de gigantibus ſuis longe cataclysmo poſterioribus. Quæ inter cumprimis memorabile eſt illud de gigantibus Norvvegiæ, Olao Tryggonis Rege circa annum Chriſti nonageſimum quintum poſt nongenteſimum deletis: ut & alterum, de gigante quodam itidem Norvvegenſi cubitorum quindecim, a Magno Erici Rege anno poſt milleſimum trecenteſimum octavo triceſimo interfecto. Verum quoniam gentium illarum antiquæ omnes narrationes nituntur fide priſcorum carminum, fuerintque præter carmina & paucas rupium inſcriptiones non alia populorum illorum quondam hiſtorica monumenta, idque more communi omnium olim Germanorum, quod ex Tacito notum eſt, non magis tuto illis credas quam Græcorum Latinorumque poetarum fabulis: quæ ubivis gentium fuit ſemper carminum illaudabilis licentia. Parem certe fidem merebuntur, quæ Antvverpienſes & Wormatienſes de ſuis narrant gigantibus, & fabulæ de corneo Sigfrido, de proceritate Rolandi, & hujusmodi alia: quæ nemo prudens inter vera recenſeat. Utut ſit, poſt cataclysmum frequentes fuiſſe per hanc Germaniæ partem gigantes, nullo licet vel rerum indicio vel hominum teſtimonio oſtendere. Quanquam enim olim Germani in univerſum proceritate corporis eminuerint præ populis vicinis, infra tamen fuere giganteam prolixitatem: quod libro de habitu corporum Germanicorum latius perſequuti ſumus.

(a) *ſolere venditari*) *Ephemerides naturæ curioſorum decur. II. an. VI. obſ. 234.*

(b) *Gigantes*) In textu Hebræo eſt Nephilim, quod in genere malos ſignificat & ex SEBASTIANI SCHMIDII *verſione* a vera fide apoſtatas. Alia hic viri in hoc genere ſcientiarum facile principis eſt ſententia, nimirum Nephilim eosdem eſſe, quos Libnenſes Palæſtinos Eleutheropolitanos; ſicut omnes incolæ Palæſtinæ ſpecialis, quæ deinde corrupte Philiſtæa dicta, a capite regionis illius maritimæ Libna Nephilim dicti ſunt.

(c) *Enakim*) Interprete Scaligero Caini poſteri Henecim ſunt dicti; unde poſtea, omiſſa aſpiratione, & facta aliqua literarum transmutatione non inconſueta, Enackim venit.

(d) *connubia*) Rectius per filios Dei intelliguntur filii Sethi, & per filias hominum filiæ Caini.

ſuerus. Quidni tamen ſaltim pauci nonnulli præcipua quadam valuerint magnitudine? Octo ſcilicet aut novem pedum: quales fuiſſe nonnullos Burgundionum, in ſuo de Veſontione commentario notavit Chiffletius: ut octo pedum fuiſſe proceritatem Antonii Franchepain Brabantini, demonſtrat quæ in medicorum academiæ Juliæ collegio ſupereſt oſſium compages.

Quum igitur & ante & poſt diluvium illud magnum gigantes vixerint, difficile definitu videtur illud tempus, quo noſtri illi ſaxorum ſtructores heic locorum degerint. Si ſpacium tamen eſt novæ conjecturæ, eſto altera: *Gigantea hæc quæ ſuperant opera, diluvio ipſo illo antiquiora* (a) *eſſe, & tum potiſſimum a gigantibus hanc terram habitatam.* Id veriſimile fit propterea: quandoquidem in univerſum poſt diluvium non niſi rari gigantes viſi ſunt, quæ autem & hic & alibi ſuperant inſana monumenta, cumprimis illa Blankenburgenſia mœnia, numerum gigantum non exiguum demonſtrant. Quod ſi oſſa illa, quæ ex ſpecubus Bumannico & Schatzfeldenſi eruta diximus, hominum in hiſce regionibus natorum eſſe, affirmare liceret, apud me quidem minus dubii haberet conjectura. Verum jam tum ultro ejus rei incertitudinem profeſſi ſumus. Cæteroquin vero oſſa illa, quæ diximus gigantea, in cavernas illas deveniſſe vi quadam immani aquarum, indicant ignotorum plane orbi huic variorum animalium humanis illis incondite commiſta alia, & ipſa illorum ſpecuum ratio, quæ non admittit talia, niſi per confuſam aliquam violentiam. Nemo utique dixerit temere, in locis adeo tetris & abjectis, inter belluas, ipſosmet gigantes, ſuperbiſſima hominum monſtra, ſepulcrum ſibimet ipſis elegiſſe. Habeo vero ipſemet eruta ex ſpecubus illis oſſa brutorum, & vidi tractavique alia, quæ nulli Germaniæ quidem noſtræ animali conveniunt. Ex longinquis igitur locis iſthuc advecta eſſe neceſſum eſt.

Id quod quanam alia ratione fieri potuerit, quam ipſiusmet Oceani aquarum violentia non apparet. Neque vero alio ex orbe aliter huc transferri quid temere potuit. Jam vero Oceanus ejusmodi aliquem impetum in haſce usque terras facere non valuit, niſi excurſione facta ſuper omnes haſce terras, & montibus ſatis magnis ſuperatis. Quale quid unquam contigiſſe, niſi in cataclyſmo Noachico, ut omni caret teſtimonio, ita & ſimilitudine veri. Non potuiſſe vero non confluere in ejusmodi ſpecus diluvii tempore, quicquid aquis innatabat & volvebatur, facile ſuo quilibet perſuaſerit animo, & diluvii vim & horum antrorum conditionem probe expendens. Utique enim, quandoquidem aquæ omnium montium cacumina ſuperaſſent, & quicquid in terris animale vixerat enecatum, annum integrum huc illuc rapidis verticibus agitaſſent, non potuit viciſſim terræ ſuperficies ſiccari aliter, quam & Oceano cumprimis intra limites recepto, & aquæ reliquo per cavernas ſubterraneas in profundum usque, unde divinitus ante in ſublime educta fuerat, abſorpto. In eum vero uſum noſtri illi ſpecus aptiſſimi ſunt ob profunditatem & longitudinem plane infinitam. Quale quid de ſuo ſubterraneo hiatu, qui aquas diluvii abſorpſerit, Hierapolitanos ſacerdotes narraviſſe, cum aliis ſacræ de diluvio iſthoc hiſtoriæ perquam ſimilibus, teſtatur libro de Dea Syria Lucianus. Dum aquæ autem in ejusmodi hiatus ſeſe reciperent, non potuere non ſimul & cadavera hominum ac animalium aquis innatantia iſthuc transferri, quorum longi temporis tractu carne putrefacta, oſſa denique nonnulla manſerint reliqua. Et vero reperire hic licet interdum & oſſa humana minoris ſtaturæ: quales ſcilicet etiam ante diluvium plerique fuerunt hominum, etſi & gigantum haud exigua fuerit copia.

Tantum abeſt autem, hanc meam de giganteorum oſſium in ſpecus noſtros ſubterraneos per cataclyſmum translatione ſententiam, cui vero debere abſimilem videri: ut perquam probabile ſit, omnia illa gigantum cadavera aut oſſa, quæ per terræ motus aut vim aquarum ſubinde venerunt in lucem, eodem modo diluvii aquis periiſſe, & arenis aut terra fuiſſe obruta primum, inde iisdem arenis remotis rediiſſe in conſpectum. Jam olim vero meminit Pauſanias in Eliacorum priore oſſis ingentis e mari educti, quod Piſis cuſtoditum & Pelopis (falſo indubie) creditum fuerit: & Philoſtratus in Heroicorum initio teſtatus eſt, multa gigantum corpora in Pallene imbribus & terræ motibus retecta. Solini verba ſunt cap. 1. *Scripta quæ ex antiquitate memorias accerſunt in fidem veri, hoc etiam receperunt, quod bello Cretico, cum dicta flumina plus quam vi amnica terras rupiſſent, poſt diſceſſum fluctuum, inter plurima humi diſcidia, humanum corpus repertum ſit, cubitum trium atque triginta, cujus inſpectandi cupidine L. Flaccum legatum, Metellum etiam ipſum, impendio captos miraculo, quod auditu refutaverant oculis potitos.* Non illa vero duntaxat, ſed etiam ſingularia quædam oſſa, quæ ſive ex fluminibus per ingentes aquarum commotiones, ſive ex profundis terris, foſſione nudantur ſubinde etiamnum, cum alibi tum & in noſtra Germania, hujus ordinis eſſe, equidem intrepide aſſeruerim. Quis ſane infra aliquot orgya ſepulcrum conſulto cuiquam paraverit? Ibi vero interdum etiamnum giganteæ magnitudinis oſſa & membra deprehenduntur a foſſoribus, aut in aquis poſt magnas tempeſtates vel fluctuum turbationes a piſcatoribus: idque cum alias tum & in Germania noſtra. Enimvero & Rhenus & Danubius, & alii Germaniæ fluvii majores quique, ejusmodi ut & belluarum ignotarum oſſa protulerunt, quæ hodie quoque paſſim viſuntur. Ante hosce viginti etiam annos Crempſii Auſtriæ opido cadaver illud giganteum, altiſſime aliquot orgyis ducta foſſa, repertum eſt, quod cum alibi tum &

(a) *diluvio ipſo illo antiquiora*) Verum conjectura Domini Eccardi, recentioris ævi monumentum eſſe, non ſine ratione eſt. Cheruſcis veteribus terrarum harum inhabitatoribus adſcribere non audet, cum, teſte Tacito, talia ab ipſis negligebantur monumenta. Nec Thuringi ejus eſſe autores videntur, cum illos ſepulchra pluribus oneraſſe lapidibus non conſtet. Ad Saxones igitur eo rectius refertur, quo magis & in aliis regionibus, in quibus ſedes tenuerunt, & adhuc hodie tenent, ſimilia conſpiciantur monumenta. Evolvendi hic ſunt CAMBDENVS *in Britannia*, SCHATEN *in Weſtphaliæ hiſtoria*, UBBO EMMIUS *in hiſtor. Friſiæ.*

& in theatro Europæo, quod appellatur, parte quinta deſcribitur, adjecta imagine unius dentis, qui pondere æquavit octo uncias & drachmas quatuor Atticas. Omnia inquam illa quæ hactenus iſthoc modo inventa fuerunt gigantum oſſa, mihi quidem videntur diluvio hauſta, & arenarum terrarumque mole per aquæ vim fuiſſe obruta: donec vel alta foſſione, vel violentia fluminum, fuerint iterum detecta. Nec vero aliam cauſam dederis vel tam profundæ merſionis, vel novæ illius productionis in lucem.

Contra ea tamen, quæ hic propoſuimus, quatuor fortaſſe quiſquam nec injuria objecerit. *Primo*, quod lapidum monumenta ab antediluviano ævo ad noſtra tempora videantur haud potuiſſe integra perſtare: multo minus per tantum temporis intervallum potuiſſe oſſa ſervari. *Secundo*, quod ante diluvium hiſce in adeo remotis a Paradiſo locis haud videantur homines vixiſſe: eoque nec gigantes potuerint jam tum temporis monumenta iſthæc ſtruxiſſe. *Tertio* ſaltim veroſimile videri, ne quidem usque huc vim magni illius cataclyſmi ſeſe porrexiſſe. Hoc autem ſi eſt verum, nec homines tum hic vixiſſe; ut qui diluvio iſthoc haud periiſſent, cum tamen omne periiſſe hominum genus octo animabus exceptis, certisſimo conſtet ſacrarum literarum teſtimonio. *Quarto* denique, nomen monumento noſtro Helmeſtadienſi adhuc ſupereſſe a Lübbone, quia Lübbenſtein appellatur: hoc nominis autem ante diluvium non cœpiſſe, quoniam nulla traditione potuerit ad poſteros propagari.

Quantumvis autem ſpecioſa cuiquam hæc queant videri, reapſe tamen ſunt inania. Et vero quidni ſaxea monumenta posſint integra a diluvio usque ſupereſſe, cum in omne ævum a mundo condito durabilia ſint utique ſiliciæ duritiei ſaxa, qualia ſunt noſtra? Quantulum cataclyſmo recentior eſt ſtructura Babylonicæ turris? Et tamen ſuperant hodieque ejus rudera, quamvis latericii operis. Pyramides & obeliſci Ægyptiaci poſteriora ſunt, fateor: non ſilicia vero, & tamen adhuc integra, in Ægypto maxime quæ ſuperant; quod cumprimis ex Petri Bellonii libro de admirabili operum antiquorum præſtantia diſcere, fuerit operæ pretium. Oſſa animalium locis arenoſis ita condita, ut ab aeris attactu ſint libera, tandem lapideſcere compertum eſt. Inſinuat ſcilicet in omnes osſium meatus ſeſe exhalatio ſicca ac terrena, quæ & arenarum eſt genitrix, atque ita in lapidem oſſa denique indurantur. Quin & in terra argillacea ſive cretoſa, ut quæ itidem haud temere vel aquam vel aerem admittat, oſſa perquam ſicceſcunt, ita tamen ut non facile diffluant in pulverem: eoque & ibi quæ ſunt condita nullo admiſſo vacuo ſpatio plurimis ſeculis ſupereſſe idonea ſunt. Plane vero lapideam naturam induerunt oſſa omnia & Baumanniani & Schatzfeldenſis ſpecus; etiam illa quæ dudum hinc eruta Unicornu Hercynii falſo nomine ſolent venire, cum nil niſi variorum incognitorum animalium oſſa ſint in lapidem concreta. Quæ oſſa in illum modum ſaxea non ſunt reddita, illa a diluvio usque non potuiſſe ad nos transferri, etiam ipſimet fatemur. Quin adeo quod paucis osſibus hoc contigerit, hinc pauca tantum ſuperſunt, reliquis infinitorum animalium cadaveribus in pulverem dudum reſolutis, & putredine corruptis. *Primam* igitur objectionem nihili eſſe, utique hinc manifeſtum eſt.

Æque futilis autem eſt & *ſecunda*. Quid enim eſt quod *reddat veroſimile*, (a) non penetraſſe in terras haſce homines antediluviana tempeſtate? Vane jactaveris autem veroſimilitudinem aſſertionis, ſi neſcias quid demum veriſimilem illam faciat. Ex adverſo conſtat, homines tum fuiſſe miræ longævitatis, nongentorum ſæpe & ultra annorum. Ac proinde neceſſum fuit, ut ingens hominum multitudo per eadem tempora vixerit. Nec vero eſt quod opinemur, minus tum fuiſſe fœcundum humanum genus, quandoquidem non niſi paucorum memoria in ſacro codice ſupereſt, & Noachi tres tantum filii recenſentur, quum tamen ſexcentos jam annos natus arcam ſit ingreſſus, nepotes vero nulli. Memorati videlicet illi duntaxat, quorum memoriam ſervari ex re viſum ſancto Spiritui: ut proinde & Noacho forte plures longe liberi nepoteſque fuerint, ſed qui cum reliquo mortali genere perierint, quod pari fuiſſent improbitate. Si vero ſaltim ea quæ nunc obtinet fæcunditas tum fuerit, accedente iſta admiranda vitæ diuturnitate, non potuit non mille ſexcentorum annorum ſpacio excreviſſe illum in numerum humanum genus, ut vitæ commode degendæ cauſa, per univerſum terrarum orbem debuerit illud diffundi, ac proinde etiam hic ſeptentrio noſter incolarum fuerit plenus. Quin dixerim eodem argumento, etiam Americam tunc habitatam. Eodem, inquam, argumento. Nec enim moror fabulas de Atlantide, quibus aſtruere illud voluit Opmerius: aut Leſcharboti ineptias, in America ſi non creatum Adamum, ſaltim Noachum fuiſſe natum. Quicquid ſit autem de illa fæcunditate hominum qui ante diluvium vixere, ut & num illi in Americam penetraverint, Europam habitatam fuiſſe, ſola longævitas oſtenderit. Sed & quamvis nec hæc ratio habuerit vim ἀποδείξεως, cum tamen a nobis luculenta ſatis ſint adducta indicia gigantum antediluvianorum, & nec in ſpeciem quidem posſit aliquid adferri, quo iſthæc noſtra aſſertio falſitatis coarguatur, non profecto eſt quare cedere debeat noſtra ratione ſubnixa conjectura aliorum vanæ inanique gloriationi.

Tertium hactenus qui defenderunt in diverſas abiere ſententias. Præadamitarum enim fanaticus ille fabricator *Iſaacus Peyrerius* (b) ſolos Judæos periiſſe diluvii aquis, eoque nec alias terras quam Syriam eique proxima inundata, haud erubuit docere. Sed illius quidem hominis ea eſt impia veſania, ut non mereatur ejus aliqua aſſertio afferri in vim probabilis objectionis. Alii homi-

(a) *reddat veroſimile*) Veroſimilitudinem in eo quærunt, quod terræ hæ incultæ & ſteriles nonniſi ſumma urgente neceſſitate a cultoribus quibusdam occupatæ fuerint. Nec deſunt dubia, quæ circa longævitatem, de qua autor monet, moventur.

(b) *Iſaacus Peyrerius*) *Lib. IV. cap. 7. § 9.*

homines quidem octo exceptis periiſſe concedunt, itidem tamen intra Aſiam fere diluvii aquas concludunt. At vero Noachicum quidem diluvium fuiſſe vere univerſale, & omnem omnino terræ orbem cooperuiſſe, adeo claris & multis verbis in ſacris quidem eſt literis proditum, ut univerſales illas propoſitiones omnes, quæ habentur Geneſeos capitibus integris ſexto ſeptimo octavo & nono, particulares interpretando reddere, ſit vim facere ſacræ ſcripturæ: præſertim quum nihil ſit quod nos vel invitet ad ejusmodi violentas detorſiones inſtituendas. Ne nunc dicam, quod niſi fuiſſet univerſale diluvium, non potuiſſet deleri aquis omne animantium genus de terris, nec opus fuiſſet arca qua vel Noachus cum ſuis ſalvaretur; tantum abeſt ut fuiſſet opus, omnis generis animalia in ſicco degentia arcæ includere. Illud unum ſatis eſt attendi: quod non potuerint excelſiſſimos Armeniæ montes quindecim cubitis ſuperare aquæ, niſi ſaltim omni etiam Europa & Aſia inundata, aut vero miraculo quodam novo ficto quod aquas ſtiterit, ceu in mari rubro & Jordane quondam contigit. Poſſet vero in teſtimonium vocari & conſenſus illarum gentium omnium, apud quas diluvii illius memoria ſuperfuit: Chaldæorum, Græcorum, Latinorum, Sinenſium, aliorumque, ſi opus ſit. Aſt nec mei id inſtituti nec opus eſt, cum etiamnum rei tantæ indicia, per univerſum terrarum orbem, & hic quoque locorum, luculenta ſint reliqua. Et vero quæ in editiſſimis montibus reperiuntur marinorum conchyliorum teſtæ, liquido oſtendunt, mare quondam aquis ſuis cacumina illa altiſſima inundaſſe. Agnovit ſane hanc argumenti hujus vim olim Herodotus, Strabo, Polybius, Mela, Ovidius, Solinus, Philo, Plutarchus, Tertullianus, Iſidorus: quorum verba adducere facillimum fuerit, ſi hic locus pateretur. Agnoviſſe autem & ipſosmet Peripati principes, eorundem diſcimus teſtimoniis. Theophraſti enim verba ipſa adducit Philo *l. de mundi perennitate*, & non Eratoſthenem duntaxat ipſum, ſed etiam ex Eratoſthene Stratonem Lampſacenum & Xanthum Lydium idem docentes adducit Strabo *l. 1.* Olympiodorus quidem Alexandrinus non dubitavit, ad primum Ariſtotelis Meteorologicum ſuſpicari: *fortaſſe vehementiores ventos in altum teſtacea iſta abripientes a ſinubus maris usque ad juga montium celſiſſima projeciſſe.* Sed hoc quidem aperte nugari eſt. Majori veroſimilitudine docuit Goropius, iſthoc libro, quo Antvverpiæ ſuæ origines ſcrutatus eſt, teſtas illas natas in ipſis montibus vi iſthac, quæ animalium corpora fabricat: eoque & aſſentientem ſibi hac parte nactus eſt & Ulyſſem Aldrovandum *l. 3. de teſtaciis cap. 1.* Prudentiæ autem naturæ rerum nimium adverſatur, teſtas producere in nullius teſtati animalis operculum, ſed duntaxat quaſi in luſum inanem. Reperias vero & in abditiſſimis terræ, ut & in mediis ſaxis conchyliorum marinorum teſtas animalium vacuas: quæ cum itidem ibi genitæ non ſint, neceſſum eſt aquarum, quæ terræ molem omnem aliquando vehementer turbaverint, vi iſthuc delatas eſſe. Non conchyliorum autem duntaxat reliquias, ſed & pelagi belluarum oſſa ac dentes itidem, cum in altiſſimis montium jugis, tum ſub terra locis profundiſſimis, nonnunquam paſſim terrarum eſt deprehendere. Quæ itidem non ibi nata utique ſunt: ac perinde debuerunt aliquando iſthuc ex Oceano deferri: quod citra inundationem aliquam ingentem fieri haud potuit. Miror equidem Theophraſto placuiſſe, oſſa etiam ſponte in humo naſci. Sed forte Plinio id referenti non eſt habenda fides, ſi idem Theophraſtus ne de illis quidem, quæ in montibus ſunt, conchyliis tale quid credidit, quod paulo ante ex Philone notavimus. Par ratio autem eſt & arborum ſive integrarum ſive partium, quæ itidem ſub terris, ubi nec natæ ſunt nec humano quidem conſilio reconditæ, deliteſcunt. Nam & illa ligna quemadmodum iſthuc pervenire potuerint ſine violentiſſimo quodam diluvio, ne fingi quidem aliqua probabilitatis ſpecie poteſt. Equidem fateor horum nonnulla fieri potuiſſe per inundationes ab illa Noachica diverſas, & propendere iſthuc illa, quæ ab Ariſtotele diſſeruntur in Meteorologico primo. Quoniam tamen nullus cataclyſmus præter unicum omnium gentium memoria celebratur, qui quidem montes altiſſimos ſuperaverit, ſaltim pleraque horum autem tantam aliquam aquarum violentiam arguant; utique de pleriſque certo affirmaveris, de aliis valde ſaltim veriſimiliter, iſthac una tempeſtate omnia ea contigiſſe. Quin certe univerſa illa uno iſthoc tempore fieri potuerint, nihil prohibet: fingere autem, ſæpius aliquid eveniſſe, ſine ullo teſtimonio ſive hominum ſive ipſarummet rerum, quod omne uno potuit tempore fieri, ſaltim non vacat culpa ſive pertinaciæ ſive libidinis fingendi. Nec cui temere perſuaſerit Ariſtoteles noſter, adeo ingentes factas quidem ſæpius eſſe rerum omnium naturalium viciſſitudines, ſed memoriam omnem periiſſe. Mihi ſane id videtur eſſe *ἓν τῶν ἀδυνάτων*: ceu alias demonſtrabimus.

Ut vero ad res noſtras propius accedamus, Oceanum aliquando omnes haſce terras, & montes ipſos Hartzicos, inundaſſe, manifeſtum eſt non uno ſuperſtite indicio. Primum enim etiam hic marinorum conchyliorum teſtas reperias, cum in montibus aperte, tum in abditiſſimis locis fodiens. *Intra terram aluminoſam Hildesheimii animalium oſſa inveniuntur in lapidem mutata: prope Lyneburgum etiam in terra aluminoſa nigra & pingui, ex qua lateres ducunt, inveniuntur oſſa belluarum marinarum in lapides converſa, atque etiam dentes piſcium. In Hildesheimio quoque in terra aluminoſa inventum eſt lignum quernum in lapidem converſum. In eodem a regione arcis Mariaburgi, collis eſt plenus lapideis trabibus, quarum capita interdum eminent. Sunt vero perlonga acervatimque poſita, inque medio earum terra eſt colore nigra. Ferro aut altero lapide percuſſa, non aliter ac marmor Hildesheimium, cornu uſti virus olent.* Quæ omnia Georgius Agricola ſubterraneæ omnis rei ſcriptor incomparabilis annotavit, ſub finem ſeptimi de natura foſſilium libri. Accepta, quantum arbitror, ut alia pleraque id genus hujus regionis, a Valerio Cordo, ut qui Brunſvigæ & Hildesheimii vixerit omnium rerum naturalium ſtudioſiſſimus ſcrutator: cui ſe multa debere faſſus eſt ingenue Agricola præfatione in libellum, quo Latinarum dedit vocum metallicæ rei interpretationes, & poſſit haud obſcure liquere ex Sylva obſer-

vationum & notis ad Dioſcoridem Valerii hujus a Conrado Geſnero vulgatis. Quamvis autem trabes iſtas Hildesheimias non in lapidem verſas ſed ibi natas arbitretur Agricola: qui propius tamen illas ſunt contemplati iis hactenus non perſuaſit. Idem *libro ſexto* memoravit *cap. 26.* quas Germanum vulgus natricis linguas vocat, itidem Lyneburgi reperiri in terra aluminoſa. Quamvis autem id generis gloſſopetram nigricantem, ſuſpicatus & illud ſponte in terris naſci, appellaverit: falſum tamen id eſſe, quilibet deprehenderit vel ſola uſtione, qua ſcilicet in carbonem ſolvitur non in calcem inſtar lapidis. Sunt ſcilicet talia dentes carcheriæ, aut lamiæ, aliorumque cetaceorum marinorum. Quod præclare docuit ſingulari diſſertatione Fabius Columna, de Melitenſibus ejusmodi gloſſopetris diſputans. Jam tum vero & nos narravimus, in ſpecubus illis noſtris Schatzfeldenſi & Bumanniano, marinarum belluarum aliorumque ignoti orbis animalium oſſa integra frequentiſſime erui ex profundis arenis: neutiquam ibi nata ſed translata illuc, idque ex Oceano & per aquarum ejus violentiam. Et vero poſſim ego monſtrare volentibus & crania & maxillas inferiores belluarum iſtarum cum inſertis dentibus: quo penitus tollatur e medio error ille de dentibus ejusmodi ex terra natis. Perhibent multi, talia oſſa interdum & rapida vi Leinæ fluvii egeſta eſſe. Ingentis porro diluvii, quo regio hæc omnis plurimum fuit turbata, manifeſtum ſatis indicium præbent, quæ ſub paludoſa illa terra, quam Torſam vocant, (eſt autem miſcellanea quædam colluvies, erica præcipue & muſco demerſis, ac bituminis ſulphurisque nonnihilo conſtans) imo & ſub denſa argilla reperiuntur hic paſſim, in Lyneburgenſi cumprimis provincia, arbores cum integræ tum fractæ. Scio non deeſſe, qui & hæc ficta ibi credant ex humo: nec vere ligna eſſe, ſed cujusmodi fertur ebenum foſſile. Verum præterquam quod illos refellat ea, quam non ſemel jam attuli, ratio, prudentem nempe rerum naturam non ſolere corpora condere *ὀργανικὰ* in nullum vitæ uſum: utique integræ nonnunquam arbores ſuperant, quas nonniſi in luſum eſſe conditas nec ipſi auſint aſſerere. Sunt porro arbores illæ fere omnes uno quaſi eodemque collocatæ ſitu: radice nempe inter ſeptentrionem & occaſum, cacumine inter orientem & meridiem porrectis: cujus cauſam non profecto ulla veriſimilitudine dixeris jocantem naturam. At *proſtratas arbores* (a) a paludoſa terra, per Oceani ſeptemtrionalis cœcia aut cauro ventis agitati impetum ſuperjecta, id ſaltim quam eſt ſimillimum vero: præſertim quum ex illa cœli plaga & illis ventis ſævientibus, hodieque omni Germanicæ maritimæ oræ pericula inundationum plerumque creari ſoleant. Contingit autem hoc quoniam hi venti ex ipſo Oceani fundo ſurgunt, atque ita illum in altum extollunt, ceu fit in terræ motibus. Et vero factum idem indubie & cataclyſmi tempore, uti arido reddito Oceani fundo ipſe eo promptius altiſſimos montes obrueret. Quod de proſtratione arborum vero diximus, idem & circa Brugas, Flandriæ quondam urbem primariam, olim contigiſſe narravit Anſelmus de Boot libro de gemmis altero capite 158. *In fundis nonnullis,* ait, *prope urbem Brugenſem, dum ad decem vel viginti ulnas foditur, integra ſylva reperiuntur, arborumque folia & trunci tam exacte adhuc apparent, ut ſpecies arborum dignoſci, & foliorum etiam ſeries ſingulis annis delapſa diſtingui optime poſſit. Utuntur hujusmodi lignis & foliis carbonis vice, noſtro idiomate deerinck vocant.* Idem mox & hoc addit de ſuis illis ſubterraneis arboribus, quod earum cacumina & ſuperiores partes orientem verſus reſpiciant, idque quoniam vi occidentalium ventorum ſint proſtratæ. Quantumvis autem Bootius ille intra quingentos demum annos velit arbores id paſſas: deficiente tamen omni teſtimonio non utique tuto id aſſerere eſt. Ex adverſo, quoniam omnia cum harum regionum ut & Friſiæ ſubterraneis arboribus conveniunt, unico omnia impetu contigiſſe, & quidem quo tempore ipſimet montes hic aquis fuere tecti, h. e. ipſo illo cataclyſmo Noachico, per ſaltim eſt probabile. Neque vero eſt quod ſequius opinari quem faciat, quia etiam trunci ſine radicibus, & radices ſine truncis reperiuntur: id quod tamen Franciſcum Stellatum de Umbriæ ſubterraneis lignis turbavit. Nam aut impetu ſupervenientis terræ fractæ ſunt arbores nonnullæ, aut jam ante humana ope diviſæ fuere in partes. Et vero hac ratione etiam ebenum foſſile, quod Theophraſtus jam olim prodidit includi lapidibus aliis, tanquam fœtum in ventre, ex confracta arbore, & tandem in lapidem converſa naſci, malim equidem affirmare, quam cum Agricola, non niſi lapideum quid eſſe: cui meæ ſententiæ favet & Cæſalpinus *l. 2. de metallicis cap. 41.* Si non pſeudocorallium aliquod iſthoc nomine venerit, quod placuit Geſnero. Confirmat ſententiam meam, quod, eodem Agricola teſte, Hildesheimi intra terram aluminoſam, ad lignum in lapidem mutatum, & in ejus commiſſuris ebenum foſſile reperiri ſoleat. Quidni ſcilicet, qua ratione lignum quernum ibi in lapidem converſum, etiam illud quod ebeni foſſilis venit nomine progenitum ſit? Quicquid vero de ebeno illo ſit, certe arbores ſive integras ſive earum truncos aut radices, aut ramos, de quibus egimus, Oceani diluvio terris paludoſis tectas eſſe manifeſtum eſt. Non alio autem modo dixeris ſeſe rem habuiſſe & de fago: quæ integra ramis & foliis, in ſaxo cinereo duriſſimo, ſub terra altitudine centum octoginta ulnarum, lapidea & ipſa facta inventa eſt: ut & de ſude in ſepis uſum parata, cornu item uri, quæ Thuringi in profundiſſimis ſaxorum cavernis repererunt, aliisque ſimilibus Petro Albino in Miſnenſium montanorum chronico tit. XXII. n. VII. memoratis. Quid, quod & ea quæ ſuccino comprehenſa ſunt animalia, itidem indicent, olim ſub dio fuiſſe ſuccinum, quod nunc profundo mari obrutum eſt? Saltim nihil vetat autem ſuſpicari, ſuperfuſum mare vi magni illius cataclyſmi. Nec tamen ego nunc in argumentum meæ aſſertionis id adduxerim. Et vero abunde ſatis jam conſtat, de plurimis ſævientis quondam & hisce in terris cataclyſmi indiciis: jamque tum modum forte exceſſimus in iis hoc loco memorandis, quum

(a) *proſtratas arbores*) *ECCARDUS l. c.*

quum non niſi obiter in hanc doctrinam evocati ſimus, & omne hoc pro dignitate exſequi longe alterius ſit operæ.

Cæterum prolixius debito perſequuti tertiam objectionem, paucis duntaxat ad *quartam* reſpondebimus. Et vero eſt ea levis momenti. Fatemur ſiquidem, *Lübbonis nomen* (a) ſaxeo noſtro Helmeſtadienſi monumento longiſſime poſt diluvium eſſe inditum; & ſi quod nomen ſingulare ab ipſis ſtructoribus acceperit, illius memoriam dudum periiſſe. Nec tamen aut qua de cauſa cœperit appellari Lübbonis ſaxum, aut quo primum tempore, equidem aſſeruerim. Forte ortum nomen quod Lübbo quidam vir magni nominis vicinum omnem agrum quondam poſſederit. Et vero etſi hodie hiſce in regionibus inter virilia nomina illud Lübbonis exoleverit, nec in monumentis Saxoniæ quiſquam id nominis memoretur: quoniam tamen hodieque in Friſiis familiare eſt, non eſt fas cum nonnullis vocis illius fabuloſam etymologiam comminiſci. Fortaſſis ſancto Ludgero Friſio, primo hiſce in terris Chriſtianæ religionis propagatori, hic popularis ejus contra paganorum vim defenſor a Carolo datus eſt. Certe & alios ex Friſia viros fortes huc viciniæ commigraſſe perhibetur. Ita ab Hiddone Friſio datum nomen arci Hiddeſacker, jam tum alibi ex Cornelio Kempio narravimus. Primi quoque conditores Illuſtriſſimæ ſtirpis comitum Holſatiæ & Schavvenburgi Friſii nobilis ſedem fixere, Carolo Magno imperante, Santerslebii in Magdeburgicis: teſte quidem Hermanno Lerbeckio. Alii idem fere memorant de Alphone conditore generoſæ familiæ *Alvenslevioru*m. (b) Sed ut ante dixi, de Lübbone iſto certi quod dicam nihil habeo: & Friſium fuiſſe nonniſi levis conjectura eſt.

Prius vero quam hunc locum deſeramus, fortaſſis haud abs re fuerit, etiam de illo, quem in finem monumenta iſta gigantea, & quidem cumprimis hoc noſtrum Helmeſtadienſe, ſit conditum, conjecturas noſtras (quid enim aliud poſſumus?) in medium proponere. Et vero varios in uſus ſtructa quondam eſſe, cumprimis in ſeptemtrionalibus hiſce terris, ſaxea admiranda opera, notum eſt. Memorat Olaus Magnus l. 1. cap. 16. nonnulla perquam eximia *de bellicis Gothorum obeliscis & erectis ſaxis, quæ frequentiſſime apud Oſtrogothos, Weſtrogothos ac ſuperiores Suecones in biviis & triviis imo & in vaſtis ſolitudinibus conſpiciuntur.* Idem cap. XVII. diſſerit *de obeliscis ſepulchralibus.* Hodieque nimirum *cerni mira compagine immenſa ſaxa, in modum altiſſimæ latiſſimæque januæ, ſurſum transverſumque viribus gigantum erecta, præſertim duobus milliaribus magnis a civitate Scarenſi, ad ripalem eccleſiam Kibby proficiſcendo.* Agit idem & XVIII. capite *de ſaxis figuratis. Reperiri enim alibi lapideas tabulas admodum latas & exciſas, gigantum robore terris impreſſas, imagines habentes draconum, ſerpentum, ac urſorum inſculptas, contra quos non minores ſumpſerint triumphos, quam hoſtes armatos.* Non repetam quæ ille de ejusmodi ſaxeis monumentis habet plurima perquam digna cæteroquin memoratu. De poſtremi generis ſaxis ſeptemtrionalibus præ aliis luculente egit & prolixe docteque, præſtanti vir doctrina & literarum commercio nobis quondam clariſſimus, *Olaus Wormius* (c) cum libello de literatura Runica, tum opere monumentorum Danicorum. Inveniuntur vero vetera quædam ſaxea monumenta etiam in Britannia. Quæ inter cumprimis nobile eſt illud quod *Stone-heng audit Anglis.* (d) Meminit ejus Cambdenus in Britannia ſua, qua parte deſcribit Wiltoniam aut potius Sarisburienſem Wiltoniæ comitatum. *Intra foſſam enim ingentia & rudia ſaxa,* (verba ejus ſunt) *quorum nonnulla viginti octo pedes altitudine, ſeptem latitudine colligunt, corona in modum triplici ſerie eriguntur: quibus alia quaſi transverſaria ſic innituntur, ut penſile videatur opus: unde Stonhenge nobis nuncupatur, uti antiquis hiſtoricis gigantum chorea a magnitudine. Hoc in miraculorum numerum referunt noſtrates.* Addit idem Cambdenus: credi ab aliis, conditum hoc monumentum in ſepulchrum Ambroſii illius, qui olim non dubitavit Cæſarea ſeſe purpura induere. Non adeo pridem Waltherus Charleton Medicus Regius ſingulari & erudito libello *Anglice edito* (e) perſuadere nobis voluit, conditum hoc monumentum a Danis, quo tempore rerum ibi ſunt potiti. Verum id mihi quidem non perſuaſit, ſpectata ſaxei illius monumenti, cujus imaginem liber exhibet, ſtupenda magnitudine: nec enim ad tantum robur unquam olim Dani pervenere, quale ad hoc monumentum ſtruendum eſt adhibitum. Ipſi utique Dani, quæ apud ſe reperiuntur, ejusmodi opera gigantibus attribuunt, & ſupra Danicas vires eſſe agnoſcunt. Taceo quod nullæ hic appareant Runicæ literæ, ut ſolent *in Danicis.* (f) Equidem proinde malim populari Anglorum ſententiæ accedere, & hoc opus non minus atque noſtra illa *giganteum profiteri.* (g) Nec enim ullam habet veriſimilitudinem etiam iſta, quam Cambdenus refert ſuſpicio; ſaxa illa non eſſe nativa ſed *arte facta.* (h) Utque

(a) *Lübbonis nomen*) Contractum ex Luitberti nomine, quod idem eſt ac populi ſplendor. Notum eſt, quod *Liti*, *Leute*, in vernacula noſtra quondam ſignificaverint *populum* & *bert* veteribus *ſplendorem* denotabat. ECCARDVS *l. c.*

(b) *Alvenslevioru*m) Generoſiſſimam hanc gentem a comitibus originem trahere, docet MEIBAVM *in chron. Walbecenſi.*

(c) *Olaus Wormius*) De Suecicis RVDTBECKIVS eſt conſulendus.

(d) *Stone-heng audit Anglis*) KEYSLER *in antiquit. ſelectis ſeptentrionalibus* deſcribit illud cum aliis Germaniæ & Arctois monumentis.

(e) *Anglice edito*) Libro titulus eſt: *The famous antiquity of great Britain vulgarly called Stone-henge ſtanding on Saliſbury plain.*

(f) *in Danicis*) Hæc forte ratio commovit INIGO JONES in tractatu, qui inſcribitur: *The moſt notable antiquity of great Britain vulgarly called Stone-heng on Saliſbury plain;* & *JOHANN WEBB in the moſt notable antiquity of great Britain:* Romanis hoc vindicare. Videtur tamen rectius ad Anglo-Saxones referri. KEYSLER *l. c. cap.* 4. & 8.

(g) *giganteum profiteri*) Nonnulli arte diabolica eſſe exſtructum fingunt.

(h) *arte facta*) Huic opinioni, quod illa ſaxa opera humana ex arena & unctuoſo aliquo pulvere coagmentata ſint, PLINIVS anſam præbuiſſe videtur. Ille enim in *hiſtoria naturali lib. XXXV. cap.* 13. tradit, puteolanum pulverem aqua infectum lapidem fieri, & ciſternas Romæ ex arena foſſili & calce ita eſſe compactas, ut lapides eſſe videantur. Verum enim vero, arbitrante

ſint, debuerint utique prius quam iſthuc delata ſunt, in fumo aliquo ab igne in ſaxeam duritiem fuiſſe cocta, ac proinde paris atque hodie ſunt eſſe gravitatis. Sed hoc obiter. Nec enim talia ſcrutari noſtri eſt inſtituti, præſertim quia nunc tantum intenti ſumus talium operum fini inquirendo. Notum denique in Ægypto, pyramidum inſana opera in ſepulchralia monumenta eſſe ſtructa; ut obeliſcos in ſolis cultum pariter & perpetuam ſtruentium regum memoriam. Ex quibus liquet, ſtructa olim paſſim talia, vel in ſacrum uſum, vel in monumentum ſepulchrale, aut vero in geſtarum rerum memoriam.

Cæterum mœnia quidem illa Blanckenburgica in uſum munimenti potius eſſe ſtructa, fortaſſis haud injuria dixeris. Nec enim & gigantibus defuere olim quos timerent, mole quidem corporum impares, numero tamen potiores. Reliqua illa eſſe ſepulchra gigantum vix crediderim: cum deſint indicia, quibus id fiat probabile. Nec tamen auſim id ipſum *præfracte negare.* (a) Divino cultui eſſe iſthæc dedicata ab ipſis ſtructoribus, vetat nos credere illorum paſſim decantata impietas. Contemptores enim numinum fuiſſe antediluvianos gigantes, conſtans utique veterum fama eſt. Veriſimile igitur, ſive in oſtentationem virium, ſive in victoriæ aut præclare geſtæ rei indicium, ſive ſimpliciter in ſui memoriam (quæ inſania poſt & Babyloniæ turris ſtructores agitavit) gigantes iſthæc condidiſſe. A ſequentis tamen ævi hominibus verſa illa omnia in uſum ſacrum dæmonolatricum, atque adeo pro aris & altaribus fuiſſe, equidem *haud dubitem* (b) aſſeverare. Et vero ſi noſtrum hoc Helmeſtadienſe cum cura ſpectaveris, apparebit haud difficulter, inter quatuor illa grandia ſaxa aliis impoſita commode potuiſſe ipſa *ὁλόκαυστα* immolatorum animalium grandiorum ſacrificia celebrari. In circumpoſitis ſaxis minoribus etiamnum ſuperant arte factæ cavitates, libaminibus, mellis forte & lactis aliarumque rerum, excipiendis idoneæ: in uno & anſula reperitur, quales olim precantes genubus ad aras flexis manibus deprehenderunt. Ut haud immerito dixeris, quot ſaxa ſunt circumpoſita totidem ibi minores fuiſſe aras. Indubie iſthæc omnia hodieque manifeſtiora eſſent, niſi & longa ætas pleraque corrupiſſet, & omnia quæ loco potuere moveri vi disjecta, reliqua autem ferro mutilata eſſent a poſteris Chriſtianis. Ita ſane obſervare eſt, in eodem, quo Lübbonis iſtud ſaxum quod appellatur ſupereſt, monte, ſimile opus aliud olim fuiſſe ſtructum, cujus nunc pauca duntaxat ſaxa, majora indubie reliquis quæ periere, viſuntur humanam induſtriam liquido teſtantia. Quin fama per traditionem accepta fertur, ſimilia quædam olim & in illo ex adverſa oppidi parte nigro, quem appellant, monte erica obſito fuiſſe: certe disjecta huc illuc ſaxa complura, etſi multum Lübbonianis minora, ibi videre eſt, quædam dicuntur in proximum Ludgeri cœnobium translata. Utrobique porro ad pedem montium ſupereſt piſcina quædam ſacrificiis aptiſſima. Et ex utroque monte in omnem agrum vicinum late patet proſpectus, ut ille hinc commodiſſime luſtrari potuerit; forte & ambarvalia celebrata ſunt.

Hiſce meis conjecturis, non diffitebor tamen, opponi haud immerito poſſe illud, quod Romani ſcriptores veteres memorent, Germanos quondam non niſi in lucis ſacrificaſſe diis ſuis: noſtra autem hæc ſaxea opera ſylvis quidem pene undique ſint circumdata, extra tamen illas collocata. At vero & propiores quondam fuiſſe oppido ſylvas, præſertim illam, quæ cœnobium Marienthalenſe amplectitur, certum eſt; & multum mutavit apud Germanos populos omnes religioſus dæmonum cultus ab eo more, quem Tacitus aliique iſtius ævi prodiderunt. Utique enim diſerte Tacitus: *Nec cohibere parietibus deos, neque in ullam humani oris ſpeciem aſſimilare, ex magnitudine cæleſtium arbitrantur: lucos ac nemora conſecrant, deorumque nominibus appellant ſecretum illud, quod ſola reverentia vident.* Ex adverſo ipſemet Tacitus annalium primo memorat *Tanfanæ templum* in Marſis *parietibus ſtructum*; & ædium ſacrarum uſus in extremum usque ſeptemtrionem inter ipſos Sueones tandem receptus eſt; paſſim quoque hominum brutorumque forma conſtituta ſunt idola. De quibus plurima recenſere foret in facili, ſi locus hic pateretur. Pro omnibus adducam illud unum duntaxat, quod de Sueonibus ſeptentrionalium Germanicorum populorum jam tum excellentiſſimis narravit Adamus Bremenſis, Henrico quarto imperante, ſub finem ſeculi undecimi. *Nobiliſſimum illa gens templum habet, quod Ubſala dicitur. In hoc templo, quod totum ex auro paratum eſt, ſtatuas trium Deorum veneratur populus. Ita ut potentiſſimus eorum Thor in medio ſolus habeat triclinium: hinc & inde locum poſſideat Wodan & Fricco. Quorum ſignificationes ejusmodi ſunt. Thor, inquiunt, præſidet in aëre, qui tonitrua & fulmina, ventos imbresque, ſerena & fruges, gubernat. Alter Wodan, id eſt fortior, bella regit, hominumque miniſtrat virtutem contra inimicos. Tertius eſt Fricco, pacem voluptatemque largiens mortalibus. Cujus etiam ſimulacrum fingunt ingenti Priapo. Wodanem vero ſculpunt armatum, ſicut noſtri Martem ſculpere ſolent. Thor autem cum ſceptro Jovem exprimere videtur.* Hæc ille. Cum tanta autem ſit facta ſacrorum in omni Germania mutatio, qui non & extra lucos fuerint inſtituta ſacrificia? Igitur quin & in ſylvis, ceu ante, ſacrificia celebrata ſemper ſint, non equidem negaverim. Quin imo *Herkelingum* (c) vicinum fuit fortaſ-

clariſſ. KEYSL. hæc minus recte ad monumentum Saliſburienſe aut alia hujus generis opera Germaniæ applicari poſſunt, quoniam ejusmodi generis pulverem in Germania dari nunquam auditum eſt; porro artem hic eſſe adhibitam, magna lapidum copia credere vetat; denique ſi ars fuiſſet adhibita, haud dubie juncturæ, quæ in iis ſunt, fuiſſent omiſſæ.

(a) *præfracte negare*) Monumenta hæc ſepulchralia fuiſſe, tribus potiſſimum probari poteſt rationibus: 1) majorum traditione; 2) veterum ſcriptorum teſtimoniis; 3) urnis aliisque rebus ſepulchralibus inde extractis. KEYSLER *antiq. ſeptentr. ſect. II. c. 1.*

(b) *haud dubitem*) Vid. ECCARDI *programma de antiquiſſimo Helmſtadii ſtatu.*

(c) *Herkelingum*) Hæc ſententia refutatur a Domino ECCARDO *l. c.* Sylva, quæ numini, quod ex Taciti opinione cum Hercule ſimilitudinem aliquam habuit, ſacra erat, rectius in tractu illo montium & ſylvarum ſupra Mindam, a Viſurgi ſe protendente, ſtatuitur. Ejus ima pars eſt Sundalius; (*der Sintel*) ſuperior autem & major pars mons Deiſterus, (*der Deiſter*) a Tuiſtone ibi adorato forte æque ac campus ſubjectus (*die Tuiſt*) nomen habens.

fortaſſis olim nemus Herculi ſacrum: quo illud nomine abs me in carmine jampridem, ſaltim poëtica licentia, fuit appellatum. Et vero Herculis nomen Germanis fuiſſe haud ignotum, ex Tacito conſtat: qui annalium ſecundo diſerte memorat ſylvam Herculi ſacram, quæ cis Viſurgim a Cheruſcis fuerit poſſeſſa: eſtque niſi fallor illa hodie celebris Söllingæ cognomento. Quin imo Herculis nomine Saxones ſolem, ut Irmin Martem coluiſſe, diſerte teſtatur Witikindus Corbejenſis l. 1. Non opus vero eſt conjecturam ſolam adhibere, quo probem etiam in ſaxis tandem extra lucos ſacrificia inſtituta olim eſſe, quum id ipſum pateat liquido ex indiculo illo ſuperſtitum in Germanico populo idololatricorum rituum, qui nuperrime cum binis capitularibus Caroli Magni ex Vaticana bibliotheca Romæ eſt editus, & libro meo de origine Germanici juris ſubjunctus. Ibi enim diſerte legitur: *De his quæ faciunt ſuper petras;* ut paulo ante: *De ſacris ſilvarum quæ Nimidas vocant.* Ex quibus liquet, Germanicum vulgus, quamvis jam Chriſto dediſſet nomen, non deſiiſſe ſuper petras & in ſylvis ſuperſtitionem priſcam exercere.

Quin igitur ſaxeum illud noſtrum monumentum pro ara imo multis aris fuerit olim, non eſt quod dubitemus. Cæterum ceu jam ante diximus, nihil horum factum ex gigantum adeoque ipſorummet ſtructorum inſtituto, ſed diu poſt, & quidem poſt ipſam ætatem Taciti, multum recentiore dæmonolatria. Eoque & circumſtantia ipſa ſaxa forte poſt demum acceſſerint. Ut revera giganteo non fuit opus robore ad illa conſtituenda. Auget vero noſtræ conjecturæ fidem, etiam publica illa de Drentiæ & *Weſtphaliæ* (a) non multo abſimilium operum ſacro uſu perſuaſio. Diſerte ſane de iis, quæ in *Drentia*, (b) proavorum meorum paternorum quondam natali ſolo, viſuntur, ita refert Ubbo Emmius gravis ſcriptor primo hiſtoriæ Friſicæ libro. *Commemoratione dignum videtur, notatum quoque ab aliis, quod in regione hac ingentis molis ſaxa complura, quæ nulla vectatione, nulla vi hominum, illuc deportari potuiſſe ob magnitudinem credas, congeſta inveniantur: quorum ea diſpoſitio eſt ut aras referre videantur. Nam jacentibus nonnullis alia iis impoſita ſunt plana, relictumque foramen anguſtum, per quod reptare homo poſſit. Fama fert, paganos quondam humanis hoſtiis litare ſolitos ea per foramina mactandos homines tranſire coëgiſſe, & ſtercore aliiſque immundiciis conjectu vulgi fœdatos in tranſitu, conſtitutoſque ad aras, immolaſſe. Eum ritum ad Bonifacii epiſcopi Ultrajectini tempora duraſſe. Quam ob cauſam etiam nunc turpe nomen foraminibus illis apud incolas reſtare putatur.* Hæc Emmius. De ſeptemtrionalibus nonnullis, a noſtris itidem tamen ſtructura aliquanto differentibus, in hæc verba etiam ſcripſit Olaus Wormius monumentorum Danicorum l. 1. cap. 6. *Diverſi ab his quidam cernuntur tumuli, figura oblongiore, congerie depreſſiori, ſaxis grandioribus undique cincti, ita ut utramque extremitatem mole vaſtiora reliquis claudant. In medio ut plurimum ara extat. In hiice vulgus gigantes ſepultos credit, quorum oſſa etiam haud raro e talibus effodiuntur. Sed ego ejuſmodi integris etiam familiis deſtinatos puto: unde & in his aræ, quæ communia ſacrificia pro totius gentis incolumitate immolata excipiant.* Verum in illis Wormianis meæ aſſertioni minus præſidii colloco: quandoquidem & ipſamet opera diſſimilia admodum noſtris ſunt, & nulla vel levi nititur ratiuncula proditus eorum uſus. Quantumvis autem noſtra quoque iſthæc pro ſepulcris fuiſſent initio condita, nihil tamen prohibuerit, poſt *pro aris habita* (c) eſſe. Recte enim in Protreptico Clemens Alexandrinus: *Quæ prius hominum ſepulcra fuerunt, magnificentius condita templorum appellatione vocata ſunt.* Et ſuper ſepulcris ipſis tandem immolatas eſſe Diis victimas, abunde ex antiquis variarum gentium moribus cognitum eſt.

AGE autem relinquamus antediluvianum Helmeſtadii ac viciniæ ſtatum, & quæ poſt diluvium contigere nunc perluſtremus. Hic vero deſerunt nos illa æternum quaſi duratura monumenta; ut proinde ad alia nobis ſit confugiendum aut profitenda ignorantia. Igitur ſtatim quidem a diluvio, usque ad tempora Babylonicæ turris, ut Europam omnem imo fere univerſum orbem terrarum, ita & cuncta hæc loca incolis fuiſſe vacua, ex ſacra hiſtoria abunde perſpicere eſt. Simul vero ex Aſia gentes etiam in ſeptemtrionem commigraverunt, num ſtatim Germanicus aliquis populus huc appulerit, incertum eſt. Si ſane *Hugonis Grotii* (d) de origine Americanarum gentium vera eſt conjectura, ex

(a) *Weſtphaliæ*) De accumulatis immanis ponderis ſaxis in Weſtphalia vid. KEYSLERVM *l. c. cap.* 1. & *NVNINGKIVM in ſepulchreto Weſtphaliæ p.* 57. *ſeqq. SCHATEN. hiſtor. Weſtphaliæ lib. VII. p.* 457. *JOH. PICCARDT. in antiquit. lingua Belgica conſcriptis c.* 5.

(b) *Drentia*) Vide KEYSLERVM *l. c. p.* 7. & 8. Frequentiora in hac regione hujus generis ſunt monumenta.

(c) *pro aris habita*) Vid. *B. SCHMIDII diſſ.* quam inſcribit: *notitiam de hoſpitali & ſacello S. Annæ p.* 9. ubi tradit: ſe, concedente G. M. Principe ANTONIO ULDARICO, cœpiſſe interiora montis Corneliani examinare, & cum prima ſtatim vice noluerit præcipitum aggredi, unum ex reliquis perfodiens a circumferentia ad centrum nihil invenit, in circumferentia autem foſſionem continuans pervenit ad carbones & his mixta oſſa, ut apparebant animalium.

(d) *Hugonis Grotii*) Qui ex morum & linguæ convenientia hæc probare annititur: ſed refutatur a Lætio. Morum enim convenientia in diverſis eſſe poteſt populis, quorum unus ab alio non deſcendit, ob temperamentorum adfinitatem & convenientiam. Quod autem ad nonnullorum vocabulorum in utraque lingua ſimilitudinem attinet, ea varias habere poteſt cauſas. Quodſi enim lingua quædam univerſalis fuerit, haud dubie aliæ ex ea deſcendentes, lingua ſubinde mutata, non ita a prima deſciverunt ſtirpe, ut non aliqua inter eas ſuperſtes manſerit convenientia. Porro ſæpe duæ gentes convenientes inter ſe habent voces, quarum tamen diverſæ ſunt radices & ſæpe etiam diverſæ ſignificationes. Nec non conformia ſolent habere vocabula, quibus ſoni & motus animatarum rerum & inanimatarum exprimuntur. Atque hæc omnia non evincunt, unam gentem ab alia prognatam eſſe. Denique notandum, ſi quid ex convenientia linguarum hic colligi debeat, ad communiores & ſimpliciſſimas voces attendendum eſſe. Vide RELANDVM *part. II. diſſertat. miſcellanear. diſſ. XII. de linguis Americanis pag.* 145. *ſq.* Produxit quidem GROTIVS in diſſ. *de origine gentium Americanarum*, quædam vocabula, quæ Americanis gentibus cum Germano-Norvvegis communia dicit, ut *Teut*, Deus, *Pagod*, *Bygod*, Deus minor, *Guaira*, *Weyer*, flabellum, *Top-hot*, capitis tegumen, *Lame*, *Lam*, agmen, *Peke* pro *Beke*, quod eſt torrens Germanis. In altera vero diſſertatione ex Herera multas repetit Americæ provincias, ad exemplum quarundam in Germania magna ſitarum, quales ſunt Island, Friſland,

ex Norvvegiæ extremis Americæ borealis incolas advectos, haud inepte dixeris, illos jam ante Germanos Germaniam, aliquatenus ſaltim, tenuiſſe. In univerſum ſcilicet videtur omnino aſſerendum: Scandinaviæ incolas ex Germaniæ Cisbalthicæ, ut ita loquar, locis vi aut neceſſitate in extimum ſeptemtrionem pulſos eſſe: non autem vel aliunde, vel ultro iſthuc iviſſe. Quid nempe ex amæniore ſolo in horridam illam ignotamque tum plagam potuit olim quem invitare, ut ſponte maluerit iſthic degere? Vis itaque compulit illuc homines, aut quæ alia cogens neceſſitas. Eſt vero facillima omnium in Scandinaviam ex noſtra hac Germania via: ex Fennia & Moſchovia perquam impedita. Ut proinde hinc facta illa migratio videatur. Jam autem in Americanis ſeptemtrionalibus nihil Germanici moris obſervare eſt: quod recte contra *Grotium* (a) adſtruxit Laëtius, & poſt illum doctiſſime proſequutus eſt Hornius l. 3. de origine gentium Americanarum cap. 7. & 8. Si ex Norvvegia itaque advenere Americani iſti, præceſſerint neceſſe eſt Germanicæ originis indigenas illos, quorum poſteri hodie Norvvegiam habitant; ut ſcilicet ipſi horum metu in remotiſſima illa Americæ conceſſerint. Sane dixeris haud abs ratione, Lapponum proſapia Americanos illos ortos: hosque primos omnium ſeptemtrionis iſtius incolarum eſſe: ſpectata corporum, morum, linguæ, Americanorum iſtorum, ſaltim illorum qui Europæ propinquiores ſunt, & Lapponum ſimilitudine. Ut nunc taceam, quod etiamnum Lappones ultimi ſint ſeptentrionalium, nec niſi extrema neceſſitate coacti iſthuc conceſſerint. De Americanis loquor Europæ propinquioribus. Quidni enim pari ratione iſthuc alii etiam ex Aſiæ ſeptentrionalibus regionibus commigrarint? Multa in eandem ſententiam præclare diſſeruit, quem ante laudavimus, Georgius Hornius tertio libro operis in hoc argumento incomparabilis. Ne tamen diſſimulem quod res eſt, Lappones in borealem Europam ex Aſia adventaſſe veroſimilius eſt: quandoquidem ejusdem cum Fennis & Samojedis videntur originis eſſe: quæ nationes nihil habent Germanicum & cum Aſiaticis uno tractu conjunguntur. Quo ipſo

Gronland in *an* vel *lan* detinere, ut Ciburlan, Apanaslan, Maſlaſſilan &c. vid. p. 11. Sed levidenſe eſſe hoc argumentum, probat Lætius. Sunt adhuc alia argumenta in eadem ſecunda diſſertat. tam quoad ſimilitudinem vocum, quam morum & inſtitutorum Americanorum cum Germanicis. Sed quod ad voces attinet, quas Grotius urget, perpaucæ ſunt & alium habent ſignificatum, aut ſaltim non omnibus Americanis, ne quidem ſeptentrionalibus uſitatæ ſunt. JOHANNES de LÆT. *p.* 31. *ſq. & in diſſ. II. p.* 42. *ſq.* Morum autem aut inſtitutorum quorundam convenientiam ideo minus recte pro argumento aſſignari puto, quoniam & aliæ reperiuntur gentes, a Germanis non deſcendentes, apud quas eadem obſervantur. Imo multa hic æque ac in linguarum harmonia fortuito debentur caſui. JOH. de LÆT. *diſſ. II. p.* 51. Porro laudatus RELANDVS *l. c. p.* 160. 161. monet, ſi ad morum & inſtitutorum convenientiam reſpici debeat, gentes Americanas ex Aſia potius, quam Europa aut Phœnicia oriundas eſſe, & ſi quæ linguarum convenientia fingenda, ab Aſiaticis rectius, quam Europæis originem earum linguarum fore arceſſendam. Ceterum addit, inter Americanas, quarum infinitæ propemodum ſunt, & noſtras fruſtra convenientiam quandam fingi, quod variarum gentium Americanarum vocabulariis allatis probare nititur. Adde LÆTIVM *p.* 173. *ſq.* Id ſane dubii quid habet, ſi Americanarum gentium Aſiaticam dicamus originem, quomodo populi Aſiatici in illam terram ſint delati, cum incredibile ſit, tam vaſtum, quo America ab Aſia dividitur, mare exiguis navigiis, quibus uti ſciunt, adire auſos eſſe. Verum ad hoc reſpondet Relandus, Americam ab Aſia ad partem ſeptentrionalem ubique ſejungi intermedio mari, nondum demonſtratum eſſe, atque Geographos Japonenſes docere, Americam Tartariæ cohærere; deinde permulta adeſſe exempla, exiguis ſcaphis & excavatis arborum truncis, quos canoas vocant, inſignem milliarium numerum per medium mare profectum eſſe, *pag.* 161. *ſq.* Objicit etiam Grotius, ſi Americani Tartarorum aut Scytharum eſſent propago, illos haut dubie equos, quos ſemper in amoribus habuerunt, eo adduxiſſe. Verum dubium eſt, an omnis Scytarum gens, & quidem quovis tempore, ita equis addicta fuerit. Deinde monente Lætio, alicubi in America a Davide Ingramo Anglo, qui interiora ſeptentrionalis peragravit, equi ſunt reperti. Porro eſſe poteſt, quod frequentiores equi fuerint adducti, ſed quod favor in eos ſub alio cœlo vileſcere cœperit, ita ut neglecti rariores facti aut plane defecerint. Denique addit Lætus, eandem objectionem adverſus Germanicam ſive Norwegicam originem moveri poſſe, cum & Norwegi equis non fuerint deſtituti. Sed quomodocunque hæc omnia ſeſe habeant, mihi videntur gentes Americanæ etiam cis & citra Iſthmum Panamæ partim Norwegis, partim aliis gentibus Europæis & Aſiaticis natales ſuos debere, quæ ſubinde aliarum gentium adventibus mixtæ linguas illas tantopere a linguis Europæis & Aſiaticis abludentes pedetentim formarant. Alias hujus rei cauſas vide apud RELANDVM *p.* 153. An autem Europæi noſtri iter ſuum, ut illud Grotius indicavit, inſtituerint, dubium eſt. Id quidem certum, Iſlandiam a Norwegis habitari cœpiſſe, detegente eam Naddodo viro Norwegiæ celebri. ARNGRIMVS JONAS in *ſpecimine Islandiæ hiſtorico p.* 1. An vero ex Iſlandia ventum per Friſlandiam in Grönlandiam; abhinc in Eſtoitilandiam iter factum, equidem maxime in ambiguo eſt. Friſlandia jam Grönlandiæ annumeratur, & inſula in tabulis geographicis expuncta eſt. Grönlandiam autem continentis Americanæ partem eſſe, Anglorum navigationibus compertum habemus. *Verum*, inquit LÆTIVS, *ingentes ſinus & patentia maria penetrant in illam continentem ad ſummam altitudinem arctoam, quæ cum pene omni anni tempeſtate glacie horreant, haud facile trajici poſſunt.* Interim & hic fatetur in *diſſ. II. p.* 46. aliquas gentes in Americam ſeptentrionalem e Germania ſive Norwegia adventaſſe. Crederem in illo loco, ubi Grönlandia Americæ cohæret, ſpatia quædam eſſe, per quæ fere feræ etiam in Americam nando penetrare potuerint, minores autem haud dubie eo traductæ ſunt. Quod reliquum, longe probabilior eſt opinio DAVIDIS POWELLI in *hiſtor. Cambriæ ad annum* 170. Madoccum Oweni Guinethi filium diſcordiarum civilium & prœliorum inter fratres pertæſum, in Americam quibusdam contendiſſe navibus, & eo repetitis vicibus popularium ſuorum multitudines abduxiſſe; quam Peyrerii ſententia, homines ibi conditos diluvio non eſſe deletos, aut ESCARBOTTI *in hiſtor. nov. Franc. lib. I. c.* 3. commentum, Noachum, alio poſt arcam fabricato navigio Americam veterem repetiiſſe patriam; vel etiam error JOH. LEVII *hiſtor. naval. in Braſil. c. XVI.* & *GOMARÆ hiſtor. Ind. l. V.* Americanos Channanæorum eſſe reliquias. Conf. BECMANN. in *hiſtor. orbis terrar. p.* 247. *ſq.*

(a) *Grotium*) *Diſſertationi de origine gentium Americanarum PEYRERII tractatum de Præadamitis* occaſionem præbuiſſe aſſerit MAVRIERIVS *in comment. Hollandiæ p.* 460. Sed putat BAYLIVS in *dictionario critico* cum Grotii replicæ ad LÆTI *ſcriptum* contra ſuam diſſert. directum comparerent, in quibus reperiuntur verba, *niſi quis Præado eſſe dixerit, ut nuper quidam in Gallia ſomniavit*, Peyrerii fœtum nondum in lucem fuiſſe editum, ſed Grotium aliunde Peyrerianæ opinionis notitiam habuiſſe.

ipſo perit etiam omnis illa de Germaniæ Ciſbalthicæ antiquiſſimis habitatoribus non Germanis ſuſpicio. Atque adeo habitaſſe hic quondam poſt diluvium gentem a Germanis diverſam, nihil eſt quo fiat veriſimile.

Inter Germanicos autem populos quinam olim haſce terras habitaverint, non caret dubitatione. Et vero illos qui Chauci audierunt olim, Romaniſque ſcriptoribus ſunt hoc nomine memorati, jam ante mille & ſexcentos amplius annos, coluiſſe hæc loca, nec alium eſſe hunc qui nunc ſupereſt populum, etſi nomen mutaverit, paulo poſt manifeſtum fiet. Videor autem mihi non vanis indiciis poſſe oſtendere, dudum ante Chaucos a GOTHIS hæc loca habitata, imo ab illis noſtro Helmeſtadio ſuum eſſe datum nomen. Hoc autem quo conſtet, ſeorſim quod Gothi hic habitaverint, ſeorſim quod ante Chaucos hic illi vixerint, mihi probandum fuerit.

Prius illud colligo ex nominibus compluribus oppidorum vicorumve, queis etiamnum & noſtra hæc & Gothica Scandinaviæ loca deſignantur. Gothiæ autem nomine comprehendo & Hallandiam: ut quæ, ſicut & Blekingia, olim Gothiæ pars fuerit, etſi aliquot centum annos Danicum ſceptrum coluerit non Suconicum: & vero hæ demum illæ ſunt regiones, quarum poſſeſſio Daniæ *regibus Gothiæ* (a) titulum addidit. Habet autem Hallandia ſuum etiam Halmſtadium: quod & Helmſtadium ſolet appellari. Illi vicinum eſt Warberga oppidum arce munitiſſima inſigne: ut & Falckenburgum militaribus quondam luſtrationibus clarum. Perinde ac *Helmſtadio* (b) noſtro proxima eſt Warberga baronum id nominis hactenus ſedes, nunc caput præfecturæ principalis, & *Falckenſteinium* (c) generoſorum Aſſeburgiorum arx vicinæ Halberſtadenſis provinciæ. Habet Hallandia porro & Götingam: ut ducatus hic nobile oppidum Göttingæ nomine. Eſt & e regione Hallandiæ inſula Anholt dicta: cui cognominis locus titulum principatui vicino dedit Anholtino. In Oſtrogothia præterea ſupereſt etiamnum oppidum celeberrimæ vetuſtatis, & ruderibus priſcam amplitudinem oſtendens Skeninga: dictum ita, ceu ferunt, quod ab amne parvo quidem ſed perniciſſimo radatur, *Skena* voce Gothis, luxurioſe correptis habenis currere, ſignificante. Ejuſdem nominis eſt & in Weſtrogothia locus: unde inter viginti novem ejus territoria unum *Skenings häred* audit. Eſt autem & Helmſtadio noſtro viciniſſimum oppidum Skeninga, ſimili plane præcipite amne inſtructum. Smolandia pars vetuſti Gothorum regni ſuum Weſtervvikum habet, ut Halberſtadienſis principatus Oſtervvikum: perdito indubie ut ibi Oſtervviko, ita hic Weſtervviko. Eſt ibidem territorium Oſtvvidingæ & Norvvidingæ: Widingæ autem nomen non unus etiam Halberſtadenſis nobilis pagus obtinet. Territorium etiam Smolandicum *Söwede Häred* dicitur: ut nobis vicinum eſt Sövve. Adhoc inclytum maxime vicinum noſtrum flumen, Albis quidem a Romanis eſt ſcriptoribus appellatum, Germanicis tamen populis ſemper *Elff* audiit. Quæ vox eſt Gothis fere nunc appellativa, κατ' ἐξοχὴν tamen paſſim apud Suecones multis fluviis quaſi propria. Et vero ipſe ille omnium ibi maximus, quo ſeſe Wenera in Oceanum exonerat, cataracta Trolhettana celeberrimus, jam tum olim Albis Gothicus latine ſcribentibus hinc eſt dictus. Hæc enim jam ante ſexcentos propemodum annos fuerunt verba Adami Bremenſis, qui omnium primus ſeptemtrionalium illarum Germaniæ gentium & regionem & res ſolito accuratius nobis prodidit: *Ibi* (in Sconia ſcilicet) *etiam eſt Albis fluvius, de quo Lucanus meminiſſe videtur* (fallitur tamen bonus Adamus) *qui oritur in prædictis Alpibus*, h. e. montibus Norvvegicis, *perque medios Gothorum populos currit in Oceanum; inde & Gothelba dicitur.* Hodieque proxima oſtio fluminis hujus arx ideo *Elffsborg* Weſtgothis nuncupatur. Habet autem & Wermelandia ſuum fluvium *Leer Elff:* Dalekarlia duos *Dala Elff*, orientalem & occidentalem: Geſtrikia *Heſunda Elff:* Botnia occidentalis, *Lulo Elff* & *Buro Elff:* Botnia orientalis *Kiemi Elff*, *Semo Elff*, & *Vla Elff:* Nylandia *Semo Elff*. Medelpadia ita dicta eſt quaſi μεσοποτάμια, quod collocata ſit inter ingentia duo flumina, quorum alterum *Nurends Elff*, alterum *Indals Elff* uſurpatur. Diſſimulabo nunc affinitatem vocum *Helſinburg* & *Ilſenburg*, *Halleſtad* & *Halverſtad*, ſimiliumque multarum: quoniam illa pauca quæ attulimus in medium, oſtendunt ſatis, ab iiſdem auctoribus nomina hæc & noſtris & Gothicis locis eſſe indita.

Et

(a) *regibus Gothiæ*) Alii hunc titulum a Guthia, Jutia, quæ & Gothia dicta, repetendum eſſe arbitrantur.

(b) *Helmſtadio*) Sed aſſerit Dn. d' Eccard, Helmſtadii nomen Gothis non tribuendum eſſe, ſed derivari ab Holm, quod in lingua veteri Saxonica collem ſignificat, ut ex EDMVNDI GIBSONII *regul. generalib. de nominibus locor. Saxonic. p.* 6. & THOMÆ BENSENII *vocab. Anglo-Saxonico* patet. Fatetur tamen hanc vocem denotare etiam inſulam, cum inſulæ ſint maris & fluminum colles. Atque ita accipi vocem, quando Hallandiæ oppido, quod parvæ inſulæ ad oſtium Niſæ fluvii adjacet, tribuitur. Idem dicit: Wardburgam Gothis caſtrum munitum, Warbergam noſtram Warini arcem ſignificare, & Falckenſteinium Halberſtadienſis principatus arcem a falconibus nomen habere & longe antiquius eſſe Falckenburgo Conringii Scandico; additque, neminem facile ex Suecia derivaturum vicinorum locorum nomina, qui linguæ Saxoniæ veteris & rituum non ſit prorſus imperitus. Sic & Albim non cum Suecorum Elfis coincidere, ſed ab Albe qui eſt montium tractus, in quo oritur, nomen habere, tradit. Verum enim vero licet autori noſtro concedamus, Suecorum illa loca cum iis, quæ in noſtra ſunt vicinia, quoad appellationum originem plane coincidere: inde tamen non ſequeretur, a Gothis ex noſtra in Sueciam delata eſſe regione, aut inde ad nos eſſe tranſlata; nam nullus veterum autorum in hunc tractum Gothorum refert domicilia, & a Mathæo Prætorio acerrime impugnatur ſententia illorum, qui dicunt Gothos ex Scandinavia ortum ſumſiſſe: Sed lingua Suecica a Saxonica non niſi dialecto differt, & ſic accidere poteſt, quod multa cum ea locorum vel fluviorum nomina habeat communia, ubi ea denominandi par fuerit ratio.

(c) *Falckenſteinium*) De locis Sueciæ hic ab autore citatis, vid. *epitom. deſcript. Gothiæ* &c. apud Dn. HAHN in *collect. veter. monument. p.* 352. 342.

Et vero cum *ὁμώνυμα* alia caſu alia conſilio conſtituta recte dicantur, hæc quoque neceſſum eſt alterutro modo ſint orta. At quæ caſu evenere, rara ſolent eſſe: hoc enim proprium eſt rerum ejusmodi. Quoniam igitur frequentiſſima hic eſt *ὁμωνυμία*, ceu patet ex iis quæ modo propoſuimus, liquidum omnino eſt, conſulto quodam conſilio nomina iſthæc eadem tam multum diſſitis invicem locis homines indidiſſe. Igitur aut idem populus tale quid utrobique conſulto inſtituit, aut alter ad alterius exemplum. Quis vero voluerit vel Scandinaviorum ad noſtrum, vel noſtratium ad Scandinaviæ exemplum, nulla urgente cauſſa, & res & nomina ſua componere? Idem ergo populus fecit utrumque. Qui proinde vel iſthinc ad haſce terras, vel hinc in Scandinaviam commigraverit. Cæterum ſaltim a mille & ſexcentis annis, ex quo Romanis cæperunt res Germanicæ plenius innoteſcere, Scandinaviæ gens nulla huc ſedes ſuas transtulit. Nec ullo poteſt veroſimili indicio oſtendi, antehac id contigiſſe. Quod ſane nonnulli, etiam eruditiſſimi viri, conati fuere perſuadere, prius Scandinaviam, quam hanc citeriorem noſtram Germaniam habitatam fuiſſe a Germanicis populis, & inde demum huc iſtos adventaſſe, præterquam quod nullo fuerit hactenus probabili ratiuncula oſtenſum, poteſt refelli eo, quod jam ante adduximus: quod ſcilicet ex cultiſſimis Aſiæ locis populi alias ſedes coacti quærere, maluerint indubie in molliora Europæ, præſertim ſi & viciniora fuerint, commigrare, quam in illa extima ſeptemtrionis, quæ hyeme iter prohibent ob tenebras & frigus, æſtate ob æſtum, & bonam partem ſunt ſterilia. Primos ſane Germanicos populos ex citeriore hac Germania in ulteriora iſthæc ſecedere vi majore compulſos eſſe, etſi deinceps nonnulli eorum inde regredi egeſtate ſint coacti, longe eſt veritati magis conſentaneum. Jam vero haſce quidem terras *Chaucos* (a) ab omni retro, Romanorum ſaltim, memoria incoluiſſe, quique hos vicere Saxones olim Cimbricam Cherſoneſum quidem, non Scandinaviam autem habitaſſe, paulo poſt fiet liquidum. Quo utique conſtat: non Chaucos, non Saxones, nec quem populum alium noſtrorum hæc locorum nomina ex Scandinavia huc attuliſſe. Supereſt vero igitur, quod Gothi hinc illa nomina transtulerint; atque adeo Gothos olim priusquam Scandinaviam petiere hic locorum quondam conſediſſe, ac quemadmodum ibi in Gothia poſt, ita antehac Gothos hiſce in terris nomina iſthæc transtuliſſe in communem uſum. Confirmatur idem ſaltim ex parte etiam inde, quoniam vox *Elff* apud ſolos boreales populos & cumprimis apud Gothos aliquid appellativum hodieque eſt, neutiquam vero in noſtra hac Cisbalthica Germania. Hinc ſane nomen illud a Gothis eſſe & noſtro Albi inditum, fere palam fit. Non deſunt quidem & apud nos, qui ab undecim Albis fontibus vocem *Elff* ortam exiſtiment. Sed ille fontium numerus fingitur potius quam reapſe invenitur. Caret quoque omni exemplo, a fontium numero datum flumini nomen. Ne nunc dicam, non ex Sileſia ut hodie, ſed ex Hermunduris ſive altero Bojohæmi latere, Albim veteres derivaſſe. Diſerte enim Tacitus: *In Hermunduris Albis oritur.* Quod non ex errore eſſe factum a Tacito, ceu cum aliis Cluverio etiam eſt viſum, ſed ſcriptum ex communi tum ſententia, mihi probabile inde fit, quoniam præ omnibus Danubio tum vicinis Germanicis populis Hermunduri maxime fuerunt Romanis noti ac familiares, *eoque ſolis Germanorum non in ripa commercium, ſed penitus, atque in ſplendidiſſima Rhætiæ provinciæ colonia*, quæ itidem Taciti verba ſunt. Hæc ſane Hermundurorum cum Romanis amica commercia vetant nos ſequius quid de Taciti fide ſuſpicari. Quicquid tamen hujus ſit, certe ab undecim fontibus Albim olim dictam, omni caret veroſimilitudine: ut Gothica vocis origo ex adverſo non poteſt non videri probabilis.

Jam autem in monumentis quidem ſcriptis nullum reperire eſt indicium, Gothos quondam hæc noſtra loca tenuiſſe. Et vero memorat quidem Gothones Tacitus & Guttones Plinius inter Cisbalthicos Germaniæ populos, ſed prope Rugios & Lemovios, Oceani ſive Balthici maris tunc accolas: iis ſcilicet locis quæ hodie Pomeraniæ ulterioris, Caſſubiæ, & Marchionatus novi, vocabulis audiunt. Hic vero locorum Chaucos habitaſſe, validam tunc gentem & magnitudine ſua viribusque ſecuram, mox patebit. Illi porro Gothones videntur haud diu ante Plinium illas, quas dixi, ſedes occupaſſe. Per enim eſt veroſimile, non alios eſſe ab iis, qui poſt Gothorum nomine inclaruerunt: quod & Philippus Cluverius docuit. Qui recte etiam obſervavit, in Sarmatiam illos migraſſe Marco imperante. At vero quo tempore Viſtula trajecta in Polonorum ſive Sarmatiæ terras conceſſere Gothi, quinque duntaxat regum ætates in Cisbalthicis egerant: Berigo ſcilicet rege & ductore primum ex Scandinavia egreſſi. Quod Jornandes cum memoret ex ſuæ Oſtrogothicæ gentis carminibus, quod unum apud Germanos omnes olim annalium genus fuit, Cluverio ſine argumento diſſentienti non eſt cur accedamus: præſertim cum hodieque Oſtrogothorum Weſtrogothorumque populos celeberrimis nominibus alat Scandinavia. Quod ſi Pythiæ Maſſilienſis narrationibus, quas nobis Plinius *l.37.c.2.* refert, liceret credere, jam dudum ante Pruſſiam incoluerint Gothi: ſed fabuloſus error videtur deceptus eo, quod Gothi ſua ætate electrum Teutonibus h. e. iis qui Cimbricam tum Cherſoneſum tenuere, vendiderint, ut exiſtimaret, ipſimet Gothorum terræ pretioſam illam mercem deberi. Primos ſane Gothos commercia per mare Balthicum inſtituiſſe, non vane collegeris ex Wisbyenſium rebus, quodque Tacitus de ſolis Sueonibus prodat, *claſſe valuiſſe.* Quin & non abſimile eſt vero, Gothones illos Pythiæ jam tum habitaſſe illa Gothiæ loca, quæ circa Gotheburgum ſunt: indeque in ipſo Oceano diei navigatione abfuiſſe Baliliam inſulam: quo fluctibus advectum electrum proximis deinde Teutonis eſt venditum. Quanquam enim nunc talis inſula nulla iſthic reperiatur, nihil vetat tamen credi,

(a) *Chaucos*) Incertum maxime an Chauci has coluerint terras. Chauci enim minores terras intra Amaſim & Viſurgim occuparunt; maiores vero Bremenſes & Verdenſes cum aliqua ducatus Luneburgici parte inhabitarunt. A Bardevico autem uſque ad Magdeburgum Longobardi ſedes tenebant. Horum vicini Cheruſci a finibus eorum uſque ad Viſurgim ſe extendebant, ita ut etiam, quæ in hac ſunt regione, complexi ſint.

di, olim fuiſſe, poſt abſorptam. Vt multæ aliæ perierunt. Nec enim temere Cluverio aſſentiendum: ab omni ævo non niſi in Pruſſia ſuccinum ſolere colligi. Nam & hodie id, etſi rarius, in æſtuariis Oceani Oſtfriſici ut & in littoribus ejus inſularum reperitur; & ſuo ævo, non perinde ex Pruſſia, ſed Oceani ſeptemtrionalis inſulis Romanos electrum accepiſſe, diſerte teſtatur Plinius l. 37. c. 3. *Certum eſt*, inquiens, *gigni in inſulis ſeptemtrionalis Oceani, & a Germanis adpellari gleſſum; itaque a noſtris unam inſularum Gleſſariam ob id appellatam, Auſtraniam a Barbaris dictam.* Quamvis enim *Auſtrania* illa ſit forte Strant hodie dicta quod placuit Cluverio, & dudum illa ſuccini proventu caruerit, potuit tamen olim iſthoc theſauro fuiſſe opulenta: utpote quæ cum antehac ſæpius, quod ſingulari libello egregie perſecutus eſt Matthias Boëtius, tum cis paucos annos ingentem rerum ſuarum, aquis hauſta, jacturam fecit. Fuit autem forte alia Oſtrantia a ſitu orientaliore dicta, ut altera hodie Nortſtrantia eſt, quæ itidem dudum perierit. Sicut & Baſiliæ inſulæ ſupereſſe veſtigium quis dixerit in Sylt inſulæ nomine: niſi hæc continenti propinquior eſſet quam a Pythia de Baſilia fuit proditum. Ita ſane conjectare modeſtius fuerit, quam cum Cluverio veteres omnes narrationes abs ratione falſi damnare. Utut ſit, etiam illi Pythiæ Gothones a noſtris hiſce terris multum fuere diſſiti. Igitur illud quidem tempus quando Gothi hic habitavere, omnem excedit memoriam Romanæ pariter Græcæque de Germanicis rebus hiſtoriæ. Præcedit quoque Chaucorum in hiſce terris ſedes. Quod ipſum adeo eſt illud a nobis paulo ante factum veriſimile: Gothos habitaſſe hic quondam, priuſquam in Scandinaviam tranſierunt. Quæ ætas longe eſt antiquiſſima.

Hæc vero cum ita ſeſe habeant, jam ſimul palam eſt, *primo* ut alias a nobis recenſitas Gothicas hic ſuperſtites locorum appellationes, ita & Helmeſtadii nomen incompertæ eſſe vetuſtatis: *ſecundo* reliqua omnia, quæ nunc clariſſimæ apud nos famæ ſunt, loca longe recentiore cultura cœpiſſe. Plurimum igitur falluntur, qui Helmeſtadii originem in Caroli Magni demum tempora referunt. Nugæ præterea meræ ſunt, Helmeſtadii vocis originem a catello quodam Ludgeri Elim dicto demum eſſe derivatam. Imo ſpectato Gothici idiomatis uſu, licebit nunc aliquid forte ſolito rectius de nominis illius prima ſignificatione affirmare. Non ſcilicet a vicino *Elmo* (a) ſaltu dictum Helmeſtadium. Quod ipſum refellitur etiam eo: quoniam Elmus Helmeſtadium non tangit ſed interjectu Elſæ nemoris remotior hinc eſt, & Helmi Elmique plane diverſa ſunt vocabula. Quoniam Hallandis vero Gothicis frequentius *Halmſtad* in ore ſit quam *Helmſtad*, perquam eſt veroſimile a culmo ſive frumenti calamo, qui & Gothis & nobis hodie plærumque *Halm* rarius *Helm* audit, inditum loco nomen: etſi prima nos nati etymi occaſio fugiat. A galea ortam vocem, ſuſpicatos quam multos, & nummos oppidi hinc galea inſignitos eſſe ſequioribus annis, non eſt quod miremur: quum videamus vulgo potuiſſe perſuaderi *Scheppenſtedi* (b) vocem a nave dictam, & hinc pro inſigni hodie lintrem eſſe. Gothicum porro illud *Halmſtad* indicio eſt, rectius *Helmſtad* quam *Helmſtede* noſtrum quoque hoc oppidum uſurpari. Et vero ita hoc oppidi nomen jam tum Dithmarus Merſburgenſis Epiſcopus *l. 4. hiſtor.* ante hoſce ſexcentos amplius annos exaravit; non aliter in omnibus, quas vidi, tabulis antiquis ſcriptum legitur: *in literis & diplomatibus infinitis eodem modo* (c) *ſcriptum ſe reperiſſe*, teſtatus eſt Meibomius, talium curioſiſſimus quondam indagator, in erudita ſua *de origine Helmeſtadii* diſſertatione; falſo tamen ſuſpicatus, *cum nonnihil incrementa accepiſſet, & oppido quam pago ſimilius jam eſſet, placuiſſe* demum *honeſtiore appellatione Helmeſtadium dici*: quaſi antehac ſcilicet priſco more Helmſtedum appellatum ſit.

CAETERUM aſſerta jam Helmeſtadio noſtro antiquiſſima ſua Gothica origine, ad propiora tempora, & jam nonnihil hiſtoriæ teſtimoniis munita, proximum eſt uti accedamus. Nec enim alia amplius ſuppetunt nobis vetuſtatis prodendæ argumenta. Hiſtoriam vero Romanam Græcamque rerum Germanicarum (quæ nobis merito debet eſſe ſummæ auctoritatis, deficientibus propriis monumentis) excutienti, Philippo Cluverio quidem viſum fuit, Taciti ævo *Cheruſcos* (d) hic habitaſſe. Verum ut alia quam multa ita hoc infirmis admodum ratiunculis adſtruxit. Imo abs ratione ſunt pleraque omnia, quæ de Cheruſcorum Chaucorumque priſcis ſedibus ille diſputavit; ceu alibi demonſtravimus. At vero ex Ptolomæo conſtat, Cauchos ſive CHAUCOS ab Amaſo uſque ad Albim Oceani littora tenuiſſe, & quidem cum eorum alii Minores alii Majores tum audierint, Minores inter Amaſum & Viſurgim, Majores autem inter Viſurgim & Albim conſediſſe. Jam vero diſerte Tacitus de iiſdem Chaucis refert, *immenſum illos terrarum ſpacium tenuiſſe, nec tenuiſſe tantum ſed & impleviſſe.* Cumque Germaniæ populos Rheno viciniſſimos, ſecundo fluminis ductu uſque ad Oceani littora in occidentem proſecutus, proxime de Angrivariis, & Chamavis, horumque terga Dulgibinis & Chaſuariis frontem autem claudentibus Friſiis, diſſeruiſſet, ſtatim addit. *Hactenus in occidentem Germaniam novimus. In ſeptentrionem ingenti flexu redit. Ac primo ſtatim Chaucorum gens, quanquam incipiat a Friſiis, ac partem littoris occupet, omnium, quas expoſui, gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos uſque ſinuetur.* Jam vero quos quidem proxime memoraverat Tacitus populos, quum Rheno fuerint propinqui, horum lateri-

(a) *Elmo*) Qui inde Helmſtadium derivant, non ita procul a vero abſunt, quam qui originationem ejus in caſſide aut S. Ludgeri catello Helm quærunt. Veriſimile enim eſt, Elſam eſſe Elmi partem, novumque illud nomen demum exortum, cum intermediis terris coli cœptis a toto abſciſſa eſt. MEIBOM. *de origine Helmſtadii t. III. ſcript. Germ. in.* Caniculæ, ut ille vocat, hiſtoriolam rythmis quibuſdam antiquis, feneſtræ templi vallis Mariæ inſcriptis, innitentem, probabilem eſſe dicit; nec derivationem ab Elmo improbat: ipſe autem caſſidem, bracteatis, qui Helmſtadii fabricati feruntur, impreſſam, ut nominis hujus principium amplectitur. Hæc ex illis eſt rebus, ubi quilibet genio ſuo tuto indulgere poteſt.

(b) *Scheppenſtedi*) Nomen haud dubie a collegio ſcabinorum, quod olim ibi floruit, habet.

(c) *eodem modo*) In diplomate Ottonis M. de an. DCCCCLII, quo monaſterio S. Ludgeri decimas finitimorum agrorum donat, Helmonſtetum appellatur. SCHATEN. *annal. Paderborn. tom. I. p.* 295.

(d) *Cheruſcos*) Quam ſententiam veriorem videri, ſupra monui.

lateribus non niſi ſoli Minores Chauci potuere obtendi: ac proinde Minores illi omnem hodie dictam Oſtfriſiam cum Oldeburgicis & Weſtphaliam tenuerunt, non exiguum profecto terrarum ſpacium. Si tam ampla autem Minorum fuit regio, quanta fuerit magnitudine Majorum ſedes, neceſſum eſt? Et vero cis Albim Cheruſcos quidem etiam & *Foſos* (a) agnoſcere Tacitus, reliquum autem omne ſolis Chaucis tribuere videtur. Ut proinde ad Chaucos Majores tum pertinuerint, Bremenſes, Verdenſes, Hildesheimii, Lyneburgici, Brunſvicenſes, Halberſtadenſes, Magdeburgenſes, Marchionatus veteris Brandeburgici, nunc dicti populi, fortaſſis ad Salam uſque. Ita ſane demum *immenſi ſpacii* (b) nomen meretur Chaucorum terra. Ita demum in Cattos, quorum aliqui nunc Heſſi audiunt, ſinuatur. Ita demum illa *magnitudo* Cauchorum apparet Tacito uſque adeo prædicata. Et vero quæ una hodieque eſt omnium illorum lingua, unam eandemque gentem olim omnes illos fuiſſe, haud fallibili oſtendit indicio. Latius hæc alibi perſequuti ſumus: ut proinde liceat nunc ſecure pronunciare, Helmeſtadium noſtrum omnemque viciniam in magni illius Cauchorum populi quondam parte fuiſſe numeratam. Meretur addi elogium Chaucorum quod a Tacito accepere. *Populus*, inquit, *inter Germanos nobiliſſimus, quique magnitudinem ſuam malit juſtitia tueri, ſine cupiditate, ſine impotentia. Quieti ſecretique nulla provocant bella: nullis raptibus aut latrociniis populantur. Idque præcipuum virtutis ac virium argumentum eſt, quod, ut ſuperiores agant, non per injurias aſſequantur. Prompta tamen omnibus arma, ac ſi res poſcat exercitus, plurimum virorum equorumque; & quieſcentibus eadem fama.* An ita ſeſe res Chaucorum aliquandiu poſt etiam habuerint, & in quod uſque tempus adeo præclaram laudem meruerint, dicere nequeo. Quemadmodum nec definire audeo, quandonam tales eſſe cæperint; Germanicis populis iſthac tempeſtate ipſas ſuas ſedes crebro mutantibus, eoſque inter non Chaucis ſed Cheruſcis, Quintilii Vari & Germanici Cæſaris ævo, in Weſtphaliam uſque & Brunſvicenſis ducatus Viſurgi adjacentes terras vim ſuam extendentibus. Ipſummet Chaucorum nomen, memoriamque ejus omnem, tandem periiſſe certum eſt. Eo ſane fit, ut hodie nobis ſit cum cura quærendum, ubinam ille Germanorum quondam nobiliſſimus ac maximus populus vixerit, quinamque hodie mereantur eorum poſteri cenſeri. In tabula Peutingeriana corrupte quidem, ſcriptoris culpa, non obſcura tamen Chauciæ mentio adhuc facta eſt quarto Chriſtiano ſeculo. Claudianus quoque Caytos (qui indubie ſunt Chauci) tum temporis ad Albim carminibus ſuis cecinit: quanquam poetica loquendi libertas prohibeat, in re ſeria hinc petere certum ſuperſtitis cognomenti indicium. Poſthac qui Chaucorum meminerit, novi equidem neminem. Sed & reliqua quidem etiamnum vox eſſe videtur *eine Chauke*, ſed turpi ſignificatu pro homine inerte & ignavo. Qui enim vocem *Kautze* derivant a Chaucis ridicule ineptiunt, cum proprie noctua ita ſemper audierit. Quoniam ſcilicet Chaucis idem olim evenerit, quod jam ſuo ævo Cheruſcis contigiſſe Tacitus memoravit. *Cheruſci*, ait, *nimiam ac marcentem diu pacem illaceſſiti nutrierunt. Idque jucundius quam tutius fuit. Quia inter potentes* (ita lege, non *impotentes*) *& validos falſo quieſcas. Ubi manu agitur, modeſtia ac probitas nomina ſuperioris ſunt. Ita qui olim boni æquique Cheruſci, nunc inertes ac ſtulti vocantur.* Eodem, inquam, modo ipſum Cauchorum nomen tandem aut obſolevit penitus, aut in ignominiam vertit. Omnia ipſorum poſt redintegratam virtutem præclare geſta Saxonibus tributa ſunt: quorum nomen victi acceperant.

Quod ſi Saxonicarum rerum antiquiſſimis fidendum eſt hiſtoriis, Chauci, ſi non omnes ſaltim Majores, victi a Thuringis, inque eorum aliquandiu ditione fuere. Ferunt enim, quo tempore Saxones circa Hadeloam navigiis appulerunt, Thuringos ibi rerum potitos eſſe. Rem omnem ex majorum traditionibus prolixe narrat Witichindus l. 1. In iis tamen quæ ex Einhardo de prima Saxonum origine refert Adamus Bremenſis l. 1. tale quid haud legas: ut proinde poſſis haud injuria dubitare de Witichindeæ illius narrationis fide. Exquiſito enim ſatis judicio uſus eſt Einhardus ſive Eginhardus, in vita quidem Caroli Magni tradenda, quæ hodieque paſſim ſupereſt: nec aliter ab eo ſcriptam eſſe Saxonicorum bellorum hiſtoriam, cujus diſerte meminit antiquiſſimus Adami Scholiaſtes, ſaltim per eſt veriſimile: quod igitur Einhardus haud probavit, id non ſatis etiam certum fortaſſis habendum eſt. Verum Adamus Saxonicæ illius Einhardinæ hiſtoriæ non niſi excerpta nobis dedit: itaque tuto aſſeri non poteſt, Einhardum a Witikindo diſſenſiſſe. Si ad Hadeloam vero Thuringorum regnum fuit porrectum, utique omnis iſthæc terra Thuringis paruit. Diſerte vero & chronici Miſnenſis l. 1. Sigfridus Presbyter ſcribere jam olim non dubitavit: *Thuringiam terram fuiſſe ſpatioſam, quæ a natione Francorum protendebatur uſque ad Oceanum contra Septemtrionem.* Eſt autem nec Sigfridi de rebus adeo vetuſtis magna auctoritas. Quin auſim affirmare; nullum hodie reperiri præter Witikindum monumentum, ex quo conſtet, Thuringiæ nomen *ad Oceanum extenſum* (c) unquam fuiſſe. Ex adverſo,

(a) *Foſos*) Hi ad Fuſam ſedes habuiſſe maxime veroſimile eſt.

(b) *immenſi ſpacii*) Sed hoc comparative eſt intelligendum, intuitu gentis, ut Longobardi, quæ arctius habitabat.

(c) *ad Oceanum extenſum*) Videntur Thuringi ſatis late habitaſſe. PROCOPIUS *in Gothicis* Thuringorum vicinos dicit. ANONYMUS RAVENNAS autem *lib. IV. Geograph. ſ. 25.* hæc habet: *Ad faciem patria Francorum Rhenenſium eſt patria quæ dicitur Thuringia, quæ antiquitus Germania nuncupatur, quæ propinquatur & patria Saxonum, in qua patria aliquanta caſtella fuiſſe legimus, id eſt per quam Thuringorum patriam plurima flumina; inter cætera quæ dicuntur Bac.* (Nab.) *& Reganum* (Regen) *quæ in Danubio merguntur.* Vide HERTIUM *de vet. Germ. popul. pag. 115. 116.* WINCKELMANNUS *in gründlichen Bericht und Beweis vom Urſprung der Thüringer*, veteris regni Thuringorum caput Dordracum in Belgio conſtituit: ſed veterum ſcriptorum hæc non fulcitur ſententia teſtimoniis. Sic æque incertum eſt & non procul forte a fabula, quod per Oceani locos confines, quos, tradente AMMIANO MARCELLINO *lib. XV. c. IX.* Dorienſes antiquum Herculem ſecuti inhabitarunt, Belgii tractus ſint intelligendi; ac illud, quod ab his Dorienſibus Thuringi originem trahant. Miror VVinckelmannum ad Tacitum provocare, qui omnes plane peregrinarum gentium in Germaniam adventus negat. Dixi quoque alibi, credibile eſſe virum quendam ſtrenuum a Germanis ob virtutem bellicam celebratum, non ab ipſis, ſed a Romanis Herculem dictum, quoniam Germani in illo viro fortiſſimo, Arminio ſive Hermanno veteri & ſuum habebant Hercu-

verſo, quoniam inter ſex pagos ſive provincias, quas in diœceſi Halberſtadenſi epiſcopatui Ludovibus *Pius aſſignavit,* (a) unicus duntaxat *Nort Thuringou* appellatur, reliqui audiunt *Hartengou,* (b) *Derlingou,* (c) *Suavia,* (d) Haſſigou & *Belkisheim,* (e) qui omnes tamen itidem heic viciniæ fuere ſiti, haud injuria collegeris, non reliquos illos quinque pagos, atque adeo non omnem viciniam fuiſſe quondam Thuringici juris. Pagus *Haſſigou* (f) vero indubie nomen accepit ab eo, qui etiamnum *Heſſen* audit arce Principali inſignis: ſolet enim etiam ſcribi *Heſſengou:* eoque diverſus plane pagus fuit ab eo, qui in tabulis fundationis archiepiſcopatus Magdeburgenſis *Hoſgou* (g) uſurpatur. Pagus item *Hartengou* itidem vicina Hartzica indubie tum complexus eſt. Quicquid vero ſit, (nec enim acriter hoc defenderim, neque id agere hujus loci fuerit) Helmeſtadium noſtrum cum bona hujus viciniæ parte Magdeburgum verſus, Thuringorum in ditione quondam fuiſſe, certum eſt ex eo, quod pago Nort Thuringico adhuc Caroli Magni & Ludovici Pii temporibus fuerit accenſitum. Diſerte ſane Helmſtad in hiſtoria vitæ S. Hildegrimi primi Halverſtadenſium Epiſcopi, in pago Nort Thuringiæ collocatur. Eundem piiſſimum Epiſcopum Ludgeri fratrem Nort Thuringorum populos circa Helmſtad in Chriſtiana religione inſtituiſſe, ex hiſtoria rythmica vitæ S. Ludgeri annotavit etiam Chriſtophorus Brovverus, diligentiſſimus talium obſervator, ad vitæ Ludgeri caput quartum triceſimum. Merentur legi, quæ de pago hoc Nort Thuringorum magno ſtudio congeſſit in ſuo de pagis Saxonicis libello *Meibomius,* (h) neutiquam in talibus Brovvero impar.

Cæterum Thuringici nominis prima memoria in Vegetio, equos Thuringicos Romanæ militiæ laudante, hodie reperitur: hic autem Valentiniano imperante claruit, quarto Chriſtiano ſeculo. Alibi vero a nobis oſtenſum eſt, Thuringos olim Hermunduros audiiſſe. Quæ gens, jam olim inter præcipuas habita, Auguſti & Tiberii ævo Miſniam tenuit, & hinc, forte a Cheruſcis exacta, ad Danubium usque progreſſa eſt, ubi Taciti ætate contra Rhætiam & Vindeliciam ab Egræ usque tum Albi adſcriptis fontibus, omnem Danubii oram Ulmam fere usque poſſedit: donec ſeculo tertio in mediterranea Germaniæ iterum redire, a Vandalis, Burgundis & Suevis compulſa, Cheruſcorum terras per vim occupatas, indeque in Chaucos Majores promotis limitibus Thuringiæ nomen in omnem illam ſceptro ſuo ſubditam regionem, jure & more victorum, transtulit. Latius hæc omnia alibi docuimus: at inſtituti hujus non eſt iſthæc repetere. Sed & cum a nemine uno univerſa hæc ita ſint prodita, alii autem plane alia tradiderint, ratiocinando duntaxat & conjectando pleraque congeſſimus: haud ignari, deficientibus firmis teſtimoniis, quam facilis ſoleat eſſe in rebus ejusmodi aberratio. Ut proinde neutiquam illa mea pro vere demonſtratis venditare ſit animus. At vero regnum Thuringorum hoc etiam noſtrum Helmeſtadium viciniamque Magdeburgenſem, ut & ipſum Magdeburgum, comprehendiſſe, extra omnem eſt dubitationis aleam collocandum. Illud quoque certo conſtat, deſiiſſe penitus regnum illud in Hermenfredo rege, confœderatis Francorum & Saxonum armis, ſexto Chriſtiano ſeculo; atque exinde Thuringorum omnia Saxonici partim, partim Francici juris facta eſſe. Circa excidii illius & annum & acta *nonnihil diſſident hiſtoriæ:* (i) eoque noſtrum haud eſt illa quidem certo definire. Eorum tamen qui iſthæc prodide-

lem: Licet præfracte adſtruere non auſim, quanquam idem SAGITTARIUS *lib. 2. antiquit. Thuringiæ c. III.* ſtatuat, gentis nomen a deaſtro Thor arceſſendum eſſe: illam tamen obinde rejiciendam eſſe ſententiam cum VVinckelmanno non puto, quod Suecorum fuerit numen, & quod non conſtet, quomodo ad hanc gentem ejus delatus ſit cultus. Nam notum eſt diverſas Germanorum gentes eoſdem coluiſſe deos, & nihil facilius ad alios ſerpere, quam religionem aut ſuperſtitionem. Nec obſtat Thori nomen ſtulti ſignificationem induiſſe, nec credendum, gentem ſe tali nomine ignominioſi quid continente polluere voluiſſe. Nam hunc demum ſignificatum vox, cum gen› Chriſto nomen dediſſet, nacta eſt, ut recte notat TENZELIUS *in den Monathl. Unterredungen, de anno 1683. pag. 380.* cui VVinckelmannus libellum ſuum, æque ac alia ejus ſcripta multa alloteria referentem, oppoſuit. Sunt quoque, qui Thuringorum vocabulum ab Hermunduris derivant. Nos hic nemini literarium inferemus bellum, quum hæ tales ſint res, ubi unicuique licet ſuo indulgere genio.

(a) *Pius aſſignavit*) Hoc diploma, memorante Meibomio in deſcriptione pagi Hartengowe, primus vulgavit Guilielmus Budæus. Reperitur in chron. Halberſtad. ſeculi XIII. ſcripto, *tom. II. ſcript.* LEIBNITII *p. 111.* SAGITT. *hiſtor. Halberſt. §. 35.* LEUCKFELDT *antiquit. Gröningenſ. p. 10. & 11. nec non in diplomat. ad antiquit. Halberſt. pertinent. n. 1.* & in ſumme reverendi REIMANNI *Theologi & polyhiſtoris doctiſſimi diſſertat. critica de chron. Mſc. VVernigſtadii p. 23.* Quæ hoc diploma ſuſpectum reddunt, refert LEIBNITIUS *in introduct. tom. II. p. 15.*

(b) *Hartengou*) Et eſt pagus Hartzicus. MEIBOM. *tom. III. pag. 101.* Puto tamen hunc pagum longe plura complexum eſſe loca, quam Groningam, VVolferſtetum, Oſcherslebium & Uplingam. Videtur idem eſſe cum pago Hardo, cujus in diplomate Ottonis II. mentio injicitur, ubi ſequentia ibi adſcribuntur loca, Staun, Rorsheim, Vallersleben, Bardorf, Duttenſtede, Gehrlan, Gethilde.

(c) *Derlingou*) Ab Henrico III. donatio hujus pagi, in quo erat curtis Hebesheim, eccleſiæ Halberſtatanæ confirmata dicitur. MEIBOM. *l. c. p. 99.*

(d) *Suavia*) Quid hic pagus continuerit, incognitum.

(e) *Belkisheim*) Itidem, ubi hic ſitus fuerit, ignotum eſt.

(f) *Haſſigou*) Puto hunc pagum minorem, ab arce Heſſen nomen habentem, cum pago ejuſdem nominis majore, ab ipſa Cattorum ſive Heſſorum gente ita appellato, non eſſe confundendum.

(g) *Hoſgou*) Contrarium ſtatuit MEIBOM. *p. 101.*

(h) *Meibomius*) Exſtant duo diplomata Ottonis I. & II, in quibus varia hujus pagi enarrantur loca, quæ Meibomius ordine, ut ajunt, Alphabetico, refert. Situs autem fuit intra Albim, Bodam & Ohram. Fit adhuc paſſim in Imperatorum Saxonicorum diplomatibus ejus mentio. Vid. KETTNER, *p. 39. 160.* Cæterum quin Northuringiæ pagus minores quosdam complexus ſit pagos, non dubito: Verum ſub Helmengove in tractu Thuringico & comitatu Wilhelmi comitis ſitum, cujus diploma Ottonis III. apud KETTNERUM *p. 25.* mentionem facit, Helmſtadium noſtrum & viciniam intelligi non poſſe, loca Walchuſen & Berge ſatis indicare videntur.

(i) *nonnihil diſſident hiſtoriæ*) Dubium movet WINCKELMANNVS, anne id quod de prælio prope Runeburgum ad Unſtrutum, in quo Thuringi ad internecionem ſunt deleti, traditur, ad Belgium ſpectet; cum ibi & Unſtrutum & Röneburgum ſint: Verum cum ſatis magna ſit differentia inter Unſtrutum & Oudſtryn in Dordraci vicinia fluentum, nec non Runeburgum & Rynsburgum ad inſulas in Flandria ſitum, omnis hic tollitur dubitatio, atque hæc ad Thuringiam novam, ut a WINCKELMANNO vocatur, referenda eſſe & flumen Unſtrut & loca

prodidere antiquiſſimus hodie eſt Gregorius Turonenſis l. 3. hiſtor. Franc. cap. 4. & ſexto: proximus Einhardus, ex cujus libro de bellis Saxonicis excerpta quædam in Adami Bremenſis eccleſiaſtica hiſtoria ſuperant, cum libellus ipſe deſideretur: & hoc junior Witikindus Corbeienſis *l. 1. hiſtoriæ Saxonicæ.* Quos alii quam multi diverſis ætatibus ſecuti ſunt. Memorat Trithemius *lib. 1. de ſcriptoribus eccleſiaſticis*, a Fortunato Epiſcopo Pictavienſi, qui *Juſtino juniore Auguſto circa annum 570. claruerit, ad ſanctam Radegundem* (a) *regis Thuringorum ultimi filiam & regis Francorum captivam, poſtea Pictavienſis cœnobii Abbatiſſam, verſu hexametro ſcriptum excidium regni Thuringorum* libro uno: cujus initium: *Conditio belli triſtis.* Verum is libellus cum aliis ibidem Tritthemio memoratis non incidit hactenus in manus meas: etſi Tritthemio fuerit lectus. Sigebertus Gemblacenſis conjicit hæc in annum Chriſti poſt quingenteſimum *viceſimum octavum.* (b) Cui ut ſatis accurato chronographo poſſumus accedere. Venere autem iſthac ratione in Saxonum poteſtatem omnia Thuringiæ usque ad Unſtrutum amnem: reliqua Francis ceſſerunt. Hinc hodieque Mülhuſa & Northuſa Thuringiæ urbes Saxoniæ tribuuntur: & rudera *Saxenburgica* (c) arcis ad Unſtrutum ſuperſunt. Helmeſtadium itaque etiam noſtrum, ſi non ante, tum ſaltim, Thuringicum ſceptrum deſiit venerari, & Saxones dominos cœpit agnoſcere. Manſit tamen Thuringicæ poſſeſſionis diu etiam poſt hisce in locis memoria: Nort Thuringiæ nomine etiam Ottone Magno imperante, ſeculo adhuc decimo, ſuperſtite, eique tum etiam Helmſtadio noſtro attributo. Multæ ſane ſuperant etiamnum ex illo ævo tabulæ, multa & alia monumenta Nort Thuringiam memorantia. Sed & illam demum Thuringiam Cis-Unſtrutanam, partem tum temporis fuiſſe ampliſſimi illius Saxonici ducatus, quem Henricus Auceps ejusque parens & avus Francorum Regum beneficio tenuere, non autem & reliquam: & hujus tantum Thuringiæ cauſa legi in iſtius ævi monumentis, Henricum illum Saxonibus & *Thuringis imperaſſe,* (d) perquam eſt veroſimile. Quantumvis vero ſuperet etiamnum Thurin-

ibidem reperta ſatis indicant. Probabilis enim valde ſententia eſt, Roneburgum hodie Tenneberg vocari. Adeſt quoque hic Schidingen, quo ſe Hermenfridus accepta clade recepit, qui locus hodie Burgſchiding vocatur, obinde haud dubie, quod olim munitiſſimo caſtro fuerit celebris. Fateor quidem varia eſſe nomina, quibus flumen illud a veteribus exprimitur: Sic a Gregorio Turonenſi vocatur Oneſtruyda, ab Aimoino Oneſtrudh, a Witekindo Uſtrodt, ab Urſpergenſi Olleſtrat, ab aliis aliter. Vid. SCHAT. *l. c.* Interim omnes illæ appellationes ſatis indicant, quod ille fluvius nullus quam Unſtruyt, qui Thuringiam a Saxonia dirimit. BROWERI *antiquitates Fuldenſes lib. III. c.* 12. *p.* 211. Atque ita non ſine ratione a SCHATENIO *in hiſtoria Weſtphaliæ lib. V. p.* 301. notatur Buſſieres, qui tradit, non conſtare, quis amnis ille fuerit. Et ponamus Runeburgum locum fuiſſe Theringorum technis inclytum, ubi prælium cœpit: ab eo tamen usque ad Unſtrutum Thuringi continua ſerie & eodem tempore a Francis & Saxonibus pulſi ſunt; Rynsburgum autem a Dordraco multorum milliarium intervallo diſtat, quæ non niſi multis abſolvi potuiſſent diebus; atque antequam inde in locum, ubi Dordracum conditum eſt, exercitus duci potuiſſet, non una ſuperari debuiſſent fluenta, quorum tamen iñ annalibus non fit mentio: denique fluvius Oudſtyn, ſi quis talis reperitur ad Dordracum, haud dubie eſt tantum rivulus quidam: Unſtrut autem a Gregorio Turonenſi ut fluvius haud ita parvus memoratur, quando tradit, ad illum tantam Thuringorum editam eſſe ſtragem, ut ejus alveus congerie cadaverum repleretur, & Franci tanquam per pontem aliquem ſuper ea in littus ulterius transirent. Et quidni Hermenfridus victus ſe Dordracum recepiſſet, ſi in propinquo fuiſſet, aut Franci eo potiti eſſent, cujus tamen nullibi ſit mentio. Nec deſunt alia, quæ Winckelmanniano dubio tollendo inſervire poſſent, quæ jam tangere brevitas, cui ſtudere debemus, non patitur.

(a) *Radegundem*) Gregorius Turonenſis vocat Bertharii Hermenfredi fratris, ab hoc Theoderici ope victi & obtruncati, filiam, quam Clotharius, expeditionis Theoderici in Thuringos ſocius, ſibi ob formæ elegantiam matrimonio junxit. Sed fratre mariti juſſu ſublato, monaſterio, quod intra Pictavienſem urbem condidit, ſe mancipavit. Conf. quoque SIGEBERTVS GEMBL. *ad ann.* 524. Aberrat igitur Tritheimius & cum eo Schaten, qui Radegundem cum fratre Hermenfredi ultimi Thuringorum regis fratricidæ ex Tolbiaci mœnibus præcipitis in mortem acti liberos fuiſſe ſtatuit. Obiter hic notamus, apud eundem SCHATEN. *in hiſtor. Weſtphaliæ p.* 301. pro Balderico Berthario legendum eſſe.

(b) *viceſimum octavum*) Rem refert ad annum 524. Aliis hic magis annus 521. placet. *Autor hiſtor. Landgrafiorum Thuringiæ cap.* 5. poſt annum DXIX. accidiſſe dicit. Siffridus Presbyter longe ſatis ab his abit, ſi, ut videtur, Erenfridi, quem citatus autor hiſtor. Landgraf. Thuringiæ Irmefridum vocat, cladem ad annum 493. referat. Verum enim vero omnium ſententiæ, qui Thuringorum regnum ante ſeculum VI. exciſum dicunt, a vero aberrant, quoniam Hermanno Contracto autore Clodovæus, qui & Ludovicus dicitur, anno demum 523. eſt mortuus; quanquam MEZERÆVS & DANIEL diem emortualem ad annum 511. referant, & quidem recte, cum anno 481. regnum moderari cœperit, & triginta annorum regno abſoluto vivere deſierit. Recentiores hi rerum Gallicarum ſcriptores Thuringiæ regnum anno 531. penitus exſtinctum dicunt, cum primum bellum contra Bertharium 522. cœpiſſet. Cæterum quid Saxones ex devictorum Thuringorum terris nacti ſint, quidve Francorum factum, & quæ apud Thuringos manſerint reliquiæ, definire velle, admodum difficile eſt. SIFFRIDVS PRESBYTER *in epitome lib. I. pag.* 1023. de Schiudingen, quo ſe Erinfridus receperat, a Saxonibus, invitis Francis, capta loquens, inquit: *Saxones irruentes in civitatem regem & ducem cum univerſo populo, qui in civitate repertus fuerat, occiderunt, deinde in reliquum vulgus Thuringorum ſævientes, quicquid maſculini ſexus inter fluvios Albim & Ungeſtrute remanſerat, proſtraverunt, & ſic illas partes Thuringiæ usque in hodiernum diem Saxones poſſederunt.* SPANGENBERG *in chron. Mansfeldico p.* 83. addit, Scheldingam Ballenſtadti & Aſcaniæ dynaſtæ, qui ſummo cum imperio Saxonicis præfuiſſe dicitur copiis, datam eſſe, de qua hodie Anhaltini ab epiſcopo Bambergenſi inveſtiuntur. Recitat idem autor alia adhuc loca, quæ eodem tempore Anhaltini conſecuti dicuntur. Sed Saxones deinde limites ſuos ultra Unſtrutum extendere cœperunt, unde inter haſce gentes bellum exortum eſt, in hoc Thuringi ſuperſtites Saxonum amplexi ſunt partes, qui ſe conjunctis viribus a Francico liberarent tributo: ſed videntur fœdere junctorum res minus proſpera uſæ fortuna. BROTVFFII *chron. Anhaltina p.* 8. SPANGENBERG *l. c.*

(c) *Saxenburgica*) Arcem hanc in Finnico monte a Saxonibus exſtructam dicit SPANGENBERG. *in chron. Mansfeld. p.* 83.

(d) *Thuringis imperaſſe*) Henricum Aucupem non ſolum Saxonibus, ſed & Thuringis præfuiſſe, ex WITEKINDO *lib. I. p.* 641. colligunt, ubi dicitur, Saxones Thuringis junctos Hungaros clade affeciſſe. Interim illo tempore ſub Saxonibus nonnunquam comprehenſi videntur. Henricum hunc Boariis, Suevis, Lotharingis, Francis atque Saxonibus imperaſſe, autor eſt GVNDLING *in Henrico aucupe p.* 268. Cæterum in Henrico barbato Landgrafio ſubeſſe cœperunt, quem ipſis a Conrado Salico datum eſſe, [illegible] *in hiſtoria Landgrafiorum*

ringiæ appellatio cis Unſtrutum nonnullis in terris, quoniam tamen nullum ex omni veteri ævo monumentum, decimo ſeculo poſterius, nomen Thuringicum vel in Magdeburgicis, vel in Anhaltinis, vel in Halberſtadienſibus, multo minus in hujus loci rebus, commemoret amplius, & hic & in vicinia Thuringicum nomen cum ſeculo decimo obſoleviſſe, neceſſum eſt.

IGITUR quadrageſimus circiter poſt milleſimum ac centeſimum hodie annus agitur, ex quo in SAXONUM poteſtatem, cum omni quæ cis Unſtrutum flumen nobis eſt Thuringia, Helmeſtadium devenit. Saxonum vero nominis in Ptolomæi Geographico ſecundo volumine capite XI. antiquiſſima hodie quidem memoria invenitur. Poſtquam enim Cauchos majores ad Albim usque produxiſſet, ita pergit: *ἐφεξῆς δ' ἐπὶ τὸν αὐχένα τῆς Κιμβρικῆς χερσονήσου Σάξονες. αὐτὴν δὲ τὴν χερσόνησον ὑπὲρ μὲν τοὺς Σάξονας Σιγυλῶνες ἀπὸ δυσμῶν, εἶτα Σαβαλίγγιοι, εἶτα Κόβανδοι, ὑπὲρ οὓς Χάλοι, καὶ ἔτι ὑπὲρ τούτους δυσμικώτεροι Φυνδούσιοι: ἀνατολικώτεροι δὲ Χαροῦδες. πάντων δὲ ἀρκτικώτεροι Κίμβροι. Μετὰ δὲ τοὺς Σάξονας ἀπὸ τοῦ Χαλούσου ποταμοῦ μέχρι τοῦ Συήβου ποταμοῦ Φαροδεινοί. Deinde ſuper dorſum Cimbricæ Cherſoneſi Saxones.* (a) *Ipſam autem Cherſoneſum ſupra Saxones ab occaſu Sigulones, poſtea Sabalingi, poſt Cobandi, ſupra quos Chali; & ſuper iis quoque occidentaliores Phunduſii, orientaliores vero Charudes; omnium vero maxime ſeptemtrionales Cimbri. Poſt Saxones vero a Chaluſo fluvio uſque ad Suevum flumen Pharodeni.* Hæc antiquiſſima hodie eſt, inquam, Saxonum memoria. Mirum vero a Tacito nullam eorum mentionem factam, qui tamen non multum Ptolomæo ætate prior vixit. Eoque Cluverius credidit, qui nunc in Taciti opuſculo Foſi audiunt, illos librariorum culpa ita mutatos ex Saxonum nomine. Verum Foſi illi Cheruſcis fuere ſede proximi, atque adeo Thuringiæ aut Miſniæ partem aliquam tenuerunt. Mihi veroſimilius eſt, excidiſſe quædam ævi vitio Taciti libello, interque ea nonnulla, quæ de iis, quæ ad Cimbricam Cherſoneſum pertinent, ille narraverat. Verba enim illa Taciti: *Eundem Germaniæ ſinum proximi Oceano Cimbri tenent, parva nunc civitas, ſed gloria ingens:* utique manifeſto indicant, præceſſiſſe quædam de *ſinu* iſthoc Germaniæ ſeptentrionali, in noſtris autem libelli ejus exemplis nihil reperias. Sed & Germaniæ quatenus in ſeptemtrionem flectitur, hactenus ſoli Chauci a Tacito memorati erant, Cum autem tum temporis hi non niſi ad Albim ſederint, & extima demum Cherſoneſi Cimbri tenuerint, cui fiat veroſimile, omnes illos ab Albi ad extrema Jutiæ medios populos a Tacito fuiſſe ſilentio præteritos? Quicquid vero hujus ſit, ex Ptolomæi deſcriptione clarum eſt, Saxones tum quidem tenuiſſe quicquid eſt terrarum inter Albim, Travam (hic enim videtur eſſe Chaluſus amnis) forte usque Eidoram: quandoquidem ſupra Eidoram jam incipit ipſa Cherſoneſus, & hic fluvius etiam Caroli Magni ævo habitus fuit, ut & hodieque eſt, Saxoniæ terminus, ceu latius demonſtravimus capite XV. operis de finibus imperii Germanici.

Saxonum itaque populum, *Ptolomæi ævo* (b) a Chaucis alium fuiſſe, aliisque vixiſſe ſedibus, etſi parum remotis, palam quidem eſt: quandonam vero & qua ratione illi rerum cœperint etiam per Chaucos potiri, non perinde liquet. Einhardus enim quidem ita ſcripſerat: *Saxonum gens ab Anglis Britanniæ incolis egreſſa, per Oceanum navigans, Germaniæ littoribus, ſtudio & neceſſitate quærendarum ſedium, appulſa eſt, in loco qui vocatur Hatheloe.* At vero Saxones Britanniam demum circa annum Chriſti quadringenteſimum & ſexageſimum occupaſſe, certiſſimum eſt: jam tum vero præcedente quarto ſeculo, illos inter Viſurgim & Rhenum late dominatos, & Chaucos, ſaltim Minores, ab illis in ditionem coactos, ex Romanis conſtat monumentis. Diſerte enim in vita S. Hilarionis Hieronymus: *Inter Saxones & Alemannos gens exſtat, non tam lata quam valida: apud hiſtoricos Germania, nunc Francia vocatur.* Saxones itaque jam tum proximi Francis fuerunt, in Rheno ſcilicet vicinis regionibus. De rebus a Juliano ad Rhenum geſtis verba faciens l. 3. Zoſimus ſcribit: *Saxones omnium eas regiones incolentium barbarorum & animis, & corporum viribus, & laborum in præliis tolerantia, fortiſſimi habiti, Cauchos gentis ſuæ partem in Romanorum ſolum emittunt.* Jam itaque tum regiones ad Rhenum habitavere Saxones, & ſaltim illius loci Cauchos in civitatem ſuam tranſtulerunt. Narrat autem Zoſimus, occupatam tum a Saxonibus & Batavorum inſulam, pulſis Francis

Thuringia tom. I. p. 1305. docet. Quod autem hic autor, quem BROWERVS *in annalibus Fuldenſibus pag* 289. ſequitur, tradit, Ludovicum, Giſelæ cognatum, ut probat BLONDELLVS *tom. II. plenioris aſſert. genealog. Franc. p.* 34. 35. Moguntini Archipræſulis vices, in regenda Thuringia habuiſſe, merito in dubium vocatur, cum diploma nullum illius faciat mentionem.

(a) *Saxones*) *Poſt hos Cauchi, qui appellantur parvi usque ad fluvium Viſurgim, poſt hos Cauchi majores dicti, usque ad Albim fluvium Saxones.* STEPHANVS BYZANTINVS *p.* 586. Saxones gentem, habitantem in Cimbrica Cherſoneſo, vocat. Quæ Ptolomæus de Saxoniæ inſulis refert, ad Strandam & Heligelandam inſulas ſpectare, Leibnitius notat. Nomen genti a telorum genere, quod cultri in anterius curvati, ipſis ſeax dicti, ſpeciem retuliſſe fertur, inditum dicunt. Saxonis tali ſica armati effigiem ex columna Trajani exhibet SPELMANNVS *in præfat. ad vitam Alfredi magni.* Hic autor Saxones, cum aliis Britannicæ demigrationis ſociis, Cimbrorum fuiſſe propaginem aſſerit. Nec ab hac ſententia protinus abludere videtur celeberrimus MASCOVIVS *in hiſtor. German. p.* 203. quando Saxones illius partis Cheroneſi Cimbricæ, quæ Holſatia dicitur, incolas & Cimbrorum reliquias eſſe, opinatur; econtra ab ea BROTVFFVS, Cimbros in Thuringis reliquos manſiſſe conjiciens, diſcedit. Gens hæc latrociniis & maritimis prædis, ex iis, cum quibus nulla ipſis pacis intercedebat pactio, actis, ſatis celebris fuit. Regebatur per Satrapas, qui ingruente bello, de ſummo imperio militari ſorte contendebant. BEDA *lib. V. hiſtor. eccleſ. gentis Anglorum cap.* 2. Limites eorum ADAMVS BREMENSIS *lib. I. hiſtor. eccleſ. cap* 4. ſequentes indicat, *Saxones*, inquiens, *a meridie Francos habere, & partem Thuringorum, quos præcedens hoſtium pars non tetigerit alveoque fluminis Unſtrute dirimi, a ſeptemtrione vero Nordmannos gentes ferociſſimas, ab ortu ſolis Obotritos, & ab occaſu Friſios.*

(b) *Ptolomæi ævo*) Hunc Antonino Pio imperante vixiſſe, tradit SVIDAS.

cis Saliis, qui antehac in illam inſulam vi Saxonum rejecti erant. Et vero propter illas demum ſedes ſcripſit olim Oroſius l. 7. cap. 3. *Valentinianus Saxones, gentem in Oceani littoribus & paludibus inviis ſitam, virtute atque agilitate terribilem, in Romanos fines eruptionem meditantes, in Francorum finibus oppreſſit.* Eſtque præterea conſtans veterum fama, ex Batavorum & Cauchorum oris Saxones in Britanniam trajeciſſe. Quandoquidem vero itidem conſtanter traditur, primam Saxonum in Cauchorum terras excurſionem, primamque occupationem, in *Hadeloa* (a) factam, nec temere id negandum ſit; primos omnium majores Cauchos, ſaltim littori proximos, in illorum veniſſe poteſtatem, promota autem armorum felicitate ad Rhenum usque, minores quoque Cauchos ſub jugum miſſos, idque omne jam factum eſſe quarto ſeculo, per eſt veroſimile. Et vero jam Diocletiano imperante, hoc eſt ſeculo Chriſtiano tertio, Saxones infeſta habuerunt piratica ſua ipſa etiam Galliæ & Britanniæ littora. Diſerte *Eutropius* (b) in Diocletiano : *Carauſius mare accepit, quod Franci & Saxones infeſtabant.*

Quo ſimul confirmatur, etſi proximis trans Albim locis conſederint Saxones, in Cauchos tamen moviſſe navibus appulſos, non mirum eſſe: quoniam ſcilicet illa tempeſtate gens iſthæc nauticis ſtudiis omnem videtur operam & vim ſuam impendiſſe: etſi antehac quieviſſe, ſilentium Romanorum ſcriptorum ſignificet. Non abs re fuerit expendere hoc loco, quæ Sidonius Apollinaris, Epiſcopus Arvernenſis Gallus, de moribus & piratica Saxonum ſeculo quinto, fere quo tempore illi Britanniam occupaverunt, ad poſteritatem prodidit l. 8. epiſtola ad Numantium: *Nuncius, cum quo tui obtentu aliquid ſermocinanter extraximus, conſtanter aſſeveravit, nuper vos claſſicum in claſſe ceciniſſe; atque inter officia nunc nautæ, modo militis, littoribus Oceani curvis inerrare, contra Saxonum pandos myoparones. Quorum quot remiges videris, totidem te cernere putes archipiratas: ita ſimul omnes imperant, parent, docent, diſcunt latrocinari. Vt nunc etiam, ut quamplurimum caveas, cauſa ſubſit maxima monendi. Hoſtis eſt omni hoſte truculentior. Improviſus aggreditur, proviſus elabitur, ſpernit objectos, ſternit incautos: ſi ſequatur intercipit; ſi fugiat evadit. Adhoc exercent illum naufragia, non terrent. Eſt eis quædam cum diſcriminibus pelagi non notitia ſolum, ſed familiaritas. Namque ipſa ſi qua tempeſtas eſt hinc ſecuros efficit occupandos, hinc proſpici vetat occupaturos. In medio fluctuum ſcopulorumque confragoſorum, ſpe ſuper ventus, læti periclitantur. Præterea priusquam de continenti in patriam vela laxantes, hoſtico mordaces anchoras vado vellant, mos eſt remeaturis decimum quemque captorum, per æquales & cruciarias pœnas, plus adhoc triſti quam ſuperſtitioſo ritu, necare, ſubque collectam turbam periturorum, mortis iniquitatem ſortis æquitatem diſpergere. Talibus ſe ligant votis; victimis ſolvunt; & per hujusmodi non tam ſacrificia purgati, quam ſacrilegia polluti, rel gioſum putant, cædis infauſta perpetratores de capite captivo magis exigere tormenta quam pretia.* Ejusdem Sidonii hi tum fuere verſus, una vocula *ſpirabat* mutata abs me in *ſpectabat.*

Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus
Spectabat: cui pelle ſalum ſulcare Britannum
Ludus, & aſſuto glaucum mare findere lembo.

Hæc omnia Sidonius. Quæ ideo expendi hic merentur, cum ut appareat, quem animum quosque mores in terras haſce Saxones initio attulerint: tum ne cui videatur vero abſimile, claſſe illos primo omnium huc appuliſſe. Et vero tales fuere Saxones, donec ſanctiſſima Chriſtiana religione mitigati jus & fas obſervare aſſueverunt. Id quod in Britannia ſeculo jam ſeptimo, ſequente autem demum ſeculo in Germania hac noſtra felicibus auſpiciis & proſpero ſucceſſu fieri incepit.

Verum hæc forte alieniora juſto ſunt ab inſtituto argumento: ad illud nonnihil propius iterum revertamur. Vetuſtius igitur quidem Britanniæ occupatione eſſe Saxonum in Cauchos imperium, nec primum in eos imperum ex Britannia factum, ceu Einhardus prodiderat, utique negari non poteſt. Incerta autem traditione ſubnixam fuiſſe illam Einhardi narrationem, etiam ex Witikindo patet: qui Britannicam illam Saxonum expeditionem prima iſthac in Hadeliam invaſione poſteriorem fuiſſe teſtatur, atque ita multum ab Einhardianis narrationibus eſt diverſus. Quoniam tamen & Einhardus pariter & Witikindus conſtanter narrant, evocatos a Theoderico Francorum rege Saxones, victis Thuringis omnem cis Unſtrutum Thuringiam occupaſſe, hactenus utrique videtur tuto credi poſſe. Et vero quandoquidem ſeculo demum ſexto everſum eſt Thuringorum regnum, ad ſecundum illud bellum fortaſſis copiæ validæ Saxonum ex Britannia, jam ſeptuaginta circiter annos occupata, advenerunt: Einhardo primam & ſecundam hanc expeditionem non ſatis caute diſcernente.

Non eſt autem, quare quis in dubium vocet, num altero illo contra Thuringos bello Saxones ex Britannia claſſe redierint: quaſi poſt occupatam Britanniam quieviſſe illos ibi vero ſit ſimile. Juſtiniano enim imperante, atque adeo ipſa illa ſecundi belli Thuringici tempeſtate, quæ de Anglis & Saxonibus Britanniæ incolis ſcripſit Procopius quarto libro belli Gothici, rem omnem eleganter illuſtrant. Legitur enim quidem: Βριτ]ίαν τὴν νῆσον ἔθνη τρία πολυανθρωπότα]α ἔχυσι· βασιλεύς τε εἷς αὐτῶν ἑκάςῳ ἐφέςηκα. καὶ ὄνομα κεῖται τοῖς ἔθνεσι τύτοις Ἄγγιλοι, καὶ Φρίσσονές τε οἱ νήσῳ ὁμώνυμοι Βρίτ]ονες: Ita inquam legitur quidem, nulla mentione facta Saxonum: ſed indubie pro Φρίσσονες ſcribendum Σάσσονες aut Σάξονες. Nec enim magno numero Friſios in Britanniam migraſſe, quisquam alius teſtatur: & incredibile eſt, Saxonici populi oblitum Procopium, qui quam maxime ibi inclaruit. Saxones

(a) *Hadeloa*) Hadereliam, ducatus Bremenſis, non admodum longo ab Albis oſtio diſtantem intervallo locum, eſſe perhibent.

(b) *Eutropius*) Adde AMMIAN. MARCELL. *lib. XXVIII. cap. 5.* MEIBAUM *introd. in H. S. I. p. 7. ſeqq.*

nes autem, Anglos & Britannos ſolos incoluiſſe tum Britanniam, conſtans illius ævi narratio teſtatur: ſecluſis ſcilicet Pictis & Scotis, qui extra limites Britanniæ ab Adriano & Severo poſitos vivebant: prout frequens eſt ſcriptoribus, ſolam Romanis quondam habitatam ibi regionem Britanniam appellare. Hæc autem verba ipſa ſunt Procopii, latine quidem verſa: *Tanta hominum multitudo eſſe videtur, ut ſingulis annis inde magno numero cum uxoribus & liberis ad Francos emigrent. Illi autem in ſuam terram, quæ maxime deſerta videtur, eos excipiunt. Unde inſulam ſibi venditare ferunt. Ubique non ita pridem, cum Francorum rex quoſdam e ſuis Conſtantinopolim ad Juſtinianum legaret, Anglos etiam miſit: ambitioſius venditans, quaſi hæc inſula ſuo ſubeſſet imperio.* Hæc ſane Procopii ſatis indicant, nec dum Britannia occupata contentos ſedibus fuiſſe Saxones, ſed etiam tum inde reverſos eorum quam multos alibi novas ſedes cis mare quæſiviſſe. Quod fortasſis evenit, quoniam in Britannia Anglorum multitudo & potentia Saxonibus multum prævaluit; ut tametſi heptarchia obtineret, Rex Anglorum tamen a Saxonibus velut potior ſingulari ſemper cultus ſit reverentia: quod Beda teſtatur. Non diſſimulabo autem, quod ex Witikindi narrationibus non liqueat, a Theodorico Francorum Rege Saxonum auxilia contra Thuringos ex Britannia eſſe excita, ſed potius ex vicinia. Atque adeo, ſi Witikindum audiamus, ſoli illi Saxones, qui in Germania tum degebant, in commilitium venere & Thuringicum regnum cum Francis exciderunt. Et vero eodem teſte Witikindo, non niſi novem millia Saxonum in illud bellum expedierunt arma. Quæ copiæ ex Germanica regione potuerunt adduci, præſertim quia illo in numero, teſte eodem Witikindo, & *amici auxiliares* fuerunt.

Repetendum hic porro memoria eſt, tres in populos fuiſſe ſecuta proxime tempeſtate Saxones illos Germanicos diviſos, *Weſtphalos* (a) nimirum, *Angarios* & *Oſtphalos*. Quorum hi & *Oſterlingi* audierunt: quam vocem *Orientales* Latine tum interpretati ſunt. Nomina illa eſſe mere Saxonica; nec Angarios eſſe qui Angrivarii dicti ſunt Tacito, ſed hos in Francorum nomen veniſſe; & *Phalos* non alios videri ab illis, qui in Ptolomæi codice inter Cimbricæ Cherſoneſi incolas *Chali* leguntur, orta a pullo equino denominatione, qui & fuit antiquiſſimum inſigne gentis hujus non minus atque illorum Saxonum, qui in Britannia Cantium incoluerunt, *Hengeſto & Horſa* (b) ab equino genere itidem cognominatis ducibus iſthuc deducti: altero ſigno illo, draconis & leonis cum ſupervolante aquila, cujus Witikindus meminit, nonniſi ſacros in uſus adhibito: hoc, inquam, ſuo loco in tempore probabitur. Ubi etiam id docebitur, ex eo demum, quando a Francorum Regibus & poſt Imperatoribus Germanicis univerſæ Saxoniæ ducatus commiſſus eſt in Oſtphalia degentibus Principibus, ut ſenſim priſco nomine obliterato κατ' ἐξοχὴν Saxoniæ communis appellatio Oſtphaliæ cederet, occaſionem natam eſſe, eoque ſerius cepiſſe titulum Saxoniæ, Angriæ & Weſtphaliæ. Prolixiora enim hæc ſunt, quam ut hic commode demonſtrentur. Et vero huic inſtituto noſtro ſatis eſt notaſſe, in Oſtphalorum Saxonum ditionem Helmeſtadium ejusque viciniam poſt devictos Thuringos translatum, atque etiamnum iſthuc pertinere.

Prius autem quam hunc locum deſeramus, forte haud alienum fuerit, ſaltim audiviſſe Alberti Crantzii, de Saxonum inter haſce Albi & Viſurgi circumſcriptas regiones adventu, ut & de veterum earum habitatoribus, ſententiam; qualem illam propoſuit l. 1. metropol. c. 3. *Proximam*, inquit, *fundaſſe eccleſiam ferunt Carolum in Orientali Saxonia. Dirimit autem occiduam & orientalem provinciam, ut alii Weſtphali, alii Oſtphali dicantur, fluvius olim Viſurgis nunc Wiſera dictus: limes olim provinciæ Saxonum, cum ultra fluvium ad orientem habitarent Wandali, late per regionem fuſi uſque ad Albim fluvium, & inde uſque ad Oceanum Germanicum, quem per littora tum etiam Wandali tenuere. Sed cum, ut eſt hominum ritus, vicinæ gentes ſæpe de limitibus inirent certamen, Saxones animati tranſito flumine, ut eſt vadabilis in plerisque locis, a ripa Wandalos ſubmoverunt, & occupata provinciæ parte, habitare ad orientem ejus fluminis cœperunt, uſque ad Hercyniam ſilvam (hodie Harticos vocant montes) ut orientales inde Saxones dicerentur. Poterat etiam bello tum Gallico (quod ſcilicet Carolus Magnus Saxonibus intulit) ex Weſtphalia, quæ vera & vetus Saxonia eſt, major multitudo fluvium tranſiiſſe, ut majorem etiam ibi laborem Carolo excitaret.* Hæc Crantzii recitare hic, duximus haud abs re futurum, propter magnam viri auctoritatem. Satis vero eſt tantum recitaſſe; quandoquidem in omni hac narratione nihil reperias, præter Oſtphalorum & Weſtphalorum diviſa nomina, ſinceri, nihil quod non diſſentiat plurimum ab omnibus antiquis monumentis, imo nihil quod non ab ipſiusmet Crantzii narrationibus aliis diſſentiat. Nec vero ille non ſemel alibi Angarios medio inter Oſtphalos & Weſtphalos loco ſediſſe docuit: ut proinde Viſurgis non potuerit tum utrosque dirimere. Saxoniæ præterea l. 2. cap. 2. Saxonum prima in hiſce terris exordia in bella Carolina conjicit hiſce verbis: *Ipſe*, Carolus ſcilicet, *Hiſpanico bello peracto iterum copias trajicit in Saxoniam per Rhenum & Lupiam amnes; totam quæ nunc Weſtphalia eſt pervagatus, rebelles ſubegit, fugavitque contumaces. Ut Viſurgi, nunc Wiſera, tranſmiſſo ſedes ſibi facerent inter Wandalos, antiquis pulſis habitatoribus. Ex quo tempore cœpta eſt habitari a Saxonibus provincia trans Viſurgim, quæ nunc eſt terra Brunſvickenſis cum conterminis* (intelligi autem ab illo Lyneburgenſes, Magdeburgenſes, & Halberſtadenſes, liquet ex iis quæ diſſeruntur l. 1. c. 1.) *ut fieret exinde diſcrimen Saxonum orientalium & occidentalium qui ultra & citra Viſurgim habitant. Unde eſt etiam nata illa diſtinctio in una natione, Oſtphalorum qui ultra, & Weſtphalorum qui citra Viſurgim incolunt.* Ita Crantzius in Saxonia. At quantum modo audivimus metropolim ejus, longe ante facta eſt illa Viſurgis trajectio: & quod in Saxonia confidenter adeo aſſeritur de primis Saxonum in Oſtphalia ſedibus,

(a) *Weſtphalos*) Fit hujus diviſionis gentis Saxonicæ mentio in capitularibus. Ante Carolinum autem ævum prorſus ignota fuiſſe videtur. SCHAT. *hiſt. Weſtph. p.* 422.

(b) *Hengeſto & Horſa*) De his alibi locuti ſumus.

ſedibus, id metropolis trepide duntaxat affirmat, *potuiſſe* nempe *fieri*. Idem porro Crantzius l. 1. Saxoniæ aliquot capitibus jam narraverat, quemadmodum Thuringiæ bona pars ad Unſtrutum usque fuerit a Saxonibus occupata ſeculo Chriſtiano ſexto, atque exinde habitata: *cap. 31.* docuerat, jam Dagoberto Francorum Rege ultra Viſurgim Saxones habuiſſe provinciam, præter illa Thuringica ad Herciniam ſylvam, & cap. 33. narraverat expeditionem Pipini Regis in Saxoniam ad Ocrum amnem. Quæ omnia ſunt *ἀσύστατα*.

QVANTVMVIS autem (ut redeamus in viam, & iis quæ aſtruximus inhæreamus, ſpretis commentis Crantzianis) in hunc modum belli lege primo in Thuringorum, poſt in Saxonum jura & nomen pervenerit Helmeſtadium; manſiſſe tamen priſcos incolas Chaucos, omnino exiſtimo. Quinimo non deſiiſſe a Chaucis incoli vaſtam illam fere omnem, quam antehac tenuerant regionem; atque adeo etiamnum ab illis iſthæc fere omnia habitari arbitror. Id docere mihi videtur *primum* dialectus illa Germanicæ linguæ, quæ etiamnum per univerſam illam terram in communi eſt uſu. Utique enim illa a *Thuringica* (a) multum differt, ac proinde a Thuringis victoribus non eſt accepta. Plurimum quoque diverſa eſt ab ea quæ vere *Saxonica eſt*. (b) Qualis ſane olim illa fuerit, priusquam in eam Latina, Gallica, & Danica migraverunt, ex monumentis antiquis Britannicis liquet. Friſicæ ſcilicet aut Danicæ cum vocabulis tum pronunciandi ratione longe affinior, quam illi, quæ nunc in vulgo hic recepta eſt. Nec ſane quisquam hujus terræ incolarum illam minus ægre, quam aliquam ſeptentrionalium intellexerit. Non ergo & Saxonibus illa nunc communis lingua debetur. Atque adeo eam neceſſum eſt illorum eſſe, qui jam ante Thuringos & Saxones hasce terras tenuerunt & nunc etiam ſuperſunt. Quos Chaucos fuiſſe ante demonſtravimus; ut nunc conſequens ſit, eosdem adhuc eſſe ſuperſtites. Nec enim alii populi in hæc loca a plurimis ſeculis commigraverunt. Et vero meretur obſervari, illam linguam inter Chauciæ veteris limites fuiſſe concluſam; donec tandem trans Albim in Venedorum terras miſſis illuc coloniis & in Friſiam Cis-Amaſanam nuper cæpit recipi. Jam audivimus *ſecundo* Tacitum dicentem: *immenſum terrarum ſpatium non tenuiſſe tantum Chaucos ſed & impleviſſe*. Tantam vero hominum multitudinem qui Thuringi potuerint exſcindere, valida quidem parva tamen manus? Ampliores fuere ſane Saxonum copiæ. Et vero videntur in id nomen & alii a Ptolomæo in ipſa Cherſoneſo Cimbrica collocati populi cooptati, cumque Saxonibus alio migraſſe: Ut recte dixerint illi, quos Witikindus memorat, *de Danis & Normannis Saxones originem duxiſſe*. At vero Saxonum plærosque in Britanniam abiiſſe, indicat ingens ille terrarum tractus, quem vel excifis vel pulſis priſcis Britannis ibi replerunt. Utique enim Cantii, Sutſexii, Weſtſexii, Eoſtſexii mere Saxonicæ originis ſunt populi, ſine Britannorum veterum mixtura. Abundaſſe vero in Britannia id genus novorum incolarum jam Juſtiniani ætate, ſupra ex Procopio intelleximus. Quum tam immenſæ autem copiæ Saxonum in Britanniam iverint, non potuit profecto omnis etiam illa terra, quam *Weſtphali* (c) Angrii & Oſtphali ſui juris fecere, a ſolis Saxonibus habitari. Et vero certum eſt, a Friſiis cum inſulam Batavorum, tum omnem Oceani oram ab Amaſo ad Viſurgim, imo cis Viſurgim pene ad Albim, quæ omnia antehac Saxones cum Chaucis inſederant, perpetua poſſeſſione eſſe occupatam. Quod profecto non temere contigiſſet, niſi Britannia Saxonum magnitudinem exhauſiſſet. Manſit igitur in Germania poſt Britanniam occupatam nonniſi *exigua Saxonum manus*, (d) eoque nec ipſamet par fuit exſtinguendo numeroſisſimo Chaucorum populo, ſed hic tantum in ditionem eſt redactus a Saxonibus. Adhoc ex Francorum ævi & illius & proximi annalibus aliisque monumentis liquet, numquam non, cumprimis vero tempore diuturni illius belli, quod Carolus contra Saxones geſſit, omnem Saxoniam ita dictam infinitam aluiſſe hominum multitudinem: in quam profecto parvæ Saxonum copiæ tam brevi non potuerunt excreſcere. Ut hinc quoque appareat, Cauchos veteres neutiquam fuiſſe exciſos. Nec eſt quod quis exiſtimet, ad victos populos in officio retinendos numeroſis copiis fuiſſe opus: Chaucorum bona parte jamdudum per inertiam ſoluta, & longa jam tum ſi non ſervitute ſaltim obſequio fracta.

(a) *Thuringica*) Varias Germanicarum gentium dialectos veteris ævi monumenta probant. Specimen linguæ, quam Franci orientales & Thuringi adhibuiſſe dicuntur, vide apud BROWERVM *in antiquitatibus Fuldenſibus p. 158.* & in fœderis inter Ludovicum German. & fratrem ejus Carolum initi formula apud BOECLERVM *in appendice ad librum de notitia imperii*. Spectant huc Otfridi evangelia, de quibus vid. Dn. d' ECCARD *hiſtoria ſtudii etbymologici c. IX.* Alias dialectos refert *HICKESIVS in theſauro linguarum ſeptentrionalium.* A flexionibus illis Theotiſcis vernacula noſtra ſenſim in illud idioma, quo Weſtphali, Saxones inferiores & Belgæ utuntur, tranſiit, & demum ex eo genus loquendi, quo ſuperiores Germani ſenſa animi proponunt, verbis in molliorem tonum formatis, multisque antiquis vocabulis, ut ad ſuaviorem forte dictionem plane ineptis, omiſſis, enatum eſt. Id tamen Goropio medico & philologo Antwerpienſi concedi nequit, Belgicam linguam, quam Cimbricam vocat, eſſe omnium primam, ætate ipſam Hebræam ſuperantem, atque ea Adamum locutum eſſe. Vapulavit obinde & alios errores vir magni ingenii paſſim a viris doctis. ECCARDVS *l. c. cap. XI.*

(b) *Saxonica eſt*) Saxonica lingua, quæ in Britanniam delata eſt, ab adventantibus Danis & Normannis varias paſſa mutationes, & pene ſuffocata eſt. Et forte plene exſtincta eſſet, niſi Mathæus Porkerus, archiepiſcopus Cantuarienſis, & poſt illum alii docti Britanni eam ab interitu vindicaſſent. ECCARDVS *l. c. cap. X.* Id vitii, nempe quod peregrinis vocibus corrupta & deformata fuerit, illa quoque qua hodie in Germania utimur lingua ſubiit. Expeditiones enim in Italiam & terram ſanctam, itinera in Galliam, & electio Caroli V. Hiſpaniæ Regis in imperatorem Germanicum exoticas voces vernaculæ noſtræ affricuit. Imo &, tradente ECCARDO *l. c. cap. XII.* Judaica quædam ei admixta ſunt vocabula, nec ab omnibus Vendicis vocibus pura eſt.

(c) *Weſtphali*) ROLVINCK de *Weſtphalia*, qui tamen multa admiſcet fabuloſa. Adde CHYTRÆI *orat. de veteris Saxoniæ provincia, quæ Weſtphalia dicitur.*

(d) *exigua Saxonum manus*) Sed neſcio an non major Saxonum in Germania remanſerit pars. Non enim ita magnæ fuerunt Saxonum copiæ ab aliis auctæ gentibus, qui Britanniam ſub ſuam redigerunt poteſtatem.

fracta. Sed & *tertio* jam tum ſupra audivimus Zoſimum dicentem, Chaucos in parte Saxonum fuiſſe habitos, miſſosque ab iis in Batavorum inſulam. Quo ſimul liquet, illos quidem Chaucos Saxonica fuiſſe civitate donatos & aſſumptos in reipublicæ aliquam communionem. Alibi idem factum, per eſt veriſimile. Tales ſane videntur fuiſſe & illi Saxonum *amici auxiliarii ac manumiſſi*, qui parte agrorum Thuringicorum poſt victoriam fuere a Saxonibus donati; uti quidem Witikindus perhibet.

Igitur victi Chauci ut ante cum Thuringis, ita poſt cum Saxonibus in unum & corpus & nomen coaluerunt: verum ita, ut dignitate atque imperio quidem Saxones, Chauci autem multitudine ſemper ex eo prævaluerint. Quo numero prævalente factum ſimul, ut Saxones cum linguæ tum moribus Chaucorum ceu multitudine præpotentium ſenſim aſſueverint; neque adeo hodie priſca & vera Saxonum, ſed Cauchorum obtineat hic paſſim lingua, Saxonica vetere dialecto non niſi in Britannia ſuperſtite. Perinde ſcilicet atque in linguam & inſtituta Italorum Langobardi, Gallorum Franci, Hiſpanorum Gothi, imo & Græcorum quondam Romani conceſſere: victis populis ipſos ſuos victores hac parte ſuperantibus.

Quandoquidem vero velut alii Germanici populi, ita & hic Caucho-Saxonum, in quatuor hominum ordines jam olim fuerit & nunc quoque fere ſit diviſus; *Edelingos* (a) qui appellabantur, liberos ſive ingenuos, libertos, & ſervos; fortaſſis licuerit non omnino vana conjectura ſimul definire veram cujusque ordinis originem, Chaucicane ſit an vere Saxonica. Atque Adelingos illos quidem, qui ante ſexcentos annos majore fuerunt dignitate, credibile eſt Saxonicæ ſtirpis eſſe. Iſthoc autem *cenſu* (b) habiti olim Principes, Comites, Barones. Vero ſcilicet eſt ſimile, hosce rectores populum a victoribus accepiſſe Saxonibus, ſaltim dignitate, & potentia potiores quosque: quandoquidem hic fere communis eſt mos omnium victorum. Nihil tamen vetat, quin nonnulli eorum & ex Chaucis orti fuerint, Saxonum victorum favore ſibi per fidele obſequium impetrato. Quos hodie ab alteris illis diſcernere ἀδύνατον. Intra tamen proximos ſexcentos annos Chauco-Saxonia hæc cum Principes tum Comites alienigenas varios nacta eſt: Electores nimirum modernos Brandeburgicos *ex Suevia*, (c) Brunſvvico-Luneburgicos Duces *ex Bajoaria* (d) imo Italia, Holſatiæ Duces *Comitesque Oldenburgenſes* (e) ex Friſia, Comites quoque Wernigerodenſes & *Stolbergenſis* (f) itidem ex Italia, ſiquidem credendum eſt iis qui illos Columnenſium familia cretos ferunt, alios aliunde. Ut Saxonici ſanguinis forte ſoli hodie ſuperſint Miſniæ Marchiones, qui iidem & Saxoniæ Duces audiunt atque electorali pollent dignitate, Anhaltini Principes ejusdemque cum illis originis Saxoniæ Duces Lavvenburgici, Comites Lippienſes Benthemenſes & nuperrimi Ranzovii: reliquis quamplurimis comitum familiis dudum *extinctis*. (g) Secundi ingenuorum ordinis perquam veroſimile eſt, qui *miniſteriales* (h) quondam nunc *nobiles aut equites*

(a) *Edelingos*) Taciti tempore in Germania non niſi ingenui ſive nobiles erant & ſervi; liberti enim non multum ſupra ſervos erant, itaque ſub eis comprehendebantur. Carolingorum autem tempore *gens Saxonum omnis in tribus ordinibus diverſis conſtitit. Erant inter illos Edelingi, erant Frilingi, erant & qui illorum lingua Lazzi dicebantur.* NITHARDVS *lib. IV.* CLUV. *German. antiquæ lib. I. c.* 15. HACHENB. *German. med. c.* 2. ESTOR. *de miniſt. p.* 531. 532.

(b) *cenſu*) Officia efficiebant, ut quis in cenſu primæ claſſis nobilium eſſet. Hi in chartis medii ævi aliquando divites dicuntur, & inferioris numeri nobilibus, qui pauperes vocantur, contradiſtinguuntur. Cæterum ipſa nobilitas eſt qualitas perſonalis, quæ nativitate, voluntate ſuperioris aut conſuetudine oritur. Sed de hoc argumento alibi latius agetur.

(c) *ex Suevia*) Ex Zolleranis comitibus Noribergenſibus Burggrafiis deſcendunt. JOANN. MICHAEL HEINECCIVS per Eliſabetham Rudolphi I. ſororem Ettel Friderico Zollerano comiti nuptam Brandenburg. a Carolingis derivat.

(d) *ex Bajoaria*) In AZONIS *Italiæ marchionibus* filius Guelfus ab Henrico IV. eſt.

(e) *comites Oldenburgenſes*) HAMELMANNVS eos a comitibus Ringelheimenſibus derivat.

(f) *Stolbergenſis*) Communis traditio vel potius fabula eſt, illuſtriſſimam hanc gentem natales ſuos Ottoni de Columna nobili cuidam Romano debere. Veritati multo convenientius eſt, origine Germanicam eſſe. Ineptiæ, quod proceres noſtri majorum Romanorum avidi ſint, jam ab uſu receſſerunt. Quod autem ad Wernigerodanum attinet comitatum, ille per matrimonium Bothonis cum Wernigerodenſi quadam ad Stolbergenſem pervenit domum. IMHOFII *notitia procer. lib. VI. c. XVIII.*

(g) *extinctis*) HAMELMANNVS *de familiis emortuis.*

(h) *miniſteriales*) Hos a operis & ſervitiis, quæ illi, cui nexu juncti erant, præſtabant, nomen habuiſſe, tralatitium eſt. Vocabantur autem *Dienſtmanne, Dienſtleute,* HEDA *in hiſtor. Vltraject. p.* 117. FREHERVS *ad tom. I. ſcript. German.* HVNDIVS *in kurtzen Auszuge etlicher hiſtoriſchen obſervationen*, *fol.* 404. *Adelſchalck*, item nobiles ſervi, *in monum. Wurtenbergenſibus pag.* 147. ſervi, in confirmatione comitum Stolbergenſ. de anno 1254. apud EKSTORM. *in chron. Walckenried. p.* 995. nec non in fundatione Alpiſpacenſi *in docum. Wurtenberg. pag.* 235. ita & in fundat. monaſteriorum Pruſenius & Ponzelinus apud HVND. *in metropoli Salisburgenſi tom. III. fol.* 121. nobiles homines proprii, SCHANNAT. *in clientela Fuldenſi p.* 354. mancipia, in concilio a Taſſilione apud Dingelvingam ann 772. celebrato, apud VELSERVM *rer. Boior. lib.* 5. *fol.* 310. junge *addit. ad Hundii metropolin. tom. I. fol.* 342. 450. frequentiſſime autem dicuntur ſervientes, ut ex variis conſtat diplomatibus. Sumitur hæc vox interdum tam late, ut etiam illos, qui primaria regni & aulæ officia adminiſtrarunt, complectatur. *Dn.* ESTOR *de miniſt. c. I.* Plerumque autem nobiles inferioris ordinis, qui ſe principum & comitum miniſteriis permiſere, ſignificat. Erant tamen & ex plebe miniſteriales, qui ſordidiora ſubibant miniſteria. An autem miniſteriales ex inferiori nobilitate liberorum aut ſervorum numero adjungendi fuerint, controverſum eſt. Quidam a ſervorum claſſe eos plane abſolvunt, quod noſtro tempore BVRGEMEISTERVS & GLAFFEYVS moliti ſunt, contendentes nexum, quo miniſteriales nobiles principibus fuerint obnoxii, vel etiam civitatibus, citra ſervilem maculam ex pacto veniſſe, & ſi nexus talis diſſolutus fuerit manumiſſos dictos, id eſt a tali vinculo liberatos, quo ſpectare dicuntur diplomata, quæ apud Schilterum aliosque de nobilium manumiſſionibus reperiuntur. Alii quidem in cenſum ſervorum, ſed non infimi ordinis referunt. ESTOR *l. c. p.* 97. ita ut ſub nobilium ſimpliciter poſitorum vocabulo non venerint, quippe quod

tes (a) dicuntur, & jam olim plurimos fuiſſe Saxonicæ originis & hodie ſic ſatis multos ſupereſſe: ut ſolet nimirum etiam hoc victoribus dari. Omnes porro Chaucos quamvis armis victos libertatem non perdidiſſe, præterquam quod veroſimile ex eo ſit, quoniam exiguæ Saxonum copiæ non fuerunt pares domandis Chaucis ut ſervirent, ſed tantum ut parerent: manifeſto indicant, quæ ex Zoſimo ſupra narravimus, de Chaucis a Saxonibus ad Batavorum inſulam occupandam miſſis. Nec enim in militiam recepti olim ſervi, multo minus in partem reipublicæ: utpote quum antiquiſſimo Germaniæ inſtituto etiam *liberti non multum ſupra ſervos fuerint, raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate*, ceu Tacitus loquitur. Etſi vero Chauciçæ originis ingenui homines nunquam defuerint, maximam tamen partem Chaucorum redactam in ſervilem conditionem, indicat infinitus ſervorum numerus: quorum omnis fere ager olim per univerſam Chauco-Saxoniam fuit plenus. Utque multis non fuerit perſonalis ſervitus impoſita, tributarii tamen tantum non omnes videntur redditi. Eſtque omnino veriſimile, Saxonum victorum longe majorem libertatem manſiſſe: omnes autem tributarios aut ſervos Cauchicæ originis eſſe. Hodie ſane ſervitus perſonalis in orientali hac veteri Saxonia nulla fere, *pietatis ſtudio* (b) omnibus jam manumiſſis, in Weſtphalia quoque perquam raro ſuperat: ſervitutes tamen reales agrorum, quibus hodieque illi premuntur, conditionem antiquam vulgi agreſtium ſatis arguunt. At vero omnis populus ante ſeculum nonum hic in agro vixit per vicos diſperſus, nulla urbe etiam Caroli Magni ævo in Saxonibus comparente. Ut proinde & oppidanos omnes, quoniam non niſi ex agro in oppida migraverunt, libertini generis, atque adeo Chaucici ſanguinis eſſe, perquam ſit probabile. Magna certe urbium incrementa proximis ſeculis ex infinito libertorum numero cepiſſe, jam tum alias quum de Germanicis urbibus diſſeruimus, a nobis oſtenſum eſt. Ex quibus conſequens eſt, etiam Helmeſtadii noſtri incolas non tam Saxonibus quam Chaucis majoribus eſſe progenitos.

VERUM de hiſce pro inſtituti quidem ratione ſatis: imo forte plus quam ſatis. Pervenimus igitur jam ad illa tempora, quando & Saxones felicibus Caroli Magni armis devicti in FRANCORUM rempublicam conceſſere, atque adeo & Helmeſtadium noſtrum Francorum Regibus cæpit obtemperare. Et quidem plurimum tunc mutaſſe cum univerſæ Saxoniæ, tum cumprimis Helmeſtadii vicinas res, certum eſt. Quandoquidem tamen non omnia quæ vulgo creduntur mihi ſeſe probant, ſed a vero alieniſſima, nec ſine reipublicæ injuria inique videntur conficta, quantumvis non niſi

tantum reges, principes, comites & barones continuerit. ESTOR. *l. c. pag.* 361. Sed ut dicam, quod res eſt, nexus ille, quo miniſteriales obſtricti erant, involvebat quædam, quæ ad libertatem non æque quadrant. Ex miniſteriali ventre miniſterialis naſcebatur, miniſteriales eorumque liberi glebæ adhærebant, donabantur, permutabantur, vindicabantur & manumittebantur. Atque in manumiſſionum formulis tales reperiuntur expreſſiones, quæ manumiſſum libertatem conſecutum eſſe ſatis indicant. Exempla vide apud SCHILT. HUND. SCHANAT. ESTOR. KETTNER. Non inutile videtur ſequens diploma hic inſerere. *Heinricus Dei gratia Dux Saxoniæ, & comes palatinus Rheni omnibus Chriſti fidelibus hoc ſcriptum intuentibus ſalutem & omne bonum. Notum ſit omnibus tam præſentibus quam futuris, quod nos Jordanem filium Jordanis Dapiferi noſtri fratri noſtro Regi Ottoni, ex conſenſu jam dicti patris ſui, nec non ex hæredum ſuorum, cum bona voluntate noſtra in miniſterialem libere donavimus. Et ſi quis mortalium id infringere voluerit, nos pro viribus noſtris ei reſiſtemus & revocabimus. Ut ergo hoc factum ratum omni ævo permaneat & inconvulſum, & ne per nos, aut ſucceſſores noſtros, infringatur, præſentis ſcripti firmamento & ſigilli noſtri impreſſione fecimus communiri. Teſtes etiam hujus rei ſunt. Conradus de Witve Dapifer, Herkbardy de Wulfſerbütte, Baſilius de Oſterode, Gunzelinus Dapifer, Balewinus de Halbecke, Balduwinus advocatus, Bertramus de Velsheim Herwinus de Schonneda Willekinus Mareſcalcus. Acta ſunt hæc anno incarnationis Domini MCCIIII.* Verum enim vero tali vinculo & comites & dynaſtas nonnunquam adſtrictos fuiſſe, diplomata indicant & annales. Sic Welfus in aula ſua miniſteriales dapiferum, pincernam, mareſchalcum, camerarium, ſigniferum habebat comites. MONACHUS WEINGARTENSIS *apud LEIBNIT. p.* 781. Exſtat diploma, quo Siffridus epiſcopus Hildeſienſis anno 1218. *Ekbertum Gunzelini comitis Peinenſis & imperialis aulæ mareſchalli filium primogenitum, pro uxore Conradi marſchalci ſui, filia quondam advocati de Dalheim, & pro filio quem modo habet, dedit in commutationem domino ſuo Ottoni Romanorum imperatori, hoc permittentes, quod proximus filius, quem præfata uxor Conradi marſchalci eſt habitura, ipſius ſcilicet imperatoris perpetualiter pertineat dominio.* Miror, hic tam acerrimo decertari bello, cum entia moralia continuis propemodum ſubſint mutationibus, quoniam a voluntate humana aliiſque cauſis, quæ magnam patiuntur inconſtantiam, pendent. Et errori omnino ſe committeret, qui de iis non ſecundum ſtatum præſentem, ſed præteritum, ubi omne jus aut obligatio ad hunc periit, judicare vellet. De prærogativis miniſterialium agit celeb. ESTOR *c. III. l. c.* Poſt autem ſeculum XIV. miniſterialium nomen aut plane non, aut infrequentiſſime ſaltim auditum. HERT. *tom. II. pag.* 181. *ESTOR. p.* 125. *Dom. de PLONIES de miniſter. theſ.* 29.

(a) *nobiles aut equites*) Putat ESTOR *p.* 527. miniſterialium ad nobilium ordinem acceſſum ſolenni militum inauguratione, ad quam admittebantur, factum eſſe. Mihi videntur, equeſtri militiæ, nobilitate primaria ad paucos variis bellis & quidem graviſſimis redacta numeros, ſenſim additi. Et jam iniquum fuiſſet a ludicra haſtorum velitatione illos excludere, qui in equitatu erant ſocii; imo reipublicæ minus conſultum fuiſſet, & hos ad equeſtrem non inſtrui pugnam, hinc ad torneamenta admiſſi ſunt. Cumque hoc ſignum erat nobilitatis, pro nobilibus abſolute talibus paſſim haberi cœperunt, & conſuetudo hæc tot annorum tractu continuata in jus abiit. Cœperunt quoque deinde ad ſolennes equitum inaugurationes admitti, unde nobilitati eorum majus adhuc additum eſt firmamentum. Largior autem Dom. de PLONIES, *p.* 43. illos miniſterialium, qui militum & equitum cenſui adſcripti erant, aliis ſui ordinis, qui famulorum nomine in diplomatibus & imperii receſſibus venire ſolent, prælatos eſſe. Interim uſu obtinet, ut omnes hodie nobiles equites dicantur. BAIERI *ſpecim. juris Germanici c. III. §.* 18.

(b) *pietatis ſtudio*) Sibi perſuaſum habebant, illum, quem Chriſtus a legis jugo liberaſſet, non poſſe in ſervitute eſſe. Sunt, qui putant, inter frequentioris manumiſſionis cauſas fuiſſe, ut ex manumiſſis copiarum ſubſidia legi potuerint, quoniam ſervi militiæ nomen dare prohibebantur. Verum in peditatu plebejos partem facere potuiſſe, ESTOR ex MABILLON. *part. I. ſecul. VI. act. ſanct. Benedict. §. XIV.* probare nititur. Sed ruſtici, qui in Traſimundi comitatu fuerunt, rectius forte calonum turbæ, quam militibus accenſendi fuerunt.

niſi antiquiſſima perſequi conſilium fuerit, etiam in illa animadvertere nonnihil, haud fuerit fortaſſis absque pretio operæ.

Etenim non defuere jamdudum qui plebi perſuaſerint, populo omni Saxonico, vel ſaltim urbibus Saxonicis plærisque, a Carolo Magno victore omnimodam conceſſam libertatem & *immunitatem* (a) a tributis. Imo omne reipublicæ regimen urbium concilio eſſe traditum, quod antehac nemo quisquam dixerat, non adeo pridem avido novitatis vulgo narrare non nemo haud dubitavit. Quæ ſi quidquam habeant veri, utique & hujus Helmeſtadii viciniæque habitatores Caroli beneficio illius communis boni participes fuerint facti, cum antehac aut ſervi aut non multa ſupra ſervos libertate vixiſſent. Aſt illa in publicum pernicioſa turbulentorum Saxoniæ hujus noſtræ demagogorum commenta jam tum alibi ex merito perſtrinximus, & fiet denuo ſingulari *de urbibus Germanicis libro*. (b) Igitur illa duntaxat quæ ſeorſim de Helmeſtadio perperam nonnulli prodiderunt, pasſim tamen ſine dubitatione incaute admittuntur, excutiemus.

Ac primum quidem occurrunt illa Cranzii l. 1. Metropol. cap. X. Caroli Magni res narrantis. *Quo tempore Wandalis Rex victorioſus confiictatur, qui Wilſi ferebantur & Sorabi, bonam illi navaſſe operam Phriſii memorantur, duobus ſtratis pontibus ſuper Albim ut ad hoſtes perveniret, utrinque impoſitis ad exitus pontium turribus cum firmis præſidiis, quo illi cum agmine toto repedare tuto liceat. Aderat illi ad omnia moriger Wedekindus: nec deerat Ludgerus, vir ſanctus Mimigardevordenſis epiſcopus, qui accepta ab Rege licentia opportuno loco oppidum Helmeſtede communivit, quo eſſet illi ad Wandalos prædicanti (quod cogitabat) tutus receptus. Eum locum ſubjecit abbati Werdenſi, cujus in dominio permanſit ad noſtra usque tempora. Quibus diu contumax oppidum, parere abbati dum contemnit, inutilem monaſterio locum, longeque diſtantem, accepta pecunia ab Henrico de Brunſwigk duce, omne illi dominium loci permiſit. Pænituit oppidanos mutaſſe dominum: ſed quando ranæ Regem contempſere ignavum, accepere pro illo ciconiam, quæ regit in virga ferrea ſubjectos.* Hæc omnia Cranzius. Ut autem nunc non niſi illa, quæ Caroli Magni ætate feruntur geſta, tangamus, (nam de reliquis magis tempeſtive poſt agi poterit) conſtat quidem ex Francorum etiam annalibus, quorum varii hodieque ſuperant libelli, geſtum eſſe a Carolo cum Wilſis & Sorabis bellum, quod etiam Einhardus eſt teſtatus: expeditionem quoque adverſus Welatabos aut Wilſos ſuper Albi ponte ſtrato ſemel anno 889. inſtitutam ferunt illi annales, in Sorabos autem ſimul tum bellatum eſſe, nullis monumentis illius ævi memoratur. Neque ad illos debellandos opus fuit Albim trajicere, ut qui cis Albim trans Salam Misniam tenuerint. Witikindum præterea Carolo tum militaſſe non eſt vero abſimile: ut qui quadriennio ante in fidem & Chriſti & Caroli receptus, utrique ex eo ſeſe fidelem præſtitit. Nec eſt quur multum negemus, Ludgerum tunc adfuiſſe; quamvis ille jam Mimigarderodenſis, aut ut nunc loquimur Monaſterienſis, conſtitutus epiſcopus, ſimulque exſtructo Werdinenſi cœnobio, ſatis haberet multum domi quod ageret. Bonam porro in expeditione illa Carolo operam præſtitiſſe Friſios, fortaſſis itidem vero eſt conſentaneum. Militaſſe enim tum eos Francis, perinde ac alios populos victos, cum alias notum eſt, tum vel ex iis quæ memorant annales Francorum ad annum 791. Nihil tamen horum non incertæ eſt fidei vel ideo, quoniam antiquisſima illorum temporum monumenta nihil horum habent, atque adeo omnis iſthæc narratio idoneis deſtituitur teſtimoniis. Imo ſuſpecta etiam hæc merito ſunt, quandoquidem reliqua omnia, quæ pari fide narrantur, plane ſunt falſa vel ſaltim omni carent veriſimilitudine. *Primum* enim, Sorabos & Wilſos uno bello & ſtratis ſuper Albim pontibus Carolus non potuit debellare, quandoquidem Sorabi cis Albim trans Salam vixerunt, VVilſis trans Albim longe a Sorabis remotis. VVilſorum enim terras ſatis accurate nobis deſcripſit ſeculo Chriſtiano duodecimo Helmoldus l. 1. cap. 2. Cum enim dixiſſet: *Odera vergens in Boream tranſit per medios Winulorum populos, dividens Pomeranos a VVilzis*, non multo poſt addit: *Poſt Oderæ lenem meatum & varios Pomeranorum populos, ad occidentem occurrit Winulorum provincia, eorum qui Tholenzi ſive Redarii dicuntur: civitas eorum vulgatiſſima Rethre, ſedes idololatriæ. Deinde venitur ad Circipanos & Kyzinos, quos a Tholenzis & Redariis ſeparat flumen Panis & civitas Dimine. Kyzini & Circipani cis Panim, Tholenzi & Redari trans Panim habitant. Hi quatuor populi Wilzi ſive Lutici appellantur.* Ante illum circiter centum annis, fere iisdem verbis uſus fuit Adamus Bremenſis, ita ut Helmoldum ſua hinc bonam partem deſcripſiſſe, nullum ſit dubium. Jamdudum ante, ipſoque adeo ſeculo nono, bellum Caroli contra VVilſos deſcribens autor annalium Francicorum a Nuenario editus ita ſcripſerat: *Natio quadam Slavonorum eſt in Germania, ſedens ſuper littus Oceani,* (intelligit mare Balthicum) *qui propria lingua Welatabi, Francica autem Wilſi vocantur. Ea Francis ſemper inimica, & vicinos ſuos* (Obotritos ſcilicet) *qui Francis vel ſubjecti vel fœderati erant, odiis inſectari, belloque premere ac laceſſere ſolebant.* Jam vero Sorabos Misniam hodie appellatam olim habitaſſe, itidem certum eſt. Utique enim diſerte Eginhardus in vita Caroli ſcribit, *Salam fluvium Thuringos & Sorabos dividere:* & Adamus pariter ac Helmoldus perhibent; *Albia*, ſive Albis, *in occaſum ruens, primo impetu Bohemos alluit cum Sorabis.* Idem liquet ex narratione belli contra Sorabos a Carolo geſti anno 806. qualis illa traditur in annalibus Francicis. Hos igitur populos longo diſſitos fuiſſe intervallo, ita ut uno bello contra utrosque nihil effici potuerit, manifeſtum eſt. Quam *ſecundo* eſt ab omni veriſimilitudine alienum, opus tum fuiſſe prædicaturo ſive VVilzis ſive Sorabis ſacram evangelii doctrinam Ludgero, in receptum, urbe quadam munita, proculque adeo ab Albi & Sala: cum in haſce usque terras nec VVilſi nec Sorabi remoti populi potuerint temere excurrere, prævalentibus quoque Saxonici populi viribus? Non certe legitur unquam

 VVilſos

(a) *immunitatem*) Hoc falſum eſſe alibi docuimus. (b) *de urbibus Germanicis libro*) Ejus haſtenus nobis non eſt facta copia.

VVilſos Albim trajeciſſe. Eſt *tertio* a moribus Carolini ævi plane diverſum, epiſcopis concedere urbium muniendarum poteſtatem aut earum dominium. Talia longe ſerius cœperunt. Solum itaque Ludgerum inſolenti illa potentia donatum eſſe, cui probabitur? Vetat tale quid credi vel ſola viri illius ſanctimonia & a ſecularibus, quas vocant, curis abhorrens animus: quem hiſtoria vitæ & loquitur & laudat. Haud me fugit & in Saxonia & in metropoli tradere eundem Cranzium, a Carolo Magno epiſcopis datam regendæ Saxoniæ poteſtatem. Eſt autem a Reinero Reineccio jam animadverſum libello de Saxonum originibus, neque cum veritate neque cum ſemetipſo Cranzium iſthac in re conſentire. Plane geminus nimirum error ille Cranzii eſt cum eo, quem itidem ingeminat: voluiſſe Carolum, ut Saxones liberi eſſent *ab omni jugo tributorum, tantum eccleſiis & pontificibus jure decimarum obnoxii:* cum tamen ex monumentis illius ævi quammultis & ipſiſmet tabulis inſtituti Bremenſis epiſcopatus, cujus ſummam ipſe recitat *l. 1. metropolis c. 7. & 8.* liqueat, non niſi illo tributo, quo Francorum Regibus erant obſtricti, Saxones tandem ſolutos eſſe. Cæteroquin autem populum ſolito etiam addictius cœpiſſe a Principibus regi, non obſcure apparet ex iis, quæ diſſerit & Aimoinus l. 5. cap. 10. & autor vitæ Ludovici Pii, & Nithardus *l. 4.* Quam rem ſuo loco agitamus. Cumprimis autem *quarto* ab omni eſt diſſitum veroſimilitudine, dominium oppidi conceſſum a Carolo *monaſtica vita hominibus*, (a) cum tamen illi, iſthac quidem tempeſtate, ex regula Benedicti *vitam inſtituerent*, (b) quæ a dominatu urbium toto cœlo differt. Bonifacius certe Ludgeri magiſter Fuldenſe *ἀσκητήριον* conditurus *in epiſtola ad Zachariam* (c) Papam ſcripſit: conſilium ſibi eſſe monachos conſtituere, ſub regula S. Benedicti viventes, *viros ſtrictæ abſtinentiæ, abſque carne & vino, abſque ſicera & ſervis, proprio manuum ſuarum labore contentos.* Teſtatur & Rudolphus in vita S. Liobæ cap. X. apud Surium XXIIX. Septembris: Bonifacium Lullo, ſuo in *ἀρχιεπισκοπῇ* Moguntina

(a) *monaſticæ vitæ hominibus*) Calculum ſuum Conringianæ ſententiæ addit OVRAM, S. Benedicti regulam in monaſterio, quod eſt Werthenæ, deinde & in eo, quod eſt prope hanc urbem ſequens, in *hiſtoria manuſcripta monaſter. VVerthenæ & Helmeſtadii*, ubi recitatis Cranzii, Chytræi, Buntingii erroneis opinionibus pergit: *Cæterum diſſertationi D. Conringii uti veritati magis conſentaneæ, quam Cranzii, Chytræi aliorumque relationi de oppido Helmſtadio, tutius eſt aſſentire. Haud enim veroſimile eſt, D. Ludgerum, tum epiſcopum Mimingardevordenſem, oppidum illud (ſi tamen oppidum id temporis fuerit, ut putat Chytræus) muniviſſe, aliis curis ſpiritualibus & lucro animarum intentum.*

(b) *vitam inſtituerent*) Videtur CRANZIVS *in metropoli lib. I.* cum Alberto Stadenſi in dubium vocare, Ludgerum S. Benedicti placita ſecutum eſſe. Sed Overhamus, illum non tam canonicam inſtitutionem, quam Benedicti regulam, quæ a carnibus abſtineri vult, ſecutum eſſe, probare allaborat, quod Altfrido teſte, *S. Ludgerus monaſticæ converſationi per duos annos fere & dimidium in monaſterio Caſſinenſi ſub monachico habitu mores ſuos ſancte confirmaverit, atque inde ei deſiderium inhæſerit fundandi pro monachis Benedictinis cœnobium, quod tandem in Werthena complevit.* Quod autem ad S. Ludgeri natales attinet, patrem habuit Thiadgrinum, matrem Liaffburgam Nithardi atque Adelburgæ filiam, avum autem paternum Wereſingum cognomento Adonem Friſonem, virum ingenuum & nobilem. Hunc Radbodi in Chriſtianos ſævientis tyrannide ejectum in ſuam Carolus Martellus recepit tutelam & gratiam, eumque beneficio in Friſiæ confinio donavit, qui rectius Willibaldo de Friſiorum æterna ſolicito ſalute opem ferre poſſet. Ludgerus anno forte a Chriſto incarnato 745. natus eductorem habuit S. Gregorium archiepiſcopum Vltrajectinum, præceptorem vero, cum jam diaconus factus, Eboraci in Anglia Alcuinum. Inde reverſus operam ſuam commodavit Gregorio archiepiſcopo ſuo antea eductori & præceptori. Huic denato in epiſcopatu ſucceſſit Albericus, qui Ludgerum Presbyterum creatum pago Oſtroegæ, ubi S. Bonifacius martyrio eſt coronatus, doctorem dedit. Coactus autem inde, Widekindo in Chriſtianos crudelia ſtatuente, Romam, Hildegrino fratre & Gerberto demigrationis ſociis, contendit, & eo ſe in Caſſinenſe contulit monaſterium, ibique ſub abbatis Theodmari conſanguinei ſui ductus, Benedicti regulam addidicit. ALBERTVS CRANZIVS *lib. II. rerum Saxonic. c. 14.* qui ſua hic debet Adamo Bremenſi & Alberto Stadenſi. Italia redux a Carolo Magno Freſonibus apoſtolus datus. Ibi rebus Chriſtianæ religionis recte curatis, a Carolo Magno paſtor in Memingford, qui fuit locus Sudgoe ſive pagi Saxonum occidentalis. Dubium autem eſt, an priusquam Monaſterienſis epiſcopus factus condendo Werthinenſi monaſterio operam dederit, & utrum antea ſub regula canonica monaſterii cœnobium conſtituerit. Verior tamen Mabillonii ſententia Werthinenſe monaſt. jam anno 796. conditum fuiſſe: epiſcopus autem Monaſter. ante annum 502. non eſt factus. ECCARDI *cenſura diplomat. Oſnabrug. vindicata p. 8. & 9.* In traditionibus primum anno 805. epiſcopus dicitur. Vid. BOLLAND. *in comment. ad vitam S. Ludgeri c. IV.* Adeſt quoq, diploma ſequens Thangrimi de anno DCCCII. in quo nondum dicitur epiſcopus: Notum fieri deſideramus omnibus fidelibus qualiter ego Thangrimus & duo filii mei Hærdgrimus, & Alugrimus pro remedio animarum noſtrarum & defuncti Boſoconis tradidimus partem hæreditatis noſtræ, quæ nobis juſto judicio ex lugubri occiſione filii mei ejusdem Boſoconis advenit, in villa quæ dicitur Huſtere, id eſt omne patrimonium quod in eadem villa Brunrico & filii ejus (qui eandem occiſionem inſtigante diabolo malignis manibus peregerant) legibus habere viſi ſunt vel ubicunque aliquid juſte ad eos pertinebat, ad reliquias S. Salvatoris, & in manus Ludgeri abbatis, quia mihi & filiis meis ſecundum leges ſeculi poteſtati noſtræ dijudicatum eſt. Idcirco hæc omnia in Eleemoſynam noſtram & filii mei Boſoconis cum omni integritate tradidimus Ludgero abbati ſive in terra, ſive in ſylva, vel in omni comprehenſione, quæ ad prædictum Bruniconem & filios ejus legaliter reſpiciebat, traditaque in perpetuum eſſe volumus, & nullis unquam immutari temporibus. Actum eſt autem publice anno XXXIV. regni Domini Caroli glorioſiſſimi Regis, Id. Januar. in villa quæ dicitur Huſtere juxta fluvium jura coram teſtibus. Signum Thangrimi, qui hanc traditionis chartam fieri rogavit; ſignum Osberti, Sieffredi, Meinradi. Quod autem, antequam Werthenæ monaſterium molitus fuerit, monachis Benedictinis monaſterium in patria, deinde prope Noviſiam condere meditatus ſit, diplomata apud Overhamum probant. Poſt Werthenenſe cum fratre Hildegrino Helmſtadienſi monaſterio exſtruendo intentus fuit. Fatis functus, Werthinæ, ut juſſerat, ſepultus eſt. Vide ALTFRIDUM *in vita ejus*, & CRANZIVM *in metropoli p. 6.* Rumoribus quidem percrebuit, Ludgeri corpus a Monaſterienſi epiſcopo Werthena Monaſterium translatum eſſe: Verum OVERHAMVS *in Ludgero Friſonum & Saxonum apoſtolo*, ſive *in annalibus VVerthino-Helmſtadienſibus* memoriæ prodit, ſe *αὐτόπτης* eſſe teſtem, nihil quam duas particulas Ludgeri reliquiarum datas eſſe, juncturam ſcilicet ſive oſſiculum digiti, & particulam de ſpina dorſi, fruſtra quidem potiore capituli parte renitente.

(c) *in epiſtola ad Zachariam*) Vide hanc epiſtolam apud SERARIVM *in rebus Moguntiacis lib. III. cap. XIII. p. 260.*

guntina ſucceſſori, mandaſſe *de monaſterio Fuldenſi, quod auctoritate Zachariæ & favore Carolomanni Regis Auſtraſiæ in vaſtiſſima ſolitudine ſaltus Boconiæ* (a) *ipſe conſtruxerat: ut quia monachi locum illum inhabitantes pauperes erant, & necdum alia habuerint ſervitia, ſed ſolo manuum ſuarum labore victitabant; ædificium fundatæ tum ibi eccleſiæ ad perfectionis terminum deduceret.* Recitat porro Chriſtophorus Brovverus in antiquitatum Fuldenſium opere cap. V. verba hæc libelli ſupplicis monachorum Fuldenſium contra abbatem ſuum Rotharium ad Carolum Magnum: *ut ædificia immenſa atque ſuperflua & cætera inutilia opera ea omitteret, quibus fratres accideret ultra modum fatigari, & famulos foris diſperire.* Quæ indicant, etiam tum Fuldenſes monachos in ſtructuram ædium manibus operam præſtitiſſe. Quale vivendi genus non profecto convenit cum oppidorum dominio. Quapropter neque illud fidem meretur, quod idem Brovverus docet cap. I. Carolum Magnum in gratiam Sturmi Fuldenſis abbatis *homines ejus loci, ſeu ingenuos ſeu ſervos, qui intra agros, fines, terras inchoatæ eccleſiæ commorarentur, univerſos ipſi ſucceſſoribusque ſubjeciſſe:* niſi forte *eccleſiæ inchoatæ* nomine recens ſtructum cœnobium veniat, & ſubjectio illa commode reſtringatur. Ex adverſo meretur expendi id, quod de Ludgero Cranzius notavit l. I. metropol. cap. V. *Sunt*, ait, *qui contendunt, eum fuiſſe profeſſum ordinem S. Benedicti: ex quibus ſunt qui nunc usque ordinem dictum conſectantur: aliis contrarium aſſerentibus, quod canonicorum duntaxat inſtitutionem, qualis illa tum fuit, ſit profeſſus. Utcunque fuerit, mihi perſuaderi non poteſt, virum ſanctum, ſi monachus fuiſſet, in epiſcopatu, profeſſionis ſuæ oblitum, deſeruiſſe habitum & carnibus in menſa uſum fuiſſe, præter morem & inſtitutionem Benedicti: quippe quem in vita pariter & in morte multis miraculis conſtat claruiſſe.* Ita Cranzius ipſe colligit ex ſanctimonia Ludgeri & monachorum ejus ævi *ἐγκρατείᾳ*: & quidem recte colligit. Quidni autem eodem jure nos dixerimus, vetare & ſanctitatem Ludgeri & monachorum aſtrictam pietatem, aut Ludgerum ſecularibus curis ita fuiſſe deditum, contra quam regula Benedicti fuit cautum, ut ipſe urbem munierit, & dominatum ejus perpetuum monachis commiſerit: aut hos *ἐγκρατίτας* & *ἀσκητὰς* dominium & adminiſtrationem urbis alicujus & oppidanorum civium ſuſcepiſſe. Poſtremo qui *cogitaverit* Ludgerus, quod tamen itidem Cranzius ſcribit, VVandalos ſive Venedos (quod rectius) Chriſtiana ſacra docere, quum Mimigerdevordenſis primo ipſi commiſſus epiſcopatus, hæreret adhuc in Chriſtianiſmi rudimentis, & præſentiam epiſcopi numquam non exigeret: heic quoque locorum nomine magis quam reapſe Chriſtus coleretur? Eſt ſane hoc etiam a ſimilitudine veri alienum.

Cæterum in Crantzianam illam narrationem forte juſto prolixius animadvertimus: nunc & quæ David Chytræus, *πολυΐστωρ* maximus memoravit, excutienda ſunt. Recitabimus & hujus verba integra ex l. 2. chronici Saxoniæ, operis perquam præclari & longe utiliſſimi. *Paulo ante*, inquit, *oppidum medio inter urbem Brunſvigam & Magdeburgum itinere, Helmeſtadium, nunc academiæ ſede inſigne,* (1490) *Wilhelmus Dux Brunſovicenſis Henrici pater, a Werdenſi Abbate, cui parere cives inſolentiores recuſabant, certa pecuniæ ſumma Abbati numerata, redemptum, in ſuam poteſtatem redegerat. Munire id oppidum* (805) *Carolus, Caroli Magni filius, adverſus Sorabos & Wilſos bella gerens, cœperat, idque S. Ludgero primo Epiſcopo Monaſterienſi tradiderat, ut in populis a Carolo ſubjugatis prædicanti tutus receptus eſſet. Id Ludgerus poſtea cœnobio Benedictino, Werdenæ ad Ruram fl. a ſe fundato, in quo moriens anno Chriſti 809. ſepultus eſt, attribuit. Ejus cœnobii longius diſſiti Abbatem dominum civitas Helmſtadienſis huc usque agnoſcebat. Sed cum trunci domini cives tæderet, ciconiam regem hoc tempore adepti ſunt.* Hactenus Chytræus. Hunc autem omnia fere iſthæc ex Crantzio deſcripſiſſe, manifeſto liquet ex ipſa verborum, quibus uterque uſus eſt, ſtructura pariter & ſimilitudine. In uno non conveniunt: quod Crantzius videlicet narret, a Ludgero ipſo communitum eſſe oppidum; idque fieri cœpiſſe, quo tempore Wilſos in ſuo ſolo, ſtructis ſuper Albim binis pontibus, Carolus Magnus eſt aggreſſus: Chytræus autem perhibeat, muniri cœpiſſe oppidum a Carolo Caroli Magni filio anno poſt octingenteſimum quinto, & ab hoc demum traditum oppidum Ludgero. Igitur illa quidem antiquiora a Chytræo hic repetita (ſequioris enim ævi res etiam hic prætenbimus ſilentio) de bello contra Sorabos & Wilſos ſimul geſto, de dominio urbis Ludgero tradito, de Ludgeri inſtituta prædicatione evangelii apud Slavos a Carolo victos, de munito oppido in tutum receptum, quandoquidem paulo ante jam falſi convicimus, non eſt opus denuo tangi. Quæ autem de ſuo adjecit Chytræus, æque fabuloſa ſunt, itidemque ex inanibus conjecturis conficta. Nec enim ante Chytræum quisquam illa tradidit: quanquam illius fidei poſt nonnulli crediderint. Quod unum ſatis eſt explodendo commento. Porro quinto illo ſeculi noni anno non cum *Sorabis* (b) aut Wilſis ſed cum Behemannis filius ille Caroli pugnavit: ſequente autem anno Sorabos ille quidem aggreſſus eſt non autem & Wilſos, ſicut nec uno tempore fieri id potuit. Diſerte annales Nuenariani (qui omnium ſunt locupletiſſimi, & ab anno 889. diverſo autore videntur ſerius nonnihil ſcripti, in Lauriſheimenſi tamen monaſterio, ceu apparet ex eo quod notatum eſt ad annum 774) de iis quæ anno quinto contigerunt: *Eodem anno miſit exercitum ſuum cum filio ſuo Karolo, in terram Slavorum, qui Behemanni vocantur: qui omnem illorum patriam depopulatus, ducem eorum nomine Lechonem occidit, & inde regreſſus in Vogeſum ſylvam ad patrem venit.* Iidem de geſtis anni ſexti: *Inde poſt non multos dies Aquisgrani veniens, Karolum filium ſuum in terram Slavorum qui dicuntur Sorabi,* (c) *& ſedem ſuper Albim fluvium* (ita

(a) *ſaltus Boconiæ*) *SCHANATI Buchonia vetus p. 319. ſeqq.*

(b) *Sorabis*) Hi Slavi terras quasdam inter Salam & Albim inhabitabant. Tradunt nonnulli, Anhaltinorum, Magdeburgenſium & Miſniæ partes occupaſſe. In hos autem Thuringorum & Saxonum fines invadentes Carolus Magnus poſt annum 782. arma ſumſit. *Annales Lauriſhamenſes* & *POETA SAXO ad ann. 782.*

(c) *Sorabi*) In hoc bello Slavorum princeps Miloduchus cæſus eſt. *Annales Pithœani ad ann. 806.* Dubium eſt an hic idem ſit cum Nuſitone regulo, cujus in chronico Moiſſiacenſi mentio injicitur. Hoc cæſo reliqui reguli ſe imperata facturos promiſerunt & obſides dederunt.

(ita loquitur Auctor; perinde atque memorat Carolum anno 798. & 99. caſtra *ſuper* Wiſiram, & anno 795. *ſuper* Albim poſuiſſe, etſi cis flumina. quod monendum, ne quis exiſtimet ab Auctore hoc Sorabos trans Albim locatos eſſe) *cum exercitu miſit. In qua expeditione Miliduoch Slavorum dux interfectus eſt: duoque caſtella ab exercitu ædificata, unum ſuper ripam fluminis Sale, alterumque juxta fluvium Albim: Slavisque pacatis Carolus cum exercitu regreſſus, in loco qui dicitur Sili ſuper ripam Moſæ fluminis ad Imperatorem venit.* Cum Sorabis igitur ſolis, non autem ſimul & cum VVilſis, conflictatus tum eſt Carolus filius. Sed & iidem annales referunt quidem, iſthoc anno de Bajoaria, Alemannia & Burgundia collectam manum Bohemiam depopulatam eſſe: non autem factum id ductore Carolo; ſicut & de VVilſis tum oppugnatis altum eſt ſilentium. Quin nec alio quo tempore cum VVilſis Carolo filio quidquam negotii fuiſſe legitur: niſi quod *anno 799.* (a) miſſum illum cum parte exercitus ferant annales, ad res quaſdam VVilſorum & Obotritorum, qui ſcilicet perpetuo diſcordabant, componendas. VVilſi quoque demum *anno 808.* (b) a fide Francis data nonnihil defecerunt, copiis Danicis juncti contra Obotritos, ut in iisdem eſt annalibus. Igitur ſi a Carolo filio munitum ſit Helmeſtadium belli Sorabici tempore, debuiſſet a Chytræo annus non quintus ſed ſextus ſeculi noni deſignari. Nec tamen etiam hoc poteſt antiquo idoneoque teſtimonio probari. Omne illud videlicet fictum eſt; poſtquam Crantzio auctore fuiſſet perſuaſum, Helmeſtadium munitum eſſe, quando contra VVilſos & Sorabos Caroli Magni auſpiciis geſtum eſt bellum: Cranzio autem reſpiciente ab bellum VVilſicum illud, quod incidit in annum octavi ſeculi nonum ſeptuageſimum, Chytræo ad Sorabicum, prout hoc aut illud placuit, aliter atque aliter commentum iſtud pingi cœpit. In eo laudanda Chytræi prudentia eſt, quod munitionem oppidi Carolo ipſi adſcribere, judicaverit ſimilius vero viſum iri, quam illud Cranzii de oppido cura Ludgeri munito. Uterque tamen laudandus, quod ſolam munitionem Helmeſtadii in tempora illa Carolina rejecerint, non autem omnigena oppidi initia: quod poſt illos alii fecerunt.

Vetuſtior & Cranzio pariter & Chytræo videtur illa narratio, quam verſiculis quibusdam Germanicis expreſſam, quondam Marienthalenſes monachi judicarunt dignam, qua & vitreas cœnobii ſui feneſtras ornarent. Verſiculos ipſos rudes barbaroſque Bünting ius chronico ſuo, quo de rebus hujus regionis *bene eſt meritus*, (c) inſeruit: quem alii ſecuti ſunt. Pudet me illorum: itaque ut recitem non poſſum abs me impetrare. Hoc voluit auctor: Ludgero, cum ageret cancellarium Magni Caroli, monaſterium condituro placuiſſe locum, ubi ſediſſet ipſius catellus divino nomine Helim dictus: quaſi ab ipſo Chriſto poſt preces loco deſignato; & ab illo cane datum monaſterio nomen. Caret autem & hæc narratio omni idoneo teſte vetere. Nec Ludgerus unquam in aula Caroli cancellarium egit vel capellanum: quod liquidum eſt ex præclaro Mallinkrothi de archicancellariis & cancellariis Romani imperii opere; ne dicam nunc, ita *vitam ejus deſcribi*, (d) ut appareat Ludgerum nunquam fuiſſe in parte aliqua aulæ. Longe etiam antiquius eſſe Ludgeri ætate Helmeſtadii nomen, jam tum a nobis oſtenſum eſt: ut proinde a catello Ludgeri illud nomen haud cœperit. Quam ineptum porro eſt, *Helim* eſſe nomen divinum? quaſi ſcilicet El Hebræa vox eadem cum illa ſit. Quam alienum denique eſt a ſanctitate pariter & prudentia Ludgeri, illum captaſſe omen a ſedente catello? Turpis & ſtolida fabula non refelli meretur ſed explodi, Niſi hoc laude aliqua dignum credideris, quod a Ludgero cœnobium duntaxat conditum referat, non & oppidum munitum eſſe.

Qui poſt tres hosce de origine Helmeſtadii aliquid prodiderunt, plerique paucis rem tetigere, & vel Chytræum vel Cranzium vel & illas Marienthalenſes fabulas amplexati ſunt, nullo examine inſtituto. Unus Henricus Meibomius, ut omnium talium antiquitatum curioſiſſimus & felix fuit indagator, ita & hiſtoriam omnem atque adeo & primordia Helmeſtadii noſtri uberrime perſecutus eſt. Exſtant ejus hoc de argumento binæ orationes diverſis temporibus in ſchola hac noſtra habitæ: utraque tamen poſthumi generis: quarum illa, quæ opuſculorum volumini inſerta eſt, recitata videtur anno ſeculi hujus ſeptimo, & altera ut recentior ita & multo accuratior eſt pleniorque. Quamvis autem neutri ſuum præconium equidem detraxerim, imo ex illa recentiore me profeciſſe ultro agnoſcam, quæ tamen de origine Helmeſtadii ibi narrantur, non potuere ſeſe mihi probare. Et vero etſi Cranzius non laudetur auctor, hujus tamen & fabularum Marienthalenſium fidei omnis fere Meibomiana iſthæc narratio innititur: quæ tamen additamentis eſt illuſtrata a Meibomio ſed aliter atque aliter. Utrobique ſcilicet fertur a Ludgero urbs condita, & quidem cum Carolus Magnus VVilſos debellaret ſeculi octavi ſeptuageſimo nono anno. Prior autem diſſertatio etiam in Sorabos fuiſſe tum bellatum, habet, quod & Cranzius dixerat: Poſterior vero, Sorabos caſtra Caroli contra

(a) *anno 799.*) Anno 789. Wiltorum ſ. VVelataborum, qui & Luitici ſ. Leuticii dicuntur, regulus Wilza ſ. Draſcio Carolo juramentum fiduciarium præſtitit. *Annales Laurishamenſes ad annum* 789.

(b) *anno* 808.) Quod Danorum Regi ſe junxerint, prætextum forte habebant, quod Carolus ab iis obſides exegiſſet. Poſtea Obotritos, veteres ſuos inimicos, male multarunt.

(c) *bene eſt meritus*) Emendatius chronicon ejus edidit Meibaum, ex quo & Lezneri chronico manuſc. Rittmeierus, paſtor Brunsvicenſis diligentiæ laude meritiſſimus, ſuum de Brunsvicenſium rebus vernacula conſcriptum compilavit opus & additamentis auxit. Sunt quæ in eo requiruntur.

(d) *vitam ejus deſcribi*) Jam monitum eſt, vitam Ludgeri ab Altfrido cognato ejus eſſe literis mandatam. Cenſent nonnulli Othelgrimum vel Odilgrimum de S. Ludgeri actis quædam ſcripſiſſe. Ex hoc deinde ſua Uffingus, doctus monachus Werthinenſis, ſive alius, quæ de Ludgero tradidit, contexuiſſe videtur. Putant eandem eſſe hiſtoriam, quam HENSCHENIVS ex Brovvero adducit 26. Martii. Recentioris vero ævi fœtus eſt, quem edidit JOANNES CINCINIVS, presbyter Lippienſis, in *hiſtoria de vita, converſatione & miraculis S. Ludgeri.*

contra VVilzos tum ſecutos eſſe; quod a nemine proditum, veroſimilius tamen videri poſſit. In priore eſt, VVilſos & Sorabos feliciter a Carolo ultra Albim rejectos, contra veterum annalium fidem: eoque & in poſteriore recte mutatum. Etſi autem utrobique Meibomius ipſa initia oppidi in illud demum tempus retulerit, poſſitque credi Cranzium ſecutus: reapſe tamen ab illo abiit, & plane novum, quod nullo auctore antehac traditum, profeſſus eſt. Utique enim & Cranzius pariter & Chytræus ſola oppidi munimenta principi Ludgero adſcripſerunt, non autem & alia ejus primordia. Et fabulæ Marienthalenſes cœnobium duntaxat a Ludgero retulerant conditum, non & oppidum ipſum. Provocat quidem ipſe poſteriore diſſertatione ad Dithmarum hisce verbis: *Helmeſtadium in expeditione illa Slavica condidit Ludgerus, ut Cranzio longe antiquior Dithmarus Merſeburgenſis ad Salam præſul annotavit. Hic Dithmarus ex comitibus Walbeccenſibus anno 987. prognatus, cum in vicinia viveret, & canonicorum regularium a proavo fundato collegio præeſſet, hiſtoriam oppidi hujus ignorare non potuit.* Sed ut paulo poſt liquebit, nihil tale in Dithmaro legitur. In priore porro diſſertatione etiam hoc liberaliter addere non dubitaverat quidem Meibomius: Ludgerum novæ urbi de privilegiis etiam proſpexiſſe, eaque ab imperatore ipſo & comitibus VValbeccenſibus impetraſſe ampliſſima: In poſteriore tamen prudenter omiſit, ut quod careat omnis teſtimonii alicujus fide, ut & ſimilitudine veri, quoniam hoc oppidum in Supplenburgenſium & Sommerſcburgenſium quidem comitum ditione aliquamdiu fuit, in VValbeccenſium nunquam. In priore præterea ſcriptum legas de Ludgero: *Adjunxit oppido monaſterium amplum & ſplendidum: in quo erudirentur juniores, qui tanquam legati in Wandalorum regiones diſſeminandæ veritatis gratia amandari poſſent.* Prudenter vero in poſteriore non fuit jactatus aliquis ſtructuræ Ludgerianæ ſplendor: ut quem nullum fuiſſe arguat tenue, quod etiamnum Ludgero conditori adſcribitur, ſuperſtes ſacellum: & omiſſum illud de monachorum ad Sclavos docendos inſtitutione, ut quod itidem non niſi ex ſuſpicione fuerat affirmatum ſine omni teſtimonio. Prior etiam hoc habet: *Initium ſtructuræ oppidi in eo loco fuit, ubi nunc eſt porta ſeptentrionalis. Foro deſignata area illa, quæ conſpicitur ante ædes rubro leone inſignitas, quam & curiam fuiſſe volunt.* Poſterior tacet hoc quidem: quum autem antiqua traditione id acceptum nec a fide ſit alienum, fortaſſis potuiſſet denuo ſecure memorari. Majori laude videntur digna illa, quæ poſteriore habentur in Cranzianæ narrationis aliquam emendationem. *Cranzius ſcribit, Helmeſtadium à Ludgero munitum eſſe. Quod ſic intelligo. Fanum quoddam hoc in loco extructum, cui Carolus alendi ſacrificuli cauſſa nonnihil agrorum adjecerit: colonos etiam ad id habitare, utque à Slavis inquietis tutiores eſſent, oppidulum conſtruere, illud operibus ac munitionibus quodammodo ſepire, non tam permiſerit quam clementer imperarit. Factum id alibi etiam teſtantur hiſtoriæ, ut hujuſmodi religioſorum hominum ergaſtula facile invenerint accolas: quacunque eos ad id impulerit vel occaſio vel neceſſitas.* Hæc Meibomiana Cranziani dicti interpretatio multum quidem abit a ſenſu verborum Cranzii, indicat tamen, ne Meibomio quidem viſum fuiſſe vero conſentaneum, id quod Cranzius narravit de munito per Ludgerum oppido, eoque fabulæ alia quæſita pigmenta. Simul apparet autem, vere a Ludgero non eſſe conditum Helmeſtadium, ipſomet Meibomio fatente. Quod merito laudaveris. Eodem pertinet, quod poſteriore diſſertatione nec etymon nominis Helmeſtadii a cane Ludgeri acceptum; nec Ludgerum cancellarium aut capellanum Caroli fuiſſe, voluerit agnoſcere: quorum utrumque priore probaverat cum fabulatoribus Marienthalenſibus. In univerſum ergo Meibomianæ quidem de Helmeſtadii origine narrationes ex parte iisdem, quæ Cranzio oppoſuimus, refelli poſſunt, ex parte vero propriis laborant nævis, quos quia jam deteximus, fortaſſis fuerit ex re propriam ſententiam denique promere.

Igitur hæc loca jam ante diluvium fuiſſe a gigantibus culta, & ipſum Helmeſtadii nomen jam tum a Gothis incolis antiquiſſimis cœpiſſe, poſt Cauchos, mox Thuringos, deinde Saxones hic imperaſſe, & idololatria inſigne fuiſſe vicinum Lübbonis ſaxum quod appellant, non vanis argumentis, ſi non demonſtravimus, ſaltim perquam veroſimile fortaſſe fecimus. Jam vero Caroli Magni feliciſſimis armis cum per univerſam Saxoniam dæmonum ſacra fuerint deſtructa, indubie tunc eadem & hic abolita ſunt, ac Chriſtiana religio coli cœpit. Iſthac tempeſtate ſimul & cœnobium a Ludgero Friſio ſanctitatis eximiæ viro eſſe Helmeſtadii conditum, jam non amplius conjectando duntaxat novimus, ſed *certis teſtimoniis.* (a) Dithmarum Merſburgenſem epiſcopum anno ſeptuageſimo ſeptimo poſt nongenteſimum Sigfrido natum eſſe in proxima forte vicinia, eoque non potuiſſe facile ignorare res hujus loci, jam tum audivimus. Egit vero ille & *præpoſitum* (b) conſtructi

(a) *certis teſtimoniis*) Multa tamen adhuc ſunt, quæ ob veterum inſtrumentorum defectum in incerto manent. Audiamus hac de re Overhamum in hiſtoria MSC. loquentem. Præmiſſis enim, quæ ad Werthinenſem attinent fundationem, inquit: *Et quidem hæc omnia præmemorata ad monaſterium Werthinenſe ejusque fundationem ſpectant. De primordiis vero fundationis in Saxonia cœnobii Helmſtadienſis ejusque oppidi major & perplexa eſt difficultas propter defectum veterum inſtrumentorum, quæ ſicut de Werthina apud Werthinenſe monaſterium exſtant plurima documenta, ita de Helmſtadio fundato ob iteratas ejus monaſterii everſiones in varia temporum revolutione ac bellorum intercedentium injuria perierunt.*

(b) *præpoſitum*) Quedlinburgi in ſchola monaſtica & Magdeburgi in monaſterio S. Johannis literis operam navavit. Poſtea in membrum fundationis S. Mauritii eſt cooptatus. Cumque Didericus præpoſitus VValbeccenſis fatis functus eſſet, in ejus ſucceſſit locum, ſed non ſine aliquo Simoniæ crimine, de quo *lib. VI. hiſtor.* vehementer dolet. Sed ſecunda ejus fortuna hic nondum ſtitit gradum; verum ſtudiis potiſſimum Dangonis archiepiſcopi Magdeburgenſis Merſeburgenſem ab imperatore conſecutus eſt epiſcopatum. MEIBAUM *in chron. Walbeccenſ.* MADERI *præfat. ad* DITMARI *chron.*

cti Walbecæ *ab avo ſuo* (a) ſacri collegii per annos ſeptem. Sed & monumenta ipſius indicant, virum inepta quidem ſæpenumero ſuperſtitione, & ob credulitatem minus tuta in quam multis, antiquioribus præcipue rebus, fide, ſumma tamen ſemper induſtria in rebus ſui a vi indagandis notandisque fuiſſe. Ejus hæc verba leguntur l. 4. *Nec taceam Marquardi viſionem confratris noſtri.* (h, e. canonici Walbeccenſis, ubi per ſeptennium egit præpoſitum Dithmarus) *Hic ut ipſe ingemens retulit, ductus eſt in cœmiterium commune, ubi ſepulchrum nimis incenſum vidit, & a ductore ſic allocutus eſt: in hanc ardentem tu cito debes projici foveam, & Rudolphus te ſequi deberet, ni modo in limine Ludgeri converſus ſtaret. Ambo enim hi fuerant monachi in monaſterio confeſſoris prædicti. Qui locum hunc Helmſtad vocatum proprietate ſua* (Reinecciana editio perperam habet *pro pietate*) *conſtruxit, tempore Caroli imperatoris Magni, frater Hildegrimi Catalaunenſis epiſcopi ſanctaque Halberſtadenſis eccleſiæ rectoris primi, quam tenuit XL. & VII. annos, diſcedens ab hoc ſeculo regnante tunc Ludovico imperatore Pio, dominica incarnationis DCCCXXVII. anno. Ludgerus autem primus Mimengardevordenſis eccleſiæ paſtor a Carolo Cæſare effectus eſt, & optime ordinata ſuimet parochia, & loco Werdenum ex propriis conſtructo impenſis, anno Domini DCCCVIII. præmium cœleſte recepit. Poſt quem prædictus imperator nil niſi quinos vixerat annos.* Verba integra Dithmari placuit adducere, quamvis quædam habeant aliena & forte inepta, quoniam *Dithmarianus codex* (b) hodie in paucorum eſt manibus, verba autem hæc luculentam continent memoriam Hildegrimi pariter & Ludgeri fratrum; quorum utrique & cœnobii & religionis Chriſtianæ prima hisce in terris debentur exordia, ceu paulo poſt apparebit. Sunt autem hæc ducentis quidem circiter poſt Ludgerum annis demum ſcripta: nulla tamen hodie ſupereſt forte antiquior conditi per Ludgerum cœnobii hiſtoria. Cœnobii inquam. Nec enim illa verba: *locum hunc Helmenſtad vocatum:* de oppido accipienda ſunt, ſed de monaſterio. Ceu patet ex illis proxime præcedentibus: *in monaſterio confeſſoris prædicti, qui locum hunc* &c. Tria vero cumprimis ex Dithmaro de cœnobio eſt diſcere: *primo*, quod conditum ſit a Ludgero; *ſecundo*, quod ſit conditum propriis impenſis non minus atque alterum Werdenum; *tertio*, factum id eſſe tempore Caroli Magni, & quidem ante annum ſeculi noni nonum, quo Ludgerus diem ſuum obiit. Perperam enim a Dithmaro mors ejus in octavum annum refertur: quam vitæ ejus ſcriptores VVerdenenſes conſtanter rejiciunt in viceſimum ſextum diem Martii anni *octingenteſimi noni.* (c)

Præter Dithmari autem hoc teſtimonium in omnibus retro antiquis monumentis de origine cœnobii rariſſima ſupereſt memoria: quandoquidem ne in iis quidem libellis, quibus vita Ludgeri ad poſteritatem deſcripta eſt, de condito per Ludgerum Helmſtadienſi cœnobio quidquam fere legas. Nihil ſane habetur in vita Ludgeri quam Laurentius Surius edidit. Joannes Cincinnius Lippienſis *presbyter Werdinenſis*, (d) qui poſt quatuor alios quinto loco & noviſſime vitam illam ex omnibus monumentis rerum Ludgeri ſtudioſe collegit, & Coloniæ ſeculi antegreſſi ſexti decimi anno decimo quinto edidit, cap. 49. de Hildegrimo Ludgeri fratre & *primo Halberſtadienſi epiſcopo* (e) verba faciens, tantum hæc habet: *Etiam adjutorio germani ſui ſancti Ludgeri monaſterium monachorum noſtri ordinis in loco inchoavit Helmſtadio: quod adhuc ſub noſtra cura pertinere cognoſcitur.* Præter exilem vero hanc memoriam nihil VVerdenæ etiam hodie eſſe reliquum, per eſt veroſimile: hic locorum nihil ſupereſſe, certiſſimum eſt. Cujus cauſſa non alia indubie eſt, quam quod reapſe ab ipſomet Ludgero non niſi prima cœnobii hujus fundamenta ſint jacta, eaque perquam tenuia. Et vero ipſum illud quod etiamnum Ludgero ſtructori hic tribuitur anguſtum ſacellum, manifeſto indicat rudia operis primordia. Quandoquidem autem aliud nihil ipſi Ludgeriani vel de cœnobio hoc fide digno teſtimonio poſſint memorare, nihil etiam aliud memoraverint: liquido etiam hinc patet vanitas

(a) *ab avo ſuo*) Lothario, qui Erico rebelli cuidam opem tulerat, & obinde æque ac ille capite punitus eſſet, niſi ære quodam imperatori ſoluto, & monaſterio VValbecæ fundato vitam redemiſſet.

(b) *Dithmarianus codex*) Rariores ſunt Reinecciana & Maderiana editiones. Reſtitutum habemus *tomo I. ſcriptor. Brunſvic. LEIBNITII.*

(c) *octingenteſimi noni*) Hunc ponit quoque Overhamus ex Altfrido.

(d) *presbyter Werdinenſis*) Overhamus ipſum vocat virum devotum & eruditum, olim VVerthinenſem bibliothecarium.

(e) *primo Halberſtadienſi epiſcopo*) VVINNIGSTADT *in chron. manuſcr. in Hildegrino*, & qui eum in latinum, paucis additis, tranſtulit ſermonem autor *catalogi manuſcr. epiſcoporum Halberſtadienſium*, hunc ex Catalaunenſi (Châlon) epiſcopo ad Seligeſtadium vel Oſtervicum vocatum; ibi autem 40. & Halberſtadii 7. annos egregii paſtoris munere functum eſſe, aſſerunt. AVTOR *chronici Halberſtad.* apud LEIBNITIVM *tom. II. ſcr. Brunſv. p.* 110. Hildegrinum anno 781. Saligſtadum eſſe delatum dicit: Sed hoc minus recte ſe habere ex eo liquet; quum adhuc anno 809. denato fratri Ludgero juſta VVerthenæ perſolvens, epiſcopus Cadolonenſis vocetur. De diplomate Ludovici Pii, quo Hildegrino Aquisgrani epiſcopatum confirmaſſe dicitur, illud eruditis ſuſpectum videri, ſupra monui. Vid. LEVCKFELDT *in antiquit. Halberſtad. p.* 33. 34. ubi LEIBNITII cenſuram refert. Potiſſima autem falſitatis indicia hæc ſunt: 1) quod contra morem Carolingis receptum hæc formula diplomatis conſtituat initium: *in honore domini:* 2) Ludovicus Romanorum Auguſtus vocetur: 3) Cadolonenſis dicatur, quodſi hoc ad patriam referendum, imperatori non potuit eſſe ignotum, cum Friſia fuiſſe oriundum, quodſi vero ad epiſcopalem dignitatem, eodem tempore hanc & epiſcopatum Halberſtadienſem habere non potuit: 4) Quod Hildegrino in dioeceſi Halberſtadienſi omnis concedatur ſecularis jurisdictio, cujus tamen illo tempore epiſcopi nondum participes facti fuerunt. 5) in calce annus incarnationis reperiatur, qui a genuinis Ludovici Pii diplomatibus publicis & eccleſiis datis abeſt. Nec hoc diploma a falſi ſuſpicione liberare poteſt, quod adſit quædam ſtili convenientia cum aliis hujus diplomatibus. Nam falſarii ſua ex genuinorum diplomatum fruſtulis conglutinare ſolebant, aut hæc tam accurate imitari ſciebant, ut callentiſſimos aliquando fallere potuerint. Sic diplomatis hujus non exigua pars, iisdem plane verbis, in diplomate, Gandavienſi eccleſiæ dato, apud MIRÆVM *in diplomatibus Belgicis* legitur. Cæterum de Halberſtadienſis epiſcopatus primordiis diverſas ſententias vide apud ROLVINCK *de laudibus & moribus antiquæ Saxoniæ part. II. c.* 8. AVTOREM *chronici Mindenſis* apud MEIBOM & incertum AVTOREM apud MADERVM.

vanitas fabulæ de Helmſtadio oppido ſtructo aut munito per Ludgerum, ut & de dominio ejus oppidi a Carolo Ludgero & abbatibus VVerdenenſibus conceſſo. Adeone enim nihil horum inveniretur in hiſtoria ipſiusmet Ludgeri, cum ſint digniſſima memoratu ut plane inſolita, & hiſtoria iſthæc multa minoris longe momenti ſollicite narret?

Igitur quod ad Carolina illa tempora attinet, hoc demum fide dignis teſtimoniis conſtat: Ludgeri fratrisque ejus Hildegrimi impenſis conditum Helmeſtadii illud cœnobium, quod etiamnum Ludgeri nomine (perinde atque illud quod *VVerdenæ itidem ex patrimonio* (a) ejus conſtructum eſt)

(a) *VVerdenæ itidem ex patrimonio*) Werthinenſe æque ac Helmſtadienſe monaſterium ex Ludgeri patrimonio fundatum eſt, cui tamen poſtea piæ acceſſerunt donationes. Ut de his rectius conſtet, diplomata quædam ad hanc rem ſpectantia ex OVERHAMO adjungemus.

Sequitur *primum.*

Dum unusquisque in præſenti ſeculo converſatur, cogitare debet & providere, quomodo animam ſuam ſalvare poſſit, & æternum ſibi refrigerium poſt temporalem & mortalem vitam mundi hujus invenire. Hoc ego Heinricus perpendens in animo meo, & frequenti meditationi revolvens, tradidi pro remedio animæ meæ, & pro æterna retributione ad reliquias S. Salvatoris & S. Mariæ Virginis, & in manus Ludgeri presbyteri (Bolandus ex exemplari manuſcr. Voſiano legit: *Partem hæreditatis & proprii laboris*) *totam comprehenſionem in ſylva, quæ dicitur Heiſſe, in aquilonari ripa fluvii Rure, quam ibi dudum comprehendi inter montem & ipſum, communionemque in eandem ſylvam, ſimili modo & piſcationem in Rura, cum paſcuis, perviis, aquarumque decurſibus quæ illuc attinent, & in ipſo loco excoli poſſunt, & perfici. Acta eſt autem publice anno XXVIII. regni Domini noſtri religioſiſſimi regis Carli Kal. Mart. in villa, quæ dicitur Hopedrhebde coram teſtibus. --- Ego Theobaldus humilis presbyter rogatus ſcripſi & ſubſcripſi, ſignum Heinrici, qui hanc traditionem fecit, & propria manu firmavit.*

Secundum Diploma.

Ego Theganbaldus filius quondam Hrebaldi tradidi partem hæreditatis meæ Ludgero abbati in villa, quæ dicitur Trislacu, juxta ripam fluvii Ruræ, id eſt illam hovam integram Alſgatinghova cum paſcuis, & perviis, & aquarum decurſibus & ſtava, in ſylva juxta formam hovæ plenæ, hæc omnia tradidi, ſicut ſuperius dixi, in eleemoſynam meam, & conjugis meæ Regintrudæ (Exemplar Voſſianum mſcr. apud Bolandum legit Hriaſtrudæ) *Ludgero Abbati. Acta eſt autem publice anno XXVIII. regni Carli Domini noſtri religioſiſſimi Regis II. in loco, qui dicitur ad crucem in pago Nivanheim in ripa fluvii Arnapæ, & confirmata eſt per manum Berngeri nepotis mei, cui ego ipſe poteſtatem dedi ad hoc in villa ſuperius denominata, id eſt in Feſdam, ubi eadem hova jacet. Signum Berngeri qui hoc teſtamentum accepta poteſtate a Theganbaldo & perfecit, & pia manu firmavit.*

Tertium Diploma.

Notum fieri cupio omnibus tam præſentibus quam futuris, quomodo ego Oodhelmus tradidi pro remedio animæ meæ & pro æterna retributione tertiam partem hæreditatis meæ ad reliquias S. Salvatoris cæterorumque ſanctorum, quæ a Ludgero abbate in Withmundi conſtitutæ ſunt, in ea ratione, ut quamdiu vixero in præſenti mortalitate ad me reſpiciat (legit Henſch. apud Bolandum *pertineat pars illa*) *juſto ſervitio ad augendum, non minuendum, poſt obitum vero meum de hac vita cum omni integritate in jus transeat ſupra dictarum reliquiarum & ſervorum Dei, qui eas legitime cuſtodire reperientur. Hæc autem pars tertia hæreditatis meæ tribus in locis conſiſtit in pago Hisloi, in villa, quæ nuncupatur Occani, hova una, quam proſerviunt liti mei; in pago vero Nortwienti in villa quæ dicitur Huleri, hova altera, & in eodem pago hova tertia in villa, quæ dicitur Manheri, & ſexta pars hovæ quarta in villa quæ appellatur Hronheri, quæ etiam ſexta particula hovæ illius me vivente in uſus vergit jam dictarum reliquiarum cum illis comprehenſionibus in ſylva quæ nota juxta Hislam, hæc omnia trado, atque transfundo ad memoratas reliquias & ad uſus ſervorum Dei, qui eaſdem reliquias ſanctas procurare juſte videntur. Acta eſt autem publice cum ſtipulatione ſubnixa hæc traditio in loco, qui nuncupatus Withmundi anno XXVIIII. regni Domini Carli Regis Kal. July ſignum Odhelmi, ſignum Hildigeri, Bernardi Hildiberti &c.*

Quartum Diploma.

Ego Hluduinus filius quondam Thiadberi pro remedio animæ meæ & pro æterna retributione tradidi omnem hæreditatem meam in loco nuncupante Werethinum ad reliquias ſancti ſalvatoris, & venerabili Viro Ludgero Abbati, qui ipſas reliquias ſemper ſecum geſtare ſolet, id eſt, inter duos rivulos, qui ſurgunt in monte, & in fluvium Ruram vadunt, unus vocatur Dapenbeci, alter vero in orientali parte eſt abſque nominis appellatione de terra aratoria uſque in flumen Ruram, traditumque in perpetuum eſſe volo & nullis temporibus immutatum, ſed ipſe venerabilis Abbas Ludgerus hanc traditionem, quæ dudum comprehenſis mea eſſe dignoſcitur, ſimul cum illa terra, quæ ibidem culta eſſe videtur, totum & ad integrum perennis temporibus teneat, poſſideat, ad uſus Eccleſiæ Dei, liberamque & firmiſſimam poteſtatem habeat a me & ab omnibus meis hæredibus, quicquid exinde facere voluerit & in cujuscunque manus mittere decreverit, dum ille adhuc vixerit, qui poſt obitum ſuum illud excolat, & ad utilitatem Eccleſiæ Dei & fratrum ibi Domino Deo ſervientium, redigat, ſi quis vero, quod futurum non credo, ego ipſe, quod abſit, vel aliquis de hæredibus meis aut ulla oppoſita perſona contra hanc traditionem venire curaverit, primitus iram Dei cæleſtis incurrat, & a conſortio omnium Eccleſiarum anathematicetur. Acta eſt autem publice XXXI. regni Regis Carli XV. Kal. Feb. in loco nuncupante Diapenbeci ſive Werithina coram manumiſſoribus. (Hæc deſunt in exemplari Voſſiano. MS. apud Bolandum & Henſch. 26. Martii fol. 634.) *Ego Thiadbaldus humilis Presbyter rogatus ſcripſi & ſubſcripſi. Hludwinus qui hanc traditionem manu ſua peregit propriaque ſub ſubſcriptione firmavit.*

Quintum Diploma.

Ego Folebracht aliquantulam terram Hereditate data terra juris mei in villa quæ dicitur Bilici a Theganboldo ingenuo ac nobili homine comparavi in villa quæ nuncupatur Fiſclacu, id eſt Rothum, quod dicitur Widuberg, hoc Rothum a ſupradicto nobili franco Thegarbaldo ego Folbracht comparavi, & aliquot annos poſſedi, & in eo laboravi, quod potui, nunc autem eundem Rathum in terra aratoria, quidquid in eo unquam aratum fuit, dedi Ludgero presbytero, cum omni integritate extra terram aratoriam illius hovæ, quæ dicitur Alfogingbova, in ea ratione accepi hovam illam a Ludgero presbytero vicino meo in Cambia contra terram aratoriam Rothi ſupradicti. Acta eſt autem publice anno XXXI. glorioſe atque religioſi (Carolus Magnus hic vocatur ſecundus, ſicut alibi vocatur junior reſpectu Caroli Martelli avi ſui; ut bene hic notat P. Henſch. apud Bolandum) *ſecundi Regis Carli XVI. Kal. Mart. in loco, qui dicitur Diubenbeci in ripa Ruræ. Signum Ludgeri presbyteri, is eam chartam fieri rogavit & eam manu propria firmavit.*

Sextum Diploma.

Ego Ludgerus presbyter aliquantulam partem hæreditatis, dato pretio, a quodam Theganbaldo ingenuo & nobili Viro comparavi in villa, quæ nuncupatur Fuclacu, id eſt hovam illam, quæ dicitur Alſgodinghova cum omni integritate ſive in ſylvis, ſive in paſcuis, & perviis, & in aquarum uſu ex decurſibus, hæc omnia a ſupradicto nobili Franco Theganbaldo ego Ludgerus & aliquantos annos poſſedi, & in ea laboravi, quod potui: Poſtea autem eandem hovam in terra aratoria, quicquid in ea unquam

eſt) uſurpatur. Num oppidum fuerit tum munitum nec ne, aut num & illud iſthac ætate ornamenti aliquid acceperit nec ne, hoc omne incertum eſt. Imo vero, quoniam antiquiſſima quæque Saxoniæ hujus chronica conſtanter Gandershemio omnes inter urbes hujus viciniæ primas tribuunt, hiſce potius, quam Cranzianis fabulis accedendum videtur. Certiſſimum eſt, munimenti ſui nihil Helmeſtadium Ludgero debere, nec dominum agnoviſſe.


Tenues admodum res ea tempeſtate cœnobitarum fuiſſe, liquet vel ex eo: quoniam Otto Magnus demum ſeculi decimi anno quinquageſimo *in nutrimentum* iis conceſſit *decimationem* (verba ipſa recito) *ſubtus nominatarum villarum: Helmenſtede, Baſſolo, duo Sedorp & Wormſtede: praeterea quicquid decimationis fuit ad curtes ipſorummet monachorum Epiſcopo Halverſtadenſi:* ut hactenus proprii etiam agri fuerint decimarum oneri ſubjecti. Recitat illas tabulas Meibomius bona fide, inter alia diplomata Ottonis Witikindo Corbeienſi addita: ipſimet monachi eaſdem in cauſæ cujusdam

aratum fuit dedi cuidam Folcberto contra illum Rhotum, qui dicitur Widuberg inter duosrivulos, id eſt, inter Diapenberk & alium ab occidente usque in flumen Ruram, excepto quod ego Ludgerus dominationem, quæ ad illam ſupradictam bovam reſpexit, mihi retinui, ſive in ſilva, ſive in aquis & paſtu, vel in comprehenſione cum omni integritate juri meo reſervavi, & in ea ratione accepi Rotbum illum de Folcberto, vicino meo in cambia contra terram aratoriam bovæ ſupradictæ ut cum jure hereditario in perpetuum poſſidere debeam, & ad æternos uſus eccleſiæ Dei & ſervientium ejus redigere, aut quicquid exinde uti eſſe decrevero. (Hæc ſeqq. deſunt in exempl. Voſſiano forte ad defectum integri diplomatis) Si quis vero contra hanc chartam Cambiæ injuſto conamine venire tentaverit, aut eam infringere voluerit, primitus iram Dei cœleſtis incurrat, & SS. Angelorum ſocietate ſeparetur, & ab ingreſſu omnium eccleſiarum alienus exiſtat, quoad usque ſe correxerit a neſaria præſumtione. Acta eſt autem publice anno 31. glorioſi atque religioſi ſecundi regis Carli XVI. Kal. Mart. in loco, qui dicitur Diabenbeci in ripa Ruræ coram teſtibus ac manumittentibus quorum nomina notantur. Ego Thiabaldus humilis præsbyter rogatus ſcripſi & ſubſcripſi; ſignum Folcberti, qui hanc chartam fieri rogavit, & propria manu firmavit Regimbertus, Frithubaldus, Berngerus, Ludricus, Alfdagus.

Poſſent adhuc alia ad Werthinenſe ſpectantia monaſterium, his adjungi: Sed nobis jam ſufficiat unum ſaltem adhuc addere, Lothuſæ in Brabantia donationem continens.

Septimum Diploma.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis: Carolus divina donante clementia Imperator Auguſtus. Si ſacerdotum & ſervorum Dei petitionibus, quas nobis pro neceſſitatibus ſuis inſinuaverint, aurem accommodamus & id ad effectum perducimus, non ſolum regiam & imperialem conſuetudinem exercemus: verum etiam æternæ retributionis præmia nobis profutura non dubitamus. Comperiat itaque omnium fidelium noſtrorum præſentium ſcilicet & futurorum induſtria, qualiter beatæ memoriæ Ludgerus Minigernefordenſis Epiſcopus poſtulavit Celſitudinem noſtram, ut cum licentia & auxilio pietatis noſtræ ſibi liceret in propria ſua hæreditate in pago Ruricho in loco qui dicitur Werthina ſuper fluvium Rura in ſylva Weneswald eccleſiam ædificare, in honore S. Salvatoris & S. Mariæ Virginis nec non & ſanctarum reliquiarum, quas ab Apoſtolico Papa de Roma transtulit, etſi facultas daretur quandoque monaſterium ædificare, & monachos congregare ſe velle, maniſeſtiſſime teſtatus eſt. Cujus rationabili & juſtæ petitioni libentiſſime aſſentimus, inprimis ut eadem eccleſia in noſtram tuitionem ſuſcepta, & non ſolum ea quæ moderno tempore, verum etiam quæ poſtmodum a Dei fidelibus collata fuerint hominibus, firmius & ſolidius poſſidere absque ullius injuſta valeat infeſtatione. Ad perficiendum autem in eodem loco monaſterium, & ad congregandum Cœnobium, ſuggerente ſæpe dicto fideli noſtro Epiſcopo, ad eaſdem reliquias proprias res noſtras, id eſt fiſcum noſtrum, qui vocatur Lothuſa in pago Brabant, cum omni integritate in proprietatem donamus & in perpetuum perdurare Deo præſtante jubemus, cum omnibus terris & ſylvis, manſis & mancipiis, aquis & pratis, ædificiis cultis & incultis, imperiali more ad ſæpe dictas reliquias, quæ in Werthina venerantur, jure hæreditario præſtamus & condonamus. Et ut hæc authoritas noſtris futuris temporibus Domino protegente valeat inconvulſa manere, manu noſtra ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus.



(Locus Sigilli.)

Signum Domini Sereniſſimi Imperatoris Auguſti.

Hildegrimus Notarius ad vicem Alcuini Archi-Capellani recognovi.

Data VI. Kal. May Anno Incarnationis Domini DCCCII. anno autem regni ejus XXXIIII. & in Italia XXXVII. Imperii vero II. indictione. Actum in Wortnatia in Dei nomine feliciter. Amen.

Sunt, quæ circa hoc diploma a Buccelino & Schatenio recitatum a viris eruditis monentur. Cenſores ejus præcipui ſunt HENSCHENIVS & PAPEBROCHIVS *in actis ſanctorum apud Belandum 26. Martii p. 688. & in propyl. antiquar. tom. II. menſ. April. de diſcernend. diplomat.* His accedit ECCARDVS *in cenſura diplomatis Oſnabrugenſis vindicata.* Falſitatis autem argumenta in iis conſtituunt: quod 1) adhibita ſit formula *in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis*, cum Carolingi hac uſi ſint: *in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti.* 2) in diplomate anni incarnationis reperiantur, quæ a genuinis Caroli M. ad negotia publica & donationes pias, quas vocant, ſpectantibus abſunt 3) Hildegrimus ſub diplomate ut notarius referatur, quem tamen ex notariorum numero fuiſſe, nemo facile crediderit. 4) ſigillum, diploma recentioris temporis ſuppoſititium eſſe partum, ſatis prodat. 5) Ludgerus in diplomate beatæ memoriæ vocetur, qui eo tempore tamen adhuc fuit ſuperſtes; conſtat enim ex Altfrido ipſum anno DCCCIX. d. 26. Martii mortuum eſſe. SCHATENIVS, OVERHAMVS & qui cum eo ſtat NVNINGHIVS Oſnabrugenſis diplomatis defenſor, reſpondent: 1) argumentum a formulis deſumtum in multis fallere, & adeſſe vera Caroli M. diplomata quæ aut nullam habent formulam initialem, aut etiam hanc: *in nomine Domini Dei omnipotentis patris & filii & ſpiritus ſancti;* vel illam: *in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis:* Verum truncata ſæpe in Hedæ hiſtoria Ultrajectina referuntur diplomata, & Neuſtadienſi ad Speſſartum monaſterio data ſuſpectæ fidei non uno laborant indicio; quanquam alias ſolam formulæ diverſitatem, ad diploma aliquod ut ſuppoſititium rejiciendum, ſufficere non putem. 2) Genuina adeſſe diplomata Caroli M. monaſteriis data, quæ annos incarnationis ſubſcripta habent: ſed hoc principii petitionem eſſe, docent MABILLON, CONRING & BALVZIVS; atque diplomata, quæ ad probandum producuntur, eadem aut alia ſubleſtæ fidei ſigna exhibent. Documento nobis ſit Trutmannianum diploma a MEIBOMIO primum ex Tremonenſi productum tabulario, & deinde a SCHATENIO *in hiſtoria Weſtphaliæ p. 539.* BALVZIO *tom. I. capitul. p. 249.* relatum, nec non *præceptum de inſtitutione epiſcopatuum in Saxonia. BALVZ. l. c.*

dam ſuæ judicio produxerunt, *ſed falſaria manu* (a) pro *Sedorp* ſubſtituto *Subeke*. Meretur vero cumprimis notari, in hisce tabulis ipſum Helmſtadium villæ nomine audire, & eodem cum reliquis cenſu haberi. Argumento ſane mihi hoc eſt, etiam tum temporis Helmſtadium fuiſſe extra numerum civitatum aut urbium munitarum. Quid? quod ſit veroſimile, cum Ludgerus Bonifacii fuerit ſtrenuus imitator, ille autem monachos ſuos voluerit eſſe *ſtrictæ abſtinentiæ, absque carne & vino, absque ſicera & ſervis, proprio manuum ſuarum labore contentos*, nec in aliam conditionem hoſce ſuos Ludgerum accepiſſe. Enimvero ipſe ne Werdeno quidem ſuo quenquam Abbatis dignitate & titulo, ſed duntaxat procuratorem præfecit: demum autem Abbatis nomen regia conceſſione *Hildegrimus ſecundus* (b) eſt conſequutus, teſte Cincinnio cap. 41. Retulit porro Meibomius priore diſſertatione, in id conſtructum a Ludgero Helmſtadienſe monaſterium, *ut in eo erudirentur juniores, qui tanquam legati in Vandalorum regiones diſſeminandæ veritatis gratia amandari poſſent.* Verum hoc diſſertatione poſteriore rectius eſt omiſſum. Non enim vel Werdenæ talis ſchola unquam eſt inſtituta, multo minus heic in cœnobio. Imo haud temere quis monachorum utriusque loci eruditionis laude inclaruit. Nec vero quæ Fuldæ, Corbejæ, alibique viciniæ, olim præclara obtinuerunt doctrinæ Φροντιστήρια, omnibus Benedictinæ regulæ cœnobiis fuere communia, ſed rariſſimi exempli. Quin imo videtur Ludgerus in cœnobiis illis ſuis duobus inſtituendis ejusdem cum Bonifacio fuiſſe conſilii. De quo Rudolphus in vita S. Liobæ cap. x. *videns vir beatiſſimus Bonifacius, eccleſiam Dei creſcere, & certantibus ſtudiis ad vota perfectionis accendi, duplicem viam ad profectum religionis inſtituens, monaſteria conſtruere cœpit, ut ad vitam catholicam populi non tam eccleſiaſtica gratia quam monachorum & virginum congregationibus raperentur.* Hinc ne in hac quidem Saxonia a monachis noſtris prædicatione evangelii propagata eſt religio Chriſtiana, ſed potius rigido piæ vitæ exemplo. Ne ipſemet quidem Ludgerus docuiſſe hic videtur: certe nihil tale in ejus vita legitur: multo minus hic editum ab illo aliquid miraculi in omni ejus hiſtoria memoratur. Fratrem vero ejus Hildegrimum, ut Halberſtadenſem Epiſcopum, Northuringis circa Helmeſtadium evangelicam doctrinam tradidiſſe, jam ante ex hiſtoria vitæ ejus narravimus. Qur autem hoc præcipue loco cœnobium condiderit Ludgerus, difficile dictu eſt. Veroſimile tamen factum id, quandoquidem heic loci præcipuam aliquam ſedem ſuam idololatria fixerat: eoque in ejus locum religioſo divino cultui aliam ſedem conſecrare, conſultum eſſe viſum eſt. Quicquid vero hujus ſit, hoc certiſſimum: cœnobium hoc vetuſtate ſuperare cœnobia omnia non Saxoniæ duntaxat omnis quæ cis Viſurgim eſt, ſed etiam Thuringiæ cis Unſtrutum: multo magis ea quæ trans Albim & Salam, imo quæ in extremo ſeptemtrione per Sueonum Danorum & Norvvegorum ampliſſima regna, unquam ſtructa ſunt; quoniam ut poſt Friſios Saxones, ita omnes populi trans Albim in extimum ſeptemtrionem porrecti ſerius longe Saxonibus in Chriſtiana ſacra ſunt cooptati.

Helmeſtadium ipſum quandonam juſtam oppidi formam acceperit, vix auſim definire. Et vero adhuc ſeculo decimo non niſi villam aut vicum audiiſſe, paulo ante publicis Ottonis Magni tabulis oſtendimus. Veroſimile eſt, magnitudinem titulo oppidi dignam tum demum acceſſiſſe, quum incolæ vicinorum vicorum, utriusque ſcilicet Sedorpii, Baslevii, VVormſteti, Criſpenrodi & & Strevelingerodi, poſt ſua in cineres redacta, huc commigraverunt. Id factum Henrico IVto Cæſare VValbeccenſi urbe deſtructa, ſcripſerat priore oratione Meibomius: at poſteriore rejecit hoc cautius in tempora Ottonis IV. Et vero VValbeccum urbis unquam dignitate floruiſſe, perincertum eſt; uti ipſe Meibomius in chronico VValbeccenſi recte poſt agnovit. Æque incertum eſt, ruinam illorum vicorum Henrico IV. imperante contigiſſe. Quandoquidem vero conſtat, *a Ludolpho Magdeburgico* (c) Helmſtadium cum cœnobio, VVarbergum, omnemque viciniam, anno poſt milleſimum centeſimum nono & nonageſimo, crudelibus flammis in gratiam Philippi Regis, exuſta; ſimul tum & vicos illos periiſſe, haud ſine cauſa credideris. Quinimo tum denique fortasſis mœnibus eſt Helmeſtadium circumdatum. Id videtur poſſe haud immerito colligi ex nonnullis, quæ oratione poſteriore diſſerit ipſemet Meibomius. *Idem Abbas*, inquit, de Gerhardo, qui reſtaurando Helmſtadio multum operæ navaverat, faciens verba, *civium numero augeſcente, cum pomœria proferrentur, licentiam ſenatui dedit, ut templum S. Stephani quod extra muros erat, mœnibus includeretur.*

p. 247. 3) Non eſſe Hildegrimum Caroli M. fratrem, qui diploma ſubſcripſit, ſed Hildigrimum S. Ludgeri nepotem, Alcuino Turonenſi Abbati tum in diſciplinam datum. SCHAT. *hiſtor. VVeſtphal. p.* 622. Aſt moris non fuit teneræ ætatis ſcholares notariorum imperatoriorum numero addere. 4) Sigillum Caroli M. eſſe, quoniam illud cum ejus ſubſcriptione archetypon Werthinenſe referat: ſed an illud, quod Werthinenſe continet archivum, genuinum ſit diploma, ob allegatas rationes valde dubitatur. 5) Beatæ memoriæ titulum illo tempore non ſolum mortuis, ſed & ſanctis viventibus datum eſſe. STANGENFOL. *de circulo VVeſtphaliæ fol.* 106. SCHATEN. *l. c. p.* 602. Verum hoc non omni caret dubio. Papa quidem dicitur beatiſſimus & alii forte antiquioribus temporibus in vivis exiſtentes beati vocati, ſed non beatiſſimæ aut beatæ memoriæ. Non tamen ipſa Lothuſæ donatio in dubium vocatur, quippe quæ monaſterio a tot confirmata eſt imperatoribus, ut Ottonibus, Henrico II. Conrado II. Henrico VII. Carolo IV. Atque genuinum diploma, cui hi innituntur, haud dubie amiſſum eſt.

(a) *ſed falſaria manu*) *Nolim tamen*, inquit *OVERHAMVS, illarum tabularum propugnare copias, ut ſinceras, quas Helmſtadienſes id temporis produxerunt, quales tunc ibidem habere potuerunt, non enim VVerthinenſe monaſterium ipſis ad manus erat. Neque iſtud Meibomii a Dn. Conringio laudatum genuinum eſt, cum minime concordet cum antiqua ante aliquot ſecula ſcripta copia.* Sed neſcio unde Overhamus judicare potuerit, quod diploma Meibomianum non ſit genuinum, cum ipſe originale nunquam viderit.

(b) *Hildegrimus ſecundus*) Hic fuit ultimus adminiſtrator Werthinenſis. Hic Werthinenſibus fratribus ſibi Abbatem conſtituendi privilegium a Ludovico Germanico impetravit.

(c) *a Ludolpho Magdeburgico*) Vid. POMAR. *in chron. & chron. Magdeburgenſi, apud* MEIBOM. *p.* 329.

tur. Eam conceſsionem quoad templum ratam habuit Ludolphus Halberſtadenſium antiſtes. Cum vero urbs ita non tantum ampliaretur, ſed & muniretur, offendebatur quodammodo Werthinenſis Abbas, qui minus munitam urbem mallet; acquievit tamen certis tandem conditionibus: in quibus promittebatur, ut Præſul quoties VVerthina urbem inviſeret, portam unam haberet apertam, civesque adventanti claves in ſignum ſubjectionis offerrent, quas abiturus ipſis redderet. Conditionibus utrinque acceptis muri ſunt reſtaurati, turres ædificata plures, & S. Stephani templum mœnibus incluſum. Hæc Meibomius: ita quidem diſſerens quaſi tantum inſtaurata rurſum mœnia tum fuerint, quod prima ſcilicet Helmeſtadii munimenta Cranzium ſecutus jam Ludgero tribuiſſet. At vero ſtructum ab oppidanis templum primarium extra mœnia urbis, caret fide. Abſurdum ſane facinus fuerit. Si tunc itaque demum illud templum muro circumdatum fuit, etiam ipſum oppidum muro antehac caruiſſe veroſimile eſt. Qui potuerit porro ægre ferre Abbas munimenta tum ſtructa; aut qui tum demum ille ſibi fecerit caveri ab oppidanis de porta aliqua & libero in urbem introitu exituque, ſi jam dudum ante mœniis & portis clauſum aliquod oppidum ibi exſtitiſſet? Taceo, quod nulla memoria, nullum veſtigium ſuperſit munimentorum minore, quam hæc noſtra ſeſe habent, ſpacio ſtructorum. Longe autem anguſtiore gyro omnia debuiſſent aliquando conſtitiſſe, ſi quidem tum demum tot vicorum incolæ in partem civitatis conceſſerant, jam tum vero Ludgeri ævo Helmeſtadium fuiſſet munitum. Iſthac vero tempeſtate munimento ſtruendo datam operam vero eſt ſimile, quod præter ſolitum graviſſimis bellis aliquamdiu laboraſſet omnis hæc vicinia, & in cineres denique omnia Helmeſtadienſia fuiſſent redacta: ut proinde avertendis in futurum ſimilibus malis neceſſitas munimentum imperaverit. Et vero tum demum paſſim in regionibus hisce etiam alia oppida muniri ſunt cœpta: quædam ſolito firmioribus munimentis conſtructa ſunt. Id dignum obſervatu: hanc Helmſtadii munitionem tantum abeſt deberi Abbatibus, ut invitis & frementibus illis potius fuerit inſtituta, ſola fortaſſis oppidanorum cura: nihilque proinde veri ineſſe Cranzianæ fabulæ de oppido Ludgeri impenſis munito.

Regimen cœnobii & oppidi rerum eccleſiaſticum aut ſacrum, indubie a Caroli Magni ævo, donec ſuperiore ſeculo Paſſavienſibus & Auguſtanis pactis aliter in Germania eſt conſtitutum, penes Halberſtadienſes epiſcopos fuit: quorum diœceſis pro limite Ocrum amnem habuit. De ſeculari quod vocant imperio non perinde liquent omnia. Et vero Cranzium atque Chytræum jam tum audivimus narrantes, ipſosmet Abbates a Ludgero usque dominatum illum exercuiſſe, demum autem anno ſeculi quinti decimi nonageſimo pecunia accepta Brunſvicenſibus permiſiſſe Ducibus. Idem plane priore diſſertatione Meibomius etiam tradiderat, ſed poſteriore multa longe rectiora docuit: nec tamen etiam ille plenam vel hic veritatem eſt aſſecutus.

Scilicet in univerſum per omnem Germaniam pauci Abbatum, etiam illorum qui Principum ordini ſunt adſcripti, *ante ſeculum tertium decimum* (a) ſeculare aliquod imperium ipſimet exercuerunt. Aliis ne poſt quidem id conceſſum fuit. Et quidem circa Caroli Magni ætatem, priſco more, cœnobiorum res fere duntaxat ordinariis judiciis Gravionum ſive Comitum eorumque regimini fuere ſubjectæ: ſenſim vero alia atque alia monaſteria ſingulari Regum beneficio extra ordinem, qui judicarent regerentque omnia, acceperunt, qui advocati, aut defenſores, & Germanica voce alicubi *Kaſtenvögte* (b) ſunt appellati. Dati autem illi ſunt a regibus ipſis ſic ſatis diu: donec tandem permiſſum cœnobiis, ut & epiſcopalibus collegiis, ſibimet *illos eligere:* (c) quod non uno tamen tempore ſimul accidit, etſi Henrico IV. & Friderico I. Cæſare imperante ſummo ſtudio id urſerint Romani Papæ. Hinc in capitularibus Francorum l. v. cap. 31. ita legitur: *Defenſores eccleſiarum adverſus potentias ſecularium vel divitum ab Imperatore ſunt poſcendi.* (d) Et alibi: *Pro eccleſiarum cauſis, atque neceſsitatibus earum & ſervorum Dei, executores vel advocati ſeu defenſores, quoties neceſsitas ingruerit, a Principe poſtulentur, & ab eo fideliter ac libenter, juxta canonicas ſanctiones fideliſsimi dentur.* Usque adeo autem Francorum Regum ætate advocatis iſtis incubuit *omnium rerum ſecularis curatio,* (e) ut

(a) *ante ſeculum tertium decimum*) Ex diplomatibus tamen apud Schatenium conſtat, & ante illud tempus Corbeienſibus Abbatibus quædam data fuiſſe regalia.

(b) *Kaſtenvögte*) Nomen inde habuiſſe videntur, quod cura eorum ſe etiam ad res extenderet œconomicas. Vocabantur etiam tutores, œconomi, vice-domini. MYLERVS *in archologia cap.* 14. Habebant aliquando monaſteria nobiles fœminas, quibus advocatiæ jus in feudum dabatur. Videatur *liber de fundatione monaſterii Goercenſis pag.* 237. Sæpe advocatis ſubadvocati juncti erant, qui advocatorum ob bellica aut alia publica negotia abſentium, aut ſi forte eccleſiæ patrimonium admodum amplum eſſet, in tractibus quibusdam gerebant vices. Non videntur ante ſeculum IX. aut X. originem cepiſſe. Sunt qui putant, antiquiſſimam eorum mentionem fieri in diplomate Ottonis de anno 948. quod in Spicilegio Acheriano habetur. Cœperunt deinde ad duplex hoc onus monaſteria nauſeare ſibique ſtipulari, ne absque ſuo conſenſu ſubadvocati conſtituerentur; imo tam imperatorum, quam pontificum ſanctionibus, & conciliorum placitis ſubadvocatorum munus abrogatum eſt. Apparet illud ex *c.* 6. *concilii Rhemenſis de anno* 1148. *conſtit. pontificis Adriani de anno* 1156. *Friderici I. de anno* 1155. *in metropoli Salisburgenſi tom. II. p.* 4.

(c) *illos eligere*) Sat mature autem quædam monaſteria & epiſcopi advocatos ſibi conſtituendi, ab imperatoribus jus impetrarunt. VGHELL. *Italia ſacra tom. VII. p.* 1419. Tale privilegiam a Carolo craſſo habet eccleſia Paderbornenſis. SCHATEN. *annal. Paderborn. lib. III. ad annum* 887. Gandersheimenſis a rege Ludovico. LEVCKFELD *in antiquitatibus Gandersheimenſibus p.* 93. Gernrodenſis ab Ottone III. HOPPENROD. *annales Gernrodenſes* apud MEIBOM. *tom. III. pag.* 427. Obtinebat tamen, ut electio fieret præſente comite. *LL. Longobard. lib. II. tit.* 47.

(d) *poſcendi*) Qui territoria moderabantur monaſteriis advocatos dare ſolebant. Vid. MAGERVS *c.* 9. KOLBIVS *in præfat. aquilæ certantis, MARCA de concordia ſacerdotii & imperii lib. I. c.* 12. *p.* 42.

(e) *omnium rerum ſecularis*) Advocati & in bello & in pace clientibus ſuis præſto erant, eorumque negotia curabant ſecularia. Judicia tam activa, quam paſſiva ſubibant, præſulum electioni in nonnullis aſſidebant

ut ne quidem illa, quæ ad victum pertinebant, arbitrio & curæ abbatum fuerint permiſſa. Diſerte utique canon Moguntinæ ſynodi habitæ anno ſeculi noni tertio nonageſimo: *Ut epiſcopi & abbates curam omnem adminiſtrationemque, quæ ad victum & alimoniam attinent, advocatis relinquerent, quo minus a profeſſionis inſtituto, cui jurati eſſent, avocarentur.* Hiſce advocatis & defenſoribus Saxonici demum Cæſares ſimul & jurisdictionem omnem cœnobialium rerum tribuerunt: quod plurimis licet ævi illius tabulis demonſtrare. Jus vero illud advocatiæ alibi non niſi ad vitam nonnullis datum, atque ita ambulatorium, ut ita loquar, fuit; alibi fixum magis integræ alicui familiæ, hereditaria ſucceſſione ad poſteros propagatum eſt. Alias quidem abbates tandem ipſi omnem illam ſecularem curam ad ſeſe traxerunt, *advocatis abolitis*; (a) id tamen ante ſeculum duodecimum forte nusquam contigit: ſicut etiam paucis ad hoc vitæ genus, remotum usque adeo ab ordine ſuo, pervenire licuit.

Hæc in univerſum ratio ſemper fuit per omnem Germaniam regiminis cœnobialium rerum ſecularis. Id quod ſuo loco & tempeſtive magis juſta prolixitate nos ſumus perſequuti; jamque tum a quibusdam antiquitatum imperii Germanici peritia præſtantibus viris eſt traditum; quos inter honoris cauſſa Chriſtophorum Lehmannum, Magerum, & auctorem libri de *advocatiis imperialibus*, (b) prædicare nunc fortaſſe ſufficit. Ut ad cœnobium itaque Helmeſtadienſe noſtrum veniamus, a Ludgero ipſo aut ejus proximis ſucceſſoribus, regimen ſeculare aliquod heic locorum eſſe exercitum, omni plane caret veroſimilitudine. Utrum autem Francorum Cæſarum Regumque ætate, ſeculo imprimis nono, penes advocatos, an vero ordinarios comites fuerit iſthæc adminiſtratio, deficientibus monumentis haud dixerim. Quamquam vero videtur ſimilius, advocatum nullum fuiſſe tum conſtitutum, quoniam illud iſthac tempeſtate rarius contigit, & fortasſis defuerit neceſſitas, quæ inſolens quid flagitaret. Imperantibus Saxonicæ ſtirpis Cæſaribus conſtitutum aliquem advocatum, haud negaverim: quoniam fuit illud ſic ſatis tum frequens. Et vero quidni ſaltim ab Henrico IIdo id abbas facile impetraverit, cum Cæſar ille teſte Dithmaro ſemel Helmeſtadii feſtum ſanctorum, ſemel Werdenæ ipſam pentecoſten, *abbate Heitbenrico* (verba ſunt Dithmari) *ſibi pleniter ibidem ſerviente*, celebraverit? quo tempore ſoliti Cæſares nihil non hoſpitibus ſuis indulgere. Nec tamen vel tum eligendi advocati datam abbatibus poteſtatem dixero, quoniam tale quid *ſerius longe cœpit.* (c) Haud negaverim tamen, etiam illud jam cœpiſſe ſeculo duodecimo. Teſtatur ſiquidem Meibomius diſſertatione poſteriore *Lotharium*, ducem tum Saxoniæ & poſt Cæſarem, *ad annum MCXIX. a Luitberto Iſenburgio, & ad annum MCXXXIV. a Beringoto Weſterburgio abbatibus Werthinenſibus advocatum Ludgerianum nominari. Ex literis* porro *Henrici Leonis anno MCLXXVII. datis diſerte & expreſſe liquere, hunc etiam ſibi ſuisque dignitatem advocatiæ Ludgerianæ vindicaſſe.* At vero in tabulis reverſalibus, quas vocant, Ottonis, nepotis Leonis, primique *ducis Brunsvicenſis*, (d) quales Gerhardo abbati poſt recuperatam advocatiam poſt annum ſeculi tertii decimi triceſimum ille reddidit, agnoſcit dux jus advocatiæ in ipſam urbem ſuis majoribus ab abbatibus antecedentibus fuiſſe benigne jam conceſſum. Id quod intelligi vix poteſt, niſi ſaltim & Lotharius & Henricus Leo electione abbatum id impetraſſent. Nec tamen id certo aſſeruerim, quandoquidem ex Baronio conſtet, facultatem eligendi advocati epiſcopis & abbatibus ab Urbano adhuc III. Papa anno MCLXXXVI. acerrime *vindicatum eſſe*; (e) neque tabulis illis tuto liceat fidem adhibere.

Quicquid hujus ſit, ex quo eligendi conſtituendique advocati arbitrium abbates impetravere, quadam-

monaſteriis, & ſine eorum ſuffragio electio erat irrita. Porro citra eorum conſenſum nec momenti cujusdam contractus iniri, aut bona eccleſiaſtica alienari potuerunt. Denique ipſis œconomiæ cura & ſede vacante totum pene regimen temporale nonnullis in locis competebat. HOEPPINGI. *de jure proteſtionis c.* 41. *MAGERVS c.II.HEIDER in deduct. Lindav.* & *mea differt. de advocatia armata p.* 33. *ſeqq.* Non autem advocati operam ſuam gratis collocare ſolebant. Dabantur eſculenta & potulenta, frumenta, agri, quos manſos dicebant, & mulctarum pars. Vid. *diplomata* apud *KETTNERVM*, *LVDEWIG in reliquiis manuſcr. tom. I. p.* 275. 25. *MAGER. c.* 10. Nonnunquam monaſteria ex pacto advocatorum equos aut canes alendos ſuſcipiebant, ſæpe illis etiam invitis obtrudebantur. Exempla nutritorum canum vide in *documentis redivivis Wurtebergenſibus p.* 342. 694. 496. Oneri huic etiam monaſterium in vicinia noſtra a Lothario nomen habens, ut conſtat ex iis, quæ venerabilis abbas FABRICIVS hac de re literis mandavit, ſubjacet. Id quod aliquibus ex pacto datum, deinde in jus advocatiæ cohærens, nullum licet interceſſerit pactum, vertere cœpit. Non tamen deſunt exempla, a nonnullis hoc jus, quum admodum durum videretur, eſſe remiſſum. *Documenta rediviva p.* 409. *chr. Redagshuſanum* apud MEIBOM. *pag.* 67.

(a) *advocatis abolitis*) Negari non poteſt, multos abbates pecunia aut alia ratione ſe ab advocatia liberaſſe. Quod autem advocati & ſubadvocati Friderici II. tempore plane defecerint, falſum eſt. Nam, ut alia jam prætermittam argumenta, in conſtitut. ejus de juribus principum eccleſiaſticorum eorum fit mentio. SCHILTER *in jure publico tom. II. tit. XV. p.* 112. *Reformatio SIGISMVNDI de anno* 1440. *c.* 25.

(b) *advocatiis imperialibus*) Autor hujus libri ejusque apologiæ eſt HEIDERVS Lindavienſium ſyndicus quondam doctiſſimus. Adde PAVLINI *de advocatia monaſtica.*

(c) *ſerius longe cœpit*) Vid. tamen, quæ paulo ante diximus.

(d) *ducis Brunſvicenſis*) Vid. diploma apud MEIBOMIVM. Contulit autem Ottoni duci Gerardus abbas Werdinenſis anno 1232. advocatiam civitatis Helmſtadt cum omnibus appertinentiis. Fidem principis loco ſpoponderunt Bernardus de Dorſtet, Aimo de Heimburg & Gothefridus advocatus de Vosfelde. Teſtes ex parte abbatis erant: Thomas præpoſitus S. Ludgeri, Bertramus prior, Gerardus Cellarius, Joannes rector S. Stephani in Helmſtet & alii plures. Præterea eodem anno & die inter ducem & abbatem pactum eſt, ut in monte quodam ad Helmſtadium utriusque ſumtibus caſtrum extrueretur, cujus una pars abbati propria, altera Ottoni feudalis eſſet, & absque abbatis conſenſu nullum ei Otto imponeret præfectum, quem caſtellanum dicunt. Belli tempore vero is integrum in ſua haberet poteſtate, cui hoſtis bello perſequendus eſſet, & ſi caſtrum ab hoſte caperetur, utriusque eſſet damnum. Sed hoc pactum ad nullum redactum videtur effectum.

(e) *vindicatum eſſe*) *LEHMAN. in chron. Spirenſi c.* 28.

quadamtenus ſimul directum, quod appellant, dominium, ut rerum ſuarum aliarum ita fortaſſis & ipſiusmet Helmeſtadii conſecuti ſunt. Fortaſſis inquam: nec enim cum cœnobii advocatia etiam Helmſtadii ſive vici ſive oppidi imperium conjunctum ſemper fuiſſe, certo liquet. Aucta multum videtur dominii vis, quando Henricus Leo ſua perdidit. Nec enim, hactenus quidem, reperi indicium aliquod continuatæ advocatiæ etiam ad filios magni illius Leonis. Imo in tabulis Henrici filii, quibus hæreditatem fratri Ottoni Cæſari ex paterno patrimonio provenientem deſignat, Helmeſtadii nulla fit diſerta mentio. Forte tamen comprehenſum eſt illis verbis: *Caſtrum Sommerſchenburg* (a) *& omnia attinentia ſua ſunt.* Fuit enim Schæninga etiam & cœnobium Marienthalenſe cum multis aliis proximæ viciniæ in ditione quondam Sommerſcheburgenſium comitum. Quin & advocatia Helmeſtadienſis poſt Lotharium juris illorum comitum fuit. Notatum hoc eſt & Meibomio. Cujus hæc ſunt verba diſſertatione poſteriore. *A ducibus Saxoniæ advocatia tranſiit ad comites palatinos Sommerſcburgios. Vidi enim literas, in quibus Fridericus II. palatinus anno MCXLV. a Lamberto abbate Werthinenſe, & anno MCXLIV. ab abbate Wolframo Kirchbergio eccleſiæ Ludgerianæ advocatus appellatur. Hac familia extincta Henricus Leo, qui in literis quibusdam palatinos jam dictos cognatos ſuos nominat, tum arcem Sommerſeburgum occupavit, tum dignitatem advocatiæ Ludgerianæ ſibi ſuisque vindicavit.* Hæc ibi Meibomius: qui de palatinorum Sommerſeburgenſium iſthoc advocatiæ jure in Ludgerianas res quædam notavit etiam in chronico Marienthalenſi, agens de Friderico Palatino pag. 7. & de hujus filio Alberto pag. 23. ad annum MCLXXVII. Forte igitur, ut ante dixi, in tabulis illis Henrici, *inter attinentia* ita dicta *caſtri Sommerſchenburg*, Ottoni IVto ceſſiſſe advocatiam Helmeſtadienſem, ſignificatum fuit. Dubitaverim tamen, quandoquidem iſthac tempeſtate epiſcopi & abbates, paſſim terrarum, advocatiis repulſis plenum ſibi dominium rerum comparare per fas & nefas anniſi ſunt: nec difficile fuerat Werdinenſi, bona Ottonis gratia id impetrare, ut qui cum paucis non dubitaverit *Ottonem Regem* (b) eligere contra Philippum; ut apparet ex epiſtola ejus argumenti a Principibus Germaniæ miſſa ad Innocentium Papam apud Baronium ad annum MCXCVII. quo Ottonem quaſi magno beneficio ſibi obſtrinxerat. Et vero fuit Otto in ſuos illos electores alios omnes perquam beneficus.

Verum hæc ut ſeſe cunque habuerint, in parvo eſt diſcrimine habendum. Id citra controverſiam fatendum jam eſt, toto etiam ſeculo duodecimo plenum dominium Helmeſtadienſium rerum neutiquam penes abbates fuiſſe, ſed adminiſtrationem eorum omnem ſecularem fuiſſe juris advocatorum. Quin imo cum Friderico patri filius Albertus inter Sommerſeburgios comites palatinos in advocatia ſucceſſerit, hereditarium illud jus tum fuiſſe palam eſt. Antehac ſimiliter hereditario jure fuiſſe advocatiam penes Supplingeburgenſes comites videtur, atque adeo hac de cauſa cum Ludero ſive Lothario, comitum illorum ultimo maſculo herede defeciſſe. Nec enim placet Meibomii conjectura, Lotharium tanquam ducem Saxoniæ functum advocatiæ munere: debuiſſet enim devolvi illud jus ad ducis ſucceſſores, quod *factum non eſt.* (c)

Quantumvis autem fortaſſis poſt Henricum Leonem defuerint aliquamdiu advocati, nec quisquam ejus filiorum id muneris adeptus fuerit, rediit tamen advocatia paulo poſt ad nepotem Leonis, & quidem jure perpetuo hereditario. Quo de ne dubitemus, caverunt ipſi Ludgeriani, & VVerdinenſes pariter & noſtri, productis in medium cis paucos annos, cum inter ſereniſſimos duces noſtros & abbates de Helmeſtadio certaretur, illis tabulis reverſalibus Ottonis primi Brunſvicenſium ducis, quarum jam tum mentionem fecimus. Non exhibitæ quidem illæ ſunt *ἐν αὐτογράφῳ*, imo ne latina quidem lingua, qua procul dubio ſcriptæ fuerunt, ſed germanice & quidem ſic ſatis inepte verſæ: ut fidem indubitatam omnibus, quæ tabulis iſtis continentur, adhibere nequeas, ſed duntaxat in illis, quæ propria quaſi confeſſione coacti Ludgeriani fuere de Sereniſſimæ Brunſvico-Luneburgenſium Ducum familiæ juribus aſſerere. Scriptæ ſane illæ feruntur anno ſeculi tertii decimi ſecundo poſt triceſimum; qui manifeſtus eſt *παραχρονισμός*, quoniam in tabulis illis Otto jam

Dux

(a) *Sommerſchenburg*) Vide diploma apud MADERVM *in antiquitatibus Brunſv. n XIX.*

(b) *Ottonem Regem*) Sunt qui contendunt, illo tempore nullum abbatem ad imperatoris electionem admiſſum, niſi principali dignitate gaudentem. Atque eo Werthinenſem abbatem tum temporis uſum eſſe, ex literis abbatis Henrici II. comitis de Wildenborg de anno MCCC. quæ in B. abbatis SCHMIDII *diſſert. de Frauenrada* leguntur, conſtare dicunt, cum in eis ſe ſacri imperii principem devotum vocet. Sic & Rudolphum I. Henricum I. comitem quoque de Wildenborg & abbatem Werthinenſem in literis de anno MCCXC. & XCI. principem noſtrum dilectum appellaſſe idem notat Schmidius. Poſtea vero hoc nomen & locum, quem forte inter eccleſiaſticos habuerunt principes, omiſerunt.

(c) *factum non eſt*) Sed conjici poſſet hoc factum eſſe, & comites Sommerſenburgenſes advocatiam illam ducum Brunſvicenſium Guelfici ſtirpis habuiſſe. Cumque Albertus palatinus diem ſupremum nulla relicta prole obierit, Henricus Leo comitatum una cum advocatia Helmſtadienſi repetiit, cui ſe Alberti ſoror Adelheidis oppoſuit: Verum cum potentiſſime duci ſe longe imparem videret, comitatum Wichmanno antiſti Magdeburgico vendidit. Quo facto arci Sommerſchenborg Henricus militem admovit, eamque funditus dirutam Echardo baroni Warbergio tradidit, qui eam inſtaurare cœpit. Sed primis novorum munimentorum fundamentis jactis, Ludolfus Wichmanni ſucceſſor arcem invaſit, eaque everſa Helmſtadio & Warbergo flammas injecit. Ex hoc tempore Sommerſchenburgum penes Magdeburgenſes fuit archipræſules. Vid. MEIBOM. *chron. Marienthal. tom. III. ſcript. German. p.* 252. Sed revertamur ad Helmſtadienſem advocatiam. Hanc in Saxoniæ ducibus, quibus Northuringiæ comitatus ſuberat, eorumque vicariis ſuperioritatem involviſſe civilem patet; cognitum namque habemu , in veteribus tabulis advocati nomen ſæpe territorialem ſignificare dominum. Henrico vero Leone exauctorato, Werthinenſis abbas Helmſtadium, ut rem nullius, occupaſſe videtur. Cumque hac de re Brunſvicenſes haud dubie conqueſti ſint, Werthinenſis conſultum putavit, Ottoni puero advocatiam, ſed reſtrictionibus quibusdam, nullius propemodum momenti, additis, reddere.

Dux Brunſvicenſis (a) audit, & tamen ducatus ipſe a Friderico II. imperatore eſt inſtitutus demum anno poſt triceſimum quinto, menſe Auguſto. Diſertis verbis vero in tabulis illis dicitur advocatia conceſſa a Gerhardo abbate, non Ottoni duntaxat, ſed etiam conjugi ejus & liberis. Liberorum autem nomine omnem poſteritatem utriusque ſexus eſſe ſignificatam, indicat ſæpius repetita memoria poſterorum & hæredum; cumprimis illud in fine, quod fas ſit abbati advocatiam poſteris Ottonis eripere, ſi illi pacti leges fuerint transgreſſi. Nulla porro in tabulis fit mentio feudalis nexus: ut proinde conceſſa fuerit advocatia ab omni ejusmodi feudali vinculo immunis. Cum advocatia autem ſimul & jus gladii datum eſſe, diſerte item aſſeritur: imo & Gograviatum & Scultetiam quos vocant fuiſſe promiſſos, ſimulatque Egbertus Aſcheburgius ejusque conjux diem ſuum obierint, quibus vocabulis civilis jurisdictio circumſcribitur. Additæ quidem ſunt nonnullæ conditiones, quæ indicarint antehac majore nonnihil libertate priores advocatos uſos: leviores tamen ſunt reſtrictiones illæ, ut quamvis non plenum, ſatis laxum tamen dominium urbis ſuperſtes manſerit. Et vero ex eo in cenſu hereditariarum urbium ducatus Brunſvico-Luneburgici Helmeſtadium numerari cœpit. Elucet hoc ipſum ex tabulis omnibus, confectis ſuper diviſionibus ducatus bonorum, quæ inter principes hæredes ſunt inſtitutæ: ut ne quidem anno ſeculi quintidecimi ſecundo triceſimo, quo Brunſvicenſis regionis *creta hereditas* (b) eſt inter Henricum & VVilhelmum fratres, id fuerit neglectum. Tabulæ omnes ſunt ſuperſtites id docere idoneæ. Obſervatum vero eſt etiam a Büntingio chronici parte prima, contigiſſe idem anno ſtatim ſeculi tertii decimi ſexageſimo octavo: quo prima inter nepotes Ottonis diviſio facta eſt, Albertum nempe quem a corporis proceritate Magnum vocant, & fratrem ejus Joannem. Quin & nonnulla jure advocatiæ ita ſunt a principibus geſta, ut quæ ad poſteritatem memorarentur, digna judicata ſint. Varia id genus diſſertatione poſteriore recitavit Meibomius. Quædam & Büntingius. Cujusmodi illud: contentione orta inter filios tres Alberti Magni, cum Henricus major natu, qui mirabilis, rectius autem turbulentus audit, Brunſvigam urbem & vicinum Helmſtadium ſibi vindicaret: *urbem hanc illum in tutelam recepiſſe, pactumque cum ea fuiſſe, ſe intra biennium nullis cives exactionibus gravaturum,* (quas cives alioqui ſolitos ducibus pendere, hinc liquet) *nec cum fratribus velle paciſci niſi ipſis ſimul conditionibus pacis incluſis: Albertum & Wilhelmum Henrici fratres, hac re offenſos urbem obſidione mox cinxiſſe.* Quod contigit ſeculi tertii decimi anno octavo poſt octogeſimum. Sequentis ſeculi anno ſtatim primo cum hoſtilia Obergius quidam, pravo illius temporis more, in urbem exerceret, Alberti ducis interpoſita auctoritate ſedata ſunt omnia, eodem Meibomio teſte. Quinto decimo anno ſeculi illius contigit, ut ex Meibomii chronico Marienthalenſi liquet, quod idem narrat, oppidanos negaſſe Marienthalenſibus monachis in ſuos uſus aliquid hic ſtruere, donec pro Marienthalenſibus pronunciaſſet dux Henricus, & confirmaſſet eorum acta. Cumprimis expenſione digna ſunt, quæ Meibomius pariter & Büntingius narravere, de turbis illis civilibus, quæ hic motæ ſunt a plebe contra ſenatum & meliores quosque oppidanorum, anno ſeculi quarti decimi quadrageſimo. Eo vecordiæ ſcilicet ſeditioſos plebeios deveniſſe, ut *jactitarint*, (Meibomii ſunt verba) *etiamſi princeps Brunſvicenſis negotii iſtius cauſa adventaret, non admiſſuros ſe ipſum, niſi certis conditionibus intervenientibus: quas niſi acciperet, facile ſe inventuros dominum, qui mitius imperaret & cui commodius parerent.* Non poſſum non & adducere iſthac de re ipſa Büntingii verba Germanica: *Sie vvurden auch ſo frech und vermeſſen, daſs ſie ſich öffentlich verlauten lieſſen, vvann der Hertzog zu Braunſchvveig (der als vveltlicher Vogt des Stiffts zu S. Ludger das Halsgericht und die Landfolge in die Stadt habe) nicht vvolte als ſie, ſo vvolten ſie bald einen andern finden.* Pergit vero Meibomius. *Rei fama divulgata, VVerthinenſis abbas cum duce Brunſvigio loci advocato, urbem inopinato & armata manu ingreſſus eſt, populoque convocato, juſſi ſunt a rebellibus & ſeditioſis ſecedere, quotquot pacem amarent & juſtitiæ ſtuderent. Paruere ſaniores & potiores. Dux ipſe ex equeſtri ordine judicem conſtituit, & tumultus peſtilentis & nefarii autores publice reos egit. Quatuor ex ſeditioſis capitis damnati in foro gladio caſi ſunt: nonnulli fuga ſibi conſuluere, quorum bona publicata, ipſi infamia notati ſunt.* Eadem narrat Büntingius & quidem nonnihil accuratius, ut proinde & ille iterum mereatur audiri. *Dieſe nevve Mehre kamen Hertzogen* Magnus *dem Aeltern zu Ohren, thaten ihm vvehe, gedachte dem Unvveſen in der Zeit zu begegnen. Dervvegen er den damahls regierenden Abt zu VVerden und Helmſted,* Johannem *von Herle, zu ſich erbeten, und ſind beyde mit etzlichen Reutern und Volck in die Stadt gezogen, und die Thor beſetzet: diſs geſchach am S. Eliſabethen-Tag morgens früh. Der Hertzog lieſs ausruffen: vver Recht nehmen und geben vvolte, d[illegible] ſolte ſich aufs Marckt verfügen. Daſelbſt vvar ein peinlich Hals-Gericht angeſtellet, und ſetzte der Fürſte einen geſchvvornen Richter, für dem verklagte er die aufrühriſche Meutmacher. Die ſich übel bevvuſt vvaren, fielen über die Mauren und kamen davon, auſſerhalb 4. die vvurden auf Erkäntnis des Rechten, mit dem Schvvert gerichtet, der Flüchtigen Haab und Güter nahm Hertzog* Magnus *zu ſich. Alſo vvard dieſe Unruhe geſtillet, und muſten die Bürger Hertzogen* Magno *und dem Abt zu VVerden, jeglichen zu ſeinen an der Stadt habenden Rechte, eydliche Pflicht leiſten.* Hæc illi. Manifeſtum vero hinc eſt, *primo*, quod ipſimet cives Helmeſtadienſes *Magnum ducem agnoverint* (c) ſuum

(a) *dux Brunſvicenſis*) Aliud de anno 1233. apud LVNIGIVM *in archivo imperii contin. II. part. IV. membro IV.* reperitur, in quo Otto eodem utitur titulo, ex quo colligitur, Ottoni conſuetum fuiſſe, eum quoque ante inveſtituram a Friderico acceptam adhibere.

(b) *creta hereditas*) *LVNIG. part. ſpecial. continuat. II. in diplomat. Brunſvic. p.* 387. 388.

(c) *Magnum ducem agnoverint*) Hic civibus Helmſtadienſibus anno 1351. pro ducentis marcis Brunſvic oppignoravit advocatiam urbis & novi fori. Teſtes erant Gehhardus Baro Warebergenſis, Guncelinus de Aſſeburg & Joannes de Honlage. Vendiderat anno 1307. Albertus dux Brunſvic. Helmſtadienſibus pro C. marcis novum forum & Goſtop, ea lege, ut nunquam a civitate ſepa-

ſuum eſſe dominum: *ſecundo*, quod Büntingio teſte jus fuerit Duci, Helmſtadienſes cives in militiam evocare: *tertio*, quod Dux præſente & conſentiente abbate oppidum occupaverit, pœna gladii in ſontes animadverterit, bona fugitivorum in ſuum fiſcum redegerit, & cives ſibi jurejurando devinxerit. Quæ omnia profectò dominium Principale urbis liquido oſtendunt. Addam adhuc unum atque alterum quo & legislatoria Ducum poteſtas confirmatur, & quidem verbis ipſiusmet Meibomii. *Sedato*, inquit Meibomius, *hoc tumultu, cum efflorescere indies magis magisque urbs cerneretur, dici non poteſt, quantum nunc hujus nunc illius eccleſiaſtici ordinis fraterculi ad eam confluerant, & domicilium* rentur. Luculentius adhuc exercitia Magni in urbe Helmſtadienſi ſequens diploma, quo Frauenrada (Gerada) quæ graviſſime Helmſtadienſes premebat, abrogata eſt, præbet.

In nomine Domini Amen. Nos MAGNVS *dux Dei gratia in Brunſwich ad notitiam omnium, quorum intereſt aut intereſſe poterit, cupimus pervenire. Cum dominorum interſit ſubditorum commodis damnoſa evellendo profectuoſaque inſerendo legalius inſudare. Hinc eſt, quod nos in quantum noſtro de jure intereſt ſeu intereſſe poterit, maturo conſilio cum noſtris fidelibus præhabito damus & per præſentes concedimus noſtris fidelibus conſulibus ac civibus opidi Helmſtad poteſtatem ac omnimodam auctoritatem abrogandi quoddam jus ibidem reipublicæ præjudiciale & damnoſum pluribus de cauſis, prout experientia hactenus docuit & noſtris auribus veraciter inſonuit, quo hereditariæ ſucceſſiones in rebus hereditariis muliebribus, proprie* Vrowenrad *dictis, locum hactenus habuerunt, & nos id ipſum evellimus, evulſionem nec non abrogationem ipſius præſentibus confirmantes: ita videlicet quod iſtud jus inibi in perpetuum amplius nullatenus relevetur. Non obſtante quod ſimile jus in civitate Magdeborch viget ſeu frequentetur, ad cujus conſiſtorium a tribunali Helmſtadienſi eſt conſuetum appellari, cum hoc viſum fuerit expedire. Nihilominus ſi quid contra hujusmodi dationem noſtram ſeu conceſſionem attemptatum fuerit per appellationem, per ſimplicem querelam vel quovis alio modo, decernimus ipſo facto eſſe irritum & inane, volentes dictos conſules & cives noſtros noſtri opidi Helmſtad in abrogatione dicti juris & ipſius abrogationis confirmatione contra quoslibet proplacitare, defenſare diligenti opera & tueri. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſenti literæ eſt appenſum. Datum anno Domini MCCCLVIII. ipſo die beati Thomæ apoſtoli.*

Fuit hic pii & torquati cognomine notus, quod ultimum ipſi impertitum ex torque argenteo, quo collum cingebat, in patris ludibrium, qui ipſum in furcam agere minatus erat. Aliquod autem eodem tempore Werthinenſi abbati in urbem condominium competiiſſe, niſi illud cum aliis umbram & ſpeciem ejus, Brunſvicenſium principum nimiæ in clerum indulgentiæ adſcribendam, appellare malis, ſequentes Joannis abbatis ad idem argumentum ſpectantes evincunt tabulæ.

In nomine Domini Amen. Nos JOHANNES *Dei gratia abbas monaſterii Werdinenſis ad notitiam omnium quorum intereſt aut intereſſe poterit, cupimus pervenire. Cum jura condentis aut ea defendere debentis interſit, utilitate publicæ rei ac circumſtantiis perſonarum, juribus utentium, penſatis, iniqua, præjudicialia & dampnoſa evellere, æqua vero & commodoſa deliberate inſerere ſeu condere, taliaque tueri toto conamine ac firmare. Unde cum quodam jure hactenus in opido noſtro Helmeſted diutius jam ſervato, hæreditariæ ſucceſſiones in rebus hæreditariis muliebribus, quæ proprie* Vrowenrad *dicuntur, locum communiter habuerunt, quod jus pluribus de cauſis rei publicæ dicti noſtri oppidi, prout veritatibus luce clarioribus didicerimus, intolerabiliter eſt dampnoſum; Quarum ceteris tacitis una cauſa eſt, quia cum ibidem duorum conjugum una moritur, & magna pars interdum potiorum bonorum talium conjugum in rebus hujusmodi muliebribus conſiſtat, talibus hæredi muliebri ſeu hæredibus traditis aut conditis, conjux ſuperſtes ſeu maritus viduatus cum ſuis liberis vel ſine ipſis aliquando totum tempus vitæ ſuæ in egeſtate vel alio modo indecenti ſtatui ſuo miſere deducit, imo ipſam finit in obligatione æris ſæpius alieni. Hinc eſt, quod nos matura deliberatione præhabita de conſenſu capituli damus, per præſentesque concedimus noſtris fidelibus conſulibus ac civibus prædicti noſtri oppidi Helmeſted, quantum in nobis eſt, plenam facultatem, poteſtatem, nec non omnimodam auctoritatem tollendi, evellendi ac penitus abrogandi hujusmodi conſuetudinem in ſæpedicto oppido Helmſted, quo ibidem hereditariæ ſucceſſiones in rebus hereditariis muliebribus præmiſſis locum ſibi hactenus vendicabant, ipſis evulſionem nec non abrogationem ejusdem juris ſeu conſuetudinis in Helmſted perpetuo duraturam, præſentibus confirmantes; ita videlicet, quod jus ipſum in ibidem amplius in perpetuum nullatenus reviviſcat, non obſtante, quod ſimile jus in civitate Magdeborch vigeat ſeu frequentetur, ad cujus conſiſtorium a tribunali Helmſtadienſi eſt conſuetum appellari, cum hoc viſum fuerit expedire. Nihilominus, ſi quid contra hujusmodi noſtram dationem ſeu conceſſionem attemptatum fuerit per appellationem, per ſimplicem querelam, vel quovis alio modo, decernimus ipſo facto eſſe irritum & inane. In cujus rei & facti teſtimonium propter majorem certitudinem ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum & actum Werden anno Domini MCCCLVIII. ipſo die beati Thomæ apoſtoli.*

Confirmatur id, quod a Johanne conceſſum, a ſucceſſore ejus Henrico II. comite de Wildenberg, ſequenti diplomate.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. HINRICVS *Dei gratia abbas monaſterii Werdinenſis ordinis Benedicti Colonienſis dioeceſeos, ſacri imperii princeps devotus, omnibus & ſingulis in perpetuum præſentes literas viſuris vel audituris, & ſpecialiter dilectis ſibi diſcretis & circumſpectis viris, magiſtris civium, conſulibus & toti univerſitati oppidi ſui Helmeſtede Halberſtadenſis dioeceſeos, ſalutem in domino ſempiternam. Sane petitio veſtra nobis oblata, ut literas quasdam veſtras per quondam Dominum Johannem prædeceſſorem noſtrum dicti monaſterii abbatem ultimum piæ recordationis conceſſas & indultas ſuper quodam jure novo in oppido noſtro Helmeſted prædicto obſervando, ſcilicet quod res ſeu exuviæ, quæ dicuntur laica lingua* Vrowenrade, *relictæ per mulieres & feminas nulli extra oppidum Helmſted prædictum quoquomodo porrigi, dari vel præſentari debeant, confirmare & ratificare dignaremur; qua petitione benigne accepta, & circa eam ſingulis penſandis penſatis & conſiderandis diligenter conſideratis, perſpectoque, ſi eam admiſerimus, rem publicam in ipſo oppido noſtro Helmeſted uberius vigere, commodius gubernari & defendi, nec non res atque facultates oppidanorum ejusdem oppidi noſtri tutius conſervari, ipſam petitionem veſtram exaudiri & admitti dignam cenſemus, & non ſolum prædictas literas quondam domini* JOHANNIS *abbatis prædeceſſoris noſtri prædicti nobis oblatas quæ ſic incipiunt:* In nomine Domini Amen. Nos JOHANNES Dei gratia abbas monaſterii VVerdinenſis &c. *confirmare ac ratificare decrevimus, ſed etiam ex certa ſcientia de novo condimus & ſtatuimus in his ſcriptis, & ab omnibus & ſingulis prædicti noſt[illegible]ppidi Helmeſtad incolis ſive oppidanis ex nunc in antea* (id eſt, in futurum) *perpetuis temporibus inviolabiliter obſervari volumus, & mandamus: videlicet, quod exuviæ mulierum prædictæ, per mulieres in eodem oppido noſtro Helmeſted ex nunc juxta viam univerſæ carnis mortis exſolvendo debitum decedentes relictæ, nulli ullo tempore extra oppidum Helmeſtad ſæpe dictum porrigantur, aut quoquo modo porrigi, dari, vel præſentari præſumantur. Et ſi quisquam contra hanc conſtitutionem noſtram fortaſſis appellare decreverit ad ſedem judicii altioris, hujusmodi appellantem decernimus & ſtatuimus ad appellandum admitti non debere, nec ejus appellationi deferri, ſed ipſam appellationem irritam, caſſam & omnino nullam reputari, teneri & haberi. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum duximus his literis appendendum. Datum Helmeſtede anno Domini MCCCC. ſexageſimo primo. In die feſto conceptionis beatæ Mariæ virginis glorioſæ.*

cilium ſibi quærerent. Ad quæ co…ebant Abbates, nec novos hoſpites offendere volebant. Senatus vero cum jampridem eorum ſatis magnus i… urbe numerus eſſet, & quicquid illi ſibi acquirerent & coemerent, aut ipſis in ſpem æternæ retributionis (qua …perſtitio tum maxime vigebat) donaretur, oneribus publicis ſuſtentandis eximi ſubtrahique videret, rempu…am non parum detrimenti capere & porro capturam, prudenter conjiciebat. Advocatos igitur ſuos adierun… …uces Brunſvicenſes, & rem ipſis aperiunt. Ex quibus primus Dux Magnus, Pius ſive Sangerhuſius dictus, … in tutelam urbem recipit, decreto ſancit, ne qui inpoſterum vel Canonici vel Monachi, cujuscunque ſint ordin… …ter eos qui id temporis in urbe erant, ſedem in ipſa figant aut nidificent. Factum id anno MCCCXLV. …onfirmavit idem Magnus Torquatus ſive catenatus anno MCCCLXX, Otto Dux anno MCCCLXXXIX, & …rro Fridericus & VVilhelmus fratres ad annum MCCCCLXXXIII, omnes Brunſvicenſes & Luneburgen, Duces. Omnia hæc ante annum ſeculi quinti decimi nonageſimum acciderunt; atque adeo oſtendunt, dudum jam ante in hac urbe jus fuiſſe Ducibus decreta condere, & quidem ea etiam quibus ipſi monachi & clerici, qui vulgo cæteroquin exleges habebantur, tenerentur, & quod potiſſimum eſt, qualia ne Abbatibus quidem tum probabantur. Ejusdem porro Meibomii etiam hæc ſunt: *Anno 358. Joannes Abbas VVerthinenſis ad inſtantiam Senatus, ne cives depauperarentur, abrogavit conſuetudinem illam, qua poſtulabatur ab exteris, qui uxores ex urbe Helmſtadio duxerant, ut nullo unquam id tempore inpoſterum alicui liceat. Confirmavit id ſtatim Dux Magnus.* Certiſsimo autem & hoc argumento eſt, iſthac tempeſtate Abbatis conſtitutionem auctoritate Ducum accepiſſe denique vim ſuam.

Interea vero temporis & Abbates nonnihil juris in oppidanos ſibi vindicaſſe, haud equidem negaverim: ſed fuit illud omne exigui momenti. Huc pertinet, quod jam anno ſeculi tertii decimi quadrageſimo quarto collegium lanionum, & triennio poſt fabrorum, ſartorum, & pellionum Gerhardus Abbas, alia alii confirmaverint: quod eodem tertio decimo ſeculo Abbas idem Gerhardus civibus conceſſerit ad tribunal ſcabinorum Magdeburgenſium provocare, & urbis pomæria proferre: quod Wilhelmus Abbas facultatem dederit Marienthalenſibus in ſuos uſus ædiculas aliquot coemendi, id quod circa ſeculi quarti decimi annum decimum quartum contigiſſe notavit Buntingius: quod porro, ut ſenatui liceret condere Auguſtinianis monachis cœnobium, opus fuerit conſenſu Abbatis Henricus, ſicut poſt Wilhelmus conſenſit in ſtructuram Xenodochii ſuburbani: quod denique ſeculi quinti decimi anno ſexageſimo tertio monetam & Judæos Abbas civibus oppignoraverit. Num quo alio modo Abbas exercuerit civilem poteſtatem, haud liquet. Quin imo cum nullum exercitæ poteſtatis illius veſtigium, nulla memoria reperiatur, facile liquet, neutiquam fuiſſe habitos Abbates urbis dominos.

Et vero ut quod res eſt dicamus; quod vel illa quæ diximus egerint Abbates, non niſi ſuperſtitioſa quadam aut ſupina conniventia Ducum eſt factum. Erant ſcilicet illa tempora ſuperſtitionibus dedita quam maxime, & perquam negligenter ut alibi paſſim ita & hic jura Ducum in populo tum exercita ſunt; quo proinde effectum eſt, ut ſicut aliæ urbes provinciæ hujus, ita & hoc Helmeſtadium pene integram ſibi libertatem centum annis amplius vindicaverit. Id quod abunde eſt manifeſtum ex iis, quæ toto ſeculo decimo quinto & aliquamdiu ante hic contigiſſe, magno ſtudio Meibomius annotavit. Cujus rei initia haud ſine cauſa retuleris in annum ſeculi quartidecimi quadrageſimum quartum: quo ſumma oppidi præfectura a Magno Duce oppidanis ipſis pignori dari cœpta eſt. Quod ipſum ſequente anno & Brunſvigæ factum, ſummo Ducalis auctoritatis detrimento. Eo ſane denique res pervenit, ut a majoribus ad ſeſe derivatæ legitimæ poteſtatis, Duces ipſi parum admodum fuiſſe amplius conſcii videantur. Feruntur ſane tabulæ, quibus VVilhelmus, ille quem victorioſum appellitant, jam tum anno ſeculi quinti decimi ſeptuageſimo nono, *feudi maſculini legibus* (a) advocatiam urbis ſibi beneficio Abbatis Theoderici conceſſam agnoſcit. Quod ante illum fecerat nemo Ducum: nec ipſe facere tenebatur, perpetuo jure Ottoni dato & a majoribus poſſeſſo ſatis inſtructus. Exemplum autem imprudens patris & VVilhelmus filius cum fratre Friderico eſt ſecutus; primum anno ejusdem ſeculi octoageſimo ſecundo Abbate Theoderico, iterum Antonio Abbate anno nono, ſiquidem tabulis nonnullis fas eſt credere, in quibus ſolius advocatiæ oppidanæ fit mentio: donec fratre jam defuncto anno nonageſimo, omnia Abbatum jura, quæ prætendebantur, cum in oppidum tum in alia hujus Saxoniæ loca, *feudi illis legibus* (b) ſibi & poſteritati ſuæ maſculinæ concedi paſſus eſt.

Ex

(a) *feudi maſculini legibus*) Occaſionem ceſſi & venditi juris, quod Werthinenſes Abbates in urbem Helmſtadium ſibi competere credebant, refert MEIBOM. *l. c. p. 234.*

(b) *feudi illis legibus*) Perquam falſum autem eſt, hunc Wilhelmum primum fuiſſe acquirentem. Provoco ad ea, quæ ſupra de Ottone puero ejusque majoribus dicta ſunt, & in hac pagina de Wilhelmo victorioſo traduntur. Rectius ſibi conſuluiſſent Bernhardi poſteri Friderico Vlrico ſuccedentes, ſi vinculum fiduciarium, quo ſe Wilhelmo, invitis haud dubie Luneburgenſis lineæ Principibus, Werthinenſi adſtrinxerant Abbati, neglexiſſent, & jure ſuo a majoribus accito uſi eſſent. Verum cum, denuo clientelari ſe mancipare nexui, principibus noſtris placuerit, non inutile erit tabularum fiduciararium ſequentem adjungere tenorem: *Demnach zwiſchen dem Durchl. Hochgebohrnen Fürſten und Herrn, Herrn Auguſt, Herrn Chriſtian Ludewigen, und Herrn Georg Wilhelm, und Dero Brüdern, allen Hertzogen zu Braunſchweig und Lüneburg an einem, und dem Hochwürdigen, in GOtt Andächtigen Er. Heinrichen, Abten der Kayſerl. freyen Exemt-Stiffe und Cloſter zu Werden und Helmſtedt am andern, ſich etzliche Miſsverſtände wegen der uf Abgang weyl. Herrn Friederichen Ulrichen, Hertzogen zu Braunſchweig und Lüneb. Chriſtmilden Andenckens Fürſtl. Wolffenb. Linie geſuchte Wiederbelehnung der Stadt Helmſtedt und anderer in der Belehnung mitbegriffenen Stücken ereignen wollen, als ſeynd dieſelbe heut dato durch beyderſeits darzu ſonderbar in der Stadt Hildesheim zuſammen geſchickte und Gevollmächtigte nachfolgender Geſtalt zu Grunde erörtert worden. (1.) Anfänglich wollen S. Hochw. Ehrwürden Ern. Abt Heinrich vorgedacht für ſich und*

Ex hiſce vero quæ memorata a nobis ſunt, ſole jam clari utique eſt: etſi tum demum collata eſſe Ducibus dominii jura, *Cranzio*, (a) Chytræo & aliis v go ſit viſum, longe aliter tamen rem illam ſeſe habere. Non ſcilicet niſi fere imaginem novi i accepiſſe tum Antonio Abbate Principes: imo accepiſſe cum feudi nexu, quæ jam aliquot itum annis libere majores poſſederant, & hæreditatis lege ſibi debebantur. Tantum itaque ſt, magno tum & novo beneficio affectos ab Antonio Principes, ut potius Abbatibus hoc ipſo ultum accreverit dignitatis: quippe qui naſti ſunt Principes feudi vinculo ſibi obſtrictos in , quorum dominium vel ipſi nunquam ſive reapſe ſive de jure tenuerant, vel Principes libera teſtate jamdudum poſſidebant. Certe ſumma cum Principum injuria, Cranzio auctore, fab illæ natæ ſunt & ad alios temere propagatæ. Ut Cranzio autem ignoſcas, Chytræum tamen ltim in eo haud facile excuſaveris, quod nec ipſe dubitaverit ſtatum ſuum urbi exprobrare, c tamen agnoſceret Principum benignitate conſecratum hic illud *omnigenæ doctrinæ emporium*, (b) uo demum juſtum aliquem ſplendorem & celebritatem urbs

ſeine Capitularen hinwieder belehnen vor hochgedachte S. Fürſtl. Gnad. Hertzogen Auguſtum zu Braunſ. und Lüneburg als den aeltiſten und regierenden Landes-Fürſten des Fürſtenthums Braunſ. Wolffenb. Theils, auch alle andere vorhochgedachte S. Fürſtl. Gnad. Vettern und Ihre allerſeits männliche Leibes-Lehens-Erben in linea aſcendente, *mit der Stadt Helmſtedt, und allen andern Lehen-Stücken, keines davon ausbeſchieden, auch mit ſolcher Belehnung von Fällen zu Fällen der Gebühr nach verfahren, Sie wollen auch I. I. I. F. F. F. G. G. G. allerſeits, Dero Succeſſoren und Nachkommen, und inſonderheit den jedesmaligen regierenden Herrn des Fürſtenthums Braunſ. Wolffenb. Theils, als welcher der ewige völlige* Poſſeſſor *dieſer Lehn-Stücke iſt und bleibet, bey allen Rechten und Gerechtigkeiten in-oder auſſerhalb der Stadt Helmſtedt, in-oder auſſerhalb Rechtens keinesweges* turbiren, *noch durch andere* turbiren *laſſen. Und ob zwar an Seiten Ihrer Hochwürden Anfangs begehret, daſs der Groſſe Hoff in der Stadt Helmſtedt mit deſſen* Pertinentien *aus dieſer Belehnung gezogen, und dem Cloſter, damit daſſelbige in allen Nothfällen eine Zuflucht mit Perſonen, Vieh oder Güthern dahin nehmen könte, wieder eingeräumet werden möchte: Weil dennoch S. Fürſtl. Gnaden dagegen allerhand wichtige Urſachen angeführet, warum gedachter Hoff von dem anderen Lehn nicht* ſepariret *werden könte, als iſt dieſer Hoff* cum pertinentiis *bey dem Lehn gelaſſen; jedoch haben S. Fürſtl. Gnaden ſich dahin erboten, wenn das Cloſter einen andern Platz oder Hauſs in der Stadt Helmſtedt an ſich bringen dürffte, daſs S. Fürſtl. Gnad. behuſige und zwar diejenige Freyheit, welche das Cloſter und obgedacht deſſelben Hoff gehabt oder noch hat, darauf ertheilen wollen, und Krafft dieſes ertheilen. Dagegen wollen* (2.) *Ihro Fürſtl. Gnaden vor höchſtgedacht und zwar allemal der Aelteſte des Fürſtl. Stammes von hochgemeldeten Fürſtlichen Perſonen, ſo offte nach GOttes gnädigen Willen, welches doch derſelbe in langer Zeit zu verhüten gnädiglich geruhen wolle, entweder der Aelteſte bemeldeten Fürſtl. Stammes, dieſe Welt geſegnen, oder die Abtey zu Wehrden und Helmſtedt zur* Vacanz *gedeyen, und wieder mit einem ordentlichen Haupt erſetzet wird, der Lehn gebührliche Folge leiſten, dieſelbe empfangen, und dasjenige dabey thun, was bis daher bey zugetragenen Fällen geſchehen, und der Buchſtabe des Lehn-Brieſes vermag. Und ob zwar vor hochſeel. gedachten Herrn Friedrich Ulrichs Gnad. als letzten Lehnträgers Heergewette bey dieſer ietzigen Lehn-Empfängniſs Ihrer Hochw. dem Herrn Abt und Dero Cloſter billig ausgefolget werden ſollen, weilen dennoch weltkündig, daſs ſelbiges Heergewette bey Sr. Fürſtl. Gnad. tödtlichen Hintritt in frembden Händen geweſen, auch daraus nicht wieder reſtituirt worden, ſo haben Ihro Hochw. der Herr Abt vor ſich und Dero Stiffter vor dieſesmahl I. I. I. F. F. F. G. G. G. offt hochermeldter Auſantwortung ſolches Heergewettes, jedoch mit dieſem ausdrücklichen* Reſervat, *daſs ſolches Ihrer Hochw. und Dero Stifftern keinesweges künfftig præjudicirlich ſeyn, oder dahin angezogen werden ſoll, erlaſſen, und wollen an ſtatt ſolches vor diesmal gebührenden Herrgewettes, I. I. I. F. F. F. G. G. G. ſich derogeſtalt gegen Ihre Hochw. erweiſen, daſs ſie damit friedlich ſeyn können. Zum dritten wollen S. Fürſtl. Gnad. Hertzog Auguſtus, als regierender Landes-Fürſt des Fürſtenthums Braunſ. Wolffenb. Theils vor ſich und allen Dero in dieſer Belehnung mitbegriffenen* Succeſſoren *an der Landes-Fürſtl. Regierung, das Cloſter und Stifft S. Lüder vor Helmſtedt und alle deſſen angehörige Geiſt-und VVeltliche, auch Dero Rente, Pacht, Zinſs, Zehenden, Güther, Geiſtl. in* Poſſeſſion *habende Lehn, auch alle andere Rechte und Gerechtigkeit, in* ſpecie *aber bey Belehnung oder* Collation *der Pfarre in der Stadt Helmſtedt zu S. Stephan, welche von dem jedesmaligen* General-Superintendenten *daſelbſt verwaltet wird, in Dero Fürſtl. Schutz, ohne einigen Entgeld abfordern, oder Erſtattung einiges Schutz-Geldes, wie das Nahmen haben mag, nehmen und halten, wieder jedermänniglich nach Vermögen ſchützen und handhaben, inſonderheit Probſt,* Capitularen *und die Ihrige bey dem freyen ungehinderten* Exercitio *Catholiſcher Religion innerhalb Cloſter und deſſen angehöriger Cloſter-Kirchen nach Orden-Burſfäldenſer* Union-Obſervanz *oder Gebrauch, wie ſie das daſelbſt jetzo haben, verbleiben, ſie darinnen durch niemanden* turbiren, *auch ſo wenig ſelbſt, als durch Dero Geiſt-oder VVeltl. Angehörige* in perſonis vel rebus *keinesweges* viſitiren *laſſen. Zum vierdten wollen S. Fürſtl. Gnaden das Cloſter und Stifft S. Lüder auf keine Land-Täge* citiren, *vielweniger* in qualitate *eines Land-Stifftes, Cloſter oder Standes mit einiger Schatzung oder Beſchwerung, wie die auch Nahmen haben oder ins künfftige angeleget werden möchte,* in ſpecie *aber mit dem Schaafſchatz von des Cloſters, auch deſſen Schaffmeiſter Knechten, Jungen, Perſonen oder Schaffen nicht beſchweren oder beſchweren laſſen. Zum fünfften die Hohe Gerichte auf dem Cloſter, in deſſen gantzen Bezirck, Mauren und Zäunen, wie auch auf deſſen Freyheit und darinnen vorhandenen VVohnungen, wollen Se. Fürſtl. Gnad. als Edeler Voigt des Cloſters durch Burgermeiſter und Rath zu Helmſtedt auf* Requiſition *des Cloſters* adminiſtriren *laſſen, denſelben Befehl darüber ertheilen. Und ſollen ſich die Beamte zu Schöningen deſſen ferner nicht anmaſſen. Diejenigen Fälle aber, welche bisher auſſerhalb Cloſters für das Land-Gerichte gehörig und gezogen, bleiben daſelbſt einen VVeg wie den andern. Iedoch haben S. Fürſtl. Gnaden zu* demonſtrirung *ihrer ſonderbaren Gewogenheit gewilliget, daſs das Cloſter die Nieder-Gerichte* modicam coercitionem *über dero Geſinde und die Einwohner gedachter Cloſter Freyheit innerhalb des Cloſters* exerciren, *und zu dem Ende eines Halseiſens und Gefängniſſes ſich gebrauchen möge &c.* In his id peculiare, & contra conſuetum Germanorum morem eſt, quod Abbas ſibi ſuisque ſucceſſoribus de rebus expeditoriis, licet feudales ſuperſtites ſint ſucceſſores, in futurum proſpiciat. Verum hoc non novum eſt, ſed jam tum in literis, quibus 1490. Wilhelmus inveſtitus eſt, hiſce exprimitur: *So ſullen ſyne Erven den dat Lehn will gebüren uns of unſern Nachkömlingen binnen twey Monathen negſtkomen beſondern mit einen frommen ehrbaren Ritter oder rittermäſsigen Manne dartho unter des Vörſten anhangenden Siegel vollmächtigen in ſynen Nahmen un ſtatt up unſe Abtye binnen VVerden, ſodann vorgedachte Stadt und Güter nach Manlehn-Rechten tho geſinnen mit ſinen Herrgeweide, dat man uns handreicken und overgeven ſol, by Namen eines Hengſt, dei hundert Goldgülden ſyn ſoll of ſo guth an radem Gelde, und dartho des verſtorbenen Herren Harniſch &c.*

(a) *Cranzio*) MEIBOM. *p.* 234. *tom. III. ſcript. German.*

(b) *omnigenæ doctrinæ emporium*) Vid. MEIBOMII *oratio de academia Juliæ primordiis & incrementis tom. III. rer. Germanic.*

urbs eſt conſecuta. Quod latius proſequi non patitur inſtitutum: præſertim quoniam illius terminos jam tum exceſſimus; non niſi antiquiſſima, eaque conjectando potiſſimum, perſecuturos nos, initio profeſſi.

* * *

Additamentum vivi exempli qualis debeat adoleſcens Princeps eſſe (magis ſuam piam matrem, quam Athalaricus ſuam, exhilarans) ex epiſtola veriſſima ſubjecta.

Illuſtriſſimo Principi ac Domino

DN. AVGVSTO Juniori, Duci Brunſvicenſium ac Luneburgenſium,

Domino ſuo Clementiſſimo

S. per Salvatorem noſtrum unicum.

ILLVSTRISSIME PRINCEPS, DOMINE Clementiſſime. Quæ miniſter tuus brevi ac ſimplici oratione ſed candido pectore hæc effundere geſtiente, ad Celſ. T. ſcribit: ea, humiliter quæſo, manſueto bonoque animo, pro ſpe mea accipe.

Principio, ante quadriennium fere, inclytæ Roſtochianæ academiæ (cui cum alii clariſſimi viri, tum inſigniter meus in Chriſto frater, Doctor DAVID CHYTRÆVS Theologus, præfulget) Recturam præclare geſſiſti: ſicut liber, qui de habitis tunc orationibus & propoſitis edictis Celſ. Tuæ editus, ac mihi quoque clementer donatus, abunde teſtatur.

Veniſti poſtea, pari amore piorum & liberaliſſimorum ſtudiorum inflammatus, ad academiam hanc quoque illuſtrem Tybingenſem. In qua qualem te præbueris tertium jam annum: majoris ingenii, longioris orationis, felicioris eloquentiæ, ad deſcribendum & explicandum eſt, quam ut a me deſcribi & explicari poſſit. RECTVRAM certe ejus, ea prudentia, induſtria & fide geſſiſti, ut plane nihil deſiderari poſſit; ſed totus ille laboris hujus decurſus ſumma laude dignus fuerit, atque huic ſcholæ maximo ornamento ſit. Quemadmodum huic etiam rei orationes & edicta, ſapientiæ & virtutis laude digniſſima, ſufficienti teſtimonio eſſe poſſunt.

Quid reliqua hic vita Celſ. tuæ? Speculum terſiſſimum, in quod omnes Principes, omnis nobilitas, omnis ſtudioſa juventus, merito intueri debeat: ac ſe ad ſimiles virtutes conformare. Pietas erga Deum vera fundamentum omnium laudabilium actionum eſt. Hanc vero Celſ. tua inprimis incorrupte colit: cum ſacras, ex ſincero Dei verbo haberi ſolitas, conciones frequenter attenteque audiat. Pietatem declarant honeſte omni cum virtute conjunctæ actiones. Hæ vero in te, & in tua tecum familia, omni cum celebri laude elucent. Quid de cultu aſſiduitateque ſtudiorum memorem? Ea mirabilis eſt. Habuiſti egregias bonitate & copia rerum ac verborum lectiſſimorum orationes. Diſputationibus, quæ de omnibus diſciplinarum ſcientiarumque facultatibus habitæ ſunt plurimæ & graviſſimæ, omnibus interfuiſti. Semper ingenioſe, acute, prompte, prolixe, contra argumentatus es.

Matutino autem tempore ſurgendi, ea vigilantia, ea alacritate, eo improbo labore, fuiſti & es: ut ego quotidie, iis cum rebus (ut e regione proxime habitans) occulte certaverim: meque (cui perpetua mane ſurgendi conſvetudo eſt) ſæpiſſime a vobis vinci doluerim.

Quanquam autem tanta induſtria, tam contentum ſtudium, Celſ. Tuæ, in diſcendo, meditando, quotidie in majus proficiendo, eſt: tamen interim quoque ineſt quotidiana liberalitas in egenos: in conviviisque, convenienti tempore ſplendide ac Principe perſona digne inſtituendis, munificeque dandis, magna laus.

Gratiæ Deo pro tantis bonis agantur. Laudetur fides, opera, labor indefeſſus, egregiorum ad talia decora virorum: prænobilis morum magiſtri, VOLRADI A VVALTZDORFF: & perdocti præceptoris THEODORICI a SENDEN. Hi excellentem rei Chriſtianæ educarunt Principem.

Sed plura dicere deſiſto. Mihi de tanti, tam omnibus ornamentis excellentis vicini, (quo clementiſſimo & humaniſſimo ſemper uſus ſum) notitia, plurimum gratulor.

Deus etiam ſingulare domui huic, in qua clariſſimus Vir, JOHANNES HOCHMANNVS V. J. D. ac Profeſſor, bene magnum numerum ſtudioſorum adoleſcentum perpetuo alendum pie ac liberaliter decrevit, & bonum quoddam omen, contigiſſe judico: quod ante alios omnes, ibi maximæ præſtantiæ dignationiſque Princeps ſatis diu habitaverit. Decus inſuper menſæ quoque Cl. V. J. D. & Profeſſoris, HENRICI BOCERI, qua Celſ. tua uſa eſt, non exiguum conciliatum arbitror.

Atque hæc quidem divino munere apud nos. Nunc autem, Clariſſime & Inclyte Princeps, ſplendida ad nos valedictione (ut & ſplendido, initio, tertio abhinc anno, introitu) peracta, hinc Argentoratum πανοικὶ diſcedis: amplius eximia ſtudia perſequendi cauſa.

Proficiſcere igitur feliciter: profice ætate ac ſapientia feliciter: redi aliquando domum feliciter; eſto veræ religionis, laudabilium ſtudiorum, omnium principalium virtutum, præſidium, lumen, exemplar, feliciter. Vive Abrahamæam ætatem feliciter. Tandem a S. Angelis, in Abrahami beatum gremium efferor, æternum felix ac beatus. Hæc gratitudinis ergo ex toto animo precor. Tybingæ XIX. Febr. CIƆ IƆ IIC. e Muſæo.

Illuſtriſſimæ Celſ. T. demiſſe obſervantiſſimus, MARTINVS CRVSIVS, anno ætatis meæ LXXII.

Vivo docens, ſcribens, ſtans quaſi perpetuo.

HERMANNI CONRINGII
De
Antiquitatibus academicis diſſertationes.
Acceſſit
Supplementorum ejusdem argumenti Liber Vnus.
Quibus reipublicæ literariæ omnis ævi ſtatus illuſtratur.

Epiſtolæ dedicatoria, & ad lectorem editioni priori antiquitatum academicarum anno 1651. præmiſſæ.

Sereniſſimo Principi ac Domino

CHRISTIANO LVDOVICO Duci Brunſvicenſ. & Lyneburgenſium

Domino meo Clementiſſimo

HERMANNVS CONRINGIVS

precor felicitatem.

ANni quatuordecim amplius ſunt, quum adhuc puero Tibi, atque inter magiſtros conſtituto, Taciti de Germanorum moribus aureum libellum, aliaque ex Romanorum ævo ſimilis argumenti in unum quaſi faſciculum congeſta monumenta, prolixa quadam præfatione juvenis commendarem: audeo nunc iterum ſummo nomini Tuo inſcribere diſſertationes haſce, cum gratia Tua fretus, tum quod illæ hæreditario quodam jure pertinere ad Te videantur. Non enim priſtino favori quidquam deceſſiſſe, ſuper alia multa argumentum certum habeo, quod non Tibi minus quam Sereniſſimo agnato & fratri nuperrime cura fuerit, eximiam ſalarii annui acceſſionem cum novo honore ultro & nihil tale non modo ſperanti ſed ne cogitanti quidem offerre, quo in Julia hac ſchola porro commorandi animus permaneret. Sane hoc nomine & mihi plurimum gaudeo, & cum Tibi tum reliquis Sereniſſimis Principibus meis gratias debeo immortales. Effectum autem hoc ipſo eſt, ut non deterreat me hodie vel exigua libelli moles, vel non ſatis expolita ejus nitela, quo minus auguſtum illi nomen Tuum præſcribam. Nec vero argumenti cauſa eſt quod offenſam verear, tanquam illud indignum ſit Principe; quum Juliæ ſcholæ recte impoſterum conſtituendæ firmandæque gratia magnis impenſis legatos etiam Tu hoc in loco nuper alueris, & in proxime ſequentem annum directorium ejus Magnificentiſſimum, quod appellamus, non ordinis minus lege quam cupide ſuſceperis. Quod ſi tamen indecens aliquid habet hæc audacia mea, excuſabit me, niſi fallor, debitum illud, quo arbitror non ad alium quam ad Te pertinere, quæ magnam partem interea dum vicaria poteſtate optimi Principis Friderici patrui Tui in Julia hac defungerer, diſſerui, perinde atque Tu in omnem ejus populum gubernandum hæreditario jure ſucceſſiſti. Quicquid hujus ſit, equidem non dubito, quantillum hoc eſt non inacceptum Tibi fore, mihi polliceri. Deum veneror, DOMINE, ut non tantum inſtans hic annus ſed plurimi etiam alii in ſeram usque ſenectutem felicitati tuæ accedant. Helmſtadii prid. Kal. Januar. CIↃ IↃ CL.

BENEVOLO LECTORI
S. P. D.

QVum nuper in Suecia, quo me Reginarum quotquot ſunt aut fuerunt, fortaſſis & earum omnium quæ erunt aliquando, optima maxima evocaverat, domum reverſum exciperet jam tum ante tres menſes deſtinatus academiæ noſtræ Juliæ magiſtratus, ſtatim ſub initium facile prævidi, id quod res poſtea docuit, eam publicorum negotiorum molem, a multis annis quaſi in cumulum congeſtam, in anguſtum illud muneris mei tempus incubituram, quæ docendo juventuti prodeſſe non permitteret. Nec tamen ut omnes illi dies ſine linea, quod ille ajebat, effluerent perirentque, æquo potui animo ferre; ac propterea cœpi circumſpicere quidnam meorum *τῶν ἀνεκδότων* & minima omnium cura recenſeri, & intra illud breve atque difficile academici magiſtratus mei tempus, horis ſucciſivis, per operas typographicas poſſit abſolvi. Ita commodum inciderunt in manus meas, quarum dudum memoriam pene amiſeram, ſex hæ diſſertationes, ante decem amplius annos in hac ipſa Julia recitatæ, eæque omnes unius pene argumenti, nec ab iis quibus immergendus iterum eram curis omnino alieni, ut quæ omnes circa academicarum rerum hiſtoriam occupentur. Dum relego tamen & publico, haud diſſimulabo ſperato majorem mihi moleſtiam creatam; quod alia novanda, augenda alia, omnia accuratius elimanda, & medias quidem inter occupationes, ſubinde venerint. Num quod operæ fecerim pretium tuo, Lector benevole, judicio commiſſum eſto. Longe diverſa me in quammultis narrare quam vulgo creditur, curioſius etiam nonnulla ſcrutatum eſſe quæ contemni paſſim ſolent, neque poſſum neque volo diffiteri. Si veritatem aſſecutus ſum, novitatis nomine haud vereor accuſari: Sin, merebor tamen fortaſſis ſaltem bono conatu errorum veniam. *Eſt* enim utique *quadam prodire tenus, ſi non datur ultra.* Vt ſollicitius in hæc etiam incumberem, effecit primum neſcio quæ innata mihi indoles in eorum quæ offeruntur cauſas & originem ſine intermiſſione inquirendi: deinde, & cumprimis quidem, illa delectatio quam a prima

usque

usque pueritia ex hiſtoria cum alia tum potiſſimum literariæ rei percepi ſemper maximam. Et vero hæc cum ætate nunquam non accrevit, poſtquam ipſummet Ariſtotelem ejusque optimos diſcipulos (quorum ſtudia jam tum adoleſcenti fuerunt id quod Themiſtocli olim trophæa Miltiadis) magnam curam accuratamque diligentiam in originem & actus omnes literariæ rei, non minus atque in hiſtoriam aliam, impendiſſe animadverti. Sed & turpe ſemper duxi ignorare inſtituta ejus vitæ quam amplexaris: qui non in ſcholarum omnia inquirere igitur fas mihi fuerit octodecim & quod excurrit annos academicum hactenus profeſſorem agenti? Enimvero ex literariæ rei literatorumque hiſtoria tantundem voluptatis capere licet quantum ex quavis alia. Qui in illo ſane ordine vivunt, iis non poſſunt non, arbitror, hæc jucundiſſima eſſe, niſi ſuæ illos ſortis pœniteat. Nec tamen in diſſertationibus hisce omnia hujus argumenti ſum perſequutus, ſed multa reliqui intacta, alia non niſi levi quod ajunt tetigi brachio, partim de induſtria, partim quod non vacarit huic rei amplius immorari, imo quod & neſcierim nonnulla, quædam vero ſint jam pervulgata. Quem uſum meo judicio inſtituta ſive vetera ſive nova habeant, adeoque num bene an ſecus ceſſerint ſcholaſticæ rei, omiſi hactenus indicare, quod propriæ ac ſingularis id ſit operæ, & alias fortaſſis ſerio a me docendum, caſtigare vero ob meritam noxiam receptos mores (ut ſane mihi haud pauca noſtra emendationis videntur indigere) non immune tantum hodie ſit facinus ſed invidiæ etiam atque obtrectationi obnoxium. Nec vero eſt cur nunc quidem ultro mihi malum accerſam: nec paulo prudentiorem poſſunt latere quæ in rem ſunt, ſi vel pauca iſthæc a me dicta ea qua par eſt trutina expenderit. Hujus loco ſubjunxi hac vice tabulas illas quibus hanc noſtram Juliam primum inſtituit prudentia & æquitate nemini Cæſarum ſecundus Maximilianus: quoniam deſiderari illas intellexi a quammultis, & præclara haud pauca comprehendant, quæ alibi fruſtra quæſieris, intereſt vero publici haud ignorari. Meo voto autem, Lector benevole, abunde nunc ſatisfeceris, ſi errantem venia, recta docentem favore fueris proſequutus.

Epiſtolæ editioni 1674. præmiſſæ.

Reverendiſſimo Celſiſſimoque Principi FERDINANDO, Epiſcopo Paderbornenſi, Coadjutori Monaſterienſi S. R. I. Principi, Comiti Piermontano & libero Baroni de Fürſtenberg,

felicíſſima omnia devoto animo precatur

HERMANNVS CONRINGIVS.

Conſecro Celſiſſimo Nomini Tuo, PRINCEPS, librum nec magnum mole nec tractatione eleganter politum, atque adeo hactenus fateor ara iſthac ſacra indignum: qui tamen argumento ſaltim ſuo hoc ipſum promeretur. Enimvero agit ille de ſcholis, non puerilibus, ſed iis in quibus ſublimior quævis literatura doceri conſuevit: quæ illarum origo, quis ſtatus, quæ fortuna, qualia inſtituta, qui mores, qui ritus, & quidem ut illa omnia & ubivis gentium & omni tempore ſeſe habuerint. Hæc narrantibus aures benevolas præbere, non utique alienum a magnitudine ſua exiſtimare, forte etiam Regum ac Principum optimi poſſunt: quandoquidem iidem ſcholas ejusmodi magnificis impenſis & inſtituere & fovere, ad gloriam imo officium ſuum pertinere, jure merito paſſim terrarum arbitrantur. Quemadmodum videlicet ex civilium rerum hiſtoria reipublicæ ipſiusmet regendæ prudentia accipitur, ita & literariæ ejusmodi narrationes idoneæ ſunt docere rectam ſcholas illuſtriores quasque inſtituendi rationem: quæ peritia Regibus Principibusque melioribus non minus ac reliqua civitatis gubernandæ ars eſt conveniens. Etſi vero ex commentariis hujus generis tantum proficere non ſit cujuslibet, aut etiam fieri id omnino nequeat; juſtum tamen eſt, ut ſaltim ex illis non minus voluptatem capiant ſcholarum nutritii Principes, quam ex belli pacisque negotiorum relationibus, ac proinde hæc etiam curatio non ſit illorum faſtigio indigna. Ejus magni ordinis neminem illud ipſum, CELSISSIME PRINCEPS, Te rectius intelligere, equidem haud dubito. Præterquam enim quod liberaliter habeas a magno patruo inque ſacro Principatu anteceſſore Theodoro conſtitutam academiam, quod item ſtudio rerum antiquarum omnium mire capiaris, imo omnigenam colas literaturam ejusque rerum peritia multum delecteris: quod rarum eſt Principalis Tui generis decus: ipſemet usque adeo vales rerum quarumvis veterum notitia, ne quid nunc dicam de poëtica facundia, quo in campo plane ſine æmulo regnas, ut Tuæ principum claſſis ſimilem Germania nunquam viderit, forte nec unquam ſit viſura. Id quod, ne cui videar plus juſto Tui venerationi ex affectu tribuiſſe, efficiunt re ipſa quæ in lucem publicam jam tum edidiſti, cum poëmatum libri tum Paderbornenſia poetico pariter & hiſtorico calamo illuſtrata monumenta, ſine exemplo & doctrina varia & elegante cultu longe præclariſſima. Nullus dubito autem; multo maxime animum illum Tuum, præſtante & eruditione & virtute & bene de publico ac poſteritate merendi ſtudio incomparabilem, patefactum omnibus etiam futuris ſeculis iri, ſimul in vulgus prodierit illud, quod nunc adeo ſub manibus tibi eſt volumen grande, de ſacræ Tuæ ditionis principatusque rerum ab omni retro ævo ad hanc usque tempeſtatem repetita memoria. Spero autem vel hoc opere, vel alio quodam ſingulari, antiqua quælibet ſcitu digna etiam reliquæ Tuæ Angariæ ac Weſtphaliæ narratum iri, pro ea qua vales omnium iſtorum cognitione pariter & ſtudio. Et vero ex terris iſtis fortisſimi quondam Germaniæ populi prodierunt, etiam illi quorum origo paſſim ignoratur. Me ſane judice, ipſosmet Marcomannos, Harudes & Seduſios vetuſtisſimas ſedes non alibi habuiſſe, indicant vocabula oppidorum, quæ etiamnum ſuperſunt. Quemadmodum videlicet a Marca hodie comitatui Marcano, ita olim Marcomannis fuiſſe nomen: ab eo quod nunc Dusburgum audit Seduſios quondam appellatos, & Harudum oppidum illud, quod nunc popularibus dicitur *Rüden an der Har* fuiſſe olim, mihi ſane per eſt veroſimile. Illos autem tres populos

in

in unum denique Marcomannorum nomen coaluiſſe, & Maraboduo duce Bojohemum, pulſis trans Danubium aut in ſervitutem redactis Bojis, Gallica gente, notum ex Romana hiſtoria: niſi forte Seduſii & Harudes Quadorum ſibi cognomentum adſciverint, propria in Moravis condita republica. Quantum conjicio autem, ipſi hi populi, pulſi poſt a Czechis Venedis, aut ſponte relicta Germania, Noricoque occupato, Bojoarii nunc cognominantur. Francos præterea illos, qui Rheno trajecto in Galliam commigraverunt, ex iisdem terris fuiſſe oriundos, ego quidem itidem cenſeo. Illud ſane nomen præter alios ſibi aſſumſiſſe & Bructeros & Chamavos & Ampſivarios & Ambrivarios & Angrivarios, haud difficile eſt probatu. Superant vero etiamnum in vicinia Tuæ diœceſeos, PRINCEPS, veſtigia illarum appellationum. Chamavorum in oppido quod nunc vulgo Kamen, Bructerorum autem in Broec oppidulo, etſi quo tempore Francum cognomentum hi acceperunt, patriis pridem antiquis ſedibus pulſi, ad ripam Rheni Germanicam circa Vangiones conſederint. Sed & Ampſivarios dictos a flumine quod accoluerunt, nunc *Amſer* vel *Emſer* vocato, & Ambrivarios ab Ambro amne ut antehac & Sicambros, Angrivarios autem ab *Anger* fluvio, qui in ducatu Bergenſi Rheno mergitur, poſt a ſeſe cognominata loca *Angermünde*, *Angerhauſen*, *zum Augern*, non futilibus poteſt probari argumentis. Nec vero eſt quod dubitare quem faciat, Francorum nomen iis in locis haud ſuperſtes. Id enim contigit, quia omnes iſti Franci in Galliam tranſierunt, nulla in Germania ſobole relicta: ſecus quam fecerunt illi, quorum poſteritas etiamnum orientalem Franciam incolit, cum tamen jam Sidonius Apollinaris dixerit:

Ulvoſa Francum Nicer abluit unda,

imo jam Auſonii ætate fuerit

Francia mixta Suevis,

perinde ut ibi hodie: quia etiam omnes populorum illorum terras Weſtphali Saxones in ſuam ditionem ac nomen deinde tranſtulerunt. Etiam hæc, inquam, & ſimilia Te traditurum, PRINCEPS CELSISSIME, equidem ſpero; quandoquidem cumprimis hoc vergit ad Weſtphaliæ gloriam: certe non minus atque illud omne quod monumenta Tua Paderbornenſia jam tum docuerunt. Et vero ut ego heic quoque ſpem iſtam meam non diſſimulem, quam maxime facit admiratio Tuæ harum quoque rerum excellentis peritiæ: idque quandoquidem præter alia Tuum hoc omnis vetuſtatis ſtudium mihi certum paulo ante præbuit argumentum, haud fore ingratam Eminenti Tuæ dignitati (liceat mihi per mores nuperrime demum cœptos, de Te uſurpare appellationem olim communem epiſcopis quibusvis) factam abs me libri hujus conſecrationem. Ne quid vero diſſimulem, id uti auderem incitavit me porro, cum exemplum multorum præſtantium ſcriptorum, qui cum ingenii ſui monumenta Celſiſſimo nomini Tuo inſcripſiſſent perquam benigne fuerunt excepti: tum præcipue inuſitata illa gratia, qua me jamdudum es proſecutus. Decem videlicet jam & quod excurrit annos eſt, cum nihil tale exſpectantem, non epiſtola duntaxat longe humaniſſima, ſed etiam donato Illuſtrium poëmatum libro, honorare me non dubitaſti. Ex eo autem & literis frequentibus manu propria quaſi ad familiarem exaratis, & muneribus compluribus, probatam ſemel benevolentiam plusquam Principalem confirmaſti; ac proinde etiam mihi feciſti audaciam, viciſſim, non attentó propemodum faſtigio Tuo, literarium commercium tecum inſtituendi. Adhoc in opere illo tuo incomparabili Paderbornenſium monumentorum illo me invidendo præconio publice affeciſti, ut nemini non queat apparere, dum ſupra meritum laus exſurgit, quam ſit exuberans Tua erga me benevolentia. Quemnam vero non etiam juſto audaciorem reddat tantus Celſiſſimi imo & literatiſſimi Principis affectus? Me ad libri hujus conſecrationem etiam hoc Tuo favore impulſum eſſe, equidem haud diffitebor. Coëgit vero huc etiam officii mei ratio: quia ſcilicet poſtulat gratitudo, ut meum aliquod exſtet, etiam ad poſteritatem, venerationis, qua eminentes virtutes Tuas coló, monumentum. Haud me fugit quidem, tenue hoc omne eſſe & longe majora Tibi offerenda: at vero nunc quidem aliquid grande ad manum non eſt, quod Nomini Tuo dedicem, & fortaſsis argumentum hoc literarium affectui eruditi Principis ſic ſatis eſt conveniens. Quod ſi tamen & Tu CELSISSIME DOMINE perrexeris favere, & ſenectuti meæ valetudinem ac vires Deus conceſſerit, majore Te religione abs me affectum aliquando iri, ſancte polliceor. Helmeſtadii in academia Julia IX. Kalendar. Auguſti CIↃ IↃCLXXIV.

HERMANNVS CONRINGIVS
Benevolo lectori
S. P. D.

SEx haſce de antiquitatibus academicis diſſertationes in publicis academiæ Juliæ conventibus, intra quadriennium, ab anno usque poſt triceſimum ſeptimo, abs me habitas eſſe, ipſæmet earum inſcriptiones ſignificant. Tam prolixe tamen omnia dicta non eſſe, ultro fateor. Et vero moleſtum fuiſſet auditoribus, adeo longis ſermonibus præbere aures. Nec convenit prudentiæ oratoris, defatigare eos, quos benevolos ſemper atque attentos habere ipſe orationis cujusque ſcopus efflagitat; ac proinde a me etiam ſancte obſervari idem oportuit, præſertim quia quavis vice multa quoque alia agere feriæ ſolemnes juſſerunt. Igitur in illam qua nunc ſunt magnitudinem excreverunt diſſertationes decimo demum poſt anno: quando nimirum in unum volumen redactas in lucem edere illas inſtitui. Tunc ſcilicet alia mutavere, alia complura addita; non niſi interpolando tamen, atque inſerta prioribus: ut quæ nova ſint, quæ vetera, diſcerni nunc amplius nequeat. Cæterum illius editionis exempla omnia brevi fuerunt avida emptorum manu diſtracta:

ſive

ſive inſperata novitas argumenti ſive quæ alia hedera venditionem feſtinaverit: quapropter ſæpiſſime & recenſio & nova publicatio libri a me petita & deſiderata fuit. Nunc tamen tandem, quarto & viceſimo poſt anno, infinitis & plane diverſis occupationibus interea temporis tantum non attritus, ut exſpectationi iſti quadamtenus ſaltim reſpondeam, potui adduci. Hac ſane recenſione plurima paſſim in diſſertationibus ipſis ſunt emendata: & acceſſit ejuſdem cum diſſertationibus argumenti novorum ſupplementorum liber integer. Supplementorum inquam novus liber acceſſit. Non enim denuo interpolare ipſas diſſertationes placuit: nec commode idipſum fieri potuit abſque diſſertationum labe, quum plane alia & quidem prolixa debuerint accedere, cujusmodi non patiuntur inſertionem. Id quod ſupplementa excutienti cuilibet non poteſt non liquidum videri. Quantumvis autem ſupplementa iſta doceant multa quæ diſſertationibus haud continentur; omnia tamen omnino academica vetera ne ſic quidem me perſequutum, ingenue confiteor. Quin imo ne quidem tangere univerſa iſthæc conſilium fuit. Singulas ſane ſi ſpectemus ſcholas ejusmodi academicas priſci ævi, multas earum de induſtria ſilentio præterii, quod ſingulas illarum recenſere non conſtituiſſem ſed duntaxat antiquum academiarum ſtatum: idque in id ſolum ut rectius intelligi poſſit, quid rerum noſtrarum vetus, quid novum, atque adeo qua origine & quando ſaltim potiſſima quæque noſtra incœperint. De ſingulis agere eſt operæ a meo quidem propoſito diverſæ: ejus nimirum quam Middendorpius excolendam ſuſcepit, etſi argumento illi multum fuerit impar. Complura cæteroquin hujus generis in adverſariis noſtris annotavimus, de philoſophicis cumprimis & medicis ſcholis Græcarum aliarumque gentium, hic conſulto neglecta. Ne quidem jactaverim vero, nihil a me omiſſum, quod ad hunc locum meum pertineat, atque adeo nullum poſſe ſpicilegium fieri poſt meam meſſem. Pleraque & potiſſima quævis antiquitatum academicarum ſi exiſtimer cum cura perſecutus, ſatis forte mihi fuerit; quandoquidem primus, niſi fallor, materiam hanc erudiderare ſum aggreſſus. Quod deeſt addant alii: ſitque proinde ex hoc labore præmium aliis quoque mecum commune. Et ſane ipſe optaverim, ab aliis narrari iſthæc omnia, juſta temporum gentiumque ſerie obſervata: quod niſi fallor haud multum jam fuerit difficile; non utile autem minus, atque prodeſt ordine rerum quarumvis civilium hiſtoriam recitare. Sane hæc etiam quæ nos narravimus neceſſaria ſunt ſcitu ad perfectionem hiſtoriæ literariæ: cujus ſolæ illæ partes, quæ circa ſcriptores omnigenæ doctrinæ verſantur, hactenus elaboratæ ſunt; nec tamen etiam illæ omnes, etſi præ aliis magnum heic pretium operæ fecerit vir incomparabilis induſtriæ Gerardus Joannes Voſſius. Eſt autem, ſaltim eſſe merito oportet, etiam hoc hiſtoriæ genus, iis qui eruditionis ſtudio ducuntur, non minus jucundum aut minus commodum, quam civilium rerum commemoratio juvat eos, qui civilibus negotiis delectantur. Mihi certe a teneris usque hiſtoria literaria fere plus voluptatis attulit, quam ulla civilium. Taceo nunc, conducere etiam hanc ad civilem prudentiam; non omnem quidem, illam tamen quæ conſtituere debet, quemadmodum & in quantum eruditio quævis in republica ſit comparanda per ſcholas & alia doctrinæ adminicula. Etiam enim hoc pertinet ad vere beatam rempublicam: non ſane civitas ulla eſt felix ſi eruditione fuerit deſtituta, artium inſignium ac ſcientiarum rudis. Ad hanc autem prudentiæ civilis partem parandam non minus hæc literaria eſt hiſtoria utilis, atque ad alia civilis regiminis omnia pacis bellique rerum multiplex commemoratio. Quod fortaſſis haud difficile poſſit etiam a me oſtendi, ſi inſtitutum pateretur, aut hoc agere vacaret. Supplementis præterea proxime ſubjunximus diploma optimi & ſapientiſſimi imperatoris Maximiliani ſecundi, illud quo Juliam hanc noſtram Academiam condidit. Repeti enim etiam heic meretur, quia editione diſſertationum prima jam tum productum eſt; præcipue autem, quia vergit in perpetuam academiæ noſtræ laudem, ab illo Cæſare, qui nemini hactenus moderatione animi inter diverſa de ſacris profaniſque imperii rebus ſentientes fuit ſecundus, auctoritatem atque originem ſuam, imo ſi fas eſt addi, etiam exemplum quod imitetur, accepiſſe; quodque præ aliis ſui ordinis ſcholis fuerit iſthoc ipſo diplomate Julia hæc exornata. Adjunximus præterea & epiſtolam V. C. Joannis Joachimi Maderi amici non multis, quam ad me de vetuſtis academiarum rebus exaravit. Ut enim auctor rerum multarum veterum peritia eſt eximius, ita & hæc ejus epiſtola viſa mihi eſt digna, quæ ab omnibus heic quoque & legatur & æſtimetur. Poſtremo duxi haud futurum abs re, ſi ex more hujus ævi perquam utili, memorabilium quarumvis utriusque libri rerum locupletibus indicibus volumen hoc perficiatur. Et ſane meo quidem voto abunde ab amicis hic eſt ſatisfactum: nec dubito proinde hinc lectoribus, ſaltim iis qui compendia laborum nec injuria ſectantur, haud leve commodum polliceri. Dum recenſeo autem omnia, fateor occurriſſe quæ ſcribentis induſtriam effugerunt, atque adeo potuiſſent haud inutiliter addi: ſed colophonem imponere valetudo quoque minus ſolito nunc favens imperat. Tantum igitur unum illud moneo: quæ pag. 222. ſupplemento VII. ex Suida adduxi, totidem pene verbis, in ipſis vitæ Iſidori philoſophi Athenienſis a Damaſcio Damaſceno olim ſcriptæ Photianis excerptis reperiri: ut hinc quoque pateat inſcitia ſuperbi illius & iniqui ineptique ſcioli, qui Suidea omnia credit deberi ſolis iis, quorum nomina operis primæ paginæ leguntur inſcripta. Alia ut moneam, nec Tu Lector Benevole, fortaſſis expoſcas. Igitur nunc quidem nihil Te rogo aliud, quam ut favere mihi ne deſinas, & ignoſcas alicubi ceſpitanti, memor communis mortalium imbecillitatis. Helmeſtadii IIX. Kal. Auguſti anno cIↃ IↃCLXXIV.

De antiquitatibus academicis (a) diſſertatio prima

Habita XVII. Octob. An. cIↃIↃCXXXVII.

TErtius dies eſt, quum natalem academiæ noſtræ ſecundum poſt ſexageſimum celebravimus. Votum quiſque tum fecit in æde ſacra pro ejus incolumitate, ſimulque Deo immortali gratias, quas mente potuit concipere, maximas egit, pro innumeris in eam divinitus collatis beneficiis. Namque ſoli profecto Deo debemus, quod, poſt tot clades, interque tot ruinas populorum atque urbium Germaniæ noſtræ, in hunc modum renata quaſi ſit Julia. Ab uno etiam illo ſperanda eſt in futurum ſalus, ſi quam ſalutem licet ſperare. Cæterum nihil intermiſimus tum quidem, quod ad officium noſtrum pertinere videri potuit. Nunc unum quod ſupererat agemus. Nempe eundem nunc natalem oratione etiam aliqua celebrabimus: perinde ut votis ante hoc biduum ille quaſi eſt conſecratus. Nihil autem dubito, eodem animo eademque attentione, qua nuper eſtis uſi, nunc etiam me perorantem vos proſequuturos. Scilicet non tam cogitantes, quis dicam aut quid dicam, bene nempe an ſecus, ſed in cujus rei memoriam & laudem nunc ſim locuturus. Eſt autem illa hæc ipſa Julia noſtra: cujus omnes membra ſumus, quæque omnes nos uno ſinu complectitur. In ejus unius gloriam ſane vergere volo, quicquid ſum allaturus.

Nec tamen quidquam nunc dicam, ſive in conditoris D. Julii heredumque ejus Sereniſſimorum Brunſvic. Luneburg. Ducum encomium, ſive in noſtræ ſcholæ commendationem. Sunt enim hæc jam toties dicta atque audita, ut omnium aures his perſonent. Fortaſſis etiam iſthuc agenti mihi nonnemo regereret illud Herculis laudatori olim objectum: *Quis illos vituperat?* Sed nec in argumento multum ab hac ſolennitate alieno mihi verſari vel licet vel libet. Dicam vero, pace veſtra, auditores, de origine academiarum: materia neque trita multum, neque in vulgus cognita, neque injucunda, neque non apta huic feſtivitati. Quis enim nolit ſcire, celebraturus natales alicujus academiæ, quando, quave occaſione, cœptæ ſint inſtitui id genus ſcholæ? Eas vero ſi contempleris, dubitaveris mirari ne magis debeas an commendare. Scilicet ſunt reapſe ſcholæ illæ noſtræ, quas univerſitates aut academias nunc appellare conſuetudo eſt, respublicæ quædam & civitates, etſi non omni ex parte ſuæ ſpontis, magna tamen. Non tantum enim doctoribus conſtant ac diſcipulis, ſed & ſua iis in ſuos eſt jurisdictio: adeo ut nonnullis, quas inter eſt & hæc Julia noſtra, ne merum quidem & mixtum imperium, quod appellant, deſit. Quumque alibi alia poſſint doceri ac diſci, in ſcholis hiſce regiis nihil majoris quidem momenti negligitur. Solæ etiam ferme hæ poteſtatem docendi poſſunt aliis facere, per gradus doctrinarum auditoribus deductis. Quæ omnia quum ſint longe præclariſſima inſtituta, fortaſſis & operæ nullum non pretium facturus ſum, ſi qua origine iſthæc cœperint explicavero.

Nec id vero commode præſtari poteſt, niſi enarremus inſtituta ſcholarum illuſtrium omnium, ſaltem pleraque, quotquot hæc usque in tempora floruerunt. Quod hic quidem ut eo rectius fiat, mei quoque fuerit officii, re illa altius aliquanto repetita, in noſtra denique ætate deſinere.

AGITE ergo, loquamur initio breviter de Ægyptiorum Chaldæorum & Perſarum ſcholis: utpote apud quas gentes regnum diu omnis eruditionis fuit, & quidem multis ante ſeculis, quam ad Græcos doctrinæ cura pervenit. Ægyptiis vero primum tribuemus locum, ſive quod reapſe primis illis eruditionis propagatio fuerit animo, ſive quod ſibi primis hanc gloriam vindicent.

ÆGYPTIOS itaque quod attinet, *ſapientiæ omnis* ſubtilioriſque doctrinæ *curam ſolis ſacerdotibus eorum* (b) fuiſſe cordi, compertiſſimum eſt. Neque vero aliter res ſeſe facile habere potuit, quod philoſophiæ, cumprimis ejus quæ in contemplatione poſita eſt, ſtudia otium poſtulent liberale, quale tamen paucis concedi ſolet. Sacerdotes vero Ægyptii eo affluebant, & ſoli quidem; ex more illius regionis, unoquoque ad paternum genus vitæ adſtricto. Et vero fuerunt ſacerdotali ordini agri publici aliique largi reditus, ipſique una cum ſuis omnium onerum immunes inque ſummo vixerunt honore. Ne nunc dicam quod in liberos propagaretur eadem vitæ conditio. Eo autem effectum eſt, ut nemo cogeretur liberis ſuis operoſe divitias quærere, ceu quibus abunde ex publico proſpectum eſſet. Narrat iſthæc omnia Diodorus Siculus libro primo bibliothecæ ſuæ. *Agros enim omnes totius Ægypti tres in partes fuiſſe diſtinctos;* quarum una ſacerdotibus, una regi, tertia militibus ceſſerit. Ipſemet ita loquitur: *Totius regionis (quæ tripartita eſt) primam ſacerdotum ordo ſibi portionem*

(a) *de antiquitatibus academicis*) De Conringii academicis antiquitatibus vide judicium & deſideratum MORHOFII *polybiſt. tom. I. lib. I. c.* 16. §. 71. 72. *pag.* 200. 201. *CASPAR THVRMANNVS in bibliotheca academica*, ſub titulis ſecundum ordinem alphabeticum, ut ajunt, ſcriptores, qui de rebus academicis agunt, collegit.

(b) *Apud Ægyptios ſapientiæ cura ſolis ſacerdotibus*) Sacerdotes illi Democrito apud EVSEBIVM *libr. X. de præpar. evang. n.* 4. *p.* 472. Ægyptio vocabulo ἀρπεδονάπται dicuntur. Erat inter eos unus ἀρχιερεύς, ſacerdos ſummus, teſte HERODOTO *l.* 2. *c.* 37. reliqui eidem ſubordinati, qui itidem pro diverſitate vel officii vel ſtudii diverſa indepti ſunt nomina, ut dicerentur προφῆται, ἱεροστολισταί, ἱερογραμματεῖς, πτεροφόροι, νεωκόροι, aut ὑπουργοὶ τῶν θεῶν. PORPHYR. *l.* 4. *de abſtin.* §. 8. Hi vero, teſte CLEMENTE ALEX. *l.* 5. *Strom. p.* 566. non quibuslibet ſua committebant myſteria, ſed tantum iis, qui ad regnum perventuri aut probatiſſimi educatione & doctrina & genere judicabantur. Doctores præcipui, qui inter eos inclaruerunt, fuere Mercurius primus Triſmegiſtus, Mercurius ſecundus Agathodæmonis filius Tati pater, Apis, Æſculapius Memphites, Athortis, Orus, Amun, Potiphera, Partemes, Cecrops, Proteus, Herus, Chonuphis, Sonchites, Oenuphis, Nectanebo, Necepſo primus, Seleucus, Manetho, Chæremon, Bitys, Achoreus, Apion Grammaticus, Pancrates, Zaclas, Zoſimus, Panopolita, Calariſides, Abammo, Anebo, aliique quorum catalogum recenſet REIMANNVS *in idea antiquit. liter. Ægypt. p.* 104.

nem vendicat: in magna apud indigenas auctoritate & reverentia conſtitutus, tum ob pietatem in deos, tum quod ſummam ex eruditione prudentiam ad rempublicam adferunt. Ex vectigalibus autem ſuis cuncta per Ægyptum ſacrificia procurant, miniſtrosque alunt, & ſuis inde uſibus neceſſaria depromunt. Neque enim deorum honores mutari, ſed ab iisdem eodem ritu peragi: neque in commune omnibus conſulentes neceſſariorum copia deſtitui, fas eſſe judicabant. Hi namque ut ſenatus principes regi perpetuo ſunt praſto, qua opera, qua conſilio & doctrina, ipſum adjuvantes. Addit paulo poſt: *Hi a cunctis oneribus ſunt immunes, & primas a rege honoris & poteſtatis obtinent.* Quæ omnia ab antiquo ita fuiſſe inſtituta, ex ſacra Moſis hiſtoria nos diſcimus. Joſephi enim prudentia omnes Ægyptiorum agros Regi ceſſiſſe, exceptis iis ſolis qui ad ſacerdotes pertinebant, legimus. Quo tempore Magos quoque, ſive τὺς γοητὰς, ſumma fuiſſe in exiſtimatione conſtat: quos nullum dubium eſt ſacerdotalis fuiſſe ordinis. Memphiticos enim ſacerdotes magicis artibus Moyſi reſtitiſſe autor eſt Artapanus, illo memorabili fragmento libri de Judæis, quod habet Euſebius Cæſarienſis nono de præparatione evangelica volumine. *Dicam alias de eruditione Ægyptiaca.* (a) & quanta illa fuerit & quibus auctoribus propagata. Illud conſtat, penes hos ſacerdotes Ægyptios fuiſſe tum ſcholas omnis melioris doctrinæ: & quidem per univerſam Ægyptum, etſi præcipui horum fuerint *Thebani*, *Memphitici*, (b) & Heliopolitani. Et quidem apud Heliopolitanos commorati ſunt ſtudiorum ergo etiam ex ipſa Græcia Eudoxus ac Plato annos integros tredecim, ut Strabo loquitur: narrans monſtrata ſibi Heliopoli Eudoxi ac Platonis domicilia, quæ olim iſti incoluerant, quanquam ſuo tempore ſacerdotales illæ ſcholæ jam interiiſſent. *Heliopoli*, inquit, *domos amplas vidimus, in quibus ſacerdotes habitabant. Imo dicunt, hanc olim ſacerdotum habitationem fuiſſe, hominum philoſophia & aſtronomia deditorum. Nunc is ordo ac ſtudium defecit, nec quicquam nobis tali exercitio præeſſe oſtendebatur, ſed homines tantum qui ſacrificia curarent, atque ritus eos peregrinis commonſtrarent.*

Sed quo pateat clarius, quidnam profeſſi ſint aut docuerint illi ſacerdotes Ægyptii, adeoque in quibus verſatæ ſint illorum ſcholæ, fortaſſis operæ fuerit pretium ceremonias nonnullas illorum hic adferre: præſertim quum easdem in ſignum miræ alicujus & inſolitæ philoſophiæ narret etiam ipſemet Clemens Alexandrinus. In proceſſionibus itaque ſacris, ubi omnem ſuam doctrinam oſtentarunt, hunc illi tenuerunt ritum. Primus proceſſit ὁ ᾠδὸς ſeu cantor, geſtans aliquod muſicæ ſeu poeticæ artis ſymbolum. Cujus fuit duos libros Mercurii didiciſſe, alterum deorum hymnos continentem, alterum vitæ regiæ ἐπιλογισμόν. Cantorem ſequutus eſt Horoſcopus, geſtans manibus horologium & palmam, duo ſideralis ſcientiæ ſymbola: quique calluit quatuor libros Mercurii de ſiderum errantium ac fixorum motibus. Poſt hunc proceſſit ὁ ἱερογραμματεὺς, capite alatus, & manu librum ac canonem junco atque atramento inſtructum gerens. Cujus fuit profiteri hieroglyphicam ſcribendi rationem, mundi item ac univerſæ terræ, & ſeorſim Ægypti Nilique, deſcriptionem, ordinem item ſiderum errantium, nec non alia ad ſacrum inſtrumentum pertinentia. Hunc ſequutus eſt στολιστὴς, callens omnes leges civiles ac ſacrificiorum ceremonias. Quorum agmen clauſit is quem prophetam nuncuparunt, omnium primas, voluminum τῶν ἱερατικῶν decem peritiam venditans, vectigalium (ut ego interpretor) ſacrorum diſtributor. Fuerunt porro his ſacerdotibus, miniſtrorum quaſi loco, οἱ παστοφόροι artem medicam, ſex voluminibus ſacris Mercurii contentam, profitentes.

Vnde manifeſtum eſt, omnis generis doctrinæ profeſſores iſthoc in ſacro ordine fuiſſe. Cæterum ſua iſthæc non vulgo quosvis docuerunt uti nos, ſed inprimis liberos ſuos, & ſi quos alios invenere haut indignos poſſeſſione tam præclara: raros ergo & in arcano. Ita enim *& Moyſen legimus omni Ægyptiorum doctrina fuiſſe imbutum:* (c) Græcos quoque illos Orpheum, Muſæum, Melampodem, Dædalum, Homerum, Lycurgum, Pythagoram, Solonem, Platonem, Eudoxum, Democritum, Oenopidem Chium, alios, longis in Ægyptum exiliis ſuſceptis *varia doctrina inſtructos rediiſſe.* (d) Con-

(a) *Dicam alias de eruditione Ægyptiaca*) CONRINGIVS *de Hermetica medicina cap.* 12. 13. 14. nimis exilem & tenuem Ægyptiorum eruditionem fuiſſe contendit. Ex adverſo autem ſumme reverendus REIMANNVS *l. c. p.* 6. *ſeqq.* per partes eundo oſtendit, notam ipſis excultamque fuiſſe doctrinam grammatiſticam, gymnaſticam, muſicam, de qua id negant VOSSIVS *de* 4. *artibus popularibus c.* 4. §. 18. & JOH. PHIL. PFEIFFERVS *in antiquit. græcis lib. II. c.* 64. *p.* 423. Rhetoricam, poeticam, phyſicam, quamquam noſter eam ſuperſtitionis, & vanitatis & ignorantiæ inſimulet, contradicente OLAO BORRICHIO *in Hermete Ægyptiorum*; aſtronomiam, cujus inventores ipſi Ægyptii ab aliis habentur, id pernegante Conringio; geographiam, chronologiam, ethicam, quam cum noſtro GVNDLINGIVS *in hiſt. phil. moralis c.* 1. §. 7. *p.* 12. ſpernendam plane & rejiciendam judicat; defendit tamen REIMANNVS *l. c. pag.* 46. politicam, oeconomiam, hiſtoriam, theologiam, jurisprudentiam, chemiam, ſola excepta dialectica & metaphyſica, de qua partim dubitat, partim negat contra Nic. Cauſinum, Joh. Scharffium, Joh. Baptiſtam Caſalium REIMANNVS *l. c. p.* 21; ipſe vero deinceps quanta fuerit Ægyptiorum eruditio, non modo *p.* 12. ex illius celebritate, ſed & *p.* 127. & 140 ex ejusdem inventis ſigillatim pluribus oſtendit. Adde GASMANI *exercitationes tres de ſapientia Ægyptiorum.*

(b) *Thebani, Memphitici*) Omnium Ægyptiorum credebantur ſolertiſſimi, ut refert HERODOTVS in *Euterpe p.* 40. Memphitici cumprimis chemiæ dediti erant, docente BORRICHIO *de ortu & progreſſu chemiæ p.* 59. Thebaici contra juri dicendo & docendo maxime dabant operam. Alexandrini vero philoſophiæ græcæ invigilabant. Conf. de his ſcholis JOH. NICOLAVS *de ſynedrio Ægyptiorum cap.* 2. *p.* 3. *pag.* 7. *ſſ.* REIMANNVS *l. c.* §. 39.

(c) *& Moſen legimus omni ſapientia Ægyptiorum inſtructum*) *Act. VII.* 22. id quod fuſius declarat PHILO *l. I. de vita Moſis p.* 603. *EDVARDVS STILLINGFLEET in orig. ſacris lib. II. c.* 2. §. 6. *p.* 246. JOH. MARSHAMVS *in can. chron. p.* 242.

(d) *varia doctrina inſtructos rediiſſe*) His addit REIMANNVS *l. c. p.* 124. Ariſtotelem, Archytam, Tarentinum, Apollonium, Pergæum, Hippocratem, Dædalum, Euclidem, Theophraſtum, Ereſium, Xamolxem, Getam, Epicurum, Eratoſthenem, Euripidem, Hieronem Alexandrinum & alios.

Conſtat autem ex ante dictis, ſcholas illas Ægyptiacas nonnihil cum noſtris habuiſſe quidem commune, in multis tamen fuiſſe noſtris diſſimillimas. Primo enim non patuerunt ſine diſcrimine omnibus ut noſtræ, ſed paucis tantum, & quidem vix aliis quam ſacerdotalis familiæ hominibus. Deinde ipſorummet doctorum longe lautiſſima fuit conditio præ ut eſt noſtra: utpote quorum & liberis & uxoribus de omnibus vitæ ſubſidiis abunde fuerit proſpectum. *Porro obſervare nihil eſt de honoribus & gradibus diſcentium,* (a) nihil de regiminis aliqua forma reipubl. æmula, apud illos obtinuiſſe: quod apud nos valet maxime.

Quæ vero Ægyptiacarum ſcholarum inſtituta, eadem fuerunt pene & CHALDAICARVM & PERSICARVM & INDICARVM. Refert enim Strabo, philoſophis indigenis, iis qui Chaldæi appellantur, in Babylonia conſtitutam eſſe habitationem. *Quosdam eorum eſſe Borſippenos*, (b) quosdam Orchenos aliosque complures: qui tanquam per ſectas iisdem de rebus alias atque alias opiniones ſequuti ſint. Alii ſcil. Borſippen urbem, alii Orchoen ſeu Vr oppidum incoluerunt, alii alibi habitavere. Diodorus Siculus ſcribit, Chaldæos Babyloniorum vetuſtiſſimos eum in republ. ordinem tenere, quem Ægyptii ſacerdotes ſibi vendicant. Deorum enim cultui addictos per omne vitæ tempus philoſophari, & præcipuam ex aſtrologia gloriam nanciſci. *Doctrinam* autem *non eo modo quo Græci percipere.* (c) Apud Chaldæos enim per generis ſeu familiæ traditionem philoſophiam hanc obtingere, filiumque a patre illam accipere, ab aliis interim publicis muneribus liberum, accipere autem ab ipſa usque pueritia.

De *Perſicis* & Indicis *ſcholis* (d) tantum non eadem narrantur. Sed nolo nunc omnia iſthæc recenſere, ne cui tædium creem iſthac narratione. Quantum vero omnes illæ ſcholæ ab inſtitutis noſtris abfuerint, facile unicuivis per ſe manifeſtum eſt: ut nec illud nunc operoſe oſtendere ſit neceſſarium.

Veniamus potius ad GRÆCAS gentes, quæ præ aliis literarum gloria videntur floruiſſe, & a quibus ut magnam partem eruditionis noſtræ ita etiam nomen hoc academiæ accepimus. Fuit ſane hæc gens olim præ aliis elegans ac culta, attamen (quod primo venit notandum) perquam ſero literis dare operam cœpit. Vix enim quisquam paulo ſapientior multum ante Perſici regni exordia ea quidem in gente vixit. Deinde etſi poſt complures paſſim docuerint omne doctrinæ genus, privatorum tamen potius illa cura fuit quam reipublicæ. Enimvero narrat Thucydides, Mycaleſſi ludum fuiſſe publicum: verum ille puerilis fuit, ubi ſcilicet more Græcæ gentis pueri legere ac ſcribere docebantur. Narrat enim, a Thracibus illum in ludum facta irruptione, pueros recenter eum ingreſſos ad unum omnes fuiſſe interemptos. Cæterum de hujusmodi ſcholis, quales arbitror omnibus tum Græciæ urbibus fuiſſe, ſermonem non facio. Alias vero ſeverioris atque accuratioris doctrinæ ſcholas nullas, publica auctoritate aut ſumptu publico tum quidem temporis fuiſſe inſtitutas, vel leviter res Græcæ gentis vetuſtiores ſcrutantibus, non poteſt non ſtatim fieri manifeſtum. Qui enim primi in Græcis ſapientiæ laude claruerunt, Thales Mileſius, Anaxagoras, Anaximenes, Xenophanes, Parmenides, Meliſſus, Pherecides, Democritus, ſuam doctrinam nullis magiſtris Græcis ſed potius Ægyptiis & Chaldæis debuerunt: ipſi vero ſcholas habuiſſe non memorantur. *In magna Græcia Crotone* (e) & Metaponti *habuit* quidem Pythagoras (ut Livii utar verbis) *cœtus juvenum*

(a) *Porro obſervare nihil eſt de honoribus & gradibus diſcentium*) Habuerunt tamen & ſuos quosdam honorum gradus, utpote qui diviſi fuerunt in initiatos, myſtas, epoptas, miniſtros & ſacerdotes; id quod annotat REIMANNVS *l. c. p.* 88. idemque etiam a JOH. CHRIST. ITTERO *c.* 4. *de honoribus academ.* §. 11. *p.* 81. licet per tranſennam obſervatum fuiſſe, monet.

(b) *Quosdam eorum eſſe Borſippenos*) STANLEJVS *hiſt. philoſ. part. XIII. p.* 1120. de Chaldæorum philoſophis ita loquitur: *Quemadmodum eruditionem apud Chaldæos profeſſi a reliquo diſtinguebantur populo, peculiari Chaldæorum vocabulo e regione petito, ſic & inter ſe diſtincti erant in ſectas, nomen ducentes e variis ſedibus, quas in ea regione obtinebant.* PLINIVS *lib. VI. c.* 26. & STRABO meminerunt Hipparenorum ſic dictorum ab Hippareno urbe Meſopotamiæ, Babyloniorum a Babylone, Orchenorum qui Plinio tertia Chaldæorum doctrina dicuntur, ab Orchoe Chaldææ oppido, Borſippenorum a Borſippe, alia Babyloniæ urbe, Apollini & Dianæ ſacra.

(c) *Doctrinam non eo modo quo Græci percipere*) Eadem ex Diodoro refert STANLEJVS *l. c. part. XIII. cap.* 8. ſive in *hiſtor. philoſophiæ orientalis* ſeorſim excuſa *lib. I. ſect. I. p.* 19. & REIMANNVS *ſyſtem. antiqu. liter. p.* 417. obſervans hunc locum Diodori ideo annotandum, quod doceat, immunitatem eruditorum tum temporis quidem apud Chaldæos, non vero apud Græcos uſitatam fuiſſe, eam vero ab Ægyptiis ad Chaldæos translatam, ceu apparet ex alio DIODORI loco *lib. I. p.* 17. quem PERIZONIVS quidem in *originibus Babylonicis c.* 5. *p.* 58. ſuſpectum reddere conatur, ſed ſtudio ſaltem in omnibus Marshamo contradicendi.

(d) *De Perſicis ſcholis*) De ſchola ſive foro liberali Perſarum egit BARNBAS BRISSONIVS *lib. II. de regio Perſarum principatu* §. 76.

(e) *In magna Græcia Crotone*) Primum Pythagoras apud Samios ſcholam condidit ἡμικύκλιον ſive Hemicyclium dictam, uti refert JAMBLICHVS *lib. I. de vita Pythag.* Poſtea Samiorum id temporis in literis ſocordiam aſpernatus & Polycratis præcipue tyrannidem fugiens in Italiam profectus eſt, eam ſibi patriam eſſe exiſtimans, quæ plurium diſcendi cupidorum ferax eſſet. Ibi primum in urbe nobiliſſima Crotone homines ad philoſophiam hortatus eſt, ex quibus, qui ad mandatum ejus inita bonorum vitæque communione inter ſe victitabant, cœnobitæ, cæteri auditores, Acusmatici vocati ſunt, qui una cum liberis & uxoribus in unum commune auditorium homacoion dictum congregari, illam, ut ait Jamblichus, ab omnibus celebratam magnam Græciam condiderunt. Per iſta enim ſtudia tota Italia philoſophis repleta, quæque antea ignobilis erat, poſtea propter Pythagoram magna Græcia cognominata eſt, referente JVSTINO *lib. XX.* Deinde cum 20. annos Crotone egiſſet, poſtea Metapontum migravit, ibique deceſſit. Præcipue autem cum Crotoniatis Metapontini in Italia (utraque urbs ſita fuit in ſinu Tarentino.) Pythagoram venerati ſunt, ita ut domum ejus templum Cereri initiaverint, angiportum autem Muſeum vocaverint. Vid. JAMBLICH. *l. c. p.* 141. 144. id quod tamen PORPHYRIVS *n.* 4. & VALERIVS MAXIMVS *lib. VIII. c.* 15. ſolis Crotoniatis tribuit. Cæterum MODERATVS GADEIRENVS ſcripſit *libros V. ſcholarum Pythag.* quos laudat STEPHANVS *de urbibus*, in voce [illegible].

num æmulantium ſtudia doctrinæ; ſed *tantum abeſt publica auctoritate habuiſſe* (a) aut impenſis illarum rerumpublicarum, ut tandem, jubente ita urbium magiſtratu, vel certe non reluctante, ſchola ipſius una *cum frequentantibus eam diſcipulis combuſta ſit.* (b) Similiter ab Æſculapii familia in artis medicæ operibus multi a pueris olim inſtituebantur, in duabus cumprimis illis celeberrimis ſcholis, Coa nempe & Cnidia: non tamen ullo publico decreto id actum, nec ulla in id domus publica fuit inſtituta. Jam porro qui oratorias & politicas artes tum profeſſi ſunt Sophiſtæ dicti, Gorgias, Thraſymachus, Hippias, aliique mercede docuerunt, at non publica ſed diſcentium.

Tantum ſcilicet abeſt, illis temporibus *ſumptu publico* (c) civitatum nutritos fuiſſe artium ſcientiarumque doctores, ut ne locus quidem aliquis publicus magiſtris iſtis fuerit conceſſus. *Teſtimonio* certe *vel unus Socrates poſſit eſſe;* (d) cujus tamen adhuc vivi eruditionem ac variam ſapientiam ſaltim potiſſimi Atticorum civium maxime ſunt admirati, quique eam ob cauſam hominem ſummo in pretio habuerunt. Vixit ille vitam privatam, inops, nullo ſtipendio publico; & docuit non certo quodam inque docendi uſum conſecrato auditorio, ſed modo in via publica, modo in taberna quadam, modo ſub platano aut alia aliqua patula arbore. Eadem vero conditio fuit etiam illorum, qui aut artes mathematicas, geometriam ſcilicet arithmeticam & aſtronomiam, docebant, aut poetica vel muſica profitebantur. Præter has autem liberalium artium & philoſophiæ medicinæque profeſſiones non habuit tum temporis illa cultiſſima terrarum Græcia magiſtros eruditionis: neque enim erant qui cultum divinum docerent in publico, aut Attici juris prudentiam profiterentur.

Primum igitur (quod quidem conſtet) Platoni civi ſuo, forte quo crimen in philoſophiam Socratis damnatione commiſſum eluerent, locum nemoroſum ſuburbanum, cui ab ſtructore Hecademo ſive Academo nomen erat academiæ, in publicam ſcholam conceſſerunt elegantisſimi Græcorum ATHENIENSES. Hoc initium eſt ſcholarum in Græcis publicarum. Iidem Platone jam in fata conceſſo locum ad docendum idoneum in ſuburbano gymnaſio, quod cognomento *Λύκειον* (e) audiebat (quaſi Lupinum dicas) aperuerunt Ariſtoteli Stagiritæ. Antiſtheni quoque Cynicæ ſectæ auctori in alio quodam ſuburbano gymnaſio, cui *Κυνόσαργες* nomen, docendi locum tribuerunt. Zenoni porro Cittiæo iidem *Ποικίλην* illam *στοάν*, *ſive porticum* (f) picturis inſignibus variegatam, in ludum publicum conceſſerunt. Poteſtatem quoque fecerunt iis magiſtris, quidvis ſentiendi ac docendi in ſuis ſcholis, leges item nonnullas ſcholaſticas condendi, ſucceſſoresque ſibi deligendi; quantum quidem eſt colligere ex hiſtoriis ejus ætatis philoſophorum Diogeni Laertio memoratis. Et vero de licentia illa ſentiendi docendique non poteſt dubitare, ſaltim qui obſervaverit, quantum a receptis in vulgus ſententiis philoſophorum ejus ætatis placita diſceſſerint. Nec enim quemquam illorum in jus ideo vocatum legere eſt poſt Socratem. Ariſtoteli enim dies quidem dictus eſt ab hierophanta, verum non quod intra ſepta Lycei quidquam peccaſſet, ſed quaſi hymnum Hermiæ ceciniſſet, ejusque ſtatuæ Delphis curaſſet inſcribi.

Ariſtotelem porro ſcholæ ſuæ leges tuliſſe, idque Xenocratis qui academiam tenebat, imitatione, ſingulis item diebus decem novum aliquem principem ſcholæ dediſſe, diſerte ex Ariſtippo

(a) *tantum abeſt publica auctoritate habuiſſe*) Niſi forte obſtet, quod Porphyrius & Jamblichus referunt, civitates Italicas plurimas olim Pythagoricis ſe gubernandas tradidiſſe & leges impoſuiſſe: unde forte conjici poterit, ſcholis Pythagoræ ab initio ſaltem autoritatem publicam non defuiſſe, licet poſtea iſta ceſſaverit, præſertim poſtquam Cylon Crotoniates ob majorum ſplendorem & opes & amicitias, quibus erat omnibus civibus ſuperior, elatos gerens ſpiritus, ſeque ut aliis rebus præclaris omnibus, ita Pythagorica etiam diſciplina dignum æſtimans, a Pythagora vero, cui phyſiognomia ipſius diſplicuiſſet, repudiatus, immane adverſus eum odium concepit, quod & aliis ad perniciem ipſi machinandam tradidit.

(b) *cum frequentantibus ſcholam diſcipulis combuſta ſit*) De ſchola Pythagoræ ejusque diſcipulis in ædibus Milonis Athlethæ Crotone combuſtis a conjuratis Cylonianis videatur LAERTIVS *de vita & moribus philoſophorum lib. VIII. p.* 289. JAMBLICHVS tamen refert, non inultos periiſſe Pythagoræos, cum contigerint vindices necis ipſorum Italiotæ, qui incendiarios illos ſaxis obruerint, & inſepultos abjecerint. Cæterum de vita Pythagoræ ſcripſit LLOYDIVS Aſſaphenſis epiſcopus, eum hypocritam & præſtigiatorem fuiſſe probans, quem refutavit *ſumme reverendus* BVDDEVS *tom. II. obſerv. ſelect. obſ.* 10. Defenſor quoque Pythagoræ fuit BVLSTRODVS WHITELOCKIVS. Junge DACIERIVM, qui vitam Pythagoræ ex Græco in Gallicum tranſlatam idioma doctisſimis commentariis illuſtravit.

(c) *ſumtu publico*) De Salariis quæ deinde Sophiſtis, rhetoribus & profeſſoribus data ſunt, vid. ALCIATVM *lib. I. parergon c.* 27. JOSEPHVS LAVRENTIVS *tom. X. antiq. græc. p.* 1169. CRENIVS *lib. VII. animadverſ. p.* 160. & CRESOLLIVS *lib. IV. theatri rhetorum c.* 3.

(d) *Teſtimonio vel unus Socrates poſſit eſſe*) XENOPHON *memorab. Socrat. I. p.* 709. Socratem continuo in oculis hominum verſatum affirmat. Mane enim eum ad loca deambulationibus deſtinata perrexiſſe, circa meridiem in foro verſatum eſſe, reliquum vero diei degiſſe ibi, ubi verſaturus inter plurimos eſſet. Ita & PLVTARCHVS *num ſeni ſit gerenda reſpublica pag.* 796. non tum demum, ait, docuit Socrates ubi poſita ſubſellia eſſent, aut cathedra conſcenſa, aut diſcipulis ſcholæ ac deambulationis conſtituta eſſet hora: Sed cum aliis ludens, cum aliis, ut occaſio ferebat, bibens, militans, in foro verſans, ad extremum etiam in carcere agens & venenum bibens philoſophabatur. Scholam tamen Socratem habuiſſe, refert STANLEJVS *l. c. P.* 3. *cap.* 4. *p.* 113. ex Ariſtophane, qui varias res in eo obſervatas perſtringit, ejusque phrontiſterium appellat, item ex Platone & Phœdro loca ipſi & auditoribus ejus frequentata academiam, Lyceum, pratum etiam amœnisſimum extra urbem in Illisſi fluvii ripa, ubi Plotonus fuerit excellentis formæ.

(e) *Λύκειον*) Qui locus amœnus admodum fuit in Athenarum ſuburbio, a Pericle conditus, ut militem novum bellicis ibi inſtrueret artibus. Hortum ædificiis inſtructum fuiſſe Heſychius & Suidas docent. Hoc loco Ariſtoteles quotidie docuit deambulans usque ad horam, qua Græci ungi ſolebant, unde ejus philoſophia Peripatetica dicta eſt; quamvis tamen non prorſus neglexerit ſedens docere, obſervante NIEMEIERO *in diſſ. de Ariſtotele ejusque philoſophia* §. 12.

(f) *Porticum*) *ποικίλην στοάν* Porticum variam ita a Polignoti appellatam figuris, Pitianactia alio nomine dictam. Vide de ea MERCVRIALEM *lib. I. cap.* 6. & TOBIÆ ECKHARDI *porticus ſcholæ veterum reſeratæ.*

quodam auctor eſt Diogenes. De aliis perinde claro teſtimonio probare quidem id non licet: veſtigium tamen ejus reperire eſt in eo, quod licuerit utique omnibus, & admittere in ſcholas, & ab iis excludere quos collibitum magiſtris fuit. Neque vero promiſcue omnibus fores tum patuerunt. Notum eſt illud Platonis iis inſcriptum: *ὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω*: & ab ejus ſucceſſore Xenocrate quempiam rejectum a ſchola, quod neque muſica, neque geometrica, neque arithmetica didiciſſet, proditum eſt a Diogene.

De Xenocrate illo ſcribit quidem Servius, primum philoſophiæ ſcholam aperuiſſe, antea autem in porticibus duntaxat philoſophos ſua tractaſſe. Verum & Xenocrates videtur in academia docuiſſe perinde atque Plato, quantum ex Diogene colligere eſt. Et diu poſt Xenocratem Athenis multi in porticibus docuerunt, ceu de Stoicis notiſſimum eſt. Aperuiſſe quidem Xenocratem ſcholam, adeoque haud clauſis ſed apertis foribus docuiſſe, demonſtrat etiam hiſtoria Polemonis, qui ebrius ſcholam ejus irrupit. Aſt vero ſemper id ab illo eſſe obſervatum, non eſt veroſimile. Imo falſum eſt, ſi verum narravit Diogenes. Quod tamen propius eſt vero, cum Ariſtoteli quoque eo ipſo tempore mos fuerit ad pomeridianas ſcholas quemvis ſine diſcrimine admittere. Quicquid vero ſit de Xenocrate: Ariſtotelis ejusque ſectatorum mos, non niſi ſelectis auditoribus proponendi *τὰ ἀκροαματικὰ*, neminem fugit.

Ipſe populus Athenienſis quin *ἀκροατήρια* illa philoſophorum munierit legibus adverſus petulantiam vulgi, nullus equidem dubito; etſi quo id probetur teſtimonium forte nunc deſit. Nec tamen omnino deeſt, quum teſtetur Ælianus, famam percrebuiſſe, *quod in academia ne quidem ridendi poteſtas cuiquam ſit facta, ὕβρει γὰρ*, addit ipſe, *καὶ ῥαθυμίᾳ ἐπιστρῶντο τὸ χωρίον ἄβατον φυλαχθῆναι*: *nam ab injuria & animi levitate inacceſſum hunc locum ſervare conabantur.* Sane quibus pueriles ſcholæ fuere tutæ a contumelia pudicitiæ inſidiantium, aliquot Solonis leges hodieque ſuperſunt in oratione Æſchinis contra Timarchum. Quæ licet ab aliis perperam accipiantur de philoſophicis ſcholis, veriſimile tamen faciunt, Atticam diligentiam ne hic quidem eſſe deſideratam. Tulit quidem & Plato opere ſuo de legibus unam, quæ huc pertineat: ſed illam in uſum eſſe translatam ab Athenienſibus, non temere crediderim.

Legibus autem cumprimis fuiſſe opus, nemo inficias iverit; modo cogites & vulgi erga literas animum, & numerum auditorum. Bis mille enim Theophraſtum audiviſſe docentem, ex Diogene intelligimus. In hunc uſum ſane conſcripſit fortaſſis jam tum Ariſtoxenus Tarantinus, magni ille nominis philoſophus & muſicus, grande opus *νόμων παιδευτικῶν*, cujus librum decimum idem Diogenes laudat teſtem, quo loco Pythagoræ inſtituta enarrat.

Jam vero licuiſſe philoſophis etiam ſucceſſores ſcholæ ſuæ inſtituere, abunde itidem eſt ex Diogenis monumentis manifeſtum. Ita enim Platoni Speuſippum, huic Xenocratem ſucceſſiſſe, diſerte narrat. Theophraſtum quemadmodum elegerit ſibi ſucceſſorem Ariſtoteles, narrat Gellius. Quum hujus ætate Sophocles, *ἄρχων* Athenienſis, tuliſſet legem, uti ne quis philoſophorum præeſſet ſcholæ *ἂν μὴ τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ δόξῃ*, adeoque receptam libertatem hanc iret ereptam; tam indignis modis philoſophi omnes id tulerunt, ut Athenis illi exceſſerint; rati, nec immerito, ſi ex vulgi ſententia eſſet vivendum, actum eſſe de recta philoſophandi ratione. Nec vero reverſi ſunt niſi abrogata iſthac lege, & Sophocle ipſo quinque talentis multato. Indubie itaque & Strato ſucceſſor deſignatus eſt ab ipſo Theophraſto. Hic Lyconem ſucceſſorem ipſo teſtamento ſcripſit; ut Lycon itidem teſtamento eligendi facultatem paucis nominatim commiſit. Multis aliis hoc hiſtoriis comprobare nihil attinet.

Athenas igitur aliquid contuliſſe in ſcholas certum eſt. Sed præter hæc nihil populus ille Atticus eſt largitus in ſtudia literarum. Imo a populo illo loca iſthæc omnia philoſophis ultro ac liberaliter data, certis teſtimoniis vix licet oſtendere. Conſtat ſane, ab Epicuro ipſum hortum in quo doceret emptum eſſe. Quicquid ſit, nullo certe ſtipendio aluit doctores, nullo nummo ſubvenit diſcentium egeſtati, nullam ferme in diſcentes juriſdictionem magiſtris conceſſit, multo minus vacationem a muneribus publicis aut immunitatem aliquam docentibus vel diſcentibus dedit. Adde, loca ipſa ſcholis hiſce dicata, porticu excepta, extra urbem fuiſſe ſita, adeoque vix aliquid intra urbem tantæ rei ab Athenienſibus eſſe commodatum. Quod ipſum ut non ſignificarit aliquem contemptum, in cauſa tamen fuit ruinæ, utpote quum hac occaſione Philippus Demetrii Regis filius ipſa gymnaſia Lyceum & Cynoſargen teſte Livio, Lucius Sylla etiam academiæ & lycei ſylvas, teſte Plutarcho *in ejus vita*, deſtruxerit. Præterea ſolis philoſophorum ſectis conceſſæ ſunt ejusmodi ſcholæ, non oratoribus, non medicis, non ſuæ religionis ſacerdotibus, non civilium legum peritis: qui tamen & ipſi niſi recte ſua doceant vel diſcant, non poteſt reſpublica eſſe ſalva aut bene inſtituta.

Sed & notandum inprimis eſt; non uni alicui, vel duntaxat meliori, philoſophorum ſectæ, aut ei quæ conſentiret cum moribus atque inſtitutis reipublicæ, conceſſam libere docendi illam facultatem fuiſſe, ſed ſine diſcrimine in eam libertatem admiſſas varias admodum imo quasdam & noxias philoſophorum hæreſes, ut a ſeſe invicem ita etiam a religione recepta & legibus urbanis quam longiſſime diſſidentes. Neque enim ulli ſectarum iſtarum cum inſtitutis civilibus tunc omni ex parte convenit, ſed ſingulæ pro ſeſe iſthæc oppugnarunt impune, imo non ſine tacito multorum applauſu.

Hanc vero plane Atticarum ſcholarum faciem, nullam aliam, obſervare etiam licet in aliis Græciæ populis. Qui tamen raras admodum ſcholas erexerunt. Etſi enim legamus & in Rhodo

do inſula, & *Epheſi* & *Mitylenis* (a) & *Tarſi Ciliciæ*, (b) ut & *Maſſiliæ* (c) in Gallis floruiſſe literarum ſtudia: non tamen facile quis dixerit, num doctores privatim in ædibus ſuis inſtituerint auditiones ſuas, an vero locis in id publica auctoritate dedicatis. Nam & Smyrnæ medicam narrat Strabo ſcholam Eraſiſtratæam habitam, ſed privata auctoritate Hiceſii. Idem teſtatur, & Laodiceæ ejuſdem artis ſcholam Herophilæam conditam, ſed itidem cura privata Zeuxidis.

Sola ALEXANDRINA ſchola paulum meliore fuiſſe conditione videtur, quoniam, præ aliis Alexandri Magni ſucceſſoribus, Ptolomæi reges eruditioni ac literis apprime faverint ſtuduerintque. Primo enim bibliotheca ibi a regibus publica inſtituta eſt immenſis ſumptibus; quæ tamen poſt cum urbs a Julio Cæſare occuparetur, conflagravit. Deinde in ipſa regia Muſeum (ita dixerunt quaſi Muſarum ædem) viris doctis conſtructum eſt, ubi ex publico alerentur. Id quomodo ſeſe habuerit fortaſsis haud abs re fuerit ex Strabonis libro XVII. audire: *Pars* (inquit ille) *regiæ eſt Muſeum, inambulacra habens & exedras & magnam domum, in qua conviunt & comedunt una qui Muſei conſortes ſunt, literati viri. Habet autem hoc collegium & pecuniam ſive vectigalia in commune, & ſacerdotem item qui Muſeo præeſt, olim a Regibus nunc a Cæſare conſtituendum.* Non adferam in medium, quæ *de illo Muſeo habent alii*: (d) id conſtat, ſimile nihil omnibus in locis, ubi Græca inſtituta habita in pretio ſunt, viſum tunc fuiſſe. Imo brevi conſtabit, nihil ſimile aliquot etiam poſt ſeculis fuiſſe conſtitutum. Cæterum hoc excepto, plane Atticis ſcholis omnia fuerunt etiam Alexandriæ, Ptolomæorum quidem regum ætate, quam ſimillima.

Pervenerunt & ROMAM ſtudia Græcanicæ eruditionis *paulo poſt Punicum bellum primum.* (e) Nam illo tempore L. Livius poeta fabulas docuit, h. e. ſpectandas populo exhibuit, & Spurius Carvilius ludum grammaticum cœpit aperire. Sed adeo rudia fuerunt iſthæc initia, ut Suetonius ſcribat, *inter ſecundum & tertium Punicum bellum, ſub ipſam Ennii mortem*, demum ſtudia grammatica vel literatoria ibi cœpiſſe. Statim vero poſt Punicum bellum ſecundum illa ſtudia ita increverant, *ut temporibus quibusdam* (verba ſunt Suetonii) *ſuper viginti grammaticorum celebres ſcholæ fuiſſe in urbe tradantur.* Advenerunt non longe poſt eo & rhetores & philoſophi, ſuasque ibi ſcholas inſtituerunt. At hæc omnia, cave credas, publica auctoritate ita fuiſſe facta atque habita. Imo anno Urb. Conditæ 592. Marco Meſalla & C. Fannio Coſſ. philoſophi & rhetores urbe pulſi ſunt *edicto cenſorio*: (f) ut refert idem Suetonius Tranquillus. Notavit etiam diſerte Euſebius *in chronico*, primum Quinctilianum publicam ſcholam Romæ & ſalarium e fiſco accepiſſe: idque demum ævo Domitiani. Qui hactenus ſcilicet docuerant Romæ, illi non loco aliquo publice ad id inſtituto, nec mercede aliqua publica conducti docuerant; ſed privatim pro ſe quisque aperuerat ludum, *mercedem a diſcipulis* (g) exſpectans. Meliora poſtea demum ſunt inſtituta.

CONSTAT autem ex iis quæ diximus, tametſi noſtræ ſcholæ academiæ cognomentum vulgo accipiant ab illa prima publica Athenienſium ſchola Platoni collocata; longiſſimo tamen intervallo omnem Græcam ſcholaſticam rem usque ad tempora Romanorum Cæſarum a noſtris ſcholarum moribus abfuiſſe. Quippe quum illa ætate doctores vix potuerint locum aliquem ubi docerent una alteraque in urbe, per vaſtum illud terrarum ſpacium, ex publico accipere; tantum abeſt ut ſalaria illis fuerint ex publico data vel jurisdictio aliqua conceſſa.

Vnde etiam hoc manifeſtum eſt: etſi Græcæ gentes valde ſe commendare ſoleant meliore atque elegantiore quadam cultura ingeniorum, multis tamen modis eas ſuperatas docendi ritu ab Ægyptiis, Chaldæis, & Perſis, quos iſti tamen Græculi in barbaris numeraverunt. Prudenter id obſervavit

(a) *Rhodo, Epheſi, Mitylenis*) Vide de his aliisque JVSTVM LIPSIVM *in deſcript. oppidi & academiæ Lovanienſis lib.* 3. *c.* 6. 7. 8.

(b) *Tarſi Ciliciæ*) Allegat de ea commentationem brevem BENJAMINI HEDERICI *de ſchola Alexandrina & Tarſenſi*, *REIMANNVS in idea ſyſtem. antiq. liter. p.* 91.

(c) *Maſſiliæ*) Quæ Tacito ſtudiorum magiſtra, & a Romanis poſtea ob ſtudia Athenienſibus prælata, Athenopolis dicta fuit; quod tamen a PARADINO *in hiſtoria Lugdunenſi* ſine autoritate poni, ait ABRAHAM ORTELIVS *in theſauro geographico.* Vide CONRADVM RITTERSHVSIVM *in notis ad Salvianum p.* 177. 178.

(d) *de illo muſeo habent alii*) Uti JVSTVS LIPSIVS *in ſyntagmate de biblioth. ad principem Carolum ducem Croyum & Arſchotinum c. XI.* quod habetur in JOACH. JOH. MADERI *comment. de biblioth.* & *diſſertationibus* quoque *de ſtudiis Ultraj.* 1656. excuſis inſertum eſt; item JOH. FRIED. GRONOVIVS in *exercit. academicis de muſeo Alexandrino*, quas filius JAC. GRONOVIVS *tom. X. antiq. Græc.* cum Ludolphi Neocori ſive KVSTERI *diatribe de eodem argumento* inſeruit; nec non RECHENBERGIVS *diſſ. de muſeo Alex.* *JONSIVS de ſcriptoribus philoſ. l.* 3. *c.* 2. *p.* 218. Erat autem muſeum idem ac templum muſarum, & in Creta muſeum dictus eſt locus, ubi Sirenes cum muſis, teſte Suida, certaſſe dicuntur. Inde ortus eſt mos, loca, in quibus ſtudioſi literis vacarent, muſea appellandi, qualia plurima in variis extiterunt locis. Sic ejusmodi muſea Athenis fuiſſe traditur, in quibus mos ſortito quæſtiones proponi. PLVTARCHVS *lib.* 9. *ſympoſ. quæſt. c.* 1. *MEVRSIVS lib. II. cap.* 9. *Athen. Attic.* Pergami quoque tale fuiſſe muſeum KVSTERVS *ad Suidam* contendit.

(e) *paulo poſt Punicum bellum primum*) Sed obſervant veteres, ſtudia illa græcanicæ eruditionis & artes, poſt devictam Aſiam, in urbem Romam invectas, veterem illam Romanorum ſeveritatem & induſtriam immutaſſe. Id M. Cato ſenior, uti PLINIVS refert *lib.* 29. *c.* 1. multo ante divina conjectura proſpiciens ad filium ſcripſit: Hoc puta vatem dixiſſe, quandocunque iſta gens literis operam dabit, omnia corrumpet, multo etiam magis cum medicos mittet. Aperte HORATIVS *l.* 2. *ep.* 2. Græcia victa ferum victorem cepit, & artes intulit agreſti Latio.

(f) *edicto cenſorio*) Illud quoque animadverſione dignum, quod PLINIVS *lib.* 29. *c.* 1. tradit, medicinam usque ad ipſius ætatem inter cæteras Græcorum artes Romanos diſcere noluiſſe; ab initio enim non niſi ſervis delegabatur. BRISSONIVS *in ſelectis ex jure civili antiquit. lib. II. cap. III.* Neque picturam, uti idem refert *l.* 35. coluere multi, unus ſaltim Arelius ab eo nominatur.

(g) *mercedem a diſcipulis*) Minerval dictum ſive *didactron*.

ſervavit ac diſſimulavit neutiquam ipſemet Diodorus Siculus. Verba viri illius magni recenſebo, etſi verear ne eorum prolixitate tædium aliquod auditoribus creem. *Horum omnium* (inquit, de Chaldæis verba faciens) *doctrinam non eo modo, quo Græci hisce ſtudiis dediti percipiunt. Apud Chaldæos enim per generis ſeu familiæ traditionem hæc philoſophia obtingit, filiusque a patre illam accipit; ab aliis interim publicis muneribus omnino liberi. Et quia parentibus utuntur magiſtris, fit ut & affatim & citra invidiam omnia diſcant, & certïore fide præceptis attendant, & dum a pueris ſtatim diſciplinis innutriuntur, præclarum in philoſophia habitum ſibi comparunt, tum quod ætas illa docilis eſt, tum quod multo ſtudiis tempore inſudant. Apud Græcos vero plerique magna parte accedunt imparati, & philoſophiam hanc ſero attingunt; operaque aliquatenus huc impenſa, quærendi victus cura diſtracti, abſcedunt. At licet pauci quidam philoſophicæ ſe palæſtræ totos mancipant; hi ipſi tamen quæſtus gratia diſciplinæ adhærent, novasque de placitis maximis diſputationes movent, nec fixum in majorum veſtigiis pedem tenent. Quo circa barbari iisdem jugiter inhærendo, firmiter ſingula percipiunt. At Græci ex artificio lucrum captantes, novas condunt ſectas, & de maximis inter ſe theorematis opinionibus contrariis diſceptando, faciunt, ut diſcipuli ſententiis huc illuc ancipites fluctuent, animique ipſorum per omnem vitam ſuſpenſi dubiique maneant, nec ulli rei certam tribuere aſſenſionem queant. Nam ſi quis maxime inſignes philoſophorum ſectas examinet, plurimum inter ſe diſcrepare, & in graviſſimis ſententiis ſibi adverſari comperies.*

Hæc omnia Diodorus. Cujus ſententiæ etſi haud poſſim omni ex parte aſſentiri (nec enim tanti eſt quod a parentibus ſoli filii doctrinam hauriant, nec id apud Chaldæos fuit omnino receptum uſu, ceu conſtat ex ſacra Danielis hiſtoria) pleraque tamen ejus neſcio an quis prudens improbaverit. Certe exactius paulum intuentibus res Græcæ gentis, quales illæ fuerint iſthac ætate, non poteſt non ſtatim patere, ſcholarum illarum philoſophicarum varietatem in detrimentum potius reipubl. natam fuiſſe, quam in emolumentum doctrinæ. Athenienſes certe merito accuſes, quod tam varias philoſophias, a religione & moribus civitatum non minus quam a ſemetipſis plurimum diſſidentes, publice doceri permiſerint. Neque enim ulla philoſophorum ſchola cum religione & legibus urbanis convenit: ſed omnes inſtituta avita iverunt everſum, non impune tantum ſed & cum applauſu potentiorum. Id quod etſi non ſit vituperandum quum reſpublica malis erroribus agitatur, quumque emendatur ſtatim illa ad certam unius alicujus diſciplinæ atque doctrinæ normam; nullo modo tamen tolerandum eſt, ſi iſthæc non fiant, imo vero ſi nulla una certa emendandi rempubl. ratio publice inſtituatur. Athenis vero ut & alibi per Græciam, plebi manebat ſua religio, manebant ſua inſtituta plane adverſa philoſophorum ſcitis, quæ tamen publice & docebantur & exercebantur. Jam vero *Ariſtippi & Epicuri ſchola in voluptatibus collocabant* (a) felicitatem & ſummam beatitudinem; a quibus licet diſſiderent ſcholæ reliquæ, tamen nec ipſæ inter ſeſe de morum vitæque ratione conveniebant; & præterea pleræque omnem cultum divinum non minus atque illa Epicuri diſciplina tollebant e medio, aut ridebant, aut certe non niſi in ſpeciem & dicis ergo providentiæ divinæ quidquam referebant acceptum. Unde non potuit non Athenis & in Græcia paſſim chaos aliquod variarum ſectarum enaſci. Enimvero quoties equidem illam Græciæ ætatem cogito, monſtrum aliquod mihi videor cernere, aut terram variis religionum portentis confuſam & ſibimet mutuo adverſam. Nec tamen iſta promiſcua quidvis ſentiendi ac docendi licentia ante deſiit, quam Chriſtiana doctrina, omnibus ſectis illis contritis, unice cœpit eſſe in veneratione.

Etſi vero ſub CÆSARIBVS quoque ROMANIS tam turbulenta & diverſa fuerit docendi inſtituendique ratio, nonnihil tamen melior tum cœpit eſſe docentium conditio. Paulatim enim ſalaria ex publico illis conceſſa ſunt. Ita narravimus ante ex Euſebii chronicis, Quinctiliano e fiſco (qui ærarium erat Cæſarum) ſalarium numeratum. *Refert vero & de Flavio Veſpaſiano* (b) Domitiani patre in *ejus vita* Suetonius, primum illum e fiſco Latinis Græcisque rhetoribus annua centena conſtituiſſe, h. e. bis mille & quingentos Philippæos. At hæc liberalitas intra ſolos rhetores & quidem Romanos ſtetit. Multis poſt annis demum Antoninus Pius etiam philoſophis ſtipendia & honores conceſſit & quidem *per omnes provincias*, ut narrat Julius Capitolinus. Omnis generis doctoribus annuam mercedem Athenis a Marco eſſe conſtitutam, narrat Xiphilinus *in ejus vita.* Salaria autem provincialia iſthæc fuiſſe ſexcentorum aureorum Romanorum, i. e. mille quingentorum Philippicorum, e Tatiano notavit clarisſimus Caſaubonus. Aliis tamen minus fuiſſe datum ex Luciani *Eunucho* conſtat. Scribit enim ſingulis philoſophorum generibus ab Imperatore conſtituta fuiſſe decem millia drachmarum, quæ Romanis erant quadragena ſeſtertia, id eſt, mille Philippici. Hanc ſummam ab Imperatore illo etiam Theodoto Sophiſtæ τῆς νεότητος προεστῶτι eſſe conſtitutam, teſtis eſt Philoſtratus *l. 2. in Theodoto.* Idem vero narrat, Apollonium Athenienſem politicam cathedram Athenis mercede talenti tenuiſſe. Ut proinde pro cathedræ qualitate & merces fuerit alia atque alia. Et vero etiam Eumenius Rhetor in *oratione pro reſtaurandis ſcholis in Auguſto Clivienſium opido*, ſalarium ſe accipere profitetur a liberalisſimo Principe in ſexcentis millibus nummum, h. e. quindecim millia Philippicorum; niſi in textu mendum ſit, ſtipendium ſane amplisſimum.

Etſi vero ea ætate absque dubio per provincias multi paſſim philoſophi rhetoresque ſtipendio publico habuerint ſcholas; fortasſis tamen non multum poſt ætatem filiorum Conſtantini peræque dura-

(a) *Ariſtippi & Epicuri ſcholæ in voluptatibus*) Sed vide Gaſſendum, qui luculenter oſtendit, voluptatem Epicuri, in qua ſita ſit felicitas, eſſe indolentiam corporis, & tranquillitatem mentis. Adde STANLEJVM *hiſt. philoſ. part.* 12. *c.* 3. 4. *p.* 1036. *RONDELLVM de vita & moribus Epicuri.*

(b) *Refert vero & de Flavio Veſpaſiano*) Imo & menſtrua iis jam antea fuiſſe conſtituta ſalaria, quæ ante quinquatria idibus menſis ſint perſoluta, apparet ex HORATII *ſat.* 6. *lib. I.*

duravit hoc inſtitutum. Namque de ipſis Romanis profeſſoribus, ætate Valentiniani, Theodoſii & Arcadii ſcribit Symmachus l. V. epiſt. 33. *Romanæ juventutis magiſtris detracta ſunt ſubſidia ſolennis alimoniæ.* At ſi id Romæ factum, multo magis in provinciis, cum imperii rebus ſimul labentibus & doctrinæ ſtudiis. Quanquam Romæ ſalaria rediiſſe dixeris. Extat enim apud Casſiodorum *l. 9. epiſtola* viceſima prima ipſiusmet Athalarici Gothorum Regis, qua ille jubet ſolvi iſthæc *ſalaria ſine deductione, ſemeſtribus etiam ſingulis.*

Interea vero certum eſt, non Romæ tantum, ſed & in provinciis multas ſcholas publicas ſumptibus reipublicæ fuiſſe erectas. Ut enim ſolas GALLICA nunc reſpiciam, Eumenius Rhetor, quo de ante diximus, Auguſtoduni collapſam ſcholam reſtituit amplisſimo ſalario ſuaque impenſa. Extat & Auſonii liber, quo ille prædicat profeſſores Burdegalenſes, Tholoſanos, & Narbonenſes alios. Ubi de Tiberio Victore Minervio profeſſore Burdegalenſi ſcribit:

Mille foro dedit juvenes, bis mille ſenatus
Adjecit numero purpureisque togis.
Me quoque &c.

Habemus & Valentis ac Gratiani Imperatorum Theodoſiano in codice reſcriptum ad præfectum prætorio Galliarum in hæc verba: *Per omnem diœceſin commiſſam magnificentiæ tuæ, frequentiſſimis in civitatibus, quæ pollent & eminent claritudine præceptorum, optimi quique erudiendæ præſideant juventuti. Rhetores loquimur & grammaticos Atticæ & Romanæ doctrinæ. Quorum oratoribus viginti quatuor annonarum e fiſco emolumenta donentur: Grammaticis Latino vel Græco duodecim annonarum deductior paulo numerus ex more præſtetur. Ut ſingulis urbibus, quæ metropoles nuncupantur, nobilium profeſſorum electio celebretur. Nec vero judicamus, liberum ut ſit cuique civitati ſuos doctores & magiſtros placito ſibi juvare compendio. Trevirorum vero clariſſimæ civitati uberius aliquid putavimus deferendum: Rhetori ut triginta, item viginti grammatico Latino, Græco etiam, ſi qui dignus reperiri potuerit, duodecim præbeantur annonæ.* Hactenus reſponſum illud imperatoris. Unde diſcimus, in omni provinciæ Gallicanæ metropoli ſcholam publicam erectam: at non philoſophiæ aut medicinæ aut juris Romani diſciplinæ, multo minus theologiæ: ſed *ſolis rhetoribus & grammaticis*, (a) & quidem ita ut uno rhetore & duobus grammaticis ſingulæ ſcholarum iſtarum conſtiterint. Et vero hac de cauſa factum, ut ipſamet Gallicana juventus juris Romani diſcendi ergo Romam petere fuerit coacta: utpote quum una illa ſchola juris iſtius tum temporis fuerit in omni occidentali imperio, neſcio an ullo Cæſarum privilegio, certe quadam longa conſuetudine. Quam proinde etiam Cæſari Juſtiniano viſum eſt autoritate ſua confirmare.

Eadem ratio fuit & ſcholæ Mediolanenſis in Gallia togata, ad quam ſeſe S. Auguſtinus docendi cauſſa ſcribit evocatum *l. V. confeſſion. cap. 13.* Namque & illa nihil præter rhetoricen & grammatica docuit, ceu ex ipſo Auguſtino haud difficulter eſt diſcere. Celebrata imo eſt & in Africa Carthaginis ſchola, quantum apparet ex Apuleji Floridis. Nec dubitavit de illa ſcribere S. Auguſtinus: *Duæ urbes literarum Latinarum artifices, Roma atque Carthago.*

Ut autem occidentalis Romani imperii pars, ita & ORIENTALIS cum in Roma nova, Conſtantinopoli inquam, tum per provincias, ſcholas ſuas publicas habuit. Omnes tamen, quantum videtur, pari cum Gallicis ratione fuerunt; niſi quod Conſtantinopolitana Athenienſis Alexandrina & Berytienſis, nonnihil habuerint ſingulare.

Namque ut de BERYTIENSI initio quid dicam, ſola fere illa videtur Romani juris prudentiam docuiſſe. Sane nusquam hoc ſtudium magis quam ea in urbe floruit. Et quidem floruit jam ſeculi quarti initio, imo, fine tertii: quod liquet ex codicis Juſtinianei titulo, qui eſt de iis, *qui ætate vel profeſſione ſe excuſant.* Ubi tamen perperam forte legitur Arabiæ vox. Phœniciæ enim urbs, non Arabiæ fuit Berytus: eoque nihil etiam cauſæ fuit fortaſſis, quur Arabiæ ſcholaribus reſcriberet quidquam Diocletianus ejusque collega Maximianus. *Cum vos adfirmatis*, ajunt Cæſares, *liberalibus ſtudiis operam dare, maxime circa juris profeſſionem, conſiſtendo in civitate Berytiorum provinciæ Phœniciæ, providendo utilitati publicæ & ſpei veſtræ, decernimus, ut ſinguli usque ad viceſimum quintum annum ætatis ſuæ ſtudiis non avocentur.* Seculo quarto tanta fuit ſtudiorum juris ergo in exiſtimatione Berytus, ut Eunapio audierit *ejusmodi ſtudiorum mater.* Quinto ſeculo vixiſſe Zachariam Scholaſticum, ſive rhetorem forte Berytienſem, poſt epiſcopum Mytilenenſem, illum cujus dialogum adverſus mundi æternitatem cum Origenis Philocaliis edidit Joannes Tarinus, argumento eſt, quod auctor ille ſignificet vivere Alexandriæ Ammonium Procli diſcipulum: qui eſt ille magnæ famæ filius Hermiæ Alexandrinus philoſophus. Prodit vero ille Zacharias, Berytum, *μητέρα τῶν νόμων*, veniſſe quem juvenem juris ſtudiorum gratia, qui Alexandriæ antehac Ammonium audierat. Ut proinde etiam tum diſciplina illa juris Beryti floruerit. Imo quum novam juri veteri faciem indere Juſtiniano Cæſari conſilium

(a) *ſolis rhetoribus & grammaticis*) Junge p. 410. 414. 426 item CONRING. *diſſert. ad l. I. C. Theodoſ. de ſtudiis liberal. p.* 14. 15. Liberalium enim artium circulum tum temporis pueri auſpicabantur apud grammaticos & rhetores. *Hos ſolos etiam hac in re*, inquit JACOB. THOMASIVS *progr. de ſeptem artib. liberalib. pag.* 375. *commemorat Galenus, de dialecticis tacet.* Hos ne Juliani quidem ævo huic ordini acceſſiſſe ex Ammiano Marcellino probari poteſt; narrat enim ille, apoſtatam vetuiſſe, ne Chriſtianorum magiſtri rhetoricam & grammaticam docerent. Non alia quoque apud Romanos a primis initiis viguit inſtitutio. Inde SVETONIVS *de illuſtribus grammaticis & rhetoribus* ſcribere potuit, nondum de dialecticis. Nec non apud QVINTILIANVM *in reſcriptis imperatorum, quibus ſcholæ ordinantur*, de grammaticis & rhetoribus crebra fit mentio, de dialecticis vero altum eſt ſilentium.

conſilium fuit, evocatus ad illam operam Beryto eſt Dorotheus cum collega Anatolio. Ipſi autem illi Cæſari audit Berytus, non tantum *pulcherrima civitas*, aut *verenda & ſplendida metropolis*, ſed & *civitas legum, quam legum nutricem bene quis appellet.* Tanti etiam æſtimata tum urbs illa fuit, ut diſerte caverit Cæſar, ne alibi quam Beryti & in utraque Roma jus Romanum doceretur. Imo idipſum *jam a retro principibus conſtitutum eſſe*, fatetur. Sed eadem tempeſtate Berytum ingenti terræ motu tantum non funditus everſam eſſe, multis narrat Agathias Scholaſticus. Nec poſtilla temere invenias laudatam a juris diſciplina Berytum. Ut proinde & hoc terræ motu incendioque, & ſubſequentibus Sarracenorum incurſionibus, omnem doctrinam ibi mox collapſam eſſe, ſit veroſimile.

ATHENIS videntur ſoli rhetores & philoſophi floruiſſe. Etſi enim de Marco Cæſare ſcribat Xiphilinus: *ἔδωκε δὲ πᾶσιν ἀνθρώποις διδασκάλους ἐν ταῖς Ἀθήναις, ἐπὶ πάσης λόγων παιδείας μισθὸν ἐτήσιον φέροντας*: non alii tamen præter hosce a quoquam memorantur. Et vero politicam cathedram, cujus meminit Philoſtratus *in Apollonio*, philoſophis, niſi fallor, licet accenſere. Sed & fortaſſis philoſophi ibi ſalario publico non diu docuerunt, jam florentibus quidem Chriſtianorum rebus. Invenio ſane in *vita Procli*, illa quam in magiſtri laudem Marinus Neapolitanus conſcripſit, Platonicam aliquam hereditatem ita dictam philoſophis ceſſiſſe in ſalarium, verum non ex publico, ſed quantum conjicere eſt ex gentilium nonnullorum privata liberalitate collectam. Non privandus tamen laude mos eſt, cathedram conſequendi: aut non niſi poſt varias multorum concertationes, quarum meminit Eunapius *in Proæreſio* ſic ſatis prolixe, paucis Philoſtratus *Heraclide*: aut liberali Cæſarum dono, quomodo cathedram philoſophicam a ſeſe impetratam eſſe fatetur Alexander Aphrodiſienſis *l. de fato*, & de Adriano Polluce ac Philiſto Sophiſtis refert Philoſtratus. Nec illud non meretur laudem: quod videatur Marcus Cæſar omnibus doctoribus unum aliquem præfeciſſe, qualem fuiſſe Herodem narrat *in Theodoto* idem Philoſtratus.

Sed haud fuit etiam hæc felicitas fortaſſis diuturna, utpote quum ab aliis ſcriptoribus non perinde illa memoretur. Et vero ingentem omnis proſperitatis jacturam ipſæ Athenæ fecerunt Arcadio & Honorio Cæſaribus, per incurſiones Gothicas Alaricho duce. Non enim Zoſimo temere credas, nihil damni dediſſe urbi Alarichum, quaſi deterrente eum Minerva cum Achille; quia omnem Græciam miſere tum direptam eſſe conſtat. Non deſunt utique vel hodie querelæ illius temporis ſcriptorum de ipſarummet Athenarum infelicitate. Certe Syneſius, qui illa ipſa vixit tempeſtate, non dubitavit Athenas pelli comparare, quæ animali conſumpto ſuperſit ſola. Addens: *Αἱ δὲ Ἀθῆναι πάλαι μὲν πόλις, ἑϛία σοφῶν, τὸ δὲ νῦν ἔχον, σεμνύνουσιν αὐτὰς οἱ μελιτ]ουργοὶ* Etiam ita tamen manſiſſe philoſophicam aliquam & rhetoricam ſcholam ad Juſtiniani Cæſaris usque ætatem, certum eſt. Per omnia enim hæc tempora usque ad Juſtiniani Cæſaris ævum, philoſophiam quidem ibi docuerunt ſucceſſione magiſterii, Plutarchus Neſtorii filius, Syrianus *ὁ μέγας*, Proclus Lycius, qui *κατ' ἐξοχὴν* audit Platonis *διάδοχος*, Marinus Neapolitanus, Zenodotus, Damaſcius, Simplicius, magna philoſophorum nomina. Ut taceam alios qui ibidem videntur vixiſſe, literarum gloria claros. Certe ipſemet Severinus Boëthius per integros octodecim annos philoſophiæ gratia Athenis hæſit, ceu legere eſt *libro de diſciplina ſcholarum*: conſtat autem floruiſſe illum ſeculo Chriſtiano quincto. Adeoque quod Syneſius ſubjungit: *ταῦτ' ἄρα δὴ ἡ ξυνωρὶς τῶν σοφῶν Πλουταρχείων, ὅιτινες ἐ τῇ φήμῃ τῶν λόγων ἀγείρουσιν ἐν τοῖς θεάτροις τὰς νέας, ἀλλὰ τοῖς ἐξ Ὑμήτ]ου σταμνίοις*: id vero præciſe de tempore illo intelligendum eſt, quo ſcholæ philoſophicæ præfuit Plutarchus Neſtorii, quodque Gothicam tempeſtatem excepit. Et vero non is fuit Plutarchus ille, qui potuerit allicere auditores, nominis aut doctrinæ fama. Eoque idem Syneſius alibi recte itidem ſcripſit de ſuo itinere Athenienſi: *Hujus autem Athenas itineris non ſolum hunc capiam fructum, quod a præſentibus liberer malis, verum etiam ne amplius ſtudiorum cauſa eos adorem, qui inde veniunt, nihil meliores quidem nobis mortalibus, quod quidem ad intelligentiam Ariſtotelis & Platonis attinet. Verſantur autem inter nos quemadmodum ſemidei inter mulos, eo quod conſpexerint academiam & lyceum, & variam illam porticum: quæ jam non eſt varia: nam Proconſul tabulas abſtulit, deinde prohibuit eos ne propter ſapientiam elatiore ſint animo.*

CONSTANTINOPOLI porro primum quidem juſſi ſunt ſalario publico docere ſoli rhetores & grammatici. His Romani juris profeſſionem adjunxit Theodoſius; *quod poſt confirmatum eſt a Juſtiniano.* (a) Ejusdem auctoritate cœpit iſtic & philoſophica *ἀκρόασις*. Quod enim ibidem Themiſtius jam Conſtantii ætate docuiſſe videtur, privato viri ſtudio eſt adſcribendum. Nullus autem ibi vel doctrinæ Chriſtianæ vel artis medicæ profeſſioni locus fuit. Haud abs re fuerit, recitare in præſentia ipſam Theodoſii & Valentiniani Cæſarum conſtitutionem, qua formam circumſcripſerunt auditorii Capitolini (nam in Capitolio fuit ſchola illa publica) qualem tum & Romæ & Conſtantinopoli eſſe voluerint. *Habeat igitur auditorium ſpecialiter noſtrum in his primum quos Romana eloquentia doctrina commendat, oratores quidem tres numero, grammaticos vero decem. In his etiam qui facundia gracitatis* (ita enim recte habet codex Theodoſianus) *pollere noſcuntur, quinque numero ſint ſophiſtæ & grammatici æque decem. Et quoniam non his artibus tantum adoleſcentiam glorioſam opta-*

mus

(a) *quod poſtea confirmatum eſt a Juſtiniano*) *L. 6. C. de profeſſoribus & medicis.* Cœperant quidem & Alexandriæ & Cæſareæ jura explicari, ſed Juſtinianus interdixit, ne alibi quam in præfatis duabus regiis urbibus & Berythi, ubi vetus legum fuerat gymnaſium, poſſent exponi. Sub eo ibi & Conſtantinopoli octo jura profitebantur: Theophilus, qui cum Triboniano inſtitutiones & forte Græcas, quæ extant, compoſuit, Cratinus, Theodorus & Iſidorus Conſtantinopoli, Dorotheus, Anatolius, Thallelaus & Salaminius, ut videtur, jura Berythi interpretabantur. Ex utraque academia duo primi cum aliis pandectas concinnarunt. Ita PANCIROLLVS *de claris legum interpretibus lib. 4. c. 1. p. 387.* Adde BALDVINVM in *Juſtiniano.*

mus inſtitui, profundioris quoque ſcientiæ atque doctrinâ memoratis magiſtris ſociamus auctores. Unum igitur adjungi cæteris volumus, qui philoſophiæ arcana rimetur: duo quoque qui juris ac legum voluntates pandant. Ita ut unicuique loca ſpecialiter deputata adſignari faciat tua Sublimitas, ne diſcipuli ſibi invicem poſſint obſtrepere vel magiſtri, neve linguarum confuſio permixta vel vocum aures quorumdam aut mentes a ſtudio literarum avertat. Hæc Cæſares illi. Quæ etiam Juſtiniano placuiſſe indicio eſt, quod ex titulo codicis Theodoſiani *de ſtudiis liberalibus urbis Romæ & Conſtantinopolis* unicum hoc reſcriptum in codicem ſuum transferri curaverit, & quidem nulla facta expunctione aut mutatione: quod Triboniano alias fuit recepti moris. Et vero idem Juſtinianus confirmavit illud vetus privilegium, quod ſcholæ Conſtantinopolitanæ cum Romana & Berytienſi erat commune, ne alibi juris diſciplina doceretur. Duos vero tum temporis Conſtantinopoli jus docuiſſe, Theophilum nempe & Cratinum, abunde omnibus notum eſt. Quemadmodum autem Cæſares hi juris & philoſophiæ profeſſioni loca publica tribui curaverunt, ita jam ante ipſe Conſtantinus Magnus ἀκροατήριον videtur ſtruxiſſe grammaticis & rhetoribus. Romæ ſaltem eſſe id factum, diſerte legitur in Pauli Diaconi miſcella hiſtoria: *Conſtantinus Magnus*, inquit, *civiles nutrire artes, præcipue ſtudia literarum, quæſivit. In illuſtribus domibus eos, qui in urbe Roma erant viros rationabiles collocavit.* Qui omiſerit vero idipſum Conſtantinopoli, quam omni ex parte ſtuduit Romæ veteri æqualem reddere? Certe circa illud tempus & hic fuiſſe ſtructas hujusmodi ædes, liquet ex ejusdem Pauli verbis ſequentibus: *Gallus circa Epheſum apud doctores erat. Porro Julianus & Creſcens in auditoriis Conſtantinopolitanæ urbis exercebatur, in baſilica ubi doctores erant.* Narrabimus paulo poſt iterum aliquid de baſilica iſta.

Progrediendum nunc eſt ad ALEXANDRINAM ſcholam: quam itidem orientales inter ſingulare aliquid præ reliquis illius ævi habuiſſe diximus. Et vero una illa pene omnia habuit. De oratoriis & grammaticis ſtudiis non eſt quod dicamus, utpote quum jam tum conſtet, a Ptolomæorum regum ætate, adeoque ab initio usque urbis iſtius conditæ, illa floruiſſe. Non deſiiſſe vero eam gloriam etiam diu poſt, ſatis oſtendit unum illud magnum Joannis Philoponi nomen, qui etiamnum a profeſſione ſua, qua Alexandriæ ſexto ſeculo Chriſtiano functus eſt, Grammaticus vulgo uſurpatur. Mathematicas quoque omnis generis diſciplinas ibi habuiſſe ſuos doctores publicos, notiſſimum eſt. Quem enim fugit illud ſaltim de Pappo & Theone viris utique celeberrimis? Hypſicles quoque ipſe teſtatur, ſeſe Apollonii Pergæi libros Alexandriæ interpretatum eſſe. Fortaſſis eodem munere & Eutocius Aſcalonita functus eſt, ut qui ſuum in Sphæram & Cylindrum Archimedis commentarium Ammonio inſcripſerit Alexandrino philoſopho. Eutocium autem illum Hypſicli fuiſſe coævum, adeoque utrumque vixiſſe ſub finem ſeculi quinti, veroſimile fit ex eo, quod & Hypſicles *l. 2. n. 5.* præceptorem laudet Iſidorum, & Eutocius ſtatim in fronte commentariorum ſuorum memoret magiſtrum Iſidorum Mileſium Mechanicum. Forte & Diophantus magnus ille arithmeticus hic docuit: nec tamen id definio. Proclum Lycium ab Herone in mathematicis eſſe Alexandriæ inſtitutum, teſtatur Marinus Neapolitanus: Hero autem ille videtur is eſſe cujus exſtat alter de geodæſia, alter de machinis bellicis liber: utique Ptolemæo multum hic junior eſt. Ea certe fuit Alexandrinæ ſcholæ in mathematicis exiſtimatio, ut ab epiſcopo illius urbis paſchalem canonem quotannis petere ipſimet primitivæ eccleſiæ placuerit. Jam vero & philoſophiæ doctorum quorundam laus ad nos usque propagata eſt. A principe Anatolio, Laodiceæ poſt epiſcopo, ſcholam Peripateticam fuiſſe apertam teſtis eſt Nicephorus, in eo tamen forte falſus quod huic primo id adſcribat. Aetium hæreticum Ariſtotelicæ philoſophiæ magiſtros Alexandriæ audiviſſe, ſcribit Sozomenus: quod tamen non habet Philoſtorgius Aetii & aſſecla & laudator unicus. Olympiodorum Ariſtotelis & Platonis placita ibi interpretantem audivit Proclus Lycius, teſte Marino. Quo tempore hanc ſcholam philoſophicam Athenienſi multum prætulit Syneſius. Clariſſima eſt fama Ammonii Hermiæ filii, plane illius quem Zacharias Scholaſticus ſcribit Platonis & Ariſtotelis dogmata interpretari Alexandriæ, relictis Athenis & Proclo magiſtro. Quin & Olympiodorus ille, cujus hodieque exſtant in Meteorologica Ariſtotelis & Platonis dialogos aliquot commentarii, Alexandriæ videtur docuiſſe. De Hypathia Theonis, magni illius mathematici, filia, fœmina ſingularis ſane ingenii, quam innoxiam Alexandrini, non ſine infamia quadam ipſius Cyrilli, crudeliſſime interemerunt, ſcribit Socrates eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptor, atque ex illo Caſſiodorus: *Hæc tantos in literis fecit progreſſus, ut omnes philoſophos ſui temporis ſuperaret: ac non modo in ſcholam Platonicam a Plotino deductam ſuccederet, verum etiam omnes philoſophorum omnium præceptiones & diſciplinas omnibus qui eam audire volebant explicaret. Quapropter quotquot philoſophiæ ſtudio intendebantur ad eam confluebant.* Et vero hæc illa eſt ad quam philoſophæ titulo ſuperſunt Syneſii epiſtolæ. A Plotino autem ſcholam aliquam Alexandriæ fuiſſe inſtitutam, vix eſt veroſimile, cum nihil hujus habeat Porphyrius in ejus vita. Neque temere legas quemquam Plotini ſectatorum ibi docuiſſe: niſi id forte fecerit annos aliquot Jamblichus. Plotini tamen doctrinam probaſſe ſeſe Hypathiæ, non eſt quod in dubium vocemus: præſertim quum conſtet omni philoſophiæ genere ſcholam iſtam floruiſſe. Ad hoc & jus Romanum a nonnullis doceri ibi inſtitutum eſt, nullo tamen indultu publico, eoque id vetitum a Juſtiniano Cæſare. De Pantæno agens Euſebius Pamphili, *docebat is*, inquit, *Alexandriæ, cum ex antiquo ſchola illic conſtituta eſſet ſacrarum literarum, quæ & ad noſtra tempora pervenit.* S. Hieronymus ſcribit, in Alexandria, *juxta veterem conſuetudinem a Marco Evangeliſta, ſemper eccleſiaſticos doctores fuiſſe.* Clementem Alexandrinum, Pantæni auditorem, *poſt ejus mortem Alexandriæ eccleſiaſticam ſcholam tenuiſſe & κατηχήσεων magiſtrum fuiſſe*, iidem teſtantur. Origenem Adamantium *a Demetrio Alexandrinæ urbis epiſcopo in locum Clementis presbyteri confirmatum per multos annos floruiſſe*, ſcribit idem Hieronymus. Huic forte Dionyſius ſucceſſit, de quo Hieronymus: *Dionyſius Alexandrinæ ur-*

bis epiſcopus ſub Heracla ſcholam κατηχήσεων presbyter tenuit, & Origenis valde inſignis auditor fuit. Forte & Pierius ſub Caro & Diocletiano eodem perfunctus eſt munere: hic enim Alexandrinæ eccleſiæ presbyter, teſte eodem Hieronymo, *florentiſſime docuit populos, & tantam ſermonis diverſorumque tractatuum, qui usque hodie exſtant, invenit elegantiam, ut Origenes junior vocaretur.* Sanctum Didymum cœcum Sozomenus ſcribit, ſacræ ſcholæ Alexandrinæ, in qua literæ ac diſciplinæ docebantur, fuiſſe præfectum. Vbi omnino videtur loqui de illo Pantæni ludo: a quo κατηχήσεων ſcholam fuiſſe diverſam, veroſimile eſt. *Quicquid ejus ſit, certum eſt Alexandriæ ſcholam* (a) fuiſſe eccleſiaſticam, & quidem illo ævo nusquam terrarum aliam illi conſimilem: quod admiratione videtur maxime dignum. Non poſſum hac occaſione non adferre in medium querelam, quam ſuper hac re Caſſiodorus, vir utique & dignitate & pietate magnus, jam olim inſtituit. *Cum ſtudia*, inquit, *ſecularium literarum magno ſtudio fervere cognoſcerem, ita ut multa pars hominum per ipſa ſe mundi prudentiam crederet adipiſci, graviſſimo ſum, fateor, dolore permotus, quod ſcripturis divinis magiſtri publici deeſſent, cum mundani auctores celeberrima procul dubio traditione pollerent, niſus ſum cum beatiſſimo Agapito Romæ epiſcopo, ut ſicuti apud Alexandriam multo tempore traditur fuiſſe inſtitutum, nunc etiam in Niſibi civitate Syrorum Hebræis ſedulo fertur exponi; collatis expenſis in urbe Romana profeſſos doctores ſcholæ potius acciperent Chriſtianæ, unde anima ſuſciperet æternam ſalutem, & caſto atque puriſſimo eloquio fidelium lingua comeretur.* Addit ſtatim Caſſiodorus, *deſiderium ſuum non potuiſſe compleri propter bella* (ut inquit) *ferventia & turbulenta nimis in regno Italico certamina, quoniam non habet locum res pacis temporibus inquietis.* Et vero hac occaſione ſcripſit ille ſuos de divinis & humanis lectionibus libros, qui hodieque ſuperant, licet in particulis huc illuc miſere disjectis. De Niſibi porro quod ait Caſſiodorus, confirmat συγχρόνου ſed ex Africa teſtimonium, ut tamen non Hebræis ſed Chriſtianis videatur ludum iſtum tribuere, Junilii Africani. *Vidi* (inquit ille) *quendam Paulum nomine Perſam genere, qui in Syrorum urbe Niſibi eſt edoctus, ubi divina lex per magiſtros publicos, ſicut apud nos* (in Africa ſcilicet) *in mundanis ſtudiis grammatica & rhetorica, ordine & regulariter traditur.* Etiam Antiochiæ tamen ad Orontem Chriſtianam philoſophiam & ſacras literas celebribus auditoriis profeſſos Carterium & Diodorum S. Joannis Chryſoſtomi magiſtros, auctor eſt Sozomenus. Sed hæc opera fortaſſis privato ſtudio fuit ſuſcepta. Qualem multos paſſim terrarum præſtitiſſe, vel una famoſi Aetii hiſtoria nos docet: a quo Tarſi epiſtolas Pauli explicantem Antonium presbyterum, Antiochiæ prophetas exponentem Leontium auditum, memorat Philoſtorgius. Cæterum hoc obiter. Obſervandum autem eſt, ne quidem illam Alexandrinam eccleſiæ ſcholam publica fuiſſe auctoritate roboratam, ſed privatim inſtitutam forte a S. Marco aut ſecutis eum Alexandrinis epiſcopis. Fortaſſis quoque non magna fuit in exiſtimatione, utpote quum illuc ſacrorum ſtudiorum cauſa Chriſtianos multos ex aliis terris confluxiſſe, haud temere legas.

Ab Antonini Cæſaris ævo, quem audivimus ſalaria doctoribus conſtituiſſe, videtur Alexandriæ floruiſſe ſchola etiam medica *ἰατροσοφιστῶν* nuncupata & quidem publica. Quarto ſane ſeculo fuit illa longe florentisſima, ut & ſeculo quinto. Tum enim ibi docuerunt Zeno Cyprius, Magnus, Gesſius, Palladius, Joannes alii. Quod alias latius fortaſſe narrabimus.

Obſignabimus vero hunc de Alexandrina ſchola ſermonem encomio Ammiani Marcellini quantumvis prolixiore; uti liquido appareat, ſaltim qualis fuerit illa ſchola ſeculo Chriſtiano quarto. *Alexandria ipſa non ſenſim ut aliæ urbes, ſed inter initia prima aucta per ſpatioſos ambitus, internisque ſeditionibus diu aſpere fatigata, ad ultimum multis poſt annis, Aureliano imperium agente, civilibus jurgiis ad certamina internecina prolapſis, dirutisque mœnibus, amiſit regionum maximam partem, quæ Bruchion appellabatur, diuturnum præſtantium hominum domicilium. Unde Ariſtarchus grammaticæ rei doctrina excellens, & Herodianus artium minutiſſimus ſciſcitator, & Sacas Ammonius Plotini magiſter, aliique plurimi ſcriptores multorum in litteris nobilium ſtudiorum. Inter quos Chalcenterus eminuit Didymus, multiplicis ſcientiæ copia memorabilis: qui in illis ſex libris, ubi nonnunquam imperfecte Tullium reprehendit, ſyllographos imitatus ſcriptores maledicos, judicia doctarum aurium incuſat, & immania frementem leonem putredulis vocibus vanus catulus longius circumlatrat. Et quamquam veteres cum his quorum memini floruere complures, tamen ne nunc quidem in eadem urbe doctrinæ variæ ſilent: nam & diſciplinarum magiſtri quodammodo ſpirant, & nudatur ibi geometrico radio quicquid reconditum latet, nondumque apud eos penitus exaruit muſica, nec harmonia conticuit, & recalet apud quosdam adhuc literatos conſideratio mundani motus & ſiderum doctique ſunt haud numero pauci: ſuper his ſcientiam callent, quæ fatorum vias oſtendit. Medicinæ autem, cujus in hac vita noſtra, nec parca nec ſobria, deſiderantur adminicula crebra, ita ſtudia augentur indies, ut licet opus ipſum redoleat, pro omni tamen experimento ſufficiat medico ad commendandam artis auctoritatem, ſi Alexandriæ ſe dixerit eruditum.*

Hactenus Ammianus. Sed & de Alexandrina ſchola fortaſſe plus ſatis. De aliis orientalis imperii Romani ſcholis ejusmodi dicere nihil attinet. Non poſſumus tamen omittere præconium, quo CÆSAREAM PALÆSTINÆ μητρόπολιν proſequutus eſt S. Gregorius Nazianzenus oratione qua defunctum Baſilium Magnum laudavit. *Hinc*, dicit, *Cæſaream, ut ſcholarum urbis illius particeps eſſet, contendit. Hanc ajo illuſtrem civitatem, & noſtram, (nam meorum quoque ſtudiorum dux & magiſtra extitit,) non minus literarum & doctrinæ, quam urbium quibus præcellit atque dominatur, metropolin. Quam ſi quis doctrinæ palma ſpoliaverit, rem omnium pulcherrimam ipſique maxime propriam eripuerit. Nam cum aliæ civitates aliis ornamentis vel antiquis vel novis glorientur, prout opinor vel hiſtoriis vel rebus quibusdam viſendis ornatæ*

(a) *Quicquid ejus ſit, certum eſt ſcholam Alexandrinam*) Addenda hic ſunt quæ JOH. MADERVS *in epiſtola de ſcholis veterum ad Conringium pag.* 397. obſervat.

ornata ſunt, hanc contra, ut arma atque tragœdias nota quadam atque inſignia, ſic literarum gloria nobilitas atque illuſtrem reddit.

Hæ præcipue fuerunt ſcholæ publicæ: hæc fere earum fuit facies, ad ſeculum partim ſextum, partim ſeptimum nati Salvatoris. Namque a ſexto ſeculo omnes ejusmodi ſcholæ, imo tantum non omnis eruditio, in tota occidentali Romani imperii parte, per Italiam, ajo, Galliam, Hiſpaniam & Africam: a ſeptimo autem per omnem orientalem regionem, Aſiam nempe, Græciam & Ægyptum, funditus, alibi Germanicarum Scythicarumque gentium, alibi Saracenorum, florentisſimas Romani imperii provincias occupantium, barbarie deletæ ſunt. Imo quod mireris, ipſemet Juſtinianus Cæſar ſcholarum fortunam haud parum labefactavit. Diſerte enim Joannes Zonaras de Cæſare illo: *Neque vero hoc duntaxat, ſed & alia plura templa extruxit; ad quorum ædificationem cum infinitis egeret pecuniis, de conſilio præfecti ſtipendia liberalium artium magiſtris olim conſtituta in omnibus urbibus ſuſtulit, quas vacantibus literarum ludis ruſticitas invaſit.* Idem plane jam memoraverat Procopius Juſtiniani σύγχρονος: imo ex Procopio hæc deſcripſit forte Zonaras. *Verane hæc ſint an in odium ficta*, (a) haud dixerim. Id certum eſt, præter exiguas reliquias CONSTANTINOPOLI ſuperſtites, in omni iſthoc Chriſtiano orbe ſcholam illuſtrem nullam, poſt Muhamedis tempora ſuperſtitem, memorari. Et tamen etiam illæ tandem extinctæ ſunt per Leonem Iſaurum εἰκονομάχον ſeculi Chriſtiani octavi initio. Rem omnem prout narrat, is quem modo laudavimus, Joannes Zonaras, forte haud abs re fuerit hic audire: *Domus erat* (inquit ille) *in regia ita dicta ſive baſilica, in qua multi codices humanæ ac generoſioris & divinæ ſapientiæ aſſervabantur, ab antiquis temporibus ad inhabitandum ei attributa qui eruditione excelleret, quem Oecumenicum doctorem appellabant. Is duodecim contubernales habebat excellenter eruditos. His publicus victus præbebatur. Hos eruditionis & cognitionis avidi accedebant. Hos Imperatores ad rerum gerendarum conſilia adhibebant. Eos Leo ſi cepiſſet & in ſuam ſententiam pertraxiſſet* (περὶ εἰκονομαχίας ſcil.) *omnia ſibi confecta putabat.* Mox cum narraſſet Hiſtoricus, quemadmodum illi ſint Cæſari reluctati, addit: *Sed cum ſæpe cum iis egiſſet fruſtra, eos domum demiſit in illas ædes regias, multamque materiam aridam circum eos collocatam noctu incendi juſſit, atque ita ædes cum libris & doctos illos ac venerabiles viros combuſſit.* Hactenus Zonaras. Idem aut ſimile facinus forte reſpexit Paulus Diaconus, ex Theophane indubie ut ſolet deſcriptum. *A Leone*, inquit ille, *multi pro veritate puniebantur membrorum detruncationibus, & flagris, & exiliis, & rerum jacturis, maximeque illi qui nobilitate ac verbo clari eſſe videbantur: ita ut eruditionum ſcholas & piam eruditionem a Conſtantino Magno hucusque ſervatam extingueret.* Utrum ex vero nata ſit omnis hæc hiſtoria, haud temere affirmaverim. Nec enim Zonaras profecto idoneus eſt tantæ rei teſtis, ſive animum ſcriptoris videas ſive tempus quo vixit. Ad hoc œcumenici alicuius doctoris, & tam illuſtris quidem collegii, memoria alibi forte nulla reperitur. Forte tamen ſignificatur hic regia illa ædes, quam non multo ante a Conſtantino Magno liberalium artium ſtudiis fuiſſe exſtructam, indicavimus. Et vero in ea Latinæ literaturæ decem fuere grammatici, rhetores tres ex Conſtantini inſtituto: quorum unus collegii præſes dictus deinceps forte eſt οἰκουμενικὸς διδάσκαλος. Ut proinde illud collegium una cum regia æde Leonis Iſauri ſcelere perierit.

Cæterum omnia etiam illarum, quas modo commemoravimus, ſcholarum inſtituta intuentibus, facile patet, etſi fuerint illæ noſtris affiniores, quam iſtæ veterum Græcorum, permultum tamen iis fuiſſe inferiores. Nusquam enim omnia doceri ſunt ſolita, ut apud nos fit in plerisque academiis paulo melioribus. Inprimis rara fuit theologica profesſio & medica: quibus tamen melior orbis non poteſt nec debet carere. Deinde nec jurisdictionis noſtræ veſtigia illo etiam in ævo comparent: quæ eſt inter potisſima eorum, quæ ad dignitatem ſcholaſticam faciunt. Dubito etiam, an omnes diſcentes per gradus ad honores aliquos eruditionis ſint ducti: quomodo nos benemeritos titulis ſuis donamus. Omnes inquam. Namque in philoſophorum & rhetorum ſcholis videtur nonnihil ſimile obſervatum, ut alias narrabimus. Poſtremo in noſtris academiis plerumque multis diſcentibus ſolet victus ex publico dari: quod ſimiliter in illis Romani imperii ſcholis non obſervo, niſi quod obiter Lampridius ſcribat in Alexandri Severi vita: *Doctoribus auditoria & ſalaria decrevit, & in diſcipulos pauperum filios modo ingenuos annonas dari juſſit.* Sed hæc procul dubio non fuere diuturna, ſi modo unquam in uſum recepta ſunt.

Sed etiam de illis ſcholis publicis, quæ ſub Cæſaribus Romanis floruerunt, ſatis forte eſt dictum. Quanquam enim & Judæis illa tempeſtate non defuerint ſcholæ, & quidem ſic ſatis celebres

(a) *Verane hæc ſint an in odium ficta*). *Juſtinianum*, inquit *ALBERICVS GENTILIS dial. 6. de claris juris interpret. p. 640. pasſim proſcindunt omni contumeliarum genere. Iſta tamen ab Alciato non didicerunt recentiores. Nam confictas in Juſtinianum fabulas non uno argumento is diluit in parergis ſuis, atque altero loco, Procopio & id genus grammaticis, a quibus novitii pendent, haud quaquam credendum eſſe, infenſos enim iſtiusmodi homines fuiſſe Chriſtianisſimo Imperatori.* Interim negari non poteſt Juſtinianum Theodoræ conjugi mulierum impudicisſimæ plus juſto obnoxium fuiſſe, aliisque indulſiſſe vitiis. Quæ autem PROCOPIVS *in hiſtoria anecdota*, a Jacobo Alemanno edita, & ab Eichelio ſub examen vocata conglomeravit, ita ſunt conſtituta, ut magnam partem fidem non mereantur. Sunt quidem qui Procopii partes ſequuntur ut TIRAQVELLVS *de nobilitate c. 31. n. 536.* RÆVARDVS *lib. IV. variorum c. 10.* & alii, quos refert & refellit MÆSTERTIVS *de juſtitia legum Romanarum dubit. 2.* Adde GVINETTVM *in Juſtiniano*, RIVIVM *in defenſione Juſtiniani*, & BERGERVM *in Juſtiniano enucleato & defenſo.*

bres *in Tiberiade* (a) & *alibi*, (b) tamen & illæ auctoritate publica non ſteterunt, eoque ad noſtrum hoc inſtitutum non pertinent. Tempus eſt ut SARACENICAS luſtremus. Quamvis enim per ejus gentis irruptiones omnem orientalis imperii eruditionem ante dixerimus everſam, per eandem tamen poſt iterum haud leviter nitori ſuo illa reſtituta eſt: quanquam ducentis demum fere poſt Muhamedem annis. Scilicet initio quidem ſuæ potentiæ, quam ductu Muhammedis acquiſiverunt, doctrina aliqua neque ipſimet erant inſtructi Saraceni, neque in aliis videntur potuiſſe eam æquo animo ferre. Præ zelo ſcilicet religionis aut potius ſuperſtitionis ſuæ, ipſi quum eſſent imperiti omnis culturæ melioris, eandem ceu pietati aut certe ſuperſtitioni ſuæ adverſam exſcindere potius quam fovere, in parte videntur religionis collocaſſe. Nec mutata in iis hæc barbaries fuit fere ante ſeculum IX. h. e. ducentis prope a Muhamede annis. Prope inquam. *Nam & ſeculo octavo jam cœpiſſe apud eos* (c) melioris doctrinæ nonnihil, negari merito haud debet. Secuto autem tempore haud parva in exiſtimatione fuiſſe omnia illam apud gentem ſtudia reperio. De Arone Raſiida ſexto poſt viceſimum Chalifa, *illo quem munera ad Carolum Magnum* (d) ex Perſia usque miſiſſe, in Francorum annalibus & Eginharto legitur, ſcribit Saracenicæ hiſtoriæ auctor *Georgius Elmacinus* (e) Abulcaſini filius hæc in verba, prout quidem illa vertit Thomas Erpenius. *Quod ad naturam, ſumma inter Chaliſas fuit humanitatis & liberalitatis, maxime in poetas: vehementer enim delectabatur bonis verſibus, eorumque auditu & imitatione. Cum peregrinaretur peregrinari cum eo ſolebant centum docti: cum autem non peregrinaretur, trecentos homines ad peregrinationem inſtruebat, ſumptus iis ſuppeditans & veſtes mundas. Neque in aula ullius Chaliſæ tot convenerunt conſiliarii, judices, docti, eruditi & poetæ, atque in aula Raſida.* De filio hujus Abulabbate *Almamone*, (f) qui & Abu Giafar Abdalla fuit dictus, ſcribit idem: *Inter Abbaſidas nemo quiſquam eo fuit eruditior, nec præſtantior. Didicerat egregie aſtronomiam & ventorum ſtationes: unde & inter peritos hujus ſcientiæ etiam nunc notus eſt ventus Almaimonis.* Et vero hic eſt ille Mamumus Zonaræ dictus, qui victor licet, pacis publicæ pretio, a Theophilo Conſtantinopolitano Imperatore Leonem philoſophum, mathematicarum artium peritia inſignem hominem, mitti ſibi petiit, nec impetravit: qua de re poſt diſſerendum. Eo etiam curante inſtituta eſt in Babyloniæ campis ab ejus ætatis celeberrimis mathematicis illa telluris dimenſio, quam Maimonis vocant geometræ Arabes. Ex libro *Juchaſin* (inde enim hauſit, etſi diſſimulaverit) Abrahami Zacuti notavit Joſephus Scaliger: *Maimonem ſcientiarum doctorumque hominum fuiſſe ſtudioſum:* multos etiam libros ejus ætate ex Græco ſermone in Arabicum converſos eſſe. De Mutetzan Chalipha Maimonis ſucceſſore tradit idem Zacutus, fuiſſe illum ſummum medicorum amatorem. Quo tempore Chorasenæ, Ægypto, & Syriæ præfuit Abdalla filius Taheri filii Huſeini: ad quem confluxiſſe viros doctos, quemve poetas muneribus ditaſſe, refert is quem ante laudavimus Elmacinus. Qui non multo poſt ſcribit, ætate Giafaris Abulfaldi Mutevvakkeli, primi & triceſimi Muſlimorum regis, floruiſſe viros excellenter doctos atque eruditos. Unde manifeſtum eſt, nono iſthoc ſeculo haud parum viguiſſe omnis generis doctrinam in Aſiatico illo Saracenorum imperio.

Non autem illo tantum tempore in pretio habuit ASIA SARACENICA eruditionem, ſed multis etiam ſequutis ſeculis. Ex quibus latino quoque orbi innotuerunt cum alii tum hi imprimis: Abunaſar *Alpharabius* (g) Babylonius, & Abenſina, quem *Avicennam* (h) vulgo nuncupamus, Bochara

(a) *in Tiberiade*) Integrum ſub hujus ſcholæ nomine librum conſcripſit JOH. BVXTORFIVS, qui commentarium quendam Maſorethicum complectitur. Hujus academiæ ſive ſcholæ præcipui doctores extiterunt R. Jehuda ſanctus, R. Ammi & R. Joſua ben Kisma, ut habetur in libro Juchaſin f. 31. Præter eam quoque celebres fuerunt in Palæſtina ſcholæ, quæ Romanorum conniventia Judæis concedebantur, ſchola Jaſnenſis, Zephorienſis & Cæſarienſis, de quibus vid. BVXTORFII *Tiberias c.* 4. 5.

(b) *& alibi*) Talis locus erat Sora Nehardea, urbs ad Euphratem ſita. JOSEPH. *antiq. Judaic.* 18,22. Vid. WOLFFIVS *in biblioth. Rabbinica part. II. pag.* 923. BARTOLOCCIVS *in biblioth. p.* 663. *van* BASHVYSEN *in Beth Hammidraſch.*

(c) *Nam & ſeculo octavo jam cœpiſſe apud eos*) Seculo octavo anno Hegiræ 137. & anno Chriſti 758. vixit Chaliſa Secundus Abou Jaaſar Almanſur ex familia ben Abas fundator Bagderi aſtronomiæ cultor. Vid. de eo P. RAPIN *dans les comparaiſons des grands hommes de l'antiquité tom. I. p.* 403. Verum non ſolum hoc ſeculo, ſed longius quoque ante iſta tempora antiquitatis græcæ cognitionem Arabes, Syros, Perſas & Turcomannos habuiſſe, perſuadet CHRIST. RAVIVS *Paneg. p.* 17.

(d) *illo quem munera ad Carolum Magnum*) Hoc tempore Bulahylyhæ Ben Gezlæ opus ex Arabico a Farrago Judæo latine tranſcriptum & Carolo M. dicatum refert HVETIVS *de fab. Roman. p.* 178.

(e) *Georgius Elmacinus*) Religione Chriſtianus ſcripſit ſec. 13. hiſtoriam ſive chronicon ab orbe condito usque ad an. 1118. cujus priorem partem usque ad Mahomedem in biblioth. Segvieriana Ms. evolvit Ecchellenſis, ut teſtatur in Eutychio ſuo vendicato, & in Cantabrig. bibliotheca literis deſcriptam Syriacis legit HOTTINGERVS ex ea nonnulla afferens *in hiſtoria orientali.* Poſterior pars autem ſub titulo hiſtoriæ Saracenicæ ex Thomæ Erpenii verſione prodiit latine Lugd. Batav. 1625. 4. cum Roderici Ximenes Archiep. Toletani hiſtoria Arabum, & Arabice ac latine cum eadem verſione Erpenii curante Jac. Golio eodem anno ibid. in folio.

(f) *Almaimone*) Vixit *ſec. IX.* De eo refert P. RAPIN *l. c.* quod a ſpectro quodam ſub ſpecie Ariſtotelis ſibi noctu apparente excitatus fuerit, deinceps cum Michaelem imperatorem deviciſſet, omnes Ariſtotelis libros colligendos & in Arabicam linguam transferendos curaverit. Vid. quoque ABALFARAVS *de dynaſtiis* ex verſ. POCOCK. *pag.* 160. VOSSIVS *de ſcientiis mathemat. p.* 173.

(g) *Alpharabius*) Quem ipſi Ariſtoteli æquandum judicant Arabes, & Maalemzani magiſtrum ſecundum appellitant. Vid. HERBELOT *biblioth. orient. pag.* 337. POCOCK *præf. in carmen Tograi poetæ.* Huic Alfarabio tribuunt verſionem analyticorum Ariſtotelis & de eo refert P. RAPIN. *l. c.* quod libros phyſicorum Ariſtotelis quatuor vicibus continua ſerie legerit, finita lectione vero adhuc repetere illam deſideraverit.

(h) *Avicennam*) Ejus libri Arabice prodierunt ex prælo, quod Sixtus V. primum Romæ inſtituit, cum Euclide & 4. evangel. a. 1558. Jam ante autem libri ejusdem anno 1477. juſſu Papæ Nicolai V. cujus Secretarius fuit

chara oriundus ſummus medicus, & *Abunaſar* Giaphar Balachenſis aſtrologus Choraſena ortus, quem noſtri Albumaſarum appellant, atque *Albategnius* (a) Muhamed patria Araccenſis Meſopotamius, Joannes etiam *Meſue* Damaſcenus, & Haly abbas atque *Iſaac, medici* (b) ſane doctiſſimi. Ut nunc alios taceam; qui ne nos lateant effecerunt & *Raſis Continens*, (c) & Serapionis Meſuæque practici qui appellantur libri. Nec difficile eſt oſtenſu, nullum fere non Aſiæ angulum in Indos usque Arabicam eruditionem occupaſſe: donec tertio decimo ſeculo Turcarum Tartarorumque gentes, exciſo Sarracenorum imperio, tantum non omnia barbarie ſua Scythica impleverunt. Illis igitur quadringentis annis multas illuſtres ſcholas in omnibus celebrioribus Aſiæ urbibus floruiſſe, non tantum conjectura licet aſſequi; ſed haud obſcuris poteſt monumentis comprobari in illo magno etiam librorum defectu. Neque enim nobis niſi rari libri ſunt ex Arabico converſi: contra vero hodieque nobiliores Aſiæ urbes bibliothecis uberrimis inſtructæ ſunt, adeo ut paucis abhinc annis Conſtantinopoli ſuperfuerint duæ bibliothecæ Arabicæ, quarum ſingulæ æſtimatæ centum ducatorum millibus, una item quæ non niſi quadringentis millibus ducatorum fuerit venalis.

Verum quandoquidem de Aſiaticis ſcholis, quem illæ in modum fuerint conſtitutæ, non poſſunt multa dici, ſatius fortaſſe fuerit in AFRICAM nos convertere: quam & ipſam una cum Hiſpaniæ maxima parte longo tempore Sarraceni tenuerunt. Annus Hegiræ erat quaſi CCLV. qui Chriſtianus eſt DCCCLXXVII. quum facto ſchiſmate novus Chaliſatus in Ægypto enatus eſt. Ex eo tempore, incumbentibus eam in rem Chaliſis illis ut & poſt Saladini familia, imo ipſis etiam *Mamaluccis*, (d) qui rerum ibi ſunt potiti, floruerunt & viri eruditi multi in Ægypto, & ſcholæ quoque publicæ omnium artium. Etſi enim varias viciſſitudines experta ſit regio iſthæc, tamen nec ipſi Mamalucci intermiſerunt ſcholas magnifice in nobilioribus urbibus exſtruere. Tradit *Jo. Leo, Afer*, (e) Alexandriæ multa ſtudioſorum collegia eſſe. Jam ante quadringentos annos circiter Benjamin Tudelenſis Judæus narraverat, viſum ſibi Alexandriæ, *extra urbem ædificium magnum & ſpacioſum, quod fuiſſe dicebatur Ariſtotelis gymnaſium, Alexandri præceptoris; in quo viginti fere ſcholæ fuerint, a totius orbis hominibus frequentatæ.* Quod indubie fuit unum horum paulo ante memoratorum: Ariſtotelis enim fuiſſe, ridiculum eſt vel inepti erronis vel vulgi commentum. Teſtatur præterea Leo, *etiam Alcairi multa admirandi operis collegia* (f) ſive *ἀκροατήρια* paſſim reperiri: interque ea unum a Sultano Gaurio exſtructum illo, quo cum, a Selymo Turca devicto, concidit in Ægypto Mamaluccorum imperi-

ille ex controverſia de Platone & Ariſtotele cum cardin. Beſſarione notiſſimus Gregorius Trapezuntius, Latine tranſlati fuerunt. Quam verſionem primum adornavit horrido ſtylo Georgius Cremonenſis, ſed poſtea emendarunt Alnajus Bellunenſis vir Arabice doctus, Hieronymus Rhamnuſius, Arnaldus de villa nova, Jacobus Mantinus & Joh. Quinquarboreus, aliique qui circa interpretationem ejus deſudarunt, inter quos cumprimis memorandus eſt Fortunatus Plempius, notis vero inſtruxerunt Paulus Murgius & Joh. Cuſtæus. Cæterum Avicennæ cantica & libellus de viribus cordis, hic ab Arnaldo de villa nova, illa ab Armegando Blaſio latine reddita ſunt, ref. HVETIO *de fabulis Romanenſibus p.* 178. Sorſarius Arabs Avicennæ diſcipulus vitam ejus Arabice ſcripſit, eam latine reddidit Nicolaus Maſſa.

(a) *Abunaſar, Albategnius*) *JOH. SELDENVS præf. ad Eutychii annales*, *Abi Hali*, inquit, *Ben Mucla primus elegantioris apud Arabes ſcribendi generis autor fuit.* Albatenius ſeu Albategnius eſt Mohammed Aractenſis, (Aratenſis Copernico & ſubinde Aracenſis dicitur) de quo ZEMVCH DAVID *part.* 2. *ad a. C.* 875. refert, eum inveniſſe exactum calculum & tabulas aſtronomicas in hunc diem uſitatas. Albatenii librum de ſcientiis ſtellarum uti & Almanſorem & alia ex Arabico olim latine vertit Plato Tiburtinus. Abumaſar male tribuitur a BLANCANO *ſec X.* Nec melius PICVS MIRANDVLA Arabibus ea voce dictum aſtrologum negat, quoniam philoſophus tantum apud illos ſic vocatus fuerit, aſtrologus autem, quem ex Arabico habeamus, dicendus ſit Aboaſar, *lib I. in aſtrol.* Verum enim quidem eſt, non Albumaſar dicendum aſtrologum, ſed Abumaſar, non vero Aboaſar.

(b) *Meſue, Iſaac, medici*) De his cæterisque vide SCHENCKII *biblioth. medicam.* HVETIVS autem *l. c.* ait *p.* 188. *Jacobus Sylvius, & Andreas Veſalus, alter Meſuæ libros tres, alter nonum Raſe ad Almanſorem verterunt; ſed in Arabicis peregrini antiquas interpretationes puriori tantum latinitate expoliverunt.* Ib. *p.* 178. *Johannis Serapionis partem aliquam ex Arabico latinam ſed impure Abrahamo Judæo & Simoni Genuenſi, eandemque purius verſam Nicolao Mutono medico Mediolanenſi debemus.*

(c) *Continens Raſis*) *Germ. Brice dans la deſcription nouvelle de la ville de Paris p.* 79. commemorat, quod MStum Raſis olim in bibliotheca facultatis medicæ Pariſ. fuerit, quo inde Ludov. XI. in bibliothecam regiam transferendum curaverit. Addit: *Ce Raſis etoit un medicin Arabe d' un grande reputation, qui vivoit dans le ſiecle X. a. 950. Il ſe nommoit Mehemmed fils de Zekeria, & etoit natif de ville de Rei en Perſe, c' eſt pour quoi on l' appelloit Razis qui veut dire né à Rei. On a de lui entre autres choſes un excellent Traité de la Peſte en langue Syriaque, avec les moyens de la guerir. Ce meme Traité a ete traduit en grec par Tralian & du grec en François per Sebaſtien Colin.*

(d) *Mamaluccis*) Fuerunt illi primum captivi ex Turcis & Circaſſiis, quos Reges ex familia Saladini deinceps ad militiæ dignitates evexerunt, quique tandem rerum in Ægypto ipſi potiti ſunt, in duas dynaſtias diviſi, quarum una Baharitarum, i. e. maritimorum, altera Borgitarum ſeu inquilinorum dicta fuit, quæ regnavit ab a. 1250. usque ad a. C. 1525. Vid. HERBELOT *bibl. orient. p.* 545. Atque hi non minus egregie erga literas affecti fuerunt ſervili quamvis genere nati, quam olim nobiliſſimi illi Ptolomæi, uti recte ait CONRINGIVS.

(e) *Jo. Leo, Afer*) Alias Johannes Eliberitanus vixit ſec. XVI. qui Mauris Hiſpania pulſis fortunam ſuæ gentis ſecutus in Africam tranſmiſerat & Feſſæ in artium & literarum Arabicarum ſtudiis operæ multum poſuerat, tandem Africa & Aſia aliquot annis peragrata in Mauritaniam ad ſuos rediturus prope Lothophagitem inſulam captus & Leoni X. Pontifici in mancipium traditus, ab eo vero manumiſſus & in baptismo patroni Leonis nomen conſecutus Ægidium Viterbienſem, Hieron. Seripandum cardinales & Juſtinianum Nebienſem primus in Europa Arabica docuit, ut loquitur HINCKELMANNVS *præf. in Alcoranum.* Rediit tamen idem poſtea, ut canis ad vomitum, ad Mohammedis ſacra, notante CONPINGIO *ſupplem.* 19.

(f) *etiam Alcairi multa admirandi operis collegia*) Sec XII. Saladinus in urbe Cairo collegium novum fundavit ſectæ Schafiennæ dicatum, atque exinde etiam appellatum Medra ſat al ſchafeiah. HERBELOT *in bibl. orient. p.* 526. notat, tantam quoque in hac urbe reperiri ſcholarum magnitudinem, ut integrum opus de iis proſtet apud Arabes.

imperium; in ſuburbio Betzuaila item eſſe celebre collegium Heſen Sultani, concamerationum altitudine, mœniumque vaſtitate adeo memorandum, ut rebellionem Sultano intentantes ſe in eo contra urbem communire auſi ſint, Sultanique arcem tormentis impetere: in ſuburbio Beb Elloch videri collegium memorandi operis Mamalucci Jazbach, cujusdam Sultani conſiliarii, a quo locus Jazbachium ædificium appelletur: Bulacum poſtremo ſuburbium pulcherrimis ſtudioſorum collegiis refertum eſſe. Ex quibus ſane manifeſtum eſt, non minus egregie erga literas affectos fuiſſe ipſosmet Mamaluccos, ſervili quamvis genere natos, quam olim nobiliſſimos illos Ptolomæos; imo majorem forte his laudem deberi, ob extructa tot regia ædificia; quum contra ab illis non niſi unum legamus *μουσεῖον* literariæ rei eſſe conſecratum. Cæterum quæ facies harum ſcholarum fuerit, non poſſum dicere. Et nunc illas tantum non penitus frigere conſtat, ex quo in Turcarum ditionem Mamluccorum imperium devenit. Quare in AFRICAM PENITIOREM pergamus.

Et ſane obſervare eſt, vix alibi Sarracenicæ ſectæ hominibus ſcholas aut plures fuiſſe aut celebriores. Etſi enim ad annum usque milleſimum noſtræ æræ, omnia videantur a ſeculo usque quinto poſt Vandalicos furores pene intermortua ibi fuiſſe, ſequuta tamen tempeſtate mirum in modum cuncta cœperunt refloreſcere. *Loco quippe ſcriptorum Latinorum (quæ neſcio cujus Calipha rabies ſeculo circiter nono, quo Muhamedismus barbarie inducta ſecurius regnaret, incendio juſſerat conſumere,* (a) ut pauca eorum Arabice verſa ſint, ſecus quam nonnulli perſuadere conantur) omnis generis Arabici libri copioſe aut aliunde adducti illuc ſunt, aut vero primum tunc conſcripti. Hactenus nimirum ex quo Muhamedanum virus ibi diſſeminatum, Mauritaniam utramque, Tingitanam ac Cæſarienſem, Africam item proprie dictam, quæ hodie Barbaria dicitur, Cyrenen denique & Marmaricam, ſparſi Arabes, *Arabi Muſtegheme,* quod eſt Arabes barbari, hinc ſuis nuncupati, partim Chalipharum vel Bagdadenſium vel Ægyptiorum duces, partim alii duo ſchismatici Chaliphæ, Caruanenſis ſcilicet in oriente & Feſſanus in occidente, tenuerunt. Quibus omnibus equidem non invenio magnam aliquam melioris doctrinæ fuiſſe curam. Sed horum imperium excepit imo delevit gens Luntuniorum, Abul Taxifio circa annum Chriſti CIϽLI. auctore orſa. In tantam enim potentiam brevi familia illa crevit, ut imperio ſuo utramque Mauritaniam, Barbariam item adeoque & Tunetanum regnum, Bæticam denique integram aliasque Hiſpaniæ regiones complexa ſit. Auxerunt idem imperium & late firmaverunt *Almuachedini ſeu Almohadi Pontifices,* (b) qui devictis Luntuniis rerum potiti ſunt anno circiter Chriſtiano CIϽCXI. aula ſua Marocchi conſtituta. Quod licet, concidente & hac familia, ſeculo ſequente tria nova regna pepererit, Feſſanum, Telenſinum & Tunetanum, ad noſtra fere usque tempora tamen perductum eſt. Ab illa autem usque Luntuniorum ætate, incredibile dictu quantum ſcholarum in Africa ac Hiſpania ſit enatum. Non enim temere celebrior aliqua aut Africæ aut Hiſpaniæ urbs ſub illis Mauris fuit, quin eadem nobiliſſimis fuerit ſcholis exornata. Incumbente huc inprimis Jacobo Manſore tertio Almuachidinorum ſectæ Rege ac Pontifice, cui ad fortunæ amplitudinem ſcientiarum etiam cognitio acceſſerat. Is autem eſt ille, cujus auſpiciis docuit in Marocchana academia *Averroës*, (c) magnus ille Ariſtotelis commentator. Cujus ſcholæ florentiſſimæ hisce verbis meminit Leo: *Habet & hæc arx regia nobiliſſimum quoddam collegium, cui triginta inſunt aulæ. Hujus medio viſendæ amplitudinis quadam eſt, in qua publice maximoque apparatu prælegere ſolebant, dum adhuc apud illos literaria floreret respublica. Qui in hoc collegio recipiebantur, his victus dabatur atque veſtitus. Profeſſorum alius centum, alius ducentos quotannis pro lectionis qualitate aureos accipiebat: neque quenquam prælectioni admittebant, qui non exactiſſime calleret, quæ ad eam artem quam profitebatur pertinere putabant. Locus ornatiſſimus, parietes habet opere vermiculato elegantiſſimos, eaque præſertim aula, in qua publice ſemper prælegere ſolent. Omnes porticus omnesque adeo convexitates ex lapide depicto vitreoque compoſiti ſunt; apud illos Ezzulleja dici ſolet, cujusmodi adhuc apud Hiſpanos in uſu eſt. Hujus ſtructura medio egregius limpidusque admodum eſt fons, cujus murus ex marmore candido atque elaborato. Audivi frequentem quondam hic fuiſſe diſcipulorum numerum, verum meo tempore non plures quinque inveni. Prælectorem nunc habent ſtupidiſſimum atque ab omni humanitate alieniſſimum.* Hæc Leo de ſua ætate. Vixit autem ante hos centum amplius annos, captus a piratis ac Leoni decimo Pontifici in mancipium donatus, a quo manumiſſus utrumque patroni nomen Joannis Leonis conſequutus eſt.

Non

(a) *loco ſcriptorum latinorum, quæ Califæ cujusdam rabies ſeculo IX. juſſerat conſumere)* Vide omnino *ſupplementum* 19. *ſub finem.* Studia etiam philoſophiæ ſuppreſſiſſe Mohammedanos, idque inter cauſas late diffuſi imperii Ottomannici refert EDVARDVS BREREWOODVS *in ſerutinio relig. p.* 36. Philoſophiam enim, ait, a 400. & ultra annis in ſcholis, cum antehac Cordubæ, Feſſæ, Marocci & Bagdadi floruerit, docere prohibitum fuit, quo ſpectat illud LEONIS AFRICANI *ex lib. I. pag.* 33. citatum a CONRINGIO *pagina ſeq.*

(b) *Almuachedini ſeu Almohadi Pontifices)* HERBELOT de his ſub tit. *Moabedoun in bibl. orient. p.* 585. ait. *C'eſt le nom d' une Dynaſtie ou famille, qui a regne en Afrique & que les Eſpagnols & Francois appellent Almohades, le premier fundateur de cette Dynaſtie fut Muhammed Abdal moumen fils de Tomrut, qui prit le ſurnom de Mahadi, c. a. de Chef de conducteur & de directeur des fideles, ſous le quell titre toute la pouiſſance au autorite tant ſpirituelle, que temporelle eſt compriſe.*

(c) *Averroes)* Alias Ebn Raſchad dictus medicus Cordubenſis in Hiſpania, ubi natus a. 1140. vel ut aliis placet a. 1153. Floruit tempore Friderici II. Imperatoris, in cujus aula quoque ſe vidiſſe duos filios Averrois teſtatur ÆGIDIVS ROMANVS *quodlibeto* 9. Ex Arabico latina ejus libros tranſtulerunt & interpretati ſunt Armogandus Blaſius, Jac. Mantinus, Joh. Franciſcus Burana, Abrahamus de Balmis, Vitalis Niſſus, Calus Calonymus, Joh. Brugerinus Campegius, Paulus Iſraelita, ref. HVETIO *de fabulis Roman. p.* 179. Cæterum ita Ariſtotelem ille coluiſſe perhibetur, ut Deum ſapientiæ haberet, a quo error omnis ſit alienisſimus, imo ejusdem admiratione captus pronunciaſſe dicitur, ſe malle ſuam animam cum philoſophis eſſe, quam cum Chriſtianis, ref. NIEMEIERO *diſſ. de Ariſtotele ejusque philoſophia* §. 60. Adde de eo MORHOFII *polyh. tom. II. lib. I. c.* 10. *n.* 2. & JAC. GADDIVM *libro de ſcriptoribus non eccleſiaſticis tom. I. p.* 56.

Non adducam nunc quæ idem tradit de ædibus ſcholaſticis aliarum per Africam urbium, ne vos (auditores) nimis onerem hisce audiendis. Per enim ille multa adfert: certe plura quam quis facile credat. Exornarunt enim Africam ſplendidisſimis Muſarum ædificiis, non tantum Almohadi quôs ante laudavi, ſed & Marini Feſſæ Reges, qui Marocchanum Almohadorum imperium deleverunt ſeculo tertio decimo: imo non illi tantum ſed & ipſi Tunetani ac Telenſini Reges. Non poſſum vero a me, utut feſtinem, impetrare, quin ex Leone recitem ſaltim illa, quæ de FESSANÆ ſcholæ ædificiis & ſtatu prolixe ſatis commemorat. *Sunt*, inquit, *in hac urbe duo celeberrima collegia, multis ædificiis multoque opere muſivo elegantiſſima; horum omnes trabes inciſæ, parietes tum marmorei, tum cretacei. Sunt quæ centum habent muſeolos, ſunt quæ plures, ſunt quæ pauciores. Omnia autem a diverſis Regibus, qui ex Marinis oriundi erant, condita ſunt. Atque horum quoddam eſt amplitudine & elegantia admirandum viſuque digniſſimum, quod a quodam Rege conditum eſt, quem illi Habu Henon vocabant. Hic egregium quendam fontem reperias marmoreum, cujus vas duas cupas continet. Præterfluit quoque in hoc collegio rivulus intra canalem nitidum atque elegantiſſimum, cujus margines marmore & majorica ſunt elegantiſſime conſtructa. Tria item hic viſuntur deambulacra tecta, miro artificio atque labore ornatiſſima, quæ columnis quibusdam innituntur octogonalibus variis coloribus diſtinctis. Ab una autem columna ad aliam arcus videas labore muſivo, auro atque cæruleo colore conſpicuos, tectum autem ligneum eſt miro artificio inciſum. Porticus cancellis elegantiſſimis ſunt ſecreti, adeo ut qui foris ſunt illos videre nequeant, qui intus deambulant. Murus undique quantum manu contingere licet, opere cretaceo, quod majorica vocant, depictus eſt. Reperias multis in locis carmina quædam, quæ annum indicant, quo exſtructum fuit collegium, item & permulta in conditoris laudem conſcripta epigrammata. Sunt & characteres magni admodum nigro colore obducti, qui a longe optime legantur. Porta collegii iſtius ærea multo artificio ornatiſſima, cubiculorum vero janua lignea miro item artificio inciſa. Aula quæ orationibus eſt dicata, ſuggeſtum habet, ad quem novem gradibus ebore & hebeno conſtructis aſcenditur. Abſoluto collegio dicunt nonnulli, Regem quantum pecuniarum in eo exſtruendo conſumpſiſſet ſcire voluiſſe, moxque folio uno aut altero perluſtrato, quadraginta milium aureorum ſummam repperiſſe: quare omnino lacerum librum in eum fluviolum conjecit, hoc addens ex cujusdam Arabis ſcriptis dictum: Quicquid charum quamvis carum ſi pulchrum carum non eſt: neque nimio conſtitiſſe dicendum quod animo arridet. Fuit tamen Regi quidam a theſauris qui ſumptum accuratiſſime annotavit, atque in egregium hoc opus quadringenta & octuaginta aureorum millia inſumpta collegit. Reliqua Feſſæ collegia cum hoc aliquam habent ſimilitudinem; habetque quodlibet ſuos profeſſores, quorum quidam ante meridiem, alii horis pomeridianis prælegunt, his autem optime a conditoribus proviſum eſt. Olim qui hic literis incumbebant, toto ſeptennio veſtitus atque victus dabatur, at nunc illis nihil præter cubiculum obtingit gratis. Bellum enim Saidicum multas delevit poſſeſſiones, quarum emolumentis alebantur ſtudia: nunc autem duceni huic collegio, illi vero centum vix aurei in annum redeunt, qui profeſſoribus annumerantur. Hæc fortaſſe inter alias permultas una ratio eſt, cur tam minutum ſit non Feſſanum imperium modo, verum & totius Africæ civitatum. Jam nullos habent hæc collegia præter exteros quosdam ſcholaſticos, qui civium victitant eleemoſynis: & ſi quis e civibus inhabitet, numerum duorum vel trium non tranſcendunt. Profeſſore lectioni parato, ex auditoribus quisquam textum prælegit, cui poſtea prælector commentum addit atque locorum obſcuriorum interpretationem aliquam. Solent & interdum præſente prælectore diſcipuli inter ſe de lectionibus certare.* Hæc omnia Leo, qui alibi paſſim in ſchola illa Feſſana etiam ſeſe edoctum profitetur. Neque vero vel tum defuiſſe ibi omnigena ſtudia audivimus: ut nec alibi illa tum interiiſſe, idem teſtatur.

Quantum apparet tamen, fuerunt illa occupata cumprimis in ſuæ religionis & ſuarum legum diſciplina. Eoque idem diſerte ſcribit: *Qui in Barbaria* (hæc autem eſt quatuor Africæ partium nobiliſſima) *ac in maris mediterranei tractu habitant Arabes, maxime trahuntur ad ſcientiæ ſtudium atque cupiditatem: habentque apud illos locum principem ea quæ ad illorum fidem atque religionem ſpectant. Fuerunt olim & mathematicarum diſciplinarum philoſophiæ atque aſtrologiæ ſtudioſiſſimi; ſed abhinc annis fere quadringentis ea ſtudia ab illorum principibus atque fidei profeſſoribus e medio fuerunt ſublata.* De Numidis idem ait, eruditione quidem ab his vinci Arabes *κοινῶς, phyſicæ tamen & philoſophiæ nullam aut parvam habere notitiam.* Eosdem *omnes rerum omnium naturalium domeſticarum & politicarum imperitiſſimos* pronunciat: ut Lybiæ incolas *literarum bonarumque artium negligentiſſimos.* (a) Neque vero ab eo tempore melior videtur reddita ſcholarum illius Africæ facies: utut etiamnum ibi *bibliothecæ librorum veterum ampliſſimæ reperiantur.* (b)

Quicquid autem ſit, vel ex his tamen compertum eſt, primo ingentes ſumptus publicos factos ab Africæ Regibus in ſcholaſtica ædificia, adeoque hac parte longe illos ſuperaſſe non tantum veteres Græcos ſed & ipſos Cæſares Romanos: deinde profeſſoribus ſalaria atque victum ac amictum ex publico ſatis liberaliter eſſe conceſſa. Ergo & noſtris ſcholis fuiſſe illas Africæ ſimiliores nullum dubium. Imo veroſimile eſt, noſtras ex illarum inſtitutis atque moribus permultum accepiſſe. Verum quæ ratio docendi, quæ coercendi petulantem juventutem fuerit ibi obſervata, non legimus. Illud tamen vel ex uno Leone eſt notum, olim quidem Marocchi ac Feſſæ imo alibi per Africam paſſim, & artem medicam, & Muhammedanæ religionis dogmata, & univerſam philoſophiam, & poeticen,

(a) *negligentiſſimos*) Huc ſpectat etiam PROSPERI ALPINI teſtimonium *lib. I. c. I. operis de medicina Ægyptiorum*, quod ſupplemento 21. affert Conringius, ex eoque REIMANNVS *in antiquit. literariis Ægyptiorum p.* 192.

(b) *bibliothecæ ampliſſimæ reperiantur*) Vid. JOH. LOMEYERI eccleſiaſtæ Zutphanienſis liber ſingularis *de bibliothecis Ultraj.* præcipue cap. XI. ubi de bibliothecis Arabum, Africanorum & Perſarum prolixius agit.

dicen, publice magno conatu doceri ſolita. Quin liquet, juris diſciplinam ſummo fuiſſe ſtudio cultam, non Romani quidem (nec enim illud Afris cognitum) ſed naturalis & civilis illius Africani, ex naturalibus nempe & poſitivis gentium ac Muhammedis aliisque conflati. Etſi igitur omni ex parte noſtris ſcholis illæ haud fortaſſe ſimiles fuerint, nullum tamen eſt dubium omnium fuiſſe ſimillimas.

CÆTERVM de Sarracenicis etiam ſcholis ſatis fortaſſe pro ratione inſtituti eſt dictum. Tempus monet, ut tandem aliquando & de iis, quas ab illo, quem ſupra memoravimus, interitu recepit CHRISTIANVS ORBIS, ſermonem ſaltim paucis faciamus. Vereor tamen te tam diu hæſerim in ſuperioribus, ut ſi pari prolixitate ſitis detinendi in iis quæ ſuperſunt, tædium vos capiat mei audiendi, & ego in vos, auditores, ſim injurius. Neque enim poſſum diſſimulare, juſto diutius in illis ab ævo & loco noſtro remotioribus me verſarum. Exiſtimavi tamen operæ me aliquod pretium facturum, ſi iſthæc accuratius nonnihil recenſeam: partim quod perpauca de iis memorari vulgo ſoleant vetuſtatis prætextu: partim autem quoniam ea, quæ ſolent vulgo memorari, parum cum vero convenire ſemper mihi ſint viſa. Sed quoniam mea prolixitate tempus illud, quod diſtinctius narrandis noſtrarum ſcholarum rebus eſſet impendendum, mihi præripuerim, agite, auditores, ſaltim liceat mihi illas nunc quidem quaſi per ſaturam vobis exhibere, in commodius ac vacuum tempus uberiore narratione rejecta.

IGITVR ſeculum agebatur poſt natum Salvatorem mundi nonum, quando poſtliminio literarum ſtudia ſimulque cum illis ſcholæ publicæ in Europam adeoque in Chriſtianum orbem reverti cœpere. Plane ſcilicet eo tempore, quo ante diximus inter Sarracenos fuiſſe excitatam ſapientiæ facem, ſimul & Conſtantinopoli & in Gallia, curantibus illic quidem Barda Cæſare & Photio Patriarcha, dum rerum potiretur Michaël Theophili filius princeps ignavus, hic ipſo Carolo Magno Imperatore ſatagente, in lucem iterum hactenus aliquot ſeculis contempta atque abjecta eruditio nonnihil producta eſt. Quo apparet Deum Opt. Max. tandem tum miſertum fuiſſe humani generis, ac barbariem, in qua omnis plane orbis cubabat, ubivis pene terrarum uno quaſi momento voluiſſe hominum animis detergere.

Quemadmodum res illa geſta ſit CONSTANTINOPOLI, narrabimus verbis Joannis Zonaræ, prout tamen illum Latine loquentem fecit Hieronymus Wolfius. *Nihil Bardas fecit boni, niſi quod eruditionis provehendæ magnum ſtudium habuit. Nam philoſophia neglecta jacebat, ac prope omnino extincta erat, ut ne ſcintilla quidem ejus intereſſet. In cauſa fuerat Imperatorum inſcitia. Sed hic cuique diſciplinæ ſcholas conſtituit, & doctores deſignavit, ac ſingulis publica ſtipendia decrevit, & omnibus magnum & communem doctorem præfecit Leonem philoſophum, cujus doctrina inclyta fama erat: etiam ab Imperatore Theophilo honoratum, hac occaſione. Cum multos haberet diſcipulos, accidit ut eorum quidam accurate in geometria eruditus dum in oriente peregrinatur a Sarracenis captus, cuidam inter barbaros illuſtri in ſervitutem traderetur. Agarenorum porro Princeps theoremata & philoſophica ſtudioſe audiebat, tamen & geometricis methodis erat deditus. Cum autem captivi herus auditorium frequentaret, aliquando & ipſe eum comitatus, auditis doctoribus qui figuras geometricas delinearant, & triangulum omnis figuræ principium eſſe docebant, omnesque figuras ex eo & oriri & in eundem reſolvi, & circulum omnium figurarum quæ ambitu æquali contineantur eſſe capaciſſimum, & ejus generis alia: rogavit dominum, an liceret magiſtros de iis quæ docerent percontari? Quod cum ille permiſiſſet, petiit rationes eorum quæ docuiſſent ſibi declarari. Verum illis quod reſponderent non habentibus: Agarenorum Princeps captivo accerſito, num ipſe id poſſet, interrogavit? Eum ſe ſcire affirmantem, afferre in medium juſſit. Captivus igitur ab initio declarat ſingula, rationibus adductis & cauſis expoſitis. Auditores verbis ejus intellectis, theoremata acutius perſpexerunt, quaſi dilatatis ingeniis, virumque admirati rogarunt, an Conſtantinopolis alios ſimiles haberet? At ille: Multos, inquit, me præſtantiores habet, ſed unum magiſtrum omnium, virum in philoſophicis rationibus incomparabilem. His auditis Agarenorum Princeps amore illius magiſtri captus, eum & videre & audire deſideravit, ac literas, quibus hortabatur ut ad ſe veniret ſuamque ſapientiam ſibi communicaret, captivo liberaliter & benigne tractato, ad illum perferendas tradit. At Leo veritus ne in crimen veniret, ob miſſas ab hoſte literas, epiſtolam Dromi Logothetæ tradit, captivo etiam adducto, qui argumentum ejus exponeret. Ex hoc Theophilo innotuit, & beneficiis affectus publice docere juſſus eſt. Poſt etiam Theſſalonicæ Pontifex deſignatus. Verum Theophilo mortuo, inter cæteros Iconomachos pontifices, & ipſe ob honorem ſacris imaginibus non delatum, eſt ea dignitate privatus. Hunc igitur Bardas cum otium agentem inveniſſet, cæteris magiſtris præpoſuit: itaque effecit, ut literæ refloreſcerent, exiguoque tempore incrementa caperent. Idem etiam leges civiles, quarum cognitio jam pene omnino obſoleverat, revocavit, cum ipſe judicia frequentaret.* Hactenus Zonaras. Adeo feliciter autem ceſſit hæc ſcholæ reſtitutio, ut non niſi cum imperio ipſo defecerit. Eoque nunquam ex eo defuerunt Conſtantinopoli viri literarum omnis generis cultu præſtantes. Imo ex Latino orbe illuc ſtudiorum gratia nonnulli commigraverunt: ceu de ſemetipſo teſtatur Petrus Aponenſis philoſophiæ & medicinæ peritia nemini ſuo ævo ſecundus. De illa, recenter a Turcis occupata in hæc verba ſcripſit Æneas Sylvius: *Manſerat Conſtantinopolis ad noſtrum uſque tempus vetuſtæ ſapientiæ monumentum, literarum domicilium, & arx philoſophiæ. Nemo Latinorum ſatis doctus haberi poterat, niſi Conſtantinopoli aliquandiu in literis vixiſſet. Quod florente Roma doctrinarum nomen habuerunt Athenæ, id noſtra tempeſtate Conſtantinopolis obtinebat. Inde multa veterum ſapientum volumina nobis reddita, multa quoque in futurum reddenda ſperabamus.* Hæc Sylvius: cui fidem derogare haud licet, etſi id de Latinorum frequentibus illuc peregrinationibus minus ſit veroſimile. Conſtat ſane iſtam ſcholam præclara illa doctrinæ lumina, Argyropylos inquam, Chryſoloras, Beſſariones, Gazas, Trapezuntios, Plethones, alios, quibus Græcam diſciplinam Latinus orbis debet, circa ipſum excidium ſuum protuliſſe.

Sed non licet huic narrationi immorari. Addendum paucis aliquid eſt de OCCIDENTALIVM SCHOLARVM nova origine. Atque hujus quidem primum initium factum eſt *Lutetiæ PARISIORVM auſpiciis Caroli,* (a) cui ſi ulli alii virtus pietas ac res geſtæ Magni cognomentum merito indiderunt. Ille enim cum aliunde tum ex Angliæ monaſteriis accitis, quos illa ætas habebat, doctioribus, ex conſilio magiſtri ſui Albini Alcuini, publicum literarum forum ſuis impenſis inſtituit. Steterunt tamen initia illa intra rudem aliquam liberalium quas vocant artium profeſſionem: quod & captus ejus temporis non eſſet major, & ſacra ſtudia quantum videtur maluerit imperator epiſcopis demandare. Quomodo & ludos pueriles habere omnibus idem epiſcopalibus collegiis injunxit. Certe theologica profeſſio, etſi illa nihil aliquot ſeculis fuerit floridius, ſub Capetanis demum regibus acceſſit, ut nec ipſe Joannes Fileſacus Doctor Sorbonicus diffitetur. Scilicet tum demum, alia potius curantibus epiſcopis quam quæ erant ſui muneris, viſum ex re eccleſiæ fuit theologicam profeſſionem literariæ adjungere. Manet hodieque memoria ejus rei. Nam & hodie ſuprema ſcholæ iſtius Pariſienſis præfectura (nos Rectoratum appellamus) ſolis iis qui facultatis ſunt philoſophicæ (liceat nunc receptis uti vocabulis) conceditur. Sola etiam illa facultas ſuum habet cancellarium & quidem ex camera (uti loquuntur) Apoſtolica S. Genovefæ: quum contra tribus aliis facultatibus unus ſit cancellarius epiſcopus Pariſienſis. Sed illa poſt acciderunt.

Sicut autem initio ſeculi iſtius noni cœpit Pariſienſis ſchola; ita ſub ejus finem ab *Alfredo* Anglorum *Rege* (b) in Britannia etiam excitatus eſt doctrinæ publicus mercatus OXONIÆ per S. Neotum monachum. Memorat Arnoldus Wion, factum id anno DCCCXC: atque initio ſtatim tria fuiſſe exſtructa collegia, grammaticis unum, philoſophis alterum, & tertium theologis. *Id verum ſit nec ne, haut facile dixerim.* (c) Certe *non potuit illud gaudium eſſe diuturnum* (d) ob ſubſequutas ſtatim ingentes illius regni calamitates, ab Danorum & Normannorum incurſionibus & inprimis Haraldi regis immanitate. *Vtraque hac antiquiorem ſe jactat CANTABRIGIENSIS* (e) ſchola in eadem Britannia;

(a) *Lutetiæ Pariſ. auſpiciis Caroli M.*) Pariſienſis academiæ fundatorem Carolum M. eſſe, communis eſt ſententia, quam cum Conringio plures alii profitentur, uti ROB. GAGVINVS, NIC. GILLES, & BVECIVS Scotiæ hiſtoriographus, BELLOFORESTVS *l. 3. de mundo c. 44.* POSSEVINVS *lib. III. ſelect. biblioth. cap. 5.* MIDDENDORP *de academiis lib. VI. p. 358.* Alium tamen fundatorem hujus academiæ ſtatuit STEPHANVS PASQVIER *liv. III. des recherches de la France ch. XXIX.* quem LIMNÆVS *juris publici lib. VIII. c. 1. n. 14.* citat, nempe Ludovicum VII. Contrariam præterea opinionem fovent LAVNOIVS & CLAVD. JOLY Canonicus Pariſ. *Traité hiſtorique des Escoles epiſcopales edit. a. 1678.* referente GERM. BRICE *dans la deſcription nouvelle de la Ville de Pariſ. tom. I. p. 33.* qui tamen ipſe communem ſententiam non modo ex conſtanti veterum traditione, ſed & ex monumentis ac titulis in collegio, quod Navarræ dicitur, a. 1304. a Philippo pulchro R. fundato, adhuc conſpicuis, defendi poſſe exiſtimat.

(b) *Rege Alfredo*) Hujus vitam tribus libris comprehenſam Anglice primum conſcripſit JOHANNES SPELMANNVS, poſtea latine reddiderunt & notis illuſtrarunt Aelfredi in collegio magnæ aulæ univerſitatis Oxonienſis alumni. *Oxonii 1678. fol.* Rex ille poſtquam devictis Danis totius Angliæ imperium ſibi vindicaverat, poſtea in id intentus fuit, ut non modo novis legibus tam difficulter partum imperium confirmaret, ſed & ab eo priſtinam barbariem cultu bonarum literarum & artium depelleret. Proinde plures ad ſe viros lectiſſimos attraxit, interque eos ex peregrinis Johannem Erigenam ſ. Scotum, Grimbaldum ex indigenis, Aſſerium Menevenſem, Johannem Monachum, Werefridum epiſcopum Wigornienſem, Plegmundum, Dunvvulphum, Atholſtanum, cumprimis vero Neotum Adulphium, uti Balæo appellatur, ſancti nomine celebrem. Erat is e proſapia regia Eaſt Anglorum & ad Weſt-Saxones ſtudiorum gratia conceſſerat, primum in monaſterio Glaſtonienſi, poſtea in Cornubiæ loco quodam minus frequentato vitam degens, ubi ab Aelfredo ſæpius viſitatus fuit, & inde ab ipſo ad evangelii prædicationem & bonarum literarum incrementum eductus, cujus tum inſtigatione tum auxilio deinceps Rex Oxoniæ ſtudium literarum vel primum ordinavit & inſtruxit, vel denuo reparavit. Vbi etiam Neotus poſt quadriennium peractum a. 890. decem annos ante obitum Regis denatus eſſe dicitur. Vid. SPELMANNI *opus cit. l. 2. p. 103.*

(c) *Id verum ſit nec ne, haud facile dixerim*) At vero referunt id omnes fere Britannici ſcriptores fide hucusque aliqua hiſtorica non indigni. WILH. CAMBDENVS *in Britannia antiqua* allegat in hunc finem verba *veterum annalium novi monaſterii Wintoniæ*, ex quibus conſtet, S. Neothum Abbatem & S. Grimbaldum tum temporis ibi in theologica ſchola, Aſſerium Monachum vero in grammatica & rhetorica ſchola, Johannem Monachum in dialectica, muſica & arithmetica docuiſſe. Illuſtris quondam SPELMANNVS *l. c. lib. II. p. 107.* ait: *Oxonii academiam rex inſtituit, quoniam ſi in partes remotiores contuliſſet, ſive ad aquilonem, ſive ad ortum, aut in territorium Danicum (veluti Cantabrigia) neceſſario incurreret, aut ſaltim nimium malis vicinis iisdem offenderetur. In hac academia condenda non ille earum ſecutus eſt exemplum, quas aut prius audiverat, aut alibi viderat; ſed eximia quadam animi ſolertia contemplatus, quid ad finem intentionemque ſuam maxime conduceret, non tantum perpetuo honorario proſecutus eſt profeſſores; verum tam doctores, quam diſcipulos munificentia ſua complexus, eosque pro diverſis facultatibus in tria collegia partitus, alumnis circiter octuaginta reditibus in omne ævum duraturis proſpexit. Hos ut tam moribus quam doctrina cultiores redderet, in contubernia ſub certis legibus compulit, iisque præcepit, ut quotidie aut precum faciendarum vices obirent ipſi, aut iisdem faciendis intereſſent, antequam ad reliqua ſtudia ſe conferrent. Qui mos hodieque in academiis noſtratibus religioſiſſime obſervatur, & extra controverſiam, inſequentes collegiorum conditores utriusque academiæ Aelfredum imitati, dum ſtudioſos ad communiter vivendum ſub idem tectum cogunt, & ſeveriori diſciplina tam moribus eorum, quam doctrinæ promovendæ cavent, effecerunt, ut academiæ noſtrates ad reliquarum omnium invidiam hodie floreſcant. Etenim externæ academiæ quantumvis erudiendæ juventuti optime proſpexerint, eidem tamen regendæ parem diligentiam non adhibuerunt, neque revera adhibere potuerunt. Studioſi enim de ſuo fere victitantes propemodum ſui juris ſeverius imperium omnino reſpuunt. Inde fit, ut iſtarum academiarum alumni plerique valde diſſoluti & petulantes ſint.*

(d) *non potuit gaudium illud eſſe diuturnum*) Refert idem CAMBDENVS *l. c. p. 332.* his verbis: *Redivivam hanc felicitatem paucis poſt annis una & altera calamitas excepit. Dani enim regnante Ethelaredo prædatorio incendio eam involverunt, ſtatimque Haraldus Levipes barbara immanitate ita in eam ſæviit ob quosdam e ſuis tumultu interfectos, ut triſtiſſimum ſtudioſorum exilium ſecutum fuerit, & academia luctuoſo ſpectaculo quaſi intermortua usque ad Wilhelmi Normannici tempora jacuerit.*

(e) *Vtraque ſe antiquiorem jactat ſchola CANTABRIGIENSIS*) CAMBDENVS *l. c. pag. 433. 435. Cantabrum,* inquit, *Hiſpanum anno ante Chriſtum natum 375. hanc*

tannia; ſed itidem incerta fide. Quin imo conſtat, Henrico I. demum Rege quatuor monachos conducto publico horreo, in Aurelianenſis academiæ æmulationem, grammatica, dialectica, rhetorica profeſſos, uno illorum verba ad populum de religione in templo dominicis diebus faciente: neque ante Eduardum I. iſtam ſcholam faciem univerſitatis (ut loqui mos eſt) accepiſſe.

Quicquid horum ſit, certe cis Oceanum occidentalis orbis nullam pene habuit ſcholam publicam usque ad ſeculum XI. præter unam Pariſienſem. Illa vero tum temporis jam florebat non ſolis amplius Facultatis philoſophicæ verum etiam theologicæ clariſſimis profeſſoribus. Vixerunt enim ea ætate, atque in Pariſienſi ſchola docuerunt, Anſelmus Laudunenſis, Guilielmus Campellenſis, Petrus Abælardus, Gilbertus Porretanus, & Petrus Lombardus nobilis ille ſententiarum magiſter. Confluxerunt etiam illuc ex omni terra juvenes innumeri ſtudiorum gratia. Eodem autem ſeculo & jus Romanum *BONONIÆ* (a) in Italia doceri publice cœpit, ſumptibus & cura reipublicæ illius, per Irnerium. Quin eodem tempore *SALERNI* (b) in Picentibus ſchola medica publica per Rogerium regem inſtituta eſt: jam licet ab antiquo florentibus rebus medicis in vicino monaſterio Caſinenſi. Exeunte illo ſeculo anno 1196. a Philippo Auguſto Galliæ Rege idem jus Romanum doceri publice eſt inſtitutum *MONPESSVLI.* (c) At ſeculo decimo tertio condito novo jure Pontificio, ſtatim ſub initium diſciplina juris illius in Bononienſem, Pariſienſem ac Monpeſſulanam, imo & Oxonienſem Angliæ, quæ ſolæ tum erant ſcholæ publicæ, auctoritate Pontificum Regumque introducta eſt. Videtur plane eodem tempore easdem ſcholas intraſſe & medicæ artis profeſſio publica. Vt jam ſcholæ illæ non uno literarum genere ſed omnigena doctrina perſonarint. Nec tamen vel Bononiæ tum theologiam quis docuit, vel Pariſiis prudentiam Romani juris. Namque illud quidem Innocentio VI. Pontifice primum cœpit anno ſeculi quarti decimi 62. Hoc vero vix ante centum annos, quoniam id olim prohibuiſſet Innocentius IV. Quo factum, ut iſta quidem tempeſtate utriusque juris profeſſio Bononiæ, theologiæ, philoſophiæ & medicinæ Pariſiis, maxime floruerint. Acceſſit eodem tempore in parem gloriam Bononienſis ſcholæ æmula

academiam primum inſtituiſſe & Sebertum orientalium Anglorum Regem anno poſt Ch. N. 630. reſtituiſſe perbibetur. Poſtea Danicis procellis ſubinde everſa diu neglecta jacuit, donec ſub Normannico imperio omnia dilucescere inceperint. Jam inde literarum diverſoria & hoſpitia ſtudioſis excitata fuerunt, ſed nullis poſſesſionibus dotata. Primum vero collegium quod S. Petri vocatur, Hugo Balsham epiſcopus Elienſis a. 1259. extruxit, & dotavit, quem in aliis collegiis fundandis ſecuti Richardus Badero, Maria de S. Paulo Pembrochiæ Comitiſſa, Johannes Crandenſis, Erdmundus Goneville, Johannes Cajus Medicus, Henricus VI. Rex Angliæ, Johannes Alcockus, Thomas Awdley, Henricus VIII. qui collegium SS. Trinitatis condidit, aliique. Vocat quidem me expectatio aliorum ut de antiquitate hujus academiæ ſententiam meam proferam, ſed nihil me interpono, neque enim animus eſt, florentisſimas noſtras academias παραλληλίζειν, quibus pares non noverim. Vereor tamen, ne Nephelococcygias nobis condiderint, qui hujus vetuſtatem longe ſupra fidem efferentes Cantabrum quendam multos jam ante Chriſtum annos inſtituiſſe tradiderunt. Hoc certum eſt, quocunque tempore primum inſtituta fuit, circa Henrici I. tempora bonarum literarum ſedes denuo eſſe cœpit. Sic enim in appendice vetuſta ad Indulphum legitur. Quo autem tempore facta ſit univerſitas, Robertus de Remington pro me dicet. Regnante Edwardo I. de ſtudio Grantbridge facta eſt univerſitas, ſicut eſt Oxonium per curiam Romanam. Ita & *autores notarum ad Spelmannum de origine academiæ Cantabrigienſis pag.* 152. ex appendice ad PETRVM de IKHAM *a.* 1320. judicant & refutant Polydorum Vergilium, Middendorpium aliosque qui Sigebertum jam a. 630. ibi academiam inſtituiſſe referunt, cum ſchola tantum trivialis ab eo inſtituta fuerit, rectius autem Albericum Gentilem pro antiquitate academiæ Oxonienſis pronunciare ſtatuunt, & ex ſuis laudant operoſiſſimam Twini apologiam pro antiquitate academiæ Oxonienſis.

(a) *BONONIÆ*) Ibi quidem jam an. 425. gymnaſium Theodoſii minoris privilegio inſtitutum crediderunt ACCVRSIVS *in §. hæc autem in verbis regiis, in proœm. digeſt.* & JOHANNES ANDREÆ *in Clem. I. de magiſtr. in verb. Bononienſe.* Sed quoniam hoc privilegium vel diploma ex multis argumentis ſuppoſititium eſſe non immerito ab ALCIATO *in cod. tit. de agric. & cenſib.* arguitur, ideo nonnulli cum PANCIROLLO *de claris legum interpr. p.* 81. ſtatuunt, a Lothario Saxone qui a. 1130. imperii coronam ab Honorio II. accepit, illud privilegium Bononiæ indultum fuiſſe, quæ & BARTOLI eſt opinio *in §. ult. in proœm. digeſt.* quam ſententiam tamen rejicit CONRINGIVS *diſſ. 3. & in ſupplem.* 51. uti *& de origine juris German. c.* 21. quibus locis atque alibi negat juris civilis docendi facultatem Bononienſibus a Lothario conceſſam fuiſſe, quin id potius tribuendum Friderico II. Imperatori aſſerit. Sequuntur in eo autorem noſtrum LINDENBROGIVS *in præfat. codicis leg. antiq.* aliique. Contrariæ autem ſententiæ patroni quoque ſunt. SIGONIVS *de regno Italiæ ad ann. MCXXXVII.* LABBEVS *in chronologia hiſtorica part. II. ad ann. MCXXXVIII.* GRAVINA *in libro de origine juris civilis:* Hujus opinio eo potiſſimum vergit, Bononiam muſarum ſedem a Theodoſio imperatore conſtitutam, & depulſa barbarie, ſua ibi penatibus ſuis reſtituta, Caroli M. potiſſimum auctoritate deinde Lotharii; verum diploma Theodoſii, quod in hujus rei fidem apud eccleſiam St. Petronii Bononiæ tabulæ marmoreæ, tradente VGHELLO *in Italia ſacra tom. II. pag.* 79. inciſum eſt, viris rerum harum peritis, merito ſuſpectum videtur. Id ſaltim præterea obſervamus, quod Fridericus II. Imper. Bononienſibus graviter offenſus, ideo quod Entium filium, quem ceperant, noluerunt reſtituere, illorum academiam a. 1222. Patavium transtulerit; poſtmodum autem a. 1306. Clemens VI. ob Cardinalem Neapoleonem Urſinum, quem ad ſedandas turbas cis Alpes legatum miſerat, contumelia affectum academiæ jure privaverit, eosque qui huc ſtudiorum gratia proficiſcerentur, diris ſubjecerit, ref. PANCIROLLO *p.* 158. *ſeqq.*

(b) *SALERNI*) De academia Salernitana ipſe CONRINGIVS pluribus agit *diſſ.* 2. *&* 3.

(c) *MONPESSVLI*) In Delphinatu, ubi Placentinus Gloſſator docuit, & collegium ab Vrbano V. & aliud du Vergier dictum conditum, in quo per decennium juvenes nutriuntur, ref. PANCIROLLO *p.* 392. ubi addit: *Hic ars medica nunc docetur.* Qua occaſione non injucundum erit hic legere, quod de Franciſco Rabelæſio ſatis famoſo ſatyrico memorat WAGENSEILIVS *ſynopſ. geogr. ſive peræ librorum juven. loculam. II. p.* 169. ejus nempe pileum & togam non modo in academia Montiſpeſſulana, ubi inter docentes locum quoque ſuſtinuit, adhuc ſervari, ſed & candidatos ſupremorum in medicina honorum, cum profectuum ſuorum ſpecimina edunt, iisdem ſe induere, inque ſolenni inauguratione vade & occide Cain, ex veteri conſuetudine ipſis acclamari, cujus formulæ ſenſus fuiſſe dicitur, quod novitii medici, ſi per mortes aliorum velint experientiam medicam acquirere, in Caino & ſimilibus (quales tum præcipue habebantur monachi) experimenta prius capere debeant, referente PETRO EISENBERGIO in Iti-

la *PATAVINA*, (a) a Friderico II. Cæſare inſtituta. Quinimo & *PERVSII* (b) circa annum 1290. jus utrumque cœptum eſt doceri.

Seculo decimo quarto in majorem numerum excreverunt ſcholæ illæ publicæ, quæque jam omnia noſtrum in morem docerent. Nam & in Gallis inſtitutæ *Aurelianenſis*, *Andegavenſis*, (c) Lugdunenſis, & Toloſana: & in Italia Ferrarienſis ac Genuenſis. Quin illo ſeculo & in Poloniam a Caſimiro rege inducta eſt ſchola publica Cracovienſis.

Imo & Germania noſtra cœpit non amplius extra hanc laudem eſſe. Namque *primo per Carolum IV.* (d) Cæſarem PRAGÆ Bohemorum, mox & per Rupertum Palatinum *HEIDELBERGÆ*, (e) illuſtres ſcholæ conditæ ſunt. Jacta tum & fundamenta *VIENNENSIS* (f) academiæ per fratres Archiduces: ampliſſimis vero etiam privilegiis exornatæ ſunt *ERPHORDIENSIS* (g) ac *COLONIENSIS*. (h) Semel autem illecti laudis hac adorea Principes Germanici, ſequente ſeculo decimo quinto longe plurimas alias his addiderunt. Ita *Herbipolenſis* (i) a Joanne epiſcopo anno ejus ſeculi tertio, *Lipſienſis* (k) a Friderico primo Electore anno IX, *Roſtochienſis* (l) a Ducibus Mechleburgenſibus & ſenatu oppidano anno decimo quinto, Baſilienſis item a ſenatu oppidano & epiſcopo anno quinquageſimo nono, *Gryphiswaldenſis* (m) a Vratiſlao Duce Pomeraniæ anno quinquageſimo ſexto, Friburgenſis ab Alberto Auſtriaco anno 60. Ingolſtadienſis a Ludovico Bavariæ Duce anno ſeptuageſimo ſecundo, Tybingenſis ab Eberhardo Wirtenbergico anno ſeptuageſimo ſeptimo, *Moguntina* (n) denique a Dithero Archiepiſcopo anno octuageſimo ſecundo, inſtitutæ ſunt.

Quanquam vero jam tum numero ſcholarum omnes reliquas partes Europæ vinceret Germania, nec ſic tamen deſiderium earum expletum eſt. Quapropter ſeculo ſequente prioribus acceſſerunt *Wittebergenſis* (o) anno tertio, *Francofordienſis* (p) anno ſexto, *Marpurgenſis* (q) anno vigeſimo ſexto, *Regiomontana* (r) in Pruſſis anno quadrageſimo quarto: *Jenenſis* (s) anno quadrageſimo octavo: *Argentinenſis* (t) anno ſexageſimo ſeptimo: *Altorſina* (u) anno ſeptuageſimo quinto: *Lugdunen-*

ner. Gallico & Angl. p. 76. ſeqq. Cæterum confer CONRINGIVM ipſum de academiæ Monpeſ. privilegiis *diſſert. VI.* de ritu quodam apud medicos ibi uſitato *diſſ. II.*

(a) *PATAVINA*) Anno 1222. Actiolino Tyranno, ut vulgo traditur, procurante a Friderico II. inſtituta. Cum tamen nullum apparet ejus gymnaſii eo tempore datum privilegium, ideo ex longa conſuetudine ſaltim gymnaſium ibi inſtitutum eſſe, ſunt qui exiſtimant, quod etſi initio obſcurius fuerit, paulatim tamen viribus auctum, ad ſummam demum celebritatem pervenerit, & a. 1262. alicujus nominis eſſe cœperit, quo tempore Joh. Baptiſtæ Transalgardi epiſcopi Patavini opera perampla ab Vrbano VI. privilegia obtinuerit, qualia quoque ipſi a Johanne XXII. Clemente V. Eugenio IV. aliisque conceſſa. Vide PANCIROLLVM *l. c. p.* 388. 364. Habet de cætero hæc academia peculiare, quod in ea Turcæ, Saraceni & Judæi ad doctoratus gradum promoveri poſſint, neque ibi ICti & Medici cujuscunque religionis juramentum fidei præſtare teneantur. Confer eadem CONRING. *diſſ. V.*

(b) *PERVSII*) A. 1290, Gregorio IX. autore inſtituta, ubi & tum temporis ſplendidum gymnaſium ſapientia vocatum Petrus Capoccius Cardinalis extruxerat. Ibi Hoſpertus Cremonenſis primus docuiſſe fertur, docuit etiam Cinus, ad quem audiendum cum plurimis aliis a. 1328. Bartolus commeaſſe dicitur. Vid. PANCIROLLVS *p.* 144. 388.

(c) *Aurelianenſis, Andegavenſis,*) Aurelianenſis autorem habet regem Philippum Pulchrum; Andegavenſis Ludov. II. ducem Andegavenſem. Vide de his PANCIROLLVM *p.* 392. qui & p. 391. de Cracovienſi ait, illam a Caſimiro rege a. 1361. inſtitutam. Cum vero eſſet obſcurior Hedwigis Regina ingentem illi pecuniam reliquit, qua duo collegia, unum philoſophorum alterum ICtorum ſunt condita. DVGLOSSVS *in hiſtoria Poloniæ lib. X. p.* 167. JANVS JANVSZOV *lib. II. conſtit. reg. Polon. part. IV. tit. XII. p.* 216. *HARTKNOCH de republ. Poloniæ lib. II. c.* 2. *p.* 354. Cancellarius hujus academiæ eſt epiſcopus Cracovienſis. Cumque hæc academia multas cum aliis haberet controverſias, varie ipſi jura & privilegia ſua ſunt confirmata. Vid. HARTKNOCH *l. c.*

(d) *primo per Carolum IV.*) *LEHMANNVS in chronico Spirenſi lib. VII. c.* 38. Heidelbergenſem academiam antiquiorem eſſe ſtatuit, alii Viennenſem; Conringius hic in antiquitate primum locum Pragenſi tribuit, cui accedit ITTERVS *de gradibus & honoribus academ. p.* 106. argumento etiam hoc uſus, quod Carolus IV. Pragæ a. 1448. academiam erecturus ad exemplum Pariſienſis ab exteris Doctores theologiæ, juris, aliosque viros eruditos accerſere coactus fuerit, quod luculentum indicium ſit penuriæ doctorum ea ætate in Germania, qua procul dubio non laboraſſet, ſi alicubi fuiſſet academia inſtituta.

(e) *HEIDELBERGÆ*) Vbi Jacobus Middendorpius juriſconſultus, qui de academiis ſcripſit, primus linguam Ebræam a 1524. per quinquennium docuit eminuit etiam Rodolphus Agricola &c.

(f) *VIENNENSIS*) Conf. CONRINGIVM *infra.*

(g) *ERPHORDIENSIS*) A Dagoberto Francorum rege inſtituta & a. 1391. ut refert *PANCIROLLVS p.* 390. a Bonifacio IX. privilegiis honorata. *GVDLENIVS in hiſtor. Erfurt. p.* 122. Ejus Cancellarius perpetuus olim etiam, cum urbem nondum poſſideret, fuit Elector Moguntinus.

(h) *COLONIENSIS*) Quæ ab Vrbano VI. privilegia obtinuit a. 1388. De cætero id peculiare habet, quod neminem ad profeſſoriam dignitatem admittat, qui alibi doctoratus lauream obtinuit, referente ITTERO *l. c. c.* 5. *§.* 3. *p.* 115.

(i) *Herbipolenſis*) Hujus academiæ prima fundamenta jecit Gebhardus, rem autem Joann. I. perfecit. FRVSII *hiſt. Herbipol. p.* 687. *ſeqq.*

(k) *Lipſienſis*) Quæ inter academias evangelicorum ſtatuum primum hodie locum obtinet, obſerv. ITTERO *l. c. p.* 190. ſive *cap.* 6. *§.* 43. Enata primum, ut perhibetur, occaſione diſceſſus plus bis mille ſtudioſorum ex Pragenſi academia.

(l) *Roſtochienſis*) Duces Johanne & Albertus fuerunt.

(m) *Gryphiswaldenſis*) Cujus inſtituendæ civis ICtus Munſtero teſte conſilium ſuppeditaſſe dicitur.

(n) *Moguntina*) Erecta a Dithero a. 1477. poſtea remiſſa, quo tempore Joh. Budenburch civis Moguntinus artem typographicam ibi exercuit. SERARIVS *rer. Moguntiacarum lib. I. c.* 34. Inſtituta itaque triennio poſt conditam Trevirenſem, quæ 1473. in Martio cœpta eſt.

(o) *Wittebergenſis*) Autorem habet Fridericum I. ducem Saxoniæ.

(p) *Francofordienſis*) Joachimo Electori fundationem debet.

(q) *Marpurgenſis*) Philippo Landgrafio Haſſiæ ſua debet primordia.

(r) *Regiomontana*) Hæc Alberto I. Brandenb. marchione autore cœpit.

(s) *Jenenſis*) A Joanne Friderico I. Saxoniæ Duce condita eſt.

(t) *Argentinenſis*) Senatum urbis autorem habet.

(u) *Altorſina*) A Senatu Noribergenſi eſt inſtituta.

dunenſis (a) in Batavis eodem anno: & denique anno ſeptuageſimo ſexto noſtra hæc *Julia*, (b) ſororibus ſuis ut ætate inferior, ita literarum gloria ſi non major certe ſuppar. Noſtra memoria nata eſt & *Rintbelienſis*: (c) & in Belgis una atque altera. Sic longi temporis barbariem compenſavit intra ducentos annos Germania.

Serius ſcholarum inſtitutio cœpit etiam in Hiſpania: pleræque enim ejus regni ſcholæ erectæ demum ſuperiore ſeculo: & quæ olim quidem inſtituta fuerat Salmanticenſis, illa primam lucem fere a Franciſco Victoria accepit, ut ipſimet Hiſpani non diffitentur. Dania quoque anno 1539. demum ſcholam publicam ſuam Chriſtierno rege florentem vidit. Vpſalienſis Suecorum ſchola origine quidem nonnihil antiquior eſt, ut quæ cœperit Sixto IV. Pontifice anno 1476. inter rudimenta tamen hæſit & illa pene ad hæc usque tempora, quando eam regio beneficio Guſtavus Adolphus regum maximus locupletavit. Non multum melior fuit Scotiæ fortuna, etſi illa non unam academiam inſtituerit. Polonia vero nec ipſa faventiorem fortunam experta eſt Cracoviæ. Verum non licet hisce narrandis immorari.

Hæc itaque (ut tandem deſinam) eſt origo ſcholarum noſtrarum, auditores. Ita paulatim in hunc ſtatum deventum eſt. Non morabor autem vos amplius, poſtquam breviter iſthæc recenſuimus. Voto tamen finienda oratio fuerit. *Deus bonorum omnium factor & dator, qui cum unigenito Filio & S. Spiritu trinus, ſapientia vero bonitate voluntate atque omnipotentia unus es & indiviſus, qui omnem doctrinam omnemque ſcientiam, abs qua ſi eſſet nec homines eſſemus, humanis mentibus inſeviſti: qui docentium diſcentiumque ordines, quibus vita ipſa nititur, & inſtituiſti & ſpiritu tuo ſemper gubernas. Te ego, Deus, publica voce oro hodie & obteſtor, ut quamdiu homines vis hoc in mundo vivere tamdiu inter eosdem ſapientia & doctrina ſtudia tuearis ac conſerves. Redde, Pater, Germaniæ noſtræ, quæ merentibus ita peccatis noſtris diu illi bona denegaſti, ac recluſo tandem aliquando in vaginam infeſto ira tua gladio, pacis illam ſtricturam, qua nunc lætamur, in majorem lucem extendo, ſimulque tanto muneri adde diuturnitatem. Effice, ut ſopitis religionum diſſidiis, extinctis ſectarum monſtris, abolitis civilibus odiis, remoto tyrannidis metu, & frenata improborum licentia, pax in domo tua, in animis quies & fuco carens fides, ſecuritas in republica, in omnibus mutuus amor reparetur. Serva Cæſaream majeſtatem, imperii illud caput, cujus auſpiciis noſtra hæc Julia eſt inſtituta. Serva Sereniſſimam familiam Brunſvicenſium ac Lyneburgenſium Ducum, eamque ab hoſtibus inter tot hoſtes defende, ut ſub eorum tutela priſca fides, antiqui mores, & jus ac fas inſtaurari rurſus queant ac vigere. Ad extremum (o Deus) noſtram quoque hanc Juliam, cui poſt tot damna & naufragia tabulas nonnihil colligere nunc concedis, reſpice clementiore oculo. Liceat nobis qui in hoc ſcholaſtico ordine excubamus pro ſalute publica, aut tam ſancto muneri ſe ſuaque impoſterum dedicabunt, ſub alis tuis tranquille degere, præclaras pacis artes excolere, juventutem ad rempublicam atque eccleſiam educare, literasque, omnis boni fundamentum, promovere. Imple etiam ſpiritu tuo diſcentium animos, ut relictis mundi hujus vanitatibus, damnata juventutis petulantia, tibi ſoli vivant, & ad tui nominis gloriam, reipublicæque emolumentum omne ſuum ſtudium, omnem ſumptum, omnes denique conatus unice dirigant. Hoc te quæſo, Pater, obſecroque.*

DISSERTATIO SECVNDA.

Recitata XXIV. Octobr. CIƆ IƆ C XXXVII. quum Procancellarii academici munere fungerer.

NOn poſſum non laudare conſilium medicæ laureæ candidatorum quos mihi hic ſiſtis, *Spectabilis D. Decane*, quod etſi jamdudum notiſſima omnibus ſit illorum in noſtra arte peritia, tamen non quorundam ſciolorum aut potius tenebrionum more, ſua privata ſed publica academiæ auctoritate artem malint facere. Enimvero cum multa alia ſunt hisce proximis aliquot ſeculis in commune reipublicæ commodum conceſſa ſcholis illis regiis, quas academias aut univerſitates uſurpare conſuetudo eſt: tum illud profecto longe & utiliſſime eſt conſtitutum, ut *nemini liceat vel docere* (d) quidquam vel facere quod majorem ſapientiam requirit, quin de illius eruditione in ſcho-

(a) *Lugdunenſis*) HVBERVS *in hiſtoria civili part. II. ſect. I. p.* 325.

(b) *Julia*) Huic autor Henricus Julius fuit.

(c) *Rintbelienſis*) Originem ſuam Erneſto comiti Holſatiæ Schaumburgico debet, qui eam anno 1621. condidit. Recentiſſima omnium eſt Hallenſis, quæ anno 1694. autore Friderico III. Brandenburg. Electore cœpit. Ante eam anno 1650. Gieſſenſis a Georgio II. Haſs. Landgrafio reſtituta eſt, quæ anno 1607. autore Ludovico fundata per aliquot in ſuſpenſo fuerat tempus. Quæ hic ab autore omiſſæ ſunt, addi poſſunt ex *PANCIROLLO lib. IV. de claris legum interpretibus, ANTONIO DE LVCA in laurea legali, IACOBO MIDDENDORPIO, FRIDERICO LVCÆ in Helicone Germaniæ, HERME in faſcicul. juris publici p. 633. ſeqq. SCHWEDERO in jure publ. part. ſpecial. ſect. I. c.* 6. Optandum foret, ut pauciores academiæ & plures vere & ſolide docti in Germania eſſent. Maximus hodie academiarum eſt abuſus. Etenim inſtitutæ ſunt, ut bonæ mentis adeſſent officinæ, quo tamen fine ſæpe deſtituimur, cum in licentiæ, libidinum, gulæ & perverſorum morum degenerare ſoleant aſyla. Hæc autem perſonarum vitia, quæ corrigenda eſſent, ipſius inſtituti ſummæ utilitati nocere non poſſunt. Inepta ſunt quæ fanatica Bourignon, cujus vita apud Baylium legitur, & hujus furfuris alii homunciones contra academias blaterant.

(d) *nemini liceat vel docere*) Eadem fere verba habentur *diſſ. IV. infra.* Sed ITTERVS *de gradibus academ. cap. 9. p.* 342. iſta obelo notat. Neque enim, ait, aſſerere velim, tanti hodie fieri ſcholaſticas illas dignitates, cum contrarium teſtetur toto die experientia, præfici nimirum non eccleſiaſticis tantum, ſed & ſummis in republ. muneribus nullo vel privato nedum publico ejusmodi academiæ alicujus teſtimonio inſtructos. Ne id nunc allegem tam perverſe agi cum rebus humanis, ut graduum academicorum nomina atque tituli extra academias iis præditis ſæpe magis detrimento fuerint, quam commendationi, recte id ipſum etiam notante JOH. CHRIST. SAGITT. *corpusc. hiſt. Herald. art. IV. part. X. p.* 107. quemadmodum doctorali jurisprudentiæ laude inſignitos jam a longo tempore in nonnullis Germaniæ civitatibus ſenatoria dignitate excluſos fuiſſe, nemini ignotum, cujus moris barbari cauſas deinde inquiremus.

ſcholis ab hominibus doctiſſimis publice latum ſit teſtimonium. Neque enim forte quidquam eſt cujus obſervatio æque beare rempubl. poſſit: aut quo neglecto æque ſalus publica periclitetur. Etenim illam demum beatam eſſe civitatem, nemo eſt qui ignoret, cujus clavum moderantur ſoli ſapientes, nec attingere datur rerum imperitis. Hos vero quis dignoſcat, quis a vulgo ſeparet rectius quam illi qui in ſapientiæ ac doctrinæ profeſſione reliquis antecellunt, omnemque operam ac ætatem ſuam huic ipſi negotio impendunt? Sunt autem prorſus ejus ordinis profeſſores academici. Quæ autem ratio ſcientiarum eſt omnium, eadem ſeorſim & quidem jure meritiſſimo artis eſt medicæ. Quanto enim nobilius eſt objectum illud circa quod ipſa verſatur, quantoque errores ejus ſunt faciliores pariter ac cum majori periculo conjuncti, tanto magis opus eſt uti caveatur, ne ad artem faciendam admittantur, niſi qui id quod artis eſt præſtare norunt. Agitat ſcilicet vitam ipſam humanam medicus: conſervans illam ſi ſapit ac bonus eſt, tollens ſi fuerit imperitus. Quo ſcelere vix aliud gravius eſt.

Tantum vero cum interſit humani generis ſolos artis peritos artem facere, merito ſane quis miretur, qui paucæ adeo reſpublicæ, in tam multis toto paſſim terrarum orbe, ſeriam atque eam quam oportet adhibere, ejus rei curam habuerint. Enimvero *apud Ægyptios conſtat artem medicam inter ſacras diſciplinas habitam,* (a) adeoque nonniſi ſelectis ingeniis concreditam eſſe. Tradit etiam Ariſtoteles, & repetit poſt illum Diodorus Siculus, in Ægypto uſque adeo legibus aſtrictam fuiſſe medendi artem, uti ante quartum diem exhibito pharmaco purgare ægrotum non licuerit medico, niſi capitis periculo. Contra tamen plane apud Græcos obtinuit. Conqueritur de ætate ſua princeps artis noſtræ Hippocrates, *ὅτι ἰητροὶ φήμῃ μὲν πολλοὶ, ἔργῳ δὲ πάγχυ βαιοί, nomine multos eſſe medicos, reipſa perpaucos:* itaque artem medicam, cum ſit longe nobiliſſima, tamen propter eorum qui eam exercent ignorantiam, omnibus artibus multo inferiorem haberi. Hujus autem rei ille cauſam non aliam conjecit eſſe, quam eam quod ſoli arti medicæ nulla in urbibus præterquam *ἀδοξίας* (quod infamiam nonnulli vertunt Latine, quum fortaſſis nihil hic ſignificet quam aliquam exiſtimationis jacturam) pœna poſita ſit: quæ videlicet minime tangat homines frontis jam tum perfrictæ. Ipſemet tamen Hippocrates quo huic incommodo mederetur, quemadmodum non minus optimus artis doctor fuit, quam optimus factor, neminem ad diſcendam artem admiſit niſi *juramento aſtrictum.* (b) Exſtat hodieque illud inſigne vetuſtatis monumentum, quo dubites ſanctiusne quid aut doctius aut prudentius excogitari poſſit. Videbat ſc. vir ſummus, ita fere ubivis comparatum eſſe, quod Plinius ait, *ut in hac arte ſola eveniat, ut cuicunque medicum ſe profeſſo ſtatim credatur, cum ſit periculum in nullo mendacio majus:* itaque id maxime accurandum prudentiſſime duxit, uti malis omnibus atque ineptis occaſio præripiatur in medicum nomen involandi, & quæſtum ex mortibus hominum faciendi. Id vero rectius fieri nequit, quam ſi pauciſſimi, & illi quidem boni atque *εὐφυεῖς*, ſeu ab ingenio inſtructi, ad artis auditiones admittantur. Prorſus ſc. ut in ſacris fieri amat, quæ non patent niſi jam initiatis. Nempe (ut verbis utar ipſius Hippocratis) *τὰ ἱερὰ ἐόντα πρήγματα ἱεροῖσιν ἀνθρώποισι δείκνυται, βεβήλοισι δ' οὐ θέμις πρὶν ἢ τελεσθῶσιν ὀργίοισιν τῆς ἐπιστήμης.*

Verum hæc laus privatim Hippocratis eſt, aut ſi quis alius Hippocratem in illo negotio prudenter eſt æmulatus: ipſe vero Græcorum reſpublicæ nequaquam ſibi hac parte caverunt. Græci mores autem Romanum etiam populum afflaverunt. Etſi enim ille primis ſexcentis annis caruerit medendi arte, ſimulac tamen illam a Græcis accepit, etiam vitia quoque Græcarum rerumpubl. eum invaſerunt. Tragice iſthac de re conqueritur paſſim C. Plinius, ut propemodum ipſimet arti convitium dixiſſe queat videri. *Nulla* (ait ille) *lex eſt quæ puniat inſcitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ. Diſcunt periculis noſtris, & experimenta per mortes agunt: medicoque tantum hominem occidiſſe impunitas ſumma eſt.* (c) *Quinimo tranſit convicium, & intemperantia culpatur, ultroque qui periere arguuntur. Sed decuria*

(a) *apud Ægyptios conſtat artem medicam inter ſacras diſciplinas habitam*) Imo & Ægyptii teſte PLINIO *lib. 7. hiſt. nat. cap. 56.* medicinam apud ſe volunt repertam. Et ſi CLEMENTI ALEXANDRINO *l. 1. Strom. p. 30.* credimus, Apis Ægyptius indigena invenit *τὴν ἰατρικὴν*, priusquam Joſephus veniret in Ægyptum; quod SUIDAS *T. 1.* repetit ſub voce *γράμματα*. Diodorus autem hanc artem ab Iſide multum auctam enarrat, quorſum etiam pertinent Hermetis aut Mercurii libri, quorum aliquot ad artem medicam pertinuerunt, quorum tamen autoritatem vellicat alibi Conringius. Et ſane Ægyptios hanc artem præcipue excoluiſſe, ut adeo incrementa ejus multum ipſorum induſtriæ debeant, conſtat cum ex aliis, tum ex inventa ab ipſis anatomia ſec. OLAUM BORRICHIUM *in Hermete Ægypt. c. 5. p. 151.* item ex ratione peculiari condiendi Mumias, multisque aliis ad ſanitatem hominum facientibus pharmacis, quæ invenerunt, qualia ſunt *φάρμακον ἀθανασίας* immortalitatis pharmacum, ab Iſide repertum, teſte DIODORO *l. c. p. 22.* Panacea e Mumiis confecta, teſte BORRICHIO *pag. 37.* *μνήμης τῆς σοφίας φάρμακον* PLATONI *in Philebo* laudatum *pag. 374.* *τὸ νηπενθὲς φάρμακον* a mœroris vacuitate ſic dictum, teſte DIODORO *pag. 22.* virtutes coralliorum a Mercurio detectæ, docente BORRICHIO *l. c. pag. 27.* imo univerſa materia medica ab iis primum inventa, deinde ad Græcos derivata, eodem referente *p. 115.*

(b) *juramento aſtrictum*) Vid. *Supplem. 26.*

(c) *medicoque hominem occidiſſe impunitas ſumma eſt*) Sed vide ad h. l. Plinii D. WALDSCHMIDII *Prof. Medici Kilon. diſſ. de quæſtione, an medico liceat impune occidere.* Adde VALES. *Philoſ. ſacr. cap. 74.* Cæterum ob iſtam ignorantiam artis & communia pericula plures medicis minus olim amicos fuiſſe, abunde conſtat. Diogenes enim, ut ex PLUTARCHO *in Laconicis* videas, de medicis tanquam generis humani carnificibus minus æquam ſemper ſententiam pronunciaſſe legitur. ARISTOPHANES *in Pluto* Æſculapium *σκατοφάγον* merdivoracem vocat. Hadrianus quoque in opprobrium medicorum tumulo ſuo inſcribi juſſit: Turba medicorum me perdidit. Et proinde LXX. reddiderunt Eſ. 29, 14. Pſ. 84, 10. *ἰατροὶ οὐ μὴ ἀναστήσουσι*; neque non Rabbini nonnulli dixerunt, optimum medicorum in gehennam vel ruere, vel amandandum eſſe. Vid. WINDETUM *in Mincha belula p. 73.* vel uti in *codice Peſachim* pronunciant *f. 113. Ne habites in urbe, cujus caput eſt medicus.* Quæ omnia non in contemtum artis per ſe conſideratæ, ſed tantum prout male & perperam exercetur, dicta eſſe, unde & proverbium enatum fuit, Aceſias medicatus eſt, nemo non intelligit. Collegit Salmuthus ejuſmodi exempla medicorum, qui alios medicamentis ſuis enecarunt, in PANCIROLL. *l. 2. tit. 1. p. 47.* Adde in hanc rem NICOL. LEONICENUM VINCENTINUM *lib. de Plinii aliorumque in medicina erroribus,* MELCH. GOLDASTUM *in paradoxo de medicorum honore,* D. JOH. JAC. BAIERUM *in adagiis*

ria pro more cenſuris Principum examinantur: inquiſitio per parietes agitur, & qui de nummo judicat a Gadibus columnisque Herculis accerſitur: de exilio vero, nonniſi die quadrageſimo quinque electis viris datur tabula. At de judice ipſo quales in conſilium eunt? ſtatim occiſuri. Ex quibus videre eſt, peſſime tum quidem apud Romanos rem fuiſſe medicam conſtitutam; ut quam ſine diſcrimine cuivis medicum ſe profeſſo, ſine ulla prævia cenſura, ſine ullo etiam examine operum artis ſubſequente, exercere licuerit.

Neque vero illud vel ſequentibus temporibus videtur emendatum legibus fuiſſe. Sane conſtat, *archiatrorum* (a) hoc eſt eorum, qui valetudinem Cæſarum curabant, (quorum aliqui reapſe id præſtabant, aliis titulus hic pro dignitate erat;) collegio inquam illi fuiſſe ſua examina eorum qui erant cooptandi, præterea ſummum præfectum (ipſi Comitem nominabant) fuiſſe datum, atque adeo quaſi judicem aliquem ſummum. At apud alios medicos idem obtinuiſſe non reperio. Vt in collegium illud illuſtre archiatrorum nonniſi facto per archiatros examine nemo admitteretur, ante ſeculi quarti poſtremos annos vix cœpit, ex Valentiniani ſcilicet & Valentis Imperatorum inſtituto: quod alias latius probabitur. Itaque illo quidem ævo obſervare eſt, ampliſſimas quidem dignitates medicis conceſſas: legem quæ bonos a malis diſtingueret, aut quæ puniret inſcitiam capitalem, non temere eſt reperire.

Similiter Romano imperio collapſo primi quidem *Arabes artem hanc excoluerunt:* (b) cæterum ipſine rectius ſibi caverint quam Græci ac poſt Romani, non habeo dicere. Certe hodie per Aſiam omnem & Africam, imo ubicunque Arabum ſacra in pretio ſunt, longe infra Chriſtiani orbis noſtri conditionem ars iſthæc depreſſa eſt.

Seculo undecimo in occidentali quoque hoc orbe cœpit ars medica, Salerni cumprimis, refloreſcere, Conſtantino potiſſimum Africano auctore, certe adjutore. Eam tempeſtatem ſubſequutus ſtatim Rogerius primus Siciliæ utriusque (vt loquuntur) Rex & Salerni Princeps, cum multas leges ſanxiſſet, octavam decimam tulit *de probabili experientia medicorum*, qua cavetur ne quis medicinam exerceat niſi prius a magiſtratibus & judicibus probatus: utque ſecus faciens bonis omnibus ſpoliatus in carcerem compingatur. *Hoc enim proſpectum eſt*, ait Rex, *ne in regno noſtro ſubjecti periclitentur ex imperitia medicorum.* Cæterum hæc lex affinior eſt conſtitutioni Cæſarum antiquorum de archiatris. Non multo poſt, ut quidam opinantur, Fridericus I. Ahenobarbus Imperator noſter, occupato regno Neapolitano eandem legem ibi non confirmavit tantum ſed & ampliavit. Ne quid tamen diſſimulem, videtur hoc non ab illo Friderico ſed demum ab hujus nepote Friderico II. profectum eſſe. Superat in legibus Neapolitanis antiquis, quas poſt alios edidit Fridericus Lindenbrogius vir doctiſſimus, conſtitutio illius prudentiſſimi pariter ac fortiſſimi Germanicorum Cæſarum, quæ ſit hujus argumenti non una; interque eas una qua prohibetur, ne quis ad faciendam medicinam admittatur, niſi a medicis collegii Salernitani aut Neapolitani probatus & poteſtatem medendi ſit conſequutus, quam licentiam vocant, ſub pœna annui carceris & omnium bonorum confiſcationis. Fortaſſis licebit ipſiuſmet Cæſaris verba quædam ex legibus illis adducere in medium. *Attendentes*, inquit, *grave diſpendium & irrecuperabile damnum, quod poſſet contingere ex imperitia medicorum, jubemus, impoſterum nullum medici titulum prætendentem audere practicare aliter vel mederi, niſi Salerni primitus & in conventu publico magiſtrorum judicio comprobatus, cum teſtimonialibus literis de fide & ſufficienti ſcientia tam magiſtrorum quam ordinatorum noſtrorum, ad præſentiam noſtram, vel nobis a regno abſentibus, ad illius præſentiam, qui vice noſtra in regno remanſerit, ordinatus accedat, & a nobis vel ab eo medendi licentiam conſequatur; pœna publicationis bonorum & annalis carceris imminente his qui contra hujuſmodi ſerenitatis edictum impoſterum auſi fuerint practicare.* Ejusdem verba ſunt: *Præſenti etiam lege ſtatuimus, ut nullus in medicina & chirurgia niſi apud Salernum legat in regno, nec Magiſtri nomen aſſumat niſi diligenter examinatus in præſentia noſtrorum officialium & magiſtrorum artis ejusdem. Ordinati vero* (illi erant bini ſacramento aſtricti) *quorum fidei prædicta ſunt commiſſa, ſi fraudem in credito ipſis officio commiſiſſe probetur, ultimo ſupplicio ferendos eſſe cenſemus.* Non poſſum quoque non recitare ejusdem Cæſaris legem de ſtudiis ipſius artis noſtræ: *Quia nunquam ſciri poteſt ſcientia medicinæ, niſi de ſcientia Logicali præſcribatur, ſtatuimus, quod nullus ſtudeat in medicinali ſcientia, niſi prius ſtudeat ad minus triennio in ſcientia Logicali, poſt triennium ſi voluerit ad ſtudium medicinæ procedat*, (videtur addendum, *per quinquennium) ita quod chirurgiam quæ eſt pars medicinæ intra prædictum tempus addiſcat. Poſt quod, & non ante, concedatur ſibi licentia practicandi, examinatione juxta curiæ formam præhabita, & nihilominus recepto pro eo, de prædicto tempore ſtudii, teſtimonio magiſtrali.* Item in eadem lege infra: *Nec tamen poſt completum quinquennium practicabit, niſi per annum integrum cum conſilio experti medici practicaverit. Magiſtri vero intra iſtud quinquennium libros authenticos tam Hippocratis quam Galeni in ſcholis doceant tam in theorica quam in practica medicina. Salubri etiam conſtitutione ſancimus, ut nullus chirurgicus ad practicam admittatur, niſi teſtimoniales literas offerat magiſtrorum in medicinali facultate legentium, quod per annum ſaltim in ea medicinæ parte ſtuduerit, quæ chirurgiæ inſtruit facultatem, & præſertim anatomiam humanorum corporum in ſcholis didicerit, & ſit in ea parte medicinæ perfectus, ſine qua nec inciſiones ſalubriter fieri poterunt, nec fracturæ curari.* Hactenus ille Cæſarum Germanicorum eruditiſſimus.

Subſequutæ autem ſtatim ſunt paſſim alibi ſcholæ regiæ: atque procul dubio hoc initio nata optima

medicorum n. 4. VEILII *epiſtolam de medico*, & de rabbinorum pronunciato GERHARDUM *T. 8. de reſurr. §. 38.* MENASSE BEN ISRAEL *de termino vitæ lib. 2. ſect. 6. p. 99.* CARPZOV. *ad Schickardi jus regium p. 55.* Alias enim de bono & perito medico HOMERUS dixit: *ἰατρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων*, ARISTOT. *lib. I. eth Nicomach. φιλόσοφον ἰατρὸν* vocat.

(a) *archiatrorum*) Vide *Supplem. 27.*

(b) *Arabes artem hanc excoluerunt*) Præcipue ſtudium chymicum, in qua arte ducentos fere autores numerat RAVIUS *Panegyr. I. pag. 35.* & Botanicum, de quo indicem autorum ex IBN BEITHARE & MALAJESSA collectorum promiſit quondam HINCKELMANNUS *præf. in Alcoranum f. 1. col. 3.*

ma illa lex academica, cujus initio meminimus. Quo patet profecto, nos heic ſane jure gloriari poſſe præ Græcis ac Romanis; utut illi leges ſuas jactent, multisque hodie etiam ſit perſuaſum, illorum inſtitutis nihil prudentius fingi poſſe aut exquiſitius.

Vtinam vero tam recte obſervaretur lex illa, quam illa recte conſtituta eſt! Nunc eorum, quorum auctoritate leges unice conſiſtunt, vitio ita fere comparatum eſt, ut parum abſit quin Plinii querelæ in noſtrum quoque ævum congruant. Paſſim enim nullo doctore exculti, illotis ut ſic dicam manibus, illotis pedibus, medicorum profeſſione ſe induunt, carnificinam ampla mercede exercituri. Etiam audent hi male feriati academicis inſtitutis maledicere: quorum nempe ſanctitate ipſi ab arte facienda procul arcentur: oſtentantes interim ſeſe arcanorum remediorum poſſeſſione, in craſſiſſima faciendæ artis imperitia. Et tamen huic hominum generi paſſim creditur: quum contra in quavis meliuſcule conſtituta civitate nemini ephippiario, non cerdoni, non viliſſimo cuique miniſtro atque artifici ſordidiſſimo artem ſuam liceat exercere, cujus ille ſpecimen aliquod non ediderit primoribus in arte viris comprobatum. In Montepeſſulano, antiquiſſimo & celeberrimo artis noſtræ emporio, *ſi quis medicum ſe mentiatur* (a) (verba recito Joannis Libautii medici Pariſienſis clariſſimi) mox rapitur in aſinum ſtrigoſum, & ſi invenitur ſcabidum, tollitur ſublimis, averſus tota urbe circumducitur, ludibrio omnibus eſt, conſpuitur, vapulat, laceratur, ſordibus omnis generis conſpurcatur, ceu olim ſacra illa Maſſilienſium victima, poſtremo expiata urbe ejicitur, illuc nunquam rediturus niſi maximo ſuo malo. Utinam vero & alibi paſſim idem fieret! Certe plures hodie viverent, & impoſterum pauciores morerentur.

Sed quo prolabor? Id volebam. Quum reipublicæ tam ſit utile inſtitutum illud academicum, neminem ad artem faciendam temere admittendi niſi probatum a magiſtris & quaſi architectis noſtræ artis, non poſſe me non laudare hos quos mihi ſiſtis, ſpectabilis D. Decane, candidatos, viros doctiſſimos: quippe qui, non quorundam more, nullo facto examine nulloque ſpecimine in publicum edito ad artis opera voluerint accedere, ſed ſanctiſſime ſcholarum inſtituta obſervaverint. Eſt autem illud jamdudum ab iis factum, magno omnium applauſu. Quæ enim exiguntur ab omnibus artem facturis, illa conſtat ita eos eſſe perſequutos, ut nullius non publicam laudem impetraverint. Acceſſit poſt & uſus artis inſignis, nec minore cum laude jam aliquot per annos: quo ſeſe Principibus ac civitatibus multis probaverunt. Eapropter non eſt etiam, quur me, ſpectabilis D. Decane, multis roges, uti facultatem tibi concedam commeritis dudum honoribus hosce viros afficiendi, iis inquam quos ſolent ſcholæ noſtræ exhibere omnibus, qui ſuam in arte noſtra peritiam ſatis probaverunt. Quæ enim omnia Hippocrates noſter requiſivit in eo *ὅστις* (ut ipſe loquitur) *μέλλει ἰητρικῆς ξύνεσιν ἀτρεκέως ἁρμόζεσθαι*, illa omnia abunde his viris eſſe, dudum perſpectum habui. Neque enim aliqua illis dos ingenii deeſt: doctorum etiam optimorum præceptis, ceu optimo ſemine, illum ingenii agrum conſeverunt. Vixerunt præterea non uno loco ſtudiis medicis dicato, in clariſſimis nimirum Germaniæ academiis. Nec minus accurate a pueris usque inſtituti ſunt. Sicut nec *Φιλοπονίαν* quis unquam in iis potuit deſiderare. Omnia ſane tempus haud parvum ad maturitatem perduxit. Tales vero quum jam dudum ſeſe probaverint, oſtenderintque jam tum ſeſe medicos *μὴ λόγῳ μοῦνον ἀλλὰ καὶ ἔργῳ* (liceat mihi verbis Hippocraticis uti) quis nolit illos honores atque illud nomen publica auctoritate iis deferre, quos jamdudum publico omnium conſenſu commeruerunt? Ego ſane tantum abſum, ut iis petentibus quidquam cenſeam denegandum, ut & ultro ipſis nec petentibus & hoc & longe plura offerri debere arbitrer.

Quando igitur Sereniſſimus & Reverendiſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Fridericus Dei gratia Dux Brunſvicenſis & Lyneburgenſis, poſtulatus Coadjutor epiſcopatus Ratzeburgenſis, electus Præpoſitus archiepiſcopatus Bremenſis, hujusque academiæ Juliæ pro tempore Rector ac Cancellarius magnificentiſſimus, dominus noſter clementiſſimus, procancellariatus munus me hodie voluit adminiſtrare, non morabor ego neque Tuum, ſpectabilis D. Decane, neque quos ſtitiſti candidatorum, virorum ſane doctiſſimorum, deſiderium. Pro muneris itaque mei, quo hodie fungor, auctoritate, concedo tibi hosce viros, D. N. N. N. ubi ſe ſolenni facultatis medicæ juramento obſtrinxerint, doctores artis medicæ creandi, creatos renunciandi, & omnibus privilegiis, immunitatibus, indultis, beneficiis ac juribus donandi, quibus ille ordo a ſummis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, ac Principibus unquam condecoratus fuit, aut quibus alias gaudere, uti, frui poteſt ac debet, ſive de jure ſive de conſuetudine. Deum Opt. Max. oro obſecroque, ut iſthuc ipſum in nominis divini gloriam, publicæ rei emolumentum, ſimul etiam in candidatorum vergat inſigne commodum.

DISSERTATIO TERTIA.

Habita XVI. Octobr. anno clɔ Iɔ CXXXIIX. quum decanus collegii medici uni candidato titulum doctoris concederem.

CVjus rei gratia huc potiſſimum acceſſerimus, neminem ſane latet. Mihi vero etiam ſcio, præter illud potiſſimum munus, incumbere ex conſuetudine academiæ hujus & alterum, minoris quidem

(a) *ſi quis ſe medicum mentiatur*) E. g. qui gloriantur, mira ſe in morbis ſanandis præſtare, & vitam hominis prolongare poſſe, qui artem profitentur, ejus tamen parum & nihil periti. Ii enim veteri proverbio locum dederunt: Mentiris ut medicus. Conf. MICH. ERNEST. ETTMVLLERI *diſſ. de medico mendace.*

dem momenti & quaſi ſecundarium, æque gravis tamen operæ nec minori diligentia peragendum. Scilicet, antea quam hunc candidatum noſtrum publicis honoribus inaugurem, ſermo aliquis mihi ex more habendus eſt quaſi in anteceſſum. Utrumque agam: & brevibus quidem quod hodie ſacra ex ſacris nobis naſcantur, quorum *τελεταὶ* quælibet haud exiguum temporis ſpacium exigunt. Nec tamen vos morari, auditores, longis aut ſermonibus aut ceremoniis fas eſt, multo minus fatigandi eſtis: utpote quum adventu veſtro atque illa veſtra frequentia candidatum noſtrum ornare velitis. Sane gratias vobis deberi maximas ipſimet fatemur: qui niſi fateremur profecto eſſemus impii. Itaque ego quidem nemini moleſtiam creabo prolixo quodam præloquio. Dicam vero de argumento auditu nec injucundo, niſi fallor, nec inutili, de ortu inquam academiarum ſive regiarum ſcholarum unius Europæ noſtræ. Cui vero non jucundum fuerit id audire? imo cui non fuerit utile? Nobis certe qui aut ſenatores aut cives academici ſumus, non poteſt non maximam parere voluptatem, ſi cognoſcas, reipublicæ illius exordia, in qua omnes vivimus, atque unde tot indies nobis profluunt commoda. Etſi vero jam ante annum eodem de argumento mihi haud pauca dicta ſint: perſequutus tamen tunc maxime ſum inſtituta ſcholarum veterum, Græcarum, Latinarum, Ægyptiacarum, Perſicarum, atque Sarracenicarum, ſaltim quo clarius pateſceret quantum illa a noſtris fuerint remota. Noſtra equidem non niſi levi brachio perſtrinxi, in commodius tempus eorum narratione rejecta. Nec tamen vel hodie propoſitum habeo omnia illa tangere, quæ ad academiarum noſtrarum faciunt inſtituta. Iſthæc narrantem dies me deficeret, auditores. Nunc vero ne morandi quidem eſtis. Itaque illa duntaxat perſequar, quæ faciunt ad originem Europæarum ſcholarum: quæ, niſi admodum fallor, valde latet in obſcuro. Dicam ergo quo tandem tempore, quorumque auſpiciis ſcholæ Europææ hanc quaſi civitatis formam aſſumpſerint. Nec illas metas egredietur oratio mea. Quæ differentem uti me benigne audiatis, etiam atque etiam rogo.

Quinctum a Servatoris noſtri natalibus ſeculum agebatur, quum juſto Dei judicio in cultiſſimas Romani imperii occidentalis terras effundentibus ſeſe Germanicis potiſſimum gentibus, non multo temporis ſpatio omnis Africa, potioresque Europæ provinciæ, Hiſpania, Gallia, Britannia, Pannonia, Italia ſpiſſa imperitiæ caligine quaſi obducerentur. Ex eo nulla amplius profeſſorum ſalaria, nullæ ſcholæ publicæ, per omnem illum terrarum tractum. Scribit M. Aurelius Caſſiodorus, ſe auctore Agapetum pontificem Romanum theologicam ſcholam Romæ ad inſtar Niſibænæ inſtituere conatum quidem; irritum tamen illud conſilium fuiſſe præ temporis illius calamitatibus. Extat etiam apud eundem Caſſiodorum *l. 9. epiſtola viceſima prima* Athalarici Oſtrogothorum in Italia Regis, qua ille jubet ſalaria ſolvi ex more antiquo profeſſoribus in urbe Roma *ſine deductione* (ita loquitur) *ſemeſtribus etiam ſingulis.* Quin legimus, eodem tempore & Anicium Manlium *Severinum Boëtium*, (a) virum & dignitate & opulentia & virtute & eruditione longe maximum, Ariſtotelicam philoſophiam Romæ docuiſſe: quanquam ſalario docuiſſe non dixerim. Incidit autem hæc ætas in tempora Theodorici Oſtrogothorum Regis, vel ſeculi quinti ac ſexti confinia. Porro non multo poſt conſtituit, aut renovavit potius, Juſtinianus etiam imperator nonnulla de grammatices, rhetoricæ & juris Romani profeſſoribus in urbe Roma: uti in ejus legum codice hodieque legere eſt. Verum enimvero ultra bonos conatus non fortaſſis omne hoc negotium progreſſum eſt. Quei enim felicius potuit in eo omnium rerum interitu, deſtructo ſcilicet Gothorum ſic ſatis juſto imperio per immania bella, & Italiam denuo mox invadentibus Langobardis per Narſetem invitatis? Nec tamen ego negaverim primæ ac rudioris literaturæ ſcholas Romæ ſemper ſuperfuiſſe. Forte nec doctores defuere alii. Certum quippe eſt, eo loci aliqua ſemper eruditionis priſcæ ſaltim veſtigia remanſiſſe. Sed dubio procul per fuerunt rudia omnia.

Eadem tempeſtate floruit S. *Benedictus*, (b) omnium occidentalis eccleſiæ monachorum hodie pater. Hic etſi ordinis ſui homines non juſſerit publicas habere ſcholas, inſtituit tamen, uti ſaltim illi, quibus ex novæ regulæ præſcripto vivere animus, in monaſteriis docerentur. *Jam ante per orientem*, (c) ubi primum nata ſunt *τὰ ἀσκητικὰ* inſtituta, in cœnobiis nonnullis videntur ſacræ ſcholæ habitæ, ut quidem ex Joannis Chryſoſtomi tertio contra vituperatores monaſtices libro manifeſtum eſt. Etiam occidentis quibusdam cœnobiis ſuæ jam videntur ſcholæ fuiſſe. De eo ſane quod in Lerinæ, inſulæ Tyrrheni maris Galliæ Narbonenſi adjectæ, eremo exſtruxerat Honoratus Maſſilienſis, vetant nos dubitare, non tantum clara illa ævi ſui & eccleſiæ Gallicanæ lumina, præter Honoratum ipſum Maximus, Fauſtus, Hilarius, Cæſarius, Vincentius, Eucherius, Salvianus, Salonius, eremi illius alumni, ſed & ipſa Eucherii Lugdunenſis verba, quibus ad Salonium filium in *poſteriorem librum*

(a) *Severinum Boëtium*) Vid. *præfat.* quæ libro ejus *de conſolatione philoſophiæ* eſt præmiſſa.

(b) *Benedictus*) Cujus vitam & acta ex antiquioribus deſcripſerunt GREGOR. M. & LEO Marſicanus, Oſtienſis epiſcopus, recenſuit autem cum ſpicilegio addito chronico Caſſinenſi ANGELVS de NVCE, & *tomo V. ſcriptorum rerum Italicarum* inſeruit LVD. ANT. MVRATORIVS, ex recentioribus JOH. MABILLONIVS *in actis ſanctorum ordinis S. Benedicti*, HÆFTENVS ex eoque STENGELIVS aliique.

(c) *Jam ante per orientem*) Idem docet MABILLONIVS *de ſtudiis monaſticis part. I. c. 15. pag.* 183. ubi agit de traditione ſtudiorum in monaſteriis & quidem primitus in oriente exiſtentibus. Adducit exemplum Pachomii Græcas literas addiſcentis, ut poſſet Græcos inſtruere; item Ammonis epiſcopi, cui Theodorus abbas pro magiſtro aſſignaverit Theodorum Alexandrinum & Auſonium; porro Baſilii, qui cum inſtitueret monaſteria, inter alia etiam id ordinaverit, ut pueris, qui tum æque in monaſteria recipiebantur, magiſter, a quo literas diſcerent, præficeretur, hac tamen cautione, ut neglectis profanis ſacras edocerentur hiſtorias, propoſitisque munuſculis, ut easdem addiſcerent, allicerentur. Idem de Johanne Chryſoſtomo *pag.* 189. refert, eum, cum intra montes deſerti Antiochenſis ſe abderet, habuiſſe, a quo ſacras literas addiſceret, pro magiſtro Carterium. Provocat de cætero in hunc finem ad hiſtoriam monaſticam orientis.

brum inſtructionum ſuarum eſt præfatus. *Dignum eſt*, inquit, *quæcunque cura mea ingenium tuum reparari, qui vix dum decem annos natus eremum ingreſſus, inter illas ſanctorum manus non ſolum imbutus verum etiam enutritus ſis ab Honorato, patre inquam illo primo inſularum poſtea eccleſiarum magiſtro, quum te illic beatiſſimi Hilarii tum inſulani tironis, ſed jam nunc ſummi pontificis* (Arelatenſis videlicet) *doctrina formaret per omnes ſpiritualium rerum diſciplinas: adhoc etiam te poſtea conſummantibus ſummis viris Salviano atque Vincentio, eloquentia pariter & ſapientia præeminentibus.* Cæterum præ aliis huic rei operam navaſſe jure dixeris, quæ ad Benedicti regulam inſtituta ſunt cœnobia. Hinc ſane ipſimet Benedicto erudiendum filium Placidum tradidit Tertullius patricius, ut refert *hiſtoria Caſſinenſis.* (a) Et de Mauro Benedicti diſcipulo in Gallias miſſo refert Ivo, in Aurelianenſi monaſterio multos nobilium Francorum liberos ab eo pietatis fuiſſe ſtudiis imbutos. Sunt autem ex Benedicti præſcripto tantum non omnia totius occidentis monaſteria cum vetera reformata tum nova conſtituta.

Quo factum, uti ab illo usque tempore Benedictini ordinis monaſteria non pietatis ſolum, verum & doctrinæ ſcholæ fuerint, vix tamen extra ſua clauſtra ſeſe porrigentes. Neque enim verum eſt, quod nonnulli tradunt, ex primo inſtituto ſuo *ἀσκητήρια iſthæc ſcholas fuiſſe* (b) publicas promiscue omnium, etiam ordini iſti non addictorum. Quippe quam ſententiam & regula ipſa S. Benedicti & hiſtoria temporum falſi coarguant. Stetit vero omnis iſthæc doctrina intra levem Latinæ linguæ peritiam, & Chriſtianæ theologiæ uſum; quibus nonnulli mathematicum quid, computi eccleſiaſtici rectius cognoſcendi gratia, (poſtquam illam curam Dionyſius Exiguus Romæ accenderat) parumque artis medicæ addiderunt. Idipſum abunde liquet, cum ex monumentis illius ævi omnibus, tum ex Caſſiodori opere *divinarum humanarumque lectionum*, quo vir optimus monachos ad literarum ſtudia manuducere inſtituit. Obſervatu autem omnino dignum eſt, ſexto ſeptimo atque octavo ſeculis, neminem fere per Italiam, Galliam, Britanniam, Hiſpaniam (uno verbo) in occidentalis eccleſiæ toto orbe, nomen aliquod ſcripto libro obtinuiſſe, qui non in monaſterio educatus ſit atque inſtitutus. Igitur ubi meliora atque plura tum temporis monaſteria, ibi & plures & meliores viri docti floruerunt. Qua felicitate cumprimis tum Britannia fuit, ut quæ ipſam quoque Italiam, aut luxu aut bellis impeditam, longo poſt ſe intervallo reliquerit. Non enim Britannicis monachis quidquam tam ingenti temporis tractu aut melius aut doctius totus occidens habuit. Qui inter illos eminet Beda, idem omnium illius tempeſtatis per occidentem univerſum fuit doctiſſimus. *Nos ipſi Germani prima Chriſtianæ doctrinæ exordia* (c) illis cœnobitis debemus. Imo debemus illis initia omnis culturæ melioris, atque eruditionis: ſicut Angli ipſi ac Scoti a monachis Romanis eam aliqua ex parte antehac acceperant.

Præter has autem monachorum ſcholas per ducentos amplius annos, toto in occidentali orbe, nulla philoſophiæ, nulla Romani juris, nulla humaniorum literarum, nulla Chriſtianæ doctrinæ, nulla medicæ artis denique cathedra uſpiam fuit. Nam quod narrant nonnulli, Cantabrigiæ in Anglia a Sigeberto Rege, anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo, publicam academiam eſſe inſtitutam, id vero dubia annalium fide nititur; Cantabrigienſium quoque æmuli *Oxonienſes pernegant* (d) fortiter. *Et ut quædam fuerit inſtituta*, (e) procul dubio rudis illa fuit, nec in longum tempus. Cæterum

(a) *hiſtoria Caſſinenſis*) Sive chronicon monaſterii Caſſinenſis, quod ſupra dictus Leo Marſicanus libris tribus ab a. 500. usque ad a. 1087. perduxit, Petrus Diaconus autem addito quarto libro continuavit usque ad an. 1138. cujus & liber extat de viris illuſtribus Caſſinenſibus. Chronicon illud edidit primum Laurentius Vicentinus, Venetiis a. 1553. Venetam editionem conſecuta eſt Pariſienſis a. 1602. opera Jacobi du Breul monachi S. Germani a Pratis; deinde alia Neapolitana cum notis Matthæi Laureti a. 1616. denique alia Pariſienſis cum commentario Angeli de Nuce Neapolitani abbatis Caſſinenſis a. 1668. quam reliquis prætulit & recenſuit Muratorius.

(b) *non verum eſt ἀσκητήρια iſta &c.*) Neque omnia *ἀσκητήρια* fuerunt ſcholæ publicæ, neque ipſa fuerunt ſcholæ promiſcue omnium. Docebantur enim ibidem tantummodo ii, quibus vitam, quam vocant, clericalem profiteri volupe erat, & præter hos alii, qui liberalium artium ſtudiis mentem expolire deſiderabant; ultra hanc ſphæram nulla ibi alia erat eruditio vel quæ politicum, vel quæ medicum formaret.

(c) *Nos ipſi Germani prima Chriſtianæ doctrinæ exordia*) Ex Britannia enim migrationes ſacras in Germaniam inſtituerunt Columbanus & Tornandus Amandus, Arbogaſtus, Colomanus, Wilfridus, Ecbertus & duodecim clerici (inter quos Acca cumprimis eminuit) ab Ecberto in comitatum aſſumti, duo Ewaldi, Swidbertus, Marcellinus, Willibrordus cum XII. fratribus: præcipue vero poſt illos Wunifridus deinceps Bonifacius dictus, cujus amici comitesque fuerunt Wilibaldus, Wunibaldus, Burchardus, Megingozus, Wigbertus, Sola, Alto, Pyrminius, Sebaldus, Lullus, Sturmius, Adearius, Eobanus, Wilhadus, ex quibus plerique in actis ſanctorum celebrantur, ut taceam quoque religioſiſſimas fœminas Theclam, Liobam & Walpurgim ex Britannia oriundas. Conf. SCHATEN *in hiſtor. Weſtphaliæ*, ADAMVS BREMENS. *in hiſtor. eccleſ. lib. I.* apud LINDENBROGIVM *p. 3. ſqq.*

(d) *Oxonienſes pernegant*) Vide *annotatores ad Spelmanni vitam Aelfridi p.* 152. qui & propterea Polydorum Vergilium & Midddendorpium (hac in re forte ab Hutchero Anglo quodam deceptum) reprehendunt, academiæ Cantabrig. primas deferentem. Addatur Antonius a Wood qui a. 1674. pec. ſcripto hiſtoriam & antiquitates academiæ Oxonienſis complexus eſt, ubi & Pariſienſem academiam Oxonienſi originem ſuam acceptam ferre docet *lib. I. p.* 12. *&* 14.

(e) *Et ut quædam ibi fuerit inſtituta*) Urgent inter alia, qui pro antiquitate academiæ Cantabrig. pugnant, quod apud BEDAM *lib. 4. c. 2.* legantur Theodorus archiep. Cantuarienſis, qui floruit a. 670. & Adrianus eccleſiaſticam diſciplinam & metricam & aſtronomicam diſcipulis tradidiſſe. Reſpondent autem Oxonienſes, id Creklandiæ ſive Græcoladæ, quia ibi Theodorus Græcos ſuos ipſe natione Græcus collocaverit, non Cantabrigiæ factum eſſe, ſcholas vero Græcoladanas Oxonium potius delatas fuiſſe. Urgent porro ex altera parte, Granticeſtriæ primum academiam fuiſſe, deinde ad Cantabrigienſes translatam. Sed id pernegant Oxonienſes, quoniam probari nequeat, Cantabrigiam ex Granteceſtriæ ruinis ortam. Vid. *annotatores ad* SPELMANNVM *pag.* 151.

rum nono ſeculo majori veriſimilitudine laus illa competit. Sicut enim plane illo tempore & inter Sarracenos ſapientia fuit accenſa, & protracta eſt iterum in lucem Conſtantinopoli eruditio per Bardam Cæſarem a Photium patriarcham, quod alias narravimus: ita etiam occidentalis hic orbis, nunquam ſatis memorando Dei beneficio, barbariem ſuam cœpit non leviter tum diſcutere.

Primum enim MONASTICÆ ſcholæ longe quam antehac plures inſtitutæ; non modo per Italiam, Galliam, Britanniam, Hiſpaniam, ubi ante non niſi paucæ erant, verum etiam per Germaniam noſtram, ubi antehac vix ulla. Ex iſtis autem phrontiſteriis magna ſtatim copia monachorum profluxit, qui ut non minus pietate quam doctrina eluxerunt, ita ampliſſimis epiſcopalibus muneribus ſumma cum laude, imo cum eccleſiæ fructu maximo ſunt præfecti. Quantos ſane viros vel ſola tum Germania ſtatim protulit! *Rabanum Maurum*, (a) *Strabum* (b) Fuldenſem, *Haymonem*, (c) Walafridum Strabonem, *Paſchaſium Ratbertum*, (d) *Amalaricum Trevirenſem*, (e) *Halitgerium*, (f) omnes ſcriptis editis clariſſimos. Taceo enim nunc *alios*: (g) quamvis una ad Viſurgim Corbeja noſtra Bremæ dederit ordine integros *quinque* (h) priores epiſcopos eosque omnium optimos, nec minus alibi pari virtute aliquammultos: imo quamvis Sturmo abbate una Fulda ſimul triginta doctores artium linguarumque & ſexcentos genere claros diſcipulos aluerit.

Ad hoc vero paſſim locorum cum EPISCOPALIBVS COLLEGIIS novum ſcholarum genus cœpit. Ejus inſtituti exordia quædam, ut S. Baſilius in oriente, ita in Africa princeps fecerat jamdudum ante S. Auguſtinus. *Factus enim presbyter* (verba ſunt Poſſidii in vita S. Auguſtini) *monaſterium intra eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei ſervis vivere cœpit, ſecundum modum & regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam: maxime ut nemo quidquam proprium in illa ſocietate haberet, ſed eis eſſent omnia communia & diſtribueretur unicuique prout cuique opus erat. Quod jam ipſe prior fecerat, dum de transmarinis ad ſua remeaſſet.* Laudabile iſthuc S. Auguſtini facinus imitantibus paulatim ſponte ſua epiſcoporum nonnullis, magis magisque increbuit cœnobitarum iſtud genus epiſcopalibus ſedibus adjunctorum, quos etiam tunc ab obſervato ſingulari vivendi canone canonicos aut regulares uſurparunt. Scholas tamen an & hi, ſive in publicum, h. e. quosvis admittentes, ſive fratribus ſuis, jam tum temporis habuerint, mihi quidem non liquet. Imo potius vero abſimile videtur, quum nihil iſthac de re ſcitum invenias in regula ab ipſomet ſanctiſſimo illo patre ſuis illis canonicis præſcripta. Nec enim fortaſſis cauſæ quidquam eſt, quur illam regulam, quam patri iſti tribuerunt tot ſecula, ac commentariis Hugo de S. Victore & Humbertus illuſtrarunt, cum nonnullis in alium auctorem referamus. Invenio autem in illa regula nihil quod huc faciat: niſi forte eo trahere quis velit: *codices certa hora ſingulis diebus petantur; extra horam qui petierit non accipiat.* Quæ tamen verba nequaquam de ſchola loquuntur habenda, ſed de lectione.

Cæterum nono quod diximus ſeculo & hæc canonicorum aut monachorum (perinde enim propemodum tunc quidem fuit) collegia frequentius ſunt inſtituta, & ſimul paſſim locorum iis injunctum ſcholarum habendarum negotium, auſpicio cumprimis atque auctoritate Caroli Magni ac Ludovici Pii, primorum Franciciæ ſtirpis Cæſarum. Nec enim ullam hi epiſcopalem conſtituerunt cathedram, niſi adjuncto ſimul canonicorum collegio, cui ex præſcripto S. Auguſtini fuerit vivendum. Ex eo igitur non in monaſteriis duntaxat, ſed ubicunque etiam locorum *epiſcopalis cathedra erat*, (i) ſcholæ exerceri cœperunt; & quidem, ut tempora tum ferebant, exigebatque neceſſitas in illa rudium hominum frequentia, cum literaturæ Latinæ potiſſimum tum interdum aliqua ex parte etiam theologiæ Chriſtianæ, vix tamen aliis quam clericæ vitæ addictis auſcultantibus. Quos ſcilicet ſacrorum Latina lingua celebrandorum neceſſitas ad aliquam ſaltim ejus literaturæ peritiam acquirendam adigebat. Et vero omnibus illis in collegiis quis eſt conſtitutus qui ſcholas haberet, non minus atque in aliis monaſteriis. Meminit ejus rei Anſegiſus hisce verbis: *Carolus ſiquidem conſtituit in ſingulis monaſteriis & epiſcopiis ſcholas eſſe, ubi ingenuorum & ſervorum filii grammaticam muſicam & arithmeticam doceantur.* In Cabilonenſi quoque concilio cap. 43. ipſa illa conſtitutio hisce verbis laudatur. *Oportet enim, ſicut dominus Imperator Carolus, vir ſingularis manſuetudinis, fortitudinis, & prudentia, juſtitia & temperantia precepit, ſcholas conſtitui, in quibus literaria ſolertia diſciplina & ſacræ ſcripturæ documenta diſcantur, & tales ibi erudiantur, quibus merito dicatur a domino: Vos eſtis ſal terra &c.* Memorabile etiam eſt quod *in privilegio Oſnabrugenſi* (k) epiſcopatui anno 804. conceſſo, legitur: *Inſuper*

(a) *Rabanum Maurum*) BROWERVS *antiquit. Fuldenſ. lib. IV. §. V. & lib. I. c. XIII. XIV.*

(b) *Strabum*) Autor noſter a Tritheimio deceptus, Strabum a Walfrido Strabone dividit, cum tamen idem fuerit doctiſſimus Rhabani ſcriba, diſcipulus & notarius, theologus, philoſophus & poeta celeberrimus. BROWERVS *l. c. lib. I. c. XII.*

(c) *Haymonem*) BROWERVS *l. c. p.* 54. Hic ex monacho Fuldenſi abbas Hirſchfeldenſis, & deinde epiſcopus Halberſtadienſis factus. *BROWERVS l. c. pag.* 54. *WINNIGSTAEDT in Haymone.*

(d) *Paſchaſium Ratbertum*) Hujus Corbeienſium monachi doctiſſimi ſcripta recenſet Surius. Exſtabat in Corbeienſium monaſterio ſcriptum ejus de fide ſpe & charitate ineditum, quod a me inde erutum & B. Leibnitio communicatum, tandem ad Pezium Moloecenſis monaſterii monachum doctiſſimum pervenit, qui illud inter alia edidit.

(e) *Amalaricum Trevirenſem*) *BROWERVS annal. Trevir. lib. VIII. p.* 393. *ſeqq.* Alcuino magiſtro uſus eſt. Opus de officiis ſcripſit.

(f) *Halitgerium*) Vide de hoc *literas* PASCHALIS PAPÆ apud *LINDENBROGIVM ſcript. ſeptentr. p.* 186.

(g) *alios*) Confer. *BROWER. in antiquit. Fuldenſ. lib. I. c. XIII. XIV.*

(h) *quinque*) *ADAMVS BREMENSIS in hiſtoria eccleſiaſt.*

(i) *epiſcopalis cathedra erat*) Unde factum ut ſcholæ nonnunquam epiſcopia dicta.

(k) *in privilegio Oſnabrugenſi*) Hoc de privilegio diſceptatur, utrum genuinum ſit nec ne. LAVNOIVS *de ſcholis a Carolo M. fundatis p. m.* 45. non quidem de ejus fide dubitat, tamen de Alberti Crantzii narratio-

Inſuper (verba Caroli ſunt) *eidem epiſcopo ejusque ſucceſſoribus concedimus licentiam, libertatem, & ab omni regali imperio abſolutionem. Niſi forte contingat, ut Imperator Romanorum & Rex Græcorum conjugalia fœdera inter filios eorum contrahere diſponant: tunc eccleſia illius epiſcopus cum ſumptu a Rege vel ab Imperatore adhibito, laborem ſimul & honorem illius legationis aſſumet. Et ea de cauſa ſtatuimus, quod in eodem loco græcas & latinas ſcholas in perpetuum manere ordinavimus*, (a) *nec unquam clericos utriusque linguæ gnaros deeſſe confidimus.* Ab illo inſtituto eſt, quod hodieque plerisque canonicorum clauſtris ſcholæ habendæ locus adjunctus ſit: quodque uni canonicorum etiamnum ſcholaſtici appellatio maneat. Porro quod præclare Carolus Magnus inſtituerat, non minori diligentia curavit filius Ludovicus, cui virtus Pii cognomentum conciliavit. Exſtant hodieque in laudem illius Principis cum alia tum inprimis canones Aquisgranenſis magni conventus, quibus multa ad eccleſiaſticum ſtatum pertinentia quam ſanctiſſime ſancita, tum canonicorum collegia ordinata ſunt. Lothario quoque imperante anno 855. concilii Valentini in Gallis celebrati caput octavum decimum itidem ſcholas in ſingulis epiſcopiis fieri juſſit. Quod quarto poſt anno iterum repetitum Lothario Lotharii Imperatoris filio regnante, in concilio Tullenſi. Canon ejus hic eſt: *Vt ſcholæ ſanctarum ſcripturarum & humanæ quoque literaturæ, unde annis præcedentibus per religioſorum imperatorum ſtudium, magna illuminatio eccleſiæ & eruditionis utilitas proceſſit, deprecandi ſunt pii principes noſtri, & omnes fratres & coepiſcopi noſtri inſtantiſſime commonendi, ut ubicunque omnipotens Deus idoneos ad docendum i. e. fideliter & veraciter intelligentes donare dignatur, conſtituantur ubique ſcholæ publicæ, ut utriusque eruditionis, & divinæ videlicet & humanæ, in eccleſia Dei fructus valeat accreſcere. Quia (quod nimis dolendum eſt & pernitioſum maxime) divinæ ſcripturæ verax & fidelis intelligentia jam ita dilabitur, ut vix jam extrema ejus veſtigia reperiantur. Et idcirco ingenti cura & ſummo ſtudio remedium procurandum eſt.* Hactenus canon. Apparet autem ex iſthoc canone, optime quidem ſancitum tunc temporis hoc ſcholarum genus, cum Carolo tamen & Ludovico Pio fere iterum concidiſſe.

Quanquam vero a principe Carolo profluxiſſe id inſtituti quis crediderit, & multi hodie credant, non fraudanda tamen forte gloria hujus inventi Anglia videtur. Scribit enim ad annum 761. Cardinalis Baronius: *Hoc anno in Anglia Egbertus epiſcopus Eboracenſis regis Germanus, ſcientia & ſanctitate clarus diem clauſit extremum. Fuit iſte magiſter Albini qui & Alcuinus Flaccus dictus invenitur, qui ipſum pluribus laudat in literis ad Carolum Magnum ſcriptis, utpote quod inter alia inſignia opera, publicum ſacrarum literarum gymnaſium Eboraci inſtituit, eamque eccleſiam nobili bibliotheca ditavit.* Conſtat etiam ex vita Ludgeri, ipſum Albinum Eboraci ſacras literas eſſe profeſſum. Itaque vero eſt ſimile, ex Albini conſilio, atque ad exemplum Egberti illius, laudabile hoc Caroli Magni inſtitutum profectum eſſe: utpote quum notum ſit ad reparandam rem literariam Albini præcipue conſiliis Carolum eſſe uſum. Cæterum de Albino etiam poſt diſſerendum fuerit.

Præter hæc autem duo ſcholarum genera etiam TERTIVM atque adeo illud quod originem noſtris academiis dedit, cœpiſſe eodem illo ſeculo nono, videtur: nec uno quidem loco. Vt enim de Anglia dicam prius, unde nobis ipſa illa doctrinæ rudimenta redierunt, ab Alphredo rege ſcholam publicam Oxoniæ eſſe conſtitutam anno Chriſtiano ſeptuageſimo tertio vel potius nonageſimo quinto, ex Oxonienſium monumentis *haud pauci hodie narrant.* (b) Ejus tamen non meminerunt vel Wilhelmus Weſtmonaſterienſis vel abbas Ingulphus, qui res Anglicanas illius temporis ſatis diligenter tradiderunt: doctrinam duntaxat prope emortuam cum literariam tum eccleſiaſticam ab illo rege eſſe reſuſcitatam, illis auctoribus eſt traditum. In id enim libros complures ex bibliotheca Romana regiis ſumptibus deſcriptos, ac viros eruditos ex Galliis & aliunde evocatos. Inter quos Joannes Erigena Scotus fuit, ille qui Dionyſii dicti Areopagitæ opus de divinis nominibus *ex græco in latinum vertit*, (c) ſuſpectæ alias & dubiæ in religionis negotio fidei. Sed bonas artes di-

ne ait, ſe non valde ei repugnaturum, qui ea, quæ ille de hac ſchola tradidit, in dubium vocare velit.) Diploma falſum eſſe, ECCARDVS multis probatum ivit rationibus, & ſententiam ſuam contra adverſariorum objectiones ſtrenue defendit.

(a) *quod in eodem loco græcas & latinas ſcholas &c.*) *Autor diplomatis Caroli M. de ſcholis Osnabrugg. eccleſiæ græcis & latinis critice expenſi p.* 38. & 40. oſtendit, ſtatum Saxoniæ ſub Carolo M. talem non fuiſſe, ut græcas & latinas ſcholas ordinatas haberet, neque aliquem ex imperatoribus aut regibus Germaniæ de conjungendo ſibi per matrimonia imperio orientali ſive Conſtantinop. cogitaſſe præter Ottonem I. qui Ottoni II. filio Theophaniam Conſtantin. imper. filiam matrimonio jungi fecerit, legatione, uti ex aliis conſtet, ſine dubio Ludolphi epiſcopi Osnabruggenſis uſus, qui poſt reditum ſuos ad latinæ æque ac græcæ linguæ ſtudia excitaverit, quod non attendentes poſteri Osnabruggenſes, apud ſe tamen ſolos in Saxonia græcas ſcholas animadvertentes, occaſionem arripuerint, inſtitutum hoc, uti alia præclara omnia, Carolo M. attribuendi.

(b) *haud pauci hodie narrant*) Ita SPELMANNVS *in vita Aelfridi lib. II. p.* 106. ubi, ne videretur Rex Oxonii renovaſſe univerſitatem potius, quam de novo condidiſſe, quæ ejus ſententia eſt, hanc conſilii regii affert rationem, non modo Oxonii academiam a rege recenter conditam, ut devaſtatæ ibi per Northumbros & Danos regiones frequentarentur, ſed & ut barbaros quoque moribus cultiores redderet. At vero hanc rationem rejiciunt *annotatores;* potuiſſe enim regem, ajunt, ſi ſecuritatem a Danis metueret, alias urbes, uti Northumtoniam, Warwicum, Bedfordiam eligere, nec videri poſſe, cur alia loca ſibi chariſſima poſtponeret, uti Abendoniam. Rectius igitur dici, genium loci ſtudiis aſſuetum, urbemque jam paratam, domos, hoſpitia, ſcholas, eccleſias, omnia denique ab antiquo tempore parata reperiſſe. Bonas literas enim Oxonii ante Aelfridum floruiſſe, diſerte teſtatur WILHELMVS MALMESBVR. *de geſtis reg. Angl. lib. II. c.* 4.

(c) *ex græco in latin. vertit*) De hac translatione vide MALMESBVRIENSEM *ad a.* 883. & *USSERIVM epiſt. Hibern. pag.* 57. 65. Compoſuit etiam Scotus iſte librum, quem περὶ φύσεων μερισμοῦ, ſive de naturæ diviſione inſcripſit, eundemque eſſe arbitratur JAC. THOMASIVS *in origin. hiſt. philoſ. p* 115. cum eo, quem inter ſcripta ejus recenſet PITSEVS *de ſcript. Angl. pag.* 168 *Paraphraſticos tomos librum unum.* Hac ipſa autem traductione uti & aliis ſcriptis primus myſticam theologiam Dionyſii tertio ante natam ſcholaſticam ſeculo ad latinos detulit. Neque enim hic Scotus, quod monendum eſt, vel cum Johanne Duns Scoto, ſectæ ſcholaſticæ autore, qui diu poſtea floruit, vel cum Johanne

ſciplinamque reſtitutam nonnihil a rege hortatu S. Neoti monachi, apud quem Rex profugus ante aliquamdiu delituerat, certum videtur. *Erat is Neotus* (a) natione Anglus, vitæ inſtituto Benedictinus monachus, niſi malis anachoretam fuiſſe, ac porro (ut quidem Arnoldus Wion ejusdem ordinis monachus Duacenſis, opere cui titulum fecit *Ligni vita*, tradit) Diaconus in Hermſtoke poſtque obitum catalogo ſanctorum adſcriptus. Auctor vero eſt Guilielmus Cambdenus, ſeu potius ille ante laudatus Arnoldus, tria tum ab Alphredo rege Oxoniæ auditoria conſtructa eſſe, unum grammaticis, alterum philoſophis, theologis tertium. Quæ ſi vera ſunt (quod *dubito de theologica ſaltim cathedra*) (b) ex parte conjectura facile colligi poteſt, quæ docendi ratio iſthac in ſchola tum obtinuerit. Sed quæcunque illa fuerit, omnes narrant parum illam felicitatem diuturnam fuiſſe: excipientibus illam paucis poſt annis Danorum incurſionibus, & Haraldi præcipue regis barbara immanitate, quibus omnis Anglia, cumprimis vero ipſa Oxonia, tantum non in cineres abiit ac ſanguinem. Illa autem calamitas in Normannorum usque dynaſtiam, adeoque finem prope ſeculi undecimi, ſeſe extendit. Quo tempore ſuperfuiſſe Oxoniæ, licet exhauſta in urbe, literarum & philoſophiæ diſciplinam, recte quidem colligit Wion & qui hunc deſcripſit ſuppreſſo nomine Cambdenus, ex hisce Ingulphi verbis: *Ego Ingulphus conſtitutus primum Weſtmonaſterio poſtmodum Oxonienſi ſtudio traditus, cum in Ariſtotele arripiendo ſupra multos coætaneos profeciſſem &c.* Non minus tamen recte obſervat Cambdenus, refloruiſſe ibi literas, præſertim Roberti Polenii cura & favore Henrici ſecundi ac Richardi regum, hoc eſt ſub finem circiter ſeculi Chriſtiani duodecimi. Et vero, eodem teſte, *Polenii conatus adeo feliciter ceſſit, ut regnante Joanne* (is autem præfuit regno ab anno 1199. usque ad 1216.) *tria millia ſtudioſorum in hac urbe fuerint.* Henrico III. autem rege, qui Joanni patri ſuccedens obiit demum 1272. *tanta jam erat eruditorum copia, ut innumeri divinis humanisque artibus inſtructiſſimi cum in eccleſiam tum in rempublicam fuerint propagati, Matthæusque Pariſienſis univerſitatem Oxonienſem ſecundam a Lutetia eccleſiæ ſcholam, eccleſiæ imo fundamentum, diſerte appellarit.* Non patitur hic locus addere ex Cambdeno, quæ ſubjungit de collegiis illic loci ſecuto tempore exſtructis ſummo literariæ reipubl. bono. Non poſſum tamen non adducere quod narrationi illi addit elogium: *His collegiis quæ numero ſunt ſedecim, & aulis præterea octo, elegante ſtructura, opimis reditibus, & inſtructis bibliothecis ita floret Oxonia, ut reliquas orbis Chriſtiani academias ſuperet omnes.* Verum præſtat fortasſis de ipſo Alphredo rege ejusque nunquam ſatis laudando inſtituto recitare, quæ habet politisſimus Anglicarum rerum ſcriptor gente Italus Polydorus Virgilius. *Dedit Alvredus*, inquit ille, *jam viginti natus annos operam literis, atque ita doctus evaſit brevi, ut divi Gregorii dialogos, opus Boetii de conſolatione philoſophiæ, & Pſalmos David, ex latino in patrium ſermonem verterit,* (c) *quo a cunctis facile intelligerentur. Licet dialogos & Boetii opus quidam tradant ejus rogatu Verefredum antiſtitem Vigornienſem tranſtuliſſe; quibus minus conſentio, cum ipſe ſit eruditus eſſet, ut par ſit credere ejus fuiſſe opera. At Pſalmos, morte intercedente, non omnes omnino interpretatus eſt. Studebat Rex optime animatus per id tempus, quo literæ apud occidentales longe rariſſimæ erant, ſuos quovis modo bene vivendi rationem docere, mortaliumque animos ad bonas artes diſcendas generatim inflammare: quare ſumme favebat ingeniis, fovebat hominum dignitatem, amplectebatur nobilitatem, & omnes denique diligebat in quibus virtus ineſſet. Memoria quoque proditum eſt, Alvredum haud facile pati conſueſſe, quempiam in ſacerdotum collegium venire, niſi vir probus atque bene literis inſtitutus eſſet: utpote qui probe ſciret ſacerdotes ſecundum vetus verbum ſpectaculum factos eſſe mundo, ac propterea alios mortales vivendi modum facile ab illis mutuari. Et quoniam perpauci admodum tales apud ſe eſſe cernebat, idcirco undecunque viros vitæ ſanctitate & doctrina claros arceſſebat, qui regale ſacerdotium, uti apoſtolorum princeps appellat, obirent. Atqui Neotum imprimis monaſtica* profeſ-

---

Mailroſio Scoto, Bedæ diſcipulo, qui antea vixit, confundi debet.

(a) *Erat is Neotus*) Sunt qui hunc Aethelwulphi vel Adolphi R. filium adeoque Aelfridi fratrem eſſe arbitrantur. Sed id ex fabuloſa vitæ S. Neoti deſcriptione a Wilhelmo Ramſus Monacho Crocolandenſi a. 1360. verſibus conſignata depromptum, unde & ſua hauſerit Capgravius, non immerito rejicitur ab *Annotatoribus ad SPELMANNVM p.* 103. Veriſimilius autem putant, cum Aſſerius Neotum Aelfridi conſanguineum dicat, ipſum fuiſſe e proſapia regia Eaſt Anglorum, & ad Weſt-Saxonas ſtudiorum gratia conceſſiſſe. Quo tempore mortuus ſit, ſcriptores non adeo conveniunt. Nos ſupra annum poſuimus 890. Sunt tamen qui obitum ejus ad a. 873. vel ad a. 884. referunt; quod diſcrimen componere, nunc quidem noſtri non eſt inſtituti. Sepultus fuit Neotus ab initio in templo S. Gveriri Eimsburiæ in agro Cornubienſi, qui locus deinde ab ejus nomine Neotſtow dictus eſt. Poſtea vero comitis Alrici palatium in comitatu Huntingtonenſi in monaſterium ipſius memoriæ ſacrum converſum fuit, quo translatum corpus ejus oppido, quod hodie S. Neoti dicitur, vulgo S. Neodes nomen dedit. Etiam amplius a. 1203. Henricus Croylandiæ abbas putans tantæ ſanctitatis virum honeſtius in cœnobio ſuo collocari poſſe, reliquias ejus in Croylandiæ ſacello repoſuit. Vid. *ANNOTATORES l. c.*

(b) *dubito ſaltim de theologica cathedra*) Sed id annales Wintonienſes ſupra ad diſſ. 1. allegati luculenter perhibent, aliaque monumenta, ex quibus reperiit *SPEELMANNVS in vita Aelfridi lib. III. p.* 148. inter collegia tria ab Aelfrido conſtituta unum theologis dicatum referentia.

(c) *Aelfridus tranſtulit Gregorii dialogos*) Vel potius ipſius juſſu Werefridus epiſcopus Wigornienſis, uti alii referunt. Præterea *SPELMANNVS l. c. p.* 104. refert, Gregorii paſtorale de epiſcoporum & presbyterorum officio ab Aelfrido translatum fuiſſe eo conſilio, ut ſi forte temporum iniquitate in poſterum beneficia eccleſiaſtica in viros indoctos conferri contingeret, nihiloſecius extaret vernaculo ſermone, unde quæ ad paſtorale munus ſpectant, haurirentur, quemadmodum id appareat ex præfatione paſtorali præfixa quam Wolffgiſo Londinenſi epiſcopo inſcripſerit. Idem de regis hujus apophtegmatibus & carminibus pluribus agit *p.* 92. 93. & *p.* 166. ex Balæi centuriis alias hujus regis translationes aliaque ſcripta recenſet, atque Boethio cumprimis Aelfridum in tantum delectatum commemorat, ut eum ſemper in ſinu ſecum geſtaverit. Ejusdem tamen parabolas, quæ extant in bibliotheca Bodlejana pſeudepigraphas eſſe, oſtendunt *ANNOTATORES p.* 98.

profeſſionis virum ſanctiſſimum, ob eximiam eruditionem, miro amore complexus eſt; quo hortante, Oxonii gymnaſium inſtituit, propoſita mercede omnibus, qui publice bonas artes profiterentur. Quo multi doctrina clari confluxerunt docendi gratia. Hæc Polydorus. Non multo poſt addit idem nonnulla de ipſa Oxonienſi ſchola ejusque inſtitutis, quæ itidem non poſſum hic omittere. *Hæc ſtatim a principio,* inquit, *tum divinarum humanarumque literarum ſtudiis, tum mira hominum in doctrinas incumbentium frequentia multo celeberrima eſſe cœpit: deincepsque usque eo floruit, ut jam facile cum quovis alio totius orbis gymnaſio de nominis gloria certare poſſet. In qua ſcholaſtici ipſi, ut cujuſdam religionis obſervatione a primo imbuti, neutiquam minus animos bonis moribus quam literis excolunt. Habent enim cœnobia magnifico apparatu conſtructa, multorumque cum epiſcoporum, tum regum, hominumque nobilium, ac fœminarum probatiſſimarum muneribus opulentiſſima, quæ collegia vocitant, quod eorum collegia eo loci collocata ſint: quorum magiſtri ſunt viri doctrina inprimis probati, & honeſti. Igitur ibi cum abunde ſuppeditentur facultates, communiter vivunt, ac quotidie bene mane aut rem divinam faciunt, aut ſacris interſunt, antequam ad rem literariam aggrediantur: atque ita Deum cumprimis venerantes ſeſe caſtiſſimo ſimul vivendi genere & doctrinarum omnium ſtudiis exercent, unde jugiter ſingulari pietate & eruditione viri, velut ex quodam totius orbis ampliſſimo diſciplinarum theatro, exiſtunt, qui tam pie quam utiliter, nunc docendo, nunc ſcribendo, mirum in modum rem Chriſtianam juvant, celebrant, tuentur. Quemadmodum ex nonnullis, paucis quidem, nihil floret: qui omne vitæ curriculum ibidem ſeſe molliter curando tranſigunt, qui malis exemplis juventuti plurimum interdum nocent. Quæ ſane morum labes minime fieret, ſi illi qui etiam nunc nova in dies ſingulos inſtituunt collegia, tandem aliquando certos darent ſcholaſticis annos, ut aut docti ſuo tempore domum redirent, aut veluti aſini ad lyram, ut dicitur, loca aliis relinquerent, qui valde multum poſſent in literis proficere.* Hæc iterum elegantiſſimus Polydorus. Quæ pro dignitate expendere tamen non licet, cum ab inſtituto nimis alienum, & nunc propoſitum ſit duntaxat in originem academiæ Oxonienſis, qualis illa facta eſt ſeculo nono, inquirere.

Eadem ſane de cauſa non eſt etiam, ut CANTABRIGIENSIS ſcholæ hic faciamus mentionem. Etſi enim apud Arnoldum Wion ſcribat Robertus de Remington: *Regnante Eduardo primo de ſtudio Grantbrig* (illa eſt Cantabrigia) *facta eſt univerſitas ſicut eſt Oxonia, per curiam Romanam:* adeoque poſſit cui videri non alienum eſſe ab hoc tempore: cum rerum in Anglia potitus ſit Eduardus I. in confiniis noni atque decimi ſeculi. *Revera tamen loquitur autor ille de Eduardo Normannicæ ſtirpis id nominis primo,* (a) qui regnum adiit demum anno 1272. quo rege primum quod vocant collegium ibi exſtruxit epiſcopus Elienſis.

Nos, Britannia relicta in GALLIAS transfretabimus. Ibi vero, & quidem Lutetiæ PARISIORUM, iſthac ætate jacta tum initia fuiſſe ſcholæ illius toto jam orbe celeberrimæ, magis certa eſt fide cognitum. *Etſi enim unum alterumque eſſe ſciam id qui neget,* (b) adeo multis tamen ſeculis atque adeo diverſis gentibus id traditum eſt, ut illi conſenſui repugnare ſit pene frontem ferire. Scilicet quamvis, ut de re vetuſta, non idem omnes narrent, Caroli tamen Magni auſpiciis ſcholam publicam Lutetiæ apertam eſſe, in id vero doctiſſimi quique conſentiunt. Non abs re fuerit fortaſſis, quid eo de negotio referant unus atque alter, hic recitare. *Georgius igitur Buchananus* (c) exquiſiti vir judicii, cum libro quinto Scoticarum rerum, ab Achajo primum rege inter Francos & Scotos initam eſſe amicitiam, dixiſſet, ſecundam ejus amicitiæ cauſam hanc adducit: *Deinde etiam a Carolo Magno, qui Galliam non minus literis quam armis illuſtrare cupiebat, accerſiti e Scotia qui philoſophiam Lutetiæ græce & latine docerent. Apud Scotos enim adhuc erant monachi, vetere diſciplina nondum extincta, literis & pietate inſignes. Quo e numero erat Johannes cognomento Scotus, ſive Albinus, quod idem valet* (*Scoti enim ſe Albinos ſua lingua vocant*) *Caroli præceptor, qui plurima ingenii ſui monumenta reliquit: e quibus nos* (verba recito Buchanani) *rhetoricæ præcepta vidimus, cum inſcriptione Joannis Albini. Clementis quoque Scoti, qui eodem tempore Lutetiæ literarum inſignis profeſſor erat, quædam ſcripta adhuc ſuperſunt.* Hæc Buchananus. Nonnulli Scoti tunc miſſos ab Achajo ſcribunt præter alios Mailroſium & Clementem; fuit autem fortaſſis Joannis cognomentum Mailroſius. Quæ ut vera ſint, Albinum tamen ſive *Alcuinum*, Caroli magiſtrum, aut *Scotum fuiſſe*, aut ex Scotia ab Achajo miſſum, quod ſcribit Buchananus, *vix adducor ut credam.* (d) Quos enim equidem alios legi

(a) *Revera tamen loquitur autor &c.*) Ita & *appendix ad Petrum de Ikbam* commemorat, academiam Cantabrigienſem inſtitutum a. 1329. Cæterum de eadem academia videatur quoque LAVNOIVS *de ſcholis a Carolo M. fundatis cap.* 44. ubi ex appendice incerti autoris ad Ingulfum Croylandiæ Abbatem refert, Cantabrigienſe ſtudium ad exemplum Aurelienſis ſtudii inſtitutum a. 1060. quo tempore Gislebertus monachus vixit.

(b) *Etſi enim unum alterumque eſſe ſciam id qui neget*) Vid. *not. ad diſſ.* 1. & *ſupplem.* CONRINGII 39. adde *LAVNOIVM l. c. cap.* 1. & 2. uti & *c.* 59. *artic.* 1. ubi oſtendit, academiam Pariſienſem fundatam quidem a monachis Benedictinis, non tamen iis qui ex Anglia, ſed qui ex Gallia fuerint oriundi, inter quos primi fuerint Remigius Autiſiodorenſis, Odo ejus diſcipulus & Abbas Cluniacenſis.

(c) *Georgius Buchananus*) Plurimi tamen errores in narratione ejus virgula notantur cenſoria (1) quod Albini prænomen fuiſſe Johannem; (2) quod cognomento Scotum dictum, idque lingua Scotica idem valere ac Albinum; (3) quod ab Achajo rege miſſum aſſerat. Primum enim cæterorum omnium teſtimonio deſtituitur, quin etiam ipſe Alcuinus ſe modo Flaccum, modo Flaccum Albinum vocat. Alterum & tertium ipſe Conringius h. l. refellit. Et ſunt, qui lingua Romana pro Alchuino dictum Albinum volunt, uti in Winfrido factum qui Bonifacius, in Willibrordo qui Clemens dictus eſt.

(d) *Alcuinum Scotum fuiſſe vix adducor ut credam*) Idem maximopere pernegat ANDREAS QVERCETANVS Turonenſis *in præf. operibus Alcuini præmiſſa*, ubi ex EGINHARDO *in vita Caroli M.* oſtendit, Alcuinum patria fuiſſe Eboracenſem in Northumbriæ regno, quia tamen Northumbri Scotiæ regiones usque ad Edenburgi fretum obtinuerint, proinde factum, ut rerum Scoticarum ſcriptores eum in Scotia procreatum ſuſpicarentur.

legi, hi Anglum fuiſſe narrant. Certe S. Ludgerus popularis meus, idemque monaſterii illius omnium in Saxonia antiquiſſimi, quod oppido huic adjacens Ludgeri nomine uſurpatur, conditor, uberioris doctrinæ gratia ad Albinum audiendum Eboracum contendit, ut in ejus vita legitur. Ipſe Albinus epiſtola quam ad Eadbaldum Epiſcopum Eboracenſem conſcripſit, Egbertum Archiepiſcopum Eboracenſem præceptorem ſuum profitetur. Eginharto locupletiſſimo utique teſti diſerte appellatur *Saxonici generis Britannus.* Ipſemet Egbertum magiſtrum agnoſcit ut & Angliam patriam ſuam in *epiſtola ad Carolum Magnum* hiſce verbis: *Date mihi exquiſitioris eruditionis ſcholaſticæ libellos, quales in patria habui per bonam & devotiſſimam Egberti Archiepiſcopi induſtriam. Et ſi placet ſapientiæ veſtræ, remittam aliquot ex pueris veſtris qui excipiant inde quæque neceſſaria, & revehant in Franciam flores Britanniæ: ut non ſit tantummodo in Eboraco hortus concluſus, ſed etiam in Turonica emiſſiones Paradiſi.* Ex quibus verbis ſimul manifeſtum eſt, *falli illos qui Alcuinum Bedæ diſcipulum* (a) profitentur: cum tamen etiam alias Alcuino non audiat Beda quam ſacerdotis & doctoris eximii titulo. Egberti vero auctor anonymus, is qui Anglicanam Bedæ hiſtoriam perſequutus eſt, ita meminit: *Hic omnium liberalium artium ut ita dicam armarium, imo ſacrarium fuit, & nobiliſſimam Eboraci bibliothecam inſtituit.* Idem auctor, quisquis ſit, homo certe non vulgaris doctrinæ & fidei, ab Offa Merciorum Anglorum Rege pacis cauſa ad Carolum narrat Albinum eſſe miſſum, atque inter alia hæc ſcribit: *Hic eſt Albinus, qui ut dixi pro pace ad Carolum directus, & ibi ſeu terra amœnitate, ſeu regis humanitate captus,* (b) *reſedit, magnique apud eum habitus Imperialem animum (quantum ab aulicis curis vacabat) dialectica, rhetorica, ut etiam aſtronomia compoſuit. Erat enim omnium Anglorum, quos quidem legeris, poſt beatum Adelmum & Bedam doctiſſimus.* Arnoldus Wion *l. V. ligni vitæ* ſcribit, Albinum vel Alcuinum cognomento Flaccum *natione Anglum fuiſſe, patria Eboracenſem, monachum primum S. Petri Londinenſem.* Sed nec alius quis temere præter Buchananum notavit Albini prænomen fuiſſe Joannem. Attamen Joannem aliquem Scotum cum ſocio Clemente prima jeciſſe fundamenta Pariſienſis ſcholæ, etiam alii teſtantur. Nec minus tamen etiam id certum arbitror: quicquid ſcholæ fuit *a Carolo Lutetiæ conditum,* (c) illud deberi conſilio potiſſimum Albini ſive Alcuini, utpote cujus hortatu & eas quas ſupra laudavi ſcholas conſtituerit. Vita autem ille functus eſt anno 804: quod ex Odoranno notavit eminentiſſimus annalium eccleſiaſticorum conditor Baronius. Quo iterum refellitur Buchanani narratio, ſi Achajus Rex, a quo ille miſſum ſcribit Albinum, anno demum octingenteſimo ſeptimo cœperit imperare, quod nonnulli docent: non item tamen, ſi Buchanani ſequamur rationes.

Verum hæc ſcrupuloſius hic diſſerere tædioſum fuerit atque inutile. Scribit autem *Vincentius Belluacenſis:* (d) *Alcuinus de Roma ſtudium Pariſios pertulit & tranſtulit, quod fuit illuc tranſlatum a Romanis de Græcia.* Hujus auctoritate idem & alii narrant. Vt autem profitear ſententiam, ejus viri auctoritas in hiſtoria doctorum conſenſu perlevis eſt; utpote quam ſine judicio tractaſſe res doceat. Nec tamen negaverim, aliquem Roma in magiſterium potuiſſe acceſſiri. Imo diſerte id narrat auctor anonymus vitæ Carolinæ vetuſtiſſimus, quem P. Pithœo debemus. *Dominus rex Carolus iterum a Roma artis grammaticæ & computatoriæ magiſtros ſecum adduxit in Franciam, & ubique ſtudia literarum expandere juſſit. Ante ipſum enim dominum regem Carolum in Gallia nullum ſtudium fuerat liberalium artium.* Ita ille. Tantum non extrema tamen barbarie Romam tum laboraſſe, luculente docent epiſtolæ ejus ævi Pontificum quas edidit Gretzerus. Ne quidem in Italia tum quempiam mediocriter literatum in ſuperſtitibus monumentis reperire eſt, præter Paulum & Paulinum Aquilegienſes; quorum hunc artis grammaticæ fuiſſe magiſtrum diſcere eſt ex tabulis Caroli Magni, quas recitat Baronius ad annum 802. donati fundi Laberiani.

Arnoldus VVion porro narrat, Alcuinum Lutetiæ Pariſiorum bonas literas profeſſum, nec multo poſt a Carolo circa annum 792. gymnaſium ibi conditum eſſe: Alcuino autem jam defuncto duos monachos ex Scotia mari trajecto ſponte ſua adveniſſe, Clementem alterum, alterum Jo. Scotum: qui cum ſapientiam ſe venalem habere, ſi mercedis loco victus atque amictus præberetur, publice clamarent,

(a) *falli illos qui Alcuinum Bedæ diſcipulum*) Uti referunt TRITTHEMIUS *lib. 2. de viris illuſtribus ordinis S. Benedicti cap. 16.* & libro *de ſcriptoribus eccleſ.* HENRICUS PANTALEON *de viris illuſtribus totius Germaniæ part. 2. in Carolo M.* JOH. BALÆUS *Cent. 1. ſcript. Anglic.* ANTONIUS POSSEVINUS *in apparatu ſacro tom. I.* quibus opponit cumprimis MENIUS (1) quod Alcuinus nunquam Bedam Magiſtrum ſuum appellitet. (2) quod ipſe Beda impulſu Alcuini hiſtoriam rerum Anglic. ſcripſerit, eum vero amicum & æqualem, nunquam diſcipulum dicat, & quæ ſunt alia. Adde LAUNOIUM *lib. cit. pag. 17.* ubi falſum id eſſe etiam inde evincit, quod quo tempore Beda lucis uſuram amiſerit, nempe a. 731, Alcuinus vix eam acceperit.

(b) *ibi ſeu terra amœnitate, ſeu regis humanitate captus*) Eadem referunt MALMESBURIENSIS *lib. 1. de geſtis reg. Angl.* POLYD. VERGILIUS *lib. 5. hiſtor. Anglic.* aliique. Iſta autem narratio ab aliis minime probatur. Nam Alcuinus neque ſua ſponte audito, quod viros ſapientes in pretio haberet, ad Carolum M. acceſſit, uti memorat SANGALLENSIS *lib. 1. de geſtis Caroli M.* neque ſola illa ab Offa Rege ſuſceptæ legationis occaſione ibi locorum reſedit, uti hic narratur, ſed ab ipſo Carolo M. ex Anglia ad bonas literas in Francia reſuſcitandas fuit evocatus, uti ipſe refert ep. 23. ad Carolum M. & in epiſtola ad Laidradum epiſcopum Lugdunenſem, aliosque epiſcopos, cauſam quoque quare ſit evocatus adducit, nimirum ut Carolum in fidei Catholicæ defenſione contra Felicem Urgelitanum adjuvaret, quem etiam cum Hitherio & Pantino (cujus libri tres contra Felicem operibus Alcuini plerumque addi ſolent) ſeptem devotionis ſuæ libellis oppugnavit, & ad ſaniorem quoque mentem reduxit.

(c) *a Carolo Lutetiæ conditum*) Cæterum negat MENIUS *præf. n. 14.* Alcuinum fuiſſe Academiæ Pariſ. primum inſtitutorem: (1) quod ipſe nullibi Lutetiæ meminerit; (2) quod cum in pluribus Galliæ locis aut cum Carolo rege aut ſine eo fuerit, nunquam tamen niſi in palatio regio vel Cæſaroduni Turonum docuiſſe dicatur, ut proinde ibi collocandæ ſint Athenæ illæ, quarum mentionem fecerit *epiſt. 10.* ad Carolum M. *forſitan Athenæ nova in Francia perficietur,* quod ipſum confirmet SANGALLENSIS *lib. 1. de geſtis Caroli M.*

(d) *Vincentius Belluacenſis*) Hujus commenta ad oculum oſtendit pluribusque refellit LAUNOIUS *de ſcholis a Carolo M. fundatis. cap. 2. p. 21. ſeqq.*

rent, re ad Carolum delata, qui impenſe favebat literarum doctoribus, Clementem quidem Lutetiæ detentum, Joannem vero Scotum miſſum Ticinum in Italiam, docendarum literarum gratia. Idem neſcio quis alius annalium Arelatenſium antiquus ſcriptor, apud Middendorpium, narrat: tantum in eo diſſentit, quod ante adventum Alcuini contigiſſe id ſcribat non poſt ejus mortem. Explicatius etiam idem addit: *Clementi Carolum nobiles pueros inſtituendos commiſiſſe in ædibus publicis: Joanni vero in monaſterio S. Auguſtini quod Ticini eſt datum locum, quo promiſcue omnes diſcendi gratia confluentes exciperet: Alcuino vero in eundem uſum Lutetiæ conceſſam abbatiam S. Martini.* Polydorus Virgilius Offæ Merciorum regis geſta enarrans ſic inter alia loquitur: *Carolum Magnum regem Galliarum miſſis legatis ſibi amicum facere ac ſuorum ſimul benevolentiam reconciliare ſummopere ſtuduit. Traditur unus legatorum fuiſſe Albinus ſive Alchuinus: quo ſuaſore Carolus duo gymnaſia condidit, prout in vita Alvredi dicetur.* Et vero ibi Polydorus rem hanc omnem prolixius hunc in modum eſt perſequutus: *Carolus Magnus Albinum ſeu Alchuinum ab Offa Merciorum rege, uti alibi eſt expoſitum, in Galliam miſſum conciliandæ amicitiæ cauſſa, cum videret in homine plurimas eſſe literas, quamobrem merito ei honor eſſet habendus, ex legato hoſpitem fecit ſuum, ex hoſpite præceptorem. Vetus Athenienſium, credo, imitatus exemplum, qui Gorgiam a Leontinis publice ad ſe miſſum, legationis munere defunctum, Athenis detinuerunt, ejus capti eloquentia. Alchuinus itaque homo Anglus, in Gallia deinde moratus, Lutetiæ Pariſiorum bonas literas profiteri cœpit, eoque autore non multo poſt ipſe Carolus in ea urbe primus gymnaſium collocavit, & in Italia Ticini, quæ nunc Papia nuncupatur, alterum. Fuit is annus ſalutis noſtræ circiter DCCXCII, cum duos ferunt monachos ex Hybernia, ſive ex Scotia ut quibusdam placet, in Galliam delatos, ſe ſapientiam venalem habere, magna voce teſtantes, mercedis loco cibaria & veſtiaria duntaxat petiiſſe: & iſtorum alterum qui Clemens nominabatur, a Carolo Lutetiæ retentum, eique ex omni ordine civitatis traditos juvenes in diſciplinam: alterum vero in Italiam tranſiiſſe, ac Ticini docuiſſe. Nonnemo id aſſignat quatuor Bedæ diſcipulis, Rabano, Alchuino, Claudio, & Joanni Scoto. Sed utcunque res ſe habeat, ſatis conſtat Anglos primos Lutetiæ bonas artes publice docuiſſe, quandoquidem Alchuinus & Joannes cognomento Scotus in primis inter Anglos doctiſſimi fuerunt.* Cæterum quid horum verum quid falſum, non eſt meum dicere: rem vetuſtate dubiam ſatius eſt in medio relinquamus. Vnum eſt monendum, intolerabili errore a nonnullis Joannem Scotum hunc credi eundem cum Joanne Erigena Scoto, utpote cum is Hincmaro Rhemenſi Igomaro Lugdunenſi, adeoque & Alphredo regi, aliisque coævus fuerit, jam declinante ſeculo nono.

Quemadmodum autem non Lutetiæ ſolum ſed & TICINI,(a) ita & ſuis in urbibus conditas a Carolo ſcholas cum Bononienſes tum Patavini jactitant, ſed non tam annalium fide, quam vana fortaſſis antiquitatis affectatione. Quo certe ita olim, rudibus adhuc ſeculis, laboratum eſt iſtic, *ut Bononienſes non dubitaverint fingere literas* (b) Theodoſii Imperatoris nomine de academia Bononiæ inſtituenda: at tam ineptas & barbaras, ut vel puero hodie ſuboleat fraus *qui* (ut ille ait) *nondum ære lavatur*. Quo magis mirandum eſt, Bartolum ac juris canonici gloſſatorem imo & Middendorpium illis ineptiis paſſos eſſe ſibi imponi: quorum illos ut ævi vitium, ita quid hunc poſſit excuſare, haud apparet.

At quæcunque fuerit origo Pariſienſis ſcholæ, id certum eſt, a noſtra academiarum forma, iſto quidem tempore & illam & Oxonienſem & omnes ſive monaſteriorum ſive epiſcopales ſcholas, longe abfuiſſe. Nec enim habuerunt tum illæ quidquam præter magiſtros liberalium quæ dicuntur artium: etſi conatus forte ſit theologiæ profeſſionem jungere jam Carolus. In rei memoriam etiamnum Rectorem Pariſienſi ſcholæ ſemper ex *ordine philoſophico præfici*, (c) auctor eſt ipſemet Joannes Fileſacus, theologus Sorbonicus, libro, quo *originem ſtatutorum facultatis theologicæ Pariſienſis* deſcripſit. *Rector novus*, inquit ille, *quovis anni quadrante eligitur, in feſto natalitio, feſto annunciationis Mariæ, feſto Joannis & Dionyſii. Eligitur autem a procuratoribus quatuor nationum ex philoſophis & artium magiſtris: quia ſub primam inſtitutionem Caroli Magni ſola hæc facultas in uſum eſt recepta.* Nulla ergo tum theologiæ, nulla artis medicæ, multo minus ulla aut Romani aut Pontificii juris fuit profeſſio. Porro & *liberalium ipſa illa artium diſciplina* (d) arctis literaturæ rudioris limitibus circumſepta fuiſſe videtur. Trivio videlicet potiſſi-

(a) *Ticini*) Ticinenſem academiam a Carolo M. circa annum 800. inſtitutam, qui Claudium Monachum ex Hibernia in Galliam profectum eo miſerit, & in D. Auguſtini cœnobio decretis illi alimentis locaverit, docendasque artes liberales commiſerit, refert PANCIROLLUS *de claris legum interpretibus pag. 171. 388.* Addit autem, hanc bellorum injuria poſtea diu deſtitutam Galeacium Vice-Comitem, cum Inſubribus imperaret, impetrata a Carolo IV. licentia, ex Franciſci Petrarchæ conſilio, inſtauraſſe, & bibliotheca inſtruxiſſe, a. 1370. quam deinceps Cardinalis Borromæus inſigni collegio ibi condito ornaverit.

(b) *ut Bononienſes non dubitaverint &c.*) Vide *notata ad diſſ. 1.* Diploma illud Theodoſii, quod jactitant Bononienſes, unum ex antiquis ſublestæ fidei monumentis, cum donatione Conſtantini M. atque aliis ejusdem furfuris in claſſem ſuppoſititiorum referendum. Etenim in eo diplomate Theodoſius Indiæ, quam nunquam attigit, rex dicitur, ibidem Longobardiæ & Marchiæ Anconitanæ fit mentio, quæ tum temporis id nomen non habuerunt, ſed altera Æmilia, altera Picenum dicta fuit. Neque etiam Theodoſius unquam in occidente, ſed in oriente imperavit, ubi patri Arcadio ſucceſſit. Vid. PANCIROLLUM *l. c. p. 81.*

(c) *ex ordine philoſophico præfici*) Inde vero inter alia προεδρίαν hujus ordinis præ JCtis, medicis vel theologis oſtendere velle, cum aliam omnino rationem habeat, minime huc quadrat. Vid. HOTTING. *de origine ſcholæ Tigurinæ orat. 1. p. 7.* & JAC. ANDR. CRUSII *tot. c. ult. de præcedentia & dignitate & prærogativis Magiſtrorum lib. 4. de Jure προεδρίας*, ITTERUM *de gradibus academicis p. 388.*

(d) *liberalium artium diſciplina*) Confer CONRINGIUM *diſſ. 1. p. 419.* it. *p. 409. 411. 426. & diſſert. ad Cod. Theodoſii de ſtudiis liberalium artium*, ZEIDLER. *prodrom. introduct. in lect. Ariſtotel.* præmiſſo, cumprimis vero JACOBUM THOMASIUM *in programmate 34. de ſeptem artibus liberalibus pag. 368.* ubi obſervat (1) artes liberales tanquam famulantium doctrinarum ſtudia proprie a philoſophia diſtingui *lib. 1. princ. & §. C. ff. de var. & extraordin. cognit. l. 6. §. 3. & 4. ſeqq. de excuſat. tutor.* (2) Eas diſtinctas fuiſſe in trivium, unde dicantur ſcholæ triviales, & quadrivium, quam vocem primus eo ſenſu uſurpaverit BOETHIUS *lib. arithm. 1. fol. 129.* (3) Ab initio tamen in illum τῆς προπαιδείας circulum ſex tantum non ſeptem artes conjectas fuiſſe dialectica excluſa. (4) primum vero Auguſtinum aſſumta dialectica numerum ſeptem liberalium artium conſtitu-

potiſſimum, ut tum loquebantur, h. e. grammatica, rhetorica & dialectica. Quadrivium tamen h. e. arithmeticæ, geometriæ, muſicæ & aſtronomiæ rudimenta, quadam ex parte acceſſiſſe non negaverim: cum arithmeticæ magiſtrum a Carolo Roma eſſe adductum jam ſupra audierimus: & canendi peritiæ ſtuduiſſe Carolum, cum ex iis, quæ auctor anonymus vitæ Carolinæ curaque Pithœi primum editus narrat de contentione Gallicorum Romanorumque cantorum, & Romanis modulis in Galliam ejus auctoritate poſt Pipinum adductis: tum hiſce Eginharti verbis: *Legendi atque pſallendi diſciplinam diligentiſſime emendavit: erat enim utriusque admodum peritus.* Fuiſſe vero eundem Carolum & reliquarum quadrivii artium amatorem magnum, idem teſtatur Eginhartus. *Artes*, inquit, *liberales ſtudioſiſſime coluit, earumque doctores plurimum veneratus magnis afficiebat honoribus. In diſcenda grammatica Petrum Piſanum diaconum ſenem audivit: in cæteris diſciplinis Albinum cognomento Alcuvinum item diaconum, de Britannia Saxonici generis hominem, virum undecunque doctiſſimum præceptorem habuit: apud quem & rhetoricæ & dialectica, præcipue tamen aſtronomiæ ediſcendæ plurimum & temporis & laboris impertiit: diſcebat & artem computandi, & intentione ſagaci ſiderum curſum curioſiſſime rimabatur.* Cum eo autem fuerit animo Carolus, per ſane eſt veroſimile, illud plane ſtudiorum genus etiam ſcholæ illius curæ eſſe demandatum. Verum nulla tum in ſcholis academici magiſtratus in diſcipulos jurisdictio. Nulla titulorum publica collatio. Nulla graduum (uti loquuntur) diſtinctio. Nulla denique immunitas auditorum. Quibus omnibus nunc potiſſimum academiæ cenſentur.

Et tamen ne illud quidem majoris ejuſmodi ſcholæ rudimentum fortasſis manſit diu integrum. *Lupus* (a) ſane Ferrarienſis poſt in Gallia abbas *ep. 1. ad* Eginhartum ſcribit: *a grammatica ad rhetoricam & deinceps ordine ad cæteras diſciplinas liberales* (trivii ſcilicet & quadrivii) *tranſire hoc tempore, fabula eſt.* Idem probro & vitio tum verſum ſcribit literis operam dare. Audivimus item non multo ante conquerentes Gallicanos epiſcopos in ſynodo Valentina imperante Lothario, *intelligentia ſcripturarum vix extrema amplius veſtigia reperiri. Carolum tamen Calvum ætas iſthæc* (b) ceu magnum eruditionis Mæcenatem coluit. Qua de re memorabilia cumprimis ſunt, quæ ex Erico monacho ſcribit Cæſar Baronius ad annum 876: *Quid Hiberniam* (inquit ille) *memorem? contempto pelagi diſcrimine pene totam cum grege philoſophorum ad litora noſtra migrantem, quorum quo quisque peritior eſt, ultro ſibi indicit exilium, ut Salomoni ſapientiſſimo famuletur ad votum.* Nec profecto negari poteſt, ſuperfuiſſe etiam tum, in Gallia cumprimis & Germania, eximia quædam perpauca licet ævi decora. Sed illos Pariſiis doctrinæ aliquid accepiſſe, non videtur. Certe nusquam eſt traditum. Adhoc omnis omnino ſapientiæ, per Galliam ſane, breve fuit & illud gaudium. Namque ſeculi quidem noni ultima ut & decimi initia perpetuis bellis, Normannicis præcipue & civilibus, vehementer concuſſa ſunt. Divitiæ præterea clericorum, & ex his nata luxuria, pene omnem ut virtutis ita & eruditionis curam apud clericos pariter plerosque & monachos extinxerunt.

NON equidem dixerim omnes ſcholas, (c) cum in collegiis canonicorum tum in monaſteriis, uno tempore concidiſſe, ſublatamque ſubito omnem cum pietatem tum doctrinam. Quæ nonnulli haud dubitant profiteri. Ut enim GERMANICA duntaxat & quidem nobis viciniſſima tangam, Albertus Stadenſis abbas ad annum nongenteſimum ſexageſimum primum loquitur in hæc verba: *Hoc tempore Brema claruit* (d) *Eilhardus vir ſpontanea paupertate clarus, eccleſiæ præpoſitus, & regulæ canonicæ cuſtos. Tunc & SCHOLAS ECCLESIÆ rexit Tiadhelmus, qui fuerat magni Octrici Magdeburgenſis diſcipulus.* De Octhrico ipſemet Crantzius cum de Alberto primo Magdeburgenſi pontifice feciſſet verba: *Succeſſorem habuit Othricum virum ea tempeſtate doctiſſimum, cujus doctrinæ fama celebris auditores etiam illius illuſtravit. Qui enim Othricum meruit audire præceptorem, aliquid ſibi ſupra cæteros accepiſſe videbatur. Tam celebris fama virum illum ad archiepiſcopatum ſubvexit.* Fuerat ſcilicet ante etiam ille lector ſcholaſticus *in cœnobio Corbejenſi.* (e) Idem Crantzius cum narraſſet, Odincarum regii ſangui-

iſſe, *lib. 2. de ord. cap. 12. ſeqq. lib. 1. retract. c. 6.* (5) Intra has ſolas academiarum doctrinam publicam initio ſtetiſſe, phyſicæ vero metaphyſicæ & philoſophiæ practicæ profeſſiones aliquanto ſerius acceſſiſſe, idque jam factum eſſe ævo Johannis Sarisberienſis, qui ſec. XII. vixit, uti ex ejus *c. 24. lib. 1. metalog. pag. 58.* appareat, atque hinc quæ primo facultas artium, item artiſtarum & artiſtica dicta fuerit, poſtea amplificatis eruditionis finibus artium ac philoſophiæ facultatem ſalutari cœpiſſe.

(a) *Lupus*) Cujus epiſtolas cum notis edidit STEPH. BALUZIUS Tutelenſis Pariſ. 1664. quæ poſtea auctiores & emendatiores prodierunt Antwerpiæ 1710. Adde præter epiſtolam 1. etiam epiſt. 34. *pag. 69.* Idem vero, quod poſt mortem Caroli literarum ſtudia nonnihil refrixerint, ex Lupi Ferrarienſis epiſtola probat LAUNOIUS *l. c. c. XI. p. 47.*

(b) *Carolum tamen Calvum ætas iſta*) Eadem verba de Carolo Calvo Erici Autiſſiodorenſis monachi ex præfatione ad libros, quos de vita S. Germani Carolo poſt adeptum imperium inſcripſit, affert & illuſtrat LAUNOIUS *l. c. cap. 12. p. 51.* Oſtendit autem verborum iſtorum occaſione fabulatores in Carolum M transtuliſſe (quod ex Hibernia viros quosdam eruditos evocaverit) id quod tamen Carolo potius Calvo proprium fuerit. Adde *ſupplem.* CONRINGII XLI.

(c) *Non equidem dixerim omnes ſcholas*) Repugnat enim cura epiſcoporum pro ſcholis & conſervandis & erigendis, quæ apparet ex concilio VI. Pariſ. a. 829. *lib. 3. cap. 12.* Aquisgranenſi a. 816. *cap. 135.* Meldenſi a. 845. can. 35. concilio apud Saponarias a. 859. can. 10. Addit tamen LAUNOIUS *l. c. cap. 12. pag. 55.* hiſce aliisque teſtimoniis: *An quod utrique* (*Imperator & Epiſcopi*) *fieri voluerunt, ea facta ſit ratione, qua voluerint, non ſine cauſa quis ambigeret. Mihi enim memoriam temporum replicanti non occurrit undique permultis ſcilicet in locis ſcholas erectas fuiſſe publicas, vel erectas ad longum tempus duraſſe.*

(d) *Brema claruit*) idem refert ex Adamo Bremenſi LAUNOIUS *cap. 36. pag. 119.* ut probet, imperante Ottone primo ſcholam Bremenſem plurimum eluxiſſe. Addit ex ejusdem ADAMI BREMENSIS *hiſtoria eccleſ. caput 77. alias 26.* in quo mentio fit Odinkari Dani, poſt baptismum Adaldagi dicti, item Osmundi ſcholis Bremenſibus, ut erudirentur, tum temporis traditorum.

(e) *In cœnobio Corbejenſi*) Gemina in veterum annalibus commemoratur & laudatur ſchola Corbejenſis, una in Gallia (cujus præ aliis doctores extitere Paſchaſius Radbertus, Ratramnus & Odo monachi tres celeberrimi) altera in Saxonia, cujus ſcholæ doctores præter Othericum etiam Windichinum, Reinbertum, Algerum, Ruthardum, Bernhardum

ſanguinis nobilem Danum in Bremenſi ſchola ab Adaldago epiſcopo eſſe educatum, ſubjungit: *Quippe apud inſignes eccleſias ab antiquo docti viri fovebantur, qui publicas ſcholas ſuſtinerent, priusquam publica literarum gymnaſia, quæ nunc multa florent per Chriſtianiſmum, erigerentur. Quæ res apud noſtrates pene heſterna eſt. Nam nulla eſt in Saxonia publica ſchola quæ centeſimum longe ſuperet annum. Sed ea tempeſtate, quam nunc explicamus, valuit vetus eccleſiarum conſuetudo, ab usque Origene & Clemente, & primis eccleſiæ doctoribus traducta.* Idem porro Cranzius de Bennone ſecundo, qui per Henrici IV. tempora Oſnabrugenſi eccleſiæ præfuit: *Qui cum ſcholis præfuiſſet apud eccleſiam Hildeſimenſem* (a) *(docebant enim illa ætate ſcholaſtici ſacras literas, & habebant qui ſubdocerent in trivialibus) clarum illi nomen ex doctrina & ex vita religione conciliabat Imperatori Henrico.* Scotum quendam ſcholaſticis laboribus Wirzeburgi præfectum, temporibus Henrici V. laudat idem Crantzius in *Saxonia* ſua. Tritthemius etiam in *chronico Hirſaugienſi* Addagenium abbatem Spanheimenſem prius ſcholæ publicæ apud Moguntinos præfuiſſe, multosque inſignes diſcipulos produxiſſe eodem tempore, teſtatur. Quid? quod etiamnum ſeculo duodecimo Paderbornæ ſtudia literarum ſub nobili magiſtro Hermanno floruiſſe, prodat Helmoldus ſcriptor *σύγχρονος*: lauderque idem Geroldum Brunſvicenſis ludi, (trivialis tamen quantum videtur & quidem ejus qui ad S. Blaſii eccleſiam eſt) gubernatorem? Poſt Helmoldum repetiit idem Crantzius, memorans *Vicelinum* (b) primum Lybecenſen epiſcopum, adhuc juvenem a ſacerdote quodam interrogatum *legeritne Statium in Achilleide? propoſuitque* (inquit Crantzius) *verſum illi ex poeta, quem cum expedire non poſſet, Vecilinus erubuit; abiitque Paderbornam & ibi ſub Hermanno, docente apud eccleſiam, vigilantius literis incubuit.* Pro monaſteriis porro loquuntur itidem ſcripta monachorum, qui a ſeculo nono vixerunt ad ſeculum usque tertium decimum. Quæ profecto neque pauca neque inepta ſunt. Ubi autem monachi illi doctrina imbuti niſi in ſuis ſcholis monaſticis?

Quin tamen & raræ fuerint ea ætate ſcholæ iſtæ omnes, & a doctrina non multum inſtructæ, nullum dubium habet. Quis enim dixerit, ſaltim a canonicis illis ſcholas multum curatas, omni vita canonica exuta? Nempe qui ex priſco inſtituto vivendi ratione nihilo a monachis fere differebant; viventes ſcilicet in uno clauſtro, habentesque commune dormitorium, refectorium, lectorium & ſimilia; clauſtri repagulis ſolutis, regulaque conculcata, tantum abſuere non multo poſt a canonicæ vitæ obſervantia, uti tandem nec erubuerint ſeculares ſemetipſos appellare canonicos, quaſi tu dixeris canonicos non canonicos. Eo autem eſt factum, uti & hodie maneant quidem priſcorum officiorum tituli, ſine re tamen atque inanes. Auctor eſt Middendorpius, in plerisque canonicorum collegiis die dominico ſacerdotem e regione ſcholæ ſtantem ſic hodieque precari: *Benedicere digneris domine hoc ſcriptorium famulorum tuorum, & omnes habitantes in eo, ut quicquid divinis ſcripturis ab iis lectum vel ſcriptum fuerit, ore perficiant, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.* Urget juſta indignatio recitare hic verba nonnulla Alberti Grantzii ſcriptoris Saxonicarum rerum luculentiſſimi, ſimulque prudentia & pietate eximii viri, qui & ipſe collegio canonicorum, quod eſt Hamburgi, decanus præfuit. *Iſte*, ait, *archiepiſcopus*, loquens de Unvvano Bremenſi, ætate Henrici II. Cæſaris, *primus omnium congregationes apud eccleſias cathedrales aliasque ad canonicam perduxit regulam: quæ antea quidem mixta ex monachis & canonicis, utraque converſatione turbata, degebat non vigebat. Qua occaſione fratres licentius de clauſtro egreſſi, mulierum conſortia primo petebant abſconſe, inde in majorem diſſolutionem abierunt. Paulatim ergo deferveſcente in clero religione, apud eccleſias ex monachis regulares canonici, & ex his ſeculares, ut nunc vocantur, canonici prodierunt. Quid autem ex hac deinceps reſolutione ſit oriturum, quis novit? Interpretemur oro, vocabulum. Si canon eſt regula, canonici ſunt regulares. Quid fiet de canonico ſeculari, niſi ut regularis ſit irregularis? aut, ſi id malumus, regularis ſine regula? Erat is devotionis fervor ſub ſanctis patribus, ut inter fratres ipſi etiam pontifices victitarent, quod de hujus proximo legimus ſucceſſore Libentio. Jam ventum eſt ad regulares, ut canonici dicerentur & eſſent: utinamque ibi perduraſſent. Inferior inventus eſt gradus canonicus ſecularis: h. e. monſtrum ſine exemplo, regularis ſine regula, canonicus ſine canone.* In ſimilia verba erumpit vir optimus etiam alibi.

Sed *quo primum tempore clauſtrum ruperint canonici*, (c) non perinde certo videtur definiri poſſe, quoniam

ad annos 887. 954. 980. 1058. 1064. laudat TRITTHEMIUS *in chronico Hirſaugienſi*. Notandum tamen & Ratbertum Corbeiæ Saxonicæ adfuiſſe membrum, ibique librum, cujus antea mentionem fecimus, de fide ſpe & caritate conſcripſiſſe. Vid. *annal. Corbeienſes ad ann. 843.* apud PAULIN. *p. 371.*

(a) *in ſcholis apud eccleſiam Hildeſimenſem*) De ſchola Hildeſim. obſervat LAVNOIVS *cap.* 22. *pag.* 85. quod imperante Ottone primo clarere cœperit, qui & filium ſuum Ottonem huic ſcholæ informandum tradiderit, cui ipſi demum poſt Ludovicum Pium eccleſia illius loci novum debeat incrementum, teſte *SIFFRIDO in epitomes lib.* 1. *ad a.* 1002. & *LAMBERTO SCHAFFNABVRGENSI in chronico de rebus Germanorum.*

(b) *Vicelinum*) Ad cujus hiſtoriam plura affert HENRICVS MVHLIVS *in hiſtoria cœnobii Bordesholmenſis*, quæ habetur *differtat. hiſtorico-theolog. pag.* 480. *ſqq.* ubi inter alia p. 502. de cœnobio Falderenſi S. Falderæ a Vicelino primum condito, deinceps donationibus principum & illuſtrium virorum eximie ditato agens ait: *his beneficiis auctos monachos in fœda lapſos vitia fuiſſe & pergræcandi licentia ſua effeciſſe, ut conſueta illa perbacchantium formula: Juch heyſa, Faldera lalia! a Falderenſibus monachis illis hodienum ſuperſit.*

(c) *quo primum tempore clauſtrum ruperint canonici*) Meretur huc cumprimis conferri RAIMVNDI CHAPONELLI *hiſt. canonic.* quæ ſine nomine autoris Gallice prodiit & recenſetur *in actis erudit. tom.* 3. *ſupplement.* *p.* 355. Is tamen in eo, quod contendit, clericos & canonicos ante ſeculum XII. nihil proprii poſſediſſe, refellitur ab LVDOVICO HVGONE, ord. Præmonſtrat. monacho *in cenſura hiſtoriæ canonicorum, critique de l' hiſtoire des Chanoines.* Adde PASQVIER *dans les recherches de la France liv. III. ch.* 37. item ESPEN, MOLANVM, LONGECRVCIVM, MIRÆVM, LANDIMETTERVM & CAROLVM a MANSFELD *de canonicis.*

quoniam idipſum non ſit uno ab omnibus momento factum. In Germania initium peſſimi facinoris a Trevirenſibus cepiſſe, Ottone III. imperante, auctor eſt Tritthemius *in chronico Hirſaugienſi.* Argentinenſes tamen tardius id imitatos, ac non niſi ſub Henrico IV. circiter, cum per diſſenſiones inter Imperatorem & Pontifices exortas, jus & fas omne perruptum, & ad cujusque libidinem & arbitrium pleraque translata, ſcribit vir doctiſſimus Chriſtophorus Guillimannus opere *de epiſcopis Argentinenſibus.* Huic autem pene conſentit Adamus Bremenſis, ut & hujus deſcriptor Albertus Stadenſis, de canonicis Bremenſibus. Scribit autem Adamus quidem in vita Bezelini, Albertus vero ad annum 1042. in hæc verba: *Anno archiepiſcopi* (is erat Bezelinus) *penultimo domus S. Petri Bremæ conflagravit: ejusque flamma incendii clauſtrum cum officinis, urbem cum ædificiis omnibus conſumpſit. Veterisque habitaculi nullum remanſit veſtigium. Ibi ſacri theſauri eccleſiæ, ibi libri & veſtes, ibi omnia ornamenta conſumpta ſunt. Ex illo tempore fratribus, qui ante canonice vixerant, extra clauſtrum vagantibus, regula ſanctorum patrum per multa prius ſecula ſtudioſe conſervata, primo negligentius haberi cœpit, deinde funditus abjecta conſenuit.* Annales quoque Hildesheimenſes eodem plane anno 1042. & Hildeſiæ clauſtrum incendio periiſſe narrant, Azelino epiſcopo: eaque occaſione & ibi tum vivendi canonica inſtituta corruiſſe. Vereor tamen ne quis error in hos annales ex Bremenſibus irrepſerit. De Bernhardo Paderbornenſi, qui vixit ætate Friderici II. Cæſaris, verba faciens Crantzius: *Sub hoc*, inquit, *pontifice in eccleſia Paderbornenſi adhuc obſervantia regularis inter canonicos viguit: & ſub eo commutatio facta videtur de regulari obſervantia ad ſtatum canonicorum ſecularium.* Paulo poſt: *Idem arbitror factum per cæteras eccleſias. Sed Præmonſtratenſes, præterquam in Magdeburg, ſuam regulam tenuerunt in Havelberga Brandenburg & pleriisque aliis.* Mitto nunc aliarum eccleſiarum canonicos: utpote quum illa circiter ætate paſſim terrarum a priſcis moribus canonicos abiiſſe, pene ſit notum.

Certe operam luſit bonus Gratianus, decreto ſuo inſerens illam ex ſeculo IX. Eugenii ſecundi & Leonis IV. Papæ conſtitutionem factam in ſynodis Romanis: *Neceſſaria res exigit, ut juxta eccleſiam clauſtra conſtituantur, in quibus clerici diſciplinis eccleſiaſticis vacarent. Itaque omnibus unum ſit refectorium ac dormitorium ſeu cætera diſciplina ad uſus clericorum neceſſaria.* Similiter non poſſumus quidem non laudare concilii Lateranenſis, ut & Innocentii III. Papæ, itidem in concilio generali latum decretum, non minus atque aliud ejusdem notæ Honorii III. quæ bono ſane conſilio Raimundus de Pegna forti *lib. quinto tit. V. decretalium* inſeruit, & auctoritate ſua roboravit Gregorius nonus Papa ſeculo tertiodecimo. Attamen ne ita quidem effectum aliquid eſt quod merito laudes: *rem ipſam non qua par erat ſeveritate urgentibus Papis,* (a) & epiſcopis canonicisque in alia plane imo aliena intentis. Fortaſſis tamen non abs re fuerit illa hic recitaſſe, ſaltim ut appareat, quænam utilitas publica & vis honeſti illis etiam temporibus expreſſerit. Concilii itaque Lateranenſis canon hic eſt: *Quoniam eccleſia Dei, ſicut pia mater providere tenetur, ne pauperibus, qui parentum opibus juvari non poſſunt, legendi & proficiendi opportunitas ſubtrahatur, per unamquamque cathedralem eccleſiam magiſtro, qui clericos ejusdem & ſcholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium præbeatur. Pro licentia vero docendi nullus precium exigat, vel ſub obtentu alicujus conſuetudinis, ab eis qui docent, aliquid quærat; nec docere quenquam (qui ſit idoneus) petita licentia illis interdicat. Qui autem contra hoc venire præſumpſerit, ab eccleſiaſtico fiat beneficio alienus. Dignum quippe videtur, ut in eccleſia fructum ſui laboris non habeat, qui cupiditate animi, dum vendit docendi licentiam, eccleſiaſticum profectum nititur impedire.* Vnde obiter colligere eſt, iſthoc ævo non tantum ſcholam epiſcopalem nullam impenſis communibus eſſe habitam, ſed ne quidem admiſſum, qui doceret, niſi ſoluto pretio. Sed & Innocentius III. in concilio generali ita pronunciavit. *Quia nonnullis propter inopiam & legendi ſtudium & opportunitas proficiendi ſubtrahitur, in Lateranenſi concilio pia fuit conſtitutione proviſum, ut per unamquamque cathedralem eccleſiam magiſtro, qui gratis ejusdem inſtitueret eccleſiæ clericos aliosque ſcholares pauperes, aliquod competens beneficium præberetur, quo & docentis relevaretur neceſſitas, & iter pateret diſcentibus ad doctrinam. Verum quoniam in multis eccleſiis id minime obſervatur, nos prædictum roborantes ſtatutum adjicimus, ut non ſolum in qualibet cathedrali eccleſia, ſed etiam* in aliis, *quarum ſufficere poterunt facultates, conſtituatur magiſter idoneus, a prælato cum capitulo, ſeu majori ac ſaniori parte capituli, eligendus, qui clericos eccleſiarum ipſarum gratis in grammatica facultate & alios inſtruat juxta poſſe. Sane metropolis eccleſia theologum nihilominus habeat, qui ſacerdotes & alios in ſacra pagina doceat, & in his præſertim informet, quæ ad curam animarum ſpectare noſcuntur. Aſſignetur autem cuilibet magiſtrorum a capitulo prius præbenda proventus, & pro theologo a metropolitano tantundem, non quod propter hoc efficiatur canonicus, ſed tamdiu reditus ipſos percipiat, quamdiu perſtiterit in docendo. Quod ſi forte de duobus eccleſia metropolis gravetur, theologo juxta modum prædictum ipſa provideat, grammatico vero in alia eccleſia ſuæ civitatis, ſive diœceſis, quæ ſufficere valeat, faciat provideri.* Hæc Innocentius. Quibus præter alia diſcimus etiam, non cuidam canonicorum docendi munus tum fuiſſe ut ante impoſitum, ſed alii alicui, & mercede quidem ſic ſatis exigua. Verum præſtat & Honorium audiamus. *Super ſpecula &c. volumus, & mandamus, ut ſtatutum in concilio generali de magiſtris theologis per ſingulas metropoles ſtatuendis inviolabiliter obſervetur. Statuentes ut, quia ſuper hoc propter raritatem magiſtrorum ſe poſſent forſitan aliqui excuſare, ab eccleſiarum prælatis & capitulis ad theologicæ profeſſionis ſtudium aliqui docibiles deſtinentur. Qui cum docti fuerint, in Dei eccleſia velut ſplendor fulgeant*

(a) *rem ipſam non urgentibus Papis*) Equidem in concilio quoque Tridentino ſeſſ. 23. decreto de reformatione cap. XV. forma quædam erigendi ſeminarium clericorum præſertim tenuiorum ad munera eccleſiaſtica inſtituendorum præſcribitur, ſanciturque, ut quisque epiſcopus aliquam redituum ſuæ dioeceſis beneficiorum partem præcidat, ad collegii talis juxta eccleſiam cathedralem inſtructionem & dotationem. Sed non eſt, quod quisquam ſperet, ut ejusmodi decreta executioni mandentur. Vid. tamen *ſupplem.* 44.

geant firmamenti: ex quibus poſtmodum copia poſſit haberi doctorum, qui velut ſtellæ in perpetuas æternitates manſuri ad juſtitiam valeant plurimos erudire: quibus ſi proprii proventus eccleſiaſtici non ſufficiunt, prædicti neceſſaria ſubminiſtrent. Docentes vero in theologica facultate, dum in ſcholis docuerint, & ſtudentes in ipſa, integre per annos quinque percipiant de licentia ſedis Apoſtolicæ proventus præbendarum & beneficiorum ſuorum, non obſtante aliqua contraria conſuetudine vel ſtatuto, cum denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes. Hæc illi. Nos nihil addimus, quoniam latius hæc perſequi non eſt propoſiti noſtri. Tum vero jam ante ſatis oſtenſum eſt, cum epiſcopalium tum monaſticarum ſcholarum ejusmodi mores noſtris academicis inſtitutis, quæ nunc illuſtrare nobis eſt conſilium, valde fuiſſe diſſimiles. Sufficit hic annotaſſe, omnes iſtas ſcholas poſt annum milleſimum ſenſim ubique terrarum defeciſſe; in otium & luxuriam prolapſis cum monachis tum canonicis. Et vero ne in cœnobiis quidem ſcholæ priſcæ poſthac reſtitutæ ſunt in integrum: quamvis in illam laudem ſucceſſerint ſeculo decimo tertio mendicantium novi ordines.

Ad TERTIVM igitur illud & academicum ſcholarum genus revertendum nobis eſt. Ac de Ticinenſi quidem, quam & ipſam Carolus creditur condidiſſe, nihil quod ad illam pertineat ætatem, memoratum invenio. In PARISIENSI ſchola primis temporibus liberales ſolum artes doceri ſolitas, ante audivimus. *Illis acceſſit deinde theologica profeſſio.* (a) Quod tamen quo tempore primum, aut quo Rege, factum ſit nemo dixerit facile: ipſi Pariſienſes ignotum id ſibi confitentur. Joannes Fileſacus doctor Sorbonicus, qui non ita pridem diligentiſſime ſtatuta Pariſienſis theologicæ Facultatis ſingulari libro eſt perſequutus, originem rei ſibi incompertam non diffitetur. Alibi ſcribit in hæc verba: *Perexigua fuerunt (fateor) ejuscemodi initia, ſed ubi ad Capetiorum gentem Gallicum imperium pervenit, & academia & facultas theologica plane ex ephebis exceſſit: Philippo Auguſto Rege etiam remotiſſimas gentes in ſui amorem & admirationem pellexit.* Atqui ad Capetanos demum reſpublica Gallicana ſeculo decimo devenit: Philippus Auguſtus autem rerum per Galliam eſt potitus ab anno 1180. usque ad annum 1223. Sane circa illa ſeculi duodecimi ac tertiidecimi confinia, Lutetiam Pariſiorum ex omnibus pene Europæ regionibus innumeros diſcendi cauſſa confluxiſſe, certiſſimum eſt. Videatur duntaxat *caput ſeptimum hiſtoriæ occidentalis* Jacobi de Vitriaco, quo ille de diſſidiis ſtudioſorum Pariſienſium, malisque & horum & magiſtrorum moribus conqueritur. At vero etiam ante illam Philippi Auguſti ætatem, integro ſeculo duodecimo, Pariſienſem ſcholam ſtudiis fuiſſe florentiſſimam, facile oſtenſu eſt, ex laude eorum qui tum & philoſophiam & theologiam ſunt profeſſi. Recte enim Fileſacus: *Qualis fuerit theologica facultas ſub Ludovico Philippi Auguſti patre, ex iis qui tum erant clariſſimis theologis perſpicuum eſt. Agmen ducit Anſelmus Laudunenſis, quem ſibi præceptorem fuiſſe in theologia teſtatur Petrus Abælardus epiſtola prima. Huic ſucceſſit Guilielmus Campellenſis. Docuit & ipſe ibi Abælardus. Gilbertus quoque Porretanus magiſter theologicæ ſcholæ Pariſiis aliquando fuit, teſte Henrico Gandavenſi. Petrus Lombardus alias Novarienſis Petri Abælardi diſcipulus, qui non pauca demptis nævis ex theologicis tractatibus præceptoris ſui Abælardi mutuatus eſt, iiſdem theologicæ ſcholæ Pariſiis præfuit, teſte eodem Henrico Gandavenſi.* Quanquam vero usque adeo floruerint res ſtudiorum ſacrorum Pariſiis jam tum illa ætate, non dubitavit tamen idem Fileſacus in hæc verba ſcribere: *Philippo Auguſto Rege, nullæ aut paucæ leges, ut nec ſolennes ritus & formulæ ad curriculum theologicum emetiendum, vel doctoralem lauream adipiſcendam. Sed ut ego arbitror, prout quisque in rerum theologicarum cognitione ſub theologis qui publicas habebant ſcholas, profeciſſet, communi velut auditorum conſenſu ad libros veteris aut novi teſtamenti exponendos ſeſe accingebat: quod ex Petri Abælardi epiſtola prima colligi poteſt.* Idem non multo poſt ita loquitur: *Eo vero iſto ævo* (Philippi ſcilicet Auguſti Regis) *cura primo fuit iis qui magiſtri & doctores haberi vellent, ſacram ſcripturam interpretari: non quod ex ingenio aliquos de rebus theologicis tractatus non interſererent: ut de Abælardo & ceteris ſupra viſum eſt.* Item: *Cum ſcioli quidam & qui vix theologiam deguſtaſſent, illud publicum docendi munus ultro ſibi arrogarent, doctorum melioris notæ qui tum erant judicio, ordo ille theologicus formam legitimæ ſocietatis tum primum habere cœpit. Hinc leges nonnullæ ſcriptæ ab ipſis, & quidem ante annum trecenteſimum ſupra milleſimum: quod ex utroque codice MSS. noſtrarum legum tum antiquiore cum recentiore firmari poteſt.* Hæc Fileſacus. Quibus ſi fides adhibenda eſt, (non poſſumus autem non adhibere) igitur ſeculo demum tertiodecimo circiter collegium theologicum decano conſtituto coiit Pariſiis: *tum demum, a theologis quidem, & gradus magiſtrales aut doctorales cœperunt conferri:* (b) primum quoque tum examina atque tentamina

 varia

(a) *illis acceſſit deinde profeſſio theologica*) Vide *ſupplem.* 46. cui adde LAVNOIVM *l. c. cap.* 59 *art.* 2. & 3. ubi oſtendit, Guilielmum Campellenſem extinctum Pariſienſe ſtudium reſuſcitaſſe in philoſophia, cui poſtea P. Abælardus theologiam adjecerit, quia inter eos, qui ſcholæ theolog. Pariſ. præfuerunt, nemo apud veteres antiquior Abælardo laudetur. In ſequentibus autem articulis cumprimis de autoritate theologicæ facult. Pariſ. pluribus agit.

(b) *tum demum a theologis cœperunt gradus doctorales aut magiſteriales conferri*) Vid. diſſ. 4. Nec obſtat exemplum Petri a patria ſua Longobardi ſive Lombardi dicti, ſcholaſticorum primicerii & Pariſienſis epiſcopi, quem ſententiarum appellant magiſtrum, & primum theologiæ doctorem creatum ibi alii tradunt. Etenim quod ille magiſter ſententiarum dictus eſt, iſte titulus ipſi nequaquam ſolenni & in promotionibus academicis uſitato more collatus fuit, quin potius ipſe id nominis promeruit, cum quod ipſe fuerit, qui ſententiarum libros compilavit, unde magiſter ac autor ſententiarum ſive collectionis illius dictus fuit, non ſecus ac Gratianus collector canonum & canoniſtarum quaſi magiſter fuit, tum etiam inprimis quod publici in academia Pariſienſi profeſſoris & doctoris ſuſtinuerit munus, quæ procul dubio cauſa etiam eſt, quod theologicæ ſcholæ præſidentem eum appellet ſcriptor antiquus apud CONRINGIVM in *ſupplem.* XLVI. pari prorſus ratione, qua & Adamum Bremenſem magiſtri nomen accepiſſe, ideo quod rexerit ſcholam Bremenſem, judicat HENR. MEIBOMIVS *introd. ad hiſtor. Saxon. inſer. pag.* 70.

varia ſunt inſtituta. Vno verbo: iſthoc primum ſeculo cœpit Lutetiæ condi aliquid in modum noſtræ, quam nuncupamus theologicæ facultatis. Si autem ibi tum primum illa cœpit, alibi ante non cœperit, in Europa quidem. Nam ea quidem ætate *nulla alia celebrior ſchola theologica,* (a) imo vix ulla alia uſpiam extitit.

Theologicam ſcholam philoſophica artiumque, Pariſiis quidem, antiquitate ſuperat: nullo tamen indicio probaveris, in noſtrum academicum morem etiam hanc formatam eſſe ante ſeculum tertium decimum. Conſtat autem, *jam ſeculo etiam priore ſolito ſubtilius philoſophari* (b) Pariſiis cœptum, per Petrum Abælardum, Gilbertum Porretanum & alios. Quorum diſciplina cum fuiſſet uſus ſummæ nobilitatis vir Otto Friſingenſis epiſcopus, primus (quod equidem ſciam) Germanorum noviter tunc inſtitutæ philoſophiæ monumentum aliquod poſteritati reliquit. Porro civilis & canonici juris ſtudia vix ante ſeculum decimum tertium Pariſiis fortaſſis agitata ſunt. Et vero juris quidem diſciplina ne potuit quidem multo ante ibi exerceri, quoniam Imerio demum & Gratiano ipſamet Bononia renovationis ſuæ originem debet.

Non etiam qui medicinam ibi antehac docuerit quiſquam veterum memoratur. Ipſe ille qui in epitaphio audit

Phyſicus excellens Hugo, pietate refulgens;

obiitque *Anno milleno bis centum ſed minus uno,*

laudem nullam invenit a magiſterio artis, ſed duntaxat ab eo quod

Pariſiis mortem non ſuſtulit (h. e. non paſſus eſt) *eſſe minacem,*

& *Quadrivium docuit.*

Vt proinde artem ipſam medicam non docuerit Obizo, ſed duntaxat fecerit illam Pariſiis. Saltim num docuerit incertum eſt. Ægidium Corbolienſem, cujus de vrinis & pulſibus poemata haud inconcinna etiamnum ſuperant, & ætatibus aliquot magno in pretio fuere, artem Pariſiis docuiſſe per eſt veroſimile; ſed illius vita in tertium decimum usque ſeculum excurrit. Circa cujus initia quatuor, quas appellamus hodie facultates, Pariſiis jam floruiſſe, vetat nos dubitare Rigordi ejus temporis chronographi Pariſienſis teſtimonium: ut qui ad annum milleſimum ducenteſimum nonum diſertis verbis annotaverit, non ſolum *de trivio & quadrivio, verum & de quæſtionibus juris civilis & canonici, & de ea facultate qua de ſanandis corporibus & ſanitatibus conſervandis ſcripta eſt, plenam & perfectam doctrinam inveniri.* De theologica ſchola extra controverſiam eſt: eoque addit Rigordus, *ferventiore deſiderio doctrinam ſacram & quæſtiones theologicas doceri.* Tum etiam temporis honores magiſterii ſolennes in medico pariter & philoſophico ordine conferri Pariſiis cœpiſſe, manifeſtum eſt ex bulla Gregorii Noni Papæ, quam ille Pariſienſibus anno iſtius tertii decimi ſeculi trigeſimo primo conceſſit. Verba bullæ, qualia Gabriel Naudæus, ille Pariſini *flos delibutus populi, ſuadaque medulla,* elegantiſſimæ de antiquitate ſcholæ medicæ Pariſienſis diſſertationi inſeruit, hæc ſunt: *De phyſicis autem & artiſtis Cancellarius promittet, bona fide examinare magiſtros, & non niſi dignos admittens repellet indignos.*

Iſthac vero ætate haud temere reperias ullam, quæ jam tum *quatuor facultatibus iſtis* (c) fuerit inſtructa, præter unam hanc Pariſienſem. Vt proinde videatur merito pronunciari poſſe, ſeculo demum tertio decimo academias noſtras originem ſuam debere, & inter omnes antiquitate antecellere Pariſienſem. Meretur tamen obſervari: per Honorium III. Papam, circa annum ſeculi illius viceſimum, civilis juris diſciplinam Pariſiis lege publica eſſe vetitam. *Firmiter interdicimus & diſtrictius inhibemus,* inquit, *ne Pariſiis vel in civitatibus ſeu aliis locis vicinis quiſquam docere vel audire jus civile præſumat. Et qui contra fecerit, non ſolum a cauſarum patrocinio excludatur, verum etiam per epiſcopum loci excommunicationis vinculo innodetur.* Adeo ſevero igitur edicto deceſſiſſe iterum nonnihil ſtudiis Pariſienſibus, quo minus noſtro more fuerint perfecta, fatendum videtur.

Cæterum prima academiarum origine jam detecta, poſſumus forte non injuria quieſcere. Ne quid

(a) *nulla alia celebrior ſchola theologica*) Id nimirum oſtendit *LAVNOIVS l. c. artic.* 5. 6. 7. 8. *ſeqq.* non modo inde, quod reges & principes exteri, ſed & quod ipſi quoque Pontifices theologicam facultatem Pariſ. in rebus arduis & dubiis conſuluerint.

(b) *jam ſeculo ſuperiore ſubtilius philoſophatum*) Quo reſpexit ſine dubio Gregorius IX. præſcribens magiſtris Pariſienſibus, qua ratione theologiæ medendum ſit, verbis ſequentibus, quæ adducit *LAVNOIVS in acad. Pariſ. illuſtrata p.* 90. *Magiſtri vero & ſcholares theologiæ in facultate, quam profitentur, ſe ſtudeant laudabiliter exercere, nec philoſophos ſe oſtentent, ſed ſatagant fieri Theodidacti, nec loquantur in lingua populi linguam Ebræam cum Aſotica confundentes; ſed de illis tantum in ſcholis quæſtionibus diſputentur, quæ per libros theologicos & ſanctorum patrum tractatus valeant terminari.* Atque id quidem præſtare voluit Lombardus collectis patrum ſententiis. Antea enim, ut ſcribit *TRITHEMIVS catal. ſcript. eccleſ. p.* 74. Petri Abælardi inutili curioſitate ſecularis philoſophiæ ſacra theologia nimiſ fuit fœdata. Erat autem Abælardus diſcipulus Rucelini, ſectæ Nominalium (qui ea, quæ univerſalia vocantur a philoſophis, negabant res eſſe vere citraque mentis humanæ fictionem exiſtentes, tantummodo vero omnem earum naturam meris nominibus, nudis vocibus aut ſolis animi conceptibus exhauriri arbitrabantur) ſi non autor, ſaltim propagator acerrimus, propterea in catalogum hæreticorum relatus apud Bernhardum Luzenburgium & Gabrielem Prateolum. His Nominalibus autem (qui & Verbales, Terminiſtæ, Connotatiſtæ dicebantur) opponebant ſe ita dicti Reales, qui & pariter inter ſe diſſidebant, ut alii Formales ſive Scotiſtæ, alii proprie Reales, uti Thomiſtæ dicerentur; imo, ſi narrationem JOHANNIS SARISBERIENSIS *lib. II. metalog.* 17. *p.* 99. ſequi velimus, ſex fere opinionibus diſtinguebantur, inter quas tertiam tribuit Gilberto epiſcopo Pictavienſi alias Porretano, qui univerſalitatem formis nativis attribuiſſe & in earum conformitate laboraſſe ipſi dicitur. Vid. JAC. THOMASII *oratio de ſecta Nominalium.*

(c) *quatuor facultatibus iſtis*) Conf. de facultatibus, quæ vocantur, academicis *obſervat. Hallenſes VI.* 15. & 18. (ubi de ſtatu academicorum in ſeculis barbaris) & 20.

quid tamen in nobis deſideretur, addemus nonnihil & de BONONIENSI & de Salernitana ſchola, quæ Italicarum omnium ſunt vetuſtiſſimæ. Sane multum lucis hæc narratio dabit iis quæ jam tum attulimus.

Ac Bononiæ quidem primo omnium videtur ſchola quædam fuiſſe liberalium artium: ſaltim literatoria quædam. Ferunt enim Imerium Ravenna, ubi artes illas profitebatur, Bononiam eodem fine evocatum, ibique ſuper vera ſignificatione vocis As cum aliis magiſtris contentione ipſi nata, tractum ita demum ad Romani juris diſciplinam. Cardinalis certe Hoſtienſis initio ſeculi tertii decimi ſcripſit: *As, id eſt duodecim unciæ. As etiam quandoque ponitur pro obolo: propter quod verbum venit Bononiam ſtudium civile, ſicut audivi a Domino meo.* Dominus autem ille eſt *Azo*, (a) lucerna juris ſuo ævo habitus appellatusque. Hujusmodi ſcholæ originem a Theodoſio Cæſare vulgo arceſſi inepte ficta quadam tabula, jam ante diximus. Cæterum *jus civile Romanum primus* (b) ibi docere cœpit Imerius: ceu omnium conſenſu vulgo traditur. Quod tamen paſſim itidem creditur, ita *inſtitutum eſſe a Lothario* (c) Cæſare, id a vero eſſe alienum alias fortasſis prolixius demonſtrabimus. Id certum eſt, juris civilis Romani diſciplinam, ipſo jam tum ſeculo duodecimo, Bononiæ magno auditorum concurſu publica ex cathedra docuiſſe, non Imerium duntaxat, ſed & Jacobum de Porta Ravegnana, Jacobum Balduinum & Azonem: ne quid dicam de Bulgaro, Martino Goſio, Hugone de Porta Ravegnana & aliis, qui tum itidem ſtipendio publico Bononienſium docuerunt. Eodem vero tempore & *jus Pontificium*, (d) non tantum per Gratianum monachum anno 1151. in cœnobio Felicis & Naboris conſcribi iſthac in urbe cœpit, ſed cathedram quoque & doctores ſtatim eſt nactum, jam tum Eugenio Pontifice, non minore diſcentium applauſu ſi non majore. Ea ſane utrumque jus audientium fuit frequentia, ut Fridericus primus Cæſar, in publicis regni Italici comitiis, ex conſilio omnium ordinum, regiminis ſcholaſtici novam formam inſtituere ſit adductus. *Decem millia ſtudioſorum* (e) jam ætate Azonis Bononiæ vixiſſe, teſtis locupletiſſimus eſt ipſemet Odofredus.

Quemadmodum habuerit ſeſe ibi tum temporis philoſophiæ atque artium quas appellant diſciplina, non perinde conſtat. Illa tamen fuit in exiſtimatione, ut Fridericus II. Cæſar, circa annum ſeculi tertii decimi viceſimum, ſua cura & ſumptu libros Ariſtotelis aliorumque philoſophorum de græco partim, partim de Arabico latine verſos, huic uni Bononienſi philoſophicæ ſcholæ obtulerit & quaſi conſecraverit. Integra epiſtola Cæſaris reperitur in opere epiſtolico *Petri de Vineis*, (f) Cæſarei tum Cancellarii, ad exemplum Variarum Caſſiodori, quantum conjicere eſt, in unum collecto. Ejus illam partem quæ huc maxime facit, non poſſumus non recitare. *Poſt regni vero noſtri curas aſſumptas, quanquam operoſa frequenter negotiorum turba nos diſtrahat, & civilis ſibi ratio vendicet ſolicitudinis noſtræ partes, quicquid tamen temporis de rerum familiarium occupatione decerpimus tranſire non patimur otioſum: ſed totum in lectionis exercitatione gratuita libenter expendimus, ut anima clarius vigeat inſtrumentum in acquiſitione ſcientiæ, ſine qua mortalium vita non regitur liberaliter. Dum librorum ergo volumina, quorum multifarie multisque modis diſtincta chirographa noſtrarum armaria divitiarum locupletant, ſedula meditatione revolvimus, & accurata contemplatione penſamus: compilationes variæ ab Ariſtotele aliisque philoſophis, ſub Græcis Arabicisque vocabulis antiquitus editæ, in ſermocinalibus & mathematicis diſciplinis, noſtris aliquando ſenſibus occurrerunt: quas adhuc originalium dictionum ordinatione conſertas, & vetuſtarum veſtium, quas eis ætas prima conceſſerat, operimento contectas, vel hominis defectus aut operis ad latina lingua notitiam non perduxit. Volentes igitur, ut veneranda tantorum operum ſimul authoritas apud nos, non absque commodis communibus, vocis organo traduce innoteſcat: ea per viros lectos, & in utrinque lingua prolatione peritos, inſtanter juſſimus, verborum fideliter ſervata virginitate, transferri. Quia vero ſcientiarum generoſa poſſeſſio in plures diſperſa non deperit, & diſtributa per partes minorationis detrimenta non ſentit, ſed eo diuturnius perpetuaque ſeneſcit, quo publicata fœcundius ſe diffundit: hujusmodi celare laboris emolumenta noluimus, nec æſtimavimus nos eadem retinere jucundum, niſi tanti boni nobiscum alios participes faceremus. Conſiderantes veruntamen, quorum conſpectibus, quorumque judiciis operis cœpti primitiæ poſſent decentius deputari: ecce vobis potiſſime velut philoſophiæ præclaris alumnis, de quorum pectoribus promtuaria plena fluunt, libros aliquos, quos curioſum ſtudium translatorum lingua non potuit fidelius inſtruere, conſulte providimus præſentandos vel deſtinandos. Vos igitur viri, qui de ciſternis veteribus aquas novas prudenter*

(a) *Azo*) De hoc Azone vid. *PANCIROLLUM pag.* 113. 114. *ſeqq.*

(b) *jus civile Romanum primus*) Aliter paulo PANCIROLLUS *de claris legum interpr. p.* 81. *Allatis*, inquit, *Bononiam juribus primus Pepo, qui ibi artes liberales docebat, ea interpretari cœpit. Sed cum ad id non admodum aptus videretur, hoc munus Irnerio eſt demandatum, qui tanta diligentia tum obſcura explanando, tum conſonantia citando & contraria ſolvendo explicuit, ut legum lumen vocari promeruerit.*

(c) *inſtitutum eſſe a Lothario*) Vid. *annotat. ad libr. de origine juris civilis.*

(d) *jus Pontificium*) Vid. celeb. MASTRICH. *in hiſtor. jur. eccleſ. p.* 326. 327. Imo ita academia Bononienſis inclaruit, ut digna haberetur cui Gregorius IX. decretales, Bonifacius VIII. librum ſextum, Johannes XXIII. Clementinas inſcriberet.

(e) *Decem millia ſtudioſorum*) De numero ſtudioſorum in aliis academiis vide *diſſert. V. infra.*

(f) *Petri de Vineis*) Hunc cum imperatore Friderico II. clerici nefandæ impietatis & atrociſſimarum in ipſum Servatorem ejusque doctrinam injuriarum propterea poſtularunt, quod noluerit ſine tergiverſatione Pontificis imperium in omnia venerari. Hinc fuerunt, qui his unice mendaciis innixi hunc Petrum de Vineis libri ſceleratiſſimi *de tribus impoſtoribus* autorem eſſe crediderunt. A quo crimine virum doctum & ipſum imperatorem ſatis purgarunt, qui noſtra ætate incertum prorſus eſſe docuerunt, an talis unquam liber extiterit. Vid. BERNH. DE LA MONNOYE *diſſ. Gallica p.* 3 Menagianorum addita & ALD. HENR. DE SALLENGRE *memoire de literature tom. I. P.* 1. *p.* 386. Quanquam impium talem latino & Gallico ſermone extare libellum nullum amplius ſit dubium.

ter educitis, qui fluenta melliflua ſitientibus labiis propinatis, libros ipſos, tanquam xenium amici Cæſaris, gratanter accipite: & ipſos antiquis philoſophorum operibus, qui vocis veſtræ miniſteriis reviviſcunt, quorumque nutritis famam dum dogmata ſternitis ſapienter, ut expedit aggregantes, eos in auditorio veſtro, (in quo gratia virtutum fructificat, erroris rubigo conſumitur, & latentis ſcripturæ varietas aperitur) cum mittentis favore commoniti, tum clari transmiſſi operis meritis perſuaſi, ad communem utilitatem ſtudentium, & evidentis famæ noſtræ præconium, publicetis. Hæc omnia Cæſar Fridericus. Quæ, quamvis prolixiora nonnihil, adduximus eo libentius, quod ſimul doceant beneficio literati Cæſaris illius debere ſeculum iſtud reſuſcitata philoſophiæ omnis ſtudia. Hactenus nimirum Ariſtotelis aliorumque ſcripta philoſophica & mathematica longe pauciſſima viderat latinus orbis: aſt ex eo multo plura, cumprimis de Arabico verſa, in ſcholas translata ſunt. Quo effectum, ut bonæ artes novam plane & hactenus inſolitam faciem acceperint: involantibus quaſi in recenter verſos illos libros cum aliis tum præcipue Dominici & Franciſci ſacris agminibus.

Vt autem quaſi in viam ex diverticulo redeamus, ante ſeculum tertium decimum fortaſſe nec medica ars Bononiæ doctores invenit. Certe qui ſcriptis antehac ibi inclaruerit, nemo memoratur. Verum illo tamen ipſo ſeculo artem hanc, magno auditorum concurſu, ibi docuerunt Thaddæus Florentinus, Petrus Aponenſis, Gentilis Fulginas, & niſi fallor Turriſanus ſive Druſianus; celeberrimi nominis magiſtri, quique æternis ſcriptis ſimul artem illuſtraverunt, adjuti etiam ipſi paucis quidem Hippocratis & Galeni libris, compluribus tamen Arabum medicorum philoſophorumque monumentis, quæ univerſa tum primum fuerunt latine verſa.

Etſi autem usque adeo floruerit tunc Bononienſis ſchola, theologiæ tamen profeſſoribus fuit deſtituta usque in annum 1362, quando Innocentius id nominis ſextus Papa theologiæ docendæ licentiam eximii muneris vice indulſit. Quo apparet, quam ſero perfectionem ſuam nacta ſit ipſa illa omnium celeberrima ſchola, & quæ cum numero profeſſorum tum opulentiſſima dote (numerat enim ſubinde, & numeravit ante hos decem annos, profeſſores centum viginti ſex, & in his utriusque doctores juris quadraginta novem: ferturque, a ſenatu Bononienſi quotannis in profeſſorum ſalaria quadraginta prope coronatorum millia expendi) ut alia nunc taceam, nulli hodie temere eſt ſecunda, Germanicas autem omnes longo ſuperat intervallo.

Sed de Bononienſi ſchola ſatis fortaſſe diximus. Certe ut plura adferamus non patitur propoſitum. SALERNITANA vetuſtate quidem Bononienſi non cedit, imo fortaſſis eam ſuperat, ſplendore vero & inſtitutis docendi eam plurimis ſequitur paſſibus, minime omnium aſſequitur. In vicino urbi illi cœnobio Caſſinenſi a S. Benedicto usque ſcholam habitam monaſticam, veriſimile quidem eſt vel ex iis quæ ante diximus in univerſum de id generis phrontiſteriis; viris tamen doctis, perinde ut Fuldam & Corbejam noſtram, claruiſſe illum locum, utut opulentiſſimum, haud temere probaveris. Seculo autem undecimo habuit *Conſtantinum hominem Afrum:* (a) quem poſt triginta novem annos ſtudiorum gratia peregrinationibus per Aſiam univerſam, ſub Muhammedanorum imperio doctrinæ omni genere florentem, exactos, patria profugum Salerni primo inde inter monachos cœnobii, exceptum ferunt. Et ſane ille Deſiderio abbati ſuo, qui poſt Victor III. Papa fuit, circa annum ſexageſimum poſt milleſimum, haud pauca medici argumenti ex Arabico latine verſa, (utut hoc plerumque diſſimulet, ſibi arrogans ea quæ Iſaaci Aben Amram Judæi aliorumque eſſe clariſſimum ſit, ſi utriusque ſcripta contenderis) dedicavit. *At vero jam tum in ipſo Salerni oppido ſcholam* (b) aliquam ſive medicam ſive aliam fuiſſe inſtitutam, nullum indicium nobis ſupereſt. Occaſione tamen operum medicorum a Conſtantino editorum, per eſt veroſimile, excitata ibi potiſſimum artis ſtudia. Etenim viderat quidem hactenus latinus orbis libros aliquot medicos partim latine exaratos, partim ex græco in eandem linguam translatos, perpaucos tamen eosque non magni pretii. Cujusmodi maxime ſcriptis ſua ætate fuerit inſtructa Italia, colligere eſt ex ſermone Caſſiodori, quo monachos ſuos ad divinas humanasque lectiones manuducit.

Quod

(a) *Conſtantinum hominem Afrum)* De eo chronicon Caſſinenſe lib. III. c. 35. p. 455. hæc refert: *Iſtius porro abbatis (Deſiderii) tempore Conſtantinus Africanus ad hunc locum perveniens ſanctæque habitum religionis induens eccleſiam S. Agathæ in averſa a Richardo principe ſibi conceſſam in hoc ſancto loco devotiſſimus obtulit. Neceſſarium plane videtur ad poſterorum memoriam qualis hic & quantus fuerit, literis tradere. Hic igitur e Carthagine, de qua oriundus erat, egrediens Babyloniam petiit, in qua grammatica, dialectica, geometria, aſtronomia nec non & phyſica Chaldæorum, Arabum, Perſarum, Saracenorum, Ægyptiorum ac Indorum pleniſſime eruditus eſt. Completis autem in ediscendis iſtiusmodi ſtudiis triginta & novem annorum curriculis ad Africam reverſus eſt. Quem cum vidiſſent Afri ita ad plenum omnium gentium ſtudiis eruditum, cogitaverunt occidere. Quod Conſtantinus agnoſcens clam navem ingreſſus Salernum advenit. Inde in hoc cœnobio poſitus tranſtulit de diverſarum gentium linguis libros quam plurimos, in quibus hi ſunt præcipui: Pantegnum, quem diviſit in libros 12. in quo expoſuit, quid medicum ſcire oporteat, librum graduum, diætam ciborum, librum febrium, quem de Arabica lingua tranſtulit, librum Tegni, Megategni, Microtegni, diſputationem Platonis & Hippocratis in ſententiis.*

(b) *At vero in ipſo Salerni oppido ſcholam)* D. HERMANNVS HERMES *in faſciculo juris publici pag.* 642. de ſchola Salernitana ita loquitur: *Picentinorum civitas Salernum in ſinu maris Tyrrheni poſita ad oſtium fluminis Silari, vel a Salis, vel ab ipſo amne Silaro nomen mutuata eſt, ab exiguis principiis incrementum cepit maximum a. 974. cum Bonifacius VII. Pont. hanc totius regionis metropolin conſtitueret. Floruerunt quidem dudum hic ſtudia medica, ſed regum & principum decretis non fuit academia, donec monachi Caſinenſes & ex iis maxime Conſtantinus, (qui opera ſua medica a. 1060. Deſiderio abbati ſuo dedicavit) medicinæ operam navarent. Hinc Rogerius Rex Siliciæ & Salerni princeps a. 1100. mandavit, ſub confiſcatione bonorum ne quis medicinam exerceret, niſi a magiſtratu & judicibus probatus, quam legem Fridericus Barbaroſſa a. 1150. occupato regno Neapolitano ampliavit & vetuit, ne quis ad medicinam admitteretur, niſi a collegio Salernitano aut Neapolitano probatus. Atque his privilegiis gaudens ſchola Salernitana in academiam erecta eſt, maxime ob medicinam ibi florentiſſimam.*

Quod ſi vobis non fuerit, inquit, *græcarum literarum nota facundia, inprimis habetis herbarium Diſcoridis, qui herbas agrorum mirabili proprietate diſſeruit atque depinxit. Poſt hæc legite Hippocratem atque Galenum latina lingua converſos, i. e. Therapeutica Galeni ad philoſophum Glauconem deſtinata, & anonymum quendam, qui ex diverſis auctoribus probatur eſſe collectus; deinde Cœlii Aurelii de medicina, & Hippocratis de herbis & curis, diverſosque alios de medendi arte compoſitos; quos vobis in bibliotheca noſtræ ſinibus reconditos Deo auxiliante dereliqui.* Hæc Caſſiodorus in opere illo: quod hactenus miſere per particulas disjectum in lucem prodiit, facile tamen reſtitui in integrum poterit, & reſtitui ſummo jure promeretur. Cum nemo itaque pene latinorum græcam linguam intelligeret, & latine ſcripti libri medici non niſi rariſſimi invenirentur, hactenus quidem medicæ artis ſtudia ex dignitate coli haud potuerunt. At poſt Conſtantini operam facilius id effectu fuit, præſertim eo loci ubi ſcripta ipſius omnium commodiſſime haberentur. Tum demum itaque, & hac quam diximus occaſione, nata Salerni videtur ſchola quædam medica. Sane cœpiſſe jam illam circa annum milleſimum centeſimum, haud injuria forte dixeris, attendens, quam ſevera lege Rogerius primus Siciliæ utriusque rex & Salerni princeps, rem medicam facere juſſerit. Seculo certe duodecimo ſchola iſthæc celeberrimæ fuit famæ, imo in occidentali hoc orbe unicæ. Sub finem ejus enim communi ſcholæ iſtius magiſtrorum conſilio, ſcriptus eſt libellus ille poëticus *de conſervanda valetudine*, in gratiam Roberti Normanniæ ducis, qui tamen, quod ſibi regiam Angliæ dignitatem vindicaret contra Guilielmum Rufum fratrem, *Anglorum rex audivit.* (a) Eodem tempore circiter Ægidius Corbolienſis in opere, quod in Pariſienſium gratiam de *compoſitorum medicamentorum virtutibus* itidem verſibus luſit, gravi cenſura in Salernitanos animadvertebat, quod nullo facto diſcrimine, quibuslibet ad rem medicam admiſſis, concederent

Nondum maturas medicorum ſurgere plantas,
Impuberes pueros Hipocratica tradere jura,
Atque Machaonias ſancire & fundere leges:
Doctrina quibus eſſet opus ferulaque flagello,
Et pendere magis veteli doctoris ab ore,
Quam ſibi non dignas cathedra præſumere laudes.

Paulo poſt conditæ ſunt a Friderico II. Cæſare præclaræ illæ leges de re medica univerſa, quæ liquido oſtendunt, præter reliquas medicinæ partes etiam illam quæ manu medetur Salerni magiſtros ſuos accepiſſe: nec rem anatomicam fuiſſe neglectam: Artem vero omnem ex Hippocraticis usque fontibus petitam eſſe. Et vero ornaverunt ſcholam hanc Joannes Platearius, cujus eſt liber *Circa inſtans* vulgo dictus, Joannes de Mediolano præcipuus auctor libri de *conſervanda valetudine*, Saladinus de eſculo, Joannes de S. Paulo, Guilielmus Placentinus, Hieronymus Balduinus, Benevenutus Graphæus de Jeruſalem, Franciſcus Alphanus, Rogerius, Joannes & Gualtherus Salernitani. Quatuor magiſtrorum in chirurgia Salernitanorum libros Oxoniæ reperiri, memorant bibliothecarum ſcriptores. Ejusdem ſcholæ videtur & VVarmipotus fuiſſe, qui vulgo Gariopontus audit. Simon quoque Januenſis inde fortaſſis prodiit, qui tamen Nicolai IV. Papæ egit archiatrum. Nicolaum, cujus antidotaria celebri olim fama in uſu medicis fuerunt, iſthuc pertinere, certius eſt.

Non poſſum hic omittere quæ de Nicolao illo omnique Salernitana ſchola memoravit Chriſtophorus de Honeſtis Florentinus, quem circa annum Chriſti 1380. vixiſſe, colligas ex eo, quod Thomam de Garbo paſſim laudet magiſtrum ſuum. *Intelligendum eſt*, ait ille, *quod Nicolaus (qui etiam duo aromataria compoſuit utili ſermone, quæ ambo communiter habemus in uſu) fuit medicus diu exercitatus in practica, & in naturali ingenio, natione Salernitanus, plenus divitiis & ex nobili ſanguine procreatus. Fuit autem temporibus ſuis primus.. Et non eſt longum tempus elapſum, cum in dicta civitate Salerni, digna ac clamoſa fama per orbem, vigebat fons ſcientiæ, & maxime practica medicinæ. Ibi enim florebat ſtudium principaliter, ſequendo ſententiam Galeni tanquam principis medicorum, ejus libros legendo & utiliter declarando, licet hodie fugiantur.* Hæc Honeſtus, & recte quidem. Ex quo enim Arabum libri in latinum orbem tranſiere, parum attento Hippocrate & Galeno, in ſcholas Avicenna, Raſis, Meſue, & Serapion penetraverunt: nec Hippocratis aut Galeni libri vulgo in manibus relicti, præter paucos quos Articella dicta comprehendit.

Licet

(a) *Anglorum rex audivit*) Ex chronico Caſſinenſi lib 2. c. 37. & FRANCISC. STLV. *præf. ad ſcholam Salernit. cap. 3.* rem ita refert HERMES *loc. cit. Traditur 40. equites Normannos Hieroſolyma, ubi ſepulchrum Chriſti adierant, redeuntes Salernum appuliſſe, cumque Gvimarus Salerni princeps a Saracenis graviter urgeretur, impetratis a Principe copiis amore fidei Chriſtianæ barbaros in fugam dediſſe, unde a Salernitanis humaniſſime invitati fuerint, ut apud ſe morarentur, quo facto Normannorum res tam feliciter contra Mauritanos ſucceſſiſſe, ut anno 1032. Averſum oppidum condiderint. Cum autem Wilhelmus Normanniæ dux regnum Angliæ adeptus tres haberet filios, VVilhelmum ruſum, Robertum & Henricum, & VVilhelmus primogenitus poſt patrem regnans ſine liberis obiiſſet eo tempore, quo Gotofredus Bullonius Hieroſ. regnum occupaverat, tum Bullonii caſtra in bello ſacro ſecutum ſecundogenitum Robertum defuncto jam fratre regem & ducem conſtitutum fuiſſe, qui etſi in obſidione Hieroſol. vulnus in brachio dextero accepiſſet, tamen accepto nuntio de obitu fratris jam deſignatus Rex Angliæ e Palæſtina in Apuliam ad cognatos trajecerit, de vulnere accepto ſcholam quoque Salernitanam conſulturus quamvis autem medici vulnus telo venenato inflictum aliter curari non poſſe niſi frequentiori ſuctu edicerent, noluiſſe tamen optimum Principem quemquam ad ſugendam vulneris fiſtulam admittere, ne alium ob venenum in vitæ periculum adduceret, quanquam ejus uxor novo amoris exemplo excitata marito dormiente fiſtulam ſuxiſſe & ſanaſſe ſine ullo vitæ periculo dicatur. Hinc medicos eidem poſtea victus rationem præſcripſiſſe & de fiſtula cap. 38. addidiſſe, an. 1100. autore quidem Johanne de Mediolano, ſub cujus tamen nomine non ſit facta editio, ſed ſub titulo collegii Salernitani, qua ratione opus philoſophicum a collegio Conimbricenſi emiſſum appareat.* Autorem tamen hujus libelli, quod obſervandum, alii cum Pancirollo Robertum Marantam eſſe perhibent, quemadmodum mox ad ſequentem paginam annotabimus. Denique obſervari meretur Hermetem ſive Hermeſium. Robertum ſecundo genitum appellantem, aliquid humani paſſum; erat enim Robertus Wilhelmi conqueſtoris filius primogenitus, quem pater, ob varias ab Anglicis ſcriptoribus notatas cauſas, in regno noluit ſucceſſorem.

Licet autem fortaſſis etiam hic recitare, quas modo laudavimus Friderici Cæſaris leges, ut eo rectius ſcholæ illius medicæ dignitas fiat conſpicua, etſi earum magnam partem jam ante aliquando hoc in loco adduxerimus. Videtur ſane & panegyris hæc ipſa medica exigere jure quodam ſuo, ut publica voce recitentur leges illæ, quæ de arte facienda & docenda omnium hodie ſunt antiquiſſimæ. Prima itaque lex hæc eſt. *Vtilitati ſpeciali proſpicimus, cum communi ſaluti fidelium providemus. Attendentes igitur grave diſpendium & irrecuperabile damnum, quod poſſet contingere ex imperitia medicorum, jubemus nullum medici titulum prætendentem audere practicare aliter vel mederi, niſi Salerni primitus & in conventu publico, magiſtrorum judicio comprobatus, cum teſtimonialibus literis, de fide & ſufficienti, tam magiſtrorum quam ordinatorum noſtrorum, ad præſentiam noſtram, vel nobis a regno abſentibus, ad illius præſentiam, qui vice noſtra in regno remanſerit, ordinatus accedat, & a nobis vel ab eo medendi licentiam conſequatur: pœna publicationis bonorum, & annalis carceris imminente his, qui contra hujusmodi noſtræ Serenitatis edictum imposterum auſi fuerint practicare.* Lex altera ejuſdem Cæſaris ita ſonat. *Quia nunquam ſciri poteſt ſcientia medicinæ niſi de ſcientia logicali præſcribatur, ſtatuimus, quod nullus ſtudeat in medicinali ſcientia, niſi prius ſtudeat ad minus triennio in ſcientia logicali: poſt triennium, ſi voluerit, ad ſtudium medicinæ procedat: ita quod & chirurgiam, quæ eſt pars medicinæ, infra prædictum tempus addiſcat. Poſt quod, & non ante, concedatur ſibi licentia practicandi, examinatione juxta curiæ formam præhabita, & nihilo minus recepto pro eo, de prædicto tempore ſtudii, teſtimonio magiſtrali. Iſte medicus jurabit ſervare formam curiæ hactenus obſervatam. Eo adjecto, quod ſi pervenerit ad notitiam ſuam, quod aliquis confectionarius minus bene conficiat, curiæ denunciabit; & quod pauperibus conſilium gratis dabit. Iſte medicus viſitabit ægrotos ſuos ad minus bis in die, ad requiſitionem infirmi, ſemel nocte: a quo non recipiet per diem, ſi pro eo non egrediatur civitatem vel caſtrum, ultra dimidium tarrenum auri. Ab infirmo autem quem extra civitatem viſitat, non recipiet per diem ultra tres tarrenos, cum expenſis infirmi; vel ultra quatuor tarrenos, cum expenſis ſuis. Non contrahat ſocietatem cum confectionariis. Non recipiat aliquem ſub cura ſua ad expenſas ſuas, pro certa pretii quantitate. Nec ipſe etiam habebit propriam ſtationem. Confectionarii vero facient confectionem expenſis ſuis, cum teſtimonio medicorum juxta formam conſtitutionis; nec admittentur ad hoc, ut teneant confectiones, niſi præſtito juramento, quod omnes confectiones ſuas ſecundum prædictam formam facient ſine fraude. Lucrabitur autem ſtationarius de confectionibus ſuis ſecundum iſtum modum de confectionibus & ſimplicibus medicinis, quæ non conſueverunt teneri in apothecis ultra annum, a tempore emptionis; pro qualibet libra poterit & licebit tres tarrenos lucrari. De aliis vero, quæ ex natura medicaminum, vel ex alia cauſa ultra annum in apotheca tenentur, pro qualibet uncia licebit lucrari tres tarrenos. Nec rationes hujusmodi erunt ubique, ſed in certis civitatibus per regnum, ut inferius deſcribitur. Nec tamen poſt completum quinquennium practicabit, niſi per annum integrum cum conſilio experti medici practicaverit. Magiſtri vero intra iſtud quinquennium libros authenticos, tam Hippocratis quam Galeni, in ſcholis doceant. tam in theorica quam in practica medicina. Salubri etiam conſtitutione ſancimus, ut nullus chirurgicus ad practicam admittatur, niſi teſtimoniales literas offerat magiſtrorum in medicinali facultate legentium, quod per annum ſaltem in ea parte medicinæ ſtuduerit, quæ chirurgiæ inſtruit facultatem; & præſertim anatomiam humanorum corporum in ſcholis didicerit, & ſit in ea parte medicinæ perfectus, ſine qua nec inciſiones ſalubriter fieri poterunt, nec facta* (lego *fractura*) *curari.* Hactenus lex ſecunda. Sequitur tertia. *In terra qualibet regni noſtri noſtræ juriſdictioni ſubjecta, duos viros circumſpectos & fide dignos volumus ordinari, & corporali per eos præſtito ſacramento teneri, quorum nomina ad curiam noſtram mittentur, ſub quorum teſtificatione, electuaria, & ſirupi, ac aliæ medicinæ legaliter fiant, & ſic facta vendantur. Salerni maxime per magiſtros in phyſica hoc volumus approbari. Præſenti etiam lege ſtatuimus, ut nullus in medicina vel chirurgia, niſi apud Salernum vel Neapolim legat in regno, nec magiſtri nomen aſſumat, niſi diligenter examinatus in præſentia noſtrorum officialium & magiſtrorum artis ejuſdem.* Hæ ſunt leges illæ Friderici, dignæ tanto Cæſare: dignæ celeberrima iſta Salernitanorum medica ſchola: digniſſimæ quæ in omnem poſteritatem commendentur. Non patitur tempus in earum laudem hic excurrere. Imo vetat, vel de ipſamet illa ſchola ulterius quidquam addere.

Ideoque non niſi unum h[illegible] nunc adjicio: præter medicam, juris quoque ſcholam Salerni olim floruiſſe, docente ibi *Roberto Maranta*, (a) cujus eſt celeberrimæ famæ ſpeculum illud aureum ſive lumen advocatorum. An quæ alia ibi in pretio fuerit, neſcio. Certum eſt & notum omnibus, cum temporis injuria tum aliarum academiarum ſplendore Salernitanam omnem ſcholam dudum non obſcuratam duntaxat, ſed plane interiiſſe.

Cæterum ſeculo demum tertio decimo, academias noſtras, ſi verum fatendum eſt, cœpiſſe, & fruſtra iis vetuſtatem majorem a nonnullis tribui, niſi admodum fallor ex iis quæ dixi jam eſt manifeſtum. Quapropter nunc quidem claudemus hunc ſermonem, de inſtitutis academicis alias diſtinctius dicturi: ad alterum vero & cujus potiſſimum gratia huc acceſſimus progrediemur. Hoc eſt, tandem aliquando commeritis dudum honoribus candidatum hunc noſtrum, more rituque ſolenni, decorabimus.

DISSER-

(a) *Roberto Maranta*) PANCIROLLVS de eo ita *l. 2. c. 146. pag. 259.* Robertus Maranta Venuſinus a. 1520. Salerni, & ut aliqui volunt, etiam in Sicilia docuit, ac inter alia aureum ſpeculum compoſuit, quem poſtea Pomponius filius & ipſe JCtus cum fratribus in lucem emiſit. Decem ejuſdem diſputationes Salerni & alibi defenſæ & aliquot jurium interpretationes extant, quas repetitiones vocant. Ejus mortis aut monumenti nulla quod ſciam extat memoria. Salernitanam academiam illuſtravit, & ab Anglorum Rege de modo conſervandæ valetudinis conſultus plura ad id dogmata carmine expoſuit, quod ita incipit:

Anglorum Regi dicit ſchola tota Salerni:
Si vis incolumem, ſi vis te reddere ſanum
Curas tolle graves &c.

DISSERTATIO QUARTA

Recitata anno* cIɔ Iɔ CXXXVIII. *X. Kal. Januar. quum Decanus collegii medici duobus eximiis Viris nomen & dignitatem Doctoris medici conferrem.

INter multa præclare inſtituta id hodie habent ſcholæ academicæ pene utiliſſimum & omni digniſſimum laude, quod nemini in republica aut eccleſia liceat temere vel docere quidquam vel agere, quod quidem ſit majoris momenti, niſi de cujus profectu ante in ſcholis illis latum publice ſit teſtimonium. Enimvero illo uno inſtituto florere civitas quævis poteſt, modo id probe obſervetur. Ita ſane ſolis idoneis ad rempublicam atque eccleſiam patet aditus: quo nihil poteſt eſſe exoptatius. Quis rectius vero idoneum dignoverit iis, quibus nihil antiquius eſt vera ac non fucata ſapientia, quique id dant operam maxime, ut juventus omnis non virtute minus quam bonis ſtudiis imbuatur? Quemadmodum igitur in aliis artibus de profectu judicare tantum eſt magiſtrorum, eorumve qui *ἀρχιτεκτονικὴν*, ut Ariſtotelice loquar, in iis obtinent, ita etiam virtutem ac ſapientiam aliorum æſtimare illi profecto poſſunt maxime, qui unicum hoc agunt, omiſſis aliis negotiis utut magis lucroſis.

Quanquam vero usque adeo utile ſit ſolis peritis eccleſiam atque rempublicam committi: quod tamen mireris, non tantum hodie minus quam par eſt hoc obſervatur, imo in contemptum pene venit cum doctrinæ omnis opprobrio, ſed & olim apud gentes etiam admodum elegantes iſta noſtris ſcholis laudatiſſima probandi conſuetudo nullo pene in uſu fuit. Etenim Ægyptiis quidem, Chaldæis, Perſis, imo & antiquis Gallis, omnis eruditio, ſive illa liberalis quam philoſophiam *θεωρητικὴν* nuncupamus, ſive illa quæ in uſum magis transfertur, qualis eſt quæ religionem, rempublicam, ſanitatem ac forum moderatur, in ſacris fuit habita, adeoque non niſi a ſolis ſacerdotibus eſt exercita. Quantopere in ÆGYPTO adſtricta fuerit ars medendi, alibi diximus. Sed & veroſimile admodum eſt, fuiſſe illis gentibus ſuos ſtudiorum gradus, nec cuivis temere quidvis agere permiſſum. Quæ tamen illæ fuerint leges, haud conſtat præ vetuſtate & defectu monumentorum.

Verum apud GRÆCOS nullam eruditionis partem publica auctoritate fuiſſe traditam, alias in hoc loco manifeſtum itidem fecimus. Inde autem facillimum eſt collectu, non etiam in illo populo habuiſſe locum, quæ nunc obtinet creandi auctoritate publica idoneos doctores conſuetudinem. Sane notum eſt quid in docenda philoſophia Pythagoras obſervaverit. Nec minus notum eſt, quemadmodum ejus leges imitati poſt ſint primum Plato, inde Ariſtoteles atque alii. Quos inter Ariſtippus *παιδευτικῶν νόμων* aliquot libros conſcripſerat, quod Diogeni Laërtio eſt proditum. Nec vero non optime ac prudentiſſime ab illis fuit inſtitutum: quod non ſine diſcrimine quoſvis ad *ἀκροάσεις* ſubtiliores admiſerint, ſed eos ſolos, quorum ante ingenium laborum tolerantiam veritatis ſtudium eruditionis denique elementa exploraſſent. Hodie profecto id negligitur magno cum ſtudiorum omnium detrimento, ne quid dicam gravius. Etſi vero hac ratione multi *ἀμύητοι* fuerint a diſcendis ſubtiliſſimis quibusque remoti, a docendo tamen ac faciundo (qua in re maximum tamen reipublicæ momentum eſt collocatum) arcere viri illi præclari neminem potuerunt, idque quoniam hactenus auctoritate publica, quæ unice ad hoc neceſſaria eſt, deſtituerentur. Quo etiam eſt factum, uti ne quidem diu ſuos illos ante laudatos diſcendi gradus conſervaverint. Quolibet nempe faciente id quod libebat, aut ſuis rebus videbatur commodius, in tanta docentium vulgi multitudine.

Quæ vero tum philoſophiæ fortuna eadem etiam artis medicæ fuit. De juris enim profeſſione non eſt quod dicam: quum illa ætate paucis legibus apud Græcos obtinentibus, legum latarum quidem cognitio non fuerit æſtimata pars eruditionis, ferendarum cura philoſophorum fuerit, ad quos reapſe pertinet.

Verum artem etiam medicam male tum & didicerunt plerique & docuerunt. Vnus Hippocrates forte meretur excipi: quem haud quaquam promiſcue omnes ad diſcendam artem admiſiſſe, ſed eos tantum quos ſingulari ſacramento ſimul ad virtutem atque honeſtatem ante adſtrinxerat, & notum eſt & alias a nobis laudatum. Neque vero auſim quæ ejus nomine fertur jurisjurandi formula, cum Hieronymo Mercuriali & aliis rejicere tanquam adulterinam; quum Hippocrati adſcripta ſit jam ætate Claudii Cæſaris, (ut ex Scribonii Largi ad Calliſtum epiſtola patet) & probatores poſtilla invenerit viros longe maximos aureæ etiam ætatis. Etſi vero ipſe quidem Hippocrates feliciter dubio procul docuerit, quum tamen auctoritate publica non fuerit munitus, facile apparet quouſque illius moris obſervatio ſeſe tum extenderit. Certe in ipſamet Hippocratica ſchola diu illum jurandi optimum morem obtinuiſſe, haud eſt quo temere probetur. Adhoc penes Hippocratem non ſtetit, probare quinam medicinæ fuerunt faciendæ idonei. Id quod hodie noſtra academica inſtituta potiſſimum commendat. Quemadmodum porro alias habuerit ſeſe ars medica apud Græcos, vel ex una illa Hippocratis querela, *ὅτι ἰητροὶ φήμη μὲν πολλοὶ ἔργῳ δὲ πάγχυ βαιοὶ*, nimis eſt manifeſtum. Vt proinde noſtra academiarum inſtituta longe hac parte ſint græcis meliora & feliciora.

Vt cætera autem pene omnia Græcorum vitia, ita & hæc in doctrinæ negotio ROMANVM quoque populum infecerunt. Neque enim melior docendi diſcendique ratio apud hos valuit, modo non fuerit pejor. Et quidem initio ne apud hos quidem juris peritia (ut de illa primo loco dicam) doctrinæ ſubtilioris portio credi potuit, quum omnia nimirum manu regia adminiſtrarentur. Poſt decemvirali imperio duodecim tabulis promulgatis, ſimiliter cuivis e vulgo fuit proclive jus cognoſcere. Inde autem *immenſo* (verba ſunt Livii) *aliarum ſuper alias acervato legum cumulo*, quum *ad multitudinem ac varietatem infinitam* eſſet perventum, jamque reſpublica Romana non minus legibus quam vitiis laboraret, ut loquitur Cornelius Tacitus, operoſa quidem cœpit juris intelligentia eſſe, ſimulque orta eſt ejuſdem profeſſio; certis tamen vel diſcendi vel docendi legibus minime obſervatis, quantum appa-

ret. Namque ante quidem Auguſti tempora *ut quisque fiduciam ſuorum ſtudiorum habuit, ita conſulentibus reſpondit*, ceu narrat Pomponius, ita etiam quisque procul dubio docuit. *Primus Auguſtus* (verba iterum ſunt Pomponii) *ut major juris auctoritas haberetur, conſtituit, ut ex auctoritate ejus reſponderetur:* unde illorum conſultorum juris ſententiis atque opinionibus ea quidem auctoritas nata eſt, ut judici recedere a reſponſis illis haud liceret: verum ne ita quidem leges ac gradus diſcendi aut docendi invenio obſervatas. Nec reſpondendi illa de jure facultas quidquam affine habet noſtris doctoratus honoribus. Et vero ipſa illa facultas non cuivis perito juris conceſſa, nec ab ipſis doctoribus, ſed paucis tantum, idque beneficio Cæſarum, nec in uſum ſcholæ ſed fori. Diſerte enim Pomponius: *Ex illo* (Auguſti ſc.) *tempore peti hoc pro beneficio cœpit: & ideo optimus Princeps Hadrianus, cum ab eo viri prætorii peterent ut ſibi liceret reſpondere, reſcripſit eis, hoc non peti ſed præſtari ſolere, & ideo ſi quis ſui fiduciam haberet delectari ſe: populo ad reſpondendum ſe præpararet. Sabino conceſſum eſt a Tiberio Cæſare ut populo reſponderet.*

Quarto demum præter propter a nato Servatore ſeculo in quasdam leges videtur conſenſum inter docentes. Et quidem illas fortaſſe, quas ceu hactenus in diſcendo obſervatas recitat *Juſtinianus Imperator, conſtitutione illa* (a) qua rationem diſcendi impoſterum juris præſcribit. Poſt Caji enim Pauli & Papiniani ætatem, ordinem illum ſtudiorum juris Romani quadriennio definitum cœpiſſe, manifeſtum eſt ex eo, quod illorum ſcripta in ſcholaſticam illam juris diſcendi methodum fuerint recepta. Itaque gradus quidem tum obſervati ſunt in jure diſcendo, nondum tamen lege quadam publica profeſſoribus licuit facultatem docendi cuiquam concedere. Quare nec doctor aut magiſter tum audivit, niſi idem docendi munus publicum reapſe gereret, ſi paucos emeritos excipias, de quibus poſtea clarius. Quemadmodum id poteſt cuivis patere, qui limis tantum oculis aut quaſi per tranſennam veterum monumenta, inque his ipſas Romanarum legum pandectas, aut Juſtiniani Codicem inſpexerit. Ut proinde ea quæ a priſcis illis Cæſaribus conceſſa ſunt doctoribus privilegia, ad ſolos ea ætate profeſſores potiſſimum pertinuerint. Verum hoc obiter. Ut autem revertar in viam: id patet, etſi juris diſcendi quidam gradus & jam ante & poſt a Juſtiniano ipſo conſtitutus fuerit, illam tamen probandi ac judicandi eos, qui juri dicundo ſunt apti, conſuetudinem noſtris ſcholis receptam, illi tempeſtati nequaquam fuiſſe uſitatam.

Non alia vero ratio fuit reliquarum etiam doctrinæ melioris partium. Namque ante quidem Cæſarum ætatem, auctoritate quidem publica, nulla plane ſchola ullius diſciplinæ fuit. Etſi vero, quod alias uberius a me narratum eſt, Cæſares publico ſalario inſtituerint paſſim ſcholas rhetorum, grammaticorum, & philoſophorum: attamen neutiquam conſtat, num & his ſtatæ quædam ac certæ fuerint ex publico quidem præſcripto diſcendi leges: tantum abeſt ut ea ætate tituli atque honores quiverint a ſcholis illis cuiquam attribui.

Sunt, fateor, nonnulla in iis Cæſarum conſtitutionibus, quæ in codicis Juſtinianei *titulo de medicis & profeſſoribus* leguntur, quæ fortaſſe non neminem aliam in ſententiam traxerint; *imo traxere illa hactenus permultos.* (b) Imperator enim Gordianus ita ſanxit: *Grammaticos ſeu oratores decreto ordinis probatos ſi non ſe utiles ſtudentibus præbeant, denuo ab eodem ordine reprobari poſſe, incognitum non eſt.* Julianus quoque Imperator in hæc verba reſcripſit: *Magiſtros ſtudiorum doctoresque excellere oportet moribus primum deinde facundia. Sed quia ſingulis civitatibus adeſſe ipſe non poſſum, jubeo, quisquis docere vult, non repente nec temere proſiliat ad hoc munus, ſed judicio ordinis probatus decretum curialium mereatur, optimorum conſpirante conſenſu.* Adhoc Valentiniani & Valentis de philoſophis exſtat decretum in hæc verba: *Reddatur unusquisque patriæ ſuæ, qui habitum philoſophiæ indebite & inſolenter uſurpare cognoſcetur: exceptis his, qui a probatiſſimis approbati ab hac debent colluſione ſecerni.* Videri nempe poſſit, fuiſſe philoſophis & magiſtris artium ut nunc ſua collegia ſuosque ordines: adeoque & tunc probatum idoneum quemque propriorum ordinum decretis. Sed ea quidem tempeſtate hujusmodi fuiſſe profitentium cœtus haud temere profecto quis probaverit. Omnino vero ordinem hic non alium eſſe intelligendum, quam *decurionum* (c) qualibet in urbe, liquido eſt manifeſtum ex multis

(a) *Juſtinianus Imperator in conſtitutione illa)* Vid. PANCIROLLVS *lib. I. c. 86. p. 66. ſqq.*

(b) *imo traxere illa hactenus permultos)* Sic Innocentius Gentilettus JCtus Delphenſis juris doctores & licentiatos Conſtantini M. temporibus jam invaluiſſe, eorumque exemplo baccalaureorum quoque & doctorum theologiæ gradus poſtea inventos atque introductos eſſe, ſcribit *lib. I. exam. conc. Trid. §. 5.*

(c) *decurionum)* Sunt qui hac voce cum Schurtzfleiſchio aliisque utuntur ad exprimendum magis latine decani nomen, qui in academiis ſolet eſſe honorum doctoralium βραβευτής. At vero manifeſtum eſt, decuriones illos olim omnino alios fuiſſe, quam qui hodie decani ſunt facultatum, voce quadam Ægyptiaca decan, (qua in aſtrologicis capita quædam & principes ſtellarum deſignantur) ut nonnulli opinantur, ad eos tranſlata, quamvis decani vox in generali ſignificatu accepta penes Romanos eum, qui decem viris præeſt, ſignificaverit. VEGETIVS *lib. II. cap. 7.* Dicebantur etiam decani, qui demortuorum curam habebant. BVLENGERVS *lib. VI. c. 78.* PANCIROLLVS *p. 139.* Sed revertamur ad decuriones; erant autem illi ex curialium numero ab egregiis diſtincti, eorum tamen gaudebant privilegiis, *l. 11. & 6. C. de quæſt.* PANCIROLL. *in comment. ad notit. dignit. utriusque imperii p. 17.* minoremque ſenatum urbis conſtituebant, inde dicti, ut quidam conjiciunt, vel quod olim mos fuerit, ut cum triumviri colonias deducerent, decimum quemque curiæ ſive conſilio adſcriberent, vel quod initio cum coloniæ deducerentur, decima pars eorum, qui ducerentur, publici conſilii gratia conſcribi ſolita ſit. Dicebantur quoque patres civitatis vel poſſeſſores, quia reipublicæ prædia poſſidebant. Eorum erat publica negotia tractare & recte cuncta diſponere, nec non tributa exigere, ita tamen ut hac in re conditio ipſorum peſſima eſſet, quod a rectoribus ſæpe cogerentur de ſuo onera tenuiorum ſubire. Penes illos erat arbitrium medicorum conſtituendorum & nominandi alios ad munera publica, iisque ſalaria & immunitates decernendi & quæ ſunt alia. Erant autem potius ſervi quam nervi reipublicæ, unde & nemo niſi fere invitus ſe albo decurionum aſcribi patiebatur, quoniam (r) in diſtributioni-

multis aliis. Ita *codice de decretis decurionum* ſcribunt Imperatores Diocletianus & Maximianus: *Ordinis ambitioſa decreta ſacris conſtitutionibus improbantur.* Iidem Auguſti codice de profeſſoribus ſcribunt: *Nec intra numerum præſtitutum ordine invito medicos immunitatem habere ſæpe conſtitutum eſt, cum oporteat eis decreto decurionum immunitatem tribui.* Digeſtorum quinquageſimo libro titulus decimus integer eſt *de decretis ab ordine faciendis.* Intelligitur autem & ibi decurionum ordo: uti recte poſt alios notat juris conſultisſimus Dionyſius Gothofredus.

Scilicet ita ſeſe res habet. Auguſtus ipſe Imperator poſtquam ex adverſa valetudine in optimam præter omnium exſpectationem eſſet ab Antonio Muſa reſtitutus, univerſo medicorum Romanorum populo cum aurei annuli jus tum & immunitatem munerum conceſſit. Id quod Dion teſtatur. Veſpaſiano imperante publico ſalario primi omnium juſſi docere rhetores ſeu oratores, quod ex Euſebio & Suetonio alias demonſtratum eſt. Cœperunt fortasſis eodem tempore & ſcholæ grammaticorum philoſophorumque conſtituto ſalario haberi. Quicquid ſit, his quoque eadem immunitas ſimul cum aliis privilegiis obrigit. Cujus rei in teſtimonium non poſſum non adducere verba Arcadii Cariſii juriſconſulti, quæ habentur libro quinquageſimo pandectarum titulo quarto de muneribus & honoribus. *Magiſtris*, inquit ille, *qui civilium munerum vacationem habent, item grammaticis & oratoribus, & medicis & philoſophis, ne hoſpitem reciperent, a principibus fuiſſe immunitatem indultam, & Divus Veſpaſianus & Divus Hadrianus reſcripſerunt.* Quo reſpiciunt & Pauli verba quæ habentur eodem quinquageſimo libro, titulo de vacatione atque excuſatione munerum: *Angariarum præſtatio & recipiendi hoſpitis neceſſitas & militi & liberalium artium profeſſoribus inter cætera remiſſa ſunt.* Eo autem factum eſt, uti præter medicos, grammatices & philoſophiæ & rhetorices profeſſores, & quidem hi inter doctores ſoli, immunitate illa aliisque privilegiis frui cœperint. Certe ad ſolos illos ſpectaſſe tum quidem temporis iſthæc privilegia, ſole clarius eſt ex Commodi Imperatoris verbis, quæ recitat Modeſtinus libro viceſimo ſeptimo pandectarum, titulo primo qui de excuſationibus inſcribitur. Verba Modeſtini ſunt: *Eſt autem Imperatoris Commodi conſtitutionibus inſcriptum capitulum ex epiſtola Antonini Pii, in qua manifeſtatur, & philoſophos habere immunitatem tutelarum: ſunt autem hæc verba. Conſimiliter autem his omnibus Divus pater meus mox ingrediens principatum, conſtitutione exiſtentes honores & immunitates* (nempe quæ jam ante illum cœperant) *firmavit, ſcribens: philoſophos, rhetores, grammaticos, medicos, immunes eſſe gymnaſii, ſacerdotii, & neque ad frumenti & vini & olei emptiones, & præpoſitiones, & neque judicare, neque legatos eſſe, neque in militia numerari nolentes, neque ad alium famulatum eos cogi.* Verum ſine diſcrimine conceſſa hæc immunitas non potuit non multum ſæpe turbarum dare; ſubtrahentibus ſcilicet ſeſe nimium multis publicis oneribus. Eapropter reſtrinxit idem Antoninus Imperator privilegia hæc ad certum aliquem numerum, communitati Aſiæ reſcribens. Verba ipſa Imperatoris quoniam digna ſunt, quæ hic audiantur, adducam ex eodem Modeſtini loco. *Minores quidem civitates poſſunt quinque medicos immunes habere, & tres ſophiſtas* (hi ſunt rhetores) *& grammaticos totidem: Majores autem civitates ſeptem qui curant, quatuor qui doceant utramque doctrinam: Maximæ autem civitates, decem medicos, & rhetores quinque, & grammaticos totidem. Supra hunc autem numerum ne maxima quidem civitas immunitatem præſtat. Decet autem maximo quidem numero uti metropoles, ſecundo autem quæ habent vel forum cauſarum vel loca judiciorum, tertio autem reliquas.* Addit de ſuo Modeſtinus: *Excedere quidem hunc numerum non licet, neque ſententia ſenatus, neque alia qua adinventione: minuere autem licet, quoniam pro civilibus muneribus apparet hoc tale factum. Et utique non aliter de immunitate hac fructum habebunt, niſi decreto ſenatus inſcripti fuerint numero conceſſo, & circa operationem ſe negligenter non habeant.* Ex eo ergo penes decuriones fuiſſe videtur inſerere medicos, philoſophos, grammaticos, & rhetores numero immunium civium. Invito ſane illi ordini nemo obtrudi potuit, ceu de medicis diſerte cautum eſt conſtitutione Diocletiani & Maximiani Cæſarum. Atque hoc eſt illud ex Imperatoribus modo adductum: *Medicis oportere decreto decurionum immunitatem tribui.* Et illud: *judicio ordinis probatus decretum curialium mereatur.* Nec *probatiſſimi* in ipſo Valentiniani & Valentis reſcripto alii cenſendi videntur, quam qui fuere ordinis decurionum. Imo hic ille videtur eſſe *cœtus ampliſſimus*, cujus judicio ſubmittuntur profeſſores Conſtantinopolitani, ex conſtitutione Theodoſii Cæſaris illa, quæ conficit titulum quintumdecimum duodecimi codicis Juſtinianei libri. Quanquam quæſitam in his etiam ipſorum philoſophorum, aliorumque magiſtrorum, ut & ex parte ſtudioſæ ipſiusmet adoleſcentiæ ſententiam, per ſit veroſimile.

Licet vero ampla adeo poteſtas decurionibus fuerit conceſſa, tamen præſcriptum immunitate gaudentium numerum ne Juſtiniani quidem ævo licuit decurionibus excedere. Etenim Diocletia-

bus ſi quid deeſſet, de ſuo ſupplere tenebantur; (2) nec res ſuas ſine decreto vendere, nec aliam vitæ ſortem optare poterant; (3) Circenſes ludos & ſpectacula apparabant, in eaque opes ſuos ſæpe profundebant; (4) filios ſuos nequaquam ad aliud vitæ genus niſi ad decurionum ſortem applicare poterant, unde etiam nuptiis ſolebant abſtinere; (5) ad minimum quartam partem bonorum tenebantur curiæ ſervare, ut taceam alia onera, quorum vicem præter honorem & immunitatem vix pauca quædam alia privilegia compenſabant, e. g. quod ſiquis togam ſumeret & nuptias celebraret, binos denarios decurionibus ſolvere teneretur, nec non ſpes alimenta deinde ex publico accipiendi, ſi forte in patriam facultates ſuas exhauſiſſent, de quibus omnibus atque aliis vide JVLIVM CÆSAREM BVLENGERVM *de imperio Romano lib. 7. cap. 3. 4. 5. ſeqq. pag. 632. ſeqq. DIONYS. GOTHOFRED. ad tit. ff & C. de decurionibus* & *JACOBVM GOTHOFR. ad tit. C. Theod. de decurionibus & curialibus.* Cæterum & erant decuriones conſiſtorii vel ſacri palatii, i. e. primarii principum conſiliarii. Decuriones enim dicebantur quoque principes ſive capita cujuslibet ordinis, de quibus vid. BVLENGERVM *l. 6. c. 43. p. 592.* Alii erant decuriales, qui ſenatus conſulta, acta ſenatus & autoritates excipiebant & complebant. Vid. *cap. 56.*

zed by Google

ni Maximianique ea de re decretum, legem primam tituli quadrageſimi ſexti libri decimi codicis ſui, qui de decretis decurionum inſcribitur, eſſe voluit ipſe Juſtinianus. Verba ita ſe habent: *Exceptis qui liberalium ſtudiorum antiſtites ſunt, & qui medendi cura funguntur, decurionum decreto immunitas nemini tribui poteſt.* Ex quibus verbis manifeſtum utique eſt, ne tum quidem decurionibus fuiſſe licitum, immunitatem aliis quam medicis, grammaticis, rhetoribus, & philoſophis tribuere, ut qui ſoli liberalium ſtudiorum antiſtites ſemper audierunt.

Scilicet ne juris quidem doctoribus, tametſi ea profeſſio inprimis honorata eſſet, dari, niſi Romæ duntaxat, tum temporis potuit, ea quæ reliquis profeſſoribus immunitas. Quod tametſi ex ſupra dictis ſatis per ſeſe liqueat, cum illorum utique nusquam inter immunes fiat mentio: magis tamen manifeſtum eſt ex verbis Modeſtini quæ duodecimo paragrapho, loco legis ſextæ, tituli de excuſationibus, primi inquam in libro viceſimo ſeptimo pandectarum, eſſe voluit ipſe Tribonianus. Sunt illa: *Legum vero doctores in aliquo præſidatu remiſſionem non habebunt, Romæ autem docentes a tutela & cura remittuntur.* Unde claret, tum quidem conditionem illorum fuiſſe infra immunitatem aliorum docentium. Poſt illa Theodoſius & Valentinianus Cæſares ut aliis profeſſoribus in urbe Conſtantinopolitana docentibus ita & jurisperitis vicariam dignitatem impertierunt: non omnibus tamen, ſed demum *cum ad viginti annos jugi ac ſedulo labore perveniſſent.* Quid quod haud injuria dixeris, Triboniani primum cura Romani juris doctoribus profeſſorum ac medicorum antiqua privilegia conceſſa eſſe? Hic enim princeps videtur *doctores legum* inſeruiſſe illi Conſtantini Magni conſtitutioni, quæ hodie eſt lex ſexta codicis Juſtinianei de profeſſoribus & medicis: ut omnem illam conſtitutionem miris modis immutavit. Recitabo illam prout habetur in Anianea Theodoſiani codicis epitome: *Medicos, grammaticos, & profeſſores alios literarum, immunes eſſe cum rebus quas in civitatibus ſuis poſſident, & honoribus fungi, in jus etiam vocari eos vel pati injuriam prohibemus. Ita ut ſi quis eos vexaverit, centum millia nummorum ærario inferat, a magiſtratibus vel quinquennalibus exactus, ne ipſi hanc pœnam ſuſtineant: Servus eis ſi injuriam fecerit, flagellis debeat a ſuo domino verberari coram eo cui fecerit injuriam: vel ſi dominus conſenſerit viginti millia nummorum fiſco inferat, ſervo pro pignore, donec ſumma hæc exſolvitur, retinendo. Mercedes etiam eorum & ſalaria reddi præcipimus. Quoniam graviſſimis dignitatibus vel parentes vel domini & tutores eſſe non debent, fungi eis honoribus volentes permittimus, invitos non cogimus.* Hæc ſunt ipſiſſima Cæſarum verba, nulla juris doctorum facta mentione. Sed & omnino ad perpaucos trahi potuit immunitas ipſa a Juſtiniano noviter conceſſa. Utpote quum nonniſi tribus in urbibus & a paucis admodum doctoribus jus doceri ille inſtituerit; & ſatis conſtet juridicam ſcholam utramque, quæ Beryti & quæ Romæ fuit, ſtatim a Juſtiniani ævo concidiſſe.

Verum quo prolabor? Id volebam: *nequaquam oſtendi poſſe ex Juſtinianeis quidem legibus*, (a) ea etiam tempeſtate invaluiſſe quem nunc laudamus ſcholarum noſtrarum morem, probandi idoneos, eosque multis privilegiis atque honoribus auctoritate publica exornandi. Quamquam enim forte decuriones optimorum artificum conſilio uſi ſint, (quod videtur innui lege octava & decima tituli ſæpe laudati de medicis & profeſſoribus) ipſa tamen poteſtas concedendi immunitatem iſtam, penes decuriones ſolos ſtetit. Quod multum a noſtris moribus differt. Quid quod ipſamet archiatrorum cooptatio videatur ordini decurionum commiſſa? Diſerte enim Valentinianus & Valens Cæſares ad Olybrium præfectum urbis ſcripſere: *Si qui in archiatri defuncti eſt locum promotionis meritis adgregandus, non ante eorum particeps fiat, quam primis qui in ordine reperientur, vel eo amplius judicantibus, idoneus adprobetur.* Ad prætextatum tamen itidem urbis præfectum videntur paulo aliter iidem Cæſares ſtatuiſſe. *Quod ſi huic archiatrorum numero aliquem aut conditio fatalis, aut aliqua fortuna decerpſerit, in ejus locum non patrocinio præpotentium, non gratia judicantis alius ſubrogetur, ſed horum omnium fideli circumſpectoque delectu, qui & ipſorum conſortio & archiatriæ ipſius dignitate & noſtro judicio dignus habeatur, de cujus nomine referri ad nos protinus oportebit.* Hæc Cæſares. Quæ ideo referimus, ut pateat ſaltim, non multum tributum tunc eſſe collegii alicujus vel medicorum vel profeſſorum ſententiis, plus vero decurionum ſuffragiis. Ut vero aliquid etiam tum valuerint ipſorummet profeſſorum judicia, tamen a noſtris moribus quantum omnia illa abfuerint vel hinc manifeſtum eſt, quod approbationes illæ omnes ad ſolam profeſſorum conſtitutionem pertinuerint, & quidem eorum qui reapſe iſthoc munere fungebantur. Non enim temere auſim accedere doctiſſimis viris, ea quæ titulo codicis, *ut dignitatum ordo ſervetur*, traduntur, ad doctores etiam aut magiſtros trahentibus; quaſi & ipſi in totidem fuerint ordines diſtincti quot ibi recitantur; utpote quum ille integer titulus agat de dignitatibus *illuſtribus, cujusmodi non fuit habitum munus profeſſorium.* (b) Et vero cum ea ætate quinque fuerint dignitatum gradus titulis ſuis diſtincti, illuſtris ſcilicet, ſpectabilis, clariſſimus, perfectiſſimus & egregius, nullo horum titulorum profeſſorium ordinem videas decoratum. Non enim qui Dorotheo, Theophilo Anatolio & Cratino a Juſtiniano tribuuntur, ratione profeſſorii, ſed aliorum munerum quibus ſimul functi ſunt illi juris doctores, adſcripti ſunt. Juris antecesſorem

(a) *nequaquam oſtendi poſſe ex Juſtinianeis legibus*) Adde cum Conringio hic omnino conſentientes SCHVBARTVM *exercit. de comit. palat. p.* 287. *PAGANINVM GAVDENTIVM de Juſtinianæi ſeculi moribus part.* 2. *c.* 24. *CASP. KLOCKIVM tom.* 3. *conſil.* 144. *num.* 27. aliosque, qui & id, quod dici ſolet de Juſtinianeis legibus in ſcholas & fora autoritate Lotharii reductis, fabulam eſſe luculenter docent, quemadmodum LINDEBNROGIVS *prolegom. in codic. legum antiquarum*, BOECLERVS *in vindiciis anti Blondell.* RVPERTVS *ad ſynopſin* BESOLDI *p.* 56. CALIXTVS *epit. theol. moral. p.* 112.

(b) *illuſtribus, cujusmodi non fuit habitum munus profeſſorium*) Quinam illuſtres, ſuperilluſtres, ſpectabiles, clariſſimi in oriente æque ac occidente dicti fuerint, vide apud BVLLINGERVM *de imperio Romano lib.* 2. *cap.* 23. *pag.* 351. & PANCIROLLVM *in comment. ad notit. dignit. p.* 12. 15.

teceſſorem vero, in quantum eſt talis, non niſi prudentiſſimum audiiſſe, ut rhetorem eloquentiſſimum, facile perſpectu eſt ex ipſis illis Juſtiniani reſcriptis, quæ tamen titulorum prodiga pene dixeris. Nec invenias facile, factam mentionem aliorum profeſſorum, quam duntaxat eorum, qui reapſe functi ſunt docendi officio aut vacationem meruerunt.

Cæterum ordinis probationem in legibus Romanis memoratam, ad noſtra ſcholarum inſtituta non facere, jam eſt manifeſtum. Traxeris vero iſthuc fortaſſis majori veroſimilitudine illud, quod alibi videtur legi de pallio Sophiſtico Athenis uſitato. *Verum nec illud quidquam cum noſtris moribus habet affine.* (a) Perſpicuum id cuivis erit, ubi in medium adduxero quæ illa de re in μυριοβίβλῳ ſuo doctiſſimus Patriarcha Photius ex Olympiodori hiſtoriarum libris commemorat. In hunc autem modum ille interprete Andrea Schotto: *Sed & de pallio Sophiſtico memoria prodidit, nemini (præſertim autem externo homini) Athenis id geſtare licuiſſe, niſi Sophiſtarum ſuffragio geſtatio ejus illi conceſſa, dignitasque iſta Sophiſtarum legum ritibus eſſet confirmata. Ritus autem qui peragebantur tales erant. Primum ad publicum balneum deducebantur, qui novitii advenisſent, ſive parvi, ſive grandiores, atque inter hos etiam ii qui per ætatem ad pallium ſumendum apti erant: quos in medium protrudebant ſcholaſtici a quibus deducebantur. Deinde aliis præcurrentibus atque prohibentibus, aliis protrudentibus & contra tendentibus: quotquot autem prohibebant vociferantibus Sta ſta, non lava: nihilominus tamen in certamine ii videbantur obtinere, qui in honorem ſcholaſtici quem deducebant, obſiſtentes retrudebant. Tandem poſt longam moram, multamque ob illata ex more ultro citroque verba contentionem, in calidam cellam inducitur, ibique abluitur. At poſtquam ſe induit, pallii dignitatem accipit, atque exinde cum pallio a balneo, celebri & honorifica ſtipatus pompa, digreditur, decretis luculentis ſumptibus in ſcholarum Antiſtites, qui dicuntur Ἀκρωμῖται.* Hæc Photius ex Olympiodoro; qui hiſtorias ſuas inſcripſerat Theodoſio minori, circa initia ſeculi Chriſtiani quincti. Quis vero hæc audiens non intelligit, *petulantis juventutis ſcholaſtica hunc ludum* (b) fuiſſe inventum in exagitationem noviter advenientium? imo fuiſſe prorſus illum quo ſeſe cum rhetorices ſtudioſus eſſe Athenis exceptum ſcribit Eunapius Sardianus; atque adeo illud, quod ne S. Baſilius, Alexandria recenter Athenas ſtudiorum rhetoricorum gratia adveniens pateretur, interceſſione ſua effectum, teſtatur Gregorius Nazianzenus.

Alienum quidem ab hoc loco eſt de ineptiis illis adducere huc quæ illi memoriæ mandaverunt, quoniam tamen forte fortuna in hunc ſermonem incidimus, & obſervare ita liceat aliquid ſimile illi novitiorum *initiationi per Germanicas academias recepta,* (c) quam *cornuum depoſitionem* nuncupamus,

(a) *Verum nec illud cum noſtris moribus habet aliquid affine*) Multo minus huc ſpectant, quæ in genere de pallio philoſophorum apud Græcos, quo mortui quoque indui ſolebant, *l. 8. cod. de prof. & med.* leguntur, licet a Fulvio Paciano huc trahantur. Eſt autem in illa lege, *quod unusquisque reddatur patriæ ſuæ, qui habitum philoſophiæ indebite & inſolenter uſurpare cognoſcitur.* Ad hanc legem notat GOTHOFREDVS, philoſophi habitum conſtitiſſe in ſupercilio, barba & pallio. Vid. GELL. *lib. I. c. 2. lib. IX. c. 2. lib. XIII. c. 12.* Nec potiori jure Græcorum agones in iisque brabeum victoribus propoſitum huc retuleris, quanquam id faciat Hadriani Junii & Jac. Pontani autoritate permotus GEORG. CHRISTOPH. WALTHER *de ſtatu, juribus & privilegiis doctor. omnium facultatum c. 20. §. 143. p. 413.* Capitolini tamen agones, in quibus rhetores, poetæ aliarumque profeſſionum homines ſolebant coronari, majori forte veriſimilitudine cum Joſepho Scaligero huc referuntur & cum more poetas laurea coronandi quodammodo comparantur.

(b) *petulantis juventutis ſcholaſticæ ludum*) ITTERVS tamen *lib. de gradibus academicis c. 4. p. 80.* hunc Photii locum non tantum de ludo iſto puerili, ſed & de pallio quodam magiſteriali cum ANSELMO SOLERIO *libro de pileo ſect. X. p.* 203. intelligit, quo ſcilicet inaugurati dignitatem ſophiſtarum ſimul conſecuti & ad ſophiſticam ſedem evecti fuerint, ceu de Leontio ibidem memorat Photius ritu tamen nihilominus a gradibus noſtris academicis longe diverſo. Conf. *ſupplem.* 78.

(c) *initiationi per academias Germanicas receptæ*) In aliis enim extra Germaniam academiis ejusmodi ritus depoſitionis, quo remoto beanismo ad ſtudioſi nomen via ſternebatur, uſitatus non fuit, unde & LIMNÆVS *lib. VIII. juris publici c. 6. n. 19: antequam exoticas*, inquit, *inviſeram academias, nunquam mihi in mentem venit, ritum depoſitionis pro ſuſpecto habere, ſed contra acerrimus ejus defenſor, & rigidus eram exactor. Poſtquam vero eum nec in Italia, nec in Gallia juxtaque Anglia frequentari vidiſſem, in Hiſpania non approbatum, ab inferiori Germania in exilium miſſum perpendiſſem, cœpi non nihil dubitationum agitari fluctibus, tandemque totam iſtam depoſitionem ut ridiculam, inanem, injurioſam, literarii ordinis majeſtati minus convenientem, denique errore non ratione aliqua prægnante introductam abominari.* Cæterum hunc ritum olim hisce fere rationibus propugnarunt. (1) depoſitionem eſſe quandam initiationem, per quam cooptentur in collegium hoſpites, ut privilegiorum & immunitatum participes fiant, more etiam apud mercatores olim recepto, quo novitios ſub haſtam traxerunt, & ubivis alias apud omnes fere mechanicarum artium ſectatores uſitato. Vide ADRIAN. BAIERVM *in boetho*, & GEORGIVM BAIERVM *in ſpecimine J. G. c. 15.* (2) eſſe quoddam examen ingenii & morum. (3) excutere faſtum, ſ. *φιλαυτίαν.* (4) eſſe ſimulacrum patientiæ ab eruditis uſurpandæ. (5) eſſe admonitionem de officio. (6) ſal ſapientiæ ſymbolum adhiberi & vinum affundi ut ad alacritatem in tuenda profeſſione inflammet. Vide DRESSERVM *millenar. 6. cap. 4. p. 228.* BERNEGGER. *diatribe 4. in Suetonii Cæſarem c. 39. th. 4.* Ritum depoſitionis academicæ peculiari diſſertatione deſcripſit & elucidavit JOH. CHRISTOPH. SENFTIVS. Initium cœpit apud philoſophos, qui novitios ſuos non ſolum laboribus, ſiti, inedia, igne ferroque patientiam exercere cogebant; ſed & primo variis objectionibus & fallaciis exagitabant illos, ut teſtatur GRATIANVS apud DIOGENEM LAERTIVM. Adolevit poſtmodum & auctus ad alios tranſiit. Nam & ante 13. ſeculum apud Athenienſes inclaruit, qui diſcipulos ſuos ad certum ſtudiorum genus aſpirantes non tantum quæſtionibus tentabant, ſed &, teſte NAZIANZENO a CONRINGIO hic allegato, in balneum ſuburbanum immerſerunt, qua de re etiam præter Nazianzenum BALSAMON *ad can. 71. ſynodi VI Trullanæ* diſſeruit. In academiis quoque Africanis Carthagienſi præcipue vexatio quædam, actus everſionum dicta obtinuit, ubi majores in ſchola rethorica eos qui a grammatica nuper exceſſerant exagitabant. A qua ſemper ſe alienum fuiſſe teſtatur *AVGVSTINVS lib. III. c. 3. confeſſ.* Adde *JOH. JAC. HOFMANNVM in lexico univerſ. ſub voce depoſitionis.* Ex his igitur aliisque jam olim uſitatis ritibus, vel quod veriſimilius eſt, ex receptis apud Germanos vetuſtisſimos moribus, quod nulli juveni arma concederent niſi prius in concilio ſcuto frameaque, quod toga ſive primus honor erat, ornatus eſſet, referente TACITO *cap. 13. de moribus Germanorum*, ritus ejus-

zed by Google

pamus, fortaſſis licebit hac narratiuncula diffindere nonnihil (ut ita dicam) inſtitutam diſſertationem. Et vero quidni liceat in hac panegyri recitare, quod ipſemet ſanctiſſimus antiſtes Gregorius inter magni & graviſſimi epiſcopi, Baſilii inquam, laudes, condimenti loco eſſe voluit? Recitabimus autem non ipſamet Græca ſcriptorum verba, ne cui graves ſimus, ſed qualia Gregorii quidem Nazianzeni Jacobus Billius, Eunapii autem Hadrianus Junius viri clariſſimi latine prodiderunt. *Inſano quodam erga Sophiſtas,* ait ſanctiſſimus Gregorius, *ſtudio Athenis tenentur quamplurimi & ſtolidiſſimi adoleſcentes; non modo ignobiles & obſcuri, ſed nobiles etiam & illuſtres, ut qui miſcellanea quædam multitudo ſint, & juvenes, & ita affecti, ut eorum impetus vix reprimi poſſit. Quod igitur in equeſtribus certaminibus iis accidere videmus, qui equis & ſpectaculis oblectantur (exiliunt enim, clamant, pulverem in cœlum mittunt, ſedentes habenas moderantur, aerem verberant, equos digitis quaſi ſtimulis in alterum atque alterum latus ſubinde jungunt, cum nihil horum in ipſorum poteſtate ſitum ſit: facile inter ſe aurigas, equos, equorum ſtationes, certaminis duces permutant: idque quinam tandem? pauperes plerumque atque inopia laborantes, & quibus ne in unum quidem diem victus ſuppetit) hoc ipſis quoque plane circa præceptores ſuos, aliosque ejusdem artis profeſſores, eorumque æmulos accidit: in hoc nimirum laborantibus, ut & plures ipſi ſint, & illos opera ſua locupletiores efficiant. Atque ea res vehementer abſurda & prodigioſa eſt. Præoccupantur urbes, viæ, portus, montium cacumina, campi, ſolitudines, omnes denique Atticæ & reliquæ Græciæ partes, atque adeo incolarum maxima pars. Nam & illos in partes & ſtudia diſtractos habent. Cum autem juvenis quiſpiam acceſſerit, atque in eorum, a quibus captus eſt manus & poteſtatem venerit (venit autem, vel ſponte, vel coactus) tum vero Attica hæc illis conſuetudo eſt, ludusque rei ſeriæ admixtus. Primum apud eorum aliquem, qui priores ipſum arripuerint, hoſpitio excipitur, vel amicorum, vel propinquorum, vel qui ejusdem ſunt patriæ, vel qui Sophiſtices artem apprime callent, ac lucra magiſtris conciliant, eoque nomine apud eos in ſummo honore ac pretio ſunt: quandoquidem illis mercedis loco eſt, habere qui ipſorum commodis ſtudeant. Deinde a quolibet cavillis laceſſitur: quod quidem, ni fallor, eo faciunt, ut novitiorum animos contrahant, atque a principio ipſos in poteſtatem redigant. Laceſſitur autem ab aliis audacius, ab aliis eruditius: prout ille vel ruſticis & ineptis eſt moribus, vel urbanitate præditus. Atque id ignaris quidem horrendum valde & inhumanum videtur, iis autem perquam jucundum & ſuave, qui hoc prius norunt. Amplior enim eſt hæc minarum oſtentatio, quam res ipſa. Tum per forum ad balneum cum pompa deducitur. Pompa autem hoc modo ſe habet. Qui deducendi juvenis munere funguntur, ordine collocati, atque æquis ſpatiis diſtincti, bini eum ad balneum antecedunt. Cum autem propius acceſſerint, quaſi fanatico furore correpti, clamorem ingentem cum ſaltitatione tollentes (hic autem clamor ne ulterius progrediantur vetat, ſed ut ſtent, tanquam eos balneum minime admittat) ſimulque pulſatis januis, cum per ſtrepitum juveni metum incuſſerint, poſtea conceſſo ingreſſu ita demum eum in libertatem aſſerunt, atque a balneo redeuntem deinceps ut æqualem ac ſodalem accipiunt. Atque hoc ipſis eſt totius hujusce ceremoniæ jucundiſſimum: nimirum ab his, qui moleſtiam exhibent, quamprimum liberari. Tunc igitur meum magnumque Baſilium, non ipſe ſolum veneratione proſequebar (quod illius tum in moribus gravitatem, tum in ſermonibus maturitatem & prudentiam conſpicerem:) ſed aliis etiam, quibus non perinde cognitus erat, ut idem facerent perſuadebam. Nam apud multos ſtatim in veneratione erat, ut qui fama & auditione jam eum præcepiſſent. Ex quo effectum eſt, ut ſolus fere ex omnibus qui ſtudiorum cauſa Athenas veniebant, communi lege ſolutus ſit, majorem utique honorem, quam novitii conditio ferre videbatur, conſecutus.* Hactenus Nazianzenus. Eunapius vero Sardianus paulum Gregorio junior de ſemetipſo ita narrat. *Hic appulerat in Piræum portum circa primam noctis vigiliam, inter navigandum febre vehementi correptus. Aderant navigationis ſocii non pauci e propinquis ac neceſſariis. Circa illud noctis tempus antequam aliquid e conſuetis miniſteriis fieret, nauclerus (erat enim Attici civis propria navis, & multi ex his qui in hunc quam in illum ludum ſtudio propenſiore feruntur in portu ſtabant juxta pilam qua fit deſcenſio) recta Athenas contendit, cæteris vectoribus una currentibus, ipſe ſcriptor pedibus inſiſtere invalidus, per manus ſublatus in urbem deportatur. Erat jam nox concubia, quo tempore ſol ad auſtrinam plagam inclinatior longiorem facit noctem, quippe qui libram ſubierat, nocturnæque vigiliæ protractiores erant. Naviculator, vetus olim Proæreſii* (hic erat primarius rhetorices profeſſor) *hoſpes, pulſis foribus, tantam comitum turbam domum illius invexit, ſicuti fit ubi de adoleſcente uno aut altero bellum oritur, ut ea turba advenarum totum ſophiſtarum gymnaſium expletura videretur: horum alii corporis robur colligebant: alii in opibus delitiabantur: pleraque pars medio loco erant: at ſcriptori qui gravi conflictabatur morbo, veterum ſcripta ſolum in labris verſabantur. Itaque domus lætitia perſtrepere, viri pariter ac fœminæ ultro citroque diſcurſare, hi riſum edere, illi ſalibus jocisque indulgere. Ea hora Proæreſius conſanguineos ſuos, Anatolium & Maximum, ad ſe evocatos jubet advenas excipere (erat autem ipſe ex Armenia interiore quæ Perſarum regioni eſt contigua, oriundus) qui ut habitabant in vicinia, mox imperata facere & hoſpites excipere. At juventus in balneo cum omni oſtentatione hilaritatis in ſales riſusque ſolvebantur, lotique ſimul abibant. Sed ſcriptor animi æger gliſcente vi morbi conſumebatur interim, quod nec Proæreſii nec urbis aſpectu frui poſſet, quaſi per ſomnium ea cernere, quorum tenebatur deſiderio, viſus.* Non multo poſt idem Eunapius. *Porro divinus ille Proæreſius, qui ſcriptorem hiſtoriæ nunquam viderat, vicem tamen ejus deploravit antea; poſtquam de inſperata atque incredibili ſalute certior factus eſt, convocatis ad ſeſe præcipui nominis & eruditionis diſcipulis, laudare apud eos inſtitit opus virtutis & præſtantiæ manuum* (medicarum.) *Equidem videor mihi, inquit, accepiſſe beneficium, reſtituta huic adoleſcenti incolumitate, quem tamen nondum oculis ſum intuitus: vehementerque fui commotus quum ita con-*

modi diſpoſitionis Germanorum emanavit academicæ, a pennaliſmo tamen diſtinguendus. Is enim poſtea ab improbis & male feriatis hominibus originem traxit, ut ex AHASVERI FRITSCHII *ſcholari peccante ſect.* 18. diſcitur. Quare SENFTIVS hunc quidem omnino rejicit, depoſitionis tamen ritum defendit, eumque cum pennaliſmo a Limnæo perperam commiſtum monet, niſi quod ſcenica aliaque ludibria etiam ibi uſitata jure meritoque pariter repudianda arbitretur.

contabeſceret. Quod ſi gratificari mihi velitis, publico cum balneo expiate, dicteriis ſalibusque parcentes, proque filio meo habete. Hactenus etiam Eunapius. Vnde jam manifeſtum eſt, Athenis ſeculo quarto & quinto petulantis juventutis hanc veſaniam in ſcholis rhetoricis invaluiſſe. Num vero eadem infectæ fuerint & grammaticorum philoſophorumque ſcholæ, non perinde liquet. Imo dixeris ſolos eloquentiæ ſtudioſos magiſtroſque ſolennia iſthæc inſaniviſſe, quum ad ſolos hoſce adſtringantur omnia, ab iis quos dixi optimis illius ævi ſcriptoribus. Fortaſſis tamen & alia loca ſi non eadem certe par ſtultitia ac petulantia occupavit. Peſſimos enim ludos, ejusdem certe cum Athenienſibus notæ, *juris quoque Romani ſcholam* (a) cum Conſtantinopoli tum Beryti collutulaſſe (ne quid gravius dicam) & quidem adhuc Juſtiniani Cæſaris ætate, vetat nos dubitare ipſum Cæſaris interdictum. Addemus Imperatoris verba, ne quid illarum ineptiarum veterum deſideretur. *Illud vero*, ait Imperator, *ſatis neceſſarium conſtitutum cum ſumma interminatione edicimus, ut nemo audeat, neque in hac ſplendidiſſima civitate, neque in Berytienſium pulcherrimo oppido, ex his qui legitima peragunt ſtudia, indignos & peſſimos, imo magis ſerviles, & quorum effectus injuria eſt, ludos exercere, & alia crimina, vel in ipſos profeſſores, vel in ſocios ſuos, & maxime in eos qui rudes ad recitationem legum perveniunt, perpetrare. Quis enim ludos appellet eos ex quibus crimina oriuntur? Hoc enim fieri nullo patimur modo, ſed optimo ordini in noſtris temporibus & hanc partem tradimus, & toti poſtero tranſmittimus ſeculo: cum oportet prius animas & poſtea linguas fieri eruditas. Et hac omnia in hac florentiſſima civitate vir excelſus præfectus hujus almæ urbis tam obſervare quam vindicare, prout delicti tam juvenum quam ſcriptorum qualitas exegerit, curæ habebit. In Berytienſium autem civitate tam vir clariſſimus præſes Phœniciæ maritimæ, quam beatiſſimus ejusdem civitatis epiſcopus, & legum profeſſores.*

CÆTERVM de hiſce petulantis juventutis ſcholaſticæ ineptiis *ὡς ἐν παρόδῳ* fortaſſe plusquam ſatis eſt dictum. Revertendum nunc tandem in viam. Nec tamen eſt quur porro doceamus, neque Græcos neque Romanos quicquam ſimile collationibus titulorum apud nos receptis habuiſſe, ſed omnes illorum mores ſcholaſticos a noſtris multum fuiſſe diverſos. Hoc enim jam tum reddidimus clariſſimum, remotis iis quæ veritati fucum facere videbantur.

Non abs re autem facturi fortaſſe ſumus, ſi de JVDÆORVM inſtitutis nonnihil adjiciamus, antea quam ad tempora propinquiora aggrediamur; præſertim quum ſic ſatis affinia noſtris illa fuiſſe, non obſcurum collectu ſit. Igitur res Judaicas penitius intuentibus apparet, *poſt redditam populo* regum Perſarum beneficio *libertatem*, (b) ſeu potius poſt mitigatam aſperam illam a Babyloniis inflictam ſervitutem, duplicis generis fuiſſe ſcholas ſacræ legi diſcendæ. Alias publicas, alias privatas. Publicæ habitæ fuerunt cum in templo Hieroſolymis, tum in ſynagogis quæ appellabantur. Quales in una urbe Hieroſolymitana, ut & alibi, ubi major fuit Judæorum multitudo, complures fuiſſe ex Apoſtolicorum actuum libro manifeſtum eſt: quando *ſynagoga Hieroſolymitana Libertinorum*, (c) Cyrenenſium, Alexandrinorum, Cilicum item & Aſiaticorum diſerte memorantur, nec obſcure ſignificatur Damaſcum quoque ſynagogas varias habuiſſe. *Non autem urbibus tantum ſed & frequentioribus vicis* (d) ſynagogæ ſuæ fuerunt; quantum colligere eſt ex verbis quibusdam Matthæi evangeliſtæ, quæ leguntur hodie capite nono. *Audiebant autem illæ ſynagogæ alio nomine προσευχαὶ*, (e) Romæ præſertim, quod nos docent Satyræ. In quibus cum preces minus Græce

(a) *juris quoque Romani ſcholam*) Legum enim ſtudioſi primo anno olim vocabantur dupondii, quaſi duobus aſſibus æſtimari, id quod Juſtinianus abolevit & Juſtinianæos vocandos edixit *in §. cujus auditores proœm. ff.* quemadmodum & porro, qui ſecundum annum audiverant, in edicto perpetuo edictales, qui tertium annum Papinianiſtæ, qui quarto anno difficiles legum nodos ſolvere poterant, lytæ quaſi ſolutores, & ulterius progreſſi prolytæ dicebantur. Vid. LIMNÆVM *lib. VIII. c. 8. n. 61. ſeqq.*

(b) *poſt redditam populo libertatem*) De origine ſynagogarum ſolet hic disquiri. Sunt qui eas jam olim in gente Iſraelitica in uſu fuiſſe probant ex *Exod.* 33, 7. *c.* 20, 24. *Deut.* 31, 11. 12. *Pſ.* 74, 4. 8. *Joſ.* 24. *ult. Jud.* 7, 1. 1. *Sam.* 19, 18. *Eſ.* 33, 18. Vid. JACOBVS ALTINGIVS. His vero ſeſe cumprimis oppoſuit CAMPEGIVS VITRINGA *tribus libris, quos de ſynagoga publicavit*, in quibus de hominibus, origine, ſtructura, præfectis, miniſtris & ſacris ſynagogarum pluribus agitur: originem autem earum aſſignandam tempori, quod ſit captivitate Babylonica poſterius, arbitratur; quod ſi intelligeret de ſynagogis ut poſteriori tempore ſe per omnia habuerint, in quibus varii ritus, variæque ceremoniæ peragebantur, neminem facile haberet refragantem, dummodo certum ſit, jam antea quoque publice conveniſſe populum, ut cultui divino vacaret & in legis doctrina proficeret. Cæterum de ſynagogis legi quoque merentur FRANCISCI BVRMANNI *diſſert. IX.* quæ in parte poſteriori exercitationum ejus academicarum primo ponuntur loco; LIGHTFOOTVS *in harmonia quatuor evangeliſtarum ſect.* 17. *p.* 473. *& in horis Ebraicis ad Matth.* 4. *p.* 278.

(c) *ſynagogæ Libertinorum*) De ſynagoga Libertinorum *act.* 6. variæ ſunt eruditorum ſententiæ. STEPHANVS *LE MOYNE in variis ſacris* intelligit Lapithinos a ponte inſulæ Cypri, quam tranſibant ad devotionem Hieroſolymas ituri, ita dictos. FRANC. JVNIVS Labratenu ſive Lebrathenium Ægypriacam vocem eſſe & ſignificare παρόχους ſive parachos ad ſynagogam Ægyptiacam pertinentes exiſtimat. Syrus & Arabs a nomine proprio cujusdam Libertini dictos arbitrari videntur. Plerique tamen Libertinos ſtatuunt eſſe eos, qui ex ſervis liberi facti erant, quorum conditio vilior fuit ac cæterorum, ut apparet ex illo Flacci verſiculo: quem rodant omnes Libertini patre natum. Beza probat Philonis in legatione ad Cajum, qua retulit, Tiberium paſſum bonam partem urbis a Judæis trans Tiberim teneri, quorum plerique erant Libertini ſynagogam habentes, ex qua propagata fuerit Hieroſolymitana. Sane TACITVS *annal. lib. II.* refert quatuor millia Libertinorum Judæorum Romæ fuiſſe. Itaque inter hos etiam forte fuit Tuſcus ille Ariſtius, ad quem HORATIVS ſcripſit *lib. I. ep.* 10.

(d) *Non autem urbibus tantum ſed & frequentioribus vicis*) Traditiones tamen Judaicas ſi contuemur, non licebat ex earum præſcripto in quavis urbe aut villa, ſed in magnis tantum civitatibus ædificare ſynagogam & quidem in iis, ubi ad minimum decem homines in otio (aliqua tamen dignitate conſpicui) viverent. At vero quidquid id ſit, contrarium oſtendit WAGENSEILIVS *in comment. de civitate Noribergenſi p.* 124. *ſeqq.*

(e) *Audiebant autem illæ ſynagogæ etiam προσευχαί*) Quomodo & nonnulli *Act.* 16, 13. non de actu, ſed de loco orandi interpretantur, uti & id jam olim intellexit EPIPHANIVS *hæreſ. n.* 10. *CHRYSOST. homil.* 35. *in*

Græce & humili dictione paſſim inſtituerentur, Epicuri ſermonem ſolæciſmi accuſans Cleomedes, ſcribit, verba ejus quædam eſſe tanquam ex mediis proſeuchis petita. *τὰ δὲ ὑπὸ μέσης τῆς προσευχῆς καὶ τῶν ἐπ' αὐτῆς προσαιτούντων Ἰουδαϊκά τινα καὶ παρακεχαραγμένα, καὶ κατὰ τὸ πολὺ τῶν ἑρπετῶν ταπεινότερα.* Hic enim quem diximus ſenſus eſt hujus loci: quem minime aſſecutus fuit interpres Georgius Valla. Nec vero quis miretur, ſynagogas a me ſcholarum ordini accenſitas. Recte enim Philo: *τὰ γὰρ κατὰ πόλεις προσευκτήρια τί ἕτερόν ἐστιν ἢ διδασκαλεῖα φρονήσεως καὶ ἀνδρείας καὶ σωφροσύνης καὶ δικαιοσύνης, εὐσεβείας τε καὶ ὁσιότητος καὶ συμπάσης ἀρετῆς.* Et vero non tantum verba legis divinæ ac prophetarum in iis legi ſed etiam exponi populo ſolere, notiſſimum eſt. In privatis ſcholis item legis interpretatio docebatur: ſic ſatis inepte quidem plerumque, a Phariſæis cumprimis & Sadducæis, magna tamen cura, nec exigua in vulgus opinione. *Vtrobique illi qui docebant, interim dum verba divina codicis legerentur, ſtetiſſe quidem, inde autem ſediſſe* (a) videntur; & quidem in cathedra aliqua loco editiore. Huc ſane ſpectare merito dixeris illa: *ἐπὶ τῆς Μωσέως καθέδρας ἐκάθισαν οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι* Cathedra nimirum illa profeſſoria audivit Moſis cathedra; cum quod ex illa lex Moſis doceretur, tum fortaſſis quoniam magiſtrorum magna pars ſibimetipſis parem pene atque Moſi auctoritatem arrogaret. Verum hoc prolixius enarrare alienæ eſt operæ.

In ſynagoga porro, quibus quidem ordinarium docendi munus incumbebat, (quod propius noſtro argumento eſt) illos in id non niſi certis legibus certisque ritibus admiſſos, *non* utique *ſine manuum impoſitione*, (b) dixeris: quoniam idem obſervaverint in eccleſiarum doctoribus Chriſtiani. Extra ordinem fateor & aliis interdum factam facultatem verba ad populum faciendi, archiſynagogi permiſſu. *Quale legimus & Chriſto noſtro & ſanctis Apoſtolis contigiſſe.* (c) Etiam ſic tamen delectus aliquis indubie eſt habitus. Obſervatum hoc ipſum fuit etiam Tertulliano. *Sed etſi* (inquit) *paſſim ſynagoga adiretur, non tamen ad docendum, niſi ab optime cognito, & explorato, & probato jampridem in hoc ipſum, vel aliunde commendato.*

In privatis ſcholis (ſaltim nonnullis, & quidem Phariſæorum maxime) videtur itidem probatis diſcipulis collatus publico teſtimonio *titulus Magiſtri aut διδασκάλου* ſive *Rabbi* (c) Et quidem Judæi ferunt, neminem hoc cognomento olim Hieroſolymis audiviſſe, niſi qui a ſynedrio teſtimonium doctrinæ accepiſſet. Verum hoc vix eſt veroſimile, utpote quum ſynedrii partem Sadducæi non minus quam Phariſæi fecerint. Ecquis ſane crediderit, Sadducæos admiſſos in probationem magiſtri Phariſaici, cujusmodi erant plerique eorum, qui Rabbi indigitabantur? Sed & ipſimet Judæi fatentur, *ἐν ταῖς διασποραῖς* teſtimonium a ſcholarum præfectis dari ſolitum, perinde ut nunc mos obtinet. Eoque non eſt quod ſuſpicemur, plane aliud quid Hieroſolymis fuiſſe obſervatum, quum Hieroſolymitanos magiſtros reliquis prælatos eſſe, haud queat temere reddi probabile. *Hi vero ſunt illi* (e) in evangelicis

acta Apoſt. Vid. *BASNAGII annales politico-eccleſ. ad a. 51. n. 14.* Audiebant quoque ſynagogæ *ἱερὰ σαββατεῖα, ἀνδρῶνες, φροντιστήρια.*

(a) *Utrobique illi qui docebant in exordio ſtetiſſe quidem, &c.*) Ab initio doctores Judæorum ſtetiſſe obſervat KIMCHIVS *ad 1. Sam. 19, 18.* ut ſuper omnes eminerent, & ſingulos valerent obſervare. Id reſtringendum autem videtur ad tempus aliquod interea dum verba divini codicis legerentur, poſtea vero doctores quoque in cathedra ſediſſe, dubium eſſe nequit. Quin inde ſcholas illas etiam Jeſchivot ſive ſeſſiones dictas, maxime videtur vero ſimile. Ordinem autem ſeſſionis iſtius inter doctores æque ac diſcipulos obſervatum docet commentator epiſtolarum Paulinarum, qui creditur eſſe AMBROSIVS in *1. Cor. 1, 14.* paucis quidem, ſed exquiſitiſſimis verbis, judice RICH. SIMONIO *in ſupplemento ad Leonem Mutinenſem pag. 31.* Hæc traditio ſynagogæ eſt, ut ſedentes diſputent, ſeniores dignitate in cathedris, ſequentes in ſubſelliis, noviſſimi in pavimento ſuper mattas.

(b) *non ſine manuum impoſitione*) Vnde tota promotionis ſolennitas ſemichut & *χειροθεσία* appellari conſvevit, quem ritum cum traditione libri JACOBVS ALTINGIVS *lib. de republ. Ebr. ſcholaſtica pag. 81.* jam a Moſis temporibus derivandum cenſet. Hanc *χειροθεσίας* ſive doctorum promotionem ſibi poſt deletam ab Hadriano academiam Bitterenſem lege lata interdictam quondam fuiſſe, quod tamen ne æterno gentis ſuæ damno fieret, R. JEHUDA filius Babæ quinque diſcipulis per manuum impoſitionem clam renunciatis magiſtris præſtiterit, idcirco morte a Romanis mulctatus, referunt *in cod. Sanhedrin cap. 1. §. 3. Gem. edit. Cocceji pag. 161.* Adde *ſupplementum 62. & ſequentem paginam 453.*

(c) *quale legimus Chriſto & Apoſtolis &c.*) De Apoſtolis id apparet ex Actor. 13, 15. idque factum videtur ex conſvetudine Judæorum, qua ſolebant legem & prophetas lecturi ordine ab eccleſiæ miniſtro evocari, qua occaſione illi data facultate etiam ea, quæ legerant, interpretabantur. Atque id a Chriſto quoque tanquam membro ſynagogæ Nazaretanæ Luc. 2. factum valde videtur veriſimile. RICHARDVS tamen SIMONIVS *in ſupplem. ad* LEONEM MVTINENSEM *p. 31.* annotat, errare pictores, qui Chriſtum in cathedra ſuper reſiduos elevata ſedentem ſiſtant, manſiſſe enim in aliquo ſcamnorum inter reliquos diſcipulos conſidentem, libere tamen proponentem difficultates ac dubia ſua. Longius autem aberrant, qui Chriſtum tunc temporis ſolenniter promotum aut Rabbini titulo inſignitum cum Carolo Arndio ſuſpicantur.

(d) *titulus magiſtri aut Rabbi*) Antiquitas omnem titulorum apparatum ignoravit, teſte R. NATHAN *in Aruch* voce Abi, ubi ait, *ætates ſuperiores non opus habebant ſe diſtinguere titulis, neque per Rabban, neque per Rabbi, neque per Rab. Hillel profectus eſt ex Babel, nec Rabbini titulo fuit ornatus.* Verum quod majores averſati ſunt, id poſteri arripuerunt reprehenſi a Chriſto. Communiſſimi enim doctorum Judaicorum tituli ſunt: Mar, Morena, Rav, Rabba, Rabbi, Ribbi, Rabban, Ab, Abba, Rabbena &c. Conf. de iſtis Judaicorum doctorum titulis præter JAC. ALTINGIVM BARTOLOCCIVS *in biblioth. Rabbinica tom. II. p. 794.* BUXTORFFIVS *in lexico Talmud.* JOH. HENR. OTTO *in lexico Rabbinico philol.* SELDENUS *de ſynedriis Ebr. lib. I, 14. & II, 7.* VITRINGA *de ſynagoga vetere lib. 2. cap. 8. p. 564. 576. ſeqq.* ubi & de titulis Abh bethdin & Roſch Jeſchivah commentatur, nec non WOLFFII *biblioth. Rabbin. part. 2. pag. 919. ſeqq.* AVERSDALA *diſſ. de rabbinis & gradibus Ebræorum literariis.* Cæterum ſi quis Rabbi forte ad Chriſtianam religionem convertatur, eum non amplius rabbi, ſed ra i. e. malignum appellare ſolent.

(e) *Hi vero ſunt illi*) JACOBUS ALTINGIUS *in Hebræorum Republica ſcholaſtica pag. 111.* hæc ita illuſtrat, cum ait: *Poſtquam horum (ſcil. Phariſæorum) ſectæ plebeji quoque ac idiotæ acceſſerunt, doctoribus tributum nomen Sopherim ſive ſcribarum a temporibus & exemplo Eſdræ per excellentiam ſcribæ appellati accerſitum.* Notiſſimus horum ordo fuit tempore Chriſti, uti apparet ex frequenti mentione *γραμματέων*, qui non fuerunt alii quam doctores eccleſiaſtici (politicos enim ſive ſecretarios ſive actuarios publicos hic non ſpectamus) interpretationi legis ſive ſcriptæ ſive non ſcriptæ vacantes. Scribæ quippe vocabantur, qui multiplici ſcientia inſtructi ad docendum idonei erant *Matth. 13, 32.*

cis monumentis alias appellari, γραμματεῖς quidem paſſim, ſed nonnunquam & νομικοί. Falli enim Epiphanium dum exiſtimat γραμματεῖς fuiſſe ſectam aliquam Judaicam, qualis erat *Phariſæorum, Sadducæorum & Eſſenorum,* (a) falli item Scaligerum, Maldonatum & alios, qui νομικοὺς interpretantur actuarios publicos; multis heic probare, nihil attinet. Hi porro ſunt celebres in evangelica hiſtoria Rabbi, διδάσκαλοι, ac νομοδιδάσκαλοι. Nihil inſolentiæ ſapientibus vocabulis, niſi ab ipſis jam tum olim fuiſſet vulgo perſvaſum, eos qui cognomentum illud meruiſſent omnino tales eſſe a quorum ſententiis nemini ex populo fas ſit diſſentire. Quapropter illo demum ſenſu id genus tituli *a Salvatore noſtro ſunt damnati;* (b) quoniam ſcilicet revera ipſe unicus ejusmodi nominis menſuram implebat, unus tunc divinorum dogmatum conditor & ἀνυπεύθυνος interpres. Ferunt Judæorum nonnulli, circa Chriſti noſtri ævum paucis aliquot, interque eos potiſſimum Simeoni & Gamalieli, datum auguſtius *nomen Rabban,* (c) ſed quod poſtea obſoleverit tanquam majus ſubſequentis temporis captu. Ante hos ducentos tamen annos exemplo Chriſtianorum, qui non magiſtros tantum ſed & doctores honorant, iterum ordo & gradus ſapientium major introductus eſt, qui *Maranan* (d) (quaſi tu dicas, Chriſtianos inter Europæos recepta tum conſvetudine, magiſtri noſtri) nuncupantur.

In mores itaque Judaicos intuens haud injuria fortaſſe dixeris, *apud hos academica noſtra inſtituta quaſi prima ſua veſtigia poſuiſſe.* (e) Nec tamen temere affirmaverim, ad eorum exemplum noſtra hæc compoſita eſſe. Vtut longe ſit veriſſimum, Chriſtianorum ECCLESIAS ex ſynagogis Judaicis enatas eſſe. Enimvero *ut ritus ſacros, baptiſmi cumprimis & eucbariſtiæ, ex Judaicis nonnibil deflexos ſuos fecit Chriſtus* (f) ipſemet, ita & nihil olim moris laudabilis habuit ſynagoga, quod in uſum eccleſiæ non ſit

ſcribæ, qui in cathedra Moſis collocati jus docendi publicum habebant *Matth. 23, 2.* ſcribæ, qui docendi munus obibant, conſulentibus reſponſa dabant *Matth. 7, 29. c. 17, 10. c. 2, 4. 5.* Quoniam autem tales inter utriusque ſectæ homines (Phariſæos nimirum & Sadducæos) vivebant, ab ea quam probabant διαιρετικῶς cognominandi fuerunt, unde γραμματεῖς τῦ μέρος τῶν Φαρισαίων vocantur *Act. 23, 9. &c.* D. VALENTINVS ERNESTVS LOESCHERVS autem *in tract. de cauſis lingvæ Ebreæ p. 84.* poſtquam de diſcrimine ſcribarum & legis peritorum diverſas ſententias Grotii, Goodwini, Chemnitii, Cameronis & Hottingeri recenſuerat, tandem addit: utrique eruditi fuerunt, & ſacra quidem peritia clari. Scribas γραμματεῖς quos Ebræi Sopherim dicebant in evolvenda ſed pro more ſeculi ſegniter & male curioſe ſcript. ſacra verſatos exiſtimo, eorumque ſucceſſores habeo Maſorethas. Legisperitos νομικοὺς qui & νομοδιδάσκαλοι, *Luc. 5, 17.* appellantur, in eruendis ritibus ac jure Ebræo verſatos credo, eorumque ſucceſſores fuiſſe puto Miſchnicos ſive Talmudicos doctores. His enim ambobus ſtudiis Hieroſolymitanorum ſacra eruditio abſolvebatur.

(a) *Phariſæorum, Sadducæorum & Eſſenorum*) De hæreſibus Judæorum ſcripſerunt SCALIGER, DRVSIVS, & NICOL. SERRARIVS, quorum ſcripta ſtudio JAC. TRIGLANDII conjunctim prodierunt ſub titulo, *trium illuſtrium ſcriptorum de tribus Judæorum ſectis ſyntagma tom. II.* De iisdem legi quoque merentur SCHVDTIVS *in memorab. Jud. part. 2. cap. 27. p. 28.* PFEIFFER *faſcic. philol. n. 3. pag. 38 52.* REIMANN. *introd. in hiſtor. theol. Jud. lib. 1. c. 5.* ſigillatim de Phariſæis POCOCKIVS *in notis ad portam Moſis c. 9.* VITRINGA *obſerv. 5. tom. I. p. 220.* de Sadducæis HVMFREDVS HODY *in tract. Angl. de reſurrect. ejusdem hominis pag. 89. 91 ſeqq.* (ubi oſtendit, Sadducæos ante Chriſti tempora non fuiſſe pro hæreticis habitos aut e communione ejectos) POCOCKIVS *l. c. pag. 94.* De Eſſenis vero (quos quidam cum Therapeutis Philonis eosdem eſſe arbitrantur, aut cum Haſidæis, uti DRVSIVS & HVGO GROTIVS ad *Eſa. 65. 15.* a Baithuſæis vero differre oſtendit CARPZOVIVS *introd. ad theol. Jud.*) legantur PRITIVS *introd. in N. T. pag. 465. ſeqq.* CAVEVS *in apparatu ad vitas apoſtol. pag. 55* ubi quod in hiſtoria evangelica nulla eorum mentio fiat, ejus rei hanc rationem reddit, quod in agris non in urbibus viverent. Cæterum de fictis quoque Judæorum hæreſibus extat RHENFERDII *diſſertatio.*

(b) *a Salvatore noſtro ſunt damnati*) Etiam hoc nomine a Karræis, vid. R. MORDOCHÆVS *in notitia Karræorum pag. 59.*

(c) *nomen Rabban*) Titulus hic hac ætate magiſtris Judæorum eſt familiaris. Olim vero auguſtior fuit, nec niſi paucis, nimirum ſeptem tantum ex Hillelis poſteris datus, ut ab aliis ob excellentiam doctrinæ diſtingverentur, quales fuerunt Rabban Simeon, ille, qui Jeſum puerulum ulnis excepiſſe creditur, cujus filius fuit Rabban Gamaliel, quo approbante compoſita dicitur a Samuele Hakkaton ſive Parvo (i. e. Paullo ſi nonnullorum conjecturis ſpeciatim ZELTNERI *in diſſert. de fragmento Pauli quondam perverſi* [illegible] *Altorf 1713.* credi fas eſt,) certa precandi formula, qua Judæi contra Chriſtianos uti ſolent; cujus tamen precationis inventionem alii ad tempus Gamalielis junioris referunt, ref. WOLFFIO *in biblioth. Rabbinica part. 1. ſub voce Katon, parte 2. pag. 281.* Videatur præterea de hoc Rabban Gamaliele JAC. ALTINGIVS *in Schiloh. IV, 25.* ubi ſpeciatim de ejus autoritate & affectu in apoſtolos, ſed ſenſim defervescente agit, item M. GRAVNII *hiſtoria Gamalielis ſenioris quæ prodiit VVitteb. 1687.* de titulo Rabban autem BVXTORFIVS *in abbreviaturis p. 182. ſeqq.*

(d) *Maranan*) ERICVS MAVRITIVS, qui eadem hæc cum Conringio ex Zemach David allegat, legit Morenu, non Maranan, *orat. de orig. honor. academ. p. m. 32.*

(e) *apud hos academica noſtra inſtituta prima ſua veſtigia poſuiſſe*) Saltim quoad titulos doctoris aut magiſtri, non autem quoad omnia nomina, quibus hodie academici gradus denotantur, quod contra Heigium aliosque monet ITTERVS *cap. 4. pag. 79.* Etſi enim doctores quoque & magiſtri commemorentur in Codice Juſtinianeo, tamen illorum appellatione tantum denotantur ii, qui publico docendi munere fungebantur. Neque conſtat ejusmodi honorum gradus & dignitates, quæ ob ſolum ſtudiorum cultum conferuntur, alibi in uſu fuiſſe apud veteres, niſi apud Ebræos. Videntur igitur ibi in tantum hujus rei initia quædam quærenda. Vid. SCHERZERI *oratio de Hebræorum & Lipſienſium magiſtris,* quæ inter programmata ejus publica & orationes reperitur *p. 423. ſeqq.* Aberrant autem, qui id nimis etiam ad alia extendunt, quemadmodum inter alios fecit CAROLVS ARNDIVS, *Prof. Roſtoch. in triade diſſert. philol. de Cancellariorum & Procancellariorum apud Ebræos veſtigiis, de Paulo doctoris titulo decorato, & de præmiorum in promotionibus hodiernis receptorum occaſionalibus apud Ebræos veſtigiis.* Aberrant qui ad Ebræorum exemplum noſtratum academiarum mores compoſitos, aut qui eos primi inſtituerunt, iſthuc reſpexiſſe arbitrantur, a quibus omnino nec ſine ratione hic diſſentit Conringius. Cæterum L'EMPEREVR *in Halichus olam* titulos Judaicos ad noſtri ſeculi mores tranſtulit.

(f) *ut ritus ſacros ex Judaicis nonnibil deflexos ſuos fecit ipſe Chriſtus*) Ita & ex noſtratibus cum CONRINGIO, GROTIO & pleriſque reformatorum, ſpec. BVXTORFFIO, HOTTINGERO, ALTINGIO, BRAVNIO, WITSIO, HOLTZFVSIO *in diſſertatione de baptiſmo Judaico Chriſtiano,* ſentiunt CALIXTVS, HILDEBRANDVS, ſigillatim de baptiſmo SLEVOGTIVS *diſp. 14. de Proſelytis Judæorum,* CARPZOVIVS ad SCHICKARDI *jus regium p. 370.* BVDDEVS *in obſervat. de pædobaptiſmo §. 8.* DANZIVS *in diſſert. de baptiſmo Proſelytorum §. 25.* item in *antiquitate baptiſmi initiat. Iſraelitarum vindicata;* de S. Cœna NIEMEIERVS, PVFENDORFIVS *in jure feciali divino pag. 9.* aliique. Contradicunt tamen nonnulli alii, cumprimis WERNSDORFFIVS *in diſſert. de baptiſmi Chriſtianorum origine*

ſit receptum; ſic conſtituentibus ipſiſmet apoſtolis. *Placuit videlicet & his publicum illud ſcholæ ſacræ popularis genus,* (a) cujusmodi gentilitas omnis nusquam quicquam habuit. Nec aliud pene in eccleſia datum munus epiſcopo, ſive τῷ προεστῶτι, quam quale fuit archiſynagogi; officium & nomen idem τῶν πρεσβυτέρων; qui διάκονος eccleſiæ ille ſynagogæ fuit ὑπηρέτης. Hinc & ordinatio ad ſynagogæ exemplum inſtituta eſt per χειροθεσίαν, accedentibus precibus: qui erat ritus communis Judæorum invocandi Deum ſuper aliquo homine. Nec initio diſplicuit mos, etiam extra presbyterium poſitis concedendi nonnunquam facultatem docendi in corona. Ceu apparet ex iis quæ diſſeruntur in primæ ad Corinthios epiſtolæ decimoquarto capite. Imo alibi ille ſat eſt diu retentus: quod diſcimus ex Euſebio, qui Origenis aliorumque exemplo probat, λαοῖς ὁμιλεῖν οὐκ ἀνέθιστον, id ſi fiat τῇ τοῦ προεστῶτος ἐπιτροπῇ: id quod paſſim fieri ne hodie quidem deſiit, quando ſacrarum literarum ſtudioſis nondum ordinatis, uti loquar eccleſiaſtico more, homilias ad populum habendi facultas conceditur.

Aſt privatum illud alterum Judaicæ ſcholæ genus nusquam a primis quidem Chriſtianis introductum, niſi forte Alexandriæ, ex inſtituto S. Marci. Ibi ſane in uſu fuit jam tum ſecundo ſeculo ſub Ammonio & Pantæno magiſtris. Collatio tamen tituli magiſtralis, quæ Judæis ita recepta erat, ne ibi quidem probare ſe potuit. Indubie quod hujusmodi nomina a Judæis in ambitioſum ſenſum usque adeo tum eſſent corrupta, ut ſine ſuperbiæ ſive nota ſive opinione, illo quidem tempore, in uſum trahi commode non poſſe viderentur. Quapropter etiam *veroſimile non eſt.* (b) ad Judaicos mores reſpexiſſe eos, qui primi hoc ipſum inter Chriſtianos inſtituerunt. Quamvis alicubi magiſtris noſtris, qui appellantur, haud minus pene a quibusdam attributum videas, quam Judæorum Rabbini ſibi arrogaverunt. Quæcunque vero cauſſa primos Chriſtianos fecerit abſtinere paſſim ab illo altero ſcholarum ſacrarum genere: id certum eſt tamen, ab initio usque eccleſiæ, presbyterorum, adeoque doctorum eccleſiaſticorum, creationem aliquam, per ſolennem manuum impoſitionem, unice ſemper & probatam & obſervatam eſſe. Nec minus conſtat, Judæos non tantum ſynagogicos magiſtros, ſed & alios ἱεροδιδασκάλους, ſive Rabbinos, jam per ſecula complura ſingulari quodam ritu conſtituiſſe. Et vero hodieque idem inter illos obtinet. Qui enim dignus creditur iſthoc nomine, ille a primario cujusque loci Rabbino in ſynagoga publice talis proclamatur, addita excommunicationis comminatione, ſi quis aut nomen aut honorem Rabbinorum ordini debitum haud illi deferat. Idque ipſum ſcriptis tabulis confirmatur. Judæis ceremonia hæc Semichut appellatur: quod ita creatus Rabbi jam talis exiſtimetur, cujus ſententiis tuto liceat fidere. Quam ineptis vero ſæpenumero titulus ille conferatur, ne ipſi quidem Judæi audent diffiteri; ceu liquet ex iis, quæ de Rabbi Abrahami Cabaliſtico libro transtulit Chriſtianus Gerſon, Judaici ſanguinis & doctus & pius ſcriptor.

Verum Judaicis illis enarrandis fortaſſe nimis diu immoramur. Ad ea quæ reliquimus tempora ROMANI IMPERII redeat oratio noſtra. Ac florentibus quidem Romanorum rebus nec in Græcia nec alibi jam obtinuiſſe noſtrum hunc creandi doctores morem, nec alios tum doctrinæ magiſtros ſive doctores audiiſſe, quam qui reapſe docerent, omnes meminiſtis, a me liquido oſtenſum eſſe.

Exceperunt autem eam ætatem, collabaſcentibus Romani imperii fulcris, MAHUMEDANORUM ſtudia. Quanquam vero alias uberius ſit narratum, eam gentem ſcholarum inſtitutione atque in literas liberalitate longo intervallo Græcos pariter ac Romanos ſuperaſſe: illius tamen noſtri moris veſtigia ego quidem in illorum monumentis hactenus *nulla reperi.* (c)

Fortaſſis tamen dixeris, ab Arabibus Muhamedanis ad Tartaros, ab his ad Sinenſes profluxiſſe, ut alia ita etiam id quod hodieque in nobiliſſimo SINARUM regno Mandarini aliique ſapientes Indorum iſtorum obſervant. Prolixius nonnihil illud Jacobus *Pantogia* (d) perſcripſit in Europam ex illa ipſa remo-

mere divina, CHLADENIUS *diſſert. de verbis inſtitut. in S. Cœna ex formula Judaica non repetendis.*

(a) *Placuit videlicet & his publicum illud &c.*) Conferri huc merentur CAMPEGIUS VITRINGA *de ſynagoga vetere,* & RICHARDUS SIMONIUS *in ſupplem. ad Leonem Mutinenſem cap. 6. 7 ſeqq.*

(b) *veroſimile non eſt*) Breviter & ſuccincte hac de re pariter loquitur ERICUS MAURITIUS *orat. de honor. acad. orig. pag. 32.* *Eſt quidem,* inquiens, *apud illos rabbinorum creatio & habet haud dubie plurimorum ſeculorum ætatem, dignitatem quandam contineri rabbini nominatione, conferri a ſynagoga magiſtratu, juberi talem appellari, qui creatur ab omnibus, ſtatuta in refractarios pœna excommunicationis, addi etiam privilegia, talia eſſe fatemur, quæ in doctores noſtros congruant etiam. Sed quod nullo examine, verum privatis in compito diſcurſibus explorata, quavis etiam legis eruditio facilem aperit aditum Judæis ad hunc titulum, quod pœnas confeſtim aliis etiam graviorum delictorum furti, homicidii, adulterii reis irrogant quod excommunicationis permiſſa rabbinis in alios licentia, ac quod nulla imperiali autoritate vel pompa tales creantur illos Iudicis munere, examinum neglectu, & privatis promotione a doctoribus noſtris facile diſcernunt, quin quæ de illis nuperrime aucta parentis ſui ſynagoga Iudaica memorat ex aliis Buxtorffius filius integro capite, omnibus haud difficulter doctorum noſtrorum & rabbinorum differentias oſtendere idonea ſunt.*

(c) *nulla reperi*) ADAMUS quidem TRIBBECHOVIUS *cap. 5. libri de doctoribus ſcholaſticis pag. 92.* titulorum academicorum & ceremoniarum apparatum ex Arabicis academiis ortum ſuum traxiſſe ait, ſed non probat. Teſtibus enim idoneis deſtitutus ad Ebræorum mores ſolum provocat, in iisque aſſertionis ſuæ fundamentum unice ponit. Neque huc ſane referendi ſunt Turcarum Derviſii, Torlaquitti, Calandrii, Geomaiteri, qui omnes religioſorum hominum ordines ſaltim conſtituunt, aut Cadeleſquierii, qui apud Turcas ſunt ſupremi Judices, nequaquam autem graduum nomina aut doctorum tituli, monente MAURITIO *l. c. pag. 33.* *Hiſtoire de l'empire Ottoman par* BRIOT *lib. II. ch. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX.*

(d) *Jac. Pantogia*) Præter Pantogiam legi quoque poterunt, quæ ex NIC. TRIGAULTII *expedit. Sinic.* exhibet ADAMUS CONZEN *lib. 4. polit. cap. 16.* quæque referunt SEB. SCHROETERUS *in hiſtoria totius orbis terrarum deſcript. tom. I.* & THEOPHILUS SPIZELIUS *eleganti de re literaria Sinenſium conſcripto libello ſect. 3. pag. 31.* cujus tamen ex Trigaultio narrata, quod apud Sinenſes non ſolum iidem literarum gradus ſint, ſed & iisdem nominibus baccalaurei ſcilicet, licentiati & doctores appellentur, non ita accipienda ſunt, quaſi exacta nominum apud nos æque ac Sinenſes ſit convenientia, ſed quod quædam graduum noſtrorum apud eos extet ſimilitudo, monente ITTERO *l. c. p. 83.*

remotisſima orbis parte: licebit tamen fortasſis in hac panegyri integram viri narrationem recitare bona auditorum pace, uti obiter liqueat, quantum & illæ gentes cum noſtris inſtitutis conveniant ſive ab iis recedant. *De magiſtris* (ait Pantogia) *nihil conſtitutum eſt publice, ſed docere cuilibet licet: & dare operam cuilibet magiſtro, in ſingulorum eſt manu. Proinde carent etiam ratione explorandi a primo eorum doctrinam, qui in nullo adhuc litterario honore ſunt: ſed quicumque eo evehi ſtudet, quolibet tertio anno ad urbem provinciæ caput ſponte proficiſcitur. Vbi magnus eorum numerus, qui id expetunt, probatur & excutitur. Atque ex iis ii ſoli in optato gradu collocantur, quorum compoſitiſſima ſcripta judicata fuerint: reliqui vacui domum redeunt, certi, ſtudia urgere diligentius, qui proximis comitiis probare ſe judicibus, & honorem adipiſci poſſint. Tres ſunt eruditorum gradus, tribus illis noſtris ſimiles baccalaureorum, licentiatorum, doctorum. Omnium horum candidatis eadem præcipitur ad ſcribendum materia, & ſcribendi modus. Traditur illa pridie, confeſtimque omnes in ampliſſimas ædes deducuntur, ubi conclavibus inter ſe diſcluſi nullam habent facultatem, vel verbum inter ſe conferendi. Adhoc hominem certum ſingulis adjungunt, qui eos cum quoquam loqui vetet, caventque ſtudioſe ne quis vel chartam digitali longitudine ſecum afferat, qua in re valde ſunt ſeveri. Nihil iis dant præter atramentum, chartam, & lucernam: definiunt viginti quatuor horas, intra quas orationem elaboratam eſſe oporteat. Ea res ſic homines ſollicitos habet, ut nonnulli elapſis viginti quatuor horis, ita confecti conſumptique prodeant, ut paullo poſt intereant. Quod potiſſimum licentiæ & doctoratus petitoribus ſolet accidere. Cæterum quamvis confectæ ab ſe orationi quilibet nomen ſuum adſcribat, judices tamen & Mandarini ea non inſpiciunt. Adhibent ſiquidem celeres librarios, qui quod ſinguli ſcripſerunt, omiſſo nomine, deſcribant; ac deinde ipſa autographa claudant obſignent & diligenter cuſtodiant. Apographa dantur judicibus, hominibus omnium eruditiſſimis. Qui ignari cujusnam ſit quodlibet opus, neque ullo relicto gratiæ loco, ſincere ea ſcripta deligunt, & ſeponunt quæ ornatiora cenſuerint. Vbi renunciandi ſunt qui puncta tulerint, autographa cum apographis comparant, atque ita quinam ii ſint, cognoſcunt & promulgant. Qua in re tam ſunt attenti & cauti, ut quisquis alicujus doli compertus ſuſpectusve fuerit, loco ſuo moveatur: ſit licet unus quiſpiam principum Mandarinorum. Quod in altero & tertio gradu obſervatur ſeverius. Primum gradum aſſecutus, multis ipſe univerſaque familia facultatibus immunitatibusque eximius eſt: ſed eum neceſſe eſt tamdiu judicibus iterum atque iterum doctrinam ſuam pertentandam præbere, donec tertium gradum contigerit; quod ea gratia fit, ne ſtudium remittat. Hac neceſſitate non eſt aſtrictus, qui nec dum ullum eruditionis titulum ſuſtinet. Fit etiam ſæpenumero, ut qui hac lege tenetur, neque tamen graviter incumbit in ſtudia, de primo quem jam conſecutus erat gradu, non ſine probro & dedecore deturbetur: multi item, quod ultra aſcendere nequeant, in primo conſiſtunt. Eadem eſt alterius gradus ratio. Accedunt ad eum, qui jam ad primum pervenerunt, non tamen omnes, ſed qui delectu habito ad examen admiſſi fuerint, quod priori longe eſt accuratius, & honorificentius. Hujus alterius ordinis tot ſunt in qualibet provincia, quot Rex eſſe permiſerit, qui ut quamque ornatam deſiderat, quod majorem minoremve litteratorum numerum ferat, aut ſimili aliqua de cauſa, ita hujus ei honoris facultatem indulget. In hoc honore conſtitutus, cum libuerit, Mandarinatu ornatur, & reipubl. gubernaculis admovetur: non tamen iis adhuc muneribus, quæ tertio ordini propria ſunt, dignus eſſe judicatur. Singulis qui pro tertio gradu periculum ſui facere cupiunt, Mandarini e pecunia regia certum ducatorum numerum dant, quo in regiam proficiſci, & ſpecimen ſuæ eruditionis, quod quolibet triennio fieri ſolet, dare poſſint. Qui ſpe fruſtrantur, iterum atque iterum exſpectant; dum tandem vel decrepiti, quod optant, aſſequantur. Horum candidatorum numerus ita definitus eſt, ut plures trecentis quinquaginta eſſe non poſſint; quos inter cenſeri multa alterius ordinis millia certatim appetunt. Ad hunc ultimum ſtatum qui pervenerit, nihil jam habet quo ultra progrediatur, neque in hoc genere quicquam arbitrantur accidere poſſe fortunatius. Ex his trecentis quinquaginta, proſcriptionis cujusque elegantia duæ claſſes eximiæ conficiuntur. Prior tres continet omnium præſtantiſſimos, quorum unus eminet. In hos rex præcipue munificus eſt: ac ſimul electi ſunt, etſi etiamnum adoleſcentes ſint, inter primos proceres palatii numerantur. Altera claſſis triginta eſt vel quinquaginta reliquis inſigniorum, qui Mandarini palatii ſunt. Qui ſuperſunt ſparſi per provincias, extemplo Mandarinatu & munere aliquo ſive in regia ſive foris in provinciis decorantur. Vti deinde compertum fuerit eos rempublicam gerere, ita vel porro evehuntur, vel, quod interdum accidit, abjecti honoribus exuuntur. Quilibet doctor quamprimum eo honore potitus eſt, in patria ſua ædium liminibus eam domum doctoris inſcribit, omnes exinde ei domui honorem faciunt, & fores quibusdam quaſi arboribus cingunt, quas ſinguli ejus urbis Mandarini cum expanſo vexillo ad eum mittunt, atque ibi perſtant in poſterum. Ei vero qui doctorum primus renuntiatur, arcum triumphalem perinſignem erigunt.* Hactenus recitavimus verba Pantogiæ, fortasſis abuſi patientia veſtra. Tempus eſt ut longe diſſitas illas gentes relinquamus.

In EVROPAM igitur atque ad noſtra tempora propius ut accedamus; ab anno quidem usque octingenteſimo floruit Pariſiis liberalium artium ſchola, cui non multo poſt acceſſit theologica: ſed, ipſorum quoque Pariſienſium confeſſione, titulorum illa collatio, primis certe tribus ſeculis h. e. in annum uſque milleſimum centeſimum, nullo in uſu fuit.

Illo autem ſeculo duodecimo refloruit quoque iterum Bononiæ demortua dudum Romani juris profesſio: fuitque illa tempeſtate ſchola illa regia unica in Italis pariter & Germanis, qui ſoli ſcilicet Romani imperii cenſebantur; aſt jam tum ibi noſtra hæc ſacra viguiſſe, nemo temere probaverit. Etſi enim haud neſciam, nonnullos ejus rei inſtitutum *in Lotharium Cæſarem* (a) aut Fridericum

(a) *in Lotharium Cæſarem*) *GEORG. CHRISTOPH. WALTHER in tractatu juridico polit. hiſtorico de ſtatu, juribus & privilegiis omnium facultatum cap. 3. §. 9.* cum pluribus aliis hujus rei inſtitutum Lothario II. Saxoni tribuit, adeoque principium, quod vocat, perficiens graduum academicorum ad a. Chriſti 1135. refert. Is enim Imperator Lotharius II. uti ajunt, cum occaſione ſuſceptæ contra Siciliæ Regem Rogerium expeditionis leges Romanas tetra barbarie variorumque bellorum tempeſtatibus deformatas fermeque oppreſſas in

dericum referre, quaſi horum aliquis primum ſcholæ juridicæ Bononienſi eam facultatem tribuerit: vereor tamen multum ut poſſit probari monumentis priſcis, neve ex quadam arrogantia iſthæc aſſerantur. Neque vero authentica Friderici *Habita*, (a) quæ legitur codice *Ne filius pro patre*, facit huc vel hilum: utpote quæ de ſtudioſis loquatur & quidem legum maxime diſciplinæ deditis, qui nempe ſoli tum Bononiæ: de doctoribus autem & magiſtris, iis præſertim qui non profitentur, ne γρῦ quidem habeat.

Floruerunt autem eodem tempore in Neapolitano regno duæ etiam inſignes medicorum ſcholæ; Salerni altera, *altera Neapoli.* (b) Qui tum rerum ibi eſt potitus Rogerius, Siciliæ utriusque (uti loquuntur) Rex & *Salerni Princeps*, (c) ſingulari lege de *probabili experientia medicorum* lata, cavit quidem, ne quis medicinam exerceat niſi prius a magiſtratibus & judicibus probatus, idque adeo, ut qui fecerit ſecus, bonis omnibus ſpolietur. Verumtamen hanc Rogerii legem noſtris inſtitutis academicis convenire, haud facile perſuaſeris; cum probandi facultas non artis magiſtris ſed magiſtratibus committatur. Propius ad mores noſtros accedunt Siculæ aliquot conſtitutiones Friderici Cæſaris, quas antehac ex hoc loco a me recitatas forte adhuc meminiſtis, itidem artem medicam facturis præſcriptæ. Iis enim jus poteſtasque probandi omnes, qui artem velint exercere, magiſtris Salernitanæ ſcholæ tribuitur, adjecto certo & fixo quodam ſtudiorum medicorum ordine. Sed & alias in medium attulimus Ægidii Corbolienſis de Salernitanis, ejus ſeculi magiſtris querelam, quod docendæ faciendæque artis poteſtatem indoctis juvenibus committerent. Unde perſpicuum eſt, jam tum ſaltim haud multum noſtræ conſuetudini abſimile quid, in regno Neapolitano, apud medicos quidem, inque ſchola Salernitana, auctoritate regia incepiſſe. Verum enimvero Ægidii quidem illius ætas in confinia ſeculi duodecimi & decimitertii incidit; & Fridericus ille Cæſar non Barbaroſſa noſter eſt, ſed ejus nepos id nominis ſecundus. Eoque hisce teſtimoniis tantum hoc evincitur: illa circiter tempeſtate *in medicis ſcholis jacta initia* (d) noſtri moris. Et vero nondum hinc liquet, num extra illud regnum idem obtinuerit: aut num in aliis ſcholis perinde fuerit admiſſa probatio iſta atque exploratio idoneorum artificum.

Enimvero Alexandro III. Pontifice, qui ſedit ab anno 1160. usque ad 1182. nullam fuiſſe theologiæ magiſtrorum ſolennem aliquam lauream, liquido oſtendunt, quæ continentur l. V. decretalium tit. V. *de magiſtris*, (e) *& ne aliquid exigatur pro licentia docendi.* Nam in canone quidem concilii Lateranenſis Alexandro illo Pontifice habiti, ſimpliciter pronunciatur, ad docendum admitti debere omnem *qui ſit idoneus.* Ipſemet Alexander præcipit: *ut quicunque viri idonei & literati voluerint regere ſtudia literarum ſine moleſtia & exactione qualibet ſcholas regere permittantur.* Ne quidem verbulo autem ſignificatur, idoneum quemvis probari debere poſt facta examina. *Ab illo tempore usque annum clↄ CC XXIII.* (f) itidem tale quid nondum fuiſſe uſu apud theologos quidem receptum, colligo ex iis, quæ de Pariſienſis ſcholæ, quæ unica ſacram doctrinam tum expoſuit, inſtitutis paulo poſt ex Joanne Fileſaco recitabimus. Quo fit, ut haud liceat temere fidem habere Onuphrio narranti in *chronico eccleſiaſtico, Innocentium III. Pontificem* (g) poſteaquam in Pariſienſi gymnaſio

Apulia reperiſſet, opera Irnerii in ſcholas & tribunalia earum uſum revocavit, utque major legibus noviter reductis conciliaretur autoritas, per eundem Irnerium gradus academicos inſtituit, jusque promovendi doctores antiquiſſimæ & a Theodoſio II. primum erectæ, poſt a Carolo M. inſtauratæ Bononienſium ſcholæ præſcriptis a cancellario ſuo certa forma & ritibus in promotione adhibendis conceſſit. Ajunt præterea ſcholam Bononienſem hanc ſibi conceſſam facultatem exercuiſſe, & juſſu atque autoritate Lotharii primos juris interpretes Balgarum, Hugolinum, Martinum Pileum primos doctores juris renunciaſſe, atque a JCtis hoc inſtitutum poſtea mutuatos theologos ſpeciatim Pariſienſes, atque ab his demum in alias Germaniæ ſcholas translatum eſſe. Hæc autem opinio (1) nititur incerta hypotheſi, quaſi jus Romanum, quod tamen nunquam in Italia deſiit, oſtendente *STRAVCHIO in Irnerio non err. cap.* 2. juſſu & autoritate Lotharii de novo introductum fuerit. (2) antiquis monumentis & ſcriptorum συγχρόνων teſtimoniis deſtituitur, uti pluribus oſtendit ITTERVS *l. c. cap.* 4. *p.* 87. *ſqq.* qui & p 102. laudat cum Conringio hic conſentientes *MAVRITIVM orat. p.* 29. *VITRIARIVM inſtit. jur. publ. SCHVTZIVM prælect. juris publ. lib.* 1. *tit.* 1. *poſit.* 5. aliosque.

(a) *Habita*) Hanc authenticam prolixo commentario RICHTERVS illuſtravit.

(b) *altera Neapoli*) *Hiſtoria della citta & regno di Napoli da GIOV. ANTONIO SVMMONTE.*

(c) *Salerni Princeps*) Salernitani regiis ob inſignem, qua in Rogerium erant, ſinceritatem exornabantur beneficiis. *ROMVALDI SALERNITANI chronic. p.* 188. 190. 209. *tom. VII. ſcript. Italic.*

(d) *in medicis ſcholis jacta initia*) Unde etiam eſt, niſi me omnia fallunt, quod in bene conſtitutis rebuspublicis medici non admittantur niſi ſolemniter approbati, h. e. doctoratus aut licentiæ ſaltim gradu inſigniti. Vid. *FRID. SCHILLINGII de approbatione medic. diſſ. inaug.* quod cæteroquin in aliis facultatem aliam profeſſis non adeo ſtrictim requiritur.

(e) *de magiſtris*) *GONZALEZ de TELLEZ ad h. t.*

(f) *Ab illo tempore usque ad an.* 1223.) Equidem cancellarios academicos jam ea ætate fuiſſe, ex vetuſtis membranis docet CLAVDIVS HEMERÆVS *lib. de academ. Pariſ. c.* 7. *p.* 61. & in addita *nomenclatura cancell. eccl. Pariſ. p.* 105. *ſeqq.* Atqui cum horum munus & officium fuerit, impertiri aliis licentiam gradus iſtos conferendi, arguere inde quis poſſet, viguiſſe ergo ea quoque tempeſtate gradus academicos: Sed quoniam alia adhuc ſunt plura, circa quæ cancellariorum academicorum munus occupatur, iique etiam ante introductas dignitates academicas fuerint, nihil inde de harum origine certum concludi poterit; prorſus vero hæc objectio corruit, ſi obſervationem CONRINGII *in ſupplem.* 64. attendamus, teſtantis, nullam ante Gregorii IX. bullam Pariſ. academiæ datam cancellariorum facere mentionem.

(g) *Innocentium III. Pontificem*) Ita & hac de re judicat LAVNOIVS *de ſchola Pariſienſi cap.* 59. *art.* 6. *p.* 207. ubi poſtquam verba autoris anonymi de geſtis hujus pontificis adduxerat, addit ſtatim. Ex his manifeſta ſunt duo, & Innocentium III. Pariſiis operam dediſſe theologiæ & ejus in theologia magiſtrum fuiſſe Petrum de Corbolio, quem Innocentius ipſe primum ad Cameracenſem, deinde ad Senonenſem eccleſiam promovit. De Pariſienſi autem hujus pontificis magiſterio nihil hic habetur. Invenio quidem illum a nonnullis recentioribus magiſtrum ſeu theologum Pariſienſem dictum, ſed & ab antiquis hoc nomine donatum non in-

ſio aliquandiu ſtudiis vacaſſet, doctoris theologi honores ibi conſecutum. Teſtatur tamen Gabriel Naudæus, vir clarisſimus & bibliotheca quædam ἔμψυχος, Gregorium IX. Papam bullæ, academiæ Pariſienſi anno trigeſimo primo ſeculi duodecimi (rectius dixiſſet decimitertii) miſſæ hæc verba inſeruiſſe: *De phyſicis autem & artiſtis cancellarius promittet, bona fide examinare magiſtros, & non niſi dignos admittens repellet indignos.* Ex quibus manifeſtum eſt, tum quidem illam quæ nunc obtinet laudabilem conſuetudinem fuiſſe in uſu; ſaltim inter medicos & philoſophos. Si autem inter illos, quidni & in ſcholis theologicis ac juridicis? Quin ſimile eſt vero, auctore Gregorio illo IX. Papa, omne illud inſtitutum cœpiſſe, & hujus imitatione Fridericum II. Cæſarem per eadem tempora idem in regno ſuo Neapolitano a medicis voluiſſe obſervari.

QVICQVID ſit; extra dubium eſt, *ſeculo Chriſtiano tertiodecimo*, apud theologos, juriſconſultos, medicos, philoſophos *honorum titulorumque collationem noſtram uſu receptam eſſe.* (a) Et quidem initium ſi non omnium ſaltim plerorumque, fortaſſe factum eſt in GALLIA. Id ſane inde fit probabile, quoniam *vocabulum baccalaurei mere Gallicæ eſt originis* (b) & uſus: qua tamen voce primi honores ſemper & paſſim terrarum poſt appellati ſunt. Poſt inquam: nam & antehac fuiſſe, ſed alio ſenſu receptam, patet ex *cap. 1. lib. 5. hiſtoriæ* Glabri Rodulphi Cluniacenſis in Gallia monachi.

Verum hoc ſive credat quis ſive neget, haud equidem in magno ponam diſcrimine. Satis mihi nunc eſt, recitaſſe verba Joannis Fileſaci Sorbonici doctoris, etſi & alias a me adducta ſint. Ita autem ille. *Philippo Auguſto Rege* (is autem Galliam rexit ab anno usque 1180. usque ad ſequentis ſeculi 1223.) *nullæ aut paucæ leges, ut nec ſolennes ritus & formulæ ad curriculum theologicum emetiendum, vel doctoralem lauream adipiſcendam. Sed ut ego arbitror, prout quisque in rerum theologicarum cognitione ſub theologis, qui publicas habebant ſcholas, profeciſſet, communi velut auditorum conſenſu ad libros veteris aut novi teſtamenti ſeſe accingebant.* Idem non multo poſt ſcribit: *Cum ſcioli quidam & qui vix theologiam deguſtaſſent illud publicum docendi munus ultro ſibi arrogarent, doctorum melioris notæ qui tum erant judicio, ordo ille theologicus formam legitimæ ſocietatis tum primum haberi cœpit. Hinc leges nonnullæ ſcriptæ & quidem ante annum trecenteſimum ſupra milleſimum; quod ex utroque codice MSS. noſtrarum legum antiquiore tum recentiore firmari poteſt.* Hæc Fileſacus. Et recte quidem. Nam Pariſienſis theologicæ ſcholæ leges quod attinet, innituntur illæ magnam partem mori jam tum recepto interpretandi libros ſententiarum Petri Lombardi, *hic vero ante Philippum Auguſtum Regem non cœpit.* (c) Eam ſane legum iſtarum eſſe rationem agnoſcit ipſemet Fileſacus. *Ne in facultatem theologicam* (ait) *etiam imperiti irrumperent: hinc ſacra theologica facultas in quatuor velut ordines diſtributa, magiſtrorum, licentiatorum, baccalariorum formatorum & baccalariorum curſorum. Inde publica exercitationes indictæ (actus theologicos appellant) expectatoria ſive expectativa, tentoria ſive tentativa, ſorbonica, ordinaria, quodlibeta, collationes, diſputationes in reſumptis,* (d) *& ſimilia. Iis theologicis progymnasmatibus originem dediſſe videtur, quæ tum invaluit conſuetudo, publice videlicet interpretandi libros ſententiarum.* Ejusdem Fileſaci verba etiam hæc ſunt: *Biblia curſum dixere veteres, ſacra ſcriptura tempus aliquod addictum. Ab eo vero docendi munere theologicum curſum ſuum ordiebantur nuperi illi baccalarii curſores, ac poſtea ſententiarum Petri Lombardi*

venio. Tunc enim non qui auderet tantum, ſed qui doceret theologiam, magiſter in theologia vocabatur. Innocentium autem Pariſiis vel alibi docuiſſe, qui probabunt? Idem tamen LAVNOIVS *p. 209. de Innocentio V.* ait, de eo pro certo conſtare, quod Pariſienſis in theologia magiſter fuerit, idque probat ex Johanne de S. Victore, S. Antonino & Tritthemii catalogo.

(a) *ſeculo 13. titulorum collationem uſu receptam eſſe*) *WILLEMORVS diſſ. de academicis honoribus §. XI. p. 20 cit. ITTERO p. 101.* his forte Conringii verbis inductus exiſtimavit, ejus ſententiam fuiſſe, vel ſaltim hoc ſenſu limitandam eſſe, quaſi uſus dignitatum academ. plenarius apud omnes facultates inter Italos Gallosque demum ſec. 13. cœperit, quo ipſo tamen negare noluerit, honores iſtos tenuia quædam exordia jam Lothario Saxone ſec. XII. Bononiæ & Lutetiæ ſumſiſſe per ea, quæ de P. Lombardo primo apud Pariſienſes theologiæ doctore vulgo afferri ſolent: Verum hanc limitationem autoris menti plane contrariam eſſe recte oſtendit ITTERVS *l. c.* & in hunc finem non modo ad luculenta & aperta verba *in ſupplemento LXVII.* provocat, ſed & id affert, quod CONRINGIVS hoc ipſo loco ſtatim in ſequentibus ſtatuat, Lombardum ante Philippi Regis ætatem non cœpiſſe.

(b) *vocabulum baccalaurei mere Gallicæ eſt originis*) De origine hujus vocis alias variæ extant eruditorum ſententiæ. Sunt qui a baculo cum Beato Rhenano derivantes bacularium, vel a bacillo bacillarium ſcribunt. Sunt alii, qui cum Alciato a bacca laurea derivant. Alii aliter conjiciunt, de quibus vid. ITTERVS *cap. II. §. 4. p. 14. ſqq.* Jam pridem tamen verum etymon non latinum ſed gallicum eſſe doctiores perviderunt. Ita JVLIVS ALEXANDRINVS *lib. 4. de medico p. 228.* Audiſſe me, inquit, ab erudito quodam memini, Battalaurios illos vocari ſolitos veteri lingua Gallica, qui tyrones cum eſſent, prælio tamen aliquando interfuiſſent. His ſimilia de Battalariis dabunt JOH. LVDOV. VIVES *lib. 1. de cauſ. corr. art. p. 64.* *MATTH. MARTIN. lexic. philol. f. 104.* *VOSSIVS de vit. ſerm. lib. 1. c. 19. p. 77.* *ALSTEDIVS in encyclop. lib. 24. c. 9. reg. 3. tom. 3. f. 290.* *BESOLDVS c. 6. diſſert. de ſtudioſ. pag. 74.* qui ſic demum. Certe adhuc Franco-Galli Bacheliers en armes vocant, quos nunc in re literaria baccalaureos appellamus. Claudius Fauchetus tamen putat eſſe Gallicum bas chevalliers, quia baccalaurei minores ſint illis, quos Bacheliers vel bannoretos vocant. Vid. JACOBI THOMASII *progr. 46. de vetuſto ritu creandi baccalaureos p. 536.*

(c) *hic vero ante Philippum Auguſtum Regem non cœpit*) Philippus Auguſtus ab a. 1180. usque ad annum 23. ſec. XIII. regno præfuit, uti ipſe CONRINGIVS annotat. Jam quidem certum eſt, Lombardum floruiſſe ſec. XII. Utrum vero ille ante Philippum Regem non cœperit, alia eſt quæſtio. Plures enim hiſtorici & chronologici hic diſſentiunt. BEATVS RHENANVS editionem ſententiarum Lombardi jam ad a. 1140. HENR. GVTBERLETH vero *in chronol. p. 435.* ad a. 1160. refert.

(d) *diſputationes in reſumtis*) Reſumtæ nomen inditum olim actui illi ſive theologicæ diſputationi, quæ poſtridie accepti magiſterii ſeu doctoratus theologici fieri conſueverat, a nonnullis tamen doctoribus procraſtinabatur, & in multos differebatur annos. Olim enim examina actusque varii ſub veſperiarum, aulæ ſ. diſputationis aulicæ, reſumtarum, comitiorum, determinationum aliisque nominibus veniebant, quæ ex Prideaux, Launoio aliisque illuſtrat ITTERVS *p. 185.*

di libros quatuor interpretabantur. Hinc nata illa diſtinctio baccalareorum apud majores, ut alii biblici, alii ſententiarii nuncuparentur. Hujusmodi profecto leges ante ſeculum tertium decimum non ſunt conditæ. Nec vero antehac quisquam in magiſtrum ſententiarum eſt commentatus. Trithemius ſane primo Joanni de Rupella Alexandri de Ales familiari idipſum attribuit. Nec Sorbonica quæ nuncupantur fuerunt utique ante Robertum Sorbonam. Adhoc ſi ceremonias videamus, ante Innocentium IV. Papam non videtur fuiſſe in uſu purpureus galerus doctoralis, utpote quum huic Papæ ipſimet cardinales galerum ſuum debeant teſte Papirio Maſſono. Princeps quoque Nicolaus IV. Papa fertur Pariſienſibus indulſiſſe, ut ibi approbati doctores facultatem habeant ubique docendi, legendi, regendi, quodque alibi debeant pro doctoribus æſtimari. Id quod inter doctorum privilegia præcipuum eſt. *Et tamen non eſt veroſimile alibi cœpiſſe,* (a) antequam Pariſina illa nobiliſſima omnium ſchola tanto beneficio eſt affecta. Meretur vero & hoc notari: Fileſacum diligentiſſimum ſcholæ ſuæ antiquitatum indagatorem, ex monumentis ſive tabulis vetuſtis laudaſſe non niſi duos, qui ipſo ſeculo tertio decimo theologiæ doctores Pariſiis creati ſint, Ægidium nempe Columnam quem Romanum vulgo nuncupamus, Thomæ Aquinatis diſcipulum ac ſectatorem, & *Petrum de Tarantaſia, illum qui pontificatum indeptus Clemens IV. poſtea audivit.* (b) Non quod non plures ibi integro ſeculo titulum illum ſint conſequuti, ſed quod certis teſtimoniis deſtituamur; ſi accurate morum noſtrorum tempora fuerint definienda. Quod tamen niſi fiat, omnia confuſe docentur: quemadmodum ab imperitis coquis jura confundi ſolent.

Verum quod Pariſiis quidem pene jam ab initio usque ſeculi tertii decimi omnis generis doctores fuerint creati, ſatis ſuperque eſt manifeſtum. ALIBI terrarum, ubi ſimiles ſcholæ tum floruerunt, itidem ſtatim hoc ipſum invaluiſſe, nihil eſt cur dubitemus. Certe circa initia ſeculi quarti decimi paſſim malos mores in laudabile hoc inſtitutum irrepſiſſe jam, liquido apparet ex concilii Viennenſis decreto illo, quod inter Clementinas ſuas promulgavit *Clemens V. Pontifex.* (c) Non poſſum non illud hic recitare, quoniam rem omnem mirifice illuſtrat, ſimulque oſtendit, quam facile optima quæque inſtituta degenerent, niſi exacte caveas. *Cum ſit nimis abſurdum* (ait Papa) *ut quis cum vanitate & imperitia ad honorem aſcendat peritiæ literarum: non ſine turbatione miramur, illum apud ſcholaſticos invaluiſſe abuſum, quod plerique eorum, qui in quavis ſcientia ad doctoratus vel magiſterii aſſumuntur honorem, quum ſua ſolenniter principia faciunt aut ſui recipiunt inſignia doctoratus, circa cibos veſtes & alia ſic in expenſis excedunt, quod & ipſi, tranſeunte expenſarum hujusmodi vanitate, vacui plerumque remaneant & gravati: & cæteri, qui vel nolunt vel nequeunt ſimiles expenſas ſubire, hac occaſione frequenter a receptio-*

(a) *Et tamen non eſt veroſimile alibi cœpiſſe:* Aliorum hac de re ſententias collegit & cum Conringio omnino eadem ſentiens data opera pluribus refutavit ITTERVS *p.* 89. *ſq.* Sunt autem ex contradicentibus (1) MARCELLVS ANCYRANVS, doctoralium honorum originem ad tempus concilii Cæſarauguſtani a. 380. celebrati referens *disquiſ. ad decretalem ſuper ſpecula de magiſtris c.* 3. quoniam canone 8. hujus concilii doctoris nomen ſine conceſſione aſſumere jam vetitum fuerit: quod tamen de doctoratu potius, prout eccleſiæ miniſterium denotat, accipiendum eſt. (2) DAVID BLONDELLVS, qui doctoratus epocham ad a. fere 1138. refert *præf. disquiſ. de Johanna Papiſſa.* (3) *ANTONIVS a WOOD*, qui in *hiſtoria & antiquit. acad. Oxon.* ſcholaſticarum dignitatum initia Anglis ſuis vindicat, & Pariſienſem academiam Oxonienſi originem ſuam acceptam ferre docet *lib.* 1. *c.* 12. atque cumprimis ad S. Johannem Beverlacenſem, qui a. 821. obiit, magiſtri titulo tum inſignitum provocat: quod tamen non de magiſtri aut de doctoratus gradu; ſed de eo, qui doctoris aut profeſſoris munus ſuſtinuit, rectius intelligitur. (4) HERMANNVS KIRCHNERVS, qui *orat. paneg.* 3. jam ſeculo X. quosdam doctoralibus honoribus decoratos nominat, Philippum nempe Henrici Imper. ſecretarium & Burchardum de Mangenfeld Ottonis II. conſiliarium, id quod poſt Kirchnerum ſaltim de Burchardo quoque aſſeruerunt BESOLDVS *diſſ. de ſtudioſis & magiſtris p.* 118. *JOH. SITHMANNVS ſpec. imper. Rom. c.* 24. *n.* 40. *p.* 562. quæ tamen ſententia idoneis teſtibus & monumentis deſtituitur, & vel ex eo facile refutatur, quod tum temporis nondum in Germania academiæ fuerint. (5) INNOCENTIVS GENTILETTVS, qui *lib.* 1. *exam. conc. Trid.* §. 5. *p.* 6. juris doctores & licentiatos ab aliarum diſciplinarum ſive facultatum gradibus ſeparat, & illorum originem ad Caroli M. tempora refert, quem ſigillatim refellit ITTERVS *cap.* 4. §. 2. *&* §. 20. ut taceam alios.

(b) *Clemens IV.)* Rectius Innocentius V. Ita enim de eo Tritthemius cit. LAVNOIO *l. c. p.* 209. *ſqq.* Petrus de Tarantaſia ordinis prædicatorum & poſt Gregorium X. Papa Innocentii V. nomine conſecratus ſedit in pontificatu menſibus tantum quinque, vir certe in divinis ſcripturis eruditiſſimus & in philoſophia Ariſtotelica notabiliter doctus, qui theologiam multis annis egregie docuit, & magnam ſuæ eruditionis laudem acquiſivit. Ita & refert JOHANNES de S. VICTORE *in memoriali hiſtoriarum ad a.* 1270. *Poſt quem ſcilicet Gregor. X.* inquiens, *frater Petrus de Tarantaſia de ordine fratrum prædicatorum magiſter in theologia electus & vocatus Innocentius V.* Cæterum quod ex Fileſaco de Clemente IV. id dixerit Conringius, is error inde natus videtur, quod de alio Pontifice nimirum Clemente VI. non IV. eadem ſoleant referri. Eum enim non modo BARTHOLOMÆVS VRBINVS *in epiſtola*, quæ *milleloquio Auguſtini* præfixa eſt, theologiæ profeſſorem, ſed & FRANCISCVS PETRARCHA *in lib.* 1. *rerum memorandarum* magiſtrum Pariſienſem appellat. Idemque LAVNOIVS *l. c. p.* 212. probat ex manuſcripto Fuxenſi in vita Clementis, quod ita ait: *Hic prius vocatus eſt Petrus Rogerii fuitque monaſtico habitu indutus in monaſterio Caſæ Dei in Alvernia dioeceſis Claromontenſis ordinis S. Benedicti, ubi primo edoctus extitit in regularibus obſervantiis, demum ivit ad ſtudia literarum, in quibus adeo profecit, quod fuit effectus profundiſſimus & ſolennis magiſter in ſacra theologia.* Addit autem LAVNOIVS hoc factum Lutetiæ Pariſiorum, ut MASSONVS *in vita Clementis* ſcribit & confirmatur ex publico theologorum Pariſienſium ſuper viſione beata judicato, cui Clemens tunc dictus Petrus Rogerii interfuit.

(c) *Clemens V. Pontifex)* Primus hic fuit ex Pontificibus, qui in concilio Viennenſi (quod temporibus Henrici Lutzelburgici imper. a. 1312. habitum inſigne antiquitatis honorum academicorum monumentum præbet) immoderatum luxum & nimios ſumtus in convivia doctoralia effuſos moderatus eſt. Labes enim illa nimiæ profuſionis jam tum atque adeo ſtatim ab initio in doctorum irrepſerat ordinem, de qua alias alii quoque conqueruntur, nominatim *STVCKIVS lib.* 1. *antiqu. conviv. c.* 18. *fin.* *THOMAS LANSIVS tract. de academ. p.* 70. quam tamen cumprimis in Argentoratenſi academia rubrica quadam ſpeciali correctam docet *GREGORIVS BICCIVS in progr. de a.* 1648. quod *ITTERVS* integrum inſeruit *l. c. p.* 293. *ſqq.*

receptione honoris hujusmodi retrahuntur. Volentes igitur de opportuno ſuper his remedio providere, illis ad quos ubilibet pertinet honorem tribuere memoratum, diſtricte præcipimus, ut quoscunque ab eis de cætero dictum recipientes honorem juramento prius adſtringant, ut ultra tria millia Turonenſ. argenteorum (a) *in ſolennitate circa hujusmodi doctoratum aut magiſterium quomodolibet adhibenda expendat. Ipſosque nihilominus (niſi forſan nobilis conditionis extiterint) ut intra ſummam prædictam hujusmodi moderentur expenſæ, efficaciter adhortantes, ac, ſi hoc illorum congruere ſtatui viderint, juramentum exigentes ab eis, quod certos intra ſummam præfatam taxandos ab ipſis expenſarum terminos non excedant. Si quis autem pontificiali etiam dignitate præfulgens, non recepto prius juramento præfato, honorem cuiquam tribuerit ſupradictum, a collatione magiſterii ſeu doctoratus cujuslibet, per ſex menſes ſequentes eo ipſo noverit ſe ſuſpenſum.* Hactenus Clemens. Cujus verbis claudam nunc quem hucusque inſtitui ſermonem: præſertim quum dudum ſenſerim vocari me ad illud quod huic panegyri maxime eſt proprium, ut nimirum eximiis hisce duobus viris promeritos honores publice conferam.

DISSERTATIO QVINTA.

Habita II. Januar. Anno cIↃ IↃ CXL. cum magiſtratus academici munus aggrederer.

IN non levi ſane negotio hodie verſamur, quando civitatem hanc ſcholaſticam, tam numeroſo florentium civium cœtu inſignem, regendi adminiſtrandique poteſtas ab uno in alium devolvitur. Omnia enim ſpectantibus academiarum ſcholarumque inſtituta, neſcio an quid aliud ſive auguſtius, ſive quod magis in rem ſit eorum qui literis dant operam, temere poſſit occurrere. Enimvero multa præclara ab Ægyptiis, Chaldæis, & Perſis, a Græcis, a Romanis, ab Arabibus, ab aliis gentibus in literarias ſcholas illas maximas collata fateor: nihil tamen animadverti hactenus, quod mereatur comparari cum juris illa dicundi poteſtate, qua nunc academiæ quæ vocantur inprimis gaudent. Vel hoc uno certe felicior hodie conditio eſt diſcentium ac docentium, quam olim. Tametſi enim magno in pretio olim fuiſſe literatos viros, ac inprimis magiſtros melioris doctrinæ certum ſit, nec egeat probatione; ad hunc tamen felicitatis gradum ne aſpirare quidem tum licuit. Certe nihil ſimile obſervare eſt in omnibus retro ſeculis, apud omnes gentes; ne apud ipſos quidem Græcos, qui tamen vulgo creduntur eruditionis maximi cum cultores tum æſtimatores. Jam tum ſæpenumero a me hoc ex loco ea de re verba facta ſunt. Oſtenſum enim, quam vilis olim etiam apud ipſos Græcos fuerit hominum doctorum conditio: longe vero hos ſuperatos ab Ægyptiis, ab Arabibus, a Perſis, aliisque populis, quos illi Græculi uti barbaros contempſerunt. Deducta porro eſt per omnia ſecula ad usque duodecimum Chriſtianæ æræ ſcholarum omnium hiſtoria. Ex qua luculente, niſi admodum me fallo, patuit: cum multa alia inſtituta quibus hodie ſtant potiſſimum vigentque academicæ respublicæ, hactenus fuiſſe ignota: tum & propriam aliquam jurisdictionem academicam neutiquam fuiſſe in uſu.

Et vero ut poſterius nunc multis iterum probemus, nihil eſt profecto cauſæ. Si cui tamen nondum in mero meridie ſol ille veritatis lucet, primum cogitet, quod in nullis monumentis antiquis legere ſit, animadvertendi in juvenes deditos ſtudiis literarum fontes vim poteſtatemque ſeorſim aliis, quam qui civili magiſtratu funguntur conceſſam eſſe. Ut autem memoria ejus rei inter tot doctorum ſcripta ad nos non perveniſſet, ſi illa obtinuiſſet usquam, ἓν eſt τῶν ἀδυνάτων. Cogitet deinde, quemadmodum ipſæ Romanæ leges, quæ tamen immunitates & ſalaria magiſtris decreverunt, ſecus quam factum fuerat a Græcis, cum aliorum magiſtratuum tum decurionum judiciis ipſosmet doctores ſubjecerint. Seculo quarto, quo tempore maxima fuit ſub Romanorum quidem imperio literas colentium libertas, ipſis Athenis Atticis proconſuli paruiſſe profeſſores omnes & quæ ad eorum cathedras pertinent, luculente apparet ex iis, quæ de Proæreſii in ſophiſticam cathedram cooptatione prolixe narrat Eunapius Sardianus. Ipſius quoque ſcholaſticæ juventutis animadverſionem unius fuiſſe proconſulis jus, itidem diſcere eſt ex iis, quæ idem ſcriptor αὐτόπτης diſſerit in vita Juliani Sophiſtæ, de tumultu per ſtudioſos quosdam excitato, & ſuper illa re inſtituto a Proconſule publico judicio. Conſtantinopoli ſtudioſam juventutem ſub jurisdictione præfecti urbis, Beryti item ſub imperio præſidis Phœniciæ maritimæ fuiſſe, idque ipſomet Juſtiniano approbante, liquet ex iis quæ a C≀ſare iſto ſunt conſtituta in eos, qui ſerviles nonnullos ludos petulanter exercebant. Nam quod Beryti & epiſcopus & legum profeſſores in partem fuerint tracti a Juſtiniano, id videtur ad ſolam illius petulantiæ coërcitionem pertinere. Verba Cæſaris ſunt: *Et hæc omnia in hac quidem florentiſſima civitate, vir excelſus præfectus hujus almæ urbis tam obſervare quam vindicare,*

(a) *tria millia Turonenſium argenteorum*) Gallicæ monetæ genus id fuit, quod tamen in alias quoque terras & in ipſam Germaniam migravit, unde ad antiquorum illorum in Gallia exemplum Francofurti cuſi dicti ſunt *alte Tournes*. Quid vero & quantum per Turonenſes argenteos ſignificetur, difficile admodum eſt definire, cum ob diverſitatem, quæ jam illo tempore in hoc monetæ genere fuit, tum ob mutationes varias, quæ in hac aliisque monetis ab iſto tempore ſæpius contigerunt. Ex CAROLO quoque *du FRESNE in gloſſar. h. v.* vix ſufficientem explicationem hic hauſeris. Diſtinctius tamen hac de re egit voce moneta, & inprimis Gallicus ſcriptor le BLANC *au traite hiſtorique des monnoyes de France p. 179. ſeqq.* & *SPEELMANNVS gloſſar. voce Turonenſis nummus p. 548.* Brevibus, id apud vulgares rei nummariæ ſcriptores conſtat, 6. Turonenſes unum imperialem & aliquid ultra conficere, antiquos vero Turonenſes valore ſive intrinſeca bonitate prope ultra dimidium recentiores Turonenſes, qui in Germania cuſi fuerunt, ſuperaſſe. Conf. *GOMESIVS comment. in judiciales regulas cancellariæ reg. de valore benefic. in impetrat. exprim. qu. 9. p. 443. ſeqq.* atque ex eo *SPEIDELIVS voce Tournor.*

care, prout delicti tam juvenum quam ſcriptorum qualitas exegerit, cura habebit. In Berytienſium autem civitate, tam vir clariſſimus præſes Phœniciæ maritimæ, quam beatiſſimus ejuſdem civitatis epiſcopus & legum profeſſores.

Quantum apparet, ſeculo demum duodecimo cœpit reipublicæ hoc ſcholaſticæ genus conſtitui. Inde ortus hic ſplendor. Inde hæc felicitas noſtra. Quidni enim in felicitatis parte collocemus, quod rudium imperitorumque hominum, qui plerumque literatis literarumque ſtudioſis minus eſſe æqui ſolent, foro & judiciis ſubducti ſimus? Sub initium ejus ſeculi univerſa Europa unicam duntaxat habebat ſcholam publicam Pariſienſem, qua rudior quædam & philoſophia & theologia, ut tum erant tempora, non male docebatur. Non multo poſt doceri publice Bononiæ in Italia cœpit jus civile Juſtinianeum, cujus per quam multa ſecula auctoritatem ipſi Itali & Romani vix leviter obſervaverant. Id factum ne ſit publica Cæſaris lege, quod vulgo perſuaſum eſt, an privato potius Irnerii ſtudio aliorumque conſilio, non ego nunc dixerim. Neque enim huc attinet dijudicare: & alibi id jam tum multis eſt diſputatum. Quicquid autem hujus ſit, id videtur conſtare, ibi primum jurisdictionis academicæ fundamenta jacta eſſe.

ANNVS agebatur a nato Servatore poſt milleſimum centeſimum octavus quinquageſimus, quum in *Roncaliis* (qui *campi* (a) ſunt Italiæ late patentes ſupra Padum, non procul a Placentia, loco conventibus publicis imperii procerum olim percelebri,) comitia celebraret prudentiſſimus fortiſſimusque Germanicorum Cæſarum *Fridericus* primus, is qui vulgo cognomento *Barbaroſſæ* (b) audit. Vim ſane authenticæ verbis faciunt, qui omne hoc negocium Friderico II. attribuunt: etſi hunc avo doctiorem fuiſſe adeoque literatorum ordini impenſe faviſſe, lubens & ultro confitear. Sed jam eo, quo diximus, tempore, videntur multi ſtudiorum gratia patriis laribus relictis ad illos eruditionis mercatus quidem commigraſſe, qui tamen interim a viliſſimis ſæpe hominibus, qui literatorum ordini neſcio quo naturæ vitio ſolent eſſe infenſi, indignis modis haberentur. Ei rei uti occurreret, utque impoſterum meliore conditione viverent ſcholaſtici, tulit Cæſar laudatiſſimus, *habita* tamen, ut ipſe loquitur, *ſuper hac re diligenti inquiſitione, epiſcoporum, abbatum, ducum, omnium judicum* (qui ſcilicet præerant judiciis liberarum Italiæ urbium) *& aliorum procerum ſacri palatii examinatione*, illam authenticam, quæ *Habita* audit, & Cæſare ita volente codicis Juſtinianei titulo *Ne filius pro patre* annexa eſt. In qua & alia nonnulla ſunt iis qui ſtudiorum gratia peregrinantur conceſſa, tum illud inprimis, quod erepti indoctorum hominum foro, optione data, vel epiſcoporum vel dominorum loci vel magiſtrorum, jurisdictioni ſeſe ſubjicere tum potuerint. Verba conſtitutionis Cæſareæ digna profecto ſunt quæ hic audiantur, atque expendantur accuratius. *Verum tamen*, inquit Imperator, *ſi litem eis quisquam ſuper aliquo negotio movere voluerit: hujus rei optione data ſcholaribus, eos coram domino, vel magiſtro ſuo, vel ipſius civitatis epiſcopo, quibus hanc jurisdictionem dedimus, conveniat. Qui vero ad alium judicem eos trahere tentaverit, etiamſi cauſa juſtiſſima fuerit, a tali conamine cadat.* Hæc ſunt illa verba quæ academicæ jurisdictionis exordium præbuerunt. Exordium, inquam, & occaſionem primam. Nequaquam enim cum illis poſſum facere, qui omnem jurisdictionis academicæ vim conſtitutione hac unice niti profitentur. Ignari, non eſſe eam legum iſtarum auctoritatem, uti & ſequentia obligare ſecula poſſit, aut populos imperio Germanico minime ſubditos. Qui & hoc ignorare, aut certe non attendere videntur, a ſententia illius conſtitutionis eam, qua nunc gaudent academiæ, juris dicundi conſuetudinem, haud parum diverſam eſſe. Ac prior quidem error & jam alias eſt a me caſtigatus, & quoniam valde eſt communis, patetque latiſſime, ac reſpublicas multas jam convulſit, nec non impoſterum queat convellere, iterum uberius aliquando eſt refellendus. Sunt enim qui illis Cæſarum legibus parem pene vim adſcribant atque æterno naturæ juri diviniſque cœlitus latis conſtitutis. Qua opinione tamen forte nec abſurdius quidquam eſt nec in publicum exitioſius. Cæterum quam diverſa ſit mens illius laudatiſſimæ authenticæ a conſuetudine ac moribus jurisdictionis academicæ, quæ nunc paſſim obtinet terrarum, non difficile eſt videre, ſi quis verba conſtitutionis cum iis quæ obtinent velit contendere.

Forte autem operæ fuerit pretium, ſi vel ego brevibus nunc exponam authenticæ ſenſum: quoniam in hunc campum ſentio me deferri, nec ab hoc die id alienum eſt.

PRIMO autem loco occurrunt obſervanda illa: *Si litem eis quisquam ſuper aliquo negotio movere voluerit.* Enimvero quinam intelligantur voce *eis*, facile ex ſequentibus conſtat authenticæ verbis, ubi ſoli ſcholares nominantur, quotquot nempe ſtudiorum cauſa peregrinantur. Etſi enim ante & profeſſorum facta fuerit mentio, hæc tamen optio fori ad ſolos ſcholares diſerte reſtringitur. Quo patet, tum quidem, atque hacce authentica, profeſſores nondum a foro civili eſſe liberatos. Id vero inprimis notandum, reſpexiſſe hac conſtitutione Cæſarem *ſcholares* (*hoc nomine autem Italis veniunt* (c) hodieque illi qui nobis ſtudioſi aut ſtudentes vulgo audiunt) & quidem illos, qui *ſtudiorum*

(a) *campi Roncalii*) Hujus loci fit etiam mentio 2. *Feud. f.* 33. *ſ.* 1. *f.* 40. *&* 52. De iisdem campis conferatur *diſſ.* 6. *infra. Erat autem conſuetudo*, inquit OTTO FRISINGENSIS *de geſtis Friderici I. c.* 12. *regum Francorum æque ac Germanorum, ut quotiescunque ad ſumendam imperii coronam militem ad tranſalpizandum cogerent, in prædicto campo manſionem facerent, & interdum comitia celebrarent. Quod novum nulli videri poteſt, cum & apud Romanos centuriatis comitiis deſtinatus fuerit campus Martius.* Vid. RIVIN. *de Majumis Maicampis & Roncaliis* §. 9. 10. *pag.* 611. 612. apud GRÆVIVM.

(b) *Fridericus Barbaroſſa*) Huic CONRING. recte authenticam tribuit *hic & diſſ.* 6. nec minus RICHTERVS, EVERHARDVS BRONCHORST & plerique alii.

(c) *hoc nomine Italis veniunt*) Itali enim univerſitates ſuas ſtudia nuncupant, & ſtudiis addictos non ſtudioſos ſed ſcholares. LIMNÆVS *lib. VIII. c.* 1. *n.* 21.

rum cauſa peregrinantur. Ex quo facile eſt concludere, voluiſſe Cæſarem pertinere hæc privilegia ad ſcholares, non tantum quando degunt in locis ubi ſcholæ habentur publicæ, verum etiam ſi alibi degant, modo in itinere ſint & ſtudiorum gratia peregrinentur. Nam profecto & qui eſt in itinere peregre eſt. Ita autem interpretanda illa Cæſaris verba, cum conſuetudo loquendi indicat,tum ſcopus Cæſaris, qui peregrinantium ſecuritati voluit conſultum, quæ in ipſo itinere vel maxime laborat. Vt nunc taceam in eadem conſtitutione diſerte dici, beneficium ſcholaribus indulgeri, ut non tantum iis in locis, in quibus literarum exercentur ſtudia ſecure vivant, ſed etiam *ut ad illa* veniant.

Scholaribus ergo ſeu ſtudioſis qui ſtudiorum gratia peregrinantur, ubi ubi vixerint,ſi quis litem velit intendere fori optionem dat Cæſar. Nec vero eſt quod miremur, optionem eſſe datam fori. Erat quippe iſthac ætate conſuetudine receptum apud Italos,per omne Longobardorum regnum,ex Lotharii primi Cæſaris inſtituto,liberum arbitrium eligendi etiam jura ipſa ſive Romana, ſive Langobardica ſive Salica Francorum, ſecundum quæ licebat cuique vivere & in judicium tracto judicari, ſi id publice eſſet profeſſus. Eoque fori optio nihil tum quidem inſolens habuit, aut a moribus alienum.

Eſt autem paulo preſſius videndum, qua de LITE Cæſari ſermo ſit. Permultum enim refert. Poteſt enim lis intendi & de cauſa criminali, & de cauſa civili, & de cauſa eccleſiaſtica. Quæ profecto differunt plurimum. Perdifficile autem fortaſſis eſt exponere Cæſaris mentem: cum interpretes doctiſſimi diverſa admodum ſentiant. Vt autem quid ipſe exiſtimem præfiſcini ſubjungam: principio arbitror nequaquam agere Cæſarem de cauſa quæ ad forum eccleſiaſticum ea jam ætate pertinuit. Nec enim, quæ tum erat facies reipublicæ, licuit amplius Cæſari cauſam a foro eccleſiaſtico deducere. Tum vero ideo fori optio data ſtudioſis, ne ab hominibus indoctis patiantur injuriam: id autem de eccleſiaſticis judicibus, epiſcopis inquam, vel ſuſpicari, illa profecto tempeſtate, fuit nefas. Accedit quod Cæſar dicat, ſeſe *magiſtro & epiſcopo* in controverſiis ſtudioſorum juriſdictionem dediſſe. Non autem datur alicui illud quod jam habet. In eccleſiaſticis autem negotiis jam habebat tum epiſcopus juriſdictionem.

Cæterum major controverſia eſt de cauſis criminalibus, an & illas comprehenderit Cæſar *litis* voce, nec ne. Neque enim deſunt qui usque adeo id negant, quaſi non tantum Cæſar de criminalibus non fecerit verba, verum etiam quaſi non potuerit facere; quod ſcilicet merum imperium,ad quod ſpectant criminales cauſæ, concedi nullo jure poſſit vel debeat academico collegio. *Non deſunt contra qui prorſus aliud profitentur.* (a) Quorum omnium argumenta cum alii recitant tum prolixe refert Matthias Stephanus. Cæterum inter hæc diſſidia mediam ſequi ſententiam forte fuerit tutiſſimum. Videtur enim, ut falſa eſt illorum opinio, qui merum imperium academiis omnibus adjudicant, quaſi aut conceſſum nulli ſit aut concedi jure nulli poſſit: ita & illos permultum falli qui in authentica hac Friderici meri imperii cauſas quoque intelligi volunt. Non patitur inſtitutum, terere nunc tempus diverſarum partium rationibus aut examinandis aut refellendis: ſatis forte eſt, eas quæ me ita faciunt ſentire in medium proponere. Et vero quum Cæſar diſerte tantum dicat, *ſi quis litem eis ſuper aliquo negotio intenderit;* quis non ſtatim intelligit de civilibus & pecuniariis negotiis ſolis ſermonem eſſe, neutiquam vero de capitalibus? De his certe non valere voces *negotii* & *litis* ſed de illis, cum alias conſuetudo loquendi indicat, tum optime monitum jam olim eſt a juris Romani magiſtris *l. litis ff. de verbor. ſignificationibus* & alibi. Deinde dicit utique Cæſar nihil aliud, quam ſe *juriſdictionem* (b) dediſſe magiſtro & epiſcopo. At juriſdictio non eſt merum imperium. Quique dat tantum juriſdictionem, merum imperium non dediſſe cenſendus eſt. Profecto ſi & hoc imperium illis conceſſiſſet Cæſar, non prateriiſſet hoc utique ſaltim verbulo monere. Non enim interpretatione nimis benigne ampliandum eſt Cæſaris donum, ut quod conjunctum ſit cum deminutione quadam juriſdictionis quæ loci domino competit. Quid quod Fridericus ſecundus Barbaroſſæ nepos Neapolitanam academiam inſtituens expreſſis verbis ita ſanciat? *Omnes ſcholares in civilibus ſub eiſdem doctoribus & magiſtris debent conveniri.* Quæ ſanctio habetur apud Petrum de Vineis cancellarium illius Cæſaris, libro epiſtolarum tertio. At hoc Friderico II. nullus Germanici ſanguinis Imperator aut doctior fuit, aut literatis literarumque ſtudioſis magis favit. Qui ergo ad civilia ſola reſtrinxerit quæ avus Cæſar, fortis quidem indoctus tamen, etiam ad criminalia extenderat? Taceo nunc, vel illud ſolum forte ſufficere huic ſententiæ probandæ, quod antiquisſimi legum interpretes & qui proxime a Friderici I. ævo abfuerunt, ad ſola civilia privilegium hoc reſtringant. Eſt autem inprimis maximi ponderis interpretatio illa, quæ ævo legis ſcriptæ quam eſt viciniſſima. Non diffiteor tamen, jam Accurſii ætate videri, nonnullos Bononiæ ad criminalia

(a) *Non deſunt contra, qui prorſus aliud profitentur*) e. g. LIMNÆVS *juris publici lib. VIII. c. 9. n. 33.* his rationibus innixus, quod principum beneficia pleniſſime ſint interpretanda, quod genus complectatur ſpecies ſuas & diſpoſitio generalis tantum operetur quoad omnia, quantum ſpecialis quoad ſpeciatim enumerata. Laudat ſecum conſentientes SCIPIONEM GENTILEM & HORATIVM LVCIVM, qui etiam aliter pronunciantes hæreticos vocare non vereatur *privileg. 69. in fin.*

(b) *juriſdictionem*) Vrget inter alia LIMNÆVS *l. c. c. 9. n. 34.* juriſdictionem ſuo ambitu merum imperium complecti. *l. c. de offic. ejus cui mand. l. VII. §. 2. ff. de offic. proconſ. juncta l. VI. in pr. ff. d. t. l. VI. §. 8. ff. de offic. præſid.* Deinde quod juriſdictio hic talis intelligatur, quæ verſetur circa debitum & delictum, nec non circa negotia & cauſas, quæ omnia ad criminales quoque cauſas referri poſſe, evincunt *l. I. §. 1. ff. de teſtib. l. XXIX. C. de appell. l. unica C. de officio proconſ. l. XXV. pr. C. de epiſc. & cler. l. XIII. pr. C. de judiciis l. XV. §. 4. ff. ad SC. Turpilian. &c.*

minalia quoque traxiſſe Cæſaris hanc conceſſionem, repugnante autem ſenatu Bononienſi urgere id amplius deſiiſſe. *Per ſcholares* (ait ille) *& doctores renunciatum eſt Bononia quantum ad criminales lites; & ſic ſervatur exceptis clericis.*

In ſolis itaque CIVILIBVS negotiis & litibus optionem conceſſit Cæſar ſtudioſis judicem ſibi eligere, & quidem ceu videtur unum ex tribus, non autem alterum duorum. Repetamus verba Cæſaris quo res ſiat expedita. *Hujus rei*, inquit, *optione data ſcholaribus, eos coram domino, vel magiſtro ſuo, vel civitatis ipſius epiſcopo, quibus hanc juriſdictionem dedimus, conveniat.* Quibus verbis tres profecto optione data in judices proponuntur: Dominus ſcil. loci, magiſter ſcholaſtici, & civitatis epiſcopus. Certe accurate verba examinanti non poteſt non videri, Cæſarem liberum reliquiſſe ſtudioſo, non tantum velit magiſtrum ſuum an potius epiſcopum judicem, ſed etiam velitne judicem dominum loci.

BREVITER itaque omnia ut comprehendam, hic verborum genuinus eſſe ſenſus videtur. Omnes ſcholares qui ſtudiorum gratia peregrinantur, ubicunque etiam degerint, ſi quidem ſuper aliquo civili negotio conveniendi ſint, optionem habeant judicem ſibi in lite intentata accipere, aut dominum loci cui alias jam ante competebat jurisdictio, aut magiſtrum, aut denique epiſcopum illius civitatis ubi lis intenditur; quibus peculiari indultu Cæſar juris dicundi poteſtatem largitus eſt. Hic inquam eſt ſenſus nobiliſſimæ illius authenticæ, ſine amore, & procul affectu partium illarum in quibus ipſe vivo, quibusque adeo me ſtudere plurimum haud diffiteor, paucis & ſimpliciter expoſitus. Non diſſimulabo tamen, fortaſſis *dominum* heic non tam loci dominum ſignificare quam doctorem aut magiſtrum ſcholæ. Ita ſane ipſemet Accurſius, proximus illi tempori, quo lata eſt authentica, & in ipſa Bononia juris peritia clariſſimus doctor, vocem illam interpretatur. Et vero illa ætate receptum videtur, ut κατ' ἐξοχὴν *domini* titulo a diſcipulis magiſtri nuncuparentur. Ita Hoſtienſis de Azone: *propter verbum As venit Bononiam ſtudium civile; ſicut audivi a domino meo.*

Omnino autem illius authenticæ ſenſus genuinus tenendus nobis eſt eo accuratius, quoniam illi originem debent academiæ omnes Europææ, non tantum, dico, Romano imperio quæ accenſentur, ſed & quotquot reperiuntur alibi, ſui quo fruuntur liberi regiminis. Et vero ad hoc exemplum demum conſtituta eſt libertas NEAPOLITANÆ omnis generis diſciplinarum ſcholæ, illa quam nacta eſt beneficio Friderici II. Cæſaris. Non multum ante mentionem ejus jam fecimus; meretur autem res ipſa, nec alienum eſt ab hoc loco & inſtituto ſermone, uti recitemus omnia privilegia academiæ illi tum conceſſa, prout paucis illa comprehenduntur in optimi illius Cæſaris literis publicis quibus ſcholares, uti loquitur, ad ſtudium Neapolitanum tum invitavit: præſertim quandoquidem alias etiam conveniens rebus noſtris eſſe poterit hæc recitaſſe. *Conditiones* (inquit) *quas ſcholaribus concedimus, erunt iſta. In primis, quod in civitate prædicta doctores & magiſtri erunt in qualibet facultate. Scholares autem, undecunque venerint, ſecure veniant morando, ſtando, & redeundo, tam in perſonis quam in rebus, nullam ſentientes in aliquo læſionem. Hoſpitium quod melius in civitate fuerit, ſcholaribus locabitur, pro duarum unciarum auri annua penſione: nec ultra æſtimatio ejus aſcendet. Infra prædictam autem ſummam, & uſque ad illam, omnia hoſpitia æſtimatione duorum civium & duorum ſcholarium locabuntur. Mutuum fiet ſcholaribus ab illis, qui ad hoc fuerint ordinati, ſecundum quod eis neceſſe fuerit datis libris in pignore & precario reſtitutis; receptis a ſcholaribus fidejuſſoribus pro eiſdem. Scholaris vero qui mutuum recipiet, jurabit, quod de terra aliquatenus non recedet, donec precaria reſtituet, vel mutuum ab eo fuerit exolutum, vel alias ſatisfactum fuerit creditori. Prædicta autem precaria a creditoribus non revocabuntur, quamdiu ſcholares voluerint in ſtudio permanere. Item omnes ſcholares in civilibus, ſub eiſdem doctoribus & magiſtris debeant conveniri.* Paulo poſt: *De frumento autem, vino, carnibus, piſcibus, & aliis quæ ad victum pertinent, modum nullum ſtatuimus: cum in his omnibus abundet provincia: quæ vendentur ſcholaribus ſecundum quod venduntur civibus & etiam per contradam.* Hactenus Cæſar. Jam ante vero in iiſdem literis dixerat: *Inſuper ſtudioſos viros ad ſervitia noſtra non ſine meritis & laudibus convocamus: ſecure illis qui diſcreti fuerint, per inſtantiam ſtudii, juris & juſtitiæ regimina committentes.* Quæ verba videntur ſpectare ad regimen illius academiæ ſive ſtudii, uti loquebantur, magiſtris commiſſum. Vt verum tamen fatear, fortaſſis jam antehac Neapoli, ut & Salerni, ejusmodi libertas ſaltem ex parte obtinuit. Id ſane uti ſuſpicemur faciunt verba ejusdem Cæſaris *ad capitaneum Siciliæ ſuper reformatione* (uti habet argumentum epiſtolæ) *ſtudii Neapolitani.* Quæ hæc ſunt. *Ad hoc igitur tam ſalubre convivium magiſtros quoslibet & ſcholares hilariter invitamus: fidelitati tuæ mandantes, quatenus præſens beneplacitum noſtrum per juriſdictionem tuam ſolenniter ſtudeas publicare; firmam ſingulis fiduciam oblaturus, quod immunitates & libertates omnes, quibus OLIM tam in Neapolitano quam in Salernitano ſtudiis uti & gaudere ſunt ſoliti, faciemus univerſis & ſingulis illuc ire volentibus inviolabiliter obſervari.* Cæterum ut obtinuerit ejusmodi quædam libertas jam ante, tamen & hanc ad exemplum illius per Fridericum I. Cæſarem conceſſæ ortam, nemo temere diffitebitur.

Etiam PARISIIS ſerius cœpiſſe, adeoque non niſi ad exemplum illud laudatum conſtitutam eſſe ſcholæ illi ſuam libertatem, certius pene affirmaveris. Principi ſane Ludovico IX. regi, illi qui ſanctorum ordini eſt inſertus, tribuunt hæc quæ jam recitabimus. *Concedimus & volumus quod omnes & ſinguli, de quacunque natione vel regione oriundi, de corpore univerſitatis Pariſienſis exiſtentes & eſſe volentes, ad eam accedere, morari, redire, & ſe, nuncios ſuos, resque ſuas utiles transferre pacifice, & libere abſque ulla inquietatione poſſint, ſicut melius videbitur ipſis expedire.* Hæc autem eſt ipſa authenticæ noſtræ Cæſareæ non niſi pars prior. Non dubito autem & reliqua ab optimo illo rege addita: utpote quum certum ſit, hunc privilegiorum & immunitatum conceſſione Pariſienſem ſcholam ab imminente inte-

interitu vindicaſſe: quod uno hoc utique effici non potuit. Rem omnem narrare hic verbis Pauli Æmilii locupletisſimi Gallicarum rerum ſcriptoris nihil impedit, imo res expoſcere videtur. *Lutetia*, inquit ille, *florebant liberalia ſtudia: juventutis concurſus undique illuc fiebat. Scholaſtici ſuorum nonnullos a civibus pulſatos conqueſti, alii in alia caterarum urbium muſaa conceſſere. Anglus* (is erat Henricus III.) *propoſitis ingentium pramiorum, honorum, vacationum, emolumentorum ſpe, aliquot eorum millia Oxonium elicuit. Solitudo exiliumque literis indictum videbatur. Rex non minus decoris liberales artes, humaniora ſtudia, ſacram diſciplinam, cultum ingeniorum Francis, quam arma afferre pradicans, egregiamque conſociationem fore, bellicarum rerum gloria cum divinarum humanarumque rerum cognitione doctrinaque conjuncta: regia urbis cives ad officium colendosque doctores diſcipulosque revocavit. Suus ingenuis artibus honor habitus.* Id quaſi anno tertii decimi ſeculi ſecundo poſt trigeſimum acciderit, obſervans Joannes Tilius, diligens rerum Gallicarum ſcrutator, chronico ſuo hæc verba inſeruit: *Schola Pariſienſium a D. Ludovico reſtituitur, qua propter motus, injurias, & cades ſcholaſticis illatas dilabebatur. Eam autem Rex Anglia ad ſe pellicere, & Oxoniam inſtituere ſtudebat.* Hæc poſt Paulum Tilius. Videtur vero ejusdem regis Ludovici rogatu Pariſienſi ſcholæ indulſiſſe Innocentium IV. ea quæ Papirius Maſſonus commemorat inquiens: *Auditores Pariſienſis academia vectigalibus exemit* (quod tamen quo jure per Pontificem fieri potuerit haud video) *& ne extra Lutetiam per literas Apoſtolicas ſuper litibus inter eos exortis trahantur, primus omnium vetuit Peruſii Non. Junii pontificatus anno nono: ut in chartario ejusdem academia invenio.* Ejusdem Innocentii videtur eſſe hæc ad univerſitatem, ceu loquimur vulgo, Pariſienſem epiſtola: *Gratiam vobis facere volentes ſpecialem, ſtatuimus quod nullus in univerſitatem veſtram magiſtrorum & ſcholarium, aut rectorem vel procuratores veſtros, cujuscunque aut quarumcunque facultatum, ſeu quenquam alium, pro facto vel occaſione ipſius univerſitatis, excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti audeat ſententiam promulgare, abſque ſedis Apoſtolica licentia ſpeciali. Et ſi fuerit promulgata, ipſo jure ſit irrita & inanis.* Fortasſis tamen hoc (magnum ſane) privilegium denique ab Innocentio VI. profluxit, quem academiæ illi multum indulſiſſe, aliunde conſtat. Vtut vero ſeſe illud habeat, Pariſiis quoque ſerius cœpiſſe ſcholaſticam illam liberam jurisdictionem, & non niſi ad exemplum ejus quod conſtituerat Fridericus Cæſar, ille fortisſimus id nominis primus, non poteſt nec debet negari.

SED antequam pergamus, obſervanda omnino nobis veniunt etiam illa authenticæ noſtræ verba: *Qui vero ad alium judicem vos trahere tentaverit, etiamſi cauſa juſtisſima fuerit, a tali conamine cadat.* Hæc, inquam, verba merentur notari: utpote cum ſic ſatis gravi pœna in eos qui ſtudioſos trahere nituntur ad forum alienum, animadvertendum Cæſar cenſuerit. *Non enim alia verborum mens eſſe videtur*, (a) nec aliter etiam illa ab optimis interpretibus vulgo accipiuntur: quam cauſa etiam juſtisſima cadere, qui tale quid conati fuerint. Vt proinde ſi iidem in foro competenti velint iterum ſtudioſum convenire etiam juſtisſimis de cauſis, tamen non ſint audiendi.

QVANQVAM vero hæc tum ita placuerint Cæſarum illi maximo & imperii proceribus, qui tamen poſt vixere Cæſares, Reges, Pontifices, haud parum ab iis diſceſſerunt, ex quo frequentiores pasſim terrarum ſcholæ hujusmodi univerſales, uti vocant, erectæ ſunt. Namque ubivis quidem e medio ſublata eſt illa ſibi judicem eligendi poteſtas. Vbivis item loci dominis jurisdictio in tantum eſt erepta, ut urbano alicui magiſtratui ſeſe ſubjicere, ubi poſſit habere judicem alium, ſtudioſo amplius non liceat, ſi ſane velit particeps eſſe immunitatum & privilegiorum ordini illi conceſſorum. Certi contra pasſim judices inſtituti, quorum forum ſequi ſtudioſus teneatur. Quod dubio procul evenit inde, quia optio illa judicis non potuit non ſæpe turbas dare, & nocentem reum omni judicio ſubtrahere. Quo nihil eſt pernicioſius in communi vita, præſertim ſi magnus ſit nocentium numerus.

Verum certa illa jurisdictio non ubivis eodem eſt modo inſtituta. Seculo enim decimotertio nec non quartodecimo, quum raræ eſſent ſcholæ hujusmodi academicæ, ingens autem juvenum multitudo literis daret operam, evenit ut nonnullis in locis aliquot millia ex diverſis Europæ terris convenirent. Teſtantur annales, vixiſſe aliquando Lutetiæ Pariſiorum *triginta ſtudioſorum millia.* (b) Quod ut minus miremur olim contigiſſe, facit Theodorus Gothofredus ſcriptor Gallicus, referens rectorem univerſitatis Pariſienſis promiſiſſe, ad exequias Regis Caroli IIX. ſeſe ducturum omnem ſtudioſorum ejus loci cœtum, hunc autem creditum excedere numerum viginti quinque millium. Eduardo I. Rege Oxoniæ vixiſſe millia triginta ſtudioſorum, ex Armachano teſtatur Guilielmus Cambdenus. Azonis magni illius JCti ætate, quæ eſt tertiodecimo ſeculo, Bononienſi in academia fuiſſe decem millia ſtudioſorum auctor eſt *Odofredus*, (c) magni & ipſe nominis Jurisconſultus. In hac Germania noſtra Viennam ſeptem millia ſæpe numerare, ſcribit Antonius Bonfinius. In ea juvenum multitudine quin & petulantes plurimi fuerint, quis dubitet? Mittuntur enim in academias haut pauci moribus jam ante non bene inſtituti: ad quos accedente ætate juvenili, & vivendi ma-

(a) *Non enim alia verborum mens eſſe videtur*) Ita & LIMNÆVS *l. c. c. 9. n. 46. 43.* ubi addit: utinam vero hæc omnia hodie in ipſis rerum obtinerent argumentis & mentiretur VINCENT. CAROL. *tr. de locat. & conduct. tit. de prof. & medic. f. 339.* ſcribens; *literatorum privilegia hodie parum obſervantur, & fere nunc vanum eſt, ea proponere. Cavere igitur debent ſcholares, ne ſe fundent in ſcholaſtico privilegio quia decipientur.*

(b) *triginta ſtudioſorum millia*) Ita & refert GERM. BRICE *deſcription de la ville de Paris tom. II. p. 35.* tempora Caroli VI. tantum ſtudioſorum numerum Lutetiæ fuiſſe, ut in ſolenni quadam proceſſione cum priores jam templum S. Dionyſii intraſſent, rector academiæ ac reliqui adhuc in monaſterio Mathurinorum fuerint.

(c) *Odofredus*) Vel Ottofredus Azonis & Jacobi Balduini diſcipulus mortuus a. 1265. Bononiæ, qui luculenta in pandectas & totum codicem commentaria edidit. Vid. PANCIROLLVS *p. 125. 405.*

majore libertate, ſodaliumque numero, vix poteſt non petulantia naſci. Et ſane jam olim iis moribus infectos illos fuiſſe, qui ſua ætate literis dabant operam Lutetiæ, multis conqueritur vir probus & doctus Jacobus a Vitriaco Romanæ eccleſiæ Cardinalis; is autem diem ſuum obiit, anno poſt milleſimum ducenteſimum quadrageſimo. Cui rei & annales aſſentiuntur, quando narrant (id quod paulo ante ex Paulo etiam Æmilio & Joanne Tilio recitavimus) ejus ſeculi tertii decimi anno triceſimo ſecundo ita Lutetiæ in mutuam pugnam exarſiſſe ſtudioſos atque urbanos cives, ut poſt cladem ingentem aliquot millibus Oxoniam Rege Angliæ invitante commigrantibus, tota pene interiiſſet celeberrima illa ſchola, ni ſeditionem hanc prudentia Ludovici Galliarum ſancti Regis coërcuiſſet. Etiam Azonis tempore, ſeculo eodem tertio decimo, quum decem millia ſtudioſorum Bononiæ verſarentur, magnam fuiſſe jam tum vim factionum & criminum, teſtantur alii uque non pauci.

Iilis moribus atque illo ſtudioſorum numero, ut neceſſum fuit firmare certam jurisdictionem, & momentaneam illam ex voto reorum abolere, ita neque doctores neque epiſcopi juri dicundo pares viſi ſunt. Habitumque utiliſſimum fuit, ex ipſo ſtudioſorum numero judices capere: ne quis haberet quod de judice minus favente poſſet conqueri. Hinc in certas tum nationes, quas dixerunt, diviſa ſtudioſorum multitudo, quarum ſingulis præeſſet unus, qui porro communem aliquem rectorem eligerent. Ex quo, cum omnis jurisdictio penes præſides hos ac rectorem eſſet, nova plane jurisdictionis facies emerſit.

Ubinam primo id inſtitutum ſit, haud temere dixerim: id obſervare eſt, ſeculo tertiodecimo cœpiſſe, atque in omnes ſcholas, quæ & illo & ſequente ſeculo imo multis poſt annis fuerunt aut erectæ aut legibus arctius conſtrictæ, hanc jurisdictionis faciem fuiſſe introductam. *Quapropter hodieque in omnibus fere Gallia & Italia* (a) ſcholis antiquioribus manet illa ſtudioſorum in varias nationes, nationumque procuratores ſeu conſiliarios ut vocant diſtinctio, qui ipſi ſibi rectorem quem ei rei idoneum credunt præficiunt.

Quanquam non omni ex parte idem ubivis obtineat. Habet hodieque, multum imminuta licet ſua dignitate, Pariſienſis ſchola nationes quatuor, Francicam, Picardicam, Normannicam, *Alemannicam.* (b) Alemannicæ autem nomine comprehenduntur primo Bohemi, Luſati, Poloni, Sileſii, Bavari, Dani, Vngari, Helvetii, Baſileenſes, Moguntini, Treveri, Auguſtani, Argentinenſes: ſecundo Belgæ, Colonienſes, Boruſſi, Saxones & Lotharingi: tertio, Angli, Scoti, Hyberni. Harum porro quatuor nationum cuivis ſunt duo pedelli dicti argenteis ſceptris ornati, qui procuratori (ita appellant) inſerviant. Hi quatuor vero nationum procuratores philoſophiæ aliquem magiſtrum ex ſuo ordine in rectorem eligunt: in memoriam ejus, quod prima ſcholæ origo ætate Caroli Magni ſola philoſophiæ profeſſione ac diſciplina conſtiterit.

Patavii jam Vrbano IV. Pontifice (qui præfuit Romanæ Eccleſiæ anno poſt milleſimum ducenteſimum ſexageſimo primo, usque in 64) ſi quidem credimus Antonio Riccobono idipſum narranti *libro de gymnaſio Patavino,* (c) inoleverat, poſt conſtituta variarum nationum diſcrimina, ex earum præſidibus eligere rectores binos, quorum alter Italis, alter Transalpinis jus diceret. Et duravit ea conſvetudo, eodem teſte, usque ad tempus illud, quo in gratiam *Franciſci Carrarienſis,* (d) univerſitate ſtudioſorum philoſophiæ medicinæ & theologiæ ab univerſitate eorum qui utrumque jus aut docent aut diſcunt ſeceſſione facta, ex una ſchola duæ ibi enatæ ſunt, ſtatutis & jurisdictione diviſæ, quavis ſuum ſibi rectorem ſuffragiis conſiliariorum, ut appellant, nationum ſuo ex ordine conſtituente. Quarum altera hodie artiſtarum; altera jurisprudentum uſurpatur. Reliquæ Italicæ academiæ propius videntur abeſſe a Pariſienſium inſtitutis.

At Salmanticenſis (quæ Hiſpanicarum eſt præcipua) longe aliam obtinet regiminis rationem. Scribit enim Antonius Poſſevinus *libro primo bibliothecæ ſelectæ capite octavo*, illi ſcholæ a Martino V. Pontifice præfectum eſſe cathedralis ibidem eccleſiæ ſcholaſticum qui appellatur, *delata ei ampliſſima auctoritate,* (verba recito Poſſevini) *qua ſtudioſos civilibus & criminalibus pœnis poſſit coërcere; ſervata provocatione cauſarum ſedi apoſtolicæ vel ejus adminiſtris qui futuri eſſent in Hiſpania. Rectorem hic eligit ex præcipua academiæ nobilitate, nec non octo conſiliarios ex octo Hiſpaniæ regnis, quorum ſimul eſt ſuffragium ad profeſſores conſtituendos.* Itaque ibi profecto jurisdictio non eſt penes rectorem ex ſtudioſorum numero electum, nec penes magiſtros, ſed penes unum e potiſſimis collegii cathedralis canonicorum. Quod forte inſtitutum inde manavit, quoniam clerus illius cathedralis eccleſiæ Salmanticenſis in uſum academicorum doctorum tertiam ſuorum redituum partem ultro quotannis largitur. Quod itidem teſtatur Poſſevinus.

Germania ſerius accepit hujusmodi ſcholas, & quidem declinante demum ſeculo decimoquarto. Etſi enim Viennæ jam anno 1237. aliquam erexerit *Fridericus II.* (e) Cæſar, cum ipſo tamen Impera-

(a) *Quapropter hodieque in omnibus fere Gallia & Italia)* Vid. *Gloſſ. in l. 6. ff. de jurisd. Bart. in l. more 3. cod.* de Pariſienſi academia excerpta JOH. LIMNÆI *tom 3. juris publ. lib. 8. cap. 5. n. 9.* Ita & olim Baſileæ ſtudioſos electioni rectoris interfuiſſe teſtatur WVRSTISIVS *in chronic. Baſil. lib. 6 c. 2. p. 425.*

(b) *Alemannicam*) Quæ ſucceſſit Anglicæ poſt cruenta illa Gallorum cum Anglis bella, ref. GERM. BRICE *l. c.*

(c) *de gymnaſio Patavino*) Edidit quoque Carolus Patinus an 1682. Lyceum Patavinum, quo continentur icones & vitæ profeſſorum Patavii docentium, cujus pars prior theologos, medicos & philoſophos complectitur.

(d) *Franciſci Carrarienſis*) Eſt is qui a. 1378. Baldum Patavium ad profeſſionem juris evocavit, docente PANCIROLLO *pag. 165.*

(e) *Fridericus II.*) Verum hic non generale ſtudium, ſed ſaltim ſcholas cathedrales S. Stephani & alias minores ad S. Michaelem & in hoſpitali erexit, quo ſpectat diploma apud LAZIVM *lib. 2. R. V. cap. 5.* Generale autem ſtudium aut academia ibi anno 1365. eſſe cœpit, ut ex diplomate Vrbani V. conſtat; quanquam generale ſtudium in theologica facultate primum Vrbanus VI. urbi Viennenſi indulſerit. Vid. LAMB. *catal. bibliothecæ Vindib. lib. II. c. V.* apud REIMANNVM *in compend. p. 115. ſeqq.*

Imperatore videtur non multo poſt illa concidiſſe, nec niſi demum anno 1360. renata. Poſt hæc vero longe plurimæ apud nos ſunt inſtitutæ. Obſervare autem eſt, antiquiores quidem juriſdictionis ordinem eum fere accepiſſe primum qui Pariſiis obtinebat, ſed pleraſque poſt mutaſſe, omni poteſtate in arbitrium profeſſorum delata: recentiores autem ab initio ſtatim in eam regiminis formam conſenſiſſe, quam nunc paſſim per Germaniam obtinere cernimus. Manent enim hodieque in illis antiquioribus nationum diſcrimina & priſtinæ dignitatis poteſtatiſque veſtigia. In iis vero quæ præter propter poſt ſeculi decimiquinti annum octuageſimum fuere inſtitutæ, ab initio ſtatim omnis juriſdicundi poteſtas in profeſſorum collegium, volentibus ita patronis, a Pontificibus aut Cæſaribus fuit translata. Memorat Wiguleius Hund in præclaro illo opere, quo res metropolitanæ Salisburgenſis eccleſiæ eſt perſecutus, Ingolſtadienſem Bavarorum ſcholam a Pio ſecundo Papa & Ludovico Bavariæ Duce anno 1472. confirmatam, initio quatuor in nationes, Bavaricam, Rhenenſem, Franconicam & Saxonicam fuiſſe quidem diſtinctam, cum poteſtate ſingulis ſemeſtribus rectorem ex ſuo ordine eligendi: ſed illud inſtitutum ut moribus minus aptum ſtatim eſſe abolitum, in ſenatum academicum *rejecta tam rectoris eligendi quam omni reliqua poteſtate.* (a) Et profecto ita eſt. Inſtitutum illud vetus ſequenti ætate nullum habuit uſum, quod præ academiarum multitudine rara poſtea fuerit ſtudioſorum in ſingulis copia, quorum porro longe potiſſima pars juvenili ætate in academiam venit, atque adeo quam maxime indiget alieni regiminis.

Ex his vero manifeſtum eſt, etſi jam duodecimo ſeculo per Friderici illam avthenticam erepti ſint literarum ſtudioſi hominum indoctorum foro, ſequentibus tamen tandem temporibus juſtam reipublicæ faciem academias accepiſſe: in hanc autem juriſdictionis formam, quæ apud nos in Germania nunc obtinet, non niſi ſero demum & vix ante annos centum quinquaginta deventum eſſe. Nec enim juriſdictionis tantum alia poſt facies cœpit, ſed & mixtum imperium, cujus in avthentica nullum extat veſtigium, omnibus poſt academiis Europæ conceſſum eſt. Non enim credo ullam inveniri, quæ non modicam habeat petulantiores coercendi poteſtatem, per mulctas pecuniarias, per carcerem, per relegationem, per excluſionem.

Quid quod nonnullæ & merum imperium in ſuos ſint conſequutæ? Quod ſoli vel negant vel neſciunt rerum academicarum imperiti. Academiæ Vienneſi illud adſcribit diſerte Middendorpius: Tybingenſi Sichardus: Oxonienſi, Pariſienſi, Ingolſtadienſi Scipio Gentilis. De Salmanticenſi Hiſpanorum academia ſcribit Antonius Poſſevinus, a Martino V. Papa conceſſam ſcholaſtico cathedralis eccleſiæ illius loci plenam auctoritatem juris dicundi cum mero & mixto imperio, Papæ ſoli ſervato provocandi jure: ceu jam ante narravimus. Quod academia Gryphisvvaldenſis in poſſeſſione meri ſit imperii, notorium eſt, inquit Matthias Stephanus illius ſcholæ celeberrimus quondam Doctor. Noſtram hanc Juliam ea poteſtate gaudere loquuntur privilegia noſtra. *Non adducam nunc in medium academias reliquas,* (b) ne ſoli lucem videar velle fœnerari. Non poſſum tamen ſilentio præterire id quod ſcripſit Joannes Bodinus. *Gregorius*, inquit, *XI. Pontifex eo reſcripto, quo quidem Vrbani V. & Innocentii VI. reſcripta Pariſiorum academiæ renovavit, illud uno capite excepit: ut ſi ſcholaſticus homo ſcelus admiſerit, Pontificis Pariſiorum ſit cognitio: altero capite pro debito quenquam necti probibuit. Sed noſtri Reges ac magiſtratus Pontificiis legibus ſe non teneri, ſæpe declaraverunt.* Ita Bodinus. Quamvis vero Papali hoc privilegio haud nitatur Pariſienſis ſchola, longe tamen certiſſimum eſt, non multo poſt Gregorium XI. illum Papam, ejus imperium merum gravi animadverſione vindicatum eſſe in præfectum Vrbanum, ſeu Mercatorum uti nuncupant; qui cum anno poſt milleſimum quadringenteſimum tertio aut, ut nonnulli volunt, quinto, duos ſtudioſos in furca ſuſpendiſſet, eoſdem detractos oſculo excipere & honeſtæ ſepulturæ reddere coactus fuit. Res a multis adeo ætati illi vicinis conſtanter narratur, ut in dubium vocari temere nequeat. Sed & *ſepultura hodieque ſupereſt* (c) in monaſterio Maturinorum, hac tumbæ addita inſcriptione: *Hic ſubtus jacent Leodegarius de Monſel de Normannia, & Oliverius de Burgeois de Britannia oriundi, clerici ſcholares, quondam ducti ad juſtitiam ſecularem, ubi obierunt, honorifice reſtituti, & hic ſepulti anno Domini M CCCC VIII. menſe Majo.*

Cæterum (ut ante dictum) omne hoc quicquid eſt meri imperii, non vi avthenticæ Friderici Cæſaris, nec ſtatim illo tempore quo hæc lata eſt, ſed diu poſt, idque novo Cæſarum, Regum, Pontificumque beneficio academiæ aliæ atque aliæ conſequutæ ſunt.

Hic porro etiam regius habitus, quo ornantur rectores paſſim per omnes Europæ academias, diu poſt Friderici Barbaroſſæ ætatem cœpit. Quando primum *ſceptra argentea* (d) cum hac epomide purpu-

(a) *rejecta rectoris eligendi poteſtate*) Sic quoque olim ſtudioſi Germani Pragæ in ſuffragiis ferendis pro eligendo Rectore tres voces, Bohemi quartam habuerunt, quod jus cum inverteretur tempore VVenceslai uno die mille, & intra octiduum 24. & amplius millia Praga exceſſerunt, teſte CVSPIN. *in Vita VVenceslai.*

(b) *Non adducam nunc in medium academias reliquas*) e. g. Francofurtenſem, uti probat conſilium ſcriptum LVDOLFI SCHRADERI; Roſtochienſem apud COTHMANN. *reſponſo academico I.* Heidelbergenſem apud ZWINGERVM *in theatro Vitæ hum. Vol. 26. pag. 4069.* Lipſienſem, quod patet *ex ſtatuto ejuſdem academiæ facto an. 1466.* & *ex reformatione ad a. 1596.* prout fuſius deducitur *in conſilio ſingulari Lipſienſium, an ſtudioſus in cauſis pœnalibus judici ſeculari ad pœnam ſuſtinendam ſe ſiſtere teneatur, ad epiſcopum Martisburgenſem tranſmiſſo a. 1599.* Idem de academia Piſana, Neapolit. Perusina, Cracovienſi oſtendit LIMNÆVS *l. 8. c. 9. n. 40. 41.*

(c) *ſepultura hodie ſupereſt*) Vid. GERM. BRICE *l. c. p. 37. & supplem. 77.* Narrant quoque eandem hiſtoriam JACOB BREVL & PETRVS BONFIN. *in antiquit. Pariſ. pag. 115. & 289.* JACOBVS MEIERVS *lib. 14. annal. Flandriæ*, CLAVDIVS ESPENCÆVS *tract. de tribus liliis Francicis*, MIDDENDORP. *l. 6. de academ. p. 375.* PASQVIER *libr. 3. des recherches de la France c. 23. p. 316.* ex eoque LIMNÆVS *l. c. c. 9. n. 38.*

(d) *ſceptra argentea*) Quorum 4. ſec. numerum 4. facultatum in academia Gryphiswald. teſte MATTH. STEPHANO rectori præferuntur, Lovanii vero octo, teſte HERMANNO HERMESIO *in faſcic. juris publ. p. 636.*

purpurea in academias venerint, nondum equidem compertum habeo. A Pontificibus Romanis eſſe, non dubito. Id enim arguit vel illud ſolum, quod ubivis terrarum Europæ hic habitus obtineat. In quæ loca hujusmodi quid introducendi, nec Cæſarum nec Regum in poteſtate fuit. Sed & unde omnis purpureus habitus in clerum & eruditos devenerit niſi a Romanis Pontificibus? Sane nemo non videt epomidem hanc purpuream Cardinalium Romanorum veſtitum æmulari. Et alias, in Europa quidem, purpureus aut coccineus color a curia Papali demum clero eſt conſecratus. Ea propter quoque nihil dubito, poſt Pauli ſecundi ætatem primum hoc quicquid eſt in academias perveniſſe. Is enim omnium primus Cardinales Romanos coccinea hujusmodi veſte inſignivit, quos ante Innocentius IV, quo major ordini auctoritas accreſceret, equo & rubris galeris donaverat. Nec enim vero eſt ſimile, academiarum Rectores ante Cardinales ipſos hoc invidendo & regio ſchemate uſos. Præfuit autem Paulus ille Papali ſedi ab anno poſt milleſimum quadringenteſimum quarto ſexageſimo ad ſeptuageſimum primum. Quo tamen tempore an ſtatim & in academias veſtimenti iſthuc genus penetraverit, equidem dicere non audeo. Sed & parum refert hujus Φαντασίας (liceat mihi quod res eſt fateri) originem primam accurate noviſſe. Notari autem meretur quod ſcribit Onuphrius, Innocentium quartum Papam quum pileum rubrum Cardinalibus concederet, *ſignificare voluiſſe, eos qui in illum ordinem legerentur paratos eſſe debere pro libertate eccleſiaſtica propriam ſi opus eſt vitam morti exponere.* Id quod ſi ita eſt (nam Platina duntaxat narrat factum illud *honeſtandi ordinis cauſſa*) indubie iſthoc habitu non ſubducere tantum omnem academicum cœtum & in ſcholis creatos magiſtros ac doctores callide voluit Papa imperio Cæſarum Regum & Principum, adeoque ſibi uni ſubjicere, ſed & animare eosdem ad imperia ejusmodi etiam legitima omnia excutienda. Et vero ex eo paſſim cœpere omnes academici clericorum ordini accenſeri: recte tamen longe aliter judicavit de Pariſienſis academiæ membris ſuprema nobiliſſimæ illius urbis curia anno ſuperioris ſeculi ſeptuageſimo tertio.

Quamvis autem proprii commodi potius quam ſtudiorum ipſorum gratia tantum non modum exceſſerint hoc ipſo Papæ, videntur tamen etiam ipſi Cæſares Regesque cum Papis quaſi contendiſſe in ornandis academiarum Rectoribus. Adeo enim optimis Europæ Principibus curæ fuerunt aliquot per ſecula academiæ, ut nihil non ornamentorum iis contulerint. Quid enim ad academiæ auctoritatem conciliandam ſplendidius poſſit conſtitui, quam (ut uno hoc nunc exemplo utar) quod Pariſiis univerſitas *primogenita regis filia* audiat, & in ſolemnibus conventibus *Rectori primus locus præ ipſo Nuncio apoſtolico concedatur?* (a) Non multum inferior eſt conditio Rectoris academici apud Vbios. Cedit enim ibi quidem loco non archiepiſcopo tantum ſed etiam Papali Nuncio, huic tamen proximum ſemper occupat. *Lovanii ne Nuncio* (b) quidem illi cedit Rector, niſi is ſimul fuerit Legatus a latere, ceu vulgo appellamus. Sed & ubivis fere locus proximus Principibus aut patronis Rectori academico ſolet ultro tribui. Prudentiſſimus Senatus Venetus Patavinæ ſcholæ ſuæ Rectori non purpura tantum ſed & aurea ſtola induere ſe permittit, & magiſtratum abeuntem cum doctoris titulo exornat, tum torque aureo donatum ordini equitum S. Marci inſerit. Huc vero pertinet etiam illud quod, ex Cæſaris Maximiliani ſingulari privilegio, noſtræ Rector Juliæ ſimul & Lateranenſis Palatii Comitiva polleat, & ipſi Sereniſſimi Principes Brunſvico-Lyneburgici hanc dignitatem ſibi propriam eſſe voluerint. Quid imus autem per exempla? Tantum non ubivis ea eſt academici Rectoris dignitas, ut ex præclariſſimorum juriſconſultorum ſententia, injuria ipſi illata capitali ſupplicio vindicanda ſit, & Papiæ quoque ita ſit vindicata; prout teſtis eſt Menochius.

Sed quid ego hiſce narrandis immoror? Vtinam, auditores, tam facile ſit hoc munus adminiſtrare quam multum ſplendoris habet & dignitatis! At me profecto, qui eam nunc provinciam aggredior, ita hodie ejus terret difficultas, ut niſi & legibus academicis, & ampliſſimo veſtro judicio, collegæ honorandi, & quod præcipuum eſt ſereniſſimi principis voluntate, quæ mihi non poteſt non pro lege eſſe, huc adactus eſſem, numquam illam fuiſſem aggreſſus. Etſi enim in vobis, patres academici, poſt ſerenisſimum principem noſtrum, cujus ego vices nunc gero, magnum mihi ſciam præſidium poſitum: quin veſtra etiam, o Juvenes, & virtus & erga me benevolentia non ferat quicquam ſequius de quoquam ſuſpicari: nihilominus neſcio qui haud levis & timor & horror me quaſi circum-

(a) *Pariſiis rectori primus locus conceditur)* Controverſia tamen fuit de actibus hierarchicis. Nam cum de ſcholaſticis nulla moveretur quæſtio, extra illos tamen ſicubi rector & cardinales, aut archiepiſcopi convenirent, dubitatum fuit, utrum rectori honos præ aliis deberetur. Ea de re LAVNOIVS *in academ. Pariſ. illuſtrata ad a. 1448. pag. 162.* ex ſchedis collegii Navarræ regii narrat, iſtam dubitationem tum temporis penitus reſolviſſe, & annihilaſſe D. Gvilielmum Chartier epiſcopum Pariſ. qui cum in Pontificali habitu intraſſet urbem, & cum reliquis etiam rectorem univerſitatis ad ſolenne prandium invitaſſet, intuitu antiquæ univerſitatum parentis & ſcholaſticæ profeſſionis rectorem omnibus prælatis in conſeſſu anteferendum judicaverit. Idem ex JOHANNE CELAJO theologo Pariſ. *in 4tum ſentent. diſſ. 24. qu. 4.* hæc verba recitat: *In univerſitate Pariſienſi matre mea procurator Franciæ aut Normanniæ præcedit dominum rectorem, ejusdem univerſitatis in ſua natione, & nihilominus dominus rector major eſt omnibus procuratoribus & non ſolum eis, verum etiam epiſcopos, archiepiſcopos & cardinales præcedit.* Adde LAVNOIVM *de ſcholis a Carolo M. fundatis cap. 59. artic. 16.* Academiæ Juliæ prorector nulli primum cedere obligatur locum, niſi principibus regentibus, omnibus ex ſereniſſima domo Brunſvicenſi natis, & legatis viſitatoribus. *Reces de anno 1637. §. 4. 1650. §. 6. 7. ſtat. academ. Iul. fol. 272. 312.*

(b) *Lovanii ne Nuncio)* Rectoris academiæ Lovanienſis ea eſt dignitas, ait GVICCIARDINVS *in deſcript. Belgii pag. 50.* atque præeminentia, ut non omnes ſolummodo ſtudioſi, ſed & magiſtratus urbani & omnis adeo civitas venerentur eum atque ſuſpiciant. Plura de honore & prærogativa rectorum in aliis academiis, e. g. quod Pariſiis rector nundinas du Laudi dictas aperiat; quod Piſis & Papiæ rectorem qui injuria afficerent, pœna capitis mulctentur; quod rector Bononienſis academiæ facultatem habeat abſolvendi ab excommunicatione, vid. apud LIMNÆVM *tom. 3. jur. publ. lib. 8. c. 5. n. 22. 23. 24 -- 28.*

circumdat. Faxit Deus Opt. Maxim. ut vanus ille ſit, inque gaudium mutet. Ego quod ſuſcepi cogor ſerio nunc tandem aggredi. Ejus autem uti rite fiat exordium & more priſco, age tu præſtantiſſime & ornatiſſime Juvenis N. N. conſcende hanc cathedram inferiorem, & commilitonibus tuis primo Sereniſſimi ac Reverendiſſimi Principis ac Domini, Domini Friderici Ducis Brunſvicenſis & Lyneburgenſis, poſtulati Coadjutoris epiſcopatus Ratzeburgenſis, electi Præpoſiti archiepiſcopatus Bremenſis, Domini noſtri clementiſſimi, reſcriptum, deinde legum noſtrarum compendium illud quod paſſim extat, clara ac diſtincta voce prælege.

* * *

Audiviſtis quæ mens ſit Sereniſſimi Principis, audiviſtis item quid ſibi velint leges, auditores humaniſſimi. Eo autem ſimul unicuivis jam liquet, cum quid mei tum quid veſtri ſit muneris. Nec tamen jam ante, o optimi Juvenes, quiſquam veſtrum potuit officii ſui rationem ignorare. Verſantur enim inter manus veſtras hæ ipſæ leges, & quotidie legendæ hoc in loco ac conſpiciendæ proponuntur. Ne nunc dicam, quod pauculis exceptis omnes illæ neminem recte natum educatumque poſſint fugere: ut quæ non heri aut nudius tertius demum valere cœperint, ſed jam ante mundum hunc conditum probatæ Deo, inde cum ipſa hominum origine in notitiam pervenerint. Neutiquam enim vobis leges proponimus more Romanorum prætorum veterum, in annum unum valituras de cætero mobiles imo momentaneas. Nihil pene noſtrarum non durabile ac perpetuum imo jam æternum. Nam & quas ex conſtituto prodiiſſe dixeris, ab honeſti illa & juſti æterna natura vel parum vel nihil abeunt. Contra certe non pugnant. Quod hic demonſtrare non patitur inſtitutum. Nihil itaque ſupereſt, quam ut & ego & vos pro ſe quique, id quod officii ratio poſtulat, præſtemus. Atque de me quidem promptam voluntatem, omnia jura, privilegia, & quæ alia aut totius academici ſunt corporis, aut ad vos (o cariſſimi Juvenes) ſeorſim pertinent, conſervandi tuendique, audeo hic publice polliceri. Veſtrum jus meum jus eſt, veſtra injuria mea. Abſit enim ut vos, quorum tutelam ipſa natura, Cæſares, Reges, Principes tam ſancte nobis commendarunt, nobis ſcientibus impune quiſquam laceſſat. Quiſquis vos læſerit ſine diſcrimine is & me & Senatum academicum vindicem experietur. Namque ut & ante dixi de me non niſi voluntatem polliceor: facultatem autem & Sereniſſimus Princeps meus & Ampliſſimus ille Senatus addet. Qui profecto paterno vos amore proſequuntur. De vobis, o ſuaviſſimi, pariter non niſi optima mihi promitto. Et vero quur non promitterem? quum potior certe pars veſtri probis ſit moribus atque ad ſolidam virtutis ac doctrinæ laudem adſpiret. Sint itaque nonnulli minus boni. Emendabuntur etiam ipſi, ſpero, bonorum conſortio. Sin, nos certe non patiemur, ut paucorum improbitate aliorum integritas contaminetur: ſed illos ut infelix lolium extirpabimus & ejiciemus foras. Vos nimirum eſtis ſpes Germaniæ. Vos eſtis ſeminarium reipublicæ labaſcentis, ſi quæ ulla poſt futura eſt. Vos eſtis eccleſiæ nunc paſſim ruentis ſolatium. Si vos regia via ad pietatem & eruditionem graſſabimini, etiam Germaniæ bene erit, & reſpublica pariter atque eccleſia revireſcet. Sin minus, actum eſt de republ. actum de eccleſia, actum de vobis omnibus. Sed, *Dii meliora piis erroremque hoſtibus illum.* Quin potius, o boni, vincite ipſam ſpem noſtram; contendite mecum cumque ſenatu academico, quis alter alterum diligentia & induſtria poſſit ſuperare. Ita feliciter decurret nobis omnibus hic annus. Ita Deo & hominibus erimus grati. Quod uti fiat, te ego, Deus Optime Maxime, oro obſecroque.

DISSERTATIO SEXTA.

Recitata pridie Kal. Julii Anno cIↄ Iↄ CXL. quum magiſtratum academicum deponerem.

MUltum profecto debet reſpubl. academica proximorum quinque ſeculorum optimis maximis Principibus. Quanquam enim de re literaria ejusque cum magiſtris tum ſtudioſis præclare meriti ſint Ægyptii, Græci, Romani; neque in docentes neque in diſcentes tam ea ab illis collata ſunt beneficia, (ſi quod res eſt velimus fateri, ut debemus fateri ni ingratitudinis notam velimus incurrere) quibus hodie gaudent, quotquot in academicis ſcholis ſive diſcendi gratia vivimus ſive docendi munere perfungimur. Totum enim hoc, quo conſiſtit hæc qualiscunque reipubl. forma, quarto abhinc ſeculo demum eſt natum: omni a condito hoc univerſo intervallo fuit ignotum. Id quod quoniam ex hoc ipſo loco publice verba faciens, niſi admodum me fallo, luculente alias comprobavi, non a me iterum oſtendi nunc par eſt.

Etſi autem profeſſores nos per ſane multum debeamus ultimis hisce Cæſaribus, Regibus, Pontificibus, Principibusque: longe majorem tamen ipſis gratiam debetis vos, o Juvenes, qui in diſcentium ordine eſtis conſtituti. Ut enim alias nunc gentes taceam, ſub Cæſaribus jam tum Romanis profeſſores ampliſſimis ſunt privilegiis atque immunitatibus ornati.

Enimvero ut vacationem civilium munerum, ita & ne hoſpitem reciperent, a Principibus immunitatem fuiſſe indultam grammaticis, & oratoribus, & medicis, & philoſophis, jam Veſpaſianus & Hadrianus reſcripſerunt, teſte Arcadio Chariſio. Non iidem quidem ſunt medici, vel philoſophi, vel grammatici, vel oratores, cum harum artium magiſtris: quod tamen in univerſum indultum eſt, id multo magis ad magiſtros pertinere ecquis negaverit? Et vero diſerte Paulus JCtus: *Angariarum præſtatio, & recipiendi hoſpitis neceſſitas & militia, liberalium artium profeſſoribus inter cætera remiſſa ſunt.* Sunt autem hi profeſſores illi, qui grammaticam ita tum dictam h. e. φιλολογίαν & rhetoricen docebant: qualium certus numerus civitatibus provinciarum imperii Romani conſtitutione Antonini Pii

Pii erat definitus. De rhetorices profeſſoribus ſeorſim, qui tum ſophiſtæ audiebant, ſcribit Modeſtinus, eos perinde ut *medicos qui περιοδευταὶ vocabantur*, (a) (erant autem hi medentium nominis omnium viliſſimi, non minus atque ſunt hodie) & grammaticos & rhetores, *quemadmodum a reliquis muneribus ita & a tutela & cura requiem habere.* Ad profeſſores quoque videntur pertinere illa Pauli, quæ idem Modeſtinus recitat: *Philoſophi, oratores, grammatici, qui publice juvenibus proſunt, excuſantur a tutelis.* Etiam legum doctoribus, etſi non ubivis, *Romæ tamen docentibus a tutela & cura*, tum temporis jam data eſt remiſſio, teſte eodem Modeſtino: adeoque & illi jam tum immunitatis nonnihil ſunt conſequuti. Confirmarunt autem non tantum ſed *auxerunt multum hæc privilegia Cæſares*, (b) ex quo illi nomen Chriſtianorum ordini dederunt. Variæ eorum conſtitutiones leguntur in codice Theodoſiano titulo de medicis & profeſſoribus: quas truncatas partim, partim ex multis in unum conſutas ſuo, illaudabili tamen, more Tribonianus ejusdem argumenti titulo in Juſtinianeo codice itidem exhibuit. Integras nonnullas hic recitare forte non fuerit absque pretio operæ. *Medicos,* ſcripſit ad Voluſianum Conſtantinus Magnus, *grammaticos & profeſſores alios literarum immunes eſſe cum rebus quas in civitatibus ſuis poſſident, præcipimus. Et honoribus fungi, in jus etiam vocari* (c) *eos, vel pati injuriam, prohibemus. Ita ut ſi quis eos vexaverit, centum millia nummorum ærario inferat, a magiſtratibus vel quinquennalibus exactus, ne ipſi hanc pœnam ſuſtineant. Servus eis ſi injuriam fecerit, flagellis debet a ſuo domino verberari, coram eo, cui fecerit injuriam: vel ſi dominus conſenſit, viginti millia nummorum fiſco inferat, ſervo pro pignore, donec ſumma hæc exſolvitur, retinendo. Mercedes etiam eorum & ſalaria reddi præcipimus. Quoniam graviſſimis dignitatibus, vel parentibus, vel domini, vel tutores eſſe non debent, fungi eos honoribus volentes permittimus, invitos non cogimus.* Idem Maximus Cæſarum ad populum ita reſcripſit. *Beneficia divorum retro Principum confirmantes, medicos & profeſſores literarum, uxores etiam & filios eorum, ab omni functione & ab omnibus muneribus publicis vacare præcipimus: nec ad militiam comprehendi, neque hoſpites recipere; nec ullo fungi munere; quo facilius liberalibus ſtudiis & memoratis artibus multos inſtituant.* Valentiniani & Valentis Cæſarum in eandem ſententiam hujusmodi ſupereſt reſcriptum: *Medicis & magiſtris urbis Romæ ſciant omnes immunitatem eſſe conceſſam: ita ut etiam uxores eorum ab omni inquietudine tribuantur immunes, & cæteris oneribus publicis vacent: eosdemque ad militiam minime comprehendi placeat: ſed nec hoſpites militares recipiant.* Denique & Honorii quoque & Theodoſii Cæſarum præclare admodum eſt conſtitutio. *Grammaticos*, inquiunt illi, *oratores atque philoſophiæ præceptores, nec non etiam medicos, præter hæc quæ retro latarum ſanctionum auctoritate conſecuti ſunt, privilegia, immunitatesque, frui hac prærogativa præcipimus. Ut univerſi, qui in ſacro palatio inter archiatros militarunt, cum comitivam primi ordinis vel ſecundi adepti fuerint, aut majoris gradum dignitatis aſcenderint, nulla municipali, nulla curialium conlatione, nulla ſenatoria vel glebali deſcriptione vexentur: & ſeu indepta adminiſtratione, ſeu accepta teſtimoniali meruerint miſſionem, ſint ab omni functione, omnibusque muneribus publicis immunes: nec eorum domus, ubicumque poſita, militem ſeu judicem ſuſcipiant hoſpitandum. Quæ omnia filiis etiam eorum & conjugibus inlibata præcipimus cuſtodiri, ita ut nec ad militiam liberi memoratorum trahantur inviti. Hæc autem & profeſſoribus memoratis, eorumque liberis deferenda mandamus.* Hactenus illi Imperatores de profeſſoribus.

Quanquam vero in omnibus hisce conſtitutionibus nulla theologiæ, nulla Romani juris, nulla artis medicæ profeſſorum fiat mentio; procul dubio tamen non alia id de cauſſa factum, quam quod horum ea ætate perexiguus eſſet numerus & ex parte certis iisque paucis locis circumſcriptus, ceu alias demonſtravimus: quodque medicis in univerſum ſimpliciter omnibus jam tum abunde eſſet a multis ſeculis cautum. Diſerta tamen etiam *legum doctorum* mentio per Tribonianum injecta eſt, auctoritate Juſtiniani Cæſaris, lege ſexta codicis *de medicis* & *profeſſoribus*; etſi eorum non meminiſſet Conſtantinus Magnus, cui illa conſtitutio per Tribonianum adſcribitur. Sed & jam ante Theodo-

(a) *medicos qui περιοδευταὶ vocabantur*) Secundum alios in Juſtinianeis legibus, quando circulatores & circumforaneos memorant, optimæ notæ hæc videtur appellatio, nonniſi illos comprehendens, qui publice per omnia civitatis fora, loca, circosque adeoque omnibus ejus incolis medicinam faciunt diverſi a ſedentariis illis, qui domi & in umbra tantum tractabant medicinæ ſtudia, aut certis ſolum familiis operam ſuam addicebant. Vid. *VLRICVS HVBERVS ad l. 3. Cod. de prof. & med. in fin.* & *ÆGIDIVS MENAGIVS in amænit. juris civil. c. 35. pag.* 220. ubi pro hac opinione citat CVJACIVM. Iſti igitur medici boni utique nominis & ominis, non vero impoſtores & agyrtæ illi homines clamoſi & nundinatores medicamentorum, per fora & oppida paſſim curſitantes, jure Romano ſuis gaudent immunitatibus. Ita & per philoſophos, rhetores & grammaticos, qui a tutela habent vacationem, intelliguntur ſcientiarum iſtarum profeſſores publici, excluduntur autem qui primas ſaltim literas pueros docent, & literatores alias audiunt, CVJACIO grammatiſtæ dicti *l. 11. § 4. ff. de muner. l. 2. §. ult. de vacat. & excuſ. mun.* ſicut nec ad geometras *l. 2. ff. de excuſat.* poetas *l. 3* & arithmeticos *l. 4. C. de prof. & med,* hæc immunitas extenditur. Vid. *MENAG. l. c. pag.* 222. *ſeqq.*

(b) *auxerunt multum hæc privilegia Cæſares*) Quo pertinet (1) quod arma quovis tempore licite geſtare gladiisque cincti incedere queant doctores, quæ prærogativa tamen aliis non ex lege quadam, uti LIMNÆVS putat, ſed ex conſuetudine & hodiernis Germaniæ moribus repetenda videtur. Vid. *ITTERVS p. 439.* (2) quod liceat doctoribus uſurpare inſignia cum apertis galeis (hac tamen lege, ne fraudulenta ſit illa uſurpatio & ad æmulationem alterius comparata) imo & in academia Lovanienſi inſignia tymbris ornata recepta ſint; (3) quod a cenſu emigrationis & detractionis immunes ſint; (4) quod ſedentes in judiciis cauſam agere poſſint; (5) quod a reali citatione, captura perſonali & incarceratione immunes ſint, & quæ ſunt alia, de quibus agunt ITTERVS *c. 12. & 13.* *BRONCHORST de privilegiis doctorum & Prof. p. 772.* *JOHANNES HALBRITTERVS in orat. de privilegiis doctorum.*

(c) *bonoribus fungi & in jus vocari*) Hæc aliaque Imperatorum ſtatuta cum ex ratione iſtorum temporum bene explicanda, tum etiam ad mores ſeculi noſtri rectius applicanda ſunt. Alias enim ſimpliciter dici nequit, quod doctores & profeſſores honoribus fungi & in jus vocari nequeant. Egit quoque hac de re pluribus ITTERVS *cap. 15.*

Theodoſius & Valentinianus Cæſares *legum magiſtros* urbis Conſtantinopolitanæ, non minus atque ejusdem urbis profeſſores grammaticos & ſophiſtas, poſt viginti annorum ſedulum miniſterium, juſſerant anumerari hisce qui vicaria dignitate tum cenſebantur. Qui honor illa tempeſtate ſic ſatis magnus habebatur, neque hactenus literarii quidem ordinis hominum ulli præterquam ſolis archiatris Cæſarei palatii erat tributus. Superat Honorii & Theodoſii ſecundi Cæſarum de archiatris conſtitutio illa, lege unica tituli ſextidecimi, libro ſexto codicis Theodoſiani. Eodem libro titulo viceſimo primo exſtat ejusdem Theodoſii & Valentiniani ſecundi reſcriptum ad Theophilum præfectum urbis, duodecimo poſt anno (ut ex faſtis conſularibus colligere eſt) exaratum, *de profeſſoribus qui in urbe Conſtantinopolitana docentes ex lege meruerint comitivam.* (a) Non illud pertinet quidem promiſcue ad profeſſores omnes, (quod nonnullis tamen placuit non infimæ notæ ſcriptoribus) ſed honor ille ſingularis fuit illius unius urbis regiæ, ceu verba ipſa loquuntur: tamen etiam ita meretur, uti hoc loco recitemus, & integrum quidem, non quale illud in codice Juſtinianeo titulo quintodecimo libri duodecimi protulit Tribonianus. *Grammaticos Græcos* (inquiunt Cæſares) *Helladium & Syrianum, Latinum Theophilum, ſophiſtas Martinum & Maximum, juriſperitum Leontium, placuit honorari codicillis comitivæ ordinis primi jam nunc a noſtra Majeſtate perceptis, ita ut eorum qui ſunt ex vicariis dignitate potiantur. Quæ in re quicunque alii ad id doctrinæ genus quod unusquisque profitetur, ordinentur; ſi laudabilem in ſe probis moribus vitam eſſe monſtraverint, ſi docendi peritiam, facundiamque dicendi, interpretandi ſubtilitatem, copiamque diſſerendi ſe habere patefecerint, & cœtu ampliſſimo judicante digni fuerint æſtimati, qui in memorato auditorio profeſſorum fungantur officio: Hi quoque cum ad viginti annos obſervatione jugi ac ſedulo docendi labore pervenerint, iisdem quibus prædicti viri dignitatibus perfruantur.* Etiam hæc Cæſares illi quos modo laudavimus. Quibus ut aut lucem affulgeamus hodie prolixiore quadam expoſitione, aut alia adjiciamus ex illo ævo, non eſt noſtri inſtituti. Neque enim alio fine iſthæc adduximus, quam uti fiat manifeſtum, omnino jam olim habitam non levem fuiſſe profeſſorum rationem: utque adeo luculenter pateat, quanto melior tum fuerit conditio docentium quam ſtudioſæ juventutis, de cujus privilegiis atque immunitatibus nonnihil diſſerere nunc animus eſt.

ETSI videlicet multa adeo jam iſthoc ævo magiſtris, adeoque noſtro docentium ordini, ſint tributa: quod veſtro generi tamen, o juvenes, tum datum, id vero per eſt exiguum & prope nihil. Diocletianus & Maximianus Auguſti primi omnium vacationem a publicis patriæ civitatis muneribus, iis qui Beryti in ſtudiis vivebant liberalibus, in annum usque quintum viceſimum largiti ſunt. *Cum vos adfirmatis,* inquiunt Auguſti Arabiæ (forte autem potius Beryti) ſcholaribus, (conſtitutione quæ extat codice *qui ætate vel profeſſione ſe excuſant*) *liberalibus ſtudiis operam dare, maxime circa juris profeſſionem, conſiſtendo in civitate Berytiorum provinciæ Phœniciæ: providendo utilitati publicæ & ſpei veſtræ, decernimus, ut ſinguli usque ad viceſimum quintum annum ætatis ſuæ ſtudiis non avocentur.* Scilicet antehac fas erat quemvis peregre ſtudiis vacantem domum ad munia reipublicæ capeſſenda revocare: quo non poterat non impediri ſtudiorum curſus. Eodem pertinet eorundem Auguſtorum conſtitutio, quæ laudato loco continetur: *Cum filios tuos patria poteſtate liberatos, adhuc minores legitima ætate eſſe dicas, merito poſtulas ut liberalibus ſtudiis non avocentur, & ideo muneribus perſonalibus quæ ad patrimonium non pertinent, non aſtringantur, ſi civium inopia non eſt.* Quibus verbis immunitas datur tantum iis qui infra legitimam ſunt ætatem, nec niſi a muneribus perſonalibus quæ ad patrimonium non pertinent, imo tum demum quando nulla eſt civium inopia.

Ultra hanc immunitatem ſtudioſis quidquam eſſe conceſſum, quo tempore durabat vera & vetus Romanorum reſpublica, haud patet. Nihil certe agunt illi qui academicæ jurisdictionis noſtræ primordia ab illa usque Juſtiniani Cæſaris conſtitutione arceſſunt, qua ille juris docendi rationem præſcripſit. Præterquam enim quod de ſolis Romanarum legum ſtudioſis agat ibi Cæſar, ſubjicit profecto illos jurisdictioni atque imperio Conſtantinopoli quidem degentes præfecti urbis, Beryti vero præſidis Phœniciæ maritimæ ac civitatis epiſcopi: quos ſcilicet penes & alias imperium atque jurisdictio conſiſtebat: optionem fori nullam dat, neque novum jurisdictionis ordinem inſtituit: qualis profecto hic noſter eſt.

Non poſſumus non hoc loco recitare, etſi fortaſſis juſto ſint prolixiora, quæ ad Olybrium præfectum urbis de iis qui ſtudiorum gratia Romam tum venerunt (venere autem procul dubio numero ſat magno non ad rhetores tantum grammaticos & philoſophos, quorum & alias erat copia, ſed Romani juris doctores potiſſimum, quibus nusquam alibi in omni occidentali imperio ſchola erat publica) reſcripta ſunt a Valentiniano Valente & Gratiano, qui ſimul rerum potiebantur, anno poſt natum Salvatorem mundi trecenteſimo ſeptuageſimo æræ Dionyſianæ, ſi non fallunt nos conſulares faſti.

(a) *ex lege meruerint comitivam*) Id eſt, ut illuſtres ſeu nobiles efficerentur, & comitum palatinorum titulo & honore gauderent, *l. unic. C. de profeſſ. qui in urbe Conſtantinopolit.* Lex autem hæc tantum de grammaticis, ſophiſtis & jurisperitis urbis Conſtantinopolis loquitur. Hac cum dignitate quoque HALBRITTERVS cum aliis hæc privilegia profeſſorum, qui viginti annos docuerunt, connectit: (1) ut per ſubſtitutum legere; (2) in cauſis criminalibus procuratorem ad agendum conſtituere poſſint; (3) ut ad tutelam pupillorum vocati ſatis dare non cogantur; (4) ut patria poteſtate liberentur, nec citari queant niſi per literas, a tutela quoque vel cura jam ſuſcepta excuſentur, & quæ alia ſunt illuſtribus perſonis convenientia emolumenta. Remanſit hujus legis veſtigium in academia Salmaticenſi in Hiſpania & Duacenſi Flandriæ, ubi qui vigeſimum annum expleverunt in docendi munere, immunes a legendo ſtipendio tamen ſuo quamdiu vivunt, fruuntur, teſte MIDDENDORPIO *lib. 7. de academ.* Cæterum multa ſæpe ab autoribus academicorum coacervantur privilegia, quæ ad Germaniæ academias minus recte quadrant. Ut igitur, quæ uniuscujusque academiæ ſint jura & prærogativæ cognoſcatur, ſtatuta ejus ante omnia ſunt inſpicienda.

faſti. Verba Cæſarum hæc ſunt. *Quicunque ad urbem diſcendi cupiditate veniunt, primitus ad magiſtrum cenſus, provincialium judicum a quibus copia eſt danda veniendi, ejusmodi literas proferant, ut oppida hominum, & natales, & merita expreſſa teneantur. Deinde ut in primo ſtatim profiteantur introitu, quibus potiſſimum ſtudiis operam navare proponant. Tertio ut hoſpitia eorum ſollicite cenſualium norit officium, quo ei rei impertiant curam quam adſeruerint expetiſſe. Iidem immineant cenſuales, ut ſinguli eorum tales ſe in conventibus præbeant, quales eſſe debent, qui turpem inhoneſtamque famam & conſociationes, (quas proximas putamus eſſe criminibus) æſtiment fugiendas: neve ſpectacula frequentius adeant, aut appetant vulgo* (f. vulgi) *intempeſtiva convivia. Quin etiam tribuimus poteſtatem, ut ſi quis de his non ita in urbe ſe geſſerit, quemadmodum liberalium rerum dignitas poſcat, publice verberibus adfectus, ſtatimque navigio ſuperpoſitus abjiciatur urbe, domumque redeat. His ſane, qui ſedulo operam profesſionibus navant, usque ad viceſimum ætatis ſuæ annum Romæ liceat commorari. Poſt id vero tempus, qui neglexerit ſponte remeare, ſollicitudine præfecturæ etiam impurius* (f. invitus) *ad patriam revertatur. Verum ne hæc perfunctorie fortaſſe curentur, præcelſa Sinceritas tua officium cenſuale commoneat; ut per ſingulos menſes, qui, vel unde veniant, quive ſint pro ratione temporis ad Africam vel ad cæteras provincias remittendi, brevibus comprehendat. His duntaxat exceptis qui corporatorum ſunt oneribus adjuncti. Similes autem breves etiam ad ſcrinia manſuetudinis noſtræ annis ſingulis dirigantur: quo meritis ſingulorum inſtitutionibusque compertis, utrum quandoque nobis ſint neceſſarii, judicemus.* Hactenus Cæſares. Qui etſi nihil eximii doni conferant in ſtudioſorum ordinem, arguunt tamen ſaltem curam publicam ejus jam tum temporis non omnino defuiſſe. Et quidem illam Romæ ſic ſatis accurate magiſtro cenſus fuiſſe demandatam, adeoque & ipſimet urbis præfecto, cui ſeptimo loco ſubfuit tum ille cenſus magiſter; ut nos docet notitia imperii & ad illam in nunquam ſatis deprædicandis commentariis Guido Pancirollus. Multum vero dubito, num quidquam aliud ex omni, illo quidem, ævo poſſit adferri in medium, quod comparari poſſit, imo quod accenſeri mereatur iis qui attulimus.

RECTE igitur rem reputantes non poſſumus profecto non affirmare, id quod jam ante diximus; nempe ut doctorum conditio illa Cæſarum ætate fuerit non adeo iniqua, ſtudioſos tamen neque libertate, neque immunitate, neque alio quodam inſigni eſſe beneficio ornatos. Primam ſcilicet jurium ſuorum originem debent illi Cæſari noſtro Friderico, iſti cui a barbæ colore hoſtes Itali Barbaroſſæ cognomentum indiderunt: ſed qui inter Germanicos Cæſares, ſive animi magnitudinem, ſive fortitudinem, ſive prudentiam, ſive denique res geſtas ſpectemus, nulli cuiquam eſt ſecundus.

Eſt locus Italiæ modicum ſejunctus ab urbe,
Cui, quia pulchra ſitu placet, inde Placentia nomen:
Planus, & Eridani placido junctiſſimus amni,
Effundit latos ſpacioſo limite campos.

In hunc modum canit de campis Roncaliis Güntherus, Friderici illius Cæſaris ævo dignus poeta in *Ligurino*. In illis autem campis Italici regni comitia celebrabat Fridericus ille laudatiſſimus Imperator, quando communicato cum proceribus conſilio, eorumque conſenſu impetrato, eam authenticam condidit, quæ mox ejusdem juſſu inſerta eſt Juſtinianei codicis titulo *Ne filius pro patre*, atque a prima dictione vulgo *Habitæ* cognominatur. Non erat tunc in immenſo illo terrarum tractu, per Italiam Germaniam Galliamque illam quæ Germanici eſt imperii portio, ulla ſchola publica, qua vel theologiæ arcana, vel philoſophia atque artes liberales, vel medicina, vel denique Romanæ leges ſive diſcerentur ſive docerentur, præter unicam Bononienſem. Vbi recenter iterum inventarum Romanarum legum profeſſio, magna orbis admiratione, magnoque concurſu (ceu fieri aſſolet in re nova, maxime apud imperitum vulgus) nullius autem ſcientiæ profeſſio alia, niſi forte rudioris cujusdam literaturæ, paulo ante cœperat. In eorum igitur qui legum ſtudio tunc occupabantur gratiam potiſſimum Cæſar authenticam condidit. Quod ſcilicet in toto imperio Germanico nec ſtudioſus nec doctor alius pene quisquam ſtudiorum gratia tum peregrinaretur.

Ejus laudatisſimæ conſtitutionis ſunt quidem varia beneficia: quæ tamen (niſi admodum fallor) ad duo capita merito reduxeris: quorum alterum eſt vivendi ſecuritas, alterum fori optio. De ultimo ante hoſce ſex menſes uberius ex hoc loco mihi eſt dictum. Quando ſimul oſtendi, non multo poſt id deſiiſſe gravisſimis de cauſis: non permittente ſcilicet juvenili ſtudentium temeritate ac petulantia optivum illud atque incertum fori genus. Cujus loco ergo cœperit mox, erectis pasſim plurimis ſcholis publicis, certa alia jurisdictio, eaque aut ipſi ſtudioſorum ordini, quod & hodie in Italis obtinet, aut magiſtris eorum demandata, quod Germaniæ fere omni eſt uſitatum. Cæterum (ut ante dixi) hæc a me ſunt jam ante ſex menſes in auguſto hoc conſeſſu late perorata: itaque hodie ſane minime repetenda. *Securitatis* illud beneficium quale ſit, non inter omnes conſtat: quod videlicet alii aliud illa voce velint ſignificatum. *Video certe perquam multos ad vectigalium tributorumque id immunitatem extendere,* (a) paucis aliis reclamantibus.

Cæterum Imperatoris quidem mentem fortasſis haud adeo eſt difficile intelligere, modo ipſa illius verba ea qua par eſt diligentia atque attentione expendantur. *Omnibus*, inquit ille, *qui cauſa ſtudiorum peregrinantur ſcholaribus, & maxime divinarum atque ſacrarum legum profeſſoribus.* Scilicet ſi quan-

(a) *Video multos ad vectigalium immunitatem id extendere*) Ita *ROSENTHAL. de feud. part. I. cap. 5. concluſ. 47. n. 1. SIXTIN. de regalibus lib. II. cap. 6. n. 116. & 119. HORATIVS LVCIVS de privil. ſcholar. privil. 54. SICHARD. d. authent. n. 7. PETRVS FRIDER. lib. II. de mand. c. 42. n. 6. OLDENDORP. de jure ſing. tit. de privileg. prof. & medic.*

quando & profeſſores ſtudiorum gratia peregrinantur. Neque enim hoc loci profeſſor eſt alius, quam qui docendi provinciam in ſe audet ſuſcipere, etſi ſalario non doceat, quod alias oſtendimus. *His omnibus* (pergit Imperator) *hoc noſtræ pietatis beneficium indulgemus: ut ad loca. in quibus literarum exercentur ſtudia, tam ipſi quam eorum nuncii veniant, & in eis ſecure habitent.* Securitas itaque indulgetur primum *ad loca* in quibus literarum exercentur ſtudia *veniendi.* deinde *in illis locis habitandi.* Securitas ergo bina eſt & geminata. Qualis vero illa? Niſi admodum fallor, videtur Imperator ipſummet ſeſe explicare, verbis mox ſubſequentibus. *Dignum namque* (inquit) *exiſtimamus.* Vbi τὸ *namque* cauſalis eſt vocula: adeoque indicat, iis quæ ſequuntur rationem reddi quamobrem ejusmodi ſecuritas indulta. Pergit itaque: *Dignum namque exiſtimamus, ut, cum omnes bona facientes noſtram laudem & protectionem omnino mereantur: quorum ſcientia totus illuminatur mundus, & ad obediendum Deo & nobis ejus miniſtris vita ſubjectorum informatur; quadam ſpeciali dilectione eos ab omni injuria defendamus.* Securitas ergo indulta defenſio ac tutela eſt *ab omni injuria.* *Hinc vero omnino patet, non indulgeri ſecuritatem a vectigalium tributorumque collatione.* (a) Niſi profecto injuriæ vocabulo vectigalium tributorumque præſtationem ipſe Imperator ſignificaverit. Quod neſcio an cuiquam poſſit videri veriſimile. Cum vectigalia ac tributa pendere nequaquam injuria quædam ſimpliciter ſit, ſed ſæpe jus merum. Quid, quod ipſemet Imperator mox adjiciat, qua injuria tum affici ſoleant ſtudioſi? *Quis enim* (ſubdit) *eorum non miſeretur, qui amore ſcientiæ exules, facti de divitibus pauperes, ſemetipſos exinaniunt, vitam ſuam multis periculis exponunt, & a viliſſimis ſæpe hominibus* (*quod graviter ferendum eſt*) *corporales injurias ſine cauſa perferunt?* Pergit idem atque concludit: *Hac igitur generali & in perpetuum valitura lege decernimus, ut nullus de cætero tam audax inveniatur, qui aliquam ſcholaribus injuriam inferre præſumat, nec ob alterius cujuscunque provinciæ delictum ſive debitum* (*quod aliquando ex perverſa conſuetudine factum audivimus*) *aliquod damnum ei inferat.* Hæc Imperator.

Ex quibus manifeſtum profecto eſt, per *ſecuritatem* intelligi ſecuritatem ab injuria, eaque partim corporali, partim illa quæ olim ἐνεχυρασμὸς aut pignoratio dicta eſt, quamque recentiores jurisconſulti *repreſſalia,* (b) Galli literas marcæ appellitant. Ea nimirum tum erant tempora: ut multum imminuta Cæſarum auctoritate, nusquam ferme tuta pax, injuria vero tantum non ubivis obtineret. Quo malo Germania cumprimis laboravit. Vnde non multo poſt idem Imperator Fridericus adactus eſt, leges de non inferenda injuria deque pace promulgare. Teſtatur idipſum Conradus Abbas Vrſpergenſis ad annum 1187. hisce verbis: *Eo anno Fridericus imperator conventum principum apud Nurenberg coadunavit, ubi de pace terræ diſpoſuit, & in literas redigi juſſit. Quas literas Alemanni usque in præſens literas pacis vocant: nec aliis legibus utuntur, tanquam gens agreſtis atque indomita.* Quanquam igitur peregrinus omnis ab injuria ſit tutus jure divino, jure naturæ, jure gentium, jure civili; ut tamen iſtius ætatis erant mores, neceſſum fuit nova lege munire innocentiam peregrinantium ſtudioſorum. Iis autem moribus, (quando ſcilicet jus in armis vigebat) quis dubitet, repreſſalia, aut pignorationes quoque, in perfrequenti imo nimio fuiſſe uſu? Scilicet habet illa violentæ executionis ſpecies locum quendam ubi jus denegatur: ſæpe autem per vim etiam ultra extenditur, maxime ubi malis moribus vivitur. Sunt enim bellum aliquod imperfectum repreſſalia & pignoratio: non ſemper quidem injuſtum, perſæpe tamen, ſemper autem permoleſtum illi contra quem exercetur. Quæ natura quoque eſt belli pleni ac ſolemnis. Ab hoc itaque onere, quod etſi non ſemper, frequenter tamen cum injuria eſt conjunctum, non poſſet autem a ſtudiorum propoſito non quemvis abſtrahere, quo plures ad literarum ſtudia ex ultimis usque provinciis exciret, ſecuros eſſe voluit, juſſit, optimus ille & nunquam ſatis laudandus Cæſar. Quod profecto beneficium non vulgare eſt. Certe tanto majus, quanto majus damnum, ac quanto majorem moleſtiam, pignoratio ac repreſſalia adferunt.

VSQVE adeo autem hæc Cæſaris benignitas etiam aliis placuit, ut non ſucceſſores tantum eamdem confirmaverint: verum alii quoque reges, quando & ipſis placuit in ſcholas publicas literarum gratia juventutem undique convocare, idem prorſus conſtituerint. Neapoli cum ſcholam hujusmodi conderet Fridericus primi illius Friderici nepos digniſſimus, quod initio tertii decimi ſeculi Chriſtiani contigit, ita loquebatur: *ſcholares undecunque venerint ſecure veniant, morando, ſtando, & redeundo, tam in perſonis quam rebus.* Quibus verbis legem avi ſui quaſi explicat. Eodem prorſus tempore Ludovicus id nominis nonus Galliæ rex, qui ſancti cognomentum meruit, quo Pariſienſium quoque ſcholam theologicis & philoſophicis ſtudiis florentiorem redderet, in hæc verba edixit: *Concedimus ac volumus, quod omnes & ſinguli de quacunque natione vel regione oriundi, de corpore univerſitatis Pariſienſis exiſtentes, & eſſe volentes, ad eam accedere, morari, redire,*

(a) *Hinc patet non indulgeri ſecuritatem a vectigalibus*) Idem pluribus probat LIMNÆVS *lib. VIII. juris publ. c. 9. n. 17. 18. ſſ.* Si enim, inquit, ſecuritas pro immunitate a præſtatione vectigalium, ut illi volunt, accipi debet, omnes ea immunitate præditi erant, cum omnibus hominibus æqualis ſit attributa ſecuritas, *l. 28. §. 7. ff. de pæn.* Tutius ergo erit, phraſin ſecure venire, explicare ſine metu & periculo venire *lib. I. §. ſumma ff. de his qui effud. vel dejec.* & cum DONELLO & GILKENIO vectigalium immunitatem ſtudioſis attribuere ex *lege 5. C. de vectig.* aut dicere, ſtudioſorum res ex paritate rationis non ſecus ac militum, agricolarum & naviculariorum præſtationi vectigalis non ſubjacere *l. V. C. de vectigal. l. IX. §. 7. de public. l. I. C. de navic.* vel eandem exemtionem deducere ex *lege VI. C. de prof. junct. l. VI. C. de vectig.* Eadem immunitate lege Hiſpanica gaudent ſtudioſi, qua ſoli clerici, milites & ſcholaſtici portorium non dant, ut ex Hiſpanico *part. 5.* refert CHOPPINVS *de domanio Franciæ lib. II, tit. 9. n. 8.*

(b) *repreſſalia*) Vid. LIMNÆVM *lib. VIII. cap. 9. n. 25. 26.*

& ſe. nuncios ſuos, resque ſuas, ubi libet transferre pacifice & libere absque ulla inquietatione posſint: ſicut vel us ipſis videbitur expedire. Quæ edicti verba refert Middendorpius, & nos ex illo nuper adduximus. Certum etiam eſt, nullam forte ſcholam publicam ex eo tempore fuiſſe erectam (fuerunt autem inſtitutæ per Italiam, Galliam, Germaniam, Hiſpaniam, & ſeptentrionales regiones plurimæ) cujus alumnis par ſecuritas non fuerit data.

Seorſim Aureliæ in Galliis, nationis Germaniæ ſtudioſis cautum eſt. Primo ut ſint in ſingulari regis tutela, ſive eo proficiſcantur ſive inde diſcedant belli pariter ac pacis temporibus: ſecundo, ne tempore belli posſint capi vel detineri, etſi eorum principes ipſimet regi bellum indixerint. Ideoque contra nobilem nonneminem Gallum, qui Germanum quempiam ſtudioſum eo nomine detineri curaverat, quod ipſius frater bello captus eſſet a fratre illius Germani, pronunciatum in curia fuit Aurelianenſi anno poſt milleſimum quingenteſimum quinquageſimo octavo: id quod refert Joannes Bacquetius. Ampliaſſe videtur hoc privilegii genus Philippus ſextus Francorum in Gallia rex. Ille enim (recitabo verbi Petri Rebuffi juriſconſulti Montiſpeſſulani) *privilegium conceſſit magiſtris & ſcholaribus Pariſienſis univerſitatis, quod bona illorum de quibus in ſtudiis aluntur, capi aliqua ex cauſa non debeant, (verba privilegii reddo* ait Rebuffus) *conſiderata occaſione guerrarum, nec alia occaſione quacunque, per quoscunque, cujuscunque conditionis ſtatus vel eminentiæ exiſtant, pro nobis aut noſtris ſubditis non capiantur, aut alias quomodolibet arreſtentur: ne magiſtri & ſcholares univerſitatis præfata vagandi a ſtudio ſumant materiam. Datum apud Vincennam anno 1340. menſe Januario.* Recitat idem Rebuffus plane eodem loco reſcriptum aliud ejusdem Philippi regis, quinquennio poſt exaratum in Pariſienſium gratiam, idque Gallica lingua. Sed quoniam illud magis pertinet ad immunitatem onerum, recitabitur illud non multo poſt, atque ita commodiore loco.

ITAQVE ut antiquisſimum eſt hoc privilegium omnium noſtrum, quotquot vel docendi vel diſcendi gratia academicam vitam peregre degimus: ita & maxime eſt univerſale atque communisſimum. Multo autem poſt demum adjecta ſunt alia illa, quibus nunc cumprimis res academica & ſtat & floret & gaudet. *Nec in univerſum omnibus eadem* (a) ſunt conceſſa, ſed alibi plura alibi pauciora; prout Cæſarum, Regum, Principum aut Pontificum major minorve fuit liberalitas. Generatim vero ſi pronunciandum quidquam ſit, licet (niſi fallor admodum) ſecure adfirmare, vetuſtiores Europæ noſtræ academias ſenſim magis & tardius auctas beneficiis, quam poſteriores. Cujus rei cauſa eſt, quoniam hæ ab initio ſtatim ad priorum exemplum ſunt inſtitutæ, adeoque mox a primo exordio impetraverunt quæ aliis illis per partes & longo temporis ſpatio donata ſunt. Exemplum unum pro multis exhibet nobis hæc ipſa Julia noſtra. In hac enim academia creatis doctoribus ipſe Maximilianus Cæſar iis tabulis, quibus academiam primum inſtituit, concesſit (verba Cæſaris refero) *omnibus & ſingulis gaudere & uti privilegiis, prærogativis & exemptionibus, libertatibus, conceſſionibus, honoribus, praeminentiis, favoribus atque indultis, quibus cæteri doctores in Bononienſi, Senenſi, Patavino, Papienſi, Peruſino, Pariſienſi, ac Lipſienſi, & aliis ſtudiis privilegiatis promoti ac inſigniti, gaudent & utuntur de conſuetudine vel de jure.* Eoque non profecto eſt, quod *quaslibet immunitates* quibusvis academiis *ſine diſcrimine* (b) liceat adſcribere: multo minus ex iis quæ nunc pasſim in uſu ſunt pronunciare aliquid eſt, de antiquisſimarum primis initiis: quaſi nempe quibus nunc gaudemus beneficia ſtatim & jam *olim recepti* (c) perinde uſus fuerint. Verum niſi falli & fallere velis, neceſſum eſt, ut de ſingulis pronuncies ſeorſim, ex tabulis & conſuetudinibus cujusque loci propriis: atque in exordia ſingularum immunitatum per partes inquiras. Ita ſane deprehendere fuerit ingens diſcrimen, & quæ vulgo antiquisſima habentur, ſero ſatis in academicum uſum conceſſiſſe.

Non patitur hic dies per omnis generis privilegia academica ſermonem diffundere: tantum addam nonnihil de IMMVNITATE illa, qua gaudetis nobiſcum, Juvenes optimi, circa TRIBVTA & VECTIGALIA: quoniam de illius exordio jam antea dicere quædam incepimus. Illa retuli, a quam multis quidem ab avthentica *Habita* arceſſi: ſi quid tamen recte judico, poſt Friderici ſecundi ætatem, & quidem forte ſatis diu poſt demum, immunitas iſthæc certam vim nacta eſt. Non enim Fridericum id nominis primum Cæſarem *ſecuritatis* voce hoc voluiſſe, jam ante eſt oſtenſum: quamvis fateamur non hodie tantum ſecus videri plurimis, ſed jam olim ita hanc vocem Bartholum ipſum & Baldum interpretatos eſſe, quod exiſtimarent ſecuritatem ab injuria nulla lege nova indigere. Multo minus vero probabile eſt Hugonis Donelli & Petri Gilkenii aliorumque commentum; immunitatem hanc ex quincta lege codicis Juſtinianei de vectigalibus repetentium: utpote quoniam nec ibi quidquam hujusmodi legatur, neque ejus vel veſtigium aliquod in omnibus poſt ſeculis niſi demum tertiodecimo reperiatur. Cæterum ne quidem Friderici II. ævo illam Cæſarum auctoritate obtinuiſſe, vel inde liquet, quod in iis privilegiis, quibus hic Cæſar ſuam Neapolitanam voluit eſſe ornatiſſimam, immunitatis iſtius nulla memoria inveniatur. Sunt autem hodieque in manibus iſta omnia; cumprimis apud Petrum de Vineis Cæſaris illius cancellarium, imo etiam a nobis non adeo

(a) *Nec in univerſum omnibus eadem*) De ſpecialibus ſive localibus privilegiis agit LIMNÆVS *l. c. n.* 54. 55. *ſeqq.*

(b) *quaslibet immunitates ſine diſcrimine*) Moveri hinc poſſet dubium, quod hac ratione quoque inter academias aliquod diſcrimen ſit, ut in aliis renunciati doctores plura & majora, in aliis pauciora & minora habeant privilegia. Sed huic dubio ſuccurrit ITTERVS *p.* 536.

(c) *olim recepti*) Mireris forte, quod *l.* 3. *C. de profeſſoribus & medicis* conſtitutum, poetas nulla immunitatis prærogativa juvari. Verum poeſin non tam reipublicæ utilem quam jucundam credebant.

adeo pridem hic recitata. Omnino itaque omne hoc jus vere debetur benignitati principum ſequentis ævi, & quidem citius alibi, alibi tardius.

Videtur autem omnino eſſe incertum, quis primus & quo tempore illud beneficii indulſerit. Enimvero refert quidem Middendorpius, idque Papirii Maſſonii teſtimonio confirmat, Innocentium IV. Pontificem auditores Pariſienſis ſcholæ vectigalibus exemiſſe. Fortaſſis autem vel ipſe vel Papirius vel uterque fallitur. Qui enim id potuerit Pontifex Romanus? Forte tamen conatus aliquid Papa eſt, ea auctoritate qua ſibi tribuit jus in omnes eccleſiaſticos, cujus ordinis etiam ſtudioſi quodammodo nonnullis exiſtimantur. Veroſimilius videtur quod idem poſt Rebuffum narrat, Carolum ſextum Galliæ Regem in hæc verba decretum aliquod promulgaſſe: *Statuimus quod Pariſiis ſtudentes immunes ſint, ab omnibus impoſitionibus, & ſubſidiis, tum ſuper vino habito ex hereditatibus aut beneficiis, ſive illud vendant minutim ſive alias, ſive ex frumento & aliis quibuscumque bonis ſibi provenientibus. Item in omnibus bonis emptis ad ſuum uſum, dummodo id rector fuerit atteſtatus, qui ſuper hoc primitus ab ipſis receperit juramentum.* Quod beneficium ſane magnum eſt & alibi parum in uſu. Præfuit autem Carolus ſextus Galliæ rebus, ab anno poſt milleſimum trecenteſimum octogeſimo ad ſubſequentis ſeculi annum viceſimum tertium, quæ ſunt confinia ſeculorum XIV. & XV: & hæc ipſa immunitas, Rebuffo teſte, data eſt ſeculi decimi quarti anno octogeſimo tertio, longo intervallo poſt Friderici II. ætatem. Idem autem Carolus inter alia Monpeſſulanæ ſcholæ hoc dedit privilegii: *Rector, doctores, magiſtri, licentiati, baccalaureati, ordinarie & continuate legentes, aliique veri ſtudentes, curſus & actus ſcholaſticos pro adeptione ſcientiæ & graduum exercentes, ab omnibus impoſitionibus, gabellis, quarta parte vini & aliorum fructuum excretorum, tam in ſuis prædiis patrimonialibus, quam aliis ratione beneficiorum eccleſiaſticorum ſibi competentibus & pertinentibus, etiam aliis perſonalibus vectigalibus, pedagiis, angariis & perangariis, ſint & remaneant in perpetuum quiti, liberi, franchi, immunes pariter & exempti.* Privilegium integrum recitat Rebuffus: ſed nobis nunc ſatis eſt unum hoc attuliſſe. Alibi idem Rebuffus notat, ab eodem hoc Carolo rege ſtudentibus & Pariſienſibus & Montiſpeſſulanis datam omnium munerum eam vacationem, ne ad ulla poſſint compelli. Attamen (ne quid diſſimulemus) jam ante Philippus Pulcher Pariſienſi ſcholæ tributorum bellicorum immunitatem indulſerat ſeculo tertiodecimo, Philippus Valeſius autem ſequente ſeculo ab omnibus eam oneribus perſonalibus liberaverat. Rem ita narrat Rebuffus. *Speciale privilegium conceſſum eſt ſcholaribus euntibus Pariſios & redeuntibus, ut nullum vectigal ſolvere teneantur, in hæc verba. Concedimus de gratia ſpeciali & certa ſcientia, & de noſtra plenitudine poteſtatis, ne quiſquam laicus, cujuscunque conditionis vel eminentiæ exiſtat, ſive privata perſona, præpoſitus, vel baillivus, præfatos magiſtros & ſcholares, aut ad ipſum ſtudium accedentes, aut ad propria redeuntes, de quorum ſcholaritate conſtabit per proprium juramentum, in perſona, familia, ſive rebus, occaſione pedagii, tallia, impoſitionis, couſtuma, vel aliorum hujusmodi perſonalium onerum, aut alterius exactionis, cujuscunque perſonam inquietent, moleſtent, aut alias quovis modo extorquere præſumant. Hoc conceſſit Philippus VI. Valeſius dictus, olim rex Franciæ, anno 1340. in menſe Januario apud Vincennam. Simile privilegium conceſſit rex Franciæ Ioannes anno 1360. die 12. Februarii, quod direxit dominis generalibus, ut prædictis privilegiis gaudere faciant magiſtros & ſcholares. Hoc privilegium ampliavit Karolus quintus, ut ſint immunes tam in aqua quam in terra, & bona ipſorum & bona ſuorum beneficiorum quæ ad uſum habent. Datum anno 1369. die 26. Septembris apud Vincennam.* Hactenus Rebuffus. Operæ pretium forte fuerit & nonnulla heic loci in majus robur ex Stephano Paſquierio, aut potius ex interprete ejus, diligentiſſimo Limnæo audire. Ille ita loquitur: *Philippus Pulcher edicto anni 1295 ſancivit, ut quascunque faceret impoſitiones ad bella neceſſarias, univerſitas (ſermo autem eſt ipſi de Pariſienſi) illis non ſubjaceret. Anno 1299. pro debito reali ſcholarem non poſſe pignorari in ſuis mobilibus. Et anno 1311 ut Vigilum magiſter ſtatim in introitu officii juraret, ſe obſervaturum in omnibus & per omnia privilegia univerſitatis. Et Ludovicus Hutinus ejus filius, qui per annum duntaxat regnavit, ut omnibus ſcholaribus liceret ſupellectilem ſuam transportare quo vellent, absque ullius impedimento. Verum ſupra omnia magnum eſt privilegium quod Philippus Valeſius ipſis dedit anno 1340, quo illos exemptos voluit ab omnibus portoriis, vectigalibus, conſuetudinibus, & aliis hujus generis oneribus perſonalibus, & ut omnibus in proceſſibus non evocarentur Lutetia.* Verba hæc omnia ſunt Paſquierii. Ex Philippi porro Valeſii tabulis, anno ſeculi quartidecimi quadrageſimo quinto Pariſienſi ſcholæ Gallica lingua traditis, recitat nonnulla Rebuffus, quæ latine verſa non poſſumus itidem hic ſilentio præterire. *Volumus*, ait rex, *quod ex bonis ſupradictorum magiſtrorum & ſcholaſticorum, nulla bona, qualia & quæcumque fuerint, pro præſidiis noſtrorum bellorum, neque pro noſtra aula, pro aula noſtra cariſſimæ ſponſæ reginæ, neque pro noſtris liberis, neque pro aliis quibuscumque noſtræ proſapiæ legatis, ducibus, conneſtabilibus, aut aliis volentibus vel dicentibus ſe habere jus, in noſtro regno quacumque auctoritate liceat accipere. Sed tranquille ſupradictis magiſtris & ſcholaſticis omnia eorum bona relinquantur.* Hactenus rex ille, Rebuffo teſte. Quæ ſi vera (quur vero aliter ſuſpicemur?) apparet: initia immunitatum ſcholaſticarum jacta Pariſiis quidem tertiidecimi ſeculi fine, ſed Philippo Valeſio demum rege, adeoque ſeculo quartodecimo, juſtum illis incrementum acceſſiſſe, atque tum demum illam a vectigalibus aliisque oneribus libertatem ſcholaſticos homines in Galliis quidem conſequutos eſſe.

VERVM hæc in Gallia ita contigerunt. In Italia, Germania, Britannia, alibi, quando iſthæc cœperint, ut quod res eſt fatear, certo affirmare non poſſum. Fortaſſis autem parum intereſt ſive id neſcias ſive ſcias. Ego tamen grati eſſe animi credo, inquirere in auctorem cujuslibet boni. Id certum eſt, hodie illud immunitatis genus per omnem Europam, qua quidem Chriſtianæ religioni aliquis honos eſt, obtinere: quocunque etiam autore in uſum venerit. Si conjecturæ eſt locus, dixerim deberi in Italia quidem, ſaltim vectigalium immunitatis originem, partim ſpontaneæ benignitati hominum jam tertiidecimi ſeculi, partim vero juris doctoribus veteres Romanas leges *in lite-*

rarum

ratorum gratiam liberaliter atque benigne interpretantibus. (a) Enimvero ipſemet Accurſius, quem initio ſtatim tertiidecimi ſeculi conſtat magna nominis exiſtimatione jus Romanum Bononiæ docuiſſe, ad avthenticam *Habita*, non illam ipſam avthenticam aut aliquod novum aliud Cæſaris reſcriptum laudavit, ſed in hunc modum gloſſatus eſt. *Sed an pedagia ſolvant? Reſpondeo non. Arguit. ff. de leg. l. ſi quando. Item quia in uſum proprium ferunt libros & alia.] de vecti. & commiſſ. l. univerſi. Item quia non eſt conſuetum, ut ff. de publ. & vectig. l. IIII. in fine.* Poſt Accurſium nonnulli (quos intereſt Bartolus ipſe & Baldus) libertatem hanc voce *ſecuritatis* in avthentica comprehendi, perſvadere vulgo conati ſunt. Atque homines quidem alii videntur hoc indulſiſſe ſtudioſis tanquam clericis. Accedente autem juriſconſultorum auctoritate, haud difficulter in morem trahi potuit omnibus laudata æquitas. Et vero acceſſit tandem & principum confirmatio. Sic de Agrippinenſi academia agens Middendorpius, *Fridericus Imperator, ejus nominis tertius,* (inquit) *omnes & ſingulos, ex quacunque mundi parte ſtudiorum cauſſa Coloniam adeuntes, & redeuntes, cum familia & bonis ſub regalem tuitionem ſuſcipiendos, nullaque de cauſſa in itinere ſuo impediendos, arreſtandos, ab omni ſolutione pedagii, thelonii, ſeu talliæ, aut exactionis genere immunes eſſe debere, ſub gravibus pœnis ſancivit, & executionem archiepiſcopo Colonienſi Brabantiaeque ac Geldriæ Ducibus demandavit, Francofordiæ 4. Auguſti anno 1442, regni ſui tertio. Carolus dux Geldriæ hoc privilegium peculiari diplomate confirmavit; ſuisque ſatrapis, telonariis & miniſtris mandavit, ut doctoribus & ſtudioſis Colonienſibus, amicis ſuis, auxilio & conſilio eſſent: ut cum rebus & bonis, libere, ſine ullo telonio, facilius per ſuas provincias tranſirent: pro ſe & pro hæredibus ſuis. Anno 1514. die 25. Septembr.* Hactenus Middendorpius. Similes autem tabulas Cæſarum Principumque alibi etiam fortaſſis paſſim reperire eſt.

SED QVORSVM prolabor ſermone? Initio hoc volebam: ultimis hiſce quinque cumprimis ſeculis immortales deberi gratias a nobis, qui in ſcholis publicis literarum ſtudio nos conſecravimus: quod hoc demum tempore pleraque illa, ſi non omnia, ſint orta & conſtituta, quibus res academica conſervatur. Eo enim intervallo videntur paſſim Reges, Principes, Pontifices, certatim dediſſe operam exornandæ rei literariæ & adjuvandæ: iis beneficiis collatis, quorum ne umbram quidem in prioribus ſeculis, apud cultiſſimas etiam gentes, eſt invenire. Adeo liberalibus autem benefactoribus quis dubitet æternas deberi gratias? Nec tamen illi quidquam aliud quam rei literariæ commodum videntur ſpectaſſe. Vt proinde grati omnes illi ſint habendi, qui tantis beneficiis utuntur fruunturque illo fine quo fieri par eſt.

Quod a vobis quidem, o optima ſtudioſorum corona, hoc ſemeſtri ſpacio prorectoratus mei eſſe factum fortaſſis licet affirmare. Etſi enim interdum contigerit quid ſecus quam oportuit, ſaltim a pleriſque tamen hoc tempus cum ſtudiorum fructu eſſe collocatum, nolo dubitare. Id quod mihi ſane nunc eo eſt jucundius, quo majori cum metu munus hoc fui aggreſſus. Non enim diffitebor, haud ſine trepidatione provinciam me hanc ſubiiſſe. Verum equidem Deo Opt. Max. boni omnis datori promotorique, ante omnia gratias debeo quas poſſum mente concipere maximas: qui inter hos belli motus, hæc inter pericula, interque has ærumnas quibus Germania tantum non omnis perit funditus, protexit hanc Juliam, eique otium illud fecit cujus bonis potuerimus frui. Magnas quoque gratias debeo clariſſimis & honorandis dominis collegiis meis: qui profecto nulla in re vel conſilii vel rei inopem me reliquerunt. Vobis tamen etiam, o optimi juvenes, haud parum me fateor debere cum pro ſtudio in me veſtro, tum pro amore virtutis, qua tempora ſperato tranquilliora mihi reddidiſtis. Macte eſte, o boni, & pergite ut cœpiſtis quietem honeſtam & literarium otium fovere. Ego ſane hiſce quas dixi de cauſis læto animo poſſum nunc provincia excedere. Nec vero eſt quod morer amplius. Igitur quod bene vortat academiæ huic Juliæ, omnibusque ejus cum ſenatoribus tum civibus; ad Te mea oratio ſeſe deflectit clariſſime atque eximie Vir N. N. collega & amice multis nominibus & honorande & cariſſime. Sexta agitur ſeptimana quum unanimi omnium collegarum conſenſu electus es in proximum ſemeſtre academiæ hujus Juliæ Magnificus Prorector. Confirmavit auctoritate ſua noſtram electionem sereniſſimus ac reverendiſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Fridericus Dux Brunſvicenſis & Luneburgenſis &c. academiæ hujus Rector hodie ac Cancellarius magnificentiſſimus, dominus noſter clementiſſimus. Tu vero neque noſtræ exſpectationi neque principis voluntati Te defuturum ſpopondiſti. Exacto itaque ſemeſtri illo quo mihi gerendum fuit hoc munus, dies jam adeſt & hora illa qua provincia hæc tibi venit tradenda. Age igitur, vir clariſſime, quod felix fauſtumque Tibi nobis ac omnibus bonis eveniat, hanc cathedram aſcende & a me accipe cum ea inſignia quibus merito conſpicuum Te porro eſſe oportet, tum & alia nonnulla quibus res academica noſtra præcipue adminiſtratur.

Accipe igitur primum hanc purpuream ex holoſerico epomidem. Regius hic olim fuit ornatus, Pontificum, Cæſarum, & Regum unanimi beneficio, tuum munus quod geris quo ſit conſpectius, academiis poſt conceſſum.

En Tibi & duo hæc ſceptra. Hoc inſigne meri mixtique imperii eſt, quo pollet hæc Julia. Hoc ſolatium miſeris: fiducia oppreſſis: ſpes egenis: terror malis ac petulantibus ingeniis.

Trado etiam duo academiæ ſigilla: alterum majus obſignandis majoris momenti negotiis: alterum in uſum magis familiarem. Penes Te enim hoc ſemeſtri erit facultas & academica omnia ſigillo confirmandi, & alibi obſignata reſerandi.

Cape

(a) *in literatorum gratiam liberaliter atque benigne interpretantibus)* Conf. LANGII *comm. academ. lit. M. pag. 78. ſeqq.* CASPAR BAETIA *Jct. Hiſp. tractat. 2. de inope debitore.*

Cape etiam codicem hunc legum & ſtatutorum noſtrorum. In hoc habes omnia ſecundum quæ ſchola noſtra eſt dirigenda. Habemus ſcilicet rempublicam non ex cœco regentium arbitratu ſed ſecundum leges adminiſtrandam. Quod & tibi non poteſt non placere: quem minime præterit, quam obnoxii mentis affectibus mortales ſimus, & quam ſimul iniquus rerum arbiter ſit idem affectus ille.

Accipe & hunc codicem, album civium academicorum. Neque enim fas eſt ignorare Te quenquam eorum, qui huc tanquam ad aſylum aut potius ad aram atque velut in portum advenerunt. Omnium autem nomina hic videbis conſignata. Quod etiam te ſcio expetere, qua erga omnes es benevolentia.

En Tibi denique & claves: quo videas nihil arcanum non concredi fidei tuæ. Habes jam claudendi reſerandique omnia poteſtatem, prout aut lex id exegerit aut utilitas publica poſtulaverit.

Sunt quidem adhuc & alia penes me. Sed quæ huc minus commode potuerunt transferri. Recipio autem me iſthæc bona fide intra octiduum, aut ſi quem alium diem in id indicere viſum fuerit, tibi traditurum. Intra quod tempus & rationes accepti atque expenſi me redditurum, ſtipulata hac manu polliceor.

Atque ita finis jam impoſitus eſt meo muneri. Quo nomine iterum Deo Opt. Maximo gratias ago immortales. Quando autem Te video magnifice Dn. prorector non poſſum equidem & academiæ noſtræ, & Tuæ magnificentiæ, & mihi denique non plurimum gratulari. Academiæ quidem, quod accipiat eum adminiſtratorem, qui & prudenter poſſit & diligenter velit eam regere ac defendere. Tuæ autem magnificentiæ, quod ad eum gradum dignitatis perveneris, qui in noſtro ordine a Cæſaribus regibus principibusque ſummo ſemper eſt honore affectus. Mihi vero quur non gratuler illum ſucceſſorem? quem ſingulari amicitiæ affectu dudum fui proſequutus. Deum veneror, uti tranquillitate conceſſa, ita Tua magnificentia provinciam hanc regat, ut proximo semeſtri academia non conſervetur tantum in quo eſt ſtatu, ſed & magnum capiat incrementum.

HERMANNI CONRINGII

Supplementa diſſertationum de antiquitatibus academicis.

Supplementum I. ad libri titulum.

SCholis publicis ſublimiorum ſcientiarum atque artium quia hodie commune paſſim eſt *academiarum* nomen, idque nos etiam ſumus ſecuti, forte haud abs re fuerit hic docere, qua ratione cognomentum illud paſſim hodie invaluerit.

Tenendum igitur, *academiam* initio non niſi locum unum Athenienſium ſuburbiorum gymnaſiis inſtructorum audiviſſe. *Fuerunt* nempe *Athenis olim,* (a) præter alia ſuburbana, tria cumprimis ſplendore ædificiorum & gymnaſiis celebria: Academia, Lyceum & Cynoſarges. Quorum poſteriora duo præclare perſequutus eſt Meurſius *l. 2. Athenarum Atticar. cap. 2. & 3.* prius in *Ceramico gemino,* libro poſthumo, *a cap. usque decimonono, præcipue autem cap. 20. & 27.* *Quoniam vero Platoni* (b) in academia iſthac ſchola philoſophiæ publica fuit conceſſa, & quidem omnium prima, hinc ſcholæ philoſophicæ nomine quam maxime academia illa Attica inclaruit. Diogenes Laërtius *l. 3.* de Platone ait: *ἐπανελθὼν εἰς Ἀθήνας διέτριβεν ἐν Ἀκαδημίᾳ. τὸ δ᾽ ἐστὶ γυμνάσιον προάστειον ἀλσῶδες ἀπό τινος ἥρωος ὀνομασθὲν Ἀκαδήμου.* Recitatis mox verſiculis Eupolidis & Timonis, ejus indubie quem σιλλόγραφον appellant, addit: *πρότερον γὰρ διὰ τοῦ Ε Ἑκαδημία ἐκαλεῖτο.* Reverſus Athenas *in academia commorabatur; ea vero eſt gymnaſium ac ſuburbium nemoroſum a quodam Heroe Academo cognominatum: primo autem per E hecademia appellabatur.* Quæ totidem ferme verbis referunt quoque & Suidas & auctor Proverbiorum.

Præter vero locum iſtum univerſa Græcia nihil olim habuit academiæ cognomento inſigne. *Cicero longe poſt villam* (c) quandam ſuam academiæ nomine dignatus eſt, ut gymnaſium in Tuſculano Lycei. Hujus ipſemet meminit *l. 1. de divinatione* hiſce verbis: *Nuper cum eſſem cum Quincto fratre*

(a) *fuerunt Athenis olim*) Conf. B. SCHMIDII *exercit. academ. de gymnaſiis literariis Athenienſium*, ubi & Stoicorum Stoam & Epicureorum hortos & gymnaſium Ptolomæum deſcribit. Adde FRID. SPANHEIMII *orat. de auditoriis veterum tom. II. opp. pag. 1363.* JOH. PHILIPPI PFEIFFERI *antiquit. græc. lib. 2. cap. 66.* item CONRINGII *ſupplement. 7.*

(b) *Quoniam vero Platoni*) Academia primum ab Hecademo dicta academia (non a Cadmo, ut Franciſcus Junius nugatur) & ſpiritu quandoque omiſſo ecademia, etiam ab Echemo echedemia & echamedia. Academus enim ſive Hecademus, qui a Plutarcho in Theſeo deſcribitur, non literis, ſed fortitudine & prudentia militari, inſignis gymnaſium primum in villa loco amœniſſimo ab Athenis ſex ſtadiis diſſito habuit, quod deinceps emtionis jure ad Platonem pervenit, qui agrum hunc ter mille drachmis, i. e. noſtro ære 275. imperialibus redemiſſe & bibliotheca Philolai Pythagorici pretio plus mille Philippicorum comparata inſtruxiſſe dicitur. Occaſionem autem, qualem Plato nactus ſit vitæ hic agendæ, & quomodo hic locus poſtea liberalitate aliorum ditatus, quæve ſcholæ hujus in limine inſcriptio fuerit: *nemini geometriæ ignaro ingredi fas eſto;* quæ ipſa magnam ſæpe Platoni conflavit invidiam, vide apud Suidam & Diog. Laertium. Hæc autem academia diu poſt floruit, donec Sulla Romanus, cum Athenas invaderet & materia ad machinas deficeret, nemoroſiſſimam hanc villam exſcinderet, atque adeo locum deleret. Vide hæc cum Conringio aliisque ne prima pluribus quoque docentem JOH. PETRUM LUDOVICUM *in diſſertatione de prima academia villa Platonis cum nova Hallenſium collata.*

(c) *Cicero longe poſt villam*) FRANCISCUS SCOTTUS *in itinerario Italico lib. 3o.* ex STEPHANO VINANDO PIGHIO Ciceronis academiam villam pluribus deſcripſit, cujus verba excerpſit & *idea ſyſtematis antiquitatis litterariæ* inſeruit. REIMANNUS *p. 517.*

fratre in Tuſculano, *diſputatum eſt. Nam cum ambulandi cauſſa in lyceum veniſſemus, id enim ſuperiori gymnaſio nomen eſt: Perlegi inquit ille tuum paulo ante tertium de natura Deorum.* De illa illuſtris eſt Plinii locus l. XXXI. cap. 11. *Digna memoratu villa eſt ab Averno lacu tendentibus, impoſita littori, celebrata porticu ac nemore: quam & vocabat M. Cicero academiam, ab exemplo Athenarum, ibi compoſitis voluminibus ejusdem nominis:* Academicarum nempe quæſtionum. Hadrianus quoque Imperator partem villæ ſuæ Tiburtinæ eodem modo nuncupavit. Spartianus id teſtatur in ejus vita, *Tiburtinam*, inquiens, *villam mire exædificavit; ita ut in ea provinciarum & locorum celeberrima nomina inſcriberet: velut Lyceum, academiam, Prytaneum.* Qui alius id imitatus ſit nemo ex omni ævo vetere memoratur.

Sed & ipſamet illa nobilis Athenienſium academia, videtur poſt Platonem non diu floruiſſe priſtino cultu. De Sylla ſane qui bello Mithridatico obſedit & ſuperavit Athenas, diſerte ſcribit Plutarchus in ejus vita. Καὶ τήν τε Ἀκαδημίαν ἔκειρε δενδροφορωτάτην προαστείων οὖσαν καὶ τὸ Λύκειον. *Et academiam devaſtavit, inter ſuburbia arboribus frequentiſſimam, & lyceum.* Fortaſſis vero id de nemore loci illius accipi potiſſimum debet: quia Appianus in Mithridatico ita duntaxat loquitur de Sylla: ὕλην δὲ τῆς Ἀκαδημίας ἔκοπτε, καὶ μηχανὰς εἰργάζετο μεγίστας: *Sylvas vero academiæ exſcindebat & machinas inde faciebat maximas.* Nec tamen ab ingenio Syllæ fuiſſet alienum, etiam quod reliquum fuit academiæ exſcindere, quoniam Piræeum & Munichiam incendit, & urbe capta crudeliſſime ſæviit in cives: quod narrat idem Plutarchus. Qui recte dixit οὐδὲν ἐν τῷ Σύλλα φιλάνθρωπον οὐδὲ μέτριον. Qualis autem adhuc ſuo ævo fuerit academiæ facies, memoravit Pauſanias: forte quod eam ut alia Hadrianus Imperator, qua erat in urbem illam benevolentia, tunc reſtauraſſet. Inde ſane diſcimus, etiam tunc fuiſſe ibi gymnaſium, in cujus introitu ſeptum quoddam Dianæ, optimaque ac pulcherrima ſimulachra, templum item non magnum, ac varia ſepulchra: in primo academiæ aditu aram amoris, intus autem aram Promethei, Muſarum, Mercurii, Minervæ, & Herculis. Quem Pauſaniæ locum egregie illuſtravit nonnullis etiam additis Meurſius; qua parte de Ceramico ſuburbano agit, cujus pars nobilis fuit academia. Non niſi pars tamen, etſi Heſychius & Stephanus is qui de urbibus ſcripſit ita loquuti ſint, quaſi Ceramici & academiæ voces idem ſignificent.

Cumprimis vero expendi meretur, a Pauſania nullam factam mentionem ſcholæ philoſophicæ in academia tunc ſuperſtitis. Indicio ſane illud mihi eſt ſatis certo, iſthac tempeſtate deſiiſſe ſcholam illam nobilem a Platone inſtitutam illic loci celebrari. Horatius l. 2. epiſtola 2. quidem ait:

Adjecere bonæ paulo plus artis Athenæ:
Scilicet ut poſſem curvo dignoſcere rectum,
Atque inter ſylvas academi quærere verum.

Verum poetica hoc dictum forte fuit elegantia, de ſchola academica intra muros jam tunc recepta. Et vero videntur loca ſcholarum Platonicæ, Peripateticæ, & Stoicæ philoſophiæ, aut ipſas potius ſcholas, quæ in mediis Athenis aliquot etiam poſt ſeculis fuerunt agitatæ, academiæ lycei & porticus nominibus fuiſſe celebratas. Hoc ſane ſpectaſſe videtur Syneſius *epiſtola 54.* ubi ita illos qui Athenis redierant perſtringit: *Verſantur inter nos quemadmodum ſemiaſi inter mulos, eo quod conſpexerint academiam & lyceum & variam illam porticum, quæ jam non eſt varia, nam proconſul tabulas abſtulit:* niſi malis locutum Syneſium, de locis qui olim academiæ & lycei nominibus extra urbem audierunt. Enimvero in univerſum olim omnis ſchola Platonis ſucceſſorum acedemia dicta eſt, & qui eam doctrinam amplexabantur academici: qui cum ſententiis diſſenſerint nata hinc nomina *academiæ veteris, mediæ & novæ.* (a) A quibus cum plurimum alii abirent circa ſeculi Chriſtiani ſecundi & tertii confinia, extinctum ſenſim eſt ipſum *academicorum* nomen, & invaluit Platonicorum appellatio. Unde S. Auguſtinus *l. 8. de civitate Dei cap. 12.* ita recte ſcribit: *Recentiores philoſophi nobiliſſimi, quibus Plato ſectandus placuit, noluerunt dici peripatetici aut academici ſed Platonici. Ex quibus ſunt valde nobilitati Græci, Plotinus, Jamblichus, Porphyrius.* Nec vero audiendus Marſilius Ficinus, aut Jacobus Mazonius, qui & hanc Platonicorum ſcholam *academiam* appellant, ſive ſextam ut Mazonius, ſive peregrinam ut Ficinus, hanc peregrinam iterum trifariam dividens in Ægyptiacam Ammonii Saccæ, Romanam Plotini, & Lyciam Procli: carent ſane hæ narrationes omni idoneo veteris ævi teſtimonio.

Cæterum a Syneſii præter propter ætate, certe a temporibus Juſtiniani Imperatoris, in univerſo terrarum orbe, per mille amplius annos, nulla ſchola, nullus ſcholæ locus, *academiæ* nomen accepit. *Primo omnium in Italia Romæ videtur illa vox reducta* (b) in uſum Paulo ſecundo Pontifice: idque non

(a) *academiæ veteris, mediæ & novæ*) Nova ſchola ab Archeſilao Platonico conſtituta academiæ ſecundæ nomen obtinuit, media autem dicta fuit, ut a nova diſtingueretur, quam poſtea Carneades condidit: quamvis hanc ab illa diſtinguere CICERO minime videatur, novæ academiæ nomine eam, quæ media alias appellatur, complexus, *academ. quæſt. l. 1. c. 12.* obſervante *STANLEJO in hiſt. philoſ. pag.* 394. ubi & *p.* 400. ortum ac diſſenſiones harum ſcholarum, in quibus conſtiterint, pluribus enarrat, & *p.* 408. ex Sexto Empirico a Philone Lariſſæo quartam, ab Antiocho Aſcalonita Philonis diſcipulo quintam academiam conditam obſervat. Quod autem ad Carneadem ſpectat, hic tertiæ academiæ autor ſtupenda valebat eloquentia, & ad id pervenerat, quod academiæ ſuæ ſummum erat, ut pro falſo non minus quam pro vero vires eloquentiæ poſſet intendere. *GROTIVS prol. libr. de I. B. & P.* Non tamen mihi perſuadere poſſum, quod Carneadis opinio fuerit, nihil plane eſſe verum; ſed ille contendit, difficile admodum eſſe, potiſſimum in moralibus, verum a probabili diſtinguere, & maximam partem in vita communi probabile pro vero haberi. Vide de ejus ut & Arceſilai ſententia *BAYLIVM in dict. hiſtor. critico ſub artic. Carneades.*

(b) *vox academia primum omnium in Italia*) Circa medium ſcilicet ſeculi XV. Idem obſervat VOCKERODT

non, ut olim, de ſpecie ſcholæ philoſophicæ, ut ſchola ipſa, ſed de collegio aliquo iſthoc tempore Romæ commorantium & priſcæ doctrinæ collapſæ reſtitutionem aliquam inſtituentium. Tum ſane jam denuo illud nomen cœpiſſe, liquido apparet ex iis quæ Bartholomæus Platina narrat in vita illius Pauli. Narrans enim, quænam contigerint ſibi & aliis quibuſdam literatis in carcere, Papa iſthoc jubente & præſente, ſcribit in hæc verba: *Fit autem inter dicendum de academia mentio. Inclamat tunc M. Barbus Sancti Marci cardinalis, nos non academicos eſſe ſed fœdatores academiæ. Quid turpitudinis autem a nobis in academiis prodierit, certe non video: cum nec fures, nec latrones, nec incendiarii, nec decoctores eſſemus. Veteres academicos ſequebamur, novos contemnentes, qui in rebus nil certi ponebant. Paulus tamen hæreticos eos pronunciavit, qui nomen academiæ, vel ſerio vel joco deinceps commemorent. Juſta eſt hæc ignominia Platoni: ipſe ſe tueatur.* Qui Paulum ſecuti ſunt Pontifices rectius ſapuerunt; eoque deinceps in Italia paſſim id genus academiæ inſtitutæ, *& nunc etiam in frequente ſunt uſu:* (a) Philologicis tamen potius quam philoſophicis exercitiis occupatæ. *Et vero hodieque celebris eſt fama academiæ, Romæ quidem Humoriſtarum,* (b) Senis Inthronatorum, Florentiæ Furfurariorum, in urbe Picena Auvicatorum, Ferrariæ Intrepidorum, Bononiæ Noctis, aliarum alibi, ſuis ſeorſim, etiam ridiculis, cognomentis & ſymbolis inſignitarum. Etiam Lynceorum academia phyſicis & mathematicis excolendis Neapoli conſecrata in magna fuit exſpectatione, ſed cum ſuo parente Friderico Cæſio duce mox interiit. Serpente exemplo etiam trans Alpes, nonnuſquam nihil ad rem literariam facientibus, imo improbis etiam quibuſdam rebus, academiæ cognomentum eſt profanatum. Enimvero Pariſiis anno ſeculi hujus nono non puduit nonnullos academiam inſtituere ludorum aleæ & chartarum, quæ tamen altero poſt anno regio edicto ſevere, ceu par erat, damnata eſt. Ibidem utilis quidem, academiæ tamen cognomento neutiquam digna, equitandi ſaltandique ſchola cœpit Pluvinello auctore.

Longe majore jure academiæ nomen ſcholis illis inditum eſt, quæ alias vulgo aliquot jam ſeculis audierunt univerſitates, ſtudia & gymnaſia generalia. Primum videtur hoc cœpiſſe in Germania noſtra, & quidem ſuperiore demum ſeculo, nec ullo decreto publico, ſed ſolo doctorum quorundam virorum, veterem Græcorum doctrinam admirantium, inſtituto. Hinc ne hodie quidem vel apud nos in promiſcuo vulgi uſu vocis *academiæ* eſt iſthæc ſignificatio: tantum abeſt ut alibi obtineat. Receptiſſima eſt vox *univerſitatis* aut *ſtudii generalis* vel *univerſalis:* etſi nec id ſatis conſtet, *qui univerſitatis vox huc tracta ſit.* (c) Sed & *τὸ gymnaſium* primo ſui uſu palæſtram luctatoriam denotat: quoniam tamen primæ philoſophicæ ſcholæ in gymnaſiis Atticis cœperunt, non defuit ſenſim juſta occaſio ad ſcholas illas majorum artium & ſcientiarum vocem illam flectendi. Unde jam Cicero *l. 2. de oratore* dixit. *Seculis multis ante gymnaſia inventa ſunt, quam in his philoſophi garrire cœperunt, & hoc ipſo tempore cum omnia gymnaſia philoſophi teneant,* &c. Idem l. 1. de oratore eodem ſenſu voce illa uſus. *Clamabunt credo omnia gymnaſia atque omnes philoſophorum ſcholæ, ſua eſſe hæc omnia propria.* In Symmachi epiſtolis ut & apud Salvianum alibique, diſerte memorantur gymnaſia literarum. Imo paſſim locorum per univerſum imperium Romanum, deficientibus ſenſim gymnicis exercitiis, tandem vox *gymnaſii* nihil niſi ſcholam altioris cujuſque doctrinæ denotavit.

Quan-

de ſocietate liter. ſect. 1. *l.* 1. *§. IX. XI.* Ita autem ille *l.c.* Nos academiæ vocis uſum ex doctorum collegio Pauli II. pontif. temporibus inſtituto arceſſimus, ex quo illa Italorum & Gallorum ſodalitatibus applicata eſt. Germani enim cum in hoc negotio recipere noluerunt, ne univerſitates ſuas, quæ eo nomine gaudent, cum ſodalitiis confunderent, a quo metu ſecuriores eſſe potuerunt Itali atque Galli, qui ſtudii generalis, lycei & gymnaſii nomina in appellandis univerſitatibus retinent. Cæterum utrum vox academia cum accentu in antepenultima, an vero in penultima ſit producenda, hac de re ſolet diſceptari. CLAVDIANVS corripuit, CICERO produxit. MICYLLVS *lib.* 2. *de re metrica* pro diverſitate ſcribentium & corripi & produci poſſe arbitratur.

(a) *& nunc etiam in frequente ſunt uſu)* In Anglia, Gallia & Germania ejuſmodi ſocietates literariæ paſſim ſunt erectæ. Extant enim regia Pariſienſis, de qua PELISSONIVS & FONTENELLIVS, regia Londinenſis, de qua THOMAS SPRAT, & MART. KEMPIVS *in biblioth. Anglorum philoſophorum*, ſocietas Oxonienſis, de qua BENTHEMIVS *in ſtatu reip. ſchol. Angl. pag.* 350. ſocietas regia inſcriptionum & numiſmatum Pariſ. de qua *Ephemerides Pariſ. a.* 1702. ſocietas medicorum inſtituta a Rege Philippo V. de qua agunt *memoriæ Dombenſes Trevoltinæ a.* 1702. *tom.* 2. *p.* 6. academia ſcientiarum & linguarum Berolin. de qua vid. *acta erudit.* 1701. *p.* 176. Adde de aliis ſocietatibus literariis præter VOCKERODT & MORHOFIVM etiam SAMVELEM CHAPVZELLVM *in tab.* 8. *Europæ viventis*, *ANCILLONIVM in miſcell. criticis tom. I. p.* 17. *REIMANN. introd. in hiſtor. liter. Germ pag.* 107. *JOH. REISKIVM progr. de pinacothecis & ſocietatibus doctorum in Europa.*

(b) *Et vero hodieque celebris eſt fama academiæ Humoriſtarum)* Conf. de his VOCKERODT *l.c. cap.* 2. *§.* 3. 4. *ſqq. & c.* 3. ubi *§.* 7. de academiarum iſtarum ſymbolis & *ſect.* 2. *c.* 2. *§.* 2. de Italorum academicorum nævis diſſerit. Adde MORHOFFII *polyhiſt. tom. I. l.* 1. *c.* 14. *p.* 151. *ſeqq.*

(c) *qui univerſitatis vox huc tracta ſit)* Cur hæc ſodalitia univerſitates vocentur, quæſtio eſt dubia in diverſa hic abeuntibus doctioribus. Alii enim, cum univerſis ad has pateat aditus, tanquam ad privilegiatas nundinas, univerſitates inde rectiſſime dici arbitrantur, uti MIDDENDORPIVS *de academiis lib.* 1. *c.* 1. *p.* 2. Alii univerſitates inde metiuntur, quod univerſa liberalium artium genera complectantur & ſtudium univerſi, h. e. omnium optimarum diſciplinarum ac rerum, uti BESOLDVS *l. polit. c.* 12. *§.* 3. *n.* 31. Utramque rationem non immerito rejicit LIMNÆUS *lib.* 8. *juris publici c.* 1. *& n.* 17. potius collegia noſtra literaria non alio ſenſu, quam quo reliqua collegia, corpora, reſpublicæ & communiones, univerſitates dici exiſtimat, cum in academiis ex collegiis variis una ſocietas caputque conſtituatur, & univerſitas hoc modo fiat ex ſingulorum collectione abſtractive ſumta. Probat id ex jure civili, in quo duæ univerſitatum ſpecies conſtituuntur, una rerum, altera perſonarum.

Quandoquidem vero recepti nunc uſus eſt, literatorum ſaltim conſuetudine, ut academiæ nomine ſcholæ illæ quæ univerſitates alias audiunt uſurpentur, etiam nos volumus illum nunc obſervare; confiſi, neminem temere id improbaturum. Valent ſcilicet vocabula ut nummi: utque recte ait Horatius de populo,

Hunc penes arbitrium eſt & vis & norma loquendi.

Ideoque nec ipſa *ſcholæ* vox unquam a nobis uſurpabitur in ea ſignificatione, qua jam ſeculo Chriſtiano quarto palatina quædam officia audierunt *ſcholæ agentium in rebus*, *ſcholæ protectorum*, *ſcholæ ſilentiariorum*, (a) & ſeptem aut octo præter hæc alia, quibus tum præfuit magiſter officiorum dictus. Nec item vox illa nobis ſignificabit ſolas rhetorum ſcholas. Quæ tamen ſignificatio videtur jam inoleviſſe ſub finem ſeculi Chriſtiani primi. Conſtat ſane ex Taciti de oratoribus libro, ſive ille fortaſſe fuerit Quintiliani aut alterius ejus ævi, *ſcholaſticos* (b) tunc appellatos qui declamationes inſtituebant de cauſis fictis. Ex præfatione item controverſiarum Senecæ, *ſcholaſticam controverſiam* & declamationem idem tunc valuiſſe. Codex tamen Theodoſianus pariter & Juſtinianeus *ſcholaſtici* nomine ipſarummet cauſarum forenſium patronum ſive advocatum ſolent deſignare: quin hoc ſignificatu duo præſtantes hiſtorici Agathias & Euagrius tunc ſcholaſtici audierunt. Eodem ævo diuque poſt, *ſermo ſcholaſticus* dictus eſt, qui oratorum in modum eſt expolitus. Etſi *ſcholares* tunc dicti, qui nunc ſtudioſi appellantur. Longe poſt Pariſiis accepta vox *ſcholaſticorum* pro theologis ſubtilioribus. Quantumvis enim hæ ſignificationes olim quidem in uſu fuerint, quoniam tamen hodie obſoleverunt, obſervabimus temporis noſtri conſuetudinem.

Supplementum II. ad pag. 402.

Non attigi ſcholas antediluvianas, idque ſtudio & de induſtria. Equidem haud dubito, ne tum quidem defuiſſe ſcientiarum & liberalium quarumvis artium ſcholas. Quum enim maxime tum fuerit longæva hominum vita, nec illi indubie ab ingenio fuerint deſtituti brutorum in morem animantium, non potuerunt non diuturnum ſuum otium ſcientiis atque artibus excolendis, ſaltim eorum quam multi, impendere, ab ipſo naturali ſciendi deſiderio ſtimulati. Recte ſcilicet Ariſtoteles: *πάντες ἄνθρωποι εἰδέναι ὀρέγονται φύσει.* Quid! quod nondum aſſueta iſthæc ætas compluribus vitæ haud neceſſariis inſtrumentis, omnigenæ philoſophiæ indagandæ excolendæque, potuerit utique haud ſegniter vacare, imo longævitatis atque adeo & ſanitatis integræ beneficio plurimum proficere. Indubie ergo & alter alterum docuit, ac proinde ſcholæ diſcentium ac docentium ſunt habitæ.

Quod ſi illud quod *Geneſ. IV. v. 26.* ſcribitur de Enoſi Sethi filii ætate: *Tunc incepit nomen Domini invocari*, accipias, quaſi tum veri Dei cultus ſolito major cœperit: dixeris cum viris quibusdam magnis, tunc cœpiſſe celebrari ſcholas recti divini cultus. Sed cum Enos natus demum ſit anno mundi 235. mihi quidem non eſt veriſimile, neglectas tanto temporis ſpacio neceſſarias ejusmodi pietatis ſcholas, aut tunc demum cultum Dei creatoris ſolito ferventius incepiſſe. *Ideoque veriſimilior videtur Hebræorum interpretatio*, (c) quam producam Nicolai Lyrani verbis: *Litera Hebraica ſic habet:*

(a) *ſcholæ agentium in rebus, ſcholæ protectorum* &c.) *Agentes in rebus* erant Principis nuncii in provincias & alia loca ob diverſa negotia miſſi, alias veredarii dicti, antiquis frumentarii, inter quos primo equites, mox circitores, biarchi, centenarii, ducenarii gradatim fiebant, donec ad Principis gradum aſcenderent. Eorum primus dicebatur adjutor, & inter hos etiam erant variarum linguarum periti, qui diverſarum gentium poſtulata interpretabantur & legatis reſpondebant. *Protectores domeſtici* erant, qui ſemper præſentes Principem palatio exeuntem comitabantur, ejusque palatium cuſtodiebant, a Gordiano Juniore præter cohortem prætorianam inſtituti Græcisque dicti Spatarii. *Silentiarii* non a ſecretis Principum, ut Accurſius credidit, dicti ſunt, ſed erant potiſſimum illi, qui curam habebant, ne quis in Principis palatio ſtrepitus aut tumultus excitaretur & ut ſilentium ſervaretur. Erant igitur iſti omnes ordines palatini ſcholarum nomine venientes, quarum plerisque magiſter officiorum præerat inde dictus, quod officia ſive miniſteria ſeu Principibus miniſtrantes moderaretur, ſpeciatim (1) octo ſcholas quatuor ſcutariorum, duas gentilium, unam armaturarum, aliam agentium in rebus; (2) menſores; (3) lampadia; (4) ſcrinia quatuor; (5) officia admiſſionum ut memoriæ epiſtolarum, libellorum, diſpoſitionum, de quibus prolixius agit PANCIROLLVS *comm. in notit. imperii utriusque p. 98. ſqq.* ubi & inſignia illuſtris magiſtri officiorum deſcribit, & de ſcholis ipſis, quibus præfectus fuit *p.* 102. diſtinctius agit, obſervans præter octo illas ſcholas adhuc fuiſſe tres ſcholas ſilentiariorum & equitum peditumque domeſticorum, qui ab initio primicerio cubiculi paruerint, deinde vero Zenonis edicto etiam a magiſtro officiorum fuerint judicati. Adde JVLIVM CÆSAREM BVLINGERVM *de imperio Romano p. 474. ſqq.* ex quo pariter intelliges, ſcholares quoque dictos fuiſſe milites ſupernumerarios, quibus majus ſtipendium quam aliis militibus datum fuit.

(b) *ſcholaſticos*) Conf. de voce *ſcholaſticus* erudite diſſerentem CONR. RITTERSHVSIVM *in notis ad SALVIANVM p. 2. 3.* & *GONZALEZ de TELLEZ ad c. 32. X. de reſcriptis p.* 130. *MENDO de jure academico cap.* 18.

(c) *Ideoque veriſimilior videtur Hebræorum interpretatio*) Hebræorum hanc fuiſſe communem interpretationem jam olim annotavit HIERONYMVS *in quæſt. Ebr.* Et ſane ita interpretatur Chaldaica paraphraſis Jonathani adſcripta, quæ ita h. l. habet: *Illa ſcilicet Enoſi ætas fuit, in cujus diebus inceperunt errare & fecerunt ſibi idola & cognominarunt idola ſua nomine ſermonis domini, i. e. Deos vocabant.* Ita & MAIMONIDES ſentit *de idolol. c.* 1. eandemque ſententiam plures alii Rabbinorum amplectuntur, nominatim RASCHIVS, KIMCHIVS, autor *Schalſch. Hakkab.* liber *Nizzachon.* Horum igitur autoritate inductus JOH. SELDENVS *prolegom. c. 3. de diis ſyris*, & cum eo CONRINGIVS idololatriam tempore Enoſi cœpiſſe pariter arbitratur. Addatur RITTANGELIVS, qui in *ſolennit. feſtiv. Jud. p.* 283. propterea verſioni B. Lutheri inſultat. Verum quoniam Moſes h. l. non loquitur de Cainitarum generatione, ſed de eo potius, quid pia Adæ poſteritas egerit, neque veriſimile videtur, craſſum ejusmodi idolorum cultum jam tum temporis cœpiſſe, licet MOHAMMEDES *in Alcorano ſur.* 81. nomina quoque idolorum Walda, Sawahria, Jaloow & Naſera afferat; proinde hanc interpretationem cum Hieronymo, Beda, Epiphanio non immerito rejiciunt DILHERVS *tom. I. diſp.*

habet: Tunc incepit nomen Domini invocari (vacat) *quod exponunt Hebræi de idololatria: quia, ut dicunt, tunc inceperunt homines attribuere nomen Domini creaturis, ut ſoli, lunæ, & idolis. Non tamen ab iſto Enos qui juſtus fuit & devotus, ſed a filiis Cain ſibi contemporaneis. Sicut ſupra dictum eſt de Jabal & Jubal.* Dixerat autem Lyranus ſupra: *De Jabal fratre ſuo ex patre dicunt Hebræi quod fecit tentoria ad ponendum idola. Et de Jubal dicunt, quod canebat inſtrumentis muſicis coram idolis ea venerando.* Huic expoſitioni docte, ut ſolet, oppoſuit quidem nonnulla Paulus Burgenſis: ſed Dörinckius ea non minore acumine rejecit. Et vero, quibus exordiis creverit iniquitas hominum illius ævi, videtur iſthoc Geneſios capite potiſſimum ſignificari.

Joſephus *l. 1. Ἀρχαιολογίας cap. 3.* de Setho ejusque poſteritate verba faciens, hæc memoriæ reliquit, qualia latine vertit Sigismundus Gelenius. *Hic a patre educatus, ut eo ætatis venit, ut jam quod rectum eſt diſcernere valeret, virtutis ſtudiis ſe totum dedidit. Et cum ipſe vir optimus evaſiſſet, etiam nepotes ſui ſimiles poſt ſe reliquit. Qui quoniam erant omnes bona indole præditi, & patriam abſque ſeditione incolebant, in perpetua felicitate vitam exegerunt: & ſideralem ſcientiam ac cœleſtium rerum cognitionem excogitaverunt. Ne autem inventa ſua ex hominum notitia elaberentur, & prius perirent quam pernoſcerentur, ſcientes Adamum univerſalem rerum interitum præcecinisſe, unum incendio, diluvio alterum; excitatis duabus columnis, utrique ſua inventa inſcripſerunt. Ut ſi lateritiam diluvio deleri contingeret lapidea ſuperſtes hominibus diſcendi copiam faceret, & quæ continebat ſpectanda exhiberet. Ajunt enim lapideam illam ab ipſis dedicatam, quæ & noſtris temporibus extat in terra Syria.* Hæc cuncta Joſephus, & ſolus quidem ex omni veteri ævo. Quoniam vero nullum aliud vetus hujus rei exſtat teſtimonium, facile liquet, *neutiquam ferenda eſſe* (a) quæ hac de re longe aliter narraverunt Petrus Comeſtor, Philippus Bergomenſis, Naucleтus & alii: quaſi nempe columnæ fuerint a Cainitis excitatæ, & quidem a Jubale & Thubalcaino, iisque inſcripta fuerint muſicæ & artis ferrariæ inventa. Quin imo ne Joſepho quidem ſecure credi poteſt, quoniam omne hoc hauſit ex fabulis ſui ævi: infidis ſane rerum teſtimoniis. *Nec tamen vero eſt abſimile,* (b) ſiderum contemplationibus Sethidas, ut homines probos & quiete degentes in altiſſimo otio ac vita longiſſima, vacutum tempus nonnunquam dediſſe. Quapropter indubie & in ſcholis ſuis hanc ſideralem ſcientiam tradiderunt. Quæ de obſervationibus ſideralibus utrique columnæ inſcriptis narrat Joſephus, vix tamen merentur fidem. Aut enim inſcriptæ literæ legi & intelligi Joſephi ætate potuerunt, aut non. Si potuerunt, utique aliquis ſcriptorum obſervationes illas memoraſſet, memoravit autem nemo. Sin vero, qui Joſephus noverit inſcriptionum iſtarum argumentum? Quia poſt diluvium autem Ægyptii ſui ingenii reperta columnis inciſa ad poſteros transmiſerunt, quod cum alii tum Jamblichus *l. de myſteriis Ægypt. ſect. 2, cap. 2.* & Proclus *l. 1. in Timæum pag. 31.* teſtantur: quia idem teſte Plinio *l. 7. cap. 56. Epigenes docuit, apud Babylonios DCCXX. annorum obſervationes ſiderum coctilibus laterculis inſcriptas,* imo aliquem ſimilem laterculum ex ruderibus Babyloniis allatum nactus eſt Peireſcius, ut in vita illius ſcribit Gaſſendus

 (*ſepten-*

p. 83. JOH. OWENUS in theolog. pag. 138. AUGUSTUS VARENIUS in decad. Moſaicis p. 411. VOCKRODT in hiſt. ſocietatum & rei literariæ antediluvian. pag. 25. HACKSPANIUS in notis philol. part. I. p. 118. aliique. Interpretantur autem ita, quod pii Sethitæ tum temporis a reliqua impiorum turba ſecedentes ſegreges cœtus inſtituerint, filiique Dei ſint nuncupati, aut a Deo denominari cœperint. Urgent vocem ebraicam *Huchal* ita conſtructam ſemper in ſenſu initii non profanationis accipi, & vocari nomine alicujus idem eſſe ac ab aliquo denominari, coll. *Eſ.* 48, 1. *Gen.* 48, 8. ita ex Judæis quoque verba intelligi ab Aben-Eſra & in Chaldaica Onkeloſi verſione edit. Complut. nec JOSEPHUM *Archæol. lib. I.* & R. ELIESER *in Maaſe Bereſchit c. 22.* in aſſignanda temporibus Enoſi idololatriæ origine cum reliquis conſentire.

(a) *neutiquam ferenda eſſe*) Niſi tamen adeo præfracte veterum inſtituto repugnare velis, quibus in more poſitum fuit columnas in memoriam rerum & inventorum excitare, uti de Babyloniis & Ægyptiis ex DIODORO SICULO, PLINIO aliisque conſtat, non eſt, quare, quæ Joſephus Sethitis tribuit, Cainitis multarum quoque artium inventoribus denegare velis, niſi forte cum VOCKERODIO *p. 21.* dixeris, ſeculi ſimplicitatem non deſideraſſe artium illarum cultum, cum longior vitæ uſus in conſervanda memoria ſcriptionis defectum, experientia diſciplinam ſuppleverit.

(b) *Nec tamen vero eſt abſimile*) In narratione Joſephi ſunt alia maxime veriſimilia, alia autem a vero omnino aliena. Veriſimile eſt antediluvianis uſum quendam ſcribendi cognitum fuiſſe, ſive is ab Adamo, ſive a Setho, ſive ab Enocho cœperit, qua de re ſententiarum divortia vid. apud *ſumme reverend. REIMAN. in hiſtoria antediluv. p. 35.* Neque enim quæ Sanchuniathon de Taauto primo literarum inventore refert, fidem merentur, uti *pecul. diſſertat.* oſtendit *ANTONIUS DALENIUS* annexa *diſſertat. de Ariſtea.* Veriſimile quoque eſt, quod vivaces illæ & ſagaces ſeculi primi animæ in rerum inveſtigatione occupatæ, plurima in dies in cœlo obvia obſervaverint, atque ne edax ætas aut ſocors poſteritas ad formidandum diluvium pulcherrima inventa citius e memoria hominum deleret, ſaxa ſolertis ſuæ induſtriæ monumenta elegerint. At vero a veritate omnino alienum eſt, quod Joſephus de duabus maxime columnis, una lapidea, altera lateritia, iisque præcipue ob metum diluvii univerſalis, quod jam Adamus prædixerit, erectis refert, licet Joſephi fidem hic nimis ſecuri ſequantur *MELANCHTON in chron. c. 1. p. 132.* & JOSEPHUS SCALIGER. Euſebius quoque ex ejusmodi columnis Manethonis ſcripta collecta eſſe affirmet. Quis enim harum rerum ipſi fidem fecit, poſtquam omnia quæ induſtria hominum ante diluvium conſtituit, per illud ſine dubio deſtructa fuerunt? Ita ne credendum jam Adamo de diluvio univerſali conſtitiſſe, quod ſacræ literæ ſoli Noacho revelatum referunt. Quare quæ de literis a Setho inventis earumque figura adhuc circumferuntur ab ANGELO ROCCHA *in comment. bibliothec. Vaticanæ p. 8.* & SCHRADERO *in monumentis Italiæ* tradita, ea non immerito fabulis accenſentur, recteque pronunciat BANÇIUS *in cœlo Orientis ſ. exercit. de ortu & progreſſu literarum exercit. II. pag. 24.* additam a Roccha probatio non eſt ſufficiens. Nam quod ex Joſepho gemines columnas teſtes producit, illæ id non evincunt, quod debebant, tantum teſtantur aliquid ſcriptum, vel potius ſculptum eſſe a poſteris Sethi, non autem ipſam ſculpturam clare ob oculos ponunt, nec ipſum characterum genus ſigillatim exprimunt, ipſas autem literas a Roccha productas apparet maximam partem eſſe Samaritarum proprias, adeoque non antiquas nedum antiquisſimas, inprimis Adam & poſterorum Sethi, ſed partim novas partim novatas.

(*ſeptentrionalia ſaxa* (a) inſcripta nunc non moramur, utpote quæ nihil habeant bonæ doctrinæ) neutiquam negaverim, tale quid etiam ante diluvium fuiſſe inſtitutum. Sunt tamen omnia etiam hæc incerta, eoque nihil nos juvant ad id, ut *de ſcholis antediluvianis* (b) aliquid indubitati affirmemus.

Poſſit videri facere huc nonnihil quod de Henocho fertur, ejusque non ſacra duntaxat ſed etiam rerum naturalium ſcientia. Et vero etiam in Muhamedis Alcorano celebratus ille eſt *Idris cognomento.* (c) Quod vocabulum Hottingerus interpretatur *diſputatorum & rerum arcanarum inventorem.* Idem vero ille Hottingerus Beidavium Alcorani commentatorem ſcribit tradere, appellatum Henoch Idris *propter multiplex ejus ſtudium:* quia ſcilicet *altiſſimus dimiſerit ſuper eum triginta volumina:* item *quod ipſe primus quid ſcripſerit calamo:* & *quod conſideraverit ſcientiam ſiderum & nubium.* Simile quid prodit etiam ex Georgio Elmacino vir in iis literis quondam admirandæ peritiæ Hottingerus. Quoniam vero hoc omne nititur duntaxat Alcorani & Sarracenorum, longe poſt diluvium, longiſſime poſt Henochi ætatem, natis teſtimoniis, etiam alias ſubleſtæ fidei, non quoque illa Henochi encomia merentur aliquem aſſenſum. Sed & quæ in ſacra ſcriptura laudantur Henochi ſtudia, quod nempe *cum Deo vixerit*, fortasſis non ſunt paſſa rerum aliarum quamvis naturalium curioſam & moleſtam inveſtigationem. In eandem porro Arabum ſententiam narrat quædam de Henocho Gregorius etiam Abul-Pharai: ſed itidem, ut ipſe agnoſcit, incertæ fidei.

Quod ſi credimus illius, qui olim celebri fuit fama Henochici libri, titulo Ἀποκάλυψις τῦ Ἐνώχ, *iis fragmentis, quæ ex Georgii Syncelli hiſtorico opere* hactenus manuſcripto *edidit Joſephus Scaliger* (d) ad Euſebii chronicon: angeli illi qui feruntur fœminis ſeſe impie miſcuiſſe, varias, magicas cumprimis, artes, vitæ cum mollius tum improbe degendæ commodas, homines docuerunt. Et vero *non eſt quod dubitemus, fragmenta illa* (e) eſſe partes ejus libri Enochi attributi, quo uſus fuit quondam Juſtinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Celſus apud Origen. l. v. Tertullianus, & Hilarius: imo & ejus, ex quo nonnulla adducit ipſemet Apoſtolus Juda, quique a Judæis citatur in Zohar. Quin imo & Zoſimus Panapolita, antiquisſimus hodie Chemiæ ſcriptorum, hunc adeo librum videtur *ſacræ ſcripturæ* nomine nuncupaſſe, in eo fragmento quod idem Scaliger in doctisſimis ad Euſebium notis produxit: etſi nonnihil de ſuo addiderit, quo chemiæ primordia redderet illuſtriora. Poſtremum jam tum demonſtravimus *cap. 3. libri primi Hermeticorum.* Reliqua oſtendere alterius forte fuerit inſtituti. Nunc unum duntaxat adferemus Clementis Alexandrini in eclogis ἐκ τῶν προφητικῶν Theodoti; quia etiam ibi fit mentio artium quarundam ab Angelis traditarum. ἤδε δὲ, καὶ Ἐνὼχ φησὶν, τὺς παραβάντας ἀγγέλυς διδάξαι τὺς ἀνθρώπυς ἀστρονομίαν καὶ μαντικὴν καὶ τὰς

(a) *ſeptentrionalia ſaxa*) Videntur tamen hi lapides alicujus uſus ſaltim hiſtorici fuiſſe. Videantur STEPHANI JOHANNIS STEPHANII *notæ uberiores in præfationem Saxonis Grammatici p. 5.*

(b) *de ſcholis antediluvianis*) JACOBVS BOLDVCCVS quidem Capuccinus *tr. eccleſia ante Moſem* & *in commentario in Jobum* Enoſum Eſſenorum Cainanem Cinæorum religioſorum ordinum autores facit, idemque ex etymo vocis *Nephilim* ordinem religioſorum proſtrata in terram facie adorantium, atque ex voce Anakim torquatorum ordinem exſculpſit. Sed iſtas aliorumque pontificiorum de monachorum ſcholis aut cœnobiis ante diluvium narrationes nemo moratur, nec facile perſuadent Judæorum fabulæ de patriarcharum ſcholis, libris, ſucceſſionibus, quas referunt *R. GEDALIA in Schalſcb Hackabbala* & *R. DAVID GANTZ in Zemach David*, unde & ſua hauſerunt Mahumedani. Quin etiam quæ JOACHIMVS MADERVS *in epiſtola ad ſereniſſ. princ. Ludolphum Auguſtum* de ſcriptis & bibliothecis antediluvianis conſignavit, ea quidem autorum lectione & novitate rerum, minus vero facultate judicii recte ſemper adhibita ſeſe commendant, judice REIMANNO *in idea ſyſt. antiquit. lit. p. 342.* *Quis enim*, inquit ille, *antediluvianam rei literariæ hiſtoriam teſtimoniis ſcriptorum medii ævi probatam pro vera habeat, aut quis literarum uſum non aliunde quam ex Adami concreata excellentia demonſtratum antediluvianis notum fuiſſe ſibi perſuaſum habeat.* *THOMAS BANGIVS* hæc omnia jampridem ſollicitius excuſſit.

(c) *Idris cognomento*) Conf. *SELDENVM de J. N. & G. lib. V. c. 9. p. m. 609. ſq.* *VELSCHIVM in Rutznamenauriis*, alios etiam philoſophos ab Arabibus Idris vocatos obſervantem *p. 8. & p. 131.*

(d) *iis fragmentis quæ ex Georg. Syncelli hiſtorico opere edidit Joſephus Scaliger*) Præter eum quoque *ATHANASIVS KIRCHERVS Oedipi Ægyptiaci gymnaſ. Hierogl claſſ. 2. gramm. c. 2. §. 4. p. 69.* *BANGIVS in cœlo orientis p. 25.* *GOTOFR. VOCKERODT in hiſt. ſocietatum & rei literariæ ante diluvium p. 39.* aliique.

(e) *non eſt quod dubitemus fragmenta illa*) Henochum quidem divina nonnulla ſcripſiſſe non adeo temere negant eruditi, ſed utrum iſta quæ ſcripſerit aut prædicaverit, per Noachum in arca ſcripto conſervata, an vero non potius per traditionem propagata fuerint, de hac quæſtione non immerito in alteram partem pronunciant, cum quicquid juſſo divino divinarum literarum conſignatum fuit, a Moſis demum tempore arceſcendum eſt, antea vero deo ſinceriorem doctrinam per traditionem potisſimum propagari placuit. Certum igitur videtur, manſiſſe quandam inter veteres de iis, quæ Enochus dixerit aut ſcripſerit, παράδοσιν. Niſi enim id detur, vix concipi poteſt, quare apoſtolus Judas ad prophetiam Enochi provocare potuiſſet. Nihilo tamen ſecius certum quoque ſit, hæc de Enocho tradita potuiſſe a nugivendulis & ſciolis quibusdam interpolari, aut ſub ejus nomine ipſorummet ſomnia venditari. Niſi enim id factum eſſet, unde quæſo iſta fragmenta libri Enochiani extitiſſent, quæ propemodum nihil ſunt niſi λῆροι λῆρων; quare ea in partes vocare potuiſſent patres Græci pariter & Latini? Hac igitur ratione recte dixit Conringius, absque dubio fragmenta illa eſſe partes ejus libri Enocho attributi, quo uſus quondam Juſtinus, quo utantur Judæi, de quo jactent quoque Abyſſeni apud HOTTINGERVM, ſed vide JOBI LVDOLPHI *hiſtoriam Æthiop. l. 3. cap. 41.* Ii enim iſtis ſomniis ſub Enochi autoritate decepti opinionem hanc de angelis deſertoribus cum filiabus hominum coeuntibus pariter approbarunt. Loca ipſa patrum prolixius recenſet BANGIVS *l. c. p. 32.* & Judaicam hanc eſſe opinionem ex PHILONE & JOSEPHO, & *JONATHANE paraphraſte* & RASCHIO aliisque *p. 34. ſeqq.* docet: At vero hunc ipſum librum Enochi apocryphum περὶ ἐγρηγόρων, (quo modo olim angeli dicti fuerunt ex *Dan. 4, 10.* conjiciente ita OWENO *in theologum. p. 42.*) illum eſſe, ex quo nonnulla ipſemet Judas apoſtolus afferat, id rectisſime pernegat BANGIVS *l. c. p. 93. & 94.* cum apoſtolici illius vaticinii ne quidem vola & veſtigium in reſiduo Henochiani libelli fragmento appareat. De cætero id ſuppoſititium eſſe, quinque argumentis ibidem probat.

Digitized by Google

τὰς ἄλλας τέχνας. Alterum item Tertulliani ejusdem notæ, ex libro ejus *de habitu muliebri*. Ubi ita loquitur: *Nam & illi qui ea conſtituerunt damnati in pœnam mortis deputantur. Illi ſcilicet angeli qui ad filias hominum de cælo ruerunt, ut hæc quoque ignominia fœminæ accedat. Nam cum & materias quasdam bene occultas, & artes non bene revelatas, ſeculo multo magis imperito prodidiſſent (ſiquidem & metallorum opera nudaverant, & herbarum ingenia traduxerant, & incantationum vires promulgaverant, & omnem curioſitatem usque ad ſtellarum interpretationem deſignaverant) proprie & quaſi peculiariter fœminis illud inſtrumentum muliebris gloriæ contulerunt, lumina lapillorum quibus monilia variantur, & circulos ex auro quibus brachia artantur, & medicamenta ex fuco quibus lanæ colorantur, & illum ipſum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur.* Quorum ſimilia Enochi cuſſi dixiſſet *l. de cultu fœminarum:* ſubjungit diſerte: *ut refert Enoch.* Et vero hæc tantum non omnia etiamnum in iis quæ dixi fragmentis legere eſt.

Non etiam, talia ab Angelis apoſtatis primo omnium homines accepiſſe, a ſimilitudine veri quidquam forte habet alieni. Enimvero *neceſſarias humanæ vitæ artes* (a) nonnullas a bonis etiam Angelis in notitiam veniſſe hominum, equidem arbitror; eas ſcilicet quæ perquam operoſo conſtant cultu: cujusmodi me judice eſt linteorum conficiendorum ars, ſi incipias ab ipſo lini ſemento. *Nec vero eſt quare dubitemus*, prima iſthac mundi ætate majus & *familiarius ſpirituum* omnis generis *cum hominibus fuiſſe commercium* (b) quam eſt hodie. *Imo filiorum Dei nomine, qui Gen. 6,2* (c) memorantur in fœdos amores coiiſſe cum filiabus hominum, Angelos ſignificari (quemadmodum acceperunt Joſephus & quadamtenus Philo, Juſtinus, Tatianus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Arnobius, Lactantius, Euſebius, Ambroſius, Sulpitius Severus, Auguſtinus aliique veterum eccleſiæ patrum; haud adeo forte abſurdum eſt atque hodie vulgo exiſtimatur. Quæ certe huic interpretationi ſolent objici, docte confutavit Paulus Burgenſis contra Liranum, priſcam ſententiam ipſemet amplexus. *Ne quidem generatio gigantum* ex illa commiſtione Angelorum hominumque a vero perinde *abſona cui forte videbitur*, (d) qui cum jura expenderit quæ cum alias Marcus Antonius Delrius, vir doctus, etſi ut immodicus ſuæ partis zelota, ſic diverſæ cujuslibet iniquiſſimus inſectator, diſputavit *l. 2. magicarum diſquiſition. quæſt. XV.* Ex quibus conſequens eſt, etiam illa quæ in libro Enochi habentur de Angelis ἐγρηγόρσι eorumque facinoribus, neutiquam fortaſſe mereri popularem exploſionem.

Obiter obſervaſſe hic haud abs re fuerit aliquid, quod pro ea interpretatione quæ hodie paſſim præ veteri obtinet, qua nempe *Filii Dei* creduntur eſſe Sethi progenies, habet Gregorius Abul Pharaji, de Setho verba faciens hunc in modum. *Fertur illum primum ſcribendi auctorem fuiſſe, & progeniei ſuæ vitæ beatæ, quæ parentibus ſuis in Paradiſo fuerat, deſiderium ingesſiſſe, adeo ut in montem Hermon ſeceſſerint, cultui Dei & pietati continentiæ dediti, neutiquam ad mulieres accedentes, unde vocati ſunt Bani Elohim i. e. Filii Dei.* Item paulo poſt. *Anno Saredis quadrageſimo deſcendentes Filii Dei de monte Hermon, cum de reditu in Paradiſum deſperarent, fœminas concupiverunt: cumque uxores illis dare recuſarent propinquitate ipſis juncti, deſpectui illos habentes, Kainitæ eos ad matrimonia invitarunt, ultro illis filias ſuas præbentes: quibus cum cum congresſi eſſent pepererunt gigantes qui bellis & incurſionibus hoſtilibus præſtarent. Et dicitur filias Kain confeciſſe primum inſtrumenta muſica ad ea cantantes: ideoque vocari lingua Syriaca canti-*

(a) *neceſſarias vitæ humanæ artes*) At vero ejusmodi Platonica de familiari geniorum cum hominibus commercio tanquam cauſa & fonte eruditionis excellentioris probari debuiſſent, cum ex ſacris literis, tum aliis rationibus luculentioribus. Suggeſtiones excitationesque angelorum ſolent admittere theologi, non vero familiares inſtitutiones.

(b) *Non eſt quod dubitemus, familiarius fuiſſe ſpirituum &c.*) Cur non? Sacer codex nihil de ejusmodi familiari commercio novit, tantum dicit de apparitionibus quibusdam mox tamen evaneſcentibus.

(c) *Imo filiorum Dei nomine Gen. 6, 2.*) Idipſum πρῶτον ψεῦδος eſt, quo pariter deceptus fuit autor *der curieuſen Erwegung der Worte Moſis Gen. 6.* Etſi enim angelos alibi, cumprimis in libro Jobi, filios Dei vocari non negemus, atque ea in re facile adſtipulemur DRVSIO qui *in notis ad l. 1. Sulpitii p. 23. 24.* recte rejicit CHRYSOSTOMI ſententiam *homil.* ● in Geneſin ſcribentis: *Homines filii Dei dicuntur, angeli nunquam*; quamvis illum excuſet & cum reliquis conciliet BANGIVS *l. c. p. 38. ſeqq.* hoc tamen loco *Gen. 6.* neque angelorum natura aut conditio *Matth. 22, 3.* neque narrationis Moſaicæ ſeries ſuſpicionem hanc patitur. Vide DILHER. *tom. II. diſp. p. 31. ſeqq. HORNBECK. contra Judæos pag. 305. HACKSPAN. diſp. de angelis § 33. 34. KIPPING auctar. H. E. PAPPI pag. 44. AMAMÆ antibarb. p. 244.* aliosque. Gemina proinde ſententia ſupereſt veritati multo vicinior, quarum altera cum Arabe, Chaldæo interpr. MAIMONIDE *in More Nevochim p. 1. c. 14.* per filios Dei judices, magnates, proceres tam ex Sethi quam Caini familia intelligit, atque adeo ſummam hic omnium ordinum confuſionem in ſtatu politico ac communi vivendi genere innui putat, quaſi, nullo graduum reſpectu aut dignitatum honore habito, inter ſe more pecudum coiiſſent homines. Vid. GLASSIVS *gramm. S. p. 62. ANDR. RIVETVS in Geneſin exercit. 50. VARENIVS decad. Moſaic. pag. 422.* Altera vero filios Dei interpretatur ſanctos i. e. poſteritatem Sethi, non tam quia Sethus illius ætatis hominibus Deus tum ob rerum cœleſtium ſiderumque cognitionem & ſcientiam, tum ob ſummam pietatem appellatus fuit, ut legimus apud Suidam, in voce Σήθ, quam quod boni & juſti paſſim in S. literis filii Dei cognominantur, quales & hi profeſſione potius, quam re ipſa fuerunt. Vide GALLÆI *notas ad LACTANT. inſtit. l. I. c. 14. p. 216.* Etenim licet filiarum ſtirpis Cainiticæ matrimoniis primum contaminari nollent, illaqueari tamen poſtea ſe paſſi ſunt & earum nuptias ambierunt, dotis loco nil niſi mores idololatricos recipientes, unde & poſteris eadem de cauſa Deus interdixiſſe videtur conjugia cum alterius religionis fœminis *Deut. 7. v. 3. & 4.*

(d) *Ne quidem generatio gigantum abſona cui videbitur*) Hanc DELRII opinionem *l. c. p. 332.* paſſim theologi ſibi confutandam ſumſerunt, ſpeciatim WALTHERVS *in quadragena miſcell. theol. 24. p. 621. MEISNERVS phil. ſobr. ſect. 4. p. 116. DANHAVERVS in hodoſ. Chriſt. phæn. 3 p. 200.* quibus adde *BODINI confut. JOH. WIERI p. 273. Problemata* JAC. METHI DVRASTANTIS *a p. 27. ad 41.* PHILASTRIVS Epiſcopus Breſcienſis *in catal. hæreſ.* eos hæreſeos *p. 54.* accuſat, qui de gigantibus aſſerunt, quod ex concubitu angelorum ante diluvium nati ſint.

Digitized by Google

canticum Kinta per vocalem ceſſe, appellantque Arabes puellam cantatricem Kainab cum Fatha litera Koph. Hæc Gregorius ſed nullo fide digno teſtimonio ſubnixa. (a)

Quicquid autem ſit de Angelorum illa inſtitutione cenſendum, ſive fabuloſa fuerit ſive vera, ad noſtrum de ſcholis artium ac ſcientiarum inſtitutum nihil aut parum facit. Certe fugit nos omnis illa ſcholæ ratio. Ea porro tandem belluina fuit univerſi humani generis ante diluvium vita, (*Σκυτισμὸν appellant cum Epiphanius* (b) tum alii, ſed cum injuria Scytharum, quia, ut recte ait Juſtinus Trogi epitomator, *plus apud hos valuerunt boni mores quam alibi bonæ leges*) ut indubie bonarum artium ſcientiarumque per omnem terrarum orbem cultura evanuerit inter homines feros & voluptatibus immerſos. Eapropter in diſſertationibus noſtris de ſcholis iſtis nihil eſſe dictum, nemo, arbitror, improbabit. Nec vero vel nunc habemus quod de iis adferri in medium queamus.

Supplementum III. ad pag. 402.

Antiquiſſimis, non multo poſt diluvium, temporibus, in Cananæorum populis, priusquam illi per Iſraëlitas exciſi & terræ eorum fuerunt juſto divino judicio occupatæ, celebrem aliquam obtinuiſſe doctrinæ culturam, indicat nomen urbis *Kiriat Sepher:* (c) hoc enim idem eſt atque ſi dicas *Vrbem librariam aut librorum.* Enimvero jampridem antea urbem id nominis in celebri fuiſſe fama, indicat ſacra Joſuæ hiſtoria cap. xv. verſic. 15. & 16. *Aſcenditque* Chaleb *inde ad habitatores Debir: cujus nomen antea fuit Kiriat Sepher. Dixitque Chaleb: qui percuſſerit Kiriat Sepher & ceperit eam, dabo ei Achſah filiam meam in uxorem.* Igitur iſthac ætate ſuperfuit vetus urbis vocabulum *Kiriat Sepher* & poſt mutavit in *Debir.* Viri docti nonnulli, interque eos ipſe Hugo Grotius, exiſtimant hanc eſſe urbem illam, quæ Xenophonti nuncupatur *Phœnicum gymnaſium.* Verum *primo γυμνάσιον* ætate Xenophontis non ſcholam literariam ſignificavit, ſed locum exercitiis corporis deſtinatum. *Deinde* Xenophontis ævo non fuit amplius in uſu appellatio priſca urbis illa *Kiriat Sepher* ſed *Debir*, nec ulla ibi ſchola celebris fuit. Nihil proinde & de illa Cananæorum ſchola poteſt dici: etſi indubie fuerit inſigni olim fama, ut quæ toti ubi dederit a libris ſuam appellationem.

Supplementum IV. ad pag. eand.

De ÆGYPTIORVM ſcholis ſtatim *p. 402.* fecimus diſſertationis initium: idque merito, quoniam hæ maxime olim celebres, & laudem ad poſtera etiam ſecula eximiam tranſmiſerunt.

Quoniam Ariſtoteles autem cauſam ejus, quare Ægyptii præ aliis cœperint excolere philoſophiam, prudenter ſignificavit, & nos iſthuc jam tum reſpeximus: haud abs re fuerit, ipſamet Ariſtotelis verba, latine tamen verſa, in medium adferre, a paucioribus alias legi forte ſolita. *Omnibus jam bujuſcemodi* (artibus ſcilicet rerum vitæ neceſſariarum) *comparatis, ea ſcientiæ repertæ ſunt, quæ nec ad voluptatem nec ad uſus neceſſarios conducunt, ac primum iis in locis ubi homines otiabantur. Hinc mathematicæ artes in Ægypto primum inſtitutæ ſunt; ibi enim conceſſum eſt ſacerdotibus otio frui.*

Porro quod liberis quoque ſacerdotum abunde ex publico fuerit conſultum, & quod ſolis iis tradita fuerit doctrina quævis ſublimior, id obfuiſſe potius quam profuiſſe ſcientiarum culturæ, oſtenſum a nobis jam tum eſt *l. 1. de Hermet. medicina cap. 15.* Quo libro integro prolixe perſecuti ſumus quæ ad Ægyptiorum ſtudia ſapientiæ attinent, atque adeo etiam illa omnia quæ hic non niſi levi attigimus digito: eoque non eſt, cur hic ejus quid nunc addamus. *Nec vero eorum quidquam eſt cujus pœniteat attigiſſe.* (d)

Vnum

(a) *Hæc Gregorius ſed nullo teſtimonio fide digno ſubnixa*) Eadem de Sethi receſſu quoque Batricides, Elmacinus aliique Arabes referunt. Vid. HOTTING. *ſmegm. orient. pag. 229.* SELDENVM *de I. N. & G. lib. 5. c. 8. pag. 631. ſeqq.* Hæc autem licet fabulis ſint interpolata, tamen non inepte fortaſſis dicitur, judice OWENO in *theologum. p. 41.* ad illud usque tempus, quo ſe cum Cainitis commiſcuerunt, pios Sethitas omnia jura cum divina tum humana ſeparatim habuiſſe a Cainitis, etiam loca late diſtantia ſine ullo vitæ aut ſeculi commercio incoluiſſe, ut vetus fuit Judæorum traditio.

(b) *Σκυτισμὸν appellat Epiphanius*) Conf. GERHARD. JOH. VOSSIVS *de ortu & progreſſu idol.* ubi ab initio agit de diſtinctione Epiphanii inter *βαρβαρισμὸν*, qui ante diluvium, *σκυθισμὸν*, qui poſtea usque ad Serugum, Helleniſmum, qui deinceps obtinuerit. Addit autem: ſed nec Epiphanius dicit, barbaros illos ſive Scythas nullum numen agnoviſſe, nec ſatis convenienter Scythæ memorantur ante Serugum. Nomina hauſta ſunt ex male intellecto loco *Col. 3, 2. Vbi non eſt Græcus & Iudæus, barbarus & Scytha.* Neque enim apoſtolus vanam de Deo ſententiam ſignat, ſed ſolum ait, in renovatione Chriſtiana non meliorem aut deteriorem eſſe Judæi conditionem, quam Græci, nec Græci quam Barbari, nec vulgaris Barbari quam Scythæ. Adde MARSHAMI *canonem chronicum p. 55.*

(c) *Kiriat Sepher*) Hanc vocem reddiderunt *πόλις γραμμάτων*, & Vulgatus, civitas literarum, atque hinc communiter opinantur, fuiſſe hunc priſcis celebrem Paleſtinæ academiam, ubi viri literati libros tractaverint, literasque publice docuerint. Vid. LYRANVS, ABVLENSIS, VATABLVS, CORNEL. a LAPIDE, P. CRELLII *promt. biblicum*, METFARTVS *tr. German. de academiis earumque abuſu p. 10.* JOH. ARROWSCHMITH *prof. Cantab. orat. 1. Antimeigel. p. 340.* Alii vero vocem interpretantur de bibliotheca publica ſeu urbe *ἀρχείων*, ubi acta publica fuerint aſſervata, idque ipſum Chaldæum interpretem voluiſſe contendunt, cum pro Kiriat Sepher poſuerit Arche quaſi græcum ſit *ἀρχεῖον*, cui rei quoque alia nomina huic urbi impoſita, uti Debhir & Kiriat Sannah congruant, quia Debhir ſignificet locum ſecretiſſimum, prout habentur archiva, vel ex radice Perſica *Defter* librum *διφθέρα* membranam cui inſcribitur. Ita MASIVS *commentar. in Ioſuam*, BOCHARTVS in *phaleg. lib. 1. cap. 4 pag. 25.* ADRIAN. RELANDVS *diſſ. miſcell. part. 2. diſſ. 9. de Perſicis Talmudis §. 40. pag. 285.* Ex Judæis quoque nonnulli ibi primum literas inventas volunt apud FRIE[illegible]IEBIVM *obſerv. bibl. tom. I. pag. 322.* Sed ſi recte rem reputemus, inquit B. CHRIST. HENR. RITMEIERVS *diſquiſ. de Kiriat Sepher*, quam infirmo hæc omnia nitantur talo, facile deprehendimus. Fatendum quidem vocum etymologias multum juvare & illuſtrare hiſtoriam inſigniter, præſertim antiquiorem: Verum quæ ex ſolo nomine in talibus petuntur, ubi nulla hiſtoriæ lux accedit, inſufficientes, invalidas atque inanes plerumque eſſe conjecturas nemo non intelligit. Temerarium ſane eſt ex ſolo nomine alicujus urbis de habitantium ſtatu, indole, moribus & actionibus ſtatuere. Poterunt eadem facilitate adhuc plures aliæ excogitari rationes, quarum intuitu olim hæc urbs ita dicta fuerit.

(d) *Nec vero eorum quicquam eſt cujus pœniteat attuliſſe*) REIMANNVS tamen in *idea antiquit. liter. Ægyptiorum*

Unum tamen obiter hic fatemur: illam de libris chemicis Ægyptiorum per Diocletianum Imperatorem combuſtis fabulam, quam ſolius Suidæ relationi adſcripſimus *l. 1. c. 3. pag. 26*, poſt inventam a nobis eſſe etiam inter illa excerpta operis Conſtantini Porphyrogeneti, quæ Peireſciano ære redempta vulgavit & vertit doctiſſimus Henricus Valeſius, deſcripta *pag. 835.* ex Joanne Antiocheno: quem fuiſſe monachum Phoca imperatore juniorem, haud obſcure liquet ex *pag. 35.* eiusdem Peireſciani voluminis. Vnde Joannes ille mutuatus eam ſit fabulam, aut num ipſemet finxerit, haud equidem dixero. Notat enim quidem Valeſius *pag. 215.* Joannem Antiochenum ſua pleraque ex Eutropio Græce a Conone Lycio verſo deſcripſiſſe: & ſane nonnulla, quæ de Diocletiano refert, habentur etiam in Eutropio: quia hæc fabula autem non reperitur in Eutropianis codicibus, indubie alium illa auctorem habet. Svidam vero ab Antiocheno iſthoc monacho Joanne illam accepiſſe, veriſimile eſt. Etenim multa eum tranſcripſiſſe ex Porphyrogeniti eclogis jam pridem obſervavit Fulvius Vrſinus, probavitque H. Valeſius. Sed & ſummus in hiſce literis Claudius Salmaſius *in Solinianis pag. 1077* notat: Svidam chemicam alteram iſtam famoſam aurei velleris interpretationem deſumpſiſſe ex Joannis Antiochenſis libro περὶ ἀρχαιολογίας, qui indubie eſt illius monachi Joannis Antiocheni. Quin imo videtur, monachum illum eſſe eundem, qui Svidæ *voce* εἶπον audit Ιωάννης ὁ χάραξ: atque adeo hunc eſſe illum Characem, non autem alterum id nominis Pergamenum, ex quo illud chemicum de aureo vellere commentum ad Dionyſii Afri περιήγησιν memoraſſe Euſtathium, diximus *pag. 27. Hermeticorum:* illum vero Characem, cujus teſtimoniis uſum Juſtiniano jam Imperatore Hermolaum Byzantium ibidem notavimus, vetuſtiorem eſſe Pergamenum. Quæ heic memorare, alienius quidem nonnihil eſt ab hoc inſtituto: fortaſſis tamen meretur excuſationem, ob ingenuam erroris confeſſionem emendationemque.

Supplementum V. ad pag. 404.

De ſcholis veterum CHALDÆORVM præter ea quæ laudatis a me locis habent Diodorus & Strabo, vix quidquam memoratu dignum occurrit. Nam & illa *quæ in ſacro Danielis libro habentur* (a) perquam ſunt tenuia. De illorum doctrina agere non eſt hujus inſtituti: & *fortaſſis ſingulari libello id a nobis tractabitur*, (b) qui jam pridem eſt affectus. Par eſt ratio Perſicarum atque Indicarum ſcholarum veterum, & earum cum alia tum magica ſapientia. Etiam enim illa cura alterius erit fortaſſe temporis.

Interea haud abſque pretio operæ fuerit, quod INDICA quidem attinet, cum cura legiſſe, quem de gentibus Indiæ & Brachmanibus librum Græce olim conſcripſit Palladius, atque ex bibliotheca Regia erutum cis aliquot annos publicavit & vertit latine eximiæ vir doctrinæ Edoardus Basſæus. Qui cum omnino merentur conferri, quæ de rebus noſtri ævi Braminum, qui priſcorum Brahmanum ſunt poſteri, rara induſtria Hollandice conſcripſit *Abrahamus Rogerius*, (c) & doctiſſimo commentario ejusdem lingvæ illuſtrata Leidæ prodierunt in lucem anno ſeculi hujus quinquageſimo primo. Etſi enim accepta ſint tantum ab iis qui ad Coromandal habitant, reapſe tamen ſunt & reliquis Braminibus communia.

SINENSIVM, remotiſſimi Aſiæ populi, ſcholæ videntur recentiore multum inſtituto cœpiſſe: poſt libertatem ſcilicet olim Tataris ejectis recuperatam, & quidem potiſſimo magiſtro illo *quem Confuſo appellitant.* (d) Hinc forte ſcholæ & inſtituta Mandarinorum quos vocant multa habent ſimilia Europæis illis, quæ a ſeculo demum Chriſtiano decimo tertio invaluerunt. Quia autem de iis complura a variis auctoribus noſtra patrumque memoria præclare ſunt prodita, atque ita tantum non in vulgus jam innotuerunt, abs re fuerit eorum quidquam heic repetere. Hanc autem meam de Sinenſibus conjecturam valide videtur confirmare Gregorii Abul-Pharaji medici & hiſtorici Arabici doctiſſimi teſtimonium. Vixit enim ille in Aſia, anno Chriſtiano poſt milleſimum ducenteſimo quarto octogeſimo, quo tempore Sinas ſive Cathajam, ut reliqua Aſiæ, Mogulenſes Tatari imperio ſuo tenebant; eoque res etiam Sinenſium ſatis habuit exploratas. Is vero *pag. 2.* cum dixiſſet, antiquitus ſeptem præcipuas fuiſſe gentes, Perſas, Chaldæos, Græcos, Ægyptios, Turcas, Indos, Sinenſes, earumque aliis fuiſſe curæ ſtudia ſapientiæ aliis non, poſtremis annumerans Sinenſes, de iis ita loquitur. *Quod ad Sinenſes, hi gentes alias numeri frequentia, imperii magnitudine, & amplitudine regionum excedunt. Cingunt territoria ipſorum, quæ longiſſime ad orientem protenditur terræ habitabilis, quicquid eſt inte-*

pag. 79. non veretur dicere, in hoc tractatu affectibus plus indulſiſſe virum, alioquin optimum & doctiſſimum, idque jam pridem obſervaſſe eruditos, & demonſtraſſe luculenter OLAVM BORRICHIVM.

(a) *quæ in ſacro Danielis libro habentur*) Daniel c. 2. cum ait, accerſitos eſſe omnes doctos, eos diſpeſcit in Chartumnim, Aſchaphim, Mecaſchephim, & Casdim. Vbi Chartumnim Abarbeneli ſunt magi rerum naturalium periti, ſive qui contemplativam ſcientiam colebant (ex Perſica voce charad, cognoſcere) Aſchaphim, qui ſcientiam activam colebant, uti vertit l'Empereur, & cum Arab. ſophon ſeu ſapientes comparat, Mecaſchephim vero proprie revelatores dicuntur a radic; Arab. Caſchaph, revelare; Casdim autem nomen eſt peculiare Chaldæis attributum.

(b) *fortaſſis ſingulari libello id a nobis tractabitur*) Non prodiit hic liber ſingularis. Caeterum præter STANLEJVM de philoſophia Chaldæorum ſcripſit etiam OTTO HEVRNIVS.

(c) *Abrahamus Rogerius*) Cui addendæ recentiores Miſſionariorum, quos vocant, de rebus Malabarum literæ Halæ excuſæ. De Brachmanum literariis collegiis egit quoque MICH. MEIERVS *cap. 6. libri cui tit. ſilentium poſt clamores*; nec minus LA CROZE *in hiſt. religionis Indor.* Conf. *le dictionaire hiſtorique critique par BAYLE, ſub articulo Brachmanes.*

(d) *quem Confuſo appellitant.*) Cujus philoſophia ſive ſcientia Sinenſis latine expoſita ſtudio & opera patrum S. J. præcipue Proſperi Intorcettæ, Chriſtiani Herdtrichii, Franciſci Rougemont, & Philippi Coupletii prodiit Pariſ. 1687. in fol. cum adjecta tabula chronologica Sinicæ monarchiæ. Adde *le memoires de la Chine* par LOVIS le COMTE.

zed by Google

inter lineam aquinoctialem ad ultimum ſeptem climatum ſeptemtrionem verſus. Ea ſcientia portio qua cateras gentes ſuperarunt eſt artium mechanicarum peritia, & in pingendi arte praſtantia. De Indis autem longe aliter idem Gregorius judicat. *Illis Deus,* inquiens, *multis eorum qui colore fuſco vel candido gaudent pracellere dedit: ſuntque fodina ſapientia & fons juſtitia, niſi quod mundi aternitatem adſtruant, & irritas habeant prophetias, & pro illicito ducant animalia mactare, eademque dolore affici probibeant.* Quibus verbis Brachmanes Indorum laudari manifeſtum eſt.

Quoniam porro in ſacra Salomonis hiſtoria *1. Reg. IV, 30.* hujus ſapientia contenditur cum ORIENTALIBVS, indubie etiam hiſce fuerunt quondam magnarum ſcientiarum atque artium ſcholæ. Verum ne id quidem ſatis conſtat, quinam populi illo *orientalium* nomine tunc fuerint uſurpati: multis id ad Chaldæos trahentibus. De Chaldæis tamen ſic locutus eſt Jeremias c. I, 14: *Ab aquilone pandetur malum ſuper omnes habitatores terra.* Eodem modo & alibi paſſim loquitur. Chaldæi proinde neutiquam ſunt illi doctrina Salomonis ætate celebres orientales. Ne nunc dicam, Nabonaſſaro demum Rege, atque ita multo poſt, videri cœpiſſe majorem ſolito in Chaldæis doctrinæ cultum. Pineda *in Salomone* ſuo, opere perinſigni, etiam Tyrios intelligendos cenſet: at nec illi fuerunt Iſraelitarum terris ab oriente, ſed occidente potius. *Arabes fuiſſe qui exiſtimant, illis & meum calculum addo.* (a) Celebratam enim eorum ſapientiam vetuſtiſſimis jam ſeculis, liquet ex Jobi hiſtoria: & longe poſt etiam Pythagoram adiiſſe doctrinæ capeſſendæ cauſſa Arabes, auctor eſt Porphyrius apud Cyrillum *l. X. contra Julianum.* Non quivis tamen Arabes potuerunt *orientales* uſurpari. Etenim deſerta Arabia, imo & illa pars unde Regina Sabæ venit, meridionalis fuit Iſraelitarum terris. Imo illa deſerta Arabia ſero ſatis literatura aliqua cœpit excoli, & quidem poſt Mahumedem denique: bona ejus populorum parte ab retro omni ævo etiamnum Nomadicam vitam viventibus. Poſſit videri huc pertinere, quod quæ Mahumedem antecedit ætas, ſoleat ipſis Arabibus *tempus ignorantia* (b) vocitari. Fortaſſis autem hoc fit reſpectu *Islamiſmi* ſui, cujus primus autor fuit Mahumetus. In univerſum tamen de Arabum, quæ Islamiſmum præceſſit, eruditione, in *hiſtoria dynaſtiarum,* quam & Arabice & verſam latine editamque debemus Edoardo Pocockio, ita *p. 101.* diſſeruit *Gregorius Abulpharai,* (c) ſcriptor Arabs ſed Chriſtianus. *Eruditio autem Arabum, cujus gloria pracipue ſtudioſi erant, hac erat: lingua ſua peritia, ſermonis proprietas, carminum textura & orationum compoſitio. Noti etiam illis erant ſtellarum ortus & occaſus, item quanam ex illis ita oppoſita ſint ut oriente hac illa occidat, quamque in pluviis excitandis vim habeant: quantum quidem ſumma attentione & diurna experientia aſſecuti erant (quod ſcil. hanc rerum iſtarum cognitionem vita ratio illis neceſſariam faceret) non qua vera ſcientia acquiritur methodo. Verum quod ad philoſophia ſcientiam nihil ejus admodum conceſſerat illis Deus, nec eos ad hac ſtudia idoneos fecerat. Atque hic ſtatus eorum erat per ignorantia tempora.* Hæc ille. Sed quoniam ſcriptor eſt recentior, fortasſis illi tuto de iis rebus credi non poteſt. Fortasſis etiam talis eorum duntaxat fuit Arabum ratio, quos inter Mahumedes natus eſt. Imo fortasſis illo tempore denique Arabia ſeſe habuit: perinde atque hodie plurimum diverſa eſt Græcia ab antiquo cultu. Fatetur enim ipſe Abul-Pharai, *gloria eruditionis ſtudioſos* fuiſſe Arabes. Sed & jam olim Arabum orientales habuiſſe magnum numerum eorum qui *Magi* dicti ſint, non minus atque Perſas, liquet ex eo, quod Ptolomæus agnoſcat in Arabiæ illa orientali parte *Magorum ſinum, Magindanam* item & urbem *Magilunam.* Epiphanius *l. 3. contra hareſes* Abrahami ex Kethura liberos in eam partem Arabiæ cui *Magodia* nomen tranſiiſſe, refert. Hodieque pars felicis Arabiæ ſive Jemin vocitatur *Magin.* *Admodum ſane falluntur, qui ſolos Perſarum ſapientes Magos credunt olim audiiſſe.* (d) Imo vocem *Magus* origine eſſe mere Arabicam, docent illius lingvæ peritiores. Et vero qui aliis *Kebri* illi Arabibus *Maguſi* ſunt uſurpati. *Vt proinde etiam illos Magos,* (e) qui omnium primi natum recentisſime Salva-

(a) *Arabes qui fuiſſe exiſtimant, illis & meum adjicio calculum)* In eundem modum pronunciat STANLEJVS *loc. cit. pag. 1171.* ubi *de Arabum philoſophis,* inquit, *intelligendum etiam, quod de Salomonis ſapientia dicitur, qua memoratur excelluiſſe pra omnibus filiis orientis.* TACITVS *hiſtor. 5. c. 5. in deſcriptione Iudaa,* eam qua ad orientem vergit, Arabia terminari ait, & a Judæis etiam Arabiam orientis vocabulo inſignitam apparet ex *Gen. 10, 30. cap 25, 6. 18. Iob. 1, 3. Iud, 6, 3.* PLINIVS *cap. 30, 2.* in Arabia memorat magos.

(b) *tempus ignorantia vocitari)* Ita pronunciat & tuetur ABRAHAM ECCHELLENSIS *in chronico orientali,* & *in hiſt Arabum pag. 161.* ſtatum ignorantiæ apud Arabes dici non de ſcientiarum inſcitia, ſed de veri Dei ignoratione.

(c) *Gregorius Abulpharai)* Ibn Hakima dictus Aaronis medici Malatienſis vulgo Ebn kophdioti filius fuit, ſecta Jacobita ſeu Melchita, ſcripſit anno Hegiræ 683. (Chriſti 1284) quo hiſtoriam ſuam terminavit. In variis ſui operis exemplaribus, notante HOTTINGERO *biblioth. orient. c. 2. p 81.* variis elogiis ornatur diciturque *dominus noſter pater ſanctus, eximius doctrina & eruditione inſignis, doctorum rex, excellentium excellentiſſimus, ſeculi phœnix, ſapientum gloria, corona virorum virtute praſtantium, dubiorum in theologia occultorum ἐπιλύτης, Chriſtianorum princeps primarius, ſecta Iacobitica medulla.* Eum ipſi quoque Mahumedani laudant; cum vero referunt, eum a Chriſtiana religione defeciſſe, falſum committunt. Compoſuit compendium dynaſtiarum Arab. Moktaſſar al Doval dictum de dynaſtiis abſolutum & ex variis variarum gentium monumentis depromtum, quod Arabice & latine edidit POCOCKIVS Conf. de eo quoque HERBELOT *in bibl. orient. p. 14.*

(d) *Admodum ſane falluntur, qui ſolos Perſarum ſapientes Magos &c.)* Nituntur illi verbis LAERTII in *proœmio* PORPHYRII *de abſtinentia l. 4.* APVLEJI *apol. 1. p 31.* HESYCHII, qui omnes apud Perſas ſapientes aut ſacerdotes & Numinis contemplationi & cultui addictos magos dictos fuiſſe referunt, quod nomen alii deducunt a Mog, quod Zoroaſtris nomen proprium fuit, (MATH. HILLERVS *in onomaſtico ſacro* interpretatur Magnum) alii a Mijeguſch, i.e. brevium aurium, qualem Zoroaſtrem fuiſſe dicunt; alii a Moug vel Mug *diſſolvere, frangere,* quod magiæ ope vires exercitus frangant; alii a Maghim murmuratores, *Eſ. 8, 19.* alii aliter interpretantur. Vid. STANLEJI *hiſt. philoſ. part. 14. cap. 4.* POCOCK. *in ſpecim.* STRAB. *p. 146.* THOMAS HYDE *de religione Perſarum.* Maguſæos eos vocant Svidas & Cedrenus, atque a popularibus magog dictos fuiſſe affirmant.

(e) *Vt proinde etiam illos Magos)* Vid. de his GEORG. HENR. GOEZII *diſſert. quinque,* CELLARII *diſſertat. de magis ex oriente ſtella duce Bethlehemum profectis.* Contrariam ſententiam cumprimis tuetur GEORG. HIERON. VELSCHIVS *in Ruzna menaurus p. 7. ſeqq.* ubi ridet illos, qui ex locis allatis vel ex *Pſ. 72* concludere volunt, magos illos non Perſas, ſed Arabes fuiſſe.

Salvatorem noſtrum venerati ſunt, non equidem dubitem cum patrum antiquiſſimis, & Grotio ac Voſſio viris noſtri ævi longe doctiſſimis ex Arabia adveniſſe, profiteri.

Etſi autem *vacat apud me omni dubio, olim & apud Arabes* (a) illos orientales ut eruditionem ita & doctrinæ ſcholas viguiſſe, non tamen vel de illa eorum doctrina, qualis fuerit & quanta, certi quidquam novimus. Non dubito tamen, & illorum magos, ſaltim nonnullos, perinde atque Perſarum, nefariis artibus (quas tamen ipſi tanquam vel naturæ vel diis ſuis debitas, haud iniquas exiſtimaverunt, longe alieni ab impietate noſtri ævi magorum, dæmoniis, quorum malitia ipſis nota eſt, fœderatorum) fuiſſe deditos; quoniam in univerſum omne illud nomen olim denique ſectatoribus fuerit infame, & ipſosmet illos Salvatoris noſtri primos adoratores, ab eo crimine haud abſolvant Origenes, Ambroſius, Chryſoſtomus, Baſilius & patrum alii. Multo minus vero exploratum habemus de ſcholis illorum. Ideoque ut orientalium Arabum ſcholas non attigimus in diſſertationibus, ita neque nunc de iis ullum nobis eſt manum ſupplementum.

Prius tamen quam hunc locum deſeramus, fortaſſis haud fuerit abs re, addere hoc loco nonnihil de ZABIIS ſive SABIIS, quorum in Arabicorum aliorumque ſcriptis frequens fit mentio. Idque quandoquidem Zabiorum appellatio fortaſſis ſignificat idem quod orientales, fortaſſis etiam deflexa eſt *a Sabæis* (b) Arabiæ felicis populis. Et vero Joſephus Scaliger, princeps literatorum, epiſtola ad Caſaubonum, *quæ eſt ſexageſima libri epiſtolarum primi*, ſcribit: *De Zabiis, ſcito eſſe Chaldæos Tzabin. Dicti a vento Apeliote quaſi dicas orientales.* Quod utrum ſit verum necne, haud definierim: etſi videantur Sabiorum dogmata Chaldaicis ſaltim affinia. Docent autem Arabum Judæorumque ſcripta: Sabios fuiſſe quaſi auctores, certe ſummos magiſtros, idololatrici & quidem ſiderum cœleſtium religioſi cultus. *Multa de iis refert Rabbinorum doctiſſimus Moſes ben Maimon* (c) libro, cui fecit titulum *more Nebochim l. 3.* paſſim, cumprimis *cap. 29.* Ubi affirmat, ſibi ad manum eſſe libros ipſorum antiquos, atque ex iis multa adfert in medium varii generis. Fuiſſe autem eorum libros omnes non perinde antiquos, alios vero etiam Syriace conſcriptos: liquidum eſt ex iis, quæ Gregorius Abul-Pharai narrat de Thabet Eben Korra, illo inter Arabes maximi nominis aſtronomo, *p. 145.* editionis Pocockianæ: quem ait fuiſſe Sabium. Floruit autem Thabet ſub finem noni ſeculi Chriſtiani. Recitabo eximii illius hiſtorici quædam verba, prout illa de Arabico a Pocockio Latine ſunt verſa: quoniam continent alias ignota, & ob libri ipſius raritatem minus obvia. *Multa ſcripſit* (Thabet ſive Thebit Eben Korra) *in diſciplinis mathematicis, medicina, & logica. Sunt & illi libri lingua Syriaca ſcripti, de iis quæ ad Sabiorum religionem ſpectant, de eorum conſtitutionibus præceptis & ritibus, de mortuis involvendis & ſepeliendis, de munditie & immunditie, quænam animalia ſacrificiis idonea quæ inepta, de temporibus cultui divino deſtinatis, de ordinanda lectione inter orandum. Illud autem quod apud nos conſtat de SECTA SABIORUM, eſt: Profeſſionem eorum eandem prorſus eſſe cum Chaldæorum antiquorum profeſſione: Keblamque ipſorum polum arcticum. Quatuor virtutibus intellectualibus illos diligenter ſtudere. Illis ut ter orent injunctum eſſe: primo ante ſolis ortum, ſemi hora aut minus, quo oriente ſole finiantur octo incurvationes, quarum ſingulæ tres contineant adorationes; ſecundo ita ut finiatur oratio meridie declinare incipiente ſole, conſtatque quinque ingeniculationibus, quarum unaquaque tres contineat adorationes; tertio oratione ſimili ſecundæ, & finienda occidente ſole. Jejunia illis injuncta eſſe (jejunium) triginta dierum quorum primus eſt nonus Alcanni prioris; nec non ſeptem dierum, quorum primus Screbati octavus. Stellas invocare. Multa offerre ſacrificia, de quibus non comedunt, ſed penitus igni abſumenda tradunt. A fabarum & allii eſu abſtinere, nonnullos etiam a phaſeolis, braſſica, crambe, & lentibus. Dicta eorum affinia ſunt dictis philoſophorum: argumenta eorum ad probandam Dei unitatem longe firmiſſima ſunt. Autumant animas ſceleratorum novies mille ſeculis cruciari, deinde ad miſericordiam Dei redire.* Tantum quoque de Zabiis hac vice: ſive in Arabia illi cœperint, ſive veteribus Chaldæis ſint annumerandi. Longe plura ex orientalium ſcriptorum monumentis, qua ſolet inuſitata induſtria & curioſitate, eruta de Sabiis illis docuit Hottingerus *l. 2. hiſt. orient. cap. 8.* ut & *bibliotheca orientalis cap. 2. claſſe 3. pag. 103.*

Etſi

(a) *apud me vacat omni dubio, olim & apud Arabes*) Præcipue linguæ ſuæ cultum, poeſin, medicinam, nec non aſtronomiam, ut inde gregibus ſuis proſpicerent. Vid. ABULFARAG. *hiſt. dynaſt. pag.* 41. *POCOCKIUS ad ABULF. de morbis Arabum p.* 163. 164. neque vero hæc tantum ſed & alia ſtudia licet non inter Nomades, tamen inter cives & urbium incolas, etiam ſi non ita ut apud Græcos exculta floruiſſe monet, ABRAHAM ECCHELLENSIS *in hiſt. Arabum pag.* 163. Minus æqua proinde lance judicavit ISAACUS VOSSIUS *in reſponſ. ad objecta critica ſacræ pag.* 160. *neque Arabes quantumvis late pateant & linguæ ſuæ ſatis fuerint ſtudioſi ullam antiquarum rerum habuiſſe peritiam, quam non ex Græcorum hauſerint libris.*

(b) *a Sabæis*) Dictis a Saba filio Chuſi, qui Chami filius fuit. De quibus populis, eorum libris & religione pluribus egerunt *SPENCERUS lib. 2. de legibus Moſaicis* & *STANLEJUS hiſt. phil. p. 15. c. 1. 2. 3. 4. ſqq. THOMAS HYDE de relig. Perſarum*, *HERBELOT in biblioth. orient.* aliique.

(c) *multa de iis refert Maimonides*) Libro *More Nebochim*, ductor dubitantium, quem BUXTORFFIUS latine reddidit, unde SPENCERUS, MARSHAMUS inducti fuere, ut leges Moſaicas ex occaſione Sabæorum & Ægyptiorum rituum inſtitutas eſſe ſtatuerent, propterea refutati a plurimis, ſpeciatim a LEIDDECKERO *in libris de republ. Ebræorum HERM. WITSIO in Ægyptiacis JOH. VAN DER WAGEN in variis ſacris, RIBOVDEALDO in ſacro Dei oraculo Urim & Thumim*, aliisque in hac controverſia probe obſervantibus, quod Maimonides ipſe, qui tam multa de iis habet, eorum antiquitatem parum exploratam habuiſſe videatur, quandoquidem *P. III. c.* 49. ante 1000. annos eorum opiniones & ſectas intercidiſſe referat, ut proinde relationes ejus valde dubiæ ſint, niſi probetur libros Sabæorum, quos vidit *Maimonides*, non eſſe recentes, aut eam gentem per plura ſecula eadem coluiſſe ſacra. Conf. VALENT. ERN. LOESCHERUM *de cauſis linguæ Ebrææ p.* 58. qui & hoc obſervat, Zabios cum Sabæis perperam hac in re confundi, quorum hi antiquiores, illi vero utique ſint recentiores.

Google

Etſi vero indubie etiam illis Sabiis ſuæ fuerint ſcholæ, nos tamen nihil habemus quod de iis doceamus.

Supplementum VI. ad pag. 404.

Quæ *pag. 404.* de Thalete aliisque Græcorum ſapientibus vetuſtioribus diximus, non alio indigent teſtimonio, quam unius Diogenis Laërtii: quoniam quod ejus hac de re narrationibus reluctetur nihil reperire eſt ex veteri ævo.

De Pythagoræ ſcholis quæ nos attulimus, referuntur poſt Livium in hiſtoriis etiam vitæ Pythagoræ, apud Laërtium, Malchum, ſive ut nomen ejus Tyrium mutavit Dionyſius Longinus Porphyrium, & Jamblichum, alibique. Tametſi hactenus operis Jamblichi de vita & ſecta Pythagoræ in ſeptem libros diviſi, *tantum duo & quidem mendoſi infeliciterque verſi,* (a) in lucem prodierint, duosque ſequentes priores cum omnibus Jamblichi reliquis ſcriptis a ſeſe exſpectari quidem juſſerit Lucas Holſteinius vir longe doctiſſimus, ſed nullo ſucceſſu, quantum equidem ſciam. Dignum memoratu hic eſt, quod de ſchola Pythagoræ notat ad Porphyrii librum idem Holſteinius: *illam proprie διδασκαλεῖον appellatam, ut Platonis academiam & Ariſtotelis lyceum vel περίπατον, Epicuri hortos, Zenonis porticum.* Vereor autem ut poſſit firmis teſtimoniis probari: quoniam quod διδασκαλεῖον idem & ἀκροατήριον Porphyrio dicitur: nec apparet ratio, quare communis ſcholæ appellatio uni Pythagoricæ facta fuerit propria.

De Coa & Cnidia ſcholis medicis exſtant varia dicta Galeni: an apud alios veterum alibi, non ſatis memini. Sophiſtarum inſtituta paſſim in vulgus pridem innotuerunt.

Supplementum VII. ad pag. 405.

Ut ea quæ de ſcholis Atticis diſſeruimus *pag. 405.* rectius intelligantur, operæ fuerit pretium diligenter legiſſe, non ea duntaxat, quæ jam tum laudavimus ex libro poſthumo *de Ceramico gemino,* dicta a viro de Atticis rebus optime omnium merito Joanne Meurſio ad academiam pertinentia, ſed etiam quæ idem magna induſtria congeſſit in unum, in *Athenis Atticis* de porticu *l. 1. cap. V.* de Cynoſarges *l. 2. c. 2.* de lyceo *c. 3.*

De privilegiis porro ſcholarum Atticarum, quæ dicta ibidem ſunt, illuſtravimus jam tum in *addendis* (*hac edit. loco ſuo conſtituto additis*) ut nihil iis addere ſit hodie neceſſum.

Verum præterea eſſe quod itidem docuimus; nempe Athenienſes loca iſthæc celebria non ſuppeditaſſe philoſophis liberaliter, atque in ſcholæ uſum aptaſſe: id præter hortum Epicuri, quem ab illo fuiſſe emptum ex Diogene notavimus, haud obſcure ſignificant etiam illa, quæ nonnulli de ipſamet Platonis academia commemorant. Plutarchus *l. de exilio* ſane ita ſcribit: *academia tribus millibus drachmarum emptus agellus, Platonis habitaculum erat.* Iſidorus *Origin. l. IIX. cap. 6.* in eandem ſententiam: *Academici appellati a Platonis villa, academia Athenarum, ubi idem Plato docebat.* Docuit ergo Plato in parte academiæ ſibi propria, & ſuo ære comparata. Et vero pridem ante Iſidorum etiam Hieronymus *l. 2. adverſ. Jovinianum* appellavit locum illum, ubi Plato docuit, *villæ* nomine. Suidæ ſi credimus, docuit Plato in villæ ſuæ paupere aliquo horto. Verba enim ejus Latine verſa ita ſeſe habent. *Plato philoſophus pauper erat, & ſolum poſſedit in academia hortum, qui fuit minima pars illius ſucceſſorum. Nam hic quidem hortus aureos fere tres reddebat, poſtea vero mille & plures. Auctus autem reditus fuit temporibus poſterioribus, cum homines ſancti & philoſophi, alias alii, morientes teſtamento relinquerent philoſophia ſtudia tractantibus facultates, ad vitæ philoſophicæ otium ac tranquillitatem.* Hæc omnia Suidas. Quorum priora ſatis utique indicant id quod diximus, locum ſcholæ Platonicæ non publicum fuiſſe ſed privatæ poſſeſſionis: poſteriora autem, eundem locum etiam poſtea manſiſſe proprium Platonis ſucceſſoribus ſed auctum liberalitate variorum. Et vero etiam Procli Lycii ætate ſuperfuiſſe Athenis aliquid *hæreditatis Platonicæ* (b) dictum cognomento, jam tum *pag. 410. diſſertationum* ex Marino Neapolitano annotavimus. Quandoquidem autem ne Platoni quidem, civi Attico primariæ nobilitatis, conceſſus eſt in ſcholæ uſum locus publicus, per eſt veriſimile, Athenienſes non fuiſſe liberaliores erga Ariſtotelem, Cynicos, & Stoicos.

De eo autem excidio Lycei & Cynoſargis, a Philippo Demetrii filio patrato, quod *pag. 406.* laudavimus Livii teſtimonium, meretur hic quoque ſuis diſertis verbis legi. *Intra muros deinde tementi-*

(a) *tantum duo & quidem infeliciter verſi*) Unus de vita Pythagoræ; alter προτρεπτικὸς εἰς φιλοσοφίαν editi a. 1593. apud Commelinum a JOHANNE ARCERIO THEODORET. FRISIO, ſed partim injuria temporis, partim librariorum negligentia & imperitia adeo corrupti & deformati, ut *LUDOLFUS KUSTERUS in præf. rec. editionis Amſtel.* 1707. neſcire ſe affirmet, an a renatis literis ullus ſcriptorum veterum pluribus mendis ſcatens in lucem unquam extiterit. Ita & C. RITTERSHUSIUS *in notis ad Porphyrium, Jamblichum* inquit, ante 12. annos in lucem protulit Arcerius, majorem tamen & gratiam & laudem promeriturus, ſi & ab emendationibus plerumque temerariis & a latina interpretatione infeliciſſimam manum abſtinuiſſet, ac potius omnino talem exhibuiſſet Jamblichum, quantumvis corruptum, qualem in MSto invenerat, cuilibet liberam relinquens correctionem. Novam proinde verſionem poſtea cum notis adornavit ULRICUS OBRECHTUS adjutus ope Codicis MSt. Pariſienſis, quam KUSTERUS in editione jam memorata, quæ tamen librum primum tantummodo de vita Pythagoræ exhibet, retinuit, adjutusque codice Pariſienſi & MSto ex bibliotheca EZECHIELIS SPANHEIMII, denuo pluribus in locis emendavit. De cætero Jamblichi editionem præter Lucam Holſteinium etiam THOMAS GALEUS promiſit, ſed illius conatui ineluctabile fatum interceſſit. Liber tertius quoque Jamblichi περὶ τῆς κοινῆς μαθηματικῆς ἐπιστήμης editus eſt a SAMUELE TENNULLIO *obſerv. KUSTERO in notis p.* 1. Idem refert Joh. Albertum Fabricium pariter novam libri ſecundi editionem curaturum.

(b) *hæreditatis Platonicæ*) Vide *ſupplement. XV. & XVIII. ſub finem.*

nentibus milites Athenienſibus, Philippus, ſigno receptui dato, caſtra ad Cynoſarges (templum Herculis, gymnaſiumque, & lucus erat circumjectus) poſuit. Sed Cynoſarges & lyceum & quicquid ſancti amœnique circa urbem erat incenſum eſt: dirutaque non tecta ſolum ſed etiam ſepulchra: nec divini humanive juris quicquam præ impotenti ira eſt ſervatum. Verba Plutarchi de ſylvis academiæ & lycei deſtructis jam adduximus ſupplemento I.

Supplementum IIX. ad pag. 407.

Dubitavimus *pag. 407.* de Maſſilia, utrum ibi ſumptu aliquo publico nutriti fuerint literarum doctores. Quæ tamen *l. 10.* de urbe iſthac diſſerit Strabo, exuerunt jam poſt attentam lectionem illam dubitationem. Cum enim Strabo laudaſſet Maſſiliam, quod fuerit Gallis vicinis παιδευτήριον, quodque nobilisſimi etiam Romanorum *ſtudio diſcendi prætulerint Maſſilienſem peregrinationem* (a) Athenienſi, adjicit: Gallos in pace jam viventes Maſſilienſium exemplo otium illi vitæ inſtituto impendere non ſingulatim duntaxat ſed etiam publice: *Σοφιςὰς γῦν ὑποδέχονται τὺς μὲν ἰδίᾳ τὺς δὲ αἱ πόλεις κοινῇ μαθύμεναι καθάπερ καὶ ἰατρύς.* Si urbes autem Galliæ Maſſilienſium imitatione ſophiſtas hoc eſt eloquentiæ profeſſores ſumptu publico conduxerunt, indubie factum idem fuit ab ipſa Maſſilienſium civitate.

Supplementum IX. ad pag. 407.

Ptolemæi Reges tantum non omnes optime ſunt de eruditionis propagatione meriti. Eorum ſeptimus tamen, Evergetes ſecundus dictus, maleficio potius profuit quam benignitate. De illo Athenæus *l. 4. cap. ult.* in dipnoſophiſticis ita refert. *Renovatæ ſunt omnes diſciplinæ ſub ſeptimo Ægypti Rege, quem alii, præcipue Alexandrini κακεργέτην appellarunt. Hic enim multis Alexandrinis jugulatis, nec paucis qui cum fratre ejus adoleverant in exilium actis, urbes ac inſulas replevit grammaticis, philoſophis, geometris, muſicis, pictoribus, puerorum magiſtris, medicis, & aliis multis artificibus; qui ob inopiam ea docentes quæ ſciebant, omni humanitate præclaros viros expoliverunt.* Cæterum de bibliotheca Alexandrina multa a nobis ſunt dicta, etiam illa epiſtola quam de bibliotheca Auguſta edidimus ad Boineburgium. De cujus magni viri inſperato & Germaniæ rebus infauſto atque intempeſtivo obitu, adveniens hoc ipſo momento fama animum haud leviter percellit & in luctum conjicit: idque non tam quod ego amiſerim amicum ſummum, quam quod laborans Germaniæ reſpublica orbata ſit prudentia & rerum agendarum dexteritate maximo ſenatore. Quem animi dolorem non potui hic diſſimulare.

Memorat vero illam bibliothecam & Vitruvius *l. 7. c. 1.* ſimulque inſtituta a Ptolomæo certamina eruditorum. Quoniam lepidam ille hiſtoriam narrat unius eorum ludorum, videtur iſta etiam hoc loco repetenda. *Reges*, ait, *Attalici magnis philologiæ dulcedinibus inducti, cum egregiam bibliothecam Pergami ad communem delectationem inſtituiſſent, tunc idem Ptolomæus infinito zelo cupiditatiſque incitatus ſtudio, non minoribus induſtriis ad eundem modum contenderat Alexandriæ comparare. Cum autem ſumma diligentia perfeciſſet, non putavit id ſatis eſſe, niſi propagationibus in ſeminando curaret augendam. Itaque muſis & Apollini ludos dedicavit, & quemadmodum athletarum, ſic communium ſcriptorum victoribus præmia & honores conſtituit. His ita inſtitutis, cum ludi adeſſent, judices literati qui ea probarent erant legendi. Rex cum jam ex civitate ſex lectos habuiſſet, nec tam cito ſeptimum idoneum inveniret, retulit ad eos qui ſupra bibliothecam fuerant, & quæſivit ſi quem noviſſent ad id expeditum. Tunc ei dixerunt, eſſe quendam Ariſtophanem, qui ſummo ſtudio ſummaque diligentia quotidie omnes libros ex ordine perlegeret. Itaque in conventu ludorum cum ſecreta ſedes eſſent judicibus diſtributa, cum cæteris Ariſtophanes citatus, quemadmodum fuerat ei locus deſignatus, ſedit. Primo poetarum ordine ad certationem inducto, cum recitarentur ſcripta, populus cunctus ſignificando monebat judices, quod probarent. Itaque cum ab ſingulis ſententiæ ſunt rogatæ, ſex una dixerunt, & quem maxime animadverterunt multitudini placuiſſe ei primum præmium, inſequenti ſecundum tribuerunt. Ariſtophanes vero cum ab eo ſententia rogaretur, eum primum pronunciari juſſit qui minime populo placuiſſet. Cum autem Rex & univerſi vehementer indignarentur, ſurrexit, & rogando impetravit ut ſe paterentur dicere. Itaque ſilentio facto docuit, unum ex his eum eſſe poetam, ceteros aliena recitaviſſe: oportere autem judicantes non furta ſed ſcripta probare. Admirante populo, & Rege dubitante, fretus memoria e certis* (forte *exertis*) *armariis infinita volumina eduxit, & ea cum recitatis conferendo coëgit ipſos furatos de ſe confiteri. Itaque Rex juſſit cum his agi furti, condemnatoſque cum ignominia dimiſit, Ariſtophanem vero ampliſſimis muneribus ornavit, & ſupra bibliothecam conſtituit.* Hæc *omnia Vitruvius.* (b)

De muſeo præter illa Straboni dicta, ex Athenæo, Philoſtrato, Spartiano, Dione & aliis poſſent quidem nonnulla adjici, ſed inſtitutum haud patitur.

Supplementum X. ad pag. 408.

Quæ *pag. 408.* notavimus, de tolerato ab Athenienſibus ſententiarum philoſophicarum a ſacris ſuis receptis diſſidio, non ita accipienda ſunt, quaſi ἁπλῶς eo ipſo male conſuluerint reipublicæ ſuæ. *Enimvero eſt quidem haud paucis politicorum perſuaſum,* (c) nihil ejusmodi ferendum in bene conſtituta republica: idque quoniam conſulendum eſt paci ac tranquillitati civili, quæ diſſidio iſthoc

 corrumpi-

(a) *ſtudio diſcendi prætulerint Maſſilienſem peregrinationem)* Conf. *M.* GEORGII NICOLAI KRIEGK *diatribe de peregrinationibus Romanorum academicis a §. 49. ad 56.*

(b) *omnia Vitruvius)* Ita aliud auditores & imperiti judices aliud peritus rei literariæ judex pro latis argumentis cenſere ſolent. Conf. PLIN. *lib. 2. ep. 19.*

(c) *Enimvero eſt haud paucis politicorum perſuaſum)* Vid. VNTIMACH.

corrumpitur. Pridem tamen a nobis *dictum eſt*, (a) & alias denuo firmius conſtituetur, ἀξίωμα illud quorundam procul abeſſe a veritate; ad quietemque reipublicæ ſatis eſſe, ſi nemini permittatur cum turba ſententias ſuas docere, & modo religionis natura notæ ſcita conſtent: nempe de unius Dei providentia humanarum etiam quarumvis rerum, deque animæ immortalitate, & pœnis præmiisque juſto judicio divino a morte etiam accipiendis. Quo poſito manifeſtum eſt, non debuiſſe ferri Epicuri ſcholam, & ſi quæ alia impugnavit olim ſive aperte ſive clam illas quas diximus reipublicæ omnis conſervandæ neceſſarias, ut ita dicam, ὑποθέσεις. Vix etiam eſt, ut ſaltim in nonnullis debuiſſent tolerari Stoici; nimis ſcilicet crude pro libertatis ſtudio & de republica diſſerentes. Nec vero cuiquam dominatui doctrina illorum temere fuit conſentanea: eoque nomine male inter philoſophos reliquos Stoici cumprimis audierunt, cum alias tum Domitiano imperante, ac propterea pulſi ſunt urbe.

Quod porro *pag. ead.* diximus, promiſcuam illam liberam philoſophandi etiam de ſacris rationem cum Chriſtiana demum doctrina Athenis deſiiſſe, accipiendum eſt de Chriſtianiſmo jam plene adulto. Neutiquam enim fuerunt Chriſtiani, illi πρέσβεις Suidæ dicti philoſophi, qui Juſtiniano imperante quaſi deſperabundi in Perſiam iverunt ad regem Coſroem, voti tamen fruſtrati rediere: quos inter fuit & Simplicius celebris ille in ſchola Athenienſi Ariſtotelis aliquot librorum commentator, vir quidem doctus ſed Chriſtianæ religionis amarulentus hoſtis.

Supplementum XI. ad pag. 408.

Notavimus *pag. 408.* a primo Antonino Pio Imperatore per omnes provincias eſſe conſtituta profeſſoribus ſalaria. Jam tum ante autem profeſſoribus (forte tamen ſolis Romanis) perquam benignum ſeſe præbuerat Hadrianus. De illo enim cap. XVII. Spartianus: *Quamvis eſſet in reprehendendis muſicis, tragicis, comicis, grammaticis, rhetoribus, oratoribus facilis, tamen omnes profeſſores & honoravit & divites fecit, licet eos quæſtionibus ſemper agitavit. Et doctores qui profeſſioni ſuæ inhabiles videbantur ditatos honoratosque a profeſſione dimiſit.*

Cæterum *de ſalariis profeſſorum* (b) monuit quidem nonnulla etiam P. Faber in *Agoniſtici l. 2. cap. 20.* ut Pancirollus de Annonis *variar. lection. l. 2. cap. 188.* Sed omne illud exigui eſt momenti.

Quoniam porro *pag. ead.* facta eſt mentio reſtitutæ CLIVIENSIVM ſcholæ per Eumenium rhetorem, obiter obſervari poteſt; teſtari Eumenium, avum ſuum Athenis natum in eadem olim ſchola docuiſſe. Unde colligo, jam initio ſeculi Chriſtiani tertii ſcholam illam viguiſſe. Eumenium enim juſſu Conſtantii Chlori ſcholam reparaſſe, liquidiſſimum eſt ex epiſtola Cæſaris orationi ab Eumenio inſerta.

Supplementum XII. ad. pag. 409.

ROMANA ſchola publica, cujus mentio a nobis facta eſt *pag. 409.* præ aliis totius occidentalis imperii, indubie cum aliis de cauſis, tum quod ibi ſolum juris Romani ſtudia exerceri ſint ſolita, maxime floruit. *Diximus de illa* (c) latius ſingulari libro, quo illuſtravimus legem primam codicis Theodoſiani de ſtudiis liberalibus urbis Romæ & Conſtantinopolis. Sed & ejus facies ſic ſatis clare elucet ex ejusdem tituli conſtitutione Theodoſii & Valentiniani Auguſtorum, quæ in Theodoſiano codice eſt tertia in Juſtinianeo unica. Diſcere vero eſt ex illa conſtitutione etiam hoc, ſcholam illam publicam fuiſſe tum habitam in capitolio: fortaſſe tamen non veteri ſed novo Chriſtianorum Imperatorum inſtituto, poſt ſacra Capitolini Jovis antiquata. Lampridius enim ita quidem de Alexandro Severo loquitur: *Ad Athenaum, audiendorum & græcorum & latinorum rhetorum vel poetarum cauſa, frequenter proceſſit.* Sed quinam urbis locus tunc temporis *Athenæum* (d) fuerit uſurpatus, haud perinde eſt liquidum. Non enim tuto etiam credere licet Raphaeli Volaterrano qui *l. 12. geograph.* tradit, inſtitutum illud eſſe a Claudio Imperatore. Omnia autem illa multum ſunt diverſa ab antiquis moribus, quales illi fuerunt etiam ſeculo primo & ſecundo Chriſtiano: longe diverſiſſimi a conſuetudine temporum quæ ſacros Salvatoris noſtri natales anteceſſerunt.

Meretur annotari, quod Auguſtinus *l. 5.* ſanctiſſimi *confeſſionum* operis, narrans Carthagine Romam ſeſe conceſſiſſe privata opera docendi rhetoricen ergo, memorat de moribus ſtudioſorum utriusque loci. *Non ideo Romam pergere volui*, ait, *quod majores quæſtus, majorque mihi dignitas ab amicis qui hoc ſuadebant promittebatur (quanquam & iſta ducebant animum tunc meum); ſed illa erat tunc cauſa maxi-*

(a) *dictum eſt*) Vid. mea *diſſert. de jure principis circa religionem.*

(b) *de ſalariis profeſſorum*) Paulo plenius de ſtipendiis & ſalariis literariis egerunt JOH. WILH. STVCKIVS *lib. I. antiquit. conviv. cap. 19.* & JOH. CHRIST. FRID. SAGITTARIVS *diſſert. de origine ſtipendiorum literariorum* quæ poſtea cum diſſertationibus reliquis autoris in unum faſciculum collectis & ſub titulo *Otii Jenenſis*, *Jenæ* 1670. recuſis denuo in lucem prodiit, it. LIPSIVS *in Lovanio lib. III. cap. 8.* it. JOSEPHVS LAVRENTIVS *in collectione de profeſſoribus, oratoribus nomenclatoribus & literis*, inſerta *tom. X antiq. Græc. JAC. GRONOVII.*

(c) *Diximus de illa*) Egit quoque de ſtudiis Romanorum literariis in urbe & provinciis CHRIST. CELLARIVS *diſſ. pec.* CONRADVS BVDDE *de ſtudiis liberalibus apud veteres Romanos.* Addatur ALDVS MANVTIVS *in epiſtola ad Jacobonium de artibus liberalibus veterum Romanorum* quæ eſt *epiſt. 9. lib I. quæſitorum per epiſtolam* & HENRICVS STEPHANVS *l. 3. ſchediaſm. IX. p. 92. ſeqq.* it. FRANCISCVS BERNHARDINVS FERRARIVS *lib. 3. de veterum acclamationibus* cap. 1. quod agit de ſcholis Romanorum veterorum.

(d) *Athenæum*) De *Athenæo* in hanc rem conſtituto præter Lampridium meminerunt quoque AVRELIVS VICTOR & PHILOSTRATVS *in Hadriano*, CASSIVS DIO *in extremo libr. 73.* CAPITOLINVS *in Pertinace & Gordianis.* AVRELIVS VICTOR refert conditorem ejus fuiſſe Hadrianum.

maxima & pene ſola: quod audiebam, quietius ibi ſtudere adoleſcentes, & ordinatiore diſciplina coercitione ſedari, ne in ejus ſcholam, quo magiſtro non utuntur, paſſim & proterve irruant, nec eos admitti omnino niſi ille permiſerit. Contra apud Carthaginem fœda eſt & intemperans licentia ſcholaſticorum. Irrumpunt impudenter, & prope furioſa fronte perturbant ordinem, quem quiſque diſcipulis ad proficiendum inſtituerit. Multa injurioſa faciunt, mira hebetudine, & punienda legibus, niſi conſuetudo patrona ſit: hoc miſeriores eos oſtendens, quo quaſi jam liceat faciunt, quod per tuam æternam legem nunquam licebit, & impune ſe facere arbitrantur, cum ipſa faciendi cæcitate puniantur, & incomparabiliter patiuntur pejora quam faciunt. Ergo quos mores cum ſtuderem meos eſſe nolui, eos cum docerem cogebar perpeti alienos; & ideo placebat ire, ubi talia non fieri omnes qui noverant indicabant. Hæc omnia ſanctiſſimus eccleſiæ pater. Eodem libro etiam hæc habet: *Sedulo agere cœperam propter quod veneram, ut docerem Romæ artem rhetoricam & prius domi congregarem aliquos, quibus & per quos innoteſcere cœperam: & ecce cognoſco, alia Romæ fieri quæ non patiebar in Africa. Nam revera illas everſiones a perditis adoleſcentibus ibi non fieri, manifeſtatum eſt mihi. Sed ſubito inquiunt: Ne mercedem magiſtro reddant, conſpirant multi adoleſcentes, & transferunt ſe ad alium; deſertores fidei, & quibus pro pecunia charitate juſtitia vilis eſt. Oderat etiam iſtos cor meum quamvis non perfecto odio.* Etiam hæc ille. Everſionum autem ita nuncupatarum diabolicum inſtitutum jam execratus fuerat *lib. 4.* Unde liquet, etiam tunc ſcholas juvenilibus vitiis infectas, etſi non ubivis iisdem.

Supplementum XIII. ad pag. 409.

MEDIOLANI, (a) de cujus urbis ſchola verbo aliquid attigi *pag. 409.* itidem unum duntaxat fuiſſe ordinarium magiſtrum rhetorices, cumque conſtitui ſolitum a præfecto urbis (indubie quod intra limites urbicæ præfecturæ tunc Mediolanum cenſeretur) prævia tamen probatione aliqua, docent ipſamet a me laudata S. Auguſtini verba. *Itaque poſteaquam miſſum eſt a Mediolano Romam, ad præfectum urbis, ut illi civitati rhetoricæ magiſter provideretur, impertita etiam evectione publica; ego ipſe ambivi per eosdem ipſos Manichæis vanitatibus ebrios (quibus ut carerem ibam; ſed utrique neſciebamus) ut dictione propoſita me probatum præfectus tunc Symmachus mitteret. Et veni Mediolanum ad Ambroſium epiſcopum.* Hactenus Auguſtinus.

De CARTHAGINE (b) ejusque ſtudiis haud abs re fuerit addere Salviani, item Maſſilienſis presbyteri, patria autem quantum videtur Agrippinenſis, facundia & ſanctitate perquam eximii ejusdem pene tempeſtatis ſcriptoris *ex libro ſeptimo de gubernatione Dei* verba aurea. *Illic omnia officiorum publicorum inſtrumenta, illic artium liberalium ſcholæ, illic philoſophorum officina, cuncta denique vel linguarum gymnaſia vel morum.*

Scribit porro S. Auguſtinus *l. 2. confeſſionum* ſeſe a parentibus miſſum MADAVRVM, literarum atque orationis percipiendæ gratia. *Libro* item *quinto & ſexto* memorat, docuiſſe ſeſe & in patrio oppido. Vt proinde fuerint tum Africæ etiam non magnis civitatibus ſcholæ quædam oratoriæ, ac proinde & grammaticæ. Vtrum vero illæ fuerint etiam publicis impenſis habitæ, nec ne, haud dixerim.

Supplementum XIV. ad pag. eand.

Scholæ juris Romani BERYTIENSIS, (c) jam ante Diocletiani & Maximiani imperium, meminit S. Gregorius Neocæſarienſis epiſcopus: qui magnorum miraculorum patratorum dignitate *Θαυματουργὸς* cognomentum meruit. Is enim in panægyrico, quem in magiſtri ſui Origenis laudem conſcripſit, ita loquutus eſt. *ἡ τῶν Βηρυτίων πόλις, Ῥωμαϊκωτέρα πως, καὶ τῶν νόμων τούτων εἶναι πιστευθεῖσα παιδευτήριον.* Hunc vero Gregorium factum fuiſſe epiſcopum decimo Alexandri Severi anno, recte probat Baronius tomo annalium ſecundo ad annum 233. Antiquior ſcholæ illius memoria vereor ut hodie ſuperſit. Ideoque haud vana fortaſſis conjectura dixeris, *cœpiſſe illam auſpiciis ipſius Alexandri Severi* (d) Imperatoris. Is ſane ut gente Syrus ita favit illi regioni, perinde ut ante illum Heliogabalus ſive Alagabal. Simul vero cum aliis literis tum juris ſtudio impenſe fuit deditus: quo factum, ut plerique peritorum juris, e quorum ſcriptis digeſtorum libros Tribonianus conſarcinavit, ejus in aula vixerint. Quos inter cum eminuerit *Domitius Ulpianus* (e) natione & ipſe Syrus, fortaſſis hujus conſilio nova ſchola hæc legum Romanarum eſt excitata. *Metropolis tamen dignitatem civitati Beryto* (f) primi Theodoſius & Valentinianus Auguſti dederunt: ceu liquet

(a) *MEDIOLANI*) Vide de ſchola Mediolanenſi KRIEGK *diatribe de peregrinationibus Romanorum academ.* §. 69.

(b) *De CARTHAGINE*) De Carthaginenſi ſchola Chriſtianorum quæ ſec. III. floruit, vid. FRID. SPANHEIMII *oratio de auditoriis veterum.*

(c) *Scholæ juris Romani BERYTIENSIS*) JOACH. JOH. MADERVS *in epiſtola ad Conringium* in memoriam hic ipſi revocat diſſertationem JOH. STRAVCHII *de Berytho & ſchola in eadem jurisprudentiæ.* Ejusdemq; cum laude meminit ERICVS MAVRITIVS *orat. de honor. acad. orig. p.* 34. In ea autor varia de academiæ illius antiquitate, de urbis cum Tyro & Sidone ſplendore, de diſcipulorum juri addictorum ad invidiam usque Libanii rhetoris numero, de profeſſoribus Dorotheo & Anatolio, de terræ demum motu, quo concidit, aliaque ſtudioſe collegit.

(d) *cœpiſſe illam auſpiciis Alexandri Severi*) Imperante Diocletiano gymnaſium Beryti inſtitutum, idque Conſtantinopolitano antiquius fuiſſe docet PANCIROLLVS *l. c. p.* 67. ubi & de methodo agit, qua ibi quotannis jura docebantur.

(e) *Domitius Ulpianus*) Tyro oriundus, cujus vitam RVTILIVS, BERTRANDVS, PANCIROLLVS & GVILIELMVS GROTIVS deſcripſerunt. Primum cum paulo in Papiniani conſilio, deinde magiſter libellorum porro præfectus prætorio ſub Alexandro Severo, cui tam acceptus fuit, ut nihil fere ſine eo ageret ſemperque eum rogaret. SPARTIANVS *in Piſcennio nigro c.* 7. LAMPRIDIVS *c.* 15, 26, 31, 35, 67, 68.

(f) *Metropolis tamen dignitatem civitati Beryto*) Antea etiam Hadrianus precibus Pauli Tyrii, qui ad eum le-

quet ex titulo codicis Juſtinianei *de metropoli Beryto*, qui eſt viceſimus primus libri undecimi. Quarto ſeculo Chriſtiano invidendo eam urbem proſecutus eſt elogio geographiæ ille Græcus ſcriptor, quem edidit vertit & doctisſimis notis illuſtravit Jacobus Gothofredus, vir inter primos rei literariæ antiſtites numerandus. *Berytus* (ait) *urbs valde delitioſa, & auditoria legum habens, per quæ omnia tribunalia Romanorum ſtant. Ibi quippe viri educti per omnem orbem terrarum adſiſſores ſiunt, & legum peritia provincias tuentur, quibus conſtitutiones* (a) *mitti ſubinde ſolent.* Operæ fuerit pretium legiſſe quæ ad hunc locum eruditisſime ut ſemper Gothofredus annotavit. Eunapianum elogium ex ſeculo illo jam adduximus. Incidit autem in tempora Conſtantii Imperatoris. Non multo poſt Libanius *oratione 26.* conqueſtus eſt de numeroſa adoleſcentum multitudine, eloquentiæ ſtudiis poſthabitis, Berytum confluente. Unde diſcere eſt, ſcholas rhetoricas nullas ibi fuiſſe celebratas. Perinde atque nullam ibi fuiſſe ſcholam philoſophicam, facile collectu eſt ex iis quæ differuntur initio libelli Zachariæ ſcholaſtici. Ideoque non dixerim poſthac, Zachariam illum ſcholaſticum fuiſſe fortasſis rhetorem Berytium: præſertim quia *ſcholaſticus* tunc temporis fuit potius cauſarum patronus. Verba ipſamet Libanii prolixitatis vitandæ cauſa non adducemus. Ex quinto ſeculo eſt illud quod ex Zacharia ſcholaſtico adduximus. Eodem Nonnus cecinit *l. XLI. Dionyſiacorum.*

τερπνῆς
Φοινίκης κλυτὸν ἄστυ, νόμων ἕδος Αὐσονιήων,

Non terræ autem motu duntaxat everſa eſt Berytus, ſed poſt etiam incendio periit. De quo ſupereſt Græcum epigramma, quod Conradus Rittershuſius, vir incertum pietate an eruditione major, in ſuis ad Salvianum longe præclarisſimis annotatis *pag. 246.* ex anthologia adducit & ſic vertit latine.

Heu nimium infelix urbs, non urbs, lumine caſſis,
Fuſa ſolo, en, jaceo mixta cadaveribus.
Nec ſat erat, me Neptuni ſenſiſſe tridentem,
Mulciberis cladem hanc addidit ira novam,
Heu mihi, quæ pridem fueram pulcerrima forma,
Eheu jam tenui pulvere verſa jacet,
Vos quibus hac iter eſt noſtræ miſereſcite ſortis,
Beryto & lacrymas poſt ſua fata date.

Sic vero interiit celeberrima illa quondam Romanarum legum ſchola. Nec enim unquam ex eo refloruit: etſi ipſa urbs priſtinæ dignitatis haud parum poſt recuperaverit.

Quoniam vero uſi ſumus Zachariæ ſcholaſtici teſtimonio, eumque ſeculo quinto ſcripſimus floruiſſe, obiter meretur notari, perperam a Caſparo Barthio, *fine notarum ad Æneæ Gazai Theophraſtum*, illum coævum factum Ammonio Sacæ, quem ipſe tradit Commodo imperante vixiſſe. Omnia enim quæ ibi docet Barthius ſunt ἀσύστατα: & ipſemet in notis ad Zachariam *pag. 243. & 256.* demonſtrat, intelligendum eſſe non Sacam Ammonium ſed Hermeiæ filium & Zachariam Baſilio ac Nazianzeno eſſe juniorem. Ammonium vero hunc eſſe eum, ex cujus diſſertationibus ſuos in Ariſtotelem commentarios concinnavit Philoponus, liquidum eſt: non minus atque hunc Philoponum Heraclio Imperatore adhuc floruiſſe Alexandriæ. Verisſimum igitur eſt, & Zachariam hunc & Æneam Gazæum ætate fuiſſe pares ſub finem ſeculi quinti. Unum autem aliquem ſub illis nominibus latere, non equidem dixerim. Etſi enim eruditio non ſit diſpar, dictio tamen Zachariæ eſt floridior & diverſa.

Supplementum XV. ad pag. 410.

Defuiſſe Athenis grammaticos magiſtros vix eſt veriſimile. Quia illud ſtudium ab antiquis usque temporibus inter Græcos, & Marci ævo alibi pasſim, fuit celebre.

Politicam cathedram philoſophos tenuiſſe, forte non debuit dici. Sane olim, Ariſtotelis ſucceſſorum ævo, politici philoſophi audierunt illi qui erant ex Peripato. Quoniam tamen, poſt Ariſtotelis libros in lucem reductos, græcorum nemo politica Ariſtotelica illuſtravit, vero eſt ſimile, a philoſophis curam politicæ prudentiæ tandem fuiſſe alienam. Eoque præplacet, politicam cathedram fuiſſe occupatam a rhetoribus illis qui ſcholam habuerunt in cauſis generis deliberativi: cujusmodi ſunt declamationes Dionis Chryſoſtomi cumprimis & Libanii.

Hereditatis Platonicæ nomine veniſſe illa tempeſtate proventus horti Platonici, quales illi erant ſenſim aucti multorum liberalitate, per eſt veroſimile. Verba Suidæ huc pertinentia jam tum *ſupplemento ſeptimo* adduximus.

Syneſio potius credendum eſſe quam Zoſimo de Athenarum infortunio, quod ab Alarico & Gothis fuerunt paſſæ, pene vacat dubio. Syneſius enim ipſa illa vixit ætate, Zoſimus poſtea demum, homo idololatra. Sed & Claudianus ejusdem ætatis poeta magnus *l. 2. in Ruffinum* de Gothica illa in Græciam irruptione diſerte ait:

Nec fera Cecropias traxiſſent vincula matres.

Quo

gatus profectus erat, Tyrum ejus provinciæ caput fecerat, ut autor eſt *SVIDAS l. 1. c. de metr. Beryt.* Unde Phœnicia duas habuit metropoles, quemadmodum Pontica Amaſiam & Neocæſaream. Demum cum Photius Tyri epiſcopus in Chalcedonenſi concilio ſub Marciano facto conqueſtus eſſet contra Euſtachium Beryti epiſcopum, quod is ſuæ diœceſeos urbes uſurpaſſet, ea ſynodus Tyro priſtinas ejus urbes reſtituit. Vid. GVIDO PANCIROLLVS *de claris legum interpret. lib. I. c. 86. p. m. 68.*

(a) *conſtitutiones*) Vid. GOTHOFREDVS *ad l. 9. C. Theodoſ. de luſtrali conlatione tom. V. p. 13. & ad l. 19. de annona & tributis, tom. IV. p. 31.*

Quo videtur facere etiam hoc, quod ne quidem geographus ille, quem Jacobo Gothofredo debemus, Athenas celebret melioris doctrinæ ſcholarum nomine. Cum poſt autem Proclus & Marinus aliique philoſophiæ magiſtri ibi docuerint, iterum aliqua laude refloruiſſe ſcholam etiam illam philoſophicam, liquet. Idem colligere eſt ex *Theophraſti*, Æneæ Gazæi dialogi, primordio, ubi legitur, voluiſſe illuc quidem proficiſci Axitheum, non Alexandriam tamen. Cæterum Juſtiniano imperante videtur illa ſchola ſenſim una cum aliis exſpiraviſſe. Non enim ulla ejus laudatio poſt tempeſtatem iſtam usquam memoratur: etſi Procopius Cæſarienſis *περὶ κτισμάτων Ἰυςινιανῦ l. 4.* renovatam illam urbem nonnihil a Juſtiniano prodiderit.

Qualis ſuperiore ſeculo fuerit Athenarum infelix ſtatus, diſcere eſt ex Turcogræcia Cruſii pag. cumprimis 46. 95. 430. & 461. Claudemus narrationem verbis Cretenſis philoſophi doctiſſimi Danielis Furlani. Is enim in ſuis *annotationibus ad Theophraſti Ereſii librum de ſignis pluviarum & ventorum*, ad Maximum Margynium Cytheræ epiſcopum in hæc verba eſt præfatus. *In infelix illa Græcia, quæ barbaries! quæ ignavia! Felix illa ingeniorum mater & altrix, quæ literas omnibus pene populis tradidit, miſere devaſtata, barbarorum mores legesque ſuſcepit: literas autem non amiſit modo, verum & illam cœli temperiem, quæ vetera producebat ingenia, infeliciſſimam experitur. Itaque Athenis ipſis, imo in Athenarum ruderibus atque reliquiis, vix invenias qui norit legere: in tota Græcia pecudes verius eſſe dicas quam homines. Ac fuit ſane tempus, cum ſub priſcorum Palæologorum auſpiciis in Peloponneſo, ubi maxima fuit illorum Principum auctoritas, cœperunt literæ revireſcere. At Byzantio capto, Peloponneſique urbibus & captis & dirutis, eandem & illa infelicitatem experta eſt quam reliqua Græcia.*

Supplementum XVI. ad pag. 410.

In hiſce literis quondam maximus Thomas Reineſius *l. 3. variar. lection. c. XI.* Olympii archiatri facta mentione, ita ſcribit pag. 519: *Iſte quod Conſtantinopoli artes profiteretur (hoc autem erat archiatrorum) Sophiſta vocatur ab Aëtio tetr. 3. ſect. 3. cap. 29. eique tribuitur compoſitio quædam ad veſicam exulceratam.* Verum videtur eorum oblitus, quæ paulo ante & recte quidem de archiatrorum officio præmiſerat. Et vero artem medicam facere archiatri eſt, non autem docere. Nec inter Conſtantinopolitanos profeſſores receptum quenquam, qui artem medicam docuerit, liquidum eſt ex iis quæ adduximus codicis verbis. Sophiſta igitur qui Aëtio audit Olympius, aut alius fuit ab illo archiatro, aut etiam ille docuit artem medicam Alexandriæ: qui unus locus ſcholam habuit quondam ſub Cæſaribus medicæ arti conſecratam.

Supplementum XVII. ad 411. & 412.

Philologica indubie & grammatica fuerunt quæ in Alexandrino muſeo agitavit Hadrianus: non enim ultra exporrexit ſeſe Auguſti illius curioſa eruditio. Spartianus in ejus *vita cap. 19.* ita ſcribit. *Apud Alexandriam in muſeo multas quæſtiones propoſuit: & propoſitas ipſe diſſolvit.* Refert Dio *l. 77.* Caracallam Ariſtotelicis Alexandriæ abſtuliſſe una victitandi commoditates aliosque fructus, quos habebant. Quo liquet, iſthac etiam tempeſtate manſiſſe inſtitutum Philadelphi de communi victu profeſſorum quorundam in muſeo. Indubie enim Dioni ſermo eſt de muſeo, a quo Alexandri magni inſano amore furioſus, Caracalla Peripateticos excluſos voluit, ſicut florentiſſimam urbem pene excidit. Diximus jam tum de muſeo: nec iis quidquam addere utile fuerit. Legenda autem omnino ſunt, quæ Caſaubonus ad extremum librum quintum Svetonii annotavit: ubi etiam expenditur, quod a Claudio Principe novum nomine ipſius dictum veteri muſeo fuerit additum. Quæ autem geographus ille Gothofredi narrat de certamine inter Græcos & Ægyptios, utris debeatur merito primus in muſeo locus, fabuloſa arbitror & memoratu indigna: arguunt autem, niſi fallor, auctorem illum fuiſſe gente non Græcum ſed Ægyptium. Notiſſimum videlicet eſt, *colonias Græcas longo doctrina intervallo ſuperaſſe originarios Ægyptios*, (a) & plurimis a me monſtratum *primo Hermeticorum libro.*

Quæ de Hypſiclis ætate diximus multum abſunt quidem ab iis quæ habet incomparabilis Voſſius *libro de ſcientiis mathematicis c. 54* conjicit enim ætatem Hypſiclis in tempora Ptolomæi Latyri, ſed levi argumento. Quaſi nempe Iſidorus, laudatus Hypſiclis magiſter Latyro fuerit coævus. Quis credat autem, jam Latyri ævo Apollonium habuiſſe ſuos in ſchola interpretes? Sed & Eutocii ætatem incertam eſſe docuit Voſſius: quam nos certo definivimus.

Ad ſecularia porro ut vocantur & vere ſacra ſtudia Alexandrina reſpexit Gregorius Nyſſenus *libro contra Apollinarium* ſcribens: *ὐ μόνης ἐςὶ κοσμικῆς σοφίας εὔφορος ἡ μεγάλη τῶν Ἀλεξανδρέων πόλις, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀληθινῆς τῆς ὄντως σοφίας παρ' ὑμῖν ἐξ ἀρχῆς βρύυσιν αἱ πηγαί.* Idem in *vita Gregorii Thaumaturgi* indicat, ſua ætate ad philoſophiam & medicinam diſcendam undique juvenes concurriſſe. *εἰς ἣν (τὴν μεγάλην τῦ Ἀλεξάνδρυ πόλιν) καὶ ἡ πανταχόθεν συνέῤῥει νεότης, τῶν περὶ φιλοσοφίαν τε καὶ ἰατρικὴν ἐσπυδακότων.* Gregorius Nazianzenus illa, qua Cæſarium fratrem defunctum laudavit, oratione Alexandriam appellat *παντοίας παιδεύσεως καὶ τότε καὶ νῦν ὖσαν καὶ δοκῦσαν ἐργαςήριον.* Quanta Alexandriæ quondam fuerit medicorum chirurgorumque frequentia, indicat illud in *prologo mythologiæ* Fulgen-

(a) *colonias Græcas longo doctrina intervallo ſuperaſſe originarios Ægyptios,*) i. e. Græcos quidem nonnulla, quæ ad religionem, magiam, leges civiles & matheſin ſpectant, didiciſſe ab Ægyptiis, ſed hoc non ita intelligendum eſſe, quaſi illarum rerum nihil ipſis antea notum fuerit, ſed quod exterorum curioſi ea quoque pernoſſe voluerint, iisque poſtea ſua corruperint, vel eadem meliora accedente ſtudio reddiderint, vid. *l. c. c. 13.* ſecus atque alii ſtatuunt, qui rudes omnino antea Græcos fuiſſe exiſtimant, antequam ſcientiam & artes ab aliis populis hauſerint.

Fulgentii ſcriptoris cæteroquin pretii exigui. *Inveniebat animus quibus inter bella arrideret, niſi me etiam exinde bellis crudelior Galeni curia excluſiſſet: quæ pene cunctis Alexandriæ ita eſt inſerta angiportis, quo chirurgica carnificinæ laniola pluriora habitaculis numerentur.*

Quantumvis autem ita ſeculo quarto ſtudii omne genus Alexandria floruerit, *fine tamen ſeculi quinti multum priſtinæ laudis jam perdidit.* (a) Manifeſtum illud eſt ex iis, quæ habentur circa initia ejus dialogi, quem *Theophraſtum* inſcripſit Æneas Gazæus. Adducemus inde nonnulla, qualia vertit Caſpar Barthius. Ibi ſcilicet Axitheus advena Alexandrinus ita compellat Aegyptum, hominem Alexandrinum, *Sed dic mihi, ſuperſuntne apud vos* (Alexandriæ) *qui philoſophiæ arcana perinde enarrent, uti noſter Hierocles, & e juventute generoſi cordatique auditoria diſcentium frequentant, qualem memineris Protagoram illum Lycium* (fortasſis autem ita appellat Proclum Lycium ſuum quondam condiſcipulum) *ætate mihi æqualem ſpecie vero ingenioque ſuperiorem? Ægyptus reſpondens: Olim pulcherrimum rerum erat ſtudium, nunc omnia id genus paſſim evanuerunt. Qui nomina tabulis ſtudioſorum dederunt, abhorrent doctrinam: cujus erat docere, nihil præter ſupercilium doctoris habet, cætera vel docendis rudior. In circo & theatris juventus habitat; frigent liberalium ſubſellia artium, magna vaſtitate horrent philoſophorum ſcholæ.* Docuit tamen ibi, ſi non jam tunc paulo certe poſt, magna doctrinæ laude Ammonius: ex cujus publicis diſſertationibus ab Joanne Philopono & Olympiodoro conſcripti ſunt eximii Ariſtotelicorum aliquot librorum commentarii.

Cæterum de Alexandrinorum omnibus rebus fuerit pretium legiſſe, quæ magno ſtudio ad Zachariam a pag. 285. usque 296. Barthius, atque ad XVIII. cap. ſui Geographi Jacobus Gothofredus, congeſſerunt.

Supplementum XIIX. ad pag. 413.

Per ſane videtur ſimile vero, id ipſum quod Zonaras habet de ſubtractis a Juſtiniano ſubſidiis ſive ſalariis profeſſorum, ex Procopii Ἀνεκδότοις acceptum eſſe. Illa enim Ἀνέκδοτα fuiſſe in manibus Zonaræ, multis eſt indiciis manifeſtum. Certo tamen equidem haud aſſeveraverim, quoniam utriusque narratio non omnino eſt eadem. Verba Zonaræ Latine verſa adduximus. Iis jam adjungemus Procopiana, Græce ut & Latine a nobis reddita (Alemanni verſio enim nimis ſibi indulget) quo posſit inſtitui comparatio. Igitur cum a Juſtiniano cauſidicos Byzantii fuiſſe everſos dixiſſet, pergit Procopius etiam de medicis & profeſſoribus, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἰατροὺς τε καὶ διδασκάλους τῶν ἐλευθερίων τῶν ἀναγκαίων στερεῖσθαι πεποίηκε. Τάς τε γὰρ σιτήσεις, ἃς οἱ πρότεροι βασιλεύοντες ἐκ τοῦ δημοσίου χορηγεῖσθαι τούτοις δὴ τοῖς ἐπιτηδεύμασιν ἔταξαν, ταύτας δὴ οὗτος ἀφείλετο πάσας. Paulo poſt. καὶ οὔτε ἰατρῶν τις ἢ διδασκάλων τὸ λοιπὸν ἐγένετο λόγος. *Sed & medicos ac liberalium ſcientiarum profeſſores iis quæ vitæ ſunt neceſſaria carere fecit. Annonas enim, quas priores Reges ex ærario in hos uſus præbere conſtituerant, hic ſubtraxit omnes. Ideoque impoſterum nulla fuit ratio medicorum aut profeſſorum.* Hæc habet hiſtoria illa Ἀνέκδοτος: nulla hic quidem facta mentione ſive nimii ædificandi ſtudii, ſive Præfecti alicujus, quod tamen fit apud Zonaram. Vt proinde Zonaras alium forte auctorem fuerit ſecutus.

Haud diſſimulabo tamen, in ipſa illa *arcana* aut *occulta hiſtoria* alibi inter cauſas rapinarum, quarum Juſtinianus accuſatur, reprehendi etiam ædificandi inſanum amorem, & quorundam præfectorum φιλαργυρίαν: quæ tamen non omni ex parte Zonaræ narrationi conveniunt. Fortaſſis vero & de fide ejus quod Juſtiniano impingitur criminis, haud injuria dubitaveris. Etenim τῶν Ἀνεκδότων ſcriptori haud fas eſt ſecure credere: quoniam exemplo carent illi commentarii, Procopius autem ſi iſthæc ſcripſit, fuerit utique ille ingenii maligni & proinde indignus fide. Adhoc in codice Juſtinianeo longe alia legere eſt titulo *de medicis & profeſſoribus*, ut & *de profeſſoribus urbis Romæ ac Conſtantinopolis, alibique.* Verumtamen ſæpenumero & leges non obſervantur: neque ex legibus quænam fiant, ſed fieri debebant, poteſt, fateor, accipi.

Fortaſſis ſane ob ſubtracta profeſſoribus ſtipendia in Perſiam Juſtiniano imperante commigraverunt præſtantiſſimi ejus ætatis philoſophi, Damaſcius Syrus, Simplicius Cilix, Eulalius Phryx, Priſcianus Lydus, Hermejas & Diogenes Phœnices, Iſidorus Gazæus: quod iter memorat *Svidas voce* πρέσβεις. Niſi id contigiſſe malis, ob irruptiones Scythicarum gentium, quæ iſthac tempeſtate Græciam, ubi hi philoſophi vixerunt, fœde ſunt populatæ.

Id certum eſt, nullius liberalium diſciplinarum profeſſoris, in quem Juſtinianus fuerit beneficus, mentionem fieri: nec a quoquam munificentiam illius principis in literas & literatos laudari: ex adverſo illa circiter tempeſtate paſſim terrarum ſtudia meliora concidiſſe.

Prius vero quam hunc de ſalariis profeſſorum ſubtractis locum deſeramus, monendum videtur: illa quæ *ſupplemento VII.* ex Suida adduximus, de privatis, in uſum philoſophiæ profeſſorum, Athenis nomine Platonicæ hæreditatis inſtitutis bonis, ut complura alia eſſe deſumpta ex *vita Iſidori* a Damaſcio conſcripta. Leguntur enim eadem in excerptis illius libri, quæ Photius reliquit tmemate ducenteſimo quadrageſimo ſecundo. Quia pleniora & planiora ſunt illis Svidæis, adferemus etiam hæc in medium, & quidem ſua lingua. ἡ τῶν Διαδοχῶν οὐσία οὐχ ὡς οἱ πόλλοι νομίζουσι Πλάτωνος ἦν τὸ ἀνέκαθεν, Πένης γὰρ ἦν ὁ Πλάτων, καὶ μόνον ἐν ἀκαδημίᾳ ἐκέκτητο κῆπον, οὗ ἡ πρόσοδος νομισμάτων τριῶν. ἡ δὲ τῆς οὐσίας ὅλης χιλίων ἢ καὶ πλειόνων ὑπῆρχεν ἐπὶ Πρόκλου, πολλῶν τῶν ἀποθνησκόντων χρήματα

(a) *fine tamen ſeculi quinti multum priſtinæ laudis jam perdidit.*) Muſeum Alexandriæ jam ſec. 3. poſt Chriſtum natum ultima fata ſua, cum Aurelio imperante urbs dirutis mœnibus maximam regionis ſuæ partem, quæ Bruchion appellabatur, amitteret, expertum fuiſſe videtur. Schola interim Alexandriæ Chriſtianis ſcriptoribus memorata ſuperſtes manſit, donec fine ſeculi quinti exſpiraret.

(b) *Suidas voce* πρέσβεις) Vid. *ſupplem. X, ſub fin.*

χρήματα τῇ σχολῇ καταλιμπανόντων. Hanc porro ſubſtantiam ſucceſſionis Platonicæ itidem a Juſtiniano fuiſſe ſubtractam, haud memoratur quidem in excerptis; forte tamen quia nondum contigerat. Et vero ſcripta eſt illa Iſidori vita ante Juſtiniani tempora. Legitur enim in iiſdem excerptis de Balamire uno Attilæ aulicorum, corpus ipſius ſcintillaſſe, illumque patrem fuiſſe ejus Theodorici, *ὃς νῦν τὸ μέγιστον ἔχει κράτος Ἰταλίας ἁπάσης*: quibus verbis ſignificari Theodoricum Oſtrogothorum Regem, manifeſtum eſt.

Supplementum XIX. ad pag. 414.

Qualis fuerit eruditio Sarracenorum ante Muhamedem, ex iis, quæ jam tum attulimus *ſupplemento quinto* conſtat. Nec vero eſt quod aliter ſentire nos faciant *Locmanni quæ feruntur fabulæ* (a) Sunt enim quidem illæ vetuſtiores, arguuntque aliquam humanæ vitæ rerum prudentiam: ſed illam etiam nos Arabibus iſtis haud denegavimus, & fuit illa ſcribendi ratio antiquo ævo familiaris. Sed & a Gregorio Abul Pharaji celebratur *pag. 99.* Hared Ebn Chalda: quo medico uſus fuerit ipſe feliciſſimus pſeudoprophetarum Muhameth: verum ille alibi artem didicit non in Arabia, teſte eodem Gregorio. *Si ea porro eſt Arabiſmi elegantia in Alcorano quam nonnulli prædicant* (b) (forte tamen nullo idoneo inſtructi argumento: Vnde enim noſcas lingvæ illius puritatem, quoniam cum antiquioribus Mahumete Arabum ſcriptis inſtitui comparatio non poteſt?) ad doctrinæ vim tamen probandam, nihil facit. Enimvero quod Abul-Pharai ſcribit *pag. 104:* in defectu miraculorum ſui prophetæ, *Iſmaelitarum doctos* ad prophetiam Mahumetis confirmandam *inniti magis uni Alcorano; in quo hoc ipſum pro miraculo habeant, quod cum conati ſint eloquentiſſimi quique ei par aliquid elaborare, ne capitulum quidem unum ipſi conferendum proferre potuerint*: id ſtupidam ſuperſtitionem arguit, confutationem haud meretur.

Quæ ex Leone notavimus de melioris cujusque doctrinæ libris antiquis, ſive Græcis, ſive Latinis, a ſuperſtitioſis Arabibus per Africam abolitis, ſerius nonnihil contigerunt. Verba enim ejus ſunt. *Eo tempore quo a Bagadadi Pontifice deficientes rerum in Africa potiebantur Arabes, omnes Afrorum libros igni committi juſſerunt. Sic enim perſuaſum habebant, quamdiu penes Africæ incolas eſſet aliqua naturalis ſcientia aut bonarum diſciplinarum cognitio, fore ut ſuperbia eos indies ad tumultum atque ad Mahumethicæ legis contemptum magis ac magis provocaret.* Idem paulo poſt de Perſarum literis & ſcriptis ait: *Nonne idem & Perſis, dum adhuc ſtaret Arabum imperium, accidiſſe legitur? Certiſſime conſtat, hos quoque literas, quas ſibi peculiares habent, amiſiſſe: omnesque illorum libros Pontificum Mahumedanorum juſſu igne conſumptos: ne quid rerum phyſicarum cognitio aut idolorum leges Mahumeticæ detraherent dignitati.* Horum primum quod de libris per Africam combuſtis ſcribitur, ſi Leonis volumini credamus, contigit demum anno circiter Hegiræ quadringenteſimo, atque adeo poſt Chriſti annum milleſimum, ætate nempe Elcaini Chaliſæ Ægyptii Schiſmatici. Fortaſſis autem mendoſus eſt ille Hegiræ numerus, idque non tam Leonis quam librarii culpa. Pridem certe antehac id factum Alexandriæ (quæ urbs ipſo etiam Mahumete vivo præ aliis abundabat adhuc quadam & librorum & doctorum copia) juſſu Omaris Chaliſæ, ejus qui Heraclio adhuc imperante pſeudoprophetæ ſucceſſit ſecundus, obiitque anno Chriſti 643: quando in Africam nondum penetraverant Arabum arma. Operæ facturus forte ſum pretium, ſi attulero, quod Gregorius Abul-Pharaji huc ſpectans narravit *pag. 116.* de Joanne Grammatico alias Philopono dicto Alexandrino profeſſore, & Amro, quo duce Omar Ægyptum occupavit. Prolixiuſcula enim utut videri poſſint, lectu tamen ſunt digniſſima. Scribit igitur in hunc modum, vertente Arabica Eduardo Pocockio. *Hoc tempore claruit inter Muslemios Joannes, quem vocamus nos Grammaticum: qui & Alexandrinus fuit, fidemque Chriſtianorum Jacobiticorum profeſſus Severi doctrinam adſtruebat, deinde receſſit ab eo quod profitentur Chriſtiani de Trinitate. Quare convenientes eum Epiſcopi in urbe Meſra rogarunt, ut ab eo quod profitebatur rediret; cumque redire nollet, eum de gradu ſuo dejecerunt. Vixitque donec caperet Amrus Ebno'l As Alexandriam, & ad Amrum acceſſit. Qui, cognito quem in ſcientiis locum teneret, honore ipſum affecit, audiitque de ſermonibus ejus philoſophicis, quibus aſſueti non fuerant Arabes, quod eum ad ſtuporem redigeret, quoque percelleretur. Fuit autem Amrus intellectu præditus, ad*

res

(a) *Locmanni quæ feruntur fabulæ.*) Locmannus Baoræ filius homo per ſe deſpectus ob corporis formam, Æthiops fuit, oſtendente JOBO LVDOLPHO *in comment. Æthiopico* THOMAS vero ERPENIVS, qui fabulas quasdam Locmanni edidit, in præfatione annotat, quod Arabes eum ut natione Perſam & religione Judæum deſcribant. HOTTINGERVS *in hiſt. orient. pag. 66.* conjicit, eundem ipſum Æſopum fuiſſe, idque ex nomine, cognomine, ætate & ſcriptis, quæ cum Locmanno conveniunt, probat. Sequitur hunc MAROCCIVS *ad Sur. Alcorani 31.* quæ dicitur Sura Locmanni, cujus verſionem cum notis JACOBI GOLII exhibet PFEIFFERVS *theol. Mohamm. p. 960.* Atque ita etiam judicat HERBELOT *in bibliotheca orientali pag. 516.* ubi & mira de illo ex Arabum ſcriptis refert narrantibus, quod tempore Davidis natus per trecentos fere annos vixerit, item quod a Deo per Angelos miſſus tanquam Prorex orbis terrarum declaratus, hunc vero honorem poſtea deprecatus obtinuerit, ut ſummo ſapientiæ munere mactaretur, dignusque haberetur, qui homines parabolis & ſententiis inſtitueret.

(b) *Si ea porro eſt Arabiſmi elegantia in Alcorano quam nonnulli prædicant*) De ea HERBELOT *in biblioth. orientali pag. 87. les Alcoraniſtes, ou gens attachez a la lettre de l'Alcoran ne trouvent rien d'excellent, ni d'eloquent hors ce libre. Ils pretendent, que Lebid un des plus illuſtres poetes des Arabes ſe rendit a la ſeule lecture de deux ou trois verſets du ſecond chapitre de ce libre, qu'il croyoit etre inimitables dans leur ſtyle. Les interpretes de l'Alcoran diſent tous unanimement, que la paſſage de plus eloquent de tout ce libre eſt celui, qui eſt couche au chapitre Houd ou Dieu pour faire ceſſer de deluge, dit ces paroles. Terre englouti tes eaux, ciel puiſe celles. que tu as verſe, l'Eau s'ecoula auſſi tot, le commendement de Dieu fut accompli, l'arche s'arreta ſur la montagne & on entendit ces paroles. Malheur aux mechans.* Nec minus SAMVEL BOCHARTVS *in epiſtola ad Capellum plinum pag. 855. omnes in univerſum excellentiores Arabum libri perpetuo ad Alcoranum alludunt, qui in ſtylo eſt tanto terſior, quanto in doctrina impurior & abſurdior.*

res percipiendas promptus, conceptibus claris; adhæſit ergo illi, neque ab eo diſceſſi. Deinde die quodam dixit illi Johannes: Circumiviſti tu omnia Alexandria repoſitoria, omniaque rerum genera qua in iis reperiuntur obſignaſti, quod ad illa igitur, qua tibi profutura ſunt, nolo tibi contradicere, at qua nulli tibi uſui futura ſunt, nobis potius convenient. Dixit illi Amrus: Quid eſt quo opus tibi ſit? Dixit illi: Libri philoſophici, qui in gazophylaciis (bibliothecis) Regiis reperiuntur. Hoc, inquit Amrus, eſt de quo ſtatuere non poſſum; Illud (petis) de quo ego quid in mandatis dare non poſſum, niſi poſt veniam ab Imperatore fidelium Omaro Ebno'l chattab impetratam. Scriptis ergo ad Omarum literis notum ei fecit, quid dixiſſet Johannes. Perlataque ſunt ad ipſum ab Omaro litera, in quibus ſcripſit. Quod ad libros quorum mentionem feciſti: ſi in illis continetur quod cum libro Dei conveniat, in libro Dei (eſt) quod ſufficiat abſque illo; quod ſi in illis fuerit quod libro Dei repugnet, neutiquam eſt eo (nobis) opus, jube igitur e medio tolli. Juſſit ergo Amrus Ebno'l As diſpergi eos per balnea Alexandria, atque illis calefaciendis comburi. Ita ſpatio ſemeſtri conſumpti ſunt. Audi quid factum fuerit & mirare. Hæc omnia Abul-Pharaji. Vnde diſcimus, quo tum animo in philoſophiam & meliores quasque literas fuerint ſuperſtitioſi Arabes, quamque miſere tum perierit theſaurus ille librarius Alexandriæ hactenus ſuperſtes.

Perinde vero atque Sarracenorum in libros ſævitiam & ruditatem egregie narravit nobis Abul-Pharaji, ita mirifice, illa etiam quæ de Maimone Chaliſa diximus, illuſtrantur iis quæ idem memorat *pag. 160.* Quapropter illa quoque non poſſumus non hic integra dare, quamvis itidem fortasſis nonnihil ſint prolixiora. Verba hæc ſunt verſionis Pocockianæ. *Ait Alkadi Saed Ebn Ahmed Andaloſenus. Arabes initio Islamiſmi haud aliis curam impendiſſe diſciplinis quam lingva ſua peritia, legisque ſua conſtitutionum ſcientia, excepta arte medica, qua aliquibus eorum nota nec pluribus improbata fuit, quod ea hominibus univerſim opus ſit. Atque hic Arabum ſtatus fuit ſub Ommiadarum imperio. At ubi Deus Hashemidas ad imperium evexit, & ad ipſos regnum tranſtulit, reverſi ſunt animi ab incuria ſua & experrecti intellectus a deliquio ſuo. Primus autem eorum qui ſcientiis operam dedit fuit Chaliſa ſecundus Abu Jaafar Almanſur, qui præterquam quod legis peritia excelluit philoſophia etiam ſtudio incubuit ac præcipue aſtronomia. At ubi devolutum eſt inter ipſos imperium ad Chaliſam ſeptimum Abdallam Al Mamunem Harunis Al Rashidi filium, perfecit ille quod orſus fuit avus ipſius Al Manſur, & ſcientiam locis ſuis quærere aggreſſus, cum Græcorum Regibus intercedens, petiit ab illis, ut qui apud ipſos eſſent libros philoſophicos ad ipſum mitterent. Qui cum ad ipſum quos haberent miſiſſent, conquiſitis ille interpretibus peritis eos ipſis accurate vertendos impoſuit. Cumque qua fieri potuit diligentia verſi eſſent, homines ad eos legendos incitavit, eorumque perdiſcendorum deſiderium ingeſſit, ipſeque doctis vacare & eorum diſputationibus intereſſe (ſolitus,) & eorum diſſertationibus delectari. Cum ſciret doctos eos eſſe quos ſibi Deus e creaturis ſuis ſelegit, & e ſervis proprios vendicavit; utpote qui ſtudium ſuum adhibuerint ad virtutes anima rationalis acquirendas, abſtinentes ab eo cui præcipue inhiant Sinenſes & Turca, quique eorum veſtigiis inſiſtunt, ut peritia artium mechanicarum excellant, gloriamque captent ex iis qua anima iraſcibilis propria ſunt, ut potentiis concupiſcibilibus emineant.* Etiam hactenus Abul-Pharaji.

Faciunt huc etiam illa quæ J. Leo refert de Mamone *libro de vitis philoſophorum Arabum*, quem ex bibliotheca Florentina erutum primus edidit Hottingerus, & *bibliothecario* ſuo inſeruit. Ibi enim de Joanne Meſue Chaldæo diſſerens hæc etiam narrat. *Tunc Mamon deſiderio immortali deſiderabat intelligere antiquorum ſcientias; quoniam tunc nulla erat ſcientia Arabice deſcripta; adeoque dictus Mamon congregavit ingentem numerum doctorum diverſarum lingvarum, & interrogavit auctorum nomina, atque librorum, qua ſcripta fuerunt in artibus, lingva Græca, Perſica, Chaldaa atque Ægyptia, adeoque multa eorum nominata ſunt volumina. Miſit tunc multos ex familiaribus ſuis in Syriam, Armeniam, atque Ægyptum, ut illos emerent libros: de quibus ſarcinas infinitas & tulerunt, & conduxerunt. Tunc ſegregati ſunt boni & utiles: ſicut in medicina, in phyſica, in aſtronomia, in muſica, in coſmographia, & chronica, deſcriptis. Et poſuit ſupra traductionem lingva Græca Joannem filium Meſuah prædictum, quoniam in illo tempore Chriſticola Græcis ſtudebant literis. Poſuit etiam ſupra traductionem Græcam alios quamplures ſub eodem Joanne: & ſupra lingvam Perſicam Maham dictumque Meſuah. Qui traduxerunt librum Galeni in medicina; poſt qua omnia opera Ariſtotelis Arabice traduxerunt, multis etiam aliis magiſtris auxiliantibus.* Hæc Leonis addidiſſe de Mamone, nunc ſufficiat. Congesſit enim quædam etiam huc pertinentia incomparabilis Hottingerus in *hiſtoria ſeculi IX*, verum illa ibi facile reperiri & majore cum fructu ſuo loco legi poſſunt.

Igitur Ommiadibus Chaliſatum adminiſtrantibus, nullam inter Muslimos quos appellant ſcientiarum curam fuiſſe, certum eſt. Et vero ad interitum omnis priſcæ doctrinæ Græcorum non potuit non vergere illud quoque Walidi Chaliſæ edictum, cujus Abul-Pharajus *pag. 129.* ita meminit. *Chriſtianorum ſcribis ne amplius Græce ſed Arabice libros exararent, interdixit.* Obiit autem ille Walid anno Hegiræ nonageſimo ſexto, qui Chriſti eſt ſeptingenteſimus decimus quartus. Fortasſis tamen hoc edictum maxime ſpectavit ſcribarum illud genus, quos Notarios nuncupamus. Et vero Landulphus Sagax, tempora Juſtiniani Rhinotmeti enarrans, ſcribit *prohibuiſſe* Vlid ſive Walid Chaliſam Syriæ (adhuc ſcilicet Regia ſede Damaſci hærente) *ſcribi Græce publicos Logothesii codices, ſed in Arabicis annotari ſine computo: quoniam,* ait ille, *impoſſibile eſt illorum lingva monadem vel dualitatem aut trinitatem, aut octo & dimidium & tria ſcribi: propter quod & usque hodie ſunt Notarii Chriſtiani.* Verum huc Landulpho vix poteſt credi. Non enim quod addit de notis numerorum ignoratis Sarracenicæ genti, meretur fidem, *quia Zifra quibus hodie nos vulgo utimur Arabicum eſt inventum.* (a) Niſi forte illas

(a) *quia Zifra quibus hodie nos vulgo utimur Arabicum eſt inventum*) Variæ hac de re eruditorum ſunt ſententiæ. Sunt qui ſtatuunt Ciſras noſtras potius Indicas eſſe, quibus demum recentiores Arabes uſi fuerint; quorum ſententiæ aſ-

illas etiam ipſi Arabes initio ignoraverint, & denique, jam renatis ſub Abaſidis ſcientiarum mathematicarum ſtudiis, poſt Landulphi aut ejus græculi unde hæc ille hauſit ævum, in uſum communem receperint. Quicquid ſit, librum ullum Græce a ſeculo usque ſeptimo, atque adeo poſt illud Walidi edictum in terris Sarracenici imperii ſcriptum eſſe, nullo hactenus fuit indicio probatum. Par eſt ratio librorum latinorum per Africam. Nec vero ullus hodie ſupereſt ſcriptor latinus Africanus recentior irruptione Sarracenica in Africam. Quod ſi etiam fas eſt credere Joannis Leonis narrationi, ſuo jam tempore per annos nongentos, ſolos Arabicos literarum characteres in Africa obtinuiſſe, utique a primo usque exordio Islamismi in iis terris latina quævis ſcriptio abolita eſt. Vixit enim Leo ſedente Papa Leone decimo, ab illo nomen utrumque conſecutus in baptismo, poſt tamen, ut canis ad vomitum, ad Muhamedis ſacra reverſus.

Ommiadum porro Chaliſatum imperium duravit ad annum usque Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum nonum: quo primus Abu l'Abbas Chaliſatum ſuſcepit, atque ad poſteros Abbaſidas ſive Hashemidas propagavit. Manſur præterea, qui inter Abbaſidas primus fertur faviſſe nonnihil ſcientiis, Chaliſatum aggreſſus eſt demum anno Chriſti DCCLIV, & Bagdadum cœpit condere octavo poſt anno, mortuus anno DCCLXXIV. Hactenus igitur, & usque ad Mamonem, adeoque ad ſeculum Chriſtianum nonum, duravit inter Arabes, ob imperantium ruditatem, etiam inter omnes alios ſubditos eorum, tantum non ſpiſſa barbaries: quantumvis aliquis literatorum amor in Manſore & Arone Raſiido fuiſſet reſuſcitatus.

Non tantum vero celebris eſt fama inſtitutæ cura Almamonis bonæ doctrinæ, ut & dimenſionis terræ, ſed etiam obſervationum ſideralium. Memorat ſane & illas Gregorius Abul-Pharaji *p. 161.* hisce verbis. *Cum vellet Almamum ſtellarum obſervationes fieri, ipſum* (Almanſurem) *aliosque complures obſervationum & inſtrumenta conficiendi peritos illud facere juſſit: qui illud praſtiterunt in loco Sebmaſia dicto, in provincia Bagdadenſi, & in monte Caſio prope Damaſcum.* Eſt autem & frequens laudatio illarum obſervationum in ſcriptis aſtronomorum ſequioris tempeſtatis, Arabibus pariter & latinis, fere non minus atque poſt cœpit tabularum Alphonſinarum gloria.

Inter eos porro libros quos de Græco verti fecit Arabice AlMamon Chalifa, fuiſſe etiam Ptolomæi Almageſtum, docet ex manuſcripto codice latino Almageſti Jacobus Chriſtmannus vir eximie mathematicarum rerum peritus, deque iis præclare meritus, *libro de connexione annorum* cum Alfragani elementis edito *pag. 471.* Ibi enim hæc verba fuiſſe notata. *Liber hic pracepto Mamonis regis Arabum, qui regnavit in Baldach, ab Abbazez filio Joſephi filii Maire arithmetici, & Sergio filio Elbe Chriſtiano in anno XII. & CC ſecta Saracenorum translatus eſt.* Abul-Pharaji quoque notavit *pag. 4.* tempore Mamonis verſos eſſe Arabice Apollonii Conicorum libros ſeptem, etſi octo ſint ab ipſo Apollonio ſcripti. Neutiquam vero credendum eſt cum nonnullis, omnes Græcos libros qui Arabice ſunt verſi, iſthac una tempeſtate translatos eſſe. Etenim etiam ab ipſomet Abul-Pharagio varii interpretes celebrantur, qui multo poſt demum vixerint. Quin tamen iſthoc ævo plurimi ſint verſi, non dubitamus.

Obſervari hic obiter meretur: Græcos quidem & Syriacos libros Arabice verſos paſſim narrari, *latinum autem nullum a quoquam.* (a) Non enim me fugit quidem, Leonclavio fuiſſe perſuaſum, Juſtinianeum codicem Arabice verſum; non dubito autem fuiſſe viro præclariſſimo impoſitum: quoniam quo tempore ſub Abaſidis libri Arabice verti cœperunt, ne Conſtantinopoli quidem codicis Juſtinianei latini ulla fuit auctoritas, ullus in foro uſus, forte nec exemplar aliquod ſaltim in vulgi manibus; unde & Baſilicorum editio ſimiliumque librorum tunc fuit neceſſaria.

Lectas quoque hiſtorias Africæ latinas Arabicis ejusdem terræ ſcriptoribus, tradit quidem & Joannes Leo, ſed ita ut haud obſcure ſignificet, ilas latinas non eſſe integre in Arabicum ſermonem verſas.

cedere videtur *GEORGIVS OTHO in ſynopſi inſtit. Arab. p. 5.* Alii easdem Græcæ originis eſſe arbitrantur, inter quos eſt *HVETIVS demonſtr. evangel. pag. 294.* ubi, numeri noſtri, inquit, ſunt meri græcorum characteres a librariis Græcæ linguæ ignaris interpolati & diuturna ſcribendi conſuetudine corrupti. Nam 1 apex fuit ſive virgula nota μονάδος. 2 eſt ipſum β extremis ſuis truncatum. γ ſi in ſiniſtram partem inclinaveris, & cauda mutilaveris, & ſiniſtrum cornu ſiniſtrorſum flexeris, fiet 3. Res ipſa loquitur 4 eſſe Δ cujus crus ſiniſtrum erigitur κατὰ κάθετον & infra baſin deſcendit, baſis vero ipſa ultra crus producta eminet. 5 ſimile eſt ε ἐπίσημον βαῦ quod ita notabatur ϛ peperit 6 rotundato ventre, pede defracto. Ex ζ baſi ſua mutilato ortum eſt 7. Si η inflexis introrſum apicibus in rotundiorem formam mutaveris, exſurgit το 8. At 9 ipſiſſimum eſt ϑ. o denique in 10 punctum primum videtur fuiſſe ad decuplicem præcedentis notæ valorem deſignandum apponi ſolitum, quod ut magis appareret & inſignius fieret, circumducto in circulum calamo ſpatium inane properantia primum, deinde conſuetudine relictum eſt. Hinc Arabes & Perſæ notam hanc non circuli tantum figura, ſed puncto etiam craſſiore exprimunt, quam & *Tsefar* vocant, unde Cifra, quod vulgus ab Ebraico *Sephar* derivat. Cæterum cum Conringio aliisque, qui Cifras noſtras mere Arabicum inventum eſſe ſtatuunt, facit & *VOSSIVS tr. de ſcientiis mathematicis*, qui in hoc ſaltim, ait, ab Arabibus abimus, quod illi punctum pro o uſurparint, nos autem o maluimus quia puncto apud nos ſententiæ finiuntur. Imo *STEPHANVS LE MOYNE in variis ſacris p. 800.* literas alphabeti Arabici cum Cifris noſtris comparat, rationem autem cur ordo literarum apud Arabes turbatus ſit, nullam niſi quæ caſu & fortuito contigerit, cum Grævio affert, quamvis *MEGISERVS inſtit. grammat. lexico Turcico præfixis c. 2.* id in odium nominis Jehovah factum eſſe arbitretur. Numeri enim apud Arabes exprimuntur quidem literis, uti apud Ebræos, ordine tamen a moderno eorum alphabeto diverſo. Quicquid hujus ſit, multa nos Arabum inventis debere certiſſimum eſt, ad quos & *HVETIVS* ipſe *de fabulis Romanenſibus p. 14.* artem verſuum ſimili ſono concludendorum ſive rythmicam refert, idque inde poſſe evinci exiſtimat, quod hoc verſuum genus in Europa non viguerit, antequam Tariſus & Muza in Hiſpaniam irruperint.

(a) *latinum autem nullum a quoquam*) Vide tamen *MORHOFIVM de Patavinitate Liviana p. 4.*

verſas. Sic enim ille *l. 1.* loquitur: *Nullum habent Arabes de rebus Africanis hiſtoriam, quæ non fuerit prius latine deſcripta. Auctores habent antiquos quoſdam, qui partim Arrianorum temporibus ſcripſerunt, partim etiam qui ante ea tempora fuerunt: quorum omnium nomina memoriæ exciderunt. Illorum autem volumina permultos continere libros, credibile eſt. Cum enim horum interpretes nobis quid perſuadere vellent, id ſeptuageſimo haberi libro ex illis me audiſſe memini. Neque in vertendis jam dictis voluminibus autoris ordinem ſunt ſecuti, ſed ſumpta alicujus principis hiſtoria, tempora illa cum Perſarum regum, aut Aſſyriorum, aut Chaldæorum, aut Iſraelitarum temporibus connexa maluerunt.* Si Leonis ſane huic narrationi credendum, haud ſupereſt hodie Livii aliorumque hiſtoria ex latino Arabice verſa. *Quam tamen nonnulli ex Africa audent exſpectare.* (a) Et vero ipſam Livii hiſtoriam fuiſſe in manibus eorum, qui *ſeptuageſimum* hiſtoriæ latinæ librum teſtem laudaverunt, ſuſpicor quidem, quia unus Livius multos adeo hiſtoriæ libros condidit: indubie autem etiam illa Liviana interpolata ſunt ab interpretibus & corrupta. Præter hiſtorica porro iſthæc nulla omnino reperitur ullius latini ſcripti inter Arabes, nobis quidem notos, laudatio.

Supplementum XX. ad pag. 415.

Scriptores Arabici indubie plurimi floruerunt, a ſeculo cumprimis Chriſtiano nono ad decimum quartum. Pauci tamen in vulgus Europæum innotuerunt: nempe illi duntaxat qui latine ſunt verſi. *Hiſtoria tamen doctorum Arabicæ linguæ virorum* (b) a non uno exacte eſt tradita. De quibus quandoquidem jam dictum a nobis aliquid eſt in *epiſtola ad V. C. Joannem Henricum Meibomium* amicum dum viveret noſtrum non e multis, quæ in opere epiſtolico eſt *quadrageſima*, non eſt cur illud argumentum heic denuo tractemus: præſertim quia non eſt hujus inſtituti. Hoc unum duntaxat nunc addimus; quod ex eo tempore quo ſcripta eſt illa, vir orientalis literaturæ ſine exemplo peritiſſimus, ſimulque inuſitatæ induſtriæ ac probitatis, amicus itidem heu quondam noſter Hottingerus, in *bibliothecario* ſuo *libri ſecundi bibliothecæ theologicæ appendice*, nobis dederit Joannis Leonis illum librum de *vita quorundam philoſophorum & medicorum Arabum* cujus ibi facta eſt mentio: prodierit quoque non multo poſt in lucem, interprete atque editore Edoardo Pocockio, hiſtoria Gregorii Abul-Pharaji docta & varii argumenti.

Quamvis porro abunde conſtet, paſſim per omnem fere Aſiam, temporibus Abaſidarum, doctrinam variam ſapientiæ fuiſſe cultam, de ſcholis tamen publicis vix quidquam pene ſolet memorari. Id quod indicio fortaſſis eſt, propagatam illa tempeſtate meliorem quamque eruditionem opera virorum doctorum privata; ad quos ſcilicet alii confluxerunt diſcendi gratia. Et vero ipſo Mamone imperante ejuſmodi ſcholam inſtituiſſe Joannem Meſuæ, non illum Damaſcenum longe recentiorem, cujus ſcripta quædam latine verſa in noſtris ſunt manibus, diſerte narrat Abulpharajus. Qui item nullius meminit ſcholæ publicæ vel ab ipſo Mamone inſtitutæ: etſi apud illum in pretio fuiſſe doctos, ejusque cura propagatam e Græcorum ſcriptis philoſophiam theoreticam, haud præterierit ſilentio. *Maronitæ tamen ad geographum Nubienſem* (c) *l. de urbibus & moribus orientalium c. 2.* de Bagdado ajunt: *Urbs hæc nobilis eſt ſcholis, quæ omni ſcientiarum genere floruerunt & adhuc florent.* Sed fortaſſis hoc etiam ita accipi debet: quaſi vixerint ibi magiſtri: qui ſcilicet docuerunt, perinde atque apud Athenienſes & Romanos ante ſeculum Chriſtianum ſecundum moris fuit: privilegiis quidem nonnullis & immunitatibus fortaſſe inſtructi, non tamen conducti publico ære. Præ aliis autem Aſiæ urbibus inclaruerunt doctis magiſtris, poſt Bagdadum ſecundo loco Damaſcus, Cufa, Boſara, Coraſmiæ etiam metropolis Coacangh, de qua etiam Hottingerus quædam notavit in *hiſtoria ſeculi XV. pag. 673.* ex Ahmede Arabſcide.

Etſi denique poſſit videri, non omnino certum id quod diximus: Tatarorum & Turcarum imperiis extinctam in Aſia illam ſub Abaſidis renatam meliorem doctrinam: verum tamen eſt. Quamvis etiam ſic leves aliquas reliquias heic alibi manſiſſe, aut interdum ſcintillam aliquam iterum emicaſſe, etiam ipſimet haud negaverimus. Et vero Gregor. Abulpharaji *pag. 358.* de Naſeroddino Tuſenſi, qui obiit anno 675. h. e. anno Chriſti 1276. hiſce verbis uſus eſt. *Hoc tempore diem obiit Chojah Naſeroddin Tuſenſis philoſophus, qui obſervationes aſtronomicas in urbe Mamga fecit. Sapiens*

(a) *Quam tamen nonnulli ex Africa audent expectare*) Uti *CHRISTIANUS RAVIUS diſſertat. de linguis orientalibus, & in panegyr.* quem in partes advocat, & ſequitur *ABRAHAMUS HINCKELMANNUS præf. in Alkoranum pag. k.* ita pronuncians. *Cum ſub Almamone Chaliſa omnis Europæ eruditio in Africam & Aſiam quaſi convitio facto ſecederet & Græci æque ac Romani ſcriptores in Arabicam linguam miro fato transferrentur, experti ſunt idem fatum quoque hiſtorici non pauci, & inter hos incomparabilis Livius, qui utinam ex Feſſanis tenebris integer erueretur & vel rudi verſione in lucem ederetur. Sane qua felicitate Curtium Berneggerus, eadem & forte majore Livium illuſtris Gronovius nobis facile reſtitueret.*

(b) *Hiſtoria tamen doctorum Arabicæ linguæ virorum*) Ad hanc cumprimis ſpectant *ISMAELIS ABULFEDÆ* principis Hamæ *compendium hiſtoriæ univerſalis*, ex quo inter alia etiam Sabæorum ſive Sabiorum dogmata primum eruit *POCOCKIUS*, nec non *HAGI KALFAH recenſio doctorum Arabum* juxta ordinem alphabet. inſtituta, quo libro potiſſimum uſus eſt Herbelotius in adornanda bibliotheca ſua orientali.

(c) *Maronitæ ad geographum Nubienſem*) *GABRIEL SIONITA & JOHANNES HESRONITA*, Maronitæ, a. 1619. Pariſiis in 4. *geographiam Nubienſem*, cujus autor eſt *MOHAMMED SCHERIF ELIDRIS*, ex Arabico latine verſam, ediderunt, quæ tamen non niſi epitome ejus eſt, & hinc ſine ulla ratione geographia Nubienſis appellatur, annotante *HERBELOTIO in biblioth. orient. p. 667. 786.* cum opus ipſum longe uberius ſit. Quod ex Syria ſecum *POCOCKIUS* & ex Ægypto *JOH. GRÆVIUS* attulit, cum verſione & notis *GEORG. HIERON. VELSCHIUS* quidem edere voluit, ſed fato præventus hoc ut multa alia egregia omiſit. Vid. *JOH. ALBERTI FABRICII bibliograph. antiquariam p. 129.*

piens inſignis in omnibus philoſophiæ generibus: quem ad obſervationes faciendas convenit magna geometrarum præſtantiſſimorum multitudo. Sub ejus arbitrio fuerunt omnes ſcholarum reditus, in omnibus quæ ſub imperio Mogalenſium erant regionibus. Liquet hinc ſane, a Tataris non fuiſſe exciſas ſcholas perinde atque factum initio ſtatim ab Arabibus, ſed earum habitam ſaltim tunc curam laude non indignam. Dixerat autem & de Hulaco Mogolenſium magno Monarcha jam tum Abulpharaji p. 355. *Anno ſexcenteſimo ſexageſimo quarto* (Chriſti 1265.) *e vivis exceſſit Hulacu vir ſapiens, manſuetus, intellectu & ſcientia præditus, ſapientum & doctorum amans.* It. p. 351. de Kublai Kanni: *Amabat ſapientes doctos & religioſos, cujuscunque tandem ſectæ aut gentis.* Imo cum jam concidiſſet A. C. 1335. monarchia Tatarorum, de ipſo Timur Lenc, qui obiit anno 1404. proditum: *Doctis illum faviſſe eorumque conſortio delectatum.* Quid, quod cum admiratione Europæorum legantur *tabulæ aſtronomicæ Ulug Beg* (a) magni Mogolis, nepotis Temurlenchi, ſive ut vulgo loquimur Tamirlanis? Sed unus ille inter ſuos hanc laudem meruit: de reliquis nihil tale fuerit legere: eoque ad gentis vituperium magis hæc Ulugi opera facit quam commendationem.

De Solimanno item Turcarum Imperatore ita Maronitæ *cap. 7.* ſcribunt: *Templo Mecano accedit nobilis diſciplinarum academia, beneficio & munificentia Solimanni anno fere ab Hegira 949. erecta: qui & ſumptibus architecturam mirabilem & proventibus Lyceum ipſum ditavit.* Verum & hoc in illa gente exemplo caret: nec ab ingenio Turcico profectum, ſed a religioſo quodam cultu & conſilio alieno. Quanquam non deſint qui affirment, Averroicæ philoſophiæ fuiſſe ſtudioſum illum magnum Ottomannidam.

Magis indubie admirationem meretur, id quod Joannes Leonclavius *l. XV hiſtoriæ Muſelmanicæ* narrat de Mahumetho ejus nominis ſecundo Turcarum Imperatore, atque urbis Conſtantinopolis expugnatore. Ubi enim ædificia ab illo conſtructa enarrat, poſt alia ſic loquitur. *Erat in urbe Conſtantinopoli locus ſacer, quo Chriſtiani templum ſuæ religioni pervetus habebant, ſanctis Apoſtolis dedicatum. Eo loco medreſſas octo ſive gymnaſia pro ſtudioſis litterarum ſtruxit, & in horum medio templum eximium collocavit, & ex adverſo templi magnum imaretum fieri curavit, itemque ab altera parte timarhanam, quæ medicandis ægris eſt domus. Poſt ſingulas vero ſtudioſorum medreſſas, unam tetimmen, quam vocant, iisdem inhabitandam ædificavit. Simul ut omnibus horum gymnaſiorum doctoribus, magiſtris, & incolentibus tetimmen ſtudioſis, ex imareto ibidem ſuo cibi panes alimenta cætera præberentur, ordinavit. Imaretum litteræ, quam Eleff vel Aleff vocant, ſimilitudinem refert. Hinc ornandi doctoris ſecretiorum diſciplinarum Scheichis Veſa Zadis cauſa templum conſtruxit, cum cellis religioſorum; in quibus & Deo ſerviunt, & dogmata penitiora percipiunt. Præterea viro Turcorum opinione ſancto, Ebu-ejubi-Enſari, templum cum imareto gymnaſioque ſcholaſtico, extra urbem condidit.* Addit ibidem: *Denique viris in urbe Conſtantinopolitana doctis, pauperibus, pupillis, viduis, mulieribus dona diſtribuere ſolebat, ex animi benigni liberalitate profecta, quæ dici conſueverunt eleemoſyna. Doctoribus etiam menſtrua ſalaria conſtituit.* Hæc omnia Leonclavius. Sed nihil horum facit ad ſapientiæ & artium ſtudia: duntaxat autem pertinent cuncta partim ad ludos triviales, partim ad doctrinam Muhamedicæ religionis & juris civilis Turcomannici. Quæ etiam ipſa tamen ſuam commerentur laudem.

Fatemur præterea, eſſe hodieque & PERSIS ſua literarum gymnaſia. Sunt autem & illa ejusdem fere generis cum Turcicis. Quam rudia autem ſint reliqua omnia & barbara, optime poſſunt teſtari illa *quæ refert Olearius* (b) *l. 5. cap. 25. itinerarii Ruſſo Perſici.*

Supplementum XXI. ad pag. 416.

Quam in Ægypto hodie ſcientiarum artiumque priſca cultura mutaverit, ut pateat omnibus, ipſamet Joannis Leonis verba hic adferemus. Agens ille de Alcairi incolis, ita ſcribit: *Mercaturæ ac Mechanicis artibus dant operam, non tamen loco natali excedunt. Plurimum ſtudio legum incumbunt, artium pauciſſimi. Quamvis collegia perpetuo ſtudioſis referta ſint, exigui tamen ad frugem perveniunt.* Eandem rem quoniam Proſper etiam Alpinus, medicus doctrina præſtans & qui per aliquot annos Cairi fecit artem in miniſterio conſulis quem vocant Veneti, *l. 1. cap. 1. operis de medicina Ægyptiorum* pridem poſt Leonem præclare narravit, hujus etiam verba adferemus. *Ac primum dico, Cayri aliisque in locis Ægypti, plurimos tum viros, tum mulieres reperiri, qui publice per urbem medicinam faciunt, non tamen ullos exiſtere, qui hanc artem aliqua ratione atque Hippocratice faciant: quando ibi nunc non literis ſed armis opera ab his populis detur. Neque id quidem mirum, cum Turcarum imperio ea gens ſubjecta ſit, qui nul-*

(a) *tabulæ aſtronomicæ Ulug Beig*) De hisce tabulis *GEORG. HIERON. VELSCHIVS comment. in Ruznamenaurus,* ſive *tabulas æquinoctiales novi Perſarum & Turcorum anni* ita loquitur: *De Turcarum epochis videre poteris tabulas aſtronomicas Mogoricas ſive Olug begi, quas Jacobus Golius bibliothecæ Lugduni Batavorum intulit ex oriente adlatas Aabdorrachmano Salachenſi præfecto Damaſci in Syria præfectas, quas Joh. Gravius Londini in Anglia emiſit, eoque ipſo immortalem ſibi nominis gloriam cum geographicis quibusdam Abulfedæ peperit:* Etſi hæc una pars tantum operis ſit, quod Samarcandæ in Perſia ſcriptum eſt anno Hegiræ 841. i. e. a. Chriſti 1437. Nam vir illuſtris *HENRICVS OLDENBVRGIVS* ſocietatis regiæ in Anglia Chartophylax in *actis ejusdem Londini editis & nuperrime Lipſiæ recuſis*, alteram quidem ejus partem a Thoma Hydeo bibliothecæ Bodlejanæ Oxonii præfecto Perſice & latine cum commentariis adnexis editam ſignificavit, quam tamen hucusque videre non licuit.

(b) *quæ refert Olearius*) Alia de Perſarum moribus ac inſtitutis ex *SANSONII, HERBERTI, TAVERNERII, PETRI DE LA VALLE* aliorumque, noviſſime etiam ex *JOH. CHARDINI, & CORNELII BRVINII itinerariis* peti poſſunt, quibus addatur *HENRICVS LORD in hiſtoria religionis Banianarum*, quæ ex Anglico Gallice prodiit *a.* 1667. & *THOMAS HYDIVS in hiſtoria religionis veterum Perſarum.*

nullis ſcientiarum ſtudiis delectantur: armis tantum auro, argentoque & Veneri indulgentes. De quibus vere videtur Seneca dixiſſe.

Turpis libido dominatur (ſcilicet nunc) *potens Venere,*
Luxuria victrix orbis immenſas opes
Jampridem avaris manibus, ut perdat, rapit.

Deeſt illis ſtudiorum exercitatio, quamquam publicas ſcholas, ſive ſtudia ipſi habeant, in quibus varia ſcientiarum genera docentur. Cayri ſtudii locum Gemelbazaz appellant, pro quo tercenta millia aureorum anno quolibet diſſipari ajunt. Siquidem ibi totius academia ſumptus ad libros, ad victum, & ad reliqua doctoribus & ſcholaribus neceſſaria, quotannis are publico ſuppeditantur. Ex omnibus vero ſcientiis, atque artibus, qua ibi docentur, ea ſola pars theologica apud ipſos colitur qua pſeudopropheta Mahometis leges inſtitutionesque pertractat. Multi ſiquidem, propemodumque infiniti ſunt, qui honoris atque utilitatis gratia in ejusmodi ſcientiam incumbunt: quam qui adepti ſunt in ſummo pretio atque honore apud Turcas aliosque omnes habentur. Hos Cadi appellant, quaſi dixerint ſacra legis doctores: quos Turca illius regionis præfectus ſuos quoque judices creat; quibus authoritas conceſſa eſt, ut poſſint quacunque de re in jure civili ac pontificio judicare; ob quam rem ipſam tum in ſumma veneratione habentur, tum maximas parant opes. In aliis vero artibus atque ſcientiis perpauci ſunt, qui perfecti fieri ſtudeant; omniumque minime in arte medica. Quæ cum aliis omnibus fere in locis ſummo dignitatis gradu ſit, infimum nunc atque viliſſimum, tum ob gentis barbariem, tum ob eorum qui per urbem medentur ignorantiam, locum tenet.

Supplementum XXII. ad pag. eandem.

De Maurico per Africam & Hiſpaniam imperio non conſentiunt ſcriptores. Nos præcipue Joannem Leonem & Thuanum ſecuti ſumus. Iis poſſunt & merentur adjungi quæ narrat Joannes Mariana Hiſpaniæ rerum ſcriptor prudens non minus ac diſertus, & alias paſſim in præclaro hiſtorico opere, & cumprimis *l. VII. cap. V l. X. cap. 1. & l. XI. primo capite.*

De iis etiam quæ contigerunt Averroi imperante Manſore, egregia narrat Joannes Leo libro *de vitis philoſophorum:* cujus primam editionem debemus illi, cui plurimum debet literatura orientalis, Hottingero.

Supplementum XXIII. ad pag. 417.

De ſtudiis Maurorum in urbe Feza quæ agit Nicolaus Clenardus paſſim in epiſtolis, idonea ſunt Leonis narrationes illuſtrare. Non omnem autem tunc in ſchola Feſſana ſapientiæ curam exoleviſſe, etiam ipſe Joannes Leo probaverit: qui ſe Feſſæ in ſcholis profeciſſe profitetur, ſimulque eruditionis ſuæ inſigne præbuit documentum non tantum luculenta illa Africæ deſcriptione ſed etiam libello de philoſophorum vitis. Adhoc teſtatur Paulus Jovius *l. 34. hiſtoria*, de Muleaſſe Tunetano rege exule *per otium cum philoſophis de natura univerſi, & de motu cæli, poteſtateque ſiderum, exactiſſime ex Averrois diſciplina illum diſputaſſe.* De occupatione item Tunetanæ urbis Caroli Imperatoris auſpiciis facta agens, *in ea*, inquit, *arcis direptione tria incomparabilis jactura detrimenta Muleaſſes deploravit. Arabicorum voluminum inprimis, qua perturbata atque direpta bibliotheca perierunt. Aſſervabantur enim antiquiſſimi codices, non diſciplinarum modo omnium præcepta, ſed ſuperiorum etiam regum res geſtas & Mahometana ſuperſtitionis interpretationem continentes, quos rex ipſe poſtea me audiente, ſe unius urbis pretio* (*ſi fieri poſſet*) *fuiſſe redempturum, diſſerebat.* Quantumvis autem in Muleaſſe & aliis nonnullis fuerit, imo nunc etiam ſit, aliquis philoſophiæ amor, communem tamen gentis ignaviam & ruditatem nihil hujus excuſare eſt idoneum. Perinde ac ſuperſtites ibi bibliothecæ non ſunt documenta florentis ibi etiamnum doctrinæ.

Obiter non poſſumus hic non monere in univerſum aliquid de eorum, qui Arabica lingua ſcripſerunt, eruditione. Magnus ſatis eorum eſt numerus, quantum hactenus variis eſt monumentis proditum, ſcriptorum ejusmodi; quoniam eorum pars in Aſia, pars in Africa vixit, ex variis regionibus oriundi, ita ut raro vel nullos invenire inter illos ſit ex priſca Arabum proſapia. Quorum ſcripta latine ſunt verſa, (eſſe autem verſa phyſicæ quidem & aſtrologicæ & medicæ doctrinæ linguæ illius potisſima, facit illud veroſimile, quod ſeculo duodecimo & tertiodecimo Chriſtiano, quibus verſiones illæ ſunt inſtitutæ, optimæ famæ libri quique Arabici fuerint noſtris hominibus notisſimi, eoque nomine interpretes ſuos acceperint) arguunt pleraque ingenium & judicium auctorum ſuorum pereximia, non quidem ſi dictionem ſed ſi res quæ tractantur ſpectare velis & docendi methodicam rationem. Quemadmodum autem ipſi illi ſcriptores ingenue eruditionis ſuæ principes magiſtros agnoſcunt Græcos priſcos, ita licet etiam fortasſis citra invidiam & obtrectationis ſuſpicionem profiteri: *Longo intervallo omnem Arabica doctrina laudem infra Græcorum illorum meritis ſubſiſtere:* (a) parum certe, idque in perpaucis, iſti Græcæ ſapien-

(a) *Longo intervallo omnem Arabicæ doctrinæ laudem &c.*) Alii aliter judicant. *CHRIST.* enim *RAVIUS diſſ. de linguis orient. pag. 92.* ait: *Commendata tibi ſit lingua Arabica tanquam in qua majus lateat & ſperandum ſit emolumentum, quam in omnibus antiquis Græcorum & Romanorum ſcriptoribus.* HENRICUS quoq; *CHRISTIANUS HENNINIUS in ἑλληνικῇ ὀρθοῇ. p. 95.* in partes advocat verba *ARNOLDI DE BRIE* Prof. Amſtelod. *gazophylacium Perſicum* ita commendantis, ut non deſiderandum Homerum & Virgilium omnesque Græcos & Latinos cenſeat, qui Arabismo fideliter imbutus ſit. Addendus his cumprimis eſt *ABRAH. HINCKELMANNUS in præf. Alcorano a ſe edito præmiſſa*, ubi inter alia commendat opus Hariri, tanquam qui Arabum Cicero in omnibus orientis academiis publice explicetur, nec minus Abibeker Ibn Hogia Almoavi librum ſub tit. vinum adoleſcentiæ tanquam verum eloquentiæ Arabicæ theſaurum, & Arabschiadæ hiſtoriam Timuri, in quo olim doctisſimus Golius Arabici ſtudii metam agnovit; de cætero *in hiſtoria literaria*, ait,

ſapientiæ veteri ab Arabibus illis acceſſiſſe; ac proinde quoniam Græca hodie redierunt in manus noſtras, non etiam eſſe, quamobrem Arabica iſthæc nondum verſa anxie amplius deſideremus. Hiſtoriæ humanarum rerum, quæ quidem florentibus Arabum imperiis acciderunt, longe alia eſt ratio: vix enim illam petere aliunde licet. Fruſtra tamen aliarum gentium, quamvis orientalium, res antiquiſſimas quasque, atque adeo & Græcorum & Latinorum, inde exſpectari, produnt nimis luculenter, quæ ad nos pervenerunt Arabum monumenta.

Supplementum XXIV. ad pag. 418.

Quæ Theophilo ejusque filio Michaële imperantibus, facta eſt Conſtantinopoli melioris cujusque literaturæ reſtitutio quædam, ea quin contigerit Barda Cæſare annitente, nemo facile negaverit. Etenim Imperatores illi tantum non monſtraquædam hominum fuerunt: certe a ſtudiis colendis quam alieniſſimi. At nec Bardæ ingenium fuit doctrina aliqua illuſtri excultum. Igitur perquam eſt veroſimile, illud omne beneficium Photii conſiliis deberi. Hic ſcilicet fuit ab eruditione quam optime inſtructus, quod Μυριοβίβλος (a) & Νομοκάνων ipſius hodieque docent cum noſtra admiratione: idemque gratia atque auctoritate plurimum apud Bardam valuit, teſte ipſomet Zonara.

Leo porro ille philoſophus, quem Theophilus evexit, præter Zonaræ Cedrenique elogia, etiam a Conſtantino Manaſſe in *annalibus* audit μυριομαθέςατος. Quin etiam non dubitavit Manaſſes narrare, hunc Theophilo Imperatori plane inuſitatum confeciſſe horologium: per quod Imperatori in regia coſedenti ſingulis horis ſpectandum exhibuerit, quicquid novi vel apud Arabes vel apud Syros tentaretur. Machinam vero illam a Michaële Theophili filio fuiſſe deſtructam. Indubie quidem hoc omne vanum ac fabuloſum eſt: arguit tamen opinionem vulgi de iſto Leone, quod nempe populus incredibilia etiam ſibi de illo perſvaſerit.

Cæterum ea quæ Theophilo Imperatore contigerunt doctrinæ in lucem e tenebris reductæ primordia, per fuerunt obſcura; & *lux major denique refulſit ſeculo decimo;* (b) ſi quidem credere licet iis quæ in præfatione Geoponicarum eclogarum Conſtantini Porphyrogennetæ Imperatoris continentur. Autor enim earum Conſtantinum illum Imperatorem ita alloquitur: ut quidem verba Græca interpretatus eſt Janus Cornarius. *Primum philoſophiam & rhetoricen jam deperditas, & ad immenſam oblivionis profunditatem demerſas, mirabili artificio & prudentia retraxiſti, robuſta dextera tua illis porrecta. Deinde vero etiam alias omnes ſcientias ac artes renovaſti. Poſtremum autem gnarus, politiam in tria hac eſſe diviſam: Militiam inquam ſacerdotium & agriculturam: non minimam curam circa hanc poſtremam partem adhibuiſti, quæ humanam vitam maxime conſervare cognoſcitur.* Si ſane ad illud usque tempus philoſophia & rhetorice perierant, facile liquet quam miſera fuiſſet hactenus utriusque conditio. Vbi obiter

mutila & manca ſunt omnia apud noſtros, quia dogmatum, quæ in oriente vigent, vera facies & ſucceſſio nobis incognita eſt. At hic ſuccurrit ſi qua alia literatura Arabica. Hujus enim ope Chaldæorum, Ægyptiorum, Perſarum, Syrorum, Indorum decreta hieroglyphica, philoſophorum & ſacerdotum ſcholæ, cum infinitis aliis huc pertinentibus rebus tam in illis temporibus, de quibus Græci ſcriptores plane tacent, quam in poſterioribus aperiuntur. Licuit id mihi contemplari in codice MSo, quo me donavit conſul hujus civitatis D. Schaffshauſen, cujus titulus eſt ſplendor lucis & fons myſteriorum, in quo antiſtitum & philoſophorum Arabiæ, Ægypti, Aſſyriæ, Perſiæ, Indiæ dogmata de Deo, de inſpiratione divina, de unione cum Deo, de anima humana, de ejus purificatione, de gradibus prophetarum juxta temporum ſeriem, in quibus vixerunt, recenſentur. In ſua hiſtoria parum de eruditis cujusvis ſeculi fuere Græci & Romani, qui rempublicam fere unice in iſto labore ſuo ſpectabant. Non ita Arabes. Provoco ad Eutychium, Elmacinum & Gregorium. Quid enim tota ex naufragio hiſtoricorum ſervata turba Græca & Romana comparata eſt cum Arabibus? manipulus cum exercitu. Ipſam non excludo hiſtoriam eccleſiaſticam.

(a) μυριόβιβλος) Scripſit Photius bibliothecam librorum, quos ipſe legit, quam μυριόβιβλον vocavit, non propter numerum librorum, cum codices tantum 250. recenſuerit, ſed more Græcorum, qui mille pro multis, uti Latini ſexcenta adhibere ſolent, uſi ſunt. Græce hoc opus edidit David Hœſchelius Auguſtanus, notisque illuſtravit, latinam vero verſionem licet pravam & fallacem; judice CAVEO *hiſtor. lit. N. T. p. 388.* cum ſcholiis addidit ANDREAS SCOTTUS *S. I. Antwerpiæ.* Ejusdem Photii nomocanon ſive canonum eccleſ. & legum imperialium de eccleſ. diſciplina conciliatio in titulos XIV. diſtributa, qui & procanon, quia canonibus præponitur, vel breviarium juris canonici Græcorum dicitur, prodiit cum commentariis THEOD. BALSAMONIS Græc. & Lat. cura CHRIST. JUSTELLI *ex bibliotheca Palatina* primum editus. Ante ipſum tamen ex TILII *biblioth.* primus librum cum commentario in lucem protraxit GENTIANUS HERVETUS, ſucceſſit deinde interpretatio AGYLÆI. Repurgavit nomocanonem a mendis Conſtantinus Porphyrogenneta, ut docent græci *ad l. ult. C. de cuſtod. reor.* Vid. JACOB. GOTHOFRED. *in bibliotheca juris pag. 75.* CUJACIUS *lib. 6. obſervat. 9.* Placet verba TURRIANI *in proæmio in apoſtolicas conſtitutiones Clementis Romani*, quibus Myriobiblon illud commendat, & Photii eruditionem prædicat, adſcribere, cum inquit: *Eruditiſſimus & incredibili lectione auctor in eo præſertim opere, quod bibliothecam de libris a ſe lectis nominat, tam accurate, tam acri ingenio, tam conſiderate, tam docte, tam diſtincte, tam libere, de tanta multitudine & varietate librorum judicium facit, ut nihil fere animadverſione dignum prætermiſiſſe videatur. Ita enim fere cujusque argumentum & genus ſtyli ac doctrinæ diſcernit, ac notat, ut qui ſummas illas legat, totos libros & ingenia autorum noſſe ſibi videatur. Quis igitur noſtræ ætatis ſe cum Photio conferre audeat, ſive ingenium ejus ſpectemus, ſive polymathiam.*

(b) *lux major denique refulſit ſeculo decimo.*) Seculo decimo Græcis præſertim Conſtantinopoli artium liberalium ſtudia in deliciis fuerunt. Nam qui tum imperio præfuit, Leo ſapiens princeps eruditiſſimus & ipſe manum ſcribendis literis admovit, & ad idem audendum alios amore & liberalitate accendit. Vide FABRICII *biblioth. Græc. lib. 5. pag. 11. cap. 5. p. 363.* & JACOBI GOTHOFREDI *bibliothec. juris orient. p. 76.* Parentis veſtigia deinde diligenter preſſit Conſtantinus Porphyrogenneta, qui pariter magnis ſumtibus viros eruditos aluit, veterum libros curioſe conquiſivit, ipſe ſcripſit, & alios juſſit ſcribere. Cujus tamen monitis pauci videntur obtemperaſſe. Ut enim tum erant Græcorum ingenia, eo literarum genere magis delectabantur, quod ingenio, labore & memoria regitur. Quocirca nonnullis rhetoribus, poetis quibusdam haud prorſus infelicibus, grammaticis paucis, hiſtoricis etiam aliquot, quos inter Geneſius & Simon ſunt, totus fere Græcorum literatorum chorus abſolvitur. vid. MOSHEIMII *inſtitutiones hiſt. eccleſ. N. T. p. 507.*

ter haud abs re fuerit obſervare, reſpexiſſe præfationem illam ad libros varios, Conſtantini illius cura jam tum editos, quales de re militari erant τακτικῶν & περὶ θεμάτων commentarii: nullo tamen indicio facto magni operis eclogarum hiſtoricarum, quia forte illud tunc nondum fuit inſtitutum. Is etiam porro qui præfatus eſt in eclogas hiſtoricas ejusdem Imperatoris, quarum tituli tantum duo hactenus lucem viderunt, quinquaginta & uno etiamnum ſive latentibus alicubi ſive deperditis, conqueritur de inopia, quæ fuerit hactenus librorum hiſtoricorum: ideoque & Imperatorem ex omnibus orbis partibus libros doctrina varia refertos conquiſiviſſe. Plane idem vero de hoc Conſtantino etiam alii Græci hiſtorici tradiderunt. Diſerte enim tomo tertio Zonaras: ἐπεμελήθη δὲ καὶ τῆς φιλοσοφίας αὐτῆς, ἐπιτελησμένης ἤδη σχεδὸν· ἀλλὰ μὲν τοι καὶ τῶν ἐπιστημῶν διδασκάλους ἐπιστήσας, καὶ ἀναζωπυρήσας ἐκλειπούσας αὐτάς. Cedreni verba Latine ſic ſonant: *Scientias, arithmeticam, muſicam, aſtronomiam, geometriam, & omnium principem philoſophiam, quæ jam longe tempore ob incuriam & inſcitiam Imperatorum perierant, ſua induſtria inſtauravit; conquiſitis qui in quovis genere excellerent ac conſtitutis doctoribus, & diligentibus receptis & conductis. Quo factum eſt, ut exiguo temporis decurſu barbaria profligata urbs denuo literis floruerit.* Eisdem pene verbis uſus eſt Michaël Glycas Siculus *lib. 4. annalium:* ideoque nolo nunc illa adducere.

Præter iſthæc autem ab iis laudata dignum cumprimis etiam eſt æterna memoria, legum quoque ſtudia hoc demum Imperatore cœpiſſe nonnihil erigi. Et vero tunc Conſtantini Imperatoris cura perfectum editumque eſt βασιλικῶν opus, nova nempe ἀνακαθάρσει repurgatum, etſi iſtud parens Leo jam feciſſet conſcribi. Tunc etiam demum Νομοκάνων Photii videtur in uſum traductus, ejusdem Porphyrogennetæ auſpiciis. Theophilo ſane & Michaële imperantibus etiam juris Romani Juſtinianæi videtur perquam exigua habita ratio, imo forte nulla: præ Latini ſermonis pridem ſepulta Conſtantinopoli peritia. Ut proinde tunc temporis indubie nec juris illius civilis ſuperfuerit in vulgo quidem ſcientia. Id quod liquido oſtendit etiam illud: quoniam a Juſtiniani usque ætate non memorantur ulli libri Græce ſcripti a quoquam jurisconſulto aut imperatore, donec tandem Baſilius Macedo Michaëlis ſucceſſor πρόχειρον νομικὸν publicavit. Superſunt enim quidem Juſtini etiam ſecundi, Tiberii, Heraclii, & Conſtantini quinti Novellæ quædam ante Baſilium promulgatæ: ſed cum paucæ illæ ſint, tum oſtendunt rarum juris civilis Romani, a Juſtiniano usque ad baſilicorum promulgationem, in foro, in ſcholis forte nullum uſum.

Ut in viam igitur redeamus, illa quæ Theophilo & Michaële imperantibus fuit inſtituta bonæ literaturæ reſuſcitatio perquam fuit levis: major autem laus debetur ſeculo decimo, & quidem Conſtantini Porphyrogennetæ Imperatoris prudentioribus auſpiciis. Etiam illum vero principem ſatis doctum, imo omnis doctrinæ patronum maximum, dum conſilio haud quidem malo tot eclogas variarum ſcientiarum fecit conſcribi, *non equidem dubito multum reipublicæ literariæ ſimul nocuiſſe*; (a) hac ratione videlicet per ignaviam hominum optimis quam multis veteris ævi ſcriptis pereuntibus. Utinam tamen vel illæ eclogæ omnes hodie ſupereſſent! Præter Geoponicas autem & Hippiatricas nihil integrum ſuperat: & hiſtoricarum eclogarum duo tantum editi tituli pene deſperare nos jubent de vita quinquaginta unius reliquorum.

Etſi porro Conſtantinopoli aliqua ſemper ad finem usque illius orientalis imperii Romani manſerit ſchola, eaque interdum ſic ſatis præſtantibus florens magiſtris: in reliqua tamen omni parte illius imperii nihil ſimile vel a ſuis ſolet commendari. Non etiam inſtituta Conſtantinopolitanæ ſcholæ a quopiam, quod ſciam, ſunt memorata: ut nec quæ illius ſemper fuerint fata. Quapropter nec a me hoc loco quidquam eorum poteſt adjici.

Si in æſtimationem autem venire debeat eruditio Græca, qualis fuerit ſive a nono ſive a decimo ſeculo, citra controverſiam illa neutiquam meretur comparari cum peritia veteris Græciæ, quamcunque doctrinæ partem placuerit attendere. Philoſophia porro theoretica & mathematicæ ſcientiæ, ut & ars medica, longe excellentius ab Arabicis ſcriptoribus excultæ ſunt. Poëtica quoque Arabum multo eſt quam Græcanica elegantior. In ſola hiſtoria ſcribenda fortaſſis ambiguam palmam dixeris. Latinorum qui a Carolo Magno ad Conſtantinopolitani imperii exitum vixerunt, vix dixeris præter unum & alterum in hiſtoria ſane Græcis pares. Scribendi facultate itidem Græci prævaluerunt. In logicis & phyſicis & metaphyſicis Latinos equidem haud dubitaverim ſequioris ævi Græcis anteferre. In ſacra item doctrina & legum peritia longe major Latinis videtur laus deberi: contra Græcis in ſcientiis mathematicis. Cumprimis vero merito vergit in Græcorum laudem, quod circa imperii illius interitum, floruerit Conſtantinopolis quam maxime excellentibus ingeniis virorum perinſignium. Et vero ipſasmet Ariſtotelicæ quoque philoſophiæ optimorum librorum vere Latinas non barbaras verſiones, elegantioremque ſolito veteris philoſophiæ cultum, debet Latinus orbis, Gazis, Argyropylis, Beſſarionibus & aliis: quibus parem illa ætas in Latinis forte habuit neminem.

Supplementum XXV. ad pag. 422.

Non erimus cuiquam moleſti recitatione ipſorummet verborum Dominici Bannez: cujus teſtimonium de academia Salmanticenſi laudavimus in margine diſſertationis. *(edit. in 4to)* Quandoquidem vero ille ingenue agnoverit, Franc. Victoriæ deberi prima in illa academia ſubtilioris ſcholaſticæ theologiæ

(a) *non equidem dubito multum reipublicæ literariæ ſimul nocuiſſe)* Vid. FABRICIUS *biblioth. Græca lib. 5. pag. 2. cap. 5. p. 490.* Id, niſi fallor, literis deinceps nocuit, nec modo ignaviæ latibulum comparavit, verum etiam ipſis interitum celerius attulit optimis ſcriptoribus. Quanquam non diffiteor, ſunt id genus inſtituta ex conſilio magis quam eventu æſtimanda.

logiæ exordia, egoque relectiones illius viri eique ſvetam docendi rationem pridem magni æſtimaverim, unum alterumque non poſſum non monere. Igitur ante omnia Andreæ Schotti ex *bibliotheca Hiſpanica tomo ſecundo* adferam verba. *Franciſcus a Victoria Lutetia Pariſiorum hauſta primum ſcholaſtica theologia, laureaque merito parta, primus eam in Hiſpaniam veluti margaritam attulit.* Dubito tamen, utrum Pariſienſi ſcholæ ſuos in morali theologia profectus, quibus quam maxime excelluit Victoria, debuerit: non ſane quis par illius ſcholæ laudari poteſt. Equidem exiſtimo, præ aliis iſtius ſeculi, culturam moralis doctrinæ huic Victoriæ Hiſpaniam debere. Hoc magiſtro autem profecit Dominicus Soto: cujus de juſtitia & jure præclari itidem exſtant commentarii. Ex illa porro theologica Salmanticenſi ſchola ad *Didacum Covarruviam* (a.) & Ferdinandum Vaſquez cum perveniſſet morum illa & juris philoſophia, cœpit demum in Hiſpania alibique excoli juris etiam prudentia, longe alia & accuratiore quam vulgo fieri ſolet ratione. Quorum diligente lectione & exemplo incitatus Hugo Grotius, quo valuit inuſitato ingenii & judicii acumine, dedit orbi opus illud incomparabile de jure pacis ac belli.

Supplementum XXVI. ad pag. 423.

Quod Hippocratis nomine fertur JVSJVRANDVM, illud revera eſſe ejus auctoris, nemo quod equidem ſciam vocavit in dubium ante patrum ætatem. Potiſſimum dubitandi argumentum eſt, quod in Galeni ſcriptis nulla ejus fiat mentio. Et vero fuit Galenus Hippocraticorum omnium cultor ſtudioſus: itaque ſaltim alicubi in tanto librorum ſuorum numero ejus libelli meminerit, ſi habuiſſet in manu. Verumtamen quia bona pars operum Galeni pridem periit, ſaltim incertum eſt quid Galenus fecerit nec ne. Diu vero ante Galenum vulgo fuiſſe chartam illam jurisjurandi Hippocrati attributam, liquet ex Scribonio Largo, qui vixit Claudio circiter imperante. Sed & poſt nemine contradicente ita creditum eſſe, docent Soranus junior, Erotianus, Hieronymus, Nazianzenus, Theodorus Priſcianus: quorum teſtimonia pridem adducta ſunt in medium, cumprimis a Joanne Henrico Meibomio (medico ſi quis alius longe *χαριεστάτῳ* & meo dum viveret amico magno, cujusque proinde memoria mihi ſemper erit in cariſſimis) in eruditiſſimo *jurisjurandi* illius *commentario cap. 1.* Faciunt huc & nonnulla verba Caſſiodori in formula comitis archiatrorum, quæ habetur *Varior. l. 6. p. 19.* Arabicæ aut Latinæ ſcholæ recentiores non eſt quod laudem in teſtes. Attendi vero & hoc meretur, quod in illo libello nihil reperiatur indignum aut fama aut gravitate aut dictione Hippocratis. Vtut igitur *ἀποδεικτικῶς* haud liceat Hippocratem aſſerere auctorem, ſaltim perquam probabile tamen id merito eſt æſtimandum.

Supplementum XXVII. ad pag. 424.

Non hoc loco diſputabimus, utrum recte a nobis ſit dictum nec ne, archiatros olim dictos, quibus principum valetudo curanda erat concredita. Etſi enim vox Ἀρχιάτρου primo haud ſignificet *τοῦ ἄρχοντος ἰατρὸν* ſed primarium quemvis: nihil vetat tamen ſolius principis valetudini dicatos *κατ' ἐξοχὴν* ita eſſe appellatos. *Comes archiatrorum* utique Principi inſervivit, ceu formula Caſſiodoriana diſerte docet; *Indulge te quoque*, inquiens, *palatio noſtro; habeto fiduciam ingrediendi, quæ magnis ſolet pretiis comparari.* In eadem formula dicitur *ἁπλῶς* de archiatris: *Habeant præſulem, quibus NOSTRAM committimus ſoſpitatem.* Fateor tamen haud eſſe vero abſimilem ſententiam eorum, qui archiatros dictos omnes omnino primarios medicos arbitrantur. Fuiſſe vero certum gradum dignitatis archiatralem, certumque etiam hujus tituli medicorum numerum, liquidum eſt; patebitque amplius infra ex iis quibus ſupplebimus nonnulla dicta *pag. 446.*

Examen autem archiatrorum cooptandorum neutiquam fuiſſe penes comitem qui appellabatur, docet *primo* illud quod in conſtitutione Valentiniani & Valentis facultas illa examinandi tribuatur collegio quidem archiatrorum aut ordini, non autem comiti; *ſecundo* quod in formula comitis archiatrorum Caſſiodoriana nulla hujus examinis fiat mentio. Conſtituitur enim comes ille ibi *judex* quidem, ſed non niſi controverſiarum inter medicos de medendi ratione exortarum. Eſt vero illa formula apprime lectu digniſſima: præſertim addito doctiſſimo commentario ejusdem, quem ante celebravimus literatiſſimi viri & quondam amici noſtri eximii Joannis Henrici Meibomii, etſi liber ſit poſthumus.

Notatu dignum porro eſt id quod formula iſta habet. *In ipſis quidem artis hujus initiis quodam ſacerdotii genere ſacramenta vos conſecrant. Doctoribus enim veſtris promittitis, odiſſe nequitiam & amare puritatem. Sic vobis liberum non eſt, ſponte delinquere, quibus ante momenta ſcientiæ animas imponitur obligare.* Hæc ſane verba ſignificant haud obſcure, etiam illa tempeſtate, ſaltim quædam in capita Hippocratici jurisjurandi ſacramento ſolemni tyrones medicæ artis adigere, recepti fuiſſe moris. Id quod alias fieri ſolere, haud equidem dixerim.

Supplementum XXIIX. ad pag. 424.

Quamvis de examinibus medentium inter Muhamedanos olim uſitatis, nihil diſſerere potuerimus

(a) *Didacum Covarruviam*) Hic cum fratre Antonio per decennium circa a. 1543. in Salmanticenſi academia utrumque jus docuit, poſtea inſulæ S. Dominici in America archiepiſcopus conſtitutus, & tandem totius caſtellæ præſes factus deceſſit an. 1586. Vid. PANCIROLLVM *de claris legum interpr. pag. 379.* GROTIVS ipſum virum ſummi judicii vocat. Opera ejus olim tanto erant in pretio ut ad redimenda ea & pallium vendendum eſſet.

(b) *Comes archiatrorum*) Conf. de eo BVLLINGERVM *de imperio Romano lib. 4. cap. 30. p. 477.* ubi & de archiatris ſacri palatii eorumque dignitate pluribus agit.

mus, fortaſſis tamen haud abs re jam fuerit, adferre aliquid huc nonnihil faciens, adhuc uſitatum in Ægypto: idque teſtimonio medici pereximii, quique ut poſt in Patavina ſchola magno cum applauſu artem docuit, ita eandem Cairi per quadriennium juvenis feliciter jam fecerat, degens in Venetorum conſulis familia, Proſperi Alpini. Ita vero ille *lib. 1. de medicina Ægyptiorum c. 2.* ſcripſit. *Extat Cairi inter cæteros medicos omnes quidam Ægyptius quem Achimbaſſi illi appellant: qui medicorum princeps noſtra lingua interpretatur. Hujus officium eſt, illos qui ibi medicinam exercere velint, de illiuſce artis peritia ſedulo percunctari, & examinare, atque eis, qui in medendi examine recte reſponderint ac recte ſe geſſerint, publica fide concedere, ut per eam regionem mederi impune poſſint. Iſtud autem in doctorum numero aſciſcendi munus non datur multis, ut in multis Europæ locis fieri ſolet, ſed uni ſoli tantum, illique præſertim, qui plus auri argentive præfecto Cayri, quem Baſſa appellant, hac de cauſa ſolverit. Parum etenim id curat hoc tempore Baſſa, an ille, qui Achimbaſſi procreandus eſt, ſit ad illud munus recte obeundum probe idoneus: adeo nunc apud illos omnia corrupit avaritia; non hoc, inquam, ille curat, ſed an potius aureos multos ipſi offerat. Eodem exemplo & ipſe Achimbaſſi etiam a præfecto perdoctus, eodem avaritiæ vitio ſublatus, pretium a comptandis accipiens, omnes indiſtincte, cum indoctos tum doctos mederi per urbem ſinit. Qua facilitate numerus tum virorum tum mulierum medentium in ea maxima urbe Cayri eſt fere infinitus; cum quisque exhibito auro poſſit ab Achimbaſſi medendi autoritatem obtinere.* Hactenus Alpinus. Vnde diſcere eſt, lege quidem conſtitutum Cairi eſſe, non quemvis promiſcue ſine prævia approbatione ad artem faciendam admittere, ſed illam haud obſervari, idque magno cum ægrotantium detrimento. Hanc legem vero jam eſſe latam ante Turcarum in Ægyptum imperium, per eſt veriſimile: quia alias, ubi maxima eſt gentis Turcicæ potentia, legis ejusmodi nullum comparet veſtigium, ſed barbare iſtud omne adminiſtratur. Fortasſis vero etiam alibi, in Africa & Aſia, olim, florentibus Arabum rebus, tale quid obtinuit. Vereor autem ut hodie ejus ſuperſit quidquam. Vt proinde hactenus diſſertatio noſtra haud a vero aberraverit.

Supplementum XXIX. ad pag. 426.

Qui primi in Ægypto monaſticam vitam degerunt, Paulo ſive Antonio auctoribus, eorum ſaltim plerique homines fuerunt illiterati. Enimvero ipſemet Antonius ne legere quidem potuit, ut in ejus vita ſcribit Athanaſius. Cum illius ergo exemplum maxime ſectandum eſſe foret perſvaſum, ipſa etiam imperitia a quam multis in parte fuit ſanctimoniæ æſtimata. Sed & in univerſum ea fuit vivendi ratio, ut vix diſcendo proficere quisquam potuerit, tantum abeſt ut potuerit quem alium docere. Et vero quum duo tum fuerint monachorum genera, alterum Solitariorum ſive *Anachoretarum*, (a) alterum in cœnobiis degentium, (non enim de Sarabaitis aut quos Gyrovagos appellant nunc agam) ſaltim Anachoretarum inſtituta & diſcendi & docendi viam præcluſerunt: quoniam neutrum agi poteſt niſi in hominum conſortio, a quo vita Anachoretica aliena eſt. Melior ſane multum & humanior fuit vita cœnobitica: eoque & ab ipſomet Hieronymo, quamvis antehac Anachoreta præ altera eſt Ruſtico laudata, & paſſim prælata tantum non ubivis: non tamen etiam illa vel ad diſcendum vel ad docendum fuit commoda, tempus omne eripientibus aliis exercitiis cum ſpiritualibus tum victui neceſſariis. Cum ſcilicet nec privatim neque ex communi ſuppeterent vitæ neceſſaria, coacti tunc fuerunt Cœnobitæ non minus atque Anachoretæ, manu & in vicinis urbibus mendicando, ſibi alimenta conquirere. Vnde Hieronymus ad Ruſticum. *Ægyptiorum monaſteria hunc morem tenent, ut nullum absque operis labore ſuſcipiant, non tam propter victus neceſſitatem quam propter animæ ſalutem.* Talem omnino fuiſſe vitam Ægyptiorum monachorum, abunde teſtantur etiam Casſiani collationes: in quibus de ſtudiis literariis monachorum Ægypti, quorum ille omnia habuit exploratisſima, nihil reperire eſt, etſi illorum numeroſa fuerint examina. Feruntur quoque etiamnum regulæ, quas vocant ipſiusmet Antonii aliorumque, interque eas una quam Angelus creditur Pachomio dictitaſſe: habent autem etiam illæ de rebus ſcholaſticis nihil.

Qui ex Antonii diſciplina primus in Syria monaſticam inſtituit S. Hilarius Eremita, illum itidem a peritia aliqua ſive divinæ ſive profanæ ſcientiæ, non laudavit Hieronymus, quamvis vitam illius ſatis cum magna cura deſcripſerit. Niſi huc referre velis illud: *Scripturas ſanctas memoriter tenens, poſt orationes & pſalmos quaſi Deo præſente recitabat.* Id quod indubie non niſi de parte aliqua divini codicis accipiendum eſt. De cætero cenſueris, illum vitam inſtituiſſe Ægyptio more. Quapropter & Hieronymus cum dixiſſet, illum *raſtro humum fodiſſe, ut jejuniorum laborem labor operis duplicaret:* mox ſubjungit: *Simulque fiſcellas junco texens æmulabatur Ægyptiorum monachorum diſciplinam, & Apoſtoli ſententiam dicentis: Qui autem non operatur non manducet.* Quis dubitet vero ad illud exemplum ſaltim plerosque alios Meſopotamiæ monachos vitam moresque inſtituiſſe?

S. Hieronymus tamen in Syriæ eremo vivens videtur non manu laboraſſe, ſed tempus, quod ab oratione & ſacro cantu fuit reliquum, ſtudiis impendiſſe. Etenim ſuam quam Romæ collegerat bibliothecam ſibi adferri curavit: nec deſiit Ciceronis ſeſe & Plauti lectione delectare. Quod cum faceret ſcriptura poſthabita, febricitans in ſomnio acriter caſtigatus eſt. *Ipſe rem omnem prolixe narrat* (b) *libello ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis:* pene negans fuiſſe ſomnium, *quia liventes habue-*

(a) *Anachoretarum*) Anachoretæ dicuntur etiam Cellio-tæ, Eremitæ, Aſcetæ, quorum autor eſſe perhibetur Paulus Eremita. Cœnobitæ quoque ſynoditæ vocantur, quorum autor fuit S. Amun, utpote qui primus cœnobium in monte Nitriæ an. 304. condidit. Vid. de variis gradibus Aſcetarum, μοναζόντων, monachorum, eremitarum SVARESIVM *ad S. Nili opera pag. 680. ſeqq.*

(b) *Ipſe rem omnem prolixe narrat*) Conf. hac de re pluribus ERASMVS & MARIANVS VICTORIVS REATINVS *in deſcriptione vitæ Hieronymi*, uti & REINHARDVS

habuerit ſcapulas, & plagas ſenſerit poſt ſomnum: in apologia tamen contra Ruffinum, qui vituperaverat Hieronymum quod etſi caſtigatus non deſiiſſet Ciceronianus eſſe (inique: nec enim contigerat illud Hieronymo, quod Ciceronem legiſſet, ſed quod S. Scripturam minore quam par erat ſtudio tractaviſſet) ſcribit: *Sed tamen qui ſomnium criminatur, audiat prophetarum voces: ſomniis non eſſe credendum.* Idem præterea S. Hieronymus, in eremo Hebrææ linguæ addiſcendæ dedit operam. Verba ejus ex epiſtola ad Ruſticum de vivendi forma merentur integra hic legi. *Dum eſſem juvenis,* inquit, *& ſolitudinis me deſerta vallarent, incentiva vitiorum ardoremque naturæ ferre non poteram: quem cum crebris jejuniis frangerem, mens tamen cogitationibus æſtuabat. Ad quam edomandam, cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in diſciplinam dedi: ut poſt Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios, gravitatemque Frontonis, & lenitatem Plinii, alphabetum diſcerem, & ſtridentia anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris inſumpſerim, quid ſuſtinuerim difficultatis, quoties deſperaverim, quoties ceſſaverim, & contentione diſcendi rurſus inceperim, teſtis eſt conſcientia tam mea qui paſſus ſum, quam eorum qui mecum duxerunt vitam, & gratias ago Domino, quod de amaro ſemine literarum dulces fructus carpo.* Eremitam porro agens S. Hieronymus per integrum quadriennium, interea temporis adoleſcens commentaria ſcripſit in Obadiam prophetam, transtulitque Origenis quasdam homilias aliaque nonnulla. Habuit quoque ibi alumnos antiquariæ arti ſervientes, ut ipſe teſtatur *epiſtola ſexta ad Florentium.* Unde manifeſtum eſt: S. Hieronymi eremiticam vitam ab inſtitutis aliorum eremitarum toto fuiſſe cœlo diverſam. Multò magis diverſa fuit ejus vivendi ratio quam Bethlehemi egit: utpote quum illo tempore docuerit ore ac ſcripto quamplurimos, & undique terrarum tantum non indies varios hoſpites exceperit. Scholam tamen publicam nec vel Hieronymus habuit; ne divinarum quidem literarum. Utque ille ſic ſeſe geſſerit, Ruſticum tamen de vita monaſtica inſtruens *epiſtola 4.* ait quidem: *Ama ſcientiam ſcripturarum & carnis vitia non amabis:* mox vero ſubjungit: *Facito aliquid operis, ut te ſemper diabolus inveniat occupatum. Si Apoſtoli habentes poteſtatem de evangelio vivere laborabant manibus ſuis, ne quem gravarent, & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro ſpiritualibus debebant metere carnalia, cur tu in uſus tuos ceſſura non præpares? Vel fiſcellam texe junco, vel caniſtrum lentis plecte viminibus: ſarriatur humus: areolæ æquo limite dividantur &c.* Idem *epiſt. 13.* non niſi hoc unico utitur ad Paulinum, virum non indoctum, præcepto: *Semper in animo tuo ſit ſacra lectio.* Ad diſcendum ulterius illum non invitat, multo minus ad docendum. Ita etiam deſcribit Malchum monachum, ut liquidum ſit, hominem fuiſſe illum omnis melioris doctrinæ rudem.

Vere igitur monaſtica S. Hieronymi vita plurimum diſtat ab inſtitutis reliquorum non Ægypti duntaxat, ſed Syriæ etiam qui tunc floruerunt, monachorum. Apud reliquos nimirum non niſi *ſancta* quædam, ut cum Hieronymo loquar, *tantum ſibi utilis ruſticitas* obtinebat: ille vero otiabatur toti eccleſiæ laborans. Quemadmodum vero ſine exemplo tunc monachum egit S. Hieronymus, ita in tribus muliebribus Bethlemiticis cœnobiis inuſitata ratione ſeſe geſſerunt Paula Euſtochium, aliæque: itidem ſcilicet ſingulari induſtria divinis lectionibus intentæ, utpote quæ Hebrææ quoque linguæ ſibi peritiam acquiſierant. Non tamen & illæ videntur alias erudiiſſe: tantum abeſt ut ſcholæ virginum in monaſteriis illis fuerint habitæ.

Plane Ægyptiis porro moribus fuerunt illi, qui Auguſtino florente in Africam monaſticen intulerunt. Enimvero ſanctiſſimus ille eccleſiæ pater libro, quem *de moribus monachorum* inſcripſit non alios depingit, hinc & tanquam operarios alloquitur doctrinæque nullius homines. Fuerunt autem tunc, repugnantibus multum Donatiſtis, in Africa exſtructa cœnobia, Carthagine, Tagaſte & Hippone. Solitarios iſthuc commigraſſe, haud equidem obſervavi.

De monaſterio quod in Gallia inſtituerat S. Martinus, agens Sulpitius Severus, ætate ſuppar, in hiſtoria *vitæ S. Martini c. 7.* ſcribit: *Diſcipuli octoginta erant qui ad exemplum beati magiſtri inſtituebantur.* Verum ne hæc quidem *inſtitutio* doctrinæ capeſſendæ inſervivit, ſed exercitiis aſceticis: nam & Martinus non doctrina polluit ſed eximia ſanctitate. Indicatque idem quod ſubſequitur: *Nemo ibi quidquam proprium habebat. Omnia in medio conferebantur. Non emere aut vendere (ut pleriſque monachis moris eſt) quidquam licebat. Ars ibi, exceptis ſcriptoribus, nulla habebatur: cui tamen operi minor ætas deputabatur, majores orationi vacabant.* Non adducam reliqua, quia & ipſa nihil ſunt niſi ἀσκητικά. Obiter meretur obſervari: S. Martini cœnobium ab Ægyptiis ſaltim in eo abiiſſe, quod hic ars nulla exerceretur, nec artefacta venderentur aut emerentur: utrumque autem apud Ægyptios obtinuerit: quo ipſo, ut & mendicitate, data fuit occaſio clanculum diteſcendi.

De Lerinenſi porro inſula (a) ita quidem *l. de laude Eremi* loquitur Eucherius. *Hæc nunc habet ſan-*

LORICHIUS *in ſcholiis ad progymnaſmata Aphtonii p. 105. 106. ſeqq.* Cæterum hoc exemplo Hieronymi & aliorum e. g. Gregorii M. qui libros Titi Livii ceu ſuperſtitionibus refertos combusſiſſe perhibetur, forte factum eſt, ut quidam non modo a lectione librorum gentilium plane abſtinerent, ſed & eam aliis interdicerent, uti inter alia patet ex *concil. Carthagin. IV. c. 16.* cujus decretum quoque *GRATIANUS diſt. 37. c. 1.* ſuis inſeruit, ex CLEMENTE ROMANO (ſcriptore ſuppoſititio) *lib. I. conſtit. c. 6.* aliisque.

(a) *De Lerinenſi porro inſula*) Sita hæc eſt inſula ad littus inter Liguriam & Maſſiliam in Italiæ & Galliæ confinio, in qua Honoratus, S. Auguſtini ævo ex nobili genere oriundus, monaſticam vitam profeſſus fundator poſtea monaſterii extitit, multosque ad ſe attraxit, adeo ut poſtea cœtus ille Lerinenſis cum pietatis tum eruditionis fama clarus multos egregios epiſcopos & doctores viciniæ Galliæ ſuppeditaret, inter quos eminent qui ex hac ſchola prodierunt Fauſtus, Hilarius, Cæſarius Arelatenſis, & Eucherius Lugdunenſis epiſcopi, Salonius, Salvianus Maſſilienſis & Vincentius ille Lerinenſis, cujus *commonitorium* olim edidit GEORG. CALIXTUS, id quod tam male habuit BARTH. NIHUSIUM apoſtatam, ut *artem novam* ederet, qua pontificiis ſuggeritur, non teneri ſe ad dogmata ſua defendenda ſive ex S. literis, ſive ex conſenſu vet. eccleſiæ, quia jam tot ſeculis in poſſeſſione dogmatum ſuorum exiſterent, quem deinceps refutavit *CALIXTUS in digreſſione ad artem*

ſanctos ſenes illos, qui diviſis cellulis Ægyptios patres Galliis noſtris intulerunt. Nequaquam tamen illa inſula obſervavit omnia Ægyptiorum monachorum inſtituta, etſi cellulis & ibi fuerint diſtincti ſancti ſenes. Complures enim inſula iſthæc dedit literatos viros & eccleſiis docendis regendisque aptos: Ægyptus, etſi tot agminibus ſtipata, vix unum. Neque quisquam ibi manu victum ſibi artes excolendo legitur comparaſſe. Itaque vel hinc diſcere eſt, in Lerinenſi inſula ſacris ſtudiis fuiſſe litatum. Quod ipſum ea, quæ in diſſertatione adduximus, verba Eucherii itidem liquido oſtendunt. Fugit nunc tamen nos diſcendi docendique ibi obſervata ratio. Quanquam ſcholas multitudine diſcipulorum frequentatas ibi non fuiſſe, & qui inclaruerunt ſuam eruditionem attuliſſe iſthuc potius, ſic ſatis ſit manifeſtum.

Quoniam porro de reliquis Stœchadibus inſulis, aliisque Galliæ monaſteriis jam tunc temporis conditis, nihil tale prædicatur quod de Lerinenſi, argumento id eſt, iis in locis longe tum minorem, ſi modo ullam, fuiſſe doctrinæ culturam. Etiam hoc vero meretur obſervari: omnes illos ex Lerinenſi monaſterio profectos olim viros doctrina aliqua inſignes, intra ſeculum quintum quaſi concludi. Nec vero, etſi nunc quoque in inſula iſthac ſuperſit monachorum aliqua *ἄσκησις*, tanto ſpacio quisquam ibi vixit aut inde prodiit, illis quos laudavimus par doctrina. Ut haud injuria dixeris, cum ſeculo Chriſtiano illo quinto priſcam doctrinæ laudem, ut pene etiam alibi, per Galliam defeciſſe. Operæ tamen fuerit pretium aliquod legiſſe librum, quem titulo *chronologia ſanctorum & aliorum virorum illuſtrium ac abbatum ſacra inſulæ Lerinenſis*, Lugduni anno ſeculi hujus tertio decimo edidit Dominus Vincentius Barralis Salerna monachus Lerinenſis.

Supplementum XXX. ad pag. 428.

Sunt qui perhibeant, ſeculo jam tum quarto penetraſſe in Italiam monaſticam vivendi rationem, ſeculo ſaltim quinto paſſim & ibi & in Sicilia complures vixiſſe Aſcetas. Quibus equidem haud refragabor, etſi perquam obſcura ſit eorum memoria: idque quandoquidem Ægyptiaca inſtituta indubie etiam ibi obtinuerunt, nihil certe fecerint ad doctrinæ aliquem cultum. Sexto itaque demum ſeculo poſſit videri laus illa deberi: & quidem primo omnium S. Benedicto, cujus regula monaſtica deinceps præ aliis paſſim placuit. Quapropter etiam nos in diſſertatione Benedictum illum ejusque regulam hoc nomine laudantes, aliis illum omnibus prætulimus. Quam ſecuti tamen ſententiam tunc ſumus, de doctrinæ per Benedictum ejusque ſectatores propagatione, illam, licet in vulgo ſit recepta, *tamen profiteri amplius non audemus.* (a) In plane alia ſcilicet nos jam ducit, *primum* ipſiuſmet Benedicti ejusque diſcipulorum hiſtoria, *ſecundo* regula ejus monaſtica, & *tertio* altum de Benedictinorum monachorum eruditione, per ſextum ſeptimum & octavum ſecula, ſilentium.

Enimvero ex Gregorii Papæ dialogo ſecundo, de ipſo Benedicto Antoninus *parte ſecunda ſummæ hiſtorialis tit. XV. cap. XIII.* ita ſcribit: *Qui nobiliore genere ex provincia Nurſia ortus Romæ liberalibus literarum ſtudiis traditus a parentibus fuerat. Sed cum in eis multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eum quem quaſi in ingreſſu mundi poſuerat pedem retraxit: ne ſi quid de ejus ſcientia attingeret, ipſe quoque poſtmodum in immane præcipitium totus iret. Deſpectis itaque literarum ſtudiis, relicta domo rebusque patris, ſoli Deo placere deſiderans, ſanctæ converſationis habitum quæſivit. Receſſit igitur ſcienter neſcius & ſapienter indoctus. Quæ utique indicant averſum a liberalibus ſtudiis Benedicti affectum.* (b) Igitur quod §. 2. idem ſcribit: *Cœperunt tunc ad eum Romani nobiles & religioſi* con-

novam. Obſervandum tamen, Lerinenſes monachos tempore Auguſtini & ſequentibus, quia Caſſianus in partes ſuas eos perduxerat, fuiſſe propemodum omnes Semipelagianos. Confer præterea *CALIXTI præfat. in Auguſtini libros de doctrina Chriſtiana*, quæ recuſa eſt *in Salviani operum editione Bremenſi.*

(a) *tamen profiteri amplius non audemus*) JOHANNES tamen *MABILLONIUS tract. de ſtudiis monaſticis*, quem in latinum ſermonem tranſtulit VDALRICVS STAVDIGL *part. I. c. 11. ſeqq.* ad iſta, quæ CONRINGIVS in contrariam affert ſententiam, quodammodo reſpondet, & primum quidem ſcholas Benedictinorum diſtinguit in interiores pro religioſis, & exteriores pro aliis deſtinatas. Deinde licet fateatur, nihil hic occurrere, quod ante deſtructionem montis Caſſini a Lombardis factam attendi mereatur, tamen quod etiam tunc temporis literarum floruerit cultus, putat probari poſſe ex Marci, qui diſcipulus Benedicti fuit, verſibus, quibus vitam ejus complexus eſt, quos Petrus Diaconus laudet: poſt reſtaurationem autem hujus abbatiæ a Petronace inſtitutam ex Petri Diaconi libro de viris illuſtribus montis Caſſini pateſcere, quod ſtudia literarum ad ſec. usque XII. ibi fuerint continuata, quemadmodum id teſtentur quoque (1) ſcholæ & academiæ literarum a Benedictinis cum in Anglia & Francia, tum in Germania inſtitutæ, (2) bibliothecæ monaſteriorum, (3) viri celebres, qui ex hoc ordine doctrina inclaruerint, id quod oſtendit *cap. 5. & 6.*

(b) *Quæ utique indicant averſum a liberalibus ſtudiis Benedicti affectum*) Verum ad iſta verba *ANGELVS DE NVCE in notis ad chronicon Caſſinenſe, p. 187.* annotat, non ſcientiam abhorruiſſe Benedictum, aut ſtudium, ut inquit Thomas, ſed ſecularem vitam & ſocietatem formidaſſe, cum in iis multos ire per abrupta vitiorum cerneret. *Felix*, addit, *ſapientia eſt, multa neſcire, quæ noceant, nihil non noſſe, quod juvet, quanquam neſcire interdum accipitur pro eo, quod eſt non probare, neſcio vos.* Alioquin in ſpecu & in convictu divinis inſtrui diſciplinis maxime ſtuduit, ut ipſa ſanctæ ſuæ legis textura abunde prodit, quæ ex S. ſcripturæ oraculis ſanctorumque patrum doctrinis opus eſt teſſelatum. Ita & *MABILLONIVS l. c. part. I. cap. 1.* negat quidem, monaſteria eum in finem inſtituta primitus fuiſſe, ut pro ſcholis & academiis publicis inſervirent, in quibus humanæ ſcientiæ ex profeſſo docerentur, quin concedit omnino, aliud nec deſerta nec clauſtra ſolitariis populaſſe, quam Chriſtum Jeſum ſequendi deſiderium, in omnium rerum, etiam ſcientiarum quas acquiſiverant, abdicatione. At vero hinc minime inferendum eſſe monet, quaſi omnia literarum ſtudia neglecta fuerint, in alium ſaltim finem directa fuiſſe docet, nimirum in quantum aliquid ad religioſam poterant contribuere perfectionem, ſine quibus etiam nec bonus ordo, nec oeconomia primitus in monaſteriis ſtabilita ſubſiſtere valuiſſet. Diſtinguendum quoque *cap. 4.* ait, eſſe inter Monachos ſolitarios ſive cœnobitas & promotos ad clericatum vel ſacerdotium, in quibus ſemper credita fuerit ignorantia intolerabilis.

concurrere, ſuosque filios ei omnipotenti Deo nutriendos dare; Tunc quoque bonæ ſpei ſuas ſoboles Equitius Maurum, Tertullius vero Patricius Placidum tradidit: Illud, inquam, non niſi de educatione ad vitæ ſanctimoniam accipiendum eſt, ſecus quam noſtra habet diſſertatio. In iisdem vero non autem aliis exercitiis vixiſſe cum *Placidum tum Maurum*, (a) qui Benedicti diſcipulorum laudantur potisſimi, ex iis quæ narrat Antoninus *decimoquarto capite* itidem eſt manifeſtum. Nec vero alio ſpectavit illa a Mauro inſtituta Francicæ juventutis educatio: quam nos itidem de ſtudiis doctrinarum perperam fuimus interpretati.

Jam porro regula monaſtica Benedicti (b) ne verbulo quidem agit, de ſtudiis doctrinæ ſive ſecularis ſive etiam ſacræ excolendis. Imo regulæ ejus argumenti veteres omnes, quæ quidem ante ſeculum Chriſti nonum conſcriptæ ſunt, ne S. Baſilii quidem excepta, de literarum vel ſacris ſtudiis habent nihil. Liquido ſane illud apparet ex codice regularum, collecto Ludovici Pii ætate a *Benedicto Anianenſi abbate*, (c) qui cura Lucæ Holſtenii Romæ in lucem prodiit anno ſeculi hujus ſexageſimo primo, & quarto poſt recuſus eſt Pariſiis.

Diſſertatio mea aliud quidem conata eſt perſuadere libris divinarum humanarumque inſtitutionum aut lectionum Caſſiodori. Et vero illos voluit eſſe *Caſſiodorus* (d) monachis ſuis Vivarienſibus pro manuductione ad divina & humana ſtudia: merenturque pro captu illius temporis laudem eximiam. Sed Vivarienſe illud monaſterium ſaltim tunc temporis non fuit ex Benedicti inſtituto: ſed plane diverſum. Eoque etſi tunc etiam Benedictus vixerit, hujus tamen Caſſiodorus nusquam meminit. Ex Caſſiodori itaque potius mente profluxerunt illius monaſterii inſtituta,

(a) *Placidum & Maurum*) Fuerunt hi S. Benedicti diſcipulorum præcipui. Placidus autem Tertulli filius a Benedicto deinceps in Siciliam miſſus, ibique martyrio coronatus fuit. S. Maurus vero ab eodem poſt obnixas preces Bertingranni Cenomanenſis epiſcopi in Galliam ad erigenda ibidem monaſteria ablegatus perhibetur in vita S. Mauri a Fauſto deſcripta, unde eſt quod monaſteria nonnulla Benedictinorum in Galliis ex congregatione hujus ſancti ſuperſint. Cæterum, quod hic annotavit CONRINGIUS, idem multo acerbius contra novatores, quos vocat, urget P. CAROLUS STENGELIUS *abbas Anhuſanus in laudibus S. Benedicti*, quas ex *HÆFTENI disquiſit. monaſticis* concinnavit, ediditque Auguſta Vindelic. a. 1647. cum cap. 11. p. 35. ex Gregorio M. inculcat, Placidum & Maurum S. Benedicto non niſi in omnipotentis Dei ſervitio informandos traditos fuiſſe, unde pateat, quo fine extructa olim monaſteria, quæ ſe candidati illis mente offerrent, ut a veritate alienum ſit illud poetaſtri diſtichon: Quod fuerintque ſcholæ aut fuerint exempla ſcholarum, & doctis tantum tecta habitata viris. Ita enim, ait, de monaſteriis in ſuo Parnaſſo ſomniant novatores, qui veterum hiſtorias recenſentes, cum cœnobium aut monaſterium occurrit, ſcholam reſcribunt, & religioſorum conventus in litterarum gymnaſia reformant. Sed contra hoc alii ex profeſſo egerunt. Eo ipſo tamen non negat, in cœnobio Caſinenſi a S. Benedicto etiam humaniores literas traditas aut id muneris aliis delegatum fuiſſe. A quo enim, addit, Fauſtus & Gordianus aliique, qui etiamnum pueri in ordine recipiebantur, eas didiciſſent. Gordianus ſane græce & latine & ſatis quidem diſerte ſcripſit. Fauſti eruditionem *S. Mauri vitæ hiſtoria* commendat.

(b) *jam porro regula monaſtica Benedicti*) Itidem hic contrarium oſtendere conatur MABILLONIUS *cap. 7.* docens, quod ſtudia literarum a S. Benedicto etiam in ordinis a ſe fundati monaſteriis inſtituta fuerint. Urget (1) Benedictum in regula *c. 64.* voluiſſe, ut abbas vitæ merito & ſapientiæ doctrina eligeretur. it. *c. 21.* (2) commendaſſe librorum lectionem *c. 7. & 41.* ſpeciatim vero præcepiſſe *c. 8.* ut lectio apud monachos durante quoque labore celebraretur, ſed a docto quodam religioſo, ab uno literato, quod ipſum quoque injungat regula magiſtri *c. 50.* quæ in regulam S. Benedicti ſit quædam commentarii ſpecies. Urget (3) injunctas a Benedicto converſiones Paganorum & inſtitutiones puerorum ac juvenum non potuiſſe ſine literarum ſtudiis recte fieri. (4) addit præter Caſſiodorum etiam Gregorii M. teſtimonium *ep. 3. c. 11.* qua conqueratur, quod religioſi lectionem intermittant, præcipue divinam. (5) denique etiam *c. 9. p.* 80. provocat ad varias reformationes ordinis S. Benedicti, in quibus ſemper reſpectum fuerit ad revocanda iterumque ſtabilienda literarum ſtudia. Probat id ex circularibus Caroli M. ad abbatem Fuldenſem directis *tom. II. concil. Franc. p.* 121. ex reformatione S. Benedicti Anianenſis & Cluniacenſi, quam Berno & Odo inſtituerunt, ex conſtitutionibus congregationis Bursfeldenſis in Germania, S. Juſtinæ in Italia, Vallis Oletanæ in Hiſpania, S. Mauri in Gallia, SS. angelorum cuſtodum in Bavaria. Vid. TRITHEIMII *opera ſpiritualia p.* 851. 852. *ſeqq.* & *de viris illuſtribus ord. Bened. c.* 12. it. LEUCKFELD. *antiq. Bursfeld.* ubi de monaſterio Bursfeldenſi, a quo congregatio nomen habet, congregatione ipſa, ejusque origine, & monaſteriis quæ ad eam ſpectant, ſecundum ordinem alphabeticum, nec non de privilegiis ejus agit. Congregatio autem hæc circa tempora propemodum concilii Conſtantienſis inſtituta eſt, ut monaſteria, ſecundum S. Benedicti regulam, reformarentur. Confirmavit eam Pius II. ann. 1548. in bulla, cujus prima ſunt verba: *regis pacifici*, eique omnia largitus eſt privilegia, quæ congregationi S. Juſtinæ a Papa Eugenio IV. data erant. Quod vero membra ejus tribus cujuslibet hebdomadæ diebus extra tamen quadrageſimam & alia tempora ſpecialiter prohibita carnibus veſci queant, illis a Laurentio Cardinale & Pontificis poenitentiario, jubente Pontifice Clemente VII. 1523. conceſſum eſt.

(c) *Benedictus abbas Anianenſis*) *MABILLONIUS l. c. p.* 218. *Alius, ait, plantatarum ubique ſcholarum canalis fuit S. Benedictus abbas Anianenſis.* Hujus eximii viri ſervitiis uſus eſt Carolus M. Is contentus non erat, quo venerat, plantaſſe pietatem & virtutem, niſi ſimul ſtudia reſtituiſſet, artium liberalium ſcientiarumque cultum. Theodulphus epiſcopus Aurelianenſis de eodem aſſerit, quod fuerit idem in Francia, quod magnus Patriarcha S. Benedictus fuit in Italia. *Quod fuit Auſoniis Benedictus rector in arvis, hoc modo et in noſtris, o Benedicte, locis.* Ille eſt, (*vid. P. I. c. 9. p.* 86.) qui regulas omnes antiquas, quæ temporis edacitatem evaſerunt, collegit, factaque concordantia cum regula S. Benedicti comparavit, cujus vitam deſcripſit Smaragdus abbas S. Michaelis in Lotharingia (qui etiam commentaria ſcripſit ſuper artes liberales nondum impreſſa *p.* 219.) de eodemque refert, quod inter alia ab ipſo conſtituti fuerint lectores qualificati, magiſtri, grammatici.

(d) *Caſſiodorus*) Idem *MABILLONIUS l. c. p.* 215. Superiores prout diverſis ducebantur inclinationibus, ita & differentes erant in concedendis ſtudiorum qualitatibus. Quidam ferventius manuum zelabantur laborem, quam ſcientiarum adeptionem. Nonnullis quandoque penitus arriſit oppoſitum, vitæ religioſæ caput in oratione collocantibus, quales in monaſteriis S. Martini Turonenſis epiſc. licebat offendere. Alii denique ſtudiis magis addicti nullam religioſis ſuis interdicebant ſcientiam honeſtam & ingenuo viro dignam. Horum ex numero erat Caſſiodorus. Etenim non contentus numeroſam inſtruxiſſe bibliothecam religioſos ſuos vix unquam hortari deſtitit, ad omnium illarum ſcientiarum contentionem, quæ S. ſcripturæ poterant promovere intelligentiam.

ta, non ex Benedicti. Imo cum Benedicti diſciplina ſenſim obtinuerit, videtur hoc ipſo Caſſiodori periiſſe inſtitutum, & loco eruditionis ſacrarum ac ſecularium literarum, quam Caſſiodorus laudabili conatu voluit propagari, ruditatem & inſcitiam quandam ſacram inter Benedicti ſectatores paſſim tunc invaluiſſe.

Quod tertium attinet, (a) haud me fugit quid jactitent nonnulli, ſimul vero & quam vana ſit illorum gloriatio. Adducam nunc duntaxat ex elegantiſſimo libello Gabrielis Naudæi, amici quondam mei, viri ingenio judicio & multa lectione præpollentis clariſſimique, cui titulus *cauſa Kempenſis conjectio*, nonnulla utramque in partem ſcripta. *Pagina* ſcilicet 155. adducuntur *Conſtantini* (b) Cajetani Benedictini magnæ famæ abbatis hæc de vetuſtiſſimis Benedictinis verba. *Verum non tanti ducimus eccleſiam caducis & ruituris parietibus circumdediſſe, quanti facimus, illam æternis & in omne ævum manſuris operibus illuſtraſſe. Mitto nunc Dionyſium Exiguum, Aratorem Romanum, Ennodium Ticinenſem, & Aurelium Caſſiodorum, Romanæ eccleſiæ academiarum Lateranenſis & Vaticanæ, ſeu cantorum ſcholæ magiſtros. Mitto nunc magnum Gregorium, Iſidorum, Ildefonſum, Bedam, Damaſcenum, Alcuinum &c.* Sed paulo poſt Naudæus adjicit ex *libro vindiciarum Kempenſium* hæc Simonis Werlini. *Dionyſium ſub regula Benedicti fuiſſe, nullum argumentum eſt quod me cogat credere. De Aratore omnia alia me docet elegantiarum Pater Jacobus Sirmondus ad Ennodii librum nonum ex codice Remenſi monachorum S. Remigii, in quo librorum Aratoris exordium legitur: quo licet exprimatur quid ante clericatum Arator fuerit, monachiſmus tamen tacetur. Ennodium vero quomodo audet hic monachum facere, cum ipſe in Eucharistico de vita ſua non ſolum toto capite ſed manibus etiam pedibusque abnuat? De Caſſiodoro æque fallimini: qui de ſuo monaſterio Vivarienſi agens divinar. inſtit. c. 32. nunquam meminit S. Benedicti, ſed abbatum Gerontii & Chalcedonii. Gregorium Magnum fuiſſe Benedictinum conatus eſt probare Cajetanus libro juſtæ magnitudinis, ſed absque juſtis rationibus. Iſidorus Hiſpalenſis habuit regulam propriam, non ſancti Benedicti. De Ildefonſo eadem ferme eſt ratio. Sed in Damaſceno magis deſipit, quisquis eum facit Benedictinum.* Hactenus ille.

Quibus hæc tamen nos addimus. *Beda fuit quidem monachus* (c) ſed quo tempore in Britannia

(a) *quod tertium attinet*) Sed vide rurſus *MABILLONIUM de ſtudiis literarum in monaſteriis occidentalibus part. I. c. 16. p. 213.* ubi tandem *p. 223. ſeqq. ex his*, inquit, *ſatis patet, quod unus prope ordo S. Benedicti fuerit, qui literas in Europa per aliquot ſecula propagavit. Alios ſane magiſtros reperire non erat, præterquam religioſos in noſtris monaſteriis, ex quibus ipſæ quoque cathedrales eccleſiæ nonnunquam magiſtros ſuos evocarent. Properante jam ad finem ſec. 10. ſæculo, ineunteque undecimo tandem docere inceperunt clerici ſeculares, habuitque magnum diſcipulorum numerum Fulbertus, Guilielmus de Champeaux, Anſelmus Lauduenſis, P. Lombardus, Gratianus. Cœperunt porro univerſitates condi. Hinc deinceps factum eſt, ut gratia ſtudiorum in monaſteria ſe conferendi mos paulatim abrogaretur. Quid quod ipſis quoque religioſis paulatim oborta fuerit nauſea pueros inſtituendi? Interim nos affatim contentos eſſe oportet, quod per integra ſeptem vel octo ſecula tantum effecerimus, quod fuerint conſervati libri, cum libris literæ, cum literis ſcientiæ & ita quidem, ut temporum barbaries & infortunium potuerint ſuperari.* Objici quidem poſſet, Mabillonium hæc omnia ſaltim in encomium & gratiam ordinis ſui ſcripſiſſe plus illi tribuentem quam decet. Verum, quidquid hujus rei ſit, cum conſtet, Benedictum monachorum omnium in occidente quaſi parentem fuiſſe, inter quos pro genio ſeculi ſemper aliquis cultus literarum obtinuit; proinde nolim adeo in contrarium niti, quaſi parum aut nihil fere ad ſtudiorum cultum contulerint Benedictini, licet cæteroquin facile conceſſerim, nequaquam illis ſolis literarum vel incrementa vel ornamenta tribuenda eſſe, cum & alii extiterunt, qui rem literariam tractarunt, & de nonnullis quoque non immerito cum CONRINGIO dubitari queat, utrum fuerint Benedictini nec ne.

(b) *Conſtantini*) Qui Benedicto in regimine monaſterii Caſinenſis ſucceſſit, vid. *chronicon Caſin. lib. I. c.* 2. Hunc ſecuti ſunt in regimine Valentinianus, Simplicius, Honoratus.

(c) *Beda fuit quidem monachus*) Beda, uti referunt veterum monumenta, presbyter fuit monaſterii beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quod eſt ad Warimuda & Ingyrotum in Anglia. Dictus eſt venerabilis, cujus nomenclaturæ originem fabula dicit ab angelica manu repetendam, quæ Bedæ hoc epitaphium ſcripſerit: Hac ſunt in foſſa Bedæ venerabilis oſſa. Rectius vero PETRUS FRANCISCUS CHIFLETIUS *in concordia Bedæ & Fredegardi p. 9.* ex GABRIELIS BUCELINI *Menologio Benedictino ad 6. Kal. Junii* inde arceſſit, quod ſcriptorum Bedæ tanta fuerit autoritas, ut in eccleſiis Britannicis publice legeretur, cumque in lectionibus homiliarum ejus nomen ex more autoris venerabilis Bedæ presbyteri præfigerent, aliter eum, dum viveret, prædicare non præſumentes, hinc in hodiernum usque diem mos obtinuerit, ut qui a principio dum viveret, non ſanctus ſed venerabilis nuncupatus fuit, ita & poſtea diceretur. Cæterum ſententiæ Conringianæ hic omnino aſtipulatur THOMAS TANNERUS *in notitia monaſtica*, Anglice conſcripta, ubi in præf. introductionem ordinis & regulæ Benedictinorum in Britanniam multo recentiorem eſſe, quam vulgo perhibetur, ſtatuit. Ait enim (1) veriſimile eſſe, quod Druides ad Chriſtianam religionem converſi primi in Britannia extiterint monachi, quod etiam bella & calamitates publicæ ex incurſionibus Saxonum & Pictorum ortæ plurimis occaſionem dederint vitam monaſticam eligendi. (2) Eſſe quidem, qui mentionem monachorum faciant ordinis S. Marci tempore regis Lucii a. 194. qui Pelagium abbatem Bangorenſem a. 400. fuiſſe perhibeant; quæ tamen narrationes cum fide ſua deſtituantur, proinde ſe illis potiſſimum ait accedere, qui regularum monaſticarum introductionem ad S. Patritii tempora referant, qui a. 433. poſt converſionem Hibernorum in Angliam transfretaverit, & Glaſtoniæ primum monaſterium extruxerit teſte Wilhelmo Malmesbur. (3) Regulas autem ſecundum quas monachi vixerint, diverſi generis fuiſſe, nec omnino ſimiles cum regula Benedictinorum obſervat, quia legantur alii monachi ſecundum regulam S. Baſilii, alii ſecundum alias regulas Aſiaticorum & Africanorum monaſteriorum vixiſſe, quin etiam appareat, quemvis monaſterii alicujus fundatorem ſuam ſibi peculiarem regulam elegiſſe. Quicquid igitur (4) dicatur de regula S. Benedicti tempore S. Wilfridi a. 666. introducta, aut de bulla Conſtantini Pontificis in gratiam hujus regulæ edita, id docet, parum mereri fidei, quoniam conſtet, nullam neque in Bedæ hiſtoria Anglic. neque in concilio a. 747. tempore archiep. Cuthberti habito hujus regulæ fieri mentionem, ut proinde, quod de introductione ejus certum eſſe videatur, non niſi demum a tempore Edgari regis, ſub quo alterum concilium a. 965. de reformatione monaſteriorum conductis eum in finem ex Gallia monachis Floriacenſibus & Corbejenſibus ordinis S. Benedicti habitum fuerit, repetendum ſit, quorſum ſpectet regularis illa concordia Anglicæ nationis latine & Saxonice a SELDENO

nia Benedicti regula nondum invaluerat. Par eſt ratio Alcuini Angli: modo ille fuerit monachus, nec enim vel hoc certo conſtat. Iſidorum Hiſpalenſem aliquando monachum egiſſe, non memoravit Mariana *l. 6. R. Hiſpan. c. 7.* ubi diligenter Iſidori res perſequitur. Hoc tamen habet hic non diſſimulandum. *Suſceptam eccleſiam cum optimis legibus atque inſtitutis temperavit, tum inanem omnem curam eſſe, niſi a primis annis cera inſtar ad omnem pietatis partem pueri formarentur, intelligens, collegium Hiſpali conſtituendum curavit ad juventutem literis & ſapientia ſtudiis imbuendam. Vnde tanquam ex arce ſapientia plurimi prodierunt morum probitate & doctrina inſignes. In his Illefonſus & Braulius.* Illuſtrantur autem hæc ab iis quæ idem Mariana de Illefonſo refert *l. VI. cap. X.* Gregorium porro Magnum, *non Benedicti ſed S. Equitii* (a) ſub Græco S. Baſilii inſtituto monachum fuiſſe, multis jam vicerat argumentis in annalibus Baronius. Cui oppoſuit quidem ſua Cajetanus, ſed reperit mox adverſarium doctum, Antonium Gallonium congregationis Oratorii presbyterum: qui *librum apologeticum* edidit, *pro aſſertis in annalibus eccleſiæ de monachatu S. Gregorii Papæ.* Fuit ſcilicet Cajetanus ille ad inſaniam usque Benedictinorum laudis ſtudioſus: atque hinc vi facta quam plures tantum non obtorto collo in ordinem illum pertraxit. Id quod etiam de *S. Columbano* (b) Abbate *pag. 143.* & *pag. 132.* de Amalario Fortunato, recte monuit, idem ille nunquam ſine præconio mihi memorandus Naudæus.

CÆTERVM ſeculo Chriſtiano nono longe melior cœpit eſſe ratio eruditionis, in nonnullis ſaltim S. Benedicti diſciplinam profeſſis monaſteriis. Quam rem perſequemur commodius ſupplemento XXXII.

Supplementum XXXI. ad pag. 427.

Quod diſſertatio habet: *neminem fere in occidentalis eccleſia toto orbe nomen aliquod ſcripto libro obtinuiſſe, qui non in monaſterio educatus ſit atque inſtitutus:* illud hodie neutiquam dixerim: imo ſcriptorum neminem cenſeo ibi fuiſſe vel educatum vel inſtitutum. Quantumvis enim quidam illorum ad monaſticam vitam animum appulerint, extra monaſterium tamen quicquid in iis fuit eruditionis hauſerunt. Niſi forte in ſola Hibernia aut Britannia.

Diſplicet etiam quod diximus: *Scotos monachos a Romanis meliorem culturam aliqua ex parte accepiſſe.* De Britannis nonnullis verum eſt tamen.

Diſplicet porro: *præter monachorum ſcholas nullam in occidentali orbe fuiſſe philoſophiæ aut philologiæ aut Chriſtianæ doctrinæ cathedram:* præſertim quoniam fortaſſe nulla fuerit ſchola ejusmodi monaſtica, & de ſchola ab Iſidoro circa eccleſiam Hiſpalenſem excitata aliud jam proxime docuerimus. Verum tamen & Hiſpalenſe illud Iſidori inſtitutum per irruptiones Sarracenicas non multo poſt interiit.

Diſplicet denique, quod nullam fecerim Hiberniæ monaſteriorum mentionem: quum tamen ipſiſmet ejus ævi Britannicis forte mereantur præferri. Igitur de iis nunc aliquid eſt narrandum.

Et vero pridem ante Anglo-Saxones literarum meliorum aliquis apud HIBERNOS fuit cultus. Certe ſeculo adhuc octavo Angli ſoliti ſunt Hiberniam petere doctrinæ gratia. Non diſſimulavit hoc ipſemet Britannicarum rerum peritiſſimus ſtudioſiſſimusque Cambdenus, licet Anglus. Vnde in deſcriptione Hiberniæ ſic loquutus eſt. *Anglo-Saxones noſtri illa ætate in Hyberniam tanquam ad bonarum literarum mercaturam undique confluxerunt. Vnde de viris ſanctis in noſtris ſcriptoribus legitur: Amandatus eſt ad diſciplinam in Hiberniam: Et in Sulgeri vita, qui ante ſexcentos annos floruit:*

Exemplo patrum commotus amore legendi,
Ivit ad Hibernos Sophia, mirabile, claros.

Indeque noſtrates Saxones rationem formandi literas accepiſſe videantur: cum plane charactere uſi fuerint, qui hodieque Hibernicis eſt in uſu. Hæc Cambdenus. Quibus non poſſumus non addere, ante omnia verſiculos illos reliquos quos autor vetus vitæ Sulgeri habet.

Qui poſtquam nablam primo tener edidit infans,
Perluſtrat ſcholas ſtudio florente Britannæ.
At creſcente ſimul ardore & tempore multo,
Exemplo patrum commotus amore legendi,
Ivit ad Hibernos, Sophia, mirabile, claros.

Hinc

in ſpicilegio ſuo poſt Eadmerum edito pag. 145. quamvis nec tum regula illa firmas ubique radices egerit, donec tempore archiep. Lanfranci in concilio Londin. an. 1075. confirmatior reddita fuerit. Laudat de cætero hanc in rem Burtoni catalogum monaſteriorum Angliæ & Walliſiæ, nec non monaſticon Britannicum opera Rogerii Dodſvvorthi & Wilh. Dugdale tribus voluminibus editum, ex quibus, cum prolixiora ſint, quam ut ab omnibus legi poſſint, ipſe epitomen conficere, eamque hac ipſa memorata hiſtoria monaſtica complecti conſilium ceperit.

(a) *non Benedicti ſed S. Equitii)* Eſt ille fortaſſis Equitius, qui Maurum filium tradidit Benedicto informandum, de cujus vita & actis plura lege apud MABILLONIVM *in actis ſanctorum ordinis S. Benedicti.* Cæterum de vita monaſtica Gregorii vide MABILLONII *diſſ. ad Hadr. Valeſium de monaſtica vita Gregorii I. analect. veter. p. 499. ſqq. nov. edit.* De variis regulis & diverſis inſtitutis vitæ monaſticæ conf. LVCAM HOLSTENIVM *in codice regularum,* in tres partes diſtributo, quarum prior exhibet regulas monachorum orientis, ſecunda monachorum occidentis, tertia regulas virginibus obſervandas. Adde DADINI ALTESERRÆ *aſcetica, ſive origines monaſticas lib. X.* comprehenſas, & CLAVDII DELLEI *antiquitates ſtatus monaſtici & religioſi* Gallice editas.

(b) *S. Columbano)* Hibernus ad Svevos, Bojos, Francones aliosque Germaniæ populos Chriſti nomen detulit, quem deinceps in hoc labore Kilianus ſecutus eſt. Vide *Kiliani vitam in* FRISII *hiſtoria Wurzburgenſi* apud Dn. de LVDEWIG *pag. 385. ſeqq.* Columbani vero diſcipulus Gallus Helvetos & Svevos rerum Chriſtianarum cognitione imbuit. Vid. THEODORI *vita S. Galli in* CANISII *lectionibus antiqu.* Cæterum idem Columbanus monachis regulam præ cæteris breviorem præſcripſit, vid. VSSERII *Syll. epiſt. Hibernicarum p. 5. 15.*

Hinc ſane liquet, illa tempeſtate Britanniæ quidem ſuas fuiſſe ſcholas, ſed aptas magis primæ ætati: in Hibernia autem doceri & philoſophiam ſolere. Confirmat hoc ipſum fortiter etiam illud, quod ad Carolum Calvum ſcripſit *præfatione vitæ S. Germani* Ericus Autiſiodorenſis. *Quid Hiberniam memorem, contempto pelagi diſcrimine, pene totam cum grege philoſophorum ad littora noſtra migrantem?* Quid? quod etiam is qui apud Carolum Calvum magna valuit auctoritate Joannes, Scotus vulgo aut Erigena dictus, patria fuerit Hibernus, & pro ſeculi captu philoſophiæ peritus. Recte ſcilicet Jacobus Uſſerus Hiberniæ Archiepiſcopus Armacanus, Vir doctisſimus, in *hiſtoria Gottheſchalci cap. 9.* agens de Joannis hujus ſententia de prædeſtinatione, ſcribit. *Cum Hibernia noſtra indigenis Eri & Erin appelletur, ac doctis notum ſit, eandem eſſe veterem Scotiam & Hiberniam, Joannem ab aliis Scotum ſive (ut eum nominat ipſius σύγχρονος Anaſtaſius bibliothecarius) Scotigenam, a ſeipſo Erigenam ſive Eringenam eodem prorſus ſenſu fuiſſe dictum, vero mihi ſemper viſum fuit eſſe ſimillimum.* Joannem illum autem philoſophiæ ſeſe peritia ſaltim jactitaſſe, liqueat vel ex uno alteroque capitulo libri ab ipſo *de prædeſtinatione* conſcripti. Recenſuit illa idem Uſſerus; eſtque eorum primum hoc: *Quadruvio regularum totius philoſophiæ quatuor, omnem quæſtionem ſolvi.* Decimum octavum hoc: *Errorem prædeſtinationis ex diſciplinarum ignorantia (quas ipſa ſapientia ſuas comites inveſtigatricesque fieri voluit) & Græcarum literarum inſcitia ortum.* Infra de illo Joanne erit denuo agendum: ſufficit nunc illius exemplo demonſtraſſe, Hiberniam ſeculo etiam nono habuiſſe ſuas philoſophiæ ſcholas.

Indubie vero & ſacræ literæ in Hibernia illis ſeculis ſuos habuerunt magiſtros, cum plurimi ex Hibernia tunc prodierint prædicandi evangelii in Gallia & Germania gratia, monachi non docti minus quam ſancti. Diſerte vero idem affirmat Alcuinus in *vita S. Willibrordi.* Viguiſſe enim tradit in Hibernia *ſcholaſticam eruditionem*, eamque addiſcendi cauſa, S. Egbertum, S. Wiebertum, S. Wilgiſium aliosque Anglos iſthuc commigraſſe, & evaſiſſe doctisſimos. Addens. *Horum beatus adoleſcens Willibrordus æmulari cupiens religionem, in Hiberniam veloci curſu conſcendit, ibique duodecim annos, inter eximios piæ religionis & ſacræ lectionis magiſtros, futurus multorum populorum prædicator, erudiebatur.* Idem Alcuinus *lib, eodem carmine primo,* de S. Willibrordo ita canit.

Venerat occiduis quidam de finibus orbis &c.
Quem tibi jam genuit fœcunda Britannia mater,
Doctaque nutrivit ſtudiis ſed Hibernia ſacris,

Idem in elegia de S. Willigiſo,

Vt dudum cecini, fœcunda Britannia mater,
Patria Scotorum clara magiſtra fuit.

Scotorum enim nomine Hiberni intelliguntur.

Quinimo ante Alcuinum ipſe Beda hiſtoriæ Anglorum (*lib. 3. cap. 27.* ita ſcripſerat. *Erant eo tempore* anno Chriſti 664. in Hibernia) *multi nobilium ſimul & mediocrium de gente Anglorum, qui tempore Finani & Colmani epiſcoporum, relicta inſula patria, vel divinæ lectionis vel continentioris vitæ gratia illo ſeceſſerant. Et quidam quidem mox ſe monaſticæ converſationi fideliter mancipaverunt, alii magis circumeundo per cellas magiſtrorum lectioni operam dare gaudebant. Quos omnes Scoti liberaliſſime ſuſcipientes victum eis quotidianum ſine pretio, libros quoque ad legendum & magiſterium gratuitum præberi curabant.* Paulo poſt ibidem laudat Edilhunum, *qui & ipſe avo ſequente Hiberniam gratia legendi adierit, & bene inſtructus in patriam redierit.* Quæ narratio liquido prodit, tunc temporis in Britannia ne ſacrarum quidem literarum ſtudia fuiſſe culta, ſed illa *in Hibernia ab ipſis Anglis fuiſſe petenda.* (a) Indubie vero, quoniam a Scotis ſive Hibernis monachis illa tempeſtate extructa ſunt in Anglis quædam monaſteria, etiam laudabilis ille mos docendi ſaltim ſacram literaturam ſenſim & ibi introductus eſt.

Quoniam ad hunc modum autem habuerint ſeſe tunc temporis Scotorum in Hibernia monaſteria, manifeſtum eſt, non tantum ab Ægyptiorum aliorumque ſed etiam a S. Benedicti inſtitutis illa multum fuiſſe diverſa, & eccleſiæ Chriſtianæ longe utiliora.

Quo primo auctore autem ſtudia doctrinæ in monaſteriis illis Hiberniæ cœperint, equidem neſcio. Forte tamen exorta ſunt ſtatim cura S. Patricii Brittonis. Qui peragratis Gallia atque Italia inſulisque Tyrrheni maris, cum juvenis S. Martinum vidiſſet & S. Germano Autiſiodorenſi fuiſſet magiſtro uſus, in Hiberniam prædicandi evangelii cauſa anno Chriſti 431. commigrans, multa ibi monaſteria conſtruxit.

Quantos porro Hibernia tunc temporis in doctrinæ ſtudiis fecerit progreſſus, itidem dicere nequeo. Non magnos feciſſe, argumento videtur haud levi illud eſſe, quod haud temere ſcriptum aliquod doctum, quinto, ſexto, ſeptimo, & octavo ſeculis in Hibernia quisquam elaboraverit, cujus quidem nunc ſuperſit memoria. Erravit enim Bellarminus *l. de ſcriptorib. eccleſiaſt.* Aldhelmum ſcribens ſeculo octavo epiſcopum egiſſe in Scotia: cum ipſemet teſtis ejus Beda *lib. V. cap. 10.* eum faciat antiſtitem Saxonum occidentalium. Accedit, quod ex Hibernia *in exteras etiam regiones* (verba ſunt S. Bernhardi in vitæ Malachiæ archiepiſcopi hiſtoria) *quaſi inundatione facta ſanctorum agmina ſe effuderint:* illorum tamen nemo ſingulari eruditionis laude eminuerit. Probamus nihilominus id quod Cambelerius ſcribit. *Patricii diſcipuli tantos progreſſus in re Chriſtiana fecerunt, ut ſubſequenti ætate Hibernia ſanctorum patria diceretur, & Scotis in Hibernia & Britannia monachis nihil ſanctius nihil eruditius*

(a) *in Hibernia ab ipſis Anglis fuiſſe petenda.*) Reſtringit TANNERVS *l. c.* Bedæ narrationem tantum ad Northumbros ſive ſeptentrionalem Angliæ partem. Ait enim: *As in the ſouth parts of England was uſual to ſend their children to France to learn the monaſtik way of living, ſo in the north they were ſent into Irland to be inſtructed in learning, teſte Beda.*

tius fuerit: & in univerſam Europam ſanctiſſimorum virorum examina miſerint: quibus Luxovium Burgundiæ, Bobienſe Italiæ, Herbipolis Franconiæ, S. Gallus Helvetiæ, Malmisburia Lindisfornia, & quamplurima alia in Britannia monaſteria originem ſuam debent. Ex Hibernia enim fuerunt Cœlius Sedulius presbyter, Columba, Columbanus, Colmannus, Aidanus, Gallus, Kilianus, Maidulphus, Brendanus, & alii plures ſanctitate & doctrina inclyti. Hæc ille, & quidem recte. Niſi quod ex numero diſcipulorum patricii ſit eximendus Sedulius, presbyter quidem Scotus ſive Hibernus, ſaltim patricio tamen nonnihil vetuſtior, ſi Tritthemio credimus, imo S. Hieronymo æqualis ſi aliis. Non enim ſequemur Sigebertum Gemblacenſem qui ætatem ejus refert in tempora Conſtantini Imperatoris, quia hunc refellit explanatio epiſtolarum Paulinarum Sedulii ex Origene, Ambroſio, Hieronymo & Auguſtino excerpta.

Quantumvis vero ex Hibernia ad ANGLORVM gentes ſtudia quaſi per coloniam deducta ſint, attamen etiam aliunde ſenſim in nonnullas Britanniæ partes illa penetraverunt. Etenim Roma in Britanniam venit anno Chriſti 668. *Theodorus* (a) monachus Romanus, *natus* (ut Beda loquitur *l. 4. c. 1.*) *ex Tarſo Ciliciæ, vir & ſeculari & divina literatum Græce & Latine inſtructus,* (Zacharias Papa in *epiſtola ad Bonifacium Moguntinum 140.* ſcribit, cum fuiſſe *Græco Latinum philoſophum & Athenis eruditum*, ſatis ridicule) *factus archiepiſcopus Cantuarienſis.* De illo ejusque ſocio Adriano idem Beda *cap. 2.* ita ſcribit. *Iſ primus erat in archiepiſcopis, cui omnis Anglorum eccleſia manus dare* (in celebrando paſchate) *conſentiret. Et quia literis ſacris ſimul & ſecularibus, ut diximus, abundanter ambo erant inſtructi, congregata diſcipulorum caterva, ſcientiæ ſalutaris quotidie flumina in eorum cordibus emanabant. Ita ut etiam, metricæ artis, aſtronomicæ, & arithmeticæ eccleſiaſticæ diſciplinam, inter ſacrorum apicum volumina, ſuis auditoribus contraderent. Indicio eſt, quod usque hodie ſuperſunt de eorum diſcipulis, qui Latinam Græcamque linguam, æque ut propriam in qua nati ſunt, norunt. Neque unquam prorſus, ex quo Britanniam petierunt Angli, feliciora fuere tempora; dum & fortiſſimos Chriſtianos habentes Reges cunctis barbaris nationibus eſſent terrori, & omnium vota ad nuper audita cœleſtis regni gaudia penderent: & quicunque lectionibus ſacris cuperent erudiri haberent in promptu magiſtros qui docerent. Sed & ſonos cantandi in eccleſia, quos eatenus in Cantia tantum noverant, abhoc tempore per omnes eccleſias diſcere cœperunt.* Adfert idem Beda *l. V. c. VII.* nonnulla ex epicedio, ut Beda ait *verſibus heroicis* revera autem *elegiacis*, jam defuncto illi Theodoro ſcripta: ubi dicitur

Limpida diſcipulis dogmata diſſeruit.

Cap. *ſequenti* de ſucceſſore illius Theodori, qui obiit anno 690. Berechtvvaldo ait: *Vir & ipſe ſcientia ſcripturarum imbutus, & eccleſiaſticis ſimulac monaſterialibus diſciplinis ſumme inſtructus, tametſi prædeceſſori ſuo minime comparandus.* Paulo item poſt. *Inter multos quos ordinavit antiſtites etiam, Gebmundo Rhofenſis eccleſiæ præſule defuncto, Tobiam pro illo conſecravit, virum Latina Græca & Saxonica lingua atque eruditione multiplici inſtructum.* Capite etiam *XXI.* Adrianum Theodori ſocium & Coadjutorem defunctum lugens, ſcribit: *Cujus doctrinæ ſimul & Theodori inter alia teſtimonium perhibet, quod Albinus diſcipulus ejus, qui monaſterio ipſius in regimine ſucceſſit, in tantum ſtudiis ſcripturarum inſtitutus eſt, ut Græcam quidem linguam non parva ex parte, Latinam vero non minus quam Anglorum, quæ ſibi naturalis eſt, noverit.* Capite ejusdem libri xxiv. ſive ultimo hæc habet. *Anno proximo* (h. e. Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo octavo) *Tobias Rhofenſis eccleſiæ præſul defunctus eſt, ut ſupra meminimus, doctiſſimus. Erat enim diſcipulus beatæ memoriæ magiſtrorum Theodorici archiepiſcopi & abbatis Adriani. Vnde cum eruditione literarum vel eccleſiaſticarum vel ſecularium ita Græcam quoque cum Latina didicit linguam, ut tam notas & familiares ſibi eas, quam nativitatis ſuæ loquelam haberet.* Epilogo poſtremum illius ſui operis hiſtorici de ſemetipſo ſcribit: *Cum eſſem annorum ſeptem cura propinquorum datus educandus ſum reverendiſſimo Abbati Benedicto, ac deinde Celfrido: cunctumque ex eo tempus vitæ in ejusdem monaſterii habitatione peragens, meditandis ſcripturis operam dedi: atque inter obſervantiam diſciplinæ regularis & quotidianam cantandi curam in eccleſia, ſemper aut diſcere, aut docere, aut ſcribere, dulce habui.* Enumerat denique eo loco Beda tringinta ſeptem a ſeſe conſcripta ab anno usque ætatis triceſimo ad quinquageſimum nonum volumina. *Obiit autem Beda* (b) in monaſterio quod eſt ad Witemudam amnem, anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo quarto, ut habet continuatio hiſtoriæ *cap. 6.* Ex cujus *cap. 7.* diſcere eſt, a Beda etiam habitam in monaſterio iſthoc ſcholam inſignem. Ultimi enim morbi mortisque hiſtoriam enarrans ſubdit. *Ægrotans non tamen literalium ſtudiorum rejecit operam. Totis enim diebus, præter debitum pſalmodiæ penſum, aſſiduis ad diſcipulos lectionibus, nominandisque & abſolvendis quæſtionum difficultatibus, gravedinem valetudinis decipere ſuſpenſa interim cogitatione nitebatur. Evangelium quoque Joannis his diebus lingua interpretatus Anglica, condeſcendit minus imbutis Latina. Subindeque monebat diſcipulos, dicens: Diſcite filioli, dum vobiſcum ſum, neſcio enim quamdiu ſubſiſtam.*

Ex

(a) *Theodorus*) De Theodoro monacho vide pluribus JOSSELINVM *in antiquit. eccleſiæ Britannicæ p. 53. ſeqq.*

(b) *Obiit autem Beda*) De obitu Bedæ diverſæ ſunt ſcriptorum ſententiæ. Ejus obitum anno 731. quo finem hiſtoriæ ſuæ impoſuit, aſcribunt HERMANNVS CONTRACTVS, *Chronicon Augienſ.* HEPIDANNVS, SIGEBERTVS & CONRADVS ABBAS URSPERGENSIS. A. 734. eum mortuum ſcribunt WILHELMVS MALMESBVRIENSIS & MATTHÆVS WESTMONASTERIENSIS. LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS *ad an. 736.* rejecit. CHIFLETIVS tamen l. cit. *in diſſertat. præliminari cap. I. p. 4.* ex *epiſtola Cuthberti ad Cuthwinum de tranſitu Bedæ*, quam ediderunt quidem SVRIVS & BARONIVS, ſed longe emendatiorem SIMEON DVNELMENSIS *lib. 1. hiſtoria Dunelmenſis cap. 15.* rectius concludi arbitratur, Bedam mortuum an. 762. anno ætatis ſuæ nonageſimo, adeoque nec nonageſimo quarto, nec centeſimo quinto, uti Baronius hac in re dubius ſcripſit, idque probat (1) ex verbis Cuthberti mortuum illum referentis die 26. Maji in pervigilio aſcenſionis, qui dies ſecundum computum eccleſiaſticum non potuerit niſi in annum 762. incidere. (2) ex veterum teſtimoniis de ætate Bedæ nonagenaria collatis cum ipſius Bedæ relatione teſtantis, quod a. 731. non fuerit amplius annorum 59.

Ex iis ſane narrationibus liquet: ad Anglos primo omnium ex Hibernia, ſerius vero etiam Roma eruditionis ſacræ pariter atque ſecularis ſtudia perveniſſe, & quidem ſeculo denique Chriſtiano ſeptimo: inſignes præterea ibi ſcholas viguiſſe, partim in nonnullis monaſteriis, idque exemplo potiſſimum Hibernorum, partim vero & circa eccleſias Centuarienſem cumprimis & Roffenſem. Jam defuncto autem Beda, epiſcopus quoque Eboracenſis Egbertus, qui floruit anno ſalutis ſeptingenteſimo quadrageſimo, in propagationem doctrinæ laudabili ſtudio incubuit, ſtructa ibi inſigni bibliotheca. Hinc de illo Wilhelmus Malmesburienſis: *Omnium liberalium artium armarium, ut ita dicam & ſacrarium, nobiliſſimam bibliothecam Eboraci conſtituit.* Hinc etiam Albinus Alcuinus in epiſtola ad Carolum magnum. *Date mihi exquiſitiores eruditionis ſcholaſticæ libellos, quales in patria habui per bonam & devotiſſimam Egberti archiepiſcopi induſtriam.* Albinus autem is eſt, cujus conſilio Carolus Magnus deinceps uſus, in regno Francorum eruditionis ſtudia exſuſcitavit: qua de re plenius jam diſſertatum eſt.

Quamquam vero in eum quem narravimus modum in Anglia refloruerit ex ſpiſſa barbarie doctrina, non tamen promiſcue omnium, quamvis monachorum vel cleri Anglicani ulla virtus hic fuit. Enimvero ipſemet Beda *lib. 4. cap. 2. expoſitionis allegoricæ in Samuelem* ita ſcribit. *Videas lector, nec ſine lacrymis rem lacrymis dignam contempletur, quantum eccleſiæ ſtatus ad pejora quotidie, vel, ut mitius dicam, ad infirmiora gerenda devolvatur.* Addit quidem: *etiam tunc exiſtere perfectos in fide & veritate: videre* ſe tamen fatetur, *maxima in parte inſtare tempora jam olim prædicta.* Raritatem bonorum ſatis liquido demonſtrant pauca ex illo ævo reliqua eruditionis monumenta. Sed & vel ipſi illi, qui evangelii facem in Germania accenderunt, Angli tenui fuerunt doctrina: ne Bonifacio quidem excepto, etſi zelum hujus merito laudaveris. Emicuit etiam porro quidem eruditio monachorum Anglicorum præ omnibus, non tantum illius ſed præcedentis etiam cujuscunque ævi, aut cujuscunque gentis. Quis ſane monachorum vel illius vel antegreſſi temporis (Hieronymum ſemper excipio) in ulla orbis parte meretur cum Beda comparari, aut etiam cum Alcuino? Paucis imo monachorum etiam aliquot poſt ſeculis, datum eſt ad illud Bedæ faſtigium adſcendiſſe. Philoſophiæ tamen & liberalium artium non niſi rudior quædam peritia, etiam in ipſomet Beda effulſit. Longiſſimo utique intervallo illam veteres, Græci cumprimis ut & Latini, imo poſt & Arabes, ſuperaverunt. Divinarum idem ſcripturarum cognitione ſatis eximia quidem polluit Beda, & quidem ſupra ſeculi captum & morem. Etiam ita tamen inferior fuit ſaltim Hieronymo & Auguſtino, ut alios nunc taceam: quamvis major plurimis poſt ſecutis cum Latinis tum Græcis.

Extincta vero & illa qualiscunque Anglorum ejus tempeſtatis gloria eſt paulo poſt, crudelibus Danorum aliorumque ſeptemtrionalium populorum deprædationibus & vaſtationibus. Vt demum aliquot poſt ſeculis, ſub Normannicæ familiæ regibus, potuerit iterum ſcintillam aliquam ſpargere. De illa clade fortaſſis haud abs re fuerit ſaltim unicum Matthæum Weſtmonaſterienſem audire, qui in chronico ad annum octingenteſimum triceſimum nonum ita loquitur. *Nunc ad plagam maximam & horribilem pervenimus, quæ peccatis exigentibus per Danos Angligenis nationibus illata eſt. Libet ejusdem cladis cauſſam ad cautelam futurorum breviter legentibus intimare. In Anglorum quidem eccleſia primitiva religio clariſſime reſplenduit. Proceſſu vero temporis adeo in eis omnis virtus emarcuit, ut nulla gens proditione vel fraude eis conſimilis videretur. Nec erat eis inviſum aliquid niſi pietas & juſtitia, nec honor niſi bella plus quam civilia, & ſanguinis innocentium effuſio. Miſit ergo eis Deus omnipotens gentes paganas crudeliſſimas, velut apum examina, quæ ne quidem ſexui muliebri, aut parvulorum parcerent ætati Danos ſcilicet & Norwegenſes, Gothos & Swethedos, Wandalos & Freſos* (intelligit vero Venedos & Friſios in Cimbrica Cherſoneſo habitantes) *qui ab exordio Regis Æthelulfi uſque ad Nordmannorum adventum, per annos ferme CCXXX. terram hanc peccatricem a mari uſque ad mare, & ab homine uſque ad pecus, deleverunt. Siquidem Angliam crebro & undique invadentes non ſubjugare ac poſſidere, ſed prædari ac perdere ſatagebant. Qui ſi aliquando vincerentur, nihil tamen proficiebant Angli, quum alibi claſſis major & exercitus ex improviſo & ſubito adveniret.*

Hæc omnia Weſtmonaſterienſis. Exceperat autem pridem hanc Angliæ vaſtationem Danicam (nam interea temporis Sueno, Cnuto, Haraldus & Hardecnuto Dani Reges Angliam aliquamdiu totam occupaverunt) alias ex Gallica Normannia, cæſo Haraldo ultimo Anglicæ ſtirpis Rege anno Chriſti CIↃ LXXVI. a Wilhelmo, qui hac de cauſa conquæſtor ſolet audire. Periiſſe autem jam tunc per Danicas aliasque irruptiones omnem priſcam in Anglia eruditionem luculentus eſt teſtis Guilhelmus Malmesburienſis conquæſtoris ævo proximus *lib. 3. Literarum*, inquit ille, *& religionis ſtudia obſoleverant, non paucis ante adventum Normannorum annis. Clerici literatura tumultuaria contenti vix ſacramentorum verba balbutiebant: ſtupori & miraculo erat cæteris, qui grammaticam noſſet.* Claudemus hoc ſupplementum verbis illius auctoris, qui circa ſeculi undecimi initium continuationem hiſtoriæ Bedæ conſcripſit. Obitum ille Bedæ enarrans *lib. 1. cap. 8.* ita ait. *Sepulta eſt cum eo* (Beda ſcilicet) *pene omnis geſtorum noticia ad noſtra tempora. Adeo nullus Anglorum ſtudiorum ejus æmulus, nullus gloriarum ſequax fuit, qui omiſſæ moneta lineam perſequeretur. Pauci quos æquus amavit Jeſus, quamvis litteris non ignobiliter informati, tota vita ingratum conſumſerunt ſilentium. Alii vix primis labris illas guſtantes, ignavum confoverunt otium. Ita cum pigro ſemper ſuccederet pigrior, multo tempore ſtudiorum in tota inſula tepuit fervor. Magnum ignaviæ teſtimonium dabunt verſus epitaphii, pudendi prorſus, & tanti viri mauſoleo indigni.*

Presbyter hic Beda requieſcit, carne ſepultus.
Dona Chriſte animam in cœlis gaudere per ævum:
Daque illum ſophiæ de ebriari fonte, cui jam
Suſpiravit ovans intento ſemper amore.

Poteritne ulla excuſatione hic pudor extenuari, ut nec in eo monaſterio, ubi illo vivente totius litteratura exultabat gymnaſium, potuerit inveniri homo, qui memoriam ejus formaret, niſi exili & miſerabili ſtilo?

Supplementum XXXII. ad pag. 427.

Perperam docuimus, meliorem literaturæ culturam quæ cœpit ſub Carolo Magno in Francorum imperio, deberi monaſteriorum majori multitudini. Vera enim cauſa ejus fuit illud, quod primus Carolus conſtituerit, in monaſteriis omnibus ſcholas habendas eſſe, quodque ea in parte nonnulla monaſteria compoſuerint ſeſe ad laudabile exemplum optimorum quorumque monaſteriorum Angliæ & Hiberniæ.

Et vero ante Carolum nulla fortaſſe fuit, in Francici quidem regni quamvis ampliſſimi monaſteriis, ſchola ulla. Imo vero *Bonifacio*, (a) quem legatum Romani Pontifices conſtituerant, curante, monaſteria univerſa juſſa ſunt in vita & moribus regulam Benedicti obſervare, etiamſi antehac aliis inſtitutis vixiſſent. Illa autem regula ad ſcholas habendas neutiquam fuit compoſita: ceu jam tum ante demonſtravimus. In ſynodo nempe Franciæ quam anno DCCLII. Dux Auſtraſiæ Carolomannus coëgerat, conſtitutum eſt: *Vt monachi & ancillæ Dei monaſteriales, juxta regulam S Benedicti ordinate vivere ſtudeant, & vitam propriam gubernare, ſecundum prædicti patris ordinationem, non negligant.* Eodem porro anno, in ſynodo Liptinenſi, *abbates & monachi receperunt regulam S. patris Benedicti ad reſtaurandam normam regularis vitæ.* Vt diſerte ſcribitur in capitularibus Anſegiſi *lib. V. cap. 3.* ſicut illa quam retulimus conſtitutio habetur *capitulo 2.*

In novis porro conſtituendis per Germaniam cœnobiis, *Bonifacium non ſpectaſſe propagationem doctrinæ ſive ſacræ* (b) ſive alterius cujusque, vel ex verbis Rudolphi, quibus *capite X. hiſtoriæ vitæ S. Liobæ* apud Surium ad diem XXIIX. Septembris uſus ille eſt, liquido apparet. *Videns vir beatiſſimus Bonifacius, eccleſiam Dei creſcere, & certantibus ſtudiis ad vota perfectionis accendi, duplicem viam ad profectum religionis inſtituens, monaſteria conſtruere cœpit: ut ad fidem catholicam populi non tam eccleſiaſtica gratia, quam monachorum & virginum congregationibus reperentur.* Imo vero nova a Bonifacio condita monaſteria, ſicut ad normam Benedictinam, ita ad ſtudia literarum propaganda plane inidonea, fuerunt compoſita. Duodecim feruntur Bonifacio in Germania originem ſuam debere, & *præcipuum horum eſſe Fuldenſe.* (c) At vero de illo Bonifacius ad Zachariam Papam in hæc verba ſcripſit, ea epiſtola, quæ in *volumine quod epiſtolarum S. Bonifacii titulo mendoſiſſime edidit Nicolaus Serrarius*, (d) eſt centeſima quadrageſima prima. *Eſt locus ſylvaticus in eremo vaſtiſſimæ ſolitudinis, in medio nationum prædicationis noſtræ, in quo monaſterium conſtruentes, monachos conſtituimus ſub regula S. Patris Benedicti viventes: viros ſtrictæ abſtinentiæ, absque carne & vino, absque ſicera & ſervis, proprio manuum ſuarum labore contentos.* Quæ ratio vivendi literis ſive diſcendis ſive docendis non utique eſt apta. Quod de Bonifacio nemo mirabitur, qui vel inſpexerit duntaxat epiſtolas Bonifacianas, *nihil ſapientes vel ſacræ eruditionis*; (e) tantum abeſt, ut quidquam in illo viro cæteroquin pio, laudam mereatur eruditionis ſecularis. Eapropter illud etiam, quod nos Kirchnero credentes ſcripſimus *pag. 139.* quaſi jam *Sturmo abbate una Fulda triginta doctores artium linguarumque, & ſexcentos genere claros di-*

(a) *Bonifacio,*) Fuit is primum monachus, inde presbyter eccleſiæ, hinc monaſterii Nuticellenſis abbas, mox legatus apoſtolicus, deinde epiſcopus, poſtea archiepiſcopus ſine certa ſede, hinc Friſiorum Ultrajectinus, deinde & Germanorum Moguntinus, tandem omnium Francicorum & Germanicorum epiſcoporum primas, vid. GVDENII *diſſ. de Bonifacio Germanorum apoſtolo.*

(b) *Bonifacium non ſpectaſſe propagationem doctrinæ ſive ſacræ*) Durius hoc omnino ſcriptum videtur. Etenim cum & ipſe Bonifacius bonis literis cumprimis ſacris operam navavit, variosque libros conſcripſit, quorum catalogum primus Tritthemius & ex eo Leznerus protulit, pleniorem dedit ARNOLDVS WYON *in ligno vitæ lib. 5. p. 688* SERARIVS *notat. 48. ad Othlon. pag. 559.* ex iisque SAGITTARIVS *lib. 3. A. G. & C. Thuring. cap. 27.* inter quos liber ejus de ſacra fide, doctrina & religione (alias de unitate fidei dictus) a pontifice Gregorio approbatus & in exemplum ac imitationem clericis commendatus fuit; cum præterea in negotio converſionis gentilium iisque rectius informandis Bonifacius opera non modo piorum, ſed & aliqua ratione ſaltim doctorum virorum ſtudio uteretur, quidni & ipſe in monaſteriis cum pietate quoque ſcientiarum cultum ſpectaverit, & ſaltim aliquos ex monachis ſuis bonis literis imbutos eſſe voluerit, non video, multo minus intelligo, qui contrarium ex Rudolphi verbis probari poſſit. Manet nihilominus certum, quod ſcholæ monaſteriis adjunctæ & quidem publica magiſtratus autoritate munitæ demum ſub imperio Caroli M. cœperint.

(c) *præcipuum horum Fuldenſe*) Quorſum etiam exuviæ corporis ejus trucidati translatæ ſunt, Baſilica deinceps memoriæ hujus martyris ab Haithulpho archiep. Moguntino conſecrata.

(d) *Volumine quod epiſtolarum S. Bonifacii titulo mendoſiſſime edidit Nicolaus Serrarius,*) Epiſtolarum Bonifacii non paucas OTHLONVS conſervavit, plures vero BARONIVS *annalibus ſuis* inſeruit. Harum præcipuas ex Othlono & Baronio collectas primus in Germania edidit JOH. LEZNERVS *Erfurti a. 1603.* & Aſcanio de Heimburg canonico Hildeſ. dedicavit, cujus induſtria excitatus Nicolaus Serarius S. I codices MSos a Baronio adhibitos ex Italia in Germaniam ad ſe afferri primum petiit, ſed fruſtra. Nactus interim apud Germanos duo exemplaria, alterum ex Viennenſi, alterum ex Ingolſtadienſi bibliothecis a. 1629. edidit epiſtolas illas Moguntiæ, ſed ita ut novum editorem videantur expectare, qui non modo cum codicibus Romanis aut Viennenſibus MSis conferat, ſed & ſecundum ordinem temporum diſtribuat epiſtolas, easque notis uberioribus illuſtret. Nam neque ipſe Serarius diſſimulavit, exemplum poſterius an 1479. juſſu Trithemii in cœnobio Spanheimienſi deſcriptum non adeo ſe vetuſtatis gloria commendare. Quasdam harum epiſtolarum LVNIGIVS *ſpicilegio ſuo eccleſ.* inſeruit.

(e) *nihil ſapientes vel ſacræ eruditionis*) Ita & judicat VRSINVS *in append. ad tract. de origin. & progr. eccl. Germ. pag. 193. Edidit*, inquiens, *Serarius epiſtolas Bonifacii, ſed teſtes potius extremæ illorum temporum barbariei ſive doctrinam ſpectes, ſive mores.* (pag. tamen 198. de epiſtola Bonifacii epanorthotica ad Ethelbaldum regem judicat, ſe præter eam vix alibi diſertiorem & doctiorem ſe probaſſe Bonifacium.) Earum epiſtolarum exemplum in Fuldenſi cœnobio olim extitiſſe refert SERRARIVS, quod inde Flacius abſtulerit, cujusque pars hodie in bibliotheca acad. Helmſt. aſſervetur. Sed SAGITTARIVS jam pridem monuit, nihil in hac bibliotheca ſupereſſe, *lib. 3. antiqu. Gent. & Chriſt. Thur, c. 27. n. 2.*

ſcipulos aluerit, non dubitamus nunc fabulis accenſere. Et vero in *vita S. Liobæ* apud Surium die xxix. Septembris, jam paulo ante adducta, teſtatur Rudolphus: Bonifacium mandaſſe Lullo ſucceſſori ſuo Moguntino, *de monaſterio Fuldenſi, quod auctoritate Zachariæ & favore Carolomanni regis* (rectius ducis) *Auſtraſiæ in vaſtiſſima ſolitudine ſaltus Boconiæ ipſe conſtruxerat: ut quia monachi locum illum inhabitantes pauperes erant* (iis vero tum præerat Sturmo abbas) *& necdum alia haberent ſervitia, ſed ſolo manuum ſuarum labore victitabant, ædificium fundata tum ibi eccleſia ad perfectionis terminum deduceret.* Ne quidem autem Rothario abbate tertio primum vivendi genus deſiiſſe, liquet ex libello ſupplice monachorum Fuldenſium ad Carolum Magnum, contra abbatem illum ſuum: *ut ædificia immenſa atque ſuperflua & cætera inutilia opera omitteret, quibus fratres accideret ultra modum fatigari, & famulos foris diſperire.* Indicant enim hæc verba, tunc etiam monachos in ædium ſtructuram manibus operam præſtitiſſe.

Quantumvis vero ut Fuldenſe ita etiam fortasſis reliqua ab ſeſe conſtructa monaſteria Bonifacius *usque adeo durum voluerit vitam agere:* (a) licet vetera etiam quæque cœnobia ad regulam Benedicti fuerint revocata; haud videtur tamen rigide illud ipſum fuiſſe etiam in vetuſtioribus exactum: præſertim quia jam illo ævo monachis iſtorum cœnobiorum eſſet abunde de vitæ neceſſariis proſpectum, ut haud eſſet neceſſum manu ſibi victum quærere ex primo Benedicti inſtituto. Non enim aſperitatis hujus ulla in monumentis ævi iſtius apparent vel levia veſtigia: quanquam abſtinentiam ab omni carne cunctis tum cœnobitis fuiſſe adhuc communem, haud pauca liquido ſignificent. Hactenus itaque non obfuit illis monachis alimentorum quærendorum inopia, quo minus in cœnobiis & ipſi proficerent & alios inſtituerent. Attamen nec in illis monaſteriis fuerunt ullæ ſcholæ; imo nulli viri eruditi, etſi morum ſanctitas quibusdam haud defuerit. De Augia divite quam appellant, memoratur tamen: illam a Carolo Martello ex inſtituto S. Pyrmini ita fuiſſe inſtitutam, *ut* (verba ſunt Bruſchii) *tantum Principes Comites ac Barones illic educarentur ac erudirentur, a primo infantia ad adoleſcentiæ usq; tempora. Tum enim* (ait Bruſchius) *bene inſtitutis ac libere educatis integrum ac liberum erat, prodire iterum vel uxores ducere, vel aulas principum vel militiam ſequi. Equitum vero ac civium liberi admittebantur nulli. Erat igitur tantum principum ac ſublimi ſtirpe natorum ſchola ac gymnaſium quoddam.* Tritthemius *l. 1.* ad annum Chriſti 741. tantum hoc refert de Augia illa. *In illa ſucceſſu temporis multi viri clauſtrales eruditione & ſanctitate vixerunt inſignes.* De ſchola magnatum habet nihil. De S. Meinrado tamen in ejus vita apud Surium menſe Januario ita ſcribitur: *Meinradus cum jam eam ætatem attigiſſet, qua aptari poſſet literarum ſtudiis, a patre ducitur ad inſulam quam veteres Sindelaugiam vocabant Sindelaug. Huc puer jam dictus a patre ductus commendatur viro per omnia boniſſimo Erlebaldo monacho.* De S. Wolffgango item apud eundem Surium menſe Octobri p. 991. legitur: *Wolffgangus non contentus ſcholis trivialibus aut privatis erudiri, patre deducente eo ſibi properandum ſtatuit, ubi tum intra Germaniæ fines maxime florerent ſtudia literarum. Itaque ad Augienſe monaſterium ſe contulit.* Verum enimvero de reliquis antiquioribus cœnobiis Benedictinis Germaniæ noſtræ nihil tale memoratur. Ac proinde non fas eſt, exemplo hoc uno in univerſum de omnibus idem pronunciare. Eſt præterea illis relationibus multum falſi admiſtum: ut non liceat vel illas tuto credere. Utque magnatum liberi aliique in Augia fuerint inſtituti nonnihil prima ætate, *veræ tamen & ſolidæ doctrinæ ſcholam* (b) ibi tum fuiſſe, ne hoc quidem argumento licet docere. Uno verbo, vetera illa cœnobia Benedictina nihil momenti ad doctrinæ propagationem attulerunt.

IGITUR veriſſimum eſt id quod diximus, a Carolo demum magno monaſticas fuiſſe ſcholas inſtitutas, in Francici quidem imperii regionibus. Libro ſane primo capitularium Anſegiſi *cap. 71.* ita conſtitutum eſt: *Ut ſcholæ legentium puerorum fiant: Pſalmos, notas, cantus, computum, grammaticam, per ſingula monaſteria vel epiſcopia diſcant.* Libro v. tit. 95. hæc habentur: *Symbolum quod eſt ſignaculum fidei, & orationem dominicam ſemper admoneant ſacerdotes populum Chriſtianum. Volumusque, ut diſciplinam condignam habeant, qui hæc diſcere negligunt, ſive in jejunio ſive in alia caſtigatione. Propterea dignum eſt, ut filios ſuos donent ad ſcholas, ſive ad monaſteria, ut fidem catholicam recte diſcant, & orationem dominicam, ut alios edocere valeant. Qui vero aliter non potuerit, vel in ſua lingua hoc diſcat.* Hæ duæ conſtitutiones ſunt ipſiusmet Caroli Magni. Non obſcure autem ultima agit duntaxat de ſcholis puerilibus infimi plane ordinis, indicatque, præter ejusmodi generis monaſticas fuiſſe etiam alias.

(a) *usque adeo durum voluerit vitam agere*) Non tamen, ut opinor, ex inſtituto & data opera, ſed quod Bonifacius ab initio in monaſteriis recens a ſe extructis non potuerit ſatis egeſtati monachorum proſpicere, donec alii ſuccurrerent, cumprimis vero Carolus M. cujus autoritate & beneficentia monaſteria illa & confirmata & neceſſariis opibus inſtructa fuerunt, ut ex iis ſcholæ publicæ conſtitui aliquæ potuerint. Hac ratione Fuldenſis monaſterii ſcholæ originem & decus demum a Bangulfo abbate, ad quem Carolus M. epiſtolam ſcripſit, quam CONRINGIUS *affert ſupplem. 35.* repetere non immerito dicit LAUNOIUS *de ſcholis a Carolo M. fundatis cap. 8.* ex quo tempore a Trithemio quoque Rhabanus Maurus, & Strabus Fuldenſes laudentur, qui tunc in omni diſciplinarum genere palmam cæteris præripuiſſe viſi ſunt.

(b) *veræ tamen & ſolidæ doctrinæ ſcholam*) Sufficit tamen ſcholam alicujus (cur non veræ & ſolidæ quoque dixerim, non video) doctrinæ pro more & captu ſeculi illius ibi fuiſſe. Ita enim AUTOR *vitæ S. Wolffgangi epiſcopi Ratisbonenſis cap. 4.* per id tempus eo in loco degebat ſtudii cauſa Henricus quidam illuſtri Francorum & Suevorum ſtemmate clarus. Is Wolffgangum præcipuo ſibi amore devinciens obnixe eum precabatur, ut ſecum Herbipolin proficiſceretur. Ejus enim Henrici frater Boppo eccleſiæ Wirceburgenſis epiſcopus erat, & Stephanum quendam virum doctum ex Italia doctrinæ cauſa accitum ſcholæ præfecerat, qui omnes illos literis operam dare volentes accurate erudiret. Laudat præterea TRITTHEMIUS Bernonem abbatem Augienſem, quod vir in divinis ſcripturis doctus & in ſecularibus literis valde nobiliter eruditus fuerit. Conf. LAUNOIUM *cap. 27. p. 106.*

Google

alias. Prior reapſe item de puerilibus ludis agit, ſed in quibus paulum majora debeant proponi. Neutra tamen conſtitutio doctrinæ alicujus potioris ſcholas attinet. Hinc intra illas anguſtias concluſum eſt etiam illud epiſcoporum inſtitutum, cujus ſit mentio in capitularis Anſegiſi *additionum libro ſecundo capit. 5.* hiſce verbis: *Inter nos pari conſenſu decrevimus, ut unusquisque epiſcoporum in ſcholis habendis, & ad utilitatem eccleſiæ militibus Chriſti præparandis & educandis abhinc majus ſtudium adhiberet. Et in hoc uniuscujusque ſtudium volumus probare, ut quando ad provinciale epiſcoporum concilium conventum fuerit, unusquisque rectorum ſcholaſticos ſuos eidem concilio adeſſe faciat, quatenus & cæteris eccleſiis notum ſit, & ejus ſolers ſtudium circa divinum cultum omnibus fiat manifeſtum.*

Quanquam vero in capitularibus alibique hodie nulla occurrat Caroli conſtitutio de ſcholis ſacræ aut ſecularis ſapientiæ & liberalium artium majoris ordinis, illo tamen auctore, non quidem in omnibus, aliquibus tamen, etiam in monaſteriis ſtudia ejusmodi certum eſt excoli cæpta. Enimvero ab illo usque tempore nonnulla etiam Germaniæ noſtræ monaſteria in ſtudiis ejusmodi fuerunt occupata. Legi hoc loco merentur, quæ illa de re viri quidam præclari memoriæ prodiderunt. Adferam proinde ex initio ſuperioris ſeculi Joannis Tritthemii, quo alius nemo majore cura in ſtudiorum & monaſteriorum fata inquiſivit, verba ex chronico Hirſaugienſi. *His temporibus,* ait ille, *& diu poſt, erat hæc conſuetudo monachorum Benedictinorum celeberrima, ut ſcholæ in ſingulis pene cœnobiis haberentur: quibus non ſeculares homines, ſed monachi moribus & eruditione præficiebantur ornatiſſimi, qui non ſolum in divinis literis docti eſſent, verum etiam in mathematica, aſtronomia, arithmetica, geometria, muſica, rhetorica, poeſi, & in cæteris omnibus ſecularis literaturæ ſcientiis eruditiſſimi haberentur. Ex his multi non ſolum in Romana lingua docti erant, ſed etiam in Hebraica Græca & Arabica peritiſſimi, quod ex eorum opuſculis facile dignoſcitur: quanquam vitio ſcriptorum, qui a primæva inſtitutione præceptorum paulatim degenerare cœperunt, pauca exemplaria noſtris temporibus emendata reperiantur. Quoties autem idoneum ad hanc ſubeundam provinciam abbas minime habuiſſet, de aliquo alio monaſterio petere aptum, non erat verecundum. Maximum autem dedecus judicabant, dociles monachorum animos negligere, quos ut moribus & literis bene inſtituere poſſent, nullis laboribus, nullis parcebant impenſis. Sic namque doctiſſimus ille monachus Gemblacenſis Sigebertus multo tempore in cœnobio S. Vincentii Metenſi monachorum præceptor, quanquam de alio monaſterio, fuit. Ita Strabo monachus Fuldenſis in Hirsfeldia, Notgerus S. Galli in Stabulenſi, Albinus monachus Anglicus in Fulda, Milo S. Amandi in Corbeia, atque alii complures in aliis monaſteriis docendi ad tempus tenuerunt officium, ubi converſionis primordia cœperunt. Hæc autem conſuetudo ſanctiſſima primum in Anglia cœpit, ubi venerabilis ille monachus & presbyter Beda monachorum inſtitutor factus, poſt ſe multos doctiſſimos reliquit diſcipulos. Quantum vero hæc monachorum inſtitutio ordini noſtro profuerit, nemo ignorat, qui veterum hiſtorias ſtudioſius revolvit. Multi enim ex monachis propter ſcientiam literarum incomparabilem ad epiſcopatus honorem ſunt promoti, qui ordinem noſtrum vita & doctrina mirabiliter illuſtrarunt. Nam etiamſi ſtudium literarum nihil conferret ordini, quam utilem occupationem monachorum, eſſet nihilominus maxima veneratione a nobis promovendum. Quia niſi mens hominis clauſtralis aliquo exercitio occupetur delectabili, in multas & varias miſerias delabitur; quod S. Patres probe intelligentes, lectionem ſcripturarum monachis omnino voluerunt eſſe familiarem.* Hactenus Tritthemius. Idem de Dithmaro abbate Hirſaugienſi in hæc verba ſcribit: *Magna multitudo monachorum ſub ejus regimine in hoc monaſterio claruit, quorum aliqui ſanctitate vitæ valde fuerunt inſignes, plures autem propter ſcientiam & doctrinam ſcripturarum celeberrimi nominis habiti ſunt. De diverſis quoque Benedictinorum ordinis per Germaniam monaſteriis monachi ad ſcientiam ſcripturarum hauriendam Hirſaugiam mittebantur, quia talis eo tempore conſuetudo in ordine noſto ſervabatur, ut monachi pro pleniori eruditione conſequenda, ſi qui viderentur idonei, ad diverſa monaſteria inſtruendi mitterentur.* Etiam hæc Tritthemius. Qui ibidem, monaſteria nonnulla Germaniæ noſtræ ſocietate quadam juncta fuiſſe, ut per gradus alterum alterius diſcipulos, ſecundum doctrinæ varias ſpecies exciperet, non dubitavit narrare. Quæ tamen hic repetere, non fore pretium operæ duximus.

Tritthemio adjungere æquum eſt Paulum Langium ejus diſcipulum ſectatoremque, monachum & ipſum Benedictinum, utpote qui in eandem ſententiam in chronico Citicenſi diſſeruerit hiſce verbis. *Priſcis temporibus Caroli Magni & Ottonum, dum ordo noſter eccleſiam Dei mirum in modum doctrina & ſanctimonia illuſtraret, ſtudium ſapientiæ permaxime in eo viguit. Et hæc unica fuit & maxima cauſa quod monachi eligebantur in epiſcopos. Tunc enim literarum gymnaſia erant in cœnobiis, & potiſſimum in celebrioribus archiſteriis, Fuldenſi videlicet, Hirsfeldenſi, Corbejenſi, Weiſſeburgenſi, Prumienſi, Tuicienſi, Gemblacenſi, Hirſaugienſi & Treverenſi: tacendo de Italia, Hiſpania, Gallia, cæterarumque provinciarum, præcipue Caſinenſi, Cluniacenſi, Floriacenſi, & ſimilibus florentiſſimis cœnobiis, in quibus monachi & abbates claruere in omni ſcibili doctiſſimi; qui & multa præclara ad utilitatem legentium & fidei defenſionem carmine & proſa ediderunt opuſcula, quæ usque in præſens extant, & extabunt in ſalutem per ſecula credentium. Nusquam enim eo tempore per Germaniam inſtituta litterarum fuerant gymnaſia, imo & aliquot poſt ſeculis academiæ, vel (ut ajunt) univerſitatis nomen illuſtre in omni pene occidentis imperio incompertum fuerat. Præter enim Romanum vetuſtiſſimum, & Pariſienſe tunc novum, utpote Karoli Magni juſſu, opitulamine & autoritate per noſtros doctores monachos fundatum, nullum in hiſtoriis aliud univerſale legimus extitiſſe ſtudium. Proinde reges & principes cæterique nobiles, ad diſcendum Dei timorem cum literis, liberos ſuos monachis intra clauſtra tradiderunt inſtituendos; quorum plerique manentes ſub regula, diſciplina magiſterio in viros creverunt ſanctiſſimos: alii per parentes revocati, moderatores reipublicæ ſtrenui & prudentiſſimi facti ſunt.*

Tertio loco audiemus Aubertum Miræum antiquitatum ſequioris ævi curioſum indagatorem. Cujus *l. 2. c. 1. origin. monaſticar.* hæc ſunt verba: *Curam juventutis informandæ Pontificibus haud ſatis*

pro

pro dignitate tractantibus, ac vere negligentibus, viri præ cæteris pietatis ſtudiis præſtantes, quos monachos dicimus, & in ſtudium impulſi juvandi rempubl. ſæpe arripuerunt: divinum ſe numen promereri eo labore procuratione que perſuaſi, in quo tantum momenti eſſe videbant. Antiqua, Benedictinorum præſertim, monaſteria ſcholæ publicæ erant, ad erudiendam juventutem, a viris ſanctiſſimis conſtituta. Vnde haud levis publica utilitas extitit: ipſi magnis divitiis atque ingentibus creverunt, omnibus certatim pios eorum conatus juvantibus re, opera, conſilio. Ex iis monaſteriis, velut ex arce ſapientiæ, innumeri viri prodierunt, utriusque philoſophiæ cognitione præſtantes, divinæ atque humanæ. Tantum & Miræus.

Nolumus nos iis tribus nunc & aliorum eodem de argumento narrationes addere, quia non huc attinet nec inſtitutum patitur. Eadem de cauſa nec allatorum heic inſtituemus examen. Libere tamen profitemur, quam multa eorum haud poſſe a nobis admitti, quoniam videntur a veritate nimium aliena. Si ſane hæc ita ſeſe habuiſſent, longe plurimorum eruditorum monachorum ex illo ævo ſcripta ſupereſſent, inque ſuperſtitibus eorum voluminibus major quædam doctrina elucer et. Nunc autem illius etiam Carolovingici ævi tantum non omnia perquam ſunt rudia, & numerus ſuperſtes ſcriptorum eſt exiguus. Per me igitur licet quidem, addat quis iis an demat fidem. Certum tamen eſt, ævo etiam illo Carolovingico eſſe repertos nonnullos, etſi paucos, cœnobitas ſic ſatis doctos.

Cæterum ut ad ſcholas monaſteriorum redeamus, ſaltim apud pleraque hoc effectum fuit capitularibus edictis, ut in monaſteriis ſi non aliæ triviales tamen haberentur. Et quidem monaſticæ illæ ſcholæ triviales videntur duplicis fuiſſe generis. Aliæ in ipſiſmet monaſteriis, CLAVSTRI propterea dictæ, & ſolis ad monaſticam vitam educandis quaſi conſecratæ. Quo credibile eſt pertinere illud Ludovici Pii Imperatoris edictum, quod ab Anſigiſo aut Benedicto Levita recitatur *l. 1. capitularium addition. capit. 45.* hisce verbis: *Schola in monaſteriis non habeatur niſi eorum qui oblati ſunt.* Aliæ autem ſcholæ EXTERNÆ dictæ extra clauſtra ſunt habitæ, monachorum tamen nihilominus cura. Liquet illud ipſum cum ex aliis quam multis, tum clariſſime ex iis, quæ in vita Notkeri Balbuli monachi monaſterii S. Galli narrantur hisce verbis; *Traduntur poſt breve tempus Marcello ſcholæ clauſtri, cum beato Notkero Balbulo & cæteris monachici habitus puerulis: Externæ vero id eſt canonicæ Iſoni cum Salomone & ejus comparibus.*

Majoris cujusque doctrinæ ſcholas publicas (a) itidem in monaſteriis tunc habitas, equidem haud dixerim. Mihi ſane veroſimile videtur, inſtitutionem ejusmodi quamlibet fuiſſe magis ſingularem aut privatam; idque in illis duntaxat locis, ubi viri eruditionis gloria clari haberentur. Qualis ſcilicet Fuldæ fuit Rabanus Maurus, non Bedæ, quod Bruſchius ſcribit, ſed Albini diſcipulus omnium, quantum ex ſcriptis conjicere eſt, ſui ævi doctiſſimus, utpote ad quem audiendum etiam ex Gallia miſſus olim fuerit ab Aldrico abbate ſuo, poſt Senonenſi epiſcopo, *Servatus Lupus*, (b) qui deinceps etiam ipſe factus fuit abbas cœnobii Ferrarienſis: *uti ab eo* (verba ſunt Lupi epiſtola prima) *ingreſſum caperet divinarum ſcripturarum*, jam tum ante ſcilicet *doctorem grammaticum ſortitus* a quo *præcepta artis acceperat*, non tamen vel *rhetoricam vel cæteras liberales diſciplinas.* Unde obiter diſcere eſt, verum eſſe quod diximus, in paucis duntaxat etiam Galliæ cœnobiis meliores literas fuiſſe cultas, nec niſi privata aliquorum opera. De Rabano ſane ita etiam ſcribit Bruſchius. *Bibliothecam Fuldenſem tanta librorum multitudine locupletavit, ut dinumerari vix queant. Demum cum ſe totum divinis libris ſcribendis dedere vellet, poſthabito regimine in montem D. Petri ſe contulit, eoque fratres ſtudiorum ſuorum æmulos collocavit: ubi biblica ſcripta omnia diſcipulis enarrans, commentariis ea in hunc usque diem extantibus illuſtravit. Deinde cum multitudo fratrum rumore piæ converſationis creviſſet, aliud monaſterium in monte Joanni Baptiſtæ ſacrare conſtituit.* Mitto alia ejusdem Bruſchii: quæ nimirum ille narrat etiam de aliis nonnullis Germaniæ noſtræ monaſteriis. Fuerit autem omnino operæ pretium legiſſe quæ de Fuldenſis ſcholæ rebus erudite diſſeruit Chriſtoph. Brovverus *l. 1. antiquit. Fuldenſium cap. IX. X. XI. XII. XIII. & XIV.* Aſt cum judicio expendentibus monaſticam eruditionem, ſaltim illorum qui Benedicti regulam ſequuntur, diſſimilis multum propagatæ in iis doctrinæ ratio apparebit.

(a) *Majoris cujuscunque doctrinæ ſcholas publicas*) Diſtinctio inter ſcholas publicas & privatas ratione doctrinæ tantummodo ſpectatas atque ita diſtinctas neſcio utrum hic ſatis commode obtineri poſſit. Certum ſane eſt, ubi auditores majoris doctrinæ capaces non reperiuntur, publicas ſcholas ultra ſortem trivialium & puerilium vix excedere. Certum etiam eſt, in publicis ſcholis majorem diſcipulorum partem attendendam eſſe, eaque cum minorum in ſtudiis profectuum ſit, cæteros qui ulterius pergere cupiunt, privata opera ad altiora ſtudia manu duci oportere. Quæritur tamen, utrum id ex inſtituto majorum ſit, neque aliter fieri debeat, vel annon potius utraque & juniorum & provectiorum inſtitutio ad publicæ ſcholæ inſtitutum ſpectet. Quod ſi hujus contrarium cumprimis ratione ſcholarum in monaſteriis uſitatarum luculenter oſtendi nequit, tum ſane ratione doctrinæ ſive illa major ſive minor fuerit, etiamſi ſeparatim traditæ, cur utroque etiam reſpectu publicæ ſcholæ dici nequeant, nondum video. Certum autem eſt, & ex hiſtoricis veterum monumentis conſtat, in ſcholis monaſticis non ſolum elementa literarum ſed & trivium æque ac quadrivium liberalium artium tradita eſſe. Quodſi apud omnes non obtinuit, forte id injuriæ temporum non inſtitutis majorum tribui debet. Deinde id quoque in omnibus optime inſtitutis ſolenne eſt, ut a lineamentis ad ſtructuram operis, a minoribus rudimentis ad majora progrediantur.

(b) *Servatus Lupus*) Abbas fuit monaſterii Ferrarienſis, ſiti in Galliarum diœceſi Senonum, quod etiam Bethlehemiticum appellatur, teſte PAPIRIO MASSONIO *in præf. epiſtolarum Lupi.* Vixit ſub Ludovico Pio & Carolo Calvo, & a partibus Godeſchalci ſtetit in doctrina de prædeſtinatione. Extat ejus epiſtola numero inter reliquas 40. qua Rhabanum præceptorem ſuum vocat. Extat etiam Rhabani reſponſoria ad Lupum, qui ipſum rogaverat, ut commentaria in epiſtolas Pauli ſcriberet. Einhartum quoque nonnunquam in epiſtolis præceptorem laudat. Cæterum de ignorantia ſeculi ſui conqueritur *ep. 34 p. 69.* Tanta enim tum temporis erat epiſcoporum inſcitia, ut ſicubi epiſtola quædam exaranda aut res paulo gravior literis exprimenda eſſet, ad hujus Servati calamum in Gallia confugerent.

rebit. Quod ſi porro cœnobiorum Francici imperii Carolovingici cum vetuſtioribus quibusque placuerit contentionem inſtituere, liquidum omnino erit, quæ in illis fuit quondam facta doctrinæ propagatio, ad unius Hiberniæ & Britanniæ exemplum eſſe inſtitutam. Quin imo quoniam ex Britannia in regnum Francorum nemo advenit olim doctior Albino Alcuino, poſtquam ipſemet in Britannia divinam humanamque doctrinam in Eboricenſis eccleſiæ monaſterio docuiſſet, plurimum autem apud Carolum Magnum valuit conſilio atque auctoritate; quin hujus eximii viri cum ſuaſionibus tum ductui hæc qualicunque modo rectior utiliorque monaſteriorum forma debeatur, equidem haud eſſe dubitandum arbitror.

Supplementum XXXIII. ad pag. 428.

Haut diſſimulabo hic, non omnes viros illos præclaros quos ex cœnobiis Germaniæ noſtræ prodiiſſe diximus, noſtros eſſe. Saltim utique Paſchaſium Ratbertum dedit Corbeja Gallica: Halitgerius quoque ſi non & Amalarius fuit Francogallus. Primi quoque Bremenſium antiſtites non eruditis ſed ſanctis merentur annumerari. Interque eos *Anſcharium* (a) nova quidem Corbeja magiſtrum habuit ſuæ ſcholæ & eccleſiæ, vetus tamen erudivit: ut patet ex vita ejus a Remberto deſcripta *cap. V.* Fuit porro Anſcharius cœnobiorum Corbejæ, initio quidem Gallicæ deinde autem & novæ ſive Saxonicæ, *magiſter ſcholæ, non tamen niſi pueriliis.* (b) Liquidum id ſane eſt de veteri Corbeja ex *cap. 3. & 4. vitæ.* Cum in Daniam proficiſceretur, eundem cum Autberto itineris ſocio itidem pueros inſtituiſſe dicitur *cap. 6* iis verbis. *Ipſi quoque divino inſpirati amore ad promulgandum devotionis ſuæ religionem, cœperunt curioſe pueros quærere, quos emerent & ad Dei ſervitium educarent. Præfatus quoque Herioldus ex ſuis aliquos ſub eorum cura erudiendos poſuit. Sicque factum eſt, ut ſcholam inibi parvo tempore ſtatuerint duodecim aut eo amplius puerorum.* Similem puerilem ludum literarium Hamburgi ab Anſchario eſſe inſtitutum, narratur *capite 14.* ut & apud Waldonem, qui rudi carmine vitam Anſcharii eſt perſecutus, *cap. 34.* Adhoc ipſe Anſcharius ſanctis potius fuit annumerandus quam doctis, imo a doctrina nullam meruit laudationem. Quantumvis vero tenuis adeo fuerit & Anſcharii & aliorum in ſtudiis profectus, verum tamen unus Rabanus Germaniæ noſtræ poteſt eſſe pro omnibus ævi illius, quarumcunque etiam gentium occidentalis eccleſiæ.

Supplementum XXXIV. ad pag. eandem.

Regulam monachorum ſive canonicorum, (c) quæ Auguſtini nomen præ ſe gerit, eſſe illius autoris, malo equidem nunc potius negare quam aſſerere. Quoniam non tantum in Poſſidii indiculo aut retractationum libello ipſiusmet Auguſtini, ſed nec in quoquam ſcriptore vetuſtiore alio ejus fit mentio: eoque nec in codice illo, quo collegit omnes antiquas monaſticas regulas ſeculo nono Chriſtiano Benedictus abbas Anianenſis (quem Romæ curante Luca Holſténio editum, acceptum fero epiſcopi atque principis Paderbornenſis hodie in Germania noſtra incomparabilis Ferdinandi libe-

(a) *Anſcharium*) Is eſt, qui comite Ebbone Rhemenſi a. 826. in Cimbriam, Daniam, & Sveciam magno inflammatus ardore profectus eſt, mirabilique felicitate gentium barbararum multitudinem ad Chriſtianam fidem adduxit. Fuit primus archiep. Hamburgenſis. Ejus vitam deſcripſit Archenius. Plura de eo legi poterunt apud *LAMBECIUM rerum Hamburg. lib. I. p. 28. ſeqq. CYPRÆUM annal. epiſc. Slesvic. c. 3. p. 8. PHIL. CÆSAREM de triapoſtolatu ſeptentrion.* apud *FABRICIUM in memorab. Hamb. Vol. II. p. 637.*

(b) *non tamen niſi puerilis*) Quodſi id ita intelligatur, Anſcharium fuiſſe ſaltim magiſtrum ſcholæ puerilis in Corbejenſi monaſterio, nemo forte erit, qui repugnet. Expreſſis enim verbis teſtatur ſcriptor vitæ ejus, quod cum Wichmaro Anſcharius ſcholæ puerorum præfectus fuerit, quo tempore inter alia contigerit, ut puerulus quidam nomine Fulbertus a ſocio ſuo tabula usque ad mortem percuteretur, ob quam rem, quod ſub cura magiſterii ſua tanta negligentia acciderit, Anſcharius valde fuerit contriſtatus. Quodſi vero quis id ita intellexerit, quaſi in veteri æque ac novo Saxonico Corbejenſi monaſterio nulla alia altior, niſi puerilis tum temporis ſchola fuerit, rationes forte ſuppeterent dubitandi, eo quod conſtet, Corbejenſem apud Saxones ſcholam, ut verbis utar LAUNOI *l. c. c. 18. p. 71.* monaſterium fere ab initio celeberrimum effeciſſe, & inter alios hujus ſcholæ magiſtros Windichinum, Ruthardum & Bernhardum complures diſcipulos poſt ſe doctiſſimos, teſte TRITHEMIO, reliquiſſe, quod ſane de puerorum profectibus intelligi nequit. Aut igitur dicendum, narrationes iſtas veterum a veritatis regula deficere, quo inclinare etiam videtur *CONRINGIUS ſupplem. anteced.* aut omnino aliter hac de re pronunciandum, quod tamen per transennam hic ſemel monuiſſe ſufficiat.

(c) *Regulam monachorum ſive canonicorum*) Fingunt monachi Auguſtiniani tres ſibi regulas a S. Auguſtino datas, quarum prima in genere de vita monaſtica, ſecunda in ſpecie de modo orandi & tempore precum, tertia de victu in communi ageret: ſed recte jam olim Eraſmus dixit, nihil frontis & mentis habere, qui has nænias Auguſtino tribuant. Tertiam quidem regulam Auguſtini eſſe nonnulli affirmant, verum non viris ſed fœminis a ſe perſcriptam. Conf. *HILDEBRAND de religioſis eorumque ordinibus p. 59. 60.* Conſtat quoque de cætero, inter canonicos regulares S. Auguſtini & eremitas Auguſtinianas ſemper jam ab anno 1484. fuiſſe controverſiam utrum Auguſtinus regularium, an eremitarum patronus cenſeri debeat. Etenim jam ſeculo XIV. ex eremitis Barthol. Patavinus, Ambroſius Coriolanus, ex canonicis regul. Dominicus Tarviſinus, Euſebius Corradus Mediolan. hac de re diſceptarunt, donec Sixtus IV. pontifex utrisque ſilentium imponeret, ſpeciali decreto, quod refert BZOVIUS *in annal. ad a. 1484.* Poſtea idem argumentum in controverſiam denuo revocarunt ex canonicis Johannes Philippus Novarienſis, Anſelmus epiſc. Havelspurgenſis, Joh. Trullus Arragonius, Joh. Mauburnus, ex eremitis Ludovicus ab Angelis, Cornelius Lancilottus Belga. Deinceps etiam JOH. MARQUESIUS pro eremitis ſcripſit, cui reſpondit *GABRIEL PENNOTTUS in hiſtoria tripartita ordinis clericorum canonic.* ubi monachiſmum Auguſtino falſo affictum ait, ſed nebulas vocat ejus argumenta *P. LUPUS in quæſtione quodlibetica de origine eremitarum & canonicorum regularium S. Auguſtini,* it. *JOH. RIVIUS,* quem tamen una cum Lupo denuo refellit *PETRUS a S. TRUDO in examine teſtamenti S. Auguſtini ad ſtabiliendam filiorum ejus primogenituram.*

liberali dono) reperitur, ſed tantum epiſtola S. Auguſtini centeſima nona, qua ſanctimonialibus pia vivendi inſtituta præſcribuntur. Acquieſco ſcilicet in judicio Bellarmini, cujus hæc ſunt verba: *Ex tribus regulis ſola eſt tertia S. Auguſtini, ſed fœminis data non viris; habetur enim epiſtola 108. reliqua duæ non videntur Auguſtini.* Recentior ſane eſt Hugo noſtras, quam ut poſſit haberi idoneus teſtis & judex librorum S. Auguſtini. Taceo dubium eſſe, ſitne libellus ille Hugonis necne. Multo minus vero Humbertus tanquam teſtis aut cenſor admitti poteſt: utpote qui vixerit demum ſeculo tertiodecimo ordinis prædicatorum monachus.

Supplementum XXXV. ad pag. 428.

In diſſertatione non tam ipſa Anſegiſi verba, quam eorum mentem recitavimus. Attulimus tamen illa paulo ante in ſupplemento. *Epiſtolam Caroli Magni de ſcholis monaſteriorum & epiſcoporum, lectu ſane digniſſimam,* (a) quam ille generalem eſſe voluit ad omnes epiſcopos & abbates, quia *tomo ſecundo conciliorum Galliæ pag. 121.* inſeruit optime de re literaria meritus Sirmondus, depromptam ex codice Metenſi, officii noſtri ratio poſtulat etiam hic exhibere. Eſt autem ſeorſim hæc miſſa ad Baugolphum abbatem Fuldenſem ſecundum: niſi quod per oſcitantiam ſcriba ſub finem adjecerit clauſulam illam epiſtolarum, quæ ad metropolitanum aliquem tunc ſunt directæ. Id quod etiam Sirmondus obſervavit. *Karolus gratia Dei Rex Francorum & Langobardorum, ac Patricius Romanorum, Baugulfo abbati, & omni congregationi, tibi etiam commiſſis fidelibus oratoribus noſtris, in omnipotentis Dei nomine amabilem direximus ſalutem. NOTVM igitur ſit Deo placitæ devotioni veſtræ, quia nos una cum fidelibus noſtris conſideravimus utile eſſe, ut epiſcopia & monaſteria, nobis Chriſto propitio ad gubernandum commiſſa, præter regularis vitæ ordinem, atque ſanctæ religionis converſationem, etiam in litterarum meditationibus, eis qui donante Domino diſcere poſſunt, ſecundum uniuscujusque capacitatem, docendi ſtudium debeant impendere: qualiter ſicut regularis norma honeſtatem morum ita quoque docendi & diſcendi inſtantia ordinet & ornet ſeriem verborum; ut qui Deo placere appetunt recte vivendo, ei etiam placere non negligant recte loquendo. Scriptum eſt enim: Aut ex verbis tuis juſtificaberis, aut ex verbis tuis condemnaberis. Quamvis enim melius ſit bene facere quam noſſe, prius tamen eſt noſſe, quam facere. Debet ergo quisque diſcere quod optat implere, ut tanto uberius quid agere debeat, intelligat anima, quanto in omnipotentis Dei laudibus ſine mendaciorum offendiculis cucurrerit lingua. Nam cum omnibus hominibus vitanda ſint mendacia, quanto magis illi ſecundum poſſibilitatem declinare debent, qui ad hoc ſolummodo probantur electi, ut ſervire ſpecialiter debeant veritati? Nam cum nobis in his annis a nonnullis monaſteriis ſæpius ſcripta dirigerentur, in quibus, quod pro nobis fratres ibidem commorantes in ſacris & piis orationibus decertarent, ſignificaretur, cognovimus in plerisque præfatis conſcriptionibus eorundem ſenſus rectos ac ſermones incultos, quia quod pia devotio interius fideliter dictabat, hoc exterius, propter negligentiam diſcendi, lingua erudita exprimere ſine reprehenſione non valebat. Vnde factum eſt, ut timere inciperemus, ne forte ſicut minor erat in ſcribendo prudentia, ita quoque & multo minor eſſet, quam recte eſſe debuiſſet, in ſanctarum ſcripturarum ad intelligendum ſapientia. Et bene novimus omnes, quia quamvis periculoſi ſint errores verborum multo periculoſiores ſunt errores ſenſuum. Quamobrem hortamur vos, litterarum ſtudia non ſolum non negligere, verum etiam humillima & Deo placita intentione ad hoc certatim diſcere, ut facilius & rectius divinarum ſcripturarum myſteria valeatis penetrare. Cum autem in ſacris paginis ſchemata, tropi, & cætera his ſimilia inſerta inveniantur, nulli dubium eſt, quod ea unusquisque legens tanto citius ſpiritualiter intelligit, quanto prius in litterarum magiſterio plenius inſtructus fuerit. Tales vero ad hoc opus viri eligantur, qui & voluntatem & poſſibilitatem diſcendi, & deſiderium habeant alios inſtituendi. Et hoc tantum ea intentione agatur, qua devotione a nobis præcipitur. Optamus enim vos, ſicut decet eccleſiæ milites & interius devotos & ſcholaſticos bene loquendo: ut quicumque vos, propter nomen Domini, & ſanctæ converſationis nobilitatem, ad videndum expetierit, ſicut de aſpectu veſtro ædificatur viſus, ita quoque de ſapientia veſtra, quam in legendo ſeu cantando perceperit, inſtructus omnipotenti Domino gratias agendo gaudens redeat. *** Hujus itaque epiſtolæ exemplaria ad omnes ſuffraganeos, tuosque coepiſcopos, & per univerſa monaſteria dirigi non negligas, ſi gratiam noſtram habere vis: & nullus monachus foris monaſterio judiciaria teneat, nec per mallos & publica placita pergat. Legens valeat.*

Hactenus Caroli Magni epiſtola: quam eſſe ſcriptam ſeculo adhuc octavo currente, liquido indicat Patricii titulus. Cum cura autem epiſtolam illam legenti cuivis itidem obſcurum eſſe non poteſt, omne hoc Caroli mandatum reſpicere inſtitutionem eorum duntaxat, qui monaſteriis aut epiſcopiis tunc fuerunt addicti: nec ulterius quidquam eſſe exactum, quam ut illi cum grammatiſticam latinam ut & rudimenta rhetorica docerentur, gravioris autem cujusque doctrinæ nihil vel ab iis poſtulatum tunc fuiſſe.

Et vero etiam hoc omne hactenus fuerat aliquot antehac ſeculis etiam in Francorum regno neglectum. Ideoque & clerus tantum non omnis & monachi paſſim tunc erant perquam rudes atque illiterati. Cujus exemplum eſſe poterit ille in Bajoaria ſacerdos, qui latinæ linguæ ignarus hac formula uſus tunc erat in baptiſmo: *Baptizo te in nomine Patria & Filia & Spiritus Sancti,* ceu legere eſt in epiſtola Zachariæ Papæ ad Bonifacium, quæ in Bonifaciano epiſtolarum volumine, non multum latiniore, eſt 134. Non enim, quod jam ante docuimus, hactenus vel Galliæ ſive monaſteria ſive epiſcopia habuerant ullas literarum ſcholas. Etenim tomo quidem primo antiquorum Galliæ conciliorum Sirmondus *pag. 205.* inſeruit Remigii Remorum epiſcopi epiſtolam, ſcriptam circa annum Chriſti 524. ad Fulconem epiſcopum, ubi illum arguit, quod *Levitas feciſſet, presbyteros*

con-

(a) *Epiſtolam Caroli M. de ſcholis monaſteriorum & epiſcoporum, lectu ſane digniſſimam)* Eandem integram inſeruit quoque *LAVNOIVS eleganti libro de ſcholis a Carolo M. fundatis cap. 1. p. m. 5. 6.*

conſecraſſet, archidiaconos inſtituiſſet, ut & *primicerium ſcholæ clariſſimæ militiaque lectorum.* Verum vox *ſchola* non minus ac *militia* ibi accepta eſt illo ſenſu, quo in codice Juſtinianeo aliisque ſequioris illius ævi ſcriptis paſſim in uſu fuit. Similiter in Turonenſi concilio II. habito anno Chriſti 567. quod idem inſeruit Sirmondus pag. 334. vox *ſchola* ſignificat dormitorium. Hæc enim verba ſunt: *Nec liceat monachis cellas habere communes, ubi aut bini commaneant, aut peculiares reperiri poſſint; ſed ſchola labore communi conſtituatur, ubi omnes jaceant, aut abbate aut præpoſito gubernante.*

Supplementum XXXVI. ad pag. 428.

Diploma Caroli Magni Osnabruggenſi epiſcopatui datum (a) habetur integrum etiam in *codice donation. piarum* Auberti Miræi. Idem vero ſubjungit ibi illuſtrationis vice, (ut nempe appareat, iſthoc ævo epiſcopos ſcholis habendis dediſſe operam) nonnulla ex hiſtoria manuſcripta vitæ Notgeri epiſcopi Leodienſis. Quoniam illa ad noſtrum hoc pertinent inſtitutum, nec alibi fortaſſe reperiuntur, omnia huc referemus. Verba igitur ipſamet ita ſe habent. *QVANTA fuerit Notgero in educandis pueris, ſcholaribusque diſciplinis inſtruendis, ſollicitudo, hinc probatur, quod ſemper, dum in via pergeret, longe ſeu prope, ſcholares adoleſcentes ſecum ducebat, qui ſex capellanis ſuis, ſub arctiſſima parerent diſciplina: quibus etiam librorum copiam, cum cæteris ſcholaribus utenſilibus, circumferri faciebat. Sicque fiebat, ut quos plerumque rudes & illiteratos a clauſtro abduxiſſet, ipſos, quos prius magiſtros habuerant in literarum eruditione, redeuntes ſuperarent. Cujus eruditionis occaſione, plurimi eorum etiam in religionis ac ſanctitatis diſciplina circa eum in tantum profecerunt, ut idonei fierent rectores eccleſiarum. Ex illis quippe multæ civitates gaviſa ſunt ſe habere paſtores: quarum Salisburgenſis eccleſia archiepiſcopum habuit Gontherum: Cameracenſis duos alterum alteri ſuccedentem, Rothardum, & Erluinum: Virdunenſis Haimonem, (qui Haimo, magiſtrum ſequens, in urbe Virdunenſi monaſterium B. Mariæ Magdalenæ & S. Mauri poſtea conſtruxit) Tullenſis eccleſia Hezelonem: & Trajectenſis Adelbondum. Licet a multis etiam aliis, epiſcopalem gradum non aſſecutis, qui ſub eo nihilominus coaluiſſent, quam plurimæ correctæ ſunt eccleſiæ. Ex quibus Durandus, poſtea Leodienſis epiſcopus, Bambergenſem eccleſiam religionis & artium diſciplina illuſtravit. Ogbertus, cum quibusdam aliis ſecum hinc abductis, Aquenſium clericorum vitam pernicioſa licentiæ contagio depravatam, ad ſanctæ religionis ſtatum pro poſſe reduxit. Quid de Hulbodo dicamus? qui Pariſios veniens, S. Genovefæ canonicis adhæſit, & in brevi multarum ſcholarum inſtructor fuit. Idem poſtea ſub pontifice Baldrico Pragam, Bohemiæ civitatem, transmiſſus, cum nonnulla ibidem Chriſtianæ religionis documenta dediſſet, ad nos iterum cum honore remeavit. Multi quoque alii ſub tanto patre educati, religione ac ſtudiis liberalibus diverſa illuſtravere loca: quorum vita religioſis moribus & doctrinis inſignita, paternæ probitatis evidens eſt documentum.* Hæc autor ille. Non obſcurum autem hinc eſt, etiam hunc Leodicenſem epiſcopum fere hæſiſſe intra puerorum inſtitutionem. Et vero nec ipſum inſigni polluiſſe aliqua eruditione, etſi inter coævos hoc nomine magni fuerit æſtimatus, produnt ab illo conſcriptæ hiſtoriæ S. Landoaldi & S. Remacli: quæ reperiuntur in Surio ad diem XIX. Martii, & III. Septembris.

Nec vero hic Leodicenſis Notgerus (b) idem eſt cum uno trium illorum, qui in monaſterio S. Galli

(a) *Diploma Caroli M. Osnabruggenſi epiſcopatui datum*) Edidit illud primum ſed admodum vitioſe *in chronico epiſcoporum Osnabrugg. ERDWINVS ERDMANNVS* conſul Osnabr. qui a. 1605. deceſſit. Repetiit idem *ALBERT. CRANTZIVS metrop. lib. I. c. 2.* ſed in quibusdam locis ab Erdmanniana editione diverſum. Ex Cranzio exſcripſerunt *CÆSAR BARONIVS annal. eccleſ. tom. IX. a. 804.* & *AVBERTVS MIRÆVS cod. donat. piarum cap. 12.* nec non *notit. eccleſ. Belgii c. 26.* Tandemque *FERDINANDVS*, epiſcopus Paderborn. & Monaſter. archetypum hujus diplomatis ab Osnabrugg. capitulo nactus illud *monumentis Paderbornenſibus pag 200. 201.* annecti curavit. Recudi quoque illud poſtea cum capitulatione perpetua Osnabrugg. canonici ejus loci fecerunt, De ejus fide tamen cumprimis ante annos aliquot, a. 1717. diſputatum fuit ſcripto & Latino & Germanico in hanc rem edito, ubi *DOM. d' ECCARD* poſt *CAROLVM COVNTIVM*, *BARTH. GERMONVM, GOTOFR. HECHTIVM*, *germ. ſacr. & liter. Part. II. lib. I. c. 11. HEVSCHENIVM* & *PAPEBROCHIVM* hoc diploma Caroli M. ſuppoſititium eſſe docet, CONRINGIVM vero, ut Principi Ferdinando VIII. obſervantiam ſuam teſtaretur, in epiſtola ad eundem genuinum quidem illud, ſed meticuloſe admodum agnoviſſe, & titulum dominatoris Saxonum *in exercit. de finibus imperii* §. 27. politice tantum conſideraſſe, obſervat. Ut vero ſubleſtæ illud fidei eſſe doceat, ſecus ac alias viris de hiſtoria veterum longe meritiſſimis, ſpeciatim *HENRICO MEIBOMIO in notis ad Witichindum p. 694. SCHVRTZFLEISCHIO in diſſ. de Henrico Leone §. 1. WINCKELMANNO in notitia veteris Weſtphaliæ l. 3. c. 7. §. 14. STRVVIO in ſyntagm. hiſtor. germ.* aliisque viſum fuit, his potiſſimum utitur argumentis: (1) quod nunquam Carolus M. initio diplomatum his verbis uſus fuerit: in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis; nec (2) ſe unquam Imperatorem Auguſtum ſcripſerit; (3) quod titulus dominatoris Saxonum, ſcriptio nominis Osnabrugk, formula, *collaudatione illius regionis potentum*, ſignum quoque ſive Monogramma, elogium piiſſimi aliaque non Carolini ſed poſterioris ævi ſint; (4) quod diploma Wihoni epiſcopo dari haud potuerit, utpote jamdudum antea mortuo, nec eccleſia Osnabruggenſis prima ſit Saxoniæ ſed Eresburgenſis, nec ille epiſcopatus primus ſed Bremenſis; (5) quod donatio foreſti, cujus in diplomate mentio fit, demum facta ſit ab Ottone I. a quo & libertatem ac immunitatem iſta eccleſia obtinuerit; (6) quod Amalbertus non Caroli M. ſed Caroli Craſſi notarius fuerit, & quod (7) denique ſcholæ græcæ & latinæ a. 804. Osnabruggæ eſſe haud potuerint, nec occaſionem ibi illas inſtituendi niſi poſt Ottonis II. tempora extitiſſe & quæ ſunt alia, quæ hoc loco non vacat prolixius diſcutere, præſertim cum jam tum alibi a nobis tacta ſint. Id tamen negari non poteſt, non omnia argumenta, quæ contra diploma afferuntur, ſatis ſtringere.

(b) *Nec vero hic Leodicenſis Notgerus*) Videtur tamen id innuere *LAVNOIVS l. c. c. 17. p. 67. ſeqq.* ubi ex vita S. Notkeri, qui ſub Lothario Caroli Calvi Filio ex abbate Sangallenſi factus fuerit epiſcopus Leodienſis, ab Eckehardo deſcripta, atque ex Tritthemio nonnulla affert, additque: Igitur S. Galli ſchola ante Notkerum duos habuit Iſonem & Marcellum, qui liberales diſciplinas & theologiam monachos aliosque cum in clauſtro tum extra clauſtrum docuerunt. Et porro ad verba *TRITTHEIMII: Quibus verbis tres habemus Sangallenſis ſtudii præceptores, quorum alius alium excepit, Notkerum Hartmondus, Hartmondum Adelardus.* Obſervandum etiam ex eodem chronico Notgeri diſcipulum fuiſſe Salomonem illum, qui ex monacho Conſtantienſis factus eſt epiſcopus.

S. Galli illius nominis inclaruerunt: utpote quum ille Carolo Craſſo imperante hi Ottonis Magni & ſucceſſorum ævo vixerint. Quin imo ut obiter addam, hi etiam tres pro temporis quidem captu habiti ſunt perquam docti, reapſe tamen multum abfuerunt a vera illa laude. Magna ſcilicet olim fuit in exiſtimatione ſcholæ literariæ nomine monaſterium S. Galli: quin videtur ad Fuldenſis cœnobii gloriam aſſurrexiſſe. Etſi vero haud negaverim, præ aliis quam pluribus cœnobiis hoc habuiſſe haud paucos rara pro ſeculi ratione doctrina inſtructos, ſic ſatis quoque eximiam & locupletem ſibi inſignium librorum bibliothecam conquiſiverit, ſcholam tamen inſtituiſſe doctrinæ illuſtrioris ſive ſacræ ſive ſecularis haud perinde certum eſt: ſed videtur, libris antiquorum lectis modo hunc modo quem alium, ad exemplum doctorum quorumque illius cœnobii, proprio, quod ajunt, Marte ſibi doctrinæ aliquid comparaviſſe. Et ſane ſi vera ſunt quæ ſcripſit Conradus de Fabaria *l. de caſibus S. Galli cap. 1.* valuit olim cœnobium hoc doctrina ſic ſatis eximia. Is ſane tradit, ibi *ſic ſpiritualem effulſiſſe diſciplinam, ut non ſolum Benedicti regulam, verum etiam philoſophiam totam, ad unguem usque inveſtigarint; theoriam, Platonis, Socratis, Ariſtotelis, Hippocratis, Boëtii omnesque inveſtigaverint rivulos, ut in ſuis metris non philoſophi ſolum ſed etiam poëtrida fuerint.* Verum hoc præconium fidem ſuperat. Legere tamen operæ fuerit pretium, quæ uterque Eckardus libellis *de caſibus S. Galli* & *de vita Notkeri* jam olim, & avorum ætate de monaſterii hujus doctrina Bruſchius in opere de *monaſteriis*, & poſt illum Stumphius *Helveticarum rerum* præclari operis *libro quinto*, ſic ſatis prolixe commemoraverunt. Nec enim illa hic repetere, noſtri hujus inſtituti patitur ratio.

Jam tum ante autem etiam faſſi ſumus, Notgerum Leodicenſem Craſſo Carolo fuiſſe coævum: ideoque ne ea quidem quæ de illo retulimus ad Caroli Magni faciant tempora. Addemus igitur proinde nunc aliquid quod iſthuc pertineat. Theodulphus ſcilicet Aurelianenſis epiſcopus in ſuo quod habuit diœceſano concilio, Salvatoris noſtri anno DCCCXVII. cujus canones ſunt inſerti *tomo ſecundo conciliorum Galliæ*, hosce duos ſanxit. XIX. *Si quis ex presbyteris voluerit nepotem ſuum, aut aliquem conſanguineum, ad ſcholam mittere, in eccleſia ſanctæ crucis, aut in monaſterio ſancti Aniani, aut ſancti Benedicti, aut ſancti Liſardi, aut in cæteris, de his cœnobiis quæ nobis ad regendum conceſſa ſunt, ei licentiam id faciendi concedimus. XX. Presbyteri per villas & vicos ſcholas habeant & ſi quilibet fidelium ſuos parvulos ad diſcendas litteras eis commendare vult, eos ſuſcipere & docere non renuant, ſed cum ſumma caritate eos doceant, attendentes illud quod ſcriptum eſt: qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Cum ergo eos docent, nihil ab eis pretii pro hac re exigant, nec aliquid ab eis accipiant, excepto quod eis parentes caritatis ſtudio ſua voluntate obtulerint.*

Supplementum XXXVII. ad 429.

Ludovicum Caroli Magni filium pietatis exercitia in clero & monaſteriis voluiſſe modis omnibus integra ſervare, ſatis oſtendunt canones illi, quos laudavimus, Aquisgranenſes. De ſcholis tamen, quod miror, in iis nihil eſt tactum. Vt videatur jam tunc illas, non perinde uti imperante Carolo Magno, fuiſſe amplius vel monaſteriis, vel canonicorum collegiis curæ. Quin imo videtur, jam tunc ſcholas, quas diximus *externas*, ſenſim in monaſteriis fuiſſe antiquatas; atque huc pertinere canonem illum Ludovici Imperatoris p. 299. in ſupplemento XXXII. adductum, *Vt ſchola in monaſterio non habeatur niſi eorum qui oblati ſunt.* Veroſimile autem eſt, voluiſſe potius Ludovicum, ut ab epiſcopis paſſim pueriles ſcholæ inſtituerentur. Liquet illud ex canone XXX. concilii Pariſienſis ſexti, habiti imperante Ludovico, anno Salvatoris 819. Partem ejus, qualis reperitur *lib. 1. cap. 5. additionum ad capitularia Francorum* jam dedimus *pag. 511.* nunc vero illum exhibebo integrum prout edidit Sirmondus. *Jam dudum a pio & orthodoxo principe domino Huldowico Deo amabili Imperatore juſſum & admonitum eſt, ut rectores eccleſiarum in eccleſiis ſibi commiſſis ſtrenuos milites Chriſti, quibus Deus placari poſſet, præpararent & educarent, attendentes illud Danielis prophetæ: Qui autem docti fuerint fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt alios, ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates. Sed ſuper hac ejusdem principis admonitione, immo juſſione, a nonnullis rectoribus tepide & deſidioſe hactenus actum. Vnde omnibus nobis viſum eſt, ut abhinc poſtpoſita totius torporis negligentia, ab omnibus diligentior in educandis & erudiendis militibus Chriſti, & vigilantior adhibeatur diligentia; & quando ad provinciale epiſcoporum concilium ventum fuerit, unusquisque rectorum, ſicut jam in præcedentibus memoratum eſt, ſcholaſticos ſuos eidem concilio adeſſe faciat, ut ſuum ſolers ſtudium circa divinum cultum omnibus manifeſtum fiat.*

Concilii porro Valentini tertii, quod anno Chriſti octingenteſimo quinquageſimo quinto celebratum eſt, capitulum octavum decimum de ſcholis inſtaurandis ita ſe habet: *Vt de ſcholis tam divinæ quam humanæ literaturæ, nec non & eccleſiaſticæ cantilenæ, juxta exemplum prædeceſſorum noſtrorum, aliquid inter nos tractetur, & ſi poteſt fieri ſtatuatur atque ordinetur. Quia ex hujus ſtudii longa intermiſſione, pleraque eccleſiarum Dei loca, & ignorantia fidei & totius ſcientiæ inopia invaſit. Placet firmatum.* Ex quo capitulo diſcere eſt, jam tunc temporis optima Caroli de ſcholis inſtituta pridem quaſi obſoleviſſe: hinc vero & *fidei ignorantia* laboraſſe populum, multo magis *inopia ſcientiæ.* Vt omnino etiam heic non niſi de trivialibus ſcholis puerorum ſermo ſit. Quid autem etiam in illo concilio fuerit conſtitutum de ſcholis inſtaurandis, nusquam traditum eſt: indubie autem omni caruit felice ſucceſſu.

Quem præterea canonem in diſſertatione adduximus, non eſt Tullenſis ſed Lingonenſis ad Saponarias, habiti anno CIↃ IↃ CLIX. concilii a nonnullis Galliæ epiſcopis: in concilio tamen Tullenſi cum aliis oblatus eſt Carolo Calvo ejusque ex fratre Lothario nepotibus Lothario & Carolo Regibus, eodem anno. Debetur autem editio illius concilii prima itidem Sirmondo:

mondo: habeturque *tomo tertio conciliorum Galliæ pag. 153.* Videtur autem epiſcopos illos deſideraſſe ſcholas rei literariæ divinæ humanæque non tam in puerorum quam majorem & meliorem uſum. Caruit autem & hoc votum omni ſucceſſu optato.

Prodiit porro Romæ anno ſeculi hujus ſexageſimo ſecundo *collectio Romana bipartita veterum aliquot hiſtoriæ eccleſiaſticæ monumentorum*, edi cœpta a Luca Holſtenio, ſed poſt ejus obitum additis notis poſtumis perfecta, cura ipſiusmet eminentiſſimi Cardinalis Franciſci Barbarini. In illo libro cum reperiantur concilium Romanum Eugenii Papæ ſecundi, & alterum Leonis Papæ quarti, quorum utroque de ſcholis aliquid eſt conſtitutum, liber vero ille hactenus paucis forte ſit viſus, quæ noſtri argumenti ibi habentur heic adferre non abs re fuerit, præſertim quia utrumque concilium habitum eſt ſub Imperatore Ludovico Lotharii Imperatoris filio. Et vero primi hoc exordium eſt. *In nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, imperante domino noſtro piiſſimo Auguſto, Hludovico a Deo coronato magno imperatore, imperii anno 13. & regni ejus anno 13. ſed & Hlothario novo imperatore, ejus filio, anno X. indictione IV. menſis Novembris die XV. Eugenius ſanctiſſimus ac ter beatiſſimus & univerſalis Papa, cum univerſis epiſcopis &c.* Alterum ita incipit. *Incipit ſancta ac veneranda ſynodus, quæ per Domini gratiam & ejus divinum conſilium congregata eſt in eccleſia B. Petri apoſtoli, anno ſcilicet Pontificatus ſanctiſſimi & evangelici & univerſalis quarti Papæ Leonis ſeptimo, atque inviciſſimorum dominorum noſtrorum Hludovici & Hlotarii Imperatorum, anno quoque imperii eorum quinto & trigeſimo ſeptimo, menſe Decembri die VIII. indictione II.* Habetur autem concilii Eugeniani capitulum XXXIV. *de ſcholis reparandis pro ſtudio literarum* jam tum in decreto Gratiani *diſt. 37. cap. 12.* hiſce verbis: *De quibusdam locis ad nos refertur, neque magiſtros, neque curam inveniri pro ſtudio literarum. Idcirco in univerſis epiſcopiis* (ita enim ſcribendum, non *epiſcopis*) *ſubjectiſque plebibus, & aliis locis in quibus neceſſitas occurrerit, omnino cura & diligentia adhibeatur, ut magiſtri doctores & conſtituantur, qui ſtudia literarum liberaliumque artium dogmata aſſidue doceant quia in his maxime divinum manifeſtatur atque declaratur mandatum.* Concilii illius quod Leonis IV. Papæ auſpiciis eſt geſtum, capitulum itidem XXXIV. eodemque titulo, ſic ſonat: *Etſi liberalium artium præceptores in plebibus raro inveniantur: tamen divinæ ſcripturæ magiſtri, & inſtitutores eccleſiaſtici officii nullatenus deſint: qui & annaliter proprio epiſcopo de ejusdem actionis opere ſollicite inquiſiti debeant reſpondere. Nam qualiter ad divinum cultum aliquis accedere poſſit, niſi juſta inſtructione doceatur?* Hactenus illa capitula. At vero quod Eugenius Papa decrevit de liberalium artium ſcholis, illud clare ſignificat, tum temporis illas fuiſſe etiam in Italia collapſas. Inanem vero etiam fuiſſe illum Eugenii conatum, indicat liquido alterum illud Leoninum, quo affirmatur *liberalium artium præceptores raro inveniri.* Reapſe enim nulli tum fuerunt apti artibus illis ex dignitate docendis: imo etiam barbarorum magiſtrorum magna fuit penuria. Quales vero & *magiſtri divinæ ſcripturæ & inſtitutores eccleſiaſtici officii* ſint conſtituti, ſi expertes illi fuerint liberalium artium? Verum hæc fuit illo ævo etiam in Italia, imo etiam Romæ, inſcitia, ut etiam *illa barbara, qua utraque capitula conſtant, latinitas* (a) habita tum fuerit quantivis pretii: ſcientiæ autem ſive divinæ ſive ſecularis vix quisquam fuerit peritus; etſi paulo poſt Nicolaus I. Papa multum videatur ultra ſeculi ſui mores ſapuiſſe.

Annotavit vero Holſtenius ad capitulum ultimum: *De ſcholis eccleſiarum earumque magiſtris, erudite & prolixe diſſeruit Altaſerra cap. 2. pag 107.* Etſi autem illa Altaſerræ viſa mihi non ſint, nolo tamen etiam hoc lectorem celare, quia viri illius eruditio & inſignis in eruderandis rebus antiquis ſedulitas abunde in quam multis aliis ſeſe mihi probavit.

Supplementum XXXIIX. ad pag. 429.

De Alcuino heic unicum duntaxat nunc annotabimus illud, quod ipſemet Carolus Magnus non dubitaverit cum univerſo epiſcoporum concilio Francofordienſi, quo nullum in regno Francorum magis fuit plenarium, ut loquar more eccleſiaſtico veteri, non dubitaverit laudare illum pariter & commendare. Ita enim ſeſe habet concilii illius capitulum ultimum. *Commonuit etiam* Carolus Rex, *ut Alcuinum ipſa ſancta ſynodus in ſuo conſortio, ſive in orationibus, recipere dignaretur, eo quod eſſet vir in eccleſiaſticis doctrinis eruditus. Omnis ſynodus ſecundum admonitionem Domini Regis conſenſit: & eum in eorum conſortio ſive in orationibus receperunt.*

Supplementum XXXIX. ad pag. 431.

Eorum qui negant, jam tum Carolo Magno imperante Pariſienſis ſcholæ cœpiſſe exordium, ſententiam haud parum forte confirmant illa, quæ habentur *capit. XII libri 3. Pariſienſis concilii ſexti*, quod celebratum eſt anno Chriſti octingenteſimo viceſimo nono, jam tum imperante Caroli filio Ludovico Pio. Illud enim ita ſeſe habet. *Similiter obnixe ac ſuppliciter veſtræ Celſitudini ſuggerimus, ut morem paternum ſequentes, ſaltem in tribus congruentiſſimis imperii veſtri locis ſcholæ publicæ ex veſtra auctoritate fiant: ut labor patris veſtri & veſter, per incuriam, quod abſit, labefactando non depereat. Quoniam ex hoc facto & magna utilitas, & honor ſanctæ Dei eccleſiæ, & vobis magnum mercedis emolumentum, & memoria ſempiterna accreſcet.* Omnino enim hic ſermo eſt de ſcholis publicis qualem traditur fuiſſe inſtitutam Pariſiis a Carolo Magno: & tamen non ſit hoc loco ejus ſcholæ hic mentio, etſi concilium in ipſa illa Pariſiorum urbe fuerit habitum. Verumenimvero, agnoſco & ipſe poſſe hinc colligi, ſcholam Pariſienſem ea ætate non fuiſſe in magno pretio, ut nec aliam aliquam publicam, atque adeo hac de cauſſa ab epiſcopis arbitrio Regio eſſe relictum, quæ loca imperii Francici vellet ſcholis publi-

(a) *illa barbara latinitas*) Conf. hic JOH. FRID. KREBSII *diſſert. quæ prodiit an. 1682. de lingua Latina ante & poſt Caroli M. tempora corrupta exemplis & cauſis.* Solœciſmos quoque ex jure canonico exhibuit JOH. FRID. MATERUS *diſſ. quantum pontificiis reformatio Lutheri ipſis non diſſentibus profuerit.*

publicis exornare. Ipſum tamen etiam illud capitulum docet, a Carolo Magno ſcholas publicas inſtitutas eſſe: ac proinde non eſt, quod ſequior aliqua ſuſpicio ex hoc quidem capitulo de origine Pariſienſis ſcholæ naſcatur. Quin imo veritati eſt ſimile, jam tum a Carolo Magno tres publicas ſcholas fuiſſe erectas. Quarum nempe prima fuerit Pariſienſis, altera Ticinenſis. *Tertiam in Turonibus fuiſſe*, (a) fortaſſis indicant verba illa Alcuini in epiſtola ad Carolum Magnum, quæ habetur *lib. 1. cap. 9. continuationis hiſtoriæ Bedæ*, & quidem ipſa illa, quæ in diſſertatione adferuntur p. 432. *Vt non ſit tantummodo in Eboraco hortus concluſus, ſed etiam in Turonico emiſſiones paradiſi.* Sed huic conjecturæ ſive credas ſive non credas, parum refert. Satis jam eſt monuiſſe, capitulum illud Pariſienſis concilii vulgarem ſententiam non convellere.

Magis me dubium reddit auctoritas Joannis Launoyi Pariſienſis theologi longe celeberrimi: qui *in libello de vera cauſſa ſeceſſus Brunonis in eremum*, (b) ſub finem capitis primi ita ſcriptum reliquit. *Ante Brunonis ætatem* (hic autem vixit ſeculo undecimo declinante) *ſtatum fuiſſe Pariſiis theologiæ ſtudium, atque ibi magiſterium in theologia dari ſolitum, vix probaretur. Hic fabulas mitto, quas de quatuor Bedæ diſcipulis Alcuino, Joanne Scoto, Rabano & Claudio, Pariſienſem academiam inſtituentibus, obſcuri homines ſumma rerum ignoratione invexerunt. Qua de re erudite ſcribit Stephanus Paſchaſius lib. 3. diſquiſitionum Francicarum c. 3.* Non eſt mihi nunc ad manum Paſchaſii ille labor: ideoque quid ille aſſeruerit vel negaverit equidem neſcio. *Fortaſſis autem nec Launoyus aliud improbat*, (c) quam quod fertur de quatuor Bedæ diſcipulis. Et vero nullus eorum quatuor Beda fuit magiſtro uſus. Et ſi Rabanus & Johannes Scotus illi, quorum hodieque celebris eſt memoria, credantur Pariſienſem ſcholam auſpiciis Caroli Magni inſtituiſſe, etiam hoc utique fabuloſum fuerit: uterque enim floruit demum filiis Ludovici Pii Imperatoris rerum potientibus. Hactenus igitur etiam me adſtipulatorem habeat Launoyus. Multum cæteroquin tribuo viri judicio: utpote quod abunde ille mihi probavit eximiis aliquot libellis, quibus fabulas nonnullas eccleſiaſticas, in vulgus receptas, maſcule exploſit.

Supplementum XXXIX. ad pag. 433.

Joannem Erigenam fuiſſe gente Hibernum, adeoque ex vetere non autem Britannica Scotia oriundum, jam tum docuimus ſupplemento XXXI. Eundem vixiſſe aliquamdiu in Gallia, Carolo Calvo Rege, præter Sigebertum Gemblacenſem in *catalogo cap. 95.* narrant etiam Matthæus VVeſtmonaſterienſis in *floribus hiſtoriarum* quos vocat, ad annum DCCCLXXX, & Guilielmus Malmesburienſis *lib. 2. de geſtis regum Anglorum cap. IV.* aliique. Adducam verba quædam ſolius Matthæi. *Eodem anno venit in Angliam magiſter Joannes, natione Scotus, vir perſpicacis ingenii & facundiæ ſingularis. Hic dudum relicta patria ad partes Gallicanas tranſiens, Carolumque Calvum adiens, atque in magna ab eo dignatione ſuſceptus, individuus comes ei fuerat & menſæ & cubiculi.* Alia quæ adduntur prætereo.

Verſos porro ab illo Joanne Dionyſii Areopagitæ libros, qui feruntur, ex Græco, jubente Carolo Rege: teſtantur præter Matthæum etiam Sigebertus & alii, eſtque illa verſio etiamnum ſuperſtes. Librum illius novemdecim capitibus conſtantem *de una prædeſtinatione*, (d) etiam ſupereſſe in biblio-

(a) *Tertiam in Turonibus fuiſſe*) De ſchola Turonenſi, quæ Cæſaroduni Turonum floruit, ab Alcuino inſtituta, vide LAVNOIVM *loc. c. cap. 5. pag. 31. ſeqq.* ubi eadem verba ex epiſtola Alcuini ad Davidem Angliæ regem ſcripta affert, indeque probat, ſcholam hanc ab Alcuino fuiſſe inſtitutam, eamque non modo autoritate magiſtri, ſed & diſcipulorum numero floruiſſe. Deinde oſtendit celebrem hanc ſcholam adhuc fuiſſe an. 868. imo etiam usque ad a. 1050. perſtitiſſe, quo tempore Odorannus in chronico Berengarium Turonenſem magiſtrum & admirabilem philoſophum laudet.

(b) *in libello de vera cauſa ſeceſſus Brunonis in eremum*) Prodiit hic liber primum Pariſiis 1653. apud Edmundum Martini, deinde Argentorati apud Joachimum Bockenhoferum anno 1656. Tertia vero editio auctior & correctior prodiit a. 1662. Pariſ. apud eundem Martini. Scopus autem libri eſt, ut probetur ſanctum Brunonem Cartuſianorum autorem ex redivivo Pariſienſi doctore, qui æternis ſe damnatum ſuppliciis aſſeruerit, non cepiſſe occaſionem inſtituendæ religionis ſuæ, quod & multis veterum evincit teſtimoniis. Vid. LAVNOIVM *p. 11. ſeqq.*

(c) *Fortaſſis autem Launoius nec aliud improbat*) Vtique improbat plura, nimirum quod a Carolo M. fundata ſit ſchola ſive academia Pariſienſis. Vide *notas ad diſſ. 3. p. 431.*

(d) *librum de una prædeſtinatione*) Nimirum ad ſalutem hominum vitamque æternam, cum de cætero nonnulli alii prædeſtinationem etiam ad mala pœnæ antecedentibus malis culpæ, adeoque geminam prædeſtinationem ſtatuerent. Incidit enim Johannes Scotus in ea tempora, quibus valde agitabantur controverſiæ de prædeſtinatione a libello quodam Godeſcalci natæ. Et epiſcoporum Gallicanorum quidam cum Remigio Lugdunenſi Godeſcalco favebant, alii cum Hincmaro Rheimenſi ipſi adverſabantur, inter quos Johannes noſter nomen ſuum profeſſus non minimam a Lugdunenſibus ſibi invidiam conflavit. Hinc Florus dictus magiſter librum edidit adverſus cujusdam vaniſſimi hominis, qui cognominatur Johannes, ineptias & errores de ſcientia & prædeſtinatione divina. Nec non bina concilia Lugdunenſe & Lingonenſe opinionem ejus ſevere taxarunt. Fieri ergo hinc potuit, ut ipſe Scotus harum controverſiarum tædio inductus, (licet alias tanta apud Carolum Calvum gratia eſſet, ut eum magiſtrum appellaret, interque cibos abs ſe joco interrogatus, quid eſſet inter Scotum & Scottum, repoſuiſſe dicatur, menſa tantum) ſe tamen ſubducendi vel conſilium, vel occaſionem amplexus fuerit, atque in Angliam redierit, præſertim ubi ad patriam propius & ad amplius ſtipendium invitaretur. Confundi ille de cætero ſolet cum alio Johanne Scoto, uti jam ſupra monuit CONRINGIVS *diſſ. 3. pag. 433.* Noſter enim Aelfridi tempore vixit, cui, obſervante Spelmanno, in lingvis & artibus ipſe Græcæ, Chaldaicæ & Arabicæ lingvarum peritus præcepit, deinde ab eo profeſſor Malmesburienſis conſtitutus eſt, ubi jurgio coorto in ædicula quadam a propriis diſcipulis ſcalpellorum mucronibus confoſſus interiit, corpore ejus prius obſcuro loco inhumato, donec, ceu referunt, crebrum lumen ſepulchro circumfuſum cerneretur, unde cauſa propius explorata martyr habitus & effoſſæ reliquiæ in eccleſiam cum hoc titulo ſepulchrali illatæ ſunt:

Conditus hoc tumulo ſanctus ſophiſta Johannes,
Is qui dictus erat, jam vivens dogmate miro
Martyrio tandem Chriſti conſcendere regnum,
Quo meruit, ſancti regnant per ſecula cuncti.

Proinde etiam canonizatus deinceps fuit, nomine ejus martyrologio ad 4. id. Nov. inſerto, ex quo tamen id poſtea delevit Baronius.

bliotheca Corbejenſi, ſcribit Sirmondus *ad tom. ſecundum concilior. Galliæ pag. 681.* Vtrum autem ille publicatus ſit typis, neſcio. Tantum ſynopſis, ſive excerpta potius, illorum novemdecim capitulorum edita ſunt in libro, Lugdunenſis eccleſiæ nomine contra Joannem illum acerbiſſime & ſatis inique, pro cauſſa Gotteſchalci ejusque doctrinæ de prædeſtinatione ſcripto. Hujus libri autem Lugdunenſis verus autor creditur vulgo eſſe Florus Lugdunenſis diaconus. Nec ſine cauſſa: quoniam id videtur VVeſtmonaſterienſis quoque affirmaſſe. Vidi tamen in Svecia degens in bibliotheca Regia Sereniſſimæ Chriſtinæ manuſcriptum eundem librum, attributum Igomaro Vienneſi epiſcopo. In cujus calce legebatur. *Hoc epitaphium compoſuit Joannes Scotus, licet ſapienter, hæreticus tamen.*

Hic jacet Igomarus cleptes & ſemper avarus.
Hoc unum fecit nobile quod periit.

Eſſe autem hoc epigramma Joannis illius, haud equidem negaverim. Arguit enim, auctorem & lepidi fuiſſe ingenii & Græce non indoctum: talem vero depinxit Joannem VVeſtmonaſterienſis, varia ejus jocoſe dicta factaque commemorans.

Ab eodem præterea Joanne Scoto *de eucbariſtia* eſſe ſcriptum librum, *in eandemque plane ſententiam, quam tunc temporis defendit Ratramnus,* (a) (qui perperam Tritthemio atque vulgo nunc audit Bertramus) Corbejenſis monachus, oppoſitumque adeo illi quod tunc invaleſcebat περὶ μετουσιώσεως dogmati, liquet ex iis quæ Lanfrancus *contra Berengarium* ſcripſit *cap. 4.* Meminit autem ejus & Philippus Bergomenſis in *ſupplemento chronicor.* ad annum 880. Verum ille libellus forte pridem interiit: quia ſcilicet in ſynodo Vercellenſi, contra Berengarium coacta, *lectus & damnatus* fuit Lanfranco teſte: imo & Romæ combuſtus, ſi aliorum credimus narrationibus. Fruſtra ſane ſunt, qui ſuſpicantur *librum qui hodieque ſupereſt Ratramni nomine, eſſe Joannis Scoti:* (b) quum jam Sigeberti Gemblacenſis ævo Ratramnus illius auctor citra controverſiam fuerit habitus, & doctiſſimo Vſſerio *cap. XI. hiſtoriæ Gottoſchalcianæ* teſte, *tum in Sariburienſi tum in Benedictini collegii apud Cantabrigienſes bibliotheca* ſupereſt Ratramni, præter alterum de anima, *unus de nativitate Chriſti liber, in quo eandem, quam in libro de corpore & ſanguine Domini tradidit, doctrinam propugnat.* Non enim a vero id alienum eſſe dixerim, etſi liber ille, qualis eſt editus *ſpicilegii tomo primo* a Luca Dacherio Benedictino monacho, nihil tale habet: ſed illaudabili haut inſolito tamen ſtudio id eſſe omiſſum, vero eſt ſimilius.

Non mirum autem eſt, Joannis Scoti librum illum periiſſe, quia ſimile fatum paſſus eſt ejusdem cum Scoto & Ratramno ſententiæ liber Amalarii diaconi & Scoto coævi chorepiſcopi Trevirenſis; perierint item Rabani Mauri archiepiſcopi Moguntini liber ad Eigilem, non Fuldenſem ſed Prumienſem abbatem, ut & fortaſſe quidam Heribaldi Autiſſiodorenſis epiſcopi liber: quandoquidem ſcilicet viſi fuerunt non convenire ταῖς κυρίαις δόξαις, quæ poſt prævaluerunt. Poſtinquam. Illam enim Ratramni & Scoti doctrinam illius ætatis ſaltim quam multis viſam eſſe veriorem, docere poteſt vel ſola auctoritas eam tunc defendentium, Rabani cumprimis, & Joannis Scoti. Fuit enim utriusque ſumma tum exiſtimatio. Quod de Joanne Scoto ipſemet ejus iniquus adverſarius, ſive Florus ſive Igomarus, ſatis prodit, quando ait: *Quia a multis idem homo quaſi ſcholaſticus & eruditus admirationi habetur.* Rabani per Germaniam cumprimis & Galliam univerſam, ſummam fuiſſe exiſtimationem, citra controverſiam eſt apud omnes. Hunc autem ipſimet Paſchaſio Ratberto oppoſuiſſe ſuam ad Eigilum epiſtolam, per quam mihi fit veroſimile ex hiſce verbis *epiſtola* ejusdem *Rabani ad Heribaldum* Autiſſiodorenſem epiſcopum *cap 33.* quam poſt Stevartium optima fide edidit cum Reginonis *de eccleſiaſticis diſciplinis* opere, vir de antiquis eccleſiæ monumentis optime meritus ac longe doctiſſimus idemque amicus noſter Stephanus Baluzius. *Quidam nuper de ipſo ſacramento corporis & ſanguinis Domini non rite ſentientes dixerunt, hoc ipſum corpus & ſanguinem Domini, quod de*

Maris

(a) *in eandem ſententiam quam tunc defendit Ratramnus*) Nimirum quod in S. Cœna non exhibeatur corpus Chriſti proprie dictum, aut ex pane transſubſtantiatum, ſed corpus ſpiritualiter ſumtum. Quemadmodum enim occaſione controverſiæ cum Iconomachis, qui in ſynodo Conſtantin. an. 750. dixerant, Dominum noſtrum J. C. nullam nobis ſui imaginem reliquiſſe, niſi in ſacramento, in contrariam ſententiam ſtatim concilium Nicænum an. 787. pronunciaverat, quod ſacramentum poſt conſecrationem non ſit imago corporis Chriſti, ſed proprium Chriſti corpus. Ita & hanc ſententiam apud Latinos cumprimis Paſchaſius Radbertus defendebat, ita ut etiam de transſubſtantiatione quadam, quæ in S. cœna fieret, loqueretur. Hunc errorem ergo notabat Joh. Scotus, neque ejusmodi transſubſtantiationem ex S. literis probari poſſe aſſerebat, ipſo fatente BELLARMINO *de eucbariſtia lib. 3 c. 23.* SVAREZIO *in 3. diſ. 49. qu 75. ſect. 2.* Notabat quoque hunc errorem RHABANVS MAVRVS *an. 847. in epiſtola ad Heribaldum cap. 33.* Imo & Berengarius ſeſe opponebat, poſtea tamen recantare coactus a Nicolao Pontifice & concilio Romano, apud GRATIANVM *de conſecrat. diſt. 2.* & quoniam verba illa non ſatis caute eſſent poſita, aliis denique verbis ſub Gregorio VII. an. 1079. palinodiam cecinit, ideo LAVNOIO *tr. de ſcholis a Carolo M. fundatis pag. 34.* quod in iis, quæ minus recte docuerit, non acer aut pertinax fuerit, magnopere laudatus.

(b) *Ratramni liber [illegible]i hodieque ſupereſt*) Vide de eo COLOMESII *paralipomena de ſcriptoribus eccleſ.* Extitit hujus libri MSum in bibliotheca Jacobi Gilottii ſenatoris Pariſ. aliud vero in Belgio a Mabillonio inventum cum verſione & notis poſtea edidit Jacobus Boileau Doctor Sorbonicus. Sunt qui cum Petro de la Marca hunc librum eundem cum libro Joh Scoti de euchariſtia, eique Ratramni nomen adſcriptum fuiſſe exiſtimant. Quicquid hujus ſit, Ratramnus etiam ex alia controverſia cum Paſchaſio Radberto de partu virginis Mariæ, utrum aperto an clauſo utero factus fuerit, ventilata, de qua vide LVCÆ DACHERII *Spicilegium nov. edit. tom. I. pag. 44. ſeqq.* notiſſimus eſt. Hallucinatus autem eſt magnopere Sixtus Senenſis, qui hunc librum Oecolampadio tribuit, ut nimirum antiqui ſcriptoris contra transſubſtantiationis doctrinam teſtimonium ſupprimeret. Semper enim hic liber Pontificiis fuit es in oculis fuit, atque detestandus, unde & LATINVS LATINIVS cum legiſſet illum, immemor quod in indice hæreſeos ſit notatus, ſtatim poſt agnitum errorem projecit & a ſummi Pontificis pœnitentiario Cardinali Varmienſi curavit ſe abſolvendum, ut ipſe refert in *bibliotheca ſacro profana p. 110.*

Maria virgine natum eſt, & in quo ipſe paſſus eſt in cruce, & reſurrexit de ſepulchro, idem eſſe quod ſumitur de altari. (Hoc autem omne tunc unus libro edito docuerat Paſchaſius) *Cui errori, quantum potuimus, ad Egilum abbatem ſcribentes, de corpore ipſo quid vere credendum ſit, aperuimus.* Poſſit vero, eam fuiſſe Rhabani ſententiam, etiam ex eo colligi; quod (ceu recte advertit Baluzius) *l. 1. de inſtitutione clericorum cap. XXXI.* doceat, corpus Domini euchariſticum in alimentum corporis noſtri redigi, quemadmodum olim locuti fuerant S. Juſtinus & S. Irenæus: imo quod Heribaldo quærenti, *utrum euchariſtia poſtquam conſumitur & in seceſſum emittitur more aliorum ciborum, iterum redeat in naturam priſtinam quam habuerat antequam in altari conſecraretur:* non dubitaverit reſpondere, *ſuperfluam eſſe hujusmodi quæſtionem, cum ipſe Salvator dixerit, Omne quod intrat in os, in ventrem vadit & in seceſſum emittitur.* Quod ultimum ejus reſponſum Berengarii tempeſtate diffamari cœpit, neſcio quo Stercoraniſtarum hæreticorum titulo, & Græcis imputari: ceu videre eſt apud Algerum *de ſacramento euchariſtiæ l. 1. c. 1.* imo *quaſi nunquam antehac auditum* proclamari, ut habetur in libello anonymo *de euchariſtia* quem ex ſchedis Sirmondi produxit in lucem Cellotius: cum tamen pridem ita fuiſſet locutus ipſemet Origenes *ad cap. XV. Matthæi,* & fortaſſis hinc *Græcæ hæreſios* titulo placitum illud infamaverit Algerus. Ut cunque vero ſeſe habeant illa Rhabani; quandoquidem vir ille, iſthac ætate per Germaniam, Galliam alibique ſummi habitus pretii, non dubitavit talia profiteri publice, & quidem docere iſthæc viros magnos, qualis utique fuit Heribaldus, imo & Eigil, utpote qui ita a Rhabano inſtitutus factus mox fit archiepiſcopus Senonenſis: quandoquidem etiam apud ipſum Carolum Calvum regem in ſumma fuerit opinione & gratia Joannes Scotus: equidem haud dubito affirmare, ſaltim apud regem ipſum Carolum & epiſcopos Germaniæ Galliæque eruditiores quammultos, Ratramni doctrinam haud male tunc audiviſſe. Non ſane legere eſt, tunc quidem temporis, ſive in concilio aliquo, ſive alias, quenquam poſt Corbejenſem Paſchaſium illi placito adverſatum eſſe. Ex adverſo in pleriſque ſeculi noni ſcriptoribus occurrunt quamplura Ratramnica. Fortaſſis tamen iſthuc trahenda ſunt virulenta illa convitia a Remigio archiepiſcopo Lugdunenſe, homine impotentis animi & calami, in Amalarium (qui perperam a nonnullis credi ſolet idem eſſe cum Amalone Remigii anteceſſore) indignis modis jacta, prima epiſtola de negotio Gotſchalciano ſcripta. *Multum moleſte & dolenter accepimus, ut eccleſiaſtici & prudentes viri tantam injuriam ſibimetipſis fecerint, ut Amalarium de fidei ratione conſulerent: qui & verbis & libris ſuis, mendaciis & erroribus & phantaſticis atque hæreticis diſputationibus plenis, omnes pene apud Franciam eccleſias, & nonnullas etiam aliarum regionum, quantum in ſe fuit, infecit atque corrupit. Ut non tam ipſe de fide interrogari, quam omnia ſcripta ejus, ſaltem poſt mortem ipſius, debuerint igne conſumi; ne ſimpliciores quique, qui eos multum diligere & legendo frequentare dicuntur, eorum lectione & inaniter occuparentur & pernicioſe fallerentur.* Hæc inquam fortaſſis accipienda ſunt de Amalarii cum aliis ſcriptis tum illo libro quo μετουσίαν oppugnaverat: certo enim haud aſſeveraverim. Quanquam oppugnatam ab illo eſſe μετουσίαν, non equidem dubitem Sorbonico etiam Duvallio aſſentiri potius quam Uſſerio credere, Amalarium præluſiſſe μετουσίας dogmati, eoque *ejus de corpore & ſanguine Domini deliramenta* (ita loquitur *hiſt. Gotſchalciana cap. VIII pag. 133.* editionis Hanovienſis) *ab epiſcopis eſſe damnata:* præſertim quoniam cum paſſim alibi, tum in ipſa ſtatim præfatione operis *de eccleſiaſticis officiis* etiamnum ſuperſtitis, legantur nonnulla μετουσίας dogmati διαῤῥήδην adverſantia. In quæ tamen nec adverſarius Agobardus animadvertit libro illo ſingulari quo acriter libros iſtos Amalarii oppugnavit: quia nempe etiam ipſe exiſtimavit, reperiri corpus & ſanguinem in euchariſtia non niſi myſtice.

Cæterum iſthæc omnia, fateor, nihil ad argumentum hoc noſtrum de ſcholis faciunt. Speraverim tamen hanc etiam antiquitatis eccleſiaſticæ eruderationem, nec inutilem, nec quamvis alieno inſtitutam loco, ingratam ſaltim aliquibus futuram.

Supplementum XL. ad pag. 434.

Quoniam docuimus, primum Carolum ſcholas per epiſcopia & monaſteria triviales, alibi vero & liberalium artium ut & ſacrarum literarum, in Francici imperii terris inſtituiſſe, jamque tradit diſſertatio, etiam exemplo ſuo Carolum excitaſſe artium ſtudia, videtur haud abs re futurum, ſi potiſſima ſaltim eorum, quæ de Caroli doctrina cum Eginhartus tum alii quidam præclari ſcriptores memoriæ tradiderunt, hoc loco integriora exhibeamus.

Igitur Eginhartus, quo familiari miniſtro uſus eſt Carolus, hæc memorat libri quem *de vita Caroli* conſcripſit *capite,* ut nunc ſolet a nonnullis dividi, *viceſimo quinto. Erat eloquentia copioſus & exuberans poteratque quicquid vellet apertiſſime exprimere. Nec patrio tantum ſermone contentus, ſed & peregrinis linguis ediſcendis operam impendit. In quibus latinam ita didicit, ut æque illa ac patria lingua orare ſit ſolitus: Græcam vero melius intelligere quam pronunciare poterat. Adeo quidem facundus erat, ut etiam dicaculus* (ita recte habet codex Florentinus) *appareret. Artes liberales ſtudioſiſſime coluit, earumque doctores plurimum veneratus, magnis afficiebat honoribus. In diſcenda grammatica Petrum Piſanum diaconum, ſenem audivit: in cæteris diſciplinis Albinum cognomento Alcuinum, item diaconum de Britannia, Saxonici generis hominem, virum undecunque doctiſſimum, præceptorem habuit: apud quem & rhetoricæ & dialecticæ, præcipue tamen aſtronomiæ, ediſcendæ plurimum & temporis & laboris impendit. Diſcebat & artem computandi, & intentione ſagaci ſiderum curſum curioſiſſime rimabatur. Tentabat & ſcribere: tabulasque & codicillos ad hoc in lectulo ſub cervicalibus circumferre ſolebat, ut cum vacuum tempus eſſet, manum effigiandis litteris aſſuefaceret. Sed parum proſpere ſucceſſit labor præpoſterus, ac ſero inchoatus.* Sequente capite, ubi narratur Caroli circa religionem pietas, additur: *Legendi & pſallendi diſciplinam diligentiſſime emendavit:*

vit: erat enim utriusque admodum eruditus: quanquam ipſe nec publice legeret, nec niſi ſubmiſſe & in commune cantaret. Idem Eginhartus jam ante cap. 24. ſcripſerat. *Inter cœnandum aut aliquod acroama, aut lectorem audiebat. Legebantur ei hiſtoriæ & antiquorum regum geſta. Delectabatur & libris S. Auguſtini, præcipue iis quos de civitate Dei inſcripſit.* Digna etiam repetitione noſtra ſunt, quæ habet Eginhartus capite viceſimo nono. *Poſt ſuſceptum imperiale nomen, cum adverteret multa legibus populi ſui deeſſe, (nam Franci duas habent leges, plurimis in locis valde diverſas) cogitavit quæ deerant addere, & diſcrepantia unire, prava quoque ac perperam prolata corrigere. Sed in iis nihil aliud ab eo factum eſt, quam quod pauca capitula, & ea imperfecta legibus addidit. Omnium tamen nationum, quæ ſub ejus dominatu erant, jura quæ ſcripta erant deſcribere, ac literis mandari fecit. Item barbara & antiquiſſima carmina, quibus veterum regum actus & bella canebantur, ſcripſit memoriæque mandavit. Inchoavit & grammaticam patrii ſermonis. Menſibus etiam juxta propriam linguam nomina impoſuit: cum ante id tempus apud Francos partim latinis partim barbaris nominibus appellarentur. Item ventos duodecim nominibus propriis inſignivit, cum prius non amplius quam vix quatuor ventorum vocabula inveniri poſſent &c.* Et hactenus quidem audivimus omni exceptione majorem teſtem Eginhartum.

Scribit autem & Theganus *l. de geſtis Lud. Imp. cap. 7.* in hæc verba: *Poſtquam diviſi fuerunt* (Carolus & Ludovicus filius) *nihil aliud cœpit agere Carolus niſi orationibus & eleemoſynis vacare & libros corrigere. Nam quatuor evangelia Chriſti, quæ intitulantur nomine Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis, anno ultimo ante obitus ſui diem cum Græcis & Syris optime correxerat.* Verum qui potuerit hoc agere Syriacæ linguæ imperitus Carolus (etenim a ſolius Latinæ & Græcæ linguæ notitia Carolum Eginhartus laudavit) non apparet: itaque uſus ad hoc quidem eſt miniſterio alterius Syriace docti. Interim laudari etiam hæc meretur inuſitata iſthoc ævo & tanti principis induſtria.

Feruntur autem & libri quidam tanquam Carolo auctore conſcripti. Quos inter eminet opus, contra Nicænæ ſecundæ Græcorum ſynodi de imaginum adoratione doctrinam conſcriptum. Haud me fugit, quia multum abit ab eo, quod Romanæ eccleſiæ auctoritate poſt in occidente etiam receptum eſt ſacro dogmate, illud nonnullis recens, & *ὑποβολιμαῖον* ſuperioris ſeculi fœtum, eſſe creditum. Verum illa inſania jam deſiit. Nec quisquam hodieque temere reperitur paulo eruditior, qui non agnoſcat, eſſe illud ipſum opus, cui tanquam a Carolo ſibi miſſo oppoſuit epiſtolam eam, quæ paſſim legitur, Adrianus Pontifex. Certe voluiſſe Carolum ſeſe haberi auctorem, indicant verba *l. 1. cap. 6.* ubi Pipinum regem *venerandæ memoriæ genitorem ſuum* appellat, cujus ut & ſua cura effectum ſit, ut Gallicanæ aliæque occidentis eccleſiæ in pſalmodia Romanæ convenirent. Libro ſecundo cap. 3. memorat, ſuo & Patris tempore legatos in orientem deſtinatos. Imo in ipſa ſtatim operis præfatione ſic loquitur: *Quoniam in eccleſiæ ſinu regni gubernacula Domino tribuente ſuſcepimus, neceſſe eſt ut in ejus defenſione & ob ejus exaltationem, Chriſto auxiliante, toto niſu certemus.* Addit: *quod opus aggreſſi ſumus cum conhibentia ſacerdotum in regno a Deo nobis conceſſo catholicis gregibus prælatorum, non arrogantiæ ſupercilio, ſed zelo Dei & veritatis ſtudio.* Hinc illi codici, unde primam editionem publicavit Joannes Tilius epiſcopus Meldenſis, iſta eſt præfixa inſcriptio. *In nomine Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, incipit opus illuſtriſſimi & excellentiſſimi ſeu ſpectabilis viri, Caroli nutu Dei regis Francorum, Gallias, Germaniam, Italiamque, ſive harum finitimas provincias, Domino opitulante, regentis, contra ſynodum, quæ in partibus Græciæ pro adorandis imaginibus ſtolide ſive arroganter geſta eſt* Ut ergo fortaſſis non omnia illius operis ab ipſiusmet Caroli ſint manu, illi tamen omnino debet attribui ſaltim ut auſpici & approbatori.

Feruntur præterea & alia Caroli nomine: ſuper quibus tamen cum nemine equidem præfracte contenderim. Inter alia eſt & epitaphium carmen Adriano Papæ defuncto ſcriptum, idque haud inconditum. Quoniam vero nec ab Eginharto laudatus eſt Carolus a poeſeos aliqua peritia, atque illud ipſum carmen inter Alcuini opera reperitur, veroſimile videtur, eſſe quidem nomine Caroli exaratum ſed ab Alcuino.

Duo addemus, in teſtimonium deſiderii Caroli Magni ſtudia quævis meliora propagandi. Alterum Aventinus *l. 4. annalium* hisce verbis refert: *Cum aliquando in Galliam reverſus fuiſſet, pueros, quos Clementi Scoto in Pariſienſi academia erudiendos commiſerat epiſtolis, verſibus, carminibus, orationibus panegyricis ſcriptis, ut periculum de eorum ingeniis atque indole faceret, ſibi exhiberi juſſit. Ubi tenuioris fortunæ juvenes præter ſpem multum profeciſſe, nobiles vero gaudiis corporis deditos, cultum animi neglexiſſe deprehendiſſet, illis ad dexteram ſegregatis: Vos quidem macti virtute, inquit, eſtote filioli piiſſimi, qui noſtro imperio gnaviter defuncti eſtis: veſtra erunt ſacerdotia locupletiſſima & pontificatus maximi. Ego vos in aulam adſciſcam: ex vobis ſenatores cooptabo: vos in album prætorum & patrum curiam allegam. Deinde ad nobilium liberos, quos a læva collocarat, vultu haud iram diſſimulans, ait. At vos comatuli, & delicatuli, freti opibus & ſplendore parentum, noſtram majeſtatem conſprevitis, vitia, otia, luxum & inertiam bonis literis virtutibusque contempto decreto noſtro prætuliſtis: jubeo, & Deum immortalem teſtor, nihil penitus commodi honoris, ne obulum quidem ab imperatore veſtro, cujus juſſa aſpernati eſtis, expectate: faxim ut omnibus mortalibus ludibrio vivatis: & in vos exempla edam, niſi reſipueritis, & negligentiam diligentia expiaveritis.* Suppeditat alterum monachus S. Galli *l. 1. c. 9. de vita Caroli* hisce verbis: *Glorioſiſſimus Carolus per totum regnum ſuum ſtudia litterarum florere conſpiciens, ſed ad maturitatem patrum præcedentium non pervenire condolens, & plusquam mortale laborans, in hanc tædiatus vocem erupit: o utinam haberem XII. clericos ita doctos, omnique ſapientia ſic perfecte inſtructos, ut fuerunt Hieronymus & Auguſtinus* Subjungit idem auctor: Conquerenti illum in modum Carolo reſpondiſſe Alcuinum: *Creator cœli & terræ ſimiles illis plures non habuit, & tu vis habere duodecim?*

Digitized by Google

Priusquam a rebus literariis Caroli Magni abeamus non fuerit abs uſu, unum aliquod addere de ſtudiis Caroli aſtronomicis. Audivimus enim Eginhartum narrantem, ab Alcuino *inſtitutum Carolum, præcipue aſtronomiæ ediſcendæ plurimum temporis & laboris impendiſſe.* Videtur autem Carolus in ſcrutatione ſiderum uſus opera etiam ejus qui conſcripſit annales Francicos a Nuenario editos. Hunc ſane & ipſo illo tempore vixiſſe, & ſideralis rei haud fuiſſe indoctum, imo, pro conditione illius tempeſtatis cœleſtium ignaræ & incurioſæ, ſedulum ſcrutatorem, indicant illa quæ referuntur ad annum DCCCVIII. *Anno ſuperiore IV. Non. Septembr. fuit eclypſis lunæ. Tunc ſtabat ſol in XVI. parte virginis, luna in XVI. parte piſcium. Hoc autem II. Kal. Febr. fuit luna XVII. quando ſtella Jovis quaſi per eam tranſire viſa eſt. Et III. Id. Februarii fuit eclypſis ſolis media die, ſtante utroque ſidere in XXV. parte aquarii. Iterum IV. Kal. Mart. fuit eclipſis lunæ, & apparuerunt acies eadem nocte miræ magnitudinis, & Sol ſtetit in XI. parte virginis. Nam & ſtella Mercurii XVI. Kal. Aprilis viſa eſt in ſole quaſi parva macula nigra paululum ſuperius medio centro ejuſdem ſideris: quæ a nobis octo dies conſpecta eſt: ſed quando primum intravit vel exivit nubibus impedientibus minime notare potuimus. Iterum menſe Auguſto XI. Kal. Septemb. eclypſis lunæ facta eſt, hora noctis tertia, ſole poſito in quarta parte virginis, & luna in V parte piſcium. Sicque ab anni ſuperioris Septembri uſque ad anni præſentis Septembrem ter luna obſcurata eſt & ſol ſemel.* Hæc ille quisquis ſit auctor. Quæ etiam vel ideo merentur attentionem & laudem, quoniam ſimilis alicujus ſideralis obſervationis (de fide tamen ejus jam non agam) nullum in omnibus ſcriptis latinis illorum quidem ſeculorum monumentum eſt reperire. Et vero aluit in aula etiam Ludovicus Pius Imperator rei aſtronomicæ deditum aliquem, qui poſt hiſtoriam vitæ ejus conſcripſit, ſed tale ſpecimen eruditionis aſtronomicæ non præbuit, aſtrologicis divinationibus magis deditus quantum apparet. Carolum tamen ipſum non æquaſſe hoc in ſtudiorum genere Aronis Chalifæ felicitatem, doceat vel unum illud horologium, quod eodem anno ex Perſia muneri miſſum narrant Francorum annales.

Supplementum XLI. ad pag. 434.

Verba quæ adduximus Erici monachi de Carolo Calvo rege, habentur in epiſtola, quam præmiſit libris *carminum de vita S. Germani* epiſcopi Autiſſiodorenſis. In eadem epiſtola hæc etiam de aula regia merentur annotari. *Ita ut merito vocitetur ſchola palatium: cujus apex non minus ſcholaribus quam militaribus conſueſcit quotidie diſciplinis.* Laudatur etiam ibi multum Calvus Carolus, quod fuerit ſtudioſiſſimus colendæ eruditionis, & quidem usque adeo, *ut ſicubi terrarum magiſtri florerent artium, quarum principalem operam philoſophia pollicetur, hos ad publicam eruditionem undecunque ipſius celſitudo conduceret, comitas attraheret, dapſilitas provocaret.* Memoratur ibidem, etiam ex Græcia eruditos ad illum confluxiſſe. Et ſane etiam patri *Ludovico Græcus aliquis legatus* (a) Dionyſii Areopagitæ quod fertur opus attulerat, quod Carolus verti curavit per Joannem Scotum: accedente Hilduini magnæ itidem apud Carolum auctoritatis viri fabuloſa de uno Dionyſio narratione. Joannem porro Scotum philoſophiæ pro illius temporis captu gnarum, & menſa & cubiculo a rege iſthoc Carolo fuiſſe honoratum jam *pag. 316. ſupplemento nono triceſimo* docuimus. Quaſi Mecænatem ergo aliquem ſui ſeculi habitum Calvum regem, videtur ſic ſatis certo conſtare. Fratres ejus Lotharium Imperatorem & Ludovicum Germaniæ regem, hac quidem parte Carolo non eſſe comparandos, ſane manifeſtum eſt.

Quid? quod & patrem Ludovicum Carolus ea in re ſuperaverit. Etenim Theganus *cap. 18.* ita quidem de illo: *Lingua Græca & Latina valde eruditus: ſed Græcam magis intelligere poterat quam loqui; Latinam vero ſicut naturalem æqualiter loqui poterat. Senſum vero in omnibus ſcripturis ſpiritualem & moralem, nec non & Anagogen, optime noverat. Poetica carmina gentilia, quæ in juventute didicerat, reſpuit: nec legere nec audire nec docere voluit.* Ita quidem, ajo, de Ludovico Theganus: haud legas tamen, ſtudia liberalium artium, aut etiam ſacra fuiſſe ab illo ad exemplum patris Caroli promota: aut vero ab illo artes liberales habitas in pretio, (nec enim ullius eſt momenti, quod ſtellas interdum ſibi fecerit *monſtrari*, ut legitur in ejus vita ab homine aſtronomo conſcripta pag. 415. editionis Wechelianæ) ſed potius ſpretas. Id quod indubie factum eſt præ ſuperſtitioſa optimi alias Imperatoris pietate, quæ & multorum in republica gerenda malorum fuit cauſa. Unde idem Theganus cap. 20. *Omnia prudenter & caute agens, nihil indiſcrete faciebat, præterquam quod conſiliariis ſuis magis credidit quam opus eſſet. Quod ei fecit pſalmodiæ occupatio & lectionum aſſiduitas.*

Supplementum XLII. ad pag. eandem.

Seculum nonum floruit ſane Galliæ & Germaniæ viris quibusdam doctis, præ aliquam multis antecedentibus. Veriſſimum tamen eſt quod diſſertatio habet, ultima illius ſeculi perpetuis bellis fuiſſe infeſta, atque ideo tunc deſiiſſe priorem etiam illius ſeculi ſtudiorum felicitatem. Liquet ſane ruditas illa ex teſtimoniis cum ſynodi Valentinæ tum Lupi Servati in diſſertatione adductis. Ruditatem Italiæ produnt ſeorſim, quæ adduximus ſupplemento XXXVII. ex ſynodis, ab Eugenio ſecundo & Leone quarto Papis Romæ celebratis. Extat porro ſub initium operis Reginonis *de diſciplina eccleſiaſtica*, formula *inquiſitionis, ſecundum quam epiſcopus inquirere debeat per vicos pagos atque parœcias ſuæ diœceſeos.* Inter alia vero ibi circa presbyteros jubetur inquiri §. 83. *Si epiſtolam & evangelium*

gelium

(a) *Ludovico Græcus aliquis legatus*) Nimirum a Michaële imperatore miſſus. Vid. SIGEBERTVM GEMBLACENSEM *in chronico ad a. 734.* VSSERII *ſyllogen epp. Hibern. pag.* 54. 55. a quo tempore theologiæ myſticæ ſtudium inter monachos occidentales repetendum eſt.

gelium bene legere poſſit, atque ſaltim ad literam ejus ſenſum manifeſtare. 85. Si ſermonem Athanaſii epiſcopi de fide S. Trinitatis, cujus initium eſt: Quicunque vult ſalvus eſſe; memoriter teneat & ſenſum illius intelligat, & verbis communibus enunciare ſciat. 88. Ordinem quoque reconciliandi atque ungendi infirmos, orationes quoque eidem neceſſitati competentes, ſi bene ſcit legere aut memoriter enunciare. Ad quæ loca doctiſſime annotat Baluzius: *ea erat ſeculi illius infelicitas, ut neceſſe eſſet presbyteros ab epiſcopis interrogari, utrum bene legere noſſent.* Additque, quendam Giſlemarum, regnante Carolo Calvo, cum electus eſſet in Remenſem archiepiſcopum, *oblatum textum evangeliorum aliquatenus quidem legere, nihil tamen ejus intelligere potuiſſe.* Fuiſſe autem illam inquiſitionis formulam paſſim receptam illa ipſa Caroli Calvi regis ætate, recte idem Baluzius initio Reginonii operis admonuit lectorem.

Decimi ſeculi ruditas coegit ipſummet cardinalem Bellarminum in libello chronologico in hæc verba erumpere. *Vide ſeculum infelix, in quo nulli ſcriptores illuſtres: nulla concilia: Pontifices parum ſolliciti de eccleſia.* Specimen latinitatis Romanæ exhibere apta eſt hæc epiſtola Joannis XII. Papæ, quam recitat Luitprandus hiſtor. l. 6. c. 10. *Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus epiſcopis* (in concilio ſcilicet tunc ab Ottone Magno Imperatore Romæ congregatis.) *Nos audivimus dicere, quod vos vultis alium Papam facere. Si hoc facitis, excommunico vos de Deo omnipotente, ut non habeatis licentiam ullum ordinare & miſſam celebrare.* Eodem ſeculo, imperante Ottone II. in ſynodo Remenſi epiſcopus Aurelianenſis non dubitavit profiteri: *Cum hoc tempore Romæ nullus pene ſit, ut fama eſt, qui literas didicerit, ſine quibus vix oſtiarius efficitur, qua fronte aliquis eorum,* (Paparum ſcilicet) *docere audebit, quod minime didicit?*

Nec tamen hoc ita acceptum velim, quaſi ſimilis Romanæ barbaries in Gallia & Germania omni tum obtinuerit. Fuiſſe enim etiam tunc aliquos, perpaucos tamen, non parum eruditos, inque iis eminuiſſe Hincmarum Remenſem & noſtrum Rabanum Maurum, indicant quædam ex illo ævo reliqua monumenta hiſtorica, inque libros aliquot S. ſcripturæ commentaria. Sunt tamen etiam pleraque illa non magni multum pretii, præter illud quod habent a ſua vetuſtate & meliorum defectu. Nec enim in illis quidquam pene videas, præter nonnulla ex latinorum patrum ſcriptis, ut & Græcorum, ſed paucis iisque Latine verſis, petita: nullis linguæ ſive Ebrææ ſive Græcæ, ut nec ullis ſive philoſophiæ ſive veteris hiſtoriæ ſubſidiis ſuffulta, niſi quod in Rabani & Ruperti Tuitienſis ſcriptis liceat levem aliquam Ebrææ etiam & Græcæ linguæ peritiam obſervare. Eſt præterea in omnibus illis ſeculis nullum natum ſcriptum, aut ex philoſophiæ, aut ex medicæ artis, ſive ex jurisprudentiæ, aut etiam ex limpidis philologiæ ſive Græcæ ſive Latinæ, fontibus promanans. In univerſum parum aut nihil in ſuperſtitibus ſcriptis alicujus ſublimioris & accuratioris literaturæ apparet. Vt proinde facta cum Sarracenorum & Græcorum ejusdem tempeſtatis doctrina comparatione, orientalibus illis merito palma ſit tribuenda. Notatu porro dignum eſt, etiam circa finem ſeculi noni, cum res Galliæ eſſent perturbatiſſimæ, Fulconem Remenſem archiepiſcopum ad ſcholas inſtaurandas magiſtrum Remigium Autiſiodorenſem, cujus commentaria in pſalmos & duodecim prophetas, liber item de divinis officiis aliaque nonnulla ſuperſunt, Remos advocaſſe, teſte Frodoardo in Remigii vita.

Supplementum XLIII. ad pag. 434. & 435.

Quæ ex inſtituto Caroli Magni cœperunt in epiſcopiis, ut appellant, & monaſteriis olim ſcholæ, puerorum informationi & trivialibus duntaxat ſtudiis fuiſſe dicatas, jam tum probavimus ſupplemento triceſimo & ſecundo & quinto: quantumvis nonnulli ſecus ſentiant. Talem vero omnino fuiſſe Hamburgenſem & Corbejenſem, docuimus ſupplemento XXXIII. nec aliam Notgeri Leodicenſem, ſupplemento triceſimo ſexto. Ejusdem notæ fuiſſe ſcholas illas, quas p. 434. & 435. in ipſa diſſertatione memoravimus itidem liquet. Sigebertus ſub finem l. 2. de ſcriptoribus eccleſiaſticis refert, ſeſe *prima ætate Metis fuiſſe poſitum in eccleſia S. Vincentii ad inſtruendos pueros.* Itaque & illa Metenſis epiſcopii ſchola tunc temporis non niſi trivialis fuit. Par fuit quondam ratio ſcholæ epiſcopii Hildesheimenſis. Manifeſtum id eſt ex vita Barvvardi a Brovvero edita Moguntiæ, quam iſta tempeſtate conſcripſit Tangmarus. Is enim in præfatione audit quidem *bibliothecarius & notarius eccleſiæ Hildesheimenſis*: at pag. 6. ſcribit, *ſibi primicerio ſcholæ puerorum traditum fuiſſe Berwardum literis inſtituendum.* Nec vero eſt quod quem turbet illud quod pag. 7. legitur Bernvvardum *propoſuiſſe magiſtro quæſtiones ex intimo adyto philoſophiæ*: non enim hinc colligere eſt, tales quæſtiones in ſchola illa tunc fuiſſe agitatas. De Magdeburgenſis ſcholæ eodem Ottone Magno imperante ſtatu haud poteſt eſſe obſcurum, iis expenſis quæ narrat Dithmarus *l. 3. chronici* ſui. Altiora tribuit illis ſcholis Crantzius verbis ex metropoli adductis. Idem *l. 5. Saxoniæ cap. 28.* ita loquitur. *Equidem pro illa ætate, necdum crebreſcentibus per Chriſtianum orbem univerſalibus literarum gymnaſiis, apud eccleſias cathedrales magiſtri habebantur, qui ſingulari diligentia non modo rudimentis, ſed etiam altioribus doctrinis incumberent.* Verum enimvero non majorem Crantzius meretur in hisce quidem fidem quam Tritthemius, Langius, Miræus & alii: quorum narrationes dubias reddidimus jam ſecundo poſt triceſimum ſupplemento.

Iterum tamen fatemur, præter communem ordinem, interdum, & paucis quibusdam in epiſcopiis & cœnobiis, ſacræ quoque doctrinæ aliisque literis vacatum fuiſſe. Et vero magnæ olim famæ fuit præ aliis Paderbornenſis ſchola epiſcopalis. Scriptor ſane vitæ Meinvverci epiſcopi cap. LI. refert illa, quæ alibi non fuerunt in Germania quidem noſtra in uſu. Verba ejus omnia adſcribere non pigrabor. *Studiorum multiplicia ſub eo floruerunt exercitia. Et bona indolis juvenes & pueri ſtrenue inſtituebantur, norma regulari proficientes haud ſegniter, in clauſtrali diſciplina. Omniumque*

literarum doctrina claruit hic ſub ipſius ſororio Imado epiſcopo. Sub quo in Patherbornenſi eccleſia publica floruerunt ſtudia: quando ibi muſici fuerunt & dialectici, enituerunt rhetorici clarique grammatici, quando magiſtri artium exercebant trivium, quibus omne ſtudium erat circa quadrivium. Vbi mathematici claruerunt, & aſtronomici habebantur phyſici atque geometrici. Viguit Homerus magnusque Virgilius, Criſpus & Saluſtius, & Vrbanus Statius. Luduque fuit omnibus inſudare verſibus & dictaminibus jucunduque cantibus. Quorum in ſcriptura & pictura jugis inſtantia claret multipliciter hodierna experientia, dum ſtudium nobilium clericorum uſu perpenditur utilium librorum. Hæc ſcriptor ille. Ad quem locum in ſcholiis notavit Brovverus de Altmanno epiſcopo Paſſavienſe. *Qui Paſſavienſem cathedram aliquando meriturus, in eccleſia Paderbornenſi non ſolum canonicus ſed ſcholarcha, Saxonicum clerum ipſe Saxo literarum ſtudiis exercitum habuit, ut antiquus ſcriptor loquitur: ad regimen ſcholarum delectus, & multis annis adſtrictus, donec tandem ex prapoſito Aquiſgranenſi in palatio Henrici III. inter miniſteria ſacra florere cœpit.* Iis ſane encomiis ſi credimus, quod forte fas eſt, eminuit olim præ omnibus Germaniæ ſaltim noſtræ epiſcopalibus ſcholis Paderbornenſis, nec continuit ſeſe ad exemplum aliarum intra puerorum exercitationes. De reliquis ſane ſcholis epiſcopalibus nihil ſimile memoratur, ſed triviale & puerile tantum non omne.

Quæ epiſcopalium vero eadem fuit olim ratio & cœnobialium ſcholarum. Tantum enim abeſt, cœnobiis omnibus deberi laudem æqualem, ut quædam cœnobia nullam vel puerilem ſcholam unquam inſtituerint: quæ intereſt & noſtrum Helmeſtadienſe, etſi jam Carolo Magno imperante a Ludgero inſtitutum. Neutiquam igitur par debetur laus in univerſum omnibus. Nihilominus tamen quædam cœnobia haud levi induſtria olim literarum ſtudiis invigilaverunt. Sane in Italis Caſſinenſe, in Galliis S. Victoris, in Germania Fuldenſe (ut alia taceam) merentur etiam hodie hoc nomine, ob nempe olim præclare exercitam majoris quoque momenti doctrinam, gratias & laudationem. Non patitur inſtitutum pro dignitate hæc perſequi: non certe ut in Italiam aut Galliam nunc digrediamur. Ne tamen nihil hujus agamus, aut ne videamur omnia etiam noſtra diſſimulaſſe, adferemus duntaxat Tritthemianum Fuldenſis cœnobii præconium, quod ille ſuo Hirſaugienſi chronico inſeruit ad hiſtoriam anni 837. *Viguit eo tempore in monaſterio Fuldenſi maxima religio monachorum ſub regimine Rabani Mauri Abbatis, qua ſe per totam Germaniam fama pravolante diffuderat in ora omnium: eratque laus & memoria Fuldenſium monachorum apud imperatores reges & principes in magno pretio, non ſolum propter ſanctitatem vita, ſed etiam propter incomparabilem ſcientiam ſcripturarum, qua Fuldenſes monachi eo tempore pra cateris multis dicebantur eruditi. Vnde multi ex iis in diverſis eccleſiis ad apicem Pontificatum fuerunt aſſumpti.* Hæc ille, paulo poſt addens: *Erant eo tempore in cœnobio Fuldenſi ducenti & ſeptuaginta monachi, viri religioſi, & pro magna parte in ſcripturis docti.* Ad annum 854. de Gerungo abbate Hirſaugienſe hæc memoravit Tritthemius. *Audivit Rhabanum in Fuldenſi monaſterio legentem. Quo in abbatem ſublimato ejus diſcipulus Strabus ſchola publica pralatus eſt: qui hunc Gerungum tunc adoleſcentem Rhabano pracipiente ſingulari diligentia proſequutus eſt. Mos erat in prafato Fuldenſi cœnobio his temporibus, monachos non ſolum in ſcripturis ſacris inſtituere, ſed etiam in omni ſecularis ſcientia literatura ad plenum erudire. Probe enim judicabant ſapientiſſimi viri: divinas ſcripturas neminem poſſe perfecte intelligere, quem literas ſecularis doctrina contigiſſet ignorare. Extant multa monachorum iſtius temporis praclara volumina, in quorum comparatione ea qua hodie cuduntur a pleriſque tanquam palea viloſcunt. Reperi autem inter alia Strabi hujus opuſcula libellum de arithmeticis dimenſionibus, quem ſcripſit ad iſtum Gerungum abbatem S. Aurelii: cui praponit epiſtolam ſic incipientem: Reverendiſſimo merito Patri, amato Filio, literis diſcipulo, gratia magiſtro, Gerungo abbati aterna beatitudinis pramium poſſidere. Ex his intelligere poſſumus, Gerungum abbatem in omni literatura fuiſſe ſtudioſum: quia niſi extitiſſet doctiſſimus, nunquam vir tantus de tam ſubtili diſputatione ſcripſiſſet, maxime in tanta doctorum virorum copia, ad ignarum.* Hæc omnia ut & alia alibi Tritthemius de Rhabano.

Cæterum ne quid diſſimulemus, non univerſo vel ejus tempeſtatis Fuldenſi cœnobio, ſed pene ſoli Rhabano ejusque uni & alteri diſcipulorum, omne illud elogium debetur. Longe ſcilicet etiam tunc aliter fuerunt animati cœnobii illius Fuldenſis ſaltim plerique monachi. Eoque ipſemet Tritthemius libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis ita de Rhabano fuit teſtatus. *Tandem offenſus improbitate monachorum ſuorum, qui eum dicebant nimium ſcripturis intentum temporalia negligere, agente id in eis diabolo, diſplicentiam contra eum acceperunt, ſcandalizati in eo, quo maxime debuerant adificari. Dans igitur locum ira, nec cum ingratis ovibus diutius manere conſentiens, monaſterium & ejus habitatores deſeruit.* Nicolaus Serrarius *lib. 4.* Moguntiacorum *pag. 643.* laudat teſtem alium librum manuſcriptum ita loquentem: *Rabanus anno 842. Fuldenſi pulſus eſt abbatia, fratribus monachis cauſantibus, ipſum ſtudioſum nimis, intentum ſcripturis temporalia negligere.* Quod fatum etiam Fridericus abbas Hirſaugienſis, teſte Tritthemio in chronico ad annum M LXVIII. poſtque alios haud paucos tandem & ipſe Tritthemius eſt paſſus a ſui cœnobii monachis.

Nec tamen dixerim, cum Rabano omnem illico melioris doctrinæ culturam Fuldæ defeciſſe. Etenim annales Francorum illos, quos primus edidit Pithœus, eodem nono ſeculo conſcriptos eſſe, recte docuit Marquardus Freherus, cui librum illum locupletiorem debemus. Nec ignoratur vulgo etiam Mariani Scoti eruditio, qui itidem Fuldæ vixit. Ipſi illi annales ad annum 865. ita notant: *Rudolphus Fuldenſis cœnobii presbyter & monachus, qui apud totius pene Germania partes doctor egregius & inſignis floruit hiſtoriographus & poëta, atque omnium artium nobiliſſimus auctor habebatur, VIII. id. Mart. diem ultimum feliciter clauſit.* Exſtat apud Brovverum *pag. 222.* charta, uti loqui olim ſoliti, donationis, qua Ludovicus Rex Pii filius huic *Rudolpho monacho & confeſſori ſuo, conceſſit cenſum & Regios colonos & eorum omnium utilitatem, cupitque fructum ad cateros item tranſire ſcholaſticos.* Quæ indicant,

ſuper-

ſuperfuiſſe tunc adhuc aliquam Fuldæ ſcholam, ſed forte non niſi trivialem; cui præfuerit quidem ille Rudolphus, ut non tamen ad ipſiusmet ſcholæ illius laudem pertineat magiſtri eruditio. Enimvero multus eſt Tritthemius quidem paſſim in laudanda Fuldenſium ejus & ſequentis aliquamdiu ævi monachorum eruditione & induſtria: fortaſſis autem ſcripſit illa non ex vero, ſed finxit præclara quæque bono ſtudio, ut nempe illis exemplis ſui ævi monachos rudes & deſides excitaret ad amorem & cultum ſtudiorum. Quapropter non etiam eſt, cur nos hoc loco immoremur, paucarum ævi illius ſive epiſcopalium ſive cœnobialium ſcholis laudandis: quandoquidem nimirum non niſi ad paucas laus pertinet, ſimulque brevi tempore, etiam in præclariſſimis quibusque illarum ſcholarum, omnia priſtina litterarum exercitia extincta ſunt & perierunt, ita ut vix veſtigium aliquod tandem ſuperfuerit.

Cæterum ab illis antiquis epiſcoporum & monaſteriorum ſcholis, ut ad tempora propiora veniamus, longe diverſum ſcholarum genus ſeculo Chriſtiano tertiodecimo cœpit in monachorum mendicantium cœnobiis, cumprimis eorum qui inſtitutum ſive Dominici Hiſpani ſive Itali Franciſci amplexati ſunt. Idque fortaſſis non ex primorum fundatorum quos vocant, ſed nonnullorum doctorum virorum, qui pietatis ſtudio in ſodalitates iſtas conceſſerant, conſilio. Enimvero non illis curæ fuit humaniorum literarum diſciplina, qualis aliqua, rudior quamvis, obtinuerat in antiquis cœnobiis, ſed tantum non omnino fuit ſpreta & neglecta. Ejus loco autem exculta eſt philoſophia Ariſtotelica, quæ iſthoc ſeculo decimotertio ex Arabica lingua Latine, ſcabra quadam interpretatione, in Europæorum occidentalium manus pervenit. Præter quoque philoſophiam, theologia, inuſitata hactenus per omnem eccleſiam, a primo ejus usque exordio, ſubtilitate ac curioſitate, cum ore creberrimisque monachorum exercitationibus, tum ſcriptis libris, in cœnobiorum auditoriis paſſim & magno ſtudio a magiſtris eſt tradita. In ſcripturæ autem ſanctæ illuſtrationem parum, ad eccleſiaſticarum aliarumque rerum veterum peritiam comparandam nihil operæ impenſum: idque quod quaſi adorarentur præſentis tunc ævi tantum non omnia. Non male de doctrina illa Eraſmus præfatione in Hieronymum ad archiepiſcopum Cantuarienſem ſcripſit. *Neglecta bona litera, faſtidita Græcanici ſermonis peritia multoque magis Hebraici, ſpretum eloquentiæ ſtudium, quin & ipſa Latina lingua ſic conſpurcata eſt ſubinde nova barbarie ut jam nihil minus eſſet quam Latina, nec hiſtoria, nec geographia, nec antiquitatis ulla cura.*

Hæc ratio autem cœnobiticarum iſtarum quidem ſcholarum fuit, non tertiodecimo duntaxat ſed etiam integris ſequentibus duobus ſeculis, imo usque ad patrum memoriam & amplius. Tandem vero ipſiusmet Ignatii Lojolæ prudente inſtituto, ſecus quam factum fuerat a Dominico, Franciſco & aliis, plane nova diſciplinæ facies exorta eſt in Jeſuitici ſodalitii ſcholis: quas etiam ipſas dixeris merito cœnobiticas. Etenim in illam inſtitutionem ultra ſocietatis tyrones quilibet recipi ſolent, & literæ humaniores primæ ætati ſic ſatis diligenter proponi. Philoſophia etiam & theologica ſtudia longe felicius quam in ullis monaſteriorum ſcholis hactenus factum, excoluntur. Ut tamen etiam hic deſint haud pauca ad juſtam ſcholarum ejusmodi perfectionem.

Supplementum XLIV. ad pag. 437.

Quæ in diſſertatione adducta ſunt varia decreta de ſcholis per epiſcopia inſtituendis, omnia ſurdis ſunt auribus excepta. Ejusdem argumenti eſt integrum caput XIX. ſeſſionis XXIII. concilii Tridentini; ſed nec illud qua par erat reverentia ubivis eſt obſervatum: niſi quod in Germania pleriſque epiſcopalibus ſedibus *collegia quæ appellantur Jeſuiticæ ſocietatis,* (a) vice ſcholarum, ſint ex eo tempore adjuncta, alicubi & academiæ additæ.

Supplementum XLV. ad pag. eandem.

Scholas cum epiſcopiorum tum monaſteriorum veterum poſt annum milleſimum ſenſim per omnem Europam defeciſſe, liquidum eſt ex monumentis ævi illius. Senſim ajo id factum eſſe, non uno tempore aut omnibus in locis: tandem tamen utrobique ſcholæ omnes extinctæ ſunt, manente inter cathedrales canonicos ſolo inani *ſcholaſtici* nomine & dignitate. Digna memoratu ſunt de ſcholaſtici illa vana appellatione Alberti Crantzii dicta, quæ *lib. VII. cap. 14. Wandaliæ* poſteritati reliquit. *Erat is* (Albertus, tempore Innocentii IV. ad concilium Lugdunenſe Livonienſis epiſcopi legatus) *pridem ſcholaſticus in eccleſia Bremenſi, vir omni literarum genere doctiſſimus: quod illa tempeſtate, necdum crebreſcentibus publicis academiis, apud inſignes eccleſias, qui nunc dure Scholaſtici tum vocabantur Magiſtri, docentes in omni literarum genere, in cunctis ingenuis & præclaris artibus. Ætate noſtra Scholaſtici officium nullum eſt, niſi collectas pauperum ſcholarium in uſus menſæ ſuæ vertere, ut pro ſe vicarium laborantem cogat inſigniter eſurire.* Digna etiam ſunt hic legi ea, quæ Henrico IV. imperante annotavit auctor apologiæ pro Cæſare illo tunc ſcriptæ adverſus Gregorii ſeptimi Papæ epiſtolam aliosque; eſt autem, ceu non male judicavit Goldaſtus, Waltramus epiſcopus Naumburgenſis. Habentur illa *tomo primo pag. 228. Germanicarum rerum ſcriptorum* a Marquardo Frehero editorum, & *lib. 2. cap. 42. apologiæ*, prout illam diſtinxit Goldaſtus, cumque aliis ſcriptis addidit replicationi pro imperio. *Novimus quidem,* inquit ille, *domeſticam inſtitutionem ejusmodi monachorum, quam vere poſſimus aſſimilare ſiliquis porcorum, de quibus non potuit ille ſaturari, quem dicit in evangelio Dominus adhæſiſſe uni de principibus* *hujus*

(a) *collegia Jeſuiticæ ſocietatis*) Interdictum tamen aliquando fuiſſe in Gallia, ne quis Jeſuitarum collegia frequentet, refert PETRUS MATTHÆUS *hiſtor. Henrici IV. lib. 1. narrat. ult. pag. 167.* Adde PASQUIERIUM *dans les recherches de la France* paſſim, & librum cui titulus, *tuba magna* *pag. 673. ſeqq.*

hujus ſeculi: poſtquam diſſipavit portionem paternæ ſubſtantiæ, tradens naturale ingenium luxui atque deſidiæ: quum ad imaginem Dei factus ſit homo, in intellectu (ſcilicet in mente) in interiore homine (in eo quod intelligit veritatem, dijudicat juſtitiam & injuſtitiam, & novit a quo factus eſt) poteſt intelligere creatorem ſuum, laudare creatorem ſuum. Quam ſcilicet intelligentiam habet, qui prudentiam habet: alioqui pater mendacii diabolus aufert a cordibus hominum Dei veritatem, aufert Dei imaginem, & imprimit apoſtaſiæ ſuæ & mendacii imaginem. Quum enim a cæteris animantibus per hoc maxime differamus, quod rationale animal ſumus, & loqui poſſumus: ratio autem omnis & ſermo divinis libris continetur, per quos & Deum diſcimus, & quare creati ſimus non ignoramus: mirandum eſt valde, quod nolunt aliqui, præcipue autem monachi, quæ præclara ſunt diſcere: qui ne pueros quidem vel adoleſcentes permittunt in monaſteriis habere ſtudium ſalutaris ſcientiæ: ut ſcilicet rude ingenium nutriatur ſiliquis dæmoniorum, quæ ſunt conſuetudines humanarum traditionum, ut ejuſmodi ſpurcitiis aſſuefacti non poſſint guſtare, quam ſuavis eſt Dominus, qui dicit in evangelio de talibus: Væ vobis ſcribæ & phariſæi, hypocritæ, qui tuliſtis clavem ſcientiæ: vos enim, inquit, non intratis nec ſinitis introëuntes intrare. Igitur ignoratio divinarum ſcripturarum ignoratio eſt Chriſti, qui dicitur virtus Dei & ſapientia Dei. Mitto reliqua: etſi & illa ſint perquam eximia.

Perierunt vero ſenſim ſcholæ non tantum in cœnobiis veterum Benedicti regulæ ſequacium, quorum mores degeneres perſtringentem modo audivimus illum apologiæ ſcriptorem, ſed illorum etiam, qui morum iſtorum reformationem amplexati ſunt Cluniacenſium, Ciſtercienſium, Claræ-vallenſium aliorumque in univerſum omnium: etſi circa initia viſi fuerint eorum quam multi ſic ſatis magno ſtudio etiam ſacræ doctrinæ incumbere.

Supplementum XLVI. ad pag. 437.

Ante ſeculum duodecimum neminem claruiſſe Pariſienſis ſcholæ theologorum, videtur inde etiam poſſe intelligi, quoniam eorum nemo memoratur in libello de ſcriptoribus eccleſiaſticis Sigeberti Gemblacenſis in Brabantia monachi, diligentiſſimi & pro temporis captu doctiſſimi chronographi: quem tamen librum ſcripſit jam initio duodecimi ſeculi. Qui hunc Sigeberti libellum autem excepit eodem argumento Henrici Gandavenſis ita loquitur cap. 14. *Mauritius epiſcopus Pariſienſis, in eadem civitate theologicæ ſcholæ rector.* cap. 15. *Petrus Cantor Pariſienſis, & ipſe etiam theologicæ ſcholæ rector.* c. 16. *Petrus dictus Abeilardus, dialecticæ peritia, imo omnium liberalium artium inſignis, theologicæ ſcholæ rector.* cap. 17. *Gilbertus cognomento Porreta ex magiſtro theologicæ ſcholæ Pariſiis Pictavienſis epiſcopus.* c. 18. *Joannes Beleth & ipſe theologicæ ſcholæ rector Pariſiis.* cap. 24. *Simon Tornaci oriundus, ex dialectico ſubtiliſſimo, imo omnium liberalium artium fere ſui temporis peritiſſimo, theologicæ etiam ſcholæ Pariſiis cathedram meruit aſcendere magiſtralem, in qua plurimos habuit auditores.* cap. 27. *Stephanus natione Anglicus, Pariſiis liberalium artium ſcholis præfuit, inde theologicæ ſcholæ præſidens theologiam celeberrime docuit.* cap. 31. *Petrus Lombardus theologicæ ſcholæ præſidens.* Forte juſta temporis ſerie hos omnes haud enumeravit Henricus: nam Miræus quidem in ſcholiis narrat, in epiſcopatu ſucceſſiſſe Petro Lombardo Mauritium illum qui cap. 14. memoratur; omnes tamen hi floruerunt ſeculo Chriſtiano duodecimo. Idem Henricus porro c. 21. ait: *Alanus inſulis oriundus, liberalium artium peritus Pariſiis eccleſiaſticæ ſcholæ præfuit:* ſed forte illa eccleſiaſtica ſchola diverſa fuit ab academica. Eſt autem Alanus is de quo vetus ſupereſt barbarus verſiculus:

Qui tria, qui ſeptem, omne qui ſcibile novit.

Quicquid ſit de Alano, reliqui plus ſatis oſtendunt, jam tum ſeculo duodecimo ſcholam theologicam Pariſienſem multum floruiſſe. De ipſa illa tempeſtate Pariſienſis ſcholæ hæc fuerunt verba Jacobi de Vitriaco hiſtoriæ occidentalis cap. 7. *Fons hortorum, & puteus aquarum viventium, irrigans univerſæ terræ ſuperficiem, panem delicatum & delicias præbens regibus, & univerſæ Dei eccleſiæ ſupernum mel & favum ultra dulciora propinans.* Digna tamen etiam ſunt lectu, quæ idem Jacobus annectit de malis Pariſienſium cum magiſtrorum tum ſtudioſorum moribus ac diſſidiis.

Quantumvis autem frequentia hominum jam ſeculis iſtis abundaverit Pariſienſis ſchola, & reges ipſos habuerit faventiſſimos, mirum tamen eſt, vix ſupereſſe ex ævo iſthoc ſcholæ a regibus conceſſa privilegia. Et vero prodiit in lucem Lutetiæ Pariſiorum anno hujus ſeculi viceſimo quinto *libellus* (a) hoc titulo: *Privileges donnez & octroyes par les Roys de France, ſcavoir Philippes de Valois, Charles V, Charles VI, Charles VII, Louys XI. Charles VIII, Francois I, Henry IV, & Louys XIII. a l'univerſite de Paris, ſuppoſtos, officiers, & ſerviteurs d'icelle. En ſemble les arreſt du conſeil privè, confirmatifs des dits privilegies.* Niſi forte ſingularem in uſum hæc ſola ſint vulgata.

Supplementum XLVII. ad p. eandem.

Inter multa collegia (b) quæ vocantur Pariſienſis ſcholæ, quoniam id quod *Navarra* (c) audit eſt

(a) *libellus*) Præter hunc *libellum de privilegiis academiæ Pariſ.* FILESACVM & NAVDÆVM a Conringio alibi allegatos, conferantur etiam alii qui de academia Pariſ. ſcripſerunt e. g. CORROZENVS *in antiquitatibus Pariſ.* STEPHANVS PASCHASIVS *lib. 3. disquiſ. Francicarum cap. 21.* ubi illuſtriores ſingularum acad. Pariſ. facultatum magiſtros recenſet, ROBERTVS GOVLOTVS *in compendio*, quod de *univerſ. Pariſ. hiſtoria* ſcripſit, ROBERTVS GVAGVINVS *in libris hiſtoriæ Francicæ*, LAVNOIVS *in acad. Pariſ. illuſtrata*, CLAVDIVS HEMERDVS *de acad. Pariſ.* cui addita eſt Nomenclatura cancell. eccleſ. Pariſ.

(b) *Inter multa collegia*) Octo comprimis collegia ſunt Pariſiis (1) regium Navarræ collegium, (2) Pleſſiacum, (3) Harcourtianum, (4) Bellovacenſe, collegium Cardinalis le Moine fundatum an. 1363. (5) collegium de la Marche, (6) de Liziaux. (7) de Montaigu. (8) des Graſſins dictum. Vid. BRICE.

(c) *Navarra*) Hoc de collegio ſpeciatim agit LAVNOIVS integro libro jam adducto, quem inſcripſit, *academia Pariſienſis illuſtrata*, quique prodiit Pariſ. 1682. 4to. Deſcribit enim hoc libro ea, quæ in regio Navarræ gymnaſio, quod alii ſæpiuſcule vocant venerabile collegium de Na-

eſt nobiliſſimum, legi hic merentur, quæ de illo narravit Joannes Mariana Hiſpanicarum rerum diſertiſſimus ſcriptor tomo 1. lib. 14. c. x. *Regina impenſa in eadem urbe Lutetia, ſchola quæ Navarra dicitur, ipſa ædificii amplitudine præceptorum auditorumque numero in paucis præſtans, extructa eſt. Septingentos alumnos bonis temporibus Galliæ intra unas ædes habitantes numeraſſe fama eſt. Rebus turbatis vix quingenti erant (quo nos tempore ſcholas theologicas Lutetiæ explicabamus) quidam eorum publica impenſa collegii, plerique collata de ſuo ſtipe victitantes.* Multa quidem etiam digniſſima ſcitu in promptu ſunt de aliis etiam collegiis, cum primis de illo longe celeberrimo, quod *Robertus Sorbona* (a) Ludovico Rege inſtituit & nunc quoque illius gaudet cognomento: ſed iſthæc omnia adferre præter inſtitutum fuerit.

Supplementum XLVIII. ad pag. 438.

Quod diximus de Ottone Friſingenſe epiſcopo, pridem tradidit etiam Radevicus *lib. 4. cap. 2. de geſtis Friderici I. Imperatoris*, quod nempe *philoſophicorum librorum ſubtilitatem, in topicis analyticis atque elenchis, primus fere noſtris finibus apportaverit.* Ideoque in gloriam viri illius merentur a grata poſteritate legi, quæ ipſemet Otto de Gilberto Porretano & Abælardo diſſerit *lib. 5. chronici cap. 46.* & ſequentibus usque ad 53: utpote quæ ſpecimen ſimul aliquod præbeant non vulgaris in ſubtiliore philoſophia progreſſus. De illo porro Ottone ita annotavit antiquus quidam ſcriptor apud Wiguleium Hundium in *metropoli Salisburg. pag. 155. Ad Pariſios miſſus, Latinas literas ad præmium nactus theoriæ atque ſecularis prudentiæ: i. e. artium liberalium magiſter ac S. theologiæ profundiſſimus ac eloquentiſſimus doctor effectus eſt.* Dubito tamen, an huic narrationi tuto liceat fidem habere.

Cæterum ea quidem ætate Ariſtotelicum nihil præter libros logicos, & ne illos quidem omnes, Latine fuerat verſum: nec alia veterum philoſophiæ auctorum ſcripta præterquam unius Boëthii, Græcum vero nihil, fuerunt in manibus: quapropter nec ultra illa logica excurrit ejus tempeſtatis philoſophica eruditio, quamvis ad altiora ingenium nonnullis haud defuiſſe oſtendat is qui etiamnum ſuperat Gilberti Porretani de *ſex principiis* libellus. Non poſſum non hoc loco addere, quod Rigordius in *chronico de geſtis Philippi Auguſti Francorum regis*, narrat, in hiſtoria annorum MCCVIII. & IX. p. 208. editionis Wechelianæ. *In diebus illis legebantur Pariſiis libelli quidam, ab Ariſtotele, ut dicebantur, compoſiti, qui docebant metaphyſicam, delati nove a Conſtantinopoli, & a Græco in Latinum tranſlati: qui quoniam hæreſi prædictæ (Almarici* (b) ſcil. de qua paulo ante multa narraverat) *ſententiis ſubtilibus occaſionem præbebant, imo & aliis nondum inventis præbere poterant, juſſi ſunt omnes comburi; & ſub pœna excommunicationis cautum eſt in eodem concilio* (Pariſienſi nimirum, contra Almarici ſectatores tunc habito) *ne quis eos de cætero ſcribere aut legere præſumeret vel quocunque modo haberet.* An fuerint tunc circumlati Ariſtotelis nomine falſo inſcripti libri metaphyſici, an in genuinos ita fuerit ſævitum, non equidem audeo definire. Videtur tamen poſterius magis veriſimile. Refert enim doctiſſimus Naudæus libello de edicto Ludovici XI. Regis contra nominales, ex Alexandri Nekani libro de naturis rerum, Lothario II. imperante nonnullos eccleſiaſticos & religioſos exiſtimaſſe, libros Ariſtotelis a ſolo Antichriſto legendos & intelligendos eſſe, quippe qui iis eſſet uſurus ad convincendos vel ſubtiliſſimos diſputatores atque doctores. Et vero ipſum quoque *Bernhardum juſto iniquiorem* (c) fuiſſe ſubtiliori philoſophiæ, haud

varra, ab an. 1304. usque ad an. 1640. contigerunt. Narrat (1) quomodo illud inſtitutum fuerit a. 1304. a Johanna Navarræ regina, & a marito rege Philippo Pulchro, nec non a pontifice Johanne XXII. confirmatum, unde errent, qui cum Paulo Æmilio id an. 1286. fundatum exiſtiment. (2) Refert in hoc collegio ex inſtituto majorum ali oportere triplicem ordinem juvenum, grammaticæ, philoſophiæ & theologiæ incumbentium, quibus pro qualibet ſeptimana certum ſtipendii genus aſſignetur, quod ſtipendium burſa, ejusque adeo participes burſarii dicantur. (3) Extraneos non fuiſſe ab initio in hoc collegium receptos, demum poſt an. 1404. acceſſiſſe admiſſos a Petro Parochia conſentientibus aliis, qui tamen ſuis ſumtibus vivere debeant. (4) Præter alia notatu digna refert an. 1458. collegium hoc a Carolo VII. renovatum, reſtauratumque uti & poſtea a Ludovico XI. an. 1565. grammaticos & artiſtas deſiiſſe in collegio vivere. a. 1473. libros nominalium in bibliotheca collegii vinculis conſtrictos eſſe, ne legerentur. (5) Numerum & nomina grammaticorum, artiſtarum & theologorum, qui in hoc collegio ſtatim ab ejus incunabulis vixerunt, ſecundum ſeriem temporum exhibet. (6) Viros celebres & doctores hujus collegii eorumque vitam, fata & ſcripta recenſet; ex quibus notari merentur Joh. Gerſon, Johannes Major, Almainus, Caſtroſortius Gilainus, Villerius, Pelleterius, Petrus Alliacus, Gabriel Prateolus, Petrus Pichartus, Ægidius Campenſis, Antonius Cocquierius, Wilh. Boddæus, Eſpencæus, Claudius Sanctefius, Nicolaus Marchantius, Jacobus Faber &c. (7) Tandem pag. 1067. de Tornacenſi & Becodiano collegiis regio diplomate a. 1638. Navarræo adjunctis per Ludovicum XIII. agit. Hæc fere ſumma & ſeries integri hujus libri eſt in gloriam regalis collegii ſcholarium de Navarra, cujus ipſe membrum fuit, a Launoio conſignati, cui addi poſſunt quæ de eo refert GERM. BRICE *deſcription de la Ville de Paris p. 55. ſeqq.* & verba SLEIDANI *lib. 3. hiſt. ad an. 1521. Ad Pariſienſes theologos quod attinet, hi collegia duo habent præcipua Sorbonam & Navarram, quo diſcendi gratia ſacrarum inſtitutionum ſtudioſi undique confluunt &c.*

(a) *Robertus Sorbona*) Obſervat LAUNOIUS *l. c. pag. 451.* totam facultatem theologicam demum ſub Franciſco I. rege cœpiſſe pro Sorbonæ collegio uſurpari. Id vero accidiſſe a loco, Sorbonæ collegio, ubi relictis Maturinenſium clauſtris & capitulo theologica facultas congregari cœperit, & varias in novorum dogmatiſtarum libros cenſuras edere. Notatos vero a Pariſienſibus collegiis dogmatiſtas, ut cenſoriæ notionis ictum apud imperitam plebem declinarent, ad facetias concurriſſe, & cenſoribus a loco verba per ridiculum dare ſe poſſe falſo crediediſſe, obſtitiſſe quidem ab initio Eſpenceum & Sanctefium, ſed poſtea uſum invaluiſſe, ut Sorbonæ ſeu collegii Sorbonici nomen pro ſignificanda theologiæ facultate tota ſumeretur.

(b) *hæreſi Almarici*) Ita dicti pro Alberico, quomodo Johan. Gerſon illum interdum vocat. At vero hæreſin ejus non tam ex metaphyſicis Ariſtotelis, quam ex Dion. Areopagitæ libris hauſtam oſtendit JAC. THOMASIUS *in originibus hiſtoriæ philoſ. pag. 112.* adde LAUNOIUM *de varia Ariſt. fortuna l. 1. p. 127.*

(c) *Bernhardum juſto iniquiorem*) In quæſtionem vocant eruditi, utrum Porretanus & Abælardus perverſe docuerint, an vero Bernhardus nimis in eos iniquior fuerit. Sunt qui eos defendunt, & rectius ſenſiſſe, quam vulgo creditur, perhibent. Vid. de utroque FRID. SPANHEIMIUS *opp. tom. I. pag. 1605.* Sunt vero qui nihil fuiſſe illis turpius diſputant, adeoque recte Abælardum in publicis conciliis Sueſſionen-

haud obſcure indicat Otto Friſingenſis noſter in Gilberti Porretani, quem non minus atque Petrum Abælardum fuerat inſectatus Bernhardus, defenſione. Legi de hoc argumento meretur libellus Launoyi Sorbonici theologi, quem inſcripſit *de varia Ariſtotelis fortuna in academia Pariſienſi.*

Supplementum XLIX. ad pag. 438.

Quoniam verba Rigordi omnia digna ſunt quæ hic commemorentur, adſcribam comma iſtud integrum. *In diebus illis* (Philippo nimirum Auguſto rege) *ſtudium literarum florebat Pariſiis: nec legimus tantam aliquando fuiſſe ſcholarium frequentiam Athenis vel Ægypti, vel in qualibet parte mundi, quanta locum prædictum ſtudendi gratia incolebat. Quod non ſolum fiebat propter loci illius admirabilem amœnitatem & bonorum omnium ſuperabundantem affluentiam, ſed etiam propter libertatem, & ſpecialem prærogativam defenſionis, quam Philippus Rex & Pater ejus ante ipſis ſcholaribus impendebant. Cum itaque in eadem nobiliſſima civitate non modo de trivio & quadrivio, verum & de quæſtionibus juris canonici & civilis, & de ea facultate quæ de ſanandis corporibus & ſanitatibus conſervandis ſcripta eſt, plena & perfecta inveniretur doctrina; ferventiori tamen deſiderio ſacram paginam & quæſtiones theologicas docebantur.* Subjungam nonnihil eorum quæ addit Rigordus de Almarico. *Fuit igitur in eadem ſacra facultate ſtudens quidam clericus Almaricus nomine, de territorio Carnotenſi villa quæ Bana dicitur oriundus: qui cum in arte logica peritus eſſet, ſcholaſque de arte illa & de aliis artibus liberalibus diu rexiſſet, transtulit ſe ad ſacram paginam excolendam: ſemper tamen ſuum per ſe modum docendi & diſcendi habuit, & opinionem privatam, & judicium quaſi ſectum & ab aliis ſeparatum.* Hæc omnia Rigordus, teſtis ejus temporis rerum locuples.

Supplementum L. ad pag. eandem.

Ante Honorii Papæ edictum, cujus meminit diſſertatio, jam ſeculo duodecimo juris civilis Romani ſtudium Pariſiis quoque fuiſſe cultum, vel illa doceant quæ modo ex Rigordo attulimus. Confirmatur idem eo, quod de Udalrico abbate monaſterii S. Galli refert *l. de caſibus* illius monaſterii Conradus de Fabaria *cap. 5.* ſcribens: *Dulciloquis grammatica & dialectica floribus informatum Pariſios & Bononiam tranſmiſit; jurisque peritia cum ſumma diligentia reparatum, omnibusque bonis confirmatum, ad ſumma provexit.* Et paulo poſt: *In jure forenſi & eccleſiaſtico, quicquid excogitare poterat, faceto Minervæ poculo cunctis audientibus propinavit.* Quid? quod ſi Petrus Bælardus idem eſt cum Petro Abælardo, is quoque Pariſiis ut philoſophiam ac theologiam ita & jurisprudentiam docuit. Accurſius enim *ad l. quinque pedum c. fin. regund.* hæc verba reliquit: *Quænam eſſet ea præſcriptio, Petrus Bælardus, qui ſenſum cujusque legis intellectum pollicebatur, hic dixit neſcio.*

Supplementum LI. ad pag. 439.

Niſi valde fallimur, fecimus libri de origine juris Germanici capite viceſimo primo clariſſimum, jus Romanum Juſtinianeium Bononiæ cœpiſſe doceri, Imperatore quidem Lothario Saxone, non tamen illo jubente, vel ex ejus auctoritate. Hic adducemus duntaxat verba abbatis Urſpergenſis, qui vixit tamen Friderico II. Cæſare. *Eisdem quoque temporibus Wernerius libros legum, qui dudum neglecti fuerant, nec quisquam in iis ſtuduerat, ad petitionem Mathildæ comitiſſæ renovavit, & ſecundum quod olim a divæ recordationis Imperatore Juſtiniano compilati fuerant, paucis forte verbis alicubi interpoſitis, eos diſtinxit. In quibus continentur inſtituta præfati Imperatoris, quaſi principium & introductio juris civilis: Edicta quoque prætorum & ædilium curulium, quæ rationem & firmitatem præſtant juri civili, hæc in libro pandectarum, videlicet in digeſtis, continentur: additur quoque his liber codicis, in quo Imperatorum ſtatuta deſcribuntur. Quartus quoque liber eſt authenticorum, quem præfatus Juſtinianus ad ſuppletionem & correctionem legum imperialium addidit.* Bartolus *ad 1. conſtit. digeſt. vet. pag. 6.* ita loquitur: *Habere ſtudium vel licentiam docendi procedit ex privilegio tantum, vel ex conſuetudine longiſſima. Sicut Paduæ: ubi eſt ſtudium generale ex conſuetudine: & ſic eadem privilegia ſunt ibi quæ ſunt Bononiæ; ubi eſt ſtudium ex conſuetudine & privilegio Lotharii Imperatoris, ut dicunt quidam.* Quæ verba indicant, a nonnullis quidem tunc temporis fuiſſe perhibitum, Lotharium Cæſarem facultatem docendi Bononienſibus conceſſiſſe, ſimul tamen jus illud niti conſuetudine: aſt illud de Lothario non niſi *a quibusdam dici*, atque adeo a Bartolo ipſomet non fuiſſe certo creditum.

Veroſimilius longe eſt, a Friderico I. Imperatore facultatem jus Romanum illud docendi fuiſſe Bononienſibus confirmatum. Et vero tradit hoc auctor ephemeridum eruditorum, ſcriptor Gallicus, ephem. VII. anni ſexageſimi quinti: ſed præter illum hactenus nemo. Nec fidem meretur, quoniam & reliqua quæ addit de jure Romano juſſu Friderici in fora Italiæ & Germaniæ recepto futilia ſunt.

Jam tum autem, Friderico illo Cæſarum Germanicorum fortiſſimo imperante, Romanorum jus docuiſſe Bononiæ illos, quos diſſertatio laudavit, vetat dubitare Otto Muræna chronologiæ Laudenſis ſcriptor coævus; cujus verba adducit in hiſtoria anni 1558. libro XII. annalium Baronius. Recitabimus ipſamet illius verba. *Hoc anno Dominus Imperator Fridericus in Roncalia colloquium in S. Martino proximo veniente maximum ſe conſtituit habiturum: præcepitque omnibus fere Italiæ principibus atque*

ſi & Senonenſi a. 1120. & 1140. Gilbertum in concilio Rhemenſi a. 1148. hæreſeos condemnatos & ad palinodiam cantandam compulſos fuiſſe. Vid. *EDMUND MARTENE theſauri anecdot. novi tom. V. p. 1139. ſeqq.* Id certum eſt, utrumque ſibi ſua ſubtilitate apud Bernhardum nocuiſſe, Bernhardum vero ingenio plus valuiſſe quam judicandi facultate, formulasque perobſcuras ſcholaſticæ ſapientiæ non ſatis aſſecutum. Egit hac de re pluribus *LAUNOIUS de varia Ariſt. fortuna p. 192.* & *OTTONIS FRISINGENSIS* teſtimonio utitur.

que civitatum conſulibus, ut ipſi colloquio intereſſent. Ad quod etiam principales quatuor legis doctores, videlicet Dominos Bulgarum & Martinum Goſium, Jacobum atque Hugonem de Porta Ravegnana, intereſſe fecit. Iſtorum autem quatuor doctorum & quampluriморum aliorum fuit Dominus Guarnerius doctor antiquior. Ad quem, cum in extremis laboraret, acceſſerunt ſui ſcholares, dicentes: Domine, quem vultis poſt mortem veſtram doctorem nobis conſtituere? Quibus ipſe reſpondit per duo carmina infra ſcripta: que qualia qualia non piguit retuliſſe.

Bulgarus os aureum: Martinus copia legum:
Hugo mens legum: Jacobus eſt quod ego.

In majorem fidem addemus & illa, quæ de eodem negotio narrat Radevicus l. 2. cap. v. præſertim quia & alia continent jucunda perceptu. *Sequentibus*, inquit de Friderico Imperatore, *diebus plena atque ſolenni curia, judicio atque juſtitia a mane uſque ad veſperam intentus, querimonias & proclamationes tam divitum quam pauperum diligenter audiebat. Habensque quatuor judices*, (quid *judicum* vocabulo tunc Itali intellexerint, infra docebimus) *videlicet Bulgarum, Martinum, Jacobum, Hugonem, viros diſertos, religioſos, & in lege doctiſſimos, legumque in civitate Bononienſe doctores & multorum auditorum præceptores; cum his aliiſque legisperitis, qui diverſi ex diverſis civitatibus aderant, audiebat & terminabat negocia. Videns autem multitudinem eorum qui crucem bajularent (is enim Italorum mos eſt, ut habentes querelam crucem manibus præferant) miſertus illorum ait; mirari ſe prudentiam latinorum, qui cum præcipue de ſcientia legum glorientur, maxime legum invenirentur transgreſſores, quamque ſint tenaces juſtitiæ ſectatores in tot eſurientibus & ſitientibus juſtitiam apparere.* Hæc illi. Ipſa Bononia quantam tunc exiſtimationem ſibi comparaverit ex legum illo ſtudio, vel unum illud doceat præconium, quod *Ligurini l. 9.* de Friderico illo agens habet Guntherus.

ſineſque Bononia juris
Ingreditur ſtudioſa tuos.

Supplementum LII. ad pag. 440.

De Ariſtotelis libris ex Arabico, curante Friderico II. verſis, non eſt quod hic addamus quidquam, præter illud, *quod opus politicum Ariſtotelis apud Arabes non fuerit repertum* (a) ac proinde nec cum aliis latine verſum. Id quod jampridem docuimus introductione in politica Ariſtotelis. Verum autem eſſe id quod hic affirmat diſſertatio de ſcriptoribus philoſophicis & medicis ex Arabum lingua tunc temporis translatis, lubet hoc loco aſtruere teſtimonio duorum duntaxat inſignium illius literaturæ virorum, Joſephi Scaligeri & Johannis Seldeni. Illius hæc verba ſunt epiſtola ad Stephanum Ubertum, quæ eſt operis epiſtolici poſthumi 362. *Florentibus Arabum rebus, ſumma meliorum literarum imperitia in tota eccleſia latina erat: quum bona diſciplina inter Mahumedanos maxime vigerent. Et profecto quicquid latini ſcripſerunt poſtquam illos inſcitia ſua monuit Arabum induſtria, id totum Arabibus acceptum debent; philoſophiam medicinam & mathematica. Nam nullum Græcum ſcriptorem habuerunt, quem non ex Arabica in latinam translatum legerint. Ptolemæi magnam ſyntaxin prius ex græca Arabicam, ex Arabica latinam factam tractare cœperunt. Sic Euclides Arabice, deinde latine converſus, tamdiu inter nos obtinuit, donec capta Conſtantinopoli exules Græci nos relictis lacunis ad ipſos fontes convertere docuerunt.* Seldenus in commentario ad origines Eutychii Patriarchæ Alexandrini ab ſeſe Arabice latineque editas, in hæc verba eſt *pag. 156.* locutus: *Scientiæ liberales riteque inſtituta diu vocari ſolebant a noſtris ſtudia Arabum & Arabica ſtudia veluti denominata a gente, ac locis ubi tunc ſolum ſerio colebantur. Id etiam liquet ex præfatione Adelardi monachi Bathonienſis, Athelardi item dicti, in quæſtiones ſuas naturales, quas ex Arabum ſcholis redux in Angliam conſcripſit. Hac de re item conſulas Gulielmum Malmesburienſem de geſtis regum in lib. 2. cap. 10. Floruit ante quingentos Athelardus ille abhinc annos, (Henrico primo in Anglia regnante) & primus Euclidis elementa geometrica latine vertit, ſed ex Arabico (quorum exemplar MS. penes me habeo) uti & alia mathematica. Nam ſeculis in illis, ut & diu poſt, non ex Græco fonte, ſed ex Arabicis verſionibus latine, ſed barbare nimis redditis, Platonis ac Ariſtotelis pleraque, Ptolemæum item, Hippocratem, Galenum, Euclidem, id genus alios habebant academici occidentales. Et Avicennas tandem Averroes Alfarabios verſos. Nec vero Themiſtios Philoponos Alexandros Simplicios omnino legebant; quos nec habuere, uti nec alios ferme autores Græcos, antequam, poſt captam a Muhamede ſecundo Conſtantinopolim anno Chriſti 1453. Græci aliquot ſcientiores eorum exemplaria, in Italiam Galliam ac Germaniam profugi, ſecum aſportabant. Latine autem verſi erant libri illi Arabici, in academicorum gratiam, ſub Lothario Saxone & Frederico Ænobarbo circa annum 1140. Quo tempore Alcoranus in Hiſpania primo item latine redditus eſt; a Roberto nempe Retenenſi Anglo & Hermanno Dalmata, qua de re videſis Petrum Cluniacenſem in bibliotheca Cluniac. pag. 1010. & Balæum cent. 2. ſcript. 80.*

Sup-

(a) *opus politicum non fuit apud Arabes repertum*) *HERBELOT* tamen *in biblioth. orientali ſupplem. p. 969. col. 2.* commemorat librum politic. Ariſtotelis Arabice translatum ſub titulo *Ketabb alriasſath fil ſiasſath*, addit: *Titre du livre des politiques d' Ariſtote compoſe pour Alexandre le Grand. Ce livre a imite par Maulana Nasſouh plus connu ſous le nom de Navali, ſous le titre de Fatah Nameh. Il a dedie cet ouvrage a un des fils du Sultan Morad troiſieme du nom Empereur des Turcs, du quel il etoit precepteur dans le temps, que ce Prince avoit le Gouvernement de Magneſie & qu'il y faiſoit ſa demeure.* Idem poſtea recenſet, quid autor per totum librum ſingulis capitibus pertractet, additque, quod etiam Abou Obeid Allah librum politicorum ediderit, & p. 971. adducit *Ketabb alſiasſath fi radbir alriasſat*, *autre titre du livre des politiques qu' Ariſtote compoſa a la priere d' Alexander le grand*, item librum *Ketabb ſiasſat almoden*, quo agatur de 141. rebuspublicis quem eundem eſſe putat cum illo, qui habetur apud Diogenem Laertium, licet ille tantum 63. reſpubl. in eo pertractatas retulerit.

Supplementum LIII. ad pag. 440.

Quæ de numero profeſſorum Bononienſium refert diſſertatio, illa acceperam a Fortunio Liceto ſummi nominis tunc temporis philoſopho in academia Patavina: qui cum frequens & amicum mihi erat literarum commercium. Quod gratitudinis ergo hic memoro, erga virum de philoſophia aliisque ſtudiis nonnullis præclare meritum.

Supplementum LIV. ad pag. 441.

Garioponum ſeculo jam undecimo vixiſſe, præter alia quammulta docuit vir varia doctrina eximius, Thomas Reineſius in *defenſione ſua variarum lectionum pag. 143. & 155* ingenue emendans nonnulla quæ ſcripſerat l. 3. variarum lectionum cap. 2. & 12. Ibidem præclara haud pauca adfert de ipſamet ſchola Salernitana, quæ proinde merentur attentam lectionem; etſi ſchola illa omnis pridem interierit, idque quantum videtur annitentibus Neapolitanis Gallicæ ſtirpis regibus.

Supplementum LV. ad pag. 444.

Ordinis vox olim apud Romanos fuit valde communis. Et vero ordo ſenatorius, ordo equeſtris, ordo plebejus, nomina ſunt jam veteri Romæ cognita. Cicero quoque memorat *l. X. familiar. epiſt. 9. ad Craſſipedem* ordinem publicanorum. Servius ad illud Virgilii

delectos ordine ab omni
Centum oratores auguſta ad mœnia regis
Ire jubet:

illud *ordine ab omni* ſcribit *eſſe, ex omni qualitate dignitatum: quod apud Romanos in legatione mittenda hodieque ſervatur.* Alibi memorantur ordo ſacerdotum, ordo haruſpicum, aliique κατ' ἐξοχὴν tamen & nullo addito, juriſconſultis *ordo* audit ordo decurionum: quapropter ubi de probatione per ordinem inſtituenda agitur pene ſoli decuriones intelligendi videntur.

Supplementum LVI. ad pag. 445.

Plinius *epiſtola 66. l X.* haud obſcure indicat, jam tum, Trajano ſcilicet imperante, philoſophis fuiſſe conceſſam civilium munerum vacationem. Hanc autem deberi beneficio Veſpaſiani, diſcere eſt ex verbis Chariſii in diſſertatione adductis. Forte vero Domitianus ut rhetoribus ita & philoſophis eripuerat hoc paternum beneficium, utpote quos urbe expulerit; reddidit vero Trajanus. Etenim hunc Plinius in panegyrico hisce verbis allocutus eſt. *Quid vitam, quid mores juventutis, quam principaliter formas! quem honorem dicendi magiſtris, quam dignitatem ſapientiæ doctoribus habes! ut ſub te & ſpiritum & ſanguinem & patriam recuperent ſtudia, quæ priorum temporum immanitas exiliis puniebat, cum ſibi omnium vitiorum conſcius Princeps inimicas vitiis artes non odio magis quam reverentia relegabat. At tu eaſdem artes in complexu, oculis, auribus habes.* Videtur autem Antoninus Pius philoſophis iterum priſtinam immunitatem negaſſe, ſaltim per Aſiam: nec enim in illa ejus conſtitutione quam *pag. 113.* diſſertationis Modeſtini verbis produximus, ulla ſit inter eos qui immunitate poſſint gaudere philoſophorum mentio. Memorat tamen idem Modeſtinus, philoſophos immunitate tutelarum ab Antonino Pio, a Marco autem non minus quam rhetores grammaticos & medicos multis privilegiis fuiſſe affectos. Quæ verba itidem recitavimus *pag. 113.* Cæterum Severo Imperatore, niſi fallar, irriſi & ludibrio quodammodo ſunt philoſophi affecti, per eam conſtitutionem quæ ex Papiniano translata eſt in titulum pandectarum *de muneribus & honoribus l. 8. §. 4.* Ita enim illa loquitur: *Philoſophis, qui ſe frequenter atque utiles per eandem ſtudiorum ſectam contendentibus præbent, tutelas item munera ſordida corporalia remitti placuit: non ea quæ ſumptibus expediuntur: etenim vere philoſophantes pecuniam contemnunt, cujus retinendæ cupidine fictam adſeverationem detegunt.* Notandum vero, ſolos Stoicos tunc voluiſſe videri opes ſpernere; alia ſane mens fuit ſcholæ Peripateticæ. Quin imo non multo poſt videtur omnis immunitas philoſophis erepta. Diſerte enim *tit. de decretis decurionum l. XI codicis Juſtinianei* Diocletianus & Maximianus ita caverunt: *Exceptis qui liberalium ſtudiorum antiſtites ſunt, & qui medendi cura funguntur, decurionum decreto immunitas nemini tribui poteſt.* Nec enim inter illos alii videntur tunc numerati quam grammatici & rhetores. Fortaſſis autem a Triboniano philoſophi omiſſi ſunt, quia illo tempore erant & rari & contempti.

Supplementum LVII. ad pag. 446.

Quæ de medicorum probationibus diximus, dubito num recte ſeſe habeant. Diſerte enim Symmachus *l. 1. ep. 26.* de medicis inquit: *Lege cautum eſt, ut primi artis ejuſdem de novorum ſcientia judicarent.* Atque ita longe aliter fuerint intelligenda, quæ ad Olybrium præfectum urbis reſcripſerunt Valentinianus & Valens. Et vero cum Roma non habuerit decuriones, ſaltim de illo ordine imperatores non ſunt hic loquuti. *Primi* porro *artis* videntur Symmacho dicti qui alias archiatri audierunt: quod fateor recte monuiſſe Pancirollum *l. 2. c. 45.* mutata ſcilicet de archiatris ſententia noſtra priſtina: prout jam tum fecimus in ſupplemento XXVII. Quæ medicorum autem, eadem iſthac tempeſtate videtur fuiſſe conditio philoſophorum. Diſerte enim ſatis idipſum ſignificant, quæ pag. 444. verba adduximus Valentiniani & Valentis Imperatorum: *Reddatur unusquiſque patriæ ſuæ, qui habitum philoſophiæ indebite & inſolenter uſurpare cognoſcetur: exceptis his qui a probatiſſimis approbati ab hac debent colluſione ſecerni.* Ex quibus verbis ſimul hoc tamen etiam diſcere eſt, non omnes habitu philoſophico tunc amictos ante illius habitus aſſumptionem probari ſolitos,

ſed

ſed ſpontaneo arbitratu vulgo id fuiſſe factum. In Juliani etiam Imperatoris conſtitutione *ordinis* voce intelligendos ipſos *magiſtros ſtudiorum*; ut *curiales* demum ſint decuriones, non amplius multum repugnabimus. Et vero cum advocatos probari a ſuæ juridicinæ magiſtris mos tunc fuerit, quidni etiam circa alios id fuerit obſervatum? Sed & jam tum ſupplemento XIII. adducta ſunt verba S. Auguſtini, quæ non obſcure indicant, ſeſe a Symmacho urbis præfecto Mediolani conſtitutum fuiſſe profeſſorem rhetoricum, *dictione propoſita probatum.*

Legi vero majoris illuſtrationis cauſa heic merentur, quæ etiam de advocatorum probatione olim fuerunt conſtituta *l. 9. nemini codic. de advocat. diverſ. judicior.* Quicunque nimirum patroni cauſarum munus ambiebat, docebat primo apud præſidem provinciæ ſe cohortalem non eſſe i. e. non obnoxium præſidis apparitioni: mox jurabat anteceſſor, a quo erat inſtitutus in legum doctrina, illum juris peritia ſatis eſſe inſtructum. Addere operæ pretium eſt heic annotata a Pancirollo *l. 1. variar. lection. c. 26.* de tabellionum creatione. *Legitur in quadam Leonis philoſophi novella, ex certo corpore tabellionum eruditiores & vita integriore probatiores ex collegii ſententia electos fuiſſe, qui LX. libros baſilicoon & XL. titulos encheiridii tenerent. Eos autem ephestride indutos ad præfectum Urbi perductos fuiſſe, jurantibus his qui elegerunt, ſe nulla ambitione vel gratia motos electionem illam feciſſe. Mox in auditorio præfecti Urbi annulo ſignatorio accepto ad tabularii gradum promotos, inde ad templum perductos fuiſſe, ubi pro ephestride a ſacerdote album phelonium, recitatis quibusdam precibus, accipiebant. Poſtremo omnes ſimul convivatos eſſe. Quæ aliquam in creandis doctoribus noſtris habent ſimilitudinem.* Hactenus Pancirollus.

Supplementum LIIX. ad pag. 447.

Excerptum illud Photianum *Olympiodori* (a) docet, pallium ſophiſticum, quo de ibi agitur, non fuiſſe duntaxat rhetorum ſed etiam diſciplinæ illius ſtudioſorum habitum. Quod dignum eſt obſervatu, quoniam pallium alias habitus quaſi proprius fuit philoſophorum. Forte autem Athenis duntaxat ſophiſticum aliquod juvenile pallium fuit, & nonnihil a *philoſophico* (b) diverſum. Non enim etiam aliis adſcribi illud ſolet. Illam ſane raritatem arbitror moviſſe Photium, quare ad vitam Iſidori philoſophi a Damaſcio conſcriptam, cum dixiſſet Damaſcius de ſemetipſo: *λόγους ἐπιδεικνύμεν πρότερον, τὴν ἐπὶ ῥητορικῇ τρίβωνα περιθέμενος*: cum cura notaverit, fuiſſe tunc temporis & pallium aliquod *rhetoricum.* Nec vero hoc rhetoricum pallium aliud fuit ab eo, quod Olympiodoro audit *ſophiſticum.*

Supplementum LIX. ad pag. eandem.

Jam tum ſupplemento XII. ex S. Auguſtino notavimus quædam, de petulantia ejus ætatis ſtudioſorum juvenum, & Carthagine & Romæ uſitata. Notantur porro canone 71. concilii Trullani quidam petulantes mores eorum juvenum, qui tunc temporis Conſtantinopoli legum ſtudiis dabant operam. Habitum autem eſt illud concilium in Trullo Conſtantinopoli, imperante Conſtantino Pogonato, jam tertio poſt Juſtinianum ſeculo. Latine verſus canon ille ita ſeſe habet: *Eos qui docentur leges civiles, Græcis moribus uti non oportere, & neque in theatrum induci, neque eas quæ dicuntur κυλίστρας peragere, vel præter uſum communem ſibi veſtes induere: nec quo tempore diſciplinam aggrediuntur, vel ad finem ejus perveniunt, vel ut in ſumma dicam, in ejus doctrina dimidio. Si quis autem deinceps hoc facere auſus fuerit, ſegregetur.* Qui illi fuerint Græci mores, qualis in theatrum inductio, quæ veſtium mutatio, qualis denique cyliſtra iſthæc, nos fugit. Et vero etiam ipſe Balſamo *τὰ κύλιστρα* tantum ex conjectura interpretatur: quoniam nempe ejus ætate iſthæc jam deſierant. Si tanti vero eſt, licet hinc diſcere, fuiſſe talia factitata tunc & initio & fine imo & medio tempore ſtudiorum juris: quæ nempe ex Juſtiniani inſtituto certo annorum numero erant circumſcripta. Perindigna autem fuiſſe illa omnia, indicat gravis delinquentibus indicta pœna. Ἀφοριζέσθω enim ait canon: quod eſt, communione ſacra excludi. Non abs re fuerit conferre quæ in diſſertatione *pag. 449.* annotavimus ex *l. 3. cod. de veteri jure enucleando.* Enimvero, inſignem etiam tunc fuiſſe petulantiam juris ſtudioſorum, ſimulque ipſis profeſſoribus fuiſſe illuſum non ſolis juvenibus, & ludos iſtos in crimina tranſiiſſe, ac proinde meruiſſe vindicari, Conſtantinopoli quidem a præfecto urbis, Beryti autem a præſide Phœniciæ maritimæ, epiſcopo civitatis, & legum profeſſoribus, liquet ex ipſamet Juſtiniani imperatoris conſtitutione.

Haud inanis forte ſuſpicio eſt, omnia hæc inſtituta quaſi ad exemplum myſticarum initiationum: quales fuerunt olim non tantum in Ægyptiorum, Græcorum, aliorumque gentilibus ſacris, ſed etiam in monachorum clauſtris, imo ipſiſmet ubique receptis Chriſtianorum ritibus. Quam in rem quæ obſervavit Lucas Holſtenius *ad vitam Pythagoræ p. 71. editionis Londinenſis,* eximia ſua eruditione promerentur, & legi & cum cura expendi ut reliqua omnia.

Supplementum LX. ad pag. 449.

Jampridem a viris Ebraice doctiſſimis ex Thalmudica Gemara ad tit. Megilla, hæc fuerunt adducta:

(a) *Olympiodori*) *PHOTIVS* hunc *myriobibl. cod. 80. p. 178.* ποιητὴν vocat, quod *ANDREAS SCHOTTVS* de poeta intelligit, *THOMAS REINESIVS* autem *in variis lectionibus lib. II. c. 5. p. 154.* alchymiſtam interpretatur. Conf. de eo *MORHOFII polyhiſtorem tom. I. lib. I. c. 11. p. 117.*

(b) *philoſophico*) De pallio philoſophico, quod & Tribonium dictum fuit, qui plura legere velit ἀξιουμένοισιν evolvat OCTAVII FERRARII *de re veſtiaria partem 2. lib. IV. c. 4. p. 173.* ejusque excerpta apud REIMANNVM *in idea ſyſtem. antiquit. literariæ p. 422. ſeqq.*

adducta: *Synagogæ erant Hieroſolymæ quadringentæ octoginta: in harum qualibet habebatur bibliotheca, & domus doctrinæ. Bibliotheca ad lectionem ſcripturæ ſacræ: Domus doctrinæ qua doceretur Miſchna. Has autem univerſas ſuſtulit Veſpaſianus.* Iidem ex Gittin memoraverunt, in urbe Bitter, quæ item cruenta clade a Romanis perdita eſt, fuiſſe ſynagogas quadringentas, ut alibi alias. Et vero inprimis olim celebratæ *Jafnenſis, Zephoriana, Cæſarienſis* & *Tiberienſis.* (a) De *Bitterenſi* (b) quæ narrant Judæi talia ſunt, ut fidem non mereantur: ſingulas nempe ſynagogas habuiſſe quadringentos magiſtros, & quemlibet magiſtrorum quadringentos auditores. Reapſe tamen magis inſana ſunt mendacia quæ jactant Judæi de ſuo R. Hillel & Rabbi Akiba. Illi nempe fuiſſe aliquot auditorum millia: quorum octoginta ita eminuerint, ut triginta fuerint digni divina converſatione ad inſtar Moſis, triginta alii digni in quorum honorem ſol ſubſiſteret Joſuæ exemplo, reliquis excelſum nomen inter doctos obtinentibus: Akibam audiviſſe diſcipulos viginti quatuor mille. Mitto ſimiles alias Judæorum portentoſas fabulas. Videtur autem, ſi non omnes illas ſynagogas veteres, quæ ita laudantur a Thalmudicis, ſatim pleraſque, fuiſſe Phariſaicas: quoniam illa ſecta & Thalmudicos & reliquos poſt Judæos infecit. Non enim Sadducæi potuerunt admittere in ſcholis ſuis Miſchnam, utpote quæ tota ſit Phariſaica. In omnibus porro paulo majoribus oppidis fuiſſe ſaltim aliquam ſynagogam, recte colligunt eruditi ex hiſce verbis tituli Megilla: *Quænam eſt civitas magna? Ea, in qua erant decem homines otii: ſi hoc numero minor, jam vicus eſt. Homines nempe otii ſunt doctores ſynagogici.* (c) Verum non licet tuto Thalmudicis narrationibus fidere.

Supplementum LXI. ad pag. 450.

Notavimus in diſſertatione, ſediſſe quondam doctores Judaicos in cathedra editiore: auditores porro ſediſſe in terra quaſi ad pedes magiſtrorum, jam pridem a multis eſt obſervatum. Illuſtrabimus id ipſum uno duntaxat teſtimonio Ludovici de Dieu, viri in hac literatura magni, qui ad illa actuum apoſtolicorum XII. ubi Paulus ait ſeſe educatum παρὰ τὺς πόδας Γαμαλιήλ, ita commentatus eſt. *Sedebat magiſter in loco editiore: diſcipulus ducebatur proſtratus ſive jacens in ſolo ad pedes magiſtri. Tamdiu dicebatur parvus, & tempus illud parvitas. Inde erat juvenis, neque vocabatur niſi nomine patris. Exempli gratia filius Simeonis. At poſt impoſitionem manuum, qua ad Rabbinatum promovebatur, appellabatur Rabbi David filius Simeonis. Hic dum eſſet ſocius magiſtri non amplius jacebat in ſolo, at nec ſedebat ſedente magiſtro, ſed erat inclinatus ſive in latus recumbens. At quum factus eſſet doctor legis, vocareturque magiſter noſter Rabbi, ſedebat quum alios juniores aut imperitos doceret, at ſtabat coram alio Rabbi ſene.* Hæc ille.

Supplementum LXII. ad pag. eandem.

In diſſertatione diximus, Judæos olim ſuos magiſtros certis ritibus initiaſſe. Et vero primum collocaverunt in cathedram: deinde tradiderunt iis clavem & pugillares: tertio impoſuerunt manus: denique renunciaverunt eos Rabbinorum titulo. Digna lectu de hoc argumento congeſſit *Jacobus Altingius l. de Ebræorum republica ſcholaſtica* (d) *pag. 106. & ſeqq.* Præclara etiam ſunt quæ de hiſce

(a) *Jafnenſis &c.*) Unde in Talmude appellantur Rabbanim de Kiſarin Rabbini Cæſarienſes, quorum nonnullos recenſet LIGHTFOOTUS *in centuria chronographica c. 57.* Adde RELANDUM *pag. 409. 679.* Jafnenſis initium invenit in ruinis Hieroſolymæ, R. Jochanan filio Saccai aliiſque ibi ſedem figentibus. Conf. LIGHTFOOT *in operibus poſthumis p. 87. ſeqq.* ubi habetur hiſtoria academiæ Jafnenſis chronologice diſtributa. *Sephorienſis* ſive Zipporienſis cum Tiberienſi in Gemara Cod. Megillah *c. 1.* confertur. De Tiberienſi autem cumprimis agit BUXTORFFIUS *in comment. Maſoretico c. 20.*

(b) *de Bitterenſi*) Erat illa Hieroſolymitanæ proxima, deletaque fuit ab Adriano poſt devictum Pſeudo-Meſſiam bar Cosba. Plura de ea narrant in *codice Gittin fol. 58.* quæ aliaque vide apud LIGHTFOOTUM *in centuria chorogr. ad Matthæum cap. 52. tom. I. opp. pag. 208.* RELANDUM *in Paleſtina p. 639.*

(c) *Homines nempe otii ſunt doctores ſynagogici.*) Decemviros otii (ita dictos quod in otio viverent ab aliis occupationibus liberi & a ſecularibus rebus ſemoti, ut rebus divinis majori animi intentione ſtudioſius operarentur) ad ſynagogam requiſiverunt Judæi. Qui autem, quales, quantive illi fuerint, & quomodo numerandi, non inter omnes convenit. CAMPEGIUS VITRINGA *in tract. de 10. otioſis*, denarium hunc numerum ita eruit. Ait unam quamque ſynagogam ſuos habuiſſe præfectos, eoſque uno plures, id quod conſtet *Marc. 5, 22. Actor. 13, 15.* Unum igitur fuiſſe virum ſapientiſſimum ab antiquis temporibus conſtitutum, qui populo in lectione ſcripturæ & publicis precibus præiret, ideo archiſynagogum dictum, huic adfuiſſe duos collegas ſeniores ſive presbyteros, quorum munus fuerit attendere, ut in ſynagogis omnia decenter & ordine fierent, qui æque ac primus archiſynagogi dicti fuerint, præterea ſeptem fuiſſe Iſraelitas ab epiſcopo ſynagogæ deſignatos ſingulis ſabbatis lecturos, & ſic denarium numerum eſſe conſtitutum. Huic vero opinioni ſeſe oppoſuit RHENFERDIUS *diſſ. philol. de 10. otioſis, nec non archiſynagogo otioſo αὐτοκατακρίτῳ an. 1686. Franequeræ* & *in inveſtigatione præfectorum ſynagogæ an.* 1701. editis. Inter alios autem JOH. SAUBERTUS *in hiſtoria ſynagogarum Judaicarum* cum LIGHTFOOTO *in horis Talmudicis & Ebraicis in Matth. 4. p. 247.* fere conſentiens ita rationes iniit. Tres enim ſtatuit ex illis ſummum imperium habuiſſe, ita ut vel in ipſa ſchola exequerentur pœnas, e. g. flagellationis, quartum & quintum fuiſſe profeſſores theologiæ ejuſdemque interpretes, ſextum miniſtrum ſynagogæ publicum, nuntium eccleſiæ, ἄγγελον τῆς ἐκκλησίας dictum, qui geſſerit curam lectionum & precationum fueritque in concionando vicarius (ad quos angelos nonnulli referunt *1. Corinth. XI, 10.*) Tres porro fuiſſe diaconos, penes quos cura pauperum fuerit, ultimum profeſſorem linguarum. Verum qui poſt illas hac de re eruditorum concertationes id quod Rabbini dicunt de 10. viris otioſis ad ſynagogam conſtituendam requiſitis, rectius hodie inveſtigarunt, inter quos cumprimis fuit Daſſovius, non immerito obſervant, mentem Judæorum non ſatis intelligere, qui tam operoſe de 10. otioſis commententur, cum manifeſtum ſit, 10. illos otioſos non eſſe alios niſi viros illos, quibus præſentibus orabant Judæi, quorum ad minimum 10. ſemper præſentes eſſe oportuit, non quod major numerus rejiceretur, ſed quod numerus iſto minor non ſufficiens ad ſynagogam ſ. conventum publicum, in quo preces fieri poſſint, judicaretur. Atque adeo non erit, quare quis hac in re cum Conringio Talmudicis narrationibus velit diffidere, cum ſuus cuique gentis mos, certæque leges & πατροπαράδοτα fuerint.

(d) *Jacobus Altingius l. de Ebræorum republica ſcholaſtica*) Sunt binæ orationes ſive diſſertationes hujus argumenti, quæ primum prodierunt Amſtel. 1652. in 12. deinde inter

hiſce commentatus eſt vir perquam inſignis *Joannes Seldenus, in commentario* (a) ad Eutychii Patriarchæ Ægyptii Alexandrinæ eccleſiæ origines n. x. p. 18. & ſeqq. usque ad 23. Ut nunc ſilentio prætercam dicta Joſepho Scaligero, Cunæo, Buxtorfio, Grotio, Salmaſio & aliis.

Quod porro monuimus, a Judæis tradi; quaſi olim ſynedrii teſtimonium fuerit neceſſarium, illud ab Hillele eſſe inſtitutum, docet Seldenus. Placet tamen etiamnum, id quod diximus nos in diſſertatione.

Quæ de vera acceptione vocis νόμικος diximus confirmat illud quod Stobæus ſerm. XLII. ex Stoicis neſcio quibus refert: Νόμιμον εἶναι ἄνδρα καὶ ἀκολυθητικὸν τῷ νόμῳ καὶ πρακτικὸν τῶν ὑπ' αὐτῦ προςαττομένων: Νομικὸν δὲ τὸν ἐξηγητικὸν τῦ νόμυ. Merentur conferri quæ Grotius annotavit ad Matthæi c. 11. v. 4. Quæ item nos annotavimus de inſolente auctoritate, quam ſuis Rabbinis Judæi tribuere ſunt ſoliti, illuſtrat præ aliis eximium in modum Joannis Friſchmuti longe doctiſſimus libellus de eo: *utrum Ebrai ſtatuant, idem ſimul poſſe eſſe & non eſſe.* (b)

Supplementum LXIII. ad pag. 451.

Præclara quædam de ſynagogarum decemvirali collegio notavit J. Saubertus, non tam generi nomine quam eximia doctrina mihi multo acceptiſſimus, in opuſculo ſubjuncto diſſertationi panegyricæ *de ſtudii linguæ Ebrææ in theologia utilitate & neceſſitate:* interque ea; ſextum illius collegii dictum eſſe *miniſtrum ſynagogæ publicum*, item *nuncium eccleſiæ* ſive ἄγγελον τῆς Εκκλησίας, ut & *inſpectorem congregationis* aut Επίσκοπον. De hoc ſcripſiſſe Maimonidem: *Non conſtituunt miniſtrum ſynagogæ, niſi qui ſit excellens in cætu ſapientia & factis: & ſi ſit ſenex tanto honoratior erit apud reliquos. Et operam ſedulo navant, ut miniſter ſynagogæ acceptabilem habeat vocem, ipſeque exercitatus ſit in legendo. Si tamen barba ejus non ſit plena, licet ſit valde ſapiens, miniſter ille ſynagogæ conſtitui non poteſt, propter reverentiam cætus.* Secundum hanc doctrinam epiſcopi eccleſiæ non reſpondeant archiſynagogis, ſed illis qui in ſynagogico collegio ſexti fuerunt ordinis: reapſe tamen epiſcopi olim audierunt quoque προεστῶτες ſive antiſtites.

Supplementum LXIV. ad pag. 455.

Bulla Gregorii IX. Papæ, cujus quædam verba produximus fide Naudæi, ſi integra prodiiſſet hactenus in lucem, potuiſſemus multa certo conſtituere. Obſervari autem ex verbis adductis etiam hoc licet; *jam tum Papali auctoritate conſtitutum cancellarium aliquem,* (c) a quo dependeat honorum doctoralium collatio. Et vero ad hoc Pariſienſis ſcholæ exemplum videntur paſſim ex eo tempore in eundem uſum academici cancellarii cœpiſſe. Ut ſane antehac nullius doctoralium honorum collationis, ita nec ulla academici cancellarii usquam reperitur memoria. Mirum vero, hujus Gregorianæ bullæ nullam eſſe a Fileſaco etiam factam mentionem, in libro perquam accurate alias conſcripto de ſchola theologica Pariſienſi, editoque Lutetiæ anno 1620.

Supplementum LXV. ad p. eandem.

Quæ Fileſacus diſſeruit hac pagina diſſertationis, illa confirmantur iis quæ de Petro Abælardo narravit Otto Friſingenſis *lib. 1. de geſtis Friderici Imperatoris cap. 47. Habuit primo præceptorem Rozelinum quendam; qui primus noſtris temporibus ſententiam vocum inſtituit, & poſt ad graviſſimos viros Anſelmum Laudunenſem & Guilhelmum Campellenſem Catalauni epiſcopum migrans, ipſorum dictorum pondus tanquam ſubtilitatis acumine vacuum judicans, non diu ſuſtinuit. Inde magiſtrum induens Parrhiſios venit, plurimum in inventionum ſubtilitate, non ſolum ad philoſophiam neceſſariarum, ſed & pro commovendis ad jocos animis utilium, valens. Ubi occaſione quadam ſatis nota non bene tractatus, monachus in monaſterio S. Dionyſii effectus eſt. Ibi die noctuque lectioni ac meditationi incubans, de acuto acutior, de literato efficitur literatior:*

opera viri clariſſimi poſt ejus fata curante Balth. Beckero junctim edita, quinque voluminibus in folio Amſtel. 1687. tomo poſtremo recuſæ ſunt cum heptade octava diſſertat. in qua occurrunt etiam ejusdem ſtudioſus & doctor Ebræus. Excerpta ex Altingio potiora inſeruit ITTERVS *tractatui ſuo de gradibus academicis cap. 4. pag. 74. ſeqq.* Addendæ his ſunt Georgii Urſini antiquitates Ebraicæ ſcholaſtico academicæ, in quibus tamen S. R. REIMMANNVS *in idea ſyſtem. antiqu. liter. p. 75.* ſequentia notat (1) autorem novitates Rabbinicas cum antiquitatibus Ebraicis commiſcuiſſe. (2) faciem antiquarum academiarum Ebraicarum ad hodiernas compoſuiſſe, adeo ut recentioribus ideis præoccupatus easdem etiam inſtructas carcere publico & famulis academicis diſerte ſcribat *cap. 3. p. 50. 72.* plane contra Conringii inſtitutum, a quo titulum libri mutuo acceperit.

(a) *Joh. Seldenus in commentario*) Locum quendam inſignem annalium Eutychii cum latina verſione & commentario edidit JOH. SELDENVS ſub tit. *originum Alexandrinarum.* Quæ inde Seldeno oppoſuit ABRAHAM ECCHELLENSIS *in Eutychio ſuo vindicato*, ad ea reſpondit poſtea SELDENVS *in præf. ad rerum Anglicarum ſcriptores veteres.* Cæterum totum Eutychii opus Arabice & Latine cum utiliſſimis ad rem chronologicam indicibus vulgavit Eduardus Pocockius a Seldeno potiſſimum, ut hoc laboris in ſe ſuſciperet, impulſus; neque enim ipſe unquam integrum Eutychium vel vertit vel in lucem edidit, quo nomine ELIAS DV PIN *T. 8. bibl. eccl. pag. 4.* hoc tradens erravit, obſerv. FABRICIO *in bibliogr. antiquaria p. 179.*

(b) *utrum Ebrai ſtatuant, idem ſimul poſſe eſſe & non eſſe*) Occaſionem huic diſceptationi dederunt iſta Rabbinorum de diverſis ſententiis doctorum Talmudicorum effata, nimirum, quod utraque eorum ſententia vera eſſe poſſit, quemadmodum in codice *Berachot pag. 3. col. 2.* de diſſenſione inter Hillelem & Schammæum legitur Jafnæ cœlitus miſſa vox dicens, utriusque verba ſunt verba Dei viventis, ſed certa rei determinatio eſt ſecundum ſcholam Hillelis, quique in verba ſcholæ Gillelis peccat, mortem meretur &c.

(c) *jam tum Papali auctoritate conſtitutum cancellarium aliquem,*) Quando id factum non niſi per conjecturam licet colligere. ITTERVS *de gradibus academ. pag. 96.* ex HEMERÆO refert, an. 1215. ab Innocentio III. in acad. Pariſ. per legatum ejus Robertum de Cortona reſtitutam fuiſſe legem, qua cavetur, ne quid cancellario pro licentiis dandis preberetur. Ex quo colligit, honores academicos ante ejus lationem non modico tempore invaluiſſe. Conf. interim HENR. MEIBOMII *orat. de origine dignit. & officio cancell. acad. tom. 3. rerum German. pag. 242.* MVHLIVS *orat. de dignitate & officio procancellarii Kilonienſis,* KIRCHNERVS *de origine cancell.*

ratior: in tantum, ut poſt aliquod tempus ab obedientia abbatis ſui ſolutus, ad publicum prodiret docendique rurſus officium aſſumeret. Diſſeruit præterea eodem hoc de argumento in Fileſaci ſententiam, & Joannes Launæus curioſus ejusmodi rerum Pariſienſis ſcholæ indagator, fabularumque ſacrarum complurium felix triumphator, libello quem de Brunonis primi auctoris Carthuſianæ diſciplinæ ſeceſſu in eremum conſcripſit, nonnulla p. 109. & 110. ſed prolixiora ſunt quam ut huc tranſcribi poſſint, eſtque ipſe libellus vulgo in manibus, certe meretur lectionem diligentem.

Supplementum LXVI. ad pag. 456.

Purpureum galerum ab Innocentio id nominis quarto Pontifice Cardinalibus eſſe conceſſum, non Maſſonus ſolus ſed etiam & pridem Martinus ac poſt Platina atque Onuphrius teſtati ſunt. Platinæ verba ſunt: *Idem* (Papa ſcilicet Innocentius) *bono conſilio uſus, Cardinalium ſedes jampridem vacuas, optimo quoque in collegium cooptato, replevit; ſtatuitque, ut Cardinales equo in publicum vecti galero rubro uterentur, honeſtandi ordinis cauſa.* Ad quæ Onuphrius hæc annotavit. *Hic in vigilia natalis Domini anno MCCXLIV. Lugduni in concilio generali, duodecim Cardinalibus creatis, ejus ordinis hominibus proprium inſigne pileum rubeum dedit. Auctor Martinus qui eo tempore vixit, in hujus Pontificis vita. Quo ſignificabatur, eos etiam caput ſuum, ſi opus eſſet, pro eccleſiaſtica libertate tuenda, gladio offerre debere: & præſertim eo tempore, quo Romana eccleſia a Friderico II. Imperatore vehementer oppugnabatur. Reliqua ejus ordinis inſignia poſteriores Pontifices excogitarunt, in his præcipuus fuit Paulus II.* Hactenus Onuphrius Panvinius. Sunt qui eidem Innocentio acceptum referunt pileum purpureum doctoralem: ſed hactenus certum hujus rei argumentum nullum reperi. Dicemus ſententiam noſtram ſupplemento proximo.

Supplementum LXVII. ad p. eandem.

In Clementinæ a nobis in diſſertatione adductæ verbis diſerta fit mentio Inſignium Doctoratus; & quidem ita, ut appareat, tunc temporis fuiſſe illa in uſu, & ſolenni ritu cum gravibus impenſis *circa cibos veſtes & alia recipi* tunc ſolita. Lata autem eſt illa Clementina in concilio Viennenſi ſub Clemente V. ſtatim initio ſeculi decimiquarti. Ut proinde inſignia doctoratus aut magiſterii jam tum ſeculo præcedenti tertiodecimo cœperint, non minus atque eorum ſolemnes collationes. Ad illa autem Clementinæ verba hanc gloſſam adjecit Joannes Andreas magni nominis Bononienſis juriſconſultus. *Ita loquimur nos.* (Bononienſes videlicet) *Et iſta inſignia ſunt, cathedra, birretum: apud aliquos liber, annulus, oſculum.* (a) Ut proinde Bononiæ *cathedra* tantum & *birretum* inter inſignia doctoratus fuerint numerata; in aliis autem univerſitatibus obſervata & reliqua: quo quidem tempore vixit *Andreas ille, quem conſtat obiiſſe anno 1346.* (b) Non contemnenda porro de inſigniis illis notavit & Guido Pancirollus JCtus Italus eleganter doctus *lib. 1. cap. 33. variarum lectionum:* quæ igitur etiam hic merentur legi. *Noſtrorum doctorum inſignia ſunt pileus quadratus, qualem ſacerdotes gerunt, ut juſtitia ſacerdotium in eos, qui creantur juriſconſulti, translatum eſſe ſignificetur: etſi in Italia hoc hodie in deſuetudinem abiit. Item annulus pro ſignandis reſponſis iiſdem traditur. Longa quoque veſtis, qualem geſtant ſacerdotes: & cathedra atque liber, quæ ad indicandam datam ad docendum & jura interpretandi facultatem adhibentur. Oſculum autem, quo doctor creatus excipitur, eſt gratulationis porta, dignitatis demonſtratio, non inſigne. De quibus gloſſa in Clement. 2. in verb. inſignia t. de magiſtris, & ibi canoniſtæ.* Hæc Pancirollus: ubi tamen quo auctore hi ritus cœperint, non docet, forte nec in aliis veritatem aſſecutus, uti mox patebit. Longe altius petita ſunt quæ *Nicolaum Peireſcium,* (c) virum utique pereximium, de horum inſignium origine in Aquenſi academia diſſeruiſſe, refert Petrus Gaſſendus *vita Peireſcii lib. 1. fine. Biduo poſt,* inquit, *cum ornamenta doctorea in fratrem conferret, dici non poteſt, qua ſuavitate auditores perfuderit. Scilicet ex ſtatua quadam Metrodori, cum galero ſuo, ſeu Arcadico pileo, & infulis,*

(a) *Et iſta ſunt inſignia, birretum, liber &c.*) De horum inſignium ſignificatione vide LIMNÆVM *juris publici lib. 8. cap. 8. n. 88. ſeqq.* ubi birretum obſervat quaſi bis rectum dici ſymbolum duorum, quæ exiguntur in optimo doctore, mores probi & doctrina, *annulum* eſſe nobilitatis ſignum, *oſculum* charitatis & amicitiæ ſymbolum. Ridiculum vero de pileo annotat, quod alibi rotundus ſit, quia orbis ſit rotundus, alibi quadratus, quia doctori facultas docendi detur in quatuor plagis orbis, oſculum autem aliasque ceremonias actum potius exornare quam perficere, addita ratione Baldi, quia mulieres quoque oſculentur, deſponſentur & benedicantur nec tamen doctorentur: adde HERMANNVM HERMESIVM *in faſcic. juris publ. pag. 664. 665.* ITTERVM *l. c. pag. 318.* cui birretum dicitur a birrus, quique porro obſervat, id apud alios eſſe nigri, apud alios rubei vel cærulei coloris; item quod omittantur in quibusdam academiis toga, oſculum, in aliis e. g. Oxonienſi ocreæ & in Gallia quoque faſcia ſerica hiſce doctoralibus inſignibus aliaque addantur.

(b) *Andreas quem conſtat obiiſſe anno 1346.*) PANCIROLLVS *de claris legum interpr. pag. 339.* annum refert 1348. idque probat ex epitaphio ipſius tumbæ Bononiæ inſcripto, quod poſtea vetuſtate lapſum Calderinus nepos an. 1501. inſtaurandum curaverit. Cæterum Johannes Andreæ dictus eſt a Patre (qui eum antequam ſacerdos fieret, ex matre novella genuit) ſicut Franciſcus Accurſii, Albertus Odofredi & Galeotti Gvilielmus Duranti, Martinus Sillimanni, more penes Italos tum temporis ab Ebræis recepto, ut parentum nomina pro cognomentis retinerent. Tanta vitæ ſeveritate fuiſſe dicitur, ut 20. annos procul a lecti deliciis pelle tectus urſina cubitaverit, frequentibusque jejuniis ac vigiliis totus in ſcribendo ſtudendoque fuerit. Præcipue juris Pontificii interpres fuit, quod cum accurate & diligentiſſime faceret, propterea tuba & pater juris canonici dictus eſt. Commentarium enim inter alia in decretales compoſuit, quod novellas in matris & filiæ, quæ ita vocabantur, memoriam nominavit, opus a Baldo mirifice laudatum, nec non in librum ſextum decretalium & in regulas ejusdem libri gloſſas concinnavit, quarum poſteriores Mercuriales, quod diebus Mercurii erant elucubratæ, appellavit. De aliis memoratu dignis vid. PANCIROLLVS *p. 336. ſeqq.*

(c) *Nicolaum Peireſcium,*) Quem ob eximiam qua polluit eruditionem GROTIVS literarum judicem appellat, *epiſt. ad Gallos* 96. Vitæ ejus deſcriptio habetur inter *miſcellanea ſive quinto operum Gaſſendi tomo.* Atque is inter alia *lib. 1. ſub fin.* de eo refert, quod in Aquenſi academia pridie a patruo promotus, biduo poſt inſignia doctoratus in fratrem contulerit, qua de re dubia movet ITTERVS *l. c. pag. 550. 551.*

ſulis, cumque pallio philoſophico & annulo in ſiniſtra manu: itemque ex ſtatuis quibusdam Hippocratis cum ſimili pallio epomideque adjuncta: ex inſcriptione quadam Eubuli Marathonii, & inſulata ſtatua non ad cervices ſed circum caput: ex conſimilibus Platonis, Theophraſti, Phavorini, aliorum: ex cimeliis Gothicis, in quibus mitra pileis non admodum abſimiles: ex innumeris aliis (ut breve faciam) monumentis oſtendit, quemadmodum uſus ejusmodi ornamentorum ab usque Græcis ad Latinos & ad nos usque tranſierit: quemadmodumque ex philoſophia atque vetere ſacerdotio gradum fecerit in doctrinam profeſſionemque multiplicem recentiorum academiarum: idque citatis paſſim conciliis, patribus, poëtis, hiſtoricis, philoſophis, orationibus, quibus plenam faceret fidem. Hactenus etiam ille.

Ut vero nec meam de hoc argumento diſſimulem conjecturam: *non equidem negaverim* (a) ex veteris ævi philoſophorum & ſacerdotum, etiam ipſorummet gentilium, habitu in Chriſtianos Græcos pariter Latinosque mores quædam tranſiiſſe: quoniam tamen ſeculo tertiodecimo, priſca illa & obſoleta fuerunt & forte nemini mortalium amplius nota, liquidum eſt, illos qui tunc temporis iſthæc inſignia doctoratuum inſtituerunt ad exempla antiqua non reſpexiſſe. *Non poteſt etiam placere, quod de ſignificatione annuli tradidit Pancirollus,* (b) de ſignandis nempe annulo reſponſis: quia annulus non eſt inſigne ſolis juris doctoribus proprium, ſed commune omnibus etiam doctoribus reliquis. Mea igitur ſententia hæc eſt. PRIMO omnis illa inſignium doctoralium collatio cœpit demum ſeculo tertiodecimo; quandoquidem ante iſtam tempeſtatem in ipſa omnium primaria Pariſienſium ſchola ſolenni more nemo doctor eſt creatus. SECUNDO ipſa illa inſignia & ſolemnia quævis doctoralia in id inſtituta ſunt, ut quaſi in clericorum ordinem omnes doctores & magiſtri cooptentur. Et vero *pileus* ille ſacerdotalis eſt habitus: etſi Pariſiis *initio fuerit rotundus & denique anno M D XX. ibi mutaverit in quadratum cornutum:* (c) teſte harum rerum perquam curioſo annotatore Joanne Launojo theologo Sorbonico *l. de ſeceſſu Brunonis pag. 106.* *Ad ſacerdotium juſtitia reſpexiſſe primum inſtitutorem, quod ſtatuit Pancirollus,* (d) non eſt veroſimile, quoniam non ſolis legum ſed etiam theologiæ medicinæ & philoſophiæ doctoribus conveniat. *Annulo* quaſi pronubo præterea ab antiquis illis quidem temporibus, non minus atque hodie, epiſcopalia munera conferri ſolent. *Larga* denique *veſtis* qua etiamnum paſſim doctores uti ſolent, vere ſacerdotalis eſt habitus, ceu recte notavit Pancirollus. Tantum liber & cathedra ſunt aliquid doctoribus proprium. Accedit, quod omnis graduum collatio olim facta fuerit & nunc quoque fiat, ſi jus Pontificium ſpectemus, quaſi auctoritate alicujus epiſcopi aut archidiaconi, certe non niſi ejus *qui clericali pollet dignitate.* (e) TERTIO *inſtitutum hoc omne deberi alicui Romanorum Pontificum* (f) per facit veroſimile illud, quia & totum vergit in ſacri ordinis augmentum, & in omnes ſcholas publicas eſt introductum: quale quid nullus Imperator Rex vel Princeps valuit efficere: quia denique plurimis olim perſuaſum fuit, omne ſcholaſticum ad Romanæ curiæ ditionem pertinere. QUARTO item perquam probabile mihi reddit illud quod diſſertatio habet p. 456. de privilegio Pariſienſibus doctoribus

(a) *non equidem negaverim*) Ita & cum Conringio judicat ITTERUS *pag. 73.* cum fatendum quidem eſt, inquit, fuiſſe apud omnes gentes aliquid receptum, quod honoribus noſtris academicis ex parte poſſit comparari. Potuit etiam ad unius alteriusve illarum gentium inſtituta reſpexiſſe, qui academicos gradus primum introduxit, & ad eorum exempla horum collationem in quibusdam formaſſe; ſi tamen ſeculi, ad quod natales harum dignitatum ſunt referendi, barbariem humaniorumque literarum ignorantiam fere omnimodam conſideremus, parum abeſt, quin cum Conringio fateamur, quoniam illis temporibus illarum gentium inſtituta priſca & obſoleta & forte nemini mortalium amplius nota fuerunt, illos qui noſtra academicorum honorum inſignia inſtituerunt, ad exempla antiqua non reſpexiſſe.

(b) *Non poteſt etiam placere, quod de ſignificatione annuli tradidit Pancirollus*) Id vero PANCIROLLUS *libro de claris legum interpretibus* tantum ex aliorum ſententia refert. Ipſe autem aureus annulus, inquit, doctorum inſigne fuit, qui olim equites a plebe, poſtea ingenuos a libertinis diſtinxit; ſignificatur autem hoc ſigno, doctores a plebe ſeparati, unde nobiliſſimi appellantur, quemadmodum & Ulpianum JCtum Herennius, Modeſtinus nobilem & nobiliſſimum appellat.

(c) *initio fuerit rotundus & denique anno M D XX. ibi mutaverit in quadratum cornutum*) De doctorum habitu paulatim mutato PANCIROLLUS *pag. 95.* refert, uſos primum doctores Gothorum habitu longis ſcilicet, latioribus & manicatis ſtolis, cucullisque variis pellibus ſuffultis, poſtea detracta cuculla humeros pellibus circumdediſſe, ac rotundos pileos coccinei, coloris capiti impoſuiſſe & longas veſtes ejusdem coloris geſtaſſe. Demum omiſſis coloribus pullas veſtes ſumſiſſe ac pileos quadratos cruce ſignatos more ſacerdotum geſtaſſe, quales pilei quadrangulari forma cidares vocentur, qualem etiam Mithridatem Ponti Regem geſtaſſe Plutarchus memoret.

(d) *Ad ſacerdotium juſtitia reſpexiſſe primum inſtitutorem, quod ſtatuit Pancirollus*) Nimirum PANCIROLLUS *in variis lectionibus* quem ſequitur SCHMIDELIUS *not. ad* RENNEMANNI *tract. de transmiſſ. aller. c. 1. §. 3 p. 8.* Excuſat tamen Pancirollum ITTERUS *l. c. cap. 8. p. 321.* quod ſuæ profeſſioni ille inſignia doctoralia applicaverit eo jure, quo alii ea alicet in gratiam facultatis ſuæ ſolent explicare. Ut taceam quoque, inquit, nunc illorum opinionem, qui inſignia doctoralia ab initio JCtis propria & ab his ad alias demum facultates translata fuiſſe affirmant.

(e) *qui clericali pollet dignitate.*) Quemadmodum olim cura ſcholarum epiſcopis fuit demandata, ita & inde originem traxit, quod conſtitutis poſtea academiis munus cancellarii epiſcopis, in quorum diœceſibus academiæ ſitæ erant, aliisque e majorum gentium clericis, qui præ aliis judicabantur idonei, a Pontificibus omne rei hujus arbitrium ſibi ſolis vendicantibus fuerit conceſſum. Hinc Colonienſi academiæ datus fuit c. t. cancellarius epiſcopus Cyrenenſis, Heildelbergenſis accepit præpoſitum Wormatienſem, Tubingenſis præpoſitum collegii ejus loci, Wittebergenſis præceptorem domus Pretinenſis S. Antonii prope Lichtenbergam ad Albim, Lipſienſis Merſeburgenſem, Roſtochienſis Swerinenſem, Gryphiswaldenſis Caminenſem, Francofurdana Lebuſienſem, Ingolſtadiana Eichſtadenſem epiſcopum. Vid. MEIBOMII *orat. de dignitate & officio cancell. academ.*

(f) *Romanorum Pontificum alicui hoc deberi inſtitutum*) Conf. *diſſert. V. pag. 464.* Pontifices enim omnem circa rem ſcholaſticam curam ſuæ olim curiæ unice vindicarunt, quare etiam opinio invaluit, quod academiæ ſint corpora eccleſiaſtica, & doctores cum promoveantur, eo ipſo clericorum cœtui aſſocientur. Sunt etiam inſignia illa eccleſiaſtici ordinis pleraque. Ruber pileus eſt habitus ab Innocentio IV. Cardinalibus attributus. Toga longa pariter eſt ſacerdotum. Nec minus illis quoque eccleſiaſtica munera olim aureo annulo veluti pronubo conferri conſueviſſe, ſatis notum eſt.

ribus per Nicolaum IVtum dato; perinde atque ab illo Nicolao eſt illud pereximium quod ibi attulimus in medium, ita etiam omne hoc de doctoralium inſignium collatione eidem acceptum eſſe referendum. Certe purpureus pileus doctorum non potuit cœpiſſe prius quam ille cardinalibus fuit conceſſus. Fateor tamen hoc meum de Nicolao IV. Papa auctore tantum conjecturam eſſe: rem vero omnem quam rectiſſime intelligi poſſe ex privilegiis pontificiis Pariſienſi & Bononienſi ſcholæ conceſſis, modo illa in lucem promerentur.

Ne quis porro dubitet, doctoribus olim inſignia doctoratus quæ appellantur tanquam clericis eſſe conceſſa, atque adeo *doctores & magiſtros clericis fuiſſe annumeratos*, (a) adferam hoc loco ſaltim illa quæ notavit Pancirollus *variar. lection. l. 1. cap. 89.* Cum enim dixiſſet, in Italia olim *omnes qui a mechanicis artibus vacabant, ſive adminiſtrandis magiſtratibus vel conſcribendis inſtrumentis, ſive docendo ſive interpretando juri operam dabant, judices vocatos*, ſubjungit hæc verba: *Poſtea vero quam longis ac ſacerdotalibus veſtibus, quadratoque pileo, inſigniri doctores cœperunt, clerici ſunt appellati: ut ex vetuſtis inſtrumentis conſtat: & alii ad eorum differentiam laici. Quo vocabulo noſtri doctores ſæpe utuntur, cum quid laicis diſplicuiſſe dicunt. Ut Paulus Caſtrenſis, qui laicos legum imperitos interpretatur.* Taceo, quod non olim duntaxat ſed hac etiam tempeſtate compluribus fuerit viſum, *academias eſſe corpora non ſecularia ſed eccleſiaſtica:* (b) quibus proinde ea quæ de inſtituto doctoralium inſignium attulimus non poterunt diſplicere.

Supplementum LXIIX. ad pag. 457.

Seculo quarto, Romæ pariter & Conſtantinopoli, omnem in ſtudioſos liberalium doctrinarum juriſdictionem fuiſſe penes præfectum Urbi, liquidum eſt cum aliunde tum ex lege prima codicis Theodoſiani de ſtudiis liberalibus urbis Romæ & Conſtantinopolis. Conſtitutio illa lata eſt a Valentiniano Valente & Gratiano Imperatoribus. Quam quia ſingulari libello illuſtravimus, non eſt quare hic ex ea quæ huc faciunt adferamus. Non igitur Athenis Atticis duntaxat ſed etiam alibi paſſim, omnis ſcholaſtica juriſdictio fuit ordinario magiſtratui civili commiſſa.

Fuit nempe magna quidem auctoritas iſthac tempeſtate Atticorum ſophiſtarum, vel Athenienſium oratoriæ profeſſorum: nulla tamen illis competiit juriſdictio. Enimvero magnifica ſunt verba quæ Eunapius de Juliano Sophiſta protulit: *καὶ ἐτυράννει γὰρ τῶν Ἀθηνῶν παρὰ τοῦτον ἡ πᾶσα νεότης πανταχόθεν ἐχώρει, ῥητορικῆς ἕνεκεν τὸν ἄνδρα καὶ μεγέθους φύσεως σεβαζόμενοι.* In Proæreſio idem Eunapius ait: *καὶ τὴν ἐπὶ λόγοις βασιλείαν εἶχεν αὐτοί.* Item: *τὸ δὲ Προαιρεσίῳ τύραννός ἐδόκει τις εἶναι καὶ εὐτυχεῖν, ἡ ἀρετὴ τῶν λόγων ἐδόκει καλῶς.* In quantas porro factiones ſcindere potuerint etiam ipſas provincias Romanas, diſcere eſt ex iis quæ narrat Eunapius de iis quæ contigerunt circa electionem Proæreſii. Ad hoc in frequente tunc uſu fuit *de cathedra profeſſoria, vox θρόνου & βήματος.* (c) Cæterum ſi rem ipſam propius intuearis, nihil hujus juriſdictionem aliquam ſignificavit. Usque ſane adeo parum contra petulantiam juventutis valuit ipſe Proæreſius, ut non niſi precibus potuerit mitigare vexationes inſolentium juvenum, quibus illi adventantem Athenas Eunapium & ægrotum, malo tunc recepto more, exagitare inſtituerant: quod ipſemet narrat Eunapius.

Supplementum LXIX. ad pag. 458.

In authentica legitur: *Habitam ſuper hac re diligentem inquiſitionem epiſcoporum, abbatum, ducum, omnium judicum, & aliorum procerum ſacri palatii examinationem.* Quæ verba indicant illa tempeſtate τῆς νομοθεσίας uſitatam rationem: diverſam ſcilicet ab ea quæ monarchiæ competit. Sine cauſa porro nonnulli ſolliciti ſunt de non facta hic mentione electorum principum: nondum enim tunc erant

(a) *doctores & magiſtros clericis annumeratos*) Inde factum procul dubio eſt, ut gradibus academicis inſigniti non minus quam reliqui ex clero olim cœlibatum tenerentur obſervare, uxoratique ab iis excluderentur, quod in Gallia quoad omnes facultates exacte quondam ſervatum obſervat *ITTERVS p. 246*, donec licentia matrimonium contrahendi medicinæ doctoribus ſpeciali privilegio conceſſerit cardinalis Touteville, in Galliam a Pontifice legatus, quam ipſam quidem oblato a. 1534. univerſitati Pariſienſi libello ſupplici ſed fruſtra petierint etiam doctores decretorum, adeundi tamen ſuper ea re Parlamenti curiam ipſis integrum relictum fuerit, a quo demum facultatem illam impetraverint, primo ex ordine ICtorum conjugato ibi exiſtente Riverio a. 1552. referente *STEPHANO PASQVIERIO*. Cæterum quoniam ſcholæ fuerunt olim in monaſteriis, inde & extitit, ut qui literis erant addicti, clerici quoque promiſcue appellarentur & literarum cognitio diceretur clericatura, annot. *LIMNÆO juris P. lib. VIII. c. 6. n. 8.* Quin pueri etiam triviales dicti ſunt *cleriouli*, uti ex *SIMONIS WERLINI Rorweido redivivo pag. 20.* & *ALEXANDRI DE VILLA DEI doctrinali* obſervat *JAC. THOMASIVS, progr. de vetuſto ritu creandi Baccalaureos p. 539.* Non igitur inſignia doctoratus tantummodo videntur hoc nomen contuliſſe, uti & monuit *ITTERVS p. 124.* Et ſi *RITTERHVSIO* fides habenda *lib. III. differ. jur. civil. & canon. c. 14. in pr.* adhuc dum etiam in Anglia ſtudioſis clericorum nomen promiſcue tribuitur, ſicut & Roſtochii dicantur dimidii clerici, *balbe Pfaffen*, notante *LIMNÆO lib. VIII. c. 6.*

(b) *academias eſſe corpora non ſecularia ſed eccleſiaſtica*) Conf. *LIMNÆVM lib. VIII. c. 1. n. 44. 45. ſſ.* id negantem & *ITTERVM p. 122. ſſ.* aliosque. Sunt tamen, quibus altera placet ſententia, inter quos eſt *BACCHOVIVS ad tr. vol. I. diſp. 7. th. 7.* Hinc enim factum ajunt, quod non tantum ante transactionem Paſſavienſem omnes in imperio academiæ lege diœceſana epiſcopis ſubjectæ & ad hos ex academiarum conſiſtoriis appellationes plerumque fuerint delatæ, ibidemque receptæ; ſed & quod hodienum profeſſores & ſtudioſi gaudeant jure perſonarum eccleſ. ipſæque academiæ collegiis canonicis & prælaturis accenſeantur, doctores etiam & profeſſores academ. appellentur a principibus devoti, *Andächtige.*

(c) *de cathedra profeſſoria vox θρόνου & βήματος*) *P. ZORNIVS* hinc illuſtrat verba *Apoc. II. 13. 17.* in quibus Pergamus thronus Satanæ appellatur. In Muſeo enim Pergameno ait ſplendidas fuiſſe ſophiſtarum cathedras, & ſophiſtas illos fuiſſe religionis Chriſtianæ hoſtes acerrimos. *S. R. THEODORVS* tamen *HASÆVS in biblioth. Brem. claſſ. 3. faſc. 1. p. 104.* huc applicat thronum Æſculapii a Pergamenis culti.

erant illi inſtituti, ſed & ſero cœpit illorum præ aliis principibus ſingularis quædam in tabulis imperii commemoratio. Id potius mirere, comitum nomen hic non comparere: at vero latent illi ſub titulo *judicum:* quoniam reapſe ſignificatione priſca Germanica *gravio* idem eſt quod judex, ceu alias oſtendimus, quam gravionum dignitatem primi Franci cœperunt comitum voce appellare propter aliquam comitivæ antiquæ dignitatis & gravionatus affinitatem. Majorem attentionem meretur occurrens hoc loco illud *ſacri palatii.* Demonſtravimus ſcilicet nos *cap. XI. cenſura diplomatis Lindaviani*, Romanorum quidem Imperatorum palatium omne *ἁπλῶς ſacrum* olim cognominatum eſſe, ſed Francorum regum illud ſolum quod vacabat eccleſiaſticis negotiis. An vero Fridericus Imperator hic locutus ſit more Romano an Francico, haud ſine cauſa dubites. Etenim renato tunc Juſtinianeo jure, certum eſt mutaſſe, ex inſtinctu indubie juris illius magiſtrorum, nonnulla circa Cæſaream & imperii publicam dignitatem, atque adeo tunc demum cœpiſſe illam appellationem *ſacri Romani imperii.* Forte igitur & palatio Cæſareo *ἁπλῶς* tunc *ſacri* titulus acceſſit ut & conſtitutioni cuivis, recepto in Juſtinianeo codice more. Forte tamen *proceres ſacri palatii* tunc audierunt ſoli illi qui cauſas ſacras ſive eccleſiaſticas tractabant: quandoquidem ſcilicet hæc etiam deliberatio credita fuit ad forum eccleſiaſticum pertinere, ut ſcholaſticum omne. Ego nihil definire auſim: ſed malo *ἐπέχειν.*

Supplementum LXX. ad pag. 458.

Diſſertatio adduxit ſola iſthæc authenticæ verba, quæ ad juriſdictionem ſpectant in ſcholares. Hoc loco nos integram dabimus, quoniam deinceps etiam alia hujus authenticæ veniunt illuſtranda. *Habita quidem ſuper hoc diligenti inquiſitione epiſcoporum, abbatum, ducum, omnium judicum, & aliorum procerum ſacri noſtri palatii examinatione, omnibus, qui cauſa ſtudiorum peregrinantur, ſcholaribus, & maxime divinarum atque ſacrarum legum profeſſoribus, hoc noſtra pietatis beneficium indulgemus, ut ad loca, in quibus literarum exercentur ſtudia, tam ipſi, quam eorum nuncii, veniant, & in eis ſecure habitent. Dignum namque exiſtimamus, ut, cum omnes bona facientes, noſtram laudem & protectionem omnimodo mereantur: quorum ſcientia totus illuminatur mundus, & ad obediendum Deo & nobis ejus miniſtris, vita ſubjectorum informatur; quadam ſpeciali dilectione eos ab omni injuria defendamus. Quis enim eorum non miſereatur, qui amore ſcientiæ exules facti, de divitibus pauperes ſemetipſos exinaniunt, vitam ſuam multis periculis exponunt, & a viliſſimis ſæpe hominibus (quod graviter ferendum eſt,) corporales injurias ſine cauſa perferunt. Hac igitur generali, & in perpetuum valitura lege decernimus, ut nullus de cætero tam audax inveniatur, qui aliquam ſcholaribus injuriam inferre præſumat: nec ob alterius cujuscunque provinciæ delictum, ſive debitum (quod aliquando ex perverſa conſuetudine factum audivimus) aliquod damnum eis inferat: ſciturus hujusmodi ſacræ conſtitutionis temeratoribus, & etiam ipſis locorum rectoribus, qui hoc vindicare neglexerint, reſtitutionem rerum ablatarum ab omnibus exigendam in quadruplum: notaque infamia eis ipſo jure irroganda, dignitate ſua ſe carituros in perpetuum. Veruntamen ſi litem eis quispiam ſuper aliquo negotio movere voluerit: hujus rei optione data ſcholaribus, eos coram domino, vel magiſtro ſuo, vel ipſius civitatis epiſcopo, (quibus hanc juriſdictionem dedimus) conveniat. Qui vero ad alium judicem eos trahere tentaverit, etiamſi cauſa juſtiſſima fuerit, a tali conamine cadat. Hanc autem legem inter imperiales conſtitutiones, ſcilicet ſub titulo Ne filius pro patre, &c. inſeri juſſimus. Dat. apud Roncalias, anno Domini 1158. menſe Novembri. Hactenus authentica iſthæc.* (a) In qua non niſi de perquam paucis agi liquidum eſt, ſi verba ſpectemus: & tamen, quod merito mirere imo improbes, ſolent vulgo tantum non omnia academiarum privilegia ab interpretibus quibusdam hinc exſculpi, quorum tamen pleraque longo poſt tempore demum & per partes ſunt inſtituta. Enimvero laxis illis interpretationibus, me quidem judice, verus authenticæ ſenſus pene interiit. Sed & cum privilegia ſint ſtricti juris, non eſt fas iſthæc ultra verborum præſcriptum extendere.

Sup-

(a) *Hactenus authentica iſthæc*) Edidit eam præter alios & illuſtravit *EVERHARDVS BRONCHORST in tract. brevi de privilegiis ſtudioſorum & profeſſorum*, qui additus eſt *centuriis ſex ἐναντιοφανῶν & conciliationibus eorundem. Lugd. Bat.* 1695. 8. Atque is *primum* tria præcipue inſignia privilegia in hac authentica doctoribus & profeſſoribus omnibusque liberalium artium ſtudioſis concedi docet: (1) quod ſtudioſi non teneantur pro ſuis perſonis vel libris aliisque rebus, quas ſecum ſtudiorum gratia ad academiam advehunt, ulla pedagia vel vectigalia ſolvere, quia textus dicat, poſſe ſtudioſos ad loca, in quibus exercentur ſtudia, ſecure venire; (2) quod nullus debeat ſtudioſis inferre injuriam, nec ob alterius delictum aut debitum damno eos gravare; (3) quod qui litem inferre vult ſtudioſis, debeat eos apud rectorem univerſitatis vel epiſcopum loci, ſi hoc maluerint ſtudioſi, convenire. *Deinde* his privilegiis adjungit 12. alia: (1) quod profeſſores & ſtudioſi ab omnibus muneribus perſonalibus & quibusdam patrimonialibus vacationem habeant; (2) quod ſtudioſi conventi in foro academico non cogantur dare extraneos fidejuſſores ſed ſufficiat dare alios ſtudioſos & vades, licet ipſi ſint ad conveniendum difficiles; (3) quod ſcholaris non finito tempore locationis recedens de domo conducta propter peſtem vel aliam juſtam cauſam non teneatur ad penſionem totius anni, etiamſi locum per integrum annum conduxerit; (4) quod pater poſſit compelli ſubminiſtrare ſumtus ſtudiorum filio ſuo volenti ſtudere; (5) quod filius non teneatur ſumtus a parente in ſtudia collatos poſt mortem ejus conferre; (6) quod ſi filius familias cum voluntate patris in ſcholis exiſtens acceperit pecuniam mutuo, etiam patre invito hoc mutuum poſſit a patre repeti; (7) quod ſtudioſus capi vel abduci captivus ex academia non poſſit; (8) quod poſſint de bonis ex profeſſione vel patrociniis cauſarum acquiſitis tanquam de peculio quaſi caſtrenſi teſtamentum ſuum condere; (9) quod ſcholares qui abſunt ſtudiorum cauſa extra continentia urbis pro præſentibus habeantur, unde eorum qui præſentes ſunt, commodis gaudeant; (10) quod ſcholaris poſſit expellere fabrum ſtudiis malleo obſtrepentem; (11) quod ſtudioſi delinquentes mitius puniantur quam alii; (12) quod licet actor ſequi debeat forum rei, tamen ſcholares actores debitores ſuos coram academiæ rectore convenire poſſint.

Supplementum LXXI. ad pag. 459.

Securitatem adeundi loca, *in quibus litterarum exercentur ſtudia*, utque in iis ſecure poſſint habitare, non ſcholaribus duntaxat peregrinantibus, ſed etiam & quidem *maxime divinarum humanarumque legum profeſſoribus*, nec non eorum *nunciis*, jam tum in hac authentica indulſerat Imperator. Itaque hactenus par omnium horum eſt ratio. Dixeris tamen haud abs ratione, ad ſolos omne hoc peregrinantes pertinere, non autem etiam ad eos qui nati in locis literarum ſtudio conſecratis ibidem in patria ſua literis dant operam: quibus nempe jam tum per ordinarios magiſtratus ſatis fuit cautum, nec proinde ſimilia cum peregrinantibus pericula fuerunt metuenda. Non porro ad omnis doctrinæ ſed ſolos legum profeſſores & ſtudioſos authentica hæc ſpectat. Id quod non eſt quod miremur; quandoquidem iſthac tempeſtate non tantum non Bononiæ, ſed nec alibi per univerſas imperii terras aliud quoddam doctrinæ genus in ſcholis doceretur: ſecus quam Pariſiis & in Britannia obtinebat.

Quod forum attinet, de ſolorum ſcholarium litibus aliquid ſub finem authenticæ eſt conſtitutum: nec videtur trahendum hoc etiam ad profeſſores. Diſerte enim ſolis ſcholaribus data eſt fori optio: nec profeſſorum aliquis habuit magiſtrum coram quo potuerit conveniri. Veroſimile mihi eſt, profeſſorum cauſas ad forum eccleſiaſticum ordinarium tunc pertinuiſſe, quandoquidem jam tunc temporis profeſſores clericorum fuerunt ordini accenſiti. Quæ res deinde in quam multis locis plurimum mutavit.

Supplementum LXXII.ad pag.eandem.

De permiſſa optione legum, jam tum ſeculo nono in Italiam introducta, diximus latius *l. de origine juris Germanici cap.20.pag.107.*

Supplementum LXXIII. ad pag. eandem.

Ut liqueat optionem fori etiam olim alias fuiſſe in uſu, adferemus hoc loco doctiſſimi & juris quoque prudentiſſimi ſcriptoris Jacobi Gothofredi Dionyſii F. verba quædam ex illo elegantiſſimo commentariolo, quem ſeorſim *ad leg. Si Barſatoram 13. cod. de fidejuſſoribus* conſcripſit. *Optioni,* inquit, *præventionique locus olim eſſe quandoque poterat, ſive in transmittendis reis a municipali magiſtratu, ut h. l. ſive in vindicandis ab uno diligentiore e pluribus judicibus competentibus, ſive etiam in eligendo judice a litigatore ut l. 1. cod. de off. rect. prov. & t. 36. C. Theod. de appell. Pariter ut ſimili alternativæ ſeu optioni in eccleſiaſticis quoque negotiis quandoque locus fuit: referendi inquam de fide, agendique vel apud metropolitanum provinciæ aut exarchum diœceſeos; ut vel ex ſolemni Hieronymi ep. 6, 1. diſcimus, & ex canone 9. & 17. concilii Chalcedonenſis.* Hæc Gothofredus. Eſt autem optio fori etiam hodie frequentiſſimi uſus: quandocunque ſcilicet cauſa aliqua non eſt aſtricta uni foro ordinario ſed ad multa fora pro libitu partium poteſt deferri.

Supplementum LXXIV. ad pag. 460.

In diſſertatione vocem authenticæ *dominum* accepimus de domino loci ſive civili magiſtratu. Jam tum autem in *addendis* (*quæ hac edit. loco debito ſunt inſerta*) annotavimus, haud vero abſimile videri, dominum heic ſignificare *magiſtrum*. Et vero Italis ea tempeſtate, qua conſtitutio illa Friderici Imperatoris prodiit, κατ' ἐξοχὴν ſcholaribus *audiiſſe Domini voce magiſtrum*, (a) liquet non ex iis duntaxat, quæ in addendis attulimus ſed etiam ex plurimis aliis, atque adeo & ex Ottonis Murænæ illa narratione, quam adduximus ſupplemento quinquageſimo primo.

Notandum præterea, non dici in authentica *magiſtros* ſed *magiſtrum*; nec fieri mentionem ſcholæ rectoris. Utrumque autem arbitror factum, quia tunc temporis nondum obtinebant collegia profeſſorum aut magiſtrorum, ſed ſinguli docebant & agebant res ſuas. Id quod Pariſiis quoque eo tempore factum, jam diſſertatione quarta docuimus: nec obſcure indicatur etiam illa Murænæ narratione de Bononienſibus primis doctoribus. Non ergo iſthac tempeſtate etiam rector aliquis fuit univerſitatis. Proindeque videtur authentica accipienda de uno aliquo magiſtro ſive doctore, cujus judicio ſeſe ſubmittere potuit pro lubitu ſcholaris, ſi quidem magiſtri plures reperirentur. Sic jam tum *Guernerio* (b) vivente plures tales habuit Bononia; quorum tamen potiſſimus fuit Guernerius, ut & is qui in defuncti locum ſucceſſit: de qua proinde ſucceſſione reliqui magiſtri Wernerum conſuluerunt, Muræna teſte.

Notandum porro eſt etiam atque etiam, Friderici hanc conſtitutionem pertinere ad ſcholares jam tum in loco literarum ſtudiis dicato viventes, de iis autem qui locum illum nondum attigerunt nihil eſſe conſtitutum. His igitur non competiit illa fori optio: nec potuerunt illi vel ab epi-

(a) *audiiſſe domini voce magiſtrum*) Hinc intelligas licet, qua ratione Johannes Andreæ JCtus, apud *PANCIROLLUM pag.* 338. uxorem Milanciam potuerit dominam ſuam vocare, non ſane quod adverſum leges conjugii uxori in ſe dominium permiſerit, ſed quod eam ut doctam aliquando conſulere conſueviſſet, ab eaque ſe illud didiciſſe confeſſus fuerit, pulchra nomina eſſe filiis imponenda, etſi ut alia in foro venderentur, etiam magno pretio a parentibus emenda. Conf. quoque doctores *ad nov.* 8. ubi Juſtinian. quam conſilii participem ſumebat Theodoram, reverendiſſimam ſuam vocat conjugem. Perperam de cætero *WALTHERUS* in numerum privilegiorum refert, quod JCti in legibus vocentur domini *l. 4. c. de contr. & commis. ſtipulat.* Id enim non fit ibi ex uſu & conſuetudine, ſed ob ſummas cumprimis dignitates quibus JCti nonnulli tum temporis erant ornati, male igitur ad hodiernos juris doctores transfertur obſervante *ITTERO p.* 461.

(b) *Guernerio*) i. e. Irnerio, qui & Guarnerius & Hirnerius ſcribitur, de quo alias plura apud *FICHARDUM in vitis JCtorum* leguntur.

epiſcopo vel a magiſtro judicari. Unde manifeſtum eſt, illos manſiſſe jurisdictioni ordinariorum cujuslibet loci magiſtratuum obnoxios.

Supplementum LXXV. ad pag. 460.

Quæ in diſſertatione habentur de tribus optivis ſcholarium judicibus, ut & de domino loci, illa jam retractavimus: ac proinde omnino mutanda ſunt. Rectiora etiam paulo ante attulimus de eo, ſi ſcholares ſint adhuc in itinere: nempe tunc optionem fori admitti non poſſe, authenticæ quidem hujus auctoritate. Eſt autem fortasſis vero haud abſimile, auctores hujus conſilii, nemne de judicio ſcholarium epiſcopo & magiſtris concedendo, fuiſſe illos, qui tunc temporis conventui publico interfuerunt, Bononienſes legum profeſſores, & hos ſpectaſſe illud quod Juſtinianus conſtituit *l. omnem c. de veteri jure enucleando*, ubi coercitio petulantium juvenum, qui Beryti vivebant ſtudiorum juris cauſa, ex parte committitur *epiſcopo & legum profeſſoribus.* Convenit porro iſthæc jurisdictio aliquatenus etiam Platonis legibus, quas ille voluit in optima republica obſervari. Etenim *l. XII.* præclari imo nunquam ſatis laudandi legem operis conſtituit, ut de injuriis illatis alicui philoſophicæ ſcholæ, minoribus quidem ſacerdotes, majoribus autem rerum venialium curatores, cognoſcendi judicandique habeant poteſtatem.

Supplementum LXXVI. ad pag. 463.

Reipublicæ alicujus formam in Pariſienſi quidem ſchola cœpiſſe jam ſeculo tertiodecimo, videtur certum eſſe & poſſe ſecure affirmari. Et vero integro illi corpori academico non defuiſſe *rectorem*, liquet ex verbis epiſtolæ Innocentii quarti aut ſexti ad univerſitatem Pariſienſem ſcriptæ quæ fide Middendorpii jam tum in diſſertatione adduximus pag. 461. *Statuimus quod nullus in univerſitatem veſtram magiſtrorum & ſcholarium, aut rectorem vel procuratores veſtros cujuscunque aut quarumcunque facultatum* &c. *audeat ſententiam promulgare.* Audimus hic ſimul nomen *facultatum:* quo patet, tunc temporis fuiſſe Pariſiis jam varias facultates ſive collegia doctrinarum. *Procuratores* porro *facultatum* videntur illi eſſe *qui alias decani audiunt.* (a) Fuiſſe autem & *decani* appellationem tunc uſu Pariſiis receptam, oſtendunt verba Lanfranci Mediolanenſis patria ſed Pariſienſis medicinæ Doctoris, quæ ille habet fine operis *chirurgia completa* dicti, ſcripti anno 1295. ubi ait, *ſe a quibusdam doctoribus, & nominatim a magiſtro Joanne Paſſavante medicorum decano, nec non a quibusdam valentibus baccalaureis rogatum, ut lectiones medicas aggrederetur, tanta ſubinde ſcholaſticorum multitudine fuiſſe ſtipatum, ut eorum centeſima parte ſe minime dignum agnoſceret & arbitraretur.* Cum autem medicis ſuus fuerit decanus, non potuerunt non & theologi aliquem habere & philoſophi. Jam porro & *cancellarium* tunc fuiſſe conſtitutum, a quo artiſtarum qui appellabantur & medicorum collegia honorum academicorum collationem petierint, jam tum notum eſt ex bullæ Gregorii IX. Papæ illis verbis, quæ non in ſupplementis duntaxat ſed in diſſertationibus ſæpius protulimus in medium. Illis nempe: *De phyſicis autem & artiſtis cancellarius promittet, bona fide examinare magiſtros, & non niſi dignos admittens repellet indignos.* Ubi etiam *examinum magiſtralium* (b) deprehendimus memoriam. Procul dubio autem habuit tunc & theologica facultas ſuum cancellarium: quia iſthac tempeſtate cœperunt utique graduum theologicorum qui vocantur diſcrimina, & prævia honoribus varia exercitia, ceu jam tum ex Fileſaco in *diſſertationibus* non ſemel docuimus. Denique vero & jurisdictionem aliquam ſingularem academiæ tunc fuiſſe conceſſam oſtendimus. Ex quibus omnibus manifeſtum fit id quod diximus, rempublicam nempe academicam quandam ſeculo Chriſtiano decimotertio Pariſiis inſtitutam eſſe. Eapropter arbitramur, & Bononiæ idem quid factum, ut & Patavii aliisque in Italiæ locis, ubi tunc ſcholæ academicæ ſunt natæ.

Quanquam vero reſpublica aliqua academica jam tunc cœperit, verum eſt tamen id quod habet diſſertatio, in Germania noſtra illam formam, quæ jurisdictionem ſolis tribuit profeſſoribus, longe eſſe recentiorem.

Supplementum LXXVII. ad pag. eandem.

Quæ narravimus de vindicata duorum ſcholarium Pariſienſium morte, neſcio an non facta fuerint, ideo quod ſcholares illi ſimul fuerint clerici. Ita autem iſthæc jure non poſſent trahi ἁπλῶς ad ſtudioſos omnes quamvis laicos. Id quod monendum duximus.

Supplementum LXXVIII. ad pag. 464.

Diximus, inſtituta academiarum varia eſſe, nec certo poſſe definiri omnium primam originem. Id

(a) *qui alias decani audiunt*) Olim vocabantur decani, qui decem militibus erant præpoſiti. Vid. *tot. tit. cod. de decan. lib. XII. & STEWECHIVS in not. ad lib. II. Vegetii c. 14. p. 130.* Alias & vox iſta eum ſignificat, qui in aliquo collegio primus eſt & honorabilior, *cap. poſt electionem X de conceſſ. præb.* Quod vero in academiis facultatum ſunt decani, id inde cum *FRANC. JVNIO de academ. c. 4. p. 37.* repetit *LIMNÆVS lib. VIII. juris publici c. 4. n. 44.* quod in priſcis academiis in ſingulis facultatibus denique olim habebantur, qui ſingulas diei horas antemeridianas & pomeridianas in explicandis facultatis ſuæ dogmatibus conſumebant, quibus præfectus vocatus ſit decanus, quod ſuæ decuriæ præſes & moderator eſſet. Alii Chaldaicam aut Ægypriacam vocem eſſe contendunt, de qua vide STANLEJI *hiſtoriam philoſ. orientalis.*

(b) *examinum magiſtralium*) De examinibus eorumque neceſſitate vide ITTERVM *p. 281. ſeqq.*

Digitized by Google

Id longe eſſe veriſſimum nemini non eſt notum, qui quidem ad res academicas attenderit. In quam multis tamen, & potiſſimis quidem, academiæ omnes conveniunt, nunc quidem temporis, etſi non ſtatim a primo initio. Cujus rei cauſſa eſt, quoniam recentiores quæque ſtatim circa principia nactæ ſunt, Pontificum, Cæſarum aut Regum beneficio, ea omnia quæ vetuſtiores quæque per partes & ſenſim fuerant conſequutæ. Certe de ſingulis definiri nihil certi poteſt, niſi inſpectis earum publicis tabulis aut diplomatibus, factaque diligenti omnium collatione. Id quod hactenus fieri non potuit a quoquam, quandoquidem tabulæ iſtæ non ſunt editæ in lucem aut ad omnium notitiam pervenere.

Supplementum LXXIX. ad pag. 464.

Annotavit nonnulla de honore academiis habito I. Limnæus *l. 8. jur. publici cap. 1.* ut & in utroque *additionum* tomo ad caput illud n. 74. quæ digna ſunt ut cum hiſce noſtris conferantur. Nec enim vacat illa exſcribere; præſertim quia Limnæana iſthæc etiam vulgi teruntur manibus.

Supplementum LXXX. ad pag. 466.

De legibus, quas Conſtantinus Magnus in profeſſorum gratiam condidit, præclare egit Franciſcus Balduinus, jurisconſultus vere *πολιτικὸς* (quæ rara laus eſt) in *l. 2.* ſui *Conſtantini Magni*, ſive *de Conſtantini Imperatoris legibus eccleſiaſticis ac civilibus commentariorum:* qui liber, ut viri plerumque, eſt ſine exemplo, multa eruditione & prudentia refertus.

Supplementum LXXXI. ad pag. eandem.

In Honorii & Theodoſii iſthac conſtitutione etiam *philoſophiæ præceptoribus* priſca a Cæſaribus indulta privilegia eſſe confirmata, meretur annotari; quandoquidem jam pridem philoſophis minus faverant Cæſares, ſeculo etiam tertio Chriſtiano: qua de re nonnulla jam monuimus ſupplemento quinquageſimo ſexto. Haud fuerit fortaſſis absque pretio operæ nonnulla heic addere Ulpianea, excerpta *ex l. præſes ff. de extraordinariis cognitionibus. Præſes provinciæ de mercedibus jus dicere ſolet: ſed præceptoribus tantum ſtudiorum liberalium. Liberalia autem ſtudia accipimus, quæ Græci ἐλευθέριας appellant. Rhetores continebuntur, grammatici, geometræ. Medicorum quoque eadem cauſa eſt, niſi quod juſtior: cum hic ſalutis hominum, illi ſtudiorum curam agant, & ideo his quoque extra ordinem jus dici debet &c. An & philoſophi profeſſorum numero ſint? Et non putem; non quia non religioſa res eſt, ſed quia hoc primum profiteri eos oportet, mercenariam operam ſpernere. Proinde ne juris quidem civilis profeſſoribus jus dicent. Eſt quidem res ſanctiſſima civilis ſapientia, ſed quæ pretio nummario non ſit æſtimanda, nec dehoneſtanda: dum in judicio honor petitur, qui in ingreſſu ſacramenti offerri debuit: quædam enim tametſi honeſte accipiantur, inhoneſte tamen petuntur.* Hæc Ulpianus: niſi fallor, & philoſophis & legum profeſſoribus haud parum iniqua. Quaſi ſcilicet ſanctitas doctrinæ prohibeat, honorarium aut laborum aliquam mercedulam petere. Quanto rectius Apoſtolus, illi qui ſervit altari vitæ ſubſidium ex altari deberi, ſtatuit! Bene vero eſt, quod nemo non hodie illa Ulpianea ſaltim contrariis moribus improbet: tantum merito mireris, Tribonianum illa corpori legum inſeruiſſe, cum tamen ipſe pecuniæ fuerit cupidiſſimus, imo hoc vitio pene infamis.

Supplementum LXXXII. ad pag. 467.

Fortaſſis meretur inter ſtudioſorum privilegia primo loco referri, quod ex Ulpiano habetur *l. 17. ff. de rebus creditis. Cum filiusfamilias viaticum ſuum mutuum dederit, cum ſtudiorum cauſſa Romæ ageret: reſponſum eſt a Scævola, extraordinario judicio eſſe illi ſubveniendum.* Paris notæ ſunt quæ habentur itidem ex Ulpiano *l. 18. ſi longius ff. de judiciis*, ac proinde etiam digna quæ hic repetantur. *Nam & Juliano placet: ſi filiusfamilias legationis vel ſtudiorum gratia aberit, & vel furtum vel damnum injuria paſſus ſit, poſſe eum utili judicio agere, ne dum pater exſpectatur, impunita ſint maleficia: quia pater venturus non eſt, vel dum venit ſe ſubtrahit is qui noxam commiſit. Unde ego ſemper probavi, ut ſi res non ex maleficio veniat, ſed ex contractu, debeat filius agere utili judicio: forte depoſitum repetens, vel mandati agens, vel pecuniam quam credidit petens; ſi forte pater in provincia ſit, ipſe autem forte Romæ vel ſtudiorum cauſſa vel alia juſta ex cauſſa agat: ne ſi ei non dederimus actionem futurum ſit, ut impune fraudem patiatur, & egeſtate Romæ laboret, viaticulo ſuo non recepto, quod ad ſumptum pater ei deſtinaverat.* Hactenus Ulpianus. Satis autem apparet, hoc omne *ἁπλῶς* ad quoſvis filiosfamilias quorum parentes alibi vivebant, non autem ad ſolos, qui ſtudiorum cauſſa alicubi commorabantur, pertinuiſſe.

Quia omnia ſtudioſorum veteri jure Juſtinianeo conceſſa privilegia, egregie in unam quaſi ſummam congeſſit is quem paulo ante laudavi Balduinus, & quidem in ipſo commendato opere, illa huc transferri & legi haud fuerit absque pretio. *Ut magis intelligamus*, inquit, *non profeſſorum tantum, ſed & auditorum & diſcipulorum habitam eſſe rationem: meminerimus, quod a juriſconſultis reſponſum eſt, cum filiusfamilias Romæ degens ſtudiorum cauſſa viaticum ſuum alteri credidiſſet, a prætore illi dari extraordinariam & utilem actionem, ut id repetere ipſe poſſit, & abſente patre agere. Sed & in ſtudiorum cauſam filiofamilias mutuum dari poſſe, neque tum ſenatusconſulto Macedoniano locum fore placuit. Nam & Ulpianus eleganter oſtendit, ad paternæ pietatis officium pertinere, filios non modo alere ſed etiam in ſtudiis alere. Et tutor jubetur, mercedes pupilli præceptoribus conſtituere. Quod & in cauſſa pupillæ dicitur: nam hanc quoque liberalibus artibus inſtituendam eſſe, ait Julianus. Denique pupillo in bonorum poſſeſſionem miſſo, ex Carboniano edicto non ſolum alimenta præſtanda eſſe, ſed & neceſſarias ad ſtudia impenſas. Quid reliqua commemorem, favore ſtudiorum ſingulari jure conſtituta? Prætor abſentiam ſtudiorum cauſſa, prope ut eam quæ eſſet reipublicæ cauſſa, juſtiſſimam eſſe judicat & ſingulari favore proſequitur. Sed neque ante annos viginti*

quinque

quinque quenquam prætextu publicorum munerum poſſe avocari a ſtudiis & ſchola reſcriptum eſt. Quæ res facit, ut non omnino etiam inſolens eſſe videatur, quod in hac Conſtantini conſtitutione poſtremo loco notavimus, privilegio quodam & præſcriptione fori defendi profeſſores, ne litis cauſa temere alio avocentur atque diſtrahantur. Quale deinde privilegium & ſtudioſis ipſis diſcipulis conceſſum fuiſſe, Juſtinianus ſignificat. Scribit enim, Conſtantinopolitana in ſchola præfectum urbis fuiſſe judicem adoleſcentium, qui juri civili in ea operam dabant. In Berytienſi vero civitate (quæ legum altera academia) vel præſidem Phœniciæ, vel epiſcopum, vel profeſſores ipſos. Hæc omnia doctiſſimus Balduinus.

Supplementum LXXXIII. ad pag. 468.

Legem hanc primam codicis Theodoſiani *de ſtudiis liberalibus urbis Romæ* ſingulari poſt diſſertationem editam commentario illuſtravimus, quia ſimilis nulla reperitur, & tamen multa habet obſcuriora. Is commentarius brevi iterum recenſendus a nobis eſt: adeoque hoc loco nihil addemus

Supplementum LXXXIV. ad pag. 470.

Privilegiorum quibus academiæ noſtri temporis, eorumque cives fruuntur, quatuor ſumma ſunt genera. Quædam videlicet eorum continentur ſcriptis tabulis Pontificum, Cæſarum, Regum, Principum & univerſim eorum quibus ejusmodi beneficia concedere jus & facultas competit. Quædam conſuetudinaria ſunt, & a ſola conſuetudine vim & auctoritatem ſuam nanciſcuntur. Quædam per conſuetudinem quidem inceperunt, poſt tamen lege ſcripta confirmata ſunt & quaſi roborata. Quædam denique a doctoribus duntaxat ceu juri aut æquo conſentanea producta ſunt: quæ tamen minus ſunt firma, quandoquidem ipſi doctores ſententiis diſcrepant, & ſæpenumero imbecillibus nituntur argumentis, quod cumprimis obſervare eſt in Petri Rebuffi & Horatii Lucidi libris de privilegiis ſtudioſorum. In verbis tabularum Maximiliani II, quæ adduxit diſſertatio, haud obſcura fit mentio trium primorum generum: quod nempe privilegiorum alia jure ſcripto, alia conſuetudine nitantur, & omnia denuo academiæ Juliæ confirmaverit ſcriptis illis tabulis Auguſtus idemque optimus Imperator.

Dignum porro notatu eſt, in diplomate Cæſareo iſto non memorari ſingula, ſed in genere tantum concedi Juliæ noſtræ academiæ privilegia ſive ſcripta ſive conſuetudinaria, academiarum Bononienſis, Senenſis, Patavinæ, Papienſis, Peruſinæ, Pariſienſis, Lipſienſis aliorumque ſtudiorum privilegiatorum. Quod ſi igitur omnia Juliæ conceſſa privilegia exacte ſcire velis, tibi omnium academiarum privilegiatarum & tabulas ſcriptas & conſuetudines pernoſcendæ erunt. Utrum vero etiam ad Britannicas, Hiſpanicas, aliasque exteras omnes academias ſit reſpiciendum, dubito; idque quoniam in nullis tabulis Imperatoriis aut Pontificiis, quas equidem vidi, earum fit mentio. Sunt alioquin inprimis Anglicæ plurimis atque eximiis privilegiis exornatæ: quod cum aliunde tum ex Pitſei libro de Oxonienſis academiæ antiquitate eſt manifeſtum. Ne quid tamen porro diſſimulem, verba ejusmodi tabularum, ſi uſum videas, magis ſapiunt formulas cancellariæ, quam ut reapſe omnia illa privilegia largiantur: ac proinde haud videntur rigide cuncta accipienda atque exigenda eſſe.

In ſimiles vero formulas & ſimilia privilegia conditæ ſunt, & jam 1502. a Maximiliano I. Wittebergenſis, & a ſequentibus Cæſaribus ſaltim omnes proteſtantium academiæ, quæ quidem cœperunt intra hoſce centum quinquaginta circiter annos. Sunt autem illæ ſic ſatis multæ & florentes. Eſt enim iniquiſſima & impudens nonnullorum hoſtium calumnia, proteſtantibus exoſas eſſe academias & ſcholas omnes: cum utique ſaltim in Germania hæ & numero & florente ſtatu reliquis forte ſint ſuperiores, certe non multum impares, præſertim ſi annumeres etiam illas, quæ pridem ante cœperant quidem poſt autem in mores & ritus proteſtantium tranſierunt.

Supplementum LXXXV. ad 472.

In Accurſii verbis illud dignum notatu eſt, quod dicat, *non eſſe conſuetum ut ſtudioſi pedagia ſolvant.* Inde enim liquet, jam tunc temporis, ſaltim in Italia, ubi vixit Accurſius, immunitatem iſtam vectigalium fuiſſe recepti moris, quacunque etiam illa auctoritate cœpiſſet. Quam levia autem ſint reliqua pro iſthac immunitate ab Accurſio adducta, nemini non manifeſtum eſſe poteſt, qui citata legum Romanarum verba ipſa inſpexerit, & firma ex iis collectione vectigalium libertatem exſculpere attentaverit.

OMnibus in populis, late qua diditur orbis,
Doctrinæ fuerint quæ prima exordia cœtus:
Vtque ſibi paſſim ſapientia condere templa
Cœperit, & ſacras ſtudii exercere palæſtras:
Tandem imo in ſylvis academi quærere verum
Inſtituens, pulcras dederit mortalibus artes;
Audierat quondam, mihi adhuc florentibus annis,
Tunc Bellona licet turbaret ubique Minervam,
(Nequicquam: quid enim efficiat ſine numine cœli?)
In Panhelmiacis me Julia Diva loquentem,
Cum plauſu juvenum caveæ magnique ſenatus.
Jam cani infeſtant. Rurſus tamen illa docere,
Quin aliis etiam multis ditare repertis,
Atque in communem mundi protrudere lucem:

Digitized by Google

Horribili quamvis iterum nos lumine Mavors
Adſpiciat, ſævusque iterum cervicibus inſtet:
Impulit a pueris rerum mihi culta cupido
Priſcarum, nec non doctum reverentia patrum.
 Aſt Tu, ſi fas eſt, vultu hæc FERNANDE ſereno
Excipe: quandoquidem ſunt magni nominis aræ
Conſecrata tui, votisque dicata ſupremis.
Fallor? an hæc oculis etiam dignaberis iſtis,
Priſci ævi queis cuncta ſoles monumenta tueri,
Judicio expendens æquo ſacra atque profana.
Angariæ quamvis tenero perfuſus amore,
Nunc adeo Grajos ſeponas atque Latinos,
Et patriam æterno doctoque volumine ſcribas.
 Salve Teutiſcum noſtræ telluris ocelle,
Salve grande hujus decus ævi atque incrementum.
Non alium talem circumdedit inſula vatem,
Principis excelſa non Cæſar ſede locavit.
Non ventura pari committent ſecula Padrum,
Qui velit usque adeo multum hoc de Fonte mereri.
Non Mimigardiacos quisquam moderabitur æſtus
Suavius, & molli ponet fera bella quiete.
 Macte animo ingenti, Princeps. Tibi floreat ætas
Sera in centenos quondam feliciter annos,
Cum ſolito Pindi plauſu, lætantibus & Diis.
Tempora ſic ſoboli memorabis priſca futuræ,
Inter Hamadryadum choreas & Cynthia plectra,
Amiſio arridente ſimul rapidoque Viſurgi.

Diploma quo Maximilianus II. Imperator academiam Juliam condidit.

MAXIMILIANVS II. divina favente clementia, Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. Marchio Moraviæ &c. Dux Lucenburgiæ, ac ſuperioris & inferioris Sileſiæ, Wirtembergæ & Teckæ, Princeps Sueviæ, Comes Habſpurgi, Tirolis, Ferretis, Kyburgi & Goritiæ, Landgravius Alſatiæ, Marchio ſacri Romani imperii, Burgoviæ, ac ſuperioris & inferioris Luſatiæ, Dominus marchiæ Slavonicæ, portus Naonis & Salinarum, &c. Notum facimus tenore literarum præſentium univerſis & ſingulis. Cum imprimis ad hanc Romani imperii ſublimitatem divino auſpicio provecti, diligenter proſpicere debeamus, ut ſcientiæ & bonarum liberaliumque artium ſtudia ſedulo excolantur, feliciaque ſemper ſumant incrementa, ex quibus nimirum tanquam divinæ ſapientiæ hauſto fonte, ſubditi clientesque noſtri, ad gubernandam rempublicam, & reliquis mortalium neceſſitatibus proſpiciendum, reddantur aptiores: præſertim cum earundem bonarum literarum tutela & patrocinium ad Cæſarei culminis faſtigium, ejusque moderatores potiſſimum pertineat. Qui etiam ipſarum cultores & profeſſores dignis præmiis, honoribus atque privilegiis afficientes, complura gymnaſia in ſacro Romano imperio inſtituerunt & erexerunt. Nos igitur prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inſiſtentes, petitione Illuſtris JVLII, Ducis Brunſuicenſis & Luneburgenſis, conſanguinei & Principis noſtri chariſſimi, nec non & omnium ſtatuum ejusdem ducatus, per peculiares eorundem legatos, noſtros & ſacri Romani imperii fideles dilectos, Henricum a Lühe, & Matthiam Böttiger, dicti Principis conſiliarios, nuper exhibita, qua continebatur, ut ad præfatorum ſtudiorum liberalium & bonarum artium incrementum, collegium ſcholamque in civitate ſua hæreditaria Helmſtat, a ſe cœptum & inſtitutum, authoritate noſtra Cæſarea confirmare, atque juribus, privilegiis & immunitatibus ſtudii univerſalis ſeu gymnaſii communire, adeoque illi ſcholæ Juliæ nomen facere dignaremur, permoti; atque ad animum revocantes multa præclara & ſingularia merita, quæ præfatus conſanguineus & Princeps noſter, nec non & parentes & anteceſſores ipſius ex illuſtri Ducum Brunſuicenſium familia Nobis & anteceſſoribus noſtris Romanorum Imperatoribus & Regibus, & imperio, nec non inclytæ domui noſtræ Auſtriacæ, ſæpius fideliter exhibuerunt & præſtiterunt: Conſiderantes etiam, quod præfata civitas non modo propter loci oportunitatem inſtituendo gymnaſio commoda, tum & incolis & finitimorum locorum habitatoribus ſtudium univerſale ad excolendam numeroſam juventutem, cumprimis neceſſarium ſit: maturo procerum aulæ noſtræ Cæſareæ habito conſilio, animo bene deliberato, ex certa ſcientia & motu proprio, authoritate noſtra Cæſarea, & ex plenitudine poteſtatis, præmemoratum collegium a dicto conſanguineo & Principe noſtro in civitate Helmſtat nuper cœptum & inſtitutum, confirmavimus, adeoque de novo in ſtudium generale & univerſitatem publicam ereximus; prout tenore præſentium confirmamus, & de novo inſtituimus & erigimus.

Volentes & dicta Cæſareæ noſtræ poteſtatis & authoritatis plenitudine decernentes, quod ex ipſa ſchola in Helmſtat in poſterum gymnaſium univerſale eſſe, & ab omnibus ſic haberi, dicique

ſchola

ſchola Julia debeat: Et doctores quarumcunque facultatum & perſonæ idoneæ, ad id per dictum Ducem ejusque ſucceſſores, vel quibus illi demandaverint, deputandæ, poſſint & valeant in præfata univerſitate in omnibus facultatibus, videlicet, in ſacra theologia, in utroque jure tam canonico quam civili, in artibus & medicina, nec non in philoſophia & quibuscunque ſcientiis legere, & lectiones, diſputationes & repetitiones publicas facere, concluſiones palam proponere, & præfatas ſcientias docere, interpretari, gloſſare & dilucidare, omnesque actus ſcholaſticos exercere, eo modo ritu & ordine, qui in cæteris univerſitatibus & gymnaſiis publicis obſervari ſolitus eſt. Et quoniam ipſa ſtudia eo feliciori gradu ſument augmentum, ſi ingeniis & diſciplinis ipſis ſuus honor, ſuus dignitatis gradus ſtatuatur; ut emeriti aliquando digna laborum ſuorum præmia reportent: ſtatuimus & ordinamus, ut per collegia doctorum a prænominato Illuſtri Duce in unaquaque facultate inſtituenda, doctis & ad id idoneis, & præ cæteris excellentioribus in ipſis facultatibus doctoribus, hi qui ad ſumendam palmam certaminis ſui idonei judicati fuerint, adhibito per ipſos doctores collegii in unaquaque facultate, prius pro more & conſuetudine atque ſolennitatibus & ritu in cæteris univerſitatibus adhiberi ſolitis, rigoroſo & diligenti examine, in quo conſcientias ipſorum doctorum cujuslibet collegii onerari volumus, quos ſub juramenti vinculo ad hoc aſtringimus in ea facultate quam edidicerint, & qui examini præfato ſe ſubmiſerint, & ſe pro more & juxta ſtatuta & ordinationes per prænominatum Ducem ſiendas, per aliquos dignos & honeſtos viros de gremio ipſius collegii præſentari fecerint, poſſint ad ipſum examen admitti, & invocata Spiritus Sancti gratia examinari: & ſi hoc modo habiles idonei & ſufficientes ad id reperti & judicati fuerint, baccalaurei, magiſtri, licentiati ſive doctores, pro uniuscujusque ſcientia & doctrina creari, & hujusmodi dignitatibus inſigniri, nec non per bireti impoſitionem, & aurei annuli ac oſculi traditionem, cæterisque conſuetis ſolennitatibus inveſtiri, & conſueta ornamenta atque inſignia dignitatum prædictarum tradi & conferri. Quodque doctores in eadem univerſitate promoti & promovendi debeant & poſſint in omnibus locis & terris ſacri imperii Romani, & ubique terrarum, libere omnes actus doctorum, legendi docendi interpretandi & gloſſandi, facere & exercere, omnibusque & ſingulis gaudere & uti privilegiis, prærogativis & exemptionibus, libertatibus, conceſſionibus, honoribus, præeminentiis, favoribus ac indultis, quibus cæteri doctores in Bononienſi, Senenſi, Patavino, Papienſi, Peruſino, Pariſienſi ac Lipſenſi, & aliis ſtudiis privilegiatis, promoti ac inſigniti gaudent & utuntur de conſuetudine vel de jure. Cæterum quo præfata univerſitas ſive gymnaſium ſuis gubernatum magiſtratibus, ſolidiori & firmiori conſtet fundamento, damus & concedimus doctoribus & ſcholaribus in dicta univerſitate exiſtentibus aut futuris, cum conſenſu præfati Ducis aut ſucceſſorum ejus authoritatem & poteſtatem concedendi & faciendi ſtatuta & ordinationes, juxta conſuetudinem cæterarum univerſitatum, nec non creandi & eligendi rectorem ſcholarum & ſyndicos, ſive alios quoscunque officiales univerſitatis, prout ipſis viſum fuerit expedire & eſſe oportunum. Hoc ſaltem in hac primæva erectione pro majori illuſtratione hujus gymnaſii addito, ut quemadmodum ipſum imperiali culmine & authoritate primordia ſumſit, & a Ducali nomine appellationem accepit, ſic etiam rectoralis dignitas ab Illuſtri HENRICO JVLIO, Duce Brunſuicenſe & poſtulato Epiſcopo Halberſtadenſe, ſæpedicti Julii filio, quem primum Rectorem eidem aſſignamus, celebre & felix auſpicium habeat. Dantes & concedentes dicta authoritate noſtra imperiali jam per nos deſignato, nec non & inpoſterum, ut præmittitur, eligendis & creandis rectoribus, non modo facultatem & juriſdictionem in ſcholaſticos, citandi, audiendi, judicandi, exequendi, puniendi, & omnes alios actus judicis ordinarii exercendi, & jus reddendi: Atque eximentes nihilominus doctores & ſcholares univerſitatis prænominatæ a juriſdictione & ſuperioritate cujuscunque poteſtatis ordinarii, ſive cujuscunque alterius præterquam a noſtra & præfati Ducis & ſucceſſorum ejusdem: Sed etiam jam dictum HENRICVM JVLIVM, per nos deſignatum primum rectorem, ejusque in illo officio & dignitate inpoſterum eligendos, ex ſpeciali gratia & favore, ſacri Lateranenſis palatii aulæque noſtræ & imperialis conſiſtorii comites facimus, creamus, erigimus, ac comitatus palatini titulo atque dignitate clementer inſignimus, aliorumque comitum palatinorum numero cœtui & conſortio aſſcribimus adjungimus & aggregamus. Decementes & ſtatuentes, quod univerſo illo tempore, quo dictæ dignitati rectoratus præſunt, vel præfuerint, omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, juribus, immunitatibus, honoribus, exemptionibus & libertatibus, uti, frui, potiri, & gaudere poſſint & valeant, quibus cæteri Lateranenſis palatii comites hactenus uſi potiti & gaviſi ſunt, ſeu quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, conſuetudine vel de jure. Dantes & concedentes illis plenam facultatem & poteſtatem, quod durante rectoratus & adminiſtrationis eorum tempore, ut præmittitur, noſtra authoritate poſſint & valeant, per totum Romanum imperium, regna & dominia noſtra hæreditaria, ac alias ubilibet terrarum & locorum, facere & creare notarios publicos ſeu tabelliones, ac judices ordinarios: ac omnibus perſonis, quæ fide dignæ habiles idoneæ & ſufficientes fuerint (qua in re conſcientias ipſorum oneramus) notariatus ſeu tabellionatus & judicatus ordinarii officium concedere & dare, eosque ac eorum quemlibet de prædictis officiis per pennam & calamarium, prout moris eſt, inveſtire. Recipiendo ab ipſis notariis publicis ſeu tabellionibus & judicibus ordinariis per eos, ut præmittitur, creandis, & ab eorum quolibet, vice ac nomine noſtro & ſacri imperii, & pro ipſo Romano imperio, debitum fidelitatis corporale & proprium juramentum. In hunc videlicet modum: Quod nobis ac Sacro Romano imperio, & omnibus ſucceſſoribus noſtris Romanorum Imperatoribus, & Regibus legitime intrantibus fideles erunt, nec unquam interfuturi conſilio, ubi noſtrum periculum tractetur, ſed bonum & ſalutem noſtram defendent & fideliter promovebunt, damna vero & incommoda ſedulo cavebunt & avertent; præterea inſtrumenta publica & privata,

privata, ultimas voluntates, teſtamenta,& quæcunque judiciorum acta, literas matrimoniales,ac omnia & ſingula alia, quæ illis & cuilibet illorum, dicti officii ratione facienda vel ſcribenda occurrent, juſte pure fideliter, omni ſimulatione machinatione falſitate dolo ac fraude remotis, ſcribent, legent, facient, & dictabunt; non obſervando odium, amicitiam, munera, pecuniam, vel quaſcunque alias paſſiones aut favores: ſcripturas vero in formam publicam redigendas, pro locorum conſuetudine & rerum qualitate, in membranis aut chartis mundis, non abraſis ſeu vitioſis, fideliter conſcribent ac conſcribi facient; cauſasque hoſpitalium ac miſerabilium perſonarum, nec non pontium & viarum publicarum conſervationes & inſtaurationes pro viribus promovebunt; ſententias aut dicta teſtium, donec publicata fuerint & approbata, ſub ſecreto fideliter retinebunt; omniaque & ſingula alia convenienti & debito modo facient atque exercebunt, quæ ad dictum officium quomodolibet pertinebunt, conſuetudine vel de jure. Volentes, quod hujusmodi notarii publici, ſeu tabelliones & judices ordinarii per eos creandi, libere poſſint per totum Romanum imperium, omniaque regna & provincias noſtras hæreditarias, ac alias ubivis terrarum & gentium, facere, concipere, ſcribere & publicare contractus, inſtrumenta, judiciorum acta, literas matrimoniales, teſtamenta & ultimas voluntates, decretumque & authoritatem interponere, in quibuscunque contractibus tale quippiam requirentibus, omniaque & ſingula alia citra impedimentum facere & exercere, quæ dictum publici notarii ſeu tabellionis & judicis ordinarii officium quovis modo exigere videbitur. Decernentes, quod omnibus & ſingulis inſtrumentis ac ſcripturis, per hujusmodi tabelliones ſeu judices ordinarios & notarios publicos, per præfatos Rectores ſcholæ Juliæ creatos & creandos, confectis & conficiendis, plena & indubia ubique fides, tam intra quam extra judicium, adhiberi debeat, eaque nullo modo impugnari vel in dubium trahi poſſit, conſtitutionibus, ordinationibus, & aliis in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuscunque.

Præterea ut ipſa univerſitas dignis fulcita prærogativis, nulli alteri, quantumvis vetuſtæ & celebratæ univerſitati poſtponatur, ſæpe dictæ ſcholæ Juliæ, & ſingulis in ea conſtituendis facultatibus, ex ſingulari gratia, peculiaria arma & inſignia, quibus in publicis ſcriptis, edictis, mandatis aliisque actibus, loco ſigilli uti poſſint & debeant, contulimus, prout alio noſtro deſuper confecto datoque ſpeciali privilegio, latius continetur. Atque inſuper volumus & decernimus per præſentes, quod prænominata univerſitas, nec non doctores & ſcholaſtici, ac ibidem aliquam dignitatem ſeu gradum aſſumentes, gaudeant & potiantur, uti frui gaudere & potiri poſſint & valeant, omnibus & quibuscunque gratiis, honoribus, dignitatibus, præeminentiis, prærogativis, privilegiis, conceſſionibus, & immunitatibus, favoribus & indultis, ac aliis quibuslibet, quibus univerſitas Bononienſis, Senenſis, Patavina, Papienſis, Peruſina, Pariſienſis & Lipſenſis, ac alia ſtudia privilegiata, ac doctores & ſcholaſtici, ſive promoti, aut alia dignitate ſive gradu inſigniti, gaudent & potiuntur, quomodolibet conſuetudine vel de jure. Non obſtantibus aliquibus privilegiis, indultis, prærogativis, gratiis, ſtatutis, ordinationibus, legibus, conſtitutionibus, reformationibus, exemptionibus, aut aliis quibuscunque in contrarium facientibus. Quibus omnibus & ſingulis, ex certa noſtra ſcientia præfata, animo deliberato, & motu proprio, derogamus & derogatum eſſe volumus per præſentes. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc noſtræ creationis, inſtitutionis, fundationis, erectionis, indulti, gratiæ, derogationis, conſtitutionis, conceſſionis, & privilegii gratiam (quam ſingulis annis publice in dicta ſchola JVLIA prælegi volumus) refringere, aut quovis auſu temerario contraire, ſive quomodolibet violare & infringere. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, noſtram & imperii ſacri indignationem graviſſimam, & pœnam centum marcharum auri puri, toties quoties contra factum fuerit, ſe noverit irremiſſibiliter incurſurum: quarum medietatem imperialis fiſci noſtri ſive ærarii, reliquam vero partem injuriam paſſorum uſibus, decernimus applicari. Harum teſtimonio literarum, manu noſtra ſubſcriptarum, & ſigilli noſtri Cæſarei appenſione munitarum. Datum in arce noſtra regali Pragæ, die 9. menſis Maji, anno Domini milleſimo, quingenteſimo ſeptuageſimo quinto. Regnorum noſtrorum, Romani decimo tertio, Hungarici duodecimo, Bohemici vero viceſimo ſeptimo.

MAXIMILIANVS.

Vice ac nomine Reverendiſſimi D. Danielis Archicancellarii Moguntini

V. Jo. Bap. Weber.

Ad mandatum Sacræ Cæſar. majeſtatis proprium.

A. Erſtenberger ſſt.

JOA-

JOACHIMI JOANNIS MADERI V. C. Epiſtola.

Nobiliſſimo Excellentiſſimoque Viro,

DN. HERMANNO CONRINGIO

JOACHIMVS JOHAN. MADERVS.

S. P. D.

DIſpicienti mihi, Vir magne, quomodo reperire poſſim, queis tuæ in me voluntati quodamtenus ſatisfaciam: quod eorum nonnulla, quæ de *veterum ſcholis* annotavi, partim jam antehac *præfationi in Monetis Sereni chronicon*, partim aliis opuſculis meis pro re nata inſeruerim; ac tam uberem iſtorum meſſem in elucubratiſſimis diſſertationibus tuis inveniam, ut vix ſpicilegium aliquod mihi relinquatur: de ſcholis antediluvianis ſe primum offert inſignis locus, ab Athanaſio Kirchero ex quodam commentario MSto, cui nomen Domus Melchiſedech, exſcriptus, atque in Obeliſco Pamphilio, lib. 1. cap. 3. ſic latine repræſentatus: *Fuit autem Henoch nomen Adris; & poſt eum alius Adris, cui nomen in lingua barbara Hermes: quoniam is primum conſtituit ſcholas, in quibus ſcientias a protoplaſto Seth ſibi traditas docuit. Ipſe inventor literarum & mathematicarum artium: is tradidit leges & bene vivendi diſciplinam: ideo abſtulit eum Dominus, & ambulavit cum Deo in horto Eden. Hinc factum eſt, ut omnes qui ſcientiis & ſecretiorum artium notitia, ex poſterioribus in mundo clarerent, Adris, hoc eſt, rerum occultarum inventores dicerentur.* Et quem ille eodem capite ex Achmed Ben Joſeph Altiphaſi, apud Gelaldinum, in hiſtoria rerum Ægyptiacarum MSta adducit: *Succeſſit Mahaliel filius ejus Irad, & dedit ei præcepta bona, & docuit eum omnes ſcientias, & celebravit ipſum, famoſiſſimumque reddidit in peritia ſcientiæ inſpectionis aſtrorum, & in libris quos deduxit ſuper eum Adam. Et genuit Irad Hanuch. Ipſe eſt Hermes: ipſe Idris propheta; ſuper eum pax. Et fuit rex in diebus illis Mohbuel, filius Hanuch, cui pater bonam inſtructionem dedit: & ſcientias, quas apud ſe habebat, ipſi tradidit: & genuit eum in Ægypto, (ante diluvium) & egreſſus eſt inde, & peregravit totam terram. Fuit autem ei Sabaorum regio. Ipſe adhæſit Deo, docuitque eum purificationes, orationes, & alia hujusmodi cultus divini ſigna. Et fuit peritus in inſpectione aſtrorum, & in geometria, & divinis ſcientiis: fuitque primus qui de hocce diſſeruit, easque de potentia in actum deduxit ſcripſitque de iis librum, in quo ſignavit doctrinam eorum. Deinde profectus eſt in Æthiopiam & Nubiam, &c.* Quod ſi enim temporibus illis fuere literæ, ac diſciplinæ non unius generis, ſive in plumbo, ſive in lapidibus, vel alia ſcriptionis capaci materia, literis conſignatæ, ut probare conatus ſum *diſſertatione de bibliothecis antediluvianis:* (nam lapidibus inſculpi moris fuiſſe antiquisſimis temporibus, quæ monumentis mandata cuperent, etiam teſtes citare poſſumus *inciſas digito Dei literas, rupices paginas, ſaxeum volumen, diſcentem populum ac docentem Deum, ac mixtis pene hominibus atque angelis unam cœli ac terræ ſcholam*, ut elegantisſime Salvianus loquitur lib. 1. de gubern. Dei) dubitari haud poſſe reor, quin & tum fuerint ſcholæ, in quibus iſta omnia docerentur, & vivæ ſimul vocis commercio ad poſteros propagarentur. In *Aſiaticis* porro non prætereunda videtur Smyrnæorum ſchola, quam *patrum ſuorum memoria medicinæ Eraſiſtrateam* ibidem *fuiſſe præſide Hiceſio* (Eraſiſtrato dubio procul auctore, qui Suida teſte ἰατρικὰ βιβλία ϑ ſcripſit ſub Antiocho, quem ob novercæ Stratonices amorem ſanarat) refert Strabo lib. XII. *Rhetoricam* vero in eadem laudat Polemonis vitam deſcribens Philoſtratus, dum illum quidem *cumprimis in admiratione fuiſſe, urbique valde profuiſſe*, narrat, *ut civitas longe populoſior quam ante videretur: undique ex continente & inſulis ad ipſum confluente juventute* ἐκ ἀκολάςυ καὶ ξυγκλύδος, *non incaſtigata & tralatitia, ſed electa & pura: Adrianum vero, erga Epheſios alias propenſum, ad Smyrnæorum favorem usque adeo pellexiſſe, ut uno die mille myriadas in illorum civitatem impenderit; ex quibus emporia, & gymnaſium omnium quæ in Aſia ſunt præſtantiſſimum, conſtructa ſint.* In qua ita Ariſtidem docuiſſe veriſimile eſt, illum Σμύρνης, poſt eam terræ motibus & hiatibus deletam, οἰκιςήν, qui ad Marcum Imp. *ſe non de numero vomentium, ſed exacte loquentium eſſe dixit:* quod male Athenienſi Ariſtidi, illi Juſto, Eraſmus tribuit, & poſt eum Manutius: tum ſeculo IV. *Numidianum, philoſophi Maximi fratrem*, τὸν ἐν Σμύρνῃ, ut Eunapius habet, περιφανῶς σοφιςεύσαντα: & Corinthum illum παραλειπομένων, ſive derelictorum ab Homero, ſcriptorem, quem ad *Leonis Zenonis* & *Anaſtaſii* tempora refert Cl. Voſſius, cujus *haud triviale magiſterium fuiſſe* (quæ etiam Voſſii mens eſt) vel inde colligi poſſe exiſtimavit doctiſſimus Rhodomannus, *quod oves ſuas, hoc eſt diſcipulos, nobiles ſeu fama illuſtres* (περίκλυτα) *epitheto ſatis emphatico appellarit*, libro operis ſui XIV. De Beryto, & ſchola in eadem jurisprudentiæ celeberrima, neſcio num videris, Nobiliſſ. Dn. *Struuchii* diſſertationem, Brunſvigæ ante annos duodecim excuſam. In Alexandrinam ſcholam dicitur *undique confluxiſſe* a Gregorio Nyſſeno in vita Gregorii Thaumaturgi ἡ νεότης τῶν περὶ φιλοσοφίαν τε καὶ ἰατρικὴν ἐσπουδακότων. Et Chriſtianorum ibidem ſcholæ meminit cumprimis Euſebius, quod *ab antiquo ſacrarum literarum doctrina & exercitium in eadem viguerit, eaque conſuetudo a viris eloquentia divinorumque ſtudio potentibus inſtituta, ad ſua usque tempora perduraverit:* commemorando una doctores, qui in ea clari extitere: *Pantænum* videlicet, *inter Stoica ſecta philoſophos educatum*, *Clementem* Stromateων ſcriptorem, & hujus diſcipulum *Origenem, virum dialectica, geometrica, arithmetica, muſica, grammatica, rhetorica peritiſſimum, omnium philoſophorum ſectas ita callentem, ut ſtudioſos quoque ſecularium literarum ſectatores haberet, eisque interpretaretur quotidie, magnique concurſus ad eum fierent:* ceu B. Hieronymus de eo ſcribit: Qui demum, *quod alii poſt alios a mane usque ad veſperum ad ſcholam ipſius venirent, multitudine diviſa, Heraclam, divinarum rerum ſtudioſum, & alias diſertisſimum virum, & philoſophiæ non expertem, e reliquis familiaribus delectum in catechizando conſortem conſtituit, illique primam*

eorum, qui recens imbui cœpiſſent, inſtitutionem commiſit, ſibi perfectiorum auditorium reſervans, αὐτῷ τὴν ἐν ἕξει φυλάξας ἀκρόασιν, ut rurſum habet Euſebius lib. 6. cap. XIV. Nam quomodo idem ille Cæſarenſem aliquando rexit ſcholam, plenius nos edocet Gregorius Thaumaturgus. Locum de Conſtantinopolitana bibliotheca & ſchola, diſſertatione I. ex Johanne Zonara citatum, præter Glycam parte IV. pag. 393. etiam Conſtantinus Manaſſes in annalibus firmat, & luculentius exponens, inquit: *Non procul a divina ſapientiæ fano ſplendida domus a priſcis Imperatoribus erat conſtructa, quam nuncupare licuiſſet amœnum hortum, arboribus libros ferentibus plenum, adeoque lucum pulcherrimis omnigena doctrina ſapientiaque plantis conſitum. Nam erat congeſtus in ea librorum theſaurus, quorum numerus tricena & tria millia complectebatur. Talis hortus, mutusque lucus, divini cujuſdam hominis cura fideique commendatus erat, qui doctrina præſtabat, & ſupra cæteros omnes radiis ſcientiæ collucebat. — Vivebant cum hoc & alii, nunquam ſecundarum partium duces, ab illo Imperatore primi: luculenta reapſe ſidera noctiuque colluſtratores. Hi tot numero, quot circuli Zodiaci ſigna ſunt, abſque mercede literarum & doctrinæ cupidos inſtruebant, & caliginis velum, tam in putri præſtigiiſque refertâ Græcorum, quam religioſiſſima noſtra diſciplina, ſuis auditoribus adimebant: uno illo, de quo diximus, inter omnes ſolis inſtar lucente. Tanta vero in opinione virtutis erant, ut ne ipſi quidem Imperatores novi quiddam & inuſitati vel agendum ſibi putarent, illis in conſilium non adhibitis.* Subjungit ſimiliter, quomodo cum ipſis libris ab Imp. ſint combuſti, hac addita exclamatione: *Proh infeſtum virtuti animum! proh mentem belluinam! Nimirum ex unguibus ſævus ille Leo jam agnitus eſt.* Sed cum ibidem per centum & ultra annos *philoſophia neglecta jacuiſſet, ac prope omnino extincta eſſet, ut ne ſcintilla quidem ejus*, quemadmodum Zonaras loquitur, *ſupereſſet, propter Imperatorum*, qui ſequebantur, *inſcitiam, Bardas Cæſar* circiter annum Chriſti 850. ſub Michaele tertio Imp. vecorde & ignavo, inter innumera mala *hoc* tandem *boni fecit, quod eruditionis provehendæ magnum ſtudium habuit. Nam cuique diſciplinæ ſcholas conſtituit, & doctores deſignavit, & ſingulis publica ſtipendia decrevit, & omnibus magnum & communem doctorem præfecit Leonem philoſophum*, poſtea *Theſſalonicæ epiſcopum, itaque effecit, ut literæ reflorſcerent, exiguoque tempore incrementa caperent*, atteſtante eodem Zonara annal. tom. III. Apud quem etiam legere eſt, quomodo *Conſtantinus Porphyrogennetus*, Leonis philoſophi filius, is qui libro de thematibus, & excerptis hiſtoricis inclaruit, ſeculo a nato Chriſto X. *tam philoſophiam, quæ pene in oblivionem venerat, quam alias diſciplinas, doctoribus ordinatis, jam deficientes refocillarit.* Num vero & monachi Græci, cumprimis, qui ſub Nicephoro Phoca eodem illo ſeculo Athon montem incolere cœperunt, exinde ἅγιον ὄρος appellatum, in eodem literarum ſtudia excoluerint, haud equidem affirmarim: cum *iis hodie plane ſe non dedant; quin plurimi inter illos ſint, qui ne quidem literas vel legere vel pingere norint*, ut ex libro Gallico, Les Eſtats & Empires principautes du monde, notat Georgius Fhelavius ad Chriſtoph. Angelum: licet, teſte etiam Goaro, *tantis monachorum gregibus & frequentia etiamnum colatur, ut ad ſex millia vel cœnobiticam vel eremiticam ibi vitum agere noſcantur.* Sane in eam rem longe plura ſunt teſtimonia de occidentis monaſticis ſcholis; in quibus de antiquitate cum reliquis certare videtur *D. Martini* in Turonenſi diœceſi. De eo namque refert Sulpitius Severus, quod cum prius fuiſſet Hilarii Pictavienſis diſcipulus, jam Turonenſis epiſcopus conſtitutus, *ad evitandam frequentantium inquietudinem, duobus fere extra civitatem milliaribus, monaſterium ſibi ſtatuerit, in quo octoginta diſcipuli ad exemplum B. magiſtri fuerint inſtituti*: ex quibus poſtea *plures epiſcopos viderit. Quæ enim*, inquit, *eſſet civitas aut eccleſia, quæ non ſe de Martini monaſterio cuperet habere ſacerdotes?* Lerinenſem vero ſcholam, præter Eucherium in II. inſtructionum libro, laudant Auctor Sermonis de B. Suffredo Carpentoratenſe circa annum Domini 550. epiſcopo: ubi inter alia ejus encomia, idem hic *in juventute ſubditus* ibidem *pædagogo* dicitur, *ad plenum literas edocendus. In quo diſcendi ſtudio parvi temporis ſpatio emenſo, ita luculentiſſima viguerit in grammaticæ artis diſciplinis, rationabilibus, ac dialecticorum prædicamentorum argumentis exilibus, & Ariſtotelicis definitionibus, nec non rhetoricorum facundis protelationibus cognitione, ut conſiliorum polleret exemplis.* Scriptor item vitæ B. Agricolæ Avemenſis anno Chriſti 700. epiſcopi: *Florebat*, inquit, *ea tempeſtate celebre illud Lerinenſe cœnobium, S. Honorati nuncupatum, in inſula maris Gallici prope Antipolim, in quod adoleſcentes nobiles, tanquam ad celeberrimum quoddam literarum & virtutis emporium confugiebant, ut ætas puerilis ad virtutem honeſtatemque informata, brevi virtutibus digni eſſent adoleſcentes, qui honoris & dignitatis nomen poſſent ſuſtinere. Ibi Deo militaverunt Honoratus & Cæſarius Arelatenſes, Germanus Pariſienſis, Eucherius & Juſtus Lugdunenſes, & Siffredus Carpentoractenſes epiſcopi. Eo etiam ſe recepit B. adoleſcens &c.* Atque adhuc ſeculo poſt natum Chriſtum XII. is, qui vitam Lamberti Vencienſis epiſcopi literis conſignavit: *Beatus Lambertus*, ait, *Deo dicatus, in Lerinenſi monaſterio educandus, & tam literis quam monaſticis inſtitutis traditur imbuendus.* Ut de B. Auguſtini circa eam rem laudabili inſtituto nunc nihil dicam: qui *factus presbyter, monaſterium intra eccleſiam mox inſtituit, — ex quo increſcente de die in diem eccleſia catholica prædicationis veritate, ſanctorumque ſervorum Dei propoſito continentia & paupertate profunda magno deſiderio poſcere & accipere epiſcopos & clericos cœpere, qui ſimiliter Domini eccleſiis propagatis & monaſteria inſtituerunt, & ſtudio creſcente ædificationis verbi Dei, cæteris eccleſiis promotos fratres ad ſuſcipiendum ſacerdotium præſtiterunt.* Britannicas etiam ſcholas ſilentio involvam; cujuſmodi initio ſeculi VI. S. *Dubricium cognomento Grainium, ad Vagum fluvium aperuiſſe*, Balæus aliique produnt; *Congellum* etiam *in monaſterio Banchor inſtituiſſe* volunt, in quo, Beda teſte, *tantus fuiſſe fertur monachorum numerus, ut cum in ſeptem portiones eſſet, cum præpoſitis ſibi rectoribus, monaſterium diviſum, nulla harum portio minus quam trecentos homines haberet.* Licet hæ quam maxime mereantur prædicari, quod ex ipſis prodiere haud parvo numero, qui in Germania hac noſtra, Spiritus S. adjuvante gratia, majoribus noſtris viam conſequendæ immortalitatis oſtendere, ad cultum veræ majeſtatis ipſorum mentes inſtituendo. Et quidem in monaſticis ejuſmodi ſcholis, ſaltem inſignioribus, obſervo, non inferiores

tantum

tantum illas diſciplinas, grammaticam logicam & rhetoricam, quas *trivii* nomine appellavere veteres, ſed & reliquas quatuor *quadrivii* nomine illuſtres, fuiſſe traditas: Atque aliter inſtitutos, qui in *exterioribus* ſive *canonicis*, aliter qui in *clauſtralibus* erudirentur ſcholis. Hanc namque in iſtis ſcholis obtinuiſſe diſtinctionem, indicat liber Eckehardi Junioris de caſibus S. Galli, cap. 2. & alius Eckehardus de vita Notkeri cap. 7. Imo in hoc ipſo S. Galli monaſterio *ſic ſpiritualem efflorwiſſe diſciplinam*, ſcribit Conradus de Fabaria, *ut non ſolum Benedicti regulam, verum etiam philoſophiam totam ad unguem uſque inveſtigarint, theoricam Platonis, Socratis, Ariſtotelis, Hippocratis, Boethii, omnesque inveſtigaverint rivulos, ut in ſuis metris non philoſophi ſolum ſed etiam poetridæ fuerint.* Id quod & de *Fuldenſi* cœnobio, Chriſtophorus Brovverus antiqq. Fuldenſium lib. I. cap. 9. 10. & 11. de *Anglicanis* vero, ſub venerabili Beda, Johannes Pitſeus teſtatur: *non mirandum* cenſens, *quod ad tantam doctrinam in ſuo monaſterio pervenerit; quandoquidem antiquitus in Anglia in inſignioribus quibusque cœnobiis, ad inſtar academiarum, docerentur & diſcerentur, non ſolum humaniores literæ, verum etiam omnes liberales artes, omnis philoſophia, atque etiam theologia.* Habuerat Beda in adoleſcentia præceptorem *Benedictum Biſcopium*, monaſteriorum *Giruicenſis & Wirmotenſis* fundatorem; *ſplendidis natalibus ortum; virum literatum, & bonarum literarum fautorem maximum;* qui *quinquies Romam proficiſcens, & nunquam vacuus rediens ingentem optimorum librorum copiam in unam bibliothecam ad communem monachorum uſum coacervavat, nec ſumtibus, nec labori, nec induſtriæ parcens, ut partim ex Gallia, partim ex Italia, ſelectiſſimos quosque auctores, tum græcos tum latinos, coemeret, atque in Angliam aſportatos ſuæ bibliothecæ inferret.* Erant inſuper iſta in regione ea tempora, *quæ nunquam prorſus*, vel ipſius Bedæ confeſſione, *ex quo Britanniam petierant, Angli, habuere feliciora:* dum *Theodorus* Cantuarienſis epiſcopus, *ex Tharſo Ciliciæ natus, vir & ſeculari & divina literatura, & græce inſtructus & latine: & Adrianus natione Afer, ſacris diligenter imbutus monaſterialibus, ſimul & eccleſiaſticis diſciplinis inſtitutus, græca pariter & latina linguæ peritiſſimus*, ambo a Vitaliano Papa, rogatu Egbrechti regis, eo miſſi, *congregata diſcipulorum caterva, ſcientiæ ſalutaris quotidie flumina, irrigandis eorum cordibus emanabant, ita ut etiam metricæ artis, arithmeticæ, eccleſiaſticæ, & aſtronomiæ diſciplinam, inter ſacrorum apicum volumina ſuis auditoribus traderent, & de eorum diſcipulis eſſent, qui latinam græcamque linguam, æque ut propriam, in qua nati erant, noſſent.* Quæ eum in finem affero, ut de illorum eruditione conſtare tanto rectius poſſit: quibus Karolus deinceps, ille vere Magnus, in religionis & literarum negotio promovendo uſus eſt. Siquidem is *liberalia literarum ſtudia, pene jam, ut ipſe ait, incuria majorum oblitterata, inſtaurare ſummopere niſus* (verba ſunt ea de re Aventini) *ut ſuo exemplo ad ea amplectenda alios invitaret, ex Hibernia duos Scotos Clementem & Albinum evocavit. Albinum Scotum Ticinum miſit, ibique ludum literarium aperire juſſit. Commilito hujus Clemens mandato Karoli in Lutetiam Pariſiorum conceſſit: eique Magnus annonam & ſtipendia e fiſco tradidit: procerum pauperumque pueros, ingenuos modo, commiſit. Albinum Anglum ſecum detinuit: inde D. Martini cœnobio in agro Turonum ſito, ubi doceret cum in aula non eſſet, condonavit: Waldonemque Augiæ majoris magiſtrum, ad D. Dionyſii templum, ex Suevia docendi gratia eo tranſtulit.* Cumque videret tam feliciter ceſſiſſe, quicquid laboris ea in parte a monachis eſſet impenſum, jam & cathedralibus, quas fundabat, eccleſiis, conſimiles ſcholas voluit annexas, ut & illæ, ad exemplum ſcholarum DD. Martini vel Auguſtini ſubminiſtrarent, qui eccleſiæ & reipubl. prodeſſe poſſent. De quo præclare ſcripſiſſe video CLL. Viros *Joachimum Vadianum* lib. 1. de collegiis monaſteriisque Germanorum, & *Davidem Chytræum* procemio in metropolis ſuæ librum trigeſimum; extatque tomo I. ſpicilegii Dacheriani *Crodogangi* Metenſis epiſcopi *regula canonicorum*, temporibus Pipini, patris Caroli M. ſcripta, in qua cap. XLVIII. *de pueris & adoleſcentibus, qui in congregatione ſibi commiſſa nutriuntur vel erudiuntur*, pluribus agit. Quamvis mox in ipſa, quod ajunt, herba extinctus videatur quampluribus locis ille erga ſcholas ardor; in concilio Pariſienſi ſub Ludovico & Lothario, anno 829. propterea ſuppliciter & obnixe ſuggerentibus epiſcopis, *ut morem paternum ſequentes, ſaltem in tribus congruentiſſimis imperii ſui locis, ſcholæ publicæ ex ipſorum autoritate fiant, ut labor patris* (Karoli) *& ipſorum, per injuriam non depereat: quod ex hoc facto & magna utilitas, & honor S. Dei eccleſiæ, & ipſis magnum mercedis emolumentum, & memoria ſempiterna poſſit accreſcere.* Et lib. II. ejusdem ſynodi cap. 30. ipſis fatentibus epiſcopis: *Super pii & orthodoxi Principis Ludovici, Deo amabilis Imperatoris, ut rectores eccleſiarum in eccleſiis ſibi commiſſis ſtrenuos milites Chriſti, quibus Deus placari poſſit, præpararent & educarent, admonitione, imo juſſione, a nonnullis rectoribus tepide ac deſidioſe actum eſſe: atque inde omnibus viſum, ut dein poſtpoſita totius torporis negligentia, ab omnibus diligentior in educandis & erudiendis militibus Chriſti vigilantior adhibeatur diligentia: & quando ad provinciale epiſcoporum concilium ventum fuerit, unusquisque rectorum ſcholaſticos ſuos adeſſe faciat, ut ſuum ſolers ſtudium circa divinum cultum omnibus manifeſtum fiat.* Licet ne ſic quidem emendatum quidpiam ſit deprehendere, ut concilii Valentini, anno 855. tempore Lotharii Imp. habiti, cap. XIIX. oſtendunt verba: *Ut de ſcholis tam divinæ quam humanæ literaturæ juxta exemplum prædeceſſorum aliquid tractetur, &, ſi poteſt fieri, ſtatuatur atque ordinetur. Quia ex hujusmodi ſtudii longa intermiſſione pleraque eccleſiarum Dei loca, & ignorantia fidei, & totius ſcientiæ inopia invaſit.* Sed tunc ita forte in Galliis ſe res habuit, occaſione bellorum civilium, modo inter patrem & filios, modo inter ipſos fratres; nam Germaniæ epiſcopatuum & monaſteriorum longe alia tunc ratio fuit. De Fuldenſi ſiquidem cœnobio diſerte Tritheimius ad annum ſalutis 838. *Viguit eo tempore in monaſterio Fuldenſi maxima religio monachorum, ſub regimine Rabani Mauri abbatis, quæ ſe per totam Europam fama prævolante diffuderat in ora omnium, eratque laus & memoria Fuldenſium monachorum apud Imperatores Reges & Principes in magno pretio, non ſolum propter ſanctitatem vitæ, ſed etiam propter incomparabilem ſcientiam ſcripturarum, qua Fuldenſes monachi eo tempore præ cæteris multis dicebantur eruditi. Unde multi ex eis in diverſis eccleſiis ad apicem Pontificatus fuerunt aſſumti.* Quo & pertinet donationis charta, qua

Ludovicus Pii F. Germaniæ & orientalium Francorum Rex, *Rudolpho monacho & confeſſori ſuo*, moderatori Fuldenſis ſcholæ (quem ut *totius pene Germaniæ doctorem egregium, & inſignem hiſtoriographum & poëtam, atque omnium artium nobiliſſimum auctorem*, celebrant annales Francorum Pithœi) *conceſſit cenſum & regios colonos, & eorum omnium utilitatem: cupitque fructum ad cæteros item tranſire ſcholaſticos.* Quodque D. Anſcharius, primus Hamburgenſis epiſcopus, in eo loco ſcholam inſtituit, quibus aliquot veteris Corbejæ monachos, ex Gallia eo fine in Germaniam accitos, præfecit;

Hamburgenſis ſchola queis edocta magiſtris
Crevit, & ad florem perducta refudit odorem:

ex gente Danorum & Slavorum, ne diſcipuli deeſſent, *coëmendo pueros, aliquos etiam ex captivitate redimendo, quos ad ſervitium Dei educaret.* Quod nec in aliis intermiſſum, tam a Carolo M. & Ludovico, quam deinceps fundatis eccleſiis & monaſteriis, ceu de *Hildesheimenſi ſchola* teſtantur chronica MSta, de *Magdeburgenſi* ſub Ottone Magno, Ditmarus lib. III. de *Bremenſi* eodem illo tempore, Adamus lib. 2. cap. 5. de *Hamelenſi & Paderbornenſi* circa annum Chriſti 1100. Helmoldus chron. Slavorum lib. 1. cap. 62. & Cranzius lib. V. Saxoniæ ſuæ cap. 18. de *Brunſvicenſi* in monaſterio S. Ægidii, ſub Henrico Leone, continuatio chron. Slavorum apud Lindenbrogium (quo fere tempore vel paulo ante etiam *Johannis Comneni uxor Irene, caſtiſſima, ſi qua alia, & virtutis ſtudioſiſſima mulier, Φροντιστήριον ἐπ' ὀνόματι τοῦ παντοκράτορος ἐν Βυζαντίῳ συνεστήσατο, ἐς κάλλος καὶ μέγεθος ἐν τοῖς μάλιστα τῶν ἐπισημοτάτων ὄν, in nomine omnipotentis Byzantii ſcholam erexit, elegantia & mole nulli vel celeberrimarum ſecundam*) de *Benedictinorum* ſcholis in univerſum Paulus Langius chronici Citicenſis p. 760. & ſeqq. atque Henricus Petrejus tractatu de monaſteriis. *Bononienſe* ſtudium, (uti tum vocabant) quo tempore cœperit, haud equidem invenio. Friderici vero Barbaroſſæ ævo viguiſſe juris ſtudium, vel inde colligere datur, quod ille Imp. *ad campeſtria Roncaliæ placitum habens, & plena ac ſolemni curia, judicio ac juſtitia a mane usque ad veſperum intentus, querimonias & proclamationes tam divitum quam pauperum diligenter audiens, habebat quatuor judices, Bulgarum, Martinum, Jacobum, Hugonem, viros diſertos, religioſos, & in lege doctiſſimos, legumque in civitate Bononienſi doctores, & multorum auditorum præceptores, cum quibus, aliisque juris peritis, qui diverſi e diverſis civitatibus aderant, diſcutiebat & terminabat negotia.* Etiam ex ipſis monaſteriis eo profectos, qui juris utriusque cognitione imbui deſiderarent, indicant, quæ de *Udalrico* abbate monaſterii S. Galli, ſub *Philippo* Friderici hujus filio, ſcribit jam ante laudatus Conradus de Fabaria, quod *dulciloquis grammatica & dialectica floribus informatus Pariſios & Bononiam fit tranſmiſſus, unde repatrians*, atque ad ſumma evectus *in jure forenſi & eccleſiaſtico, quicquid excogitari poterit, faceto Minervæ poculo cunctis audientibus propinaverit.* De Pariſienſis academiæ florentiſſimo ſtatu circa Philippi regis tempora atque annum 1210. inſignis apud Rigordum locus eſt in ipſius regis geſtis; quando ſic in diebus illis ſtudium literarum ibidem floruiſſe tradit, *ut nec tanta aliquando fuerit ſcholarium frequentia Athenis vel Ægypti, vel in qualibet parte mundi, quanta locum iſtum ſtudendi gratia incolebat. Quod non ſolum,* inquit, *fiebat, propter loci illius admirabilem amœnitatem, & bonorum omnium ſuperabundantem affluentiam; ſed etiam propter libertatem & ſpecialem prærogativam defenſionis, quam Philippus rex, & pater ejus* (Ludovicus) *ante ipſum, ipſis ſcholaribus impendebat.* Ac de ſtudiis tandem addit: *Cum itaque in eadem nobiliſſima civitate non modo de trivio & quadrivio, verum & de quæſtionibus juris canonici & civilis, & de facultate, quæ de ſanandis corporibus, & ſanitatibus conſervandis ſcripta eſt, plena & perfecta inveniretur doctrina; ferventiori tamen deſiderio ſacram paginam & quæſtiones philoſophicas docebantur.* Et de *varia* quidem *Ariſtotelis fortuna in academia Pariſienſi* extat doctiſſimi Launoy ſingularis liber, *Oxonienſis* vero academiæ *antiquitatem, dignitatem, privilegia, magnificentiam collegiorum, diſciplinam, & ſtudiorum rationem, cum magiſtratum & curias academicas*, aliquot capitibus ob oculos ponit tomo 1. relationum de rebus Anglicis, is quem ante citavimus Johannes Pitſeus, quibus & de *Cantabrigienſis* academiæ collegiis & ſcholis quædam ſubnectit. In quibus nunc finio, poſteaquam ſic ſatis γλαῦκ' ἐς Ἀθήνας: potius quemadmodum, initio dixi, ut voluntati tuæ morem geram, quam quod accuratiſſimam in omni antiquitate notitiam tuam quidquam horum fugere poſſe putem. Deum vero precor, ut te Vir Magnifice, bono publico quam diutiſſime ſalvum atque incolumem præſtet. Dabam Scheningæ XIV. Februarii, CIƆ IƆ CLXXIII.

P. S. Diſtuli hæc ad te mittere, Vir nobiliſſime, quod eorum plurima deinceps, jam in diſſertationibus tuis ac ſupplemento notata eſſe, deprehendi. Spero tamen te pro tua in me benevolentia benigne omnia interpretaturum. Etiam atque etiam vale. Deus te longum ſervet!

HERMAN.

HERMANNI CONRINGII

De

Bibliotheca Auguſta quæ eſt in arce Wolfenbuttelenſi

AD ILLVSTREM ET GENEROSVM

JOANNEM CHRISTIANVM L. BAR. A BOINEBVRG

EPISTOLA

Qua ſimul de omni re bibliothecaria diſſeritur.

ILLVSTRI ET GENEROSO DOMINO

JOANNI CHRISTIANO L. BAR. A BOINEBURG (a)

EQVITI AVRATO

Eminentiſſimi Princip. Electoris Moguntini Conſiliario ſecretiori & ſummo Aulæ Mareſchallo &c.

S. P. D.

HERMANNVS CONRINGIVS.

ILLVSTRIS ET GENEROSE BOINÈBVRGI.

Laudo equidem ſtudium tuum, quod hactenus ſtrenue profecto impendiſti in id, ut a Sereniſſimo Principe ac Domino D. AVGVSTO Duce Brunſuicenſium & Lyneburgenſium, Domino meo clementiſſimo, editionem impetrares catalogi librorum, quos bibliotheca AVGVSTA comprehendit. Enimvero hac etiam in re oſtendiſti, quo amore cultuque bonam doctrinam omnem (quamvis tutemet ejus jam ſatur videri poſſis, animo dudum per univerſum illius ambitum diffuſo, & curæ civiles perpetuæ hanc ſollicitudinem ægre patiantur) non in tuum duntaxat privatum, ſed reipublicæ literariæ uſum, proſequaris. Quam eximiam & plane inuſitatam, in tui utique ordinis hominibus, virtutem, præſertim cum illa & alias abunde mihi ſit nota plurimis experimentis, & a quam multis per Germaniam, Galliam & Italiam doctiſſimis viris mirifice prædicetur, impius equidem ſim vel imprudens, ſi non hoc etiam in negotio agnoſcam ego & commendem.

1. Nec vero non & per quam ſalutare eſt conſilium illud, quod de edendo iſto catalogo ſuggeſſiſti. Primo enim faciunt indices id genus, vel ſola titulorum recenſione, haud leviter *ad comparandam librorum notitiam*, (b) ſive πρὸς τὴν ἐμπειρίαν βιβλιακήν, quo titulo ſingulare olim opus, Suida teſte, ſcripſerat Telephus grammaticus Pergamenus: hæc autem non infimus ad eruditionem gradus eſt. Utque non ita juverint catalogi, (fateor enim ad plenam librorum experientiam non ſufficere, librorum titulos noviſſe) neſcio tamen qua arcana voluptate vel ſoli tituli librorum mulceant ingenuos quosque φιλομαθεῖς animos. Quod percipere eſt ſaltim ex lectione indicum (ut recentiores noſtros complures taceam) quos Diogenes Laërtius de philoſophicis, & poſt Euſebium S. Hieronymus de eccleſiaſticis quammultos, quemque item ſingularem de ſcriptis unius Auguſtini *Poſidius*, (c) de Plutarchi Lamprias, de propriis Galenus, ad poſteritatem transmiſerunt; cum tamen pleraque in iis commemorata dudum perierint. Quanto magis autem licuerit, & fructum iſtum, & voluptatem illam ex AVGVSTÆ bibliothecæ indice accipere? cum utique poſſit is exhibere (quantum memini) quinquagies ſepties mille circiter varios auctores, librorum vero quaſi centum & ſedecim millia, eosque in omni omnino doctrinæ genere: & quorum nihil hactenus periit, qualia veteres iſti indices memorant; ſed omne ſupereſt ad uſum, eumque promptum.

2. Et vero hoc etiam nomine profuerit utique indicis editio, quod ita compluribus, imo reipublicæ omni literariæ poſſit demum innoteſcere, quos libros liceat ex theſauro illo exſpectare, & promere in commodum eruditionis. Qui literariæ rei uſus eſt reapſe unicus, ſaltim potiſſimus inter prudentes tantæ librorum collectionis ſcopus atque finis. Nec vero fas fuerit cogere immanem

(a) *Johanni Chriſtiano a Boineburg*) Viri hujus quondam illuſtriſſimi bibliothecam magno ſelectu conquiſitam, quæ tot codices manu propria eruditiſſime notatos, judiciisque ornatos ſervat, legavit academiæ Hieranæ apud Erfurtenſes illuſtriſſimus filius PHILIPPVS WILHELMVS *S. R. I. Comes de Boineburg, civitatis & territorii Erfurtenſis Proprinceps*, adjectis 10000. nummis uncialibus, unde ſtipendium acciperet jurisprudentiæ publicæ doctor, quam ſpartam jam ornat Bellmontius bibliothecæ director eruditiſſimus, refer. CHRISTIANO GOTTLIEB BVDERO *diſſ. de bibliothecis publicum ad uſum legatis p. 9.*

(b) *ad comparandam librorum notitiam*) Confer. quæ de catalogorum utilitate & jucunditate etiam præter Conringium diſſerit SPIZELIVS *diſſert. præliminari*, quam *ſacris bibliothecarum illuſtrium arcanis detectis, editisque Auguſtæ Vindelic. 1668. in 8* præmiſit. §. 11. 12. 13. Notum alias eſt, quod communi eruditorum ſermone jam dudum tritum fuit: *Noſſe bonos libros, maxima pars eruditionis & literatæ prudentiæ eſt*; quod tamen ne in ſuperficiariam bibliopolæ cognitionem degeneret, cautione ſua indiget.

(c) *Poſſidius*) POSSIDIVS conſcripſit indiculum in S. Auguſtini opera, ad quem fere recurri ſolet, ſi ſcire velimus, quodnam ſcriptum Auguſtini foetus genuinum ſit nec ne. Vide RIVETI *criticum ſacrum*.

Digitized by Google

nem librorum vim, ut ſit inſtar theſauri inutilis. Quemadmodum ſcilicet in Jugurtha refert Salluſtius, Bocchum Numidiæ Regem opes ingentes in monte ſaxeo remoto, & Dio in Trajani hiſtoria narrat, Decebolum Dacorum Regem divitias ſuas ſub Sargetia flumine recondidiſſe. Recte ſapiens Hebræus in eccleſ. 20. v. 32. *Sapientia abſconſa & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utrisque?* Ne ferendum quidem, condi bibliothecas tantum in oſtentationem. Perſtrinxit eleganter jam olim ſui ævi in hoc luxuriem *Seneca l. de tranquillit. animi cap. 9.* (a) *Quadringenta*, inquit, *millia librorum Alexandriæ arſerunt, pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum. Alius laudaverit: ſicut Livius, qui elegantiæ regum curaque egregium id opus ait fuiſſe. Non fuit elegantia illud aut cura, ſed ſtudioſa luxuria. Imo ne ſtudioſa quidem: quoniam non in ſtudium ſed in ſpectaculum comparaverunt: ſicut plerisque, ignaris etiam ſervilium literarum, libri non ſtudiorum inſtrumenta ſed cœnationum ornamenta ſunt.* Et paulo poſt: *Apud deſidioſiſſimos ergo videbis quicquid orationum hiſtoriarumque eſt, & tecto tenus exſtructa loculamenta. Jam enim inter balnearia & thermas bibliotheca quoque, ut neceſſarium domus ornamentum, expolitur. Ignoſcerem plane, ſi e ſtudiorum nimia cupidine oriretur; nunc iſta exquiſita, & cum imaginibus ſuis deſcripta ſacrorum opera ingeniorum, in ſpeciem & cultum parietum comparantur.* Hæc Seneca. Jam vero in ſtudiorum uſum bibliotheca tranſire non poteſt ſine indice. Tum demum autem etiam index prodeſt maxime, ſi publicatus fuerit. Privatim detentus ſolos, qui propius acceſſerunt, adjuvat & inſtruit.

Ad utrumque hunc uſum itaque cum reſpicerent nonnulli noſtræ ætatis, indices locupletium ſuarum bibliothecarum in publicum ediderunt. Quos inter, niſi fallor, agmen duxere primi *Batavi:* (b) non fraudandi proinde hac gloria. Niſi malis Bajoariis laudem hanc tribuere: apud quos præcedentis ſeculi Chriſtiani anno nonageſimo nono Chriſt. Ferg. *Ingolſtadii* (c) publicavit catalogum perpetuum, ut appellat, & alphabeticum omnium librorum bibliothecæ Ingolſtadienſis, ſecundum quatuor facultates in viginti quinque claſſes tributum. Idem voluerunt alii editis indicibus, non omnium vero ſed ſolorum operum manuſcriptorum, quibus abundabant. Cujus inſtituti initium forte Auguſtæ Vindelicorum urbi debetur: quæ *Græcorum codicum manuſcriptorum* (d) catalogum publicavit jam ſuperiore ſeculo, primum anno ſeptuageſimo quinto, iterum ſed quadruplo auctiorem anno quinto poſt nonageſimum, tertia vice hujus ſeculi anno quinto, ſi non ſæpius: *idque hac liberaliſſima præmiſſa quaſi invitatione:* (e) *Quisquis reipublicæ literariæ faves, ſive lector ſive typographe, horum omnium codicum, ſive interpretandi, ſive conferendi, ſive edendi, ita tibi futura copia eſt, ſi de iis incolumibus reſtituendis caveris. Ad hujus exemplum* (f) anno fluentis ſeculi ſecundo Ingolſtadii vulgatus eſt catalogus Græcorum manuſcriptorum codicum, qui aſſervantur in inclyta Sereniſſimi utriusque Bavariæ Ducis bibliotheca: minus liberali tamen facta utendi hac copia: *Quisquis catholica fide præditus prodeſſe voles reipublicæ literariæ, hos mſ. codices conferendi, interpretandi, edendi copia tibi eſto, ſi de iis ſine noxa reſtituendis, caveris.* Biennio ante Londini in Anglia, eodem indubie fini, jam ediderat *Thomas Jameſius* (g) eclogam quam appellavit Oxonio Cantabrigienſem, continentem manuſcriptorum codicum florentiſſimarum Angliæ bibliothecarum Oxonienſis & Cantabrigienſis accuratos indices; quales quidem tum fuerunt, poſt enim largis acceſſionibus, cumprimis illa Græcorum codicum a Franciſci Barocii Veneti hæredibus per Arundellium Pembrochiæ comitem redemtorum, & altera mille trecentorum ex omni oriente conquiſitorum liberalitate *Guilielmi Laude* (h) infelicis illius Cantuarienſis archiepiſcopi, plurimum locupletatæ ſunt. Cui libro hæc verba inſcripſit aliquando librariæ rei peritiſſimus Caſpar Barthius: *In hac collectione nominantur duo mille & octingenti omnis ævi ſcripto-*

(a) *Seneca lib. de tranquillitate animi*) Cæterum SENECA *l. c.* non modo bibliothecas numeroſiſſimas in oſtentationem comparatas perſtringit, ſed & ſuadet, ut librorum numerus ad pauciores redigatur, cum ait: *quo mihi innumerabiles libros & bibliothecas, quarum Dominus vix tota ſua vita indices perlegit, onerat diſcentem turba, non inſtruit, multoque ſatius eſt, paucis te autoribus tradere, quam errare per multos.* Conf. *eundem ep. 2. & 45.* THOMAM BROWNIVM *de relig. medici part. 1. ſect. 23.* Abſolvit tamen Senecam ab iniqua in bibliothecas ſententia MORHOFIVS *in polyhiſt. lib. 1. cap. 1.* ejusque potius reum agit CLAVD. VERDIERIVM *in cenſ. autorum pag. 168.*

(b) *Batavi*) Editis catalogis bibliothecæ Ultrajectinæ & Lugdunenſis.

(c) *Ingolſtadii*) De Bavaricis Monachii & Ingolſtadii bibliothecis vid. ADRIANVS BVILLETVS in opere, quod complectitur *jugemens des ſcavans ſur les principaux ouvrages des auteurs tom. 2. pag. 243. 244. ſeqq.* Catalogi vero illarum & Auguſtanæ bibliothecæ ſunt rariores, monente MORHOFIO *tom. 1. lib. 1. cap. 17. n. 67.* addita quoque ratione, quod poſterioris bibliothecæ catalogi non niſi centum exemplaria impreſſa ſint.

(d) *Græcorum codicum manuſcriptorum*) Ex MSis codicibus hujus bibliothecæ non pauci prodierunt curante MARCO VELSERO reip. Auguſtanæ quondam duumviro. Cæterum catalogum hunc poſtea auctiorem ediderunt DAVID HOESCHELIVS & ANTONIVS REISERVS.

(e) *idque hac liberaliſſima præmiſſa quaſi invitatione*) Conf. etiam SPIZELII *diſſert. de bibliothecis in acceſſione ad Meletema pag. 150.* ubi addit: alibi quoque bibliotheca noſtra hoſpites ſuos ore & calamo HIERON. WOLFFII ita alloquitur:

Hoſpes inhumanum rapiendi projice morem,
Quod Tibi non fieri vis, prior ipſe cave.
Omnibus aſpectus datur, at malefida rapina
Res eſt hoſtilis plena latrocinii.

(f) *Ad hujus exemplum*) Bibliothecæ Monachienſis MSorum catalogus prodiit cura JOH. GEORGII HERWARTI ab HOHENBVRG *Bavar. cancellarii.*

(g) *Thomas Jameſius*) Edidit ille etiam catalogum bibliothecæ Oxonienſis geminum, alterum ſecundum ſeriem librorum, alterum ſecundum ſeriem rerum. Poſtea THOMAS HYDIVS *a. 1674.* novum catalogum in folio edidit, quo tamen nulli habentur MSi codices. Tandem vero EDV. BERNHARDI *catalogum MSorum academiæ Oxon. & Cantabrig. & celebrium per Angliam Hiberniamque bibliothecarum tomis II. in folio*, edendum curavit, cui operi præmiſſa eſt *vita* THOMÆ BODLEJI.

(h) *Guilielmi Laude*) Qui codices MSos plus quam 3300. bibliothecæ Oxonienſi donavit. Præter eos vero etiam JOH. SELDENI Muſeum 8000. voluminum an. 1659. & ex donatione FRANCISCI JVNII an. 1677. codices centum MSi, atque an. 1693. orientales codices, quos EDVARDVS POCOCKIVS & ROB. HVNTINGTON magna induſtria conquiſiverunt, 1300. libris comparati, uno & *Muſeum Aſhmoleanum* an. 1679. huic bibliothecæ acceſſerunt.

ſcriptores, parte maxima nondum editi, nec alibi quam in Anglia exſtantes. Tranſiit eadem cura & in Italiam, ſed occupantibus illud ſtudium non ipſis bibliothecarum poſſeſſoribus. Quomodo *bibliothecarum Patavinarum* (a) publicarum privatarumque mss. codices indicavit erudito orbi Jacobus Philippus Tomaſinus anno ſeculi hujus triceſimo nono: & ipſiusmet Mediceæ bibliothecæ, quæ Florentiæ aſſervatur in cœnobio S. Laurentii, manuſcriptorum codicum catalogum luci dedit biennio poſt *Henricus Ernſtius* (b) V. Cl. & non Daniæ tantum in quam conceſſit, ſed oppidi hujus, cui debet natales, eximium decus: ut taceam alios. Aggreſſus eſt eandem operam, ſed circa Græcos potiſſimum msstos, in Gallia *Philippus Labbe* (c) Bituricenſis Jeſuitici ſodalitii vir diligentiſſimus, Pariſiis ante hos annos octo edito libro cui titulum indidit: *Nova bibliotheca mss. librorum, ſive ſpecimen antiquarum lectionum, in quatuor partes tributarum, cum coronide poëtica & decem ſupplementis.* Cui addita *coronis libraria h. e. bibliotheca bibliothecarum aut catalogus catalogorum*, longe meliora, pleniora & perfectiora ejus generis, facit nos merito exſpectare. Jamdudum ante ipſum ejusdem ſodalitii clariſſimus *Antonius Poſſevinus*, (d) theologici generis manuſcriptorum Græcorum indices varios, Italicos, Gallicos, Hiſpanicos & Germanicos, ſuo apparatui ſacro ſubjunxerat. Spectavit indubie idem Petrus Gaſſendus cum ederet Pariſiis ante hos triginta annos catalogum rariorum librorum, quos ex oriente advexit & in publica bibliotheca inclytæ Leidenſis academiæ depoſuit clarisſimus & de bonis artibus meritisſimus *Jacobus Golius.* (e) Hi inquam & alii catalogis editis ſtudiorum uſum multum ſane adjuverunt: eoque operam præſtiterunt utique laude dignam maxima.

Nec tamen illi manuſcriptorum indices plenum bibliothecarum fructum decerpere faciunt: utpote cum hodie potisſima librorum vis in arte typographica excuſis collocata ſit, & manuſcripti qui ſuperant fere ſola vetera nobis exhibeant, quæ & ipſa jam tum magnam partem excuſa ſunt, & e manuſcriptis nihil præter emendationem aliquam poſſunt accipere. Majoris certe, ad ſtudia quidem promovenda, utilitatis ſunt indices bibliothecarum integri. Cujusmodi in Batavis præcipue eſt Leidenſis & Ultrajectinus, in Anglia ille bibliothecæ Oxonienſis Bodlejanæ a Jameſio publicatus: qualescunque Gallicos complures promiſit *Ludovicus Jacob* (f) Cabilonenſis Carmelita, hactenus tamen in lucem non protulit: quantum equidem novi. Neſcio annon talis etiam fuerit bibliothecæ regiæ Pariſienſis index ille, cujus mentionem facit in ſuo ad Philippum Regem de recte inſtituenda Scoriacenſi bibliotheca conſilio *Johannes Baptiſta Cardona* (g) epiſcopus Dertuſanus, atque ad cujus exemplar confecta jam bibliotheca illa Laurentiana, indicem imprimendum divulgandumque ſuadet: nec vero ille mihi hactenus eſt viſus. In hos uſus vero omnino videtur publicatus *index bibliothecæ ampliſſimæ Cordeſianæ*, (h) cura incomparabilis illius condendarum bibliothecarum artificis, & deſiderandæ mihi ſemper memoriæ amici Gabrielis Naudæi: niſi malis editum magis in id, quo inveniret emptorem, cum ab obitu demum Cordeſii ſit excuſus; quemadmodum & non multo poſt inſigne quaſi fundamentum jecit Mazarinianæ bibliothecæ longe omnium in Galliis inſtructisſimæ abſolutisſimæque.

Et vero editi quidem etiam ſunt hactenus, & indies eduntur *catalogi complurium illuſtrium bibliothecarum*, (i) a ſummis viris magno ſtudio collectarum, qui tamen illum uſum, quem ſecundo

nos

(a) *bibliothecarum Patavinarum*) Ad hiſtoriam bibliothecæ Patavinæ quæ ſpectant, legantur in THOMASINI *epiſcopi Stremonienſis comm. de gymn. Pat. lib. 1. c. 73. p. 221.* & in FABRICII *diſſ. de biblioth. translatione p. 30. ſeqq.*

(b) *Henricus Ernſtius*) *Catalogus bibliothecæ Mediceæ* ab eo publicatus prodiit *Amſtelod. 1641. 4.* Manuſcripta vero bibliothecæ Florentinæ accuratius deinde WILHELMVS LANGIVS recenſuit.

(c) *Philippus Labbe*) Hujus liber olim rarus Pariſiis 1664. editus, deinde auctior Rhotomagi & anno 1682. Lipſiæ in 12. recuſus prodiit.

(d) *Antonius Poſſevinus*) De cujus bibliotheca ſelecta & apparatu ſacro vide judicium MORHOFII *polyh. tom. 1. lib. 1. c. 16. n. 21. 22.*

(e) *Jacobus Golius*) GOLIVS ſcilicet nomine impenſisque Ordinum Belgii bis in orientem profectus tantum corrogaverat & in academia Leidenſi depoſuerat theſaurum, ut viſo eorum indice Peireskius (cujus vitam deſcripſit Gaſſendus) pari ſtudio inarſerit mittendi in orientem, qui in id incumberet, ut quantum liceret per privatos ſumtus, ſimiles libros Gallia haberet. Conf. LOMEIERVM *de biblioth. cap. 9.*

(f) *Ludovicus Jacob*) Primus iſte omnium, uti cenſet MORHOFIVS *polyh. tom. 1. lib. 1. cap. 17. num. 10. ſeqq.* extitit, qui aliquid de bibliothecis antiqui novique temporis ſcripſit. Gallica enim lingua an. 1644. Pariſiis edidit *traite des plus belles bibliotheques publiques & particulieres, qui ont ete & qui ſont a preſent dans le monde.* Recenſuit pariter libros Pariſiis editos ſub titulo *bibliographia Pariſina* ab a. 1643. ad an. 1653. imo & de omnibus libris per univerſum Galliæ regnum ab anno 1650. excuſis egit in *bibliotheca Gallica univerſali.* Promiſit quoque præter bibliothecam Cardinalitiam & Carmelitiam vaſtum opus quatuor in folio voluminum ſub titulo: *la bibliotheque univerſelle de tous les autheurs de France, qui ont ecrits en quelque ſorte de ſciences & de langues.* Verum hoc opus anno quidem 1638. inchoatum, morte ejus poſtea interruptum fuit, referente MORHOFIO *l. c. cap. 18. num. 26.* qui de cætero alibi non immerito viri hujus gloriationem caſtigavit, qua pronunciare nequaquam veritus fuit, in ſola Gallia imo in Pariſina urbe ſola plus bibliothecarum privatarum eſſe, quam in Germania aliisque regnis.

(g) *Johannes Baptiſta Cardona*) Vide de eo NICOLAI ANTONII *bibliothecam Hiſpanicam.* Scripſit libellum *de regia S. Laurentii bibliotheca*, ubi conſilium cogendi omnes generis libros utiles & fructuoſe cuſtodiendi propoſuit, cui annexa quadam ſunt de bibliothecis ex FVLVIO VRSINO & de Vaticana ex ONVPHRII ſchedis. Additus autem eſt libellus iſte ejus *de expurgandis hæreticorum propriis nominibus & de diptychis commentariolis*, qui omnes an. 1587. *Tarracone prodierunt.*

(h) *index bibliothecæ Cordeſianæ*) Catalogus hic editus eſt Pariſiis an. 1643. Judice MORHOFIO *l. c. cap. 18. num. 69.* præcipue commendari debet ob inſignem hiſtoricorum, præſertim exoticorum copiam, quorum rarior eſt apud nos notitia. Fuit autem JOHANNES CORDESIVS canonicus eccleſiæ Lemovicenſis, qui omnes ſuas opes & quicquid corradere potuit, in bibliothecam impendit, genium quoque ſuum ſæpe defraudando, ne hac voluptate excideret, cujus plenius elogium deſcripſit GABRIEL NAVDÆVS.

(i) *catalogi complurium illuſtrium bibliothecarum*) E. g. SCRIVERIANÆ, SCAVENIANÆ, MVLENIANÆ, NICOLAI HEINSII, GOESIANÆ, REINECCII, GOTOFREDI, ADRIANI PAWENII, MARQVARDI GADII aliorumque.

nos loco laudavimus, minime præſtare idonei ſunt: propterea quod edi ſoleant non niſi cum jam diſtrahendi vendendique ſunt libri ipſi, atque adeo cum bibliothecæ iſtæ in ſtudiorum uſum non amplius patent, nec debent patere. Quin tamen uſum illum, quem primo loco indicavimus præbere poſſint: hoc eſt, quin poſſint facere ad *ἐμπειρίαν βιβλιακὴν* parandam, neutiquam diffiteor: imo ad id utiliſſimos mihi etiam fuiſſe tales catalogos, ultro agnoſco, & in prima ſtatim adoleſcentia, in Batavis degens, nullo edoctus magiſtro, cum expertus ſum, tum aliis laudavi. Et ſane præſtare idem poſſunt & *catalogi officinarum librariarum:* (a) qui paſſim ſolent publicari, quamvis ſuum commercium librarium præcipue ſpectent editores. Referendus autem iſthuc videtur & ille libellus, qui Argentorati eſt editus anno 1578. titulo: *Bibliotheca urbis Conſtantinopolitana:* recenſet quippe manuſcripta varia, quæ tum Conſtantinopoli erant venalia. Ejusdem præterea uſus ſunt & illi, *quos typographi ipſi* (b) ſolent edere indices librorum ſua cura impreſſorum. Id quod recte jam olim obſervavit *Conradus Geſnerus.* (c) *τῆς ἐμπειρίας βιβλιακῆς* ſummus artifex & princeps magiſtrorum: ac proinde non dubitavit, cum ſingulos præclari operis pandectarum ſuarum libros celeberrimis ætatis ſuæ typographis conſecrare, tum ſimul edere nonnullorum typographicos ejusmodi indices, Chriſtophori ſcilicet Froſchoveri, Aldi Manutii, Sebaſtiani Gryphii, Chriſtiani Wecheli, Joannis Gymnici, Frelloniorum, & Frobenianorum: quamvis ipſi typographi nondum illos forte publicaſſent: recentiore enim hoc videtur inſtituto cœpiſſe. Quin imo & qui commercii librarii cauſa edi ſolent indices, quales ſunt jam centum amplius annis *Francofurtenſes* (d) noſtri nundinarii, & qui nuper demum in Batavis & Gallia cœpere, prodentes anni cujusque novum proventum, juvare itidem librorum peritiam perquam idonei ſunt.

Sed quo prolabor? Nec enim hujus operæ eſt, modum parandæ librorum peritiæ edocere, ſed fortasſis alias nos illa cura occupabit. Hoc unicum volebam, ILLVSTRIS BOINEBVRGI, indicis editionem duplici modo prodeſſe plurimum poſſe literariæ rei: idque quod præter alios indices, qui nonniſi ad *βιβλιακὴν ἐμπειρίαν* nonnihil faciunt, ſingulatim queat efficere, ut bibliotheca AVGVSTA juſtum ſui uſum poſſit omnibus exhibere.

3. Eſt vero & tertia ratio, eaque (niſi fallor) momenti non levis, quæ itidem editionem indicis urget quam maxime. Ea eſt, quod ſola indicis editione poſſit æterna parari memoria operarum illarum ingentium, quæ in bibliothecarum quarumvis admirabilium ſtructuram impenſæ ſunt. Multis ſcilicet periculis & damnis, imo & variis interitus ſpeciebus obnoxia eſt bibliotheca quælibet. Et vero privatæ cujusvis duratio pene momentanea eſt. Stant illæ plerumque & cadunt cum ſuis collectoribus: rariſſime illis transeuntibus ad heredes perinde *φιλοβίβλους*, aut fortunatos adeo, ut vitæ tolerandæ neceſſitas diſtractionem haud imperet. Ut alia nunc taceam infortunia, quibus affligi infelices illæ bibliothecæ ſolent. Quale utique patrum memoria experta eſt illa celeberrimæ quondam famæ & extra fere comparationem locuples *Joannis Vincentii Pinelli*, (e) viri ad ingenium & mores Pomponii Attici nati pariter ac compoſiti; quæ cum herede diu conflictata, cum navigio Neapolim duceretur, a barbaris piratis intercepta, & velut exigui pretii merx in mare abjecta fuit, ſuperſtite relicta parte perexigua, quæ in Ambroſiana bibliotheca, *Friderici Borromai*, (f) liberalitate, Mediolani nunc conquieſcit.

Satis eſt ex privatis unam illam, ceu omnium celeberrimam, in exemplum triſtium viciſſitudinum memoraſſe. Sunt vero etiam publicæ bibliothecæ, quamvis potentum tutela ſecuriores, obnoxiæ adverſantis fortunæ malis graviſſimis. Quæ ſane fuit forte omnium antiquiſſima *Oſymandua* (g) Ægyptii regis, illius fronti quidem inſcriptum fuiſſe elegans illud, *ψυχῆς ἰατρεῖον* aut ANIMI MEDICINAM, ſive medicam officinam, ex Diodoro Siculo diſcimus, aſt cum nulla ejus mentio alia uſpiam extet, eam dudum periiſſe argumento eſt certiſſimo. Non multo melius videtur fuiſſe fatum ejus, quam in Græcia omnium primam inſtituit *Piſiſtratus.* (h) De illa Gellius l. 6. c. 17.

Libros

(a) *catalogi officinarum librariarum*) Uti bibliopolii Elzeviriani, qui prodiit Amſtelod. 1681. aliarumque officinarum.

(b) *quos typographi ipſi*) Sic extant catalogi librorum, qui ex prælo Manutiorum, Stephanorum, Plantinorum, Morelli, Cramviſii &c. prodierunt.

(c) *Conradus Geſnerus*) Extant hujus (1) *bibliotheca*, ſive catalogus univerſalis ſecundum alphabetum & nomina autorum diſpoſitus, quem in epitomen redactum edidit *JOSIAS SIMLERVS*, amplificavit *FRISIVS*, exſtripſit autem *BOISSARDVS in iconibus illuſtrium virorum.* (2) *Pandectæ*, quem librum in compendium redegit *JOHANNES JACOBVS FRISIVS.* Conf. *MORHOFIVM l. c. c. 18. n. 5-10.*

(d) *Francofurtenſes*) Lipſienſes, Mercurii Belgarum, Anglorum, Gallorumque.

(e) *Joannis Vincentii Pinelli*) Fuit ille Patricius Genevenſis ſui temporis Polyhiſtor eximius, Patavii mortuus, cujus *vitam* deſcripſit *PAVLVS GVALDVS*, Patricius Vicentinus, quæ prodiit primum Auguſt. Vindelic. a. 1607. poſtea inter *GVIL. BATHESII vitas virorum illuſtrium* recuſa eſt *p.* 314. Præter ea, quæ ex bibliotheca ejus apud Mediolanenſes aſſervantur, ſuperſunt quoque collectanea MSa, quæ ad ſtatum Venetorum ſpectantia ille magno ſtudio congeſſerat, Senatus autem Venetus, cum libri ejus Neapolin deportandi eſſent, retinuit, & in bibliothecæ publicæ peculiari conclavi repoſuit, cum inſcriptione: *Decerpta hæc imperio Senatus e bibliotheca Pinelliana.* Adde *JAC. PHIL. THOMASINI in Schmidiana edit. collect. Mader. p.* 60.

(f) *Friderici Borromæi*) Fuit is purpuratus Romæ pater & archiepiſcopi Mediolanenſis, qui bibliothecam Ambroſianam ab urbis patrono ita dictam condidit extructo magnifico librorum domicilio, ingentique voluminum multitudine, immenſis undique ſumtibus comparata, autore forte, ut creditur, & ſuggeſtore operis hujus *ERYCIO PVTEANO*, ſi conferatur *oratio ejus V. de uſu fructuque librorum.* Cæterum hiſtoriam bibliothecæ Ambroſianæ conſignavit *JOSEPHVS RIPAMONTIVS in hiſtoria Mediolan. lib. XX.* & *PETRVS PAVLVS BOSCHA de origine & ſtatu biblioth. Ambroſianæ libro peculiari edito Mediolan.* 1670.

(g) *Oſymanduæ*) Vide de bibliotheca Oſymanduæa *JVSTI LIPSII ſyntagma de bibliothecis c. 1. p. m.* 232. & *SALDENVM de libris & eorum uſu pag.* 50. 51. Hunc autem Oſymandua vel Simandium eundem cum Amenophi & Memnone ac Iſmande vel Imande fuiſſe, oſtendit *MARSHAMVS in canone chronico p.* 427.

(h) *Piſiſtratus*) Vide de bibliotheca Piſiſtrati præter

Libros Athenis diſciplinarum liberalium publice ad legendum præbendos primus poſuiſſe dicitur Piſiſtratus tyrannus. Deinde ſtudioſius accuratiusque ipſi Athenienſes auxerunt. Sed omnem iſtam poſtea librorum copiam Xerxes Athenarum potitus, urbe ipſa præter arcem incenſa, abſtulit aſportavitque in Perſas. Habet idem Iſidorus: ſed ut facile liquet ex Gellio excerptum. Dixeris rediiſſe tamen libros illos. Ita ſane narrat mox Gellius: ſed id contigit forte fortuna, & diu poſt, rebus jampridem deploratis. *Hos porro*, inquit, *libros multis poſt tempeſtatibus Seleucus Rex qui Nicanor appellatus, referendos Athenas curavit.* Conſtat vero nec illam felicitatem diuturnam fuiſſe. Cum ſane Athenis omnes bibliothecas poſtea victor Sulla Romam avexerit, indubie & hæc iſthuc cum aliis tranſiit. Ibi vero incendio una cum aliis tandem periiſſe per eſt veriſimile. Quicquid hujus autem ſit, quam infelici fortuna jactata ſit ipſa prima & forte unica Græciæ bibliothecarum publica, etiam ſic palam eſt. Conflagraſſe vero tandem bello Pompejano *Alexandrinam*, (a) qua nulla in orbe celebrior unquam extitit, incendio a Cæſaris milite excitato, certiſſime conſtat. Quanquam enim ejus non Cæſar ipſe nec Hirtius meminerint, & Tertullianus adhuc ſua ætate non dubitaverit gentiles ad Ptolomæi bibliothecam ſuperſtitem provocare, refert id tamen Seneca, Plutarchus, Dio, Gellius, Ammianus, imo & Livium narraſſe, ex Seneca colligere eſt. Quæ celebritate huic quondam fuit proxima Attalicorum regum *Pergamena*, (b) in Cleopatræ gratiam juſſu M. Antonii Triumviri per vim Alexandriam deducta eſt, teſte Plutarcho in vita illius Antonii. Immitiore fato interiiſſe plane videntur, (Neroniano nempe illo igne, quo univerſa propemodum Roma ſimul cum privatis bibliothecis tantum non omnibus in cinerem redacta eſt) luxurioſiſſimæ illæ bibliothecæ, quæ *Octaviam Auguſti forte auſpiciis* (c) non ita pridem inſtitutæ publicatæque erant, cum in montis Aventini atrio libertatis Aſinia, tum prope Marcelli templum Octavia. Nec vero poſt Neronem ullam earum memoriam licet reperire. Secus ac fit de bibliotheca illa, quam in Apollinis templo Auguſtus conſecravit: hujus enim tanquam adhuc integræ meminit Plinius cum *l. 7. cap. 58.* tum *l. 34. cap. 27.* etſi nondum ulla fuiſſet bibliothecarum perditarum facta reparatio. Quod nempe Domitianus demum inſtituit; de quo Suetonius: *Bibliothecas incendio abſumptas impenſiſſime reparari curavit, exemplaribus undeque petitis, miſſisque Alexandriam, qui deſcriberent, emendarentque.* Eſt autem per etiam veroſimilis Juſti Lipſii conjectura, quam habet in elegante illo *ſyntagmate de bibliothecis* (d) *cap. 7.* ab ipſo illo Domitiano ſtructam in Capitolio celeberrimam iſtam bibliothecam, quæ Commodo imperante, fulmine icto Capitolio, itidem conflagravit: cujus infortunii meminit Dio *l. 72. ſub finem*, Herodianus *l. 1. c. 14.* Euſebius *in chronico* & Oroſius *l. 7. cap. 16.* Fuit autem hæc non alia ab illa in templo Pacis (etſi diverſam crediderit Lipſius) ſæpe adeo Gellio & Galeno memorata: quod vel ex ſolis querelis Galeni colligere fuerit, de libris ſuis cum templo Pacis Commodo imperante conflagratis, & ſitu illius templi, prope forum ſcilicet ad pedes Capitolini montis. Favit perquam benigna fortuna bibliothecæ Palatinæ, & quæ gentili Principis conditoris Trajani nomine audiri ſolet *Ulpia.* (e) Et vero adhuc Conſtantini Maximi ævo P. Victor in deſcriptione urbis memorat bibliothecas publicas *undetriginta, & ex iis præcipuas duas Palatinam & Ulpiam:* imo ſeculo Chriſtiano quinto adhuc in Ulpia utraque, h. e. Græca pariter Latinaque bibliotheca (ita enim fere Romanæ bibliothecæ omnes diſtinguebantur) Sidonio Apollinari ſtatuam eſſe poſitam ex hoc ejus carmine patet:

Cum meis poni ſtatuam perennem
Nerva Trajanus titulis videret,
Inter auctores utrimque fixam
Bibliotheca.

Neutram etiam harum legas vel flamma vel militari direptione periiſſe. Tandem tamen harum etiam

JUSTUM LIPSIUM l. c. etiam *BERNHARDI DE MONTFAUCON* recenſionem omnium bibliothecarum græcarum tam veterum quam recentiorum, in quibus MSi codices habentur, quæ præmiſſa eſt *Palæographiæ græcæ.*

(a) *Alexandrinam*) Structam a Ptolomæo Philadelphi, deſtructam a Julio Cæſare, reſtauratam a Cleopatra, denuo autem ſub Theodoſii majoris imperio extinctam, obſerv. *LIPSIO l. c. cap. 2.*

(b) *Pergamena*) Quam vel Attalus vel Eumenes inſtituit, Antonius Cleopatræ donavit, Auguſtus vero antiquis poſſeſſoribus, ut videtur, reſtituit. Cæterum de ejus antiquitate, utrum prior fuerit Alexandrina nec ne, contra *LIPSIUM & HUMFREDUM HODIUM* ſtatuentes, quod prior fuerit ætate Alexandrina, pluribus diſputat *ANTONIUS VAN DALEN diſſ. ſuper hiſtor. Ariſteæ c. 4.*

(c) *Octaviani Auguſti forte auſpiciis*) Auguſtus Imper. duas bibliothecas inſtituit, alteram Octaviam, quam ſororis ſuæ memoriæ & nomini dedicavit, ref. *DIONE CASSIO lib. XLIX.* (qua de re tamen dubitat *CONRINGIUS ſeqq.*) alteram Palatinam a loco dictam, quia in ipſo fuit palatio. Ab his vero diſtincta eſt Aſinia, quam Aſinius Pollio orator & ſenator nobilis conſtituit, in atrio, quod de manubiis magnificentiſſimum extruxerat. Vide *LIPSIUM l. c. c. 6.*

(d) *ſyntagmate de bibliothecis*) Syntagma hoc inſcriptum eſt illuſtriſſimo Principi Carolo Duci Croyo & Arſchotano, ejusque variæ extant editiones. Autor editionis ſecundæ a. 1614. in Germania procuratæ non immerito cum Conringio ob elegantiam laudat hoc ſyntagma & Apellis quaſi in re literaria tabulam vocat. Quod judicium longe æquius quam iſtud, quod in *MORHOFII polyhiſt. tom. I. c. 17. §. 9.* legitur, ubi *JOH. LOMEIERUM tr. de bibliothecis* forte ſecutus, Lipſium in hoc ſyntagmate de variis ritibus tantum & antiquitatibus circa rem bibliothecariam agere ſcribit, ſiquidem ipſa libri inſpectio docet, eum non tam de ritibus rei bibliothecariæ quam de bibliothecis antiquorum ipſis agere, & in hiſtoria earum excutienda eſſe occupatum.

(e) *Ulpia*) Hæc deinceps ex foro Trajani in collem Viminalem ad ornandas Diocletiani thermas tranſlata fuit, uti *LIPSIUS* arbitratur *in ſyntagm. c. 7.* nec non *ISAACUS CASAUBONUS not. in Flav. Vopiſcum p. 538.* Adde *FULVII URSINI comment. de biblioth. in collect. Mader. p. 26.* & *LUDOV. JACOBUM traité des plus belles bibliotheques P. I. p. 73.*

etiam utraque diſperiit: idque fortaſſis præ ruditate partim, partim & ſuperſtitione Romam incolentium. De ipſomet ſane *Gregorio primo* (a) id nominis Papa, quem magnum cognominant, *l. 2. de nugis curialium* ita ſcribit Joannes Sariſberienſis non vanus aut proletarius auctor: *Doctor ſanctiſſimus ille Gregorius, non modo matheſin pepulit ab aula, ſed, ut traditur a majoribus, incendio dedit probatæ lectionis,*

Scripta, Palatinus quæcunque recepit Apollo.

Verum illi quidem famæ fides debeatur nec ne, incertum arbitror. De eodem enim Gregorio nonnulli quidem memorant, *ejus mandato veterum ædificia Romæ diruptas eſſe, ne peregrini & advenæ, ad urbem religionis cauſa venientes, poſthabitis locis ſacris, arcus triumphales & monumenta veterum cum admiratione adſpicerent: veterum item ſtatuas Gregorium obtruncaſſe & dijeciſſe, atque hinc natum illud ſucceſſoris Sabiniani in Gregorium odium:* negat id tamen omne Platina, quanquam nullo adducto pro ſententia ſua firmo teſtimonio. Poſt Platinam fecit idem Ciacconius, ſed nonniſi Platinæ verbis, quamvis nomine ejus improbe diſſimulato: quod non attenderat doctiſſimus ſcriptor *Joſephus Maria Suareſius* (b) in illa luculenta ſane *diatriba de foraminibus lapidum in priſcis ædificiis*, qua me Tu antehac donaſti. Quocunque autem modo tandem bibliothecæ iſtæ perierint, certe perierunt. Valere cæteroquin plurimum *ad libros delendos ſuperſtitionem*, (c) non eſt quod cuiquam videatur abſimile vero, qui vel ad noſtri ævi res attenderit. Nec enim opus eſt exemplum aliud adducere. Quamvis mereatur in majus fidei robur expendi & illud, quod de libris græci latinique ſermonis per omnem Africam, ſuperſtitioſi neſcio cujus *Caliphæ juſſu* (d) abolitis, narrat Joannes Leo *l. 1. hiſtoriæ Africanæ:* quo effectum videtur, quod non tantum nulla illarum linguarum monumenta, ſed *nec eorum ulla Arabice ex latino verſa* (e) in Ægypti & Africæ bibliothecis hodie ſuperſint. Quæ veteris Romæ bibliothecarum, illa vero tandem & earum fuit, quas nova Roma in æmulationem veteris conſtruxerat. Narrat enim Zonaras pariter & Cedrenus, Baſiliſco imperante, bibliothecam ibi conflagraſſe: in qua centum viginti millia librorum eſſent recondita: inter ea draconis inteſtinum centum viginti pedes longum, cui aureis literis Homeri Ilias atque Odyſſea fuerint inſcripta. Teſtis idem eſt Zonaras tomo tertio, Leone Iſauro imperante, ſubjecto igne periiſſe una cum ædibus Oecumenici doctoris, quicquid ibi aſſervatum hactenus divinæ & humanæ ſapientiæ codicum. Præter Conſtantinopolitanam autem orientale Romanum imperium bibliothecam publicam nullam fere olim quidem habuit.

Haud neceſſum vero videtur, publicarum bibliothecarum pericula & clades repetitis ex remoto ævo teſtimoniis oſtendere, quum propinquiora (proh dolor!) omnibus ſint nota. Quis videlicet ignorat triſte fatum, quo vere regia illa Budenſis bibliotheca, a Matthia Corvino primum ſtructa, avorum memoria interiit, cum vix annos ſexaginta floruiſſet? Cujus *librorum cultum luxurioſiſſimum, & miram utriusque linguæ fæcunditatem* fuiſſe, ne Bonfinio duntaxat credamus, faciunt quæ paſſim terrarum & in ipſa AVGVSTA, ſuperant *exiguæ quamvis reliquiæ.* (f) Hiſtoricorum principis Jacobi Auguſti Thuani verba hæc ſunt *l. 1.* ejus operis, quo ipſemet ſuam vitam poſteritati inſtituit tradere. *Petrus Victorius ſubinde ingemuit, quod antiqua Medicea tanti nominis bibliotheca, per ſeditiones domeſticas Romam, & inde extra Italiam avecta erat. Ea eſt quam Catharina regum noſtrorum parens, magno pretio, quantumvis Coſmo contradicente, comparatam, in Galliam transportandam impetravit, & per bibliothecarium ſeorſim, quamdiu vixit, apud ſe habuit. Quam demum Thuanus a creditoribus ejus pecunia regis redemptam in bibliothecam regiam inferendam curavit, & congeſtum a magnis regibus theſaurum tanta acceſſione locupletavit.* Dixeris non periiſſe, *quæ tam feliciter tranſlata eſt.* (g) Interitui tamen proxima fuit, & periit Florentinis: cui loco illam Laurentius Medices quaſi conſecraverat. Quid in Tunetanæ arcis direptione, quo tempore regnum illud Muleaſſi Regi Carolus Quintus Imperator reſtituit, contigerit, audi ſodes *l. 34.* hiſtoriæ narrantem Paulum Jovium. *In ea*, inquit, *arcis direptione tria incomparabilis jacturæ detrimenta Muleaſſes deploravit. Arabicorum voluminum inprimis, quæ conturbata atque direpta bibliotheca perierunt. Aſſervabantur enim antiquiſſimi codices, non diſciplinarum modo omnium præcepta, ſed ſuperiorum etiam regum res geſtas, & Mahumetanæ ſuperſtitionis interpretationem continentes: quos*

(a) *De Gregorio primo*) Tum quoque omnes Titi Livii libros comburendos curaſſe, refert *ANTONINVS ARCHIEP. FLORENTINVS P. IV. ſumm. tit. 11. c. 4. §. 3. ſub fin.* Factum id inde creditur, quod Chriſtiani nonnulli tum temporis omnes gentilium libros tanquam a diabolo excogitatos abhorrerent. Vid. *CLEMENS ROM. lib. I. conſtit. c. 6. concil. Carthagin. IV. c. 16.*

(b) *Joſephus Maria Suareſius*) Prodiit ejus *diatriba* Lugd. 1642. in 8. Idem edidit *notitiam βασιλικῶν ad Vrbanum VIII. ſcriptam*, in qua relationem inſtituit de libris βασιλικῶν non modo, ſed & de aliis græcis ſcriptis juridicis, quæ vel in Vaticana vel in aliis bibliothecis latent.

(c) *ad libros delendos ſuperſtitionem*) Conf. *MORHOFII polyh. c. 5. lib. I. tom. I. n. 26. 27.* ubi addit bibliothecas ob religionis diſſidia deſtructas & deperditas.

(d) *Caliphæ juſſu*) Vide tamen, quæ de fato bibliothecæ Alexandrinæ Califæ juſſu ad incitas redactæ in contrariam fere ſententiam refert *SALMVTHVS* ad *PANCIROLL. rer. memorab. part. I. p. 66.*

(e) *nulla Arabice ex latino verſa*) Vid. CONRINGII *ſupplementa ad antiquitates academicas, & h. l. p. 573.* Neſcio vero utrum hæc ſola ratio ſufficiat, cur ſtatuendum ſit, nullum amplius ex latino Arabice converſum librum ſupereſſe. Videntur enim Califæ hujus juſſu plures quidem ejusmodi libri combuſti, non tamen omnes. Et quis ejus imperium in omnes Arabum bibliothecas fuiſſe dixerit?

(f) *exiguæ quamvis reliquiæ*) Aliæ in bibliothecam Vindobonenſem tranſlatæ ſunt. Cæterum de ſpoliis literariis Budenſibus conſuli meretur JVLII PFLVGII, *equitis Saxonici, epiſtola ad Seckendorffium, quæ Jenæ prodiit 1688.*

(g) *quæ tam feliciter tranſlata eſt*) Promiſit BAILLETVS *in judiciis eruditorum de præcipuis ſcriptoribus tom. II. p. 251.* hiſtoriam bibliothecæ regiæ, quæ ex illa Medicea tam feliciter crevit. Ea autem utrum prodierit nec ne, nihil in utramque partem pronunciare audeo.

quos Rex ipſe poſtea, me audiente, ſe unius urbis pretio, ſi fieri poſſit, avide redempturum diſſerebat. Africana hæc fateor ſunt, atque itidem longe petita: cum vera tamen ſint, doceantque etiam in Africa publicis bibliothecis quamvis regiis non ſemper eſſe ſatis conſultum, cuivis alii idem contingere poſſe, etiam hinc eſt manifeſtum. Multo maxime vero noſtris quidem hominibus id demonſtrare poteſt, Palatina illa quæ Heidelbergæ ante ferale nuperum Germaniæ bellum ſumma floruit celebritate, & manuſcriptorum cum multitudine tum bonitate omnem antehac Europam provocavit. Illa ſcilicet non ita pridem, atque adeo ipſa noſtra memoria huc illuc direpta, meliore vero ſui parte, æterno cum Germaniæ damno tum concedentium dedecore, per vim Romam avecta, curante a Pontifice in id miſſo Leone Allatio (nec vero ſilebimus viri nomen, cum hinc etiam laudem captet) *in Vaticanam tranſiit.* (a) Documento triſti omnibus facto, quam nulla licet regia & publici uſus bibliotheca, poſſit ſecura eſſe; ſed ſolere etiam haſce tandem magnis viciſſitudinibus eſſe obnoxias, imo denique totas ſive violenta direptione, *ſive manu furtiva*, (b) *ſive ignis aut aqua adverſitatibus,* (c) ſive quo alio modo perire atque occidere.

Ut ad rem vero accedamus; hi interitus ingentium illarum & publicarum bibliothecarum, non cum literariæ duntaxat rei, ſed etiam cum famæ & gloriæ, quam merentur conditores, ſummo ſunt diſpendio conjuncti. Interit ſcilicet fere cum opere fama etiam omnis in opus factæ impenſæ & curæ. Quod profecto indignum eſt & deplorandum. Sumptus ſcilicet maximi, labor ingens, ſtudium indefeſſum, animus erectus, liberalis, ſtudioſus ſapientiæ, vere regius, ad ſtruendas magnas illas bibliothecas requiruntur. Niſi omnia iſthæc adſint, nulla talis bibliotheca emerſerit. Debetur utique tantis virtutibus & tam egregiis actibus gloria perennis, debentur gratiæ immortales. Non hæc quidem potiſſimum ſpectaverit prudens bibliothecæ conditor: nec peccaverit tamen ſi illo calcare patiatur ad tantos conatus ſeſe incitari. Utque omnia quis hæc magno animo contempſerit, & virtutem ipſam præmium ſibi eſſe voluerit; intereſt tamen reipublicæ, ne præclara facinora ſua laude fraudentur, neve poſteritati ſubtrahantur exempla in æmulationem. At vero in illa incertitudine humanarum rerum omnium, inque illo facili interitu quamvis regiis conatibus ſtructæ cujusvis librariæ ſupellectilis, ab ipſis operibus profecto æternum nomen, quod debebatur, exſpectare haud licet. Aliunde igitur perennitas illa petenda erit. Atque hiſtorica quidem monumenta juvant & hic non parum. Abſque illis certe ſi eſſet, periiſſet dudum & memoria univerſa græci pariter latinique orbis bibliothecarum omnium. Plus juvant ipſæ librorum recenſiones: ceu apparet utique ex illis antiquis indicibus græcis pariter Romanisve, qui etiamnum ſuperant, ne novos ac recentiores noſtros hic commemoremus. Enimvero laborat ipſa annalium fides circa bibliothecarum veterum præcipue admirandas divitias, idque ex indicum defectu. Recitavi paulo ante Antonii Bonfinii verba de bibliotheca Budenſi. Quanto plus autem ad illius faciunt perennem gloriam, quæ in ſua ad Salviani *libros de gubernatione Dei*, ab ſeſe primum editos, præfatione habet *Joannes Alexander Braſſicanus!* (d) *Inſpexi,* inquit, *libros omnes. Sed quid libros dico? Quot libros tot etiam theſauros iſthic inſpexi. Dii immortales, quam jucundum hoc ſpectaculum fuiſſe quis credat? Tunc certe non in bibliotheca, ſed in Jovis gremio, quod ajunt, mihi eſſe videbar. Tantum erat hic antiquorum Græcorum ſimul & Hebraicorum voluminum, quæ Matthias ille Rex, capta jam Conſtantinopoli, everſisque multis aliis ampliſſimis Græciæ urbibus, ex media Græcia ineſtimandis ſumtibus coemerat, ac tanquam mancipia ex barbarorum cataſtis atque compedibus receperat. Tantum erat hic latinorum librorum, & veterum & recentiorum (procul tamen ablegatis omnibus ſophiſticis) ut nusquam alibi, quod ego quidem ſciam. Siquidem Matthias Rex (quem recte librorum belluonem appellaveris) quatuor inſignes librarios Florentiæ magnis impendiis alebat, quorum is unus & unicus labor erat, ut omnes melioris notæ auctores & græcos & latinos, quos commodum ex Græcia habere non poterat, exſcriberent. Nam ipſa typographica, (ut exigua ſunt omnium rerum principia) nondum tam late radices egerat, ut ardentiſſimis illis & vere regiis votis regis omnium excellentiſſimi ſatisfacere poſſet. Vidimus iſthic (id quod ſyllabo noſtro recenſere poſſum, & oculata fide) vidimus integrum Hyperiden cum locupletiſſimis ſcholiis, librum multis etiam cenſibus redimendum. Vidimus grandem librum Apoſtolicorum canonum, opus incomparabile. Vidimus Theodoretum Cyrenſem in Pſalterium integrum. Vidimus Chryſoſtomi, Athanaſii, Cyrilli, Nazianzeni, Baſilii Magni, Gregorii Nyſſeni, Theophanis, Dorothei infinita opera. Vidimus Marcum monachum, cognomento Anachoritam. Omitto poetas, oratores, philoſophos atque hiſtoricos, quorum hic immenſam vim inſpicere licuiſſet. Vidimus auctores græcos innumerabiles, infinitaque in poetas fere omnes commentaria, nemini doctorum, aut paucis omnino antea viſa.*

Indu-

(a) *in Vaticanam tranſiit*) Sunt tamen qui negant, Heidelbergenſis quicquam ad bibliothecam Vaticanam perveniſſe, ſed per cardinalium privatas bibliothecas fuiſſe diviſam, ac oſtendi quidem capſas clauſas, in quibus libri recondiri dicantur, eas tamen eſſe vacuas affirmant. Vid. MORHOFIVM *l. c. c. 4. n. 20. c. 17. n. 24.*

(b) *ſive manu furtiva*) Sic ex bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi ſub Boorio ejusdem præfecto ob nimiam ipſius in commodandis libris facilitatem complures codices diſperierunt, refer. RICHARD *hiſtor. biblioth. Vindob. p. 56. ſſ.* Ita & bibliotheca regia Anglicana, poſtquam Patricius Junius a munere, quod in ea obierat, abdicatus fuerat, furto maximum accepit detrimentum, quandoquidem ex 12000. libris vix 4000. Carolo II. in regnum reſtituto ſuperſtites fuerunt. Vide *nova liter. Germ. a. 1708.*

(c) *ſive ignis aut aquæ adverſitatibus*) Conf. *THOMÆ BARTHOLINI diſſ. de bibliothecæ incendio*, curante *ANDREA WESTPHALO* Jenæ recuſam 1709. qui editor in præfat. exempla alia adjungit bibliothecarum deperditarum. Cui adde *MICHAELEM NEANDRVM in præf. grammat. Græcæ erotematibus præmiſſa, SPIZELIVM in diſſert. prælimin. arcan. biblioth. §. 12. LVDOV. JACOB. in libro de bibliothecis p. 606. 629.*

(d) *Ioannes Alexander Braſſicanus*) Inſeruit ejus præfationem ſive potius epiſtolam ad epiſcopum Auguſtenſem Chriſtophorum a Stadion *collectioni ſuæ de biblioth. & archivis MADERVS edit. Helmſt. 1702. p. 145. ſeqq.*

Indubie, BOINEBVRGI, ſentis, quantam vim habeat vel hæc commemoratio ad memoriam inclytæ illius bibliothecæ conſervandam. Quid vero, ſi bibliothecæ catalogus integer præ manibus eſſet, nonne æternam illi laudem ſupereſſe diceres, quamvis ipſa jam pridem tota perierit? Periit Germaniæ Palatinus ille ad Rhenum librarius theſaurus. Modo tamen index ejus ſuperaret, creſceret quidem dolor, ſimul vero nullum priſcæ fortunæ certius & perennius monumentum reperiri poſſet. Nunc legimus duntaxat in Joſephi Scaligeri ad *Janum Gruterum* (a) epiſtolis de indice illo, altera vice anno videlicet ſeculi hujus octavo, cum antehac anno tertio jam curaſſet, miſſo: *Indicem bibliotheca veſtra ſedulo legi. Locupletior eſt & meliorum librorum quam Vaticana: itaque voluptati fuit legiſſe:* facta etiam collatione indicum illorum omnium, quos de ſcriptis Græcis codicibus eccleſiaſticis Poſſevinus apparatui ſuo ſacro ſubjunxit, reapſe experimur, hanc unam omnium, etiam illius argumenti longe opulentiſſimam fuiſſe, & omnibus aliis præripuiſſe palmam. Si integer ille index ſupereſſet, num quid melius ad æternam gloriam parandam vel voto poſſis effingere? Sed fruſtra hiſce immoramur.

Ut ad epiſtolæ igitur hujus initia tandem redeam: juſtiſſimis profecto rationibus, ILLVSTRIS BOINEBVRGI, motus es, ad id, ut a Sereniſſimo Principe ac Domino meo peteres editionem indicis AVGVSTÆ bibliothecæ. Feci & ego idem non minus ſtrenue, iisdem plane adductis argumentis. Neque vero ipſemet ſapientiſſimus atque optimus Princeps rationum a nobis adductarum pondera non probe eſt aſſecutus, vel iis animi tantum pertinacia quadam eſt reluctatus. Optime illas non etiam monitus pridem intellexit, nec quicquam hactenus habuit antiquius, quam omnibus modis ex ſtupenda illa ſua librorum congerie debitum fructum accipere. Si quis ſane Principum φιλόβιβλος, utique maximus a prima usque ætate fuit Princeps noſter. Ut non de ſeſe minus, quam olim Marcus Antoninus Imperator dicere potuerit: *ἄλλοι μὲν ἵππων, ἄλλοι δὲ ὀρνέων, ἄλλοι θηρίων ἐρῶσιν· ἐμοὶ δὲ βιβλίων κτήσεως ἐκ παιδαρίου δεινὸς ἐντέτηκε πόθος.* Qui talis vero eſt, quid ni & amet alios omnes librariæ rei amatores, idque ſtudium velit propagatum? Minime vero illum latet, quanta ad librorum notitiam parandam vis ſit indicum: longo ſcilicet uſu illam ſæpius expertus. Ac proinde non eſt quod dubites, niſi quid impediat, indice AVGVSTÆ bibliothecæ edito, etiam cupere Principem optimum *ἐμπειρίαν* iſtam *βιβλιακὴν* quam maxime adjutam. Quam porro idem ille noſter Heros facilis ſit ac paratus, illo theſauro ſuo præclarorum quorumque virorum conatibus literariis prodeſſe, ut Tibi quidem multis teſter, non arbitror eſſe neceſſarium: cum luculentum liberalitatis hujus ipſemet nuper experimentum feceris, in ampliſſimi Ezechielis Spanheimii gratiam per me petens ex AVGVSTA illa ſupellectile & ſcriptos & antiquiores quosque excuſos Lucani codices. Nec vero ignoras, ſimulac ipſiusmet Spanheimii literæ adventarunt, ex equeſtri Principis cuſtodia media hyeme Heidelbergam in id unice nonnullos ablegatos, qui libros deſideratos ultro deferrent. Cujus rei neſcio num quid ſimile in quoquam Principum alio Tu obſervaveris: mihi inuſitatum videtur, nec aliter accepit doctiſſimus Spanheimius. Ut poſſit igitur quamplurimis cedere in uſum AVGVSTVS theſaurus, quid ni Princeps velit indicem illius edi: non ignarus utique, indice edito potiſſimum poſſe juſtum bibliothecæ fructum decerpi ab eruditis? Qui ignoret porro prudentiſſimus Princeps pericula & damna, quibus etiam hæc ſua AVGVSTA bibliotheca ſit expoſita? cum nihil illum temere lateat viciſſitudinum humanarum, abunde illas edoctus etiam ipſomet longo uſu. Expertus etiam, quam parum aliquando hic ipſe theſaurus, nuperrimo illo ferali bello Germanico, & quidem illo anno hujus ſeculi ſexto poſt triceſimum, quo aulam ſuam in avitam urbem Brunſuicum transferebat, a violenta Martis pullorum direptione abfuerit, in Hiddonis agro adhuc hærens. Ex eo quidem de longe tutiore domicilio proſpexit AVGVSTÆ ſuæ: recepta illa primum Brunſuici, urbe utique perampla & populoſa & in medio illo bello pene ſola ſecura, inde Wolfenbutteli oppido Germanicorum nulli robore ac munimentis ſecundo, & quidem utrobique data ſede ab ignis etiam injuria ſic ſatis tuta: conſcius tamen ſapientiſſimus Princeps, cuilibet contingere poſſe quod cuiquam contigit, ne ita quidem omni ex parte omnibus adverſitatibus obviam eſſe itum, exactiſſime intelligit. Quamvis etiam dudum contemnere didicerit conatus hominum, æternitatem nominis ex ſtructis operibus unice exſpectantes; neque tam hoc quam uſum publicum tantis impenſis & laboribus quæſiverit Princeps optimus; quis tamen tam præclaro & vere incomparabili monumento quavis etiam cunque ratione æternam memoriam parandam eſſe, non arbitretur? Quis non Principi ſuaſerit hoc etiam agere, & præſertim illa usque adeo provecta jam ſenectute?

Vir doctiſſimus undequaque Varro.

(liceat uti vetere Terentiani Mauri verſiculo, quo nec S. Auguſtinum puduit uti) Varro, inquam, initio eximii operis, quod de re ruſtica nunc etiam ſupereſt, lepide, ut ſemper: *annus,* inquit, *octogeſimus admonet me ut ſarcinas colligam antequam proficiſcar e vita.* Felicior quidem Varrone eſt Princeps noſter, propediem proximo ſcilicet Aprilis decimo die annum octogeſimum tertium jam inchoaturus, & ſenex ſine ſenio, hoc eſt ſine illis ſenectuti propriis moleſtiis: (addat Deus molles annos complures!) in vitæ tamen hujus negotiis *properandum* ſibi novit, qua valet ſapientia: *quod ut dicitur, ſi eſt homo bulla, eo magis ſenex:* quæ verba iterum ſunt Varronis. Hinc indubie cogitat utique, non etiam monitus, quo pacto AVGVSTÆ ſuæ, usque adeo adamatæ, cum ſtabilis diuturnitas, tum æterna memoria tempeſtive queat comparari: nihil temere ejus omiſſurus iſthuc quod faciat.

(a) *Janum Gruterum*) Idem ſub nomine GVALTHERII latens *in chronico chronicorum politico lib. 2. pag. 1257. & 1316.* de bibliotheca Heidelbergenſi nonnulla alia notatu digna refert.

ciat. Gnarus etiam nullum certius monumentum bibliothecis, cum tot ſint infortuniis obnoxiæ, ſtatui poſſe, quam indicibus publicatis & per manus hominum paſſim terrarum typographica arte diſperſis, nihil equidem malit, quam ſuæ quoque AVGVSTÆ perennitati ſic conſulere. Imo vero, quum ad tuas ſollicitationes ſtrenuus ego ſuaſor acceſſiſſem, jam conſenſerat tot rationibus inductus Princeps optimus in catalogi editionem; quod indubie meminiſti. Quare non ſuccedit igitur? forte quæſieris. Fortaſſis etiam ſuſpicaris indicem nondum confectum eſſe, atque adeo deſperari ejus confectionem in tanto librorum numero. Deſperarim ſane & ego, niſi jam confectus eſſet. Nec vero illa librorum annotatio uno & altero menſe a ſcriba aliquo, ceu tu viſus es credidiſſe, poſſet expediri: ſed occuparet hominem eruditum peritumque librariæ rei non unum, nec per menſes binos ſed per integros aliquot annos: a typographicis vero operis itidem vix intra biennium magnis ſumptibus abſolvi excuſio poſſet. Non diffiteor & me in eodem fere tecum errore verſatum aliquando, faciliora itidem quæque mihi promiſiſſe: ut ſolemus ſæpe aliena ex domeſticis æſtimare. Noſti illud vetus Tityri:

Vrbem quam dicunt Romam Melibœe putavi
Stultus ego huic noſtræ ſimilem.

quodque mox ſequitur:

Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Difficillimi ſcilicet confectu ſunt indices, accurati quidem, maximarum quarumvis bibliothecarum: præ copia immenſa eorum quæ annotanda veniunt. Eoque raro reperire eſt abſolutum aliquem bibliothecæ id genus indicem. Plerique imperfecti ſunt. Unius Vaticanæ catalogi poſſunt eſſe pro exemplo. Quam ille qui in manus incidit *Joſephi Scaligeri* (a) (fuit autem indubie tantum manuſcriptorum codicum) fuerit pretii exigui, ſignificant hæc ejus ad Janum Gruterum in epiſtolis verba: *Quod in alteris literis a me indicem bibliothecæ Vaticanæ exigis, ſcito me illo ad tres horas tantum uſum: in quo ego nihil prorſus reperi, quam vulgaria omnia: præter tres aut quatuor mathematicos, quos in bibliotheca veſtra & regia extare ſcio. Reliqua ejuſmodi ſunt, ut te ignorare ea præſtet, quam unius horæ jacturam in illis legendis facere. Statim librum reddere coactus ſum: erat enim auctio facienda: & ſtatim emptorem ſtultum reperit.* Non me latet, infra exſpectationem eſſe Vaticanam, etiam ex illo catalogo Græcorum manuſcriptorum codicum apparere, quem juxta cum aliis ejuſdem argumenti ſubjunxit ſacro apparatui Poſſevinus: adeo vilem autem eſſe, qualem indicem ejus Scaliger deprehendit, vix ſit veroſimile. Imo vero dixerim ego longe veriſimilius, forte ne nunc quidem bibliothecæ illius catalogum integrum eſſe confectum, etſi jam a Sixto IVto usque, cujus juſſu confuſi antehac ſparſique libri in ordinem cœpere redigi , in id ſtrenue a quam multis fuerit laboratum. Nata mihi ſane eſt illa ſuſpicio ex Leonis Allatii V. C. libro illo, quem apum Vrbanarum titulo inſcripſit: ubi de Alexandro Raynoldo, quem Clemens IIX. bibliothecæ Vaticanæ cuſtodem conſtituit, diſſerens ita loquitur: *continuavit indicem librorum Latinorum, qui calamo exarati aſſervantur in bibliotheca Vaticana, addiditque inde ſextum & ſeptimum tomum, cum quinque priores confecti eſſent a Dominico ejus fratre, dictæ bibliothecæ cuſtode. Confecit idem indicem librorum Latinorum manuſcriptorum, qui ex ſpoliis Electoris & Heidelberga in Vaticanam bibliothecam anno 1623. advecti ſunt: congeſſitque in eos varias obſervationes & notas.* Quin imo crediderim, nonniſi Græcorum codicum indicem Scaligero viſum eſſe: perinde atque hujus unius etiam in catalogo Græcorum manuſcriptorum bibliothecæ Bavaricæ codice cxxcv. fit mentio. Quicquid vero hujus ſit: nihil certius, quam vaſtarum bibliothecarum indices integros, ut confectu perquam difficiles, ita rariſſimos repertu eſſe: ac proinde hoc etiam multis in locis obſtare, quo minus catalogi in lucem prodeant.

Cæterum ne hoc quidem; quo minus AVGVSTÆ quidem bibliothecæ catalogus edatur, vel impediit hactenus, vel poterit impoſterum impedire. Index ille (ſi pauca excipias, ob quotidianam bibliothecæ acceſſionem) ea cura, eo ſucceſſu eſt elaboratus jam, atque ad maturitatem perductus, ut omnem ſuperet exſpectationem, & nec voto quicquam magis omnibus perfectum numeris poſſit iſthoc in genere expeti aut deſiderari. In ſtuporem profecto abreptus ego ſum, ſimul ſpectavi ingentem tot voluminum molem, quæ indicem iſtum referunt: multo magis, ubi ſpiſſos illos & ampliſſimæ magnitudinis codices curioſius inſpicere cœpi & evolvere. Librorum ipſorummet index integris quinque conſtat vaſtis regali, quam vocant, proceritate voluminibus: ſeorſim duo ſunt volumina cum prioribus illis miro artificio connexa non libros ſed auctores memorantia. Quinque priorum *tria volumina* (b) ipſemet Princeps manu ſua conſcripſit: id quod mecum indubie admiraberis, cum plane omni careat exemplo. Omnia porro voluminum illorum & plene & charactere minuto ſunt ſcripta: ne vacuas chartas aut ſeſquipedales inanes literas obtrudi opineris. Eſt præterea & alius index celebriorum quorumque typographorum univerſæ Europæ; alius adhæc omnium ſacræ ſcripturæ commentariorum, interpretationum, annotationumque: uterque itidem ab ipſomet confectus Principe: cujus ingenio & induſtriæ in univerſum debentur hæc omnia, niſi quod ad nonnulla miniſtrantium manus adhibitæ ſint, nil tamen præter manus. Inuſitatam

(a) *Joſephi Scaligeri*) Idem & alibi, nimirum in excerptis, quæ fratres Puteani congeſſerunt, non magnopere æſtimat bibliothecam Vaticanam, eique præfert Florentinam & Pariſinam, refer. MORHOFIO *l. c. c. 17. n. 24.*

(b) *tria volumina*) Hoc tamen catalogo divi Principis manuſcripto hodie bibliothecæ præfecti non utuntur, ſed apographum ſaltim ejus manibus terunt. Acceſſerunt autem hiſce voluminibus poſtea tria alia a ſecretariis bibliothecæ conſcripta. Nec iſta etiam volumina omnibus ſufficiunt, ſed duo adhuc expectantur, quibus aliquot librorum millia hactenus nondum deſignata inſerentur.

tatam ſcilicet non in confectione duntaxat indicum diligentiam, ſed etiam in ipſis indicibus artem obſervare eſt. Nec vero equidem memini illam a quoquam ſcriptis proditam; quamvis Naudæus bibliothecariam artem reliquam omnem eximio libello egregie ſit perſecutus: imo nuſquam illam alibi deprehendi, nec a quoquam audivi memoratam. Ut proinde illa ars AVGVSTÆ bibliothecæ ſit propria: ſicut tota ſoli item acutiſſimo Principis ingenio accepta ferenda eſt. Ea arte vero fit, ut primo librorum codici quatuor reliqui tanquam fundamento ſint ſuperſtructi: omnes porro librorum auctorumque codices ita cohæreant, ut momenti pene ſpacio ab imperitiore etiam quovis, tantum legere ſi ſit peritus, indicari poſſit, cujuslibet auctoris ſcriptum unum quodvis, quam variis aut vicibus aut editionibus, quo item loco exemplar quodque in ipſamet bibliotheca, inveniatur. Neſcio num vel ſic hariolando vim naturamque artis illius aſſequaris: in rem præſentem ſane ſi venias, non dubito te affirmaturum, nihil temere ingenioſius tibi alias viſum.

Igitur ut non per optimi Principis voluntatem, ita nec per indicis aut defectum aut imperfectionem ſtat, quo minus ille publicetur. Quæris, quid ergo obſtet? Magnitudo indicis: ea videlicet ipſius prolixitas, ut vix duobus grandibus voluminibus, ſi etiam literas adhibeas minutiores, a typographo biennii ſpacio queat produci in lucem. Idem quin & aliis omnibus primi atque (ut ita dicam) regii ordinis bibliothecis uſu veniat, haud equidem dubito: quare de talium integris ſane indicibus publicandis res apud me eſt plane deplorata. Et vero quos hactenus vidimus editos indices, vel bibliothecarum ſunt non valde prolixarum, vel non niſi partium quarundam, & quidem potiſſimum manuſcriptorum Græcorum codicum. Quales excudere, nulla vel levis eſt moleſtia.

Quin igitur, illam indicis quidem exſpectationem uterque noſtrum deponamus impoſterum, & noſmetipſos accuſemus potius imprudentiæ, qui & ſuadere & urgere auſi ſumus rem effectu non difficillimam duntaxat, ſed impoſſibilem. Expende nihilominus mecum ILLVSTRIS BOINEBVRGI illius AVGVSTÆ bibliothecæ ſaltim iſta admiranda, quibus bibliothecas omnium maximas veteris noſtrique ævi, nullas non æquat, multas imo omnes longo poſt ſeſe relinquit intervallo. Nec vero unum eſt aut alterum ejus quaſi miraculum, ſed multiplex: quæ proinde ſuo æſtimanda pretio a nobis ſunt, ſi in Principem pii, & quod in prudentum bonorumque officio eſt præſtare velimus. Te autem non minus quam me velle id agere, habeo perſuaſiſſimum: minime ſcilicet ignarus, qua ſis erga incomparabilem Principem obſervantia, quamve æquus præclararum quarumque rerum æſtimator.

Ac primum quidem habet AVGVSTA illa in conditore ſuo aliquid plane inuſitatum, & omni carens exemplo, ac proinde admiratione dignum maxima. Non urgebo nunc, quod conditor ille ſit generis proſapia & antiquitate nulli magnorum Principum ſecundus, aut quod primus ſuæ gentis ad bibliothecam operoſe inſtruendam animum appulerit. Jam tum olim ſcilicet & ſecuta tempeſtate fere omni, hæc cura Reges Principesque quam multos occupavit. Ægypti nempe Rex fuit quondam Oſymanduas, qui bibliothecam ab ſeſe ſtructam ψυχῆς ἰατρεῖον nuncupare haud dubitavit. In eadem Ægypto Macedonica gente Rex fuit Ptolomæus Philadelphus Alexandrinæ longe omnium celeberrimæ bibliothecæ ſtructor. Qui *Athenis libros diſciplinarum liberalium publice ad legendum prabendos primus poſuiſſe dicitur*, *Piſiſtratus* fuit, *tyrannus* ut tum vocabant, ut nos Princeps, Athenienſis; quæ fere ſunt Gellii *l. 6. noct. Atticarum* verba, jam tum adducta in medium. Pergamenæ bibliothecæ auctores Eumenes & Attalus Reges in primis memorantur. Primus etiam Romæ bibliothecas Græcas & Latinas publicare deſtinavit Julius Cæſar, cum jam rerum omnium potiretur: opus deſtinatum Auguſtus perfecit. Ad ejus exemplum in domo ſua bibliothecam Tiberius condidit, cujus meminit Gellius l. XIII. c. XVIII. Domitiani opus fuiſſe videtur bibliotheca illa celebris in templo pacis, & Hadriani Ulpia in æde Trajani. Transgreſſorem Julianum Imperatorem hiſce verbis in ſingulari ejus laudibus dicata oratione celebrat Libanius: *βιβλία πάντα παντηχόθεν ἐξείλκοσε, καὶ τὰ ταμιεῖα διεχειρίσατο ταῦτα μᾶλλον ἢ τὰ τῶν χρημάτων ἕτεροι.* Ejus epiſtolam ad neſcio quem Catholicum Porphyrium recitat Suidas in voce ἐπιστολή, qua jubet Antiochiam transferri Georgii alicujus bibliothecam: *πολλὴ τις ἦν*, ſcribit, *πάνυ καὶ μεγάλη βιβλιοθήκη Γεωργίου, παντοδαπῶν μὲν Φιλοσόφων, πολλῶν δὲ ὑπομνηματογράφων, οὐχ ἐλάχιστα δὲ ἐν αὐτοῖς καὶ τὰ τῶν Γαλιλαίων* (ſic Chriſtianos nuncupare amavit ille *ὁ παραβάτης*) *πολλὰ καὶ παντοδαπὰ βιβλία.* Fit vero in Suidæ collectaneis mentio & bibliothecæ a Juliano in æde Trajani Antiochiæ inſtitutæ, in voce Ἰοβιανός. Ubi eruditio inter Sarracenicæ ſuperſtitionis homines ſui aliquam exiſtimationem accepit, *in Aſia pariter & Africa* (a) locupletiſſimas bibliothecas quam multi itidem eorum Reges coegerunt. Laudabilis hæc cura ad Europæos denique noſtros etiam Reges & Principes tranſiit, poſteaquam Turcica barbaries capta Conſtantinopoli Græciam inundavit, & cum Græci in exilium pulſi priſcæ eruditionis Græcanicæ, tum alii Latinæ veteris litteraturæ deſiderium ſtudiumque quaſi poſtliminio reduxerunt. In Italia itaque hoc egit ſtatim, Romæ quidem Nicolaus V. Papa (quidni enim & Romanos Pontifices in maximorum Principum ordinem referamus?) & non multo poſt Sixtus IVtus, cumprimis vero *Sixtus V.* (b) Florentiæ vero Laurentius & Coſmus Medices: & Urbini Dux Federicus

(a) *in Aſia pariter & Africa*) Conf. JOH. LOMEIERI *librum ſingularem de bibliothecis cap. XI.*

(b) *Sixtus V.*) Novum ille inter alia ædificium pro reponendis libris extruendum curavit. Vid. ANT. CICARELLA *in vita hujus Pontif. apud Platinam pag. 497.* Cæterum Alexander etiam VII. in Romanæ ſapientiæ archigymnaſio juſſit bibliothecam extrui quæ operis magnificentia oculos alliceret, ſibique eſſet glorioſum monimentum, referente THEOPH. SPIZELIO *diſſert. prælimin. ſacris biblioth. illuſtr. arcanis detectis præmiſſa §. 6.*

ricus Feltrius ejusque filius Guido: in Gallia Rex Franciſcus: in Hungaria Matthias Rex: in Germania noſtra denique Palatini Principes Electores ab Ottone Henrico uſque & Bajoariæ Duces: ut alios liceat ſilentio nunc præterire, ne recenſio hæc fruſtra excreſcat. Hactenus inquam hoc quidem eximium habet bibliotheca AVGVSTA, quod itidem magnum Principem nacta ſit conditorem: non propria tamen huic dos illa, ſed cum aliis quoque nonnullis eſt communis. Hoc vero proprium, & citra exemplum: quod ſolius Principis induſtria collecta, quod ſolius Principis ære empta, quod ſolius Principis opera quam optime diſpoſita, quod ſolius Principis cura & arte in catalogum exquiſite relata, quod ſolius Principis impendiis aptiſſimum domicilium acceperit, quod poſtremo non ſolius duntaxat ſed plane unius ejusdemque Principis ſtudio ex nihilo ad ſummam perfectionem deducta ſit. Par nihil vel vetus vel noſtra ætas vidit. Nemo Regum aut Principum ſimile quid vel conatus eſt.

Hoc illud eſt, Illuſtris BOINEBVRGI, cur merito bibliotheca hæc a conditore ſuo Principe nomen AVGVSTÆ acceperit: quod alias, fateor, hactenus pene inſolens fuit, eoque poſſit nunc obnoxium cenſeri cavillationibus. Neque vero in antiquis quidem monumentis legere eſt bibliothecarum ulli inditum nomen niſi a loco. Quod ſane recentiorum nonnulli nobis memorent, Juliam, Auguſtam, Octaviam, Aſiniam bibliothecas, id facere ſolent nullo veterum monumentorum præeunte. *Unius Ulpiæ nomen* (a) in Flavio Vopiſco & P. Victore occurrit, nomine quidem gentilitio Trajani Imperatoris, non conditoris tamen ſui, qui Hadrianus potius videtur eſſe, potiſſimum ideo tamen, quod in templo Trajani, (quod ab Hadriano demum exſtructum eſſe vel ex eo liqueat, quandoquidem ab obitu demum ex Hadriani ſententia in Deorum ordinem relatus eſt Trajanus, ceu conſtat ex Lampridianea Hadriani vita, atque ita a morte demum idem ille templum Romæ conſecutus eſt: quale & Antiochiæ fuiſſe ab Hadriano conditum in memoriam & adorationem Trajani, ex collectaneis Suidæ, voce Ἰοβιανός, palam eſt) quod inquam in Trajani æde bibliotheca Ulpia ſedem fixerit, unde natum illud Gellii lib. 2. cap. 27. *ſedentibus forte nobis in bibliotheca templi Trajani.* Dionis Caſſii quidem l. 49. hæc etiam verba ſunt Latine verſa: *Auguſtus porticus & bibliothecas, a ſororis nomine Octaviæ dictas, exſtruxit:* ſed alibi *Octaviam porticum* reperire quidem eſt, bibliothecam autem Octaviam forte nuſquam: itaque Dionis illa narratio incertior eſt. Vtque certa ſit, nec illa tamen bibliotheca a conditore nomen inveniſſet, quippe qui Auguſtus fuerit, non Octavia ipſa: quamvis ita narret Plutarchus, in quem proinde merito animadvertit Juſtus Lipſius. Quicquid vero hujus ſit, in omni ſecuto ævo haud itidem reperias nomina bibliothecis indita, niſi aſſentatione quadam ſcriptorum. Certe nulla bibliothecarum majori jure a conditore meruit nomen accipere quam hæc AVGVSTA, cum nulla ſuo conditori tantum debuerit. Quanquam & absque hoc foret, præclarum illud nomen invidere bibliothecæ huic deberet nemo; cum vere ſit *Auguſta*, conſecrata ſcilicet eccleſiæ & reipublicæ bono; inſtituta item non avibus quidem bonis, bono tamen & favente Deo: ceu ex feliciſſimo ejus ab incunabulis uſque, ut ita loquar, incremento palam eſt. *Qualia ſignificat vis illius vocis.* (b) Quod nos vel Ovidius docuerit, in Faſtis canens:

> *Sancta vocant AVGVSTA patres. AVGVSTA vocantur*
> *Templa, Sacerdotum rite dicata manu.*
> *Hujus & AVGVRIVM dependet origine verbi:*
> *Et quodcunque ſua JVPITER AVGET ope.*

Sed fortaſſis non eſt, ut multis nomini invidiam deprecemur. Majus operæ facturi ſumus pretium, ſi quæ plane inuſitata de Sereniſſimo AVGVSTÆ conditore paulo ante memorabamus, nonnihil plenius doceamus. Erat autem illa inter id quaſi palmarium, quod ipſemet Princeps & collegerit ſibi vim illam magnam librorum, & longe optimo ordine diſpoſuerit. Hæc ſine exemplo eſſe, non equidem dubito affirmare. Enimvero de nullo Regum aut Principum, qui bibliothecas æterna cum nominis fama inſtituerunt, illa quidem legas: de pleriſque alia omnia. Philadelphum ſane Regem ejus ordinis unum omnium celeberrimum, conſtans eſt cum Judæorum Helleniſtarum tum eccleſiaſticorum veterum traditio, in colligenda pariter & ordinanda Alexandrina bibliotheca omnia egiſſe conſilio & ſtudio Demetrii Phalerei. *Verum hoc fortaſſis haud æque eſt certum:* (c) quia Demetrio Philadelphus ſumme infenſus, ejus vero pater ſolus, Lagi nempe filius, amicus fuit: quemadmodum quidem ex Hermippo refert Laërtius. *Hermippi autem narra-*

(a) *Unius Ulpiæ nomen*) Quem autorem habuerit bibliotheca Ulpia, veteres non memorant, ſed Ulpiam tantummodo appellant. Hinc multi conditoris nomen indicari arbitrantes ab Ulpio Trajano originem ejus repetunt, cum potius hoc opus ſucceſſori ipſius Ælio Hadriano videatur adſcribendum. Is enim templum Trajani poſt obitum in deorum numerum relati extruxit, refer. ÆLIO SPARTIANO *in vita Trajani cap. 6.* Hanc ob cauſam non potuit inſtruere librariam hanc ſupellectilem Trajanus, cum templum, in quo fuit primum repoſita, mortuo hoc imperatore cœperit, ratio vero appellationis, qua Ulpia dicta eſt, a templo in honorem Ulpii Trajani ſuſcitato, utpote librorum primo receptaculo, erit repetenda.

(b) *Qualia ſignificat vis illius vocis*) Auguſti nomen a ſacro & augurali verbo originem & autoritatem ſuam ducit, inde translatum ad omnia, quæ ſacrum quiddam & venerabile complectuntur, unde ex DIONE XIPHILINVS *lib. 5.* ait, *πάντα τὰ ἐντιμότατα καὶ ἱερώτατα αὔγουστα προσαγορεύεται*, & CICERO *in Tuſcul. quæſt. lib. 5.* ſanctum auguſtumque conjungit, nec non LIVIVS *lib. 1. cap. 8.* Romulum habitu ſe auguſtiorem feciſſe tradit, quod ſe venerabilem inſignibus imperii effeciſſet. Idcirco etiam in pleriſque inſcriptionibus cognomen AVGVSTORVM Diis additum eſt, & templa in quibus Dii colebantur, auguſta veteres appellarunt. LIVIVS *lib. 1. cap. 29.* LAMPRIDIVS *in Heliogab. cap. 3.* OVIDIVS *lib. 1. Faſt.* Conf. de titulo Auguſti SCHVRZFLEISCHII *opera hiſtorico politica pag. 865. 877.*

(c) *Verum hoc fortaſſis haud æque eſt certum*) Idem oſtendit ANTONIVS VAN DALEN *diſſert. ſuper hiſtoria Ariſteæ cap. 5.*

narratio (a) non poteſt non apud nos valere plurimum, cum ſit Smyrnæus ille qui Evergeta rege in ipſa Ægypto multa doctrina inclaruit, ipſomet Joſepho *l. 1. contra Appionem* teſte *diligentiſſimus circa omnem hiſtoriam indagator.* Berytium enim illum Hadriano demum Imperatore clarum ſignificari, id quod vult Voſſius *l. 1. de hiſtor. cap. XII.* neutiquam eſt veroſimile. Omnis contra Helleniſtarum & eccleſiaſticorum illa traditio nititur *unius Ariſteæ* (b) narrationibus: quas fabularum eſſe plenas, jamdudum obſervatum eſt Scaligero & noſtræ ætatis doctioribus aliis. Quid, quod nec illud ſatis conſtet, Philadelphusne primus an jam tum pater ejus condendæ bibliothecæ fecerit initium, cum & Irenæus pariter & Anatolius verſionem ſacrorum codicum patri Lagidæ ferant acceptam, Clemens ipſe Alexandrinus *l. 1. Stromatum* ſit dubius? Quodſi patri illa laus debeatur, hunc Demetrio eſſe uſum per eſt probabile: quia ipſi a conſiliis fuiſſe, a perquam multis traditum accepерimus. Utcunque vero illud ſeſe habeat, de Julio Cæſare diſerte in hunc modum Tranquillus: *Deſtinabat bibliothecas græcas & latinas quam maximas poſſet publicare, data M. Varroni cura comparandarum ac digerendarum.* Auguſtum *Pompejo Macro* (c) *ordinandas bibliothecas* delegaſſe, ex Tranquilli Cæſare cap. 16. itidem palam eſt. Idem Tranquillus de Meliſſo Grammatico: *cito manumiſſus Auguſto etiam inſinuatus eſt, quo dum elegantes curam ordinandarum bibliothecarum in Octavia porticu ſuſcepit.* Idem memorat *C. Julium Hyginum Palatinæ bibliothecæ præfuiſſe.* Non hiſce annumerabo eos, qui *a bibliothecis* iſthoc ævo Romæ fuiſſe, antiquis inſcriptionibus memorantur: videntur enim ſerviles magis operas bibliothecis præſtitiſſe. Non auſim quoque iis tuto accenſere Aſinium Pollionem: quia fortaſſis propria auctoritate non auſpiciis Auguſti bibliothecam in Libertatis atrio publicavit. Avorum memoria vero *a Sixto IVto Pontifice usque, Vaticanæ reſtituendæ curam Platina atque alii ſuſceperunt,* (d) non ipſorummet Pontificum quisquam. Mazarinianam quoque bibliothecam ſtudio *Gabrielis Naudæi,* (e) non ipſiusmet cardinalis, & ſtructam & diſpoſitam eſſe, nemini eſt ignotum. *Mitto alias memorare* (f) in re usque adeo liquida. Nec vero crediderim palmam hanc AUGUSTO Principi quenquam redditurum dubiam: quod Regum ac Principum primus ſuapte cura bibliothecam longe locupletiſſimam & condiderit & ordinaverit, nullius alterius in id conſilio aut opera uſus.

Pertinet vero huc ſaltim ex parte etiam illud, quod unus ille Princeps, nemine antehac præeunte, & inceperit pariter AUGUSTAM ſuam & ad hanc ſtupendam magnitudinem perduxerit. Solent ſcilicet plerumque bibliothecæ illæ majores, nonniſi longo temporis tractu, & multorum ſibi ſuccedentium induſtria, denique ad maturitatem ſuam pervenire. De Alexandrina omnium olim celeberrima ſcripſerat Livius, teſte Seneca, *fuiſſe id elegantiæ REGUM curaque egregium opus.* Ipſemet Seneca conditores ejus plures itidem agnoſcens, addit: *non in ſtudium ſed in ſpectaculum comparaverunt.* Strabo l. 1. itidem de Ariſtotele: πρῶτος ὧν ἴσμεν, συναγαγὼν βιβλία καὶ διδάξας τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ βασιλέας βιβλιοθήκης σύνταξιν. Gellius quoque l. VI. cap. ult. *Ingens numerus librorum in Ægypto a Ptolomæis regibus vel conquiſitus vel confectus.* Ammianus etiam l. 11. *Loquitur monumentorum veterum continens fides, ſeptingenta voluminum millia* (g) *Ptolomæis regibus vigiliis intentis compoſita.* Paulus quoque Oroſius l. 6. c. 13. ſic loquitur: *ſingulare profecto monumentum ſtudii curaque majorum, qui tot tantaque illuſtrium ingeniorum opera congeſſerant.* Ita illi. Uni quidem Philadelpho ſolent & Helleniſtæ Judæi & eccleſiaſtici plerique laudem hanc adſcribere, ſed ut ante jam dixi, fide Ariſteæ ſcriptoris fabuloſi. Ex quo cum & Joſephus l. XII. antiquit. c. 11. & Euſebius l. 8. de præparatione referant illud: *Demetrium aliquando interrogatum quot millia librorum jam haberet, reſpondiſſe, ducenta millia admodum, ſed ſperare brevi ad quingenta:* ſecure credi non poteſt. A Philadelpho tamen eximie ornatam illam bibliothecam, haud equidem negaverim. Nam & Athenæus l. 1. refert coemiſſe illum bibliothecam Ariſtotelis, & multa alia cum Athenis tum in Rhodo, atque Alexandriam tranſtuliſſe. At vero & Ptolemæum Evergetem incredibili ſtudio flagraſſe librorum undique congeren-

(a) *Hermippi autem narratio*) Hermippi tamen autoritatem elevare conatur *ISAACUS VOSSIUS*, eo quod narret, Demetrium poſt Caſſandri mortem metu Antigoni ad Ptolomæum Lagi filium confugiſſe, cum tamen Caſſander Antigono triennium ſupervixerit. Quod quidem verum eſt de Antigono Demetrii Poliorcetæ patre, minime autem de Antigono Caſſandri filio. Is enim, qui Antipatris quoque nomine veniebat, a Dioxippo ſicut & ab EUSEBIO *in chronico* Antigonus appellatur, uti *JOH. USSERIUS in annalibus ſuis* obſervavit.

(b) *unius Ariſteæ*) Philo Judæus primus videtur hiſtoriam hanc de LXX. interpr. publicæ memoriæ tradidiſſe, Ariſteas autem eam ulterius adornaſſe, quam deinceps Joſephus aliique avide arripuerunt, licet alii aliam ſub eodem nomine confictam amplecterentur. Cæterum Ariſteæ hujus narrationem præter DALENIUM ex verſione MATTHIÆ GARBITII exhibent quoque *editiones Flavii Joſephi* cum ab ITTIGIO tum ab HAVERKAMPIO procuratæ in *appendice*, eique notas addidit JOH. ALBERTUS FABRICIUS.

(c) *Pompejo Macro*) De hoc aliisque inter veteres celebrioribus bibliothecariis vid. CLAUDII CLEMENTIS *ſectio I lib. III. Muſei Lugd.* 1635. *in 4.* editi, ubi agit de perſonis bibliothecam accurantibus.

(d) *a Sixto IV. &c.*) Erat enim bibliotheca pontificia ſub Clemente V. Avenionem translata, ibique per 120. fere annos permanſerat, donec Martinus V. eam in Vaticano Romæ reſtitueret, confuſis tamen ſparſisque libris neque ullo certo loco incluſis. Poſtea vero Sixtus IV. indigne ferens librorum copiam partim vetuſtate partim hominum injuria conſumi, in opportunum locum eam repoſuit, curamque hujus theſauri Barthol. Platinæ *a.* 1475. demandavit, quem perpetuum ejus cuſtodem conſtituit, quique etiam libros ſparſos in ordinem redegit, eosque ſecundum armaria diſtribuit. Vid. *inventarium biblioth. Sixti IV.* apud STRUVIUM *act. liter. faſc. 8. p. 10. ſſ.*

(e) *Gabrielis Naudæi*) Fuit is bibliothecarius cardinalis Mazarini & poſtmodum Reginæ Chriſtinæ, olim cardinalium Franciſci a Balneo & Franc. Barbarini. Vid. MORHOFII *polyh. lib. I. c. 24. n. 52.*

(f) *Mitto alias memorare*) Ita enim *CONRADUS GESNERUS* curavit *bibliothecam Columbinam*, *M. ANTONIUS SABELLICUS bibliothecam Beſſarionis*, *BARTHOLOMÆUS AMANTIUS & PETRUS APIANUS Fuggerianam*, *JANUS LASCHARES Mediceam & regiam Gallicam &c*

(g) *ſeptingenta voluminum millia*) Conf. de numero librorum biblioth. Alexandrinæ *p.* 568.

gerendorum, luculente apparet ex iis quæ narrat Galenus com. II. ad libr. tertium epidemiorum Hippocratis ſect. IV. *Prolixitas probibet illa huc adducere:* (a) delectabit vero plurimum, ſpondeo, ſi Galenum ipſum conſulere volueris. Evergetem autem hunc eſſe illum id nominis primum Philadelphi filium & ſucceſſorem, non eſt cur quis forte dubitet. Etenim & Evergetem ſecundum profuiſſe propagandæ paſſim eruditioni, refert quidem Athenæus ex Menecle Barcæo & Androne Alexandrino, ſed non illa laudabili ratione, verum præ ſævitia pulſis in exilium eruditis. Athenæi verba l. IV. cap. ult. Latine ſic verſa ſunt: *Renovata ſunt omnes diſciplinæ ſub ſeptimo Ægypti rege Ptolomæo, quem alii præcipue Alexandrini κακεργέτην appellarunt. Hic enim multis Alexandrinis jugulatis, nec paucis qui cum fratre ejus adoleverant in exilium actis, urbes ac inſulas replevit grammaticis, philoſophis, geometris, muſicis, pictoribus, puerorum magiſtris, medicis, & aliis multis artificibus, qui ob inopiam ea docentes quæ ſciebant, omni humanitate præclaros viros expoliverunt.* Usque adeo vero librorum ſtudium fuit Ptolomæorum familiæ quaſi proprium, ut & Cleopatram ab Antonio ſuo Attalicam bibliothecam petiiſſe atque impetraſſe, a Plutarcho ſit memoriæ proditum. Quod Alexandrina itaque bibliotheca non uni regi ſed multis debeatur, ſine hæſitatione licet utique affirmare. Par ratio vero eſt & *hujus æmulæ Pergamenæ* (b) Strabo enim quidem ita fere loquitur. l. XIII. *Eumenes urbem inſtruxit, & donariis ac bibliothecis, uti nunc eſt, diligenter excoluit.* Plinius quoque l. XIII. cap. XI. memorat duntaxat *æmulationem circa bibliothecas regum Ptolomæi & Eumenis,* qua factum, ut *ſupprimente chartas Ptolomæo, Pergami membranæ ſint repertæ.* At vero ipſe ille Strabo l. eodem, agens de Scepſi & bibliotheca Ariſtotelis ac Theophraſti Scepſin translata, ſignificat, Attalicorum regum commune ſtudium fuiſſe, libros conquirere ad inſtruendam Pergami bibliothecam. Ut proinde nihil aliud voluerit, quam Eumene auctore cœpiſſe bibliothecas Pergamenas. Et vero accipienda illa ſunt de Eumene primo Attali patre, non de ſecundo, quod Lipſio placuit: qui proinde non poterat ſatis aſſequi illam regum æmulationem: quæ plana tamen eſt, cum Eumenis primi regnum incidat in ævum Philadelphi atqui Evergetæ: quorum alteruter chartas ſupprimens membranis Pergamenis dedit originem. Pergamenis, inquam: pridem enim *ante membranarum aliquod genus fuiſſe* (c) in uſu, certum videtur. Plures uno autem Pergamenorum regum bibliothecæ ſtruendæ dediſſe operam, etiam Galenus Pergami natus, vir ſummæ eruditionis, teſtatur fine commentarii ſui in Hippocratis libellum de natura humana. *Nam,* inquit, *ante ætatem REGVM Alexandriæ & Pergami, inter quos erat in comparandis libris veteribus contentio, nullus liber unquam falſum titulum habuerat. Verum ut primum acceperunt præmium, qui antiqui cujuspiam autoris libros iis afferrent, tum demum multos falſo titulo inſignientes attulerunt.* Vitruvius quoque l. VII. ſcribit: *REGES Attalicos magnis philologiæ dulcedinibus inductos egregiam Pergami bibliothecam ad communem delectationem inſtituiſſe.* Taceo & Ælianum pariter & S. Hieronymum epiſtola ad Chromatium, diſerte æmulationem illam Attalo adſcribere, primo ſcilicet id nominis, Eumenis filio, Evergetæ compari. Quid, quod fortaſſis ad copias illius librariæ ſupellectilis etiam ſacerdotes juverint? Galenus certe cum in VI. epidemiorum commentario, tum tertio de fractura oſſium libro memorat, ſacerdotes Pergamenos collegiſſe medicorum antiquorum inprimis libros, partim in membranis partim in corticibus tiliæ exaratos. Quin igitur & Alexandrina & Pergamena bibliotheca a non uno ſit ſtructa rege, non eſſe dubitandum videtur. Illa quoque Conſtantinopolitana, quam cum centum & viginti millibus librorum conſtaret, conflagraſſe jam tum diximus, *multorum* cura ita excreviſſe, iidem qui conflagrationem narrant prodiderunt, Zonaras pariter ac Cedrenus. Præter haſce vero in veteri ævo nulla, ſummæ quidem notæ bibliotheca, quæ regum ſtudio ſit collecta, commendatur. De Sarracenicis bibliothecis parca ad nos memoria pervenit: eoque non etiam eſt quod alterutram in partem diſſeri de iis poſſit. Ex recentioribus *regiam Gallicanam utique ſenſim creviſſe,* (d) per varias diverſis temporibus ac regibus factas acceſ-

(a) *Prolixitas probibet illa huc adducere*) GALENVS inter alia in *librum ſecundum Hippocratis de morbis vulgaribus* refert, tanto fuiſſe Ptolomæum erga libros ſtudio, ut omnium ad ſe appellentium libros ad ſe adferri juberet, quos relatos in novas chartas dominis deſcriptos daret, a quibus in portum invectis ad ſe allati libri eſſent, allatos vero in bibliothecas reponeret cum inſcriptione: *Ex navibus acceptorum.* Idem refert, quod Ptolomæus XV. pignoratis talentis Sophoclis & Euripidis & Æſchylis libros ab Athenienſibus acceperit, ut eos tantum deſcriberet, & mox ſartos tectos reſtitueret. Adde CONRINGIVM *p. 564. infra.*

(b) *hujus æmulæ Pergamenæ*) Dubitari poteſt, utrum Pergamena Alexandrinæ æmula fuerit, an vero illa Pergamenæ. VITRVVIVS enim *præfat. in lib. 7. de architectura, reges Attalici,* inquit, *magnis philologiæ dulcedinibus inducti cum egregiam bibliothecam Pergami ad communem delectationem inſtituiſſent, tunc item Ptolomæus infinito zelo cupiditatisve incitatus ſtudio non minoribus induſtriis ad eundem modum contenderat Alexandriæ comparare.* Sane etiam *DALENIO in diſſ. ſuper hiſtoria Ariſteæ p. 32.* probabile videtur, Philetærum Pergami cœpiſſe aggregare bibliothecam, quam deinde in eo ſtudio ſubſequentes reges, & inter hos cumprimis Eumenes ſecundus ſecuti fuerint. *Ab initio itaque,* ait, *regni Pergameni bibliotheca ibi inſtituta, ſucceſſu temporum deinceps ulterius crevit, adeoque Alexandrina non poſterior ſed revera prior fuit, qua in re mihi non obſcure adſtipulatur Caſaubonus in commentario ad Strabonem & Scaliger in animadverſionibus ad Euſebii chronicon. Addo adhuc quod dubium ſit, Eumeneſne fuerit is, ut Plinius ait, an Attalus, ut Ælianus, inter quem & Ptolomæum ſuborta fuerit æmulatio circa bibliothecas.* Vid. MELCHIORIS GVILANDINI *Papyrum ſive commentarium in tria C. Plinii majoris de Papyro capita,* quem Ambergæ 1612. edidit & recenſuit HENRICVS SALMVTH membro 6. id quod ipſe poſtea monuit CONRINGIVS.

(c) *ante membranarum aliquod genus fuiſſe*) Membranarum enim uſum multo ante, quam Ptolemaici & Attalici reges de gremio exirent, orbi terrarum communicatum fuiſſe contra *VARRONEM* teſtantur HERODOTVS & JOSEPHVS. Conf. *GVILANDINVM l. c.*

(d) *regiam Gallicanam ſenſim creviſſe*) Primus fuit Carolus V. Rex G. ſapientis nomine inſignitus, qui initia poſuit regiæ bibliothecæ, quam in fonte bellaqueo inſtituit. Deinde Carolus VI. illam auxit bibliotheca Luparenſi, ornavit Ludovicus XI. nec non Franciſcus I.

acceſſiones, vel ex iis quæ non multum ante adduximus a Thuano commemorata, de antiquæ Mediceæ in regiam translatione, abunde palam eſt. De Oxonienſi itidem jam innotuit, ex iis quæ jam tum narravimus non ſemel. Quin imo ex *Richardi de Buri* (a) equitis Dunelmenſis opuſculo, a Goldaſto cum epiſtolis philologicis edito, cui ipſe autor philobiblio nomen dedit, manifeſtum eſt, bibliothecam Oxonienſem jam tum Eduardo III. Rege, h. e. anno ſeculi Chriſtiani quartidecimi quinquageſimo circiter, ut recte Trithemius computat, per Richardum illum ſtrui cœptam. *Scoriacenſem* (b) regiam Hiſpaniæ bibliothecam incepit quidem Philippus II. ſed poſt demum excreviſſe in eam, quæ hodie admirationi eſt, magnitudinem, docebunt quæ non multo poſt adferemus. Qua celebriorem nullam Germania olim habuit, *Palatina* (c) originem quidem ſuam debuit Ottoni Henrico Electori, ſed juſtam amplitudinem poſt demum acceſſiſſe, itidem brevi apparebit. Ad Vaticanam complures Pontifices operam ſuam contuliſſe, notiſſimum in vulgus eſt. *Angelus Roccha*, (d) (qui ſingulari libro bibliothecæ illius hiſtoriam traditurum ſeſe profeſſus eſt, etſi nihil habeat dignum memoratu, præterquam quod ex compilatis Onuphrii Panvinii hactenus latentibus monumentis, illaudabili facinore eſt ſubductum) *ficut bibliothecam*, ſcribit, *Vaticanam jam inde a S. Petro ortum traxiſſe, ita etiam ab eodem de ea conſervanda curam ſucceſſori ſuo fuiſſe demandatam, conjectari licet: ut ex inſcriptione qua infra legitur, videre eſt.* Exſpectaret prudens quisque inſcriptionem ex primo eccleſiæ Romanæ ævo: ut hominis judicium autem videas, adfert aliquid a Sixto Vto parieti inſcriptum, hæc & alia quidem nonnulla referens, ſed æque ridicula atque inepta. Equidem haud negaverim ſupereſſe in bibliotheca illa monumenta nonnulla vetuſtatis eximiæ, & a nonnullis Pontificibus ſenſim quædam illi addita: *ipſum autem ſanctiſſimum Apoſtolum* (e) bibliothecæ ſtruendæ dediſſe operam, ejusque curam ſucceſſoribus mandaſſe, non dubito, abs Te etiam febriculoſis curiæ adulantium ſomniis adſcribi. Quid? quod nullo teſtimonio aut indicio ſit probabile, Romanos Pontifices ante Nicolaum Vtum bibliothecæ librariæ curam magnopere habuiſſe? *Libraria* inquam; in alios enim uſus ab eorum nonnullis aliquid collectum, haud nego. Ipſemet Roccha Volaterranum laudat teſtem, qui in hæc verba de Nicolao V. ſcribit l. 22. *Bibliothecam Vaticanam inſtituit: miſſis quaqua verſus doctis viris comparandorum librorum gratia. Primus noſtri ſeculi literas pene extinctas excitavit, præmiis omnibus hominibus virtute præditis invitatis.* Onuphrius in libri nondum publicati de bibliotheca Vaticana iis fragmentis, quæ poſt Roccham protulit l. 2. itinerarii Italiæ c. x. Franciſcus Schottus, ſcribit: ante Sixtum IVtum *confuſos ſparſosque libros neque ullo certo aut digno loco interclusos: Sixtum* vero *indigne ferentem libros illos partim vetuſtate, partim hominum injuria conſumi, certo & opportuno loco digeſſiſſe, armariis pluteis cæterisque instructa & bene culta bibliotheca neceſſariis exornaſſe, atque bibliothecam Vaticanam multis additis voluminibus, eccleſiæ decori, fidei catholicæ amplificationi, publicæ eruditorum hominum commoditati & honori conſecraſſe.* De eodem Sixto refert Onuphrius: quod denique anno ab orbe redempto MCCCCLXXV. *perpetuum cuſtodem & veluti bibliothecarium Vaticanæ bibliothecæ tum a ſeſe erectæ, bulla plumbea inſtituerit Bartholomæum Platinam.* Idem Onuphrius vitam Sixti deſcribens: *Bibliothecam*, inquit, *Palatinam in Vaticano, toto terrarum orbe celebrem, Palatino præfecto, adductisque ex omni Europa libris contraxit, certosque proventus, unde cuſtodes & librarii græci, latini & hebraici, menſtrua ſalaria quibus ali poſſent haberent, librique emerentur, aſſignavit: opus omnium præclariſſimum & Pontifice maximo dignum.* Ipſemet etiam Platina de Nicolao: *Miſit & literatos viros per omnem Europam, quorum induſtria libri conquirerentur, qui majorum negligentia & barbarorum rapinis jam perierant. Nam & Poggius Quintilianum tum invenit, & Enoch Aſculanus Marcum Cælium Apicium & Pomponium Porphyrionem in Horatii opera ſcriptorem egregium.* A quo Nicolai ingenio quantum abfuerit tamen Paulus IIdus, prolixe idem narrat, hoc etiam adjiciens: *Humanitatis ſtudia ita oderat & contemnebat, ut ejus ſtudioſos uno nomine hæreticos appellaret. Hanc ob rem Romanos adhortabatur, ne filios diutius in ſtudiis literarum paterentur; ſatis eſſe ſi legere & ſcribere didiciſſent.* Verum hæc obiter tantum adjicere placuit, ut magis appareat falſitas ineptarum narrationum Angeli Rocchæ, & inſcriptionum quas ille recenſet. *Cum vero conſtet, jam ante Nicolaum* (f) fuiſſe aliquod Romæ in-

con-

---

cumprimis vero Catharina de Medices & poſt eam Henricus IV. tandemque Ludovicus XIV. & Dux Aurelianenſis nomine Ludovici XV. Celebriores hujus bibliothecæ præfecti fuere Joh. Baptiſta Benciregnus, Jac. Aug. Thuanus, Joh. Paulus Bignonius, Louvois &c.

(a) *Richardi de Bury*) Edidit ejus *philobiblion* ex bibliotheca & recenſione Goldaſti B. *IOH. ANDR. SCHMIDIVS in nova acceſſione ad collectionem Maderianam de bibliothecis.*

(b) *Scoriacenſem*) Hac de videatur JOSEPHVS DE SIGNENCA *in hiſtoria ſui ordinis lib. 3. & 4.* JOHANNES MARIANA *lib. 3. de rege & regis inſtitutione c. X.* *CLAVDIVS CLEMENS in peculiari deſcriptione Muſeo ſuo ſubjuncta.* Quænam vero hodierna illius facies ſit, docet L'ABBE DE VAYRAC *Etat preſent de l'Eſpagne t. I. p. 370. ſſ.*

(c) *Palatina*) De ea alia etiam referunt HENR. ALTINGIVS *in hiſtoria Palatina MSa* apud HOTTING. *H. E. N. T. ſec. XV. p. 43. 44.* LOMEIERVS *de bibliothecis c. X.*

(d) *Angelus Roccha*) Hujus de bibliotheca Vaticana commentarius prodiit Romæ 1591. 4. ſed judice MORHOFIO *in polyhiſt. tom. I. lib. I. c. 17. n. 26.* totus eſt in excurſibus, & diſſertationibus ad rem, quam tractat, non pertinentibus.

(e) *ipſum autem ſanctiſſimum Apoſtolum*) Eandem fabulam recoxit *MVTIVS PAVSA libro Ragionamenti della libraria Vaticana*, in quo agit de origine & renovatione bibliothecæ Vaticanæ. Cæterum præter eos, qui de Vaticana ſcripſerunt, a Conringio allegatos, videatur etiam *ANTONIVS CICARELLA in deſcriptione ejusdem bibliothecæ*, quæ habetur *in vita Sixti V. hiſtoriæ Platinæ* annexa.

(f) *Cum vero conſtet, jam ante Nicolaum*) Hilarius enim Papa jam antea bibliothecas duas Romæ juxta fontem Lateranenſem ædificaverat, in quibus eccleſiæ Romanæ ſcripta, epiſtolas decretales, conciliorum actiones, ſanctorumque patrum libros conſervaret. Vid. MORHOFIVS *cap. 3. lib. I. tom. I. n. 15.* ipſeque CONRINGIVS *p. 547.* ex ONVPHRII PANVINII *fragmentis* quædam in hunc finem adducens.

conditum chaos librarium, & jam a Nicolao ipſo, antequam Sixtus formam aliquam bibliothecæ Vaticanæ indidit, undique vim eximiam librorum congeſtam fuiſſe, idemque egiſſe Sixtum, neminem etiam fugiat ſaltim illud bibliothecæ iſtius ingens incrementum, quod ex ſpoliis Germaniæ noſtra memoria partum eſt: non uni alicui pontificum poſſe omnem illam bibliothecam referri acceptam, vero utique eſt verius. Fruſtra fuerim, ſi alias etiam bibliothecas nobiliores fortunam ſuam itidem multorum ſtudiis debere, demonſtravero. Et vero illam Matthiæ Hunniadis Pannonicam, ac recentiſſimam Mazarinianam ſi excipias, fortaſſis nullam, quæ quidem regum aut magnorum principum auſpiciis cœperit, laudare licuerit, quæ eodem auctore orta pariter ſit atque ad faſtigium pervenerit. Contigit vero hæc felicitas AVGVSTÆ noſtræ, ceu ante diximus. Vtpote quam optimus idem Princeps nulla plane adjutus a majoribus jam parata ſuppellectile, quaſi ex nihilo novam omnino exorſus eſt, ſenſim auxit, & denique in hanc magnitudinem quam admiramur perduxit; quamvis ne nunc quidem magis magisque eam perficere negligat. Vnicam dicere liceret hanc etiam AVGVSTÆ laudem niſi Pannonica illa & cardinalitia veniſſent in partem. Id tamen manet, plerisque omnis ævi bibliothecis maximis etiam hac in re AVGVSTAM antecellere.

Subjungam nunc, quo ſi non magis certe non minus priore, AVGVSTA bibliotheca jactare ſeſe poteſt, tanquam aliquo præcipuo, quodque a ſuo conditore nacta eſt itidem vere *admirabile*, eoque tertio loco numerandum, Pertinet autem etiam illud ad comparationem tantæ librorum copiæ, & quidem ad ipſammet comparandi rationem: in qua itidem optimum Principem ſe ſingularem præſtitiſſe, niſi fallor, palam futurum eſt. Apparebunt autem omnia etiam hæc, ſi præmiſero nonnullis, quemadmodum & olim & noſtro ævo maximæ quæque bibliothecæ ſint regum principumque ſtudiis natæ & conquiſitæ. Qua in re placet initium nunc facere a latinis antiquis. Iſidorus Hiſpalenſis *l. 6.* originum ita loquitur: *Romæ primus librorum copiam advexit Æmilius Paulus, Perſe Macedonum rege devicto: deinde Lucullus e Pontica præda.* De Lucullo nonnihil aliter Plutarchus, quaſi ſcilicet ære ſuam paraverit: *Laudanda ejus impenſa & ſtudium in libris: nam & multos & eleganter ſcriptos conquiſivit, eosque ut liberaliter paravit ita etiam utendos dedit.* Sed utraque narratio facile conciliatur, ſi dixeris, æs illud, quo parata bibliotheca eſt, ex præda Pontica eſſe acquiſitum. *Poſt Lucullum* (a) Iſidorus ſtatim narrat, quid molitus ſit Julius Cæſar: non debuit vero præteriri Cæſare prior Sulla. Hunc captis Athenis avexiſſe inde Romam bibliothecas, non unus memorat. Lucianus adverſus indoctum: *εἰ ἅπαντα ἐκεῖνα (τὰ βιβλία) κτήσῃ, ὅσα ὁ Σύλλας Ἀθήνηθεν εἰς Ἰταλίαν ἐξέπεμψε, τί ἂν ἐκ τούτου πλέον εἰς παιδείαν κτήσαιο; Si omnes eos libros habeas, quos Athenis in Italiam avexit Sylla, num ideo eruditior es futurus?* Has inter fuiſſe & Apelliconis Teji locupletiſſimam librariam ſupellectilem, cujus pars erat ipſa Ariſtotelica, (de cujus amplitudine multa habet etiam Athenæus l. 5. c. 13.) luculente narrat Strabo l. 13. & Plutarchus in Sulla, & Ariſtides rhetor in Panathenaico: qui eleganter *τὰ βιβλίων ταμιεῖα* fuiſſe ait *μάλα τῶν Ἀθηναίων κόσμον οἰκεῖον.* Hi tres igitur conſtruxerunt Romæ bibliothecas ex ſpoliis. Pergit vero Iſidorus: *Primus Romæ bibliothecas publicavit Pollio, græcas ſimul atque latinas, additis auctorum imaginibus* (b) *in atrio, quod de manubiis magnificentiſſimum inſtruxerat.* Perquam autem veriſimile eſt, ut atrium ita etiam bibliothecam ipſam ex manubiis conditam. Dio Caſſius l. 49. ſcribit Auguſtum *ex manubiis Dalmatarum paulo ante ſubactorum, porticus & bibliothecas, Octavias dictas, exſtruxiſſe.* Ejusdem vero gentis manubiis uſum & Aſinium Pollionem dixeris, quoniam & ille Dalmatas bello ſuperavit. Templum Pacis a Veſpaſiano eſſe conſtructum, Joſephus, Tranquillus, Dio, S. Aurelius Victor, & alii referunt. Eſtque itidem veriſimile, ex manubiis Judaicis id ſtructum eſſe: utpote cum in ædem illam vaſa & donaria templi Hieroſolymitani ſint depoſita, ceu prodit S. Hieronymus. Quidni ergo liceat ſuſpicari, ex iisdem manubiis etiam bibliothecam templi illius celeberrimam eſſe conditam, quamvis forte demum a Domitiano? *Fuit autem templum hoc* (c) quotidiano etiam conventu litteratorum nobile: quantum ex variis Galeni locis colligere eſt: non tamen & ægrotorum, quod Gyraldus credidit, cujus errorem docte coarguit Hieronymus Mercurialis *l. 1. variar. lectionum cap. XXIII.* Ulpiam bibliothecam itidem ex manubiis Dacicis prodiiſſe, haud immerito quis ſuſpicetur, ſi ab ipſomet fuerit Trajano condita. At veroſimile ſaltim jam fecimus, deberi illam potius Hadriano. Hoc itaque eſto incertum. Poſt hunc vero bibliothecæ cauſa Imperatorum nemo inclaruit. Gordianum duntaxat juniorem, Julio Capitolino teſte, bibliotheca, *in qua ſexaginta duo millia librorum cenſebantur, ad cœlum tulit, ſiquidem tanta bibliotheca copia & ſplendore donatus, in famam hominum ore litteratorum decore pervenit.* Illius autem ſtructæ laus non Gordiano, ſed Q. Sammonico Sereno debetur: a cujus filio cognomine ad Gordianum dono pervenit: quem acquirendi titulum nemo improbaverit. Quinam ſtruxerint bibliothecam illam Conſtantinopolitanam, ampliſſimam profecto, quam Baſiliſco Imperatore conflagraſſe jam memoravimus, nusquam proditur. Nihil cauſæ vero eſt, cur exiſtimemus, eſſe

(a) *Poſt Lucullum*) JVSTVS LIPSIVS *ſyntagm. de bibliothec.* iſtas Æmilii Pauli, Luculli, Sullæ, inter privatas bibliothecas recte numerat, iisque addit Tyrannionis Grammatici, Sammonici Sereni, qui ſub Gordiano vixit, & aliorum. Primus enim qui bibliothecam ſuam uſui publico deſtinavit, fuit Aſinius Pollio.

(b) *additis auctorum imaginibus*) Romanorum igitur inventum eſt, ornatus gratia bibliothecis addere imagines & ſtatuas doctorum, de quo ornatu vide pluribus LIPSIVM *l. c.* & CONRINGIVM *infra.*

(c) *Fuit autem templum hoc*) Templa etiam ſcholis apud Romanos locum dediſſe oſtendit *FRANCISCVS BERNHARDINVS FERRARIVS lib. III. c. 1. de veterum acclamationibus & plauſu*, adducens inter alia *PHILOSTRATVM in Hippodromo*, dum de Meſtia Smyrnæo agit.

eſſe alios quam eos qui Conſtantinopoli magnifica illa auditoria ædificavere, habendis omnium artium liberalium ſcholis, de quibus alibi diſſeruimus. Imperatores igitur condiderint illam bibliothecam, & quidem cum ipſemet *Maximus* (ſic enim in nummis pariter & inſcriptionibus antiquis eſt, *non vero Magnus*) *Conſtantinus*, (a) tum præcipue Theodoſius. Ita vero ſi eſt, vix equidem dubitaverim, modo Chriſtianæ doctrinæ ſcripta excipias, bibliothecam iſtam, ſaltim parte potiſſima, ex ſpoliis templorum gentilium coaluiſſe. In hiſce ſcilicet paſſim & libraria ſupellex reperiebatur. Conſtantini vero juſſu atque auſpiciis templa illa omnia ſpoliata, reditus item & donaria illorum impenſa in ſtructuram novæ Romæ, ſimulacra quoque templis detracta in urbis illius ornatum translata eſſe, & denique templa ipſa Theodoſii ævo *monachorum præpoſtero zelo* (b) plurimis in locis omnino deſtructa eſſe, certisſimum eſt. Lege, amabo, ſaltim Libanii pro templis gentilium non exſcindendis ad Theodoſium Magnum orationem, cum doctisſimo commentario viri clarisſimi Jacobi Gothofredi. Detractas vero etiam Alexandriæ ædibus illis bibliothecas per Chriſtianos, fatetur diſerte Paulus Oroſius lib. 6. cap. 15. cujus verba & miſcellæ hiſtoriæ inſerta ſunt, ut pleraque Oroſii alia, l. 6. c. 37. Cum narraſſet enim, quemadmodum Julii Cæſaris juſſu incenſa Alexandrina claſſe, ſimul *quadringenta millia librorum proximis forte ædibus condita perierint*, quæ jam tum adduximus, addit: *Hodieque in templo exſiſtunt, quæ & nos vidimus, armaria librorum, quibus direptis, exinanita ea a noſtris hominibus, noſtris temporibus, memorant: quod quidem verum eſt.* Et vero de Conſtantino refert quidem Euſebius l. 3. de ejus vita, illum Imperatoris theſauros liberalisſime effudiſſe in colligendis ſcribendisque libris ſacris quos gentiles temporibus perſecutionum ab eccleſiis pene excuſſerant: de liberalitate autem aliqua etiam in alios libros impenſa, nec ille nec quis alius habet quidquam. Ut ad antiquisſimas porro bibliothecas a Ptolomæis & Attalicis regibus inſtitutas reflectamus oculos: ad Pergamenæ quidem collectionem etiam violenter abreptos interdum libros, haud obſcure colligere eſt ex iis quæ narrat Strabo lib. XIII. de Ariſtotelis bibliotheca, poſtquam illa per Neleum fuit Sceplin translata: ſub terra ſcilicet defoſſam, ne in regum libros undique conquirentium manus incideret. Alexandrinæ unius ſtructura a nemine non ſoli opulentiæ & ſummæ in rem litterariam liberalitati regiæ adſcribi ſolet. Cujus ſane præclarum teſtimonium eſt id quod Galenus narrat: ab Evergeta pro Sophoclis, Euripidis, Æſchylique tragœdiis *αὐτογράφοις*, oppignorata Athenienſibus quindecim puri argenti talenta, ſed reddita exemplaria nova elegantisſime exarata, cum pignoratis talentis. Cum periiſſet tamen incendio illa prior Ptolemæorum bibliotheca, in reparationem damni illuc traductam Pergamenam, jam tum audivimus ex Plutarcho. Quo ſimul patet, Paulum Oroſium recte reprehendere Alexandrinos ſui ævi gentiles, qui a Chriſtianis direptas bibliothecas, reliquias fuiſſe illius per Julii Cæſaris militem excitato incendio perditæ retulerant. *Honeſtius creditur*, inquit, *alios libros fuiſſe quæſitos, qui priſtinas ſtudiorum curas æmularentur, quam aliam ullam fuiſſe tunc bibliothecam, quæ extra quadringenta millia librorum fuiſſe, ac per hoc evaſiſſe, credatur.* Cæterum ad noſtrum ævum veniamus. Ad Vaticanæ inſtitutionem a Sixto IVto Papa adhibitum illud antiquum librorum complurium chaos, jam tum audivimus: perinde atque non ſemel conqueſti ſumus, ex ſpoliis Palatinis Germaniæ noſtræ invidendum ipſi augmentum acceſſiſſe. Nec vero vel ipſum Sixtum IVtum liberali multum fuiſſe affectu, ad copiam aliquam inſignem librorum ære comparandam; vel ex eo diſcas, quod prodente Onuphrio, *ut facilius conſervaretur & augeretur bibliotheca, Sixtus ſtrenam centum aureorum, quam Romanis Pontificibus collegium ſcriptorum Apoſtolicarum litterarum quotannis dare conſuevit, in perpetuum addixit.* Quæ ſumma ſane eſt exigua, & niſi fallor indigna Pontificiis vectigalibus. In eadem Italia quam *Veneti* (c) oſtentant bibliothecam, donum eſt Cardinalis Beſſarionis: cujus hac de re ad Senatum Venetum epiſtola reperitur in operis quo litteræ multorum Principum publicatæ ſunt lib. 1. epiſt. 2. In Rocchæ item libro & philologicis epiſtolis Goldaſti. Etiam Palatina Germaniæ (eheu quondam!) bibliotheca, parte bona ſi non optima, liberalisſimo Hulderici Fuggeri dono increvit. Recitabo in id verba Jani Gruteri bibliothecarii Palatini longe celeberrimi, quamvis ſub nomine l. Gualtherii latitare voluerit. Is igitur l. 2. chronici chronicor. politici, ubi academias recenſet pag. 1257. *Heidelberga*, inquit, *non tantum cenſetur & optime paſſim audit, ob academiam & Electoris Principis aulam: ſed etiam ob bibliothecam Palatinam, dedicatam primum ab Ottone Henrico Electore, auctam vero egregie ſub Friderico IVto, liberalitate Ulrici Fuggeri: adeo ut facile libris mss. Hebraicis, Græcis, Latinis, & quidem potiſſima ſui parte authenticis, omnem provocet Europam.* Idem l. 2. chronici eccleſiaſtici, recenſens obitus præclarorum quorumvis virorum pag. 1306. *Vlricus Fuggerus Raimundi filius, litterarum litteratorumque admirator unicus: qui Palatinatui, præter inſignem bibliothecam, mille aliquot voluminibus mss. Græcis, Latinis, Hebraicis ſpectatiſſimam, quindecim aureorum Rhenenſium legavit millia, inſtruendis quinque ſtudioſis: obiit XIIX. kal. Julii 1584. ætatis 58. Heidelbergæ.* In eandem ſententiam obitum ejus celebrans loquitur Thuanus l. 80. De Regia porro Hiſpanica bibliotheca ita refert Franciſcus Schottus l. 2. itinerarii Italiæ cap. X. *Regiam bibliothecam, quæ in Carpetanis eſt ad D. Laurentium, Didacus Hurtadus Mendoza,* (d) *Cæſaris olim apud Venetos Legatus,*

(a) *Maximus, non vero Magnus, Conſtantinus*) Vide inter alia numos *in Muſeo Gotziano p. 165. ſſ.* ubi & *pag. 173.* ex *HORTLEDDERO præf. p. 2. de bello Germanico* obſervat, etiam Carolum M. a Pontifice Paulo III. non magnum ſed maximum dictum.

(b) *monachorum præpoſtero zelo*) Eo etiam præpoſtero ſacerdotum græcorum zelo plurimos olim Lyricos poetas quod amores & turpes luſus amantium continerent, ſublatos fuiſſe, ex PETRO ALCYONIO obſervat COLOMESIUS *in cimeliis literariis c. 15.*

(c) *Veneti*) Bibliotheca Veneta non modo Cardinalis Beſſarionis legato, ſed & acceſſionibus Franciſci Petrarchæ & Hieron. Aleandri inſigniter locupletata eſt.

(d) *Mendoza*) Hunc crimine furti in conquirendis MSis ex Beſſarionis ſupellectile ſive ex bibliotheca Veneta furreptis onerat SCHOCKIUS *in orat. 4. de libris & bibliothecis*

bus, accepta e media Græcia Græcorum librorum plena navi mirifice ornavit. Thomas Erpenius oratione altera de lingua Arabica ſcribit, *Regis Maroccani bibliothecam Arabicam, conſtantem ſeptem mille & octingentis libris, in Hiſpaniam improbe avectam, & in Regis bibliothecam translatam eſſe.* Non etiam dubito, id quod factum eſt a Mendoza, non neglectum eſſe & ab aliis. Nec vero vanum fuit illud Cardonæ: *Intellecto animo Regis librorum colligendorum, & ſtudio honeſtiſſimo reipubl. litterariæ juvandæ, Principes multi, & Hiſpani & exteri, multique etiam homines eruditi, glorioſum putabant, libros rariores, quos nacti fuerint, ad Regem mittere.* Mariana teſtatur, ex omnibus Europæ partibus ad famam novi operis magno numero confluxiſſe. Quod tamen de ſolis donariis fortaſſis non accipiendum. De Mazariniana bibliotheca gloriatur ipſemet Naudæus in ſua pro illa ad parlamentum Pariſienſe querela, ad illam ornandam complures Reges ac Principes univerſæ Europæ, omnes item legatos Regios Gallicanos, qui integro decennio in regiones quasque miſſi ſunt, operam ſuam liberaliter contuliſſe. *Oxonienſis* (a) denique tota, quanta quanta eſt, ex donariis coaluit. Alias tangere non eſt pretium operæ.

Ex hiſce vero quæ attuli manifeſtum utique eſt, illas, quæ Regum Principumque auſpiciis conditæ ſunt, bibliothecas ſaltim pleraſque, etſi non omnino, in juſtam magnitudinem tamen excreviſſe, vel ex ſpoliis, vel ex manubiis, vel ex donis, vel ex majorum induſtria collectis. Etiam harum vero bonam partem magnis impendiis non coëmptam, nonnullas quamvis rariores integre nummis comparatas non eſſe, abſit ut perſuaſum cuiquam velim. Auſim tamen affirmare, privatas bibliothecas, aut a privatæ conditionis viris inſtitutas, multo plures acceptas ferendas ſolis conditorum impenſis nulla vi paratis, quam regias. Hoc vero etiam unice attendi commeretur: quod illi fere Regum Principumque demum ex magnis bibliothecis ære partis laudem conſequuti hactenus ſint, quibus proventus annui immenſi, & bona orbis pars vectigalis fuit. Majorem autem laudem mereri, qui ex modicis quam nimiis opibus liberales ſunt aut magnifici, non prudentum duntaxat conſenſu pridem eſt conſtitutum, ſed confirmatum etiam illa a Chriſto noſtro inſtituta pauperis viduæ binos obulos in uſum ſacrum offerentis, invidenda ditioribus laudatione.

Jam vero attende obſecro, Generoſe BOINEBVRGI, rationem illam, qua theſaurum hunc librarium regia profecto, ſi quod aliud vere magnificum opus, æmulatione Princeps meus condidit. Nulla hic ſpolia: raptus nulli: nullæ manubiæ: a majoribus nihil apparati: dona perquam exigua, reapſe igitur itidem nulla. Omnia nummis coëmpta: bona eorum pars, cum vectigalia perquam modica adhuc eſſent, imo propemodum infra modum. *Annus hujus ſeculi quartus* (b) agebatur cum tanti operis facta ſunt initia. Erat is annus Sereniſſimo Duci vitæ ſextus viceſimus: quæ ætas voluptatibus aut ludicris intenta plerumque eſt, rariſſime libris congerendis: in Principum præſertim ordine, ut ille multo pluribus eſt obnoxius vitiorum illecebris. Potior ampliſſimi ducatus Brunſuico-Lyneburgici pars poſſidebatur ab agnatis. Paternæ hereditatis potiſſimum ceſſerat fratri natu maximo. Nec ulla ſeſe vel eminus oſtendebat ſpes, fore, ut extincta fratris, multo minus agnatorum aliqua domo, (quarum quippe una quælibet multa ſobole maſcula inſtructa pene æternitatem pollicebatur ſuæ poſteritati) in pinguis alicujus provinciæ poſſeſſionem Princeps Juvenis aliquando ſuccederet. In aulæ ſedem acceperat optimus Princeps Hitzkerium, ut vulgus contractim loquitur: cui genuinum nomen Hiddesacker (prout etiam Crantzio l. 12. c. 5. Saxoniæ audire, ex Principis ad me literis didici) quaſi tu Latine Hiddonis agrum appellites. Quæ arx antiquiſſima quidem reverentia genti meæ Friſiorum ſacra, tanquam ab Hiddone fortiſſimo heroe Friſio primum condita: (qua de re majorum traditionem, quamvis præ vetuſtatis licentia fabulis corruptam, non ſine voluptate fortaſſe legeris, in Cornelii Kempii hiſtoria rer. Friſicar. lib. 3. cap. 6.) ſequiore tamen tempeſtate latronum confugio fuit profanata: donec pulſo illo peſſimo hominum genere in partem ducatus accepta eſt. Ithacam dixeris Ulyſſis noſtri (nam & de noſtro jam tum juvene potuit cani illud Homericum de Ulyſſe:

> Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω
>
> *Multorum mores populorum vidit & urbes:*)

quod utramque antehac obſcuram incolatu ſuo & cultu illuſtrem Principes illi bini reddiderint, niſi illam ſcopulis aſperam hæc amœnitate ſua & commoda Jetzæ Albisque confluente multum ſuperaret. Illa ætate, illa vitæ conditione, illo loco erat Princeps, quum opus magnis duntaxat Regibus, nec eorum niſi paucis, tentatum moliri haud dubitavit, idque nulla vicinorum quidem Regum Principumque invitatus æmulatione. Nec vero quisquam viciniæ ſimile quid vel conatus hactenus fuerat, tametſi in ampliſſima poſitus fortuna: niſi quod inter agnatos Principes JVLIVS Dux, ut animo regio hanc noſtram Juliam condiderat, ita & bibliothecam, quæ nepotis Friderici Ulrici Ducis beneficio ceſſit denique noſtræ huic academiæ, ſibi ſtruere incepiſſet: eo tamen ſucceſſu, ut quod de Cæſare Julio & Auguſto in doctorum monumentis legimus, merito dicendum de noſtris veniat, JVLIVM bibliothecam *deſtinaſſe*, AVGVSTVM *perfeciſſe*. Cæterum non magno magis animo Princeps quam prudente conſilio rem aggreſſus eſt. Itaque non ex Germania duntaxat noſtra

 univer-

apud MORHOFIVM *polyh. tom. I. lib. 1. cap. 4 n. 21.* Adde DOMINICI MOLINO *epiſt.* ad JOH. MEVRSIVM datam, quæ habetur in BVRMANNI *collectione epiſtolarum Gudii & aliorum clariſſimorum virorum p. 131.*

(a) *Oxonienſis*) Adde MORHOFIVM *loc. cit. cap. 4. n. 15. ſeqq.*

(b) *Annus hujus ſeculi quartus*) Annum 1625. perperam ſcripſit *autor relationis de itinere Anglicano & Batavio anno 1706. & 1707. facto* qui ſub literis C. H. E. D. latitare voluit, eſt tamen, ut creditur, Chriſtianus Henricus Erndt D. quem propterea notat Dn. Archivarius BVRCHARDI *in epiſtola eruditiſſima de bibliotheca Auguſta p. 38.*

univerſa, ſed Gallia, Italia, Hiſpania, Britannia, Belgio, quicquid melioris notæ librorum accipi potuit, magnis impenſis, quantum annui proventus patiebantur, ab illo usque ſtatim laudato anno fecit conquiri & comparari. Commodum ſcilicet omnes illas terras, in Siciliam & Melitam usque progreſſus, luſtraverat jam tum ſummo ſtudio inuſitatæ indolis Princeps, conciliaratque ſibi cum literatisſimis quibusque ut & aliis librariæ rei amatoribus annos aliquot propiorem familiaritatem: quorum proinde opera paſſim terrarum cumprimis in Italia quidem Romæ, Neapoli, Venetiis ac Florentiæ, in Gallia Lutetiæ Pariſiorum, in Anglia Londini & Oxonii, (ut Belgii & Germaniæ loca celebriora nunc taceam) in coëmendis libris optimis feliciter uſus eſt. Magnum vero operi incrementum acceſſit ex Germania noſtra, locupletisſimis tribus comparatis bibliothecis, Marquardi Freheri, *Curionum patris ac filii*, (a) Cælii inquam & Cælii Auguſtini, ut & Joachimi Clutenii, qui cum viveret Principi ſimul fuit a conſiliis ſalario opimo. Ut enim hi fuere in omni literarum genere verſatisſimi, laudemque nominis æternam ſibi peperere plurimis ingenii editis monumentis, ita & inſtructisſimam in ſtudiorum uſum ſupellectilem librariam quilibet inſtruxerat. Quæ omnes ab heredibus eorum ampliſſimis impendiis comparatæ, nunc AVGVSTÆ partem, quamvis hodie perexiguam, conſtituunt. Nec vero ullo tempore urgere ſuum hoc opus deſiit Princeps, ſed quamcunque datam occaſionem non paſſus elabi, jam in annum usque a primordio cœpti operis quinquageſimum ſeptimum, undequaque congeſtis perpetuis acceſſionibus, immane quantum theſaurum iſtum inſtruit atque locupletat. Enimvero ne ingentes quidem illæ calamitates bellicæ, quæ ruinam univerſæ Germaniæ, & propemodum ipſimet Sereniſſimæ Ducum familiæ interitum, annos complures minitabantur, reſtinguere illum ardorem, imo ne minuere quidem, valuerunt. Ex quo pax rediit, atque a morte Friderici Ulrici Ducis ut & fratris Julii Erneſti, ampliſſimarum magni hujus ducatus Brunſuico-Lyneburgici partium poſſeſſionem feliciſſimus Princeps nactus eſt, creveruntque adeo plurimum annua vectigalia, etiam ſolito plus bibliothecæ augendæ impenſum eſt. Summa factorum in bibliothecam ſumptuum dicere nequeo: ignorat illam Princeps ipſemet, quod in tabulas expenſarum referri ſeorſim talia haud curaverit. Prudenter profecto: nec enim fas eſt numerare quæ in res ſacras (cujusmodi eſt bibliotheca quævis regia) impenduntur: ne reſciſcat ſiniſtra id quod dextera liberaliter contulit. Et vero in emendis quoque libris ea fuit religione Princeps, ut cum parlamenti Pariſienſis decreto illa eminentiſſimi Cardinalis Mazarini omnium optima bibliotheca vili pretio diſtraheretur, quamvis eſſent quæ multum deſideraret, vetuerit tamen Princeps quidpiam ejus ſibi emi: ne quid ex illa in omne ævum haud temere excuſanda venditione, quam boni publici amore averſabatur, quid adveniens ſacra AVGVSTÆ ſuæ contaminaret. *Quam generoſam pietatem priſtinæ poſt felicitati redditus Cardinalis actis gratiis & agnovit* (b) & miratus eſt. Sed de tertio bibliothecæ AVGVSTÆ admirando fortaſſe ſatis eſt actum.

Propius nunc ad ipſam bibliothecam eſt accedendum: quæ hactenus enim admiratus mecum es, Illuſtris BOINEBVRGI, quaſi extra illam ſunt, atque ad illud cauſſæ genus, quam effectricem appellamus, tantummodo pertinent. Præbet autem ipſamet bibliotheca non minus multa admiranda: in librorum numero, in bonitate, in diſpoſitione, & in loco idoneo. Et vero in hiſce quatuor potiſſimum (addi enim & quintum debet, aptitudo ſcilicet utendi) cujuslibet bibliothecæ perfectio conſiſtit. Quorum proinde artificioſam rationem indubie oſtendit Ariſtoteles ſi, quod Strabo teſtatur, non tantum congregavit libros multos primus, ſed etiam Ægypti reges docuit βιβλιοθήκης σύνταξιν. Etiam hæc itaque bibliothecæ AVGVSTÆ admiranda mecum, ſodes, expende: initio a librorum facto ingente numero.

Antequam vero id agamus, non arbitror neceſſum eſſe, uti te quidem muniam adverſum Senecæ ſententias; qui immenſam omnem librorum multitudinem ceu vitio laborantem traducit. *Diſtrahit*, ait epiſtola 2. *animum librorum multitudo: itaque cum legere non poſſis quantum habueris, ſat eſt habere quantum legas.* Libro de tranquillitate animi cap. 9. *Quo*, ſcribit, *mihi innumerabiles libros & bibliothecas, quorum dominus vix tota vita ſua indices perlegit? Onerat diſcentem turba non inſtruit: multo-*

(a) *Cælius Curionis*) *Cælius Curio* natione fuit Pedemontanus, qui quod ſuſpectus eſſet Calviniſmi, gravem perſecutionem paſſus ad Helvetios confugit præcipue in pagum Bernenſem, ubi primum rector Lauſannenſis, deinceps in academia Baſileenſi profeſſor eloquentiæ conſtitutus fuit. Plurimos libros conſcripſit, inter quos præcipui ſunt: (1) *Aranaeus ſive de providentia Dei.* (2) *de immortalitate animorum.* (3) *paradoxa Chriſtiana* (4) *paraphraſis in principium euangel. S. Johannis* (5) *comment. in Joach. Percanii dialecticorum lib. 33.* (6) *hiſtoria belli Melitenſis*, quam Konigius perperam *Auguſtino Curioni* attribuit, eo deceptus, quod cum hiſtoria Saracenica, quam ille compoſuit, conjunctim edita eſſet. (7) *de utilitate hiſtoriæ legendæ.* (8) *de amplitudine beati regni Dei, in quo oſtendit, numerum prædeſtinatorum ad vitam æternam majorem eſſe numero reproborum.* Mortuus eſt an. 1569. natus annos 67. Ejusque filii fuere (1) *Auguſtinus Curio, profeſſ. eloquent. Baſil.* mortuus an. æt. 28. (2) *Horatius*, cujus opera in legatione ad aulam Turcicam Maximilianus II. uſus fuit. (3) *Leo Curio*, cujus filiam in matrimonium duxit Johannes Buxtorffius: Filiam quoque habuit *Angelam* nomine, quæ præter cætera virginis ornamenta non ſolum Germanice, Italice, Gallice, ſed & Latine locuta eſt, de qua pluribus vide PETRI RAMI *orat. de Baſilea p.53.* nec non AVGVSTINI CVRIONIS *libellum de vita & morte quatuor ſororum ſuarum.* Cæterum elogia Curionum legi poſſunt in HOFMANNI *lexico univerſ. pag. 509. t. 2.* BAILII *diction. p.986.* & BVDDEI *lexico univerſ. p. 978.*

(b) *Quam generoſam pietatem priſtinæ poſt felicitati redditus Cardinalis agnovit*) Autor *mantiſſæ*, quæ *generali* adjecta eſt *bibliothecæ Auguſtæ ſciagraphiæ* (*autore* JOH. SCHWARTZKOPFIO *Cancellario Guelpherb: an. 1649. & poſt obitum ejus an. 1660. in 4. typis Sternianis multum auctioris editæ*) refert, hanc pietatem Auguſti Ducis commoviſſe Cardinalem; ut ſtipulata quaſi manu fidem dederit, ſe de quacunque materia, quæ Lutetiis Pariſiorum in typographia regia excuderetur, exemplar Gvelphicæ bibliothecæ legaturum. Quare etiam in bibliotheca Auguſta oſtenduntur cum concilia generalia, tum alia opera & 37. fere volumina regiis typis Lutetiæ exſcripta & Mazarini inſignibus conſpicua, ab eodem muneri data.

m u'toque ſatius eſt paucis te auctoribus tradere, quam errare per multos. Item. *Paretur librorum quantum ſatis ſit, nihil in apparatum. Honeſtius, inquis, in has impenſas, quam in Corinthia pictaque tabulas effuderim. Vitioſum eſt ubique quod nimium eſt. Quid eſt, cur minus ignoſcas nomen marmore atque ebore captanti, quam opem conquirenti aut ignotorum auctorum, aut improbatorum, & inter tot millia librorum oſcitanti, cui voluminum ſuorum frontes maxime placent tituli que?* Non cenſeo, inquam, Te quidem hiſce moveri. Id enim damus quidem Senecæ, non in oſtentationem ſed uſum libros eſſe comparandos: at neutiquam recte hinc colligitur, *paucos duntaxat comparandos eſſe.* (a) Non una nempe eſt uſus illius ratio ſed diverſa ac multiplex. Privatus alius eſt uſus, alius publicus ac communis. Ad hoc, quemadmodum rerum familiarium, aliæ ad neceſſitatem requiruntur, aliæ ad utilitatem, aliæ ad elegantiam, pertinetque ad felicitatem patrisfamilias nullo horum carere: ita etiam librorum alii ſunt neceſſarii, alii utiles, alii ornatum præbent, illa vero bibliotheca demum vero ſuo in ordine perfecta eſt, quæ triplici illo eſt librorum genere inſtructa. Pro vario itaque illo uſu, numerum quoque librorum diverſum eſſe oportet. Et vero nec privato cuique idem numerus convenit, ſed alius atque alius pro ingenii & ſtudiorum diverſitate. *De Ariſtotele refert Strabo*, (b) illum primum, quod ſciat, libros coëgiſſe, hoc eſt majorem ſibi vim librorum comparaſſe. Recte ſane. Primus enim mortalium, in Græcia ſaltim, per omne doctrinæ genus diffudit ingenium, interque alia primus *fere omnium non Græciæ ſolum ſed etiam barbariæ civitatum mores, inſtituta, diſciplinas* ſcripto tradidit poſteritati: id quod fieri non potuit ſine monumentorum locupletiore quodam penu. Si quis Ariſtoteli diſpar idem conetur *privatos quidem in uſus*, (c) merito is ludibrium debeat ſapientibus: certe prudenti cuique ac frugali patrifamilias, quem ex Catonis præcepto, *non oportet emacem eſſe*, ne quidem φιλόκαλον *ad emacitatis reprehenſionem*, quod in Silio Italico notavit Plinius lib. 3. ep. 7. Satis eſt, ſi cui tali, pro ſtudiorum & fortunæ modulo, *ut poëta canit:* (d)

Sit bona librorum & proviſæ frugis in annum
Copia.

Abſit profecto, ut ineptulos nonnullos imitantes, multitudine librorum coëmpta docti viri titulum exſpectemus, aceto poëtico ab Auſonio quodam defricandi, perinde atque ille exceptus eſt in quem luſit epigrammate:

Emptis quod libris tibi bibliotheca referta eſt
Magnum & grammaticum te Philomuſe putas.
Hoc genere & chordas, & plectra & barbita conde:
Omnia mercatus cras citharœdus eris.

aut vero exagitandi ab aliquo Scioppio: cujus in quosdam peritos juris mordaciſſimos ſales indubie legiſti *conſultatione altera de ſtudiorum ratione:* aut denique acriter increpandi ſingulari libello a Luciano quodam, cujus in medio hodieque eſt opuſculum mordax πρὸς ἀπαίδευτον καὶ πολλὰ βιβλία ὠνούμενον. Sed redeo ad Senecam. Fateor & ego, vitioſum eſſe librorum parare nimium: aut parare librorum copiam in parietum ornamentum: aut vagari per libros multos, ſi poſſis ex paucis tantumdem vel etiam plus accipere commodi. At vero non quævis magna vis librorum ſemper eſt nimia: nec quævis ejusmodi copia oſtentationis eſt gratia: nec ſemper licet ex paucis æque multum fructus atque ex multis conſequi. Alteri nimium eſt quod alteri parum. Quædam ſtudia ſine multiplici lectione atque adeo copioſa bibliotheca exerceri non poſſunt. Non ſane (ut ex noſtro ævo nihil adferam) Athenæus ſua δειπνοσοφιστικὰ dediſſet nobis, niſi habuiſſet ad manus illam Laurentii ſui bibliothecam: non Plinius naturalem hiſtoriam, absque fuiſſent bibliothecæ Romanæ:

(a) *paucos duntaxat eſſe comparandos*) Suadet id nihiloſecius THOMAS BROWNIVS *in religione medici part. 1. ſect. 23. p. m. 79. 80. edit. Lugd. Bat. 1644.* cujus verba ſunt: *Vidi qui deſiderata Ciceronis opera & bibliotheca Alexandrinæ incendia non ſine gemitu & ſuſpiriis plorarent. Mihi ſane librorum multitudo numeroſior videtur quam neceſſe eſt. Vaticanæ bibliothecæ cineres & urnam æquo equidem animo ſpectare poſſem, modo perdita Salomonis opera cum paucis quibusdam aliis recuperare queam. Non meum ſolius votum eſt, ſed complurium etiam aliorum præſtantiori judicio hominum, ut ſynodus aliqua generalis indiceretur, non quidem ad infeſtiſſima religionis diſſidia tollenda, ſed quo feliciter eſſet ſcientiarum progreſſus, ad easdem in paucos aliquot & ſolidæ eruditionis autores reducendas & innumeram illam Rhapſodiarum multitudinem coercendam nulli alii rei inſervientium, quam ſtudiis & ingeniis tyronum perturbandis, artique & myſterio typographorum alendo.*

(b) *De Ariſtotele refert Strabo*) Dubitari tamen poterit, utrum Ariſtoteles primus bibliothecam conſtruxerit. Certe id Piſiſtrato potiſſimum tribuunt JONSTONVS, *polymath. p. 195.* MARESIVS *lib. 1. ep. 10.* cui ex ATHENÆI *lib. 1.* Polycratem Samium, Euclidem & Euripidem poetam adjungit WOWERIVS *polym. cap. 16. pag. 131.* DIODORVS SICVLVS *lib. 1. cap. 49.* Oſimanduæ Ægyptiæ Regi, de quo ſupra, hanc laudem tribuere videtur. Quin CHRISTIANVS VVILH. LOESCHERVS *diſſert. de bibliothecis §. 3.* ad Nehemiæ bibliothecam, de qua legitur *lib. 2. Macc. cap. 2. v. 13. 14.* provocat, quam etiam THEOPH. SPIZELIVS primam omnium inter Judæos ſolennem eſſe judicat, *diſſert. prælimin. in arcana ſacra biblioth. retecta.* Ad recentiora vero Ariſtotele tempora bibliothecarum conſtructionem refert GVIDO PANCIROLLVS *rer. memorab. part. 1. p. 64.* ubi Theophraſtum Ariſtotelis hæredem & diſcipulum primum ſibi bibliothecam collegiſſe contendit.

(c) *privatos quidem in uſus*) Coemendi enim ſunt a privatis libri, non quibus opus habent, ſed potius neceſſarii. Major copia & magna etiam volumina ad bibliothecas publicas referenda ſunt, unde ultra privati ſortem fuit Aldi Manutii junioris bibliotheca, qui 80000. libros Piſanæ academiæ legaſſe memoratur FRANCISCO SCHOTTO *in itinerario Italico lib. 2. cap. 10.* Eo ipſo autem rem familiarem omnem conſumſit, ut magno ſemper obſtrictus fuerit ære alieno, de quo vid. MORHOFII *polyh. cap. 3. n. 4. 5?* ipſumque CONRINGIVM *h. l. p. 571.*

(d) *ut poëta canit*) HORATIVS, cujus verba integra ſunt:

Me quoties gelidus reficit Digentia rivus,
Quem Mandela bibit, rugoſus frigore pagus,
Quid ſentire putas? quid credis amice precari?
Sit mihi, quod nunc eſt etiam minus, ut mihi vivam
Quod ſupereſt ævi, ſi quid ſupereſſe volunt dii,
Sit bona librorum & proviſæ frugis in annum
Copia, ne fluitem dubiæ ſpe pendulus horæ.

manæ: non Clemens Alexandrinus *ςρωματέων* libros, niſi Alexandriæ vixiſſet; non Euſebius præclara adeo multijugæ lectionis volumina, niſi Pamphilus eam vim librorum omnis generis exhibuiſſet. Ipſe Seneca, *ignoſcerem*, inquit, *ſi e ſtudiorum nimia cupidine oriretur.* Quidni vero inde etiam naſcatur alicui librorum parandorum deſiderium? Imo inde naſcitur inter eos qui ſapiunt. Pro regum principumque immenſis bibliothecis alius attulerit etiam, quod ille ait apud Tacitum: *ceteris mortalibus in eo ſtare conſilia quid ſibi conducere putent: Principum diverſam eſſe ſortem, quibus omnia ad famam dirigenda.* Mihi non probatur talia in excuſationem adferre. Oſtentatio mera librorum ſemper in vitio eſt. At vero bibliothecæ illæ regiæ merentur laudem, quoniam ſunt idoneæ ad id ut omnis generis doctrinæ inſerviant. Sunt nimirum quaſi publica eruditionis univerſæ penuaria: qualia parare cum non ſit perinde privatorum, ſi reges principesque curam illam ſuam faciant, magnis ſane beneficiis ſapientiæ ſtudia exornant.

Verum quid hisce immoramur? Quin potius Tibi, Illuſtris BOINEBVRGI, ego oſtendo illud quod bibliotheca AVGVSTA inter ea, quæ ſibi ſunt quaſi eſſentialia admiranda, merito habet primum, in librorum multitudine nempe collocatum: quod tamen reliquis annumeratum poſſis quartum appellare. Heic vero nolo equidem diſſimulare, videri ſtupenda referri in monumentis antiquis de numero librorum in bibliothecis quibusdam illius ævi græcis ac latinis reperto. Sunt autem illa accurate expedienda, ut eo rectius conſtet admirandi illius, quod jam tangimus, certa ratio. Quamvis vero de paucis bibliothecis veterum memoretur, quo illæ librorum numero fuerint refertæ, obſervare tamen eſt, & publicas pariter & privatas nonnullas a multitudine librorum plurimum laudatas. Inter publicas prima omnium non dignitate minus quam ætate fuit Alexandrina Ptolomæorum Regum. De numero autem librorum bibliothecæ illius non idem ab omnibus traditur. Georgius Cedrenus l. 22. ſcribit: *Philadelphus libros ſacros Chaldaicos, Ægyptios & Romanos, aliosque diverſilingues in Græcam omnes converti curavit: in univerſum ad centum millia voluminum: quæ omnia in bibliothecis ſuis Alexandriæ repoſuit.* Aſt hunc numerum Cedrenus forte non voluit eſſe univerſæ bibliothecæ, qui ſenſus ſolet ipſi adſcribi, ſed tantum eorum quæ ex aliis linguis in Græcam fuerunt translata. Sed in univerſum Cedreni narrationes pleræque parum fidei merentur. Et vero cui perſuadeas, Philadelphi ætate ex latina lingua libros græce fuiſſe verſos, cum nulli fortasſis fuerint iſthac lingua tum conſcripti? Joſephus l. XII. *ἀρχαιολογίας* cap. 2. narrat: Demetrium Phalereum a Philadelpho rogatum aliquando, quam multa millia librorum jam comparaſſet, reſpondiſſe: *τῶν μὲν ὑπαρχόντων εἶναι περὶ εἴκοσι, ὀλίγῳ δὲ χρόνῳ εἰς πεντήκοντα συναθροίσειν.* Fuerint itaque minimum in bibliotheca illa libri ducenties mille. Jam tum porro recitavi illa Senecæ: *Quadringenta millia* (a) *librorum Alexandriæ arſerunt:* ut & Pauli Oroſii in eundem numerum conſentiens teſtimonium. Gellii l. 6. cap. ultimo verba ſunt: *Ingens numerus librorum in Ægypto a Ptolomæis regibus vel conquiſitus vel confectus eſt, ad millia ferme voluminum ſeptingenta.* Ammianum Marcellinum citra omnem detractionem, provocatione facta *ad concinentem*, ut loquitur, *fidem monumentorum veterum*, ſimpliciter ſcribere, *ſeptingenta voluminum millia, a Ptolomæis regibus vigiliis intentis eſſe compoſita*, itidem jam monui. Eſtque perveroſimile, in Iſidoro, ubi legitur vulgo: *Septuaginta millia librorum hujus* (Philadelphi ſcilicet) *temporibus Alexandriæ inventa ſunt*: reponendum *ſeptingenta.* (b) De Pergamenæ bibliothecæ librorum numero, quæ & fama & dignitate olim Alexandrinæ æmula, & proinde inter publicas veteris ævi merito ſecundo loco venit numeranda, unus Plutarchus aliquid certi memorat, in vita M. Antonii. Hunc ſcilicet amoribus Cleopatræ dementatum petenti huic *χαρίσασθαι τὰς ἐκ Περγάμου βιβλιοθήκας, ἐν αἷς εἴκοσι μυριάδες βιβλίων ἁπλῶν ἦσαν*, *gratificatum bibliothecas ex Pergamo, in quibus erant ducenta millia ſingularium librorum.* De Romana publica nulla memoratur, quam fuerit numeroſa; niſi publica facta ſit illa a Sereno Sammonico donata Imperatori Gordiano minori. In illa vero *ſexaginta duo millia librorum cenſebantur*, teſte Lampridio. Ignoratur quoque numerus librorum, qui fuere quondam in bibliothecis Conſtantinopolitanis aliisque: niſi quod a Zonara ſit proditum, in illa quæ Baſiliſco aut Zenone imperante conflagravit, *centum viginti millia librorum fuiſſe recondita.* Privatas quod attinet, conſtat ſane cum alibi pasſim, tum Romæ præſertim, imo & in villis Romanorum, excitata a Julii Cæſaris ævo aliorum æmulatione fuiſſe propemodum innumeras, easque ab omni librorum ſupellectile largisſime inſtructas. Ex Senecæ jam tum adductis verbis liquet utique iſthac tempeſtate, *inter balnearia & thermas bibliothecam quoque ut neceſſarium domus inſtrumentum expoliri* ſolitam, & quidem *tecto tenus exſtructis loculamentis.* In privatas quoque ſui ævi bibliothecas videtur vibraſſe illud: *Quo mihi innumerabiles libros & bibliothecas, quorum dominus vix tota vita ſua indices perlegit?* quodque idem ait, *oſcitare* nonnullos *inter tot millia librorum.* Fuiſſe vero & in villis inſtructiſſimas bibliothecas vetat dubitare ſaltem illud Martialis l. VII.

Ruris bibliotheca delicati
Vicinam videt unde lector urbem.

At vero jam tum ante Luculli in Tuſculano bibliotheca in diſputatione *de Finibus* a Tullio erat celebrata. Qui epiſt. 9. libri IVti ad Atticum ſcribit, in Pompejano prope Puteolos ſe paſci bibliotheca Fauſti. Silio quoque Italico pasſim in villis fuiſſe copioſas bibliothecas, refert loco ante laudato Plinius. Ab aliis aliæ memorantur. Non tamen proditus eſt privatæ alicujus librorum numerus, ſi ex-

(a) *Quadringenta millia*) Epiphanius & Joſephus Gorionides longe minorem adhuc numerum exhibent apud *DALENIVM l. c. c. 5. p. 37.*

(b) *ſeptingenta*) Ita Iſidorum corrigit LIPSIVS, qui & hac ratione numerum Senecæ corrigendum eſſe arbitratur.

ſi excipias duorum grammaticorum, Tyrannionis Pompejo & Lucullo æqualis, ut qui bello Mithridatico a Lucullo captus ac Romam miſſus, & Epaphroditi: qui a Neronis ævo usque in Nervam ſuperſtes forte fuit ille *Mettius Epaphroditus*, (a) cujus imago marmorea hodieque Romæ viſitur, relata hinc in opus illuſtrium imaginum a Fulvio Urſino, & cum jam ante tum & a Gallæo ære expreſſa n. XCI. De illo enim Suidas: *διαπρεπὴς δὲ γενόμενος ἐν ῥώμῃ καὶ πλούσιος, ἐκτήσατο καὶ βιβλία ὑπὲρ τὰς τρεῖς μυριάδας.* De hoc idem: *ὠνούμενος δὲ ἀεὶ βιβλία, ἐκτήσατο μυριάδας τρεῖς, τούτων δὲ σπουδαίων καὶ ἀνακεχωρηκότων.* Longo autem intervallo tres illas myriades ſuperaverit neceſſum eſt Laurentii illius *δειπνοσοφιστῶν* convivatoris bibliotheca, ſiquidem Athenæi laudationibus credendum eſt. Qui libro primo refert: *ἦν δὲ καὶ βιβλίων κτῆσις αὐτῷ ἀρχαίων. ἑλληνικῶν τε τοσαύτη, ὡς ὑπερβάλλειν πάντας τοὺς ἀπὸ συναγωγῇ τεθαυμασμένους:* quos inter non dubitavit numerare & ipſos Pergami Reges. Sed fortaſſis hæc quidem laudatio excedit modum. Magis fidem meretur, quod *de beato Pamphylo martyre* (b) & presbytero Cæſarienſe ſcribit Hieronymus epiſtola ad Marcell. 141. *Demetrium Phaleraum & Piſiſtratum in ſacro bibliotheca ſtudio aquare voluiſſe.* Hujus ſane bibliothecæ condendæ ſtudium inſigne, & felices in illa opera progreſſus prædicat mirifice Euſebius l. 6. hiſtoriæ paſſim alibique; non diſſimulans, ex illa ut & Hieroſolymitana bibliotheca hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcribendæ materiam ſibi præbitam. Quemadmodum & *Pamphilo illi* (c) ſumma fuit amicitiæ junctus neceſſitudine, *ab eoque cognomentum ſortitus eſt*, ipſemet etiam *bibliotheca divinæ diligentiſſimus perveſtigator*, ut Hieronymus loquitur. Quamvis vero Pamphilus omnes Chriſtianos, ipſosque locupletiſſimos epiſcopos, qui illa tempeſtate bibliothecis ſtruendis operam dedere, longe ſuperaverit, numerum tamen collectorum librorum nemo veterum memoravit. Imo nec alterius alicujus bibliothecæ, ex illo ævo magnitudinem narratam reperire eſt, præter eas quarum meminimus.

Nec tamen vel ſic fortaſſe certi eſſe poſſumus, de cujusquam illarum bibliothecarum veterum copia. In cauſa videtur eſſe ambigua ſignificatio vocabulorum *βιβλίου libri* & *voluminis*. Utrum ſcilicet illa notent per ſe (ut ita loquar) ſubſiſtens atque ab aliis diſtinctum quid, necne? quænam item olim fuerit quantitas aut moles per ſeſe ſubſiſtentium. Enimvero hodie quidem *liber* promiſcue audit etiam codex aliquis grandis per ſeſe ſubſiſtens, & pars aliqua ejus interdum haud magna. *Volumen* vero ſolet audire non niſi quivis ſpiſſior grandiorque codex. Si libri itaque & voluminis vocabulo nonniſi majores codices fuerint intelligendi, ſtupenda profecto fuerit moles veterum bibliothecarum, Alexandrinæ cumprimis & Pergamenæ. At vero non equidem crediderim, apud veteres ſive *librum* ſive *volumen* grandem aliquem codicem, prout fit hodie, ſignificaſſe. Quoniam tamen promiſcue accipi olim ſolitæ *voces libri & voluminis*, (d) perquam fit veroſimile, olim librum quemvis & volumen quodvis fuiſſe ſeorſim quid ac per ſeſe ſubſiſtens, *quamvis mole exiguum.* (e) *Voluminis* ſane vox videtur utique palam ſignare, aliquid ſeparatim ſubſiſtens ſive convolutum. Solet autem accipi etiam de exiguis libellis. Sic Tullius quemvis libellum Tuſculanarum quæſtionum volumen appellans 3. Tuſculanar. 6. ſcribit: *Quoniam duobus ſuperioribus de morte & dolore dictum eſt, tertius dies diſputationis hoc tertium volumen efficiet.* Auctor item rhetoricorum ad Herennium l. 1. cap. 27. *Quoniam ſatis hujus voluminis magnitudo crevit, in altero libro exponemus.* Eadem ratione aliquot ſeculis poſt locutus eſt & S. Hieronymus paſſim. Nec vero ille dubitavit libellum de eccleſiaſticis ſcriptoribus, mole utique puſillum, volumen nuncupare: *ſi qui*, inquiens, *a me in hoc volumine prætermiſſi ſunt.* Imo nulli ſcriptorum omnis illius ævi, alio ſenſu voce illa ſolent uti. Cum legimus itaque, Illuſtris BOINEBURGI, numeratas in græcis latinisque veterum bibliothecis triginta, imo quadringenta aut ſexcenta millia librorum, non eſt quod juxta morem noſtri ſeculi totidem grandes codices animo numeremus, libri nimirum & volumina fuerunt; quorum hodie centena aliquot unus aliquis grandior noſter codex complectitur. De talibus proinde etiam accipio illa Plutarchi *ἁπλᾶ βιβλία*, *non autem cum Lipſio de voluminibus ex multis libris coalitis.* (f) Nec vero eſt quod videatur forte minus veroſimile, olim ſingulos libellos diſtinctis

---

(a) *Mettius Epaphroditus*) Chæronenſis, de quo vide quoque inter alia *BERNH. de MONTFAUCON in recenſione biblioth. græcarum tam veterum quam recentiorum*, & *LIPSIUM in ſyntagm. cap.* 8.

(b) *de beato Pamphylo martyre*) HIERONYMUS de eo refert, quod maximam partem voluminum Origenis ſua manu deſcripſerit. Ipſe etiam libro de ſcriptor. teſtatur, ſe ejus ſcripta manu notata cuſtodire, & omnibus anteferre Crœſi theſauris.

(c) *Pamphilo illi*) Unde & Euſebius Pamphili dictus eſt.

(d) *voces libri & voluminis*) *Volumen* dictum a volvendo, quod antiqui libros convolverent ad cylindri ſimilitudinem. *Liber*, pro quo etiam antiquitus dictum fuit *Leber*, deſcendit ab Æolico λεπὸς vel λεπὶς, quod corticem vel librum notat. *Codex* vero dictus eſt ab antiquorum more ſcribentium in tabulis ex caudice factis. Apparet inde libri & voluminis promiſcuus uſus, nec aliud utriusque diſcrimen niſi ratione accidentium. Conf. *CHRISTIANI SAALBACH ſchediasma de libris veterum*, quod *Gryphiswaldiæ* prodiit *a.* 1705. qui §. 8. librum ita definit, quod ſit ſcriptura in certa materia certis inſtrumentis & modis cognoſcendi cauſa & ad curandam imperitiam memoriamque cuſtodiendam ſcribentium cura ita lineata, ut modo ita velint librarii, ſeparatim poſſit ſubſiſtere.

(e) *quamvis mole exiguum*) Grandia olim erant volumina, quæ pluribus plagulis inter ſe conjunctis erant producta. Erant vero illa interdum quoque ſatis exigua, quæ vix duabus tribusve plagulis in longitudinem conglutinatis conſtiterunt, pro ratione nimirum argumenti brevioris, quod erat pertractatum.

(f) *non autem cum Lipſio de voluminibus ex multis libris coalitis.*) Is enim palmam deberi veteribus, qui florentiſſimas & copioſiſſimas bibliothecas collegerint, contendit, idque ex numero iſto librorum paſſim commemorato ſatis probari poſſe arbitratur. Quod ſi vero cum CONRINGIO probe obſervetur, libros & volumina veterum non adeo prægrandia fuiſſe, quin etiam cum SELDENO *de libris p.* 23. 24. 27. quod τὰ βιβλία apud ve-

ctis voluminibus conſtitiſſe. Scripti ſcilicet fuere tunc libri omnes, & quidem charactere literarum non illo parvo, quo nunc ſcribimus, ſed illo majore, ***quem capitalem hodie appellitant*** : (a) ceu etiamnum apparet ex ſuperſtitibus antiquiſſimis quibusque manuſcriptis: cujus generis Chryſoſtomi aliquot homilias academica noſtra ***Julia bibliotheca*** (b) poteſt tibi exhibere: nec illa fuit chartæ aut membranarum olim quæ hodie artificioſa ratio. Quod ſane multi libri in unum volumen recepti ſunt, id ſequiore demum ævo videtur cœpiſſe, mutata ſcribendi pariter & chartæ membranæque veteri conditione. Niſi forte jam etiam ante minutiora opuſcula aliquot jungi cœperint. Quo forte reſpexerit Plutarchus ſcribens: Pergami fuiſſe ducenties mille ἁπλᾶ βιβλία: cum alia ſcilicet fuerint compoſita volumina. Dixeris forte, perire hac mea interpretatione gloriam veterum bibliothecarum; & tamen non dubitaſſe Senecam quadringenta millia librorum Alexandrinæ bibliothecæ appellare, ***pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum.*** At vero exigui etiam libelli cariſſimo tum pretio, præ ſumma raritate, conſtabant. Platonem ſane unum libellum Philolai quadraginta minis Alexandrinis, & Ariſtotelem Speuſippi ſcripta talentis triginta mercatum, a Diogene Laertio memoratur. Quindecim argenti puri talentis αὐτόγραφα Sophoclis Euripidis Æſchyli empta Ptolomæo Evergetæ, jam tum narravi ex Galeno. Quanta vis pecuniæ impenſa ſit a Philadelpho curandis ſacræ ſcripturæ voluminibus, non ſine admiratione legas in Joſepho. Hodie librorum multo vilius pretium & frequentiam debemus inuſitato olim typographicæ artis beneficio.

In facili jam fuerit nobis, BOINEBVRGI, comparationem inſtituere veteris illius ævi bibliothecarum & noſtræ AVGVSTÆ. Sed ante id quam agamus, dicendum præterea aliquid etiam eſt de copia librorum, qua ſequentium temporum bibliothecæ nonnullæ inclaruerunt. Et vero, quod fortaſſe mireris, etiam extra orbem Europæum, apud populos plane alios, cum inter græcos latinosque melior quæque eruditio exſtincta pene fuit, copia librorum inſtructæ ſunt bibliothecæ. Refert ſane Thomas Erpenius oratione altera, quam de lingua Arabica conſcripſit, hodieque per Aſiam, cumprimis per Africam, non uno loco locupletiſſimas reperiri bibliothecas. ***Perhibent,*** inquit ***teſtes oculati & fide digniſſimi, in una bibliotheca Feſſana triginta duo reperiri diverſorum librorum millia. Scripſit quoque Conſtantinopoli D. Hagha illuſtriſſimorum Ordinum noſtrorum apud Imperatorem Turcicum Legatus, duas eſſe ibidem bibliothecas Arabicas,*** (c) ***quarum ſingulæ æſtimantur centum ducatorum millibus: id eſt, ut loquimur, quatuor auri tonnis: unam autem quæ quadringentis æſtimatur ducatorum millibus, id eſt ſedecim tonnis auri. Cari quidem iis in locis ſunt libri fateor, utpote manu exarati, & in charta fere ſerica, quæ magno quoque conſtat; ſed non ita tamen, quin tanti pretii ſumma ingentem quoque codicum multitudinem requirat.*** Hæc omnia Erpenius. Quibus non poſſum non tibi addere quæ Petrus Gaſſendus l. 5. hiſtoriæ Peireſcianæ de libris Cophticis Ægypti refert. ***Peireſcio,*** ait, ***retulit Ægydius Lochienſis Capuccinus, ex Ægypto redux, codices manuſcriptos in cœnobiis variis exſtare: viſam ſibi bibliothecam octies mille voluminum, quorum pars non exigua præ ſe ferret ævi Antoniniani notas.*** Chaldaicæ quoque linguæ complures hodieque libros reperiri, intelligo: & quidem eorum catalogum poſt illum ab Hebudjeſu confectum Abrahamus Ecchelenſis dedit: ut ***alii jactant copias Abyſſinorum.*** (d) Non invenio tamen memorari earum gentium bibliothecas illuſtriores, quæ librorum numero mereantur in comparationem adduci. Perinde atque hodie nullam ejus generis habet univerſa Græcia, ex quo Turcæ ſerviit.

Ut ad Europæ vero illum qui nunc obtinet ſtatum veniamus, quælibet fere ejus pars opulentis bibliothecis abundat quidem, etiam hujus Saxoniæ cum ***Sereniſſima Holſatica familia*** (e) tum ***præcipuis urbibus,*** (f) imo & nobiliſſimo ***Alvensleviorum*** (g) genere, quondam & ***Henrico Ranzovio,*** (h) viro Ge-

teres deſignaverint τμήματα & capita, quo ſenſu libri 12. Æneidos apud Maronem libri nuncupentur, tum ſane prætenſa illa apud veteres librorum copia cum noſtris comparata facile concidet.

(a) *quem capitalem hodie appellitant*) Non modo Romani ſed & Græci Ebræique capitalium ſive majuſcularum litterarum forma in deſcribendis codicibus uſi fuerunt, donec ſec. V. irruentibus in Italiam Gothis literæ variare cœperunt, & ſequentibus ſeculis aliæ atque aliæ ſcripturarum formæ in communem uſum ſeceſſerunt, duntaxat in principiis librorum & titulis majori illa forma retenta. Pluribus hæc data opera oſtendit *CHRISTIANVS GOTTLIEB SCHWARTZIVS in diſſertationibus de ornamentis librorum apud veteres.*

(b) *Julia bibliotheca*) Conf. de ea *CHRISTOPH. HEIDMANNI orationem,* adde *S. R. HERMANNI VAN DER HARDT memorabilia novæ Helmſtadienſis bibliothecæ.*

(c) *duas eſſe ibidem bibliothecas Arabicas*) *JOH. LOMEIERVS lib. de bibliothecis c. 11.* tres refert Conſtantinopoli eſſe bibliothecas Arabicas, quarum *prima* antiqua dicatur Conſtantini M. *altera* in uſum nobilium & ſervorum, *tertia* non procul a cubiculo Imperatoris Turcarum, quæ imperatoria & Ottomannica vocetur. In ferali autem incendio a. 1665. menſe Novembr. hæc bibliotheca cum palatio Imper. & gynecæo conflagravit.

(d) *alii jactant copias Abyſſinorum*) Magnifica multa de numeroſiſſima x. millium librorum bibliotheca apud Æthiopiæ Imperatorem narrantur. Verum *JOBVS LVDOLFVS in hiſtoria ſua Æthiopica lib. IV. cap. 1.* ſvaviter ea ſomnia ridet, qui familiari cum Gregorii Abyſſini converſatione omnia ejus regni arcana perſcrutatus eſt.

(e) *Sereniſſima Holſatica familia*) Reſpicit autor bibliothecam Gottorpienſem, cujus MSa quædam recenſet *MORHOFIVS polyb. tom. I. lib. IV. c. 12. n. 9.*

(f) *præcipuis urbibus*) Inter quas commemorandæ ſunt *Hamburgenſis,* de qua videantur *J. A. FABRICII memoriæ Hamburg. vol. 1. Lubecenſis* auſpiciis G. STAMPELII inſtructa, de qua vid. *nova liter. germ. 1703. pag. 450. ſeqq. STRVVII'S introd. in notit. liter. cap. 4. §. 23. Magdeburgenſis,* de qua itidem *STRVVIVS ſupplem. ad notit. rei lit. p. 37. Zittavienſis:* quibus ex aliis regionibus jungenda *Noribergenſis, Vratislavienſis,* de qua vid. *nova liter. germ. 1703. p. 164. ſeqq. Schleuſingenſis* aliæque.

(g) *Alvensleviorum*) Manuſcripta Alvenslebiana, quibus uſus, laudat BVDDEVS *in præfat. lexici univerſalis.*

(h) *Henrico Ranzovio*) De eo *JOH. LOMEIERVS cap. 10. l. c.* ita: *Henricus Ranzovius vir illuſtris in arce ſua Bredemburga inſignem inſtruxit bibliothecam, in ea ſex millia & trecenti libri præter æneas tabulas diverſi generis, ſtatuas marmoreas, globos, mappas geo-*

Generoſæ ſuæ familiæ & doctisſimo & maximo in illud ſtudium incumbentibus, numerum tamen librorum nullius fere bibliothecæ ſcripto proditum hactenus quidem invenimus. Aldum vero Manutium juniorem octoginta millia librorum Piſanæ academiæ legaſſe, cum ab aliis memoratur, tum etiam a Franciſco Schotto itinerarii Italiæ l. 2. cap. 10. *Quæ copia inprimis eſt memoranda:* (a) nec privati tamen patrisfamilias, nec hominis parum diffuſæ doctrinæ conditioni conveniens. Quæ res in memoriam revocat, quod de bono iſto Aldo refert Janus Nicius elegantiſſimæ ſuæ pinacothecæ parte prima. *Aldus*, ſcribit, *reliquum familiæ Manutiæ Sixto Vto Pontifice Romam venit, adeo modicis facultatibus, ut illi neceſſum fuerit aliquot centum aureorum fœnori ſumere, & quod eſt graviſſimum, uſura centeſima, quæ pro vectura bibliothecæ ſuæ ſolveret, quam Venetiis uſque advehendam aſportandamque curaverat. Quo ex ære alieno, tam juſtam ob cauſam facto, vix unquam liberari potuit.* Porro & de Bavarica Monachienſi bibliotheca, jam tum proxime antegreſſi Chriſtiani ſeculi anno nonageſimo quinto, in parvo urbium theatro, hæc tradidit Adrianus Romanus: *Aliud ædificium novum, ut novo caſtro majorem ſplendorem commoditatemque adſcrat, juxta interiorem hortum, quem variæ variarum elegantiarum deliciæ exornant conſtructum; cui vicina bibliotheca eſt undecim circiter millibus voluminum, quorum non exigua pars diverſarum linguarum manuſcripti ſunt, ſeorſim & ſcitiſſime compactorum refertiſſima, theatro peramplo & amœno diſtincta.* De Mazariniana præterea bibliotheca in querela ſua refert Naudæus, volumina illam quadragies mille amplius comprehendere. Aliarum omnium noſtri ævi bibliothecarum magnitudinem definitam fateor me ignorare. Nec tamen ego dubito, ſaltim eas quæ præcipua hodie ſunt fama, in Italia Vaticanam, Florentinam, Mediceam & Ambroſianam Mediolanenſem, in Gallia Regiam Seguieriam & Thuanam, in Hiſpania Scoriacenſem Regiam & Complutenſem, in Anglia Oxonienſem & Weſtmonaſterienſem Regiam, aliasque nonnullas, omnis generis librorum ſupellectile usque adeo abunde eſſe inſtructas, ut multitudinem ſuam librorum merito queant jactitare. Mihi vero nihil de his fas eſt definire in illo ſilentio eorum, quibus cum hæc ſint comperta, ab iis etiam memorari & potuere & debere.

In hunc modum itaque ſeſe habet magnitudo bibliothecarum omnis ævi, quantum equidem certa fide explorare hactenus licuit. Accipe nunc, Vir Illuſtris, & magnitudinem AVGVSTÆ noſtræ, eamque mecum contende cum amplitudine aliarum. Referam igitur ſeorſim librorum, ſeorſim voluminum multitudinem. Ne quis vero rurſum error oriatur ex varia vocum acceptione, *libros* appellabo, non ex qua veteres ſignificatione, ſed omnia quæ ſive ſcribentium ſive τῶν τυπογράφων cura ita ſtructa ſunt, ut modo ita velint οἱ βιβλιοπηγοὶ ſeparatim poſſint ſubſiſtere. Quo utique fit, ut talis aliquis liber interdum centum amplius libros primæ ſignificationis ſinu ſuo comprehendat. *Volumen* mihi dicetur omnis ejus generis liber, qui reapſe diſtinctus ſubſiſtit. Quorum bona pars libros modo etiam adductæ ſignificationis complures itidem complectitur. Jam vero teſtor tibi bona fide, id quod initio epiſtolæ jam tum dixi, reperiri in AVGVSTA, iſthac vocum acceptione, *librorum quidem centena ſedecim millia, volumina autem quaſi viceſies octies mille.* (b) Apparebit idipſum luculentiſſime ex indiculo quem ſeorſim mitto. Et tamen iſthæc omnia non deſinunt quotidianis pene additamentis creſcere. Nego proinde, ſaltim ullam veteris ævi ſive græcam ſive latinam bibliothecam, cum AVGVSTA vel contendere merito poſſe de magnitudine; tantum abeſt ut earum ulla hanc vel æquaverit vel ſuperaverit. Nempe audiviſti quidem alias triginta, alias ſexaginta duo, alias centum viginti, Attalicam ducenta, omnium locupletiſſimam Alexandrinam vel quadringenta vel ſexcenta millia librorum numeraſſe: ſimul vero percepiſti, numeraſſe libros, non eo quo abs me factum, ſed alio longe ſenſu. Illa autem acceptione auſim pene profiteri, exhibere AVGVSTAM poſſe non ſexcenta, ſed vel centies ſexcenta librorum millia. Quantam librorum multitudinem, Ptolomæorum quidem regum temporibus, nusquam terrarum vel ſparſim reperire fuit. Nec vero vel tantum librorum illo omni ævo ſcriptum fuit, quantum proximo centum annorum ſpacio, induſtria noſtræ ætatis hominum, in lucem prodiit: ſi, quod res eſt fateri velimus, non autem inepto quodam cultu ſola vetera admirari. Si tam magno autem intervallo ſuperat AVGVSTA illas veteris ævi a magnitudine celebratisſimas bibliothecas, quanto dixeris ſuperatas illas reliquas? Nec vero dubito, illas longe aliis iſtis, quarum libros in admirationem numerarunt nobis priſca monumenta, fuiſſe minores. Nos ſane librorum numerum non minus etiam de hisce accepiſſemus, ſi non inferior multum fuiſſet illo, quem diſerte expreſſum veteres laudaverunt: non parci ſcilicet eorum, quæ ad gloriam faciunt rerum ſuarum, præcones. Romanas utique bibliothecas non perinde amplas fuiſſe, colligas fortasſis haud male vel inde: quod ex Aſinii Pollionis inſti-

graphicas, aſtrolabia, horologia & alia id genus mathematica inſtrumenta. Beyer l. theatr. vit. hum. In eam, ut & in armamentarium Bredenbergenſe hoc epigramma ſcripſit PETRVS LINDENBERGIVS *delic. poet. germ. part. 3. p. 1205.*

> *Non ſatis eſt armamentaria condere magna,*
> *Bibliotheca etiam condita pulchra tibi eſt.*
> *Pacis ut & belli, Ranzoi, munia cures,*
> *Utrumque & ſubeas Martis & artis opus.*

(a) *Quæ copia inprimis eſt memoranda*) Omnem tamen privatarum bibliothecarum menſuram vicit in Belgio *bibliotheca Paviana*, eo quod 16000. quæ volunt, volumina in folio, atque inter hæc 400. exemplaria bibliorum continuiſſe perhibetur. De bibliotheca GERHARDI JOH. VOSSII libros 24000. complexa lege *Sorberiana p. 219.*

(b) *librorum quidem centena ſedecim millia, volumina autem quaſi viceſies octies mille.*) *MORHOFIVS in polyhiſtore liter. tom. I. lib. I. cap. 17. n. 34.* volumina cum ipſis libris ſive ſeparatis tractatibus confundit, cum ait, *bis mille in ea (bibliotheca Auguſta) aſſervantur codices MSti & centena ſedecim millia aliorum voluminum.* Cæterum ob librorum copiam bibliothecam Auguſtam maximam totius orbis appellare non erubuit *CHAPVZEAV part. 3. Europæ ſuo tempore viventis p.* [illegible]

inſtituto ſtatuis ſimul & imaginibus, *quorum immortales animæ* (Plinii verba recito) *in iisdem locis loquebantur* repletæ fuerint: quo ſpacium libris reponendis dicatum non potuit non reddi perangustum. Sed non eſt, quod cum hiſce quidem bibliothecis AVGVSTAM comparemus, cum usque adeo longe vincat ipſam illam, qua omne vetus ævum nihil majus habuit, Ptolemæorum Regum Alexandrinam.

Si vera ſunt quæ de Feſſana aliisque Arabicæ linguæ bibliothecis referuntur, illis forte palmam tribueris ob voluminum multitudinem. Aſt vero, ſolent Arabica quævis volumina magnitudinis eſſe exiguæ: ex adverſo AVGVSTÆ noſtræ ſpiſſa ſunt plurima: atque adeo reapſe librorum numero etiam Arabica iſthæc longo poſt ſeſe intervallo relinquunt. Trium illarum noſtri ævi & orbis bibliothecarum, quarum magnitudinem expreſſi, Bavarica quidem quum longe itidem ſuperetur ab AVGVSTA, non etiam eſt quare in comparationem adducatur. Tacebo, quod, ſi Dreſſero credimus, numerus librorum bibliothecæ illius quatuor millia non excedat. Sed & altera illa Manutiana, non volumina octuagies mille ſed duntaxat tot numero libros comprehendit: atque ita totis viginti millibus librorum eſt infra AVGVSTAM. Mazarinianæ tamen fateor ceſſit AVGVSTA. Ceſſit inquam: non tamen cedit etiamnum, quantum intelligo, poſtquam inconſulta venditione plurimum illi detractum eſt. Vtque etiamnum cederet, digna tamen eſſet AVGVSTA admiratione, quippe quæ non niſi uni potuerit in univerſo hoc orbe ſuccumbere. Quamvis nimirum aliarum noſtri ævi maxime illuſtrium bibliothecarum magnitudo definita, ceu ante dixi, me lateat, non dubito tamen, etiam illis AVGVSTAM noſtram amplitudine antecellere: idque duobus adductus argumentis, quæ neminem fallunt. Prius eſt, quod nullius illarum ſpacioſum adeo ſit domicilium atque eſt AVGVSTÆ, utpote quod ea parte ipſammet etiam Scoriacenſem, cujus omnium ampliſſima ædes creditur, haud parum vincat: quod paulo poſt tibi approbabo. Alterum, quod & Vaticana pariter & Scoriacenſis (ne de aliis nunc dicam) picturis & inſcriptionibus multis parietes ſuos pene occupaverint: quos libris refertos habet *AVGVSTA.* Legiſti, arbitror, quo bibliotheca Vaticana deſcripta eſt ab Angelo Roccha volumen. Quam ibi multæ *imagines* (a) & inſcriptiones memorantur! Audies vero non multo poſt, ſimilia plurima oſtentare & Scoriacenſem. Fere nihil autem horum *AVGVSTA* habet: non certe loco libris reponendis idoneo. Quin itaque etiam hæc quarta palma *AVGVSTÆ* debeatur, nec tu quidem, *BOINEBVRGI*, impoſterum dubitabis.

Niſi vehementer vero fallor, bonitate quoque librorum ſuperat AVGVSTA ſaltim pleraſque noſtri ævi quamvis celeberrimas. Utque non omnes ſuperet, æquat tamen etiam optimas; certe nulli earum temere cedit: id quod ſatis eſt parandæ admirationi, atque adeo dignum quo nomine quintum quoque admirandum AVGVSTÆ numeremus.

Heic vero non poſſum non ante omnia monere, caveas tibi ab errore, quo etiam doctiſſimos viros teneri video, circa bonitatis bibliothecariæ juſtam æſtimationem. Deprehendere nimirum eſt, perſuaſum quammultis eorum, virtutem dotemque bonæ bibliothecæ unice conſiſtere in antiquorum manuſcriptorum majore quovis numero. Inter ea autem, ab aliis ſola Græca & Latina; ab aliis, recentiore inſtituto, quæ orientalibus ita appellatis linguis, Hebraica ſcilicet, Chaldaica, Arabica, Perſica, Copthica, Æthiopica & ſimilibus ſunt compoſita, commendari. Non eſt autem difficile errorem hunc convellere, ſi juſtum bibliothecæ cujusque regiæ ſive maximæ ſcopum expenderis: ut oportet ſane omnia ex uſu ſuo æſtimare. Eſt nimirum bibliothecarum ejusmodi ſcopus, (is certe debet eſſe) ut poſſint omnigenæ doctrinæ atque ſapientiæ ſtudiis prompte offerre, vel omne vel ſaltim potiſſimum quod a doctorum ingeniis hactenus eſt elaboratum. Quod hactenus eſt, inquam, elaboratum. Id ſcilicet requiritur ad perfectum ſtudiorum commodum: quem ultimum merito dixeris bibliothecarum ejus generis & veriſſimum finem. Jam vero nemo utique temere crediderit, *in ſolis manuſcriptis iſtis* (b) omnem ſapientiam haberi. Imo nemo paulum æquior & rerum peritior non fatebitur, multo maximam partem eorum, quæ ſciri intereſt mortalium, poſt illa dudum exarata, a ſequentium temporum, cumprimis hoſce intra ducentos annos, a præſtantiſſimi ingenii viris compluribus, orbi productum eſſe. Aut imperitus recentis ævi certe eſt aut invidia improbus,

> *Qui redit ad faſtos & virtutem æſtimat annis,*
> *Miraturque nihil niſi quod Libitina ſacravit.*
> Quisquis item, *niſi quæ terris ſemota ſuisque*
> *Temporibus defuncta videt, faſtidit & odit.*

ut Horatiana illa liceat mea nunc facere. Igitur in ſolis quidem manuſcriptis illis codicibus non ſane perfectio bibliothecæ cujuslibet eximiæ collocata eſt. Ne potior quidem pars perfectionis in iis eſt ſita, quoniam potior ſtudiorum uſus ab iis peti non poteſt. Ad hoc magna quidem doctrinæ omnigenæ pars per Græcorum quondam & Latinorum ſcriptorum monumenta ad nos devenit, atque ex iis hodieque maximo capitur cum emolumento; ſed cum Græcorum tum Latinorum illa plera-

(a) *imagines*) Picturæ etiam ad rem literariam non pertinentes, in quibus enarrandis & deſcribendis ANGELVS ROCHA & MVTIVS PANSA inanem operam poſuerunt judice MORHOFIO *lib. 1. cap. 4. n. 27.* vide & CONRINGIVM *p. 145. 147.*

(b) *in ſolis manuſcriptis iſtis*) Interim tamen in eo maxime bibliothecas publicas proſpicere privatorum indigentiæ æquum eſt, ut ſubminiſtrent illa, quæ aliunde non facile depromuntur. In his autem rarioribus principem locum ſibi vendicant manuſcripta, quæ quo antiquiora, eo ſunt meliora, ſive jam typis vulgata ſint, ſive ſint ἀνέκδοτα, uti cenſet MORHOFIVS *l. c. c. 7. n. 50.*

pleraque, ſaltim optima quæque, jam curantibus viris præclaris, typis ſunt edita; ut *ad illa quidem manuſcripta recurrere* (a) ſapientiæ hauriendæ cauſſa non ſit neceſſum. Saltim horum igitur manuſcriptorum pretium longe jam ſolito vilius eſt. Et ſine cauſſa hæc quidem, ideo tantum quod manu ſint ſcripta ac proinde rariora inventu (ſi juſto rem judicio cenſeas) magni adeo, & tanquam theſauri ſint arcani, æſtimantur. Nec vero reapſe præſtantiora ſunt iis exemplis quæ typis ſunt edita: niſi forte quia ſcriptione diverſa nonnunquam juvare ſunt idonea ad genuinam verborum aliquot emendationem. Nonnunquam, dico: ſæpe enim non juvant ſed turbant, ſcripta ſcilicet etiam ipſa ab imperitis librariis. Non poſſum tibi non, mi BOINEBVRGI, hoc loco recitare lepidam fabulam *de Fulvio Urſino*, (b) verbis Jani Nicii, ex pinacotheca illius prima petitis. *Pervetuſtis codicibus, quorum multos in ſua bibliotheca habebat, immania pretia faciebat. Atque illud accidit perridicule: quod cum die quodam Franciſco Cardinali Toleto Terentii comœdias oſtendiſſet, easque affirmaſſet, ante annos mille fuiſſe conſcriptas; ac revera eſſent antiqua ſed mire depravata atque corrupta: atque addidiſſet, nullam eſſe pecuniam quæ antiquiſſimi illius codicis æſtimationi par eſſet: Proh Deus, Cardinalis inquit, quid audio? equidem mallem codicem unum, quantumvis recens impreſſum, ſed caſtigatum emendatumque, quam decem alios mendoſos & corruptos, quamvis Sibyllæ manu exaratos. Riſus omnium qui aderant eſt factus, cum viderent rerum earum pretia, quæ ille in cœlum efferebat, Cardinalis æſtimatione ſic concidiſſe. Hunc poſtea librum moriens bibliothecæ Vaticanæ legavit.* (c) Idem profecto jure etiam Tu dixeris cum Toleto, de quammultis manu exaratis ac typis impreſſis codicibus; ſiquidem ex uſu eorum pretium velis æſtimare, ceu fieri par eſt: præſertim poſt tam ſedulam operam excuſis libris a doctiſſimis quibusque impenſam. Alia, fateor, eſt ratio manuſcriptorum, quorum exempla hactenus per typos impreſſa ac multiplicata non ſunt. At vero quantum quidem ex indicibus eorum videre eſt, pleraque illorum minoris ad ſapientiam præſtandam momenti ſunt: ac proinde minoris etiam faciendi. Quin major tamen nonnullis quamvis paucioribus reverentia debeatur, abſit ut a me negetur. Quæ orientalibus linguis ſunt compoſita monumenta (qualia *ſpretis Græcis Latinisque* (d) a nonnullis jam calidiſſime omnium expetuntur, ut eſt ingenium hominum novitatis avidum) in noſtro quidem orbe longe Græcis Latinisque rariora ſunt, quoniam, ſi Hebraica & Chaldaica excipias, nihil fere eorum (pauca enim non moror) typis eſt editum: adeoque hactenus in majore merito ſunt pretio habenda. Si utilitatis tamen, quam ex iis ſapientiæ ſtudia debeant aut poſſint accipere, rationem habeas, vereor ne infra typis excuſos, & multum quidem, rejicienda ſint. Seponamus ſane Hebraica: hactenus profecto ne ex fama quidem accepimus, eſſe ſaltim vel Perſicum, vel Copthicum, vel Æthiopicum quid aptum ſapientiæ (alia enim ratio hiſtoriæ eſt) quod non liceat longe plenius ex typis editis addiſcere. Quæ certe, tanquam invitamenta ad doctrinam illarum gentium deſiderandam, usque huc prodierunt, vetant nos ab iis præclari multum ſperare. Omnium eruditiſſima citra controverſiam Arabica ſunt; ut numero etiam plura. Sunt autem eorum alia verſa ex linguis aliis, alia propria. Illorum potior ſaltim pars ex Græco profecta eſt. Quæ, quoniam Græce jam tum publicata typis ſunt, quis prudens ex aridis Arabum rivulis quæſierit? Mathematica quædam, fateor, adhuc Græce deſideramus, quæ illi *Apollonio Pergæo* (e) & aliis adſcribunt: ſed perquam pauca, & fortaſſis incertæ fidei. Scio & ex Latino verſa quædam, ipſi Latino orbi hodie ignota, ſupere, a viris doctis *Erpenio & aliis* (f) eſſe traditum: ſed hactenus quidem decollavit illa ſpes, nec

vel

(a) *ad illa manuſcripta recurrere*) Suo tamen illa etiamnum in pretio cenſentur, ad quæ velut ad oracula confugiunt, qui emendationes locorum in autoribus quærunt. *Non enim elevandus eſt illorum uſus*, ait MORHOFIVS *loc. c. num. 2. uti Conringio viſum fuit. Semper enim in vetuſtis codicibus aliquid a criticis ſagacioribus obſervari poteſt, quod illis, qui primum ex iis libros typis evulgarunt, in mentem non venit, ut editione fabularum Phædri mihi conſtat. Cum enim* RIGALTIVS *ex vetuſto manuſcripto codice illas fabulas ediderat, innumera tamen in illis menda relicta ſunt, quæ ex illo ipſo codice, qui in manus* MARQVARDI GVDII *incidit, mirabili ſolertia vir ſummus reſtituit, cujus notæ in Phædrum ſive commentaria poſthuma in editione noviſſima, quam* PETRVS BVRMANNVS *Amſt. 1698. evulgavit, prodierunt. Et n. 52. Quod ſi levior ille quibusdam uſus videatur, qui in autorum emendatione collocatur; longe tamen major ille eſt, qui ex manuſcriptis patrum libris utut jam impreſſis in eccleſias & academias promanat. Nemini ignotum eſt, quorundam fraudibus id agi, ut ea in patribus loca, quæ minus favere recepta apud ſuos ſententiæ videntur, aut mutilentur, aut corrumpantur. Quo caſu magnum in manuſcriptis codicibus præſidium qui non agnoſcit, is profecto ſtupidus & amens eſt. Jam dudum oſtenſum a theologis celeberrimis & philologis eſt, multa talia paſſim in patribus inveniri. Extat & ſingularis de latrociniis in ſcriptores publicos, præcipue patres,* CASPARIS LOESCHERI *diſſertatio, qua exempla ejus rei proferuntur.* THEOPHILVS SPIZELIVS *in diſſert. præliminari n. 5.* judicat, non quidem pro potiori perfectionis parte bibliothecæ manuſcripta habenda eſſe, interim tamen a debita ipſis reverentia nihil derogari debere. De manuſcriptorum utilitate & commodis diſſeruit quoque BAVDELOTIVS *lib. de peregrin. & ſtudii antiquitatis uſu p. 232.*

(b) *de Fulvio Urſino*) Extat ejus *de bibliothecis commentatio in collectione Maderiana pag. 24.* Cæteroquin hujus viri judicium de Terentii codice antiquo manuſcripto non adeo abſurdum eſſe judicat MORHOFIVS *l. c.*

(c) *Hunc poſtea librum moriens bibliothecæ Vaticanæ legavit*) Cum univerſa nimirum bibliotheca ſua per teſtamentum, quod adjecit vitæ Fulvii Romæ a. 1657. editæ JOSEPHVS CASTALIO. Adde ERYTHRÆI *Pinacoth. I. pag. 10.* ex eoque cl. BVDERVM *diſſert. de bibliothecis ad publicum uſum legatis p. 12.*

(d) *ſpretis Græcis Latinisque*) Spectant huc RAVII potiſſimum verba, quæ ex *diſſertatione ejus de linguis orientalibus* anglicano idiomate ſcripta adducit HINCKELMANNVS *præf. in Alcoranum, Commendata tibi ſit Arabica lingua, tanquam in qua majus lateat & ſperandum ſit emolumentum, quam in omnibus antiquis Græcorum & Romanorum ſcriptoribus.*

(e) *Apollonio Pergæo*) APOLLONII PERGÆI *libri conicorum 8. prodierunt cum notis* CLAVDII RICHARDI *Antwerpiæ 1655. fol.* Libri tres autem deſiderati hactenus ex Arabico Latine redditi ſunt ab ABRAHAMO ECCHELLENSI cum paraphraſi ABVLPHATI ASPHANENSIS & notis ALPHONSI BORELLI.

(f) *Erpenio & aliis*) Erpenius ex teſtibus oculatis & fide digniſſimis retulit, in Feſſana bibliotheca extare Titi Livii libros omnes, Pappi Alexandrini, Hippocratis & Galeni. Nec non PETRVS DE LA VALLE *in biblioth. Conſtantin.* Titum Livium integrum olim extitiſſe teſtatus eſt *part. I.*

vel Aſia vel Africa quidquam tale Europæ dedit, imo vero nihil tale quo ſperemus, facit illud, quod Johannis Leonis teſtimonio jam tum narravi, de Latinis per Africam omnem monumentis abolitis præ ſuperſtitione Calipharum. *Quæ propria ſunt Arabum longe infra Græcam eruditionem eſſe,* (a) mihi quidem documento ſunt philoſophica & medica: utpote quorum potiſſima dudum habuerimus Latine ſive Barbare potius verſa: in quibus nihil fere reperias non a Græcis acceptum, quod quidem majoris paulo momenti queat cenſeri. Sed quid hiſce immoror! Fateor ſane, BOINEBVRGI, aliam hæc operam expoſcere. Tibi tamen quin facile perſuadeam etiam hæc quæ de orientalibus libris diſſerui, non dubito: quoniam cum cura, ut ſoles, legiſti ſaltim *bibliothecam orientalem,* (b) in hoc doctrinæ genere longe omnium clariſſimi eoque nomine tibi quoque acceptiſſimi Johannis Henrici Hottingeri. Non licuit autem non ſaltem levi brachio hæc attingere, demum ut conſtet, quid revera ad perfectionem bibliothecæ attineat. Sententiis populi huc illuc ſolo novitatis amore fluctuantibus, ſimul ille deſperat ex eo, quod jam præceptum eſt gloriam aſſequi. Qua de re prudentem Paterculi diſſertationem fine libri ejus primi operæ fuerit pretium legere.
Et vero

Quid placet aut odio eſt, quod non mutabile credas:

Ne ſtatim vero manuſcriptorum curam relinquamus, equidem ita ſentio, illuſtribus quidem illis & regiis bibliothecis, præ orientalibus ſaltim, convenire & illud manuſcriptorum genus, quod ſequiorum quoque imo & noſtri temporis res graviſſimas atque acta prodere aptum eſt. Qualia in Germania noſtra ſummo ſtudio princeps forte collegit Melchior Goldaſtus, in Gallia vero poſt P. Pithœum & Thuanum *Petrus Puteanus* (c) & Lomenius. Recitabo tibi quædam argumenti hujus, ex vita Puteani illius diſertiſſime pariter & cum laude prudentiæ a Nicolao Rigaltio conſcripta. *Verba ejus ſunt.* (d) *Eademque opem Puteanus ipſum Pereſcium, atque de juſſionum regiarum quatuorviris Antonium Lomenium Villoclarium, arctiſſimo ſecum invicem amicitiæ nexu conjunctos, fecit ut enixe conſpirarent, qua pollebant gratia, requirendis undique arcana memoria chartis, curioſa rerum noſtrarum externarumque ſtudia valde juvantibus. Habentur illic Principum & Legationum, viciſſimque ad Principes & Legatos literæ, inſtructiones, mandata, & hujuscemodi alia innumera. Quibus odorandis veſtigandisque mira fuit Lomenii Pereſciique ſagacitas, magna felicitas ſive auctoritas obtinendis; maxima vero Puteani ſedulitas & induſtria ſingulis ordine ac tempore diſtinguendis & componendis. Exinde autem vidimus inſtauratam bibliothecam voluminum amplius quadringentorum, quæ Lomenius noſter ſumptu liberali, multo labore tranſcripta, magnificoque opere compacta, ſuis ædibus officioſiſſime habuit ad varios amicorum uſus. Eo decedente, ex ærario regio librarum millibus quadraginta perſolutis, regiam plane ſupellectilem Luparanis armariis cuſtodiri placuit; donec accederet bibliotheca omnium toto orbe bibliothecarum copioſiſſima* (Mazarinianam niſi fallor intelligit) *unde eſt tandem in Regiarum chartarum theſaurum comportata.* Idem vero Rigaltius jam ſcripſerat, a Puteano ipſomet fuiſſe congeſta *memorialium ſeptingenta & ſexaginta quinque volumina, ſcripta ipſius plerumque manu.* Nec vero talia bibliothecis condere plane novum quid eſt, ſed, invitante palam uſu, jam tum vetus. Ab Ariſtotele ſane talia congeſta fuiſſe, ſcripſi jam ante. Clarius ex Athenæo lib. 5. cap. 14. patet, huc quoque incubuiſſe Apelliconem Tejum Peripateticæ addictum ſcholæ, cum bibliothecæ locupletiſſimæ congerendæ olim in primis daret operam: *ſurrepſiſſe* nimirum *ex Metroo decreta majorum autographa: ex aliis etiam civitatibus, ſi quid eſſet antiquum, vel arcanum, vel reconditum, id omne corraſiſſe.* In bibliotheca Ulpia Romæ talia reponi ſolere, diſcere eſt ex iis quæ Flavius Vopiſcus inde ſibi acquiſita, narrat non ſemel in hiſtoria Aureliani Imperatoris. Imo ea fere ſola videntur fuiſſe divitiæ veteris Romanæ Pontificiæ bibliothecæ. Ita enim ſcribit Onuphrius Panvinius libello, quem de bibliotheca Vaticana conſcripſit, cujus fragmenta antehac non ſemel adduxi in teſtimonium. *Hilarius Papa, primus quod legerim bibliothecas duas Romæ juxta fontem Laterani ædificavit, in quibus eccleſiæ Romanæ ſcripta, & epiſtolas decretales Romanorum Pontificum, conciliorum actiones, hæreticorum palinodias & hæreſes, ſanctorumque patrum libros, publico uſui Chriſtianorum conſervaret: cum eo tempore libri ob paucitatem, & librariorum raritatem, difficile admodum invenirentur.* Idem paulo poſt. *Qui bibliothecæ præerat, jam olim bibliothecarius, & aliquando Cancellarius vocabatur. Hujus munus erat, bibliothecam, & omnia ejus volumina ſcripta, membranas, & ſimilia accuratiſſime cuſtodire: bullas,*

itiner. cap. 9. de quo magnus Florentiæ dux quinque piaſtrorum millibus emendo aliquando egerit, ſed fruſtra.

(a) *Quæ propria ſunt Arabum longe infra Græcam eruditionem eſſe*) Hæc aliaque quæ antecedunt, in Arabum, Perſarum, Æthiopumque libros durius pronunciata MORHOFIO *in polyh. tom. I. lib. 4. cap 5. n. 6.* hanc ſolum ob rationem ſcripſiſſe videtur Conringius, ne Auguſtæ ſui Principis bibliothecæ aliquid alicujus momenti deeſſe fateri neceſſe habeat. *Cæterum in eo,* inquit, *Conringio haud cunctanter aſſentimur, tantos Principum rerumque publicarum ſumtus, tantos privatorum labores, licet non ſine aliquo ſucceſſu fuerint, parum tamen in autorum veterum reſtitutione orbem literatum adjuviſſe.* Conf. *eundem lib. 1. cap. 7. num. 33.*

(b) *bibliothecam orientalem*) Quæ prodiit Heidelbergæ 1658. 4.

(c) *Petrus Puteanus*) Hujus viri celeberrimi æque ac Conringii neque in PETRI BÆLII *dictionario* neque in *univerſali lexico hiſtorico* mentio facta eſt: quod mirum, cum tamen exempla eſſe poſſint politicorum πολυμαθεστάτων. Fuit enim Petrus Puteanus Regi Galliæ a conſiliis & bibliothecis, neque eo peritior quis juris publici Gallicani aliorumque ſtatuum extitit. Collegit is & conſervavit multas Scaligeri epiſtolas hactenus ineditas & Peireſcii epiſtolarum volumina duo, nec non epiſtolas Foxii & Oſſati ad hiſtoriam concilii Tridentini ſpectantes. Præcipue vero epiſtolas politicas magna cura inquiſivit, e quibus ut & aliis inſtructionibus & memoriis 400. amplius volumina confecit, quæ deinde 40000 libris empta regio archivo inſerta ſunt. De cætero tanta induſtria fuit, ut ipſe 765. memorialium volumina ſua pleraque manu ſcripſerit, refer. RIGALTIO ex eoque MORHOFIO *in polyh. tom. I. l. 1. c. 3. n. 18. cap. 19. n. 26. & c. 24. n. 49. 50.*

(d) *Verba ejus ſunt*) p. 50. edit. Pariſ. a. 1652. 4. & in *vitis* quas GVIL. BATESIVS *collectas edidit Lond. an. 1681. 4. p. 663. ſeqq.*

bullas, ſive diplomata, vel epiſtolas decretales Pontificum ſcribere, & ſi opus erat, dictare: Acta conciliorum & ſynodalia exſcribere ac conſervare: tandemque apud Romanum Pontificem ea omnia præſtare, quæ Sedis Apoſtolicæ Cancellarii noſtro tempore faciunt. Conveniens etenim viſum fuit, ut is potiſſimum eſſet Papæ amanuenſis, ſcilicet ſcribarum princeps, vel a ſecretis, qui etiam Pontificiam bibliothecam, quæ tunc erat veluti cancellaria quædam, ſive, ut nunc loquimur ſecretaria, tractaret. Noſtris vero temporibus hæc munia ſunt diviſa. Hæc ille. Ut appareat, quæ veterum autorum quidem manuſcripta hodie habet Vaticana, a Nicolai quinti temporibus demum acceſſiſſe. Vidit hunc uſum & Joannes Baptiſta Cardona: eoque ſuadet, in Scoriacenſis bibliothecæ reconditiore loco, clauſis armariis *cuſtodire & illa, quæcunque juris-dictionem & jus Hiſpanum complectuntur, ſeu ſint ea Hiſpaniæ totius communia, ſeu provinciæ & partis propria alicujus; ubi & Pontificum privilegia concludenda, qui locus tamen non pateat cuivis, ſed iis quibus permiſerit bibliothecæ præfectus, ceu fit Romæ in Vaticana.* Quod tamen num in bibliotheca illa factum ſit, neſcio. Mazarinianam fuiſſe ab id quoque genus manuſcriptis optime, ſaltim olim, inſtructam, certum eſt. Videntur ſane hiſce potiſſimum fuiſſe comprehenſas, centum ac quinquaginta etiam exterarum provinciarum civitatumque mores, leges, conſuetudines: Leges item & fundationes, omnium religioſorum collegiorum, hoſpitalium, communitatum & fraternitatum: partem denique magnam hiſtoriæ perpetuæ univerſalis: quorum in querela ſua meminit Naudæus. Id genus vero monumentorum non deberi a perfecta quidem bibliotheca abeſſe, facillimum judicatu eſt, modo attendas ad bibliothecæ perfectæ ſcopum atque adeo ad uſum, qui ex libris exſpectari poteſt. Et vero ille ſcopus demum recte definit, qui qualesque libri in bibliotheca reperiri debeant. Et quidem a perfecta atque omnibus numeris abſoluta nihil alienum eſſe debere, quod quacunque ratione ſtudiis & doctrinæ inſervire æſt idoneum, hinc plane eſt perſpicuum.

Cæterum de perfecta ratione bibliothecæ agere, proprie ad artem pertinet bibliothecariam. Dicam ergo potius tandem, quid laudis a librorum bonitate mereatur noſtra AVGVSTA: præſertim quoniam quæ modo attuli tantum in id adducta ſunt, ut errorem illum fere communem ex animis deleam, quo ſoli manuſcripti codices, & quidem ſoli Græci ac Latini vel etiam orientales, creduntur digni, qui in illuſtribus bibliothecis recondantur; aut ſi non ſoli receptu digni cenſeantur, citra diſcrimen tamen bonitate omnes alios ſuperare. Igitur non ſane deſtituitur AVGVSTA etiam manuſcriptorum inſigni copia: ut quorum poſſis ibi numerare *bis mille circiter*, (a) Græcos, Latinos, Hebraicos, Arabicos aliarumque linguarum, & quidem optimæ notæ omnes, complures hactenus typis non excuſos. In quorum conquiſitione etiam illam felicitatem ſibi contigiſſe, impenſe lætatur Princeps optimus, quod dum ardua ſereniſſimæ domus negotia Rudolphum II. & Ferdinandum II. Imperatores Vindabonæ adire compuliſſent, in Hungaria laciniam celeberrimæ quondam *bibliothecæ Matthiæ Corvini* (b) ſibi comparare, quamvis magno ære, conceſſum fuerit. Deprehendere vero in illo manuſcriptorum ordine licuerit tibi ſimul incomparabilem theſaurum, & in Germania quidem nuſquam antehac viſum, prope ſeptingentorum, & quidem magnam partem ſpiſſorum omnique pagina pleniſſimorum (cujusmodi neutiquam ſunt illa Lomeniana Gallica) primæ magnitudinis voluminum, de arcanis negociis ac rebus præcipuis, non duntaxat Germaniæ univerſæ aut hujus inclyti ducatus, ſed Galliæ etiam (de cujus unius negotiis integri *trecenti nonaginta ſeptem tomi*, (c) maximis ſumptibus Lutetiæ Pariſiorum ex Lomenianis forte deſcripti & nitidiſſime formati heic reperiuntur) aliarumque rerum publicarum Europæ: quod genus manuſcriptorum in uſum civilem prolixius paulo ante commendavi. Non diffitebor tamen, manuſcriptorum multitudine, forte etiam ſi antiquiſſima illa ſpectes præſtantia, vinci AVGVSTAM ab Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ & Angliæ nonnullis bibliothecis. Enimvero de Vaticana jam tum Onuphrius Panvinius non dubitavit referre, excedere ejus manuſcripta numerum ſex millium: qui tamen numerus quemadmodum iniri commode potuerit nondum indicibus confectis, equidem ignoro. Poſt Onuphrium

(a) *bis mille circiter*) Acceſſerunt iis poſtea trecenti codices *ex bibliotheca Gadiana*, nec non centum codices manuſcripti, qui olim fuerunt *in monaſterio abbatiæ VVeiſſenburgenſis*, inde ab abbate Weiſſenb. & epiſcopo Spirenſi per Johannem Philippum Electorem Moguntinum emti donatique Henrico Julio Blumio Hannoverano conſiliario primum ſuo, deinde in Bohemico appellationum tribunali Cæſario & Pragam delati, tandemque a ſereniſſ. Duce Antonio Ulrico comparati attingentes tempora Carolingorum ſecul. IX. & X. (de quibus vide LEIBNITIVM *in diſſert. de nummis Gratiani contra Harduinum* edita additaque *ad calcem menſis Auguſti libri Germanici*, cui titulus: *Auszug verſchiedener die neue Preusſiſche Crönung angehender Schriften pag. 4. 5.*) nec non alii codices ex bibliotheca PETRI SCRIVERII coemti, de quibus vid. DN. BVRCHARDI *in epiſtola de biblioth. Auguſta p. 29. 59.* de inſigni quoque eorum augmento ſpem faciens. Ad ſummum autem nunc fere tria millia codicum manuſcriptorum & quod ſupereſt, in hac bibliotheca continentur.

(b) *bibliotheca Matthiæ Corvini*) Ex hac bis mille manuſcriptos codices comparatos eſſe commemorant MORHOFIVS *polyh. tom. I. l. 1. c. 17. n. 34.* nec non STRVVIVS *introd. ad notit. rei liter. pag. 136. §. 8.* Errant tamen, cum manuſcriptorum iſtorum codicum longe minor ſit numerus.

(c) *trecenti nonaginta ſeptem tomi*) Mazariniani alias dicuntur refer. Dno BVRCHARDI *in epiſtola cit. pag. 45.* eo quod ex iis ipſis codicibus deſcripti perhibeantur, quibus eminentiſſimi Cardinalis bibliotheca olim ſuperbivit, aut forte ex eadem comparati, quod tamen in dubio relinquit. Ii autem inſtructiſſimæ Lomenianæ bibliothecæ debent originem, ex qua demum in Mazarinianam forte pervenerunt, quæ conjectura fuit CONRINGII *p. anteced.* atque ex ea venit WICQVEFORTII *ſereniſſ. ducum Brunſv. reſidentis* (*qui anno 1676. ſuos de legatis commentarios Gallice in carcere conſcripſit*) in bibliothecam Auguſtam. Complectuntur autem potiſſimum in præcipuas Europæ aulas legatorum relationes patrio ſermone ſcriptas, pacificationes, fœdera regnorum æque ac eccleſiarum hiſtorias, de Principum miniſtrorumque vitis commentarios, limitum deſcriptiones, commentationes politicas & innumera univerſa propemodum Europæ regnorum arcana. Vid. *laud. epiſtola* DN. BVRCHARDI *p. 49.* ubi & in ſequentibus autorem relationis de itinere ſuo Anglicano & Batavo pro merito caſtigat, quod iſtorum codicum manuſcriptorum maxima pars a vitarum ſcriptoribus apud Gallos ipſos & Batavos typis ſit evulgata, quod quidem de paucis quibusdam conceditur, non autem de plerisque.

phrium vero crevit etiam illa bibliotheca plurimum, præſertim ſpoliis Germaniæ Palatinis. Ut proinde quamvis antehac non reſponderit exſpectationi, nunc tamen manuſcriptorum quidem nomine omnium forte ſit *citra controverſiam princeps.* (a) Super optimorum ſcilicet auctorum præclara monumenta, etiam illo veterum actorum genere magis forte quam alia quæquam inſtructa eſt: quemadmodum ex annalibus Baronii, Bzovii, Odorici, aliisque editis ſcriptis apparet. Quanquam etiam hac in re perquam negligenter ſæpe eam curatam eſſe, ex iisdem liceat annalibus colligere; multis ſcilicet ibi deficientibus, quæ tamen cum cura conſervari interfuiſſet ipſi Romanæ eccleſiæ, atque adeo aliunde annalium ſcriptoribus illis fuerunt petenda. Cujus generis ſunt utique & epiſtolæ Leonis III. Papæ ad Carolum Magnum, quas ex MS. bibliothecæ noſtræ Juliæ heic imprimi curavi; non inveniri autem in Vaticana faſſus eſt horum ſatis gnarus utique Jacobus Gretzerus. *Multi ſunt anni*, ſcribit Cardona Hiſpanus, *ex quo Romæ decreto Gratiani corrigendo operæ navabatur, quod mire id corruptum fuerit. Ad eam autem rem miſſi ſunt a Gregorio Pontifice Romano cum mandatis qui inſpicerent concilia quædam antiqua bibliotheca Regiæ S. Laurentii. Neque ſane ea opera vana fuit, tum quia in ea bibliotheca concilia ejusmodi inventa ſunt, quæ nos Romæ minime habebamus, tum quia quæ ibi erant manuſcripta, viſa ſunt melioris notæ & ſcripturæ purioris, quam quæ impreſſa habentur. Italicæ aliæ bibliothecæ* (b) ſatis quidem hac parte ſunt opulentæ, non tamen multum ad invidiam fortaſſis. *Regiæ Scoriacenſi* (c) itidem palmam ultro defero: utpote quam etiam Franciſcus Schottus præferat Mediceæ ac Regiæ Gallorum: cum nihil tamen accepiſſet de Maroccanis libris iſthuc translatis. Ante ſpolia illa Africana ſane, videtur Græcis libris potiſſimam ibi fuiſſe dignitatem. Ita enim de bibliotheca iſthac Joan. Mariana, Jeſuita Hiſpanicarum rerum peritia nemini ſecundus. *Libros ſervat, præſertim Græcos, manuſcriptos; præcipua pleroſque vetuſtatis; qui ex omnibus Europæ partibus ad famam novi operis magno numero confluxerunt.* Cum Oxonienſi quoque non contenderim, imo ne quidem cum Regia Gallicana. Fortaſſis etiam, græcorum ſaltim msstorum copia, vicerit Monachienſis Bavarica & Auguſtana. Verum enimvero quantum hac parte AVGVSTA illis cedit, tantum profecto viciſſim ſuperat bonitate librorum aliorum, atque adeo vera bibliothecæ perfectione. Enimvero ſi uſum ſpectes, multo hæc noſtra eſt omnibus illis aliis locupletior meliorque. Novit ſcilicet Princeps doctiſſimus ſuo juſto pretio & manuſcriptos & alios libros omnes æſtimare: novit etiam pro ſua ſapientia, in quorumnam librorum poſſeſſione vera perfectio bibliothecæ regiæ conſiſtat: itaque msstorum habuit rationem quam par erat habere, & uſu ſpectato id unice dedit operam, ne quid ad omnigenæ doctrinæ ſtudia commodum temere deforet. Quod profecto eſt conſecutus: ut vel ex illo indiculo, quem ſeorſim mitto, Tibi etiam quamvis abſenti liquido poterit apparere. Non deſunt autem præter libros & ſphæræ quas vocant armillares, juxta varias *τῶν ἀστρονόμων* veteris noſtrique ævi hypotheſes affabre confectæ: non eximii etiam cæleſtia pariter & terrena omnia exhibentes globi: non in mathematicorum ſtudiorum uſum præparata inſignia inſtrumenta. Quibus conſtruendis hæc ætas noſtra, non induſtriam duntaxat, ſed conatus etiam, imo ipſamet deſideria antiquorum temporum, ſive Ægyptios, ſive Chaldæos, ſive Græcos, ſive Latinos, ſive Arabes denique ſpectes, longiſſimo poſt ſeſe intervallo relinquit. Noluit vero ſapientiſſimus Princeps talia etiam in AVGVSTA ſua deſiderari; quandoquidem poſſunt non minus ac libri, ex parte etiam plus quam libri, ſtudiis illis excellentium rerum plurimum conducere. Cæterum quo ſentias nihil me dare in Principem meum affectui, non diſſimulabo, videri mihi, quantum ex *querela Naudæana* (d) colligere eſt, Mazarinianam, qualem quidem illam querela iſthæc deſcribit, tanquam idæam omnibus numeris abſolutæ bibliothecæ haberi potuiſſe: cuique adeo par AVGVSTA non ſit. Cæterum quantum illa cardinalitia a priſtina iſthac perfectione deſciverit, nemini (dolor!) eſt ignotum. Ut concedo igitur, primas Mazarinianæ antehac debitas, ita nunc easdem illi deberi, non equidem affirmaverim. Quantumvis vero etiamnum forte debeantur illi primæ, ſatis tamen fuerit ad parandam AVGVSTÆ admirationem, in ſecundo loco reperiri: quoniam reapſe Mazarinianæ illi, cum adhuc eſſet integra, ſimilem ſol neque viderat hactenus, neque unquam forte eſt viſurus.

Cæterum quinto etiam admirando nimium fortaſſe ſum immoratus. Ero impoſterum brevior: nec tamen poſſum ſine culpa ſilentio prætetire adhuc ſaltim duo admiranda: de quibus proinde agam quidem, brevibus tamen. Inter illa autem ſummo merito admirationem parit diſpoſitio

(a) *citra controverſiam princeps*) Forte tamen præferenda eſt Oxonienſis, utpote in qua MSi codices numero pene æquare dicuntur impreſſos, referente MORHOFIO *l. c. c. 17. n. 32.* Cæterum & Angelicus Aproſius Auguſtinianus Vaticanæ & Barbarinæ bibliothecæ MSa conſignavit teſte GREG. LETI *Ital. regn. part. 4. pag.* 399. Notandumque porro, quod Alexander VIII. Vaticanam auxerit 1900. codicibus MSis ex ſupellectile Reginæ Chriſtinæ conquiſitis, nec non aliis e domeſtica ſua bibliotheca, quæ nunc Alexandrina nuncupatur, propriaque aula a. 1690. diſtincta fuit, ref. *AMAD. DE BENIGNIS* ſive *GOTTLIEB MILICHIO inſcript. variorum intra Italiam monumentorum p.* 21.

(b) *Italicæ aliæ bibliothecæ*) Italicarum publicarum privatarumque bibliothecarum MSa THOMASINVS recenſuit, pauca tamen tantummodo e vaſto numero in publicum protraxit. JACOBVS GADDIVS quoque *in libro ſuo de ſcriptoribus* paſſim citat MSa critica & poetica, quæ in bibliothecis Italicis habentur, nec non GREGORIVS LETI *l. c. part. 3. l. 4. pag.* 346. 383. & *BVRNETVS in itinerario Italico* paſſim eorum mentionem injiciunt.

(c) *Regiæ Scoriacenſi*) Hiſpanos tamen manuſcriptis ut dracones opibus ſuis incubare, nec iisdem uti vel velle vel poſſe dolet MORHOFIVS *l. c. c. 7. n.* 57. Catalogum autem MSorum Scoriacenſis bibliothecæ quendam dedit ALEXANDER BARVVETIVS, qui habentur *in collect. Maderiana p.* 124.

(d) *querela Naudæana*) Vid. *GABRIELIS NAVDÆI Avis a nos Signeurs de Parlament de la bibliotheque de Mr. le Cardinal Mazarin* & *GVID. PATIN. lettres Choiſies Lettre* 67. & 68.

rio librorum: digna idcirco quæ inter AVGVSTÆ admiranda ſexto loco numeretur. Enimvero non equidem dubito illam proponere in exemplum quod aliæ imitentur; idque quandoquidem exiſtimo, illam usque adeo omnibus plane numeris perfectam eſſe, ut nulla prudentia humana vel addi vel demi quidquam poſſit. Duo ſcilicet ſunt quæ in ordinanda ut alia quavis domeſtica, ita & libraria ſupellectile ſpectare oporteat, promptus uſus & elegantia. Utrumque aſſecutus eſt ſapientiſſimus Princeps: & primum quidem numquam ſatis laudando artificio. Ea videlicet artificii illius vis eſt, ut inter librorum centena ſedecim millia, volumina viceſies octies mille, liber quisque & volumen unumquodque deſideratum, pene momenti ſpacio poſſit exhiberi, etiam ab homine imperito librariæ omnis rei, tantum legendi gnaro. Ut poſſint item ſuo loco numquam non inſeri libri recenter adducti, vel mille ſi opus ſit, ſine ulla novatione aut turbatione ordinis prioris numerique. Et vero hoc ut aſſequeretur Princeps, cum illa adhibuit ab aliis jam laudata & adhibita ordinis boni adminicula, rum ſuo, quo plurimum valet, ingenii acumine, excogitavit, niſi fallor, numquam aliis uſitata remedia. Videas nimirum hic etiam in varias claſſes pro argumenti varietate volumina diſtincta: quod unicum nonnulli & commendant & obſervant. Imo quo diſtinctio ſit accuratior, videre eſt ſectam quaſi bibliothecam in partes viginti: cum alii exiſtiment abunde magnam ſeſe curam adhibuiſſe, facta librorum *in quatuor aut ſex ordines* (a) diviſione. Harum claſſium prima data eſt theologicis: ſecunda juridicis: tertia hiſtoricis: quarta bellicis: quinta politicis: ſexta oeconomicis: ſeptima ethicis: octava medicis: nona geographicis: decima aſtronomicis: undecima muſicis: duodecima phyſicis: decima tertia geometricis: decima quarta arithmeticis: decima quinta poeticis: decima ſexta logicis: decima ſeptima rhetoricis: decima octava grammaticis: decima nona miſcellaneis ſive quodlibetariis ut vocant, in quibus ſcilicet vel libri aliquot diverſarum claſſium vel miſcelli argumenti liber unus continentur: viceſima denique manuſcriptis voluminibus. Ad hoc videas quoque heic plerumque dorſo accurate indicatum quid volumine comprehendatur. Qui mos quamvis communior ſit, quoniam tamen prodeſt indagantibus libros illis, quibus indices ad manum non ſunt, non paſſus eſt Princeps heic etiam deſiderari. Præterea autem ſingula volumina numerorum notis ſignata ſunt, ac pleraque quidem duplicis, alia & triplicis ordinis: quam rem præcipuum diſpoſitionis vinculum dixeris. Cum illis enim numeris connexi potiſſimum ſunt vaſti illi & ſine exemplo accurati indices, quos ſupra laudavi. Quæ omnia conjuncta præſtant denique illud inuſitatum, ut in tanto librorum numero nihil non quamvis exiguum repertu & promptu ſit facillimum.

Ut conſuleretur vero etiam elegantiæ, diſpoſita omnia ſunt, habita ratione diverſæ proceritatis. Multum ſane elegantiæ officit, ſi absque diſcrimine magnis parva miſceantur, & alia emineant alia depreſſa ſubſideant, cumprimis ſi omnia cujuslibet formæ ob ſolam argumenti convenientiam jungantur: quod tamen a magno viro Jacobo Gothofredo factitatum, obſervo ex bibliothecæ illius indice. Quo & ſplendorem ſapientiſſimus Princeps bibliothecæ conciliaret, immenſam illam librorum vim non per multa exigua ſecuit conclavia, ſed duobus duntaxat ampliſſimis cubiculis, iisque pariete tantum diviſis, omnia quaſi uni oculorum obtutui offert. Nec vero temere quem latet, quantum intendat ſplendoris, ſpacium ædificii diffuſum & late patens, præ minutis ſubſtructionibus: maxime vero, quo plura ſpectanda ſimul exhibet. Eſt vero & jucundum valde, uno prope momento infinita quaſi ſic addiſcere; perinde ſcilicet atque alias etiam venire uſu ſolet, ſi multa ſubito detur intelligere. Quo nomine placere & *μεταφορικὴν* dictionem præ ſimplice & propria, rectiſſime Ariſtoteli eſt monitum: prudenter addito: *τὸ δὲ μανθάνειν ῥᾳδίως ἡδὺ φύσει πᾶσιν ἐστι.* Ne quid nunc dicam, quod illa ratio ordinandi libros, ad cuſtodiam accurate inſtituendam magis conducat, quam altera illa per varia cubilia diviſio. Æmulatur ſane Perſicam ſupellectilis domeſticæ diſpoſitionem, Ariſtoteli quoque ipſi laudatam in oeconomico: qua ſcilicet efficitur, ut patrisfamilias oculis omnia magis ſint expoſita. Ita porro omnes utriusque cubiculi partes armariis & loculis, recipiendis libris aptis, Princeps ſapiens replevit, cum ne ſuperſint loca otioſa, tum ne deſit ſpacium ſatis amplum & adeundis & tractandis, in aliquot menſis ad id compoſitis, libris ſingulis. Igitur primum parietes, qua per longitudinem ædis porriguntur, utrinque tecto tenus habent ſua armaria ſive pegmata perpetua, in octo diverſi generis loculamenta diviſa: quorum tria inferiora capiunt majoris illius formæ, quam a folio appellamus, quinque reliqua ſuperiora quartæ, octavæ, aut duodecimæ ſtaturæ volumina. Præter hæc medium cubiculi ſecant armaria, pari quidem cum illis ad parietes inclinatis longitudine, minore tamen altitudine, ne nimirum intercipere illa poſſint utriusque lateris jucundum illum adſpectum; cui defectui tamen ſuccurritur eo quod armaria illa ſint geminata, & utrinque conſtent quatuor loculorum ordinibus; quorum duo inferiores itidem maximæ, duo ſuperiores minoris magnitudinis libros exhibent.

Huic bibliothecæ diſpoſitioni quid addi, aut quid illa poſſit excogitari prudentius, equidem fateor me ignorare. Non dubito, Te etiam, illuſtris BOINEBVRGI, idem mecum affirmaturum. Vtrum alibi unquam ea in diſponendis libris fuerit prudentia adhibita, dicere itidem non habeo; ſilen-

(a) *in quatuor aut ſex ordines*) Vid. *NAVDÆI tract. de inſtituenda bibliotheca*, ubi & meminit Johannis cujusdam Mabuni in tres claſſes bibliothecam dividentis ex verbis illis Davidicis, *diſciplinam*, *bonitatem & ſcientiam docere*, quorum illa moralia, iſta theoretica, hæc aſcetica proponeret. Adde MORHOFIVM *l. a. c. 5. n. 2. 3. 4. 5.*

ſilentibus fere talia cum antiquis tum noſtri ævi monumentis, quaſi minus memoratu digna. Qua in re tamen haud parum delinquunt; quandoquidem idonee componere libros, non minoris utique prudentiæ ſit, quam congerere: imo liceat pene pronunciare de bibliothecaria re quod de oratione l. 3. epiſt. 13. Plinius dixit: *Invenire præclare, magnifice ornare, etiam barbari ſolent: diſponere apte, digerere varie, niſi eruditis & perquam prudentibus negatum eſt.* Sed tamen & multum veriſimile eſt, ſi usquam ea fuiſſet obſervata accurata diſpoſitio, certe ſi indices usquam ſtupenda illa cura fuiſſent confecti, non temere id tacituros, præclaros & ſcribendi peritos adeo multos omnium temporum artifices. Igitur ſilentium illud, quantum equidem ſuſpicor, certo indicio eſt potius, ultra vulgarem induſtriam nihil curæ alibi in diſponendo collocatum eſſe. Quid? quod pauca illa quæ ſilentio præterita non ſunt, hanc diſponendi prudentiam diligentiamque potiſſimis etiam bibliothecis defuiſſe, ſignificent? Paſſim ſane deprehendo querelas de catalogis laborantibus. Ipſammet Vaticanam a Sixto quarto usque hærere hac parte, jam antehac demonſtravi. At ſine indicibus perfectis nulla librorum diſpoſitio integra eſt. Nusquam etiam non obſervo bibliothecas in complura conclavia diviſas: & quidem ipſam etiam Mazarinianam, qua nihil perfectius unquam fuiſſe jam confeſſus ſum, ſeptem conclavibus fuiſſe interciſam, Scoriacenſem vero Hiſpanicam tribus, Vaticanam itidem pluribus. Regia porro illa Alexandrina videtur in non uno templo delituiſſe: quod vitium adhuc majus eſt. Id innuere utique videntur illa Pauli Oroſii: *quadringenta millia librorum proximis forte ædibus condita perierunt.* Utque fuerint illi libri omnes non niſi in templo unico, Serapeo videlicet, per varias tamen bibliothecas fuiſſe ſparſos, cum ex Tertulliano, tum ex Ammiano Marcellino eſt diſcere. Illius in Apologetico cap. XVIII. hæc verba ſunt: *Hodie apud Serapeum Ptolomæi bibliothecæ cum ipſis Hebraicis literis exhibentur.* Ammianus l. XI. *Inter templa*, inquit, *eminet Serapeum, in quo bibliothecæ fuerunt inæſtimabiles.* Parem fuiſſe rationem Pergami, colligere eſt ex hisce Strabonis l. XIII. *Eumenes urbem inſtruxit, & donariis ac bibliothecis uti nunc eſt diligenter excoluit.* Quicquid vero horum ſit, nihil omnino in diſpoſitione librorum AVGVSTÆ poſſe deſiderari, ac proinde hac etiam parte eſſe illam admirandam, abunde jam eſt manifeſtum.

In ipſius poſtremo domicilii bibliothecæ AVGVSTÆ ſtructura admirari quoque merito debemus ſapientiam conditoris. Ad duo nimirum attendendum videtur, ut bibliothecæ alicujus regiæ ædes queant commodæ æſtimari. Nempe ſi aptæ ſint præbere cum tutum & ſufficiens tanto theſauro receptaculum, tum ſimul ejus promtum uſum. Prius impetraveris, partim juſta capacitate atque amplitudine, partim ea ſive collocatione ſive ſtructura, ne vel incendium temere vel hoſtilis direptio librorum metuenda ſit. Poſterius, ſi ſita ſit bibliotheca eo loci, ubi doctorum hominum in vicino eſt copia, qui libris bibliothecæ reconditis adjuti rempublicam literariam, atque adeo ſacra profanaque queant exornare. Nihil non horum habent AVGVSTÆ noſtræ ædes. *Primum* enim ſpacioſus utique bibliothecæ locus uti concederetur, non dubitavit optimus Princeps, cum domus, in quam bibliothecam recondiderat, non ſufficere videretur capiendæ multitudini librorum quam congerere deſtinabat, *paris magnitudinis alteram priori adjunxit:* (a) ita ut nunc quidem amplitudini nihil omnino deſit. Patet nempe utrumque bibliothecæ cubiculum (liceat ita nunc appellare) in longitudinem geometricos pedes centum triginta ſeptem digitos duos, in latitudinem vero pedes triginta ſex & ſex digitos. *Ab incendiis ſecundo ſecurum*, (b) uti ſit bibliothecæ domicilium, cautum prudenter eſt eo, quoniam nulli eſt contiguum ubi igne eſt aut flamma operandum: habet vero & vicinum Ocrum flumen, & inſtrumenta varia reſtinguendæ flammæ, ſi quæ forte exſurgat, maxime idonea. Ab hoſtili *tertio* injuria præſtant ſecura omnia, cum inuſitatum illud munimentorum robur univerſæ Λυκοπόλεως, tum ipſa arx propriis adhæc viribus ſubnixa, in quam bibliotheca eſt recepta. Incredibile ſcilicet dictu eſt, qua arte, quave induſtria urbem omnem Princeps muniri curet. Provocare ſane jam tum poteſt munitiſſimum quemvis Germaniæ noſtræ locum: nec tamen adhuc muniendi finis eſt. In quo itidem non poteris non mecum admirari Principis prudentiam: quod nimirum ſapientiſſima τῶν πολιτικῶν ſecutus monita, a natura negata toti regioni munimenta, arte circa unam ſaltim urbem quæ ipſi pro domicilio eſt, corrigi fecerit: in pace decus atque ornamentum, in bello certum univerſo populo refugium. Non deſunt *quarto* in vicinia, qui librorum illa congerie cum eccleſiæ & reipublicæ emolumento utantur. Habet enim utique ipſa aula Ducis numquam non viros doctrinæ omnigenæ ſtudiis deditos. Habet urbs variæ eruditionis & cupidos pariter & plenos. Julia noſtra, Principis utique academia, quinto duntaxat milliari abeſt: ſtudiorum omnis generis amica, magiſtra, nutrix. Quod caput eſt, Princeps ipſemet non minus uſu librorum gaudet quam poſſeſſione: eoque nunquam non

(a) *paris magnitudinis alteram priori adjunxit*) Anno autem 1706. Seren. Dux Antonius Vlricus vetus domicilium usque ad contignationem inferiorem dirui, atque impenſis ampliſſimis novum extrui mandavit globo præſtantiſſimo maximæque peripheriæ ſuper impoſito, ut libri qui hucusque in duobus conclavibus fuerant diſpoſiti, cum ſpatium quoque iis deeſſe inciperet, in uno inpoſterum ampliſſimo atrio ad majorem ſplendorem continerentur, unoque obtutu ſpectatoribus exhiberentur. Conſummatum fuit hoc domicilium a. 1723. quo tempore demum auſpiciis Sereniſſ. Ducis regentis Aug. Wilh. bibliotheca Auguſta in illud tranſlata fuit. Vid. M. RVD. ANT. FABRICII venerabilis Abbatis hujus nominis filii unici, *diſſert. de tranſpoſitione bibliothecarum memorabili in memoriam hujus translationis elaboratam.* Adde doctiſſimi *RETMEYERI chron. Brunſ. Luneb. p.* 1541.

(b) *Ab incendiis ſecurum*) Vide quoque *RETMEYERI chronicon Brunſvic. Luneb. P. 3. cap. 75. pag.* 1444. Eandem cautionem in eligendo bibliothecæ tutiori domicilio non immerito & alii adhibuerunt. ſpeciatim Auguſtani, ceu refert *chronic. Auguſt. eccleſ.* in *PISTORII ſcriptor. rer. germ. tom. III. p.* 392. Vltrajectini annotante *CORNELIO DVVERDEN in orat. de reſtaurat. ac renovat. bibl. Vltraj. a.* 1643.

non horum aliquem ſive in conſilium ſive in liberalem animi delectationem adhibet. Quod ipſum ne quem lateret, exprimi curavit literis aureis, ſtatim in AVGVSTÆ veſtibulo, hanc elegantem ſane ſapientemque γνώμην:

QVANDO OMNES PASSIM LOQVVNTVR ET DELIBERANT, OPTIMVM A MVTIS ET MORTVIS CONSILIVM EST: HOMINES QVOQVE SI TACEANT, VOCEM INVENIENT LIBRI: ET QVÆ NEMO DICIT PRVDENS ANTIQVITAS SVGGERIT.

Omni ex parte igitur hac etiam tenus AUGUSTAM noſtram vere eſſe admirandam, nemo æquus & peritus talium arbiter quidem negaverit. Nulla ſane vel veterum vel recentium bibliothecarum etiam heic inferior eſt. Nonnullas etiam ex celeberrimis minus bene conſtitutas, non difficile fuerit deprehendere. Enimvero perquam veroſimile quidem eſt, veteres ſecuritatis potiſſimum obtinendæ gratia, in templis plerumque bibliothecas illuſtriores publicas dedicaſſe, ut locorum ſcilicet religione a vi & aliis injuriis defenderentur: ibi etiam ampla ſatis ſpacia bibliothecis conceſſa (quemadmodum ſcilicet legimus, Ægyptios antiquos in templo Vulcani, Ptolomæos in Serapidis, Auguſtum Palatinam in Apollinis, Domitianum in Pacis, Hadrianum Ulpiam in Trajani, alios alibi ſtruxiſſe) nec tamen vel ita cautum fuiſſe illis de conflagratione, quod ipſa illa templa ignis injuriæ fuerint expoſita, ex iis quæ de infelice bibliothecarum plerarumque fato jam diſſeruimus innotuit. Audiviſti vero etiam, fraudi fuiſſe bibliothecis illis antiquis ipſam templorum inhabitationem, poſtquam reverentia & priſtina auctoritas per Chriſtiana ſacra fanis detracta eſt; ita ſcilicet eſſe factum; ut a Chriſtianis direptæ perierint. Suidas quoque in Ἰοβιανός docere te poterit, ea fere occaſione conflagraſſe una cum templo Trajani Antiochiæ illam bibliothecam, quam ſtruere in illa æde cœperat Julianus ὁ ἀποστάτης. Non negaverim tamen, nulla prudentia hoc quidem fatum prævideri olim & caveri potuiſſe a gentiliſmo addictis bibliothecarum conditoribus. At vero longe minus ab injuriis iſtis ſecuræ olim præſtitæ ſunt bibliothecæ veterum reliquæ: eoque facillime periiſſe deprehendimus. Quod indicio eſt, a prudentia AVGVSTÆ conditoris multum abfuiſſe illorum ſtructores. Dixeris etiam haud immerito, Pergamenam bibliothecam loco uſui ſtudiorum inepto inſtitutam: nec enim vel Pergami vel in vicinia ejus urbis magnopere unquam ſtudia floruerunt. Certe Ptolomæi reges ea in re oſtenderunt præ illis ſingularem ſapientiam, quod & alias Alexandria eſſet viris doctis plena urbs, & inuſitato exemplo (nec vero vel ſecuto ævo tale quid inſtitutum, niſi forte Mediolani cura Federici Borromæi) nobile illud Muſeum ibi condidiſſent, doctorum quaſi commune receptaculum: de quo plenius libro de antiquitatibus academicis a me actum eſt. Ad noſtra tempora ſi veniamus, neſcio equidem an usquam capax adeo bibliothecæ ullius domicilium reperiatur, quale eſt noſtræ AVGVSTÆ. Adferam tantummodo in medium, quæ de ipſamet Scoriacenſi literis prodiderunt cum Joannes Mariana tum Matthias Quadus: quorum uterque totum Scoriacenſe admirandum palatium regium deſcribere tentavit. Mariana ſic loquitur l. 11. de rege & regis inſtitutione cap. x. *Veſtibulo bibliotheca impoſita, majori longitudine omnino pedum centum octoginta quinque, lata pedes triginta duos. Libros ſervat, præſertim græcos, manuſcriptos, præcipue pleroſque vetuſtatis: qui ex omnibus Europæ partibus ad famam novi operis magno numero confluxerunt, auro pretioſiores theſauri: digni quorum evolvendorum major eruditis hominibus facultas contingeret. Quod enim ex captivis & majeſtate revinctis litteris emolumentum? Bibliothecæ parietes elegantes pictura exornant, artes ingenuas artificioſe exprimentes, cum antiquis comparanda.* Quadi hæc ſunt verba geographicarum enarrationum l. VII. *Bibliotheca in ſuperiore parte præcipui introitus monaſterii eſt, in longitudine centum octoginta quinque pedes, in latitudine habens triginta duos. Tota concamerata eſt; in cujus fornicibus diverſarum artium imagines, aliaque hiſtoriæ conſpiciuntur: cui loco aliud imminet ſublimius uſui bibliothecæ deſtinatum. Habet autem bibliotheca tria diverſa conclavia, in quorum primario omnes depictæ videntur facultates: ad pedes autem cujusvis picturæ ejus facultatis libri omnes concinno ordine locati ſunt, omnes inaurati ejuſdemque compacturæ. Ibidem ingens etiam poſitus eſt liber totus membraneus, in quo omnis generis animantia, quæ in univerſo terrarum orbe unquam conſpecta ſunt, ad vivum ſuis coloribus adumbrata conſpiciuntur. Alterum conclave meros continet manuſcriptos libros, latinorum, græcorum, & hebraicorum theologorum, quibus ſingulis authorum ſuorum imagines præpoſitæ ſunt. Similiter & tertium ſolis manuſcriptis refertum eſt, variorum authorum ac facultatum: puta hiſtoricorum, poetarum, artificum, variarum etiam linguarum. Quibus ſimiliter & ſui authores, quantum fieri potuit, ad vivum depicti adjuncti ſunt.* Hæc illi de domicilio librario Scoriacenſi, cui nec Italia, nec Gallia, nec Britannia par habet quidquam: perinde ac tota illa *inſana ac ſuperba ſubſtructio* (ita loquitur ipſe Mariana: H. Grotius l. 7. hiſtoriarum appellat, *immenſo ſumtu ſtructum palatium, cum res interea Belgicæ pecuniæ penuria dilaberentur*) caret omni exemplo, hujus quidem noſtri ævi. *Superbior* illa Scoriacenſis quidem eſt quam AUGUSTA, hæc tamen ædes reapſe capacior: utpote quæ in latitudine vincat Scoriacenſem bibliothecam pedibus quatuor amplius; ſi utrumque cubiculum jungas, in longitudine ſuperet totis octuaginta novem pedibus. Non hac vero tantum ratione Scoriacenſe illud domicilium impar eſt noſtræ AUGUSTÆ; ſed etiam commoditate utendi libris. Procul ſcilicet locus ille omnis eſt remotus a commercio ſtudia tractantium. Et huc ſpectat querela Marianæ de libris ibi quaſi *revinctis & captivis.* Nec vero qui ibi ſcholas agunt puerorum monachi, idonei ſunt librario illi theſauro tractando. Totum porro illud Laurentianum palatium inerme eſt, & nec a natura nec ab arte adverſus vim hoſtilem munitum: atque ita caret quoque bibliotheca illa Scorialis juſta ſecuritate qua pollet AUGUSTA.

Sed fortaſſis objecerit aliquis, quod AVGVSTÆ noſtræ ædes tamen ſint infra magnificentiam & ſplendorem illuſtrium quarundam bibliothecarum, tum veteris tum noſtri ævi. Nec ſane me etiam latet *omnium ornatus*, (a) cumprimis earum, quæ Cæſaribus olim regnantibus ſunt conditæ. Lacunaria ſcilicet aurea, pavimenta ex marmore, comptos ebore & vitro parietes, armaria eburnea illis fuiſſe. De armariis id patet ex illo pandectarum Juſtinianearum titulo qui *de legat.* inſcribitur *l. 3. §. ſed ſi.* Ubi ita legitur: *Bibliotheca alias locum ſignificat, alias armarium: ſicut cum dicimus eboream bibliothecam emit.* De parietibus ebore & vitro comptis diſerta ſunt verba Boëtii lib. 1. de conſolatione. Aureorum lacunarium & pavimentorum marmoreorum exemplum paulo poſt dabo tibi in bibliotheca, quam Athenis ſtruxit Hadrianus. Plinii hæc verba ſunt lib. XXXIV. cap. XXVII. *Videmus Apollinem in bibliotheca templi Auguſti Thuſcanicum, quinquaginta pedum a pollice.* Verum hoc uni bibliothecæ Palatinæ videtur fuiſſe proprium, idque quandoquidem totum illud templum Apollini fuerit ab Auguſto conſecratum. Idem Plinius lib. VII. cap. LVIII. *Veteres Græcas literas fuiſſe eaſdem pene quæ nunc ſunt Latinæ, indicio erit Delphica tabula antiqui æris, quæ eſt hodie in Palatio, dono Principum Minervæ dicata in bibliotheca.* Dixeris autem etiam hoc ſingulare: nec vero alibi tale quidquam obſervaveris. Perinde atque illud quod videtur Cicero in epiſtola IV. libr. IX. familiar. de horto dicere, plane novum quid atque inſolens eſt. *Si hortum* ſcribit *in bibliotheca habes, nihil deerit.* Mirum ſane, ſi in bibliotheca hortum & non potius in horto bibliothecam habuerit Varro frugalis paterfamilias, neutiquam certe luxurioſus. Vereor equidem, ut locus ille ſit ſanus. Utut ſit, nuſquam alias horti in bibliotheca ſit mentio: itaque non eſt cur hoc etiam trahatur ſine diſcrimine ad bibliothecas veteris illius ævi. Aſt vero fuerunt paſſim ibi *& pictura & ſigna ſive ſtatua doctiſſimorum ſcriptorum:* (b) idque ex more ab Aſinio Pollione introducto. *Non eſt prætereundum,* ait Plinius l. XXXV. cap. II. *& novitium inventum. Siquidem non ſolum* (inſerendæ videntur voculæ: *libri, ſed*) *ex auro argentove, aut certe ex ære in bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animæ in iiſdem locis loquuntur; quin imo etiam quæ non ſunt finguntur, pariuntque deſideria non traditi vultus. Aſinii Pollionis hoc Romæ inventum, qui primus bibliothecam dicando ingenia hominum rem publicam fecit.* Non ex metallo autem duntaxat ſed etiam ex marmore, fortaſſe Plinio jam defuncto, poſitas imagines, indicant ea quæ hodieque in Italia ſuperant antiqua imaginum marmora & *Hermæ.* (c) Ad gypſo etiam confectas imagines videntur reſpicere illa Juvenalis:

Quanquam plena omnia gypſo
Chryſippi invenias.

Eſt vero ſtatuarum & imaginum ejusmodi non infrequens in ſcriptoribus ejus ævi mentio. Libris ipſis quoque videntur pictæ imagines ſcriptorum præfixæ: eoque reſpicere Senecam quando ait: *Iſta exquiſita & cum imaginibus ſuis deſcripta ſacrorum opera ingeniorum.* Cujusmodi eſt imago illa Terentii: quam ex duobus antiquiſſimis comœdiarum codicibus deſumptam inter illuſtres imagines repoſuit num. CXI. Fulvius Urſinus. Quorum omnium quaſi exemplum accipe, illam paulo ante laudatam Hadriani bibliothecam Atticam. Facit ejus mentionem in chronico Euſebiano Hieronymus Olymp. CCXXVII. *Hadrianus cum inſignes & plurimas ædes Athenis feciſſet, agonem edidit, bibliothecamque miri operis exſtruxit.* Illius *miri operis* autem rationem plenius nos docet in Atticis Pauſanias Hadriani opera recenſens: cujus verba tantum Latine verſa adducam, ne ſim moleſtus. *Sunt & cellæ hic, ex lacunari inaurato & ex lapide alabaſtro: inſuper ornatæ ſtatuis & picturis: repoſitique illic libri.* Non me fugiunt etiam, quæ de Vaticanæ bibliothecæ a Sixto quinto conſtructæ ornatu, picturis, & parietum inſcriptionibus integro opere narravit Angelus Roccha. Ipſemet paulo ante recitavi nonnulla de Scoriacenſis bibliothecæ ornamentis, ex Mariana & Quado: ne ſim longus aliis nunc commemorandis. Nihil inquam horum me fugit. Eoque fateor equidem, AVGVSTAM noſtram ad illa non accedere. Verum enim vero ut nihil horum diffiteor, ita nec excuſo. Laudo potius. Illa quæ AVGVSTÆ deſunt, aliena ſunt a re libraria; luxus merus & inſania hominum, non ſtudiis ſed ſuperbæ oſtentationi bibliothecas condentium. Quid, quod & officiant vero bibliothecæ uſui? Quo ſane mihi tot ſtatuæ, & ſigna, & picturæ, intercepturæ locum recondendis libris? Quo ebore & vitro compti parietes, libris ornandi? Quo fulgor auri & nitor alabaſtri, oculorum, qui maxime libris legendis acuendi erant, vim hebetantes? Bene profecto ex aliquo jam veteris iſtius ævi Iſidorus. *Peritiores architecti neque aurea lacunaria ponenda in bibliothecis putaverunt: neque alia pavimenta quam Caryſtio marmore: quod auri fulgor hebetet, & Caryſtii viriditas reficiat oculos.* Nocet vero & quamvis viride marmor, nitore ſuo: ac proinde utilius eſt pavimentum ex gypſo aut lapide, ſi aſſeres damnes ob ſtrepitum inambulantium. Imagines doctorum amavi tantum non tenerrime a prima usque pueritia: & vero fuerunt mihi illæ procul adhuc ab hominum literis illuſtrium conſortio viventi quaſi Miltiadis trophæa. Amavi & amo, ſed ſuo loco poſitas: non ubi impedimento poſſint eſſe majori bono. *Imaginum vero etiam affatim habet AVGVSTA,* (d) in multis voluminibus ære expreſſa-

(a) *omnium ornatus*) Conf. de ornatu veterum bibliothecarum JVSTVM LIPSIVM *in ſyntagmate c. 9.*

(b) *pictura & ſtatua doctiſſimorum virorum*) Egit de iis prolixius EDMVNDVS FRIGELLIVS *libro de ſtatuis illuſtrium Romanorum c. 24.* quod *collectioni ſuæ* inſeruit MADERVS *p. m. 71. ſeqq.*

(c) *Hermæ*) Ad gymnaſiorum etiam & academiarum ornamenta Mercurii quoque ſigna, quæ Hermas appellabant, item Minervæ & inprimis Hermathenæ, ſtatuæ ſcilicet ex Mercurio & Minerva junctim conſtructæ, antiquitus erant deſtinata. Vid. de Hermis & Hermathena CICER. *ad Attic. lib. I. ep. 8. & 4.*

(d) *Imaginum vero affatim habet Auguſta*) *Neque vero illud inpoderum,* ait Dn. BVRCHARDI *l. c. pag. 26. 27. Auguſta bibliotheca deerit ornamentum, quo & Græcos olim & Romanos mirifice captos eſſe conſtat, & quod hodieque celeberrimæ bibliothecæ cumprimis Vaticana oſtentant, clariſſimorum virorum puto imagines, quas monſtri etiam virtutis*

preſſarum: quod ſatis eſt. Nec enim nunc memorabo, plurimas ære itidem expreſſas ſolere libris cura typographorum præfigi: quaſi in imitationem ejus, quod olim obtinuiſſe Romæ ex Seneca, & Scoriaci factum ex Quado paulo ante percepiſti: harum ſane etiam ingentem numerum ab AVGVSTA haberi, facile quilibet conjecerit. Jam vero quales inſcriptiones & picturas Vaticana habet ex Sixti quinti inſtituto, utique riſum doctorum merentur. Igitur quæ quidem prudens aliquis judicaverit, ad elegantiam quoque pertinere bibliothecæ exquiſitæ, eorum nihil profecto in AVGVSTA deſideraveris. Etſi pro eburneis armariis lignea *viridi tamen colore picta.* (a) pro marmoreo pavimento gypſeum, pro lacunari inaurato itidem gypſeum, pro imaginibus fictis Scoriacenſibus ſcientiarum & artium, ut & pro commentitiis inſcriptionibus Vaticanis, omnes parietes libris optimis inſtructos, nihil autem ſtatuarum liceat deprehendere. Vt optime matrona olet quæ non olet: ita elegantiſſime ornata bibliotheca eſt quæ ineptiis & luxu ornata non eſt, contenta ſcilicet nativa quaſi librorum ſuorum pulcritudine.

Cæterum AVGVSTAM noſtram, ſaltim ſeptem de cauſſis, mereri admirationem prudentum, abunde, niſi fallor, demonſtravi. Tibi ſane quin ego ſatisfecerim, Illuſtris BOINEBVRGI, non equidem dubito. Poterit vero tuus aſſenſus mihi eſſe inſtar plurimorum: quum & acumine judicii, & candore, & doctrina, & prudentia denique, multum emineas.

Vt quidquam Tibi addam, de AVGVSTÆ prompto uſu, quod jam dixi itidem requiri ad bibliothecæ cujuslibet perfectionem ſummam, haut neceſſum arbitror. Jam tum enim conſtat Tibi propenſa Principis voluntas, de libris in ſtudiorum uſum concedendis, modo idonee de reſtitutione cautum fuerit: idque ſaltem illuſtri illo exemplo, quod memoravi de miſſis Heidelbergam Lucani codicibus ad doctiſſimum Spanhemium, didiciſti. Qua valet vero ſapientia, Princeps optimus, indubie modum, quo etiam impoſterum & uſui ſimul & indemnitati bibliothecæ ſit conſultum, inveniet: ne quidquam denique deſit abſolutæ laudis. Conſilium ſuggerere, in omni ejusmodi librario negotio usque adeo ſubacto Principi, fuerit Minervam artes docere. Ipſe providebit: ne dubites.

QVANTVMVIS vero & ego bona fide AVGVSTÆ noſtræ admiranda Tibi narraverim, BOINEBVRGI, & Tu ingenue credas narranti, idemque facturos meliores quosque certus ſim: ſuſpicor tamen, haud defuturos qui ægre ſint credituri, illa maxime quæ primo ſecundo & tertio loco adduxi in admirationem; idque propterea potiſſimum, quoniam de nemine Regum, nemine Principum, ſimilia vel fando acceperint. Neque ego ignoro, quam ſuſpecta ſoleant eſſe quæ exemplo carent: qualia utique illa ſunt. Cæterum quia narratio mea verſata eſt non circa vetera aut remota, ſed de iis quæ nunc etiam & in medio omnium ſuperant, atque adeo videri indies & quaſi palpari poſſunt, non ſine impudentiæ culpa profecto quidquam eorum quæ narravi poterit vocari in dubium. Quod autem Regum Principumque alius nemo tantum operæ impenderit, aut feliciter adeo bibliothecam condiderit, id equidem contigiſſe ideo dixerim, quoniam in AVGVSTO Principe meo quatuor obſervare eſt conjuncta; quæ tanto operi ſtruendo unice ſunt neceſſaria, & tamen rariſſime in hominum quoquam conjunctim deprehendas, tantum abeſt ut in magnatum ordine non ſit repertu inſolens. Illa ſunt: ſtudium ardens rei librariæ, eruditio eximia, inuſitata *φιλοπονία*, & denique ætas molliter in extremam ſenectutem decurrens.

Primum haud dixerim defuiſſe vel Ptolomæis vel Attalicis regibus; defuerunt autem reliqua omnia: ac proinde non eſt mirum forte, quod nec illi potuerint gloriam AVGVSTI noſtri plene aſſequi. Etiam vero primum illud, hoc eſt illam *φιλοβιβλίαν* defuiſſe pene omnibus aliis Regibus ac Principibus bibliothecarum conditoribus, haud injuria aſſerueris. Non certe eorum quisquam magnopere laudatus eſt hoc nomine: ſed hominum literatorum privatæ conditionis hæc fere laus fuit propria hactenus.

Ut eruditionem vero Principis, Tibi quidem BOINEBVRGI, multis commendem haud equidem crediderim eſſe neceſſarium. Niſi enim vehementer fallor, *lecta tibi dudum ſunt præclara illa multa volumina, partim ab ipſomet Principe elaborata*, (b) partim ipſo curante in lucem edita,

 quamvis

a Romanis exiſtimabatur amor, quod deſideria parerent non traditi vultus & hoc ipſum ſummum habebatur ab iis felicitatis ſpecimen, ſi omnes ſcire cuperent, qualis fuerit aliquis. Nec ullo rectius loco dicari celebrium hominum imagines iidem Romani arbitrati ſunt, quam ubi immortales ipſorum animæ loquantur, Plin. lib. 35. 2. Reputans hæc ſecum Seren. Dux Antonius Ulricus eruditiſſimorum virorum imagines non paucas numero in primis quas ex Petri Francii clariſſimi quondam in illuſtri Amſtelod. ſchola profeſſoris muſeo ante quinque amplius annos coemi curavit, inſigni Auguſtæ bibliothecæ ſuæ ornatui dicaſſe dicitur.

(a) *viridi colore picta*) Viridem cæteroquin colorem ad bibliothecæ ornatum, qui viſui admodum ſit ſalutaris, præſcribit LIPSIVS *de biblioth. cap. 9.*

(b) *lecta tibi volumina ab ipſo Principe elaborata*) VALENT. ERNESTVS LOESCHERVS proinde jure meritoque hæc in *diſſertationem de bibliotheca purpurata, ſive de ſcriptis principum præſertim Germanorum* retulit §. 33. præmiſſa hac ad lectorem §. 32. admonitione, quod inter omnes Germaniæ Principum familias regio ſplendore eminentes vel hoc nomine excellat palmamque literariæ laudis in medio poſitam omnibus eripiat ſereniſſima familia Brunſuicenſis ac Luneburg. cui hoc decus plane domeſticum & proprium ſit, ſcilicet quod ſcribendis quoque libris operam dederit. In cujus rei teſtimonium quoque eſſe poſſunt epiſtolæ ad JOH. VAL. ANDREÆ a ſereniſſimi Auguſti Filiis Rudolpho Auguſto, Antonio Ulrico & Ferdinando Alberto perſcriptæ, quæ ſub titulo *Selenianorum Auguſtalium* cum epiſtolis Joh Friderici & Julii peregrinatii Principum Wurtenbergicorum Ulmæ 1649. prodierunt, nec non opus incomparabile & vere regium quod Aramena & Octavia inſcribitur, uti & autographa Lutheri obſtetricante Rudolphi Auguſti manu in lucem edita. Superbiat itaque magna Britannia Aelfrido Magno (de quo SPELMANNVS) Eduardo VI. (de quo SLEIDANVS *comment. l. 25.*) Henrico VIII. Eliſabetha regina (de qua vid. VOSSIVS *tom. I. epiſt. pag. 15. 18.* & BALÆVS *in centuriis*) Jacobo I. cujus opera conjunctim edita ſtudio Jac. Montacutii Londini Anglice an. 1616. & Latine an. 1619. Glorietur Haſſia de Guilielmo Principe Aſtronomiæ ad miraculum usque peritiſſimo, de Mauritio Apolline

quamvis vero nomine diſſimulato. Enimvero curavit Princeps adhuc junior imprimi Antonii Bonſinii, illius Hungaricarum rerum illuſtris hiſtorici Sympoſion trimetrum, & Bartholomæi Fontii in *Perſii Satyras* (a) eximium commentarium, utrumque hactenus *ἀνέκδοτον*. Exinde autem & alia quammulta Principe curante in lucem ſunt reducta: quæ omnia nunc recenſere non eſt neceſſum, Etiam ſic vero ſaltim eruditionis ſenſum eximium Princeps optimus declaravit. Quam maxime autem elucet & ingenium & induſtria & varia plane ac recondita doctrina Principis, in voluminibus propriis. Quæ inter jam anno ſeculi hujus decimo ſexto, cum applauſu eruditiorum Germaniæ noſtræ, exceptum eſt GVSTAVI SELENI ficto eleganter nomine, illud grandioris formæ *DE LVDO SCACCHICO volumen*, (b) vernaculo ſermone exaratum. Non te fugit, omnes inter ludos, ab antiquo usque ævo, omnium ingenioſiſſimum & liberaliſſimum ſemper viſum, quem latrunculorum appellaverunt: ac proinde etiam illos, qui maxime ſeriis fuere negotiis intenti, viros ſummos, illo luſu acuiſſe animum & quaſi præparaſſe ad illa magna & ſevera. Vel idem autem, vel vicinus admodum illi latrunculario eſt is, quem hodie, niſi fallor, *Perſico vel Arabico nomine*, *Scacchicum nuncupamus*, (c) forte etiam ab Arabibus, certe a Mahumedanis accepimus. Nihil in eo fortunæ: omnia ingenio atque arti debentur. Ac proinde nec ſtupidior aliquis hic valet quicquam: ex adverſo *τῶν χαριεστάτων* nonnulli, Italos, Gallos, & Germanos noſtros inter, ſcriptis quoque libris ornare, illuſtrare, & novis inventis augere Scacchica haud dubitaverunt. Legiſti, opinor, ſaltim elegans hujus argumenti poëma *Hieronymi Vida*, (d) illius Maronis æmuli. Longiſſimo autem poſt ſe intervallo relinquit non hoc duntaxat, ſed volumina plane omnia id genus, *τοῦ σεβάστου* Principis opus; idque non tantum repetitis ex priſci recentisque ævi memoria omnibus aliorum acute inventis, ſed etiam additis ex ingenii proprio theſauro plurimis novis artificiis. Et vero jam tum iſto volumine oſtendit Princeps, etiam in ludicris ſeſe ſeria ſapere, & ſummam doctrinam non anguſtis vulgi limitibus coarctari. Lectum abs Te, BOINEBVRGI, opus illud, ſpero equidem: eſt enim inventu rarum. Modo autem inſpexeris, admiraberis ſcio, & novam illius editionem mecum deſiderabis. Quam dare utinam per negotia facile adeo liceat Principum doctiſſimo, atque ad illam longe illuſtriorem priore omnia jam tum ſunt parata! Cæterum ut forte tibi illud opus Scacchicum ſit ignotum, non arbitror tamen non eſſe notisſimum illud itidem GVSTAVI SELENI noſtri volumen grande, quod ſeculi hujus anno quarto poſt viceſimum prodiit *SYSTEMA INTEGRVM CRYPTOGRAPHIÆ*, (e) in quo libris IX. cum nihil non illius artificioſi argumenti, tum præcipue *Steganographia a Joanne Tritthemio abbate Spanheimenſi & Herbipolenſi, admirandi ſane ingenii viro, magice & ænigmatice olim conſcripta, enodatio traditur.* Nec vero hoc opus usquam terrarum potuit temere ignorari curioſæ doctrinæ ſectatoribus quibusque, quoniam Latina lingua, quæ eruditis Europæ hodie eſt communis, conſcriptum eſt; cumprimis vero quandoquidem novitas argumenti allicere lectores idonea eſt. Paſſim ſcilicet antehac Tritthemiana illa Steganographia magicæ impietatis ſuſpicione poſt Caroli Bovilli inſectationem laborabat, eoque & ſolemni Romanæ curiæ interdicto legi erat prohibita. Cardinalis Bellarminus ſcribere non dubitavit: *opus illud prohibitum merito eſt, cum ſit plenum pernicioſis dogmatibus ad magiam pertinentibus, quod & ipſe agnovit & confeſſus eſt.* Franciſcus Junius theologus profecto doctrina multiplice excellens, cum bibliothecam Heidelbergenſem curaret, *αὐτόγραφον* ipſummet Tritthemii Philippo electori Palatino ab auctore oblatum, tanquam magica refertum *δαιμονομανίᾳ* combuſſerat. Inter magicos libros & Joannes Wierus referre Steganographiam non eſt veritus: cum ipſe præſtigiarum ſuſpicione ſeſe vix liberaverit. Quam feliciter vero Princeps purgaverit boni Trithemii illud quidem opus, audi ſodes judicium Gabrielis Naudæi, viri utique multa eruditione clarisſimi in bibliographia politica. *Quod ad Steganographica*, inquit, *pertinet, quæ Carolo Bovillo doctori parum naſuto, ac ipſius relatione multorum credulitati magica omnino viſa fuerunt, ea ſic nuper illuſtravit nobiliſſimus auctor cryptographiæ Guſtavus Selenus, ut quicquid in illis obſcurum involutumque tamdiu in ſumma omnium opinione ac veneratione delituerat, non amplius ſui deſiderium excitet, poſtquam ab illo revelatum eſt atque patefactum.* Ipſemet Gerardus Johannes Voſſius, vir itidem longe doctisſimus, lecto Seleniano opere, ſoceri ſui Franciſci Junii de Tritthemiana Steganographia judicium non niſi trepide & leviter auſus eſt defendere, *viri doctiſſimi* præconio Guſtavum noſtrum proſecu-

Germanico ob exquiſitiſſimam poeticæ artis & matheſeos cognitionem ita dicto, de Erneſto cujus extant quæ ſub Diſcreti Catholici nomine edidit. Oſtentet ducatus Anhaltinus Georgium ſuum, cujus vitam deſcripſit Camerarius; oſtentet Polonia Radzivilium & Zamoſcium Principes eruditiſſimos; ut taceam qui in ſummo imperii Germanici faſtigio fuerunt, Fridericum II. Maximilianum I. Rudolphum II. Leopoldum I.

(a) *Perſii Satyras*) Præter alios codices, quibus divus Princeps Auguſtus obſervationes ſuas in margine manu propria adjecit, extat etiam in bibliotheca Perſius notis criticis paſſim a Seren. Principe interſperſus.

(b) *de ludo Schacchico*) Libellus iſte cum Rythmomachia prodiit Lipſiæ 1617.

(c) *Perſico vel Arabico nomine Scacchicum appellamus*) Arabes latrunculorum ludum vocant *Sehatrenſcha*, ut legitur in vita Tamerlanis. *Schach* autem Perſis ſignificat regem, & cum in ludo latrunculorum rex ita arctatur, ut ſede non poſſit egredi, dicitur *Scachmatta*, i. e. Rex occidit vel periit. Scripſit cæterum de hoc ludo pec. tractatum THOMAS HYDIVS Anglus, in quo diverſam ab illis qui putant, hoc ludo belli aut prælii alicujus typum adumbrari, tenet ſententiam, arbitraturque cum CEDRENO tabulam ipſam eſſe mundum terreſtrem, turrim vero altitudinem cœli, unde bona & mala quævis nobis exiſtant; porro duodecim caſulas deſignare numerum Zodiacalem, fritillum autem, in eoque ſeptem grana ſive puncta ſeptem planetarum aſtra, hujusque ludi *Artaxerxem Longimanum* auctorem conſtituit.

(d) *Hieronymi Vida*) Ejusdem quoque *poema* extat de *bombycibus lib. 2.* comprehenſum heroico carmine, quo uti & in aliis Virgilium imitari voluit; in cujus imitatione tamen quædam olim deſideravit Scaliger.

(e) *ſyſtema integrum cryptographiæ*) Prodiit an. 1624. Luneburgi in folio.

proſecutus. Liberavit Tritthemium fateor & Jo. Caramuel Lobkovvitzius ab infamia illa magica, ſed volumine multum diſpari, & aliquot demum poſt Principem annis: quamvis inepte auſus ſibi primo gloriam illam vindicare, Principis ingentibus meritis per κακοζηλίαν diſſimulatis. Non Trittemiana autem duntaxat illuſtrata ſunt a Principe, ſed etiam cætera omnia ſubtilium ingeniorum κρυπτογραφικὰ commenta; ut autoris variam lectionem, (ex omni enim ævo & omni gente videas ibi laudatos auctores optimos quosque, prope ducentos) acre judicium, & ſummam induſtriam, opus illud nemini non liquido oſtenderit. Quanta porro eruditio latet in illis ſacris HARMONICIS operibus, quæ vernaculo ſermone in id piiſſimus Princeps, media inter diſcrimina feralis belli Germanici, elaboravit ediditque, ut eo promptius animos ſuorum rudiores ad religioſum Numinis cultum excitaret; initio facto a paſſionis Dominicæ hiſtoria! Enimvero deprehendas utique hic primum exquiſito judicio ex univerſa evangelica hiſtoria concinnatam, cum potiorum vitæ omnis Servatoris noſtri actuum, tum illarum περικοπῶν, quas jam aliquot ſeculis occidentales ſeptemtrionalesque eccleſiæ, ex evangeliis & epiſtolis ſacris excerptas, dominicalibus pariter aliisque feſtis diebus in ſacris conventibus ſolent legere, harmoniam: deinde & eorundem omnium luculentam, ac perpetuam paraphraſin. Quanti vero ſit laboris, quantæ doctrinæ opus, illud tum demum quis experietur, ubi ipſemet periculum fecerit ſimilis conatus. Quanti ſit παράφρασιν ſcribere, poſſumus tuto credere hoc in genere verſatiſſimo τῷ πάνυ Eraſmo. Enimvero ante omnia unice requiritur ſacri codicis lectio non diligens tantum, ſed judicio etiam accurato ſubnixa. Requiritur & conſilium optimorum quorumvis, qui in illo ſtudio ſeſe exercuere. Qui enim alias poſſis variarum adeo, ut ita loquar, vocum in diverſis libris ſonantium ſuavem illum concentum modulari? Qui poſſis hiantem ſæpe & abruptum ſermonem, ſæpe etiam multis de cauſſis obſcuriorem, ita formare, ne quid non ſit perſpicuum & apte cohærens? Nihil vero horum a literatiſſimo Principe neglectum eſſe, utique res ipſa loquitur. Si tertiam cumprimis *harmoniæ evangelicæ* (a) editionem (nam quarta & quinta lectionibus publicis ſacrorum conventuum potiſſimum dedicatæ ſunt) videas, admiraberis præterea diligens illud indicium omnium ſacri codicis locorum, quæ ad illuſtrandam propoſitam aliquam ſententiam, quoquo modo poſſunt facere. Conſuluit vero ſummæ induſtriæ Princeps non illos duntaxat, qui primo aut ſecuto eccleſiæ ævo in concordiam, ut ajunt, vocare ſacram evangelii hiſtoriam allaboraverunt, Tatianum, Ammonium, Gerſonem, Alanum Copum, Mercatorem, Janſenium, Chemnitium noſtrum & alios; ſed ſimul ſacri codicis univerſi optimos quosque & celeberrimos commentatores: quorum omnium locupletiſſimum theſaurum AVGVSTA ſuppeditat. Et vero ne cujusquam opera temere ſacro hoc in exercitio lateret, confectus ab ipſomet Principe eſt catalogus iſte omnium ſacræ ſcripturæ interpretum commentatorumque, quem ſupra jam tum alios inter indices commendavi. Hinc ſane illud noſtrum (quidni enim *noſtrum* appellem, quo optimus Princeps omnium noſtrorum pietati & æternæ ſaluti voluit conſultum?) Harmonicæ paraphraſeos opus, vice eſt optimæ & luculentiſſimæ ſimul commentationis. Neſcio num videris, BOINEBVRGI, alium quenquam idem qui vel conatus ſit. Ego, fateor, novi neminem. Summam ſane admirationem meretur unius Eraſmi paraphraſis: ſed harmoniam ille non attigit. Alii ſive harmoniarum, ſive commentationum ſcriptores itidem ſuis ſeſe limitibus continuerunt; nemo omnia ſimul aggreſſus eſt. Multo minus aliquis Principum, inter graviſſima regiminis negotia, tale quidquam vel leviſſimo eſt digito molitus, imo vel animo agitavit. *De uno Carolo, Magni ſane & ingenii & operis rege*, (b) legas, illum ſive per Paulum Aquilegienſem diaconum, ſive Alcuinum Anglum, illas eccleſiis noſtris paſſim hodieque uſitatas περικοπὰς ſacris diebus aptaviſſe; curaſſe item ex ſanctorum patrum homiliis ad illuſtrandas illas περικοπὰς quæ idoneæ maxime ſunt viſæ excerpi. Quanto vero diſtant a Carolinis illis hæc AVGVSTI Principis! Ibi utique nihil non alienum obſerves; hic nihil non Principis proprium. Homiliæ præterea iſtæ harmonicum nihil fere habent; & ſenſum litteralem, quem appellamus, frequenter obſcurant potius quam illuſtrant, paræneticis præcipue vel allegoricis intentæ: cum tamen maxime ſenſu litterali ſacræ ſcripturæ Sanctus Spiritus nos ad veritatem & ſalutis obtinendæ viam deducat.

Sed quo me abripit harmonici operis præſtantia? Hoc tantum volo: Ut ex aliis a Principe ipſomet confectis voluminibus, ita etiam ex hoc apparere omnibus poſſe ingentem illam Principis eruditionem, qua unus præ aliis magnatum ordinis idoneus eſt redditus, ad AVGVSTAM bibliothecam proprio, ut ſic dicam, Marte, proprio conſilio, condendam diſponendamque. Multo magis autem admiraberis illam Principis doctrinam, BOINEBVRGI, ſi coram audias eundem diſſerentem de omnibus fere & ſingulis tam vaſtæ bibliothecæ & auctoribus & libris. Admirata eſt antiquitas Cyrum Perſarum, & Mithridatem Ponti regem, quod ſingulos numeroſi exercitus milites nominatim

(a) *harmoniæ evangelicæ*) Prodiit ni fallor, primum Gvelpherbyti 1642.

(b) *de uno Carolo Magno*) Variant tamen autorum ſententiæ in aſſignanda origine pericoparum. Alii enim hanc diſtinctionem pericop. jam ſec. IV. contra Arianos factam, unde tot evangelia de miraculis Chriſti agant, ex quibus ejus divinitas facile probetur, arbitrantur, quibus ſubſcribit M. THAMERVS *ſchediaſmate de origine & dignitate pericoparum evangel.* Jenæ 1711. Alii autorem aſſignant Muſæum concionatorem Maſſilienſem qui ſec. V. tempore Leonis I. an. 441. evangelicos textus ſingulis hebdomadis & feſtis aſſignaverit, ſecuti hac in re GENNADIVM *in contin. catalogi* HIERON. *de viris illuſtribus cap. 76.* Alii Gregorio M. has pericopas tribuunt, uti CALVORIVS *ritual. eccleſ. part. 1. pag. 491.* Conferatur FRITII *introd. in N. T. p. 31. pag. 409. ſeqq.* Alii malunt ἐπέχειν uti HIMMELIVS & FRID. BALDVINVS. BALTH. MEISNERVS *colleg. adiaphor. diſp. XV. §. 36* pericop. evang. collectorem ſtatuit venerab. Bedam. CALIXTVS Carolum M. Pauli Warnefridi opera hac in re uſum arbitratur *in appar. theol. pag. 128.*

tim appellare potuerint: quidni igitur mecum admireris in Principe tot millium auctorum & librorum promptam adeo memoriam atque accuratam notitiam? Non fallor; nihil certe do affectui: ſi coram Principe fruereris, quemadmodum mihi feliciter eſt conceſſum, diceres, ſcio, illum, ſpectata iſthac inuſitata librorum peritia, Μυσεῖον περιπατῦν καὶ βιβλιοθήκην τινὰ ἔμψυχον, velut Dionyſium Longinum appellat Eunapius in vita Porphyrii. Talis vero niſi fueris, tua quidem propria arte bibliothecam haud ſtruxeris. Quem Tu vero Regum, quem Principum, BOINEBVRGI, omni ex ævo laudaveris mihi, qui illa librorum diffuſa valuerit experientia? Quem adduxeris cui varia eruditione Princeps meus ſit ſecundus? ſi quidem Salomonem excipere placuerit, illum ultra humanam ſortem poſitum. Tanta vero eruditione præditus ſit neceſſum eſt vaſtæ adeo bibliothecæ qualis AVGVSTA eſt idoneus quivis conditor. Hinc ſane Varronis opera in id uti voluit Julius Cæſar, tanquam Romanorum undequaque doctiſſimi; &, ſi vera eſt fama, uſus eſt Prolomæus Demetrio Phaleræo. Feliciter quoque adeo auſpiciis Eminentisſimi Cardinalis Mazarini ſtructa eſt illa bibliothecarum omnium copioſiſſima, quoniam Gabriel Naudæus amplæ vir doctrinæ curam ejus condendæ ſuſcepiſſet. Uno verbo; nulla usquam bibliotheca eximia inſtituta eſt, niſi per doctisſimos conditores, & quidem nonniſi per ſolos illos, quales *animatas bibliothecas* & *ambulantia Muſea* cum Eunapio quis merito dixerit, ob variam doctrinam plurimorumque ſcriptorum uſum & experientiam. Quoniam vero ſtrui bibliotheca aliqua vere regia non poteſt ſine tam excellenti conditoris peritia, ejusmodi peritia autem in quoquam Principum alio quam in AVGVSTO noſtro hactenus forte inventa non eſt, non profecto fides illi meæ narrationi eſt detrahenda; quod videlicet ab ipſomet Principe, nullo accedente eruditi bibliothecarii vel conſilio vel opera, illa admiranda AVGVSTA a primis usque rudimentis inſtituta, congeſta, diſpoſita, & tam vaſtis indicibus ſit ordinata.

Jam porro non minor eruditione etiam induſtria requiritur in eo qui AUGUSTÆ parem bibliothecam velit condere. Multo certe opus eſt ſtudio, ut undique terrarum congeras immenſam adeo librorum copiam, utque congeſtam juſto ordine diſponas: incredibilis vero eſt induſtriæ opus indicis accurati confectio. Quam paucos vero regum principumque videas non in otium proniores quam laborem! Quam exiguus eſt numerus eorum, qui cum cura & debito ſtudio agere cupiant vel ea, quæ officii ratio, imo quæ ſalus, agere omnino jubet! Longe paucisſimi vero ultra illa velint ſi quid eſt otii non animo relaxando impendere. Quis itaque illorum etiam ſuſtineat temere laborem, quem bibliothecæ conſtructio exigit? Unici vero plane ingenii etiam hac in re eſt noſter ὁ Σεβαςός. Dixerim ſane illum nullo pene momento feriari a ſeriis negotiis. Nunquam certe minus otioſus eſt quam cum eſt otioſus: quod Africanum Scipionem de ſeſe quondam memoraſſe referunt. Admotus eſt jam anno ſeculi hujus triceſimo quarto, per obitum Friderici Ulrici Ducis, regimini ampliſſimarum regionum; & exceperunt illum tempora maxime turbulenta & difficilia qualia totos octingentos annos, ex quo univerſa Germania unum ſceptrum cœpit colere, majores experti haud erant: quæ die noctuque Principis animum indefeſſum exercuerunt. Jurare tibi auſim tamen, BOINEBURGI, nihil ab illo usque tempore in republica eſſe geſtum quantivis ſaltim uſus Principe non conſcio, nihil rei magnæ Principe inconſulto: imo neglectum nihil a Principe etiam eorum, quæ attendere boni & gnavi eſt patrisfamilias. Eſt autem rerum ejusmodi multitudo propemodum infinita: concurrentibus ſcilicet ad opulenti patrimonii & hujus ducatus curationem perquam gravem ac diffuſam, negotiis cum Saxonici quem vocant, circuli, tum univerſi imperii Germanici, pari induſtria exequendis. Interea tamen tantum abeſt, remiſſam eſſe ingentem illam bibliothecæ curam, ut potius tanto ea creverit magis quantum magis acceſſit facultatibus. Julius Cæſar apud Lucanum Ægyptio ſacerdoti ſeſe jactitavit:

Media inter prælia ſemper
Stellarum cœlique plagis ſuperisque vacavi.

Id jure an injuria ille fecerit, non jam dixerim: hoc ſcio, merito optimo poſſe gloriari noſtrum: media inter ardua quæque & difficillima reipublicæ ac domus negotia, vacaſſe ſeſe hactenus AUGUSTÆ ſuæ incremento. Quid cenſes, Illuſtris BOINEBURGI; num temere Principum alius quis poteſt idem? Ut poteſt nemo, ita nemo ſi idem præſtiterit, non igitur eſt quod miremur.

Longo denique tempore opus profecto eſt ad usque adeo ingentem bibliothecam, qualis AUGUSTA eſt, perficiendam. Nec vero quidquam ſimul magnum & cito ſit. Brevis ætas itaque bibliothecas condentium effecit plerumque, ut nulla pene illarum a primo conditore ad juſtam magnitudinem deducta ſit. Favit vero hac etiam parte Principi inuſitata felicitas: conceſſa divinitus benignitate, paucos cis dies annum vitæ tertium poſt octogeſimum auſpicandi. Quam paucis mortalium, BOINEBURGI, tantum ævi ſpacium decurrere datur! Jam tum olim vox fuit Moyſis, cum ſpectaret quod jam illa tempeſtate pasſim contingebat: *vitam hominum ſeptuaginta annorum eſſe, ſi multum creſcat, octoginta:* & tamen hos etiam terminos aſſequi jamdudum fuit rarum. Cumprimis paucos Magnatum ordinis reperias, qui natalem octogeſimum vel attigerint. Magno ſtudio ex Græcorum monumentis collectos, recenſuit illos ad ſua usque tempora Lucianus ἐν μακροβίοις: (niſi quod Ageſilaum Lacedæmoniorum Regem neglexerit, cujus anni vel ex Xenophonte queunt addiſci) pauciores adhuc ſequentia nobis ſecula præbuerunt. Germaniæ Regum Principumque, ſi modo ulli, longe utique paucisſimis, provecta ejusmodi ſenectus obtigit; quantum equidem in præſens memini; Majorum τῦ Σεβαςμίυ Principis, niſi vehementer fallor, nemini. Hodie profecto non univerſa Europa (Europam quid dico?) non Aſia, non Africa, non America in Principum ordine exemplum ſimile habet: imo jampridem nullum habuit. Usque adeo rarisſimum

ſimum hactenus eſt, & Principem ſimul eſſe & provectæ adeo ſenectutis. Et tamen in hoc quamvis paucorum numero nonnullis ſenectus illa, virium animi corporisque defectu, in diſpendium felicitatis potius ceſſit quam aliquod augmentum. Principi autem meo non tantum non gravis, hactenus quidem, ſenectus contigit, ſed nec moleſta; vere ſine ſenio ſenectus, ceu dicebam antehac. Poteſt ſane cum Leontino Gorgia dicere: *non habeo quod accuſem ſenectutem.* Quin auſim ego non vane ſimilem felicitatem in multos adhuc annos illi polliceri. Quidni enim pollicear, ſi expendam quod adhuc ſupereſt & animi pariter & corporis robur? Dedit ſcilicet natura Principi & animum vaſtum & corpus non validum minus quam prolixum. Hujus autem vires, cum in vita omni temperantia, tum in juventute exercitatio nullius non generis quæ Principem decent (in omnibus enim etiam illis pares quosque antecelluit) etiam auxerunt. Quamvis igitur ætate nonnihil ſit detritum, ſic ſatis integra tamen adhuc ſunt omnia. Nec enim morbis ſenilibus corpus languet: in animo autem etiam viget memoria, prudentia, ſapientia, propria ſenectutis arma; ipſa morum ſenilis gravitas ita adhuc comitate condita eſt, ut jucunda quoque, nec a jocis & ſalibus priſtinis aliena Principis ſit converſatio. Si canos ſane haud videas, ſed indefeſſos Principis labores, juvenem dixeris te videre non ſenem. Hæc certe in hunc modum integra, vetant me brevi ſequius quidquam metuere: præſertim quum accedat victus ratio ætati & corpori maxime conveniens. Qua in re habeo utique medicæ artis meæ anteſignanos omnes, eorumque præclara obſervata ac præcepta mecum conſentientia: ne me vatem temerarium fortaſſis exiſtimes. Sed & qui irritæ ſint tot pro incolumitate Principis fuſæ ſemper ad Deum preces? Neque vero hic duntaxat ſed etiam alibi, in locis remotis, ubi Principis virtus inclaruit, illæ fundi ſolent. Imo non dubito te etiam, BOINEBVRGI, vota proximo natali Principis die nobiſcum facturum; qualia Auguſto ſuo olim precatus eſt Flaccus:

> *Serus in cœlum redeas; diuque*
> *Lætus interſis populo Caycum,*
> *Neve te noſtris vitiis iniqua*
> *Ocyus aura*
> *Tollat.*

SED quid te VIR ILLVSTRIS moror? Dixeram, merito quidem admiratione eſſe digna quæ attuli: quod nimirum vere AUGUSTUS ille Princeps meus bibliothecam ſuam *primum* ipſemet propria arte condiderit & diſpoſuerit, *ſecundo* idem & inceperit pariter & perfecerit, *tertio* propriis ſibi impenſis comparaverit: non tamen ideo cui videri dubia oportere; quoniam nemo regum aut principum alius ſimile quid præſtiterit; neminem enim idem efficere potuiſſe, quoniam in illo Principe quatuor ſint ſingularia, quæ in aliis vulgo deſiderantur, nempe inuſitatam φιλοβιβλίαν, eruditionem plane eximiam ac diffuſam, induſtriam indefeſſam, & denique ætatem molliter provectam in longam ſenectutem. Hæc quatuor ſingulari modo Principi eſſe quaſi præcipua, ſeorſim prolixe probavi. Non arbitror itaque jam quidem amplius repertum iri quempiam, qui auſit narrationem meam vocare in dubium. Licebit autem hoc impetrato tandem etiam omnem hanc epiſtolam claudere: quoniam nihil ſupereſt de bibliotheca AUGUSTA ſcribendum. Quantum ſane ad inſtitutum meum facit. Alias enim ſi omnia, quæ vel poſſint vel debeant ſcribi, adferre equidem velim, fateor, longe plurima etiamnum ſupereſſe indicta. Cæterum mihi non niſi per epiſtolam ea quæ potiſſima viſa ſunt narrare tibi propoſitum fuit: comprimis autem volui cauſam reddere, quamobrem deſiderio tuo de indicis editione ſatisfieri nequeat. Fortaſſis vero jam tum modum epiſtolæ exceſſi. Neque ego id criminanti multum repugnaverim. Habet hoc fere extemporanea ſcriptio, qualis mea eſt tantum non omnis, ut intra limites initio inſtitutos raro ſeſe contineat: mihi hactenus, fateor, ſæpius pro urceolis amphoræ exierunt. Per me tamen licebit librum appellare, quam epiſtolam eſſe volui. Enimvero minore culpa addi etiam ſuperflua arbitror, quam omitti neceſſaria. Nec tamen in alienis me verſatum eſſe, forte tu conquereris. Si quis alius nihilominus longitudinem incuſaverit, reponam illud Martialis:

> *Non ſunt longa, quibus nihil eſt quod demere poſſis.*

Sed & amœniora hæc patiuntur aliquem exceſſum excurſumque. Mihi ſane nihil hac ſcriptione fuit aliquamdiu jucundius; quamvis tot moleſtis negotiis occupato. Sed *nec promtiorem facile calamum ſenſi* (a) hactenus; procul dubio, pietate in Principem multis nominibus mihi ſanctum, & argumenti ſuavitate calamum impellente. Vale, Excellentiſſime BOINEBVRGI, & ſalve plurimum. *Helmeſtadii* in academia Julia propridie Kal. April. cIↄ. Iↄ. c. LXI.

Recen-

(a) *non promtiorem facile calamum ſenſi*) SAGITTARIVS *in orat. de biblioth. Jenenſ. in nova acceſſione ad collect. Mader. p.* 700. Auguſta Gvelpherbytana, ait, duos nacta eſt præcones, JOH. SCHWARTZKOPFIVM cancellarium, & HERMANNVM CONRINGIVM, in admirandis hujus bibliothecæ occupatum; de qua ille ita ſcripſit, ut judice HOTTINGERO *c.* 2. *bibliothecarii f.* 13. dignum omnino Auguſtiſſimus Princeps laborum ſuorum nactus ſit præconem &c.

Digitized by Google

Recenſio Voluminum quæ in bibliotheca AVGVSTA reperta fuerunt x. Aprilis anno CIↃ IↃ C LXI. die natali Principis octogeſimo tertio.

	IN FOLIO	RELIQVORVM	SUMMA
1. THEOLOGICORUM.	1813.	8328.	10141.
2. JURIDICORUM.	979.	1511.	2490.
3. HISTORICORUM.	1016.	2180.	3196.
4. BELLICORUM.	76.	129.	205.
5. POLITICORUM.	66.	1071.	1137.
6. OECONOMICORUM.	7.	47.	54.
7. ETHICORUM.	73.	1424.	1497.
8. MEDICORUM.	182.	611.	793.
9. GEOGRAPHICORUM.	62.	93.	155.
10. ASTRONOMICORUM.	54.	259.	313.
11. MUSICORUM.	38.	75.	113.
12. PHYSICORUM.	165.	472.	637.
13. GEOMETRICORUM.	192.	182.	374.
14. ARITHMETICORUM.	11.	72.	83.
15. POETICORUM.	100.	423.	523.
16. LOGICORUM.	4.	71.	75.
17. RHETORICORUM.	37.	545.	581.
18. GRAMMATICORUM.	92.	503.	595.
19. QVODLIBETICORUM.	530.	2919.	3449.
20. MANUSCRIPTORUM.	1271.	732.	2003.
Summa	6768.	21647.	

Summa omnium	Voluminum —	28415.
	Librorum ſeparatorum — —	116351.

BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

NVnquam antehac induxi animum de re bibliothecaria quidquam commentari; de bibliotheca etiam Auguſta aliquid ſcribere nuper denique cepi conſilium. Occaſionem ſcribendi dedit Illuſtris Boineburgius, indicem Auguſtæ hujus bibliothecæ, de cujus ille divitiis multa audierat, deſiderans, ejusque impreſſionem Principi ſuadens, primum per Ampliſſimum virum Polycarpum Heilandum Conſillarium Principis & jam Francofurti res imperii pariter ac fœderis curantem, deinde per me, tandem denique negotium urgens propria quadam ad Principem epiſtola. Occepi ſcilicet ego hac occaſione intimius & magis ſolito in bibliothecæ illius rem omnem advertere: ſtatimque deprehendi, parere quidem theſaurum illum ſpectantibus omnibus ſui admirationem, librorum inuſitata multitudine, neutiquam tamen in juſto eſſe pretio: idque quandoquidem pauciſſimi intelligant perfectionem veram numeris omnibus abſolutæ bibliothecæ, vel ejus comparandæ & diſponendæ & collocandæ artem; ac proinde AVGVSTÆ vim & pretium, quidque a Principe ſit præſtitum, vel adhuc præſtetur, perquam pauci valeant animo aſſequi. Id vero indignum eſſe ratus equidem ſum; præſertim quod jam conſcius eſſem, quam inuſitata & pulchra & perfecta heic ſint omnia. Impulit igitur me & in Principem incomparabilem pietas, & boni literarii ſtudium, per epiſtolam publicam cum Boineburgio tum & aliis, omnia mihi de Auguſta illa bibliotheca jam comperta, nonnihil plenius narrare, ſimulque intexere, quæ de bibliothecaria re, vel adverſaria, quamvis hoc in argumento perquam egena & ſterilia, vel memoria, poſſint ſuggerere. Sic natum mihi hoc opuſculum eſt; ſed ſcriptione tumultuaria pariter & extemporanea. Inter perpetuas enim & varias occupationes, menſtruo ſpacio, horis ſucciſivis, in chartam ſimulac aliquid a me conjectum eſt, & exceperunt mox operæ typographicæ noſtræ & impreſſerunt; quamvis interea temporis non niſi octodecim plagulas potuerint abſolvere. Hæc ideo narro, ut veniam impetrem erroribus, ſi qui forte abs me commiſſi ſunt. Fateor enim me nec plena omnium bibliothecarum illuſtrium notitia, nec juſto otio aut tempore inſtructum, ad ſcribendum acceſſiſſe, & tamen coactum omnes omnino bibliothecas illas, repetita etiam retro memoria, aliqua ex parte in arenam adducere: provocante me ſcilicet debito Principi officio, maxime poſteaquam a conſiliis eſſe juſſus ſum, ad tantum negotium ſuſcipiendum agendumque. Quicquid vero peccavi, non malitia ſed innocente errore commiſſum abs me eſt. Nec enim cauſæ quidquam fuit, cur vel amor in Principem vel in quenquam odium me a veritatis tramite detraheret. Odii ſane cauſam omnem procul habeo. Et ea eſt cum Principis tum bibliothecæ Auguſtæ manifeſta omnium oculis virtus, ut ex iniqua aliorum detractione petitam anxie laudum conquiſitionem, amor ille haud poſſit imperare.

Leo-

Digitized by Google

Leonis III. Papæ epiſtolæ ad Carolum Magnum Imperatorem.

Capitulare Caroli M. de Villis ſuis.

HERMANNVS CONRINGIVS nunc primum edidit & notis illuſtravit.

Viro Generoſo FRIDERICO Schenck a Winterſtedt, Sereniſſimi Ducis Brunſuico-Luneburgenſis CHRIST. LVDOVICI Produci & ſummo Conſiliario, Satrapæ in Borchtorff ac hæreditario in Schwachhauſen &c.

HERMANNVS CONRINGIVS

S. P. D.

NUnquam bene adeo comparatum quidem fuit, ut in eccleſiæ clero deeſſent, qui vel dignitate ſua vel oblatis piorum bonis abuſi nonnihil interdum inſoleſcerent, tria tamen eccleſiæ prima ſecula ſancte fluxiſſe merito dixeris. Intra modicum enim ſtabant tum oblationes, nec unius epiſcopi erat omnium adminiſtratio; ſed in partem curæ apud ſingulas eccleſias presbyteri veniebant; nec populo nullus locus erat in ferendis legibus, in electione cleri, in judiciis eccleſiaſticis: eoque multum ſane tum aberat ut epiſcopi eccleſiis ſuis *μοναρχικῶς* dominarentur. Accedebat numquam pene non imminens Chriſtianorum capitibus commune periculum, a potentiſſimis perſecutoribus & quidem Cæſaribus ipſis; quo non poterat non coerceri quicquid vitiorum lætius alioquin adoleviſſet, præſertim quod epiſcopi ipſi præ aliis, ut cœtuum capita, ad ſupplicium traherentur. *Poſtquam eccleſia ad Chriſtianos principes venit* (verba ſunt S. Hieronymi in vita Malchi) *potentia quidem & divitiis major ſed virtutibus minor facta eſt.* Nimirum non tantum ſecuritas ex eo tempore conceſſa, ſed & immunitatibus multis evectus eſt clerus magis magisque, in ſacrum uſum præcipue collata ſunt ampliſſima & longe pinguiſſima patrimonia. Quam inſolentem liberalitatem neſcio num uni pietati fas ſit acceptam referre: ſuperſtitionis nonnihil fuiſſe admiſtum, alios vitæ ſuæ quantumvis vitiis immerſæ per donaria iſthæc cœleſtem veniam exſpectaſſe, manifeſtius videtur quam ut egeat res probatione. Exceperunt autem paſſim hanc potentiam & has divitias ea quæ ſolent ſubſequi res ſecundas, in clero omni videlicet (penes hos enim bonorum ſemper adminiſtratio fuit) luxus ambitio & divini muneris ſui negligentia. Quam maxime tamen epiſcopos vitiis hisce contaminatos dixeris, & quidem eo magis quo præ reliquis majore fuerunt dignitate atque exiſtimatione. Ne enim alia nunc tangam; id operam videntur multi dediſſe, ut translata in ſolos ſeſe omnium eccleſiæ opum poteſtate, haberent unde & ipſi lautiſſime viverent, & cognati ac familiares ditarentur. Quo nihil ab Apoſtolorum exemplo alienius eſt, ut qui in id diaconos inſtituerint, quo omni iſthac cura ſoluti liberius ipſi munere docendi defungerentur. Vereor tamen ne epiſcopos ſuos ſuſpectos jam tum hoc nomine habuerint illi qui notantur concilii Gangrenſis canone VII. quod oblationes ſuas non per epiſcopos fecerint diſtribui. Certum eſt, haut multo poſt malos mores orientalis diœceſeos epiſcoporum quorundam graviſſimum illum canonem Antiocheni concilii ultimum expreſſiſſe, quem in occidentalis eccleſiæ uſum ita vertit Dionyſius Exiguus: *Epiſcopus eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem, ad diſpenſandum erga omnes, qui indigent, cum ſumma reverentia, & timore dei. Participet autem & ipſe quibus indiget: ſi tamen indiget: tam ſuis, quam fratrum, qui ab eo ſuſcipiuntur, neceſſariis uſibus profuturis, ita ut in nullo qualibet occaſione fraudentur. Juxta ſanctum apoſtolum ſic dicentem: habentes victum, & tegumentum, his contenti ſumus. Quod ſi contentus iſtis minime fuerit, convertat autem res eccleſiæ in ſuos uſus domeſticos, & ejus commoda vel agrorum fructus non cum presbyterorum conſcientia, diaconorumque pertractet, ſed horum poteſtatem domeſticis ſuis aut propinquis aut fratribus filiisque committat, ut per hujusmodi perſonas occulte cætera lædantur eccleſiæ; ſynodo provinciæ pœnas iſte perſolvat. Si autem & aliter accuſetur epiſcopus, aut presbyteri, qui cum ipſo ſunt: quod ea quæ pertinent ad eccleſiam, vel ex agris vel ex alia qualibet eccleſiaſtica facultate ſibimet uſurpent, ita ut ex hoc affligantur quidem pauperes, criminationi vero, & blasphemiis tam ſermo prædicationis, quam hi qui diſpenſant taliter exponantur; & hos oportet corrigi, ſancta ſynodo id quod condecet approbante.* Quamvis vero Patres illi hoc ita ſanxiſſent, epiſcopos tamen aliquos non tantum clam presbyteris ſuis & diaconis, ſed & absque omni œconomo, contra quam vulgo ſolere vel ex canone laudato Gangrenſis ſynodi planum eſt, bona eccleſiæ adminiſtraſſe indicat canon Chalcedonenſis œcumenici concilii XXVI. *Quoniam in quibusdam eccleſiis, ut rumore comperimus, citra œconomos epiſcopi facultates eccleſiaſticas tractant: placuit omnem eccleſiam habentem epiſcopum habere œconomum de clero proprio, qui diſpenſet res eccleſiaſticas ſecundum ſententiam epiſcopi proprii ita, ut eccleſiæ diſpenſatio præter teſtimonium non ſit, & ex hoc diſpergantur eccleſiaſticæ facultates, & ſacerdotio maledictionis derogatio procuretur. Quod ſi hoc minime fecerit, divinis conſtitutionibus ſubjaceat.* Nec tamen vel hoc fuerunt contenti illi, qui *propter turpia lucra conductores alienarum poſſeſſionum ſunt facti & ſecularia negocia ſub cura ſua ſuſceperunt, dei quidem miniſterium parvipendentes, ſecularium vero diſcurrentes domos, & propter avaritiam patrimoniorum ſollicitudines ſumentes:* eoque permoverunt eosdem Chalcedonenſes Patres ut canone III. omnem ſecularis negotii curam epiſcopis & clero ſevere interdixerint. Eadem ſane de cauſa conditus eſt circa hæc tempora & canon, apoſtolorum qui dicitur, VII. *Epiſcopus aut presbyter aut di-*

diaconus nequaquam ſeculares curas adſumat; ſin aliter, dejiciatur. Nec alteri fini repetitum deinceps illud canone XXCI. *Dicimus quod non oporteat epiſcopum aut presbyterum publicis ſe adminiſtrationibus immiſcere, ſed vacare & commodum ſe exhibere uſibus eccleſiaſticis. Animum igitur inducito hoc non facere aut deponitor. Nemo enim poteſt duobus dominis ſervire juxta dominicum præceptum.* Adeo varios, adeo ſeveros canones merebantur jam illa ætate epiſcopi, nec tamen effluxerat ſeculum Chriſtianum ſextum. Haud dubie tanto in numero nuſquam terrarum defuere, qui officii memores avaritiam & faſtum ſanctisſimo eccleſiæ ſtudio poſthabuerunt; ejusmodi enim omnino cum alios tum illos piisſimarum legum conditores fuiſſe ecquis negaverit? Vereor tamen ut major pars vel tum fuerit extra hanc culpam. Non fuit ſane, ſi credimus iis quæ Salvianus quatuor libris de eccleſia conqueſtus eſt. Non fuiſſe, indicio ipſe fuit populus. *Præter pauciſſimos quosdam* (dixit idem Salvian. *l.3. de gubern.*) *qui mala fugiunt, quid eſt aliud omnis cœtus Chriſtianorum quam ſentina vitiorum?* Adeo verum ſcilicet eſt illud Severi Sulpitii: *auro non ſtrui eccleſiam ſed deſtrui.* Neque vero aliunde morum illam in epiſcopis a prima pietate mutationem licet arceſſere. Intimius ſane omnia perſpicientibus apparet haud difficulter, nusquam licentius graſſata eſſe vitia quam ubi auri vis prævaluit. Valuit autem quam maxime proculdubio in opulentisſimis urbium: quales tum fuere Roma vetus pariter ac nova, Alexandria porro & Antiochia. Enimvero Romæ luxum illum prius quam in provinciis cœpiſſe vel ex Ammiano Marcellino eſt intelligere. Ubi enim ille de Damaſi & Urſinici funeſtis certaminibus pudenda nonnulla diſſeruiſſet hæc ſubjungit: *Neque ego abnuo, oſtentationem rerum conſiderans urbanarum, hujus rei cupidos ob impetrandum quod appetunt omni contentione laterum jurgari debere: cum id adepti futuri ſint ita ſecuri, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis conſidentes, circumſpecte veſtiti, epulas curantes profuſas adeo ut eorum convivia regales ſuperent menſas. Qui eſſe poterant beati revera, ſi magnitudine urbis deſpecta, quam vitiis opponunt, ad imitationem antiſtitum quorundam provincialium viverent: quos tenuitas edendi potandique parciſſime, vilitas etiam indumentorum, & ſupercilia humi ſpectantia, perpetuo numini veriſque ejus cultoribus ut puros commendant & verecundos.* Non minorem vero tum luxum obtinuiſſe Conſtantinopoli, ſatis indicat Gregorius Nazianzenus, illa oratione qua dimisſionem petit illius urbis tum archiepiſcopus. Exprobratum enim ſibi conqueritur *quod nec menſa lauta & opipara nec veſte magnifica ſit uſus, nec ſplendide in publicum prodierit, nec ad eos a quibus conveniebatur gravitatem & faſtum adhibuerit.* Mitto de aliis ſimilia adferre. Nec enim vel dominandi libidinem ſpecioſo creſcentem prætextu nunc tangam, qua tamen Cæleſtinus Papa meruit olim ab Africanis patribus audire: *nolite concedere, ne fumoſum typhum ſeculi in eccleſiam Chriſti, quæ lucem ſimplicitatis & humilitatis diem, deum videre cupientibus præfert, videamur inducere:* qua item Antiochenus Patriarcha effecit, ut oecumenicum Epheſinum concilium monuerit cavendum: *ut ne ſanctorum patrum canones prætereantur, neque ſub ſpecie adminiſtrationis rerum ſacrarum potentiæ ſecularis typhus irrepat, ſenſimque imprudentes libertatem eam amittamus, quam proprio ſanguine dominus noſter Jeſus Chriſtus, omnium hominum liberator nobis largitus eſt.* Hæc inquam & alia nunc haud attingam, ceu ab inſtituto aliena. Cæterum quo tempore Gregorius & Ammianus iſthæc ſcribebant, currebat adhuc ſeculum quartum. Poſthæc vero etiam in provincias ſerpſiſſe tanti exempli vitia, luxum ajo & avaritiam, non eſt quod miremur. Nec vero disſimulavit deus populi ſui grandia iſthæc peccata: eoque tanquam in vindictam ex Germaniæ & Scythiæ remotisſimis quibusque angulis evocata numeroſa variarum gentium multitudine, quaſi diluvio florentisſimas occidentalis Imperii Romani terras fecit inundari, & tantum non in ſolitudinem redigi. Alibi juſto itidem judicio divino non tantum per Mahumetem nova & ſeculi illius moribus ſic ſatis attemperata religio inventa, ſed eadem inuſitata armorum felicitate brevi ita propagata eſt, ut plurimis locis eccleſiæ vix aliquod veſtigium tandem manſerit reliquum. In occidente ſane hoc ipſo eccleſiarum reditus ita ſunt attenuati, ut epiſcopis plerisque non tantum inſtrumenta luxuriæ perierint, verum longo tempore multum etiam defuerit ad neceſſarios maxime uſus. Cum Romano Papa mitius videtur actum. Quantum enim ex Gregorii Magni epiſtolis colligere eſt, ſatis amplum illi ſuperfuit ſemper patrimonium per Italiam, Siciliam, Africam, Galliam, Sardiniam, alibi: utut hi proventus fuerint fortasſis infra cenſum veterum oblationum. Qualis etiam illorum qui Gregorium ſunt ſecuti vita memoratur, nihil illi omiſerunt quod ad augendas divitias & potentiam ampliandam potuit data occaſione proficere. Nihil ſane a vitiis illis Deo usque adeo inviſis mutaverunt. Octavo ſeculo etiam id quod numquam antea tentaverant, quove nihil eſt ab eccleſiaſtica functione alienius, moliri cœperunt. Id ſcilicet operam dedere quo jure omni Cæſarum ſoluti bonæ etiam Italiæ parti regia poteſtate dominarentur. Quod profecto ipſis ex voto ſic ſatis evenit, ubi populari odio objectis primum Cæſaribus ſuis mox Langobardorum regibus, ex adverſo Pipini & Caroli validum profecto robur in cupiditatis ſuæ miniſterium flexiſſent. Unum id præter exſpectationem accidit, quod Romani cives aliique illud recens & novi generis Papale imperium ægrius ferentes, non fuerint veriti Papæ ipſi manus inferre. Hoc ſane malo adactus fuit Papa Leo id nominis tertius, experentibus idem Romanis, ut Cæſareæ iterum auctoritati ſedem Pontificiam ſubjiceret, in Cæſarem electo Carolo Magno Francorum tum & Langobardorum rege longe potentisſimo. Imo eadem de cauſſa liberati iterum Pontifices Francorum imperio, Ottoni Magno & Germaniæ noſtræ Regibus denuo jus Cæſareum ultro detulerunt: donec per Hildebrandum omni reipubl. majeſtate conculcata Cæſari ipſi & Regibus omnibus ſacrum quendam dominatum intentaverunt. Quo nihil monſtroſius fingi vel excogitari poteſt. Tædet iſta multis referre. Vel meminiſſe horret animus, & refugit jam luctu. Et tamen cum illo monſtro hodieque omnis Europa confilictatur. In præſentiarum ſane unice me delectat memoria illius cultus & obſequii quo Carolum Magnum jam creatum Imperatorem coactus fuit Papa proſequi.

Fuit

Fuit ea res hactenus bonam partem in obſcuro: quod ex illo ævo ad nos rariſsima quæ huc facerent monumenta ſint tranſmiſſa: eoque non niſi argumentis hinc inde conquiſitis libro, quem de Germanorum imperio conſcripſi, probari & exponi abs me potuit. Plenius omnia loquuntur ipſiusmet Leonis ad Carolum literæ nonnullæ, quas inter membranas bibliothecæ noſtræ Juliæ ante biennium præter propter reperi. Enimvero hoc nomine dignas illas judicavi quæ mea cura publicarentur. Quin idem mecum ſis judicaturus, generoſe Schenki, equidem nullus dubito. Neque enim me latet quanto odio proſequaris horribile illud Pontificium regnum, quamque bene cupias reipubl. noſtræ Germanicæ, quæ Pontificum primo artibus a culmine ſuo præceps data eſt. Debes animum illum nobiliſsimo generi tuo & genti Suevicæ: qua nulla alia improbis Pontificum conatibus fortius ſeſe olim oppoſuit, aut pro reipubl. pugnavit dignitate, Henrici IV. & V. Friderici item primi & ſecundi Cæſarum ac Sueviæ Ducum auſpiciis præeuntibus. Et vero Suevicæ veſtræ nobilitatis primores de republica & eccleſia optimis fuiſſe ſententiis imbutos vel carmina illa eorum Germanica ſignificant, quorum guſtum nobis dedit Melchior Goldaſtus. Qui ſi omnia ex theſauro ſuo prompſiſſet, haberemus inter ea & gentilis tui Ulrici Schenck a Winterſtetten poëmata, quæ ille ſemel iterum loco teſtimonii adduxit in ſuis ad Winsbekias paræneſes animadverſionibus. Enimvero erectus ille animi tui ſenſus, vir generoſe, me invitat maxime, ut quas edidi Leonis epiſtolas, & Caroli Cæſaris capitulare, ſimulque mea adjectanea ad te præcipue nunc adferam. Quamvis enim iſthæc me facere alia etiam multa ſuadeant, (æquum enim eſt ut in publico exſtet affectus erga te mei teſtimonium) tamen iis hodie non perinde moveor, & officii mei rationem rectius alias habebo. Quod ſi ſententias meas quas hic, alibi, aſperſi, cum tuis convenire, certe non multum ab iis diſſentire, intellexero, magnum ſatis pretium me operæ conſecutum eſſe nunc quidem arbitrabor. Helmeſtadii ex academia Julia, XVII. Kal. Septembr. CIↃ IↃ C XLVII.

Incipiunt epiſtolæ de Papa Leone ad Imperatorem Carolum miſſæ.

Epiſtola I.

DE ACCVSATORIBVS.

D*omino Piiſſimo & Sereniſſimo, Victori ac Triumphatori, Filio, amatori Dei ac Domini noſtri Jeſu Chriſti, Karolo Auguſto Leo, epiſcopus, ſervus ſervorum Dei.* Remeantes ad nos fideliſſimi Miſſi noſtri, quos ad veſtram imperialem potentiam direximus, retulerunt nobis de veſtra benigniſſima bonitate, quam erga beatum Petrum Apoſtolum & ejus vicarium geritis ex intimo cordis amore. Inter ea obtulerunt nobis honorabiles veſtras epiſtolas & capitularem.

Quod vero capitularem, poſt relectionem duarum epiſtolarum reſerantes, inter cætera gaudia, quæ præfatæ epiſtolæ cordi noſtro effuderunt, ſic primum capitulum ejuſdem capitularis cor noſtrum relevavit: ut cum propheta dicere cœpimus: *Domine ſalvum fac regem, & exaudi nos in die qua invocaverimus te.* Cumque per ordinem ad ſextum conjungeremus capitulum, quantum gaudium & lætitiam prædictæ epiſtolæ atque cætera capitula nobis ingeſſerunt, tantum mœrore & triſtitia poſtmodum ſumus repleti. Continebatur enim in ipſo præfato ſexto capitulo, quod Miſſos invenire non valeatis qui nobis placent: de qua re valde triſtatur veſtra Serenitas; & nullus de ipſis, qui jam ad nos fuit directus, per ſuam voluntatem amplius Miſſus erit, excepto quod obedientiam veſtram voluntarie unuſquiſque adimplere cupit: & non ſolum Miſſi veſtri timent veſtram portare legationem ad noſtram puſillitatem, verum etiam alii jam non ſunt auſi quærere a vobis auxilium, quia nullus eſt qui veſtram quæſivit clementiam, ut dicunt, qui poſtmodum ad plenam potuiſſet pervenire gratiam noſtram; & quia plures directos habuiſtis Miſſos fideles ex quibus jam alii mortui ſunt, & ipſi blaſphemati fuere, & de ipſis qui vivunt nullus jam ſine blaſphemio eſſe videtur. Unde nobis, fili dulciſſime, quid aliud agendum eſt, niſi preces pro his, qui talia vobis mentiti ſunt, ad Dominum fundamus? Sicut ſcriptum eſt: *Orate pro inimicis veſtris.* Credat enim nobis veſtra Serenitas, quia ea quæ ad animæ veſtræ ſalutem cognoverimus, nullo modo tacemus; & ſi ante tacuimus, nunc autem non ceſſamus, ſive de bonis ſive de malis, veſtræ intimare potentiæ. Nam qui per mendacium & malas machinationes vult filium ſeparare a matre, judicium habebit cum ipſo clavigero regni cœlorum beato Petro Apoſtolo. Quia mihi in hoc mundo nihil pretioſius eſt quam animæ veſtræ ſalus. Sed quia omnia, quæ de veſtra proſperitate atque exaltatione in corde noſtro gerimus, per ſingula exarare non valemus, ſic nobis omnipotens Deus retribuat, ſicut de veſtro honore & ſoſpitate cupimus. Verum tamen cum multo amore multaque fide erga vos conſtringimur, tacere nullo modo poſſumus, ut vos ipſi pro anima veſtra vigiletis, ſcientes quia iſta miſera & caduca vita in modicum exterminatur & finem habet, & omnes rationem redditurí ſunt Domino de vaniloquiis. Igitur hominibus non citius credatis ante ſatisfactionem. Sed tamen ſi nos bene ſuſcepimus & bene honoravimus pro veſtro amore, Deus nobis retribuat bona, & vos ſatisfaciat ut in cauſis beati Petri Apoſtoli amplius & amplius decertatis: & ſi non vobis nunciaverint, quomodo eos honorifice ſuſcepimus, quid aliud dicamus niſi ut Deus illis indulgeat? Verum tamen ſi prope fuiſſemus, adjuvante Dei omnipotentis miſericordia, vos habuiſſetis veritatem & mendacium diſcernere; quia talem vobis a Deo datam eſſe ſapientiam credimus, ut tale improperium atque confuſionem non habuiſſemus in faciem noſtram. Recordari credimus veſtram Serenitatem, quia vicibus nobis miſiſtis, quod neminem de nobis male loqui permitteretis, neque locum illi tribueretis. Sed quid igitur reſtat, niſi ut inter tantas accuſationes, quæ de nobis & fidelibus noſtris, qui aliquod profectum ſanctæ noſtræ eccleſiæ faciebant, vobis dictæ ſunt, cum

 lacri-

lacrimis gratias agam Deo omnipotenti. Nam de illo amore, quem erga vos gerimus, nullus in hac vita nos ſeparare poteſt niſi ſola mors, quandoque nobis obvenerit. Sed quid tantum faſtidium facimus auribus veſtris? Certiſſime in quantum nobis Deus largiri dignatus eſt, ſic in noſtro ſenſu cogitamus, quod nullus de anteceſſoribus noſtris partibus iſtis cum tanto amore ſervierit, quantum nos ſervivimus. Sed noſtrum ſervitium, ut videmus, nemini acceptum fuit. De autem accuſatoribus Miſſorum veſtrorum, de quibus nobis emiſiſtis, ut aut in noſtram aut in veſtram præſentiam ad diſcutiendum veniant; ſi placet pietati veſtræ, Miſſum veſtrum dirigite absque illis, qui omnia liquidius inquirat & veſtræ Imperiali potentiæ fideliter nunciet, quid aut quomodo iſtis in partibus egerint, qualem profectum exinde ſancta Dei eccleſia mater veſtra habeat. Verumtamen omnia in veſtro committamus ſagaciſſimo arbitrio. His præmiſſis, Omnipotens & miſericors Deus, per interceſſionem ſanctæ ſuæ genitricis ſemper virginis Mariæ dominæ noſtræ, & beatorum Principum Apoſtolorum Petri ac Pauli, tale cordi veſtro ſalubre conſilium inſpiret, ut oblatio quam dulciſſimus genitor veſter Dominus Pippinus rex beato Petro Apoſtolo obtulit & vos confirmaſtis, ipſe claviger regni cæleſtis ante conſpectum DEI cum ipſa donatione vobis præſentetur, quatenus gaudia æterna percipere mereatis. *Piiſſimum Domini Imperium gratia ſuperna cuſtodiat, eique omnium gentium colla ſubſternat.*

Epiſtola II.

QVALITER SICILIENSES CVM SARRACENIS PACTVM FECERVNT ET CAPTIVI REDDITI.

Domino Piiſſimo, & Sereniſſimo Victori ac Triumphatori, Filio, amatori Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti, Karolo Auguſto, Leo Epiſcopus Servus Servorum Dei. Tertio igitur Idus Novembr. ſuſcepimus epiſtolam Gregorii Patricii Sicilienſis: reſponſum ſcilicet Serenitatis veſtræ epiſtolæ, quam illi per hominem noſtrum emiſimus. Vobis ſiquidem, pro qua cauſa ignoramus, epiſtolam nomini veſtro titulatam non emiſit. Illam tamen quam nobis direxit epiſtolam, de qua vobis exemplar aut poſtquam eam legeremus a noſtro ſigillo veſtræ imperiali potentiæ dirigere petivit. Nos pro veſtra ſatisfactione neque eam ad legendum aperuimus, neque quod in ea continetur cognovimus, niſi quod per illum Miſſum noſtrum nobis in verbis direxit. Id eſt de illis Sarracenorum Miſſis, cum quibus pactum confirmavit ipſe Patricius in annos decem. Dicebat enim ad prædictos Miſſos Sarracenorum: quale nobiſcum pactum facere vultis, cum ecce jam anni ſunt octuaginta quinque quod pactum nobiſcum feciſtis & firmum non fuit? Imo & Conſtantinus Patricius qui ante me præfuit, in decem annos vobiſcum pactum firmavit, usque ad futuram octavam indictionem; ſed neque ipſum pactum firmum tenuiſtis. Nunc autem quale vobiſcum pactum faciamus, nobis incognitum eſt. Ad hæc reſpondebant ipſi Sarracenorum Miſſi, dicentes. Pater iſtius Amiralmumin qui nunc apud nos regnare videtur, defunctus eſt, & iſte relictus eſt parvulus, & qui fuit ſervus factus eſt liber, & qui liber fuit effectus eſt dominus; & nullum ſe regem habere putabant; ſed ecce nunc poſtquam omnia quæ pater ſuus habuit ſibi ſubjecit, vult firma ſtabilitate hoc quod paramus pactum ſervare: de Spanis vobiſcum non ſpondemus, quia non ſunt ſub ditione regni noſtri: ſed in quantum valemus eos ſuperare, ſicut vos ita & nos contra illos in mare dimicare permittimus: & ſi ſoli nos non valemus nos a parte noſtra & vos a veſtra Chriſtianorum finibus eos abjiciemus. Poſt hæc vero convenit illis, & confirmavere in ſcripto inter ſe pactum in annos decem: & dedit eis Miſſum nomine Theopiſtum notarium, & reddidit illis quantos habuit comprehenſos de ipſis Sarracenis, ut illos Chriſtianos, quos de ſuis partibus prædaverant, reddidiſſent. Et poſtquam jam dictum pactum inter ſe firmaverunt, & Miſſus ab ipſo Patricio abſolutus eſt, invenit in catena unum hominem ſub nimia velocitate ad Patricium nunciare feſtinans, quod ſeptem navigia Maurorum prædaverunt unum vicum in Regio, & duæ naves ex eis poſt eos ad littus exierunt vacuæ. Nam & hoc nunciavit nobis ipſe Miſſus noſter, quod audiſſet ab hominibus Sarracenorum miſſis, quod iſto Junio menſe tranſactæ ſextæ inductionis voluiſſent cum aliis centum navibus ad Sardiniam peragrare, & dum veniſſent prope Sardiniam ſubito aperta eſt maris vorago & ſubglutivit illa centum navigia, & poſtmodum ſic cum magno timore reverſi ſunt ipſi Sarraceni, qui hoc dicebant, in Africam, & nunciaverunt ad familiam de illis qui ſubmerſi ſunt. Cumque ipſe Miſſus noſter talia audiſſet, interrogavit illum notarium qui eum cuſtodiebat, ſi veritas eſſet quæ ab illis Sarracenis audierat: & dixit ipſe notarius quod ita eſſet, & ipſe ore proprio legiſſet ad Patricium illam epiſtolam quam ei unus Chriſtianus amicus ſuus ab Africa direxerat, in qua de ſubmerſione de prædictis centum navigiis continebatur. Et hoc factum eſt menſe Junio, quando illud ſignum igneum tanquam lampadem in cœlo multi viderunt. Ipſi vero Miſſi Sarracenorum in navigiis Veneticorum venerunt, & ſic veniendo combuſſerunt igne navigia quæ de Spania veniebant. Ecce quod per hominem noſtrum audivimus Serenitati veſtræ intimare curavimus: ſed precamur Serenitatem veſtram, ut poſtquam ipſa epiſtola Gregorii Patricii relecta fuerit a vobis nobis eam dirigere non dedignemini. Quare autem minime vobis epiſtolam ipſe Patricius miſit, & in illam, quam nobis direxit, nomen veſtrum non exaravit, cum a vobis perlecta fuerit, ſtatim veſtra a Deo data ſapientia cognoſcere poterit, cur vobis epiſtolam ut decuit non emiſit. Tamen ſi præſumptio non nobis imputatur, quod amando ea quæ de hac re ſentimus, Serenitati veſtræ inſinuamus, videtur nobis, quia ſine conſultu Leonis Imperatoris ſui non auſus eſt vobis adhuc epiſtolam ſuam dirigere. His præmiſſis, omnipotens & miſericors Deus ſua vos protectione cuſtodiat, atque per multorum temporum annos ad gaudium æternum perducat. *Piiſſimum Domini Imperium gratia ſuperna cuſtodiat,*

eique

Digitized by

eique omnium gentium colla ſubſternat. Abſoluta III. Id. Novembr. Dixit Gregorius Patricius ad Miſſum noſtrum, quod Michaël Imperator monachus effectus eſt cum uxore & filiis ſuis.

Epiſtola III.

DE OCCISIONE MAVRORVM IN GRÆCOS.

Domino Piiſſimo & Sereniſſimo, Victori ac Triumphatori, Filio, amatori Dei ac Domini noſtri Jeſu Chriſti, Karolo Auguſto, Leo epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Scimus igitur veſtram a Deo protectam imperialem potentiam ſemper de integritate & exaltatione atque cuſtodia matris ſuæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ ejusque finibus ſollertiſſimam habere ſollicitudinem, & ideo notum facimus Serenitati veſtræ ea quæ nuper audivimus & ex parte certi ſumus. Veſtræ ſiquidem a Deo datæ ſapientiæ incognitum non eſt, quod illa nefandiſſima Agarenorum gens partibus Siciliæ anno præſente venire conſiliaverat. Nunc autem, ſicut audivimus, in quibusdam Græcorum inſulis conjunxerunt. Pro quibus vero miſit Michaël Imperator Patricium & Spadarios cum ſtolo, ut contra eos Chriſto adjuvante dimicare debuiſſent. Cumque ipſe Patricius in Siciliam conjunxiſſet, direxit miſſos ſuos per Beneventum ad Anthimum Neapolitanum ducem, ut cum toto ipſo Neapolitano ducatu, qui illi obedire voluiſſent, navale auxilium ei præbere ſtuduiſſent. Qui vero Dux occaſiones proponens in adjutorio ejus ire contempſit. Kajetani tamen & Amalphitani aliquanta congregantes navigia in auxilio illius abierunt. Poſtmodum vero, ut audivimus, ingreſſi ſunt ipſi nefandiſſimi Mauri, tredecim ſcilicet navigia, in inſulam quæ dicitur Lampaduſa, partibus Siciliæ conſtituta, & prædavere eam. Cumque de prædicto Græcorum ſtolo ſeptem navigia itidem explorando perrexiſſent, ut ſcilicet veritatem cognoſcere potuiſſent, comprehendentes eos deo odibiles Mauri, occiderunt illos: & dum exſpectaſſent eos Græci, qui miſerunt illos ad explorandum & minime eſſent reverſi, abierunt generaliter ſuper eos, & Chriſto miſerante totos illos iniquos Mauros occiderunt, ita ut nec unum ex iis vivum reliquerint. Porro & hoc relatum eſt nobis: quadraginta naves de ipſis Mauris venerunt in inſulam quæ Pontias vocitatur, ubi monachi reſidebant & prædaverunt eam. Poſtmodum vero egredientes ex ea ingreſſi ſunt in inſulam quandam, quæ dicitur Iſcla majore, non longe a Neapolitana urbe miliaria xxx. in qua familia & peculia Neapolitanorum non parva invenerunt: & fuerunt inibi a xv. usque ad xii. kal. Septembr. & numquam ipſi Neapolitani ſuper eos exierunt. Cumque totam ipſam inſulam deprædaſſent, implentes navigia ſua de hominibus & ejus neceſſariis reverſi ſunt poſt ſe. Kajetani autem, qui poſt deſolationem jam dictæ inſulæ ibidem fuerunt, dixerunt, quod inveniſſent homines occiſos lacere & granum & ſcirpha, quæ ipſi Mauri portare ſecum non potuerunt, ſed & caballos Mauriſcos, quos in ſuis ducebant navigiis, occiſos ibidem dimiſerunt. Ecce quæcunque potuimus de Græcorum partibus, Serenitati veſtræ intimare curavimus. De noſtris autem terminis inſinuamus veſtræ tranquilliſſimæ imperiali potentiæ; quia per interceſſionem ſanctæ Dei genitricis ſemperque virginis Mariæ dominæ noſtræ & beatorum Apoſtolorum Petri ac Pauli, & per veſtram prudentiſſimam ordinationem, omnia ſalva & illæſa exiſtunt. A quo enim de illorum adventu veſtra nos exhortavit Serenitas, ſemper poſtera & littoraria noſtra ordinata habuimus, & habemus cuſtodias; nosque cum noſtris ſacerdotibus in eccleſia fautoris veſtri beati Petri & Pauli omnipotentis exoravimus clementiam, ut ſuam ſanctam eccleſiam ab inſidiis inimicorum cuſtodire & defendere dignetur, vosque ad exaltationem & defenſionem ejus per longa annorum curricula conſervare & protegere iubeat, atque ad gaudia æterna per multa temporum ſpacia cum ſanctis perducat omnibus. *Piiſſimum domini Imperium gratia ſuperna cuſtodiat, eique omnium gentium colla ſubſternat.* Abſoluta vii. Id. Septembr.

Epiſtola IV.

DE INIQVO CONSILIO FACTO.

Domino Piiſſimo & Sereniſſimo, Victori ac Triumphatori, Filio, amatori Dei ac Domini noſtri Jeſu Chriſti, Karolo Auguſto, Leo epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Poſtquam enim epiſtolam Gregorii Patricii Sicilienſis ſimul cum noſtra emiſimus Serenitati veſtræ, conjunxit ad nos unum navigium noſtrum cum aliquibus Græcis hominibus: ex quibus unus dixit nobis, quod dum eſſet Leo, qui nunc effectus eſt Imperator, contra Bulgaros ad pugnandum, Procopia uxor Michaëlis Imperatoris habuiſſet quendam amicum nomine Conſtantinum Patricium, & exhortaſſe eum, ut ſibi eum conjugio copulaſſet, promittens ei theſaurum abſconditum multum, quod ſe abditum a patre ſuo habere dicebat, per quod populum erogare debuiſſent quatenus Imperatorem eum ſibi elegiſſent. Tunc reductus ſermonibus ejus, paruit iniquo illius conſilio, & pacavit ſibi multos dans largiflua dona: poſt hæc vero intromiſerunt eum in palatium imperiale, laudem canentes ei. Ipſe autem Conſtantinus fecit ad ſe accerſeri Nicephorum Patriarcham, & dixit ſe coronare, ſicut mos eſt Imperatorum. Ille igitur Patriarcha nolens coronare eum manibus propriis, interfectus eſt. Uxorem vero Leonis Imperatoris exorbavit & filium ejus parvulum interemit. Hoc cum audiſſet Leo Imperator ubi erat in finibus Bulgarorum ad pugnam, cœpit afflictis ſermonibus increpare patricios & optimates, qui cum illo erant, dicens: Boni & Chriſtianiſſimi viri, cur talem iniquitatem in me facere voluiſtis, quod elegiſtis me vobis Imperatorem? & ecce nunc & uxorem meam & filium meum occiderunt & levaverunt ſibi alium Imperatorem. Tunc omnes ſtupore magno repleti dixerunt ei: Benigniſſime Domine nullam perturbationem ante faciamus, donec intra civitatem ingredi valeamus. Et inito conſilio depoſuit Imperialem veſtem & induit militarem, & tollens ſecum quinque millia, viros armatos

matos electos ad prælium, reverſus eſt ad murum civitatis Conſtantinopolitanæ, & cœpit cum eis foris muros vocibus magnis laudare ac dicere: Conſtantinum Magnum Imperatorem multos annos. Cumque nunciatum fuiſſet quod multi milites fugiſſent a Leone, & veniſſent ad eum laudantes illum, fecit eis aperiri portas civitatis, ut rogam eis dare debuiſſet. Illis autem ingredientibus non pepercerunt neque viris neque mulieribus, ſed neque parvulis quos invenire potuerunt. Et mortui ſunt, ut fertur, XVI. millia inter viros & mulieres. Tunc ipſe Leo Imperator miſertus eſt populo ſuo, & petiit cum Conſtantino bellum committere, ne pro duobus viris tantorum Chriſtianorum ſanguis effunderetur. Poſt hanc vero petitionem ingreſſi ſunt ambo in locum, qui dicitur Ippodromio, & occiſus eſt Conſtantinus a Leone Imperatore. In eadem hora interfecit Theodorum Patricium & omnes qui in ipſo conſilio fuerunt: Procopiam autem uxorem Michaelis Imperatoris occidit, & membra ejus abſcidens diſtribuit per murum civitatis. Cumque ſibi vindictam taliter perfeciſſet & ordinaſſet congrue civitatem, reverſus eſt ad exercitum ſuum in finibus Bulgarorum. Poſtmodum vero conjunxit ad nos unum hominem Gregorii Patricii, qui dixit nobis, quod neque Patriarcham occiderunt, neque uxorem Leonis Imperatoris exorbaverunt, ſed neque filius ejus interfectus eſt, niſi unam parvulam filiam ſuam fecit Procopia uxor Michaelis Imperatoris interficere. Hæc vero de Græcis hominibus audientes Serenitati veſtræ intimare curavimus. His præmiſſis, omnipotens & miſericors Deus ſua vos protectione cuſtodiat, atque poſt multorum curricula annorum ad gaudia æterna perducat. *Piiſſimum Domini Imperium gratia ſuperna cuſtodiat, eique omnium gentium colla ſubſternat.* Abſoluta VII. Kal. Decembr.

Epiſtola V.

GRATIARUM ACTIONIS.

Domino Piiſſimo & Sereniſſimo, Victori ac Triumphatori, Filio, amatori Dei ac Domini noſtri Jeſu Chriſti, Karolo Auguſto, Leo Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei. Explere verbis clementiſſime fili non valeo, quantum veſtro opere veſtraque vita delector. Magnas igitur omnipotenti Deo gratias reddimus, quia in ore cordis experimento dulcis fit ſapor caritatis. Cum impleatur quod ſcriptum ſit: *Sicut aqua frigida ſitienti ſic nuncius bonus de terra longinqua.* Serenitatis namque veſtræ ſuſcepta plena conſolationis epiſtola, continuo, ut decuit, gratiarum actiones omnipotenti Deo retulimus, qui veſtram Imperialem potentiam pacis eccleſiaſticæ fecit eſſe cuſtodem. Ipſa namque fides vos ſervat, quam erga ſanctam Dei catholicam & apoſtolicam eccleſiam, fautricem & auxiliatricem in omnibus petitionibus veſtris, atque in ſacerdotali unitate ſervatis. Cumque vos jugo pietatis cor veſtrum humiliter noſtræ puſillanimitati ſubditis, cœleſti gratia agitur, ut omnia quæ circa Deum ex veſtra puriſſima voluntate agere cupitis divino adjutorio ſuffragati ad perfectionem ſecundum veſtrum benevolum deſiderium deducitis, & veſtrum brachium forte contra inimicos ſanctæ Dei eccleſiæ & veſtros extenditis. Dilectionem igitur atque firmam caritatem quam erga Serenitatem veſtram gerimus, eſt Deus in cœlis, ſcrutator corda & renes, qui ſcit qualem amorem & ſollicitudinem de veſtra diutiſſima proſperitate cotidie habemus. Quia poſt Deum & ſanctos ſuos nullum conſolatorem habemus, niſi ſolam veſtram a Deo protectam imperialem potentiam, unde ſemper exſpectamus defenſionem & conſolationem. Relectis namque veſtris imperialibus ſyllabis reperimus in eis, quatenus Helmengaudus Comes veſter noſterque fidelis omnia, quicquid a nobis audivit, vobis per ſingula nunciavit. Sed ſi omnia, quæ cotidie patimur vobis inſinuaſſet tam ipſe quam etiam cæteri Miſſi veſtri, qui iſtis partibus veniunt, faſtidium eos auribus veſtris credimus facere. Neſcimus enim ſi veſtra fuit demandatio, quod Miſſi veſtri qui venerunt ad juſtitiam faciendam, detulerunt ſecum homines plures & per ſingulas civitates conſtituerunt, quia omnia, ſecundum quod ſolebat Dux qui a nobis erat conſtitutus, per diſtractionem cauſarum tollerent, & nobis more ſolito nunc tribuere ipſi eorum homines peregerunt, & multam collectionem fecerunt de ipſo populo, unde ipſi Duces minime poſſunt ſuffragium nobis pleniſſime præſentare. Sed valde nobis gravis eſſe videtur ſi vobis faſtidium facimus: confidimus enim in Dei miſericordia quia in veſtris temporibus ſancta Dei eccleſia tranquilla atque pacifica perſiſtere habebit.

De autem omnibus bonis & proſperis, quæ circa Miſſum noſtrum, quem in partibus Britanniæ ad Anglorum gentem direximus, omnia pro amore Beati Petri Apoſtoli fautoris veſtri operati eſtis, ſicut ſolita eſt veſtra clementia, magnas gratias veſtræ pietati exinde agimus: quia ſemper in ſolatio ſanctæ Dei eccleſiæ & adjutorio orthodoxæ fidei decertatis. Sed ſicut nobis per veſtram honorabilem epiſtolam inſinuaſtis, quod Eardulphus rex de regno ſuo ejectus fuiſſet, jam hoc per Saxones agnoveramus, unde maxime ipſum Miſſum noſtrum pro ipſa nequitia illic direximus. Magnum enim gaudium & magna lætitia in corde noſtro aſcendit pro eo, quod veſtra pietas miſit Miſſos ſuos, & vivum eum ad vos uſque perduxiſtis. Et valde de vita ejus delector, quia & veſter ſemper fidelis extitit, & ad nos Miſſos ſuos dirigebat. Pro qua re veſtra imperialis defenſio ubique multipliciter reſonat.

De vero epiſtolis quibus vobis Eanbaldus archiepiſcopus & Cænulfus rex atque Wado emiſerunt, relegentes, repperimus eorum doloſitatem quam inter ſe habent. Unde valde contriſtamur. Quia iſte Cænulfus rex nec ſuum archiepiſcopum pacificum habet, nec iſtum Eanbaldum idem archiepiſcopum. Nam & de eorum diviſione cotidie in Beati Petri Apoſtoli, licet velut immeriti, preces fundimus, ut eos omnipotens Deus pacificet & diſcordiam quam inter ſe habent abſolvat, & ſicut cœpit veſtra Serenitas in ipſam pacem nobiſcum deceſtare, ſic inceſſanter elaborare dignemini, quatenus veſtra merces copioſa accreſcat in cœlis. Miſiſtis ſiquidem nobis, ut nos ratione apoſtolicæ

ſtolicæ auctoritatis adhortatoriam epiſtolam ſæpefato Eanbaldo archiepiſcopo per idoneum miſſum noſtrum mitteremus, ut ad hanc ſanctam apoſtolicam ſedem cum ſuis conſentaneis venire debuiſſet, aut in veſtra præſentia rationes deducendum. Nos vero ſtatim ipſam epiſtolam dictavimus. & vobis emiſimus. Sed ſi placet Serenitati veſtræ, quod ipſam noſtram epiſtolam per veſtrum idoneum Miſſum ipſis in partibus ad Miſſum, quem itidem direximus, miſiſſetis, ut una cum prædicto Miſſo noſtro ipſum archiepiſcopum adhortaſſet, quatenus aut hic in noſtra præſentia, aut ibidem in veſtra una cum ſociis ſuis conjunxiſſet, valde nobis recte viſum fuiſſet; quia Miſſum noſtrum nondum ſuſcepimus, & ipſi homines doloſi ſunt, ut ne Miſſos ſuper Miſſos ſuſcipientes in doloſitate eveniant. Verum tamen nos Miſſum noſtrum præparamus, donec ſecundum veſtrum placitum demandetis, & ſi placet imperiali potentiæ ut Miſſum noſtrum ibidem dirigamus, vos nobis per veſtram inſinuationem ſignificare jubeamini, & nos ſtatim ipſum Miſſum noſtrum dirigemus ſecundum veſtram voluntatem. Omnipotens enim & miſericors Deus ſua vos protectione longa per tempora conſervare dignetur atque æterna gaudia cum Sanctis omnibus faciat poſſidere. *Piiſſimum Domini Imperium gratia ſuperna cuſtodiat eique omnium gentium colla ſubſternat.*

EMBOLIM.

Pro tanto amore tantaque dilectione atque fide, quam erga veſtram Serenitatem gerimus, ea quæ agnoſcere valemus ſilere non poſſumus. Jeſſe vero epiſcopus ſerviens veſter aliud ſervitium vobis facere poteſt. Nam miſſaticum per patrias deportare non nobis videtur quod idoneus ſit, neque ad ſecretum conſilium provocandus. Sed rogamus veſtram clementiam, ut de hac re clementer conſiderare debeatis, quia nos omnes in veſtro ſervitio ſalvi exiſtere cupimus. De autem ſacerdotalibus cauſis, unde nobis ad detrimentum venire ſperamus, quæ nos non ſic poſſumus emendare, vobis inſinuamus, ut interrogetis Helmgaudum & Hunfridum fideles veſtros, quando à nobis abſoluti ſunt, & in Ravenna conjunxerunt, & ab archiepiſcopo ad prandium invitati ſunt, id eſt dominico die ad palmas: quales lectiones & quales admonitiones ante ipſam menſam recitatas audierint, ſicut decet in ſancto quadrageſimali tempore, quando omnes de ſuis facinoribus Deum deprecantur, ut mereantur emendare. Sed & ea quæ ibidem audierunt, nobis turpitudo eſt vobis in ſcriptis inſinuare.

Epiſtola VI.

DE BENEFICIIS ACCEPTIS.

Domino Piiſſimo, & Sereniſſimo Victori ac Triumphatori, Filio, amatori Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti, Karolo Auguſto, Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Magno munere miſericordiæ Dei totius mundi multiplicata ſunt gaudia, cum pio & glorioſo clementiæ veſtræ ſtudio erga ſanctam Dei eccleſiam noſtramque puſillitatem geritis, largifluæ tuæ munificentiæ ſuſceptis pulcherrimis munuſculis, relictiſque ſcriptis Serenitatis veſtræ, quæ in noſtro corde melle condita ſapuerunt, illico, ut decuit, gratiarum actiones tripudiantes gratulanter Deo retulimus. Quia non ſolum lætitiæ verba in ea repperimus, verum & noſtræ proſperitatis ſolertiſſimam curam agnovimus. Sed de tantis immenſis beneficiis & muneribus, quibus jugiter nos ditatis, optamus ut ab ipſo clavigero regni cœlorum, cujus vicem, Deo miſerante, gerimus, dignam retributionem ſuſcipiatis, cui tantum honorem aſſidue exhibetis. Scimus namque & fideliter ſcimus, quia per omnia & in omnibus vobis pertinentibus noſtrum gaudium vos eſſe facturos: ſed commutatio excelſi quæ pia facta probat & benigna ſolita pietate repenſat, ipſa pro nobis digna præmia veſtræ pietati retribuat. Poſt vero munerum offertionem inſinuaverunt nobis fideliſſimi Miſſi veſtri, Helmengaudus videlicet atque Hunfridus glorioſi comites, quod filius noſter Domnus Pippinus rex ad limina apoſtolorum per veſtram largitatem media quadrageſima cupit venire, atque conloquium nobiſcum habere. Unde in magnum gaudium cor noſtrum relevatum eſt, quod ipſi fideliſſimi Miſſi veſtri viva voce vobis inſinuare poſſunt, & continuo omnia cum ipſis diſpoſuimus de prædicti dulciſſimi filii noſtri itinere, Miſſumque ſtatim noſtrum direximus, qui omnem præparationem facere deberet, quatenus cum lætitia ad limina apoſtolorum noſtræque puſillitati conjungeret. Igitur poſt modicos, octavo Kal. April. conjunxerunt ad nos Miſſi præfati filii noſtri domni Pipini Regis, & obtulerunt nobis honorabilem epiſtolam veſtram. Quam relegentes repperimus veſtræ proſperitatis ſalutem atque ſolertiſſimam curam quam erga tranquillitatem ſanctæ Dei eccleſiæ veſtra Serenitas ſemper gerit, atque de adventu filii noſtri domni Pippini, ut non antea eſſet venturus niſi poſt diem ſanctum Paſchæ, apto videlicet tempore. Credat enim nobis veſtra clementia, quia quocunque tempore ad nos conjunxerit cum tanto gaudio tantaque lætitia eum ſuſcipiemus, quantum condecet filio tam magni defenſoris ſanctæ Dei eccleſiæ: quia ſcimus Domino opitulante, eo quod & nobis & illi profectum erit ſi nos conjunxerimus. Iterum poſtquam conjunxerunt ad nos ipſi prædicti Miſſi Filii noſtri domni Pippini Regis, & dixerunt nobis, quod in media quadrageſima minime conjungere poteſt, porrexerunt nobis præfati Miſſi veſtri, videlicet Helmgaudus & Hunfridus glorioſi comites, aliam epiſtolam Serenitatis veſtræ, ubi continebat, ut ipſi fideliſſimi Miſſi veſtri apud filium noſtrum domnum Pippinum prius adirent, & de veſtro verbo ei præciperent, ut ubi ambobus placuiſſet nobis obviam occurriſſet, ut quod vos omnimodo optatis, cum Dei adjutorio veniat ad perfectionem; id eſt ut pax & concordia inter nos firma & ſtabilis Deo mediante conſtituatur. In veritate enim dicimus, quia donavit nobis Dominus pacificum Imperatorem, de quo Apoſtolus dicit: *quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona.* Nam omnipotens Deus veſtrum poteſt cor ſatisfacere; quia nullam diſcordiam nullamque iniquitatem circa eum habemus, ſed ſic eum diligimus

gimus & illius profectum cupimus, ſicut de cariſſimo filio: ſed qui zizania portant in conſpectu veſtro vel filii noſtri domni Pippini regis, quod nos nec in corde habemus; omnipotens deus qui juſtus judex eſt, ante cujus conſpectum omnia occulta pateſiunt, ipſe judicet inter nos & ipſos. De vero eccleſiis Dei ut ſuas habeant juſtitias, atque littoraria noſtra & veſtra ab infeſtatione paganorum & inimicorum noſtrorum tuta reddantur atque defenſa, nos, quantum Dominus virtutem donaverit, cum ipſo prædicto filio noſtro ſtudium ponimus: ſed veſtrum conſilium & veſtrum ſolatium & nobis & illi neceſſe eſt. De autem inſula Corſica, unde & in ſcriptis & per Miſſos veſtros nobis emiſiſtis, in veſtrum arbitrium & diſpoſitum committimus, atque in ore poſuimus Helmgaudi Comitis, ut veſtra donatio ſemper firma & ſtabilis permaneat, & ab inſidiis inimicorum tuta perſiſtat, per interceſſionem ſanctæ Dei genitricis & beatorum principum Apoſtolorum Petri ac Pauli, & veſtrum fortiſſimum brachium, & Domino miſerante, tempore apto, quantum plus celerius valuerimus, per fidelem Miſſum noſtrum omni utilitate ſanctæ Dei eccleſiæ veſtræ imperiali potentiæ liquidius innoteſcimus. Omnipotens igitur & omnium futurorum præſcius Deus ipſe vos faciat proſperis exaltari triumphis, & poſt longævam vitæ ætatem gaudia tribuat ſempiterna. *Piiſſimum Domini Imperium gratia ſuperna cuſtodiat, eique omnium gentium colla ſubſternat.*

Epiſtola VII.

QVÆSTIONES SOLVENDÆ.

Domino Piiſſimo & Sereniſſimo, Victori ac Triumphatori, Filio, amatori Dei ac Domini noſtri Jeſu Chriſti, Karolo Auguſto, Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Remeante ad nos, Domino annuente, Sabino religioſo Epiſcopo de partibus transmarinis, obtuſit nobis Serenitatis veſtræ epiſtolam continentem de injuncta ſibi legatione vel captu atque redemtione Adulphi diaconi Miſſi noſtri, de quo in magno mærore manemus quouſque omnipotens Deus illum ad nos uſque per veſtrum deducat ſolatium.

Repperimus etiam in ipſa honorabili veſtra epiſtola tres quæſtiones ſubjunctas. Vnam quidem de eo quod ſcriptum eſt in evangelio ſecundum Matthæum, ubi dicitur de domino noſtro Jeſu Chriſto: *& veniens Nazareth habitavit ibi: ut adimpleretur quod dictum eſt per prophetas, quoniam Nazarenus vocabitur.* Alteram de eo, quod in principio evangelii ſecundum Marcum teſtimonium propheticum ita poſitum eſt: *Initium evangelii Jeſu Chriſti filii Dei, ſicut ſcriptum eſt in Iſaia propheta, ecce mitto angelum meum qui præparabit viam tuam ante te.* Tertiam de epiſtola egregii doctoris Pauli Apoſtoli priore ad Corinthios, ubi dicit: *Si enim cognoviſſent, numquam dominum gloriæ crucifixiſſent; ſed ſicut ſcriptum eſt, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis deſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe.*

Scribit enim beatus Hieronymus de quæſtione prima, id eſt ſecundum Matthæum, quod hoc in Iſaia ſcriptum habeatur, ſed id magis juxta ſenſum uſum beatum fuiſſe evangeliſtam quam juxta ſermonis proprietatem. Scriptum namque eſt in commentario ipſius evangeliſtæ ab eo beato Hieronymo. *Et veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum eſt per prophetas, quoniam Nazarenus vocabitur. Si fixum de ſcripturis poſuiſſet exemplum, numquam diceret; quod dictum eſt per prophetas; ſed ſimpliciter, quod dictum eſt per prophetam. Nunc autem per prophetas vocans, oſtendit ſe non verba de ſcripturis ſumpſiſſe ſed ſenſum. Nazaræus enim ſanctus interpretatur; Sanctum autem dominum futurum omnis ſcriptura commemorat. Poſſumus & aliter dicere, quod etiam eiſdem verbis juxta Hebraicam veritatem in Iſaia ſcriptum ſit: exiet virga de radice Jeſſe & Nazareus de radice ejus conſcendet.*

De teſtimonio vero beati Marci evangeliſtæ, quod in principio ſui profert evangelii dicens: *Initium evangelii Jeſu Chriſti filii Dei, ſicut ſcriptum eſt in Iſaia propheta: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam qui præparabit viam tuam ante te.* Et iterum: *Vox clamantis in deſerto, parate viam domini, rectas facite ſemitas ejus.* Sciendum eſt quod e duorum teſtimoniis prophetarum unum contexuit corpus Malachiæ videlicet & Iſaiæ, quorum unius edixit alterius vero tacuit nomen. Quod enim ait: *ecce mitto angelum meum &c.* de Malachia protulit. Quod vero adjecit: *Vox clamantis in deſerto &c.* Iſaiæ vaticinium eſt. Sicut in ipſius Malachiæ expoſitione beatus profert Hieronymus dicens. *Marcus evangeliſta duo teſtimonia Malachiæ & Iſaiæ ſub unius prophetæ ſermone contexens, ita exorſus eſt: initium evangelii Jeſu Chriſti, ſicut ſcriptum eſt in Iſaia propheta. Ecce mitto Angelum meum ante te qui paret viam tuam. Hoc, licet verbis aliis, in Malachia legimus. Quod autem ſequitur: vox clamantis in deſerto &c. ab Iſaia propheta dicitur.* Item vero in commentario Matthæi idem beatus dicit Hieronymus. *Cum enim teſtimonium de Iſaia Malachiaque contextum ſit, quæritur quomodo velut ab uno Iſaia exemplum putemus adſumptum: de quo eccleſiaſtici viri pleniſſime reſponderunt.*

At vero teſtimonium beati Pauli Apoſtoli, quod in epiſtola ad Corinthios protulit, dicens: *Quod oculus non vidit nec auris audivit &c.* in Iſaia propheta ſcriptum habetur aliis quidem verbis eodem tamen ſenſu. Sic namque ſcriptum eſt ibidem: *a ſeculo non audiverunt neque auribus perceperunt, oculus non vidit Deus abſque te quæ præparaſti exſpectantibus te.* Requirat prudentiſſima veſtra Imperialis potentia in capitulo centeſimo ſeptuageſimo, & ita inveniet. Quanquam beatus Ambroſius hunc ſermonem in expoſitione ejuſdem epiſtolæ, juxta ſcriptum Apoſtoli in Apocalypſi Heliæ in apocryphis ſcriptum eſſe adfirmat.

His præmiſſis, omnipotens & miſericors deus ſua vos protectione cuſtodiat, atque per multorum curricula annorum vitam tribuat ſempiternam. *Piiſſimum Domini Imperium gratia ſuperna cuſtodiat, eique omnium gentium colla ſubſternat.*

Epiſtola

Epiſtola VIII.

INTERCESSIONES ET CÆTERA.

Domino Piiſſimo & Sereniſſimo, Victori ac Triumphatori, Filio, amatori Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti, Carolo Auguſto, Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Omnes enim qui ſe nobis fideles aſſerunt, ſi veſtræ Imperiali potentiæ ſic fideles non extiterint, ita ut omnes pacem atque dilectionem quam, Deo miſerante, erga ſanctam Dei catholicam & apoſtolicam Romanam eccleſiam matrem veſtram & nos geritis, cognoſcere valeant, vacua eſt ſpes eorum & labor eorum ſine fructu, & inutilia ſunt opera illorum, exceptis his qui per ignorantiam in aliquod ut homo fefellerint. Verumtamen & ipſi corrigendi eſſe judicamus. Miſit ſiquidem nobis veſtra Serenitas, eo quod Adulphus diaconus, Miſſus noſtræ Apoſtolicæ ſedis, cum a vobis more ſolito benigne ac honorifice ſuſceptus eſſet & usque ad portum maris deductus, atque exinde ad navigationem commode abſolutus, & cum verteretur ad vos primum ſe velle venire profiteretur, noluit Miſſum veſtrum exſpectare, qui eum usque ad vos deduceret, ſed arrepto itinere quaſi fugiens, cum vos illum per dies aliquot exſpectaretis ad vos venturum ſperantes, ſpem veſtram deluſit. Et quod Miſſum Eanbaldi archiepiſcopi, qui ipſe literas ſuas ad vos miſit petens, ut prædictum legatum ejus ad vos venientem benigne ſuſciperetis, & eum ad vos venire permitteretis, ſed neque ille ſecundum domini ſui præceptum peragere ſtuduit. Quamobrem credat nobis veſtra Serenitas, cariſſime ac dulciſſime Fili, quia per nullum iniquum quodlibet conſilium hoc facere perpeſſi ſunt, ſed ignorationes ſeculi hujus ſolertiæ hanc ſtolidam occurſionem perfecerunt. Nos vero Apoſtolica ſuffulti auctoritate, ſecundum veſtram voluntatem veſtræ imperiali potentiæ eos dirigere non omittimus. Sed precamur clementiam veſtram, ut pro amore beati Petri Apoſtoli fautoris veſtri, in cujus ſervitio prædictum Adulphum diaconum emiſimus, immo etiam in ipſum quod nobis ſub jusjurando pollicitus eſt, ut ad profectum ſanctæ Dei eccleſiæ & veſtrum atque noſtrum decertare debuiſſet, & pacem in ipſa inſula ſeminare ſtuduiſſet, iterum ipſis in partibus remittamus, nullam pro hoc ſuſtineat tribulationem, ut cum Propheta dicere valeat, *corripit me juſtus in miſericordia.* Quis enim veſtram a Deo datam ſapientiam illudere valebit? cum ſuperna gratia ſicut vos procul dubio credimus ut habeatis. Sed quia homines ſumus & fallimur, petimus pietatem veſtram, ut hanc eorum noxam beato Petro Apoſtolo concedere non dedignemini, ut ab ipſo clavigero regni cœleſtis præmium mercedis ſuſcipere mereatis. De autem quod nobis emiſit veſtra Serenitas, fraudulentam eos habere legationem quam vobis oſtendere timuerunt, & quia propter hoc tam feſtinanter profecti ſunt, ut Arduphi regis iter Romam prævenire potuiſſent, omnes epiſtolas quæ de partibus illis nobis perlatæ ſunt pro veſtra ſatisfactione vobis emiſimus legendas. Prædictum vero Miſſum Eanbaldi Archiepiſcopi, in quantum Deo auſpice agnoſcere valuimus, in omnibus Dei famulum eum comperimus. Vnde obnixe quæſumus veſtram imperialem potentiam, ut pro eo quod ad fautorem veſtrum beatum Petrum Apoſtolum directus eſt, melius illi ſit & non deterius, ſicut modis omnibus eſſe credimus, quanquam ignoranter fefellit. Quia valde pertimeſcimus ne ipſe populus adquiſitionis ſanctæ Romanæ eccleſiæ, per quamlibet occaſionem, & certamen prædeceſſoris mei domni Gregorii beatiſſimi Papæ, quod ipſis in partibus poſuit, meis temporibus infructuoſum exiſtere videatur, nec mihi in judicio eveniat. Quid plura dicimus? Sicut per eorum ſtultitiam agnovimus in aliquod veſtrum furorem, ita per infuſionem ſancti Spiritus velocius a vobis veſtram ſentiamus miſericordiam. His præmiſſis; Omnipotens & miſericors Deus ſua vos a malis omnibus protectione cuſtodiat, & quoniam vita veſtra bonis omnibus valde eſt neceſſaria, poſt longa adhuc tempora vos ad cæleſtis patriæ gaudia perducat. *Piiſſimum Domini Imperium gratia ſuperna cuſtodiat, eique omnium gentium colla ſubſternat.* Prædictæ vero epiſtolæ quæ de Saxoniæ partibus nobis miſſæ ſunt, magnopere precamur clementiam veſtram, ut eas nobis remittere jubeatis, quia eorum verba pro pignore retinemus. *Abſolut. prid. Kal. Januar.*

Epiſtola IX.

QVALITER QVIDAM EPISCOPVS EXVL INVENTVS.

Domino Piiſſimo & Sereniſſimo, Victori ac Triumphatori, Filio, amatori Dei ac Domini noſtri Jeſu Chriſti, Karolo Auguſto, Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dum veſtræ Imperiales Syllabæ de civitate in civitatem ad nos perveniſſent, quæ & a nobis ſuſceptæ ac relectæ fuiſſent, reperimus in eis, quatenus a Gradenſi inſula, ubi Fortunatus archiepiſcopus ſuam propriam ſedem habere videbatur, propter perſecutionem Græcorum ſeu Veneticorum exul eſſe dignoſcitur; & ſi congrue nobis apparaiſſet, pro cauſa neceſſitatis in Pola, ubi jam dudum Æmilianus quidam epiſcopus præfuit, quæ & diœceſis prædicti Fortunati archiepiſcopi exiſtit, illic ſuam ſedem haberet: & qualiter veſtra a Deo protecta imperialis potentia ſine conſultu Apoſtolatus noſtri nequaquam eum aliubi conlocare voluit. Nos vero de hac re pertractantes providimus. Vt ſecundum qualiter veſtræ imperiali clementiæ complacuit ut in Polana eccleſia perſiſteret, ita maneat, ſub eo prorſus tenore: Ut ſi Domino annuente & B. Petro Apoſtolo protegente, per veſtram in triumphis victoriam, ipſa ſua ſedes illi reſtituta fuerit, ſecundum qualiter prædicta Polona eccleſia integra cum omnia ſibi pertinentia ſuſceperit, ſic iterum ea reſtituatur, & non de rebus ejus aut pecunia ad ſuam debeat ſubtrahere ſedem, ſed neque cuiquam ex ipſis rebus ſeu pecuniis atque ſpeciebus dare quoquo modo præſumat, ut ipſa eccleſia ſemper inrefragabiliter cum ſuo antiſtite ſalva exiſtere poſſit. Reſervatur ſiquidem in ipſis veſtris Imperialibus apicibus, quomodo in Aquis palatio nobiſcum providiſtis de Aquilejenſi

jenſi eccleſia velut una quæ ſuam ſedem haberet. Credat enim nobis veſtra clementia, & quod quicquid ibidem una vobiſcum vel cum fratribus & coëpiſcopis noſtris oratores veſtri pertractavimus, omnia ad mercedem animæ veſtræ ſeu filiorum veſtrorum eſſe conſpicitur. Omnipotens & miſericors Deus per interceſſionem ſanctæ ſuæ genetricis, ſuorumque Apoſtolorum Petri & Pauli diu vos in hoc mundo conſervare dignetur, & per multorum annorum curricula cæleſtia regna cum ſuis faciat adipiſci. *Piiſſimum Domini Imperium gratia ſuperna cuſtodiat, eique omnium gentium colla ſubſternat.*

Embolium.

Et hoc veſtræ Serenitati intimare curavimus de præfato Fortunato, ut ſicut ſemper pro illius honore temporali laboratis, ita & de anima ejus curam ponatis, ut per veſtrum pavorem ſuum miniſterium melius expleat. Quia non audivimus de eo ſicut decet de archiepiſcopo, neque de partibus iſtis, neque de partibus Franciæ, ubi eum beneficiaſtis. Tamen gratias agimus Deo, quia omnia vobis incognita non erunt. Interrogate quidem fideles veſtros, & omnia vobis nota fient; eo quod illi, qui vobis eum collaudant, hoc per munera & calciaria faciunt. Quid nobis plus amabile eſt quam veſtra dulciſſima anima? Et Deus cognitor eſt, quia poſt ſalutem animæ veſtræ hæc omnia vobis inſinuamus, eo quod de tanto amore quem erga veſtram Serenitatem gerimus, ideo ſilere non poſſumus. Poteſtis interrogare fratrem noſtrum Hildibaldum Archiepiſcopum & Ercanbaldum cancellarium. Fortaſſis exinde aliquid cognoveritis, quia cognovimus eos animæ veſtræ fideles in omnibus.

Epiſtola X.

QVALITER MISSI JVSTITIAM FACTVRI DAMNVM FECERVNT.

Domino Piiſſimo & Sereniſſimo, Victori ac Triumphatori, Filio, amatori Dei ac Domini noſtri Jeſu Chriſti, Karolo Auguſto, Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad hoc omnipotens & inviſibilis Deus noſter veſtram a Deo protectam Imperialem potentiam ſanctæ ſuæ eccleſiæ fecit eſſe cuſtodem, ut ubique gubernatione laudabili ad augmentum gloriæ veſtræ vigilantior exiſteret, & quos conſilio exterius regitis, perire interius non permittatis, quatenus per fructum piæ ſollicitudinis veſtræ ad æterna, quæ ſanctis ſuis daturus eſt, gaudia pertingere mereatis, atque ex bonorum veſtrorum actibus dignam retributionem multipliciter percipiatis. Miſimus itaque præſentes oratores noſtros, Joannem videlicet reverendiſſimum epiſcopum & Baſilium religioſum egumenum, viſitationis cauſa ad veſtram Imperialem clementiam, cum benedictione beati Petri Apoſtoli fautoris veſtri. Sed petimus Serenitatem veſtram ne injurioſum ducatis, quod non aliquid dignum munificentiæ veſtræ vobis dirigere valuimus. Verumtamen de beati Petri Apoſtoli rebus, quamvis parvæ ſunt quæ offeruntur, pro magna ſemper benedictione ſuſcipiendæ ſunt, quoniam & hic vobis valebit majora impendere, & apud omnipotentem deum beneficia æterna præſentare. Dum enim in hominibus poſt Deum & ſanctos ſuos non niſi in veſtram Imperialem potentiam fiduciam habemus, juſtum proſpeximus, ut & gaudium noſtrum & anguſtias, quas aſſidue patimur, veſtris prius intimaremus auribus, ut oblationem, quam veſtri dulciſſimi parentes & vos ipſi beato Petro Apoſtolo obtuliſtis, accepta atque ſecura ſit in conſpectu ejus, quatenus ab ipſo clavigero regni cœlorum, qui vos in ſuis utilitatibus defenſores conſtituit, dignam retributionem percipere mereamini, & veſtra opinatiſſima Imperialis munificentia in univerſo fideli populo laudabiliter diffametur, & nos pro cauſſa negligentiæ ante tribunal Dei cum ipſo domino & nutritio noſtro beato Petro Apoſtolo in judicio minime provocemur, pro eo quod oppreſſiones populi Dei veſtræ non nunciaverimus clementiæ. Miſit igitur pia Serenitas veſtra Miſſos ſuos, ut juſtitiam nobis facere debuiſſent, ſed magis damnum quam profectum nobis fecerunt. Verumtamen miſſos veſtros, qui ad nos venerunt, interrogare dignemini, & ipſi viva voce inſinuare poſſunt ea, quæ in noſtris hominibus audierunt vel viderunt peracta. Sed & præſens Johannes Epiſcopus Miſſus noſter per ſingula veſtræ poteſt innoteſcere Imperiali potentiæ; quia omnia, quicquid per veſtrum pium ac legale judicium de cauſa videlicet palatii Ravennatis recollectamus, unde & juſſiſtis, ut nullus quilibet homo impoſterum conquaſſare aut in judicio promovere præſumeret, tam de vulgaria quam etiam de manſis, quos per veſtrum diſpoſitum Herminus fidelis veſter nobis reconſignavit; omnia cum caſis vineis ſeu laboribus atque peculiis abſtulerunt, & nihil exinde nobis remanſit. Quamobrem quæſumus veſtram Imperialem clementiam, ut ſic de veſtra a Deo accepta donatione, quam prædicto Dei Apoſtolo obtuliſtis, peragere jubeatis, quatenus in nulla minuatur parte, ſed maxime per veſtrum laborioſum certamen firma atque ſtabilis & inconcuſſa perennis temporibus perſiſtere valeat, & nos, licet impares tantum deo miſerante vicem ejuſdem diſcipuli tenentes, ſecuriter ac patienter Dei omnipotentis exorare clementiam, ut veſtrum robuſtiſſimum brachium fortiter contra inimicos ſanctæ dei eccleſiæ extendat, & omnes barbaras nationes pede fortitudinis opprimatis. *Piiſſimum domini Imperium gratia ſuperna cuſtodiat, eique omnium gentium colla ſubſternat.*

LEONIS III. PAPÆ EPISTOLA.

Depromta ex codice epiſtolarum S. Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini.

Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Reverendiſſimo & Sanctiſſimo Riculpho Epiſcopo. Cum ad limina beatorum Principum Apoſtolorum Bernharius venerabilis Epiſcopus una cum Adalhardo religioſo abbate, Miſſi filii noſtri Domini Caroli ſereniſſimi Imperatoris, conjunxiſſent, & omnia proſpera

ac ſalubria de prædicto filio noſtro, ſeu de ejus ſublimiſſima prole, vel omnibus fidelibus ſuis, nobis nuntiaſſent, immenſas omnipotenti Deo gratiarum actiones retulimus. Interea obtulit nobis præfatus Bernharius Epiſcopus ſanctitatis veſtræ pulcherrimum munus & literas. Quas vero literas relegentes, gratias Reverendæ Almitati veſtræ retulimus; quia noſtri eſſe memores in veſtris Deo acceptis orationibus non prætermittitis. De tantis autem muneribus, quibus nos aſſidue, pro amore beati Petri Apoſtoli, ditatis, credimus in omnipotentem Deum quia dignam retributionem hic & in futuro ab ipſo clavigero regni cœleſtis percipietis. De reliquiis vero ſancti Cæſarii ſicut petiiſtis, per eundem Bernharium venerabilem Epiſcopum Sanctitati veſtræ direximus.

HERMANNI CONRINGII

Ad Leonis III. Papæ epiſtolas notæ.

EPiſtolæ, quas dedimus, deſcriptæ a nobis ſunt ex membranis antiquis bibliothecæ academiæ Juliæ, ſed quas olim habuit Matthias Flacius Illyricus, vir rerum antiquarum ſtudio & peritia celeberrimus. Meminit ille earum cum in catalogo teſtium veritatis, tum in centuria octava hiſtoriæ eccleſiaſticæ, imo ex iis excerpta nonnulla, ſigno in membranis ſuperſtite notata, publicavit; quum tamen harum nullam integram exhibuerit, ab aliis illæ deſideratæ ſunt, a Gretzero ipſa Flacii fides ſuſpecta fuit reddita, quaſi ille finxerit ſe habere quæ nuſquam exſtant. Longa ſatis & petulans, pro more hominis, Gretzeri in Flacium invectiva præmiſſa eſt epiſtolis variorum Pontificum ad Carolum Magnum quas ipſe edidit. Sane quod hactenus latuerint argumento eſt, exempla earum per eſſe rara: quippe cum Paparum illius ævi ſive amor ſive odium multos ad vulganda hæc potuerit invitare. Neque nobis cognitum eſt, ex quo angulo Flacius opuſculum hoc eruerit. Parum etiam hoc ſcire refert, cum jam conſtet ſibi Flacii fides. Leonis Papæ, cujus præ ſe ferunt nomen, epiſtolas eſſe, vetat nos dubitare præter membranarum vetuſtatem ipſa dictio, Romanæ curiæ illa tempeſtate propria, & rerum cum certis monumentis adeo attemperata conſenſio, ut figmento humani ingenii, præſertim nullo lucro invitante, non poſſit eſſe locus. Cæterum a Leone longe plures imo pene infinitas ad Carolum literas eſſe ſcriptas facile liquet ex illa diligentia ſcripturiendi, quam vel hæ paucæ præ ſe ferunt. Nec tamen, quod ſciam, hujus Pontificis ullæ ſunt editæ præter tres tertio conciliorum tomo ante hos triginta amplius annos inſertæ. Perierintne an conquieſcant alibi reliquæ, haud dixerim: forte decas hæc alios longe plura & meliora faciet promere. Quod profecto noſtra fieret cum voluptate.

Expreſſimus autem haſce noſtras cum ſuis ſummariis quales in membranis reperimus & ut reapſe ſunt, quod Flacius recte dixit, *prorſus rudes & barbara.* A librario aliquid lutulenti contractum non dubito. Sed cum hujus ſordes ab ipſiusmet auctoris cœno diſtinguere non licuerit, ne quid temere mutaretur, conſultius eſt viſum omnia relinquere prout accepimus. Enimvero recte quidem de Carolo Magno ſcripſit Jonas Aurelianenſis exordio libelli adverſus Claudium Taurinenſem: *Non ſolum apud Germaniam ſtudium literarum & amor ſanctarum ſcripturarum, verum etiam apud Galliam ejus memorabilis viri ſolertiſſimo ſtudio & ferventiſſimo deſiderio accenſum eſt, ut, Domino opem ferente, in ſibi commiſſa eccleſia filii & liberalium artium apprime diſciplina & divinarum ſcripturarum perfecta pollerent intelligentia.* Recte, inquam, hæc Jonas. Etenim hodieque ſuperant ex illo ævo monumenta Gallorum Germanorumue quæ merito toleres ſi nolis laudare. Italia tamen, quantum conſtat, vix tum quenquam habuit, Paulum & Paulinum Aquilegienſes excipe, mediocricule eruditum: Romæ barbaries ipſam ſedem ſuam poſuiſſe videtur unde tanquam ex arce copias ſuas mitteret in eccleſiam omnem occidentis. Id ipſum non hæ tantum literæ Leonis docent, ſed etiam illorum Paparum quos Gretzerus & alii ediderunt, imo & Anaſtaſii Romani bibliothecarii ſuperſtites libri, utut hunc Græce & Latine doctum vocare non dubitaverit Bellarminus. Omnia videlicet hæc notæ ejusdem ſunt, hoc eſt fœda barbarie coinquinata, eoque vere Romana, ut tum erant Romana omnia.

In ordine epiſtolarum ſeriem temporis non obſervavit collector, perinde ut ille qui Gretzerianum volumen congeſſit. Omnes tamen hæ literæ ad Carolum jam Imperatorem Romanum & quidem ultimis ejus vitæ annis ſunt exaratæ. Ea res facit, ut ex hiſce literis diſcere ſit quod ex aliis, a Gretzero etiam editis, diſcere haud licet: qua reverentia videlicet Papa Cæſarem alloqui etiam tum fuerit ſolitus. Gretzerianæ etenim illæ Adriani ad Carolum adhuc Patricii tantum dignitate fungentem ſunt ſcriptæ; nec ex illo ævo ſupereſt fortaſſis aliqua epiſtola alia ad Imperatorum quempiam a Papis tranſmiſſa; certe in publicum hactenus non eſt edita. Cumprimis enim merentur notari, cum utraque formula qua & exorſus & finivit omnes literas Leo, inque illa vox ſolemnis *Domini*; tum paſſim occurrentia illa *clementia veſtra, clementiſſime fili, humilitas noſtra, noſtrum ſervitium.* Etſi enim & in Gregorii Magni epiſtolis ad Cæſarem frequentiſſime hæc legantur, a ſequentium tamen temporum conſuetudine multum ſunt aliena, poſtquam Cæſarum imperio projecto Papæ voluerunt haberi prorſus *ἀνυπεύθυνοι* & ipſorum Cæſarum Regumque domini. Neque vero eſt quod credas blandis adeo & humilibus voculis ex more, erga alios etiam Reges infra Cæſaream dignitatem poſitos ſueto, uſum tum Leonem. Nuſpiam enim cum alias tum in omni epiſtolarum Gretzerianarum volumine comparet ille *clementiſſimi* aut *domini* titulus, ſed tantum *domni excellentiſſimi.* Inter *domni* (a) autem & *domini* voces ingens profecto illa tempeſtate fuit diſcrimen: quod neminem

(a) *domni*) Hic titulus eccleſiaſtica dignitate, & vitæ ſanctimonia conſpicuis tribuebatur. Si Onuphrio fides habenda, hic titulus olim ſummis peculiaris fuit pontificibus; poſtea vero & abbates, imo ipſi monachi compellati ſunt. Etiam

nem ſcriptorum ejus ævi peritum temere latet. Scilicet coluit Leo Carolum quomodo antehac a Papis Cæſar coli ſolet. Annales Francici ipſa Ludovici Pii ætate conſcripti, de hoc noſtro Leone, ubi populus Romanus Carolum Cæſarem proclamaſſet, in hæc verba loquuntur: *Poſt quas laudes a pontifice more antiquorum Principum adoratus eſt.* (a) Notavit Guicciardinus tabulas ſuas Papam hiſce tum verbis conſignaſſe: *Imperante Carolo domino noſtro.* In omnibus porro epiſtolis elucet quanta animi ſubmiſſione erga Cæſarem fuerit tum Leo, ſive narret aliquid, ſive petat, ſive ſe excuſet. Etſi enim haud parum reverentiæ exhibeant Carolo Adrianus, Stephanus, alii, cum Patricius adhuc ille audiret, longe ſubmiſſus tamen erga jam Cæſarem ſeſe Leo gerit.

Et vero hic præcipuus eſt ille fructus quem ex litterarum Leonis lectione poſſis petere. Nec ego alii fini potius eas edidi, quam ut pateat clariſſime veritas eorum quæ de Cæſarea in Papas per Carolum acquiſita auctoritate libro *de Germanorum Imperio Romano cap. VII.* multis diſputata ſunt. Apparet vero etiam ex his epiſtolis id quod ibi demonſtravimus, per legatos ſuos, quos tum Miſſos appellare mos fuit, Cæſarem *jus dixiſſe* (b) & per omne Petri patrimonium & in ipſa urbe Roma: quemadmodum ſcilicet tuliſſe tum conſuetudinem in omnibus Francici juris regionibus alias oſtendimus. Quamvis enim de injuria per legatos illos ſibi facta conqueratur non ſemel Leo, tamen ipſam judicandi poteſtatem nuſquam vocat in dubium. Videtur tamen etiam ille omnem operam navaſſe quo ſenſim hoc onere ſe levaret, integra impetrata libertate. Huc enim ſpectaſſe merito dixeris illas de judicibus iſtis Cæſareis perpetuas querelas; cumprimis vero illud quod a Carolo Leoni objectum eſſe liquet ex epiſtola prima, quod neminem receperit in gratiam Leo qui Cæſaris auxilium imploraverat, quo omnes alios ab ope illa petenda deterreret. Pertinere enim hoc videtur ad morem illum quem appendix Eutropiana hiſce verbis narrat apud Flacium: *Tanta Imperialis virtus ibi vigebat, ut ſi in legali judicio minoris vel inſcii cauſa poſtponetur, & ille alicujus conſilio pedes teneret Legati Imperatoris, petens ab eo juſtam legem, & Miſſus adjuvaret Principes Romanorum, dicens: per eam fidem quam Domino Imperatori debetis, facite huic homini juſtam legem: nemo erat auſus declinare neque ad dextram, neque ad ſiniſtram, etiamſi a propinquis Pontificis illata eſſet injuria.* Verum Cæſarum illam poteſtatem illibatam usque ad obitum Ludovici II. Imperatoris permanſiſſe, alibi probavimus.

Meretur vero & in his epiſtolis obſervari id, in quo uno pene omnes Gretzerianæ ſunt occupatæ, ſtudium nimirum illius ætatis Pontificum in acquirendo arcium, urbium & *terrarum dominatu.* (c) Res Apoſtolo & eccleſiæ univerſæ ſacris canonibus ſumme vetita, imo ante hanc tempeſtatem a nemine tentata. Quæ tamen ubi Papis ſucceſſiſſet, usque adeo omni nocuit occidentis eccleſiæ, ut ab hoc uno potiſſimum pravo exemplo omnes vel certe maximos ejus morbos profectos eſſe merito dixeris. Nec enim fieri aliter potuit, poſteaquam ſacrorum poſtpoſita cura, ad mundi negotia animum omnem appulerunt epiſcopi luxu, avaritia, libidine ex eo perditi, quin in mores omnium ut & doctrinam mala ſemina ſpargerentur eaque brevi lætiſſime adoleſcerent. Ab hoc certe potiſſimum tempore a pietate & puriore fide eccleſiam occidentis abiiſſe, eſt certiſſimum. Nec tamen cauſſam præcipitis adeo lapſus veriorem aliam attuleris. Id quod viderunt etiam illi, qui ſanctos angelos tum quando Conſtantinus Cæſar occidentale imperium Papæ donavit, exclamaviſſe: *Hodie in eccleſia venenum effuſum eſt*, fabulati ſunt. Ut ut enim omne illud de Conſtantino putidum ſit Romanæ curiæ commentum, nec Papa aut quisquam epiſcoporum alius ante Pipinum provincias, urbes, arces poſſederit, vero tamen eſt verius bona ejusmodi eccleſiæ haud minus atque peſtilens aliquod venenum nocuiſſe.

Cæterum qua vafritie, quibusque artibus ad illam potentiam iſthac tempeſtate Papæ pervenerint, quibus item commentis boni illi Principes Pipinus & Carolus ad novi exempli donum iſtud permoti ſint, & quemadmodum fuerint circumventi, jam alias diximus *l. de Germanorum imperio Romano;* ſecunda autem editione uberius dicturi ſumus. Id non injuria mireris, adhuc vivo Carolo inter Papas & miniſtros Cæſareos circa patrimonii illius Petrini (liceat enim & nobis ita loqui) adminiſtrationem perpetuas fere fuiſſe contentiones. Neque enim tantum ex literis multis Adriani in volumine Gretzeriano, ſed etiam ex hiſce paucis Leonis, id liquido eſt perſpicere. Plenæ enim illæ ſunt querelarum de legibus donationis Pipinianæ per Miſſos Cæſareos violatis. Omnia autem tot Miſſorum ſuorum ejusmodi acta Carolum damnaſſe cui fiet veriſimile? Imo non improbaſſe iſthæc omnia, haud male colligas ex anxiis illis Paparum precibus, & Caroli reſponſo, præſertim illo quod recitatur epiſtola prima Leonis. Extra dubium tamen eſt Carolum Romanæ ſedis fuiſſe ſtudioſiſſimum. Bene enim Eginhartus: *Nec ille toto regni ſui tempore quicquam duxit antiquius quam ut urbs Roma ſua opera ſuoque labore veteri polleret auctoritate; & eccleſia S. Petri non ſolum per illum tuta ac defenſa ſed etiam ſuis opibus præ omnibus eccleſiis eſſet ornata ac ditata.* Ex adverſo haud dixerim equidem, Legatis Cæſareis in Paparum accuſationibus nunquam non factam injuriam. Quam facile enim retundi potuiſſet illa calumnia? Certe ne ipſa quidem impudentia fuiſſet auſa toties eandem cantilenam repetere. Occaſionem igitur contentioni videtur dediſſe Stephani III. Papæ mendacium, quo Pipino perſuaſerat exarchatum Ravennatenſem Pentapolim & alia per injuriam Papis fuiſſe erepta, cum ante munere Conſtantini Magni aliorumque Cæſarum in pleno fuiſſent Paparum vel (ut loqui illi malebant) S. Petri patrimonio. Illo videlicet mendacio inducti, & Pipinus

noſtro tempore Benedictinis, Cartuſienſibus, Cluniacenſibus & Ciſtercienſibus monachis impertitur. CANGIUS *in ſocab. dominus.*

(a) *adoratus eſt*) POETA SAXO *lib. IV. pag.* 27. Nec talis mos, reverentiæ ſubditorum in principes ſuos ſignum, aliquid ex iniquo trahit.

(b) *jus dixiſſe*) De hoc late alibi locuti ſumus.

(c) *terrarum dominatu*) De hac Pontificum dominandi libidine alibi actum eſt.

nus & Carolus, citra exceptionem illarum regionum omnia in Paparum manus tradi ſuis tabulis promiſerunt. At poſt occupatam Italiam non potuit facile veritas latere; itaque non legati tantum Carolini ſed & Carolus ipſe factus eſt tardior in dono illo ſecundum omnes conditiones integre præſtando. Ex quo Carolo dignitas Cæſarea obtigit, videntur ejus Miſſi jura veterum Cæſarum in domini ſui uſum exegiſſe. Quæ res cum ſumme eſſet Papis inviſa, illi ad tabulas Pipinianas tanquam ad ſacram anchoram confugerunt.

Sed de omni hoc negotio libro *de Germanorum imperio Romano* (a) latius eſt agendum. Nunc ad ſingulas epiſtolas noſtras nonnihil notabimus. Nonnihil inquam. Multa enim commentari ad literas adeo barbaras non videtur fore pretium operæ. Eoque ne quidem voces barbaras quæ paſſim occurrunt explicabimus. Quod alias haud difficile eſt factu poſt edita P. Pithœi & Frid. Lindenbrogii optima ſane & utiliſſima gloſſaria Latinobarbara, poſtque nuperum laborem numquam ſatis laudandi Gerardi Joannis Voſſii de vitiis emendati ſermonis. Satis nobis fuerit ſi ex hiſtoria lucem aliquam attulerimus.

Ad epiſtolam I.

De accuſatoribus) Semel monendum eſt, etſi nemini non pateat, ſummaria vel inſcriptiones epiſtolarum ineptas eſſe & a rudi manu, non minus atque literas ipſas. Argumentum autem epiſtolæ primæ hoc eſt. Nullos non legatos judiciorum habendorum ergo, ex more regio Francico, Romam & in alias terras, Papæ dono Pipini & Caroli ſubditas, transmiſſos, videtur Leo apud Cæſarem accuſaſſe: quaſi ſcilicet jura Papalia illi contra quam tabulis Pipinianæ & Carolinæ donationis erat cautum, læſiſſent. Illas perpetuas querelas ægre tulit Carolus, eoque non diſſimulans indignationem ſcripſerat; ſeſe neminem invenire qui Papæ placeat, neminem non detractare legationis munus; & quæ alia in his literis ipſe Leo recenſet. Ut illam Cæſaris indignationem leniret, epiſtolam hanc Papa exaravit. Annum ſcriptionis haud certo licet definire. Per autem fit veroſimile Carolum commotum fuiſſe epiſtola Leonis quæ nobis eſt ultima, & legatione iſta quam ſimul tum miſerat Leo ad Carolum accuſatum Cæſareos Miſſos. Ut proinde decima hanc epiſtolam præceſſerit. Etenim ſtatim initio fit hic mentio reditus Miſſorum Leonis ex aula Cæſaris. A quibus accuſatos fuiſſe Miſſos Cæſaris facile liquet ex reſponſo Caroli, cujus ſummam epiſtola hæc recitat. Cum autem ex epiſtola quinta colligere ſit Miſſos Cæſareos adhuc anno 808. a Leone delatos eſſe, eodem vero anno, vel certe ſequente, diſſidii hujus componendi cauſſa, Pipinus rex Romam iter voluerit ſuſcipere, quod indicat epiſtola ſexta, veroſimile autem non ſit, poſt negotium compoſitum denuo camerinam hanc a Leone commotam eſſe: omnino ſuſpicor primam hanc epiſtolam ſcriptam eſſe anno 807. pene decurſo. Verum hæc conjectura tantum eſt; quæ cum ſit de re levi, per me licet quo loco eam quisque habeat.

Leo Epiſcopus) Non ſoli Cæſareo honori datum hoc eſt a Leone, quod nomen ſuum omnibus in literis poſt Cæſareum collocaverit. Idem enim factum eſt in toto volumine a Gretzero edito, quarum literarum aliquæ ad Carolum Martellum & Pipinum nulla regia dignitate adhuc ornatos ſunt exaratæ. Ex more ſcilicet priſco adhuc ſupererant Romæ reliquiæ humilis obſervantiæ, qua olim cum alii epiſcopi tum etiam ipſimet Papæ Reges gentium & τὰς ὑπερέχοντας promiſcue omnes venerabantur. A quo cultu paulo poſt Carolum paſſim receſſum eſt, partim præ ſuperſtitione ipſorum Regum & Cæſarum, partim vero quod opibus aucti jam epiſcopi ſpernerent dominorum gratiam. Lectu digna ſunt verba ipſius *Ludovici Pii* (b) ad epiſcopos, quæ habentur l. 5. capit. c. 222. *Volumus vos ſcire voluntatem noſtram: quod nos parati ſimus vos adjuvare ubicunque neceſſe eſt, ut miniſterium veſtrum adimplere valeatis. Simulque vos admonemus, ut propter humilitatem noſtram & obedientiam, quam monitis veſtris propter Dei timorem exhibemus, honorem nobis a Deo conceſſum conſervetis, ſicut anteceſſores veſtri noſtris anteceſſoribus fecerunt.* Et tamen hic eſt ille Pius Ludovicus de quo canit Otho Viterbienſis in pantheo:

Carolus egregium genuit Regem Ludovicum,
Quem Deus almificum ſibi confirmavit amicum,
Lege ſua clerus jure vocatur herus.
Hic pater eccleſiam vario prævenit honore,
Veſte, domo, Cerere, cujus fuit aucta favore,
Jure ſuo legitur gradu ubique fore.
Hic proprias habitare domos, equitesque fovere,
Nos facit & veſte varia priſcaque nitere,
Niſus & accipiter hac quoque lege ſedet.
Talis honor clero niſi Cæſare dante veniret,
Grande genus Comitum cleri juga nulla ſubiret;
Ruſtica ne fieret nobilitate viget.

Quantum Papæ in epiſtolis ſcribendis ab hac Leonis humilitate poſt receſſerint nemini eſt ignotum. Conferantur epiſtolæ Adriani ad Fridericum I. quas recitat Otto Friſingenſis lib. 1. & Radevicus

(a) *de Germanorum imperio Romano*) Ubi vide annotationes noſtras.

(b) *Ludovici Pii*) Hic nimia ſua pietate clericali faſtui non leve addidit incrementum. Et cum deinde epiſcopos ad vitæ ſortem magiſtri veſtigia tragis prementem, reducere vellet, ingens totum ſibi conciliavit odium, quod cum aliis cauſis in Ludovici conſpiravit exauctorationem. Vide quæ apud PITHOEUM *in annalibus Francorum* huc ſpectantia habentur.

vicus l. 2. Adriano autem cum paria faceret Fridericus (nomen ſcilicet ſuum Pontificio præponens ſingularis numeri dictionibus adhibitis) quantum incanduerit Papa diſcere eſt ex Radevici c. 18. & 19.

Remeantes ad nos fideliſſimi miſſi noſtri) ut ante diximus, videtur loqui de illis qui cum epiſtola decima ad Carolum abierunt.

Quærere a vobis auxilium) Forte contra ipſum Leonem nonnulli Miſſos Cæſareos imploraverant. Nam & Romanos complures ægre Leonis imperium tuliſſe, indicat non tantum illa conſpiratio quæ adverſus Leonem coiit anno 899. quando coram Carolo adhuc Patricio ab objectis criminibus ſolemni ſe juramento *purgare coactus eſt*, (a) verum & altera quam narrant annales Francici anno 815. *Allatum eſt quoſdam de primoribus Romanorum ad interficiendum Leonem Papam in ipſa urbe Roma conſpiraſſe, ac deinde cum hujus cauſſæ indicium ad Pontificem delatum eſſet, omnes illius factionis auctores ipſius juſſu fuiſſe trucidatos.* Item quod eodem anno contigiſſe iidem annales narrant. *Cum Romani Leonem Papam ægritudine decubuiſſe viderent, collecta manu omnia prædia, quæ in ſingularum civitatum ditionibus noviter extruxerat, primo diripiunt, deinde immiſſo igne cremant, tum Romam ire ſtatuunt & quæ ſibi erepta querebantur violenter auferre.* Utcumque vero Leo judicio fuerit abſolutus, forte tamen non fuit extra omnem culpam. De Lothario enim a Patre Ludovico Pio Romam miſſo iidem annales hæc habent anno 824. *Statum populi Romani, jamdudum quorundam præſulum perverſitate depravatum, ita correxit, ut omnes qui rerum ſuarum direptione graviter fuerant deſolati, de reſtitutione bonorum ſuorum, magnifice eſſent conſolati.* Inter Leonis obitum & hunc primum Eugenii annum vix decem anni intercedunt, nec præter Stephanum & Paſchalem quiſquam fuit præſulum alius; non potuit itaque tum ſtatus populi Romani jamdudum quorundam præſulum perverſitate fuiſſe depravatus, niſi ipſemet etiam Leo peccaſſet.

Miſſum veſtrum dirigite) Hoc fortaſſis a Carolo eſt factum, ablegato in Italiam Helmengaudo Comite. Cujus rei fit mentio epiſt. v.

In cauſis S. Petri) Similium locutionum plenæ ſunt literæ omnes, etiam Gretzerianæ. Scilicet ille qui dum viveret *aurum & argentum non habebat*, qui Simoni pecuniam ultro offerenti reſpondit: *pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri*; ille iniquam nunc æterna gaudens in cœlis vita pinguia poſſidet in terris patrimonia & regiam potentiam, utque illa magis magisque acquirat, reges & principes cauſam ſuam jubet agere, promiſſa illis cæleſti beatitudine nullo alias *ære* (b) mercabili. Vide epiſtolam S. Petri nomine a Stephano Papa conſcriptam ad Regem Pipinum, apud ipſum Baronium anno 755. & in volumine Gretzeriano num. 3. ac deteſtare impietatem.

Ad epiſtolam III.

Quæ ſub finem epiſtolæ narrantur de Michaële Imperatore Conſtantinopolitano, ſatis indicant eam ſcriptam eſſe anno 813. Diſerte porro in ipſis literis indicatur ſcriptionis tempus, Indictionis nempe ſeptimæ, tertius Iduum Novembrium.

Gregorii Patricii Sicilienſis) Notum eſt Siciliam illa ætate etiamnum in ditione fuiſſe Imperatoris Conſtantinopolitani, & per Patricios adminiſtratam, donec & illam & omnem Calabriam Sarraceni occuparunt circa annum 827. Quod quemadmodum fuerit factum narrat Johannes Curopalata & ex eo Georgius Cedrenus. Vigebat autem hoc tempore inter Carolum & Græcos pax, qualis Nicephoro Imperatore erat compoſita anno 810. & confirmata anno 812. cum Michaële, cui præter opinionem nunc ſucceſſerat Leo Armenus. Itaque licuit Carolo literas dare *ad Patricium Siciliæ*, (c) illi autem Patricio, nondum accepta novi Imperatoris mente, reſpondere non licuit.

Sarracenorum Miſſi) Fuerunt illi ex Sarracenis Africanis, quibus proprius erat præfectus comiter tantum obſervans Chalifam Bagdadenſem. De pactis vero illis induciis alibi fortaſſis nihil legitur. Sarracenos Hiſpanos his induciis non teneri haud mirum eſt: fuerunt enim illi quaſi ſui juris tantum non ſemper, quod Hiſpanicarum rerum ſcriptores nos docent.

Nam & hoc nunciavit nobis) Rem cumprimis memorabilem narrat Papa, ſed fide admodum ſuſpecta. Veroſimilius eſt quod annales Francici de Sarracenis Mauritaniæ memorant: *Sardiniam* (d) *quoque aggreſſi, commiſſoque bello cum eis, pulſi ac victi & multis ſuorum amiſſis receſſerint.* Quod cum Papæ narratione conveniat nihil hoc anno ab aliis memoratur; ſed præcedente anno notarunt annales Francici de claſſe Sarracenica Africana: *Hæc claſſis partim in Corſicam partim in Sardiniam venerat, peneque tota deleta eſt:* quod fortaſſis factum vi tempeſtatum. Quæ Leo itaque narrat hoc anno 813. contigiſſe, fabulis ſunt ſimiliora.

Michaël Imperator) Rem hanc omnem, utque Michaëli ſucceſſerit *Leo Armenus*, (e) prolixius narrant Græci hiſtorici Cedrenus & Theophanes ab Anaſtaſio bibliothecario verſus. Breviter annales Francici: *Michaël Imperator Bulgaros appetens bello haud proſperis ſucceſſibus utitur: ac proinde domum reverſus monachus efficitur:* (f) *in cujus locum Leo Pardæ filius Imperator conſtituitur.* Quæ Theophanis

(a) *purgare coactus eſt*) *Annales Lauriſhamenſes & Lambeciani ad annum 800.* SIGONIUS *lib. X.*

(b) *ære*) Si veritati conveniens eſt, quod quidam tradunt itineraria, papam diademate ſumto, ex cupro confectos nummos in confertam projicere multitudinem, additis Petrinis illis, aurum & argentum non habeo; non video, quomodo ſanctus pater ſe a falſi ſuſpicione liberare queat.

(c) *ad Patricium Siciliæ*) Græcorum imperatores poſt Carolum Magnum quoque ſuos in Sicilia habebant adminiſtros & præfectos, qui ex patriciorum id eſt purpuratorum aulæ primariorum erant claſſe. A Saracenis vel Afris Græci inde pulſi ſunt. ROMUALDI *chron. tom. VII. ſcript. Ital. pag. 160.*

(d) *Sardiniam*) *Annales Lauriſham. ad annum 810.*

(e) *Leo Armenus*) Inter ſcriptores Byzantinos extat ipſius vita a Leone Grammatico breviter conſcripta.

(f) *monachus efficitur*) ROMUALD. *chron. Salernit. p. 154. tom. VII. ſcript. Ital.*

phanis narrationi quam Cedreni ſunt propiora. Facta autem hæc ſunt V. Id. Julii teſte Theophane: & tamen menſe Novembri demum, ut recenter audita, narrantur a Leone. Adeo raro tum naves & certi nuncii ex longinquis regionibus ultro citroque commeabant.

Ad epiſtolam III.

Hæc epiſtola num anno 812. aut anno 813. ſcripta ſit, difficile eſt definire. Alterutro tamen factum ſit neceſſum eſt. Narrat enim Michaëlis Imperatoris auſpiciis geſta adverſus Sarracenos Africanos. Suſpicor ſcriptam anno 812. Sequente enim anno teſtibus annalibus Francorum Sarraceni illi *centum cellas Tuſciæ civitatem & Niceam provinciæ Narbonenſis vaſtaverunt.* Hæ literæ vero, *omnia ſalva & illæſa exiſtere*, deprædicant. Porro iidem annales memorant, vagatam anno 812. *famam claſſis de Africa & Hiſpania ad vaſtandam Italiam venturæ*, eoque Pipini Regis filium Bernhartum illuc a Carolo avo miſſum; claſſem autem non in Italiam ſed *partim in Corſicam partim in Sardiniam* appuliſſe, *& quidem hanc totam fuiſſe deletam.* Papa autem hic narrat famam fuiſſe claſſis Sarracenicæ Siciliam vaſtaturæ. Cæterum quæ in epiſtola narrantur fruſtra forte in aliis ſcriptoribus hodie quæſiveris. Equidem nihil habeo quo narratio poſſit multum illuſtrari. Neque enim minutias ſectari operæ eſt pretium.

Ad epiſtolam IV.

Indubie ſcripta eſt hæc epiſtola anno 813. & quidem non multo poſt eam quæ in noſtro hoc libello eſt ſecunda, ceu patet ex ipſo initio. Aut fallunt vero nos Græcorum hiſtoriæ quæ hodie ſuperant, aut Græculi illi bono Leoni mera mendacia narraverunt, eoque fabulas narravit Papa. Neque enim vel Theophanes vel Cedrenus vel Græcorum alius aliquis horribile ejusmodi facinus narrant, tanti momenti rem haud temere tacituri. Imo diſerte Theophanes, qui iſto tempore vixit Conſtantinopoli, de Procopia ſcribit: *Audita hujus* (Leonis) *acclamatione Michaël ad oratorium Phari accurrens una cum Procopia & natis ſuis, detonſis capillis monaſtica induit veſtimenta, quinta Idus Julii ſexta indictione.* Ex Cedreno conſtat, Leonem ubi imperio eſt potitus non eſſe paſſum Michaëlem cum conjuge Procopia & liberis Conſtantinopoli in monaſterio degere, ſed omnibus in inſulam Protam relegatis, Theophilactum & Ignatium majores natu filios juſſiſſe caſtrari.

Conſtantinus) Hujus nullam reperio memoriam. Ab alio vero Pſeudo Conſtantino Leonem tandem omni pene eſſe poteſtate exutum narrat ejus ſucceſſor Michaël Balbus *epiſtola ad Ludovicum Pium*, quam anno 824. recitat Baronius.

Nicephorum) Hic eſt ille Taraſii ſucceſſor, qui in exilium poſtea pulſus a Leone Armeniaco Cæſare Conſtantinopolitano, confeſſoris nomen accepit. Hoc titulo enim hodieque leguntur quædam ejus conſtitutiones ſynodicæ *juris Græco Romani tom. 1. l. 3.* Supereſt ejusdem epiſtola ſynodica ad Leonem III. noſtrum Papam Romanum, neſcio qua occaſione actis concilii Epheſini œcumenici adjuncta. Quam Latine a ſeſe verſam Theodorus Peltanus *tomo V. actor. concilii illius c. 23.* inſeruit: Græce cum eodem concilio ex bibliotheca Reuchliniana primus edidit Hieronymus Commelinus anno 1591. Latine denique ſed ex veteri verſione a Frontone Ducæo interpolata exhibuit celeberrimus annalium eccleſiaſticorum conditor Baronius anno 811. exquiſito ſane uſus judicio, cum Peltano perperam viſum fuiſſet miſſam hanc epiſtolam ad Leonem II. Index patriarcharum Conſtantinopolitanorum qui habetur *l. 4. tom. 1 juris Græco Romani* de Nicephoro hoc ita habet, interprete doctiſſimo Leonclavio: *Nicephorus ex ſecretario factus monachus, ſub ejusdem Nicephori Aug. & Stauracii & Michaëlis & Armenii Leonis imperio, pontificatum geſſit annos 9. ab hoc impio Leone pulſus.*

VII. Kl. Decembr.) Hæc itaque omnium epiſtolarum eſt noviſſima, nec multum *ante obitum* (a) Caroli exarata, utpote qui deceſſerit ſequentis anni V. Kal. Febr. ut accurate notant annales.

Ad epiſtolam V.

Ex iis, quæ hic memorantur de Ardulphi Regis Nordhumbrorum exilio & in Franciam adventu, perſpicuum eſt, epiſtolam hanc eſſe ſcriptam anno 808. & quidem nonnihil poſt feſtum paſchale. Etenim ex annalibus Francicis conſtat *Ardulphum* (b) ad Carolum confugiſſe, quum ille Noviomagi moraretur quadrageſimale jejunium celebrans: ipſa porro hæc epiſtola meminit in embolimo dominici diei ad palmas; nondum autem Romam advenerat Ardulphus Rex, quo tempore hæc exarata eſt. Argumentum epiſtolæ eſt varium.

Explere verbis) Prior epiſtolæ pars pertinet ad diſſidium illud *inter Miſſos Cæſareos & Papam.* (c) Ut enim ad epiſtolam primam jam notavimus, videtur Carolus ex conſilio Leonis ablegaſſe Romam Helmengaudum & Hunfridum Comites qui in omnia coram inquirerent. Cum itaque horum narratione placatior factus Carolus literas ad Leonem magis benevolas miſiſſet, Leo exhilaratus in hæc nunc verba prorumpit.

Sancta

(a) *ante obitum*) Exſtinctus eſt anno 814. d. 28. Januarii ex febri maligna, cum 72. ætatis & 47. imperii impleſſet. EGINHARDUS *c.* 30.

(b) *Ardulphum*) *Annales Francorum* apud *FREHERUM ad ann.* 808. *Pithœani ad eundem annum. FOUNTAINIUS in numiſmatibus Anglo Saxonicis* quinque refert nummos, quos hic Rex cudi juſſit.

(c) *inter Miſſos Cæſareos & Papam*) Inter Leonem & Miſſos imperatorios continua propemodum durabant odia, illo pontificiæ monarchiæ ſtabiliendæ intento, his Caroli juribus tuendis addictis. Solus Adelardus aliqua Pontificis amicitia valuiſſe videtur. *PASCHASIUS in vita ejus c. V.*

Digitized by Google

Sancta Dei catholica & apoſtolica eccleſia) Jam tum videlicet familiare fuit Papis magnifico illo nomine, quæque proprie univerſali per omnem orbem diffuſæ eccleſiæ convenit, curiam ſuam quæ Romæ eſt deſignare. Exempla plurima paſſim etiam alibi reperias, cumprimis in epiſtolis Gregorianis. Quantum autem hoc valuerit ad augendam Pontificum venerationem, quis ignorat?

Noſtra puſillanimitati ſubditus) In barbaro ſermone notandum eſt argutum ſcilicet enthymema illud: Carolo ideo omnia feliciter ſuccedere quod obſequatur Pontifici. Vetus nimirum, non autem hodie primum natum eſt, curiæ Romanæ illud ſacrum *σόφισμα*. Fecerunt poſtea & alii clerici illud ſuum. Quantum abſit autem a vero alias oſtendimus pluribus. *Joannis Angliæ Regis*, (a) qui regnum ſuum Papæ donaverat, hæc vox fuit: *Poſtquam Deo reconciliatus me ac mea regna, proh dolor! Romanæ ſubjeci eccleſiæ, nulla mihi proſpera ſed contraria omnia advenerunt.*

Helmengaudus comes) Illi ſocium fuiſſe datum Hunfridum ſignificat embolimus. Videtur autem Helmengaudus ille eſſe qui cum Jeſſe Ambianenſi epiſcopo anno 802. pacis conſtituendæ ergo Conſtantinopolim a Carolo ad Irenen fuit ablegatus, quod memorant *annales Francici.* (b)

Per diſtractionem cauſarum tollerent) Videntur Miſſi Cæſarii omnem mulctam pecuniariam in fiſcum Cæſarium tranſtuliſſe, obſervantes nimirum morem per omne Francorum regnum uſitatum quo integer bannus dominicus, & *freda* (c) (ita loquebantur) cedebat fiſco. Aliter poſtea videtur fuiſſe inter Cæſarem & Papam conventum. Ita enim loquitur appendix Eutropiana: *Compoſitiones, quæ ſolebant a malefactoribus ſolvi æqualiter dividebantur Miſſo Imperatoris & Apoſtolici. Si autem talis culpa erat, ut res ſcelerata fiſco publico ſubderetur, non ad eccleſiaſticam tranſibat ſubjectionem, niſi per donativum imperiale præceptum.*

Eccleſia tranquilla & pacifica) Scilicet pax eccleſiæ ſita eſt in tranquilla poſſeſſione divitiarum, arcium, urbium & optimorum latifundiorum, & quidem modo bene adeo agatur, cum curia Romana ſalva res eſt.

Juvet Meliceria periſſe
Frontem de rebus.

Pacem eccleſiæ datam melior ætas dixit, facta Chriſtianis libera Deum ex Chriſti præcepto colendi poteſtate. Vocum mutata priſtina ſignificatio, quam ſapienter Catoni habitum fuit argumentum mutatæ reipublicæ!

Circa Miſſum noſtrum) Is videtur fuiſſe Adolphus ille, de quo conqueſtum fuiſſe Carolum, intelligere eſt ex epiſtola IIX. Euntem videlicet in Britanniam multis beneficiis magnoque honore affecerat Carolus; quod autem in reditu inſalutato Carolo quaſi fuga celeri ſeſe ſubduxiſſet id male illum habuit.

Eardulphus Rex) Eardulphus aut Ardulphus Rex Nordhumbrorum regno a ſuis pulſus confugerat ad Carolum, Noviomagi tunc quadrageſimale jejunium celebrantem, inde Romam petiturus. Ejus fortunam & adventum Leoni Carolus nunciaverat. Summam totius rei hiſce verbis narrant annales Francici, quos ſolos etiam Baronius auctores ſequitur: *Interea Rex Nordhumbrorum de Britannia inſula nomine Ardulfo, regno & patria pulſus, ad Imperatorem, dum adhuc Noviomagi moraretur, venit, & patefacto adventus ſui negocio Romam proficiſcitur. Romaque rediens per legatos Romani Pontificis, & domini Imperatoris in regnum ſuum reducitur. Præerat ea tempeſtate eccleſiæ Romanæ Leo III. cujus legatus ad Britanniam directus eſt Adolphus diaconus de ipſa Britannia Saxo, & cum ipſo ab Imperatore miſſi duo abbates Rathfridus notarius & Nantherius abbas de S. Othmaro.* Cum verba hæc etiam Baronius recitaſſet ſtatim addit: *Sequuta eſt abſque obſtaculo ejus in regnum reſtitutio, nefas omnes ducentes non parere Romano Pontifici atque tanto Imperatori reſiſtere.* Item: *Vidiſti in his Romani Pontificis auctoritatem factis expreſſam? Quod enim non ſatis ſibi ſuppetere juris intelligeret Imperator Regem ejectum in regnum priſtinum reſtituere, ab ipſo Pontifice Romano id præſtari poſſe ſciens, dimittit ipſum Regem regno privatum Romam ad Leonem Pontificem, cujus auctoritate reſtituatur in regnum. Vidiſti pariter quantum Papæ detulerint Angli, licet furore perciti & regnandi cupidine inflammati, ut expulſum a ſe Regem eum reſtitutum auctoritate Pontificis recipere non detractarint, ſed ſtatim paruerint?* Conferat vero quilibet æqui judicii lector annales hoſce veteres & novos, libereque cenſeat num dicant idem, cum tamen veterum fide unice novi illi nitantur. Nimirum quod illi ajunt per legatos Papæ & Cæſaris reductum in regnum Ardulphum, id hi narrant factum ad mandatum unius Papæ & in gratiam Cæſaris. Quaſi legati Papales non ſoleant tumultus componere niſi juſſa Papæ deferendo. Quaſi item Caroli in ſedandis hiſce turbis perexigua fuerit habita ratio. Sed hoc pene eſt inſtitutum novorum annalium iſtorum, omnia ex Hildebrandino ingenio narrare. Fateor tamen cumprimis Anglos ſuperſtitioſe etiam tum veneratos eſſe Pontifices Romanos.

Per Saxones) Saxones Britannici intelliguntur. Id nomen in Britannia magis magisque poſt exolevit heptarchia Saxonica in Anglicanam monarchiam commutata per Regem *Egbertum* (d) & edicti publici auctoritate uno tantum recepto nomine Engleloнth.

Eanbaldus Arch. & Cænulfus Rex atque Wado) Cænulfus Rex fuit Merciorum in Britannia Offæ ſucceſſor. Extat hujus epiſtola ad Leonem III. Papam *l. 1. c. 12. contin. de geſtis Anglor.* quam Baronius

(a) *Joannis Angliæ Regis*) Sedi Romanæ Angliæ regnum in feudum obtulit. Vid. MATTHÆVS PARISIENSIS.

(b) *annales Francici*) Apud FREHERVM *p. 9.*

(c) *fredo*) Idem erat, quam mulcta ſive compoſitio. Derivativa haud dubie vox a Fride; mulcta enim exſoluta, quis a judiciali liber erat perſecutione.

(d) *Egbertum*) Hic 818. toti genti præſidere cœpit. *Chron. Auguſtini* apud *SELDENVM pag.* 2238. *VERGILIVS lib. V. p.* 124.

nius quoque recitat anno 796. In ea epiſtola fit mentio Wadæ abbatis, qui idem fortaſſis eſt cum hoc Wadone. Eanbaldus forte eſt ille Eboracenſis archiepiſcopus ad quem ſuperſunt literæ Alcuini. Videtur quo tempore hæ literæ ſunt ſcriptæ duraſſe adhuc contentionem, quam Leoni jam anno 796. Kœnulphus Rex & alii detulerant de Dorovernenſi vel Cantuarienſi archiepiſcopatu, in gratiam Offæ Regis per Adrianum Papam quondam abrogato, quem Mercii omnes creato novo archiepiſcopo Ethelardo volebant in integrum reſtitui, Leo quoque iterum auctoritate ſua confirmaverat. Quantum ſane conjicere eſt oppoſuit ſeſe Regi archiepiſcopus Eboracenſis.

Ad Embolimum.

Jeſſe epiſcopus) Fuit ille epiſcopus Ambianenſis, functus legatione Conſtantinopolitana ad Irenen Imperatricem anno 802. ceu memorant annales Francici.

De ſacerdotalibus cauſis) Rari exempli eſt hoc Leonis factum. Crimina ſane epiſcoporum ad Reges deferre, qui poſt cœpit non patitur Hildebrandismus.

Ad epiſtolam VI.

Hanc epiſtolam eodem quo prior anno ſcriptam eſſe veroſimile mihi facit mentio illa duorum Caroli legatorum Helmengaudi & Hunfridi comitum, & Pipini Regis Romam ituri componendi diſſidii ergo, quod inter Papam & Cæſaris Miſſos verſabatur. Accedit quod hic unus annus a bello, quod cum Græcis Pipino intercedebat, ita fuerit vacuus, ut Romam ille excurrere potuerit. Pene dixerim eodem cum priore etiam menſe & die hanc epiſtolam eſſe ſcriptam. Familiare ſane tum fuit ſimul multas literas mittere, exigente id negotiorum multitudine.

Largiflua tua munificentia) Eginhartus in vita Caroli: *Colebat præ cæteris ſacris & venerabilibus locis apud Romam eccleſiam beati Petri Apoſtoli, in cujus donaria magna vis pecuniæ tam auri quam argenti, nec non & gemmarum ab illo congeſta eſt: multa & innumera Pontificibus munera miſſa.* Gregorius VII. Papa *l. 8. ep. ult.* ſcribit Carolum quotannis mille & ducentas libras in ſervitium Apoſtolicæ ſedis collegiſſe. Sed huic homini quis velit credere? Conatus nimirum eſt ab omnibus Galliæ domibus iſthoc argumento quotannis denarium elicere.

Pipinus Rex) Filius Caroli natu major, a patre anno 781. conſtitutus Langobardiæ Rex, mortuus anno 810. ante patrem: ut eſt in annalibus.

Ut pax & concordia) Veroſimile eſt veniſſe Pipinum, atque ita omnia confecta eſſe. Forte in illas tum leges conventum fuit, quas memorat Eutropii appendix.

Inſula Corſica) Hanc inſulam a Carolo donatam eſſe Papis etiam Anaſtaſius refert *in vita Adriani.* Leo Oſtienſis recenſet illam inter munera Pipini. Cum tamen Anaſtaſius *in vita Stephani*, dona Pipini nominatim recenſens Corſicæ non meminerit, heic quoque Leo Papa ad unius Caroli donum provocet, veriſimile eſt Leonem & falli & alios fallere. Fuit autem *Corſica* (a) hac ætate perpetuis deprædationibus Sarracenorum expoſita, imo in illorum poteſtate: eoque non mirum eſt hanc Leonis petitionem effectu caruiſſe. Hodie tamen Papali auctoritate eam poſſidere Genuenſes *creduntur.* (b)

Ad epiſtolam VII.

Argumentum hujus unius epiſtolæ vere dignum eſt epiſcopo. Tantum mireris a Carolo peritiſſimo rerum ſacrarum principe quæſtiones haſce Leoni propoſitas. Certe haud difficile ipſimet fuit, quas hic legimus ſolutiones, in Hieronymo invenire. Extat enim epiſtola Caroli ad Albinum juncta libro Albini *de divinis officiis*, qua ita ad ſacras quæſtiones & dubia rogatus ab Albino reſpondet, ut luculente appareat ejus in divinis rebus excellens peritia. Theganus in vita Caroli: *Poſtquam diviſi fuerant* (Carolus & Ludovicus filius) *nihil aliud cœpit agere, niſi in orationibus & eleemoſynis vacare, & libros corrigere. nam quatuor evangelia Chriſti, quæ intitulantur nomine Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis, in ultimo ante obitum ſui diem cum Græcis & Syris optime correxerat.*

De capta atque redemtione Adolphi) Hæc non patiuntur nos ignorare annum ſcriptionis. In hæc enim verba loquuntur annales Francici anno 809. *Poſtquam Ardulfus Rex Nordhumbrorum reductus eſt in regnum ſuum & legati Imperatoris atque Pontificis reverſi ſunt, unus ex iis, Adolphus videlicet diaconus, a piratis captus eſt. cæteris ſine periculo trajicientibus, ductusque ab iis in Britanniam a quodam Canulfi Regis homine redemtus eſt, Romamque reverſus.*

Nazareus enim ſanctus) Rectius hic Hieronymi iſte locus legitur, quam in ipſis emendatiſſimis codicibus a Mariano Victorio editis. Deeſt enim in illis vocula *enim.*

Quæritur quomodo velut ab uno Iſaia) In Hieronymi codicibus rectius nunc legitur: *quærit.* Eſt autem ſermo de Porphyrio qui opere contra Chriſtianos etiam hoc dictum Marci fuerat criminatus. Illud opus quindecim libros comprehendiſſe teſtatur Suidas. Baronius conatur perſuadere anno 304. impium illud Porphyrii opus prodiiſſe in lucem, quod Lactantius teſtetur philoſophum quendam non infimæ notæ iſto tempore tres contra Chriſtianos libros edidiſſe. Fugit autem ratio virum

(a) *Corſica) Annales Pithœani & Laurishamenſes ad ann.* 806, 807, 809. *Monachus Engoliſmenſis pag.* 61. *ſeqq.*

(b) *creduntur)* Sed hoc a Genuenſibus quam plurimis negatur, qui omnem ſuum jus armis adſcribunt. Interim non ignoro, Papam circa Corſicam æque ac Sardiniam admodum liberalem fuiſſe, cum tamen Saraceni in earum poſſeſſione eſſent, & dominium ad ipſum non ſpectaret. Nam quod a Francis terræ iſtæ ad eum ſint tranſlatæ, a veritate alienum eſſe & ex eo conſtat, quod Ludovicus Corſicæ præfectos dediſſe feratur.

virum induſtrium. Alium enim fuiſſe hunc philoſophum a Porphyrio vel ex eo liquet, quod Porphyrius quindecim libros hic tantum tres, hic Nicomediæ Porphyrius in Sicilia (quod paſſim Euſebius & Hieronymus teſtantur) ſua conſcripſerit. Conſtat porro reſponſum eſſe Porphyrianis criminationibus jam tum a Methodio Tyri Epiſcopo. Hic autem, ut Hieronymus loquitur l. de ſcriptor. cap. 83. *ad extremum noviſſimæ perſecutionis* (ſub Diocletiano) *ſive ut alii affirmant* (quibus cum etiam facit Suidas) *ſub Decio & Valeriano in Chalcide Græciæ martyrio coronatus eſt.* Porro diſerte Eunapius refert floruiſſe Porphyrium Gallieno, Claudio, Aureliano, Tacito, Proboque Imperatoribus: Suidas etiam ait: *γεγονὼς ἐπὶ τῶν χρόνων Αὐρηλιανοῦ καὶ παρατείνας ἕως Διοκλητιανοῦ τοῦ βασιλέως.* Poſſit itaque etiam hinc videri errare Baronium. At erraſſe ipſum Eunapium & Suidam liquet ex vita Plotini a Porphyrio ipſo conſcripta. Meminit enim anni ætatis ſuæ ſexageſimi octavi, qui eſt Chriſti 298. & Diocletiani decimus quintus. Fatetur etiam Eunapius Porphyrium extremam ſenectam attigiſſe. At primus Diocletiani annus eſt tantum Porphyrii quinquageſimus tertius ceu patet ex *vita Plotini.* Sed Eunapium quis excuſaverit quod dubitanter ſit locutus. Baronii autem illa hallucinatio gemina eſt alteri illi qua verba Hieronymi *in Chronicis* de Publilio Optatiano Porphyrio, de hoc philoſopho gentili interpretatur ad annum 325.

De quo eccleſiaſtici viri) In codice Hieronymi rectius legitur *cui.* Porphyrio nimirum reſponderunt Methodius libris duobus, Euſebius triginta, Apollinaris totidem. Ipſe tamen Hieronymus hoc loco aliter reſpondet & melius: *Nos nomen Eſaiæ putamus additum ſcriptorum vitio, quod & in aliis locis probare poſſumus, aut certe de diverſis teſtimoniis ſcripturarum unum corpus effectum.* Videtur ſane Hieronymus eccleſiaſticorum illorum reſponſa non multum adeo æſtimaſſe. Nam & præfatione in Danielem ita loquitur: *Quæ autem ex hoc propheta, imo contra hunc prophetam Porphyrius objiciat, teſtes ſunt Methodius, Euſebius & Apollinaris, qui multis verſuum millibus ejus veſaniæ reſpondentes neſcio an curioſo lectori ſatisfecerunt.* Non tantum autem impium illud Porphyrii ſcriptum, verum etiam quæ huic fuerunt oppoſita videntur periiſſe. Quod tamen *de Porphyriano volumine* (a) non eſt cur miremur, accedente ad odium & deteſtationem omnium Chriſtianorum edicto Theodoſii Imperatoris de omnibus ejus exemplaribus concremandis, quod habetur *tomo quinto cap. 19. Actorum concilii Epheſini edit. Peltani.*

In capitulo centeſimo ſeptuageſimo) Hæc ſectio prorſus alia eſt ab ea quæ nunc paſſim eſt recepta. Locus enim iſte Eſaiæ nunc legitur *cap. 64. verſ. 4.* Sixtus Senenſis vir doctus *l. 3. bibliotb. ſanctæ* ſcribit: *Apud Latinos, qui ab anno ſalutis noſtræ milleſimo uſque in hæc noſtra tempora fuerunt, duplicem invenio capitum enumerationem. Alteram ut vetuſtiorem ita numeroſiorem, juxta quam evangelium Matthæi in vetuſtis etiam impreſſis codicibus continet capita nonaginta quatuor, evangelium Lucæ capita centum & ſeptem, epiſtola ad Romanos capita quinquaginta. Alteram poſteriorem, quam nunc in vulgatis bibliis habemus, contractiorem & paucioribus capitibus comprehenſam; cujus numeruli citatione uſi ſunt in commentariis ſuis Hugo presbyter cardinalis, Alexander Alenſis, Albertus Magnus, Thomas Aquinas, Bonaventura ac cæteri uſque in hunc diem ſcholaſtici theologi.* Viſus etiam mihi eſt impreſſus codex veterem novamque ſectionem referens. In quo prima ad Corinthios 73. poſterior 27. capitula veteri more numerabat; Evangelium Lucæ & epiſtola ad Romanos tot capitulis conſtabat, quot obſervavit Sixtus. Vetuſtiorem illam Leoni etiam fuiſſe ad manum, manifeſtum eſt. Recentior illa noſtra a nonnullis Stephano Langtono Anglo auctori adſcribitur.

B. Ambroſius) In ea, quæ hodie Ambroſiano nomine circumfertur, nihil hujus legere eſt, ſed diſerte verba illa Apoſtoli ex Eſaia eſſe deſumpta traditur. Quo ipſo confirmatur, quod non Eraſmo tantum, ſed etiam Bellarmino ipſi aliisque eſt viſum, commentaria quæ in epiſtolas Pauli Ambroſio nunc tribuuntur, mentiri nomen. Baronius tomo V. annal. anno 397. n. 38. *Expoſitio Ambroſii in omnes Pauli epiſtolas Caſſiodori tempore deſiderari cœpta erat, ſed plane deperdita, in ejus locum alterius auctoris opus apparet fuiſſe ſuppoſitum.* Veroſimile fit Leonem genuino Ambroſii opere eſſe uſum. Cæterum jam dudum ante Ambroſium Origenes tract. 35. in Matthæum ſcripſerat: *Apoſtolus ſcripturas quaſdam ſecretas profert. Sicut dicit alicubi: Quod oculus non vidit nec auris audivit. In nullo enim canonico libro hoc poſitum invenitur niſi in ſecretis Heliæ prophetæ.* Forte autem nec illi tractatus ſunt Origenis. Hieronymus ad cap. 64. Eſaiæ: *Apocryphorum deliramenta conticeant, quæ ex occaſione hujus teſtimonii ingeruntur eccleſiis Chriſti. De quibus vere dici poteſt, quod ſedeat diabolus in inſidiis cum divitibus in apocryphis, ut interficiat innocentem: & iterum, inſidiatur in apocrypho quaſi leo in ſpelunca ſua, inſidiatur ut rapiat pauperem. Aſcenſio enim Eſaiæ, & Apocalypſis Heliæ hoc habent teſtimonium. Et per hanc occaſionem multaque hujuſmodi Hiſpaniarum & Luſitaniæ deceptæ ſunt mulierculæ.*

Ad epiſtolam IIX.

Adolfus diaconus legatus Leonis cum legato Eanbaldi archiepiſcopi ex Britannia in Galliam profecti ſpem fecerant Carolo ſui adventus, & tamen ipſo inſalutato Romam diſceſſerant. Id ſtomachatus Carolus, deluſum ſeſe exiſtimans, aut eos ita properaſſe, quo Ardulfum regem prævenirent cauſſæ illius nocituri, per literas apud Papam graviter conqueſtus fuit. Hoc illorum factum excuſat nunc Leo & veniam petit a Carolo. Indubie itaque & hæc epiſtola ſcripta eſt anno 808. quando Ardulfus rex Romam abiit.

Ipſe populus adquiſitionis) Anglos auſpiciis Gregorii Magni id nominis primi Papæ ad Chriſtianam fidem cura Auguſtini fuiſſe converſos notiſſimum in vulgus eſt.

Saxonia

(a) *de Porphyriano volumine*) Quod quindecim libris conſtitiſſe dicitur. ARNOLDI *Kirchen-und Ketzer-Hiſtorie part. I. p. 88.*

Saxoniæ partibus) Etiam hæc intelligenda ſunt de Saxonia transmarina: quam vocem tum fuiſſe in uſu, voce Angliæ nondum recepta, jam tum monuimus.

Ad epiſtolam IX.

Fortunatus in locum Joannis, occiſi a Joanne Duce Veneto, ſuffectus eſt patriarcha Gradenſis anno 802. pallio a Leone Papa impetrato anno 803. quod poſt Sigonium ſcribit Baronius. Hunc Grado, propter bellum quod Carolo cum Græcis & Venetis intercedebat, exulantem commendaverat Papæ Carolus, quo Papæ conſenſu, durante bello, liceat illi Polanum Iſtriæ epiſcopatum adminiſtrare. Aſſentitur Papa ſed nonnullis adjectis conditionibus. Hoc epiſtolæ eſt argumentum. Quo anno ſcripta ſit difficile eſt definire. Conſtat tamen ex annalibus bellum inter Græcos & Carolum in mari Adriatico cœpiſſe geri anno 806. pacem vero iterum cum Nicephoro conſtitutam anno 810. menſe Octobri. Veriſimile eſt initio ſtatim belli de alio loco Fortunatum cogitare coactum eſſe.

Gradenſe inſula) Hæc maris Adriatici inſula juris tum Francici fuit. Non redditam illam Græcis, quando amicitiæ ergo ipſis Hiſtriæ, Liburniæ, & *Dalmatiæ* (a) maritimæ urbes, *teſte Eginharto*, (b) aut ipſæ etiam Venetiæ (quod ſcribunt annales Francici anno 810.) ſunt conceſſæ, liquet *ex teſtamento* (c) Caroli apud Eginhartum, ubi inter metropolitanas urbes Carolini imperii quinto loco Gradus recenſetur: patet etiam ex eo, quod ille Fortunatus patriarcha anno 821. (ut memorant annales) læſæ majeſtatis apud Ludovicum Pium fuerit accuſatus.

In Aquis palatio) Narrant annales Francici Leonem anno 804. poſtquam cum Carolo feſtum Domini natalitium in Cariſiana villa celebraſſet, Aquasgrani ab eodem perductum eſſe. Ibi tum a Leone fanum τῆς Θεοτόκου eſſe conſecratum narratur in epiſtola quadam S. Ludgero adſcripta apud Surium *in vita Suiberti tomo 2. die 1. Martii.* De Aquilegienſi eccleſia quid tum fuerit conventum nusquam invenio. Id certum eſt illius etiam eccleſiæ ἐπισκοπὴν fuiſſe tum non ſuo loco ſed in Forojulii collocatam; quod ſæpe & quidem jam tum anno 729. obſervatum eſt Baronio. An forte actum fuit de negotio quod inter Aquilegienſem & Gradenſem eccleſiam jam ab anno 729. verſabatur? Videndus de hac lite omnino eſt Baronius loco ante laudato.

Ad Embolimum.

Neque de partibus Franciæ) Memorat Baronius anno 802. Fortunatum ad Carolum in Galliam profugum inde ejusmodi diploma retuliſſe: *Concedit Carolus Imperator Auguſtus Fortunato patriarchæ Gradi, ut ipſe, ſacerdotes, ſervi & coloni ejus in terra ſua, in Iſtria, Romaniola, & Langobardia, & ubicunque quiete degant: juberque ut in poſſeſſionibus quibus rite inveſtitus eſt, nullus judex publicus injuſte ad cauſas audiendas. præda* (lege *freda*) *exigenda, manſiones* (Baronius perperam mutat, *manſos*) *aut paratas faciendas, injuſtas redhibitiones inquirendas, exactare audeat. Datum Idibus Auguſti.* Ab hoc vero Fortunato rebellantem adverſus Ludovicum Pium Pannoniæ inferioris ducem Liudevvitum fuiſſe clam adjutum, atque ita malam gratiam regno Francorum ab ipſo relatam hiſce verbis narrant annales Francici anno 821: *Fortunatus patriarcha Gradenſis cum a quodam presbytero ſuo nomine Tiberio apud Imperatorem fuiſſet accuſatus, quod Liudewitum ad perſeverandum in perfidia qua cœperat hortaretur, eumque ad caſtella ſua munienda artifices & murarios mittendo juvaret, & ob hoc ad palatium ire juberetur, primo velut juſſionem impleturus in Iſtriam profectus eſt, inde ſimulato reditu ad Gradum civitatem, nullo ſuorum præter eos cum quibus hoc tractaverat ſuſpicante, nactus occaſionem clam navigavit, veniensque Jaderam Dalmatiæ civitatem Joanni præfecto provinciæ illius fugæ ſuæ cauſas aperuit, qui eum ſtatim navi impoſitum Conſtantinopolim miſit.* Ejusdem Fortunati meminerunt annales anno etiam 824. *Rotomagum legatos Michaëlis Imperatoris ſibi occurrere juſſit Imperator: cum quibus & Fortunatus patriarcha Gradenſis regreſſus ad ejus præſentiam venit: ſed legati Imperatoris literas & munera deferentes pacis confirmandæ cauſſa ſe miſſos eſſe dicentes, pro Fortunato nihil locuti ſunt.* In literis tamen Michaëlis Imperatoris, quas recitat Baronius, in numero legatorum penultimo loco collocatur Fortunatus archiepiſcopus Venetiæ; qui ſine dubio idem eſt cum noſtro Gradenſi.

Hildebaldi) Videtur intelligendus archiepiſcopus Colonienſis, cujus cum alibi tum in vita Suiberti apud Surium *frequens eſt mentio.* (d) Ab Anaſtaſio in vita hujus Leonis, ubi ſcribitur Leoni itinere primo Germanico a Carolo obviam miſſum Hildevvaldum archiepiſcopum, non alius item eſt accipiendus. Idem videtur eſſe qui primo loco ſubſcripſit teſtamento Carolino apud Eginhartum.

Erchenbaldus) Hujus meminerunt annales Francici anno 801. *Tunc ille miſit Erchenbaldum notarium in Liguriam ad claſſem parandam.*

Ad epiſtolam X.

Hanc epiſtolam & præponendam merito eſſe ipſi epiſtolæ primæ, & videri ſcriptam anno 807. jam ſupra monuimus. Tota autem verſatur in querelis de injuria Leoni facta per Miſſos Caroli: ejusdem negotii ergo transmiſſis ad Carolum duobus legatis.

(a) *Dalmatiæ*) De litibus ob Dalmatiam inter Francos & Conſtantinopolitanum imperatorem conf. *annales Lauriſham. ad annum 806. ſeqq.* Tandem Croatia & Liburnia Francis permiſſæ ſunt.

(b) *teſte Eginharto*) *cap. XV.*

(c) *ex teſtamento*) Privilegium a Carolo M. Gradenſi datum patriarchæ refert VGHELL. *Ital. ſacra tom. V. p. 1095.*

(d) *frequens eſt mentio*) Mittebatur Papæ in Franciam advenienti obviam: ANASTASIVS BIBLIOTHEC. *in vita Leonis III. tom. III. ſcript. Ital.*

Cum benedictione beati Petri) Salutatio papalis eſt ſcilicet benedictio ipſiusmet beati Apoſtoli. Forte munuſculum aliquod conſecratum, qualia hodieque Roma mitti ſolent, facta permutatione ad exemplum Diomedis & Glauci, addiderat Leo.

Quamvis parva ſint) χάλκεα χρυσείων.

Anguſtias quas quotidie patimur) Leo anguſtias interpretatur, quod immani cupiditati nondum eſſet ſatisfactum: S. Petrus autem ultro & læto animo omnia reliquit.

Qui vos in ſuis utilitatibus defenſores conſtituit) Scilicet ex re & utilitate gaudio cœleſti fruentis ſanctiſſimi Apoſtoli eſt, ut Papa hodie ſit dominus terrarum: conſtituit quoque Apoſtolus certos opum ſuarum defenſores. Simili doctrina ſcatent epiſtolæ *Gretzerianæ* (a) ad nauſeam usque pii lectoris. Locum unum ex epiſtola VII. Stephani Papæ ad Pipinum Carolum & Carolomannum placet adducere. *Vobis multis jam devolutis temporibus hoc bonum opus reſervatum eſt, ut per vos exaltetur eccleſia, & ſuam princeps Apoſtolorum percipiat juſtitiam. Nullus meruit de veſtris parentibus tale præfulgidum munus, ſed vos prælegit & præſcivit Deus ante tempora æterna. Sicut ſcriptum eſt: quos præſcivit & prædeſtinavit hos & vocavit, & quos vocavit illos & juſtificavit. Vocati eſtis. Juſtitiam ipſi principi Apoſtolorum ſub nimia feſtinatione facere ſtudete: quia ſcriptum eſt, Fides ex operibus juſtificatur.* Alia ejusdem notæ ex illo volumine, quod jure dixeris impiæ & infrunitæ mendicationis ſterquilinium, adferre tædet.

Dignam retributionem) Stephanus Papa epiſt. 9. *Illam vitam æternam quam vobis B. Petrus pro ſua cauſſa & juſtitia promiſit, tota mente & integro corde quærite.*

Nos pro cauſſa negligentiæ ante tribunal Dei) Quaſi is qui forte jure ſuo cedit, & patienter fert injuriam, coram tribunali Dei negligentiæ debeat rationem reddere, eoque nomine ſucceſſores ſuos ſanctiſſimus Apoſtolus ſit accuſaturus, is qui ad malorum tolerantiam multis adeo Chriſtianos omnes hodieque per epiſtolas ſuas cohortatur.

Populi Dei) Populum nihil præter ſolitum paſſum eſſe a legatis Caroli, ex iis quæ ſubjunguntur apparet. Papa itaque ipſemet eſt ille populus Dei.

Miſſos veſtros) Alii igitur hi fuerint ab iis qui judicia exercuerunt.

De cauſſa palatii Ravennatis) Extra controverſiam *omnia illius palatii* (b) fuerant olim juris Cæſarei; eoque videntur Miſſi Carolini iterum Cæſari voluiſſe iſthæc adrogare, mendaciis Paparum jam deprehenſis.

Vicem ejusdem diſcipuli tenentes) Magnum myſterium latet in illa vicaria poteſtate. Dum enim creditur Papa Petri vicarius, omnia S. Petri nomine & auctoritate videtur agere, adeoque quod Papæ datur aut committitur in Papam, id exiſtimatur Petro dari & in ipſum Petrum committi. Quo profecto ſacroſancta redditur Papæ perſona, magis quam ſi ille ſucceſſor tantum audiat Petri in cathedra epiſcopali. Non mirum itaque eſt hac vicarii voce Papas frequenter adeo uſos. Cæterum hanc loquendi formulam tribus primis eccleſiæ ſeculis forte nemo uſurpavit. Certe exemplum aliquod haud temere inveneris. Neque enim huc facit quod Cyprianus cathedram epiſcopalem Romanam *cathedram Petri* appellet: ita enim locutus eſt, non quod vere etiam tum Petrus illi cathedræ præſideret, ſed quod aliquando eam tenuiſſet. Ne ex quarto quidem ſeculo exemplum aliquod attuleris. Quinto tamen jam affectaſſe Papas hoc nomen certum eſt. Jam tum enim in concilio Epheſino œcumenico legati Pontificii hiſce vocibus uſi ſunt, quæ leguntur *tomo 2. cap. 16. ed. Peltani. Nulli dubium imo ſeculis omnibus notum eſt ſanctum beatiſſimumque Petrum, Apoſtolorum principem & caput, fideique columnam, eccleſiæ catholicæ fundamentum, a Domino noſtro Jeſu Chriſto Salvatore noſtro humanique generis redemptore, cæleſtis regni claves accepiſſe, ſolvendique atque ligandi poteſtate quam acceperat uſum fuiſſe, nec non per ſucceſſores ſuos hucusque ſemper vivere cauſasque decernere, ſemperque victurum eſſe. Hujus itaque ordinarius ſucceſſor & vicarius ſanctus beatiſſimusque Papa & epiſcopus noſter ſuos pro ſe quaſi vicarios ad hanc ſanctam ſynodum miſit.* Ex eo ſane voces hæ frequentius cum ab ipſis Papis tum ab aliis per aſſentationem, per ſuperſtitionem, jactæ ſunt. Recte autem Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontifice cap. 17. *Porro vicarius Petri dicitur ſummus Pontifex, quoniam ſanctus Petrus adhuc vivit & gubernacula eccleſiæ non reliquit, ut ait Leo ſerm. 2. quia tamen S. Petrus non proprie fungitur munere paſtorali, ſed meritis ac precibus ſuis eccleſiam regit ac protegit, impropria ſunt illa locutiones & ſolum ob reverentiam B. Petri aliquando uſurpata.* Hæc Bellarminus qui tamen non perſuaſerit, Papas ſeſe noluiſſe haberi veros S. Petri vicarios. Revera autem ille vicariatus merum eſt μορμολύκειον: utut hodieque oſtentari illud ſubinde ſoleat in terrorem & Romanæ ſedis reverentiam. Hoc ſane uno nititur totum illud ipſiusmet Baronii, quo illa quæ contra Siculam monarchiam diſputavit in epiſtola ad Philippum III. Hiſpaniæ regem defendere & excuſare non dubitavit. *In his adverſis* (inquit) *inde mihi ingens parta fiducia atque eſt aucta ſecuritas, quod juſſu Petri comprobata, a Petro, ex ipſa ſede Petri ſcripta iſta noſtra prodierint, absque dubio in ſecula permanſura. Sto ſupra Petram, ob idque ſecurus & imperterritus.* Item: *Noſcant laici homines, quanto indecore, non ſine offenſa catholicæ veritatis, laica manus clavem ſcientiæ, quam ſolius eſſe Petri catholica profitetur eccleſia, arripuerit, ut judicet atque damnet ſcripta, juſſa imperata & calculo comprobata Romani Pontificis, cujus eſt auctoritatis ſolius judicare probare vel condemnare cujusvis ſcripta præſertim eccleſiaſtica.* Ecquis ſane non videt meras ineptias & inanes declamationes adferri a

Baronio

(a) *Gretzerianæ)* Gretſerus infenſiſſimus proteſtantium hoſtis, eruditionis & ſummæ diligentiæ laude conſpicuus eſt. Conf. vita ejus apud BAILLIUM in diction. critico.

(b) *omnia illius palatii)* Erat enim ipſa Ravenna in ditione Caroli. *Cod. Carol. epiſtol. 84. annal. Lambeciani tom. II. comment. de biblioth. Vindobon. c. V.*

Baronio in tanti momenti negotio: niſi ponas S. Petrum vel divinitus locutum eſſe per Clementem VIII. vel vere vicariam poteſtatem illi commiſiſſe, ita ut vox Papæ vox Petri ſit? Vereor autem, ut Baronius ſibi perſuaſerit vel ipſum S. Petrum ita clavem ſcientiæ olim tenuiſſe, ut extra fidei negotium errare non potuerit: & tamen conatur ille Regi Philippo perſuadere eam eſſe hodie Romani Papæ, novi illius Petri ſcilicet, divinam facultatem.

Quamvis vero illa Leonis tempeſtate, amaverint Papæ vicarii Petri audiri (quod *in monumentis* (a) tum conſcriptis frequenter eſt obſervare) poſt tamen, cumprimis ubi illorum potentia per Hildebrandi conatus ad ſummum gradum pervenit, titulum hunc rarius uſurpaverunt, malentibus illis vicarii Chriſti & ipſius Dei, imo Dii quidam in terris non exiſtimari tantum ſed & nominari. Non enim verum eſt, ambitioſos & impios hoſce titulos ab adulatoribus profectos eſſe, & Papis quaſi invitis obtruſos hactenus. Non obſcure ſane jam Nicolaus *I. epiſtola ad Michaelem Imperatorem* ipſum Dei nomen, atque ita auctoritatem excedentem humanæ conditionis vires, affectavit. His quippe verbis uſus eſt, quæ tanquam ſacri aliquid per Gratianum in Decretum relata, vim legis, volentibus ita Papis, acceperunt: *Satis evidenter oſtenditur a ſeculari poteſtate nec ligari prorſus nec ſolvi poſſe Pontificem; quem conſtat a pio principe Conſtantino Deum appellatum: nec poſſe Deum ab hominibus judicari certum eſt.* Similiter Innocentius III. aliquoties in *epiſtolis ſuis* profitetur: ſe Dei vicem in terris tenere, & vinculum illud rati conſummatique matrimonii, quod inter epiſcopum creditur atque eccleſiam intercedere, non ut hominem ſed tanquam Deum diſſolvere, cum illos qui a Deo ſunt conjuncti non homo ſed Deus poſſit ſeparare. Videatur tantum l. 1. epiſt. 326. & 336. ne quid dicam, quod hodieque in gloſſa juris ſui patiantur infame illud legi: *Dominus Deus noſter Papa;* ſive illud ab ipſa gloſſatoris Zenzelini, quod quidam negant, ſive ab alia ſit manu. Sed interfuit ſcilicet, ad clarius exprimendam populo illam, quam ſibi demum poſt Leonem noſtrum arrogarunt Papæ, in cœlo & terris plusquam humanam poteſtatem, non tanquam Petri amplius ſed Dei vicarios imo ipſo Dei nomine oſtentari. Cave enim credas ea tantum ratione divinitatis appellationem affectaſſe Papas, quod & ipſi ſint Dei miniſtri ad modum aliorum magiſtratuum.

Poſſimus exorare clementiam) Quaſi vero ſecure, h. e. bona conſcientia, non licuiſſet idipſum Deum orare, ſi Carolus non omni ex parte ſervaſſet promiſſum. At vero S. Apoſtolus Paulus nulla ejusmodi annexa conditione juſſit nos orare *pro regibus & quibusvis in eminentia conſtitutis, ut tranquillam ac quietam vitam degamus cum omni pietate & honeſtate.* Nomine ſui ævi Chriſtianorum dixit olim Tertullianus ſimpliciter: *Nos pro ſalute Imperatorum Deum vocamus æternum.* Item: *Precantes ſumus omnes ſemper pro* omnibus *Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis & Cæſaris vota ſunt.* Hæc primi Chriſtiani & Chriſtianorum magiſtri. Verum nova doctrina opus fuit ad novum & omni retro tempore nemini auditum opus impetrandum, principatum nempe & dominatum ſecularem. Obſervandum autem unice eſt: iisdem plane argumentis & reliquum clerum occidentalis eccleſiæ, felici Papæ exemplo edoctum, ſibi quoque muniviſſe viam ad divitias ſummas & potentiam regiam. In primitiva eccleſia ut ignorata fuit iſthæc doctrina, ita & intra eleemoſynas ſteterunt Chriſtianorum oblationes.

Incipit Capitulare de Villis & Curtis Imperatoris.

I. Cap.

Volumus ut Villæ noſtræ, quas ad opus noſtrum ſerviendum inſtitutas habemus, ſub integritate partibus noſtris deſerviant & non aliis hominibus.

II. Ut familia noſtra bene conſervata ſit & a nemine in paupertate miſſa.

III. Ut non præſumant judices noſtram familiam in eorum ſervitium ponere; non *cornadas* (b) non materiam cedere, nec aliud opus ſibi facere cogant: & neque ulla dona ab ipſis accipiant, non caballum, non bovem, non vaccam, non porcum, non vervecem, non porcellum, non agnellum, nec aliam cauſam, niſi *buticulas* (c) & *ortum,* (d) poma, pullos, & ova.

IV. Si familia noſtra partibus noſtris aliquam fecerit fraudem de latrocinio aut alio neglecto, illud in caput componat, de reliquo vero pro lege recipiat diſciplinam vapulando. Niſi tantum pro homicidio & incendio, unde feida exire poteſt. Ad reliquos autem homines, juſtitiam eorum, qualem habuerint, reddere ſtudeant, ſicut lex eſt. Pro *feida* (e) vero noſtra, ut diximus, familia vapuletur. Franci autem qui in fiſcis aut villis noſtris commanent, quicquid commiſerint ſecundum legem eorum emendare ſtudeant, & quod pro feida dederint ad opus noſtrum veniat, id eſt in peculio aut in alio pretio.

V. Quando judices noſtri labores noſtros facere debent, ſeminare, aut arare, meſſes colligere, fœnum ſecare, aut vindemiare, unusquisque in tempore laboris ad unumquemque locum provideat ac inſtituere faciat, quomodo factum ſit, ut bene ſalva ſint. Si intra patriam non fuerit, aut in quali loco judex venire non potuerit, miſſum bonum de familia noſtra, aut alium hominem bene

(a) *in monumentis*) Conf. ANASTASIUS BIBLIOTH. *in Vita Leonis III.*

(b) *cornadas*) Operas, quas ſervi vel ruſtici ſuis dominis præſtare ſolent.

(c) *buticulas*) i. e. lagenas.

(d) *ortum*) Denotat forte levidenſis monetæ aliquid.

(e) *feida*) Mulcta.

ne creditum cauſas noſtras ad providendum dirigat, qualiter ad perfectum veniant; & judex diligenter provideat, ut fidelem hominem transmittat ad hanc cauſam providendam.

VI. Volumus ut judices noſtri decimam ex omni conlaboratu pleniter donent ad eccleſias, quæ ſunt in noſtris fiſcis: & ad alterius eccleſiam noſtra decima data non fiat, niſi ubi antiquitus inſtitutum fuit: & non alii clerici habeant ipſas eccleſias niſi noſtri, aut de familia aut de capella noſtra.

VII. Ut unusquisque judex ſuum ſervitium pleniter perficiat, ſicut eit fuerit denuntiatum; & ſi neceſſitas evenerit, quod plus ſervire debeat, tunc computare faciat, ſi ſervitium debeat multiplicare in noctes.

IIX. Ut judices noſtri vineas recipiant noſtras, quæ de eorum ſunt miniſterio: & bene eas faciant: & ipſum vinum in bona mittant vaſcula, & diligenter providere faciant, quod nullo modo naufragium ſit. Aliunde vinum peculiare comparando emere faciant; unde ad villas dominicas condirigere poſſint. Et quando quidem plus de ipſo vino comparatum fuerit, quam ad villas noſtras condirigendum mitti opus ſit, nobis innoteſcat, ut nos commendemus, qualiter noſtra fuerit exinde voluntas. *Cippaticos* (a) etiam de vineis noſtris ad opus noſtrum mittere faciant. Cenſa de villis noſtris quæ vinum debent in cellaria noſtra mittant.

IX. Volumus ut unusquisque judex in ſuo miniſterio menſuram modiorum ſextariorum, & *ſiculas* (b) per ſextaria octo, & corborum, eo tenere habeat ſicut & in palatio habemus.

X. Ut majores noſtri & foreſtarii, *poledrarii*, (c) cellularii, decani, telonarii, & cæteri miniſteriales, ea faciant, & *ſogales* (d) donent de manſis eorum pro *manuopera* (e) vero eorum miniſteria bene provideant. Et qualiscunque major habuerit beneficium, ſuum vicarium mittere faciat, qualiter & manuopera & cæterum ſervitium pro eo adimplere debeat.

XI. Ut nullus judex manſionaticos ad ſuum opus, nec ad ſuos canes, ſuper homines noſtros atque inforeſtos nullatenus *prendat*. (f)

XII. Ut nullus judex obſidem noſtrum in villa noſtra commendare faciat.

XIII. Ut equos emiſſarios id eſt vvaramones bene provideant; & nullatenus eos in uno loco diu ſtare permittant, ne forte per hoc pereant. Et ſi aliquis talis, qui bonus non ſit aut veteranus ſit - - - ſi vero mortuus fuerit nobis nuntiare faciant tempore congruo, antequam tempus veniat ut inter jumenta mitti debeat.

XIV. Ut jumenta noſtra bene cuſtodiant, & poledros ad tempus ſegregent, & ſi *pultrellæ* (g) multiplicatæ fuerint, ſeparatæ fiant, & gregem per ſe exinde adunare faciant.

XV. Ut poledri noſtri, miſſa ſancti Martini, hiemale ad palatium omnimodis habeant.

XVI. Volumus ut quicquid nos aut regina unicuique judici ordinaverimus, aut miniſteriales noſtri *Sineſcalcus* (h) & *butticularius*, (i) de verbo noſtro aut reginæ ipſis judicibus ordinaverit, ad eorundem placitum, ſicut eis inſtitutum fuerit, impletum habeant. Et quicunque per negligentiam dimiſerit, a potu ſe abſtineat, poſtquam ei nuntiatum fuerit, usque dum in præſentia noſtra aut reginæ veniat & a nobis licentiam quærat abſolvendi. Et ſi judex in exercitu aut in *wacta* (k) ſeu in *ambaſiato*, (l) vel alicubi fuerit, & junioribus ejus aliquid ordinatum fuerit & non complacuerint, tunc ipſi pedeſtres ad palatium veniant, & a potu & carne ſe abſtineant: interim quidem rationes deducant, propter quod hoc dimiſerunt, & tunc recipiant ſententiam, aut indorſo, aut quomodo nobis vel reginæ placuerit.

XVII. Quantascunque villas unusquisque in miniſterio habuerit, tantos habeat deputatos homines qui apes ad noſtrum opus provideant.

XIIX. Ut ad *farinarias* (m) noſtras pullos & *aucas* (n) habeant juxta qualitatem farinariæ, vel quantum melius potuerint.

XIX. Ad *ſcuras* (o) noſtras in villis *capitaneis* (p) pullos habeant non minus C. & aucas non minus XXX. Ad *manſionales* (q) vero pullos habeant non minus L, aucas non minus quam XII.

XX. Unusquisque judex *fructa* (r) ſemper habundanter faciat omni anno ad curtem venire: excepto - - - - viſitationes eorum per vices tres aut quatuor ſeu amplius,

XXI. Vivarios in curtis noſtris unusquisque judex ubi antea fuerunt habeat, & ſi augeri poteſt augeat, & ubi antea non fuerunt & modo eſſe poſſunt, noviter fiant.

XXII. Coronas de racemis qui vineas habuerunt non minus tres aut quatuor habeant.

XXIII. In unaquaque villa noſtra habeant judices *vaccaritias*, (s) porcaritias, *berbicaritias*, (t) capraritias, hircaritias quantum plus potuerint: & nullatenus ſine hoc eſſe debent. Et inſuper habeant

---

(a) *Cippaticos*) Vitium truncos.
(b) *ſiculas*) Sicula hic eſt menſura liquidorum. CANGIUS *tom. III. pag. 848.*
(c) *poledrarii*) Pullorum equinorum curatores.
(d) *ſogales*) Cenſus ex agris pendi ſoliti.
(e) *manuopera*) Servitium manuale.
(f) *prendat*) uſurpet.
(g) *pultrella*) Equæ adultæ.
(h) *Sineſcalcus*) Qui curam domus & redituum domini ſui habebat, item dapiferi.
(i) *butticularius*) Pincerna.
(k) *wacta*) Excubiis.
(l) *ambaſiato*) Legatione, nuncio.
(m) *farinarias*) Molendina ubi ex frumento molito farina conficitur. CANGIUS.
(n) *aucas*) Anſeres.
(o) *ſcuras*) Horrea.
(p) *capitaneis*) Præcipuis.
(q) *manſionales*) Agellos.
(r) *fructa*) Fructus.
(s) *vaccaritias*) Stabula educandis vaccis deſtinata, *Kühſtelle*.
(t) *berbicaritias*) Ovilia quæ educationi ovium inſerviunt, *Schafſtaelle*. Notandum autem, hanc vocem compoſitam eſſe ex Germanico *Berbe* manſuetus, unde etiam Galli ſuum brebi fecerunt.

beant vaccas ad illorum ſervitium perficiendum commendatas per ſervos noſtros; qualiter pro ſervitio ad dominicum opus Vaccaritiæ & carrucæ nullo modo minoratæ ſint. Et habeant quando ſervierint ad canes dandum, boves *cloppos* (a) non languidos, & vaccas ſive caballos non ſcabioſos, aut alia pecora non languida. Et ut diximus per hoc vaccaritias & *carrucas* (b) non minorent.

XXIV. Quicquid ad diſcum noſtrum dare debent, unusquisque judex in ſua habeat *plebejo:* (c) qualiter bona & optima, atque bene ſtudioſe & nitide omnia ſint compoſita quicquid dederint; & unusquisque judex habeat de annona paſtos per ſingulos dies ad ſuum ſervitium, ad menſam noſtram quando ſervierit; & reliqua diſpenſa ſimiliter in omnibus bona ſit, tam farina quam & peculium.

XXV. De paſtione autem Kal. Septemb. indicare faciant, ſi fuerit, annon.

XXVI. Majores vero amplius in miniſterio non habeant, niſi quantum in una die circumire aut providere potuerint.

XXVII. Caſæ noſtræ indeſinenter *foca* (d) & vvactas habeant, ita ut ſalvæ ſint. Et quando miſſi vel legatio ad palatium veniunt vel redeunt, nullo modo in curtes dominicas manſionaticas prendant, niſi ſpecialiter juſſio noſtra aut reginæ fuerit: Et Comes de ſuo miniſterio, vel homines illi qui antiquitus conſueti fuerunt miſſos aut legationes *foniare*, (e) ita & modo inantea & *de parveridis*, (f) & omnia eis neceſſaria ſolito more ſoniare faciant, qualiter bene & honorifice ad palatium venire vel redire poſſint.

XXIIX. Volumus ut per annos ſingulos intra quadrageſima, dominica in palmis quæ oſanna dicitur, juxta ordinationem noſtram argentum de noſtro laboratu, poſtquam cognoverimus de præſenti anno quanta ſit noſtra laboratio, deferre ſtudeant.

XXIX. Declamatoribus ex hominibus noſtris unusquisque judex provideat, ut non ſit eis neceſſe venire & ad nos proclamare: & dies, quos ſervire debent, per negligentiam non dimittat perdere. Et ſi habuerit ſervus noſter forinſecus juſtitias ad querendum, magiſter ejus cum omni intentione decertet pro ejus juſtitia. Si aliquo loco minime eam accipere valuerit, tamen ipſi ſervo noſtro pro hoc fatigare non permittat, ſed magiſter ejus per ſemetipſum aut ſuum miſſum hoc nobis notum facere ſtudeat.

XXX. Volumus unde ſervire debent ad opus noſtrum, ex omni conlaboratu eorum ſervitium ſegregare faciant; & unde *caria* (g) in hoſtem *carigari* (h) debent, ſimiliter ſegregentur tam per domos quam & per paſtores, & ſciant quantum ad hoc mittunt.

XXXI. Vt hoc quod ad parveredarios vel gentias dare debent, ſimili modo unoquoque anno ſeparare faciant: & tempore opportuno pleniter donent, & nobis dicere ſciant, qualiter inde faciunt vel unde exit.

XXXII. Ut unusquisque judex provideat, quomodo ſementem bonam & optimam ſemper de comparatu vel aliunde habeat.

XXXIII. Poſt iſta omnia ſegregata & ſeminata atque pacta, quicquid reliquum fuerit exinde de omni conlaboratu usque ad verbum noſtrum ſalvetur: quatenus ſecundum juſſionem noſtram aut venundetur aut reſervetur.

XXXIV. Omnino providendum eſt cum omni diligentia ut quicquid manibus laboraverint, aut fecerint i. e. lardum, ſiccum, *ſulcia*, (i) *niuſaltus*, (k) vinum, acetum, *moratum*, (l) vinum coctum, *garum*, (m) ſynapi, *formaticum*, (n) butirum, *bracios*, (o) cerviſias, *medum*, (p) mel, ceram farinam, omnia cum ſummo nitore ſint facta & parata.

XXXV. Volumus ut de verbecibus craſſis ſoccia fiat, ſicut & de porcis; & inſuper habeant boves ſaginatos in unaquaque villa non minus quam duos, aut ibidem ad ſocciandum, aut ad nos deducendum.

XXXVI. Ut ſilvæ vel foreſtes noſtræ bene ſint cuſtoditæ: & ubi locus fuerit ad ſtirpandum ſtirpare faciant, & campos de ſilva increſcere non permittant: & ubi ſilvæ debent eſſe, non eas permittant nimis *capulare* (q) atque damnare. Et *feramina* (r) noſtra intra foreſtes bene cuſtodiant. Similiter accipitres & ſpervarios ad noſtrum profectum provideant; & cenſa noſtra exinde diligenter exactent: & judices ſi eorum porcos ad ſaginandum in ſilvam noſtram miſerint, vel majores noſtri aut homines illorum, ipſi primi illam decimam donent ad exemplum bonum perferendum, qualiter poſtmodum cæteri homines illorum decimam pleniter perſolvant.

XXXVII. Ut campos & culturas noſtras bene componant & prata noſtra ad tempus cuſtodiant.

XXXIIX. Ut aucas paſtas & pullos paſtos ad opus noſtrum, ſemper quando ſervire debent, aut ad nos transmittere, ſufficienter habeant.

XXXIX.

(a) *cloppos*) Claudicantes. Hic particula negativa eſt adjicienda.
(b) *carrucas*) Aratra, tedas.
(c) *plebejo*) Facultate.
(d) *foca*) Focos. ignes.
(e) *foniare*) Hoſpitio excipere, procurare.
(f) *de parveridis*) Parveredi hic in genere equi curſui publico deſtinati dicti videntur.
(g) *caria*) Per caria hic ſarcinæ vehiculis impoſitæ, quibus acies contra hoſtem muniebatur, intelligendæ eſſe videntur, aut etiam inſtrumenta bellica. Unde Gallorum cargaiſon profluxit.
(h) *carigari*) Carro vehi.
(i) *ſulcia*) Salina.
(k) *niuſaltus*) Difficile dictu eſt, quid hac voce intelligatur. Vid. CANGIVS.
(l) *moratum*) Potionis genus.
(m) *garum*) Edulii forte fuit genus.
(n) *formaticum*) Caſeum; unde Gallorum fromage.
(o) *bratios*) Placentulas.
(p) *medum*) Potionem melle mixtam.
(q) *capulare*) Cædere.
(r) *feramina*) Feras.

XXXIX. Volumus ut pullos & ova, quos ſervientes vel manſuarii reddunt, per ſingulos annos recipere debeant: & quando non ſervierint, ipſos venundare faciant.

XL. Vt unusquisque judex per villas noſtras ſingulares, etlehas, pavones, faſianos, enetas, columbas, perdices, turtures, pro dignitatis cauſa, omnimodis ſemper habeant.

XLI. Vt ædificia intra curtes noſtras, vel ſepes in circuitu, bene ſint cuſtodita. Et ſtabula atque coquinæ, & piſtrina, ſeu torcularia, ſtudioſe præparata fiant: quatenus ibidem condigne miniſteriales noſtri officia eorum bene nitide peragere poſſint.

XLII. Vt unaquæque villa intra cameram lectaria, culcitras, plumatias, *batlinias,* (a) *drappos:* (b) ad diſcum, *bancales;* (c) vaſa ærea, plumbea, ferrea, lignea, *andedos,* (d) catenas, *cramaculos,* (e) delaturas, ſecures, id eſt *cumadas,* (f) terebras, id eſt caradros, ſcalpros, vel omnia utenſilia ibidem habeant. Ita ut non ſit neceſſe alicubi hoc quærere aut commodare. Et ferramenta quæ in hoſtem ducunt in eorum habeant plebio, qualiter bona ſint, & iterum quando revertuntur in camera mittantur.

XLIII. Ad genitia noſtra, ſicut inſtitutum eſt, opera ad tempus dare faciant: id eſt linum, lanam, *waiſda,* (g) *vermicula,* (h) vvarentia, pectines, laminas, cardones, ſaponem, unctum, vaſcula, & reliqua minutia quæ ibidem neceſſaria ſunt.

XLIV. De quadrageſimali duæ partes adſectam - - - de leguminibus quoque & de piſcato ſeu *formatico,* (i) butiro, melle, ſinape, aceto, milio, *panicio,* (k) herbulas ſiccas vel virides radices napos inſuper & cæcoram. ma. ſec. vel ſaponem atque cætera minutia. Et quod reliquum fuerit, nobis per brevem, ſicut ſupra diximus, innoteſcant, & nullatenus hoc permittat, ſicut usque nunc fecerunt; quia per illas duas partes volumus cognoſcere de illa tertia quæ remanſit.

XLV. Vt unusquisque judex in ſuo miniſterio bonos habeat artifices; id eſt fabros ferrarios, & aurifices, vel argentarios, ſutores, tornatores, carpentarios, *ſcutatores, precatores,* (l) accipitares, id eſt *aucellatores,* (m) ſaponarios, ſiceratores; id eſt qui cerviſiam vel pomatium ſive piratium vel aliud quodcunque liquamen ad bibendum aptum fuerit, facere ſciant, piſtores qui ſimilas ad opus noſtrum faciant, retiatores qui retia facere bene ſciant tam ad venandum, nec non & reliquos miniſteriales quos ad numerandum longum eſt.

XLVI. Vt lucos noſtros, quos vulgus brogilos vocat, & ad tempus ſemper emendent & nullatenus exſpectent ut neceſſe ſit a novo reædificare. Similiter faciant & de omni ædificio.

XLVII. Vt venatores noſtri, & falconarii, vel reliqui miniſteriales, qui nobis in palatio aſſidue deſerviunt, conſilium in villis noſtris habeant, ſecundum quod nos aut regina per literas juſſerimus, quando ad aliquam utilitatem eos miſerimus, aut Siniſcalcus & buticularius de noſtro verbo eis aliquid facere præceperint.

XLVIII. Vt torcularia in villis noſtris bene ſint præparata; & hoc prævideant judices ut vindemia noſtra nullus pedibus premere præſumat, ſed omnia nitida & honeſta ſint.

XLIX. Vt genitia noſtra bene ſint ordinata, id eſt de caſis, piſlis, tuguriis: id eſt ſereones & ſepes bonas in circuitu habeant, & portas firmas, qualiter opera noſtra bene peragere valeant.

L. Vt unusquisque judex provideat, quanti poledri in uno ſtabulo ſtare debeant, & quanti poledrarii cum ipſis eſſe poſſint. Et ipſi poledrarii qui liberi ſunt & in ipſo miniſterio beneficia habuerint, de illorum vivant beneficiis: ſimiliter & fiſcalini qui manſos habuerint inde vivant: & qui hoc non habuerit de dominica accipiat provendam.

LI. Provideat unusquisque judex ut ſementia noſtra nullatenus pravi homines ſubtus terram vel alicubi abſcondere poſſint, & propter hoc meſſis rarior fiat. Similiter & de aliis maleficiis illos provideant, ne aliquando facere poſſint.

LII. Volumus ut de fiſcalibus, vel ſervis noſtris, ſive ingenuis qui per fiſcos aut villas noſtras commanent, diverſis hominibus plenam & integram qualem habuerint reddere faciant juſtitiam.

LIII. Vt unusquisque judex provideat, qualiter homines noſtri de eorum miniſterio latrones vel malefici nullo modo eſſe poſſint.

LIV. Vt unusquisque judex provideat, quatenus familia noſtra ad eorum opus bene laboret, & per mercata vacando non eat.

LV. Volumus ut quicquid ad noſtrum opus judices dederint, vel ſervierint, aut ſequeſtraverint, in uno *brevi* (n) conſcribi faciant; & quicquid diſpenſaverint in alio: & quod reliquum fuerit nobis per brevem innoteſcant.

LVI. Vt unusquisque judex in eorum miniſterio frequentius audientias teneat, & juſtitiam faciat, & provideat qualiter recte familiæ noſtræ vivant.

LVII. Si aliquis ex ſervis noſtris ſuper magiſtrum ſuum nobis de cauſa noſtra aliquid vellet dicere, vias ei ad nos veniendi non contradicat. Et ſi judex cognoverit, quod juniores illius adver-

(a) *batlinias*) Faſcias linias.
(b) *drappos*) Pannos.
(c) *bancales*) Scamnorum ſtrata.
(d) *andedos*) Verutenta.
(e) *cramaculos*) Cremaſteres focarios.
(f) *cumadas*) Secures.
(g) *waiſda*) Glaſtum.
(h) *vermicula*) Lanam rubeam.
(i) *formatico*) Caſeo.
(k) *panicio*) Pane.
(l) *ſcutatores, precatores*) Forte legendum ſcuratores, poratores. Vid. CANGIVS *in gloſſario.*
(m) *aucellatores*) i. e. Accipitrarii.
(n) *brevi*) In codice quodam.

verſus eum ad palatium proclamando venire velint, tunc ipſe judex contra eos rationes deducendi ad palatium venire faciat, qualiter illorum proclamatio in auribus noſtris faſtidium non generet. Et ſic volumus cognoſcere utrum ex neceſſitate an ex occaſione veniant.

LVIII. Quando catelli noſtri judicibus commendati fuerint, de ſuo eos nutriant; aut junioribus ſuis, id eſt, majoribus & decanis vel cellariis, ipſos commendare faciant, quatenus de illorum cauſa eos bene nutrire faciant. Niſi forte juſſio noſtra aut reginæ fuerit, ut in villam noſtram ex noſtro eos nutriant. Et tunc ipſe judex hominem ad hoc opus mittat qui ipſos bene nutriat, & ſegreget unde nutriantur, & non ſit illi homini cotidie neceſſitas ad ſcuras recurrere.

LIX. Vnusquisque judex quando ſervierit, per ſingulos dies dare faciat de cera lib. III. de ſapone ſextaria VIII. & ſuper hoc ad feſtivitatem ſancti Andreæ, ubicunque cum familia noſtra fuerimus, dare ſtudeat de cera lib. VI. ſimiliter mediante quadrageſima.

LX. Nequaquam de potentioribus hominibus majores fiant, ſed de mediocribus qui fideles ſunt.

LXI. Vt unusquisque judex quando ſervierit ſuos bracios ad palatium ducere faciat, & ſimul veniant magiſtri qui cerviſiam bonam ibidem facere debeant.

LXII. Vt unusquisque judex per ſingulos annos ex omni conlaboratione noſtra, quid de bobus quos bubulci noſtri ſervant, quid de manſis qui arari debent, quid de ſogalibus, quid de cenſis, quid de feda fracta vel freda, quid de feramininibus in foreſtis noſtris permiſſo captis, quid de diverſis compoſitionibus, quid de molinis, quid de foreſtibus, quid de campis, quid de pontibus, vel navibus, quid de liberis hominibus & centenis qui partibus fiſci noſtri deſerviunt, quid de mercatis, quid de vineis, quid de illis qui vinum ſolvunt, quid de *ſeno*, (a) quid de *lignariis* (b) & *faculis*, (c) quid de *axilis* (d) & alio materiamine, quid de *pterariis*, (e) quid de leguminibus, quid de milio & panico, quid de lana lino & canava, quid de frugibus arborum, quid de nucibus majoribus vel minoribus, quid de inſitis ex diverſis arboribus, quid de hortis, quid de apibus, quid de rivariis, quid de coriis, quid de pellibus, quid de carnibus, quid de melle & cera, quid de uncto vel ſapone, quid de morato, vino cocto, medo, & aceto, quid de cerviſia, de vino novo & vetere, de annona nova & vetere, quid de pullis & ovis vel anſeribus i. e. aucis, quid de piſcatoribus, de fabris, de ſcurariis vel ſutoribus, quid de buticis & coſinis i. e. ſcriniis, quid de tornatoribus & ſellariis, de ferrariis & ſcrobis i. e. foſſis ferrariciis, vel aliis foſſis plumbariciis, quid de tributariis, quid de poledris & putrellis habuerint. Omnia ſepoſita, diſtincta & ordinata; ad nativitatem domini nobis notum faciant, ut ſcire valeamus quid vel quantum de ſingulis rebus habeamus.

LXIII. De his omnibus ſupra dictis nequaquam judicibus noſtris aſperum videatur, ſi hoc requirimus; quia volumus ut & ipſi ſimili modo a junioribus illorum omnia absque ulla indignatione requirere ſtudeant. Et omnia quicquid homo in domo ſua & in villis ſuis habere debet, judices noſtri in villis noſtris habere debent.

LXIV. Vt carra noſtra quæ in hoſtem pergunt & *baſterna* (f) benefactæ ſint; & opercula bene ſint cum coriis cooperta, & ita ſint conſuta ut ſi neceſſitas evenerit ad aquas ad natandum, cum ipſa expenſa quæ intus fuerit, tranſire flumina poſſint, ut nequaquam aqua intus intrare valeat, & bene ſalva cauſa noſtra, ſicut diximus, tranſire poſſit. Et hoc volumus, ut farina in unoquoque carro ad *ſpenſam* (g) noſtram miſſa fiat: hoc eſt duodecim modia de farina, & in quibus vinum ducunt modia XII. ad noſtrum modium mittant. Et ad unumquodque carrum *ſcirtum*, (h) & lanceam, cucurum & arcum habeant.

LXV. Vt piſces de vivariis noſtris venumdentur & alii mittantur in locum; ita ut piſces ſemper habeantur tamen. Quando nos in villas non venimus, tunc fiant venundari & ipſos ad noſtrum profectum judices noſtri conlucrari faciant.

LXVI. De capris & hircis, & eorum cornibus & pellibus, nobis rationes deducant & per ſingulos annos: niuſaltos craſſos nobis inde adducant.

LXVII. De *manſis*, (i) abſis, & mancipiis adquiſitis ſi habuerint, ſi non habeant ubi eos collocare poſſint nobis renunciare faciant.

LXIIX. Volumus ut bonos *barridos* (k) ferro ligatos; quos in hoſtem & ad palatium mittere poſſint, judices ſinguli præparatos ſemper habeant, & utres ex coriis non faciant.

LXIX. De lupis omni tempore nobis annuntient, quantos unusquisque comprehenderit, & ipſas pelles nobis præſentare faciant: & in menſe Majo illos lupellos perquirant & comprehendant tam cum pulvere & hamis, quam cum foſſis & canibus.

LXX. Volumus quod in horto omnes herbas habeant; id eſt:

Lilium,

(a) *ſeno*) Quid hoc ſibi velit ignotum.
(b) *lignariis*) Lignorum locis, lignorum acervis.
(c) *faculis*) Tædis ex arboribus pinei generis. CANGIVS.
(d) *axilis*) Hac voce materiei cujusdam genus haud dubie intelligitur.
(e) *pterariis*) CANGIVS legendum putat petrariis i. e. locis unde petræ & lapides eruuntur.
(f) *baſternæ*) Vehicula tecta.
(g) *ſpenſam*) Promptuarium.
(h) *ſcirtum*) Hoc forte æque ac cucurus fuit teli genus.
(i) *manſis*) Certis agri modis, *Hueffen*. Manſi erant vel ingenuales, vel lediles ſerviles & abſi. Hi aliis non ſunt colendi, ſed dominus eos habuit in ſua poteſtate.
(k) *barridos*) Cados.

Lilium,
Roſas,
Fenigracum,
Coſtum,
Salviam,
Rutam,
Abrotanum,
Cucumeres,
Pepones,
Cucurbitas,
Faſeolum,
Cuminum,
Roſmarinum,
Carvum,
Cicerum Italicum,
Squillam,
Gladiolum,
Dragontea,
Aniſum,
Coloquintidas,
Solſequium,
Ameum,
Silum,
Lactucas,
Git,
Erucam albam,
Naſturtium,
Bardanam,

Pulegium,
Oliſatum,
Petroſelinum,
Apium,
Leviſticum,
Sabinam,
Anetum,
Fanicalum,
Intubas,
Dipcamnum,
Sinapi,
Satureiam,
Siſimbrium,
Mentam,
Mentaſtrum,
Tanaritam,
Nepetam,
Febrifugiam,
Papaver,
Betas,
Vulgigina,
Biſmalvas i. e. alteas,
Malvas,
Carrucas,
Paſtinacas,
Adripias,
Blitum,

Ravacaulos,
Caulos,
Uniones,
Britlas,
Porros,
Radices,
Aſcalonicas,
Cepas,
Allia,
Warentiam,
Cardones,
Fabas majores,
Piſa maurifca,
Coriandrum,
Cerefolium,
Lacteridas,
Sclarejam.
Et ille hortulanus habeat ſub domum ſuam *Jovis barbam.*
De arboribus volumus quod habeat:
Pomarios diverſi generis,
Prunarios diverſos,

Sorbarios,
Meſpilarios,
Pirarios diverſos,
Caſtanearios,
Perſicarios, diverſi generis,
Cotoniarios,
Avellanarios,
Amandalarios,
Morarios,
Lauros,
Pinos,
Ficus,
Nucarios,
Ceresarios.
Diverſi generis, Malorum nomina:
Gormaringa,
Geroldinga,
Crevedella,
Spirauca,
Dulcia,
&c.

Explicit Capitulare dominicum.

HERMANNUS CONRINGIUS
Lectori S. P.

AB editione capitularis illius abſterruit me multum, fateor, & vilitas argumenti, utpote quod totum ſit œconomicum, & barbara dictio, & librarii ruditas. Oneratus nimirum jam tum eſt mundus librorum inutilium multitudine, ut proinde haud videatur ex re eſſe ſi addas quæ nulli aut exiguo ſunt uſui vel reipublicæ vel eccleſiæ. Ut ederem tamen permovit me reverentia & gratitudo quam Carolo Magno & Francorum veteri reipublicæ debemus. Plurimum autem illis a nobis hodieque deberi nemo neſcit, niſi qui itidem ignorat, illorum auſpiciis & felici labore in unum illud reipublicæ corpus Germaniam coiiſſe, cujus reliquiis etiamnum fruimur, ſimulque per illorum pietatem religionem Chriſtianam alibi apud nos cœpiſſe, alibi multum auctam. Quibus beneficiis majus nihil finxeris. Acceſſit quod exiſtimem, illo exemplo tam magni Principis, qui cum nemo Germanici ſanguinis alius meretur forte comparari, ſive animi dotes videas ſive incredibilem felicitatem & potentiam, noſtros ſaltim Principes poſſe fortasſis adduci, ne indignum cura ſua habeant rem familiarem, quod (proh dolor!) nimium multis hodie, magno publicæ privatæque rei incommodo, eſt perſuaſum. Invitavit me porro ipſum manuſcriptum, quod illud annexum eſſet Leonis epiſtolis: tanquam alterum ſine altero nec edi debuerit. Edita vero a nobis omnia ſunt ut dederunt membranæ: eoque menda non tam ab ævi quam ſcriptoris culpa indubie complura adſunt, quod unico inſtructis exemplo nec licuerit facile illa tollere nec libuerit. Dictionem intellexeris haud difficulter, ſi non pigebit admovere gloſſaria Latino-barbara, cum illa quæ laudavimus, tum alia vetera hactenus non publicata. Ut ego inde vocularum interpretationem hic exhibeam non poſſum adduci: quod temporis mihi diligens habenda ſit ratio, nec vacet adeo vilibus & tædioſis vel horulam impendere. Cæterum ab ipſo Carolo M. eſſe hoc capitulare, ut quod res eſt fatear, non niſi per conjecturam novimus, cum manuſcriptum nihil aliud dicat quam agi illo capitulari de villis Imperatoris. Ut autem ita crederemus effecit virtus, prudentia & induſtria Caroli, quibus ille præ aliis illius familiæ plurimum enituit. Neque enim in ſcriptis ævi Carolini verſatos poteſt latere omnino a Franciçæ familiæ Imperatorum aliquo eſſe hoc capitulare: nemini autem illorum eas ingenii dotes tribuunt hiſtoriæ, ut animum ad rem quoque domeſticam recte ordinandam appulerit, præterquam uni Carolo, ferendarum legum ſtudioſiſſimo. Confirmavit ſententiam haud parum illud, quod omnia quæ in annexis membranis continentur ad unum Carolum itidem pertineant. Ut enim de epiſtolis Leonis nihil dicam, habentur ibi particulæ nonnullæ illius breviarii, quo opes omnes regnorum ſuorum in reipublicæ uſum juſſerat Carolus conſignari. Quod ſi quis nihilominus exiſtimaverit non Caroli, ſed alterius alicujus Imperatoris eſſe hoc monumentum, cum eo nolo contendere. Cujuscunque enim fuerit, mihi ſatis eſt ſi veteri aliquo & illuſtri exemplo poſſim Principes noſtros ad œconomicæ rei ſtudium permovere. Sane ſi & breviarium illud non ita eſſet mutilum, eidem fini etiam ipſum publicaſſem. Intereſt enim

Digitized by Google

enim quam maxime, ut hodie etiam iſthac in re Carolum imitentur quotquot reipublicæ uſibus ſtudent. Non ille quidem unus fuit autor tam ſalubris inſtituti. Nam & jam olim Auguſtus Cæſar reliquit *breviarium totius imperii*, teſte Suetonio. Dio l. 56. *Ab Auguſti morte prolata ſunt quatuor ipſius volumina, quorum tertium complectebatur quæ ad milites quæque ad reditus ſumptusque publicos pertinebant, item quanta pecunia ſumma in fiſco eſſet, & quæcunque ejusmodi ad imperium ſpectabant.* Etiam poſt Carolum idem in Anglia egit Guilielmus Normannus, is qui ab regno illo ſubacto nomen conqueſtoris invenit. *Totam enim terram* (verba ſunt Ingulphi Abbatis) *deſcripſit, nec erat hyda in tota Anglia quin valorem ejus & poſſeſſorem ſciret, nec lucus nec locus aliquis quin in regis rotulo extitit deſcriptus, ac ejus reditus & proventus, ipſa poſſesſio & ejus poſſeſſor regiæ notitiæ manifeſtatus juxta taxatorum fidem, qui electi de qualibet patria territorium proprium deſcribebant. Iſte rotulus vocatus eſt rotulus Wintoniæ, & ab Anglis pro ſua generalitate, quod omnia tenementa totius terræ integre contineat, Domesday cognominatur.* Sed de ipſiusmet Caroli illo inſtituto præſtat audire prudentisſimum Germanicarum rerum ſcriptorem Joannem Aventinum l. 4. *Carolus Magnus non ſolum prædia ſtipendiaria, agros, prata, vineas, villas, molas, laterarias, calcarias & hujusmodi reditus vectigaliaque: item jumenta, pecudes, mancipia, verum & propriam ſupellectilem præfectorum, præſidum, pontificum, fœminarum ſacrarum & virorum deſcriptam habuit. Juxta multitudinem jugerum, agrorum, opum, certus numerus militum auri, argenti, jumentorum, boum, pecudum, rhedarum, vehiculorum, annonæ, veſtimentorum, paludamentorum, armorum, cataphractarum, galearum, gladiorum, ſcutorum, haſtarum, arcuum, ſagittarum, pharetrarum, item ferramentorum (quæ ſunt palæ, bidentes, ligones, raſtra, cophini, dolabra, ſecures, aſciæ, ſerræ) inductus & definitus eſt.* Hæc Aventinus. Qui mox nonnulla ſubjungit, quibus noſtri mores acriter perſtringuntur. Fortasſis autem licet etiam illa hic repetere, quum occaſio iſthuc nos ducat. *At nunc miſera eſt conditio impotentium, qui expertes omnium vectigalium, univerſorum exortes tributorum ſunt. Cunctis opibus imperii, prædiisque regiis, Epiſcopi, Duces, Tetrarchæ, Dynaſtæ incubant. Hi ubi injuria a quopiam adfecti fuerint, continuo officium Cæſaris, etiam illius periculo, implorant: ipſi interim nec reipub. nec Imperatori, etiamſi hiece procella ingruerit, quicquam penitus niſi grandi pecunia redemti præſtant. Eodem pacto cum Ducibus fit & agitur. Comites eorum, equites, monachi, myſtæ, quævis beneficia populi & regulorum occupant: ipſi tamen hujusmodi munia a ſe in Principem & egenos agricolas & cives (quibus nihil emolumenti, ne obulus quidem, e fiſco ærariove accedit) relegant. Equites, quibus fiſcus & æraria ſerviunt, niſi auro oppignorati, non parent. Ita regna, regiones, urbes, pagi, oppida, Principes, cæteri omnes ad egeſtatem rediguntur: paucorum potentia divitiæque in immenſum ſubito creſcunt. Hiſce moribus complura, quæ majores ſanguine ſuo & multo ſudore pepererė, perdidimus: haud dubie & reliqua quæ adhuc posſidere videmur, niſi reſipiſcamus, amiſſuri. Nullus delectus tyronum eſt, nulla præmia veteranorum. Vltro militiam, non ſacramento rogati religioneque adacti, levisſimus quisque ac ſtrenuus potator ſectari ſolet: nec de conditione moribusve aliqua quæſtio.* Verum hæc alibi commodius fortasſis leguntur atque expenduntur. Neque vero illa nunc agere hic locus patitur: utpote quum non niſi Carolini illius inſtituti repeti heic memoria debuerit, & quidem tantum in id, ut noſtro capitulari auctoritas ſua confirmetur. Quod, niſi fallor, abunde factum eſt.

Antea tamen quam ab hoc libello manum ſemoveamus, non abs re forte fuerit addere nonnihil ad Leonis epiſtolas pertinens, quod forte fortuna nunc obſervamus. Recitat nimirum Gratianus *p. 2. Decreti c. 2. q. 7. §. 41.* partem quandam epiſtolæ ad Ludovicum Imperatorem, ſed quam inſcriptio etiam illa, quæ in emendatis codicibus autoritate Gregorii XIII. editis reperitur, Leoni IV. Papæ acceptam refert. Videtur autem omnino non quarti ſed tertii Leonis noſtri eſſe & quidem anno DCCCXV. exarata, cum graviter Leo apud Ludovicum Pium eſſet accuſatus. Etenim Leone IV. ſedente ſumma imperii penes Lotharium Cæſarem fuit non Ludovicum. Vtque Platina memoret hunc etiam apud Lotharium accuſatum, antiqui tamen ſcriptores, ut Anaſtaſius aut Luitprandus, id haud memorant: & tamen ab Anaſtaſio non eſt ſilentio præterita acris illa in Gratianum, militiæ Romanæ magiſtrum perduellionis reum, per ipſum Ludovicum Lotharii filium Romæ inſtituta inquiſitio. Cujuscunque autem ſint Leonis, forte haud abs re fuerit verbis illis claudere hunc libellum: præſertim quum illa doceant eodem cultu Ludovicum Cæſarem a Leone eſſe affectum, quo honoratus fuit pater Carolus. Etenim ex *humilitatis diſpenſatione* quadam factum hoc eſſe, quod nuperi annotatores cauſſantur, ab ærugine eſt Hildebrandina. Præſtat Leonem ipſum audire: *Nos ſi incompetenter aliquid egimus & ſubditis juſtæ legis tramitem non conſervavimus, veſtro ac miſſorum veſtrorum cuncta volumus emendare judicio. Quoniam ſi nos, qui aliena debemus corrigere, pejora committimus, certe non veritatis diſcipuli, ſed (quod nolentes dicimus) erimus præ cæteris erroris magiſtri. Inde magnitudinis veſtræ magnopere* clementiam *imploramus, ut tales ad hæc quæ diximus inquirenda miſſos in his partibus dirigatis, qui Deum per omnia timeant, & cuncta (quemadmodum ſi veſtra præſens fuiſſet Imperialis gloria) diligenter exquirant. Et non tantum hæc ſola, quæ ſuperius diximus, quærimus ut examusſim exagitent; ſed ſine mora, ſive etiam majora illis ſint de nobis indicata negocia, ita eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus impoſterum nihil ſit quod ab iis indiſcuſſum vel indefinitum remaneat.*

oogle

Hiſtoria electionis Alexandri VII. Papæ.

Adjuncta ſunt opuſcula varia ejusdem argumenti,

opera

HERMANNI CONRINGII

CIϽ IϽ C LVII.

Sereniſſimo Principi ac Domino

ANTHONIO VLRICO, AVGVSTI FILIO

Duci Brunſvicenſ. & Lyneburgenſium, Domino meo clementiſſimo

felicia quæque precor

HERMANNVS CONRINGIVS.

QVod in omnibus ſcientiis artibusque, idem & in ſacra, quam divinitus revelatam credimus, doctrina uſuvenire deprehenditur; illos potiſſimum errores fœcundos eſſe & periculi plenos, qui circa prima doctrinæ principia committuntur, ac proinde in id etiam eſſe atque etiam incumbendum, ut illi caveantur & tollantur de medio. Ad hunc ordinem vero pertinet omnino, quæ de Pontificis Romani divino in hunc terrarum orbem, imo & in cœlos atque inferos usque, vicariatu vertitur controverſia. Enimvero Dei in terris vice funguntur quadamtenus etiam Reges ac Principes; omnibus quoque epiſcopis & presbyteris tale quid commune eſſe, vox jam fuit nonnullorum primitivæ eccleſiæ. At immane quantum diſpar eſt is divinus vicariatus, quem ſibi ſoli datum Romanus Papa arrogat, quemve curiæ illius ſectatores in vulgus ſolent jactitare. Quum tria enim ſint, in quibus cardo cujuslibet reipublicæ verſetur, poteſtas videlicet ſumma, quæ circa leges ferendas potiſſimum eſt occupata, magiſtratuum conſtitutio, & judicum atque judiciorum ordo; per univerſum Chriſtianum orbem, imo ut nonnulli volunt, ſimpliciter per orbem omnem, ſaltim in ſacris omnibus, Papa ſeſe ſolum venditat, certe ſolum Papam curia venditat abſolutum & *ἀνυπεύθυνον* monarcham, a Deo ipſo ſupra naturæ vim conſtitutum. Prætextu ſane legislatoriæ illius ſummæ poteſtatis, conciliorum quamvis œcumenicorum decreta omnia a ſuo nutu ſuſpendunt Papæ: atque *ſecundum plenitudinem poteſtatis de jure ſe poſſe ſupra jus diſpenſare*, gloriatus quondam eſt Innocentius tertius. Eodem pertinet omnium quæ ad ſalutarem fidem & mores pertinet controverſiarum infallibilis definiendi facultas: imo id quod dictavit quondam Gregorius ſeptimus, *absque Papæ auctoritate nullum librum nullumque capitulum canonicum haberi:* quodque Nicolaus primus non dubitavit profiteri, ſucceſſores vero in ipſum Gratiani decretum receperunt, *Vetus & Novum Teſtamentum non niſi ex Pontificum conſtitutione a Chriſtianis recipi meruiſſe.* (a) Huc imo haud injuria retuleris & illud, quod, Bellarmino prodente, *diſpenſet Pontifex in votis & juramentis quæ Deus ipſe juſſit reddi, & quorum ſolutio de jure divino eſt.* Secundæ claſſis ſunt *illi Gregorii VII. dictatus:* (b) *Quod ſolus Romanus Pontifex jure dicatur univerſalis: Quod ille ſolus poſſit deponere epiſcopos vel reconciliare: Quod legatus ejus etiam inferioris gradus omnibus epiſcopis præſit in concilio, & adverſus eos ſententiam depoſitionis poſſit dare: Quod illi ſoli liceat pro temporis neceſſitate novas leges condere, novas plebes congregare, de canonia abbatiam facere & econtra, divitem epiſcopatum dividere & inopes unire: Quod illi liceat de ſede ad ſedem neceſſitate cogente epiſcopos transmutare: Quod absque ſynodali conventu poſſit epiſcopos deponere & reconciliare: Quod de omni eccleſia quocunque voluerit clericum valeat ordinare.* Quorum omnium hæc eſt una communis ſententia: quod omnes magiſtratus eccleſiaſtici (tales enim ſunt epiſcopatus & abbatiæ & canonicatus) quoad inſtitutionem pariter atque collationem jure divino arbitrii ſint Papalis. Et vero hoc prætextu Papæ, proximis ante concilium Conſtantienſe & Baſileenſe ſeculis, nihil fere horum non reapſe exercuerunt, donec alibi atque alibi frenata aliquantulum eſt immodica atque intolerabilis licentia; ita tamen, ut quicquid ejus eſt remiſſum, curia Romana, quaſi ex gratia datum beneficium atque privilegium, habeat. Non niſi magiſtratuum porro & conſiliariorum vice fungi in conciliis epiſcopi creduntur. Hinc Leo X. in concilio Lateranenſi edixit, *ſolum Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, tanquam auctoritatem ſuper omnia concilia habentem, conciliorum indicendorum, transferendorum ac diſſolvendorum plenum jus & poteſtatem habere:* hinc etiam ipſo ſtatim concilii Tridentini exordio, & poſt ſemper, pro re nata, *Papa diſertis verbis hanc ſuam poteſtatem per legatos fecerunt*

(a) *Vetus & Novum Teſtamentum non niſi ex Pontificum conſtitutione a Chriſtianis recipi meruiſſe)* Πρῶτον ψεῦδος eſt, quo nituntur Pontificii, ab eccleſiæ autoritate dependere conſtitutionem canonis. Jam cum Pontifex repræſentat eccleſiam, proinde ex ejus decreto eſſe aſſerunt, quinam S. Codicis libri pro genuinis recipiendi ſint nec ne. Quo ipſo nonnulli recepti ſunt in numerum librorum ſacræ ſcripturæ, quos tamen apocryphos nec ejusdem cum cæteris canonicæ eſſe autoritatis cum ex teſtimoniis veterum, tum ex ipſorum librorum contentis luculenter poteſt demonſtrari.

(b) *illi Gregorii VII. dictatus)* Eosdem ex *annal.* BARONII *a.* 1076. *n.* 31. recenſet *CALIXTVS tr. de conjugio clericorum p.* 576. *ſeqq.* ubi & hiſtoria de Henrico IV. fuſe pertractatur. Conf. ejusdem reſponſum Moguntinis datum *p.* 111. 112.

runt patribus inculcari. (a) Poſtremo quod judicia attinet, in hunc modum jam dictavit Hildebrandus: *Quod ſententia Papæ a nullo debeat retractari, & ipſe omnium ſolus retractare poſſit: Quod a nemine ipſe judicari debeat: Quod nullus audeat condemnare apoſtolicam ſedem appellantem: Quod majores cauſſæ cujuscumque eccleſiæ ad eum referri debeant.* Non multo poſt curaverunt Papæ inter canonica jura perpetuo legi: *Si Papa innumerabiles populos catervatim in gehennam ſecumducat*, non eſſe fas, quenquam mortalium hanc culpam redarguere. Nec tamen diffiteor, nonnullos eorum mitius videri ſenſiſſe, agnoſcentes nimirum & in hæreſin prolabi Papam & hactenus haud injuſte redargui poſſe. Dixeris ſane hanc fuiſſe ſententiam ipſiusmet etiam Pauli IVti, quia non dubitavit in bulla *Cum ex Apoſtolatus* in hæc verba loqui: *Nos conſiderantes rem gravem & periculoſam eſſe, ut Romanus Pontifex, qui Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti vices gerit in terris, & ſuper gentes & regna plenitudinem obtinet poteſtatis, omnesque judicat a nemine in hoc ſeculo judicandus, poſſit, ſi deprehendatur a fide devius, redargui.* Hanc illimitatam ſacram monarchiam ſolent quidem Pontifices quam maxime in perſonas & res quæ ſacris ſunt dedicatæ ſibi attribuere, & quoad licet exercere, (nec enim in illas niſi ſolis ſibi juriſdictionem aliquam eſſe, & quidem divini illius vicariatus jure, contendunt, ac proinde hos cumprimis homines *ſacramentis ſibi devinciunt in plenam obedientiam)* (b) attamen & in reliquos ſaltim Chriſtianæ fidei addictos quosque, eorumque vitam ac bona, atque adeo omnes etiam Reges, Principes ac ſummas quasque poteſtates vicarialem illam ſuam divinam majeſtatem, prætextu ſacrorum, quibus ſane omnes perinde tenentur, extendunt, reapſe uſurpare omni ope annituntur. Imo vero nonnulli eorum haud dubitant, ſimpliciter, etiam nullo ſacrorum reſpectu, in Chriſtianos omnes, imo in omnes omnino populos univerſi terrarum orbis, vi ſui divini vicariatus, imperium ſummum ſibi attribuere. *Alexander VI.* (c) ſane magnam orbis terræ partem, in qua nulla erat eccleſia, Regibus Caſtellæ, ut ipſe loquitur, *donavit, conceſſit & aſſignavit, auctoritate omnipotentis Dei ſibi in beato Petro conceſſa, ac vicariatus Jeſu Chriſti quo fungeretur in terris.* Simili ratione jamdudum ante multi Pontifices bellandi jus dederant Chriſtianis Europæis in Sarracenos & paganos quosque, aſſignato victoribus omni eo, quod armis potuit occupari. Quæ res immania bella peperit per Americam cumprimis, Aſiam & Africam: ut nunc taceam illa, quæ contra Pruſſos & Livones & Venedos antiquos a noſtratibus hoc prætextu geſta ſunt. Sed & ſcrutantibus accuratius Pontificum bullas, haud difficile obſervatu eſt, non *indirectam* quam vocant poteſtatem in Principes, ſed omnino *directam* Papas ſibi arrogare. Certe quum non niſi *indirectam* auctoritatem Papis deberi diſputaſſet ipſe Bellarminus, *ſatisfacere non potuit* (verba ſunt Guilielmi Barclaji lib. de poteſtate Papæ c. 13.) *ambitioni imperioſiſſimi hominis Sixti V. qui ſe ſupremam in omnes Reges & Principes univerſæ terræ, cunctosque populos, gentes & nationes, non humana ſed divina inſtitutione ſibi traditam poteſtatem obtinere, affirmabat in bulla contra Henricum III. Francorum Regem:* itaque *parum abfuit, quin omnia doctoris illius opera pontificia cenſura aboleret.* (d) *Ut illius ordinis patres cujus tunc erat Bellarminus, ſerio Barclajo narraverunt.* Jam olim vero ipſemet Hildebrandus in bulla, qua Henricum IV. legitimum Cæſarem & dominum ſuum nulla hæreſi laborantem excommunicabat, univerſim jactitavit, *in terra imperia, regna, principatus, & quicquid habere mortales poſſunt, auferre & dare ſe poſſe.* Illimitate item dictavit: *Quod ſolius Papæ pedes OMNES Principes deoſculentur: quod illi liceat Imperatores deponere: quod a fide-*

litate

(a) *Papæ diſertis verbis hanc ſuam poteſtatem &c.)* Sane cum ex aliis tum ex hiſtoria ſeſſionis quintæ hujus concilii luculenter conſtat, qua ratione Pontifex legatos ſuos monuerit, ut caveant, ne ullum deinceps decretum promulgetur, niſi Romæ prius approbatum, & ne unquam quacunque de cauſa ad diſputationem de autoritate Papæ veniatur. Quamvis igitur theologi Tridenti præſentes nonnunquam contrarias foverent defenderentque ſententias, tamen ad nutum & voluntatem Pontificum tandem omnia ibi conſtituta ſunt, quod cumprimis ad oculum oſtendunt FRANCISCI DE VARGAS & PETRI DE MALVENDA epiſtolæ, quas ex Hiſpan. lingua in Gallicam tranſtulit MICH. LE VASSOR *Amſtel.* 1699. Cujus rei unicum ſaltim ſufficere poterit exemplum, quod cum *ſeſſ.* 4. decreto, quo traditiones pari pietatis affectu cum S. literis recipi jubentur, contradiceret Jacobus Nachiantes Foſſæ Claudiæ epiſcopus, is confeſtim a legatis Pontificiis juſſus ſit Tridento excedere, uti VERGERIVS *epiſtola ad Regem Polon. f.* 119. refert.

(b) *ſacramentis ſibi devinciunt in plenam obedientiam)* Exemplo eſſe poterunt epiſcopi, qui archiepiſcopis perque eos hodie Pontifici jurare tenentur, non de verbo Dei pure conſervando, ſed quod obedientes eſſe velint Papæ Romano, honorifice ſuſcipere legatos, privilegia & dignitatem eccleſiæ Romanæ defendere, perſequi hæreticos, quovis tertio aut quarto anno ſedem inviſere Apoſtolicam, etſi id fiat per legatos, non vendere & alienare poſſeſſiones eccleſiæ abſque venia Pontificis, & vocati ad ſynodum venire. Conf. *Pontificale Romanum capite de conſecratione electi in epiſcopum.* Olim vero & de fide & de obedientia ſola Romanæ ſervanda jurare tenebantur, prout apparet ex formula juramenti quam Bonifacius a. 723. præſtitit apud BARONIVM *ad h. a n.* 4.

(c) *Alexander VI.)* Anno nimirum 1493. cum ex novo orbe reduſſet Colonus, alias dictus Columbus. Tum enim Ferdinandus Catholicus a Pontifice obtinuit inſulas omnes & regiones verſus occidentem detegendas a primo meridiano, quem ipſe tunc ſtatuit centum leucis a promontorio viridi aut inſulis Azoribus, teſte LOPESIO *in hiſtoria Indica*, ubi & Pontificis bulla proponitur. Hoc ipſum autem graviſſimæ deinde contentionis inter Luſitanos & Caſtellanos anſam dedit, illis diploma Eugenii IV, his vero Alexandri VI. objicientibus.

(d) *parum abfuit, quin omnia &c.)* BELLARMINVS *lib. 5 de Romano Pontifice* aſſeruerat dominium Papæ indirectum circa temporalia. Id vero minus Sixto V. nimium vero Gallis videbatur. Quare non modo Sixtus opera ejus in catalogum librorum prohibitorum retulit, in quo usque ad mortem quoque Pontificis permanſerunt, ſed & Galli ad rogum damnarunt librum ejus contra Barclajum, isque flammæ datus fuiſſet, niſi Regina ſollicitationibus Bellarmini & Jeſuitarum permota interceſſiſſet, uti legitur apud THVANVM *tom.* 4. *lib* 3. *f.* 125. & in *Mercurio Gallico Belgico tom.* 8. *lib.* 4. *f.* 125. non diſſimulante etiam alibi FVLIGATTO. Errant proinde, qui librum Bellarmini judicio & decreto ſupremo curiæ Pariſienſis publice per carnificem combuſtum fuiſſe commemorarunt. Verba quidem arreſti leguntur apud Gerhardum. Conf. *cathol. lib.* 2. *art.* 3. *cap.* 9. *f.* 901. Sed hoc ipſum executioni datum non fuit.

litate iniquorum (non ſcilicet ſolorum hæreticorum aut ſchismaticorum) *ſubjectos poteſt abſolvere.* Illimitatam quoque Paparum hanc poteſtatem rationibus undequaque congeſtis ſtuduit defendere epiſtola operoſe ſcripta ad Hermannum Metenſem epiſcopum. Ad eundem modum *Innocentius III.* (a) in epiſtola ad patriarcham Conſtantinopolitanum diſertis verbis profitetur, commiſſum *eſſe Petro* (ac proinde & Romano Papæ) *non ſolum univerſam eccleſiam ſed totum ſeculum gubernandum.* Nec profitetur id duntaxat, verum etiam conatur approbare, petitis ex evangelio teſtimoniis, inter alia ita ratiocinans: *Quum aquæ multæ ſint populi multi, congregationesque aquarum ſint maria; per hoc quod Petrus ſuper aquas maris inceſſit, ſuper univerſos populos ſe poteſtatem accepiſſe monſtravit.* *Bonifacius quoque octavus* (b) in ſua extravagante *Unam ſanctam* ſimpliciter ſcribit: *ſubeſſe Romano Pontifici, OMNI HUMANÆ CREATURÆ, declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus, omnino eſſe de neceſſitate ſalutis,* cum paulo ante Manichæiſmi accuſaſſet, qui pertendunt non omnem terrenam poteſtatem a Deo eſſe ſubjectam ſpirituali ſive Pontificiæ jurisdictioni. Non multo denique ante Alexandrum VI. *Pius ſecundus* (c) Mahumetem ſecundum Turcarum Imperatorem, qui nuperrime Conſtantinopolim occupaverat, non dubitavit ad fidem Chriſtianam invitare, in præmium propoſito, quod velit illum *Græcorum & orientis Imperatorem appellare, ut quod vi occuparat & cum injuria teneret jure poſſideat,* item quod velit illum *conſtituere legitimum Principem* etiam *Syrorum, Lybicorum, Arabum & quarumcunque aliarum gentium extra Chriſti caulas.* Non in terris vero tantum hæret illud vicariale Papæ imperium, ſed in cœlos usque & ad inferos penetrat. Enimvero jus omne abſolvendi a peccatis pœnitentes uni ſibi primo ac per ſe competere Papa gloriatur, eoque nomine partem quidem hujus presbyteris atque epiſcopis committit tanquam magiſtratibus ſuis, partem vero, quæ ſcilicet multum vel majeſtatis vel quæſtus habet, ſoli ſibi & ſuæ curiæ exercendam reſervat. Hoc vero abſolvendi ſive clavium jus ita interpretatur, quaſi poteſtas ſit quædam, non indicandi divinam mentem, *ſed propria quadam auctoritas* (d) ſimpliciter vel abſolvendi vel damnandi, & quidem eo effectu, ut in cœlo eandem ſententiam approbare Deus ipſemet debeat. Similiter ex igne purgatorio animas liberare arbitrii creditur eſſe Papalis. Eapropter ſane tam varias quoque & tam multas, per cereas agni imagunculas, roſaria, grana, medalias, corollas & id genus alia infinita, indulgentiarum ſpecies, animarum liberandarum gratia, ſolet paſſim terrarum liberali manu Papa conſtituere. Vanus vero fuerit hic conatus, vana jactantia, niſi ſimul ipſi etiam angeli & dæmones, ad nutum Papæ, illius ſententiis cogantur obedire, ut nimirum animas ad juſſa Papæ vel angeli ſublevent vel dæmones detrudant. Ut haud injuria quondam *Clemens ſextus* (e) diſerte imperaverit in bulla jubilæi, *angelis*

(a) *Innocentius III.*) Vid. *c.6. de majoritate & obedientia*, ubi & mira ſophismata legas licet, quibus Pontifex utitur ut ad objecta Petri verba 1. *Pet. 2. ſubditi eſtote omni creaturæ;* quomodocunque reſpondeat.

(b) *Bonifacius VIII.*) Is inter alia l. c. ita argumentatur. Una eſt eccleſia catholica. Ergo unus eſt Papa. In hac porro duo ſunt gladii unus temporalis, alter ſpiritualis. Ratio, quia Apoſtoli dixerunt: Ecce hic duo ſunt gladii, nec reſpondet Chriſtus, quod nimis hoc, ſed quod ſatis ſit.

(c) *Pius II.*) (Antea Æneas Sylvius dictus) Rem omnem ita refert PALATIUS *vol. 3. pag. 613. Turcæ inſulas omnes Ægei maris, quas Calixtus III. Chriſtiano reſtituerat imperio, occupaverant. Atque hujus culpæ participem voluere Pontificem Lesbii, Mityleni, Stalimeni, Peloponeſi, conquerentes, ſe in Pontificis clientelam conceſſiſſe ſpe futuri auxilii, ipſum vero ambitu amplificandæ familiæ Piccolomineæ percuſſo fœdere cum Ferdinando Alphonſi notho orientis oblatum ſtudia omnia contra Andegavenſem contuliſſe. Excuſavit autem ſe Pius II. quod partas a Calixto inſulas non defenderit. cap. 88. hiſtor. Aſiat. tandemque irruenti Turcæ obſiſtere impotens ad amplectendam Chriſti fidem epiſtolis ſuis Mahomedem excitavit, tunc jure orientis imperatorem appellandum, nec eos audiret, qui ſuſcepto vociferarentur baptiſmo illum a Turcis dejiciendum, ac modum, quo populos facile in officio contineret, edocuit, Conſtantini & aliorum Regum, qui Chriſto nomen dederunt, exemplo propoſito, expoſitis poſtea Chriſtianæ fidei myſteriis, Mahometicæ legis deliramenta detexit. Matre enim Macedone natus Mahometes Turcarum Imper. Mahomedicam impietatem ſuſpectam habebat. Obtuſas autem cum veritati aures præberet, quod nullam legem colere crederetur, ad frangendum ejus animum armis Pius conſilia convertit, ſero tamen.* Cæterum epiſtola hæc Pii II. ad Turcarum Imperatorem Mohammedem II. legitur inter epiſtolas ÆNEÆ SYLVII *numero* 396. nec non in THEOD. BIBLIANDRI *tom. III. de relig. Mohammed.* ubi inſcribitur epiſtola Pii II. ad Morbiſanum Turcarum principem, additurque ficta Morbiſani reſponſio.

(d) *ſed propria quadam autoritas*) Ajunt enim Chriſtum *Joh.* 20. 23. judiciariam poteſtatem abſolvendi peccatores apoſtolis eorumque ſucceſſoribus contuliſſe; quo poſito fieri aliter nequit, quin judicis ſententia valeat ſemel pronunciata, nec poſſit, qui per eam abſolutus eſt, non eſſe & haberi abſolutus. Contra quam hypotheſin non immerito Evangelici urgent, ſententiam abſolutoriam, quam eccleſiæ miniſtri ferunt, non valere coram Deo niſi digni ſunt confitentes.

(e) *Clemens VI.*) Audiamus, quæ de hoc Pontifice inter alia commemorat MARTINUS MINORITA *in floribus temporum tom. 1. corporis hiſtorici Eccardiani p. 1634. Clemens* quot annis ſit ſeſſurus neſcio, cum adhuc ſanus vivat, de quo nihil mali affirmo, neque ſibi obloquentibus credo, licet plura mala de eo fabulentur, præſertim quod quando in die S. Petri Evangeliſtæ in ſummum Pontificem fuerat electus, concubina ſua peperit ſibi puerum in profeſto S. Georgii Martyris. Anno Domini 1345. Rex Apuliæ Andreas frater Regis Ungariæ, qui ambo fuerunt ex fratre pronepotes ſancti videlicet Ludovici epiſcopi ordinis Minorum & domini Ruperti Regis Siciliæ & Apuliæ, in lecto dormiens cum uxore ſua, ſtrangulatus fuit conſcia conſorte. Hoc flagitium multi æmuli Papæ & 4. cardinalibus ſuis impingunt, Papa vero ſe de hoc crimine expurgavit. E contra vero æmuli ſui dicunt, quod contra ipſum laborant validæ ſuſpiciones. Creavit enim germanum ſuum Regem Apuliæ & Siciliæ, dicens illa regna ad ſedem apoſtolicam pertinere, ideo in feudum conceſſit fratri ſuo prædicto illa regna, & conceſſit ſibi eodem die quo ſe expurgaverat, M D faleratos dextrarios cum expenſis copioſis de camera apoſtolica ad prædicta regna expugnanda &c. Cæterum addimus quoque JOH. PALATII verba, quibus bullam Jubilæi a Clemente VI. editam excuſare annititur. *Vol. 3. pag. 272. Pontifex*, ait, *Jubilæum ab antiquis ſeculum appellatum, cum mortalium nulli vel pauciſſimi centeſimum annum attingerent, libenter annuit, ut quoque quinquageſimo anno celebraretur. C. unigenitus ex. de pœnit. & remiſſ. Per hanc bullam fingunt hæretici, inter quos Mornæus, mandatum Angelis, ut ad libitum viſitantium limina ſacra animas a purgatorio educerent ex inferno & in ſinum*

angelis Paradiſi, ut *animam* illius (quem ſcilicet ipſe *a peccatis ſuis immunem & abſolutum* pronunciaverat) *a purgatorio prorſus abſolutam ad paradiſi gloriam introducant.* Etſi enim a tali formula abſtinuerint deinceps Papæ, reapſe tamen tale jus in angelos ac dæmones, & ſibi arrogant, & exercent in omnem partem, ſuo ſacrarum clavium uſu. Et quidni illi ſibi tribuant hoc, cum quilibet ſacerdos pœnitentiarius, ſi credimus Theophilo Remundo Jeſuitæ, *habeat cacodæmones pro ſatellitibus, pro miniſtris beatas mentes?*

Tam late patet is Chriſti vicariatus quem ſibi Papa vendicat: & uno illo vocabulo hæc infinita quaſi potentia, certe longo intervallo ſuperans omnem vim atque conditionem humanam auctoritas, ſignificatur. Et vero hujus admirandi vicariatus ſacri nomine ſibi ſoli adorationem & *pedum oſcula Papa expetit:* (a) prout jam tum ex Hildebrandi dictatibus recitavimus illud: *Quod SOLIVS Papæ pedes omnes Principes deoſculentur.* Imo hunc vicariatum ſtudet Papa ipſo capitis ſui ornatu indicare. Hinc ſane in hæc verba prorupit jam olim Innocentius III. in publico ſermone, quem de coronatione Papali tertium habuit: *Eccleſia ſponſa non nupſit vacua, ſed dotem mihi tribuit abſque pretio pretioſam, ſpiritualem plenitudinem, & latitudinem imperialem, magnitudinem & multitudinem utrorumque. In ſignum ſpiritualium contulit mihi mitram, in ſignum temporalium dedit mihi coronam; Mitram pro ſacerdotio & coronam pro regno: illius me conſtituens in vicarium, qui habet in veſtimento & femore ſuo ſcriptum, Rex Regum & Dominus dominantium.* Vicariatus denique illius nomine Papa, & ipſemet extra conditionem humanæ ſortis ſeſe poſitum venditat, & ab aliis Deum ſeſe dici non patitur tantum ſed haud obſcure affectat. Jam tum ſane Nicolaus primus ita ſcripſit ad Michaëlem Conſtantinopolitanum Imperatorem: *Satis evidenter oſtenditur, a ſeculari poteſtate nec ligari prorſus, nec ſolvi poſſe Pontificem; quem conſtat a pio Principe Conſtantino DEVM appellatum: nec poſſe Deum ab hominibus judicari certum eſt.* Placuiſſe vero idem & ſucceſſoribus argumento eſt, quia hoc Nicolai in decretum Gratianeum admiſerunt omnes, expunxit aut emendavit nemo. Imo vero cum in gloſſam juris canonici irrepſiſſent illa: *Dominus Deus noſter Papa:* (b) ne illa quidem hactenus permiſerunt deleri; etſi in rejiciendis iis, quæ vel leviter Papali honori derogant, nulli operæ pepercerint.

Talia tantaque cum vicariatus divinus Paparum polliceatur, in officio profecto eſt prudentis & ſuarum rerum ſatagentis cujusque, ſedulo accurateque inquirere, num ex omni parte vero ille ſit, nec ne conſentaneus; & ſi fictus fortasſis eſt, utrum ſaltim aliquid veri non comprehendat. Enimvero plurimum intereſt quid hujus verum quid falſum, idque ad omnem vitam omnium plane hominum, cum eam quam hisce in terris degimus, tum quam æternam exſpectamus. Bene ſane Bellarminus & convenienter hypotheſi: *De qua re agitur, cum de primatu* (hac molliore voce vicariatum intelligit, cum olim non niſi primum honoris locum denotaret) *Pontificis agitur? breviſſime dicam, de ſumma rei Chriſtianæ.* Neque vero nonnulli Pontifices diſſimulaverunt, Pontificiæ ſedis obedientiam, ex ſua quidem ſententia, ad æternam ſalutem conſequendam eſſe neceſſariam. Hinc jam olim dictavit Gregorius VII. *Quod catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ eccleſiæ* h. e. curiæ. Bonifacii Octavi illud, *ſubeſſe Romano Pontifici omnino eſſe de neceſſitate ſalutis*, in ipſum jus canonicum eſt receptum. Pio IV. auctore *in publicam fidei profeſſionem* (c) tranſierunt etiam hæc: *Sanctam catholicam apoſtolicam Romanam eccleſiam omnium eccleſiarum matrem & magiſtram agnoſco: Romanoque Pontifici, B. Petri apoſtolorum principis ſucceſſori, & Jeſu Chriſti vicario, VERAM obedientiam ſpondeo ac juro:* non multo poſt illa ſubnexa communi clauſula: *hanc eſſe veram catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt.* Iisdem veſtigiis inſiſtens Paulus V. initio hujus ſeculi, cum Jacobus Angliæ Rex ſubditis ſuis pontificiis ſecuritatis publicæ cauſa juramenti formulam propoſuiſſet, qua tantum negabatur, Regem poteſtati Pontificiæ eſſe ſubjectum, ita ut per eam regnum ipſi poſſit jure auferri, aut ſubditi queant juramento fidelitatis ſolvi, pronunciavit tranſmiſſo brevi, quod appellant,

Abrahæ deportarent. Hæc falſa, nullus namque Pontificum adverſus angelos imperium ſibi arrogavit, nec per modum judicii vel abſolutionis animabus defunctorum largitus eſt indulgentias, ſed tantum per modum ſuffragii Deum ſcilicet deprecando &c.

(a) *pedum oſcula Papa expetit*) Ut autem inſolentia palliaretur crucis ſignum in calciamentis poſitum eſt. Conſtitutum id fuit in concilio Romano ſub Gregorio VII. deinde etiam, ut ad pedes Pontificis juramentum fieret, ſancitum fuit in concilio Lateranenſi ſub Julio II. *ſeſſ.* 1. Imitati in eo ſunt gentilium Imperatores, ex quibus, ref. SENECA *l. 2. de beneficiis c.* 2. Cæſar Pompejo Penno ſiniſtrum pedem oſculandum porrexit, nec non Caligula & Maximinus Junior, apud JVLIVM CAPITOLINVM.

(b) *Dominus Deus noſter Papa*) *In gloſſa ad cap. cum inter 4. verbo declaramus de verb. ſignific. in extrav. Joh.* 23. quam quidem *Thomas Mauriquius* S. Palatii magiſter delere aut omittere voluit, confirmavit tamen poſtea Gregorius XIII. bulla a. 1580. d. 1. Jul. promulgata, quæ præmiſſa eſt juri canonico Romæ & Pariſiis edito. Eundem titulum affectavit olim Domitianus, uti eſt apud SVETONIVM *in vita ejus c.* 13. Etſi vero hodie abſtineant Pontifices a titulo Dei, tamen non immerito dicendum de iis, quod olim dixit de Donato OPTATVS MILEVITANVS *lib.* 3. Quamvis non ſit uſus hac voce (ego ſum Deus) tamen aut fecit aut paſſus eſt, quod defectum hujus vocis ſuppleret. Extulit cor ſuum, ut nullum hominem ſibi comparandum arbitraretur, & de tumore mentis ſuæ altior ſibi viſus eſt eſſe omnibus, quia quicquid eſt ſupra homines, jam quaſi Deus eſt.

(c) *in publicam fidei profeſſionem*) Integram profesſionis fidei Tridentinæ formulam lege *in bulla Pii IV. Injunctum nobis.* Eam B. VAL. ALBERTI juxta exemplar ſubjunctum concilio Tridentino a Chifletio edito una cum variationibus in bullario magno deſcriptum præmiſit *examini ſuo profeſſionis fidei Trident.* Conf. de eadem P. SVAVIS *hiſtoria conc. Trid. lib.* 8. *p.* 89. Obſervandum autem, Gallos hanc profesſionem fidei admittere, atque adeo ſec. *artic.* 10. obedientiam Pontifici polliceri, licet de cætero concilium Tridentinum ipſum tanquam libertati ſuæ contrarium non æque in omnibus admittant. Vid. HECTORIS G. MASII *diſſert. de contemtu concil. Tridentini in Gallia.*

pellant, apoſtolico: *hujusmodi juramentum ſalva fide catholica & ſalute animorum præſtari non poſſe, quum multa contineat, quæ fidei & ſaluti aperte adverſentur. Complures quidem, Pontificiis etiam ſacris addicti,* (a) vicariatum illum Papalem intra anguſtos admodum limites compellunt, imo omnino vel rident, vel ſpernunt, vel deteſtantur, idque non clam, ſed palam ſatis: alii omne hoc non eſſe tanti exiſtimant, quaſi ſit perinde ſive credas ſive non credas: nec minus tamen Romana curia univerſos illos tolerat, certe illis haud ſeſe opponit, aut iis aperte adverſatur. Atque adeo fortaſſis videtur, bona curiæ illius gratia ſecus credi poſſe, aut certe rem non eſſe ejus, cujus nos diximus, momenti ponderisque. Verum enimvero ita qui ſentiunt non ſatis videntur curiæ morum gnari: familiare nimirum huic eſſe, omnia ad *rationem ſtatus*, quam vocant, componendo ipſorum quoque fidei dogmatum vim juxta leges uſus publici nunc intendere nunc remittere; ac proinde connivere quidem ad nonnulla etiam peringrata, ſed quaſi coactam, vires reſumpturam & oſtentaturam cornua, ubi locorum temporumque oportunitas tulerit. Neque vero quæ ſit ipſiusmet Papalis curiæ de vicariatu ſententia, ſinunt nos latere tot, non quorundam privatorum magiſtrorum duntaxat, (quod quidam excuſandis Pontificibus ſuaviter fingunt) ſed ipſorummet Pontificum perpetua dicta, eaque in legum cenſum relata, imo perpetua ſaltim a Gregorii ſeptimi ætate, per annos prope ſexcentos integri illius vicarialis juris uſurpatio. Quei vero non plurimum intererſit, fictusne ſit ille vicariatus an verus? Si verus ſane eſt, utique in illo ſitum eſt ipſummet Chriſtianæ religionis, & eccleſiaſtici imo & civilis omnis regiminis, unicum fundamentum. An autem dixeris, perinde eſſe quemadmodum fundamentum illud ſeſe habeat, aut perinde eſſe quid de fundamento illo homines credant? An ſapientiſſimum & juſtiſſimum illud cœleſte numen hominibus permiſerit, ex arbitrio & impune vicariatum ejusmodi, ipſumque adeo religionis fundamentum, vel rejicere vel admittere? An Deus impune ferat, vel fingentes ſeſe ejus vicarios, vel veros vicarios ſpernentes: qui graviter ſevereque adeo ſemper animadvertit in pſeudoprophetas & eos qui veros prophetas haud admiſerunt, cum tamen in utroque crimine poſteriore longe ſit minus quam in priore flagitium? Digna expenſu ſunt quæ Guilielmus Singletonus theologus Duacenus, ut ſuis hominibus perſuaderet, Pontifici competere plenum jus in omnia bona, etiam temporalia quæ appellant, ſaltim Chriſtianorum, quamvis Principum ac Regum, ſingulari libello diſputavit; prolixe oſtendens videlicet quanta vis ſit impietatis & ſcelerum, ſi Romani Pontifices per injuriam arrogaverint ſibi jus illud atque exercuerint. Infinitis autem modis major fuerit impietas, ſi & reliqua vicariatus omnia improbe ficta ſint atque orbi Chriſtiano per fraudes & vim obtruſa. Atqui par ſcelus fuerit, par impietas, ſummum Dei in hiſce terris legatum, ipſumque adeo vice-deum terrenum non proſequi debitis honoribus, ſed vel contemnere, vel etiam deteſtari. Nemo ſane, cui pietas cordi eſt, non tenetur vel anathema maranatha dicere ſaltim multis Pontificibus Romanis atque vicariatus adoratoribus, ſi vicariatus ille fictitius eſt: vel, viciſſim anathemate proſequi pertinaces ejus violatores, ſi a Deo eſt inſtitutus. Sacra inter illas partes communio jure nulla eſt. Non poteſt utique eſſe locus in ſacro cœtu aut pſeudoprophetis eorumque ſectatoribus: aut iis qui veros prophetas explodunt. Enimvero cum Cardinalis Perronius in conventu Ordinum regni Galliæ, ante hoſce quadraginta amplius annos, non dubitaſſet declamitare, problematicam, h. e. de qua in utramque partem liceat ſentire citra aliquod fidei morumque diſpendium, quæſtionem eſſe eam quæ agitatur de Pontificum in Reges auctoritate, omnes ille paulo prudentiores in ſtuporem dedit; quoniam ſcilicet hæc quæſtio ipſum tangit fundamentum ſummum poteſtatis Regiæ, nec ſemel ejus vim Gallia pene cum ſui excidio fuiſſet experta. Quam multo magis vero abeſt ab illa problematica conditione, utrum ſentias an non ſentias, vera eſſe reliqua omnia, quæ vicariatui divino iſti tribuuntur! Certe ſi vel illud eſt verum, Papæ divinitus eſſe commiſſum jus omne religionis moderandæ, & magiſtratuum eccleſiaſticorum conſtituendorum, jurisdictionem item in perſonas quasque ſacras & bona quæ ab iis poſſidentur; multo plus quam dimidium Regiæ, & in univerſum omnis civilis in rempublicam quamvis poteſtatis, ſane tum periit. Verum illud eſt ingenium multorum, ut injurias Deo factas condonent facillima indulgentia, tanquam ſcilicet, quod ille quondam dicebat, *Deorum injuria diis curæ ſint:* iidem vero, proregibus denegare obſequium, aut proregiam dignitatem mentiri, majeſtatis & perduellionis criminibus intrepide annumerent. Nec injuria ſane ita illi pronunciant; tanti enim momenti eſſe hæc facinora, ipſa æquitas nobiſcum nata & ſalus publica liquido oſtendunt. At par erat, non minoris ſed potius majoris æſtimari, quæ in Deum committuntur. Qui ſane dixerit Pontificalem illum vicariatum, ſi mentitus eſt, antichriſtianum quid ſapere, habebit præeuntem ipſum Gregorium Magnum Papam. Nec vero ille dubitavit omnem qui univerſalem ſe epiſcopum venditat, ita nimirum quaſi ſibi ſoli divinitus ſit collata eccleſiæ *ἐπισκοπή*, reliqui vero eam obtineant non niſi dependente quadam poteſtate, magiſtratuum inſtar civilium, (id quod jamdudum Papa Romanus ſibi arrogat, eſtque pars una divinæ monarchiæ, vel vicariatus illius infiniti) antichriſti præcurſorem æſtimare. *Ego fidenter dico,* inquit, *quisquis ſe univerſalem ſacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua antichriſtum præcurrit: quia ſuperbiendo ſe cæteris præponit, nec diſpari ſuperbia ad errorem ducitur: quia ſicut perverſus ille Deus videri vult ſuper omnes homines, ita quisquis iſte eſt qui ſolus ſacerdos appellari appetit, ſuper cæteros ſacerdotes ſe extollit.* Imo qui ita dixerit, habet *ipſum S. Apoſtolorum Paulum præeuntem:* (b) utpote qui antichriſtum, ſi non plane eodem, ſaltim haud diſſimili modo, per mendacia vendi-

a) *Complures quidem, Pontificiis etiam ſacris addicti)* Præcipue ex Gallis RICHERIVS, PETRVS DE MARCA, DV PINIVS, SIMONIVS, NATALIS ALEXANDER aliique. Conf. CONST. WOLFII *Galliam antipapizantem.*

(b) *ipſum S. Apoſtolorum Paulum præeuntem)* Conf. MARESIVS *libro de antichriſto,* quo verba Paulina *2. Theſſ. 2.* luculenter declaravit & ſimul Grotii ſententiam excuſſit. Cæterum ſolent quidem Pontificii Evangelicos injuriarum accuſare,

venditaturum ſeſe, nos monuit, quomodo ſeſe Papa venditat univerſo orbi. Usque vero adeo eſt natura quaſi cognitum, maximi eſſe momenti, ad vitam quoque æternam ſive parandam ſive amittendam, quid de vicariatu iſto ſentias, ut meus ille Capuccinus quidem Valerianus Magnus faſſus ſit ultro, ſacrum perduellem eſſe Papam ſi mentiatur ſe divinum Proregem: Erbermannus autem meus item ille Jeſuita, ſponte ſua affirmaverit: *Infallibilitatem Papæ ſaltim una cum concilio generali aliquid de fide definientis eſſe apud omnes catholicos certa fide tenendam, infallibilitatem vero Papæ absque adminiculo concilii generalis controverſiam ex cathedra definientis, omnibus catholicis hodie eſſe indubitatam, & ſaltim fidei proximam, imo ſi non omnibus ſaltim plerisque theologis eſſe certam de fide.* Debuiſſet vero ſimpliciter citraque omnem exceptionem fidei oraculis illud de infallibilitate Papali placitum accenſere, ſi verum eſt. Indubie autem & feciſſet hoc Erbermannus, niſi ſectæ ſuæ eſſet proprium, fidei dogmata ex ſolis vel Pontificum vel conciliorum definitionibus ſuſpendere: quaſi per ſe nihil ſit tale, ſed ſolis hominum illorum decretis efficiatur. *Cujus ſententiæ abſurditatem* (a) atque impietatem perſtringere non eſt hujus inſtituti: placet tamen opponere illi obiter verba quædam *Gabrielis Bielis*, (b) ſaltim ut appareat, quam illud dogma diſſentiat ab ultimis etiam ſcholaſticæ theologiæ magiſtris quos aluit deditque Germania noſtra. *Sicut*, ait, *veritates catholicæ absque omni approbatione eccleſiæ ſunt immutabiles & immutabiliter veræ: ita ſunt immutabiliter catholicæ reputandæ. Similiter ſicut hæreſes absque omni reprobatione & damnatione ſunt falſæ: ita absque omni reprobatione ſunt hæreſes reputandæ.*

Quin ad omnem vitam itaque, & hanc ſcilicet quam nunc degimus, & illam æternam quam exſpectamus, plurimum referat, utrum veri aliquid ſubſit vicariatui iſti Papali, nec ne; non profecto eſt quod dubitemus. Inter eos certe qui vicariatum iſtum adorant & qui ſpernunt aut exeerantur, non poſſe ſalvum eſſe ſacræ communionis vinculum, multo minus inter Papas venditantes ſeſe vicarios & eos qui vicariatum illum haud admittunt jure conſtare ſibi poſſe eccleſiaſticam ſocietatem, quantumvis aliis hodie moribus multi vivant, tantum non ſole eſt meridiano clarius. Quin igitur in tanti momenti negotio, non etiam temere, ſed magna cura magnaque circumſpectione ſit inquirendum in ea documenta, quibus Papa fidem facit ſuo illi vicariatui, itidem omni vacat dubitatione. Enimvero nos opinione quadam incerta duci, vetat profecto ingens quod utrinque imminet periculum ab errore; ea autem hominibus nobis vis rationis natura eſt indita, quæ demum vere certa redditur, ubi argumentis immotis in aſſenſum eſt flexa. Natura ipſa ſane nos jubet nihil ceu certum credere, niſi firmis rationibus perſuaſos: & inculcavit idem cum alibi paſſim Chriſtus Dominus noſter, tum quando juſſit nos prudentes eſſe ſerpentum inſtar, eſt enim prudentia omnis μετὰ λόγȣ ἀληθȣ͂ς. Sigillatim haud temere credendum eſſe cuivis propheram ſeſe venditanti (quo in numero utique quilibet Papa eſt, jactitans Spiritum Sanctum ſibi datum ad vicariatum illum divinum peragendum) præterquam quod id natura ſit notum, ab Apoſtolo ſigillatim quoque inſuper moniti ſumus; non omni videlicet ſpiritui fidendum, ſed explorandos ſpiritus num ex Deo ſint, idque quoniam multi pſeudoprophetæ orbem terrarum perambulent. Et vero ſi absque certis documentis Papa vicarium ſe Dei ferens eſt admittendus, pari jure Mahumetes, imo quicquid eſt fanatici gregis, tanquam Dei legati nobis fuerint colendi. Neque vero quicquam eſt cauſſæ, quare potius Papæ quam vel alicui Quacquerorum illorum, quibus hodie Britannia laborat, nulla documenta afferenti credi debeat. *Et Papa utique & Quacqueri* (c) ſpiritum aliquem, qui ſeſe infallibiles præſtet, jactitant; utrique Dei legatos, illi etiam vicarios ſeſe perhibent. Utque illi ſint potentes ac eminentes ac plurimos habeant jamdudum adoratores, hi contra pauperes, deſpecti, & homines novi, perinde tamen id eſt. Habet enim & hic quodammodo locum illud S. Hieronymi: *Potentia divitiarum & paupertatis humilitas vel ſublimiorem vel inferiorem epiſcopum non facit.* Sed & prophetæ

quando Pontificem antichriſtum vocant. Id vero NICOLAVS HVNNIVS *pecul. ſcripto contra JCtos Dillingenſes & Adamum Tannerum VVitteberga edito* amoliri cogitavit. Putarem tamen, ad pacem civilem magis facere, ſi a duriori illa locutione abſtineremus, cum dubium admodum ſit, an quæ in bibliis de antichriſto dicuntur ad Romanum ſpectent Pontificem, ut alibi diximus. Interim qui duriori addicti ſunt ſententiæ pergunt, quod ex Pontificiis quoque plurimi jam dudum Pontifices quosdam Romanos antichriſtos fuiſſe non fuerint diffeſſi. Sane Aventinus refert, Gregorium VII. a multis pro antichriſto habitum. Arnolphus epiſc. Floriacenſis jam circa an. 1000. in plena epiſcoporum ſynodo graviter in Pontificem Romanum tanquam antichriſtum invectus eſt. Roberti Galli viſiones, quæ cum Hildegardis viſiunculis conjunctim editæ ſunt, declarant Papam eſſe antichriſtum, in iisque Deus ita prolocutus adducitur. Quis poſuit idolum in ſede mea. Imo ſub Clemente VI: monachus quidam palam dixit, ſe juſſum a Deo, ut denunciaret Papam eſſe antichriſtum, apud HENRIC. DE ERFORDIA. Nec minus Henricus IV. Rex Galliæ Sixtum tam temporis Pontificem pro Antichriſto & ſectario habuit, apud THVANVM *lib. 82.* Μυϛήϱιον quoque *Apocal. XVII, 5.* olim in Papali corona lectum, cum id objiceret Jacobus Rex Britanniæ, non negare auſus LESSIVS *de Antichriſto p. 81. 82.* ubi ſatis frigide reſpondit.

(a) *Cujus ſententiæ abſurditatem*) Perſtrinxit ſupremis LA PLACETTE *eleganti ſcripto de ſcepticiſmo eccleſiæ Romanæ*, in quo oſtendit Pontificios, dum fidem ſuam ex Pontificum & conciliorum decretis ſuſpendant, infinitis ſcepticiſmi laqueis irretiri.

(b) *Gabrielis Bielis*) Eum tanquam teſtem veritatis in multis contra Pontificios in medium produxit *pecul. diſſertat.* M. BIEL.

(c) *Et Papa utique & Quackeri*) Vide *articulos Smalcaldicos artic. 8 pag. 331.* ubi B. Lutheri verba notatu digna. *Conſtanter tenendum eſt, Deum nemini Spiritum vel gratiam ſuam largiri niſi per verbum & cum verbo externo præcedente, ut ita præmuniamus nos adverſus Enthuſiaſtas, i. e. Spiritus, qui jactitant, ſe ante verbum & ſine verbo ſpiritum habere, & ideo ſcripturam flectunt pro libitu, uti faciebat Monetarius. Quid quod etiam Papatus eſt merus Enthuſiasmus, quo Papa gloriatur, omnia jura eſſe in ſcrinio pectoris ſui, & quicquid ipſe in eccleſia ſua ſentit, id ſpiritum & juſtum eſſe, etiamſi ſupra aut contra ſcripturam aliquid ſtatuat.* Eandem concordiam Papatus cum Fanaticis annotavit CALVINVS *inſtruct. adv. Libertinos cap. 9.* quanquam BELLARMINVS *lib. 1. de Verbo Dei cap. 1.* hoc impudentiſſimum vocat mendacium. Sed conf. GOTOFR. OLEARII *diſſert. de fanaticiſmo Papæ circa principia fidei.*

phetæ plerique olim, non minus atque apoſtoli, egeni fuerunt & ab omni potentia atque mundi ſplendore deſtituti. Imo cum Chriſtus ipſe ſervili habitu hominibus ſeſe oſtenderit, veroſimile etiam fuerit, pauperi potius quam diviti & potenti, ſi quod eſt vicarium munus, concreditum eſſe, ut ſcilicet vicarii perſona mores habitumque Domini quam proxime exprimat.

Atque ego quidem jam tum alibi perſpicuum feci; quum Papæ ferant, tam immenſam poteſtatem ſibi ſolis a Deo conceſſam, extra ordinem & ſortem vulgarem hominum, jactentque adeo ſeſe Chriſti vel Dei vicarios, perinde atque aliis legatis hominum & vicariis ad fidem muneri ſuo faciendam opus eſt documentis & teſtimoniis eorum quorum vice funguntur, ita & Papis incumbere, vere divinis documentis fidem ſibi conciliare. Nec ſatis eſſe, tantum in genere fortaſſis ſi Deus ſit teſtatus, omnes legitimos Papas vicarios ſuos eſſe: quoniam fieri poſſit, ſæpeque hactenus evenerit, ut mentiantur nonnulli ſeſe legitimos Papas, quum nihil ſint minus; proindeque ſingulos omnino Papas approbare orbi terrarum debere, agnoſci ſeſe ab ipſo Chriſto vicarios, & grande illud munus ſibi eſſe ab ipſo Deo concreditum. Plane quemadmodum exigit ipſamet ratio ipſius humanæ ſocietatis & communis inter homines fidei, a quovis qui proregem ſeſe vel legatum Principis venditat: & quem in modum ab orbe usque condito Deus ipſe prophetas omnes atque apoſtolos, etſi legati duntaxat Dei fuerint non vicarii, divinis teſtimoniis communivit: quamvis nemini non jam ſit notum, veros proreges & legatos fidem & obſervantiam mereri, credendumque eſſe veris prophetis atque apoſtolis. Talibus teſtimoniis divinis non univerſim ſolum, ſed ſingulos omnino Papas inſtructos eſſe debere; demonſtravi ego, non dictis aut ſententiolis hinc inde petitis, non ratiunculis nonnullis inanibus, ſed legibus omni hominum vitæ communibus, & quidem non quas invenit arbitrium ac voluntas mortalium, verum quas ſanxit natura ipſa, quæque adeo nobiſcum ſunt natæ, & cognitæ omnibus, quotquot ſane paulo attentius in primogenia ſocialis vitæ jura advertunt. Liquido præterea oſtendi, nec in communi de vicariatu iſthoc divino Romanis Papis tributo, nec pro ſingulis Papis ullum divinum teſtimonium reperiri, idque factum ſive Dei verbo, ſaltim illo quod prophetarum aliquis vel apoſtolorum prodidit, ſive divino miraculo: cum tamen ne miracula quidem unquam defuerint ſingulis prophetis & apoſtolis, etſi immani intervallo ab illa, quam Papæ venditant, vicariali dignitate remoti fuerint, & vicariale munus illud quo auctoritatem fidemque in populo inveniat, quam maxime opus habeat tali aliqua miraculoſa Dei confirmatione. Hinc denique apertiſſima ſequela deduxi, omnes Papas, quotquot vicarios Chriſti ſeſe venditant, eſſe pſeudoprophetas, imo magis vitandos quam vitandi ſunt pſeudoprophetæ alii; nefas ſane eſſe illos in ſacram communionem Chriſtianorum recipere, ſed execrationem atque deteſtationem ſummam, ſaltim hactenus, inquantum ſcilicet ſeſe pro vicariis Chriſti coli & adorari poſtulant, commereri.

Hæc demonſtrantem magno quidem in me impetu invaſerunt integri quattuor Pontificii vicariatus adoratores: at vero quo quidem conſtet, Deum generatim definiiſſe, omnes legitimos Papas eſſe ſuos vicarios, nec miraculum aliquod in id editum, nec divinam aliquam vocem vel ex monumentis propheticis & apoſtolicis, potuerunt adferre in medium. Unus eorum, *Valerianus ſcilicet Capuccinus*, (a) ingenue confeſſus eſt, ex ſolis illis monumentis teſtimonium divinæ illius vocis peti non poſſe (quaſi vero alia primæ & incorruptæ eccleſiæ certa ſuperſit traditio de audita unquam divina ejusmodi voce) ſentiens tamen tali aliquo divino teſtimonio eſſe opus ad fidem Papis faciendam, non dubitavit miſer ad Florentinum concilium appellare, hoc eſt ad teſtimonium Papæ ipſiusmet in propria cauſſa, eo demum abſurdæ inſolentiæ prolapſus, ut concilii illius decreta vocaverit nomine *ſacrarum literarum Spiritu S. moderante conſignatarum*. Jam quod ſingulos Papas attinet, quamvis antehac ingenue & Jeſuitæ & alii doctores confeſſi ſint, deſtitui ſingulos divinis teſtimoniis, ac proinde quod ſinguli veri Papæ aut vicarii ſint non eſſe de fide, Capuccinus tamen ne attingere quidem hunc nodum eſt auſus; Jeſuitarum vero meorum alter Haunoldus ut tandem evaderet, ridicule prætendit alienum hoc argumentum eſſe ab inſtituto, quum tamen res ſit momenti maximi & a me valide petita: alter Erbermannus omnibus nonnihil oculatior, cum divinum aliquod documentum vel leviſſimum pro ſingulis Papis adferre non poſſet, divinæ approbationis ſignum juſſit petere, ex concordi in Papas ſingulos ſubditi populi conſenſione: quo ſigno tamen Deum velle dignoſci legitimos Papas, mortalibus nobis numquam eſt revelatum. Si Papæ vero ſunt pſeudoprophetæ & mentiti vicarii divini, ſaltim pleroſque illorum execrandos eſſe & anathemate feriendos a cœtu quovis Chriſtiano, nemo illorum auſus eſt vocare in dubium. Utut nimirum primi epiſcopi Romani magna olim reverentia fuerint culti, & ſi iisdem poſteri veſtigiis inhæſiſſent haud immerito parem cultum etiam hodie mererentur, ſummam tamen illam degeneratorum Pontificum impietatem nec excuſari poſſe nec ulla ratione tolerari, ſed damnandam eſſe atque deteſtandam.

In manibus ſunt mei adverſariorumque libelli, Tibi etiam illuſtriſſime Princeps, haud ignoti, eoque nihil eſt cauſſæ, quare nunc quidem coram Celſitudine Tua quæ hinc inde diſputata ſunt prolixe enarrem. Sed & ſolus ille defectus divinorum teſtimoniorum, vicariatum divinum Paparum omnium uno impetu plane proſternit, perinde atque pſeudoprophetica munera omnium fanaticorum: & perinde ac in omni vita humana defectus teſtimonii, quod ſuprema quæque poteſtas & ſolet & debet dare omnibus qui vel proreges vel legatos ſe ferunt, non fidem tantum auctoritatemque ſubtrahit ſed perduellionis & læſæ majeſtatis facit reos: ut aliis argumentis ad vicariatum iſtum Paparum impugnandum nequaquam ſit opus. Quod ſi tamen paulo attentius porro quis in omnia

(a) *Valerianus Capuccinus*) Verum ob id a Jeſuitis publico ſcripto exagitatus, quibus etiam ſuppetias tulit Erneſtus Haſſiæ Landgravius, qua de re jam alibi monuimus.

omnia Romanæ ſedis animum adverterit, pene nihil ejus deprehendere fuerit non idoneum, ſaltim faciendi ſuſpectum vicariatum illum. Nec vero in Pontificibus obſervare eſt vel leviſſimum veſtigium cujusquam divinæ dotis, majoris ea quæ vulgo omnibus eſt communis: qualis tamen neceſſaria eſt ad præſtanda adeo multa ſupra communem hominum ſortem. Jam ab aliquot ſeculis porro pauci Pontificum fuerunt inſtructi virtutibus vel epiſcopo dignis, quales nimirum Spiritus S. per apoſtolos Petrum ac Paulum fecit exigi. An Spiritus S. vero velit ab illis ad ſalutem eccleſiæ regi ipſos epiſcopos, quos ne quidem dignos judicat munere epiſcopali? Quid? quod perquam multi Pontificum ita fuerint vitiis immerſi penitus, ut juxta præſcriptum divinum ex cœtu omni Chriſtiano, ne nunc dicam ex omni civili ſocietate, rejici meruerint. Saltim itaque illi non conſtituti ſint a Deo Vicarii: nec enim Deus unum eundemque & pellere juſſerit cœtu piorum, & cœtibus omnibus ſingulari providentia ac benignitate præfecerit. Fuiſſe vero jamdiu Papas a virtute epiſcopali, imo a vere Chriſtiani hominis vita plane alienos, ex hiſtoria utique manifeſtum eſt: luculentis certe teſtimoniis probare eſt in promptu. Quid, quod Romanæ curiæ ratio ita ſeſe habeat, ut Papæ quamvis optimi nequeant ſuum principatum divinum per bonas & Deo gratas artes exercere? Eſt autem hoc certiſſimo indicio, principatum ipſum, ſaltim non omnem, non eſſe divinitus inſtitutum. Eam vero eſſe rationem Romanæ curiæ, palam utique eſt vel ex Adriani VI. & Marcelli Secundi & Pii V. ingenua confeſſione. Quorum iſte, *miſeram eſſe Pontificum conditionem, ut quibus recte faciendi facultas deſit, etiam cum maxime velint, ac in id operam diligentiamque impendant: ſibi nihil in vita infelicius eſſe quam quod imperaret:* Ille, *non videre ſeſe quomodo qui locum illum altiſſimum tenent ſalvari poſſint:* Hic denique, *ego quamdiu fui religioſus bene ſperavi de mea ſalute, factus cardinalis cœpi timere, jam creatus Pontifex pene de ea deſpero,* conqueri & ultro profiteri eſt ſolitus. Non urgebo nunc, poſſe Pontifices & hæreſios lue affici (id ſane qui negant confutantur ipſiusmet Pauli IVti Pontificis illa confeſſione, quam non multum ante adduximus) neutiquam vero ſaltim illum a Deo eccleſiæ regendæ eſſe divinitus præpoſitum, quem lex divina eccleſiæ ſocietate excludit. Id maxime peto attendi, ſi Deus velit eccleſiam univerſam imo omnem mundum regi uno aliquo principatu, isque ſit adeo neceſſarius, ut eccleſia illi tanquam fundamento debeat inniti, oportere utique illum principatum perpetuum eſſe & ab omni liberum interruptione, perinde atque eccleſia perpetua eſſe debet. Non ſane petra eſt id quod inſtabile eſt & lubricum, ſed fundamentum arenoſum. Jam vero ſedes Romana frequentiſſime, per mortes utique Paparum, perque diuturna interregna, omnino principe ſuo eſt deſtituta: ſæpenumero ſchiſmatibus, quorum unum integros quinquaginta annos duravit, ita incerta eſt reddita, ut ipſimet ſecuti Pontifices facti ſint dubii, quis anteceſſorum fuerit legitimus Papa. Si ſuper Romanam ſedem itaque fuerit fundata eccleſia, pro fundamento ejus Deus non petram dederit ſed infidam arenam: quod dictu eſt impium.

Attendat poſtremo pro ſe quisque ſaltim ad illos modos, quibus & olim & nunc Papæ conſtituuntur; nihil profecto agi obſervabit vel aptum vel dignum tanto Dei vicario conſtituendo. Nec vero alia eſt Papæ alia vicarii conſtitutio, quamvis tale quid Erbermannus voluerit nuper argutari; cum ipſimet Papæ electiones Romanorum Pontificum ſoleant appellare electiones vicariorum Jeſu Chriſti, quod Jeſuitam illum vel ſola Julii II. bulla *cum tam divino* potuiſſet docere. Jam vero utique par erat, vicarium omnem non minus a Deo ipſo legi, atque lecti ſunt olim & vocati ex communi hominum ſorte prophetæ atque apoſtoli: quum minus multo ſit prophetam aut apoſtolum eſſe quam vicarium Dei. Non fieri tamen hoc, omnibus eſt notiſſimum. Proximum erat, ut Deus ſaltim diſerta voce hominibus, ſive quibusdam ſive indiſtincte omnibus, fecerit eligendi vicarii poteſtatem. Ne hoc quidem eſt factum. Vnum ſupererat forte, ut nempe Deus ab hominibus electum confirmaret, atque adeo electionem illam aperto quodam aſſenſu ratihaberet. Non hoc etiam fieri ſolet, aut unquam eſt factum. De Paparum legitima electione, aut electorum confirmatione, Deus humano generi nullum verbulum hactenus revelavit. Qui credamus igitur, Deum mandaſſe coli Papas tanquam ſuos vicarios, & a quibus omnis eccleſia, imo univerſi orbis ſalus dependeat? An dixeris natura eſſe notum, eos qui Romæ eliguntur Papæ eo ipſo conſtitui a Deo vicarios? At vero utrum vicarium conſtituere nec ne velit Deus, in liberrimo eſt Dei arbitratu poſitum: atque adeo niſi ex Dei revelatione nihil nobis hominibus de vicariatu iſthoc poteſt innoteſcere. Omnem contra rationem eligendorum Paparum certum eſt a mero hominum arbitrio profluxiſſe, ac proinde variis ſeſe hactenus modis habuiſſe, ut ſolent hominum arbitraria inſtituta omnia. Nullum ſane vel leviſſimum indicium obſervare eſt aut actus divini, aut ſingularis cujusdam gratiæ Spiritus Sancti, electionem Paparum dirigentis. Non me quidem fugit, unanimem omnium eligentium viva voce factam in unum eligendum conſenſionem, ſolere a quam multis haberi *inſpiratione* divina factam, & hinc nomen illud ſortitam. Verum enimvero, illa quidem conſenſio rariſſime contingit: ac proinde indicio fuerit, ſaltim pleraſque electiones divini nihil præ ſeſe ferre. Ad hoc vero, etſi vulgo ita credatur, canones tamen & ipſorummet Paparum decreta ſuſpectam reddunt illam vulgi credulitatem, non dignantes illam electionis formam tam illuſtri nomine, ſed longe inferiore. Hinc ſane etiam illa bulla, qua ceremonias conclavis Gregorius XV. definivit, ita duntaxat loquitur: *Primus modus electionis eſt qui QVASI PER INSPIRATIONEM vocatur, quando ſcilicet omnes cardinales QVASI afflati a Spiritu Sancto &c.* Item: *ſecundum hanc electionis formam quæ dicitur per inſpirationem, ſeu, ut in ſacris canonibus ſcriptum eſt, QVASI per inſpirationem.* Sed & hac quidem fere ratione Alexandrum VI. & Julium II. (ut alios nunc ſileam) electos, Spiritus tamen Sancti ſingulari quodam beneficio neutiquam eccleſiæ datos, manifeſtum eſt.

Notum eſt ſane ingenium utriusque, (a) nota vita, a Sancti Spiritus legibus & præſcripto plurimum diſſidens. Et tamen *in utriusque, cumprimis Julii Secundi, electione* (b) mira quædam cardinalium concordia apparuit. In Julium certe, teſte Onuphrio & ante illum Franciſco Guicciardino, *tanto ſtudio patrum omnium* ſuffragia *ſunt converſa, ut pene priusquam conclave ingrederentur, Pontifex ſit dictus. Primus* ſane *comitialis dies, ſeptem & triginta cardinalium in comitio ad Vaticanum exiſtentium votis, Pontificem viderit: novo*, ut ait Guicciardinus, *atque hominum memoria antea inaudito exemplo.* Quid? quod ipſe ille Julius in bulla quam de electione Papali edidit, diſertis verbis agnoſcat, fieri poſſe, ut *omnium cardinalium unanimi concordia etiam per viam Aſſumptionis, nemine diſcrepante, etiam ſine ſcrutinio*, facta electio Simoniæ crimine laboret. Et vero memor erat, Alexandrum VI. *ad pontificatum ob diſſidia, quæ inter Aſcanium Sfortiam &* ſeſe *Julianum Roverꝛeum cardinales interceſſerant, aſſumptum, ac multo etiam magis, quod novo ejus ætatis exemplo, partim pecunia, partim officiis ac ſacerdotiis quæ habebat ampliſſima repromiſſis, Alexander ille complurium cardinalium ſuffragia palam coemiſſet:* ut fere loquitur Guicciardinus. Conſcius quoque erat, quibus rationibus inducti cardinales tam unanimi conſenſione in ſeſe eligendum conſpiraſſent; minime ſane divinum aliquod ac ſingulare Spiritus Sancti auxilium electioni ſuæ interveniſſe. Nec vero iſta latere nos quoque paſſus eſt ille, quem ſæpe jam teſtem laudavimus, ſapientiſſimus Guicciardinus. Quædam ejus verba hic audire haud absque uſu fuerit. *Magna*, inquit, *fuit omnium mortalium admiratio, Pontificatum tanto conſenſu, cardinali, quem difficilis admodum naturæ eſſe, cunctis formidandum, & omni tempore inquietum, notiſſimum erat, quique ætatem in continuis moleſtiis conſumpſerat, neceſſitate coactus multos laſerat, odia & ſimultates cum multis magnis viris exercuerat, delatum fuiſſe. Sed mox ſingula perpendenti, cauſæ, quibus omnibus impedimentis ſuperatis, ad tantum gradum evectus fuiſſet, apparebant. Cum enim diu cardinalis admodum potens fuiſſet, magnificentia qua reliquos omnes ſuperaverat, & animi magnitudine, non modo amicorum multitudine verum etiam inveterata admodum in curia autoritate pollebat: præterea Pontificiæ dignitatis libertatisque defenſor princeps habebatur. Sed multo magis illum promoverunt immodica atque infinita promiſſa quæ cardinalibus, principibus, nobilium primoribus, & iis qui ſibi hac in re adjumento eſſe poſſent, in omnibus quæ petere potuerunt facta: adhac pecunias, ſacerdotia, dignitates, tam ex ſuis, quam ex alienis diſtribuendi facultas: quia multi ejus liberalitatis fama permoti accurrere, ſponte ei pecunias, nomen, officia & beneficia, quibus ad ſuam voluntatem uteretur, certatim offerre: nec fuit aliquis, qui cogitaret, ejus promiſſa longe majora eſſe, quam ut ea Pontifex factus præſtare non poſſe aut debere videretur: diu enim aperti ac veracis famam obtinuerat, ita ut Alexander VI. ejus tam acerbus inimicus, in reliquis illum carpens, veridicum hominem eſſe fatebatur, quam laudem ille, cum ſciret a nullo homines facilius decipi, quam ab eo qui decipere nunquam ſolitus ſit vel hujusmodi ſaltem nomen habeat, ut pontificatum adipiſceretur haud parvi fecit.* Hactenus Guicciardinus. Perinde vero ut Julius ita etiam Paulus quartus Papa in bulla *cum ex Apoſt.* conſtituit, ut aliquando *promotio ſeu aſſumptio Papæ, in concordia & de unanimi omnium cardinalium aſſenſu facta, nulla, irrita & inanis exiſtat:* nempe ſi electus antehac forte in hæreſin inciderit, aut ſchiſma foverit: non profecto ita conſtituturus, ſi concordem electionem habuiſſet ſignum certum directæ a Spiritu S. electionis. Et vero etſi multi numero cardinales videantur unam in ſententiam ſine Numine adigi non poſſe, longe tamen ſecus res ſeſe habet. *Cauſa errandi eſt* (ut recte ſcribit Onuphrius in vita Pii V.) *quod non animadvertant in conclavi præcipua ſemper fere capita Pontificem creare: alios cardinales, quocunque numero ſint, hæc capita ſequi, eorumque ſuffragia plerumque approbare. Ab horum itaque capitum celeri vel tarda declaratione Pontificis electionem vel tardari vel accelerari.* Ipſe quidem Onuphrius cenſet divini etiam aliquid ſubeſſe, at argumentum ſententiæ nullum adfert. Cæterum Joannes Franciſcus Lottinus quoque, *ſolo divino nutu creari eligique Pontificem, tanquam oculatus teſtis* non dubitavit *profiteri:* verum id a Lottino quidem dici, & quidem iſthoc libello, quo docuit artem Papatus conſequendi, ridiculum profecto eſt & neutiquam tolerandum: nec ille tamen alio argumento hoc adſtruit, quam quod obſervaverit; præter animi ſententiam interdum a cardinalibus electiones inſtitui. Quod profecto eſt leviſſimum divinæ regnantis gratiæ teſtimonium. Qui enim fieri aliter queat in illo perpetuo animorum æſtu, in ſtudiis multorum ſenſim ſeſe denudantibus, in illo malorum metu, in illa commodorum ſpe, ubi nihil fere tuti nihil eſt certi, in illo denique tædio vitæ arctiſſimo aliquo carcere propemodum circumdatæ? Num aliter eveniret, ſi ageretur de domino quamvis maxime profano, potente tamen, ſic eligendo? Æque inepta vero eſt illa aliorum collectio, de divina ratione electionis, facta ex ſanctimonia legum conclavis. Quaſi nimirum non illæ leges pleræque ſint recen-

(a) *Notum eſt ſane ingenium utriusque*) Julius II. fuit truculentus, utpote qui 9. annorum ſpatio, 200. hominum millibus mortis occaſionem dedit, Maximiliano etiam & Ludovico bellum illaturus claves de ponte in Tiberim projeciſſe & dixiſſe perhibetur: Clavis Petri cum non ſufficiant, Pauli enſis non deficiet. Excuſat tamen illum JOH. PALATIVS *vol.* 3. *pag.* 764. concedens quidem, quod bella geſſerit, quoniam aliter eccleſiæ libertatem & urbes a tyrannis redimere non potuerit, negans tamen, quod claves in Tiberim projecerit, eo quod Petrus Langius huic relationi non ſuffragetur. De cætero in Alexandro VI. vitam ſcandaloſam communi aliorum ſuffragio approbat *pag.* 729.

(b) *in utriusque, cumprimis Julii II. electione*) Vnde autem mira illa cardinalium in Julium II. conſenſio extiterit, id declarat JOH. BVRCHARDI *diarium curiæ Romanæ tom. II. corporis hiſtorici Eccardiani pag.* 2159. ubi ad a. 1503. ille, *in ſero ultima Octobris*, ait, *fuit conclusum inter cardinales præcipue Hiſpanos, quod reverendiſſimus Dominus S. Petri ad vincula* (poſtea Julius II.) *eſſet Papa & venerunt ad ejus cameram omnes devoto ſolo Alexandrino dicente, proficiat de Papatu. die ultima Novembris convenerunt in palatio apoſtolico & concluſerunt capitula eorum, per quæ inter alia cardinalis S. Petri ad vincula promiſit, poſtquam aſſecutus fuiſſet Papatum, creare ducem Confalonerium ſanctæ Romanæ eccleſiæ generalem, & favere ei in ſtatibus ſuis. Et promiſerunt medio juramento omnes cardinales Hiſpani dare votum ſuum prædicto cardinali ad papatum.*

recentis admodum fœturæ, atque adeo ſaltim docere nequeant probe riteque inſtitui etiam ante hæc ſolita Papalia comitia. Quaſi item ex præſcripto illarum legum omnia conclavium peragantur, aut ex legibus ſolis præſumi poſſit de populi moribus. Nolo ego nunc in leges ipſas animadvertere: ſint illæ undequaque optimæ, ſint ſanctiſſimæ. Verum ceremonias quidem præſcriptas videas rigidius obſervari, reliqua quæ momenti ſunt maximi vix in ſpeciem. Ipſæ illæ frequentes novæ legum aut lationes, aut repetitiones, in univerſum tacite exprobrant malignam obſervantiam, quædam aperte etiam querulantur. Plena ſane querelarum eſt de ſimonia Julii Secundi conſtitutio: Pauli Quarti de ambitu bulla non diſſimulanter conqueritur, *plures indies beati Petri ſedem ſeſe vitioſe & inconſulto ambire, & conventicula ſuperinde facere, utque ad hoc cardinalium ſuffragia obtineant & quodammodo ſubarrhent, procurare & ſatagere:* Pii IVti de electione bulla diſerte item profitetur, *verendum eſſe, ne aliquando propter* Alexandri III. Gregorii X. Clementis V. Clementis VI. & Julii II. *conſtitutionum transgreſſionem ſuborti abuſus longius ſerpant & progrediantur.*

Et quid opus eſt verbis, cum vi veritatis ipſimet Jeſuitæ hodie adacti ſint affirmare, id quod meus Erbermannus ultro fatetur, *per primam* (h. e. proprie ſic dictam & qua de nunc agimus) *electionem non reddi fide certum, quod electus ſit verus Pontifex:* omne præſidium ſuæ certitudinis Papalis collocantes in ſola eccleſiæ acceptatione; quæ tamen itidem quam ſit fluxæ auctoritatis, quam inepta tantæ rei probandæ, & jam tum contra Erbermannum illum a me eſt oſtenſum, & plenius denuo haud multo poſt demonſtrabitur. Et vero fruſtra feruntur leges, fruſtra ſperatur, ut ab omni parte ſancte ſeſe conclavia habeant, aut papalia comitia vel ſpeciem aliquam apud prudentes inveniant latentis divinitatis: cum verſentur circa obtinendum ſummum aliquem principatum hujus mundi, quique proinde invidiæ ſimul & ſpei metuique mortalium maxime eſt obnoxius. Talia vix petuntur vel obtinentur mere bonis artibus; tantum abeſt, ut ſolius Sancti Spiritus agitatione prenſantium aut eligentium conſilia atque ſtudia dirigantur. Ex quo mundus intruſus in eccleſiam eſt, & ſeculi typhus priſcam ſanctimoniam obſcuravit, numquam pene non cum graviſſimis morbis comitia iſthæc conflictata ſunt: in immenſum vero creverunt vitia ſimul cum immenſo illo opum & potentiæ incremento. Ambitus, factiones, diſſidia, magis minusve, numquam aliquot jam ſeculis abfuiſſe, perpetuæ loquuntur Papalium comitiorum hiſtoriæ. Non patiuntur hæc vitia ſeſe tegi: in propatulo ſunt & prudentiorum omnium conſcientia. Vt haud injuria dixeris, non tam Sancto, quam hujus mundi adverſo illo Spiritu, comitia pleraque occulte agitari; etſi divina gratia interdum furor ejus ſufflaminetur. Certe illas factiones & contentiones quibus laborant conclavia, a Spiritu Sancto eſſe, nemo ſanæ mentis dixerit. Saltem eſt a ratione alieniſſimum, illum eſſe optimum Chriſti vicarium, qui Regum diſcordantium de bonis hujus mundi & eligentium cardinalium deſideriis ſtudiisque ſecularibus maxime eſt commodus; quæque huic fini inſtituuntur factioſas electiones Paparum ex divino inſtituto eſſe ſimul electiones divinorum in terris vicariorum.

Ad hæc & ſimilia petieram ego quemvis benevolum lectorem advertere animum, in appendicula quadam ultimæ ad Valerianum Magnum Capuccinum reſponſionis meæ: quod tum adeo temporis illa comitia quibus Alexander VII. eſt electus, magnis partium & vehementibus factionibus per integrum fere trimeſtre agitarentur. Neque vero animum inducere potui, quenquam fore adeo impudentem, ut dubitaret de factionum illis ſtudiis. Simul tamen finitis comitiis Alexander prodiit, non verecundatus eſt Erbermannus Jeſuita editis chartis contumelioſe me inſectari, quaſi injuriam comitiis illis fecerim: quæ ex adverſo *mira & rara concordia* in id unice laboraverint, ut *ingenio, eruditione, pietate, prudentia & gloria eminentiſſimum* purpurati ordinis, uno verbo *Pontificem optimum* invenirent: utque eſt

- - laudare paratus
Si bene ructarit Papa aut ſi minxerit apte,

hic præſertim quem amicum ſibi credit, veteris cujusdam in Germania conſuetudinis, quo tempore Erneſtinæ impiæ nugæ cudebantur, initæ nomine, addidit Alexandri elogium plane paraſiticum. Illas hominis ineptias retudi quidem ſingulari epiſtola edita: noluit tamen tacere, tantum ut videretur nimirum reſpondiſſe. *Quid enim eſt loquacius vanitate?* (verba recito S. Auguſtini) *Quæ tamen non ideo poteſt quod veritas, quia ſi voluerit etiam plus poteſt clamare quam veritas.* Ea me res movit, ne ex ſilentio meo opinionem Vitus ille induat ſapientiæ, & apud imperitiores bona cauſa ſiniſtræ quidquam capiat ſuſpicionis, ut conquirerem ipſam electionis Alexandrinæ hiſtoriam & nonnulla ejusdem argumenti alia; quæ nempe idonea ſunt in ruborem dare Vitum, ſi quis pudor ſupereſt, vel certe famæ publicæ de factionibus & ſtudiis conclavis Alexandrini ferre teſtimonium: utque ea latine verſa nunc publicem, addita & priore illa mea epiſtola, & recenti nuperrimi opuſculi Erbermanniani caſtigatione. Et vero hæc fere illa ſunt, Illuſtriſſime PRINCEPS ANTHONI VLRICE, quæ nunc hic libellus exhibet. Sex videlicet quaſi anni ſunt, quum Illuſtriſſimæ Celſitudinis Tuæ Fratri natu maximo, Principi RVDOLPHO AVGVSTO, offerrem de electione Vrbani IIX. & Innocentii X. Pontificum commentarios, aliquot itidem opuſculis & prolixiore quodam prooemio nonnihil ornatos. Ea opera quoniam feliciter ceſſit, bene me ſperare juſſit: atque adeo invitavit quaſi, ut etiam celſiſſimo nomini Tuo hanc Alexandrini conclavis hiſtoriam & quæ alia ſunt ejusdem argumenti, conſecrem. Etſi enim parum Tua referre videri poſſit, quid agitetur in conclavi, poſtquam impiæ omni curiæ Romanæ jam tum proavus Tuus, magnus ille & conſtans confeſſor ac Dux ERNESTVS, remiſit nuncium; attamen quoniam vel illæ electionum hiſtoriæ aptæ ſunt explodendo Paparum vicariatui, & religioſæ veritati defendendæ, merentur ſane majore quodam pretio æſtimari, quamvis

aliæ

alias leviſsimi ſint ponderis. Sed & in univerſum ſereniſſimi Parentis prudentiſſimo ductu aſſuefactus es, rimari arcana omnium hujus mundi rerumpublicarum, quæ quidem majoris ſunt notæ; ut proinde a curis Tuis non poſſint aut debeant Papalis reipublicæ, quæ utique omnium maxime eſt conſpicua & ſacra quadam potentia præ aliis omnibus inſtructa, occultæ & ſecretæ artes actusque eſſe alienæ; ſaltim quo plenam rerumpublicarum cognitionem, rem principe longe dignisſimam, conſequaris. Taceo nunc, quantum in omnem vitam proſit, fraudes, dolos, factiones, & quæ alia in electionibus magnorum capitum ſolent nonnunquam uſu venire, quorum omnium palæſtra quaſi eſt conclave, pernoſcere. Ad aulam certe paternam jure ſuo quaſi remeant horum pleraque, quoniam inde ad me pervenerunt, & ibi in latinum ſermonem transfuſa ſunt. Sed & illa gratia, qua ſummi Parentis Fratriſque exemplo dudum me proſequeris, promittit mihi ſaltim veniam haud dubiam, ſi exigui atque ex parte alieni opuſculi conſecratione quidquam in dignitatem ſereniſsimi nominis deliquerim. Quod ſi ſane hoc munuſculum haud fuerit ingratum, ad majora offerenda & meliora, ero fortaſſis impoſterum paratior. Interea Deum venerabor, ut Celſitudinem Tuam cum illuſtrisſima Conjuge, in plurimos annos, commodo patriæ & univerſæ Germaniæ, ſoſpitem felicemque ſervet ac tueatur.

AD BENEVOLVM LECTOREM.

Opuſcula varia uno faſciculo exhibemus, LECTOR, ad idem tamen omnia argumentum quadamtenus facientia. *Primum* locum occupat hiſtoria conclavis Alexandri VII. Papæ, ſive hiſtoria comitiorum in quibus ille, qui nunc Romæ ſedet Papa, electus eſt. *Altero* loco eſt enumeratio cardinalium quibus jus ſuffragii in comitiis illis fuit. *Tertio* comparet illa epiſtola, quam non adeo pridem de electione iſthac jam tum oppoſui criminationibus Viti Erbermanni Jeſuitæ, ſive ejus appendici examinis quam appellavit: cum ſubjuncta ipſa appendice. *Quartus* libellus caſtigat alteram ejusdem Jeſuitæ appendicem dictam, in defenſionem præcedentis meæ epiſtolæ. Subſequitur *quinto* charta *curſoris volitantis* nomine, ſcripta Romæ ferventibus maxime comitiorum illorum ſtudiis. *Sexto* denique ſubjungitur opuſculum *de factione volante*, quæ novi generis conſpiratio comitia iſta vehementer agitavit. Horum, quod equidem ſciam, antehac nihil typis eſt editum præter epiſtolam meam & utramque Erbermanni appendicem, ut & fortaſſis cardinalium deſignationem. Et vero altera illa Jeſuitica appendix omnia reliqua nunc in lucem protrudit. Nec vero deſiit, aperte licet convictus, Erbermannus, defendere quod priore appendice non erat verecundatus contra famam publicam profiteri, de ſanctis & concordibus comitiorum illorum ſtudiis, inviſam illam ſibi atque infeſtam epiſtolam virulentis morſibus pro more appetens. Eoque neceſſitatem quaſi mihi impoſuit, & impudentiam hominis denuo caſtigare, & nonnulla, unde omnes comitiorum illorum rationes actusque liquido appareant, & ipſa urbe Roma advocata in publicum producere, & denique ipſam epiſtolam meam, quia exempla primæ editionis dudum ſunt diſtracta, denuo cum illa ſua appendice lectoribus rerum conclavis hujus curioſis reddere. Ex merito hominem caſtigaverim nec ne, perinde atque epiſtola appendicem primam utrum recte nec ne exceperit, facile fuerit iis qui judicio valent arbitrari, cum libelli adverſarii mea cura in promptu adſint. Ut omnia ſane illa diligenter conferas inter ſeſe, & procul amore odioque expendas, LECTOR, etiam te atque etiam rogo. Hiſtoriam conclavis, & curſorem volantem, & ultimum de factione volante opuſculum dedit Roma ipſamet ſed Italice: hæc editio debetur magno viro Joanni Schvvartzkopffio, qui non contentus, reipublicæ perpetua opera illa, qua fungitur apud Sereniſſimum Ducem Auguſtum primo loco, conſulere ac prodeſſe, in id quoque laborat & multum intentus eſt, ut eccleſiæ univerſæ & bonis artibus ac ſcientiis ſua ſibi ratio conſtet. Atque hiſtoriam quidem ab aliquo Alexandri Papæ admiratore profectam eſſe, atque adeo nihil continere quod Alexandri famæ officiat, facile cuivis eſt perſpectu. An non dederit auctor aliquid propenſo iſti affectui, (quanquam laudationibus ſuis minime effecerit, ut propterea credamus, Alexandrum perfecta ſanctitate Deo placere, aut eſſe Chriſti unicum illum vicarium) aut num omnia conclavis occulta ſtudia & verſuta artificia ſit aſſecutus, equidem haud parum dubito. Et vero nuper adeo, cura viri non minus doctrina virtute ac dignitate quam genere nobiliſſimi, Romanarum vero rerum maxime gnari, edita eſt narratio eorundem comitiorum multo plenior, quæ tamen noſtræ hiſtoriæ fidem haud detrahit, ſed auget confirmatque. Libellus de factione volante vel ideo meretur legi, ut vanitas appareat Erbermanni, qui hanc unam inter tres aut plures factiones, quibus conclave fuit agitatum, Sancto Spiritui non dubitavit tribuere. Scriptor ſane, quisquis ſit, haud ineptis rationibus oſtendit, pertinaciſſimos illos factionis iſtius in evehendo Sacchetto cumprimis conatus nequaquam a Sancto Spiritu profectos eſſe. Curſor volans quantum apparet, ſcriptus eſt ab homine cardinalis Fiorenzolæ ſtudioſo, Barbarinis vero parum æquo: cui ſive habeas ſive neges fidem parum refert. Et vero fateor, nolle me fidem omnium præſtare; etſi mea culpa nihil falſi acceſſiſſe, ſancte teſter.

Conclave Papæ Alexandri VII.

Anno 1655. ſeptimo die menſis Januarii vita functus eſt Papa Innocentius decimus. Cujus exequiis finitis, cardinales undecimo a morte ejus die, decimo octavo nempe prædicti menſis, re divina in æde S. Petri peracta, fuſiſque pro eligendo futuro Pontifice precibus, ad palatium Vaticanum in conclave, pro numero tunc ſuperſtitum cardinalium, in ſexaginta & novem cellas diſtinctum, ſe contulerunt. Quarum tamen tres vacuæ extabant; totidem namque cardinales, videlicet Sandoval-

dovallius, Cueva & Mazarinus tum aberant; jamque ante defuncto Altierio, paucis poſt ingreſſum conclavis diebus vivere deſiit cardinalis Caraffa; ut proinde cardinales ſexaginta quinque ſupereſſent. Duobus poſtmodum elapſis diebus, vigeſimo nimirum Januarii, obſeratum fuit conclave, initiumque factum ſcrutiniorum; quæ, ut & acceſſiones, bis ſingulis diebus, mane ſcilicet ac veſperi, tentari ſolent.

Primordia, propoſitis ferme ſingulis cardinalibus, ambigua ſatis fuere: inde paucis poſt diebus plurium vota in cardinalem SACCHETTUM inclinabant; & cardinalis Barbarinus, (ut, quantum ipſe cum aſſeclis poſſet, cardinales Medicei principes Hiſpanicæ factionis intelligerent,) e pluribus ſcrutiniis & acceſſionibus triginta & duo vota pro eo jam elicuerat. Quo viſo, Medicei omnia cautius agere cæperunt, & ſe cum ſociis Hiſpanicæ factionis fortius unire, eoque omnes nervos intendere, ut prædictus cardinalis Sacchettus excluderetur.

In duas ergo cardinales diſtracti erant factiones, Hiſpanicam ſcilicet & Barbarinam, cui Gallica unita fuit. Acceſſit eidem in electione cardinalis Sacchetti tertia, quæ agmen volitans (*ſquadron volante*) appellabatur, & ex creaturis (ut vocant) Pamphilii; Imperiali nempe factionis ejus duce, item Lomellino, Ottobono, Borromæo, Albicio, Aquaviva, Dongio, Pio, Gualterio, Azzolino & Homodeo conſtabat; omnibus unanimiter dignum Pontificem expetentibus. Quam etiam ob cauſam tam prompte cardinali Barbarino in exaltando cardinale Sacchetto ſe, cum is omnium judicio digniſſimus cenſeretur qui e Barbarini creaturis Pontificatui ſuccederet, junxerunt. Et Barbarino quidem quoad cardinalem Sacchettum ad ultimum usque, ſi ita voluiſſet, adhæſiſſent ſpiritum: ea tamen lege, ut & ipſe, ſi omnis ſpes exaltandi iſtum tolleretur, iis rurſus eadem fide & promptitudine in provehendo alio non minus digno accederet; quod & ſe facturum Barbarinus promiſit.

Hoc animo, eaque intentione, extollendi nimirum ad pontificatum aliquem illo dignum, in evehendo cardinale Sacchetto, iſti de agmine volitante diu perſtiterunt. Verum apertiſſime cernentes, omnes Barbarini conatus circa id negotium irritos fore, (cardinalibus Mediceis omni arte ac niſu excluſionem Sacchetti ob hanc cauſam procurantibus, quod illum olim excluſerant, & propterea nullo modo induci ſe patientibus, ut eum proveherent, quem ut offenſum, & forte ob impedimentum, ipſi ante decennium circiter, quo Innocentius vixerat, objectum, vindictam capturum metuebant,) Barbarino perſuadent, ut conjunctis ſecum votis alium, ac quidem talem proponeret eligendum Pontificem, quem ne quidem ipſi Medicei, etſi vellent, inhabilitatis arguere vel repudiare poſſint. Et tum quidem ſe manifeſte Mediceis oppoſuerunt, qui ſe electores eſſe, & ad ſe cardinales ultimæ promotionis, ut eum qui placeret producerent, pertracturos eſſe judicabant.

Junctus itaque agmini volitanti Barbarinus ac ſocii, qui erant: cardinalis Facchinettus, Ceva, Glorius, Franciottus, ſanctæ Crucis, Bragadinus, ſanctæ Suſannæ, Coſtagutus, Rappaciolus, Rondarinus, Sacchettus: quibus ſimiliter adhærebant Galli numero ſex, videlicet Eſtius, Antonius Barbarinus, Bichius, Grimaldus, Urſinus & Rezius: amicum quendam coronæ Gallicæ, Mazarinoque addictiſſimum ad Papatum promovere conſtituit. Auxit interim tertiam factionem cardinalium quorundam acceſſio, qui neutri parti favere credebantur. Inter quos reputabantur Spada, Pallottus, Chiſius, Corradus, Filomarinus, una cum aliis quibusdam, qui occulta via ad rectum bonumque tendebant.

A Mediceorum & Hiſpanorum parte ſtetere ſequentes cardinales: Decanus Mediceus, Capponus, Harrach, Columna, Ceſius, Brancaccius, Roſſettus, Lugo, Ludoviſius, Savellus, Trivultius, Gabriellius, Johannes Carolus Mediceus, Aſtallus, Sforza, Maldachinus, Haſſia, Cibus, Aldobrandinus, Odeſcalcus, Videman & Raggius.

Per plures ſeptimanas diebus ſingulis, mane & veſperi, promotio Sacchetti tentata fuit; qui tamen quacunque induſtria adhibita ultra triginta quinque vota obtinere nequiverat; quanquam tunc poſt mortem Caraffæ, ac cardinalis Trivultii ſeceſſum, qui ob adverſam valetudinem conclavi exierat, quadraginta duo ſuffeciſſent.

Perſpiciens igitur Barbarinus, ſe pro extollendo Sacchetto fruſtra laborare, ad alios animum divertit, eoque mentem intendit, ut aliquem ſaltem Barbarinæ familiæ faventem ad pontificatus dignitatem allevaret. Itaque pro cardinali RAPPACCIOLO, Barbarinorum rebus valde addicto, ac creatura Papæ Urbani IIX. ob inſignem eruditionem, prudentiam, raraſque virtutes eo honore digniſſimo, vota concepit; cujus ut egregia in aula Romana fama noti, totique purpuratorum collegio perchari, evectionem facilem ſibi fore exiſtimabat. Verum multo cum negotio tentatam opinione ſua difficiliorem reperiit. Etenim capita factionis Hiſpanicæ, ambo cardinales Medicei, vehementer ei obſtiterunt, ac palam proteſtati ſunt, ſe nunquam promotioni Rapaccioli conſenſuros, etſi quam longiſſimo temporis ſpacio in conclavi detineri deberent, non quod illum ſede Pontificia indignum judicarent, (contrarium enim omnibus & ſingulis eminentiſſimis in conclavi eſſe notiſſimum) ſed ideo, quod perſuaſi ſint, utut cardinalis ille ſe neutri parti addictum eſſe, nulloque affectu in unam alteramve coronam propendere ſimulet, eum tamen interea occulto favore in Galliam ferri. Et adjungebant, tam alte pectoribus ſuis infixam eſſe hanc ſuſpicionem, ut licet jam certi redderentur, ipſique Rapacciolum, prout ab omnibus æſtimetur, vere ac mere neutralem experti eſſent, nihilo tamen magis opinionem de interno ejus erga Regem Chriſtianiſſimum affectu objicere poſſint; vanam idcirco omnem de electione ejus, utpote cui ſemper contradicturi eſſent, cogitationem ſumi. Quapropter Barbarinus Mediceorum pertinaciam cernens, quamvis tanta ſpe ſua excidere moleſtiſſime ferebat, ab incepto deſiſtere coactus fuit, ut & alii, qui ob raras & eminentes

dotes, & ſingulare virtutum meritum, regni Pontificii gubernacula, thronumque Petri, ac regimen eccleſiæ ei certisſime deſtinarant.

Propoſitus ergo poſt Rapacciolum fuit cardinalis FIORENZOLA, ordinis Dominicani monachus, a Papa Urbano IIX. in cardinalium cœtum adſcitus, egregius religionis dominicanæ partus, & propter vitæ ſanctimoniam dignisſimus qui pontificatus honorem obtineret. Hunc poſt varios tractatus conclave ſine hæſitatione credebat fore eum, qui frontem diademate Petri cingere deberet, cum in illum, utpote a Rege catholico præſentatum, & domus Auſtriacæ amicum, etiam Medicei conſentirent: nec minus idem vellet Barbarinus, eo quod eſſet creatura patrui ſui Pontificis Urbani, ac ſatis familiaris domui Barbarinæ. Adeoque res ſpectabat, ut in eo pene finiretur negotium. Nihil enim obſtabat præter diffidentiam dominæ Olympiæ Maldochinæ, quæ propter ſimultates quasdam cum eo intercedentes, ſtatim ab initio omnes cardinales domui Pamphiliorum faventes enixe rogavit, ne quocunque reſpectu Fiorenzolæ electioni conſentirent; hunc enim ſibi inimicum & adverſum eſſe dicebat. Serio inprimis a Barbarino flagitavit, ne conſenſu ſuo Fiorenzolæ exaltationem approbaret. Placuit certiorem reddere ſupra dictam dominam Olympiam, jam decretam eſſe Fiorenzolæ electionem, & quia negotium ad finem vergeret, conſultisſimum eſſe ad effectum progredi. Idque ideo fiebat, ut & illa in eo eligendo acquieſceret, quoniam, inpoſterum promptum, tam erga ipſam quam erga univerſam Pamphiliorum domum, affectum promitteret. Verum licet ſupra dictæ dominæ pertinaciam flectere cardinalis Trivultius, per eos dies propter incommodam valetudinem extra conclave degens, maxima induſtria conaretur, eam tamen a propoſito abſtrahere non potuit. Quæ tum violentius inſtitit, ut Trivultius poſtquam in conclave rediiſſet, in ipſius gratiam id efficere vellet, ut Fiorenzolæ promotio impediretur; obteſtans quoque Barbarinum cæteroſque Pamphiliorum domui addictos, ne iſtius electioni calculum addant, hunc enim & ſui ipſius & totius Pamphiliorum familiæ interitus cauſam fore. Varia interim ſed fruſtra tentata ſunt, quibus ſupra dicta domina Olympia, ut in Fiorenzolam conſentiret, induceretur. Cujus proinde evectioni etſi tam Hiſpani quam Barbarinus faverint, ſola domina Olympia tamen obſtitit, quo minus ille in Papam fuerit electus.

Fortuna interim videbatur iſthoc rerum ſtatu nolle viam aliquam, qua ad novi Pontificis electionem perveniri poſſet, aperire: nec excogitari modus poterat, quo quæ ſubinde injiciebantur moræ reſcinderentur, obiceſque removerentur; cum cardinalis CECCHINUS proponebatur, vir ætate gravis, aulæ Romanæ negotiorum apprime gnarus, regiminis eccleſiaſtici peritus, meritis conſpicuus, eruditus, prudens, & ex illis quos Hiſpani & Auſtriaci amabant, non tamen multum charus Barbarino ejusque aſſeclis. Unde brevisſimo negotio nullius, præter cardinalium Mediceorum partis Hiſpanicæ ducum, favori innixus, rarisſimis quoque in eum inclinantibus votis, repudiatus fuit.

Eodem tempore propoſitus fuit cardinalis FRANCIOTTUS, nec, ut putabatur, fruſtra, tam propter ejus merita, quam quod eum præſentaſſet Rex catholicus, & inſuper accederet familiaritas cum Barbarino, eſſet præterea creatura Urbani IIX. Quoniam tamen cardinales Gallici eum tanquam rebus Auſtriacis ſtudioſiorem notaſſent, etiam ipſe ceu republiciſta & neutralis rejectus eſt.

Nominatus quoque fuit cardinalis BRAGANDINUS Venetus; nec dubitabatur quin is Pontificium honorem conſequi debuerit, pro eo namque triginta novem vota militabant, veruntamen nec hujus promotio ſucceſſit.

Sed quoniam tempus contrahere vela, & negotii finem tandem explicare jubeat, revertamur ad cardinalem Sacchettum. Qui, cum penitus deſperatam ſuam exaltationem cerneret, indicibili animi magnitudine id agere ſtatuit, ut amici, quem ceu ſeipſum diligebat, quem item eccleſiæ maxime profuturum exiſtimabat, promotio ſuccederet. Is erat cardinalis CHISIUS, ocellus quaſi agminis volitantis; de quo exaltando jam in principio Sacchettus deliberaverat, glorioſum etiam ſibi ratus, ſi e ſuis conſortibus is qui inter Urbani creaturas parem non habebat, Pontificatu dignus judicaretur.

Obſtabat autem Chiſio, quod eum cum aliis miniſtri Hiſpanici præſentaſſent, atque ideo Galli ad ejus electionem languidius acceſſuri videbantur. Aſt huic malo dexteritas & zelus Sacchetti jam obviaverat, celeri nuncio in Galliam ablegato, literiſque efficacisſimis ad Mazarinum ſcriptis, quibus cardinalis Chiſii virtutem atque inſignes animi dotes extulerat, & tantum ei erga iſtam coronam affectum tantumque amorem ineſſe ſpoponderat, quantum Rex Chriſtianisſimus ab ipſo Mazarino ſibi promitteret. Ut ideo de Regis Galliæ aſſenſu pro Chiſio dubitari non poſſet.

Interea dum in ſubſequentibus ſcrutiniis vota quandoque pro Sacchetto ſe contrahunt, id agente Barbarino, ut Medicei crederent, ſe in eo eligendo mentem haud quaquam ultra obfirmare; tamen nec pro Chiſio aucta ſint. Ut nullo modo cuiquam ſubolere poſſet, quaſi ſerio negotium ejus ageretur.

Oſtentarunt etiam Hiſpani ſuffragia ſua per Harrach & Capponum; qui demonſtrare nitebantur, quomodo nimirum & ipſi inclinarent in *Carpegnam*, *Cecchinum* & *Maculanum*: Atque ea ratione ſingulæ factiones ſategerunt, ut proveherent ſuos, tempusque inutiliter conſumerent.

Raro Medicei & Barbarinus convenerunt; ut tamen novi Pontificis electionem accelerarent, mediator conſtitutus fuit cardinalis de Harrach, qui cum Barbarino tractando eum induceret, ut aliquem ex ſuis nominaret clientibus, nec enim putabatur ab iſtis receſſurus; promitteret inſuper, quod Medicei eorumque ſocii parati eſſent in quemcunque, excepto Sacchetto, ab

ab ipſo nominatum conſentire; moneret interim, ipſis non videri bene agi, ſi Urbani creaturæ, ætate & meritis conſpectiores, inſuper habeantur.

Verum omnis congreſſus, omnis tractatio irrita ſemper fuit; cum Barbarinus identidem aſſeveraret, ſe, quia exploratum habeat, ſibi probatos factioni Mediceorum & Hiſpanorum non arriſuros, neminem ſuorum proponere velle; ſed arctius preſſus ſubjungebat, ſe ſolum nil ſtatuere poſſe, indagaturum autem amicorum ſenſus & placita.

Obverſabatur Barbarini animo cardinalis Rappaciolus, ſed facto periculo difficultatem maximam invenit. Propendebat quoque in cardinalem *Durazzum*, & in hunc fortaſſe magis quam ullum ex reliquis. Hinc mentem convertit in cardinalem *ſanctæ Suſannæ* ſua opera ab Innocentio ad purpuram evectum. Sed ubique obſtacula prævidebat. Et, utcunque cardinalis Mediceus præ ſe ferebat ſe omnes, præter Sacchettum, probaturum, nihilominus ubi ſerio loqui compelleBatur, voces ſuas Barbarino reddidit: dicens opus eſſe, ut & cæterorum Hiſpanis addictorum cardinalium mentem prius exploret, ſe quidem ac cardinalem Johannem Carolum Barbarini votis ſine omni exceptione acceſſurum. Impediendis interim Barbarini conſiliis, Medicei cardinalem Roſſettum inſtigarunt, ut ducem ſe præberet parvo cuidam agmini, eorum ſcilicet, qui Volantini dicebantur, & erant: Cibus, Aldobrandinus, Odeſchalcus, Vidman & Raggius. Ipſe tamen Roſſettus ingratitudinis in Barbarinum notam incurrit, qui eum ex humili in iſtum, quo nunc fruitur, felicem ſtatum extulit.

His & ſimilibus artibus unaquæque pars ſe invicem decipere ſtudebat: eoque res devenit, ut multi non tam tædio quam ſcandalo offenderentur, haud obſcure innuentes, non ſic quæri Dei gloriam, nec eccleſiæ anxie electionem Pontificis deſiderantis ſalutem. Hi non perpendebant diem, quo Deus populo ſuo de rectore proſpicere decreverat, tum nondum illuxiſſe. Qui tamen denique miſertus eſt, cum jam Regis Galliæ animum diſpoſuiſſet, ut cardinalis Sacchetti, pro Chiſio intercedentis, teſtimonio fidem haberet. Relatæ enim inde exoptatiſſimæ literæ, placere ſuæ Majeſtati ejus exaltationem, quam manifeſtiſſime declarabant, imo etiam impellebant, ut omnino ipſe Pontifex crearetur. Gratias inſuper Sacchetto, quod hunc propoſuiſſet, Mazarinus egit; qui eundem animum literis ad Gallicos miniſtros datis, conteſtatus eſt.

Dominica poſtmodum quarta menſis Martii, nempe vigeſimo octavo ejuſdem menſis, ipſo paſchatis die, ad cellam cardinalis Bicchii, Chiſio cognatione juncti, ſub prætextu eum, quia decumbebat, viſendi, quidam cardinales confluxere, quod & duobus ſubſequentibus continuis diebus fieri cernebatur. Convenerant ibi Barbarinus, Eſtius, Antonius, Grimaldus & Spada, & quandoque Johannes Carolus Mediceus.

In iſto loco de hoc negotio tractabatur: inde de eo ad Mediceos iſti retulere, quibus hi magnam fidem habebant. Ut igitur cardinales illi tandem exuerent ſeſe moleſtiis, cum quibus in conclavi conflictabantur, CHISIUS omnibus placuit, utpote in quo nemo, quod diſpliceret, inveniebat. Subditus nimirum erat Magni Ducis: nec ei Hiſpani utpote ab illis ipſis præſentato diffidebant: præterea exoptabant eum Imperator & Germani, erga quos ſemper ſingularem affectum ipſiſque benefaciendi voluntatem teſtatus eſt.

Cardinales Medicei, qui nunquam Barbarinum a clientibus ſuis diſceſſurum crediciſſent, maxime cum circa aliquos eorum, & quidem præcipue Maculanum atque Carpegnam, conſenſum ſuum declaraſſent, propoſito Chiſio (cui forte apud ſe alios præferebant) ſubito deprehenſi, quid contra eum exciperent, non habebant. Nominatus enim erat a Rege catholico, & inter faventes coronæ Hiſpanicæ referebatur, cui credibile eſt voluiſſe ipſos Mediceos cum fide & ad nutum ſuæ Majeſtatis inſervire, utpote cui magis quam privato Mediceæ domus emolumento ſtudere debeant. Inſuper audiebatur jam murmur aliquod ſubditorum: ſe hac ratione ſemper, a conſequenda ſuprema dignitate, pro qua tamen & ipſi labores exantlarent, eoque per merita tenderent, excludi indignantium. Quapropter Medicei omnimodo permoti fuerunt, ut Chiſii electionem votis ſuis approbarent. Nec vero aliquid cauſabantur, quo minus ad effectum properaretur; tantum ſe rem cum ſociis & catholici Regis amicis communicaturos dicebant.

Nemini interim hoc Mediceorum reſervatum ſcrupulum injecerat, atque adeo nec de felici ſucceſſu dubitabatur. Et ſane ſi quicquam ſiniſtri metuendum fuiſſet, id a Barbarino imminebat. Is enim, antequam in Chiſium penitus ſuffragio ſuo iret, pro Sacchetto ultima tentare decreverat; cujus exaltationem, uti dicebat, certiſſimam ſperaret, jactaretque ſe ſuffragia ſeniorum quorundam cardinalium adeptum eſſe; qui ſane citius in Sacchettum annorum ſeptuaginta duorum, quam in Chiſium, annos circiter quinquaginta & quatuor habentem, conſenſuri eſſent.

Sed vehementer huic Barbarini conatui Sacchettus ipſe reſtitit. Ille ſiquidem omnem iſtum conatum quam evidentiſſime in certiſſimam perniciem ceſſurum, imo omnia illum quæ pro Chiſio hucusque proſpere acta eſſent, everſurum oſtendit; contendens omnino & abſolute, ſeſe nolle proponi, imo etiamſi in ſolo ſuo arbitrio poſitum eſſet, ſuo capiti diadema Pontificium imponere, ſibi tamen id demere, & in caput Chiſii, qui parem in hoc onere ſuſtinendo neminem haberet, transferre malle. Quamobrem cauſam ejus multa diligentia licet caute agere non ceſſabat.

Tandem poſt ſcrutinium veſpertinum diei Martis, ſexti nimirum menſis Aprilis, hoc negotium a cardinalibus apertius tractari cepit, & tum ſibi invicem tam fauſtam electionem gratulati ſunt, ac ingruente nocte in cella Chiſii, qui ſe jam in lecto compoſuerat, convenerunt. In tali ſtatu cum a toto ſacro collegio viſeretur, gratulationes excepit; profuſis tamen lacrymis ſubinde orans, ut magis dignum præficerent.

Pro ſequentis diei Mercurii, ſeptimi ſcilicet Aprilis, ſcrutinio matutino, jam veſpere præceden-

te ſuffragia certa, pro Chiſio ad Petri ſucceſſionem vocando, præparata erant: & inter Mediceos ac Hiſpanos, ut cum viginti & duobus votis, (de tot enim jam certi erant) accederent, convenit; promiſit novem & triginta Barbarinus.

Ita quaſi in ipſo adorationis momento, quieti permiſſus fuit electus, dum interim ſumma cum lætitia, labente nocte, adventus diei maximo deſiderio exſpectatur.

Poſtero die primo mane omnes qui aderant cardinales ad futuri Pontificis cellam coivere. Poſt ſacro, quod in privato quodam ſacello factum eſt, interfuere. Demum more ſolito eum ad delubrum Sixti deduxerunt, ut ibi in ſcrutinio jam factam electionem communibus votis publice comprobarent.

In iſto ſcrutinio Hiſpanorum vota ad numerum vigeſimum & quintum crevere, licet Medicei viginti duo tantum promiſiſſent: & in acceſſione cardinalis Barbarinus ea, quæ receperat, (triginta ſcilicet & novem) exhibuit; ut adeo in univerſum ſuffragiorum ſexaginta quatuor concurrerint.

Hinc perſpicuum eſt, in hoc ſacroſancto negotio Spiritum Sanctum vires ſuas plene exeruiſſe, animos diſſidentes in concordiam redigendo, unamque mentem omnibus eligentibus, ante diviſis, & in tot partes ſciſſis, inſpirando.

Atque hoc modo cardinalis Chiſius Pontifex Romanus electus eſt. Hic antequam hanc dignitatem capeſſeret, precum cauſſa, ut ab altiſſimo auxilium impetraret, aliquantum ſeceſſit. Veſtitus poſtmodum pontificali habitu, Romanus pontifex, ac viſibile caput eccleſiæ, ſub nomine ALEXANDRI SEPTIMI ab omnibus cardinalibus ſalutatus & adoratus fuit. Quod nomen propter cognationem qua Chiſiorum familia Bandinellorum domum attingit, ex qua Alexander Tertius prodiit, præ aliis elegit.

Non eſt meæ tenuitatis *hujus Pontificis integritatem*, (a) ſanctitatem, & ad exemplum efformatos mores inerti ac inculto meo calamo digne deſcribere; melius idipſum tempus præſtabit, quod qualis futurus ſit, mundo oſtendet. Jam paucas quasdam recenſuiſſe actiones ſufficiat, quæ, qualem ſe progreſſu temporis geſſurus ſit, ſatis ſuperque indicabunt. Si noſtro hoc ſeculo Principem quis cerneret, qui *nudum corpus rigidiſſimo veſtiviſſet cilicio*, (b) nemo non eum, tanquam vitæ integerrimæ, exemplaris, & ſanctæ ſtudioſum, ſuſpiceret. At talis noſter, cum habitu pontificali indueretur, repertus eſt. Qui etiam alias animi, ab affectibus terrenis, mundaniſque divitiis alieni, ſignificationes haud dubias ſæpe jecit. Lectus enim ejus, in quo, cum cardinalis eſſet, dormire conſueverat, non mollibus ac delicatis plumis ſtratus erat, cum ſemper duriſſime quietem ceperit. Singulis quoque ſeptimanis bis jejunando abſtinentiam ſuam oſtendit, nec jam Pontifex ab iſto more tantillum recedit. Unde manifeſtiſſime apparet, quam penitus abhorreat a terrenis deliciis mens cœleſtibus tantum dedita. Res ſane noſtri ævi Principibus rariſſime uſitata, ac proinde in noſtro tanto magis admiranda & extollenda, qui profligato dominio ſenſus ſolum ſpiritum ſibi imperare patitur.

Cum ſtatim, poſtquam Papa creatus fuerat, (c) ſolita ſolenni pompa in ædem Petri portatus fuiſſet, ut ibi ſuper altari magno, in medio templi exſtructo, ab omnibus cardinalibus, qui ipſum in conclavi elegerant & adorarant, adorationis cultum publice reciperet, (prout id recens electis Pontificibus fieri moris eſt) omnino noluit in altaris medio, quo tamen omnes præcedentes Pontifices poſiti fuere, collocari, ſed vehementer inſtitit, ut in angulo quodam altaris relinqueretur, indignum ſe dicens eo in loco conſtitui quem cæteri Pontifices tenuiſſent. Illic tamdiu proſtratus, imaginemque crucifixi amplexus, maxima animi dejectione jacuit, quamdiu adorationis ſolennitas duravit. Commoverat hoc ſpectaculum omnes cardinales; cum in templo, ob immenſam multitudinem populi frequentiſſimo, in conſpectu totius aulæ Romanæ, ac tot & tantorum Principum exterorum, tam inuſitatam novi Pontificis contuerentur modeſtiam ac ſubmiſſionem: Signum certiſſimum, hunc Pontificem ſingulari Dei miſericordia ac providentia præfectum eſſe. Proinde univerſi hoc exemplo non admiratione ſolum extra ſe rapti, ſed & devotione accenſi fuere. Mox ubi relicto S. Petri templo ad proprium cubiculum palatii Vaticani delatus fuit, quod ſacrum collegium cardinalium

(a) *hujus Pontificis integritatem*) Laudant quoque hujus Pontificis eruditionem & doctrinam. Eundem enim latina poëſi clarum fuiſſe refert PALATIVS *tom.* 4. *p.* 601. *ſqq.* & hymnos, epigrammata, odas, elegias ſcripſiſſe, quæ cum titulo, muſæ Juveniles Philothei publici juris faciens Flavio nepoti conſecraverit; nec non in academia Senenſi trium facultatum collegio adſcriptum & latine ex tempore tam proprie & dilucide locutum fuiſſe, ut nemo meditate limatius ſcriberet, commemorat. Addit de robore corporis, quod tanta vi manuum præditus fuerit, ut cujus manum comprehendiſſet, nulla is vi quantumvis validus & robuſtus ſe potuerit expedire.

(b) *nudum corpus veſtiviſſet cilicio*) Id, ait PALATIVS l. c. Lauræ Marſiliæ matri ſuæ referebat acceptum, quæ puerum librorum avidum in exercitio libelli de imitatione Chriſti ea ſpe fatigavit, quod libellum quaſi Italice ſcriptum ab autore, ſi in latinum ſermonem verteret, in gratiam nationis Transalpinæ, grande lucrum ſperaret, quo ſibi de libris provideret. Qua ſpe lactatus Fabius incredibili ſtudio provinciam occupavit, brevique abſolvit egregia fraude ſero intellecta. Franciſci quoque Saleſii virtutes & ſcripta præ cæteris ſanctis viris colens, ejus monita pro regula habens, illud frequenter inculcabat, *nihil petendum, nihil recuſandum.* Cumque magni nominis præſul alicubi conqueſtus eſſet, primam quidem ejus dicti partem in ſua poteſtate eſſe, ſeque ei libenter jam pridem ſatisfacere, alteri vero, quæ ad Pontificem ſpectat, nondum eſſe ſatisfactum, ubi id Alexander reſcivit, juſſit præſuli renuntiari, regulæ Saleſii addendam eſſe tertiam, qua præcipitur, nihil dolendum.

(c) *Cum ſtatim poſtquam Papa creatus fuerat*) Idem & quæ ſequuntur de ſarcophago in memoriam mortis ſibi conſtructo refert BRIETIVS *ad a.* 1655. addens: Sic denique exorſus eſt, ut ſi finis reſpondeat initio, ſanctitatis nomen ſibi cum aliis Pontificibus commune peculiare faciet & proprium. De quo tamen alia in pontificatu ejus geſta nos valde dubitare magnopere ſuadent.

lium Suæ Sanctitati aſſignare ſolet, ut a variis & gravibus in præterito conclavi exactis laboribus, & occaſione electionis ac creationis ſuæ exercitis functionibus requieſceret, loco capiendæ quietis & paulum reſpirandi, arcam e cupreſſo, plumbo intus obductam, ut illic poſt mortem reconderetur, ſibi fabricari, & ſub lecto ſuo reponi juſſit, quo magis mortis meminiſſet, & hoc intuitu ad pietatis opera fortius excitaretur. Obſervatum hic eſt, hoc primum fuiſſe mandatum, quod Pontifex factus dederat.

Proximo a creatione ejus die domina Olympia Maldachina palatium intravit, animo Sanctitati ſuæ de evectione ad pontificatum gratulandi. Quod ut ipſi relatum fuit, ſtatim, ut eam palatio excedere juberent, imperavit. Indecens enim eſſe dicebat, palatium Papæ a fœminis frequentari, nec Beatitudinem ſuam poſſe copiam accedendi dominæ Olympiæ facere, cum decreviſſet nullam fœminam etiam Principem, cujuſcunque illa fuerit conditionis, in conſpectum ſuum admittere. Proinde a palatio abſtinerent, niſi inde recedere cum rubore velint: id enim nemini præterquam eccleſiaſticis & religioſis patere.

Præ aliis vero, ad fidem indubiam ſanctitatis vitæ Pontificis faciendam, præcipue notandum quod jam dicetur. Curſuum publicorum (vulgo poſtas appellant) præfectus, ſtatim, ubi electio Papæ innotuit, de ea nunciis celeriter miſſis datisque literis Suæ Sanctitatis cognatos certiores reddidit, monens ut quamprimum ad urbem advolarent. Quod ubi Pontifex reſcivit, e veſtigio hominem accerſitum graviter reprehendit, cognatis autem ſuis in continenti reſcripſit, locumque ubi degerent, ſub qualicunque prætextu deſerere, *antequam ipſe eos inde avocaret,* (a) vetuit, ni ejus animum prorſus a ſe alienatum cuperent. Quo ipſo docuit, ſe jam cognatos non habere, nec jam domui ſuæ evehendæ ſtudere, potioremque eam curam eſſe, quomodo eccleſiæ reditus uſibus neceſſariis applicarentur, quam quemadmodum ſui inde diteſcerent. En ſufficientiſſimum bonitatis & ſanctitatis integritatisque vitæ ejus indicium! Quando ſane noſtris temporibus repertus eſt Papa, qui ſubito rerum potitus non omnium primo tam ſe, quam propinquos ſuos extollere laboraverit?

Similiter nepoti ſuo ex ſorore, ordinis Melitenſis nomine Venetiis præſidenti, literis ſignificavit, ſe nolle, ut inde ſe Romam conferret, niſi ipſe eum accerſeret; incumberet interim gnaviter officio ſuo.

Ex quo mundus factus eſt Chriſtianus, fortius argumentum pro alicujus hominis probitate, ejusque animi puritate deduci nequivit, quam a contemptu opum, dum quis eas tam a ſe quam a ſuis abigit. At hic quid noſter? Oblata ipſi poſtridie a creatione munera, a diverſis Principibus aliisque tam in eccleſiaſtica quam ſeculari dignitate conſtitutis miſſa, accipere renuit. Inprimis vero dominæ Olympiæ Maldochinæ lectum perpulchrum, varie acu pictum, & unionibus contextum, valorem 40000. aureorum excedentem, quem Suæ Sanctitati in donum offerebat, poſtquam eo conſpecto aliquantum commoveri videretur, actutum remiſit.

Verum ne hic quidem ſubſiſtunt virtutes ipſius, quæ toti orbi Chriſtiano pacem reddere geſtiunt: ideo vix dum ſuſceptis clavibus animum ad componenda inter Gallos Auſtriacosque diſſidia applicuit, & jam deliberat, quos huic negotio feliciter expediendo cardinales legatos eligeret. Neque minus Germaniæ meminit, ejus negotiorum haud ignarus, præcipua tamen ei *cura animarum hæreſi pereuntium*, (b) quas inde ad gremium eccleſiæ reducere, collatis cum vitæ probatæ expertæque prudentiæ cardinalibus epiſcopis & præſulibus, conſiliis, modos executioni aptos diligentiſſime indagando, extreme laborat. Nec deſunt in aula Romana, qui magni hujus Pontificis induſtriam aliquando optimum remedium ſapienter inventuram & dextre adhibituram eſſe, non ambigunt.

Nec tamen hæc omnia ſollicitudinem pro Venetis expellunt; in quorum gratiam, ut olim promiſſi 4000. milites in bellum contra Turcas ſuſtentarentur, ordinavit; juxta mandavit, ut triremes Pontificiæ illum ipſum tyrannum invaderent, Venetisque ſubſidio eſſent. His namque eum multum favere conſtat, quibus etiam valida manu ſubventurus creditur. Neceſſarium enim judicat, iis, per grave & diuturnum cum Thrace iſto bellum afflictis, majore quam hactenus ſtudio ſuccurrere; ne potentia iſtius perfidi nimis excreſcat, nec is majorem orbis Chriſtiani partem opprimat, quam jam occupavit.

Et ut dicam quod res eſt, apparet hunc Pontificem totum eſſe deditum motibus ſpiritualibus, meditationibus ſanctiſſimis, & cogitationibus ad bonum totius eccleſiæ collimantibus, & quidem non perfunctorie, ſed ſerio & acriter. Non enim negligens, verum intentus eſt, ubi negotium ſi-

(a) *antequam ipſe eos avocaret*) Politicis id inductum rationibus feciſſe Pontificem nemo non videt. Nepotiſmus enim jam pridem Romæ ſuſpectus magnam Pontificibus conflaverat invidiam; præcipue ſub Urbano VIII. Itaque ſatis cautus Alexander exemplo ſervatoris adhibito ab initio dixit, nullos ſe conſanguineos niſi pauperes habere. Et cum Sfortia Pallavicinus nimis eum urgeret, ut tandem conſangineos, Marium, Auguſtinum & Fabium in urbem admitteret, reſpondiſſe dicitur, veſtrum eſt (erat enim Pallavicinus Pontifici a confeſſionibus) nos a peccatis retrahere non ad peccata compellere. Interim tamen elapſo primo pontificatus anno facile nepotes ſuos admiſit, eosque ſummis ornavit dignitatibus.

(b) *curæ animarum hæreſi pereuntium*) Hanc ſi diis placet, declaravit in Regina Sueciæ Chriſtina, quam poſtquam Oeniponte religionem evangelicam ejuraverat, ad ſe, miſſo Luca Holſtenio a. 1656. Romam invitavit, advenientemque regio apparatu excepit. Multum quoque ab hoc Pontifice in Lutherana, quam vocant, hæreſi extirpanda ſibi polliciti fuerunt Romanæ eccleſiæ addicti. Hinc Princeps quidam Lutheranus, teſte PALLAVICINO *lib. 24. c. ult. hiſtor. conc. Trid.* (ſi autori credendum erit) dixiſſe perhibetur: Si Chiſius Pontifex crearetur, dimidium regni fratris mei ad eccleſiam redibit Romanam.

Digitized by Google

ve conſultandum ſive peragendum eſt, quod gloriam Dei concernit. Adeo nunquam officium pii ac juſti Principis deſerit. Laudatiſſima namque ſua inſtituta fervorem animi detegunt, oſtenduntque in interioribus mentis habitare cum timore Dei integritatem vitæ.

Jam ante providerat, ut tempore ſuæ coronationis unciæ panis decem tantidem venirent quanti antehac unciæ octo: & ut id fieri commodius poſſet, multa monopolia ſuſtulit, & frumenti cameræ (ut vocant) apoſtolicæ extra territorium eccleſiaſticum exportationem ſevere inhibuit, ac præcipue, ne id facerent domina Olympia Maldachina, Princeps Pamphilius & Ludoviſius, vetuit: eo enim ſedulo reſpicit, ut populo & civitati quam optime conſulatur. Quantum conjectura aſſequi licet, animus ipſi eſt, cardinali Pallottæ examen rationum dominæ Olympiæ, de iis quæ ſub Innocentio X. expenſa ſunt, committere. In qua eum multa deſiderare ajunt, repetiturumque ab illa arcam quandam pecunia gravem, quam in ærario Innocentii, mortis ejus tempore fuiſſe, ſed tunc in dictæ dominæ domum translatam eſſe, rumor eſt. Ferunt ibi reconditos fuiſſe 80. mille aureos, ab Innocentio ſucceſſori tradendos relictos. Quam arcam, quoniam eam defunctus Innocentius Suæ Sanctitati cum adhuc cardinalis eſſet, præſentibus aliis duobus cardinalibus oſtenderat, jam vero quo evaſerit & qua ratione diſparuerit ignoratur, plane reſtitui vult.

Præterea per libellos ſupplices Pontifici oblatos quidam dominæ Olympiæ creditores de tergiverſatione ejusdem multa querebantur: protinus itaque, ut ſolvat, ei injunxit, ſeveriora interminans, ſi in cauſa fuerit, ut denuo interpellaretur. Statim ergo morem geſſit ſupradicta domina, & jam tota in ſolvendis debitis occupata eſt. Ut ita patentiſſima porta juſtitiæ aperta ſit, accommodante juri & æquo authoritatem Sua Beatitudine.

Quoad temperamentum & qualitatem corporis eum non optime conſtitutum eſſe, tam calor faciei, quam bis jam ipſi maximo cum vitæ periculo exſectus calculus arguit. Unde, licet multorum annorum onere non prematur, undecimum enim luſtrum nondum complevit, *de longævitate ejus multi dubitant.* (a) Quamobrem fortaſſe & ipſe ſibi breviorem vitam fore conjiciens, eo majori

(a) *de longævitate ejus multi dubitant*) Sedit tamen annos duodecim. Accedit aliquando ut ex Polonis nobilis reditum in patriam parans Pontifici valedicturus ab eodem interrogaretur: Utrum omnes ceremonias aulæ Romanæ ſatis obſervaſſet. Cui cum reſponderet, nihil a ſe prætermiſſum, niſi quod ſedem vacantem obitu Pontificis nondum vidiſſet, tum Alexander aſſurgens loco quo conſedir, dixiſſe perhibetur: Ecco la ſedia vacante. Ecce ſedem vacantem; quemadmodum refert *itiner. curioſum p.* 184. Cæterum hac occaſione ſynopſin quandam vitæ rerumque geſtarum hujus Pontificis lubet adjungere. Nimirum Alexander VII. antea Fabius Chiſius dictus, natus fuit a. 1599. ex nobili Senenſium familia. Senis a. æt. 21. publicas de jure civili propoſitiones & a. æt. 27. de univerſa theologia publice diſputavit. Lauream philoſophicam a. æt. 23. & in jurisprudentia adeptus, a. 1626. a. æt. 27. in theologia doctor renuntiatus fuit. Fratris deinde Auguſti literis ad Sfortiam Pallavicinum inſtructus Romam contendit, quo interprete Urbano VIII. cognitus & charus gratiam conciliante poeſi præcipue Horatiano carmine, cum non minus tractandæ reipulicæ, quam poeſi idoneus fuiſſet repertus, primum utriusque ſignaturæ referendarius, poſtea prolegatus Ferrariæ a. 1629. conſtitutus fuit, quibus muneribus cum optime functus eſſet, Urbanus eum Miletæ inquiſitorem & deinde epiſcopum Neritonenſem conſtituit. Poſtea legatum Coloniam Agrippinam ad reparandum religionis ſtatum ablegavit, quo tempore in Germania degens pacificationi Monaſterienſi interfuit, ibique nomine Pontificis de eccleſiæ quam vocant, juribus proteſtatus fuit. Inde Romam reverſus poſt obitum cardinalis Panciroli Innocentio X. fuit a ſecretis, a quo etiam cardinalis presbyter creatus titulo S. Mariæ de populo, atque congregationibus inquiſitionis & de fide propaganda adſcriptus præcipue controverſias Janſeniſticas excuſſit, quibus omnibus magnam gratiam apud Pontificem conſecutus, ut etiam ſibi moribundo cum Dezio Azolino ſemper adeſſe voluerit. Quo mortuo tandem a. 1655. Pontifex electus fuit, poſtquam paulo ante ipſe manu ſua exaraſſet breve, quod vocant, apoſtolicum, quo Pontifex futurus teneretur ad Cretæ tutelam vires impendere eccleſiæ, una cum Melitenſibus triremes annuatim mittendo Pontificias, & peditum tria millia. Sub initium pontificatus ſui catholicos Helvetiorum pagos adverſus reliquos reformatæ religioni addictos & Carolum Emanuelem Ducem Sabaudiæ contra Waldenſes conſilio & pecunia adjuvit. Deinde cum fames & peſtis ſimul Romam affligeret, laudabili cura utrique periculo opem tulit, atque in memoriam ſervatæ urbis porticum erexit Vaticanam, in alia etiam liberalis. A. 1656. Chriſtinam Reginam Sueciæ Romam per legatos ad ſe invitavit, quæ cum veniſſet, oleo a Pontifice delibuta nomen ejus ſuſcepit & Alexandra dici maluit. Jeſuitas quoque interceſſione ſua accedentibus pariter Ludovici Regis Galliarum officiis in ditiones Venetas reſtituit an. 1658. Venetisque deinceps ad perſequendum cum Turcis bellum & theſauro indulgentiarum & decimis a clero ſolvendis & parata quoque ex ærario pontificio pecunia adfuit. A. 1661. Romanum archi gymnaſium ſapientiæ vocatum, ejusque templum ea amplitudine & magnificentia extruxit, ut ſplendidiora urbis ſuperet ædificia, cui etiam bibliothecam, ſive libros a Franciſco Maria II. Duce Urbini magno ſtudio conquiſitos adjunxit. Cum etiam literarum volumina, quæ a nuntiis exarantur apoſtolicis de arcanis Chriſtianæ religionis, nullo certo aſſervarentur loco, ſed a conſanguineis morientis Pontificis quaſi hæreditaria ad lares aſſervarentur paternos, ea ex variis familiis Pontificiis ſollicite expiſcatus operam dedit, ut in poſterum in Vaticano palatio archivo extructo reconderentur. Præcipue vero inter res ſuo tempore geſtas memoratu digna eſt controverſia, quæ Pontifici cum Ludovico Rege Galliarum interceſſit. Cum enim dux Crequius legatus Regis a Corſis, quos vulgo vocant, militibus Romæ offenſus eſſet, neque eam, quam cuperet, conſequeretur ſatisfactionem, Rex revocato legato palam videbatur Pontifici bellum indicere, comitatu Avenionenſi in poteſtatem ſuam redacto, poſtulansque, ut Pontifex Farneſiis caſtrum, Eſtenſibus Comachium reſtitueret. Tandem anno 1664. Piſis Raſpano cardinali & Aloiſio Barlemontio congredientibus pax inita his ſtipulatis conditionibus: (1) ut permitteretur duci Parmenſi caſtrum pretio redimere; (2) ut cardinalis Chiſius, tanquam legatus a latere Luteriam pergeret factumque excuſatione purgaret; (3) Corſica natio indigna in poſterum declararetur ſervitio apoſtolico; (4) Erigeretur pyramis in foro Farelio ad perpetuam rei memoriam; (5) Auguſtinus alter nepos Pontificis Crequio Romam redeunti occurreret, eumque certiorem faceret, ingemuiſſe Pontificem diſcrimine cognito, & quæ ſunt alia. Hisce diſſidiis autem ita ſopitis Pontifex non diu ſupervixit, ſed cum Lithiaſi graviter conflictatus a. 1667. die 22. Maji diem obiit ſupremum, cum annos ſediſſet duodecim. Cæterum commemorante PALATIO, de Alexandro VII. plura memoriæ prodi-

majori ardore ad ea expedienda fertur, quæ alias multum temporis requirunt, conaturque paucis diebus ea perficere, quæ alii tot annorum ſpacio nequiverunt.

Creditur in aula, quantum conjectura conſequi poteſt, quod & eccleſiis Luſitanis proſpectura ſit Sua Sanctitas, legatumque Regis iſtius receptura; quod, ut ipſa juſtitia efflagitat, ita & ipſi non minus ac prædeceſſoribus ſuis liberum erit. Tantoque hic facilius, ut id exequatur, viam inveniet, quanto minus ei, ſanctiori vitæ & æquitati addictiſſimo, quisquam adverſari, vel de ſententia ejus conqueri audebit; cum nihil actura ſit Sua Sanctitas, niſi quod neceſſitas & ipſe juſti rectique amor jubebit: nec diu, ut conjicitur, jam deſtinatum eccleſiis iſtis auxilium differet; neceſſarium enim id eſſe, nemo non videt.

An familiæ ſuæ ſplendorem auctura, nepotibusque ſuis cardinalatus aliasve dignitates largitura ſit Sua Sanctitas, nondum liquet. Sunt interim qui putant, eam brevi purpuram alicui nepotum ſuorum conceſſuram eſſe, quem tamen ſecum in palatio ceu privatum, modeſtiæque cancellis incluſum, retinere conſtituerit; nec ob aliam rationem id facturam, quam ut legatis Principum ſatisfiat, qui id ipſum enixe poſtulant, & quibus omnino neceſſarium videtur, ut aliquem e ſuis Cardinalem creet, qui in palatio penes ipſam reſideret, ac authoritate aliqua polleret, ceu factum tempore Urbani VIII. & Innocentii X. & aliorum, cum quo commodius negotia communicare poſſent, nec continuo ipſum Pontificem de omnibus quæ accidunt & forte non adeo magni momenti rebus, interpellare cogantur. Proinde veriſimile eſſe: Suam Sanctitatem prima promotione, quendam e ſuis propinquis purpura ornaturam. Nec tamen etiam deſunt, qui eam, ne umbram quidem ſive dignitatis, ſive opum cuiquam ſuorum impertituram, affirmant; ſed indubitato ſtatuunt, quod Pontifex omnia regere & adminiſtrare, propriisque oculis cuncta cernere, atque omnia, quæcunque ac quocunque modo incidant, negotia tractare, &, ut ſummatim dicam, imperare ipſe volet: quod ut ſumma laude dignum eſt, ita omnes, quotquot ſunt, qui judicio & prudentia pollent, approbant.

Faxit Deus, ut in ſancto propoſito pergat, in commodum eccleſiæ & totius Chriſtiani orbis, qui ſane emendatione maxime indiget; cum præſertim potior Europæ pars minus æquis ac juſtis imperiis ſubjecta, Principumque perexiguus hodie numerus ſit, qui ſpartam ſuam, uti decet, exornent.

Nomina Cardinalium.

Quorum illi qui abfuerunt a conclavi notantur aſteriſco.

PAVLI V. Cardinales Epiſcopi.

Carolus Medices *Florentinus collegii Cardinal. Decan.*

Cardinales Presbyteri.

Capponius *Florentinus*	Sandoval *Hiſpanus.* *

GREGORII XV. Cardinal. Epiſcop.

De la Cueva *Hiſpanus.* *

URBANI IIX. Cardinales Epiſcopi.

Fr. Barberinus *Florentinus*	Sacchettus *Florentinus.*
Spada *de Briſighella*	Ginettus *Volaterranus.*

Cardinales Presbyteri.

Harrach *Germanus*	Brancaccius *Neapolitanus.*
A. Barberinus *Romanus*	Bichius *Senenſis.*
Columna *Romanus*	Carpegna *Vrbinas.*
Pallotta *Marchiſianus*	Franciottus *Lucenſis.*
Durazzus *Genuenſis*	Grimaldus *Genuenſis.*
Filamarinus *Neapolitanus*	Roſſettus *Ferrarienſis.*
Bragadinus *Venetus*	Rapacciolus *Romanus.*
Ceſius *Romanus*	Ceva *Pedemontanus.*
Maculanus de Florenzola nuncupatus S. Clementis *Placentinus*	Glorius *Camerinus.*
Montaltus *Romanus.*	Lugo *Hiſpanus.*
Fachinettus *Bononienſis.*	

Cardinales Diaconi.

Trivultius *Mediolanenſis*	Eſte *Mutinenſis.*
Gabriellius *Romanus*	Coſtagutus *Genuenſis.*
* Mazarinus *Romanus*	Dongius *Genuenſis.*
Vrſinus *Romanus*	Rondaninus *Romanus.*

INNO-

derunt cardin. SFORTIA PALLAVICINVS, BAPTISTA NANIVS, ANDREAS VALERIVS BRVSONVS, GALEACIVS, GVALDVS, FRANCISCVS A S. AVGVSTINO MACEDO, AVGVSTINVS vero FAVORITVS eum in funere laudavit.

Digitized by Google

INNOCENTII X. Cardinales Presbyteri.

Checchinus *Romanus*
Ludoviſius *Bononienſis*
Caraffa *Neapolitanus*
Cybus
Savellius *Romanus*
Cherubinus *de Monte Bodio*
Aſtallus *Romanus.*
Retzius ſive Gondius *Gallus*
Chiſius *Senenſis*
Lomellinus *Genuenſis*
Homodeus *Mediolanenſis*

Ottobonus *Venetus.*
Corradus *Ferrarienſis.*
Imperialis *Genuenſis.*
Borromæus *Mediolanenſis.*
Sanctæcrucis *Romanus.*
Aldobrandinus *Florentinus.*
I. B. Spada ſive Card. S. Suſannæ *Lucenſis.*
Caffarellus *Romanus.*
Albizius *Caſenas.*
Aquaviva *Neapolitanus.*

Cardinales Diaconi.

I. Car. Medices *Florentinus*
Sforza *Romanus*
Odeſcalcus *Novarienſis*
Videman *Venetus*
Raggius *Genuenſis*
Maldochinus *Viterbienſis.*

Landgravius Haſſiæ *Germanus.*
Car. Barberinus *Romanus.*
Pius *Ferrarienſis.*
Gualtierius *Urbevetanus.*
Azzolinus *Firmanus.*

HERMANNI CONRINGII
Epiſtola de electione Alexandri VII. Papæ
Oppoſita
APPENDICI EXAMINIS ERBERMANNIANI.
Accedit appendix ipſa.

HERMANNUS CONRINGIUS
Admodum Reverendo Viro
P. N. N. O. B.
Amico ſuo
S. P. D.

QUam miſiſti appendicem Erbermannianam & recte accepi & qua par eſt cura expendi. Quur hæc ipſum Erbermanni librum anteverterit, aut quare hanc præ ipſo libro feſtinata miſſione in manus noſtras venire voluerint Socii, non ſatis aſſequor. Si libro ipſi præferenda appendix eſt ipſismet illis judicibus, exigui profecto ille momenti ſit neceſſum eſt. Si voluerunt ex hac appendicula æſtimationem libri abs me fieri, atque adeo agnoſci ex ungue leonem, aſſecuti ſane ſunt quod ſperavere. Agnoſco enim ungues non leonis quidem, ſed cujusdam quaſi leonis aut leoninam ſaltim induti. Agnoſco inquam Erbermannum meum, plane qualem ſe ille mihi hactenus ſemper probaverat, ineptum diſputatorem, per aliena vagabundum, maledicum, jactabundum & ferocem. Unum didici quod ignoraveram, eundem eſſe non calumniandi tantum ſed etiam paraſitandi inſignem artificem : idoneum proinde qui in eadem ſcena mutato habitu nunc Thraſonem nunc Therſitem agat nunc Gnathonem , quæ rara verſatilis & capacis ingenii dos eſt. Si liber itaque ejusdem cum appendice eſt indolis, jam ſcio etiam illum non abire a ſolito, ſed antiquum obtinere, τῦ πατρὸς γνήσιον παῖδα: atque adeo non eſſe, quare aut metuam aliquem ictum veritati, aut eximium aliquid mihi exſpectem.

Statim initio ultimam meam reſponſionem Valeriano Capuccino oppoſitam pronunciat *mordacem* eſſe & *virulentam.* Fateor omnem de virtute ſermonem gravem mordere improbos, vel ut poeta ait, *mordaci radere vero:* utque Lactantius inquit, *vulnerant aures eorum qui libidinum ſtimulis incitati in furias ignemque ruunt præcepta continentiæ.* Hactenus *mordacem* libellum meum eſſe non diffiteor: Erbermanno ſcilicet & Erbermanni ſimilibus Papali ſuperſtitione ulceratis animis. Nec pœnitet: cum ſordida & fœda ejusmodi ulcera animorum curari nequeant, niſi aſpergas quod mordeat. Quid vero libello ineſt *virulenti?* Sed & quid Vito cum iſthoc libello rei eſt, qui ad Valerianum pertinet, hic vero *oderit eccleſiam malignantium* , qua voce quos ille ſignificaverit non ignorat utique Erbermannus ? Non diffiteor ſub finem libelli allocutum me quemvis benevolum lectorem, rogaſſeque ut diligenter attenderent ad ea, quæ dum iſthæc ſcriberem Romæ agitabantur: at nec benevolus mihi eſt Vitus, nec ad ea quæ propoſueram voluit attendere. *Unice ſane videtur captaſſe* (a) occaſionem in novi Pontificis gratiam ſeſe inſinuandi , quo præmium capiat rei pro cauſſa

(a) *Unice ſane videtur captaſſe)* Saltim in commodum ſocietatis ſuæ, cui etiam faviſſe Alexandrum VII. poſtea deprehenſum fuit, cum pro Jeſuitis apud Venetos intercederet, ut propter diſſidium inter Paulum V. & rempubl. Venetam exortum expulſi denuo reciperentur , quod & factum an. 1658.

cauſſa Pontificia adverſum me, hæreticum ſcilicet hominem, bene geſtæ: eoque arripuit illa mea quaſi iis ſigillatim Alexandrum læſiſſem. Cæterum nec ego ſeorſim Alexandrum illum petii: & quæ habet appendix iſthæc adeo ſunt frivola, inepta, partim quoque impia, ut ſi iis quidem Alexander contulerit præmium aliquod, imo ſi non caſtigaverit hominem, indignum profecto facinus commiſerit. Non equidem invidebo Vito vel purpureum galerum: mirabor tamen ſi non in acrem reprehenſionem potius incurrerit. Si ſane is eſt Alexander qualem ipſe Vitus laudat, ſaltim oleum & operam, quod ajunt, Vitus perdidit, & vix impetraverit mitram ſine duobus tintinnabulis.

Quid enim, amice? Propoſueram ego lectori attendenda, brevi quidem ſermone, at numero multa & pondere graviſſima. Nonne itaque par erat, vel confutare illa omnia, vel callide ſeponere ac diſſimulare? Vitus vero mea pene omnia producit magis in publicum, atque adeo offert quaſi expendenda etiam iis, quibus per leges mea inſpicere alias erat vetitum; eorum vero omnium non niſi unicum tangit idque inepte. Quæ iſthæc hominis imprudentia eſt? Nonne caute per indices prohibitorum librorum noſtra manibus veſtrorum plerorumque excutiuntur, ne vi rationum trahantur in noſtras partes, aut, uti vos opinamini, decipiantur? Equidem Deo gratias ago, qui *everſa ſapientia ſapientum* ſociorum, iſthæc mea legi fecerit, ubi legi non poterant: nec enim dubito ſperare hinc veritati ſuum fructum: at vero Vitum merito jubeas μακρὰν κλαίειν, & lugere commiſſam ſtultitiam. Iterum ſane rogo quemvis lectorem; atque adeo etiam Te, mi Amice, quoniam Vitus ad illa attendere præ animi morbo (qui forte θανάσιμος eſt) non potuit, ſaltim tecum alii cum cura, implorato Sp. S. auxilio, expendant quæ ordine nunc ſubjicientur.

1. *Num veroſimile cui videatur, poſſe principium fidei chriſtianæ & caput quo unice animanda eſt eccleſia, interdum plane nullum reperiri, ſalva interim & eccleſia illa & fide?*
2. *Num hominem caducum & mortalem veroſimile eſt fundamentum eſſe perpetui corporis, quale eſt ſancta Dei eccleſia?*
3. *Num, quem Cardinales eligunt Papam, illum Deus jure aliquo æterno tenetur agnoſcere ſuum in terris infallibilem vicarium?*
4. *An non in Dei liberrimo eſt arbitrio collocatum, quem ille velit talem ſuum vicarium (ſcilicet quem velit & quemadmodum velit) conſtituere?*
5. *An hominibus fas eſt tales Dei vicarios creare, ſi ipſe iis non fecerit hanc creandi poteſtatem?*
6. *An non graviſſime peccant qui nulla accepta poteſtate audent vicarios Dei conſtituere?*
7. *An non pie agunt, qui tale facinus, & tali facinore creatum vicarium deteſtantur?*
8. *An cardinales queunt exhibere ſignum aliquod certum mandati divini de creando Dei vicario?*
9. *Num veroſimile eſt, Spiritu S. afflari cardinales in factiones & in illa conſilia de inveniendo commodo ſuis deſideriis ſecularibus Pontifice?*
10. *Num ad illum modum apoſtolos & prophetas Deus Opt. Max. miſit in mundum?*
11. *An non Deus ſingulos prophetas ſuos & apoſtolos ab ipſo orbe condito immediate elegit, & miſit?*
12. *An non Papa, ſi eſt vicarius Dei, ratione illius muneris major eſt omnibus prophetis & apoſtolis, uno excepto S Petro.*
13. *An veriſimile eſt, vicarium Dei rite conſtitui modo aliquo, qui longe eſt inferior illo, quo electi olim fuere prophetæ & apoſtoli?*
14. *An ſi Deus voluit ab hominibus eligi ſuos vicarios, veriſimile eſt non ſimul indicaſſe eligendi modum, quo homines queant vitio creatos atque adeo vicarios falſos a veris & rite electis diſcernere?*
15. *An non de creatione vicarii divini nihil omnino eſt hominibus revelatum?*
16. *An non ſi Deus neque ipſe immediate elegit vicarium, nec juſſit ab hominibus eligi, eo ipſo indicat nemini ſeſe vices ſuas committere?*
17. *Num vulgo in Paparum electionibus quidquam videas quale non ſolet fieri in electionibus maxime ſecularibus?*
18. *An non multi Papæ vitio creantur per Simoniam aliaſque vetitas artes?*
19. *An non tales electiones ſunt illegitimæ & ipſo jure nullæ?*
20. *An non talia electionum vitia ita ſæpe occultantur ut in vulgi conſcientiam non veniant?*
21. *An non qui per Simoniam quamvis occultam creatur, eſt falſus Pontifex?*
22. *An non talem pſeudopontificem diſcernere, moraliter ſaltim pleriſque hominibus impoſſibile eſt?*
23. *An Deus velit coli ſolos veros vicarios ſuos, & tamen non indicarit ſigna quibus veri a falſis diſtinguantur?*

Acria ſunt hæc, dixeris forte, & *mordacia.* Non nego talia eſſe putrido ulcere laboranti animo: at pio, & ſano, & ſapienti ſunt ſuaviſſima. Erunt etiam tibi, amice, jucunda, ubi Spiritus S. beneficio probe uſus hæc excuſſeris. Quod Vitus oculos hic maluerit claudere quam intendere, culpa illius eſt non ſane levis. Abſit vero ut quis illius exemplo ſeſe ſuaque in æternum exitium præcipitet.

Unum tamen & quidem id quod ſeptimo decimo loco propoſui poſſit videri Vitus revocaſſe ad animum. At vero quantillum hoc eſt præ reliquis? Eſto: ea in re aberraverim. Quanti nodi ſuperſunt in iis quæ anteceſſerunt? Si illud unum momordit Vitum, arguit latentem in animo morbum. Nempe Alexandro Papæ duntaxat adulandi occaſionem quæſivit homo: qua inventa, ut rebatur, reliqua maluit prætervidere. Verum enim vero ne hoc quidem adeo tangit Vitus, quam id quod dixeram: *agitari,* quo tempore iſthæc commentabar, *in conclavi inter Cardinales de novo Papa eligendo, idque magno animorum æſtu, & per factiones, non quo inveniant epiſcopum peritia rerum ſacrarum & vitæ ſanctimonia eximium, ſed qui ſit commodus magnorum Regum ac Principum ut & cardinalium ſecularibus deſideriis.* Et vero unum hoc improbari, credidit ille intereſſe famæ Alexandri. Sane manifeſtum eſt, poſſe hoc improbari admiſſis meis omnibus aliis. Quidni enim *vulgo in Paparum electionibus*

ctionibus nihil videas, quale non ſolet fieri in electionibus maxime ſecularibus, & tamen nunc demum melior fuerit fortuna conclavis? Perinde nimirum atque, ſi credimus Vito, *quod aliquot retro ſeculis non vidit Roma, nuperrimum conclave ſpectandum præbuit.* Vera autem eſſe illa mea, probant hiſtoriæ electionum Papalium vulgo omnium, non *in Paſquini & Marphorei officina* (a) natæ, ſed profectæ a viris dignitate & fide maximis, gnaris arcanorum conclavis, idque a ſeculis jam plurimis. Dedi nuper hiſtorias binas electionum Vrbani VIII. & Innocentii X. ſunt ad manus complures aliæ quas itidem publicabo, ſi viſum fuerit pretium operæ, aut id urſerit meus Vitus. Sane omnium fidem vocare in dubium eſt fidem omnem hiſtoriæ denegare fronte perfricta. Et vero qui aliter ſeſe habeant electiones iſtæ, quum agatur in iis de eligendo Principe potentiſſimo ſeculari, armato divitiis ſummis, præmiis & pœnis infinitis, omnigeno apparatu bellico, fœderibus, & quod maximum eſt illa de vicariatu divino vulgi opinione, idque non tantum intra ſtatus eccleſiaſtici qui appellatur per Italiam limites, ſed late per Europæ pleraque, etiam Regibus ipſis Principibusque ſubdita. Tanti ſane Principis electio, ut a morbis illis qui ſeculares electiones infeſtant ſit vacua, moraliter (ut ita loquar) vix poſſibile eſt.

At in electione Alexandri VII. longe ſanctius omnia acta, dixeris cum Erbermanno, eoque abs me perperam accuſatum illud etiam conclave, de *factionibus*, de *animorum æſtu*, de *cardinalium ſecularibus deſideriis.* Ceterum o bone, annon hæc vox fuit per trimeſtre integrum publica? annon chartæ ex ipſa Roma miſſæ, non a Proteſtantibus ſolis aut ad Proteſtantes ſolos, hæc locutæ ſunt oribus ut ita loquar pene infinitis, idque per Italiam Galliam Germaniam alibique paſſim? annon id loquentes chartæ paſſim ſunt publicatæ in vulgus, non a ſolis Proteſtantibus ſed etiam a veſtrarum partium hominibus? Quid me iſthæc tum ſcribentem potuit movere, ne voci populi & publicæ haberem fidem? Vtique talis omnino facies hactenus fuerat conclavium communis. Quur tum exiſtimare vel debui vel potui, præter morem inſolita quadam ſanctitate conclave illud imbui, & quidem licet reclamaret fama publica? Cogites igitur quam inique mecum agat Vitus. Ait, me *rumuſculos in officina Paſquini & Marphorei enatos captaſſe, nec ſine auctario iniquiſſima fama mendacia typis evulgaſſe.* An *rumuſculi* fuerunt vox communis illa & publica & per integrum trimeſtre protracta ac continuata? Quid ego voci illi publicæ addidi? Nonne illa omnibus ſeptimanis denuo aliquoties paſſim terrarum fuit uno conſenſu repetita, de cardinalium factionibus, animorum æſtu, & ſtudiis ſecularibus in magnorum Regum uſus? An tam conſentienti famæ credere eſt hominis *imprudentis*, imo *impudentis?* an narrare quod ita accipitur eſt *maledici*, eſt *profani*, eſt *Momi?* Si ego eam culpam commiſi: commiſſa eadem eſt (ſcio) ab aliquot millibus etiam partium veſtrarum, quos omnes tamen Vitus tetris iſtis convitiis non proſcindet. Adeo hic etiam verum eſt: *duo cum idem faciunt idem non eſt.* Nonne vero Vitus ipſemet diſerte ſcribit, in creando Alexandro *concordiam ſuffragantium* fuiſſe *miram & RARAM, quodque ab aliquot ſeculis non vidit Roma nuperrimum conclave ſpectandum dediſſe?* Quæ culpa quæſo eſt, ſi hariolando non aſſequaris *rem miram*, *raram* & *ab aliquot retro ſeculis non viſam*, idque contra perpetuum famæ conſenſum? Igitur, mi amice, ut vera ſint illa *nova* & *rara* & *aliquot ſeculis non viſa*, quæ perſuadere nititur Vitus nuper contigiſſe; ego tamen adeo acrem & ſævam reprehenſionem non merui. Imo ne quidem eſt, quare propterea me debeat *pœnitere* vel *pudere.* Vaco enim culpa ſi quid erroris ſubſit: non eſt autem viri *prudentis* pudere nullius commiſſæ culpæ, ſed ejus qui *mentem exuit.*

Quæſo vero te, num exiſtimas illa *mira* & *rara* & *aliquot ſeculis non viſa* quæ Vitus refert, veritati eſſe conſentanea? Num famæ adeo conſtanti, adeo vulgatæ, minus fidendum eſt, quam uni illi Vito? Mi amice, brevi forte (imo, ſi ita vis, ſpondeo) in publico videbis arcanam hiſtoriam omnem illius conclavis, famæ, cui ego cum tot millibus credidi, undequaque conſentaneam, profectam ab eo qui rebus interfuit. An ne tum quidem *pœnitebit* & *pudebit* Vitum tot immerito in me ſparſorum convitiorum, & tam ridiculæ de *mira* illa & *rara concordia* jactantiæ? Sane *non poteſt non illum pœnitere jam nunc & pudere, niſi una cum fronte mentem omnem exuerit:* ut liceat homini ſua reddere.

Expende interim ſodes, Vir Reverende, annon ipſe Vitus jam tum male metuat ſuæ cauſæ: quando negat *votorum diſcrepantiam reprehenſionem mereri*, eamque excuſat illo, quod inter *viros ſanctos & beatas mentes eſt ſubinde ſententiarum divortium.* Adeo nimirum eſt manifeſtum, in varias partes iviſſe cardinales, ut hanc, etſi inanem, excuſationem Vito res ipſa expreſſerit. Inanem appello. Quid enim illud Principis Perſarum & Archangeli Gabrielis diſſidium, quid Pauli & Barnabæ diſſenſio facit ad excuſanda ea quæ in conclavi ſunt partium ſtudia? Heu quanta impietate criminibus hominum palliandis fucandisque obtenditur levicula ſanctorum imbecillitas! Mi Amice: Videt hoc Dominus, & vindicabit innocentiam ſuorum ſanctorum. Mihi ſine cauſa tanto cum æſtu illa opponit Vitus. Sine factionibus & ſtudiis ſecularibus ſcio electiones Paparum inſtitui non poſſe; quod humani vitii nequeat eſſe alienum quidquam a conventu hominum de humanis caducisque rebus contendentium. Non tamen perſuadebit Vitus: *Spiritu S. afflari cardinales in factiones, & in conſilia de inveniendo ſuis deſideriis commodo Pontifice:* Aut, *ad illum modum apoſtolos & prophetas olim a Deo in hunc mundum miſſos.* Mirabor frontem hominis, ſi id vel conatus fuerit perſuadere. Diſſuadebis tu prudenter, ſi tentaverit.

Enimvero hoc tantum volui: veroſimile non eſſe, in conclavi eligi vicarios Dei, quum illæ electiones per factiones & ſtudia ſecularia inſtituantur, modo ab apoſtolorum & prophetarum electio-

(a) *in Paſquini & Marphorei officina*) Vide de his uti & de tertia Fachini officina *itinerarium curioſum p.* 146. 249. *ſeqq.* Vid. *Voyage de MISSON tom. II. p.* 54.

ctionibus toto cœlo diſſidente: non vocavi in dubium num ita poſſit Princeps commodus eligi, imo non multo aliter ſubinde tales legi, ultro fateor. Et vero quoniam me non ſine convitio remittit Vitus ad ſanctum medicum & evangeliſtam Lucam ejusque hiſtoriam apoſtolicam, jube quæſo illum meo nomine, legere viciſſim quæ in eadem hiſtoria *c. 1.* habentur de electione S. Matthiæ, (ne quid nunc dicam de cœleſti illa vocatione ad apoſtolatum S. Pauli) eamque cum Alexandri veſtri electione contendere. Erant in cœnaculo homines quaſi centum viginti: in conclavi nupero cardinales ſexaginta quinque, ſi recte memini. In conclavi tanto in numero viginti fuerunt (exemplo *aliquot retro ſeculis* inſolito) ſi Vitum audimus digni ſede papali: in cœnaculo ſaltim ſeptuaginta amplius erant idonei ordinarii teſtes actorum Domini. Unanimi conſenſu in cœnaculo illico & quaſi in momento ex hisce per ſuffragia duo eliguntur, mox a precibus per ſortem unus conſtituitur. Quæ cauſa, quare ut Alexander *inveniretur*, fuerit *tam operoſa & fere ad trimeſtre extracta conquiſitione opus?* An quod cardinales *quæſierint Pontificem optimum;* quod cauſatur Vitus? At quæſiverunt quoque *optimum* omnium & maxime idoneum illi in cœnaculo? An quod viginti amplius fuerint digni qui *in ſede Petri collocarentur;* quod iterum obtendit Vitus? At longe plures fuerunt idonei in cœnaculo. Quæ cauſa ergo, Amice, illius adeo citæ, hujus usque adeo lentæ electionis? Forte erubeſcis confiteri; liceat ergo mihi dicere. In cœnaculo abfuerunt omnino ſtudia ſecularia, quod ageretur de perſona conſtituenda quæ ex dignitate iſthac apoſtolatus nihil honoris aut commodi mundani vel ſibi poterat capere vel aliis concedere: at in conclavi actum fuit de conſtituendo aliquo ſummo Principe, & a quo Reges maximi eorumque clientes cardinales, imo cardinales in univerſum omnes, uſum aut noxam vel ſperare poterant vel metuere; hinc in factiones, hinc in partes eſt itum, ut vix trimeſtre tædium conclavis vel carceris unam tandem ſententiam potuerit exprimere. Quam facile enim poſſit electio Papæ, ut in cœnaculo factum, ſorti divinæ committi, & quam citiſſime finiri, absque iis ſtudiis eſſet?

Vt poſſit igitur forte probare Vitus, conclave nuperum ſatis feliciter & rite dediſſe vobis *Alexandrum* Principem & *Pontificem maximum:* nequaquam tamen probaverit, ſatis rite illud dediſſe nobis Dei vicarium, prophetarum univerſo ordine & apoſtolis omnibus (uno Petro excepto) longo intervallo ex Dei inſtituto majorem.

Ne quidem eſt quare adeo glorietur de *mira* cardinalium & *rara* ſi quæ fuit concordia, quaſique illa *cacodoxis omnibus Luthero & Auguſtanæ confeſſioni mancipatis* (eis cognomentis honorat Proteſtantes alaſtor) *plane* ſit *inimitabilis*. Vnde quæſo hoc novit ille? Thraſoni divinanti quis prudens crediderit, rerum omnium inexperto? An inſolens eſt, etiam *Cadmæos fratres*, metu imminentium malorum majorum, aut tædio longo fractos tandem in unum ſubinde conſentire? Adeone imperitus eſt Papalium rerum Vitus, inter ſocios tanti nominis theologus? An neſcit quid valeat ad componendos frangendosque quamvis ſumme diſcordes animos, conclavi includi? An ignorat in eum uſum conclave inſtitutum prudentiſſimo Gregorii X. conſilio? Compingantur in unum anguſtum & inſalubre conclave quamvis valde ſententiis diſſidentes fratres, nulla ſpe facta libertatis niſi poſt conſenſum; iidem ſi opus ſit terreantur majoribus malis; *miram* illam & *raram concordiam* nemo deſideraverit. Movet me hæc res, ut tibi recitem aliquid ex iis, quæ Onuphrius Panvinius, ord. Eremitar. monachus eruditione & prudentia longe clariſſimus, rerum pontificiarum peritia nemini ſecundus, narrat ad Platinam de electione Gregorii X. qui primus conclave inſtituit. *Clemente IV. mortuo vacavit ſedes propter cardinalium diſcordiam annos duos menſes novem & diem. Eo porro vivi functo cardinales, qui tunc in curia Romana præſentes erant numero ſeptemdecim, in creatione futuri Pontificis diſſentire cœperunt, electioniſque ratio adeo diſcordiis agitata eſt, ut prope in triennium protraheretur. Sæpius ſiquidem congregati negocium conficere nulla ratione valuere, dum unusquisque ipſorum ad pontificatum adſpirans, nemini cedere vellet. Quo interim tempore ad curiam Romanam Viterbium venerunt Philippus Francorum & Carolus Siciliæ Reges, collegiumque pro celeri & matura Pontificis electione rogantes, parum profecerunt, ſed rebus infectis reverſi ſunt. Tunc Joannes epiſcopus cardinalis Portuenſis videns cardinalium pertinaciam, iis in comitio exiſtentibus & Spiritum S. invocantibus, publice dixit: Domini, diſcooperiamus tectum cameræ hujus, quia Spiritus S. nequit ad nos per tot tecta ingredi. Qui etiam cum Papam Gregorium renunciatum animadvertiſſet, hos de ejus electione verſus edidiſſe fertur:*

Papatus munus tulit Archidiaconus unus,
Quem patrem patrum fecit diſcordia fratrum.

Poſtremo poſt longiſſimum duorum annorum menſiumque novem interregnum, quod maximo reipubl. Chriſtianæ malo fuit, a Viterbienſibus propemodum coacti, cum diſcordantibus animis ut unum ex ſe eligerent fieri non poſſet, tandem per viam compromiſſi in ſex cardinales facti in Pontificem maximum renunciaverunt Theobaldum Vicecomitem, extra collegium cardinalium & abſentem. Hactenus Onuphrius. Videſne amice *Cadmæos fratres?* Vides quantum potuerit tandem poſt triennium in illos ſola Viterbienſium violentia? Quid ſi acceſſerit conclavis moleſtia, cum nulla meliorum exſpectatione?

Verum quid eſt tandem quo perſuadere nobis vult Erbermannus, omnem illam publicam famam de factionibus cardinalium partiumque ſtudiis, queis nuperrimum conclave more ſolito laboraverit, eſſe inanem, & ipſi uni *raram* & *miram cardinalium concordiam* jactitanti eſſe potius credendum? Neque vero is eſt Vitus cujus vocibus tuto credas ſine prævio examine. Fumos fateor video & multum pulveris: audio ὕστερον πρότερον jactas nunc glorioſas nunc maledicas nunc minaces voculas: at rationem qua Vitus ſuis clamoribus fidem faciat non niſi unam, eamque plane qualem depingit ſuam conclavis concordiam, *raram* videlicet & *miram*. Ita loquor, quod neminem intelligentem viderim hactenus tam inepto uſum argumento, mirerque Vitum meum, illum

theologorum inter ſocios primipilum, non dubitaſſe in publica diſputationis palæſtra cum amentatis ejusmodi pilis in me incurrere, & famam publicam conſtantiſſimam velle confodere. Non in partes & factiones iverunt ſcil. in nupero conclavi cardinales, non fuerunt ſolliciti de ſecularibus deſideriis vel magnorum Regum Principumque vel ſuis explendis, quare vero? quia ὁμοθυμαδὸν elegerunt Fabium Chiſium *velut omnibus* (ſui collegii videlicet) *ingenio, eruditione, pietate, prudentia, gloria eminentiorem.* Ita meus Vitus. Integræ argumentationis major propoſitio hæc fuerit:

Quicunque ὁμοθυμαδὸν elegerunt Papam illum qui omnibus cardinalibus ingenio, eruditione, pietate, prudentia, gloria eminet; ii non laboravere factionibus nec curis ſecularibus fuerunt intenti.

Subjicere mihi liceat hanc minorem:

At qui creaverunt Gregorium X. elegerunt Papam illum qui omnibus cardinalibus ingenio, eruditione, pietate, prudentia, gloria eminebat.

Ergo qui Gregorium X. creaverunt, non laboraverunt factionibus nec curis ſecularibus fuerunt intenti.

Concluſionem a vero plurimum abire, jam tum ex Onuphrio audiviſti. Audi jam quoque ex Platina laudes Gregorii X. paucis quidem (ceu decebat virum gravem) non autem Erbermannice, denſis tamen ſententiis comprehenſam. *Vir certe in omni vita clarus, prudentia rerum gerendarum, fortitudine animi, qua pecunias & res humiles contemnebat, humanitate, clementia, benignitate in pauperes Chriſti & eos potiſſimum qui ad gremium ſedis apoſtolicæ confugiebant.* Numquid majus de Alexandro mortuo dicturam exiſtimas poſteritatem, remotis jam adulationis cauſſis? annon præluxit virtute illis diſcordantibus adeo cardinalibus? Non itaque poteris minorem meam vocare in dubium. Nonne ergo patet majorem illam propoſitionem mei Viti ineptam eſſe? Ego vero poſſum tibi ex ſola Pontificum hiſtoria talia exempla complura dare. Plurima ſuggerunt paſſim electiones epiſcoporum, Cæſarum & Regum. Et vero quidni ingens & diuturnum diſſidium tandem poſſit finiri placido conſenſu? ſive conſenſum unanimem quidni poſſint præcedere factiones & varia partium ſtudia?

Quid eſt porro in Alexandro, quod oſtendat, in illo creando non fuiſſe habitam rationem ſecularium deſideriorum magnorum Regum & Principum? Notum eſt, cumprimis Hiſpanum, Gallum, & Hetruſcum id dare operam ſolere, ut ſuis rebus ſaltim non incommodum Pontificem inveniant. Et vero eorum intereſt: cum Papa ſit potentiſſimus princeps, cujus potentia per ipſas eorum ditiones altiſſimas radices egit, ne quid dicam de vicinitate. An Alexander ante Papatum oſtendit, ulli horum ſe gravem fore? non utique. Ipſe Vitus affirmat, neminem illum potuiſſe *averſari*, & nunc *de ejus electione nullo diſcrimine gaudere univerſos.* Commodus itaque creditus eſt ſecularibus deſideriis Regum & Principum, qui cardinales pleroſque ſibi obnoxios habent. Conſidera ſodes, qualem a Regibus illis deſiderari Papam, jamdudum notaverit Joan. Franciſcus Lottinus epiſcopus Volaterranus, ille Marcelli II. Papæ amicus ſummus, in conſilio quod de conclavi conſcripſit. *In Pontifice* (inquit) *quidem eligendo aliis ſtudiis principes & prælati eccleſiaſtici, aliis ſeculares ducuntur. Hi quidem quantumvis catholicæ religionis ſint ſtudioſiſſimi, magis tamen propriæ utilitatis reſpectu moventur. Idcirco Pontificem plerique malunt, qui animo timido ſit & ſollicito, quam prompto ac vehementi; ut bonis eccleſiaſticis, quæ in ipſorum ſunt ditionibus, tanto liberius frui poſſint. Quod ſi vel Rex Franciæ, vel alius quis princeps Pontificem deſiderent, qui animo magno ſit & elato, non equidem ideo faciunt, quod ſedis apoſtolicæ dignitatem auctam cupiant, ſed ut eorum conſiliis ad res in Italia novandas utantur. Hiſpaniarum quidem Rex, aliique principes, qui ditiones ſuas pacifice poſſident, Italiæ quieti unice ſtudent; ac propterea iis, qui illuſtri proſapia magniſque opibus ſubnixi inquieto ſunt animo, minus favent, quod idem ſine dubio Rex Franciæ, ſi tantum terrarum in Italia poſſideret, facturus eſſet. Quoniam vero quietis in Italia conſervandæ præcipuum momentum in tali Papa eſt poſitum, qui humilis ſit conditionis, ac nullis factionibus addictus: ſolent iidem omnium hujus farinæ cardinalium favorem, quibus poſſunt officiis ſibi conciliare, eosque obnoxios ſibi facere.* Hæc Lottinus. Annon vero ipſe Vitus meus plane talem depingit Alexandrum, qualem velint illi qui publicam tranquillitatem deſiderant? quare igitur in dubium vocat famam publicam de ſtudiis cardinalium, Hiſpanicæ cumprimis & Gallicæ factionis, etiam ultimo hoc conclavi in uſum Regum æſtuantibus?

Vide mihi porro quas virtutes in Pontifice cardinales ſibimetipſis expetant. *Cum plures*, inquit idem Lottinus, *ſint probitatis ſive virtutis partes, eæ Pontifici futuro magis neceſſariæ exiſtimantur, quæ aliorum ſerviunt utilitatibus & commodis, ut ſunt beneficentia, comitas ſive affabilitas, juſtitia & ſimiles. Parſimonia enim, temperantia, continentia, & aliæ quibus homo ſeipſum regit, laude quidem digniſſimæ ſunt virtutes, at multo magis in principe eæ deſiderantur, quibus magnitudo ejus aliis quaſi communicatur.* In eandem ſententiam ſcribit auctor ille *Anonymus qui electionem Sixti quinti narravit.* (a) *Quarum a cardinalibus ratio habetur, virtutes illæ ſunt quæ alteri proſunt, ut juſtitia, affabilitas, manſuetudo, beneficentia, facilitas in communicanda ſua cum aliis dignitate, ſimilesque aliæ. Cæteræ enim virtutes animique perfectiones, ut temperantia, continentia, & quæ ſunt hujus notæ alia, minus hic requiruntur. Ac propterea raro eligi videntur, quibus multi & magni cognati vel propinqui: ne ſcilicet illis locupletandis & evehendis beneficentiæ fontes aliis claudantur. Et cardinales Pontificem deſiderant, non qui ipſos amet tantum, ſed qui cauſas habeat ipſos amandi.* Ita ille. Annon vero meus Vitus plane ab hiſce virtutibus maxime commendat Alexandrum? Dixeris forte cum Vito, Alexandrum ſimul etiam *eruditione* & *pietate* omnibus aliis cardinalibus anteſtare. Eſto. At qui probaveris, *pietatis* & *eruditionis* nomine illum cardinalibus adeo placuiſſe? aut illarum virtutum ergo electum in Papam eſſe Alexandrum?

Sed

(a) *Anonymus qui electionem Sixti V. narravit*) Forte LETI.

Sed &, mi amice, quis Vito auſit tuto credere Alexandrum laudanti? Et vero probe litteris & variis artibus imbutum eſſe Alexandrum, novimus ex multorum præclariſſimorum virorum præconiis, iisque non inelegantibus poëmatibus quæ *ſub Philomathi nomine* (a) prodierunt. At omnibus illum cardinalibus *eruditione* præſtare, vereor ut poſſit Vitus ſine injuria ſaltim cardinalis Lugo ſocii ſui profiteri. A ſacrarum rerum ſingulari peritia, (quæ laus propria eſt Epiſcopi) hactenus illum commendari non vidi. Ut nec ſolet illa viam ad papatum munire jam ab aliquot retro ſeculis. Et vero jamdudum Pontificum plerique aut fuere indocti, aut cauſidici vel politici: theologis ad honorem illum gradus omnis tantum non præcluſus fuit. Perinde atque ab aliis eccleſiis majoribus adminiſtrandis curia Romana, ſicubi conferendi illud ſacrum munus poteſtatem habuit, theologos dudum excluſit. Qua de re ita ſcripſit jam Ludovico IV. Cæſare Marſilius *parte 2. c. 24. Defenſor. Quibus de plenitudine poteſtatis conceduntur majores eccleſiæ dignitates, & qui ad has gubernandas ſufficientes putantur, cauſidici ſunt. Hos enim tanquam utiles dignificat Romanus Pontifex ut eccleſiæ defenſores, qui pro temporalibus conſervandis vel amplius uſurpandis contendere norunt, ſacræ vero theologiæ doctoribus tanquam inutilibus rejectis.* Non adeo pridem conqueſtus eſt quoque in Italia ipſemet C. Scioppius: *Palam eſt* (inquiens) *majorem eorum partem, qui hodie vel maximis in eccleſia dignitatibus præſunt, & unctiſſimis epiſcopatibus atque ſacerdotiis fruuntur, quantulacunque juris ac legum notitia tinctos ad eos honores opesque perveniſſe; cæterum hebraice græce ac latine indoctiſſimos, tum ſacrarum literarum non magis quam Scythici aut Japonici ſermonis intelligentes eſſe. Quamvis enim S. Paulus eum qui velit eſſe epiſcopus doctorem eſſe jubeat, qui ſcil. aut ab infantia ſacras literas didicerit, aut ſaltim in lege domini die ac nocte meditetur: tamen adeo res hodie rediit, ut qui theologiæ doctor ſit, vix nomen inter epiſcopatuum candidatos profiteri audeat. &c.* Idem non dubitavit ſub ficto Alphonſi Vargæ nomine *c. 4.* de Urbano IIX. cum vivo ſcribere: *Doctorem non dicam, cum theologiæ ne diſcipulus quidem unquam fuerit.*

Nolim tamen quidquam Alexandro detractum meritæ laudis. Virtutem & doctrinam in omnibus amo: & quoniam harum nomine multorum animos Alexander ſibi conciliavit, hactenus & ego ſuſpicio illum ac veneror. Imo cum in magnorum hujus orbis principum ordinem jam eſt evectus, etiam pro ſalute illius Deum obſecro, quo aliis nobis *tranquillam ac quietam vitam liceat degere cum omni pietate & honeſtate.* Non ſuſtineo tamen in ejus laudes fœde adeo ſeſe effundentem Erbermannum: imo ſi Alexander eſt *laudum ſuarum faſtidioſus auditor* (quod ipſe Vitus fatetur) turpem illum adulatorem, ceu decet principem erectæ indolis, ex merito caſtigabit. Abſit enim ab Alexandro, ut

Vitus adulator picto cubet ebrius oſtro.

Aulis omnibus plurimum ſemper nocuit, nulli autem magis quam Romanæ, blandum & familiare vitium adulatio.

- - - - - - - - - Nihil eſt quod credere de ſe
Non poſſit cum laudatur Diis æqua poteſtas.

Prudentiſſimi principum tanquam peſtem vitaverunt adulatores & juſſerunt exceſſe. Trajani Cæſaris in laudem perpetuam ipſemet ante Domitiani maximus adulator Martialis hoc luſit epigrammate.

Fruſtra blanditiæ venitis ad me,
Attritis miſerabiles labellis.
Dicturus DOMINUM DEUMQUE *non ſum.*
Jam non eſt locus hac in urbe vobis.
Ad Parthos procul ite pileatos;
Et turpes, humileſque, ſuppliceſque
Pictorum ſola baſiate regum.
Non eſt hic dominus ſed imperator,
Sed juſtiſſimus omnium ſenator:
Per quem de Stygia domo reducta eſt
Siccis ruſtica veritas capillis.
Hoc ſub principe, ſi ſapis, caveto
Verbis, ROMA, *prioribus loquaris.*

Speremus igitur, ſaltim Trajani exemplo, Alexandrum aliorum de ſe verbis impoſiturum modum, quo tandem aliquando diſcat Roma loqui veritatem. Et ſane quam eſt indecens, hominem theologum, religioſum, ſocium Jeſu, a quo utique nihil niſi grave & ſanctum exſpectes, adeo turpiter blandiri illi, quem credit *virum ſecundum cor Dei, faſtidioſum laudum ſuarum auditorem,* imo *vicarium eſſe Chriſti!* Ludere hyperbolis ejuſmodi, liceat aliis: Erbermannum non decet.

(a) *Sub Philomathi nomine*) PALATIUS ſcribit Philothæus. Cæterum de eruditione Alexandri *p.* 609. adhuc alia commemorat. Viros literatos, ait, cum literatus plurimi faceret, eorum conſvetudine quotidie utebatur horis pomeridianis, ſomnique impatiens etiam in ſumma æſtate, præcipue Leone Allatio, Luca Holſtenio, Sfortia Pallavicino, Franciſco Nerlio, Bona Ciſtercienſi cum quibus de hiſtoria ſacra, de veteris eccleſiæ diſciplina diſſeruit, deſcendendo quandoque ad oratorum & poetarum delicias, codices conquirendo antiquos. Poeſin etiam Pontifex in honore habuit, & præmio excitavit, ipſe tamen nunquam attigit. Ultima ejus carmina viginti dicuntur Hexametra fuiſſe, quæ e Vaticanis comitiis ad Ferdinandum Furſtenbergium jocabundus ſcripſit elegantiſſime de forma & ſtatu comitiorum.

Homo eſt Alexander, nec ab illo humani quidquam alienum: *æternum devotæ mentis anathema*, ſoli Deo fas eſt appendere. Nec vero pia auris fert illud: *Dominus Deus noſter Papa*, etſi illud in gloſſa juris canonici toleraverit ipſe Gregorius XIII.

Jam quid eſt illud: *jure Alexander?* quam vanum & ineptum! num enim in illo nomine aliquid eſt eximii collocatum? At vero S. Paulus conqueſtus eſt de Alexandro 2. Timoth. 4, 14. *Alexander*, inquit, *ærarius multa mala mihi oſtendit: reddat illi dominus ſecundum opera ejus: quem & tu devita: valde enim reſtitit verbis noſtris.* Is qui *Alexander ſextus* (a) audivit Papa, homo fuit turpiſſimus, impiiſſimum monſtrum. Ut multi prudentes mirentur, ſalutare illud quondam Romanæ rei nomen Fabii ab hoc Papa mutatum, (contra quam factum ab Adriano ſexto & Marcello II. queis ſeculum ſuperius meliores Pontifices non vidit,) & quidem mutatum in Alexandri: quo non potuit non memoria refodi illius hominis, *in quo non ſinceritas, non pudor, non veritas, non fides, non religio; draconis illius, qui immoderata ambitione & peſtifera perfidia, omnibusque horrenda crudelitatis, monſtroſæ libidinis, & inaudita avaritiæ exemplis, ſacris & profanis rebus abſque diſcrimine venditis, universum orbem venenis infecit:* ceu de ipſo loquitur *l. 1.* & *6.* Franciſcus Guicciardinus, genere, prudentia, veracitate nemini ſecundus ejus ævi hiſtoricus. An talis *Alexander jure* eſt Papa veſter? Alexandrum II. III. & IV. meliores quidem multo Pontifices habuit Roma: nemo autem illorum non fuit iniquus imperii juribus, certe ea pro virili fregerunt. *Sub Alexandro III. Romana eccleſia ad maximum in terris faſtigium evecta fuit, Imperatore potentiſſimo Friderico Ahenobarbo eoque eccleſiæ* (rectius *curiæ*) *Romanæ infeſtiſſimo hoſte conculcato, victo, pacemque ab eccleſia petere coacto:* ſcribente Onuphrio *l. de diacon. epiſcopatib. & titulis cardinalium.* *De illius in Fridericum Cæſarem inaudita ſuperbia* (b) quæ feruntur, non credam. Etſi vero vulgo narretur, ob bene merita hujus Papæ III. in Chiſiorum familiam, repetitum Alexandri nomen; non ſperaverim tamen *jure* etiam illo voluiſſe Fabium Alexandrum dici, quoniam ad exemplum tertii illius, velit typhum ſecularem Romanæ eccleſiæ cum imperii aliorumque regnorum injuria augere.

Ut ſit autem *jure* Alexander; quo *jure* quæſo eſt *Alexander ſeptimus?* An agnoſcit Veſter hic illum qui ſeſe dixit Alexandrum quintum, legitimum fuiſſe Papam? Si agnoſcit, neceſſum eſt, probet quoque concilium Piſanum; atque adeo, concilium epiſcoporum ſine Papa poſſe & repræſentare eccleſiam univerſalem, & Papam incommodum munere ſuo privare, fateatur itidem neceſſum eſt. Nec enim Quintus ille Alexander legitimus fuit Pontifex, ſi concilio Piſano non fuit fas Gregorium & Benedictum dignitate illa exuere. Jube, ſodes, hunc nodum expedire Vitum meum. Nec enim ego video qui effugere poſſit veſter hic Papa, quin alterutrum probet: nempe aut vitio *ſeptimum* ſe nuncupari quum non niſi ſextus ſit Alexander; aut concilium Piſanum fuiſſe legitimum, & concilii epiſcoporum auctoritatem majorem Papali eſſe; quod in concilio Conſtantienſi fuit definitum, curia tamen Romana hactenus reluctante ejusque partes Jeſuitis vulgo ſtrenue defendentibus. Inter omnes tamen Alexandros Pontifices niſi vehementer fallor nemini ſimilior eſt hic ipſe quam illi quinto. Nam & quintus ille, teſte quidem Platina, fuit *vir doctrina & ſanctitate vitæ præclarus:* fuit ab Innocentio Papa creatus cardinalis: *liberalitate & magnitudine animi cum quovis optimo principe conferri potuit, adeo munificus in pauperes & viros ſua benignitate dignos, ut brevi nil ſibi reliquerit.* Speraverim tamen *prudentius geſſurum illum rempublicam quam fecit quintus ille Alexander:* (c) de quo Theodorici Niemii συγχρόνου & in curia Romana verſatiſſimi ſcriptoris judicium ex *libro 3. cap. 52. de ſchismate* recitarem hoc loco niſi inſtituti brevitas id prohiberet.

Et vero videtur Erbermannus alluſiſſe potius ad Alexandrum Macedonem Regem, quam ad Pontificum aliquem. Id quod vere eſt ridiculum. Quo *jure* enim Papa aliquis Regis illius nomen

(a) *Alexander VI.*) Prodierunt curante illuſtri LEIBNITIO a. 1696. Hannoveræ excerpta ex diario Joh. Burkhardi ceremoniarum apud Alexandrum magiſtri, cum inſcriptione: *Specimen hiſtoriæ anecdotæ de vita Alexandri VI. Papæ.* Habetur autem hoc diarium integrum *tom. II. corporis hiſtorici Eccardiani p.* 2018. *ſeqq.* Stylus Burchardi ipſa barbara ſimplicitate jucundus eſt, res autem, quas de Pontifice hoc commemorat, horrendæ ſane & prodigioſæ ſunt. Damus exempli loco, quæ referuntur *l. c. p.* 2134. *Dominica ultima menſis Octobris in ſero fecerunt cœnam cum duce Valentinenſi in camera ſua in palatio apoſtolico quinquaginta meretrices honeſtæ, Corregianæ nuncupatæ, quæ poſt cœnam chorearunt cum ſervitoribus & aliis ibidem exiſtentibus primo in veſtibus ſuis, deinde nudæ. Poſt cœnam poſita fuerunt candelabra communia menſæ cum candelis ardentibus & projectæ ante candelabra per terram caſtaneæ, quas meretrices ipſæ ſuper manibus & pedibus nudæ candelabra pertranſeuntes colligebant, Papa, duce & Lucretia ſorore ſua præſentibus & aſpicientibus, tandem expoſita dona ultimo, diploides de ſerico, paria caligarum, vireta & alia pro illis, qui plures dictas meretrices carnaliter agnoſcerent, quæ fuerunt ibidem in aula publice carnaliter tractatæ arbitrio præſentium & dona diſtributa victoribus. Feria quinta undecima menſis Novembris intravit urbem per portam viridarii ruſticus quidam ducens duas equas lignis oneratis, quæ cum eſſent in plateola S. Petri, accurrerunt ſtipendiarii Papæ inciſisque pectoralibus & lignis projectis in terram cum vaſtis duxerunt equas ad illam plateolam, quæ eſt inter palatium juxta illius portam, tum emiſſi fuerunt quatuor equi curſerii liberi ſuis frænis & capiſtris ex palatio, qui accurrerunt ad equas & aſcenderunt eas graviterque piſtrarunt & læſerunt, Papa in feneſtra cameræ ſupra portam palatii & domina Lucretia cum eo exiſtente cum magno riſu & delectatione præmiſſa videntibus.*

(b) *de illius in Fridericum Cæſarem ſuperbia*) Nimirum quod pedibus collum Cæſaris calcaverit. Negant id alii, eo quod juxta LEHMANNUM *in chronico Spirenſi lib.* 5. *c.* 16. Fridericus hanc injuriam æquo animo tuliſſe vix credi queat, nec autor actorum MStorum Alexandri & Romualdus archiepiſc. Salernitanus, aliique ejus rei mentionem injecerint. Neque hic Johannis de Capiſtrano, Jac. Philippi Bergomatis, Joh. Naucleri, Sabellici, Petri Juſtiniani aliorumque teſtimoniorum & picturæ ratio haberi poteſt; cum teſtes ſint recentiores, & pictoribus magna ſit licentia.

(c) *prudentius geſſurum rempubl. quam Alexanander V.*) Ladislaum enim Regem Siciliæ regno privavit & jus dicti regni Ludovico Duci Andegav. competere declaravit. Vid. THEOD. *de* NIEM *chronicon tom. I. opp. hiſt. p.* 1536.

men ambiat? Quo *jure* id ambierit Fabius Chiſius, ſi ea eſt virtute qua commendatur a Vito, & paſſim colitur?

Æque vanum & adulatorium eſt illud: *maximus merito:* cum ipſe Vitus agnoſcat, ante pontificatum Papam non niſi *magnum* fuiſſe meritis, ex eo autem usque, donec ita adulatus eſt Vitus, nihil quid præſtiterit Papa, quo maximi cognomentum poſſit meruiſſe. Ipſe Papa Alexander in bulla qua Jubilæum univerſale indixit, fatetur, *ad regimen eccleſiæ nullo ſe meritorum ſuffragio vocatum a Deo.* Cui potius credimus, Papæ an aſſentatori? Ut ſane Papa ſit dignitate *maximus;* non tamen id nomen etiam *meritis* comparavit.

Quam ridiculæ ſunt item illæ argutiæ paraſiticæ: Alexandro Macedone majorem eſſe Papam, quod hic pene natus ſit *magnus*, ille factus! Magnitudo æſtimatur utique vel natalibus, vel naturæ dotibus, vel fortunæ beneficiis, vel virtute. Macedo *magni* nomen meruit rebus geſtis. An propterea *minor* eſt Papa Chiſio? Non profecto natalibus, non dotibus naturæ, non beneficiis fortunæ. Quam omnibus hisce minor Macedone eſt *creatus* hic Alexander Senenſis! Quo jure poteſt ille dici *natus magnus*, ut non longe potiore itidem Macedo ille natus ſit magnus?

A vero etiam abit quæ ſequitur adulatio: *magni ſemper eum fecit Italia.* Nec enim *Italia* ſed ſola Romani Pontificis aula eum ad honores evexit, nec ad ſolos *magnos* tamen: niſi quod poſt aulæ miniſteria viliora Ferrariæ prolegatum, apud Melitenſes quæſitorem, Neritone in Calabris epiſcopum illum conſtituerit, & tandem in Germaniam *Nuncium* pontificium *delegaverit.*

Qui *arbiter* ſederit *in tot hominum quam ſapientium tam diſſentientium concilio & controverſiæ difficillima definitor;* aut non ſatis aſſequor, aut alieniſſimum itidem a vero eſt. Certe in conventu Monaſterienſi procul abfuit ut *arbitrum* egerit Fabius: niſi *arbitrum* dixeris exploratorem rerum geſtarum: *definitor* certe *controverſiarum* inter Cæſarem & Gallum vel Suecum, aut inter Hiſpanum & Fœderatos Belgas neutiquam fuit. Compoſitæ illæ imperii lites ſunt, nihil juvante, imo reluctante Fabio, nomine etiam Innocentii X. ſui quamvis proteſtante ſunt denique ſopitæ. Et ſi omnes illi, qui negotiis ejusmodi gerendis fuere pares *magni* cognomentum meruerunt, nihil habet hac in re præcipuum Fabius: multi enim alii præſtiterunt idem non minore dexteritate & fide.

Quanta porro cum injuria eorum qui rebus gerendis adfuerunt, Cæſarum, Regum, Principum aliorumque miſſu, conjuncta ſunt, quæ jacit in politicos Vitus! imo quam injurioſa illa ſunt in ipſos Cæſares, Reges & omnes Germaniæ ſacros & ſeculares Principes Ordinesque alios! Nec enim veriſimile eſt, magnos illos legatos niſi dominorum juſſu res illas geſſiſſe: ut miniſtrorum opprobrium non poſſit non cedere in dominorum ipſorummet ignominiam. Exprobrare vero disertis verbis non dubitat ille ſocius *politicis, ſimultates, ſimulationes, occultas artes, fraudes,* quodque *muneribus tentaverint* Fabium, *ut eccleſiæ jura negligeret, & fœdera divinis humanisque legibus contraria probaret.* Forte nec ipſa illa *vox politici* (a) vacat injuria. Nec vero quem latet, peſſimo more in Galliis quondam cœpiſſe ita cognominari eos, qui pietate & religione ſpreta omne fas & nefas ex uſu æſtimare crediti. Certe ſi *politicus* Vito eſt is, qui negotia civilia tractat, inepte politicorum cenſu excluſit Fabium, qui utique iis fuit totus immerſus, nec potuit politicis ſeſe talem oſtendere qualem illum laudat Vitus niſi πολιτικώτατος. Verum nec ipſis *amicis* Fabii parcit impurus ille laudator. Hisce enim tribuit, quod *precibus oraverint* Fabium, ut a *rigore juſti & æqui* deflecteret. Ita nemini pene non iniquus eſt, tantum ut argumentum adulationis inveniret.

Expende vero etiam, amice, quam ille Vitus ſuum denudet paci publicæ adverſum animum. *Fœdera*, ait, *divinis humanisque legibus contraria improbata* Fabio. Novimus quidem, ab illo fœdera pacis Monaſterii pariter & Oſnabrugis inita publicis tabulis damnata; illane vero, judice quoque Vito, *ſunt divinis humanisque legibus contraria?* Taliane ille non dubitat aperte profiteri in media Germania, contra leges pacis publicæ, contra ſententiam Cæſaris omniumque Principum & Ordinum imperii, imo & contra ſententiam ipſiusmet eminentiſſimi D. Electoris Moguntini heri ſui? Acceperam jamdudum ex Caramuele, viro doctrina & probitate plane eximio, theologos Moguntinos præluſiſſe ἀσεβεστάτῳ *Erneſto*, (b) illi tranquillitatis Germanicæ hoſti, ac proinde ſuſpectus pridem mihi fuit Vitus, utpote qui tum, quum impietatem ſuam evomeret perſonatus Erneſtus, Moguntiæ inter theologos claro eſſet nomine: at nunc ille ſorex etiam in publico ſe prodit, ſaltim ut Papæ eo rectius adularetur.

Eadem adulandi libido adegit hominem, ut mox aperte duo contradictoria affirmaret. Ait enim *paucos forte* (loquitur autem de ſuarum partium hominibus) *amaſſe animi conſtantiam* in Fabio: ſtatim ſubjungit *vitæ integritatem* in Fabio *orthodoxos amare coactos.* Utique enim animi conſtantia pertinet ad vitæ integritatem, quam, ſi Vito credimus, iidem & non amaverunt & non potuerunt non amare. Errat autem plurimum Vitus: nec enim *animi conſtantiam pauci amaverunt* in Fabio, ſed impiam pertinaciam tranquillitati publicæ reluctantem, conjunctamque cum πανολεθρίᾳ ſacrarum profanarumque Imperii rerum. Ne dubites vero hanc pertinaciam illos, quos *hoſtes* appellat Vitus, itidem deteſtatos eſſe & *odiſſe* in Fabio: ut nihil quoque ſit falſius illo quod jactat; *miratos hoſtes ſuis in eo nihil odiis dignum reperiri.*

Quod memorat Vitus, *rogaſſe* Fabium in Italiam reducem, *ad Neritonenſis ſuæ eccleſiæ latebras ſeceſſum*, recte quidem ſe habet: aſt hoc cumprimis nomine debuiſſet illum laudare. Haud levis enim culpa eſt in epiſcopo, eccleſiam ſibi commiſſam negligere, & alienis negotiis implicari. Itaque ſi agnovit culpam Fabius & ſerio cupiit, poſt tredecim amplius annorum abſentiam, fungi ſancto munere,

(a) *vox politici*) Conf. CLASENII *tr. de relig. politica.* (b) *Erneſto*) De Euſebiis dicto ſub quo nomine latet.

munere, perperam profectò Vitus inter tot adulationes levi brachio rem cumprimis laudabilem attigit. Equidem haud dubitem illud numerare inter prima.

Quomodo *lux mundi* ſit Alexander, non aſſequor. Scimus nos ſolum Chriſtum veram eſſe *mundi lucem*, apoſtolos aliosque tantum ideo in conſortium aliquod nominis illius venire, quod teſtentur de lumine illo vero, & doctrina atque opere aliis viam muniant ad illam veram lucem. Sed & num in tenebris jacuit *mundus* pontificius ante hanc exortam *lucem* Alexandrinam?

Quid ſperare ſibi habeat de hoc patre Germania equidem neſcio. *Patronum* profectò non *habuit*; quem univerſa, etiam quæ Pontifici favet, experta eſt pertinaciſſimum adverſarium ſuæ tranquillitatis pene cum excidio. Proteſtantes multo minus eſt ut ſperent ab illo *paternum* quid: cum amarum ſuum *zelum*, etſi Vito laudatum, aperte adeo ſemper præ ſe tulerit adhuc Nuncius Pontificius: Vixque factus Papa promulgato jubilæo univerſali, quod appellant, ampliſſimis indulgentiis propoſitis omnes in univerſum ſibi addictos provocet ad vota facienda, non contra infideles, non pro hæreticis convertendis, ſed *pro hæreſi extirpanda*; quæ voces quid portendant ſævi non patiuntur nos ignorare & tempora anteacta, & nuperrime in miſeros & innoxios Albigenſes (heu!) commiſſa Sabaudica laniena. Neque vero Alexandro placet ſanctum & ab ipſo Chriſto laudatum conſilium illius patrisfamilias, qui zizania ad meſſem usque permiſit creſcere, ne intempeſtiva *extirpatione* triticum ipſum aliquid caperet detrimenti. Sed quantum in ipſo fuit, adhuc Nuncius, ne ullis cladibus & ærumnis ſuæ partis homines adigi ſeſe paterentur ad pacem nobiscum ineundam, impedivit, & nunc adeo videtur idem ſapere, *extirpationem hæreſis* moliens: cum ignorare utique nequeat, illius *extirpationis* ipſos primos conatus ſaltem in ingens diſcrimen neminem etiam ſuorum non conjecturos. Nec vero ab Alexandro nobis quidquam metuimus, cœleſti numine cumprimis tuti. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

Quam imprudenter porro jubet Vitus, *hoc Pontifice nihil non fortunatum ſpondere ſibi eccleſiam* Romanam, *quem in negotiis difficillimis expeditum experta ſit Nuncium!* An ignorat vetus illud: *magiſtratus oſtendit virum*, & mores cum honoribus mutari? Ipſa initia magiſtratus ſæpe lætiſſima ſunt, at triſtiſſima cataſtrophe finiuntur: ut ne ex initiis quidem certo liceat ſecutura polliceri. Notum eſt quinquennium Neronis. Una Pontificum Romanorum hiſtoria talium exemplorum dat affatim. An cui ignotus Bonifacius IIX. qui *intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus ut canis?* Jam vero negotia eccleſiæ ſunt varia: alia vere eccleſiaſtica, alia mere ſecularia: & agit Pontifex perſonam cum ſummi epiſcopi tum magni Principis; nec qui hujus idem alterius ordinis negotiis expediendis idoneus eſt; raroque fit ut idem Papa ſit & bonus Princeps & bonus epiſcopus. Multum ſane ab his abſunt Nunciorum negotia: nec omnis qui *Nuncii expediti* laudem invenit, idem poſt & Pontificem talem ſeſe præbuit. Ad hoc ea eſt ratio ſaltim curiæ Romanæ, ut a Pontifice quamvis optimo medelam non admittat. Sit Alexander compoſitus ad exemplum Adriani VI. & Marcelli II. imo ſit iis melior: ubi tentaverit tamen curiæ ſuæ ſeriam reformationem, ſentiet quam ſint irriti conatus,

Cum mala per longas invaluere moras.

Conqueretur cum Adriano VI. *miſerum eſſe Pontificum conditionem, ut quibus recte faciendi facultas deſit, etiam cum maxime velint, & in id operam ac diligentiam impendant.* Imo forte dicet cum Marcello: *non videre ſeſe quomodo qui locum illum altiſſimum tenent ſalvari poſſint.* Enimvero feruntur jam tum de Alexandro, nonnulla quidem (ſi vera ſunt) *μικροφιλοτιμίαν* aut *δεισιδαιμονίαν* quandam ſapientia (cujusmodi eſt quod murrhinis velit cœnare non auro atque argento, quodque in ſpeculo imaginem detrectet videre, cum tamen curet eam exacte pingi: de quo poſteriore longe rectius diſſerit Apulejus in *apologetico*) nonnulla tamen plane inſignia & laude digniſſima, in quibus graviter impegere etiam proximi anteceſſores. Sed hæc plurimum adhuc abſunt a ſolida curiæ reformatione, imo etiam ab illa quam Paulo III. commendavere delecti aliquot Cardinales, quorum conſilium ſupereſt. Ne quid dicam, quantum hæc remota ſint ab emendatione immanis ſuperſtitionis, & perverſorum dogmatum, quibus ipſa eccleſia veſtra Romana laborat. Speramus nihilominus, non omiſſurum Alexandrum, quicquid ad emendationem eccleſiæ ſuæ ipſe poſſit præſtare: imo ut boni multum præſtet, Deum obſecramus. Euge! Liceat tandem aliquando vere exclamare:

Servet jam Roma pudorem;
Tertius e cœlo cecidit Cato.

De Alexandro autem *capite* electo *univerſi orbis, nullo diſcrimine univerſos gaudere*, quam ridicula eſt Viti jactantia! Quantula enim pars illum æſtimat? Mirum vero, eccleſiam & mundum potuiſſe eſſe ſalvum nondum electo illo *capite*. Clamat Forerus Jeſuita: *quid homo ſine capite?* Nos ſcimus hominem ſine capite vivere non poſſe: Eccleſiam vero fuiſſe ſalvam, etſi per nonaginta dies caruerit nuper Papa: ac proinde Papam non eſſe æque neceſſarium eccleſiæ quemadmodum caput eſt homini.

Poſtremo Vitus Alexandrum laudat ut *Chriſti vicarium*, idque (fateor) non adulatorie: cum nec Alexander ipſe dubitaverit talem ſe orbi venditare in ſua nuperrima Jubilei bulla, & divinæ illius vicariæ poteſtatis obtentu, *ex theſauro eccleſiæ* (a) quem tamen & ſacræ literæ & omnia priſcæ eccleſiæ

(a) *ex theſauro eccleſiæ*) De theſauro hoc, quem vocant, eccleſiæ, non immerito olim dubitavit Durandus a S. Portiano, neque ille ab aliis creditus fuit ipſo fatente BELLARMINO *lib. 1. de indulg. cap. 2.* donec CLEMENS VI. demum *in bulla unigenitus* pro eo ſtatuendo decreverit. Probant de cætero theſaurum hunc ex ſuperfluis Chriſti paſſionibus, qui cum unicam guttam ſanguinis fundere potuiſſet, copioſe tamen id præſtare maluerit, atque adeo eccleſiæ pretioſiſſimum theſaurum reliquerit. At vero hoc ipſo dum guttas Chriſti diſtribuunt, ejus ſatisfactiones perperam divellunt. Melior theſaurus penes nos ex *Matth. 28, 19. c. 18, 18. c. 11, 28. Joh. 8, 37.* qui per verbum & ſacramenta diſpenſatur.

cleſiæ monumenta ignorant, imo tacite damnant) depromere viventium in uſum criminum commiſſorum indulgentias ſic ſatis liberales, (h. e. *veterem Pontificum ad parandam pecuniam inſtrumenta*, ut Paulus Jovius loquebatur *lib. 4. de vita Leonis X.*) fortaſſe non multo poſt ejuſdem poteſtatis prætextu in uſum mortuorum novas indulgentias (ne deſit auri & argenti copia, cujus nihil erat S. Petro) largiturus. Verum ut in hac laudatione Vitus cavit ſibi a paraſitica, ita nihil dixit magis a vero alienum. Magnum Principem agnoſcimus & nos Alexandrum: conſtitutum etiam fatemur epiſcoporum ſuæ eccleſiæ epiſcopum, atque adeo Maximum Pontificem. Nihil hactenus occurrit quod ſuperet humanam ſortem. Munera enim hæc ab inſtitutis hominum dependent eorumque arbitrariis legibus. Ad vicarium Dei conſtituere ſcimus eſſe ſolius Dei, aut certe eorum quibus hanc poteſtatem Deus fecit: nec qui ſapit poteſt quem ut Dei vicarium admittere, niſi in promptu ſint documenta omni exceptione majora divini placiti: qualia ſingulis prophetis & apoſtolis, legatione tantum divina functuris, Deus numquam denegavit. Hæc inquam ſcimus: edocti ita ab ipſa natura, a ſana ratione, ex iis ſine quibus & ſocietas & certa fides inter homines ſibi non conſtat. At vero immediate quidem a Deo vicariam dignitatem eſſe Alexandro commiſſam, nec Vitus nec quiſquam dixerit. Nec cardinalium quiſquam tantæ ſibi divinitus datæ poteſtatis, eligendi ſcilicet vicarium Dei, vel leviſſimum poteſt documentum exhibere. Ipſe Alexander, hactenus quidem, nec miraculo aliquo edito nec productis divinis tabulis, imo nullo plane teſtimonio divino, vicarium illud munus cuiquam approbavit. Sed nec impoſterum id (ſcio) probare poterit; quemadmodum id hactenus nemo Paparum potuit. Tantum abeſt igitur illum a Chriſto eſſe datum orbi terrarum vicarium, ut ſit reapſe pſeudopropheta, & omnis intelligens pius & Chriſtianus non minus averſari illum, hac quidem in re, debeat atque in republ. merito omnes averſamur quemvis falſo ſe ferentem vel legatum vel vicarium noſtrorum Regum & Principum: imo oportet illum eo magis averſari, quo plus debemus Deo quam Regibus, quo gravius crimen eſt Dei ſe legatum & vicarium falſo venditare quam hominum, & poſtremo quo majore cum damno conjunctum eſt pſeudoprophetam admittere quam mentitum aliquem proregem. *Hac* ajo *in re* par eſt illum averſari: etſi illum tanquam Magnum Principem etiam nos veneremur. Perinde ſcilicet ac Turcam colimus pariter & deteſtamur. Velim vero (quoniam adeo facilis fuit in admittendo illo nullis documentis inſtructo vicario meus Vitus) doceat Vitus, qui Papa hic ſimul & vicarium Chriſti & ſeptimum Alexandrum poſſit ſeſe venditare, nulla admiſſa in adjecto contradictione. Nec enim poteſt eſſe *ſeptimus* Alexandrini nominis niſi admiſſa concilii Piſani auctoritate, atque adeo ipſe ſtatuat concilium ſupra Papam eſſe, ceu jam tum ſupra indicavimus: at illo poſito non eſt Papa vere Chriſti vicarius: indignum quippe eſt vicedeatu infra epiſcoporum conventus eſſe, quod adverſus Sorbonam recte hactenus urſerunt omnes Pontificii vicariatus patroni. Dignus ſane hic nodus eſt vindice, ſaltim ſubtili illo & magno Vito meo, ſi non Alexandro ipſo.

Et vero quis non dicat Vitum *ſubtilem?* Vovet, ut Alexander *excedat vel certe accedat ad annos Petri*, idque non ut *Pater*, non ut *Pontifex*, non ut *caput univerſi orbis*, ſed duntaxat ut *Chriſti vicarius*. Quaſi Chriſti vicarius ſi non eſſet, eo voto foret indignus. Inſignem ſubtilitatem! Atqui (niſi fallor) Petri ille ſucceſſor creditur etiam qua eſt *Pontifex*, & qua eſt *caput univerſi orbis:* quidni itaque etiam talis diu fungatur ſuo munere? Sed & cum arcana majorum traditione feratur, *neminem Paparum annos Petri æquaturum*, (a) qui audet Vitus, figidus ille *πατροπαραδόσεων* magiſter, vovere ut annos illos Alexander excedat?

Nos annos illos Petri ignoramus: (b) nec vicarium Chriſti verum quidem, aut qualem Romana curia ſomniat, quenquam mortalium admittimus: quod olim tamen Chriſtiani Cæſaribus nos precamur Alexandro Principi, *vitam prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes adverſus vim omnem iniquam, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis* (non pſeudovicarii qui *non homo non Deus eſt medium quid at inter utrumque* ut tradit gloſſa juris canonici) *& Principis vota ſunt.* Precamur eidem, ut ſi ſucceſſor eſt Petri, ejus exemplo, non ficto, non fucato pectore, unum magiſtrum, & unum Salvatorem *amet Chriſtum*, quo ſicut ille trina amoris ſui promiſſione quaſi expiavit trinam abnegationem & juſſus eſt denuo paſcere oves Chriſti, ita & ille Petri exemplo ac monito paſcat commiſſum *gregem, providens non coacte ſed ſpontanee ſecundum Deum*, neque *turpis lucri gratia ſed voluntate, neque ut dominans in cleris*, (ſequutus anteceſſorum plerorumque veſtigia) *ſed forma factus gregis ex animo, ut cum apparuerit Princeps paſtorum percipiat* (non fabuloſam Conſtantini Cæſaris) ſed *immarceſſibilem gloriæ coronam.* Precamur, ut quemadmodum Petrus omnia reliquit quo Chriſtum ſequeretur expeditus, ita & ille ſpretis illecebris hujus mundi, ad Chriſtum ſequendum fiat idoneus. Precamur denique, ut tandem aliquando Romanæ Simoniæ Petrum imitatus imponat modum, nec pergat (ceu cœpit) indulgentiis oſtentatis miſeros mortales emungere auro & argento in ſui aliorumque perditionem, & quaſi cenſum agere vel tributum exigere ſub eleemoſynæ ſpecie in orbe univerſo. Hæc ſunt vota noſtra pro Alexandro: digniora, niſi fallor, quibus omnis populus AMEN, AMEN, AMEN accinat, quam illa Erbermanni.

Vale, mi Amice, & Salve plurimum.

Helmeſta-

(a) *neminem Paparum annos Petri æquaturum*) Ita etiam, ut qui eos forte æquaverit, eum antichriſtum futurum nonnulli perhibeant.

(b) *Nos annos illos Petri ignoramus*) Pontificii 25. annos pontificatus ejus tribuunt, quod figmentum inter alios CAVEUS *in vitis apoſtolorum ſub vita Petri* pluribus excuſſit. Anni certe incertiſſimi omnium ſunt, licet de cætero Petrum Romæ fuiſſe non adeo temere cum nonnullis præcipue Ulrico Veleno negandum videatur.

Helmeſtadii in academ. Julia anno cIɔ Iɔ CLV. ipſis feriis S. Johanni Baptiſtæ ſacris; qui non ante legatum egit quam *factum ad illum eſſet verbum Domini*, quemque Deus non voluit ſine documento divino admitti legatum, ſed jam ante ipſam conceptionem & in circumciſione omnique ſecuta ætate in id ſufficienter munivit. Secus quam in Romanis illis legatis & vicariis Chriſti obſervare eſt: qui tamen (ſi verum perhibent) Johanne Baptiſta longe ſunt majores.

ΕΜΒΟΛΙΟΝ.

Epiſtolæ huic ultimam commodanti manum affertur tandem ipſe Erbermanni liber, prolixior quidem ille, more tamen ſuo (quantum video) plane aliena agens ab iis quæ moveram in concusſione, imo & pleraque eorum, quæ in examine tacta erant, diſſimulans. Quo fructu diſputaveris cum tam vago, lubrico, legumque diſputandi vel imperito vel negligente Vitilitigatore? Ubi tamen paulum otii fuero nactus, (nec enim fas eſt feriis negotiis aliquid temporis in hos uſus ſurripere) caſtigabo & illas hominis ineptias, ſaltim ne ſibi & indoctis zelotis videatur ſapere. Iterum te valere opto, amice cariſſime.

BENEVOLO LECTORI S. P.

EN tibi & ipſam illam quam voluit eſſe ſuo examini examinis appendicem Jeſuita Erbermannus. Subjungo vero illam more meo, ut eo promptius tibi ſit de ea quæ inter nos verſatur controverſia arbitrari; atque adeo, num Vitus ſatis bene oppoſuerit ſeſe illis meis quæ petiit, num oſtenderit nuperrima papalia comitia ſine factionibus & ſecularibus cardinalium deſideriis fuiſſe inſtituta, & denique an non ſocio & theologo imo viro gravi indignam adulationem in laudando Alexandro VII. Papa commiſerit, ut inquam hæc queas facili negotio judicare. Video etiam, quamvis vehementer properaverit illa appendix, tamen ipſum Erbermanni librum in nundinis Francofurtenſibus aſſequi non potuiſſe, atque ita paſſim librum illum proſtare ſine illa nobili appendice, fruſtra etiam ejus nova editione vicinos noſtros ſocios conatos tantum damnum hiſce in oris reſarcire: ac proinde rem me ipſi Viro ejuſque bonis nonnullis ſociis gratam iſthac repetita mea publicatione præſtiturum confido. Nihil nimirum ſuavibus illis hominibus videtur magis eſſe in votis, quam ut novo Papæ ſtudia ſua probent, (temporalis an ſpiritualis boni obtinendi cauſa, ipſi omnium rectiſſime norunt) cui deſiderio illorum equidem haud obſtabo. Suaſerim tamen, ne dum gratiam curiæ aucupantur, prudentibus ſe faciant ridiculos inepta Domini laudatione. Sicut nuper vicinorum nonnemo etiam illud in ſingularem Alexandri commendationem præter alias gerras haud dubitavit referre, quod ter accenſa coram Pontifice ſtuppa acclamatum ſit: *Pater Sancte ſic tranſit gloria mundi:* ignorans forte hanc communem eſſe omnibus Paparum conſecrationibus ceremoniam in capella S. Gregorii. B. V.

EXAMINIS CONRINGIANI APPENDIX
De
Electione Papæ.

VIx abſolutum a prælo meum EXAMEN, ad mercatum Francofurtenſem ſecundo Mœno defluebat; cum ecce! advolat e Julia Saxonica *virulentum & mordax* D. Conringii ad epiſtolam P. Valeriani M. Capuccini reſponſum. Ad hujus calcem ita *benevolum Lectorem* affatur: (*Præter ea quæ Valeriano reſpondi, rogo Te etiam atque etiam, attendas diligenter ad ea, quæ nunc adeo dum hæc ſcribo, Romæ aguntur. Viduata eſt ſedes papalis per mortem Innocentii X. ſuo epiſcopo, agiturque jam in conclavi inter cardinales de novo Papa eligendo, idque magno animorum æſtu, & per factiones, non quo inveniant epiſcopum peritia rerum ſacrarum & vitæ ſanctimonia eximium, ſed qui ſit commodus magnorum Regum ac Principum, ut & cardinalium ſecularibus deſideriis. Num veriſimile cui videatur, poſſe principium fidei Chriſtianæ, & caput quo unice animanda eſt eccleſia, interdum plane nullum reperiri, ſalva interim eccleſia illa & fide? Num hominem caducum & mortalem veriſimile ſit fundamentum eſſe perpetui corporis, quale eſt S. DEI eccleſia? Num, quem cardinales eligunt Papam, illum DEVS jure tenetur agnoſcere ſuum in terris infallibilem vicarium? Num DEVS promiſit id ſeſe facturum? Num veroſimile eſt Spiritu Sancto afflari hodie cardinales in factiones illas, & in illa conſilia de inveniendo commodo ſuis deſideriis Pontifice? Num ad illum modum apoſtolos & prophetas DEVS Opt. Max. miſit in hunc mundum? Num in hiſce Paparum electionibus quidquam videas vel minimum, quale non ſoleat fieri in electionibus maxime ſecularibus, & ubi interdum homines indigniſſimi adſcendunt ad ſumma*?) Hæc ſunt quæ medicus ille (ſui ſemper ſimilis) intrepide, imprudenter imo impudenter, ex abundantia cordis & ſtomachi ſui eructat; quorum non poteſt non illum met pœnitere jam nunc & pudere, niſi forte una cum fronte mentem omnem exuerit. Nimirum tunc adeo, dum ipſe rumuſculos, in officina Paſquini & Marphorei enatos, velut Cæcias nubes, captat attrahitque, nec ſine auctario iniquiſſima famæ mendacia typis evulgat; Sacrum Purpuratorum conclave ſuam pariter innocentiam & apoſtolicæ ſedis gloriam vrbi & orbi ipſo facto luculentiſſime vindicavit. Quid clarius? annon fumos illos, quos de *factionibus*, de *animorum æſtu*, de *ſecularibus cardinalium deſideriis, &c.* maledicus ille medicus exhalavit, mira illa, rara, & cacodoxis omnibus plane inimitabilis ſuffragantium concordia ſplendidiſſimi ſolis inſtar penitus diſſipavit? Coeat vel ſola Saxonia Luthero & Auguſtanæ confeſſioni mancipata; ſimile quid tentet & Cadmæa fraternitas: ſat ſcio, riſum pro plauſu feret. Vſque adeo verum habet ſcitum illud Græcorum: ῥᾷόν ἐςι μωμεῖσθαι ἢ μιμεῖσθαι. Neque tamen in ſola illa animorum conſenſione laus omnis eſt; uti nec quævis votorum diſcrepantia reprehenſionem meretur. Non modo inter viros ſanctos, ſed & inter beatas mentes aliquod

ſubin-

ſubinde poteſt ſententiarum eſſe divortium. Nunquid ipſe *regni Perſarum Princeps* (beatus licet, nec dum tamen decreti divini conſcius) *reſtitit* Archangelo Gabrieli *viginti & uno diebus*? *Daniel. 10. v. 13.* Nonne *Joannem cognomento Marcum*, quem *Barnabas volebat ſecum aſſumere*, doctor gentium *rogabat non debere recipi? Facta eſt autem diſſenſio* (παροξυσμὸς, exacerbatio) *ita ut diſcederent ab invicem: & Barnabas quidem aſſumpto Marco navigaret Cyprum; Paulus autem electo Sila perambularet Syriam & Ciliciam, &c. Act. 15.* Hoc te, profane medice, a ſancto hauſtum medico & evangeliſta documentum par erat conſiderare; & ita comprimere impudentem criſin, qua te non tam in Vaticani ſecreta conclavis, quam in ipſa cogitationum & intentionum cordis arcana penetrare haud erubuiſti. Æquus & prudens arbiter etiam cum perſpicue cernit in una eademque re per ſe non mala promovenda ac diſturbanda judiciorum voluntatumque diſſidium, non temere alterutram, vel etiam utramque concertantium partem condemnat; memor quod licet exitum ſortiri non poſſit utraque fieri tamen poſſit, ut DEVS pro ſe velit utramque conari. Quid ergo, inquis, tam operoſa & fere ad trimeſtre extracta conquiſitione opus erat? Vin'dicam?

Quæſiere ***PONTIFICEM OPTIMVM:***

Et invenerunt, in Eminentiſſimo D. FABIO CHISIO,

ALEXANDRVM MAXIMVM.

Intentionem cordis operis exequutio manifeſtat. Eo difficilior videbatur electio, quo plures ad illud orbis faſtigium cenſebantur idonei. Quod ab aliquot retro ſeculis non vidit Roma, nuperrimum conclave ſpectandum dedit. Supra viginti numerabat, quos in S. PETRI ſede collocare poterat ex merito, ſi non concurſu, ſed ſucceſſione peragenda res foret. Cum igitur tot tantique electores, e tot eminentiſſimis Papatu dignis, ὁμοθυμαδὸν elegerint D. FABIUM, velut omnibus ingenio, eruditione, pietate, prudentia, gloria eminentiorem; nunquid (vel ipſo te, *Mome Julianæ*, judice) dicendi ſunt talem tantumque paſtorem per id temporis ſtudioſe perquiſiviſſe? niſi forte malis fateri, in ejus tam unanimem electionem *Spiritus Sancti afflatu* illos eſſe impulſos. Enimvero velle hominibus mente non captis perſuadere, in eligendo hoc Pontifice DD. cardinales ſtuduiſſe *ſuis magnorumque Regum ſecularibus deſideriis & commodis*, neſcio an poſſit in mentem venire homini non amenti, nec rerum penitus ignaro. Sane quidem ipſis tredecim annis, in Germania ILLE noſtra (ac præcipue in pacis univerſalis tractatibus, velut in Europæ theatro) ita heroicarum virtutum radiis omnium oculos perſtrinxit, ut nec hoſtes quidem acatholici haberent, quod carperent; niſi pietatem, zelum, ceteraque catholica Romanaque decora, more ſuo, liberet arrodere. Tantum autem abeſt, ut ſperarent (ſi qui ſunt ſeculi quam Dei amantiores) ſuis FABIUM deſideriis velificaturum, ut ſi quidquam deterrere eos a ſuffragando poſſet, hoc unum videretur, quod noſſent, eſſe FABIUM CHISIUM VIRUM SECUNDUM COR DEI, patronum virtutis & proborum amabiliſſimum, vitii vero & ſecularium deſideriorum hoſtem vindicemque acerrimum; tam parcum in ſe quam prodigum in miſeros; tam laudum ſuarum faſtidioſum auditorem, quam operum ſanctorum æmulatorem ſtudioſum, &c. Hæc & ſimilia non ſolum e fide digniſſimorum relatione, & fama communi, ſed & proprio experimento habeo compertiſſima; teſteſque retineo epiſtolas, quas IPSE, pro incredibili ſua humanitate, ad me immerentem dare dignatus eſt a decennio haud infrequentes, nihil adeo niſi exquiſitam virtutem & eruditionem ſpirantes. Unde me quoque haud leviter obſtrictum ſentio, ut in hoc communi bonorum omnium applauſu, nove electo hoc qualecunque gratitudinis pignus, & æternum devotæ mentis anathema heic appendam:

ALEXANDER SEPTIMVS

e CHISIORVM FAMILIA

PONTIFEX MAXIMVS.

IVre ALEXANDER MAXIMUS merito:
Prius *Magnus* quam *Alexander*;
Et in hoc MAGNO ALEXANDRO major;
Quod hic naſceretur *Alexander*, magnus fieret;
Iſte pæne natus eſt *Magnus*: *Alexander* creatus.
Magni certe EVM ſemper fecit Italia:
Hinc in Regionem fere mundo parem,
Cæſareo ſolio inclytam,
Tot Regiis quot Deorum Mater turribus auguſtam;
Magnorum facinorum capax Theatrum,
GERMANIAM,
Nuntium delegavit:
AD Eccleſiæ totius incolumitatem,
Ad Romani Imperii,
Ad tot Regnorum, quot Europa amplectitur, ſalutem,
Fulciendam, ſi vacillaret,
Procurandam, ſi moraretur.
Et conſtituit in tot hominum,

Quam ſapientium, tam diſſentientium Concilio
Arbitrum;
Et Controverſiæ difficillimæ
Definitorem.
MAGNVM delegavit ad MAGNA.
Et *Magna* neceſſe ſit *Anima*,
Quæ tot tantarumque rerum una ſit capax;
Ad quas aſpirare, paucorum audent Ingenia,
Accedere, vix unius valet induſtria.
Magnam hanc *Animam* experta eſt annos tredecim
GERMANIA;
Simul tam perſpicacem,
Quæ & ſimultates, & ſimulationes adverteret
Politicorum:
Tam induſtriam,
Quæ eorum artes arte nova detegeret;
Tam ſinceram,
Quæ fraudes ſine fraude explicaret;
Tam ſimplicem ut decipiat,
Quam non ſimplicem ut decipiatur:
Tam liberalem,
Quæ in omnes ſe effundat, ſui ſemper oblita.
Vidit conſtantem Juſti æquique rigorem;
Amicorum ſæpe precibus oratum, non exoratum:
Oppugnatum adverſariorum ſententiis, non expugnatum:
Pollicitis allectum, non illectum:
Muneribus tentatum, non motum,
Vt Eccleſiæ jura negligeret,
Vt fœdera divinis humaniſve legibus contraria
Probaret,
Nullum pondus inflectere potuit.
Quam animi conſtantiam
Cum admirentur omnes, pauci forte amarent,
Averſari non potuit ullus.
NÆ MAGNVS EST,
Qui offendere non poſſit etiam cum offendat!
Ea ſcilicet vitæ integritas, ea comitas,
Ea Scientiæ & Prudentiæ ſpecies
Eluxit,
Quam Orthodoxi amare cogerentur,
Hoſtes non poſſent odiſſe;
Imo mirarentur,
Suis in eo nihil odiis dignum reperiri;
Occurrere vero multa vel inimicis,
Iiſque invitis commendanda.
Hoc ſcilicet Salomonis eſt oraculum,
Quod cubo quadrato olim inſcripſit Ipſe:
QVI AMBVLAT SIMPLICITER
AMBVLAT CONFIDENTER.
Spe ſua non fruſtratam ITALIAM, teſtata eſt
GERMANIA:
QVæ, quia MAGNVM accepit, & MAJOREM experta,
Si non præſagivit, certe optavit
MAXIMVM.
Votis annuit ROMA;
Ab expeditione *Magna* Reducem,
Dum rogaret ad Neritonenſis ſuæ Eccleſiæ latebras
A ſplendido munere ſeceſſum;
Purpura Eum accendit, ut luceret.
Vix triennio luxit inter Patres Purpuratos Romæ,
Extincto INNOCENTIO X.
Supra modium poſuit, ut luceret omnibus, qui in domo ſunt
LVX MVNDI
ALEXANDER SEPTIMVS.

Hic

Hoc Patre
Quid ſibi non ſperet Germania?
Quem ſui tam amantem habuit patronum.
Hoc Pontifice
Quid non fortunatum ſibi ſpondeat eccleſia?
Quem in negotiis difficillimis tam expeditum experta
Nuntium.
Hoc Capite
Quid non magni expectet Orbis univerſus?
De cujus electione nullo diſcrimine gaudent
VNIVERSI.
Hoc CHRISTI *Vicario*
Quid amplius voveant fideles?
Quam ut excedat (vel certe accedat
AD) ANNOS PETRI,
AMEN! AMEN!
AMEN!

HERMANNI CONRINGII

Caſtigatio appendicis alterius examinis Erbermanniani de electione Alexandri VII.

Cui ipſa illa appendix eſt inſerta.

PRÆFATIO.

ALtera Viti appendix, quam appellat, ſatis tempeſtive quidem mihi tradita eſt; diu tamen multumque alienus fui ab omni in eam animadverſione, quoniam inſpicienti mihi nihil ocurriſſet quod vel veritati aliquam vim facere, vel minari periculum, me quidem judice poſſet cui prudenti videri: referta videlicet ſuperbis conviтiis & ineptiis: qui mos ſcribendi Vito eſt familiaris. Nec vero multum adeo a rebus ſeriis otii mihi eſt, ut nugis caſtigandis liceat tempus impendere. Etſi id fecero, dubitavi, nec immerito, ecquod fuerit pretium exactæ operæ. Cum non adeo pridem tamen conſilium cepiſſem edendæ hiſtoriæ Alexandrini conclavis; novamque editionem epiſtolæ quam eodem de argumento ſuperiore anno publicaveram, quod prioris exemplaria omnia diſtracta jam eſſent, plurimorum deſiderium expoſceret; viſum eſt non abs re fore, non tantum epiſtolam illam cum prima Viti appendice, ceu ante, ſed alteram etiam Viti appendicem cum nonnullis caſtigationibus adjungere; idque ut omne conclavis illius negotium plene cuivis rerum harum curioſo poſſit innoteſcere. Enimvero plurimum ad faciendam vel detrahendam fidem vicariatui divino Romanorum Pontificum, hoc etiam ſcire intereſt, quo agitante ſpiritu conclave incaleſcat. Nec vero alia de cauſſa a nonnullis quidem ſollicite teguntur conclavis myſteria, ne in vulgus propalentur; a nonnullis conclavis omnia laudantur: quorum ſcilicet illa una eſt ſententia, tum demum vicariatum illum fidem aliquam invenire poſſe, ſi perſuaſum fuerit, Papas eligi ſingulari aliquo Sancti Spiritus actu. Hæc ſane ſollicitudo, præter eam, qua flagrabat, novo Pontifici adulandi placendique libidinem, in prælia iſthæc inermem meum Vitum protruſit. Nec enim imprudenter ille eſt ratus, quicunque ad animum revocaverit per ſola ſecularia ſtudia Papas legi, non temere aſſenſurum illi divino vicariatui, quamvis hunc quoque metum ſuum diſſimulatum velit; ut in omnes partes anxia eſt ſollicitudo eorum quibus id unice eſt propoſitum ut theſin tueantur. Eoque ubi tetigiſſem obiter & quaſi in tranſcurſu hoc quoque ulcus, infrenduit homo; *γνήσιος* ſcilicet papiſta ſive papicola factus, ex quo a regia fidei via in præcipitium ſectæ illius, arcana Dei vindicta, abreptus eſt. Quicquid ſit, eadem ſpes boni ex hac etiam diſputatione fructus capiendi, perinde ut epiſtolam vulgare quaſi juſſit, ita nunc jubet quæ denuo Vitus appendit, ſaltim levi, quod ajunt, brachio caſtigare. Nec vero, etſi ut aliquid reſponderem invitaverit me ſperata utilitas iſthæc, operæ fuerit pretium, omnibus hominis ineptiis ex merito vel mordacis aliquid aceti aſpergere. Hinc ſane placuit diſſimulare tetra etiam illa convitia, quibus me paſſim proſcindit; Grammaticellum, Medicellum, Momum, Alaſtorem, Fanaticum, Cacangeliſtam, me appellitans. Quamvis merito ſaltim rogaverim illud, quid hominem in illa convitia protraxerit; juſſerimque convenire ante omnia cum ſuo ſocio Chriſtophoro, qui, ut eſt lepidus verſificandi artifex, mihi cecinerat illud:

Grammaticus medicus præterea que nihil:

utpote cum alteruter ſi non uterque ſit mentitus, uterque ſane ignoret quid ſit eſſe grammaticum. Alia enim non tangam. Præſertim cum nemo non videat quam procul abſit, cum ut *momus* audiam vel *alaſtor*, qui in Alexandro VII. haud pauca laudavi, momus vero improbat omnia, tum ut *fanaticus* habear qui nec habeam ſpiritum aliquem *πάρεδρον* nec jactem: auſimque pignore contendere, longe aliud de me præſtantium quorumvis, ſaltem Germaniæ & politicorum & medicorum eſſe judicium.

Cæterum anteaquam ad novi hujus libelli mei lectionem quis aggrediatur, rogatum quem-

que etiam atque etiam volo, uti epiſtolam meam primum attente legat, & ſubinde ad hanc alteram Erbermanni appendicem oculos reflectat. Ita nimirum ſaltim hoc ſtatim cuivis patebit, non niſi exiguam epiſtolæ partem a Vito eſſe vellicatam, multa vero callide eſſe præterita. Qui mos eſt ſophiſtarum & veteratorum: quibus hoc cumprimis eſt negotium, ut victoriæ opinionem apud vulgus imperitum, aut alios minus iis quæ diſputantur intentos aſſequantur. Simul vero ita poterit rectius judicari, cum

Quid dignum tanto ferat hic appenſor hiatu,

num videlicet aſſecutus ſit vim objectionum mearum, aut illam rite exceperit: tum, bene an ſecus abs me & conclave factionum malarumque artium & Vitus paraſiticæ aliorumque inique commiſſorum, ſit accuſatus. Et vero nihil mihi fuerit acceptius, quam ſi hæc omnia abſque odio & amore expendantur juſta trutina. Hinc non tantum adjiciam Erbermanni appendicem ipſam, verum etiam per partes producam, addita ſtatim mea caſtigatione. Eidem fini feci paginarum primum numerum hac etiam in editione circa epiſtolam obſervari: ne nimirum illo mutato difficilior fiat epiſtolæ & alterius Erbermannianæ appendicis inter ſeſe contentio. Veritati nimirum indagandæ omnis meus labor excubat: eoque a ſophiſticis præſtigiis ſum alieniſſimus. Parem candorem animumque ab adverſario non eſt quod exſpectem. Verum bene eſt: hoc quoque cedit in veritatis trophæum. Faciemus igitur jam inſtituti operis initium.

EXAMINIS CONRINGIANI

Appendix altera de electione Alexandri VII.

P. M.

ITerum ringitur Hermannus; ſed nemo pavet, niſi fors lepores. Appendiculæ meæ quadruplo longiorem opponit epiſtolam: (Lacon enim eſt.) Hanc vero *adm. Reverendo Viro* P. N. N. O. B. inſcribit; quem (Romanum licet presbyterum) *amicum ſuum* vocare non veretur. Arguta nimirum ſimulatione! ut ſic vulgo perſuadeat, appendici ab amico acceptæ quantocyus debuiſſe a ſe occurri; ac proin minime mirandum quod *examini* ſerius oblato (forſan & difficilioris digeſtionis) lentius paret reſponſum. Quis *reverendus* ille *vir* ſit, non eſt difficile hariolari. Nec ſolicitum me habet, quod illum vocet *amicum*, dummodo huic (quod omnino confidimus) magis amica ſit veritas quam Hermannus. Sine dubio ridebit & ipſe miſam Hermanni aſtutiamne dicam an ſimplicitatem? qua ad calcem epiſtolæ (*ipſis S. Joan. Bapt. feriis* abſolutæ) ſic ſcribit: *epiſtolæ huic ultimam commodanti manum affertur tandem ipſe Erbermanni liber, prolixior quidem ille*, &c. & nihilominus mox pag. ſeq. ait: *Video etiam, quamvis vehementer propenſverit illa appendix, tamen ipſum Erbermanni librum in nund. Ffurt. aſſequi non potuiſſe; atque ita paſſim librum illum proſtare ſine appendice; &c.* Itane *vidit* lynceus ille Hermannus *paſſim proſtare meum examen ſine appendice;* & nihilominus apud ſe tamdiu extare appendicem ſine examine? quis hæc capiat? ſed miſſis admirandis hiſce myſteriis; diſſimulatis quoque inficetis ejus ſalibus, probroſiſque ſcommatibus (cur enim Grammaticelli convitia & laudes non paris apud me momenti ſint, cum nullius ſit ponderis fumus?) modo errorum & calumniarum, quibus omnis ejus ſcatet epiſtola, elenchus exhibendus eſt, & ſic denuo electio Papalis a morſibus Julianæi Momi vindicanda.

Specta ſodes, Lector, Vitum meum, qualem ſeſe det ſtatim adveniens. *Ringentem* aut *metu* affectantem utique me in epiſtola non deprehendiſti. Fœdam hominis ſcabiem & paraſiticam acriore nonnihil aceto perfudi & ſale defricui, idque uti ipſe emendet animum, ejusque exemplo ſimiles ſocii corrigantur, deſinantque imposterum ineptire aliisque eſſe moleſti in negotiis alienis. Id adeo dolet, ut ſui non compos, totus turbatus, prorumpat in ſcenam, ringi me clamans qui rideo, ſeſe impavidum eſſe cum totus tremat. Perſuaſum erat homini, niſi initio ſtatim ſeſe nihil metuere profiteretur, fore ut prudentes quique ſuſpicarentur, metu illum perculſum: ſola autem iſthac ſua negatione ſuſpicionem illam poſſe eximi. Quaſi ejusmodi intempeſtivis clamoribus non ſoleat moveri potius ſuſpicio, & non illi potiſſimum nondum accuſati ſeſe purgent qui male ſibi ſunt conſcii. Eſto autem: Vitum nihil metuere. Quid tum? An indicium hoc eſt bonæ cauſſæ: An hoc arguit animum Viti leoninum? At vero nec boves nec aſini temere metuunt. O ridiculum caput ſed inſuave?

Quod epiſtola vincat appendicem prolixitate, nec miri quid habet nec culpæ. Non enim pari brevitate ineptiæ poſſunt detegi aut perſtringi, qua effunduntur. Utique omnibus confutationibus hoc fere commune eſt.

Quur autem ego *verear amicum meum* appellare Romanum presbyterum? An civilis amicitiæ jura inter Pontificios & Proteſtantes nulla ſuperant? At vero unius utique ſumus reipubl. cives: qualis ſocietas ſine civili amicitia ſibi non conſtat. An ſigillatim nefas eſt *presbyterum* diverſa ſacra profeſſum inter amicos numerare: At vero & presbyteri cives ſunt eoque digni amicitia: nec ulla lex amicitiam ejusmodi vetuit vel improbavit. Vito dixeris animum eſſe illum qui fuit olim zelotis Judæorum: quibus nimirum nefas creditum

Vel monſtrare vias eadem niſi ſacra colenti.

Apage illud hominum genus.

Porro circa ferias S. Johannis Baptiſtæ attulit bibliopola noſter vim magnam exemplorum Erbermanniani examinis, ſed ſine appendice: retulit idem, ſimilem in modum ſine appendice Francofurti

cofurti

coſurti omnia libri illius exempla fuiſſe venundata: vidi paulo poſt alibi itidem librum illum proſtare venalem ſed mutilum. Appendix vero ipſa dudum ante, feſtinantibus novam editionem vicinis ſociis, per amicum R. Pat. cœnobitam venerat in manus. Hæc *qui fieri potuerint*, non *capit* ſubtilis Pater Vitus: eoque credit latere, neſcio quam, *aſtutiam* vel *ſimplicitatem*, imo *admiranda myſteria.* Mox oſtentat generoſum aliquem animi impetum, in contemptu laudis & vituperii: ſed illum fingi duntaxat demonſtrant inſperſa fœda convitia. A quibus ſi paululum abſtinuiſſet Vitus, forte inveniſſet jactantiæ ſuæ fidem. Examen ipſum cujus appendix prima mihi erat viſa, *difficilioris eſſe digeſtionis* fateor ipſemet, valde crudum enim ſcriptum eſt; brevi tamen & hæc cruditas ſuperabitur. Interim audiemus quid ferat hæc nova appendix pro electione Papali.

Primo itaque pag. 5. *iubet μακρὰν κλαίειν & lugere commiſſam ſtultitiam, quod pene omnia ſua produxerim in publicum, & obtulerim quaſi expendenda etiam iis, quibus per leges ea inſpicere alias erat vetitum, &c.* addit: *me ad illa attendere præ animi morbo (qui forte θεήλατος) non potuiſſe.* Refutatione iſta non egent, quis enim adeo hebes quin intelligat, ſine fatuitate aut improbitate eximia non poſſe hic argui ſtultitiæ id, quod non modo nemo catholicorum reprehendit, ſed ipſe quoque P. M. ALEXANDER VII. *non ſine ſenſu quodam intimo Pontificiæ charitatis* accepit? Dicere autem, *animi morbum a DEO immiſſum*, Calvinum olet. Sanæ fidei Conringius certe non eſt; quam ſani ſit cerebri, viderint ejus collegæ.

Audet Vitus affirmare, *a nemine Catholicorum reprehenſum* illud ſuum imprudens factum; & tamen vix unum & alterum fortaſſe ſuper hac re interrogavit.

Utrum Alexander Papa id facinus, repetitionem nempe meorum verborum, acceperit illa ſua *Pontificia charitate*, vehementer dubito. Forte Viti adulatio ipſi fuit adeo grata, de facto illo non cogitavit. Quod ſi vero & iſthæc adulatio placuit usque adeo Alexandro; ille quidem oſtendit hominem ſe & humani a ſeſe alienum nihil eſſe, Romamque inolitis adhuc vitiis laborare; Vitus vero egregie & ſe & alios fefellit, affirmans Alexandrum eſſe *faſtidioſum laudum ſuarum auditorem, & virum ſecundum cor Dei.* Nec profecto is qui talis eſt æquis oculis legat ejusmodi ficta elogia: perinde ut talia fingere, etſi tolerari forte poſſit in tyronibus Lojoliticis, reverendos tamen patres, h. e. Vitum & Vito ſimiles, neutiquam decet. Optarim vero, diſcat hinc Vitus meus, quantum titillet vana gloria viros etiam magnos; nec temere ſermonibus encomiaſticis, quos forte legerit de antiquis Papis aut Papali ſede, eſſe adhibendam ſtrictam fidem: cum encomium ſuum Alexandrinum vix unum verſiculum habeat rigidæ veritatis, & tamen ab Alexandro ſit acceptum *non ſine ſenſu quodam intimo Pontificiæ charitatis.*

Quam inepta vero imo putida & impia elogia ſoleant Romanæ curiæ probari, non poteſt ignorare is, qui vel leviter res moresque ejus perſpexerit. Adferam hoc loco in exemplum, duntaxat unum, Romæ vulgatum, quo tempore Innocentius X. eſt electus, quod *Melchior Inchofer* (a) notiſſimus fama, ut tamen Lucretiano more loquar,

Clarus magis inter inanes
Quam de graves inter Socios qui vera requirunt,

is nimirum, qui orbi Chriſtiano epiſtolam B. Virginis nomine ad Meſſanenſes ſcriptam obtrudere conatus eſt, non dubitavit Papæ illi jam creato offerre, ceu fide dignis, (quantum ſane videtur) conſtat teſtibus.

Eminentiſſime & Reverendiſſime

D. CARDINALIS PAMPHILI,

1. *PHILIUS Dei (Superlativus amor patris, quia φίλτατος, ideo Philius dictus) ex æterna ejus charitate, qua ſe Deo Patri obtulit, in amantiſſimum interceſſorem ac mediatorem Dei ac hominum, ab inſtanti conceptionis in utero B. Mariæ Virginis, factus fuit ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech, ac Primus Pontifex Optimus Maximus.*

2. *Sed filius fuit philius, non fuit PAMPHILIUS.*

3. *Fuit interceſſor Dei & hominum.*

4. *Non fuit univerſalis mediator angelorum & hominum, ſeu Pamphilius.*

5. *Si ex nominis analogico æternoque anagrammate præſagire licet, myſterium aliquod in tempore: Tu ab æterno prædeſtinatus es, eſſe Pamphilius in terris, ac dici PAMPHILIUS, æmulus Filii Dei in cælis.*

6. *Pamphilius ergo eris. Univerſalis nimirum reconciliator angelorum & hominum, in terris hoſtiliter pugnantium Regum & populorum.*

7. *Quod præſtabis non niſi electus in Pontificem Opt. Maximum.*

8. *In cujus fauſtiſſimum augurium evangelus ego, felixque nuncius ter ſanctos pedes Eminentiæ veſtræ ex nunc deoſculor.*

9. *Quod etiam Græce ſcripſi decem ab hinc annis in græca noſtra academia Baſiliana in columba veſtra ſtemmata τὰ τῆς εἰρήνης σύμβολα. Rex Pacificus eris & clementiſſimus.*

Ter genu flexus Italo-Græcus ego
Joan. Baptiſta Catumſyritus.

Talia Romæ pronis auribus & lætis animis audiuntur, interim dum Paſquinus & Marphoreus, rigidiores morum magiſtri, puniuntur.

Itane

(a) *Melchior Inchofer*) Tribui huic quoque ſolet *tract. de monarchia Solipſorum* Jeſuitis oppoſitus, aliis tamen contradicentibus, ſpeciatim ALPHONSO HUYLENBROKIO *in vindicationibus* adverſus famoſos libellos contr S. J. & novam eorum collectionem per LIBERIUM CANDIDUM Argentinæ editam *cap.* 3.

Ita vero, *dicere animi morbum a Deo immiſſum, Calvinum olet?* Hem quantum valet

——— *Odera canum vis!*

Ego vero audieram ipſas ſacras literas profidentes, Deum induraſſe cor Pharaonis, dediſſe ſpiritum mendacii in ora omnium prophetarum Achabi, errare Judæos feciſſe de viis Dei & induraſſe illorum cor ne ipſum timereut, dediſſe gentilium quam multos in ſenſum reprobum ut facerent, quæ minime decerent: & ſimilia complura alia. Quid aliud vero ego affirmavi dicens, animi morbum quo laborat Vitus forte eſſe θεήλατον? Hæc tamen quod profitear, cenſeor ego Vito meo non eſſe *ſanæ fidei.* Utinam ipſe *non ſit ſani cerebri,* quo inveniat apud Deum excuſationem improbæ ſuæ ſycophantiæ.

II. Pag. 6. & 7. reperit ſua illa ſeptem quæſita, ita tamen ut veluti affuſa furfuri largius aqua, tetra errorum maſſa ad numerum uſque XXIII. excreſcat; quorum plerique profligati ſunt in examine, uti octo priores & quinque poſteriores intermedii ſupponunt, oportere ordinarium ſummi Pontificis munus niti extraordinaria miſſione, non minus ac olim prophetarum & apoſtolorum; qui eſt exploratus fanaticorum error, ſimiliter ſubrutus in examine ad interr. VII. In XVII. ſciſcitatur: *an non multi Papæ vitio creentur per Simoniam?* Quidni fas quoque ſit quærere viciſſim: *an non medicellus iſte ſit plurimorum reus homicidiorum?* Sane præſumtio validiſſime pugnat pro Pontificibus contra medicum. Unde niſi liquido monſtraverit ſaltem aliquot Papas, qui a temporibus Julii II. *vitio creati ſint per Simoniam,* omni jure calumniæ damnaverit atrociſſimæ.

Ridicule Vitus exiſtimat, furfures affuſa aqua fermentari, cum ſit hoc farinæ proprium. In examine ſuo quæſitorum meorum vix unum alterumque tetigit verbulo: & tamen pleraque ibi profligata jactitat ſueta ſibi ἀλαζονεία. Nec priora duo quæſita nec quinque ultima hoc quod ille vult *ſupponunt,* ceu palam eſt vel leviter illorum vim excutientibus. Unde facile apparet, Vitum intemperie animi agitatum cœcutiiſſe in meridie. Illud munus vero quod Papa ſibi arrogat, omnino extraordinariam requirere miſſionem, non minus atque olim prophetarum & apoſtolorum, liquido patet ex principiis nobiſcum natis; idque a me eſt demonſtratum, nihil agentibus ineptiis examinis Erbermanniani. Ἐνθουσιασμὸν vero cum omnes Papæ, infallibiles ſeſe Dei vicarios profitendo, non poſſint non præ ſeſe ferre, atque adeo, *fanaticos* ſeipſos venditent; an *fanaticus* eſt *error* ab illis fanaticis ἐνθουσιασμοῦ ſui aliquod certum documentum petere? Imo vero ſtolida fuerit credulitas illis ſine allato documento quidquam fidere.

In XVII. quæſtione *ſciſcitatus ſum: annon multi Papæ vitio creentur per Simoniam?* Idque merito, cum hiſtoriæ Paparum, quas Platina ipſe & Onuphrius & Papirius Maſſonus aliique nobis reliquerunt, Simoniacas Paparum electiones multas referant. Me nemo hominum ullius homicidii unquam poſtulavit reum, tantum abeſt, ut *plurimorum* quiſquam me accuſaverit. Summe igitur iniquum fuerit quærere, num ego qui famæ ſum integerrimæ, *reus ſim plurimorum homicidiorum:* Mea autem de Papis quæſtio vacat injuria. Ut ego *demonſtrem ſaltim aliquot Papas qui a temporibus Julii IIdi vitio Simoniæ ſint creati,* quæ amabo cogit neceſſitas? Sufficit, ſi monſtrem aliquam multos Pontifices ſic creatos. Nec vero Simoniaca electio ideo ſolum in vitio eſt, quoniam illam Papa Julius II. damnavit, ſed ſilentibus etiam omnibus Papis: nec primum Julius Simoniacam electionem irritam pronunciavit, ſed dudum ante illum Leo Papa, cujus verba in decretum ſunt recepta, quod nimirum Simoniace electus gratiam conferre nequeat utpote quam non habeat; unde omnino eſt conſequens nec vere Papam eſſe illum poſſe, deſtitutum ſcilicet omni gratia nec ejus proinde promum condum: qualem eſſe ad eſſentiam Papalem creditur pertinere. Si negat vero Vitus, Simonia perſæpe hactenus conclavia laboraſſe, vel omnis hiſtoriæ Papalis imperitus eſt, vel impudens, dum liquidiſſima quæque audet negare. Non deſiiſſe tamen Simoniæ vitium in electione Paparum, etiam poſt promulgatam Julii II. bullam, poterit illum docere præter alios libellus ille anonymus autoris Itali cui titulus: *Supplicatio ad Imperatorem Reges & Principes ſuper cauſis generalis concilii convocandi contra Paulum Quintum.* Quid vero, annon hodieque verum plerumque eſt illud S. Bernhardi ad Eugenium: *Quis elegit te in hac magna urbe, pretio aut ſpe pretii non interveniente?*

III. Pag. 8. 9. & 10. pertendit, *talem omnino faciem hactenus fuiſſe conclavium communiter, ut inter cardinales de novo Papa eligendo agitaretur magno animorum æſtu, & per factiones, non quo inveniant epiſcopum peritia rerum ſacrarum & vita ſanctimonia eximium, ſed qui ſit commodus magnorum Regum, ut & cardinalium ſecularibus deſideriis: Ideoque nec debuiſſe, nec potuiſſe ſe exiſtimare, præter morem inſolita quadam ſanctitate conclave nuperum imbui, & quidem licet reclamaret fama publica, &c.* Sed hæc & ſimilia fruſtra afferuntur ad excuſandas excuſationes in peccatis. Nam I. quinam, obſecro, ſunt illi *viri dignitate & fide maximi,* qui teſtantur, *cardinales in conclavi communiter magno animorum æſtu & per factiones agitare, non quo inveniant epiſcopum peritia rerum ſacrarum & vita ſanctimonia eximium?* Edat, inquam, virorum illorum nomina, hiſtorias, verba, &c. ſed fide ſincera & authentice; aut fateatur ſe iterum de calumnia convictum. Sane, quas ipſe producit, binæ anonymorum hiſtoriæ de conclavi Urbani VIII. & Innocentii X. potius oppoſitum indicant, dum ipſos partium Principes fatentur non alios propoſuiſſe aut promoveri voluiſſe candidatos, niſi irreprehenſibiles, ſpectatæ virtutis, ac tanto muneri idoneos. Secundo: Si *ſecularia deſideria* intelligat eo ſenſu, quo apoſtolus tit. 2. vult ea una cum *impietate abnegari,* puta *concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum & ſuperbiam vitæ;* manifeſtum eſt, quam hoc ſit injurioſum non modo omnibus cardinalibus & Pontificibus, ſed ipſis quoque magnis Regibus & Principibus. Si vero de ratione ſtatus politici ſermo ſit, laudem merentur quotquot in vel extra conclave adlaborant, ut non eligatur, niſi qui ſperetur ad neutram partem factionis, quæ cernitur inter Principes Chriſtianos, magis fore propenſus, ſed paterno omnes æqualiter affectu complexurus.

Tertio:

Tertio: *Fama* illa *publica & vox populi, de factionibus nuperi conclavis*, quam urget unice Hermannus, nihil ei patrocinatur; quin potius adverſatur. Nam ad noſtras ea quoque aures allapſa nunciavit, in tres fere partes ſciſſum conclave, quarum una conſtantiſſime urgeat promotionem eminentiſſ. cardinal. Sacchetti; altera reſpuat; (eo quod, licet citra dubium ob eximias dotes & merita cumprimis videatur Pontificatu dignus; ob excluſionem tamen ejus in priori conclavi aliasque occultas rationes timeatur, ut ſit ſat æquus Hiſpano) tertia demum (quæ Spiritus Sancti factio diceretur) in hoc conſpirarit, quod nihil in hoc omni negotio curare velit, niſi ut digniſſimus in apoſtolico throno collocetur: & hæc cum applauſu bonorum omnium ita obtinuit, rumpantur ut ilia momo. Quarto: Quod ad excuſationem ſuæ temeritatis Hermannus ſic arguit: (*Vitus ſcribit, concordiam ſuffragantium in nupero conclavi fuiſſe miram, raram, ab aliquot retro ſeculis non viſam: Ergo non debet me pœnitere & pudere eorum, quæ de æſtu, factionibus, &c. juxta famæ perpetuæ conſenſum ſcripſi*) hoc, inquam, ridiculum eſt. Quam vaſtum enim medium interjacet inter raram illam omnium omnino ſuffragantium concordiam & factiones has, quas pro ſecularibus deſideriis æſtuaſſe commentus eſt? 5. Non minus lepidum, quod tandem minatur, exhibendam *in publico arcanam hiſtoriam omnem illius conclavis, famæ undequaque conſentaneam, profectam ab eo, qui rebus interfuit.* At quo autore? Marphorione an Pasquino? Sane Hermanno qui credit, ejusve arcanis hiſtoricis, nimis levis eſt corde!

Prima quæſtio Viti itidem aut ex imperitia profluxit aut ex impudentia. Nonne vel ex Platina, Papirio Maſſono aliisque conſtat, pleraſque electiones Paparum, etiam poſt inſtitutum conclave, factionibus agitatas? Nonne ipſemet affirmavit concordiam cardinalium nuperrimi conclavis fuiſſe *raram & miram?* Nonne toties latæ & repetitæ leges de electionibus Papalibus arguunt vitium illud? Perpetuum utique illud eſt Platonis: legum multitudinem ſignum eſſe eximiæ morum corruptelæ. Cur opus fuit conclavi, ſive propemodum carceri, ſeveris legibus cardinales electores præter morem includere? Nonne idem loquuntur uno ore hiſtoriæ conclavium quæ paſſim reperiuntur? Legat mihi pro ſe quisque ſaltim epiſtolas duorum cardinalium Gallorum Jouſæ & Oſſati, & in electione Pauli V. fœda dictu factuque multa obſervabit de factionibus, quibuscum conclave illud laboravit. Ipſi utique Papæ, bullarum de electione conditores, & tam præſtantes hiſtorici ac cardinales, ſunt viri *dignitate & fide maximi.* Quos ego edidi binos Papalium electionum commentarios, ſi negaverit Vitus narrare varias factiones conclavium, perfrictæ profecto eſt frontis. Cardinales habuiſſe rationem virtutis in binis illis conclavibus non negaverim. At quarum virtutum? earum quibus ſolent Papæ cardinalibus placere, teſte ipſomet Lottino, aliarum minime. Commentarii illi ſunt in medio: ad illos provoco.

2. Quod *ſecundum* attinet, facile vidit meus Vitus, per *ſecularia deſideria* abs me intelligi ea, quibus appetamus bona hujus *ſeculi*, uti loquitur ſacra ſcriptura. Nec ego improbo, in electione Paparum ſpectari, ne quis temere eligatur, qui addictus eſt ulli *factioni quæ cernitur inter Principes Chriſtianos.* At nego veriſimile eſſe, hoc vel ſolum vel maxime ſpectato, velle Deum eligi ſuum vicarium.

3. *Tertio* quod adfert Vitus, vereor ne hominis aliquem præ animi intemperie ſtuporem arguat. Accuſavit me Vitus quod auſus ſim referre, nuperum conclave laboraſſe factionibus. Provocavi ad famam publicam. Scripſerat quidem ille appendice prima: *rumuſculos ejuſmodi in officina Paſquini & Marphorei enatos:* nunc vero fatetur ipſemet, famam illam *ad ſuas quoque aures allapſam:* non utique ex Paſquini & Morphorei officina: *in tres fere partes ſciſſum conclave;* eamque famam ut veram admittit. An non igitur iſthæc publica fama me purgat a Viti illa accuſatione?

Quid vero illud novi monſtri eſt, *factio Spiritus Sancti?* Sed & quid audio? Solane illa *tertia factio* digna eſt, quæ a Spiritu Sancto cognomen accipiat? Ὦ Βίτε, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων; Cujus ſpiritus ergo fuerunt factiones illæ duæ alteræ? Utraque ſane numero longe vicit tertiam iſtam; fuitque illa tertia ex paucis admodum capitibus conflata. Paucos igitur aliquos duntaxat cardinales Spiritus Sanctus in conclavi agitavit, ſi Vito credimus: maxima cardinalium pars a Sancto Spiritus ſtudiis fuit aliena. Eccum vindicem illum conclavis Alexandrini! Eccum defenſorem illum ſtrenuum cardinalium h. e. eorum per quos velit Deus eligi ſuum vicarium! Videat quisque hoc loco atque expendat τὴν ἀδεκασίαν veritatis. Tumultuatus eſt homo ille vehementiſſime, quod negaverim, veroſimile videri factiones illas cardinalium, quæ in eligendo Pontifice curam maxime habuerunt ſecularium rerum, quas vel Reges vel ipſi cardinales deſiderant, a Spiritu S. agitatas eſſe: nunc coactus vi veritatis fatetur ipſemet, ſolam illam factionem, quæ Regum ſtudia poſthabuit, *Spiritus Sancti factionem* dici mereri. At vero, mi Vite, in tertia illa factione non fuit Socius Lugo? Etiamne illum Spiritus Sanctus non agitavit? Socius tamen ille Jeſu audit. An aliud eſt ſocium Jeſu eſſe, & Spiritu Sancto agitari? Non fuit porro illius factionis pars ipſemet Fabius Chiſius. Idem in Papam fuit electus ſtudio potiſſimum factionis Hiſpanicæ, cui demum acceſſit illa tertia volans dicta. An & Fabius carnem potius ſapuit concupiſcentem adverſus ſpiritum? An Fabii in Papam electio non niſi levi ex parte debetur Spiritui Sancto, potiſſimum vero vel carni vel ſpiritui, ſed non ſancto? Bone Vite, non ſuaſerim, appendicem tuam illam Romam mitti ad collegium cardinalium, aut etiam ad generalem veſtræ ſodalitatis. Vereor enim ne quod ſiniſtri tibi pariat hæc intempeſtiva veritatis profeſſio. Quid vero ſi oſtendi poſſit, nec illius tertiæ factionis conſilia omnia a Spiritu Sancto acta eſſe? In promptu eſt integer libellus ſcriptus in ipſo conclavi, qui luculente id doceat: poteſt tamen idem diſci partim ex hac a me edita partim ex altera pleniore conclavis hiſtoria. Obiter advertendum eſt, ſolius Sacchetti cardinalis fieri hoc loco mentionem a Vito noſtro; ſileri vero cardinalem S. Clementis Dominicanum monachum, in quem tamen

non mirus multorum ſtudia propenderunt. Prodit nimirum etiam heic ſeſe ſuccus ille loliginis & illa ærugo, qua animus Lojoliticus laborat in æmulos Dominicanos. Usque eſt adeo perpetuum illud:

Ζηλοῖ δέ τε γείτονα γείτων
Εἰς ἄφενον σπεύδοντα.

4. Utrum ego temerarie aliquid aſſeruerim, & num bene collegerim an ſecus (quod *quarto* loco criminatur meus ſycophanta) judicent alii. Velit nolit cogitur ipſemet fateri, *raram illam & miram & ab aliquot retro ſeculis non viſam* cardinalium concordiam, poſt longum diſſidium demum natam eſſe; ipſemet modo jam faſſus erat, tres in factiones ſciſſa fuiſſe cardinalium ſtudia, & tamen præ animi intemperie ſtatim ſui oblitus, non erubeſcit denuo ſimpliciter jactitare illam miram concordiam.

5. Arcanam quam promiſi conclavis hiſtoriam legat jam Vitus, modo liceat ipſi, aut poſſit præ illa animi intemperie. A Marphoreo aut Pasquino eſſe profectam nemo æquior judicaverit. Tota ſeries libelli, cumprimis effuſa illa Fabii laudatio, oſtendunt auctoris in Fabium ſumme propenſum animum. *Nimis levis eſt corde* qui Vito credit quidvis pro libitu improbanti. Scio vero neminem temere illi aſſenſurum, præter forte imperitam fæcem Lojolæ, & præ ſuperſtitione ſtupidum & ineptum iſtud vulgus, cui perſuaſum eſt Papas cœlo delabi, & conclave a ſolo Sancto Spiritu regi ac gubernari.

IV. Pag. 11. 12. 13. & 14. conatur excutere illud quod dixeram, *etiam inter viros ſanctos & beatas mentes poſſe ſententiarum eſſe divortium;* ac proin *coërcendam impudentem criſin de partium ſtudio in conclavi, &c.* Sed debebat Hermannus ante omnia probare, crimen admitti ab eminentisſimis cardinalibus, quotquot uni partium ſtudent; quod quomodo ille præſtabit, niſi pariter damnando ſine diſcrimine magnos Reges, Principes, quidni & Cæſarem? Meminerit, quei infra pag. 25. me poſtularit *injuriæ in Cæſarem, Reges,* &c. eo *quod eorum legatis (politicis)* viſus ſim *exprobrare ſimulationes, ſimultates, occultas artes,* &c. Meorum ego dictorum infra reddam rationem: videat Hermannus, quomodo a ſimili crimine hic ſe expediat. Deinde, non *ſcit,* (uti jactat) ſed fallit falliturque dum audacter aſſerit, *ſine factionibus & ſtudiis ſecularibus electiones Paparum inſtitui non poſſe.* Eccur, quæſo, non poſſit? an quia conclave neceſſario eſt *conventus hominum de caducis rebus contendentium?* Sed hæc eſt libido fingendi, non probatio. Tertio, inepte confert *electionem S. Mathiæ in cœnaculo per ſortem citiſſime factam, cum electione Papæ tam lenta: poſſe & hanc ſorti divinæ committi & quam citiſſime finiri, abſque ſtudiis ſecularibus ſi eſſet.* Non morabor in fanatici hominis errore impugnando. Videatur S. Thom. 2. 2. q. 95. a. 8. & ibi Cajet. c. eccleſia. de ſortilegis, & ibi canoniſtæ. Bellarminus l. 1. de Clericis c. 5. itemque interpretes in cap. 1. Act. Apoſtol. Stupidus, aut valde malitioſus error eſt, improbare electionem Rom. Pontificis aliorumve præſulum eo ſolum nomine, quod non ſit facta eodem plane modo, quo apoſtolorum. Nec *obtenditur a nobis levicula ſanctorum imbecillitas fucandis hominum criminibus,* ut improbe garrit Hermannus, SS. Pauli & Barnabæ diſſenſionem nec reprehendimus ullatenus; nec ideo divino afflatu eam eveniſſe arbitramur. *Multa* (inquit S. Chryſoſt. in c. 15. Act.) *etiam humana ratione faciebant apoſtoli,* neque tamen ideo vel leviter peccabant. Ut quid ergo medicus & cacangeliſta perſuadere ſatagit, non eſſe ratam electionem Papæ niſi a ſpeciali Spiritus Sanctus afflatu profectam? 4. *Denique, plane imitabilem eſſe raram illam ſuffragantium concordiam etiam Cadmæis fratribus,* tunc credere incipiemus, ubi DD. cardinales Saxoniæ factionis Calovianæ conſenſerint in electionem D. Calixti τοῦ πάνυ magni Papæ Saxonici; aut vice verſa, Calixtina, Arndiana, Rothmanniana factio in Dorſchæum, vel Hulſemannum, &c. etiam poſt trium menſium conclave, panemque arctum & aquam brevem. Exemplum electionis Gregorii X. quo fretus tam miram etiam a fratribus Cadmæis concordiam ſibi pollicetur, ad rem non facit, ut mox patebit.

1. Ego omnia partium ſtudia quibus laborant conclavia, *criminis* numquam accuſavi. Quædam tamen eorum abſolvi a crimine non poſſe, certum eſt. Quæ in hoc Alexandrino conclavi contigerunt omnia, tantum abeſt me eſſe criminatum, ut faſſus ſim aliter eligi Papas non poſſe, & ſolere haud multo aliter ſæpe inſtitui Regum, Principum, & epiſcoporum, abbatum, ſimileſque alias electiones. Quid vero me urget Vitus, qui non dubitavit paulo ante ſolam illam tertiam factionem judicare dignam, quæ *Spiritus Sancti factio diceretur?* An non hoc eſt *criminis* accuſare factiones duas reliquas, & Reges ac Principes imo & Cæſarem, ſi quidem illi *uni parti* ſtuduerint?

2. Quidni *ſciam* vero, *ſine factionibus & ſtudiis ſecularibus electiones Paparum inſtitui non poſſe?* Hoc utique me poſſunt docere tot ſeculorum perpetuæ hiſtoriæ. Idem docent qui rationem tradiderunt perveniendi ad papatum, nec Lottinus tantum ſed alii etiam, prudentes utique ſcriptores & rerum Papalium maxime gnari. Annon etiam omnis illa grandis Papalis dignitas eſt *res caduca* & inter bona hujus ſeculi numeranda? An non de rebus ejusmodi adipiſcendis ſolent homines per factiones & ſecularia ſtudia contendere? Hæc ita fieri, utique *ſcio:* ut proinde non poſſim non *ſcire,* a Papalibus electionibus factiones & partium ſtudia abeſſe non poſſe.

3. Inepte abs me inſtitutam comparationem electionis S. Matthiæ apoſtoli & Alexandri VII. Papæ, ſoli Vito aſſerenti nemo niſi ineptus credit. Illum certe ne quidem ſatis noviſſe ſacræ illius electionis hiſtoriam, argumento eſt quod ita diſſerat, quaſi ſanctus ille apoſtolus ſola ſorte fuerit electus, quum tamen præceſſiſſet ſortem electio per ſuffragia, quibus duo ex omni numero Joſephus Juſtus & Matthias fuerunt ſecreti, ut manifeſtum eſt ex *v. 23. cap. 1. Actor.* Meam ſane mentem aut præ *ſtupore* non intellexit aut *malitioſe* pervertit. Ut omnis Paparum, præſulumque electio fiat per ſortem, ne quidem per ſomnium venit in mentem. Rerum ſaltim mere humanarum caducarumque,

earumque, quarum curatio magna utique pars eſt muneris Papalis præſulumque, illarum inquam rerum ratio non patitur ut adminiſtratio earum commode committi queat per ſolam ſortem. Quæ vis ſit in omnem civilis ſocietatis partem electionis ejus quæ per ſortem fit, & ejus quæ fit ſuffragio, & denique ejus quæ partim ſuffragio partim ſorte inſtituitur, nequaquam me fugit: qui dudum hoc ipſum ex optimis Politicis ſcriptoribus didici, dudum alios docui. Quæ Thomas, Cajetanus, Canoniſtæ, Bellarminus aliique de ſortis uſu diſputarunt non improbo: nihil etiam faciunt ad hunc locum: eoque non eſt quur illos Vitus jubeat videre. *Abſque ſecularibus ſtudiis foret*, dixi, electionem Papæ poſſe *ſorti divina committi, & citiſſime* (etiam ſcilicet per ſuffragia, ut initio factum in electione S. Matthiæ in cœnaculo) *finiri. Haecne ſententia eſt fanatica?* (a) Num electio quæ ſorte fit quidquam habet *fanatici?* Hoc aſſerere facinus eſt impium. Sortem utique Deus ipſe in republ. ſua Hebræorum ſæpiſſime adhiberi fecit in rebus dubiis: & exemplo electionis S. Matthiæ, primitiva eccleſia non uno in loco in eligendis epiſcopis uſurpavit. Non aliunde profecto ipſa cleri vox in uſum venit eccleſiaſticum. *Stupida* item aut *valde malitioſa* calumnia Viti eſt (ut verba ejus reponam) *quod Paparum præſulumque electionem eo ſolum nomine ego improbem, quod non ſit facta eodem plane modo quo apoſtolorum.* Vicarios Dei rite conſtitui, modo ab apoſtolorum & prophetarum electionibus toto cœlo diſſidente, negavi. Papæ & epiſcopi principes ſunt atque adminiſtri rerum humanarum, non ſane divini ſed ſimpliciter humani magiſtratus, etſi ſacris rebus adminiſtrandis deputati, quales eligi modo apoſtolico non eſt neceſſum; ſufficiunt ad tales electiones rite peragendas inſtituta atque ſtudia mere humana. Verba utique mea in epiſtola hæc fuerunt: *Enimvero hoc tantum volui: veriſimile non eſſe, in conclavi eligi vicarios Dei, quum illa electiones per factiones & ſtudia ſecularia inſtituantur, modo ab apoſtolorum & prophetarum electionibus toto cœlo diſſidente: non vocavi in dubium, num ita poſſit Princeps commodus eligi, imo non malo aliter ſubinde tales legi, ultro fateor.* Item: *Ut poſſit igitur forte probare Vitus, conclave nuperum ſatis feliciter & rite dediſſe Alexandrum Principem & Pontificem maximum: nequaquam tamen probaverit, ſatis rite illud dediſſe nobis Dei vicarium.* SS. Barnabæ & Pauli diſſidium a Vito *reprehendi*, non dixi. At illo exemplo a Vito factiones & ſtudia cardinalium in conclavi defendi, improbum facinus pronunciavi. Et quidem merito. Utique enim Vitus ipſemet ſtudia illa cardinalium acri cenſura perſequitur, dum ſolam illam cardinalium partem, quæ ab illis abſtinuit, *Sancti Spiritus factionem* nuncupat. An non improbum itaque eſt, iſta ſtudia excuſare facto ſanctiſſimorum hominum illo, quod ipſo Vito judice *nullatenus reprehendi* meretur?

4. Quid Vitus credat aut non credat de concordia noſtratium nonnullorum diſſidentium, quos more ſuo odioſis nominibus traducit, (ut eſt *quotidiana fornax noſtra adverſariorum lingua*, ceu olim loquebatur S. Auguſtinus) nihil mea refert: eoque nihil moror illum ſermonem, perinde ut *ignoro factiones illas*, (b) quam Calixtinam, Arndianam & Rothmannianam nuncupat ſycophanta.

V. Itaque pag. 15. & 16. ſic infit: *Video rationem, qua Vitus ſuis clamoribus fidem faciat, non niſi unam, eamque* raram & miram. *Ita loquor, quod neminem intelligentem viderim hactenus tam inepto uſum argumento, miror que Vitum illum theologorum inter ſocios primipilum non dubitaſſe in publica diſputationis palæſtra cum amentatis ejusmodi pilis in me incurrere, &c.* p.p. *Integra argumentationis major hæc fuerit: Quicunque ὁμοθυμαδὸν elegerunt Papam illum qui omnibus cardinalibus ingenio, eruditione, prudentia, pietate, gloria eminet, ii non laboravere factionibus, nec curis ſecularibus fuerunt intenti. At qui crearunt Gregorium X. elegerunt talem Papam. Ergo hi non laboravere factionibus. Concluſionem a vero abire plurimum, audiviſti ex Onuphrio. Minorem vocare in dubium non poteris, auditis ex Platina laudibus Gregorii X. Nonne ergo patet, majorem illam Viti ineptam eſſe?* Sic in ſuo cerebello triumphat Hermannus! ſed quæro ego

(a) *Haecne ſententia eſt fanatica*) Exemplo ſane apoſtolorum plurimi ſemper electiones ejusmodi antiſtitum & miniſtrorum eccleſiæ maluerunt ſorti committere, uti ex hiſtoria conſtat fratrum Bohemorum. Quod ſi tamen diſtinctius hac de re pronunciandum erit, non videtur ſemper, niſi urgente quadam neceſſitate, in electionibus ſortium uſus eſſe adhibendos. Quare etiam CALOVIUS *diſſert. de vocatione miniſtri eccleſiæ aphor. 4. §. 1.* ad quæſtionem, utrum electio miniſtrorum ſit ſorti committenda, negando reſpondet, & in quibusdam quidem ſortem locum habere non diffitetur, uti in hæreditatibus dividendis, non autem in eligendis quibusdam ad officia publica, ubi non cæcus ſortium impetus ſit reſpiciendus, ſed potius ſapientia & conſilio humano agendum ſit precibus calidiſſimis præmiſſis, ut munus dignis perſonis committatur.

(b) *ignoro factiones illas*) Quin imo etſi illæ eſſent, quid inde veritati decederet, non intelligo. Sexcenties, inquit GERH. TITIUS *in caſtigatione proœmii Erbermanniani pag. 8.* audita hæc eſt de ſectis inter nos nænia, ſexcenties excuſſa. An ſectæ ſtatim ſunt, ubi doctorum unus & alter inter ſe verbis magis quam re ipſa in quæſtione non neceſſaria diſſident? Quot tum ſectæ in ſinu veſtro fovebitis? Scripſit jam olim MATTHIAS FLACIUS de ſectis, diſſenſionibus, contradictionibus & confuſionibus doctrinæ, religionis, ſcriptorum & doctorum Pontificiorum, & ſuccrevit poſtea adeo hæc opinionum apud Pontificios diverſiſſimarum ſeges, ut jam an. 1614. apud eos numeraverit 239. controverſias, *in Irenico cap. 27. a pag. 197. ad 241.* Conf. BOTSACCI *contradictiones Pontificiæ*, CRASTOVII *bellum Jeſuiticum* & JOH. PAPPI *bellum Papale & pax Romana*, ubi ex ſolo Bellarmino 2000. fere contradictiones enumerat, unde ſane apparet, falſam eſſe COSTERI gloriationem in *enchiridio c. de eccleſia pag. 84.* aſſerentis, Pontificios doctores idem dicere, idem ſentire, idem credere per omnia, & ne in minimo quidem religionis negotio diſcrepare. Primum igitur apud ſe trabem videant, antequam feſtucam in aliorum oculis animadvertant. Deinde & hoc obſervandum, unitatem eccleſiæ nequaquam æſtimandam partim ex externa membrorum inter ſe unione, & legitima ad Romanum Pontificem ſubjectione, partim ex conformitate rituum, partim ex aſſenſu fidei hiſtoricæ. Nam unitati eccleſiæ ſpirituali nihil derogant diſſenſiones de rebus ad fidem pertinentibus, modo iſtæ ipſam religionis & fidei ſubſtantiam non concernant. Neque ſtatim de eccleſiæ unitate judicandum vel ex hujus vel alterius privati vel plurium etiam male ſentientium ſcriptis, quibus ſæpe multa incommodius dicta contineri non diffitemur, ſed ex publica totius eccleſiæ confeſſione & libellis ſymbolicis publice examinatis approbatisque. Conf. BALDUINUM *lib. 13. contra Pazmannum cap. 39. c. 41. 42.* GERHARDUM *tom. 6. in L. de eccleſ. §. 236. 244.*

ego inprimis, qua fronte & fide auſus eſt momus ille truncare meam concluſionem majoris loco a ſe poſitam? nonne dixeram: *ex tam unanimi conſenſu electorum colligi, eos quæſiiſſe talem qualem invenerunt; aut certe in id Spiritus S. afflatu impulſos!* Et vero recte omnino. Quis enim prudens ſibi perſuaſerit, homines in factiones diſſectos, ac in ſecularia deſideria unice intentos, unanimiter eligere ſibi in caput ejusmodi factionibus & dêſideriis maxime adverſum, niſi altiori Numinis inſtinctu in id adigantur? Helleboro indigere ita ſapientem, indubie mecum quilibet vir bonus & prudens exiſtimabit. At putat Hermannus obſtare electionem Gregorii X. Iterum dico, ad rem non facit hæc inſtantia: imo, multipliciter peccat argutator. 1. mala fide omittit in minore ly ὁμοθυμαδὸν, *unanimi conſenſu;* in quo tamen præcipue vis eſt. 2. non oſtendit ex Onuphrio, aut ullo probato ſcriptore, quod vel ipſi compromiſſarii omnes nec uno diſſentiente elegerint Theobaldum. 3. cur omiſit illa Onuphrii verba? (*ſuadente maxime S. Bonaventura ord. min. generali miniſtro*) an bona fide? ad rem certe hoc facit, licet minime ad intentum Hermanni. Diſparitas itaque inter utramque electionem magna & multiplex. Viterbienſis 17. nupera 67. cardinalium. Illa ex compromiſſo in ſex, hæc immediate ab electoribus. Illam ex conſenſu omnium compromiſſariorum factam eſſe non conſtat; hanc certum eſt factam immediato omnium conſenſu. Illa *ſuadente maxime ſancto Bonaventura:* hæc vel motu proprio omnium cardinalium, vel certe S. Spiritus inſtinctu.

Argumentum quale a me eſt propoſitum, ineptum eſſe, non auſus eſt Vitus negare. Conqueritur duntaxat truncatam abs me concluſionem majoris loco a me poſitam. *Nonne dixeras*, addit, *ex tam unanimi conſenſu electorum colligi, eos quæſiiſſe talem qualem invenerunt, aut certe in id Spiritus S. afflatu impulſos?* Ita vero Vitus non dixerat. Verba illius hæc fuerunt: *Cum igitur tot tantique electores e tot eminentiſſimis papatu dignis* ὁμοθυμαδὸν *elegerint D. Fabium, velut omnibus ingenio, eruditione, pietate, prudentia, gloria eminentiorem, numquid* (*vel ipſo te, mome Julianae, judice*) *dicendi ſunt talem tantumque Paſtorem PER ID TEMPORIS ſtudioſe perquiſiviſſe? niſi forte malis fateri in ejus tam unanimem electionem Spiritus S. afflatu eos eſſe impulſos.* A Spiritus itaque S. afflatu eſſe illam electionem Alexandri, non voluit data opera probare: ut nec, *quæſiiſſe* cardinales *qualem invenerunt*; ſed *per id temporis* h. e. durante conclavi, ſolum in id *ſtudioſe* intentos fuiſſe cardinales, ut invenirent Papam *ingenio, eruditione, pietate, prudentia, & gloria eminentiſſimum*, atque adeo hæc cardinalium pia ſtudia cauſſam dediſſe conclavi tam diuturno. Hinc paulo ante dixerat: *Quid ergo, inquis, tam operoſa & fere ad trimeſtre extracta conquiſitione opus erat? Vis dicam? Quæſiere Pontificem optimum. Et invenerunt in eminentiſſimo D. Fabio Chiſio Alexandrum maximum. Intentionem cordis operis exequutio manifeſtat.* Ego nimirum innueram, diuturnæ illius in conclavi moræ cauſſam dediſſe cardinalium factiones & ſecularia partium ſtudia. Contra Vitus conatus fuit probare, nulla fuiſſe ejusmodi ſtudia, ſed per omne illud tempus unice iſthuc laboraſſe cardinales, ut ex omni numero Pontificem optimum invenirent; idque eo argumento, quoniam elegerint denique Fabium Chiſium. Ego vero in epiſtola hujus ſyllogiſmi conſequentiam negavi, per inſtantiam, ut vocant, adducta in exemplum Gregorii X. electione. Ratio vero negatæ conſequentiæ eſt, quia fieri poteſt ut initio ſtudia eligentium alia ſint atque ſub finem, corrigente mores eorum pravos & animi æſtus tædio conclavis aut periculo aliquo imminente longiori pertinaciæ. Eoque ſermonem illum hiſce verbis clauſi: *Et vero quidni ingens & diuturnum diſſidium TANDEM poſſit finiri placido conſenſu? Sive conſenſum unanimem quidni poſſint præcedere factiones & varia partium ſtudia?*

Clariſſima hæc ſunt: atque evidenter patet ἀσυλλογισία illa Viti. Fingit igitur jam & pingit ſua ille nonnihil aliter, ſolita impudentia jactans etiam ante idem ſibi viſum. *Triumphos* nec *in cerebello meo* nec alibi de Vito proſtrato ego agitavi. Non tanti eſt Vitus, nec tanti eſt omnis hæc diſputatio, nec meum eſt triumphos agitare, ſed vanorum hominum, Viti & Bartoldi ſcilicet ſimiliumque.

Non libet inquirere in vim illius collectionis, qua jam conatur nobis Vitus perſuadere, non niſi *altiore numinis inſtinctu* poſſe factioſos & deſideriis ſecularibus addictos electores in hominem probum conſentire. Nec enim Vitus ullam attulit rationem ſuæ illius collectionis, præter illa ex ſtomacho æruginoſæ bilis pleniſſimo eructata: *Helleboro indigere ita ſapientem &c.* Cogat vero Vitus ante omnia collectionem ſuam in formam cathegoricam: ſentiet tum forte, ſibi ipſi quam maxime helleboro eſſe opus, nigro pariter atque albo.

Inſtantia mea palam profecto facit: Poſſe *denique* ὁμοθυμαδὸν eligi Papam ſatis commodum, qualis eſt Alexander ſeptimus, ut tamen præceſſerint factiones, & prava eligentium diſſidia. Id quod erat mihi unice probandum. Vitilitigator tamen meus *multipliciter* me *peccaſſe*, clamat. At vero 1. in minore omiſſa quidem fuit vox ὁμοθυμαδὸν, non *mala fide* tamen ſed per meram incuriam. Poteſt addi, quoniam Vitus *in illa vim ponit præcipuam*. Mos geratur homini. Ut probem ſecundo ex Onuphrio aut alio aliquo ſcriptore, compromiſſarios omnes nec uno diſſentiente elegiſſe Theobaldum, nulla urget neceſſitas. Sufficit probaſſe, primum conſenſiſſe cardinales in compromiſſum, illa via electum Theobaldum, & neminem cardinalium deinceps diſſenſiſſe. Quid movit vero etiam Vitum, ut ſuſpicetur, inter ſex illos compromiſſarios electores quemquam diſſenſiſſe? Nulla ullius in omnibus Papalium rerum ſcriptoribus diſſenſionis memoria reperitur. *Charitas non eſt ſuſpicax*: ſed hæc nihil ad Vitum, modo ille poſſit θέαν φυλάττειν & inter ſociennes ſeſe jactitare. Tertio verba illa Onuphrii *de Bonaventura* non itidem mala aliqua fide omiſi, ſed quod me judice nihil ad rem facerent. Et vero de cardinalium in eligendo Fabio *immediata*, quam nunc vocat, *concordia*, h. e. nullo ſuaſu enata, in prima appendice altum fuit ſilentium. Sed & tali aliqua concordia electum Fabium, inepta & ſtolida eſt fabula: quod jam ex hiſtoria electionis palam eſt. *Diſparitatem inter utramque electionem* eſſe, non nego: nunquam ſolet illa ab exemplis abeſſe. *Ma-*

gnam

gnam & multiplicem, quæ quidem ad rem faciat, inveniri, falſiſſimum eſt. Optima profecto conſequentia exemplum illud Gregorianæ electionis demonſtrat id quod unum demonſtrandum erat, nempe perperam ex electione boni Pontificis colligi, defuiſſe *per omne electionis tempus* prava eligentium ſtudia & diſſenſiones.

VI. Acceſſurus jam pag. 17. & ſeq. Hermannus ab hypotheſi ad theſin, perſuadere conatur, *Alexandrum eo electum* quod *creditus ſit commodus ſecularibus deſideriis Regum, &c.* probatque, tum quia *nulli eorum ante papatum ſe gravem fore oſtendit:* tum quia *ipſe in elogio affirmavi, neminem illum potuiſſe averſari, & nunc de ejus electione nullo diſcrimine gaudere univerſos.* Deinceps id confirmat ex Lottino, qui ſcribit, *Pontifici futuro magis eſſe neceſſarias virtutes, quæ aliorum ſerviunt commodis, ut beneficentia, comitas, juſtitia, quam parſimonia, continentia, &c. quibus homo ſe ipſe regit, &c.* Quæ retuli ex Hermanno, non quod refutationem mereantur, ſed ut appareat, quam futilibus nugamentis apoſtolicæ ſedis decora obfuſcare ſatagat. Faciamus, habitam a cardinalibus rationem (præter alias perſonæ eligendæ divinas humanasque dotes plane eminentiſſimas) etiam ejus, quod *nulli gravis fore crederetur;* hocne reprehenſionem meretur, & non potius laudem? anne hæc ſunt illa ſecularia deſideria, ob quæ electiones Papales communiter tam inique traducit? Quid putabimus acturum fuiſſe hunc momum, ſi in apoſtolorum tempora incidiſſet? Sine dubio momordiſſet ipſos coadjutores S. Pauli, ſcilicet S. Barnabam, quod videretur in Joanne Marco ſecum habendo aliquid humani paſſus; item eos omnes, de quibus ſic ad Philipp. c. 2. v. 20. ait: *Neminem habeo tam unanimem, qui ſincera affectione pro vobis ſollicitus ſit: omnes enim quæ ſua ſunt quærunt, non quæ ſunt JESV CHRISTI.* Quid S. Hieronymi ævo in ſchismate Urſicinum inter & S. Damaſum? declamitaſſet eodem modo quo Ammianus Marcellinus miles: fors etiam dixiſſet, quod tunc Prætextatus Coſ. homo ſacrilegus & idolorum cultor ludens B. Damaſo ſolebat: *Facite me urbis Rom. epiſcopum, & ero protinus Chriſtianus.* Vide Baron. A. C. 367. num. 8. & ſeqq.

Hic Vitus antiquum obtinet, in calumniando ſcilicet & pervertendis peſſima fide adverſarii ſententiis. Diſerte ego hanc duntaxat formaveram quæſtionem: *Quid eſt porro in Alexandro, quod oſtendat, in illo creando NON fuiſſe habitam rationem ſecularium deſideriorum magnorum Regum & Principum?* Deinceps nihil aliud oſtendi, quam nihil tale in Alexandro deprehendi. Multum vero differunt hæ propoſitiones: *In Alexandro nihil invenitur quur credatur in ejus electione non fuiſſe habitam rationem ſecularium deſideriorum Regum & Principum:* quæ mea fuit: Et, *Alexander EO ELECTVS EST, quod creditus ſit commodus ſecularibus deſideriis Regum & Principum;* quam propoſitionem mihi Vitus affingit quaſi pag. 17. ſuſceperim probare. Quibus vacaverit inſpicere duntaxat epiſtolam, facile deprehendent Viti calumnias. Factiones & ſtudia eligentium cardinalium fama publica jam vulgaverat in tantum, ut nova rationum conquiſitione non eſſet opus. Sed & quid neceſſum eſt nunc quidem amplius illis immorari, cum hiſtoria conclavis arcana etiam quæque jam propalaverit?

Nemo reprehenderit, habitam a cardinalibus rationem in Alexandri electione ETIAM *ejus, quod nulli Regum gravis fore crederetur:* nihilominus hinc palam eſt, habitam in conclavi rationem deſideriorum ſecularium, quod cum dixiſſem ego a Vito acerrimis convitiis ſum exceptus. Nemo tamen etiam laudaverit, quod hujus *præcipue* habita ſit ratio in eligendo vicario Dei ſpirituali: præcipue autem habitam eſſe præter publicam famam docet hiſtoria.

Si in tempora apoſtolorum incidiſſem, non, fateor, probaſſem illos *qui ſincera affectione pro eccleſia non fuere ſolliciti, quæ ſua ſunt quærentes non quæ ſunt Jeſu Chriſti:* S. etiam Hieronymi ævo, fœdum illud inter Urſicinum & Damaſum ſchisma, ejusque cauſſa in ipſa Baſilica S. Sicinini perpetrata numeroſa homicidia verbis graviſſimis fuiſſem inſectatus: idque feciſſem præeunte ſanctiſſimo viro Gregorio Nazianzeno, qui illam per vim & cædem factam electionem opponit electioni apoſtolicæ & ſpirituali, & impium credens de throno epiſcopali cum quoquam contendere, novæ Romæ jam partum ſibi epiſcopatum ultro reddidit. Eodem ſum hodieque animo: nihil illorum non totus deteſtor; idque laudi duco. Quantum autem video, etiam hæc omnia meus Vitus vel laudaſſet vel certe fucatis quibusdam ratiunculis excuſaſſet. An mirum igitur, illum omnia conclavium ſtudia atque acta tam impudenter vel negare vel defendere? Ad multa aptum eſt verſatile illud Viti ingenium, ineptum vero hiſtoriæ ex fide & vero ſcribendæ. Ut id dicerem, quod ludens quondam B. Damaſo dixit Prætextatus, procul abeſt ab animo meo quem nudavi, recti ſcilicet verique amante. Injurioſa itaque eſt illa Viti ſuſpicio. Judicent æqui annon ſaltim multorum, de papatu conſequendo in conclavibus per malas artes acerrime contendentium, illa intima mens ſit quam ludens Prætextatus expreſſit. Quo argumento ductus porro Vitus *ſacrilegii* accuſat Prætextatum, quem chriſtiani & catholici Imperatores dignum judicaverunt, cui præfecturam urbis, poteſtatem illo ævo inter primas ſplendentem, imo negotium pacandæ eccleſiæ Romanæ miſere tum turbatæ, utut a chriſtianis eſſet ſacris alienus, committerent? Nemo, quod ſciam, veterum ſacrilegii virum tantum poſtulavit: multi eximiis laudibus illum proſecuti ſunt. Sed hoc ingenium eſt zelotarum; nemini quidquam laudis relinquere, *eadem niſi ſacra colenti*, contra nihil pene non laudare ſectæ ſuæ hominum. Inepte denique Vitus ad Baronium lectorem vocat; cum tota illa ſchismatis hiſtoria ex coævis ſcriptoribus, & illud Prætextati dictum ex ipſius S. Hieronymi epiſtola ad Pammachium, longe tutius & ſincerius haberi poſſit, quam cum Baronianis mangoniis.

VII. Porro videamus Hermanni iras & diras in me ob elogium Alexandro VII. appenſum: *non ſuſtineo*, inquit pag. 20. *in ejus laudes tam fœde ſe effundentem Erbermannum:* imo *ſi Alexander eſt ſaſtidioſus laudum ſuarum auditor, turpem illum adulatorem ex merito caſtigabit.* αὐτὸς ἔφα! Quæ nam vero ita bilem cient Ariſtarcho? 1. *ſoli*, inquit, *DEO fas eſt appendere devota mentis anathema.* Ergo impie Ale-

 xandro

xandro illud appenditur. Nego antecedens, quod eſt rancidus Lutheri & Calvini error. 2. *Quam vanum*, inquit, jure Alexander; maximus merito; Alexander magno major, &c. *quam falſum*, quod ſederit arbiter & definitor! quod magni eum ſemper fecerit Italia! &c. Sed cur vanum? cur a vero alienum? an quia muſculus iſte Grammaticus mavult arrodere, quam benignum & verum illorum ſenſum intelligere? Sane hunc candidus Lector facile aſſequitur, lividus ægre, quia non vult. 3. *Quomodo* lux mundi *ſit Alexander, non aſſequor*, inquit. Grande myſterium! *Si apoſtolos aliosque in conſortium illius nominis ſcit* Hermannus *venire, eo quod teſtentur de lumine illo vero, & doctrina ac opere aliis viam muniant ad illam verum lucem:* cur non apoſtolicæ ſedis hæredem Alexandrum VII. (quem *virtutis & doctrinæ nomine* ait ipſe *ſe ſuſpicere ac venerari*) eodem quoque elogio mactemus? 4. Vult, *imprudenter ſpondere ſibi eccleſiam Rom. hoc Pontifice nil niſi fortunatum*; item ridiculam putat *jactantiam dicere, de ejus electione ſine diſcrimine gaudere univerſos, &c.* ſed ridiculi hi cavilli ſunt, nullo reſponſo digni. 5. Paſſim inculcat crambem ſuam de vicariatu divino plus ſatis excuſſam in examine Conringiano. Et hæc fere ſunt, ob quæ me ut fœdum paraſitandi artificem ab ipſo Alexandro caſtigandum decernit Hermannus; candidus vero & catholicus Lector eo magis, quod adeo diſpliceant Hermanno, laudes illas meritiſſimas Alexandri probabit.

Conferat, rogo, Lector hanc quam Vitus voluit eſſe epitomen mearum in paraſiticum Alexandri elogium animadverſionum, cum ipſamet epiſtola mea, quæque in illa habentur a pag. 20. usque ad 33. Sentiet tum magis magisque, quam ille homo parum tutæ ſit fidei, quam callide apud ſuos pleraque & fœdiſſima quæque diſſimulaverit, quam frigide poſtremo & frivole potuerit ſuam adulationem defendere. Ut verbum addam, nullum eſt pretium operæ: ſatis eſt hæc inter ſeſe contuliſſe. *Verum ſenſum* verborum elogii aſſequi, in promptu eſt omnibus, *candidi* ſive nigri fuerint: niſi forte nigra Lojolitica toga nonnullis (nec enim id de omnibus aut plerisque fas eſt ſuſpicari) intellectus lumen obfuſcaverit. Qui Alexander ex vero tum temporis meruerit *lux mundi* vocari, ne nunc quidem aſſequor. Apoſtolico ſane exemplo neutiquam laudem illam tum quidem promeruerat, utpote qui recenter creatus Papa neque doctrina neque opere tenebras eccleſiæ, non catholicæ, ſed vel urbis ſuæ ulla ratione diſcuſſiſſet. *Vicariatum divinum* bene an ſecus excuſſerit Viti examen, intelligenti lectori judicandum relinquatur.

VIII. Inter has adulationes criminatur Hermannus pag. 25. & ſeq. geminam me injuriam admiſiſſe, alteram in *legatos Principum, ſimultates, ſimulationes, occultas artes, fraudes iis exprobrando*, imo & *politicos vocando*; alteram quod *contra ſententiam Cæſaris omniumque S. R. I. Principum, etiam ipſiusmet Eminentiſſimi D. Electoris Moguntini denudem animum paci publicæ in Germania adverſum, dum dixi, fœdera divinis humanisque legibus contraria improbata Fabio.* Sed heus calumniator, ubinam ego vel leviter facio mentionem pacis Monaſt. & Oſnabrugenſis? cur verba mea non accipis de fœderibus exterorum catholicorum cum heterodoxis, &c. uti revera ſaltem æque intelligi poſſunt? Sit tamen uti vis: laudaverim Fabium de improbata pace Germaniæ, & conditionibus, quas inique extorſerunt acatholici; quid hic criminis? nunquid univerſum theologi catholici etiam Cæſarei, Bavarici, & quotquot cum Caramuele S. R. I. pacem probabant promovebantque, pariter cenſebant, *debere Papam ejusque legatum proteſtari contra pacem, qua hæreticis donantur eccleſiaſtica bona*, ut diſertis verbis ſtatuit a te tantopere laudatus Caramuel num. XCIII. & XVIII. item num. CXXXXI. ubi inquit. *Oriundus eſt ſummus Pontifex, ne conſentiat; inſtruendi ejusdem legati, ut proteſtentur, &c.* Nunquid ergo jure laudatur Fabius, quod rite ſuo ſit functus officio? Politicos quod attinet, non dubito ipſosmet riſuros ſui hebetudinem Patroni: plura non addo, ne ridear & ipſe.

Politici, ſive Cæſaris, Regum, Principumque illuſtres legati, *ſimultatum, ſimulationum, occultarum artium, fraudum* a Vito accuſati, & quidem ita, quaſi iis ipſis virtutis limites fuerint transgreſſi, ſi *rideant*, indubie rident Viti, hominis rerum gerendarum imperiti, ſtoliditatem, cum ſint alias bene ſibi conſcii.

Fœdera pacifica Oſnabrugis & Monaſterii inita a Fabio eſſe improbata, certum eſt; & huc ſpectare illa Viti verba usque eſt adeo manifeſtum, ut id fateri vi veritatis ipſemet ſit adactus. Et tamen audet rogare, quid *hic criminis?* Nonne ingens crimen eſt, in media Germania, poſt pacem unanimi Cæſaris Principum omniumque Ordinum conſenſu conſtitutam, & nuperrimis imperii comitiis in publicas leges receptam, ab homine aliquo vili, qualis utique eſt Vitus, fœdera iſta proclamari, tanquam ſint *divinis humanisque legibus contraria*? Eſto, *extorſerint* iniqui aliquid illi, quos vocat *acatholicos:* non tamen hinc ſequitur, ejus conceſſionem eſſe *humanis divinisque legibus contrariam.* Qui per injuriam extorquet contractum, peccat: ipſe ſic extortus contractus vitio poteſt vacare. Non ſperaverim, omnium theologorum Pontificiæ ſectæ eandem cum Vito ſententiam eſſe. Imo vero conſtat vel ex uno Caramuele, pleroſque illorum, ne quidem Jeſuitis omnibus exceptis, poſt graviſſimas inſtitutas deliberationes cenſuiſſe, fœdera illa honeſte & licite iniri; quod eſt, *non eſſe illa divinis legibus contraria.* Quod iidem theologi exiſtimaverint tamen, a Papa ejusque legato proteſtationem interponendam, alio ſpectat: hocque illorum conſilium alibi examinabitur, ubi ſimul & in Fabii proteſtationem inquiſitio inſtituetur. De iis nunc quæſtio non eſt: tantum perſtrinxi jam Vitum, atrociter adeo inſectantem leges pacis publicæ imperii Germanici. Obiter notari meretur, non auſum eſſe Vitum diffiteri, ſeſe Erneſtinis impietatibus, publicæ tranquillitati oppoſitis, ſaltim præluſiſſe. Ut ſævus hominis animus neminem amplius jam queat latere. Et vero illam cum Fabio per literas cultam familiaritatem (quam jactitat Vitus appendice prima) in Erneſtino negotio curando potiſſimum eſſe impenſam, haud immerito ſagax quisque ſuſpicatur. Quærenti porro Vito, cur verba ipſius non acceperim de fœderibus exterorum catholicorum cum heterodoxis? reſpon-

reſpondeo: Factum id a me eſſe quod ne aliter facerem, multa prohibuerint, ſola ſiquidem fœdera illa Osnabrugis & Monaſterii inita Fabius publicis tabulis improbaverat. Sola illa Fabii inſtinctu poſt Innocentius ceu divinis humanisque legibus contraria damnaverat. Fœdera Regum Galliæ cum Suecis, aut Regum Hiſpaniæ cum provinciis Belgico Germanicis, quæ forte jam notat Vitus, nec quisquam Paparum, nec Fabius (ſaltim in publico) vel accuſavit ullius iniquitatis. Vitum id facere non equidem dubito: ſed ſtultum fuerit, ex illius ingenio Fabium æſtimare.

IX. *Adulandi libidine adactum* quoque me putat Hermannus pag. 27. *ut aperte duo contradictoria affirmarim.* Et quænam illa? paucos (e catholicis) forte amaſſe animi conſtantiam in Fabio; & mox: vitæ integritatem in Fabio orthodoxos amare coactos. *Utique enim*, pergit Hermannus, *animi conſtantia pertinet ad vitæ integritatem, quam, ſi Vito credimus, iidem & non amaverunt, & non potuerunt non amare.* Sed hic laqueus telis araneaтum debilior imperitiam Hermanni arguit, qua ignorat, multoties amari rem ſimplici complacentia, quam tamen efficaciter non proſequamur, ſed fugiamus: Et nunquid quotidie improbi fatentur, ſe non poſſe non amare DEI excellentiam; quam pauci tamen ſerio & efficaciter amant decreta ejusdem & effectus pravis ſuis deſideriis adverſos? Sed ſupereſt alius *nodus dignus vindice ſaltim ſubtili illo & magno Vito meo, ſi non Alexandro ipſo*, inquit pag. 32. ſcil. *qui Papa hic ſimul & vicarium Chriſti & Alexandrum VII. poſſit ſe venditare nulla admiſſa in adjecto contradictione? nec enim poteſt eſſe ſeptimus, niſi admiſſa concilii Piſani authoritate, atque adeo ipſe ſtatuat concilium ſupra Papam eſſe; at, eo poſito non eſt Papa vere Chriſti vicarius.* Verum non Gordius, ſed puerilis hic nodus ſolvitur, eadem facilitate qua aſſeritur, utriusque ſequelæ inficiatione. Viderit vero viciſſim Hermannus, qui inter ſe cohæreant, quod ipſe pag. 20. *Alexandrum ob virtutem & doctrinam ſuſpiciat ac veneretur, ac pro illius ſalute* pag. 33. vota faciat, ac *precetur Eidem vitam prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum, &c.* & nihilominus tam enormia in eundem eructet convitia, ut mox videbitur.

Ut effugiat Vitus, ſeſe duo contradictoria affirmaſſe, non aliam invenit excuſationem, quam eam quod luſerit variis acceptionibus vocis *amare.* Non attendit vero, id confiteri eſſe tantundem atque fateri, ſeſe nugas egiſſe: quod non decet Reverendum Patrem, multo minus tantum theologum, & ſocium, & magiſtrum noſtrum.

In nodo quem attuli enodando, plane ſe Vitum Erbermannum h. e. ridiculum ſocium præbuit. Bis illum, diverſo tamen modo, propoſui in medium: ſemel *pag. 23* iterum *pag. 32.* Poſterioris quidem meminit, priorem nodum tamen caute diſſimulat. Meminit vero poſterioris ita, ut ex ipſius quidem narratione vim argumentationis nemo facile aſſequatur: quod eſt veteratorum. In ſolvendo nodo totus eſt ſuavis; exiſtimans videlicet, ſi dicat duntaxat, *nodum eſſe puerilem*, atque *eadem facilitate qua aſſeritur ſolvi, utriusque ſequelæ inficiatione*, ſe probe defunctum officio, atque Alexandri VII. ſui partes ſtrenue defendiſſe. Præ ruditate, an malitia id fecerit Vitus, incertum eſt. In gratiam hominis vim argumentationis repetam denuo, ut forte tandem capiat mentem meam, & de nodo iſthoc ſolvendo cum ſociorum callidiſſimis, imo ipſomet Alexandro, queat imposterum inire conſilium. Dico igitur: Si hic Alexander eſt id nominis Papa vere ſeptimus, qualem ſeipſum venditat & ſui credunt illum eſſe, neceſſum eſt præceſſerit aliquis ejusdem nominis quintus legitimus Papa. Non præceſſit autem alius quintus, quam is, qui vivis adhuc & Papas ſeſe jactantibus duobus illis, Gregorio inquam XII. & Benedicto XIII. a quibusdam cardinalibus, anno MCCCCIX. ubi concilium Piſanum Gregorium & Benedictum pariter rejeciſſet, & pro ea qua credebat ſe valere auctoritate, exuiſſet Pontificia dignitate, atque imposterum illegitimos declaraſſet, in Papam electus eſt, ſedens per menſes decem, & nactus ſucceſſorem Joannem XXII. (ſiquidem Bellarmino & aliis nonnullis licet credere contra Platinæ & ejusque ſectatorum ſententiam) qui tamen anteceſſorum quorundam exemplo, *fabulæ Romanæ de Johanna Papiſſa* (a) fidem habens, maluit dici viceſimus tertius. Hic ergo Alexander, qui audiit quintus, vel fuit legitimus Papa vel non fuit. Si non fuit; utique in ordine Pontificum legitimorum non meretur numerari; ac proinde hactenus nullus fuit Alexander V. Papa, ſed tantum aliquis id nominis pſeudo-Papa, atque adeo ex conſequenti hic qui nunc ſedet non eſt ſeptimus Alexander, ſed forte ſextus duntaxat; utpote quem nullus quintus anteceſſerit. Si fuit quintus ille legitimus Papa, neceſſum eſt, concilium Piſanum valuiſſe ea auctoritate quam præ ſe ferebat; potuiſſe videlicet Papam legitimum, dum crederet ex uſu id eſſe, ſede dejicere, ac deponere etiam invitum & reluctantem. Vtique enim ſaltim Gregorius fuit legitimus Papa: quippe quem talem agnoverint Gregorius XIII. XIV. & decimus quintus, non illo numero ſeſe jactaturi, ſi illum duodecimum ex ordine [illegible] Pontificum expunxiſſent: nec Gregorius ille ſententiæ Piſanæ acquievit, ſed ceu ante pro Pontifice ſeſe geſſit.

Usque adeo nota in vulgus eſt hæc hiſtoria, ut teſtem laudare, fuerit ſoli facem accendere. At vero ſi concilii Piſani ea fuit auctoritas, neceſſum eſt, concilium univerſale epiſcoporum, etſi illi Papa non interſit, imo reluctetur, in Papam ipſum habere vim ac poteſtatem, ſive ut vulgo loquimur, concilium eſſe ſupra Papam. Quicunque enim jure poteſt exuere quem dignitate ſua, invitum

(a) *fabulæ Romanæ de Johanna Papiſſa*) Extitiſſe Papiſſam quandam præter alios defendunt SPANHEIMIVS, WAGENSEILIVS, SAGITTARIVS, alii. Fabulam tamen eam cenſent ex Reformatis etiam BLONDELLVS & JAC. BASNAGIVS. Quanquam igitur nos quoque hiſtoriæ fidem derogemus, tamen id olim creditum fuiſſe evincit etiam numerus Pontificum, qui Johannes dicti ſunt. Neque enim Joh X. aut XI. & XXI. aut XXII. dici potuiſſent, niſi Platinæ catalogum Pontificum ſecuti inter Leonem IV. & Benedictum III. vixiſſe Johannem VIII. quem vulgo pro fœmina habent, absque dubio fuiſſent arbitrati, licet alias apud Anaſtaſium nullus inſeratur, ſed Leo cum Benedicto immediate connectatur.

vitum licet ac reluctantem, is illo ipſo eſt utique ſuperior ac prævalet. Et vero concilium illud Piſanum univerſalem eccleſiam ſeſe repræſentare, ac in Papas ipſos vim ſibi competere, non minus præ ſeſe tulit, atque poſt Conſtantienſe ac Baſileenſe imo & Piſanum ſecundum. Noluit quidem hactenus placita illa admittere Romana curia, imo fere hæreticis accenſuit: non poteſt tamen illis Alexander is qui nunc ſeſe ſeptimum nuncupat non aſſentiri, ſi vere eſt ſeptimus, aut ille alter vere fuit Papa Alexander quintus. Si aſſentitur autem illis, h. e. ſi credit concilium eſſe ſupra Papam, non poteſt merito vicarium ſeſe Chriſti profiteri, eo ſane ſenſu qui in Romana curia eſt receptus. Quicunque enim habet ſuperiorem, is non eſt Chriſti ſummus aut unicus in hiſce terris vicarius: ceu recte adverſus Sorbonam Jeſuitæ aliique Romani curiales argumentantur. Falſus igitur eſt & fefellit alios Alexander ille noſter, in ipſis Jubilæorum univerſalium indictionibus univerſæ eccleſiæ ſeſe oſtentans vicarium illum ſummum Chriſti. Ex conſequenti denique, Papa non eſt infallibilis in fidei & morum controverſiis.

Hunc nodum ſi ſolverit non autem ſecuerit more Alexandrino Vitus, vel quis alius Vito doctior, erit mihi magnus Apollo. Nec enim profecto ſatis eſt, Viri ſuperbo naſo aut lingua petulante quæ objecta ſunt excipere.

Ut moneat Vitus, videam qui inter ſe cohæreant Alexandri quædam laudatio mea, votumque pro illius ſalute, atque ejusdem vituperatio & deteſtatio, nihil fuit cauſſæ. Ruditatem profecto ſuam prodit, ſi ipſe non videat, hæc probe cohærere. Quaſi unus idemque non poſſit diverſo reſpectu & laudari & vituperari, amari & haberi odio. Quid eſt quæſo notius?

X. Colligamus itaque coronidis loco illuſtriores quasdam gemmas, quas pro cauda draconis inſigniter ornanda, epiſtola Conringiana ſuppeditat. I. ait. pag. 28. *Univerſa Germania, etiam quæ Pontifici favet, experta eſt Fabium pertinaciſſimum adverſarium ſuæ tranquillitatis pene cum excidio.* p. p. *Vix factus Papa promulgato Jubilæo omnes ſibi addictos provocat ad vota facienda, non pro hæreticis convertendis, ſed pro hæreſi extirpanda:* (NB. ſtuporem hominis; quaſi non extirpetur hæreſis converſione hæreticorum!) *quæ voces quid portendant ſævi, non patiuntur nos ignorare & tempora anteacta, & nuperrime in miſeros & innoxios Albigenſes (heu) commiſſa Sabaudica laniena, &c.* pag. 31. ait: tantum abeſt Alexandrum a Chriſto *datum eſſe vicarium orbi terrarum, ut ſit reapſe Pſeudopropheta, & omnis intelligens & pius & Chriſtianus averſari illum debeat eo magis, quo plus debemus DEO quam Regibus, &c.*

p. 33. ait: *Precamur denique ut Alexander tandem aliquando Romanæ Simoniæ Petrum imitatus imponat modum, nec pergat (ceu cœpit) indulgentiis oſtentatis miſeros mortales emungere auro & argento in ſui aliorumque perditionem, & quaſi cenſum agere vel tributum exigere ſub eleemoſynæ ſpecie in orbe univerſo. Hæc ſunt vota noſtra pro Alexandro,* inquit Hermannus. Rectius dixiſſet: Hæ ſunt perfrictæ frontis calumniæ, talesque habebuntur ab omnibus cordatis, donec alaſtor ille teſtibus fide dignis, aut tabulis authenticis quicquam tale de Alexandro oſtenderit. Sat ſcio autem, citius

Rumpetur, qui ſic rumpitur invidia.

Obiter nota quod ibid. addit: (*Immediate a DEO vicariam dignitatem Alexandro commiſſam, nec Vitus, nec quiſquam dixerit*) craſſa ignorantia Hermanni eſt. Omnes catholici id aſſerimus. Cum enim ea poteſtas ſuperet omnem humanam; quomodo homines conferent, quod non habent?

In *cauda Draconis* more ſuo Vitus deſinit. Me *calumniarum* ſumma cum injuria poſtulari, ex adverſo *alaſtorem* in me inſectando Vitum agere, nemo rerum ab Alexandro geſtarum gnarus non facile judicabit. Quid enim? nonne univerſæ eſt Germaniæ & regnis vicinis compertum, cum pro nuncio ſe gereret, Fabium omni conatu impediiſſe, quo minus inter partes bellantes pax rurſum coaleſceret, & quæ jam compoſita erat mox ab illo tabulis publicis quaſi reſciſſam eſſe? An non hoc nomine ipſemet Vitus Alexandrum laudavit? An non bellum illud quod gerebatur, fuit pene cum excidio etiam illius quæ Pontifici favet Germaniæ conjunctum? Similiter *Alexandrum vix factum Papam omnes ſibi addictos provocaſſe ad vota facienda pro hæreſi exſtirpanda*, utique diſertis verbis loquitur illius bulla prima qua jubilæum univerſale indixit. *Exſtirpationem* autem non tam *converſionem* ſignificare, quam truculentam mactationem, an non eſt notum ex tot bellis, ac tot laniènis inſtitutis, ad hæreticos, quos illi ſic vocant, e medio tollendos? An non merito in memoriam nobis revocet ipſa Fabii nunciatura & nupera Sabaudica crudelitas illam vocis interpretationem? Si *converſionem* hæreticorum voluit peti Alexander, quur uſus eſt ad rudem populum ſæva *exſtirpationis* voce, & non alteram mitem adhibuit? Alexandrum porro non eſſe Chriſti vicarium ſed pſeudoprophetam, per convitium mihi non excidit: ſed eſt demonſtratum in concuſſione fundamentorum fidei pontificiæ, fruſtra Vito cum ſocio Chriſtophoro, fruſtra Valeriano Capuccino hactenus ringentibus. Romanam curiam *Simoniæ* vitiis fœde hucusque laboraſſe, neſcio an probari velit Vitus *teſtibus fide dignis vel tabulis authenticis.* Si urſerit, dabo utrumque: interea mirabor ejus vel inſcitiam quod ignoret illa, quæ toti ſunt orbi notiſſima, vel impudentiam quod auſit negare id quod æque eſt palam ac ſolem meridie lucere. Indulgentiis oſtentatis miſeros mortales ſub eleemoſynæ ſpecie auro & argento emungi, cur non credit Vitus ſaltim Paulo Jovio, cujus ego adduxeram illa verba: *Indulgentias eſſe vetera Pontificum ad parandam pecuniam inſtrumenta?* (a) Fuit Jovius

(a) *Indulgentias eſſe Pontificum inſtrumenta*) Equidem *BELLARMINUS lib. II. de indulg. c. 7.* Pontifices excuſat, quod nunquam pro indulgentiis pecuniam exegerint; imo & c. 12. aſſerit, non licitum eſſe, indulgentias pecunia redimere. Sed quis niſi cæcus videat, hæc omnia contra hiſtoricam veritatem dici. Sane Leo X. plane iſta a Bellarmino allegata decreta tranſilivit, teſte THUANO *lib. I. ad a.* 1515. Idem teſtatur *FRANCISCUS GUICCIARDINUS lib. XIII. hiſt. in princ. a.* 1520. *POLYDORUS VERGILIUS de invent. rerum lib. VIII. c.* 1. ſcribit, poſt Gregorium veniarum ſeges paulatim crevit, cujus meſſem non exiguam percepit interdum

vius ille hiſtoricus pontificius, per triginta ſeptem annos vixit Romæ, pars haud ignobilis ipſius Vaticani, inde epiſcopum egit Nucerinum, atque adeo fuit rerum curiæ peritiſſimus. Verba ejus hæc leguntur in opere illo illuſtri hiſtorico, quod in media Italia prodiit in lucem, non expuncta a quoquam librorum ſacro expurgatore, indubie quod nemini non viſa ſint vero conſentanea. Donec Vitus probaverit *teſtibus fide dignis & tabulis authenticis*, hodie Romæ ſanctius vivi, & poſtquam Alexander ſeptimus e cœlo *immediate* creatus eſt vicedeus derepente facta nova omnia, *habebuntur ab omnibus cordatis* illius dubitationes & negationes pro argumentis vel ruditatis vel *frontis perfrictæ*. Hactenus certe nihil apparet, quo Romanos mores tot ſeculis inolitos mutaſſe, fiat cui veriſimile. Non ſperaverim iracundum meum Vitum hisce auditis cupere amplius quenquam *rumpi*, præſertim eum qui Alexandro non *invidet*, ſed potius pleraque illius miratur; cujusmodi ego ſum.

Obiter denique notemus acumen magni ſcilicet noſtri Viti. Per homines eligitur Papa, *unum illud* ſecundum Hildebrandum *nomen in mundo*; per homines conſtituitur *univerſalis Pontifex & caput eccleſiæ: Roma poſuit*, Vito ipſo affirmante, *lucem mundi Alexandrum ſeptimum:* & tamen *craſſa ignorantia* mea eſt, Vito judice, quod dixerim, vicariam dignitatem non commiſſam Alexandro *immediate* a Deo. Hem acumen! Mirum ni perforet. Vicariatum divinum, ſi cui committitur, non niſi a Deo poſſe committi, ſcio: imo vero hinc urgeo, teneri ſingulos Papas illius ſibi commisſi divinitus muneris divinum aliquod documentum exhibere. Nihil vero prohibet, illud munus a Deo committi Papis, mediante (ut ita loquar) cardinalium electione. Conſtitui certe Papas Romanos immediate a Deo, hoc vero nemo niſi ſtolidus dixerit. Enimvero multa Papæ impudenter jactitaverunt; nemo tamen hactenus (quod quidem ſciam) auſus eſt dicere, *factum eſt ad me verbum Domini:* vel ad exemplum Amos prophetæ: *Tulit me dominus cum eſſem in conclavi, & dixit dominus ad me, vade vicarium meum age in terris.* quali modo conſtituti immediate a Deo ſunt olim prophetæ. Nemo etiam Paparum auſus profiteri, ſeſe vocatum immediate, quemadmodum immediate ſunt vocati apoſtoli. Multo minus, de ſeſe auditam immediate cœlitus talem aliquam vocem: *Hic eſt vicarius meus dilectus, hunc audite:* quale quid contigit Salvatori noſtro.

Verum ego hic deſino, & Vitum meum bonæ menti commendo, ſi forte ejus capax fuerit. Faxit Spiritus Sanctus ut animus ejus præparetur, non hiare amplius ad dictatus Hildebrandinos, ſed ſola prophetarum & apoſtolorum *θεόπνευστα* dicta audire impoſterum & ſequi.

Curſor volans

qui ex conclavi eccleſiaſtico ad P.P. Chriſtianos ob creationem novi Pontificis Romani abiit XX. Febr. 1655.

JAm feſſus eram currendo ob Romana negotia hac frigida tempeſtate, jam quieti me dederam in urbe, ut ab itineris moleſtiis recrearer, quando mihi in ædibus meis ſupervenit eccleſiaſtici conclavis ſecretarius aurea clave inſignis, qui clanculum, flexo genu, per loculum duplonibus fartum me efficaciſſime obteſtatus eſt, ut tantum amici ſui cauſa clam & quam citiſſime cum literis ad Principes Chriſtianos abirem. Ego cupidus non quidem itineris, ſed auri, accepi faſciculum, & quo ſervirem illi domino meo ſupremo, ad potentisſimum quendam Regem profectus ſum. Ut ad regiam acceſſi, miniſtris ejus literas reddidi, & ab ipſo illo monarcha propter diligentiam & ſollicitudinem, qua hoc iter confeceram, in aula aliquot dies detentus, creditam epiſtolam tandem ipſe quoque audivi, quæ poſtea ab aulicis divulgata eſt, & ita ſonat:

Sacra Regia Majeſtas, Domine & Benefactor ſemper Clementiſſime,

In negotio illo arduo & difficili creandi ſummum Pontificem Romanum cum necdum res ex ſententia ceſſerit, videtur cujusvis mortalium judicium obfuſcatum & calamus certæ ſententiæ expers, nec ulli creaturæ aut politico fas eſſe, prævidere, quinam cardinalium Romanus Pontifex creari queat. Et vero hanc cognoſcendi difficultatem peperit modus, qui electioni Pontificis præſcriptus eſt, adeo ut nec is, qui in conclavi degit, antequam electio ſuccedat, qui futurus ſit Papa, præſentire poſſit, ſecus atque in aliorum Principum electione uſuvenit. Attamen cum multo labore & diligentia exploraverim, quisnam hodie ex ſacro collegio purpuratorum eligi posſit, & eminentis illius gradus capax ſit, credo me jam quoque tenere, quis hisce diebus illum reipſa conſecuturus ſit. Rationes, per quas ad cognitionem tam inſignem pervenerim, longum eſt hac pagina exprimere. Ne tamen Sacræ Majeſtati Veſtræ ulla in re difficilem me præbeam, perſtringam eas in fine hujus ſcripti circa diſcurſum, qui inſtituetur de cardinali Maculano illo, qui Fiorenzola in ducatu Parmenſi oriundus, primum monachus Dominicanus, deinde ab Urbano IIX. felicis memoriæ d. 16. Decembris 1641. cardinalis factus eſt. Hunc enim conjicio hac electione Innocentio X. in ſede Petri ſucceſſurum eſſe. Sed quoniam intuitu obligationis, qua S. R. M. V. obſtrictus ſum, hic diſcurſus nimis incivilis videri queat, ſi deſtituatur rationibus, quæ hunc cardinalem ad pontificalem dignitatem, qua

collegerunt, & cumprimis Bonifacius IX. cujus tempore hujusmodi venia, teſte Platina, velut quæpiam merces quotidie vel paſſim vendebatur, non absque concedentis recipientisque detrimento, quia, ut dicit Hieronymus, ubi merces media eſt, ſpiritualia viliora ſunt: quæ utinam nonniſi illa vidiſſet ætas. Confer PAVL. SARPIVM *in hiſtoria concilii Tridentini*, etiam quæ de taxa pœnitentiaria obſervant FRID. VLRICVS CALIXTVS *in diſſ. de indulgentiis p. 55. ſqq.* MARNIXIVS *in apiario, quod vocat, imperii Romani p. 127.*

qua ipſum ornatum certo certius videbit; evehere poſſint, dicemus quoque breviter de unoquoque cardinali, cui in conclavi noſtro ad ſedem Petri aditus pateat. Scio enim hoc interregno pontificali tales diſſertationes S. R. M. V. gratisſimas accidere & in aula avide legi ſolere. Cæterum proſtratus hic & in genua procidens ad ſupremum ejus ſceptrum: finem facio, & cum felicisſimo auſpicio perpetuæ tranquillitatis ad politicos diſcurſus accingor. Quis ſcilicet hoc conclavi potisſimum a ſacro collegio purpuratorum Papa eligi debeat.

1. FRANCISCVS BARBARINVS FLORENTINVS URBANI IIX. nepos. Hic cardinalis in conclavi magno labore hoc agit, ut eligatur Papa. Procraſtinatio, quam videmus, omnis ab eo eſt. Nam dum ſibi hanc dignitatem deberi exiſtimat, aliorum quamvis dignisſimorum & optimorum cardinalium electionem impedit. Verum exiget ab illo aliquando Deus rationes conſcientiæ ſeveriſſime: quandoquidem mora quæ in eligendo Pontifice intercedit eccleſiæ Romanæ perniciofiſſima eſt. Cæterum cardinalis ille ex incorrupto bonorum judicio indignus eſt, cujus caput diademate Petri cingatur, quamvis populum Romanum omnis prudentiæ & judicii expertem contraria opinio occupaverit. Scilicet jam civitas hæc Franciſcum Barbarinum deſiderat Principem, nec illi ſuccurrit, quod decem abhinc annis tempore Urbani IIX. patrui ejus, clamoribus & convitiis eum, quoad poterat, inſectabatur, & ob peſſimum imperium & tyrannicam adminiſtrationem etiam mortuo Urbano & abeunti ab imperio Franciſco inſultabat, perhibens publice eum tenacem, odioſum & avarum eſſe; quod quidem haud injuria de illo affirmatur, qui imprudentibus ſuis actionibus ſtatum eccleſiæ & multorum Principum Italiæ, bello in Principem Parmenſem moto, evertit. Adeo Quirites, quibus prudentiæ laudem hiſtoriæ tribuunt, ad ſummam ſtultitiam & ſtuporem jam delabuntur. Poſſint forte ad hæc talia impulſi videri ſubſecuto illo ſevero & piſtrinenſi imperio Innocentii defuncti. Sed tamen, quicquid ſit, ſi recte caſus ſuos reputent, certe bona politica ratio populi ſapientis & perſpicacis iſta non eſt. Quid? ſi per illam ſtultitiam poſt tantas calamitates a triginta annis acceptas mala longe majora ſub illo accepto & deſiderato Principe incurrerent. Subſiſto hic & pendeo animi dubius, numne credi oporteat, quod hic cardinalis tandem pontificatum occupaturus ſit. Poſſet illo forte potiri ad Chriſtiani orbis mundique pœnam: ſed benigniora eventa ſperabimus, dum ille excelſæ huic dignitati impar eſt non modo ob rationes jam manifeſtas omnibus bonis, ſed vel maxime etiam propter immaturam ætatem. Graſſatur quidem magna audacia & confidentia ad hoc tantum faſtigium, egitque adhuc in conclavi res ſcandaloſas pernicioſaſque eccleſiæ Romanæ & Pontificiis bullis adverſas, inſuper habitis eccleſiæ commodis, quo ſua ipſius procuraret, adeo ut nec dubitarit, uti fama eſt, auro corrumpere multos cardinales, eorumque ſuffragia mercari. Sed in eodem conclavi adverſarium habet principem & cardinalem, qui iniquas ejus actiones bene animadvertit, eſtque ſpes, fore, ut ſanctus ille & Chriſtianus Princeps in herba incidat radices Simoniæ. Quod ſi cupiditates ejus directæ non eſſent in ipſum Petri regnum, jam tum ante menſem integrum Pontifex eſſet creatus. Semper mundus hunc cardinalem exiſtimavit hominem ſpiritualem & conſcientiæ obſervantem animæque. Sed hæc omnia in ſpeciem. Nam ipſa re hodie ex injuſtis ejus actionibus contrarium deprehenditur. Spes ejus omnis ſita eſt in prorogatione conclavis & certo quodam ſuo invento levius augurio. Sit ita, fuerit viſum volare per conclave examen apum, quas familia Barberina gentilitiis inſignibus inſeruit. Erat prodigium, quod ille poſſet fieri Papa: ſed haud ſcio, an huic augurio eventum reſpondere plane neceſſe ſit. Gloriatur prætcrea idem ille candidatus, reperiri in ſuo nomine veram regulam fatalis literæ R. quæ a centum annis usque viſa eſt ſemper alternatim abeſſe & adeſſe in cognomine eligendi Papæ. Exempli cauſa Barbarinus & Pamphilius, Borgeſius & Ludoviſius, qui fuerunt Urbanus & Innocentius, Paulus V. & Gregorius XV. Sed hæc non ſatis ſolida & recta adeoque indigna ſunt fundamenta eo, qui adſpirat ad officium vicariatus Chriſti. Ut finem faciam: Homo ille non judicatur ſupremo hoc gradu dignus. Quod ſi aliter eveniat, neceſſe eſt, ſingularem Dei providentiam intervenire ad caſtigandum & deprimendum porro populum illum, qui imprudenter & inconſulto expetit principem, contra quem ante paucos dies vociferabatur, & calidisſimis precibus DEVM fatigabat, quo illo liberaretur, quippe cujus nomen abominabatur.

2. JVLIVS SACCHETTIVS FLORENTINVS; Is hactenus in conclavi omnium certisſima ſpe alitur obtinendi pontificale diadema, & vir eſt, quamvis a cardinale Medicæo valde oppugnatus, qui tamen illum locum meretur. Factio Barbarina omnis ei favet, habet & alios multos cardinales benevolos. Cardinalis Imperialis caput Alæ volantis conſtanti & obfirmato animo illum expetit Papam. Quæ ei obſtat eſt Hiſpanica factio, quandoquidem Rex catholicus non magnopere illum domui Auſtriacæ cupere exiſtimat, quippe qui ex intimis cardinalis Mazarini, & licet nuncius in Hiſpania fuerit, tamen Gallico creditur genio eſſe.

3. JOHANNES BAPTISTA PALLOTA MARCHICVS. Hic cardinalis non omni deſtituitur ſpe hoc in conclavi, nec ab Hiſpanicis partibus excluditur. Gratus & acceptus eſt cardinalibus plerisque. Barbarini tamen ad ejus electionem non propenſi ſunt.

4. VLRICVS CARPEGNA VRBINAS. De hoc cardinali ex rationibus politicis magna conclavis pars ſuſpicatur, quod futurus ſit Papa. Et vero haud temere aliquem reperias, cui major ſit aura & certior ſpes ſedem Petri poſſidendi. Cardinalis Medicæus caput Hiſpanicarum partium ab eo non abhorret, quia & ipſe familiæ ejus cliens eſt, & frater ejus ſereniſſimo Florentiæ Duci modo inſervit totique Medicææ domui familiaris & intimus eſt. Idem Urbani IIX. Papæ alumnus, charus Barbarino quod ſemper amicitiam cum familia ejus coluit. Unde, quum appareat, eum in hoc conclavi æque Hiſpanis ac Barbarinis acceptum eſſe, hau ingratam conſequentiam oportet reſultare.

Denique

Denique hic cardinalis non adeo intelligens, tamen inculpatæ vitæ, capax alicujus imperii, humilis & pius eſt.

5. BERNARDINUS SPADA BRISIGELLANUS. Quantum de hoc cardinali adhuc in conclavi cognoſcere licuit, communis ſententia eſt, quod haut impetraturus ſit pontificatum. Cauſæ infra ſcriptæ ſunt. Quantus, quantus devotus eſt Regi Chriſtianiſſimo, eſtque vir, qui prudentia ſua politica vincere mundum conatur. Hiſpanica factio eum deteſtatur, nec Barbarini aliqua inclinatione in illum propendent. Ipſe tamen non deſpondet animum, nec deſiſtit politicas ſuas rationes ubique in auxilium vocare. Verum certa res eſt, eum non fore Papam.

6. MARCUS ANTONIUS FRANCIOTTUS LUCENSIS. Hic vir multas habet rationes, quibus ſibi pontificale faſtigium polliceatur. Principales illæ ſunt: Quod & Regi catholico devotus, & domus Barbarinæ alumnus hactenus gratiſſimus, ideoque utrique parti carus eſt. Idem integer vitæ & moribus incorruptus, ſed patria impedimento eſt & petitioni ejus vehementer officit.

7. MARCUS ANTONIUS BRAGADINUS VENETUS. Superioribus diebus animadverſi ſunt ſerii tractatus pro hoc cardinali inſtituti, cum maxima ſpe felicis ſucceſſus. Domus Barbarina ei ut creaturæ ſuæ bene vult, ipſe ſemper medius, nec Hiſpanis nec Gallicanis partibus ſe mancipavit, unde a Barbarinis quidem & ab Hiſpanis haud temere ſibi favorem promittere poſſet, quibus conſentientibus & Galli forte accederent. Eſt vir prudens, humanus & affabilis: quem ob egregias naturæ dotes ſacrum collegium plurimi facit.

8. JULIUS GABRIELIUS ROMANUS. Ad hunc usque diem de hoc cardinali in conclavi ſperamus, quod pontificatum obtinere poſſit, quippe qui Barbarinorum cliens eſt, & a Romana factione expetitus. Hiſpanica non quidem cum eo eſt, ſed nec ei reſiſtit, incerta, ſi caſus eveniat, quo pede claudicaturus ſit, qui ſemper ſe neutralem præbuit, doctrina quidem & moribus præſtat.

9. FRANCISCVS RAPACCIOLVS ROMANVS. Hic cardinalis in conclavi noſtro ad pontificatum maxime idoneus habetur, & pro eo jam gnaviter negotiantur Barbarini, qui eum Papam deſiderant. Cardinales Galli cum his conſentiunt. Romani conditiones accipiunt: habetque ſuæ promotionis ſtudioſiſſimos omnes cardinales, excepto Medicæo & Hiſpanis, qui eum oppugnant.

10. DOMINICVS CECCHINVS ROMANVS. In hujus favorem & ſpem electionis deprehendas in conclavi haut contemnendos inſtitui tractatus. Factio Barbarina cum illo facit. Romani & Hiſpani etſi ei non ſuffragentur, omnino tamen nec excludunt illum, & ab intelligentibus creditur cardinalis Medicæus fingere diſſenſum, quo magis Barbarinos ad eum amplectendum impellat, quippe cum domus Auſtriaca in eo multum confidat, quanquam hæc negotia obſcura & paucis cognita ſint. Idem cardinales multos habet benevolos, utpote, qui natura comis, benignus, magno animo & digniſſimus iſta fortuna ſit. Accedit prudentia & eruditio, quæ urbem Romam & Chriſtianum orbem optima quæque de eo ſperare jubet.

11. FABIVS CHISIVS SENENSIS. Agitur modo illius cauſa, ſed admodum frigide in conclavi, maxime tamen a cardinalibus Pamphiliæ domui addictis. Nam ſi ille ſuccederet Innocentio, Pamphiliorum autoritas Romæ conſervaretur, quandoquidem ille iis obſtrictus: ſed propterea multos habet inimicos in conclavi noſtro, qui omnes ejus conatus frangunt, habeturque tandem pro certo, quod plane non ſit futurus Papa, præſertim cum ſemel propoſitus non exceſſerit XXI. ſuffragium.

12. PROSPER CAFFARELLVS ROMANVS. Si unquam factio Romanorum cardinalium ſedi B. Petri quemquam præfecit, certe hic eſt, quem omni contentione evehere deſiderant. Is enim Romæ, uti patriæ ſuæ cariſſimus, præſertim cum nobiliſſimo ſanguine & antiqua familia prognatus, urbanus tamen, & comis erga quoscunque, denique & literarum ſcientia prudentiaque præditus ſit. Profecto optimus foret Pontifex, imperiumque ejus Romæ conduceret. Barbarini quidem non magnopere ad ejus electionem inclinant. Hiſpani tamen eum expetunt, unde nec dum ceſſant de ejus cauſa fervido ſtudio tractare.

13. FRANCISCVS ALBITIVS CESENAS. Hic cardinalis meretur ordinari Papa ob integritatem, ſed multitudo & varietas adverſariorum, quos habet in conclavi, petitionem ejus omnem ſufflaminant; propter egregias dotes, quibus præditus eſt, inter cardinales papatus capaces merito collocatur. Verum enimvero cum tot tantæque inimicitiæ illi obſtent, ex ſapientiorum politica recte affirmatur, quod non poſſit eligi Papa.

14. JOHANNES BAPTISTA SPADA LVCENSIS. Inter papalis honoris candidatos hic quoque cardinalis ſuum ſibi vendicat locum; a multis tamen purpurati collegii pro excluſo habetur ob immaturam ætatem, quæ nondum 58. annum exceſſit. Cardinalis Barbarinus ejus electioni aſſentiri forte non gravaretur, habetque in conclavi multos amicos, qui promovere ipſum diſcupiunt, ſed quando revera adparet, ætatem tali dignitati non convenire, ad propoſitum finem nunquam perveniet. Eſt alias vir bonus & integræ famæ.

15. VINCENTIVS MACVLANVS FIORENZOLA PLACENTINVS MONACHVS. Hic ille eſt, quem, ſi quid humano acumine prævideri poſſit, futurum Papam certo conjicimus, idque ex multis efficaciſſimis rationibus & quaſi infallibilibus. Quod ſi ſecus eveniat, dicam omnem conjecturam in hoc genere vanam & fallacem eſſe, utcunque aliquis rerum collegii peritus & pluribus conclavibus interfuerit. Negotiorum, quæ in ejus favorem tractantur, ratio illa eſt. Puto ego hunc cardinalem electum iri Papam, quia ex principe Hiſpanicarum partium, per occaſionem ſermonis

monis cum alio Auſtriacæ domui addicto cardinali habiti, ipſe has diſertas voces audivi. Eminentiſſime, ut finem faciamus, credo, quod monachus omnino pontificatum obtinebit, quia in nullo cardinalium majorem video opportunitatem, nec in ullo alio rectius conveniemus ego & Barbarinus, quam in hoc monacho. Ratio eſt, quia nos illi cupimus & Rex catholicus eum ſibi addictum credit. Jam Barbarini inpræſentiarum quidem eum nolint, quia alium deſiderant ipſo acceptiorem. Sed quando illud non ſuccedet, hoc contenti erunt, qui non omnino ab eorum ſtudiis alienus, ſed potius eorum creatura & tempore Urbani IIX. amiciſſimus, domusque Barbarinæ cliens fuit. Tum vulgarem monachum Dominicanum ad purpuram & eum ſtatum, quo hodie eſt, vocatum tantorum beneficiorum memoriam conſervaturum ipſis fiet veriſimile. Meus cætus junctus Barbarinis ad creandum Papam ſufficit. Itaque cum videam, omnes alios cardinales illa prærogativa carere, ſum perſvaſiſſimus, quod fortuna hunc cardinalem ad illam dignitatem extollere decreverit. Quid videtur Eminentiæ veſtræ? Nunquid eum relinquemus? cum ſciam rem ſucceſſuram perinde, uti in Innocentio X. contigit. Nolo ego jam alium quam hunc, cui Barbarinum & aſſeclas aſſentiri oportet. Mallem equidem alios, ſed iis cardinalis Franciſcus ſuffragari nolit. Itaque, ut finiamus, faciemus monachum Papam. His dictis, ſupervenit alius cardinalis. Sed hæc eſt prægnans ratio, quam dixi, & haut obſcura, nec puto tam exiguo intervallo quicquam intervenire poſſe, quod alia conſilia ſuggerat & meam concluſionem evertat. Accedit ſolido huic fundamento occaſio inimicitiæ, quæ huic cardinali cum excellentiſſ. domina Olympia Maldochinæ cognata defuncti Pontificis intercedit, & ab enormibus & injuſtiſſimis ejus actionibus orta eſt. Unde odium, quo aula Romana tota & ſacrum collegium cardinalium eam perſequitur, credibile eſt eos impellere poſſe uti ad exterminandam hanc dominam omnes unanimiter electioni talis cardinalis ſubſcribant, qui ejus capitalis inimicus ſit. Quanquam ab altera parte multi cardinales ſe interponunt, ut eum dominæ Olympiæ concilient: ne ex his inimicitiis gravior oppoſitio & alii cuipiam commoda occaſio electionis naſcatur. Porro jungitur ſuperioribus rationibus politicis clariſſima prophetia, quam videre licet inter prophetias abbatis Sovachimi de Pontificibus in XI. vaticinio, quod indicat & monſtrat per crucem aliquam, quod debeat ſuccedere Innocentio X. Papæ monachus ordinis Dominicani. Eadem res apparet in pluribus locis diverſarum aliarum prophetiarum, quæ de Pontificibus a multis inſignibus hominibus proditæ ſunt. Quibus evidentiſſimis & apertis demonſtrationibus ſi addamus vitam adeo integram & optimi exempli, longiſſimo temporis ſpacio in ſacris clauſtris exactam, uti perſona religioſa fuit, quid aliud, hoc ipſo Papa & principe religionis conſtituto, ſperandum, quam rectiſſimum imperium egregiaque adminiſtratio? Atque hæc quidem eo magis, quod natu grandior eſt, puta qui 80. annos explevit, affecta valetudine, debilis, magis hoc agens, ut animæ ſuæ conſulat, quam ut rebus terrenis & utilitatibus fruatur. Denique ſine dubio ſemper ei ob oculos verſabuntur exempla trium aliorum Pontificum, quos ex ordine Dominicano ſacra eccleſia habuit, qui, uti hiſtoriæ narrant, cum ſanctiſſima vita rectiſſimum imperium exercuerunt.

De vera cauſa prorogati conclavis, & prætextu factionis volantis.

DOmine, non eſt ita difficile, quemadmodum a vobis ponitur, cauſas prorogati hujus conclavis invenire. Tractatur de re, quæ a negotiis tot perſonarum, quot ſunt electores ipſi, dependet: cum vero operationes internæ hominum non niſi ipſis & Deo per naturæ ordinem ſint notæ, magis quæ veri ſpeciem mentiuntur quam vera colligendi periculo expoſitus erit, quicunque ex hoc, quod actionibus externis proditur, rei cauſam veſtigare operam dederit. Ne tamen petitioni veſtræ, quæ imperii vicem mihi eſt, deſim, hæc, licet relatione aliorum & conjecturis, quæ non minus fallere poſſunt quam ut neceſſario vera ſint, ſuffulta ediſſerere, quam plane tacere de iis quæ acciderunt malui.

Creaturæ quædam Innocentii X. non obſtrictæ ſequi dictatus capitis factionis cujuſdam (quod ordinarie eſt nepos aut alius Pontifici ſanguine conjunctus, cui cardinalatum debent) de ſe elegere caput, de quo defectus cardinalis cujuſdam Pamphilii ipſis proſpicere non poterat. Nomen illi a militia inditum: hoc conſilio, ut ſe maxima vi opponerent illi, quod alterius partis ſtudioſi tentarent. Dici itaque voluerunt *cohortis volantis cardinales*, innuentes, quantum ex voce ipſa colligitur, quod non quidem intenderent ex ſuo numero Papam eligi, ſine favore tamen ſuo quenquam legi nollent, quodque duarum factionum Barberinæ ac Hiſpanicæ illa prævaleret cui illi ſe applicaverint, atque victoriam obtineret. Vulgatum id conſilium eſt ſtatim ac ſedes vacavit; variiſque obnoxium ſententiis; aliis nimirum opus maturæ cujuſdam prudentiæ id interpretantibus, aliis vero ſiniſtre non minus de nomine quam re ipſa ſentientibus, ita ut multi potius pro temerario animi impetu, quam pro compoſito & ex pietate Chriſtiana, quæ in actionibus eccleſiaſticis ſola laudem meretur, profecto motu hactenus habuerint. Æquum viſum illis, ut electio penſet damnum naturæ ac fortunæ, &, cum non ſuperſint cardinales Innocentio ſanguine conjuncti (cardinalis enim Aſtallius adoptione excidit) habeat in hac factione nomen aliquod factio Pamphilia, neque illi velut mercenarii milites huc atque illuc divagarentur ad nomen dandum alienis ſignis. His contra viſum, emerſurum hinc fomitem diſcordiarum & impedimentum felicis progreſſus in conclavi; conflugem hominum eſſe, ut per tumultum fieri amat, obnoxiam privatis ſingulorum, e quibus conſtat, affectibus. Nec vero his perſuaderi potuit, locum in factione illa habiturum ſtudium juſtitiæ,

ſed

ſed omnia ad ambitionem compoſitum iri. Promotores iſtius cohortis efficacibus perſuaſionibus in partes ſuas pertrahere norant duos cardinales, qui alias, ut ſubditi, illis qui Hiſpanicarum ſunt partium, ſtudia ſua commodare tenebantur; alter erat Borromæus Mediolanenſis, alter Aquaviva Neapolitanus, uterque ſplendore majorum clariſſimus. Modus devinciendi illos erat efficaciſſimus, ſuadente illud ſua quemque utilitate: argumenta autem ab utili vi quaſi facta intellectum expugnare cuilibet, experientia notum eſt. Oſtenſum illis fuit, nil hoc tempore a ſubditis Hiſpaniæ fieri poſſe prudentius, quam ſi in id omni animi contentione incumbant, ut eum eligerent, qui quam minime rebus Hiſpanorum ſtuderet, quo hoc modo deſiſterent Hiſpani a prætextu includendi aut excludendi aliquem e cardinalibus, quod Rege præ ſe ferente omnibus ſubditis ſuis invidere ſe exaltationem ad ſummum pontificatum, ipſi ſint certi, iri debere obviam huic contentioni, modo ætas matura adſit candidatis. Prætextu excluſionis Brancacci & Caraffæ argumentum hoc confirmabant, ita ut videretur neceſſarium ad adſpirandum aliquando ad dignitatem ſublimiorem, infringere potentiam Hiſpanorum. Ipſi itaque perſuaſione hac tam, ut videbatur, ſpecioſa illecti, nomen apud cohortem volantem profeſſi fuere. Borromæus quidem futuri certaminis præludia edidit in congregationibus iſtius temporis, quod inter mortem Innocentii & ingreſſum cardinalium in conclave interjectum fuit. Sæpius enim ſe oppoſuit Joh. Carolo cardinali Medicæo, qui Hiſpanorum partes velut primarius miniſter tuebatur, (licet umbra protectionis penes Decanum maneret) & ubicunque res tulit, factionis ſuæ commodum reliquis omnibus ſe anteferre oſtendebat.

Initio conclavis ſat clare apparebat, quod cohortis volantis cardinales facto ipſo magis quam verbis intenderent aliud, quam quod ipſo nomine, quod ſibi impoſuerant, agere videri volebant. Non enim id agebant, ut ſe factionum alteri, quæ prævalere videretur, conjungerent, ſed ut ſuo arbitrio Pontificem conſtituerent, aliorumque conſilia ex ſuo ſapere genio conſtringerent. Cum vero nihil æque auctoritatem actionibus noſtris conciliet, quam ſi quid fiat pietatis ſpecie, promovendo ad pontificatum cardinali Sacchetto, ab omnibus meritis & ſi quiſpiam alius pietate gravi habito, conſilia vireſque conferebant. Hunc mirum unum ſummo huic imperio parem exiſtimantes. Vix ingreſſi conclave illum quodam quaſi volatu in ſolium Petri ſublimem ferre cœperunt. Licet autem illi tanti ſint in volando Dædali, experientia tamen oſtendit Sacchettum ob alarum cera aptatarum vitium Icarum factum fuiſſe. Satagunt quidem illi etiamnum cum pertinacia, quam conſtantiam vocant, prima propugnare conſilia: cardinalium neminem præter Sacchettum eligere certi. *Religione,* ajunt, *juramenti, quod alias violaretur, tenemur ſuffragio juvare Sacchettum, ut digniſſimum, quod ſi contra faceremus, perjuri eſſemus.*

Cum itaque curioſitati veſtræ, quod prorogati conclavis cauſas attinet, ſatisfecerim, nonnihil in id digrediar, ut examinem cauſas conſilii, quod tanta cum pertinacia proſecuti volantes, & ab illo, qui volantibus, illorum & Sacchetti cauſa adhærent, tanto applauſu receptum fuit. Ego vero nunc quidem id non ago, ut fidem propoſito volantum aut illis faventium demam, id tamen me aſſecuturum non deſpero, quin demonſtrem; perperam notari excludentes Sacchettum, neque violari juramenti religionem, licet alium ſuffragio ſuo eligant. Nullum fateor conſilium prima fronte ſpecioſius a factionariis volantibus capi potuiſſe, quam promovendi cardinalem, ab omnibus, uti modo dicebam, dignum æſtimatum. Aptum id conciliando affectui illius, cum quo tibi negotium eſt, quod cognoſcere & amare illum hic ſint eadem. Non poterant aſſumere perſonam magis idoneam tegendo ſuo affectui, & acquirendo titulum tantorum conſiliorum, quam promotionem illius cardinalis: in quo plus quam mediocris eruditio perfecit facundiam, congenitam ipſi non tantum ex qualitate climatis ſub quo natus, ſed ex ſymmetria & diſpoſitione, quæ hic plurimum valet, organorum corporis in quo eminet forma adeo nobilis & veneranda, ut, qui tantum eum viderit, etiamſi aliunde non noverit, commendatione ſua dignum æſtimet: cui denique conjuncta cum lauto patrimonio majorum ſplendor tantum profuit, ut Urbanus VIII. cum adhibuerit omnibus negotiis, quæ poſſunt ſummis honoribus eccleſiaſticis quem aptum reddere. Pauci ſunt cardinales pontificatus competitores qui non habeant inimicum ſuum; congregationes & alia negotia politica diſcordantibus inter ſe ſententiis ſæpe affectuum malevolentiam ſtruunt, & hinc minimum oritur difficultas ut quis omnibus placere non poſſit. Affirmo itaque, quod periculoſæ plena res ſit aleæ, invenire digniſſimum e tanto cardinalium numero ita, ut ſuſpicione careat ſe non imprudenter judicaſſe qui id occœperit, & fidem mereatur apud judicem prudentem qui hæc ad perfecti regulam reduxerit. Conſtat hic ſacroſanctus ſenatus hominibus e toto orbe Chriſtiano lectis, & ſinguli meritis ſuis ad dignitatem illius ordinis viam ſibi muniunt. Roma enim hiſce temporibus eſt quaſi ſimulacrum urbis cœleſtis Hieroſolymorum: ita ut quemadmodum illa variis & diverſis ornamentis fuit circumdata, ita hæc in ſua curia veſtita eſt virtute ipſa, diſſimilitudine ſibi ſimilima, omnibus ad eam ornandam adſpirantibus. Ornantur plures purpura: datur id ſanguinis, quo Pontificem contingunt, communioni, datur id interceſſioni Principum. Eſto, quantum ad hoc, non ita exactam rationem in curia Romana obſervari; non tamen plus, quam mediocris aptitudo adminiſtrandi res eccleſiaſticas deficiet. Uſu conſtat a Principibus ordinarie nominari perſonas, quarum magna autoritas; etſi vero in reliquis prævalet propinquitas ſanguinis, hoc tantum conſiſtit in eo, quod præmium ante quam id meriti fuerint conferatur, rariſſime uſu veniente, ut promoveatur quis ex his, cujus indoles maximam meritorum copiam non ſpondeat. Ornantur præterea purpura, qui apud Chriſtianos principes nuncii apoſtolici munere funguntur, qui dominio eccleſiæ ſeculari

 præſunt,

præſunt, qui negotia religionis tractant, aut denique miniſteria obeunt quæ maximam partem dominium eccleſiæ temporale continent.

Inter candidatos hujus conclavis a Gallia teſtimonio ornatur ampliſſimo cardinalis Spada, ubi ſub Urbano VIII. nuntiaturam obiit; Pallottus ab Imperatore, apud quem ſub ejuſdem Urbani pontificatu nuntii apoſtolici munere defunctus eſt; præter multa alia negotia adminiſtrata ab ipſis ante illa officia, quæ fuerunt ultima in prælatura. Chiſius poſt vice-legationem Ferrarienſem, inquiſitionem Melitenſem, per multos annos nuntiaturam Coloniæ ſumma cum laude, uti apud omnes conſtat, obiit. Cecchinus & Corradus, cum eſſent auditores rotæ Romanæ, tanta diligentia & virtute utilitati publicæ eccleſiæ ſuam navarunt operam, ut fere Innocentius coactus fuerit purpura eos donare. Florentiola Ticini Ferrariæ Genuæ, in inquiſitione, in vicariatu & procuratione generali ſuæ religionis, in commiſſariatu ſancti officii, & in magiſterio ſacri palatii, eadem via qua olim Pius & Sixtus, uterque Papa quintus, aditum ad purpuram ſibi fecit, & cum a pueris ſtatim ſe vitæ regulari religionis Dominicanæ conſecraviſſet, hauſtis ante quam delectationes ſeculi guſtare potuerit, pietatis præceptis, ſententia S. Remigii adjuvatus: *Sanctorum patrum venerabiles ſanctiones eos demum ſacris adminiſtrationibus idoneos cenſuere, quorum omnis ætas a puerilibus exordiis usque ad provectiores annos per diſciplinæ eccleſiaſticæ ſtipendia cucurriſſet.* Franciottus & Duratius in ſupremis officiis cameræ induſtriam & virtutem probarunt. Atque ita per omnes ſigillatim eundo, in omnibus patebit transmontana felicitas, & quod virtus meritaque dirigant iter ad cardinalatus portum, ſintque cauſa, cur omnibus competitoribus ſint antepoſiti. Ornati poſt purpura hi in epiſcopatibus, illi in legationibus, iſti in congregationibus ita ſe geſſere, ut quilibet videatur illo imperio, quod in cœlum usque ſuam jurisdictionem extendit, dignus. In tanto itaque numero dignorum, quis meritis omnes antecellat, oſtendere, neſcio, utrum ſit facile, niſi in oculis Dei, qui abſtruſiſſimas rerum differentias, quæ nobis omnino eædem aut ſimiles videntur, perſpicit. Cardinali Sacchetto eo in loco, ubi teſtimonio eſt auctoritas, ob ingenii dotes haud vulgaris laus contigit. Poſtquam enim præfectus ſignaturæ juſtitiæ eſt factus, prælatis & curiæ Romanæ miniſtris, (qui bona pars urbis ſunt) innotuit, & quod ad conciliandam ſibi famam plurimum facit, nil odio nil amori in cauſis tractandis dedit. Ibi ſane admiranda affectuum tranquillitas, & incredibilis in audiendis hujus & illius contentionibus patientia eluxit, quæ cuivis alii factura fuiſſent faſtidium, quod vultu ille & lingua exprimens, famam unde ſiniſtram & odium incurriſſet. Et vero recte ille Pontifex dicebat, aperiendo aditui ad ſummam dignitatem nullam cameram eſſe opportunam magis, quam ipſam Romam, præjudiciis curiæ Romanæ reliquis omnibus meritis prævalentibus. Sed in judice non ſatis eſt animo ad audiendum eſſe patienti, ſed etiam requiritur ſeveritas quædam in exequendis ſententiis. Simul ſane quis in ſolio Vaticani collocatus eſt ſceptro uti debet non minus ad caſtigandum noxios, quam probos præmiis afficiendos. Primum ſi deſit ob lenitatem nimiam, poſſit hoc ipſo urbis Romæ ſtatus convelli. Ore omnium fertur adhuc Gregorius XIII. omnes in cœlum tollunt illius liberalitatem in donando, inque ædificandis collegiis reip. Chriſtianæ bono per varias provincias magnificentiam: nihilo tamen minus impunitas delictorum laudem hanc minuit, atque utrum plus juverit liberalitate eccleſiam, an indulgentia nocuerit ſtatui Romano, controvertitur. Par judicium de cardinali Sacchetto ut formem, non poſſem inducere animum, niſi utraque, quam obivit, legatio, ut facerem, cogerent. Tot enim homicidia, quot ſub cujusque alterius regimine, eſſe patrata, fama eſt: cujus cauſa fuit, quia nimia in condonando facilitas fovit ſcelera, quodque fuerit notum, objecto lucro ſperari poſſe veniam. Clementia in principe ſimpliciter quidem nil habet culpæ; affirmo nihilominus, obſtare eam bono regimini, imo omnino illi eſſe exitiabilem, niſi ſeveritate temperetur. Uſu profecto conſtat, quod in adminiſtratione hujus civitatis ſeveritas quam clementia plus præſtet. Quod ſane rigorem ante habuerit Innocentius X. jam ſede vacante omnia ſunt tranquilla, nulli tumultus, quales a plebe interregni tempore concitabantur alias creberrimi. Sed fortaſſe nullum eſt dubium, quin cardinalis Sacchettus cum facilitate in tractando jungat ſeveritatem morum, quia in converſatione cum fœminis illibatam ſervet pudicitiam; imo illi concilietur gratia, unde aliis famæ periculum imminet. Sic cardinali Cecchino eſt cognata adeo decrepitæ ætatis, ut circa eam nullis pravis affectibus locus forte relictus ſit; nihilominus multi exiſtimant ideo excludi poſſe illum cardinalem. Contra non obeſt cardinali Sacchetto, quod nimium dominæ Caſſandræ cognatæ ſuæ deditus ſit; nemo eſt, qui ab ea ſibi metuat, & dominatum principiſſæ S. Martini cognatæ formidet. Dixerim præſagire mala, nulla data fide precibus, fatale eſſe in Caſſandris. In *ſubjecto Papabili* omnes actiones anteactæ vitæ examinantur, illæ præſertim quæ actæ poſtquam quis purpura jam ornatus eſt. In Sacchetto nullius culpæ veſtigium apparet; nihilominus aliquando de ipſo Bononiæ vulgati ſunt amores dominæ de Paleotti, angulisque caſtellorum affixi fuere. Converſari cum fœmina formoſa occaſionem ſiniſtre *ſuſpicandi & loquendi* aperit. Romæ cardinalis Sacchettus dominam Ronellam naturæ dotibus conſpicuam frequentat, & tamen non eſt, qui de ipſius caſtitate dubitet, ſed eſt qui pro virgine ipſam æſtimet.

Cæterum eſto, cardinalem Sachettum alis famæ publicæ ac meritorum volitare ſuper ſumma faſtigia competitorum; id tamen non evincit, eum eſſe digniſſimum, qui Pontifex creetur, reliquos vero competitores ipſius reſpectu eſſe indignos. Conſiderentur apoſtoli ſub illis figuris, quæ etiam ſacris literis adumbratæ ſunt; notum utique eſt, quod in illorum unumquemque conferendus fuiſſet principatus eccleſiæ; imo *de lege ordinaria*, ut docet Cajetanus, omnes fuerunt Papæ, ſed diſpenſatione divina exemtus eſt Petrus Chriſti vicarius. Antequam de voluntate Servatoris conſtaret, reſpectu

ſpectu habito ad probitatem mores & ſanctitatem nullo peccato contaminatam, principatus potuiſſet credi deberi S. Johanni, qui *altius cateris meruit honorari*, dilectusque Chriſti diſcipulus dicitur. Nihilominus tamen veritas fallere neſcia judiciis hominum ſe opponens Johannem ſanctimonia ſemper conſpicuum poſtpoſuit Petro, qui ſæpius peccaverat, & ipſa paſſionis veſpera fuit ter perjurus. Huic dominium univerſale terræ cum poteſtate transferendi dominium iſtud ad ſucceſſores aſſignavit; non vero illi, qui intrepide eum ad mortem usque ſecutus pari conſtantia mœſtiſſimo ſpectaculo in monte Calvariæ interfuerat. Similiter laudes a Chriſto Nathanaëli tributæ non ſufficiebant, ut dignus exiſtimaretur apoſtolatu. Inter apoſtolos eſt Matthæus trapezita & fœnerator; Nathanaël verus Iſraëlita, & ab omni culpa immunis juxta teſtimonium illius, qui falli non poterat, in illorum numerum non eſt aſcitus. Quod ſine dubio ea de cauſa factum, ut cohiberetur judicii humani curſus, conſtaretque, non ſemper placere cœlo electionem illius, qui primo intuitu a terra dignus eligi judicatus eſt. Unctus quidem in Regem Iſraëlitarum fuit Saul, omnibus procerior, alia vero vice auſpiciis multo felicioribus David, qui, quod ſtaturæ eſſet brevioris & minus exercitatus, ab omnibus, niſi a Deo, indignus regno judicatus fuiſſet. Qui itaque volantes Sachettum veluti unicum, qui dignus, vel, ut planius dicam, capax ſit pontificatus, æſtimant? quare reſpicientes judicia Dei, quæ omnium actionum noſtrarum norma eſſe debent, conatibus ſuis modum non ponunt? Inſpirationes divinæ nunc non ſunt ſane auræ illæ, quæ illorum volatum promovent; quia illæ ad conſilia de creando Papa Sachetto afflarent omnes, neque in cardinalibus reperiretur, qui non eſt volans. Neſcio, qui fiat, quomodo Spiritus S. nolit Papam Sachettum, & tamen adeo fortiter ſcilicet in animis illorum, qui eum promovere ſatagunt, ſpiret: aut quomodo eum velit, neque tamen flectat animos illorum, qui ad Sacchetti exaltationem concurrere recuſant. Ubi fundata eſt opinio illa, a quibusdam pro primo principio jam habita, Phœnicem cardinalium eſſe Sachettum? Ille non eſt theologus, & tamen nonnulli canoniſtæ, ſi concurrant in petendo papatu, theologum JCto anteponunt, & experientia vulgavit, nil inimicum adeo eſſe ſummi Pontificis exiſtimationi, quam ignorantiam illius doctrinæ, quæ religionis Chriſtianæ baſis eſt. Ratio ſane omnibus dictitat, abſurdum eſſe, eum, qui hominibus ad cœlum dux eſt, ſapientiæ illius, quæ tota cæleſtis & ſumme eſt neceſſaria hominibus, ignorantia laborare. Hac igitur minimum de cauſa non par erit dicere, Sachettum meritis antevertere omnes cardinales. Quæ porro teſtimonia in honorem Sachetti proferent volantes, ut oſtendant, eum omnibus in ſacro collegio anteſtare? An proferent nunciatarum geſtam in Hiſpania, quæ inter officia quibus functus eſt, eminet? Atqui nunc eum excludunt Hiſpani; quos, ubi cardinalis factus eſt, ea integritate, quam in nunciatura præſtitit, non offendit. Dicent, excludi eum in Medicæorum gratiam. Id tantum abeſt, ut verum ſit, quemadmodum fere omnes norunt, ut ne quidem veri ſpeciem habeat; quod cuivis patet. Non exſtat exemplum, Hiſpaniam alterius cauſa favere alicui. Non tamen id dico, Sachettum male ſe geſſiſſe in nunciatura; ſed eum illo tempore hominem non Angelum, carne & oſſibus conſtantem, non vero puriſſimo ſpiritu, virtuti deditum, non autem ipſam virtutem fuiſſe: alias a ſe ipſa degeneraſſet nimium quantum Hiſpania, quæ hominem ſanctiſſimum oppugnaret. In tantum autem a majorum virtute defeciſſe eam nemo, niſi qui cum cohorte volante cogitationibus volabit, ſuſpicari poterit. Ut parum rebus ſuis faventem declaravit illum Hiſpania ipſi infenſa, reponent, in alio conclavi, quandoquidem cum pertinacia defenditur error, natus e ſuſpicione, quaſi Sacchettus Barbarinis, nunc odiis Hiſpanorum obnoxiis, faveat. Antehac ſane iidem Hiſpani revocarunt interdum excluſionem quam fecerant, verbi gratia Clementis IIX. Infenſus Hiſpaniis ille habitus fuit ob memoriam parentis Sylveſtri Aldobrandini, qui addictiſſimus fuit Paulo IV. miniſter, præcipuusque belli, quod a Pontifice adverſum Hiſpanos geſtum eſt, conſultor, atque ideo Hiſpaniæ maxime inviſus. Clemens, cur decreti facti eos pœniteret, nihil egit: adeoque illum debuerant ſemper habere pro excluſo, quem ſemel excluſerant. Idem accidiſſet Sacchetto, ſi non aliunde, quam ab odio Medicæorum, & affectu in Barbarinos, excluſio orta fuiſſet. Nil æque ac illorum, qui in promotione ſuo commodo ſtudent, affectum, cardinalis Sachetto prærogativam tribuere, equidem nullus dubito. Notum omnibus eſt, arctiſſima Imperialem cum Sachetto conjungi amicitia. Lomellinum, ut quocunque modo mortem fratris ab Hiſpanis patratam vindicet, utque adeo illis, quantum poteſt, ægre faciat, nulli operæ parcere conſtat. Manifeſtum eſt, Albitium multos e S. collegio odiſſe, nec eſt, cur illius ipſum pœniteat, odiis quorundam cardinalium apertis purpuram ſe obtinuiſſe profeſſum. Ab his vero cardinalibus, potiſſimis volantis factionis, digniſſimus papatu proclamatur Sacchettus. Sed teſtimonium ipſorum non ſufficit, cum meritis alicujus ſæpius præjudicium afferat teſtimonium illius, cujus commodum cum alterius cauſa connexum exiſtimatur. Ante hæc tempora cardinalium quidam excluſioni Hiſpanorum ſe oppoſuit, id conatus, ut quemvis alium rebus Hiſpanorum ſtudentem ad ſummum eveheret gradum. Sic in conclavi Urbani VII. a cardinale Montalto Sixti V. nepote perſvaſum fuit, in electione vicarii Chriſti ad iſtiusmodi incluſiones ſe excluſiones Hiſpanorum reſpicere, nil eſſe aliud quam denuo indignæ ſervituti Principum ſecularium, quorum imperio jam olim eccleſia per Dei gratiam ſe ſubtraxerit, ſe ſubjicere: non profligare iſtiusmodi prætextus, nil eſſe aliud, quam defectum zeli, qui Principes eccleſiaſticos maxime reddit glorioſos. Locus datus eſt perſuaſionibus. Montaltus, qui zelum libertatis eccleſiæ pietate in omnibus actionibus aliis glorioſa æquabat, uſum hujus ſententiæ in conclavi ſatis prorogato introduxit, magnæ animi conſtantia ſe opponens, ne quis e quinque, quos nominaverat Hiſpania, Pontifex legeretur: Madruccio Hiſpanorum duce contra nitente, neminemque, qui non ex horum numero eſſet, acceptante. Non tamen ideo quis meminit extare nunc ſcriptum aliquod, quod injuſtitiam prætenſionum Hiſpanicarum

carum explicet, aut quod hominibus ſimplicibus fidem faciat, omnes illos cardinales, qui in gratiam Principis potentiſſimi votum competitori, cætera ſummo pontificatu non indigno, dare negant, reos eſſe iræ divinæ, violatores libertatis eccleſiæ, obligatosque ad reſarciendum damnum, quod cardinalis aliquis dignus per illorum votorum defectum patitur. Sed & poſt multas contentiones tandem coactus fuit ſe ſubmittere Montaltus, & niſi fallor, cardinalis Comenſis, poſt Gregorius XIV. dictus, Papa factus fuit. Velit Deus, ut Regi potentiſſimo, qualis eſt Rex Hiſpaniæ, cujus armis innititur felicitas noſtræ religionis, locus in electione Papæ debeatur, cui cum omnibus ſuis populis ſponte ſe ſubmittit.

Cardinales in domum Pamphiliam ingratos voto ſuo juvare abnuit cohors volans, reſpiciturque in conclavi ad Dominæ Olympiæ merita; & tamen videtur abſurdum, quod in reſpectu tanti Monarchæ vota in exaltationem Sacchetti non convolent. Dici amat *factio Dei*, quæ Papam vult Sacchettum, quia ob proprium commodum non vult alium; nihilominus affirmatur, Regem Hiſpaniæ, qui quemvis alium, præter Sacchettum, vult, vim privilegiis conclavis facere. Cardinalis Albicius rumoribus excluſionem Hiſpaniæ differt: & tamen ipſe etſi ſimplex prælatus in proximo conclavi excluſionem duorum cardinalium Papabilium petiit. In promtu, dixeris, eſt reſponſio cardinali Albitio: illi erant indigni, Sacchettus vero eſt digniſſimus. Cui vero magis habenda fides, Regi Hiſpaniæ, cujus decreta prius ventilata ſunt in conſiliis ſtatus, examinata in congregationibus theologorum, quam in publicum prodeant; an vero homini, cui animi perſuaſio pro lege eſt, quove, quo voluntas ducit, impetu abripitur? Si ipſe conſcientiam ſuam mille teſtium vicem habeat, non quidem ſuo judicio errat aut decipitur; æquitas tamen poſtulat, ut alios quoque credere ſinat id quod ſynteresis illorum ſuadet. Videtur ſane nimis durum, excluſiones Cæſena quidem non tamen Madrito venire poſſe: culpari in Monarcha potentiſſimo, quod ſibi arrogans aſſeſſor ſacri officii applauſum meretur. Exaltationi iſtorum duorum cardinalium ſe opponere ſtuduit, aut ſui commodi cauſſa aut ex zelo in rem eccleſiæ. Poſterius non credet niſi ſtolidus quis Maronita; ipſi enim non injunctum eſt a cardinalibus officium explorandi merita aliorum, neque unquam addixit operam declarandis defectibus in indiciis, quæ faciunt parochiales antequam contrahantur matrimonia, aut epiſcopi priusquam aliquem ad ſacros ordines promoveant. Prius autem cum ſit verum & forte rectum, par utique etiam erat fateri, plus ad Regis quam privati cujusdam commodum reſpiciendum. Rogavit Albitius cardinalium quosdam, ne ſibi inimicos promoverent, idque eſſe laudabile; contendit a S. collegio Rex Hiſpaniæ, ne ſibi infenſum legant, & peccare creditur. Albitius preces ſuas velut ex animo odii amorisque cauſas procul habente profectas, utilitatique eccleſiæ unice conſulentes juſtas cenſeri, Regis vero Hiſpaniæ rejici ut ſacrilegas & directe contrarias communi eccleſiæ beneficio, non dubitat contendere. Perſuadere conatur Albitius omnibus cardinalibus imo omnibus hominibus opiniones illas, quas a Borromæo & Aquaviva hauſit; Omnes electores ſacri collegii in partes factionis volantis pertrahere laborat, ut, quod reapſe eſt impoſſibile, obtineat: - - - - *Quædam deſiderantur.*

De electione Urbani IIX. & Innocentii X.

Pontificum commentarii hiſtorici duo.

Adjecta ſunt nonnulla alia ejusdem argumenti cum

HERMANNI CONRINGII prooemio.

Sereniſſimo Principi ac Domino

RVDOLPHO AVGVSTO, AVGVSTI F.

Duci Brunſuicenſium & Luneb. Domino meo clementisſimo.

Felicitatem precor

HERMANNVS CONRINGIVS.

OMnes inter mortales, quos immenſus hic terrarum orbis innumeros comprehendit, nemo unus (τὸν θεάνθρωπον ſemper excipio) a condito eſt univerſo hoc repertus, qui non dico majora, ſed qui vel paria ſibi adſcripſerit, deque ſeſe credi voluerit, atque ab Hildebrandi usque temporibus fecit Romanorum Paparum pene quilibet. Pene inquam. Non enim certo conſtat num ſingulis probentur κύριαι δόξαι Romanæ aulæ: multis non probari, facit ſane veriſimile quorundam probitas & impietas aliorum. Nec vero quibus religio omnis ludus eſt, quales fuiſſe nonnullos docent nos monumenta, ſerio quidem hæc affirmaverint. Fortaſſis autem & aliorum virtus non tulerit hunc faſtum, præſertim ſi aliter fuerint ante edocti: cujusmodi & eſſe ſcripta ipſorum propria oſtendunt luculenter, & teſtimoniis aliorum dignis fide aſſeritur. Quicquid hujus ſit, quæcunque *Romana curia* (a) tot jam ſeculis de Papis ſuis orbi omni venditavit, illa profecto carent exem-

(a) *Romana curia*) Tempore concilii Baſileenſis & Conſtantienſis demum cœpit Romana curia ab eccleſia diſtingui, eo quod Pontifices nimis poteſtatem ſuam extenderent. Inde querelæ in curiſanos quos vocabant, ſive curiales, quæ re-

exemplo, ſi univerſum etiam hunc mundum & omnia retro tempora in contentionem adduxeris. Etſi enim magnum quid & mirandum fuerit in prophetis & apoſtolis, eamque præ aliis dignitatem ſibi quoque divinitus conceſſam Muhamed profeſſus fuerit; quantillum tamen hoc eſt præ illa poteſtate quam in ſacra & profana omnia univerſi terrarum orbis, imo in ipſos ſuperos & inferos, Pontifex ſibi arrogat! Tantam rem non temere credere, jubet ſane regula prudentiæ nobiſcum nata. Si enim omnino etiam in aliis minoris momenti negotiis veriſſimum eſt illud Epicharmi: *νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστῆν ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.* quanto magis opus eſt cauto in eo, quod quo magis exempli eſt unici, eo a fide eſt alienius! Et vero operam dandam eſſe quam maximam, ne fortasſis hic decipiaris, ipſamet rei magnitudo ſuadet & poſtulat. Unus ſane circa hæc error aliquot mille aliorum eſt parens, & vitam omnem trahit in devia, itaque te impedit, nec ubi pedem queas in ſolido vel tuto collocare. Eſt autem & hoc quaſi natura notum: firmis omni ex parte atque immotis argumentis niſi adſtruatur Pontificia illa poteſtas, neminem intelligentem aut poſſe aut debere in eam conſentire. Plurimum ſcilicet, admiſſa illa, omnes humanæ res publicæ privatæque, ab eo quod alias recepti & vulgo inter homines cogniti eſt juris, mutantur: temerarium autem fuerit nova illa & nusquam hactenus audita, omnemque fidem ſuperantia, ſpretis iis quorum ratio ab orbe condito omnibus fuit mortalibus probata, laudare & in uſum transferre. Quid, quod omnino perſuaderi nemini jure queat illa Pontificis potentia, niſi adſint quædam plane divina teſtimonia? Num ſane Deus O. M. ſingulatim conſtituerit univerſum hunc terrarum orbem, aut ſaltim quacunque diffuſa eſt ſancta ejus eccleſia, gubernare quodammodo per unum Romanum Papam, ab hominibus nobis ſciri non poteſt niſi hoc ſuum conſilium mundo propalaverit. Arbitrarium enim utique illud eſt, & quemadmodum ante Pontifices natos ſine tali *μοναρχίᾳ* mundum gubernari Deus eſt paſſus, ita & poſt mero ſane eſt arbitrio ejus relictum, unum aliquod toti mundo caput dare. Merito exigas igitur a Romanis Pontificibus miracula quæ appellamus aut opera plane divina, idonea nimirum ſignificare cœleſte hoc numinis conſilium, eamque Pontifici divinitus collatam admirandam poteſtatem: quippe cum hac una ratione ſoleat Deus fidem hominibus ſuo nomine quidquam profitentibus facere. Et vero quidni tale quid a Pontifice exſpectes, cum hiſce donibus ornaverit Deus prophetas ſuos & apoſtolos, qui longe minora de ſeſe quam Romanus Papa credi voluerunt? At cum talium operum patrandorum vim ſibi deeſſe ultro largiantur Pontifices, cui paulo prudentiori non ſtatim omne hoc negotium fiat ſuſpectum? Plane præter naturæ ordinem ſcilicet inſtituerit Deus mundi gubernatorem, eumque voluerit ab omnibus tanquam ſuum proregem coli, & tamen illum non ornaverit aliqua diviniori Majeſtate, qua tamen conſtat regentium auctoritas, imo ſubtraxerit illi vatibus & apoſtolis dari ſolita. Sed fortaſſe ſatis eſt ſi apoſtolorum aut prophetarum aliquis eam Papæ poteſtatem ſuo teſtimonio confirmaverit. Eſto. Etſi enim non fuerit ex dignitate rei, tamen tuto poteris omni ejuſcemodi teſtimonio fidem adhibere. Oportet vero ſi quod tale eſt, per id eſſe perſpicuum, ita ut jure nequeas cauſari aliquam obſcuritatem. Si ſane fuerit obſcurum aut difficile intellectu, non poteſt quenquam obligare ac habere inſtar legis. Eam enim debere eſſe cujuslibet legis dotem, quæ quidem vim obligandi velit nanciſci, inter ea eſt quæ homines ſine omni pene magiſtro didicimus. Quanto magis autem opus iſthac perſpicuitate in hoc Pontificis negotio: cum ſi ejus quidem ſententias admittimus, univerſum orbis Chriſtiani imo totius mundi regimen, ne quid dicam de ipſamet Chriſtianæ doctrinæ certitudine, quam item haud dubitant perquam multi a Pontificis Romani fide tanquam a paxillo ſuſpendere, longe aliter habere ſeſe debeat, atque recta nos ratio nullis ejusmodi ſententiis imbuta docet, & nusquam pene non uſu eſt receptum. Nec vero eſt quod dixeris, non teneri homines ad omnia iſthæc de Papa certo credenda. Ita vulgo ab iis etiam *qui Pontificis partes tuentur* (a) tradi haud ignoro ut nec a Papa id aperte improbari. Verum & Papa ipſemet conniventia iſthac ſuſpectum reddit negotium ſuum, qui enim non urgeat id quod divini eſt juris tantique momenti, ſi vere eſt tale?) & reliqui omnes illud luxant. Hoc enim dum affirmas, eo ipſo fateris Papam non eſſe lege divina inſtitutum Chriſti proregem, qualem ſeſe venditat. Omnes enim utique adſtringimur ad divinarum legum obſervantiam adeoque & certam fidem: multo maxime nefas fuerit in dubium vocare, ſi quæ Deus de eccleſiæ & mundi hujus regimine publico, imo de Chriſtianæ omnis doctrinæ unico *κριτηρίῳ* & norma infallibili ſanciverit. Quod ſi nulla divina lege nititur jus quod ſibi Papa arrogat, intoleranda profecto impietas ejus eſt, qui prætextu divinæ conſtitutionis proregiam illam divinitatem ſibi vendicat. Imo omnis illa Papæ arrogantia abs omni eſt ratione & divinæ voluntati repugnat, Nec enim in conſilii alicujus modum de tantis rebus vero eſt ſimile a Deo quid conſtitutum: ita ſane regimen publicum nullius quamvis exiguæ civitatis aut ſolet aut poteſt inſtitui. Igitur ſi Deus eam poteſtatem atque illa jura Pontifici contulit, factum illud eſt lege quadam, eaque diſerta ac omnibus qui obſervare illam tenentur cognitu facili. At profecto in iis codicibus, quos quidem novimus Sancto Spiritu moderante exaratos, ejusmodi legem nusquam reperias: imo de Pontifice Romano ne quidem *γρῦ* ullum, nullum veſtigium S. Petro apoſtolo dictum accepimus *ſuper hanc petram* & *paſce*

men tum temporis nondum errores in fide, ſed vitam & praxin Pontificum concernebant. Poſteris vero demum temporibus etiam inter Pontificios a RICHERIO & LAUNOIO in articulis fidei dijudicandis cœpit diſtinctio hæc adhiberi, cum tamen eccleſia a curia diſtingui nequeat docente BELLARMINO *tom. I. p. 290.*

(a) *qui Pontificis partes tuentur*) Ita AUTOR *defenſionis eccleſiæ* contra Claudium (qui non Arnaldus ut habent *act. erudit. Lipſ. an. 1690. pag. 18.* ſed Antecurtius eſt) *part. 1. cap. 5.* negat, eccleſiæ catholicæ dogmata eſſe infallibilitatem Papæ ejusque ſupra concilia autoritatem.

paſce oves meas: Ut autem hæc ad Papam trahas, (a) multis opus eſt & obſcuris ratiocinationum anfractibus uti: qui procul ſunt a natura legis. Ad hoc ipſemet ille ſanctiſſimus apoſtolus Petrus clariſſime ſignificat, in ſibi commiſſa ovium paſtione non latitare divinam quandam μοναρχίαν, ut qui plane eodem modo ſcripſerit omnibus ἐν διασπορᾷ presbyteris: *Paſcite qui penes vos eſt gregem Dei.* (*1. Petr. V.*) Utque petra ſuper quam ſtructurum ſeſe eccleſiam ſuam dixit Servator, ſit ipſe Petrus, ne quidem ita tamen apoſtolo illi eximium quid verbo iſto datum, arguit manifeſto S. Johannes in apocalypſi ſua, tradens murum urbis ſanctæ illius myſticæ, ſive eccleſiæ, *habuiſſe duodecim fundamenta, in quibus erant duodecim nomina apoſtolorum agni.* (*Apocal. XXII, 14.*) Lege quadam non ſcripta inſtitutam eſſe Papæ illam poteſtatem cui fiat veroſimile, qui novit *literas eſſe*, ut T. Livius loquitur, *unam cuſtodiam fidelis memoriæ rerum geſtarum*, nec dubitat Deum, quoad humanæ res patiuntur, optime caviſſe eccleſiæ ſuæ? Cui perſuaſeris, tot inter ſcriptis comprehenſa fidei & morum præcepta, ab apoſtolis nusquam factam mentionem ejus quod (ſi Romanæ curiæ credis) palmarium eſt, imo ipſummet primum Chriſtianæ fidei principium? Sed & illius ἀγράφου νόμου ſaltim aliquod leve veſtigium ſuperſit neceſſum fuerit in monumentis eccleſiæ primitivæ. Quin imo plena & illa fuerint oportet ejus legis & hinc ſecutarum conſuetudinum: quemadmodum hodie uſu cernimus fieri: quum illa ætas ut maxime pietatis fuit ita maxima reverentia Chriſti leges coluerit. Atqui nec de lege ejusmodi quadam usquam quidquam extat. Quod ſi attendas ad eccleſiæ regimen, quale illud ex priſcis monumentis poteſt diſci, nihil ibi μοναρχικὸν reperias, imo nec aliquod aliud unum commune univerſæ eccleſiæ regimen, ſed pro vinculo communi mutuam duntaxat cum fide caritatem. *Unus* ſcilicet erat tum quidem *epiſcopatus, ſed epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus*, ceu loquitur ſanctiſſimus Martyr Cyprianus. (*ep. 52.*) Nec vero difficile id definitu eſt, modo ſumma regiminis omnis publici capita, quemadmodum ſeſe habuerint circa rem eccleſiæ, obſervaveris. Perinde nimirum ut in civili omni republica in tribus quaſi collocata eſt forma cujuslibet πολιτείας, in eo quod κύριον vocant, in magiſtratibus, in judiciis, conſimili plane ratione neminem lateat eccleſiaſticæ reipublicæ ſpecies, ſi didicerit quem penes ſit vis νομοθετικὴ quod τοῦ κυρίου primum eſt, epiſcopi & presbyteri (qui ſunt magiſtratus eccleſiaſtici) a quibus & quomodo creentur, & denique eccleſiaſtica judiciorum poteſtas a quibus & qua ratione inſtituatur. Hæc tria univerſæ quidem eccleſiæ, ſi per complura eas ſecula, obſervaveris luculentisſime, non fuiſſe vel unius cujusdam ariſtocratici corporis; tantum abeſt, ut hæc jura fuerint penes unum aliquem & quidem Pontificem Romanum. Ipſa illa per provincias eccleſiarum conſociatio ſub capite uno metropolitano ſerius cæpit: nondum certo ita invaluerat cum *Cypriano* (b) crederetur, *ſingulis paſtoribus portionem gregis eſſe adſcriptam, quam regat unusquisque & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus:* item, *epiſcopatum unum eſſe, cujus a ſingulis in ſolidum pars tenetur:* ut &, *quemlibet epiſcopum ab alio judicari non poſſe, quemadmodum & ipſe alium non judicat.* Sed & ſole clarius ex hiſtoria eſt, diu poſt apoſtolorum ævum ſenſim creviſſe Romani Papæ cum auctoritatem tum arrogantiam, per latinam inprimis eccleſiam: & principe demum Hildebrando integram ſuam μοναρχίαν hactenus orbi terrarum ignotam, prodidiſſe. Verum de his latius agere extra inſtitutum eſt. Et vero, niſi vehementer fallor, jam tum liquet, quæ vendicant ſibi jura monarchica Papæ, illa a divino quodam inſtituto non proficiſci. In facili vero eſt idem quoque illud colligere vel ex Paparum omni vita ac moribus. Hi profecto clamant & omnibus faciunt manifeſtiſſimum, non tantum nihil humani a Papis alienum eſſe, ſed & eorum perquam multos vitiis eſſe contaminatiſſimos. At vero num, quem Deus ſigillatim ſuæ per omnem orbem diſperſæ ſanctisſimæ eccleſiæ præficit, non etiam ornaverit præ aliis & reddiderit conſpicuum ſingulari aliqua dote? Num Spiritus S. inhabitat impura pectora, qualia ſunt adeo multorum? Dixeris: hoc tamen illum habere eximii, quod fallere & falli in fidei morumque controverſiis neſciat. At hoc non omnino certum eſſe, nemo etiam fautorum Pontificis auſit diffiteri: nec enim hactenus defuere in ipſa illorum eccleſia, imo in ipſo Pontificum ordine, *multi præclariſſimi viri id qui negaverunt*, (c) & qui affirmant, adverſæ tamen ſententiæ hære-

(a) *Ut autem hæc ad Papam trahas*) Equidem verba ſuper hanc petram *TERTULL. de monog. c. 8. & de pudicit. c. 28.* & *ORIGENES tom. 5. in Job.* diſerte ad Petrum referunt, cujus ſucceſſores ſe jactant Pontifices. Verum nihiloſecius priſcæ eccleſiæ doctores monent quoque, Petro hic ſpecialiter ſaltim applicari, quod de omnibus dictum. Quin negat *TERTULLIANUS*, quod Petri privilegia ſibi vendicari queant illi, qui per ſucceſſionem quandam a Petro deriventur, quoniam Petro id tantummodo conceſſum fuerit, ut primus reſeraret aditum cœlorum, ſolvendi vero & ligandi poteſtas omnibus data ſit. Sic & probabile eſt *Joh. 21, 16.* Petro præter generalem eccleſiæ curam in ſpecie Judæos a Chriſto hoc loco commendari, quoniam gentiles tum nondum erant oves, uti *BERNHARDUS SANDENIUS differt. in h. l.* arbitratus *p. 22.* Itane vero Pontifex hodie Judæos paſcit? Commovit hæc ratio cum aliis olim etiam inter Pontificios *VALERIANUM MAGNUM*, ut ſtatuerit primatum Pontificis Romani ex ſolo ſacro textu nequaquam probari poſſe, quemadmodum alio loco quoque obſervavit CONRINGIUS. Unde monachus iſte vehementer quidem a Jeſuitis exagitatus fuit, qui tamen ſe in apologia contra impoſturas Jeſuitarum defendit, quam deinde aculeato ſcripto adortus eſt Erneſtus Haſſiæ Landgravius. Vid. SEB. SCHMIDII *tr. de Petro non Papa.*

(b) *Cypriano*) Libro *de ſimplicitate prælatorum & unitate eccleſiæ*, cui quidem nonnulla inſerta ſunt quæ primatum Petri ſuper reliquos arguunt. Verum JOH. RAYNALDUS Johanni Harto *in colloquio Londinenſi a.* 1580. ad oculum oſtendit, verba iſta ſubdititiæ fidei eſſe. Vid. *recenſio hujus colloquii cap. 5. pag. 326. c. 8. p. 144. ſeqq.* & SCHOCKII *cauſa papatus deſperatiſſima c. 36.*

(c) *multi præclariſſimi viri qui id negarunt*) Sane in concilio Baſileenſi ad unum omnes quorum ſententiam hodie ſequuntur doctores Sorbonici, quin ipſe etiam Adrianus VI. qui poſtea Leoni X. ſuffectus eſt, *in quartum librum ſentent. de ſacram. confirm. art. 3. §. ad ſec.* principale ita pronunciavit. Si per eccleſiam Romanam intelligatur caput ejus, puta Pontifex, certum eſt quod poſſit errare etiam in iis, quæ tantum fidem reſpiciunt, hæreſin per ſuam determinationem aut decretalem aſſerendo. Plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici.

hæreſeos notam inurere non audent, etſi hæreſi proximam profiteantur. Et vero qui fiat veroſimile, ea una parte infallibilem redditum Papam, de reliquo omni humanæ imbecillitati eſſe obnoxium? Notum vero actiones omnes humanas circa ſingularia occupari, adeoque & prudentiam, quæ humanas actiones dirigit, ſpectari quam maxime in ſingularibus illis, & in his quam maxime prudentia eſſe opus. Univerſalium enim prudentiam longe eſſe comparatu faciliorem. Singularium igitur rerum dirigendarum infallibili prudentia debuiſſet potius divinitus inſtructus eſſe Papa. Ita ſane demum præ aliis idoneus eſſet gubernandæ eccleſiæ Dei. Quem illa dote Deus non inſtruxit, qui illi uni immenſam iſtam molem univerſæ regendæ eccleſiæ commiſerit? Ad fidei morumque communem doctrinam non opus adeo eſt infallibili quodam judice. *In ſimplicitate enim fides eſt, in fide juſtitia eſt, in confeſſione pietas eſt. Non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæſtiones vocat*, ceu recte loquitur S. Hilarius. (*lib. 10. de Trinit.*) Jam vero fides illa ſemel tradita eſt, per Chriſtum ſcilicet & apoſtolos ejus. *Nobis autem curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Jeſum, nec inquiſitione poſt evangelium. Et in iis quæ aperte in ſcriptura poſita ſunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresque vivendi.* (*Tertul. l. de præſcript. Auguſt. l. 2. d. c. d. c. 9.*) Ad talia cognoſcenda cujuslibet piæ mentis captus ſufficit. Nequaquam enim audiendi illi qui, ut Papam ſuum extollant, eumque orbi neceſſarium oſtendant, cum ſcripturam univerſam obſcuritatis accuſant, tum cunctis hominibus eam tribuunt nativam ingenii ineptitudinem, quaſi certam nullam Chriſtianæ doctrinæ ſcientiam ſibi queant comparere. Alterum videlicet impium dictu eſt: alterum Pyrrhoniam ἐποχὴν invehit, adeoque ineptum eſt ac ſtultum. Etſi enim nemo non erroribus ſit obnoxius; non in omnibus tamen nec ſemper. Nec enim ſenſus noſtri fallunt aut falluntur circa ſuum quodlibet objectum proprium, & tametſi ſinguli circa commune objectum queant errare, univerſi tamen minime. Sunt quoque æternæ & immotæ & infallibiles, cum interpretandi ſermonem quemque tum ratiocinandi regulæ, quas ſi obſerves extra periculum eris aberrandi: obſervatu autem non adeo ſunt difficiles. Et vero qui vel certo ſcias quid Pontifex doceat, & num id quod docet veritati ſit conſentaneum, niſi ingenita ſint nobis ejusmodi κριτήρια? Ad hoc non clarius docuerit Papa quæ ad ſalutem æternam comparandam ſcitu ſunt neceſſaria, quam id factum eſt in ſcripturis: aſt harum auctores fidem ſibi certam pepererunt infinitis miraculis, Papæ nullo. Cum duo videlicet ſumma ſint capita quæſtionum, quæ circa doctrinam Chriſtianam poſſunt oriri, alterum quid Chriſtus agendum credendumve docuerit, alterum num id quod docuit vero ſit conſentaneum: nec prius nec poſterius a Papa commode hodie didiceris, optime autem ab apoſtolis, qui Chriſtum ipſum audivere, & tot miraculis certam ſibi auctoritatem conciliaverunt. Ita & non opus eſt præter ſcripturam alio quopiam novo judice aut infallibili doctore & tutius longe peti ab apoſtolis poteſt ſalutaris doctrina quam a Papa: præſertim cum ipſemet ſignum nullum divinæ illius ſuæ dotis quam venditat queat edere & ad ſcripturæ teſtimonium tanquam ad unicum aſylum in propria etiam cauſa provocet. Nihil ſane in vita omni & moribus omnibusque adeo Paparum deprehendas rebus, quod vel ſpeciem veri arrogatæ iſti infallibilitati multo minus immenſæ omni illi poteſtati queat facere. Imo omnia iſta ſpectanti jure merito plane aliud non poteſt non videri. Nec tamen multum opus eſt per omnia ire: attendat mihi nunc tantum pro ſe quisque ad ea quæ circa Paparum electionem ſolent contingere. Illa quemadmodum ſit inſtituenda etſi plurimum interſit eccleſiæ, ſi Papa is eſt quem ſe ſe vult haberi, nihil tamen neque per literas ſacras, neque alia qua traditione Deus Opt. Max. eccleſiæ ſuæ mandavit. Quod utique manifeſto indicio eſt, non majori illam curæ Deo eſſe, quam aliquam aliam epiſcopi quamvis contemti & tenuis. Et vero ut reliquorum epiſcoporum omnium ita & Pontificum electio humanæ eſt prudentiæ unice relicta: ac proinde omnibus etiam humanis vitiis æque eſt obnoxia. Imo eo illis eſt magis præ aliis tenuioribus obnoxia, quo dignitas ipſa eſt excelſior, adeoque in ambitum omnia magis pateſcunt. Hujus rei jam tum *ipſum quartum Chriſtianum ſeculum*, (a) quod tempus plurimum adhuc ſplendebat auro vetere, funeſtum ſpecimen dedit. Perinde ut alibi terrarum paſſim ita & Romæ tum erat præter clerum popularis juris epiſcoporum electio: discordantibus vero populi factionibus quantum in rem ſuam Damaſus & Urſicinus fuerint tum abuſi, pene pudet memorare. Ammianus Marcellinus (*l. 28.*) in hunc modum loquitur: *Damaſus & Urſicinus ſupra humanum modum ad rapiendam epiſcopalem ſedem ardentes, ſciſſis ſtudiis aſperrime conflictabantur, ad usque mortis vulnerumque diſcrimina adjumentis utrimque progreſſis. Conſtat in baſilica Sicinini, ubi ritus Chriſtiani eſt conventiculum, uno die CXXXVII. reperta cadavera peremptorum: efferatamque diu plebem ægre delinitam.* Adeo ferale quid neſcio an usquam alibi tum contigerit; nam etſi Alexandriæ a cæde mutua itidem tum non fuiſſe temperatum in electione epiſcopi, ex hiſtoriis eccleſiaſticis noverimus, non eo usque tamen excrevit malum. In provinciis & locis tenuio-

(a) *ipſum quartum Chriſtianum ſeculum*) Occaſio hujus certaminis hæc fuit. Erat antea inter Liberium & Felicem diſſenſio, ut alii ab hujus alii ab illius partibus conſiſterent. Hinc cum nova ſuſcipienda eſſet Pontificis electio, pars adverſa indigne ferens, ex communione Felicis electum eſſe Pontificem, una cum Diaconis Romanæ eccleſiæ conſpirans occupata Sicini baſilica contra Damaſum elegit Urſicinum, natione Romanum, unde cruenti tumultus exorti, quorum culpam in Damaſum ejusque ambitionem conjecerunt AMMIANUS MARCELLINUS & FAUSTINUS, alii in Urſicinum, qui noluerit cedere, adeo ut etiam urbe pulſus conventum in ſuburbiis egerit, in cryptis arenariis, ut populum foveret diſcordem, donec autoritate Imperatoris cedere fuerit coactus. Id certum eſt manſuetudinem Damaſi laudari ab *HIERONYMO epiſt. 49. ad Innocent.* & ab *AMBROSIO ep.* 30, ejus electionem judicio Dei factam aſſerente. Interim tamen ex hoc exemplo, quas turbas etiam tum temporis electiones Pontificum concitaverint, ſatis apparet.

tenuioribus ſcelus ejusmodi haud legas perpetratum. Eoque Ammianus ſcriptor gentilis quidem & minus caſtigatæ eloquentiæ, quem tamen ab animi integritate & prudentia laudaveris, addit: *Neque ego abnuo, oſtentationem rerum conſiderans urbanarum, hujus rei cupidos ob impetrandum quod appetunt omni contentione laterum jurgari debere: cum id adepti futuri ſint ita ſecuri, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis inſidentes, circumſpectè veſtiti, epulas curantes profuſas, adeo ut eorum convivia regales ſuperent menſas. Qui eſſe poterant beati revera, ſi magnitudine urbis deſpecta, quam vitiis opponunt, ad imitationem quorundam antiſtitum provincialium viverent: quos tenuitas edendi potandique parciſſime, vilitas etiam indumentorum & ſupercilia humi ſpectantia, perpetuo numini veriſque ejus cultoribus ut puros commendant & verecundos.* Vsque vero adeo hic tumultus fuit vehemens, ut cum ab exquæſitore Palatii Viventio non poſſet componi, a Cæſare Præfecto vrbis Prætextato, viro magno quidem ſed gentili, committi debuerit. Hic eſt ille Prætextatus, de quo Hieronymus: (*epiſt. ad Pammach. de erroribus Joan. Hieroſolymitani*) *Prætextatus, qui deſignatus conſul eſt mortuus, ſolebat ludens beato Papæ Damaſo dicere: Facite me Romæ urbis epiſcopum & ero protinus Chriſtianus.* Poſt illa aliquamdiu minus turbarum habuit electio, quod populi factiones Cæſarum Regumque Italiæ auctoritate nonnihil compeſcerentur. Etiam ita tamen ſchismati omni, & turbulentis imo cruentis comitiis non eſt cautum, ceu de cauſa Symmachi primi notum eſt, & in tantum invaluit ambitus, ut de illo temperando jam tum Bonifacius Cæſarem Honorium per ſupplices literas rogaverit & hic lata lege conſtituerit, ſi duo Romæ ſciſſis populi ſtudiis ordinentur, utrumque pellendum urbe: quam Cæſaris conſtitutionem, Dionyſio Exiguo curante, ipſimet Papæ codici canonum Romano veteri inſeruere, unde in decretum Gratianus tranſtulit. Quibus vitiis *Symmachi Papæ ætate* (a) comitia iſta laboraverint, non aliunde opus eſt ut diſcamus, quam & ex hiſtoria ejus & verbis concilii Romani adverſus epiſcopalem ambitum tunc habiti. A Juſtiniani Cæſaris & Papæ *Vigilii* (*cujus ingreſſus tamen*, ſcribente Onuphrio (*ad Vigil. Platina*) *parum legitimus fuit*, (b) *cum præter eccleſiaſticas regulas, prædeceſſore Silverio vivente, per vim pontificatum Romanum occuparit*) ad Benedictum usque ſecundum modeſtiora nonnihil fuere comitia, quod electus nemo conſecraretur Papa niſi eam ratam ante habuiſſet Conſtantinopolitanus Imperator. Non tantum enim id reipublicæ profuit, cujus intererat, ut *Imperator certus eſſet* (verba ſunt doctiſſimi Onuphrii (*ad Pelag. II. Platin.*) *de conditionibus novi Pontificis, cujus tum maxime eſſe auctoritas cœperat, Imperatoribus præſertim Italia abſentibus, ne aliquo Pontifice factioſo vel Imperatoris hoſte ordinato, urbs & Italia eo auctore ab orientali imperio deficeret:* Sed tranquillitatis etiam eccleſiaſticæ, ut popularibus clerique ſtudiis in ordinem redactis minus valeret in comitiis ambitus. Eoque cum veteri licentiæ frenum iterum imprudenter laxaſſet Conſtantinus Cæſar Heraclii pronepos, non multo poſt Cæſares quidem illi imperio exuti ſunt per Papas, comitia autem Papalia graviter turbavere, imo ipſi Papæ nulla Cæſarum auctoritate amplius muniti populi & cleri ſui petulantiæ ſunt expoſiti. Nonnihil omnia hæc in melius rediere, Cæſarea in Papæ cum electionem tum mores auctoritate revocata, & translata in Francos: at illa iterum paulo poſt concidente ſimul & omnia eccleſiaſtica Romæ collapſa ſunt. *Neſcio quo fato accidiſſe dicam*, ait Platina, (*in Formoſo I.*) *ut una cum induſtria Imperatorum ſimul etiam Pontificum virtus & integritas defecerit: quæ quidem tempora infeliciſſima eſſe arbitror, cum auctoritate Platonis tales ſoleant eſſe reliqui cives quales ſunt in republica principes.* Cæterum cauſam tanti mali ille idem Platina indicat *de Sergio III.* (c) agens: nempe *quod non extarent qui Paparum vitia coercerent*; Idem paulo ante (*in Bened. IV.*) ſcripſerat in hanc memorandam ſane & gravem ſententiam: *Sanctitate & doctrina, quæ non niſi magnis laboribus conſummataque doctrina comparantur, Pontificum decus ſine ullis opibus primo quidem auctum eſt inter tot hoſtes & obſtinatos perſecutores Chriſtiani nominis: mox vero ubi cum opibus laſcivire cœpit eccleſia Dei, verſis ejus cultoribus a ſeveritate ad laſciviam, peperit nobis tanta licentia peccandi, nullo principe flagitia hominum tum coercente, hæc portenta, a quibus ambitione & largitione ſanctiſſima Petri ſedes occupata eſt potius quam poſſeſſa.* Hæc Platina: recte etiam id notans, non homines amplius ſed portenta quaſi fuiſſe ejus temporis Papas. Qua in re nihil illum affectibus dediſſe non etiam illi, qui Papas quam maxime ornandos ſibi ſumſere, audent diffiteri. Cardinalis Baronii, (*anno 897.*) viri profecto maximi, de illo tempore verba ſunt: *Intruſi in cathedram Petri, ſolium Chriſti, ſunt homines monſtruoſi, vita turpiſſimi, moribus putidiſſimi, usque quaque fœdiſſimi.* Alibi ait, (*anno 900.*) *intruſa eſſe viſu horrenda monſtra.* Exclamat alias: (*idem anno 912.*) *Quæ tunc facies ſanctæ eccleſiæ Romanæ! quam fœdiſſima: quum Romæ dominarentur*

(a) *Symmachi Papæ ætate*) Symmachus in ſchismate cum Laurentio electus fuit, neceſſumque habuit, ut judicio Theodorici Regis Ariani legitimus declararetur. Proinde ut inpoſterum ritu majorum omnia rite fierent, ſynodum Romæ coegit, in qua ſtatutum ut Pontifex legitime decerneretur, qui nova lege poſthac ambientium procacitatem retunderet decreto anathemate in eos, qui ſuperſtite Pontifice eoque inconſulto de ſucceſſione futuri tractarent, teſte *ANASTASIO*, cui addatur *tom. III. concil. edit. Paris.*

(b) *Vigilii, cujus ingreſſus parum legitimus*) Sed neq; Sylverii natione Campani ingreſſus legitimus fuit, cum a Theodorico Rege vi & pecunia ad Pontificatum intruſus ſit, referente Anaſtaſio, etiamſi Baronius ab hoc crimine eum liberare conetur, tum quod Liberatus qui hisce vixit temporibus, nullam mentionem Simoniæ fecerit, tum quod Sylverius Vigilio ſuæ ſedis invaſori in libello ſententiæ quem de ipſius condemnatione conſcripſit, crimen Simoniæ magna cum fiducia objecerit, nunquam id facturus, ſiquidem ipſe tanti criminis reus extitiſſet. Cæterum quomodo vivente adhuc Sylverio Vigilius per Theodoram Imperatricem Conſtantinop. & Beliſarium intruſus fuerit, ea conditione ut Anthimum & Severum hæreticos reſtitueret, de eo pluribus legatur *PALATIVS in vita Sylverii.*

(c) *de Sergio III.*) *Hic Papa*, ait *MARTINVS FVLDENSIS in chronico*, quod habetur *tom. I. corporis hiſtorici Eccardiani, inter cætera horribilia quæ de eo referuntur, Chriſtophorum ſuum anteceſſorem jam monachum factum incarceravit.* Idem refert *RICOBALDVS l. c.* additque quod in ultionem repulſæ ſuæ Formoſum de ſepulchro extractum & in ſede Pontificali ſacerdotaliter indutum decollari & in Tiberim jactari præcepit, addatur *ANNALISTA SAXO l. c. p.* 236.

narentur potentiſſimæ æque ac ſordidiſſimæ meretrices? (a) *quarum arbitrio mutarentur ſedes, darentur epiſcopi, & quod auditu horrendum & nefandum eſt, intruderentur in ſedem Petri earum amaſii pſeudopontifices, qui non ſunt niſi ad conſignanda tanta tempora in catalogo Romanorum Pontificum ſcripti. Quis enim a ſcortis hujusmodi intruſos ſine lege legitimos dicere poſſet Romanos fuiſſe Pontifices?* Item: *Qualesnam rerū delectos ab hisce monſtris presbyteros & cardinales fuiſſe putandum? cum nihil tam natura inſitum ſit, quam unumquemque ſibi ſimilem generare.* Idem (*anno 900*) quum de Stephani in ἐπισκοπὴν violenta dixiſſet invaſione, addit: *Ita quidem omnia Romæ tam ſacra quam profana factionibus miſcebantur, ut penes illam partem eſſet promotio ad apoſtolicam ſedem Romani pontificis, quæ potentior appareret: ut modo Romanorum proceres, modo Hetruriæ principes intruderent ſeculari potentia quem vellent, & dejicerent quem poſſent Romanum Pontificem a contraria factione promotum; quæ toto hoc ferme ſeculo ſunt actitata, quousque Germaniæ Imperatores Othones medii interceſſere, utrique parti contrarii, arrogantes licet & ipſi ſibi pariter Papæ electionem atque electi dejectionem.* Hactenus ipſemet Baronius. Ingenue ſane confeſſus integrum ferme ſeculum horrendis illis vitiis fuiſſe pollutum ab Ottonibus demum facta aliqua in melius correctione, quos immerito tamen accuſat alicujus circa Papas arrogantiæ. Et vero ab Ottonibus nonnihil eſt remedii collapſis Paparum rebus additum, *quum Leo VIII.* (b) *Romanorum inconſtantiam pertaſus* (verba ſunt Platinæ *l. 8.*) *auctoritatem omnem eligendi Pontificis a clero populoque Romano ad Imperatorem tranſtuliſſet.* At vero cum Cæſares ſuo iſthoc jure raro uterentur, atque ita ad Romanos eligendi facultas rediret, parum profecto fuit iſti eccleſiæ, ipſismet etiam Ottonibus vivis, conſultum, nec niſi quando a Cæſaribus Pontifices darentur. Itaque ne tum quidem monſtra illi ſedi præeſſe deſierunt. De hisce ipſis, teſte Gerberto, (*l. de ſyn. Rem. cap. 28.*) tum Remorum archiepiſcopo inde Papa Sylveſtro id nominis altero, dixit in Remenſi ſynodo Arnolphus Aurelianenſis: *Num talibus monſtris hominum ignominia plenis, ſcientia divinarum & humanarum rerum vacuis, innumeros ſacerdotes Dei, ſcientia & vita meritò conſpicuos ſubjici decretum eſt.* De illo qui tum temporis ſedit *Papa Joanne XV.* (c) ſubjunxit: *Quid hunc reverendi patres, in ſublimi ſolio reſidentem, veſte purpurea & aurea radiantem, quid hunc inquam eſſe cenſetis? Nimirum ſi charitate deſtituitur ſolaque ſcientia inflatur & extollitur, Antichriſtus eſt, in templo Dei ſedens & ſe oſtendens tanquam ſit Deus. Si autem nec charitate fundatur, nec ſcientia erigitur, in templo Dei tanquam ſtatua tanquam idolum eſt, a quo reſponſa petere marmora conſulere eſt* Increvit vehementer poſt Ottones malum, ſecutis Cæſaribus emendando vitio imparibus, donec monſtroſo exorto triplici capite, Henricus Tertius vi facta in remedium eccleſiæ illi conſulere adactus eſt. Platina (*in Greg. VI*) ait: *Henricus in Italiam cum magno exercitu veniens, habita ſynodo cum Benedictum nonum, Sylveſtrum tertium, Gregorium ſextum, tanquam tria teterrima monſtra* (d) *abdicare ſe magiſtratu coegiſſet, Suidigerum Bambergenſem epiſcopum, cui Clementi ſecundo appellatio fuit, Pontificem creat.* Ipſam porro eligendorum Pontificum rationem priſtinam coacti ſunt optimi Cæſares nonnihil mutare. Qua de re idem Platina; (*in Clem. II.*) *Henricus* (e) *accepta a Clemente imperii corona, Romanos in verba ſua jurare coegit, Pontificum electioni ſe nequaquam interfuturos, niſi juſſu Imperatoris id facere cogerentur. Videbat enim Imperator eo licentia factioſum quemque & potentem quamvis ignobilem deveniſſe, ut corruptis ſuffragiis tantam dignitatem conſequeretur: quæ certe niſi ſanctitate & doctrina bene meritis volente Deo demandari cuipiam non deberet.* Ex eo meliores ſolito Pontifices aliquot ex Germania a Cæſare ſubmiſſi ſunt: Hinc *Onuphrius ad Clementem II.* (f) Platinæ notat: *quatuor ſequentes Pontifices, viros quidem ſanctiſſimos, optimos & de Dei eccleſia bene-*

(a) *potentiſſimæ & ſordidiſſimæ meretrices*) Hac de re pluribus egit LOESCHERVS libro, quem inſcripſit: *Hiſtorie des Römiſchen Huren-Regiments.*

(b) *quum Leo VIII.*) Ceſſionem hanc Pontificis ex diplomate antiquo recitat *KRANZIVS 4. Saxon. c.* 10. Sed contra veritatem ſive αὐθεντίαν hujus plura excipit PALATIVS *vol. 2. p.* 133. *ſeqq.* urget potiſſimum conſtitutionem Othonis apud Gratianum d. 64. qua prohibetur, ne quis legatorum imperialium vel alius cujuscunque ſit conditionis, electionem audeat impedire Romani Pontificis ab eaque removere eos, quos ad illam conſtitutio SS. patrum & antiqua conſuetudo vocaverit. Poterunt autem iſta, ut opinor, facile conciliari, ut electio quidem certo ordini relicta, nominatio tamen & confirmatio Imperatori fuerit a Leone attributa. Verum de hoc argumento alibi latius actum.

(c) *Papa Johanne XV.*) De eo *MARTINVS FVLDENSIS in chronico* ita: *Hic uti Caſentinus dixit, epiſcopus propter ſuam tyrannidem vitam male finivit*, nec non *ANNALISTA SAXO tom I. operis hiſtorici p.* 365. Johannem hunc Apoſtaticum vocat, qui non tanquam paſtor, ſed uti lupus vaſtandam ſuſceperit eccleſiam Placentinam, quam cum aliquot annis tenuiſſet, in tantum ſe elevaverit, ut ipſam B. Petri ſedem Antichriſti membrum effectus fornicando magis fœdaret, quam venerando inſederet.

(d) *tria teterrima monſtra*) De Benedicto IX. ſane refert RICOBALDVS *in hiſtoria Pontificum Roman.* apud ECCARDVM *tom. I. p.* 1213. *Iſte Benedictus nepos ſuperioris Benedicti apparuit juxta molendinum cuidam in ſpecie cujusdam monſtruoſi animalis, cujus caput & cauda erat aſini, reliquum corpus ut urſus, cumque conſpector auffugeret, clamans monſtrum poſt ipſum dixit: Noli me expaveſcere. Sicut me hominem fuiſſe, ſicut tu es. Sed ſic me repræſento, ſicut olim infelix Papa beſtialiter vixi.* De Gregorio VI. autem non modo RICOBALDVS, ſed & MARTINVS FVLDENSIS & HERMANNVS CORNERVS *in chronico*, aliique unanimi fere ore referunt, quod cardinales eum ſepulchro in eccleſia B. Petri, quoniam ſanguinolentus fuerit, indignum judicaverint, quamvis poſtea facto ibi miraculo cum honore ſepultum commemorent, & de cætero ut bonum & ſanctum Papam collaudent.

(e) *Henricus*) Unde ſchisma Henricianum Romanæ curiæ addictis dicitur, quod in eo ſecundum ipſos conſiſtit, quod electionem Pontificis ſibi arrogarent Imperatores vili eccleſiæ ſervitute, quam poſtea in libertatem vindicaverit Gregorius VII.

(f) *Onuphrius ad Clementem II.*) Nihil quidem hujus extat apud Onuphrium ad Clementem II. Id tamen certum eſt, hunc Pontificem cum ſequentibus Damaſo II. Leone IX Victore II. Stephano X. boni commatis fuiſſe. Damaſum quidem vi & ambitu ſedem uſurpaſſe ſcripſit PLATINA; JOH. autem PALATIVS *vol. 2. p.* 251. illum defendit. Leo IX. ante pontificatum ſemper bonus Bruno dictus fuit. In Victoris II. manibus Henricus III. Imper. animam efflavit, hujusque Imperatoris de cætero alloquium ad archipræſules de tollenda Simonia apud GLABERIVM *lib. 5. c. 2.* lectu dignum eſt.

benemeritos ex Imperatoris Henrici III. auctoritate creatos conſtat. Quo uno Onuphrii teſtimonio licet confutare calumniam cum aliorum tum & Stapletoni, quaſi a Cæſaribus intruſa ſint in Romanam ſedem illa hujus temporis *καρκινώματα.* Certe Henrico illo Cæſare mortuo, & adhuc puero Henrico IV. cum electio popularis iterum irreperet, coactus fuit *Nicolaus II.* (a) & Benedictum factione nobilium contra leges ac vitio creatum pellere, & hanc legem oppido ſalubrem ferre: *Si quis pecunia vel gratia humana aut populari militarive tumultu, ſine concordi & canonica electione cardinalium fuerit in throno Petri collocatus, is non apoſtolicus ſed apoſtaticus merito vocetur, liceatque cardinalibus clericis & laicis Deum colentibus illum ut prædonem anathematizare, & quovis humano auxilio a ſede apoſtolica propellere, atque quovis in loco, ſi in urbe non liceat, catholicos hujusce rei cauſa congregare. (Plat. in Nic. II.)* Eam legem flagitavere mores ſtatim atque fibula Romano populo aliquantulum fuit laxata, & adhuc ſuperſtite Cæſarum circa electiones Paparum auctoritate. Hanc vero omnem paulo poſt e medio tulit Hildebrandus, iniquiſſimo canonum prætextu: quippe qui magnam partem non aliam habeant vim quam qua leges valent quas poſitivas nuncupamus, eoque etſi fortasſis aliud iis olim fuerit conſtitutum, non tamen eſt nefas ab illo abire exigente id eccleſiæ uſu qui ſuprema omnium regula eſt. Id quod paulo poſt aperte confirmavit Innocentius ſecundus, *quo auctore populus Romanus* (b) a Pontificiis comitiis teſte Onuphrio (*ad Innoc. II. Plat.*) omnino excluſus eſt & ad ſolos cardinales Pontificis electio, paulatim cleri etiam primoribus omnino excluſis vel in cardinalium collegio cooptatis redacta: hoc enim utique repugnat & canonibus & moribus univerſæ antiquæ eccleſiæ, & tamen, quantum judicio poſſum aſſequi, non abs re ita eſt conſtitutum, populo Romano nimium quantum vitiis contaminato, adeoque ad eligendum Papam nequaquam idoneo. Nec tamen etiam ita omni ex parte conſultum fuit electioni ad Eugenium III. in hæc verba ſcribit Bernhardus: (*l. 4. de conſ.*) *Quem dabis mihi in tota maxima urbe, qui te in Papam receperit, pretio ſeu ſpe pretii non interveniente?* Schismata quoque varia ſunt exorta & ejus pertinaciæ diſſidia, ut nova lege *in conclavi aliquo recludendos electores* (c) *Gregorius X. ſancierit.* (d) Paulo ante ſane Clemente IV. vita functo *cardinales* (verba ſunt Onuphrii *ad Gregor. X. Plat.*) *qui tunc in curia Romana præſentes erant numero ſeptemdecim, in creatione futuri Pontificis diſſentire cœperunt, electionisque ratio adeo diſcordiis agitata eſt, ut prope in triennium protraheretur. Sæpius ſiquidem congregati negocium conficere nulla ratione valuere, dum unusquisque ipſorum ad Pontificatum adſpirans, nemini cedere vellet. Quo interim tempore ad curiam Romanam Viterbium venerunt Philippus Francorum & Carolus Siciliæ Reges, collegiumque pro celeri & matura Pontificis electione rogantes, parum profecerunt, ſed rebus infectis reverſi ſunt. Tunc Joannes epiſcopus cardinalis Portuenſis videns cardinalium pertinaciam, iis in comitio exiſtentibus & Spiritum Sanctum invocantibus, publice dixit: Domini diſcooperiamus tectum cameræ hujus, quia Spiritus Sanctus nequit ad nos per tot tecta ingredi. Qui etiam cum Papam Gregorium renunciatum animadvertiſſet, hos de ejus electione verſus edidiſſe fertur:*

Papatus munus tulit archidiaconus unus,
Quem patrem patrum fecit diſcordia fratrum.

Poſtremo poſt longiſſimum duorum annorum menſiumque novem interregnum, quod maximo reipublicæ Chriſtianæ malo fuit, a Viterbienſibus propemodum coacti, cum diſcordantibus animis ut unum ex ſe eligerent fieri non poſſet, tandem per viam compromiſſi (e) *in ſex cardinales facti in Pontificem maximum renunciaverunt Theobal-*

(a) *Nicolaus II.*) Ejusdem diploma, quo Henrico IV jus ſuum ſuper Pontificis electione confirmavit, legitur apud GRATIANVM *in c. In nomine d.* 23. quod Romanæ aulæ addicti ſaltim de privilegio Imperatori dicto interpretantur.

(b) *quo autore populus Romanus*) Alias Alexander III. primus fuiſſe perhibetur, qui in concilio generali decreverit, ut ille canonice electus cenſeretur, in quem duæ ex tribus cardinalium præſentium partes conſentiſſent, excluſo cleri & populi conſenſu, juxta *c. Licet. 6. de elect.* qui modus deinde confirmatus eſt & plenius ſtatutus *c. ubi periculum eod. in 6. & in Clem. Ne Romani eod.*

(c) *in conclavi recludendos electores*) Antea enim cardinales vel in templo S. Petri aut Lateranenſi congregabantur, donec a. 1270. Gregorius X. conclave ordinaret ea lege, ne inde ante electionem egrederentur, quoniam electio Viterbienſis paulo ante diutius quam par erat, duraverat. Eſt autem hoc conclave, uti ex ceremoniali Romano conſtat, in palatio Pontificis Vaticano, cujus deſcriptionem vide *in itinerario curioſo per Italiam,* quod Friburgi Germanice prodiit *a.* 1701. *p.* 196. *ſeqq.* nec non in HVNOLDI PLETTENBERGII *notitia congregationum & tribunalium curiæ Romanæ pag.* 76. *ſeqq.* Inventio conclavis tribuitur cuidam e nobiliſſima Sabelliorum familia, unde illi in præmium hujus inventi conceſſum fuit, ut caput hujus familiæ hæreditario jure ſit conclavis Mareſchallus. Vid. PLETTENB. *l. c.*

(d) *Gregorius X. ſancierit*) Seſſione V. concilii Lugdunenſis a. 1274. ſancivit Gregorius, ut elapſis a Pontificis morte diebus 10. ſive venirent cardinales ſive non, ſecretum conclave ingrederentur, qui ſingulos tantum clericos ac laicos duosve, ſi alicujus requireret evidens neceſſitas, ad familiare colloquium adducerent, obſeptis undique omnibus aliis aditibus, ut cum nullo colloqui, neque literas ab aliquo recipere poſſent intentato in legis violatores anathemate. Cumque tres effluxiſſent dies, ſequentibus aliis quinque uno tantum ferculo contenti eſſent, quibus præteritis panis, vinum & aqua ipſis tantummodo apponerentur, nec aliquid ab ærario acciperent Pontificio, donec Pontificem renuntiarent.

(e) *tandem per viam compromiſſi*) Inter modos, quibus electio Pontificis fieri conſuevit, quique per conſtitutiones Gregorii XV. & Urbani VIII. approbati ſunt, alius eſt, qui fit per inſpirationem, alius per compromiſſum, alius per votorum pluralitatem. Prior eſt, quando cardinales non ſecus ac ſi a Spiritu Sancto fuiſſent inſpirati, in unum omnes conſentiunt, de quo ante non cogitarunt. Alter eſt cum paucis ex numero ſuo delectis facultatem eligendi Pontificem concedunt. Ultimus vero hodie poſt Gregorianam conſtitutionem uſitatior eſt. Vid. *ceremoniale Romanum* in fine a Conringio additum, & PLETTENBERGIVM *p.* 97. 98. Cæterum præter Gregorium X. per viam compromiſſi electus etiam eſt Clemens IV. a. 1265. & Johannes XXII. a. 1316. uti tradit BARBOSA *jur. eccl. lib. 1. c. 1. n.* 96. quorum poſterior tamen, cum facto in ejus perſonam compromiſſo ſe ipſum elegerit, proinde hæc ratio electionis deinceps in deſuetudinem abiit. De modo aſſumtionis vid. CONRING. *præf. ad elect. Alex. VII. p.* 41.

Theobaldum vicecomitem, extra collegium cardinalium (a) *& abſentem.* Hæc omnia Onuphrius: quæ in medium adducere viſum operæ fuit pretium, ut appareat quid tandem conclavi conſtituendo occaſionem cauſamque dederit. Quanquam vero Gregorianas illas de conclavi leges merito laudes, *Hadrianus tamen V. & Joannes XXI.* (b) eas iterum abrogaverat, eoque ſex ordine Pontifices extra conclave ſunt creati usque ad Bonifacium octavum. Etiam hic vero licet in conclavi creatus ſuo exemplo oſtendit, quam etiam conclave parum aptum ſit electioni Pontificum intra limites recti coercendæ. Platina (*in Bonif. IIX.*) utique teſtatur, *adeo illum cum adhuc cardinalis eſſet dignitatem Pontificatus exoptaſſe,* (c) ut nil ambitione & fraude prætermiſerit, quod ad eam rem conſequendam pertinere arbitraretur. Conclave reſtitutum non emendaſſe priſtinos cardinalium mores, ſed electionem Paparum etiam ita plurimum perinde fere ut antea laboraſſe, cum ſchiſmata varia magis quam opineris manifeſtum faciunt, tum crebra illa & diuturna interregna. Quid? quod nusquam ante ita a ſchismate male habuerit ſeſe Romana ſedes ac poſt Bonifacium: quippe quorum unum integros quinquaginta annos, ſuccedentibus ſibi per factiones Pontificibus aliquot, duraverit, ſumma cum omnium Europæ rerum perturbatione. Cum ſtupore legas quæ cum alii tum inprimis *Theodericus de Niem,* (d) ſcriba ejus temporis Pontificius, ſingulari libro eſt perſequutus: qui etſi hodie per indicem expurgatorium eſt proſcriptus, a fidei tamen & doctrinæ præclaro illo Onuphrio *(ad Petrum Platin.) egregii voluminis* titulum promeruit. Sed & hiſtoriæ Pontificum, ab ipſismet eorum clientibus & Pontificio nomini ſtudioſiſsimis deſcriptæ, non ſilent alios perquam multos, qui malis artibus Pontificium ipſo in conclavi impetraverint. Quin imo *illæ crebro hactenus repetitæ, & variis modis anxie huc illuc flexæ de conclavi leges,* (e) vitia comitiorum numquam non repullulantia, quamvis ſtudioſe omnia legas, in claram lucem producunt. Perpetuum ſcilicet eſt illud Platonis oraculum, legum multitudinem morum corruptelam comitari: illa ſane minime fallax hujus indicium eſt. Quod ſi vel leviter ipſos in mores conclavis animadvertas, jure merito pronunciaveris, vix quenquam Paparum eligi, ſi non pretio ſaltim ſpe pretii, ut dicebat ad Eugenium Bernhardus, non interveniente. Qua enim alia de cauſa non vitæ ſanctimonia non ſacrarum rerum peritia ullam munit ad Papatum viam, ſed ſola liberalitas & a magnorum principum ſtudiis non alienus animus? Qui adeo candidatos ſenectus commendat? *Nihil magis in votis habent,* ait doctrina probitate & fide perinde illuſtris Thuanus, *populus in urbe & cardinales in conclavi, quam ut brevis ævi Pontifex creetur:* (f) *dum hi ad illud faſtigium adſpirant & crebra mutatione in ſpem ejus adipiſcendi eriguntur; populus autem qui ædium direptionibus gaudet, cum aliquis a collegio plerumque falſo Pontifex renunciatur, id quotidie evenire exoptat.* Quei fit, cur ſolis hodie Italis pateat, cum aliarum

(a) *extra collegium cardinalium*) Valere enim electionem, etſi quis extra collegium cardinalium in Pontificem eligeretur, docet BARBOSA *lib. 1. jur. eccl. c. 1, 2. 46.* atque ita non modo Gregorius X. ſed & Eugenius III. ex abbate, Cæleſtinus ex ſolitudine vocatus nondum ſacris initiatus in Pontificem electi ſunt. Vid. PLETTENBERGIVM *l. c. p.* 69. Ita & *itinerarium curioſum per Italiam p.* 204. refert, poſt mortem Alexandri VIII. honoris gratia abbatem Fuldenſem & alios tum temporis extra numerum cardinalium ad Pontificatum denominatos fuiſſe.

(b) *Hadrianus V. & Joannes XXI.*) Referente Jordano Hadrianus quidem conſtitutionem Gregorii de reſtrictione cardinalium abrogare voluit, ſed morte præventus cœptum opus non abſolvit. Eo autem mortuo cardinales commiſerunt archiepiſcopo Corynthi, ut palam faceret conſilia defuncti Pontificis; ſed cum illis a Viterbienſibus fides denegaretur, hi in arctiorem cuſtodiam compegerunt cardinalium collegium, quibus in anguſtiis tandem illi in Petrum epiſcopum Tuſculanum, qui poſtea Johannes XXI. dici voluit, conſenſerunt; atque is demum illico Gregorianam conſtitutionem ſuſpendit, judicesque deſignavit, qui in præſules inquirerent, cupiditate viſendi novum Pontificem populum Viterbienſem in cardinales concitantes. Vid. PALATIVS *vol. 3. p. 58. 78.*

(c) *adeo illum dignitatem Pontificatus exoptaſſe*) Non tacet quoque præter alios de ambitu hujus Bonifacii, antea dicti Benedicti, MARTINI FVLDENSIS *chron. in corpore hiſtorico Eccardiano tom. 1. p.* 718. Cum enim de diſſidiis poſt obitum Nicolai IV. exortis retuliſſet, addit, Carolum Regem Siciliæ collegium cardinalium pro creatione ſummi Pontificis rogaſſe, ideoque dura verba cum Benedicto Gajetani cardinali miſcuiſſe, qui tunc forte ad papatum aſpiraverit. Porro quando de Cœleſtino Pontifice agit, qui a cardinalibus, ut papatu cederet, propter imminens eccleſiæ periculum exſtimulatus fuerit, addit, *id forte feciſſe cardinales potiſſimum ad perſuaſionem & inductionem domini Benedicti, qui quaſi totam curiam regebat & forte ad papatum aſpirabat.* Tandem poſt multa alia quæ faſtuoſum & arrogans hujus Pontificis ingenium poſſint arguere, concludit his verbis: *Ex prædictis igitur patet, quod idem Papa intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus eſt ut canis.* Ex his autem poſtremum illud, quod mortuus fuerit ut canis, illuſtrat HERMANNI CORNERI *chronicon*, quod habetur *tom. II. operis hiſtorici p.* 963. ubi poſtquam retulit, quod Bonifacius VIII. carceri tandem mancipatus carnes ſuas propriis dentibus laceraverit, ſalutare hoc addit monitum. *Ex hoc igitur exemplo omnes prælati ſuperiores dediſcant, ſuperdominari clero & populo, ſed ad inſtar Gregorii ex animo curam gerere ſubditorum & plus amari appetere quam timeri.* Idem ſatis aperte oſtendunt AMALRICI AVGERII *hiſtoria Pontificum l. c. pag.* 1795. necnon magiſtri VULGERII *verſus in Bonifacium Papam & mores cleri p.* 1850. *ſeqq.*

(d) *Theodericus de Niem*) Non mirum. Sunt enim indices librorum expurgatorii interdum adeo inepti, ut quid prohibere debeant, neſciant ipſi, imo ipſas quoque Paparum bullas damnare nonnunquam non erubeſcant, quod a. 1604. factum eſſe refert *ab* HOHENEGG. *in hiſt. papatus* §. 289. & ex eo *FRANCVS tr. de indicibus expurgatoriis.*

(e) *illæ crebro repetitæ de conclavi leges*) Poſt Gregorium X. plurima etiam ad legitimam Pontificis electionem ſpectantia ſtatuerunt Clemens V. *in concilio Viennenſi a.* 1310. *in Clement. Ne Romani eod.* Clemens VII. *conſtit. cum chariſſimus a.* 1529. Paulus IV. *conſtit. cum ſecundum a.* 1554. Pius IV. *conſtit. in eligendis, a.* 1562. Gregorius XV. & Urbanus VIII. de quibus ipſe Conringius alibi legendus.

(f) *quam ut brevis ævi Pontifex creetur*) Nimirum ne quis forte 25. annum Petri fatalem eccleſiæ Romanæ, uti ominantur, attingat, vel ut maturior ſpes ſit ſuccedendi, vel ne cognati Pontificis durante ejus longiore imperio nimis inſoleſcant altioresque ſpiritus capiant. Proinde non eligitur Pontifex junior aut 18. annorum, qualis fuit, numerante Baronio, Johannes XIII. cum eligeretur.

rum omnium gentium injuria, ad papatum aditus, niſi quod cardinales illius populi ſicut numero potiores ſunt, ita ſuis rebus maximum hinc fructum ſperent? Quid movet hodie Hiſpanum, Gallum, Hetruſcum & alios, ut magno redemtos ære cardinales, ſuæ quisque factionis alat, quorum ſuffragiis Papam inveniat ſtudiis ſuis ſaltem non inimicum? Ridicula ſane eſt ſimplicitas *Petri Matthæi JCti* (a) *(l. 7. decr. tit. 3. c. 3. in notis.)* illius qui ſeptimum decretalium librum congesſit, quando ſcribere non dubitavit: *Tanta integritate inauguratio Pontificis peragitur, ut nihil ſanctius nihil incorruptius judicetur: quamobrem leges in comitiis conclavis obſervantur pro electione Papæ religioſisſime: obſervatur & fides, ut eluceſcat omnibus quam longe abſit a fuco & ambitu, tum Simoniaca pactione.* Mirum vero, niſi hæc homini imperitia rerum & cœca ſuperſtitio expreſſerint. Magis mireris, eam utriusque vim eſſe tanta in rerum luce & uſu adeo frequente. Quæ fides in conclavi obtineat multo rectius Thuanus (*l. 100. hiſt.*) obſervavit, notans in Gregorii XIII. electione ita cardinales mutuo ſibi dediſſe verba, ut *ex ea occaſione verba conclavis quaſi ſubleſtæ fidei plena in proverbium abierint.* Verum Matthæo & ejus ſimilibus forte haud injuria ignoſcas; ſit enim ruditas pro excuſatione: at qui conclavis artium rerumque eſt gnarus, ille profecto nequaquam, ſi quidem ſapit, paria ſenſerit. Leve ſane & ineptum indicium eſt intercedentis electioni Spiritus Sancti, quod illa contra primam eligentium exſpectationem identidem eveniat. Quei enim fieri aliter poteſt, in illa diſcordia omnium & ſciſſis ſtudiis, inque illo conclavis tædio & moleſtia? Si de peſſimo tyranno conſtituendo comitia ejusmodi haberentur, num alio illa ſucceſſu queant procedere? Quanto veroſimilius ſpiritu hujus mundi agitari comitia illa dixeris, ubi ſanctimoniæ poſthabita ratione, omnia commodis & incommodis profanarum rerum & ducuntur & æſtimantur! Quicquid tamen hujus ſit, utque interdum dirigat illa comitia Spiritus Sanctus, (interdum inquam: ſemper enim id fieri quamvis ſuperſtitioſiſſimus & imperitiſſimus non dixerit) tamen vel ſola illa, quæ circa Paparum electionem contingunt, ceu jam ante diximus, liquido demonſtrant, non eſſe eum Papam, quem illum Romana curia orbi venditat ſanctiſſimi numinis unicum in hisce terris proregem, unicumque Chriſtianæ fidei infallibile columen, ac ſine quo eccleſia ſalva eſſe nequeat. Quei enim ille ſit adeo orbi neceſſarius, ſine quo & orbi & eccleſiæ per complures annos imo per integrum ſeculum & quod excurrit ſua ſalus conſtat? Utique enim interdum nullus eſt Papa, interdum illegitimi complures, quod perinde cenſetur ac ſi nulli ſint. Quei proregem ſuum & fidei δημιουργὸν per ſchiſmata orbi terrarum & eccleſiæ præficiat Deus, quæ nonnunquam ea ſunt ut nemini hominum conſtare poſſit quisnam tandem verus ſit Papa? De ſui temporis ſchiſmate ita conqueſtus olim eſt Joannes Gerſon, (*Serm. de ſignis ruinæ eccleſ.*) prudentiæ, probitatis & doctrinæ laude inter primos tum clarus: *Ad tantam ambiguitatem univerſalis eccleſia devenit, quod ignoravit apud quam partem vera ſedes romana erat, niſi forſitam Deus alicui revelaſſet aut Salomonis judicium de puero dividendo & vera ac falſa matre hoc perſuaderet.* Et vero quis hic non aberret, cum ipſosmet Papas ejus rei ignaros eſſe manifeſto ipſi prodant numeris nominum ſuorum: Liquido certe hinc patet, alios atque alios ex Antipapis in ἱερατικῷ ordine cenſeri. Sic Urbanum VI. Urbanus VII. & VIII: *ejus Antipapam* (b) Clementem VII. Clemens VIII. & IX. *Gregorium XII.* (c) ejusdem nominis decimus tertius, quartus & quintus: Gregorii Antipapam Alexandrum V. Alexander VI. agnoſcunt. Alios adducere eadem ratione disſidentes nihil attinet. Quo magis laudaveris Germanos noſtros, qui Eugenio & Felice Papis quondam contendentibus neutri adhæſere, neutraliſtæ hinc dicti! *etſi* ut recte judicat *Platina*, (d) *(in Nicol. V.)* *ea res Romanæ ſedi eſſet perniciſioſſima, & cum magna imminutione majeſtatis Pontificiæ conjuncta.* Quei porro vix aliter quam per vetitas artes aut prava ſeculi ſtudia proreges ſuos conſtituat Deus, quos tamen ſimul velit devotisſime ab omnibus coli? Atqui natura abhorret animus pius ab eo, quem impie conſtitutum noveris. Quei velit Deus a belluis & meris monſtris orbis univerſi & ſanctæ ſuæ eccleſiæ ſalutem conſervationemque ſuſpendere? Agnoſcimus Dei indignationem in tyrannis: ſed aliunde virtuti cautum eſt. Agnoſcimus & verbera Dei in perverſis epiſcopis; ſed nequaquam ab iis dependet eccleſiæ ſalus perinde ut a Papa creditur ſuſpenſa, & in promptu ſemper ſunt divina eloquia quæ pium gregem in ſemita detineant ne aberret. Quei poſtremo velit Deus obligari homines ad id ut Papæ tanquam Dei vicario obediant, cuius tamen electio ſi non fuerit legitima, non pollet ille Papali auctoritate, nec poteſt interim non merito ſemper cuivis eſſe ſuſpecta num ſit legitima nec ne, ſi ſtudia eligentium videas & cupiditatem eorum qui eliguntur? Ut taceam quam ſit incertum, num vel cum intentione baptizantis Papa ille ſacro ſit fonte initiatus: quod tamen ipſemet Papa ceu neceſſarium quid exigit. Imo quam ſit dubium, num qui eligunt cardinales non ſint vitio creati.

Multos

(a) *Petri Matthæi JCti*) De hujus ſuperſtitione videatur *PANCIROLLI'S libro de claris legum interpretibus.*

(b) *ejus Anti-Papam*) Clemens VII. Urbanus VI. fuit Anti-Papa electus a cardinalibus Gallis, quod dicerent Urbanum vi creatum, vi etiam coronam Pontificatus accepiſſe, cum electio illa & coronatio in loco minime tuto ſit habita, in qua liberæ deberent eſſe hominum voluntates, libera ſuffragia, cum contra ipſi a populo Romano coacti ſint Italicum potius quam Gallicum creare; referente PLATINA *in vita Urbani VI.* quem de cætero minime laudat, ſed mortuum ait, paucis admodum mortem ejus, utpote hominis ruſtici & inexorabilis deflentibus, cujus ſepulchrum adhuc conſpiciatur cum epitaphio ſatis ruſtico & inepto.

(c) *Gregorium XII.*) Eo enim & Benedicto XIII. abrogato cardinales 23. in concilio Piſano a. 1409. ſubſtituerunt fratrem Petrum Philargi ordinis Minorum, archiepiſcopum Mediolanenſem, poſtea Alexandrum V. dictum, quem ob eruditionem, liberalitatem & magnitudinem animi laudat Platina.

(d) *Platina*) *p.292.* refert, *Nicolaum V.* antea Thomam Sarzanum dictum, ab Eugenio cum Johanne Garragialla poſtea cardinali S. Angeli dicto in Germaniam miſſum fuiſſe ad tollendum Baſileenſe concilium & neutralitatem. *Neutrales* enim, ait, *ideo ſunt Germani dicti, quod neque Felicis neque Eugenii dictis obtemperarent. Quas ob res eccleſia Dei multas & maximas calamitates incurrebat cum imminutione majeſtatis Pontificiæ.*

Multos ita creari certum eſt; ſed & quei aliter creentur in diuturno ſchiſmate quando ipſimet Papæ ſibi non conſtant? Enimvero qui unum illud ſerio perpendit, quam bene DEVS velite eccleſiæ ſuæ, quamve ex adverſo ea ratio, quam in Papis eligendis videmus obtinere, inepta ſit ad id ut *ἀνυπεύθυνος* aliquis unus Prorex divinus, & unus quis Chriſtianæ fidei falli neſcius arbiter conſtituatur, non poteſt non ſaltim ſuſpectum reddi id omne quod Papæ vulgo adſcribitur; imo ſi contendat cum aliarum civitatum quarumlibet hæc Romana comitia, neſcio an uſpiam averſam adeo numinis curam queat deprehendere. Non ſane in hunc modum Prophetas & Apoſtolos olim legit Deus: omnis illa miſſio divinitatis aliquid præ ſe ſe tulit: Papæ miſſio nihil minus habet, & tamen ille Apoſtolis ac Prophetis reapſe major cenſetur. Ita vero uti diximus habere ſe ſe etiam hodie, poſt tot ſeveras & merito laudandas leges, comitia illa, nemo intelligens poteſt dubitare, niſi ſuperſtitione ductus ipſimet ſibi velit imponere. Quam ipſa nuperrima bina, quæ Urbanum octavum & decimum Innocentium præbuerunt, nequicquam contra nitente Gregorii decimi quinti bulla, nihilo pleriſque aliis rectius ſe ſe habuerint, & tametſi non fuerint peſſima, a virtute tamen & ſanctis eccleſiæ canonibus plurimum diſceſſerint, ipſæ illæ hiſtoriæ, quas libellus hic comprehendit, clariſſime exponunt. Te ſane nihil horum latet, ſcio, princeps Rudolphe Auguſte; indubie enim ut alia omnia quæ univerſo geruntur orbe sereniſſimi patris cura ſtudioſe accipis, ita & Papalia negotia, quandoquidem creduntur tanti & multos adeo dementant, non pateris a conſcientia tua aliena eſſe. Eoque non in id ego mitto commentarios hoſce, quo tu ex iis diſcas quod Te hactenus fugit, ſed uti illuſtri exemplo tuo etiam alii ad ejusmodi & legenda & curate expendenda invitentur. Niſi autem vehementer fallor, etiam qui rerum minus quam par eſt ſatagunt, circumſpicient ſolito attentius & ad hæc quoque advertent, ubi a tuis etiam ſtudiis non aliena hæc eſſe intellexerint. Fiet autem id ipſum magno eorum commodo: quippe cum unum hoc pene ſatis ſit vel retinendo alicui in regia hac veritatis via, vel aberranti in eam reducendo. Commendaverit autem fortaſſis haud injuria tales libellos ea etiam quæ præclaris omnibus ingeniis inſita eſt, varios hominum mores & omnis generis diverſa inſtituta cognoſcendi cupiditas. Et vero tanquam in ſpeculo optimo hic videre eſt fraudes, dolos & *σοφίσματα*, quibus in comitiis poteſt alicubi eſſe locus. Quis etiam paulo curioſior non ſtudeat arcana illius reipublicæ pernoſcere, quæ omni pene mundo facit fucum, & quam latiſſime, etiam poſt tantam jacturam, per orbem univerſum dominatur, eſtque hodie omnium omnino celeberrima? Certe ignorare hæc etiam is non debet, qui ad plenam imperii Germanici notitiam adſpirat: ſaltim ut intelligat quo nunc denique reciderit priſca Cæſarum circa Pontifices conſtituendos auctoritas. Me profecto mirifice hæc delectant; ac proinde ubi ſenſero non diſplicere tibi, Princeps Optime, conſilium meum, aliosque ductu quaſi tuo ad ejusmodi ſtudia allici: dabo operam ut alia quamplura curiæ Romanæ ſacra *χρήματα*, & occultæ impetrandi diteſcendique artes, omnium oculis exponantur. Invitabis me etiam iſthac tua gratia, ut auſim aliquando gravioris curæ ſcriptum in illuſtriſſimum tuum nomen elucubrare. In præſens Deum veneror, uti celſitudinem tuam Germaniæ univerſæ, cumprimis vero huius terræ tuæ avitæ, quin imo & academiæ Juliæ commodo, in plurimos annos ſoſpitem felicemque tueatur.

AD BENEVOLVM LECTOREM.

Quas tibi hic exhibemus LECTOR binas Papalium electionum hiſtorias, debemus induſtriæ & laudabili ſane curiſiotati, qua fertur in variarum rerum publicarum notitiam virtute non minus ac doctrina quam genere eximius juvenis Franciſcus Henricus Witzendorffius, Lyneburgenſis patricius; qui eas in Italico itinere nactus, verſas latine nobis edendas tradidit. Auctorum nomina ignorari non eſt mirum; cum omnis ejusmodi ſcriptio lege ſit vetita. Indubie vero ex conclaviſtarum, quos appellant, ordine fuere; a quibus vulgo ejusmodi ſcripta ſolent proficiſci. Fidem omnium præſtare non eſt noſtrum; ſed & vix fieri poteſt, ut in tam callida verſutiæ humanæ palæſtra ſtudia omnium & arcanas ſingulorum artes aſſequaris. Quum tamen nihil præter ſolitum hic occurrat (eadem enim in omnibus conclavibus fabula agitur, mutatis duntaxat perſonis) nihil cauſæ videmus, quare ſaltim de pleriſque merito ſubdubites. Adjunximus Gregorii XV. bullam, quam de Pontificum electione noviſſimam promulgavit, quo lux major hiſtoriæ affulgeat, utque ſimul luculento exemplo appareat, quam ſe ſe verſutia & cupiditas hominum, quibus cruda virtus & pietas non eſt cordi, nullis quantumvis exquiſitis legibus in rationis gyrum patiatur redigi. *Damus autem illam* (a) (ne de fide dubites) qualem in opere ſuo archontologiæ coſmicæ edidit neſcio quis Gallus minime ſane Proteſtantibus addictus & poſt illum J. L. Gothofredus *Lottini* (b) (hominis Itali & qui non diverſus videtur ab illo Volaterrano cui Marcellus II. Papa unum ſuorum trium, quæ hactenus obtinuerat, ſacerdotiorum, conceſſit, Onuphrio Pannonio teſte) diſſertatio legi cumprimis meretur, quoniam breviter, etſi nonnihil confuſius & cum quadam obſcuritate, omnes

(a) *Damus autem illam*) De hac bulla Gregorii XV. inter alios *JOH. PALATIVS de rebus geſtis Rom. Pontif. volum. IV. p.* 534. ita. De canonica electione Pontificis decretum eſt Gregorii XV. ut per ſecreta ſuffragia Pontifex eligeretur ab omnibus expetitum, a multis tentatum, a nemine perfectum: Hoc ipſe ſua manu conſcripſit & publicavit; quod ſic uti conceptum, integrum & intactum Vrbanus VIII. ſucceſſor ejus ut electione ſua comprobaverat, ita peculiari conſtitutione confirmavit. Decretum hoc notis illuſtravit Italicis HIERONYMVS GHETTVS ordinis Eremitarum S. Auguſtini generalis.

(b) *Lottini*) *ONVPHRIVS in vita Marcelli p.* 397. Tria quæ obtinebat ſacerdotia Criſpo & Saraceno cardinalibus & Johanni Franciſco Lotino epiſcopo Volaterrano donavit.

omnes omnino artes ſacri illius conclavis nos docet, idque poſt multa facta experimenta. Ed ita illa typis jamdudum eſt primum quidem Italice, quemadmodum eam auctor ipſemet conſcripſit, Mediolani ipſo anno ſeculari ſexto decimo, una cum diſſertationibus aliis politicis quamplurimis in volumine, cui *theſauro politico* eſt nomen: inde cura Caſparis Ens latine reddita, mutilatim tamen, inſerta eſt eodem nomine operis parti primæ, per eadem tempora & Philippo Honorio ſatagente Italice ac latine cum aliis prodiit Francofurti: nec multo poſt ab Nicolao Bello in diſſertationum politicarum tomum primum eſt cooptata. Ex eodem volumine adjunximus ſimilis argumenti neſcio cujus Itali diſſertationem, ſcriptam circiter annum 1585. excerptamque ex alia majori: quæ Enſio tomi primi apoteleſma ſecundum uſurpatur, Honorio tomi item primi altera eſt relatio, Bello autem diſcurſus eſt decimus primi itidem ſegmenti. Partim vero illa confirmat quæ a Lottino ſunt dicta, partim & alia habet non contemnenda: quanquam & nonnulla poſt mutaverint, ut quod de Gallorum circa electionem Papæ ſtudiis narrat. In eodem opuſculo de Sixti V. electione etiam multa diſſeruntur; ſed illa non addidimus: non quod non & illa lectu ſint digna, ſed quoniam pari jure & aliæ multæ ejusmodi conclavium hiſtoriæ debuiſſent addi, id quod procul eſt a noſtro inſtituto, quibus id unice eſt propoſitum, clariſſimis documentis oſtendere, conclave pontificium antiquis moribus & morbis hodieque agitari, quantumlibet illi curando ſedulam operam poſt alios Gregorius XV. impenderit, atque adeo meliorem ejus faciem non eſſe fortaſſis in iſta vitiorum colluvie quod ſperet Chriſtianus orbis. Tantum majoris lucis ergo ex Onuphrii Panvini, luculentiſſimi ſane ſcriptoris & rerum pontificiarum peritiſſimi, notis doctiſſimis quas ad Platinæ Pontificum hiſtoriam anno ſeculi ſuperioris quadrageſimo ſeptimo edidit, ſubjunximus ad ultimum excerpta nonnulla de conclavis legibus, quas ille compendio in unum collegit: Unde ſaltim hoc diſcere eſt, quemadmodum ad iſtam usque ætatem omnia illa ſeſe habuerint.

Hiſtoria electionis Vrbani VIII.

Finitis more majorum exequiis (a) defuncti Pontificis Gregorii XV. celebrataque miſſa Spiritus ſancti in Baſilica S. Petri, cardinales die 19. Julii mane ad conclave in palatio Vaticano ſolenni ſupplicantium ritu iverunt. Ubi cum dies conſalutationibus atque orationibus a principum legatis exemptus eſſet, quinta hora noctis ſe concluſerunt numero quinquaginta duo cardinales. Tot enim tum Romam venerant. Quibus poſtea tres acceſſerunt: ita ut tandem numero fuerint quinquaginta quinque. Sed quoniam Andreas Perettus cardinalis morbi cauſa exierat, ut domi ſuæ curaretur, electioni pontificis tantum quinquaginta quatuor interfuere. Ex quibus triginta ſex duas illas tertias conſtituerunt, quas juxta antiqua decreta ſuffragiis oportebat concurrere. Exiſtimabant omnes electionem illam longiorem & cum majori difficultate ac contentione quam ſuperiores conjunctam fore. Et vero hujus opinionis tres apparuere rationes. Prima erat, modus ille electionis recenti bulla Gregorii XV. introductus, quo ut libertati eligentium & occultationi ſuffragiorum cautum erat, ita numerus eorum ad electionem ſufficiens vix confici poſſe videbatur, ſectante unoquoque ſuam ſententiam ſuumque commodum. Altera ratio fuit diſſimilitudo & diſcrepantia opinionum Burgeſii & Ludoviſii, qui principes duarum primariarum factionum erant. Hæc enim exorta ineunte pontificatu Gregorii, occaſione variarum multarum offenſionum, ita excreverat, ut prudentes metuerent, ne in conclavi cum gravi eccleſiæ damno in apertam & capitalem erumperet diſcordiam. Tertia ratio multitudo cardinalium fuit eorum, qui per ætatem & varia merita digni pontificatu exiſtimabantur, quorum quisque ſuis adjumentis confiſus, alia atque alia via aditum ſibi ad illam dignitatem pollicebatur. Sed quod unicuique ſuum impedimentum, nonnullis etiam plura eſſent, eo incertior conjectura de futura electione videbatur. Quod clarius apparebit, poſtquam conditiones cardinalium pontificatus capacium, & quænam ſingulis obſtare potuerint, expoſuero.

Seniores

(a) *Finitis more majorum exequiis*) Defuncto Pontifice hæc potiſſimum ſolent eſſe ſolennia, quæ obſervantur. Secretarii Datariæ aliique qui ſigilla habent, deferunt illa ad cardinalem camerarium, qui ea coram auditore aliisque cameræ miniſtris ac generali quæſtore frangi jubet, uti & annulum piſcatoris aureum pondo circiter centum nummorum, cujus fragmenta ad magiſtrum ceremoniarum pertinent. Porro eleemoſynarii Papæ & pœnitentiarii S. Petri lavant cadaver defuncti & diſponunt, ut exponatur populo in templo S. Petri. Cardinales interim incedunt cum Rochetto diſcooperto & Mozetta pro more Pontificis in ſignum jurisdictionis, ordinantque ad ſtatum regiminis vacante ſede ſpectantia. Abſentibus vero cardinalibus ſtatim per ſecretarios ſignificatur obitus Pontificis, iique ſi electioni intereſſe velint, per 10. dies expectantur, intra quod tempus conclave extruitur, exequiæ defuncti habentur, aliaque ſiunt ad electionem præparatoria. Exequiis deſtinantur novem continuo dies in Baſilica Vaticana, iisque 10. millia ducatorum impenduntur, quo tempore corpus defuncti in ſacello, quod vocant, ſanctiſſimi ſacramenti clathris ferreis oecluſo expoſitum manet, nono & ultimo die autem habetur oratio in laudem defuncti Pontificis & exequiæ concluduntur. Quibus finitis cantatur a collegii decano ſacrum de Spiritu S. ab aliquo deinde ad hoc conſtituto habetur oratio de eligendo Pontifice, ac tum præcedente magiſtro ceremoniarum cum cruce papali ante muſicos capellæ pontificiæ cantantes hymnos: veni creator ſpiritus, ſequuntur ordine bini ac bini cardinales, præeunte decano primum epiſcopi, deinde presbyteri, poſtremo diaconi cum cappis ſuis violaceis atque ſic conclave ingrediuntur. Quod cum intrant, recta ſe ad capellam Sixti IV. conferunt, ibique preces fundunt, & prælectis bullis Pontificiis jurant ſe obſervaturos ea quæ illis continentur. Deinde recipiunt ſe in cellas ſuas & ſumto prandio ad ſignum campanæ revertuntur ad Sixti capellam, ubi tunc in manus decani juramentum deponunt, inde ad cellas reverſi ad colloquium admittunt legatos aliosque curiales usque ad horam tertiam poſt ſolis occaſum, poſt quam ſigno campanæ dato omnes qui ad conclave non ſpectant, egredi tenentur, adhibitis facibus anguli & latebræ omnes luſtrantur, ne quis ultra conſtitutum numerum maneat, & ſic conclave clauditur.

Seniores cardinales (præter Sfortzam, qui & collegii cardinalium & aliorum opinione incapax habitus eſt) tres a Sixto V. creati erant, Saulius, Montius & Borromæus. Hi ratione ætatis & reliquarum dotium vulgo quidem iſto loco digni credebantur. Saulius ſane rerum uſu conjuncto cum inſigni calliditate in rebus civilibus famam viri prudentis acquiſiverat. Sed objecerunt alii prudentiam illam magis imperio ſeculari, quam eccleſiaſtico accommodatam eſſe, quippe in quo ſæpe altioribus principiis humanæ prudentiæ regulas oporteat oppugnare. Offendit etiam plures pertinacia ejus, qua neglectis publicis reprehenſionibus quendam ex famulis ſuis, modis inauditis evehebat, in quo tamen nihil tam immodico affectu dignum reperiebatur, ſed nec exiguum ei impedimentum attulit immicitia familiæ Aldobrandinæ, quæ a cardinale Petro ad cardinalem Hippolytum quaſi per ſucceſſionem delata, quo magis premebatur, eo magis verendum erat, ne opportune erumperet & amplitudinem ejus ſufflaminaret. Montio obſtitit opinio vitæ non modo ante ſed & poſt adeptam cardinalitiam dignitatem liberius actæ. Quæ nullis eximiis virtutibus compenſata dignitati ejus perpetuo obſtaculo futura credebatur. Hoc amplius ei nocuit ſuſpicio, in quam apud Hiſpanos propterea venerat, quod familia Montiorum ex Gallica Borbonenſi originem trahere ferebatur. Eam ſane ipſe etiam auxerat, quoniam duci Ferdinando olim a partibus Henrici IV. ſtanti a conſiliis ſecretioribus fuerat. Neque parum obfuit, quod ejus pontificatu familiæ Mediceæ magnus cumulus potentiæ acceſſurus videbatur. Unde æmulatio cum alios tum cardinalem Sabaudum ſine dubio adduxiſſet, ut eum palam oppugnarent. Denique adverſaria ei fuit fama parſimoniæ, quæ cardinali tantæ dignationis haud conveniebat. In Borromæum propter integritatem morum ab ineunte ætate ſervatam notamque omnibus, & quod exemplar eximii viri eccleſiaſtici ſemper fuiſſet, ejusmodi objectiones non quidem ceciderunt. Sed tamen loco illarum intelligentes in opinionibus ejus ſummum ſtudium ſingularitatis, cum obfirmata quadam pertinacia deprehenderunt. Quæ quoniam pluribus contentionibus cum præfectis Regis de jurisdictione anſam dederat, mota ab iis Regi ſuſpicio eſt, illum regno Hiſpaniæ non bene velle.

Ex iis quos Clemens creaverat cardinales, tres ad pontificalem dignitatem idonei ſecernebantur, Bandinus, Ginnaſius, & Madruzzius. Quorum iſte cum ad uſum rerum imperii, ingenii vim & promptitudinem naturalem attuliſſet, multi qui tantum ad externa reſpiciebant, opinionem ſummæ prudentiæ in omni genere actionum de eo conceperant. Studuerat & ipſe imprudenter hanc famam augere : non intelligens tam virtutes eminentes, quam nullas vim habere excludendi aliquem pontificatu. Sed nec defuere alia ſpecialia & firma obſtacula. Nam Burgeſius commotus ſuſpicione ſuper conventiculis, quæ cardinales adverſæ partis tempore Gregorii apud illum habebant, indignatusque eosdem gloriari ſe ſede proxime vacante illum facturos Papam, nunquam cum iis ſtatuerat conſentire. Tum & Medicæus clam ei adverſabatur, non tam ex ea ratione, quod Bernardus Bandinus olim princeps fuiſſet conjurationis in perniciem Juliani Medicæi factæ, quam quod recentiori tempore Johannes patruus ejus, cum parum reverenter dominam Leonoram Toletanam allocutus eſſet, a marito Coſmo Magno Duce in carcerem conjectus, & propter certas rationes ad ſtatum publicum pertinentes, usque eo detentus fuerat, donec provecta ætate tandem ibi vitam cum morte commutaret. Magis etiam omnium memoria vigebat, quod Ferdinandus cardinalis, poſt magnus dux, ſe haud benevolum illi familiæ declaraverat, dum contra Horatium Balduinum, fratrem cardinalis, clam ſuſciperet defenſionem Neronis Neræi, a quo ille in rixa quadam injuriam acceperat. Creditur porro nec Aldobrandinus cauſæ ejus favere. Nam tum ſciebat Clementem pœnituiſſe promotionis ad cardinalitiam dignitatem, tum compererat, eum in caſu Medili, cum Papa Paulus gratiam delicti tacere cupiens principem Aldobrandinum captivum detineri & cauſam judicio agi vellet, ſententiam rogatum in alia omnia iviſſe, quo favorem Burgeſii aucuparetur, & ad pontificalem dignitatem viam ſibi muniret. His obſecuturus erat & Ludoviſius, cujus rationes non ferebant ut voluntati eorum in hoc negotio adverſaretur. At nec Savellius hic ſe otioſum ſpectatorem præbuiſſet, qui ſimultates inter familiam ſuam & iſtum propter litem Andredocii ortas plane cognitas habebat. Sabaudus autem præter cæteros eundem oppugnaturus erat, propterea quod inter illos non conveniebat de ratione fructuum percipiendorum ex abbatia Caſænovæ in Pedemontana provincia, quam Bandinus illi ceſſerat. Nam cum fructus majores deſcripſiſſet, quam abbatia reipſa ferret, illos ſibi præſtandos ajebat Sabaudus.

Ginnaſius uti minores paſſus eſt objectiones, ita minoris etiam fuerit exiſtimationis. Sed tamen & invidiam ei fecit opinio, quæ de avaritia ejus erat, nec defuere, qui ſuſpicarentur, quod nec dum omni ex parte in gratiam cum Hiſpanis rediiſſet de injuria, quam illi ſibi illatam opinabantur cum nuntius eſſet. Forte & adverſarios expertus fuiſſet Farneſium & Medicæum. Hunc quidem propter res in legatione Florentina ſedis apoſtolicæ cauſa geſtas, quibus odium magni ducis Ferdinandi incurrerat. Illum quod ratione officii ſui in Hiſpania de tumultu Romæ, cum marchio Vigliena ibi legatus Regis catholici erat, orto, quædam contra familiam Farneſiam egiſſet.

Madruzzius etſi omnem induſtriam adhiberet, ut ad numerum cardinalium Italorum adſcriberetur, tamen eum nemo non pro Germano habuit, atque etiamſi absque eo fuiſſet (hoc eſt etiamſi feciſſet, quo minus Tranſalpinus exiſtimatus fuiſſet) tamen voluerunt eum hic quidem abſtinere, ut cardinalem a Rege Hiſpaniæ nominatum. Id quod ad excluſionem a pontificatu eodem redit. Tum opinio hominum, quam habebat, ut ad conditionem viri egregii ſatis honorifica erat: ita gloriam candidati pontificatus plane non adæquabat.

Cardinales Paulini ad pontificatum apti tam numero, quam virtute & meritis cæteros præter-

greſſi videbantur. Erant autem illi, Barberinus, Millinus, Lanti, Verallus, Caraffa, Aracœli, Aſcoli, Camponius, ſancta Suſanna, Cenninus, Scaglia.

Nemo quidem fuit, quin in Barberino tres illas cardinales virtutes in Pontifice requiſitas, i. e. probitatem, eruditionem & prudentiam, inprimis elucere cognoſceret. Quibus quidem tam excellenter præditus fuit, ut, quænam præſtaret, difficile eſſet dijudicatu. Tamen multis initio impedimenta, quæ viam illi ad pontificalem dignitatem intercluſerant, nulla ratione removeri poſſe viſa ſunt. Hujus generis fuit: diffidentia Hiſpanorum, inde nata, quod ejus nationis erat Barberinus, quæ ad Gallos natura propenſior creditur. Fuerat ipſe illo in regno bis nuntius extraordinarius & ordinarius, gratiſſimus ſemper Henrico IV. & toti aulæ. Item ſuſpicio, in quam venire poterat, magno duci non minus quam ceteræ familiæ nobilium Florentinorum, qui imperium civitatis olim tenuerunt, poſtea dejecti temporibus Medicæorum. Voluntas parum adhuc propenſa Borgheſii, quæ in ſiniſtris quibusdam relationibus de conſtantia & ſinceritate ejus fundata erat. Injuria quam Paulus Jordanus Vrſinus dux Braccianus ſe accepiſſe querebatur, dum legatus Bononiæ ad portam ei occurrere noluiſſet. Antiquior etiam injuria facta Barberino a cardinale Montalto ad referendam aliam ſibi ab illo ut putabat illatam. Quæ ejusmodi fuit. Cum clericus cameræ & præfectus Ripettæ erat Barberinus, is cui jurisdictionem mandaverat ipſo inſcio eſſedarium quendam Perettinæ familiæ ſervire ſolitum ſuſpendio necaverat, quod edicta, quamvis ſæpius admonitus, non obſervaret. Hoc ſupplicium ad animum revocans Montaltus, queritur de eo apud Clementem Papam, & impetrat ut judex tanquam parum obſervans cardinalis eadem pœna adficiatur. Hæ duæ offenſæ facile poterant efficere, ut Perettus & Vrſinus cardinales, denunciata ei inimicitia, aperte excluſionem molirentur.

Millinus vir bonus eccleſiaſticus exiſtimabatur, cui diuturna exercitatio in cauſis civilibus & canonicis variarumque adminiſtrationum uſus auctoritatem conciliaverat. Sed diſtortum ejus ingenium, & tarditas in capiendo conſilio, qua ſæpe ſtudio, ad evitandum occaſiones offendendi quotidie in negotiis occurrentes, utebatur, multum detraxit populari auræ, quam alias inter varias difficultates ſuffragationem cardinalium impedientes obtinuiſſet. Ex illis autem difficultatibus non poſtrema fuit multitudo cognatorum, qui modis ingratis, & præcipue aviditate ſua, odium aulæ ex parte ei concitaverant. Porro haud pauci cardinales, qui in ſpeciem ſe illi benevolos præbebant, & omnem officii promptitudinem ſimulabant, ſi ejus electionem ſerio tractatam vidiſſent, ſine dubio terga vertiſſent. Tum adverſarium ſe aperto prodidit fore cardinalis Leni. Nam cum frater Hyacinthus Petronius ſacri palatii magiſter ad cardinalitiam dignitatem ſtrenue pergeret, ſecreto effecerat Millinus, ut ejus loco frater Deſiderius Scaglia commiſſarius ſancti officii ex intimis & clientibus ſuis promoveretur. Cum Lenio fecit & Pignatellus, quocum viciſſim electioni Cennini intercedere ſtatuerat. De Borgeſii voluntate multi dubitarunt. Equidem pro certo habeo, ut propenſa fuerit, tamen eum nunquam invitis duobus illis cardinalibus præ omnibus ſibi charis, ſerio dignitatem ejus procuraturum fuiſſe. Præter cæteras modo enarratas illa vel ſola conſideratione digna fuit oppoſitio, quam Ludoviſius ei paraverat. Is enim haud ignorans, quam alienus a patruo ille olim fuiſſet, graviſſimarum ei offenſionum materiam dederat aperte, jam inde ab initio teſtatus, quantopere evectionem ejus averſaretur.

Lantini, innocentium morum, & muneribus aulicis ab ineunte adoleſcentia exercitatus, etſi apud Burgeſium opera principis de Sulmona res ſuas in integrum reſtituiſſe videbatur, tamen quoad petitionem pontificatus haud meliori, quam antea, loco erat, quippe cum ille ſibi non perſuaderet, injuriam vivente Papa Paulo ab illo diu diſſimulatam, animo facile deleri poſſe. Et quanquam marchio Lanti cardinalis frater, is fuit, qui Hiſpanis enuntians, quod de matrimonio inter dominam Vandomam filiam naturalem Henrici IV. & principem de Sulmona contrahendo apud eundem Pontificem ageretur, odium ejus incurrit, tamen origo offenſionis fuit Virginia ſoror ejusdem cardinalis & uxor domini Johannis Baptiſtæ, Borgeſii fratris Papæ, quæ ad marchionem referre putabatur in dies ſingulos, quæ a marito audiviſſet. Unde odium hac occaſione in totam familiam conjectum, Burgeſium induxit, ut eam pro infenſa haberet. Ne dicam, quod Papa Paulus, mortuo Johanne Baptiſta Borgeſio, uxorem in monaſterium S. Laurentii juſſit detrudi, ubi illa, dum Pontifex vixit detenta eſt. Neque vero cardinales generatim ei adfuiſſent: quandoquidem mortuo principe Vrbino vereri cœperant, ne Papa electus in locum ducis deſcendentis aliquem ex ſuis nepotibus ea provincia inveſtiret, ut materna linea deſcendentem ex familia Roverianæ ſororis duciſſæ, indeque ſecundum Marchionem fratrem ejus, qui jam tum ſacerdos erat, duci ſanguine proxime junctum.

Verallus propter innocentiam vitæ & cæteras dotes, merito ſuo in numerum cardinalium pontificatus capacium communi opinione referebatur, tam gratus Borgeſio, quam inviſus Ludoviſio, cujus rei cauſa fuit, quod de bulla nova conclavis cum Papa Gregorio & ipſo Ludoviſio collocutus, in verba liberiora eruperat intempeſtive animi ſui ſenſa expromens de conſiliis, quæ tum capiebantur. Præterea qui nolebant Papam Millinum, iis haud ſatisfacere poterat Verallus. Nam cum propter conjunctionem ſanguinis & amicitiæ, quæ inter eos intercedebat, in hujus imperio haud exiguam ſibi authoritatem ille quaſi ſuo jure vindicare poſſet, ut pontificatum conſequeretur, eodem res redibat.

Caraffa maturis annis moribusque, nec expers negotiorum, & ad labores obdureſcens, adverſarios habuit Hiſpanos, non modo propter memoriam Pauli IV. ſed etiam propter varias offenſiones, in quas legatione Hiſpanica inciderat.

In *Aracœli* neſcio utrum probitatem, an ſinceritatem ſuſpectam habuerint Hiſpani, item Burgeſius & Ludoviſius. Quanquam non nemo ſimulavit, ſe illum velle Papam. Hiſpani quidem hoc uſi ſunt prætextu, quod in viſitatione, quam ut generalis ſuæ religionis habuit, ſigna ſatis clara oſtendiſſet, voluntatis haud propenſæ in illud regnum. Deinde quod verendum eſſet, ne in quæſtione *de conceptione beatiſſimæ virginis* (a) decretum parum acceptum faceret. Sed inprimis eum ſuſpectum reddidit honor, quo affectus erat in Gallia, cum nuntius de dignitate cardinalitia ipſi collata eo perterretur. Auxit valde ſuſpicionem vehementia, qua Romam reverſus pias quasdam cauſas variorum illius regni locorum egit. Sed, quod inprimis animos Hiſpanorum abalienavit, teſtimonium D. Franciſci de Caſtro fuit, quod contra eum dederat cum legati munere ad Paulum Pontificem fungeretur, cauſa, cur ita de illo ad Regem referret, hæc fuit, legato nomine Regis apud Pontificem inſtante, ut loco Salamini ad cardinalitiam dignitatem evecti, religioni S. Dominici generalis præficeret Diegum Stellam Hiſpanum magiſtrum ſacri palatii, ille conſilium, quod ceperat promovendi Italum, tegere cupiens, ſubito tranſit, illo prætextu ſe ipſi Salamino, qui cardinalis Aracœli jam tum ferebat, rem omnem transmiſiſſe, Salamino autem mandat, ut Hiſpanis ambiguitate verborum eluſis, generalis officium Italo cuidam objiciat. Tum legato Hiſpano ipſe pluribus oſtendit, ſe non libenter electionem ſuperiorum religioſorum attingere, neque credere fas eſſe, ut alius alii ex gratia præferatur: cum Aracœli agendum eſſe, cujus fidei hæc cura & inſpectio capituli commiſſa eſſet, ſibi in animo eſſe, ratum habere, quodcunque ille ſtatuiſſet. Locutus itaque cum Aracœli legatus præter reſponſa generalia ad ſtatuta religionis & libertatem eligendi pertinentia, nihil ab eo obtinere potuit. Unde efferveſcens omnino eſſe dixit neceſſe, ut Stellam generalem eligeret. Quod ſi non faceret, fore ut ſuo loco & tempore ipſum pœniteret. Ad hæc verba Aracœli detractum capite galerum manu tenens. Quod ſi, inquit, occaſione cardinalitiæ dignitatis credidiſſem mihi aliquid contra conſcientiam faciendum, iſtum galerum in ſexcentas lacinias ſtatim diſcerpſiſſem. Equidem expenſo ſtomacho legati, ob denegatum Hiſpano officium, generalis via media incedendum duxit & Italum quendam Regis Hiſpaniæ vaſallum Serafinam ſc. Siccum Pavienſem creavit. Sed hoc ipſo non contentus Dn. Franciſcus de Caſtro, palam perhibuit propoſitum hoc maxime cardinali Aracœli fuiſſe in illo capitulo, ut Hiſpanos illa dignitate excluderet, de quo in aula Regis catholici graviter conqueſtus eſt. Multi, qui his talibus rationibus non ducebantur, objecere, uſum rerum ei deeſſe. Quem ſi habuiſſet, durities illa naturæ, quæ ineptos ſolet reddere homines ad pontificale imperium, facile in eo emollita fuiſſet.

Aſcoli parum notus aulæ, cum in cardinalitia dignitate tum antea, uti exteriori ſpecie Sixtum V. referebat, ita ab ejus dexteritate in rebus gerendis longiſſimo intervallo aberat, expers & cæterarum rerum, quæ ad amplitudinem illius loci requiruntur.

Camponius ſemel aperte repulſus non facile inveteratas oppoſitiones ſuperare potuiſſet. Quanquam enim mortuo cardinale Petro Aldobrandino, & abſente Urſino, capitalibus adverſariis, impedimenta magna ex parte e medio ſublata videbantur, tamen in locum prioris ſucceſſerat Hippolythus, & in locum poſterioris Ludoviſius, qui manentibus priſtinis rationibus ſine dubio eum rejeciſſent.

S. Suſanna eccleſiaſticis virtutibus præſtans & eruditus eſt, amicus Ludoviſii, gratus Hiſpanis, & præcipue ob morum ſimilitudinem Borgiæ. Sed cum ipſe ſuo judicio nimium tribueret, & in opinionibus ſuis ſpeciem contemtus alterius præ ſe ferret, multorum animos abalienaverat. Quos inter etiam Burgeſius fuit, cui præterea & familiaritas ejus cum adverſariis ſuis, & ſtudium reprehendendi aliorum actiones, ſuſpicionem movit.

Sed præter obſtacula reliqua ſuſpicio Farneſii absque dubio ei plurimum obfuiſſet. Is enim ſerio cauſam ejus agere pergens, nec quicquam ſe dimoveri paſſus eſt ſuaſionibus Dn. Verginii Ceſarini, quibus eum fautorum numero eximere conabatur, usque dum ille manu tenens ipſas literas Farneſii, quibus patrimonii legatus ſuis Viterbi mandaverat executionem ſententiæ capitalis in notarium quendam S. Suſannæ cognatum, errorem detegeret, quo illam Papa creare nitebatur, qui ſupplicio propinqui injuriam graviſſimam ſe accepiſſe prætendere poſſet. Neque Burgeſius in eum, ut ſine ipſius ſtudio promotum, unquam iviſſet.

De Cennino nihil tam conſtitit, quam quod alumnus Burgeſii fuiſſet, a quo omnem favorem forte obtinuiſſet, niſi Pignatellus ob privatas offenſiones ei adverſus id impediviſſet. - - Sed maximo ei obſtaculo fuit Ludoviſius, qui ut ſcopulus in loco naufragiis infami intimis & domeſticis Burgeſii ſe oppoſuerat.

Scaglia petitioni illud ſecurim injecit, quod recens cardinalis majorem pontificatus cupiditatem præ ſe ferret, quam illi, qui & aliis virtutibus inſignes maximam vitæ partem in illa dignitate conſumſerant. Idque nimis mature apparuit, quando vix dum cardinalis factus, veritus, ne aliquando pontificatum petenti impedimentum afferret, quod Brescia urbe imperii Veneti oriundus eſſet,

(a) *de conceptione beatiſſimæ virginis*) Immaculatam conceptionem beatiſſimæ virginis Mariæ jam quidem ſecul. XI. Sixtus IV. annuatim recolendam decreverat. Verum cum poſtea an. 1483. gravis inter Scotiſtas & Dominicanos hac de re orivetur contentio, illis B. Virginem labe non immunem conceptam originali, ſed divino mox beneficio ab ea macula liberatam, his vero ſine macula conceptam aſſerentibus, Pontifex utrisque ſilentium impoſuerat, donec ea de re eccleſia Romana decerneret. Id vero nondum factum erat, ne quis nimirum ordo religioſorum offenderetur, patribus ſaltim Dominicanis haud paulo antea Gregorius XV. mandaverat, ut de conceptione Deiparæ nonniſi in privatis colloquiis differerent.

eſſet, Cremonenſem ſe ſtatim declaravit. Sed & Burgeſio non potuit non ſuſpicionis plena videri gratia, quam ſub Pontificatu Gregorii aſſecutus erat.

Ex clientibus Ludoviſii tres ad Pontificatum non inepti cenſebantur: Cajetanus, Sacratus, & Sanſeverinus. Quorum iſti muneribus graviſſimis & celebratiſſimis adhibito literisque imbuto, hoc impedimentum objectum fuit, quod Baro Romanus eſſet, ortus ex familia Burgeſio ſuſpecta. Deinde, quod Paulus Pontifex ſe legatione ejus ad Regem Hiſpaniæ obita haud contentum oſtendiſſet, quaſi ſuum ipſius emolumentum & propinquorum honorem, ſedis apoſtolicæ & familiæ Burgeſiorum commodo ſemper prætuliſſet. Neque negari potuit eum dignitatem grandis Hiſpaniæ quam Principi de Sulmona conciliare juſſus erat, Duci de Sermoneta nepoti ſuo obtinuiſſe: tum vero cum ſciret Ducem de Lerma gratia Regis Philippi III. excidiſſe, tamen quo gratiam ei pro beneficiis acceptis referret, id Papam aliquamdiu celavit, effecitque, ut falſa opinione ductus illum cardinalem crearet.

Sacratus inviſus Burgeſio ſub Pontificatu patrui fuit, quod omnia Aldobrandino debere exiſtimaretur, nec poſtea benevolentiam ejus conſequi potuit, evectus a Papa Gregorio ad cardinalitiam dignitatem. Homo alias vitæ inculpatæ, & in ſtudio legum verſatus, ſed ad varia negotia ineptus. Impedimento fuit & ætas, quæ etſi propter canitiem ejus ſatis provecta videbatur, tamen vix 50. annos excedebat. Denique ut ætate & moribus maturus ad principatum fuerit, familia ex qua ortus maxime ſuſpecta Hiſpanis obſtabat, quo minus admitti poſſet. Acceſſit huic difficultati alia non inferior, quod fama publica ſed falſa, cardinalem Vbaldinum cognatione attingere ferebatur, qui illo electo omnia adminiſtraſſet. Denique intelligentes, ut boni epiſcopi laudem ei tribuere, ita virtutes ad munus tam ſublime laudabiliter gerendum neceſſarias ei deeſſe judicarunt.

Hæ fuere conditiones cardinalium capacium Pontificatus, hæ quoque difficultates, quas incurrere quisque poterat, antequam eveheretur. Sed quoniam notitia rerum in hoc conclavi geſtarum, a cognitione potentiæ & finis tam univerſalis, quam particularis, tum adjutorum & adverſariorum cujusque capitis factionis maxime dependet; hæc quidem omnia paucis enarrabimus, quo rectius ad ipſos tractatus & ſuffragationes transeamus. Quamplurimi nova illa bulla cardinales principes partium omni authoritate & potentia in conclavi ſpoliatos exiſtimarunt, cum electione ad ſecreta ſuffragia redacta, verendum amplius clientibus non eſſet, ne ingratitudinis arguerentur, quando ſuffragium de illorum ſententia haud tuliſſent. Neque ſibi perſuadere potuerunt, poſſe ſimul ſtare libertatem ſuffragiorum ſecretorum & obſequium potentiamque capitis partium. Sed prudentes, qui penitus rem introſpiciebant, ita judicarunt: etiamſi interdum ſpes latendi adducere nonnullos poſſet, ut aliter ſuffragia ferrent, atque capiti ſuo oſtendiſſent, tamen niſi odium omnium aut majoris partis incurriſſet caput, nihil ejusmodi ei extimeſcendum eſſe. Primo, quia quisque facile intelligeret ad ſuam ipſius creationem multorum auxilio opus eſſe, multos autem in unum convenire non poſſe, niſi auctoritate unius conjungantur, qui eos ad agendum excitet, quod nihil eſt aliud, quam caput ſibi conſtituere. Deinde ſi quis a capite ſuo in dando ſuffragio diſceſſiſſet, abeſſe vix potuiſſet, quin illud cæteri reſciſcerent. Nam cum tractatus electionis ex veteri ſacrorum canonum diſpoſitione procederent, nec bulla prohiberet, declarare ſententiam ſuam ſine obligatione promiſſi, cumque adeo cujusque utilitates diſcuſſæ, natura, mores, obligationes cognitæ eſſent accedente ſtudio, quo unusquisque alterius actiones obſervabat, haud fieri poſſe videbatur, ut talis defectus tegeretur, conſentiente maxime potiori parte cum ſuo capite. Equidem certum eſt, cum cardinales Pontificatus capaces faciliores ſint ad excludendum, quam ad eligendum, non æque ſibi ſuffragia principem eorum utrobique polliceri poſſe, ſemperque fortiorem & ſecuriorem eſſe priori, quam poſteriori caſu. Sed tamen perpenſis momentis rerum omnium, quæ hic in conſiderationem venire poſſunt, reperio, capita factionum non obſtante libertate, & ut ita dicam impunitate, electoribus per bullam conceſſa, poſſe & authoritatem ſuam & libertatem tueri, & conſervare, ideoque de hac electione differendum eſſe, perinde ut ab illis, qui ſuperiores deſcripſerunt, factum eſt. Burgeſius multitudine clientum Pauli Pontificis cæteros vicit. Nam non connumeratis cardinalibus Borgia & Treſſo, promotis ad commendationem Regis Hiſpaniæ; nec Cleſſelio & Zollern, poſtulante id Imperatore creatis, (ex quibus priores obſequebantur voluntati principis ſui, poſteriores partim ab illis pendebant, partim ſuo arbitratu agebant) parata habuiſſet una cum ſuo 26. ſuffragia, niſi Capponius & Vbaldinus relictis aperte partibus Paulinis ad Ludoviſium defeciſſent. Quo facto tantum 24. reliqua fuerunt, quibus tamen etiam tum omnibus ſuperior fuit. Quemnam ille ſtatuerit Pontificem eligere, difficile dictu eſt. Nam etſi ab uſu peritiores eum ad Camponium, Verallum, & Cenninum inclinaſſe exiſtimarunt; tamen certum eſt, illum nullum unquam ſignum dediſſe, quo tale conſilium potuerit cognoſci. Quin potius æqualem erga omnes clientes benevolentiam declarans, publice profeſſus eſt, ſe nolle deſerere quenquam, qui ex ipſis in medium veniret, ſed eventum Dei manibus committere. Quod ſi inſuperabiles difficultates in aliquo reperiret, conſtituiſſe juvare ex æquo cæteros, quibus leviora impedimenta officerent. Hoc conſilium non vulgarem prudentiæ laudem ei peperit, animosque clientum debiles & titubantes ſi qui erant, vehementer confirmavit; adverſariorum autem conſilia & machinationes fregit, qui ad quamcunque occaſionem diſcordiæ animum intentum habebant. Ab altera parte Ludoviſius, qui omni tempore Pontificatus patrui ſui nihil tam intenderat, quam ut vinceret Burgeſium proxima electione Pontificis, variis modis ſuffragia acquirere ſtuduit, cum nulla, niſi octo a clientibus ſuis ſibi haberet polliceri. Nam primo cognatione familiæ Aldobrandinæ & provectione cardinalis Hippolythi effecit, ut cum illo quinque clientes Clementis communes haberet, qui gratiæ referendæ

cauſa

cauſa ſibi præſto eſſent. Variis item meritis Vbaldinum & Capponium cardinales Pauli Papæ, ſed quibus Burgeſius non ſatisfecerat, obſtrinxit, ut ſe partibus aperte addicerent. Neque exigui momenti fuit, quod partim induſtria ſua & ſagacitate, partim Aldobrandinorum opera Farneſium ſibi adjunxit, qui & princeps, & in negotiis conclavis verſatiſſimus magnam ei authoritatem afferebat. Cum eodem Borromæus quoque antiquiſſima conſuetudine conjunctiſſimus erat. Præterea magni æſtimanda fuere duo ſuffragia Germanorum Cleſelii & Zollern, qui ut ut Pauli Quinti clientes eidem tamen Ludoviſio ſe aggregaverunt, ille quidem gratitudinis teſtandæ cauſa, quod a Gregorio XV. carcere liberatus eſſet, hic nomine Ducis Bavariæ patroni ſui, qui Ludoviſio debebat, *quod Papa Gregorius adeo electoratum conſequenti faviſſet.* (a) Hæc ſuffragia una cum Medicæo, de quo infra dicemus, pro apertis & certis habita ſunt. Sed alia ſecretiora a clientibus Burgeſii, vivente Gregorio magnitudine beneficiorum acquiſita, expectavit, iisque confiſus eſt, non modo ad excludendum cardinales Paulinos ſibi infenſos, ſed fere & ad eligendum quendam, qui Burgeſio parum acceptus eſſet. Præterea Hiſpanos ſibi magis, quam adverſario cupere non temere ſperare potuit, tum propter merita ſua, tum propter authoritatem & eloquentiam Farneſii, aliorumque ſibi addictorum, qui rebus dubiis facile eos permovere potuiſſent. Ludoviſii conſilium quale fuerit, ex illis, quæ tempore omni conclavis egit, conjicere poſſumus. Neque enim alio ivit, niſi ut ad Pontificatum proveheret talem, qui virtutibus ad hoc officium neceſſariis ornatus, ſed parum amicus Burgeſio eſſet; aut ſiquidem hoc obtinere non poſſet, talem, a quo propter æqualitatem affectus, nec ipſi nec amicis eſſet, quod metuerent.

Hiſpanica factio conſtitit tribus cardinalibus, qui ſoli eo tempore Romæ erant, (Borgiam dico, cujus partes erant, ut denunciaret, quibus Rex confideret, nec ne, Doriam & Treſſium) & duobus Ducibus Albiquerquio ex legato, qui ſe ad decedendum parabat, & Paſtrana, qui paulo ante ex Hiſpania venerat. Hi perſpicientes ſe verſari inter duos nepotes Pontificum potentes, & principes magnarum partium, diſſentientes inter ſe & moribus diſcrepantes, ita tamen, ut uterque promtum ſe ad obſequium Regi profiteretur, fecerunt id, quod iſto rerum ſtatu conveniebat hominibus ſollicitis de eo, quod principis ſui intereſt. Itaque acceptis humaniter iis, quæ ab illis offerebantur, viciſſim ſe obtulerunt unicuique generatim ad aſſentiendum in omnibus, quæ cuperent, ſiquidem id Regi ſuo nullum detrimentum afferret. Cæterum utrique amicos ſe ſe ferentes, nullo modo ſe immiſcuerunt contentionibus, quæ inter illos ſuſcitatæ erant. Quanquam vero legatus Paſtrana e re Regis eſſe exiſtimans, ut ſe arctius copularet cum potentiori factionis capite, cum Borgeſio conſilia potiſſimum ſociavit: Cum e contrario Borgia a Paulo Pontifice & ipſo Burgeſio abalienatus, quod olim Ducis de Oſſuna inimici ſui cauſam ſuſcepiſſent, Ludoviſium potius ſequeretur, tamen hæc ita egit uterque, ut ab oppoſitæ partis amicitia haud diſcederet. Neque enim vel in excludendo ſuſpectos, vel in eligendo amicos, ulla inter eos diſcordia interceſſit.

Præter cardinales dictis tribus factionibus comprehenſos, id eſt Paulinos, Gregorianos, Clementinosque & Hiſpanos, reperti ſunt nonnulli, quos, cum nullis factionum capitibus adſtricti fuerint, *liberos* vocabimus. Hi fuere primo principes, *Farneſius, Sabaudus*, *Ateſtinus & Medicæus.* Sabaudus caput Gallicæ factionis, etſi nullum Gallicum ſuffragium habuit, cum Valetta & Sardi nondum Romam veniſſent, quos in dies expectabat; tamen eo nomine præſto illi fuerunt Bevilacqua & Bentivoglius. Secundum illos liberi fuere, qui ſoli reliqui ſuarum partium nullo gratitudinis vinculo tenebantur ad alterius arbitrium ſuffragium ferre; uti *Forza* cliens Gregorii XIII. *Saulius, Montius* clientes Sixti V. *Perettus* cliens Clementis provectus ab illo Montalto reſtitueret. Quas partes ſecutus ſit Farneſius, ſatis jam tum explicavimus. *Ateſtenſis* alienus a Ludoviſio, Burgeſio ſe conjunxerat, quem ſperaverat animum converſurum ad tentandum fortunam Camponii. *Medicæus* propenſioni voluntatis ad Ludoviſium prætendit, quod ſuperiori proxima electione Burgeſius fidem fefelliſſet, non pergendo ad Montium, finita cauſa Camponii, quemadmodum ſe facturum promiſiſſet. Accedentibus itaque mandatis, quæ contracto inter ducem Parmenſem & ſororem magni ducis matrimonio Florentia acceperat, ut cum Farneſio quam conjunctiſſime in cauſa progrederetur, non diſſimulanter illis partibus ſe addixit, id quod vel maxime Sabaudum induxit, ut contra Burgeſio ſtudia ſua deferret. *Forza* vero cum Hiſpanis fecit, & in genere extra ſeniores cardinales paucis favit. *Saulius & Montius* in rem ſuam tantum procuratores fuere. Perettus cui certum erat, eo ire, quo conſcientia duceret, dum illa non repugnaret, Medicæum imitari velle creditus eſt; qui ſecreta cum Creſcen-

(a) *quod Papa Gregorius adeo electoratum conſequenti faviſſet*) Nimirum cum elector Palatinus proſcriptus eſſet, loco ejus Imperator Ferdinandus II. a. 1623. Ducem Bavariæ Maximilianum ſubſtituerat, cujus acceptæ dignitatis cum novus elector Pontificem literis certiorem faceret, reſpondit ille his inter alia verbis apud *JOH. ADELZREITERUM part. 3. lib. VIII. hiſt. Bavar. Triumphat tandem religio catholica in nova dignitate nobilitatis Tuæ, quæ ut fidelium populorum votum fuit, ita fidei propugnaculum eſt, & lætitia eccleſiæ univerſæ. Certe nos tanto ſolatio cumularunt poſtremæ literæ Tuæ dignæ quæ perpetuis annalium monumentis conſignentur, ut cum eas legeremus, manna cœli & torrente voluptatis inundari cor noſtrum videretur. Proinde tantæ lætitiæ expertes eſſe noluimus, fratres noſtros S. R. E. cardinales, qui illas, dum publice in Conſiſtorio legerentur, dignitatis electoralis nuntias & Bavaricæ pietatis teſtes animis exultantibus audiverunt.* Quod autem Pontifex dux autorque dignitatis extiterit, id cum ex aliis, tum ex eo etiam ſatis apparet, quod elector poſtea bibliothecam Heidelbergenſem gratiarum actionis loco Romam miſerit, ubi in bibliothecam Vaticanam illati libri adhuc inſignibus Bavaricis ornati conſpici perhibentur cum inſcriptione: Sum de bibliotheca, quam Heidelberga capta ſpolium fecit, & Gregorio XV. trophæum miſit Maximilianus utriusque Bavariæ Dux S. R. I. Archidapifer & Princeps Elector a. 1623. uti legitur apud PALATIUM *in vita Gregorii XV.*

Creſcentio cliente Burgeſii habere conſilia dicebatur, perinde ut Sabaudus cum Bevilaqua cliente Clementis.

Hæc igitur fuere vires & conſilia factionum earumque capitum in conclavi, hoc eorundem intererat, quantum quidem exterioribus indiciis licuit cognoſcere. Sed præparationes eorum, quæ agebantur longe ante & quidem jam tum proxima ſede vacante ſtudioſe cœptæ erant. Inter alios Ludoviſius ſcire cupiens, an Hiſpani in excluſione cardinalis Aracœli, quam ſuperiori conclavi intenderant, perſiſterent, tum per ſe, tum per alios eos tentavit, cumque eorum ſententiam haud mutatam intellexiſſet, officiis ferventiſſimis eos dimovere conatus eſt. Neque enim regi honeſtum eſſe ſine ſolido fundamento oppugnare hominem ſanctiſſimæ vitæ, tantæ exiſtimationis in ſacro collegio cardinalium, neque verum videri quod animo averſo eſſet a rebus regiæ majeſtatis. Sed excuſante ſe legato, quod mandata expreſſe ea de re haberet, conatus irritus fuit. Equidem ille non tam ad eligendum Aracœli Papam, quam ad oppugnandum Burgeſium directus fuit, dum pro certo haberetur, hunc, audito quod Ludoviſio aſſentirent Hiſpani in eligendo Aracœli, prorſus iturum fuiſſe in contrariam ſententiam. Unde iſte arripiendam duxit occaſionem parandi ei invidiam apud ſuos & apud principes, ac ſi cardinalem Pauli Pontificis cæteros ætate & innocentia prætergreſſum ſine cauſa rejiceret. Hac occaſione Borgia inſtitit utrique legato & cardinalibus Hiſpanicis, ut antequam conclave clauderetur, publicarent excluſionem a Rege deſideratam. Fecit hoc præ metu, ne quod poſt mortem Clementis IIX. cardinali de Anila uſu venerat, ut non nominatis in tempore cardinalibus infenſis regno Hiſpaniæ Florentinus averſus ab eo creditus eligeretur, iterum accideret. Huic negotio invidiæ pleno hic adhibitus eſt modus, ut eodem, quo conclave ingrederentur, die ambo legati per cellas commeantes rogarent amicos Regis ſuffragia ad excludendum tantum Borromæum & Aracœli, a quibus maxime ſibi metuebant. De cæterorum excluſione Borgiæ impoſitum eſt, ut ageret, quando opus eſſet. Verum cum Paſtranæ laus Aracœli a Ludoviſio tributa ſuſpicionem moviſſet, eſſe ei acquiſitam auram cardinalium, nomine Regis ſui a Borgeſio & Ludoviſio poſtulavit, ut eum excluderent. Cujus deſiderio ille quidem, qui alias eum nolebat, facile ſatisfecit. Hic vero ægre ferens conſilium ejus ſuccedere, veritusque ne odium cardinalium capacium pontificatus incurreret, negavit, ſe illum excludere velle. Sed tamen loco ejus oſtendit, ſe cauſam illius nolle ſuſcipere, niſi a Burgeſio nominaretur. Quod cum ad excluſionem ſufficeret, legatus accepit. Inter initia hoc etiam habendum, quod legati Imperatoris, Regis Galliæ, reipublicæ Venetæ, & magni ducis ad cardinales inviſentes nomine principum ſuorum eos rogarunt, ut dignum eligerent, qui patris univerſalis officium exſequendo, omnes ex æquo amplecteretur, quemadmodum id præſentes reipublicæ Chriſtianæ neceſſitates exigerent.

Hisce præparationibus & hac rerum omnium diſpoſitione facta, *poſtquam de manibus Sauli, Decani, ſacram cœnam accepiſſent* (a) & more ſolito in bullas & præcipue in conclavis recentiorem juraſſent, modo per illam introducto primum ſcrutinium habuere. Quo aperte cognitum, quæ principum factionum, Burgeſii ſc. & Ludoviſii conſilia in his initiis eſſent. Nam cum nemo cardinalium adeo magnum numerum ſuffragiorum obtineret, facile apparuit, unumquemque primum omnium conſilia & rationes alterius velle excutere: id quod Farneſius Ludoviſio ſuaſerat, Burgeſius ſibi ipſe utile & honeſtum duxerat. Sed hinc factum, ut nec dum cauſa ullius acta, nec ad dividendum ſuffragia opera collata, nemo numerum 13. excederet, ad quem ſolus Bandinus pervenit.

Atque hac in re Burgeſii ſocii melius monita obſervarunt, quam Ludoviſii. Nam & in primo ſcrutinio & in ſequentibus Bandinus cæteros ſuffragiis ſuperaverat. Jam d. 21. veſperi, ingredientibus conclave Borromæo, Serra & Scaglia, cum unusquisque animum intentum haberet ad explorandum ſecreta alterius ſtudia, & tempus, quod ſcrutinio ſupererat, mutuis congreſſionibus impenderetur, Ludoviſius pertæſus tantæ quietis, an offenſus confidentia virium, qua Burgeſius eſſe videbatur, an inductus conſilio Ubaldini, operam dedit ut proxima luce numerus ſuffragiorum Bandino ad 22. excreſceret, non eo quidem conſilio, ut ſequente ſcrutinio ſtatim quam maximum poſſet ſuffragiorum numerum conficeret, ſed ut paulatim & ſingulatim eum augeret, quo rectius deprehenderet, an tanta in Burgeſii clientibus eſſet fides, quanta prædicabatur. Ex quo enim ſuorum ſuffragiis aliquem Paulinarum partium accedere vidiſſet, diſcordiam & fluxam illarum fidem compertam habebat. Hoc igitur propoſitum ut conſequeretur, non dubitavit candidati illius cauſam prodere, objiciendo eum inprimis adverſariorum inſultibus. Nam cum & alias in ejus petitione adjuvanda claudicabat, tum diffidebat, ſe obſtacula, quæ & parata erant, ſuperare poſſe. Sed uti hoc conſilium cum Farneſio, Borromæo, aliis, quorum voluntas a Bandino haud abhorrebat, nunquam communicaverat, ita evenit, uti hi videntes eum inopinato auctum ſuffragiis, in ſcrutinio faciendum putarint, ut eidem ſuffragarentur in acceſſu. Unde ſubito præter mentem & expectationem Ludoviſii vota ei ad 21. adcrevere. Quod quantam Bandino voluptatem, tantam Burgeſianis, & vel maxime ipſi Burgeſio, perturbationem attulit, qui hoc in contumeliam ſuam factum intelli-

(a) *poſtquam de manibus Decani ſacram Cœnam accepiſſent*) Vide hunc ritum pluribus deſcribentem PLETTENBERGIUM *l. c. p.* 102. *ſeqq.* & de ſcrutinio ipſo ejusque antecedentibus & conſequentibus, ubi de ſchedulis, earum complicatione & obſignatione, immiſſione in calicem, permiſtione, numeratione, publicatione, recognitione & tandem combuſtione, diſtinctius agit a p. 104. ad 117. Cæterum de ſcrutinio notandum, illud ab Alexandro III. in concilio Lateranenſi a. 1179. inſtitutum, idque fieri ſolere bis quotidie, ſemel ante prandium poſt miſſam, & ſemel veſpere dicto Hymno: Veni creator ſpiritus; acceſſum vero addi ſi per ſcrutinium nondum fuerit electus Pontifex.

telligens, apertam excluſionem Bandino parare conſtituit, cujus ut ſe principem declararet, Savellium hortatus eſt, eoque recuſante illud ipſum a multis clientibus ſuis poſtulavit. Quanquam paulo poſt ſedato impetu indignationis illud non amplius urſit, ſed omnem operam ad ulciſcendum Ludoviſium convertit. Cui cum cum nulla re gravior moleſtia creari poſſe videretur, quam evectione Millini ad pontificatum, operam omnem in eo collocavit, ut quam maximum poſſet in illa temporis anguſtia ſuffragiorum numerum a clientibus amicis & ſociis ſuis pro illo corraderet. Quanquam vero facile intelligebat difficultates Millino paratas tantum non inſuperabiles eſſe: tamen dummodo ſatisfaceret cupiditati exercendi Ludoviſium, & cumulatiſſime referendi gratiam in cauſa Bandini acceptam, de exitu violentorum conatuum pro eo parum ſollicitus fuit. Itaque inſtituto de eo congreſſu cum cardinali Forza, Ateſtino, Brevilaqua, & ſignificato clientibus conſilio ſuo, cum poſt prandium die 22. ingreſſuri eſſent ad ſcrutinium, effecit, ut Ludoviſianis alia omnia exſpectantibus ille ſubito numerum ſuffragiorum 26. contingeret, & XV. quidem in ſcrutinio, XI. vero in acceſſu obtineret. Qui caſus uti Borgeſianis admirabiliter animos addidit, ita Ludoviſianis metum graviſſimum injecit, maxime autem ipſi Ludoviſio, qui inopinato captus, illud in primis in hac confuſione metuebat, ne molitio quæ adeo valida ab initio videbatur, altiores radices egiſſet, quam quæ evelli poſſent. Forza qui per longum conclavium uſum ſe conſilio valere opinabatur, perſpecto eventu hujus ſcrutinii cenſuit, hoc negotium dum cardinales tantopere ſe cupere oſtenderent, nulla interpoſita mora ad finem deducendum eſſe; poſſe quod reliquum eſſet, commode illa nocte tranſigi, ita ut ſequente luce ſcrutinium ingrederentur cum Millino Papa. Neque de eo dubitandum videri indicio eſſe, quod nulla difficultate, nullo negotio, quaſi nutu tantum, 26. ſuffragia pro illo obtinuiſſent: ſuperare Medicæum, Borromæum, Vbaldinum, Caponium & Pium, quorum ſuffragia, ſi rogarentur, promta eſſent. Non Aldobrandinum, non Sabaudum repugnaturum eſſe illum a cardinalibus modo nominatis, hunc ab Ateſtenſi, Bentivoglio & Brevilaqua adduci poſſe. Conſenſionem tantam in conclavi quod ſoleret effecturam eſſe, id eſt, ut multi ſtudium congregationis perſpicientes ſententiam ejus ſequerentur. Ab altera parte Borgeſius, qui hujus negotii impedimenta videbat optime, atque adeo reputabat, promto illi concurſui 26. ſuffragiorum, non hoc propoſitum fuiſſe, ut Papa fieret Millinus, ſed ut Ludoviſii audacia reprimeretur, ſi minus ad alias res, certe ad provectionem alterius cujuſdam clientis ſui facere arbitratus eſt, ut cauſam Millini perſequendo, Ludoviſium in illo metu, quo erat, retineret. Quare cum noctu ſe mutato habitu in cellam Millini contuliſſet, cœpit una cum illo negotium in viam deducere: idem ipſe Millinus egit apud Ubaldinum & alii nomine eorum alibi, maxime vero apud Borromæum. Sed hac quidem nocte de negotio hoc nulla alia reſponſa tulere, quam candidatum denominatum meritis nulli cedere, cauſam ejus ſumma prudentia dirigendam eſſe, ut in portum ſine periculo venire poſſet, quandoquidem bulla recentiori ſatis cautum eſſet, ne ex improviſo (ut olim per adorationem contigiſſet) Papa impoſterum eligeretur. Rem omnem cum Ludoviſio communicandam ejusque aſſenſionem impetrandam eſſe. Quæ reſponſa cum aperte Millino adverſa eſſent, tamen ab amicis ejus præ cupiditate videndi illum Papam in mitiorem partem accepta ſunt. Interea Borgeſius, qui pro certo habebat Ludoviſium rem omnem reſciviſſe, quo magis ſe officium facere oſtenderet, illumque pungeret, legavit ad eum cardinalem Creſcentium rogatum ſuo nomine, ut proximo ſcrutinio in electione Millini ſuffragio adeſſet. Ad quod ille negavit ſe reſpondere poſſe, antequam cum clientibus & amicis collocutus eſſet, quod tam intempeſtive fieri non poſſet, & quanquam Creſcentius, ut illud ſe facturum diſerte promitteret, inſtabat, tamen id ipſum obtinere nunquam potuit.

Equidem certum eſt Ludoviſium ex hac invitatione cumprimis ſuſpicatum eſſe, Borgeſium in declarationibus ſuis usque eo progredientem, ſecreto res Millini ſtabilitas habere. Unde graviſſima hac animi perturbatione commotus ad Ubaldinum & Caponium ivit, quos lecto excitatos in cellam ſuam deduxit. Eodem Aldobrandinus & Pius cum maxima parte clientum vocati venerunt, & præſenti periculo deliberationi ſubjecto, hoc conſilium ceperunt, ut alius alium cardinalem conveniret, & operam daret ſedulo, ne ſuffragia Millino conferrentur. Quanquam vero unusquisque in eo diligentiam ſuam & induſtriam probavit, nemo tamen celeritatem & prudentiam Ludoviſii adæquavit. Viſus enim ille hac nocte depoſito faſtu ſuo ad omne genus ſubmiſſionis infimasque preces devenire. His actionibus conſumta nocte & orta demum luce vidit Ludoviſius Millino deeſſe 33. ſuffragia, quæ juncto ſuo ipſius conficiebant 34. cum ad excluſionem completam 19. ſufficerent. Itaque ſolitos ſpiritus audaciamque recipiens, Burgeſio antequam ingrederentur ad ſcrutinium, reſponſum quod ſuperiori veſpera Creſcentius non tuliſſet, per Gozzadinum remiſit. Habuit id excuſationem ejus, quod propter varias difficultates a cardinalibus & amicis motas ad electionem Millini accedere nequiret. Quo offenſus Borgeſius, haud continere ſe potuit, quin in querelas & minas prorumperet, improbantibus licet id graviter clientibus, qui illud ad aliud non proficere judicarunt, niſi ad alienandum Ludoviſium, ne electioni ipſorum unquam adſentiretur.

Scrutinium d. 23. mane habitum juſtum dolorem Borgeſio attulit, quippe quo Millinum ſex ſuffragia, de iis, quæ ſuperiori proxima veſpera obtinuerat, perdidiſſe deprehendit. Contra Ludoviſius lætatus eſt, rationem excludentium conſtitiſſe. Sed hic lætitiam ſuam prudenter tegebat, ille crudelitatem excuſabat, perhibendo nova bulla eo rem deductam eſſe, ut nec conſentientibus capitibus factionum Papa fieri poſſet. Hujus querelæ cauſa fuit, quod multi clientes Pauli, quorum ſuffragia pro Millino certa ſe habere crediderat Borgeſius, in ſcrutinio in alia omnia iverant.

Et quanquam hi ſeniores tantum illi eſſe ferebantur, qui ipſi ad pontificatum contendebant, tamen variæ conjecturæ allatæ ſunt, quibus etiam juniores interfuiſſe apparuit. Non exigua fuit jactura exiſtimationis, quam in hoc ſcrutinio Burgeſiano fecere, nec contemnenda autoritas, quam Ludoviſius acquiſivit. Nihilominus illi, ne cedere adverſariis viderentur, perrexerunt, relictis gravibus aliis rebus, Millino in ſequentibus ſcrutiniis ſuffragari.

Jam Ludoviſius facile intelligebat, ea, quæ pro Bandino ab initio molitus erat, non modo quos deſiderabat fructus non tuliſſe, ſed præter ſpem etiam animum Burgeſii ſociorumque exacerbaſſe, atque occaſionem iis præbuiſſe ſtrictiori vinculo ſe inter ſe copulandi, id quod in omni alio etiam conatu, pro quocunque illis partibus contrario uſuventurum præſentiebat. Itaque relicto Bandino alia & occultiore via, quæ rectius ad propoſitum finem duceret, inpoſterum incedendum putavit. Verum quia odium inter ipſum & Burgeſium adeo excreverat, ut non modo alter cum altero non ageret, ſed vix jam ſeſe inter ſe ſalutarent, Borgias, Sabaudus & Medicæus operam dandam cenſuerunt, ut ſi minus voluntates eorum conjungi poſſent, tamen e medio tolleretur ſcandalum, quod aperta ſignificatio diſcordiæ eorum omnibus afferebat. Fecere id etiam propterea, quod his duobus inter ſe contrariis de nullo fere negotio in medium proferendo bene ſperari poterat. Neque difficilis viſa reconciliatio, præcipue quod ad exteriora. Quare cardinales, quos diximus, ſive zelo ſive alia re adducti, ut ſe interponerent, animum induxerunt cardinales quoſdam ſeligere, qui talibus virtutibus præditi eſſent, ut cum duo illi æmuli principes contentionibus feſſi, & ad eccleſiæ neceſſitates tandem animum convertentes, ſerio Papam eligere ſtatuiſſent, nemo eorum cum ratione recuſare poſſet, quo minus alicui ex illis ſuffragaretur. Cenſebantur a multis medii & hujuſmodi dotibus inſignes Saulius, Montius & Ginnaſius, qui etſi apud Ludoviſium nulla commendatione opus habere videbantur, tamen omnino ea opus erat apud Burgeſium, qui ſuis tantum clientibus, & ex iis fidiſſimo cuique maxime adſtrictus, quanquam verbis & teſtificatione amoris erga omnes & præcipue erga ſeniores cardinales prolixus eſſet, tamen in ſuffragiis & officiis reipſa præſtandis parciſſimus fore credebatur. Uſus ſcilicet ille eſt feliciter arte oſtentandi illis ſpeciem ſummi ſtudii in procuranda illorum dignitate, dum ex clientibus ſuis non facile aliquem provehere poſſet, & fructus, quem ex eo capiebat, utiliſſimus ei fuit. Nam hoc pacto impedire potuit, ne Ludoviſio indeſinenter illos ſollicitanti ſe dederent. Econtrario nec Ludoviſius ſibi defuit, ſed iiſdem artibus cardinales Burgeſianos, quos in excluſione Millini ſecum habuerat, ſibi ſtatuit conſervare, quo tentata rurſus a Burgeſio forte provectione alicujus inimici ſui ad idem officium eos promtos haberet. Ginnaſii deprecatores apud Burgeſium fuere Rivarola, Savellius & Serra, illi quidem ſingularis amicitiæ cauſa, hic ut impediret ne Burgeſius ad Saulium adverſarium ſuum inclinaret: Montii cauſa laboravit Medicæus, Cinthius, Clemens & eques Gotti conclaviſta Medicæi Burgeſio gratiſſimus. Sed ſtatim vinci nullo modo potuit illa difficultas, quod cliens longe cariſſimus Aldobrandinus eſſet Burgeſio non minus, quam Ludoviſio inviſus, tum nec Farneſius nec Medicæus ſuffragaturi dicebantur. De Cajetano dubitatum, Zolleren autem manifeſto ei contrarius inventus eſt. Secundo officiebat Sabaudi averſa voluntas, & quod vix rectum videretur provehere hominem, qui & apud cardinales & apud cæteros parum applauſus haberet. Saulio præter cæteras inſuperabiles difficultates ſic ſatis impedimenti attulit Aldobrandinus, quem nec Farneſius, nec cæteri, qui illud graviter egerunt, a veteri propoſito abducere potuerant.

Quare comperto, quod deſignatio mediorum cardinalium nec quicquam proficeret ad reſcindendum præſentes conclavis moras, Ludoviſius, ut ſe cupidum finis oſtenderet, & omnium incommodorum invidiam in Burgeſium derivaret, curavit ei proponi, ſe tres ejus clientes nominaturum eſſe, ex quibus ille unum eligeret. Sed conditio diſplicuit Burgeſio, quia ea accepta omnes ſuos clientes pontificatus capaces, ſed forte non nominatos offendiſſet, & ſe ipſum obſtrinxiſſet neceſſitate admittendi Papam a Ludoviſio deſignatum, quod propter honorem & commodum ſuum magnopere averſabatur. His igitur abjectis propoſitionibus in medium proceſſit Borgia, qui inductus, ut creditum, a duce de Paſtrana, & ſua ſponte vicem exſolvere cupiens excluſioni quam Burgeſius, poſtulante id Rege Hiſpaniæ, ſe cardinali Aracœli procuraturam oſtenderat, cœpit Ludoviſio quoſdam Pauli clientes Burgeſio gratiſſimos & Hiſpanis quoque acceptos proferre, & diſertum reſponſum a Ludoviſio expoſcere velletne illos nec ne? Quod officium cum tam moleſtum, quam periculi plenum videretur, ſiquidem illud vel accepiſſet, vel recuſaſſet, tranſiit, dicendo, convenientius videri, ut ipſe Burgeſius ſignificaret, quemnam potiſſimum ex ſuis vellet Papam, facto hoc ſe pro conditione candidati & viribus ſuis ei obſecuturum. Hoc reſponſum artificium Paſtranæ ac potius ipſius Burgeſii inventum evertit. Nam prorſus nolente illo ſe ulli ex clientibus illius obnoxium præbere, nec audientibus ipſis ultro in medium procedere propter exemplum infelicis eventus Millini, de negotio hoc amplius actum non eſt, & Borgia naturali inclinatione voluntatis propendens in Ludoviſium, laudavit ſagacitatem, qua has inſidias effugerat, arctiusque ſe cum illo copulans oſtendit, quicumque his talibus propoſitionibus eum ad Burgeſii ſtudia adjungere conetur, fruſtra laborem ſuſcipere. Itaque renunciato hoc, ipſi etiam Burgeſio & Pignatello, qui indeſinenter urgebant ut reſponderetur, ſuaſit iis uti relictis ejuſmodi opinionibus uni alicui ſuffragarentur, cujus electio minorem difficultatem haberet. Eum Saulium eſſe poſſe Borgiæ viſum, tum quod Burgeſius cum eo locutus benevolum ſe oſtendiſſet, tum quod vulgo amiciſſimus Ludoviſio ferebatur, nec fide in Regem Hiſpaniæ ulli concederet. Sed Burgeſium retraxit opinio parum honorifica, quæ de eo erat, odiumque a Pignatello in eundem conceptum propter commentarium quendam, qui in ædibus ejus (ut fama erat) confectus exiſtimationem illius graviſſime offendebat.

Dum

Dum hæ res haud felici ſucceſſu aguntur, increbreſcente apud cardinales Paulinos Ludoviſii reſponſo. de cliente Burgeſii cariſſimo deſignando, quod ad eum Borgia retulerat, addita ſtatim eſt interpretatio, Ludoviſium nunquam admiſſurum eſſe quemquam ex cardinalibus Paulinis. Quare orta altercatione cum illo, exhortati ſunt Burgeſium omnes, ut detracta aliquando larua aperte proteſtaretur, ſe in conclavi cum omnibus ſuis malle perire, quam committere ut extra illorum numerum quiſquam ad pontificatum perveniret. Ludoviſius autem rem omnem a malevolis ſuis ad concitandam invidiam confictam perhibuit. Sed ſatis cito contra Burgeſium, neſcio an æquilibrii ſervandi cauſa, fama majoris etiam momenti excitata eſt, quæ ejusmodi fuit. Cum d. 27. veſperi ad Borromæi cellam ſe Burgeſius contuliſſet officii cauſa, adverſarii ejus hac arrepta occaſione, ad ſcrutinium ſequenti die mane habendum, ſecreto octodecim ſuffragia Borromæo collegerunt, ſparſo rumore per conclave, hoc Burgeſii eſſe opus proxima veſpera Borromæo promiſſum. Quare perturbati ſupra modum Hiſpani graviter cum illo conqueſti ſunt, neque ante ſuſpicionem animo dimiſerunt, quam artificium hoc adverſariorum quaſi manibus palparent.

Inutilibus his molitionibus ac diſceptationibus undecim dies in conclavi conſumti erant, *nondum verbo ullo audito de Barberini cauſa* (a) in medium vocanda. Ratio nulla alia fuit, niſi quod conveniens, licet omnibus modis ad pontificatum, tamen reſpectu tot ſeniorum nimis juvenis eſſet. Ut rem omnem ordine narremus, ſciendum cardinali Barberino, cum ad tantum faſtigium conſequendum multa impedimenta illata viderentur, tamen reipſa in hoc conclavi præter minorem ætatem nullum obfuiſſe. Nam quod natalibus Florentinus eſſet, apud Hiſpanos gratus, ei obſtaculum creare non magis potuit, quam Bandino, cui non nocuerat. Quamquam & alia ex cauſa hoc ei parum detrimenti afferre poſſet. Nam cum omnia ejus bona in agro eccleſiæ ſita eſſent, Romanis potius, quam Florentinis adſcribebatur. Suſpicio in quam legatio Gallica illum adduxerat, eo imminuta fuit, quod dominus Balthaſar de Zuniga Regis catholici ad Regem Chriſtianiſſimum eodem tempore legatus, officia ad eum retuliſſet, quæ muneris ſui obeundi cauſa, nec rogatus apud Henricum IV. præſtiterat, ut ne unio paulo ante inter illa regna conciliata propter certos quosdam intervenientes caſus diſſolveretur: id quod Regi catholico non exiguam utilitatem voluptatemque attulerat. Similem operam eidem etiam alias data occaſione navavit. Hæc anſam præbuere honorificis illis mandatis, quæ Rex duci de Paſtrana in Italiam miſſo de illius conditione & provectione dederat. Familiæ Mediceæ nullo modo in ſuſpicionem venire potuit, quia duo ejus fratres, qui Florentiæ remanſerant, modeſtia ſua & obſequio magni ducis gratiam ſibi acquiſiverant. Tum ipſe Romæ degens ſemper ſe ſtudioſiſſimum ejus præbuerat. Neque exiguo adjumento fuit, quod cum Bononiam iret legatus Florentiam excurriſſet, ubi ingenuitate naturæ ſuæ, dulcedine geſtuum & ſuavitate morum principis illius animum incredibiliter ſibi adjunxit. Ad dimovendas ſuſpiciones, quas malevoli in Burgeſii animo excitaverant, ſaluberrimum remedium fuit libertas ſermonis, qua in honorem illius & Pauli Pontificis ſub Gregorii pontificatu ſæpius uſus erat, adeo ut tandem dubium nullum de fide & integritate ejus reliquum fuerit. Quin tota aula diſſipatus fuit ſermo, illum nimia libertate odium Ludoviſii incurriſſe. Familia Urſina etiamſi dignitati ejus adverſaria fuiſſet, tamen parum potuiſſet nocere, dum cardinalis Alexander propter communia negotia in Germania degeret. Neque extimeſcendi fuere Peretti, qui nunquam ei inimicitiam denunciaverant. Quod ſi jam malevolentiam ſuam declaraſſent, irritus fuiſſet conatus & ſine effectu: tum cardinalis Andreas febri laborans exiverat e conclavi, ut curaretur. Cæteri cardinales, qui ex æmulatione aut aliis rationibus intimo animi affectu eum nolebant Papam, ſuperſedere ejus rei declaratione, vel quia nondum hac vice eum ad pontificatum aſpirare exiſtimarunt, vel quia id ſe impedire poſſe diffidebant, pro varietate ſcilicet opinionum, quæ inter electores de eo vigebant. Nam nonnulli reputantes ætatem 55. annorum, & firmitatem corporis ejus, perſvadere ſibi non potuerunt fore, ut ille in conclavi, ubi nova bulla ad utilitatem ſeniorum omnia direxiſſe videbatur, tot ſenioribus anteferretur: alii majori perſpicacia re introſpecta, & ſuo momento ponderatis oppoſitionibus, quæ ſeniorum cuique paratæ erant, conſideratisque utilitatibus & propoſitis factionum capitum, pontificatu eum excidere non poſſe judicarunt. Inter eos fuit Farneſius, qui paulo antequam conclave ingrederentur, hanc ſuam opinionem verbis haud ambiguis declaravit.

Res agi cœpta die 29. veſperi ſcrutinio finito, quando Ludoviſio cum Cajetano more ſolito colloquente de rebus, quæ ad conclave pertinebant, hic in laudes Barbarini præclaras delapſus, illum nominandum propoſuit, addiditque expenſo præſenti rerum ſtatu feliciorem exitum de nullius candidati cauſa ſperari poſſe. Ludoviſius item haud vulgari laude propoſito candidato tributa, ſententiam ſuam de eo provehendo declaravit, quæ quidem talis fuit, ſe ei ſuffragaturum libentiſſime, dummodo ne Burgeſius recederet: non vacare tamen metu contradictionis ſeniorum. Proximo die, id eſt 30. Julii mane ad idem negotium redeuntes Ludoviſius & Cajetanus inito numero ſuffragiorum, quæ a Ludoviſii partibus colligi poſſent, deprehenderunt junctis clientibus Gregorii & junioribus Clementis, cum Farneſio, Medicæo, Borromæo, tribus Hiſpanis & duobus Germanis, aggregantibus item ſe Caponio, Ubaldino, Ateſtino & Sabaudo, confici poſſe 23. ſuffragia, quibus ſi Burgeſius adjungeret tantum 13. de ſuis, compleri poſſet numerus duarum tertiarum ad electionem ſufficiens: deficiente autem aliquo forte nominatorum, Burgeſio tot ſupereſſe, ut

(a) *Nondum verbo ulio audito de Barbarini cauſa*) In quam tamen teſte PALATIO, ſtatim die ab ingreſſu in conclave cardinales omnes conſenſere.

ut nec appellato ullo capace pontificatus defectum omnem ſupplere poſſet. His igitur poſitis ſtatuerat Ludoviſius Barberinum, quantum quidem vires ferrent, ad pontificatum provehere. Quare ſtatim cum Farneſio Medicæo & Aldobrandino conſilium communicavit, qui omnes conſenſum ſuum addiderunt. Farneſius eum etiam confirmavit, ne defatigaretur antequam electionem candidati tam bene meriti ad finem deduxiſſet. Eodem tempore ſatis opportune accidit, ut Barberinus cellam cardinalis alicujus amici Ludoviſii prætergrediens, in qua ſeptem alii earundem partium convenerant, officii cauſa eos ſalutaret. Qua occaſione unus ex iis, approbantibus id cæteris, dixit, ſi huic cardinali ſex annorum ætas acceſſiſſet, de alio Papa non cogitandum eſſet. Quod omne cum Farneſio renunciatum eſſet, isque intelligeret, res ita diſpoſitas eſſe in conclavi, ut minor ætas Barberino nocere non poſſet, excitatus eſt animus ejus vehementer, ad incumbendum omni contentione in ejus promotionem.

Eodem mane Ludoviſius, convocatis in cellam ſuam magna ex parte intimis ſuis & clientibus Gregorii, Barberinum iis propoſuit, & deliberantibus iis de difficultatibus, quæ objici poſſent, nonnulli quibus hoc negotium diſplicebat, pro obſtaculo immaturam ejus ætatem attulere, quo Ludoviſium graviſſime ſe ferire exiſtimabant. Sed Cajetanus hoc animadvertens ſimulansque ſe credere, quod hac potiſſimum ratione moverentur, ad Ludoviſium Aldobrandinumque ſe convertit, &, imo vero, inquit, electio juvenis unica illa eſt via, qua vos liberare poſſitis metu, ne inimici veſtri ad pontificatum perveniant. Hic enim diutius vivendo indemnes vos præſtabit, exſolvetque labore brevi novas excluſiones quærendi quod profecto vobis uſu venturum eſt, ſi ſenior eligeretur. Ratio Cajetani audita ab omnibus & quidem cum applauſu a pleriſque, obduravit os iis, qui cupiditati repellendi Barberinum minorem ejus ætatem prætendebant. Unde ipſi fundamento illo ſubverſo non audentes ſententiam ſuam alio modo declarare ſtudioſiſſimos ſe præbuerunt.

Dimiſſo concilio Cajetanus juſſu Ludoviſii ad Barberinum abiit, quem cum ad ſcrutinium matutinum euntem in via offendiſſet, quantum per anguſtiam temporis & incommoditatem loci licuit, de cæptis pro ipſo molitionibus certiorem fecit. Reſpondit Barberinus, ſe benevolentia eorum obligatum eſſe, ſed negotium magna circumſpectione opus habere, cumque jam pluribus ſententententiam ſuam exſerere non poſſet, conſentit in hoc, ut alias commodius de eo colloquerentur. Poſt ſcrutinium Barberinus negotium incaleſcere ſentiens, ſimul reputans, favorem Hiſpanorum ex primis ejus fundamentis eſſe, ſed illos vix fauturos, niſi principali auctoritate adducerentur, Borgiam adiit, cui poſtquam narraſſet, ſe inſcio de electione ſua a cardinalibus quibusdam amicis actum eſſe, proteſtatus eſt, ſi hoc cupiente Rege Hiſpaniæ non fieret, ſe antequam alii ſe opponerent, rem omnem in herba ſuffocaturum eſſe. Borgia in optimam partem id accipiens, reſpondit, illum quidem mandatis regiis in numero capacium Pontificatus, de quibus illa vice agendum eſſet, non reponi, ſed tamen pro fido a Rege haberi; ſibi conſultum videri, ut rem ire pateretur, neque voluntati eorum repugnaret, quibus amplitudo ipſius curæ eſſet. Regesſit Barberinus, ſe nolle agi de electione ſua, niſi ab auctore & capite Hiſpanicæ factionis, & quoniam præſens negotium ab alio ortum eſſet, ſe illud omnino abruptum velle. A Borgia ad Burgeſium perrexit, & celata legatione Cajetani congresſioneque cum Borgia habita, ei expoſuit, ſe audiviſſe ab aliquibus adverſarum partium de electione ſua agi, vereri, ne eo contineantur artes, ad nocendum ſibi comparatæ, confugere ad illum, ut indicaret, quæ reſciviſſet, rogareque uti ſe in fidem reciperet. Quod ad ſe attineret, ſtatuiſſe ſtudiis ejus omnibus in rebus, ſive magnis, ſive parvis obſequi. Reſpondit Burgeſius ſe non minus ei quam ceteris clientibus cupere, & omnem occaſionem ornandi tollendique eum promtisſime arrepturum eſſe. Audiviſſe ſe, quæ a Ludoviſio & ſocio oblata dicerentur, deliberare ſecum an pro veris & certis habenda ſint, contrarium non temere vereri; ſed tamen non obſtante illa ſuſpicione, certo polliceri favorem omnem, qui a viribus ſuis proficiſci poſſet. Hoc intellecto Barberinus negotio jam ſuperſedendum eſſe dixit, donec ipſe, quid facto opus eſſet, ſignificaret. Reſpondit Burgeſius, ſe ei rem omnem committere, facturumque eſſe, quæ præſcriberet. Denique Barberinus ab eo veniam colloquendi cum Ludoviſio petiit, ut ad intima ejus conſilia in hac cauſa perveniret, & ea ſi minus recta viderentur, animo ejus eximeret. Quo certius autem Burgeſii amicitiam ſibi conſervaret, prædixit ei, quod cum Ludoviſio colloquendo ſimulaturus eſſet, ſe Burgeſianis benevolentiæ ſignificationibus fidem non habere, cum igitur Ludoviſium inviſens, quæ viſa locutus eſſet, & inprimis ſe voluntati Burgeſii diffidere oſtendiſſet, vidit id, quod jam tum cognitum habebat, propenſionem animi ejus promptam & ſinceram ad amplectendum omnem rationem, qua dignitatem illius amplificare poſſet. Atque adeo motus ſtudio ejus ſuaſit, ut ad evitandam ſuſpicionem Burgeſii, ne ad ſe rediret, ſed per internuncium, quæ opus eſſent, ſignificaret; ſe quidem omnia ea ſemper promtisſime exſecuturum. Non exiguam dubitationem animo Ludoviſii ſociorumque oratio Barberini injecit, qua ſe promisſioni Burgeſii diffidere oſtendit. Hanc igitur tollendam exiſtimantes, explorare rem per equitem Lottium ſtatuerunt, quem ad Burgeſium legarunt, ut ei denunciaret, Farneſio, Medicæo, Ludoviſio, Aldobrandinoque & amicis eorum in animo eſſe Barberinum (dummodo ſuffragia Paulina eidem ſuccurrerent) ad pontificatum provehere, & ideo illos ſcire velle ſententiam ejus, a qua executio omisſiove negotii penderet. Burgeſius ſibi ſtudium eorum gratisſimum eſſe oſtendit, & actis iis gratiis ſe dignitati Barberini promtisſime ſuffragaturum promiſit. Sed illi hac teſtificatione non contenti, quo magis eum obſtringerent, curarunt, ut ipſe Farneſius idem officium apud eum exſequeretur. Qui etſi nihil non conveniens cauſæ referebat; tamen cum Burgeſius ſuſpicionem, quam de ſinceri-

tate

tate harum declarationum habebat, apud amicos non diſſimularet, atque adeo poſt factionem illam, qua cum Ludoviſio uſus erat Barberinus, divulgaretur, Burgeſium eum nolle Papam, variæ murmurationes & querelæ ubique ortæ ſunt. Quibus ad ipſius aures delatis, vocari juſſit Barberinum & graviter cum eo conqueſtus eſt, ſermonibus ejus in ſe invidiam totius conclavis junctam opinione peſſima concitatam eſſe. Sed conſtituit tandem animum ejus oratio Barberini, qua ſe ſtatim hos ſermones ſedaturum promiſit, obtulitque ad ſubeundum periculum ſuffragiorum in ſcrutinio, quo tandem illi fiant conſpicui, qui aliud dicerent ac facerent. In ultimo congreſſu cum Ludoviſio & Burgeſio inſtituto Barberinus, uti indicavimus, eos rogaverat, ut benevolentiam ſuam magis oportuno tempori ſervarent, ne incœpto negotio longius progrederentur. Rationem ejus rogantibus illam reddidit; cum tot ſeniores optime meriti in collegio reperirentur, cum quibus ipſe collatus, ætate & cæteris dotibus inferior videretur, non oportere ſe hoc intendere, ut illos præcederet. Quæ quidem res ſingularem ei benevolentiam apud omnes conciliavit, celebrante unoquoque incredibiliter modeſtiam ejus, & inſignem moderationem ambitionis illius, quæ nobis omnibus natura inſita eſt. Sed vera cauſa regreſſus fuit, quod perſpiciens, Burgeſium ſe non præbere authorem hujus negotii, merito vereretur, ne difficultate quadam nondum forte intellecta retineretur. Tum etiam eo movebatur, quod Medicæus cogitationem omnem ad amplificandam fortunam Montii intentam habens ad cæterorum cauſam animum non applicaret. Itaque dandum adhuc ſpatium ratus, dum tentata quoque a cæteris cardinalibus capacibus pontificatus fortuna, conſtaret, fieri non poſſe, ut illi pontificatus potirentur. Hoc enim intellecto tum ipſos, tum eorum fautores, in refragando remiſſiores fore judicavit.

Illud admiratione dignum, quod ad Borgiæ & Ludoviſii & Burgeſii cellas exiguo temporis intervallo commeantem nemo conſpexerit. Quanquam & diligentiæ ejus id adſignari poteſt, qua uſus eſt exeundo ſemper ex ſacello ſub finem ſcrutinii, quando cardinales ceteri, collocutionibus more ſolito inter ſe inſtitutis detenti, nec dum egreſſi erant. Utcunque illud ſe habuit, non exigua hæc felicitas fuit, quod Borgiam tam cito domum reverſum offendit, nec in quenquam eorum incidit, qui relictis rebus omnibus id agebant, ut aliorum ingreſſus explorarent & ad adverſarios, quorum intererat, deferrent. Equidem ex conventione illa, quam uti diximus, cum Barberino Burgeſius ſecreto iniverat, ut cum Ludoviſio agens, dubiam ſibi illius benevolentiam eſſe fingeret, ſatis ſuperque origo querelæ de Burgeſio paſſim habitæ conſtitit, credentibus pleriſque quod ille Barberinum pontificatum conſequi nollet.

Sed tamen ad ipſarum rationum notitiam, propter quas inde ab initio teſtificationibus favoris Ludoviſii erga Barberinum ægre fidem adhibuit, non omnes pervenere. Hæ autem fuere, primo quod Medicæum compererat, ut benevolentiam erga Barberinum præ ſe ferret, tamen ſuffragari ſtatuiſſe nemini, antequam liqueret, Montium plane pontificatu excluſum eſſe. Deinde ſcivit, Aldobrandinum, utcunque & ipſe eadem propenſione eſſe videretur, propter ſuſpiciones tamen tempore Gregorii in fiſcalis Romani conceptas, ante cum illo agendum putare. Neque fugit eundem, quod duo Florentini, Caponius & Ubaldinus, ob veteres offenſiones haud in illum bene eſſent animati. Denique apud animum ſuum conſtituere non potuit, quid ſibi vellet, quod Ludoviſius ad iras natura proclivior, præter conſuetudinem ſuam tam facile cum Barberino in gratiam rediiſſet de libertate ſermonis, qua ſæpius læſum jure conqueri poterat. Acceſſerunt duæ rationes generales, cognitio ſcilicet voluntatis Ludoviſii adverſæ, (quam propter perſuadere ſibi non poterat, illum ſincere & ſine conſilio nocendi extollere clientem Paulinum ſibi gratum) & natura ejus in metum ubique prona, vel maxime autem finiendo negotio, quo magis arduum & difficultatibus ac periculis plenum ei occurrere non poſſet.

Non injuria quis ex adverſo quæreret, quænam cauſa Ludoviſium adduxerit ad extollendum Barberinum, quem ei ut Burgeſii clientem omnibus modis inviſum eſſe oportebat. Non fuit obſcurum in aula, Barberinum obita legatione Gallica, aliquo temporis ſpatio apud Paulum Pontificem magno in pretio fuiſſe, & multa honoris inſignia ab eo conſecutum eſſe: Sed non minus conſtitit, eundem Pontificem poſtea mutata ſententia, ad nullum negotium majoris fidei eum adhibuiſſe; neque gratia ulla affeciſſe, ex qua ſingularis erga eum affectus cognoſci poſſet. Effectum hoc opera quorundam cardinalium, qui ob ſua commoda animum Pontificis & Burgeſii ab eo alienaverant. Principium exſtinguendi benevolentiam Pauli erga illum a libertate fuit, qua præfectus a congregatione *ædificationi Baſilicæ S. Petri* (a) vitia manifeſtavit, quæ in frontice & frontiſpicio veteri formæ Bonarotæ adjiciendis commiſſuri erant. Creditus enim Paulus in malam partem accepiſſe exiguam illam animi propenſionem, qua viſus recipere epiſcopatum Spoletinum pro archiepiſcopatu Nazarethano, domino Fontio conferendo, quo ad cardinalitiam dignitatem inſtrueretur. Neque ullo modo placuit Burgeſio, quod abbatiam duorum millium ſcutatorum (ejus fructus

(a) *ædificationi Baſilicæ S. Petri*) Baſilica illa S. Petri a Julio II. inchoata & poſt collectas ex indulgentiis (quæ reformationi anſam dederunt) a Leone X. huic fini deſtinatas pecunias a ſubſequentibus Pontificibus nimirum Gregorio XIII, & Sixto V. non minimum jam aucta erat juxta ideam a Bramante primum, deinde Bonarota excogitatam. Cum autem ambiendo veteris Baſilicæ ſpatio ſatis non eſſet, Paulus V. reliquum templi corpus a ſacello Gregoriano uſque ad extimam faciem, chorum, ſacella, porticum inferiorem, turres campanarias a fundamentis extruxit atque inaurato fornice porticuque etiam inferiore plaſtico opere inaurato ampliſſimum & magnificentiſſimum templum anno 1613. abſolvit, quemadmodum PALATIVS refert *in vita Pauli V. tol. 4. pag. 506. ſeqq.* ſolenni ritu autem demum conſecravit, aliaque ornamenta adjecit Urbanus VIII. nec non Innocentius X. ceu apparet ex inſcriptionibus *in curioſo itinerario per Italiam p. 318. 319.*

bis mille circiter ſcutatis æſtimabantur) & annuos reditus ad mille quingentos ſcutatos (quos Papa conferre ſolet cardinalibus, qui beneficium non poſſident, ex quo ſex mille ſcutati annui percipi poſſint) recuſaverat. Hæc enim ei oblata erant, ut miſſam faceret præfecturam ſignaturæ juſtitiæ poſt mortem cardinalis S. Gregorii ſibi debitam: quia dum ille morbo impeditus eo munere fungi non poterat, in locum ejus ſubſtitutus erat. Nolenti autem cedere illam, renunciatum fuit, quod reditibus illis & abbatia cariturus eſſet, retentis tantum 1500. ſcutatis, quos ſignatura fert. Quanquam vero præter fructus, quos inde ſine dubio cepiſſet, ſcivit quoque, his Burgeſii ſtudiis concedendo, ſe benevolentiam ejus ſummam acquirere poſſe, cum tantopere ſe cupere oſtenderet, ut cardinalis Fontius modo ad illam dignitatem provectus, præfecturam conſequeretur: tamen, quia honor magis ei cordi erat, qui collato alteri ſine certa ratione hoc officio in diſcrimen veniſſet, libere ſe excuſavit, quod conſentire non poſſet. In legatione quoque Bononienſi occaſio tulit, ut acciperet & redderet iis moleſtiam, maxime quidem in tranſitu copiis magni ducis concedendo, quæ in Sabaudiam duci Mantuano auxilio mittebantur. Nam cum nequicquam inſtante Barberino, tempeſtiva mandata Roma non venirent, hi autem contra fidem datam partem agri Bononienſis attigiſſent, viſus eſt Papa non nolle, ut harum turbarum culpa legato adſcribi poſſet, quo occaſionem offendendi, vel ducem Sabaudiæ vel magnum ducem Florentiæ evitaret. Addiderunt alii appendicis loco, fluxam Barberini fidem erga ſedem apoſtolicam fuiſſe, ut magno duci gratificaretur. At ille nullo modo committendum ratus, ut honori ſuo tanta macula inureretur, vulgavit litteras, per quas exiſtimatione ſua ſarta tecta ſervata actiones Pontificis prudenter excuſavit & defendit: Burgeſio autem ſcripſit dolens, quod ab eo in tantas anguſtias vocatus eſſet. Quæ omnia etſi adeo grata accidere non potuere, tamen pro tempore diſſimulata ſunt. Diſplicuit etiam Paulo Pontifici ſcriptum, in quo ſolidis rationibus injuriam ſibi illatam oſtenderat, collatione quadam beneficii, quæ contra indultum conceſſum in diœceſi ſua facta erat.

Hæ res ponderatæ Ludoviſio perſuaſerunt, Barberinum in Burgeſium odium quoddam animo abſtruſum habere. Unde & Petrus Aldobrandinus arrepta occaſione in proxime ſuperiori conclavi omnem operam dederat, ut eum ad recedendum aperte a partibus Burgeſii & ad ſuſcipiendum contrarias permoveret. Cui tamen ille tum reſponſum dederat, quo præſtantia animi ejus cognita & infirmitas eorum reprehenſa, qui commotionibus animi victi & inducti cujuscunque offenſiunculæ vindictam debito gratitudinis anteponunt. Fuit autem reſponſum tale: ſi in alteram lancem omnes moleſtiæ & acerbitates conjicerentur quibus a Papa Paulo & Burgeſio adfectus diceretur, in alteram pileus cardinalitius; hoc quidem tale beneficium eſſe, ut in generoſo pectore modis infinitis præponderaret non modo omnibus illis adverſitatibus, ſed multo pluribus, etiam quæ ad probandam fidem cumulari potuiſſent. Porro non defuere Ludoviſio rationes, quibus Barberini benevolentiam, ſibi familiæque ſuæ polliceretur. Primo enim Papa *Gregorius*, (a) tum temporis auditor Rotæ, & Barberinus Beneventum profecti, ut controverſiam finium regundorum in illa provincia deciderent, valde ſeſe inter ſe amaverant. Deinde cum uterque Bononiæ eſſet, Barberinus quidem legatus & ille archiepiſcopus, officiis amicitiæ mutuum amorem confirmarant. Denique Romæ rogatus Barberinus a Burgeſio nomine Pauli Pontificis, ut referret de conditione Gregorii, dum de eo in Longobardiam & Pedemontium legando deliberabant (cui muneri majoris authoritatis & dignitatis cauſa ipſe cardinalatus acceſſurus videbatur) non modo honorifico eum teſtimonio ornaverat, ſed & animo Burgeſii ſuſpiciones eripuerat, quæ vehementer Gregorio officere potuiſſent: id quod ipſe poſtea cardinalis factus reſcivit. His meritis voluntas ejus, dum pontificatum geſſerat, egregie reſponderat, in eamque mortuo illo Ludoviſius jam ſuccedebat. Nixus etiam eſt plurimum gratitudine, qua Barberinum (quem bonum virum ſemper cognoverat) memoriam Clementis proſecuturum ſperabat, a quo ſi nihil aliud certe clericatum cameræ, archiepiſcopatum Nazarethanum, & legationem Gallicam obtinuerat. Neque libertate ſermonis ejus, uti credebatur, offenſus erat. Nam cum Barberinus illa prudenter uſus erat, tum conſtabat, eam non ab inclinatione aliqua voluntatis ſed ab ingenuitate naturæ ejus profectum eſſe, quæ ab eo, quod rectum judicaſſet, abire neſciebat.

Sed Farneſius, qui animo tranquilliori in turbulentiſſimo conclavis mari vela faciebat, præter virtutes, quas in Barberino præ ceteris perſpexerat, memoria tenebat, eum eſſe alterum nepotem Antonii illius, qui Florentia Romam migrans a Paulo III. ſumma benignitate acceptus erat, quique primo Franciſco nepoti ſuo, inde Maffeo benevolentiam & obſervantiam erga familiam Farneſiorum quaſi hæreditariam reliquerat. Quare cum jam ante, quam conclave ingrederetur, animum ad amplitudinem ejus intentum habuiſſet, non omiſit ingreſſus occaſionem ullam amplificandi eam. Neque id ignotum Barberino fuit. Quin optime intelligens, quantum de ejus autoritate & officiis ſibi haberet polliceri, cum præcedenti die, quo Borgeſium, Ludoviſium & Borgiam convenerat, illum inviſere non potuiſſet, a prandio d. 31. Junii officium hoc executus eſt, laborante quidem illo podagra. Atque actis primo gratiis de iis, quæ pro ſe egiſſet, ſermonem cum illo inſtituit de negotio ſuo tum conquieſcente: ſimul intellecta ejus ſententia, quod nulla differendi cauſa eſſet, actiones ſuas defendit, allata ſuſpicione, quam de Hiſpanis & Medicæo habebat. Regeſſit Farneſius illam fundamento deſtitutam eſſe, cum illi proni ſemper fuiſſent, & hunc vel ipſe adducere poſſet. Addidit, cauſam nihilominus integram eſſe, & quacunque hora cum ſpe felicis ſucceſſus repeti poſſe. Rurſus Barberinus unam aliquam ſupereſſe viam, ait, deducendi rem ad deſideratum

tum

(a) *Gregorius*) Ipſe antequam Pontifex crearetur, Ludoviſius dictus.

tum finem, ut ſcilicet Farneſius ipſe ſuſciperet curam adigendi capita factionum ad aperiendam ſententiam & ſtandum conventione cum Hiſpanis inita. Nam intercedente autoritate ejus non verendum eſſet, ut quis a declarata coram ipſo ſententia recederet. Reſpondit Farneſius, relinqueret ſibi adminiſtrationem hujus rei, ne de ea amplius ſollicitus eſſet. Inſtitit Barberinus, tantam eſſe auctoritatem ejus apud omnes, junctam tam longo uſu rerum conclavis, ut graviter peccare ipſe ſibi videretur, ſi arbitrium conſiliorum omnium ei non permitteret. Faceret libere, quæ in rem eſſe arbitraretur. Hanc ſe tantum gratiam rogare, ut, ſi minus negotium finem exoptatum obtinuiſſet, liceret ſibi publice profiteri, quod exiſtimationem ſuam periculo ſuffragiorum ſubjeciſſet, confiſus conſilio Farneſii. Aſſenſit ille rogans, quandocunque eum certiorem faceret, ut ne dubitaret voluntati electorum ſe permittere: paratum in omnem euentum eſſe, ad teſtandum, quod non modo a levitatis culpa abeſſet, ſed & contra imprudentiæ notam vellet evitare.

Recipiente conclavi faciem priſtinarum perplexitatum, & oppreſſa, uti ſeniores ſibi perſuadebant, cauſa Barberini, Burgeſius & Pignatellus rurſus inſtitere Borgiæ, ut ſtudium curandi ſuffragia prioribus candidatis repeteret; ſed videntes ſe nihil agere, ad alia conſilia devenerunt. Interea eques Lottius impulſus ab amico quodam cardinalis Scagliæ, rogavit Farneſium, ut quemadmodum Barberinum Burgeſio nominaſſet, ita & Scagliam nominare dignaretur. Sed excuſavit ille ſe prohibendo, quod nollet denuo in arenam deſcendere, ubi ſemel fortunam adverſam expertus eſſet. Viſum itaque genus omne negotiorum impeditum, ita ut nemini candidatorum, pro quibus ſuſcepta erant, certa ſpes felicis eventus oſtenderetur. Hac arrepta occaſione amici cardinalis ſanctæ Suſannæ, qui enixam voluntatem extollendi eum artificioſe adhuc celaverant, intelligentes petitiones multorum propter difficultates motas langueſcere, & hac ratione leviores oppoſitiones ſibi pollicentes, cauſam ejus magno ardore inſtituerunt. Fuerunt illi Ludoviſius cum omnibus ſuis fere, & Hiſpani: ad quos, metuendum erat, ne clam in ferendo ſuffragio ex Pauli clientibus quidam accederent. Sed dum Hiſpani negotium hoc in medium proferentes, Burgeſium ad aſſentiendum allicere ſtudent, valde eum alienum a conatibus ſuis vident. Primo enim ille dum facile eos refutari poſſe exiſtimabat, tantum difficultates quaſdam profert, ſed poſt eum eos una cum Ludoviſio conſilii certos agnoſcit, aperte ſententiam declarat, nolle ipſum Papam. Idque in adverſariis, quod alias ſolet, operatur, hoc eſt, magis eos impellit ad elaborandum & experiendum omnia quo cauſa oppugnata felicem ſortiatur exitum. Itaque illi ſubducta ratione omnium omnino ſuffragiorum, a Ludoviſianis, Hiſpanis, & quibusdam Paulinis, amicis S. Suſannæ ad 30. colligi poſſe conjecerunt: quibus ſi Vrſinus, Valetta, Surdus & Spinola, qui brevi exſpectabantur, ſe aggregarent, ſperarunt ſe Burgeſium ad ſummas anguſtias poſſe redigere.

Dum de his deliberatur, Vbaldinus, qui optime noverat, Barberini cauſam in ſpeciem tantum omiſſam eſſe, occurrens ei mane poſt ſcrutinium, rogavit, ut in cellam ſuam veniret, res eſſe magni momenti, de quibus cum illo colloqui vellet. Non repugnavit tum Barberinus, ſed cum ſero eſſet, ad prandendum diſceſſit. Poſtea animo reputans hanc invitationem propoſitum nocendi contineri poſſe, ſiquidem id ageretur, ut cardinalium cellas circumcurſando electionem ſuam procurare videretur, (id quod Millino non exiguum detrimentum in eadem cauſa adtulerat) vice adeundi cellam ejus, contulit ſe in aulam regiam, eique ſignificavit, ad ſermones hominum evitandos ſe convenientius exiſtimaſſe, ut illo in loco eum operiretur, ubi commode colloqui poſſent. Ivit eo Vbaldinus, ſed vix cœpto ſermone, viſi ſunt certi homines ſingulari diligentia eos obſervare. Quare converſus ad illum Barberinus: velle ſeſe, inquit, recipere ad ſuam cellam; & ſi quid afferret, ibi auditurum eſſe, cumque ille officium viſendi nondum exſolviſſet, hanc aditionem juſta excuſatione tegi poſſe. Secutus eum eſt Vbaldinus, & poſtquam intraverat, ſuffragium ſuum operamque detulit. Difficultas autem, quæ Barberinum retinuit quo minus eo iret, quo invitabatur, ex ſuſpicione orta erat. Veritus enim, ne Vbaldinus, quem alias parum benevolum expertus erat, non ſuccedente primo conſilio exponendi ſe omnium conſpectui in cella ad proximum deveniret, exhiberetque ſe in aula regia uti hominem tendentem ad pontificatum, & daret hoc ipſo inimicis anſam parandi excluſionem. Quod quidem tentamentum poſt mortem Clementis Octavi infeliciter Petro Aldobrandino ſucceſſit, quando *Cardinalis Tuſcus* (a) immediate Papa electus eſt.

Interea Detius cardinalis Paulinus antea & poſt etiam habilis ad pontificatum, nuntiavit, Burgeſium ad cauſam Millini ſecreto rediiſſe, atque ad ſcrutinium acceſſumque matutinum illius diei, qui erat 2. Auguſti, XXII. ſuffragia parata habere. Perturbatus hoc nuntio ſupra modum Ludoviſius, nullo interpoſito intervallo, in ipſo ingreſſu ſacelli obtinuit pro S. Suſanna 24. ſuffragia, cum Millinus tantum 22. haberet. Opera ejuſdem effectum, ut eadem veſpera Millinus ad 21. delaberetur, S. Suſanna ad 25. perveniret. Unde perturbatio jam vice verſa Burgeſium inceſſit, qui cum nihil de hoc negotio præſciviſſet, ex improviſo perculſus eſt. Quærelæ ejus in Hiſpanos maximæ fuere. Sed tamen die tertio mane Millinus non amplius quam XIX. ſuffragia tulit. Quanquam nec S. Suſanna numerum exceſſit, deficientibus tribus eorum, quæ antea obtinuerat. Creditum eſt, illa fuiſſe Ginnaſii & duorum amicorum ejus, qui metu indignationis Burgeſii receſſiſſent. Nam jam

(a) *Cardinalis Tuſcus*) Poſtea Leo XI. dictus, antea Alexander Medicæus, cujus electioni, rejecto etiam Baronio (quod *tom. XI. annal. eccleſ.* quædam contra Philippi in Siciliæ regno ſupremam autoritatem ſcripſerat) Hiſpani omni adhibito ſtudio adverſabantur. Aldobrandinus tamen ſine quo haud poterant abſolvi comitia (uti PALATIVS refert,) quod tot ſibi devinctos haberet, quot ad impediendum ſufficerent, prenſando, rogando ita egit, ut tandem Alexander Medicæus ad pontificatum, moleſte inſpectantibus Hiſpanis, eo electionis jure, quod adorationem vocant, eveheretur.

jam tum vehementer in ſuſpicionem venerant. Sed magis etiam Ludoviſium illud exercuit, quod Hiſpanos metu Borgeſii S. Suſannam relinquere advertit, & quamvis hoc ſpeciali mandato ducis de Paſtrana fieri exiſtimaret, cui fixa mente regula, concorditer cum Borgeſio vivendum eſſe; tamen propior ratio regreſſus fuit, quod Barberini quoddam conſilium iis negotium faceſſerat. Ille enim Borgeſium graviter afflictum intelligens, dum ſuffragia pro S. Suſanna legebantur, ei confirmavit, quod revocata per Sabaudum in medium cauſa cardinalis Aracœli facile ſe iſtis moleſtiis liberare poſſet: Hiſpanos enim hoc facto ad ipſum redituros, quos tum honeſte in quam vellet partem impelleret. Placuit conſilium Borgeſio juxta Millinoque, qui prope illum ſtans omnia audiverat, excitus autem ipſe Barberini ſermonibus egregie reſpondit. Nam vix cepto negotio Borgia metu compulſus multos cardinales adiit rogatum excluſionem, cumque etiam apud Barberinum de conatu Borgeſii conqueſtus eſſet, hic auctor ei fuit conſilii, quo negotium omne e medio tollere poſſet. Eundum enim ei ad Borgeſium dixit & ſignificandum, quod inpoſterum S. Suſannæ ſuffragari nollet. Itaque hoc facto viciſſim Borgeſius promiſit ſe curaturum, ne clientes ſui ulterius in cauſa Aracœli progrederentur. Interea Ludoviſius cauſam S. Suſannæ haud ex ſententia ire perſpiciens, noluit eam amplius periclitari, ſed tantum minitatus adventum cardinalium, quos exſpectabat, abſtinuit a molitionibus ſuis. Sed & illæ, quæ pro Millino ceptæ erant, ultro evanuerunt.

Actionibus hactenus recenſitis in conclavi duodecim dies conſumti erant, quo temporis ſpatio, non tam per æſtatem, quæ Vaticanum fere inſalubre reddit, quam per loci anguſtiam multitudinemque hominum conclave infectum corpora hominum morbis affecit. Aer enim conſtrictus & exitum non reperiens, perinde, ut aqua concluſa, noxias exhalationes & vapores continuo cauſabatur. Itaque jam tum febri correpti erant II. Cardinales, & metus, imo certum erat, nec reliquos immunes fore: jam cardinales, quibus proxima ſpes non erat perveniendi ad pontificatum, & maxime illi, qui pugnas & contentiones non fecerant ſuas, moti periculo & indignitate rei quam perſpectam habebant, omnia querelis implere, & deteſtari pernicioſam capitum diſcordiam cœperunt, quam propter cum graviſſimo detrimento publicæ ſalutis conſtitutio capitis eccleſiæ differenda veniret. Quanquam vero Ludoviſium & Hiſpanos & omnes alios accuſabant, quos in hoc negotio ſuis commodis duci exiſtimabant: tamen querimoniæ illæ vel maxime ad Borgeſium pertinuere, quippe cum a Ludoviſianis in eam opinionem adductus eſſet, ut multis bona verba dare, ſed re ipſa paucis iisque intimis ſuis velle crederetur. Neque inter alias exigua fuit querendi cauſa, quod, ut exiſtimabant, Barberinum repuliſſet, qui, cum cliens ejus eſſet, tum omnibus dotibus inſtructus videbatur, quæ in bono Pontifice optari poſſent: ſed Borgeſiani confirmarunt hanc calumniam eſſe ab adverſariis confictam ad inurendam maculam honeſto capitis ſui nomini, eoque magis operam dederunt, ut omnes cognoſcerent, nihil aliud negotium pro Barberino ceptum irritum reddidiſſe præter efficaces ipſius preces, quæ interceſſerant. Quod etſi ad communem opinionem verum erat, tamen narratione hujus facti fallebantur. Nam Farneſius & alii amici ejus, exiſtimantes in illo conclavi præter eum non facile quenquam electum iri, ejus cauſam occulte agere nunquam deſtiterunt. Et quoniam publica liberaque negotii geſtio utcunque propter candidatum ipſum felicem exitum pollicebatur, tamen propter eos quos præeſſe ei oportebat & propter adverſarios etiam multis difficultatibus conjuncta erat, ſi minus recta via pergeretur, animadverterunt, quod nulla alia ratione ſine periculo ad portum conduci poſſet, atque ille ipſe propoſuiſſet. Ratio autem illa ejusmodi fuit, ut præcavendarum ſimultatum cauſa, quas inter Borgeſium & Ludoviſium illa diſceptatio parere potuiſſet, uter ad electionem plus contuliſſet (quo major ſcopulus in hoc negotio reperiri nequit) neuter eum denominaret, ſed tres cardinales Farneſius, Sabaudus & Medicæus hoc exequerentur, quos nec Borgeſius nec Ludoviſius aperta ſemel ſententia facile falleret. Suſtulit etiam hoc conſilium difficultatem quandam, quæ animum Borgeſii valde ſuſpenſum habuiſſe dicebatur. Nam ſi Barberinus alio modo ſe geſſiſſet, multi ſeniores ab illo receſſiſſent, quos indeſinenter ſpe lactaverat.

Porro Barberinus ſuaſit, ut omni modo curarent induci Borgiam, uti negotii auctor fieret. Neque id factu difficile viſum tum, quia ſe ſemper Barberini cauſæ cupere oſtendiſſet; tum quia honorem primi motoris Regi catholico delatum non facile recuſaturus eſſet. Interveniens autem illius auctoritas, quin arctius negotium intendere & eos, qui acceſſiſſent conſtringere poſſent, nemo dubitavit. Sed tres illi cardinales, quo conjunctius in cauſa progrederentur, opera danda fuit, ut Medicæus, qui ſolus propter ſpem de Montii electione conceptam frigidum ſe & ſuſpenſum in aſſentiendo præbebat, certior fieret, Hiſpanos, quamvis contrarium oſtentantes, certa mandata excludendi illum habere. Hac igitur cura ſibi ſumta Savellius Medicæum perpulit, ut a Borgia ſuffragium pro Montio etiam atque etiam peteret. Sed illo nihil afferente præter excuſationem, non poſſe ei hic inſervire propter mandata a Rege Hiſpaniæ in contrarium accepta, ſumma promtitudine Barberino una cum cæteris favere cœpit.

Cum hoc loco res eſſet, Borgeſius d. 3. veſperi in febrim incidit, quæ ad d. 4. remiſit, ſed d. 5. gravior reverſa eſt. Itaque aeris infectionem extimeſcenti (quippe jam tum ſimili febri laborantes, Perettus & Gerardus, conclavi exiverant) placitum eſt, veniam exeundi petere. Interea Barberino, ut ſeniori clientum, commiſit curam rerum omnium & vocatis ſuis conſilium expoſuit, hortatusque eſt omnes & ſingulos vehementer, ut conſervarent concordiam, quæ iis adhuc apud omnes authoritatem pepeeriſſet, nec obliviſcerentur Pauli quinti memoriam grato animo colere, qui tot cardinales ſingulari virtute prudentia & ſanctitate creaſſet, ut ſine ſumma injuria ad alios pontificatus

ficatus

ficatus ferri non poſſet: ſubſtituere ſe in locum ſuum cardinalem Leni, quem rebus dubiis ſine periculo conſulerent, neque relicturum ſe palatium Vaticanum, quo paratior eſſet ad neceſſitates & ſtudia eorum. Illi actis ei gratiis de propenſa voluntate, quam teſtificatus erat, eandem imo majorem benevolentiam & fidem, quam coram ſæpius ei probaſſent, abſenti quoque præſtituros promiſere: iret animo tranquillo, ſe non commiſſuros, ut audiret clientes Pauli electioni cujusquam, extra numerum ſuum, ſuffragatos eſſe. Quemadmodum morbus Burgeſii & vel maxime conſilium exeundi animos addiderat adverſis partibus & cardinalibus ſenioribus, ſperantibus, clientes ejus ſine capite diſcordes & debiles futuros, ita declarationes tam aperte prudentiſſimos quosque perturbarunt, quippe qui ex eis inferebant illum excluſionum certum abire, & incluſionem vel Paulini clientis, propter abſentiam capitis, difficiliorem futuram. Ludoviſius vero publice perhibuit, Burgeſium conſtituiſſe conclavi egredi & in palatio Vaticano commorari, promtum ad redeundum quovis tempore, hoc quidem conſilio, ut adverſarios moleſtiis & gravitate aëris enecaret. Itaque graſſantibus morbis territi, & incommodis, quæ evitare non poterant, graviter affecti, partim deliberarunt, an Burgeſio venia exeundi concedenda eſſet; partim nulla interpoſita mora antequam abiiſſet ad aliquid adtentandum, & durante motu diſceſſus ejus conturbationisque eorum, qui remanerent, operam dandam cenſuerunt, ut ſtatim ad electionem candidati devenirent, cui quam minima impedimenta officerent. Hæc eſſe illa tempora, quibus divina providentia finiendam electionem vicarii ſui deſtinaſſet.

Perſpecta hac opportunitate Farneſius, Ludoviſius, Hiſpani, & alii amici Barberini, non ceſſarunt negotium, quod ſeniores, uti diximus, extinctum opinabantur, intendere. Itaque, quemadmodum & ipſe cenſuerat, decreverunt, ut tres cardinales principes convenirent, curam congregandi eos Borgia princeps Hiſpanicæ factionis, uti primus motor, ſuſciperet, congregati cum ipſo Borgia abirent ad Borgeſium, & demonſtratis præſentibus neceſſitatibus Barberinum eligendum proponerent, eumque acceptum ab illo Ludoviſio porro denominarent. Hoc conſilium in Farneſii cella approbatum fuit, præſentibus Medicæo & Aldobrandino, quorum hic, exuta ſuſpicione, aperte Barberino jam favebat. Præterea iidem conſtituerunt, ut Cajetanus doceret Borgiam, quibus opus eſſet, curaretque executionem eorum, quæ decreviſſent. Fecit ille officium ſuum, cumque Hiſpanos promtos deprehendiſſet, placitum eſt, ut principes cardinales initium convocandi a Sabaudo facerent.

Dum Burgeſius paroxyſmo impediebatur, quo minus rei præeſſet, loco ejus cardinalis Leni ſecretarium ſuum ad Barberinum miſit, ut cognoſceret, quonam modo ſequente luce ſuffragia ferenda eſſent. Nam primo perſpecta eximia peritia ejus in hoc negotio, Burgeſius mandaverat, ut in capiendo certo aliquo conſilio accurate obſervarent, quæ illi in mentem veniſſent; deinde, ſi certamen ex ſententia non ſucceſſiſſet, noluit Leni committere, ut vel debitam diligentiam non adhibuiſſe, vel minus commodam agendi rationem ſecutus eſſe videretur. Suaſit Barberinus ut ſuffragia Ludoviſiana ſcrutinio; Burgeſiana acceſſui deſtinarent. Ratio fuit, quod ita ipſa ſuffragatione appareret, an Ludoviſius bona fide ageret: tum quod gloria creati Papæ non ſuffragiis ſcrutinii, ſed acceſſus deberetur, cum hic electionem abſolveret. Ludoviſianis autem perſuaſit longe maximum hic honorem ipſos obtinere, demonſtrando, falſam eſſe illam Burgeſianorum accuſationem, qua animum re ipſa conferendi promiſſa ſuffragia ſe non habere, ſæpius perhibuerant; compelli jam certo modo Burgeſium ad dandum in acceſſu promiſſa ſuffragia. Quod ſi minus faceret, fore, ut in conſpectu totius collegii homo nullius fidei declararetur. His rebus geſtis ſcrutinium veſpertinum habitum eſt, in quo a Burgeſio Barberinus veniam exeundi petiit, & facile impetravit.

Egreſſi Hiſpani adeuntes Sabaudum, ut convenerat, ad Burgeſium ſe contulere, rogantes, ne venia impetrata uteretur, cum eo loco cauſa Barberini eſſet, ut ſequente luce eum Papam ſperarent. Reſpondit Burgeſius, ſe morbo coactum exire, facere ſeſe tamen, quod commodo negotii Barberini fieri poſſit, & ſubſtitutum Lenium, qui ſua ſponte quoque eum provecturus fuiſſet. Poſt Hiſpanos Sabaudus intravit obnixe contendens, ut diſceſſionem differret. Sed pro reſponſo eandem excuſationem infirmitatis tulit. Neque tamen defuerunt, qui easdem preces repeterent, quos inter Valerius & Pignatellus hoc officium tanta vi præſtitere, & tales rationes attulere, ut depoſito metu mali, quo magis quam ipſo malo affligebatur, exitum negotii die ſequente ibi exſpectare conſtitueret. Dicitur & illi & iſti neceſſe fuiſſe animo ejus eximere ſuſpicionem, quam malevoli in Barberinum commoverant. Nam, cum Nicolaus Tigettus conclaviſta Ludoviſii, & cardinales Torres & Rudolphus clientes ejusdem, ſæpius ad cellam ejus adirent, clandeſtinum ex eo commercium colligebant, & hac ratione gloriam creati Papæ Ludoviſii potiſſimum fore opinabantur, cum quo majoris gratiæ referendæ cauſa tantam conjunctionem haberet. Dimota jam ſuſpicionis nube, venit ad Burgeſium Barberinus, ut de obtenta libertate exeundi rationem redderet, Burgeſius itaque alta voce, certum eſt mihi, inquit, exire, ſtatim ad aurem ejus propius ſe inclinando ſuppreſſiori voce ſubjungit; ſed poſtquam mane te Papam reliquero. Interea Farneſius intelligens cardinales quosdam ſeniores non conſentire in electionem candidati, qui tot annos minor illis eſſet, veritusque ne aliquo forte auctore turbæ excitarentur, faciendum putavit, ut Storzam partibus adjungeret, qui cum præ aliis expertus & audax erat, tum vel maxime repugnabat. Sed cum propter morbum ipſe ad eum adire non poſſet, operam dedit, ut alii & præcipue Medicæus hoc exequerentur, qui variis rationibus eum ſtudiis ſuis denique accommodarunt. Difficilius fuit permovere Detium, qui ſibi conſcius temporis, quo cum Barberino prælato adhuc aſperius egerat, Papam eum nolebat. Sed

Farneſius & Aldobrandinus eum aggreſſi in ſuam poteſtatem redegere. Poſteaquam Farneſio nunciatum fuit, Hiſpanos non recta ad Sabaudum perrexiſſe, veritus, ne ille ſe neglectum exiſtimaret, miſit ad eum aliquem ex ſuis, qui interea illorum vice fungens ſignificaret, illos venturos. Paulo poſt Sabaudum convenit Borgia, eumque cauſæ conventæ inſiſtentem ad cellam Farneſii adduxit, ubi Mediceus erat. Sed dum omnes in procinctu ſtabant, ut ad Burgeſium ſe conferrent, intellecto quod ſero eſſet, quodque ille febri conflictaretur, diſtulerunt officium in diem proximum. Sed ne prima procraſtinatione dedecus admittere viderentur, ſtatim ad eum miſerunt, qui ſe excuſaret, & de conſilio ſuo eum certiorem faceret. Poſtea Farneſius equitem Carandinum conclaviſtam ſuum ad Barberinum legavit, ut quemadmodum promiſerat, nomine ipſius ſignificaret, eum proxima luce forte non ſubiturum periculum ſuffragiorum, quia quantum perſpiceret, ſpes felicis eventus affulgeret.

Jam poſtquam increbuerat, cauſam Barberini in medium revocatam eſſe, quidam ad pontificatum ipſi tendentes, fautoreſque eorum concitati, omnibus viribus ſuis illa nocte ei obviam iverunt. Ex eorum numero Camponius fuit, qui ad Hiſpanos adiens, demonſtravit iis, cum tot cardinales capaces pontificatus in conclavi reperirentur, qui in Hiſpania fuiſſent, haud decorum Regi catholico videri, ut iis omiſſis eligeretur, qui in Gallia fuiſſet. Rationibus magis etiam plauſibilibus Barberinum apud eoſdem Serra oppugnavit, perhibendo, quod in regnum Galliæ ſemper propenſus, ſed alienus ab Hiſpania fuiſſet. Ad hanc rem aliquot dies ſe præparaverat, ex quo ſcilicet cauſa Barberini dilata erat. Nam eodem tempore ille conclave ingreſſus & cupidum ſe præ cæteris dignitatis ejus ubique oſtentans, induxerat ipſum, ut ſpes ſuas & præſidia omnia aperiret. Facile enim Barberinus fidem ei adhibuerat, quippe cui olim Paulum Pontificem propter adverſa aliorum teſtimonia infenſum conciliaverat, effeceratque ut theſaurarii munus obtineret. Unde credere nulla ratione potuit, illum, qui beneficia iſta memoria tenebat, & obligatum ſe iis confitebatur, talem gratiam relaturum eſſe. Sed non ſubſtitit hic ingratitudo Serræ. Nam præter illa, quæ diximus, ad Ludoviſium nocte eadem adiens omni virium contentione cum illo egit, ut, abjecta cogitatione creandi Papam Barberinum, animum ad Millinum converteret, qui, ut ajebat, pontificatum ſoli illi acceptum relaturus, ſe verum & intimum amicum eidem præſtiturus eſſet. Quæ tamen induſtria profecit tantum ad declarandam animi ejus inclinationem erga illum, qui longe aliud redhoſtimentum promeritus erat. Nam offenſus tali agendi modo Ludoviſius ſubito eum dimiſit, non ſine nota ingratitudinis erga ſe, & Borgeſium. Eadem etiam nocte abbas Cavalcantius conclaviſta & conſobrinus Bandini Valerii, cum in cella, quæ juxta cellam Bandini ſita erat, cardinalem quendam ſive per injuriam ſive de induſtria, ut adverſarios ſuſcitaret, clara voce dicentem audiviſſet, intendi cauſam Barberini, omnem diligentiam ad eam ſufflaminandam adhibuit, ſed fruſtra. Nam cæteri videntes, Hiſpanos cum capitibus factionum conſentire, de ſpe conſequendi propoſitum deciderunt, & huic Ludoviſius oppido illuſit. Nam dum confirmatum ibat ſuos, in conſilio de eligendo Barberino capto, ſimulavit ſe excluſionem ei intentare, unde iſte omni metu depoſito cubitum ivit. Eodem tempore Burgeſius Barberino ſignificavit, neceſſe eſſe, ut ante lucem colloquerentur. Adiit ergo ad illum cum diluceſceret, & eluſa feliciter diligentia conclaviſtæ Ginnaſii, qui prope cellam Burgeſii ſpeculandi cauſa collocatus erat, intravit, viſus a nemine. Expoſito cauſæ ſtatu Burgeſius ei confirmavit, ſe ea promtitudine eſſe, quam ſemper præ ſe tuliſſet. Illius eſſe diſpicere, an nixus talibus fundamentis periculum velit facere, ſe, quantum judicio aſſequi poſſet, de exitu bene ſperare, ſed quoniam eventus rerum, quæ ab arbitrio hominum cupidorum, fallaciumque dependent, incerti eſſent, ſe ulterius illum ad periclitandam fortunam non impellere, ne, (ſi forte ſucceſſus expectationi haud reſpondiſſet) de ſe querendi occaſionem haberet. Vidit Barberinus hanc verborum cautionem ex ſola timiditate naturæ proficiſci; itaque lætus reſpondit, ſe favore illius nixum experiri velle, quæ illa die eventura eſſent, ſperare fore, ut exitus mediis tam ſapienter adhibitis conſentiat. Interea in memoriam revocavit, quæ jam tum ſecretario Leni de ſuffragiis in ſcrutinio & acceſſu ferendis dixerat. Quibus approbatis Burgeſius gaviſus eſt, illum ſecum in eandem ſpem veniſſe: affecta ejus felicitas ut expleretur, optavit, & hiſce eum dimiſit, ne ſub lucem ab aliquo forte conſpiceretur. In tranſitu convenit Pignatellum decumbentem, qui mirifice eum confirmavit ad finiendum negotium, quod jam tum portum obtinere videbatur.

Orta demum die (ſcilicet Auguſti, qui transfigurationi domini noſtri ſacer eſt) Borgia cum cardinalibus principibus & paulo poſt Ludoviſius ad Burgeſii cellam ſe contulerunt, ubi ratihabitis omnium voluntate iis in quæ antea ſingulatim convenerant, ſuffragandi modus conſtitutus eſt. Hoc facto Burgeſius juſſit convocari maximam partem clientum ſuorum, ſignificatoque conſenſu ſacri collegii in provehendo Barberino, homine benemerito & de numero ipſorum, ſuffragia in acceſſu ferenda ab iis poſtulavit. Ad quod illi (exceptis paucis immaturam ejus ætatem objicientibus, qui tamen rem tranſactam videntes ſententiam aperire auſi non ſunt) ſe promtiſſimos ultro præbuere, electionemque certatim infinitis laudibus extulere. Burgeſius autem non ceſſavit Gerardum revocare, qui ob valetudinem in palatium Vaticanum ſeceſſerat. Paulo ante ſcrutinium multi cardinales in aula regia convenerunt, qui hic illic majori minorive numero (prout caſus & conſtitutum tulerat) in ſe colloquebantur. Hic juniores amici Barberini videntes ſeniores in coronas coire, quo contra inſtantem electionem aliquid molirentur, diſtributis partibus ſe variis prætextibus immiſcuere. Cumque eos fautores Barberini eſſe conſtaret, ſtatim ut præmiſſa ſalute intervenerunt, conſilium conſpirationis omne interruptum fuit. Et hac arte detentis ſenioribus, tempus ineundi ſcrutinium venit. Neque tamen impediri potuit, quo minus Saulius Camponium ad portam ſacrarii

Sixtini

Sixtini deductum interrogaret: num revera periculo electionis Barberini matutinum ſcrutinium deſtinatum eſſet? Quod cum ita ſe habere intellexiſſet, in hæc verba prorupit: Miror Barberinum, qui ſuperioribus diebus ſe tam prudenter geſſit in opprimendo negotio electionis ſuæ, jam adeo inconſultum eſſe, ut repulſam ipſe incurrere & omnem exiſtimationem perdere non dubitet. Reſpondit Camponius, ſe exiſtimare illum Papam non fore. Intererea omnibus fere cardinalibus in ſacello congregatis Barberinus inter noviſſimos acceſſit, ut officia & gratulationes, quibus electores ipſam electionem prævenire ſolent, evitaret. Sed modeſtia ejus & preces oppoſitæ impedire nequiverunt, quominus nobiliſſimo comitatu ſtiparetur. Nam Sabaudus & exemplo ejus Medicæus obviam illi proceſſerunt, cum ad ſcrutinium tendentem in loco, qui vulgo obſcuræ tabernæ vocatur, offendiſſent, utrumque latus ei clauſerunt, perinde ut duo cardinales Diaconi Papæ facere conſueverunt. In via acceſſit manus quinque cardinalium, qui eum ſecuti plaudentes, & cum egregia teſtificatione voluntatis ſuæ, animum occurrendi conventæ electioni malevolis ademerunt. Rogatus interea a cardinale Pio, ut cellam Brevilacqua tranſiret & blande eum alloqueretur, quo ille ſe ad ſuffragandum invitatum crederet; ſed noluit in id conſentire, ne diceretur iviſſe conquiſitum ſuffragia.

Venerunt illo die omnes cardinales etiam ægri, exceptis tantum Guardo Pignatello & Sanſeverino (qui paroxyſmo febrili laborarunt) & Borgeſio, quem vel defectio virium a febri recente orta, vel diffidentia (quod de ſuffragiis Ludoviſii aliquo modo dubitans, ludibrium adverſo caſu ſuccedente incurrere verebatur) in lecto detinuit. Tres ſcrutatores ſorte capti Zolleren, Scaglia, & Boncompagnus, quorum hic & iſte intimi Barberini ab omnibus crediti fuerunt. Habito ſcrutinio apparuit, Ludoviſium promiſſa non modo vere, ſed etiam abunde & cumulatiſſime præſtitiſſe. Nam Barberinus 26. ſuffragia obtinuit, de quo certior factus Borgeſius ſurrexit ſubito, exultans lætitia & ad ſacellum ſe contulit, ut ipſe acceſſui adeſſet. Dum ad Barberinum appropinquavit (nam ratione ordinis ei aſſidebat) cœpit genu flexo eum, ut jam factum Papam adorare, ſed ille ipſe eum retinuit. Subducta ratione ſuffragiorum acceſſus, compertum, cum quisque ſuum tuliſſet, tamen ex omni numero unum deeſſe, quod nulla quærendi & numerandi diligentia potuit reperiri. Farneſius cenſuit votum deficiens pro adverſo habendum, & electionem cœptam proſequendam eſſe, cui aſſenſerunt alii, cum talis acceſſus natura ſua ſubſiſteret. Sed Barberinus animo perpendens ex conſilio turbas oriri poſſe, repugnavit & bullam obſervandam eſſe ait, quæ acceſſum repetere juberet. Hujus ſententiæ omnes acceſſere & nominatim Farneſius, qui alta voce: *repetamus*, inquit, *acceſſum*, (a) quo majori gloria conficiatur. Sed antequam hoc fieret proviſum, ne quis error amplius committi poſſet, conſtitutumque, ut unus ſcrutator, isque ſolus, ſingulis vicibus ſuffragia per ſcamna iret collectum, quo rectius ab omnibus obſervari poſſet: tum ut ne ſecundus ſe loco moveret, antequam primus facto officio ad locum ſuum reverſus eſſet. Varii de hoc novo caſu ſermones fuere. Et cum error proficiſci non poſſet a cardinalibus, qui in omnium & quidem in trium ſcrutatorum conſpectu ſuffragia calici inferebant, neque ab iis, qui in cellis decumbentes præſentibus aliis illa capſulis obſeratis injiciebant, neque etiam a delegatis, qui ægrorum ſuffragia reportabant, ſed clavi capſularum carebant, ſuſpicio in tres ſcrutatores cecidit, qui, ut exiſtimabatur, in verſandis ſcedulis culpam committere poterant, idque vel dum illas numerarent, vel dum illas a ſcamnis (ubi a cardinalibus propter infirmitatem inde ſe movere non valentibus, traditæ erant) ad altare portarent. In numerando quidem non facile fraus committi potuit. Hoc enim ab ultimo ſcrutatore factum, qui in omnium conſpectu ipſe ſingulas altero calice exemerat, & in alterum tranſtulerat. Itaque communis opinio fuit, ſuffragium ab aliquo ſcrutatorum qui ſcedulas circa ſcamna acceperat, ſubtractum fuiſſe, dum illas portaret, & quidem ad impediendum, quo minus matutino illo tempore electio finiretur. Narrant, in turbis cardinalem quendam primarium vidiſſe Scagliam alterum ſcrutatorem occultantem ſcedulam aliquam in manica ſua & eundem motum zelo hoc deferre voluiſſe, ut coram omnibus excuteretur, ſed ab Eſtio ſcandali vitandi cauſa retentum fuiſſe. Cum finito ſcrutinio acceſſus fieret, Barberinus ab altari quo ſuffragium portaverat, reverſus, a Farneſio per indirectam gratulationem interrogatus fuit, quo nomine Papa electus ſe vocari vellet. Cui ille reſpondens ſe excuſavit, quod dum fieri poſſet, ut domum reverteretur cardinalis (id quod modo uſu venturum crederet) de nomine pontificali parum ſollicitus eſſet. Rurſus Farneſius dubium, inquit, non eſt, quin cardinalis domum reverſurus ſis, ſed agnoſco prudentiam tuam, quam in actionibus tuis adhuc expreſſiſti. Neque enim dum res hoc loco eſt, polliceri tibi vis, quicquam eorum, quæ ex alterius arbitrio pendent. Finito acceſſu & cognito numerum ſcedularum reſpondere numero electorum, reperta ſunt 24. ſuffragia pro Barberino, quæ junctis 26. ſuffragiis in ſcrutinio obtentis confecerunt 50. ita, ut ex omni cardinalium numero 4. tantum deeſſent, quorum unum ipſius fuit, cætera ſenum quorundam, qui antea de eo, quod agebatur, certiores facti non erant.

Hoc

(a) *Repetamus acceſſum*) Acceſſus immediate ſequitur ſcrutinium ideo, ut ſi in eo nondum facta fuerit electio Pontificis, cardinales uni aut alteri in ſcrutinio jam nominato accedant & ſic electionem perficiant. Fit iſte per ſchedulam cui inſcribitur - Ego - cardinalis accedo reverendiſſimo domino meo & poſſum accedere, uti patet ex voto & ſubſcripto meo. Aut ſi nemini accedere velint, inſcribant *Nemini*. Acceſſus leges potiores ſunt (1) ut iisdem ſigillis & ſignis ſcrutinii ſcribatur (2) ut ad neminem dirigatur, niſi jam in ſcrutinio ab aliis tamen nominatum, cum alias, ſi eundem denuo, quem ipſe jam in ſcrutinio nominaverit, denominare voluerit, id pro acceſſu haberi nequeat (3) ut ſchedulæ acceſſus deinde cum ſchedulis ſcrutinii denuo connumerentur & ſic, quis electus ſit nec ne, intelligatur.

Hoc modo ad pontificatum provectus fuit Maffeus cardinalis Barberinus, natus 55. annos integros. Cujus electio, non modo intuitu novæ bullæ Gregorii, ſed & propter multitudinem cardinalium ſenum & optime meritorum, tum propter diſcordiam capitum factionum, merito admiranda vocari poteſt. Si quis adjumenta quærat, quibus ad hoc faſtigium pervenerit, alia non reperiet, niſi probitatem veram & morum innocentiam, latiſſimam cognitionem literarum ſingularium, graves & concatenatos labores ab ineunte ætate pro ſede apoſtolica exantlatos, ſtudium evitandi occaſiones, quibus aliis moleſtia creari poſſet, denique quod nimis arcta conjunctione magnorum cardinalium cauſis ſe non intricaverit: id enim non minus prodeſt, ac ſi quis omnibus ſe amicum, & a certaminibus & contentionibus, quæ inter capita factionum intercedere ſolent, ſejunctum gerat.

Accepta electione novus Pontifex ad altare proceſſit, quo in re tam ardua Deo ſe commendaret; Sed *decanus conſuetudinem allegans voluit, eum primum omnium nomen, quo ſe vocari placeret, edere*, (a) Dixit itaque illud eſſe Urbani. Neque tamen permiſit, ut ſe in locum ſecretiorem veſtiendi cauſa abducerent, antequam proſtratus humi ante altare, calidis precibus junctis lacrimis divinam majeſtatem precatus eſſet, *ut ſi minus ſe eccleſiæ adjumento futurum provideret, ne exire vivum pateretur.* (b) Veſtitum & adoratum ab omnibus, qui aderant ad cellam Borgeſii duxerunt. Ubi moratus ad 22. horam, tum demum veſte pontificali exornatum ad Baſilicam S. Petri deportarunt, ibique eum more majorum in medio altari collocatum cardinales adorarunt. Non omittendum videtur, paucis diebus ante electionem *magnam vim apum* (c) in collegio Vaticano verſus Tuſciam convolaſſe, & examen ſupra feneſtram futuri Pontificis cellam contingentem parieti adhæſiſſe. Hoc ſane ſi fortuito contigit, pro notatu digno caſu haberi poteſt, quod paulo antequam cardinalis ex Tuſcia oriundus (cui apes pro inſignibus gentilitiis erant) eligeretur, examen apum ex Tuſcia advolarit, & ſe ſupra cellam ipſius collocaverit. Sed ſi ſpeciali ordinatione divinæ providentiæ id evenit, quæ (ut S. Joh. Damaſcenus exiſtimat) interdum naturalibus rebus utitur ad prædicendum rerum eventus, quos per ſe ſignificare aptæ natæ non ſunt, dicemus hoc ſigno Deum voluntatem ſuam de eligendo Papa declarare, & in mediis contentionum & privatorum commodorum tenebris lucem electoribus afferre voluiſſe. (d)

Hiſto-

(a) *Decanus conſuetudinem allegans voluit eum primum nomen edere.*) Si Papa electus eſt primum petitur electi conſenſus, poſt editum conſenſum rogatur a magiſtro ceremoniarum quo nomine appellari placeat, inde exuitur veſtibus cardinalitiis, & induitur veſtitu pontificali. Tum ante altare ſedens in cathedra accipit ſalutationem ſive adorationem oſculo manuum, oris & pedum. Quo facto diaconus primus cantantibus interea muſicis: *Ecce ſacerdos magnus*, vadit ad pergulam baſilicæ Vaticanæ ex qua perfracto muro populo electionem denunciat. Vid. PLETTENB. p. 123. ſqq. Cæterum de mutatione nominis vide etiam *itin. curioſum* p. 208.

(b) *ut ſi minus ſe eccleſiæ adjumento futurum &c.*) Ejusmodi precum Clemens VIII. demum poſtquam veſtitu Pontificali indutus atque a cardinalibus adoratus fuit, memor extitit, quam hypocriſin annotat *itinerarium curioſum p.* 208.

(c) *magnam vim apum*) Addit Palatius aliud omen de columbis in feneſtris Barberini conſidentibus, quod ſane ridiculum videtur, quaſi id inuſitatum ſit, ut columbæ advolent, & in feneſtris conſideant.

(d) Placet hic adjungere vitam & res geſtas hujus Pontificis ex aliorum præcipua Palatii relatione brevibus concinnatas. Nimirum Urbanus VIII. antea Maphæus Barberinus dictus natus fuit ex familia nobili Florentiæ an. 1568. ubi & prima literarum rudimenta didicit, deinceps autem pene puer a patruo Franciſco protonotario Romam evocatus in collegio Romano ſtudiis philoſophicis operam dedit. Inde Piſis jurisprudentiæ lauream anno ætat. 20. conſecutus eſt, Præcipue carminibus Græcis & Latinis inclytus fuit. Conſcripſit enim inter alia vitam Bellarmini carmine Heroico, nec non varia poemata Latina, quæ commentariis illuſtrarunt Julius Cæſar Capucius, Henricus Dormalius, Thomas Campanella, Magnus Pernæus autem & Hieron. Kapsperger muſicæ adaptarunt. Abſolutis ſtudiis Romam rediens obſequia primum præſtitit Odoardo Farneſio cardinali non ingratus, inde majoris præſidentiæ conſtitutus abbreviator a Sixto V. inter juſtitiæ, a Gregorio XV. inter ſignaturæ gratiæ referendarios cooptatus, & poſt alia munera clericus cameræ renunciatus, tandem an. 1601. a Clemente VIII. legatus ad Henricum IV. Regem Galliæ denominatus, factoque reditu an. 1605. presbyter cardinalis cum titulo S. Petri in monte aureo creatus fuit, quem deinde cum titulo S. Onuphrii commutavit, & Spoletanæ eccleſiæ præſul factus, eo quoque munere tandem abdicato a Gregorio XV. collegii Græcorum monachorum S. Baſilii Græcorumque omnium patronus inſtitutus & inter patres de fide propaganda cooptatus fuit. Gregorio autem XV. mortuo an. 1623. die 6. Auguſti in Pontificem electus eſt, & Urbanus dici maluit, ut ſe facilem moribus non minus quam nomine futurum innueret. Sub initium pontificatus præter alia ordinem conceptionis contra Turcas a Carolo Gonzaga, & Uladislao IV. Rege Poloniæ inſtitutum confirmavit majori pompa, quam emolumento, ordinem 70. membris conſtantem, qui pendulam ex aureo torque geſtarunt imaginem virginis conceptæ, in medio crucis rubeæ dæmonem pedibus calcantis cum inſcriptione: Viciſti, vince. hoc inſigni vere noſtro. An. 1625. jubilæum celebravit, quo tempore Uladislaum Regis Poloniæ Sigismundi filium & Leopoldum Archiducem Auſtriæ Romæ præſentes habuit. Templum Vaticanum an. 1626. ſolenniter conſecravit, bibliothecam etiam Vaticanam MSis Græcis codicibus auxit eique Palatinam adjecit. Quod vero ad diſſidia attinet, quibus Pontifex factus cum aliis implicitus fuit, eorum præcipua hæc ſunt. Cum inter Gallos & Hiſpanos de valle Tellina oriretur contentio, Pontifice Hiſpanis & Auſtriacis accedente, id adeo male habuit Gallos, ut ſpreta tandem autoritate Pontificis, vallem Tellinam ditioni ſuæ ſubjicerent, qua occaſione cum varii libelli invectivi in Regem Galliæ a clero emitterentur, nec non an. 1625. Santarelli Jeſuitæ liber de poteſtate ſummi Pontificis in lucem prodiret, mox Sorbonæ collegium hunc & reliquos acri cenſura condemnavit, cæterosque ſocietatis Jeſu aſſeclas qui in Gallia viverent, ut Santarelli doctrinam improbarent, compulit. Non multo poſt Urbano quoque cum Venetis interceſſit contentio, illis Pontificis decretum ſpernentibus, quo ſtatuerat, ut cardinales ab omnibus exceptis Regibus eminentiſſimi & reverendiſſimi ſalutarentur, accedente quoque Thaddæi Barberini præfecti Romani & Piſauri legati Venetorum, cum alius alteri cedere nollet, diſſidio, quæ tamen controverſia ſequeſtre Gallorum Rege tandem ita conſopita fuit, ut declararet Pontifex, ſe inſcio omnia contigiſſe Piſauro, Venetam autem rempubl. in poſterum inter Reges numerandam, ut propterea ſine titulo eminentisſimi cardinales tenerentur recipere literas Venetorum. Poſtmodum male quoque Venetos habuit, quod Pontifex memoriam Alexandri III. a Pio IV. in reipubl. laudem egregia epigraphe ornatam aboleviſſet ſubſtituta alia hujus ſaltim ſententiæ. Fridericus Imperator Alexandrum III. Pontificem, quem diu inſectatus fuerat, poſt conſtitutas cum eo pacis conditio-

Hiſtoria electionis Innocentii X.

Multi diverſique ſunt caſus & eventus ſedis vacantis & conclavis; plures etiam reperiuntur, qui eos literis mandant. Sed cum ſpecialis hæc narratio ſit referenda poſtea in generales hiſtorias, oportet in ea a veritate haud diſcedere, ſed rem narrare (ut equidem ſtudebo facere) ſincere, ſine offenſione cujusquam, ſi modo fieri poſſit, ut verum dicatur, nemine offenſo.

Narro itaque Vrbanum VIII. mortuum horis matutinis diei Veneris, qui S. Martæ ſacer erat, id eſt 29. Julii, anno ſcilicet Chriſti 1644. pontificatus ſui 21. quem ad novem usque dies expleverat. Natus erat annos ſeptuaginta, 4. menſes, & 24. dies: quippe qui hanc lucem adſpexit d. 5. Aprilis 1568. &, ut diximus, mortuus eſt die 29. Julii 1644.

De injuſto ejus imperio terrarum orbi non conſtat modo, ſed ſcandalum etiam reliquum eſt. Poſt mortem ejus tot prodiere verſus ſatyrici, tam in latina, quam vernacula lingua & tot alia viſa ſunt ſcripta; ut volumen integrum ex iis confici poſſit: & necdum deſiſtit populus vociferari contra eum continue. Adeo grave eſt odium, quod ſibi ille conciliavit. Duobus menſibus ante obitum ejus conſtituta erat pax, quæ injuſtiſſimo bello cum principibus Italiæ & republ. Veneta geſto finem imponebat. *Quæ quidem cum tanta exiſtimationis jactura* (a) conjuncta fuit, ut mortem ſanctiſſimo patri attuliſſe credatur. Quanquam alii eam cardinali Barberino tribuant, qui Papam ad conſiſtorium affecta valetudine habendum compulit. Nam labores graviſſimos eo in conſiſtorio ſuſtinuit, quippe quod ex duobus multarum horarum conſiſtoriis conſtaret: quorum alterum ſecretum fuit & ordinarium, in eoque præter ceteras functiones cardinalis Roma obtinuit epiſcopatum Fraſcatinum, qui vacabat ab aliquot diebus mortuo cardinali Savelli: alterum extra ordinem, quod publicum appellant, in quo ſanctitas ſua pileum contulit cardinali Grimaldi legatione ad Regem Galliæ functo. Viſus eſt illo die Papa valde debilis, & animo tam alieno a nepote, ut aperte & indecore contra eum indignabundus erumperet, non adeo quidem immerito, ſi conſideremus maxima beneficia, quæ Barberinus a patruo acceperat, quem tamen, neglecta illa, quam cognoverat, graviſſima valetudine propter commoda ſua ſacris frequenter operari cogebat. In quibus ille ſatis clara ſigna oſtendit dilucidorum intervallorum, quæ patiebatur: nam & in conſiſtoriis & in ceteris acceſſibus locutus eſt multa, quæ nihil ad rem faciebant, protulitque verba obſcæna & indigna eo loco, quem tenebat. Quem defectum Barbarinus divulgavit, dum Papam omnium conſpectui expoſuit, & adverſariorum cenſuræ ſubjecit, veritatem rei, quam ſi non tegere, diſſimulare certe poterat, nimium quantum manifeſtans. Hinc factum, ut omnes, qui Papam viderint in eo ſtatu, illico perſpexerint, quod brevi diem ſuum obiturus eſſet. Nihilominus Barberinus non deſtitit more ſolito agere, perinde ac ſi imperium ſuum æternum crederet. Triduo demum ante mortem Papæ, ficta confidentia in S. collegium, ſtatum ſuæ ſanctitatis ei denunciavit. Eo tempore cardinalis Antonius degebat Bononiæ, & quanquam frater Franciſcus tardius eum de rerum ſtatu certiorem feciſſet, (unde per aliquot dies inter eos ſimultates fuere) tamen ſubito Romam advolavit.

nes & damnatum ſchisma Venetiis ſupplex adorat. Sed & hæc liticula deleta iterum recentiore inſcriptione mox deferbuit ceſſavitque. Gravius autem certamen fuit, quod poſtremis annis pontificatus ſui cum Odoardo duce Parmenſi Urbanus ſuſcepit. Nimirum Odoardus ære alieno obrutus, cum exactoribus caſtrum oppidum cedere nollet, a Pontifice anathemate percuſſus omnibus regionibus ſuis erat exutus, armis etiam Pontificiis, niſi ſe mature ſubmitteret, ad obſequium compellendus. Eo autem in ſententia perſiſtente arma utrimque parabantur. Accedebant Parmenſis partibus Veneti, Hetruſci & Mutinenſes ſolliciti ne parva ſcintilla vicinas provincias combureret, Pontificii caſtrum oppidum expugnabant. Parmenſis autem ditiones Romanas aggreſſus Bondanum & Stelatam oppida agri Ferrarienſis ſub ditionem redigeba. Dux quoque Mutinenſis Ferrariæ inhiabat, Venetique facta excurſione Anconam aliaque oppida ad ripas Padi infeſtabant. Anceps erat utrimque belli fortuna, donec tandem an. 1644. in agro Rhodigino Veneti capto Caraffa & Antonio Doria ſuperiores prælio exiſterent; qua clade accepta Barberini nepotes Pontifices, quorum inſtinctu potiſſimum hæc omnia agebantur, ſorte ſua diffiſi tandem pacem dederunt & caſtro reſtituto Farneſiæ menſæ creditoribus jura ſervarunt. Quo bello pecuniam in arce Hadriani a Pontificibus depoſitam adverſus infideles grandi numero diſtractam eſſe commemorant. Eo vero ita compoſito mox eodem anno 1664. d. 29. Julii obiit Urbanus VIII. anno æt. 77. poſtquam ſediſſet annos 21. cujus & hæc præter alia geſta ſunt, quod excommunicaverit Carolum ducem Lotharingiæ ob relictam legitimam conjugem, nec non quod Marcum Antonium de Dominis Archiepiſcop. Spalatinum, cum ex Anglia rediiſſet, pœnitentem quidem abſolverit, nihilo tamen ſecius ex inquiſitorum conſilio mortuum cum ſcriptis ſuis in campo Floræ cremari juſſerit, uti & quod primus Pontificum a Regibus Congi legationem & obedientiæ ſacramentum interprete Johanne Baptiſta Vivete acceperit.

(a) *Quæ quidem cum tanta exiſtimationis jactura*) Nimirum quod Pontifex Urbanus omnia nepotum affectibus relinqueret, ideoque res pleruṁque parum feliciter caderent, id quod etiam cardinalis Alexander Bichius miſſus a Gallorum Rege, ut remotis armis Italos reconciliaret, ſatis apertis verbis declaraſſe perhibetur. Quibus auditis Pontifex quidem obſtupuit valdeque commotus nepotibus ſuis exprobravit geſtorum caſus, & pacem, priusquam e vivis excederet, juſſit reſtituere, non potuit tamen obtinere quod voluit ante cladem magno Rhodigino Pontificiis copiis illatam. Unde aliter fieri non potuit, quin male audirent Barberini, perque eos ipſe etiam Pontifex. Proinde præter alios in Urbanum VIII. ſatyrica ſcripta edidit FERRANDVS PALLAVICINVS, unum ſub titulo, *il divortio celeſte*, quo finxit, Chriſtum repudiaſſe ſponſam ſuam eccleſiam Romanam ob multa adulteria; alia quæ inſcripſit, *il corriere ſvaligiato, La bacinata*, quibus olim tam ſevere in Italia interdictum fuit, ut ſtatim in carcerem conjicerentur, quicunque ea poſſiderent, autore ipſo etiam Avenione capto & capitis pœna mulctato, uti referunt NAVDÆANA *pag. 109. addit. pag. 222.* & WAGENSEILIVS *de Germ. phonaſcis pag. 459.*

Inceſſerat utrumque graviſſimus metus, ne poſt mortem Papæ ſeditio oriretur. Neque enim ignorabant, quam graviter populum offendiſſent, & propterea militem cogendum putarunt, qui palaria ſua ſeque cuſtodiret; atque adeo id egerunt, ut copias reipubl. quæ pace paulo ante conſummata nondum exauctoratæ erant, ſub ſignis retinerent. Et quanquam Hiſpani huic rei interceſſiſſent, negantes pace compoſita copiis opus eſſe, tamen id, quod intendebant, obtinere nequiverunt, adfirmantibus Barberinis receptum eſſe, ut ſede vacante miles conſcriberetur ad firmanda præſidio palatia & collegium. Sabbatho, id eſt, altero die poſt mortem Pontificis, quum in palatio S. Petri primus conventus generalis haberetur Dn. Thaddæus Barberinus baculo præfecturæ ſuæ depoſito, poſtulavit, ut officium ſibi confirmaretur. Magna ibi exorta eſt contentio & altercatio; ſed tamen ſacrum collegium cenſuit, ut ne imperium ei ſede vacante abrogaretur, ſed propter potentiam factionis Barberinæ ejus autoritas circumſcriberetur. Itaque conſilium inſtitutum eſt, ſemper cogendum in ædibus eminentiſſimi Landi, quod ex capitibus ordinum, & quinque aliis cardinalibus lectis conſtabat, eique a partibus Hiſpanorum intererant, Harrach, Queva & Albernozzi, neque ex eo tempore fas fuit D. Taddæo ſtatuere quidquam, antequam ad conſilium retuliſſet. Quia vero illud convocari ſemper non poterat propter varia impedimenta, quæ intercedebant, decreverunt eligere duos cardinales, ad quos D. Taddæus referret de omnibus rebus, quæ ad militiam pertinerent. Cardinales illi fuerunt Landi & Roma. Finito hoc conventu, qui plures horas duraverat, corpus defuncti Vrbani in Baſilica S. Petri more ſolito omnium oculis expoſitum eſt, & relictum tres dies. In omnibus autem conventibus, qui ante ingreſſum in conclave habiti ſunt, diſputatum eſt cum Barberinis, tam de dictis, quam aliis capitibus ad ſedem vacantem pertinentibus. Exequiæ cœptæ ſunt die dominica, id eſt 31. Julii: quibus finitis mane ſingulis diebus in ſacello ſancti Petri conſiſtorium generale habebatur; ubi, ut tali tempore fieri ſolet, legati principum & Barones eccleſiæ ſumma omnia offerebant. Pro Rege catholico hoc officio functus eſt Gregorius Romerius & Morales a ſecretis S. M. & legationis Romanæ.

Tandem intrarunt conclave die Martis, id eſt 9. Auguſti 1644. ipſa vigilia Laurentii Martyris. Ea nocte nullus cardinalium cubitum ivit. Legatus Regis catholici, qui pridie Romam venerat, inviſit ſacrum collegium, & cum cardinalibus Hiſpanis diu collocutus eſt. Idem fecit legatus Regis chriſtianiſſimi cum ſuis, ut & cæteri miniſtri principum & barones Romani, qui ad quartam noctis horam in conclavi verſati ſunt. Solus legatus Regis Hiſpaniæ uſque ad mediam noctem manſit, ut rectius ageret cum cardinalibus de excludendo cardinali Sacchetti, quo aptiorem ad pontificalem dignitatem Barberini habebant neminem, unde illi conclave ingreſſi erant decreto conſilio creandi illum Papam die proximo. Nequicquam enim curandas putarunt juſtas illas rationes, per quas Hiſpani, & qui cum iis faciebant illum excluſum volebant. Hiſpanicæ autem factionis erant ſequentes: Landi, Creſcentius, Queva, Bentivoglius, Filomarinus, Montaltus, Ceſius, Matthæus, Lugo, Medicæus, Columna, Trivultius, Eſtius, Bragadinus, Cornarius, Montius, Caponius, Harrach, S. Marcelli, Durazzius, Roma, S. Cæcilia & alii, quos cardinalis Albernozzius partibus illis conciliaverat. Cumque omnes pro certo haberent, Hiſpanos in electione Pontificis ſufficientia ad excludendum ſuffragia non habere: tamen Barbarini brevi vim Hiſpanicorum conſiliorum experti ſunt. Antequam clauderetur conclave, cum principe Savelli Mareſchalko abrumpere amicitiam placuit Barbarinis, ne quis reſtaret, cum quo ipſis amicitia intercederet. Ajebat ipſe dominus Thaddæus claves ſibi deberi, ut præfecto Romæ. Sed cum vana eſſent poſtulata, ſtatim repulſam tulit magno ſuo dolore.

Denique die Mercurii, qui S. Laurentio ſacer erat, obſerato conclavi fas erat cardinalibus per bullam, ad ſcrutinium accedere. Quod tamen factum non eſt. Nam cum ad id accingerentur, commiſſarii conclavis (qui vocantur) Carpegna ſc. & Palotta, uterque bonus, ſed hic intelligens & paulo rigidior hinc habitus, certiores facti ſunt, ambitum non omni ex parte clauſum eſſe, ſed certas partes locorum communium etiamnum claudendas reſtare. Ideoque matutino tempore omni diſputarunt, an inire ſcrutinium per dictam bullam liceret, quæ jubet ambitum explorare, & reperto eo uti oportet, demum habere ſcrutinium, alterum mane, alterum a meridie. Nonnulli, cum matutino ſcrutinio locus non fuiſſet, duo inſtituenda cenſuerunt a meridie, quandoquidem bulla in ſingulos dies duo præcepiſſet. Tandem cum fabri murarii omnem operam ad abſolvendam, quam diximus partem, contuliſſent, circa vigeſimam demum horam opere abſoluto, & explorato a principibus ordinum & commiſſariis, inierunt ſcrutinium incredibili voluptate, maxime Barberini, qui ſe intra paucas horas exituros ſperabant cum Papa Sacchetto. Sed oppoſita factio modeſte regebatur a capite ſuo Albernozzio, qui pro ea qua valebat, ſumma dexteritate noctes dieſque agebat. Et ſane is cum re ipſa conclavi quaſi arbiter eſſet, tantum metum Barberinis incuſſit, ut, quemadmodum audiemus, per viginti duos dies non auſi fuerint deſignare quenquam, idque duas ob cauſas: primo, quia nolebant violare amicitiam, quæ iis cum cardinali Sacchetto intercedebat: tum, quia verebantur, ne, ſi alium nominaſſent, Hiſpani cupiditate pellendi e medio Sacchettum ſtatim ſuffragarentur, & ita ipſi ſperatis ex electione commodis exciderent. Neque excluſioni Sacchetti fidem adhibere potuere Barberini. Sequente die mane continuarunt ſcrutinia, & in iis Hiſpani ſemper ſuffragia tulerunt pro cardinalibus collegii veteris, quales erant, Landius, Creſcentius, Cenninus, Caponius, Bentivoglius & Roma. Econtrario Barberini omnibus ſuis vetuerunt, ne ſuffragia conferrent in quenquam de collegio veteri, atque hæc mandata eo diligentius urgebant, quo magis Hiſpanorum ſuffragia ad collegium vetus, præcipue autem ad Cenninum inclinare videbant, id quod negotium illis faceſſivit.

Aliquod

Aliquot diebus antequam ingrederentur conclave, cardinalis Albernozzius propter excluſionem Sacchetti quosdam cardinales ad Regis catholici devotionem adduxerat, neque tamen illis dixerat, quis excludendus eſſet. Jam duo cardinales, qui operam ſuam obtulerant ad ſubſcribendum, ingreſſi conclave, & perſpicientes excluſionem in cardinalem Sacchettum directum eſſe, promiſſis ſtare recuſarunt. Sed cum porro intellexiſſent, & ſine ipſis Hiſpanos excluſionem certam habere, ad Albernozzii partes redire cupiverunt, verum ille eos recipere noluit. Diſſidia inter cardinales Medicæum & Columnam paucis diebus poſt ingreſſum in conclave compoſita ſunt, interponente ſe Albernozzio, qui id operam dabat, ut ſuarum partium cardinales inter ſe concorditer agerent, cum alias ſatis contentionis cum Barberinis eſſet.

Durarunt ſcrutinia ad vigeſimum diem ab obſerato conclavi, cupientesque porro pro cardinale Sacchetto agere Barberini, biduo ante laborandum putarunt, ut in gratiam redirent cum cardinale Medicæo, qui ipſis infenſus aditum conſtanter negavit, & precibus cardinalium hoc tantum dedit, ut ſecum agere poſſent de rebus ad præſentem Pontificis electionem pertinentibus. Itaque inter ſe collocuti ſunt, quod toti conclavi ingentem voluptatem adtulit, ſperantibus omnibus, fore, ut hic congreſſus electionem faciliorem redderet. Colloquium haud prolixum fuit: nam Barberinus hoc tantum dixit, ſe ſemper cupiviſſe inviſere ad Medicæum, & ille pari comitate reſpondit. Inde Barberinus cœpit oſtendere, quam exigua ratio Hiſpanis eſſet excludendi cardinalem Sacchettum ſummæ virtutis virum & loco illo digniſſimum. Verum interrupto illo ſermone diſceſſerunt, & Barberinus ſtatim ad Albernozzium perrexit, cui in eadem curia forte obviam facto rem omnem narravit, & inde dicere cœpit, ſe rationes illas capere non poſſe, cur Rex Hiſpaniæ illam excluſionem juſſiſſet, & ſcire eas tamen cupere. Reſpondit Albernozzius, Regem nullas adſcripſiſſe rationes, ſed ſufficere quod ipſis dixerit, ut eum pro tali habeant, ne a collegio recipiatur, cum nullus cardinalium calculo ſuo eundem per conſcientiam juvare poſſit. Hunc articulum theologi, qui in conclavi erant, accurate examinarunt, probantibus plerisque Albernozii ſententiam. Sed Barbarini videntes ſibi hoc modo eripi illum tantopere armatum candidatum, noluerunt rationibus eorum acquieſcere, ſed rem judicio patris *Valentini Jeſuitæ confeſſoris* (a) conclavis commiſerunt, & ſcire voluerunt, cur ſtandum eſſet Regis ſententia, excludente virum, in quo omnia requiſita reperiantur. Ad id reſpondit pater, quod cardinales religione conſcientiæ tenerentur, non modo non ſuffragari huic tali, ſed ſuadere id etiam iis, qui diverſa forte ſentirent. Itaque diſceſſit Barberinus ægerrime ferens hoc reſponſum, neque tamen rem attentam relinquendam putavit, ſed tota illa nocte ad ſuos circumiens, confirmavit iis, P. Valentinum in contrariam ſententiam reſpondiſſe. Quare unus ex iis, (Kodaninum fuiſſe credunt) ut in rei veritatem inquireret, adiit patrem, eoque conſulto hoc reſponſum tulit. Quod, ſi ſummus aliquis princeps ſententiam ſuam contra aliquem declararet, ejus voluntati nefas eſſe reſiſtere propter incommoda, quæ ſedi apoſtolicæ inde oriri poſſent; ut ſunt bella, inobedientia &c. Hoc cum cæteris renunciatum eſſet, valde ſuſpectos reddidit Barbarinos. Res eo rediit, ut partim ſe facturos, quæ Barbarini poſtulabant, promitterent, partim id negarent, nec ſcilicet conſcientiæ notam inurerent.

Denique poſt multas contentiones, perſuadentes ſibi Barbarini Albernozium Medicæum & alios acquieviſſe, redierunt ad cauſam agendam, nec dubitarunt gloriari aperte, Barberinum in gratiis Hiſpanorum cum Papa Sacchetto exiturum. Hoc divulgatum per totum conclave & ab omnibus ſumma cum admiratione acceptum eſt. Albernozius quidem & alii Hiſpanicarum partium rem iterum fervide aggrediendam putarunt, quo conſilia adverſariorum everterent. Illud ridiculum fuit. *Cardinalis Antonius* (b) nocte quadam per conclave diſcurrens, ut de Hiſpanorum rebus certi aliquid cognoſceret & videret, qui cardinales & quo concurrerent, ubicunque aliqui colloquebantur, ſuſpenſo gradu accedebat, quo rectius audiret, quid inter ſe tractarent. Ne vero ipſe agnoſceretur cardinalitias veſtes exuerat aſſumto habitu conclaviſtæ. Sed cellam Albernozii ita exploranti forte fortuna ſupervenit Trivultius, qui eum ſpeculantem deprehendens (agnoverit nec ne incertum eſt) propius accedit, & quid tibi, inquit, hic eſt negotii, nebulo? quin abis ad operas domini tui: Hoc dicto alapam ei infligit feritque calce. Quod Antonius, ne proderetur, patienter tulit, & inde ad cellam ſuam ſe recepit.

Ad vigeſimum ſecundum diem ab ingreſſu in conclave inierunt ſcrutinium, ut Papam facerent Sachettium, & quanquam Albernozius ſciret, ſe excluſionem certam habere, tamen apud alios ſuæ factionis id non oſtendit. Quare cum cardinalis Matthæus ei diceret, ſi Sachettus Papa fuerit, neceſſe nobis erit Roma excedere. Eminentiam veſtram, inquit, jubeo bono animo eſſe, nam etiamſi hoc contingeret, eſſet in fide ac clientela Regis catholici, regnum Neapolitanum eſt vicinum. Sparſi erant jam tum rumores per totam urbem, Sachettum eſſe Papam, quia Barbarini per literas Dn. Alexandro natu majori & Matthæo minori fratri Sachetti, addito titulo excellentiæ, ſignificaverant, venirent mane viſuri fratrem Papam. Nam confiſi clientibus ſuis Hiſpanorum oppugnationem ſe ſuſtinere poſſe ſperarunt, nec curarunt omnium mortalium, & præcipue populi Romani odium, quod in illum propter ipſos ita concitatum erat, ut nihil magis optaret, quam factionem ad

(a) *Valentini Jeſuitæ confeſſoris*) Confeſſor conclavis hodie non ſolet ex Jeſuitis, ſed ex cæteris monachorum ordinibus forte eligi. Vide *itiner. curioſum p.* 197.

(b) *Cardinalis Antonius*) i. e. Antonius Barbarinus, qui defuncto Urbano inſignia Gallica erexerat in ſignum protectionis. Is tamen, ſpe nuptiarum inter filiam Thaddæi Barbarini & Camillum Pamphilium nepotem unicum cardinalis Pamphilii facta, facile ſe expugnari & in cæterorum partes trahi paſſus eſt, teſte PALATIO.

ad eum excludendum ſufficientem. Quod ſi abſque eo fuiſſet, nemine contradicente, ad pontificalem dignitatem ſubito perveniſſet Sachettus, quia digniſſimus ille vir & optimus eſt.

Negari non poteſt Hiſpanicam factionem hoc rerum ſtatu trepidaſſe, & frequentiores deliberationes inſtituiſſe, quo rationem invenirent partibus adjungendi complures. Idque maxime Albernozio curæ erat, qui caput catholicum vocabatur, & quod ad excluſionem illam adtinet, ſecum etiam habebat omnes, quibus ſpes erat ad papalem dignitatem adſpirandi. Præter dictos benevolos etiam ſe erga Regem catholicum præbuere, Olincus, Brancacius, Filomarinus, qui nequicquam dubitarunt acerbiſſimis verbis renunciare amicitiæ Barbarini conquerentis ſe ab illis deſeri; ſed reſponderunt illi ſe ſuo officio & conſcientiæ ſatisfacere, dum Regi ſuo ſervirent, eſſe illam conſcientiæ obligationem talem, ut, ſi Rex Galliæ aliquem excluderet, nunquam ei ſuffragaturi eſſent, etiamſi dignum agnoſcerent. Idque in præſenti caſu magis locum habere, cum Rex catholicus, cui ſubjecti eſſent, Sachettium excluderet.

Die Martis id eſt 30. Auguſti, cum mane ingreſſuri eſſent ad ſcrutinium habendum in curia regia, alter alterum adſpexit, & mirati ſunt inter ſe, unumquemque priſtinum mutaſſe vultum. Factio enim Barbarinorum lætitia exultabat, ſperans omnino ſe Sachettium illo mane facturum Papam. Ex adverſa parte Hiſpani erant attoniti, quippe qui non multum fiduciæ ponebant in eorum ſuffragiis, qui Barbarinorum partibus relictis ad ſuas accedere promiſerant. Hoc enim plenum difficultatis videbatur, unde Albernocius ſomnum capere non poterat. Tandem ingreſſi ad ſcrutinium, & celebrata miſſa Sancti Spiritus, ſcrutatores, (id eſt illi, qui ſuffragia dirigunt, & in acta referunt) cum ſuis infermieris, (id eſt illis, qui ſuffragia cardinalium qui in cellis ſuis decumbunt, recipiunt, omnes ſorte eliguntur) rem aggreſſi ſunt. Hinc Albernozius ad cardinalem Rodanicium, cui incumbebat ſuffragia ex pyxide eximere, ſe convertens: Eminentia V. inquit, omnia prius circumſpecte exploret, quam ullam ſchedulam extrahat. Verebatur ſcilicet, ne Barbarini eum deciperent, quippe qui omnia experiebantur, ut, quod ſibi propoſuerant, conſequerentur, ſpreta etiam ipſa honeſtate, quo totum conclave offenderunt. Creditur profuiſſe Albernozio hæc diligentia, quia *ſcrutatores & Infermieri*, (a) quos diximus, ſe inter utramque factionem geſſere, & ita ſecuros præſtitere Hiſpanos, Barbarinorum fraudes, quas ſuſpicabantur, effectu carituras. Inter alias autem Barberinorum artes hæc etiam deprehenſa eſt, quod certis ſignis datis ſuis ſignificabant, quoſnam ex illis ad ſcrutinium ſe conferre oporteret, cui intereſſe debebant duodecim, ut & acceſſui 26. quo 38. conficerent, is enim numerus ad incluſionem requirebatur. Sed illo mane hoc non ſucceſſit, cum ſcrutinio plures quam 5. non intervenirent, cæteris ſe excuſantibus, quod ſignum non animadvertiſſent.

Certa res eſt, hunc diem Barbarinos valde afflixiſſe, namque electionem Sachetti adeo firma ſpe præceperant, ut D. Taddæo mandaverint, uti cum fratribus Sachetti ad S. Petrum veniret, & exitum præſtolaretur, teneretque promptos fabros murarios ad rumpendum clauſtra, atque adeo milites & lictores, qui ante ædes eorum excubabant, prætereuntibus bonos hauſtus propinarunt, neque defuere, qui in area declamarent: Feliciter vivat Sacchetti! Sed Deus optimus maximus eorum ſuperbiam ſucceſſu infelici punivit. Cardinalis Bentivoglius, cum per valetudinem graviſſimam ſcrutinio intereſſe non poſſet, ſuffragium in cella ſua tulit, & die proxime ſequenti ad familiarem quendam Albernozii: heri Dei clementia, inquit, victoriam obtinuimus, quæ calcar addet in futurum, nequicquam obſtante ſumma illa, quam Barberini adhibent, diligentia erga omnes de collegio veteri & maxime erga me. Nam cardinalis Antonius ſuperiore nocte me aggreſſus eſt, & maxima quæque obtulit, ut ei inſervirem, quantum per conſcientiam liceret: neque ſe enim aliud deſiderare in conclavi, quam, ut cum honore exire poſſet; tantaque fuit obſtinatio ejus, ut tota illa nocte me ab illo liberare non potuerim, tandem me feſſum reliquit. Omnia hæc cardinalis Bentivoglius conclaviſtæ narravit, ut id Dn. Albernozio renunciaret. Jam quanquam Albernozius vehementer querebatur de impudenti contradictione, qua Barbarini Regis catholici excluſionem impedire conabantur: atque adeo Sacchettius ipſe eos rogaſſet, ne ea excluſione intercedente ſe nominarent, tamen non deſtiterunt omnem ſuam operam ad id conferre, mirantes conſilia Hiſpanicæ factionis, proinde expiſcari non poterant, quinam ex ſuis cauſam prodidiſſent.

Dies viginti duo elapſi erant tractantibus electionem Sachetti, id quod cauſabatur murmurationem totius collegii, dicentis, ſi tantum temporis ſingulis actionibus foret impendendum, vix anni ſpatio Papam electum iri, Barbarini id Albernozii culpa fieri dicebant, qui certi quicquam ſtatuere nolebat, idque propterea urgebant, ab Albernozio ſententiam ſuam declarante ex adverſo machinis ſuis rectius occurrere poſſent. Atque adeo hac via ſibi adjungere volebant cardinales veteris collegii, qui facile Albernozium deſeruiſſent, ſi unum præ aliis nominaſſet. Reſpondit igitur Albernozius, ſe in mandatis tantum habere, ut excluderet cardinalem Sachettum, extra eum facile ſe in quemcunque conſenſurum, iis tamen exceptis, qui per ſe incapaces eſſent. Inſtitit Barbarinus, dicens: qua ergo conſcientia Sacchettium Hiſpani excludere poſſunt, hominem tam bene merentem

de

(a) *Scrutatores, infirmarii*) Ex numero cardinalium eliguntur *tres ſcrutatores*, quorum officium eſt, ut numerent ſuffragia vel ſcrutinii vel acceſſus, ut ſciatur utrum facta ſit electio Pontificis nec ne. Eliguntur etiam ſorte tres infirmarii, quorum officium eſt, ut infirmos cardinales in cellis ſuis conveniant, eorumque vota in capſula colligant, eaque ubi opus fuerit, vel ad ſcrutinium vel ad acceſſum bona fide referant. Quibus accedunt quoque recognitores, qui recognoſcunt, utrùm ſcrutatores fideliter muneri ſuo fecerint ſatis. Vide autem de his pluribus conſtitutionem Gregorii XV. quam ipſe CONRINGIUS huic tractatui addidit, licet in verbis quibusdam ac formulis ab ea diverſam, quam exhibet ANTONII CICARELLÆ *ſupplementum ad hiſtoriam Platinæ p.* 530. *ſeqq.* Adde PLETTENBERGIUM *l. c. p.* 108. 112. 120. 121. *ſeqq.*

de eccleſia? Reſpondit Albernozius: Qua conſcientia Veſtra Eminent. excludit cæteros cardinales omnes, quos inter & alii bene meriti ſunt, præcipue illi de collegio veteri, viri clientibus Veſtræ Eminentiæ non inferiores? Hoc reſponſum, cum in malam partem accepiſſet Barberinus, uſus eſt tanta ruſticitate erga Albernozium, ut humeros ei obverteret. Ille brachium ejus prehendens, diſcat, inquit, Veſtra Excellentia quomodo agendum ſit in conclavi cum hominibus equeſtris ordinis & meæ conditionis. Atque ita irati diſceſſerunt, nec collocuti ſunt per multos dies. Sed quoniam his duobis principibus factionum non colloquentibus nihil agebatur, pleriſque cardinalibus id curæ fuit, ut eos inter ſe conciliarent, neque tamen ab Albernozio impetrare potuerunt, ut priſtina humanitate erga Barberinum uteretur.

Continuabantur mane & veſperi ſcrutinia, præterea vero nihil agebatur. Barbarini enim perſiſtebant in ſententia ſua, pro Sachettio, & Albernozius eum ſe admiſſurum conſtanter negabat. Hæc controverſia aliquot dies duravit, tandem Barbarini urgere cæperunt Albernozium, ut diceret, quot ſuffragiis ad electionem acceſſurus eſſet. Ille reſpondit: nominandum prius eſſe certum aliquem candidatum, & poſtea ſe dicturum, quot ſuffragia certa adferret; alium enim alio plura habere. Eodem tempore cœpit cardinalis Antonius agere pro S. Clemente, & trium quatuorve dierum ſpatio nihil aliud auditum in conclavi. Sed tamen ipſe S. Clementius parum ſperabat applauſus, verebaturque ut Gallica factio, licet gubernaretur a cardinale Antonio, accederet propter inimicitias, quas cum cardinale Mazarino gerebat. Neque hoc tantum impedimento ei fuit, ſed & cardinalis Montaltus cœpit contra eum machinari, idque tantum honoris ſui cauſa, unde Gallis ſe adjunxit pactis cardinale Hiſpanico parum licitis. Sed hac in re longius progredi non eſt meum, quia nec omnes circumſtantiæ mihi cognitæ ſunt. Illud certum, cardinalem, qui Hiſpanicæ factionis moderator erat, valde ſuccenſuiſſe Montalto, & parum abfuiſſe, quo minus eum tractaret, uti par erat tractari talem, qui deſertis partibus ſuis, per ſe excluſionem conabatur inſcio capite, incertus ipſe, an Rex catholicus candidatum admitteret nec ne, ne dicam, quod illicita adhibuerit media. Præter eum S. Clementi bellum indixerant cardinales Romani, qui ſe facturos Papam Romanum ſemper oſtenderunt, quare eis facile conveniebat cum his, qui externum quemcumque excludere ſtatuerant.

Cardinalis Albernozius, qui pro dexteritate ſua verebatur, ne apud omnes gratia valeret S. Clemens, legatum ad eum miſit cardinalem Trivoltium, ut ſignificaret, ſe ſtudio ad illum non inviſere, ne ei noceret, cæterum gaudere, quod Barbarinis in mentem veniſſet, illum promovere, quem omnibus ſuis viribus juvare poſſet. Atque hæc omnia faciebat animo adulandi, & ad dandum ei ſpiritum, qui ad exitum anhelabat. Legatis autem hæc cauſam præbuit ſermonibus, quibus Trivoltius ferebatur omni hunc candidatum juvare ſtudio. Et quibus hoc diſplicebat, criminabantur Albernozium & Trivoltium, credentes, ſerio id eos agere. Aperte partibus illis ſe addixerant Valentius, Antonius & Grimaldus, quorum hic Albernozium convenit, ut cognoſceret, an in candidatum illum vere conſentiret.

Hoc negotium tres aut quatuor dies duravit, & usque ad ſeptimum aut octavum diem ſilentio tectum fuit, quo tempore indifferenter agebatur de tribus aliis, ſed in tranſitu. Primus fuit Altienus, cui ex pacto inter cardinales Barbarinum & Antonium facto ſignificatum fuit, ut ſi ſpem ullam perveniendi ad pontificalem dignitatem animo concepiſſet, eam abjiceret, præſenti inprimis occaſione, ex quo duorum triumve dierum ægritudinem contraxit. Alter fuit cardinalis Montius vir dignus illo gradu, ſiquidem ætas adfuiſſet, quæ vox increbuit apud omnes. Unde cum id odoraretur, ipſe cardinalis Montius juſſit rogari Barbarinum, ut ſibi hanc gratiam faceret, ne de ſe ullum verbum loqueretur, ſe enim illud omnino nolle. Tertius fuit Philomarinus. Sed de omnibus his in tranſitu tantum actum eſt. Volitarunt per conclave hiſce diebus duo ſcripta, alterum erat card. Spadæ, quo tractabat de tribus viris ſua ſententia aptiſſimis ad pontificatum. Ipſe ſe poſuerat primo loco, & excuſatis omnibus, quæ objici poſſe videbantur, præcipue autem, quod plures cognatos habere dicebatur, confirmabat, ſe non adeo multos vel amicos vel cognatos habere, nec illos ejus conditionis eſſe, ut promoveri mererentur. Alter de quo agebat, fuit cardinalis Montius, & tertius Palotta. Alterum ſcriptum fuit Julii Daglioddi auditoris Sachetti, quo is oſtendit, ſe credere non poſſe, quod Hiſpani dominum ſuum excluderent. Qui enim fieri poſſet, ut excludendum putarent eum, qui nuncius in ipſa Hiſpania fuiſſet, & tanta benevolentia illam coronam complecteretur, ut quacunque occaſione oblata ſtuderet re ipſa probare, ſe Regis catholici cauſa omnia cupere? idque illi cum fratribus commune eſſe, ex quibus Alexander vulnera accepiſſet ob coronam Hiſpaniæ. Ipſum Sachettum ſemper Hiſpanos defendiſſe, indeque non eſſe credibile, quod Rex Hiſpaniæ promotioni ejus intercederet. Neque id etiam ab Albernozio proficiſci poſſe, cum princeps ſit magnæ virtutis & innocentiæ. Is autem lecto hoc ſcripto, iſte, inquit, vehementer adulatur. Nam præter cætera poſuerat, ipſo Albernozio majorem & digniorem pontificali dignitate eſſe neminem, injuſtumque videri, quod & ultra montanus excluderetur. Reſpondit præterea ad omnia capita, quæ propter ab Hiſpanis Sachettus excludendus videri poterat. — — Deſunt nonnulla:

Unam eamque ſolam rationem excludendi Sachettum allegare poterant, quod ſcilicet intimus Barbarinis eſſet propter accepta ab iis beneficia. Quare ſi res ſucceſſiſſet, eum a Barberinis pendere oportuiſſet, nec viſus fuiſſet mortuus Urbanus. Hiſpani autem modo pontificem deſiderabant, qui Barbarinos affligeret & capitalis eorum inimicus eſſet. Iſta atque alia multa incompoſita verba continebat illud ſcriptum, directum plane ad Albernozium, quia crediderant autores, animum illius mitigari poſſe, ut excluſionem remitteret, perinde ac ſi negotium illud magis ſua quam Regis cauſa geſſiſ-

geſſiſſet, a quo quatuor quaterniones excluſionem comprehendentes acceperat, ut ipſe Barbarino dixerat, junctis precibus, ut deſiſteret a cœpta pro Sachetto petitione.

Plurimum inquietudinis Barbarino hæc negotia attulere, quibus totas noctes invigilavit, nam nec tempus dormiendi ei relictum erat, dixitque agnatus ejus cardinalis Machiavellus, quod omni tempore usque ad eam diem, quo in morbum incidit, quater tantummodo ſe exuerit, quodque hoc ipſum ei morbum attulerit. Nam maximam noctis partem ſolitus eſt diſcurrere per cellas ſuorum, idque & cardinalis Antonius interdum fecit, tum ut exploraret, quid cardinales agerent, tum ut iis mandaret, quæ mane agenda eſſent. Quando ipſi mandata perferre nequiverunt, adhibuere intimos ſuos Fachinettum & Spidam, quibus omnia præſcripſerant. Itaque vidimus ſæpe non ſine ſcandalo, cum illos tum præcipue Rapaciolum tenentem manu catalogum omnium cardinalium, ex quo regiam curiam & cæteras conclavis partes perambulans pronunciabat, quomodo quisque ſe gerere, cui cardinali ſuffragari, & quis denique eorum ſcrutinio, quis acceſſui intervenire debebat. Quæ diligentia inutilis & injuſta æſtimata ab omnibus. Præbuit ſæpius hæc res Columnæ occaſionem, rogandi cardinales Barbarinæ factionis obviam factos num de ſcrutinio, an de acceſſu eſſent? Unde aliquem ſemper fructum cepit utilem Regi ſuo, dum a junioribus multas res expiſcatus eſt, quæ partibus nondum cognitæ erant. Præter cæteras actiones innumeros habuit conventus Barbarinus in ſua aut cardinalis Antonii, aut alia quadam cella, ubi convocare ſolitus erat ſex aut octo cardinales, veritus, ne ſtrepitum facerent, ſi omnes cogerentur. In his congreſſibus actum de negotiis, in quibus ſuorum conſilio utendum putabat, tum ut iis præciperet verum modum agendi, tum ut cognoſceret eorundem ſententiam de deſignandis quamplurimis, quorum mentionem non faciemus, quia ſine fundamento hæc res fuit, & illud tantum intendit Barbarinus, ut ne nihil agere videretur, ſed probaret, autoritatem & dominium per tot annos continuatum necdum deficere. Itaque ex ore ejus excidit hoc verbum, ſi Albernozius non conſentiat in Sachettum, fore, ut maneant in conclavi duos annos. Et hoc ita eliminarunt conclaviſtæ ejus. Albernozius autem de eo certior factus, alta voce dixit, quo plures id audirent & renunciarent, ſe paucis vitam ſuſtentare, nec dubitare, quin Barbarino diuturnitas conclavis majus damnum afferret, cum plus ibi ſufferret cardinalis juvenis, quam ſenex, quod ſibi ibidem dies obeundus eſſet, perinde ſibi hoc fore, ac ſi domi ſuæ moreretur, non curare ſe hominum ſermones, dum commoraretur illo in loco, paratus ad exſequendum, quod rationi conſentaneum eſſet, & ad moriendum propter illud ipſum.

Illis diebus nihil majoris momenti actum, Bentivoglius quidem ingraveſcente morbo exiit conclavi, & intra octo aut decem dies vitam cum morte commutavit. Poſt eum exiit & Matthæus propter febrim. Interim non ceſſarunt Barberini pro Sachetto agere, videntes, quod factioni Hiſpanicæ ſuffragia deeſſent, unde conſilia incutiendi illis timorem ceperunt. Sed nihil egerunt opponente ſe cum ſua factione Albernozio, qui eo quo diximus modo & ordine ſemper ſuffragabatur alicui ex collegio veteri tam in ſcrutinio quam in acceſſu, diſtribuens in quodvis ſcrutinium viginti aut viginti quatuor ſuffragia. Quod cum viderent Barbarini, deſperarunt de rei ſumma, non modo propter numerum ſuffragiorum, ſed quod major eorum pars in Cenninum concurreret. Nam cum, connumeratis etiam ſuffragiis Bentivoglii & Matthæi, non habere viderentur amplius viginti quatuor, tamen Cenninus ad viginti ſex re ipſa abſtulit, & alia vice quatuordecim in ſcrutinio & undecim in acceſſu obtinuit, hoc notatu digno caſu, ut pro eo ex calice extraherentur continue undecim ſuffragia. Unde timorem talem concepit Barbarinus, ut doloribus colicis ſubito opprimeretur. Cupiens itaque ſe ſubtrahere paululum laboribus, totam ſuam factionem omnemque autoritatem cardinali Antonio tradidit. Diſplicuit id quidem Albernozio & conqueſtus eſt tantam autoritatem cardinali Antonio protectori Galliæ concedi, remque omnem cum Medicæo & Montalto aliisque Hiſpanicæ factionis cardinalibus communicavit, ſed ei jam mederi non potuit.

Hac accepta autoritate cardinalis Antonius iterum cœpit agere pro S. Clemente, metuens multitudinem votorum, quæ obtinuerat Cenninus, quem, ſi res procraſtinaretur, Papam videbatur electum iri ingratiis ſuis. Conqueſtus igitur eſt vehementer quod Hiſpani eligere vellent ſuum inimicum, & multa nocte omnes ſuos clientes in curia regia coegit, ubi ſententias dixerunt, ut ſtatuerent, quemnam aſſenſum habere poſſet S. Clemens, indeque ad ſuas cellas reverſi ſunt. Hæc res mutationem fecit in conclavi & quidam cardinales adierunt Albernozium, præcipue Montaltus, ut cognoſcerent, quomodo tractandus eſſet novus ille candidatus. Iisque reſpondit Albernozius ſolidis rationibus. Atque ego mihi perſuadeo Albernozium, ut Sacchettum repelleret, hunc denique amplectendum putaſſe. Namque cardinales, qui ad eum inviſebant, rogati an in S. Clementem conſentirent, id fere affirmarunt. Sed cardinalis ipſe cum cognoviſſet ſuos eidem magnopere favere, negotium hoc reliquit. Accidit quadam veſpere in ſcrutinio, ut cum a cardinali Creſcentio ſuffragium acciperent, infirmieri, qui vocantur, ille negligeret adſcribere nomen cardinalis, cui ſuffragabatur, & recordatus id, poſtquam illi jam tum exierant, juſſit eos redire, quod nomen omiſiſſet. Infirmieri autem id ſe facturos negarunt, antequam ad totum collegium de eo retuliſſent. Hoc igitur facto, ſurrexit cardinalis Antonius dicens, hoc ſuffragium nullum eſſe, quippe cum vereretur, ne pro Cennino eſſet. Sed contrarium demonſtravit Albernozius: nam quamdiu ſuffragium eſt extra calicem, fas eſt cardinali cuicunque recipere illud, & ſententiam ſuam mutare. Itaque plures cardinales ab utraque parte ſurrexerunt, & ita inter ſe concertarunt, ut tandem omnes ſententiam dicere oportuerit, ubi quatuor votis Albernozius adverſarium ſuperavit.

Hoc negotium extractum erat usque ad ſecundam horam noctis, unde cardinales convitium fecerunt Barberino. Inſtanti nihilominus huic, ut Albernozius proponeret aliquem, noluit is hoc facere,

facere, dicens, quod ad illos id pertineret, qui majori gauderent factione. Illi replicarunt, ſe nominaſſe Sacchettum & nolle jam alium iterum forte excludendum nominare. Hic graviſſima orta eſt contentio. Sed Albernozius non detegendum ulli ſecretum, nec enunciandum exiſtimans nomen illius, quem Rex catholicus ſemper deſideraverat, hoc tantum dixit, & quidem quaſi in tranſitu: eſtne credibile, quod Barberini præter Sacchettum habeant neminem, quem proponant? Præcipue autem coram cardinali Montio, cui vel maxime fidebat, hæc talia protulit, & cum ſæpius ſermones cum illo conferret, rogavit eum aliquando, quibusnam cardinalibus maxime confideret. Illo autem nominante inter alios Pamphilium, reſpondet Albernozius: ego vero ſcriptum vidi, quo inter inimicos veſtræ eminentiæ recenſetur Pamphilius, propter moleſtiam quam in Gallica legatione habuit. Ad hæc Montius, ſe idem ſcriptum vidiſſe, eſſe autem illud falſum, Pamphilium vero ex amiciſſimis ſuis, id quod omni oblata occaſione velit probare. Unde porro ſpeciatim ſeſe ipſemet obtulit ad mitigandum cardinalem Antonium, qui vel maxime officiebat promotioni Pamphilii, id exſecutus eſt habito congreſſu prolixo cum Antonio. Cum eodem de eadem re egit Spada familiaris ejus, relicta quidem cauſa cardinalis Rocci, poſtquam intellexerat, quod cardinales ei minus cuperent, propterea quod illo electo, ipſum Spadam ejus nomine omnia adminiſtraturum videbant. Itaque Spada hoc majorem operam Pamphilio navavit. Præter Spadam & Montium pro Pamphilio graviter egit Panzirollus. Et cum cardinales quidam Pamphilio dicerent, ut de ſe agi pateretur, reſpondit ille, ſe nolle proponi, niſi ab Antonio, qua in re prudenter ſe geſſit. Erat enim cardinalis Antonius capitalis ejus inimicus, qui & excluſionem Galliæ ei paraverat, nec illo invito unquam res ſucceſſiſſet. Reſponſum autem hoc valde devinxit cardinalem Antonium, & intendit ſtudia trium illorum cardinalium. Ab altera parte, cum Galli perſeverarent in excludendo S. Clemente propter Mazarinum, cumque cardinalis Bichius inimicus Pamphilii excluſionem ejus procuratam ab Antonio per totum conclave divulgaſſet, verereturque Antonius, ne Pamphilius ab Hiſpanis nominatus eligeretur, præbuit aures agentibus de eo. Itaque hoc negotium cœptum eſt d. 6. Septembr. finitumque die Mariæ virginis id eſt 8. ejusdem menſis. Barberinus quidem diligentiam adhibere pergebat, ut ad cellam ſuam veniret Albernozius ad agendum ſecum, quo clientes ſui perſuaſi eum mitigatum eſſe in excluſione Sacchetti, majori animo ad cauſam integrandam redirent. Sed Albernozius cavit has fraudes, & nunquam eo ivit.

In progreſſu conclavis ortæ ſunt leves quædam ſimultates inter cardinales, & quidem primum inter Montaltum & Trivultium quamvis cognatos. Cauſa illa perhibebatur, quod Trivultius juvaret S. Clementem excuſſum a Montalto. Alias ſimultates habuit Matthæus, qui ut eſt natura præſentis animi, nihil diſſimulat. Primo igitur cum Barbarinis & præcipue cum cardinali Antonio congreſſus eſt, cui in ſcrutinio priſtino more imperare volenti non dubitavit dicere, ſublatum jam eſſe principatum & mortuum Urbanum, ſe omnes jam eſſe dominos. Deinde & Rapaciolam aggreſſus eſt, qui cum Sacchettus deſignatus eſſet, dixiſſe ferebatur illum Papam fore in gratiis domus Auſtriæ. Hunc igitur re intellecta in ſeceſſum quendam deduxit Matthæus, rogavitque an talia protuliſſet. Rapaciolus vix compos mentis negavit ſe unquam hæc dixiſſe, unde ei Matthæus nihil reſpondit, ſed abiit iratus, & obvertit ei humeros.

Albernozius videns tempus ſine fructu perdi, ablegavit Caponium & Cornarum ut cum Barberinis agerent, ſed diſplicuit iis Caponius, nec ei fidem habuere, veriti, ne ſe deciperet. Frequentius cum Cornaro egerunt, quamvis & ab illo denique ſe ſubduxerint. Namque illo inſtante, ut tandem aliquis deſignaretur, Barbarinus nominavit Polum, reſpondit Cornarus hoc ſibi mirum videri. Veſtra itaque eminentia, inquit Barberinus, nominet eminentiam ſuam, & faciemus eum Papam. Hoc vehementer indignatus eſt Cornarus, cum ſibi oppido illudi crederet. Quare reſpondens ex illa animi commotione acerbe in eum invectus eſt, abiitque propterea Barberinus, & iſte omnia Albernozio renunciavit. Interea Montius & Spada cardinales non deſtiterunt cauſam Pamphilii apud Antonium agere, ponentes ei ob oculos, quæ ipſo inſcio Galli de S. Clemente excludendo ſtatuerant. Unde tandem oblivioni data ſunt pacta ſcripta, quæ cum cardinali Barberino inierat, ne de Pamphilio ageret, & ut ipſe Altierum proponere deſiſteret. Nec obſtitit, quod quibusdam cardinalibus amicis ſuis jurato dixerat, ſe malle diſcerpi, quam autoritati ſuæ notam inurere & in Pamphilium conſentire. - - - Deſunt quædam

Verum eſt metum, ne ab Hiſpanis nominaretur, & tum factione Barberina nequicquam repugnante Papa fieret, magnam vim habuiſſe. Itaque multa nocte & hora inſolita cardinalis Antonius ſecreto ad Pamhpilii cellam viſens, familiariter cum eo collocutus eſt, & ſumma humanitas mandataque mutua inter eos interceſſere.

Poſt paucos dies aggreſſi ſunt ſerio cauſam Pamphilii, unde Albernozius, qui rem omnem perſpectam habebat, magnæ ſe felicitate auctum putavit, & negotium ſubito & finem perduxit, clam omnibus ſuis, qui ei forte impedimentum afferre potuiſſent. Soli Medicæo rem omnem aperuit, ſine quo nihil ſtatuit. Gaudebant interea hi duo cardinales, & Medicæus jam tum ſurrexerat, & Albernozium bis adierat, ut de hoc negotio conſultarent. Cardinalis item Antonius, cum Albernozius lecto affixus eſſet, arrepta occaſione bis aut ter eum inviſit, & eandem cauſam egit, ſed ſine arbitris, ne quis rem cognoſceret.

Die Mercurii 14. Septembris, antequam ingrederentur conclave, multi cardinales inviſerunt Albernozium, & inter eos Fachinettus, qui cum intelligeret alios intus eſſe, abdidit ſe in habitaculum conclaviſtæ, usque dum exiiſſent. Tum intravit, & rogante Albernozio, quid juberet & cur per tot dies delituiſſet. Verum eſt, inquit, & ideo modo venio, ut E. V. officioſiſſime ſa-

lutem, eique inſerviam & ſimul nunciem, quod hodie accipiet tale reſponſum, quale deſiderat, hiſce diſcedo, quia jam tum itur ad ſcrutinium. Eadem veſpera antequam ingrederentur ad ſcrutinium, rediit Fachinettus ad Albernozium, & offendens ibi Theodotium ſe iterum abdidit in eundem locum, quo mane ſe receperat, ſed longe diutius ibi commoratus eſt, quia Theodotius tempus ducebat. Idem uſu venit Pancirollo, qui cum Albernozio ſecreto colloqui cupiens, bis aut ter ad curiam regiam commeavit, ut videret, an ad ſcrutinium ingreſſi eſſent. Bichius autem jamjam ingreſſurus ſacellum, ubi ſcrutinia habebantur, quæſivit de cardinali Pancirollo, & cum intellexiſſet, quo ille ſe contuliſſet, relicto ſacello illum inſecutus eſt usque ad cellam Albernozii. Quo cognito Pancirollus metuere incipit, ne impedimentum afferret Bichius, ſi animadverteret, ſe dubitare intrare, & propterea fidenter intravit, quamvis ibi Theodotius eſſet, dixitque: intro ideo, ut cognoſcam quomodo V. E. valeat, ſed exibo ſubito, quia Bichius magna cura veſtigia mea legit. Itaque ſecum eduxit Theodotium, cum ſcrutinium inſtaret, nec, ut volebat, cum Albernozio ſecreto potuit colloqui. Jam apparuit Fachinettus, qui delituerat viſus a nemine. Is Albernozio dixit: Euge Barberini ipſi decreverunt promovere Pamphilium & credo Pancirollum impeditum fuiſſe, quo minus idem E. V. nunciaret: diſpiciat, quæ fieri, & Barberino Antonioque dici velit. Duas ego res deſidero, reſpondit Albernozius. Primo (quod ſemper intendi) ut de excluſione Sacchetti ſecurus ſim, & ut modo promittant, dum de hoc candidato agitur, ſemel, bis, & ſæpius, usque eo, donec ſpes omnis ſucceſſus deficiat, non actum iri de ulla re ad Sacchettum ſpeciatim pertinente. Atque de hoc ſe reſponſum exſpectare dixit ab exitu ſcrutinii. Alterum fuit, ut ſuſceptum negotium eo modo ageretur, ut conclaviſtæ & cardinales etiam nonnulli id crederent pertinere ad fratrem, qui appellabatur, S. Clementem. Hoc autem ex ſola prudentia Albernozii profectum eſt, qui ficta cupiditate faciendi illum Papam celare voluit, quod re ipſa Pamphilio magis, quam cæteris omnibus cuperet. Atque hoc quidem propterea, ne ſe in ſuſpicionem adduceret, veritus non immerito, ne Barberini, ſi conſtaret, cui vellet, par pari referrent, & Sacchetti excluſionem ulciſcerentur. Finito ſcrutinio accepit reſponſum ex ſententia. Tum duo regeſſit, primum, ne de hoc negotio agerent dicerentque quicquam, antequam rotæ eſſent obſeratæ, hoc fine, ut ne re foras divulgata legatus Galliæ intercederet & tumultum pernicioſum excitaret. Secundo, ut rotis obſeratis rem ipſam aggrederentur. Jam ſuffragia in ordinem redigere cœperunt, quæ factio utraque conferre poterat, & Albernozius Barberino ſignificavit ſuffragia certa, quæ habebat, ut eodem tempore, quo in rem ſuam agebat, ſe Barberinis obſequi oſtenderet. Inter ſuffragantes fuit & cardinalis Lugo, qui tum demum ſuam ſententiam declarans ad Hiſpanos acceſſit, unde re ipſa in ſcrutinio repertum unum ſuffragium plus quam quot promiſerat Albernozius.

Nox, quæ diem Mercurii, 14. Decembris, inſecuta eſt, pleniſſima fuit laboris. Et principio quidem Albernozius & Medicæus, (quem Barberini primum inviſerant) conventum habuere ampliſſimum, ut ordinarent omnia, quæ ab utraque parte in electione fieri oportebat, idque animo perſuadendi futuro pontifici, ipſius cauſa fieri, ut Barberini cum Medicæo, quoad hoc negotium in gratiam redirent. Congreſſus ille in cella Albernozii habitus multas horas duravit ſine ullis impedimentis, quæ alias quotidie ſolebant oriri. Tandem obſeratæ ſunt rotæ, & antequam evulgari poſſet, publicatum imo & conſummatum eſt negotium, ita, ut cohiberi non potuerit impetus, quin ad cellam Pamphilii concurrerent cardinales, ut bonam horam ei optarent, idem & conclaviſtæ fecerunt, non tamen pedem ei oſculati ſunt, quia nec dum electus erat. Mirabilis fuit concurſus ad cellam ejus, qua occaſione eadem nocte direpta eſt omnis ſupellex argentea, multique cardinales propter tumultum bonam horam ei dare nequiverunt. Omnes autem gaudebant, maxime Albernozius, cui omnia ex ſententia ſucceſſerant, una ſcilicet incluſio & una excluſio. Quanquam lætitia ejus cum metu conjuncta fuit, quem Gallorum & præcipue Bichii excluſio cauſabatur. Idem metus gravius etiam adflixit Barbarinos, & nihil longius viſum, quam ut luceſceret. Nemo cubitum ivit. Cardinalis Antonius præ timore ter ad Albernozium veniens ei nunciavit, Bichium omnem operam conferre ut Pamphilium excluderet, & Montaltum cum eo facere. Reſpondit Albernozius id fieri non poſſe. Idem confirmavit Medicæus, qui & rogatus ad cellam Montalti miſit, qui exploraret, quid ibi ageretur. Repertus autem eſt Montaltus dormiens cum conclaviſtis ſuis. Hoc facto rediit Antonius ad Albernozium cum cardinale Spada & Panzirollo, & ibi manſerunt per totam noctem, renunciaruntque illi, quæ Medicæi opera cognoverant, item quod Bichius varia moliretur & cuperet certiorem facere Gabrielem, qui propter valetudinem conclavi exierat & in ejusdem palatii cameris curabatur. Denique rationem inierunt ſuffragiorum, quæ pro excluſione Bichius cogere poſſet. Nam ſi juſtum habuiſſet numerum cardinalium cauſam obtinuiſſet ſine dubio, ſed id Albernozius nunquam ſibi perſuadere potuit, negavitque conſtanter poſſe accidere, atque adeo, quo magis opinionem illam animis ſuorum eriperet, recenſuit vota, quæ pro electione habebant, & reperta ſunt ſuperflua decem. Itaque inter eos convenit, ut Albernozius cum ſuis ſcrutinio, & Barberinus cum ſuis acceſſui intervenirent, & hoc pacto convento, ſignum datum eſt ſcrutinium ingrediendi, nec dum orta die.

Albernozius, quamvis podagra laborans, tamen negotii magnitudine commotus ſurrexit ante lucem, vt ad omnes cardinales ſuæ factionis & præcipue illos de veteri collegio inviſens, ſingulos officii admoneret, oſtenderetque, illos regiæ majeſtati hoc jam pro ſervitio debere, cum intercedente oppoſitione Barberinorum ipſi eligi non poſſent. Ingreſſi ſunt omnes ad ſcrutinium prima luce, & inter eos opera Bichii ipſe etiam Gabrielius, qui anguſtia temporis id exigente ſacellum ſubito intravit, neque tamen ad illud adduci potuit, quod Bichius cupiebat, quia id fieri non poſſe judicabat.

bat. Illa nocte Albernozius dixit Barbarinis, ut ſi ſuffragia ſufficientia ſe habere diffiderent, id ſtatim ſignificarent, quo rectius vocare poſſet Matthæum & Urſinum, qui jam tum ſe partibus addixerant. Ille enim exierat æger, & hic non ingreſſus erat conclave, ſed jam poterat venire, & ſe vocari juſſerat, ſi opus eſſet. Cœperunt igitur ſuffragia ferre. Quæ dum ordinarentur in ſcrutinio dixit Pamphilius Albernozio, qui poſt eum ſedebat, adſuntne omnes veſtri cardinales, cui ille reſpondit: adſunt, & jubeo V. E. bono animo eſſe. Videbat enim eum timere, qui nec tota illa nocte ſomnum oculis ſuis viderat, partim præ timore, partim præ lætitia. Adſuit vero acceſſui Barbarinus cum viginti tribus ſuffragiis & Albernozius cum viginti quinque, quæ efficiunt quadraginta. Defuerunt ex omni numero tantum ſex, unum ſcilicet electi & quinque Gallorum, qui nunquam manus dare voluerunt propter regia mandata, quæ acceperant, tum ut cardinalis Antonii culpa conſpectior eſſet, qui Galliæ defenſor conſtitutus eum faciebat Papam, quem illa corona ad ipſius inſtantiam excluſerat.

Electione finita dum ſuffragia recognoſcuntur & alii quidam ritus ſervantur, qui multum temporis requirunt, quidam cardinales abiere & rediere, maxime cardinalis Antonius, qui ut camerarius exiit, uti prohiberet, ne clauſtra rumperentur, per quæ multi, qui foras erant conabantur intrare, cum jam increbuiſſet Papam electum eſſe. Tandem cum usque eo clauſtra defendiſſet, quoad Papa pontificali ornatu veſtiri poterat, ipſe rotas impulit, per quas tanta multitudo in conclave irrupit, ut confuſio inde oriretur, & cum exiret Barberinus, ut inferret crucem verſus arcam S. Petri plenum erat conclave hominibus, ita ut ſupellectilem in cellis cuſtodire neceſſe fuerit. Tum denique Barbarinus electionem populo promulgavit his conceptis verbis; annuncio vobis gaudium magnum. Habemus Papam eminentiſſimum & reverendiſſimum D. Johannem Baptiſtam Pamphilium, qui ſibi nomen impoſuit Innocentii X.

Cum ad ſacellum rediret Papa, ubi ſacra ſolitis ceremoniis conficiebantur, ex baronibus Romanis capita duarum antiquiſſimarum nobiliſſimarumque familiarum Urſinæ ſc. & Columnenſis, ſtipare ejus ſolium voluerunt. Orta ibi contentio inter eos de honeſtiori loco, quæ duobus ſcriptis pro defenſione juris utriusque partis compoſitis materiam dedit. Sed Papa utrumque ſtatim juſſit abire, quod dies turbis conveniens non eſſet, cui ſubito obtemperatum. Interfuerunt etiam actui illi legati Imperatoris Regis Hiſpaniæ, cumque Dn. Taddæus, ut præfectus Romæ poſſeſſionem juris anteundi principum legatos continuare vellet, auxilio ei fuit frater uterque, & maxime cardinalis Barberinus. Qui cum duce Savellio legato Cæſareo de prærogativa portandi ſyrma pontificale certare cœpit, functusque primi diaconi munere propter abſententiam Medicæi, qui ex pedibus laborabat, objecit Taddæo ſyrma, cum & paulo ante Savellio, qui primum locum occuparat, dixiſſet: Excellentia veſtra loco incommodo ſtat: ibi enim veſtiendus eſt Papa: Poſt hæc & ſimilia verba acerbiſſima cœperunt progredi. Sed Papa illis imperavit, ut abirent ſalvo utriusque jure. Reſpondit Savellius, Sanctitas veſtra jubeat Taddæum primum diſcedere, poſt & ego obtemperabo. Atque ita factum & uterque abiit. Denique & Papa ſacris relictis domum ſe contulit, qui longævus & optimus ſperatus. (a)

Bulla Gregorii XV. de conclavi.

GREGORIVS EPISCOPVS ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Jeſus Chriſtus Dominus noſter, æterni Patris æternus filius, magiſter & legislator noſter, ejus

(a) Addimus hoc quoque loco, quemadmodum ad hiſtoriam electionis Urbani VIII. factum fuit, vitam & res geſtas Pontificis Innocentii X. paucis ſaltim lineis deſcriptas,

Nimirum Innocentius X. antea Joh. Baptiſta Pamphilius dictus, ex illuſtri familia, cujus majores ex Germania oriundi Eugubium Umbriæ civitatem extruxiſſe perhibentur, natus fuit Romæ a. 1574. ibique literis primum operam dedit in collegio Romano, inde in precipuis Italiæ academiis ſtudia aſſecutus majora anno æt. 20. laurea donatus, advocatus conſiſtorialis primum, deinde Auditor Rotæ a Clemente VIII. renunciatus, poſtea a Gregorio XV. nuncius apoſtolicus Neapolim miſſus, ab Urbano VIII. a ſupplicibus literis præfectus (Datarium dicunt) datus cardinali Franciſco Barberino, inde patriarcha Antiochenus dictus & ad Philippum IV. Regem Hiſpaniæ ablegatus, cum omnia prudenter adminiſtraſſet, a, 1627. cardinalis creatus, a. 1630. rubrum galerum in Quirinali recepit, mortuo Urbano VIII. nonnulli contradicentibus Gallis in Pontificem electus a. 1644. d. 14. Sept. Sub initium pontificatus ſui Alexandri III. memoriam in regia Vaticana aula ſedente Urbano ſublatam, ne vim faceret antiquitati, ad ſyllabam reſtituit. Barbarinos opibus & dignitatibus ſpoliat non prius reſtituendos, quam metus Gallorum, qui jam in Italia portui Longo & Populonio frenum impoſuerant, aliam rerum rationem ſvaſiſſet. Electorem Trevirenſem, qui jam a pluribus annis Hiſpanorum captivus fuerat, facta apud Ferdinandum III. Imper. interceſſione in libertatem aſſeruit. Exorta quoque nova per Odoardum ducem Parmenſem ſimultate quod per ſicarios Chriſtophorus Giarda epiſcopus Caſtrenſis ſublatus fuiſſet, conſcripto exercitu Caſtrum oppidum denuo expugnavit, idque a fundamentis dirui juſſit erectis crucibus ubi fuerant eccleſiæ extructaque columna cui inſcriptum fuit: Qui fu Caſtro. Anno 1648 contra pacem Osnabruggenſem per legatum Fabium Chiſium proteſtationem interpoſuit. Venetis contra Turcas auxilio adfuit etiam Franciſcanis monachis juſſis ut arma ſumerent. A. 1655. condemnavit librum, qui in Gallia prodierat, de æquali autoritate Petri & Pauli, in cauſa etiam Janſeniana rogatus a clero Gallicano congregationem quinque cardinalium inſtituit adjunctis Franciſco Albicio & Theologis XIII. examinatisque quinque Janſenii propoſitionibus alias ut ſcandaloſas & temerarias, alias ut plane hæreticas proſcripſit. Fertur etiam de ſubjugando regno Neapolitano conſilia privata iniiſſe, quæ cum cardinalis Aſtallius poſtea Hiſpanis divulgaſſet, idcirco in pœnam miniſterio depoſitus fuit. Cæterum Romanos plurimis ornavit privilegiis, ſuſtulit ordinem religioſorum, quos vulgus Apoſtolellos vocabat, cardinalibus mandavit, ut titulo eminentiſſimi contenti eſſent, portam ſanctam, a. 1650. aperuit. Tandem a. 1655. d. 7. Jan. relinquens ſexcenta aureorum millia ſucceſſori, ut ſcribit OLDOINVS, mortuus. In ejus funere ſermonem dixit comes Ubaldinus.

omnis actio noſtra eſt inſtructio, quamquam omnes res portet efficaci verbo ſuo, nihilque ſit abſconditum ab oculis ejus; tamen antequam eligeret duodecim apoſtolos ad munus apoſtulatus, totam noctem in oratione ac precibus tranſegit, (quod ipſum alias feciſſe non legimus) priusquam Beato Petro paſturam ovicularum ſuarum committeret, trina interrogatione ter profeſſus eſt æternum ſuum amorem; haud ſane aliam ob cauſam, quam ut nos doceret, quanta diligentia, cura & prudentia opus eſſet in electione paſtorum eccleſiæ, ut boni & fideles gregi præficiantur: imprimis in ſucceſſoribus ſancti Petri, qui habetur lumen mundi, doctor gentium & paſtor paſtorum. Commonefaciunt enim hæc nos, ne quidquam omittamus, quod nobis inſervire queat, ut quam optimus Pontifex Romanus eligatur. Neque enim hic de unius membri ſed de totius corporis ſalute agitur, cum deliberatio eſt de præficiendo capite. Nunc quidem nos fugit, diverſa extare decreta Pontificum, anteceſſorum noſtrorum ut & ſanctorum patrum, quibus ſalutares leges continentur, ut electio illa fiat, non prædominantibus affectibus aut humana ſapientia, quæ mera eſt ſtultitia adverſus Deum: ſed ut tota res directioni & gubernaculo Sancti Spiritus permittatur. Attamen quia dies diei eructat verbum & nox nocti indicat ſcientiam, ipſa experientia magiſtra didicimus, nullo non tempore, nullo non loco ſalutaribus remediis locum eſſe, nos igitur, quibus Deus ſine ullo noſtro merito commiſit curam eccleſiæ ſuæ, cum non injuria metuamus, ne juſtus ille & ſeverus judex adventu ſuo ad judicium nos negligentiæ arguat, in re tanti momenti, nos inquam ſtatuimus tandem exequi id, quod multorum hactenus votis ſuſpiriisque deſideratum eſt, adhibitis in conſilium venerabilibus eccleſiæ Romanæ cardinalibus, fratribus noſtris, quorum natura deliberatione & conſenſu hanc legem ſive conſtitutionem perpetuo valituram concepimus, quæ in electione Pontificum Romanorum, de cætero obſervetur.

Non eſt igitur eligendus Papa alio in loco, quam conclavi uſitato, eoque clauſo & firmato poſtquam primo die ordinarium miſſæ ſacrificium perfectum fuerit, cui cardinales adeſſe & participare debent. Volumus autem valere ſuffragia ſecreta ſchedularum, duarum tertiarum e numero cardinalium, etiamſi omnes adeſſent nullo deſiderato. Penes hos enim erit, ſelectis quibusdam & toto cardinalium collegio parem eandemque creandi univerſalis paſtoris eccleſiæ tribuere auctoritatem, quaſi omnes præſto ipſi fuiſſent. Vel etiam (quod non improbamus) fiat illa electio ab omnibus & ſingulis cardinalibus qui præſto ſunt in conclavi, quaſi inſpiratione divina, nullo cum quoquam mortalium paciſcente, per verbum ab unoquoque prolatum ELIGO, ſive viva voce, ſive ſcripto comprehenſo, ſi ab aliquo pronunciari nequeat. Ut autem, quando electio per viam ſcrutinii facienda eſt, ſecurior acceſſus ad ipſum ſcrutinium ſit, volumus, decernimusque, ut illud fiat per numerum ſuffragiorum, duarum tertiarum cardinalium, qui in conclavi præſentes ſunt. Qua quidem in re conſtituimus, ne inter duas illas tertias ſuffragiorum computetur perſona electa: neve quis per viam ſcrutinii, aut compromiſſum, aut ulla denique ratione ſeipſum eligere poſſit, ſibique ipſi ſuffragari; quamquam is qui eſt eligendus in conclavi eſſe, inque numerum cardinalium referri nomen ejus debeat.

Præterea nolumus quemquam haberi pro electo per viam ſcrutinii, ſive per acceſſum ad ſcrutinium, antequam omnia publicentur ſuffragia. Si enim contingat, ut plures ſint qui duas tertias votorum ſibi ſuffragantes habeant, (quod planum fiet apertis prolatisque ſchedulis,) in hac æqualitate ſuffragiorum calculorumque, nec hunc nec illum pro electo haberi volumus, ſed eum, qui iis commendetur ſuffragiis, quorum major eſt dignitas & auctoritas; cum fieri poſſit, ut uno ſolo ſuffragio quis alterum vincere poſſit.

Super hæc ordinamus præcipimusque ut antequam mittantur ſchedulæ in urnam, unusquisque cardinalium aperta voce juramentum præſtet in hanc ſententiam: Teſtor Dominum JEſum Chriſtum, qui me judicaturus eſt, me electurum eum, qui eligendus eſt per judicium ſecundum Deum, meque poſiturum hoc ipſum juramentum in Acceſſu. Hoc juramentum a nulla penitus omitti debet. Expediretque ſi ſchidia ſuffragiorum tam ſcrutinii quam acceſſus typis impreſſa, aut ſi hoc fieri non poſſet, una eademque manu ſcripta eſſent, ita tamen, ut ea imprimantur aut deſcribantur, quæ exprimi in ſchedulis ſolent, omiſſo ſolo nomine ejus qui eligit, & qui eligi debet, cum ſignaturis, quæ ſubſcribendæ ſunt. Hæc enim ſcribi debent manu eligentis in adverſa pagella. Qua quidem in re neceſſe eſt, ut character & ſignum dictum electi ſit ita corruptum & deformatum, ut cognoſci non poſſit, operta inſuper ea parte ſchedulæ, ubi nomen eligentis ſcriptum eſt, utque obſignetur ſigillo ſigillatim ad hanc facto, non eo, quod quotidianis uſibus ſervit.

Porro ut cognoſci poſſit, an quis alii alicui ſuffragatus fuerit in ſcrutinio, omnes chartulæ ſunto in inferiore parte notatæ duobus aliis ſignis: vel certo quodam numero, vel dicto aut vocabulo aliquo ſcripturæ ſacræ, quæ ſigna inveniri debent non minus in una quam altera chartula, tam in acceſſu, quam ſcrutinio. Poſtea complicentur illæ chartularum partes, in quibus hæc ſigna ſive notæ ſunt, ne videri poſſint a viſitatoribus donec electio plene perfecta ſit per ſcrutinium & acceſſum. Quo facto ſchedulæ aperiuntur a ſcrutatoribus ab ea parte, ubi dictæ ſignaturæ ſunt, qui poſtquam eas viderunt cum ſuis ſigillis, perveſtigant etiam alteras ſchedulas, quæ in ſcrutinium miſſæ ſunt, ut cognoſci poſſit, utrum eædem ſint ſignaturæ, unde perſpicuum eſt duo ſuffragia uni cardinali non data per eundem. Quod ſi inter chartulas illas quæpiam inveniatur carens illo ſigno ſive nota, quibus acceſſus ſchedulæ ſignari debet, aut ſi quis eorum qui in ſcrutinio nominati ſunt, interveniat, ſuffragium ſit nullum.

Quod

Quod nomen illius concernit qui eligendus eſt, oportet ut eodem modo ſcribatur per cardinales, quo impreſſum eſt in folio, ut moris eſt ſcribere & notare ſuffragia in conclavi. Ut autem de hac re prudentius ſecretiusque conſultari poſſit, neceſſe eſt, ut fiant ſchedulæ ſuffragiorum cum pluribus aliis, quæ ponantur in tabula in medio ſacello, eo tamen ſpatio a cardinalibus diſtantes, ut ab aliis videri non poſſit quid ibi perſcriptum ſit.

Quodſi quis adverſitate aliqua impeditus, tabulam accedere non poſſit, is ferat ſuffragium in ſecreto, quo facto accedat eum ſcrutatorum ultimus accipiatque ab eo. Utque acceſſus fiat clam, publicato jam ſcrutinio, ſi deprehendatur electio in hoc non facta per duas cardinalium tertias, antequam ad cæteras perveniatur actiones, incumbit cardinalibus, ſicut ante fecerant in ſcrutinio, facere denuo ſchedulas acceſſus ad dictas tabulas, quarum uſus erit hujusmodi. Qui voluerit appropinquare cuiquam eorum qui in ſcrutinio nominati fuerunt, ejus ſcribatur nomen: qui autem hoc facere noluerit, ne cognoſcatur, loco nominis ejus hanc ſcribat vocem, Nemini. Cavendum autem ne quis in acceſſu plures uno nominet, alioquin ſuffragium nullum erit. Neque permittimus cuique, ut in unoquoque ſcrutinio plus quam ſemel præſens ſit, neque ut ſchedula in ſcrutinium miſſa, retrocedens per acceſſum alium nominare poſſit.

Præterea volumus conſtituimusque, ut antequam ſchedulæ aut acceſſus vel ſcrutinia aperiantur per ſcrutatores, earum ſchedularum numerus ineatur, & ſi plures deprehenſæ fuerint quam cardinales in conclavi ſunt, per eosdem ſcrutatores celeriter omnes in ignem conjiciantur, cunctisque inſpectantibus exurantur: poſt denuo ad ſuffragia perveniatur. Quodſi quis huic noſtræ conſtitutioni aliquo modo auſus fuerit contravenire, ſive id fiat directe, ſive indirecte, is ſe ipſo facto ſententiam excommunicationis incurriſſe noverit.

Statuimus inſuper, ut ſi quis infirmitate corporis detentus ad ſcrutinium venire ipſe non poſſit, tres cardinales ſorte lecti eum inviſant, antequam in ſcrutinium calculi mittantur, & ultimus diaconorum teneat ciſtulam pertuſam, clauſam tamen ac vacuam priusque per ſcrutatores excuſſam luſtratamque, cujus clavis in arce poſita ibi maneat: tradatur inſuper ægro ſchedula impreſſa, ut præſtito juramento clam nomen futuri Pontificis inſcribat, chartulamque in ciſtam conjiciat: quæ relata per eosdem cardinales aperiatur, ſchedulaque in ſcrutinium mittatur.

Acceſſu & ſcrutinio finito, ſive ſequatur electio ſive non, eligantur ſorte tres alii cardinales, qui cognoſcant omnes ſchedulas, ita tamen, ut ſigillum cum duabus cæteris ſignaturis integrum, utque omnes ex ſchedulæ, ſive electio ſecuta ſit ſive non, e veſtigio crementur. Similiter etiam ne electio prorogetur aut differtatur longius, mandamus conſtituta excommunicationis pœna, ne ſcrutinium bis in die haberi poſſit, ſed ut perficiatur mane poſt legitimum miſſæ ſacrificium, poſtquam communicaverint cardinales vel poſt meridiem hora commoda poſt decantatum hymnum Veni creator, & recitatam orationem ad invocationem S. Spiritus. Quodſi compromiſſo ad electionem condixiſſe videantur, audito uſitato campanarum ſonu, omnes ac ſinguli cardinales compareant ad conclave, niſi forte quis ægritudine aut morbo impediatur, conſtituta ſecus facientibus pœna excommunicationis.

Mandamus inſuper atque imperamus, ut cardinales abſtineant ab omnibus in univerſum pactionibus, mutuis intelligentiis, ſocietatibus, obligationibus, promiſſis, minisque, ſignis ſuffragiorum aut ſchedularum, aut quibuscunque notis, apertis vel clandeſtinis, ſive fiat id nutu, aut voce, aut ſcripto, aut quacunque tandem ratione. Quodſi quid tale interveniat, ſi vel juramentum inter paciſcentes interceſſerit, eo tamen nemo obligetur. Quodſi qui contrarium facere auſi fuerint, ii jam de facto pro excommunicatis habeantur. Quo tamen edicto non prohibemus tractatus & conſiliorum communicationes legitimas, in negotio electionis; dummodo fiant conclavi firmato, & per ſchedularum ſuffragia duabus tertiis cardinalium in conclavi præſentibus, ut dictum eſt. Quodſi quis tam perfrictæ frontis fuerit, ut leges hasce noſtras ſive conſtitutiones temerario auſu violarit, is ſciat ſe promeriturum indignationem, Dei omnipotentis beatorumque ejus apoſtolorum, Petri & Pauli. Datum Romæ in palatio Sanct. Petri Anno incarnationis Dominicæ M. DC. XXI. Calendis Decembribus, anno noſtri pontificatus primo.

Sequuntur nomina

Cardinalium, qui juraverunt, promiſerunt, & ſignaverunt, cum ipſo ſummo Pontifice, in eas, quas recitavimus, conſtitutiones.

EGO GREGORIVS EPISCOPVS ECCLESIÆ CATHOLICÆ.

Antonius Cardinalis Saulius, Epiſcopus Oſtienſis, promitto, voveo, juro.

Franciſcus Maria Cardinalis de Monte, Epiſcopus Portuenſis, promitto, voveo, juro.

Franciſcus Cardinalis Sfortia, Epiſcopus Tuſculanus, promitto, voveo, juro.

Andreas Cardinalis Montaltus, Epiſcopus Albanus, promitto, voveo, juro.

Eduardus Cardinalis Farneſius, Epiſcopus Sabinorum, p. voveo, juro.

Octavius Cardinalis Bandinus, Epiſcopus Præneſtinus, promitto, voveo, juro.

Andreas Cardinalis Perettus, promitto, voveo & juro.

Benedictus Cardinalis Bevilaquenſis, promitto, v. j.

Franciſcus tituli S. Praxedis presbyter Cardinalis Surdius p. v. j.

Johan. Baptiſta tituli Sanctorum Marcellini & Petri, Cardinalis Detus, p. v. j.

Dominicus de Sanctis Apoſtolis presbyter Cardinalis principalis, p. v. j.

Carolus tituli S. Cæſarii presbyter Cardinalis Madrucius prom. v. j.

Ego

Ego tituli S. Chryſogoni, presbyter Cardinalis Burgheſius, p. v. j.

Ego tituli S. Onophrii presbyter Cardinalis Barbarinus protn. v. j.

Johannes Garſias tituli quatuor coronatorum, presbyter Cardinalis Millinus p. v. j.

Ego tituli SS. Cyri & Julitæ presbyter Cardinalis Landenſius p. v. j.

M. Angelus Tutius tituli S. Petri ad vincula, presbyter Cardinalis Nazarenus, p. v. j.

Ego tituli S. Auguſtini presbyter Cardinalis Veralius, p. v. j.

Johannes Baptiſta tit. ſanctæ Cæciliæ presbyter Cardinalis Lenius p. v. j.

Dominicus tit. S. Marcellini in Montanis presbyter Cardinalis Rivarolus p. v. j.

Ego tit. S. Mariæ de populo, presbyter Cardinalis Philonardus p. v. j.

Paulus tit. S. Nerei & Achillei presbyter Cardinalis Creſcentius p. v. j.

Caſpar tit. S. Crucis in Hieruſalem, presbyter Cardinalis Borgia p. v. j.

Robertus tit. S. Alexii presbyter Cardinalis Ubaldinus p. v. j.

Tiberius tit. S. Priſcæ presbyter Cardinalis Mutius p. v. j.

Gabriel tit. S. Pancratii presbyter Trejus p. v. j.

Petrus tit. S. Thomæ in Barjonæ presbyter Cardinalis Campora p. v. j.

Matthæus tit. S. Marcelli presbyter Cardinalis Priolus, p. v. j.

Ego S. presbyter Cardinalis S. Suſannæ, Bibliothecarius eccleſiæ Romanæ p. v. j.

Guido tituli S. Johannis ante portam latinam, presbyter Cardinalis Bentivolus p. v. j.

Petrus tit. S. Salvatoris in lauro presbyter Cardinalis Valerius p. v. j.

Fridericus presbyter Cardinalis, Comes de Zolleren p. v. j.

Cæſar tit. Sancti Petri in monte aureo, presbyter Cardinalis Gerardinus p. v. j.

Ego tit. S. Clementis presbyter Cardinalis Cremonenſis p. v. j.

Stephanus tit. S. Mariæ in via presbyter Cardinalis Pignatellus p. v. j.

Ludoviſius Cardinalis tit. S. Mariæ Cancellarius eccleſiæ Romanæ p. v. j.

Franciſcus tit. S. Matthiæ Merulanus presbyter Cardinalis Sacratus p. v. j.

Antonius tit. Euſebii presbyter Cardinalis Gozadianus p. v. j.

Alexander tit. S. Mariæ in via larga Diaconus Cardinalis Eſtenſis p. v. j.

Franciſcus de S. Angelo in foro piſcario Diaconus Cardinalis Boncompagninus p. v. j.

Hippolytus de S. Maria ad Nonam Diaconus Cardinalis Aldobrandinus p. v. j.

De ſacris cardinalium comitiis ſive de conclavi diſſertatio JO. FRANCISCI LOTTINI.

SUmmum Pontificem ſolo divino nutu creari eligique, tanquam oculatus teſtis profiteri & atteſtari queo. Licuit enim mihi haud ſemel ſacris cardinalium comitiis intereſſe, & magnæ illius tractationis aliqua pars fui, intimosque cardinalium ſenſus introſpexi; eos tamen plerumque contra ſuam ipſorum voluntatem eum, quem minime inſtituerant, Pontificem elegiſſe, animadverti, ſine ulla vi aut ratione; niſi quod tum cardinales velut extra ſe poſiti videntur, & dum alter alterum veretur, omnes, quo minime volunt, abeunt, neque tamen ſciunt, a quo trahantur vel ducantur. Memini quidem aliquem, quem reliqui capitali odio perſequebantur, Pontificem ab illis ipſis qui eum oderant factum eſſe; alium vero omnibus gratum & charum, cujus electio quaſi pro certa habebatur, relictum ac ſpretum: adeo ut Pontificiæ hujus electionis ſolus Deus ſit arbiter, qui vel ad punienda noſtra peccata malum & imprudentem; vel ad declarandam ſuam bonitatem, bonum ac ſapientem Pontificem Chriſtianorum rebus largitur.

Quum vero communis ſit opinio, civilem induſtriam & prudentiam ſuas hic quoque habere partes, quædam huc ſpectantia ex propriis obſervationibus in hunc veluti faſciculum congeſſi, ſine certo tamen ordine. Ut igitur hinc exordium faciam: conclave nihil aliud eſt, quam cardinalium eorumque ſequacium cœtus, qui omnes ut natione diverſi ſunt, ita moribus quoque & ingeniis diſcrepant. In hoc collegio ut inſignes virtutes, ita quoque magna vitia reperiuntur. Sed illud longe maximum ac peſſimum eſt, quod virtus, quos promovere ad pontificatum debebat, iis ſæpe obſtare deprehendatur: ſive aliorum invidia aut conſpiratione, vel privato quodam affectu, nulla habita publicæ utilitatis ratione. Quin etiam ſæpe fit, ut qui arctiſſima antea amicitia erant conjuncti, capitalibus fere odiis ſeſe mutuo perſequantur. Quare neceſſe eſt, ut qui pontificatum expetit, pectus bene adverſus omnes odii ac malevolentiæ aſſultus muniat, neque cum quoquam ob quamcunque injuriam etiam ab amiciſſimis in ſe profectam ſimultatem ſuſcipiendam ſibi patet. Neque vero animus propterea abjiciendus eſt, ſi res ab initio parum ſuccedere videatur. Eſt enim primus in conclavi impetus ſive congreſſus cardinalium acetrimus: quem ſi ſuſtinuerit, neque vel indignatione vel nimia feſtinatione ſpes ſuas corruperit, quamplurimos modos promovendi ſui deſiderii poterit comminiſci ac reperire. Quanti vero interſit ex communi cardinalium numero eum eligi Pontificem, qui ſupremo hoc faſtigio maxime dignus ſit, quivis facile intelligit. Quum enim præter ſupremum in rebus ſpiritualibus gradum, etiam temporalis partem dominii non exiguam Papa poſſideat, ejusque arbitrio & auctoritate Chriſtiani Principes in pace & Apoſtolicæ ſedis obedientia contineri debeant: hodie vero tantus ſit hæreticorum numerus, ut maximas ac florentisſimas orbis Chriſtiani provincias inundarint, præter eos, qui catholicam quidem profitentur religionem nihilominus tamen eccleſiaſticam jurisdictionem in præjudicium ſedis apoſtolicæ uſur-

uſurpant; ſed imprimis quum hæreditarius Chriſtiani nominis hoſtis Turca cum tantis copiis, claſſibus & apparatu militari Italiæ immineat; quis non videat tali Pontifice opus eſſe, qui morum ſanctitate, animi magnitudine, prudentia, & dexteritate tot tantisque incommodis tempeſtivum remedium afferre poſſit? Cum vero talem aliquem reperire difficile ſit, & quamvis repertum eundem ad pontificatum evehere longe ſit difficilius, breviter explicabo, qui & quibus modis, quantum ad humana media, creari Pontifices ſoleant. Qua in re cum privatæ hominum paſſiones & affectus magnam vim habeant; eæ vero variæ admodum ſint, & cæcæ, tanto magis veniam merebor, ſi in his nulla certa ac firma conſtituam fundamenta aut regulas, ex quibus tota res infallibiliter cognoſci queat.

Senectus ei, qui ad pontificatum adſpirat, ſine dubio magnum affert adjumentum. Per naturam enim ſenes diu vivere non poſſunt: quod non ii tantum, qui & ipſi honorem hunc ambiunt, ſed omnes etiam fere cardinales in eligendo Pontifice ſpectare ſolent, ſiquidem novi Pontificis creatio ſemper eis aliquid affert emolumenti. Nec vero ſenem eſſe ſatis eſt, ſed multæ aliæ virtutes requiruntur, ac primo probitas; cujus amor nec naturæ pravitate nec educationis vitio in hominum animis ita obliterari atque extingui poteſt, quin aliquod ejus ſtudium ac deſiderium remaneat: unde fit, ut boni ab improbis etiam honorentur ac magnificant. Cum vero plures ſint probitatis ſive virtutis partes, eæ Pontifici futuro magis neceſſariæ exiſtimantur, quæ aliorum ſerviunt utilitatibus & commodis: ut ſunt beneficentia, comitas ſive affabilitas, juſtitia & ſimiles. Parſimonia enim, temperantia, continentia, & aliæ, quibus homo ſe ipſum regit, laude quidem digniſſimæ ſunt virtutes, ac multo magis in Principe eæ deſiderantur, quia magnitudo ejus aliis quaſi communicatur. Quoniam autem jam dictæ virtutes homini vel a natura inſitæ ſunt, ut altiſſimas in animo radices egiſſe & in alteram naturam quaſi tranſiiſſe videantur; vel ab ipſis hominibus ad tempus modo ſimulantur, quo id, quod volunt, facilius conſequantur: optandum equidem fuerit, ut ſi non omnes illæ virtutes, beneficentia ſaltem & comitas Pontifici naturales ſint, non fictæ aut aſſumtæ. Quum enim intimi hominum ſenſus difficillime cognoſci poſſint, fucus ſæpe tanto artificio eſt obtectus, ut vera etiam ſagacibus alioqui virtus videatur. Et ſimulatum quidem nihil eſt diuturnum: at naturam expellas furca, tamen usque recurret. Ut vero naturam hominis atque ingenium pernoſcamus, actiones ejus obſervare neceſſe eſt. Exempli gratia: ſi ſcire velimus, an liberalis quis ſit, obſervabimus an & quibus donaverit, utrum iis, a quibus rurſus beneficium expectavit: quod ſi hoc, fœneratio illa magis, quam liberalitas cenſenda eſt. Cognatorum quoque & amicorum futuri Pontificis habenda eſt ratio, qui plerumque liberalitatis Pontificiæ curſum vel ſiſtunt, vel ad ſe derivant. Equidem novi, qui hanc unam ob cauſam eum, cui cæteroqui optime favebant, ſuffragiis ſuis deſtituerint.

Sed non ſolum, qualis is jam ſit, qui in Pontificem eligendus eſt, ſed etiam, qualis poſt futurus ſit, conſiderandum eſt. Quam primum enim quis pontificatum adipiſcitur, ſtatim ad aliorum Principum mores accommodare ſe, ſuaque ſtudia & actiones unice ad reipublicæ utilitatem dirigere oportet. Verum quidem unumquemque hic diverſam ingredi viam, pro ſuo quemque ingenio & natura: ad retinendum tamen Pontificis favorem nullum eſt vinculum efficacius, quam ſua ipſorum cognatio, nec ulla offenſa tanta, quam non imperii ac reipublicæ obliteret reſpectus. Itaque ſpe ſua plerique omnes fruſtrantur cardinales, qui exiſtimant, amorem, quo is, qui Pontifex factus eſt, antea ipſos complexus fuerat, plus apud ipſum valiturum, quam propriæ aut ſuorum utilitatis reſpectum. Quo circa iidem eo laborant, ut eum faciant Pontificem, in quo duo hæc utilitas & amor concurrant. At ſi alterutrum ommittendum ſit, præcipua utilitatis ratio habenda eſt, quæ ipſa amorem facile conciliat.

Huc illud quoque pertinet, ut eos, qui ingenio & moribus nobis ſimiles ſunt, ſuffragiis noſtris juvemus. Vix enim quidquam ad benevolentiam conciliandam aptius eſt, quam ſtudiorum & morum ſimilitudo. Quodſi cardinalis quispiam longe alia ſtudia ſectetur quam Pontifex, vix eſt, ut conſuetudine ejus & amicitia diu uti poſſit, niſi naturam ac vitæ inſtituta jam inveterata mutare velit: quod duriſſimum eſt, & quaſi impoſſibile. Sed hanc morum ac vitæ diſſimilitudinem perſpicere non minus difficile, quam raræ prudentiæ eſt opus.

Quamvis autem eorum, quos ad pontificatum evectum iri, opinio eſt, inclinationes, ſtudia, & affectus conſiderandi ſunt, non a cardinalibus tantum, ſed a Regibus etiam & Principibus, qui omnes uni magis favent quam alteri, non tamen amori tantum tribuendum eſt, ut publica utilitas ſeponatur: ſed opera danda, ut amor utilitatem ſequatur, non vero utilitas (publica inprimis) amoris cauſa negligatur. Et hanc quidem diligentiam ipſi cardinales, qui Principum alicui vel obligati ſunt, vel propinquitate conjuncti, adhibere debent, ut ſi rebus ipſorum conducat pontificem habere mitem & humilis proſapiæ, talem, cujuscunque ſit factionis, vel a quocunque is propoſitus ſit & commendatus, acceptent. Idem faciant, ſi magnanimum aliquem & novandis rebus oportunum Pontificem res ipſorum deſiderent: neque dubitent, quin cum quocumque alio Principe diverſæ factionis ſe conjunxerint, poſtquam quis factus ſit Papa, is ſtatim ad eum, quem rebus ſuis maxime arbitratur oportunum, ſeſe ſit applicaturus. Ac propterea fuerunt nonnulli, qui aliquibus ſuffragari noluerunt, eo tantum, quod ab adverſariis fuiſſent propoſiti: atque ita paſſionibus ſuis indulgere, quam commodi alicujus, quod ipſi conſequi non poterant, cauſa æmulis gratificari maluerunt.

Tam certum quam verum eſt, recens factorum Pontificum amicitias imprimis eſſe utiles. Tunc enim maxime liberalitatis fontes ii recludunt. At illud quoque perpendendum eſt, eis, quæ initio quis acceperit, beneficiis damna quoque & incommoda ſæpe annexa eſſe.

Qui vero aliquid in ſe ipſis deprehendunt, quod ad pontificatum conſequendum adjumento ipſis

ipſis eſſe poſſit, operam dare debent, ut id augeatur potius, quam minuatur: itaque ſemper vitam omneſque ſuas actiones inſtituant, ac ſi omnium oculi in ipſos ſint defixi, & ex quovis vel minimo facto de voluntate ipſorum homines facturi ſint judicium. Solent enim, qui opinione ſua fruſtratos ſe vident, amorem in odium erga eos, a quibus decepti ſunt, mutare.

Novitii cardinales, ut primo ſtatim conclavi in Pontifices eligantur, ſingularis virtutis excellentia, aut inſigni amicorum numero muniti atque inſtructi ſint, neceſſe eſt. Eſt enim novitas illa tam odioſa, ut non tantum veteres, ſed etiam e novis multos adverſarios habeat & iniquos.

In Pontifice quidem eligendo aliis ſtudiis Principes & prælati eccleſiaſtici, aliis ſeculares ducuntur. Hi quidem quantumvis catholicæ religionis ſint ſtudioſiſſimi, magis tamen propriæ utilitatis reſpectu moventur. Idcirco Pontificem plerique malunt, qui animo timido ſit & ſollicito, quam promto & vehementi; ut bonis eccleſiaſticis, quæ in ipſorum ſunt ditionibus, tanto liberius uti frui poſſint. Quodſi vel Rex Franciæ vel alius quis Princeps Pontificem deſiderent, qui animo magno ſit & elato, non equidem ideo faciunt, quod ſedis apoſtolicæ dignitatem auctam cupiant, ſed ut eorum conſiliis ad res in Italia novandas utantur. Hiſpaniarum quidem Rex, aliique Principes, qui ditiones ſuas pacifice poſſident, Italiæ quieti unice ſtudent; ac propterea iis, qui illuſtri proſapia magniſque opibus ſubnixi inquieto ſunt animo, minus favent: quod idem ſine dubio Rex Franciæ, ſi tantum terrarum in Italia poſſideret, facturus eſſet. Quoniam vero quietis in Italia conſervandæ præcipuum momentum in tali Papa eſt poſitum, qui humilis ſit conditionis, ac nullis factionibus addictus: ſolent iidem omnium hujus farinæ cardinalium favorem, quibus poſſunt officiis, ſibi conciliare, eoſque obnoxios ſibi facere.

Et quamvis plerique omnes honeſtis ſint orti natalibus, minor tamen eſt numerus eorum, qui e potentibus ac illuſtriſſimis familiis genus ducunt. Tametſi autem hi præ cæteris multa pontificatus conſequendi habeant adjumenta; ſæpe tamen ſpe ſua & votis excedere eos videmus. Id inde fit, quod cum variis officiis, quorum ob divitias & auctoritatem ampliſſima ipſis ſuppetit materia, reliquorum ſibi ſtudia adjungere facile poſſent, exiſtimant tamen, quemadmodum in via communi propter generis ſplendorem omnes illis libenter cedunt, ita huc quoque, & maximum in terris munus ſuæ autoritati & præeminentiæ deberi. Interim vero ipſi quoque in varias ſcinduntur factiones, neque illud cogitant, id maxime tempus a cardinalibus humilioris conditionis expectari ac captari, ad ulciſcendas potentiorum injurias, & in excludendis illis miro quodam modo hos ſatagere. Sic enim exiſtimant, quum antea tam inſolentes eos ac parum gratos & beneficos experti ſint, multo eoſdem ad ſummum faſtigium evectos inſolentiores ac iniquiores futuros, facultateſque ad quemvis alium potius uſum quam ad tenuiorum cardinalium, quorum opera jam non amplius egent, neceſſitates ſublevandas collaturos. Sed & hoc idem tanto minus facturos eos credibile eſt, quod apoſtolicæ ſedis opes non adeo magnæ ſunt, ut ſumtibus in rempublicam faciendis multum ſuperſit. Quocirca erga cardinales ejuſmodi merito illud uſurpari poteſt, quod Maherbal Annibalem dixiſſe fertur: non omnia uni a Deo data eſſe, ſiquidem cum his favoris & opum abunde ſit, iis tamen uti neſciunt. Idque tanto minus in ipſis ferendum eſt, quanto ſi recte uterentur iis, non ſolum bonam Chriſtianæ reipublicæ operam navare, verum etiam reliquorum Regum ac Principum ſtudia & conatus in eligendo Pontifice facilius eludere ac impedire poſſent, reliquorum cardinalium animis, ex collatis prius in ſe beneficiis, in majoris libertatis ſpem erectis.

Qui non ante viam ſibi ad pontificatum ſternunt, ſed usque dum ſedes vacat expectandum ſibi putant, vehementer errant, ac ſpe ſua ut plurimum fruſtrantur. Tum enim amicos habere, non jam demum facere oportet: omneſque magis grati pro acceptis beneficiis animi declarandi deſiderio, quam incerta remunerationis ſpe ducuntur. Quid quod illa ipſa officia, quæ tunc conferuntur, cum eorum remunerandorum tempus jam propinquum ſit, & parum grata ſint, & vix bona conſcientia acceptari poſſint? Neceſſe ergo eſt, ut eorum maxime, qui præ cæteris magno ſunt animo, & quorum magna apud reliquos cardinales auctoritas, animi prius diſponantur, & benevolentia & favore nobis devinciantur. Cujus quidem rei conſequendæ nunquam deeſt occaſio, modo quis ea uti velit. Et hic quidem ſæpe ſola gratificandi voluntas, quam ipſum beneficium, gratior eſt & acceptior, & benevolentiam interdum majorem acceptum conciliat beneficium quam præſtitum, apud potentiores præſertim; quibus illud ſatis eſt, ſi ſentiant ſe amari & magni fieri, & futuri officii ſpe beneficium a ſe requiri gaudent. Ratione vero caret illorum excuſatio, qui dicunt, a tali ambitione ſe abſtinere, ne viventem offendant Pontificem: neque enim illud poteſt diſplicere Pontifici, ut de amicis quis bene mereri ſtudeat. Imo vero id unumquemque decet, & amici hiſce modis quæſiti ii ſunt, qui in conclavi procurant pro candidatis: cum præſertim minime conveniat, eum, qui ambit papatum, de ſeipſo ea prædicare, quæ cæteros ad illum eligendum movere queunt.

Idem faciendum eſt cunctis Principibus, qui amicos in conclavi habere volunt: qui immerito alioqui conquerentur, dolebuntque eam ſui rationem habitam non fuiſſe, quam magnitudo ſua poſtulare videbatur. Quod tanto magis ipſorum anget culpam, quia præcipua eccleſiæ membra, quæ ſunt cardinales, beneficiis ſuis non cohoneſtantes, merito ingrati animi arguuntur, cum ab eadem eccleſia facultatem redituum eccleſiaſticorum diſpenſandorum impetraverint. Neque vero adverſatur, quod nonnulli aſſerunt, provincialia beneficia & ſacerdotia in eos conferenda, qui ſunt ejuſdem provinciæ: nam hæc lex potius ob utilitatem provincialium principumque ſancita eſt, quam propter zelum religionis: nam æquum eſt, ut qui ipſis provinciis præſunt, quales ſunt cardinales, ſaltem per modum penſionis ejuſdem commodis pefruantur, adeo ut ſi Principes aliquando videntur amicis carere, id ipſis ſit imputandum. An vero amicis indigeant, ipſi bene norunt, cum ex-

experimentis plurimis non ignorent, quantum beneficio aut detrimento eorum Pontifex male vel bene erga eosdem animatus efficere poſſit. Si vero dicant Pontificem nobis conciliabimus poſt ipſius creationem, fallitur ſæpe hoc axioma præterquam quod longe utilius eſt providiſſe, & hujusmodi incommodo occurriſſe. Vias diverſas ad papatum habent candidati: alii enim horum propius, alii longius a pontificia dignitate abſunt. Hos illis, præſertim factionum principibus, ſervitium & operam ſaltem oſtentare oportet: nam hoc caſu non modo ipſorum gratiam lucrabuntur, ſed eorum etiam qui propoſiti fuerunt: qui profecto, ubi ſe a papatu excluſos viderint, libentius illis favebunt, quos ſibi fautores experti fuerunt. Verum illi qui magnam alunt ſpem, ii non facile adduci debere videntur, ut prompte adjuvent alios ad pontificatum, ideoque amicis ſuis inſervire difficilius queunt. Sed ex alia parte inofficioſi eſſe non debent, nam uno eodemque tempore, & eos, qui propoſiti ſunt, & eos qui proponunt, a ſe abalienarent.

Ad hanc difficultatem accedit alia, quod cum in principio conclavis pleræque fiant excluſiones, rogabuntur forte, ut iisdem oppugnationibus ſive excluſionibus aggregent ſeſe: quam rem ſi fecerint, certi ſint, eum quem excluſerunt (ſi modo humani ſenſus aliquid habuerit) numquam erga eos bene affectum eſſe poſſe: ſi vero non fecerint, capita principesque excluſionum abalienant. Et hæ difficultates adeo difficulter explicari poſſunt, ut non modo bonum in iis judicium, ſed bona etiam fortuna requiratur. Judicium illud adhibendum eſt, ut quoad fieri poteſt, mentem diſſimules: quodſi tamen cogaris tua ſtudia declarare, ad favorem Principum in conclavi potentiorum te inclines.

Verum profecto ii candidati, qui ob egregias dotes papatum merentur, a principibus factionum tali circumſpectione atque judicio tractandi eſſent, ut ne in difficultates inciderent, deberentque iidem principes omnem malevolentiæ cauſam ab iis amovere, ſibique potius eam attribuere, & ambitum eo pacto inſtituere, ut candidati poſſent ſua ſuffragia cæteris papatu dignis concedere absque læſione Principum; niſi tamen obſtaret juſta aliqua ratio vel ob gratificandum Principibus quibus manifeſte devincerentur, vel propter privatas alias cauſas, quibus legitime ſe excuſare poſſent; deberent & perſuadere cum negant, ex ipſis repulſam non provenire, ſed ex neceſſitate, quæ illos cogat invitos.

Etſi autem qui eligi cupiunt non ideo per ſe ambire oportet: debent nihilominus gratis modis eos ſuſcipere, qui colloquii cauſa ad ipſos accedunt, & quandam modeſtiam præ ſe ferentes, quæcunque de pontificatu evenient, alienæ humanitati, non ſuis meritis attributuros ſe profiteri. Oſtendant præterea. quodcunque auxilium maximi fore momenti, ſibique chariſſimum. Etenim omnis homo natura hominem juvare deſiderat, illudque adjumentum, quod præſtiterit, ſibi cupit aliquam patere grati ſignificationem animi ab eo, in cujus utilitatem procuratum eſt. Idcirco dies atque noctes ad alloquia promtiſſimos, ſemperque januis apertis eſſe oportet, imo aperto etiam vultu ac fronte, præbendaque benignitatis & officii eximia expectatio. Ejus vero, quocum ſermo habetur, natura ac vota exploranda ſunt, eidemque magnæ inſinuandæ ſpes ad ejus deſideria promovenda: nam qui ſpe lactantur, multo vitioſiores eſſe ſolent cæteris, multoque diligentiores. Hæc verborum humanitas incredibile eſt quantum prodeſſe ſoleat: neque defuerunt plerique eorum, qui eam aut negligentes aut neſcientes occaſiones non amplius rediturasamiſerunt.

Qui ambitum dirigere debent, eos oportet præteritorum conclavium exactam habere notitiam, & re ipſa perſpexiſſe præcipuas cauſas unde quis repulſus fuerit a papatu, aut ad eum ſublatus. Proinde non ignorent tempora diſtinguere ac dijudicare in quo ſtatu olim, & in quo præſenti tempore ſeſe res habeant: noſcant mores, ac præcipua non modo cardinalium omnium ſed etiam eorum, qui ipſis famulantur, ſtudia ac deſideria; ſcrutentur amicitias, quas viciſſim habent & qua de cauſa: & quousque favor exterorum Principum, eorumve, qui Principes in conclavi referunt, iis profuturus aut præſto futurus ſit. Præter hanc notitiam oportet eos ad negotium aptos, & ad explicanda animi ſenſa efficaces eſſe, ut ea perſuadere queant. Sæpe enim accidit aliquem perſpicacem in rebus intelligendis, at in iis eloquendis rudem eſſe: quod perinde eſt ac ſi non intelligerent. Sed & neceſſe eſt eos audaces eſſe: non quædam nonnunquam contingunt, in quibus ille ſuperior evadit qui contra audentior iverit. Et quamvis hujusmodi audacia naturæ debeatur; tamen oportet eam ab egregio aliquo ſtemmate deſtitutam non eſſe, vel a factione aſſeclarum numeroſa, vel ab excellente virtute: nam quicunque absque aliquo harum rerum ſubſidio audentior eſſe vellet, is profecto deluderetur potius, & rem turbaret, quam audiretur, remve emendaret. Sed ante omnia convenit, ut temporum momenta cognoſcant, & oportune capere non ignorent. Denique nullum fere utilius documentum in conclavi afferri poteſt, quam ut capita principesque factionum nunquam non attendant, & negotio invigilent: nam ſi diu duraturum eſt varias induit formas eorumque ſagacitas atque induſtria multas inde utilitates colligere poteſt. Neque vero admirentur, quod ne ſemper principum & capitum mentio interſeratur, neque peculiares cuilibet cardinali regulæ adſcribantur, cum præſertim dici ſoleat, quemlibet cardinalem in conclavi tantumdem poſſe: nam eo tempore cum unusquisque cognoſcat ſe unum parum proficere poſſe, neceſſario adhæret alteri, ſicque diverſis de cauſis & reſpectibus diverſas ineunt amicitias. Quodſi verbi gratia, boni ſunt & reipublicæ ſtudioſi, cum ſimilibus conjungentur: ſi utilitatis alicujus gratia ducuntur cum iis qui eodem reſpiciunt congregantur, & conſpirant, ideoque cum dicitur cum tot capitibus & ſententiis agendum eſſe, non verum: nam ſtatim atque aliquis ambit, ſemper ab eo regitur, qui illius ambitus promotor eſſe poteſt, cum inter multos oporteat aliquem aut auctoritate aut prudentia cæteris præcellere: quibus rationibus caput & princeps ille fere ſemper ſuas ipſius utilitates reſpicit promovetque.

Nunquam ſatis admonetur, quod nunquam non animadvertendum eſt, & raro animadvertitur: hoc autem eſt: in conclavi omnium habendam rationem, & quemlibet timendum eſſe, & efficiendum, ut ambitus ita a principio ad finem ordinentur, ne invitis principibus factionum Pontifex creari poſſit. Hinc ſiquidem dignoſcitur, quantum iſta præmeditatio atque ordo proſit, quia in principio capita cum ſequacibus ſuis conjuncta poſſunt celebriores ac meliores candidatos excludere, quales ſunt, qui futuri Pontifices populari voce acclamantur. Quod cum ita ſe habeat, tanto credibilius eſt, eodem ordine a conſpiratione minores candidatos excludi poſſe, & a pontificatu quem plerumque conſequuntur arceri: & nihilominus vel quia unde non valde timetur ibi minor cura collocatur, vel quia homines perpetuo vigilare & omnibus horis bene proſpicere nequeunt, ſemper imparati vel coguntur canditatum propoſitum, quem nollent, minoris dedecoris ergo, approbare, vel cum periculo ſubitam excluſionem machinari. Ut in bello, ita hic quoque peccare bis vix licet. Cumque adverſarius præparatus & urgens atque inſtans habeatur, & qui errores alienos in victoriam ſui convertere feſtinat, hinc fit, ut parvi errores in conclavi commiſſi graviſſimi evadant, minimæque voluntatum ſive propitiæ ſint ſive adverſæ, mutationes maximos pariant effectus: quippe valent Papatum donare, aut auferre: & ratio eſt, quia amici ſtatim juvari, inimici vero ſtatim offendi poſſunt; & amicorum propenſiones incitantur a plerisque adeo, ut partim ex affectu ſuo, partim ex aliorum perſuaſione eo temporis momento nihil aliud perſpiciant, niſi quod ſibi ſuggeritur a timore, vel obſtinatione ſeu ambitione, aut deſiderio vindictæ ſive quocunque illorum affectuum, qui omnes hominum cogitationis brevis horæ ſpatio invertunt. Dumque affectus ille urget adeſtque, etſi rerum futurarum ſtatus ob oculos verſatur, ſtatim cogitant, quod communiter ſimilibus in rebus cogitatur, hoc eſt, magnitudinem beneficii quo electus in Pontificem afficitur, poſſe damnis quibuscunque occurrere, quam ratio in contrarium adduxerit. Idcirco aperte cernimus, quotiescunque conſilium capitur, vel nimium feſtinando, vel nimio affectu, ſemper in errorem incidi: nam feſtinatio tempus eripit ea conquirendi, quæ ante concluſionem rei conſideranda fuerant; affectus autem adeo impedit occupatque animum ut nihil ſinat cognoſcere niſi quod eo momento angit & urget. Verum ad hæc duo aliæ res non minoris momenti accedunt: etenim inveniuntur nonnulli qui etiamſi ab affectibus immunes exiſtunt, ſatisque temporis habent ad res examinandas: nihilominus propter quandam animi inconſtantiam atque torpedinem, vel propter continuam negligentiam, quam in rebus ſuis adhibere conſueverunt, nihil unquam boni efficere poſſe videntur. Atque quidem hæc quatuor hominum genera, ſi conquerantur, quod negotia votis ſuis minime reſpondeant, ſumma injuria conqueruntur: oportebat enim ab ſe nihil eorum, quæ facienda erant, prætermitti; deinde ſi ex animi ſententia res non ſucceſſiſſet, tum juſtius conquererentur. Verum nunquam admiratione dignum eſt, ſi quis vel incogitanter, vel ſtolido quodammodo, vel affectu aliquo obcæcatus, vel nimia feſtinatione aliquid aggreſſus fuerit, quod negotium illum exitum minus proſperum ſortiatur: imo inter miracula collocandum erit, ſi bene ſucceſſerit, & ſucceſſus ille ex miſeratione divina magis quam humanis meritis manaviſſe putandus eſt.

Inter capita principesque conclavis quidam aliquando ſunt, qui etſi virtute, quæ ipſos deceret, deſtituuntur, tamen aliorum duces exiſtunt propter auctoritatem. Quod ideo fit, vel quia nepotes ſunt præteriti Pontificis, atque ideo multos habent addictos ſibi cardinales, vel quia Italorum principum, quorum plerique ſummam rationem habent, miniſtri exiſtunt. Hujusmodi homines ſi virtute deſtituti ſint, & ſe deſtitutos eſſe animadvertant, ab iis, quos inter ſuos ſapientiores cognoſcunt, conſilium mutuo accipiunt: at ſi ſufficientes ſeſe putaverint, neque tamen fuerint, ut plurimum errare conſpiciuntur, neque eos quidquam juvat moneri a quopiam ſive doceri. Quotiescunque ſimiliter dicta capita authoritate polleant ſed nihilominus velint pontificatum ſibi vindicacare, in magnas ſeſe implicant difficultates: nam tantæ magnitudinis cupiditas omnem ſuperat cupiditatem: proinde nunquam videntur eos libenter audire, qui diverſas a conſiliis ſuis conditiones proponunt, exceptis iis, a quibus opem aliquam ſperant. In quo deſiderio magis ac magis immorantur, quia cæteri ad pontificatum adſpirantes qui diverſæ ſunt factionis, ut eorum ſtudia lucrifaciant, ſua ipſis auferunt ſuffragia: quæ nihilominus plerique actu ipſo denegarent, ſi ea ambienti profutura ſuſpicarentur, veruntamen ejus interim ſpem lactant, neque ſinunt alio mentem convertere.

Pontificatum cupere & ambire bonum eſt, ſimiliterque dare operam, ut conclave differatur parumper usque quo res ſuæ componantur, bene eſt: Sed exploratis voluntatibus eorum, qui fautores ſeſe profitebantur, non debet princeps pertinaciter ſuam opinionem defendere, eosque audire, qui propter eandem ambitionem conclavis diuturnitatem deſiderant. Nam propter hujusmodi pertinaciam illuc devenit, ut Pontifex absque eorum conſenſu declaretur, vel ut impetu multorum oppreſſus ſubitæ conſentiat atque inconſideratæ Pontificis electioni. Qui quidem Pontifex putaturus eſt, ſe ſelectum fuiſſe non ob probitatis opinionem, ſed ex opportunitate quadam ac neceſſitate eligentibus non evitabili. Profitebantur quidem omnes ejusdem bonitatis gratia ad eum eligendum conſenſiſſe, eoque prætextu timorem honeſtabunt, itidem adverſarii eodem prætextu intimam animi moleſtiam obtegent, & utraque pars ſe conſcientiæ ſuæ ſatisfeciſſe prædicabit: ſed cardinalis ille, qui ex ſuis controverſiis emerſit Pontifex, rem totam optime percipiet, & pro tanto beneficio civilem ſolummodo obligationem quandam debebit: neque ideo illos tanquam bonos & reipubl. amantes exiſtimabit, ſed pro re comperta habebit, ſi malitia conatus eorum adjuvari potuiſſet, ipſius etiam nedum ſolius virtutis, ope uſuros fuiſſe.

In ambitu agendo duabus oportet inſignitos eſſe conditionibus, altera in ſuffragiis diſponendis,

dis, altera poſtquam diſpoſita ſunt in iis ordinandis ad peragendam electionem. Plerique in prima conditione præpolluerunt, in altera nihil efficientes. Oportet principes & capita partium pluribus adminiſtris uti: Sciantque ſi onera & officia diſtincta habuerint & ad totius negotii ſalutem fore: & caput, ſive principem illum, qui vel ob ambitionem, vel propter parvam intelligentiam ex ſe ipſo omnia facere, vel ſuis aſſeclis artificioſe uti vult, ſemper futurum cauſam confuſionis, ſimiliterque in conclavi omnes vereri debet. Neque minor cura collocanda eſt in minoribus hominibus ordinandis, quam quæ in maioribus adhibenda ſit; quinimo caput factionis ita præparare ſe debet, ut cum adverſarii Papam aliquem creare voluerint ex illis quos probat, cum creare nequeant, niſi ipſe creationem foverit, ne deriſui habeatur, eique neceſſe ſit cum multitudine accurrere omnium rerum ignarus. Etenim exploratum eſt, quoties cardinales incogitato coguntur alicui electione conſentire, electum etſi olim amiciſſimum, nihil ei debere.

In conclavi non poſſunt ea conſilia, quæ extra conclave cœpta ſunt, conſtanter retineri: nam res novæ cogunt hominem eo pacto ſe defendere quo laceſcitur, & adverſarium ab ea parte ferire qua intectum atque inermem ſe oſtendit: idcirco illic plura conſilia modoſque plures agendi habere oportet, & ante omnia perpendendum eſt, an difficultas exequendi ſua optata naſcatur ex ſuo errore, an ex adverſariorum potentia. Si ex errore & inexperientia ſua proficiſcitur & corrigi poteſt, corrigatur; verum ſi ex adverſariorum opera manaverit, iique bene rem geſſerint, tunc opinio mutanda & minus malum eligendum eſt. Quod ſemper conſequetur ſi modo cuncta provideantur, & rei ſtatus conſideretur & æquitati congruæ conditiones minime revelantur. Quæ conditiones ab aliis factionum principibus dubio procul ſemper accipientur, antequam certam conceperint ſpem creandi Pontificis, quem præ omnibus ipſimet exoptant, ut effugiant periculum, quod conclavis ambiguitas ſecum affert: ubi quotieſcunque mediocre aliquid hodie obtineri poſſit, non eſt procraſtinandum, ut melioribus potiamur, quia nullus uſquam locus atque ille inſolitis & incogitatis rebus æque variatur.

Primum capitibus factionum curandum eſt, ut ſecuram in manibus habeant excluſionem illorum qui extra eorum factionem papatum ambiunt. Quod ſi inter ſuos illam excluſionem non habuerint, quærenda erit inter alios. Etenim multos invenient, qui contra aliquem conſpirabunt, vel qui nolentes tam facile pontificatus ſpem deſerere in omni excluſione diu inſervient. Imo hoc ſtudium quærendæ excluſionis aliquando in cauſa eſt, ut qui antea adverſabuntur, ſimul verſando amici fiant, unde exoritur Pontificis electio, adeoque amicantur invicem cum iis, a quibus opem acceperunt, ut ſi forte caſus ita ferat, per inconſultam beneficentiam ille fiat Papa, de quo nunquam antea cogitatum fuerat. Verum quia excluduntur aut inimici aut amici, ne ſcilicet ob jus imperii aut aliam ob cauſam amicitia in inimicitiam convertatur, primæ excluſiones palam tractantur, aliæ maxime cautæ eſſe debent, ne ſua ſponte ſed ex accidenti aut ob difficultatem factæ eſſe videantur: Cumque celari affectus non poteſt, & periculum prope adeſſe cognoſcitur, ne amici abalienentur, decet prætermittere excluſionem, & electionem divertere eligendo aliquem factionis contrariæ, qui eodem damno te afficere nequeat, quo alter ille amicus potuiſſet. Eæ ſunt potiſſimæ excluſiones: nam quæ fit procraſtinando & prævidendo, ut nihil incogitatum accidat, ea ſuſpenſio potius quam excluſio dicitur; quemadmodum ea quæ unius cauſa fit, pertinacia eſt, quæ frequenter cum damno pertinacis infringitur. Excluſio, quæ fit propter reipubl. reſpectum, quia excepto uno aut altero non tollitur, quin Papa ſingulis momentis creari poſſit.

Quælibet factio habet ambientes papatum: quos princeps factionum in eo affectu nutrire debet, nam ſi eos inhabiles declaret, videretur illos contemnere, & contemtus audaciam gignit, unde res novas atque periculoſas tentant: quod ſi audaciæ addatur authoritas vel ſingularis aliqua utilitas, maximas turbas ciet. Ideo capita faveant ſuis & deſiderium ipſis inſerviendi oſtentent, efficiantque ut per alios vel per negotium ipſum illis contradicatur: nam qui etiam jure contradicit alicui, is contradictione animum alterius nunquam non lædit.

Verum ex adverſo ambientes papatum etiamſi a capitibus ſuis aperte recuſentur, non ideo debent iis iraſci & inimicitias indicere, etſi qui ambiunt illuſtris ſanguinis eſſent, & dubitarent num ipſi Reges, quibus ſeſe ſubdiderunt, cauſæ ſint eorum excluſionis, imo non intelligere ſimulent; & Regis voluntatem cardinalibus abſcondant, neque Regibus addicti ſunt difficiliores ad ipſos promovendos efficiantur. Quamobrem conſultius eſt, ſive illuſtris ſit ſanguinis, ſive non, ut ſimulet ea ſe credere, quæ minus credit; nam hoc modo qui contradicturi ſunt lentius id agunt, & amici poterunt facilius adjuvare adeo ut nunquam expediat ſe ablienare ab iis qui nobis contradixere, tametſi alium eligerunt; etenim iterum favere poterunt, præſertim quia quo ſenior quis eſt eo pontificatui aptior. Quodſi nihil aliud contingeret id ſaltim lucrifacit, quia mitem animum neque injuriarum memorem præ ſe fert. Quæ res omnes decet, qui religionem & mores bonos profitentur. Verum quia forte hæc faſtidium pariunt, & ad ea quæ in ipſo conclavi agenda ſunt reverti placet, dico, papabiles eo minus iraſci debere, quo majores ſunt occaſiones quibus mutantur voluntates hominum: proinde fit ſæpenumero, ut qui infenſo animo recuſabatur, is paulo poſt, vel deterioris formidine, vel alterius lædendi cauſa promoveatur: & in conclavi minima offenſio vel gratificatio movent, quam ſumma antehac beneficia ſive injuriæ. Adeo ducuntur homines magis ſenſu præſentium rerum, quam præteritarum memoria ac futurarum providentia. Quocirca attentum ac vigilantem eſſe oportet, ut occaſiones benefaciendi capiantur: quia per modicam moram perduntur, neque unquam reverſuræ ſunt. Affectiones autem ſingulorum illic ſcire non eſt difficile quia unuſquiſque libenter amicorum merita aut defectus enarrat, & vires adverſariorum exa-

minat. Modo adſit audiendi patientia, quæ quidem rerum agendarum fundamentum eſt: nam quicunque magis diſſerere cupit quam audire, is magis docet quam diſcit.

Capita factionum oportet ſuffragatores multos habere, nec non miniſtros qui eorum voluntatem exequantur, ſingulis fere cura peculiaris demandetur, ut & obſideant cardinales qui authoritatem habent aut confidentiam, quosve magis norint, ut facilius eos ad timorem aut ad ſpem allicere eisque perſuadere poſſint: nam quemadmodum non omnes cardinales cum quolibet cardinale conveniunt, ita variandæ ſunt rationes. Ideoque ſummo judicio authoritas & induſtria adhibenda eſt, ut contrariæ factionis conſilia explorentur, quem cardinalem cogitet promovere, quibus ſuffragiis, quæ ſit ſuffragantium firmitudo, quæ cauſa favendi: invenienturque nonnulli, qui nihil fautorum habere putabantur, & re ipſa plurimos habent, & alii plurimum authoritatis habere videntur, qui nihil poſſunt. Sunt deinde ſui diſtribuendi, ut ſinguli ſuum munus exequi ſciant, & ubi jubetur convenire poſſint: nam quotiescunque aliquem propoſitum intelligent quem ipſi nolint, ſtatim remedium reperietur, quo is repulſam patiatur. Ad quæ ſuis amicis utendum eſt; nam fides fidem parit, & unusquisque gaudet capiti ſuo utilis eſſe, & aliquid cum honore ſuo alicubi elaboraviſſe. Sed rerum ſumma iis tantum committenda eſt, qui dotibus prædictis inſigniuntur. Amici non minori diligentia detinendi ſunt & officioſe tractandi, quam alieni ſibi conciliandi: ideoque ſingulorum neceſſitates atque cupiditates explorandæ, eosque ita principes illectent, ut aliunde ſpes eorum non dependeant, quam a capite ſuo: ſæpiusque cum iis diſſerendum, & reddenda ratio eorum quæ ad adverſarios pertinet. Nam de intimis ſuis cogitationibus cum iis tantum communicare debent, quos magis addictos eſſe ſibi cognoverint, vel minus de ſuis utilitatibus cogitantes. Cum ſuis amicis dexterrime agant, æque ſe illos promovere velle profiteant, oſtententque ex difficultate negotii potius quam ex defectu voluntatis eos non promoveri, alioquin animis alienabuntur & ſe contemtos putabunt. Solent autem cardinales de eligendo Pontifice cogitare vel ante conclave vel poſtquam illud ingreſſi ſunt. Primo modo, nondum apparentibus iis impedimentis, quæ plerumque poſtea incidere ſolent, cum Papam creare cogitant, de quo maximam ſibi benevolentiam pollicentur: altero modo ſi conſilium mutare neceſſe ſit, ei plerumque ſtudent, quem ſi non amiciſſimum ſibi ſaltem iniquum minus fore arbitrantur. Quapropter nemo cardinalium, etiamſi multa ſibi obſtare animadvertat, ſi quidquam habeat in ſe tale munere dignum, ſpem ejus conſequendi abjicere debet. Nam quemadmodum ob ſummam in loquendo libertatem, qua omnes ſede vacante utuntur, nullius vitia & defectus latere poſſunt: ita ſæpe res circa eligendum Pontificem eo redigitur, ut vitia & defectus ejusmodi non æſtimentur: ſive quod qui ab aliis propoſiti ſunt majoribus laborent; ſive quod is qui ab alio commendatur, tametſi melior, parum tamen amicus vel rebus aliorum oportunus fore credatur. Nullum quidem tantum eſt vitium quod non tolerabile aliquando exiſtimetur, & pro minus malo accipiatur, ita ſuadente ſcilicet rerum ſtatu & tempore, ſive occaſione: quæ quidem in conficiendo quolibet negotio utramque, quod dicitur, paginam implet. Periculum facere an aliquis de ſuis cardinalibus evehi poſſit, etſi effectus non ſequatur haut improbandum eſt.

Et in hunc modum innumera colligi poſſent documenta, prudentibus cognitu haud difficilia.

Diſſertatio Anonymi de creatione Pontificum.

Non alienum vel abs re fuerit, de Pontificum creatione hoc loco aliquid dici, ut, quantum fieri poteſt, omnia breviter, quæ ad materiæ hujus cognitionem pertinent, perſequamur. Scire igitur oportet, *morem Romani creandi Pontificis varium eſſe, & diverſum ab illo antiquitus uſurpato.* (a) Primum enim Pontificem, (D. Petrum ſcilicet apoſtolorum principem) Chriſtus ipſe Dei filius eccleſiæ fundator propria autoritate inſtituit. D. Petrus Clementem ſibi ſucceſſorem adſcivit, cui poſtea Clerus & Anacletus ſucceſſerunt. Poſtea Clerus Romanus, conjunctis cum populo ſuffragiis, jus renunciandi Pontificis uſurpavit. Inde ab anno CCCLI. Imperatores ſuam quoque interpoſuere autoritatem, a quibus illi confirmationem petere ſolebant, primum depenſa certæ pecuniæ ſumma, deinde ſine pretio. Iidem per aliquot temporis ſpacium non niſi præſentibus Imperatorum legatis coronari ſolebant. Ac tandem etiam ipſorum Pontificum conſenſu, ad retundendam populi Romani inſolentiam univerſum jus creandorum Pontificum in Imperatores fuit translatum.

Qui etiam longo id tempore uſurparunt, ac mordicus retinuerunt: adeo, ut cum idem a Pontificibus repeteretur, grave ſchiſma exortum fuerit, quod Chriſtianam rempubl. diu graviſſime afflixit. Inter hæc Pontifices quidam ipſi ſibi ſucceſſores elegerunt, quorum electionem deinde clerus confirmavit. Tandem vero, prævalente Pontificum authoritate, excluſo imperatore & populo, electio penes cardinales & primates aliquot ex clero remanſit; donec ab Alexandro Tertio in concilio Lateranenſi anno MCCXXIX, præſentibus CCLXXX. epiſcopis decretum fuit, ut is, qui a tertia cardinalium præſentium parte electus fuiſſet, pro legitimo Papa agnoſceretur. (Qui mos obtinuit ad annum usque MCCLXVII. quando Martinus V. ad tollendum illius temporis ſchiſma electus fuit.) Poſtea vero Gregorius X. in concilio Lugdunenſi primus conclave illud ordinavit, donec tandem ſucceſſu temporis dicta electio ad eam, quæ hodie uſurpatur, formam eſt reducta. Solebant autem cardinales in eligendo Pontifice tribus uti modis, per compromiſſum, per adorationem, per ſcrutinium.

Nobis illud ſcire hic ſufficiat; omne eligendi Pontificis jus atque authoritatem penes cardinales eſſe, qui Pontificis tanquam capitis præcipua membra ſunt, rationis ejus lumina, & operum coadju-

(a) *mos creandi Pontificem diverſus ab illo antiquitus recepto)* Septem modos eligendi Pontificem enumerat PLETTENBERG *p. 63.*

coadjutores. *Eis multa a Pontificibus conceſſa ſunt privilegia,* (a) præcipue vero a Paulo ſecundo & aliis; ſemiſſis omnium redituum ſedis apoſtolicæ, ut ex ſcriptis ſive actis patet, ſed ejus loco, ſemiſſis annatarum de beneficiis quæ a conſiſtorio conferuntur aut impetrantur, ipſis aſſignata eſt. In honore autem Regibus æqui putantur. Olim, ut curioſi quidam obſervarunt, non plures erant quinquaginta tribus, at numerus paulatim eousque excrevit, ut Pius IV. ſuo tempore ſeptuaginta ſex viderit. Hoc vero tempore ſexaginta quatuor ſunt: in quibus multi excellentes juriſconſulti, theologi vero, qui alicujus ſint, eruditionis, pauci.

Collegium hoc cardinalium ſtudiis principum in factiones olim ſciſſum fuit, eo maxime tempore, quo Carolus Quintus Imperator, & Franciſcus Primus Galliæ Rex capitali odio inter ſe diſſidebant, & non de gloria & imperio, ſed de ſalute dimicare videbantur. Quum enim uterque exiſtimaret, magnum ſibi ad victoriam conſequendam in Pontificis gratia & favore poſitum eſſe momentum, illi vero circa Pontificem aſſidui ſint, ejus conſilia moderentur, & quo velint flectant, mortuo vero Pontifice novi eligendi habeant poteſtatem, uterque omnibus modis eo elaboravit, ut quos rebus ſuis commodos fore arbitrabantur, eorum obſequia multis officiis ſibi devincirent. Poſtquam vero experientia cognitum eſt, cardinales quibuscunque obſtrictos officiis utilitates quærere (ex quo factum ſæpe eſt, ut ii Pontifices renunciati ſint, quos illi minime omnium volebant) electionem Pontificis non a cardinalium ſibi propenſo favore, ſed unius Dei voluntate expectandam ſibi ſtatuerunt, rati, omnem operam, & ſumtus qui hanc in rem impenderentur, perire. Hinc Galli primi curam hanc omiſerunt, & Rex catholicus diu ab omni largitione in cardinales abſtinuit; poſtea vero paucos quosdam certis penſionibus ſibi obligavit, numero circiter cum ſibi ſubditis ad viginti quinque. Nec Gallis difficile foret ad ſuas partes quosdam hac ratione adjungere; ſed prudentius forſan faciunt, quod tale nihil præ ſe ferunt, ſed in univerſum omnibus cardinalibus favorem ſuum probare ſtudent. Imperator ſex aut ſeptem habet ſibi obnoxios, quos tamen ille nihil impedit quo minus libere omnia agant, ſuoque munere fungantur. Inde fit ut hodie factionum cardinales ipſis ſint capita. Quamvis Magnus Hetruriæ ſive Florentiæ Dux, non ignarus quantum ſua interſit Papam habere cui tuto fidat, aut certe non diffidat, nihil eorum omnium intermittat, quibus hoc ſe putat conſequi poſſe: & eum in finem octo vel decem cardinales habet confœderatos.

Solent qui de Pontificis electione diſſerunt vel augurantur, ex una parte præſentis conſiderare temporis ſtatum (ſiquidem alium turbulenta, alium quieta; alium licentia & luxu diffluentia, ut ſit qui frænet; alium nimia ſeveritate conſtricta, ut ſit qui habenas aliquantulum laxet, poſtulant) ab altera vero ad principum ſtudia & deſideria advertere; quorum nemo eſt, qui Pontificem amicum habere non expetat, (nam etſi plerique pontificatum adepti ut plurimum ſuis ſuorumque commodis ſunt intenti, avideque omnes occaſiones arripiunt, ex quibus aliquod emolumentum ſperant, utilis tamen ſemper & fructuoſa judicata fuit prima eorum amicitia) at certior aliquanto conjectura ex privatis cardinalium affectibus fieri poſſit, qui fuere in eligendo Pontifice, dum ſui memores ſunt, aliorum obliviſcuntur. Hinc ad pontificatum adipiſcendum provecta ætas multum juvat non ſolum eorum reſpectu, qui ad eandem dignitatem adſpirant, ſed eo etiam, quod Pontificis mutatio omnibus & ſingulis aliquo modo ſit fructuoſa. Sed & virtutis magnam vim hic eſſe, non negandum eſt: Neque enim quisquam tam malus eſt, quin naturæ quodam inſtinctu & deſiderio ad bonum feratur. Sed quarum a cardinalibus ratio habetur, virtutes illæ ſunt quæ alteri proſunt, ut juſtitia, affabilitas, manſuetudo, beneficentia, facilitas in communicanda ſua cum aliis dignitate, ſimilesque aliæ. Cæteræ enim virtutes animique perfectiones, ut temperantia, continentia & quæ ſunt hujus notæ aliæ, minus hic requiruntur. Ac propterea raro eligi videntur, quibus multi & magni cognati vel propinqui: ne ſcilicet illis locupletandis & evehendis beneficentiæ fontes aliis claudantur. Et cardinales Pontificem deſiderant, non qui ipſos amet tantum, ſed qui cauſas habeat ipſos amandi.

Etſi vero ad Pontificis electionem hæc omnia, quæ diximus, magnam vim habeant; vix tamen eſt, ut de ea quicquam, non dico pronunciare, ſed etiam certa conjectura poſſit quis aſſequi, ob continuam rerum Romanarum mutationem; ubi una offenſiuncula, una cardinalium creatio, unus vel leviſſimus caſus rem omnem perturbare, conſilia omnia evertere, ſpem omnem præcidere ſolet. Sed & illud obſervatum eſt, cardinalium affectus plerumque, ubi conclave ingreſſi fuerint, mutari: ipſosque aut metu aut enthuſiasmo neſcio quo eo abripi, quo ne ipſi quidem vel per ſomnium cogitarant. Quodſi periculum aliquod in eo eſſe viderint, ſi in Pontificem quis eligatur, facile conjunctis animis & ſententiis remedium afferunt: eoque fit, ut qui præcipuæ inter eos ſunt dignationis, & qui præ cæteris eligendi videbantur, ſpe ſua plerumque fruſtrentur. Quoniam vero eadem diligentia in omnibus adhiberi non poteſt, ſi forte contingat ut ejus fiat mentio de quo ipſi non cogitarant, & de quo cogitandi aut deliberandi ſpatium non habent, videas eos quaſi ſymphatos agi & certatim hunc illum antevertere, atque inde eum Pontificem renunciari, quam renunciatum iri vix quisquam fuerat ſuſpicatus. Sic, ut, qui dicere velit, quis futurus ſit Pontifex, divinare potius quam conjecturare ſit æſtimandus.

Onuphrius Panvinius notis ad Gregorium X. Platinæ.

Pontifex Gregorius altero poſt conſecrationem anno, Chriſti vero MCCLXXIV, maximo Chriſtianorum concilio Lugduni in Galliis congregato, multas ſuper reformatione eccleſiæ leges edidit, quas canones appellat. Inter hos quoque de futura Romani Pontificis electione tulit, longiſſimis interre-

(a) *Cardinalibus multa conceſſa privilegia.*) *Conf. PLETTENB. p. 36. ſeqq.*

interregnis, quæ impoſterum accidere poſſent, remedium aliquod allaturus. Quæ proceſſu temporis paululum variatæ, in hanc propemodum formam ex uſu redactæ ſunt.

Præcipuæ leges quæ in comitiis Romani Pontificis ſervari debent.

I. Ut novi Pontificis comitia habeantur loco idoneo, ubi Pontifex præcedens cum ſua curia reſidens, cauſarumque & literarum apoſtolicarum audentiam habens, mortuus fuerit. Quodſi in villa, pago, aut oppido obierit, & propterea commode ibidem comitia haberi nequierint, in urbe, in cujus diœceſi villa, pagus vel oppidum fuerint, habeantur, niſi interdicta ſint. Quo caſu in proximiore urbe non interdicta ipſa electio fieri debet. Si vero ipſa audientia alio loco fuerit, tunc non ubi Papa obierit, ſed ubi eadem audientia fuerit, futuri Pontificis creatio habeatur. Gregorius X. & Clemens V.

II. Ut mortuo Pontifice comitia non habeantur, niſi ad minus decem dierum ſpacio interjecto; quo tempore & cardinales abſentes expectari, & novemdialia demortui Pontificis per cardinales præſentes celebrari debent.

III. Ut cardinales omnes, quavis ratione a conclavi abſentes, nullum ferendorum ſuffragiorum jus habere poſſint.

IV. Ut non ſolum cardinales, ſed & omnes cujusvis ordinis & conditionis homines in Romanum Pontificem creari poſſint.

V. Ut finitis novemdialibus, ſacrisque die decimo rite Sancto Spiritui factis, omnes cardinales qui adſunt (ſive abſentes venerint, ſive non) in palatio, in quo mortuus Pontifex habitabat, loco tuto, undique clauſo, ac optime cuſtodito, quod conclave vocant, recludantur, cum duobus tantum, vel, ut nunc conſuetudo eſt, tribus aut quatuor famulis, qui eis neceſſaria ſubminiſtrent, quo in loco comitia habentur. Nec alicui præterea fas ſit locum ingredi vel egredi niſi infirmitatis cauſa, cæterisque quibusdam hominibus, quorum opera in conclavi exiſtentibus maxime eſt neceſſaria. Is porro locus conclavis nullum inter medium parietem habeat, ſed omnes cardinales in cellulis ſuis, laneis diſtinctis pannis, ipſum inhabitent in communi.

VI. Ut locus & portæ conclavis diligentiſſime cuſtodiantur: ſi Romæ electio habeatur, primum a prætorianis, deinde a regulis Romanis, & oratoribus principum ſacramento prius adſtrictis, demum in loco oſtio conclavis proximiore ab epiſcopis & conſervatoribus Urbis; ſi autem extra urbem comitia hæc habentur, a loci ejusdem dominis temporalibus, eodem juramento fidelitatis obligatis. Quorum munus eſt, conclave cuſtodire, & diligenter cavere, ne quid conclavi inferatur ſeu exportetur, quo minus legitima ſuffragia ferri poſſint, atque ſingula ſcrutari, quæ vel cibi, vel alterius rei cauſa inferantur ad eos, & providere ne quid detrimenti patiantur cardinales, omnibus ipſorum nutibus præſto eſſe, ac eligere Pontificem differentes ad maturandum arctare. Milites vero prætoriani, ac reguli Romani conclave ab omni impreſſione tutum reddere debent.

VII. Ut cardinales conclavi egredi nulla ratione poſſint, niſi Romano Pontifice creato: quodſi re infecta egreſſi fuerint, ab his, qui conclavis cuſtodiæ præſunt, iterum ingredi cogi debent.

IIX. Ut cardinalibus venientibus poſt ingreſſum conclavis, & ante Papæ creationem, poteſtas ſit conclave ingredi, & cum cæteris ſuffragia ferre, nullusque cardinalis quavis occaſione aut prætextu, etiam excommunicationis vinculo innovatus, ab electione ipſa arceri poſſit.

IX. Ut poſt triduum ingreſſus conclavis niſi Pontifex renunciatus fuerit, epiſcopi, reguli Romani, & qui conclavis cuſtodiæ præſunt, maximam in epulis & cibis, qui cardinalibus inferuntur, rationem habeant, & illis nonniſi ferculum unum inferri permittant.

X. Ut in comitiis habendis ſub anathematis pœna, nulli fas ſit, aut largitione uti, aut quicquam polliceri, aut prenſare, ſive ambiendo animos cardinalium ſibi in nova creatione devincire. Quo interim tempore cardinalibus nulli alii negotio vacandi jus poteſtasque ſit, quo electio maturetur.

XI. Ut nemo Romanus Pontifex renunciari poſſit, niſi duarum partium, ex tribus cardinalium in conclavi præſentibus, ſuffragia integra tulerit.

XII. Ut mortuo Romano Pontifice, omnes eccleſiaſtici magiſtratus & officia ſtatim ceſſent, atque a muneribus ſuis vacent, præter pœnitentiarium majorem minoresque & camerarium S. R. E. quorum munera etiam mortuo Papa perdurent. Ex lib. 6. decretalium Bonifacii Papæ VIII. lib. 1. titulo 6. de electione & electi poteſtate cap. 3. Ubi periculum. Item libro Clementinarum 1. titulo 3. de electione & electi poteſtate cap. Ne Romam. Porro autem juxta Gregorii X. conſtitutionem, Aretii, Gregorius X. Papa obierat, primum Papa creatus eſt Innocentius V. ex ordine fratrum Prædicatorum ad epiſcopatum Oſtienſem aſſumtus anno ſalutis MCCLXXVI. deinde eo mortuo Hadrianus V. Romæ, noviſſime Viterbii Joannes Papa XXI. vigeſimus rite dicendus: ut eisdem autoribus, quos paulo ante citavi, intelligitur. Idem refert gloſſa capituli: ubi periculum, quam fecit Jo. Andreas.

Onuphrius Panvinius annotation. ad Clement. V. Platinæ.

Clemens Papa V. comitiorum pontificalium legibus a Gregorio X. editis, confirmatis, nonnulla addidit ſeu ſupplevit in generali concilio Vienneſi, quæ etiam ſupra annotavi, a Joanne Papa XXII. in libro Clementinarum primo, titulo 3. de electione & electi poteſtate cap. ne Romani Pontificis &c. poſtea regiſtrata. Poſtremo Clemens VI. bullam de moderatione legis cibariæ cardinalium

lium in conclavi recluſorum fecit, quæ in libro ceremoniali exſtat. De quibus omnibus latiſſime in libris, quos de varia creatione Romani Pontificis ſcripſi, diſſerui.

Rationem vero, qua Romani Pontifices deinde creare conſuevere brevibus ſubjicere placuit, ut nihil poſtremo deſit, quod accuratus lector deſiderare poſſit, eſt autem ejusmodi.

Patres conclave ingreſſi diem integrum ſequentem formandis legibus impendunt, ad ſanam Romani Pontificis adminiſtrationem maxime neceſſariis: quibus patrum quisque ſubſcribens jurejurando votoque promittit obtemperaturum ſe illis ſi Pontifex fuerit factus. His actis, ſtato quodam die prima comitia indicuntur. Mane autem ejus diei patres omnes induti palliis, a ſummo deorſum apertis, quas croccias vocant, in capellam, ubi corpus Chriſti aſſervatur, conveniunt. Ibi divina Spiritus S. rite ſacra celebrantur, quibus abſolutis ſuo loco diſponunt ſe per ſubſellia. Quisque autem quos eligere decrevit, in codicillo ante deſcribit, huncque ſuo annulo obſignat, inde tres ex patribus ad altare aſcendentes, decanus videlicet, presbyterorum & diaconorum primi calicem, in quo ea die ſacra facta ſunt, ad medium altaris conſtituunt, cuſtodes ipſi omnium ac inſpectatores aſtantes. Poſt hæc eodem ordine procedunt & reliqui patres, atque ante altare in genua procidentes codicillum ſigillatum in calicem dimittunt. Id autem poſtquam ab omnibus factum eſt, tres illi, quos dixi, calicem ipſum ad cæteros inferius conſedentes ſublatum altius oſtendunt, conſiſtentes in ſubſelliorum medio, unde ſpectari & audiri a circumſtantibus poſſunt; numerant mox codicillos, quorum ut conveniſſe numerus invenitur, ſinguli a decano aperiuntur & leguntur, a diacono proximo pronunciandi traduntur. Patrum quisque papyrum tenens ac pugillare, quos quisque eligit chyrographo annotat. Nullus autem ex Alexandri III. conſtitutione pro Pontifice haberi poteſt, niſi qui duarum partium ex cardinalibus integra ſuffragia tulerit. Qui numerus ſi ex codicillis adimpletur, tum Pontifex creatus eſt: ſi minus, liberum eſt cuique, quem voluerit patrum, non electum a ſe ſcripto, voce eligere: quæ electionis ratio acceſſus appellatur. Rarum eſt quemquam ex ſolis codicillis eligi: vocum acceſſio conficere totum opus ſolet. Alius eſt quoque creandi Pontificis mos, qui per adorationem dicitur. Hoc autem eſt cum duæ partes cardinalium non expectato, ut vocant, ſcrutinio, ſed voce tenus omnium conſenſu & voluntate quempiam ex cardinalibus in Romanum Pontificem ſalutant, atque venerantur. Qua ratione Julius III. Marcellus II. & Paulus etiam III. renunciati fuerunt.

Pii IV. & Gregorii XV. bullæ de conclavi ejusque ceremoniis.

BENEVOLO LECTORI.

QVum priora omnia jam abſolviſſent operæ typographicæ, forte fortuna incidit in manum libellus Mediolani anno ſeculi hujus viceſimo ſecundo editus hoc titulo: ceremoniale, continens ritus electionis Romani Pontificis, Gregorii Papæ XV. juſſu editum. Cui præfiguntur conſtitutiones Pontificiæ & conciliorum decreta ad eam rem pertinentia. Pleraque ejus repertu ſunt faciliora, ut quæ jam locum invenerint in decretalium libris; præſertim ſi in hunc cenſum referas etiam illum, cui ſeptimi nomen dedit is qui eum congeſſit Petrus Matthæus: alieniora etiam ſunt ab inſtituto hujus opuſculi. Illa vero Gregorii XV. bulla, qua ceremonias in conclavibus inpoſterum obſervandas deſcripſit, viſa mihi eſt quam maxime illuſtrare noviſſimam electionum papalium hiſtoriam. Multum quoque illuc facere ſenſi Pii IX. bullam, quæ aliquamdiu in conclavibus legis potiſſimæ vim habuit. Itaque non abs re fore duxi utramque adjungere, ſaltim ne qua tuo deſiderio & commododeſim, & ut illam ipſam Gregorii XV. quam ſupra legiſti cum iſtis electionum papalium hiſtoriis conferenti facile appareat, ceremonias quidem præſcriptas obſervari, alia pleraque minime, adeoque ſuaviter ridiculos eſſe qui ex legibus uſum & rem ipſam æſtimant.

Bulla Pii IV. Papæ.

SVMMARIVM.

Quanta maturitate ac diligentia fieri debeat Romani Pontificis electio.

IN eligendis eccleſiarum prælatis, quibus & humana & divina myſteria committuntur, quantam adhiberi curam oporteat, teſtantur patrum noſtrorum ſacratisſimæ conſtitutiones, quas illi magna ſeveritate de epiſcoporum & aliorum prælatorum qualitate ediderunt: propterea quod a bonis bona omnia, videlicet charitas, vigilantia, eccleſiaſtica diſciplina, denique animarum eis commiſſarum ſalus proficiſceretur, a malis vero contra non niſi mala, nempe avaritia, negligentia, faſtus, & animarum periculum poſſit exſpectari. Quod ſi in quibuslibet eccleſiarum paſtoribus tantopere providendum eſt, ne quis aſſumatur indignus, majorem & perſpicaciorem diligentiam in Romano Pontifice eligendo, qui cæteris paſtoribus eſt profuturus, & totius dominici gregis curam habiturus, oportet adhiberi.

Recenſentur Pontifices, qui conſtitutiones ediderunt de Romani Pontificis electione.

Hac ſancta meditatione permoti prædeceſſores noſtri, & præſertim fel. rec. ALEXANDER III. GREGORIVS X. CLEMENS V. CLEMENS VI. & JVLIVS II. nonnullas conſtitutiones ſanxerunt ad providendum, ut ſummorum Pontificum electiones libere & recte & mature fierent. Sed quoniam res humanæ ſemper in dexterius prolabuntur, niſi ſit qui eas aſſidue retineat, & conſervet: verendumque ſit ne aliquando propter earum conſtitutionum tranſgreſſionem ſuborti abuſus longius ſerpant & progrediantur.

Cardinales abſentes per decem dies expectantur, & interim fiunt exequiæ Pontificis mortui, quarum expenſæ taxantur.

Nos quantum cum Deo poſſumus, futuris caſibus & periculis occurrere volentes, eorundem prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones, tum innovando, tum declarando & pro rerum & temporum neceſſitate ſupplendo, de fratrum noſtrorum unanimi conſilio atque aſſenſu definimus, ſtatuimus & declaramus, ut cum Pontificem de hac vita migrare contigerit, cardinales præſentes decem tantummodo diebus juxta dicti Gregorii prædeceſſoris conſtitutionem in concilio Lugdunenſi editam, cardinales abſentes expectare teneantur, & interim ſolitas novem dierum exequias omnino peragant, nec ullo prætextu ulterius differant. Et ne quid impedimento eſſe poſſit quo minus exequiæ ipſæ nono die abſolvantur, ſi quando per obſervantiam alicujus magni & præcipui feſti, cardinalibus videretur officium exequiarum intermitti debere, dies illi ſic intermiſſi in numerum novem dierum nihilominus computari debeant, & impenſa quæ in eis pro exequiis facienda eſſet, inter pauperes Chriſti diſtribuatur. Ac ut ſuperfluis quoque ſumptibus, qui jam in immenſum excreverunt, modus imponatur, funus ſimplicius quam conſueverit fiat, ut ita illius ratione (præter regalia populo Romano præſtari ſolita) decem millium ducatorum ſummam pannis lugubribus & regalibus tam camerarii & clericorum ac aliorum cameralium, quam aliorum quorumcunque miniſtrorum & officialium, ac aliis omnibus computatis, impenſa non excedat. Summa autem decem millium hujusmodi, vel ſi collegio viſum fuerit, etiam minor ac nullo modo major, per tres cardinales antiquiores, unum videlicet de quolibet ordine, & camerarium proportionabiliter pro rata diſtributionis alias fieri ſolitæ, inter prædictos omnes & ſingulos dividatur.

Lapſis decem diebus a die obitus Pontificis, ingreſſus conclavis nullatenus prorogetur aut differatur; ſed ſequenti die, miſſa de Spiritu Sancto celebrata, ſive cardinales abſentes venerint, ſive non, qui fuerint præſentes ſtatim conclave ingredi teneantur, & ingredientes ipſi ſine mora aliqua, omiſſa omnino capitulorum confectione primis diebus fieri ſolitorum, in electionis negotio procedant, & ſingulis diebus ſcrutinium fiat, & in primo ſcrutinio etiam accedere liceat.

Nolentes ingredi conclave pœnam Gregorianæ conſtitutionis incurrunt.

Si qui vero forte intrare noluerint, vel ingreſſi abſque manifeſta infirmitatis cauſa, juramento medicorum & a majori parte cardinalium per decreta ſuffragia approbata, exiverint, dictæ conſtitutionis Gregorii X. pœnam incurrant.

Cardinales præſentes in conclavi & extra lapſis decem diebus poſſunt eligere Pontificem.

Declarantes nihilominus, quod poſtquam cardinales præſentes & aliis cardinalibus de latere legatis, aut ex alia quacunque etiam publica cauſa, etiam cum licentia ſummi Pontificis abſentibus alterius non expectatis, poſt tamen lapſum dictorum decem dierum a morte Pontificis, electionem ſive intra ſive extra conclave fecerint; electio ſic facta ex itineris aut alterius etiam probabilis & notorii ipſorum cardinalium abſentium impedimenti prætextu impugnari minime valeat, cum publica utilitas ex matura electione proveniens cuivis alteri rationi præferri debeat.

Poteſtas ſacri collegii ſede vacante ponitur.

Sedis autem vacatione durante, collegium cardinalium in iis, quæ ad Pont. Max. dum viveret pertinebant, nullam omnino poteſtatem aut juriſdictionem habeat, neque gratiam neque juſtitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum executioni demandandi; ſed ea omnia futuro Pontifici reſervare teneatur: neque de ſtatu temporali S. R. E. neque de pecuniis cameræ apoſtolicæ aut Datarii, vel pro ſolutione debitorum ante obitum Pontificis quomodolibet contractorum, aut alias ex quavis cauſa (caſibus infra ſcriptis duntaxat exceptis) quicquam diſponere, ne contra dictam Gregorii conſtitutionem pro ſe ipſis aliquid percipere, ne æs alienum ultra neceſſarios ſumtus præſentibus comprehenſos contrahere debeat: neque camerarius, theſaurarius, datarius, depoſitarius, caſtellanus arcis S. angeli aut alii officiales contra harum conſtitutionum tenorem collegio obedire teneantur ſive debeant; quinimmo ſi eis in talibus obtemperaverint, aut ipſi cardinales vel officiales ex eorum officiis contra promiſſa aliquid attentare præſumſerint, de ſuo proprio cameræ apoſtolicæ plenarie ſatisfacere & pecunias erogatas reſtituere, ac quævis damna ad eligendi Pontificis arbitrium reſarcire cogantur. Quod autem expendi poſſit, erit præfata decem millium ducatorum ſumma: illud item quod pro victu familiæ pontificiæ ante conclavis ingreſſum ac poſt ingreſſum pro pauperum officialium palatii tantum per camerarium & priores ordinum deſcribendo victu, ac etiam pro eleemoſynis ſede vacante fieri conſuetis, itemque pro defenſione terrarum eccleſiaſtic. vel partis earum, nec non pro regalibus populi Romani & illius magiſtratibus, ac cuſtodia urbis & conclavis, illiusque proviſionibus opportunis neceſſarium erit. Quæ vero impenſa pro defenſione terrarum, & locorum eccleſiæ ſecuritate, ac proviſionibus conclavis facienda ſit, cardinales præſentes per ſecreta ſuffragia ordinare debeant: ita ut majoris partis ſententia obtineat id, quod obſervandum erit, etiam in gubernatoribus urbis, tam ultra potentem quam citra, & aliis officialibus etiam pro ſtatus eccleſiaſtici regimine ſi opus fuerit eligendis: Si vero ultra prædicta aliquod grande periculum immineret, cui omnibus & ſingulis cardinalibus præſentibus juxta ordinationem Gregorii X. aut ſaltem duabus illorum tertiis partibus, per ſecreta ſuffragia videretur celeriter occurrendum, tunc collegium juxta majoris partis ſententiam ſimiliter per ſecreta ſuffragia de remedio opportuno, ac provide de neceſſaria impenſa provideri poſſit & debeat.

Tres cardinales antiquiores unus ex quolibet ordine, & camerarius, occurrentes neceſſitates proponunt in congregationibus, & curam habent clauſuræ conclavis.

Statuimus etiam quod tres cardinales antiquiores unus videlicet ex quolibet ordine, una cum camera-

camerario, poſt Pontificis obitum reliquos cardinales congregandi, & occurrentes neceſſitates in congregationibus generalibus proponendi, & ut conclave bene undique claudatur, curandi jus habeant.

Poteſtas cardinalium, de qua in præcedenti §. expirat tertio die, & tranſit ad ſequentes in ordine, ſingulis tribus diebus, manente ſemper poteſtate camerarii.

Ipſorum autem officium tertia die poſt conclavis ingreſſum omnino expiret, eorumque loco tres alii ſequentes in ordine, quolibet tertio quoque die, cum eodem camerario in eadem poteſtate ſuccedant.

Ponitur poteſtas Camerarii, & ejus officialium ſede vacante.

Camerarii quoque & majoris pœnitentiarii officia, quæ etiam ſede vacante durant, ita durare decernimus & declaramus, ut non ſolum ea, quæ præſenti conſtitutione prohibentur, & quæ Pontifice vivente exercere non conſueverunt, ſeu a quibus pro ejusdem Pontificis reverentia, aut alias quomodolibet abſtinebant, minime uſurpent: Sed Camerarius, ac præſidentes, & clerici, aliique miniſtri, & officiales cam. Apoſt. exactione pecuniarum eidem cameræ debitarum, proviſionibus rationes ſedis vacantis juxta præmiſſa neceſſario faciendis duntaxat incumbere & propterea ſolutione debitorum ante Pontificis obitum contractorum, aut illorum declaratione, rationum ſolidatione, extractionibus frumentorum, remisſionibus delictorum, aſſecurationibus delinquentium, & quibuscunque aliis expeditionibus, tam gratiam, quam juſtitiam aut illarum executionem quomodolibet concernentibus omnino abſtinere debeant.

Ponitur poteſtas pœnitentiarii & ejus officialium.

Pœnitentiarius vero & ejus officiales ea tantum facere & expedire valeant, quæ ad forum conſcientiæ pertinent; in reliquis officium eorum conquieſcat: itaque a quibuscunque matrimonialibus & aliis diſpenſationibus, ac abſolutionibus & declarationibus nec non quibusvis aliis expeditionibus forum (quod ajunt) mixtum vel ſeparatum quomodolibet reſpicientibus, omnino abſtineant: adeoque in quibus tam Camerarius quam pœnitentiarius & alii prædicti etiam de licentia aut mandato totius collegii contrafecerint, ea nulla & irrita ſint, ac nemini ſuffragentur. Et nihilominus eorum exceſſus & inobedientiæ rationem Pontificis arbitrio quandocunque reddere teneantur. Literis etiam noſtris ſuper reformatione cameræ & pœnitentiarii hujusmodi editis in ſuo robore permanſuris.

Datarii officium expirat morte Papæ.

Datarii vero miniſterium per ejusdem Pontificis obitum omnino expiret, ita ut non ſolum datas per eum antea notatas extendendi poteſtatem minime habeat: Sed quascunque ſupplicationes gratiarum & juſtitiæ penes eum aut ejus miniſtros adhuc exiſtentes, etiamſi datæ fuerint collegio cardinalium, ſtatim ſub ſigillo clauſas præſentare teneatur futuro Pontifici reſervandas. Quodſi contra præmiſſa quicquam, ad cujusvis etiam cardinalis inſtantiam attentare præſumſerit, irritum & inane exiſtat, & nihilominus falſi crimen incurrat, illius rationem futuro Pontifici redditurus.

Poteſtas cardinalium & prælatorum ſignaturæ gratiæ & juſtitiæ conquieſcit.

Prohibentes inſuper ne cardinales & prælati ſignaturæ gratiarum & juſtitiæ præfecti, ſede vacante ſupplicationes & commiſſiones aliquas, etiamſi ſupplicantes parvas datas, ut moris eſt, antea obtinuerint, ſignare valeant: Sed officia eorum omnino ceſſare intelligantur. Quodſi aliter fecerint, pro exceſſibus hujusmodi futuri Pontificis arbitrio puniantur.

Cellæ conclavis ſorte diſtribuantur.

Mandamus quoque, quod cellæ conclavis cardinalibus ſorte diſtribuantur, nec liceat eas etiam infirmitatis prætextu mutare, aut deſuper ædificare, vel illas dilatare; ſed quilibet, etiam decanus, ſit ſua ſorte contentus.

Apud conclave habitare vel morari prohibitum.

Poſt conclave vero ingreſſum interdicimus, & expreſſe prohibemus ſub officiorum & beneficiorum privationis pœna, atque etiam ſub alio arbitrio gubernatoris ad cuſtodiam conclavis deputati ſoliti infligenda, ne quis immediate ſupra aut infra conclave ſeu a lateribus habitare vel morari poſſit. Quæ loca muris claudi & a præſidentibus cuſtodiæ conclavis & a dicto gubernatore ſæpius viſitari debeant. Et ſi quæ fraus commiſſa fuerit teneatur ipſe gubernator ſub perjurii pœna eo ipſo incurrenda & alia arbitrio futuri Pontificis infligenda, delinquentes hujusmodi cardinalibus pro tempore deputatis revelare, curareque ut delinquentes ipſi carcerentur, & acriter puniantur.

Conclavis clauſura a cardinalibus deputatis viſitari debet.

Teneantur quoque cardinales pro tempore deputati cellas cardinalium & alia conclavis loca ſæpius viſitare, & diligenter perquirere, ne in ipſius conclavis muris aut laquearibus, ſeu pavimentis vetita foramina fiant. Et ſi quid tale deprehenſum fuerit, auctores privationis officiorum & ſeveriſſimis pœnis, gubernatoris ac etiam futuri Pontificis arbitrio afficiantur, & conſcii de præmisſis eisdem pœnis teneantur, niſi ſtatim, ſi intra conclave fuerint, eisdem cardinalibus deputatis, ſi vero extra conclave, gubernatori & prælatis præpoſitis revelaverint. Qui quidem gubernator & prælati ſub perjurii pœna in hoc invigilare & opportune providere debeant.

Numerus ſervorum cardinalium definitur.

Quilibet autem cardinalis in conclavi duobus ſervientibus clericis vel laicis contentus ſit: infirmis autem & graviter affectis a majori parte collegii per ſecreta ſuffragia tertius ad ſummum indulgeri posſit.

Conclaviſtæ a cardinalibus approbandi.

Qui ſervientes familiares domeſtici, & continui commenſales ipſius cardinalis & ab anno ante fuiſſe,

fuiſſe, & tunc eſſe debeant, & non mercatores, miniſtri Principum, domini temporales & jurisdictionem habentes, neque fratres aut nepotes cardinalium, etiamſi expenſis eorum viverent. Et de qualitatibus conclaviſtarum cardinalium deputati ante conclavis ingreſſum diligenter inquiſitionem habere, & eos approbare, ac poſt ingreſſum denuo diligenter providere debeant.

Sacriſta, Magiſtri ceremoniarum & alii officiales conclavis determinantur.

Sacriſta quoque cum uno clerico coadjutore in officio Sacriſtæ duo quoque magiſtri ceremoniarum conclave ingrediantur, miſsis celebrandis & aliis, quæ ad ipſos pertinent, vacaturi. Adſit præterea unus religioſus, pro confeſſionibus audiendis, a majori parte cardinalium per ſecreta ſuffragia eligendus, unius collegii ſecretarius tantum, duo medici, unus chirurgus, unus aromatarius cum uno aut duobus ſervientibus, unus faber lignarius, unus cementarius, duo barbitonſores, cum uno aut duobus ſervientibus. Item octo aut decem ſervientes publicæ utilitati & commoditati omnium, veluti pro lignis portandis, pro verrendo conclavi & ſimilibus neceſſariis miniſtrandis, qui omnes a collegio cardinalium non tamen ex familia alicujus cardinalis per fabas ſecretas eligantur, ita tamen ut is obtineat, qui plura vota tulerit, & eis ſalaria de publico perſolvantur. Quodſi ultra præfatas perſonas in conclavi aliquis inventus fuerit, expelli ſtatim debeat. Et ſi quis uſpiam ſe & infamia notetur, & officiis atque beneficiis privetur: conſcius vero ſub eadem pœna illos collegio revelare teneantur, præmium reportaturi ſi indicaverint.

Clauſo conclavi prohibentur colloquia cum iis, qui ſunt extra conclave.

Clauſo conclavi nulli ad colloquium extra portam conclavis, etiam Principum oratores, niſi ex magna & urgenti cauſa a majori parte collegii approbanda admittantur. Et ſi quis forte (quod abſit) clam ipſum conclave, & aliunde quam per oſtium ingrediatur, omni honore, gradu ac officio & beneficio ipſo facto privatus exiſtat, & tradatur curiæ ſeculari acerrimis pœnis puniendus.

Literæ & ſigna clauſo conclavi ſimiliter prohibentur.

Literas vero, aut cujusvis generis ſcripta ad eos, qui in conclavi erunt, ſeu nuncium vel notam aut ſignum mittere ſeu recipere, aut contra, e conclavi ad eos qui foris erunt, nullo modo liceat: qui contrafecerint, quacunque dignitate, etiamſi cardinalatus honore præfulgeant, pœnæ excommunicationis latæ ſententiæ ſubjaceant, abſolvendi facultate, præterquam in mortis articulo ſoli Pont. Max. reſervata, a quo nihilominus pro qualitate delicti, ultra dictam excommunicationis pœnam puniendi erunt.

Excommiſſæ ſuper electione Romani Pontificis damnantur.

Prohibentes etiam ſuper futura electione Pontificis ſponſiones, quas excommiſſas vocant, fieri, & ſi forte contra præſentium tenorem factæ fuerint, illas nullas & irritas in judicio & extra fore, & omnino cenſeri, & contra facientes ac proxenetas arbitrio gubernatoris & futuri Pontificis puniri debere decernimus.

Cardinales unico ferculo moderato & in propria cella veſcantur.

Cardinales autem, ipſo die, quo conclave ingreſſi fuerint, tam in prandio, quam in cœna uno ſolo ferculo, unius ſpeciei tantum, eoque moderato & alias juxta conſtitutionem præfati Clementis VI. qualificato contenti ſint, & eſſe debeant, nec quiſquam in alterius cella, vel de alterius ferculo veſcatur.

Prælati cuſtodes conclavis inſpicere debent epulas, ne literæ, notæ, vel ſigna una cum eis intus conclave mittantur.

Prælati quoque ad cuſtodiam conclavis deputati ſub pœna perjurii & ſuſpenſionis a divinis, maxima & exquiſita diligentia utantur in inſpiciendis ac perſcrutandis epulis, & aliis rebus, ac perſonis conclave intrantibus & de eo exeuntibus, ne ſub earum rerum velamine literæ, aut notæ, vel ſigna aliqua transmittantur. Quodſi tale quid inventum fuerit, familiares cardinalium aut alii delinquentes pœnam privationis officiorum & beneficiorum, ac inhabilitatis ad obtenta & obtinenda incurrant. Et ulterius per gubernatorem carceribus mancipentur, exinde niſi mandato novi Pontificis nimium relaxandi: ſed ejus arbitrio acrius puniendi, omni facultate collegio cardinalium in favorem quorumcunque, qui in præmiſſis vel eorum aliquo deliquerint, omnino interdicta.

Conclaviſtæ diſcedentes non ingrediantur ulterius.

Conclaviſtæ vero & quicunque aliis ſervientes, conclave ex cauſa infirmitatis manifeſtæ & notabilis a medicis medio juramento probatæ, & de conſenſu deputatorum, quorum etiam conſcientiam deſuper oneramus, & non aliter exituri, nullo modo reverti poſſint: ſed eorum loco, alii eodem prorſus tempore, quo infirmi exhibent, ingrediantur.

Cardinalis non diaconus non habet votum in electione.

Statuimus etiam, & declaramus, quod ſi forte aliquis cardinalis ſaltem in diaconatus ordine conſtitutus non fuerit, is nullatenus ad eligendum admitti debeat.

Monitio ad cardinales circa ea, quæ debent ſervare in electione facienda.

Cardinales autem per viſcera miſericordiæ Dn. Jeſu Chriſti enixe rogamus, & hortamur, ac eis nihilominus ſub divini interminatione judicii præcipimus & mandamus, ut attendentes magnitudinem miniſterii, quod per eos tractatur in dandis ſuffragiis, ac aliis omnibus & ſingulis electionem quomodolibet concernentibus, omni dolo, ac fraude, factionibus, & animorum paſſionibus remotis, ac principum ſecularium interceſſionibus, cæteriſque mundanis reſpectibus minime attentis: ſed ſolum Deum præ oculis habentes, ſeſe pure, libere, ſincere, quiete, & pacifice gerere & habere debeant, nec pro ipſius pontificis electione conſpirationes, condicta, pactiones & alios illicitos tractatus inire, ſigna, aut contra ſigna votorum ſuorum alteri dare, minasve aliquibus inferre, tumultus

excita-

excitare, aut alia facere, per quæ electio retardetur vel minus libere ſuffragia præſtentur, per ſe vel alium, directe, vel indirecte, quovis colore, vel ingenio audeant, vel præſumant. Quodſi ſecus fecerint, aut contra prohibita in præſenti conſtitutione aliquid admiſerint, ultra divinam ultionem arbitrio futuri Pontificis pro modo culpæ in eos quandocunque animadverti poſſit.

Executores bullæ deputantur.

Quia vero parum eſſet, jura condere, niſi forent, qui executioni ea demandarent; ſtatuimus & ordinamus, ut prælati, rectores, officiales Urbis ac principum oratores illuſtres viri, quos omnes a collegio pro cuſtodia conclavis eligi continget (eligere autem collegium debebit eos qui ad id magis idonei videntur) præmiſſa omnia plene & inviolabiliter, ac ſine fraude & dolo aliquo obſervari faciant, de quo corporale juramentum coram ipſo collegio ante ingreſſum conclavis, & quoties opus fuerit, præſtare teneantur; quæ quidem niſi fecerint, vel ſi in eis dolum & fraudem commiſerint, prædictas pœnas & cæteras in dicta conſtitutione Gregorii X. contentas incurrant.

Cardinales non poſſunt mutare hanc conſtitutionem.

Volumus autem neque per prælatos, neque per rectores aut officiales præfatos, ultra quam præmittitur cardinales arctari, neque præſentes has noſtras conſtitutiones per collegium cardinalium ullo modo alterari, corrigi, aut immutari poſſe: ſed illas coram omnibus de verbo ad verbum in prima congregatione poſt obitum Pontificis fieri ſolita & deinde poſt conclavis ingreſſum legi & jurari eo modo quo leguntur & jurantur conſtitutiones Julii II. & aliorum prædeceſſorum noſtrorum: quorum conſtitutionibus & pœnis in eis contentis ultra præmiſſa per hanc noſtram conſtitutionem derogare non intendimus: ſed magis eas confirmare, innovare & comprobare.

Cardinales non excluduntur ab electione ob cenſuras.

Et ne diſſenſionis occaſio aut ſchiſmatis oriatur, volumus cenſurarum & excommunicationum præfatarum & aliarum quarumcunque prætextu, cardinales a Pontificis electione active vel paſſive excludi nullo modo poſſe, quas quidem excommunicationes & cenſuras ad electionis affectum tantum, illis alias in robore ſuo permanſuris ſuſpendimus & ſuſpenſas eſſe volumus & declaramus. Decernentes quoque excommunicationes & cenſuras ipſas eum ſolum afficere, qui deliquerit, non autem alios conclavi durante cum eo converſantes.

Ponuntur clauſulæ executivæ & derogativæ.

Ac præſentes noſtras ubicunque electionem ſummi Pontificis etiamſi extra urbem fieri contigerit, locum habere & obſervari debere.

Ac inſuper illas in valvis Baſilicæ principis apoſtolorum & cancellariæ apoſtolicæ ac in acie campi Floræ per aliquos curſores legi & publicari, ac illorum gulos cardinales etiam abſentes, præſentes, & futuros, & alios quoſcunque quorum intereſt vel intereſſe poterit, quomodolibet in futurum afficere & legare, nullumque earum ignorantiam prætendere poſſe, ac ſi eis perſonaliter intimatæ forent, præmiſſis ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis cæteriſque contrariis non obſtantibus quibuscunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum definitionis, ſtatutorum, declarationum, prohibitionum, mandatorum, interdicti, præcepti, rogationis, hortationis, & voluntatum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo. Id. Octobris Pontificatus noſtri anno tertio.

Ego Pius catholicæ eccleſiæ epiſcopus.
Ego R. card. de Carpo epiſcopus Oſtien.
Ego F. card. Piſa epiſcopus Portuen. manu propria.
Ego Fed. card. Cæſius epiſcopus Tuſculanus.
Ego Jo. card. Moronus epiſcopus Præneſtinus ſſ.
Ego Otho Turchſes Waldburg. Epiſcop. Albanen.
Ego Ti. card. Criſpus.
Ego Jo. Mi. card. Saracenus.
Ego Jo. card. Sancti Vitalis.
Ego Lac. card. Puteus.
Ego Jo. B. Cicada card. S. Clement.
Ego B. card. Tranen.
Ego Scipio card. Piſarum.
Ego Jo. card. Reumanus.
Ego Jo. Ant. card. Capiſuccus.
Ego F. M. card. Alexandrinus.
Ego Clemens card. Aracœli.
Ego Joh. Ant. card. ſancti Georgii.
Ego Aloiſius card. Cornelus.
Ego Bernhardus card. Salviatus.
Ego Ph. card. Aburd.
Ego M. Ant. card. Amulius.
Ego R. card. Navagerius.
Ego A. card. Farnenſius Vicecanc.
Ego G. As. card. Cam.
Ego Ju. card. Urbin.
Ego Hier. card. Simoncellus.
Ego Vittellottius card. Vitellius.
Ego Carolus card. Borrhomæus.
Ego Franciſcus card. Gonzaga.
Ego Ind. Avalos card. Aræg.
†
†
†

Cæſ. Glorierius,
Franc. de Lyon.

Anno a nativitate domini, milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, indictione quinta, die vero 21. menſis Octobris, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & D. N. D. Pii divina providentia Papæ IV. anno tertio, ſupra ſcriptæ literæ apoſtolicæ affixæ & publicatæ fuerunt Romæ in locis

 ſupra

ſupra ſcriptis ut eſt moris, inibi earundem copiis dimiſſis affixis per nos Andream de Curia & Franc. Fagæ ejusdem S. D. N. Papæ Curs.

pro magiſtro curſorum
Franciſcus Rogerius Curs.

Ceremoniale continens ritus electionis Romani Pontificis, Gregorii P. XV. juſſu editum, & auctoritate confirmatum.

GREGORIVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Decet Romanum Pontificem, quæ ad eccleſiæ catholicæ felix regimen ſalubriter a ſe ſtatuuntur, ut quamfacillime obſerventur, paſtorali ſolicitudine providere, & ea per quæ a ſe decreta debitum ſortiuntur effectum, ſtabilire. Siquidem poſtquam novam conſtitutionem de Romani Pontificis electione ob cauſas in ea expreſſas, divina aſpirante gratia edidimus, ne ejus uſus & obſervantiæ, veteri rituali eccleſiæ Romanæ fere inutili ob eandem conſtitutionem reddito proprii ceremonialis directione deſtitueretur, novum prout ſequitur confici mandavimus. Quod, cum poſt nonnullorum S. Romanæ eccleſiæ cardinalium, quibus negotium commiſimus, diligens, ut res poſtulabat, adhibitum examen, confectum fuerit & a nobis approbatum, ut illud cum omnibus & ſingulis in eo contentis inviolabiliter obſervetur, ex noſtri paſtoralis officii debito providendum cenſuimus. Tenor autem illius eſt, qui ſequitur.

Ceremoniale.

Romano Pontifice vita functo cardinales præſtito in prima congregatione juramento de obſervanda conſtitutione Gregorii Papæ XV. de reformatione conclavis una cum aliis conſtitutionibus, quæ legi & jurari in eo hactenus conſueverunt, exequias pro ejus anima, juxta ritum hucusque obſervatum, per novem continuas dies facere debent: niſi forte in illis novem diebus aliquod feſtum ex præcipuis & magnis incideret, propter cujus obſervantiam exequias intermitti debere cardinalibus videretur: hoc enim caſu in numero quidem novem dierum exequiarum intermiſſarum dies computantur, verum impenſa quæ in omiſſis exequiis facienda eſſet, in pauperes Chriſti juxta Pii IV. conſtitutionem diſtribuenda eſt. Qua etiam conſtitutione ut exequiarum impenſis, quæ jam in immenſum excreverant, modus & finis aliquis eſſet, cautum, ne impenſæ illorum novem dierum decem ducatorum millium ſummam computatis omnibus, præter regalia Papæ Romano præſtari ſolita, excederent, & ut earum impenſarum diſtributio juſta fieret, tribus ex antiquioribus cardinalibus uni ſcilicet ex quolibet ordine, ac S. R. E. camerario commiſſa fuit.

Exequiis defuncti Pontificis completis, & interim conclavi opportuno præparato, cardinales in Baſilica S. Petri vel alibi pro temporis & loci opportunitate conveniunt, ubi per decanum ſacri collegii, vel eo impedito per alium ex antiquioribus cardinalibus, miſſa de ſpiritu S. celebratur, in fine per aliquem prælatum aut alium doctum habetur oratio, in qua monentur, ut ſepoſitis omnibus privatis affectibus ſolum Deum præ oculis habentes, S. Romanæ & univerſali eccleſiæ de paſtore ſufficienti & idoneo providere, omnia qua poſſunt brevitate & diligentia curent, ut apoſtolicarum conſtitutionum & ſacrorum conciliorum præſcriptum.

Re divina peracta, clericus ceremoniarum capit crucem papalem, præcedit, quem cardinales ſequuntur, epiſcopi primum, deinde presbyteri, poſtremo diaconi cum ſuis cappis & violaceis: crucem præcedunt familiares cardinalium & immediate cantores, (hymnum, Veni creator ſpiritus, cantantes) Poſt cardinales ſequuntur prælati atque ita proceſſionaliter procedentes conclave ingrediuntur, & cum ad capellam pervenerint, cardinalium decanus apud altare dicit orationem, (Deus qui corda fidelium) Qua finita leguntur & jurantur per cardinales conſtitutiones de Rom. Pontificis electione, & una cum eis conſtitutio noviſſima Gregorii XV. deinde cardinales poſt ſermonem habitum per decanum, quo eos convenientibus verbis ad electionis negotium rite & recte peragendum hortatur, ad cellas ſorte inter eos juxta conſtitutionem Pii IV. diſtributas divertunt, & poſt prandium omnes rurſus ſimul congregantur, & officiales conclavis & alii præſtant S. collegio juramenta conſueta.

Cardinales autem ingreſſi conclave non exeant veſpere reverſuri, ſed in ipſo omnino permaneant. Ipſumque conclave poſt ter juſſu cardinalis decani perſonatam campanulam, videlicet prima vice circa primam horam noctis, ſecunda circa ſecundam, & tertia circa tertiam, excluſis omnibus qui in conclavi remanere non debent, intus & extra claudatur, & claves S. R. E. camerario ac magiſtro ceremoniarum, & prælatis cuſtodibus conclavis juxta ſolitum aſſignentur. Deinde accenſis funalibus tres cardinales capita ordinum & camerarius una cum magiſtro ceremoniarum latebras & angulos omnes conclavis diligenter perquirant, ne quis ex iis qui eſſe in conclavi prohibentur, intus remanſerit. In conclavi autem eſſe poſſunt familiares cardinalium & alii officiales & miniſtri conclavis, qui in conſtitutione Pii IV. recenſentur, quibus adduntur duo alii, unus famulus pro magiſtris ceremoniarum, & alius pro ſecretario S. collegii, hac tamen conditione adjecta ut famulus magiſtrorum ceremoniarum, actu uni ex illis inſerviat, & per ſex menſes ante fuerit ejus continuus commenſalis, quæ conditio in famulo ſecretarii ſimiliter exigitur. Omnium autem iſtorum conclaviſtarum, poſt prandium diei ſequentis fit recognito, ne quis inter illos forte eſſet ex iis, qui in conclavi eſſe non poſſunt: quæ recognitio, ut certius fiat, jubentur conclaviſtæ omnes intrare capellam, & poſtea ſigillatim recenſentur.

Clauſo

Clauſo conclavi ſervari debent omnia quæ de colloquiis, literis, & cibis, & quæ non ingredientibus cardinalibus, aut iisdem aut eorum familiaribus, poſtquam ingreſſi ſunt exeuntibus in conſtitutione IV. ſancita ſunt. Quod vero attinet ad veſtes, non ſolum cum ad electionem cardinales procedunt, croceis uti debent, ſed juxta vetus ceremoniale cum aliquid collegialiter agendum eſt.

Porro capitula, quæ ante electionem fieri ſolent a ſingulis cardinalibus ſubſcribenda, etiam ad favorem conclaviſtarum fieri poterunt vel ante ingreſſum conclavis vel poſt ingreſſum, dummodo per ea non retardetur aut differatur ingreſſus vel electio. Quoniam autem juxta conſtitutionem Pii IV. cardinales qui ſaltem in ordine diaconatus conſtituti ad electionem admittendi non ſunt, inſpiciendum erit antequam ad electionis negotium procedatur, an aliqui ex cardinalibus præſentibus ordine prædicto careant, nam ſi careant, a ſuffragio ferendo excludendi erunt, niſi privilegio Pontificio muniti ſint. De cardinali autem cui ante mortem Pontificis os fuit clauſum, aliquando dubitatum eſt: verum a Pio V. fuit hæc dubitatio ſopita per ejus decretum editum 26. Jan. 1571. quo declaravit hujuſmodi oris clauſuram ceremoniam quandam eſſe, ea de cauſa introductam ut cardinales, antequam in conſiſtoriis & congregationibus ſuffragium ferant, de modeſtia, quæ ab ipſis in his & aliis actionibus adhiberi debet, quodammodo admoneantur, non autem pertinere ad præcipuam cardinalium facultatem, quæ circa ſummi Pontificis electionem verſatur, quæ declaratio Pii V. ſemper hucuſque obſervata fuit.

Quoniam autem ex Gregoriana conſtitutione ad actum electionis ſub pœna nullitatis devenire non poſſunt patres, niſi clauſo conclavi, tres cardinales & camerarius ejuſdem conſtitutionis executores deputati profitebunt, ut ſtatim poſt clauſum conclave diligens per aliquos fiat inquiſitio ſuper ipſa clauſura, eaque in affectu reperta, curabunt, ut de ea publicum fiat documentum per magiſtrum ceremoniarum rogandum, & poſt hujuſmodi documentum etiamſi conclave in totum vel pro parte de facto apertum fuiſſe reperiatur, ſemper tamen clauſum & pro clauſo cenſeri & haberi debet ad effectum validitatis electionis, donec de conſenſu duarum partium cardinalium præſentium per ſecreta ſuffragia apertum eſſe declaretur. Hæc tamen declaratio electioni, quæ ante ipſam facta fuerit, nullatenus præjudicare debet, neque ob ipſam declarationem præcedens electio impugnari poteſt.

Mane ſequenti poſt clauſum præcedenti nocte conclave, poſt ſolitum campanulæ ſonum, conveniunt cardinales in eo præſentes, qui infirmitate non ſunt impediti, ad capellam Paulinam, & ibi celebrata conſueta miſſa, & facta cardinalium communione, ſtatim ad negotium electionis procedere debent, quod quidem hodie ex Greg. conſtitutione, uno tantum ex tribus modis ſive formis peragendum eſt, alioquin electio nullitatis vitio ſubjacet.

Primus modus eſt, qui quaſi per inſpirationem vocatur, quando ſcilicet omnes cardinales quaſi afflati Spiritu ſancto, aliquem unanimiter & viva voce ſummum Pontificem proclamant; circa quem modum ex conſtitutione Gregoriana infra ſcripta notari poſſunt.

Primum hæc forma electionis practicari poteſt ſolum in conclavi, & eo clauſo. Secundo debet fieri electio ſecundum hanc formam ab omnibus & ſingulis cardinalibus in conclavi præſentibus. Tertio communiter & nemine eorum diſſentiente. Quarto nullo præcedente de perſona ſpeciali tractatu, & per verbum (eligo) intelligibili voce prolatum, aut ſcripto expreſſum, ſi voce non poſſit referri; exemplum autem hujus poteſt eſſe hujuſmodi: Si aliquis patrum, clauſo conclavi, nullo, ut præfertur præcedenti ſpeciali tractatu, diceret, reverendiſſimi perſpecta ſingulari virtute, & probitate reverendiſſimi D. N. judicarem illum eligendum eſſe in ſummum Pontificem, & ex nunc ego ipſum eligo in Papam. Deinde hoc audito ſi cæteri patres nemine excepto ſequentes primi ſententiam, eodem verbo (eligo) intelligibili voce prolato, aut ſi non poteſt in ſcriptis expreſſo, eundem N. de quo nullus ſpecialis tractatus præceſſit, communiter eligerent, ipſe N. eſſet canonice electus, & verus Papa ſecundum hanc electionis formam, quæ dicitur per inſpirationem, ſeu ut in ſacris canonibus ſcriptum eſt, quaſi per inſpirationem.

Secundus modus eſt per compromiſſum, quando ſcilicet cardinales ad electionem per hanc formam ſeu viam procedere volentes, committerent aliquibus ex patribus eligendi poteſtatem, ut vice omnium eccleſiæ catholicæ provideant de paſtore, cujus formæ praxis poteſt eſſe hujuſmodi. Primo omnes & ſinguli cardinales in conclavi clauſo præſentes, nemine eorum diſſentiente, in aliquos ex patribus compromiſſum faciunt, ex. gr. in hanc formam. In nomine Domini Amen. Anno ad ejuſdem &c. menſe &c. die &c. Nos epiſcopi presbyteri & diaconi S. R. E. cardinales omnes, & ſinguli in conclavi exiſtentes videlicet N. N. (& ſigillatim omnes nominentur cardinales) elegimus & eligimus per viam procedere compromiſſi: & unanimiter & concorditer nemine diſcrepante, eligimus compromiſſarios N. N. & N. cardinales &c. quibus damus plenariam poteſtatem & poteſtatem providendi S. R. E. de paſtore, ſub hac forma videlicet (hic optimum erit, ut cardinales compromittentes exprimant modum & formam, ſecundum quam electus debet cenſeri verus & legitimus Papa, ut puta, ſi electi ſint tres compromiſſarii, declarandum eſt an ad hoc ut electio ſit valida, prius proponere debeant ſacro collegio perſonam vel perſonas ab ipſis nominandam, vel nominandas ad pontificatum, an vero abſolute debeant electionem peragere: an omnes tres debeant convenire in unam perſonam, an vero ſufficiat, quod duo in unam concordent, & an debeant nominare aliquem de collegio vel etiam aliquem extra collegium, & alia his ſimilia.)

His autem vel aliis ſimilibus expreſſis, addi compromiſſo ſolet tempus, ad quod uſque volunt cardinales poteſtatem compromiſſarios habere eligendi, & poſtea ſubjunguntur hæc verba: Et promittimus, non illum pro Romano Pontifice habituros, quem D. D. compromiſſarii ſecundum formam

formam prædictam duxerint eligendum, vel alia ad formam compromiſſariis præſcriptam accommodata.

Secundo, completo hujuſmodi mandato, compromiſſarii ad partem in aliquo loco ſeparato ſe conferunt, & de electione facienda tractant, & ſolet inter eos præmitti proteſtatio, quod per quamcunque prolationem verborum, ſuum dare conſenſum non intelligunt, niſi in ſcriptis illum expreſſe ponant. Et hæc proteſtatio videtur neceſſaria inter compromiſſarios ut verbis humanis & reverentialibus inter ſe ſine præjudicio uti poſſint.

Tertio, facta per compromiſſarios electione ſecundum formam eis præſcriptam, & ſervatis iis, quæ Gregorius XV. in ſua conſtitutione juſſit, electus per hujuſmodi viam compromiſſi eſt canonicus & verus Papa.

Tertius modus ſeu forma electionis Romani Pontificis eſt, quæ vocatur per ſcrutinium, vel per ſcrutinium & acceſſum: cujus formæ ritus ſecundum Gregorianam conſtitutionem, quæ vult non ſolum ſcrutinium fieri ſecretum, ſed etiam acceſſum, continet tres actiones, alteram, quæ anteſcrutinium, alteram quæ ſcrutinium, & tertiam quæ poſtſcrutinium appellari poteſt.


Anteſcrutinii actus ſunt quinque, videlicet præparatio ſchedularum ſcrutinii & acceſſus; extractio ſcrutatorum pro votis infirmorum per ſortem; ſcriptio ſchedularum ſcrutinii; earum complicatio; & obſignatio.

Schedularum præparatio ad magiſtros ceremoniarum pertinet, qui eas impreſſas, ubi fieri poterit, alioquin unius manu ſcriptas ſecundum formam inferius deſcribendam accipient, tam pro ſcrutinio, quam pro acceſſu: & ponunt in duobus diſcis vulgo (bacili) nuncupatis, quos in menſa ante altare collocabunt, ut inde poſſint cardinales, cum opus fuerit, ſchedulas ſumere.


Forma autem ſchedulæ ſcrutinii quod ad ejus figuram attinet, erit altera parte longior, hoc eſt plus longa, quam lata; longitudo ejus erit fere palmi, latitudo autem dimidii palmi.

Quo vero ad contenta in ea, in anteriori ejus parte, quæ brevitatis gratia facies nominari poſſit, tria continere debet. Primo in ſuperiori parte ſecundum ejus latitudinem, duo hæc verba (Ego Card.) cum tanta ab invicem diſtantia, ut inter ipſa nomen proprium cardinalis eligentis ſcribi poſſit; & paulo inferius duos circulos parvos ad loca ſigillorum indicanda. Secundo, in medio continere debet hæc verba: Eligo in ſummum Pontificem Reverendiſſimum Dn. meum Dn. cardinalem. Tertio in parte inferiori alios duos parvos circulos ad loca ſigillorum ſimiliter demonſtranda. Forma vero ſchedulæ acceſſus eadem prorſus eſt, quæ ſcrutinii, niſi quod in medio ejus loco verborum: Eligo in ſummum Pontificem Reverendiſſ. Dn. meum Dn. cardinali, ponantur hæc verba: Accedo Reverendiſſ. Dn. meo Dn. cardinali. Verum facilius, quæ dicta ſunt, percipientur ex infra ſcriptis figuris & exemplis.

Exemplum faciei ſchedulæ ſcrutinii.



Exemplum faciei ſchedulæ acceſſus.




In

Digitized by

In exteriori autem parte ſchedularum tam ſcrutinii, quam acceſſus, quæ tergum nominari poteſt, duo ſunt imprimendi limbi ex illis, quos ad ornatum librorum impreſſores adhibent, & vulgari vocabulo fregi nuncupant, quorum primum circa ſui medium continet hoc verbum, nomen, impreſſum ſecundum longitudine ipſius limbi, alterum vero continet hoc verbum, ſigna, ſimiliter impreſſum ut præcedens. Hi autem limbi excogitati ſunt ad obſcurandum diaphanum paginarum, ne ſcilicet ad lumen nomina & ſigna eligentium conſpici poſſent; ubi vero impreſſoris copia non fuerit, limborum defectus lineis ſuppleri poterit. Sed hæc fient clariora per infra poſitam figuram tergi ſchedularum ſcrutinii & acceſſus.

Exemplum tergi ſchedularum ſcrutinii & acceſſus.



Secundus actus anteſcrutinii eſt extractio ſcrutatorum: quæ extractio, antequam ad ſcrutinium procedatur, ſorte facienda eſt, hoc modo. In uno ſacculo aut vaſe publice ponantur tot ſchedæ vel, ſi magis placet, ſpherulæ ligneæ palam numeratæ, quot ſunt cardinales præſentes in conclavi, cum eorum nominibus, deinde per ultimum diaconum extrahantur primo ſcrutatores tres, & poſtea tres deputati pro votis infirmorum, qui brevitatis gratia infirmarii appellari poſſunt; de quorum omnium officio inferius ſuo loco ſcribetur: qua in extractione ſcrutatorum & infirmariorum ac etiam recognitorum, de quibus ſuo loco dicetur, ſi extracti fuerint cardinales qui ob infirmitatem aliudve impedimentum muneribus prædictis ſatisfacere non poſſint, alii non impediti loco illorum extrahantur. Peracta vero extractione, ſchedæ ſeu ſpherulæ eorum, qui extracti fuerunt, in ſacculum ſeu in vas iterum conjiciantur.

Tertius actus anteſcrutinii eſt ſchedularum ſcrutinii ſcriptio, quæ fiet hoc modo. Ad duas vel plures parvas menſas, quæ erunt cum atramento & calamis paratæ in loco capellæ apto, ut, qui ſcribunt, conſpici poſſint, quid vero ſcribitur non poſſit, accedentes cardinales per ordinem incipiendo a decano, & ibi ſedentes in ſcabellis paratis, ſchedulam quiſque ſuam acceptam prius ex diſco ſcribet hoc modo. Primo in prima parte in ſpatio inter verba (Ego Card) ſcribit proprium nomen; deinde in ſecunda parte nomen illius, quem eligit, charactere tamen quam tum fieri poteſt, alterato, ut manus ſcribentis cognoſci non poſſit; & caveat, ne plures in ſchedula ſcribat, quia ſuffragium juxta Gregorianam conſtitutionem eſſet nullum. In tertia vero parte ſigna, hoc eſt, numerum aliquem & dictum aliquod ſcripturæ, ſeu verbum, aut aliquid hujuſmodi, ut in exemplo pro faciliori intelligentia oculis ſubjecto videre eſt.

Digitized by Google

Exemplum ſchedulæ ſcrutinii ſcriptæ.

Ego Bonifacius Cajetanus.

O | | O

Eligo in ſummum Pontificem Reverendiſſ. D. meum D. Card. Baronium.

O | | O

18. Gloria in excelſis.

Ego Robertus Card. Bellarminus.

O | | O

Eligo in ſummum Pontificem Reverendiſſ. D. meum D. Card. Baronium.

O | | O

18. Gloria in excelſis.

(nomen)

(ſigna)

Quartus actus anteſcrutinii eſt ſchedularum complicatio: quæ, ut expeditius peragi a cardinalibus valeat, poterit a ceremoniariis magiſtris, cum eas præparant, fieri in hunc, qui ſequitur modum. Binæ fiant plicaturæ ex utraque parte cujusque ſchedulæ, ita ut nomen eligentis, & ſigna cum fuerint ſcripta, maneant tecta ex utraque parte a limbis; deinde quod reliquum eſt ita complice-

plicetur, ut ſchedula fere ad latitudinem pollicis redigatur, prout ex complicata ſchedula, quæ hic exempli gratia ponitur, conſpici poteſt.

Cæterum magiſtri ceremoniarum ſchedulas, non complicatas, ut ſupra, ſed explicatas, & cum cera rubra in parvis circulis, ponent in diſcis, & cardinales poſtquam eas, ut ſupra, ſcripſerint, eo uſque ſolum plicabunt, quo nomen & ſigna elegentis legantur, reliquas autem plicaturas tunc facient, cum ſchedulas, ut infra dicetur, obſignaverint.

Quintus & poſtremus actus anteſcrutinii eſt ſchedularum obſignatio, quæ ab uno quoque cardinali facienda erit in tergo ſchedularum cum ſigillo ad hoc parato, in loco parvorum circulorum ubi cera fuerit poſita. Porro ſigillum non debet eſſe ſolitum cardinalis, ſed aliud, & ſecrete habitum, & ita ſimplex, ut facile notari poſſit, veluti, ſi in ſigillo ſculpantur, aut tres numeri aut tres literæ, vel literæ, & numeri, vel una tantum imago. Et hæc de anteſcrutinio ſufficiant: cæterum, quod attinet ad cardinales infirmos, aut aliter impeditos, inferius loco ſuo dicetur.

Sequitur ſecunda actio, quæ nomine ſcrutinii appellata fuit. Octo ſunt hujus actionis actus: videlicet, delatio ſchedulæ, juramenti præſtatio, poſitio ſchedulæ in calicem, ſchedularum mixtio, earum numeratio, ſcrutinii publicatio, ſchedularum in filum inſertio, earumque depoſitio ſeorſim.

Delatio ſchedulæ, & duo ſequentes actus, qui melius ſimul deſcribuntur ob eorum connexitatem, hoc modo fient. Quilibet cardinalis propriam ſchedulam poſtquam illam ſcripſerit, obſignaverit & complicaverit, duobus primis digitis ſumet, ac elevata manu palam deferet ad altare, penes quod ſtant ſcrutatores, & in quo eſt calix magnus ad recipiendas ſchedulas paratus, & patena coopertus, ibique genu flectens, aliquantulum orabit; deinde ſurgens alta & intelligibili voce, jurabit in hanc formam, quæ in tabella ſuper altari poſita deſcripta habetur. TESTOR CHRISTVM DOMINVM, QVI ME JVDICATVRVS EST, ME ELIGERE, QVEM SECVNDVM DEVM JVDICO ELIGI DEBERE, ET QVOD IDEM IN ACCESSV PRÆSTABO. Poſt hæc ſchedulam in patenam ponet, & per patenam mittet in calicem, quo facto inclinabit ſe ad altare, & ad ſuum locum revertetur. Et hæc ſervanda erunt, ſi cardinalis ad altare pergere poſſit; nam ſi ob infirmam valetudinem non poſſit, & præſens in capella ſit, ultimus ſcrutator diſcum cum ſchedulis ad eum deferet, ex quo cardinalis infirmus unam accipiens, eam in loco ſuo ſecrete, ut ſupra dictum eſt, conficiet; deinde prævio juramento prædicto ſchedulam obſignatam, & complicatam, eidem ſcrutatori tradet, qui eam palam deferet ad altare, & ſine oratione, & juramento in patenam ponet, & per eam in calicem mittet; quæ omnia obſervanda erunt per ultimum ſcrutatorem erga eos cardinales, qui in capella præſentes ob valetudinem ad altare pergere non poterunt. Si vero aliqui cardinales infirmi ſint in ſuis cellis, tres cardinales infirmarii, ut ſupra extracti, ad eos accedent cum capſula altitudine unius palmi, in cujus ſuperiori parte ſit rima, ſeu foramen ejus magnitudinis, ut per illud ſchedula complicata poſſit per ſuam latitudinem intus capſulam tranſmitti: quam capſulam, antequam ſcrutatores infirmariis tradant, palam aperient, ut cæteri cardinales poſſint eam inanem & vacuam conſpicere, deinde claudent, & clavem ponent ſuper altare; deinde infirmarii cum capſula clauſa, & cum parvo diſco tot ſchedulas continente, quot ſunt infirmi cardinales, ad unumquemque eorum accedent; infirmi acceptas ex diſco ſchedulas ſecrete ſcribent, obſignabunt & complicabunt, & prævio jam dicto juramento in capſulam per rimam mittent; quod infirmi ſcribere non poſſint, alii eorum arbitrio eligendi, præſtito de ſecreto ſervando in manibus infirmariorum juramento, prædicta facient: atque hi advertere debent, ut non ſolum juramenti vinculo teneantur ſervare ſecretum, ſed etiam in excommunicationem latæ ſententiæ, ſi contra fecerint, incurrent. His peractis infirmarii ad capellam revertentur cum capſula, quam ſcrutatores aperient & ſchedulas in ea contentas palam numerabunt, & tot repertas, quot ſunt infirmi, ponent, ſingillatim in patenam & per patenam ſimul omnes in calicem. Ne autem nimis in longum protrahatur ſcrutinii actio infirmarii, poterunt proprias ſchedulas poſt decanum conficere, & in calicem ponere, deinde dum cæteri cardinales ſcrutinium agunt, ad infirmos pergere ad accipienda eorum ſuffragia eo modo, quo proxime ante dictum eſt.

Quartus actus ſcrutinii eſt ſchedularum permixtio; quæ fiet per primum ſcrutatorem, calice in quo ipſæ ſchedulæ poſitæ fuerunt, patena cooperto, pluries agitato.

Quintus actus eſt numeratio ſchedularum, quæ palam fiet per ultimum ſcrutatorem capiendo ſingillatim unamquamque ſchedularum ex calice, eamque ponendo in alium, qui ad hoc paratus ſit, calicem vacuum. Quodſi numerus ſchedularum non reſpondeat numero cardinalium, omnes comburendæ ſunt, & iterum, id eſt ſecunda vice, ad ſuffragia ſtatim eſt deveniendum. Si vero numerus ſchedularum numero cardinalium reſpondeat, proſequendi ſunt alii actus ſcrutinii.

Sextus actus eſt publicatio ſcrutinii, quæ per ſcrutatores, qui ſedent ad menſam ante altare poſitam, fiet hoc modo, primus ſcrutator accipiet unam ſchedulam, eamque intactis ſigillis explicabit, & viſo in ea ſchedula electi nomine, eam tradet ſecundo ſcrutatori, qui pariter eodem electi nomine perſpecto, eandem tradet tertio, qui illam alta & intelligibili voce præleget, ut omnes cardinales præſentes notare poſſint ſuffragium in folio inpreſſo, quod penes ſe habebunt cum nominibus omnium cardinalium, notabit autem juxta nomen cardinalis ex ſchedula recitati. Idem faciendum erit de cæteris ſchedulis in calice poſitis, usque ad ultimam. Quodſi in ſcrutinii publicatione inveniant ſcrutatores duas ſchedulas ita complicatas, ut ab uno tantum datas fuiſſe appareat, ſiquidem unus & idem in utraque electus fuerit, ſchedulæ prædictæ habebuntur & notabuntur pro uno ſuffragio; ſi vero diverſi fuerint nominati, neutrum ſuffragium validum erit, prout in bulla Gregoriana ſtatuitur de illa ſchedula, in qua plures nominati ſunt; ſcrutinium tamen neutro caſu vitiatur. Cæterum

rum ſuffragia prædicta, finita ſcrutinii publicatione, poterunt a patribus juxta nomina cardinalium qui ea obtinuerunt, in unam ſummam redigi, vel in ſe parato folio notari, hoc modo: Reverendiſſ. D. cardinalis A. habet ſuffragia 20. & Reverendiſſ. D. cardin. B. habet ſuffragia 15. & ſic de aliis: quod fit, ne cardinales, cum opus eſt, cogantur ſemper numerare ſuffragia, quæ juxta nomina cardinalium notarunt.

Septimus actus ſcrutinii eſt ſchedularum in filum inſertio, quæ, ut ſchedulæ ipſæ cautius conſervari poſſint, excogitata fuit. Hæc autem inſertio fiet per ultimum ſcrutatorem, inſerendo ſchedulam unamquamque poſtquam eam perlegerit, acu cum filo ad hunc effectum parato, in loco, ubi eſt verbum, eligo.

Octavus & poſtremus ſcrutinii actus eſt depoſitio ſchedularum ſeorſum, quæ ſimiliter fiet per ultimum ſcrutatorem, quæ finita inſertione omnium ſchedularum in filum, capita fili nodo junget, & ſchedulas omnes ita colligatas, in alium calicem vacuum, vel in menſa ſeorſum ponet.

Sequitur tertia & poſtrema actio, quæ poſtſcrutinium appellata fuit, cujus actus, ſi ſecuta ſit electio per ſcrutinium, tres tantum ſunt, videlicet, numeratio ſchedularum, recognitio ſuffragiorum, & ſchedularum combuſtio, de quibus inferius ſuis locis dicetur. Si vero per ſcrutinium non ſit ſecuta electio, actus ſunt ſeptem, videlicet acceſſus; ſigillorum & ſignorum aperitio; eorum annotatio; ſuffragiorum examen; ſuffragiorum ſcrutinii, vel ſcrutinii & acceſſus numeratio; eorum recognitio; & ſchedularum combuſtio.

Primus itaque actus eſt acceſſus, qui immediate poſt ſcrutinii, hoc eſt, poſt depoſitas ſeorſum ſcrutinii ſchedulas fiet, niſi forte in ſcrutinio fuerit creatus Papa; tunc enim nullus fieri debet acceſſus; in quo quidem acceſſu eadem omnia ſervanda ſunt a cardinalibus, quæ dicta ſunt, ſervari debere in ſcrutinio peragendo tam in ſchedularum ſcriptione, obſignatione, complicatione, delatione, & poſitione in calicem, quam in earum numeratione, publicatione, notatione ſuffragiorum, & inſertione in filum, ac depoſitione ſeorſum; exceptis tamen infra ſcriptis. Primo quod cardinalis ſchedulas pro acceſſu ſumere debet ex diſco ſchedularum acceſſus; ſecundo in ſchedularum acceſſus ſcriptione ſi cardinalis nemini velit accedere, debet in media ſchedulæ parte loco nominis cardinalis, qui ſcribendus eſſet, ſi ad eum fieret acceſſus, ſcribere, nemini, ſchedula autem acceſſus ſcribi & obſignari debet cum eisdem ſigillis, & ſignis ſchedulæ ſcrutinii ſub pœna nullitatis ſuffragii ipſius acceſſus. Tertio, quod non poteſt acceſſus fieri ad eum cardinalem, qui in ſcrutinio ſaltem unum ſuffragium non obtinuerit, neque ad eum, qui ab ipſomet cardinale fuit in ſcrutinio nominatus. Quarto, quamvis in acceſſu non liceat plures nominari, ſicut non licet in ſcrutinio plures eligere ſub pœna nullitatis ſuffragii, tam in acceſſu quam in ſcrutinio: nihilominus licebit accedere uni ex pluribus nulliter a ſe nominatis in ſcrutinio, dummodo ei ab alio aliquod ſuffragium, non tamen nulliter, ut præfertur, in ipſo ſcrutinio datum fuerit. Quinto quod in acceſſu non præſtatur juramentum, de quo ſupra, quia in ſcrutinio fuit jam præſtitum per illa verba: (Et quod idem in acceſſu præſtabo) Sexto, denique infirmarii deferre debent ad infirmos ſchedulas acceſſus, & ſimul etiam unum folium impreſſum, in quo ſit notatus ſuffragiorum numerus palam recognitus, quæ quisque card. in ſcrutinio nominatus obtinuerit.

Secundus, tertius, & quartus actus poſtſcrutinii ſunt ſigillorum & ſignorum aperitio, eorum annotatio, & ſuffragiorum examen; qui tunc ſolum locum habere poſſunt, quando ſecuta eſt electio per ſcrutinium, & acceſſum: fieri autem debent hoc modo.

Primus ſcrutator ſchedulas acceſſuum, quos obtinuit electus, in ea parte ſolum, quæ ſigna continet, aperiet & inſpectis diligenter earum ſigillis & ſignis, apertas, ac in filo ut erant inſertas, tradet ſecundo ſcrutatori; & ſecundus, eadem inſpectione facta, porriget tertio, quia alta & intelligibili voce ſigilla & ſigna prædictarum ſchedularum enuntiabit, & annotabit in latere ſiniſtro folii impreſſi, ad hunc effectum parati, ſub verbis (ſigilla & ſigna acceſſuum) quam etiam annotationem facient cæteri cardinales, ſi voluerint, in ſimili folio impreſſo. Deinde primus ſcrutator, reliquis ſcrutatoribus inſpicientibus, pro acceſſuum prædictorum examine capiet ſchedulas ſcrutinii, & incipiens ab uno capite fili, in quo inſertæ ſunt, ſigillum primæ ejus ſchedulæ quæret in ſigillis acceſſuum notatis, ut ſupra in folio impreſſo, & ſi illud in eo non invenerit, omiſſa prima ſcrutinii ſchedula, capiet ſecundam, ejusque ſigillum ſimiliter quæret; quodſi etiam non invenerit, capiet tertiam, & deinde ſequentes ſingillatim, donec ſigillum alicujus earum inveniat; eoque invento, ſcrutinii ſchedulam in ea parte, ubi ſigna ſunt, aperiet, & ſi non invenerit ſigna hujus ſchedulæ concordare cum ſignis acceſſus, ſchedulam illam omittet, & aliam capiet, ſicut paulo ante de ſchedulis non concordantibus in ſigillo dictum eſt; ſi invenerit ſigna concordare, oſtendet illa ſecundo & tertio ſcrutatoribus, qui una cum ipſis, poſt diligens examen ſuper idenditate ſigillorum & ſignorum ambarum ſchedularum, ſcrutinii ſcilicet & acceſſus, inſpiciet, an idem, vel diverſi in utraque ſchedula ſint nominati, & ſi idem nominatus ſit, ſuffragium acceſſus nullum cenſebitur; ſi vero diverſi nominati ſint, ſuffragium acceſſus pro valido habebitur, & hoc caſu tertius ſcrutator ſigillum, & ſigna ſchedulæ ſcrutinii, ac etiam nomen electi, qui in ea continetur, alta & intelligibili voce enunciabit, & annotabit in latere dextero prædicti folii impreſſi, ſub verbis (ſigilla & ſigna ſcrutinii reſpondentia acceſſibus) notabit autem ea ex adverſo acceſſus concordantis in ſigillo & ſignis, quam annotationem cæteri quoque cardinales ſi voluerint, in ſimili folio impreſſo facient.

Sed hujusmodi actus, qui explicatione difficiliores ſunt, quam operatione, exemplo melius percipientur.

Exem-

EXEMPLUM

Folii impreſſi, in quo acceſſus & ſcrutinii ſigilla ac ſigna concordantia annotantur.

Sigilla & ſigna acceſſuum	Sigilla, & ſigna ſcrutinii acceſſibus reſpondentia	Cardinales nominati in ſcrutinio
A. C. D. 43. Deus		
B. R. F. 32. Bonitas		
R. G. I. 50. Beatitudo	B. R. F. 32. Bonitas	Card. S. Euſebii
N. S. P. 26. Gloria	R. G. I. 50. Beatitudo	Card. S. Sixti

Quodſi fortaſſe in iſta inquiſitione contingat, duas vel plures ſchedulas ſcrutinii reperiri cum iiſdem ſigillis & ſignis alicujus ſchedulæ acceſſus, tunc ſi in aliarum aliqua electus nominatus fuerit, in alia vero alius, primus ſcrutator reliquis ſcrutatoribus ſimiliter inſpicientibus, ſcrutinii ſchedulas hujuſmodi & ſchedulam acceſſus, in ea etiam parte, in qua eſt nomen eligentis & accedentis, aperiet, ut conſtare poſſit ſecundum Gregorianam conſtitutionem de validitate & invaliditate acceſſus; ſi vero in aliqua hujuſmodi ſchedularum ſcrutinii concordantium cum acceſſu non ſit nominatus electus, debent eæ ſchedulæ omitti, & ad ſubſequentes procedendum erit.

Quintus actus poſtſcrutinii eſt numeratio ſuffragiorum vel ſcrutinii ſolius, vel ſcrutinii & acceſſus, quæ fiet per ſcrutatores ſemper, ſive ſecuta ſit electio, ſive non: & ſiquidem ſecuta non ſit electio, ut ſciatur, quod in eo ſcrutinio, vel ſcrutinio & acceſſu, non habetur Papa; ſi vero ſecuta ſit, ut conſtet de canonica Pontificis electione; fiet autem hæc numeratio ſuffragiorum hoc modo. Scrutatores in unam ſummam redigent ſuffragia, quæ quilibet nominatus in Pontificem obtinuit, ſive in ſcrutinio ſolo, ſive in ſcrutinio & acceſſu ſimul; & ſi invenerint nullum ex nominatis ad duas tertias partes ſuffragiorum perveniſſe, non habetur Papa in illo ſcrutinio, ſive ſcrutinio & acceſſu. Si vero invenerint aliquem ex nominatis duas tantum partes ſuffragiorum obtinuiſſe, aperiunt electi ſchedulam etiam in ea parte, in qua eſt eligentis, & ſi quidem ex ea apparuerit, electum alii ſuffragatum fuiſſe, electio ejus erit canonica, ſi vero conſtiterit ſibi ſuffragium dediſſe, ejus electio ex diſpoſitione Gregorianæ conſtitutionis nulla erit ob defectum ullius ſuffragii. Si denique plures invenerint duas tertias partes ſuffragiorum obtinuiſſe, vel etiam ultra duas tertias, tunc in ſuffragiorum paritate nullus erit electus, in imparitate vero ille eſt canonicus Papa, qui ſuperat alium etiam in uno ſuffragio.

Sextus actus poſtſcrutinii eſt recognitio, quæ per recognitores, ſive ſecuta ſit electio ſive non, fiet, inſpiciendo tamen ſchedulas ſcrutinii & acceſſus, quam ſuffragiorum annotationes factas per ſcrutatores, ut per hujuſmodi recognitionem conſtare poſſit, an ſcrutatores ſincere & fideliter muneri ſuo ſatisfecerint. Recognitores autem extrahantur ſorte, ut ſcrutatores & infirmarii, ſtatim quidem poſt ſcrutinium, ſi ſecuta ſit in eo electio, ſi vero non ſit ſecuta, poſt ſcrutinium & acceſſum, cum ſcilicet ſcrutatores ſuum impleverint munus per numerationem ſuffragiorum: & hæc extractio fiet, ſive ſecuta ſit electio in ſcrutinio & acceſſu, ſive non.

Septimus & poſtremus actus poſtſcrutinii eſt combuſtio omnium ſchedularum, quæ ſemper, & palam per ſcrutatores fiet, ac ſtatim poſt recognitionem, ſive electio ſit ſecuta ſive non. Et hæc omnia, quæ ſcrutinii ritibus ſunt expoſita, ſervanda erunt diligenter a cardinalibus in omnibus ſcrutiniis, ſive fiant mane poſt miſſam, ſive veſpere poſt hymnum (veni creator ſpiritus)

Atque hi ſunt ritus ex præſcripto conſtitutionis Gregorii Papæ XV. in electione Romani Pontificis obſervandi. Motu itaque proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia & ſingula in prædicto ceremoniali ordinata, & quomodolibet contenta, tenore præſentium perpetuo approbamus & affirmamus; illiſque omnibus & ſingulis perpetuæ & inviolabilis apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, eaque a vener. fratribus noſtris S. R. E. cardinalibus omnibuſque & ſingulis aliis, ad quos ſpectat, & ſpectare quomodolibet poterit in futurum, omnino obſervari præcipimus & mandamus; ac ceremoniale hujuſmodi, in totum vel in parte mutari, vel ei aliquid addi prohibemus. Decernentes ſic & non aliter per quoſcunque ac eoſdem S. R. E. cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari & definiri debere, non obſtantibus omnibus illis, quæ in primodicta conſtitutione voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, adjectionis, præcepti, mandati, prohibitionis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Dat. Romæ apud ſanctum Petrum, anno incarnationis dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo, quarto idus Martii, pontificatus noſtri II.

V. Dat.

Jo. Beninus

N. Odes.

Anno a nativitate domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo indictione quinta, die vero ſecunda menſis Aprilis, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris, & D. N. D. Gregorii divina providentia Papæ XV. anno ejus ſecundo, introſcriptæ literæ apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicarum S. Joannis Lateran. Principis apoſtolorum de urbe, ac cancellariæ apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, dimiſſis ibidem earundem literarum originalibus appenſis per aliquod temporis ſpatium, & exinde amotis deinde dimiſſis earundem literarum copiis affixis, ut moris eſt, per nos Auguſtinum Bracherium, & Brandimartem latinum S. D. N. Papæ curſores.

HERMANNI CONRINGII

ARISTOTELIS LAVDATIO.

Orationes duæ

Quarum prior habita in acad. Julia XX. Septembr. anno cIↃ IↃ CXXXII. quum publicam naturalis philoſophiæ profeſſionem aggrederetur.

Viro Magnifico, Nobiliſſimo Clariſſimoque

DN. ARNOLDO Engelbrecht, JCto

Et Oratori, Sereniſſimique Brunſuicenſium & Luneburgenſium Principis Cancellario,

S. P. D.

QUi hominem primi parvum mundum dixere, ARNOLDE ENGELBRECHT, Vir Magnifice nobiliſſimeque, præclarum illi ſane ac permagnum quid ſuo animo agitarunt. Neque vero ad corporis hanc ſtructuram, ad hanc carnem, hæc oſſa, quod quidam exiſtimant, reſpexerunt, ſed altius penetrantes, de eo, quo vivimus mortales ac ſapimus, locuti ſunt. Enim vero geſtat mens noſtra haud vanam vel exiguam magni hujus univerſi ſpeciem, ſed cum parte alia tum infinita illa capacitate exacte illud refert exprimitque. Etenim, ingenti certe miraculo, ceu prima illa, quam vocant, rerum materia innumeras exhibet diverſitates, haud aliter humanus intellectus innumeram ſcientiæ copiam recipit. Nec tamen divitiis illis gravatur aut moleſtiam capit, ſed exultat quaſi, inque ſe revolutus novum ſubinde ſibi fœtum gignit. Cæterum iſtiusmodi licet theſaurum ſuo quiſque pectore gerat, paucos tamen oppido reperias, qui dignitatis ſibi conſcii ingenium ſuum admirentur. Itaque plurimi arant, ædificant, amiciunt cutem, edunt, bibunt, ludunt, faciunt rem, ſummum ſibi aliquem locum ſtruunt, quaſi tantum horum aliquid agere ſua in poteſtate ſit. Sunt & nihilominus apud quos in animo pretium eſt; ſed videre quoſdam etiam horum licet aut religionum ſectis ſe addicere, aut fori verſutiis impalleſcere, aut remediorum aliquid ægrotis quærere, aut de natura quædam, moribus ac republica diſſerere, ſuis unice ita deditos, ut dum reliqua contemnunt, nec ſua vix diſcant. Horum tamen qui aliquantillum didicit, ille excoluiſſe mentem creditur, eoque ſapiens interdum audit ac ingentis cujuſdam eruditionis. Atque illis quidem fortaſſis licet quocunque alio titulo ſuperbire; id dolendum tamen eſt ac deplorandum, eorum exemplo vim optimis ingeniis fieri, quæ ad ſumma quæque contenderent, niſi ſuas vires aliorum ignavia aut infortunio metirentur. Quum enim videant vulgo non usque adeo alte aſcendi, ne altius quidem aſcendi poſſe arbitrantur. Ideoque excelſum illum animum levibus quibusdam curis ſubmittunt, ac intra per anguſtos unius cancellos doctrinæ divinitatem ſuam conſtringi patiuntur. Equidem haud diffitebor, omnes eodem pervenire haud poſſe, multoſque ſeu infelici naſcendi ſorte, ſeu maligna inſtitutione, ſeu vitæ calamitatibus ad humilia admodum vota deprimi, quibus nemo non merito ignoſcet. Sed excitatas illas altaſque mentes, quaſque fortuna ſecundior aſpicit, plebis conſuetudine, ceu tyrannide quadam, ad tenuia iſthæc ac vilia adſtringi, id vero grande neſcio an non nefas ducendum ſit. Certe operæ fuerit pretium erigere animos melioribus exemplis, atque ſuarum eos virium admonere, ne deſperatione ducti primo in curſu fatiſcant, ſed quoad poterunt progredi connitantur. Ac mihi quidem in proclivi fuerit, haud paucos una ex Julia noſtra cum vivos tum mortuos in exemplum adducere: poſſim & te dare, magne Engelbrechti, qui nonniſi, poſtquam ante per omne genus eruditionis animum diffudiſſes, nunc in optima, quæ reipublicæ præſidet, philoſophia conquieſcis. Tu profecto juxta alios illos oſtendiſti mortalibus, quam patens ſit ingenii campus, quam ingentes ejus vires, quamque illud verum ſit, parvum anguſto iſthoc in pectore mundum agitari. Verum enim vero te aliosque vivos plebejæ illi tyrannidi objicere, invidiæ fuerit pleniſſimum ac obtrectationis. Itaque nunc quidem unum Ariſtotelem produxiſſe in hanc ſcenam ſatis ſit, quem nihil quicquam latuiſſe, quod in pretio eruditionis ea quidem tempeſtate fuit, non ita pridem oſtendimus. Hujus enim magnitudo meta eſt melioribus animis, diſcuntque aut in æmulationem gloriæ aſſurgere, aut tenuitatem ſuam hinc æſtimantes non efferre ſe ſuperbo doctrinæ domicilio. Cæterum quæ de maximo illo viro dicta mihi publica in corona ſunt, non ea quidem in nomen tuum edi commerentur, magnifice Engelbrechti, haud alii tamen quam uni tibi fas eſt conſecrari. Tua enim dum in familia dego iſthæc mihi nata ſunt, tuoque inprimis favore ea mihi dignitas obtigit, cujus legibus ad dicendum compulſus ſum. Itaque ego quidem vim nunc facio pudori meo, qui ineptias iſtas tibi adfero, cum ſummi judicii viro, tum maximo oratori. Attamen hujus veniam facti non apud te minus impetraturum me confido, quam meæ in dicendo audaciæ ab Julia noſtra obtinui. Neque enim difficilem te mihi præbebis, cui hactenus, fateor, nimium indulſiſti: neque eo hæc meæ erga te obſervantiæ ſignum eſſe volo; ſunt enim nimis vilia: tantum legi iſthæc ad nominis tui aram in votis eſt.

Tuæ Magnif.

cliens

H. CONRINGIVS,

Magnifice.

Magnifice D. Prorector, Viri Reverendi, Clariſſimi, Excellentiſſimi,
Patres academici: nobiliſſimi & doctiſſimi juvenes, ſpes patriæ, ſeminarium reipublicæ, auditores dilectiſſimi.

NIſi & lex & conſuetudo ſevero id decreto mandaret, non prodiiſſem profecto hodie in hunc ſuggeſtum. Etenim quorum ſingula terrendo mihi poſſent ſufficere, ea momento unico, non ſingulatim, ſed univerſim occurrere mihi ſentio & adverſari. Sive enim pulpita iſthæc video & ſcamna, ſubit ſtatim memoriam, qui viri & quanti cum admiratione & ſtupore quodam audientium hoc ex loco verba olim fecerint. Sive vos ſpectem, patres, facile oculis notare licet, non unum, non alterum, non paucos, ſed vos omnes non doctrina minus & virtute quam copia ſermonis & elegantia florentiſſimos. Sive denique ad vos, juvenes ornatiſſimi, convertar, iſthoc quoque in numero haud paucos eſſe novi, qui partim non mediocriter in dicendo ſeſe exercuerunt, partim alios viros diſertiſſimos, & quibus cum ego quidem neutiquam mereor comparari, orantes audiverunt. Ego vero haud invitus fatebor, neque pulpitorum veteri gloriæ, neque veſtræ, patres, eloquentiæ, neque veſtræ, juvenes, exſpectationi ulla me parte reſpondere, & ſatius omnino foret ſilere me hodie, quam in hujus ignominiam loci moleſtum eſſe veſtris auribus, & ſi quod eſt nomen meum loquendo deterere. Sed uti in poteſtate mea non eſt, quæ ex re ſunt, dicere, ita neque nihil dicere, auditores, mei arbitratus eſt. Ideoque rogo vos, obteſtorque ea, qua par eſt, animi reverentia, detis veniam hodie non ex voluntate ſua, ſed ad ſacras academiæ leges ineptius forte peroranti. Enimvero ſi neceſſitati excuſatio debetur, maxima illa jure meritoque mihi eſt concedenda, cui legibus iſtis noſtris adverſari nefas eſt & crimen ingens. Cæterum veſtro quoque, auditores, in favore magnum balbutiei meæ ſubſidium ſpero pariter promittoque. Tanta enim eſt omnium veſtrum erga me benevolentia, tantus amor, ut polliceri mihi auſim, ne vitia quidem mea erroresque animadverſuros vos, ab amore occupato mentis & ingenii acumine. Neque enim recto ingenio eſt locus, quando amor dominatur: ita turbat hic penitus animum & obnubilat: neque reprehendere poteris quod diligis, aliorum licet in criminibus plus quam Catonis fueris ſeveritate, & obtutu lynceo. Quamobrem ne miremini quidem, auditores, ſi quod lex, quod patres juſſerunt, cum quadam etiam confidentia videar agere, tanto in famæ diſcrimine. Etenim haud diffitebor veſtro affectu ſubnixum me majora multo aggreſſurum eſſe, ſi ratio, tempus, locus, ut nunc, id ipſum poſtulent. Sed hodie quidem haud alia in re benignitate iſthac abutar, quam in recenſendis ſummi viri Ariſtotelis noſtri laudibus, quas ille virtute ſua multa & incredibili infinitas ſibi comparavit & immortales. Etenim cum non liceat non in vos peccare, minimum omnium peccaturum me judicavi, ſi ea dicerem, quæ quisque veſtrum etiam ſine amore, ſine odio, probare hactenus & laudare qua privatim, qua publice ſolitus eſt. Atque & ingenti ita me onere liberabo; ſiquidem ut, Socrate judice, non difficile factu eſt Athenis Athenienſes laudare; ad eundem modum fidem apud vos ſermoni meo facere ne opus quidem eſſe arbitror. Nemo ſane veſtrum eſt qui non ab ipſa pueritia Ariſtotelem didicerit laudare, inque ejus voluminibus magna ſeſe induſtria exercuerit. Hic enim ſanctus ſemper mos academiæ noſtræ fuit, id patres noſtri omnem fere Germaniam docuerunt. Utinam vero tam facile mihi ſit Ariſtotelis virtutes dicendo aſſequi, quam in proclivi eſt aſſenſum ea in re veſtrum impetrare! Ego vero fruſtra me hic eſſe ſatis ſcio: nimis enim ille calami mei tenuitatem excedit; fretus tamen innocentia hac mea, quod neceſſitate huc adactus ſim; fretus benevolentia erga me veſtra, auditores, dicam ea quæ in tanti viri gloriam mens mihi mea ſuggeſtura eſt. Quanquam novo quodam more, nec ad rhetorum illas leges, qui, quemadmodum dici ſolet, vel ex muſca elephantem producerent, Ariſtoteles noſter laudandus ſit. Verbis enim parcendum tanta in veræ laudis copia eſt. Sane ſi omnia ejus, quæ laudem vulgo impetrant, ſtudeam enarrare, ipſi quoque Græci & inprimis Macedones, & Æſculapii domus divina in ſcenam hanc forent producendi. Nam & Græcus, & Macedo, & Aſclepiadum tradux altero in parente fuit Ariſtoteles. Quis vero ex merito ſive Græcos laudaverit, ſive ſeorſim fortiſſimos illos Macedones? Quippe cum illis in univerſum omnem meliorem animi culturam debeamus, hi vero ſua arte, ſuo robore, ſuis armis orbem ſibi omnem terrarum ſubjecerint? Æſculapii vero virtutes & in mortale genus merita ſi recenſerem, auditores, dies me hic deficeret, in ſumma & rerum pariter & verborum abundantia. Atqui iſthæc omnia adducenda forent, ſi vulgi ex more laudes ſint Ariſtoteli noſtro conquirendæ. Neque enim parum ad gloriam facit, qua gente, qua domo ortus fueris: Suntque adeo non pauci, qui uno iſthoc venditant ſeſe & commendant. Ego vero indignum eſſe arbitror Ariſtotelis celſitate, laudes illi ex more vulgi petere: quippe qui immane quantum ordinem illum ſuperat & conditionem. Laudentur vulgi legibus, qui ex vulgo ſunt, qui gentis ſuæ, qui ſoli natalis, qui majorum virtute florent tantum, propriæ laudis pauperes & egeni. Ad Ariſtotelis gloriam, neque Græcorum res ingentes, neque Macedonum fortitudo, neque ipſe Deus Æſculapius, aut Machaon, aut Podalirius, quidquam ſolidi momenti contulerunt. Majus longe eſt atque excelſius, auditores, quod ſtupuit, quod mirata eſt, quod coluit in Ariſtotele ætas omnis. Utinam vero tam explicare illud ſermone queam, quam toto veneror animo! Nunc neque unde exordiendum mihi ſit ſatis novi, neque ubi pes inprimis ſit figendus. Etenim tanquam oceanum aliquem vaſtum, immenſum, tumidum, facta ego Ariſtotelis ſpecto, & in omne ævum beneficia. Dicamne qua pietate in patrem, in matrem, in oppidum natale fuerit? Tum vero narrandum foret, *ut patris memoriam in Nicomacho filio celebraverit*: (a) ut

(a) *ut patris memoriam in Nicomacho filio celebraverit*) Pater enim Ariſtotelis fuit Nicomachus originem ducens a Nicomacho Machaonis filio cujus medicam facultatem laudibus Homerus celebravit, Aeſculapii nepote, a quo Ariſto-

ut matris imaginem a Protogene, pictorum optimo, depictam ſacris dedicaverit: ut *Stagiram* (a) ſolo æquatam ſuis precibus non tantum ut inſtauraretur impetraverit, verum etiam publicam ejus rem legibus compoſuerit atque ordinaverit. Atqui maxime hæc ſunt & ſupra laudis terminos, venerationeque potius quam verbis proſequenda. Certe eo animi affectu Stagiritani civem ſuum coluerunt; quippe qui & feſtum & menſem in Ariſtotelis nomen celebrarunt, & Ἀριστοτέλειον, (b) quo ſenatus ſuus conveniret, exſtruxerunt. Nec injuria. Quid enim majus urbi poteſt evenire, quam ſi poſt ruinam reviviſcere poſſit ac florere? Id vero patriæ ſuæ Ariſtoteles dedit. Qui ſi ædes, ſi mœnia tantum reſtitui curaſſet, cadaver urbis effeciſſet: ſi leges tantum tuliſſet, umbram quandam & ſpiritum condidiſſet: nunc & animum & corpus patriæ largitus eſt, ut pater foret ejus, cui debebat natales. Dicamne quid gratiæ *Proxeno Atarnenſi nutricio ſuo retulerit?* (c) Enim vero plus reddidit quam acceperat. Nicanorem enim Proxeni filium, memor beneficiorum in generum, in filium ſibi adoptavit: nec adoptavit tantum, ſed omni quoque virtutis ac doctrinæ ſtudio erudivit. Quanto major & divinior animus eſt corpore, tanto excellentius Ariſtotelis hoc beneficium eſt, auditores: Proxenus quippe Ariſtotelis corpus, hic Nicanoris non corpus tantum ſed animum quoque ipſum magna diligentia laboreque curavit. Dixeris Ariſtotelem ad beneficia & gratitudinem natum fuiſſe: ita ſtudioſe hoc ipſum omni ætate egit. Quis enim vel erga præceptorem eo unquam cultu fuit & veneratione, ut Ariſtoteles illi ſecundus merito habeatur? *An quiſquam magiſtro ſuo aram dicavit?* (d) Atqui hoc Ariſtotelem Platoni dediſſe ipſi Platonis amici profitentur. Idem Platonis vitam laudesque integra oratione perſcripſit, & cum carmine illam ſupra omnem hanc mortalitatem longiſſime ſuſtulit. Haud me latet, auditores, quid multi de Ariſtotelis in Platonem garriant ingratitudine: ſed & illud ſcio, veterem illam famam, veterem injuriam eſſe. Cui quæſo eruditorum, cui bonorum pepercit calumnia? Ariſtoteli noſtro idem contigiſſe quis admiretur? Enim vero *vivo illum Platoni ſcholam oppoſuiſſe* (e) non niſi incerto eſt rumore acceptum. Certe neminem ejus ævi teſtem quis adducet: quæ enim *Ariſtoxenus* (f) narravit, ad Ariſtotelem pertinere ne minimo quidem licet indicio colligere, uti jam olim Meſſenius Ariſtocles recte demonſtravit. Quid vero? inſtituerit ludum Stagirites magiſtro ſuperſtite. An id ingrati animi ſignum eſt? Atqui Plato ipſe multa ſuorum in publicum edidit vivo Socrate: non minus autem docet, qui ſcriptis docet, quam qui ore ipſo. Sed a magiſtri placitis multum Ariſtoteles receſſit, paſſimque illum refellit. Ego vero neque cum Platonicis plurimis affirmabo, verborum eam pugnam videri, non rerum: neque profitebor, adverſus Platonis interpretes dimicare Ariſtotelem, non in Platonem ipſum, *quod haud pauci ajunt eruditorum:* (g) neutrum inquam horum adferam in medium, quum nec veritati illa conſentiant, nec ad defenſionem Stagiritæ faciant quidquam. Tantum illud haud ſatis intelligo, quum ingratitudinis accuſandus ſit, quod in magiſtri verba non juraverit. *Quid? nonne Plato* (h) & naturæ & numerorum & linearum inquiſitionem in ſapientiæ officio habuit? Atqui nihil horum admiſit magiſter Socrates, quippe qui uno morum ſtudio omnem philoſophiæ ambitum circumſcripſit. Imo vero quis tandem ita ſui doctoris veſtigia eſt inſecutus, ut pedem inde nullum unquam deduxerit? quis veſtrum, patres, eam ſervitutem, aut probavit, aut ſubivit? Attamen nemo niſi ſtultus, niſi indoctus, niſi improbus poſtulabit vos ingratitudinis, quod veritas vobis omni doctore potior fuerit viſa. Superbus eſt, qui cum ſibi a diſcipulo honorem deferri poſtulat: ſtultus eſt, qui hanc ſibi a magiſtro ſervitutem imponi patitur. Alia longe mens Ariſtoteli noſtro fuit, auditores, alius animus: ideoque haud ægre magis tulit diſſenſum maximi diſcipulorum Theophraſti, quam ipſe *libero judicio Platonis dogmata examini ſubjecit* (i) pariter

totelis pater non genus tantum, ſed & artem derivavit. Medicus nimirum fuit, cui SVIDAS *in voce Nicom.* ſex libros de medicina & unum de rebus naturalibus, GALENVS vero *lib. 5. de compoſit. medic. ſec. gen.* referente NVNNESIO *ad Ammonii vitam Ariſt. pag. 30.* emplaſtrum tribuit. Mater Ariſt. dicta fuit Phæſtias vel Phæſtis. Eam a Protogene filius, qua erat pietate, pingi curavit, quam imaginem PLINIVS inter præſtantiſſima illius opera cenſuit *hiſtor. natur. lib. 35. c. 10.*

(a) *Stagiram*) Urbem ad Strymonam fluvium ſitam, Thraciamque & Macedoniam diſtinguentem, portum cui capri nomen & parvam inſulam ejusdem nominis in ditione habentem. Unde quia dubitatur, num Stagira Thraciæ an Macedoniæ urbs fuerit, Ariſtoteles ab aliis natione Thrax & barbarus (Græcis enim Thraces erant Barbari) ab aliis Macedo habetur.

(b) Ἀριστοτέλειον) Corpus Ariſtotelis mortui Stagiritani Chalcide traduxere Stagiram & altare conſtruxere in monimento, locum illum ἀριστοτέλειον appellantes. Vid. *vet. interpr. vit. Ariſt.*

(c) *Proxeno Atarnenſi nutricio ſuo retulerit*) Vide AMMONIVM *in vita Ariſtot.* LAERTIVM *lib. 5. 9.* qui & ſtatuas Proxeno & uxori ab Ariſtotele poſitas refert.

(d) *An quiſquam magiſtro ſuo aram dicavit*) Refert id AMMON. *vit. p. 5.* aram Platoni ab Ariſtotele poſitam cum inſcriptione: Gratus Ariſtoteles ſtruit hoc altare Platoni, quem turbæ injuſtæ vel celebrare nefas. De oratione ejusdem in laudem Platonis vid. OLYMPIODORI *comm. in Plat. Gorg.*

(e) *vivo illum Platoni ſcholam oppoſuiſſe*) Rem ita referunt LAERTIVS *V. 2.* AELIANVS *V. H. V. 9.* HELLADIVS *in Chreſtom.* Platonem Ariſtoteli prætuliſſe ex condiſcipulis XENOCRATEM, SPEUSIPPVM, AMYCLAM, hac re vero commotum Ariſtotelem ſuperſtite Platone ei adverſam in Lyceo erexiſſe ſcholam, quam ægerrime ferens ingratitudinem Plato, *Ariſtoteles,* dixit, *in nos haud ſecus ac in matres equorum pulli recalcitravit,* eamque ob cauſam Ariſtotelem plerumque pullum appellavit.

(f) *Ariſtoxenus*) Hic SVIDA obſervante ſtatim poſtquam obiiſſet Ariſtoteles, varias ei calumnias aſperſit, vindictæ actus ſtudio, quod ei Theophraſtum in ſchola prætuliſſet poſtquam jam magna Ariſtoxeni fama eſſe cœpiſſet. Vid. BAYLE *dans le* D. H. C. *tom. I. pag. 312.* Eundem EVSEB. *præp. evang. lib. 15. 2.* adducit referentem, quod Ariſtoteles aliquando Platonis ſcholam adierit, eumque ſophiſticis circumvenerit fallaciis; quare turbatus Plato domo ſua ſe abſcondiderit, privatimque in ea docuerit, ſchola Ariſtoteli permiſſa, quam tenuerit usque ad Xenocratis reditum, quo facto ille iterum ejectus & Plato fuerit reſtitutus.

(g) *quod haud pauci ajunt eruditorum*) Præcipue Ammonius, quem alii ſecuti ſunt.

(h) *Quid? nonne Plato*) Is ipſe veritatem omnibus aliis rebus præferendam inculcavit, ſententiamque illam, *amicus Socrates ſed magis amica veritas,* paſſim repetiit, imo & alibi dixit, non æque Socratis attendenda ſunt dicta, quam veritati ſtudendum.

(i) *libero judicio Platonis dogmata ſubjecit*) Obſervatum tamen eſt nonnullis, Ariſtotelem cautiſſime nomini ejus par-

pariter rejecitque. Nectare omni ſuaviora ſunt, quæ primo Ethicorum volumine idem confutaturus præmittit: *δόξειε δὲ ἂν ἴσως* (inquiens) *βέλτιον εἶναι καὶ δεῖν ἐπὶ σωτηρίᾳ γε τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν, ἄλλως τε τὸ φιλοσόφους ὄντας. ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν.* Mirum vero, auditores, ſi in Ariſtotele improbaverit Plato, quod fecit ipſe, inque *Speuſippo & Xenocrate* (a) tolerandum judicavit. Neque profecto dubium cuiquam poteſt eſſe, utrum illorum ſæpenumero a magiſtro diſſentire, qui eorum placita leviter ſaltem cum Platonicis monumentis contulerit. Sed fortaſſe non tam hoc quam cultus ille veſtitusque Ariſtotelis ſplendidior uſſit *filium iſtum Ariſtonis:* (b) ita enim indicare Ælianus ille Prænestinus Sophiſta, haud obſcure profecto, videtur. Tantum vero abeſt, auditores, ut eo nomine traducendum Stagiritem arbitrer, ut potius veſtro omnium calculo laudandus hanc ob cauſam ille ſit & commendandus. Quæ enim iſthæc, ſtultitia dicam an arrogantia? incomto capillo, promiſſa hirquinum in ritum barba, hiſpidis membris, longo centone, baculo, olla, pera, baxeis, blautiis, atrocem virtute ac ſapientia animum polliceri? quis noſtrum ſordes illas in monachorum hypocriſi non ridet, non deteſtatur? Atqui vero hæc olim vita, hic cultus fuit eorum, qui philoſophos inter haberi ſtudebant. Hos ſi ſermone, ſi moribus Ariſtoteles riſit, cur non maximo id jure feciſſe dicendus ſit? Neque enim corporis cultu honeſtatis ille limites prætergreſſus, aut mollem habitum tonſura profeſſus eſt. Quis enim hodie honeſtior paulo aut non tondet, aut annulo non utitur & veſte cultiore? Quodſi id Platonem offendit, nos quidem ſeni ignoſcemus, ſicut ipſe olim Ariſtoteles nunquam venerari illum intermiſit; ut recte tamen indignatum eum fuiſſe affirmemus, non poſſumus profecto nos adduci. Quanti alias Plato eruditionis cauſa fecerit Ariſtotelem, ſatis inde ſuperque eſt manifeſtum, *quod & lectorem illum & ſcholæ mentem appellaverit*, (c) unique huic ſedenti, ſtantibus reliquis omnibus, recitaverit Phædonem ſuum recens a ſe conſcriptum. Ariſtotelem autem nihil amoris & reverentiæ deſiderari in ſe paſſum eſſe audiviſtis modo, auditores, nec dubitare mecum quiſquam poteſt, qui omnes ejus viri mores, facta, dicta, ſcripta, abſque odio & invidia conſideraverit. Nam ut & hoc adducam, quid non in Athenienſium uſum apud Philippum pariter & Alexandrum effecit? Utinam extarent illa, auditores, quæ ad Philippum ab ipſo ſcripta eſſe in Athenarum negotio, priſcorum commentariis relatum eſt! *Neque ſcriptis tantum* (d) Athenienſium ad Philippum cauſam egit, ſed publica quoque legatione a Græciæ tyrannide regem eſt dehortatus. Certe quantum ille emolumenti Athenienſium rebus attulerit, gratitudine ſua, ipſi jamdudum oſtenderunt ſtatua illa ipſa in arce collocata. Nempe talis honor non niſi optime meritis tribui conſuevit, ut Ariſtotelem multa in Athenas beneficia contuliſſe, nullum nobis poſſit eſſe dubium. At nec in Athenienſes tantum aut Stagiram ſuam hoc animo Ariſtoteles fuit, ſed cum auctoritate & potentia apud Philippum & Alexandrum floreret, & ſingulatim cuilibet bono, & univerſim omni Græciæ ſtuduit opera ſua & conſilio prodeſſe. Provocat Philoponus ad *Ariſtotelis epiſtolas*, (e) vix aliud quam commendationes optimi cujusque nunquam non loquentes. Id vero ſerio optarim, ſupereſſe nobis, quæ de regno adminiſtrando, deque colonis ad Alexandrum ſcripſerat: Illis enim omne boni Regis officium virtutesque complexus, ita movit Regis animum, ut quod in Tito Cæſare omnes admiramur, eum ſine regno diem periiſſe ſibi adfirmarit, quem beneficio nullo exornarat. Huic ſcripto, auditores, acceptum refero, quod Perſis quidem ſeverius, Græcis autem ut liberis & ingenuis Alexander imperaverit. Huic libro juxta privatas preces Ereſſum Lesbi urbem, patriam illam Theophraſti, vitam ſuam ac incolumitatem debere cenſeo. Certe utrumque illud beneficium ab uno Ariſtotele profluxiſſe, uni huic deberi, antiquorum claris eſt monumentis proditum. Quis plus unquam Græciæ contulit? quis privatorum tot urbes aut conſervavit aut condidit? quid libertate potius habet genus mortale? quis, inquam, Stagiram dirutam, everſam, ſolo æquatam, reſtituit, extruxit, ordinavit? Ariſtoteles. Quis Ereſſum, magnam urbem, a ruina, ab interitu defendit, conſervavit? Ariſtoteles. Quis contra Philippi minas, potentiam, arma, Athenas tutatus eſt? Ariſtoteles. Quis vitam, quis libertatem optimæ terrarum Græciæ ab immenſa illa & vaſta Alexandri cupidine protexit? Ariſtoteles. Utinam fas mihi ſit, auditores, laxare hic habenas eloquentiæ? Utinam ſaltem uberius narrare hæc mihi

cere, ubicunque Platonis doctrinam explodit. Contra ter ejus perhonorificam fieri mentionem in rhetoricis, in libro de mundo & in problematibus. Vid. FORTVN. LICETVM *de pietate Ariſtotelis.*

(a) *Speuſippo & Xenocrate*) Succeſſerunt illi in ſchola Platoni mortuo. Quod vero Speuſippus Ariſtoteli in ſucceſſione antelatus eſſet, hinc factum plerique referunt, quod Ariſtoteles conſilium ceperit Athenis diſcedendi, neque eo reverſus fuerit, niſi mortuo Speuſippo & Alexandro M. in Aſiam exercitum ducente.

(b) *filium Ariſtonis*) i. e. Platonem. Ariſto enim pater fuit Platonis Ariſtoclis filius ex Codri Malanthidæ poſteris, qui autore Thraſyllo ad Neptunum genus referebant. *ÆLIANVS* autem *lib. III. c.* 19. maximam animorum inter Platonem & Ariſtotelem diſſenſionem inde ortam refert, quod habitum atque inceſſum Ariſtotelis Plato improbaret. Veſte enim ſplendida, calceisque pretioſis ille incedebat, comam quoque ſecus quam illi placeret, attondebat, annulosque geſtabat, præterea faciem, ut ajunt, ad riſum contemtus indicem compoſitam habebat, & inter diſſerendum aeris erat in contradicendo & pertinax. Conf. *MELCH. ZEIDLERI præf. introd. in vitam Ariſtotelis.*

(c) *& lectorem & ſcholæ mentem*) Quia legendo inſatiabilis eſſet, unde & Plato domum Anagnoſtæ vocavit, teſte *AMMONIO.* Propter acumen vero ejus in apprehendendo mentem ſcholæ appellavit, teſte PHILOPONO, ipſoque abeunte a lectione exclamavit, *intellectus abeſt, ſurdum eſt auditorium*, apud *NVNESIVM l. c. p.* 12.

(d) *Neque ſcriptis tantum*) De his aliisque quæ ad pietatem Ariſtotelis ſpectant, *FORTVNIVS LICETVS libris duobus* prolixius egit.

(e) *Ariſtotelis epiſtolas*) Videantur hujusmodi ex *collectaneis* CVJACII apud *STANLEJVM in hiſtoria philoſ. p.* 404. & adde de Ariſtotelis epiſtolis generatim diſſerentem *ÆGIDIVM MENAGIVM ad Diogenem Laertium tom. II. p.* 198.

hi concederetur? Ego certe ſi unquam alibi, hic optimo jure centumque linguas voto poſtularem; quippe rerum iſthac magnitudine elidi, quicquid in me erat ſpiritus, ſentio pariter ac intelligo. Sed neque vos fortaſſis, auditores, ſubſiſtere me hic velitis, & moram trahere, neque laudandis illis parem ego me deprehendo, præſertim quod maximis recenſitis & laudatis, majora tamen longe narranda vobiscum videam ſupereſſe. Nam profecto, cum eruditionem, cum ſcripta Ariſtotelis ſpecto, quibus ille tot ſecula, tot millia hominum ex ſpiſſis ignorantiæ tenebris liberavit, tot respublicas ordinavit, tot improbos ad frugem perduxit, & nihil hactenus dixiſſe videor, & quo me porro vertam, ignoro. Quid divinius, quid excelſius habet homo mente ſeu intellectu? quis vero mortalium unus plura unquam ſcivit Ariſtotele? Aſt multi multa norunt, ſed ſibi tantum & paucis aliis? Ariſtotele autem quis unquam plura docuit, non unum, non alterum, non paucos, non multos, ſed plurimos, imo orbem hunc mundi univerſum ſignum? Agite, auditores, rem ipſam auctorem præbeamus, omne genus ſcientiæ, ſive verborum illa ſit, ſive rerum, in medio producamus. Vultis, ut de verborum peritia faciam initium? Equidem non diffitebor neque Perſica, neque Chaldæa, neque Arabica, neque Ægyptiaca, neque Latina lingua loqui Ariſtotelem potuiſſe, ſed Græcam tantum, hoc eſt maternam coluiſſe. Nec laude ſua indignum eſſe, multorum qui linguas noverit, ego nunc negabo: tametſi tanti eam notitiam momenti non eſſe, quanti vulgo exiſtimatur, haud etiam ignorem. Quis vero maternum idioma aut accuratius Ariſtotele, aut rectius & penitius cognitum habuit? non loquar de noſtri ævi mortalibus, qui aliarum linguarum ſtudioſi, ſuæ, qua loquendum maxime eſt, aut ſcribendum, & negligentes ſunt & ignari. Non loquar de antiquis illis, qui aliis occupationibus deſtricti, verborum non niſi obiter curam aliquam habuerunt. Conferamus Ariſtotelem cum optimo quoque & linguæ Græcæ peritiſſimo. Quis nativam verbi cujuslibet notionem pari diligentia ſcrutatus eſt? Non opus eſt, auditores, ut per exempla eam; omnes enim ejus libri, omnes paginæ ſedulitatem hanc pleno ore loqui didicerunt. Ut taceam hodie, quod Varro ait, integrum ab illo volumen de analogia ſermonis conſcriptum eſſe: *Phrynichum enim ut audiamus* (a) impetrare a nobis non poſſumus, quaſi Attice minus Ariſtoteles ſit locutus. Quid enim facias tali literatori, qui ad ſuum ævum omnes Atticiſmos explorat? Hoc vero nobis dicant iſti Critici, an cuiquam poſtponendus ſit Ariſtoteles, ſive elegantiam ſive puritatem ſermonis quis ſub examen velit revocare? An Platonem in Græcis, Ciceronem in Latinis præcellere Ariſtotelem arbitrabimur? Ego vero, auditores, Marcum quidem Tullium oratorum omnium principem & quaſi deum quendam eſſe arbitror, ut in forenſi quidem oratione non priorem tantum neminem habeat, ſed ne quidem parem ullum; cæterum ne quis mihi ſuccenſeat rogo, ſi inferiorem illum dixero Ariſtotele fuiſſe, intemperato illo & quieto docendi & diſputandi genere. Etenim ut in foro, in concione, robuſtiores & vehementiores alios fatear in ſcientiis tamen tradendis tantum abeſt, ut eloquentia cuiquam cedere Ariſtotelem arbitrer, ut principem illum credam characteris illius leges pernoviſſe, poſt eum autem neminem, niſi qui ex ludo ejus profectus ſit, obſervare id potuiſſe. Non dubito, auditores, idem vos mecum judicare, ut nullum ſit operæ pretium, vel aliorum teſtimoniis, vel multis argumentis ſententiam hanc meam confirmare. Neque enim me fugit, obſcuritatis vulgo Ariſtotelis ſtilum poſtulari; ſed quis non credat potius maximo illi *ex Caria critico Dionyſio* (b) qui pronunciare haud dubitavit, imitandum legendumque eſſe Ariſtotelem propter (ut ipſe ait) τὴν δεινότητα περὶ τὴν ἑρμηνείαν, καὶ τὴν σαφήνειαν, καὶ τὸ ἡδὺ, καὶ τὸ πολυμαθές. Quis *Quintiliano* (c) non accedat, ſcientiane rerum an eloquendi ſuavitate clarior ſit Ariſtoteles ambigenti? Quis Tullium non audiat tribuentem illi incredibilem quandam & copiam pariter dicendi & ſuavitatem? *Non nego obſcuriora quadam* (d) Ariſtotelis in voluminibus reperiri, auditores, res hoc indicat: At ego obſcuritatis illius cauſam aut noſtræ imperitiæ, aut rerum ſublimitati, aut vitio exemplarium potius adſcripſero', quam ut Ariſtotelem hoc nomine in judicium traham. Etenim de obſcuriſſimis quibusque & altiſſimis argumentis & planisſime eum dicere deprehendo & elegantisſime, & ſi brevitatis terminos nunquam excedat, quo naturam exprimeret, nihil fruſtra & nimia quadam abundantia comprehendentem. Ad hoc, eam in verborum delectu diligentiam videmus ab ipſo adhibitam, quantam alibi unquam haud facile quis obſervaverit. Nemo enim mihi

(a) *Phrynichum enim ut audiamus*) Hujus objectionem cum recitat *MELCH. ZEIDLERVS in præf. cit.* addit; ſed etiamſi verum diceret, leve tamen hoc eſſet. Ad philoſophiam enim tradendam ſatis eſt, ſi quis pura ac perſpicua utatur dictione, qualis non eſt illa poetarum, velut cum Empedocles vocat mare ſudorem terræ, quo nomine cum reprehendit ARISTOTELES *lib. II. Meteorol. c. 6.*

(b) *ex Caria critico Dionyſio*) *Libro de præcipuis Græcæ linguæ autoribus.*

(c) *Quintiliano*) Is enim licet *L. X. c.* 1. oratorem futurum optime Socraticos præparare dicat, & in omnibus quæ, diſcenda oratori, eminuiſſe Platonem *lib. I. cap.* 12 non tamen omnem Ariſtoteli ſermonis cultum abjudicat. *LONGINVS c.* 29. *de gen. ſub Carp. in Alcin. Plato*, inquit, *ſuavius ad legendum, quam potentius ad perſuadendum ſcribit, contra vero Ariſtoteles plus roboris habet, quam ſuavitatis.*

(d) *Non nego obſcuriora quadam*) Confer *PETRI NVNNESII oratio de cauſis obſcuritatis Ariſtotelis earumque remediis, habita in academia Valentina a.* 1553. & *MELCH. ZEIDLERVS introd. ad lect. Ariſt. n.* 50. *ſeqq.* 99. *ſeqq.* 128. *ſeqq.* nec non *P. RAPIN les comparaiſons des grands hommes p.* 312. cujus verba ſunt: *Il eſt vray, que l'eſprit de Platon eſt plus brillant & plus poly, & celuy d'Ariſtote eſt plus vaſte & profond. Platon a l'imagination vive, abondante, fertile en inventions, expreſſions & figures. Ariſtote eſt dur & ſec en tout ce qu'il dit. mais ce ſont des raiſons, que ce qu'il dit, quoy qu'il le diſe ſechement, ſa diction toute pure, qu'elle eſt, & je ne ſcay quoy d'auſtere, & ſes obſcurites ou naturelles, ou affectees deguitent & fatiguent la plus part ſes lecteurs. Platon eſt delicat dans tout ce qu'il penſe, & dans tout ce qu'il dit, Ariſtote ne l'eſt point du tout, pour etre plus naturel, ſon ſtyle eſt ſimple & uny, mais ſerre & nerveux, celuy de Platon eſt grand & eleve, mais lache & diffus. En fin Platon ne penſe le plus ſouvent, qu'a bien dire & Ariſtote ne penſe, qu'a bien penſer.*

hi Platonem nominet, cujus paulo ante quoque mentionem fecimus. Quis enim dubitet, auditores, fidem hoc in negotio commodare maximis illis dicendi magiſtris, quos paulo ante in teſtimonium adduximus? atque illi uno ore, id quod olim Ariſtoteles, pronunciant, *dramaticum quid & lyricum Platonis* (a) in oratione inveniri? Quis vero dicendi peritior eam celſitatem philoſophico argumento dixerit convenire? Loquatur Jupiter Platonis ore, ſit iſthæc vatum lingua; philoſophum non magis illa decet, quam Sycionii calcei Socratem, calamiſtra & odores matronam gravem pudicamque, ut quod injuria in Ariſtotelis veſtitu deſideravit Plato, nos merito Platonis in oratione reprehendere queamus. Certe quantum habitu ſeverior Plato, tantum ſermone gravior eſt ipſo Platone Ariſtoteles, ut Lyſiam philoſophorum maximo cum jure appellaverimus. Incredibile ſane eſt, auditores, quantum ille laboris impenderit in verborum ſignificationibus indagandis, in dijudicandis aliorum ſermonibus, ſive philoſophi illi fuerint, ſive poetæ, ſive hiſtorici, ſive denique oratores. An quisquam reliquit nobis quod cum quinto transnaturalis philoſophiæ volumine mereatur comparari? an de Gorgiæ, Homeri, Alcidamantis, Lycophronis, Cleophontis, Euripidis, Sophoclis reliquorumque dicendi forma aut ſubtilius, aut verius criticorum quis uſpiam judicavit? Enimvero quoties iſtam Ariſtotelis curam ſpecto, vix perſuadere mihi poſſum alteri negotio vacare illum potuiſſe: ita quippe huic rei ſtuduit, ut uni illi omnem vitam tribuiſſe videri poſſit. Neque enim ſoluto tantum ſermoni impendit operam, verum etiam perlectis omnium comicorum, tragicorum, epicorum, lyricorum voluminibus, iisque maxima recenſitis cura, tantum ipſemet in carmine pangendo valuit, ut ſummi criticorum Julii Cæſaris Scaligeri judicio, ne Pindari quidem divinæ ſublimitati quidquam concedat. Virgilium ajebat Caſſius Sophiſta, illa felicitas ingenii in oratione ſoluta reliquit; Ciceronem eloquentia ſua in carminibus deſtituit. Orationes Salluſtii in honorem hiſtoriarum leguntur. Platonis oratio pro Socrate ſcripta nec patrono nec reo digna. Hoc non ingeniis tantum ſed corporibus videmus accidere. Illi nemo luctando par eſt, ille ad tollendam magni ponderis ſarcinam prævalet. Scilicet ita comparatum eſt, raro tota uno loco natura eſt: ubivis fere aut hoc aut illud vitium maculat pulcritudinem. Ariſtoteles vero ita abſolutus eſt, ita omni perfectus parte, ita par ſibi atque ſimilis, ut nec invenias quidem in illo, quod emineat, nec quidquam ſit, quod videri depreſſius queat. Certe nemo dixerit, ſtrictone ſermone præcelluerit an illo libero & pedeſtri. Utinam vero, auditores, exſtarent hodieque duo illi pæanes, quorum alter in Lyſandrum Lacedæmonium, alter in Craterem Macedonem erant conſcripti? Etenim ob dignitatem uterque, hic quidem Delphis admodulante lyra puello impubere, ille in Samo, publice olim canebatur. Nec profecto injuria, quippe qui, dubio procul, haud inferiori fuerint conditione iis viri hujus carminibus, quæ etiam nunc ſuperſunt. Atqui nemo veſtrum eſt, auditores, qui non admiretur ſive pæanem illum ſive hymnum in Herniam Atarneæ urbis principem: nemo eſt, inquam, quem non ſumme capiat inaffectata illa gravitas, illa ſententiarum denſitas, ille vocum maſculus ſonus. Nemo eſt, qui ſatis laudaverit rotunditatem iſtam epigrammatum, quibus omnium heroum memoriam in peplo ſuo celebravit. Ne quid nunc dicam de elegiis ejusdem, aliisque hujus poeticæ artis laboribus. Video etenim veſtra quoque cum gratia, auditores, omitti a me quædam poſſe, tanta in eruditionis copia omnisque generis laudum argumento. Neque vero invito me id contingit, qui jam tum ſub illo pondere gemo anheloque. Ideoque liceat venia veſtra omittere, quod primus Ariſtoteles apologiam pro ſemetipſo conſcripſerit: liceat negligere nunc, quod, maximi rhetoris Demetrii judicio, Ariſtoteles ideam illam & perfectionem epiſtolici characteris præ omnibus aliis ſit conſecutus: liceat tacere, primum hunc libros collegiſſe, & Ægypti Reges docuiſſe *bibliothecam inſtruere.* (b) Ne illud quidem magnopere nunc laudabo, quod poſt Piſiſtratum Homeri Iliada emendaverit, quæ editio tunc ἡ ἐκ τοῦ νάρθηκος fuit appellata, quod integris ſex libris quæ in Homero obſcuriora ſunt, explicaverit, eo ſucceſſu ut ab Ariſtotele & criticen & grammaticen initium ſumſiſſe Dion Chryſoſtomus affirmare non ambigat. Hæc atque ſimilia, auditores, ſilentio nunc præteribo, quo & mihi pariter & vobis parcam: tantum quæ majoris longe ſunt momenti, agite, nunc quidem enumeremus. Vultis, ut ab hiſtoria exordiar? quæ vero ejus pars, non maxima, ſed vel minima quædam, ab Ariſtotele non dicam præterita eſt, ſed non omnem in modum elaborata? an deorum fabulas illas antiquas reſpicitis? ad eam recognoſcendam ſuffecerit *Ariſtotelis peplum,* (c) ait Nicephorus Calliſtus.

Ad

(a) *dramaticum quid & lyricum Platonis*) Non modo ita ARISTOTELES de dictione Platonis 2. *Meteor.* judicavit, ſed & *DIONYSIUS HALICARNASSEUS in reſponſione ad Pompeji epiſtolam c. 6.* it. *de admiranda vi dicendi in Demoſthene c. 7. & 28.* & *in libro de oratoribus antiquis c. 6.* Imo & CICERO *in Bruto* teſtus eſt, multos de Platone taliter ſenſiſſe, quod in dialogis ſuis magis poetice locutus fuerit, quam comœdia faciat.

(b) *bibliothecam inſtruere*) De Ariſtotele quod primus bibliothecam conſtruxerit, refert *STRABO lib. XIII. de ſcepſi, AGELLIUS* tamen *lib. VI. c.* 17 id de Piſiſtrato refert, de codemque pluribus ex *DIOMEDE ſcholaſtico ſive commentario ejus in Dionyſii Thracis librum de arte Grammatica* nondum in lucem edito recitat *JAC. GRONOVIUS in præfat. vol. 5. theſauri græc. antiquit.* quod gloriam ſibi parare cupiens, & poemata Homeri inſtaurare, pretio propoſito per totam Græciam nunciari juſſerit, ut ſiquis verſuum Homeri haberet quicquam, ad ſe afferret, quo facto cum illi diſperſi eſſent, per LXXII. grammaticos convocatos & ſeorſim collocatos eos in ordinem redigi curaverit, qua cum relatione illam Ariſteæ fabulam de LXX. ſenioribus Judæis a Ptolomæo Rege convocatis ut biblia Ebraica in linguam Græcam transferrent, non immerito confert *ANTONIUS VAN DALEN in diſſ. ſuper Ariſteam p.* 148.

(c) *Ariſtotelis peplum*) Ab Homeri ſcholiaſte allegatur Ariſtotelis peplum, in quo uti ex PORPHYRIO refert *CÆLIUS RHODIGINUS* ducum genealogias, & navium numerum ad Trojam profectarum, & epigrammata, ac inſuper diſtycha in ſingulos duces, præterquam in Ajacem eſt exſecutus.

Ad homines vertamus oculos. De poetarum ſane vitis ſcriptisque tria volumina confecerat, ſi non ſeorſim de tragœdis & comicis egit, quod & Laërtius Diogenes & Erotianus Hippocratis interpres prodiderunt. Idem primus διδασκαλίας edidit; quo opere omnium fabularum hiſtoriam, quo quæque loco & tempore acta, quoque recepta plauſu fuerit commemoravit. Quid vero iſthoc labore non tantum ad ſcenicam peritiam, fabularumque intellectum, verum & ineundam temporis rationem, ſine qua memoria rerum confuſum quoddam chaos eſt, potuit aut utilius eſſe aut commodius? Etenim, apud Græcos quidem, quicquid temporis primam Olympiadem præceſſit, ut recte diſtinguebat Varro, aut ἄδηλον habebatur aut fabuloſum, quaſi Iphito primum firma ævi ratio deſcripta ſit. Atqui non potuere Olympici iſti agones exactius depingi, quam fabularum actionibus, quippe quæ potiſſimam ludorum partem conſtituerunt. Quanquam multis quoque aliis laboribus chronologicum ſtudium promoverit Ariſtoteles noſter, compoſitis maxima opera voluminibus illis, quorum hodie (proh dolor) præter titulos ſupereſt nihil. Sed quem non affecerint vel ſolæ illæ appellationes, ὀλυμπιονῖκαι, πυθιονῖκαι, Πυθικὸς, Πυθιονικῶν ἔλεγχος, Νίκαι Διονυσιακαὶ? Quem, inquam, vel hæ inſcriptiones non delectent? Certe omnem horum ludorum, omnem ſcenarum, omnem temporis hiſtoriam non Thallus, non Caſtor, non Eratoſthenes, non Apollodorus, non Julius Africanus, non Euſebius, aut felicius aut luculentius Ariſtotele illuſtravit; non ipſe Varro doctiſſimus togatorum, caliginem illam magis diſcuſſit, certiorique omnia ordine digeſſit. Porro vero an quis rhetorum ſophiſtarumque ejus ævi res atque ſtudia cognoſcere deſiderat? At nec hos, auditores, prætermiſit Ariſtoteles, quin copioſe præſtitit in artium illa rhetoricarum collectione, qua omnes veteres ejus artis ſcriptores usque a principe illo atque inventore Corace Tiſiaque repetitos unum in locum coegit. Eodem de argumento haud pauca tradiderat libro illo, *cui Sophiſtæ titulum dederat*, (a) uti ex Laertii Empedocle facile quis oſtenderit. An de philoſophiæ propagatione, philoſophisque doctiora quædam mavultis? Huic uni argumento tres libros tribuit, quos περὶ φιλοσοφίας indigitavit. Ibi de Pythagoreorum inſtitutis, de Socratis & Platonis ſententiis, de Empedoclis moribus & vita, de carminibus Orphei & Onomacriti, de ſeptem illis Græciæ ſapientibus, de Ægyptiorum Perſarumque doctrina ubertim doctiſſimeque, ſi quisquam, diſſeruit. Eodem pertinuit iſte quoque liber, quem ab argumento Μαγικὸν appellavit, quod magorum mores, ritus, inſtituta, placita longiore commentario explicaret. Quid vero dicam, auditores, de civilium rerum cognitione, qua vir ille in miraculum usque ſupra omnium mortalium ſortem longisſime excelluit? Enim vero haud invenirem fidem, niſi omnibus vobis nota forent illa de rebuspublicis fragmenta, quæ cum ſtupore hujus mundi leguntur, niſi *apud Marcum Tullium* (b) ipſimet jamdudum legiſſetis: Omnium fere civitatum non Græciæ ſolum ſed etiam Barbariæ, ab Ariſtotele mores, inſtituta, diſciplinas, a Theophraſto etiam leges cognovērimus: niſi *Johannes Grammaticus prodidiſſet, ducentarum & quinquaginta quinque civitatum* (c) conſtitutiones & ritus litterarum monumentis ab Ariſtotele eſſe conſignatos. Hæc profecto ſi imperitis narrarentur quomodo quæſo fidem impetrarent? quis iſthæc recenſens pipulo, quod ajunt, non exciperetur? Hodie magnum quid eſt & excelſæ operæ, unius Romanæ urbis leges ex pandectis, codice, ac imperatorum novellis addiſcere. Neque meretur non ea diligentia inſignem aliquam laudem. Quanto vero major Ariſtoteles, qui tot urbium, tot regnorum, tot populorum ſcita, decreta, conſuetudines, novit, obſervavit, deſcripſit? Quanto major, qui ita unus egit hæc omnia, ut præter hæc reliqua univerſa abſolverit, quorum in ſingulis tota hominis vita occupatur? Nam relinquamus nunc, auditores, humanarum divinarumque rerum hiſtoriam, ſilentio prætereamus illud περὶ εὑρημάτων volumen, neve cogitemus de chriis, in quibus ille egregie dicta & facta non ſine diligenti cura memoraverat; tantum quisque veſtrum ad naturæ obſervationem, ſive cæleſtium illa rerum ſit, ſive terrenarum, ſive animatarum, ſive anima carentium, metallorum, inquam, lapidum atque id genus aliorum, nunc quidem mecum pergat. Sane cum omnium calculo naturalem ſcientiam, vel accuratius, vel ſubtilius, vel uberius exhibuerit nemo quam ab Ariſtotele eſt factum, quis ambigat in naturæ hiſtoria quoque nemini Ariſtotelem eſſe ſecundum? Etenim ſine ea ſcientiam profiteri tantundem eſt ac ſine pennis volare: neque poteſt non referre tandem ludibrium, quisquis id ipſum tentare audet. Atqui Ariſtoteles ut quam maxime naturalis eſt ſcientiæ peritus, qui igitur non vicerit omnes rerum hujus orbis experientia? Agite vero, auditores, majorem in fidem producamus teſtes, ipſos viri illius hoc in genere labores. Quis enim non credat oculis & manibus ſuis? Cæterum an animalium forte obſervationem reſpicitis? Hic vero ego, neque animi in me ſatis deprehendo, neque eam verborum copiam, quam Ariſtotelis induſtria ſibi poſtulat, invenio. Non loquor nunc

(a) *cui Sophiſtæ titulum dederat*) Apud Arabes habetur liber Ariſtotelis ſophiſticus ſub tit. *Ketab al beil* i. e. ſec. HERBELOTIVM in *biblioth. orient. p.* 968. *Traite de la fraude.* Idem p. 970. ſophiſticam Ariſtotelis refert Arabice translatam cum commentario Aphrodiſæi.

(b) *apud Marcum Tullium*) *lib.* 5. *de finibus.*

(c) *ducentarum & 55. civitatum*) Apud Arabes ejusmodi liber habetur ſub tit. *Ketabb ſiaſſat almoden*, in quo 141. respubl. exhibentur teſte HERBELOTIO *l. c pag.* 971. Cæterum STRABO quoque laudat respublicas varias Ariſtotelis *lib.* 7. *geogr.* Et DIOGENES LAERTIVS earum numerum 158. exprimit in indice, quarum aliquæ hinc inde a ſcriptoribus ſequentium temporum citantur, velut legum Tyrrhenarum ab Ariſtotele deſcriptarum meminit ATHENÆVS *lib.* 6. reipublicæ Nathoneorum & Naxiorum *lib.* 8. Syracuſanorum *lib.* 10. Maſſiliotarum *lib.* 13. Deliorum LAERTIVS *in Pythagora*, conſuetudinem Barbaricarum *ARISTOPHANES interpres in nubibus.* Pauca quoque earum fragmenta extant *lib.* 2. *politicorum.*

nunc *de ſubtiliſſimis illis operibus*, (a) quibus de partium uſu, de animalium generatione, greſſu, reſpiratione, vita & morte uberrime tractavit, quia ad ſcientiam illa ſpectant, non autem hiſtoriam: Mihi vero ſermo nunc eſt illis tantum de voluminibus, quibus ipſam animalium hiſtoriam, in quantum illa ſenſui patet, memoriæ perpetuæ conſignavit. Hæc illa ſunt, auditores, quæ cum cogito, in eam ſtatim admirationem, in illum ſtuporem adigor, etiam nunc, qui in lectione eorum ſæpe numero invitum & reluctantem corripuit. Hæc illa ſunt, quæ ut conſcriberentur, aliquot millia hominum in totius Aſiæ Græciæque tractu *Alexandri mandato* (b) Ariſtoteli paruerunt, ſive eos venationes, aucupia, piſcatus alerent, ſive illis vivaria, armenta, alvearia, piſcinæ, eſſet in cura. Hæc illa ſunt, in quæ *tantum pecuniæ eſt expenſum*, (c) ut Græcis inde *πολυτάλαντα βιβλία* appellari meruerint. Hæc illa ſunt, quibus paria nullum hactenus ſeculum dedit, nulli impoſterum anni dare poterunt. Rara enim numinis benignitate quidem hoc in ſtudio Ariſtotelem, & Ariſtoteles invenit Alexandrum. Quis vero aut hunc referet hodie, aut illum? quis uno tempore tantæ liberalitatis Regem, tanti ingenii philoſophum reperierit? Atqui nec ſine Alexandri munificentia, nec ſine Ariſtotelis eruditione ejusmodi poſſit monumentum exigi. Hæc profecto cauſa eſt, quur quicquid alii hoc ſunt in argumento conati ad Ariſtotelis illud magnitudinem erubeſcat. Certe ne integri quidem populi, utut hoc inclaruerint nomine, præ Ariſtotele non evileſcunt. Exemplo Aſſyrii, Perſæ, Ægyptii & Indi ſunt: Admodum enim ſunt vilia ac minuta, quæ illi de animalium natura obſervaſſe memorantur. Majus quid in Hebræis dubio procul maximus Regum idemque divinæ homo ſapientiæ Salomon aſſecutus eſt, præterquam enim quod per omnem prudentiam animum illum admirandum diffudit, non de plantis tantum omnibus, ſed de jumentis quoque, avibus, piſcibus, reptilibus diſſeruit. Verum hanc doctrinam, ut omnia, divinitus ille acceperat in cœleſtis cujusdam liberalitatis oſtentationem; ut ab hoc victum eſſe Ariſtotelem non ſit mirum, ſed mirum eſſet, ſi non eſſet victus. Ex Græcis, qui hoc in loco ante quidem Stagiritam noſtrum laborarunt, vix unus aut alter eſt, qui pretium operæ ſit conſecutus. Unus præ aliis diligentior Democritus Abderites fuit, dementiæ hoc nomine a ſuis civibus inſimulatus: Sed Ariſtotelis ſole extinctum hoc aſtrum eſt, atque interiit: Tum vero quæ illo auctore Plinius, Ælianus atque alii docent, magicis pleraque deliramentis inquinata ſunt. Contemſit hoc ſtudium Socrates, leviter attigit Plato, *riſit Epicurus*, (d) Stoici, Cynici, Academici, Platonici abjecerunt. Soli ex medicis, qui dogmatici appellabantur, ex animalium peritia laudis aliquam adoream adepti ſunt. Nemo tamen eorum omnibus de animalibus quidquam dixit, ſed ut in humano corpore ſanando illorum ars occupatur, ita non longe hæc ſedulitas ultra hominem porrecta eſt. Multa horum & Plinius narrat, ſed narrat fide aliena, non ut qui ipſe illa viderit, aut ſcrutatus ſit: ne nunc adjiciam etiam illa uni potiſſimum Ariſtoteli deberi, quod ipſe, homo ſane candidiſſimus, magna illum ſecuturus ex parte præfandum ratus eſt. Poſt hunc de omnibus quidem animalibus per plurima ſecula nemo quisquam mortalium docere aliquid aggreſſus eſt. Primus Albertus noſtras huic quoque negotio ingenium ſuum atque operam addixit, ſed parum ſe de ſuo adjeciſſe ultro confitetur. *Felicior parentum ætas fuit* (e) Geſnero inprimis Aldrovando, Rondeletio ac Salviano ſuo: quorum illi incredibili diligentia & immenſis voluminibus omnem omnium animalium naturam enarrare aggreſſi quidem ſunt, non tamen perfecerunt inſtitutum: Hi vero aquatilium indolem ad miraculum usque prodiderunt. Verum enim vero metuo equidem auxiſſe hos magis Ariſtotelis gloriam, quam corrupiſſe. Neque vero detrahitur aliquid Ariſtoteli, *ſi quædam ejus errata animadvertantur.* (f) Quin fatendum quod res eſt a maximis illis viris ut multum laboratum, ita poſt Ariſtotelem plurimum eſſe præſtitum. Sed tamen nec illud diſſitendum, hos Ariſtotelis fuiſſe monumentis adjutos, Ariſtotelem horum nullo. Non diſſitendum, Ariſtotelem fere ſolum ac primum & ſine prævio exemplo hoc opus aggreſſum, illos vero non niſi poſt plurimas aliorum operas. Non diſſitendum, Ariſtotelem nihil hiſtoricis ſuis alieni admiſcere, cum apud hos inprimis ſane apud Vlyſſem Aldrovandum, *τὰ πάρεργα* ipſis longe ſint *ἔργοις* majora. Non diſſitendum, Ariſtotelem per omnes animantium ſpecies iviſſe, Rondeletium vero ac Salvianum quidem non niſi aquatilium naturam enarrare aggreſſos, Geſnerum autem atque Aldrovandum omnia quidem aggreſſos non tamen omnia elaboraſſe. Non diſſitendum, quæ ad naturam faciunt animalium pauca eſſe Ariſtoteli non cognita aut neglecta, ab illis autem plurima vel ignorari vel præteriri. Non diſſitendum, Ariſtotelem nihil, quod non aut ipſe ſuis viderit oculis, aut certo paſtorum, aucupum, venatorum, piſcatorumque teſtimonio acceperat, tradidiſſe; hos vero ſæpe levibus rumuſculis & incertis narratiunculis inhærere. Poſtremo non eſt diſſitendum, Ariſtotelicam hiſtoriam & dignam philoſopho & aptiſſimum eſſe hujus ſtudiis, illorum vero labores non multum habere genii iſtius philoſophici. Agunt enim illi ſeorſim de quovis animali, & particula-

(a) *de ſubtiliſſimis illis operibus*) Recenſentur quoque ejusmodi ſubtiliſſima opera de vita, morte, humoribus, motu ſanguinis Arabice tranſlata apud HERBELOTIVM *p.* 968. *ſqq.*

(b) *Alexandri mandato*) Referente PLINIO *lib.* 8. *c.* 16.

(c) *tantum pecuniæ eſt expenſum*) Alexandrum enim 800. auri talenta erogaſſe referunt, ut libros hiſtoriæ de animalibus conſcriberet Ariſtoteles. Vid. ATHENÆVS *lib.* 9. quanquam munificentiam hanc ÆLIANVS *l.* 4. *hiſt. var. c.* 19. Philippo patri tribuit.

(d) *riſit Epicurus*) Ille enim apud ATHENÆVM reprehendit Ariſtotelem tanquam plus juſto curioſum in ſingulis animalium formis, & natura & moribus deſcribendis. Adde LAERTIVM *lib.* 5. 52.

(e) *Felicior parentum ætas fuit*) Addantur WOLFF. FRANZII, SAM. BOCHARTI, BORELLI, HONORATI FABRI, FRANCISCI RHEDI PATRICII ARETINI, aliorumque labores.

(f) *ſi quædam ejus errata animadvertantur*) Videatur de illis JOSEPH. SCALIGER, qui in recenſenda hiſtoria animalium Ariſtotelis multum præ reliquis operæ collocavit.

tim illud depingunt atque exhibent: At ſicut philoſophi eſt communibus & univerſalibus docere pronunciatis, ita in hiſtoria ſua Ariſtoteles colligit genera, diſtinguit ſpecies, ſuas cuique ſubjecto affectiones diſtribuit, proprietates enarrat, ſeorſim de partibus, ſeorſim de generatione, ſeorſim de reliquis animalium agit actionibus, denique ita heic inſtituit omnia ut philoſophiæ (quod par erat) non niſi cauſas relinquat explicandas. Quanto vero difficilius eſt in univerſum ſemper aliquid affirmare, ac in uno tantum individuo hærere? quanto eſt difficilius per ſpecies atque genera quælibet narrare, quam literarum cum Geſnero ordinem ſequi! *Taceo nunc novem ab Ariſtotele ſectionum libros conſcriptos*, (a) in quibus (quod & ipſum hi neglexerunt) omnes omnium animalium partes internas externasque depinxit atque enarravit. Ad alia vocamur: neque enim Ariſtoteles hæc tantum terrena ſed & ipſa illa ſidera & quicquid ſupra nos natura poſuit, ſcrutatus eſt. Stellarum curſus naturamque ab omni retro jam ævo Ægyptii cumprimis ac Babylonii obſervaverant, ſed incubabant illi ſuis laboribus ut dracones auro, atque omnibus aliis gentibus ſuam hanc ſapientiam invidebant. Pythagoras, Democritus, Plato, Eudoxus, alii, longis, non profectionibus ſed exiliis ſuſceptis haud multum tamen ab ſuperbis illis atque avaris potuerunt magiſtris impetrare. Ariſtoteli ne vacavit quidem illos adire, certe non adiit. Cæterum præſto & hic fuit Stagiritæ inuſitata illa fati benignitas. Alexander movet in Perſas, vincit Ægyptum, occupat Babylonem, Ariſtoteles dum deſidet domi, fit particeps prædæ, & (ut Porphyrius narrat) *per Calliſthenem ſuum a ſolis Babyloniis*, (b) quæ illi per mille nongentos atque tres annos didicerant & obſervaverant, uno tempore accipit ac diſcit. *Ipſe & Ægyptiorum ſæpe labores laudat: quos ſimili fortaſſis occaſione erat nactus.* (c) Quantæ vero illud felicitatis fuit? Epigenes DCCXX, Beroſus & Critodemus CCCLXXX. annorum tantum ſiderales hiſtorias a Babyloniis acceperunt. Ariſtoteles triplo plura potuit nanciſci. Quin imo Hipparchus ipſe ac Ptolomæus nihil ultra Nabunaſſarum noverunt, & ſolis Beroſi fortasſis (hic enim inde exorſus eſt) ſtare ſunt narrationibus coacti, quod illa Babyloniorum Ægyptiorumque jam intercidiſſent. Nec tamen aliorum hic tantum fide voluit niti Ariſtoteles: prodit memoriæ viſam ſibi Martis ſtellam a luna, atque unam geminorum a Jove occultari, tum multa narrat circa cometas ſibi obſervata. Jam & aſtrologici titulo de ſtellarum motibus ac poſitu volumen conſcripſerat, quod cum Laertius laudat, tum ipſemet haut raro adducit: ea tamen modeſtia, atque iſthoc candore, ut ad aliorum provocet induſtriam, neque ſibi omnia ſatis eſſe cognita profiteatur. Nec dubitari tamen poteſt, quin hic plurimum valuerit, cum ingenii acie incredibili, & illis tot laboribus aliorum fuerit inſtructus. Jam quis illo magis exploratam habuit fluviorum, ventorum, fulminum, tonitruum, & quicquid præter hæc ſive aërem, ſive aquam, ſive terram perturbat, rem atque hiſtoriam? *Indicant hoc profecto, quæ de meteoris inſcribuntur volumina:* (d) ad quæ aliorum collati libri ἀπειρίας videntur vitio laborare. Minor fortaſſis in metallicis fuit atque lapidibus: Sane neque hiſtoriam neque cauſas eorum, quod equidem ſciamus, ſeorſim conſcripſit, *etſi inter veteres* (e) quidam hoc titulo neſcio, quod opuſculum illi adſcripſerint. Verum tamen ne hæc quidem illum latuiſſe vel unus evicerit de meteoris qui appellatur quartus liber, ubi paſſim doctiſſima hoc de argumento inſpergit: Quanquam *ad illam Agricolæ noſtri laudem* (f) nihil hoc ſit fortasſis, cui Germania nunquam ſatis dignum præmium redditura eſt. Quid vero de plantarum dicam hiſtoria? Habemus quidem hodieque noſtri titulo duos hujus argumenti libros, & laudant neſcio quam veteres operam Ariſtotelis in plantas collatam: ſed quæ nos habemus, notum

(a) *Taceo nunc novem libros*) Meminit præterea DIOGENES LAERTIUS octo voluminum Ariſtotelis, quæ ἀνατομῶν nomine fuerint inſignita. Et APOLLONIUS quoque *in admirandis c.* 28. ſelectorum anatomicorum mentionem injecit.

(b) *per Calliſthenem a Babyloniis accipit*) EDMUNDUS tamen DICKINSONUS *in orat. de philoſophia liberanda annexa Delphis Phœniciſſantibus p.* 202. accuſat hic Ariſtotelem, quod quamplurimos Babyloniorum libros delendos curaverit, ne quorum monarchiam funditus extirpaſſet Alexander, eorum literæ adhuc viverent & imperitarent. Addit: ita nata eſt peripatetica veſtra philoſophia, nempe viperæ ad inſtar parentis exitio. Hanc autem accuſationem inter alios diluit MELCH. ZEIDLERUS *introd. in lect. Ariſt. præf. f.* 4. *col.* 2. ita inquiens. *Quod dicitur, illum priſcorum libros, ex quibus ſua mutuatus fuerit, igni cremandos tradidiſſe, id ea omnia, quæ adverſus optimum philoſophum conficta fuerunt, ſuperat non parum. Longe alia fuit mens Ariſtotelis, utpote qui ipſemet requirit, ut non ſolum gratias agamus iis, quorum opinionibus acquieſcimus, ſed & illis, qui rudi minerva dixerunt* 2. *Met.* 1. *Verum novum non eſt, viris doctrina alios ſuperantibus etiam tale crimen per calumniam intentari. Nam & de Hippocrate vetus eſt calumnia, quod igne injecto templo Æſculapii, quod in Coo erat, medicorum veterum ſcripta omnia deleverit.*

(c) *Ægyptiorum labores ſimili occaſione nactus*) Quod tanto facilius credent, quibus perſuaſum eſt, autorem *librorum XIV. de ſecretiore parte divinæ ſapientiæ* eſſe ARISTOTELEM, qui quidem ipſe videri vult, cum & Platonem ſe viva voce docentem audiviſſe teſtetur *lib.* 1. *c.* 5. & libros quosdam ab Ariſtotele conſcriptos tanquam ſuos citet *lib.* 13. *c.* 1. *c.* 10. & 13. Quod enim hic autor ſecretiora quoque Ægyptiorum ſapientum plene perſpecta habuerit, nemo facile dubitaverit, ſi cum aliis, qui de illorum myſteriis aliquid memoriæ prodiderunt, illum conferat & ſingula attentius conſideret. Quicquid ſit, quod ab Ægyptiis & Babyloniis de ſingulis ſtellis obſervata acceperit, ipſe teſtatur *lib.* 2. *de cœlo c.* 12. *t.* 60. & *lib.* 1. *meteor. c.* 6. ad Ægyptiorum experientiam non minus ac propriam provocat, quod cometæ in planetarum numero eſſe nequeant.

(d) *Indicant hoc profecto &c.*) In quibus tanta rerum inveſtigatione verſatus eſt, ut PROCLUS *comm. in Timæum* pene ei hoc vitio vertat, quod ultra quam decet, ad minuta quoque prolapſus ſit, quaſi ſcilicet non in omnibus rebus naturalibus etiam vilibus & abjectiſſimis divinum quid & admirabile lateret.

(e) *etſi inter veteres*) In catalogo librorum Ariſtotelis, qui apud Arabes ſuperſunt, habetur etiam unus de mineralibus & lapidibus apud HERBELOTIUM *l. c.*

(f) *ad illam Agricolæ laudem*) GEORGIUS AGRICOLA primus inter Germanos magna diligentia omnem rem metallicam omnesque operationes perſecutus eſt, idque argumentum *in opere de re metallica* & *lib. de ortu ac cauſis ſubterraneorum* cum cura tractavit.

notum eſt mentiri nomen, & quod illi laudant, ambigua fide nititur. Ideoque ne hic quidem docuit nos fortaſſis ſeparato quodam opere: *quam erudite tamen interdum de plantarum partibus*, (a) generatione, ſapore, odore, morte, vita, nutrimento diſſerit? & profecto qui potuit iſthæc ignoraſſe, cum medicus fuerit, quorum quaſi domeſtica hæc cura eſt? cum in Aſclepiadum familia & natus ſit & educatus, qui patrio & avito more herbarum ſtudio prima usque ab juventute incubuerunt? ne nunc adducam, quod & Phanias & Theophraſtus, optimi ejus diſcipuli, nec niſi veſtigia magiſtri calcare conſueti, de omni hac materia uberrime pariter & doctiſſime tractaverint; jure enim merito horum laus in magiſtrum ut in caput & fontem referenda eſt. Nihilne ergo ſupereſt hiſtoriæ, auditores, ab Ariſtotele omiſſum? Equidem nihil præteritum video, ſive civilium rerum ſive naturalium. Omnia Ariſtoteles non libavit ſolum, ſed intellexit, & perfecit. Atque ſi tanta fuit omnis hiſtoriæ peritia, quam in proclivi ille habuit, omne quoque ſcientiæ genus & animo & literis comprehendere? Etenim hiſtoriæ cognitio primus atque præcipuus omnis ſcientiæ gradus eſt. Hanc quis matrem doctrinæ, clavem eruditionis, fontem veritatis recte profecto & merito appellarit. Neque vero aut in naturæ indagatione, aut regimine civilis rei vel tantillum hujus ſine adminiculo, datur proficere. Sicut hac inſtructus vix eſt ut aberret, cum aliis fortuna venit imploranda, aut ludibrium in laboris præmium cedit. Sed quo prolabor, auditores? Id volebam. Cum & civilium & naturæ rerum hiſtoriæ, ad miraculum, & portentum usque peritus Ariſtoteles fuerit, nihil ambigendum eſſe, quin idem ad omne genus ſcientias, inveniendas, poliendas, illuſtrandas, conſummandas fuerit longe aptiſſimus. Nec ſane conjectura tantum ducimur, ut id aſſeramus: Quanquam illa, quam modo dedimus, ſatis ei rei probandæ ſit: ſed res ipſa, tot inquam libri, omni de eruditione, non ad vulgi morem, quin ne ex eruditorum quidem communi conſuetudine compoſiti atque perfecti, oſtendunt id profecto ac demonſtrant. Utinam vero liceat mihi hodie per illa ipſa, o optimi, monumenta ambulare! atque ego quidem haud aliud, fateor, ſub hujus orationis initium habui propoſitum. In votis quippe erat omnem Ariſtotelis laudem uno quodam impetu percurrere. Verum me quidem ac vos pariter, auditores, dicendo partim, partim audiendo jam delaſſatos ſentio, etſi primos laudum gradus vix emenſus ſim. Ideoque vereor ut auſim, vel meis lateribus, vel auribus veſtris moleſtiam nunc porro creare. Sane cum negotia veſtra cogito, nefas mihi non poteſt videri, longiore veſtra, ut ille ait, ſermone tempora morari. Atque non ſine grandi tamen peccato medio iſthoc in curſu pedem ſiſto. Parcant profecto mihi manes virorum maximi. Niſi excuſando crimini ſit argumenti magnitudo, quæ invitum me cogit ſuccumbere. Quicquid ſit, o optimi, equidem dabo operam, ut prima quadam occaſione, quod ſupereſt gloriæ, vobis audientibus decantem: Nunc neceſſitas mihi ſilentium imperat, etiam reluctanti. Vos vero interea favere mihi, ſcio, haud intermitteris. Ego contra ſicut nunquam vel obſequio vel cultu reſpondere me veſtris meritis poſſe ſatis ſcio: ita pro virili tamen dabo operam, ut nihil in me officii deſideretur.

ORATIO ALTERA.

Clariſſimo Viro, CASPARI BARLÆO, Philoſopho, Medico, & Poëtæ.

HERMANNUS CONRINGIUS *S. D.*

MAgna ſemper laus Ariſtotelis fuit, Clariſſime BARLAEE, ac ſancta apud omnes pene eruditos auctoritas. Quanquam enim nunquam defuerint inepti & maligni canes, qui tantam famam allatrarunt: perpauci tamen illi ſunt, doctorumque ſtatim ſententiis condemnati. Ita integra huc usque ſtetit, perque bis mille annos exiſtimatio illius viri propagata eſt. Sane nullum eſt dubium, arcano id numinis beneficio contigiſſe, quo ſapientia quædam eximia in mortalitate hac noſtra inveniretur; nam ex Ariſtotele profecto cumprimis eam petere licet, quod hic ingeniis noſtris quaſi metam fixerit. *Nec tamen in verba ejus jurandum* (b) eſt ſcientiæ affectatori, aut inſolidæ eruditionis titulo collocandum placita hujus intelligere. Hic enim non cultus eſt ſed inanis quædam ſuperſtitio, nulli magis, quam Ariſtoteli ipſi inviſa quondam atque improbata. Non ſane myſtes Lycei eſt qui magiſtri callet ſententias, ſed qui acri judicio ſuas illas reddidit. Tantum ſcilicet ſapimus quantum judicio noſtro ſumus aſſecuti: qua vero auctoritati ſolum alicujus innititur cognitio acquirit illa quidem eruditionis ſpeciem, nihil tamen aliud quam ſpeciem atque inanem umbram. Igitur id ſatis fuerit, ſi Ariſtotelem principis loco in eruditis habeamus, non qui dictator ſit, (neque enim dictaturam admittit res literaria) ſed qui primo loco ſententiam dicat, a qua inferioris ſubſellii hominibus non facile ſit recedendum. Utinam vero iſthoc ille apud omnes loco eſſet? Nunc etiam in laudatoribus ejus invenias qui quemvis potius alium & conſulunt & audiunt quam hunc, quem ipſi principem confitentur. Alii magno quidem illum in honore habent, in reliquo

(a) *quam erudite interdum de plantarum partibus*) *Sub finem meteorologicorum*, ex quo apparet, Ariſtotelem plantis animas tribuiſſe, eas vivere ſtatuiſſe etiam cultro ſciſſas atque diviſas non minus atque inſecta: qua ratione ex una duæ pluresve effici valeant, quæ & hodie quorundam botanicorum opinio eſt. Conf. STANLEJ. *hiſt. philoſ. p. 465.*

(b) *Nec tamen in verba ejus jurandum*) Exempla eorum qui in Ariſtotelis dogmata jurarunt, vide in LAUNOJI *tr. de varia Ariſtot. fortuna*, addicaque ei *præfatione* ELSWICHII. Ceterum de nimio in Ariſtotelem affectu agit etiam P. RAPIN *dans les comparaiſons des grands hommes p. 394.* obſervans. *Les Carpocratiens furent condamnez pour avoir mis l'image de ce philoſophe avec celle de Jeſus Chriſt & pour l'avoir adoree par une extravagante de zele pour ſa doctrine. Les Aetiens furent excommuniez par l'Egliſe & par les Arriens meme, dont ils eſtoient ſortis parce qu'ils donnoient a leur diſciples les categories d'Ariſtote pour catechiſme. Les Antinomiens allerent juſques a cet excés d'impiete, que de porter plus de reſpect a ce Payen, qu'a la ſageſſe incree.*

reliquo tamen eruditiſſimorum ordine tantum collocant, & multa quidem neque inania ejus admirantur, non tamen eum qua parte maximus eſt ſuſpiciunt. Sed illos fortaſſis ipſa Ariſtotelis magnitudo deterret propiusque vetat accedere: neſcio tamen an non & illa ſe ſubmittat tandem, ſi quotidiano uſu familiaris reddatur. Operæ certe pretium videtur, quum poſſis, ipſum potius principem adire ac ſequi, quam ſequioris illos cum prudentiæ tum auctoritatis homines. Horum vero bona quidem mens æquum ſane eſt ut erigatur, quo autem ſunt errore imbuti eximendus ille eſt & tollendus: intereſt enim publicæ rei ut Ariſtotelis principatus innoteſcat plurimis, & ab obtrectationibus vindicetur. Atque ego quidem, clariſſime Barlæe, jam ante id conatus, nunc vero & prolixius perſecutus ſum, quod potiſſima tunc afferre tempore prohiberer. Nec tamen meopte me voto ſatisfeciſſe video, partim quod ſupra vires ſit argumentum illud, partim & cumprimis ſane quia in ſuſpicionem aliquam ſiniſtram ſentio hunc conatum meum trahi poſſe. Ita enim forte videbor non nemini Ariſtotelem laudaviſſe, ut reliquos omnes viros longe eruditiſſimos contempſerim ac naſo ſuſpenderim: quod uti per ſe crimen magnum, ita in juvene profecto deteſtandum eſt. Atque ego quidem poſſem me ſolo bene ſibi conſcio animo tueri: malim tamen potius iſthæc omnia delere quam tanti in ſceleris opinione vivere. Cæterum ſpero æquiorem quemvis facile mihi veniam donaturum, cum a me nihil ſit adeo magnum Ariſtotelis in laudem dictum, quod non infra illa eſt, quæ ab aliis profuſa abunde ſunt. Pauci enim ſane qualibet in eruditionis parte primas Stagiritæ non concedunt, qui quidem ſuis ſupra vulgus meritis eminent. A me vero nihil aliud præſtitum, quam quod principatum illum, cum id inſtitutum requireret, demonſtrare aggreſſus ſim, non autem nude & ſine argumento illum prædicaverim. Utinam vero id exſequi licuiſſet, ut tamen nec per eruditionis irem ſpecies, nec alios adducerem in contemtionem? At quæ illa febriculoſa laudatio fuiſſet? Sane aut riſui me exponere neceſſum fuit, aut cum Ariſtotelis magnitudine non plebs, ſed flos ipſe ac medulla doctorum conferri debuit. Neque enim ſine ignominia Ariſtotelis ſolum potuit vulgus adduci in hoc certamen, cum conſtet literatiſſimos quosque ab hoc eſſe ſuperatos. Nec tamen contemnitur, qui infra Ariſtotelem collocatur: quum veteres quidem (uno forte Platone excepto) omnes communi calculo ſuperati ab illo cenſeantur, noſtrorum autem ſanior nemo præ Ariſtotele unquam primas ambiverit. Atque haberi eo loco quem ambyſti ſine injuria profecto ac contemtu eſt: ſi vero communi ſum deceptus teſtimonio, unum me hanc culpam luere indignum fuerit. Quanquam poſſit me fortaſſis & genus illud cauſæ, in quo verſatus ſum excuſare. Ut enim in forenſi aliquo loco exilem feras ſermonem: laudatio tamen omnis cothurnis ſolet ire & ampullatur: neque dubitari poteſt, quin qui hoc in genere regnat ſpiritus etiam invitis nobis ſonantior excidat interdum ac tumidior. Sed ludo fortaſſis operam, clariſſime Barlæe, quum nemo te rectius Ariſtotelis queat celſitatem æſtimare, nemini certe notius ſit laudatio quid poſtulet non hominum amplius ſed heroum. Itaque fruſtra ſum cum me apud te defendo, nec tamen potui id non agere impellente me huc animo, qui ut ſcelus illud horret, ita & ſuſpicionem ejus, etiam ubi non opus eſt, conatur avertere. Cæterum tu, quo non tantum æquo ſed & propenſo in me animo es, facile me iſthac parte excuſatum habebis: utinam autem & reliqua tibi ita probarentur? Mihi ſane nihil fuerit acceptius quam tibi tuique ſimilibus, hoc eſt viris maximis placuiſſe. Quod ſi illud nequeam impetrare, probabitis tamen, ſpero, hunc conatum, & errantem me reducetis in viam. Tu profecto, optime Barlæe, nihil non ages, ſcio, meum incommodum, quum totis quinque annis atque ultra & tu meum exploraveris animum & ego magnum te rebus meis præſidium ſemper expertus ſim. Vale. Ex academia Julia. (a)

* * *

NUlla hodie, auditores, utemur præfatione ſed recta ſtatim ad Ariſtotelis noſtri laudationem revertemur. Neque enim vel mihi vel Ariſtoteli opus nunc præloquio eſt, cum non benevoli minus ſponte vos veſtra ſitis quam attenti. Adeo vero multa etiam de Ariſtotele ſuperant dicenda, ut jure merito compendia nobis temporis quærenda ſint. Igitur eſto orationis exordium naturæ ſcientia: quoniam & in ejus hiſtoria ſubſtitimus nuper, & hic præcipue Ariſtoteles regnat, & hoc aliquantillum honoris noſtra ſibi fortaſſis profeſſio, exigit. Cæterum Johannes Grammaticus Ariſtotelem laudaturus de phyſicis nihil aliud adducit, quam inventam ab illo *quintam cœli eſſentiam*. (b) At ſi hoc cardine verſatur hæc Ariſtotelis gloria, ſane per illa levis ac tenuis. Si alia longe maxima primus ille docuit & invenit, quisnam fateatur aut febriculoſam aut malignam hanc laudationem eſſe? atque imperitiæ quidem nemo facile Joannem poſtulaverit: ergo credamus ab illo tenero Ammonii magiſtri ejus in Platonem id profectum amore eſſe. Frigidius enim laudabant Platonici iſti Ariſtotelem, quo majorem ſuo Platoni relinquerent laudandi materiam. Simplicio tamen homini perdocto & Platonis ſtudioſo, cum Ariſtotelis & reliquorum omnium de natura philoſophandi viam atque rationem eſſet perſecutus, extorſit veritas, ut hunc unum omnibus in univerſum

aliis

(a) *Ad hanc dedicationem extat epiſtola reſponſoria inter epiſtolas Barlæanas.*

(b) *quintam cœli eſſentiam*) Hac de re ita loquitur STANLEJUS *in hiſtoria philoſ. pag. 419. In phyſicis quintam eſſentiam, ex qua cœleſtia corpora conflata ſunt, a quatuor elementis diſtinctam vulgo tribuunt Ariſtoteli. Solus docere Simplicius ex Xenocratis vita Platonis conatus eſt, quinque ſimplicia corpora a Platone conſtitui, cœlum nempe & quatuor elementa, eaque ut naturis ſic & figura inter ſe differre. Atque ita dodecaedri figuram cœlo eum aſſignaviſſe, diverſam a figuris 4. elementorum. Sed hæc ut recte monitum doctiſſimo Nunneſio, ſymbolica magis & Pythagorica videntur, quam vera ſententia Platonis. Plato ſiquidem aperte in Timæo docet, cœlos ſua natura indiſſolubiles eſſe, voluntate tamen divina contineri, ne diſſolvantur. Xenarchus philoſophus oppugnaverat quintam naturam ab Ariſtotele invectam, cui tamen reſpondet accurate Alexander Aphrodiſæus.*

zed by Google

aliis præferre cogeretur. Et ſane vero id, auditores, verius eſt. Primo enim multi quidem de naturalibus rebus multa prodiderunt, nemo tamen unus præter hunc ad totius hujus mundi omniumque ejus partium contemplationem fere conatus attulit. Nihil enim nunc dicamus de aliarum gentium ſapientibus quam levia, quam pauca ante hunc Stagiritam noſtrum a Græciæ illis philoſophis fuerunt occupata? atque monumenta quidem illorum fortaſſis dudum perierunt, ſed vel nomina numeremus licet. Numeremus inquam, Empedoclis, Democriti, Anaxagoræ, Diogenis, Leucippi, Philolai, Parmenidis, Meliſſi, Platonis atque aliorum ſcripta quæcunque veteres laudaverunt: ſane ipſo hinc ſole clarius reddetur omnium horum labores non æquare unius noſtri Ariſtotelis copias. Ut taceam nunc quanto inferiores ſinguli ſint oporteat illo, quem conjunctis omnes operis non ſuperant. Hoc erat illud, quod Laertius Diogenes in Stagirita noſtro admiratus, *ἐν τοῖς φυσικοῖς*, inquiebat, *αἰτιολογικώτατος πάντων ἐγένετο, ὥστε τῶν ἐλαχίστων τὰς αἰτίας ἀποδιδόναι.* Hoc erat quod Simplicius affirmabat, ab omnibus aliis abire Ariſtotelem, quod omnes phyſiologiæ partes usque ad maxime ſit particularia perſecutus. Hoc erat, cur Platonis ſectatores, divini licet titulum illi inviderint, *Dæmonii tamen* (a) appellatione proſequendum Ariſtotelem cenſuerint: ultro ſcilicet confitentes, hac in parte ipſum quoque ſuum Platonem ſuperatum. At vero nec qui ſecuti ſunt Ariſtotelem, hanc illi gloriam corruperunt. Ut enim per ſectas eamus, Cynici quidem quadrupedum inſtar canum abuſi ſunt natura rerum: Epicurei religionis ſolum exuendæ gratia de natura aliquid dicere ſunt aggreſſi, impii homines & ſuæ matris temeratores: Academici & Pyrrhonii nihil horum ſcire poſſe arbitrantes non niſi in aliorum ſententiis refellendis laboraverunt: Stoici denique & Platonici quædam tantum horum quæque illi omnium credebant maxime eſſe ſublimia, docere ſunt aggreſſi, longe præſtantiſſima naturæ opera ut infra ſuam poſita dignitatem ac coram contemnentes. Quid, quod in Peripateticis ipſis fruſtra quis Ariſtotelis illam diligentiam magnitudinemve quæſierit? Sudarunt enim quidem majores iſti, Theophraſtus, Eudemus, Phanias, Dicæarchus & Strato in magiſtri ſui æmulatione, & omnem rerum naturam animo ſuo ſunt comprehendere conati, *ſtatim tamen ab horum obitu defecit* (b) hæc diſciplina ſibique reddita diſſimilis eſt. Ita ſane hujus ſectæ ſtudia ſunt immutata & inverſa, ut in quibus illi priſci maxime olim ſuam exercuerunt induſtriam, illa nunc magnam partem jaceant & negligantur. Exulant enim hodie diuque jam exularunt fere philoſophorum ſcholis illa de plantis metallicis, & animalibus, ſeu extra philoſophiæ terminos proſcripta: ſive res anguſtior prohibuerit diſcere quod in uſum & farinam non eſt, ſive ingenii tenuitate aſſequi non potuimus iſthæc ſublimia, ſive poſtremo per ignaviam ſalebras ejus doctrinæ pertranſire non licuit. Atqui tum demum quid natura rerum valeat intelligimus, cum videmus illam non qua parte omnibus patet, ſed qua ſe peplo tegit, qua ſe abſcondit & ſuis ſeſe tenebris involvit: cum quid homo, quid animal, quid planta ſit, cognoſcimus: quum ſcimus, quæ illa ſit admirabilis corporum ſtructura, quid protrudat flores, quid cogat ſemina, quomodo ex levi gutta & minuto corpuſculo prodeant tam admiranda: Quum non latet nos, quid in terræ viſceribus, quid in aquarum profundis, quid in illis cœli ſubjicibus (ut Enniano utar verbo) quid inter ſidera excelſa agat natura atque operetur. Hoc demum eſt admitti in rerum penetralia. Hoc demum eſt de natura philoſophari. Niſi ad hæc acceſſeris, philoſophari non eſt pretium. Quod cum a noſtro ſit Ariſtotele factum, cum ab illo pene ſit ſolo factum, quis non videt quam hic præ omnibus dignis ſit philoſophus appellari? Cæterum non diffudit tantum ita per omnem naturæ ambitum Ariſtoteles induſtriam ſuam, ſed & pleraque ſumma eſt felicitate aſſecutus. Ægyptiorum, Perſarum, Babyloniorum, omnia ſuperſtitio ac magia polluerat: eodem vitio laborabat & Pythagoræ ſchola & ex parte Democriti. Jam in natura rerum inveſtiganda Thales, Anaximander, Democritus, imo omnes Græcorum phyſici, cum quærerent cauſas ac principia rerum, in materia fere ſola ac elementis ſubſtiterunt: Quaſi omnia cœco impetu modo coaleſcerent, modo disjungerentur, neque quidquam in rebus præter illa primordia unde generantur, admirabile inveniatur. Unus Anaxagoras de mente ordinatrice ac ſeparatrice *τῆς πανσπερμίας* balbutierat aliquid inter illos ebrios, ſed ſui oblitus & ille pleraque fortunæ aſſcripſerat, uti & Socrati in Phædone eſt animadverſum. Ab hoc vitio nec Platonem ipſum eſſe immunem confitetur Simplicius, & loquitur res ipſa; etſi enim finalis, exemplaris, agentisque meminerit cauſæ, raro tamen eas advocat aut contemplatur, in ſolam materiam ſuis oculis converſus. At vero quanta eſt in naturam impietas caſui referre acceptum, quod tanta ſapientia gubernatur! quanta eſt cæcitas in hoc mundi artificio nihil videre divini opificis! quanta eſt inſcitia, formalem cauſarum, quæ rebus ſuam eſſentiam largitur, & finalem, cujus illæ gratia & fiunt & ſunt, penitus ignorare! Magna illa Parmenidis & Meliſſi ingenia uno inepto ſyllogiſmo eo redigi potuerunt, ut omnem hanc rerum varietatem unum quid ac ſine motu eſſe profiterentur. Non attingam nunc craſſa alia veterum errata, quæ primus *Ariſtoteles noſter & animad-*

(a) *Dæmonii tamen*) Sicuti Plato ob diſputationem de rebus divinis, in quarum notitia admiranda ratione excellere credebatur, *ὁ θεῖος* appellatus fuit; ita & Ariſtoteles *ὁ δαίμων*, ſive *ὁ δαιμόνιος* vocari meritus eſt, quod ingenium ejus humanam ſortem ac eruditionem excederet, ut ſicuti Xenocratem calcaribus, ita Ariſtotelem freno indigere ipſe Plato judicarit. Vid. B. NIEMEIERI *diſſert. de Ariſtotele ejusque philoſophia* §. 8.

(b) *ſtatim tamen ab horum obitu defecit*) Erant enim nonnulli ex Theophraſti progenie, qui Tejo Apelliconi civi Athenienſium opulentiſſimo Ariſtotelis bibliothecam magno ære vendiderant. Is vero libros magis quam doctrinam amans effecit, ut ſcripta Ariſtotelis & negligenter asſervarentur & mendoſe deſcriberentur. Peripatetici interea antiquiores libris deſtituti, quos pauciſſimos & exotericos quidem ſolos habebant, nullam philoſophiæ partem accurate poterant explicare. Vid. STANLEJUM *pag.* 437.

animadvertit, (a) & emendavit, cum plura ſint, quam ut hodie numerari queant. Ne illud quidem adferam, quod eruditi docent in corporis humani uſibus explicandis Ariſtotelem præ ipſo Galeno felicem videri: illud ſuffecerit addidiſſe quod ad totam philoſophiæ hujus rationem pertinet. Ægyptii ac Perſæ ænigmatis docebant, ab illis involucris velum ſæpenumero inſcitiæ ſuæ quærentes. Ex Græcis plerique quaſi dictatores ſe gerebant, quid ſentirent pronunciantes ſed raro inſtructi argumentis: alii demonſtrationum vice ratiunculis levibus graviſſimas quasque quæſtiones agitare conabantur. *Primus Ariſtoteles* (b) ſicut perſpicue omnia docuit, ita evidenti ſemper fundamento roborare dogmata inſtituit. Argumentis vero agere, vere philoſophi hominis eſt: ſuam vero tantum ſine ratione ſententiam promere divinæ quidem majeſtatis, aut in civitate apud plebem imperantis dignitatis, ſupra tamen conditionem eſt magiſtri aut alterius alicujus, quem docere oportet, non præcipere. At Ariſtoteles hac via per omnem rerum naturam ambulavit, a primis omnium principiis ſimplicibusque affectionibus ad maxime compoſita transgreſſus ac ſumma. Sed quid huic loco immoramur, cum extra controverſiam hac in philoſophia omnes veteres recentesque Ariſtoteles ſuperaverit? progrediamur ad ſecundam contemplatricis doctrinæ ſpeciem, quæ de quantitate agit. Eſt ita quidem: pauca hodie ejus argumenti exſtant ex illa pharetra depromta, veteres tamen unum mathematici, unum aſtronomici, unum optici, unum poſtremo muſices titulo inſcriptum volumen Ariſtoteli attribuunt. Superat hodieque de inſectilibus lineis libellus Xenocrati oppoſitus, cujus acumen ſummi etiam geometræ admirantur. Superat mechanicorum liber ſine exemplo conſcriptus, cui vix ipſi mathematici binis annorum millibus de libra, de vecte, de cuneo quidquam potuerunt addere, quod nec illi diffitentur. Quam vero multa hujus argumenti ſuis inſpergit monumentis? quam multa de harmonicis & opticis in problematibus enodat atque expedit? Teſtatur *Ammonius* (c) huic primo obſervatum, quod radii viſivi baſis non quadrata aut conica ſit, ſed hexagona, ne quæ philoſophiæ pars ab illo non ſit locupletior reddita. Et vero *quomodo geometrica* (d) ignoraverit Ariſtoteles, cum Plato neminem intereſſe ſcholis ſuis ἀγεώμετρον paſſus ſit? quomodo ignoraverit, quum primus hic analyticen, clavem illam geometrices, tradiderit mathematicis & fabricatus ſit? quam vero ſæpe in paralogiſmos animadvertit geometrarum? quam ſæpe ſolis mathematicis exemplis ſua præcepta exponere vult & docere? nunc nuper quoque audivimus, omnes Babyloniorum Ægyptiorumque de ſideribus obſervationes hujus in manus incidiſſe, imo ipſum quoque obſervaſſe ac notaſſe haud vulgarem ejus argumenti hiſtoriam: Quis vero dubitaverit hominem ſciendi adeo cupidum, iisque inſtructum adjumentis non de cauſis quoque horum motuum & orbium dimenſionibus ſollicitum fuiſſe? Loquitur ille quidem *de orbibus cæli* (e) non ex ſua ſed vel Eudoxi, vel Callippi, vel aliorum ſententiis: ſed hoc fortaſſis ingenuæ tantum cujusdam modeſtiæ eſt, aut prudentiæ ſuam, ubi opus non erat eam prodere, ſententiam diſſimulantis. Quicquid ſit, ſiquidem unguis monſtrat leonem, negari nequit, Ariſtotelem in mathematicis omnibus longe fuiſſe verſatiſſimum. Certe ſupervacuum fuerit hoc pluribus oſtendere, quum luce id ſit meridiana clarius. Nec tamen eum nunc cum quoquam conferemus ejus ordinis hominum, etſi horum procul dubio multos ſuperaverit; cedere nimirum non detrectantes fortunæ, quæ laudis illi hanc materiam abſtulit: ad transnaturalem ſtatim philoſophiam pergemus. Cæterum hic multi multa de noſtro querulantur. Platonis ſectatores non Platonem tantum ſuum, ſed & Chaldæos Perſas ac Indos, Pythagoram item ac Orpheum longe Ariſtoteli anteponunt; imo ne dignantur quidem illum divini titulo, quo tamen Plotinum, & Apollonium, Numenium, Porphyrium, Jamblichum, & Proclum cohoneſtant. Antonius Andreas magni vir judicii & inter Lycei Latini myſtas, hujus philoſophiæ ignarum eſſe Ariſtotelem non dubitat profiteri. Viri denique alii longe doctiſſimi utut in aliis ſequantur hujus ordinem & ductum, hac tamen in doctrinæ parte recedunt ab illo & ſuam ſibi viam eligunt. Equidem grave ac moleſtum eſt ab illis decretis hominum maximorum diſcedere aut appellare: ſpero me tamen veniam impetraturum, ſi aliquid & hic

(a) *Ariſtoteles noſter animadvertit*) Conferantur hic quæ de cauſis & principiis rerum naturalium ex mente Ariſtotelis ejusdemque *phyſic. lib. I. c. 3. 4. 5. 6. 8 & 9.* diſſerit STANLEJUS *p. 451.*

(b) *Primus Ariſtoteles*) Cum enim cæteri dialogis, uti Plato, alii carminibus ut Empedocles, alii exemplis, ut Xenophon in inſtitutione Cyri, alii fabulis, uti Æſopus philoſophiam complecterentur, traderentque, primus ille methodo mathematica, rationibus ac demonſtrationibus uſus eſt, tanquam principiis certiſſimis pariter & evidentiſſimis, quod & GALENUS ipſe, licet Ariſtoteli interdum minus æquus fuerit, diſerte fatetur *lib. II. de decretis Hippocratis & Platonis*, nullam philoſophorum ſectam magis conſtantem & certam ac magis principiis ſuis conſentanea dicere, quam eam cujus princeps fuit Ariſtoteles.

(c) *Ammonius*) STANLEJUS *p. 420.* hac de re ita. *Quod addit vetus Ammonii interpres de ſententiis Ariſtotelis circa hexagonium, quod ſit conus viſivus, quam mediam eſſe obſervat vir doctus inter eos, qui viſus baſin, quæ eſt in extremis rei viſæ conicam rotundam faciunt, & qui eam Pyramidis quadratæ dicunt eſſe, ea valde obſcura eſt, vixque interpretationem admittit, quæ tanto auctore digna ſit.*

(d) *quomodo Geometrica*) Conf. ZEIDLERI *introd. ad lect. Ariſtot. §. 39. 40. 78. ſeqq.* it. PETRUM CATENAM *Venetum in locis ex mathematicis in organo Ariſtotelis adductis* FELICEM ACCORAMBONUM *annotationibus in Ariſtotelem paſſim, cumprimis vero* JOSEPH. BLANCANUM *Bononienſem in libro qui inſcribitur: Ariſtotelis loca mathematica ex univerſis ipſius operibus collecta & explicata,* de quo judicium JOH. BROSII vide *in Apologia pro Ariſtot. & Euclide contra P. Ramum.*

(e) *de orbibus cæli*) Nimirum tanquam animatis. Ita autem CÆSAR CREMONIUS *libro de natura cæli ſect. 5. c. 8.* cit. VOSSIO *de idololatr. lib. II. p. 528.* mentem hac in re Ariſtotelis exponit. *Nos conſtituimus animam cælum informantem eſſe animam, quæ ſit prædita potentia intellectiva, quia debet cognoſcere intelligentiam, ſit prædita potentia motiva, quia debet movere orbem & appetitiva, quia debet appetere intelligentiam; nec poteſt eſſe motus ſine appetitu, proinde etiam ſpiritus orbium cæleſtium motores Ariſtotelici ſtatuebant.* Conf. CONIMBRICENSES *in comm. Ariſt. 2. de cælo c. 5. qu. 5. art. 3. p. 285.*

hic adduxero in Ariſtotelis laudem. *Non diffitebor igitur de anima,* (a) de Deo, de angelis miſere prolapſum Ariſtotelem eſſe: non diffitebor plurima ſcholaſticorum theologorum induſtria diſputari, de quibus Ariſtoteles nihil habet: non diffitebor diviniora iſthæc ex Ariſtotele minime petenda eſſe. Cæterum divinis quidem ſcripturis ſolis certa ſanctiorum harum rerum cognitio debetur: Ægyptiorum tamen, Magorum, Chaldæorum, Brachmanumque theologiæ quicquid ineſt veritatis, tantis nugis, ineptiis, ſuperſtitionibus, impietatibus, involutum illud eſt & inquinatum, ut vix aliquid in ea veri appareat. Sane ipſi nullius eſſe certi potuerunt, quum toti ab anilibus fabulis & traditionibus inſulſis dependerint, ignorata plane demonſtrandi ratione. Talia ſunt illa Perſarum Brachmanumque de *Zaruam*, *Oromasda & Arimanio:* (b) Talia ſunt illa Chaldæorum, unum *amilictus, hypozocos,* (c) jynx, hecate, ſemel trans, bis trans, totque τῶν νοητῶν & νοερῶν, ut loquuntur diverſi ordines: Talia ſunt illa Ægyptiorum ſacra quæ in Græciam poſtea Muſæus, Orpheus, Linus, Pythagoras & alii tranſtulerunt. Sane Orphicam & Pythagoricam theologiam, Joanni Pico Mirandulæ comiti tantum non in cœlum evectam, nihil aliud quam Ægyptiorum eſſe recoctam quandam vanitatem haud difficile oſtenſu eſt. Perſica autem illa quid aliud ſunt quam damnata dudum Manetis impietas? Neque vero ſive Ægyptiorum iſthæc, ſive Chaldæorum, ſive Magorum, poſt Pythagoræ ſcholam, quiſquam ſapientum Græciæ probavit; quin vix quiſquam illorum meminit, niſi demum quum jam integros centum annos per omnem terrarum orbem Chriſtiana religio, proculcata idololatria, ab fremente diabolo victoriam obtinuiſſet. Tum demum, auditores, novo Satanæ dolo neſcio quæ ſuperba divinorum cognitio paſſim introducta eſt. Tum demum barbara illa ſacra ab ſapientiam profeſſis, ut Apollonio, Numenio, Plotino, Porphyrio, Jamblicho, Apulejo, occulti omnibus & paredri, quem vocant, ſpiritus cultoribus, laudari cœperunt & adorari. Tum demum Platonis illa ſimplex theologia Chaldæorum placitis infecta eſt & corrupta, detorto huc Parmenide ejus & Sophiſta, quos logici argumenti eſſe nemo non vacuus præjudicio ſtatim intelligit. Erravit itaque ſapientiæ hac diviniore parte Ariſtoteles, ſed non ſolus, non cum paucis, non cum multis, ſed cum omni terrarum orbe, perdente Deo ſapientiam ſapientum; & prudentiam prudentum reprobante, ut per ſtultitiam evangelii ſaperet hic mundus, quodque eruditione ſuperbit pudeficeret. In reliqua vero illa potiorique metaphyſices parte, quis non Ariſtotelem primum magiſtrum judicarit, cum *primus hic ejus diſciplinæ mentionem fecerit,* (d) quam reliqui omnes, ne Platone quidem ipſo ac Plautino exceptis, cum dialecticis confuderunt. Cui haud pauca ſane *ſcholaſtici addiderunt:* (e) attamen nec id diffitendum, nonnullam illorum partem ab argutiis deque voce concertationibus haud procul adeo remotam eſſe. Quis autem ſcholaſticorum de ſubſtantiæ omni ratione, de actu & potentia, de unitate, de tot vocum ſignificationibus, vel accuratius quid, vel certius, vel plus paulo poſt Ariſtotelem attulit? Utinam mihi pluribus hoc oſtendere liceat,

(a) *Non diffitebor igitur de anima &c.*) *EVSEBIVS de præpar. evang. lib.* 15. quinque Ariſtotelis errores enumerat. (1) *circa finem hominis.* (2) *providentiam.* (3) *æternitatem mundi.* (4) *quintam eſſentiam.* (5) *immortalitatem animæ.* Cumprimis *THEODORETVS ſerm.* 5. *de natura hominis* arguit Ariſtotelem, quod mortalitatem animæ docuerit, idemque *EVSEBIVS l. c. & lib.* 5. *hiſt. eccleſ. c.* 27. aliique probant *ex lib.* 1. *de anima text.* 39. *ethic. c.* 10. *l.* 3. *c.* 6. *CLEMENS ALEXANDR. in animadv. ad gent. p.* 44. eo nomine philoſophum reprehendit, quod animam mundi Deum eſſe dixerit. Eundem in modum ex recentioribus cum P. Ramo, Valla, Antonio Perſio de Ariſtotele pronuntiat *JOHANNES FAVSTIVS in examine theol. gentilis, quam docuit Ariſtoteles, VALER. MAGNVS de Atheiſmo Ariſtot. BVDDEVS diſſert. de Spinoſiſmo ante Spinoſam.* Sunt tamen qui philoſophum hunc excuſant oſtenduntque, quod minime de Deo ita docuerit, uti *RAYNAVDVS theol. natur. diſt.* 6. *qv.* 1. *n.* 5. *p.* 562. *ZEIDLERVS in præf. NIEMEIERVS cit. diſſ.* §. 37. Vid. *BAYLE tom. I p.* 325. & *REIMANNVM de atheiſmo c.* 27. Sunt qui immortalitatem animæ ipſum ſtatuiſſe oſtendunt *lib. II. c.* 1. *lib. III. c.* 5. *lib. XII. metaph. cap.* 13. Vid. *Conimbricenſes ad lib. de anima p.* 563.

(b) *Zaruam, Oromasda & Arimanio*) De his principiis Perſarum vid. *PLVTARCHVS lib. de Iſide & Oſiride,* nec non *THOMAS HYDIVS de veterum Perſarum religione* cujus verba *p.* 166. apponimus. *Veterum*, ait, *Perſarum fides poſuit unicum Boni principium æternum, nimirum Deum ipſis dictum Jezad vel Izad, i. e. ſupplicandum, nec non alio nomine Ormazd vel Hormuz aut Hormizda. i. e. Deum ſummum, unde apud Græcos extitit ὠρομάσδης. Poſuit etiam aliud principium mali, quod dixerunt Abariman, & metri cauſa Abrimanan, unde apud Græcos fit ἀρειμάνιος, quod nomen conflatum eſt ex Abar & Riman, quæ ſunt ſynonyma quibus dicitur ſpurcus, fœdus, pollutus, cum alia vocali autem Raiman notat deceptorem & fraudulentum, quod genuinum diaboli attributum &c.* Cætera brevitatis cauſa omittimus.

(c) *amilictus, hypozocos*) Ex oraculis Zoroaſtris v. 120. & Pſello vide hæc recitantem & partim exponentem *STANLEJVM de philoſ. Chaldæorum ſect.* 2. *c.* 6. *p.* 1125.

(d) *primus ejus diſciplinæ mentionem fecit*) Ariſtoteles ipſe primam philoſophiam alibi ſapientiam, nonnunquam theologiam appellavit, ſectatores vero ejus & interpretes metaphyſicam dixere petito nomine ab ordine & loco, quem poſt phyſica proximum tenet. Varia hujus diſciplinæ fata in academia Pariſienſi vide apud *LAVNOIVM* l. c. referentem quod a. 1209. peculiari ſynodo omnes metaphyſicorum libri Ariſtotelis, tanquam qui hæreſi Almerici occaſionem dederint, flammis addicti fuerint, reſtituti demum autoritate Pontificis Vrbani V. Fata vero ejusdem inter proteſtantes vide in addita *præfatione ELSWICHII.* Referunt enim de Guſtavo Adolpho, quod libros metaphyſicos non ſolum doceri prohibuerit ſed & flammis adjudicaverit. Conſtat etiam *WENCESLAVM SCHILLINGIVM* libro a. 1616. edito ſub tit. *eccleſiæ metaphyſicæ viſitatio*, paulo iniquiorem huic diſciplinæ Ariſtotelicæ fuiſſe, cui proinde ſe *D. JACOBVS MARTINI* aliique oppoſuerunt.

(e) *ſcholaſtici addiderunt*) In ſcholaſticis laudat inter alia *NIEMEIERVS diſſert. de Ariſtotele* §. 69. 70. (1) quod egregiis acceſſionibus philoſophiæ Ariſtotelicæ theſaurum locupletarint; (2) quod ſingularem in diſputando erga ſe modeſtiam adhibuerint, ſemel enim tantum factum eſſe a. 1364. ut Heidelbergæ, cum Nominales & Reales contiguas haberent burſas i. e. auditoria, a verbis ad verbera perventum fuerit. Pariter tamen in iisdem defectus quosdam annotat c. 9. (1) quod commentariis ſuis nullam fere lucem Ariſtoteli attulerint; (2) quod minutias ſectati dubitationes citra neceſſitatem moveant & otioſas quæſtiones; (3) quod ſcientiarum limites non ſervaverint, in una ſæpe tradentes, quod ad alteram pertinebat.

ceat, auditores! nunc ita properandum eſt, ut non poſſim non Ariſtotelis gloriam feſtinatione mea deterrere. Parcant mihi manes maximi viri, neve hoc crimen imputent, in quod non tam propria culpa quam iſthac temporis injuria incido. Cæterum vos mecum, o optimi & ſuaviſſimi, pergite nunc ad practicam, uti vocant, ſapientiam: illam, ajo, quæ ſicut olim ſola invidendam iſtam ſapientiæ tenuit appellationem, ita ſola profecto ut obtineat ac conſervetur promeretur. Hæc ſiquidem una illa eſt, qua ſine nemo hominum eſt beatus, unam tamen quisquis ſequitur, non poteſt non ille felix evadere, quum reliquum quid eſt doctrinæ, vel nihil huc admodum conferat, vel perpuſillum. Verum hoc quidem alio loco temporeve & majore cum fructu, & diligentius demonſtrabitur, nobis ſatis eſt unicum hoc dixiſſe, quod ſoli quidem traditæ cælitus religioni noſtræ in iſto, quod ἠθικὸν Græci, Latini morale uſurpant, argumento, cedat Stagirita: Tanto tamen hunc aliis, quantum alteri cedit, omnibus jure aliis eſſe præferendum. Enimvero non ego nunc ibo inficias, quod de immortali virtutis præmio, deque æterna criminum punitione, quorum alterum ſectatoribus ſuis, alterum contemtoribus ac fugitivis Deus propoſuit, nihil ille admodum quidquam pronunciarit: Nemo tamen hoc vitio vortet, qui ſane & ſuæ mortalitatis, & tot vitæ aberrationum conſcius eſt, qui denique quam illud quod de mortuorum vita verbum divinum docuit, non dico difficile, ſed impoſſibile plane nobis cognitu ſit, non ignorat. Nempe quis ſciat, quod contingens mere eſt atque in arbitratu alieno ſitum? atque ejus generis hanc de immortali præmio doctrinam eſſe, nemo audet negare. Nimis enim certum eſt ac in vulgus notum, quicquid a morte aut exſpectamus nos aut metuimus, illud omne a liberrimo arbitratu, atque eo quidem ſummi illius numinis proficiſci. Neque enim vel oculus vidit, vel auris audivit, vel ulli hominum in mentem venit, quid Deus amatoribus ſuis præparaverit. Scimus id nos quidem & prævidemus quodammodo ceu per umbram quandam, verum non noſtri acumine ingenii, ſed quod Deus id nobis revelaverit per ſpiritum ſuum, qui & omnia pernovit Dei & noſtris in pectoribus habitat. Quis enim hominum novit eaque decrevit quæ fieri velit, niſi ſpiritus hominis, qui in illo eſt? Ita & quæ DEI ſunt novit nemo, niſi DEI Spiritus. Nos autem non ſpiritum aliquem hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus, quæ a Deo nobis donata ſint. Hic ſpiritus ubi ſilet, in certam ſpem inter ac metum vagatur homo: ignarus & quo & qua via ambulandum ſit, ſitque adeo ut, dum incertis ſe ſtudet ſententiis exſolvere, in ſecuritatem prolapſus ruat præceps. Erat quidem a primo rerum exordio perſuaſum humano generi, non omnia finiri letho, vitamque aliquam meliorem poſt tot moleſtias totque injurias improborum, immeritis licet donaturum Deum. Procul enim credebant ab illa Dei benignitate eſſe nunquam in gratiam recipere humanum genus, adeoque immortalitatis illa felicitate, ad quam conditos ſe noverant, penitus miſeros ſeſe peccatores privari. Confirmabat prudentiores multorum ſcelerum impunitas, & miſeria optimorum: quorum utrumque videri iniquum poſſet nec tolerandum moderatori, niſi ab hac vita judicium aliquod exſpectandum, quo bonis melior quædam conditio conferenda eſt & impii juſtis ſuppliciis punientur. Jam qui ante diluvium Enochum & poſt Eliam aſcendiſſe vivos in cœlum habebant compertum, nihil illi dubitare poterant. Cæterum permanſit & apud reliquos mortales *paterna hac traditio; quaſique natura* (a) notum eſt habitum, immortalitas quidem animæ penes plures, Deus vero noſter apud omnes. At cum impietate ſua arcerent plerique omnium ſpiritum illum Dei, ineptis illa ſpes fabulis involuta eſt, eoque paulatim perventum, ut nugæ veritati fidem ademerint, tandemque ſtimulante impietate, cujus robur in licentia eſt, non ex inſana tantum plebe, verum ex doctiorum etiam numero haud pauci, omne hoc, quo tamen ipſi nihil ad officii rationem utilius eſſe confitentur, ceu figmentum aliquod exploſerint. Notæ in vulgus ſunt gentium omnium, ſive priſcæ ſive noſtræ ætatis, de illo poſt mortem ſtatu ſententiæ, & poetarum carminibus nihil frequentius quam manes, & elyſii campi, & tartarus decantantur. Sane abs re eſt vel Perſarum, vel Ægyptiorum, vel Phœnicum, vel quæ ab his ſacra acceperunt pleraque Græcorum ac Latinorum ſomnia ac nugas recenſere. Quin nec Judæorum eadem opinio fuit, & ex parte omni vero conſonans, quod Eſſæi quidem neſcio quas beatorum inſulas ſomniarent, Phariſæi vero migrare animas de corporibus in corpora exiſtimarent. Imo non defuerunt Sadoco magiſtro, qui interire cum corporibus animos aſſeruerint. Tantis itaque in orbis erroribus ſi quid humanitus noſter quoque ſit Stagirita paſſus, quis mirabitur? *Quis non ignoſcet* (b) ceſpitanti illis in tenebris homini divinitus non adjuto? Neque vero de animorum iſthac ſolutorum beatitate ſenſit ſequius improbitatis quadam dilectione adductus, ut de Epicuri quis aſſeclis haud ſine cauſa opinetur; verum quod aliis narrationibus minus fideret & res impervia ferme eſſet humano ingenio, nec ſibi potuit nec aliis voluit, quod incerta videbatur fama niti, perſuadere. Sane profecto multo illi minus vitio poteſt verti reſurrectionis defunctorum ignoratio: Quomodo enim ille ſcierit, quod una fortaſſis Judæa tunc ſperavit? Quomodo exſpectandum duxerit, quod omnibus ejus tempeſtatis incognitum fuiſſe Johannes etiam Chryſoſtomus non dubitavit affirmare? quomodo hic non fuerit lapſus in quo ex Judæis certum eſt lapſos eſſe Sadducæos. Itaque iſthæc

(c) *paterna hæc traditio, quaſique natura*) *HILDEBRANDVS theol. dogm. p.* 183. Sunt viri magni, inquit, quorum una pars immortalitatem animæ rationalis ex lumine naturæ apodictice demonſtrari poſſe affirmat, altera negat. Doctorum diſſenſus difficultatem rei arguit. Nos priori ſententiæ ſubſcribimus, ita tamen ut circa medium probandi parti adverſæ libertatem diſſentiendi permittamus.

(b) *Quis non ignoſcet*) Cæterum ZEIDLERVS l. c. philoſophum ita excuſat, quod quidem partes animæ inferiores mortales ſtatuat, etiam τὴν διάνοιαν ſive ratiocinium, intellectum interim aliquem in homine relinquat, qui immortalis ſit.

iſthæc quidem Ariſtotelis ignorantia veniam apud æquos facile invenerit, ſancta certe ac probata illius opinio eſt, felicitatem maximam humani generis non in voluptate, quod Epicuro & Ariſtippo placuit, qui frænum honeſtatis inciderunt, quin ne in poſſeſſione quidem virtutis conſiſtere, ſed in ſtrenuo ejus diligentique exercitio quærendam eſſe. De ipſis autem virtutum officiis ita diſſeruit, ut nec caninam Diogenis & Cratetis impudentiam, nec Zenonis & Chryſippi triſtem auſteritatem nec molles tamen aliquas vulgi delicias ſapiat: Sed pauca ſi exceperis, tam exacte omnia tradat, quam id naturæ ductu fieri poteſt. De cultu divino etſi hujus argumenti eſſet, negligentior fuit, fateor, multoque præclarius & Platonis ſectatores, & porticus magiſtri docuerunt, *quod crederet ille, terrenorum hanc curam infra numinum ſublimitatem eſſe*, (a) contra quam hisce perſuaſum fuit: ita tamen diſſerit, ut nihil Deo acceptius ac placere magis oſtendat, quam ſapiens atque, ut ille ait, generoſo incoctum pectus honeſto. Nihil certe in Stagirita deprehendas, quod vel Chaldæorum, vel Perſarum, vel Ægyptiorum, vel Phœnicum, vel Græcorum etiam profanam redoleat ſuperſtitionem: Qua tamen & Pythagoræ doctrinam, ac præclara iſta Platonis ſcita ceu peſtilenti ſidere afflata cernimus ac inquinata. Tam ſcilicet difficile eſt mortalibus in officiorum hac doctrina non impingere, niſi cælitus divino beneficio inſtructi ſint. Ac prima quidem mundi ætate familiare humano generi cum Deo commercium erat: mox delictorum frequentia, ſcelerumque magnitudine vinculo hoc interrupto tantum unius aut alterius hæc felicitas fuit. Nec extincta licet diluvio impietate, melior conditio; quod ad unum fere omnes in parem cum prioribus iſtis nequitiam delaberentur: donec in Abrahami gratiam Iſraëlis poſteros in populum ſibi ac civitatem quandam eligeret optimum numen, legibus inaudito hactenus more præſcriptis, quæ religionem non partem virtutis, ſed matrem ejus ſtatuerent. Terrarum vero orbis impiis interea moribus obbruteſcebat, ut non niſi divino auxilio vel ad meliorem mentem, vel a ſcelerum dominio liberari amplius ac ſanari poſſet. Sed mittere tandem in haſce terras filium ſuum viſum Deo fuit: Qui non ſegnius ſuſcepto hoc munere, non ſolum ſanguinis effuſione expiavit peccatorum reatum, verum etiam miſſis in omnem orbem nunciis, fidem ſibi habentes non minus veram vivendi rationem docuit, quam Spiritus Sancti gratia donavit, quo vitiorum iſthoc habitu purgarentur. Qualem *κάθαρσιν* promiſerunt quidem gentilium ſacra, ſed variis mendaciis, ut maximus ipſe myſtagogus Porphyrius, quem nihil arcanorum latuiſſe conſtat, ejulabundus olim conqueri coactus eſt. Sed quo prolabor, auditores? tantum id volo: Arduam adeo ac difficilem ſemper morum doctrinam habitam eſſe, ut ſicubi in ea ceſpitaverit Stagirites haud mirum fuerit, quum uno tantum Deo magiſtro veritatem hic adſequi mortalitati noſtræ conceſſum ſit. Paſſus itaque humanum quid eſt Ariſtoteles, ſed quale quid nemo non mortalium perpeſſus eſt. In reliquis ita ſe gerit, ut alios dictatores quidem agere aut oratores, hunc vero unum quod philoſophi erat negotium, haud negligere merito dixeris. Probat enim ac demonſtrat quæ ſciſcit: in quantum hæc doctrina quidem admittit argumenta. Quamobrem ſi iſtuc quidem ſpectemus, nihil eſt, quod cum Nicomachiis noſtris poſſit comparari. Quis enim eo ordine integrum diſciplinæ hujus corpus complexus eſt? Quis ſimili elegantia de natura virtutis & humanarum actionum principiis tradidit? Quis de continentia ac incontinentia tanta docuit ſubtilitate? Quis ea eruditione amicitiæ naturam explicavit? Nemo mihi hic Tullium, nemo Plutarchum, nemo Platonem nominet, ſunt enim horum ſcripta perdocta quidem ac præclara, neſcio tamen an non præ illis ad lectionem ſolos Ariſtoteles doctos admittat. Non quaſi Stagirita noſter alto ſupercilio plebem contempſerit, quippe cujus in uſum & illos veteribus laudatos dialogos, Corinthium ac Eudemum, & tot præterea opuſcula Laërtio aliisque memorata conſcripſerit; ſed quod doctius quid, altius, ac præclarius ſcholis atque eruditis convenire cenſuerit. Cujus profecto conditionis ſunt, & quæ ad Eudemum diſcipulorum maximum miſit & inprimis quæ gnato ſuo Nicomacho conſecravit: Nemo enim *ἀπαίδευτος* eum, quem inde eſt capere, fructum tulerit. Quin vix ſine nauſea legas, niſi multo ante uſu ventriculum probe ſubactum geras. De civilibus autem negotiis, quis Deum immortalem rectius ſenſit? Quis ſcripſit ſubtilius? quis docuit uberius? *utinam extarent hodie illa*, (b) quæ olim admirationi erant, de colonis, de regno, de legibus, aliaque multa hujus argumenti! Imo vero, modo integra eſſent illa quæ ſuperſunt politica volumina! Illud inprimis maximum profecto eſt & admirandum, quod ut alias ſemper, ita & hic primus omnium ab orbe hoc condito mortalium integrum civilis doctrinæ negotium & aggreſſus pariter ſit & abſolverit. Heic mihi forte aliquis de Platone, de Solone, de Lycurgo, de Phalea, de Hippodamo Mileſio, de aliis aurem vellicaverit. Ego vero non diffitebor, auditores, fuiſſe illos viros magnos, eruditione præclaros, in patriam & civitatem quemque ſuam ſtudii laudandi: At vero

(a) *quod crederet, terrenorum curam &c.*) ZEIDLERVS ita hac de re mentem Ariſtotelis *in præfat.* exponit: Falſum eſt, ait, quod Ariſtoteles ſimpliciter Deo deneget ſcientiam vilium rerum. Hoc quidem docet, quod Deus res ceteras, quæ extra ipſum ſunt, non ita cognoſcat, uti noſter intellectus, quia non cognoſcit prius res alias ut ſe cognoſcit, ſed ſe ipſum tanquam perfectiſſimum intelligibile cognoſcit. Sed ita Deum conſideret ſecundum actionem intrinſecam & eſſentialem, ut purum non activum ſed ſpeculativum. At vero ubi relatum ad res alias conſiderat, & ut motorem eum deſcribit, non negat, quod & alia extra ſe etiam res viliſſimas cognoſcat.

(b) *utinam extarent hodie illa*) Extant hujus argumenti de regno, agricultura, colonis, ſcripta apud Arabos ſub nomine Ariſtotelis, vide HERBELOTIVM *bibl. orient. p. 979. ſqq.* Ceterum HOBBESIVS nimium detrahit politicæ & ethicæ Ariſtotelis, cum *in Leviathane p.* 320. ait: Unde igitur nata ſunt de religione in Germania, Anglia, Gallia bella civilia niſi a philoſophia, ethica & politica Ariſtotelis. Menſura boni & mali in omni civitate eſt lex. Ariſtoteles autem virtutem & vitium non legibus definivit, ſed laude & vituperio, apud cives. Regum omnium imperium tyrannidem vocat, in democratia ſola libertatem eſſe dicit.

ro quis illorum ad integrum noſtræ prudentiæ corpus vel conatus tantum attulit? Non Solon certe, non Lycurgus. Neuter quod huc quidem faciat præter leges aliquid ſcripſit, ornare patriam contenti. Phaleæ vero ac Hippodami labor quam fuerit tenuis, jamdudum pars illa divini operis ſecunda demonſtravit. Sublimius fateor & majore induſtria ingenioque argumentum hoc maximus vir Plato aggreſſus eſt. Decem quippe libris eam, quæ in votis tantum eſt rempublicam, duodecim atque Epinomide qualis per ſortem noſtram baberi poteſt, delineavit. Sed videat pro ſe quisque illa, quæ de republica inſcribuntur: Apparebit profecto multum in illis alieni eſſe, quæ ad civitatem vero faciunt aut veritate aut tractandi ratione cum Ariſtotelicis illis conferri non poſſe. Sane haud multum habent, quod quidem novitate præclarum ſit, præter mulierum, facultatum, ac liberorum communionem: præter diſtributionem populi in milites, quæſtuarios, & principes: præter denique cuſtodum diſciplinam & juſtitiæ commendationem: Pauca profecto, nec niſi obſcura de conſiliis, magiſtratibus, judiciis: pauca de formis, differentiis, corruptionibus: pauciſſima de ſalute cujuslibet ſtatus illis in monumentis traduntur. Horum autem loco fabulam Gygis & terræ filiorum, idemque monſtri illius tricipitis atque Eri Armenii figmenta paſſim eſt legere. Sextum ſeptimumque volumen una pro philoſophis apologia exercet. Ut ſilentio nunc involvam monſtroſa illa de communi mulierum uſu, & inutilem de bonorum poſſeſſione diſputationem: quorum alterum hac quidem in mortalitate noſtra non poteſt, alterum nullo unquam tempore fieri fas eſt. Hoc tamen argumentum, hæc ſeries eſt primi illius Platonici operis. Neque vero alia ſecundi eſt. Sed nolo ego videri ex Platonis inſectatione Ariſtoteli noſtro præconium quærere. Quis vero ſponte ſua non plurimum miratur, tam leviter eum aliorum induſtria inſtructum tale tamen opus nobis reliquiſſe? Scio equidem, ex Moſaicis legibus potuiſſe in hunc uſum quamplurima depromi: Quod iis nihil ſit abſolutius, nihil divinius: *Verum illa in manusne Stagiritæ noſtri inciderint*, (a) permultum ambigo. Haud ignoro etiam rhetorum quoque illius ævi prudentiam commendari: Sed nemini non manifeſtum eſt, non alius illam fuiſſe conditionis, quam vulgarem iſtam, quæ nunc plerumque illuſtre id nomen occupat: Ubi qui unius callent civitatis inſtituta, prudentiæ conſulti audiunt: quod non minus acri olim oratione caſtigavit Ariſtoteles, quam ſuo exemplo viam præivit meliorem. Nemini hoc obſcurum eſt, auditores, qui quidem indefeſſo ſtudio ſaltem iſtum Nicomachiorum Colophonem evolverit. Quin & Plato ante illum rhetorum hanc profeſſionem, perbelle me hercules, *πολιτικῆς μορίου εἴδωλον* & quartam adulationis ſpeciem definivit. Verum ex illis majorum gentium ſapientibus neminem Ariſtoteli ſuppetias, quæ in cenſum quidem venire mereantur, tuliſſe manifeſtum eſt; fortaſſis autem ſequens ætas multa illi ignorata prodidit. At cum veteres quidem philoſophi ſuos quaſi in ordines ſectis fuerint diviſi, quam mihi quis ſectam hic, quem ordinem laudabit? Stoicosne? Acute illos quidem & ſpinoſe de republica legimus diſſeruiſſe, non tamen ad uſum hunc civilem ac popularem, Marco teſte Tullio, locuti ſunt. An Epicuri aſſeclas? Quid vero illi de civitate, de optimo ejus regimine, magnopere dixerint, quibus venter pro anima, cibus pro ſale erat? Abſit profecto, auditores, abſit ut a porcis regundæ urbis leges exſpectemus. Supereſt Platonis ſchola: ſed ex qua nemo ſanus iſtos, quos academicos dicimus, huc arceſſet, hoc enim foret, ac ab inſcitiæ magiſtris ſapientiam ſibi polliceri. Quis vero ſequentium illorum, qui Platonici maluerunt uſurpari prudentiæ hujus titulo tantum vel inclaruit? Altior nimirum eſt hæc philoſophia, auditores, altior quam ut quamvis umbram ſubeat: rariſſime certe admitti creditur inter parietes, nec niſi ab exceſſis ingeniis invitata. Ea enim eſt hæc ſapientia, ut ne in Ariſtotelis quidem ſucceſſoribus ita diu habitaverit. Permultum enim Theophraſtus quidem ac ſodalis ejus Meſſenius, Dicæarchus & Ponticus Heraclides, & ſi qui ſunt præter hos pauci alii, permultum inquam illi hoc in argumento, ut in alia eruditione omni, laborarunt. Demetrius quoque Phaleræus ex umbra hanc prudentiam, ac frigore otioſo, in ſolem & aciem mediumque quaſi diſcrimen, cum trecentis & ſexaginta quinque ſtatuis, produxit. Sed in Stratone Lampſaceno gloria iſthæc ſtatim defecit, nec vix unquam in Lyceum reverſa eſt, quod aut aliis ſtudiis meliora occuparentur ingenia, aut umbratili natura ab negotiis ad inertiam, ab civitatum arcanis ad curioſas delicias delaberentur. Quid itaque iſthoc hominum genus hic viderit, quod latuit Ariſtotelem, virum media in aula atque ad aulam natum, tot Regum aut magiſtrum aut familiarem, tantæ urbis incolam, ejusque tandem ingenii ac in hoc ipſo argumento diligentiæ, ut vel tituli laborum queant ſtupori eſſe? Jam poſt philoſophici nominis viros quid alii attulerint regiæ huic diſciplinæ? Equidem ita eſt, diſputamus hodie de feudorum contractibus, de jure Regum ac Principum, de urbium privilegiis, noſtramque diligentiam civilis prudentiæ titulo venditamus. Nec diffiteri quisquam poteſt, nihil fortaſſis hujus doctrinæ vel a noſtro Ariſtotele, vel ab alio quopiam veterum dictum ſcriptumque eſſe. Verum enim vero primum ne quidem pertinent illa noſtra ſuo ingenio, ad univerſalem illum communemque curarum publicarum campum. Quicquid enim particulare ac ſingularium eſt, ſuapte natura ab excelſitate cujuslibet diſciplinæ atque artis contemnitur. Medicus ſane non hominem quidem ſimpliciter, ſed hunc hominem Socratem vel Titium ſanat: Ars tamen ipſa medica nihil de

(a) *illa in manusne Stagiritæ inciderint*) Alias de Ariſtotelis cum Judæis converſatione ſolet allegari Clearchi Solenſis teſtimonium apud *EVSEBIVM præpar. evang. lib. 6. c. 6. ORIGENEM contra Celſum lib.* 1. *cap.* 13. *CLEMENT. ALEX. ſtrom.* 1. Imo & vetuſtum Ebræorum commentum fuiſſe, uti SELDENVS *de jure nat. &* *gent. p.* 14. quod Ariſtoteles cum Judæo quodam familiarius converſatus, ab eoque in religione Judaica informatus fuerit. Adde JOSEPHVM *contra Appionem lib.* 1. & quæ de libro, cui titulus, *pomum Ariſtotelis*, referuntur in STANLEJI *hiſtoria philoſ. p.* 427. *WOLFII bibliotheca Rabbinica part.* I.

de Socrate, nihil de Titio dicit, quod infiniti id res laboris foret & inutilis. At quæ de Regibus nos ac Principibus diſputamus, adeoque omne illud publicum jus noſtrum, non illa ex fontibus naturæ perpetuis hauriuntur, non illa ſunt patulæ iſtius conditionis atque communis: ſed ad privatas quæque civitates referuntur, & non aliunde quam ex arbitrariis civitatis cujusque conſtitutis deciduntur vel intelliguntur. Neque enim Germaniæ noſtræ publicum jus extra Germaniam valet: ſicut nec Gallico jure nos Germani obligamur. Quare nec alio hæ, quæ de iis inſtituuntur controverſiæ ſunt loco, quam illo, quo lites quæque civiles gaudent, niſi quod majore dignitate ac periculo agitentur. Nempe non tantum quod privatarum illæ civitatum ſint negotia, ab prudentia iſta architectonica excluduntur, verum illo etiam nomine, quod non certis & æternis ſed lubricis tantum popularis arbitrii fundamentis innitantur. Contra quam profecto ſe res habet de civili doctrina. Hæc enim & per ſublimia illa tantum graditur negotiorum, & definito utitur ac certo judicii decreto, privata iſthæc miniſtris committens aliorumque ſtatuta univerſali quodam lumine colluſtrans. Quam abſurdum itaque eſt tam excelſum nomen humilibus his curis præſcribere? Quanquam de nomine haud magna lis fuerit. Appellet enim quisque ſuam iſtam publici juris notitiam, ſi ita lubet, civilis titulo prudentiæ, modo ne fucum faciat aliena hac laude vel civitati ſuæ vel majorum induſtriæ ac meritis. Neque enim ſine injuria antiquitatis poteſt credi, vere hoc portionem eſſe divinæ illius ſapientiæ, atque adeo ferendarum olim legum cognitio in illis canæ prudentiæ viris deſiderari. Arbitrari autem forte, palmarium civilis eruditionis in hac noſtra conſiſtere ſcientia, id vero cum detrimento ac pernicie reipublicæ conjunctum eſt. Equidem non cum Tullio dixerim, nullam eſſe in illa diſciplina munitam ad conſulatum viam, munit enim hodie ſi aliud quidquam, valide, hoc tamen non eſſe illud quod ad conſulatum inprimis requiritur, certiſſimum eſt. Quantumvis enim juris divini humanique civitatis ſuæ nihil aliquem lateat, quid tamen hoc profuerit quando

Tollitur e medio ſapientia, vi geritur res;
& Non ex jure manu conſertum ſed mage ferro
Rem repetunt?

Quid profuerit ſi in aliam rempublicam, ubi aliis moribus, aliis legibus vivitur, deferare? Quid profuerit, ſi non lis ex lege ſit decidenda, ſed de ipſa agatur lege vel roganda, vel abroganda vel deroganda, vel ſubroganda? Non dico nihil ad legiſlatoriam prudentiam conferre conditarum legum ſcientiam: conducit enim. Neque id ignoravit Ariſtoteles, qui hoc ſine tot civitatum mores ac leges deſcripſit. Sed profecto multum intereſt, quid latum ſit & quid ferendum: plurimum refert ex lege agere, & facere id, quod in rem civitatis ſit. Jam ut medicus non eſt omnis qui novit, Socratem lippis oculis, fracto pede, crudo ſtomacho, calido jecore eſſe: ita gubernandæ civitatis modum non illico perſpicit, qui ſtatum ejus ſibi cognitum reddidit. Sane nec valetudinem Socratis medicus, nec ſalutem reipublicæ ſuæ gubernator recte curaverit, niſi uterque ejus, quem curandum ſuſcepit, ſtatum conditionemque probe compertum habeat. Sed ab hac notitia, Deum immortalem, quantum abeſt medendi vel regendi peritia! Hæc non unam reſpicit civitatem, ſed conſulit omnibus, etiam quæ nondum natæ ſunt. Hæc ad ſummam beatitatem, ſi id fieri licet, perducit cives ſuos, ſi non licet, tamen quousque licet. Hæc quid pace quid bello ex uſu ſit decernit. Hæc quid exportandum, quid importandum, ut civitas cuſtodienda & defendenda, unde victus opumque copia comparanda ſit, deliberat & conſulit. Hæc quæ leges, quæ ſtatuta populari, optimatium, regioque conveniant ſtatui, edocet. Ea demum eſt illa regia ars, illa architectonica diſciplina, illa prudentia quam Plato tot diſertis voluminibus, Ariſtoteles vero tanto ſtudio profeſſus eſt. Huic, dicat quis, num quid addiderint, qui philoſophorum noluerunt nomine uſurpari, inque civilibus litigationibus arcem prudentiæ collocaverunt. Dicat quis, ut detractum per hos aliquid ſit Ariſtotelicæ gloriæ, quam apud tot Reges ac civitates, apud tot ſapientes, tantum per ævi ſpatium vir ille maximus hac ex arte eſt conſequutus. *Joannes tamen Bodinus*, (a) quem ſi non primum, primarium tamen hujus ſectæ jure habeas, ad umbram ac otium Stagiritam non erubuit condemnare. Sane nemo ob diffuſam eruditionem eamque non plebeji ſaporis, hominem iſtum non multum colit, ſed qui patiamur tantam clienti noſtro injuriam fieri, ab eo, qui Princeps alienis quæſtionibus nobilem iſtam doctrinam temeravit? Umbraticus ſcilicet doctor eſt, qui omnium civitatum regnorumque inſtituta ad numerum habet. Umbraticus eſt, quem Athenienſes legatum ſibi ad Philippum voluerunt. Umbraticus eſt, qui urbem everſam ſuis decretis ac legibus vitæ reſtituit. Umbraticus eſt, quem aula Macedonica & familiarem & magiſtrum coluit. Quis regnandi avidior *Philippo?* (b) quis verſutior? quis callidior? Hic tamen, hic Philippus magis de Ariſtotele magiſtro ſibi eſt gratulatus quam de filio Alexandro. Nempe ſpem ſanguinis ac generoſam nati indolem umbræ ac otio aſſueſcere voluit pater, ut dignum ſe hæredem efformaret. Auſteraque & umbratili ſapientia delectatus eſt, qui regnandi magis aviditate fuit quam comedendi. Quid vero Alexander? ut jocos abſolvam. Nonne ſi quid urbanum callidumque audiret, Ariſtotelis id ſophisma eſſe exclamavit? Nonne plus Ariſtoteli ſe debere quam patri Philippo profeſſus eſt? Sane hoc traditum antiquis. Unde amor iſte, auditores? Quodnam illud eſt Ariſtotelis beneficium? an quod exta ac fibras

(a) *Joannes tamen Bodinus*) Vide de eo MORHOFII *polyhiſt. tom. 3. lib. 2. p.* 12.

(b) *Philippo*) AMMONIO teſte maxima fuit Ariſtotelis apud Philippum ejusque conjugem Olympiade autoritate, ut ſtatuam ei poni juſſerint & Philippus æqualem fere ipſi in regno adminiſtrando partem concederet. Vid. vet. *interpres Ammonii p.* 13.

fibras brutorum, & pulicum ſaltus, & muſcarum volatus hoc magiſtro didicit? Quaſi id curarit ardens ille juvenis, cujus cupiditati non unus orbis ſuffecit. At vero ad Alexandrum quidem alterum de regno, alterum de colonis librum tranſmiſſum legimus, quod umbram oleat, nihil legimus. Novimus etiam & Antipatrum, & Ptolomæum Lagi filium, & pleroſque alios Macedonici exercitus proceres hoc magiſtro ac amico gloriatos: quibus profecto non umbra, non otium imbelle, ſed arena & pulvis, ſed cruor, ſed arma in amore fuerunt. Olympias vero imperioſa iſta regina qui ſit doctorculi cujuſdam pallidis ſermonibus delectata? Atqui inter ſanctioris familiaritatis amicos hæc Ariſtotelem numeravit. Quanto itaque callidior Hetruſcus ille, qui deſcribere clanculum Stagiritam maluit quam ſugillare. Eſto hoc plagium quoddam honeſtius: Bodini vero illud mera ærugo eſt. Nos autem ad alia, valedicta tandem civili prudentia, cum Ariſtotele noſtro pergamus. Sed ſtatim nobis dubium exoritur œconomicus ejus arceſſendusne huc ſit, an omittendus. Negligendus videri queat, ſi mutilam ejus formam videas: at omittere ſine præconio tam præclaram opuſculi ac incomparabilem doctrinam, id vero piaculum fuerit. Incomparabilem me doctrinam hanc appellare nemo miretur. Nam quod quidem ſciamus ante Ariſtotelem hujus aliquid argumenti edidit nemo, unico Grylli filio Xenophonte excepto: qui quod princeps hic aliquid ſit auſus, gloriam immortalem, quod infelicior Stagirita fuerit, veniam profecto commeretur, cum uno hoc excepto reliquos omnes longo poſt ſeſe intervallo reliquerit, ſive doctrinam videas, ſive melleum illud ſermonis genus. Ariſtotelem vero nihil hujus argumenti apparet fugiſſe: quippe qui non ea tantum quibus Xenophon excellit, *etiam his in fragmentis* (a) (ejus enim fortunæ ſunt, quæ hodie legimus) monſtraverit, ſed præterea & Perſicam, & Laconicam & Atticam domus directionem, quæ iſthoc ævo celebri erant fama, ad unguem, ut ita dixerim, cognitam habuerit. Utinam vero, auditores, non invidiſſet nobis ſævior fortuna hunc theſaurum! Certe nihil credo deſideraretur, quod ex uſu eſſe familiæ poſſit, neque aliorum induſtriam opemque advocare cogeremur. Etſi quod ad illa quidem, quæ Græce ἀρχιτεκτονικὰ argumenti hujus appellaris, attinet, non eſt cur alios anxie imploremus. Ariſtoteli enim pleraque iſta his etiam in ſegmentis dicuntur, & quicquid præter hæc ſequens ætas dedit, alienis illa ac plebejis ſæpe negotiis permiſta ſunt. Neque vero dignum id magna quadam admiratione eſt: multi enim, qui manus huic argumento admoverunt, quod ſeveriore nulla diſciplina calamum ſubegiſſent, non poterunt non ſæpenumero rerum illa multitudine a ſcopo abripi: Philoſophi contra multi illam projecerunt. Nempe iſthoc mortales ingenio ſumus, quæ ante pedes ſunt negligentes captamus potius excelſa, & inſano certe amore ſectamur avia, inque clauſos naturæ & numinis receſſus conamur irrumpere. At ſi per gradus quoſdam iſthuc vietur, ſi laborum alii quidem neceſſarii, alii vero utiles, quidam non niſi liberales haberentur, ſi quæ ex uſu inprimis humanæ vitæ ſunt quiſque diſceret, tunc grande illud eruditi nomen haberet rumoris ſui fundamentum. Nunc ſæpe tantum remotis incumbimus, obtuſoque licet pectore affectamus ſine diſcrimine omnes acuminis gloriam, quodque omnium turpiſſimum eſt, cum aliena ipſi agamus, quaſi præclare geſtis rebus plaudimus nobis, & qui vitæ commodis ſerviunt elato naſo ſuſpendimus. Hæc profecto, non alia cauſa eſt, auditores, quur & longe plurima orbi mala incumbant, & *domeſtica hac diſciplina* (b) tanto temporis ſpatio intra paucorum ſapientum curam fuerit. Nam ex philoſophis quidem, qui vel Græce, vel Arabice, vel Latine poſt Stagiritam huic negotio dederunt operam, vix eſt qui nominetur: Niſi quod Albertus noſter, totis quatuor libris locum hunc illuſtravit. Sed palma hoc quoque in ſtudio penes Ariſtotelem citra controverſiam eſt. Proinde ne nos quidem longiorem hoc in loco moram trahemus, ſed iſtuc potius ubi dubia queat victoria videri, orationis noſtræ habenas ocyus flectemus. Atque adeo, quoniam prudentiam omnem modo ſalutavimus, nunc illam, auditores, artium reginam, fulcrum mortalitatis, ſolatium vitæ, miſerorum refugium, ſpem unam ægrotorum, (artem ajo medicam) agite ſultis, viſitemus. Nihil nunc dicam de præliminari ejus doctrina, quam Græco nunc vocabulo φυσιολογικὴν mos eſt appellare, etſi jam ante id, quod Andreas Cæſalpinus dixit, non dubitaverimus diſerte profiteri, multo cautius & curatius Ariſtotelem, quam ipſum magnum illum Pergamenum hic ambulaſſe. Neque vero difficile id probatu eſt, ſive de calido nativo, ſive de cordis principatu venarumque exordio, ſive de reſpirationis uſu ſalientiſque arteriæ natura, ſive de viſceribus ipſis, liene ac hepate, ſive denique de ſeminio animali mirabilique fœtus conſtructione diſputatio inſtitueretur. Certe & jam olim ſummi illum judicii virum Aboali ſenis filium (ut Cordubenſem Aven Rus & alios taceam) in ſuas Stagirita partes traxit: Hac vero tempeſtate, quam plures non vulgaris notæ invenit defenſores. Ex quibus fas mihi ſit, auditores, ceu propter viam, unum nunc Caſparum Hoffmannum nominare, etſi, quod de Carthagine Criſpus ajebat, tanto de viro ſilere ſatius ſit, quam pauca dicere. Cæterum phyſiologica de hac corona Stagiritæ noſtri nihil equidem nunc dicam, poſtquam ad artem medicam acceſſum fecimus. Jam enim ſupra, cum in naturalis philoſophiæ curriculo verſaremur, laudavimus hoc nomine clientem noſtrum: & tametſi omne hoc negotium arti huic a quibuſdam committatur, vero tamen verius eſt propriam eorum poſſeſſionem uni phyſicæ convenire. Atque ne primi quidem ſaluberrimæ hujus artis auctores curioſiore na-

turalia

(a) *etiam his in fragmentis*) Extant libri duo Ariſtotelis de re œconomica ſed mutili, quibus aliqua addidit LEONHARDVS ARETINVS, commentarios autem exiguos adjecerunt JOH. CASVS, JAC. LVDOVICVS STREBÆVS, & JAC. FABER.

(b) *domeſtica hac diſciplina*) Proinde MORHOFIVS *in polyhiſtore tom. 3. lib. 3. pag. 14.* doctrinæ œconomicæ profeſſorem in academiis conſtituendum eſſe arbitratur.

turalia iſthæc diligentia ſcrutati ſunt: donec phyſicorum veterum æmulatione ab Hippocrate Coo ſubtilius quædam dicerentur. Sed hujus quidem nomen multa nunc mentiuntur forte: Intereſt tamen Ariſtotelicæ gloriæ, ut quam diligentiſſime ſine odio atque amore illa excutiantur, ut ne quorundam tenero nimis in Hippocratem affectu faſcinati, de neſcio quo Stagiritæ plagio perſuaderi aliquid nobis patiamur. Verum initio ab Hippocrate facto mox & Polybus & Diocles, hosque Ptolomæi Lagidæ ac Antiochi ævo inſequuti Herophilus ac Eraſiſtratus , non uno opere partem hanc naturalis philoſophiæ elucubrati ſunt. Qui cum ſententiis diſſiderent, ſectis ſibi conſtitutis, magis paulatim de alienis hiſce quam de artis negotiis agitari multos inter medicos cœpit. Etenim phyſiologicæ quæ vocantur quæſtiones ſectas illas plerumque exercuerunt: ipſe quoque Attalenſis Athenæus vix in alio ſtudio quicquam laboravit. Vidit hoc maximus vir medendique artis numen Claudius Galenus, utque aliarum artium, ita hujus etiam quæſtiones ſcopo finiendas recte judicavit: Verum nec ipſe ſive quod ſeculum eo duceret, ſive ſectarum importuna quadam pertinacia agitatus, illos inter limites ſe, ut quidem eruditi cenſent, continuit. Multo minus poſteritas hic ſatis fuiſſe cauta creditur. Nam Græci quidem ſuos, novo etiam vocabulo reperto, *ἰατροσοφιστὰς* laudarunt; & inter Latinos barbari illi Petrus Aponenſis, Gentilis, Nicolus, Garbius aliique, ad faſtidium & nauſeam usque, alieno hoc atque peregrino in campo laborarunt. Multa horum reſecuit poſt Fernelius, multa alii rejecerunt, ut tamen non nullam copiam reliquiſſe exiſtimentur. Longe prudentior, longe religioſior in cujusque diſciplinæ terminis obſervandis Ariſtoteles. Proinde omnia hæc non niſi loco ſuo, adeoque iſthac parte qua animalium ingenium examinat, eſt perſcrutatus: quaſi medicorum arti, aut rudior ſufficiat cognitio quædam, aut aliunde iſthæc mutuanda ſint. Quid, quod ne morborum quidem tractationem omnem medicorum ille induſtriæ commiſiſſe videatur? Certe de animalium ægritudinibus multa in hiſtoriis narrantur: Neque pauca opuſculum illud dubio procul docuit, quod de ſanitate morboque inſcriptum, nunc præter initium ſuum nihil habet, quod oſtendat. *Utinam vero haberemus, auditores, quæ de morbi cujusque natura* (a) & ipſemet Ariſtoteles, & hujus æmulatione cum alii tum Theophraſtus inprimis Ereſius longe plurima prodiderunt! Laudat ſane antiquitas *ἰατρικῶν* Ariſtotelis duo volumina quibus arcana artis ingenti acumine complexus ſit. Niſi quis confundere hos labores malit cum Menoniis illis, quos de medicorum placitis Menoni conſcriptos, magiſtro tamen ejus vulgus aſſignaſſe, Claudius Galenus conteſtatur. Quicquid hac de re ſit, auditores, tantum ſi Theophraſti iſta ſuperarent, expeditior fortaſſis eſſet morborum cognitio, quippe qui & majore ingenio & alia plane via, locum hunc univerſum aggreſſus ſit. Obtinebat enim adhuc iſthæc, Galenoque ita laudata docendi ratio: qua ſine non eſt fortaſſis quod multum hoc in negotio profecturos nos opinemur. Nempe ſi ſymptomatis cujuslibet proxima, quam vocant, cauſa reperiretur, ſi morbi omnis caſus & accidentia haberentur innumerato, ſi quomodo iſthæc omnia a morbis tanquam principiis promanent, edoceremur, tum nihil nobis obſcurum eſſet, quod patitur æger. Hæc profecto veterum occupatio fuit, hic labor, hic ſudor. Neque vero magnus ille ex Coo magiſter agit aliud; niſi quod in hiſtoriis ægritudinum, (quo & ipſi Aphoriſmi & Coicæ prædictiones, & prognoſtica pertinent) felicior judicetur, quam in earum cauſis inveniendis, ſi certe illius ſunt, quæ grande hoc nomen præ ſe ferunt. Nimirum prima hic palma noſtro eſt Lyceo reſervata : Primam certe cum magiſtro ſuo Theophraſtus decerpſit. Excutiat cui volupe eſt, aut dubium quod diximus videtur, excutiat inquam illa tantum, quæ de ſudoribus, deque vertigine & laſſitudine etiamnum Theophraſti ingenio debemus. Evolvat idem & qui quintus inſcribitur de animalium ortu, & tot problematum multijugas diviſiones. Luſtret cum alia Stagiritæ, tum inprimis quæ ſparſim in divina iſta de animalibus traditione invenire eſt. Non quidem problemata illa unius eſſe Ariſtotelis dixerimus: multa in iis Theophraſti ſunt, multa aliorum etiam ineptorum hominum; ſicuti nec qui decimus hodie hiſtoriæ numeratur, divini illius viri eſt, etſi jam Diogenes olim titulo *περὶ τοῦ μὴ γεννᾶν* illum commendarit. Nihilominus etiam in his multorum cauſas morborum, haud paulo rectius, quam vulgo ſolet fieri, aſſignatas obſervant eruditi. Ac noſtri quidem inſtituti ratio non patitur, ut quæ de epilepſiæ vel convulſionis, vel atræ bilis natura Ariſtoteles docuit, cum popularibus ſententiis committantur? Theophraſti tamen iſta qui ſine exemplo eſſe non providetur, cœcus eſt ſi non videt, malus, ſi ægris oculis videt. Atque longe plurima ejus generis ſimili ingenio, ſimilique eruditione conſcripſerat vir ille ædepol maximus. Numerat profecto Diogenes de epilepſia, enthuſiasmo, ſudoribus, laſſitudine, contagioſis affectionibus, animi deliquio, melancholia, ebrietate, paralyſi, ſuffocatione, delirio ſingula, de humoribus quinque volumina. Ut appareat non minorem induſtriam a principibus illis Lycei noſtri hoc etiam in argumento, quam ab ipſis medicorum filiis, eſſe adhibitam. Quid? quod nec ipſum medendi uſum magnus ille Stagirita præteriverit. Non utar problematum teſtimoniis, in quibus ſæpenumero in remediorum naturam inquiritur: ſatis magnus auctor ac teſtis *Plutarchus* (b) Chæronenſis eſt. Jam quod medicæ rei (inquit ille) ſtudioſus Alexander fuerit, ejus rei Ariſtotelem præ cæteris videtur auctorem habuiſſe: Non enim contemplationibus modo delectatus eſt, ſed & amicis ægrotantibus medicinam fecit, curandique & victus quasdam rationes præſcripſit, ut ex epiſtolis ejus colligitur. Neque vero mirum ſi medendi rationem Stagirita caluerit, cum Æſculapii familia ſit genitus, quæ vel pueros ſuos a vita arte induebat. Non alia

(a) *Ultinam haberemus quæ de morbis*) Ejusmodi ſcripta de medicina, de ſanitate & morbis ſub nomine Ariſtotelis extant apud Arabes. Vid. HERBELOT *biblioth. orient. loc.* &c.

(b) *Plutarchus*) *In vita Alexandri pag. 668.*

alia certe cauſa eſt, cur per contumeliam, porcus ille Atticus, Epicurus, *pharmacopæi* (a) illum titulo traduxerit: iidem nempe olim & pharmacopolæ & medici erant, Nicomachi autem officina hæreditatis jure in filium fuit devoluta. Verum enim vero de medendi hac arte fortaſſis juſto fuiſſe longiores judicamur. Quamobrem parcius de phyſiognomicis loquemur, quæ quod medicæ arte affinia non nihil ſint, merito proximum ab ea locum occupabunt. Dederant ei negotio operam jam diu ante & vulgus mortalium; (cum omnibus quaſi inſitum ſit, ducente huc natura, ex vultu atque corpore abditos cujusque mores divinare,) cum inprimis diligentius huc incubuerant Pythagoræ diſcipuli. Ut enim memoriæ eſt proditum his inter alia indiciis maximus ille Samius exploravit ingenia eorum, quos ad tacendi ſolemnia admiſit. Jam in tres quatuorve ſectas admirabilis profeſſio ſcindebatur, aliis ex brutis, aliis ex diverſis hominum nationibus, aliis ex geſtibus atque corporis habitu vaticinantibus: cum magnus noſter Stagirita primum quidem artem hanc a contemtu ac vanitatis ſuſpicione liberavit, mox & ſectarum placita diſcuſſit, in quibus omnibus cum veri non nihil, plurima inania inveniret, additis quæ deeſſe videbantur, *primus denique, quod ſciam,* (b) omnium mortalium literis integrum illud artificium complexus eſt. Quam id vero poſtea contemtum fuerit ac neglectum a multis quis eſt qui ignoret? cum tamen & jucundum & in vita apprime utile ſit in ipſo vultu inque extrema iſtac membrorum forma ceu in ſpeculo quodam recondita primi ingenii, (ad cujus leges plerique vivimus mortalium) inſpicere ac contemplari. Ut taceam nunc & ſtatuariam omnem & pictoriam nobiliſſimas artes, absque hoc præſidio infirmas eſſe atque imperfectas. Neglecta nihilominus, ut dixi, hæc divinatio eſt. Nam ex Græcis præter Polemonem illum antiquum, & Adamantium *ἰατροσοφιστὴν*, iſtum inquam Judæum, qui quod eccleſiaſticæ hiſtoriæ prodiderunt, ut Alexandriæ poſſit degere, Chriſtianum ſe profeſſus eſt: Præter hos ambos dico, quemnam multum laudaverimus? imo vero quantum ambo hi laudis commerentur? parum certe de ſuo poſt Ariſtotelem argumento huic (ſi doctis credimus) contulerunt: Et qui Polemonem legit, jam Adamantium legit, ita nihil fere Judæus iſte adfert novi. In Arabicis porro Latinisque hujus artis ſcriptoribus multum Sarracenicæ vanitatis reperiri certo eſt certius. Quibus ineptiis cum liberum ſit Stagiritæ noſtri opuſculum, cum illud primus ſit argumenti hujus labor, cum divini artificii nihil fere huic deſit, qua laude id, auditores, quo præconio dignum judicabimus? At non eſt hujus fortaſſe loci iſtoc de negotio conſilium agitare; nam & ſuperſunt nobis dicenda haud pauca, & niſi veſtræ ego patientiæ, auditores, facere injuriam velim, primo, quoad licet, tempore ſermonis hujus deſinendum eſt. Itaque eſto quidem cujusvis judicio permiſſum, quam opuſculo illo gloriam Æſculapii meruerit: nos temporis velocitas ad inſtrumenta illa omnis ſcientiæ, manus veritatis, rerum omnium claves, limas judiciorum, analyticen ajo, logicen & rhetoricen, & ſi quid denique his annexum eſt, vel invitos adiit properare. Quamquam haud abs re fuerit præmiſiſſe quædam *de ea, quam in docendo ſcribendoque Ariſtoteles idem conſuetudinem obſervavit.* (c) Sane quantum intelligo, nec laudari hæc per ſe poteſt ſatis, nec hac illibata iſta cognoſcuntur. Liceat ergo pace veſtra, optimi auditores, eodem more quædam narrare, & ſi uſus id poſtulet, pro eodem non nihil dicere, quo magis illa de reliquis diſſerendi via exploretur. Liceat quæſo, benignitate veſtra etiam hic uti, quoniam huc quidem usque tam attentos mihi vos ultro præbuiſtis. Populus Athenienſis ſcelus ſuum in Socratem Anyto Melitoque ſuaſoribus perpetratum quo expiaret, primo omnium diſcipulo hujus, ſuo civi, Platoni, non publicum tantum in ſuburbio locum, academiæ dictum nomine, ſcholæ aperiendæ conceſſit, ſed eundem amœniſſimum eruditionis receſſum promulgatis etiam legibus conſecravit, nulli eum niſi is philoſophiæ jam dediſſet nomen, ingrediendi facta poteſtate, vetitaque injuriæ omnis riſus, ac levitatis improba libertate. Ex eo, quod capital ante erat, non in propatulo quidem, intra ſcholæ tamen parietes multo liberrime de religione etiam & civitatis inſtitutis contra vulgi ſententiam diſſerere licuit. Erat enim quoque penes magiſtros, & ſibi ſucceſſores cooptare, & quos vellent ad auditiones admittere, & quicquid huc faceret, ſeveris denique legibus definire. In eam libertatem Ariſtoteli quoque noſtro, Platone mortuo, nobile gymnaſium Lyceum commiſſum eſt: ſed ille quum bis de die doceret, ad veſpertinam quidem auditionem promiſcue omnes admiſit, dilucularis autem diſcipulis, utpote quos vere ſuos credebat, accuratam profecto diſciplinam præſcripſit. Neque enim quenquam hunc in numerum recepit, cujus non ante ingenium, laborum tolerantiam, veritatis ſtudium, eruditionis denique elementa exploraſſet. Eadem omnino ratione & ipſos ſuos libros duo quaſi in genera diſtinxit, quorum alios Græce *ἐξωτερικὰς*, quaſi in *τῶν ἔξω* aut vulgi gratiam conſcriptos: alios *ἀκροαματικὰς* appellavit quod ſelectis auditoribus inſervirent. Huic conſvetudini prædicandæ etſi verba me deficiant, auditores, & prudentiſſimi quique eam tantum non in cœlum extulerint, non deſunt tamen, qui illam apud vulgus ſilendi prudentiam accuſare invidiæ non verentur. Atque profecto ignorant boni iſti, & Ægyptios, & Chaldæos, & Indos, & Græcos, & Latinos omnes, omnes

(a) *pharmacopæi*) ATHENÆVS *dipnoſ. VIII. pag. 354.* ÆLIAN. *IX. 22. V. 9.* Ariſtotelem referunt, donec in Platonis convictu eſſet, medicinam exercuiſſe atque in taberna medicamenta vendidiſſe. Id vero ipſe philoſophus confutavit apud EVSEBIVM *præpar. XV. 2.* cit. STANLEJO *p. 414.*

(b) *primus denique, quod ſciam*) CAMILLVS BALDVS phyſiognomica Ariſtotelis edidit. Cæterum *philoſophus* ipſe in *libro* quoque *ſecundo rhetoricorum* docuit, quomodo orator civilis mores & affectus hominum explorare queat, ut non modo auditoribus, ſed & omnibus cum quibus converſatur, placeat, quorum axiomatum *διατύπωσιν* dedit VINCENTIVS PLACCIVS in *excerpto rhetorico de inventione affectuoſa probationis oratoria.*

(c) *de ea quam in docendo obſervavit*) Add. STANLEJVM *p. 417.* MELCHIORIS ZEIDLERI *prodromum introductioni in lectionem Ariſtotelis præmiſſum.*

omnes gentes, ipſum imo largiſſimum ſapientiſſimumque numen, una ſeſe atque eadem opera accuſare. Nulla certe gens fuit, quæ non in ſecretis aliquid obſervaverit: hinc enim illa in ſacris myſteria, a quorum ſenſu profanam ſemper plebem arcuerunt. Jam Ægyptiorum ſphynges, in ipſo templorum aditu ſtatim, doctam hanc & occultam ignorantiam profitebantur: tam pleraque illius populi meliora, aut traditione magiſtrorum per manus, aut ſacris literarum & abſtruſis notis accepta ſunt. Neque ante Chaldæum Julianum generis ejus theologiam quis propalavit: quam profecto (modo illa fuerit quam illuſtravit Pſellus) ſi cum vulgari doctrina contenderis, vix Babylone natam arbitreris. Cui vero Brachmanum myſteria non dicta ſunt? quis Sinenſium ignorabiles (ut cum Marcellino loquar) literas non audivit? Enimvero omnis olim oriens ænigmatica quadam ſapientia videtur delectatus, & hac quaſi cote limavit pariter ac exploravit aciem ingeniorum. Nempe hoc erat, quur Sabæorum regina ænigmatibus peteret famoſam Salomonis prudentiam: quem eodem certandi genere *cum Abdemone* (a) Tyrio congreſſum accepimus. Hinc in Græciam idem mos invectus: qui & Pythagoræ ipſi ita legitur placuiſſe, ut non niſi pauciſſima in ſcriptis Damæ filiæ reliquerit, reliquis vel ænigmatum abſconditis velo, vel non niſi ſelecto auditorio commiſſis, ac tacendi adjecta lege, quam ab Hipparcho violatam Lyſis conqueritur. Quin neque in divinis codicibus ſine diſcrimine quælibet æque ſunt aperte aſſerta. Nam veteri quidem cum Judæis durante fœdere, quædam (non de ineptiis illis, quas ex monte usque Sina arceſſunt, loquor, ſed majoris longe ponderis ac veriſſimis negotiis) quædam inquam ſic involuta vatibus, ut non minus vatum tantum fuerit iſthæc capere, quam ſcribere. Ipſe Salvator humani generis impiam plebem parabolis docuit cœleſtis regni conditionem; celavit & alios interdum alia quod ſecreto doctrinæ ferendo non eſſent. Et Paulus quum doceret, inter lac & cibum ſolidum diſtinxit, quorum illo infantes, hoc perfectiores ſoli paſcendi ſint. Hos profecto omnes accuſant, qui Ariſtotelis iſtam conſuetudinem reprehendunt. Quis vero cum tot populis, cum toto orbe, cum apoſtolis ac prophetis, cum ipſo Deo, non malit deſipere videri quam obſcure ſapere? Quis adeo fuerit impudens, ut poſt tot laudatos auctores, Ariſtoteli auſit dicam ſcribere? Quanquam & ſine exemplo non difficile ſit oſtendere inſigne in ſilentio hoc & apprime laudandum conſilium. Primo enim ſapientiæ multum auctoritas diminuitur, ſi profanis illa atque ineptis objiciatur: eſt enim quaſi quis margaritis porcum ornet in luto ſe volutantem. At ſi quidquam habet mortalitas noſtra auguſtum, ſapientia in pretio eſt habenda, omnique opere laborandum, ut hujus majeſtas ſalva ſemper conſtet ac ſacroſancta. Quur porro omnia omnibus diceres, ſi non omnia omnes intelligant? Profecto aut ſe oſtentantis hoc eſt, aut docendi rationem ignorantis. Eſt enim utique magiſtri docere, ſeu (ut dicam clarius) ſuam ſapientiam aliis tradere; quam vero ſunt multa communem extra ingenii captum! quam multa ne docti quidem intelligunt! Nempe habet diſciplina quævis ſuam, quam vocant, *προπαιδείαν*: qua ſine ipſam aggredi, eſt ſine alis volatum conari, aut fragili lintre procelloſo ſeſe oceano committere. Utinam vero hac tantum parte laboremus! Facilis enim ac levis eſt auditoribus temporis hæc & operarum jactura: & vana unius aut alterius jactantia nihil adverſi patitur Græciæ (quod ajunt) fortuna. Major ab hac propalatione incumbit mortalitati noſtræ malorum cohors. Omnes enim inſano quodam occultorum deſiderio infecti ſumus: quod ubi ſemel animum penitus inquinavit, haud facile in ſapientia tenemus modum: itaque & domus & publicæ rei omiſſa cura blandiente hoc ſæpe otio obtorpeſcimus. Quis autem non videt, quam hoc & divinis legibus, & civitatis ſaluti adverſatur? Neque enim ad difficilem nos Deus ſcientiam creavit, ſed inprimis hominum curam cuique demandavit ac ſui cultum. Jam cum fieri aliter non poſſit, quam ut, in abſtruſis maxime, identidem hæreamus, alterque ab alterius opinione diſſentiat: ſi quemlibet errandi huic periculo exponamus, & ſententiarum certamen in vulgus usque proferatur, quæ non hinc vitæ agitatio, quæ non factio, quæ non contentio metuenda? Sphyngis ſane inſtar cuivis ſuus error eſt: & fœcunda res eſt inſcitia, non illis ſtans initiis quibus oritur, ſed veluti truncus innumeros ſeſe in ramos propagans. Contentionibus vero ac factionibus nihil eſt humano generi acerbius aut magis adverſum: ſicuti pace ac concordia nihil ſalubrius invenitur. Qui non itaque damnemus profanam hanc loquacitatem? qui non procul hinc relegemus hanc quorundam garrulitatem peſſimam? quum & plurimorum ævo noſtro malorum ſit mater, & omnem ſemper orbem optimo ejus bono privaverit. Sane factionum hinc exortarum meſſem hodie licet maximam metere: quæ ut componi poſſint, niſi aut ad priſcam omnes ſimplicitatem, aut ad prudens hoc potius ſilentium redeamus, equidem fateor me ignorare. Verum (quo ad Ariſtotelem noſtrum reveniamus) quis non illum in hoc more maluit ſequi quam obſcuros iſtos & ineptos reprehenſores? quis non laudaverit inſignem viri ſapientiam? qui ut in omnibus fere, ita & hic quid rectum, quid utile accurate adeo & perſpexit & ſectatus eſt. Utinam vero, auditores, & noſtro hoc ſeculo aut multa non eſſent dicta vulgo, aut quæ dicta poſſent iterum ſilentio involvi! Sane nihil hac invidia fructuoſius ſit. Nunc multa imprudenter in vulgus effutimus, quæ ubi imperitia ac ambitu aliquamdiu fuerunt jactata tandem ipſi ſcholarum liberrimæ quieti moleſtam admodum ſervitutem imponunt. Sed hæc fortaſſis præter rem audiuntur; quibus autem verbis deploremus ſatis amiſſum ingeniorum delectum? quid dicamus de antiquitatis ſcholarum gradibus? Quanquam veterem memoriam repetentibus appareat, non propria eſſe ſeculi mala, quæ nos premunt. Nam & Taurus,

(a) *cum Abdemone*) *Ref.* *JOSEPHO antiquit. Jud.* 8. 2. *p.* 267. adde *JOH. ANDREÆ SCHMIDII diſſ. de regina auſtri* Jenæ habitam 1693. §. 5. *ſeqq.*

rus, quum ſuper ordine inſtitutionis Pythagoricæ diſſeruiſſet, ſuo jam tum ævo illotis ad philoſophos pedibus diverti, legesque diſcendi a juvenibus dari conqueſtus eſt: Et Agamemnon objurgat parentes, qui liberos ſuos ſevera nolunt lege proficere, ideoque eloquentiam, qua nihil eſſe majus confitentur, pueris induunt adhuc naſcentibus. At videat contra pro ſe quisque Ariſtotelicum illud auditorum examen. Quid ingeniorum exploratione ad remotiorem eſt philoſophiam utile magis & neceſſarium? Sane ut ad ſementem non quemvis agrum, ad Mercurium non quodvis aptamus lignum, ita nec quivis animus in hoc ſacrarium eſt admittendus. Socrates Theæteti probabat indolem, quod ſolutus, expeditus atque induſtrius eſſet: At Marcus Tullius in Scauro & Rutilio non quidem ingenium, oratorium tamen ingenium requiſivit. Ita ſcilicet eſt. Sunt & bonæ indolis diſcrimina. Aliud ingenium oratorium, aliud philoſophicum, aliud medicum, aliud eccleſiaſticum eſt, quodque huic aptiſſimum eſt negotio, ad alia ſæpe valde id ineptum. In univerſum vero illi demum accuratiori comparandæ doctrinæ apti nati ſunt, qui ſuapte ſponte in momenta penetrant rerum, quorum ingenium ab ſingularibus atque individuis, uti loquuntur ſcholæ, ſua ſeſe natura liberat atque ad univerſalia iſthæc ſubvolat, qui denique connata quadam ſagacitate non inveſtigare minus rerum cauſas poſſunt quam aſſequi veſtigatas. Quum enim philoſophi ſit, naturæ ac vitæ principia indagare, ineptus ſane ejus laboribus eſt cui odoram illam (quod poeta ait) vim rerum parens natura denegavit. Quod igitur ſine ingenio hujusmodi noluerit Stagirita quenquam diſcipulorum admittere, quis jure illud maximo niti iverit inficias? Aſt idem jus & poſtulandæ ab iisdem diligentiæ fuit. Nemo quippe quantumvis ingenioſus magnæ cujusdam doctrinæ ſine inſigni fiet diligentia particeps. Neque enim levis eſt ad prærupta atque excelſa aſcenſus: Sed ne fatiſcas marcidum atque anheloſum pectus identidem ſudore eſt excitandum. Scilicet ea voluit ſorte hominem naſci Deus, ut ſcire quidem multa deſideret, voti tamen ſine maximis laboribus compos non fiat. Seu ut ſapientis utar Hebræi verbis: hanc peſſimam occupationem hominum filiis Deus dedit, ut occuparentur in illa: eſt hic labor & afflictio ſpiritus. Eſt in multa ſapientia multa moleſtia, quique addit ſcientiam idem & curas cumulat. Sane eruditionis anteambulo labor eſt, ut pediſſequa voluptas. Cæterum ingenium naturæ dos eſt, diligentia conſuetudinis: eruditionis autem elementa, quæ & ipſa in admittendis diſcipulis obſervavit Ariſtoteles, utroque comparantur. Procul vero dubio nihil illa ſunt aliud, quam quod ipſe alioqui *προπαιδείαν* philoſophiæ ſolitus eſt appellare. Elucet autem etiam hac parte magna illa Ariſtotelis prudentia, ſi usquam alibi. Non quod ſine exemplo heic inſtituerit quidquam Ariſtoteles, & ab alio nemine obſervatum. Viderunt enim omnes paulo prudentiores, ſtudiorum gradus eſſe ſervandos, neque quenquam facile ad auditiones admittendum, niſi ille ita jam tum profecerit, ut quæ audit, ſuo poſſit judicio ponderare. Tenuit ſane hunc morem Pythagoræ & Platonis ſchola, uti in vulgus eſt cognitum: Tenuerunt & Ægyptii & Aſſyrii, ut Clemens Alexandrinus prodidit: ſecuta poſtremo eandem conſuetudinem mater ſcholarum Europæ Lutetia, ſeveris hoc inſtitutum legibus definivit. Hactenus ergo nihil novi ab Ariſtotele eſt profectum: maxima tamen laude dignum, quod etiam hac parte ſui non diſſimilis fuerit. Factum hinc ſane, ut cum laborum pateretur ordinem obſervari, cum nemo auderet, quod non aſſequeretur, cum nemo conaretur, quod non obtineret: Factum hinc, dico, ut numeraret juvenes quidem dociles, at viros doctos, ut pueros in prætexta doctrinæ monſtraret viros in toga, ut poſtremo ſapientum tituli majeſtatis ſuæ ſpeciem tuerentur. Certe hæc cauſa eſt, cur tanto numero ex uno Lyceo prodierint illa ætate homines undequaque ita docti, ut neſcias quid in iis præcipue admirere. Hæc cauſa eſt, cur ubi locorum ea lex negligitur, parum recti diſcatur aut ſani, ac pro eruditis pectoribus nomina habeantur & inflati tituli. Sed, ut revertamur in viam, communis hactenus laus illa fuit Ariſtoteli noſtro cum prudentioribus aliis. Neſcio tamen an non hoc ſingulare hujus ſit, non proponere aliquam diſciplinam niſi iis, qui præter communem *ἐγκυκλοπαιδείαν* etiam diſciplinæ illius naturam ac leges perſpexerant. Neque vero id facile aliis legat quis philoſophis obſervatum: & tamen ejus eſt utilitatis, ut ſumme poſſit neceſſarium videri. Habet enim quævis ſcientia atque ars ſuum aliquem peculiarem probandi modum, habet ſua principia aliis peregrina. Cum vero is demum ſit idoneus auditor, qui pollet judicandi facultate, hoc eſt, qui rectene an ſecus probatum quid ſit diſcernere novit, apparet profecto in illo auditore requiri quam maxime, ut aliquatenus naturam ille audiendæ doctrinæ præcognitam habeat. Nova hic igitur laudis Ariſtotelicæ materies ſurgit, eaque non infœcunda, niſi nos vela contrahere potius cogeremur. Alios certe cum id minus obſervarent, graviter hic lapſos deprehendimus. Non deſunt nimirum, qui quod mathematicis ſint aſſueti, illam ubivis certitudinem atque accurationem præter rem poſtulant. Alii teſtimoniis omnia poetarum atque oratorum probari volunt. Alii omnia hæc reſpuunt, prout quisque aſſuevit diſcere, dum conſuetudo paulatim in naturam commutatur. Memorat Juſtinus noſtras eo libro quem Tryphoni Judæo oppoſuit, a ſeſe ſimplicem pietatis notitiam deſiderante, poſtulaſſe variarum ſectarum philoſophos cum alia tum mathematum, quæ appellantur, accuratam notitiam. At vero quam id ineptum fuerit ac ſtultum quis non perſpicit? quanto rectius Johannes Chryſoſtomus? Nobis piſcatores diſciplinam vivendi præſcripſere, non a puero eligi aliquos ad diſcendum jubentes, ut philoſophis eſt conſuetum: neque certum annorum numerum præfinientes ad conſummanda ſtudia virtutum, ſed cunctis generaliter ætatibus diſſerentes. Sed quo prolabor? Quin addamus ea, quæ hic deſiderantur. Non enim tantum hoc diſcrimine auditores diviſit; ſed & diluculario illos alia docuit, alia illam ſerotinæ ſcholæ plebem. Quoniam extraneis quidem (ut hoc nunc Gellio credamus) quæ ad rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, civiliumque rerum noti-

notitiam conducebant, propoſuit; ſed cum auſcultatoribus agitavit philoſophiam remotiorem ſubtilioremque, tum quæ ad naturæ contemplationem diſceptationesque dialecticas pertinebant. Obſervemus vero & hic inſignem illam Stagiritæ noſtri prudentiam. Non ille alto quodam ſupercilio deſpexit vulgares conatus, ut inſolentes & elati ſolent. Non ille plebem naſo duxit, quod Chaldæorum, Ægyptiorum, Perſarum, imo gentium olim pene omnium ſacris magiſtris nimis ſane quam frequens fuit. Non docuit tamen illos ſublimia quædam & quæ ſtupori potius eſſe poſſent quam uſui, quod ambitioſis atque jactatoribus in more poſitum eſt. Sed vitæ docuit eos & civitatis officia, quia ſcire illa ingenuorum omnium intererat: quibus affines admodum artes cum rhetorum tum dialecticorum addidit, ne popularem & ſciendi & perſuadendi rationem penitus ignorarent. Haud me latet equidem, quod quidam objiciunt, de Deo ac divinis pauca illum ad vulgus ſerio atque ſuæ mentis ſententia affirmaſſe. At profecto *haud deſunt, quæ excuſent factum.* (a) Erat enim perſuaſum illi tempeſtati, id quod Varro ait, multa eſſe vera quæ non modo vulgo ſcire non ſit utile, ſed etiam tametſi falſa ſint, aliter exiſtimare populum expediat: illa vero inter populares de Deo divinoque ſtatuarum cultu ſententias numerabant. Atque ego quidem illud haud refero, quaſi illa ſit probanda conſuetudo. Ut enim cum Platone religionem propugnaculum fateor eſſe poteſtatis ac legum, honeſtæque vinculum diſciplinæ: ita nihil vera pietate utilius civitati, falſa vero nihil damnoſum magis eſſe certus ſum. Quis tamen auſit veniam negare homini more ſapientum ita uſitato in devia abrepto? quis non improba ſæpe conſuetudine eo adigitur, quod odit & damnat? ut nunc taceam magis forte ex re populi ſuum fuiſſe errorem, quam ſi Ariſtotelis fuiſſet placito infectus. Nemo enim virtuti facile det operam, quod quidem ille faciendum ſuadet, niſi vel præmium exſpectet cœlitus, vel pœnam extimeſcat. Ita certe Epicuri impiis ſententiis fides etiam & ſocietas unaque excellentiſſima virtus juſtitia, e medio humani generis ſubducta eſt. Quanto vero cautior Ariſtoteles? Edidit ille in vulgus de adoratione integrum volumen, & in civili philoſophia primam civitatis curam pietati dat & ſacrificiis, tametſi ſecus forte alibi opinaretur. Hunc ſecutus Theophraſtus de ſanctimonia, & feſtis, deque juramento pari verſutia, aliquam multis libris eſt commentatus. Unde factum, ut quantumvis arcana ſua haud perinde pia haberet Lyceum, non corruperit tamen vulgi mores, vel male audierit: contra quam Melio Diagoræ & Epicuro accidit, cujus diſciplinam moratæ olim urbes ejecerunt. Non profana impietate imbuit, auditores, vulgi ſimplicitatem Ariſtoteles. Non turbavit leges civitatum. Non avitas evertit conſuetudines. Non nova ſuperſtitione quenquam ſeduxit. Sed ſilere maluit quam vel turbas agere, vel docere ſua, quæ evertendæ civitati erant. Cæterum in reliquis vitæ præceptis non fuit opus, cur aut celaret aliquid vel ſimularet: ideoque dubio procul candide omnia docuit, & prout ſentiret. Utinam vero ſupereſſent illa, quæ populari ratione plurima conſcripſit! Sane haud pauca ejus notæ Diogenes Laertius & alii recenſuerunt: Neque deſunt fragmenta, quæ hoc votum eliciant. Inde hercles non minus popularem docendi modum licuiſſet petere, quam nunc ſubtilem agendi formam in vivis ejusdem libris, ceu in ſpeculo, contemplamur. Neque enim quis cenſeat easdem ubique eſſe docendi leges, aut eandem conſuetudinem Ariſtoteli obſervatam. Aliter leones, ait proverbium, aliter catuli olent; nobis ſimiliter haud inique licet affirmare: aliter initiati, aliter profani diſcunt. Hi probabili quadam argumentatione capiuntur, ſubtilem collectionem refugiunt: illi nihil ſe profitentur certo ſcire, niſi quod immotis, æternis, proximisque ſuis principiis inſtructum eſt. Hi teſtimonium pro argumento: illi plerumque ornatus tantum loco habent. Illis unum exemplum nullum eſt: apud hos inſtar multorum gerit. Illi non niſi vero delectantur: hi & falſis applaudunt. Illorum mens tantum, horum & voluntas amat flecti. His picturata placet oratio: illisque ſimplex eſt & tenuis. Hi laciniosum quid & diductum quærunt: illis conciſum quid & contractum eſt ſatis. Poſtremo his obſcurum eſt, quod perſpicuum illis: ac illis leve eſt, quod his grave ac venerandum. Hoc illud eſt, auditores, quod innuebat noſter, cum de acroamatum promulgatione conquerenti magno Alexandro, edita illa & non edita reſponderet, cognobilia quippe illa ſuis tantum fore auditoribus. Hic ſita eſt extrariorum operum ab auſcultatoriis ingens illa differentia. Hinc pendet, quod illorum pleraque colloquii ritu, hæc continuo tantum ſermone conſcripta ſint. Hinc eſt, quur illorum fragmenta populare quid referant, atque uberum, hæc contra curta nobis videantur & adſtricta. Aliter quidem ſua inſtituerat exercitia maximus vir & noſtri præceptor Plato. Cum enim incredibili quadam dicendi polleret cum copia tum ſuavitate, cumque eos in dramate progreſſus feciſſet, ut nobiliſſimos tragicorum in certamen auderet provocare, ne in his ſubtilibus quidem a theatrica hac atque populari oratione voluit abſtinere, præſertim cum intelligeret florido iſthoc & mellito ſermone ad ſevera & acerba ſtudia allici poſſe vulgus imperitum. Non placuit tamen colloquendi hæc ratio Ariſtoteli in acroamaticis, ut ante diximus: ſed ratus ſimplex tenue, purumque dicendi genus ſufficere illi, qui ſedulo uniceque rerum quærit intellectum, dramaticum illud non convenire illis judicavit, quorum jam ſtudium animosque accurato examine exploraret. Quo accedebat, quod dialectica ſubtilius diſtingueret ab iis, quæ analytica appellamus, quam a Platone eſſet obſervatum. Sed illud clarius poterit exponi oculis veſtris, auditores, ſi eo unde

Bbb bb 3 pridem

(a) *haud deſunt, quæ excuſent factum*) Paulo aliter *NIEMEIERVS diſſert. de Ariſtotele* §. 37. ad objectionem, quod de Deo admodum parce, de creatione nihil dixerit philoſophus, reſpondet: *Noluit Ariſtoteles diverſa rerum genera confundere, quod tamen Plato fecit, licet in Phædone inter ἀνθρωπίνους & θείους λόγους optime noverit diſtinguere. Quamvis ergo revelationi & de eadem factæ traditioni ſuus debeatur honor, philoſophi tamen ut talis munus adimplevit Ariſtoteles, quod in ſuam doctrinam nihil admiſerit, niſi quod in ratione & experientia fundamentum haberet, quo ipſo tamen divinis revelationibus nihil derogavit.*

pridem digreſſa eſt oratio noſtra, revertatur, hoc eſt, ſi quid in topicis, quid in analyticis, quid in rhetoricis noſter ille præſtiterit, breviter pro ratione inſtituti noſtri attingamus. Facturus autem etiam operæ ſum pretium, ſi hoc negotium paulo altius exorſus narravero. Erat apud Græcos paulo ante tempeſtatem illam varia inprimis ac multiformis philoſophandi ratio, quod dum alii nihil ſcire poſſe dicerent, alii nihil ſibi non cognitum profiterentur. Atque horum quidem is faſtus erat & inſaniens ſuperbia, ut tametſi certo omnia crederent eſſe conſtituta, de omnibus tamen in utramque partem diſputandi copiam ſibi ac facultatem ſupereſſe gloriarentur. Hæc nempe erat jactatio illa Gorgiæ, Traſymachi, Hippiæ, aliorumque quos inſolenti iſta ætas vocabulo ſophiſtas nominabat. Obtinebat autem in diſputando præcipue illa ratio, quam primi omnium Parmenides ac Zeno Eleatæ inſtituerant, ut propoſiti problematis alterutra parte arrepta, interrogando contra reſpondentis ſententiam diſſereretur. Ancipiti enim quæſtione in medium adducta, quamcunque partem ponebat alter, eam ſubvertere alter verſutis interrogationibus conabatur: fiebat autem plerumque, ut cum, qui defendendi ſibi provinciam paſſus erat imponi, cogeretur vel affirmare vel negare quod interrogabatur, in caſſes tandem ac laqueos imprudens incideret. Sed quod initio haud male ab Eleatis erat ordinatum, ſophiſtarum, quos diximus, inſolentia peſſime ſtatim corruptum fuit. Neque enim his hominibus præter turpe lucrum & pallidam ſapientiæ in vulgo opinionem, quidquam propoſitum aut ſanctum habitum eſt. Ideoque dum nihil turpius crederent, quam cedere alteri, nihil vero majus exiſtimarent, quam adverſarium judicari viciſſe, hoc potiſſimum ſpectabant, ut viderentur vulgo aut adverſarii ſententiam evertiſſe, aut in ejus ſermonibus falſi aliquid animadvertiſſe, aut adegiſſe illum vel ad barbaram locutionem vel ad pronunciatum inopinabile. Horum unum ſi accideret, tum vero triumphare illi famelici popularis auræ captatores, & ſapientiæ opinione intolerabilem in modum ſeſe efferre: quum tamen neque ſolidi quidquam didiciſſent, neque rationem diſſerendi contra propoſitum vel leviter tenerent. Tantum enim captionibus quibuſdam & fallacibus tendiculis victoriæ ſpeciem aucupabantur, ejus pugnæ quæ ex probabilibus argumentorum locis inſtituitur, cum ignariſſimis imperiti. Nam tametſi & artem quandam rixandi cum alii, tum inprimis anteſignanus Sophiſtarum Gorgias, profiterentur, ne ipſas tamen quidem fallacias ſuas docere alios calluerunt: Sed hujus artis loco, diſſertationum aliquot frequentiora exempla auditores fecerunt ediſcere: quod profecto non artem eſt, ſed aliquid arte factum proponere, ceu quis ſutoriam promittens, calceoſque ſolum diſcipulis præbens ad eorum formam alios jubeat conficere. Horum hominum faſtui & inſanienti ſapientiæ, qua tamen omnem propemodum Græciam dementaverant, primus ſe Sophroniſci filius idemque Atticus civis *Socrates* (a) oppoſuit, inſigni homo acumine, tum illis moribus eaque eruditione, ut & Apollinis oraculo Græcorum ejus ævi ſapientiſſimus fuerit pronunciatus. Et ſane retudit ille iſtam ambitionem haud parum. Quum enim animo omnium rerum patientiſſimo eſſet, & illis ſe jactantibus nihil penitus ſcire ſe ſe ſimularet, interrogandi tamen Eleatica illa ſolertia ſupra quam credi poteſt emineret, ita ferebat inflatos illorum mores, tumidamque eorumque doctrinam ea excipiebat verſutia, ut pro victoria, quam totis viribus & pectore omni appetebant, nonniſi ruborem atque aſtantium ludibrium & riſum reportarent. Cæterum quantumvis ſophiſticæ illius ambitionis criſtam præciderit, & longe plus in ancipiti iſta diſputandi palæſtra, quam ſophiſtarum quiſquam valuerit, artificium tamen ipſum illud dialecticum nunquam tradidiſſe legitur, aut a ſophiſtarum corruptelis vindicaſſe. *Plato* (b) etiam, divini propemodum homo ingenii, ita quidem magiſtri ſui ſermones diſputationesque deſcripſit, ita quoque ambigue inque utramque partem diſſeruit de rebus maximis, ut a quam multis nihil certi affirmare vel aſſertione quid approbare ſit viſus, artificii autem iſtius diſputandi longe ſe peritiſſimum ſatis oſtenderit. Attamen nec ille quidem unquam artem hanc ſuis legibus ac præceptis inſtituere aggreſſus eſt: quin imo naturali potius ingenii bonitate, quam quod artem noverit, ſubtilem illam colloquendi rationem perſecutus exiſtimatur. Vixit eadem ætate multumque hic conatus eſt Euclides Meganenſis, ſed inſtitutum ejus contentioſum fuiſſe atque indignum ingenuo erudito homine, omnes confitentur. Certe ejus notæ ſunt inventa Eubulidis, Diodori, Stilponis, aliorumque Megaricæ ſcholæ hominum. Non ita noſter Ariſtoteles. Videns enim in magna vulgo laude eſſe dialecticum exercitium, majorem vero ex recto ejus uſum fructum, non in philoſophia minus, quam in populari converſatione & explorandi arena, poſſe exſpectari, non tantum ſophiſticas atque Eriſticas quiſquilias abjecit procul, ſed etiam ſine ullius prævio adjumento artem hanc integram ex ſuis uſque fundamentis exſtruxit. Quæritis, quo ſucceſſu? plurimi ſemper, ut & Tullius teſtatur, eam haud valuerunt percipere: Nemo quiſquam (ſi doctis credimus) vel tantillum tot poſt ſæculis adjunxit. Nihil temere viderimus & naſci ſimul & perfici, quin quod multorum laboribus cultum eſt ſæpe rude adhuc videtur ac impolitum. *At noſter ille ab aliis accepit nihil,* (c) nec aliis tamen quidquam reliquit elimandum, ſed una eademque opera proſecutus

(a) *Socrates*) Vid. STANLEJUM *p.* 166.

(b) *Plato*) De ejuſdem dialogis vel hyphegeticis vel exegeticis vid. STANLEJUM *p.* 317.

(c) *At noſter ille ab aliis accepis nibil*) P. RAPIN *des comparaiſons des grands hommes pag.* 338. de his & ſequentibus ſatis nervoſe ita loquitur: *Si bien que toutes les Logiques des autres philoſophes anciens & modernes ne ſont bonnes qu' autant qu' elles ont de rapport a la Logique d' Ariſtote, & a les bien examiner on les trouvera defectueuſes dans les choſes ou elles ne conviennent pas avec la Logique de ce Philoſophe, qui doit etre la regle des autres Logiques par l' art de Demonſtration qui en eſt le fondement. Mais eſt il certain qu' Ariſtote ſoit le veritable auteur de cet art? Il avoue que pour en preparer la matiere il eſt ſervy des categories d' Archytas & d' Ocellus, qu' il a appris de Democrite & de Socrate l' Uſage de la definition pour parvenir a cet art, qu' il a tire du Cratyle de Platon la diſtinction des termes par leur pro-*

ſecutus eſt hæc intentata & perduxit ad ſuum terminum. Superare iſthæc fidem non equidem diffitebor, qui ne ipſe quidem hæc crederem, niſi Ariſtotelis excellentia ſpectata ſatis eſſet & comprobata. At vero conſulat pro ſe quisque octo quos inſcripſit topicorum, & duos inſuper de ſophiſticis elenchis libros. Equidem certo mihi perſuadeo fore, ut haud ſine ſtupore quodam legi illa ab intelligente homine poſſint. Quis enim digne ſatis commendaverit, & obſervatas ab Ariſtotele ſophiſtarum præſtigias & modum easdem eludendi aperte adeo expeditum eſſe? Quis pro merito laudaverit tot probabiles vulgi ſententias in ſuos locos & claſſes tam accurate, diſtincte, ſubtiliter, ordinate, digeſtas ac diſtributas? quis ſatis fuerit prædicando illi diſputandi artificio, quod octavus eorum, qui topici inſcribuntur, explicavit? Sane haud temere dixeris num ſophiſticos dolos majore deſtruxerit prudentia Ariſtoteles, an veram certamque ex probabilibus diſſerendi viam oſtenderit. Hujus etenim cum duæ quaſi partes ſint, quarum altera in argumentorum quadam inventione occupatur, altera ipſam proponendi diſputandique ſolertiam exponit: illam ſex inprimis voluminibus ita dedit expeditam, ut non philoſopho minus, quam dialectico gymnaſtæ, & ſi cui forte alii conſilium eſt vulgi aſſenſum diſſerendo conſequi, in proclivi ſit ex illis tanquam ex divite penu, quæ ad perſuaſionem cujusque propoſitionis adferri queunt, plena profecta manu depromere. Hanc vero non callide minus docuit, quam omnibus numeris perfecit, exili licet parvoque, ſi pondus ſpectes aut magnitudinem, opuſculo. Ut ne hic quidem quidquam ſit reliquum, quod vel in dialectico exercitio vel in populari diſſertatione uſum aliquem queat obtinere. Quam vero magnæ iſthæc ſunt utilitatis, quanti in vita & philoſophia commodi! Nam profecto non in gratiam unius ancipitis illius exercitii (merito enim ita dixeris dialecticas ejus ætatis commiſſiones) elucubravit Ariſtoteles noſter tam ingentis moleſtiæ opera, ſed quod præcipue populari congreſſui, & veritati inveſtigandæ labores iſti expedirent. Duo enim quoniam ſunt argumentationis omnis quaſi ſcopi quidam ac fines, vera alter ac certa cognitio rerum, alter ejus hominis, quo cum res tibi eſt aſſenſio, quorum ille philoſophis, hic oratoribus, ac dialecticis & qui aliquid his affine habent, unice erat propoſitus: elaboravit quidem ſeorſim utramque noſter ille argumentandi doctrinam, ita tamen ut vilior illa non poſſit non ipſis etiam ſapientiæ ſtudioſis inſervire. Non quaſi diſſerendi illæ veterum concertationes in ſapientiæ tractatione magnopere valeant: Neque enim ex adverſarii ſententiis ſuſpendit quæ parat adferre philoſophus, ſed ſolus cum ſe ſolo agitat veſtigatque, id quod eſt verum. At quia in multis quidem ſatis fuerit, ſi in utramque partem veriſimile quid ex loculis illis communium opinionum depromatur, tum vero ad facilem veritatis notitiam plurimum contulerit, utrinque proſpicere poſſe quid placitis vulgaribus ſit conſentaneum, quodque poſtremo de principiis ſuis ſcientia nulla fere aliter diſſerere nequeat. Jam vero quanti fructus eſt aſſenſum indocti cujusque poſſe impetrare! Nati enim ſane ad ſocietatem ſumus civilem, cujus maximam tamen portionem imperitum conſtituit vulgus, quos ſicuti dictis regere ingentis cujusdam eſt felicitatis, ita hoc ut fiat, non poteſt non inſignis aliqua & ſolers prudentia poſtulari. Hoc autem ut ſine magno quodam labore præſtari poſſet, Ariſtoteles noſter non opus tantum illud dialecticum quod nobis, Dei gratia, ſupereſt, conſcripſit, ſed præterea cum alia multa hujus argumenti confecit, tum, quod ipſe alibi faciendum monet, ſeorſim magnam προτάσεων multitudinem coacervavit. Atque nobis quidem ſatis eſt theſaurus ille locorum quem poſſidemus, Ariſtoteli vero quis dignas pro illis etiam deperditis gratias queat referre? Fuerint enim illa infra ingenium illius hominis, nec reſponderint exſpectationi noſtræ, conatus tamen illi atque hoc bene de humano genere merendi ſtudium eſt commendandum. Taceo nunc illa ἐπιχειρημάτων volumina, quæ cum ipſe tum ejus diſcipuli plurima olim reliquerunt. Ex quibus profecto ceu de tabella dubio procul artem illam diſſerendi, non minus quam ex Platonis illis ζητητικῶ, ut Laërtius loquitur, χαρακτῆρος dialogis licuit cognoſcere. Non enim artem magis hanc priſci illi atque optimates ambulatricis noſtræ philoſophiæ docuerunt, quam exercitium ipſum ſunt proſecuti. Imo vero, ſi magni viri Strabonis ſtamus teſtimonio, quum meliora Ariſtotelis noſtri Theophraſtique opera ſepulta quaſi eſſent ac ſublata e medio, hæc fere una cura atque exercitatio ſcholam iſtam occupavit. Ut ita facultate quidem noſtri illi nihil litigatrici ejus ætatis academiæ ceſſerint, tametſi haud pari ſtudio contra omnia ſemper diſſerendi, ſicut Arceſilas, & quæ ab eo ſchola tenerentur. Verum quid me in dialecticis hisce detineo, quum multo majus tamen quid fortaſſis in analyticis, ac oratoriis Ariſtoteles noſter ſit conſequutus? Nam illorum quidem, qui ſuapte natura divinum quid profecto pollicentur, inventor, inceptor, perfector exiſtit, horum vero maximus auctor eſt & prope abſolutor. Sed de quibusnam primo mihi loco dicendum eſt, auditores? Dialectices enim quaſi virgultum eſt, ut noſter inquit, oratoria, analytice vero majeſtate ſua & dignitate utraque potior eſt. Præcedant analytica: neque enim nos diu eorum laus, etſi illam maximam mereantur, remorabitur, quo minus ſtatim ad rhetorica revertamur; tam immutato illo veterum diſſerendi exercitio, præterquam quod longa conſuetudo doctorumque approbatio faciat eodem, locorum illa congeries veritatis hodie indagini tantum inſervit,

pre ſignification, qu'il a pris du Dialogue de l' Euthydeme une partie des obſervations, qu'il a faite dans ſon livre des Sophismes; que la premier connoiſance de la methode des conſequences & de tout cet art captieux des dilemmes luy eſt venue de Zenon Eleate, que Timee de Locre luy a donne la premiere idee du ſyllogisme, lequel fut depuis perfectionne par Zenon: & qu' en fin il a trouve les premiers traits de la demonſtration dans les propoſitions evidentes par elles memes du Timee & du Theetete. Mais apres tout, il' eſt indubitable qu' Ariſtote eſt le premier auteur de la forme du ſyllogisme, de la methode d'en rectifier parfaitement la matiere, en oſtant la confuſion aux penſees, l' equivoque aux paroles, l' artifice & le degaiſement aux propoſitions, dont ſe forment les ſophismes, &c.

inſervit, cujus maxima omnium patrona eſt demonſtratoria. Quid vero eſt majoris paulo momenti in omni hac diviniori diſciplina, quod terrarum hic orbis Ariſtoteli non debeat! Indidit quidem rerum omnium conditor paterque Deus hominum cuivis, eam vim ac facultatem, ut alia quidem primo mentis intuitu pervideat ſtatim & intelligat, alia vero ex primis hisce, ut ita loquar, anticipationibus colligere non ita magno negotio poſſit ac judicare. Verum tamen eo plerique omnes vivimus ritu, ut oculus ille mentis noſtræ, ceu noctua aliqua, clariſſima veritatis luce obtenebretur. Dum enim neque illud ſtudium, quod fas erat adhibere, neque eam intellectus ſinceritatem quæ huc requiritur, ad veritatis indaginem adferimus: ſed vel malis aliunde hauſtis opinionibus impediti, vel perverſis faſcinati cupiditatibus negotium hoc arduum aggredimur, fieri adeo nequit quin mens ſibi excidat, nosque a recto veritatis calle deviemus plurimum & aberremus. Atque ego ſane primos illos mortales vel hoc nomine felices arbitror prædicandos, quod puro quodam & incorrupto ingenii intuitu rem quamvis valuerint intime contemplari, decipi vero non potuerint niſi perturbatione quadam cupiditatis. Sed ubi ſemel inſanus error maculaſſet hunc obtutum, paulatimque magis magisque animo frenum laxaretur, tum vero in pejus omnia ruere & ſublapſa retro referri occœperunt. Is enim tandem ſtupor invaſit humanum genus, ut maximam partem non niſi corporis iſtac figura a brutorum abeſſent vilitate, reliqui autem utut aliquid ſapere viderentur, in potiſſimis tamen talpis cœciores ſe oſtenderent. Neque enim conſuluerunt, quantum apparet, amplius, niſi in paucis & minimi ponderis negotiis, ſplendidum illud ingenii luminis oraculum, ſed quaſi velata facie & ut in tenebris anteeuntium veſtigium trepida formidine ſequebantur exemplo ſane nobis luculento totus hic eſt terrarum orbis. Quæ enim gens etiam excultiſſimis, non in ridiculos & fatuos de cultu divino omnique vitæ ratione errores, ſola nebulonum quorundam doctrina induci, ſolaque majorum auctoritate in iisdem ſe detineri, unos ſi Hebræos eosque divinitus edoctos exceperis, non paſſa eſt? Cæterum primi omnium Græcæ gentis quidam tanta in orbis cœcitate aperuiſſe oculos ſuos videntur. Sicut enim hic populus multo omnium liberrimus erat, ita (quod inter alia libertatis eſt beneficium) ingenio erant acutiore, quodque ſibi plusculum indulgeret. Quamobrem etſi ex iis alii Ægyptios, alii Chaldæos, alii Perſas, alii Phœnices ſapientiæ petendæ cauſa adierint, non tamen eandem cum illis magiſtris ſuis viam inſtiterunt. Illi enim quæ ſemel majoribus placita, novo examine ad trutinam expendere nefas grande exiſtimabant, atque ab avitis ſententiis ne latum quidem unguem dimoveri ſe patiebantur. Hi vero, pro ſe quisque, ſuum ingenium conſulere, adhibere judicium, nec tam quid diceretur, quam qua de cauſa attendere: ut non potuerint non in eorum dogmatibus rara barbaræ ſapientiæ veſtigia ſupereſſe. Ex eo mirum ſtatim in modum veritatis omnis forum caleſieri. Sordebant quippe eruditis mox ſub initium manes fabellæ, quibus imperitum vulgus ſacrificuli paſſim terrarum dementaverant: de naturæ vero ac omnis vitæ ratione ex ſui ingenii theſauro longe optima depromebant. Sane brevi admodum temporis intervallo incredibile in ea gente incrementum omne genus doctrinarum conſecutum eſt: non alia profecto de cauſa, quam quod in veri inveſtigatione non tam majorum ſectarentur veſtigia, quam cauſas ac momenta negotiorum. Deſcendebat alter cum altero in veritatis hanc arenam, non conviciis, non obtrectationibus, fœdo fructu arrogantis animi ſed argumentis rerum & ſubtili mentis diſcurſu, tanquam ad veritatis aram non ſuæ cauſa gloriolæ, depugnaturi. Ita enim inſtituebantur, ut nec magiſtro turpe haberetur cedere diſcipulo: nec hic ſuperbiæ alicujus poſtularetur, ſi non in omnia illius conſentiret. Cæterum præ reliquis illi, qui circa quantitatis naturam verſabantur, exactiſſime omnium cauſas rationesque ſuorum dogmatum explorabant, tum quod hoc argumentum majorem pateretur probandi deſtruendique acrimoniam, tum vero quod ipſi illi artifices ultro diligenti huic rei cura incumberent. Hi ergo non de ipſa tantum veritate laborare, ſed inaudito hactenus exemplo, de certo & expedito ad illam itinere cogitare inceperunt. Bene me Deus, & peropportune. Nam ad diſcurſus ac ratiocinationes tota quidem nos mente facti ſumus, crimenque eſt ingens pati aliquid ſibi perſuaderi, qui homo natus eſt, quod non vel ſponte ſua ingerit ſe judicio noſtro, vel ex illis primis notitiæ quaſi principiis a nobismet ipſis deducitur. Verum enim vero condidit quidem Deus hominem, ut ab crimine omni impuraque liberum cupiditate, ita ad veritatem ſagaci animo ac paratiſſimo, ex quo tamen vitiis cœpimus contabeſcere, vere labyrinthus nobis facta eſt vita noſtra, omnisque hæc rerum natura cimmeriis tenebris obſcurior reddita. His itaque in anfractibus & in hac ſpiſſa nocte, eſt quidem operæ pretium ingenium ſuum advocare in conſilium, ſine face tamen aut Ariadneo filo id facere, neſcio an non ſit incertis ſeſe fortunæ committere fluctibus. Primi tamen de tam nobili inſtrumento inter mortales Græci, inter Græcos primi mathematici, quod merito miremur, tanto demum poſt orbis conditum intervallo, laborarunt. Sed exigua dubio procul, ut in omnibus, initia fuerunt. Præterquam enim quod Socrates animum ad univerſales rerum definitiones & inductionis artificium appuliſſet: ſi Phavorini credimus omnimodæ hiſtoriæ, primus Plato modum inquirendi per *ἀνάλυσιν* Leodamantem Thaſium docuit. Quod ſane mirum ſit, quum illi tamen geometræ in elementis ſuis conſtituendis jam a Mœri & Pythagora usque non infelices fuiſſent: quanquam primus eorum conſcriptor Hippocrates Chius, circulum quadraturus miſere adeo ceſpitaverit, ut ejus labor in paralogiſmi exemplum plerumque veniat. Verum illi quid præſtiterint nec ne, haud certo dixerim: Interciderunt enim eorum omnia, non minus ac illa, quæ hujus argumenti, Pappo teſte, Euclides, Apollonius, & Ariſtæus, poſt Ariſtotelem conſcripſerunt. Id certo certius eſt, quatuor analyticis libris non tantum omnem ratiocinationis materiam in communi, ſed etiam inprimis arduum illud demonſtrationis negotium Ariſtotelem noſtrum ita elaboraſſe, ut non tantum non ex mathematicis, principibus illis at-

que

que inventoribus hujus diſciplinæ, verum ne ex reliquis quidem mortalibus omnibus quiſquam paria illi facere potuerit. Confitentur hoc profecto eruditi quique: negavit nemo niſi qui aut non legerit illa, aut non intellexerit. Non deerant Ariſtotelis ætate qui omnem ſciendi certitudinem funditus everterent: Alii in orbem demonſtrari omnia volebant, alii per diviſionem, quidam etiam tantum ex definitionibus probationes ſuas inſtituebant. Plato quodnam maxime laudaverit artificium, cum ex operibus ejus tum vel ex Claudio Galeno manifeſtum eſt. Hi vero quantum aberraverint, quis non facile ex poſterioribus quæ appellamus analyticis videat? Ibi enim ſupra quam credi poteſt accurate & perfecte de ſolida illa & exacta veritatis veſtigatione eſt traditum. Jam haud diu poſt Stagiritam noſtrum, *qui ex porticu erant*, (a) magnam quidem illi nominis famam apud vulgus peritia hujus doctrinæ ſunt conſecuti: at profecto ſi oculis auribusque fidem licet adhibere, ſupra meritum longe iſta laus fuit. Ipſe pater Chryſippus, cujus acumen tantopere celebratur, ſæpe ineptis, plurimum levibus argumentis in maximis negotiis incedit. Verum ſit hoc communius vitium: nam & alios de arte ſubtilius videas differentes, cujus tamen uſum negligunt. De ipſis illorum hominum dialecticis (ita enim appellare hanc doctrinam voluerunt) quidni Claudii Galeni ſummi viri judicium audiamus? contra Stoicos, inquit, longa neceſſe erit uti oratione: homines ſane ſicut in frivolis inutilibusque logicæ contemplationis argutiis admodum exercitatos, ita in utilibus non inexercitatiſſimos tantum, ſed pravis quoque argumentationum viis aſſuetos. Quo loco multis idem conqueritur, quod a Zenone ac Chryſippo nihil ſit traditum de natura ac diſcrimine propoſitionis demonſtrativæ, dialecticæ, oratoriæ & captioſæ. Atqui hoc ipſum unum ex potiſſimis eſt hujus diſciplinæ, & quaſi animæ vice ut nemo miretur quod & ipſi videmus & addit Claudius, in Stoicorum libris omnis generis ſyllogiſmos ſine ullo delectu commiſceri, ſæpeque numero prima in fronte oratorium, mox dialecticum, deinceps & captioſum, prout cæca fors tulerit, collocari. Sane Stoici erant, quos Stoicus ipſe ſed homo ad ſeria factus admotusque, Marcus Annæus Seneca exagitat: qui tantum librorum de eo, quem ipſi ψευδόνυμον vocabant, compoſuere; qui ſenes luſerunt in illis, mus ſyllaba eſt, mus autem caſeum rodit; qui captiones nec ignoranti nocentes, nec ſcientem juvantes triſtes docuerunt ac pallidi: qui denique in iſtas ineptias, quod non perdidiſti habes, cornua non perdidiſti, ergo cornua habes, aliasque ejus exempli acutas delirationes barbam demiſere, & ſubduxerunt ſupercilia. Nihil itaque eſt, auditores, cur doleamus longo hoc ævo erepta nobis eſſe Stoicorum de hoc genere monumenta: quippe qui ne Ariſtotelis quidem inventa potuerint excolere, tantum abeſt, ut quid adjunxerint. Ex Platonis vero academia, quid ab Arceſilæ diſcipulis exſpectemus, quos æmulatio Stoicorum, hominum ſcilicet peracutorum & intimæ cum veritate familiaritatis, ad inſaniam Pyrrhonis potuit adigere? Nam qui Platonici maluerunt uſurpari poſt Antiochum, illi ſicut in analytica hac doctrina Stagiritam ſuo magiſtro præferre ſunt coacti; ita omnem hanc ſcientiam Ariſtoteli ſe debere confitentur. Tantum Theophraſtus & Eudemus noſtri hujus auditores, ille & in ſchola ſucceſſor, non pœnitendam huc opem contuliſſe narratur. Manet tamen integra laus magiſtri: periit ſiquidem quicquid illi elaborarunt, ſive illa minutiora fuerint, ſive potius in Ariſtotelis famam conſpirare hæc rerum natura maluerit. Plerique vero alii ſectatorum quid addere vel conati ſunt? Ubi enim mentem ſummi hujus viri aſſecutos ſe credunt, tum vero ſerio eos videas triumphare. Certe hos inter limites magni illi interpretes, acuto homines ingenio, & judicio exquiſito, Græci, Arabes, Latini, potiſſimum deambulant. Nimirum non exciderat ſibi in hoc opere Ariſtoteles noſter, ſed cum ſumma hoc veritatis neceſſitas poſtularet, eos intenderat ingenii nervos, ut humanas propemodum vires ſuperaverit. Refert Philoponus, cum quadraginta volumina analyticorum titulo Ariſtotelisque nomine inſcriberentur, (ad illam enim malitiam homines prave feriatos compulerat, non Ptolomæorum tantum cum Attalicis liberalis æmulatio; ſed & ille cum primis utriusque partis in Ariſtotelem favor) ita hæc quatuor inter illa eminuiſſe, ut non difficili negotio reliquorum ſuppoſititia ſtatim conditio apparuerit. Ita enim ſibi ſemper conſtant Ariſtotelis labores, ut ab aliorum hominum diligentia longe diſtent. Quam multa vero nos docuit in illis, quam abſtruſa? imo quam exacte docuit, quam ſubtiliter! quis ſatis mirabitur illa geometrarum & Platonis rudimenta, uno tempore, ab uno homine, ab homine occupatiſſimo in illum nitorem, in eam perfectionem polita eſſe atque abſoluta! Sane eſt, cur nos quidem Deo optimo maximo immortales agamus gratias, qui tanto nos mortales beneficio, per hunc hominem quem tamen ab illo amore ſuo abeſſe paſſus eſt, afficere amaverit. Neque vero ab gentili homine majus quid & humanitati utilius potuit proficiſci. Utinam ipſe tu, optime Ariſtoteles, hoc conſpicillo Deum atque divina fuiſſes contemplatus? utinam hoc artificium tuum in Hebræorum legibus examinandis adhibuiſſes! Neque enim divina gratia hic illud ingenium tuum tam miſere labi permiſiſſet. Aliud ſane longe recta nos ratio docet, quam quod tu conſcriptum reliquiſti. Hebrææ vero leges ita promulgatæ ſunt, ita conſervatæ, ita ſtabilitæ, ut tametſi forte earum aliquid captum tuum excedere fuiſſet viſum, firma tamen ſolidaque ἀποδείξει colligere potuiſſes, non niſi ab uno illo vero ac ſummo rerum omnium patre promanaſſe illas ac dependere. Sed quis ego ſum, cinis ac pulvis, qui de divino conquerar judicio? Tempus eſt, ut ad rhetorica progrediamur. Neque enim nunc vacat multa de eleganti iſto libello quem περὶ ἑρμηνείας inſcripſit diſſerere, *etſi jam olim fama fuerit* (b) in illo conſcribendo Ariſtotelis calamum mente tinctum eſſe, non atramento. Quinimo vix

(a) *qui ex porticu erant*) Eorum dialecticæ rationem vide apud STANLEJUM *p. 555. & 583. ſeqq.*

(b) *etſi jam olim fama fuerit*) ISIDORUS HISPALENSIS *lib. 2. originum cap. 28.* refert, ſeculo ſuo id crebris ſermonibus de libro περὶ ἑρμηνείας uſurpati ſolitum.

vix categoriarum licet meminiſſe, admirandi opuſculi, & quod non minus ac reliqua ex una hac pharetra depromtum fuit. Ut enim primam ejus argumenti inventionem Archytæ adſcribamus Tarentino, vix adducimur; præſertim quod Themiſtius olim magni vir acuminis nec minoris dignitatis, qui Archytæ nomine circumferebatur, libellum ſuppoſititium judicaverit. Cæterum hæc ſilentio prætereunda ſunt, quo citius ad oratoria revertamur, in quibus Ariſtoteles admirabilem ſe oſtentavit. Etenim ſunt quidem, uti ipſa vox eſt homini naturalis, ita & quæ oratores olim ſunt perſecuti connata quodammodo homini ac inſita: omnes enim congenita quadam ſolertia conſultamus in medium, accuſamus item vel defendimus, tum laudamus ac vituperamus. Certa tamen horum aliquid via facere ac ſtabili lege, id vero arduum eſt ac perdifficile. Atque apud Græcos quidem populos cumprimis magnam habebat laudem jam a priſcis illis temporibus usque, in foro ac ſenatu ornatam ac exquiſitam qui noſſet orationem habere. Nam omnes quidem mortales, utut ſtupidi & barbari, natura duce, pulchro ac elimato ſermone delectantur: Græca tamen gens, neſcio qui, præ reliquis fere omnibus, delicatiores aures habuit, & ingenium mollius. Solenne itaque habuerunt perorandi exercitium & ad judicium ſubſellia, & in conſiliis aliisque publicis conventibus. Sed ut fit primo unius cuncta laus ingenii fuit, poſt & cum arte illa communicata eſt. Dicebant enim primi illi ſatis accurate quidem & cum applauſu, verum non niſi liberali quodam naturæ beneficio. Princeps de arte cogitaſſe, clariſſimo philoſophus nomine, Empedocles Agrigentinus, perhibetur. Verum, utut moverit aliquid, fortaſſis tamen haud multum promovit. Nam & *Gorgias* (a) homo ejusdem inſulæ atque ex Empedoclis diſciplina tametſi ab eloquentiæ opinione ſtatuam non inauratam ſed auream adeptus, artes tamen hujus parandæ gloriæ nec tradidit aliis, nec tradere potuit; ſed quod oratoris maxime proprium judicaret, rem augere poſſe laudando, vituperandoque rurſus affligere, quodque ipſe in illo loco potiſſimum valeret, vice artium vituperationes laudesque ſingularum rerum conſcripſit, inque exemplum grandi ære diſcipulis vendidit. Atque hoc non niſi exercitium artis eſt, & illius quidem tantum ſpeciei, quam demonſtrativam appellitamus. Jam nec Protagoræ illa vana atque impudens profeſſio, cauſam quamvis inferiorem dicendo ſuperiorem faciendi, magis ad artem fuit. Neque enim ille diſcipulos ſuos artium leges docuit, ſed tantum illuſtrium rerum diſputationes, ſeu (ut nunc malumus loqui) communes aliquot cauſarum locos, propoſuit in medium. Hoc vero tantum eſt, forenſes oſtendere exercitationes. Ut nunc ſileam, captiunculis illum uti ſolitum, quod deceptoris eſt: non probabili, ut rhetorem decet aſſumtione demonſtraſſe. Primi artium ſcriptores Corax & Tiſias audiunt homines in fori corruptelam nati. Cum enim ſublatis in Sicilia tyrannis, privatis judiciis longum poſt intervallum res repeterentur, quod Sicula illa gens cæteroquin acuto & controverſo ingenio eſſet, jamque tum haud exiguam ſibi eloquentiæ famam comparaſſet, primum tunc ars quædam cauſarum callide agendarum cœpit conſcribi. Sed de Tiſia quidem nihil nunc novimus: quod vel in laudem ejus vel ignominiam adferamus. Coracis vero artem conſtat una alteraque decipula conſtitiſſe, non minus ac illæ, quas Pamphilus & Callippus compoſuerant. Addidit & Traſymachus ſuam huc operam, homo, ut & nomen præ ſe gerit, litigioſo ingenio & difficilibus moribus: ſed (ni fallor conjectura) illa potius quæſivit, quæ ad affectus valerent concitandos, quam quæ probando argumento conducerent. Quid vero iſtiusmodi orator in Areopago dixiſſet, ubi ſine præloquio orandum erat? Nam profecto animorum illa corruptio non niſi in male conſtitutis judiciis habet locum, qualia Græcorum pleraque erant & horum exemplo poſt Romanorum. Non minus celebris & Antiphon Rhamnuſius eſt, ſed magis fortaſſis ab peroratis cauſis, quam ab artis profeſſione: tantum enim quædam Gorgiæ ſimilia propoſuit. *De Lyſia vero quid dicam, aut de Iſocrate?* (b) Nam ille ipſum ſe Theodoro in arte inferiorem eſt faſſus: hic vero præterquam quod primo artem aliquam dicendi eſſe negaverit, non niſi ſero ſtudium ſuum huc contulit. Atque hi fere ſunt celeberrimi ea ætate artium conſcriptores: fuit enim etiam Plato quidem diſertiſſimi ingenii, parum tamen abfuit quin ignominiæ aliquam notam arti inuſſerit, tantum diſtat, ut eam compoſuerit. Quid vero noſter? quod oratores maximi deſperaverant aggredi, quod nemo magiſtrorum facere potuit, quod tot ſeculis aut neglectum aut ignoratum, unus hic, primus hic, ultimus hic, ut alibi ſemper, aggreditur, facit, perficit. Ac primo quidem veteres ſcriptores artis (liceat mihi verbis loqui *Marci Tullii* (c) locupletis ac diſertiſſimi auctoris) usque a principe illo atque inventore Tiſia repetitos, unum in locum conduxit, & nominatim cujusque præcepta magna conquiſita cura perſpicue ſcripſit, atque enodata diligenter expoſuit: ac tantum inventoribus ipſis ſuavitate & brevitate dicendi præſtitit, ut nemo illorum præcepta ex ipſorum libris cognoſcat, ſed omnes qui, quid illi præcipiant, velint intelligere, ad hunc quaſi ad quendam multo commodiorem explicatorem revertantur. Ipſemet deinde artem hanc quotidie pomeridianis horis in Lyceo & docuit & exercuit, *non Iſocratis quadam æmulatione*, (d) ut referunt, (neque enim temporum hoc ſupputatio permittit)

(a) *Gorgias*) Leontinus, cujus quotidianam loquacitatem ſine uſu & e ſcholis cantilenam vocat, omnibus ſpernendam eloquentiæ ſtudioſis, CICERO *lib. 1. de oratore.* Extant tamen ejus orationes aliquot ab HENRICO STEPHANO cum *oratoribus antiquis* editæ *a. 1575. fol.*

(b) *de Lyſia & Iſocrate*) LYSIAS præcipue inclaruit ob nativam dictionis elegantiam, ob ſtridam & inaffectatam eloquentiam. ISOCRATES vero ob comtulam, nitidamque penitus & quæ variis picturis ſchematibusque ſuperbiret, orationem, unde & 10. vel 15. annos in adornando panegyrico conſumſerit, ipſe tamen pro concione nunquam dicere potuit, unde commune omnium judicium eſt, aptiorem ſcholis quam foro Iſocratis orationem fuiſſe. Vide MORHOFIUM *l. c. p. 158.*

(c) *M. Tullii*) *lib. de oratore.*

(d) *non Iſocratis quadam æmulatione*) Ita refert QVINTILIANVS *lib. 3. inſtit. cap. 1.* Ariſtotelem pomeridianis horis rhetoricam docuiſſe, noto quidem illo, ut traditur, verſu ex *Philoctetæ* frequenter uſum Αἰσχρὸν σιωπᾶν [illegible] Ἰσοκράτην ἐᾶν λέγειν. *Turpe eſt tacere & Iſocratem pati dicere.*

tit) ſed quod dignum hoc ingenio ſuo artificium judicaret. Mox & artis præcepta libello complexus, Theodecti illa ſuo auditori inſcripſit, ea homini dignitate, ut nec Alexandrum recens Aſiam ingreſſum, ſepoſita victoriæ cura ad hujus tumulum ludis celebrandis moram aliquam trahere, puduerit. Tribus poſtremo libris ita artificia hæc eſt proſecutus, ut nos quidem in illis commendandis deficiant verba, ipſi vero artis magiſtri palmam illi ultro porrigant. Certe apud neminem, quantumvis probatiſſimum doctorem, adeo opulentum inſtructumque *propoſitionum omnis generis* (a) penuarium reperitur. Nihil vero ad dicendum plus confert propoſitionibus, hæ ſiquidem enthymemata generant, unde omne orationi robur eſt, quod locutio & actio ad ornatum tantum faciant, valeant certe tantum apud plebem imperitam. Neminem ſane deficient argumenta, quibus aut conſulat aliquid aut vel laudibus vel vituperio proſequatur, ſi poſt cognitum argumentum, hunc primi libri theſaurum in auxilium advocaverit. Judiciale genus non diffitendum a poſterioribus magis excultum: ſed id certum eſt, ſuffeciſſe illam qualemcunque operam iſti ætati. Erat enim etiamnum melior quædam Athenis judicii facies, quanquam & ipſa a priſca illa ſimplicitate remotior abeſſet, quæ poſtea ſenſim magis magisque primo apud Romanos, deinde horum exemplo apud plurimas gentes eſt corrupta, donec in hunc usque ſtatum, quem lugemus, deventum eſt. Quis vero libro ſecundo qua parte de animi motibus, deque hominum moribus agit, non dicam quidquam doctius ſed quid illi ſimile ac compar vel vidit, vel audivit? Enim vero ſi quis porticunculam illam vitæ ſpeculum, clavem pectoris, manum eloquentiæ, faculam cupiditatum abditarum, theſaurum denique & oraculum omnium humanarum actionum appellaverit, neſcio an aliquid Ariſtotelis dediſſe gratiæ jure exiſtimari queat. Jam ultimo volumine quam docte, quam accurate de locutione agit oratorum? non ille quidem ejus ſententiæ fuit, potiſſimum dicendi robur toroſque illos eloquentiæ *in verborum ornatu* (b) ac decore conſtructionis inveniri; qua in opinione haud paucos videas eſſe, qui aut ipſos ſe eloquentes credunt, ſi queant verba glomerare, aut in Demoſthenis & Tullii fluminibus nihil præter voculas captant atque admirantur. Sed quod vires dicendi maximas in probationum veriſimilium numero uſuve ſitas judicaret, uberrime quidem de illis atque adeo duobus libris pertractavit, de ipſa autem locutione non niſi pauca, hac quidem in arte, eſt perſecutus. Poſſint fere videri & illa qualiacunque oratori ſufficere. Ita enim fundamenta formandæ orationis atque exornandæ jecit, ut haud difficili negotio, ſi quæ forte deſint, addi a quovis poſſint. Et ſane alibi, & ſingulari quidem opere, argumentum hoc illuſtravit. Scripſit enim de locutione duo volumina: in quibus dubio procul nihil eorum intermiſit, quæ hoc de negotio erant afferenda. Judicabant nimirum illi priſci, contra quam nunc perſuaſum multis eſt, non oratoris munus eſſe, locutionis naturam atque artificium expedire, ſed propriæ cuidam diſciplinæ id convenire, unde ſibi non orator minus, quam poëta, hiſtoricus, philoſophus loquendi præcepta mutuetur. Egit nihilominus, quod ante diximus, accurate ſatis Ariſtoteles noſter in illis rhetoricis ſuis de oratorio ornatu: etſi nonnihil a poſteris additum eſſe haud ſit diffitendum. Neque enim indiget mendaci præconio Ariſtoteles, aut aliorum injuſta obtrectatione; quem conſtat ſupra omnes dicendi magiſtros, non priores illos tantum & caſci nominis, ſed & ſapientum ſeculorum longe celeberrimos eminere, & etſi & de ſuo quædam hi aſperſerint illi prætereita, vel etiam, ſi ita lubet, non viſa. Quid enim dicamus de aliis philoſophis? Notum eſt & Stoicos illos antiquiores hic laboraſſe, ſed ut periti narrant, infeliciter admodum, & ſine exercitio illo copioſe dicendi, quippe qui argutis concluſiunculis omnia conciderint. Quæ ab Arceſila erat recentior academia floruit illa quidem eloquentiæ exercitio, habuitque inprimis ſuum Carneadem hominem admirabili celeritate atque ubertate ingenii, artes tamen dicendi compoſuiſſe non commemorantur. Ad ipſos hujus artis profeſſores relictis philoſophis pergamus. Nihil dicam de Hermagora, nihil de Molone, nihil de Areo, nihil de Cæcilio. Horum enim cum libris fere & fama interiit, ſummus ille orator Marcus Tullius minor ſe ipſo in arte docenda ab eruditis judicatur, ipſe quædam ſuorum adoleſcentiæ accuſavit. Jam *Dionyſius*, (c) limatiſſimo quidem eſt judicio, ſi quisquam, hodie tamen ejus nihil habemus, quod ad enthymematum divitias faciat: ipſe etiam, quod miremur, in divinis illis Græciæ oratoribus, ornatum præcipue ſermonis videtur ſpectaviſſe, quod vereor ne non ſit, auri non tam pretio quam fulgore delectari. Fabium doctiores infelicem credunt, quod Ariſtotelem neglexerit: certe hujus docendi rationem nemo temere cum Ariſtotelica contenderit. Magni critici Longini nihil ſupereſt, quod integram illuſtret artem, etſi aureus ſit, quem habemus de ſublimi dicendi genere libellus. Præclariſſima omnium ars *Hermogenis* (d) eſt, ſed tamen & quæ ab illo viro

(a) *propoſitionum omnis generis*) Teſtantur STRABO *lib. 13. Geogr.* CICERO *de oratore*, DIOG. LAERTIVS, Ariſtotelem ſummam operam navaſſe, ut auditores ſuos, antequam ad ulteriora eos admitteret, *θέσεις λογοθετεῖν* doceret, & ad theſin dialectico more & aſtruendam & infringendam aſſuefaceret, deinde & rhetorico more eam tractare doceret, ne ſcilicet ſtylum inter diſputandum horridum ſed ornatum & politum adhiberent. Conf. ZEIDLERVM *loc. cit. pag. 80. ſeqq.*

(b) *in verborum ornatu*) Solet enim objici, quod Ariſtoteles non omnia de elocutione propoſuerit, nihil de tropis & figuris tam dictionum quam ſententiarum. Verum hæc ad oratoriam non ſpectare monet ZEIDLERVS *in prodromo introd. pag. 127. §. 51. ſeqq.*

(c) *Dionyſius*) *Dionyſius Longinus Caſſius* Malchi Porphyrii præceptor & Zenobiæ orientis reginæ a conſiliis, quem Imperator Aurelianus gravi ſupplicio occidendum juſſit, eo quod autor præcipuus epiſtolæ a Zenobia ad Aurelianum ſcriptæ haberetur, vir in eloquentia & philoſophia incomparabilis judice MORHOFIO *in polyhiſtore tom. I. lib. 6. pag. 242.* cujus lucubrationum nihil ſupereſt niſi aureolus de ſublimitate dicendi commentarius, cujus ſplendidiſſima & emendatiſſima editio eſt, quam JACOBO TOLLIO debemus, quæ cum notis & gallica verſione BOILEAVII prodiit *Ultrajecti 1694.*

(d) *Hermogenis*) Qui ſub Marco Aurelio Imperatore vixit, annoque 18. ætatis *lib. 4. de inventione*, alium *de ideis*, alium *de ſtatibus* conſcripſit, quos ediderunt notisque illuſtra-

viro arti huic arceſſerunt, ſi magno *rhetori Nunneſio* (a) credimus, ad uſum illa potius atque ad exercitationem quam ad methodum artis ſpectant. Quam vero multa ab hoc omiſſa ſint aut ſequius tradita dudum id ab eruditis oſtenſum luculente eſt. Reliquos autem minutiores illos ſuperiorum ætatum doctores in contentionem adducere, prope inſanum fuerit, cum gloria Ariſtotelicæ hujus doctrinæ ceu ſol quidam omnia hæc minora aſtra quaſi exſtinxerit. Certe ſi ſupereſſet Theophraſti tantum illud de actione opuſculum (neque enim illa ars Stagirita vivo ſuas jam leges acceperat) vix foret, cur oratoriam extra Lyceum quæreremus. Quanquam ſi quid optando poſſemus conſequi, theſium illos numeroſos commentarios, quos uterque in monumentis reliquit, reddi potius nobis optaremus. Fuit enim labor ille longe præclariſſimus, atque ad parandam eloquentiam ſummæ utilitatis. Sicut enim non artem tantum, utramque in partem de re qualibet diſſerendi, majores illi reliquerunt, ſed & ſua, quæ appellabant ἐπιχειρήματα (b) propoſuerunt in medio: ita præterquam quod præcepta dederint in omni cauſa duas contrarias orationes explicandi, ipſi communes locos ambigue dixerunt, ſuoque exemplo diſcipulos ad hoc parandæ eloquentiæ exercitium adduxerunt. Etſi enim in foro, in curia, in roſtris non de illis univerſalibus controverſia ſit, ſed finitæ tantum quæſtiones agitentur, tamen nec dici illæ nec intelligi poſſunt, niſi in communes ſubinde locos exſpatieris. Contra qui hos ſibi familiares habet, & diligenti uſu trivit, illi ad cauſam agendam levis tantum hypotheſeos notitia poteſt deeſſe. Non potuit itaque non id fieri, quod Strabo dicit, ut eloquentiſſimi evaſerint Ariſtotelis diſcipuli, cum & tam accurata arte, & tot theſium ſeu communium locorum exemplis, atque iis exercitiis ad eloquentiam inſtituti fuerint. Neque enim fictarum controverſiarum declamationes illum ad comparandam eloquentiam fructum attulerint, (etſi a Demetrii Phaleræi ævo hæc potius exercitatio oratorum placuit ſcholis,) quem ex infinitarum tractatione quæſtionum & Arceſilæ, & Ariſtotelis philoſophia eſt conſecuta. Ipſi Marco Tullio philoſophorum hæc conſuetudo præ oratorum placuit commentationibus. Verum hiſce de rebus non eſt fortaſſis hic dicendi locus. Tum nos hoc tempus monet, ut ad terminum properemus. Atque ego ſane eodem feſtino, atque adeo hic ſtatim abrumperem ſermonis filum, niſi piaculum foret, nihil de Ariſtotelis poeticis adferre. De reliquis enim, quæ perierunt laboribus ipſe lubens tacebo, cum ut vobis pariter mihique parcam, optime auditores, tum ne demortua producens, Ariſtotelis gloria non tam ultro ſe obtuliſſe poſſit videri, quam anxie a me conquiſita. Quamobrem ſuffecerit etiam vel pauca tantum de poeticis illis attuliſſe: Nam ut omne, quod de iis dici poſſet, huc conferamus neque meæ eſt tenuitatis, neque temporis hujus ac loci. Primo autem illud ſummum eſt, atque dignum admiratione, quod in artibus quidem dicendi plures habuerit, qui jam ante ipſum viam ſtraverant ad eloquentiæ præcepta, hanc vero artem ſine ullius adminiculo primus hic aggreſſus ſit ac complexus. Certe nulli memorantur, qui vel tentaverint id efficere, etſi jam illa ætate haud pauci, qui vel poemata conſcriberent, vel de poetis ſibi judicium ſumerent, invenirentur. Poetandi enim ſtudium quidem pervetus eſt, & quaſi cum homine natum: ſi ſane illam operam ſpectes, quæ cantilenis conficiendis impenditur: neque enim ulla fortaſſis gens adeo infans fuit, quæ non ſelectis carminibus animum interdum exporrexerit aut contraxerit. Cæterum ut hymnodiis & ſi quid præterea a poetis in muſica oblectamenti poteſt proficiſci, etiam alios populos, quos inter in divinam usque magnitudinem Hebræi excelluerunt, facile eſt reperire: *Ita neſcio an non Græcis* (c) nationibus carminum illa genera quæ vel dicebantur tantum vel agebantur, privata fuerint. Nam comœdias quidem ante Siculum Epicharmum, tragœdias autem ante neſcio quem Dorum vel Theſpin Athenienſem, fortaſſis nemo conſcripſit. Illud ſane Græcæ huic genti proprium, ſuis ſub judicibus ut alia omnis generis, ita etiam nihil non poetici certaminis inſtituere. Quod enim præ reliquis hominibus hi otio maxime abundarent, & ad liberalia potiſſimum ſe ſtudia converterent, mire illi poetandi exercitio capti atque delectati ſunt. Ipſi paſtores ad armenta ignavum otium, ſub conſtituto judice carminum concertationibus exercebant. Quinimo omnes ſolemnes ludi ejus gentis his maxime inter alia certaminibus celebrati ſunt. Narrant monumenta, *Homerum ipſum cum Heſiodo* (d) in heroum tumulis, vel quod aliis placet, in Aulide vel

runt JOH. STVRMIVS & CASPAR LAVRENTIVS *Genevæ* 1614. 8. referunt de eo, quod natus annos 24. omnem ingenii præcocis vim miro naturæ deliquio amiſerit, unde Hermogenem inter pueros ſenem & inter ſenes puerum fuiſſe dictitarunt, prout e PHILOSTRATO refert SVIDAS.

(a) *Nunneſio*) *PETRVM JOH. NVNNESIVM* unum ex Hiſpanis laudat literis cognitum rhetorem ac philoſophum ANDREAS SCHOTTVS *in prolegom. ad Photium.* Neque id putandum eſt, ait *MORHOFIVS l. c. p.* 252. dediſſe hic aliquid amicitiæ SCHOTTVM, ſed fuiſſe id commune Hiſpanorum ſuffragium, inde diſcas, quod ingenti ſtipendio a Barcinonenſibus ad docendam ibi eloquentiam, Græcamque linguam evocatus eſt, referente *de ſcriptoribus ſec. XVI. Miræo c.* 133

(b) ἐπιχειρήματα) Quorum propoſitio certa eſſe debet, quæque deſumuntur ex locis circumſtantiarum. Vide de Epicheræmatibus Hermogenis MORHOFII *polyb. tom. I. lib.* 3. *c.* 12. §. 3. 4.

(c) *Ita neſcio an non Græcis nationibus*) Conf. *SCALIGERVM de re poetica* prolixius hæc & reliqua ſtudioſe pertractantem, *ZEIDLERVM in prodromo p.* 133. §. 54. *commentatores in poeticam Ariſtot.* inter quos eminent *DANIEL HEINSIVS*, cujus & *diſſertatio de tragœdiæ conſtitutione* edita *Lugd. Batav.* 1643. *VINCENTIVS Modius Brixianus* & *BARTH, Lombardus Veronenſis*, cum quorum commentariis prodiit *poetica Ariſt. Venet* 1550. *GERH. JOH. VOSSIVS in inſtit. poetices*, quo libro judice *MORHOFIO in polyhiſtore tom. I. lib. VII. c.* 1. §. 3. *p.* 311. fere ſcholiaſten Ariſtotelis egit.

(d) *Homerum cum Heſiodo*) Certamen hoc Homeri cum Heſiodo ludicrum a Græco quodam recentioris ævi confictum primum Græce & Latine edidit *HENR. STEPHANVS* a. 1573. in 8. deinde *DANIEL HEINSIVS* editioni Heſiodi a ſe editæ a. 1603. in 4. ſed Græce tantum addidit.

vel Chalcide, his in ſuavitatem aurium confectis armis pugnaviſſe. Præcipue vero hæc certamina ocellum illum Græciæ, matremque elegantiarum Athenas exornaverunt. Tragidi enim & Dioniſiis, & Lenæis, & Panatenæis, & Chytris, atque ita quatuor dramatibus committebantur. Solennes quoque rhapſodorum recitationes erant, & muſicorum (qui forte iidem cum Lyricis poetis) in odeo pugnæ non minus ſimili feſtivitate celebrabantur. Inprimis vero in honore theatrica certamina, quæ ſub quinque ſelectis judicibus inſtituebantur, quos illi Bacchicos appellabant. Horum enim judicio vel ſtabat vel excidebat (ita enim loquebantur) qui fabulam docuerat: ab his vero nulla ad alios provocatio admittebatur. Hæc fere facies erat, auditores, illo ævo Græcæ poeſios, cujus amore exarſerat illa gens usque in vanam curioſitatem. Omnia poetarum plena erant: & Athenienſium quisque, ut fit, quanquam ſine plebis ſcito, judici ſibi facultatem arrogaverat. Nec tunc tamen quisquam tanto in numero coegerat in leges ſuæ cenſuræ fundamenta, ſed incertis omnia tum moribus ferebantur, donec ab Ariſtotelis alta illa mente digeſta omnia ſunt, atque ordinata. Hic enim id temporis veluti ſummus omnium judex, quaſique ex tribunali jura ac leges omnibus poetis primus ſcripſit ac promulgavit. Hic celeberrima vatum opera ſub limam ſuam revocavit. Hic quid ſequendum quid omittendum & in theatris, & in odeis, etiam in poſterum ſit, decrevit ac præcepit. Utinam vero opus illud non mutilum eſſemus nacti? Felicior certe antiquitas fuit, tribus uſa libris, quorum nos nunc primum ſolum poſſidemus. Et in illo tamen opuſculo quantæ latent divitiæ! Nam ſi peritis hujus negotii artificibus credendum, nemo quisquam tam docte, tam accurate vel tragici vel epici poematis naturam docuit, vel præſcripſit leges. Nihil illi ajunt deeſſe huic Ariſtotelicæ tractationi, nihil quoque ſupereſſe quod deſideretur, profitentur. Quid? quod ex hoc ſolum libello diſcatur Homericarum aliarumque poeticarum quæſtionum conditio? quibus cum nihil id temporis eſſet frequentius, nihil etiam ſæpenumero iniquius erat vel ineptius. Quidni vero pari ſolertia de comœdia egerit conſcribenda, aut iis, quæ ad lyram decantabantur? *Memorat ipſe de ridiculo* (a) ſibi multa in poeticis dicta; quæ procul dubio in comicorum attulerat gratiam, quod his riſum captare ſolenne ſit, ac comœdia ridicularum rerum imitatio habeatur. Quam tamen rem tanti licet momenti, alii plerique artis doctores pede prætерire ſicco conſueverunt. Ne nunc adducam, ab eodem plurima in deperditis operis noſtri partibus de animorum, quas vocant, purgationibus eſſe tradita, quibus de nihil aliorum in artibus etiam prolixisſimis continetur. Et tamen eum in finem præcipue canimus, ut qui curis obnubilatus eſt animus ſerenetur, & hoc cumprimis admirabile carmina habent, quod illis Protei instar varias mens in facies commutetur. Porro vero ex Græcis quidem, utut hi circa poetica exercitia fuerint occupatisſimi, quemnam tandem cum Ariſtotele contulerimus? Hodie ſane nemo reperitur amplius quisquam, nec an exſtiterit quis in gloriæ illius æmulationem jam olim, certo acceptum eſt. Unum ex Romanis Horatium nunc legimus: Sed ſi *Cæſari Scaligero* (b) fidimus, ſine arte ille conſcripſit artem. Cenſeamus benignius de viro ſane maximo: neque enim artem ſed de arte ſcripſit, & ſcripſit non ut magiſter de ſchola, ſed ut cenſor ac ſatyricus in foro; at certe tantum abeſt ut omnia hujus artis docuerit, ut nec inſtituerit quidem docere. *Apud Arabes ſi uſquam* (c) alibi floruit olim poetice. Feruntur ſexaginta poetarum principes numerare, & ſub horum alis integras aliorum cohortes ac turmas, quos inter tanti ſuum Abuttaiibum faciunt, ut hunc unum præ reliquis Murenabbi ſeu vatem appellent. Nec vero pauci hac de arte ejus gentis libri exſtant. At ſi maximis inter illos auctoribus Abunazeri, Alpharabio, & Averroi credimus, quæcunque ab illis dicta minimi momenti ſunt, ſi cum Ariſtotelis illa monumentis conferantur. Ex noſtri ævi hominibus unus Julius Cæſar Scaliger Ariſtoteli noſtro palmam ſi non eripuiſſe ſaltem dubiam feciſſe poſſit equidem videri: ſcripſit enim acumine incredibili, diligentia ſumma, tum ubertate maxima. Ipſe etiam non obſcure vili alicubi æſtimat hunc noſtrum Ariſtotelis laborem mutilum eum eſſe, ne quid gravius dicat. *Attamen ne hujus quidem viri auctoritas,* (d) alioquin jure maxima, eruditiores potuit in conſenſum abripere. *Multa enim cenſent illo opere* (e) docte quidem & peracute doceri: quædam tamen ad artis præcepta nihil facere, quædam omiſſa, quædam etiam perperam tradita. Non enim vel primum, vel quintum, vel ſextum, vel ſeptimum librum artis hujus leges continere, utpote quorum & tituli argumentum ab arte ipſa alienum præ ſe ferant. Quæ quod Ariſtoteles dum artem doceret prætererit prudentiæ hoc inſignis notam eſſe, quod autem tractaverit alias, indicare tot ejus volumina de poetis ac fabulis poeticis, quæ etiam nos jam ante laudavimus. Imo ne quidem illa, quæ tertio libro de pedibus traduntur ac menſuris huic arti eſſe domeſtica judicant; ſed ad *μετρικὴν* iſthæc pertinere, adeoque ex muſices arcanis cum veteribus, non ex grammaticorum

(a) *Memorat ipſe de ridiculo*) *lib. III. rhet. c.* 18.

(b) *Cæſari Scaligero*) Conſentit cum Scaligero *CASP. BARTHIUS adverſ. lib.* 37. *c.* 6. & *lib.* 42. *c.* 22. Immitem vero Scaligeri cenſuram a *BERNHARDO PARTHENIO* confutatam refert *MORHOFIUS in polyhiſt. tom. I. lib.* 1. *p.* 313.

(c) *Apud Arabes ſi uſquam*) De cultura poeſeos apud Arabes ita diſſerit *HINCKELMANNUS in præfat. Alcorani.* Nihil in theologia naturali & morali philoſophia elegans deſideres, quod non exhibeant poetæ Arabes. Ars ipſa in gentis hujus quaſi ſtirpe radicata erat & ab ultima inde memoria perpetuo propagata teſte Abulfaragio. Quid quod linguæ ſuæ conſervationem ipſi poeſi tribuerint Arabes apud *POCOCKIUM in ſpecimine p.* 158. *ſſ.* Nulla quoque gens in tanto honore ſemper habuit poetas, nulla quæ tantis donariis vel paucos quosdam verſiculos fuerit remunerata.

(d) *Attamen ne hujus quidem viri autoritas*) Similem in modum pronunciavit *GADDIUS tom. I. ſcript. non eccleſ. p.* 42. apud *MORHOFIUM l. c. p.* 310.

(e) *Multa enim cenſent illo opere*) Imo *BARTHIUS in ſuis ad Claudianum notis p.* 972. a Scaligero materiam ejus libri omnem *LUD. CÆLIO RHODIGINO* præceptori ſuo ſurreptam eſſe docuit, cujus relationis autorem *QV. SEPTIM. FLORENTEM CHRISTIANUM* laudat.

ſcholis cum Scaligero petenda eſſe: neminem ſiquidem hujus rei aliunde gnarum quam ex muſicorum poſſe commentariis reddi. Jam etiam haud pauca judicant deſiderari poſſe quæ in ipſo hoc parvo Ariſtotelis noſtri opuſculo continentur. At vero ſi & Scaligeri labor infra Ariſtotelem fuerit, quemnam tandem huic præferemus, auditores? quis non ultra herbam illi hoc etiam in negotio porrexerit? imo vero quid obſtiterit, auditores, quin quod orbis omnis literatus dudum agnovit, nos hic tandem aliquando clara voce pronunciemus? Ariſtotelem principem ingeniorum, principem eruditorum, principem omnium ſcriptorum eſſe. Nam nos quidem per potiſſimam hactenus eruditionem ivimus, meliores ejus partes, atque angulos luſtravimus, nec tamen quenquam illi parem nedum ſuperiorem invenimus. Quin cum Platone igitur dicamus hunc mentem ſcholarum? Quin dicamus cum *M. Tullio:* (a) quis omnium doctior? quis acutior? quis in rebus vel inveniendis vel judicandis acrior Ariſtotele fuit? Quin illum cum eodem, præſtantem animi ingenio, & ſingulari ingenio virum peneque divino, & virum excellentem ſubtilitate, & præſtantem ingenii abundantia appellemus? dicamus cum eodem Marco, acie illum mentis rerum omnium vim naturamque vidiſſe. Vocemus illum cum Plinio, immenſe ſubtilitatis & ſummum in omni ſcientia virum. Affirmemus cum *Cyrillo,* (b) hunc inter philoſophos maximam & ad miraculum usque vim habere ſententiarum. Loquamur cum Macrobio: ab Ariſtotelis inventis nec ipſa quidem natura diſſentit. Nominemus illum cum alio magno apud Suidam viro, naturæ ſcribam & qui calamum in mente tinxerit. Poſtremo eſto ille nobis ut *Averroi*, peregrinum quiddam, ſingulare, ac *miraculum,* regula item atque exemplum *naturæ.* (c) Neque vero quidquam horum præter rem viro tribuemus aut ſupra meritum. Miraculum eſt, ita inter homines omnes excellere, ut neminem habeas parem aut majorem. Miraculum eſt, artes ac diſciplinas multas abſtruſas, ſubtiles, difficiles, invenire & prope abſolvere. Miraculum eſt, omnem aliquot ſeculorum doctrinam uno mentis ambitu comprehendere ac definire. Miraculum eſt, omnia ita agere quaſi egiſſes unum. Miraculum denique eſt, unum & quidem hominem natum omnium poſt ſe temporum magiſtrum, omnis eruditionis doctorem, omnium eruditorum quaſi patrem exiſtere. Nec vero quod ignoraverit quædam aut quod alibi ſit lapſus, juſtæ hoc Ariſtotelis gloriæ quidquam derogat. Nihil ignorare, nunquam falli, ut ſupra humanam ſortem, ita ſoli Deo conceſſum eſt. Quæ illa tam ſuperba mortalitatis noſtræ dedignatio, reprehendere uno in homine id, quod omnis hic orbis conjunctis nequeat viribus præſtare? Hominem exuere non eſt hominis, homini non ignoſcere non divini ſed bruti animi eſt. Fecit Ariſtoteles quod potuit, hoc eſt magnum ſe præbuit & admirandum, ſed hominem tamen ac mortalem. Neque enim cum Macrobio dixerimus, nihil tantum virum ignorare potuiſſe. Vel cum aliis, omnem ab hoc uno viro eruditionem receptam ac perfectam eſſe. Ut enim præter verum hoc eſt, ita indignum Ariſtotelis modeſtia. Infinita ſiquidem atque immenſa eſt eorum, quæ ſciri queunt copia, ea vero mentis noſtræ ſors atque conditio, ut quod ipſe noſter paſſim confitetur, quæ clara ſunt in naturæ luce hujus obtutum præſtinguant & obſcurent. Neque opus eſt commemorare in ipſa ſenſibili natura contemplanda *lapſus atque hallucinatus ſit,* (d) aut quam ejus multa ignoraverit, quam tamen ille præ aliis fere hominibus cunctis longe ſibi familiariſſimam habuit. Cæterum ipſe qua fuit modeſtia & ignorantiam ſuam ſæpe confitetur, & ab erroribus ſibi metuit, & ſicut accuſat veterum inſolentiam quod ſuis ingeniis philoſophiam eſſe perfectam jactitarent, ita paucis annis magnam quidem acceſſionem factam nondum tamen abſolutam eſſe philoſophiam aperte profitetur. Nimirum ita judicemus. Nihil Ariſtotele majus atque eruditius eſſe omnes inter homines, qui Deum ipſum doctorem non habuerunt, tum vero pauca illum fugiſſe, quæ nunc novimus, multo autem illi plurima fuiſſe nota, quæ nos ignoramus, longe denique maxima nos ignoraturos ſi eadem & Ariſtoteles ignoraſſet. Hos inter limites ſtat Ariſtotelis laudatio: quæ ſi exigua videtur non cogitamus hominis hanc laudem eſſe, non Dei, ſi magnam illam cenſemus, dicimus ſane id, quod res eſt: longe enim maxima eſt ac propemodum divina. Neque vero admiremur in negotiis illum divinis graviter adeo ceſpitaſſe. Ita enim nunquam non arcano conſilio agit Deus. Seligit ille ſibi quod contemtum vulgo, quod ſimplex, quod egenum, quod humile noſtris oculis videtur: & projicit contra quod tumet ſapientia, quod ambitione inflatur, qud divitiis inſoleſcit. Non quod ille neque ſapere nos quidquam velit, neque diteſcere,

neque

(a) *M. TULLIO*) Libro *de oratore ad Brutum.* Cætera habentur *lib. 1. de divin.* & *lib. 2.* item *lib. 1. Tuſcul. quæſt.* nec non *lib. 1. academ. quæſt.* & *lib. 1. de finibus.*

(b) *Cyrillo*) *Lib. 1. adv. Julianum.* Fuerunt quidem alii ex doctoribus primitivæ eccleſiæ, qui minus æque de Ariſtotelis philoſophia judicarunt, quoniam Platonicæ magis addicti erant, uti ex *AUGUSTINO lib. 8. de civ. dei. c. 1.* colligi poſſe videtur. Non deſunt tamen alii, qui præter Cyrillum quoque æquius judicarunt e. g. *DIDYMUS ALEXANDRINUS*, *HIERONYMUS*, *SEDULIUS*, *BOETHIUS* & *CLEMENS ALEXANDRINUS*, qui inter alia *lib. 1. Strom. p.* 309. philoſophiam Ariſtotelis regali maximæ doctrinæ viam præparare dicit. Ipſe *CYRILLUS* alio loco *lib. 2. theſauri c.* 3. ſapientiam hujus mundi ex diſciplinis Ariſtotelis unice derivandam eſſe exiſtimavit.

(c) *Averroi miraculum naturæ*) Cui ſimilia dixit *HIERONYMUS in reg. monach. cap.* 11. ſive *part. 3. epiſt. 14. c. 11.* *Ariſtoteles ſapientum princeps, prodigium grandeque miraculum in tota natura, cui pene videtur infuſum cujuscunque naturaliter capax eſt ingenium humanum.* Idem in *cap. 3. Jonæ* confirmat, quosdam honoris ergo numiſmata ænea ſignaſſe Ariſtotelis imagine, quorum in adverſa parte *naturæ miraculum* eſſet inſcriptum. Taceo alia licet nimia ſcholaſticorum elogia, qui *Ariſtotelem* olim dixerunt fuiſſe *præcurſorem in naturalibus*, uti *JOH. BAPTISTA in gratuitis*, teſte *CORNELIO AGRIPPA de vanit. ſcient. cap. 54. pag.* 95. Conferatur *BAYLE in dict. H. Crit. ſub artic. Ariſtot.*

(d) *lapſus atque hallucinatus ſit*) Aliter *NIEMEIERUS diſp. de Ariſtotele ejusque philoſophia.* §. 41. Errores ait, ab Ariſtotele commiſſos eſſe irrito hactenus conatu oſtendere laborarunt, qui ejus philoſophiam aliis ſuſpectam reddere ſategerunt, quamvis eum hominem fuiſſe non negemus, qui titubare potuerit.

neque ullo in honore vivere: Sed quod nihil pejus ſuperbia oderit, quæ ut divitiis ac potentia ita & doctrinæ ſæpenumero titulis concitatur. Atque noſtro Stagiritæ hujusmodi aliquam maculam adhæſiſſe, equidem haud negaverim, quippe cui nihil majus ſcientia fuit aut beatius rerum contemplatione. Verum nos illum non alio ſuſcepimus nomine laudandum, quam illo quod gentili alicui poteſt convenire. Cæteroqui longe illum infra quemlibet ex trivio pium eſſe Chriſtianum, uti nefas fuerit negare, ita neque diffitemur. Alia enim hominibus nobis magna, alia Deo videntur: quæ autem huic placent maxime, non poſſunt quoque illa non eſſe longe maxima. Sed hominum vulgari judicio ſtantes non poſſumus non profecto ſummum Ariſtotelem prædicare. Videamus enim gentem. Fuit illa nobiliſſima Macedonum. Videamus domum ac genus. Hæc originem conditoresque Deos agnoſcit ac colit. Videamus parentes. Hi in amicitia floruerunt maximorum Macedoniæ Regum. Videamus res atque opes. Fuit ille cum avitis bonis, tum largitate Alexandri longe ditiſſimus. Videamus cognationem atque affines. In cognatis Calliſthenes eſt homo prædoctus atque animo erecto ac ſublimi: in affinibus *Hermias* (a) multarum dominus urbium ac princeps potens. Virtutes videamus. Fuit ad miraculum doctus, in pauperes liberalis, prudens, beneficus, de omni humano genere optime meritus: Neque enim vel nunc quisquam paulo doctior reperitur, qui licet ipſe id neſciat, aliquem tamen ex ejus fontibus non hauſerit doctrinæ laticem. Poſtremo videamus & honores, quos maxima mortales putant. Quantus honor fuit gaudere Philippum potentiſſimum Regem, magis de magiſtro hoc quam de maximo filio? quantus honor fuit, Alexandrum plus ſeſe Ariſtoteli debere, quam patri Philippo profiteri? quantus honor fuit, vivo ſibi tot videre ſtatuas erectas? Sicut ille Athenis in ipſa arce, alibi inter Philippum ac Olympiadem, his ita volentibus, ut & in ipſa ſeſe potuit Aſia contemplari. Honor certe eſt, in amicitia florere atque cultu maximorum hominum? Ut quidem ille familiaris Philippi & Olympiadis, amicus Antipatri Regis, magiſter maximi Alexandri & (ut referunt) Ptolomæi quoque Lagidæ fuit. Honor eſt, cernere in patria & ferias & menſem ſuum in nomen dedicatum, quod huic Stagiris contigit. Honor eſt, curiam patriæ defuncti civis nomine appellari. Noſtro vero etiam pro monumento eſt patria curia, ne quis uni credat Pythagoræ a Samiis hemicyclium rerum conſultandarum conſecratum, aut in unius honorem Socratis Socratejum exſtructum. Magnus honor eſt in cultu eſſe diſcipulorum, hominum nulla non doctrinæ parte excellentium, quales Stagiritæ fuerunt, cum alii plurimi tum præcipue Theophraſtus Ereſius, Ariſtoxenus, Phanias, Eudemus, Clearchus, Theodoctes, Dicearchus & Heraclides. Maximus omnium honor eſt nomen ſuum atque cultum præ mortalibus aliis omnia per ſecula, omnem per mundum, porrectum habere atque propagatum. Hæc eſt ſumma felicitatis Ariſtotelici. Bina nunc annorum millia ſunt, ex quo Ariſtoteles Princeps audivit eruditorum. Eviluit Platonis gloria. Academicorum hæſitantia vix ultra Auguſti, Stoicorum ſeveritas non ad Conſtantini usque ævum producta eſt. Uno verbo quæcunque eſt philoſophorum veterum ſecta infra Heraclii illa ævum terminatur, refloruit interim & Platonis illa vetus majeſtas, ſæpe etiam opinione major eſt viſa: contabuit tamen ſtatim ad Ariſtotelis ſplendorem, nec famæ fuit par defendendæ niſi apud paucos, & qui vel profuſa capiebantur eloquentia, vel aliis neſcio quibus de cauſis populare quid malebant quam ſubtile & accuratum. Sane ad famam tuam demigrandam, magne Ariſtoteles, nihil valuerunt ingratæ Athenæ & leves illi Græculi, in quibus ut loquentiæ multum ita parum ſapientiæ fuit: *nihil valuerunt, quotquot hactenus tot per ſecula acuerunt in te, genuinum maligni canes ac fregerunt* (b) Laudant hodie atque colunt te, etiam quos tuum ævum in barbaris habebat, *Germani, Itali, Hiſpani, Galli, Britanni*, (c) imo nihil te non Europæ admirantur. Neque enim nobiliſſima hæc terrarum pars minus nunc in tuas eſt laudes profuſa, quam Aſia olim omnis & Africa fuit. Jam te noſcere & America incipit, novus orbis & tibi quidem nec fando cognitus. Hoc nomen atque hic honor tuus, nulla, ſi quid auguramur, ætate, nulla ſenectute interibit. Cæterum nos quidem tuis quod ſit dignum meritis conferre nihil poſſumus: unum a nobis hoc ſilentium accipe tibi conſecratum.

LIBERA-

(a) *Hermias*) Atarnenſium in Myſia tyrannus, quo a Memnone Rhodio devicto & ad Regem Perſarum Artaxerxem miſſo capitisque ſupplicio affecto ſororem ejus Pythaida in matrimonium duxit Ariſtoteles, varia autem labe ob id ab aliis aſperſus, de quo vid. STANLEJVM *p. m.* 415.

(b) *nihil valuerunt hactenus*) De obtrectatoribus Ariſtotelis vide *STANLEJVM p.* 431. *MORHOFII polybiſt. tom. II. p.* 65. Fuit autem inter veteres Ariſtotelis adverſarios cumprimis autor *everſionis Ariſtotelicorum dogmatum*, qui falſo adſcribitur JVSTINO MARTYRI; inter recentiores vero ejusmodi ſunt HENR. CORN. AGRIPPA, LAVR. VALLA, LVDOV. VIVES, STEVCHVS EVGVBINVS, FRANC. PATRITIVS, JOH. FRANC. PICVS MIRANDVLANVS, ANTONIVS PERSIVS, cujus liber *novarum poſitionum* Venetiis prodiit 1575. *CASTELLANVS philoſophus Gallus*, *ANDREAS KRAGIVS in defenſione Petri Rami*, *SEB. BASSONIVS*, *P. GASSENDVS*, *ROBERTVS FLVD*, *WENDELINVS*, *JOH. SPERLINGIVS*, *VALER. MAGNVS*, *JOACH. JVNGIVS*, *HENRICVS ERNSTIVS*, qui in libro ὁδὸς ἄνοδος, qui Hamburgi prodiit 1665. 8. collegit, quicquid unquam contra Ariſtotelem ſcriptum fuit, ipſe philologus potius quam philoſophus, judice *MORHOFIO in polyh. tom. II. lib.* 3. *c.* 12. *n.* 6. aliique.

(c) *Germani, Itali, Hiſpani, Galli, Britanni*) Conferri tamen huc merentur, quæ LAVNOIVS *de varia Ariſtotelis apud Gallos fortuna*, de eademque inter Proteſtantes differuit ELSWICHIVS, nec non PICCARTVS *de origine & progreſſu philoſ. Ariſtotel.*

LIBERALIS DOCTRINÆ STVDIOSIS.

S. P.

ANnus hodie eſt & quod excurrit, cum Sereniſſimi Principis noſtri mandato, quæ ad naturalium rerum cognitionem faciunt, juſſus docere, totum me illi muneri addicerem. Habueram jam tum eam, qua initiari ſolemus, publicam, vobis inter alios aures mihi commodantibus, PRÆSTANTISSIMI JUVENES, orationem; adeoque in eo jam eram, ut aggrederer provinciam demandatam. Sed cum alia quadam de cauſa Brunſvigam redire eſſem coactus, ea ſtatim inciderunt tempora, quæ non dicam de officio cogitare me non permiſere, ſed de ſolo etiam mutando haud raro (fateor) aurem vellicaverunt. Ac quæ illius quidem temporis fuerit conditio, haud arbitror operæ eſſe pretium, ut commemorem: quippe cum & mihi animus meminiſſe illorum exhorreſcat ac luctu refugiat, & vobis omnibus longe (proh dolor!) iſthæc notiſſima ſint: Cæterum mihi quam grave fuerit ac moleſtum, ita in ipſo muneris exordio ſtatim in exilium rejici, neque poſſum ſcribere, neque ſi poſſem, æquum ducerem nunc adeo iſthuc enarrare. Nam ſane nihil mentior, ſi in votis mihi fuiſſe veſtro pro virili uſui prodeſſe affirmavero: tam vero benevolos mihi vos ſponte veſtra præbueratis, ut niſi omnem diligentiam meam veſtris viciſſim commodis redderem, merito ingratus eſſem judicandus. Quapropter ſi dolorem iſtum, quem ab exilio iſto concepi ſtudeam explicare, ſimul veſtrum quoque erga me affectum, meumque illud votum cogerer commendare, id quod ut præſtitu ἀδύνατον eſt, ita conari non arrogantiæ minus eſſet quam ſtultitiæ. Sed quo moleſtius mihi hoc exilium fuit, eo jucundius eſt nunc videre, non tantum numero vos palmæ inſtar preſſæ auctos, verum etiam haud parum interea temporis in doctrina omni ac probitate confirmatos. Utinam vero queam ego ita vobis præire viam, ut & ipſe volo, & a me fieri par atque juſtum eſt! Verum ego quidem non ignoro, quam ſit in me ingenii perpuſillum, naturæ autem cognitio tam lata eſt, ut iiſdem cum hoc univerſo terminis concludatur, tam abſtruſa, ut in puteo hanc veritatem concluſam deliteſcere ipſe olim ſit Democritus confeſſus, tam digna poſtremo atque excellens, ut hac rerum natura ceu præcone infinitam Dei Opt. Max. gloriam ſapientiamque enarrari, ipſis divinis monumentis comprobetur. Neque vero naturalem profeſſo philoſophiam ſatis eſt de motu aliquid, tempore ac loco, de generatione item ac miſtione, primave corporum materia diſſerere, vel uno verbo intra communiſſimos iſtos limites ſeſe continere: ſed ipſum quoque cœlum contemplandum, ac quicquid a terra in lunæ uſque orbem porrigitur, tranandum mente, in terra plantæ atque animalia, in aqua piſces atque cete, in utriuſque viſceribus metalla ac lapides, & ſi quid aliud claudunt venæ pernoſcenda ſunt, ut nunc de reliqua omnium rerum cum multitudine tum varietate dicam nihil. Hæc vero omnia non perfunctorie atque aliorum ſolum fide cognoviſſe, ſed ita ut aut demonſtrationibus, ſi id res ferat, aut ſaltem veroſimili ſis argumento inſtructus, quod eruditorum eſt, quis non intelligit quam difficile ſit ac arduum? Atqui tum demum patet illa naturæ majeſtas, cum in arcana iſta penetralia admittimur; quantumvis de omni hujus orbis parte recte queat dici, quod de vili caſa Heraclitus fertur reſpondiſſe, etiam illic Deos commorari. Equidem, dicebat Romanus ſapiens, tunc naturæ rerum gratias ago, cum illam non ab hac parte video quæ publica eſt, ſed in ſecretiora ejus intravi: cum diſco quæ univerſi materia, quis auctor aut cuſtos, quid ſit Deus. totus in ſe intendat an ad nos aliquando reſpiciat, faciat quotide aliquid an ſemel fecerit. Ipſe Claudius Galenus cum oculi ac manus præclarum illud artificium indagaſſet, profuſe in laudes artificis abripitur, non niſi de hymnis amplius ac hecatombis cogitans. Quomodo ante illum Strabo Amaſenus, maximæ homo doctrinæ, vel in illo aquarum poſitu ac mæandris, naturæ ſapientem divinitatem obſervaverat. Tanti ſcilicet eſt, non clauſis oculis aut bruto obtutu ſpectare hunc orbem, ſed animo attento atque exacto judicio intueri omnia & admirari. Atque equidem haud facile dixero talem operam diligentiamque a quovis mortali naturam rerum magno quodam jure poſtulare; id certum tamen eſt ac longe veriſſimum, non tantum non poſſe otii rationem melius quam hoc labore reddi, ſed æquum omnino ac par eſſe, ut quilibet ab ingenio fortunaque inſtructior, huc potiſſimum, quod a morum officiis ſupereſt temporis, conferat ac impendat. Eſt enim ſi quæquam alia longe hæc omnium liberaliſſima cognitio, jucunditatis vero ſupra quam dici poteſt maximæ, tum ejus utilitatis ut hæc ſcrutatio hymni vice ab Claudio Galeno æſtimata ſit. Canit Poëta:

Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Seneca cum protuliſſet, quæ modo laudabamus, Niſi ad hæc, ait, admitterer, non erat pretium naſci. Quin nemo olim paulo cultior ac ſapientior non apud Græcos modo, ſed Ægyptios etiam, Chaldæos, Perſas atque Indos non hoc in negotio omne ſuum otium collocavit. Maximus ille ac ſapientiſſimus Regum Salomon hoc quoque commendatur titulo, quod diſputaverit de lignis a cedro Libanitico ad hyſſopum uſque ſpontanea generatione de pariete prodeuntem, quodque de jumentis, volucribus, reptilibus ac piſcibus diſſeruerit: quorum utrumque noſtræ eſt philoſophiæ quam profitemur. Cæterum non eſt propoſitum mihi vel philoſophiam hanc laudare in præſentia, vel ad ejus ſtudium vos adhortari; tantum quo tenuitatem meam vobis apertius confiterer, de amplitudine, obſcuritate, atque dignitate demandati mihi muneris, unum alterumque verbum volui adjicere.

Et

Et ſane eam ego provinciæ meæ difficultatem pariter meique exilitatem ingenii experior, ut deſperandum mihi foret, niſi in communi mortalitatis noſtræ ignorantia ac veſtra inprimis in benevolentia, O OPTIMI, ſolatium aliquod ac præſidium invenirem. Noſtram autem ſortem ſpectanti ſurgit animus, vos vero videnti etiam quidvis pro virili audere compellitur. Nam non veniam tantum errorum mihi polliceor, ſed amorem quoque veſtrum, vel ſola diligentia confido me impetraturum. Atque ego quidem, ſicut eruditionem aliquam mihi non arrogo, ita ſtudium atque ſedulitatem audeo vobis polliceri. Ideoque nec quos vobis debeo labores procraſtinando differam ulterius, ſed die ſtatim hodierno hora IIX. matutina, in auditorio novi Julæi maximo (quod felix fauſtumque eſſe jubeat ille, a quo omnis felicitas promanat) publicarum recitationum exordium faciam. Aderunt igitur, quibus volupe eſt varium illud ac pulcherrimum Dei artificium contemplari, qui nihil homine indignius cenſent, quam plebis atque pecudum inſtar natura rerum frui, qui poſtremo nec ſeipſos plane volunt ignorare. Ego ſicut hoc meo in munere diligentiæ aliquid non patiar deſiderari, ita nihil etiam porro quod veſtrum poſſit in commodum facere intermiſſurum me ſpondeo. Valete ac favete. P.P. Helmeſtadii, X. Novembr. Anno cIↄIↄxxxIII.

Piſo apud Ciceronem lib. V. de finibus.

QUantus ornatus in Peripateticorum diſciplina ſit, ſatis eſt a me, ut brevisſime potui, paulo ante dictum: ſed eſt forma ejus diſciplinæ, ſicut fere cæterarum, triplex: una pars eſt naturæ: diſſerendi altera: vivendi tertia. Natura ſic ab iis inveſtigata eſt, ut nulla pars cœlo, mari, terra, ut poëtice loquar, prætermiſſa ſit. Quin etiam cum de rerum initiis omnique mundo locuti eſſent, ut multa non modo probabili argumentatione, ſed etiam neceſſaria mathematicorum ratione concluderent: Maximam materiam ex rebus per ſe inveſtigatis ad rerum occultarum cognitionem attulerunt. Perſecutus eſt Ariſtoteles animantium omnium ortus, victus, figuras: Theophraſtus autem ſtirpium naturas omniumque fere rerum, quæ e terra generantur, cauſas atque rationes. Qua ex cognitione facilior facta eſt inveſtigatio rerum occultiſſimarum. Diſſerendique ab iisdem non dialectice ſolum, ſed etiam oratorie præcepta ſunt tradita: ab Ariſtoteleque principe de ſingulis rebus in utramque partem dicendi exercitatio eſt inſtituta: ut non contra omnia ſemper, ſicut Arceſilas, diceret, & tamen ut in omnibus rebus, quicquid ex utraque parte dici poſſet, exprimeret. Cum autem tertia pars bene vivendi præcepta quæreret, ea quoque eſt ab iisdem non ſolum ad privatæ vitæ rationem, ſed etiam ad rerum publicarum rectionem relata. Omnium fere civitatum non Græciæ ſolum, ſed etiam barbariæ ab Ariſtotele mores, inſtituta, diſciplinas: a Theophraſto leges etiam cognovimus. Cum uterque eorum docuiſſet, qualem in republica Principem eſſe conveniret: pluribus præterea cum ſcripſiſſet, qui eſſet optimus reipublicæ ſtatus: Hoc amplius Theophraſtus quæ eſſent in republica inclinationes rerum, & momenta temporum, quibus eſſet moderandum, utcunque res poſtularet. Vitæ autem degendæ ratio maxime quidem illis placuit quieta, in contemplatione & cognitione poſita rerum: quæ quia deorum erat vitæ ſimillima, ſapiente viſa eſt digniſſima. Atque his de rebus & ſplendida eſt eorum & illuſtris oratio. De ſummo autem bono, quia duo genera librorum ſunt, unum populariter ſcriptum, quod ἐξωτερικὸν appellabant, alterum, quod in commentariis reliquerunt, non ſemper idem dicere videntur. &c.

Jul. Cæſ. Scaliger de Ariſtotele.

Ne perge, ne viator: hic ſiſtas gradum.
Ultrane promovere poſſe te putas?
Hic meta mundi: hæc finis orbis ultima.
Ariſtoteles, haud totus, haud ſemis, neque
Tantilla tanti portio miraculi.
Magnine dicam interpretem clarum poli,
An æmulum, alteraſque naturæ vices?
An ſuper & hæc, & omnia alibi poſſumus
Quæ dicere, & quæ dicere hic non poſſumus?
Apprende mente: ſi tamen mentem Dei
Qui comparem par prendit, hunc ſolers capis.
Unus ſuper omnes, ſingulis qui omnes fuit,
Penes Deos homo, penes homines Deus.

F I N I S.

Digitized by Google

HERMANNI CONRINGII
De ſcriptoribus XVI. poſt Chriſtum natum ſeculorum commentarius,
Cum prolegomenis, antiquiorem eruditionis hiſtoriam ſiſtentibus,
notis perpetuis & additionibus
GOTLOB. KRANTZII, Schol. Wratislav. Evang. Inſpect. Gymn. Eliſabeth. Rect. phyſ. & hiſt. profeſſ. & bibliothecarii.

* * *

Franc. Baco de Verul. de augment. ſcient. lib. 2. cap. 2.

Hiſtoria mundi abſque literaria hiſtoria ſtatua Polyphemi oculo eruto ſimilis eſt, cum ea pars imaginis deſit, quæ ingenium & indolem perſonæ maxime refert.

* * *

AD
HERMANNI CONRINGII
Commentarium de ſcriptoribus prolegomena hiſtoriam eruditionis ante Chriſtum natum exhibentia.

Cap. I.
De eruditione Hebræorum.

§. 1.

SCientias cum ipſo orbe natas, primis hominum curæ cordique fuiſſe, vel ex eo apparet, quod nihil aliud ſummam humani generis felicitatem deſtruxerit, quam immodicum, eoque nomine impium ſciendi deſiderium. Poſſederat *Adamus* omnes ſapientiæ, quæ in hominem cadit, theſauros, hinc eo infeliciorem ſe deprehendebat, cum poſt lapſum non niſi exigua prioris notitiæ rudera ingenti labore colligere valeret. Nihilominus poſteris ſuis, quicquid ſapientiæ recollegerat, primario ſummam de DEO ſapientiam communicabat; quamvis ſanior hæc doctrina mox (a) *Caini* improbitate contaminaretur. Inter filios *Adami* præ cæteris *Seth* ſapientiam excoluit, qui, ſi *Joſepho* (b) fides habenda, terrenis rebus relictis, ſidera, eorumque affectiones ſcrutatus eſt. Poſteris quoque illius ſapientiæ ſtudium non defuit, inter quos præcipue *Henoch* rebus ſacris operam dedit, inde & a Spiritu S. vitam (c) vixiſſe divinam dicitur. Genuina autem ſapientia per *Camitarum* pſeudodoxiam ita perturbata fuit, ut ante diluvii tempora ſolus *Noachus* veræ ſapientiæ aſſecla inveniretur. Erant vero & inter *Caini* poſteros humanarum ſcientiarum exercitia, inter quos (d) *Lamech* cum filiis ſuis œconomicas, muſicas & fabriles artes exercuit.

§. 2. Inter hos ſapientiæ antediluvianæ cultores ſcripturam & literas in uſu fuiſſe, vix dubitare licet, quanquam luculenta ejus rei teſtimonia deſint. *Suidas* (a) *Adamo* ſcripturæ & omnium artium inventionem adſcribit, ſed itidem ſine ſufficienti antiquiorum teſtimonio. Quæ (b) *Rabbini* de libro, quem *Adamus* de præceptis in horto Eden latis ſcripſerit, ſomniant; Item quæ *Athan. Kircherus* (c) ex Mſcr. Arabico de primo omnium libro XXI. paginis exarato, præcepta & traditiones in generationes ſecuturas continente, profert, riſu digna ſunt; in quem cenſum etiam veniunt *Guilielmi Poſtelli* nugæ, (d) de prophetis *Eva*, a *Raziele*, primi parentis angelo deſcriptis. *Setho* VII. libros a *Gnoſticis* confictos olim ſuppoſitos eſſe *Epiphanius* (e) narrat; quibus forſan & illud opus (f) *Sethi* de ſtella apparitura debetur, quod autor operis imperfecti in Matthæum citat.

§. 3. Præ cæteris autem multi probare nituntur, *Henochum* libros ſcripſiſſe, cum eos etiam apoſtolus *Judas* (a) citare videatur, quamvis ille dixiſſe *Henochum* quædam, non autem ſcripſiſſe aſſerat. Non deeſt huic opinioni patrum autoritas, dum (b) *Tertullianus*, (c) *Auguſtinus*, & (d) *Origenes* non ſolum *Henochum* libros ſcripſiſſe dicunt, ſed & ultimus argumenta librorum recenſet. Sed certum eſt, neque illa argumenta, nec fragmentum *Henochi* Græcum, quod (e) *Scaliger* & (f) *Kircherus* proferunt, *Henocho* convenire, cum in utriſque de gigantibus ex angelorum cum hominibus coitu natis, aliiſque abſurdis materiis agatur.

§. 4. Poſt diluvium *Noah* unicus & humani generis & veræ ſapientiæ reſtaurator erat, qui quan-

§. 1. (a) Joſephus lib. I. c. 4. ant. Jud. (b) Loco cit. ubi 2. Sethi columnas deſcribit quas ex lapide fundamenti (Sethia) fictas putat *Steph. le Moyne* var. ſacr. tom. 2. pag. 564. Leg. *Iac. Middendorp* de academiis lib. 2 poſt init. (c) Geneſ. 5. v. 22. 24. (d) *Iabal, Iubal, Tubal - Cain*, Gen. 4. v. 20 21. 22. Huc ſpectat *Guil. Bonjour* Toloſ. prof. in Monte Caliſco diſſ. in hiſt ſacram prima mundi ætatis Mont. Faliſ 1705. 4

§ 2. (a) In voce Adam. (b) In Rabboth, comment. in Geneſin. (c) In obeliſco Pamphil. lib. 1. cap. 1. (d) Ex libro Bebit. ſ. Lucis puriſſimæ deſcriptæ. (e) Lib. 1. panarii hæreſi 39. de Sethianis. (f) Kircherus l. c.

§. 3. (a) Verſ 14. 15. (b. De habitu mulierum. (c) De civ. DEI. lib 15. c. 23. & lib. 18. (d) Homil. 28. in Numer. (e) In annot. ad Euſebii chron. impugnat illud *Joh. Henr. Heideggerus* hiſt. Patriarch. exercit. 10. (f) In œdipo Ægypt. tom. 2. cap. 2. diſquiſ. 1. §. 4. it. in arca Noæ ſect. 1. cap. 2. De *Poſtelli* nugis in libro de originibus lege *Morhof.* polyh. l. 1. c. 6. Huc ſpectant *Joh. Joach. Maderi* diſſ de ſcriptis & biblioth. antediluvianis; vide it. *Rich. Simon.* hiſt. crit. vet. Teſtam. lib. 1. cap. 7. De libris Henochi lege Sixt. Senenſ. bibl. S. lib. 2. *Mich. Walther* in offic. bibl. repoſ. poſt. claſſ. 3. thecam poſt art. 1.

quantum & in aliis humanis artibus valuerit, arca ab eo ſumma arte architectica condita teſtatur, de qua ea legi poſſunt, quæ (a) *Kircherus* operoſa, & nimia fere diligentia conſcripſit. Poſt *Noachum* in familia *Semi* ſanior doctrina conſervabatur, quæ tamen ſucceſſu temporis profanis artibus, quas *Chami* poſteritas exercebat, fere tota obfuſcabatur; donec e mediis quaſi tenebris ereptus a DEO *Abraham*, prudentia & optimarum artium profeſſione ſe & DEO acceptum, & in orbe celeberrimum redderet. De eo, ut *Joſephus* (b) teſtatur, *Hecatæus* integrum librum ſcripſit, imo & inter gentiles (c) ſcriptores paſſim magnum ejus nomen eſt. Inter ſucceſſores *Jacobum* rerum naturalium peritum fuiſſe, baculi maculoſi gregibus concipientibus præpoſiti oſtendunt. Cæteros vero omnes eruditione varia ſuperavit *Joſephus* qui Ægyptiorum artes cum Hebraica ſapientia jungens, prudentia ſua & Hebræis & Gentilibus mirabilis extitit. Hic, Rege jubente, Ægyptios veram ſapientiam docuit, ut *Regius* (d) *Pſaltes* teſtatur, quæ & in Ægypto floruit, donec ſucceſſu temporis cum memoria *Joſephi* magna ex parte extingueretur.

§. 5. His temporibus libros extitiſſe, probabile quidem, nec tamen ſatis certum eſt. (a) *Caſſianus* de *Chamo*, Nohæ filio, aſſerit, eum a Caini poſteris magicas & ſuperſtitioſas artes didiciſſe; cumque libros de his rebus in pii parentis arcam inferre non auderet, profana hæc commenta ferreis laminis ſaxisque duriſſimis inſculpſiſſe, eaque omnia poſt diluvium diligenter recollegiſſe, & ad poſteros tranſmiſiſſe; ſed hæc omnia fabulis ſimillima ſunt, quamvis & autor libri recognitionum, (b) vulgo *Clementi* Romano adſcripti, *Chamum* libros poſteris reliquiſſe dicat. Circumfertur hodie liber *Abrahamo* adſcriptus *Sepher Jezirach*, ſive liber formationum dictus, quem & *Joh. Piſtorius Nidanus* ſuis caballiſticæ artis ſcriptoribus inſeruit; ſed licet ab alio, quam *Poſtello* veteratore productus eſſet, tamen ſtylo & contentis mendacium aperiret.

§. 6. In Ægypto tandem in media Hebræorum ſervitute ingens omnis eruditionis lumen, *Moſes* naſcebatur, qui in (a) aula regia educatus, & in omni ſapientia Ægyptiorum inſtitutus fuit, ut de eo (b) *S. Stephanus* loquitur. Hic ex Ægypto fugiens, in eremo XL. annis philoſophatus eſt, ut (c) *Euſebius* indicat; tum vero rediens ad ſummum philoſophiæ pervenit, & DEI reſponſis ſecreta naturæ didicit, ut *Philo* apud (d) *Euſebium* loquitur. Ab hoc Ægyptios multas artes didiciſſe, extra dubium eſt; Judæi vero cabbalam ab eo per manus traditam credunt; & inter gentiles ſcriptores paſſim magis annumeratur, ut apud (e) *Plinium*, (f) *Juſtinum*, (g) *Strabonem*, & (h) *Apulejum* videre eſt. Ejus ſcripta de mundi origine, & legibus divinis certo extare, piis omnibus extra dubium eſt, quicquid etiam ſatanas per (i) *Bened. Spinoſam*, (k) aliosque huic ſimiles contra gannire audeat.

§. 7. *Moſen* excipiebat celeberrimum LXX. ſeniorum collegium, (a) *Sanhedrin* poſteriori ævo dictum, cui per occultas traditiones innumerabiles ſapientiæ theſauros relictos eſſe, Rabbini docent. Et quamvis opus (b) *Zohar*, *Moſis* auditorum doctrinam comprehendens, quod *Poſtellus* in lucem produxit, ſuſpectæ fidei ſit, veriſſimum tamen eſt, hos viros omni eruditionis excellentia præditos fuiſſe. Eandem laudem *Joſua* meretur, illuſtris *Moſis* diſcipulus, qui ſcientiæ militaris & geographicæ perfectionem oſtendit, terram benedictam occupando, & inter Iſraëlitas (c) accuratiſſime dividendo; cujus etiam facta gentilibus non ignota, quæ apud ſcriptores antiquos ſub *Herculis Phœnicii* nomine latere (d) *Voſſius* judicat. An ipſe libri a ſe denominati autor ſit, ut Hebræi volunt, dubium eſt, (e) cum *Theodoretus* eum ex *libro juſtorum* collectum, *Athanaſius* vero & alii ab *Eleazaro* ſummo ſacerdote comparatum putent.

§. 8. Sub judicibus ab Iſraëlitis eruditio non ſepoſita, ſed potius magis magisque exculta fuit. Teſtantur hoc ſcholæ celeberrimæ in urbibus *Silo* & *Ramatha* (a) in *Gilead* inſtitutæ, quibus *Eli* ſacerdos, ejusque incomparabili ſcientiarum divinarum & humanarum penu abundans diſcipulus, *Samuel*, præfuerunt. Libri ſub hujus nomine exiſtentes ab ipſo *Samuele* inchoati & usque ad mortem (b) ipſius deducti non immerito creduntur, cum reliqua vel aliquis ex diſcipulis magni hujus prophetæ, vel (c) *Nathan* & *Gad*, itidem prophetæ celebres, addiderint.

§. 9. Ex ſchola *Samuelis* prodiit ſanctiſſimus rex & propheta David, (a) qui & *Samuelis* præceptis,

§. 4. (a) Ath. Kircheri arca Nohæ Amſtel. 1673. fol. adde *Joh. Pelleterii* mathem. Rotomag. diſſ. de arca Nohæ Rotom. 1700. 12. (b) Lib. 1. c. 7. ant. Jud. *Hecatæi Abderitæ* librum de hiſt. Judaica citat *Euſebius* lib. 9. de præp. evang. (c) Beroſum Nicol. Damaſcenum, Alexand. Eupolemum, Melonem, citatos ab *Euſebio* l. 9. c. 4. præp. evang. vid. *Ebr. Dan. Colbergii* de ſapient. vet. Hebræor. per orbem diſperſa. (d) Pſalm. 105. v. 21. 22. Lege Juſtin, l. 36. c. 2.

§. 5. (a) Collatione 8. cap. 21. ex Sereno Abbate antiquo. Lege *Kircherum* in obeliſco Pamph. lib. 1. cap. 1. A *Henr. Mublium* in apologia Thalmudica. (b) Libri X. recognitionum S. acta *Clementis* de itineribus S. Petri opus fabulis plenum, ſoli *God. Arnoldo* probatum in præfat. editionis German. Berolin. 1702. 8.

§. 6. (a) Joſephus lib. 2. cap. 9. ant. Jud. (b) Actor. 7, 22. (c) In chron. (d) Lib. 8. cap. 5. præpar. evang. (e) hiſt. natur. l. 30. c. 1. (f) Lib. 36. cap. 2. (g) Libr. 10. geogr. (h) In apolog. 1. (i) In tract. theol. polit. c. 8. (k) *Th. Hobbeſium, Iſaac. Peyrerium, Rich. Simonem* in hiſt. critica vet. Teſt. Pugnant contra eos *Herm. VVitſius* in miſcell. ſacr. l. 1. *Lud. Ell. du Pin*, in diſſert. prælim. tomi 1. hiſt. eccleſ. *Joh. Henric. Majus* in diſſ. ſelect. diſſ. 2. *Sal. van Till in Voorhof der Heidenen &c.*

§. 7. (a) De ſynedriis vide *Joh. Vorſtii A*, *Joh. Seldeni* libros it. *Joh. Leusdenum*, qui in philolog. Hebræo diſſertat. de ſynedrio habet it. in *Herm. VVitſii* miſcell. ſac. lib. 2. diſſ. 3. de ſynedriis it. in ſpecie de magno illo it. *Campeg. Vitringam* de ſynagoga veteri. (b) S. Sohar, quod a R. *Sim. Jochai* viro ſancto ſcriptum operoſe edidit *Chriſt. Knorr* a Roſenroth Sulzbac. 1684. fol. (c) Joſuæ c. 14 - 25. (d) De orig. idololatriæ lib. 1. cap. 26. adde *Edmundi Dikinſon* Delphos phœniziſſantes. *Procopii* l. 1. de bello Vandal. inſcriptio columnæ notabilis huc ſpectat. (e) Lege *Mich. VValtheri* officin. bibl. repoſ. 2. theca 2. arc. 1.

§. 8. (a) De loco hoc prolixius diſſerentem lege *Jac. Salianum* anal. eccl. tom. 3. ann. M. 2973. num. 31. de collegio prophetarum a *Samuele* inſtituto vid. *Car. Sigon.* de rep. Hebr. l. 5. c. 9. (b) Lib. 1. c. 25. (c) Colligitur ex fine lib. 1. paralip. Lege *VValtheri* offic. bibl. rep. 2. thec. 2. arc. 4.

§. 9. (a) 2. Sam. libro toto. *Joſephus* lib. 7. toto ant. Jud. Videatur *Joh Hier. Sopranis* Genuenſ. S. I. David comment.

pris, & multarum rerum experientia ab omni parte magnus evaſit. Ejus pietatem ſapientiamque teſtantur tum pſalmi incomparabiles ab eo relicti, tum aula viris ſanctiſſimis & prudentiſſimis plena. Eminebant inter (b) cæteros *Nathan* ſacri conſilii antiſtes & magnus propheta; *Abjathar* ſummus ſacerdos, magna etiam ſacræ eruditionis laude clarus; *Jonathan*, patruus Regis, eruditione, & legis divinæ ſcientia nobilis, *Jabiel*, eruditione ſua merens, ut filiorum Regis curæ & inſtitutioni præficeretur; & *Aſſaph*, (c) muſici chori antiſtes omni etiam ſapientia excultus. Florebat autem eo tempore per totum Iſraëlitarum regnum eruditionis cultus, cum *Levitis* (d) per totam terram ſparſis docendi munus commiſſum eſſet.

§. 10. Succeſſit patri optimo filius omnium ſapientiſſimus *Salomon*, (a) qui tam ex fideliſſima *Nathanis* inſtitutione, quam peculiari illuminatione DEI omnibus divinis & humanis artibus exornatiſſimus erat. Hujus ſapientiam omnium & Hebræorum & exterorum ſapientiam ſuperaſſe, ipſe ſacer textus (b) aſſerit; dum eum præter myſteria fidei, illi revelata, exactiſſima rei phyſicæ ſcientia, regna primario vegetabile & animale comprehendens; moralis & civilis doctrina, quam termille ſententiæ ejus indicarunt; poëſis jucundiſſima, ut ex canticis quinque ſupra mille colligere licet; ars mathematica, (c) & in ſpecie architectica, quam ſtupendum (d) templi ædificium arguit, adeo nobilitaverunt, ut non tantum Rex Tyrienſis, (a) *Joſepho* teſte, erudita commercia cum eo inſtitueric, ſed & *Regina Saba* ab extremo Arabiæ felicis littore acceleraret, ſapientiæ amore allecta.

§. 11. Libros a *Salomone* ſcriptos (a) ſacer codex exhibet *Proverbiorum* opus, *Eccleſiaſten*, & *Canticum Canticorum*, de cujus autore pauci dubitant, ſanctiſſimos autem amores ejus libri (b) pro profanis non niſi impii habent. Multi autem alii libri ſub nomine *Salomonis* circumgeruntur, in quem cenſum etiam venit *liber ſapientiæ* (c) *Philoni* cuidam adſcribi ſolitus. Dicitur etiam apud *Joſephum* (d) *Salomon* conſcripſiſſe libros *odarum* & *carminum* quinque mille & *parabolarum* ac *ſimilitudinum* libros ter mille, de quibus tamen, præter ſupra citatos, nihil reſtat. Suſpectæ autem, imo ſubleſtæ fidei ſunt ea, quæ *Chicus Æſculanus* (e) de libro *Salomonis* de *umbris idearum*, & *Paulus Minerva* de *neomeniis Salomonis* afferunt; prout & liber: *Salomonis contradictio*, in decreto *Gelaſio* Papæ adſcribi ſolito, recte inter apocryphos relatus eſt. Impium autem eſſet credere, *Salomonem* librum *incantationum* (f) & de *exorciſmo* ſcripſiſſe; quamvis enim *Joſephus* (g) ut rem divinitus commiſſam citet, & *Thomas Aquinas* pro pia exorciſmi formula habeat, potius tamen ſatanam ſub hoc involucro latere voluiſſe, conſtat.

§. 12. Diviſio regni poſt *Salomonem* magnam etiam eruditioni perniciem afferebat, cum *Jeroboam* omnes divinæ ſapientiæ cultores (a) finibus Iſraëlitici regni ejiceret, & ipſe *Rehabeam* a divina veritate recederet. Sed refloreſcebant ſtudia in Judaici regni urbibus, dum *Joſaphat*, pius Rex, V. ex (b) principibus ſuis per omnes urbes cum *ſacerdotibus* & *Levitis* mittebat, paſſimque inſtitutis *ſynagogis* excluſa barbarie populum doceri jubebat. Iisdem fere temporibus ingens ſapientiæ cæleſtis lumen, *Elias*, (c) terram Iſraëlis illuſtrabat, qui magnus propheta, æque ac alii centum, ab *Obadia* in ſpeluncis occultati, furorem *Jeſebelis* prophetas undique ac mortem conquirentis, effugiebat. *Eliam* hunc contemplationibus ſanctis operam dediſſe, aliosque prophetarum filios erudiiſſe, non negandum; ſed eum in monte *Carmelo* ſibi aſſeclas quæſiviſſe, & cum perpetuæ caſtitatis voto vitam monaſticam inſtituiſſe, ut quidam *Johannes* (d) *Hieroſolymitanus* docet, fabulis ſimillimum eſt.

§. 13. Secutus eſt *Eliam* diſcipulus æque magnus *Eliſæus*, cujus tempore non parva ſcholarum copia per regnum Judaicum floruit. Citantur in ſacro textu collegia (a) in urbe *Bethel*, *Hiericho*, & *Gilgal*, ubi prophetarum filii numero haud exiguo erudiebantur, quorum ultimi etiam tempore famis duplici miraculo alebantur. Incidebant tum infelicia tempora, quibus Regum negligentia & impietate literæ contemnebantur, niſi quod *Ioas* rex juvenis, ductore ſummo ſacerdote *Iojada*, magno viro, (b) & templi & ſapientiæ reſtaurationem quandam ſuſciperet, a quo tamen laudabili vitæ genere mox populus iterum receſſit. Concuſſum eſt eo tempore, bellis Syris & inteſtinis utrumque

illuſtratus Lugd. 1643. fol. it. *Balth. Alvarez*, & *Joh. Bochius* in vita Davidis. *Pet. Balius* in dictionario parum pie. (b) Lege *Jac. Salianum* A. M. 2980. n. 17. (c) De muſica Davidica lege *Kircher.* in Muſurgiis tom. 2. lib. 1. cap. 4. §. 1. it. *Sal. van Till* in Dicht-Sang-en Speelkonſt. part. 2. (d) Car. *Sigonius* de republ. Hebræorum lib. 5. cap. 10.

§. 10. (a) Vid *Ioh. de Pineda* Salomon prævius, ſ. de rebus Salomonis libri 8. Lugd. 1609. f. & *Ioh. Meisneri* vit. Salom. (b) 1. Reg. 4. v. 29 - - 34. adde *Iac. Salianum*, A. M. 3022. num. 54 - - 100. it. *Ioh. de Pineda* lib. 3. c. 9-28. (c) Nautica in ſpecie, de qua multis *Mart. Lippenius* in navigatione Ophiritica, & *God. VVagnerus* de navigat. Salom. (d) R. *Iehuda Leonis* libellus de templo Hieroſ. juſſu *Augusti* Duc. B. & L. editus per *Ioh. Saubertum*; ichnographiam templi elegantiſſ. vide in *Ioh. Bapt. Villalpandi* opere in Ezechiel. tom. 2. part. 2. & in *Leonh. Chriſtoph. Sturmii* addit. ad *Nic. Goldmanni* opus architecticum. (e) Lib. 8. cap. 2. Ant. Jud.

§. 11. (a) Lege *Sixt. Senenſ.* bibl. ſ. lib. 2. *Mich. VValther* in offic. bibl. rep. 2. thec. 3. arc. 3. 4. 5. Divinitatem horum librorum a conviciis *Ioh. Clerici* egregie vindicat *Herm. VVitſius* in miſc. ſac. lib. 1. p. 227. (b) Damnatus error in concil. Conſtantinopolitanor. Lege *Sixt. Senenſ.* bibl. S. lib 8. hæreſ. 8. (c) Lege *Mich. VValtherum*, offic. bibl. rep. 2. theca 2. arc. 2. (d) Lib. 8. c. 2. ant. Jud. (e) De ſphæra c. 2. & 4. Lege *Ioh. de Pineda* in Sal. prævio lib. 3. c. 29. n. 9. (f) Lege *Sixt. Senenſ.* bibl. ſanctæ lib. 2. (g) Antiq. Jud. lib. 8. c. 2.

§. 12. (a) 2. Chron. 11. v. 14. & cap. 13. v. 9. (b) 2. Chron. 17. v. 7. ſqq. (c) Legatur *Ægidii Camarti* Elias Thisbites ſ. comment. de rebus Eliæ Pariſ. 1631. 4. (d) Dicitur fuiſſe epiſcopus Hieroſ. poſt Cyrillum; libri titulus eſt: de inſtitutione primorum monachorum, in lege veteri exortorum, & in nova perſeverantium. Aimericus Lemovicenſis, Patriarcha Antiochenus anno 1120. ex Græco in Lat. verti curavit. Ipſe *Baronius Bellarminus* & alii pro ſuppoſititio habent, præcipue *God. Henſchenius* & *Dan. Papebrochius* in hiſt. Patriarchar. Hieroſol. tom. 3. Maji præmiſſa parergorum 131. 133. unde multæ lites ortæ, lege *Salianum* A. M. 1123. n. 6.

§. 13. (a) 2. Regum 2. v. 3. & 5. & cap. 4. v. 38. Legantur *Georg. Urſini*, antiquitates Hebraicæ ſcholaſtico-academicæ Hafn. 1687. 4. & *Ioh. Dinckelii* de ſchola diſcipulisque Eliſæi Erf. 1580. &c. (b) 2. Regum 11. & 12.

que Hebræorum regnum, & quamvis *Oſeas, Amos, Eſaias,* aliique prophetæ ſalutaria monerent, attamen magis magisque accelerabat & regiminis & eruditionis interitus.

§. 14. Nec tamen luctuoſum Babylonicæ captivitatis tempus ſine omni Hebræorum eruditione fuit, cum circa initium miſeriæ hujus *Jeremias* & *Ezechiel* inter (a) alios præſtantiſſimis cœleſtis ſapientiæ dotibus elucerent. Ipſa captivitas nonnullis in ſcholam converſa, cum (b) *Daniel, Anania, Miſael* & *Azaria*, juſſu Regis *Nabochodonoſoris* in omni doctrina & ſapientia erudirentur, cumque *Daniel* a Rege omnibus Babyloniæ ſapientibus præfectus, in Perſide ſcholas purioris ſapientiæ, correctis priſcorum magorum placitis, inſtitueret. Sanctiſſimi hujus prophetæ ſcripta in dubium vocantur a Judæorum (c) malitia, qui eorum inani expectationi futuri Meſſiæ aperte nimis contradicunt; alii autem plura ſcripta illi perperam adſcribunt, dum *oratio Aſariæ, canticum trium puerorum,* item *hiſtoria Suſannæ, Belis* & *Draconis* ſine certa ratione pro Danielis operibus habentur.

§. 15. In mediis hiſce calamitatibus nec aliis ſapientiæ ſtudia defuiſſe, *Eſdras* exemplo ſuo docet, qui ſacrarum literarum peritia, & legis tradendæ ſtudio ſummus habebatur. Hic collapſam cum ipſo regimine eruditionem reſtituebat, renovatæque urbis populum de altiori (a) ſuggeſtu adſtantibus non paucis collegis publice docebat. Idem quoque incuria Judæorum, & Babyloniorum impietate ſublatos codices ſacros reſtauravit, conquiſivit, & *Nehemia* fidelem operam conferente, (b) *bibliothecam* Hieroſolymis conſtituit, *Davidis, Prophetarumque* libros, & *Regum diplomata* comprehendentem. Ipſum quoque *Eſdram* non paucos cum *Nehemia* commentarios ſcripſiſſe, ex poſteriori Maccabæorum libro colligere eſt; ſed præter parvas utriusque hiſtorias (c) in ſacro codice exiſtentes nihil reſiduum habemus. Libros quidem ſcripturæ S. plane deperditos, & per inſpirationem *Eſdræ* redditos fuiſſe (d) nonnulli volunt; ſed (e) *Athanaſius* totam rem diligentiæ adſcribit, libroſque diligenter ab *Eſdra* cuſtoditos tandemque prolatos aſſerit.

§. 16. Poſt *Nehemiæ* tempora res Hebræorum magnam partem in obſcuro latent; probabile tamen eſt, fœdatam non parum fuiſſe Judaicæ doctrinæ puritatem Babylonica vanitate & ſuperſtitione, quam partim Judæi ipſi rebus Babylonicis aſſueti, partim Aſſyriorum Coloniæ in terram Iſraeliticam (a) antea traductæ ſecum advexere, unde & *Samaritana* (b) colluvies nata. Circa *Alexandri M.* tempora eruditionis curam Judæis non defuiſſe, ex eo colligere licet, quod *Jaddus* Pontifex e bibliotheca ſacra prolatum (c) *Danielis* codicem *Alexandro* oſtenderit & explicaverit. Imo, non parvi æſtimandum *Ariſtotelis*, ambitioſi alioquin philoſophi, teſtimonium, qui, ut in *Clearchi Solenſis* (d) fragmento quodam habetur, in Aſia ad ſe veniſſe Judæum quendam dixit, tanta eruditione atque ſcientia conſpicuum, ut præ illo omnes Græci præſentes trunci eſſe & ſtipites viderentur.

§. 17. Sed vix unquam ſecundi templi ævo Judæi majus ſpecimen eruditionis ſuæ ediderunt, quam cum, *Ptolomæo Philadelpho* illud per legatos petente, LXXII. viri, (a) hebraica pariter & græca doctrina excultiſſimi, ab *Eleazaro* (b) ſacerdotum Principe in Ægyptum mitterentur; ex quorum numero apparet, Hieroſolymis eo tempore ſacrarum aliarumque literarum ſtudia egregie floruiſſe. Quanta vero hi viri prudentia præditi fuerint, tam ex ipſa verſione S. Scripturæ accuratiſſime adornata, quam ex prudenti colloquio cum Rege, durante (c) ſeptem dierum convivio inſtituto, apparet, ſi quidem *Joſepho* & (d) *Ariſtæo* hiſtoriæ hujus ſcriptoribus, plena fides danda. Sed deſtructa deinde per *Antiochum Epiphanem* omni Judæorum felicitate, etiam eruditio interiit; cum & tyranni hujus juſſu, S. ſcripturæ codices conquirerentur, & igni injicerentur.

§. 18. Poſt ea tempora collabentibus magis magisque Judæorum rebus etiam eorum eruditio ſimul collapſa eſt. (a) *Judæi Helleniſtæ* Græcorum philoſophiam amplectebantur, quibus etiam (b) *Ariſtobulus*, Ptolomæi Philometoris præceptor annumerandus, qui Peripateticorum ſectæ firmiter addictus, & in ea inſigniter eruditus, alios quoque Judæos iisdem imbuere principiis fruſtra quæ-

 livit,

§. 14. (a) Lege de Prophetis his & eorum ſcriptis *Mich. Waltherum* off. bibl. rep. 2. thec. 14. arc. 2. 3. 4. it. *Ioh. Gottlob Carpzovii* introduct. in Vet. Teſt. part. 3. cap. 2. ſeqq. (b) Dan. 1. v. 3. 17. (c) Contra eos prolixe pugnat *Iulius Bartoloccius* bibliothec. magna Rabbin. tom. 2. n. 459. ſed Judæorum mentem aliter explicat, & cum Chriſtianis conciliare quærit *Richardus Simon* hiſt. critica Vet. Teſt. lib. 1. c. 9. adde *Pet. Allix.* in conſider. in libros S. ſcript. tom. 2 cap. 3. it. *Sam. Baſnagii* diſſert. 8 annalium polit. eccleſ. tom. 2. poſt ſec. 3. additum, it. *Iac. Baſnagii* relig. Judæorum tom. 3. lib. 4. cap. 19. & 22.

§. 15. (a) Nehem. 8. v. 4. Lege de Eſdra *Iac. Salianum* A. M. 3621. pag. 6. ſeqq. *Car. Sigon.* de rep. Hebr. l. 5. cap. 10. *Mich. Walther* rep. 2. thec. 2. arc. 10. 11. (b) 2. Maccab. 2. v. 13. De multis Eſdræ libris agit ex *Pici Mirandul.* apologia *Sixtus Senenſ.* bibl. ſancta lib. 2. (c) Pro recentioris autoris opere habet *Ioh. Clericus* in judiciis theologor. de hiſt. critica Rich. *Simonis* epiſtol 8. (d) *Chryſoſtomus* hom. 8. in epiſt. ad Hebræos. *Theodoretus* in præfat. in pſalmos. (e) In ſynopſi, quæ quidem a plurimis Athanaſio abjudicatur. Lege *Ioh. Henr. Maji* diſſ. 3. Rich Simoni, & ejus adverſariis oppoſitas Francf. 1690.

§. 16. (a) 2. Reg. 17. v. 24. ſeqq. (b) Lege Chriſtoph. Cellarii collectanea hiſt. Samaritanæ de politia relig. & re literaria hujus gentis Citæ 1688. 4. it. 2. epiſt. de hod. ſtatu gentis Samarit. ad *Ioſ. Scaligerum* ſcriptas, a *Ioh. Morino* explicatas, quæ cum aliis antiquit. eccleſ. orient. prodiere Lond. 1682. & Lipſ. 1683. 12. (c) Joſephus l. 11. cap. 8. ant. Jud. (d) Cit. a *Theoph. Spizelio* in coronide philolog. addita ad S. bibliothecarum arcana retecta ſ. 1. ex *Ioſephi* lib. 1. cont. *Apion.* it. *Euſebio* de præp. evang. lib. 9. c 5. 6.

§. 17. (a) Prolixe omnia ap. *Joſeph.* lib. 12. c. 2. ant. Jud. Add. *Irenæus* lib. 3. c. 25. *Juſtinus Mart.* parænesi ad Græcos; *Tertullianus* in apologetico, *Clem. Alexand.* lib. 1. ſtromat. imo & *Euſebius* præp. evang. lib. 8. c. 2. 3. 4. 5. Lege max. *Joh. Frickium* in prooem. ad biblia Gr. Lipſ. 1697. 8. (b) Oniæ fil. Simeonis Juſti fratre. (c) *Joſephus* l. c. c. 12. dies citat. (d) Ariſtæus ad Philocratem fratrem de 72. legis interpretibus, pro ſuppoſititio non immerito habetur. Vide *Voſſium* de hiſt. gr. l. 1. c. 15. et. max. *Humfr. Hodyum* diſſ. contra Ariſtæam Oxon. 1685. 8. it. *Ant. van Dalen* diſſ ſuper *Ariſtæam* cum textu illius Amſt. 1705. 4.

§. 18. (a) De iis legatur *Rich. Simon* in hiſt. crit. Vet. Teſt. lib. 2. c. 17. adde *Gu. Ern. Tentzelium* in colloq. menſtr. 1690. in append contra *Matth. Tatium* ſ. *Joh Reuckium* & an. 1689. Decembri. (b) 2. Maccab. 1. v. 11. adde *Clem. Alex.* l. 1. ſtrom. it. *Euſebium* l. 8. c. 3. præp. evang. Lege

ſivit, cum plurimi eorum decretum a patribus factum: (c) *maledictus, qui docet filium ſuum philoſophiam Græcam*, rigoroſe obſervarent. In ipſa autem Judæa aliarum artium ſtudia floruiſſe, R. *Jehuda* (d) *Levita* jactat, qui ſynedrii aſſeſſoribus mandatum fuiſſe dicit, ne ipſos lateret ulla ſcientia, ſive vera, ſive imaginaria, ſive ex conſenſu & inſtituto hominum excogitata, adeo, ut etiam incantationum magicarum, & linguarum variarum peritiam habere debuerint. Judæis Helleniſtis ſine dubio annumerandus erit *Ezechiel* poeta tragicus, cujus verſus fere L. (e) *Clemens Alexandrinus* citat.

§. 19. In hoc rerum Judaicarum ſtatu ſectæ *Phariſæorum, Saducæorum*, & *Eſſæorum* ortæ ſunt, & quidem ſequenti fere occaſione: (a) Orta inter legis interpretes diſſenſione, quidam ſe *Karraim* dicebant, & nil, niſi verba legis accipiebant; alii *Haſidim* dicebantur, qui ſupererogationes, legumque conſequentias addebant; & tandem præcepta ſupererogationis in canones redigentes, eorumque obſervationem ab aliis exigentes, ſe *Peruſchim*, id eſt, ſegregatos vocabant, ex qua appellatione nomen Phariſæorum natum. Ex altera ſecta *Karraim Antonius* quidam, ſeu *Antigonus Sochæus, Simeonis* Juſti diſcipulus, docebat: *DEUM eſſe colendum, ex mero amore, non propter præmia futura*; quam ſententiam non recte intellectam *Sadoc*, unus ex diſcipulis, interpretabatur, publiceque docebat: *Nulla eſſe præmia futura.* Hujus itaque aſſeclæ futuram vitam reſurrectionemque negarunt, & a magiſtro Sadducæi dicti ſunt.

§. 20. *Eſſæi* hac occaſione orti ſunt: cum *Johannes Hircanus* Simonis filius, relicta *Phariſæorum* amicitia, *Saducæos* amare, Phariſæoſque premere inciperet, non pauci horum deſerta petierunt, ibique rigidam, ſolitariam, cælibemque vitam agentes, a tacendo, ſeu quieſcendo *Eſſæi* dicti ſunt. Cætera Judæorum ante Chriſtum natum ſeu obſcura, ſ. fabuloſa ſunt; & quamvis magnam inter eos (a) Rabbinorum copiam fuiſſe non negemus; hi tamen relicta veriori ſapientia, anilibus fabulis, aut vanis ſuperſtitioſiſque artibus, pauciſſimis exceptis, operam dabant. Et, licet Rabbini tum *ſynedrii* ſui aſſeſſores ſingulos omnium ſcientiarum gnaros faciant, aut cum R. Jochanan (b) LXX. linguarum peritia inſignes proferant, hoc ipſo tamen nihil aliud, niſi inſigne mentiendi ſtudium demonſtrarunt.

CAP. II.

De Barbarorum eruditione.

§. 1. Inter gentes profanas olim Græcos, Romanoſque ſtudia bonarum artium longe accuratius excoluiſſe reliquis omnibus, nemo facile negabit; ſed & illud manifeſtum eſt, inter illas nationes, quas Græci Romanique barbaras vocarunt, citius literas arteſque floruiſſe, & ab earum nonnullis demum ad Græcos vel Italos perveniſſe. (a) Harum itaque gentium, ut vulgo audiunt, Barbararum, eruditionem antiquam inquiſituri, ſecundum tres orbis partes, *Aſiaticam* primo, tum *Africanam*, & tandem *Europæam* paucis delineare volumus.

§. 2. Inter *Aſiaticas* gentes *Aſſyrii* & *Chaldæi* primi fuerunt, qui tam bonas, quam vanas (a) & ſuperſtitioſas artes excoluere. Hæc gens per omnem vitam philoſophata eſt, & in ſyderali ſcientia præ cæteris mortalibus excelluit, ut *Diodorus Sic.* (b) teſtatur; quam ſcientiam juvit, quod in camporum patentium æquoribus habitaret, ubi ex terra nihil eminuit, quod contemplationi cœli officere poſſet, ut Cicero (c) loquitur. Quanta ſolertia parentes filios ſuos has artes docuerint, prolixe *Diodorus Sic.* (d) deſcribit; qua induſtria effecerunt, ut *aſtrologia* ipſa *Chaldaica ars*, *aſtrologi* autem omnes *Chaldæi* dicerentur.

§. 3. Un-

Joh. Buxtorff. ad libr. Coſri p. 33. (c) Confer. *Hornium* in hiſt. philoſ. l. 4. c. 2. (d) Part. 2. §. 64. lege *Theoph. Spizelii* coronid. philolog. ad arcana bibl. retecta §. 2. (e) Lib. 1. Stromat. Lege *Sixt. Senenſ.* l. 4. bibl. ſanctæ. *Voſſium* de poetis Græc. p. 90. Sed hunc *Guil. Cavius* & Steph. le Moyne 2. ſeculo poſt Chriſt. nat. vixiſſe putant. vide *Cavium* ad an. 190.

§. 19. (a) Hæc plurima ex mente *Eduardi Simſonis* in chron. cathol. part. 6. ad an. 3896. Aliter *Otto Heurnius* de philoſophia Barbarica, in Indico cap. 22. 23. 24. Legatur præcipue *Joſephus* ant. Jud. lib. 13. c. 8. 9. lib. 15. c. 13. primario lib. 18. c. 2. & de bello Judaico lib. 2. c. 7. Adde de 3. Judæorum ſectis opuſcula *Nic. Serrarii, Joh. Druſii, Joſ. Scaligeri* cum *Jac. Triglandii* diatribe de ſecta Karæorum, edita Delphis 1703. 4. it. *Joh Lundii Jüdiſche Heiligthümer* lib. 4. c. 11-17. *Joh. Franc. Buddei* hiſt. philoſ. Hebræor. §. 19. 20. 21. *Sam. Baſnagii* annal. polit. eccl. tom. 1. p. 166. ſeqq. *Iac. Baſnag.* hiſt. Judæor. lib. 2. c. 6. 7. 8. it. *Iob Reiskii* de Sadducæis.

§. 20. (a) Huc referenda *Iul. Bartoloccii*, ord. Ciſtert. bibliothec. magna Rabbinica, Romæ 1672. fol. & R. *Schabtai Ben. Ioſeph* bibliopolæ Wratisl. labia dormientium, edita Hebr. Amſtelod. 1681. in 4. Verſio latina elaborata d. non edita per *Guſtav. Peringerum*; aliam promiſit *Chriſt. Wormius.* in corruptis antiquitatum Hebraicarum apud *Tacitum* & *Martialem* veſtigiis Hafn. 1693. 4. Lege & *Andr. Sennerti* de ſcholis, ſtudiis & academiis Hebræorum in parte 2. exercitationum philolog. it. *Ioh. Henr. Ottonis* hiſt. doctorum Miſchnicorum, qua ſynedrii magni præſides recenſentur. Bern. 1672. & Amſt. 1702. 8. it. *Ioh. Franc. Buddei* hiſt. philoſ. Hebr. maxime in notis ad §. 22. (b) In Gemara Babyl. ad tit. Sanhedrim. c. 1. Lege *Theoph. Spizelii* coronid. philolog. §. 2.

§. 1. (a) De Barbarica philoſophia legendi: *Ottonis Heurnii* Barbaricæ philoſophiæ antiquitatum libri II. Lugd. Bat. 1600. 12. *Chriſt. Kortholti* tractatus de origine, progreſſu & antiquitate philoſ. Barbaricæ Jenæ 1660. 4. *Thom. Burnetius* etiam archæologiæ philoſophicæ libro I. de gentium Barb. antiquitatibus liter. agit. Londin. 1692. 4.

§. 2. (a) Vid. *Heurnius* lib. 1. phil. Barb. qui Chaldaicus inſcribitur. (b) Lib. 2. c. 29. (c) Lib. 1. de divinatione. (d) Loc. cit. adde *A. Gellium* noct. Att. lib. 1. c. 9. & *Phavorini* orationem de Chaldæis ap. eundem lib. 14. cap. 1. De Chaldæorum, Zabæorum, Nabatæorum aliorumque vicinorum antiqua religione varia ex Arabibus collecta refert *Ioh. Henr. Hottingerus* hiſt. orient. lib. 1. cap. 8. *Thomæ Stanlei* hiſtoriam philoſ. Chaldaicæ, magno operi de philoſophis Græcis ſubjunctam tranſtulit, & cum notis edidit *Ioh. Clericus* Amſt. 1690. 8.

Digitized by

§. 3. Unde hanc artem *Aſſyrii* primo hauſerint, difficile dictu eſt, cum in tantis remotæ antiquitatis tenebris veram ex multis eligere opinionem haud facile liceat. Qui ex *Sethi* columnis (a) principia artis deducunt, incerto nimis fundamento nituntur; nec forſan meliori jure *Plinius* (b) *Belo* aſtrologiæ inventionem adſcribit, per quem *Hornius* (c) Nimrodum intelligit, qui tamen, ſi *Bocharto* (d) fides habenda, turre Babylonica, ſicque etiam aſtrologiæ inventione poſterior fuit. *Abrahamum* Chaldæos hanc artem docuiſſe, *Joſephus* (e) *Beroſi* autoritate demonſtrare nititur, quod & *Eupolemus* apud *Euſebium* (f) confirmat, qui docet, *Abrahamum* Chaldaicam divinandi artem inveniſſe; cui tamen itidem turris Babylonica fidem derogare videtur. Nec majoris momenti eſt, quod *Servius* (g) ait, *Prometheum* primum Aſſyriis aſtrologiam indicaſſe.

§. 4. *Turris Babylonica* (a) mirabili ſtructura ſua docuit, jam tum ſecundo poſt diluvium ſeculo artes & ſcientias his gentibus notas fuiſſe; ſive illa turris unice nominis perennitatem, & diſperſionis evitationem, (b) ſive etiam commodiorem ſyderum contemplationem pro ſcopo habuerit. Videntur huc pertinere *Plinii* verba qui teſte *Epigene*, gravi autore, docet, (c) apud Babylonicos DCCXX. annorum obſervationes ſyderum coctilibus laterculis fuiſſe inſculptas; quo etiam trahendum, quod *Simplicius* (d) refert, *Calliſthenem*, cui cum *Alexandro* abeunti id negotium *Ariſtoteles* dederat, MM. circiter annorum obſervationes aſtronomicas ex Babylonia remiſiſſe. Non tamen illud diſſimulandum, nec omnibus ſummam hanc antiquitatem Babylonicam veram videri, de qua & *Phavorinus* apud *Gellium* (e) dubitat; nec adeo accuratam hanc artem apud eos fuiſſe, cum *Diodoro Siculo* teſte nec ullas eclipſium demonſtrationes aut prædictiones (f) habuerint; cumque lunam non alieno lumine lucere, ſed potius dimidia parte cadentem, dimidia cæruleam docuerint, prout ex *Beroſi* hypotheſibus (g) *Salmaſius* docet.

§. 5. Inter has gentes etiam origo omnium linguarum quærenda, quippe quæ a turris Babylonicæ ædificatione ob immiſſam divinitus linguarum (a) confuſionem reddere neceſſe habuerunt, cum prius unica in orbe lingua inveniretur; quod non modo cœleſtis (b) veritas, ſed & gentilium nonnulli, ut *Abydenus* apud *Euſebium* & Sibylla quædam apud Joſephum (c) indicant. Quæ illa omnium prima lingua fuerit, dubium quidem eſt; (d) ſed quamvis *Maronitæ* Chaldaicam ſive Syriacam, *Theodoreto* idem ſentiente, ſubſtituant, *Goropius Becanus* (e) Scythicam ſuam ſive Germanicam antiquam omnibus præferat, *Phil. Cluverus* (f) primam linguam non niſi in vita æterna iterum apparituram ſtatuat, imo & *Johannes Clericus* (g) nullam hodie exiſtentium linguarum primævam fuiſſe, ſed eam inter varias dialectos evanuiſſe putet; Hebræa tamen lingua a plurimis pro fundamentali & prima habetur, quod non tantum *Judæi* (h) & *Cabaliſtæ*, verum & plurimi Patres veteris eccleſiæ, *Hieronymus*, (i) *Auguſtinus*, (k) aliique teſtimonio ſuo comprobant.

§. 6. Quot linguæ eo tempore in Babylone enatæ ſint, etiam explicare difficile eſt; quamvis enim Judæi LXX. (a) populos & linguas evaſiſſe, multis rationibus probare nitantur, & quamvis Patres antiquæ eccleſiæ, *Clemens Alexand.* (b) *Euſebius*, (c) *Epiphanius*, (d) *Auguſtinus*, (e) & *Proſper Aquitanicus* (f) aliique LXXII. linguas citent, omnes tamen certo fundamento deſtituuntur. Quomodo autem eruditio in Babylonia creverit, & ad poſteros propagata ſit, obſcurum eſt, paucaque reſtant, tam ex ſacris quam profanis ſcriptis ejus rei monumenta, quæ paucis eruere noſtrum erit.

§. 7. Circa Ægyptiacæ calamitatis tempora in vicinia Babyloniæ habitaſſe videtur *Jobus*, quem Eſavi filium ex Beſſara conjuge fuiſſe *Ariſteas* in Judaica hiſtoria, *Euſebio* (a) teſte, dubia fide docuit. Hujus viri ſumma & ſublimis eruditio, ſacræque ſapientiæ incomparabilis notitia ſatis ex ejus libro apparet; qui ſive ab ipſo *Jobo*, ut *Pineda* ſtatuit, ſive a *Moſe* ut *Bellarminus* (b) multis rationibus probare nititur, ſive a propheta quodam, ut *Iſidoro* (c) placet, ſcriptus ſit, divino certe Spi-

§. 3. (a) Vid. *Ioſeph.* lib. 1. ant. Jud. cap. 4. extr. (b) Lib. 6. c. 26. hiſt. nat. (c) Hiſtor. philoſ. lib. 2. c. 2. (d) In Phaleg lib. 1. cap. 10. extr. (e) Lib. 1. c. 15. ant. Jud. (f) De præpar. evangel. lib. 9. c. 17. (g) Ad 6. eclog. Virgilii.

§. 4. (a) Vid. *Athanaſ. Kircheri* turris Babel, Amſt. 1678. fol. *Sam. Bocharti* geogr. ſacr. part. 1. ſ. Phaleg lib. 1. cap. 13. 14. 15. ubi miræ de turris altitudine opiniones referuntur. (b) Geneſ. 11. v. 4. Lege *Ioh. Henr. Heideggeri* hiſtor. patriarch. exerc. 21. part. 1. *Ioach. Columbi* de cauſis extructæ turris Babel. & *Herm. von der Hardt* ephemerid. philoſ. diſc. 3. (c) Hiſt. nat. l. 7. c. 56. (d) Comment. 46. in Ariſtot. lib. 2. de cœlo. (e) Noct. Attic. l. 14. c. 1. Fabuloſitatem antiquitatum harum egregie demonſtrat *Iſaac Iaquelot* in diſſ. de exiſtentia Dei contra Epicureos & Spinoſiſtas cap. 19. Hagæ 1697. 4. (f) De aſtronomia & aſtrologia Chaldæorum agit *Diod. Siculus* lib. 2. c. 30. 31. (g) In præfat. ad diatribas de annis climactericis.

§. 5. (a) Non per linguarum mutationes, ſed linguæ balbutientis pœnam rem explicat *Camp. Vitringa* ſacrar. obſerv. lib. 1. c. 1. miros de Geneſi linguæ conceptus habet *Io. Pet. Erici* in Ἀνθρωπογλωττογονία Venet. 1697. 4. (b) Geneſ. 11. v. 1. (c) Ant. Jud. l. 1. c. 9. (d) Lege Sam. Bochart. geogr. lib. 1. c. 15. (e) In Indo-Scythicis & Hermathena. (f) German. antiq. lib. 1. c. 8. (g) In diſſert. 1. addita ad Geneſin. edit. Amſt. 1693. fol. (h) Bochartus l. c. (i) In Sophoniæ c. 3. & epiſt. 144. (k) De civit. DEI lib. 16. c. 11. Lege & *Steph. Morini* exercitationes de lingua primæva, qui pro Hebraica pugnat. Vltraj. 1694. idem faciunt *Chriſtoph. Crineſius* in Babel ſ. de confuſione linguarum Norimb. 1629. 4. Et præ cæteris *Val. Ern. Læſcherus* de cauſis ling. Hebr. lib. 1. c. 2. & 3. Lipſiæ 1706. 4.

§. 6. (a) Juxta numerum filiorum & nepotum Noæ Gen. 10. Lege *Bochartum* l. 1. c. 15. (b) Lib. 1. ſtromatum. (c) In chronico. (d) In panario lib. 1. §. 5. (e) De civit. DEI l. 16. cap. 3. (f) De vocatione gentium lib. 2. cap. 4. aut *Proſper Aurelianenſis*, ut videtur *Voſſio* in hiſt. Pelag. lib. 1. c. 20.

§. 7. (a) Præpar. evang. lib. 9. c. 25. Fuiſſe eum ex Eſavi progenie probat multis argumentis *Mich. Waltherus* offic. bibl. rep. 2. thec. arc. 1. Ad Babylonios eum pertinere ex multis aſtronomicis patet, ut c. 9. v. 9. c. 38. v. 30. *Pet. Iurieus* in hiſt. critica dogmatum part. 1. c. 2. & 3. *Iobum Abrahami* ex fratre Nahor Pro-Nep. putat *Herm. von der Hardt* in ephem. philol. diſc. 5. filium Iſaſchar dicit. (b) De ſcriptor. eccleſiaſt. (c) In etymol. lib. 6.

ſpiritu ſuggerente ſcriptus, (d) rebusque profundiſſimis repletus fuit. Nec amici *Jobi*, *Eliphas Themanites*, *Bildat Subites*, *Zophar Nahamathites*, & *Elihu*, magnæ eruditionis laude privandi ſunt, quamvis genuinis principiis deſtituti ſanctiſſimam veritatem erroneis opinionibus maculent.

§. 8. Inter *Chaldæorum* eruditos merito etiam referendus eſt *Bileam*, qui ad Euphratem (a) in montibus habitans, augur, magus & incantator erat, tantæ quidem autoritatis, ut crederetur aliorum fortunam ſolis carminibus ſuis moderari poſſe; inde & *Balak*, Rex Moabitarum ad maledicendum Iſraëlitis eundem arceſſebat. Quamvis autem hunc Hebræi ſecundum *Hieronymi* (b) teſtimonium, item *Tertullianus* & *Proſper Aquit.* imo & inter recentiores *Otto Heurnius* (c) pro pio & ſancto propheta habeant, contrarium tamen partim ex criminibus & mortis genere in ſacris literis annotatis, partim ex *Origenis*, (d) *Auguſtini*, (e) & aliorum plurimorum teſtimoniis, luculenter apparet. (f) Scripta hujus pſeudoprophetæ inter ſucceſſores extitiſſe, & *magis* Chriſti cunas accedentibus cauſam itineris fuiſſe *Origenes* putat.

§. 9. Purior autem reddita eſt *Chaldæorum* philoſophia, cum Judæi captivi iisdem ubique miſcerentur, & ſanctus propheta *Daniel* magorum præfectus ſcholas purioris ſapientiæ inſtitueret, ut ſupra docuimus. Reliqua *Chaldæorum* in obſcuro latent; quamvis etiam poſt Chriſtum natum *Chaldæorum* artes adhuc floruiſſe, (a) ex multis ſcriptorum teſtimoniis clarum ſit.

§. 10. Monumenta Chaldaicæ eruditionis pauca vel nulla reſtant; prout & paucorum nomina ſunt, qui has artes docuerunt. *Sibylla Erythræa* (a) Babylonia fuiſſe dicitur a *Lactantio*, cujus oracula nonnulla hodienum (b) quamvis fide dubia, circumferuntur. Sic etiam *Sibylla*, quæ vulgo *Perſica* audit, pro *Chaldæa* habetur a *Juſtino Martyre*, (c) qui eam celeberrimi *Beroſi*, ſacerdotis Beli filiam fuiſſe tradit. *Beroſus* ille, cui ob divinas prædictiones *Athenienſes* ſtatuam inaurata lingua poſuerunt, ut *Plinius* (d) teſtatur, hiſtoriam Chaldaicam tribus libris, circa *Ptolomæi Philadelphi* tempora conſcripſit; ſed hujus theſauri niſi parva quædam fragmenta, apud *Joſephum* (e) reſtant; mendacia enim *Joh. Annii Viterbienſis* nemo ſanæ mentis pro *Beroſi* ſcriptis habebit. Præter hunc etiam *Strabo* (f) *Seleucum Chaldæum* citat, ubi & varias Chaldæorum ſectas recenſet. *Democritus* etiam de ſacris in Babylone literis ſcripſiſſe apud *Laertium* (g) dicitur, ſed & illud opus interiit. Nonnulla tamen adhuc de ſapientia Babyloniorum a *Michaële Pſello* conſervata ſunt, (h) qui ſcholia in oracula Chaldaica, & dogmatum Chaldaicorum brevem declarationem ſcripſit.

§. 11. Chaldæis Perſæ ſuccedunt, quorum eruditi *magorum* nomine noti, in magno olim habebantur pretio. Horum primus *Zoroaſter* fuiſſe creditur; quem Bactrianorum Regem fuiſſe, primumque artes magicas inveniſſe, & mundi principia, ſiderumque motus diligentiſſime ſpectaſſe, *Juſtinus* (a) aſſerit. Sed Ammianus Marcellinus (b) eum ex Chaldæorum arcanis multa didiciſſe, docet. Ab hoc diverſum *Zoroaſtren* Perſam fuiſſe putat *Heurnius*, (c) qui Magiæ impuræ autor extiterit. Bactrianus autem *Zoroaſter, quem Plinius* (d) exactius deſcribit, dicitur de pretioſis lapidibus libros V. de aſtrorum effectis I. de agricultura V. & vicies centum millia verſuum futurorum prænunciorum ſcripſiſſe, quæ omnia cum innumeris aliis *Hermippus* collegit, & in indices digeſſit, ut *Plinius* (e) teſtatur. Quamvis autem hæc omnia diu amiſſa ſint, tamen *Joh. Picus Mirandulanus* (f) ſe quædam de iis poſſidere gloriabatur.

§. 12. Auxit hanc magorum ſcientiam *Hyſtaſpes Darii* pater, ut *Ammianus* (a) *Marc.* docet, qui cum Indiæ ſecreta fidentius penetraret, *Brachmanorum* monitu, rationes mundani motus & ſiderum, melioresque ſacrorum ritus edoctus, ex his quæ didicerat aliqua magorum ſenſibus infudit, quæ illi cum diſciplinis præſentiendi futura per ſuam quisque progeniem poſteris ætatibus tradiderunt.

c. 1. (d) Miras de libro Jobi opiniones vide in *Camp. Vitringæ* ſacrar. obſerv. lib. 1. c. 1. adde *Joh. Clerici* judicia theol. Holland de *Rich. Simonis* critica epiſt. 9. cujus impia placita diluit *Joh. Henr. Majus* diſſert. 1. inter diſſ. ſelectiores de ſcriptura ſacra. Multa ficta inſperſa putat *Lud. El. du Pin* in biblioth. aut. eccleſ. tom. I.

§. 8. (a) Numer. 22. v. 5. & cap. 23. v. 11. Legantur de eo *Heurnius* in Indico tract. 2. cap. 7. *Sixtus Senenſ.* bibl. S. lib. 2. *G. Hornius* hiſt. phil. l. 2. c. 6. pro *Zoroaſtre Bactr.* habet Lamias quaſi Bileamias dici inepte putat. (b) In traditionibus in Geneſin; quod opus quidem dubium eſt. (c) De philoſ. Barb. in Indico loc. cit. it. *Pet. Iurieu* in hiſt. critica dogmat. & cultuum part. I. cap. 5. (d) Homilia 13. in Numer. (e) Quæſt. 47. & 48. in Num. (f) Legantur multa apud *Salianum* A. M. 2583. num. 61. & ſeqq. Vide & ea quæ *Ant. Ricciardus* in comment. ſymbolicis profert. Rom. 1591. fol.

§. 9. (a) Sic Fauſtina amore gladiatoris capta a Marito M. Antonino Chaldæi in conſilium vocati, qui & medelam attulerunt, *Jul. Capitolin.* in Marco cap. 19.

§. 10. (a) Vide de Sibyllis *Lactantium* div. inſtit. lib. I. c. 6. & de ira Dei c. 43. (b) Sibyllarum libri 8. verſibus heroicis deſcripti Græci cum notis *Xyſti Betuleji* Baſ. 1545. 8. lat. *Seb. Caſtalio* Baſil. 1599. it. Gr. & Lat. *Joh. Obſopæus* Pariſ. 1599. 8. Elegantiſſime a Serv. Gallæo Amſtelod. 1689. 4. Lege *Caſim. Oudini* diſput. de carm. Sibyllinis tom. I. de ſcript. eccl. ſec. 2. p. 142. ſqq. (c) In paræneſi ad Græcos. Approbat illud *Onuph. Panvinius* de Sibyllis; negat penitus *Voſſius* de hiſt. Gr. lib. I. cap. 13. (d) Hiſt. nat. lib. 7. c. 37. (e) Lib. I. c. 5. & 15. & lib. 10. cap. 2. & 12. ant. Jud. item lib. I. contra Ap. Lege de *Beroſo Euſebium* de præp. ev. lib. 10. cap. 11. (f) Lib. 16. (g) Lib. 9. cap. 7. (h) *Thom. Stanley* in hiſt. philoſophica poſt græcos philoſophos adjecit hiſtoriam philoſ. chaldaicæ lectu digniſſimam, quæ Lat. reddita a Joh. Clerico prodiit Amſt. 1690. 8. *Pſelli* expoſitio in orac. Chaldaica Græce prodiit Pariſ. 1538. 4. imo & a *Joh. Obſopæo* oraculis Sibyllinis in fine additæ ſunt.

§. 11. (a) Lib. I. c. I. Multa curioſa & vulgo ignota de Zoroaſtre e ſcriptoribus orientalibus adfert *Barth. Dherbelot* in biblioth. orientali, edita Gall. Pariſ. 1697. fol. adde *Nic. Gurtlerum* de originibus mundi lib. I. cap. 10. §. 35-39. (b) Lib. 23. cap. 8. (c) De Barb. philoſ. l. 2. c. I. ubi & ejus oracula XI. capitibus adducit, e Plinii lib. 30. cap. I. ſumta. (d) Lib. 30. cap. I. hiſt. nat. (e) loc. cit. (f) In epiſt. ad Marſ. Ficinum. Oracula Zoroaſtris cum comm. *Gemiſt. Plethonis* edidit *Lud. Tiletanus* Pariſ. 1535. it *Franc. Patritius* cum aliis Ferrar. 1591. fol. Lege *Joh. Henr. Urſini* lib. de Zoroaſtre Bactrianorum Nor. 1565. 8.

§. 12. (a) Lib. 23. c. 8. ubi de magorum loco, doctrina, dignitate &c. non pauca notabilia habet. Huc ſpectat *Thom. Hyde* theol. Oxon. hiſt. religionis veter. Perſa-

runt. Inter poſteros ejus in hac arte pauci noti ſunt, præter *Oſthanem*, qui Xerxem in bello contra Græcos comitatus eſt, &, ut *Plinius* (b) docet, Græcorum populos, ad rabiem, non aviditatem modo ſcientiæ Perſicæ egit. Non minor tamen celebritas fuit alterius *Oſthanis*, (c) qui Alexandrum comitatus, orbem terrarum peragravit. Præter hos vix aliquis magni nominis inveniendus, niſi quod *Suidas Ochum*, Perſarum philoſophum citet.

§. 13. Magnam vero *magorum* autoritatem fuiſſe, ex multis authorum teſtimoniis conſtat, cum *Apulejo* (a) teſte, non ulli temere inter Perſas conceſſum eſſet, *magum* eſſe, haud magis, quam regnare; cumque, ut *Cicero* (b) ait, nullus Rex Perſarum eſſe potuerit, qui non antea magorum diſciplinam ſcientiamque perceperit. Ex his quatuor viri eligebantur, ſapientiſſimus, juſtiſſimus, temperantiſſimus & fortisſimus, quibus regii filii, XIV. annis nati, in diſciplinam tradebantur, ut *Plato* (c) docet. Doctrinam autem *magorum Diogenes Laërtius* (d) prolixe deſcribit, qui eos idola rejeciſſe, ſexum Diis attributum riſiſſe, corporum combuſtionem averſatos fuiſſe, de juſtitia diſſeruiſſe, futura præſciviſſe, & alia multa profert.

§. 14. Vicini *Perſis* ſunt *Indi*, quorum philoſophi olim celeberrimi, (a) ignoto vero nomine, a Græcis *gymnoſophiſtæ* appellabantur, & in *Brachmanas* & *Germanas* dividebantur. *Brachmanum* multa millia fuiſſe, ſimulacra non coluiſſe, ſoli Deo attendentes, ab omni malitia abſuiſſe, *Bardeſanes* Syrus apud *Euſebium* (b) docet. Unde hæc eruditorum gens originem ſumſerit, obſcurum eſt; *Heurnii* (c) enim opinio, *Abrahamum* filios ſuos e concubinis natos, multis opibus & artibus inſtructos in Orientem, hoc eſt, in Indiam miſiſſe, quorum progenies gymnoſophiſtæ fuerint, vix fide digna videtur. *Brachmanes* cum Græcis philoſophis in multis conveniebant, filios ſuos a parvulis magna cura inſtituebant, quibus non niſi poſt XXXVII. annos libere vivere licebat; & præter accuratam multarum rerum ſcientiam, mortem nativitatem ad veram illam & felicem vitam eſſe dicebant. (d) *Germanum* alii *Hylobii* dicebantur, qui duram in ſylvis vitam agentes, Regibus conſilia ſuppeditabant; alii medici erant, qui peculiari arte ſanitatem hominum curabant; quæ omnia prolixe *Strabo* (e) ex *Oneſicrato* refert.

§. 15. Tempore Alexandri M. principes Brachmanum erant *Dandamis*, ut *Arriano*, (a) ſive *Mandanes*, ut *Straboni* (b) dicitur, & *Calanus*, quorum poſterior Alexandri aulam ſecutus, paulo ante obitum illius rogum conſcendit, & ob morbum ſe comburi paſſus eſt; reliquorum nomina in occulto latent. Cum Alexander hos eruditos petere benevolentiæ quoddam ſignum juſſiſſet, & immortalitatem, quam petierant, dare nequiviſſet, ab iisdem ob ambitionem, alienarumque rerum cupiditatem acriter reprehenſus eſt. (c) Quamvis autem pauca de *Brachmanibus* his proferre queamus, tanta tamen eorum olim celebritas fuit, ut non pauci Græcorum in Indiam profecti ſint, quo ſapientiæ eorum participes redderentur, in quorum numero *Democritus*, (d) *Pyrrho Eleus* (e) fuerunt. Duravit hoc eruditorum genus etiam poſt Chriſti nativitatem, ubi *Jarchas* (f) *Brachmanum* caput celebratur, quem *Apollonius Tyanæus* acceſſit; item *Buddas* (g) qui *Manetis* hæretici præceptor fuit; imo hodie adhuc ſub nomine *Braminum* & *Benjanum* durat, ut præter alios prolixe *Petrus de la Valle* (h) docet.

§. 16. Reſtant inter Aſiaticas gentes illæ, quibus Europa literas & eruditionem debet, *Phœnices* ſcilicet, qui olim littus maris mediterranei a Syria usque ad Ægypti terminos coluerunt. His inter gentiles unanimi fere conſenſu inventio (a) literarum adſcribebatur; imo a multis hic incunabula arithmeticæ, aſtronomiæ, nauticæ, mercaturæ, aliarumque artium quærebantur. Has artes *Phœnices* ab *Abrahamo* didiciſſe, *Heurnius* non una vana fortasſis conjectura aſſerit. Certum eſt, has gentes eo tempore quo ab Iſraëliticis pellebantur, & anguſtis limitibus includebantur, artium harum gnaros

rum eorumque magorum &c. Oxon. 1700. 4. (b) Hiſt. nat. lib. 30. c. 1. ubi ſummam literarum claritatem & gloriam ex ſcientia Perſarum ſemper petitam fuiſſe dicit. (c) Plinius l. c. Lege de magorum collegiis *Dan. Georg. Morhofium* in polyh. lib. 1. cap. 13. it. *Barth. Dherbelot.* in bibl. orient. qui magos & Zabios ſ. Sabios diverſas ſectas facit. *Thom. Stanley* magos & Chaldæos pro iisdem habet, ſed refutatur ab interprete *Joh. Clerico*, qui magos ſacrorum antiſtites, Chaldæos meros aſtrologos fuiſſe probat.

§. 13. (a) In apolog. 1. ubi accuſatus quod *Pudentillam* magicis carminibus tentaverit, ſe excuſat. (b) De divinatione lib. 1. (c) In Alcibiade priori. (d) In præfatione.

§. 14. (a) Lege *Strabonem* lib. 15. *Palladium Galatam* de gentibus Indiæ & *Brachmanibus*. *Ambroſius* de moribus *Brachmanum* & Anonymus de *Brachmanibus* ab *Eduardo Biſſæo* Gr. & Lat. editi ſunt Lond. 1665. 4. (b) De præpar. evang. l. 6. c. 8. c. 9. dicit, *Bardeſanum* ſummam chaldaicæ doctrinæ perfectionem adeptum fuiſſe. Eum de Indorum gymnoſophiſtis librum ſcripſiſſe, *Porphyrius* docet de abſtinentia ab animal. l. 4. c. 17. ubi & fragmentum ex eo adfert. (c) De Barb. philoſ. l. 2. c. 2. (d) Sarmanæ dicuntur a Clem. Alexandr. lib. 1. ſtrom. (e) Lib. 15. Oneſicratus Phil. Cynicus ab Alexandro M. in Indiam ad Brachmanes miſſus, cum Calano locutus eſt. Vide de eo *Voſſium* de hiſt. Gr. l. 1. c. 10. *Seb. God. Starckius* Berol. 1697. 8 edidit ſpecimen ſapientiæ Indorum veterum, ſeu librum ethico-politicum pervetuſtum Græc. e codice MScr. *Holſteniano* cum verſione Lat. cujus autor *Iſaiuus* Rex Indorum, 300. ante Alexandrum M. annis fuiſſe perhibetur.

§. 15. (a) De exped. Alex. M. l. 7. (b) Lib. 15. ubi multa de iis notabilia. Adde *Ælianum* lib. 5. cap. 6. hiſt. variæ. (c) Cicero Tuſcul. quæſt. lib. 5. (d) *Ælianus* l. 4. c. 20. hiſt. var. (e) *Diog. Laërtius* lib. 9. c. 11. (f) Jarchas ad Apollonium dixit: interroga, quicquid velis; ad viros enim veniſti, qui cuncta ſciunt. *Philoſtratus* in vita Apoll. l. 3. c. 9. Nomen pro appellativo non proprio habendum putat *Hornius* hiſt. phil. lib. 2. c. 9. (g) *Clemens Alex.* l. 1. ſtrom. *Suidas* in voce *Manes*, ubi multa de eo. (h) Tomo 4. De *Brachmanibus* legantur *Joh. Metellus* in prolixa præfat. ad *Hier. Oſorii* res Emanuelis; *Pet. Maffei* lib. 1. rerum Indic. *D. G. Morhof.* in polyh. l. 1. c. 13. & ex antiquis *Philoſtratus* de vit. Apoll. l. 3. c. 4. 5. 6. ſeqq. *Tertull.* apolog. cap. 41. 42. *Clemens Alex.* ſtrom. l. 1. *Auguſtin.* de civ. D. lib. 15.

§. 16. (a) *Plinius* lib. 5. cap. 12. hiſt. nat. *Pomp. Mela* de ſitu orb. lib. 1. cap. 12. *Strabo* lib. 16. Ex recentioribus *Otto Heurnius* lib. 1. phil. Barb. *Voſſius* de philoſ. ſect. c. 1. §. 24. ſeqq. *Thom. Burnetius* archæol. phil. lib. 1. c. 6. & *Nic.*

ros fuiſſe; inde & non pauci navibus conſcenſis in Africam navigaſſe, & eo ſecum artes ſuas tuliſſe dicuntur a *Procopio*, (b) qui apud urbem *Tingitanam* columnas duas e marmore candido ſuo tempore fuiſſe aſſerit, quibus phœnica lingua inſcripta fuerint hæc verba: Nos ii ſumus, qui fugerunt a facie *Joſuæ* latronis filii Nave.

§. 17. Sed & ad alias gentes *Phœnices* artes ſuas tranſtulerunt, miſſis in multas orbis partes (a) coloniis. *Eliſſa Carthaginem* condidit, cum fratrem *Pigmalionem* fugiens, ad Africum littus appuliſſet; (b) hic autem *Phœnicum* eruditionem propagatam fuiſſe, ex eo apparet, quod *Salvianus* (c) aſſerat, Carthaginem olim habuiſſe ſcholas artium liberalium, philoſophorum officinas, morumque gymnaſia, *Cadmus* autem ſororem *Europam* a piratis raptam quærens, *Thebas* condidit, Græcisque literas, quas ante ea tempora nondum habuerant, communicavit; quod *Herodotus* (d) per literas Cadmeas, Ionicis ſimiles, quas tripodibus inciſas ipſe vidit, probare nititur. Nec libris caruiſſe *Phœnices*, vel ex eo apparet, quod *Pherecides*, *Pythagoræ* præceptor, comparatis ſibi *Phœnicum* occultis libris eruditus evaſiſſe apud *Suidam* dicatur. Plura autem de *Phœnicum* artibus ſciremus, ſi vel annales ſacerdotum *Phœnicum* extarent, ex quibus *Joſephus* (e) quædam citat; vel ſi aliquid haberemus de hiſtoria *Phœnicum*, eorumque theologia, quam *Sanchoniathon* (f) circa tempora Trojani belli ſcripſiſſe dicitur.

§. 18. Conſideratis præcipuis Aſiaticæ eruditionis ſpeciebus in *Africam* tendimus, ubi primo ſe offert *Ægyptus*, (a) artium mater, ut *Macrobio* audit, quæ olim omnium ſcientiarum, primario vero aſtronomiæ laude floruit. Hujus incolæ non minus quam Babylonii ſibi multarum artium inventionem adſcribebant; prout *Diodorus Siculus* (b) teſtatur, *Thebaos* ſe vetuſtiſſimos mortalium prædicare, apud quos omnium primos *philoſophia* & exactior *aſtrologia* inventa ſit, adjuvante ipſos terræ ſitu, ad ortus & occaſus ſiderum accuratius cognoſcendum. Imo antiquiſſimus ſcriptor *Herodotus* (c) ex ore ſacerdotum Ægyptiorum ſe audiviſſe ſcribit, omnium hominum primos Ægyptios annum comperiſſe, & in XII. menſes diſtinxiſſe. Quamvis autem fatendum ſit, Ægyptiorum eruditionem ſatis antiquam eſſe, quippe quæ *Joſepho* & *Moſe* antiquior extitit; vaniſſima tamen erat gloriatio, qua Ægyptius ſacerdos quidam *Soloni* ſpretis antiquitatibus Atticis M. annorum antiquitates exhibere promittebat, ut *Plato* (d) refert; quo etiam referendum grande illud cœnaculum, in quod *Herodotus* (e) a ſacerdotibus Ægyptiis introductus, XM. annorum Reges vidit.

§. 19. Sed verius forſan eſt, quod de origine ſapientiæ *Ægyptiorum Joſephus* (a) narrat; *Abrahamum*, cum fames Cananæam premeret, in Ægyptum profectum, numerorum & ſiderum ſcientiam *Ægyptiis* benigne communicaſſe, cum ante hujus adventum *Ægyptii* plane rudes hujusmodi diſciplinarum fuerint; quod idem *Euſebius* (b) autoritate *Eupolemi* & *Artapani* probat. Sed & ipſi *Ægyptii* nonnulli originem artium ſuarum recentiorem fecerunt, qui omnium diſciplinarum inventorem *Mercurium* dixere, prout *Diodorus Siculus*, (c) *Strabo*, (d) & *Jamblichus*, (e) teſtantur. Hoc autem aſſerentes, ipſi falſum probant, quod alias de innumerabilibus pene ſeculis, & incredibilibus annis, quibus aſtronomiam exercuerint, gloriantur; cum ſecundum plurimorum & ipſius *Euſebii* opinionem (f) *Mercurius* hic *Moſi* ſynchronos fuerit, ſi non per eundem *Abraham*, vel ipſe *Moſes* intelligendus.

§. 20. Quis hic *Mercurius*, ſive, ut alias dicitur, *Hermes Triſmegiſtus* fuerit? &, an plures ejusdem nominis *Ægyptus* antiqua habuerit, e tantæ antiquitatis tenebris eruere difficillimum eſt; & quamvis maximam in hac re induſtriam adhibuerit *Athanaſ. Kircherus*, (a) nihil tamen certi invenire potuit, niſi quod *Oſiridis* notarius & conſiliarius apud *Diodorum Sic.* (b) fuiſſe dicatur. Hunc *Jamblichus*, (c) autoritate *Seleuci* & *Manethonis*, veterum autorum, de univerſa Ægyptiorum ſapientia triginta ſex millia, & quingentos viginti novem libros ſcripſiſſe aſſerit, quorum nonnullos etiam ſigillatim

Gurtlerus orig. mundi lib. 2. cap. 15. (b) De bello Vandal. lib. 2.

§. 17. (a) De coloniis omnibus Phœnicum agit optime *Sam. Bochartus* in Phaleg, ubi & tractatus de ſermone Phœnicum additur. (b) *Juſtinus* l. 18. cap. 4. & 5. *Solinus* cap. 29. *Euſtathius* in notis ad *Dion. Perieg.* Lege *Pet. Fabri* ſemeſtr. lib. 3. c. 2. & 13. (c) Lib. 7. de judicio & provident. Dei. (d) Lib. 5. Omnium populorum literas ex alphabeto Phœnicum ortas probat *Sam. Bochartus* in Phaleg. Lege *Pet. Franc. Giambullari* lib. de originibus ling. Hetruſcæ. *Joh. Alb. Fabricii* bibl. Gr. l. 1. c. 23. (e) lib. 1. contra Apionem. (f) Philo Byblius octo libris Græce interpretatus eſt. Vid. *Euſebium* de præp. evang. l. 1. cap. 9. 15. *Voſſium* de hiſt. Gr. lib. 1. c. 1. Leg. *Henr. Dodwelli* epiſtolæ duæ cum append. de *Sanchoniathonis* hiſt. Phœnica Londin. 1691. 8. it. *Ant. van Dalen* diſſ. de Sanchoniat. & *Val. Ern. Læſcherum* manip. 1. originum religioſar. *in unſch. Nachrichten* A. 1702. p. 861. ſeqq. & *I. A. Fabricii* bibl. Gr. lib. 1. c. 28.

§. 18. (a) Saturnal. l. c. 15. Legatur *Jamblichus* de myſter. Ægyptiorum a *Marſil. Ficino* verſus Lugd. 1549. Melior verſio a *Nic. Scutellio*, eremita, facta prodiit Rom. 1556. 4. Adde *Cælii Calcagnini* librum de rebus Ægypt. *Joh. Bapt. Caſalii* de vet. Ægypt. moribus & ſymbolico cultu; *Ath. Kircheri* Oedipum Ægypt. & obeliſcum Pamphil. *Nic. Cauſinum* de ſymbolica Ægypt. ſapientia. *Thom. Burnetium* in archæolog. lib. 1. c. 8. *Nic. Gurtlerum* orig. mund. l. 2. c. 15. (b) *Biblioth. hiſtor.* lib. 1. adde *Strabonem* lib. 17. (c) In Euterpe, ſ. lib. 2. cap. 1. (d) In Timæo, ſ. dial. de natura. (e) Loc. cit. *Pomp. Mela* lib. 1. c. 9. ait gloriatos nonnullos, dum Ægyptii ſint, quater curſus ſuos vertiſſe ſydera.

§. 19. (a) Ant. Jud. l. 1. cap. 16. (b) De præp. evang. lib. 9. cap. 17. 18. De materia hac fuſe agit *Ebr. Dan. Colbergius* de ſapient. veterum Hebræorum diſſert. 2. Gryphisw. 1694. 4. (c) Lib. 1. c. 16. (d) Lib. 17. (e) Lib. 1. de myſt. Ægypt. qui ait: Ægypti Mercurium & ſapientiæ ac eloquentiæ arbitrum ac Deum prædicabant, ab eodem non modo literas repertas, & in ordinem redactas, ſed etiam omnium doctrinarum principia collecta, & multis librorum millibus prodita narrabant. (f) Lege *Kircherum* in obeliſco Pamph. l. 1. c. 3.

§. 20. (a) *Moſen* ab Ægyptiis Mercurium dictum ex *Artapano* refert *Euſebius* de præp. evang. lib. 9. c. 27. *H. Conringius* de hermet. medic. Mercurium & ſcripta illius fabulas putat lib. 1. cap. 49. Lege *Kircherum* in obeliſ. Pamph. lib. 1. cap. 3 (b) Lib. 1. cap. 16. *ἱερογραμματεὺς* dicitur. (c) De myſt. Ægyptiorum.

ſigillatim recenſet; imo *Clemens Alex.* (d) ætate ſua apud Ægyptios quosdam extitiſſe docet, quorum etiam titulos recenſet. Quamvis autem & hodie duo libri (e) *Pæmander* & *Aſclepius*, qui inter fanaticos magni æſtimantur, *Hermetis* hujus nomen gerant, ſtylus tamen, & alia multa probant, recentiora hæc ſcripta eſſe, quamvis magno conatu pro genuina eorum antiquitate *Kircherus* (f) certet.

§. 21. Sacerdotum inter Ægyptios antiquiſſimos maximus honor fuit, qui a tributis omnibus liberi poſſeſſiones ſuas ſine oneribus habebant, licet ex tribus partibus regni primariam poſſiderent, quod *Diodorus Siculus* (a) teſtatur. Quod autem hi ſacerdotes non alii fuerint a philoſophis, e *Diogene Laërtio* (b) conſtat, qui docet, Ægyptiorum philoſophos ſacerdotes & prophetas dictos fuiſſe. Horum officium erat, præter ſacrorum curam, regibus ut ſenatus principes conſilio adeſſe, ex aſtrologia futura prædicere, & e ſacrorum librorum annotatis res geſtas cum utilitate conjunctas prælegere, ut ex *Diodoro Siculo* (c) diſcimus. Quamvis autem a *Joſepho* recte inſtituti eſſent Ægyptii, mox tamen poſt ejus mortem ad deteriora lapſi. Magiam impuram ſuis artibus miſcuerunt, prout apparet ex eorum (d) conatu, qui tempore *Moſis* divina miracula præſtigiis ſuis imitari quæſiverunt.

§. 22. Gloria hæc *ſacerdotum Ægyptiorum* aliarum gentium eruditos inſtigabat, ad iter eruditionis cauſa in Ægyptum inſtituendum. Sic *Solon* (a) prudentiam in ferendis legibus, *Thales* (b) geometricam artem, *Pythagoras* (c) ſapientiam ſuam, *Democritus* (d) itidem geometriam, *Plato* (e) magnam eruditionis ſuæ partem ab Ægyptiis ſacerdotibus didicerunt, quorum ultimus *Sechnuphide* præceptore ibidem uſus eſt, quem nonnulli prophetam *Jeremiam* fuiſſe putant, quod tamen temporis ratio refellit. Primaria vero ſtudia philoſophorum Ægyptiorum, præter ſupra laudata, erant: *geometria*, (f) quam neceſſitas, confuſis a Nilo quotannis agrorum terminis docuerat; *medicina*, (g) quam in corporibus condiendis, & contra temporis injuriam (h) conſervandis primario oſtenderunt; & *moralis doctrina*, quam rebus ſacris permixtam, allegoriis & hieroglyphicis ſculpturis, (i) picturisque includebant; quam eorum ſapientiam operoſiſſime *Kircherus* in Oedipo Ægyptiaco recludere quæſivit.

§. 23. Quamvis autem probabile ſit, *Ægyptios* ſingulis temporibus eruditionem ſuam continuaſſe, etiam a Judæis, tempore Babylonicæ captivitatis in Ægyptum migrantibus non pauca didiciſſe, nunquam tamen lætius ibi erudito floruit, quam *Ptolomæorum* temporibus, quamvis Græcorum ſtudiis permixta. Secundus inter (a) *Ptolomæos*, *Philadelphus* cognomine, quem *Strato Lampſacenus* (b) omnium doctrinarum amore imbuerat, antiquum morem Regum Ægyptiacorum, olim ab Oſymandua (c) introductum, revocans, *bibliothecam* erexit, toto orbe celeberrimam; adhibens in laudabili hoc inſtituto *Demetrii* (d) *Phalerei* exulis Athenienſis, operam quo familiariſſime utebatur. Fundamentum hujus *bibliothecæ* fuiſſe videtur bibliotheca *Ariſtotelis*, qui libros ſuos *Theophraſto*, hic *Neleo* reliquit, a quo eosdem *Ptolomæus* mercatus eſt, & una cum Rhodiis & Athenienſibus aliis Alexandriam perduxit, ut *Athenæus* (e) teſtatur.

§. 24. Extiterunt in auguſtiſſima hac bibliotheca omnium fere gentium libri, quos *Ptolomæus*, *Cedreno* teſte, in Græcam linguam converti omnes curavit; inter quos & S. Scriptura veteris Teſtamenti fuit, ut ſupra docuimus. (a) Quantus librorum in hac bibliotheca exiſtentium numerus fuerit, dubium eſt, diſcrepantibus authorum relationibus; ſi veo *Joſepho* (b) fides danda, *Demetrius Phalereus* ad *Ptolomæum* dixit, ſe ducenta millia comparaſſe, brevi vero numerum ad quingenta millia augendum eſſe. Stetit ingens hic theſaurus in templo *Serapis*, ut *Ammianus Marcellinus*. (c) *Tertullianus*, (d) & *Chryſoſtomus* (e) docent; brevique poſt in *Bruchio* nova, eaque minor bibliotheca condi-

(d) Lib. 6. ſtromatum. (e) Extant additi *Franc. Patricii* novæ de univerſis philoſophiæ Venet. 1593. f. cum aliis quibusdam. Lege de Hermete *Herm. Conringium* de hermet. medicina loc. cit. *G. D. Morhof.* in polyh. lib. 1. c. 11. & 13. *Th. Burnet.* in archæol. cap. 8. *Ebr. Dan. Colberg. im Plat. Herm. Chriſtenthum* part. 1. cap. 1. *Olaum Borrich.* in conſpectu ſcriptorum chymicorum Hafn. 1697. 4. *I. A. Fabric.* in bibl. Gr. lib. 1. cap. 7 – 12. (f) In digreſſ. ad c. 3. l. 1. obeliſci Pamphilii. De tabula Smaragdina *Hermetis* de qua *Henr. Salmuth.* in *Pancirolli* tit. 7. agit, multis diſſerit *G. W. Wedelius* in exerc. med. philol. cent. 2. dec. 1. exercitat. 6.

§. 21. (a) Lib. 1. cap. 37. ubi inter alia refert, eos primas a rege honoris & poteſtatis obtinuiſſe. (b) In præfat. poſt init. (c) Loco cit. Adde *Clem. Alexand.* l. 5. Strom. (d) Geneſ. 7. v. 11. An *Iannes* & Jambres dicti, quod ex 2. Tim. 3. v. 5. colligitur, dubium. Hos magos Memphiticos ſacerdotes fuiſſe *Euſebius* ex *Artapano* docet præp. evang. lib. 9. c. 27.

§. 22. (a) *Ammian. Marcell.* l. 22. ſſ. extr. qui fuſe de Ægypto diſſerit l. 22. c. 14. 15. 16. (b) *Diog. Laërt.* l. 1. c. 1. (c) *Iamblich.* in vit. Pythag. (d) *Diog. Laërt.* l. 9. c 7. & *Heſychius* in vita. (e) Diog. Laërt. l. 3. in Platone qui eum in Ægyptum παρὰ τοὺς προφήτας iviſſe dicit. *Plutarchus* de Iſide & Oſiride *Auguſt.* de civ. DEI l. 8. c. 11. (f) Herod. lib. 2. *Diod. Siculus* lib. 2. *Strabo* lib. 17. (g) Euripides, Platonis ſocius, curatus ab Ægyptiis, dixit: Ægyptios omnes medicos eſſe, *Diog. Laërt.* lib. 3. Anatomicum ſtudium *A. Gellius* refert N. A. l. 10. c. 10. (h) Medicorum officium fuiſſe patet ex Geneſ. 50. v. 2. (i) Hori Apollinis hieroglyphica, ſeu de ſacris Ægyptiorum notis libri 2. editi ſæpius. Legatur *Ioh. Georg. Herwarthi ab Hohenburg* theſaurus hieroglyphicorum. Aug. Vind. 1610. fol. *Laur. Pignorii* characteres hierogl. Ægypt. & alia. *Th. Burnetius* in Archæol. lib. 1. cap. 8. inexplicabilia dicit, & omnes magno conatu nihil egiſſe. *Andr. Acoluthus* pro ductibus literarum habebat ſtolidis ornamentis obſcuratarum.

§. 23. (a) Solus *Irenæus* l. 3. c. 25. omnia illa *Ptolomæo Lagi* adſcribit. (b) Vitam *Diog. Laërtius* habet lib. 5. cap. 3. (c) Bibliothecam ſacram ſtruxit, cum inſcriptione: ψυχῆς ἰατρεῖον. Diodorus Sic, lib. 1. c. 49. (d) Vita illius apud *Diog. Laërt.* lib. 5. c. 5. Eum bibliothecarium fuiſſe negat *Humfr. Hody* in diſſ contra *Ariſteæ* hiſt. LXX. interpretum Oxonii 1685. in 8. ſed id aſſerunt *Ioſephus* l. 12. c. 2. *Iac. Salianus* annal. vet. Teſt. tom. 5. ad an. 3775. *Ed. Simſon.* chron. Cath. an. 3719. *Zenodotum* ſub *Ptolom. Lagi* & *Philadelpho* bibliothecæ præfuiſſe *Suidas* dicit. (e) Dipnoſophiſt. lib. 1. c. 1.

§. 24. (a) Cap. 1. §. 17. (b) Ant. Jud. lib. 12. c. 2. *Freculph.* lex. citat. 50000. *Cedrenus* 100000. *Seneca* de tranq. animi 400000. *A. Gellius* lib. 6. cap. ult. & *Amm. Marcellinus* lib. 22. cap. ult 700000. (c) lib. 22. c. 16. ſeu ult. (d) In apologet. c. 19. (e) Orat. 1. adverſus Judæos. Rem invertit *Epiphanius* de ponder. & menſ. qui veterem in

condita, quæ majoris filia dicta fuit. Quamvis autem probabile ſit, Regum poſteriorum diligentia auctam eſſe bibliothecam hanc nobiliſſimam, periit tamen miſerabili incendio ingens hic theſaurus, cum *Julius Cæſar* (f) in bello Alexandrino ad defenſionem ſui naves quaſdam incendi juſſiſſet. Et quamvis *Cleopatra* advectis *Attali*, Regis Pergamenorum, libris novam in Seropeo (g) bibliothecam inſtruere cœpiſſet, ad priorem tamen laudem redire non potuit, Ægyptiis literarum ſtudia negligentibus. (h)

§. 25. Inter Afros etiam *Æthiopes* olim literarum laude floruerunt, de quorum tamen antiquitate erudita pauca reſtant. An *Moſes* in Æthiopiam expeditionem ſuſceperit, & Æthiopibus circumciſionem aliaque communicaverit, quod *Joſephus* (a) narrat, dubiæ fidei eſt. Affectaſſe vero Æthiopes cujuſdam ſapientiæ laudem, vel ex eo apparet de ſapientia colloquio, quod *Amaſis* Ægypti Regem cum Æthiopum Rege per literas inſtituiſſe, *Plutarchus* (b) refert. Horum autem philoſophi more Indorum, a quibus etiam ſapientiam ſe accepiſſe dicebant, *gymnoſophiſtæ* vocabantur, ad quos etiam Democritus doctrinæ cauſa profectus apud *Laërtium* (c) dicitur. Quis ſtatus horum ſapientum poſt Chriſtum natum fuerit, ex itineribus *Apollonii Tyanai*, ejusque prolixis cum *Theſpeſione*, gymnoſophiſtarum principe, colloquiis colligere licet, quæ omnia *Philoſtratus* (d) fuſe narrat. Antiquum hunc inter Æthiopes ſapientiæ amorem arguunt quodammodo hodie adhuc libri antiquiſſimi in Æthiopia conſervati, ſi modo *Ludovico* (e) *Urreta*, vel *Ægidio Lochienſi* (f) fides habenda, qui in Æthiopia bibliothecas copioſiſſimorum voluminum extare aſſeruerunt.

§. 26. Præter hos Africa vix eruditos alios vidit, niſi quod Libycis gentibus antiquiſſimo tempore *Atlas* famam quandam paraverit. Hic, *Plinio* (a) teſte, ſphæram, ſive etiam aſtrologiam primus invenit, unde & fabula orta, *Atlantem* cœlum humeris portare. Hoc forſan *Auguſtinum* (b) commovit, ut inter gentium Barbararum philoſophos etiam *Atlanticos*, ſ. *Libycos* reponeret. *Heurnius* (c) quidem putat, fuiſſe hunc *Atlantem* Phœnicum ducem, quos in Mauritania ſedem ſibi feciſſe ſupra diximus, (d) ſed certo fundamento deſtituitur. Plura vero de his gentibus ingenti barbarie obrutis vix apud autores antiquos reperire licet.

§. 27. Reſtat Barbarorum in Europa olim degentium eruditio, de qua non niſi pauciſſima indicia extant. Inter *Thraces* aliquid ſapientiæ extitiſſe, ex *Diogene Laërtio* (a) apparet; ſed an *Zamolxis*, *Pythagoræ* ſervus, primus eruditionem Thraciæ intulerit, (b) eoque nomine divino honore affectus ſit, an vero *Thracum* doctrina (c) ipſo *Pythagora* antiquior fuerit, obſcurum eſt. Omnium *Thracum* celeberrimus fuit *Orpheus*, qui, ut *Tzetzes* (d) vult, *Herculis* coætaneus fuit, & centum annis ante bellum Trojanum vixit. Quamvis autem multa ſcripta huic *Orpheo* (e) tribuantur, & ipſe initio *Argonauticorum*, quæ ejus nomine circumferuntur, multos librorum ſuorum titulos citet, tamen *Cicero* (f) nullum unquam *Orpheum* extitiſſe, Ariſtotelis authoritate probat, ſubjungens, carmina, quæ ejus nomen gerunt, a *Pythagoricis* cuidam *Cecropi* adſcribi. Hoc veriſimilius redditur, dum *Tatianus* (g) docet, poëmata ſub *Orphei* nomine circumlata, *Piſiſtrati* filiorum tempore, a quodam Athenienſi *Onomacrito* ſcripta fuiſſe. Præter hæc de *Thracum* eruditione vix aliquid notabile reſtat; inter vicinos autem eorum *Dacas* (h) *Pliſtas* fuiſſe, qui more *Eſſæorum* vitam in ſolitudine degerint, *Joſephus* (i) docet.

§. 28. *Celtæ*, ampliſſima Europæ gens, eruditione non carebant, quorum ſapientes a pluribus antiquis ſcriptoribus *Druidæ* & *Bardi*, apud *Diodorum Siculum* (a) *Saronidæ*, apud *Diog. Laërtium* (b) *Semnothei*, & apud *Ammian. Marcellinum* (c) *Eubages* dicuntur, qui ultimus *Bardos* heroum facta ceciniſſe, *Eubages* naturæ ſecreta inquiſiviſſe, *Druidas* autem ſodalitiis adſtrictos conſortiis, ingeniisque celſiores, quæſtionibus occultarum rerum occupatos fuiſſe, indicat. Omnia autem ea nomina & officia ſolis Druidis conveniſſe, non ſine ratione *Pithœus* & *Ortelius* (d) ſtatuunt. Diſciplina horum ſapien-

Brachio alteram in Serapeo ſtetiſſe ait. (f) *A. Hirtius* ſeu *Oppius* de bello civili, lib. 4. *Dio Caſſius* l. 42. (g) *Lipſius* in ſynt. de biblioth. c. 2. Manſiſſe eam tamen & Chriſtianorum temporibus ex *Tertulliano* conſtat in apologet. cap. 29. (h) *Strabo* lib. 17. ait, ſe quidem domos ſacerdotum ingentes inveniſſe, ubi olim philoſophi habitaverant; ſed ſcientias ſuo tempore adeo defeciſſe, ut ne unus quidem earum peritus oſtendi potuerit.

§. 25. (a) Ant. Jud lib. 2. c. 10. & ex eo forſan *Euſebius* præp. evang. lib. 9. c. 4. qui tamen *Artapanum* autorem laudat: it. *Zonaras*. (b) In convivio VII. ſapientum. Lege *Heurnium* phil. Barb. lib. 2. cap. 19. (c) Lib. 9. cap. 7. de vit. philoſ. (d) Lib. 6. cap. 1. 5. 6. 7. de vita Apoll. Tyanai. (e) Valentiniani Hiſp. ord domin. in hiſt. eccleſ. polit. naturali & morali regni Æthiopiæ, libro mendaciſſimo, Valent. 1610. edito, ubi inter alia dicit: Celeberrimas bibliothecas, quotquot unquam famam habuerint, nihil eſſe reſpectu Presbyteri Johannis. Libros eſſe innumerabiles, pulcherrime compactos, & ornatiſſimos. Multos Patriarcharum, Salomonis &c. nomina præ ſe ferre. Sic & *Iac. Baratti* Italus ſcribit, ſe vidiſſe, & ingreſſum fuiſſe bibliothecam XM. voluminum, ibi 23. ſcribas ſemper a rege ali. &c. ſed *Nic. Godinus* S. 1. de rebus Abyſſinor. lib. 1. cap. 17. contrarium probat & vanas de libris aſſertiones explodit. Lege *Iobi Ludolphi* hiſt. Æthiop. lib. 4. c. 2. & in comment. ad prooemium. (f) Capucino, qui ex Ægypto redux, Peireſcio varia retulit. Vid. *Gaſſendum* in vita Peireſc. lib. 5. p. 395.

§. 26. (a) Hiſt. nat. lib. 2. c. 8. & lib. 7. cap. 56. *Henochum* & *Atlantem* eundem eſſe aſtrologiæ inventorem *Euſebius* de præp. evang. l. 9. c. 17. ex *Alexandro Polyhiſtore* refert. Lege *Nic. Gurtlerum* de orig. mundi lib. 1. c. 15. §. 13. (b) De civit. DEI lib. 8. c. 9. (c) De phil. Barb. lib. 1. p. 32. (d) §. 16. hujus capitis.

§. 27. (a) In præfatione. (b) De eo multa *Herod.* in Melp. ſ. l. 4. *Zamolxis* primus Getarum legislator academica diſſertatione luci publicæ reſtitutus a *Carolo Lundio* Upſal. 1687. 4. Fuſius de Zamolxe & aliis huc pertinentibus agit *Ioh. Lomeierus* dierum genialium decade 1. diſſ. 1. quæ agit de veterum Scytharum philoſophia Davent. 1694. 4. (c) Sic Hermippus obſervavit, *Voſſio* citante de philoſ. cap. 3. §. 2. (d) Chil. 12. hiſtor. 399. (e) De *Orpheo* prolixe agit *Lil. Greg. Gyraldus* dial. 2. de poëtarum hiſtoria & *Natal. Comes.* mythol. lib. 7. c. 14. Lege & *Nic. Gurtler* orig. mundi lib. 2. cap. 32. & *Ioh. Alb. Fabricii* bibl. Gr. lib. 1. cap. 18. 19. 20. (f) Lib. 1. de nat. Deorum. (g) Contra Gentes. (h) De Pliſtis *Lomeierus* dier. genial. decade 1. diſſ. 1. (i) Ant. Jud. lib. 18. c. 2.

§. 28. (a) Bibl. hiſt. l. 6. c. 9. (b) In præfat. (c) Lib. 15. c. 9. (d) In addit. IV. theatri orbis terrarum, in tab. Galliæ

ſapientum in Britannia reperta, & inde Galliam translata eſt, ut Cæſar (e) & Tacitus (f) docent. Primarii horum conventus in finibus *Carnutum* in medio Galliæ fuerunt, ut *Cæſar* (g) indicat, ubi & locus *Dreux* nominis *Druidarum* reliquias continet; unde ſine dubio & *Bardovicum*, (h) Germaniæ urbs antiqua, nomen ſuum accepit.

§. 29. Quamvis autem *Tacitus* (a) de Germanis antiquis ſtatuat, literarum ſecreta viros pariter & mulieres (b) ignoraſſe, illud tamen ſatis per *Cæſaris* aliorumque teſtimonia refutatur. *Druidæ* Germanorum ſive Celtarum in Gallia, Germania, viciniſque regionibus ingenti (c) copia habitabant, quibus omnibus unus præerat, ſumma authoritate conſpicuus, qui ſuffragiis aliorum ad id officium eligebatur. (d) Ad eos magnus adoleſcentium numerus diſciplinæ gratia conveniebat, qui vel in ſpecu, ſive in abditis (e) ſaltibus per XX. plerumque annos erudiebantur, quo tempore magnum numerum verſuum ediſcere tenebantur, quos literis mandare nefas exiſtimabant; forſan, ne juventus literis confiſa, minus memoriæ ſtuderet. Jubebantur autem diſcipuli celare diſciplinam Druidarum, unice dogmate de immortalitate animæ (f) excepto, quod evulgabant, quo homines ad bella meliores redderentur. Ex ea ratione etiam nulli ad hanc diſciplinam admittebantur, (g) niſi quibus ſacrorum arcana committi fas erat.

§. 30. Paucis dicendum reſtat, quas artes hi *Celtarum* eruditi exercuerint, quo appareat, *Germanos* olim non adeo Barbaros fuiſſe, ut quidem Romanis viſi ſunt. *Druidæ* theologi erant, qui divinarum rerum occulta ſcrutabantur, ut *Diodorus Siculus*, (a) & *Ammianus Marcell.* (b) teſtantur; imo, eorum officium erat, rebus divinis intereſſe, & religiones interpretari, ut *Cæſar* (c) loquitur. Idem (d) juris dicendi facultatem *Druidis* tribuit, aſſerens, eos de omnibus controverſiis publicis privatiſque judicaſſe, præmia pœnasque conſtituiſſe. Medicos eosdem fuiſſe ex *Plinio* (e) apparet. Eosdem motum ſiderum cognoviſſe, & de terræ forma & magnitudine diſputaſſe, *Cæſar* (f) & *Mela* (g) indicant. Phyſiologi & ethici a *Strabone* (h) & *Ammiano Marcell.* (i) vocantur. Muſicæ & oratoriæ illi primario operam dabant, qui in ſpecie *Bardi* dicebantur, prout ex *Diodori Siculi* (k) & *Melæ* (l) teſtimoniis apparet; mos enim eorum erat, heroum facta odis (m) incluſa decantare, quod unicum inter Germanos memoriæ & annalium genus a *Tacito* (n) nominatur.

CAP. III.

De eruditione Græcorum.

§. 1. Græcorum eruditionem in compendio ſiſtere difficillimum eſt, ob ingentem ſectarum eruditorumque multitudinem. Attamen in re adeo prolixa brevitati ſtudentes eruditionem Græcorum communi more in *heroicam*, *fabuloſam*, & *veriorem* diſtinguere, & de ſingulis paucis agere volumus. *Heroicam* eam nominamus, quæ ab ultima antiquitate inter heroës, & rerumpublicarum conditores usque ad belli Trojani finem duravit; *fabuloſam* dicimus, quæ ſub jucundis fabularum involucris ſapientiam communicavit; *Verior* autem illa eſt, quæ in varias ſectas diviſa, inter continuas philoſophorum rixas ultra Chriſti nativitatem duravit.

§. 2. Antiquiſſimi Græcorum, qui prudentia ſua inclaruerunt, legislatores fuere, quorum tempora indicare in antiquitate adeo obſcura (a) difficillimum eſt. Inter antiquiſſimos fuit *Minos* (b) Creten-

Cæſaris. (e) Lib. 6. de bello Gall. (f) Annal. 14. c. 30. (g) Loc. cit. (h) Lege *Henr. Meibomii* hiſtor. urbis Bardewici. Helmſt. 1614. in 4. & *Caſp. Sagittarii* hiſt. antiquiſſ. urbis Bardewici. Jenæ 1674. 4. Lege de tota hac materia *Ioh. Aventinum* lib. 1. annal. Boj. *Abr. Ortelium* in tab. Galliæ Cæſaris; *Phil. Cluverum* Germ. ant. lib. 1. cap 24. *Juſti Georg. Schottelii in der 4. Lob-Rede der deutſchen Sprache. Dan. Georg. Morhofium* in polyhiſt. lib. 1. c. 13. Adde *Juſti Bebelii* de laudibus & philoſophia vet. Germanorum Argent. 1514. 4. *Thomæ Smith* ſyntagma de Druidar. moribus & inſtitutis. Londini 1644. 8. *Iani Cæc. Frey* philoſ. Druidarum, inter opuſc Pariſ. 1646. 8. *Iac. Thomaſii* diſſ. de triplici Gallorum philoſophia, in præfationibus diſput. Lipſ. 1681. in 8. præf. 79. *Edm. Dikinſon* diatribe de Druidar. origine & *Nic. Gurtleri* orig. mundi lib. 1. cap. 19. §. 24. ſeq.

§. 29. (a) De moribus German. (b) Refutat hoc *Morhofius im Unterricht von der deutſchen Sprache*, part. 2. cap. 6. (c) Infinitum eorum numerum *Cæſar* facit lib. 6. comment. de bello Gall. (d) Hæc omnia *Cæſar* l. c. (e) *Cæſar* l. c. & *Pomp. Mela* de ſitu orbis l. 3. c. 2. (f) *Cæſar* & *Mela* l. c. (g) Non ex plebe, & ne ex ingenuis quidem, ſed ex prima tantum nobilitate erant, qui admittebantur. *Mela* l. 3. c. 2. Lege *Cluverum* Germ. ant. lib. 1. cap. 24. §. 6.

§. 30. (a) Lib. 5. bibl. hiſt c. 31. (b) Lib. 15. c. 9. (c) Lib. 5. com. de bello Gall. (d) Loc. cit *Strabo* etiam lib. 4. legum peritos nominat. (e) Libr. 30. c. 1. ubi ait: *Tiberii* principatus ſuſtulit *Druidas* Gallorum & hoc genus vatum medicorumque. (f) Loc. cit. (g) Lib. 3. cap. 2. de ſitu orbis. (h) Lib. 4. (i) Lib. 5. cap. 8. Etiam *Bardos* antiquiſſimos Britannorum hiſtoricos fuiſſe, & carmine res geſtas conſervaſſe, docet *Guil. Nicolſonus* in biblioth. hiſtor. Anglic. Londini Angl. edita 1690. 8. (k) Lib. 5. c. 31. (l) Loc cit. (m) Vide de his odis *Morhofii Unterricht von der deutſchen Sprache.* Lib. 2. c. 6. (n) De moribus Germ. Tales etiam *Bardos, Druidas* & *Sanachies* apud Scotos fuiſſe, eosque in regum inaugurationibus & exequiis geſta & annales cecinisse, docet *Georg. Makenzie* advocatus regius, in defenſione antiquitatis regalis Scotorum proſapiæ contra *Ed. Stillingfleet* cap. 2. Prodiit Latina verſio Trajecti ad Rhen. 1689. 8.

§. 1. Hiſtoria eruditionis Græcorum diſcenda eſt ex *Diogene Laërtio* & *Heſychio* de vitis philoſophorum; *Eunapio Sardiano* de vitis philoſophorum & ſophiſtarum. Adde *Ioh. Lud. Vives* librum de initiis, laudibus & ſectis philoſophiæ; inter opera tom. 1. edita Baſ. 1555. *Guil. Morelli* tabulam de origine, ſucceſſu, ætate & doctrina vet. philoſophorum Baſil. 1580. 8. *Scip. Aquilani* de placitis philoſophorum, qui ante tempora Ariſtotelis floruerunt. Venet. 1587. 4. *Guil. Donaldſoni* electa Laërtiana Francof. 1625. 8. *Herm. Conringii* de philoſophiæ propagatione & philoſophis lib. 9. Lugd. B. 1631. 8. it. *Gerh. Ioh. Voſſium* de philoſophis & phil. ſectis, cum ſupplem. *Ioh. Iac. a Ryſſel* Lipſ. 1690. 4. *Georg. Hornium* in hiſt. philoſophica, *Ioh. Ionſium* de ſcriptoribus hiſtor. philoſophicæ; *Iac. Thomaſium* in ſchediaſm. hiſtorico Lipſ. 1665. edito; *Thom. Stanley* in hiſt. philoſoph. antiqua, Anglice edita Lond. 1687. fol. Lat.

§. 2. (a) *Euſeb.* l. 10. c. 2. præp. evang. dicit ex *Iul. Africano*: usque ad Olympiades nihil exploratum in hiſt. Græcorum invenitur, ſed omnia confuſis conſcripta temporibus ſunt. (b) *Diod. Siculus* l. 5. c. 79. *Iuſtinus* lib. 20. c. 4. ſub *Minoe* & *Rhadamanto* fratribus latere *Moſen* & *Aaronem* probare nititur *Chriſt. Wormius* de corruptis antiquitatum Hebr. veſtigiis apud *Tacit.* & *Martial.* c. 3. Hafn. 1693. 4.

Cretenſium Rex, qui leges adeo prudentes tulit, ut *Pythagoras* (c) earum addiſcendarum cauſa in Cretam iter ſuſciperet; hisque legibus ſtabilitum regnum armis ampliavit, terrorque finitimorum fuit. Aluit hic in aula ſua *Dædalum*, celeberrimum (d) architectum, ex quo ejus amor eruditionis elucet. Iisdem temporibus *Theſeus*, (e) Athenienſium remp. fundabat, legibusque firmabat, & maximis rebus geſtis ſe celebrem reddebat. *Lycurgus* (f) omnium eorum, qui bonas leges antiquis illis temporibus tulerunt, longe celeberrimus fuit; hujus enim leges non tantum Lacedæmoniis omnem felicitatem ſuam dederunt, verum & alias omnes orbis terrarum gentes ad cultum & admirationem commoverunt. Magnum etiam *Zaleucus*, (g) Locrenſium legislator, ſibi nomen fecit, quamvis *Timæus*, *Ariſtotelis* hoſtis, negaret, unquam *Zaleucum* aliquem extitiſſe.

§. 3. Succedebant famoſa *Argonautarum* (a) tempora, quæ, niſi tota res fabuloſa, eruditione non caruerunt. *Jaſonem* fortitudine non tantum, verum & prudentia excelluiſſe, navis *Argo* in admirationem (b) totius Græciæ extructa, aliæque ejusdem actiones demonſtrant. Inter ſocios (c) *Hercules*, *Orpheus*, aliique ſapientes fuiſſe dicuntur; imo *Erginus*, ſociorum unus, ſe totius terræ ſitum & metas, oceani ambitum, ſpacia maris infuſi in terram, fluminum fontes & curſum, regionum intervalla, & urbium loca, in tabulis ab antiquis Ægyptiis, artificioſe picta vidiſſe, apud *Apollonium Rhodium* gloriatur. Non deſunt, qui per totam expeditionem *Argonauticam Jaſonis* ſapientiæ ſtudium intelligendum putant; imo nonnulli cum *Suida* (d) per *vellus aureum librum chymicum de chryſopœia*, in Colchide ſingulari ſtudio aſſervatum intelligunt. Huc etiam trahi poſſet, quod *Diodorus Siculus* (e) de *Circe* & *Medea*, filiabus *Æeta*, Regis in Colchide, narrat, eas medicamentorum omnis generis ſcientiam habuiſſe, & de pharmacorum facultate a matre *Hecate* edoctas fuiſſe.

§. 4. Trojani belli ævo jam cultior fuit Græcia, ſi *Homero*, aliisque antiquisſimis (a) ſcriptoribus fides habenda. Plurima quidem fabulis ſimillima ſunt; ut: *Chironem* Centaurum juſtitiæ, pietatis & eruditionis laude floruiſſe; *Æſculapium* medicinam, & *Herculem* aſtrologiam docuiſſe; *Achillemque*, Græcorum fortisſimum, & eruditum, & cytharœdum fuiſſe. Sic *Neſtorem* omnes Græcos ſapientia ſuperaſſe, & eloquentem adeo fuiſſe, ut ejus ore melle dulcior fluere diceretur oratio, *Ulyſſem* multa facundia præditum, & prudentia ſummum, integrum *Homeri* librum itineribus ſuis meruiſſe; *Palamedem*, Ulysſis adverſarium ingenioſisſimum, (b) quatuor literas inveniſſe, calculorum ludum, & menſurarum ponderumque rationem excogitaſſe, aſtrologiæ peritum fuiſſe, annum ad curſum ſolis, menſes ad curſum lunæ accommodaſſe, eclipſin naturalem eſſe, primum docuiſſe, & quæ ſunt ſimilia. Quamvis fortaſsis in his omnibus aliqua veritas occulta lateat, ita tamen ea fabulis obliterata eſt, (c) ut nihil penitus pro vero certoque venditari poſſit.

§. 5. Heroicam excipit eruditio Græcorum fabuloſa, quæ ſub tegmine fabularum naturæ arcana, & virtutum doctrinam communicabat. (a) Certum enim eſt, ſapientes gentilitim antiquorum, non tot vana (b) Numina credidiſſe, ſed potius cum vel de anima, vel de aereis, æthereisque poteſtatibus loquerentur, his fabulis uſos fuiſſe, omnia vero ad ſummum, & principem omnium Deum, a Græcis τὸ ἀγαθὸν dictum, retuliſſe, ut *Macrobius* (c) ſatis prudenter monet. Origo hujus philoſophiæ invidia eſſe videtur; ne enim prudentiores ſapientiam ſuam plebejis communicare tenerentur, eam obſcurisſimis fabulis involverunt, quas ſucceſſu temporis imperitum vulgus pro veris deorum deſcriptionibus aſſumſit. Hinc & antiquisſimi Græcorum ſcriptores *theologi* dicti

Lege *Joh. Meurſium* in Creta l. 3. c. 3. 8. 14. *Nic. Gurtler.* orig. mundi lib. 2. c. 20. §. 10. ſeq. *Joh. Alb. Fabric.* bibl. Græc. l. 2. c. 14. §. 13. (c) *Juſtinus* lib. 20. cap. 4. (d) De eo prolixe agit *Diod. Siculus* lib. 4. c. 78. 79. *Palæphatus* in incredib. cap. 2. & 13. *Plutarchus* in Theſeo, *Plinius* l. 7. c. 56. Lege & *Nic. Gurtler.* orig. mundi lib. 2. c. 20. §. 49. ſeq. (e) *Diod. Siculus* lib. 4. cap. 61. ſeqq. *Plutarchus* in Theſeo, Addatur *Joh. Meurſii Theſeus*, ſeu de illius vita & geſtis liber poſthumus Ultraj. 1684. 4. & *Nic. Gurtler.* orig. mundi lib. 2. c. 28. §. 41. ſeqq. (f) *Diod. Sicul.* lib. 1. c. 98. cum leges ab Ægyptiis mutuo petiiſſe dicit. Fuſe de iis agit *Juſtinus* lib. 3. cap. 2. 3. *Vellejo Paterculo* lib. 1. dicitur clariſſimus Graji nominis, vir generis regii, ſeverisſimarum & juſtiſſimarum legum autor, cujus quamdiu Sparta diligens fuerit, excelſiſſime floruerit. Lege *J. A. Fabric.* bibl. Græc. lib. 2. cap. 14. §. 10. 11. (g) Primo ſervus & paſtor, poſtea philoſophus, inde legislator. *Diod. Siculus* lib. 12. cap. 20. *Strabo* lib. 6. *Cicero* lib. 2. de legibus. *Val. Max.* lib. 6. c. 5. *Ælianus* lib. 2. c. 37. & lib. 13. c. 24. *Athenæus* Dipnoſ. l. 10. De eo fuſe agit *J. A. Fabricius* bibl. Græc. lib. 2. c. 14.

§. 3. (a) Legantur *Orphei* Argonautica, opus dubiæ fidei, poſt alias editiones eleganter editum ab *Andrea Chriſt. Eſchenbachio* Traject. inf. 1689. 12. *Apollonii Rhodii* libri 4. Argonauticorum. *C. Val. Flacci* libri 8. Argonaut. Adde *Diod. Siculum* lib. 4. c. 41. ſeq. *Abr. Ortelii* Argonautarum expeditionem tabula expreſſam, addit. 4. theatri orb. terr. *Hier. Columna* etiam res Argonautarum expoſuit, ex omni antiquitate, in *Ennii* fragmentorum expoſitione Neap. 1590. 4. it. *Nic. Gurtlerus* orig. M. lib. 2. cap. 8. §. 36. ſq. (b) *Diod. Siculus* lib. 4. c. 42. (c) Socios 50. *Val. Flaccus* numerat, 52. *Orpheus*, 54. *Diod. Sic.* *Ortelius* 83. e variis ſcriptoribus collegit. (d) In voce Δέρας τὸ χρυσόμαλλον. *Palæphatus* c. 31. per auri copiam exponit. (e) Lib. 4. c. 46.

§. 4. (a) Nemo ſcriptorum Græcorum fuit, qui non quingentis, aut amplius, annis Trojano bello recentior fuerit ut Voſſius aſſerit de hiſt. Gr. initio. (b) Σ. ξ. χ. φ. (c) *Dictys Cretenſis*, & *Daretbis Phrygii* libros de bello Trojano commenta recentiorum eſſe, in vulgus notum eſt. Vide *Voſſium* de hiſt. Gr. lib. 4. c. 1. & *Joh. Alb. Fabricium* bibl. Gr. lib. 1. cap. 5. it. *Jac. Perizonii* diſſ. de dict. Cret. Contra *Dionis Chryſoſtomi*, & *Laur. Rhodomanni* orationes de Ilio non capto, *Theodorus Ryckius* in doctiſſima diſſertatione de primis Italiæ incolis, *Lucæ Holſtenii* notis in *Stephanum* de urbibus addita, cap. 9. demonſtrat, Trojanum excidium non eſſe poetarum figmentum, ſed veram hiſtoriam Lugd. B. 1684. fol. Huc ſpectant & *Cointhi Smyrnæi* ſ. *Cerinthi* Calabri paralipomena ad *Homerum* it. *Tryphiodori* excid. Trojæ, & *Joſ. Iſcanii* libri 6. de bello Trojano.

§. 5. (a) Vide *Macrobium* in ſomnium Scipionis paſſim, præcipue lib. 1. c. 2. & 10. Addantur: *Alph. Lopez* philoſophia antiqua poetica Madrit. 1596. in 4. *Franc. Baconis* de Verulamio de ſapientia veterum liber. *Iob. Euſebii Nierenbergii* Sigalion, ſeu de ſapientia myſtica Madrit. 1642. fol. (b) De Diis gentilium vide *Lil. Greg. Gyraldi* hiſt. Deorum gentil. it. *Gerb. Iob. Voſſii* de orig. idololatriæ libri 9. (c) In ſomn. Scipionis lib. 1, c. 2.

cti ſunt, ut (d) *Lactantius* docet; imo & phyſica ſcientia olim theologiæ nomine venit, ut *Auguſtinus* (e) teſtatur.

§. 6. His theologis (a) Græcorum annumerari ſolent: *Linus*, (b) Herculis & Orphei præceptor; *Amphion*, cui Thebarum (c) conditarum laus tribuitur; *Orpheus*, (d) cujus ſupra mentio facta, (e) *Muſæus*, qui vitæ præcepta quatuor millibus verſuum ad *Eumolpum* filium reliquiſſe dicitur; quos omnes ante Homerum libros ſcripſiſſe *Euſebius* (f) autumat. Primarii autem eruditionis hujus fabuloſæ ſcriptores merito ſuo habentur *Homerus* & *Heſiodus*, de quo tamen utroque quando & ubi vixerit, obſcurum eſt, cum vix gens aliqua inter Græcos olim fuerit, quæ non *Homeri* natales ſibi adſcripſerit. In libris *Homeri* (g) ſemina omnium artium, phyſicæ, medicinæ, politicæ, ethicæ, eloquentiæ, reique militaris inveniri, *Plutarchus* non inepte judicat. *Heſiodus* Aſcræus habetur, (h) incerti ævi ſcriptor, junior tamen *Homero*, qui theologiam ſupra citatam Græcorum in operibus ſuis abſolutisſime tradidit, & præcipue practicam philoſophiæ partem excolere videtur.

§. 7. Succedebat demum eruditio Græcorum verior, ſive non fabuloſa, quæ ſucceſſu temporis ingentem ſectarum varietatem peperit. (a) Prima & antiquisſima ſectarum harum *Ionica* dicebatur, quia *Thales*, fundator illius, ex Ioniæ metropoli, Mileto natus erat. Vixit hic tempore captivitatis Babylonicæ, (b) & plurimas eruditionis partes, antea ignotas, Græciæ intulit. Phyſicam hic primus docuit, aquam rerum omnium principium, mundum animatum, & omnia ſpiritibus plena aſſerens. Idem aſtronomiam & geometriam exercuit, & temporum vices obſervans, annos in trecentos ſexaginta quinque dies diſtribuit. Erat illud tempus VII. viris totius Græciæ ſapientisſimis celebre, quorum primus *Thales* erat, reliqui vero vocabantur: *Chilo*, (c) celeberrimus Spartanorum Ephorus, *Pittacus*, (d) fortisſimus Mitylenſium Princeps; *Bias* (e) Prienæorum Dux, amiſſa vi hoſtili patria infelix; *Cleobulus Lindius*, (f) pulchritudine & fidelitate inſignis; *Periander* (g) tyrannidem apud Corinthios ſapientia temperans; & *Solon*, (h) prudentisſimus Athenienſium legislator, tandem a *Piſiſtrato* in exilium abire coactus.

§. 8. *Thaleti* in Ionicæ philoſophiæ profesſione non pauci ſucceſſerunt, quorum tamen quilibet fere nonnulla in priſtinis dogmatibus immutavit. Primus erat *Anaximander* (a) Mileſius, aſtronomiæ & geographiæ deditisſimus, qui & primam tabulam geographicam elaboravit, ut *Strabo* (b) ex *Eratoſthene* refert, quamvis terræ cylindri formam adſcriberet. Succesſit huic *Anaximenes* (c) Mileſius, qui principium rerum omnium aerem dixit, genere infinitum, qualitatibus autem finitum. Hunc excepit *Anaxagoras* (d) Clazomenius, qui Deum unum eſſe ſtatuit, & multis peregrinationibus inſtitutis philoſophus ſummus evaſit, primusque ſcholam (e) *Athenas* transtulit. Secutus eſt *Archelaus*, (f) qui calorem & frigus rerum omnium principia eſſe dixit, & e cujus ſchola prodiit ingens Græcæ eruditionis lumen, primusque moralis doctrinæ apud Græcos introductor, *Socrates*. Paulo ante *Anaxagoram* etiam Epheſi floruit *Heraclitus*, (g) nullius magiſtri diſcipulus, phyſicus obſcurisſimus, qui in plurimis peculiares ſibi ſententias elegit.

§. 9.

Egregie illud oſtendit *Minut. Felix* in Octavio. (d) De ira DEI cap. 2. (e) De civit. DEI lib. 8. c. 1.

§. 6. (a) Lege de his omnibus *Lil. Greg. Gyraldum* dial. 2. de hiſtoria poetarum. (b) Apollinis & Terpſichores fil. quem Hercules impacta in caput cythara occidiſſe dicitur, quod ruſticius canentem irriſiſſet. *Pauſan.* lib. 9. aliter Diog. Laertius in præfat. (c) Quomodo Thebas condiderit, non lapides, ſed homines movendo, vide apud *Palæphatum* cap. 42. *Natal. Comit.* myth. l. 8. c. 15. *Nic. Gurtler.* orig. mund. l. 2. c. 29. §. 72. ſeq. *Ioh. Albert. Fabric.* P. G. lib. 1. c. 2. (d) Varii fuere Orphei; vide *Gyraldum* l. c. adde *Mart. Brunneri* notas ad *Palæphati* c. 34. Prolixius de Orpheo ejusque philoſophia agit *Thom. Burnetius* in archæol. philoſ. lib. 1. cap. 9. it. *Ioh. Lomeierus* dierum genial. decade 1. diſſ. 1. (e) De Muſæo Diog. Laert. in præfat. *Nic. Gurtler* orig. M. lib. 2. c. 32. §. 31. *I. A. Fabric.* bibl. Gr. lib. 1. cap. 16. (f) De præp. evang. lib. 10. c. 3. Multos alios poetas ante Homerum citat *Gyraldus* l. c. (g) Lege de *Homero* libellos *Herodoti* & *Plutarchi*; Adde *Gyraldum* dial. 2. de hiſt. poet. *Vosſium* de hiſt. Gr. lib. 4. part. 3. *I. A. Fabric.* bibl. Gr. lib. 2. c. 1. (h) Vetus diſceptatio, quis antiquior inter 2. hos ſit, de qua *Heraclides Ponticus* 2. dialogos ſcripſit. Vide multa apud *Gyraldum* dial. 2. & *I. A. Fabric.* bibl. Gr. lib. 2. c. 8.

§. 7. (a) Vide *Vosſium* de philoſ. ſectis cum ſupplement. *Ioh. Iac. a Ryſſel.* Lipſ. 1690. 4. *Iac. Thomaſii* ſchediaſma hiſtor. Lipſ. 1665. 4. *Thom. Stanlei* hiſtoriam philoſ. & *Burnetii* archæologiam. De ortu, incremento, ſectis & differentiis philoſophorum etiam luculenter agit *Carolus Renaldinus* in præf. tomi 1. operum philoſophicorum, Parav. 1681. fol. *Chriſt. Thomaſius* philoſ. aul. cap. 1. *Ioh. Frickius* diſſ. de ortu philoſ. Græc. (b) Natus Olymp. 36. obiit Ol. 58. Lege de Thalete *Diog. Laert.* lib. 1. c. 1. *Plutarchum* paſſim præcipue de placitis philoſ. l. 1. c. 3. *Apulejum* l. 4. Floridorum. *Lactantium* l. 3. c. 14. divin. inſtit. *I. A. Fabric.* bibl. Gr. lib. 1. c. 35. (c) Vita Chilonis apud *Diog. Laert.* l. 1. c. 3. Lege *Ioh. Meurſium* miſcell. Lacon. l. 4. c. 17. (d) Tyrannide, quæ victis Athenienſibus data erat, ſe abdicavit. Vitam vide apud *Diogen. Laert.* lib. 1. c. 4. (e) Fugiens, nihilque auferens, dixit: omnia mea mecum porto; *Diogen. Laert.* lib. 1. c. 5. (f) Vita apud *Laertium* l. 1. c. 6. (g) *Diog. Laertius* lib. 1. c. 7. vitam habet. (h) Vita apud *Diog. Laert.* l. 1. c. 2. & *Plutarchum.* Lege de eo *Herodot.* lib. 1. & *Ioh. Meurſii* librum de Solone. it. *I. A. Fabricium* bibl. Gr. l. 2. c. 14. §. 16. Dicta 7. ſapientum *Plutarchus* in convivio 7. ſapientum, & *Auſonius* in ludo 7. ſapientum exponunt. it. *Ioh. Franciſcus Buddeus* in ſapientia veterum ſ. diſſertat. de dictis 7. Græciæ ſapientum Hal. 1699. 4.

§. 8. (a) Vita extat apud *Diog. Laertium* lib. 2. c. 1. Adde *Ciceronem* lib. 4. acad. quæſt. & *Plutarch.* de plac. philoſ. l. 1. c. 3. it. *I. A. Fabric* bibl. Gr. l. 2. c. 23. §. 8. (b) Lib. 1. (c) Vita & 2. epiſtolæ ad Pythagoram habentur apud *Diog. Laertium* lib. 2. c. 2. *Cicero* l. c. Lege *I. A. Fabricium* B. G. lib. 2. c. 23. §. 9. (d) Prolixe eum deſcribit *Diog. Laertius* lib. 2. c. 3. *Lucianus* in Timone fingit, eum fulmine a Jove percuſſum, quod Deos negaret. Vide *Auguſtinum* de civ. DEI lib. 8. c. 2. Phyſiologiam *Anaxagoræ* diſputatione excuſſit *Joh. Andr. Schmidius* Jenæ 1689. Adde *I. A. Fabricium* bibl. Græc. lib. 2. c. 23. §. 7. (e) Sic *Clemens Alexandr.* lib. 1. ſtromat. alii, qui *Diog. Laert.* ſequuntur, hoc *Archelao* adſcribunt. (f) Phyſicus κατ' ἐξοχὴν dicitur. vid. *Diog. Laert.* lib. 2. cap. 4. *Auguſtin.* de civ. DEI lib. 8. c. 2. *I. A. Fabric.* B. G. lib. 2. cap. 23. §. 10. (g) *Diog. Laert.* lib. 9. c. 1. vitam prolixe exponit. Adde *Suidam*, & *Ioh. Alb. Fabric.* bibl. Græc. lib. 2. c. 23. §. 4.

§. 9. *Socratis* (a) ævo eruditio Græcorum aliam faciem oſtendere cœpit, cum a clamoſa ſophiſtarum diſputatione, & inutilibus tricis ad ſolidiora & utiliora perducerentur. Primus enim *Socrates*, ut *Ariſtoteles* (b) teſtatur, in rebus moralibus univerſale quæſivit, & mentem ad definitiones applicavit. Summa hic in diſputationibus ſuis modeſtia utebatur, (c) ſemperque nihil ſe ſcire affirmabat; inde & in diſputando magis aliorum ſententias convellere, quam ſuam adferre ſolebat, quia ei, qui nihil ſe ſcire diceret, minime conveniens putabat, aliquid aſſerere, ut de ſeipſo apud *Platonem* (d) loquitur. Hac autem dubia philoſophandi ratione *Socrates* effecit, ut ejus auditores, quod cuique placebat, apprehenderent, multaſque & varias opiniones tuerentur. Inde ortæ ſunt tot ſectæ *Academicorum, Epicureorum, Stoicorum, & Peripateticorum*; quibus & minores acceſſerunt *Cyrenaicorum, Eliacorum, Megaricorum & Cynicorum.*

§. 10. Priusquam vero harum ſectarum deſcriptionem demus, quædam de *Eleaticorum*, (a) ſecta inſerenda ſunt, quam *Xenophanes* Colophonius introduxit, *Parmenides* autem & *Zeno* ex *Elea*, (b) Lucanorum oppido, nati denominarunt. *Xenophanes* (c) ille *Archelai* auditor erat; ſed ſpretis aliorum dogmatibus, IV. elementa, & mundos innumeros ſtatuebat, elegiasque & jambos contra *Homerum* & *Heſiodum* ſcribebat, quod abſurda de Diis dixerint. Audivit hunc *Parmenides* (d) Eleates, qui duo tantum elementa, terram & ignem aſſumſit. Hunc excipiebant (e) *Meliſſus* & *Zeno* (f) *Eleates*, quorum ille Deos ſpernebat, mundumque infinitum & immobilem dicebat; hic plures mundos aſſerens, vacuum negabat. *Zenonis* ſucceſſor *Leucippus* (g) erat, celeberrimæ doctrinæ de atomis autor, quem *Democritus* (h) Abderites, magni nominis philoſophus, ſecutus eſt, qui atomos & inane pro principiis omnium rerum aſſumſit. Poſt eum quidem *Protagoras* (i) floruit, ſed mox *Eleatica* ſecta in *Epicuream* abiit.

§. 11. Ad *Socratem* revertimur, e cujus diſciplina ingens philoſophorum numerus prodiit; omnium autem celeberrimus *Plato* (a) fuit, qui & divinus a plurimis olim dicebatur. Hic, cum ingenio mirabili longe ſuos condiſcipulos anteiret, (b) parum putavit, ſi Socraticam philoſophiam ſolus audiret, inde longe lateque peregrinatus eſt, primumque in Italiam, (c) ad *Pythagoraeorum* dogmata percipienda, tum in Ægyptum, ſapientiæ avidus, ſe recepit; in Indiam vero ad *Gymnoſophiſtas* iter parantem Aſiatica bella impedierunt. Athenas reverſus, in (d) *academia*, villa prope urbem ſita docuit, ſectæque *academicorum* originem nomenque dedit. Doctrinam ethicam (e) juxta mentem *Socratis*, phyſicam ſecundum placita *Heracliti*, logicam vero more *Pythagoraeorum* docebat; unum Deum opificem hujus univerſi ſtatuebat, præterque eum Deos minores, dæmones & heroas dari putabat. Hujus ſcripta (f) laudabilia & hodie ſuperſunt, quæ, ſatis licet erudita, hoc tamen defectu laborant, quod non integras artes bono ordine ſcripſerit, ſed potius omnia in forma dialogorum confuſius, ſuſpenſo etiam ſæpe judicio ſuo, tradiderit.

§. 12. Pla-

§. 9. (a) Athenienſis erat *Sophroniſci* ſtatuarii & *Phænarethæ* obſtetricis filius, ut *Ælianus* lib. 2. cap. 1. variorum docet. vid. vitam apud *Diog. Laert.* lib. 2. c. 5. Adde *Xenophont.* de dictis & factis *Socratis. J. A. Fabric.* B. Gr. lib. 2. c. 23. §. 30. *Joh. Barbeyrak* de jure nat. & gent. præfat. §. 19. (b) Lib. 1. metaph. c. 6. & lib. 13. c. 4. (c) Verba ſunt Ludov. Vivis ad *Auguſt.* de civ. Dei lib. 8. cap. 3. (d) In Theæteto. De Deo *Socratis* integrum librum habet L. *Apulejus*, qui eſt philoſophicorum liber 4. Lege de Deo *Socratis*, & ſapientia illius falſo ab oraculo celebrata *Ant. van Dalen* in diſſ. 2. de oraculis ethnicorum Amſt. 1682. 8. De patientia *Socratis* leg. *A. Gellii* noct. Att. lib. 1. c. 17. it. lib. 2. c. 1.

§. 10. (a) De ſecta Eleatica ſatis accurate agit *Th. Burnetius* archæol. philoſ. lib. 1. c. 12. (b) Velia, ἐλέα, in ſinu Pæſtano, a Phocenſibus condita. Hi philoſophi in Italia quidem nati in Græcia propria tamen dogmata ſua propagarunt. (c) Vita apud *Diog. Laertium* lib. 9. cap. 2. Adde *Heſychium* de philoſophis, & *Joh. Alb. Fabric.* bibl. Græc. lib. 2. c. 23. §. 2. (d) Primus terram rotundam & in medio mundi eſſe docuit *Diog. Laert.* lib. 9. cap. 3. *J. A. Fabric.* bibl. Græc. lib. 2. c. 23. §. 3. Placitis hujus inſiſtit *Bernardinus Teleſius* Conſratinus. (e) Nihil de Diis dicendum putabat, quoniam nihil certi ſciretur. *Diog. Laert.* lib. 9. c. 4. De eo varia collegit *I. A. Fabricius* bibl. Græc. lib. 2. c. 23. §. 22. (f) Inventor dialecticæ, patientiſſimus. Contra *Nearchum* tyrannum conſpirans, & tortus, tyranni amicos nominavit. Linguam ſibi morſu demtam in faciem tyranni expuit. *Diog. Laert.* lib. 9. c. 5. vide *Ariſtotelis* librum de dogmatibus *Zenonis Xenophanis* & *Gorgiæ* it. *I. A. Fabricius* l. 2. c. 23. §. 29. (g) Atomos & inane pro principiis aſſumſit *Diogen. Laert.* lib. 9. c. 6. *J. A. Fabricius* lib. 2. c. 23. §. 21. (h) Ægyptum, Chaldæam, Perſiam, Indiam peragravit, in patriam rediens, ſtatua, & D. talentis donatus eſt. Tum in hortulo juxta muros ſe contemplationibus dedit, & æneæ pelvis fulgore ſe excæcavit, ne a contemplationibus avocaretur; ſive, ne bene eſſe videret malis civibus. *A. Gellius* lib. 10. cap. 27. Rem in dubium vocat *Cicero* lib. 5. de finibus; negat *Plutarchus* de curioſitate. vid. *Diog. Laertius* lib. 9 c. 7. *Ælian.* hiſt. var. lib. 4. cap. 20. *Plinius* lib. 21. c. 11. *Ioh. Chriſtoph. Magnenum.* Prof. Patav. in Democrito reviviſcente Lugd. B. 1648. 12. *Scip. Aquilianum* de philoſophis ante *Ariſtotel.* cap. 8-17. *Ioh. Alb. Fabricius* bibl. Græc lib. 2. c. 23. §. 5. (i) Ob lignum ſcite compoſitum a Democrito ad philoſophiam ductus. *A. Gellius* lib. 5. c. 3. Eruditio ejus non ſolida, ſed in argutiis conſiſtens. Primus mercede accepta docuit. *Diog. Laert.* lib. 9. c. 8. *Philoſtrat.* de vitis Sophiſt. *I. A. Fabricius* bibl. Græc. lib. 2. c. 23. §. 28.

§. 11. (a) De Platone legendi: *Diogen. Laertius* lib. 3. toto. *Alcinous* de doctrina Platonis, Græce & Latine interprete *Marſ. Ficino* extat. Edidit & *Dan. Heinſius* Lugd. Bat. 1607. & 1614. in 8. *Procli Lycii* theologiæ Platonicæ libri 6. cum *Æmil. Porti* verſione Latina, Hamb. 1618. fol. it. *Marſ. Ficini & Ioh. Bapt. Weiganmeieri* de philoſophia Platonis &c. *Fr. de la Mothe le Vayer* diſſ. 1. tom. 2. operum de lectione Platonis; *I. A. Fabricius* bibl. Græc. lib. 3. init. (b) *Auguſtin.* de civit. Dei lib. 8. c. 4. Comparationem inter eum & Ariſtotelem inſtituit & de utroque prolixe agit *Renatus Rapinus*, volum. 4. comparationis magnorum in antiquitate virorum Gall. Pariſ. 1684. 4. Sic & *Claud. Fleury* tractatui ſuo de methodo ſtudiorum in fine addidit prolixam & eruditam differt. de Platone Gall. Bruxell. 1687. 12. (c) *Philolai Crotoniatæ* librum de ſecta Pythagor. C. minus mercatus eſt, ex quo multa in Timæum ſuum transtulit. *A. Gellius* lib. 3. c. 17. (d) Lege præter *Diog. Laert.* Pauſan. in Atticis. (e) Ethicam Platonicam edidit *Magnus Daniel Omeis* Altorf. 1696. 8. Lege *Ehreg. Dan. Colberg. in Plat. Hermet. Chriſtenthum* cap. 1. it. de origine & progreſſu hæreſium ex Platone 1694. 4. (f) Opera ubique extant, latine reddita per *Marſ. Ficinum, Ioh. Serranum, Ianum Cornarium.* Primus dialogos ſcripſiſſe creditur, quod limitatur a Voſſio de philoſ. ſectis cap. 12. *Zeno Eleates* ante eum dialogos ſcripſit.

§. 12. Platonis diſcipuli iterum in varias ſectas abiere, nonnullis tamen ex prioribus magiſtri ſcholam & philoſophiam continuantibus. Primus horum *Speuſippus* (a) erat, *Platonis* ex ſorore Potona Nepos, qui tamen ob pecuniæ amorem, doctrinamque non adeo ſolidam minus celebris erat. Hunc *Xenocrates* (b) Chalcedonius excipiebat, tardioris ingenii, ſed mentis candidiſſimæ & abſtinentis philoſophus, quique diſcipulum rerum mathematicarum ignarum nullum admittebat. Eum *Polemo* (c) ſequebatur, quem juvenem laſcivum & temerarie in ſcholam irruentem *Xenocrates* oratione de continentia habita ita convertit, ut probitate, & animi lenitate inclytus ei in ſchola regenda ſuccederet. *Polemoni Crates* (d) Athenienſis ſucceſſit, cum quo adeo conjuncte vixerat, ut *Arceſilaus* diceret, eos eſſe aut Deos quoſpiam, aut aurei ſeculi reliquias. *Crantor* (e) Solenſis ultimus erat ex iis, qui academiam veterem, *Platonisque* doctrinam integram retinuerunt, quem mox alia ſecta excepit.

§. 13. *Arceſilaus* (a) *Crantoris* diſcipulus *mediæ academiæ* initium dedit, recedens ab anteceſſorum doctrina in eo, quod nihil percipi poſſe, & in omnibus aſſenſum negandum eſſe aſſereret; male intellectis *Socratis* verbis, qui ex modeſtia ſe nihil ſcire dixerat. Hanc novam non philoſophandi philoſophiam, ut *Lactantio* (b) audit, *Lacydes* (c) *Cyrenaus, Arceſilai* auditor, continuavit, eamque per *Teleclem* (d) & *Evandrum*, Phocenſes, propagavit. *Hegeſinus* demum Pergamenus hujus opinionis plenæ defenſor ultimus extitit, quem *Carneades* Cyrenæus, *academiæ novæ*, ſive tertiæ autor ſequebatur.

§. 14. *Carneades* (a) hic a præceptorum duritie recedens, mitius ſtatuebat, rebus ipſis quidem veritatem aut certitudinem ineſſe, nobis autem artem judicandi deeſſe; aliquam tamen in argumentis probabilitatem admittebat. Hic *phyſica* neglecta, *ethicam* præferebat, magnusque orator erat, & *Stoicorum* acerrimus oſor. Hunc *Clitomachus* (b) Carthaginienſis excipiebat, qui quamvis XL. annis natus in ſcholam *Carneadis* receptus eſſet, eam tamen poſtea cum laude continuabat. Hi fere inter antiquos academiæ ſectatores celebriores fuere; quamvis enim (c) *Sextus Empiricus* doceat, *quartam Philonis* & *Charmidæ*, imo *quintam Antiochi academiam* a nonnullis adjici, minor tamen horum autoritas fuit, cum & magis magisque *Stoicis* accederent. Reſtaurata tamen fuit poſt Chriſtum natum *Platonicorum* eruditio, & ſatis floruit, de qua infra ſuo loco dicendum erit.

§. 15. Viſis *academicorum* ſectis ad *Epicureos* progredimur, quibus jam ſupra ab *Eleatica* ſectæ capitibus, *Leucippo* & *Democrito* viam paratam diximus. (a) *Epicurus* Athenienſis grammaticam ante docuerat, ſed perceptis *Democriti* principiis excitatus, novam philoſophiæ ſectam introducebat, hoſtis rhetoricæ & logicæ, (b) eoque nomine conſtantiſſimus *Stoicorum* adverſarius erat. Timorem animis hominum eripere cupiens, divinam providentiam negabat, omniaque e caſuali atomorum fluxu facta aſſerebat. Cum voluptatem, ſive deſideriorum noſtrorum terminum *ſummum bonum* eſſe ſtatueret, diſcipuli quidam non recte intellecta magiſtri ſententia, in voluptatibus corporis ſummum bonum quærentes, infamem (c) hanc philoſophiam reddiderunt. Inter ſectatores illius *Mus*,

§. 12. (a) Vita *Speuſippi* apud *Laertium* lib. 4. cap. 1. habetur. Libros illius poſt mortem *Ariſtoteles* 3. talentis Atticis coëmit, *A. Gellius* lib. 3 cap. 17. Scripta optime recenſet *Ioh. Alb. Fabricius* bibl. Gr. l. 3. c. 3. (b) *Diog. Laertius* lib. 4. c. 2. & *Heſychius*. *Plato Ariſtotelem* equum, *Xenocratem* aſinum eſſe dicebat, quod ille freno, hic calcaribus indigeret. Abſtinens erat, & *Alexandri Magni* munera ſpernebat, ut *Laertius* docet, ſed tamen apud *Dionyſium* bibendo auream coronam meruit. *Ælianus* lib. 2. cap. 41. *I. A. Fabricius* bibl. Gr. l. 3. c. 3. (c) Ebrius coronatus cum ſodalibus in ſcholam irrupit. Lege *Diog. Laert.* lib. 4. c. 3. *I. A. Fabric.* lib. 3. cap. 3. bibl. Gr. (d) Vita apud *Diog. Laert.* lib. 4. c. 4. (e) Primus omnium in Platonis opera commentatus eſt, ut *Proclus* teſtatur lib. 1. in *Timæum*. Lege *Diog. Laert.* lib. 4. cap. 5. *I. A. Fabricium* l 3. c. 3. bibl. Gr. De prima academia, villa *Platonis* erudite agit *J. Pet. Ludovici* in diſputatione Halæ habita 1693. De his philoſophis multa ex *Numenio* Pythagorico refert *Euſebius* de præp. evang. l. 14. c. 5.

§. 13. (a) Pytanæus ex Æolide, cavillator dictus. Vitam habet *Diog. Laert.* lib. 4. c. 6. Lege & de eo *Lactantium* lib. 3. c. 6. *Auguſtinum* in enchirid. c. 20. Quam generoſe convitia *Antagoræ* tulerit *Ælianus* refert lib. 14. c. 26. variorum. De eo ex *Numenio* Pythag. *Euſebius* de præp. evang. lib. 14. c. 6. it. *Joh. Alb. Fabricius* l. 3. c. 3. B. Gr. (b) Lib. 3. c. 4. inſtit. divin. (c) In horto, quem Attalus Rex fieri curaverat, docuit. Ex paralyſi, ex bibacitate contracta obiit. *Diog. Laert.* lib. 4. c. 8. Adde *Ælian.* l. 2. c. 41. De eo ex *Numenio* agit *Euſeb.* de præp. evang. l. 14. c. 7. & paucis *I. A. Fabricius* l. 3. cap. 3. (d) Nominantur a *Laertio* in vita Lacydis lib. 4. cap. 8. *Evandrum* ſcholæ præfuiſſe poſt *Lacydem* dicit *Euſebius* l. 14. c. 7. præp. evang.

§. 14. (a) Vita ap. *Diog. Laert.* lib. 4. c. 9. Orator & diſputator inſuperabilis. Legatus ab Athenienſibus miſſus fuit ad Romanos, cum *Diogene Stoico*, & *Critolao Peripatetico*. Lege *Gellium* lib. 7. c. 14. *Cato* ſuadebat, non audiendos, quia poſſent æqua pariter & iniqua perſuadere; præcipue *Carneadem* cito remittendum cenſebat &c. *Plinius* lib. 7. c. 30. Adde *Ælianum* lib. 3. c. 17. *Macrobium* ſat. l. 1. c. 5. *Val. Max.* l. 8. c. 7. *Fabricium* lib 3. c. 3. bibl. Gr. it. *Euſebium* de præp. evang. lib. 14. cap. 8. ex *Numenio* (b) *Aſdrubal* in patria dictus, *Diog. Laert.* lib. 4. c. ult. *Euſeb.* de præp. ev. l. 14. c. 8. 9. *Fabric.* l. 3. c. 3. (c) Pyrrhon. hypotheſ. lib. 1. c. 33. Adde *Euſebium* ex *Numenio* lib. 14. c. 9. præp. evang.

§. 15. (a) Vita prolixe apud *Diog. Laert.* toto lib. 10. Adde *Pet. Gaſſendi* animadverſ. in eundem librum, & ejusdem de vita & moribus Epicuri libros 8. it. *Jac. Rondelli* de vita & moribus Epicuri librum Amſtel. 1693. 12. Multa de eo *Plutarchus* in opuſculis contra *Coloten*, &c. *Lactantius* div. inſt. l. 3. c. 17. *I. A. Fabricius* l. 3. c. 32. bibl. Gr. (b) *Cicero* lib. 1. de nat. Deor. & *Hieron.* epiſt. ad Magnum. (c) Infamiam Epicuri prolixe diluit *Gaſſendus* in vita *Epicuri*, in ſpecie lib. 3. infamiam hanc recenſet, inde diluit lib. 4. impietatem, lib. 5. malignitatem, lib. 6 gulam, lib. 7. Venerem, lib. 8. odium artium liberalium. Impugnat apologiam *Gaſſendi Joh. Barbeyrac* in prolixa præfat. ad *Puffend.* jus nat. & gent. § 25. Amſt. 1706. 4. Honeſte etiam de *Epicuro* ſentit *Seneca* licet Stoicus de vita beata cap. 13. it. *Richardus Simon* in diction. bibl. in voce *Epicurus* Lugdun. 1703. fol.

Mus, e ſervo philoſophus, (d) & *Hermachus* celebriores extiterunt; imo & ultra Chriſti tempora non paucos propugnatores invenit.

§. 16. Excipit *Epicureos* celeberrima *Stoicorum* ſecta, cujus principia ex fonte *Socratis* hauſtæ cum veteri academia in multis convenere. Princeps hujus *ſectæ* (a) erat *Zeno Citticus*, qui ex *Cratetis* Athenienſis ſchola proveniens, in *Portico* docuit indeque *Stoicorum* nomini originem dedit, numeroſum ſemper auditorium habens. Summum bonum in vita rectæ rationi conveniente collocabat, & a virtutis rigido exercitio nullis affectuum illecebris ſe abſtrahi patiebatur. Deum ſpiritum eſſe, & per omnia diffuſum, ſtatuebat, omne, quod animat corpora, Deum eſſe putans; omnibusque rebus fatalem neceſſitatem impoſitam credebat. *Zenonem* (b) *Cleanthes* ſequebatur, ob alacritatem in laboribus tolerandis alter Hercules dictus. *Chryſippus* (c) hunc excipiebat, dialecticus omnium clariſſimus; hunc *Diogenes Babylonius*, legatus cum *Carneade* Romam miſſus, eumque iterum *Antipater* (d) ſecutus eſt, qui *Poſidonium* Stoicorum ſcholæ principem reliquit; imo ſectam hanc deinde multi ex Romanis ſuam fecerunt.

§. 17. His majoribus Græcæ philoſophiæ ſectis merito annumeratur *Peripatetica*, quæ ex eadem *Socratis* ſchola producta, *Ariſtotelem* (a) Stagiritam autorem habuit. Hic a XVII. ætatis anno *Socratem* (b) per triennium audivit; tum *Platoni* per integros XX. annos adhæſit, huicque præ cæteris charus, mox in *Philippi* (c) amicitiam receptus, filiique illius *Alexandri* ſtudiis præpoſitus eſt. Hujus diſcipuli inſigni gratia & munificentia adjutus, animum ſerio ad philoſophiam (d) excolendam applicuit, atque ex omnibus optima ſibi eligens, peculiarem ſectam (e) conſtituit, quæ, quia deambulando in *Lyceo* Athenis docebat, Peripatetica dicta eſt. Diſciplinas omnium primus quoad omnes partes accurata methodo (f) adhibita tradebat, & per omne ſapientiæ humanæ genus vagatus, de ſingulis fere erudita ſcripta relinquebat. Quamvis autem omnes alios philoſophos (g) ſuperavit accurato philoſophandi modo, (h) eum tamen ambitioſe ſæpe aliorum laudes ſuppreſſiſſe, & in opinionibus de Deo, origine mundi, rebusque ſpiritualibus longe Platonicis inferiorem eſſe, multis videtur.

§. 18. Ex *Ariſtotelis* ſucceſſoribus, qui philoſophiam *Peripateticam* propagarunt & ornarunt, primus fuit *Theophraſtus* (a) *Ereſius*, qui eloquentia & eruditione ſua effecerat, ut in ſcholam ipſius confluerent circiter bis mille auditores. Hunc (b) *Strato Lampſacenus* excipiebat, phyſicus dictus, dignusque præ reliquis habitus, qui *Ptolomæi Philadelphi* juventutem regeret. Huic *Lycon Troadenſis* (c) ſucceſſit, ob dulcedinem ſermonis *Glycon* dictus, animo & corpore validus. Ab eo tempore, qui ſcholæ *Peripateticæ* præfuerint, obſcurum eſt; celeberrimi tamen extitere non pauci hujus ſectæ philoſophi, quales fuere: *Demetrius* (d) *Phalereus*, ex reipublicæ Athenienſis gubernatore exul, mox bibliothecarius

(d) Vide de his & aliis *Gaſſendum* lib. 1. c. 8. de vita Epic. adde *Numenium* apud *Euſebium* l. 14. c. 5. præp. evang.

§. 16. (a) Vita *Zenonis* apud *Diog. Laertium* lib. 7. c. 1. *Plutarchum* de placit. philoſ. l. 1. c. 27. 28. it. libro de Stoicor. contradictionibus. Adde *Euſebium* de præp. evang. lib. 14. c. 6. & lib. 15. c. 14. *Caſp. Scioppii* elementa philoſ. moralis Stoicæ. Mogunt. 1606. 8. *Juſti Lipſii* Stoicæ phyſiologiæ libri 3. it. manuduct. ad phyſiologiam Stoicam Antw. 1610. 4. *Jac. Thomaſii* diſſ. de Stoica mundi exuſtione, cum aliis diſſert. ad hiſt. Stoicæ philoſ. facientibus. Lipſ. 1676. 4. Legatur & *Thom. Burnetius* in Archæol. philoſ. lib. 1. cap. 12. it. *Ioh. Franc. Buddei* diſſert. 4. de præcipuis Stoicorum in philoſ. morali erroribus. Halæ 1698. 4. Stoicorum vitia multis exponit *Ioh. Barbeyrac* in præf. ad jus nat. & gent. §. 26. (b) Vid. *Diog. Laert.* lib. 7. c. 3. & Heſychium. (c) *Diog. Laert.* lib. 7. c. 5. Si apud Deos dialectica daretur, non aliam, quam *Chryſippi* futuram dicit *Val. Max.* lib. 8. c. 7. adde *Ioh. Ionſium* de ſcript. hiſt. phil. l. 2. c. 8. *Fabricium* l. 3. c. 15. bibl. Gr. (d) De Antipatri laudibus quædam habet Cicero lib. 3. offic. De his omnibus legenda philoſophumena ſ. comp. hiſt. philoſ. *Origeni* adſcriptum, a *Ioh. Chriſtoph. Wolfio* editum Hamb. 1706. ubi cap. 21. de Stoicis; adde *I. A. Fabric.* l. 3. c. 15. bibl. Gr.

§. 17. (a) Nicomachi, Medici Amyntæ Regis, filium. Vitam Ariſtotelis lege apud *Diog. Laert.* lib. 5. c. 1. Eam quoque *Ammonius* & *Damaſcius* ſcripſere. Andr. Schottus vitas *Ariſtot.* & *Demoſthenis* comparatas Olympiadibus & præturis Athenienſium digeſtas edidit Aug. Vindel. 1603. 4. (b) *Ammonii* teſtimonio; alii rem in dubium vocant. (c) Epiſtola Philippi ad *Ariſtot.* legatur apud *A. Gellium* noct. Attic. lib. 9. c. 3. (d) Curioſitatem *Ariſtot.* lege deſcriptam apud *Athenæum* Dipnoſ. lib. 8. cap. 8. idem lib. 9. refert, *Alexandrum* ad ſolam animalium hiſtoriam DCCC. talenta contuliſſe. (e) Diſſidium inter *Platonem* & *Ariſtot.* graphice delineat *Ælianus* var. lib. 3. c. 19. (f) Dexteritatem ejus in methodo nondum ab ævo condito quis aſſecutus fuerat, dicit *Lud. Vives* ad *Auguſt.* de civ. Dei lib. 8. c. 12. Dogmata illius ex *Ariſtocle* Peripatetico exponit *Euſebius* lib. 15. c. 2-13. de præp. evang. (g) Mathematicus inter alia inſignis. Oſtendunt hoc *Ioſ. Blancanus* in locis mathemat. *Ariſtot.* Bonon. 1615. 4. & *Phil. Mullerus* in eclogis mathem. ex operibus *Ariſt.* Lipſ. 1625. 8. (h) Cum Athenis inſimularetur, quod Deos contemneret, & juvenes perderet, *Socratis* fatum timens, in Chalcidem abiit, ibique paulo poſt mortuus eſt. *Diog. Laert.* & *Dionyſ. Halicarn.* Sed *Iuſtinus Mart.* in paræn. adverſus gentes ſcribit, eum pudore mortuum, quod naturam Euripi agnoſcere non poſſet. Libri *Ariſtotelis* in Ægyptum tranſlati ſunt; primus enim bibliothecam erexerat, quam *Theophraſto* reliquit, *Theophraſtus Neleo*, *Neleus Ptolomæo Philadelpho* vendidit, exceptis tamen autographis *Ariſtotelis*, quæ demum a Sylla Romam tranſlata ſunt & a *Tyrannione* emendata, operam ſuam addente *Andronico Rhodio*. Vide ea prolixe expoſita apud *Strabonem* lib. 13. Adde *Plutarchum* in Sylla. Judæos gloriari, *Ariſtotelem* ante obitum religionem Judaicam amplexum fuiſſe, refert *Ioh. a Lent*, th. D. & prof. Herborn. in moderna theol. Judaica cap. 1. Herborn. 1694. 4. *Ariſtotelem* a quibusdam divis annumeratum, & præcurſorem *Chriſti* in naturalibus, ut *Iohannem* in ſpiritualibus habitum notat *Ioh. Balæus* de ſcript. Britann. cent. 14. in append. ad *Ioh. Majorem*. Lege de *Ariſtotele Ioh. Alb. Fabricium* bibl. Gr. l. 3. cap. 6. 7. it. *Ioh. Barbeyrac* in præf. ad jus nat. & gent. §. 23.

§. 18. (a) Tyrtamus antea dictus, ab *Ariſtotele* ob divinum eloquium nomen mutatum. Lege vitam apud *Diog. Laert.* lib. 5. c. 2. & *Heſychium*. Adde *Io. Meurſii* Theophraſtum. De ſucceſſione ab Ariſt. addicta lege *A. Gellium* noct. Att. lib. 13. c. 5. *I. A. Fabric.* l. 3. cap. 9. bibl. Gr. (b) Vita apud *Diog. Laert.* lib. 5. c. 3. De eo lege *Franc. Patricium* diſcuſſ. Peripat. p. 133. & 153. ſeq. *I. A. Fabricius* l. 3. cap. 11. bibl. Gr. (c) Attali amicus cultu mundiſſimus, valido & athletico corpore. *Diog. Laert.* lib. 5. c. 4. Lege de ſucceſſione *Ioh. Ionſium* de ſcript. hiſt. phil. lib. 1. c. 11. & omnes Peripateticos ord. alphabet. apud *I. A. Fabric.* bibl. Gr. l. 3. c. 11. (d) Athenis CCCLX. ſta-

thecarius Alexandrinus; *Heraclites Ponticus*, (e) ob ſuperbiam *Pompicus* dictus, multorum librorum autor; *Critolaus*, (f) legatus cum *Carneade* & *Diogene* Romam miſſus, aliique. Cauſa deficientis ſectæ hujus in librorum defectu quærenda; cum enim bibliotheca *Ariſtotelis* per (g) *Neleum* vendita in Ægyptum translata eſſet, ipſius autem *Ariſtotelis* libri poſt *Neleum* in manus indoctorum veniſſent, ab iis ſub terra in foſſa quadam occultati ſunt, ne a Regibus Pergamenis, libros undique conquirentibus, aufferrentur. Erutos hos tandem *Apellicon Tejus* magno pretio redemit, quamvis lacunis pleniſſimos; eosque demum *Sylla* Athenis captis Romam transtulit; ſicque cum libris ipſa Peripateticorum philoſophia Romam migravit.

§. 19. Præter has ſectas celebriores, non paucæ erant famæ minoris, quæ maximam partem ex *Socratis* ſchola prodierant. Talis erat ſecta *Cyrenaicorum*, ab (a) *Ariſtippo Socratis* auditore, condita, quem, cum lautius viveret, & in voluptate corporis ſenſus titillante ſummum bonum quæreret, *Dionyſiique* aulam ad omne genus deliciarum promtus frequentaret, *Diogenes* canem regium appellavit. Illius tamen philoſophiam filia *Arete* continuavit, & in filium *Ariſtippum*, qui exinde *Metrodidactus* vocatur, propagavit. (b) Fuerunt & alii ejus ſucceſſores, qui iterum in tres ſectas *Hegeſiacorum*, *Anniceriorum*, & *Theodoriorum* diviſi ſunt; ſed eorum omnium vix ſola nomina reſtant. Idem de *Elienſi* ſecta dicendum, cui *Phædon* (c) Elienſis, ſervus antea, tum *Socratis* ſuaſu ab *Alcibiade* emtus, nomen dedit, eamque per *Pliſtanum* Elienſem ad *Menedemum* (d) Eretrienſem propagavit, a quo ſectæ nomen mutatum, quæ inde *Eretrienſis* dici cœpit.

§. 20. Inter *Socratis* auditores etiam *Euclides* (a) Megarenſis erat, cum ſumma moleſtia (b) periculoque magiſtrum audiens, qui poſt *Socratis* mortem *ſectæ Megarenſis* autor extitit, quæ, cum dialecticam & argumenta captioſa exerceret, *eriſtica* dicta eſt. Hujus ſcholam continuarunt (c) *Eubulides Mileſius*, (d) *Clitomachus Thurius*, *Stilpo* (e) *Megarenſis*, & alii, quorum tamen parva tantum notitia reſtat. *Cynici* ex eadem *Socratis* ſchola prodierunt, *Antiſthene* (f) autore, qui cum in loco (g) *κυνόσαργες* dicto doceret, nomen ſectæ inde ſumptum fuit, quamvis alii alias nominis rationes adferant. Hic *Antiſthenes*, cum ſucceſſoribus ſuis, (h) *Diogene*, (i) *Oneſicrito*, (k) *Cratete Thebano*, ejusque uxore (l) *Hipparchia*, *Menippo*, (m) aliisque docebat: ſapientem contemptis omnibus terrenis rebus ex ſola virtute vivere, hinc nec opum, nec aliarum rerum indigere; fuitque eorum doctrina in multis laudanda, ſi impudentiam excipias, qua omne, quod contra honeſtatem non erat, in aperto ſuſcipiebant.

§. 21. Viſis plurimis Græcorum eruditorum ſectis pauca de iis adjicienda ſunt, qui vel philoſophorum nomen non meruerunt, vel certam ſectam non conſtituerunt. Illud de *Pyrrhoniis* ſeu *Scepticis* dicendum, quibus *Pyrrho* (a) *Eleus Theophraſti* & *Epicuri* coætaneus, originem dedit. Hi *media academia* placita ſuſcipientes, etiam illud ſe neſcire dicebant, quod nihil ſcirent, omnibusque rebus incertitudinem adſcribebant. Præter hos autem nonnulli erant, qui in nullius magiſtri verba jurantes, ex ſingulis ſectis optima ſibi eligebant. Horum vero parvus numerus erat, donec tandem circa nativitatis Chriſti tempora (b) *Potamon Alexandrinus* aliorum ingenia ad hanc *eclectivam* philoſophiam excitaret.

§. 22. Cum

---

tuis æneis honoratus. *Diog. Laert.* lib. 5. c. 5. Bibliothecarium Alexandrinum fuiſſe variis argumentis negat *Humfr. Hody* in diſſert. contra *Ariſtea* librum Oxon. 1585 8. Lege *Voſſium* de hiſt. Gr. l. 1. cap. 12. *I. A. Fabricium* B. Gr. lib. 3. c. 11. (e) Tumenti corpore, veſte mollicula. vide *Diog. Laert.* lib. 5. c. 6. *Voſſium* de hiſt. Gr. l. 1. c. 19. (f) Lege *A. Gellium* noct. Att. lib. 9. c. 5. *Macrob.* ſaturn. lib. 1. c. 5. (g) Hæc omnia apud *Strabonem* lib. 13.

§. 19. (a) Noverat omnem convenientiæ rationem ſimulare, hinc *Dionyſio* chariſſimus erat. vid. *Diog. Laertium* prolixe lib. 2. c. 8. adde *Voſſium* de hiſt. Gr. lib. 4. c. 8. & *Ioh. Alb. Fabric.* bibl. Gr. l. 2. c. 23. §. 33. De eo quædam habet *Horat.* l. 1. epiſt. 17. & lib. 2. ſerm. ſat. 3. (b) Hæc omnia *Diog. Laert.* in *Ariſtippo* l. 2. c. 8. & paucis *I. A. Fabric.* l. 2. c. 33. ſ. ult. bibl. Gr. (c) E nobili familia, ſed cum patria captus, intra ſellulam infami quæſtui ſe addicere coactus. Lege *Diog. Laert.* l. 2. c. 9. ubi & *Pliſtanus* citatur. adde *A. Gellium* l. 2. c. 18. *Fabric.* l. 2. c. 23. §. 39. bibl. Gr. (d) Miſſus miles ab Eretrienſibus in Megaram, præſidio futurus, ad Platonem contendit, inque illius retia non invitus incidit, deſeruitque militiam. Lege vitam prolixe apud *Diog. Laert.* lib. 2. c. 18. adde *Fabricium* bibl. Gr. l. 2. c. 23. §. 38.

§. 20. (a) Alius a mathematico, qui tempore *Ptolom. Lagi* vixit. Vita hujus apud *Diog. Laert.* l. 2. c. 10. adde *I. A. Fabricium* bibl. Gr. l. 2. c. 23. (b) *Megarenſibus Athenas* venire capitale erat, hinc fœmineo habitu indutus eo venit. *A. Gellius* lib. 6. c. 10. (c) *Ariſtotelis* hoſtis acerrimus. *Diog. Laertius* lib. 2. c. 10. (d) Ejus mentio apud *Diog. Laert.* lib. 2. c. 11. in *Diodoro Crono*. Alius a *Clitomacho* Carthag. ſupra §. 14. citato. (e) Vir compoſitiſſimus & optimus. *Diog. Laert.* lib. 2. c. 12. *I. A. Fabricius* l. 2. c. 23. §. 43. in addendis. (f) *Platonis* hoſte. Vita apud *Diog. Laert.* lib. 6. c. 1. adde *I. A. Fabric.* l. 3. c. 13. bibl. Gr. (g) Nominis rationem tradit *Suidas* in voce *κυνόσαργες*. Lege *Joh. Meurſium* in Athenis Atticis l. 2. c. 2. *Sextus Empiricus* in Pyrrh. hypothetibus dicit, eos *Cynicos* nominari, quod canis inſtar bonos tuerentur, malos allatrarent. (h) *Diog. Laert.* lib. 6. c. 2. Multa de eo *Ælianus* paſſim, præcipue l. 10. c. 16. adde *I. A. Fabric.* lib. 3. c. 13. (i) *Diog. Laert.* lib. 6. c. 3. adde *Ælian.* lib. 3. c. 6. *Voſſium* de hiſt. Gr. lib. 1. c. 10. (k) *Diog. Laert.* lib. 6. c. 4. adde *Ælian.* lib. 3. c. 6. var. Vir magnæ autoritatis. Lege de eo *Fabricium* bibl. Gr. lib. 3. c. 13. de epiſtolis l. 2. c. 10. §. 11. de tragœdiis l. 2. c. 19. (l) Vita apud *Diog. Laertium* lib. 6. cap. 7. Ab amore *Cratetis* ſe non avelli patiebatur, licet ipſe ſuaderet. Lege *Ægid. Menagium* in hiſt. mulier. philoſopharum pag. 37. (m) *Diog. Laert.* lib. 6. c. 8. Libri illius riſu pleni, hinc *Satyra Menippea* denominatur. Lege *Fabricium* bibl. Gr. l. 3. c. 13. Principia Cynicorum moralia exponit *Ioh. Barbeyrac* in præf. ad jus nat. & gent. §. 21.

§. 21. (a) Vita prolixe apud *Diog. Laert.* lib. 9. c. 11. Compendioſe de Pyrrhone & ſecta agit *Euſebius* lib. 14. c. 18. de præp. evangel. Præ cæteris *Sextus Empiricus* (ſub Antonino Pio vivens) legendus in Pyrrhoniarum hypotheſium libris 3. qui cum *Henr. Stephani* verſione prodiere Genevæ 1621. fol. Adde *Voſſium* de phil. ſectis cap. 13. *I. A. Fabricium* bibl. Gr. l. 3. c. 33. ubi catalogus Scepticorum habetur. (b) Eum *Diog. Laert.* in præfatione citat. Ante Auguſtum & poſt eum vixiſſe *Suidas* refert. Lege *Voſſium* cap. 12. de philoſ. ſectis & *I. A. Fabric.* l. 3. c. 33. ſ. ult. bibl. Gr.

§. 22. Cum vero ex Græcis non ii ſolum, qui philoſophis annumerabantur, eruditorum nomen meruerint, ſed & alii extra philoſophorum ſcholas in civili vita verſantes literarum gloria illuſtres evaſerint; hinc iis, quæ de philoſophorum ſectis dicta ſunt, pauca quædam de clarioribus inter Græcos ante Chriſtum natum *hiſtoricis, oratoribus, poetis,* & *mathematicis* adjicienda videntur; ex quorum tamen ingenti numero eos præcipue citandos putamus, quorum opera, vel integra, vel aliqua ex parte noſtro tempori reſervata ſunt.

§. 23. Hiſtoricorum pater inter Græcos merito audit *Herodotus* (a) *Halicarnaſſenſis*, qui puer erat, cum *Xerxes* innumerabili copiarum multitudine Græciam inundaret. Hujus hiſtoriam ſuam publice recitantis æmulatione accendebatur *Thucydides*, (b) eo XIII. annis junior, ad belli Peloponneſiaci hiſtoriam accuratiſſime deſcribendam, cujus labores & publicavit, & feliciſſime continuavit *Xenophon* (c) Apis Attica dictus, *Socratis* diſcipulus, philoſophus egregius, hiſtoricus inſignis, dux bello inclytus, & orator ſuaviſſimus. Huic ad latus ponendus eſſet *Theopompus Chius*, (d) diligentiſſimus & acuratiſſimus *Thucydidis* continuator, niſi *hiſtoria* illius *Philippica*, vaſtum opus, magno veteris hiſtoriæ detrimento periiſſet. Adduci hic &, præter multos alios, quorum ſcripta ſolo nomine nota ſunt, *Beroſus*, (e) *Manethos Sebennyta* (f) & *Ariſteas* (g) deberent, niſi ea, quæ eorundem nomine circumferuntur, inter ſuppoſititia referenda eſſent. Unicus adhuc minime omittendus, *Polybius Megapolitanus*, (h) *Scipionis Æmiliani* in Punica expeditione ſocius, e cujus tamen XL. hiſtoriarum libris, præter V. priores, non niſi exigua excerpta ſuperſunt.

§. 24. Oratorum laude olim Græciam quam maxime floruiſſe in vulgus notum eſt, inter quos ſine dubio *Pericles* (a) agmen ducit, quamvis vix quicquam laborum illius ad noſtra tempora pervenerit. Paulo poſt eundem inclaruerunt *Antiphon*, (b) *Andocides*, (c) *Lyſias*, (d) *Gorgias Leontinus*, (e) *Iſæus*, (f) & qui omnes perſpicuitate dictionis, & ſententiarum gravitate ſuperavit, *Iſocrates*. (g) In mediis Græciæ cladibus, circa Macedonicæ ſuppreſſionis tempora oratoriam laudem præ cæteris aſſecuti ſunt: Princeps oratorum *Demoſthenes*, (h) illiuſque adverſarius *Æſchines*, (i) *Dema-*

---

§. 23. (a) Halicarnaſſi natus, *Thurius* dictus, quod coloniæ Athenienſium, *Thurium* in ſinu Tarentino miſſæ, ſocius eſſet. Scripſit IX. hiſtoriarum libros, Muſarum nomine dici ſolitos. Hiſtoricorum pater a *Cicerone* lib. 1. de leg. dicitur. Accuſarunt eum fabuloſitatis *Harpocration Ælius* (*Suida teſte*) & *Strabo* lib. 17. *Plutarchus* libellum de malignitate *Herodoti* reliquit. Hos refutat *Henr. Stephanus* in ampla apologia pro *Herodoto*. Lege & *Dionyſ. Halicarnaſ.* in collatione *Herodoti* & *Thucydidis*; *Voſſium* de hiſt. Gr. l. 1. c. 3. & præ cæteris *Ioh. Alb. Fabricium* bibl. Gr. l. 2. c. 20. (b) *Olori* fil. cujus ætas æque ac *Herodoti* ab *A. Gellio* exponitur l. 15. c. 23. Scripſit æmulatione *Herodoti* (*Photius* cod. 60.) quæ ipſe viderat, geſta ſcilicet priorum 20. annorum belli Peloponneſiaci, optima fide, judicio incomparabili, ſtylo licet obſcuriori. Lege vitam *Thucydidis* a Marcellino ſcriptam, & plurimis editionibus additam, encomium ejuſdem apud *Aphthonium* in progymn. *Voſſium* de hiſt. Gr. lib. 1. c. 4. *I. A. Fabricium* in bibl. Gr. lib. 2. cap. 25. ubi & de *Cteſia, Artaxerxis* Mnemonis medico, ejuſque ſcriptis, quorum pauca modo excerpta reſtant, legendum. (c) *Grylli* fil. Athenienſis, dux Græcorum *Cyrum* juniorem contra fratrem *Artaxerxem Mnemonem* juvantium, redux inde, & patria excluſus, Spartæ conſenuit. Scripſit Cyropædiam libris 8. de expeditione Cyri (cui ipſe interfuit) lib. 7. hiſtoriarum Græc. lib. 7. quæ *Thucydidem* continuant, & 48. annorum geſta continent; de Ageſilao librum, & alia minora. Lege de eo *Diod. Sicul.* lib. 14. *Diog. Laert.* l. 2. c. 6. *Voſſium* de hiſt. Græc. lib. 1. c. 5. *I. A. Fabric.* biblioth. Gr. lib. 3. c. 4. (d) Sub *Artaxerxe Ocho*, & *Philippo* Maced. vixit, & præter alia Philippicæ hiſtoriæ libros 58. ſcripſit, ut *Diod. Siculus* docet lib. 16. & *Photius* cod. 176. Maledicentiſſimus dicitur a *Corn. Nepote* in *Alcibiade*, fabulator ab Æliano var. lib. 3. cap. 18. Lege *Voſſium* de hiſt. Gr. lib. 1. c. 7. *Ioh. Ionſium* l. 1. c. 9. de ſcript. hiſt. philoſ. (e) De *Beroſo* ſupra dictum c. 2. §. 10. (f) Flamen ſacrorum, & ſcriba adytorum, ſub *Ptolomæo Philadelpho* in Ægypto, ut ex *Euſebii* chronico patet, ubi & hiſtoriam Ægyptiacam, præcipue ſacram in Græcam linguam tranſtuliſſe dicitur. Adde *Euſebium* de præpar. evangel. l. 2. c. 1. Fragmenta illius multa apud *Ioſephum* contra Apionem lib. 1. & *Euſebium* in chron. habentur. *Manethonis* ſupplementa ad *Beroſum* a *Ioh. Annio Viterb.* edita, nugæ ſunt. Lege *Voſſium* de hiſt. Gr. lib. 1. c. 14. Ed. *Simſon.* in paraſc. ad chron. cathol. p. 4. *I. A. Fabricium* lib. 3. c. 20. bibl, Gr. (g) Vide ſupra cap. 1, §. 17. (h) *Lycorta* fil. e cujus 40. libris modo priores 5. & ſequentium a 6. ad 17. excerpta extant. Lege *Voſſium* de hiſt. Gr. lib. 1. cap. 19. *I. A. Fabric.* bibl. Gr. lib. 3. c. 30.

§. 24. (a) *Xantippi* ducis Athen. fil. orator ſummus, qui tonare in concionibus & fulmen emittere dicebatur; Remp. patriam 40. annis gubernavit. Apud *Thucydidem* 3. orationes illius leguntur, una lib. 1. extr. reliquæ libro 2. Lege vitam illius a *Plutarcho* accurate deſcriptam. Adde *Diod. Sic.* lib. 12. *Ælian.* var. l. 4. c. 10. (b) Rhamnuſius, *Thucydidis* præceptor, *Neſtor* ob prudentiam & facundiam dictus; a populo Athen. occiſus. Extant 16. declamationes quæ illi tribuuntur, ſed dubiæ fidei. Lege de eo *Thucyd.* lib. 8. & vitam apud *Plutarchum* inter X. oratores; item apud *Philoſtratum* in vitis ſophiſt. Adde *Ioh. Alb. Fabric.* bibl. Gr. l. 2. c. 26. (c) *Leogori* fil. Athenienſis, Navarchus in bello inter Corinthios & Corcyræos, teſte *Thucyd.* lib. 1. illius 4. orationes extant, etiam a *Photio* citatæ cod. 261. Vitam habet *Plutarchus* inter X. oratores. Lege *Ioh. Alb. Fabric.* bibl. Gr l. 2. c. 26. (d) *Cephali* Syracuſani fil. Athenis natus. Thurii vixit, unde 47. annis natus rediit, & inter præſtantiſſ. oratores Athenis habitus eſt. Ex 233. orationibus 34. extant. Lege de eo *Plutarchum* in X. rhet. it. *Dionyſ. Halicarn. Diod. Sicul.* l. 12. c. 9. *I. A. Fabric.* bibl. Gr. l. 2. c. 26. (e) Siculus, *Empedoclis* diſcipulus, Athenas miſſus iis ſocietatem cum Leontinis perſuaſit. Orator ſummus, qui auream ſtatuam in Apollinis Pythii templo meruit. Lege *Diod. Sicul.* lib. 12. c. 53. *Philoſtrat.* in vitis ſophiſt. *Voſſium* inſt. orat. lib. 5. cap. 5. §. 2. *I. A. Fabric.* bibl. Gr. lib. 2. cap. 26. §. 5. (f) Chalcidenſis *Lyſiæ* diſcipulus, *Demoſthenis* præceptor. Ex 64. orationibus modo 10. extant. Lege de eo *Plutarch.* in X. rhet. *Philoſtrat.* in vitis ſoph. *Photium* cod. 64. 263. *I. A. Fabric.* bibl. Gr. lib. 2. c. 26. (g) *Theodori* fil. Athenienſis, ad remp. non acceſſit, ſed alios inſtruendo opes & gloriam incomparabilem ſibi acquiſivit; timidus, in elaborando tardus, & nimis ſcrupuloſus, orationes 21. hodie extant, & 6. epiſtolæ. Vitam referunt *Dion. Halicarn.* in antiquis orat. *Plutarchus* in vitis X. rhet. *Philoſtratus* in vitis ſophiſt. Adde *Photium* cod. 260. *Ioh. Alb. Fabric.* lib. 2. c. 26. (h) Athenienſis, *Demoſthenis* Cultellarii fil. balbutie aliiſque naturæ vitiis correctis ſummus orator evaſit; Libertatis Græciæ defenſor, *Philippi* hoſtis acerrimus; ſub *Antipatro* mortem ſibi imminentem vitans, venenum ſumſit. Ejus orationes graviſſimæ & eruditiſſ. extant 62. Vitam prolixe refert *Plutarchus* in vitis parall. & in X. rhet. Adde *Photium* cod. 265. *Ioh. Alb. Fabric.* bibl. Gr. lib. 2. cap. 26. (i) Rhetor, poſt orator Athenienſis, legatus ad Philippum, *Demoſtheni* ſemper contrarius, a quo victus, Rhodum abiit. Orationes illius cum Demoſthenis contrariis edi ſolent. Lege *Plutarch.* de X. orator. *Philoſtrat.* in vitis ſoph. *Photium* cod. 61. *I. A. Fabric.* bibl. Gr. lib. 2.

Digitized by Google

Demades, (k) *Lycurgus* (l) & *Dinarchus*, (m) ex quorum laboribus quædam reſidua ſunt; alios enim ſatis copioſos, quorum ſola in hiſtoricorum ſcriptis memoria ſupereſt, ſtudio prætermittimus.

§. 25. Poetæ inter Græcos celebres tam numero, quam gloria reliquos ſuperant; ex quibus plurimorum quidem ſola nomina reſtant, multorum tamen haud contemnenda monumenta; aut fragmenta ad minimum inter eruditorum delicias numerantur. Ex his, præter *Homerum, Heſiodum* aliosque quos ſupra (a) theologorum nomine citavimus, *Alcman*, (b) *Archilochus*, (c) *Steſichorus*, (d) *Sappho*, (e) & *Alcæus* (f) ante monarchiam Perſicam a Cyro erectam, floruiſſe creduntur, quorum tamen non niſi exigua fragmenta reſtant. Ex longe majori poetarum copia, qui durante monarchia Perſica, ante Darium ab Alexandro victum claruerunt, in ſcriptis ſuis adhuc vivunt: *Simonides*, (g) *Theognis*, (h) *Phocylides*, (i) *Anacreon*, (k) *Æſchylus*, (l) *Pindarus*, (m) *Sophocles*, (n) *Euripides*, (o) *Bacchylides*, (p) & *Ariſtophanes*, (q) flos ille poetarum longe jucundiſſimus. A monarchia Macedonica ab Alexandro erecta, usque ad nativitatis Chriſti tempora celebrium poetarum nomen aſſecuti ſunt: *Simmias Rhodius*, (r) *Theocritus*, (s) *Callimachus*, (t) *Aratus*, (u) *Lycophron*, (vv) *Apollonius*

Rhodius,

c. 26. (k) Ex Natus orator Athenienſis, ſæpe *Demoſtheni* prælatus. Ad Chæroneam a *Philippo* captus, cum tripudiantem coarguit, & libertati redditus eſt. Sub Macedonum imperio patriam rexit, tandem a *Caſſandro* occiſus. Ejus unica oratio hodie extat. Multa de eo *Diodorus Siculus* lib. 17. 18. *Plutarchus* in Demoſth. & Phocione. *Photius* cod. 92. & 245. (l) *Lycophronis* fil. Athenienſis, vir ſeverus, incorruptus & honeſtus, quæſtor publicorum redituum, & magnus orator, ex XX. orationibus illius unica extat contra *Leocratem*. Vita extat apud *Plutarchum* in X. orator. Lege *I. A. Fabric.* bibl. Gr. lib. 2. cap. 26. (m) Corinthius, *Theophraſti* Ereſii diſcipulus, poſt *Demoſthenis* mortem inclaruit, cujus imitator erat. Ex 64. orationibus illius 3. modo extant. Vita ejus deſcripta extat a *Dionyſ. Halicarn.* & *Plutarcho* in X. orator. Adde *Suidam* & *I. A. Fabric.* bibl. Gr. lib. 2. c. 26. extr.

§. 25. (a) Hoc cap. 3. §. 6. (b) Sardianus origine, Laco habitatione, vixit ſub Ardyi Lydiæ Rege, ut *Euſeb.* in chron. docet, homo luxurioſus, Phthiriaſi mortuus. *Plinius* l. 11. c. 33. Habentur exigua illius fragmenta inter poetas veteres tragicos, lyricos, comicos. Lege de eo *Lil. Greg. Gyraldum* in hiſt. poet. dial. 9. *Voſſium* de poet. Gr. cap. 3. *Ioh. Meurſium* in Lacon. *Olaum Borrichium* de poetis diſſ. 2. §. 53. *I. A. Fabric.* bibl. Gr. lib. 2. c. 15. §. 10. (c) Parius, Gygis tempore vixit, ſ. ſub Romulo. Jamborum petulantia notus, quo ſocerum *Lycamben* ad ſuſpendium adegit, ut *Herodotus* lib. 1. docet. Spartanos libros ejus ex urbe ejeciſſe *Val. Max.* lib. 6. c. 3. refert. Exigua fragmenta ejus inter poetas lyricos extant. Lege *Gyrald.* & *Voſſium* l. c. *Borrichium* diſſ. 2. §. 64. *Fabric.* bibl. Gr. l. 2. c. 15. §. 16. (d) Ex urbe Himera Sicil. poeta ſublimis & majeſtate plenus. *Tiſias* vero nomine dictus, cum autem primus chorum cum cytharæ cantu conjungeret, *Steſichorus* vocabatur, ut *Suidas* docet. Ex poematum libris 26. exigua fragmenta reſtant. Lege *Gyrald.* dial. 9. hiſt. poet. *Voſſium* cap. 3. de poet. Græc. *Olaum Borrich.* diſſ. 2. §. 54. *I. A. Fabric.* bibl. Gr. l. 2. c. 15. §. 57. (e) Lesbia, Scamandronymi filia, Cercolæ uxor, Alcæo coætanea, decima Muſa veteribus dicta. Ex ejus epigrammatibus, monodiis, elegiis & jambis pauciſſima fragmenta reſtant per *Paul. Stephanum* collecta. Lege *Gyrald.* dial. 9. *Voſſium* c. 3. *Ol. Borrich.* diſſ. 2. §. 55. *I. A. Fabric.* lib. 2. c. 15. §. 54. (f) Lesbius Mitylenæus, *Pittaci* tempore vixit, ob minaces Camoenas patria pulſus a tyrannis. Pauca modo fragmenta ejus extant, a *Paul. Stephano* & *Mich. Neandro* collecta. Lege *Gyraldum* dial. 9. *Voſſium* cap. 3. *Borrich.* diſſ. 2. §. 56. *Fabricium* l. 2. c. 15. §. 9. (g) Ceus, Pittaci & Themiſtoclis tempore vixit, & ſenex Pindarum inſtituit. Prælia, Marathonium & Salaminium verſu Lyrico deſcripſit, item tragœdias epigrammata & alia paravit, ſed nil niſi fragmenta extant. Lege *Gyrald.* dial. 9. *Voſſium* cap. 3. & 4. de poet. Gr. *Borrich.* diſſ. 2. §. 58. *I. A. Fabricium* bibl. Græc. lib. 2. c. 15. §. 55. (h) Megarenſis Atticus, e nobili genere, Thebas a civibus ſuis in exilium miſſus. Extant ejus Gnomæ, dubium an integræ. Lege *Gyrald.* dial. 3. de hiſt. poet. *Voſſium* cap. 4. de poet. Gr. *Ol. Borrich.* diſſert. 2. init. *I. A. Fabricium* bibl. Gr. lib. 2. c. 11. (i) Mileſius, Theognidi æqualis, poeta epicus a multis antiquorum laudatus; ſed plurima illius interierunt. Carmen Νυθετικὸν, quod a *Mich. Neandro* in opere aureo, & ab aliis editum eſt, recentioris cujusdam Judæi vel Chriſtiani eſſe, multi putant. Lege *Gyraldum* dial. 3. hiſt. poet. *Voſſium* cap. 4. de poet. Gr. *Borrich.* diſſ. 2. §. 50. *I. A. Fabricium* bibl. Gr. l. 2. c. 11. (k) Tejus, ex Jonia, tempore Cyri apud *Hipparchum* Athenarum, & Polycratem, Samiorum tyrannos in honore fuit; acino uvæ ſuffocatus, ut *Plinius* l. 7. c. 7. & *Val. Max.* l. 9. c. 12. docent. Poematum ejus pars minima extat, carmine anacreontico ſatis lepido ſcripta. Lege *Gyrald.* dial. 9. *Voſſium* cap. 4. *Borrichium* diſſ. 2. §. 59. *Fabricium* lib. 2. cap. 15. §. 12. (l) Euphorionis fil. Eleuſinius, miles in pugnis Marathonia, Salaminia, & Platæenſi, poſt tragicus poeta, ex cujus 90. tragœdiis vix 7. integræ extant. De morte ejus *Ælianus* hiſt. animal. lib. 7. c. 16. Lege *Gyrald.* dial. 6. *Voſſium* c. 5. *Borrich.* diſſ. 2. §. 69. *Fabric.* bibl. Gr. l. 2. c. 16. (m) Thebanus, Lyricorum princeps, inimitabilis *Horatio* dictus lib. 4. od. 2. cujus dictio ſublimis, ſententioſa, & figuris magnifica. Lege *Quintiliani* judicium lib. 10. cap. 1. Extant ejus carmina 45. Olympia, Pythia, Nemea, Iſthmia. Vide *Gyraldum* dial. 9. *Voſſium* cap. 5. *Borrich.* diſſ. 2. §. 60. *Fabric.* l. 2. c. 15. (n) Sophili fil. Athen. tragicorum princeps, in affectibus movendis & fictione judicioſa incomparabilis. De morte *Val. Max.* l. 9. c. 12. Ex 123. fabulis 7. modo extant. Lege *Gyrald.* dial. 6. *Voſſium* c. 5. *Borrich.* diſſ. 2. §. 70. *I. A. Fabricium* bibl. Gr. l. 2. cap. 17. (o) *Mneſarchi* fil. Athenienſ. tragicus poeta celeberrimus, *Socrati* familiaris. Ex multis tragœdiis extant 19. integræ, cum 20. initio. Lege *Gyraldum* dial. 6. *Voſſium* c. 5. *Borrich.* diſſ. 2. §. 71. *Fabricium* l. 2. c. 18. bibl. Gr. (p) Ceus, Lyricus poeta, Pindari æmulus. Ex multis ejus poematibus exigua fragmenta reſtant. Lege *Gyrald.* dial. 9. hiſt. poet. *Voſſium* cap. 5. de poet. Gr. *Ol. Borrichium* diſſ. 2. §. 61. de poetis. *I. Alb. Fabricium* bibl. Græc. lib. 2. cap. 15. §. 21. (q) *Philippi* fil. Athenis degens, comœdiæ veteris princeps, ſuavis, ſed aculeatæ facundiæ, nec interdum a ſcurrilitate abſtinens, *Socratem, Alcibiadem* aliosque perſtringens. Ex copioſis ejus comœdiis XI. reſtant. Lege *Gyraldum* dial. 7. *Voſſium* c. 6. *Borrich.* diſſ. 2. §. 81. *I. Alb. Fabric.* bibl. Gr. l. 2. c. 21. (r) Tempore *Ptolemæi Lagi* celebris, cui 3. carmina figurata tribuuntur, ovum, alæ, & ſecuris, quæ *Theocriti* operibus ſubjici ſolent. Lege *Gyraldum* hiſt. poet. dial. 3. *Voſſium* de poet. Gr. c. 8. *Borrichium* diſſ. 1. §. 29. *Fabricium* bibl. Gr. l. 3. c. 17. §. 14. (s) *Praxagoræ* fil. Syracuſanus, poeta ſuaviſſimus, *Ptolemæo* Philadelpho charus, cujus & laudem cecinit. Extant ejus Idyllia, & alia carmina 30. De eo lege *Gyraldum* dial. 3. hiſt. poet. *Voſſium* c. 8. *Borrich.* diſſ. 1. §. 29. *I. A. Fabricium* lib. 3. c. 17. bibl. Græc. (t) *Batti* fil. Cyrenæus, grammaticus & poeta inſignis, *Ptolemæo* Philadelpho & ſucceſſoribus charus, *Apollonii* Rhodii adverſarius, in quem Ibin, poema mordax ſcripſit, polygraphus, ſed tantum 6. hymni extant, cum paucis elegiis. Lege *Gyraldum* dial. 3. *Voſſium* de hiſt. Gr. lib. 1. cap. 15. & de poetis Gr. c. 8. *Ioh. Ionſium* de ſcriptor. hiſt. philoſ. l. 2. c. 5. *Borrich.* diſſ. 1. §. 30. *I. A. Fabricium* bibl. Gr. lib. 3. c. 19. (u) Athenodori fil. Solenſis Cilix, in *Antigoni Gonatæ* aula vitam egit. Ex variis illius operibus ſola phænomena reſtant, quibus ſitus & motus ſtellarum explicantur, cujus extant verſiones *Ciceronis, Germanici Cæſ. & Feſti Avieni.* Lege *Gyraldum* dial. 3. *Voſſium* c. 8. *Borrichium* diſſ. 1. §. 32. *Ioh. And. Schmidium* in diſſ. de Arato. *I. A. Fabric.* bibl. Gr. l. 3. c. 18. (vv) Chalcidenſis grammaticus & poeta tragicus, unus e 7. Plejadibus in aula Ptolemæi Philadelphi. Ex

Rhodius, (x) *Moſchus*, (y) & *Nicander*; (z) reliquos, quorum opera temporis injuria perierunt, brevitatis cauſa omittimus.

§. 26. Haud minor quoque fuit inter Græcos copia illuſtrium mathematicorum, ex quibus præcipuos modo, & quorum ſcripta quædam reſtant, citare volumus. *Thales* (a) omnium primus geometriam ex Ægypto Græciæ intuliſſe dicitur, cujus in Jonica ſecta ſucceſſores *Anaximander*, (b) *Anaximenes*, *Anaxagoras*, & alii eadem ſtudia excoluerunt, quod & *Pythagorai* (c) in Italia præſtiterunt, quorum tamen omnium alibi mentio facta. *Archyta*, (d) *Tarentini*, illuſtris mathematici diſcipulus erat *Eudoxus*, (e) *Cnidius*, aſtronomus & geometra celeberrimus; cui ætate æqualis fuiſſe videtur *Nicomachus*, (f) *Geraſenus*, arithmeticis ſcriptis inſignis, quem tamen *Conringius* & alii ſecundo poſt Chriſtum natum ſeculo floruiſſe putant. Ipſi etiam philoſophorum principes *Plato* (g) & *Ariſtoteles*, (h) magnorum mathematicorum laudem meruerunt, quorum tempore *Autolycus*, (i) aſtronomus haud contemnendus, & paulo poſt eosdem *Theophraſtus* (k) *Ereſius*, & ſummus geometrarum *Euclides* (l) floruerunt. Sub *Ptolemais Aratus* (m) phænomenis, *Apollonius Pergæus* (n) conicorum libris inclaruerunt; poſt quos ſumma matheſeos lumina *Ariſtarchus* (o) *Samius*, & *Archimedes* (p) Syracuſanus magnum ſibi nomen pararunt; quibus paulo juniores *Eratoſthenes* (q) *Cyrenæus*, & *Hipparchus* (r) *Nicænus* ad latus poni merentur. Tandem & *Hero* (s) *Alexandrinus* ſenior, *Geminus* (t) *Rhodius*, & *Theodoſius* (u) *Tripolitanus* huc referendi, quorum monumenta quædam etiamnum mathematicorum deliciis annumerantur.

CAP. IV.

De Italorum eruditione.

§. 1. Supereſt eruditio apud Italos ab antiquiſſimis temporibus exculta, de qua quædam ſuperaddenda ſunt. Quamvis (a) *Sybillæ* Italicæ, *Cimmeria*, *Samia*, *Cumana*, *Tiburtina*, huc referendæ videantur, earum tamen ætas & omnia incerta ſunt. Certior eſt *Pythagora* eruditio, quæ multos admiratores invenit, & per aliquot ſecula continuata, *Italica*, (b) *philoſophia* nomen geſſit. *Pythagoras* (c) ex ſcholis *Pherecydis Syri*, ſacerdotum *Ægyptiorum*, Chaldæorumque, tantam ſapientiam in patriam

multis ejus tragœdiis unica Alexandra reſtat, Drama obſcuriſſimum, in quod *Iſaaci Tzetzæ* commentarius extat. Lege *Gyrald.* dial. 3. *Voſſium* de poet. Gr. c. 8. *Borrichium* diſſ. 2. §. 76. *Fabricium* bibl. Gr. lib. 3. cap. 16. (x) Naucratites Ægyptius juxta *Athenæum*, ſed Rhodius profeſſione rhetorica, poſtea bibliothecarius Alexandrinus poſt Eratoſthenem. Ejus libri 4. Ἀργοναυτικῶν habentur heroico carmine ſcripti. Vide *Gyraldum* dial. 3. *Voſſium* de hiſt. Gr. l. 1. c. 16. & de poetis Gr. cap. 8. *Borrichium* diſſ. 1. §. 37. *Fabricium* bibl. Gr. lib. 3. c. 21. (y) Syracuſanus, ſub *Ptolemæo* Philometore clarus, poeta bucolicus ſuaviſſimus, cujus quædam Idyllia reſtant, cum *Theocriti* carminibus miſceri aut edi ſolita. Lege *Gyrald.* dial. 3. *Voſſium* cap. 8. de poet. Gr. *Borrichium* diſſ. 1. §. 35. *Fabricium* bibl. Gr. l. 3. c. 17. §. 12. (z) *Damnæi* fil. Colophonius, ſub *Ptolemæo Phyſcone* & *Attalo* ultimo Rege Pergameno clarus, medicus & poeta. Ex multis ejus ſcriptis reſtant 2. carmina, theriaca, & alexipharmaca. Lege *Gyraldum* dial. 3. *Voſſium* cap. 3. de poetis Græcis, & de hiſt. Gr. l. 4. c. 14. *Borrichium* diſſ. 1. §. 36. *I. A. Fabricium* bibl. Gr. lib. 3. c. 26.

§. 26. (a) *Diogene Laert.* lib. 1. c. 1. & *Apulejo* lib. 4. Florid. teſtibus. De Thalete ſupra egimus cap. 3. §. 7. (b) De his ſupra c. 3. §. 8. (c) Vide infra c. 4. §. 1. 2. (d) De eo infra c. 4. §. 2. adde *I. A. Fabric.* bibl. Gr. lib. 2. c. 23. (e) Æſchinis fil. Cnidius ab urbe patria in Peninſula Cariæ dictus, citatus infra c. 4. §. 2. Adde *I. A. Fabric.* bibl. Gr. l. 3. c. 5. §. 9. (f) Huc *Nicomachum* referunt *Ioſephus Blancanus* in chronol. mathematicorum & *Voſſius* de ſcient. mathemat. c. 22. §. 4. vide & eundem cap. 10. §. 1. (g) Spectat huc ſcholæ Platonicæ inſcriptio: οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω. vide de *Platone* ſupra c. 3. §. 11. (h) Vide *Ioſ. Blancani* loca mathematica Ariſtotelis, & *Phil. Mülleri* profeſſ. math. Lipſ. eclogas mathem. ex Ariſtotelis operibus. De *Ariſtotele* ſupra cap. 3. §. 17. (i) Pitanæus, ex Æolide, præceptor *Arceſilai*. Extant ejus liber de ſphæra, & de vario ortu & occaſu ſiderum inerrantium. Vide *Voſſium* de ſcient. mathem. c. 33. §. 14. *Fabric.* B. Gr. l. 3. c. 5. §. 13. (k) De eo ſupra c. 3. §. 18. (l) Non confundendus cum *Euclide* Megarenſi, ſupra c. 3. §. 20. deſcripto; hic enim 90. annis junior fuit; & ſub *Ptolom. Lagi* claruit, princeps mathematicorum. Reliquit elementorum lib. 15. Data, iſagogen harmonicam, phænomena, elementa optica & alia. Lege *Voſſium* de ſcient. math. cap. 15. & fuſe agentem *I. A. Fabric.* bibl. Gr. lib. 3. c. 14. (m) Vide §. anteced. lit. u. (n) a Perga urbe Pamphiliæ dictus; ſub *Ptolemæo* Evergete I. Pergami & Alexandri vixit. Scripſit 8. libros conicorum, ex quibus 4. priores Latine verſi habentur; tres ſequentes ex Arabico verſi prodiere. Lege *Voſſium* de ſcient. mathem. c. 26. *I. A. Fabricii* bibl Gr. lib. 3. cap. 22. (o) Tempore Cleanthis Stoici, ſucceſſoris Zenonis vixit, a quo impietatis accuſatus, quod terram moveri docuiſſet; quod *Plutarchus* in lib. de facie in orbe lunæ refert. Extat ejus liber de magnitudinibus & diſtantiis ſolis & lunæ. Lege *Voſſium* de ſcient. mathem. cap. 33. *Fabricium* lib. 3. c. 5. §. 14. (p) Ex illuſtri genere, geometra ſummus, quam artem ad machinas ſucceſſu mirando adhibuit. Lege *Livium* lib. 25. c. 31. & *Plutarch.* in Marcello. Mortem *Archimedis* habent *Val. Max.* lib. 8. cap. 7. *Plinius* lib. 7. c. 47. Extant ejus libri de ſphæra & cylindro, de circuli dimenſione, de planis æquiponderantibus, de conoidibus & ſphæroidibus &c. Lege *Voſſium* de ſcient. math. cap. 48. *Fabricium* bibl. Gr. lib. 3. c. 22. (q) Βῆτα eruditorum, philologus & mathem. ſummus, præfectus biblioth. Alexandrinæ ſub Ptolomæo Philopatore. Extat libellus ejus καταστερισμῶν. Lege *Voſſium* de ſcient. math. c. 33. & 47. & de hiſt. Gr. lib 1. cap. 17. *Ioh. Ionſium* de ſcript. hiſt. philoſ. lib. 2. c. 7. *Fabricium* lib. 3. c. 18. §. 12. (r) In Bithynia & Rhodo diligens obſervator aſtrorum. Lege *Plinium* lib. 2. c. 12. & 26. Ejus 3. libri ad Arati phænomena extant. Lege *I. A. Fabric.* bibl. Gr. lib. 3. c. 5. §. 19. (s) Senior, ſub Ptolom. Evergete II. non confundendus cum juniore, qui a *Conringio* ſec. V. c 2. citatur. Lege *Voſſium* de ſcient math. cap. 27. §. 8. & cap 48. §. 8. Extant ejus ſpiritualia, avtomata, balliſtica. Vid. *Fabric.* l. 3. c. 24. §. 7. (t) *Pompeji* & *Ciceronis* ævo, Romæ fortaſſis vixit; *Ioſephus Blancanus* & alii ad ſecul. IV. referunt. Scripſit iſagogen ſphæricam. Vide *Voſſium* de ſcient. math. cap. 16. §. 5. & cap. 33. §. 7. *Fabricium* lib. 3. c. 5. §. 20. (u) Afer, tempore Pompeji. Illius extant ſphæricorum libri 3. & libellus de diebus & noctibus. Vide *Voſſium* de ſcient. math. cap. 33. §. 8. cap. 16. §. 6. *I. A. Fabricium* bibl. Gr. lib. 3. c. 5. §. 16.

§. 1. (a) De Sybillis ſupra cap. 2. §. 10. (b) Legatur *Ioh. Schefferi* philoſophia Italica, ſeu de natura & conſtitut. philoſ. Pythagoricæ libri 8. Upſal. 1664. 8. it. *Ioh. Schilteri* diſſ. de diſciplina Pythag. Jenæ 1676. 8. (c) Mneſarchi gemmarum ſculptoris filius. Deſcribitur a *Diog. Laertio* l. 8. c. 1. *Porphyrio* in vita *Pythag.* *Iamblichi* libellus de vita *Pythagoræ* extat cum *Deſid. Haraldi* obſerv. editus Pariſ. 1599. Sed *Luc. Holſtenius* lib. 1. de vita Pythagoræ (Rom. 1630. 8.) ſe alios 2. libros Jamblichi habere dicit, quorum editionem

patriam retulit, ut non modo vivens omnibus admirationi eſſet, ſed & poſt mortem a Metapontinis adoraretur, ut *Juſtinus* (d) teſtatur. Summus *mathematicus* erat, aliisque ſcientiis inclytus, ad quas auditores ſuos quinquennali (e) ſilentio præparabat. Multis tamen vanitatibus refertam illius philoſophiam fuiſſe, ex rebus *magicis*, quas tractavit, & (f) *metempſychoſi* aſſerta apparet.

§. 2. Prout autem *Pythagoras* a ſcholis ſuis ſexum ſequiorem non excludebat, ita & ei in docendo ſucceſſit uxor *Theano*, (a) quæ & nonnulla carminice ſcripta reliquiſſe dicitur. Tum *Telauges* (b) & *Mneſarchus* filii Pythagoræ docuerunt, ex quorum ſchola *Empedocles* (c) *Agrigentinus* prodiit, præcipuum ſui temporis ornamentum, qui egregie cultus, & aurea corona redimitus incedere ſolebat. Poſt eum præter alios *Archytas* (d) *Tarentinus*, ſummus mathematicus, Platoniſque amicus, *Philolaus* (e) *Crotoniata*, ex cujus libris Plato multa didiciſſe dicitur, *Eudoxus*, (f) *Archytæ* diſcipulus, aſtronomus ſummus; qui cum *Philolao* terram moveri ſtatuebat, *Timæus* (g) *Locrus*, qui de anima mundi ſcripſit, *Lyſis* (h) *Tarentinus*, aureorum carminum autor, & *Ocellus Lucanus*, (i) cujus liber de natura univerſi adhuc hodie ſupereſt, clari Pythagoræi exſtiterunt, quibus tamen fere omnibus jactantiæ macula adhærebat.

§. 3. Ante Pythagoræ tempora jam *Hetruſca diſciplina* in Italia floruerat, cujus initia ad *Tagem* (a) quendam referuntur, quæ tamen in meris fere auguriorum vanitatibus conſiſtebat. Poſt Romam conditam primus eruditionis laudem merebatur (b) *Numa Pompilius*, conſultiſſimus vir omnis divini ac humani juris, qui non *Pythagoræ* artibus, quo ipſo antiquior erat, ſed ſuopte ingenio virtutem colens, diſciplina tetrica ac triſti veterum *Sabinorum* excultus erat, ut *Livius* (c) de eo teſtatur. Hujus libri cum demortui corpore arcæ lapideæ incluſi, usque ad bellum Punicum ſecundum ſub terra ſepulti jacuerunt, ubi demum *Cornelio* & *Bebio* Coſſ. ſub Janiculo a foſſoribus inventi, (d) cumque omnem religionem everterent, facto SCto publice cremati ſunt.

§. 4. Poſt bella Punica eruditio magis coli inter (a) Romanos cœpit, ita tamen, ut teſte *Gellio*, (b) ſapientes legum cognitioni primario operam darent; cui rei non parvum jam olim emolumentum

promittit. Idem promittit *Thom. Gale*, in opuſculis mythologicis Cantabr. 1671. editis. Prodiit *Iamblichi* liber de vit. Pythag. cum nova verſione *Lud. Cuſteri*, it. *Porphyrius* de vit. Pythag. cum *Luc. Holſtenii* & *Conr. Rittershuſ.* notis, & anonym. vit. Pythag. apud *Photium* Amſtel. 1707. 4. Accuratius vitam Pythag. diſpoſuit *And. Dacerius*, & cum aliis huc ſpect. edidit Pariſ. 1706. 12. (d) Libro 20. c. 4. ubi multa de *Pythagora*. (e) Tempus non definitum. Lege *A. Gellium* noct. Att. lib. 1. cap. 9. (f) Se primum *Æthalidem*, *Mercurii* fil. fuiſſe dicebat, tum *Euphorbum*, deinde *Hermotimum*, poſtea *Pyrrhum* piſcatorem quemdam; demum *Pythagoram*. Anglus quidam qui ſe in dedicatione *Whiteloke Bulſtrode* vocat, tentamine edito Lond. 1692. 8. Anglice, Pythagoram defendit, quod *metempſychoſin* de anima ſenſitiva & vegetativa modo intellexerit. Multa *Pythagoram* a Judæis didiciſſe *Joſephus* lib. 1. cont. Appionem aſſerit. Sed eum circumciſum, religionem Judæorum aſſumſiſſe *Ioh. de Pineda* in Salomone prævio lib. 3. c. 28. §. 10. docet, de qua re agit *Godofr. Rabnerus* in amœnitatibus hiſt. philologicis, programm. 16. (Lipſ. 1695. 8.) *Carmelitæ Biterris* in provincia Toloſana, theſibus an. 1652. publice propoſitis, Pythagoram in Carmelitarum numerum receperunt, quod illis objicit *Dan. Papebrochius* in reſponſ. adverſus *Seb. a S. Paulo* Antw. 1696. 4. Huc ſpectat *Joh. Frid. Meyeri* diſput. Hamb. 1700. reſp. *Dan. Bandeco* habita: utrum *Pythagoras* Judæus, aut Carmelita fuerit? Lege plurima de *Pythagora* in *Ioh. Alb. Fabricii* bibl. Græc. lib. 2 c. 12.

§. 2. (a) Vid. *Suidam* in voce Θεανώ. Quædam illius citat *Clem. Alexandr.* lib. 4. ſtrom. Epiſtolas quasdam illius *Henricus Stephanus Diogeni Laertio* adjecit. Prolixius de ea agit *Ægid. Menagius* in hiſt. mulierum philoſopharum §. 79. ſeqq. Adde *I. A. Fabricium* bibl. Græc. lib. 2. c. 13. (b) *Euſeb.* lib. 10. c. 3. præp. evang. *Æg. Menagius* in hiſt. mulierum philoſopharum §. 81. de *Telaugis* libro. De tetracty *Pythagoræ* agit *God. Wandelinus* in diſſ. de Tetracty Pythagoræ ad *Eryc. Puteanum* an. 1637. (c) *Diog. Laertius* lib. 8. c. 2. De morte illius *Horatius* in arte poet. qs. extr.

- - - - - Deus immortalis haberi
Dum putat *Empedocles*, ardentem frigidus Ætnam
Inſiliit.

De *Empedocle* fuſius agit, ejusque ſphæram addit *Ioh. Alb. Fabricius* bibl. Græc. lib. 2. c. 12. §. 8. ſeqq. (d) Vita apud *Diog. Laert.* lib. 8. c. 4. ubi & literæ illius ad Platonem habentur. Legatur erudita diſſert. de *Archyta Ioh. Andr. Schmidii* Jenæ 1683. habita. Extat Archytæ libellus, περὶ τῦ παντὸς φύσεως. Lege *I. A. Fabricium* bibl. Græc. lib. 2. c. 13. (e) *Diog. Laert.* lib. 8. c. 7. Librum illius de ſecta Pythagoræorum *Plato* C. minis mercatus fuit. *A. Gellius* lib. 3. c. 17. noct. Attic. Varia de eo collegit *I. A. Fabricius* bibl. Græc. lib. 2. c. 13. (f) Non Italus, ſed *Cnidius*; diu tamen in Italia vixit. *Diog. Laertius* lib. 8. c. 8. Add. *Cicero* lib. 2. de divin. *Strabo* lib. 2. *Cenſorinus* c. 18. de die natali. Fuſe de eo agit *I. A. Fabricius* l. 3. c. 5. §. 9. (g) Lege de *Timæo Ioh. Ionſium* de ſcript. hiſt. philoſ. lib. 1. cap. 6. De eo & aliis omnibus *Ioh. Schefferum* in libro ſupra citato, & *Fabricium* l. 2. c. 13. (h) Aureorum carminum autorem fuiſſe *Diog. Laert.* in Pythag. indicat. Edidit ea noviſſime & comment. illuſtravit, cum ethica Pythagoræa *Mag. Dan. Omeis* Altorf. 1693. 8 Epiſtola illius notabilis habetur inter opuſcula mytholog. a *Th. Gale* edita. Adde *I. A. Fabricium* lib. 2. c. 10. §. 32 (i) Tempus illius incertum, libellus περὶ παντὸς per *Ludov. Nogarolam* verſus, & cum notis editus apud *Commelin.* 1596. in 8. Tum & *Car. Eman. Vizzanius* vertit, & cum comment. edidit Bonon. 1646. 4. Edidit & *Thom. Gale* cum aliis opuſculis mythologicis antiquis Cantabr. 1671. quæ editio cura *Marci Meibomii* repetita Amſtelod. 1688. 8. ubi *Timæi Locri* de animâ mundi & natura opuſculum additum. *Thom. Burnetius* in archæol. philoſ. lib. 1. c. 11. *Ocelli* librum pro ſuppoſititio habet. Lege *Caſp. Barthium* adverſar. lib. 42. c. 1. & *I. A. Fabricium* bibl. Græc. lib. 2. c. 13.

§. 3. (a) De eo *Ovidius* metam. ult. indigenæ dixere *Tagem*, qui primus *Etruſcam* edocuit gentem, caſus aperire futuros. Lege *Val. Max.* lib. 1. c. 1. init. (b) Pythagoræus fuiſſe dicitur ab *Ovidio*, *Plutarcho*, *Clemente Alex.* apud *Euſeb.* lib. 9. c. 3. de præp. evang. ſed *Livius* probat, *Pythagoram* integro ſeculo poſt *Numam*, *Tarquini* Sup. tempore in Italiam rediiſſe. (c) Lib. 1. cap. 10. quo genere diſciplinæ nullum quondam incorruptius fuiſſe dicit. (d) Inventæ 2. arcæ, in quarum una corpus Numæ, quod tamen penitus evaſerat, in altera 7. libri latini de jure Pontificio ſeu de ritu ſacrorum, item 7. libri Græci de diſciplina ſapientiæ, quibus omnis religio evertebatur. Lege omnia ſpecialiſſime deſcripta a *Livio* lib 40. c. 29. & *Val. Max.* lib. 1. c. 1. §. 12. Adde *Plinium* lib. 13 c. 13. hiſt. nat. *Lactantium* lib. 1. c. 22. div. inſtit. *Auguſtinum* de civ. Dei lib. 7. c. 14.

§. 4. (a) Legatur *Pagnini Gaudentii* liber de philoſophiæ apud Romanos origine & progreſſu. Piſis 1645. 4. (b) Veteres juris magiſtri, qui ſapientes appellati ſunt. Noct.

tum dederat *C. Flavius Scriba*, Ædilis Curulis, (c) qui jus civile Romanum, in penetralibus Pontificum antea reconditum, evulgaverat, & faſtos in foro propoſuerat. Tempore Punici belli primi hiſtoriam inter Romanos primus ſcribere *Saturnio verſu* (d) cœpit *Cn. Nævius*, qui uno volumine bellum hoc, cui ipſe interfuerat, deſcripſit. Idem & primus *fabulas* publice exhibuit, ſed irritata per ſatyricam licentiam (e) familia *Metellorum*, *Uticam* fugere coactus eſt; quanquam alii L. *Livium Andronicum* (f) primas Romæ fabulas exhibuiſſe contendant. Tempore ſecundi belli Punici ſecutus eſt *Q. Ennius* (g) qui primus epico carmine hiſtoriam Romanam; præterque eam ſatyras, comœdias atque tragœdias ſcripſit, de quibus tamen omnibus non niſi pauca fragmenta apud Grammaticos citata extant. Hos principes poeſeos antiquæ *Plautus*, (h) *Cæcilius*, *Terentius*, (i) *Pacuvius*, (k) *Accius*, aliique ſecuti ſunt. Sic & inter ſecundi & tertii belli Punici tempora, circa *Ennii* mortem, *Crates* (l) *Mallotes* ab *Attalo* ad ſenatum miſſus, primus ſtudium *grammaticum* in urbem intulit, quod paulo poſt tanta incrementa ſumſit, ut ſupra XX. celebres ſcholæ in urbe numerarentur.

§. 5. Sed non tantum intra *poetarum* & grammaticorum cancellos eo tempore ſtabat eruditio, ſed & viri de rep. bellicoque ſtatu meritiſſimi elegantiores muſas amabant. His præ cæteris annumerandus eſt *M. Cato*, (a) cenſoriæ dignitatis vir, qui ab *Ennio* inſtitutus optimi oratoris, optimi Imperatoris, optimi Senatoris nomen *Plinio* (b) meruiſſe videbatur. Sed hujus ſummi viri VII. originum libri (c) magno hiſtoriæ Rom. detrimento amiſſi ſunt. Eodem affectu literas proſequebatur magnus *Scipio* (d) *Africanus*, qui ob eas *Ennium* ne quidem ſepultura a ſe divelli paſſus eſt, quem ingenti amore fovebat, (e) *Panætiumque* præceptorem ſuum, Stoicum ſummum, & *Polybium* (f) in ipſis expeditionibus periculoſiſſimis ſecum habebat.

§. 6. Ejusdem ævi etiam nobilis hiſtoricus fuit *Q. Fabius* (a) *Pictor*, cujus annales Romanarum rerum paſſim quidem ab hiſtoricis citantur, hactenus autem in orbe fruſtra quæruntur, cum impoſturæ Annianæ prudenti lectori minime ſatisfaciant. Nec laude ſua defraudandi ſunt ejusdem temporis hiſtorici: *L. Cincius* (b) *Alimentus*, qui Græce & Latine res Romanas deſcripſit; *Munatius Rufus*, *Catonis* Socius, (c) & expeditionis Cypraicæ ſcriptor; *M. Fulvius Nobilior*, (d) cujus faſti a *Macrobio* & aliis citantur; aliique, quorum nominum ſcriptorumque ſola memoria reſtat, quam operoſo labore ab oblivione vindicavit *Gerh. Johannes Voſſius* in aureo libro de hiſtoricis latinis.

§. 7. Solis legibus aut hiſtoriæ gentis ſuæ hactenus operam dederant Romani, ſpreta & rejecta Græcorum eruditione eousque quidem, ut & interdum philoſophica & oratoria ſtudia publicis legibus (a) prohiberentur. Sed *Scipionis* exemplum multa quoque alia Romanorum ingenia excitabat ad alias artes diſcendas & exercendas. Ipſe L. *Corn. Sylla*, (b) *Salluſtio* teſte, Græcis & Latinis literis doctisſimus erat, qui Ariſtotelis libros ex urbe Athenienſi primus in Italiam intulit, libros de (c) vita propria ſcripſit, ſemperque eruditorum fautor extitit. *Sylla* tempore maximum eru-

Attic. lib. 4. c. 1. (c) *Livius* lib. 9. c. 46. Faſtos circa forum in albo propoſuit, ut quando lege agi poſſet, ſciretur. (d) Citatur a *Cicerone* in Cat. maj. it. *A. Gellio* lib. 17. c. 21. ſ. ult. L. *Calp. Piſo* in libro de continentia poetarum initium adduxit: Quei terrai latini Hemones tuſerunt vires frudesque poinicas fabor. Vid. *Voſſium* de hiſt. L. lib. 1. c. 2. Epitaphium *Nævii* ab ipſo factum vide apud *A. Gellium* l. 1. c. 24. (e) In carcerem conjectus ob aſſiduam maledicentiam, & probra in principes civitatis conjecta; ubi 2. fabulas ſcripſit, quibus priorem petulantiam diluit. *A. Gellius* l. 3. c. 3. (f) Teſtantur *A. Gellius* noct. Att. l. 17. c. 21. *Val. Max.* lib. 2. c. 1. Lege *Pet. Crinitum* de poet. lat. lib. 1. c. 1. *Lil. Greg. Gyraldum* dial. 8. init. de hiſt. poetarum. Inter fragmenta vet. tragicorum a *G. I. Voſſio* lib. 8. 1620. 8. edita *Livius Andr.* primus eſt. (g) *Ennii* fragmenta collegit & edidit *Hier. Columna* Eq. Rom. Neapoli 1590. 4. tum *Paul. Merula* cum amplo commentario Lugd. B. 1595. 4. De *Ennio* lege *Pet. Crinitum* lib. 1. c. 2. de poetis Lat. *Gyraldum* dial. 4. de hiſt. poet. *Voſſium* de poetis Lat. & de hiſt. Lat. lib. 1. c. 2. *Olaum Borrichium* diſſ. 1. §. 4. de poetis Lat. *Mart. Hanckium* de Rom. rerum ſcriptor. part. 2. init. *Joh. Alb. Fabricii* biblioth. Lat. append. init. (h) Lege de his omnibus præter *A. Gellium* lib. 17. c. 21. de *Plauto* maxime lib. 3. c. 3. ſupra citatos *Crinitum*, *Gyraldum*, *Voſſium*, *Fabricium*. (i) De *Terentio* lege *Ol. Borrich.* diſſ. 1. §. 9. de poet. Lat. & *J. A. Fabricium* bibl. Lat. lib. 1. c. 3. (k) De *Pacuvio* & *Accio* lege *Quintilian.* lib. 10. c. 1. *Ol. Borrich.* diſſ. 1. §. 6. *Fabricium* lib. 4. cap. 1. bibl. lat. (l) Refert hæc *Suetonius* de illuſtr. Grammaticis, initio. Citatur & a *Varrone* de L. Lat. l. 8. & a *Plinio* l. 4. c. 12.

§. 5. (a) De eo *Livius* multa lib. 34. 38. 39. Elogium vide apud *Valerium Maximum* libr. 8. cap. 7. Vitam apud *Corn. Nepotem* & *Plutarchum*; adde *Quintilianum* l. 12. c. ult. *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 1. cap. 5. *Hanckium* part. 1. c. 2. de rer. Rom. ſcript. *J. A. Fabricium* lib. 1. c. 2. bibl. Lat. (b) Hiſt. nat. lib. 7. c. 27. (c) Fragmenta originum *Johann Annius Viterbienſis* inter alios antiquitatum ſcriptores edidit, ſed nugæ ſunt. (d) *Velleji Paterc.* lib. 1. P. Scipio tam elegans liberalium ſtudiorum omnisque doctrinæ & autor & admirator fuit, ut *Polybium Panætiumque* præcellentes ingenio viros domi militiæque ſecum habuerit, & aut corpus periculis, aut animum diſciplinis exercuerit. Vitam *P. Corn. Scipionis Majoris Africani* lege apud *Plutarchum*. (e) *Panætius* Rhodius, libros de officiis ſcripſit, quos *Cicero* lib. 3. de offic. ſe ſecutum fuiſſe fatetur. Vide *Suidam*, *I. Ionſium* de ſcriptor. hiſt. philoſ. lib. 2. c. 13. *Ioh. Meurſium* in Rhodo. (f) De *Polybio* lege *Voſſium* de hiſt. Græc. lib. 1. c. 19. *I. A. Fabricium* lib. 3. c. 30. bibl. Græc.

§. 6. (a) Primus pedeſtri ſermone apud Romanos hiſtoriam ſcripſit. Vide de eo omnia collecta apud *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 1. cap. 3. & *Mart. Hankium* de rer. Roman. ſcript. part. 1. c. 1. (b) Prætor bello Hannibalico interfuit, ab Hannibale captus. Maximus autor a *Livio* lib. 21. vocatur, qui eum ſæpiſſime citat. Hiſtoriam Hannibalicam Græce ſcripſit, ut *Dionyſ. Halicarn.* refert. Lege *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 1. c. 4. & de hiſt. Gr. lib. 4. c. 13. (c) Refert hoc *Val. Max.* lib. 4. c. 3. (d) Vir celeberrimus, in Hiſpan. & Cos, contra Ætolos magna geſſit. Faſtos in Æde Herculis Muſarum poſuit, ut *Macrobius* Saturn. lib. 1. c. 2. refert. Lege *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 1. c. 5. extr.

§. 7. (a) Cenſoria edicta contra hæc ſtudia refert *Suetonius* de claris rhetoribus in præfat. item *A. Gellius* lib. 15. cap. 11. noct. Attic. Quomodo *Cato* de legatis Athenienſium judicaverit, vide apud *Plinium* lib. 7. c. 30. & *A. Gellium* lib. 7. c. 14. Adde *Plutarchum* in Catone Maj. (b) *Salluſtius* de B. Jugurt. c. 95. Adde *Vellej. Paterc.* lib. 2. *Plutarchum* in Sylla. (c) Vltimum, quem non abſolvit, *Cornelius Epicadius*, Syllæ libertus, ſupplevit. *Sueton.* de illuſtr. Gramm. c. 11. quædam ex libro 2. citat *A. Gellius*

eruditionis lumen inter Romanos emicuit, P. *Terentius Varro Atacinus*, (d) vir linguæ latinæ & omnis antiquitatis, rerumque Græcarum & Romanarum peritiſſimus, ut eum *Quintilianus* (e) laudat. Huic eodem fere tempore non diſſimilis fuit *M. Terentius Varro*, quo (f) *Lactantio* teſte, nemo unquam doctior, neque apud Græcos, neque Latinos fuit. Hic omnem (g) philoſophiam, eruditionemque animo complectens, D. volumina ſcripſit eruditione plena, quorum tamen non niſi pauca (h) noſtro tempori reſervata ſunt. Paulo poſt L. *Plotius* (i) Gallus primus non ſine concurſu ingenti latine docere cœpit, cum antea Græcis unice exercitationibus ingenia alerentur.

§. 8. Ab eo tempore usque ad nativitatem Salvatoris Italia eruditis pleniſſima fuit. Philoſophiam primus (a) ſcripto propagavit *T. Lucretius Carus*, (b) tota philoſophia *Epicuri* VI. libris de rerum natura egregie expoſita. P. *Nigidius* (c) *Figulus* magna tum mathematicorum ſtudiorum laude florebat; imo ſummi reip. principes philoſophiæ operam dabant. In *Luculli* bibliothecam copioſiſſimam omnibus patentem eruditi velut ad muſarum (d) hoſpitium divertebant, & tempus inter ſe traducebant, ipſeque cum omnem quidem philoſophiam coleret, veterem tamen academiam præ cæteris diligebat, indeque *Antiochum Aſcaloniten* amicum & convictorem ſecum habebat. Quantam eruditionem poſſederit *C. Julius Cæſar*, (e) vel ex intimis aſtronomicæ rei adytis deſumta anni temporisque correctio, vel libri de propriis rebus geſtis eruditiſſimi, vel aliæ vitæ illius actiones ſatis oſtendunt. *Cn. Pompejus* (f) *Magnus* & *M. Portius Cato*, (g) *Uticenſis* vulgo dictus, Stoicæ philoſophiæ notitiam in vita & morte demonſtrabant; imo, omnis fere, qui ad aliquem dignitatis gradum inter Romanos pervenerat, eruditionis adminiculo inſtructus erat.

§. 9. De *M. Tullio Cicerone* (a) dubium eſt, an majorem inde gloriam reportaverit, quod conſul reipubl. Romanæ utiliſſimus, an quod orator, philoſophus, imo ſummus (b) polyhiſtor fuerit. Imitatores in re oratoria (c) *Q. Hortenſium*, L. *Craſſum*, alioſque permultos habuit. Florebant & tum hiſtorici magni nominis, *C. Salluſtius* (d) *Criſpus*, primus, *Martiali* judice, in Romana hiſtoria; *T. Livius*, (e) ingens hiſtoriæ Romanæ lumen; *Cornelius Nepos* (f) cujus non niſi pauciſſima reſtant; *Diodorus* (g) *Siculus* magnis peregrinationibus, & incomparabili diligentia clarus. Imo ipſe *Jul. Cæſar* hiſtoricorum numerum felici ſtylo auxit, cui non culpandus continua-

lib. 1. c. 12. Vide *Voſſium* lib. 1. c. 9. de hiſt. Lat. (d) e vico *Atax Galliæ Narbon.* Lege *Pet. Crinitum* lib. 2. c. 32. de poet. Lat. *Lil. Greg. Gyraldum* dial. 4. de hiſt. poet. *Voſſium* de hiſt. lat. lib. 1. cap. 16. *I. A. Fabric.* lib. 1. c. 7. extr. bibl. Lat. (e) Inſtit. orat. lib. 10. c. 1. (f) Divin. inſtit. lib. 1. c. 6. Lege de *Varrone Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 1. c. 12. *Joh. Jonſium* de ſcript. hiſt. philoſ. lib. 3. c. 1. *Mart. Hanckium* part. 2. de ſcript. rerum Rom. *Ioh. Alb. Fabricium* in bibl. Lat. l. 1. c. 7. (g) Illuſtre teſtimonium de *Varronis* eruditione multiplici habet *Cicero* lib. 1. acad. quæſt. Adde *Val. Max.* lib. 8. c. 7. *A. Gellium* lib. 19. c. 14. *Auguſtinum* de civ. Dei lib. 6. c. 2. (h) Opera ſeu potius operum fragmenta collegit *Auſonius Popma*, & cum notis edidit Lugd. B. 1601. 8. (i) *Suetonius* cap. 1. de claris rhetoribus, ubi notabile teſtimonium *Ciceronis* adducit. Lege *Joh. Glandorpium* in onomaſtico Rom.

§. 8. (a) *Lactantio* teſte lib. 3. c. 16. div. inſtitut. (b) Lege de *Lucretio Pet. Crinit.* de poet. Lat. cap. 19. *Gyraldum* dial. 4. hiſt. poetarum. Prolixe vitam & acta *Lucretii* eruit *Dionyſ. Lambinus* & præmiſit editioni ſuæ operum *Lucretii* optimæ. De eo fuſe agit *Ioh. Alb. Fabricius* bibl. Lat. lib. 1. c. 4. (c) Vir prætorius, medicus, aſtrologus. Magna ejus laus legitur apud *Lucanum* lib. 1. Pharſal. verſ. 639. ſeqq. De eo prolixius agit *A. Gellius* lib. 19. c. 14. noct. Attic. it. *Joh. Glandorp.* in onomaſt. & *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 1. c. 12. Fragmenta operum figuli collegit & digeſſit *Janus Rutgerſius* var. lect. lib. 3. c. 16. (d) Prolixe & eleganter hæc omnia *Plutarchus* in Lucullo. Lege & *Ioh. Glandorp.* in onomaſt. *Voſſium* de hiſt. Græc. lib. 4. cap. 15. (e) Lege vitam prolixe a *Suetonio* & *Plutarcho* deſcriptam. Huc ſpectant *Franc. Floridi Sabini* libri 3. de præſtantia Jul. Cæſaris Baſil. 1540. *Chr. Ad. Rupertus* ad ſyn. *Beſoldi* p. 273. ſeq. (f) Magnificas Pompeji laudes refert *Vellej. Paterc.* lib. 1. Vitam accurate deſcripſit *Plutarchus*, ubi inter alia notabilis *Pompeji* poſt Pharſalicam cladem fugientis diſputatio de providentia cum *Cratippo* philoſopho. De ſapientia *Pompeji Lucanus* in Pharſal. paſſim. (g) De eo *Vellej. Paterc.* lib. 1. Homo virtuti ſimillimus, & per omnia ingenio Diis quam hominibus propior; qui nunquam recte fecit, ut facere videtur, ſed quia aliter facere non poterat; cuique id ſolum viſum eſt rationem habere, quod haberet juſtitiam; omnibus humanis vitiis immunis &c. Lege vitam apud *Plutarchum*. Adde *Florum* lib. 4. cap. 2. & paucis *Ioh. Alb. Fabricium* bibl. Lat. lib. 1. c. 2. extr.

§. 9. (a) Vita *Ciceronis* apud *Plutarchum* legatur. *Corn. Nepotem* vitam *Ciceronis* prolixe ſcripſiſſe, patet ex *A. Gellii* lib. 15. cap. 28. Hiſtoriam *Ciceronis* ex omnibus ſcriptoribus collegit, & in annos 64. chronologice digeſſit *Franc. Fabricius* Marcoduranus; eam inde commodiorem fecit *Chriſtoph. Heidmannus* eloq. Profeſſor Helmſtadienſis, & emendatiorem edidit *Ioh. Buno* Hamburg. 1672. 12. (b) Vix decimam partem operum reſiduam eſſe docet *M. Ant. Muretus* var. lect. lib. 15. cap. 1. Operum ejuſdem optima editio eſt *Iani Guilielmi* & *Iani Gruteri* Hamburg. 1618. fol. maj. Huc ſpectat judicium *Quintiliani* lib. 10. cap. 1. *ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placuerit.* Lege *Ioh. Alb. Fabricium* bibl. Lat. lib. 1. cap. 8. (c) Eos *Cicero* ipſe paſſim citat. De *Hortenſio* vid. *A. Gellium* lib. 1. cap. 5. *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 1. cap. 11. *Joh. Glandorp.* in onomaſtico. (d) *Salluſtius*, ſenator, tribunus, Numidiæ præfectus &c. Sed ob rapinas & adulteria ſenatu motus. Lege de eo *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 1. cap. 15. *Mart. Hanckium* de rer. Rom. ſcript. lib. 1. cap. 6. *Ioh. Albertus Fabricium* in bibliothec. lib. 1. cap. 9. (e) *Livius* Patavinus. Gaditanum quendam Romam veniſſe ad *Livium* videndum refert *Plinius* lib. 2. epiſt. 3. Omnia de *Livio* collegit *Phil. Iac. Thomaſinus* in Livio Patavino. Amſtel. 1670. 12. Add. *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 1. cap. 19. *Hanckius* part. 1. c. 9. *I. A. Fabricius* bibl. Lat. lib. 1. c. 11. (f) Chronicon triplex ſcripſit, de quo *Catullus*:

Namque tu auſus es unus Italorum
Omne ævum tribus explicare chartis
Doctis, Iuppiter! & laborioſis.

Sed hoc & alia plurima perierunt. Lege *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 1. c. 14. *Fabricium* bibl. Lat. lib. 1. c. 6. (g) Sub Jul. Cæſare usque ad mediam Auguſti ætatem vixit. Bibliothecæ hiſtoricæ 10. annorum operam impendit, & itinera per Aſiam & Europam fecit. Vid. *Voſſium* de hiſt. Gr. lib. 2. c. 2. & *I. A. Fabricium* bibl. Græc. lib. 3.

nuator (h) *A. Hirtius* acceſſit. Sed ne aliquid eruditi ſeculi felicitati deeſſet, ſuaviſſimi poetæ muſas amœniores reddebant, quorum principes *Catullus*, (i) *Tibullus*, (k) *Propertius*, (l) *Cornelius Gallus*, (m) *Virgilius*, (n) *Horatius*, (o) *Ovidius*, (p) *Gratius* (q) aliique (r) fuere, qui maxima ex parte adhuc hodie non ſine ingenti admiratione aut delectatione leguntur.

HERMANNI CONRINGII
Commentarius
De ſcriptoribus.

SECVLVM I.

CAP. I.

De ſcriptoribus eccleſiaſticis.

CUm naſceretur Salvator noſter, divinæ religionis doctrina penes ſolos *Judæos* & *proſelytos* erat. Sicut autem hi erant diverſarum nationum, ita & ipſi Judæi, quod per omnem terram diſperſi vagarentur, ſimiliter diverſæ admodum erant, non aliter fere atque hodie, & linguæ & patriæ. At, *evangelica de Chriſto doctrina* in lucem producta, e Judæis quidem, apud quos ſane unice floruerat illa θεοπέμπτη doctrina, pauci illam amplexi ſunt; contra tamen mox illi adhæſit reliquarum gentium per totum orbem innumera multitudo. Eo factum, ut poſt *Judaica religio* & *doctrina Chriſtiana* vere divina inter ſe fuerint diſtinctæ, dum ſcilicet nec Judæis deeſſent, qui ſuam propagarent.

Fuit porro, ut aliquamdiu ante, ita & hac tempeſtate non una doctrinæ ratio, aliis nempe præter ea, quæ ſacris *Moſaicis* in voluminibus ſunt exarata literis, nihil: aliis ad hæc Δευτερώσεις & manu traditam quandam legem, pari cum *Moſaicis*, imo majori reverentia amplectentibus; quarum priori ſententiæ *Sadducæi*, ultimæ *Phariſæi*, magna fama tum Judæorum hæretici, imo omnes forſan *legis doctores*, etiam ſectis non addicti, quantum ex Chriſti interpretationibus liquet, faverunt. Etiam circa ipſius ſcriptæ legis interpretationem magna fuit diverſitas, & in ſectas (a) non *Phariſæorum* tantum & *Sadducæorum* ſed etiam *Eſſæorum*, (quos tamen a concionibus templi, ſacrificiis, & conſortio excluſos fuiſſe indicat *Joſephus* lib. 18. c. 2. ant. Jud.) aliorumque abiit, ſciſſis popularium animis, & a genuina legis obſervatione pleriſque multum diſcedentibus.

Ex illis v. *Judæis Græciſſantibus*, qui 1. ſeculo floruere, duos tantum habemus, (b) *Philonem Alexandrinum* C. Caligula Imperatore, alterum *Fl. Joſephum* (c) Matathiæ fil. nobilem ſuæ gentis hiſtoricum, Cæſare Veſpaſiano. Scripſit autem *Philo* allegoricam Vet. Teſtamenti interpretationem, adeo, ut creditus ſit platonizare. *Photius*, (cod. 105.) cum de libris quibusdam *Philonis* a ſe lectis, egiſſet, addit: *Et vero ab hoc arbitror, omnem allegoricum ſacræ ſcripturæ ſermonem promanaſſe*; id quod imprimis notandum arbitror. Reliquorum Judaicorum ſcriptorum nihil hodie extat, præter R. *Jonathanis Ben Vziel*, diſcipuli R. *Hillelis*, (ſi ſane ejus eſt, quod habemus,) *Targum*, ſive paraphraſin in prophetas & ἁγιόγραφα. Etſi enim *Onkelos* Paraphraſten nonnulli huc transferunt, verius tamen ille ad ſequens ſeculum pertinet.

Præter hos vero videntur hoc ſeculo vixiſſe Judaicæ doctrinæ magiſtri *Simeon*, (forte is, qui ulnis infantem Jeſulum excepit,) & *Gamaliel* ſenior, S. Pauli præceptor, & iterum *Simeon*, bello Judaico occiſus, & magni illius *R. Hillelis principis* filius, nepos & pronepos. Centum quippe annis ante excidium templi vixit *Hillel*, cujus progenies hac ſerie ſequitur, ſi *Abrahamo Levita* credimus; nam in libro, cui titulus eſt: *Seder Olam Suta* (d) haud paulo alia inſtituitur temporis ratio. Ex *Abrahamo*

c. 31. (h) Librum 8. de bello Gallico, item de bello Alexandrino & Africano ſcripſit. Lege *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 1. c. 13. *Hankium* part. 1. c. 5. *Fabric.* bibl. Lat. lib. 1. c. 10 §. 3. (i) *C. Valer. Catullus*, Veronenſis, *Ciceronis* & *Corn. Nepotis* amicus. Lege de eo *Pet. Crinitum* de poet. Lat. lib. 2. c. 27. *Gyraldum* dial. 4. de hiſt. poet. *Voſſium* de poetis Lat. *Ol. Borrichium* diſſ. 1. §. 18. de poet. Lat. *Fabric.* lib. 1. cap. 5. bibl. Lat. (k) *Albius Tibullus*, eques Rom. amicus *Horatii & Ovidii*, qui & mortem illius elegia prolixa deflevit. Vid. *Pet. Crinitus* lib. 3. c. 41. *Gyraldus* dial. 4. *Voſſius* de poet. Lat. *Borrichius* diſſ. 1. §. 22. *I. A. Fabricius* lib. 1. c. 14. (l) *S. Aur. Propertius*, amicus *Mæcenatis, Ovidii, Tibulli*; vid. *Crinitum* lib. 3. c. 43. *Gyraldum, Voſſium*, *Fabricium* lib. 1. cap. 14. (m) *Cn. Cornelius Gallus* deſcriptus a *Pet. Crinito* lib. 3. c. 41. *Gyraldo, Voſſio* l. c. Lege & *Voſſium* in inſtit. orat. l. 5. c. 13. §. 3. & *Fabricium* lib. 1. cap. 14. (n) *P. Virgilius Maro*, Mantuanus, ubique notus. Lege *Crinitum* lib. 3. cap. 37. *Gyrald.* & *Voſſium* l. c. *Ol. Borrichium* de poet. Lat. diſſ. 1. §. 17. & *Fabric.* lib. 1. c. 12. (o) *Q. Horatius Flaccus* ſatis notus. De eo *Gyraldus* l. c. *Pet. Crinitus* lib. 3. cap. 38. Utriusque patronus erat *C. Cilnius Mæcenas*, cujus vitam *Jac. Maria Cinni* D. Italice deſcripſit & edidit Rom. 1684. Chronologiam Horatii exacte tradit *Tanaq. Faber* lib. 2. epiſt. 46-49. Adde *Olaum Borrichium* diſſ. 1. §. 19. & *Fabricium* lib. 1. c. 13. (p) *P. Ovidius Naſo* Sulmonenſis, Tomis in exilio ſub Tiberio mortuus. Lege *Pet. Crinitum* lib. 3. c. 46. *Gyraldum* dial. 4. *Ol. Borrichium* diſſert. 1. §. 21. De omnibus his adde *Joh. Alb. Fabricium* in bibl. Lat. lib. 1. c. 14. 15. (q) *Gratius Phaliſcus*, Cynegetici ſcriptor, diu ignotus, donec eum *Caſp. Barthius* animadverſionibus illuſtratum cum *Nemeſiano* & *Calpurnio* ederet Hanov. 1613. 8. Recentiſſime eum cum notis & variis lectionibus publicavit *Johnſonus* Londini 1700. 8. Lege *Gyraldum* dial. 4. (r) Lege hic præ cæteris *Lil. Greg. Gyraldum*, in erudítiſſ. dialogis de hiſtoria poetarum, qui haud exiguam antiqui temporis hujus poetarum copiam adducit & exponit.

Cap. I. (a) De ſectis his ſupra actum in prolegom. cap. 1. §. 19. 20. (b) Lege *Philonis* librum de legat. Judaica. *Ioſephum* lib. 18. c. 16. ant. Jud. *Euſebium* hiſt. eccl. lib. 2. c. 5. & 18. *Hieronym.* in catal. ſcript. eccl. *Photium* in myriobibl. cod. 105. *Voſſium* de hiſt. Gr. lib. 2. c. 7. *Mart. Hankium* de R. Rom. ſcript. part. 2. c. 8. *Guil. Caveum* hiſt. lit. ad an. 40. *I. A. Fabric.* bibl. Gr. lib. 4. c. 4. (c) Notum ſatis, qui vitam ſuam ipſe ſcripſit. Lege *Photium* cod. 47. *Voſſium* de hiſt. Gr. l. 2. c. 8. *Caveum* ad an. 67. *Fabricium* fuſe lib. 4. c. 6. bibl. Gr. Non confundendus cum *Ioſepho Gorionide*. (d) Chronicon mundi minus incerto autore vid. *Ioh. Buxtorff* in bibl. Rabb. parva,

mo autem diſcimus, eodem tempore per traditionum Judaicarum peritiam floruiſſe *Jonathanem*, filium *Vzielis*, & *Jochanam Zachai* fil. alterum maximum, alterum minimum *Hillelis* diſcipulorum. Nihil vero agit ille *Abraham*, quando *Alexandro Jamne* Rege, adeoque diu ante vixiſſe vult noſtrum Chriſtum; nam, quæ ex Thalmude adducit, aut ſunt fabuloſa, aut de alio Jeſu loquuntur.

Cæterum eccleſiaſticorum illius temporis ſcriptorum certum eſt, hodieque eſſe illa, quæ dicuntur *novi fœderis volumina*, ab *apoſtolis* nempe *Matthæo, Johanne, Petro, Jacobo, Juda, Paulo*, & apoſtolicis diſcipulis, *Marco* & *Luca*, conſcripta. (e) Etſi vero multa alia circumferuntur, ut ab (f) *apoſtolis & apoſtolicis viris* (g) profecta, ſunt tamen illa omnia longe inferiori conditione, &, ſi non omnia, pleraque certe mentiuntur nomen. Ejus notæ ſunt: Liber inſcriptus *paſtor, Hermæ* (h) attributus, quamvis hic adeo antiquus ſit, ut a *S. Irenæo* & *Clemente Alex.* teſtimonium habeat; item *Prochori*, (i) unius e ſeptem diaconis ſcriptum; item *Lini*, (k) *Abdiæ Babylonii*, (l) *Martialis*, (m) & ſimilia. Laudatur etiam antiquis *S. Clemens*, (n) Romanus Papa inter hujus tempeſtatis ſcriptores, neque pauca ejus nomen præ ſe ferunt. Sed, quæ antiqui laudavere, jam perierunt, præter unam ad Corinthios epiſtolam, nuper in Anglia editam; quæ vero alia feruntur, pleraque a doctis *Clementi* abjudicantur. Similiter etiam *Dionyſio Areopagitæ* illi, (o) quem *Paulus* in actis ad Chriſtianam fidem dicitur perduxiſſe, varia hodie tribuuntur. Sed etiam olim de iis eſſe dubitatum, conſtat ex *Photio*; & avorum memoria a *Laur. Valla, Eraſmo Rot. Ludovico Vive*, & aliis, omnia ſunt rejecta; defenſionem tamen eorum jam alii ſuſcipere non deſierunt, tum imprimis operoſe id agere conatus eſt vindiciis Areopagiticis *Martinus Delrius*. Ex eodem ævo commendantur antiquitus & *S. Ignatii* (p) & *S. Polycarpi* (q) quorum uterque *Johannem* apoſtolum familiariter audivit, epiſtolæ. Extant etiam eorum nomine hodieque literæ haud paucæ, quarum tamen pleraſque ab illis olim laudatis non parum abire, tum res docet, tum teſtatur eruditorum conſenſio; ut proinde hujus ſeculi ſcriptores eccleſiaſtici & olim fuerint rari, & nunc inveniantur longe rariſſimi, quod olim quidem viva vox *apoſtolorum* auribus adhuc inſonaret, adeoque aliis ſcriptis haut eſſet opus; hodie vero omnium vice ſint ipſorum *apoſtolorum libri* Spiritu Sancto moderante conſcripti.

CAP. II.

De ſcriptoribus philoſophicis.

Eodem tempore omnes Græcorum philoſophorum ſectæ poſt *Socratem* Athenis natæ floruerunt. Nam, *Peripatetica* quidem philoſophia, quæ libris illis *Ariſtotelicis*, quibus hodie utimur, (a) *L. Sylla* tempeſtate in lucem rurſus erutis, nonnihil reſpiraverat, floruit in *Cratippo*, (b) *Boëtho Sidonio*, (c) Andronici Rhodii (d) diſcipulo, *Nicolao Damaſceno*, (e) Auguſto Cæſari, & Herodi Regi amiciſſimo, *Xenarcho* (f) denique, *Alexandro Ægæo*, Neronis præceptore, & *Sotione Alexandrino*, (g) cornu copiæ ſcriptore. Quanquam vero horum in veterum libris crebra fiat mentio, hodie tamen nihil

quam libro de abbrev. adjecit. (e) Lege *Mich. Waltherum* in offic bibl. repoſ. poſt. theca 5. 6. 7. *Guil. Cavium* in antiquitat. apoſtolicis & in hiſt. liter. ſcriptor. eccleſ. initio. *Th. Ittigium* in diſſ. de patribus apoſtolicis; *Io. Alb. Fabricium* bibl. Gr. lib. 4. cap. 5. (f) *And. Rivetus* crit. S. init. *Ioh Sartorius* diſſ. de ſcriptis Chriſti & apoſtol. merito & falſo ſuſpector. *Th. Ittigius* de pſeudepigraphis Chriſti, Mariæ & apoſtol. it. in hiſt. eccl. ſec. 1. cap. 1. Huc ſpectat *I. A. Fabricii* codex apocryphus N.T. (g) Vitas eorum expoſuit *Guil. Cavius* in vitis patrum primit. eccleſ. 4. ſeculorum & in hiſt. liter. ſec. 1. vide *Joh. Bapt. Cotelerii* patres apoſtol. & *Thom. Ittigii* bibliothec. patrum apoſtol. (h) *Sixtus Senenſ.* bibl. ſacra l. 2. *Rob. Cocus* in cenſ. ſcript. eccl. *Andr. Rivetus* crit. ſacro lib. 1. c. 12. *Joh. Pearſonus* in vind. Ignatianis. *Guil. Cavius* in hiſt. lit. ad an. 65. *Thom. Ittig.* hiſt. eccl. ſec. 1. c. 1. §. 23. (i) Lege *Sixt. Senenſ.* lib. 2. *Rob. Cocum, And. Rivet.* lib. 1. c. 6. *Voſſium* de hiſt. Gr. lib. 2. c. 9. *Cavium* ad an. 70. *Ittigium* de patribus apoſt. §. 22. & hiſt. eccl. ſec. 1. c. 1. §. 25. (k) *Sixt. Senenſ.* lib. 2. *Rob. Cocus, Voſſius* de hiſt. Gr. lib. 2. c. 9. *Rivetus* crit. ſacro lib. 1. c. 6. *Cavius* an. 64. *Ittigius* ſec. 1. c. 1. §. 2. (l) De eo *Voſſius* de hiſt. Gr. lib. 2. c. 9. *Rob Cocus, And. Rivetus* lib. 1. c. 6. *Cavius* an. 59. *Ittigius* de patr. apoſt. §. 28. & ſec. 1. cap. 1. §. 28. (m) Vita *Martialis* ab *Aureliano* Lemovic. ſcripta, de quo *Rob. Cocus* in cenſ. p. 107. Lege *Bellarm.* de ſcript. eccl. & ſuppl. *Caſim. Oudini. Rivetum* crit. ſacr. lib. 1. c. 7. *Cavium* an. 70. *Ittig.* ſec. 1. c. 1. §. 24. (n) De *Clemente* Rom. prolixe agit *Sixtus Sen.* lib. 2. it. *Caſim. Oudinus* differt. integra tom. 1. adde *Rob. Cocum, Cavium* an. 65. *Ittigium* ſec. 1. c. 1. §. 22. GOEB. Vide quoque præfationem, quam JO. JOACH. MADERVS *epiſtolæ Clementis ad Corinthios an.* 1654. præmiſit. (o) Defendunt ſcripta *Dionyſii Rob. Barm. Sixtus Sen. Em. a Schelſtraten, Nat. Alexander* &c. integris libris, *Mart. del Rio* & *Laur. Cozza* vindiciis Areopag. Rom. 1702. 4. Contrarii ſunt: *Nicol. le Nourry, Joh. Dallæus, Jac. Vſſerius, Joh. Pearſonus* in vindic. Ignat. part 1. c. 10. *Rob. Cocus, Andr. Rivetus* l. 1. c. 9. it. *Cavius* hiſt. lit. an. 362. *Ebreg. Dan. Colberg. im Plat. Hermet. Chriſtenth.* part. 1. cap. 1. §. 11. *Th. Ittigius* de patr. apoſt. §. 39. ſeq. hiſt. eccl. ſec. 1. c. 1. §. 17. *Caſ. Oudinus* diſſ. critica tom. 1. an. 520. (p) Defenduntur *Ignatian.* a Romanenſibus, e. g. *Nic. le Nourry* in apparatu ad bibl. patr. t. 1. diſſ. 7. rejiciuntur a reformatis Presbyterianis *Rob. Coco, Cl. Salmaſio, Dav. Blondello, Gisb. Voetio, Joh. Dallæo, Sam. Baſnagio &c.* Defenduntur ab epiſcopalibus, *Henr. Hammondo, Ioh. Pearſono, And. Riveto, Guil. Cavio.* Legatur integra diſſ. *Caſim. Oudini* de ſcriptis *Ignatii* tom. 1. de ſcriptor. eccl. ſec. 1. (q) De *Polycarpo Pet. Halloix* in vita *Nic. le Nourry* in appar. t. 1. diſſ. 8. *And. Rivetus* l. 2. c. 3. *Steph. le Moyne* diſſ. 1. in var. ſacris *Guil. Ern. Tenzelius* diſſ. de Polycarpo. *Cavius* an. 108. *Ittigius* de patr. apoſt. §. 89. ſeqq. De omnibus citatis agit *Lud. Ell. Dupin* tom. 8. bib. ſcript. eccl.

Cap. II. (a) Vide ſupra prolegom. cap. 3. §. 17. 18. GOEB. Cum quibus confer auctoris noſtri *introductionem in politica Ariſtotelis*, ubi operum ipſius fata fuſius enarrantur. (b) Potius ante Chriſt. nat. *Pompeji & Ciceronis* ævo vixit, quod ex *Plutarchi* Pompejo & *Æliano* var. l. 7. c. 20. conſtat. (c) In cathegorias *Ariſtotelis* teſte *Porphyrio* ſcripſit. (d) De *Andronico Ioh. Meurſius* in Rhodo & *Ioh. Ionſius* de ſcript. hiſt. phil. lib. 1. cap. 11. (e) Citatus a *Joſepho* l. 16. & 17. paſſim. Lege *Hug. Grotii* epiſt. 117. inter epiſt. ad Gallos, *Voſſium* de hiſt. Gr. l. 2. c. 4. *Ionſium* l. 3. c. 2. *Hankium*, de R. Rom. ſcr. l. 2. part. 1. c. 7. (f) *Strabonis* præceptore, qui de eo lib 14. (g) Junior de quo *A. Gellius* lib. 1. c. 8. Lege *Voſſium* de

Digitized by Google

nihil amplius invenitur, præter paucula fragmenta ex *Nicolai Damaſceni* univerſali hiſtoria de moribus gentium deſumta. In *Platonis* (h) ſectatoribus circa initium hujus ſeculi haud parva facta eſt doctrinæ mutatio, uti videre eſt ex *Ciceronis* libris academicarum quæſtionum. Cum enim ante tantum non omnes ejus ſectatores ſedem ſuæ philoſophiæ collocaſſent in profeſſione ignorantiæ, quaſi nempe nihil poſſet exacte ſciri; *Ciceronis* (i) ætate id fuit immutatum, adeo, ut *Cicero* ipſemet conatus ſit, recepti hactenus dogmatis tutelam ſuſcipere, academicarum quæſtionum libris. Poſt hæc igitur duplex cœpit ordo eſſe *Platonis* ſectatorum, ut ignorantiæ illis patronis relicto *academicorum* titulo, novi illi *Platonici* nuncuparentur. Sed horum omnium nemo magnum aliquod nomen in antiquitate adeptus eſt, tantum abeſt, ut hodie quicquam ejus ſectæ ſuperſit ex illo ſeculo.

In *Stoicis* laudatiſſimi tunc fuerunt *Athenodorus* (k) *Sandonis* Auguſti, & *Cornutus* (l) Neronis ætate. Hujus præceptor fuit ex eadem itidem ſecta L. *Annæus Seneca* (m) cujus libri in omnium manibus verſantur, inter Latinos unicus Stoicæ ſectæ ſcriptor. Vixit etiam hoc ſeculo *Cleomedes*, (n) cujus extant libri meteorologici, ſeu potius ſphærici. Cum primis vero magnæ tunc autoritatis fuit *Epictetus*, (o) Epaphroditi, Neroni Cæſ. familiaris, ſervus; adeo enim fuit in admiratione, ut non nemo ineptus mortui lucernam, (p) *Luciano* teſte, emerit ter mille drachmis. Sed ille nihil ſcripſit; nam, quæ ejus nomine circumferuntur, potius ſunt *Arriani*, qui ad ſeculum proximum pertinet.

Epicureæ ſectæ ſcriptorem hujus ævi nullum commendat antiquitas; *Cynica* vero hæreſis omni fere tempore caruit ſcriptoribus, licet quam diutiſſime duraverit, usque ad *Auguſtini* ævum perducta; quod ſemel hic monuiſſe ſuffecerit. Ex quo apparet, hoc ſeculum ſcriptorum quidem philoſophicorum admodum fuiſſe ſterile.

CAP. III.

De juris Romani conſultis.

Auguſto Imperatore erat jam Romæ, ut *Livius* (lib. 3. c. 34.) loquitur, *immenſus aliarum ſuper alias acervatarum legum cumulus*, ſeu ut *Taciti* verbis utar, (lib. 3. c. 25. annal.) *ut ante hac flagitiis, ita tunc legibus laborabatur*, quod jam tum *ad infinitam legum multitudinem varietatemque eſſet perventum.* Sicut igitur jam aliquamdiu fora atque judicia illius urbis ſine operoſa juris peritia exerceri non potuerant, ita tum quoque ex tanto legum numero & diverſitate illius profeſſionis hominibus quaſi neceſſitate quadam autoritas crevit haud parum, contra quam aut ibi hactenus, aut alibi terrarum conſueverat. Cæterum, quinam ante illud ævum ſcientiam juris Romani profeſſi ſint, ex *Pomponio* (a) de origine juris petendum eſt. Illa vero ætate maximæ autoritatis fuerunt *Atejus Capito*, & *Antiſtius Labeo*. *Hi duo*, (verbis utor *Pomponii*,) *primum veluti diverſas ſectas fecerunt; nam Capito in his, quæ ſibi tradita erant, perſeverabat, Labeo ingenii qualitate, & fiducia doctrinæ, qui & cæteris operis ſapientiæ operam dederat, plurima innovare inſtituit.* Conſtat porro ex *Pomponio*, utrique diſcipulos fuiſſe, *Capitoni* quidem *Maſſurium Sabinum*, *Labeoni* vero *Nervam*, qui adhuc eas diſſenſiones auxerunt, ætate ſcilicet Tiberii, Claudii & Caji. *Sabinum* ſectatus eſt *C. Caſſius Longinus*; Nervam vero *Nerva* filius, & alius quidam *Longinus*; ſed imprimis *Proculus*, cujus major autoritas fuit; ut gliſcente ſecta, partim *Caſſiani*, a *Caſſio* nempe *Longino*, partim *Proculejani* dicti ſint. Veſpaſiano imperante, floruere item *Caſſii* auditor *Cœlius Sabinus*, *Proculi* vero *Pegaſus*, *urbi præfectus*. * Sub finem ſeculi iterum *Cœlii Sabini* auditor, *Priſcus Javolenus*, ** & *Pegaſi Juventius Celſus pater*. Conſtat autem ex fragmentis illorum, quæ in *pandectis Trebonianis* hodieque reperiuntur, plurimos ab his libros conſcriptos, ſimulque multas inter illos diſſenſiones fuiſſe. Quo loco non poſſumus non adjungere ſententiam *Georgii Eberlini*, doctisſimi ICti, quam in commentario de orig. juris (cap. 42.) concepit: *Capitonem & Labeonem*

hiſt Gr. l. 2. c. 7. *Ionſium* l. 2. c. 10. (h) Vide prolegomena cap. 3. §. 11. 12. 13. 14. (i) Lege *Franc. Fabricii* hiſt. *Ciceronis* an. 29. ſ. 11. ſeqq. (k) Laudatur a *Strabone* lib. 14. & *Luciano* in Macrobiis. Lege *Voſſium* de hiſt. Gr. l. 2. c. 5. extr. (l) 2. *Cornutos* fuiſſe probat *Lil. Greg. Gyraldus* dial. 4. hiſt. poet. Lege *Voſſium* l. 1. c. 26. de hiſt. Lat. *Ionſium* l. 3. c. 7. (m) Omnibus notus. Vitam *And. Schottus* & *Iuſt. Lipſius* diligenter ſcripſere. Lege *Henr. Stephani* proodopœiam ad lectionem *Senecæ*, *Voſſium* de hiſt. Lat. l. 1. c. 25. *Ionſium* de ſcript. hiſt. phil. l. 3. c. 20. *I. A. Fabric.* bibl. Lat. l. 2. c. 9. (n) *Ioſ. Blancanus Hipparcho* æqualem facit; *Voſſius* de ſcient. Math. c. 33. §. 24. ad ſec. V. & *Theodoſii* II. tempora refert. (o) De *Epicteto A. Gellius* l. 1. c. 2. l. 2. c. 18. & l. 15. c. 11. noct. Att. *Macrob.* lib. 1. c. 11. ſaturn. Lege *I. A. Fabric.* bibl. Gr. l. 4. c. 7. & *Mich. Roſſal* diſquiſ. de *Epicteto* Grœn. 1708. 8. (p) In dial. πρὸς τὸν ἀπαίδευτον καὶ πολλὰ βιβλία ὠνούμενον.

Cap. III. (a) Id eſt ex l. 2. ff. de orig. juris, in quam legendi *Franc. Hottomannus* de vitis ICt. qui a Pomponio commemorantur, *Chriſt. Ad. Rupertus* obſerv. in enchir. *Pomponii*, *Gerb. van der Muelen* comm. in *Pomponii* hiſt. juris. In integrum ICtos antiquos exponunt *Ioh. Lorichius Hadamarius* in catal. vet. ICtor. *Bernh. Rutilius* in vitis vet. ICtor. *Val. Forſter.* in hiſt. jur. civ. Rom. *Guid. Pancirollus* de claris LL. interpretibus; *Nicol. Henelius* de vet. ICtis. *Guil. Grotius* de vitis ICtorum, quorum in pandectis mentio. *Sam. Stryckius* in prolegom. ad annotat. in inſtit. Legatur & *Georg. Eberlini* de orig. juris & magiſtratuum Rom. ubi de ICtis ab *Hadriano* usque ad Maximinum agitur. Tradit & vitas, ſcripta & chronologiam ICtorum a *Pomponio* citatorum *I. A. Fabricius* in bibl. Lat. appendice. GOEB. RVTILIVS, BERTRANDVS & GROTIVS an. 1718. junctim prodierunt Halæ cum erudita præfatione JOH. CHRISTOPH. FRANCKII *de ſcriptoribus vitarum ICtorum.*

* *urbi præfectus*) GOEB. Quodnam ejus fuerit officium, explicat auctor in *diſſert. ad l. 1. C. Theodoſ. de ſtudiis liberal. V. R. & Conſt.* A Pegaſo autem, cujus hic fit mentio, peculiare edictum nomen ſuum ſortitum eſt, de quo vide PANCIROLLVM *de clar. legum interpret. lib. 1. c. 30.*

** *Javolenus*) GOEB. Vitam Javoleni vide apud RVTILIVM *in vitis ICtorum cap. 57.*

Labeonem magni quidem nominis JCtos fuiſſe, ſed placitis ſuis eorum quemlibet adeo indulſiſſe, ut neſcias, confuderint ne potius, an auxerint Romani juris prudentiam. Semina inſuper, inquit, civilium ejusmodi controverſiarum inter diſcipulos ſparſerunt, qui arrepta illa, velut in contraria ſtudia ſciſſi, tanta pertinacia aluerunt, defenderuntque, ut pleraque hodie diſſidiis hujusmodi concertationibusque pandectarum capita laborent, & inter tractantes ea interpretantesque peritos ſtudioſosque juris ſumma ſit diſſenſio. Hæc ille. Cum primis vero notandum, *primum Auguſtum Cæſarem* (verba ſunt *Pomponii*,) *ut major juris autoritas haberetur, conſtituiſſe, ut ex autoritate ejus reſponderetur, & ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpiſſe.* Quo factum, ut ex illo tempore vim legis acceperint *reſponſa* (*) illorum *JCtorum*, quibus ea erat conceſſa facultas. Etſi enim ſine beneficio principis antea publice reſponderunt, quicunque fiduciam ſtudiorum ſuorum habebant, tunc tamen primum inſignis illa autoritas *reſponſis JCtorum* acceſſit.

CAP. IV.

De Medicis.

Dudum erat, cum inter Græcos medicos (a) *ſecta dogmaticorum* & *empiricorum* ſumſiſſent initium, & viciſſim *dogmatici* diſtingui cœpiſſent inter ſeſe; *Eraſiſtrateorum*, & *Herophileorum*, ab *Herophilo*, & *Eraſiſtrato* autoribus, cognomento. Ætate Pompeji & Jul. Cæſaris nova erat ſecta nata, (b) *Aſclepiade Pruſienſi* autore, *Aſclepiadeorum*. Seculo igitur primo hoc non eſt mirum, totidem in familias diviſam fuiſſe medicorum ſcholam. Orta vero fuit ætate Neronis & alia ſecta, *Methodicorum*, inſtitutore *Theſſalo Tralliano*, (c) homine ut illiterato & imperito, ſic ſummæ impudentiæ, quippe qui omnes ante ſe natos contempſit, profeſſione compendioſiſſimæ rationis ad artis ſummam perveniendi.

Sunt autem medici nominatiſſimi hujus ſeculi hi ſequentes: Auguſti temporibus *Dioſcorides* (d) *Phacas Herophileus*, quem perperam a *Suida* decepti, hodie plerique credunt eſſe *Anazarbenſem*, nobiliſſimum materiæ medicæ ſcriptorem; *Artorius Muſa*, (e) aurea ſtatua ob curatum Auguſtum a populo Rom. honoratus, hujusque frater (f) *Euphorbus*, Euphorbii herbæ repertor. *Philonides* (g) *Siculus*, *Pamphilus*, (h) *Menecrates*, (i) *Apollonius Mus*, (k) *Heras Cappadox*, (l) item *Antonius Pachius*, (m) autor hieræ *Pachii* ab autore cognominatæ, & *Scribonius* (n) *Largus*, tempore Tiberii; tempore Claudii *Caſſius Felix*, (o) *Heraclides Erythræus*, (p) *Vettius Valens* (q) Antiochenus. Nerone Cæſare *Andromachus Senior*, (r) ille, ex cujus præſcripto theriaca conficitur, *Theſſalus*, cujus ante memini; *Evax*, (s) Rex Arabum, *Cornelius Celſus Niger*, (t) Veſpaſiano florente cum filiis, *Plinius ſecundus*, (u) (nam & hunc medicis accenſemus, quoniam naturalis ejus hiſtoria ex medicorum libris maximam partem compilata eſt, & medici potiſſimum argumenti) *Andromachus junior*, (vv) *Gratianus*, (x) *Menodotus Empiricus*, (y) itemque *Theudas Empiricus*, (z) *Servilius Damocrates*, (1) *Plinii* æqualis, *Aſclepiadæ duo*, (2) medicamentorum ſcriptores, ac *Dioſcorides* (3) noſter *Anazarbenſis*. Sub finem

(*) *reſponſa*) GOEB. Labeo & Capito primi fuerunt, quibus ab Auguſto Imper. publice de jure reſpondendi facultas data eſt. Hiſtoriam horum reſponſorum erudite recenſet JOH. BERTRANDVS *l. 1. c. 4. in vita Sabini.* Quando quis offerebat preces Imperatori, ſententias JCtorum apponere ſolebat, quæ pro eo faciebant. Quod colligitur ex *lib. 14. C. de præd & aliis rebus min.* ubi Imperatores Diocletianus & Maximianus reſcribunt Phrominio: *Utere viri prudentiſſimi Papiniani reſponſo, cæterorumque quorum precibus feciſti mentionem, ſententiis:* & ex *l. 12. C. de legat.* Imo ipſi Imperatores reſcripta ſua JCtorum ſententiis muniebant. *l. 4. C. de contrah. & committ. ſtipul.*

Cap. IV. (a) Antiquorum medicorum hiſtoriam tradit *Voſſius* de philoſophia cap. 11. Addantur *Otto Brunsfeldius* in catal. illuſtr. medicorum ſ. de primis medicinæ ſcriptoribus, *Symphor. Campegius* de claris ſcriptoribus medic. vet. & recent. *VVolfg. Iuſtus* in chronol. illuſtr. medicorum. *Ioh. Sambucus* in iconibus vet. & recent. medicorum. *Pet. Caſtellanus* in vitis illuſtr. medicor. qui toto orbe floruerunt. Etiam ipſe *Conringius* in introd. in artem medicam cap. 3. & 4. omnes ſcriptores medicos refert. *Dan. le Clerc.* medicos omnes usque ad *Galenum* fuſe deſcribit in libro: Hiſtoire de la medicine Amſt. 1702. 4. Continuavit opus *I. Freind* med. Anglus a *Galleno* usque ad initium ſec. XVI. & part. 1. omnes Græcos, part. 2. Arabes, part. 3. Latinos medicos recenſet. Verſio Gallica prodiit Lugd. B. 1727. 12. (b) Omnes hi medici longe antiquiores, quorum nomina poſt Chriſt. natum reſuſcitata ad ſectarum differentiam. Elenchum medicorum veter. ordine alphabet. tradit *I. A. Fabricius* bibl. Gr. l. 6. c. 9. (c) *Themiſonem Laodicenum* ſecutus primum methodicorum, ut docet *Galenus* de methodo medendi lib. 1. cap. 7. ubi omnem medicorum hiſtoriam refert. (d) Lege *Voſſium* de philoſophia cap. 11. §. 40. Anazarbenſis ille Cilix antiquior, *Antonii* & *Cleopatræ* medicus fuit. Lege *I. A. Fabricium* B. Gr. l. 4. c. 3. & lib. 6. cap. 12. p. 144. (e) Antonius perperam dictus ab aliis. De eo *Val. Max.* l. 1. c. 7. *Sueton.* Aug. c. 59. Lege *Car. Patini* comment. in antiquum cenotaphium *M. Artorii* Patav. 1689. 4. *Voſſius* de philoſ. c. 12. init. *I. A. Fabric.* B. Gr. lib. 6. c. 9. p. 65. ſeqq. (f) *Plinius* l. 8. c. 7. *I. A. Fabric.* bibl. Græc. lib. 6. c. 9. p. 157. (g) a *Galeno* paſſim citatus. Lege *I. A. Fabric.* l. 6. c. 9. p. 368. (h) De herbis ſcripſit, nugarum plenus *Fabricius* lib. 6. c. 9. p. 56. (i) Medicus *Tiberii* & *Claudii*, non confundendus cum *Menecrate* Syracuſ. ſtolide ſuperbo tempore Philippi Maced. Lege *I. A. Fabricium* multis B. Gr. l. 6. c. 9. p. 329. ſeq. (k) Eum incertæ ætatis vocat *Voſſius* de philoſophia c. 13. *Fabricius* bibl. Gr. l. 6. c. 9. p. 375. (l) a *Galeno* citatus. *Fabric.* l. c. p. 178. (m) Hiera *Pachii* a *Scribonio Largo* c. 23. de compoſ. medic. deſcripta. vid. *Fabricium* B. Gr. l. 6. c. 9. p. 355. (n) Lege *Caſp. Barthium* adverſar. l. 39. c. 16. & in *Claudian.* p. 1288. *I. A. Fabric.* B. Lat. l. 4. c. 12. & B. Gr. lib. 6. c. 9. p. 391. (o) Iatroſophiſta. Lege *Chr. Dammium* epiſt. 35. ad *Reineſium.* *Fabricium* B. Gr. l. 3. c. 6. §. 38. (p) a *Galeno* citatus Lege *Fabricium* B. Gr. l. 6. c. 9. p. 177. (q) Adulter *Meſſalinæ Tacitus* l. 11. c. 33. 35. *Plinius* l. 29. c. 1. (r) Neronis archiater de quo multa *Galenus* paſſim, *Fabricius* B. Gr. l. 6. c. 9. p. 60. (s) *Plinius* l. 25. c. 2. vide *Fabricium* bibl. Gr. l. 6. c. 9. p. 154. & bibl. Lat. l. 4. c. 12. §. 8. (t) Aurel. Cornel. Celſus *Hippocrates* latinus, medicorum *Cicero*, de quo fuſe *Fabricius* B. Lat. l. 2. c. 4. (u) Notus ubique, de quo *Plinius* jun. l. 3. ep. 5. & l. 6. ep. 16. Lege *Voſſium* de H. L. lib. 1. c. 29. *Fabric.* B. Lat. l. 2. c. 13. (vv) Senioris fil. a *Galeno* ſæpe citatus *Fabric.* B. Gr. l. 6. c. 9. p. 61. (x) a *Plinio* aliquoties citatus. (y) De *Menodoto Ionſius* de ſcript. hiſt. ph. l. 3. c. 12. *Fabricius* B. Gr. lib. 6. c. 9. p. 335. (z) a *Galeno* citatus. (1) Citatus a *Plinio* & *Galeno*. Lege *Fabric.* B. Gr. l. 6. c. 12. p. 135. (2) *Aſclepiades* 5. deſcribit *Fabricius* B. Gr. l. 6. c. 12. p. 87. ſq. (3) Vid.

nem denique ſeculi hujus, & ſequentis initium *Crito*, (4) *Rufus Epheſius*, (5) *Nemeſianus*, (6) Magiſter *Pelopis*, (7) & *Marinus*, (8) Magiſter *Quinti*, (9) uterque peritia rei anatomicæ inſignis. Horum ſcripta & nomina etſi iis & ſequentibus temporibus fuerint nobiliſſima, hodie tamen a pleriſque ignorantur, & maximam partem deſiderantur.

Tantum enim habemus nunc ex Latinis *Cornelium Celſum* (*) doctiſſimum artis ſcriptorem, & *C. Plinium*, *Scribonii* item *Largi* librum empiricum, ſed ex Græco potius verſum; nonnulla etiam *Artorio Muſæ* attributa, quanquam fidei incertæ. Ex Græcis extat *Dioſcorides Anazarbenſis*. Superſunt etiam *Rufi Epheſii* nonnulla, & aſtronomica fragmenta *Vettii Valentis*. Supereſt etiam *Evaci* adſcriptus liber, ſed fidei ſuſpectæ. Laudantur denique & ab aliquibus de curatione morborum libri duo *Caſſii Felicis*, qui tamen hactenus in manus meas non inciderunt; licet conjiciam, ejus eſſe problemata illa Græca, quæ *Caſſii* nomine vulgo circumferuntur.

CAP. V.

De hiſtoricis, poëtis & oratoribus.

Floruerunt etiam hac tempeſtate multi *nobiles hiſtorici*, (**) poëtæ ac rhetores, quorum alii Græco, alii latino uſi ſunt ſermone. Et quidem hiſtorici hodieque ſuperant ex hoc ævo illi: *Dionyſius Halicarnaſſeus* (a) Græcus; *T. Livius*, (b) Latinus hiſtoriæ Rom. ſcriptor, Cæſare Auguſto; *Valerius Maximus*, (c) *Vellejus Paterculus*, (d) uterque ſcriptor Latinus, ævo Tiberii, quo vixit etiam doctiſſimus geographiæ Græcus autor *Strabo*; (e) paulo poſt, ætate Claudii, *Pomponius Mela*, (f) atque ex ſententia doctorum, *Q. Curtius*, (g) Veſpaſiano autem Cæſ. *Julius Solinus* (h) & *Joſephus Judæus*. (i) Sub finem denique hujus ſeculi *C. Corn. Tacitus*, (k) qui tamen ſua ſcripſit imperante Trajano.

Poëtæ ſunt nobiliſſimi ætate Auguſti: *Horatius*, (l) *Virgilius*, *Catullus*, *Tibullus*, *Propertius*, *Gratius*, *Ovidius*, *Germanicus*, (m) Neronis ævo: *Lucanus*, (n) *Seneca Tragicus*, (o) & *Perſius Satyricus*; (p) Veſpaſiano denique & filiis Cæſaribus: *Silius Italicus* (q) & *Val. Flaccus*, (r) *Martialis* (s) & *Juvenalis* (t) flos ille latinorum poëtarum.

Oratorem neminem habemus, quod ſtatim a Ciceronis ævo corrumpi eloquentia cœpit, ut patet ex *Quintiliani* dialogo de oratoribus, qui *Tacito* ſolet adſcribi. Rhetor tamen maximus *Quintilianus* (u) floruit ætate Domitiani, ut Neronis ævo *Jun. Columella*, (vv) doctiſſimus rei ruſticæ ſcriptor. Vixit eodem ſeculo Neronis ætate etiam *T. Petronius Arbiter* (x) peſſimus vivendi artifex, qui tamen ob latine ſcribendi elegantiam hic commemorari debuit. Pene exciderunt *Aſconius Pedianus*,

ſupra lit. d. (4) *Crito* antiquior ad *Artaxerx*. Mnemon. tempora refertur a *Voſſio* de philoſophia c. 11. §. 25. Hic *Trajani* medicus, a *Galeno* ſæpe citatus. Vide *Fabricium* B. Gr. l. 6. c. 12. p. 132. (5) *Trajani* tempore celebris, de quo *I. A. Fabricius* bibl. Gr. l. 4. c. 3. & 17. it. l. 6. c. 12. p. 385. (6) *Numiſianus* potius, *Galeni* præceptor. *Fabricius* l. 6 c. 12. p. 351. (7) *Pelops*, præceptor *Galeni* ſæpe ab eo laudatus. *Fabric.* bibl. Gr. l. 6. c. 12. p. 360. (8) a *Galeno* ſæpe laudatus. Lege *Fabricium* bibl Gr. lib. 6. c. 12. pag. 321. (9) *Quintus* præceptor *Galeni* ſæpe memoratus. *Fabric.* lib. 6. c. 12. p. 382. Medicos hos fere omnes paucis expoſuit *Pet. Caſtellanus* in vitis illuſtr. medicorum qui toto orbe floruerunt. Antw. 1618. 8.

(*) *Cornelium Celſum*) GOEB. Hic ob caſtiſſimam latinitatem ſuam latinorum Hippocrates & medicorum Cicero vocatur. Præter alias operum ejus editiones commendatur ea, quam THEOD. JANSONIVS ab ALMELOVEEN anno 1687. Amſtelodami adornavit, inſeruitque illi ſcholia, quæ inter legendum ſuo codici ISAACVS CASAVBONVS adſcripſerat. De commentationibus in Celſum vide MORHOFIVM *in polyhiſt. t. 1. l. 4. §. 7.*

(**) *nobiles hiſtorici*) GOEB. Hic omnino conferri meretur BALTHASARIS BONIFACII tractatus *de XL. Romanæ hiſtoriæ ſcriptoribus*, una cum SIGONII de eiſdem ſcriptoribus judiciis, nec non MORHOFII *polyhiſt. tom. I. lib. IV.*

Cap. V. (a) Hiſtor. & rhetor inſignis, de quo legendi *Photius* cod. 83. *Voſſius* de hiſt. Gr. l. 2. c. 3. *Ionſius* de ſcr. hiſt. phil. l. 3. c. 8. *Hankius* de R. R. ſcript. part. 1. cap. 8. *I. A. Fabricius* fuſe B. Gr. lib. 3. c. 32. (b) Vide prolegom. c. 4. §. 9. (c) Lege *Voſſium* de hiſt. Lat. l. 1. c. 24. *I. A. Fabricium* biblioth. Gr. lib. 2. c. 5. (d) Literis & armis inclytus. De eo *Voſſius* de H. Lat. lib. 1. c. 24. *Hankius* de R. R. ſcr. part. 1. c. 10. *I. A. Fabricius* B. Lat. l. 2 c. 2. (e) Amaſenus philoſophus & geographus amplis itineribus exercitatus. *Voſſius* de hiſt. L. lib. 2. c. 6. *I. A. Fabricius* bibl Gr. l. 4. c. 1. (f) Erericus, de quo fuſius agunt *Voſſius* de H. Lat. l. 1. c. 25. & *I. A. Fabricius* B. Lat. l. 2. c. 8. (g) Dubiæ ætatis. Lege *Voſſium* de H. Lat. l. 1. 28. *Morhofium* in polyhiſt. l. 1. c. 9. *Fabricium* B. Lat. l. 2. c. 19. a *Guid. Patino*, *Ioh. Clerico* & aliis pro recentiori habetur. Defenditur a *Ioh. Chr. Wagenſeilio* in pera libr. juvenil. tom. 4. p. 178. & maxime a *Iac. Perizonio* in Curtio reſtituto Lugd. B. 1703. 8. (h) Incertæ ætatis *Voſſius* l. 3. de H. L. *Fabricius* l. 2. c. 13. (i) Supra §. 1. deſcriptus. (k) *Cn. Iul. Agricolæ* gener ſatis notus, de quo *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 1. c. 30. *Hankius* de R. R. Scr. part. 1. c. 14. *Fabricius* l. 2. c. 21. B. Lat. (l) De *Horatio*, *Virgilio*, *Catullo*, *Tibullo*, *Propertio*, *Gratio*, *Ovidio*, ſupra proleg. c. 4. §. fin. egimus. (m) *Germanicus* Cæſar, *Caligulæ* pater, ob *Arati* phænomena heroico carmine expreſſa huc citatur. Lege *Voſſium* de ſcient. mathem. cap. 34. §. 5. & de poetis Lat. c. 3. *Ol. Borrichium* de poët. diſſ. 1. §. 27. *I. A. Fabricium* B. Lat. l. 1. c. 19. (n) *M. Annæus Lucanus* Gotticus, *Senecæ* fratris filius, *Neronis* æmulus. Lege *Pet. Crinit.* l. 3. c. 58. *Lil. Gr. Gyrald.* dial. 4. H. poet. *Voſſium* de poet. att. c. 3. & de H. Lat. lib. 1. c. 16. *Hankium* part. 1. c. 11. de R. R. ſcript. *Ol. Borrich.* diſſert. 1. §. 31. de poet. *I. A. Fabric.* B. Lat. lib. 2. c. 10. (o) *Seneca* inter philoſophos cap. 2. deſcriptus. Adde *Ol. Borrich.* diſſ. 1. §. 30. de poet. (p) *A. Perſius Flaccus* juvenis 30. annor. mortuus. *Crinitus* l. 3. c. 56. *Gyraldus* dial. 4. *Voſſius* de poet. c. 3. *Borrichius* diſſ. 1. §. 34. *Fabricius* l. 2. c. 12. B. Lat. (q) *C. Silius* Ital. ter Cos. de quo *P. Crinit.* l. 3. c. 67. *Gyraldus* dial. 4. *Voſſius* de poet. c. 3. & de hiſt. Lat. lib. 1. c. 29. *Hankius* de R. R. ſcr. part. 1. c. 13. *Ol. Borrich.* diſſ. 1. §. 36. *Fabricius* l. 2. c. 12. B. Lat. (r) *C. Val. Flaccus* a *Crinito* c. 68. *Gyrald.* dial. 4. *Voſſio* de poet. c. 3. *Borrich.* §. 34. *Fabric.* lib. 2. c. 14. deſcribitur. (s) *M. Valer. Martialis* Hiſp. deſcriptus a *Crinito* cap. 71. *Gyrald.* dial. 4. *Voſſius* de poet. c. 3. *Borrich.* diſſ. 2. §. 39. *Fabricius* lib. 2. c. 20. bibl. Lat. (t) *D. Iun. Iuvenalis* deſcribitur a *Crinito* c. 69. *Gyrald.* dial. 4. *Voſſio* cap. 3. de poet. *Borrich.* §. 40. *Fabricius* l. 2. c. 18. bibl. Lat. (u) *M. Fabius Quintil.* Hiſp. de quo lege *And. Schottum* bibl. Hiſp. tom. 2 claſſe 1. p. 201. *I. A. Fabric.* bibl. Lat. l. 2. c. 15. (vv) *L. Iun. Moderatus Colum.* Gaditan. deſcriptus paucis ab *And. Schotto* bibl. Hiſp. tom. 2. claſſe 1. fuſius, a *Ioh. Alb. Fabricio* l. 2. c. 7. B. Lat. (x) Maſſilienſis, de quo *Tacitus* l. 16. c. 18. annal. *I. A. Fa-*

dianus, (y) qui commentarios ſcripſit in orationes *Ciceronis* tempore Neronis & Veſpaſiani, ac *Cornutus* (z) philoſophus, qui grammatica ſcripſit, item commentaria in *Virgilium*.

SECVLVM II.

CAP. I.

De ſcriptoribus eccleſiaſticis.

Altero ſeculo jam per totum terrarum orbem clarum erat imprimis doctrinæ Chriſtianæ nomen; itaque infeſtos ſibi illa reperiebat tum veteris idololatriæ patronos, tum philoſophos, Judæos & hæreticos. Contra hos igitur cum multi alii pugnavere, quorum ſcripta perierunt, tum hi ſuperſtites: *S. Juſtinus Martyr*, (a) temporibus Antonini Pii & ejus ſucceſſorum; *S. Athenagoras*, (b) qui tamen videtur nonnihil *Montani* opinionibus faviſſe, ætate M. Aurelii Antonini; quo tempore etiam vixit *S. Theophilus* (c) epiſcopus Antiochenus, & *Tatianus*, (d) autor florentiſſimæ contra gentiles orationis, *Juſtini Martyris* auditor, qui tandem ad hæreticos defecit; *S. Irenæus* (e) item, qui ætate Severi pro Chriſti fide martyrio functus eſt, cujus hodie miramur libros contra *Valentini* aliorumque hæreſin ſcriptos; & denique eodem tempore *Tertullianus* Afer, (f) vir auſterus & vehemens, doctus tamen, adeoque πολύγραφος, qui tamen ipſe laudem perdidit, quam merebatur, defectione ad partes Montani.

Eodem ſeculo everſa paulo ante a Veſpaſiano Judæorum republ. iisdemque denuo ab Hadriano Cæſare aut paſſim diſperſis, aut internecione deletis, etiam *Rabbinica ſtudia* per imperii Rom. terras una cum ſcholis exoleverunt. Ne tamen hoc infortunio periret memoria traditionum avitarum, quas Judæi legi Moſis ſcriptæ æquant, quarum notitia ex patrum, ut ferunt, ore accepta conſtat Judæorum ſapientia, jacta ſunt *Thalmudis Babylonici* initia, textus ejus, quem *Miſnam* vocant, (g) autore *R. Jehuda*, quem ſibi *Hakkadoſch*, vel *ſanctum, principem*, & *Rabbi* vocant, anno CXX. poſt excidium templi, in ſcholis Babylonicis ad Euphratem conditi. In eo itaque magiſtro deſinit ordo *Tanaim* ſeu *Miſnæ doctorum*, quem Judæi a *Simeone Juſto* vel *Jaddo*, adeoque Alexandri M. ævo deducunt. Sequuntur vero *Amoræim*, ſive *doctores Gemaræ*, ad usque *R. Aſe*, ejusque filium *Mar* per annos trecentos & amplius.

Eodem ſeculo, & quidem Hadriano Cæſare, *Aquilam proſelytum*, (h) Græcum bibliorum veter. Teſtamenti paraphraſten, certum eſt floruiſſe, quem eundem eſſe cum eo, qui *V. libros Moſis* paraphraſi Chaldaica vertit, *Onkelos* (i) Judæis dictus, probabilibus argumentis veriſimile redditur. Severo Imperatore denuo Græci vertit vetus Teſtamentum ex Hebræo *Symmachus* (k) ex Samaritano Judæus. Commodi ætate, eandem navavit operam *Theodotion* (l) ex Marcionita itidem Judæus; ita triplex hoc ſeculo verſio veteris Teſtamenti prodiit.

CAP. II.

De Philoſophis.

Hoc ſeculo floruerunt, minus tamen, quam ante, omnes Græcæ philoſophiæ ſectæ, quamvis ſcriptores extent perpauci.

In *Peripateticis* eſt *Alexander Aphrodiſeus* (a) quem ſequens ætas præ aliis *exegetam Ariſtotelis* nuncupat, vir in Peripatetica philoſophia poſt *Theophraſtum* maximus, ſub finem ſeculi, Septimio Severo Imperatore. Uſus hic erat præceptoribus *Ariſtocle* (b) *Meſſenio* & *Soſigene*, (c) viris clariſſimis, ſed quorum ſcripta interciderunt. Initio ſeculi claruerat *Aſpaſius*, (d) laudatiſſimus Peripateticus, ſed

bricius l. 2. c. 11. bibl. Lat. (y) *Q. Aſcon. Pedianus* Patavinus deſcriptus a *Voſſio* de hiſt. Lat. l. 1. c. 37. *Fabricio* l. 2. c. 6. B. Lat. (z) *Annæus Cornutus* citatus a *Macrobio* l. 5. c. 19. Saturn. *Suida* in Cornut. &c.

Cap. I. (a) De *Juſtino* lege *Euſeb.* lib. 4. c. 16. hiſt. eccl. *Hieronym.* in catal. *Photium* cod. 125. *Andr. Ribetum* crit. ſ. l. 2. c. 5. *Guil. Ern. Tenzel.* in diſſ. ſelect. exerc. 5. *Caveum* hiſt. lit. an. 140. *Nic. le Nourry* in appar. tom. 2. diſſ. 2. *Ioh. Ern. Grabe* in ſpicil. patr. II. ſeculi tom. 1. Vitam *Ioh. Pearſonis* accurate deſcripſit. Durius habetur in obſerv. Halenſ. tom. 2. obſerv. 7. & 9. adde *Caſim. Oudini* diſſert. de *Juſtino* tom. 1. (b) Lege de *Athenag. Caveum* in hiſt. lit. tom. 1. & 2. ad an. 177. *Tenzelium* diſſert. ſelect. exerc. 5. *Nic. le Nourry* in appar. tom. 2. diſſert. 3. *Caſ. Oudinus* in ſcript. eccl. t. 1. ſec. 2. (c) De *Theophilo Euſebius* l. 4. c. 23. hiſt. eccl. *And. Ribetus* lib. 2. c. 7. crit. S. *Caveus* tom. utroque an. 169. *le Nourry* tom. 2. diſſ. 4. apparat. (d) De *Tatiano Euſebius* l. 4. c. 29. hiſt. eccl. *Epiphanius* hær. 46. *Theodoretus* de hæret. fab. lib. 1. c. 20. *Gu. Caveus* tom. utroque ad an. 172. *Nic. le Nourry* appar. tom. 2. diſſ. 5. *Caſ. Oudinus* de ſcr. eccl. an. 180. (e) *Euſebius* H. E. lib. 5. c. 18. *Andr. Ribetus* crit. S. l. 2. c. 6. *Henr. Dodwellus* diſſertat. in *Irenæum*. *Gv. Caveus* hiſt. Lat. an. 167. *Nic. le Nourry* appar. tom. 2. diſſ. 6. *Caſ. Oudinus* de ſcr. eccl. ad an. 167. (f) *Q. Sept. Flor. Tertullianus* deſcriptus ab *Hieron.* catal. c. 53. *Andr. Riveto* cr. S. l. 2. c. 9. 10. *Cavio* an. 192. *Caſ. Oudin.* de ſcript. eccl. ad an. 200. (g) Doctorum *Miſchnicorum* & *Gemaricorum* hiſt. chronologice diſpoſitam refert R. *David Ganz* in *Zemach David* pag. 104. ſeqq. Omnia fuſe exponit *Iac. Basnagius* in hiſtor. Judæorum a tempore Chriſti ad noſtram ætatem l. 3. c. 5. 6. 7. (h) De *Aquila* R. *Dav. Ganz* in *Zemach David* ſ. chronolog. millen. 4. num. 840. *Sixt. Sen.* bibl. S. lib. 4. *Gu. Caveus* hiſt. lit. tom. utroque an. 128. (i) Autor *Rob. Bellarmin.* ſequitur, qui refutatur a *Chr. Kortholto* de variis S. ſcript. edition. cap. 3. §. 2. ſeqq. *R. Dav. Ganz* etiam diverſos eſſe probat loc. cit. (k) De *Symmacho Epiphanius* de ponder. & menſur. § 16. *Sixtus Senenſ.* bibl. S. lib. 4. *Gu. Caveus* hiſt. lit. ſec. 3. init. (l) Præponendus *Symmacho*, quod etiam *Epiphanius* neglexit §. 17. de pond. & menſ. Lege *Sixtum Senenſ.* l. 4. *Gu. Caveum* ad an. 175. De his interpretibus accurate agit *Ioh. Frickius* in præf. ad bibl. Gr. Lipſ. 1697. 8.

Cap. II. (a) Ab *Ariſtotele* nunquam recedens Lege de illo *Voſſium* de philoſ. ſect. c. 17. §. 16. 17. *Hornium* hiſt. phil. l. 4. cap. 6. *Ionſium* de ſcript. hiſt. phil. lib. 3. c. 18. (b) *Ariſtoclis* fragmenta ex *Euſebio*, *Theodoreto*, *Suida* citat *Ionſius* lib. 4. de ſcript. hiſt. phil. ubi ordine alphabeth. procedit. (c) Citatus a *Themiſtio* lib. 2. de anima, alias parum notus. (d) a *Galeno*, *Simplicio*, *Porphyrio* in vita

Digitized by Google

ſed nec ejus quicquam hodie extat. Ex *Stoicis* habemus *Arrianum*, (e) qui dicta factaque *Epicteti* memoriæ mandavit, ultimus omnium Stoicorum ſcriptorum, qui quidem hodie ſuperant. Pro *academia* jam fere demortuæ honore pugnare conatus eſt *Phavorinus*, (f) Gallus, præceptor *A. Gellii*, ævo Hadriani, ſed nec ejus quicquam eſt reliquum. Ex *Platonicis* videtur ad initium hujus ſeculi pertinuiſſe *Alcinous*, (g) cujus extat brevis & elegans introductio in doctrinam *Platonis*. Quo tempore floruit & *Plutarchus Chæronenſis*, (h) qui tamen ad politica maxime & hiſtorica ſtudia animum appulit, indeque gloriam immortalem reportavit; & *Dion*, (i) quem ob aureum eloquentiæ flumen, *Chryſoſtomum* nuncupamus, ſuperſtitibus declamationibus clarus; non minus atque eodem nomine inſignis fuit ſub finem ſeculi, Commodo Cæſare, *Maximus* (k) *Tyrius*, philoſophus etiam Platonicus. Ubi notandum, *Platonicorum* ac *Pythagoricorum* cognomento cœpiſſe hac tempeſtate novum fere genus philoſophandi; hactenus enim omnes Græcorum philoſophorum ſectæ ſacra & myſteria religionum, quorum uſus in vulgus erat, contempſerant, & oppugnarant, Perſarum etiam & Ægyptiorum præſtigias magicas irriſerant; nunc vero nonnulli cœperunt illa admirari & colere; quod ſane non alia occaſione eſt factum, quam, quod Chriſtiana doctrina nomine optimi divini cultus, & miraculorum frequentia, omnium fere hominum animos vel occuparet, vel perſtringeret. Memoratur inter illos *magos & præſtigiatores Julianus Chaldæus*, (l) de Chaldaica theologia editis libris inter primos olim clarus, Marci Cæſ. ævo, cujus tamen ſcripta, divina ſic curante providentia interciderunt. Pertinet ad hunc ordinem quoque L. *Apulejus* (m) *Madaurenſis*, ſed ejus hodie nil ſupereſt, præter ludicram transformati aſini fabulam, & nonnulla alia philoſophica, exigui tamen ponderis. Paulo ante, Domitiano Cæſare vixerat ille celebris magus *Apollonius Tyanæus*, cujus præſtigiis auſi ſunt gentiles cum miraculis Servatoris noſtri contendere; vitam ejus hoc ſeculo conſcripſit, a Severi Imperatoris uxore invitatus *Philoſtratus*, (n) etiamnum ſuperſtitem. Floruit etiam *Nicomachus Geraſenus*, (o) qui ex numerorum neſcio quibus arcanis novam theologiam condere eſt auſus, quæ ex parte etiam hodieque ſuperat. Certe, hoc demum tempore videre eſt, præſtigias non improbatas a nonnullis philoſophici cognomenti viris; tum multa ſcripta ſub *Zoroaſtris*, & *Mercurii Triſmegiſti*, & *Pythagoræ*, & *Pythagoricorum* aliorum nominibus ementitiis edita, tantum, quo hæc nova philoſophandi ratio crimen novitatis amoliretur. Vixit Antonino Imp. poſtremo & *Cl. Ptolemæus* (p) aſtronomus, aſtrologus & geographus eximius, ſi modo liceat illum philoſophis annumerare.

CAP. III.

De juris Romani prudentibus.

Duravere & nunc illæ a *Proculo* & *Caſſio*, *Capitone* & *Labeone* autoribus cœptæ diſſenſiones; atque initio quidem ſeculi & ſub finem præcedentis, Trajano Imperatore, floruerunt (a) *Priſcus Javolenus*, ſectator *Cœlii Sabini*, & *Juventius Celſus Pater*, auditor *Pegaſi*, adeoque *Proculeanus* ſecta. Hadriano Cæſare in pretio fuerunt *Celſus Filius*, & *Priſcus Neratius*, uterque auditor *Celſi Patris*, ſectaque itidem *Proculeanus*. *Priſci* etiam *Javoleni* auditores, *Alburnus Valens*, *Tuſcianus*, & *Salvius Julianus*, omnes ſectæ *Caſſianæ*; ex quibus maxime *Salvius Julianus* (b) eminet, autoritate Hadriani Cæſaris *edicto perpetuo* ex variis illis & deſultoriis annalibus, prætorumque edictis hactenus uſitatis condito, quod poſtea ſemper ſummæ fuit dignationis, tertioque ſeculo commentatores invenit longe laborioſiſſimos, *Ulpianum*, *Paulum* & *Cajum*; cuique tantum autoritatis tributum eſt, ut L. ult. ff. de appellationibus ſcribatur: *Si ex perpetuo edicto aliquid decernatur, id, quo minus fiat, non permittitur appellare.* Atque in his ICtis definit *Pomponii* locus, qui habetur l. 2. ff. de orig. juris.

Quinam igitur poſt Hadrianum ad Severum usque juris prudentia claruerint, fere nos latet. Nam, quod quidam inter eos numerent *Tertullianum* eccleſiaſticum ſcriptorem, eique tribuant *edictum Tertullianum*, quod appellatur, id vero incerta, ſi non inepta ſit conjectura, quam ipſa latine loquendi ratio refutat. Conſtat tamen Severo Imperatore eminuiſſe *Æmilium Papinianum* ICtum in

Plotini &c. citatus. (e) Nicodemienſ. Romæ ad ſummas dignitates evectum. De eo agunt *Photius* cod. 58. 91. 92. 93. *Voſſius* de hiſt. Græc. l. 2. c. 11. *Ionſius* de ſcript. hiſt. philoſ. lib. 3. c. 7. *Franc de la Mothe le Vayer* in judiciis de hiſt. Græc. & Lat. tom. 1. operum. *I. A. Fabricius* bibl. Græc. lib. 4. c. 8. fuſe. (f) Arelatenſis, in aula *Hadriani* de quo *Philoſtratus* in vitis Sophiſt. *A. Gellius* paſſim e. g. lib. 12. c. 1. lib. 14. c. 1. & 2. &c. *Suidas*, *Voſſius* de hiſt. Græc. lib. 2. c. 10. (g) Dubiæ fere ætatis. Libellus ab *Euſebio* lib. 11. de præp. evang. ſub *Didymi* nomine citatur. Lege *Voſſium* de phil. ſect. c. 16. §. 5. (h) ubique notus, vir illuſtris, philoſophus, hiſtoricus, orator ſummus, polygraphus inſignis. Vitam ſollicite conquiſivit *Mart. Hanckius* de ſcript. rer. Rom. part. 1. c. 12. Adde *Voſſium* de hiſt. Græc. lib. 2. c. 1. *Jonſium* lib. 3. cap. 6. *Fabricium* bibl. Græc. lib. 4. c. 11. (i) Pruſæenſis Sophiſta & philoſophus, de quo *Philoſtratus* in vit. Soph. *Photius* cod. 209. *Suidas*, *Fabricius* bibl. Græc. lib. 4. c. 10. (k) Præceptor *M. Aur. Antonini*. Lege *Suidam*, *Voſſium* de phil. ſect. c. 16. §. 4. *Ionſium* lib. 3. c. 9. *Fabricium* bibl. Græc. lib. 4. part. 2. c. 2. (l) *Suidas* 2. hujus nominis ſub *M. Antonino* floruiſſe dicit. (m) Afer, orator & philoſophus Carthagin. Vita operibus præmiſſa legitur. Adde *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 3. part. 4. c. 1. *G. Hornium* hiſt. phil. lib. 5. c. 6. *Ionſium* lib. 3. c. 11. *Fabricium* bibl. Lat. l. 3. c. 2. (n) Athenienſis ab *Euſebio*, ſed Lemnius ab *Eunapio*, *Heſychio* & *Suida* dicitur, qui de eo agunt. Adde *Photium* cod. 241. *Voſſium* de hiſt. Græc. lib. 2. c. 15. *Ionſium* lib. 3. c. 13. *Ioh. Meurſium* in diſſ. de variis *Philoſtratis* epiſtolis *Philoſtrati* annexa, it. *God. Olearii* diſſ. de *Philoſtratis* novæ edit. Lipſienſi præmiſſam. (o) *Apulejo* antiquior, qui illius arithmeticam lat. reddidit, teſte *Caſſiodoro* de math. diſciplinis. Lege de eo *Photium* cod. 187. *Ionſium* l. 3. c. 3. *Fabricium* bib. Græc. lib. 4. part. 2. cap. 1. (p) *Ptolomæus* Peluſiota, philoſ. & mathem. Alexandrinus, de quo legendi *Voſſius* de hiſt. Græc. l. 4. c. 7. *Fabricius* bibl. Græc. lib. 4. c. 14.

Cap. III. (a) Hæc ICtorum nomina iterum ex *Pomponio* deſumta; commentatores vero ad hanc lib. 2. ff. de orig. juris citavimus ſec. anteced. cap. 3. (b) *Salvius Iulianus* dicitur in edicto *Hadriani* lib. 2. cod. de vet. jure enucleando *legum & edicti perpetui ſubtiliſſimus conditor*.

in paucis excellentem, ſed ille memoriæ gratia rectius refere tur ad ſec. 3. eoque vere dici poteſt, ſectas illas *Capitone* & *Labeone* autoribus, initio I. ſeculi natas, II. ſeculo paulatim interiiſſe.

CAP. IV.

De medicis.

Floruerunt etiam hoc ſeculo omnes medicorum ſectæ antehac enatæ, etſi minus claris autoribus. Præter has vero *Hippocratica* quaſi revixiſſe dicitur, *Hippocratis* ſcriptis ſolito diligentius & accuratius a nonnullis commentario illuſtratis, qui & anatomen corporum longe quam antea accuratius exercuerunt. Acceſſit & ſub finem ſeculi nova ſecta, *Cl. Galeno* autore; atque ex reliquis quidem ſectis nemo eſt, quem operæ pretium ſit hic commemoraſſe. In *Methodicis* vero, ſeu *Theſſali* ſectatoribus, Trajano Cæſare admodum floruit *Soranus Epheſius*, (a) cujus ſcriptorum fragmenta hodieque habentur; *Olympianus* (b) item, & poſt hujus diſcipulus *Apollonides*, & hujus itidem ſectator ſub finem ſeculi, *Julianus*, quem & audivit Alexandriæ, & poſt acerrime confutavit *Galenus*. Pertinere videtur ad hæc tempora etiam *Cælius Aurelianus*, (c) *Afer*, qui latino, ſed minus comto ſermone *Sorani* libros transſcripſit, & nunc *Methodicæ ſectæ* ſcriptor unicus reſtat. Initium ſeculi attigerunt, (ut de *Hippocraticis* ſeorſim agamus, *Sabinus* (d) & *Rufus Epheſius*, (e) uterque *Hippocratis* commentator. Hadriano Cæſare vixerunt *Dioſcorides* (f) *Alexandrinus*, & *Artemidorus Capito*, (g) qui tunc operis collatis ediderunt de integro in vulgus ſcripta *Hippocratis*. Huc etiam pertinet *Athenæus Attalenſis*. Memorat *Galenus* paſſim *Pelopem* & *Satyrum*, Hadriani circiter ævo, utrumque magiſtrum ſuum, & ſummum anatomicum, illum *Numeſiani* hunc *Quinti* auditorem. Paulo poſt vixit & *Lycus Macedo*, (h) a *Galeno* ſingulari libro oppugnatus; ſed horum vix quicquam ſupereſt, præter paucula *Rufi*. Valde autem veriſimile eſt, ætate *Galeni* vixiſſe *Aretæum Cappadocem*, (i) cujus ſcripta hodieque in admiratione doctorum ſunt. At cumprimis finem ſeculi hujus exornavit *Cl. Galenus* (k) qui omnes omnium temporum medicos & eruditione, & librorum multitudine ſuperavit.

CAP. V.

De hiſtoricis, rhetoribus & grammaticis.

Seculum hoc II. habet in hiſtoricis nonnullos Græcos ſcriptores ſatis præclaros. Trajano enim Cæſ. floruit *Plutarchus*, cujus ante in philoſophis meminimus, Hadriano Imperatore *Appianus* (a) *Alexandrinus*, *Ælianus*, (b) variæ hiſtoriæ ſcriptor; *Pauſanias* item, (c) qui curioſe Græcorum antiquitates memoriæ tradidit, & *Phlegon*, (d) libertus Hadriani, nobilis ille chronologus, cujus tamen ſcripta hodie deſiderantur. Antonino Pio Cæſare vixit *Arrianus*, quem ante inter Stoicos ſcriptores laudavimus, rhetor, vel advocatus Nicomedienſis. Marco imperante *Polyænus* (e) is floruit, cujus habemus ſtratagemata; & forſan *Diogenes Laertius*, (f) qui vitas philoſophorum ſcripſit.

Non deſunt etiam Latini hiſtorici, etſi neque cum Græcis, neque cum iis qui anteceſſere ſuæ gentis, comparandi. Non enim hic *Tacitum* denuo commemorabimus, etſi ſub Trajano floruerit. Pertinet huc *Suetonius Tranquillus*, (g) Hadriano Cæſari a libellis, & qui paulo poſt vixit, *Juſtinus*, (h) *Trogi Pompeji* epitomator. Seculo etiam hoc, & quidem ævo Hadriani creditur vixiſſe *Julius Florus*, (i) cujus compendium extat hiſtoriæ Romanæ, lectu digniſſimum.

In

Cap IV. (a) Medicus Alexandrinus, poſtea Romanus, de quo videndi *Voſſius* de hiſt. Græc. lib. 3. & de philoſophia cap. 12. §. 19. *Jonſius* lib. 4. qs. extr. *Fabricius* bibl. Græc. lib. 6. c. 7. §. 10. & bibl. Lat. lib. 4. c. 12. (b) *Olympicus* potius, *Apollonides* & *Julianus* â *Galeno* citantur l. 1. c. 7. de meth. medendi. (c) ex *Sicca Veneria* de quo *Th. Reineſius* lib. 3. variar. lect. c. 17. & 18. agit, ſed eum ad ſec. V. refert. Lege *Voſſium* de philoſ. c. 12. §. 16. *Fabricium* bibl. Lat. lib. 4. c. 12. (d) Parum notus, ſoli *Galeno* citatus. (e) Autor *Suidam* ſequitur. *Joh. Tzetzes* chil. 6. hiſt. 44. *Rufum Cleopatræ* medicum dicit. Lege *Voſſium* de philoſophia cap. 12. §. 14. *Fabricium* bibl. Gr. lib. 4. c. 3. §. 9. (f) a ſolo *Galeno* citatus. *Dioſcorides* 13. recenſet. *Ioh. Ionſius* lib. 2. c. 6. de ſcript. hiſt. phil. Adde *Fabric.* bibl. Græc. lib. 4. c. 3. (g) *Artemidorus* & 3. ſequentes ex ſola *Galeni* citatione noti ſunt. (h) De cataplaſmate ex fermento certabatur quod *Ætius* citat Tetral. 1. ſerm. 3. cap. 176. (i) Incertæ ætatis, *Galeno* junior a multis habetur, quod negat *Voſſius* de philoſ. cap. 12. §. 10. & cap. 13. Adde *Fabric.* bibl. Græc. lib. 4. c. 3. §. 7. (k) *Galenus* Pergamenus, Alexandriæ & Romæ medicinam fecit, princeps medicorum poſt *Hippocratem*. Vitam illius ex operibus accurate collegit & cum elogio Galeni chronologico paravit *Phil. Labbeus* & edidit Pariſ. 1660. 8. De eo fuſe *Joh. Alb. Fabricius* bibl. Græc. lib. 4. c. 17. ubi *Labbei* elogium inſeruit. Fuſiſſ. de *Galeno* agit *Dan. le Clerc.* in hiſtoria medicinæ part. 3. libro 3. Vitas plurimorum habet *Petr. Caſtellanus* in vitis illuſtr. medicorum.

Cap. V. (a) Inter procuratores Cæſaris. Libros etiam amiſſos recenſet *Photius* cod. 57. Lege de eo *Voſſium* de hiſt. Græc. lib. 2. c. 13. *Hanckium* part. 1. c. 18. de R. R. Scr. *Fabricium* bibl. Græc. lib. 4. c. 12. (b) Sophiſta Romanus, quem deſcripſere *Philoſtratus* in vitis Sophiſt. *Voſſius* de hiſt. Græc. lib. 2. c. 11. *Joh. Alb. Fabricius* lib. 4. c. 21. bibl. Græc. (c) Cappadox Sophiſta Athenis & Romæ. *Philoſtratus* in vit. Soph. *Voſſius* lib. 2. c. 14. de hiſt. Græc. *Fabricius* bibl. Græc. lib. 4. c. 15. (d) Trallianus, de quo lege *Photium* cod. 97. *Suidam*, qui eum ad Auguſti tempora refert. *Voſſium* de hiſt. Græc. lib. 2. c. 14. *Fabricium* bibl. Græc. lib. 4. c. 13. (e) Macedo Romæ cauſar. patronus, de quo *Voſſius* de hiſt. Græc. lib. 2. c. 14. *I. A. Fabricius* lib. 4. c. 15. bibl. Græc. (f) Parum notus; in eum ſollicite inquirit *Ioh. Ionſius* de ſcript. hiſt. phil. lib. 3. c. 12. Adde *Voſſium* de hiſt. Græc. lib. 2. c. 13. qui eum contra *Barth. Keckermannum* defendit; *Ioh. Alb. Fabricium* lib. 4. c. 19. bibl. Græc. (g) Satis notus, de quo agunt *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 1. c. 31. *Hanckius* de R. Rom. ſcr. part. 1. c. 17. *Fabric.* bibl. Lat. lib. 2. cap. 24. (h) Dubiæ ætatis, de quo agunt *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 1. c. 32. *Fabric.* bibl. Lat. lib. 3. c. 3. (i) *L. Jul. C. L. Annæus Florus*

In rhetorum claſſe cumprimis nomen adeptus eſt, Hadriano regnante, *Hermogenes* (k) *Tarſenſis* in ipſo flore ætatis; nam juvenis mox in dementiam incidit immedicabilem. Oratorio ſtudio deditus etiam fuit *Plinius* (l) *Secundus*, epiſtolarum ſcriptor, ætate Trajani, & *Gellius* (m) qui noctes Atticas exaravit, Antonio Pio circiter Imperatore. Grammaticus quoque & Polyhiſtor admirabilis *Athenæus*, (n) cujus hodieque ſuperant Dipnoſophiſtica, nec non *Julius Pollux*, (o) Lexicographus inſignis, ſub finem ſeculi floruerunt.

Huc etiam pertinet *Lucianus*, (p) quem dubites, philoſophisne, an hiſtoricis, an oratoribus debeas annumerare; utpote qui, cum omnia fere iſthæc noverit, omnia tamen riſerit. Vixit etiam hoc ſeculo, tempore Severi Imperatoris, *Neſtor* quidam *Larendenſis*, (q) *Piſandri* pater, qui Iliadem non invita Minerva ſcripſit, ut *M. Ant. Delrio* cenſet.

SECVLVM III.

CAP. I.

De ſcriptoribus eccleſiaſticis.

Tertio ſeculo magis magisque Chriſtiani ſcriptores cœperunt florere, accedente ad pietatem etiam eruditione, quam vocant, ſeculari. Itaque & oriens ſimul atque occidens habuit hoc tempore doctos & eloquentes, quorum alii propugnarunt veritatem fidei catholicæ, aut contra gentiles, aut hæreticos; alii Scripturæ S. explicationibus dederunt operam, quod hactenus minori fuerat actum ſtudio; alii denique mores & vitam Chriſtianam erudierunt. Nam initio hujus ſeculi vixere adhuc duo lumina illa, ob variam eruditionem cumprimis admiranda. *Tertullianus* in Africa, & in Ægypto *Clemens Alexandrinus*, (a) presbyter & ſcholæ theologicæ magiſter. *Minutius* item *Felix* (b) *Octavium* ſuum, hoc eſt, apologiam pro Chriſtianis contra vulgi calumnias, Severo Imperatore, conſcripſit, & prima hiſtoriæ ad gentiles, qui doctrinam Chriſtianam titulo novitatis infamant, convincendos, fundamenta jecit *Julius Africanus* (c).

Medio ſeculi *Clementis Alexandrini* auditor fuit *Origenes Adamantius*, (d) vir plane ſtupendæ, etiam in Platonica philoſophia, peritiæ, niſi nimium ingenio confiſus, multa variarum hæreſium ſemina ſparſiſſet. Hic eſt ille, qui primus Chriſtianorum edidit celebrata illa omni antiquitati Vet. Teſtamenti volumina, *hexapla* & *octapla*, (e) per columnas VI. vel VIII. diviſa, ita ſcilicet, ut dupliçi Hebræo textui, altero Hebræis, altero Græcis characteribus exarato, vel quatuor Græcæ verſiones, una LXX. *interpretum*, altera *Aquilæ Pontici*, tertia *Symmachi*, quarta *Theodotionis*; vel ſex, quæ nempe incertorum autorum noviter repertæ, præter IV. jam enumeratas, jungerentur. Primus itidem hic in univerſam ſcripturam ſcripſit commentarios, ſed minus forte probanda ratione omnia ad allegoriam flectendi. Idem LXX. *ſeniorum* verſionem ſingulari ſtudio emendatam, & cum *Theodotionis* verſione collatam edidit, additis obeliſcis & aſteriſcis. *Origeni* ſuppar fuit *Ammonius Alexandrinus*, (f) qui evangelicam omnem hiſtoriam, ſecundus poſt *Tatianum*, in unam harmoniam redegit. Nec non *Lucianus*, (g) presbyter Antiochiæ, qui ad Hebræos codices Græcam LXX. ſeniorum verſionem exigere, & in integrum reſtituere eſt conatus. Ex quo liquet, uno hoc ſeculo duas editiones vetere novas, & duas novæ verſionis Vet. Teſtamenti prodiiſſe. Non multo poſt

Orige-

---

notus ubique. Lege *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 1. cap. 30. *Hanckium* de R. R. ſcript. part. 1. cap. 15. *Fabricium* bibl. Lat. lib. 2. c. 23. (k) Inter pueros ſenex, inter ſenes puer ab *Antiocho* Sophiſta dictus. Lege *Philoſtrat.* in vit. Soph. *Suidam*, maxime *Ioh. Alb. Fabricium* lib. 4. part. 2. c. 31. (l) C. *Plinius Cæcilius Secundus* cauſarum patronus, Cos. Bithyniæ præf. Lege *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 1. cap. 30 *Fabricium* bibl. Lat. lib. 2. c. 22. (m) *S Agellius*, quod *Barthius* probare nititur adverſ. lib. 35. cap. 7. de qua re *Pet. Lambecius* integram diſſert. ſuis lucubrat. in *A. Gellium* præmiſit. Lege de eo *Ionſium* lib. 3. c. 6. & *Fabricium* bibl. Lat. lib. 3. c. 1. (n) Naucratita Ægyptius de quo *Voſſius* l. 2. c. 15. de hiſt. Græc. *Fabricius* bibl. Græc. l. 4. c. 20. (o) Naucratita, de quo *Philoſtratus* in vit. Soph. *Suidas* in voce πολυδεύκης. *Ioh. Tzetzes* chil. 7. hiſt. 145. *Voſſius* de hiſt. Græc. l. 4. c. 17. *Fabricius* bibl. Græc. lib. 4. part. 2. c. 33. (p) Samoſatenſis, Sophiſta philoſophus, ſcriptor Ἀττικώτατος, ut *Photius* cod. 128. judicat. Lege & *Suidam*, *Gilb. Cognatum* in elogio *Luciani*, *Jac. Zwingerum* de vita & ſcript. *Lucian.* *Voſſium* de nat. rhet. c. 12. de hiſt. Græc. lib. 2. c. 15. *Jonſium* l. 3. c. 10. *Fabric.* lib. 4. c. 16. bibl. Græc. (q) Ex Lycaonia, de quo *Suidas*, *Lil. Gr. Gyraldus* hiſt. poet. dial. 4. *Voſſius* de hiſt. Græc. lib. 2. c. 4.

Cap. I. *T. Flav. Clemens*, Athen. ſcholæ catech. Alexandrinæ director, Platonicis nimis addictus. De eo legendi *Photius* cod. 109. 110. 111. ex antiquioribus *Euſebius* l. 6. c. 12. 13. hiſt. eccl. *Hieronymus* in catal. ex aliis *Sixtus Senenſ.* lib. 4. bibl. S. *Caveus* hiſt. lit. an. 192. tomo utroque, *Ebr. Dan. Colberg*, *Plat. Herm. Chriſteuthum* part. 1. cap. 1. §. 7. *Joh. Alb. Fabric.* bibl. Græc. lib. 5. cap. 1. §. 21. (b) *M. Minucius Felix* cauſidicus Rom. de quo *Hieron.* in catal. *Jac. Ouzelius* in præfat. editionis Octavii, *Guil. Cavius* hiſt. lit. an. 220. (c) De eo *Euſebius* lib. 6. cap. 30. hiſt. eccl. *Hieron.* in catal. *Photius* cod. 33. 34. *Suidas*, *Voſſius* de hiſt. Græc. lib. 2. cap. 15. *Cavius* de hiſt. lit. an. 120. utroque tomo. (d) Alexandrinus *Leonidæ* Martyris fil. χαλκέντερος & Adamantius dictus ob laborem, de quo multis *Euſebius* lib. 6. hiſt. eccl. paſſim, præcipue cap. 38. *Hieron.* in catal. Duriores in eum ſunt *Caſſiodorus* div. lect. cap. 1. & *Beda* Ven. in cap. 1. ep. ad Rom. adde *Photium* cod. 8. *Nicephorum* lib. 5. fere toto. *Sixtum Sen.* lib. 4. bibl. S. *Andr. Rivetum* crit. S. lib. 2. cap. 12. 13. *Conr. Hornejum* hiſt. eccleſ. lib. 3. cap. 1. 3. 5. *Guil. Cavium* hiſt. lit. anno 230. tomo utroque, *Ebr. Dan. Colberg*, de orig. & progreſſ. hæreſ. cap. 7. *Ioh. Alb. Fabricium* lib. 5. cap. 2. §. 26. fuſiſſ. Adde *Iohann. Henrici Horbii* hiſt. Origenianam. *Petri Halloix* Origenem defenſum, *Louis Doucin* hiſtoire d'Origeniſme. *Caſ. Oudini* amplam diſſ. de vita, operibus, doctrina & morte Origenis tom. 1. de ſcript. eccleſ. ad an. 230. (e) De hexaplis legendi *Dion. de Rivis* liber de Origenis hexaplis & octaplis, *Iohann Frickius* in præfat. ad biblia Græc. *Iohann Alb. Fabricius* bibl. Græc. 3. cap. 12. ubi ſpecimen hexapl. additur. (f) *Origenis* & *Plotini* præceptor, de quo *Euſebius* lib. 6. cap. 18. & *Hieronymus* in catal. qui eum contra *Porphyrii* calumnias defendunt. Adde *Photium* cod. 214. 251. *Sixtum Senenſ.* B. S. lib. 4. *Ioh. Ionſium* de ſcript. hiſt. phil. lib. 3. c. 13. *Cavium* anno 220. *Caſ. Oudini* de ſcript. eccleſ. tom. 1. anno 230. (g) *Samoſat.* Martyr, de quo *Euſebius* hiſt. eccleſ. lib. 8.

Origenem floruerunt & *Cyprianus*, (h) Carthaginis epiſcopus, *Gregorius*, (i) ob miracula edita dictus *Thaumaturgus*, *Origenis* diſcipulus; quem tamen ſcriptorum multitudine adhuc ſuperſtitem ſuperat S. ille Martyr *Cyprianus*, in cujus libris eloquentiamne, an pietatem præferas, dubium eſt. Huic coævus fuit *Dionyſius*, (k) *Alexandrinus* epiſcopus, magnæ olim dignationis vir, ſed cujus fere nihil eſt reliquum. Diocletiano demum imperante *Arnobius* (l) ſeptem contra gentes libros confecit, doctos quidem, ſed aſperiori ſtylo. Eodem ſeculo a Judæo *R. Jochannane Thalmud*, quod dicitur *Hieroſolymitanum*, eſt conditum, non adeo magnæ apud Judæos hodie dignitatis, ob prævalentem autoritatem *Thalmudis Babylonici*.

CAP. II.
De philoſophis.

Seculo hoc tertio ſectæ pleræque Græcorum philoſophorum valde videntur defeciſſe, & quidem, quantum judicio licet aſſequi, eo, quod cum de divinis inepte philoſopharentur, non invenirent applauſores, prævalente ubivis philoſophia Chriſtiana. Itaque nec veros *Peripateticos*, nec *Stoicos*, nec *Epicureos*, nec *Platonicos* denique poſthæc invenies, hoc eſt, qui magiſtrorum ſuorum placitis omnimode adhæſerint, ſed potius, qui *Platonica* & *Pythagorica*, quæ appellantur, dogmata de Deo, rebusque divinis cum *Ariſtotelis* naturali philoſophia & logicis artibus conjunxerint. Talis medio ſeculi imprimis claruit *Plotinus*, (a) Ægypto oriundus, cujus libri in Enneades a *Porphyrio* diſcipulo digeſti, hodieque ſuperant; vir eruditione inter ſuos facile princeps, ſummæque olim autoritatis, adeoque τοῦ Θεοῦ cognomentum adeptus. Ex eodem ordine fuit & *Dionyſius Longinus*, (b) melior licet philologus, quam philoſophus, etiam *Plotini* judicio; ſed hujus nihil nunc extat philoſophicum. In auditoribus & diſcipulis *Plotini* floruere deficiente ſeculo præ aliis *Amelius*, (c) & *Porphyrius*, (d) ſive *Malchus*, Tyro oriundus; quorum illius quidem ſcripta omnia interciderunt, hujus nonnulla hodieque leguntur, ſuperfuturis pluribus, niſi ille ſuis voluminibus Chriſtianam religionem oppugnaſſet, quæ poſt Cæſareo decreto, quod in actis concilii Epheſini habetur, combuſta ſunt. Videtur etiam ad hoc ſeculum potius quam ſequens referendus *Dexippus Herennius*, (e) ob conſcriptos commentarios in *Ariſtotelis* categorias philoſophis annumerandus, etſi hiſtoria nobilior. *Peripateticam* denique ſeu potius *Peripateticæ* affinem ſcholam Diocletiano imperante ſcribitur aperuiſſe *Anatolius*, (f) religione Chriſtianus, cujus tamen nihil hodie ſupereſt, quanquam olim inter primos habitus fuerit. Ubi notandum, omnes omnium ſequentium ſeculorum homines doctos, tametſi in rebus divinis ab *Ariſtotele* diſſenſerint, in logicis tamen, phyſicis, politicis, & ex parte ethicis pene omnem *Ariſtotelis* philoſophiam approbaſſe.

CAP. III.
De jure conſultis.

Eodem ſeculo admodum floruerunt Romani juris ſtudia, magiſtro maximo *Æmilio* (a) *Papiniano*,

c. 13. lib. 9. c. 6. *Throdoretus* hiſt. eccl. lib. 1. c. 4. *Epiphanius* hæreſ. 49. *Philoſtorgius* lib. 1. c. 13. Lege & *Hieron.* in catal. *Sixt. Sen.* lib. 4. *Iac. Vſſerium* in ſynt. de LXX. interpretibus. *Cavium* ad an. 294. (h) *Thaſcius Cæcil. Cyprianus* vir illuſtris martyr, cujus vita a *Pontio Diacono* ſcripta. De eo *Euſebius* lib. 7. c. 3. hiſt. eccl. *Lactantius* lib. 5. cap. 1. *Hieron.* in catal. *Sixtus Sen.* lib. 4. *Andr. Rivetus* in crit. S. lib. 2. c. 14. 15. *Gu. Cavius* ad an. 245. *Caſ. Oudinus* de ſcr. eccl. tom. 1. an. 250. præcipue *Ioh. Pearſohnus* in annal. Cyprianicis, & *Henr. Dodwellus* in diſſertat. Cyprianicis. (i) Neo-Cæſar. in Cappad. epiſcopus. *Gregor. Nyſſenus* vitam ſcripſit. Legatur & *Baſil.* M. de Spir. S. cap. 29. *Hieron.* in catal. *Sixtus Sen.* lib. 4. *Andr. Rivetus* lib. 2. c. 16. crit. S. *Conr. Hornejus* hiſt. eccl. lib. 3. cap. 3. §. 18. cap. 5. §. 46. & cap. 8. §. 13-21. *Cavius* H. lit. ad an. 254. *I. A. Fabricius* bibl. Gr. lib. 5. c. 1. §. 28. fuſe. & *Caſim. Oudinus* de ſcr. eccl. tom. 1. an. 266. (k) De *Dionyſio* lege *Euſeb.* lib. 6. c. 33. & lib. 7. c. 1. hiſt. eccl. it. de præpar. evang. lib. 14. c. 23-27. *Hieron.* in catal. *Sixtum Sen.* lib. 4. *Conr. Hornej.* H. eccl. lib. 3. c. 6. & 8. *Cavium* an. 254. fuſe. *Fabric.* bibl. Gr. lib. 5. cap. 1. §. 32. (l) Rhetor. Siccenſis de quo *Sixtus Sen.* lib. 4. *Rivetus* in crit. ſacr. lib. 2. c. 17. *Cavius* an. 303. *Fabricius* bibl. Lat. lib. 4. c. 3.

Cap. II. (a) *Plotinus* Ægypt. *Ammonii* diſcipulus, alter *Plato*, Romæ 26. annis habitans. Vitam *Porphyrius* ſcripſit. Lege de eo *Eunapium* Sard. init. *Suidam*, *Voſſium* de philoſ. ſectis cap. 16. §. 3. *Ionſium* de ſcr. hiſt. phil. l. 3. c. 10. & optime *Fabricium* lib. 4. part. 2. c. 26. ubi chronologia *Plotini* & vita a *Porphyrio* ſcripta tota inſeritur. (b) Sophiſta Athen. poſt in aula Palmyrena *Zenobiæ* præceptor βιβλιοθήκη ἔμψυχος καὶ περιπατοῦν μουσεῖον dicitur ab *Eunapio* Sard. in vita Porphyrii. Lege *Suidam*, *Voſſium* de nat. rhetor. *Ionſium* de ſcr. hiſt. phil. l. 3. c. 14. *Fabricium* bibl. Gr. lib. 4. part. 2. c. 31. §. 9. (c) *Plotini* per 24. annos individuus comes, de quo *Eunapius* Sard. in vita *Porphyr.* & *Porphyrius* in vita *Plotini*. (d) Tyrius, Romæ apud *Plotinum*, inde in Sicilia vixit, quod ipſe in vita *Plotini* refert apoſtata, de quo *Auguſtinus* de civ. Dei lib. 10. c. 28. it. *Nicephorus* l. 10. c. 36. legendi. Lege *Eunapium* Sard. in vita *Porphyr.* *Suidam*, *Voſſium* de hiſt. Gr. lib. 2. c. 16. & de Phil. ſectis cap. 16. §. 3. *Ionſium* lib. 3. c. 15. *Cavium* H. lit. ſec. 3. in fine, *Fabricium* bibl. Gr. lib. 4. part. 2. cap. 27. ubi *Luc. Holſtenii* diſſert. de vita & ſcriptis Porphyrii inſerta. (e) Philoſophus, orator, hiſtoricus imo & dux Athenienſium, laudatus *Eunapio* Sard. in fine vitæ *Porphyrii*. Diverſos tamen fuiſſe philoſophum & hiſtoricum probat *Ionſius* de ſcr. hiſt. phil. lib. 3. c. 7. Lege de eo *Photium* cod. 82. *Voſſium* de hiſt. Gr. l. 2. c. 16. *Hankium* de R. Rom. ſcr. part. 1. c. 22. *Fabricium* bibl. Gr. lib. 4. c. 26. §. 7. & lib. 5. cap. 5. p. 231. (f) Alexandriæ ſcholæ peripateticæ præfuit polyhiſtor ſummus, de quo *Euſebius* l. 7. cap. ult. hiſt. eccl. Dubium an idem ſit, qui ab *Eunapio* in vita *Iamblichii* citatur. Lege *Hieron.* in catal. *Cavium* hiſt. lit. tom. utroque an. 270. Fragmentum *Anatolii* inſigne inſeruit *I. A. Fabricius* bibl. Gr. lib. 4. part. 2. cap. 29.

Cap. III. (a) *Æmil. Paulus Papinianus*, Prætor. præf. Tutor filiorum *Sept. Severi*, de quo *Spartianus* in *Severo* cap. 21. in *Caracalla* c. 8. *Xiphilinus* ex l. 77. *Dion. Caſſii*. Vitam habent ſupra laudati *Forſterus*, *Pancirollus*, *Eberlinus*, *Henelius*, *Grotius*. Paucis eum citat *I. A. Fabricius* bibl. Lat. lib. 4. cap. 9. §. 23. qui & bibl. Gr. vol. XII. c. 6. de ICtis Græcis ante & poſt *Iuſtinianum* fuſe

niano, ætate Caracallæ, a quo ob improbatum parricidium fratris Getæ occiſus eſt; a *Spartiano juris aſylum, doctrinaque legalis theſaurus dictus;* tanti enim hujus ſcripta poſt ſunt facta, ut etiam in ſcholis juridicis prælegerentur, & qui in iis exercerentur, *Papinianiſtarum* nomen acquirerent. Prodierunt ex ea ſchola diſcipuli doctiſſimi *Domitius Ulpianus*, (b) *Cajus*, (c) *Julius Paulus*, (d) *Herennius Modeſtinus*, (e) quorum omnium, ut & *Papiniani*, ſcripta, autoritate Cæſarea approbarunt Imperatores Theodoſius & Valentinianus, ut habetur in *Cod. Theodoſiano*. Imo ex illa ſchola prodierunt *Pomponius*, (f) *Celſus*, (g) *Alphenus junior, Macianus junior, Junius Frontinus*, aliique, ex quorum libris compoſitæ ſunt *pandectæ Juſtinianeæ*. Gallieno Imperatore floruit *Gregorius* ille, (h) qui novo conatu omnium Imperatorum ab Hadriano usque ad Valerianum & Gallienum reſcripta & conſtitutiones in unum collegit volumen, quod *codicis Gregoriani* nomen invenit, ſic dictum a collectore, quodque principum conſtitutiones charta maxima & regia, qualis erat codicum, ſcriberentur. Verum & hujus voluminis non niſi memoria hodie ſupereſt; & eorum, quos ante adduxi, ICtorum omnia perierunt, præter paucula fragmenta, a doctiſſimis ſuperioris ſeculi viris collecta.

CAP. IV.

De medicis.

De medicis hujus ævi, quod dicamus, fere nihil habemus; neque enim ullus ex eo ſeculo artis medicæ ſcriptor nunc extat. Imo ne nomina quidem medicorum ejus ſeculi habentur nota, præter unius *Antylli* & (a) *Poſidonii*, quorum in libris *Oribaſii*, *Ætii* & *Pauli* perinfrequens fit mentio.

CAP. V.

De hiſtoricis, poetis & oratoribus.

Eadem ætas hiſtoricos habuit Alexandro imperante duos illos inſignes Græcos *Dionem Caſſium* (a) & *Herodianum*, (b) Diocletiano autem Cæſare, *Spartianum*, (c) *Lampridium*, (d) *Trebellium Pollionem*, (e) *Fl. Vopiſcum*, (f) & *Jul. Capitolinum*, (g) illos hiſtoriæ Auguſtæ, qui appellantur *Suetonii* exemplo, ſcriptores. Severo & Caracalla Cæſaribus floruit *Dionyſius* (h) ille, qui verſibus Græcis terræ ambitum delineavit; nec multo poſt doctiſſimus ille poeta Græcus, *Oppianus*, (i) cujus ſingulos verſus ſingulis aureis remuneratus eſt Alexander Cæſar. Medium quoque hujus ſeculi habuit *Serenum Sammonicum*, (k) latino carmine inſignem; finis vero *Nemeſianum*, (l) & *T. Calpurnium* (m) *Siculum*, utrumque poetam Bucolicum haud vulgarem, & *Feſtum Avienum*, (n) cujus hodieque extant fabulæ Æſopicæ. Rhetorum, nihil ſupereſt; hiſtoria tamen Sophiſtarum ſeu rhetorum Alexandri Cæſaris circiter ætate a *Philoſtrato* conſcripta in manibus eſt. *Cenſorinus* (o) etiam, qui de die natali ſcripſit, ſub Decio vixit, quem tamen, quibus annumeres, incertum forte eſt.

SECVLVM

agit. (b) Tutor *Alex. Severi*, id. prætor. præf. ſummus ICtus de cujus fatis *Lampridius* in *Alex. Sev.* c. 15. 26. 27. 31. 34. 67. 68. *Ioh. Xiphilinus* ex libro 80. f. ult. *Dion. Caſſii.* De ſcriptis, eorumque fragmentis lege *Val. Forſter.* hiſtor. civ. lib. 2. c. 77. *Fabric.* bibl. lat. lib. 4. cap. 9. §. 24. (c) *Caji* varii fuere, quos confundere videtur. *Ioh. Bertrandus* in viris ICtor. p. 112. Lege *Val. Forſter.* lib. 2. c. 48. *Fabricium* bibl. Lat. lib. 4. c. 9. §. 16. (d) *Ulpiano* æqualis, prætor Cos. Præt. præf. polygraphus, de quo *Lamprid.* in Alex. Sev. cap. 26. 27. 68. Lege de eo *Pancirollum*, item alios ſupra citatos; *Forſterum* lib. 2. cap. 78. *Fabricium* bibl. lat. lib. 4. c. 9. §. 25. (e) Inter *Papiniani* diſcipulos & *Alexandri* conſil. refert *Lamprid.* in Alex. c. 68. Scripta refert *Forſterus* lib 2. c. 80. *Fabricius* bibl. Lat. l. 4. c. 9. §. 33. (f) *S. Pomponius* inter conſiliar. Severi refertur a *Lamprid.* c 68. Autor enchiridii ſæpius citati. Lege de eo *Forſter.* lib. 2. c. 79. *Panciroll.* lib. 1. c. 43. *Fabricium* bibl. Lat. lib. 4. cap. 9. §. 27. (g) *Celſus* cum ſeqq. ex ſolis digeſtis noti & a ſupra citatis deſcripti ſunt. (h) De *Gregorio* & *Hermogene* codicum collectoribus lege *Panciroll.* l. 1. c. 66. & *Fabricium* bibl. Lat. lib. 4. c. 9. in notis ad §. 4.

Cap. IV. (a) Medici parum noti in *Ætii* tamen Amideni Tetrabilis ſæpe citati. Referuntur & in *I. Alb. Fabricii* bibl. Gr. volum. 13. ſive libri 6. c. 9. in elencho alphabetico medicor. veterum. De his & omnibus poſt *Galenum* medicis fuſe agit *I. Freind.* in hiſt. medicinæ part. 1.

Cap. V. (a) Coccejanus f. Nicæus dictus, bis Cos. plurima de ſe ipſo narrat. Lege *Photium* cod. 71. *Suidam*, *Voſſium* de H. Gr. lib. 2. cap. 15. *Hankium* de R. Rom. ſcr. part. 1. cap. 20. *Fabricium* bibl. Gr. lib. 4. cap. 10. §. 5. (b) Grammaticus Alexandrinus, hiſtoricus inſignis, de quo *Photius* cod. 99. *Voſſius* de H. Gr. lib. 2. cap. 15. *Hankius* de R. Rom. ſcr. part. 1. c. 21. *Fabricius* bibl. Gr. lib. 5. c. 7. §. 8. (c) Scriptores VI. hiſtoriæ Auguſtæ vocantur, ex quibus *Vulvatium Gallicanum* autor omiſit. De *Spartiano* lege *Voſſium* de H. Lat. lib. 2. c. 5. *Hankium* P. 1. c. 25. de R. R. ſcr. *Fabricium* bibl. Lat. lib. 3. cap. 6. qui de his omnibus agit. (d) Eundem cum *Spartiano* quidam putant. *Voſſius* lib. 2. cap. 7. de H. Lat. *Hankius* part. 1. c. 26. (e) De *Treb. Pollione Voſſius* de H. Lat. l. 2. c. 6. *Hankius* de R. R. ſcr. part. 1. c. 24. (f) Syracuſanus a *Voſſio* lib. 2. c. 7. de H. Lat. & *Hankio* de R. Rom. ſcr. part. 1. c. 28 deſcriptus. (g) *Capitolinum* deſcribunt *Voſſius* de H. Lat. lib. 2. c. 7. *Hankius* part. 1. c. 27. de R. Rom. ſcr. (h) Perigetes vulgo dictus. Ad *Auguſti* tempora potius referendum ex *Plinio* hiſt. nat. l. 6. cap. 27. apparet. Lege *Gyrald.* hiſt. poet. dial. 3. *Voſſium* de H. Gr. lib. 2. c. 3. *Ol. Borrich.* de poetis diſſ. 1. §. 37. *Fabricium* bibl. Gr. lib. 4. c. 2. (i) Cilix, de quo *Sozomenus* in præfat. hiſt. eccl. & *Suidas*, *Gyraldus* dial. 4. hiſt. poet. *Voſſius* de poetis Gr. c. 9. *Borrichius* de poetis diſſ. 1. §. 38. *Fabric.* bibl. Gr. lib. 4. cap. 20. (k) *Q. Ser. Sammonicus* medicus, *Gordiani* jun. præceptor a plurimis cum patre confunditur. Lege *Gyrald.* dial. 4. *Voſſium* de poet. Lat. c. 4. & de philoſophia cap. 12. §. 21. *Fabricium* bibl. Lat. lib. 3. c. 5. (l) *M. Aurel. Olympius Nemeſianus* Carthag. de quo *Pet. Crinitus* lib. 5. c. 84. *Gyraldus* dial. 4. *Voſſius* de poet. Lat. c. 4. *Borrich.* diſſ. 2. §. 45. *Fabric.* bibl. Lat. lib. 3. c. 5. (m) *Calpurnium* iidem deſcribunt locis cit. (n) *S. Rufus Feſtus Avienus* vir conſ. Lege *Pet. Crinit.* c. 80. *Gyraldus* dial. 4. *Voſſium* c. 4. de poet. Lat. *Borrich.* diſſ. 2. §. 50. *Fabric.* lib. 3. c. 11. bibl. Lat. (o) *Cenſorinus* parum notus, chronologus doctiſſimus. Lege *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 2. c. 3. *Fabricium* bibl. Lat. lib. 3. cap. 4. §. 3.

SECVLVM IV.

CAP. I.

De ſcriptoribus eccleſiaſticis.

Quarto quidem ſeculo a perſecutionibus Romanorum Imp. liberata fuit eccleſia, ex quo illi nomen ſuum dedit Conſtantinus M. non tamen leviter concuſſa eſt *Arriana hæreſi*, (a) quod illa non amplius craſſa & inficeta eſſet, ſed ſpeciem aliquam probitatis præ ſe ferret. Longe tamen fuit ſcriptorum catholicorum tum eruditione tum multitudine refertiſſimum. Præterquam enim, quod duo concilia univerſalia, Nicenum contra *Arrium*, & Conſtantinopolitanum contra *Macedonium* ſint celebrata, floruerunt Conſtantino Imperatore: *Lactantius*, (b) lacteæ prorſus eloquentiæ homo; & *Euſebius Cæſareenſis*, (c) eccleſiaſtica imprimis hiſtoria clarus, ac *Juvencus* (d) poeta evangelicus.

Conſtantino Imperante: *S. Athanaſius* (e) Alexandrinus, & *S. Hilarius* (f) Pictavienſis Gallus epiſcopi, duo Arrianæ hæreſeos mallei; item *Victorinus Afer* (g) & *Lucifer Calaritanus*, (h) & *Gregorius Bœticus*, (i) inferiores licet cum eruditione, tum ſcribendi copia.

Theodoſio & Valente Imperatoribus: *S. Cyrillus Hieroſolymitanus* (k) epiſcopus, catecheſeos ſcriptor, & *S. Baſilius M.* (l) hujusque æqualis ac ſtudiorum ſocius, *S. Gregorius Nazianzenus*; (m) nec non *Didymus* (n) *Alexandrinus*, oculis quidem captus, mente tamen perſpicaciſſima, cujus hodieque libros de Spiritu Sancto habemus; *Fauſtinus* (o) denique *diaconus*, cujus ſunt libri VII. contra Arrianos. Sub Gratiano porro ac Theodoſio cumprimis floruerunt: *S. Epiphanius* (p) *Cyprius*, hæreſium diligens recenſitor; & *Ambroſius* (q) *Mediolanenſis* epiſcopus, item *Gregorius Nyſſenus*, (r) Baſilii frater, hujusque æquales, *Amphilochius*, (s) Iconii epiſcopus, & *Philaſtrius Brixienſis*, (t) cujus eſt de hæreſibus libellus, & *Idatius Clarus*. (u) Jam tum Theodoſio imperante, usque in annum ſequentis ſeculi XXII. floruit *S. Hieronymus*, (vv) ſacræ ſcripturæ interpres, adeoque ingens eccleſiæ lumen. Paulo ante illum floruerat *Optatus Milevitanus* (x) Africæ epiſcopus, cujus extant libri in Donatiſtas. At, *Hieronymi* æqualis, imo æmulus, atque adverſarius ex amico factus eſt *Ruffinus*, (y) presbyter Aquilegienſis, hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptor; quo certe tempore vixerunt etiam *Palladius*, (z) hiſtoriæ Lauſiacæ autor, & *Aurelius Prudentius*, (1) poeta inſignis Chriſtianus, *S. Diadochus*,

Cap. I. (a) Expoſita a *Socrate* lib. 1. c. 5. ſeqq. *Sozomeno* l. 2. c. 15. ſeqq. *Theodoreto* lib. 1. c. 1. 13. *Phil. Lud. Hanneckenio* in epit. hiſt. Arrianæ & in *Chriſtoph. Sandii* nucleo hiſt. eccleſ. orco digno. (b) *L. Cæl. Firmianus Lactantius Criſpi* coſ. præceptor ſtylo quam fide melior. Lege *Hieron.* in catal. *Andr. Rivetum* crit. ſacr. lib. 2. cap. 18. *Cavium* tomo utroque ad an. 303. *Fabric.* bibl. Lat. lib. 4. cap. 3. §. 4. *Caſ. Oudinum* de ſcr. eccl. tom. 1. an. 320. (c) *Pamphili* dictus a Martyre, cui adhærebat. Doctiſſ. & diligentiſſimus, de quo *Hieron.* in catal. *Photius* cod. 9-13, 27, 39, 118, 127. *Suidas*, *Voſſius* de H. Gr. lib. 2. c. 17. *Hankius* de R. Byzant. ſcr. inir. fuſiſſime, *Gu. Cavius* an. 315. fuſe & in diſſ. de *Euſebii* Arrianiſmo, contra *Ioh. Clericum*. *Caſ. Oudinus* de ſcr. eccl. tom. 1. an. 325. *Fabricius* bibl. Gr. lib. 5. c. 4. (d) *C. Vettius Aquilinus Juvencus* Hiſpanus, de quo *Hieron.* in cat. *Trithemius* de ſcr. eccl. *Pet. Crinitus* lib. 5. cap. 89. *Gyrald.* dial. 5. *Borrich.* diſſ. 2. §. 47. *Cavius* an. 330. *Fabricius* bibl. Lat. lib. 4. c. 2. §. 10. (e) Archiep. Alexandrinus Arrii hoſtis infinitis calumniis preſſus. Lege *Rufini* lib. 1. c. 14. *Socrat.* l. 2. c. 8. ſeqq. *Sozom.* l. 2. c. 16. ſeqq. *Theodoret.* l. 1. c. 25. ſqq. Adde *Gregor. Nazianz.* orat. in Athanaſ. *Photium* cod. 32, 139, 140. *Sixt. Sen.* l. 4. *Cavium* an. 326. tomo utroque, *Fabric.* lib. 5. c. 2. *Caſ. Oudinum* differt. de Athanaſ. tom. 1. an. 340. de ſcr. eccl. (f) Eloquentiæ Rhodanus ab *Hieron.* dictus, qui legatur in catal. *Socrates* lib. 3. cap. 8. *Sever. Sulpit.* lib. 2. *Andr. Rivetus* crit. S. lib. 3. c. 12. *Cavius* H. lit. an. 354. & in vitis patr. ant. part. 2. *Caſ. Oudinus* amplam differt. de *Hilario* inſeruit tom. 1. de ſcript. eccl. ad an. 350. (g) *C. vel M. Fabius Victorinus* deſcribitur ab *Hieron.* in catal. *Auguſtino* confeſſion. lib. 8. c. 2. & 5. adde *Gu. Cavium* an. 362. (h) Vir vehemens, de quo *Socrates* lib. 3. c. 4. 7. *Sozomen.* lib. 5. c. 11. 12. *Hieron.* in catal. *Cavius* an. 354. (i) Epiſc. illiberitanus, de quo *Hieron.* in catal. *Andr. Schottus* bibl. Hiſp. tom. 2. claſſe 1. *Cavius* hiſt. lit. an. 370. (k) de *Cyrillo Rufinus* lib. 1. c. 23. *Socrates* lib. 5. c. 8. *Sozomenus* lib. 7. cap. 7. *Theodoret.* lib. 2. c. 26. *Hieron.* in catal. *Sixtus Sen.* lib. 4. *A. Rivetus* lib. 3. c. 8. ſeqq. crit. S. *Cavius* an. 350. *Caſ. Oudinus* amplam diſſ. de *Cyrillo* inſeruit tom. 1. de ſcr. eccl. anno 347. *Fabricius* lib. 5. c. 14. bibl. Gr. (l) De *Baſilio M. Gregor. Nazianz.* in orat. funebri. *Hieron.* in catal. *Philotheus* in orat. de S. Baſilio. *Photius* cod. 141. *Sixtus Sen.* lib. 4. *Cavius* an. 370. *Caſ. Oudinus* diſſ. de Baſil. tom. 1. an. 370. *Fabricius* l. 5. c. 19. bibl. Gr. *And. Rivetus* lib. 3. c. 20. (m) Theologus κατ' ἐξοχὴν, orator, poeta, ipſe vitam ſuam carmine Iamb. ſcripſit. Lege *Hieron* diſcipul. illius in catal. *Suidam*, *Sixt. Sen.* l. 4. *Cavium* tom. utroque an. 370. *Caſ. Oudini* diſſ. amplam tom. 1. an. 570. *Fabricium* bibl. Gr. lib. 5. c. 13. (n) Polyhiſt. ſcholæ Catechet Alex. director, &c. de quo legendus *Ruffinus* l. 2. c. 7. *Socrat.* lib. 4. c. 20. *Sozom* l. 3. c. 14. *Theodoret.* lib. 4. c. 29. *Hieron.* in catal *Cavius* an. 370. *Fabricius* lib. 1. c. 24. bibl. Gr. (o) De *Fauſtino Luciferi* defenſore lege *Cavium* hiſt. lit. an. 384. (p) Salamine in Cypro epiſcopus, *Chryſoſtomi* adverſarius. *Hieron.* in catal. *Socrat.* lib. 6. c. 9. ſeqq *Sozom.* lib. 7. c. 20. *Photius* cod. 122. *Sixtus Sen.* lib. 4. *Cavius* an. 368. *Caſ. Oudinus* diſſ. de epiph. tom. 1. an. 368. *Fabricius* lib. 5. c. 11. bibl. Gr. (q) Vir illuſtris in foro & choro, de quo *Hieron.* in catal. *Rufinus* lib. 2. c. 11, 16. &c. *Socrat.* & *Sozom.* paſſim, *Sixtus Sen.* lib. 4. *Cavius* an. 374. tom. utroque *Caſ. Oudinus* diſſ. ampla tom. 1. an. 374. (r) Nyſſæ epiſc. *Theoſilinæ* maritus, de quo *Hieron.* in catal. *Photius* cod. 6. *Suidas*, *Cavius* an. 370. *Caſ. Oudinus* diſſ. tom. 1. an. 370. *Fabricius* l. 5. c. 20. (s) Iconii epiſc. magnæ autoritat. de quo *Hieron.* in catal. & epiſt. 84. *Sixtus Sen.* lib. 4. *Rivetus* lib. 3. c. 27. *Cavius* an. 370. *Fabric* lib. 5. c. 12. §. 4. (t) *Ambroſii* amicus, de quo lege *Cavium* hiſt. lit. an. 380. *Voſſium* lib. 2. cap. 9. de H. Lat. (u) Non cum *Ithacio* Gallo confundendus, quod facit *And. Schottus* bibl. Hiſp. tom. 2. claſſ. 1. adde *Iſidorum* de vir. illuſt. c. 15. *Voſſium* de H. Lat. lib. 2. c. 17. *Cavium* an. 385. (w) Polyhiſtor ſummus, qui de ſe ipſo agit in fine catal. De ſcriptis *Sixtus Sen.* lib. 4. *A. Rivetus* lib. 4. c. 4. ſeqq. *Rob. Cocus* in cenſ. fuſiſſ. *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 2. c. 11. *Cavius* tom. utroque an. 378. *Caſ. Oudinus* diſſ. ampliſſ. tom. 1. de ſcr. eccl. an. 378. (x) De *Optato Hieron.* in catal. *Rob. Cocus* in cenſ. ſcript. eccl. *Cavius* an. 368. (y) Torarius cognom. durus in *Hieronymum*, de quo *Socrates* lib. 2. c. 1. *Iſidorus* de vir. illuſt. cap. 8. *Sixt. Senenſ.* lib. 4. *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 2. c. 11. *Cavius* an. 390. (z) *Chryſoſtomi* aſſecla, de quo *Socrates* lib. 7. c. 26. *Nicephorus* lib. 11. cap. 44. *Voſſius* de hiſt. Gr. lib. 2. cap. 19. *Cavius* an. 401. *Caſ. Oudinus* an. 400. *Fabricius* lib. 5. cap. 32. (1) *Clemens* cognom. Hiſpanus, de quo *Pet. Crinitus* l. 5. c. 9. de poet. Lat. *Gyraldus* dial. 5. hiſt. poet. *Voſſius* de poet. Lat. *Borrichius* diſſ. 2. §. 53. *And. Schottus* B. Hiſp.

cbus, (2) cujus eſt de perfectione ſpirituali libellus, & *S. Gaudentius Brixienſis*; (3) ſed imprimis ſeculi hujus ultima illuſtravit magnus ille eccleſiæ doctor *S. Johannes*, (4) ob eloquentiam dictus *Chryſoſtomus*.

CAP. II.

De philoſophis.

Quarto ſeculo ſectam illam *Plotini*, quæ quidem *Platonica* dicebatur, revera autem conſtabat partim *Platonicis*, partim *Ariſtotelicis*, partim etiam *magicis* dogmatibus, Conſtantino M. Imperatore, multum propagavit *Jamblichus Chalcidenſis*, (a) *Porphyrii* auditor, cujus hodieque nonnulla ſuperant. *Jamblichum* vero multi audiverunt ejuſdem notæ, floruerunt que ætate Juliani Apoſtatæ, quorum vitas deſcripſit Eunapius, ſcripta autem dudum perierunt. Omnes quippe illi *magicæ arti* operam dederunt, & Chriſtianæ religioni fuerunt infenſiſſimi. Apud Valentem Imperatorem prætorio præfectus fuit *Themiſtius*, (b) ob eloquentiam *Euphrada* dictus, doctiſſimus Ariſtotelis Paraphraſtes, & etiamnum magnæ autoritatis. Reliquorum philoſophorum ſcripta omnia interciderunt, quare non eſt, ut memoriam eorum refricemus.

CAP. III.

De jure conſultis.

Hoc ſeculo JCtos floruiſſe haud paucos, extra dubium eſt; neque enim fruſtra dixit *Amelius*: *Juris prudentiam multorum camelorum onus eſſe*; tum vero vel ex *Eunapio* conſtat, jam tum in urbe Phœniciæ *Beryto* (a) celeberrimam *Rom. juris ſcholam* viguiſſe, adeo, ut & *mater ſtudiorum* illorum audiret. Ex omni tamen illorum numero neminis memoria extat, præter unius *Hermogenis*, (b) qui Conſtantino Imperatore omnes eorum, qui Gallienum ſecuti ſunt, Imperatorum conſtitutiones in unum colligens, ad Conſtantinum usque *M. Hermogenianum codicem*, ab autore dictum, confecit, qui tamen una cum *Gregoriano* dudum periit.

CAP. IV.

De medicis.

Colligere eſt ex *Eunapio*, hac tempeſtate haud parum floruiſſe artem medicam, & quidem Alexandriæ, *Zenone* (a) *Cyprio* magiſtro, quem Juliani Cæſ. ævo adhuc floruiſſe conſtat ex epiſtola Cæſarea ad Alexandrinos. Hunc audiverunt, teſte eodem, *Magnus* (b) *Antiochenus*, *Jonicus* (c) *Sardianus*, & *Oribaſius*, (d) quem etiam Sardianum vulgus appellat, perperam tamen, cum fuerit Pergamenus, nec niſi Sardibus habitaverit, ubi Juliani apoſtatæ medicus præcipuus & conſiliarius fuerat. Etſi vero *Magni* ſchola medica valde tunc temporis floruerit, & ex hujus item, ut ex *Jonici* ſcriptis multa adducat *Ætius*, utriusque tamen omnia hodie deſiderantur; *Oribaſii* vero varia ſuperant, ex *Galeni* præcipue ſcriptis collecta; neque enim quicquam ille arti ſuæ addidiſſe de ſuo creditur. Porro tanta tunc fuit fama *Alexandrinæ* (e) *medicorum ſcholæ*, ut, *Ammiano Marcellino* teſte, ad commendationem medici ſuffecerit, vixiſſe Alexandriæ.

Comes, ſeu præcipuus apud Valentinianum Imp. fuit hoc ſeculo *Vindicianus*, (f) glorioſus ille *Empiricus*, cujus libellum una cum aliis in ſuum tranſtulit *Marcellus*, (g) qui & ipſe vixit ætate Theodoſii M. ejusque filiorum, ſub finem ſeculi, multorum medicamentorum collector potius, quam medicus judicandus.

CAP.

tom. 2. claſſ. 1. *Cabius* an. 405. *Fabricius* B. Lat. l. 4. c. 2. §. 1. (2) Sequentis potius ſeculi; Autor *Bellarminum* ſecutus eſt. Lege *Photium* cod. 201. *Caveum* an. 450. *Oudin.* an. 450. (3) *Philaſtrii ſucceſſor* reluctans, de quo lege ſermonem ipſius de ordinat. ſua; *Cabium* an. 387. (4) *Antiochenus* patriarch. CPtanus, de quo legendi: *Socrates* lib. 6. fere toto. *Sozom.* lib. 8. toto. *Photius* cod. 172. 173. 174. 274. 276. 277. *Suidas*, *Nicephorus* lib. 13. fere toto. *Sixt. Senenſ.* lib. 4. *Cabius* hiſt. lit. tomo utroque an. 398. *Caſ. Oudini* ampliſſ. diſſert. tom. 1. de ſcr. eccl. ad an. 390. *I. A. Fabricius* bibl. Gr. l. 5. c. 15. Plurima collegit *Chriſt. Guil. Vollandus* in aliquot diſſertat. de *Ioh. Chryſoſtomo* Witteb. habitis.

Cap. II. (a) Jamblichus, Juliani tempore vivens, non confundendus cum antiquiori ſec. 2. ſub *M. Antonino*. Hujus vitam *Eunapius* Sard. ſcripſit. Lege *Voſſium* de phil. ſect. c. 16. §. 3. *Ionſium* de ſcr. hiſt. phil. l. 3. c. 16. (b) Paphlago, in aula *Theodoſii* potens, de quo *Socrates* lib. 4. c. 27. *Sozom.* lib. 6. c. 36. Lege *Voſſium* de phil. ſect. c. 17. §. 18. *Ionſium* de ſcr. hiſt. phil. lib. 3. cap. 16. plenius. *Hornius* hiſt. phil. l. 5. c. 6. eum pro Chriſtiano habet. Adde *I. A. Fabric.* bibl. Gr. l. 5. c. 18.

Cap. III. (a) Ad radices mont. *Libani*. Schola hujus inſigne teſtimonium extat in reſcripto *Diocletiani* & *Maximiani* lib. 1. cod. qui ætate vel profeſſione ſe excuſant. (b) *Hermogenes* parum notus; Vide notulas ad ſeculi III. cap. 3. in fine.

Cap. IV. (a) Per diſcipulos notus redditus, ut ex *Eunapio* Sard. conſtat, qui eum num. 17. paucis deſcribit. (b) Ex Antiochia ad Tigrim ſ. Niſibi oriundus, ab *Eunapio* poſt *Zenonem* deſcriptus. Scholam affluentem peregrinis habuit. (c) Summus medicus multis laudatus ab *Eunapio* poſt *Oribaſium*. (d) Medicus multis nominibus illuſtris, cujus opera *Photius* excerpſit cod. 216. 217. 218. Lege *Suidam*, *Voſſium* de philoſoph. c. 12. §. 28. *Fabricium* in elencho medicor. vet. alphab. lib. 6. c. 9. & prius cap. 7. libri 6. §. 8. De his medicis, maxime de *Oribaſio* fuſe diſſerit *I. Freind.* in hiſt. medicinæ part. I. it. *Petr. Caſtellanus* in vitis illuſtr. medicorum. (e) Refert hoc *Amm. Marcellinus* lib. 22. cap. ult. inter multas *Alexandriæ* laudes. (f) Laudatus ab *Auguſtino* epiſt. 5. ad Marcellinum, comes archiatrorum. Lege de eo *I. A. Fabricium* in elencho med. vet. lib. 6. c. 9. bibl. Gr. ubi carmen de medicina *Vindiciani* vel *Marcelli* & epiſt. *Vindiciani* ad *Valentinian.* inſeritur. (g) Burdigalenſis Chriſtianus, vir illuſtris inter conſiliar. *Theodoſii M.* vide *Voſſium* de philoſophia c. 12. *Fabricium* bibl. Lat. lib. 4. c. 12. §. 3. & alibi.

CAP. V.

De hiſtoricis, oratoribus & poëtis.

Ex ſeculi IV. hiſtoricis ſuperat magna ex parte *Ammianus Marcellinus*, (a) prudentibus doctisque latinæ hiſtoriæ ſcriptoribus magis annumerandus, quam diſertus. *Eutropius* etiam, (b) cujus eſt breviarium hiſtoriæ Rom. hoc tempore vixit. Confinia quoque hujus & ſequentis ſeculi attigit *Eunapius Sardianus*, (c) qui præter hiſtoriam philoſophorum & ſophiſtarum hodieque ſuperſtitem, & ſui temporis res geſtas publicis monumentis conſecravit, quæ, quo minus deſideremus, fecit *Zoſimus*, utpote qui *Eunapianæ* hiſtoriæ, *Photio* teſte, compendium ſtruxit. Porro *Euſebii* & *Ruffini*, eccleſiaſticorum ſcriptorum, jam ante mentionem injeci. Ex hoc tempore nonnulla ſuperſunt Latinorum oratorum, quæ, quoniam maxime panegyrica continent, ſolent vulgo cum *Plinii* panegyrico edi. Talia ſunt *Eumenii*, (d) *Mamertini*, (e) *Nazarii*, (f) *Latini Pacati* (g) aliorumque obſcuriorum hominum. Græcæ etiam habentur orationes ipſius *Juliani*, (h) quarum illas, quas Chriſtianus adhuc habuit, non ita pridem edidit *Dionyſius Petavius*. Sunt aliæ ejusdem epiſtolæ, & nobiles duæ ſatyræ, altera *Cæſaris*, altera *Miſopogonis* titulo in Antiochenos ſcripta. Superſunt etiam nonnulla *Libanii Sophiſtæ*, (i) *Proæreſii* (k) item ac *Himerii* (l) rhetorum, Juliani ævo & poſt florentium, quorum vitas deſcribit *Eunapius*. Præter poetas quoque eccleſiaſticos, *Juvencum* ac *Prudentium* nomen aliquod conſecuti ſunt *Alphius Avitus*, (m) *Septimius Afer*, (n) & *Terentianus Maurus*, (o) in defectu tamen meliorum tantum numerandi. Facienda denique hic mentio eſt *Julii Materni Firmici*, (p) ſuperſtitioſi judicariæ aſtrologiæ ſcriptoris, ævo Conſtantii; neque enim philoſophis, multo minus aliis ordinibus id genus hominum debet jungi. Jungi autem *Firmico* poteſt tum ætatis, tum ſtudiorum ratione *R. Hillel Hanaſi*, autor ejus calendarii perpetui, quo hodie utuntur Judæi.

SECULUM V.

CAP. I.

De ſcriptoribus eccleſiaſticis.

Hæc tempeſtas adhuc reliquias habuit ſeculi prioris; ſub finem autem ejus omnis eruditio in occidente cœpit collabaſcere. Igitur occidentalis eccleſia habuit primis XXX. annis: *S.* (a) *Auguſtinum* epiſcopum Hipponenſem, omnium patrum ut ingenioſiſſimum, ita acerrimum diſputatorem; *S. Maximum*, (b) epiſcopum Taurinenſem; *Severum Sulpitium*, (c) diſertiſſimum hiſtoriæ ſacræ ſcriptorem, ut & *Paulum Oroſium*, (d) qui imprimis Romanorum clades deſcripſit, hortatu *S. Auguſtini*, quas illi paſſi ſunt, cum idola adhuc colerent; *Sedulium* (e) denique, poetam evangelicum. Paulo poſt, Theodoſii jun. ævo, eccleſia orientalis habuit *S. Cyrillum* (f) Alexandrinum epiſcopum, Neſtorianæ hæreſeos Averruncum, (g) *Theodoretum*, Cyri epiſcopum, *S. Cyrilli* æqualem, & interdum æmulum; *Proclum* (h) porro epiſcopum Conſtantinopolitanum, & *Euſebium Emiſenum*. (i)

Tem-

Cap. V. (a) Miles Græcus ſub *Conſtantio* & *Juliano* doctus & prudens, de quo *Voſſius* lib. 2. c. 9. de hiſt. Lat. *Hankius* de R. Rom. ſcr. part. 1. c. 14. *Fabricius* bibl. Lat. lib. 3. c. 12. adde *Claud. Chifletii* librum de vita *Amm. Marc.* Lovan. 1627. 8. (b) Sophiſta, inde miles ſub *Juliano*, de quo *Voſſius* lib. 2. c. 8. de hiſt. Lat. *Hankius* part. 1. c. 31. *Fabricius* lib. 3. c. 9. §. 6. ſeqq. bibl. Lat. (c) Medicus, hiſtoricus & ſophiſta, qui de ſe in vita *Proæreſii* n. 8 Vitam *Eunapii* ſollicite collegit *Hadr. Junius*. Lege de illo *Photium* cod. 77. *Voſſium* de hiſt. Gr. lib. 2. c. 18. *Jonſium* prolixe lib. 3. c. 17. *Fabric.* bibl. Gr l. 5. c. 5. p. 232. (d) *Eumenius* Rhetor Auguſtodunenſis, de cujus ſtatua Clerienſi *Steph. Vin. Pighius* in Herc. Prodic. pag. 5. 18. 19. (e) Cl. *Mamertinus* Coſ. a *Juliano* factus, de quo *Amm. Marcell.* l. 11. cap. 8. & 10. (f) Parum notus præter panegyricum Conſtant. M. dictum cum 4. filios Cæſares diceret. (g) *Lat. Pacatus Drepanius* ob panegyr. Theodoſio M. dictum notus. Lege de his *I. A. Fabricii* bibl. Lat. l. 2. c. 22. §. 5. (h) *Juliani* apoſtatæ hiſtoriam habent *Ammian. Marc.* lib. 16. ſqq. *Zoſimus* lib. 3. fere toto. *Eutropius* lib. 10. *Socrates* lib. 3. c. 1. Vitam illius *Petr. Martinius* accurate ſcriptam Miſopogoni præmiſit. De ſcriptis *Juliani* lege *Voſſium* lib. 2. c. 18. de hiſt. Gr. *Caveum* in fine ſec. 4. *Fabricium* fuſe lib. 5. c. 8. B. Gr. (i) De *Libanio* lege *Eunapium* Sard. num. 14. *Photium* cod. 90. *Suidam*, *Voſſium* de hiſtor. Gr. lib. 4. cap. 20. *Caveum* hiſt. lit. tom. 2. poſt. ſec. 4. *I. A. Fabricium* B. Gr. lib. 5. cap. 9. & 10. qui cap. 9. orationem inſeruit, de vindicanda morte *Juliani*. (k) Sophiſta Athenienſis Chriſtianus vir incomparabilis, cujus vitam diſcipulus *Eunapius* curioſe expoſuit in vitis ſophiſt. num. 8. (l) *Himerium* deſcribunt *Eunapius* Sard. n. 12. & *Photius* cod. 165. (m) Deſcriptus a *Pet. Crinito* lib. 5. c. 81. de poet. Lat. *Gyraldo* dial. 10 de hiſt. poet. *Voſſio* de poet. Lat. c. 4. & de hiſt. Lat. l. 3. part. 2. (n) Parum notus. Lege Crinitum c. 82. *Gyraldum* dial. 10. *Voſſium* c. 4. de poet. Lat. (o) Carthagin. cujus opus de literis, pedibus, metris, ſupereſt. Vide *Crinitum* c. 85. *Gyraldum* dial. 10. *Voſſium* cap 4. de poet. Lat. *Fabricium* bibl. Lat. l. 4. c. 7. §. 24. (p) Dubium an idem, qui poſtea Chriſtianus de errore profan. relig. ſcripſit. Defenditur ab *Aldo Manutio* in præfat. ad opus aſtronom. Lege de eo *Caveum* hiſtor. lit. an. 340. & *I. A. Fabricium* fuſe bibl. Lat. lib. 3. cap. 8.

Cap. I. (a) *Aurel. Auguſtinus* de ſe plurima refert in libris confeſſion. & retractionum. Vita a *Poſſidio* diſcip. ſcripta; it. fuſe a *Nano Tillemontio* tomo 13. memor. ad hiſt. eccl. adde *Trithemium* in catal. *Sixtum Senenſ.* parte 4. fuſe. *Caveum* tom. utroque an. 396. *Caſ. Oudinum* ampla diſſ. tom. 1. an. 420. (b) De *Maximo Gennadius* & *Trithem.* in catal. *Sixtus Sen.* lib. 4. *Rivetus* lib. 4. c. 23. *Rob. Cocus* cenſur. p. 385. *Caveus* an. 422. (c) Presbyter doctrina & ſapientia pollens ab *Auguſtino* ep. 205. dicitur. Lege *Voſſium* l. 2. c. 12. de hiſt. Lat. *Caveum* an. 401. *Fabric.* l. 4. c. 3. §. 6. B. Lat. (d) Presb. Hiſpanum, de quo *Voſſius* lib. 2. c. 14. de hiſt. Lat. *Caveus* an. 416. *Fabricius* lib. 4. c. 3. qs. extr. (e) *Cælius Sedulius* deſcribitur a *Gyraldo* dial. 5. hiſtor. poet. *Voſſio* c. 4. de poet. Lat. *Borrichio* diſſ. 9. §. 59. *Caveo* an. 434. *Fabric.* lib. 4. c. 2. §. 11. (f) *Cyrillus* Alex. a *Socrate* l. 7. c. 7. & cap. 13. 14. 33. &c. *Theodoreto* lib. 5. c. 35. *Evagrio* lib. 11. cap. 3. ſeqq. deſcribitur. Adde *Gennadium* cap. 57. *Sixtum Senenſ.* lib. 4. *Caveum* an. 412. *Caſ. Oudinum* ampla diſſ. tom. 1. an. 412. *Fabricium* lib. 5. cap. 27. (g) Doctiſſimus polygraphus, de quo *Photius* cod. 31. 46. 56. 204. 205. 273. *Nicephorus* lib. 14. c. 54. *Sixtus Sen.* lib. 4. *Voſſius* de hiſt. Gr. l. 2. c. 20. *Caveus* prolixe an. 423. *Caſ. Oudinus* differt. ampla tom. I. an. 420. *Fabricius* bibl. Gr. lib. 5. c. 11. §. 7. (h) De *Proclo Chryſoſt.* notario *Socrates* lib. 7. c. 28. 40. 44. *Sixtus Senenſ.* lib. 4. *Caveus* an. 434. *Fabricius* lib. 5. cap. 28. (i) Arrianus ille fuit forſan *Do-*

Temporibus Theodoſii Jun. & Valentiani III. medio ſeculo floruerunt rurſum in occidente *S. Eucharius*, (k) epiſcopus Lugdunenſis, *Claudianus Mamertus*, (l) epiſcopus Viennenſis, *Sidonius Apollinaris*, (m) epiſcopus Arvernenſis, *Johannes Caſſianus*, (n) presbyter Maſſilienſis, *Vincentius*, (o) presbyter monaſterii Lirinenſis, *Proſper* (p) *Aquitanus*, *S. Auguſtini* diſcipulus, *Fauſtus*, (q) ex monacho Lirinenſi epiſcopus Regienſis, ſuſpectus Semipelagianiſmi, & denique *Salvianus*, (r) epiſcopus Maſſilienſis, qui omnes in Gallia floruerunt, etſi illa terra tunc temporis Vandalorum, Gothorum, Francorum & Burgundionum, aliarumque Germanicarum gentium, ſævisſima incurſione premebatur. Eadem plane tempeſtate Roma aluit *S. Leonem* (s) *M.* Papam; præter hunc in tota Italia nemo doctior degit, quod Gothorum incurſibus omnia vaſtarentur. Æquales hiſce in oriente floruerunt *Socrates* (t) & *Sozomenus*, (u) hiſtoriæ eccleſiaſticæ eruditi ſcriptores, Novatiana tamen hæreſi infecti; *Iſidorus* (vv) item *Peluſiota*, ac ſimul *Nilus*, (x) Conſtantinopolitanus monachus, *Johannis Chryſoſtomi* diſcipulus; reliqua vero orientis, aut variis hæreſibus, aut luxu, aut denique hoſtilibus infeſtationibus contabeſcebant. Poſtremo, ſub finem ſeculi floruerunt in occidente *Victor Vitenſis*, (y) Africæ epiſcopus, adeoque malorum, quæ tunc perpeſſa eſt eccleſia Africana, diligens narrator; *Gennadius*, (z) Maſſilienſis presbyter, *Gelaſius*, (1) Papa Romanus, *Paſcaſius*, (2) diaconus cardinalis Romanus, & *Vigilius*, (3) cujus libri V. contra Eutychen habentur. In oriente tunc unus fere ſcriptor eccleſiaſtica dogmata defendit *Æneas* (4) *Gazæus*.

CAP. II.

De philoſophis.

Licet ad duas ſcholas omnis fere philoſophia jam quarto ſeculo eſſet redacta, *Athenienſem* ſcilicet & *Alexandrinam*, hujus quinti tamen ſeculi prioribus annis ſchola illa Attica tantum non omnis interiit, adeo, ut *Syneſius* ſcribat, (epiſt. 137.) *ſeſe Athenis nihil pene philoſophorum, ſed mellis potius opifices inveniſſe.* Alexandriæ tamen hæc ſtudia ſunt conſervata. Namque ſub finem prioris, & initium hujus ſeculi, claruere ibidem duo inſignes mathematici, quorum ſcripta etiamnum in admiratione ſunt, *Theon*, (a) & *Pappus* (b) *Alexandrinus*. *Theoni* filia fuit *Hypatia*, (c) non minus patre philoſophicis & mathematicis ſtudiis clara, quam tamen plebs Chriſtiana interfecit, neſcio quam ob cauſam, Theodoſio II. imperante. Floruit autem *Hypatia* tempore *Syneſius*, (d) epiſcopus Ptolomaidis, philoſophicis tamen, aut potius eloquentiæ ſtudiis clarior, quam rerum eccleſiaſticarum notitia, quippe qui etiam, cum in epiſcopum eligeretur, de reſurrectione & creatione dubitavit, quod jam olim notavit *Photius*, & hodieque advertere eſt ex ipſiusmet epiſtola CV. Medio ſeculi hujus Alexandriæ vixit *Olympiodorus Alexandrinus*, (e) Platonicæ & Ariſtotelicæ philoſophiæ interpres, non ille tamen, cujus hodie ſcripta habentur; item *Hero Alexandrinus*, (f) quem eſſe illum avtomatum ac ſpiritualium auctorem, valde

rilaenſis intelligendus, de quo *Evagrius* lib. 1. c. 9. *Cabius* an. 448. (k) De *Euchario* Lugd. *Gennadius* c. 63. & *Trithem.* de ſcript. eccl. *Sixtus Senenſ.* lib. 4. *Cavius* an. 434 *Caſ. Oudinus* diſſert. de eo tom. 1. an. 434. inſeruit. (l) *Claudianus Ecdicius Mamertus* presb. Viennenſis, a *Sidon. Apollinari* paſſim, *Gennadio* c. 83. *Cavio* an. 462. *Fabricius* B. Lat. lib. 3. c. 14. in notis ad *Sidon. Apoll.* lit. f. (m) *C. Sollius Sidon. Apollinaris* vir illuſtris, demum Arvern. epiſcopus, de quo agunt *P. Crinitus* lib. 5. c. 95. *Gyraldus* dial. 5. *Voſſius* de poet. Lat. cap. 4. & de hiſt. Lat. lib. 2. c. 18. *Borrichius* diſſert. 2. §. 62. *Cavius* an. 472. *Fabricius* bibl. Lat. lib. 3. c. 14. (n) Romæ presb. poſt Maſſiliæ vixit, de quo *Photius* cod. 197. *Sixtus Senenſ.* lib. 4. *Cavius* an. 424. *Caſ. Oudinus* diſſ. de *Caſſiano* tom. 1. an. 424. inſeruit. Multa de eo *H. Noriſius* hiſtor. Pelag. lib. 2. c. 11. (o) Gallus Tullenſis *Lupi* Trivaſſ. frater, de quo *Gennadius* c. 80. *Cavius* an. 434. *Voſſius* hiſt. Pelag. lib. 1. cap. 9. *Caſ. Oudinus* diſſ. de eo inſeruit tom. 1. de ſcr. eccl. ad an. 434. (p) *Tyro Proſper*, notarius *Leonis M.* chronici autor, de quo *Gennadius* c. 84. *Sixtus Senenſ.* lib. 4. *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 2. c. 17. & hiſt. Pelag. l. 1. c. 18. *Cavius* an. 444. *Caſ. Oudinus* diſſ. de ſcript. Proſperi tom. 1. an. 453. Adde *And. Rivetum* crit. ſacro lib. 4. c. 18. *R. Cocum* cenſ. p. 399. It. *Joſ. Antelmi* diſſ. crit. de vet. oper. *Leonis M.* & *Proſperi.* (q) Ex abb. Lirinenſi epiſc. Regienſ. de quo *Gennad.* c. 85. *Ado Vienn.* ad an. 492. *Cavium* an. 492. *Rivetum* lib. 4. c. 24. & diſſert. *Caſ. Oudini* tom. 1. an. 470. (r) Presb. Maſſil. uxoratus. *Gennadius* cap. 67. ubi ut alibi *Aub. Miræi* notæ legendæ. *Sixtus Senenſ.* lib. 4. *Cavius* an. 440. (s) *Leo M.* epiſcopus R. pius & doctus, de quo *Gennadius* cap. 70. *Sixtus Senenſ.* lib. 4. *Cavius* an. 440. *Caſ. Oudinus* ad an. 450. Adde *Lud. Maimburg.* hiſtor. pontificatus *Leonis M.* it. *Joſ. Antelmi* diſſ. ſupra citatam, *And. Rivetum* crit. S. l. 4. c. 22. *Rob. Cocum* cenſ. ſcript. eccl. pag. 398. (t) Scholaſticus ſ. advocatus CPl. de cujus hiſt. eccl. *Photius* cod. 28. *Voſſius* de hiſt. Gr. lib. 2. c. 20. *Cavius* an. 439. *Fabricius* l. 5. c. 4. §. 30. B. Gr. (u) *Hermias Sozom.* ſcholaſt. CPtanus, de quo *Photius* cod. 30. *Voſſius* de hiſt. Gr. lib. 2. c. 20. *Cavius* an. 440. *Fabricius* bibl. Gr. l. 5. c. 4. § 31. (vv) Monachus prope Peluſium, de quo lege *Evagrium* lib. 1. cap. 15. *Nicephor.* lib. 14. c. 53. *Sixtum Senenſ.* lib. 4. *Cavium* an. 412. *Fabricium* lib. 5. c. 34. §. 3. (x) Ex urbi præf. monachus, de quo *Photius* cod. 102. 276. *Niceph.* lib. 14. c. 14. *Cavius* tom. utroque an. 440. *Caſ. Oudinus* tom. 1. an. 440. (y) Vitenſis potius, qui multa de ſe ipſo habet. Lege *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 2. cap. 18. *Cavium* an. 484. *Caſ. Oudinum* tom. 1. an. 490. (z) Hactenus ſæpe citatus presb. Maſſil. de quo *Sigeb. Gembl.* c. 30. de ſcript. *Sixtus Senenſ.* lib. 4. *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 2. c. 18. *Cavius* an. 495. (1) Epiſcop. Rom. de quo *Gennadius* cap. 94. *Rivetus* lib. 4. c. 26. *Cavius* an. 492. (2) Cardinalis *Bellarminus*, diaconus aliis, de quo *Sigeb. Gembl.* cap. 17. *Trithem.* in catal. *Cavius* init. ſec. VI. (3) Tapſenſis in Africa epiſcopus, de cujus ſcriptis *Rivetus* in crit. ſacro lib. 4. cap. 28. *Rob. Cocus* pag. 401. *Cavius* an. 484. *Caſ. Oudinus* prolixe tom. 1. an. 484. (4) Ex ſophiſta & phil. Platonico Chriſtianus, de quo *Cavius* an. 487.

Cap. II. (a) *Theon* in *Aratum Euclidem Ptolemæum* ſcripſit, de quo *Suidas*, *Voſſius* de ſcient. mathem. cap. 16. §. 9. & c. 33. §. 17. *Joſ. Blancanus* in chronol. mathem. ſec. 14. *Fabricius* l. 5. c. 22. (b) *Pappus* aſtronomus geographus & geometra. Lege *Suidam*, *Blancanum* in chronol. mathem. *Voſſium* de ſcient. mathem. c. 16. §. 8. c. 33. §. 21. c. 43. §. 7. *Fabricius* B. Gr. lib. 5. c. 22. (c) Uxor *Iſidori* philoſ. doctiſſima, a plebe Chriſtiana crudeli ratione occiſa, quod *Socrat.* lib. 7. cap. 15. *Suidas* & *Nicephor.* lib. 14. cap. 16. narrant. Adde *Ægid. Menagium* in hiſt. mulier. phi. §. 49. *Fabricium* lib. 5. cap. 22. §. 10. (d) *Syneſius* philoſ. Platonicus, epiſc. prius quam verus Chriſtianus. Lege *Evagr.* l. 1. c. 15. *Photium* cod. 26. *Suidam*, *Niceph.* lib. 14. cap. 55. *Cavium* an. 410. (e) Plures fortaſſe hujus nominis. De hiſtorico *Photius* cod. 80. *Voſſius* de hiſt. Gr. lib. 2. cap. 20. *Ionſius* lib. 3. cap. 18. *Hankius* de R. Rom. ſcript. part. 1. c. 37. *Cavius* ſec. 4. fine. *I. A. Fabricius* B. Gr. lib. 5. c. 36. §. 4. (f) Senior ſub *Ptolem. Everg.* II. vixit, junior huc ſpectat. Lege quæ in proleg. c. 3. §. 26. paulo ante [illegible]

valde mihi videtur veriſimile. Athenis degerunt *Plutarchus*, (g) *Neſtorii* filius, quem ſequentes magni nomine ſalutant; & ejus ſucceſſor *Syrianus*, (h) cujus hodie ſuperant commentaria in metaphyſicam. Horum omnium magiſterio uſus eſt *Proclus Lycius*, (i) declinante ſeculo, reſtituta in integrum Platonica ſchola, *Platonici* ſucceſſoris cognomentum meritus; nam in illo *Platonis* & *Ariſtotelis* philoſophia, omniſque ſapientia renata eſſe videbatur, cum tamen reapſe in theologicis quidem Chaldaica dogmata pro Platonicis venditet, & contra Chriſtianos pro mundi æternitate XIIX. argumentis depugnaverit. Uſus tum etiam, ni fallor, iisdem magiſtris eſt *Anicius Manlius Boethius*, (k) *vir*, præter primariam nobilitatem, ob philoſophiæ quoque cognitionem, & raram probitatem atque eloquentiam merito maximi faciendus, quem conſtat honores ſummos declinante ſeculo, & patria a Gothis occupata, Romæ geſſiſſe, cum adoleſcens philoſophiæ Ariſtotelicæ & Platonicæ operam Athenis dediſſet.

CAP. III.

De jure conſultis.

ICti pene nulli hoc ſeculo memorantur, quorum quidem ſcripta ſuperent; tantum Theodoſio II. imperante confectus eſt e conſtitutionibus Cæſarum illorum, qui a Conſtantino usque ad illam ætatem vixerant, *codex Theodoſianus*, (a) ab eo, cujus autoritate erat ſcriptus, cognominatus. Atque hic eſt ille codex, qui ex tribus illis, *Hermogeniano* nempe & *Gregoriano*, ante Juſtinianum confectis, hodie ſupereſt. Liquet vero ex hoc codice, Theodoſii cura præter *Berytenſem*, quæ hactenus floruerat pene unica, aliam novam jurisprudentiæ *ſcholam* publicam *Conſtantinopoli* fuiſſe erectam.

CAP. IV.

De medicis.

Medicorum hujus ſeculi ſimiliter reſtant nulli, niſi, qui ad hæc tempora videntur pertinere, duo illo præclari rei medicæ ſcriptores, *Paulus Ægineta*, (a) & *Ætius* (b) *Amidenus*; conſtat quippe utrumque *Oribaſio* juniorem, *Alexandro* autem *Tralliano* majorem eſſe, quorum ille IV. hic V. ſeculo floruit.

CAP. V.

De hiſtoricis, rhetoribus & poetis.

Inter hiſtoricos hac ætate gentiles, aut ſane rerum civilium ſcriptores, ſolus pene nomen aliquod conſecutus eſt *Zoſimus* (a) ille, quem diximus ſupra *Eunapianæ* hiſtoriæ epitomatorem eſſe, Chriſtianæ vero religionis infenſum hoſtem. Hunc legunt imprimis illi, qui ad politicam prudentiam adſpirant. Sub finem ſeculi floruit *M. Aurel. Caſſiodorus*, (b) Theodorici Oſtrogothorum Regis in Italia Cancellarius, ſeu potius Secretarius. Fuit quidem hic tum temporis ſatis doctus, ſed ſi cum aliis illum componas, parvi momenti; ſpacio enim L. annorum omnis eruditio in Italia, Hiſpania & Gallia, pene fuit deleta. Quanquam ejus *hiſtoria tripartita* maxime nota ſit, meretur tamen & hic memorari propter *faſtos conſulares*. Eccleſiaſticorum porro hiſtoricorum *Socratis* & *Sozomeni*, aut etiam *Epiphanii*, non eſt, cur hic iterum meminiſſe velimus, etſi eorum ſcripta longe ſint digniora lectu, quam illa *Zoſimi* aut *Caſſiodori*. Ex poetarum ordine unus præ multis eſt, *Claudianus*, (c) Honorii temporibus, qui omnes a *Virgilio* usque carminis felicitate ſuperavit. Patria Ægyptius dicitur, & primus panegyricos carmine ſcripſit. Fuit etiam clarus Græco verſu *Cyrus* *Theo-*

(g) De magno ejus applauſu *Syneſius* epiſt. 135. Lege *Jonſium* de ſcript. hiſt. phil. lib. 3. c. 18. (h) De *Syriano Suidas*, *Jonſius* lib. 3. cap. 18. de ſcript. hiſt. phil. *Joh. Alb. Fabricius* bibl. Græc. lib. 5. c. 26. (i) Succeſſor Syriani Διάδοχος inde dictus. Vita a *Marino* ſucceſſore ſcripta. Lege *Suidam*, *Voſſium* de ſcient. math. c. 33. §. 26. & c. 50. §. 6, *Jonſium* lib. 3. c. 18. *Cavium* in fine ſec. 6. *Fabricium* lib. 5. c. 26. bibl. Græc. qui & *Marini* vitam *Procli* cum illius operum elencho edidit Hamb. 1700. 4. (k) *Anicius Mantius Torquatus Severinus Boethius* vir illuſtris aliquot ſeculorum doctiſſimus. Plurima illius diſcenda ex lib. 1. conſol. philoſ. Proſa 4. it. ex *Caſſiodori* var. lib. 1. epiſt. 45. Vita *Boethii* a *Jul. Martiano Rota* ſcripta conſolationi philoſ. annexa in plur. edit. Lege & *Pet. Bertii* amplam præfat. ad hunc libellum. Adde *Guil. Cavium* an. 510. & maxime *Ioh. Alb. Fabricium* bibl. Lat. lib. 3. c. 15. §. 5.

Cap. III. (a) Codicem *Theodoſianum* antea mutilum poſt *Iac. Cujacii*, *Franciſci Fabri* & aliorum labores admirabili induſtria, 30. annorum labore reſtituit *Iac. Godofredus*, quem *Ant. Marvillius* edidit Lugd. 1665. f. 4. vol. Lege de cod. *Theodoſiano* & aliis *Ioh. Albertum Fabricium* lib. 4. c. 10. bibl. Lat.

Cap. IV. (a) Medicorum poſt *Galenum* doctiſſimus, de eo *Voſſius* de philoſophia c. 13. *Ioh. Albertus Fabricius* fuſe lib. 6. cap. 7. bibl. Græc. Multis de eo diſſerit *Ioh. Freind* hiſt. medicinæ tom. 1. paſſim. (b) A multis cum *Ætio* hæretico confunditur, compilator rerum notabilium ex omnibus fere medicorum ſcriptis. Lege *Voſſium* de philoſ. phil. c. 12. §. 30. *Ioh. Alb. Fabricium* lib. 5. c. 23. §. 9. Vitam *Pet. Caſtellanus* habet. Fuſe de eo agit *I. Freind* tom. 1. hiſt. medicinæ.

Cap. V. (a) Comes & Ex-advocatus fiſci ſub *Theodoſio* II. injurioſus in principes Chriſtianos, refutatur ab *Evagrio* lib. 3. c. 40, 41. *Nicephor.* lib. 16. c. 41, 42, 43. Lege *Photium* cod. 98. *Voſſium* de hiſt. Græc. lib. 2. c. 20. *Hanckium* de rer. Rom. ſcript. part. 1. c. 36. *Cavium* in fine ſec. 5. *Fabricium* bibl. Græc. lib. 5. c. 5. §. 21. (b) Vir illuſtris, tandem monachus, multo nomine notabilis. Lege de eo *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 2. cap 19. *Cavium* ad an. 514. *Fabric.* bibl. Lat. lib. 3. c. 16. fuſe. Vitam *Caſſiodori* F. D. de S. *Martha* Gall. edidit Pariſ. 1695. 12. *Caſ. Oudinus* tom. 1. an. 570. (c) *Cl. Claudianus a Chriſtoph. Landino* & *Caſp. Barthio* adv. lib. 1. c. 7. fruſtra pro Chriſtiano habitus, contra *Auguſtin.* de C. D. lib. 1. c. 26. *Oroſium* lib. 7. c. 3. & alios. Lege de illo *Pet. Crinitum* de poet. Latin. lib. 5. cap. 86. *Gyrald.* dial. 4. hiſt. poet. *Voſſium* de poet. Lat. *Ol. Borrich.* diſſ. 2. §. 54. de poet. Lat. *Hanckium* de rer. Rom. ſcript. part. 1. c. 35. *Fabricium* lib. 3. c. 13. bibl.

Theodorus (d) *Prodromus*, hoc nomine Eudoxiæ Auguſtæ carus, imo & ipſa *Eudoxia*, (e) & *Proba Falconia.* (f) Rhetorum qui hoc tempore floruerint, incertum eſt, niſi quod *Theon*, (g) & *Aphthonius* (h) Sophiſtæ, progymnaſmatum rhetoricorum ſcriptores, huc videantur pertinere. Poſtremo, Cæſare Theodoſio, vixit *Renatus Vegetius*, (i) Mulomedicinæ, ſive artis veterinariæ ſcriptorum princeps. Hoc ſeculo vixit *S. Benedictus*, (k) qui pater eſt omnium monachorum in occidente. Primus extruxit in Italia monaſterium, ad cujus exemplum ſunt alia in Hiſpania, Gallia, & alibi erecta. Hic conatus eſt conſervare bonas literas in monaſterio, ſed infelici ſucceſſu; hoc ſeculo enim nec prima grammaticis fundamenta noverunt, quod ex *Caſſiodori* modo diſcendi, quem iis præſcripſit, liquet. Hoc denique tempore *Boethius* multa philoſophica in Latinam linguam transtulit.

SECVLVM VI.

CAP. I.

De ſcriptoribus eccleſiaſticis.

Sexto ſeculo omnis Hiſpania & Gallia manſit in ditione Germanorum, omnis plane doctrinæ expertium, qui vaſtatis omnibus, omnem quoque doctrinam tantum non penitus peſſundederunt. Italia quidem recuperata eſt per Juſtinianum Imperatorem, iterum tamen mox fuit amiſſa tota, occupantibus eam Longobardis. In Africa quoque per eundem Vandalorum fracta quidem potentia eſt, ſed jam ibi adeo omnia conciderant, ut eruditioni locus haud ſuperfuerit. Sola Græcia & Aſia cum Ægypto a ſuperioribus cladibus reſpiravere aliquantulum, præ gentium tamen illarum ignavia luxuriaque, cumprimis vero, quod per Juſtinianum Cæſarem peſſimo conſilio eruditis & doctoribus ſtipendia eſſent detracta, non multum valuit eruditio, præſertim apud eos, qui Chriſtiani volebant haberi. Habuit tamen Africa initio hujus ſeculi S. *Fulgentium* (a) *Ruſpenſem*, *Petrum Diaconum*, (b) *Ferrandum*, (c) Diaconum Carthaginenſem, *Eugyppium* (d) abbatem illum, qui in unum collegit optimas *S. Auguſtini* ſententias; *Victorem Vitenſem*, (e) ac *Juſtum Orgelitanum*, (f) *Junilium*, (g) nec non *Primaſium*, (h) omnes Africæ epiſcopos. Sed, notandum venit, omnes hoſce ſcriptores, ſi omnia eorum colligas, non tantum ſcripſiſſe, quantum unus *Auguſtinus*, aut *Hieronymus*. Habuit & Italia, usque ad L. annum hujus ſeculi, *Ennodium Diaconum*, (i) *Dionyſium Exiguum*, (k) abbatem, cycli paſchalis & æræ vulgaris Chriſtianorum autorem, non minus eruditione, quam pietate clarum; *Victorem* item, (l) *Capuanum* epiſcopum, ac denique *Aratorem*, (m) qui acta apoſtolorum carmine reddidit. In Gallia vixit circa annum DXX. *Alcimus Avitus*. (n) Nihilo melior Africa & Græcia; nam anno DXX. vixit unus *Johannes Maxentius*, (o) monachus Antiochenus; viginti annis poſt ſoli itidem *Leontius* (p) *Byzantinus*, atque *Anaſtaſius Sinaita* (q) floruerunt. Cæterum ſub finem hujus ſeculi floruit Conſtantinopoli *Procopius* (r) *Gazæus*, & *Johannes Climacus*;

Lat. (d) Potius Cyrus *Panopolita*, Ægyptius, nam Cyrus *Prodromus* ſec. XII. vixit. Hic *Eudoxiæ* charus ad præfect. urbis & prætorii, imo ad conſulat. & patritiatum adſcendit. Lege *Evagrium* lib. 1. c. 19. *Suidam*, *Nicephorum* lib. 14. cap. 46. Adde *Gyraldum* de hiſt. poet. dial. 5. (e) *Athenais* antea, *Leontii* philoſ. filia, a *Pulcheria* ſorore *Theodoſii* commendata. Lege *Socratem* lib. 7. c. 21. *Evagrium* lib. 1. c. 20, 21. *Nicephor.* lib 14. cap. 23. *Photium* cod. 183, 184. Adde *Gyrald.* dial. 5. *Ol. Borrich.* diſſ. 1. §. 41. *Cavium* an. 421. *Oudinum* tom. 1. anno 431. (f) *Anicii Probi* præt. præf. uxor, *Eudoxia* antiquior, de qua *Hieron.* epiſt. 6. *Chryſoſtomus* epiſt. 168. *Auguſtinus* epiſt. 179. Adde *Gyrald.* dial. 5. *Sixtum Sen.* lib. 4. *Borrich.* diſſ. 2. §. 58. *Cavium* an. 371. *Caſ. Oudinum* tom. 1. an. 400. (g) *Ælius* dictus, ut *Suidas* docet. De eo *Voſſius* de nat. rhet. p. 64. *Fabricius* bibl. Græc. lib. 4. c. 31, §. 14. (h) Sophiſta Athen. parum notus præter progymnaſmata ubique nota. *Suidas*, *Fabric.* bibl. Græc. lib. 4. c. 31. §. 13. (i) *Fl. Vegetius Renatus* comes vir illuſtris, de quo legendus *Joh. Alb.* *Fabricius* bibl. Lat. lib. 3. c. 9. §. 4. (k) Nurſinus Umber, vix eruditis accenſendus, de quo multa referuntur lib. 2. dial. qui *Gregor. M.* tribuuntur. Lege *Polyd. Virgil.* de rer. inv. lib. 7. cap. 2. *Guil. Cavium* hiſt. lit. ad an. 530. *Caſ. Oudinum* de ſcript. eccl. tom. 1. an. 540.

Cap. I. (a) Ex procuratore urbis Carthag. monachus epiſc. Ruſpenſis invitus. Vita a *Ferrando* Diac. ſcripta. Lege de eo *Sixtum Sen.* lib. 4. *Rivetum* crit. S. lib. 4. cap. 25. *Rob. Cocum* p. 405. *Cavium* an. 507. *Caſ. Oudinum* de ſcript. eccl. tom. 1. an. 520. (b) *Joh. Maxentii* aliorumque monachorum defenſor, de quo *Bellarminus* de ſcript. eccl. quem autor ſecutus videtur, *Cavius* an. 520. (c) *Fulgentius Ferrandus* qui præter magiſtri vitam ante citatam breviationem canonum eccleſ. confecit. Lege *Bellarminum* de ſcript. eccleſ. *Cavium* an. 533. *Fabricium* bibl. Lat. lib. 4. cap. 10. §. 4. in not. lit. o. (d) De hoc *Caſſiodorus* div. inſtit. c. 23. Non confundendus cum *Eugyppio* Abb. Lucullanenſi, de quo *Iſidorus* c. 13. de ſcr. eccl. De hoc *Eugyppio* *Cavius* an. 553. (e) *Victor Vitenſis* jam ſupra deſcriptus ſec. V. c. 1. lit. y. Huc fortaſſe ſpectat *Victor Tunnuenſis* in Africa epiſcopus propter 3. capitula multa paſſus, Chronici autor; de quo *Voſſius* de hiſt. Lat. l. 3. c. 3. *Cavius* hiſt. lit. an. 555. (f) Non Afer ſed Hiſpanus, de quo *Iſidorus* Hiſpal. c. 21. de ſcript. *Sixtus Sen.* lib. 4. *Andr. Schottus* bibl. Hiſp. tom. 2. claſſ. 1. paucis. *Cavius* an. 529. (g) *Junilius* præter libellum ad *Primaſium* parum notus, deſcribitur a *Sixto Sen.* lib. 4. *Cavio* an. 550. (h) Adrumeti ſeu Juſtinianopolis epiſc. Lege *Sixt. Sen.* l. 4. qui epiſcop. Uticenſem perperam vocat. *Rob. Cocum* in cenſ. p. 404. ſeqq. *Cavium* an. 550. *Caſ. Oudinum* an. 550. (i) *Magnus Felix Ennodius* epiſcopus Ticinenſis, qui plurima tradit in euchariſtico de vita ſua ad *Elpidium*. Lege *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 2. c. 18. *Cavium* an. 511. *Fabricium* in bibl. Lat. lib. 2. c. 22. §. 5. & lib. 4. c. 2. §. 2. (k) Cycli paſchalis autor a *Caſſiodoro* laudatus de div. offic. c. 23. & a *Beda Ven.* de ratione temp. c. 45. & in hiſt. eccl. lib. 5. c. 22. Adde *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 2. c. 19. *Cavium* an. 533. *Oudinum* an. 540. (l) Etiam circa cyclum paſchal. laboravit, lege *Cavium* an. 545. (m) Comes domeſticorum *Athalarici*, laudatus in *Caſſiodori* variis lib. 8. ep. 11. inde Sub-Diaconus Rom. de quo *Gyraldus* hiſt. poet. dial. 5. *Borrichius* diſſ. 2. §. 69. *Cavius* an. 544. *Fabricius* bibl. Lat. lib. 4. c. 2. n. 12. (n) *Alcimus Ecdicius Avitus*, *Aviti* Imp. nepos, de quo *Ado Vienn.* & *Greg. Turon* lib. 2. c. 34. *Gyraldus* dial. 5. *Sixtus Sen.* lib. 4. *Borrichius* diſſ. 2. §. 64. *Cavius* an. 490. *Fabricius* lib. 4. c. 2. num. 8. (o) Caput monachorum de formula certantium: *unus e Trinitate crucifixus eſt.* Contra *Baronium*, *Binium* & alios defenditur a *Guil. Forbeſio* in ſtruct. lib. 3. c. 21. De eo *Photius* cod. 95, 231. Lege *Bellarm.* de ſcript. eccl. *Cavium* an. 520. (p) Advocatus, poſtea monachus. An idem cum *Leontio Cyprio*, de quo *Voſſius* lib. 4. cap. 8. de hiſt. Græc. dubium. Vide *Cavium* an. 590. (q) Ex monacho patriarcha Antiochenus, de quo *Evagr.* lib. 4. cap. 39. & lib. 5. cap. 4. §. 6. *Sixtus Sen.* lib. 4. *Cavius* an. 561. *Fabricius* bibl. Græc. lib. 5. cap. 35. *Caſ. Oudinus* diſſert. tom. 1. an. 590. (r) Sophiſta, de quo *Photius* cod. 160, 206, 207. Lege *Sixtum*

rus; (s) in Africa *Liberatus*, (t) archidiaconus Carthaginenſis; in Gallia *Venantius Fortunatus*, (u) carminum, & vitæ *S. Hilarii* ſcriptor. Habuit denique Conſtantinopolis unum *Evagrium*, (vv) hiſtoricum eccleſiaſticum; Gallia vero *Gregorium*, (x) *Turonenſem* epiſcopum, qui licet numero ſatis eſſe multi videantur, omnes tamen eruditione fuerunt valde exigua, ac paucisſima reliquerunt monumenta; uno verbo: pii magis, quam docti.

CAP. II.

De philoſophis.

Seculi hujus initio usque ad annum L. haud parum contra in *Atheni*e*nſi* & *Alexandrina ſchola* floruit philoſophia, per *Proclum Lycium* ſub finem præcedentis ſeculi eleganter excitata, præſertim, quod hanc in rem anniterentur præ odio Chriſtianæ religionis illi, qui adhuc ſupererant de gentiliſmo. Fuit itaque *Procli* ſucceſſor Athenis *Marinus Neapolitanus*, (a) ille, cujus hodieque extat vita Procli, & celebre in geometricis datorum opus. Magis tamen Alexandriam ornavit *Ammonius*, (b) *Hermiæ* filius, ac *Ariſtotelis* interpres, alter *Procli* diſcipulus. Sed & tertius ejusdem auditor, *Damaſcius Damaſcenus*, (c) valde magnum nomen impetravit. Juſtiniano autem Imperatore floruerunt *Iſidorus* (d) *Gazæus*, *Priſcianus* (e) *Lydus*, & *Simplicius* (f) *Cilix*, omnes religionis Chriſtianæ hoſtes; quorum tamen hic imprimis clarum nomen invenit, doctisſimis in *Ariſtotelem* commentariis conſcriptis. *Ammonium* quoque audivit *Johannes Philoponus* (g) a diligentia ſic cognominatus, ſed qui in Alexandrina ſchola non philoſophiam, ſed grammaticam docuit, nobilis item commentator *Ariſtotelis*. Pertinet huc quoque *Olympiodorus Alexandrinus*, (h) philoſophus ille, qui etiam in nonnullos *Ariſtotelis* meteorologicos libros eſt commentatus; fuit quippe nepos *Ammonii*. Quin etiam ad hoc ſeculum pertinere videtur *Magentinus*, (i) Nicenus Metropolita, quem ſecundum poſt *Philoponum* habemus Chriſtianum *Ariſtotelis* commentatorem. Philoſophis merito annumerandus eſt *Eutocius Aſcalonita*, (k) *Archimedis* ſubtilium operum commentator, quipe qui ſcripta ſua *Ammonio Helmia* fil. cenſenda transmiſit.

CAP. III.

De jure conſultis.

Sexti hujus ſeculi anno XXVIII. *Juſtinianus Imperator* ex omnibus conſtitutionibus Imperatoriis, nempe tribus codicibus, *Gregoriano*, *Hermogeniano* & *Theodoſiano*, ac recentibus *novellis* comprehenſis, unum *codicem*, (a) per ICtos fecit conſcribi, qui ſequenti anno, qui imperii illius tertius erat, promulgatus eſt. Anno XXX. ſeculi *Triboniano*, quosque ille ſibi voluit collegas adſciſcere, commiſſum eſt, jus vetus Romanum ex libris ICtorum primariorum excerpere, qui labor tertio poſt anno finitus, ſervato edicti perpetui ordine, nobis (b) *pandectarum* libros peperit, uti apparet ex tit. cod. de veteri jure enucleando.

Eodem tempore & *inſtitutionum libri* (c) promulgati ſunt, quos idem *Tribonianus* cum collegis ex *Caji* potisſimum commentariis & libris variis confecerunt, ut autor eſt *Theophilus*, inſtitutionum doctisſimus paraphraſtes. Anno XXXIV. prior ille *codex* abrogatus iterum eſt, inque ejus locum novus

Sen. lib. 4. *Cavium* an. 520. *Oudinum* tom. 1. an. 520. (s) Monachus Sinaita, a libro ſcripto nomen habet, de quo *Cavius* an. 564. *Fabricius* bibl. Græc. lib. 5. cap. 28. §. 12. (t) Defenſor 3. capitulor. *Breviario ſcripto* notus, ex quo plurima illius diſcenda. *Cavius* an. 553. (u) *Venant. Honorius Clementianus Fortunatus* epiſc. Pictav. orator & poeta. De quo *Barthius* adverſ. lib. 46. cap. 3. *P. Crinitus* lib. 5. c. 93. *Gyraldus* dial. 5. *Voſſius* de hiſt. Lat lib. 2. c. 22. & de poet. Lat. *Borrichius* diſſ. 2. §. 70. *Cavius* an. 560. (w) Scholaſticus ſ. advocatus Antiochenus, qui plurima de ſeipſo recenſet lib. 1. cap. 18, 20. lib. 3. cap. 28. lib. 4. cap. 26, 29. lib. 6. cap. 7. Adde *Photium* cod. 29. *Voſſium* de hiſt. Græc. lib. 2. cap. 33. *Cavium* an. 594. *Fabricium* bibl. Græc. lib. 5. c. 4. §. 33. (x) *Georg. Florentinus Gregorius* archiep. Turon. de quo *Trithemius* de ſcript. eccl. *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 2. c. 22. *Cavius* an. 573. *Caſ. Oudinus* de ſcript. eccl. tom. 1. an. 570.

Cap. II. (a) *Marinus* ſucceſſor *Procli*, de quo lege *Suidam*, *Voſſium* de hiſt. Græc. lib. 2. cap. 22. *Jonſium* de ſcript. hiſt. phil. lib. 3. cap. 19. *Fabricius* bibl. Græc. lib. 5. c. 26. p. 463. (b) Cum *Ammonio* philoſ. Chriſt. 3. ſeculi non confundendus. Lege de eo *Photium* cod. 242. Adde *Ionſium* lib. 3. cap. 18. (c) *Iſidori* in ſchola Athen. ſucceſſor, ut *Photius* docet cod. 181. qui & vitam *Iſidori* excerpſit cod. 242. & paradoxa &c. cod. 130. Adde *Suidam*, *Voſſium* lib. 2. cap. 22. de hiſt. Græc. *Ionſium* lib. 3. cap. 19. (d) *Damaſcii* præceptor, notus ex *Photii* cod. 181. & 242. (e) Alius a Cæſareenſi, ab *Agathia* lib. 2. laudatus, cujus quædam inter *Marſ. Ficini* opera tom. 2. habentur. (f) Inter ſocios *Arcobindæ*, legati ad Perſas miſſi. *Damaſcius*, *Simplicius*, *Iſidorus*, *Priſcianus* &c. referuntur a *Suida* in voce πρέσβεις. Lege *Ionſium* lib. 3. c. 19. *Fabricius* lib. 5. c 39. (g) Chriſtianus, ſed melior philoſophus, de quo *Photius* cod. 21, 24, 35, 215. *Suidas*, *Nicephorus* lib. 18. c. 47. *Cavius* init. ſec. 7. *Fabric.* lib. 5. cap. 37. *Caſ. Oudinus* tom. 1. an. 580. (h) De Olympiodoris diximus ſec. V. cap. 11. lit. e. (i) Parum notus, niſi quod ejus in *Ariſtot.* librum de interpret. & in 2. prior analit. cum Ammonio, & Joh. Philop. expreſſa velint. (k) Notus ex commentar. in *Apollonii* copica & *Archimedem* cujus operibus juncta extant. Lege *Voſſium* de ſcient. math. c. 54. §. 20.

Cap. III. (a) Hiſtoria confecti codicis petenda ex conſtitutione *Iuſtiniani M.* ad ſenat. eſt, de novo codice faciendo, quæ codici præfixa legitur, ubi omnes ICti ad hoc negotium adhibiti recenſentur & laudantur, modusque agendi refertur. (b) Quomodo pandectæ ſ. digeſta ex ſcriptis omnium ICtorum congeſta ſint, patet ex reſcripto *Iuſtin. M.* ad *Tribonianum* de conceptione digeſtorum, & ex aliis 2. edictis ad ſenatum & omnes populos de confirmatione digeſtorum, quæ leguntur tit. 17. libri 1. codicis *de veteri jure enucleando.* Scriptores, qui vitas ICtorum in pandectis citatorum expoſuerunt, citavimus ſupra ſec. 1. cap. 3. Hic definit *Ioh. Wolffg. Freymonii in Oberhauſen* ſymphonia juris utriusque chronologica ab O. C. usque ad jus Juſtinianeum publicatum Francof. 1574. fol. (c) Horum hiſtoria e proœmio inſtitut. diſcenda. De omnibus huc ſpectantibus legenda eruditisſima notitia veteris juris reliquiarum, autoribus *Iac. Gotofredo* & *Ioſ. Mario*

Digitized by Google

novus confectus, *repetitæ*, ut ipſe loquitur Cæſar, *prælectionis*, (d) adeoque ille, qui hodie habetur. Cæterum, cum etiam a codice mutato adhuc XXX. annis ſupereſſet Juſtinianus, non deſiit pro re nata varias conſtitutiones Græco ſermone condere, quæ quod codice ſint recentiores, *novellæ*, *authenticæ* vero in diſcrimen epitomes earum, (e) a *Juliano Patricio* confectæ, dicuntur. Quo nomine ſemper male audiit *Tribonianus*, (f) quaſi nempe præ avaritia *novellis* his Græce conditis multum derogaverit reliquis illis voluminibus, qua mutando, qua abolendo, qua addendo. Ex quibus manifeſtum eſt, hoc ſeculo antiquatis omnibus priorum temporum legibus conſtitutionibusque per provincias Rom. imperii, novam quandam juris rationem enatam eſſe; quanquam in occidente nullum fere locum impetrare potuerit jus illud Juſtinianeum, occupatis nobiliſſimis imperii Rom. portionibus a Germanis, qui Vatiniano odio omnia Romanorum inſtituta proſequebantur. Conſtat vero ex hiſce, hoc ſeculo cum primis claruiſſe *Tribonianum*, quem ab eruditione quidem σύγχρονοι commendant, avaritiæ tamen, & immanis iniquitatis accuſant, ut liquet ex *Procopio*, *Heſychio Mileſio*, *Suida*, atque *Harmenopulo*, ICto; quanquam & eruditionem in eo deſiderent nonnulli ætatis noſtræ principes ICti. Conſtat porro ex codice Iuſtinianeo, tres hoc ſeculo ſcholas autoritate Cæſarea juſſas eſſe hanc juris Romani prudentiam publice docere, *Romanam* ſcilicet, *Conſtantinopolitanam* & *Berytenſem*. Sed, quæ fuit infelicitas Italiæ, Romæ non niſi multis ſeculis poſt id factum videtur; *Berytenſem* autem *ſcholam* hoc ipſo ſeculo terræ motu pene obrutam, hiſtoriæ narrant; (vide *Agathiam* lib. 2.) ſequenti certe ſeculo tota interiit, ut una remanſerit *ſchola Conſtantinopolitana*.

CAP. IV.

De medicis.

Seculum hoc, quantum ex *Agathia* poſſum conjicere, exornavit *Alexander Trallianus* (a) medicus in primis nominandus. Veriſimile eſt, huc præter propter pertinere *Palladium* (b) & *Johannem*, Alexandrinos ſophiſtas. Neque enim poſt hoc ſeculum quenquam Græcum medicum alicujus famæ aut habuit, aut habere potuit Alexandria, nec hi duo, mea ſententia, ætate iſthac poſſunt eſſe antiquiores.

CAP. V.

De hiſtoricis & grammaticis.

Hiſtorici Græci quidem Juſtiniani tempore floruerunt *Procopius* (a) & *Agathias* (b) ſcholaſticus ſive advocatus, rerum ſuæ ætatis civilium ſcriptores. Eodem tempore libellum ſuum de philoſophis, perparvi licet momenti, fecit *Heſychius Mileſius*. (c) Mauritio imperante hiſtoriam eccleſiaſticam conſcripſit ille, quem ſupra laudavimus, *Evagrius Scholaſticus*. Juſtiniano etiam Cæſ. chronicon ſuum compoſuit *Marcellinus Comes*; (d) *Victor* autem *Vticenſis* perſecutionem Vandalicam memoriæ prodidit. Paulo poſt *Jornandes* (e) Gothus, primus Germanici generis ſcriptor, hiſtoriam gentis ſuæ Gothicæ, brevemque libellum de regnorum ſucceſſione exaravit. Quomodo eadem ætate a *Gregorio Turonenſi* epiſcopo hiſtoria Francorum eſt confecta, qui jam tum in Gallis longe lateque imperitabant. Grammaticus quoque ille latinæ linguæ notiſſimus, *Priſcianus*, (f) Juſtiniano imperante, Conſtantinopoli floruit.

SECVLVM

Suareſio præmiſſa editioni elegantiſſ. corporis jur. civ. Amſtel. 1663. fol. (d) Legatur conſtitutio codici præmiſſa, de emendatione codicis, & ſecunda ejus editione. (e) Novellæ quidem Græce publicatæ, ſed latina verſio impuræ latinitatis corpori juris inſerta eſt, cujus translatio de verbo ad verbum facta. Epitome a *Iuliano* patritio Excos. & anteceſſore CPtano facta, & lat. adornata ab *Ambroſio Camaldul.* Mantua inventa, & a *Lud. Miræo* publicata eſt Lugd. 1560. Ad omnia hæc ſpectat *Sim. van Leuven* narrat. hiſtorica de origine, progreſſu, uſu & autoritate juris civ. Romani ejusque varia editione & emendatione. Adde & *Sam. Stryckii* præcognita juris univerſi annotationibus in inſtitut. præmiſſa. (f) Duriſſime de eo judicat *Suidas*. Lege & ea, quæ in *Tribonianum* ludit *Chriſt. Thomaſius* colloq. menſt. 1688. menſe Aprili p. 453. ſeqq. Ad totum hoc caput ampli commentarii locum ſuſtinet *I. Alb. Fabricii* bibl. Gr. lib. 6. c. 6. totum.

Cap. IV. (a) Iatroſophiſta & philoſophus celeberrimus, *Dioſcori* medici fil. de quo *Voſſius* de philoſophia cap. 12. §. 35. legendus. Adde *Fabricium* bibl. Gr. l. 6. c. 7. p. 593. ſeq. Vita apud *Petr. Caſtellanum*. (b) Palladius ſophiſta medicinam Alexandriæ docuit. In *Hippocratem* quædam ſuperſunt. Lege *Voſſium* de philoſophia cap. 13. Hujus & antecedentium ſcripta refert *Ioh. Antonides van der Linden*. (c) Nihil de eo habetur niſi comment. in librum epidemiorum *Hippocratis*.

Cap. V. (a) Cæſareenſis, *Beliſarii* comes & ſcriba, poſt ſenator [illegible] urbi præf. CPli, de quo *Photius* cod. 63. *Suidas*, *Voſſius* lib. 2. c. 22. de H. Gr. eum pro Chriſtiano habet, ſed refutatur a *Franc. de la Mothe le Vayer* in judiciis de hiſt. Gr. Mitius de eo ſentit *Mart. Hankius* de R. Byz. ſcr. part. 1. c. 5. Lege & *Ioh. Eichelium* in præf. ad anecdota num. 17-22. *Gu. Cavium* ad an. 527. *Fabricium* lib. 5. c. 5. num. 3. (b) Scholaſt. ſ. advocatus CPtanus gentilis ſine dubio, de quo *Voſſius* de H. Gr. lib. 2. c. 22. *Hankius* de rerum Byz. ſcr. part. 1. cap. 7. *Fabricius* lib. 5. cap. 5. num. 4. bibl. Gr. (c) Illuſtris cognomine, gentilis ut *Suidæ* videtur, de quo *Photius* cod. 69. *Voſſius* lib. 2. c. 22. de H. Gr. *Ionſius* lib. 3. cap. 19. extr. *Hankius* de rerum Byz. ſcr. part. 1. c. 4. *Fabric.* l. 5. c. 5. num. 2. [illegible] (d) Comes Illyricianus, cancellarius *Juſtiniani* ante imperium. Lege *Voſſium* de H. Lat. lib. 2. cap. 19. *Cavium* an. 534. (e) ſ. Iordanus, ex illuſtri gente Amala, qui multa de ſe ipſo tradit cap. 50. de rebus Goth. epiſc. Ravennas. Lege de eo *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 2. c. 20. *Cavium* an. 552. *Fabricium* bibl. Lat. lib. 3. n. 17. (f) Cæſareenſis, grammaticus Alexandrinus poſt Athenienſis ex Chriſtiano gentilis, de quo lege *I. A. Fabricium* bibl. Lat. l. 4. c. 7. §. 3.

SECVLVM VII.

De ſcriptoribus eccleſiaſticis.

Septimo ſeculo non occidentem tantum ſpiſſa occupavit barbaries, ſed juſto Dei judicio Aſia quoque & Africa tantum non omnis per impia Mahometis dogmata, impiaque arma, ſimul cum Chriſtiana religione, quicquid ſuperavit culturæ melioris amiſit. Anno quippe XXII. *Mahomet* Arabs, pſeudopropheta, dementata primum gente Sarracenorum, victricia arma cum nova religione cœpit quaquaverſum extendere. Quo factum, ut LX. annorum ſpatio omnis pene Aſia & Africa, una cum Sicilia in Sarracenorum jugum devenerit, ſola Græcia & Aſia minori orientalis Rom. imperii ſuperſtitibus reliquiis. Ante tamen Mahometis ætatem initio ſeculi floruit Romæ *Gregorius Papa*, (a) a virtute & doctrina pro illius ævi captu *Magnus* cognominatus; Hieroſolymis autem *Heſychius*, (b) & poſt hunc *Sophronius*, (c) epiſcopi floruerunt. Eodem tempore vixerunt in oriente *Iohannes Moſchus*, (d) & *Leontius Antiochenus*, (e) monachus, homiliarum ſcriptor uterque Græcus. Ævo Mahometis ornavit Hiſpaniam S. *Iſidorus* (f) *Hiſpalenſis*; Conſtantinopolin vero *S. Maximus*, (g) martyr & monachus. Poſt medium hujus ſeculi itidem in Hiſpania vixit *Hildephonſus*, (h) ut anno LXXX. *Julianus*, (i) uterque epiſcopus Toletanus. *Juliani* æqualis in Aſia minore fuit *Anaſtaſius*, (k) epiſcopus Nicenus. Omnes vero hi pauca ſcripſerunt, quæque omnia non niſi inter opuſcula bibliothecæ patrum ſolent numerari, præter hos vero neque philoſophum, neque ICtum, neque medicum, aut denique vel poetam vel oratorem, qui alicujus ſit famæ, integro hoc ſeculo reperire licet.

SECVLVM VIII.

CAP. I.

De ſcriptoribus eccleſiaſticis.

Eadem fuit infelicitas ſeculi VIII. ſi non major, cum ad præcedentis ſeculi miſeriam etiam Hiſpania acceſſerit, fractis per Saracenos Gothorum viribus ibidem, atque in deplorandam abſtractis ſervitutem nobiliſſimis ejus terræ omnibus. Certe in occidente omnis eruditio in ſolis monachorum clauſtris delituit, quorum tamen induſtria maxime enituit in Britannia, inter Anglos, (Saxonicæ gentem originis, qui ante ſeculum, & quod excurrit, inſulam illam occuparant,) hisque conterminos Scotos, Hybernosque, adducente paulatim Deo ter Optimo Maximo feras illas gentes Germanicas ad Chriſtianiſmi culturam. Hujus igitur initio vixit Romæ *Gregorius Junior*, (a) ex monacho Papa; in Scotia vero *Aldhelmus*, (b) cujus eſt libellus de virginitate. Anno XXXI. floruit in Anglia *Venerabilis Beda*, (c) presbyter, vir ſupra ſeculi ſui captum doctus, non in theologicis tantum, ſed & philoſophica, & hiſtorica facultate, quique adeo tam multiplicis argumenti ſcripta nobis reliquit. Hujus diſcipulus fuit *Bonifacius*, (d) primus Moguntinus, adeoque totius Germaniæ archiepiſcopus, cuique imprimis Germania Chriſtianam debet religionem. Eundem *Bedam* audivit *Albinus Alcuinus*, (e) & ipſe natione Anglus, Caroli M. præceptor, & Pariſienſis ſcholæ autor. *Beda*

 æqualis

Sec. VII. (a) De *Gregorio M.* qui jam 4. hujus ſec. an. obiit, præter ſcriptores de vitis Pontificum, lege vitam a *Petro* Diac. 4. libris ſcriptam, *Iſidorum* Hiſp. & *Tritbem.* de ſcript. *Sixt. Senenſ.* lib. 4. B. S. *Andr. Rivetum* crit. ſacr. l. 4. c. ult. *R. Cocum* cenſ. p. 406. ſeqq. *Cavium* an. 590. *Caſ. Oudin.* de ſcr. eccl. tom. 1. an. 590. ampla diſſertat. adde *Lud. Maimburgii* hiſtor. pontificatus Greg. M. (b) ſ. *Iſichius* parum notus. Cum multi hujus nominis ſint, ſcripta dubia manent, ad quem referenda, vid. *Photium* cod. 198. *Sixt. Sen.* l. 4. *Cavium* an. 601. Lege de variis *Heſychiis Fabric* bibl. Gr. l. 5. c. 5. p. 243. (c) Patriarcha cum urbs a Saraçenis an. 636. caperetur. Lege *Voſſium* de hiſt. Gr. lib. 2. cap. 23. *Cavium* ad an. 629. (d) Monachus Palæſt. itinere & prato ſpirituali celebris. *Photius* cod. 199. *Voſſius* l. 2. c. 23. de H. Gr. *Rivetus* l. 4. cap. 9. *Rob. Cocus* cenſ. p. 423. *Cavius* an. 630. *Fabricius* bibl. Gr. l. 5. c. 32. §. 11. (e) Cyprius potius epiſc. Salaminis, de eo *Sixtus Sen.* l. 4. *Voſſius* de H. Gr. l. 2. c. 23. *Cavius* an. 590. (f) Vir illuſtris Gothus *Leandri* & *Fulgentii* frater, vir doctiſſ. De quo *Sixtus Sen.* lib. 4. *And. Schottus* bibl. Hiſp. T. 2. claſſ. 1. *Voſſius* de H. Lat. l. 2. c. 24. *Cavius* an. 595. *Caſ. Oudinus* ampla diſſ. T. 1. de ſcr. eccl. an. 620. (g) Ex proto-ſecretario *Heraclii* monachus, infinita mala paſſus ob veritatem. Lege *Photium* cod. 192, 193. *Cavium* an. 645. *Fabricium* l. 5. c. 30. §. 10. bibl. Gr. *Caſ. Oudin.* diſſert. tom. 1. an. 560. (h) *Ildefonſus* alias vir celeberr. de quo *Ioh. Mariana* rer. Hiſp. lib. 6. cap. 10. *And. Schottus* B. Hiſp. tom. 2. claſſ. 1. *Voſſius* de H. Lat. l. 2. c. 26. *Cavius* an. 657. *Oudinus* an. 660. (i) *Jul. Pomerius*, laudatus in *Felicis* Tolet. append. ad *Hildephonſi* ſcr. eccl. adde *And. Schotti* B. Hiſp. tom. 2. claſſ. 1. *Voſſium* de H. Lat. l. 2. c. 27. *Cavium* an. 650. (k) *Anaſtaſius Maximi* diſcipulus & calamitatum ſocius, alius tamen ab epiſc. Niceno. Lege *Cavium* an. 685. *Caſ. Oudinum* tom. 1. an. 660. *I. A. Fabricius* bibl. Gr. l. 5. c. 35. poſt *Anaſtaſium* Sinait. & Antiochenum ultra 50. Anaſtaſios collegit p. 336. ſeq.

Cap. I. (a) *Gregorius* II. notus ob Italiam *Leone* imp. propter imagines excommunicato ab imperio CPt. alienatam, quod miris laudibus extollit *Baronius* an. 730. n. 5. Lege *Frid. Spanhemium* in hiſt. imaginum reſt. ſect. 2. *Cavium* hiſt. lit. an. 715. adde ſcriptores de vitis Pontif. *Platinam* &c. (b) *Anshelmus* ſ. Adelmus ex ſtirpe regia, vir doctiſſ. primus Anglorum qui latine ſcripſit. De eo *Beda Vener.* H. eccl. Anglorum l. 5. cap. 19. *I. Baley* de ſcriptor. Brit. cent. 1. c. 83. *Cavium* an. 680. *Fabricium* bibl. Lat. lib. 4. cap. 2. §. 2. num. 9. Vita in *Laur. Surii* actis SS. d. 28. Maji. (c) *Beda* Girwicenſis polyhiſtor incomparabilis. De nomine *venerabilis* miræ nugæ leguntur in vita *Bedæ* operibus præmiſſa, curioſam rationem refert *Henr. Spelmannus* in Gloſſ. Archæolog. Laudes *Bedæ* leguntur apud *Guil. Malmesbur.* l. 3. c. 3. de geſt. Angl. *Ioh. Baleum* de ſcript. Brit. cent. 2. cap. 1. *Voſſium* l. 2. cap. 28. de hiſt. lat. *Lud. Ell. du Pin* tom. 6. biblioth. ſcr. eccl. prolixe *Cavium* an. 701. *Caſ. Oudinum* prolixa diſſert. tom. 1. de ſcr. eccl. an. 730. (d) *Winifridus* ſ. Wanifridus prius dictus, Anglus, Germanor. apoſtolus cujus vita a *Wilibaldo* comite, & alia ab *Othlono* ſcripta in *Laur. Surii* Act. SS. d. 5. Jun. & apud *Nic. Serrarium* lib. 3. rerum Mogunt. legitur. Adde *Joh. Lezneri* hiſt. S. *Bonifacii*; *Joh. Baleum* de ſcr. Brit. cent. 2. cap. 13. *Cavium* an. 723. *Caſ. Oudinum* tom. 1. an. 740. (e) *Flaccus Alb. Alcuinus a Carolo M.* ſcholæ Palatinæ præfectus, Lat. Gr. & Hebr. doctus, poſt *Bedam* omnium do-

æqualis fuit & æmulus in oriente *S. Johannes Damaſcenus,* (f) quem ad tam inſignem eruditionem, qualis profecto in ejus ſcriptis elucet, illo tempore atque illo loco potuiſſe attingere, non queo ſatis mirari.

CAP. II.

De hiſtoricis.

Anglorum hiſtoriam ſcripſit hoc ſeculo ille, quem ante laudavi *Venerabilis Beda,* quo nomine meretur hiſtoricis annumerari. Medio ſeculo, & paulo poſt Deſiderii, ultimi Longobardorum in Italia Regis ſecretarius fuit Aquilegienſis eccleſiæ diaconus, *Paulus Warnefridus,* (a) genere Longobardus, cujus eſt *hiſtoria,* quæ dicitur *miſcella,* & alia de geſtis Longobardorum, VI. libris conſtans. Fuit autem hic etiam in monaſteriis educatus, ſacriſque addictus, quod alibi eruditio nulla compareret, imo, præter monachorum clauſtra nulla eſſet ſchola. Habuit vero nec hoc ſeculum vel philoſophum, vel ICtum, vel medicum quenquam ſcriptorem. Ab oratoria laude tantum omnes abfuere, ut vix prima rudimenta linguæ latinæ calluerint.

SECVLVM IX.

CAP. I.

De ſcriptoribus eccleſiaſticis.

Seculo hoc tota Germania Chriſtianam religionem relicta idololatria avide accepit, curante id ipſum cumprimis (a) *Carolo M.* qui latiſſime per Germaniam, Galliam, Italiam, Cæſareo adjecto titulo, imperitabat; eo factum, ut per Germaniam, Galliamque multa monaſteria ordinis Benedictini conſtruerentur, quæ tunc ſeminaria fuerunt religionis juxta ac doctrinæ. Ex his monaſteriis prodiere ævo Caroli M. *Uſuardus,* (b) monachus Gallus, *Alcuini* diſcipulus; martyrologii autor; *S. Ludgerus* (c) Friſius, ex monacho Werthinenſi primus epiſcopus Monaſterienſis, vitæ *S. Suitberti* autor. Ætate Ludovici Pii *Paſcaſius Radbertus,* (c) abbas Corbejenſis, *Rabanus Maurus,* (d) ex abbate Fuldenſi epiſcopus Moguntinus, apud Germanos; In Gallis vero *Claudius Scotus,* (e) *Jonas* epiſcopus *Aurelianenſis,* (f) *Amalarius,* (g) epiſcopus Trevirenſis, *Freculphus,* (h) ex monacho epiſcopus *Lexovienſis, Hilduinus,* (i) abbas S. Dionyſii Pariſienſis, & *Theodolphus,* (k) epiſcopus Aurelianenſis floruerunt. Ævo filiorum Ludovici Pii in Germania vixit *Strabus,* (l) Fuldenſis monachus, *Rabani* diſcipulus, & autor *gloſſæ,* quæ dicitur *ordinaria,* in univerſam S. ſcripturam; *Haymo* (m) epiſcopus Halberſtadienſis, & *Walafridus Strabo,* abbas Augienſis. In Hiſpania vixit unus *S. Eulogius,* (n) a Sarracenis trucidatus; in Gallia vero *Angelomus,* (o) & *Chriſtianus Druithmarus,* (p) monachi, nec non *Hincmarus,* (q) Rhemenſis epiſcopus. Italia denique habuit ipſum *Nicolaum,* (r) I. hujus nominis Papam. Habuit quoque hoc ſeculum unum alterumque in Græca eccleſia. Initio quippe ſeculi vixit *S. Nicephorus,*

---

ctiſſimus, cui Gallia & Germania omnem ſuam eruditionem debet. Vita operibus præmiſſa legitur. *Baleus* de ſcr. Brit. cent. 2. c. 17. *Voſſius* de H. Lat. lib. 2, cap. 30. *Cavius* an. 780. *Caſ. Oudinus* tom. 1. an. 785. (f) *Manzar* a Syris dictus, ex ſecretario Califæ monachus Hieroſol. Vita a *Iohanne Hieroſolym.* ſatis inepte ſcripta. Lege de eo *Voſſium* de H. Gr. l. 2. c. 24. *G. Hornium* hiſt. phil. l. 6. c. 2. *Cavium* an. 730. *Fabricium* bibl. Gr. lib. 5. c. 30. num. 11. *Caſ. Oudinum* prolixa diſſert. tom. 1. an. 730. Adde *Frid. Spanhemium* hiſt. imag. ſect. 2. n. 13.

Cap. II. (a) *Paul. Winfrid. Warnefridi* filius Longobard. inter doctiſſimos ſui temporis habitus defectu meliorum. De eo legendi *Leo Hoſt.* in chron. Caſſinenſi l. 1. c. 15. *Voſſius* de de H. Lat. l. 2. c. 30. *Cavius* an. 774. *I. A. Fabricius* bibl. Lat. l. 3. c. 9. §. 7. *Caſ. Oudinus* de ſcr. eccl. t. 1. ad an. 785.

Cap. I. (a) Principe Græce & Lat. docto, adeo facundo, ut didaſcali munus ſuſcipere poſſet, ut *Eginhartus* in vita teſtatur. Legantur ſcriptores de vita Caroli Magni & hiſtoria ex iis collecta a *Io. Ioach. Franzio.* De libris *Caroli* lege *Cavium* ad an. 768. (b) *Iſuardus Trithemio,* junior *Carolo M.* ſub *Calvo* potius Mon. ord. Bened. de quo *Voſſius* l. 2. c. 31. de hiſt. Lat. qui *Sigeb. Gembl.* ſecutus eum ad Caroli M. tempora refert, *Cavius* an. 876. (c) *Ludgeri* vita apud *Laur. Surium* in act. SS. d. 26. Martii. Plura in actis SS. Antwerp. Lege *Alb. Kranz* in metrop. l. 1. c. 5. & in Saxon. l. 2. c. 14. & 16. *Voſſium* de H. Lat. l. 2. c. 30. *Cavium* an. 802. (c) Abb. Corbejæ vet. autor transſubſtantiationis, de quo *Sixtus Sen.* lib. 4. *Voſſius* de H. Lat. lib. 2. cap. 36. *Cavius* an. 844. *Oudinus* tom. 2. an. 840. (d) *Rhabanus Maguntius Maurus* vir magnus virtute & doctrina. Vita a *Rudolpho* Presb. ſcripta. Lege *Sixtum Sen.* l. 4. *Nic. Serrar.* rerum Mogunt. l. 4. *Chr. Browerum* hiſt. Fuldenſi, *Chr. Franc. Paullini* in theatr. illuſt. vir. Corbejæ Sax. *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 2. c. 35. *Cavium* tom. utroque an. 847. (e) Scotus nomine, non natione. Hiſpanus epiſc. Taurin. imaginum hoſtis. De eo *Ionas Aurel.* de cultu imag. præfat. & l. 1. multa *Carol. le Cointe* annal. eccl. Franc. an. 821. num. 87. & an 828. num. 53. 54. *Cavius* an. 820. *Oudinus* tom. 2. an. 820. (f) *Ionas* contra *Claudium* ſcripſit; imagines tolerandas putat, non adorandas. Lege *Bellarm.* de ſcr. eccl. *Cavium* an. 821. (g) *Amalarius Fortunatus* Græc. & Lat. doctus. Legatus CPt. Libros illi tributos *Amalarii* Metenſis eſſe contendit *Cavius* an. 812. de hoc agit an. 810. (h) Ex mon. Fuldenſi epiſc. Lexov. in Normand. chronici compilator, de quo *Trithem.* de ſcr. eccl. *Voſſius* de H. Lat. l. 2. c. 25. *Cavius* an. 824. (i) *Hilduinus,* rebellibus *Ludov. Pii* filiis adhærens, operum *Dionyſii Areop.* defenſor. Lege *Trithem.* in catal. *Voſſium* de H. Lat. lib. 2. c. 28. *Cavium* an. 814. (k) Prius abb. Floriacenſis, reus colluſionis cum *Bernhardo* rebelli. De eo *Trithemius* in cat. *Cavius* an. 794. (l) *Walafridus Strabo* mon. Fuldenſis, poſtea abb. Augiæ maj. Autor cum *Trithemio, Surio, Bellarmino* diverſos facit præter rem. Lege *Voſſium* de H. Lat. l. 2. c. 28. *Sixtum Sen.* lib. 4. *Cavium* an. 842. *Caſ. Oudinum* tom. 2. an. 830. (m) *Haymo* breviar. hiſt. eccl. autor. Lege *Trithem.* in catal. *Sixtum Sen.* l. 4. *Voſſium* de H. Lat. l. 2. c. 35. *Paullini* in theatr. Corbej. Sax. cap. 17. *Cavium* an. 841. (n) Archiep. Toletanus martyr. *And. Schottus* B. Hiſp. tom. 2. claſſ. 1. *Voſſius* de H. Lat. l. 2. c. 28. *Cavius* an. 847. (o) Mon. ord. Bened. Luxorinenſ. de quo *Sixtus Sen.* l. 4. *Cavius* an. 856. *Trithemius* cum multis laudat. (p) Grammaticus dictus, Mon. Corbejæ vet. doctiſſimus *Sigeb. Gembl.* de ſcr. eccl. c. 72. *Trithemius Sixt. Sen.* l. 4. *Cavius* an. 840. (q) Oraculum eccl. Gallicanæ, Romanæ ſubeſſe nolens. De eo fuſe *Flodoardus* in hiſt. Rhemenſi l. 3. fere toto. *Sigeb. Gembl.* c. 99. & *Trithem.* de ſcr. eccl. *Voſſius* l. 2. c. 36. de hiſt. Lat. *Cavius* prolixe an. 845. *Caſ. Oudinus* tom. 2. an. 850. (r) Vir magnus, aſſertor *Majeſtatis* contra *Photium, Iohannem* Ruven. & *Hinckmar.* Rhem.

rus, (s) epiſcopus Conſtantinopolitanus; Medio vero ſeculi imprimis floruit *Photius*, (t) & ipſe epiſcopus Conſtantinopolitanus, homo ſumma eruditione, ut patet ex illius libris, *nomocanone & bibliotheca*, tum eruditionis illis in locis penitus collapſæ reſtaurator. Æqualis huic atque adverſarius fuit *Nicetas* (u *David*, qui etiam nonnulla ſcripſit, doctrina tamen longe inferior.

CAP. II.

De philoſophis.

Philoſophica ſtudia hoc ſeculo cum liberaliori doctrina poſt CC. annorum quaſi exilium, cœperunt rurſum efflore ſcere. Nam primo quidem *Saraceni* in Aſia ad excitanda literarum ſtudia quorumlibet hominum induſtriam adjectis ingentibus præmiis excitarunt, inter quos cumprimis hoc nomine commendatur *Maimon Calipha*, (a) qui, præterquam quod ipſe ſtudiis mathematicis valde inclaruerit, omnis generis ſcripta Græca & Latina in Arabicum ſermonem convertenda curavit. Ejus æmulatione & Conſtantinopolitani Imperatores per *Leonem* (b) quendam philoſophum, curantibus id ipſum imprimis *Barda* Michaëlis Imper. tutore, & eo, quem ante laudavi, *Photio* patriarcha, philoſophica ſtudia, quæ CC. annis tantum non ſepulta jacuerant, cœperunt revocare in ſcholas publicas, quam hiſtoriam maxime memorabilem legere eſt apud *Zonaram*. Jam ante eos Carolus M. *Lutetiæ Pariſiorum ſcholam bonarum (c) artium publicam* ab aliquot *Anglis monachis* mandaverat inſtitui, pro illius ævi captu ſane nobilem. Idem vero & ubivis terrarum ditionis ſuæ numeroſis ac opulentis erectis *monaſteriis* ac ſedibus epiſcopalibus totidem *philoſophiæ melioruque doctrinæ ſcholas* aperuerat.

Igitur in Aſia inter Saracenos hoc ſeculo vixerat *Albaſenus*, (d) nobilis ille opticus, circa annum DCCCXXX. *Abumaſar* (e) *Alpharabius* Babylonius circa annum DCCCLXX. maximi inter ſuos nominis philoſophus; ſub finem denique ſeculi *Albategnius*, (f) Aracta, Meſopotamiæ urbe oriundus, & *Alkindus*, (g) uterque nobilis aſtronomus. Ex Græcis autem Latiniſque nemo nomen aliquod promeruit, philoſophia apud utroſque adhuc in tirociniis hærente.

CAP. III.

De jure conſultis.

Etſi hoc ſeculo in reliquiis Conſtantinopolitani imperii obſervatæ ſint *leges Juſtinianeæ*, qui tamen eo nomine claruerit, nemo reperitur. In occidente quidem nullus iis legibus fuit locus; Caroli M. tamen auſpiciis, leges ac *conſuetudines Francorum, Burgandiorum, Alemannorum, Bojoariorum, Saxonum, Friſiorum, Thuringorum*, & *Longobardorum* recenſitæ ſunt. Extant autem illæ hodieque editæ cura *Baſilii Heroldi*, & nuper *Frid. Lindenbrogii*. (a) Caroli M. filius Ludovicus Pius *canones eccleſiaſticos* ab epiſcopis Galliæ & Germaniæ fecit in unum colligi atque emendari. Eodem tempore Conſtantinopoli *Photius patriarcha nomocanonem* conſcripſit, quo juris canonici compendio omnibus poſt ſeculis, uſque in hæc tempora, Græca eccleſia eſt uſa.

CAP. IV.

De medicis.

Ex hoc ſeculo medicum ſcriptorem nullum quidem nos habemus, florere tamen medicina cœpit in Aſia apud Sarracenos ſive Arabes. Et quidem ab *Abrahamo Zacutho* (a) laudatur *Gabriel Surianus*, (b) *Johannes Mesve*, (c) & *Sela*, filius *Bebela*. Sed, horum nomina quidem ſunt famoſa, ſcripta

Lege vitas Pontificum, adde *Cabium* an. 858. (s) *Nicephorus Taraſii* ſucceſſor, imaginum defenſor. Lege *Photium* cod. 66. *Voſſium* de hiſt. Gr. lib. 2. c. 25. *Hankium* de Byz. ſcript. part 1. cap. 12. *Cabium* an. 806. *Fabricium* B. Gr. l. 5. c. 4. ſ. 39. & cap. 5. §. 6. *Oudinum* tom. 2. poſt initium. (t) *Photius* vir illuſtris, poſt maxima aulæ officia patriarcha vexatiſſimus, doctiſſimus aliquot ſeculorum. Lege *Voſſium* l. 2 c. 25. de hiſt. Gr. *Hankium* de ſcr. Byz part. 1. cap. 18. *Cabium* an. 858. & ſubſſ. *Fabricium* bibl. Gr. l. 5. c. 38. *Oudinum* tom. 2. an 860. (u) *Ignatii* defenſor, *Photii* hoſtis acerrimus, ſcripſit vitam *Ignatii* calumniis in *Photium* plenam. Lege *Cabium* ad an. 880. *Oudinum* tom. 2. an 860.

Cap. II. (a) Legantur omnia apud *Georg. Elmacinum* hiſt. Sarac. & *Gregor. Abulpharajum* in hiſt. dynaſtiarum, ex quibus & aliis omnia expoſuit *I. H. Hottingerus* hiſt. eccl. ſec 9. ſect. 2. lit. Gg. De *Maimone* qui *Mamunus* a ſcript. Græc. *Abdalla Almamoni* ab Arabibus dicitur, doctiſſimus Arabum ab *Elmacino* dictus, cujus epiſtolæ notabiles ad *Leon. philoſ.* & *Michaelem* Imper. apud *Curopalatem* & *Cedrenum* leguntur. Adde *J. Leonis* Afric. de vir. illuſtr. inter *Arabes* librum in vita *Joh. Meſue* apud *Hottingerum* in biblioth. quadripart. lib. 2. cap. 3. p. 248. (b) *Mich. Pſelli* diſcipulus a *Barda* ſcholæ CPt. præfectus, imaginum hoſtis, de quo multa *Cedrenus* & *Zonaras*, qui & de *Barda* legendi in rebus *Michaelis* Imp. *Fabricius* l. 5. c. 5. p. 366. init. (c) *Joh. Mailroſ* & *Claudio Clemente* Scotis accedentibus, de qua re legantur *Eginhardus* in vita *Caroli*, & vita *Alcuini* operibus præmiſſa. Adde *Iac. Middendorp.* de academiis lib. 3. *Conringium* in antiquitat. academ. in ſpecie *Claud. Hemeraeum* de academ. Pariſ. Pariſ. 1637. 4. (d) *Albazen*, dubii temporis, de quo *Ioſ. Blancanus* in chronol. mathemat. *Voſſius* de ſcient. mathem. c. 26. § 7. & c. 35. §. 15. eum ad ſecul. XI. referunt. (e) *Abunasra* al. *Farabi* ab Arabibus dicitur philoſ. med. aſtronomus celeberr. Damaſci, ſed ſeculo potius XI. *Ioh. Leo* Afr. apud *Hottingr.* biblioth. quadrip lib. 2. c. 3. p. 253. *Gabr. Sionita* in geograph. Arab. Nubienſi lat. reddita. (f) *Mahomet Albategnius* Aractenſis deſcribitur a *Ioſ. Blancano* in chronol. mathem. ſecul. 9. *Voſſio* de ſcient. mathem. c. 35. §. 6. & cap. 48. §. 28. (g) *Iacob. Alkindus* med. & philoſ. celebris a *Wolfg. Iuſto* in chronol. medic. ad an. 1145. a *Voſſio* de ſcient. mathem. cap. 35. §. 30. ad an. 1235. ponitur.

Cap. III. (a) *Baſil. Iohannis Heroldi* editio Baſil. 1557. fol. & *Fr. Lindenbrogii* Francof. 1613. fol. prodiere. *Longobardorum* leges ſeorſim Venet. 1537. 8. Habentur & in cod. membran. MSCr. in biblioth. *Rehdiger.* Win.

Cap. IV. (a) Judæo, *Emanuelis* Reg. Portug. medico a R. *David Ganz* citatus in Zemach David pag 150. editionis *Gu. Henr. Vorſtii* Lugd. 1644. 4. (b) Parum notus, niſi idem ſit cum *Hier. Suriano* qui *Rhaſis* continentem ordinavit, qui tamen monachus Camalducenſis longe recentior. (c) *Io-*

ſcripta tamen ad nos nulla pervenerunt, cum & *Meſve* hic longe alius ſit ab eo, qui nobis iſthoc nomine eſt cognitus. *Alphanbum* item inter clariſſimos medicos habent Maronitæ.

CAP. V.
De hiſtoricis.

Hoc ſeculo habuit occidens nonnullos hiſtoricos, pro captu illius ævi ſat nobiles: *Eginhardum* (a) Caroli M. Imperatoris cancellarium, & vitæ ſcriptorem; *Nithardum*, (b) ejusdem Caroli nepotem, ætate Lotharii Cæſaris; vixit etiam hoc ſeculo *Adelhardus*, (c) ejusdem Caroli propinquus & conſiliarius, mox abbas *Corbejæ* utriusque, Gallicæ & Germanicæ, qui ſcripſit libellum de ordine Palatii; nec non *Freculphus*. Medio ſeculo *Anaſtaſium*, (d) bibliothecarium, qui vitas Romanorum pontificum primus ſcripſit; atque *Aimoinum*, (e) hiſtoriæ Francicæ ſcriptorem ſol vidit. Sub finem ſeculi vixit *Ado, Viennenſis* (f) epiſcopus. Poëtica hoc, & multo poſt tempore valde fuit rudis, ut & oratorium ſtudium; quare non eſt, quod quemque eo nomine hic memoremus. Non tamen poſſumus non meminiſſe illius *Anonymi poëtæ*, (g) qui Caroli M. vitam deſcripſit, & a *Rein. Reineccio* quondam Helmſtadii editus, & luculento commentario illuſtratus eſt; neque enim debuit ille forſan ſicco pede præteriri, ſaltem, quod primus ſit inter Saxones, qui carmine tentaverit aliquid ſcribere.

SECVLVM X.

CAP. I.
De ſcriptoribus eccleſiaſticis.

De decimo ſeculo merito dicere poſſumus cum *Bellarmino*: *Vide ſeculum infelix, in quo nulli ſcriptores illuſtres, nulla concilia, Pontifices parum ſolliciti de re publica; ſed divina providentia fecit, ut nullæ ſurgerent hæreſes novæ.*

Scriptorum certe eccleſiaſticorum nullum licet in medium proferre, præter dictum neſcio quem *Anonymum* (a) *Idiotam*, *Radulphum Flaviacenſem*, (b) *Stephanum Eduenſem* (c) & *Moſen Barcepha*, (d) epiſcopum Syrum, admodum profecto minutulos autores; niſi forſan & *Leonem* (e) *Sapientem*, Imperatorem Conſtantinopolitanum, quis velit huc trahere, cujus ſunt epiſtolæ pro Chriſtiana fide ad Imperatorem Sarracenum, & nonnullæ orationes.

CAP. II.
De philoſophis.

Floruiſſe hoc ſeculo imprimis apud Sarracenos meliorem philoſophiam certum eſt; neque tamen quendam, cujus ad nos ſcripta pervenerint, poſſum laudare. Unus notus eſt, *Abunazar Gnaphar*, qui vulgo *Albumaſar* (a) audit, nihil quidem minus, quam philoſophus verus, aſtrologicæ vanitatis ſane autor maximus. Par ratio eſt philoſophorum Græcorum, qui & ipſi non fuerunt nulli ſub *Leone* & *Conſtantino* (b) Imperatoribus literatiſſimis, quorum ille *philoſophus* nuncupari geſtiit. Habe-

hanna fil. *Meſuach.* Chriſtianus Neſtorianus Ninivita laudatus a *Joh. Leone* Afr. in *Hottingeri* bibl. quadrip. lib. 2. c. 3. Vita paucis in *Petr. Caſtellani* vitis med. Adde *Fabric.* bibl. Lat. l. 6. c. 9. p. 259. ſeqq. ex *Leone Afr.*

Cap. V. (a) *Caroli M.* ſecretarius & gener, id. monach. Bened. Vita illius ex vetuſto cod. a *Juſto Reubero* ſcript. rer. Germ. præmiſſa. *Trithem.* in cat. qui *Einhardum* vocat. *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 2. c. 28. *Cavius* an. 814. *Caſ. Oudinus* tom. 2. de ſcr. eccl. ad an. 814. (b) *Angiberti* ex *Bertha Caroli M.* filia filius, poſt aulicas dignitates abbas Centulenſis, de quo *Voſſius* de hiſt. Lat. l. 2. c. 34. *Cavius* an. 843. (c) *Caroli M.* patruelis, qui e *Corbeja* veteri coloniam monachorum in *Corbejam* novam ſ. Saxonicam duxit, de quo *Joh. Leznerus* de *Ludov. Pio* & Corbeja fundata. *Cavius* an. 822. (d) Abbas ord. Bened. *Gregor. IV.* bibliothecarius cardinalis a quibusdam dictus, hinc & illius vita in *Alph. Ciacconii* vitis Papar. & cardinal. it. in *Lud. Donii Datticbis* floribus hiſtor. cardinalium legitur. Adde *Voſſium* de hiſt. Lat. l. 2. c. 35. *Cavium* an. 870. *Caſ. Oudinum* ampla diſſ. de *Anaſtaſio* tom. 2. de ſcr. eccl. ad an. 870. it. in diſſert. de vita *Damaſi* & libro pontificali in ſpec. cap. 6. (e) *Aimoini* 2. ut plur. confunduntur, hic Pariſienſis, alter Floriacenſis ſec. XI. *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 2. c. 34 prolixe, qui hiſtor Franc. huic ſeniori tribuit. *Cavius* de ſeniori an. 872. de juniore, quem autorem hiſtoriæ putat, initio ſec. XI. (f) *Ado* pietate & eruditione celebris, de quo videndi fratres *Sammarthani* in Gall. Chriſtiana tom. 1. p. 798. *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 2. c. 37. extr. *Cavius* an. 859. (g) Paderbornenſis vitam *Caroli* ex *Eginharde* verſu Heroico ſcripſit, de quo ipſe. De vita *Caroli* ſcriptum legat ipſe libellum, quem ſummo prudens *Einhardus* nomine ſcripſit. Lege *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 3. cap. 4.

Cap. I. (a) Multa ſub nomine Idiotæ ſeculi 9. vel 10. leguntur; quæ & *Bellarminus* ad an. 900. poſuerat; cum vero poſtea multa in eo de *Bernhardo* inveniret, inde ad an. 1305. tranſtulit. *Theoph. Raynaudus* omnia *Raym. Jordano* vindicavit. Lege *H. Wharton*, in addit. ad *Cavii* hiſtor. lit. an. 1381. (b) *Niger* cognomine ſec. XII. ponitur a Rommenſibus, ſed eum ſeculo X. reſtituit *Frid. Spanhemius* in diſſert. de Papa fœm. pag. 26. ſeqq. Lege de eo *Sig. Gemblac.* de ſcr. eccleſ. *Sixtum Senenſ.* l. 4. B. S. *Voſſium* lib. 2. c. 39. de hiſt. Lat. *Cavium* an. 1157. *Caſ. Oudinum* tom. 2. an. 1150. (c) Auguſtoduni in Heduis epiſc. Autor iterum *Bellarminum* ſecutus, qui eum ad an. 950. refert. *Cavius* vero an. 1113. epiſc. & an. 1129. monachum factum aſſerit, quod idem *Caſ. Oudin.* tom. 2. an. 1120. facit. (d) Epiſcop. in Beth-Raman, & Beth-Ceno curator rerum ſacr. in Mozul. ſ. Seleucia Parthorum. * *Bellarminus* de ſcr. eccl. illius libellum de paradiſo caute legendum monet in fine. A *Cavio* ponitur an. 990. (e) *Leo* Sap. *Baſilii* Maced. filius, a *Photio* inſtitutus philoſ. JCtus, hiſtoricus, mathematicus inſignis, de quo legendi *Voſſius* de hiſtor. Græc. libro 2. cap. 25. *Hankius* de rer. Byz. ſcript. part. 1. cap. 23. *Cavius* an. 886. *Fabricius* B. Græc. lib. 5. cap. 5. ſ. 8. *Caſ. Oudinus* de ſcr. eccl. tom. 2. ad an. 890.

Cap. II. (a) Dubium an idem ſit cum Albumaſare ſec. 9. c. 2. citato. Explicavit opus quadripart. conſtructionis *Ptolemæi*, quem inepte Regem Ægypti dicit. (b) *Conſtantinus* Porphyrogennetus. *Leonis Sap.* filius etiam doctiſſimus, cujus excerptorum 2. tituli ſuperſunt, it. liber de adminiſtrando imperio, de thematibus imperii &c. Lege de eo *Voſſium* de hiſt. Gr. l. 2. c. 26. *Hankium* de Byz. rer. ſcr. part. 1. c. 25. *Cavium* an. 911. *Fabricium* B. Gr. l. 5. c. 5. ſ. 17. *Caſim. Oudinum* tom. 2. de ſcr. eccleſ. ad an. 910.

Habemus tamen & ipſorum horum Cæſarum ſcripta, ad civilem prudentiam pertinentia, & cumprimis ad artes militares, quæ debemus induſtriæ *Johannis Meurſii.* In occidente autem videtur adeo tenuis fuiſſe philoſophiæ cognitio, ut integro hoc ſeculo ſcriptum aliquod philoſophicum elaborare nemo quiverit.

CAP. III.

De jure conſultis.

Hoc ſeculo alia cœpit ratio juriſprudentiæ, etiam in Conſtantinopolitano imperio; abrogato enim *corpore juris Juſtinianei*, *Leo* philoſophus ſive ſapiens Imperator, primum *novellas*, mox *Βασιλικῶν*, (a) hoc eſt, *Regiarum conſtitutionum libros LX.* promulgavit. Fallitur vero *Theodorus Balſamo*, quique hunc ſequitur *Cujacius*, (obſerv. lib. 6. c. 9.) eodem tempore *nomocanonem* a patriarcha *Photio* fuiſſe editum, utpote cum hic floruerit Imperatore Michaële, cum matre Theodora. *Leonis* filius *Conſtantinus Porphyrogennetus* eosdem *βασιλικῶν* libros recognovit, (b) quo factum, ut ipſe credatur primus eorum promulgator. Idem quoque *Photii nomocanonem* ſua recenſitum autoritate edidit. Ad hoc ſeculum quoque referri ſolet Græcus ille juridicus libellus, qui inſcribitur: *Μικρὸν κατα-ςοιχεῖον*. Porro in occidentali imperio nihil magnopere innovatum in legibus a Carolo M. ſuperiori ſeculo latis.

CAP. IV.

De medicis.

Hoc ſeculo valde multo inter Saracenos Aſiaticos ſcriptores medicos floruiſſe, dubium non eſt; vix tamen nomina eorum ad nos pervenerunt, præterquam, quod rari libri Arabici in latinum ſermonem ſint converſi. Sed unus præ multis poteſt eſſe, *Rhaſis*, (a) filius *Zacharia*, autor magni illius operis, quod dicitur *Continens*. Conſtantinopoli quoque floruiſſe complures medicos, equidem non ambigo; iidem tamen ſolum unum habemus, *Nonum*, (b) Conſtantini Porphyrogenneti Imper. coævum, cujus extat hodieque libellus *de curatione morborum particularium*.

CAP. V.

De hiſtoricis.

Hoc ſeculum nullum habuit poetam, nullum grammaticum, nullum oratorem; imo in occidente vix ipſi doctiſſimi poterant latine balbutire. Hiſtoriam tamen ſcripſerunt, aut ſcribere conati ſunt, *Rhegino*, (a) abbas *Prumienſis*, *Luitbrandus*, (b) diaconus *Ticinenſis*, *Wittekindus*, (c) monachus *Corbejenſis*, *Ditmarus*, (d) epiſcopus *Merſburgenſis*, & *Flodoardus* (e) abbas *Rhemenſis*, quorum labores, rudes licet, ſuaves tamen ſunt in defectu meliorum. Pertinet & huc *Abugiafar*, (f) Mahumetanus hiſtoricus, qui XII. libros Arabico ſermone condidit.

SECVLVM. XI.

CAP. I.

De ſcriptoribus eccleſiaſticis.

Hoc ſeculo nonnihil reſpiravit eccleſiaſtica doctrina; nam & Græca eccleſia habuit circa annum M.LXXX. *Theophylactum*, (a) archiepiſcopum Bulgarorum, *Chryſoſtomi* abbreviatorem. Et in occidente enata eſt hæreſis per *Berengarium*, (b) qui negavit veram & realem præſentiam corporis & ſanguinis Domini in euchariſtia: itaque multorum calami ſunt exerciti. Scripſit contra hanc hære-

Cap. III. (a) Magnum opus *βασιλικῶν* in 60. libros diſtributum poſt *Leunclavium* Gr. & Lat. *Car. Anniſc. Fabrotus* publicavit Pariſ. 1647. fol. Legatur *Ioſ. Mariæ Suareſii* notitia Baſilicor. inſerta *Fabricii* B Gr. l. 6. c. 6. p. 467. ſeqq. (b) *Theodorus Balſamon*, (de quo infra ſec. XII. c. 3.) *Conſtantino* attribuit. Lege *Iac. Cujacium* obſervationum & emendationum l. 6. c. 9.

Cap. IV. (a) *Abubachar ſ. Abubeth.* in Perſiæ urbe Rhai, unde *Rhazis* dicitur, ultimum vitæ Cordubæ exegit, medicus feliciſſ. & ditiſſimus. Vita in fragm. *I. Leonis* legitur in Hottingeri bibl. quadrip. l. 2. c. 3. p. 253. ſeqq. Polygraphus, cujus opera *I. Ant. Van der Linden* in *Abubether* recenſet. Multa de eo habet *I. Freind* hiſt. medic. part. 1. & 2. Vita paucis in *Pet. Caſtellani* vitis med. habetur p. 142. (b) Vix notus præter libellum citatum, juſſu *Conſtantini* Imper. ſcriptum a *Ierem. Martio* ſumma diligentia latine verſum. Lege *I. Ant. Van der Linden* de ſcriptis med. *Fabricium* B. Gr. l. 6. c. 7. §. 11.

Cap. V. (a) Sua fata recenſet an. 899. adde *Trithem.* de ſcr. eccl. *Voſſium* de hiſt. Lat. l. 2. c. 39. *Caveum* an. 892. *Caſ. Oudinum* tom. 2. an. 900. (b) Levita eccleſ. Ticin. Græc. Lat. & Germ. doctus poeta non contemnendus. De ſe plurima tradit præcipue lib. 3. init. adde *Trithem. Voſſium* de hiſt. Lat. l. 2. c. 40. *Caveum* an. 946. (c) *VVinduchindus* cujus vitam *Henr. Meibomius* collegit & operi præmiſit, adde *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 2. cap. 41. *Chr. Fr. Paullini* in Th. Corbejæ Sax. c. 44. *Caveum* an. 490. *Caſ. Oudinum* tom. 2. an. 970. (d) Ex illuſtri proſapia, de qua fuſe agit *Henr. Meibomius* in chron. Walbeccenſi p. 17. ſqq. ipſe proſopographiam ſuam in contemtum tradit lib. 4. c. 95. extr. Vitam *Rein. Reineccius* egregie expoſitam operi præmiſit. Lege & *Voſſium* de hiſt Lat. lib. 3. cap. 51 *Caveum* an. 1008. tom. 2. *Caſ. Oudinum* tom. 2. an. 1020. (e) *Frodoardus*, *Flaubaldus* a *Sig. Gembl.* dictus, de quo *Voſſius* de hiſt. Lat. l. 2. c. 40. *Caveus* tom. utroque an. 940. *Oudinus* de ſcr. eccl. tom. 2. an. 950. (f) *Giafar Mahomet* prænomine, ex quo plurima *Georg. Elmacinus* in hiſt. ſuam tranſtulit, ut ipſe fatetur. Lege *Hottingerum* hiſt. eccl. ſec. X. ſect. 2.

Cap. I. (a) Ex ſcriptis potius, quam hiſtoricis notus, *Achridiæ* apud Bulgaros epiſc. fata ſua in epiſtolis paſſim tradit. De eo *Sixtus Senenſ.* bibl. S. l. 4. *Bellarminus* de ſcript. eccl. ad an. 1070. *Caveus* an. 1077. *Caſ. Oudinus* tom. 2. an. 1070. *Fabricius* bibl. Gr. lib. 5. p. 284. ſeqq. (b) Archidiac. Andegavenſ. a *Leone IX.* damnatus, laudatur a *Guil. Malmesbur.* lib. 3. Lege *Leon. Hoſt.* in chron. Caſin. l. 3. c. 33. *Sigeb. Gembl.* de ſcr. eccl. c. 154. *Caveus* an. 1035. *Caſ. Oudini*

hæreſin *S. Fulbertus*, (c) epiſcopus Carnotenſis, *Lanfrancus*, (d) archiepiſcopus Cantuarienſis, *Adelmannus*, (e) epiſcopus Brixienſis, *Guitmundus*, (f) epiſcopus Averſanus. Præter hos floruere circa annum LXX. & LXXX. tres *Anshelmi*, vere tria lumina hujus ſeculi; nempe *Anshelmus*, (g) Lucenſis epiſcopus, *Anshelmus*, (h) Cantuarienſis archiepiſcopus, & denique *Anshelmus*, (i) ſcholaſticus Laudunenſis, autor gloſſæ interlinearis. Præterea nonnihil ſcripſerunt *Leo IX.* (k) Pontifex, *Humbertus* (l) cardinalis, *Petrus Damiani* (m) cardinalis, *Bruno*, (n) inſtitutor Carthuſianorum, & *Samuel Marochianus*, (o) ex Judæo Chriſtianus.

CAP. II.

De philoſophis.

Philoſophiam hoc tempore floruiſſe in Aſia apud Sarracenos, extra aleam dubitationis ponitur; nullius tamen ſcripta in manibus ſunt noſtris, præter unius *Avicennæ*. (a) Similiter conſtat, Conſtantinopoli philoſophiam viguiſſe, itidem tamen non niſi unius *Michaelis Pſelli* (b) nos quidem ſcripta habemus. In occidente autem toto vix eſt veriſimile, quenquam ſtudiis philoſophicis multum valuiſſe; tantum enim reperire licet unum atque alterum veteris muſicæ non ignarum.

CAP. III.

De jure conſultis.

Juſtinianea jurisprudentia hoc ſeculo per totum terrarum orbem nullo plane in uſu fuit, obtinentibus in foro quidem Conſtantinopolitano legibus illis *Baſilicis*, in occidente autem a *Carolo M.* profectis. Canonicæ tamen, vel eccleſiaſticæ jurisprudentiæ haud parva jacta ſunt fundamenta per *Burchardum* (a) epiſcopum VVormatienſem, & *Ivonem*, (b) epiſcopum Carnotenſem, quorum ille initio hujus ſeculi XX. libros decretorum, ex conciliis, Pontificibus & SS. Patribus collegit; hic vero ſub finem ſeculi ſcripſit volumen decretorum, quibus poſt uſus eſt *Gratianus*.

CAP. IV.

De medicis.

Hæc per tempora haud leviter artem medicam excoluere Saraceni Aſiatici; inter eos enim floruerunt ad medium usque ſeculi *Johannes Sempion*, (a) autor practici operis, non vero ille, qui de ſimplicibus medicamentis ſcripſit, etſi vulgo credatur unus idemque; *Haly*, (b) filius *Robodam*, aſtronomus idem, & commentator *Galeni*; *Haly* (c) *Abbas*, *Iſaac Beimiram*, (d) & quem principem vocant ſequentia ſecula *Aboàli Ebenſeni*, vel, ut vulgo loquuntur, *Avicenna*. Conſtantinopoli etiam floruit *Michael Pſellus*, cujus ante in philoſophicis meminimus, & qui ex *Pſello librum* ſuum de ciborum

amplam diſſert. tom. 2. an. 1050. (c) Ex cancellario *Roberti* Regis abb. Ferrar. poſt epiſcop. Carnotenſis, Mariæ cultor nimius, quæ illum ægrum lacte ſuo ſanavit, ut *Guil. Malmesb.* lib. 3. nugatur. Lege *Tritbem.* in cat. *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 2. cap 43. *Cavium* tom. utroque an. 1067. *Caſ. Oudin.* tom. 2. an. 1000. (d) Ticinenſis, a *civil. conqueſtore* archiep. Cantuar. factus, lites cum Eboracenſi de prærogativa habuit. Lege *Sigeb. Gembl.* cap. 156. de ſcript. *Sixtum Sen.* lib. 4. *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 2. cap. 47. *Cavium* an. 1070. Adde *Steph. Birchington* in vitis archiep. Cantuar. *Henr. Wharton* Angl. ſacr. tom. 1. init. (e) Grammaticus *Sigeb. Gembl.* cap. 153. dictus. adde *Tritbem.* in cat. *Cavium* an. 1048. (f) *Guimundus Tritbemio.* Ord. Bened. archiepiſc. Averſan. in Campania. Lege *Cavium* an. 1066. (g) *Anshelmus* Lucenſ. defenſor Gregor. VII. hinc a *Baronio* & *Bellarm.* miraculis clarus dicitur. Lege *Tritbem. Sixtum Sen.* lib. 4. *Cavium* an. 1070. *Oudinum* ad an. 1070. (h) Nob. Burgundus ord. Bened. Regi inveſtituram laicam poſt infinitas turbas eripuit. Vita per *Eadmerum* ſcripta apud *Surium* d. 21. April. it. per *Steph. Birchington* & *Ioh. Saviſter.* utraque in *Henr. Wharton* Angl. ſacra. Adde *Tritbemium*, *Sixtum Sen.* *Cavium* an. 1093. *Oudinum* anno 1100. (i) Scholaſticus, diſcipulorum multitudine clarus. *Tritbemius*, *Sixtus Sen.* lib. 4. *Cavius* an. 1103. *Caſ. Oudinus* tom. 2. an. 1100. (k) *Bruno* comes Dachsburg, pius & doctus. Legantur vitæ Pontif. *Tritbemius*, *Cavius* an. 1049. (l) Ord. Bened. vir doctiſſ. *Tritbem. Bellarm.* de ſcript. eccl. *Cavius* an. 1054. (m) *Petrus de Honeſtiis* ord. Bened. vir celeberr. Vita per *Iohannem* diſcip. & noviſſ. a *Iac. Laderchio* fuſe ſcripta 3. tomis & Romæ 1702. 4. edita. Adde *Tritbem. Bellarm.* *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 2. c. 47. *Cavium* an. 1057. *Caſ. Oudinum* an. 1060. ubi ampla diſſertatio. (n) De *Brunone* legantur *Aub. Miræus* in orig. Carthus. *Ioh. Mavocurtii* libri 4. Bruniados. *Ioh. Launoji* de vera cauſa ſeceſſus ſ. Brunonis. *And. du Sauſſay* epiſt. de cauſis converſ. S. Brunon. Adde *Sixtum Sen.* lib. 4. *Cavium* an. 1086. (o) Afer ex *Marocco*, de quo *Bellarminus* de ſcript. eccleſ. *Cavius* ad an. 1070.

Cap. II. (a) *Abubali Elhuſein, Ibun Sina Elhamadani* ab Arabibus dictus, philoſ & medicus ſummus. Vita a *Leone Afr.* refertur in *Hottingeri* bibl. quadrip. lib. 2. cap. 3. p. 256. ſeqq. Adde *Hottingeri* hiſt. eccl. ſec. XI. pag. 461. *Voſſium* de philoſophia cap. 14. *Wolff. Juſtum* in chron. med. Scripta *Joh. Ant. van der Linden* refert. Vita etiam in *Pet. Caſtellani* vitis med. pag. 136. (b) Vir illuſtris ſenator CPtanus, ſapientiſſimus, polyhiſtor incomparab. polygraphus ſummus. Legantur *Leo Allatius* de Pſellis & eorum ſcriptis. *Voſſius* de hiſt. Gr. lib. 2. cap. 26. *Hanckius* de Byz. ſcript. part. 1. c. 26. *Cavius* ad an. 1050. *Caſ. Oudinus* prolixe diſſ. tom. 2. an. 1060. *Joh. Alb. Fabricius* bibl. Gr. lib. 5. parti 1. addidit. *Allatii* diatr. de *Pſellis*, & alia notabilia.

Cap. III. (a) Haſſium, mon. Lobienſem, poſt epiſcopum Wormat. Eremita demum Decretorum opus congeſſit. Vita ab incerto autore decreto præfigi ſolet. Lege *Tritbem. Bellarm.* de ſcript. eccl. *Cavium* an. 996. *Caſ. Oudin.* tom. 2. de ſcript. eccl. ad an. 1000. (b) *Ivo Lanfranci* diſcip. ord. Bened. Vita illius a *Job. Bapt. Souchero* operibus præmiſſa. Lege *Tritbemium* & *Bellarminum* de ſcript. eccleſ. *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 2. cap. 47. *Cavium* an. 1092. *Caſ. Oudinum* tom. 2. an. 1100.

Cap. IV. (a) *Johannes Serapionis* fil. Arabs Mahomet. dubium an 2. diverſi fuerint. Vide *Wolffg. Iuſtum* in chron. medicor. an. 1070. *Voſſium* de philoſophia c. 14. *I. Ant. van der Linden* de ſcript. med. *Ioh. Freind* hiſt. medicinæ part. 1. & 2. paſſim. (b) *Eben Rodam* vulgo Ægyptius. *Wolffg. Iuſtus* in chronol. med. Scripta *Ioh. Ant. van der Linden* refert. (c) Haly filius abbas, *Galeni* ſimia, doctiſſ. Arabs. *Wolffg. Iuſtus* ad ſec. ſequens refert, ſcripta *Lindenius* recenſet. Vitam paucis *Petr. Caſtellanus* pag. 145. (d) Medicus Judæus ab Arabibus ſæpe citatus, *Salomonis* Regis Arab. Filius adoptivus, ut *Ioh. Ant. van*

rum facultatibus circa annum MLXX. transſcripſit, *Simeon Sethi.* (e) In Italiam quoque, adeoque in occidentem hac ætate medicam artem transtulit a Sarracenis *Conſtantinus Afer*, (f) monachus Caſinenſis, verſis nonnullis Arabum & Græcorum ſcriptis medicis in ſermonem latinum, aliisque a ſe de novo conſcriptis. Quo factum, ut illo tempore *Salerni*, quod oppidum adjacet Caſinenſi monaſterio, valde refloruerit ars medica.

CAP. V.

De hiſtoricis.

Habuit hæc quidem ætas nullum oratorem aut poetam inſignem; hiſtoriographi tamen nonnulli cum in occidentali, tum in orientali imperio floruerunt. Et quidem occidentis hiſtorias ſeu potius annales ſcripſit circa annum MXLI. *Glaber Radulphus*, (a) monachus, & decennio poſt *Hermannus*, (b) a membrorum contractura dictus *Contractus*, monachus Augienſis, ſed illuſtri comitum proſapia oriundus, cujus hiſtoriam decennio poſt auxit ac produxit *Bertholdus Conſtantienſis.* (c) Eodem fere tempore, vel certe paulo poſt in Germania ſcripſit hiſtoriam *Lambertus Schaffnaburgenſis*, (d) monachus Hirſchfeldenſis, vir ſupra ſeculum prudens & facundus; & monaſteria Anglica deſcripſit *Ingulphus*, (e) abbas Anglicus. Paulo poſt circa annum LXXX. tres chronicorum libros conſcripſit *Marianus Scotus*, (f) monachus Fuldenſis; & *Sigebertus*, (g) monachus *Gemblacenſis*, ſummus defenſor Henrici IV. Cæſaris. Conſtantinopoli vero claruit circa annum MLXX. *Georgius Cedrenus*, (h) compendio hiſtorico notus, & *Johannes Curopalates*, (i) qui hiſtoriam orientis ab anno DCCCXI. ad annum usque MLXXX. deſcripſit. Vixit etiam ſub Conſtantino Duca *Simeon Metaphraſtes*, (k) & *Johannes Xiphilinus*, (l) patriarcha Conſtantinopolitanus, cujus extat *Dionis Caſſii* hiſtoriarum epitome.

SECULUM XII.

CAP. I.

De ſcriptoribus eccleſiaſticis.

Hoc ſeculo ſtudium theologicum multo quam ante aliquot ſeculis accuratius tradi cœptum eſt, paulisper & ſtudiis philoſophicis excitatis, & patrum antiquorum monumentis paſtim in opulentiſſimis *monaſteriis*, cumprimis tamen in *ſchola Pariſienſi*, revocatis iterum in lucem. Itaque anno MCXIX. vixit *Rupertus* (a) *Tuitienſis* abbas, vir doctus; & paulo poſt *Algerus* (b) ſcholaſticus *Leodienſis*, cujus imprimis celebratur opuſculum *de corpore & ſanguine Domini.* Circa annum MCXXX. floruerunt in Gallis: *S. Bernhardus*, (c) abbas Clarevallenſis, vir melleæ plane eloquentiæ, & doctrinæ cum ſubtilis, tum ſanctæ; *Petrus*, (d) abbas *Cluniacenſis*; *Hugo* (e) natione Saxo, abbas S. Victoris,

der Linden ait. Lege & *Wolffg. Juſtum* in chron. med. ad an. 1070. *Voſſium* de philoſophia c. 14. (e) Magiſter & medicus Antiochenus, quem plurimi ſeculo ſeqv. tribuunt. Lege *Wolffg. Juſtum* in chron. med. *I. A. Lindenium* de ſcript. med. *Leon. Allatium* de Simeonibus & eorum ſcriptis. (f) Carthagin. medicus & philoſ. poſt 40. annorum iter cœnobium Caſinenſe ingreſſus, ingentes librorum theſauros attulit. Lege *Petrum Diaconum* de viris illuſtr. Caſin. cap. 23. *Wolffg. Juſtum* in chron. med. *I. A. van der Linden* de ſcript. med. *Conr. Geſnerum* in biblioth. *Cavium* an. 1072. Vitam etiam *Petrus Caſtellanus* habet p. 161. ſeq. *Caſ. Oudinus* tom. 2. de ſcript. eccl. ad an. 1060.

Cap. V. (a) ſ. *Rodulphus* mon. ord. Bened. diſplicens Romanenſibus, Papæ non plura, quam cæteris epiſcopis tribuens lib. 2. c. 4. Lege *Baronium* annal. an. 996. num. 29. *Bellarminum* de ſcript. eccl. *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 2. c. 44. *Cavium* an. 1045. (b) *Herm. comes a Veringen* paralyticus, mon. ord. Bened. Augienſis, doctiſſimus ſui temporis, *Joh. Trithemius* de ſcript. *Henr. Pantaleon* part. 2. de viris illuſtr. Germ. *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 2. cap. 44. *Cavius* an. 1040. (c) Presbyter Conſtant. hoſtis *Henrici IV.* infenſiſſimus. *Trithemius Bernoldum* dicit & multis laudat. *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 2. cap. 47. *Cavius* an. 1066. (d) *Aſchaffenburg.* mon. Hirſchfeld. peregrinatione Hieroſol. celebris, de quo *Bellarm.* de ſcript. eccl. *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 2. cap. 47. *Cavius* an. 1077. (e) Secretarius *Guil. Rufi* Regis, poſt iter orientale abbas Croylandenſis. *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 2. cap. 47. *Cavius* anno 1076. *Caſ. Oudinus* tom. 2. de ſcript. eccl. anno 1096. (f) Hybernus potius, *Bedæ* agnatus, mon. ord. Bened. in Germania, de quo *Joh. Baleus* de ſcript. Brit. cent. 14. c. 45. *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 2. c. 47. *Cavius* anno 1059. *Caſ. Oudinus* tom. 2. anno 1060. (g) Mon. ord. Ben. Gemblaci in Brabant. *Gregor. VII.* & ſucceſſoribus contrarius, quo nomine vapulat *Trithemio*, *Bellarmino* & aliis. Lege *Melch. Goldaſt.* in diſſ. de autoribus præmiſſa apologiis pro *Henr. IV. Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 2. cap. 48. *Cavium* anno 1101. *Oudinum* tom. 2. anno 1100. (h) Monachus parum notus, compilator & plagiarius, de quo *Voſſius* de hiſt. Gr. lib. 2. c. 26. *Hanckius* de Byzant. rer. ſcript. part. 1. c. 27. *Cavius* anno 1057. *Joh. Alb. Fabricius* bibl. Gr. lib. 5. c. 4. §. 40. *Leo Allatius* diatr. de Georgiis in *Fabricii* vol. X. bibl. Gr. *Oudinus* tom. 2. anno 1130. (i) *Joh. Scylizes Curopal.* vir illuſtr. cujus partem priorem *Cedrenus* exſcripſit. Lege *Voſſium* de hiſt. Gr. lib. 2. c. 26. *Hanckium* part. 1. c. 27. de Byz. *Cavium* anno 1081. *Fabricium* bibl. Gr. lib. 5. c. 5. p. 386. ſeq. (k) Cum *Simeone Logotheta* confunditur. Metaphraſtes jam ſec. X. init. floruit. Lege *Leon. Allat.* diatr. de Simeonibus, ubi *Mich. Pſelli* encomium illius additur. *Mart. Hanckius* de Byzant. ſcript. part. 1. cap. 24. prolixe de eo agit. *Guil. Cavius* ſeculi X. init. *Fabricius* bibl. Gr. lib. 5. c. 5. p. 352. & 509. ſeqq. (l) *Joh. Xiphilinus* ipſe dicit in *Auguſto*, ſe patriarchæ hujus nominis fratris filium fuiſſe. Lege *Voſſium* de hiſt. Gr. lib. 2. c. 26. *Cavium* anno 1066. *Fabricium* bibl. Gr. lib. 4. c. 10. p. 322.

Cap. I. (a) Ord. Bened. vir doctiſſ. ob negatam transſubſtant. vapulat *Baronio*, *Bellarmino* & aliis. Lege *Trithem.* qui ei incredibilem erudit. tribuit. *Sixtum Sen.* l. 4. multis etiam laudantem. *Voſſium* de hiſt. Lat. l. 2. c. 49. *Cavium* anno 1111. (b) Mon. Bened. Cluniac. a *Trithemio* falſo ad ſec. XI. refertur. *Bellarmin.* ad annum 1130. *Cavius* anno 1130. *Oudinus* tom. 2. anno 1130. (c) Burgundus, decus ſeculi præcipuum. Vita, præter illam *Alani Autiſſiodor.* extat 5. libris fuſe a diverſis deſcripta. Lege *Trithem.* & *Bellarmin.* de ſcript. eccl. *Sixtum Sen.* lib. 4. *Car. de Viſch* in bibl. Ciſterc. *Cavium* an. 1115. & amplam diſſ. *Caſ. Oudini* tom. 2. anno 1140. (d) *Petrus Mauritius*, Nob. Arvernus ex milite abb. Cluniac. Vita prolixe in bibl. Cluniac. habetur. Lege *Trithem.* & *Bellarmin.* de ſcript. eccl. *Cavium* anno 1123. (e) *Hugo*

ctoris, inde dictus *Hugo de S. Victore; Richardus*, (f) ejusdem monaſterii monachus, itemque dictus *de S. Victore*. Circa annum MCXLV. floruit in Italia *Gratianus*, (g) monachus S. Benedicti, magiſter omnium canoniſtarum, cujus eſt decretum, quod dicitur: *Concordia diſcordantium canonum*; adeoque fons omnis juris canonici opus, quod poſtea in omnibus ſcholis prælegi meruit. In Gallia vero vixit, natione licet Italus, *Petrus Lombardus*, (h) epiſcopus Pariſienſis, qui compendium S. theologiæ ex ſententiis primorum eccleſiæ patrum colligens, *opus* conſcripſit, quod dicitur *ſententiarum*, tantæ autoritatis, ut & ipſum in ſcholas orientalis eccleſiæ ſequentibus ſeculis fuerit receptum, ipſeque *magiſter ſententiarum* vulgo audiat. Paulo poſt hunc vixit *Petrus Comeſtor*, (i) hiſtoria ſacra conſcripta nomen magiſtri hiſtoriæ ſcholaſticæ meritus. Anno MCLXXVII. vixerunt *Hugo Etherianus*, (k) ſcriptor libri de proceſſione Spiritus S. contra Græcos; *Arnoldus* (l) *Carnotenſis*, abbas Bonæ vallis; *Johannes* (m) *Sariberienſis*, natione Anglus, vir præter theologicam peritiam omnes inſuper hominum mores doctus, ac denique *Petrus* (n) *Bleſenſis*, homo itidem variæ doctrinæ.

Floruit itidem hoc ſeculo *Petrus Abelardus*, (o) præceptor *Lombardi*, & *Gilbertus Porretanus*, (p) epiſcopus Pictavienſis, vir valde doctus, ſed uterque hæreſeos infamis. Non poſſum etiam non memorare ex Græca eccleſia *Euthymium Zigabenum*, (q) *Panoplia* doctisſimum ſcriptorem, qui vixit circa initium ſeculi duodecimi.

CAP. II.
De philoſophis.

Hac tempeſtate *ſchola Aſiatica* videntur valde defeciſſe, in otium & ſocordiam prolapſis Chaliphærum regibus; at vero invaluerunt haud parum in Africa & Hiſpania ſub patrocinio & auſpiciis familiæ regiæ *Almoravidarum*, quæ, etſi Marocci in Africa ſedem ſibi fixiſſet, imperio tamen omnem ſimul Africam & Hiſpaniam continebat. Nam per pleraſque Africæ ac Hiſpaniæ urbes hoc ſeculo a Mauris excitatæ ſunt illuſtres ac opulentisſimæ *academia*. (a) Facile autem videre licet, nihil non philoſophicæ atque humanioris doctrinæ egregie illis in locis fuiſſe excultum, librorum tamen pauci in latinum converſi ad nos pervenerunt. Ex illis tamen ſcriptoribus unus præ multis eſſe poteſt *Averrhoes*, (b) omnium Arabicorum ſcriptorum Περιπατητικώτατος, quique omnia fere *Ariſtotelis* ſcripta commentario luculento illuſtravit; ſequentibus hinc ſeculis *commentatoris* nomen adeptus. Vixit autem circa annum MCLX. Corduba oriundus, Maroccanæ tamen academiæ Profeſſor. Fuit huic præceptor *Avempace*, (c) præclaræ itidem doctrinæ vir, ſed cujus ſcripta rara extant. Vixit eodem tempore etiam *Algazel*, (d) philoſophiæ & theologiæ Mahumedanæ ſtudiis imprimis celebris. In Europa etiam, & nominatim in *Pariſienſi ſchola* quidam nonnihil ſubtilius philoſophari cœperunt. Fuerunt autem iidem, quos antea in theologia laudavimus; præ reliquis vero excelluit *Gilbertus Porretanus*. Notandum vero, omnes hosce adminiculo tantum librorum *Boethii*, ac quorundam *Ariſtotelis* eſſe uſos, non vero literatura Arabica, ex qua ſeculo ſequenti philoſophari cœptum eſt.

CAP. III.
De jure conſultis.

Hoc ſeculo reſuſcitatum eſt in Italia *jus Juſtinianeum*; ſcribit enim *Conradus*, abbas *Urſpergenſis*

de S. Victore dictus abb. Pariſ. cujus vitam accurate *Thom. Garzonus* operum editioni præmiſit. *Trithemius* alterum *Auguſtinum* vocat. Adde *Bellarminum*, *Henr. Pantal.* in proſopogr. tom. 2. *Sixtum Sen.* lib. 4. *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 2. c. 49. *Cavium* anno 1120. & integram diſſert. *Caſ. Oudini* tom. 2. anno 1130. (f) Scotus Can. Reg. S. Auguſt. Pariſ. myſticus, de quo *Trithem.* & *Bellarm.* de ſcript. eccleſ. *Sixtus Sen.* lib. 4. *Iohann Baley* de ſcript. Britann. cent. 14. c. 48. *Voſſius* lib. 2. cap. 53. de hiſt. Lat. *Cavius* anno 1150. (g) Cluſinas Thuſcus, mon. Bononienſis. Opus *Gregor. XIII.* juſſu anno 1580. correctum, quo ſpectant *Ant. Auguſtini* lib. 2. de emendatione *Gratiani*. Lege *Guid. Panciroll.* de ICtis lib. 3. c. 2. *Val. Forſterum* hiſt. I. civ. lib. 3. c. 2. *Gerh. de Maſtricht* in hiſt. juris eccleſ. num. 318, 319. *Cavium* anno 1131. *Caſ. Oudinum* diſſ. integra tom. 2. anno 1140. (h) Novarienſ. Lombardus, de quo *Ioach. Alb. Florenſ.* & *I. Aventinus* durius judicant. Lege *Trithemium* & *Bellarminum*, *Sixtum Sen.* lib. 4. *Cavium* anno 1141. *Oudinum* diſſertat. tom. 2. an. 1140. (i) ſ. *Manducator*, quod nomen *Trithemius* explicat. Cancellar. acad. Pariſ. Id. canon. Reg. S. Auguſt. Lege *Bellarm.* *Sixtum Sen.* l. 4. *Voſſium* lib. 2. c. 33. de hiſt. Lat. *Cavium* anno 1170. *Oudin* an. 1170. (k) Thuſcus doctiſſ. ſui ſeculi a *Trithemio* dictus, adde *Bellarm*, *Cavium* anno 1175. (l) *Ernaldus Bernhardi* diſcipulus mon. ord. Ciſtert. de quo *Trithem.* & *Bellarm.* *Voſſius* lib. 2. c. 53. de hiſt. Lat. *Car. de Viſch* bibl. Ciſtert. prolixe, *Cavius* anno 1162. (m) *Thomæ* arch. Cantuar. a ſacris, vir doctiſſ. ſui ſeculi. Lege *Trithemium*, *Ioh. Baleum* de ſcript. Brit. cent. 3. init. *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 2. cap. 52. *Cavium* tom. utroque anno 1172. *Oudinum* tom. 2. anno 1170. (n) In Anglia vivens, Procancellarius Regis, vir doctiſſ. de quo *Trithemius* & *Bellarminus*, *Voſſius* lib. 3. cap. 7. de hiſt. Lat. *Cavius* an. 1160. *Oudinus* an. 1180. *Pet. Buſæus* vitam accurat. operibus præmiſit. (o) Nobilis Armonicus prope Nannetes, Rector ſcholæ philoſophicæ Pariſiis, amoribus *Heloiſa* notus. Scripſit ipſe epiſtolam de hiſt. calamitatum ſuar. Lege *Trithem.* *Theoph. Spizelium* in ſpecim. bibliothecæ univerſal. *Cavium* prolixe anno 1120. *Oudinum* tom. 2. integra diſſert. anno 1130. (p) Rector ſcholæ Pariſ. Id. epiſcop. Pictav. theol. & philoſ. ſubtilis. Lege de eo *Matth. Paris* ad annum 1119. *Trithemium*, *Cavium* anno 1145. *Oudinum* anno 1140. fuſe. (q) Monachus, *Alexio Comneno* familiaris, de quo lege *Sixtum Sen.* lib. 4. *Bellarminum* de ſcr. eccl. *Cavium* tomo utroque anno 1116.

Cap. II. (a) *Georg. Elmacinus* lib. 3. & *Gregor. Abulpharajus* dynaſtia XI. quidem horum temporum hiſtoriam habent, ſed occidentalia paucis tangunt. Supplet defectum *I. H. Hottingerus* hiſt. eccleſ. ſec. XI. ſect. 2. p. 449. 453. ſeq. 460. ſeqq. Seculi XII. ſtudia aſtronomica, medica, philoſophica, magica exemplis demonſtrat ſec. XII. ſect. 1. p. 199. (b) *Mahomet Abulguail* proprio nomine, Cordubenſis, e ſtirpe illuſtri. *Ibn Raſchid* alias dictum *Hottingerus* hiſt. eccl. ſec. XII. ſect. 1. p. 199. docet, Polyhiſtor ſummus, ut a *Ioh. Leone* Afr. deſcribitur in *Hottingeri* biblioth. quadrip. lib. 2. cap. 3. p. 271. ſeqq. it. in *Fabric.* bibl. Gr. lib. 6. cap. 9. p. 282. ſeqq. Adde *Voſſium* de philoſophia cap. 14. it. de philoſ. & philoſ. ſectis c. 17. §. 19. Vita paucis datur a *Pet. Caſtellano* p. 140. (c) Arabs Hiſpanus parum notus, inter *Ariſtotelis* interpretes a *Conrad. Geſnero* & aliis refertur. Opera dubia ſunt. (d) Adverſarius *Averrhois*, contra quem opus deſtructionum ſcripſit, contra quod *Auguſt. Niphus* deſtructiones deſtructionum pro *Averrhoe* paravit.

ſis *Wernerum* ſeu *Irnerium*, (a) ICtum illum, qui appellari ſolet *lucerna juris*, libros legum, qui dudum fuerant neglecti, rogatu Mathildæ comitiſſæ, renovaſſe; obiit autem illa anno MCXV. Viginti duobus annis poſt Lotharius Saxo Imperator *volumen digeſtorum* Amalphi in Apulia inventum, donavit Piſanis, quibus poſtea illud eripuerunt Florentini. Sic data fuit occaſio, *pandectarum libros*, dudum ex mortalium manibus elapſos, evolvendi; namque ex illo volumine omnia exemplaria *pandectarum*, quæ paſſim habentur, ſunt tranſcripta. Eodem tempore *Bononiæ* jus illud, in quod ſupra modum avide involabant Itali, rerum novarum, ac dudum mortuæ Romanorum potentiæ cupidiſſimi, doceri publice cœpit, unde urbs illa *mater ſtudiorum* eſt nuncupata. Certe jam tum Cunrado Cæſare magna fuit Italorum gloriatio de Romano illo jure. Friderico I. vero Imperatore juris profeſſione Bononiæ laudabantur *Pileus Medicenſis*, (b) *Johannes Baſianus* (c) Cremonenſis, *Bagarottus*, (d) autor cavillationum, ac *Bulgarus Piſanus*. (e) Sub finem hujus ſeculi vixit *Azo Bononienſis*. (f) Anno MCXCVI. *Montepeſſuli* in Gallia excitata eſt *academia*, & ſic trans Alpes etiam propagatum eſt juris ſtudium; doctore cum primis *Placentino*, (g) natione Italo. In Hiſpaniam tamen & Germaniam non penetravit; quinimo hujus ſeculi fine *juris Saxonici* & *Suevici* volumina illa, quæ vulgo *ſpecula* (h) audiunt, item *jus feudale* (i) *Saxonicum* & *Magdeburgicum* fuere conſcripta, quibus aliquot poſt ſeculis Germania uſa eſt. Eodem tempore & *jus canonicum*, quod dicitur, accuratius tradi cœpit, confecto per *Gratianum* (k) anno MCLI. decreto, quod poſtea in ſcholas receptum eſt. Græca quoque eccleſia habuit hoc ſeculo ſub initium *Johannem Zonaram*, (l) & inde *Theodorum Balſamonem*, (m) circa annum MCXC. commentatorem *nomocanonis Photii*, adeoque inter canonici juris apud Græcos doctores præſtantiſſimum.

CAP. IV.

De medicis.

Hoc ſeculo doctiſſimi aliquot medici Sarraceni floruerunt; ut initio ſeculi usque ad medium *Abumaron Avenzoar*, (a) & *Jacobus Alchindus*. (b) Circa annum LX. *Averroës* ſcripſit ſuum *Colliget* juſſu Regis ſui potentiſſimi Jacobi Manſaris, & R. *Moſes Maimonides* (c) Cordubenſis collegit aphoriſmos ex operibus Galeni. Vixit declinante ſeculo *Serapion*, (d) autor libri de ſimplicibus, & *Johannes Meſve* (e) Damaſcenus. Conſtantinopoli claruit ævo Emanuelis Comneni Imperatoris *Theophilus* (f) *Protoſpatarius*. In Italia magnæ exiſtimationis fuerunt *medici Salernitani*, adeo, ut Fridericus Barbaroſſa legem tulerit, ne quis medicinam faceret, niſi probatus in collegio Salernitano. Videntur autem eo tempore, aut paulo poſt Salerni floruiſſe *Johannes Platearius*, (g) *Saladinus de Eſculo*, (h) *Benevenutus Grapheus* (i) *de Hieruſalem*, *Nicolaus Calaber*, (k) præpoſitus Alexandrinus; qui tamen, cum neque Græcorum neque Arabum ſcripta inſpicere potuerint, non poſſunt cum Sarracenis in comparationem venire. *Ægidius* (l) quoque *Cordubenſis*, qui medica quædam verſibus conſcripſit, hoc tempore archiatrum Philippi Auguſti Galliarum Regis egit.

Cap. III. (a) Germanus, profeſſorum juris in Italia primus Romæ & Bononiæ docuit, de quo legendi *Conr. a Lichtenau* abb. *Urſperg.* in *Lothario*, *Trithemius* de ſcr. eccl. *Ioh. Fichardus* in viris ICtor. *Guid. Pancirollus* l. 2. c. 13. in ICtis, *Val. Forſterus* hiſt. jur. civ. l. 3. c. 6. *Conringius* de orig. juris Germ. cap. 21. Addatur oratio *Sebaldi Munſteri* de *Irnerio* & *Bartholo* inter Melanchthonianas tom. 2. p. 409. Lege & *Sam. Stryckii* præcognita juris univerſi præmiſſa annotat. in inſtit. cap. 3. §. 4. & 5. (b) *Pileus* ſ. *Pyley*, *Brovardicorum* inventor, de quo *Pancirollus* de ICtis l. 2. c. 21. De his omnibus agit *Joh. Ant. Bumaldus* ſ. *Ovidius Montalbanus* in biblioth. Bononienſi Bonon. 1641. (c) *Azonis* & *Accurſii* præceptor. *Val. Forſterus* hiſt. jur. civ. l. 3. c. 9. (d) *Pileus Bagarottus*; cujus ſumma *opus cavillationum* dicitur. *Forſterus* l. 3. c. 8. extr. (e) *Bulgarinus de Bulgaris* uti aliis dictus, de quo *Pancirollus* l. 2. c. 15. *Forſterus* l. 3. c. 10. (f) *Dominicus* Azo, Mens legum & vas electionis a *Baldo* dictus, in Italia & Gallia docens, interdum 10000. auditorum habuit. In epitaphio Bononiæ *Numen ICtorum* dicitur. Lege *Panciroll.* l. 2. c. 25. *Forſterum* l. 3. c. 11. *Bumaldum* pag. 27. *A. I. Boiſſardum* icon. part. 1. num. 2. (g) Primus juris ſtudium trans Alpes tulit. *Pancirollus* l. 2. c. 20. *Forſterus* l. 3. c. 8. (h) Speculum Saxonicum ad *Caroli M.* tempora a quibusdam refertur, quod ſolide refutat *Alb. Kranz.* Saxon. l. 2. c. 21. Interpres German. *Erko a Repkau* legendus in præfat. rythmica. (i) *Specul.* Saxon. *jus feudale*, *Friderico II.* in præf. adſcriptum, & *jus Magdeburgicum* *Chriſtoph. Zobelius* emendavit, notisque inſtruxit. (k) De hoc cap. antec. I. lit. g. (l) *Io. Zonaras* ex magno Drungario Biglæ & proto-ſecretario monachus, hiſtoricus notus, ICtis annumeratus ob comment. in canones apoſtol. & conciliorum. Lege *Voſſium* de H. Gr. l. 2. c. 27. *Caveum* an. 1118. *Fabric.* l. 5. c. 4. §. 40. *Caſ. Oudin.* tom. 2. anno 1110. fuſe. (m) Diaconus, Nomophylax & *Chartophylax* CPt. vir doctiſſ. latinorum hoſtis. Lege de eo *Caveum* anno 1180. *Caſ. Oudin.* de ſcr. eccl. tom. 2. anno 1180.

Cap. IV. (a) *Ibnu Zohar* a *Joh. Leone* dictus in Hottingeri bibl. quadrip. l. 2. c. 3. p. 269. *Averrois* præceptor, in Sicilia & Marocco medicum agens. Vita apud *Petr. Caſtellanum* habetur p. 141. (b) Ab *Hier. Cardano* inter 12. ſubtilia orbis ingenia relatus lib. 6. de ſubtil. Lege *Voſſium* de ſcient. math. c. 16. §. 5. (c) Philoſophus, medicus, aſtrologus magnus, *Rambam* abbreviate a Judæis dictus. Vitam illius *Joh. Buxtorffius* prolixe tradit in præfat. ad More Nevochim. it. *Joh. Leo Afr.* apud *Hottinger.* in bibl. quadr. l. 2. c. 3. p. 288. adde *Voſſium* de philoſophia cap. 14. (d) Vide ſupra ſec. XI. cap. 4. init. dicta. (e) Antiquior *Meſue* ſupra citatus ſec. 11. c. 4. *Damaſcenus* hic e regia ſtirpe a *Wolfg. Juſto* in chron. med. ad an. 1163. refertur. Scripta *Joh. Ant. von der Linden* recenſet. (f) Princeps armigerorum & medicus in aula *Man. Comneni.* Lege de illo *Wolfg. Juſtum* in chron. medic. *Fabricium* bibl. Gr. lib. 6. c. 9. p. 434. qui integros *Theophili* hujus libros 5. de fabrica corp. humani Gr. & Lat. inſeruit bibl. Gr. volumini XII. in fine. Scripta recenſet *Joh. Ant. van der Linden.* (g) Ab aliis anno 1300. vixiſſe dicitur, aliis recentior. Vide *Wolffg. Juſtum* chron. med. & ſcripta per *Joh. Ant. van der Linden* recenſita. (h) Phyſicus principis Tarentini. *Wolfg. Juſtus* chronol. medic. *J. Ant. Lindenius* ſcripta refert. (i) *Benevenutus* ex ſolo libello de oculorum affectibus notus. (k) *Nicol. Myrepſus* ſ. Alexandrinus alias dictus, de quo fuſe agit *I. A. Fabricius* bibl. Gr. l. 6. cap. 9. §. 3. Opera ſub nomine Nicol. Alex. & Myrepſi recenſentur a *Joh. Ant. van der Linden* de ſcr. med. (l) Græcus mon. ord. Bened. deſcriptus a *Io. Alb. Fabricio* bibl. Gr. l. 6. cap. 9. p. 34. 35. Opera refert *Ioh. Ant. van der Linden.*

Digitized by Google

CAP. V.
De hiſtoricis.

Seculum hoc habuit nonnullos, ut tunc tempora ferebant, haud ignobiles hiſtoricos. Namque initio vixit *Johannes Zonaras*, (a) monachus & hiſtoricus Græcus. Circa annum MCXXX. Anglicanam hiſtoriam ſcripſerunt *Gulielmus* (b) *Malmesburienſis* & *Henricus Huntingtonenſis*. (c) Circa annum MCXL. res Germanicas proſecutus eſt *Otto*, (d) *Friſingenſis* epiſcopus, vir nobilitate, & doctrina inſignis, quemque primum dixeris Germanorum nonnihil philoſophiæ calluiſſe. Ejus libros de rebus geſtis Friderici I. poſtea continuavit *Radevicus* (e) canonicus *Friſingenſis*. Eodem tempore chronicon Slavorum ſcripſit *Helmoldus*, (f) canonicus Buzovienſis, homo de gentibus tranſalpinis, ut quæ tum temporis Chriſtianiſmo fuerunt imbutæ, optime meritus; item *Godofredus Viterbienſis*, (g) ſcripſit chronicon univerſale, cui ineptum fecit titulum, *Pantheon*. Anno MCLXXIII. *Benjamin Tudelenſis* (h) itinerarium ſuum compoſuit. Circa annum MCLXXX. hiſtoriarum belli ſacri exaravit *Guilielmus*, (i) archiepiſcopus *Tyrienſis*; ſub finem denique ſeculi *Guilielmus* (k) *Neubrigenſis*, & *Rogerius de Hoveden* (l) hiſtoriam Anglicanam tradidere. Temporibus quoque Friderici Imperatoris vixit *Güntherus*, (m) *Ligurini* autor, qui res geſtas Friderici Imperatoris carmine cecinit, longe felicius, quam illa tempeſtate fuit ſolitum; hiſtoricis tamen potius annumerandus, quam poetis.

SECVLVM XIII.
CAP. I.
De ſcriptoribus eccleſiaſticis.

Hoc ſeculo maxime floruit *ſcholaſtica theologia*, quæ philoſophiæ *Ariſtotelicæ* ſubtilitates ad res fidei accuratius exponendas ſolet adhibere, eloquentiæ, linguarum, antiquitatisque negligentior. Namque in emolumentum fatiſcentis præ torpore ac deſidia canonicorum, monachorumque Benedictinorum, eccleſiaſticæ eruditionis, ordinibus inſtitutis mendicantium monachorum, autoribus præcipue *S. Franciſco*, & *S. Dominico*, cum *Ariſtotelis* aliorumque philoſophica ſcripta eodem tempore tranſlata eſſent ex Arabico in latinum, tanto ardore in ea involarunt horum ordinum ſodales, ut in penetralia philoſophiæ penetrarint. Id maxime contigit poſt annum XL. hujus ſec. cujus initia *Innocentius* (a) III. Papa, & *Jacobus a Vitriaco* (b) exornarunt. Circa hoc tempus *Guilielmi* duo epiſcopi, alter *Pariſienſis*, (c) alter *Antiſiodorenſis*, (d) & *Alexander de Ales*, (e) natione Anglus, ordinis S. Franciſci, in Galliis, jam ſubtiliter, & ſcholaſtico more varios libros conſcripſerunt. Quo tempore *Hugo de S.* (f) *Caro* cardinalis in univerſam ſcripturam notas fecit, & opus concordantiarum, quod dicitur, conſtituit. Circa annum L. jam in admiratione erat *Albertus* (g) natione Suevus, ord. Dominicani, ob ſingularem ſapientiam *Magni* cognomen meritus, etſi diu poſt ſupervixerit; homo longævus.

Cap. V. (a) De hoc actum ſec. hujus cap. 3. (b) *Guil. Sommerſet.* mon. ord. Ben. bibliothecarius cœnobii Malmesbur. optimus hiſtoricorum Angl. de quo *Joh. Baleus* de ſcript. Brit. cent. 2. c. 73. *Voſſius* de H. Lat. l. 2. c. 51. *Cavius* tom. utroque an. 1130. *Caſ. Oudinus* de ſcr. eccl. tom. 2. an. 1120. fuſe. (c) Archidiac. Huntington. de quo *Ioh. Baleus* de ſcript. Brit. cent. 2. cap. 82. *Voſſius* de H. Lat. l. 2. c. 5. *Cavius* an. 1150. *Oudinus* tom. 2. an. 1150. (d) *Leopoldi IV.* march. Auſtriæ fil. *Conradi III.* Imp. frater uterinus, & comes in orientem, cancellarius imperii. Vir magnus, de quo *Radevicus* Friſ. l. 2. c. 11. de geſtis *Frid. Barb. Trithemius* de ſcr. eccl. *Voſſius* de hiſt. Lat. l. 2. c. 53. *Car. de Viſcb* in bibl. Ciſtert. *Cavius* an. 1144. (e) Canon. Friſinus, de quo *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 2. c. 53. (f) Lubecenſis canonicus, presbyter Buzov. de quo *Voſſius* de hiſt. Lat. l. 2. c. 57. *Cavius* an. 1165. *Caſ. Oudinus* tom. 2. an. 1160. adde *Ioh. Molleri* diatrib. hiſt. crit. de Helmoldo & ejus chron. Slav. (g) Sacellanus & notarius *Conradi III. Frider.* Barb. & *Henrici VI.* 40. annorum itinere clarus. Lege *Ioh. Trithem.* de ſcr. eccl. *Voſſium* de H. Lat. lib. 2. cap. 54. *Cavium* an. 1170. *Oudin.* tom. 2. an. 1180. (h) R. *Benjamin* fil. *Ionæ* Tudelenſis per 3. orbis partes vagatus omnia notavit, nugator fabuloſus, de quo R. *David Ganz* in Zemach David Millen. 5. num. 933. *Caſ. Oudinus* tom. 2. an. 1170. (i) *Willermus* vulgo, *Balduini* Reg. præceptor, poſt cancellarius. Legatur *Iac. Bongarſius* in præfat. ad geſta Dei per Francos *Voſſius* l. 2. c. 53. de hiſt. Lat. *Cavius* an. 1174. (k) *Guil. Little* ſ. parvus, Can. Reg. S. Auguſt. ſcriptor purus & prudens. *Voſſius* lib. 2. cap. 56. de H. Lat. *Cavius* an. 1195. (l) Aulicus, poſt theol. prof. Oxon. *Bedæ* continuator. *Baleus* cent. 3. cap. 55. *Voſſius* l. 2. c. 56. de hiſt. Lat. *Cavius* an. 1198. (m) Poeta, alius forſan a monacho Ciſtert qui hiſt. captæ a Latinis CPlis ſcripſit. Lege *Voſſium* de H. Lat. lib. 2. c. 53. *Cavium* an. 1210. *Caſ. Oudin.* tom. 2. an. 1190.

Cap. I. (a) *Lotharius* comes *Signinus* Campanus, vir doctus & ambitioſus, de quo multa *Matth. Paris*, præcipue an. 1213. Vita a coævo ſcripta per *Steph. Baluzium* cum epiſtolis *Innocentii* edita. De nomine mire ludit *Galfr. de Vineſauf.* in præf. poetriæ novellæ, quæ MSCt. in *Cod. Rhedigeriano* habetur. Præter ſcriptores de vitis Pont. legatur *Lud. Iac. de S. Carolo* in bibl. pontif. lib. 1. *Gu. Cavius* an. 1198. *Oudinus* an. 1200. (b) Epiſc. Ptolemaidis ſ. Acconenſis, redux cardinalis, zelo contra Albigenſes plenus. Lege *Tritbem. Iac. Bongarſ.* in præf. ad geſta Dei per Franc. *Voſſium* de H. Lat. lib. 2. cap. 57. *Lud. Donium Dattieb.* hiſt. cardinal. tom. 1. *Cavium* an. 1220. *Caſ. Oudin.* tom. 3. an. 1220. fuſe. Vita ab *And. Hoja* compoſita præmiſſa eſt editioni Duac. in 8. (c) *Guil.* Arvernus, epiſc. Pariſ. theologus, philoſ. mathemat. de quo *Tritbem.* & *Bellarm.* de ſcr. eccl. *Sixtus Sen.* l. 4. *Cavius* an. 1228. *Caſ. Oudinus* tom. 3. an. 1230. fuſe. (d) *Guil. de Saligniaco* ex epiſc. Antiſiodor. Pariſienſis. *Tritbem. Bellarminus*, qui eum taxat ob juſtitiam fidei magis, quam charitatis probatam. Adde *Cavium* an. 1206. *Oudin.* tom. 2. an. 1200. (e) ſ. Hales, Glocestr. doctor Pariſ. irrefragabilis dictus. Lege *Tritbem.* & *Bellarm.* de ſcr. eccl. *I. Baleum* de ſcr. Brit. cent. 3. c. 91. *Sixt. Sen.* lib. 4. *Luc. Wadding.* de ſcr. ord. Min. *Cavium* an. 1230. *Oudin.* tom. 3. an. 1230. fuſe. (f) *Barchinon.* dictus a valle Pedemont. ord. Domin. de quo *Tritbem. Bellarm. Sixt. Sen. Dattiebius* hiſt. cardin. *Ambr. de Altamura* in bibl. Prædicat. *Cavius* an. 1244. (g) *Alb. de Bolſtat* Suevus, ord. Domin. episc. Ratisb. doctor Colon. a *Ioh. de Beka* & *Tritbemio* pro mago habitus. Lege *Paul. Iovium* in elog. *Boiſſard.* icon. part. 1. num. 4. & part. 3. init. *Pet. Bertium* com. rer. Germ. l. 3. in Laviaga, *Ambr. de Alta-*

ævus. *Vincentius* quoque *Belluacenſis*, (h) ord. Prædicatorum, ſua ſpecula conſcripſit. *Alberti* & *Alexandri Alenſis* auditor fuit *S. Thomas Aquinas*, (i) omnium ſcholaſticorum accuratiſſimus, vulgo dictus *Doctor Angelicus*, ord. Prædicatorum, ejusque amicus *S. Bonaventura*, (k) ord. Minorum, *Doctor Seraphicus* cognominatus. Eisdem coævi fuerunt *Thomas* (l) *Cantipratenſis*, *Petrus* (m) *Tarantaſienſis*, & *Ulricus* (n) *Argentinenſis*, omnes monachi ordinis Prædicatorum, duo etiam poſtremi commentatores *magiſtri ſententiarum*. Circa annum LXXX. vixit *Rupertus* (o) *de Ruſſia*, ord. Minorum; & diſcipulorum Thomæ doctiſſimus, *Ægidius Romanus*, (p) ord. S. Auguſtini; *Richardus* etiam *de Media Villa*, (q) ord. S. Franciſci; & *doctor ſublimis*, *Henricus Gandavenſis*, (r) archidiaconus Tornacenſis; & *Johannes* (s) *Pariſienſis* ord. Minorum. Sub finem denique ſeculi vixit *Johannes* (t) *Duns Scotus*, ord. Minorum, & ob diſputandi acumen *doctor ſubtilis* nuncupatus.

CAP. II.

De philoſophis.

Poſt ſeculum XII. Sarracenicæ & Græcæ philoſophiæ ſcriptores aut penitus ignorantur, aut ſunt indigni, qui commemorentur, in tanta copia eorum, qui latinis literis philoſophiam excoluerunt. Excitata autem ſunt in occidentalis eccleſiæ orbe ſtudia philoſophica liberalitate imprimis *Friderici II.* (a) Imperatoris, & *Alphonſi* Regis Hiſpaniæ, (b) quippe quorum ſumtibus *Ariſtotelis* ſcripta, multorumque Arabum & Græcorum in latinum ſermonem ſunt converſa. Hactenus ſcilicet ſcholæ latinæ paucis tantum *Ariſtotelis* libris erant uſæ, quas olim verterat *Severinus Boëthius*. Nunc vero *Ariſtoteles* pene integer ex Arabico in latinum eſt mutatus. Acceſſit circa annum LX. nova verſio *Ariſtotelis* de Græco, *Thomæ Cantipratenſis* cura. Etſi vero multi philoſophica ſcripta ediderunt hac tempeſtate, non eſt tamen fortaſſis, cur eos hic ſeorſim enumeremus, quippe cum iidem etiam theologicis ſcriptis inclaruerint, adeoque jam ſint laudati. Præ reliquis tamen inter illos ſcholaſticos inclaruerunt, *Albertus M. S. Thomas Aquinas*, *Ægidius Romanus*, *Henricus Gandavenſis*, & *Joh. Duns Scotus*, ut qui & *Ariſtotelis* ſcripta commentariis illuſtraverint. Præter hos vero philoſophos irrepſit hac tempeſtate etiam turba *aſtrologorum* & *magorum*, ejus farinæ libris una cum aliis de Arabico in latinum converſis. Sed nolo illorum nominibus conſpurcare chartam, maxime cum interſit, eos plane ignorari. Veram tamen *aſtronomiam*, quæ motus cœleſtes indagat, valde juvit hoc ævo *Alphonſus* Hiſpaniæ Rex, editis *tabulis motuum cæleſtium*, quæ ab ipſo *Alphonſinæ* dicuntur.

CAP. III.

De jure conſultis.

Initium ſeculi XIII. habuit celebrem illum juris civilis gloſſatorem *Accurſium*, (a) *Azonis* diſcipulum. Hunc ſecutus eſt in juris profeſſione Bononiæ *Jacobus Balduini*, (b) qui collegam *Johannem de Blanaſco*, (c) habuit. *Balduini* diſcipulus fuit *Odofredus*, (d) circa annum LX. quo tempore vixerunt

---

mura in bibl. Præd. *Cavium* an. 1260. (h) *Vincent.* ord. Domin. diligentiſſ. compilator, de quo *Trithemius*, *Voſſius* lib. 2. c. 59. *Altamura*. *Cavius* an. 1244. *Caſ. Oudinus* tom. 3. an. 1250. fuſe. (i) Comes de *Aquino* Aprutius, ord. Domin. Pariſiis, Bonon. Romæ, Neapoli docuit. *doctor Angelicus*. Vita ab *Andr. Mauroceno* deſcripta. Lege *Sixtum Sen. Paul. Iovium* in elog. *Cavium* an. 1255. *Oudinum* diſſ. ampliſſ. tom. 3. an. 1250. (k) *Ioh. Fidanza* Tuſcus, ord. Min. doctor Pariſ. celeberrimus, de quo *Bellarminus* de ſcr. eccl. *Sixtus Sen.* l. 4. *Luc. Waddingus* multis in annal. Minor. *Cavius* an. 1255. *Oudinus* fuſe integra diſſ. tom. 3. an. 1250. (l) Canonicus Cantiprat. ord. Dominic. Lovanii docens. Vita libro de apibus præmiſſa. Lege *Trithem.* & *Bellarmin.* de ſcr. eccl. *Ambr. de Altamura*. *Cavium* an. 1255. *Val. Andr. Deſſel* in bibl. Belgica. (m) *Petr. de Tarantaſia* ord. Domin. doctor Pariſ. archiep. Lugdun. cardinalis, id. Papa, *Innocentius V.* dictus. Lege Pontif. vitas; in ſpecie *Lud. Iac. de S. Carolo* in bibl. Pontif. *Ambr. de Altamura* in bibl. Prædicat. *Cavium* an. 1276. *Caſ. Oudinum* tom. 3. an. 1270. (n) *Udalricus de Argentina* ord. Domin. doctor Pariſ. *Trithem.* & *Bellarm.* de ſcr. eccl. *Ambroſ. de Altamura*. *Cavius* an. 1280. (o) ſ. *de Raſia* ord. Minor. de quo *Trithem.* & *Bellarmin.* *Luc. Waddingus* in annal. ord. Min. (p) *Ægid. Columna* ex illuſtr. familia, eremita S. Auguſtini, archiep. Biturid. Cardinalem fuiſſe aſſerit *Lud. Dan. Doctichius* tom. 1. hiſt. card. De eo *Bellarminus*, *Sixtus Sen.* l. 4. *Abr. Bzovius* in contin. *Baronii* an. 1316. n. 16. *Ioſ. Pamphilus* in chron. erem. S. Aug. *Cavius* an. 1296. (q) *Rich. Midleton* Anglus Oxonii & Pariſ. docens, doctor ſolidus & copioſus etiam fundatiſſ. dictus. *Trithem.* & *Bellarmin.* *Sixtus Sen.* l. 4. *Ioh. Baleus* de ſcr. Brit. cent. 4. c. 77. *Luc. Waddingus* annal. Minor. *Cavius* an. 1290. (r) *Henr. Goethals Bonicollens Mudenus*, dictus *doctor ſolennis* alias. Lege *Trithem.* & *Bellarmin.* *Aub. Miræum* elog. Belg. claſſe 3. init. *Val. Andream Deſſelium* bibl. Belg. *Franc. Swertium* in Athen. Belg. *Voſſium* de H. Lat. lib. 6. c. 6. *Cavium* an. 1280. (s) De Pariſiis ord. Domin. *Philippi Pulchri* contra *Bonifac. VIII.* defenſor, de quo *Trithem.* & *Bellarminus*, *Ambr. de Altamura*, *Cavius* an. 1290. *Caſ. Oudinus* tom. 3. an. 1290. ubi integra diſſ. (t) Scotus, aliis Anglus, *Waddingo* Hybernus, ord. Min. Oxonii & Pariſ. ſummo applauſu docuit, adeo ut Oxonii ſcholarium 30000. adeſſent. Coloniæ bis mortuus. Thomæ adverſarius. Lege *Paul. Iovium* in elog. *Trithem.* *Sixtum Sen.* *Baleum* cent. 14. c. 53. *Luc. Waddingum* annal. Minor. *Henr. Warthon*, addit. ad *Cavium* ſeculi XIV. init.

Cap. II. (a) *Frider. II.* Princeps πεντάγλωττος dictus Germ. Gall. Ital. Lat. Græce, Saracenice loquebatur. De ſtudio ad libros ex Arabico vertendos lege *Ioh. Aventinum* lib. 7. *Pand. Collennutium* hiſt. Neap. lib. 4. *Ioh. Cuſpin.* in vita. Ab hoc variæ academiæ erectæ. De *Patavina Ant. Riccobonus* & *Phil. Iac. Tomaſinus*, de *Neapolitana Pandulph. Collennutius* lib. 4. De *Viennenſi Wolf. Lazius* chron. Vienn. l. 2. c. 7. & *Georg. Ederus* in catal. rector. Vienn. legendi. (b) *Alphonſ. X* ſapiens, in aſtronomiam immenſos ſumtus faciens, de quo *Mich. Ritius*, *Ioh. Vaſæus*, *Ioh. Mariana* &c. legantur.

Cap. III. (a) Florentinus, Bononiæ docuit, de quo *Marc. Mantua* de vir illuſtr. *Ioh. Fichardus* in ICtis, *Guid. Pancirollus* de ICtis l. 2. c. 29. *Val. Forſterus* hiſt. I. C. l. 3. c. 12. (b) ſ. de S. *Barbatiano*, ſucceſſor *Accurſii*, de quo *Trithemius*, *Pancirollus* l. 2. c. 27. *Forſterus* lib. 3. cap. 12. (c) *Ioh. de Blanaſco* Burgundus, doctor Bonon. quem *Ioh. Trithemius*, *Ioh. Fichardus*, *Pancirollus* l. 2. c. 38. *Val. Forſterus* l. 3. c. 12. deſcribunt. (d) *Othofredus de Othofredis* Bononiæ docuit, cujus epitaph. *Ioh. Fichardus* in

vixerunt etiam *Johannes* (e) *de DEO*, & *Jacobus de Bello viſo.* (f) Sed imprimis tamen claruit *Gvilielmus Durantes*, (g) a ſpeculo juris conſcripto *ſpeculator* dictus, alias & *pater practica* nuncupatus. Sub finem denique ſeculi vixit *Dinus Mugellanus*; (h) qui omnes docuerunt Bononiæ; etſi autoritate Friderici II. Cæſaris, (i) Patavii & Neapoli, nec non Philippi Pulchri Regis Galliæ, etiam Aureliæ jus doceri cœpit. Hoc ſeculo quoque *jus Pontificium*, ſeu *canonicum*, in ſcholas introductum eſt. Nam initio ſeculi *Gregorius IX.* pontifex decretales epiſtolas in V. libros fecit conſcribi, opera *S. Raimundi de penna forti.* (k) Illud jus pontificium gloſſis explicavit *Innocentius IV.* (l) pontifex. Easdem decretales brevi commentatario illuſtravit *Bernhardus Compoſtellanus*, (m) ac grandiori volumine expoſuit circa annum L. *Hoſtienſis cardinalis.* (n) Vixit etiam hac tempeſtate *Johannes Zemeca*, ſive *Teutonicus*, (o) Halberſtadienſis canonicus, qui primus omnium *decretum Gratiani* gloſſis expoſuit. Sub finem denique ſeculi *Bonifacius VIII.* Papa per *Dinum Mugellanum* fecit conſcribi *ſextum librum decretalium*, quem tamen regnum Galliæ nunquam hactenus voluit recipere.

CAP. IV.
De medicis.

Quod fatum *philoſophiæ*, idem fere etiam *artis medicæ* fuit. Circa annum enim XXX. & paulo poſt in latinum ſermonem converſis ſcriptis *Arabum* præſtantiſſimorum, *Avicennæ* inquam, *Averrhois*, *Serapionis*, *Rhaſis*, *Johann Meſve.* & *Avenzoaris*, aliorumque ita ſtatim excoli cœpit *ars medica* latinis literis ut poſthac nemo Sarracenicos ſcriptores deſideraverit. Verſa quoque tunc temporis ſunt, etſi admodum barbare, ex Græco in latinum nonnulla *Hippocratis* & *Galeni*, quæ hactenus latinus orbis non viderat. Antequam vero hæc felicitas evenit, nonnulli inſigne *artis medicæ* nomen deportarunt. Ita circa initium hujus ſeculi vixit *Johannes* (a) *de Mediolano*, autor *ſcholæ*, quæ dicitur, *Salernitana.* Duo item chirurgi, *Rogerius*, (b) & *Rulandus Parmenſis.* Non multo poſt *Guilielmus de Saliceto* (c) *practicam* ſcripſit, quæ ab autore hodieque *Guilhelmica* nuncupatur. Sed longe magis efflorescere ars cœpit, poſt verſos libros *Arabum*; qua in re imprimis operam collocavit *Gerhardus* (d) *Cremonenſis* & *Simon* (e) *Januenſis*, qui & ipſi præclaros libros medicos conſcripſerunt. Inter eos vero, qui primum uſi ſunt literis Arabicis, commemorandi veniunt duo chirurgi, *Bruno* (f) *Longobergenſis*, pater *Dini*, & *Lanfrancus* (g) *Mediolanenſis*; duo item practicæ ſcriptores ſatis celebres, *S. Petrus Hiſpanus*, (h) poſtea Papa *Joh. XXI.* dictus, & *Gilbertus Anglicus.* (i) Cæterum circa an. LXXX. omnium longe ſuperavit *Thaddæus de Florentia*, (k) utpote qui omnium primus inter latinos ſubtilioris philoſophiæ notitiam cum artis medicæ cognitione conjunxit, & præterea medicinam feliciſſime, & cum incredibili lucro fecit. Claruit eodem tempore philoſophiæ medicinæque peritia *Turriſanus de Turriſanis*, (l) qui vulgo *Truſianus*, & *Plusquam Commentator* audit; arte tamen facienda usque adeo infelix, ut præ deſperatione cucullum induerit. Docuit autem uterque Bononiæ, & ex eorum ſchola doctiſſimi quique medici ſequenti ſeculo prodiere.

CAP. V.

---

vit. JCtorum adducit. Lege *Tritbem*, *Panciroll.* lib. 2. c. 35. *Forſterum Fichardi* pro more exſcriptorem l. 3. c. 15. (e) Hiſpanus canon. & prof. Bonon. de quo *Tritbemius*, *Panciroll.* l. 2. c. 30. *Forſterus* lib. 3. c. 18. *Cabius* ad an. 1247. (f) ſ. de *Belviſo*, feudorum interpres. Lege *Tritbem. I. Fichard. Val. Forſter.* l. 3. c. 18. (g) Narbonenſis, doctor Bonon. epiſc. Mimatenſis, legatus ſæpe, Arte & Marte celebris. Vitam *Sim. Majolus* ſcripſit. Lege *Tritbemium*, *Fichardum*, qui vix 30. annum egreſſum abſque probabilitate dicit. *Panciroll.* lib. 3. c. 14. *Forſterum* lib. 3. c. 18. *Cavium* an. 1286. *Caſ. Oudinum* tom. 3. de ſcr. eccl. an. 1310. (h) *Roſſanius* cognomine, doctor Bonon. Romam vocatus ſpe inani cardinalit. dignitatis. De eo *Tritbemius*, *Fichardus*, *Panzirollus* lib. 2. c. 45. *Forſterus* l. 3. c. 21. *Henr. VVarthon.* addit. ad *Cabium* an 1301. (i) *Hugolinus Com. Signinus*, primus hoſtis *Frider. II.* de quo multa *Matth. Paris*, Prætor vivos Pont. lege *Cabium* an. 1227. (k) Canon. & archidiac. Barcinonenſis, Dominicanor. generalis. Lege *Tritbem. Andr. Schottum* bibl. Hiſp. tom. 2. claſſ. 1. *Ambr. de Altamura*, *Cabium* an. 1228. (l) *Limbald. Com. de Fliſco*, Papa, ex amico *Frider. II.* hoſtis infenſiſſimus. Vitam Thom. Diplovatacius CPtanus ſcripſit. Legatur *Lud. Iac. de S. Carolo* in bibl. Pontif. *Fichardus*, *Pancirolus* l. 3. c. 5. *Forſterus* l. 3. c. 14. *Cabius* an. 1243. *Caſ. Oudinus* fuſe tom. 3. an. 1230. (m) Presbyter Compoſtellanus, quem *Tritbemius*, *Andr. Schottus* tom. 2. claſſe 1. *Val. Forſterus* lib. 3. cap. 16. deſcribunt. (n) *Henr. de Seguſio* archiep. Ebrodunenſis, cardinalis, fons & ſplendor juris dictus. *Tritbem*, *Fichardus*, *Forſterus* l. 3. c. 17. *Lud. Dan. Dattichius* hiſt. cardinal. *Cavius* an. 1262. (o) ſ. *Semeca* Azonis diſcipulus, JCtus conſummatus, *Clementi IV.* e Germania pecuniam colligenti ſe opponens, inde excommunicatus. Lege *Alb. Kranz.* Saxon. lib. 8. cap. 27. *Panciroll.* lib. 3. cap. 8. *Melch. Adami* in vitis German. JCtor. initio. *Cabium* an. 1250.

Cap IV. (a) Parum notus, præter ſcholam Salernitanam, in gratiam *Roberti* Norm. Regis Angliæ deſignati ex oriente reducis, & Salernum venientis ſcriptam, de tuenda ſanitate. Lege *Vinc. Placcium* de anonymis cap. 4. §. 144. *Ol. Borrichium* de poet. Lat. diſſ. 2. §. 77. adde *I. Ant. van der Linden* de ſcr. med. (b) *Rogerius* & *Rolandus* parum noti præter libellos chirurgicos, qui citantur ab *Iſraele Spachio* in nomenclat. ſcriptorum medicorum, & *I. Anton van der Linden.* (c) *Guil. de Saliceto* Placentinus obſcurus, illius tamen chirurgia & ſumma curationum a *Spachio* & *Lindenio* citantur. (d) *Gerardus Sucloneta* dictus a *Raph. Volaterrano* a vico natali prope Cremonam. Interpres *Avicennæ*, *Abubetri* & aliorum a *Geſnero* in bibl. dicitur. Adde *Lindenium* de ſcr. med. Theoriam planetarum illius poſt 2. ſecula *I. de Monte Regio* confutavit, in dialogo contra *Cremonenſia deliramenta.* (e) ſ. Genuenſis monachus, & medicus *Nicolai IV.* quem ut inſignem interpretem laudat *Iac. Bracellius* in libello de claris Genuenſibus. Ipſe etiam varia ſcripſit. Vide *I. Ant. van der Linden* & *I. Andr. Quenſtedt* de patriis illuſtr. viror. in Genua. (f) Pater *Dini de Garbo*, de quo infra. *Geſnerus* hunc male ad ſec. XI. ponit, cum ſub *Fred. II.* vixerit. Vide *Lindenium.* (g) Medicus *Philippi Pulchri*, chirurgus celebert. Scripta referunt *Iſr. Spachius* & *Lindenius.* (h) *Petrus Iuliani* Vlyſſippon. card. tandem Papa, *Hadr. V.* ſucceſſor. Præter ſcripta de vitis Pontif. lege *Tritbemium* & *Bellarm. Ludov. Iac. de S. Carolo* in bibl. Pont. *Cabium* an. 1276. *Lindenium.* (i) Ob Lauream Anglicanam notus, de qua *Spachius* & *Lindenius.* (k) Doctor Bonon. *Galenus* ſui temporis, ingens præmium pro cura poſcens. Lege *Tritbem. Pet. Caſtellan.* in vitis med. p. 158. *I. A. van der Linden* de ſcript. med. & *Iſr. Spachium* paſſim. (l) Doctor Bonon. poſt mon. Carthuſianus, de quo *Tritbemius*, *Petr. Caſtellanus* p. 149. *I. Andr. Quenſtedt* de patriis illuſtr. vir. *I. A. van der Linden* de ſcriptis med.

CAP. V.

De hiſtoricis.

Sub initium hujus ſeculi hiſtoriam captæ Conſtantinopoleos a Flandris & Francis ſcripſit *Güntherus*, (a) monachus *Pariſienſis*; Quo tempore hiſtoriam univerſalem ab orbe condito libris XLVIII. *Helinandus* (b) perſecutus eſt. Imprimis vero *Conradus abbas* (c) *Urſpergenſis* hiſtoria tunc temporis conſcripta inclaruit. Circa annum XL. *Matthæus Paris*, (d) ſive *Pariſienſis*, hiſtoriam Anglicanam compoſuit valde celebrem. *Martinus* etiam *Polonus* (e) ſuum chronicon edidit, & *Vincentius Bellovacenſis* ſuum, quod dicitur, *ſpeculum hiſtoriale*. Circa finem *Henricus Gandavenſis* conſcripto libro de optimis ſcriptoribus meruit, quem hic inter hiſtoricos connumeremus.

SECVLVM XIV.

CAP. I.

De ſcriptoribus eccleſiaſticis.

Scholaſtica, quæ dicitur, *theologia*, ut præcedente ſeculo feliciter cœpit, ſic non minus feliciter hoc ſeculo (a) eſt exculta; & quidem ſub initium imprimis doctos ac claros habuit viros ordo Minorum, ſeu Franciſcanorum, præceptore *Joh. Duns Scoto*, uſos. Ita floruit ea ætate *Petrus Aureolus*, (b) *Antonius Andreæ*, (c) quem ſui *doctorem fundatiſſimum* appellant; *Franciſcus de Maironis*, (d) *Guilielmus Occam*, (e) & denique *Nicolaus*, (f) a patria Lyra, Brabantiæ oppidulo, *Lyranus* vocatus, Hebraicarum literarum peritia & commentariis in univerſam ſcripturam ſacram imprimis clarus. Quibus poteſt addi *Pelagius* (g) *Alvarus* itidem ordinis Minorum religioſus, non tamen ex diſciplina *Scoti* profectus. Idem tempus duos habuit inſignes viros ordinis Prædicatorum, *Durandum* (h) nempe de *S. Portiano*, virum liberi admodum ingenii, & ſolidæ eruditionis, & *Hervæum Natalem*, (i) *S. Thomæ* defenſorem. Circa annum XL. vixit *Petrus Paludanus*, (k) & *Adamus Goddam*, (l) duo inſignes commentatores in *magiſtrum ſententiarum*, quos tamen theologiæ & philoſophiæ ſubtilitatibus longe ſuperarunt *Johannes de Bacone* (m) & *Robertus Holkoth*, (n) uterque Anglus, ſed alter profeſſione Carmelita, alter Dominicanus. Circa annum L. ordinis S. Auguſtini prior generalis fuit *Thomas de Argentina*, (o) quem in eodem officio ſecutus eſt *Gregorius Ariminenſis*, (p) uterque ſcholaſticæ philoſophiæ & theologiæ peritia inſignis. Coævi illis fuere *Simon de Caſſia*, (q) *Henricus Suſo*, (r) *Richardus* (s) *Armacanus*; & inter Græcos *Nicolaus* (t) *Cabaſilas*, ſcriptis piis non minus quam doctis clari.

Cap. V. (a) Dubium an idem cum poeta ſec. XII. extr. citato. Lege *Voſſium* de hiſt. Lat. l. 2. c. 55. *Car. de Viſch* in bibl. Ciſterc. *Cabium* an. 1212. *Caſ. Oudin.* tom. 2. an. 1190. (b) *Elynandus* ab aliis dicitur. Mon. ord. Ciſterc. de quo legendi *Vincent. Belvac.* ſpec. hiſtor. lib. 30. cap. 208. & *Antoninus Florent.* hiſtor. part. 3. tit. 18. cap. 5. qui 2. plurima ex *Helinando* exſcripſere. *Voſſium* lib. 2. cap. 55. de hiſtor. Lat. qui *Helinaldum* vocat. *Car. de Viſch* in bibl. Ciſterc. *Cabius* an. 1212. *Caſ. Oudinus* tom. 3. an. 1210. (c) *Conr. a Lichtenau* ord. Præmonſtr. et. Abbas Urſperg. ad Mindulam in Svevia, diligens plagiarius, de quo lege *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 5. cap. 57. *Vinc. Placcium* de Anon. cap. 5. §. 145. *Iac. Thomaſium* de plagio §. 585. ſeq. *Cabium* an. 1215. *Caſ. Oudinum* tom. 3. an. 1220. (d) Anglus, ordin Bened. doctus, diligens & candidus hiſtoricus nihil diſſimulans. Regi *Henr. III.* chariſſimus. Lege *Ioh. Baleum* de ſcript. Britan cent. 4. cap. 16. & ampla teſtimonia multorum editioni Lond. 1640. f. præmiſſa. Adde *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 2. cap. 58. *Cabium* tom. utroque an. 1240. *Caſ. Oudinum* fuſe tom. 3. an. 1240. (e) *Mart. Aronpus* Polonus, *Nicolai III.* pœnitentiarius, quem pro Dominicano habent *Leander Albertus* de claris viris ord Prædic. & *Ambroſ. de Alta Mura* in bibl. Prædic. ſed ſuis Ciſterrienſibus eum vindicat *Car. de Viſch* in bibl. Adde *Abr. Bzovium* in cont. *Baronii* an. 1278. num. 32. *Voſſium* de hiſt. Lat. l. 2. c. 60. *Petr. Lambecium* comment. de bibl. Vindob. tom. 2. p. 862. qui Bohemum, & *Mart. Hankium* de Sileſiis eruditis indig. cap. 8. qui Oppavienſem Sileſium fuiſſe probat.

Cap. I. (a) Commentarius de theologis hujus ſeculi legitur *in unſchuldigen Nachrichten von alten und neuen* an. 1703. ord. 6. num. 3. (b) *Petr. de Verberia* doctor *facundus* dictus, Pariſ. archiep. Aquenſis, de quo *Trithem.* & *Bellarm.* de ſcript. eccl. *Sixtus Senenſ.* l. 4. qui cardinal. vocat. *Luc. VVaddingus* annal. Min. *Henr. VVharton* add. ad *Cabium* an. 1321. (c) Aliis doctor *Dulciſſimus*, de quo *Bellarmin.* paucis, *Luc. VVaddingus*, *Henr. VVharton* an. 1308. (d) Scotus *Bellarmino* dictus, cum Gallus fuerit, doctor *illuminatus* & *acutus*, qui *actum Sorbonicum* introduxit, theſaurum eccleſiæ & SS. merita in dubium vocavit. Lege *Trithem.* & *Bellarm.* *Lucam VVaddingum*, *Henr. VVharton* an. 1315. *Oudinum* tom. 3. an. 1320. (e) Anglus ord. Min. doctor *ſingularis*, *Philippi Pulchri* & *Ludov. IV.* defenſor. Lege *Trithem.* & *Bellarm.* *I. Baleum* de ſcr. Brit. cent. 5. c. 18. *Luc. VVaddingum* annal. Min. *Henr. VVharton* an. 1330. *Oudin.* t. 3. an. 1334. (f) Normannus. Anglum faciunt *Trithem.* & *Baleus* cent. 5. c. 12. Doctor *planus* & *utilis*. Lege *Sixtum Sen.* l. 4. *Luc. VVaddingum*, *VVharton* an. 1320. (g) Gallæcus, pœnitent. Papæ, libro de planctu eccleſiæ clarus. Lege *Trithem.* *Andr. Schottum* bibl. Hiſpan. tom. 2. claſſe 1. *Luc. VVaddingum*, *Henr. VVharton* an. 1340. *Caſ. Oudin.* tom. 3. an. 1330. (h) Arvernum, qui doctor *reſolutiſſimus* Pariſ. dicebatur, epiſc. Podienſis. Lege *Trithem.* & *Bellarm.* *Ambr. de Altamura*, *Henr. VVharton.* an. 1320. *Oudinum* tom. 3. an. 1320. (i) Armoricum, ordinis Prædic. generalem. Lege *Bellarmin.* de ſcr. eccleſ. *Ambr. de Altamura*, *Henr. VVharton* an. 1312. (k) *Petr. de Palude* nob. Burgund. ord. Domin. *Thomæ* defenſor acerrimus. *Trithem.* & *Bellarm.* de ſcr. eccleſ. *Sixtus Sen.* l. 4. *Ambr de Altamura*, *VVharton* an. 1330. *Oudinus* an. 1330. (l) ſ. *VVoddheam*, Anglus, *Occami* diſcip. ord. Min. *Bellarm.* paucis. *Baleus* cent. 5. c. 98. *VVharton* an. 1330. (m) ſ. *Bakontorphius* ord. Carmel. *Princeps Averrhoiſtarum* & doctor *reſolutus* dictus. Lege *Trithem.* & *Bellarm.* *Sixtum Senenſ.* lib. 4. *Ioh. Baleum* cent. 5. c. 1. *Henr. VVharton.* an. 1329. *Oudin.* an. 1330. (n) *Holchot* ord. Domin. doctor Oxonienſ. de quo *Trithem.* & *Bellarmin.* *Baleus* cent. 5. c. 84. *Leand. Albertus* de claris vir. ord. Præd. *Ambr. de Altamura*, *Sixtus Senenſ.* lib. 4. *Henr. VVharton* an. 1340. (o) Argentinenſis, magnum decus ſui ordinis. *Trithem.* & *Bellarm.* *Ioſ. Pamphilus* in chron. erem. *VVharton* an. 1345. (p) Viennæ eodem cum anteceſſore ſepulchro illatus. *Trithem.* & *Bellarm.* *Sixtus Sen.* lib. 4. *Ioſ. Pamphilus*, *Henr. VVharton* an. 1357. (q) *Sim. Fidatus* eremit. Auguſt. pro propheta habitus, *Trithemio* teſte. Adde *Bellarm.* *Sixtum Sen.* *Ioſ. Pamphilum*, *VVharton.* an. 1335. (r) ſ. *Amandus*, com. *Montenſis* Suevus, ord. Domin. de quo *Bellarmin.* *Ambr. de Altamura*, *Cavius* an. 1290. *Caſ. Oudinus* tom. 3. an. 1360. (s) *Radulphus* cogn. *Fiz. Ralph.* Hybernus, theol. Oxon. archiepiſcopus Armachanus, *VVicleſo* prælu‍ſit, hoſtis mendicantium. Lege *Ioh. Baleum* cent. 5. c. 94. & cent. 14. c. 97. *Ioh. VVaræum* de ſcript. Hybern. l. 1. c. 10. *Bellarm.* *VVharton.* an. 1347. (t) *Chamatus* cogn. *Nili Cabaſ.* in archiep. Theſſal.

clari. Quam laudem eodem tempore in Germania conſecutus eſt *Johannes* (u) *Taulerus*, ordinis Prædicatorum concionator Argentoratenſis. Fine denique ſeculi *Heidelbergenſem academiam*, Germanicarum primam, ac tunc recens inſtitutam, ornavit *Marſilius ab Ingen*, (vv) ſcholaſticæ doctrinæ ſane præclarus doctor. Quo tempore *Johannes Rusbrochius* (x) Belga, lingua patria edidit ſcripta divini amoris pleniſſima.

CAP. II.
De philoſophis.

Hoc ſeculo itidem philoſophiam excoluerunt, qui & theologiam, omnes enim ſcriptis ſuis theologicis multa miſcuerunt philoſophica; quidam vero & *Ariſtotelis* libros commentariis illuſtrarunt. Præ aliis tamen philoſophiæ notitia claruere *Petrus Aureolus*, *Antonius Andrea*, *Durandus de S. Porciano*, *Hervæus Natalis*, *Guilielmus Occam*, *Johannes de Bacone*, *Gregorius Ariminenſis* & *Marſilius ab Ingen*. Seorſim, cum theologus non eſſet, philoſophiæ nomine inclaruit *Johannes de* (a) *Janduno*, æqualis *Occami*, in plerisque *Averrhois* dogmata ſecutus. Ubi notandum, *Guilielmo Occamo* autore cœpiſſe illam famoſam diſputationem de *univerſalibus*, *ſintne res*, *an vero pura nomina?* quorum ultimum qui cum *Occamo* ſtatuerunt, inde dicti ſunt *Nominales*. De *Johanne Bacone* etiam notandum, illum in philoſophicis ſententiis plerumque ſequi *Averrhoem*, adeo, ut inter clariſſimos *Averrhoiſtas* cenſeatur.

CAP. III.
De jure conſultis.

Seculum hoc XIV. *juris civilis* & *canonici* longe plurimos & celeberrimos doctores habuit. Præterea & jus dicendi ratio a veteri conſuetudine nonnihil deflexit & ad dialecticum arguendi diſputandique modum deducta eſt. Illa docendi via cœpit primum autore *Jacobo Ravano*. (a) Hanc vero, (verbis utar *Valentini Forſteri* juris hiſt. lib. 3. c. 22.) ſophiſticam & argutam docendi rationem ita omnes fere reliqui ſunt imitati, ut pleraque in jure diſputationibus in dubium vocata ſint, & diſputatio juris immenſos in commentarios excreverit. Cæterum hunc *Jacobum*, qui initio hujus ſeculi vixit, cum alii multi ſunt ſecuti, tum hi omnium clariſſimi: *Petrus de Bella* (b) *Pertica*, *Rolandus* (c) *Placiola*, *Jacobus* (d) *de Arena*, *Richardus* (e) *Malumbra*, *Oldradus* (f) *de Ponte*, *Johannes* (g) *Andrea*, *Cynus* (h) *Piſtorienſis*, *Johannes* (i) *Calderinus*, & *Andreas de Iſernia*, (k) qui omnes floruerunt usque ad annum XXX. Circa ad annum XL. & L. vixit ingens illud lumen JCtorum, tum boni, cum æqui periſſimus *Bartholus* (l) *de Saxo Ferrato*, cui fuere coævi *Albericus Roſatus*, (m) & *Signorolus* (n) *de Homodeis*. Circa annum LXXX. alterum illud lumen Romanæ jurisprudentiæ vixit, *Bartholi* diſcipulus, *Baldus* (o) *de Ubaldis*, ejusque frater *Angelus de Ubaldis*, (p) ac *Bartholomaeus de Saliceto*, (q) docti quidem, ſed *Baldo* longe inferiores. Eodem ſeculo & *canonicum jus* multis legibus eſt auctum, ſimulque ſuos habuit interpretes. Namque initio mox a *Clemente* Pontifice editæ ſunt *conſtitutiones*, quæ

ſucceſſor. Lege *Bellarmin.* *Henr. VVharton.* an. 1350. & plenius Robert. *Gerium* tom. 2. *Cavii* an. 1350 *Oudinum* tom 3. an. 1350. fuſe. Lege & *Leon. Allatii* diatrib. de *Nilis* cap 14. ubi & de *Nicolao* Cabaſ. in *I. A. Fabricii* B. Gr. lib. 5. append. p. 59. ſeqq. (u) Concionator Colon. & Argent. mon. Domin. myſteriis deditus. Lege *Bellarm.* *Quenſtedt* in patria vir. illuſtr. *VVharton.* an. 1350. (vv) Anglus *Baleo* cent. 7. c. 50 aliis Ultraject. Lege *Trithem.* & *Bellarm.* *Henr. VVharton.* an. 1384. *Petr. Bertium* comm. rer. Germ. lib. 3. c. 2. *Hottinger.* in orat. acad. Heidelb. (x) A vico *Ruysbrock* prope Bruxell dictus, can. Reg. S. Aug. myſticus, de quo *Trith.* & *Bellarm.* *Sixtus Sen.* l. 4. *Val. And. Deſſelius* bibl. Belg. *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Henr. VVharton* an. 1360.

Cap. II. (a) *Ioh. de Janduno* ſ. *de Gandavo*, doctor Peruſinus, *Ludov. IV.* contra Papam ſtrenue defendit, inde excommunicatus Lege *Melch. Goldaſt* in præfat. ad tom. 1. monarchiæ S. R. Imp. *Val. Andr. Deſſel.* in bibl. Belg. *Fr. Swertium* in Athen. Belg. paucis, *Henr. VVharton.* in addit. ad *Gavium* an. 1338. Refutat hoc, Gallum, non Belgam nec Peruſinum, ſed Pariſinum doctorem fuiſſe, multis probat *Caſ. Oudinus* de ſcr. eccl tom. 3. ad an. 1330.

Cap. III. (a) Lotharingo. a *I. Trithem.* *I. de Ravenna* vocatus. Modum docendi ab aliis diverſum ex *Cini Piſtor.* comm. in l. 4. cod. de ſervis fugit. tradit, *Val. Forſterus* lib. 3. c. 22. adde *Guid. Panciroll.* de JCtis lib 2. c. 34 (b) Burgundus, prof. Aurelian. *ſubtilis* dictus, de quo *Trithemius*, *I. Fichardus* in vitis recent. JCt. & *Guid. Pancirollus* l. 2. c. 46. *Val. Forſterus* lib 3. c. 23. *Caſ. Oudinus* tom. 3. an. 1290. (c) JCtus Patavinus, de quo *Pancirollus* lib. 2. c. 51. *Forſter.* l. 3. cap. 24. hiſt. jur. civ. (d) JCtus Parmenſis de quo *Trithemius*, *Panciroll.* l. 2. c. 50. *Forſterus* l. 3. c. 25. (e) Cremon. Bononiæ docuit aut Patavii. Lege *Trithem.* *Fichardum*, *Panciroll.* lib. 2. c. 54. *Forſterum* l. 3. c. 26. (f) De Laude Pompeja, inde *Trithemio Oldr. de Laude* dictus Auditor Cauſar. Papalis, hoſtis Imperatoris, hinc acerbiſſ. vapulat *Hier. Balbo* epiſc. Gubienſ. in libro de coron. Imper. ad *Carolum V.* Plura lege in *Iacobi Spigelii* nomenclat. juris, lexico jur. civ. ſubjuncta, apud *Trithem.* *Fichardum*, *Panciroll.* l. 2. c. 52. *Forſter.* lib. 3. c. 26. (g) Bonon. JCtus ſummus, *fons canonum* dictus, in epitaphio: *Rabbi doctorum*, *lux*, *cenſor normaque morum*, quod *Ioh. Fichardus* adducit. Adde *Trithem.* *Pancirollum* l. 3. c. 19. *Forſter* l. 3. c. 26. *Iac. Spigel.* in nomenclat. *Henr. VVharton.* an. 1336. (h) Comes *Sigitbaldus*, ſ. *Simibaldus*, ut *Spigel.* vocat. Juris can. hoſtis. Lege *Trithem.* *Marc. Mantuam* de vir. illuſtr. *Ioh. Fichardum*, *Guil. Panciroll.* l. 2. c. 58. *Forſter.* lib. 3. cap. 26. (i) Bonon. doctor magnæ ſcientiæ & ſanctæ vitæ. *Trithemius*, *Pancirollus* l. 3. c. 21. *Forſter.* l. 3. cap. 26. *VVharton* an. 1360. (k) *Eſernitanus* a *Spigel.* dictus, ab aliis *Ant. Rampinus de Iſernia*, advocatus conſiſtorii Neapol. *Evangeliſta ICtorum* dictus. *Panciroll.* l. 2. c 69. *Forſterus* lib. 3. c. 26. (l) Umber, *Sentini* natus, Piſis & Peruſii docuit, *Caroli IV.* conſil. Leguntur *Trithemius*, *Paul. Iovius* in elog. *Ioh Fichardus*, *Marc. Mantua*, *Panciroll.* l. 2. c. 26. *Val. Forſterus* l. 3. c. 27. *Boiſſardus* icon. part. 1. num. 7. Vita *Bartholi* a *Thom. Diplovatacio* ſcripta legitur in *I. Alb. Fabricii* bibl. Gr. lib. 6. c. 6. p. 555. ſeqq. (m) De *Roxate* Bergomenſis, de quo *Trithem.* *Fichardus*, *Pancirollus* lib. 2. c. 66. *Forſterus* l. 3. c. 27. *VVharton* an. 1350. (n) *Signorinus* aut *Signorellus* aliis dictus, Mediolan. de quo *Pancirollus* l. 2. c. 64. *Forſterus* l. 3. c. 27. (o) Peruſinus, docuit Bonon. & Ticini, quem *nihil unquam ignoraſſe Iaſo Magnus* dixit: rabioſus mortuus. Lege *Trithem.* *Fichard.* *M. Mantuam*, *P. Iovium* in elog. *Boiſſard.* icon. part. 1. n. 10. *Panciroll.* l. 2. c. 70. *Forſter.* l. 3. c. 28. *VVharton* an. 1380. (p) *Angelus* Bonon. docuit, *pater practicæ* & *doctor judicum* dictus. Lege *Trithem.* *Fichard.* *Panciroll.* l. 2. c. 71. *Forſter.* l. 3. c. 29. (q) Bonon. ſcholæ Ferrarienſ. autor & ſuaſor an. 1391. *Trithem*, *Fichardus*, *Panci-*

quæ dicuntur *Clementinæ*, (r) & ab ejus ſucceſſore *Johanne XXII. conſtitutiones*, quæ dicuntur *extravagantes*, quibus vulgo clauditur juris canonici volumen. Commentati autem ſunt in jus Pontificium primis *XXX.* annis *Guido Baiſius*, (s) *Guilielmus abbas de monte Landino*, (t) *Monaldus Dalmata*, (u) & *Petrus Petrandus.* (vv) Similiter ex juris Romani conſultis, quos jam laudavi, canonicum jus quoque illuſtrarunt *Johannes Andreæ, Albericus Roſatus, Johannes Calderinus*, & denique *Baldus de Ubaldis.* Referri huc forte etiam merentur, qui caſus conſcientiæ, quos vocant, ſcripſere. Caſuiſtæ hinc vulgo dicti, quorum duo vixerunt circa annum *XXX.* alter *Aſteſanus* (x) *Aſtenſis* Italus, alter *Bartholomæus Piſanus*, (y) quorum libri ſummulæ inſcripti; *Aſteſani* quidem vulgo audit *ſummula Aſtenſis*; *Piſani* vero *Piſanella.*

CAP. IV.
De medicis.

Finem præcedentis & initium hujus ſeculi duo imprimis ornarunt, Italus alter, alter in Galliis vivens, *Petrus Aponenſis* (a) qui vulgo *conciliator* audit, & *Arnoldus* (b) *de Villa nova.* Circa annum *XX.* & *XXX.* vixerunt itidem duo inſignes medici & philoſophi, *Thaddæi* Florentini diſcipuli, *Gentilis de Fulgineo*, (c) *Avicennæ* commentator, & *Dinus de Garbo.* (d) Circa annum *XXIX.* vixit etiam *Guilielmus de Varignana*, (e) origine Judæus, quantum apparet, & *Matthæus Silvaticus*, (f) qui paſſim *pandectarius* audit, & *Franciſcus de Pedemontio*, (g) qui duo ultimi vixere Roberto Siciliæ Rege. Eodem tempore vixiſſe videtur *Johannes Anglicus*, (h) *Roſæ Anglicanæ* autor. Imo ad hæc usque tempora videtur pertigiſſe *Raimundus Lullius*, (i) propriæ ac ſingularis cum philoſophiæ, tum medicinæ, ac propemodum etiam theologiæ autor. Circa annum *XL.* & *L.* vixit *Johannes de Rupeſciſſa.* (k) chymici artificii Profeſſor; ſed magis claruit *Thomas de Garbo*, (l) Dini filius, item *Jacobus Dondus*, (m) autor præclari illius operis, quod inſcribitur *Aggregator.* Sub finem denique ſeculi vixerunt *Chriſtophorus de Honeſtis*, (n) & *Johannes Dondus*, (o) Jacobi filius.

CAP. V.
De hiſtoricis & poetis.

Sub initio vixerunt duo chronicorum ſcriptores, *Sigfridus* (a) *presbyter* Miſnenſis, & *Everhardo* (b) archidiaconus Ratisbonenſis. Anno *XXX.* Conſtantinopoli floruit *Nicephorus Gregoras*, (c) exigui judicii hiſtoricus, & *Johannes Villanus*, (d) Florentinus, hiſtoriæ patriæ ſcriptor. Circa annum L. magnum ſibi nomen comparavit *Franciſcus Petrarcha*, (e) qui primus poſt tam longum latinæ cultioris linguæ exilium, latine & loqui & ſcribere potuit, primus eſt poſt Auguſteum ævum poeta lauro corona-

roll. lib. 2. c. 78. *Forſterus* lib. 3. c. 10. (r) *Clementinæ* ſ. lib. 7. decretal. poſt mortem *Clementis* a *Ioh. XXII.* publicatæ, & *conſtitutiones extravagantes* additæ. Lege *Gerb. de Maſtricht* in hiſt. juris eccleſ. Vitas multas *Clementis* & *Iohannis XXII.* lege in *Steph. Baluzii* vitis Paparum Avenionenſ. cum notis doctiſſ. (s) *Guid. Abaiſius* dictus a *Ioh. Ant. Bumaldo* in bibl. Bonon. archidiac. de quo *Trithem.* & *Bellarm. Pancirollus* lib. 3. c. 16. *H. VVharton* an. 1283. (t) *Laudino* vel *Lauduno* ord. Bened. abb. Pictav. de quo *Trithem. Forſterus* lib. 3. c. 26. Prof. Toloſanus fuiſſe dicitur a *Caſ. Oudino* tom. 3. an. 1340. (u) Juſtinopolitanus, ord. Min. *Summæ Monaldinæ* autor. *Trithem.* & *Bellarm. Wharton* an. 1330. *Caſ. Oudinus* tom. 3. an. 1330. (w) ſ. Bertrandus, doctor Avenione, Monteſpeſſ. Aureliani, Pariſiis conſil. Regius, cardinalis. *Bellarmin. Henr. Wharton* an. 1325. (x) *Aſtexanus*, ord. Minor. Lege *Trithem.* & *Bellarmin. Luc. Waddingum Wharton* an. 1317. (y) a S. *Concordia* cogn. ord. Dominic. Summæ Magiſtratiæ ſ. Piſanellæ autor. *Trithem.* & *Bellarminus*, *Ambr. de Altamura* in bibl. Prædic. *Henr. Wharton* an. 1331.

Cap. IV. (a) De *Apono* Paravinus, ob matheſin magiæ accuſatus, in effigie combuſtus. Vita apud *Bernh. Scardeonium* de illuſtr. Paravinis lib. 2. claſſ. 9. *Joh. Trithem* in catal. *Wolff. Juſtum* chronol. med. *I. Ant. van der Linden* de ſcript. med. (b) Gallus ſ. Hiſpanus alchymiſtar. princeps, theologiæ ſe immiſcens. Vita operibus præmiſſa. Lege *Ioh. Mariam.* de rebus Hiſp. l. 14. c. 10. *And. Schottum* bibl. Hiſp. tom. 2. claſſe 8. init. *Ioh. Imperial.* in muſeo hiſtor. num. 2. *Caſ. Oudinum* an. 1290. tom. 3. Vitam quoque *Petrus Caſtellanus* p. 152. ſcripta *Lindenius* recenſet. (c) *Fulginas*, prof. Peruſinus. Lege *Trithem. Wolff. Juſtum* in chron. med. *I. Ant. van der Linden* de ſcript. med. *Petrus Caſtellanus* paucis p. 150. (d) Medicus Florentinus. Lege *Trithem*, *Wolff. Iuſtum*, *Petrum Caſtellanum* pag. 159. *Lindenium.* (e) Med. Genuenſis excellens. *Wolff. Juſtus* in chron. med. *Lindenius* de ſcript. med. (f) Nobil. Mantuanus, pandectarum medic. autor. *Wolff. Juſtus. Joh. Trithem. Pet. Caſtellanus* paucis p. 158. *Lindenius.* (g) Med. Veronenſ. parum notus. Vide *Ioh. Ant. van der Linden* de ſcr. med. (h) Empiricus, ſolo libro notus, qui Venetiis 1516. prodiit. (i) Majoricanus, miri capitis homo, ex aulico monachus Franciſcanus, 45. annorum itinere circumvagatus, polygraphus. *Lucas Waddingus* annal. Minor. paſſim, præcipue an. 1315. eum mire laudat. *Abrah. Bzovius* contin. *Baronii* an. 1260. num. 5. eum taxat & accuſat. Lege & *And. Schottum* bibl. Hiſp. tom. 3. claſſ. 4. *Henr. Wharton* an. 1301. (k) Ord. Min. contra Papam durus, hinc carcere punitus. Lege *Trithem. Luc. Waddingum, Caſ. Oudinum* tom. 3. an. 1350. fuſe. *Lindenium.* (l) Florentinus, de quo *Trithemius, Pet. Caſtellanus* paucis. *Lindenius.* (m) De *Dondis.* Vid. *Wolff. Iuſtum* in chron. med. & *Lindenium.* (n) *Chriſtoph. Georgius de Honeſtis* Florent. doctor Bonon. a *Ioh. Ant. Bumaldo* in bibl. Bonon. recenſitus. *VVolff. Iuſtus* ad ſec. XV. refert. Scripta *Lindenius* habet. (o) Phyſicus dictus, Patavinus, libris notus a *Conr. Geſnero* in bibl. citatis. Opus de fontibus calidis Patavinis ab *Iſr. Spachio* & *Lindenio* citatur.

Cap. V. (a) Autor epitomes hiſtor. de quo *Ioh. Piſtorius N.A.* in prolegom. tom. 1. ſcript. rer. Germ. *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 2. c. 62. *Henr. VVharton* an. 1307. *Oudinus* tom. 3. an. 1300. (b) *Altahenſis* alias, mon. ord. Bened. archidiac. Ratisb. Plurima ex *Henr.* Sterone exſcripſit. *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 2. c. 62. *Henr. VVarthon* an. 1305. (c) *Gregoræ* filius potius, carthophylax eccleſ. tandem monachus. Lege *Voſſium* de hiſt. Gr. lib. 2. c. 29. *Hanckium* de Byz. ſcript. part. 1. cap. 25. *Henr. VVharton* an. 1345. *Caſ. Oudinum* de ſcript. eccleſ. tom. 3. an. 1320. integram diſſert. & maxime *I. A. Fabricium* bibl. Gr. lib. 5. c. 5. a pag. 300. fuſiſſime. (d) *Ioh. Villanus*, hiſtoricus prudens & diligens a *Matth. Villano* continuatus. De eo *Bellarminus* ad an. 1330. & *Caſ. Oudinus* tom. 3. an. 1360. (e) Aretinus, miraculum ſui ſeculi, canon. Patavinus, in valle clauſa prope Avenionem ad tempus vi-

ronatus, vir, ut rara eruditione, ita & ingenti virtute, carmine tamen non tam latino, quam Hetruſco clarus. Secutus vero illum eodem eſt ſeculo in Hetruſca poeſi *Dantes Aligerius*, (f) quem Itali principem patriæ poeſeos ſolent laudare.

SECVLVM XV.

CAP. I.

De ſcriptoribus eccleſiaſticis.

Etiam hoc ſeculo floruit ratio illa tractandi *theologiam* quam vocamus *ſcholaſticam*, longe tamen minori ſcriptorum numero, quod nobiliora ingenia vel in otium, vel in alia ſtudia, & quidem nominatim juris canonici, unde auream ſperare meſſem poterant, ſe dederunt. Et tamen hac ætate non parum concuſſa eſt Romana eccleſia per Bohemorum, autore *Johanne Huſſo*, (a) defectionem, etſi Huſſitis ſemper ſcriptores defuerint. Initio tamen hujus ſeculi vixit *Johannes Capreolus*, (b) ord. Prædicatorum, & *S. Thomæ Aquinatis* defenſor; *Petrus* item *ab Alliaco*, (c) archiepiſcopus Cameracenſis, & poſt cardinalis, *magiſtri* etiam *ſententiarum* nobilis commentator. Circa annum XX. adeoque durante concilio Conſtantienſi, præ reliquis claruit doctrina, pietate & prudentia *Johannes* (c) *Gerſon*, dictus *doctor Chriſtianiſſimus*. Illi coævus fuit *Thomas Waldenſis*, (d) inter *Johann. Huſſi* oppugnatores acerrimus diſputator. Circa annum XXX. vixit *Auguſtinus Romanus*, (e) & hoc doctior *Paulus de S. Maria*, (f) Burgenſis in Hiſpania epiſcopus, origine Judæus, & gentis ſuæ perfidiæ doctus reprehenſor. Circa annum XL. *Johannes Raguſius*, (g) *Henricus Kalteiſen*, (h) *Johannes de Polemar*, (i) & *Johannes de Capiſtrano* (k) in Baſilienſi concilio ſcriptis contra Huſſi dogma nomen invenerunt. Floruerunt vero eodem tempore *S. Bernhardinus Senenſis*, (l) cujus ſunt multa pia opuſcula, & *Alphonſus Toſtatus*, (m) epiſcopus Abulenſis, cujus ſunt uberrima & doctiſſima commentaria in pleroſque libros S. Scripturæ, etſi tantum XL. annos vixerit, ſtupor hinc mundi merito appellatus. Circa annum L. vixit *S. Antonius Florentinus*, (n) ſummæ theologiæ autor. At anno LX. ſcholaſtici nomine valuit *Johannes Baſſolius*, (o) juris vero etiam peritia *Johannes de Turre cremata*, (p) Eodem tempore vixerunt *Nicolaus Cuſanus*, (q) cardinalis, vir variæ eruditionis; & *Dionyſius Carthuſianus*, (r) ſcriptor non minus doctus, quam ſanctus, & *Thomas de Kempis* (s) ille, cujus ſunt libri ſanctiſſimi ac in vulgus noti *de imitatione Chriſti*. Demum circa annum XC. in Tubingenſi academia docuit

---

vens. Vita ab *Hier. Squarzafico* ſcripta operibus præmiſſa. Adde *Trithem.* P. *Iovium* in elogiis *I. I. Boiſſard* icon. part. 1. num. 6. *Phil. Iac. Thomaſinum* in Petrarcha redivivo, *Hanckium* de rer. Rom. ſcript. part. 1. cap. 42. *VVharton*. an. 1350. *Oudinum* tom. 3. an. 1340. (f) Florentinus, præceptor Petrarchæ, hinc non ſecutus eum, exul patria ejectus Pariſiis vixit, a *Cane* Scaligero revocatus. Lege *Tritbemium*, L. *Gr. Gyrald*. hiſt. poet. dial. 5. extr. P. *Jovium* in elog. *Ioh. Iac. Boiſſard.* icon. part. 1. num. 5.

Cap. I. (a) Theol. Pragenſis ubique notus, in concil. Conſtantienſi an. 1415. d. 6. Jul. combuſtus. Vide *Theod. Bezam* in icon. *I. I. Boiſſard.* icon. part. 3. num. 30. *Jac. Verheiden* effig. num. 2. *Henr. Wharton* ſec. XV. init. *Caſ. Oudinum* tom. 3. de ſcript. eccl. an. 1400. (b) Ord. Domin. prof. Toloſanus. Lege *Trithem.* & *Bellarmin.* de ſcript. eccl. *Ambr. de Altamura, Henr. Wharton.* an. 1415. (c) Compendienſis, doctor Pariſ. epiſc. Camerac. cardinal. mathematicus. Lege *Bellarmin. Sixtum Sen.* qui eum taxat. *Lud. Dan. Dattich*, hiſt. cardinal. *Franc. Swertium* Athen. Belg. *Val. Andr. Deſſel* bibl. Belg. *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 2. c. 5. *Henr. Wharton* an. 1396. *Caſ. Oudinum* tom. 3. an. 1410. (c) *Joh. Charlierus de Gerſon*, cancell. acad. Pariſienſ. decus ſeculi, pars magna concilii Conſtant. Lege *Trithemium*, *Bellarmin.* paucis *Sixt. Sen.* l. 4. *Henr. VVharton* prolixe an. 1404. *Caſ. Oudin.* diſſ. integr. tom. 3. an. 1410. (d) *Th. Netterus* Anglus, legatus in concil. Conſtant. de quo *Trithem.* & *Bellarm.* *Ioh. Baleus* de ſcript. Brit. cent. 7. cap. 84. *Ioſ. Pamphilus* in chron. erem. S. Aug. *VVharton* an. 1409. *Oudinus* tom. 3. an. 1400. (e) *Aug. de Favaronibus* erem. S. Auguſt. Scripta in concil. Baſil. damnata. *Trith.* & *Bellarmin. Sixtus Sen.* lib. 4. *Ioſ. Pamphil.* chr. erem. *Henr. VVharton* an. 1419. (f) *Paulus Burgenſis* vulgo dictus, archicancell. regni Caſtil. & patriarcha Aquileus. *Ioh. Trithemius* omnibus aliis eum præfert. Adde *Bellarmin. Sixtum Sen.* lib. 4. *Henr. Wharton* an. 1415. (g) *Ioh. de Raguſio* ord. Præd. in concil. Baſil. mox Ferrarienſi, legatus CPlin miſſus. *Trithem.* & *Bellarmin. Ambr. de Altamura, Wharton* 1433. (h) *Henr. Frigid. Ferrum* mon. Dom. Inquiſitor heret. præfit. Lege *Trithem.* & *Bellarmin. Ambr. de Altamura*, *Wharton* an. 1433. *Oudinus* tom. 3. an. 1450. (i) Archidiac. Barcinon. doctor Viennenſ. in concil. Baſil. clarus. *Trithem.* & *Bellarmin. Wharton* an. 1433. (k) Ex Aprutio, Minorita, concionator celebris, de quo lege *Alb. Kranz.* Saxon. lib. 11. c. 35. *Trithem.* & *Bellarm Henr. Sedulium* in hiſt. Seraphica, ubi vita *Capiſtrani*, multaque inde excerpta in *Paul. Freberi* theatro part. 1. ſect. 3. *Wharton* an. 1440. *Caſ. Oudinus* tom. 3. an. 1440. (l) *Bern. de Albizeſchi* Senenſ. mon. Franciſc. Gvardianus ad ſepulchr. Chriſti. Cœnobia 300. & plura fundavit. *Trithem.* & *Bellarmin. Sixtus Sen.* lib. 4. *Luc. Waddingus*, *Wharton* an. 1426. *Caſ. Oudinus* tom. 3. an. 1430. (m) Hiſpan. vir magnus, de quo dictum: *Hic ſtupor eſt mundi, qui ſcibile diſcutit omne*, teſte *Bellarmino*. Polyhiſtor, doctor Salamantic. epiſc. Abulenſis. Lege *Sixtum Sen.* lib. 4. *Voſſium* de hiſt. Lat. lib. 3. c. 7. *Wharton* an. 1434. *And. Schottum* bibl. Hiſp. tom. 2. claſſ. 1. p. 206. (n) *Antoninus* vulgo, ord. Domin. archiep. Florentinus, ſanctis adſcriptus. Vid. *Trithem.* & *Bellarmin. Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 3. c. 7. *Mich. Poccianctius* catal. ſcript. Florent. *Ambr. de Altamura, Wharton* an. 1444. (o) Scotus ord. Minor. quem autor *Bellarminum* ſecutus huc ponit, alii ad an. 1320. referunt. Rhemis & Mechlin. docuit, *doctor ordinatiſſimus* dictus. Lege *Wharton.* an. 1322. (p) *Tergremada* ab Hiſpanis dictus, ord. Domin. doctor Pariſ. in concil. Baſil. & Ferrar. *fidei defenſor* & *protector* a Papa dictus. Lege *Trithem.* & *Bellarmin. Sixtum Sen.* lib. 4. *Ambr. de Altamura, And. Schottum* bibl. Hiſp. tom. 2. claſſ. 2. init. *Wharton* an. 1493. (q) De *Cuſa* theol. philoſ. mathem. inſignis, qui *Copernico* præluſit. Cardinal. epiſc. Brixienſ. Lege *Trithem.* & *Bellarmin. Sixtum Sen. Henr. Wharton* an. 1448. (r) *Dion. a Ryckel* ſ. a *Leewis* Carthuſianus, Coloniæ docens, *Doctor Ecſtaticus* dictus. *Trithem.* & *Bellarmin. Sixtus Sen.* lib. 4. *Aub. Miræus* elog. Belg. claſſ. 4. *Franc. Swertius* Athen. Belg. *Val. Andreas Deſſel* bibl. Belg. *Wharton* 1450. (s) *Th. Malleolus Hemmerlin* myſticus ad ecſtaſin usque. Canon. Reg. S. Auguſt. *Trithem.* & *Bellarm. Aub. Miræus* claſſ. 4. elog. Belg. *Franc. Swertius* & *Valent. Andreas Deſſelius*, *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 3. c. 10. *Wharton* an. 1450. *Ebr. Dan. Colberg. im Plat. Herm. Chriſtenthum* P. 1. cap. 1. §. 16.

docuit *Gabriel Biel*, (t) ultimus fere omnium eorum, qui inter Germanos ſcholaſticæ theologiæ ſcriptis inclaruerunt, ipſe ſectator *Occami*.

CAP. II.

De philoſophis.

Hoc ſeculo philoſophandi ratio partim vetus eſt retenta, partim nova introducta; namque & multi conſuetam ſcholarum rationem, quam jam ultra ducentos annos tenuerant, ſecuti ſunt; nonnulli etiam per Græcos, capta Conſtantinopoli, & Trapezuntino regno deleto, exules Græcis *Ariſtotelis, Platonis*, aliorumque libris in Italiam delatis, partim *Platonicam philoſophiam*, partim illam, quam *Græci Ariſtotelis interpretes* obſervarunt, in Italia una cum elegantiore latinitate ſunt ſectati. Ad primi generis homines refero illos, quos antea ob theologiæ ſcholaſticæ peritiam quoque commendavi. Eminent autem inter illos hoc nomine *Johannes Capreolus*, *Johannes Baſſolius*, & *Gabriel Biel*. Ad eundem etiam ordinem pertinent *Johannes Verſor* (a) & *Paulus Venetus*, (b) quorum uterque circa ſeculi finem vixit. *Nicolaus* item *Dorbellus*, (c) & *Petrus Tartaretus*, (d) & *Galtherus Druel*, ſcholaſticæ ſimul philoſophiæ illius celebres.

Secundi ordinis ſunt: *Johannes Argyropylus*, (e) *Theodorus Gaza*, (f) *Beſſarion* (g) cardinalis, *Georgius Trapezuntius*, (h) omnes Græci exules, ſed qui in latine ſcribendi facultate omnes Latinos potuerunt provocare; vixerunt autem circa annum XL. & LX. Illis etiam popularis & coævus fuit, utut in Italiam non tranſierit, *Georgius Gemiſthius Pletho*, (i) philoſophiæ *Platonicæ* & *Ariſtotelicæ* peritus. Ex Græcorum autem exulum ſchola profecti ſunt *Johannes Picus*, (k) Concordiæ ac Mirandulæ comes, ingenii humani Phænix, ac plane ſtupendum miraculum; *Marſilius Ficinus*, (l) Platonicorum ſcriptorum interpretatione & defenſione clariſſimus. *Argyropyli* auditor fuit *Donatus Acciajolus*, (m) vir, ut genere nobilis, ita commentariis ethices & politices celebris. Mathematica tractarunt *Nicolaus Cuſanus*, & *Petrus de Alliaco*, alter aſtronomiam, alter matheſin. Nicolao etiam Pontifice *Archimedem* latine vertit *Jacobus* quidam *Cremonenſis*, (n) teſte *Regiomontano*; & in Algebra, eodem teſte, claruit *Johannes de Danachionius*. (o).

CAP. III.

De jure conſultis.

Hoc ſeculo canonici ac civilis juris profeſſio nihil fuit mutata, plane ut theologia. Floruerunt autem ſtatim initio ſeculi ex *Baldi* ejusque coævorum ſchola *Petrus de Ancborano*, (a) *Antonius de Butrio*, (b) *Franciſcus de Zabarellis*, (c) & *Chriſtophorus* (d) *Caſtellionens.* Circa annum *XXX. Caſtellionei* diſcipulus *Raphael* (e) *Fulgoſus*, & *Antonii de Butrio* auditor *Johannes de Imola*, (f) ac denique *Paulus* *de*

(t) Theologus & Prof. primus Tubing. Lege *Tritbem.* & *Bellarm. Ebr. Cellium* in imag. & elog. Profeſſ. Tubing. *Henr. Wbarton* an. 1480.

Cap. II. (a) Prof. Colonienſ. in Burſa Montis, ex libris notus, quos *Conr. Geſnerus* in bibl. recenſet. (b) Utini natus, erem. S. Auguſt. philoſophus celeberr. de quo *Tritbemius*, *Joſ. Pamphilus* in chron. erem. *I. And. Quenſtedt* de patriis ill. virorum. Libri a *Geſnero* citantur. *Caſ. Oudinus* tom. 3. an. 1420. (c) ſ. de *Orbellis* Andegav. ord. Minor. Prof. Pictavienſ. de quo *Tritbem. Lucas Waddingus*, *Quenſtedt* de patriis illuſtr. vir. *Wbarton* an. 1456. *Oudinus* tom. 3. an. 1450. (d) *Tataretus* philoſ. Pariſinus, in totum Ariſtotel. commentatus. Scripta *Conr. Geſnerus* refert. (e) CPtanus, exul Florentiæ & Romæ docens, ventre & animo tumens, contemtor aliorum. *P. Jovius* in elog. *Voſſius* de hiſt. Gr. lib. 4. c. 19. *G. Hornius* lib. 6. hiſt. philoſ. *Wbarton* an. 1450. *Oudinus* tom. 3. an. 1460. (f) Theſſalon. inter primos in Italiam venit. Græcorum doctiſſimus & modeſtiſſimus. Lege *Jovium* in elog. *Boiſſard.* icon. P. 1. num. 20. *Pier. Valerian.* de infelic. liter. lib. 2. p. 159. *Voſſium* de hiſt. Gr. l. 4. c. 19. & in Ariſtarcho lib. 1. cap. 4. *Caſ. Oudinum* tom. 3. an. 1450. *Iob. Alb. Fabricium* bibl. Gr. lib. 5. cap. 33. pag. 192. ſeqq. (g) Trapezunt. archiep. Nicenus in concil. Florentino ad Latinos tranſiens, hinc cardinalis, exulum Græcorum aſylum. *Tritbem.* & *Bellarmin. P. Iovius* in elog. *Boiſſard.* icon. P. 1. num. 19. *Wbarton.* an. 1436. *Oudinus* tom. 3. an. 1440. (h) Cretenſis, exul inter primos Italiam adiens, Secretarius Apoſtolicus, *Platonis*, & ob hunc Beſſarionis hoſtis, miſer ante mortem. Lege *Tritbem.* qui Gregor. dicit. *Iovium* in elog. *Boiſſard.* icon. P. 1. num. 18. *Leon. Allatium* de Georgiis in *Iob. Alb. Fabricii* bibl. Gr. lib. 5. part. ult. pag. 721. ſeqq. *Conr. Tollium* in append. ad *Pier. Valer.* infel. lit. *Wbarton* an. 1440. *Oudin.* tom. 3 an. 1440. fuſe. (i) CPtanus, hoſtis Latinorum, vir doctiſſimus, in Græciam ex concilio Florent. rediens. Lege de eo *Voſſium* de hiſt. Gr. lib. 2. cap. 30. *Leon. Allatium* de Georgiis in *Iob. Alb. Fabricii* bibl. Gr. lib. 5. part. ult. p. 739. *Henr. Wbarton.* anno 1438. *Caſ. Oudinum* tom. 3. an. 1430. fuſe. (k) Polyhiſtor & polyglottus incomparabilis, ætatis an. 32. mortuus. Vitam *Iob. Franc. Picus* ſcripſit ex fratre *Galencio* nepos. Lege *Paul. Iovium* in elog. *Boiſſard.* icon. P. 1. num. 19. *Sixtum Sen.* lib. 4. *Henr. Wbarton.* an. 1484. fuſe. Lege & notabilia in *Iac. Nic. Erytbræi* Pinac. 3. num. 46. in *Alex. Cherubin.* (l) Florentinus, philoſ. Platonicus, polyhiſtor inſignis. Lege *Tritbem.* & *Bellarmin.* de ſcript. eccleſ. *Iovium* in elog. *Boiſſard.* icon. P. 1. n. 23. *Micb. Poccianciuм* in catal. ſcript. Florent. *Henr. Wbarton.* an. 1480. *Pet. Caſtellanum* vit. med. pag. 171. (m) *Accigrolus Leandro Alb.* dictus, Florentinus vir doctiſſ. & diligent. Lege *Iovium* in elog. *Voſſium* in hiſt. Lat. lib. 3. cap. 8. (n) Parum notus, cujus opus a *Conr. Geſnero* in bibl. citatur. (o) Ex ſoli citatione *Iob. de Monte Regio* notus.

Cap. III. (a) Bonon. ex *Farneſiorum* familia, Patavii & Bonon. docuit. Lege *Tritbem. Iob. Ficbardum* in vitis ICt. *Guid. Panciroll.* lib. 3. cap. 26. *Valentin. Forſter.* hiſt. jur. civ. lib. 3. cap. 31. *Boiſſard* icon. P. 1. num. 11. *Henr. Wbarton.* addit. ad *Cavium* an. 1410. *Caſ. Oudinum* de ſcript. eccleſ. tom. 3. an. 1390. (b) Bonon. Prof. Bonon. & Ferrar. *Tritbem. Ficbardus*, *Panciroll.* lib. 3. cap. 27. *Forſterus* lib. 3. cap. 31. *Wbarton* an. 1398. (c) Patavinus epiſcop. Florent. cardinal. Director concilii Conſtant. *Tritbem.* & *Bellarmin. Panciroll.* lib. 3. cap. 28. *Valentin. Forſterus* lib. 3. cap. 31. *Pbil. Iac. Tomaſinus* in elog. init. *Wbarton* an. 1400. (d) Mediol. *Archi-Doctor* & *princeps ſubtilitatum* dictus. *Ficbardus*, *Pancirollus* lib. 2. cap. 80. *Forſterus* lib. 3. cap. 31. (e) Placentinus Profeſſ. Ticin. & Patav. de quo *Tritbemius*, *Pancirollus*, lib. 2. cap. 83. *Forſterus* lib. 3. cap. 32. *Hier. Gbilinius* theatr. literat. part. 1. pag. 388. (f) Bonon. Summus ICtus in patria. *Tritbem. Ficbardus*, *Forſterus* lib. 3. cap. 32. *Boiſſard.* icon. P. 1. num. 14. *Henr.*

de Caſtro, (g) ille, de quo vulgo fertur: *Si Bartolus non eſſet, eſſet Paulus.* *Imolam* audivit *Ludovicus Pontanus*, (h) mortuus anno MCCCCXXXIX. Circa annum XL. floruerunt præ aliis *Guido Papa*, (i) *Iohannes de Anania*, (k) *Iohannes Alvarottus*, (l) & *Angelus Aretinus*. (m) Anno LX. vixit *Alexander Tartagnus* (n) *de Imola*, & *Bartholomæus* (o) *Cæpolla*, & *Marianus Socinus*, (p) *Martinus* (q) *Laudenſis*, & *Lanfrancus de Oriano*. (r) Circa annum LXX. & LXXX. vixerunt: *Franciſcus de Accoltis*, (s) *Nicolaus Boërius*, (t) & *Andreas Siculus Barbatia*. (u) Sub finem denique vixerunt *Lancellottus Decius*, (vv) *Bartholomæus Socinus* (x) & *Ludovicus Bologninus*. (y) Non tantum vero juris civilis Romani præclari doctores vixerunt hoc ſeculo, ſed etiam juris canonici ſcriptores vix unquam fuere plures. Sunt autem ex juris canonici ſcriptoribus nonnulli jam ante laudati, qui utrumque jus excoluerunt. Ita circa initium hujus quoque ſeculi juris hujus peritia claruerunt *Petrus de Anchorano*, *Antonius de Butrio*, & *Franciſcus Zabarella*. Circa annum XXX. claruit *Iohannes de Anania*, archidiaconus Bononienſis. Circa annum XL. floruit illud magnum juris canonici lumen *Nicolaus Panormitanus* (z) Siculus. Circa annum LX. floruit *Andreas Barbatias* & *Iohannes de Turre cremata*. Sequentibus etiam temporibus *Iohannes de Imola* jus canonicum excoluit. Addendi & hic ſunt caſuum conſcientiæ ſcriptores. Floruerunt autem circa annum L. numero tres: *Pacificus*, (1) *Angelus de Clavaſio*, (2) & *Baptiſta de Trovamala*, (3) quorum primi liber vulgo nuncupatur *ſumma Pacifica*, ſecundi *Angelica*, tertii *Roſella*.

CAP. IV.

De medicis.

Eodem etiam ſeculo hæc artis medicæ, quæ præcedentis, facies fuit, niſi quod ſub finem unus & alter ex meliori literatura nonnihil culturæ illi arti addere eſt conatus. Alias vero habuit hæc ætas medicos & artis peritia, & philoſophiæ cognitione præſtantiſſimos longe plurimos. Atque initia quidem ornavit præ aliis *Nicolaus*, (a) prolixiſſimus *Avicennæ* commentator; & *Jacobus de Partibus*, (b) itidem commentariis in *Avicennam* ſcriptis clarus. Ut autem hi Italiam, ſic Galliam eodem tempore decoravit *Guido de Cauliaco*, (c) præſtantiſſimus arte chirurgica. Circa annum XX. & XXX. clari fuerunt in Italia, Bononiæ cumprimis, Patavii & Ferrariæ *Jacobus Forolivienſis*, (d) *Marſilius de S. Sophia* (e) & *Hugo Senenſis*. (f) Anno circiter XL. præ aliis emicuit *Bartholomæus Montagnana* (g) in Patavina academia & *Iohannes de Como Regio*, (h) *Johannes Sermoneta*, (i) & *Leonhardus Bertapalia*. (k) Paulo ante hos floruit Montepeſſuli in Gallia *Valeſcus de Taranta*. (l) Circa annum L. vixit *Johannes Michael Savanarola*, (m) & *Antonius Guaynerius*, (n) & *Antonius Cermiſonius*, (o) omnes practicis libris editis clariſſimi. Circa annum LX. & LXX. in maxima exiſtimatione fuerunt *Johannes Arculanus*, (p) *Pantaleon de Conflentia*, (q) & *Baverius de Baveriis*. (r) Circa annum LXXX. vixit *Johannes Matthæus de Gradibus*, (s) longe præſtantiſſimus medendi artifex. Eodem fere tempore & paulo poſt

Wharton an. 1425. (g) Calaber in omnibus Ital. ſcholis ſummo applauſu docuit. Vita a *Thom. Diplovatatio* ſcripta extat. Adde *Fichard. Panciroll.* l. 2. c. 89. ubi filium ejus deſcribit, *Forſterum* l. 3. c. 32. *Boiſſard.* P. 1. num. 15. (h) *Lud. de Roma* dictus, protonotar. apoſtol. ſtupendæ memoriæ. *Trith. Fichardus, Panciroll.* l. 2. c. 94. *Val. Forſterus* l. 3. c. 23. *Oudinus* an. 1430. (i) Gallus conſil. Parlamenti Delphin. *Forſterus* l. 3. c. 34. (k) Bonon. archidiac. & prof. juris. *Fichardus*, *Panciroll. Forſterus* l. 3. c. 34. *Wharton* an. 1450. (l) *Iacobus* potius, Patav. doctor celeberr. *Fichardus*, *Panciroll.* l. 2. c. 104. *Forſterus* l. 3. c. 34. (m) *Ang. Gambollienus* prof. Ferrar. Vita a *Th. Diplovatatio* ſcripta. *Forſter.* l. 3. c. 34. (n) *Iuris Monarcha* dictus, Ticin. Ferrar. Patav. Bonon. docuit. Vita a *Nic. Ant. Guidotio* ſcripta. Vid. *Trithem. Fichard. Panciroll.* lib. 2. c. 112. *Forſter.* l. 3. cap. 35. *Boiſſard.* P. 1. num. 21. *Wharton* an. 1467. (o) Veron. ICtus Patavinus, Tartagni adverſarius, *Trithem. Panciroll.* l. 2. c. 113. *Forſterus* l. 3. c. 35. (p) Senenſ. *doctor immortalis*. *Panciroll.* lib. 3. cap. 35. *Forſter.* l. 3. c. 35. (q) *Mart. Garatus a Laude Pompeja.* Ticini & Senis docuit. *Panciroll.* lib. 2. cap. 96. *Forſter.* lib. 3. cap. 35. (r) ſ. de *Arianello*, de quo pauca apud *Trithem* & *Forſter.* l. 3. c. 35. (s) Aretinus, *ſubtilitatum princeps*. *Panciroll.* l. 2. c. 103. *Forſter.* l. 3. c. 36. (t) Monspeliens. præſes ſenat. Burdigal. Polygraphus, *Panciroll.* l. 2. c. 153. *Forſter.* l. 3. c. 37. (u) *And. Barbatius* ſ. de *Bartholomæo*, Meſſan. Bonon. docuit. *Panciroll.* l. 2. c. 116. *Forſter.* l. 3. c. 36. *Wharton* an. 1460. (w) ſ. *Dekins*. Piſis & Ticini docuit. *M. Mantua* de illuſtr. ICtis. *Forſter.* l. 3. c. 36. (x) *Mariani* fil. Senenſ. *Papinianus* ſuæ ætatis. *M. Mantua* de ICtis, *Panciroll.* l. 2. c. 126. (y) Bonon. per omnes Ital. ſcholas docuit. *Pancir.* l. 2. c. 130. *Forſter.* l. 3. c. 36. *I. A. Bumaldus* bibl. Bonon. (z) *Nic. de Tudeſchis* ord. Bened. archiep. Panorm. *lucerna juris*, concilii Baſil. pars, cardinal. *Trithem.* & *Bellarm. Fichardus*, *M. Mantua* in ICtis, *Panciroll.* *Forſterus* l. 3. c. 34. *Wharton* an. 1428. (1) Novar. ord. Min. *Henr. Wharton* an. 1480. (2) Ligur. ord. Min. Nuncius apoſt. de quo *Trithem. Bellarm. Luc. Waddingus. Henr. Wharton* an. 1480. (3) ſ. Novamala, Ligur. ord. Min. *Luc. Waddingus* in annal. Min. *Henr. Wharton* an. 1480.

Cap IV. (a) *Nic. Nicolius* Florent. a *Leandro Alberto* inter Florent. lumina relatus. *Trithem. Voſſius* l. 3. c. 4. de H. Lat. *I. A. Quenſtedt* de patriis ill. vir. *Pet. Caſtellan.* paucis p. 160. (b) Tornajenſ. archiater *Caroli VII.* & *Philippi Boni* Burg. *Wolfg. Juſtus* chron. med. *Pet. Caſtellanus* p. 150. *Ioh. Ant. van der Linden* de ſcr. med. (c) Montepeſſuli docuit. *Urbani V.* medicus. *W. Iuſtus* in chron. *I. A. van der Linden.* (d) In patria medicus, omnibus aliis prælatus a *Trithemio*. *W. Juſtus* in chronol. *Pet. Caſtellanus* p. 154. *Lindenius.* (e) Patavinus, quem *W. Iuſtus* ad 1393. ponit., *Pet. Caſtellanus* pag. 161. *Lindenius.* (f) *Hug. Bentius*, prof. Parm. *Trithem. Pet. Caſtellanus* p. 156. *W. Iuſtus, Lindenius.* (g) De *monte Gnano* aliis, alter *Hippocrates*, med. Bonon. *W. Iuſtus* in chronol. *I. A. van der Linden* de ſcr. med. (h) Mediolan. Bonon. & Ticini docuit. *W. Iuſtus, Lindenius.* (i) Med. Bonon. de quo pauca *Petr. Caſtellanus* p. 165. *I. Ant. van der Linden.* (k) ſ. *Prædapalia* Patavinus, chirurgus. *W. Iuſtus* & *Lindenius.* (l) Monspel. *Caroli VI.* archiater. *Petr. Caſtellanus* p. 166. *W. Iuſtus, Lindenius.* (m) Patavinus archiat. Ferrarius. *W. Iuſtus* chr. med. *I. A. van der Linden.* (n) ſ. *Gaynerus* Ticin. med. in patria. *W. Iuſtus. I. A. van der Linden.* (o) *Savanarol.* præceptor, medicus excellentiſſ. *W. Iuſtus. Petr. Caſtellanus* paucis pag. 161. *Lindenius.* (p) *Ioh. Herculanus* aliis prof. Bonon. & Patav. *W. Iuſtus, Pet. Caſtell.* p. 163. *I. A. van der Linden* de ſcr. med. (q) *Pantal. Vercellenſis* a *Conr. Geſnero* in bibl. dictus. Scripta *Geſnerus* & *Lindenius* recenſent. (r) Parum notus, præter conſilia & quædam de balneis a *Geſnero* & *Lindenio* citata. (s) Ferrar. aliis Mediolan.

poſt primus *Nicolaus Leonicenus*, (t) vir græce & latine doctisſimus, a barbarie illorum temporum artem purgare conatus eſt. Juvit eum nonnihil *Hermolaus Barbarus*, (u) *Plinio* ac *Dioſcoride* recenſitis, licet medicinam nunquam profeſſus.

CAP. V.

De philologis, hiſtoricis & poetis.

Hoc ſeculo Græcæ & Latinæ linguæ ſtudium iterum cœpit germineſcere in Italia. Namque Græcam literaturam eo reduxerunt exules Græci, tyrannidem Turcicam fugientes, partim ante captam Conſtantinopolin, partim poſt. Latinæ linguæ deſiderium excitaverat jam tum præcedente ſeculo *Franciſcus Petrarcha*, quo factum, ut hoc ſeculo magno illam ardore propagarint Itali haud pauci. Et quidem Græcam literaturam reduxerunt hi potisſimum ſequentes Græci; *Emanuel Chryſoloras* (a) ſtatim circa initia, & hunc ſecuti *Beſſarion* cardinalis, *Theodorus Gaza*, *Georgius Trapezuntius*, *Iohannes Argyropylus*, *Gregorius* (b) *Tiphernas*, qui tamen & omnes ſimul latinæ linguæ fuerunt peritisſimi. Circa eadem initia maxime latinam linguam expoliere: *Franc. Poggius* (c) Florentinus, *Leonhardus Aretinus*, (d) *Franc. Philelphus*, (e) *Maphæus Vegius*. (f) Circa annum L. & LXX. potisſimum floruerunt: *Laur. Valla*, (g) *Æneas Sylvius*, (h) poſtea Papa *Pius* II. nominatus, *Domitius Calderinus*, (i) *Pomponius Latus*, (k) *Dominicus Floccus*. (l) Circa annum LXXX. viguit fama *Angeli Politiani*, (m) *Hermolai Barbari*, (n) & *Hieron. Savanarola*, (o) qui & theologus, & philologus peritisſimus. Illi coævus fuit, etſi ætate junior, *Rudolphus Agricola*, (p) Friſius, primus Germanorum, qui Græce, Latine ac Hebraice fuerit doctus. Per hos, horumque ſimiles alios, omnis tunc melior literatura eſt reſtituta, & quidem imprimis ſingulari Dei beneficio arte (q) typographica inventa

---

medicus acutisſimus Ticin. a W. *Iuſto*, *Iſr. Spachio* in nomenclat. *Lindenio* citatus. (t) Vincentius, vir probus & doctus, de quo *Trithemius*, *Lil. Gr. Gyraldus* dial. 2. de poetis ſui temporis, *P. Iovius* in elogiis notabilia habet. *Pet. Caſtellanus* p. 178. *Ioſ. Iuſt. Scaliger* epiſt. 19. *Lindenius*. (u) Patritius Venetus, vir magnus, gloria nobilitatis Venetæ a *Boiſſardo* dictus in icon. part. 1. n. 28. de quo lege *Trithemium*, *Iovium* in elog. *Pier. Valerian.* de infelic. liter. init. *Henr. Wharton* an. 1480.

Cap. V. (a) *Em. Chryſoloras* Byzant. a *Iohanne Palæol. Imp.* in occidentem miſſus in Italia manſit, Florentiæ, Romæ, Ticini docuit, in concilio Conſtant. mortuus, ubi epitaphium ab *Æn. Sylvio* poſitum *Caſp. Bruſchius* in monaſt. Germ. tradit. Vitam *Paul. Iovius* in elog. habet. Adde *Gavium Matth. Kœnig* in bibl. univerſ. prolixe, *Caſ. Oudin.* de ſcr. eccl. tom. 3. an. 1390. *Io. Alb. Fabric.* bibl. Gr. l. 5. c. 43. p. 392. (b) *Greg. Tiphernas* med. & philologus, qui primus Pariſiis Græca docuit, quod *Melch. Adami* in vita *Capnionis* refert. Lege *Paul. Iovium* in elog. *Lil. Greg. Gyraldum* dial. 1. de poet. ſui temporis, *Voſſium* de hiſt. Lat. l. 3. cap. 11. (c) *Ioh. Franc. Poggius Brandolinus*, ſecretarius 8. Paparum, tandem reip. Florentinæ, de quo durius judicat *Deſ. Eraſmus* lib. 4. ep. 7. Lege de eo *Trithem. P. Iovium* in elog. *Boiſſard.* icon. P. 1. n. 12. *Voſſium* l. 3. c. 5. de H. Lat. *Hankium* de R. Rom. ſcr. part. 2. c. 10. *H. Wharton* addit. ad *Cavium* An. 1420. *Caſ. Oudinum* tom. 3. an. 1430. fuſe. Vitam *Poggii Ioh. Bapt. Recanatus* hiſt. illius Florentinæ addidit Venet. 1715. 4. fuſius vero *Iac. l'Enfant* in Poggianis Amſt. 1720. 8. editis. (d) *Leonh. Brunus Aretinus*, Papæ ab epiſtolis, tandem reip. Florent. cancellarius, de quo *Trithem. Iovius* in elog. *Boiſſard.* icon. P. 1. n. 16. *I. M. Toſcanus* in peplo Ital. l. 1. n. 7. *Voſſius* de H. Lat. l. 3. c. 5. *Hankius* de R. Rom. ſcr. P. 1. c. 45. *Wharton* an. 1420. *Caſ. Oudinus* tom. 3. an. 1430. (e) *Philelphus* Anconitanus, CPlin abiens, Eman. Chryſoloræ filiam eruditam duxit, redux docuit in omnibus fere Italiæ ſcholis, elatus, pauper Bononiæ mortuus. Lege *Trithem. P. Iovium* in elog. *Gyraldum* dial. 1. de poet. ſui temp. *Voſſium* de H. Lat. l. 3. c. 7. *Ol. Borrich.* diſſ. 3. §. 109. de poet. Lat. (f) *Maph. Vegius* Laudenſ. libellorum ſuppl. magiſter *Martini V. Trithem. P. Iovius* in elog. qui pro ſummo poeta eum habet; *Gyraldus* dial. 1. de poet. ſui temp. *Borrich.* diſſ. 3. §. 117. *I. M. Toſcan.* peplo Ital. l. 1. n. 8. *H. Wharton* an. 1448. *Oudin.* T. 3. an. 1440. (g) *Valla Patrit.* Rom. Th. D. canon. Lateran. *seculi ſui Varro*, mordax nimis, Neapoli ab inquiſitione publ. fuſtigatus; laudatur ab *Eraſmo* Rot. epiſt. 3. libri 7. Lege *Trithem. Iovium* in elog. *Boiſſard.* icon. P. 1. num. 13. *I. M. Toſcan.* peplo Ital. l. 1. n. 14. *Voſſium* de H. L. lib. 3. cap. 7. *Hankium* de R. Rom. ſcr. part. 2. cap. 11. *Wharton* an. 1440. *Caſ. Oudinum* tom. 3. an. 1440. (h) *Æn. Sylv. Piccolomineus*, Senenſ. doctiſſ. concilii Baſil. ſcriba, S. R. Imp. ſecretarius, Papæ reconciliatus cardinalis, demum Papa factus, bullam retractationis edidit. Lege vitas Pontificum, it. *Trithemium* & *Bellarm. Boiſſard.* icon. part. 3. n. 2. *Voſſium* de H. Lat. l. 3. c. 7. *Lud. Iac. de S. Carolo* in bibl. Pontif. *Wharton* an. 1458. *Caſ. Oudinum* tom. 3. an. 1460. (i) *Domitius* Calderiæ in agro Veron. natus, doctus poetar. interpres, parum Chriſtianus, ambitioſus &c. Lege *Iovium* in elog. *Caſp. Barthium* ad l. 5. *Sylv. Statii* pag. 483. *Nic. Reuſnerum* in icon. part. 1. lit. C. 7. *I. M. Toſcanum* peplo Ital. l. 1. c. 27. (k) *Petrus Sanſeverinus* vero nomine ſ. *Petrus Calaber* dictus, ſed abjecto nomine Chriſtiano *Iul. Pomponius Latus* dici maluit, *Romulum*, & natalem urbis coluit, cum ſummo applauſu docuit. Lege *Iovium* in elog. *Voſſium* de H. Lat. l. 3. cap. 8. *Hankium* de R. Rom. ſcr. P. 1. c. 48. *Nic. Reuſner.* icon. P. 1. lit. H. *Pier. Valerian.* de infel. literat. l. 2. *I. M. Toſcanum* peplo Ital. l. 1. n. 38. (l) *Andr. Dominicus Floccus* canon. Florentinus. Secretarius Papæ, Autor libelli *L. Feneſtellæ* nomine circumlati, quod detexit *Lil. Greg. Gyraldus* dial. 4. hiſt. poet. adde *Voſſium* de H. Lat. l. 1. c. 19. *Hankium* de R. Rom. ſcr. part. 1. c. 44. (m) *Angelus Baſſus*, a patria *Politianus* dictus, docuit magno applauſu Florentiæ, vix Chriſtianus dicendus. Facies diſtorta, mores pravi, deſcribuntur graphice a *P. Iovio* in elog. *Gyraldo* dial. 1. de poet. ſui temp *Boiſſardo* icon. P. 1. n. 24. adde *Voſſium* de H. Lat. l. 3. c. 8. *Pier. Valerian.* de infel. liter. l. 2. *Nic. Reuſnerum* icon. P. 1. lit. G. 4. *I. M. Toſcan.* peplo Ital. l. 1. n. 36. (n) *Herm. Barbarus* cap. antecedent. extr. expoſitus. (o) *Savanarola* Ferrar. ord. Domin. concionator vehemens, ſanctus, ab *Alexandro VI.* anathemate percuſſus, in foro ſtrangulatus & combuſtus eſt an. 1498. Vitam ſcripſit *Ioh. Franc. Picus. P. Iovius* in elog. *Th. Beza* in icon. *Boiſſardus* icon. P. 1. n. 31. *N. Reuſnerus* P. 1. icon. lit. H. 5. *Pier. Valerian.* lib. 2. infel. liter. *Iac. Verheiden* imag. 4. *I. M. Toſcanus* in peplo Ital. lib. 1. n. 49. *H. Wharton* addit. ad *Cavium* an. 1480. Vita *Savanarolæ* prolixa prodiit *Iac. Quetif*, ut creditur, autore Pariſ. 1674. 8. 2. vol. (p) *Agricola* Friſius, vir excultisſimus, Gallis & Italis admirationi erat. Heidelbergæ domum vixit & obiit. Lege *Trithemium*, *Eraſm. Roter.* chiliad. cent. 4. adag. 39. adde *Iovium* in elog. *Boiſſard.* icon. P. 1. n. 27. *Melch. Adami* in vit. Germ. philoſ. *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Valer. Andr. Deſſelius* in bibl. Belg. *Aub. Miræus* elog. Belg. claſſe 7. init. *Henr. Wharton* an. 1475. (q) De *arte typographica* legendi *Bernh. a Mallincrot* de artis typogr. ortu & progreſſu, qui pro Moguntinenſibus certat; *M. Zuer. Boxhornius* diſſ. de typogr. inventione & inventoribus pro Harlemenſibus. Adde *Guil. Ern. Tenzelium* diſcurſu Germ. de inventione artis typogr. in Germania; item in colloq. menſtruis, præſ.

venta ultimis hujus ſeculi annis, Latini, Græcique præcipui ſcriptores ex tenebris in lucem ſunt producti.

Habuit hoc ſeculum etiam hiſtoricos nonnullos; namque circa annum XL. vixit ***Flavius Blondus***, (r) hiſtoricus cum antiquitate comparandus. Eodem tempore ***S. Antonius Florentinus***, & ***Æneas Sylvius***, quem antea laudavi, hiſtorias ſcripſere, ſed hic eleganter, ille minus latine. Circa annum LX. *Laonicus Chalcondylas* (s) res geſtas Turcarum ad ſuam usque ætatem Græce perſecutus eſt. Eodem tempore *Matth. Palmerius* (t) ſuum ſcripſit chronicon. Circa annum XC. vixit ***Jacobus Philippus Bergomenſis***, (u) ſupplementi chronicorum autor, & ***Antonius Bonfinius***, (w) hiſtoriæ Hungaricæ, & *Robertus Gaguinus*, (x) Gallicæ ſcriptores. Omnibus autem hiſce longe præcelluit ***M. Antonius Coccius Sabellicus***, (y) rerum Venetarum doctiſſimus juxta ac diligentiſſimus ſcriptor. In ipſo fine ſeculi habuit Germania noſtra viros quatuor hiſtoriæ laude inſignes: ***Iohannem Nauclerum***, (z) præpoſitum Tubingenſem, chronici univerſalis ſcriptorem non indoctum; ***Albertum Kranzium***, (1) Hamburgenſem canonicum, rerum Saxonicarum, aliarumque ſeptentrionalium longe diligentiſſimum doctorem; ***Iohannem Tritbemium***, (2) abbatem Spanheimenſem, virum, cum multis nominibus, tum optimorum ſcriptorum recenſione digniſſimum, qui hic memoretur; & demum ***Iacobum Wimphelingium***, (3) cujus eſt epitome rerum Germanicarum non contemnenda.

Denique nec poetæ huic ſeculo defuere. Circa extremum enim illius vixit ***Baptiſta Mantuanus***, (4) & *Marcellus Palingenius*, (5) una cum aliis aliquot minoris famæ in Italia. Eadem ætate tulit & Germania poetam pro captu ſeculi non contemnendum, ***Conradum Celten***, (6) Francum, qui primus in Germania lauream poeticam meruit.

Aſtronomiæ ſtudium refloreſcere etiam haud parum cœpit; primum quidem circa annum XXX. per *Georgium Purbachium*, (7) Viennæ in Auſtria, mox autem multo magis & longe clariſſime per hujus auditorem, ***Iohannem Mollerum***, (8) ***Regiomontanum*** vulgo a patria vocatum, virum Græce quoque doctum, quique rerum mathematicarum peritia ipſum ***Ptolomæum*** potuit provocare.

SECVLVM

---

pue an. 1693. menſe Auguſto *Melch. Adami* in vita *Guttenbergii* inter vitas Germ. philoſ. *Theod. Janſon. ab Almeloven* in viris *Stephanorum. Io. de la Caille* in hiſtoria typograph. Gall. ubi originem *Guttenbergio* tribuit. *Mich. Maittaire* annales typographicos. *Ioh. David Werthers Nachrichten von der Buchdrucker-Kunſt &c.* *Caſ. Oudinus* in fine tomi 3 de ſcript. eccl. adjecit diſſertat. de artis typographicæ inventoribus. Typographiæ incunabula reviſa *Val. Ern. Læſcherus* diſſ. 7. ſtromatum. *Peregrini Ant. Orlandi* origo & progreſſus artis typogr. Ital. (r) *Fl. Blondus* Foroliv. *Eugenii IV.* & ſucceſſorum ſecretarius, de quo *Tritbemius, P. Iovius* in elog. *Boiſſardus* icon. P. 1. n. 8. *Voſſius* de H. Lat. l. 3. c. 7. *Hankius* de R. Rom. ſcr. part. 1. c. 46. *Nic. Reusnerus* icon. P. 1. lit. C. *Wharton* an. 1447. *Caſ. Oudinus* tom. 3. an. 1450. (s) *Chalcondylas* Athen. in Græcia manſit, aliis abeuntibus, omniaque accurate notavit. Lege *Voſſium* de H. Gr. l. 2. c. 3. *Henr. Wharton* ad an. 1468. *I. A. Fabricium* bibl. Gr. lib. 5. cap. 5. §. 14. *Caſ. Oudinus* tom. 3. an. 1460. (t) Florentinus, poeta, orator, hiſtoricus, in concilio Florent. celebris, ob Arrianiſmum flammis traditus. Lege *Tritbemium, Iovium* in elog. *Voſſium* l. 3. c. 7. de H. Lat. *Mich. Poccianeium* de ſcript. Florent. *Wharton* an. 1449. *Caſ. Oudinum* tom. 3. an. 1430. qui ſupplicium negat. (u) *Iac. Phil. Foreſtus*, Bergom. erem. S. Auguſt. de quo *Tritbem. Voſſius* de H. Lat. l. 3. c. 11. *Ioſ. Pamphilus* in chron. eremit. S. Aug. *Donatus Calvus* in ſcript. Bergomatibus parte 1. p. 196. *Caſ. Oudinus* tom. 3. an. 1460. (w) *Ant. Bonfinius* Aſculanus, in aula *Matthiæ Corvini* Budæ lauto ſtipendio ſuſtentatus. Lege *Voſſium* de H. Lat. l. 3. c. 11. *Henr. Wharton* an. 1495. *Dav. Zvittingerum* in ſpecim. Hungar. literatæ p. 80. ſeqq. fuſe (x) *Rob. Gaguinus* Duacenſis generalis ord. Trinitariorum de redemtione captivorum, bibliothecarius regius, de quo lege *Symphor. Campherium* de viris Gall. illuſtr. P. *Iovium* in elog. qui durior in eum; *Aub. Miræum* elog. Belg. claſſ. 9. *Fr. Swertium* in Athen. Belg. *Val. Andream Deſſel.* bibl. Belg. *Voſſium* de hiſt. Lat. l. 3. c. 11. *Wharton* an. 1494. *Caſ. Oudinum* tom. 3. an. 1460. (y) *Sabellici* nomen in ſodalitio *Pomp. Læti* receptum, reip. Venetæ hiſtoriographus, bibliothecæ *Beſſarionis* præfectus, de quo *Iovius* in elog. *Io. Toſcanus* in peplo Ital. l. 2. n. 52. *Boiſſardus* icon. P. 1. n. 30. *Nic. Reuſnerus* icon. P. 1. lit. I. 6. *Voſſius* de H. Lat. lib. 3. c. 12. *Pier. Valerian.* lib. 1. de infel. liter. *H. Wharton* an. 1490. (z) *Io. Vergen.* ſ. *Vergenhaus* I. V. D. Præpoſitus Stutgard. primus rector acad. Tubingenſis, de quo *Henr. Pantaleon* part. 2. de viris Germ. illuſtr. *Melch. Adami* in vitis Germ. philoſ. *Voſſius* de H. Lat. lib. 3. cap. 10. *Erh. Cellius* de prof. Tubingenſ. *H. Wharton* an. 1500. (1) *Alb. Kranz.* Hamb. Th. & decret. doctor, prof. Roſtoch. decanus Hamburg. hiſtoricus candidus, de quo *Henr. Pantaleon* part. 2. de viris ill. Germ. *H. Ghilinus* theatr. P. 1. p. 7. *Melch. Adami* in vitis Germ. philoſ. *Voſſius* de H. Lat. lib. 3. cap. 10. *H. Wharton* an. 1504. Vita brevius Hamburgi edita, ſed plenius elaborata ab *Ott. Sperlingio* hucusque inedita. Epitaphium habetur in *Theod. Ankelmanni* inſcript. Hamb. n. 6. (2) *Io. de Monte*, a vico natali *Trittenheim* cognomen habet, ord. Bened. abb. Spanheimenſis, poſt Herbipolenſis, polyhiſtor inſignis, vir. diligentiſſimus, qui de ſe ipſo agit in fine catalogi ſcript. eccl. Adde *Henr. Pantaleon.* de vir. ill. Germ. part. 2. *Voſſium* de H. Lat. lib. 3. cap. 10. *H. Wharton* ad an. 1483. (3) *Iac. Wimphel.* Seleſtad. concionator Spirenſis, inde Heidelbergæ, demum in patria vixit, vir doctiſſ. & piiſſimus. Lege *Paul. Langium* in chron. Citiz. Tom. 1. rerum German. *Piſtorii Nidani* pag. 886. qui eum taxat. Adde *H. Pantaleonem* proſopogr. part. 3. *Melch. Adami* in vit. Germ. theol. *Voſſium* de H. Lat. lib. 3. c. 10. *Wharton* an. 1494. (4) *Bapt. Mantuanus*, ord. Carmelit. generalis, poeta celebris, quem tamen *Lil. Gr. Gyraldus* dial. 1. de poetis ſui temp. reprehendit; lege P. *Iovium* in elog. *Boiſſard.* part. 1. icon. num. 26. *Nic. Reuſnerum* icon. part. 1. lit. K. 5. *Voſſium* de H. Lat. lib. 3. c. 11. *H. Wharton.* An. 1501. *I. M. Toſcanum* peplo Ital. lib. 1. extr. (5) *Marc. Palingenius Stellatus* ultra ſeculi finem vixit, zodiaco vitæ notus, de quo *Gyrald.* dial. 2. de poet. ſui temp. *Ol. Borrich.* de poet. diſſ. 3. §. 108. (6) *Conrad. Celtes Protucius* Svinfurt. primus Germanorum poeta manibus *Frider. IV.* Imp. Norinbergæ coronatus, prof. Viennenſis, de quo *Henr. Pantaleon* proſop. ill. German. part. 2. *Melch. Adami* in vit. Germ. philoſ. *Voſſius* de H. Lat. l. 2. c. 10. *Io. Pet. Lottichius* bibl. poet. part. 3. init. *Ol. Borrichius* de poet. Lat. diſſ. 4. §. 153. (7) *Georg. Purbach.* ſ. *Peurbach.* ut ab *Henr. Pantal.* part. 2. proſop. vocatur, prof. Viennenſis celeberrimus, cujus vita legatur in *Melch. Adami* vitis phil. (8) *Io. Mollerus* Regiomonti in Franconia natus, per German. & Italiam celeberr. mathematicus ſine pari. Diu in Italia, tum Budæ, demum Norinbergæ vixit. Lege *Io. Tritbemium, P. Iovium* in elog. *Henr. Pantaleon.* proſop. part. 2. *Melch. Adami* in vitis Germ. phil.

SECVLVM. XVI.

CAP. I.

De ſcriptoribus eccleſiaſticis.

Hoc denique ſeculo, ut ipſius religionis Chriſtianæ, ita doctrinæ eccleſiaſticæ magna facta eſt mutatio. Namque primo linguarum ſtudium ad res theologicas ita adjectum eſt, ut hactenus nunquam. Inquiri etiam cœptum eſt in antiquos mores, & ritus primitivæ eccleſiæ. Hinc excuſſi omnes antiquorum patrum codices, inque lucem publicam typographiæ beneficio producti, id imprimis allaborante *Deſiderio Eraſmo* (a) *Roterodamo* incomparabilis ingenii & diligentiæ viro. Hebræorum quoque libri ad intelligentiam veteris Teſtamenti cœperunt conſuli, imo ab ipſis Chriſtianis in publicum edi, accedentibus quibusdam ad illius linguæ peritiam, Judæorum gloriæ æmulam.

Simul vero ingens in eccleſia ſchiſma enatum eſt, auctore primo *Martino Luthero* (b) anno MDXVII. quem plurimi toto terrarum orbe ita ſunt ſecuti, ut paucos intra annos tota fere Germania & Britannia, integra Septentrionalia Regna, ut & poſtmodum major Galliæ, Hungariæ & Poloniæ pars divortium a Romana fecerit eccleſia. Cum vero nec *Lutheri* ſectatores omni ex parte cum illo conſentirent, aliis huc, aliis illuc tendentibus, cum pars ſatis magna ſacramentariorum dogma foveret; factum hinc, ut illi ipſi proteſtantes (hoc enim communi nomine appellantur) in duo genera ſcriptorum maxime debeant diſpeſci. Usque ad annum igitur L. Auguſtanæ confeſſioni addicti fuerunt, eamque maxime propugnarunt ſequentes: *Martinus Lutherus*, *Philippus Melanchthon*, (c) *Johannes Brentius*, (d) *Nicolaus Amsdorffius*, (e) *Johannes Bugenhagius*, (f) *Eraſmus Sarcerius*, (g) *Andreas Oſiander*, (h) *Caſpar Cruciger*, (i) *Juſtus Jonas*, (k) *Urbanus Regius*, (l) *Johannes Mattheſius*, (m) &, qui omnes antiquitatis peritia ſuperavit, turbulento licet ingenio, *Matthias Flacius Illyricus*. (n) Sacramentariorum dogma amplexi ſunt: *Andreas Carlſtadius*, (o) *Huldericus Zwinglius*, (p) *Johan-*

Cap. I. (a) *Gerhardus Gerhardi* vero nomine dictus, *Deſiderii Eraſmi* nomen maluit, vir ad ſtuporem ſeculi doctus, polyhiſt. abſolutiſſimus, in Gallia, Anglia, Italia (ubi Taurini D. theolog. creatus) tandem Baſileæ vixit, polygraphus. Lege de eo *Jovium* in elog. *Theod. Bezam*, & *I. I. Boiſſard.* in icon. part. n 337. *Aub. Miræum* elog. Belg. claſſ. 8. init. *Franc. Swertium* Athen. Belg. *Val. Andr. Deſſel.* bibl. Belg. *Iac. Verheiden* in effig. *Melch. Adami* in vit. German. philoſ. *Adolph. Clarmundum* in vitis clariſſ. vir. initio. (b) Islebienſ. omnibus notus, theologorum German. princeps, cujus famam horrendis calumniis inquinare tentarunt adverſarii: *I. Cochlæus* de actis & ſcriptis Lutheri, *I. Laingæus*, de vita & moribus hæreticorum initio; *Caſp. Ulenbergius* de vita, moribus, & morte *Lutheri*, *Melanchth.* &c. *I. Piſtorius Nidanus* in anatomia Lutheri; *Ant. Poſſevinus* in atheiſmis hæreticorum; *Flor. de Ræmond*, de origine & progr. hæreſium; *Lud. Maimburg.* in hiſtoria Lutheraniſmi, aliique complures. Defendit eum optime *I. Mullerus* in Luthero defenſo, & defenſione Lutheri defenſi; it. *I. Matheſius*, & *Math. Dreſſerus* in hiſt. Lutheri. Vitam illius referunt ex reformatis *Th. Beza* in iconibus, *Boiſſardus* icon. part. 3. n 32. *Iac. Verheiden* in effig. *Melch. Adami* in vitis Germ. theol. *H. VVharton.* an. 1517. fuſe. E noſtris *I. Sleidanus* comment. de ſtatu relig. & reip. ſub Carolo V. *Vitus Lud. a Seckendorff* & *Elias Fickius* in hiſt. Lutheraniſmi, *Chriſt. Junckerus* in vita *Lutheri* nummis illuſtrata &c. Adde ſcripta copioſa de *Luthero* & hiſt. reformationis occaſione jubilei II. an. 1717. paſſim edita. (c) Philippus *Schwartz-Erde*, Bretta-Palatinus polyhiſtor Wittenberg. totius Germaniæ præceptor, ubique notus, cujus vitam prolixe & erudite *Ioach. Camerarius* ſcripſit. Lege & *Theod. Bezam* & *Boiſſardum* in icon. part. 3. n. 6. *Iac. Verheiden* in effig. *Melch. Adami* in vit. Germ. theol. & philoſ. fuſe. Adde funebrem orationem a *Vit. VVinſemio* habitam in *Ioh. Bismarci* vitis præcipuor. theologorum; *Balth. Menzii* elogia doctor. Witteberg. *Nic Reusneri* icon. part. 2. p. 228. *Thuanum* l. 26. qs extr. (d) *Brentius* Wila-Svevus, poſt academ. Tubingenſem reformatam, multaque mala tolerata, Stutgardienſis præpoſitus, vir pius & doctus. Lege *Thuanum* lib. 47. Vitam in *Boiſſardi* icon. part. 4. num. 15. *Melch. Adami* vitis theol. Germ. *Erh. Cellius* in imag. prof. Tubing. *Georg. Serpilius* in epitaph. theol. Svevorum p 123. (e) Nobilis Miſnicus, Magdeburg. eccleſiæ reformator, epiſcopus Naumburg. ab electore conſtitutus. De eo multa in *Seckendorffii* hiſt. Lutheraniſmi paſſim. *Melch. Adami* in vit. Germ. theol. *Paul. Freherus* theatro viror. illuſtr. part. ſect. 3. (f) *Pomeranus* vulgo, Julinenſis, fidus *Lutheri* ſocius, paſtor eccleſiæ Witteberg. paſſim adhibitus ad eccleſias reformandas, de quo legendi *Theod. Beza* & *I. I. Boiſſardus* in icon. part. 4. n. 11. *Iac. Verheiden* in effig. *Balth. Mencius* in elog. doctorum Witteb. *I. Bismarcus* in vita & geſtis theologorum. *Melch. Adami* in vitis Germ theol. (g) *Sarcerius* Annaberg. vir pius & laborioſiſſimus, qui multas paſſim eccleſias erexit & docuit. Vita habetur in *Boiſſardi* icon. part. 4. n. 16. *Iac. Verheiden* effig. *Melch. Adami* in vit. Germ. theol. (h) *Andr. Hoſmann* antea dictus, Gunzenhuſ. Francus, ex theologo Norinberg. concionator auſicus Regiomontanus, turbator ſuperbus, de quo *Dav. Chytræus* Saxon. l. 17. *Thuanus* l. 11. *Chriſtoph Hartknoch.* Boruſſ. vet. & nov. part. 2. cap. 5. §. 9. ſeqq. & in hiſt. eccleſ. Boruſſ. Vitam *Oſiandri* habent *Henr. Pantaleon* part. 3. proſopogr. *Melch. Adami* in vitis Germ. theol. (i) *Cruciger* Lipſienſis theol. Wittenberg. polyhiſt. inſignis, cujus vita in *Theod. Beza* & *I. I. Boiſſardi* icon. part. 3. n. 35. *Iac. Verheiden* in effig. *Balth. Mencii* elogiis doct. Witteb. *J. Bismarci* in vitis theol. *Melch. Adami* in vit. Germ. theol. (k) *Juſt. Jonas* Nordhuſan. paſtor. eccleſ. Witteb. poſt Halenſis, *Lutheri* fidus amicus, de quo *Th. Beza* & *Boiſſardus* icon. part. 3. num. 36. *Jac. Verheiden* in effig. *Henr. Pantaleon* part. 3. proſop. *Barth. Mencius* in elog. theol. Witteb. *I. Bismarcus* in vit. theol. *Melch. Adami* in vit. German. theol. (l) *Urb. Regius* Suevus theol. Auguſtanus, poſt Luneburgenſis, cujus vitam *Erneſtus* filius operibus patris addidit, quam & *Henr. Pantaleon* proſop. part. 3. & *Melch. Adami* in vitis Germ. theol. habent. *G. Serpilius* in epit. theol. Suev. p. 82. (m) *I. Mattheſius* Rochlicenſ. ex convictu Lutheri paſtor in valle Joachimica, de quo *Thuanus* lib. 83. *Boiſſardus* icon. part. 3. n. 40. *Melch. Adami* in vitis German. theol. Vita a *I. Balth. Matheſio* pronepote ſigillatim edita. (n) *Matth. Frankowitz* Albonenſ. Dalmata, polyhiſtor, prof. Witteberg. demum Jenenſis, ob rixoſum ingenium ſæpe locum mutare coactus, de quo *Thuanus* lib. 61. qs. extr. *Henr. Pantaleon* proſop part. 3. *Boiſſardus* icon. part. 3. n. 38 *Jac. Verheiden* in effig. *Melch. Adami* in vit. theol. Germ. Vitam *Flacii*, *I. Balth. Ritter* edidit. Franc. 1723. 8. (o) *Andr. Bodenſtein* Francus, theol. prof. Witteb. *Luthero* inter primos accedens, homo miri capitis, & turbulentus, de quo plurima apud *Sleidanum*, *Joach. Camerarium* in vita *Melanchth.* & *Seckendorffium* legenda. Vita extat in *J. Biſmarci* vitis theolog. *Melch. Adami* in vit. Germ. theol. & ſtupendis fabulis plena in *Jacobi Laingæi* vitis & moribus hæreticorum. (p) *Huld. Zwinglius* Helvet. paſtor Glaronenſ. poſt Tigurinorum, cujus vitam *Th. Beza*, & *I. I. Boiſſardus* icon. part. 4.

Johannes Oecolampadius, (q) *Leo Juda*, (r) *Conradus Pellicanus*, (s) *Paulus Fagius*, (t) *Seb. Münſterus*, (u) *Theodorus Bibliander*, (vv) quorum quinque hi poſteriores Hebraicæ linguæ notitia valde floruerunt; & denique *Johannes Calvinus*, (x) qui ita Genevæ & in Sabaudia docuit, ut magnam partem Galliæ, & Britanniam fere omnem, ac poſtremo magnam partem Belgii ac Germaniæ ſuam in ſententiam traxerit. Antequam ſchiſma illud eccleſiæ oriretur, jam tum magnum ſibi nomen theologicis ſcriptis comparaverant: *Jacobus Almainus*, (y) *Johannes Major*, (z) *Franciſcus Lychetus*, (1) tres doctiſſimi commentatores *magiſtri ſententiarum*; quibus merito quartus eſt adjungendus, *Hadrianus* is, (2) qui *Lutheri* ætate poſt *Leonem X.* Pontificatu functus eſt. Jam tum floruit quoque inſigni fama *Johannes Franciſcus Pic[?]*, (3) Mirandulæ & Concordiæ dominus, patruo ſuo *Johanne Pico* ſive ingenio, ſive doctrina non multum inferior, pietate ſuppar, ſcriptorum copia etiam ſuperior. Eadem tempeſtas jam florentem vidit *Thomam de Vio.* (4) Cajetanum, cardinalem ſummi ingenii, ac ſubtiliſſimi acuminis virum, etſi ille ætatem ſuam extenderit ad annum usque MDXXXIV. atque cum *Luthero* congreſſus ſit. Cui coævus itidem fuit, ut & eadem in ordine prædicatorum dignitate, imo nec multo minor in S. Thomæ ſcriptis enucleandis *Franciſcus Ferrarienſis.* (5) Cæterum cum ipſo *Luthero* propius vixerunt in Italia quidem *Sylveſter Prierias* (6) etiam ord. prædictorum prior generalis; in Germania vero *Johannes Eccius*, (7) *Conradus Köllin* (8) ordin. prædicatorum, *Johannes Faber*, (9) epiſcopus Viennenſis, *Conradus Wimpina*, (10) theologus Francofurtanus; in Anglia *Johannes Fiſcherus*, (11) epiſcopus Roffenſis, ac *Thomas Morus*, (12) regni Angliæ Cancellarius. Vixit autem eadem ætate *Deſiderius Eraſmus Roterodamus*, cui præter reparatam rem literariam theologica ſtudia ſaltem propter omnium fere antiquorum patrum ſcripta emendata atque in lucem producta incredibili plane diligentia & felicitate nunquam magnam ſatis gratiam retulerint. Quem quidem hic collocamus, ut qui membrum eccleſiæ proteſtantium eſſe noluerit, licet nec alteri parti omni ex parte ſatisfecerit. Aſt vero poſt annum XXX. usque ad annum L. inter Germanos & Belgas inter alios eminuerunt *Johannes Cochlæus*, (13) Norinbergenſis, *Albertus Pighius*, (14) Campenſis, *Georgius Wicelius*, (15) *Johannes Driedo* (16) Brabantinus a Thurnhaut, *Jacobus Latomus*,

n. 25. *Jac. Verheiden* in effig. *Melch. Adami* in vitis Germ. theol. habent. (q) *Jo. Hausſchein* Winsperg. Francus, paſtor. & profeſſ. Baſileenſis, vir doctiſſimus. Vitam *VVolfg. Fabric Capito* ſcripſit. Addantur *Th. Beza* & *Boiſſardus* in icon. part. 4. n. 28. *Jac. Verheiden* in effig. *Melch. Adami* in vitis Germ. theol. (r) *Leo Juda* Helvet. paſtor eccl. Tigurinæ, philologus inſignis, de quo *Th. Beza* & *Boiſſardus* icon. part. 4. num. 35. *M. Adami* in vit. Germ. theol. (s) *Conr. Kürſchnerus* Rubeaquenſ. ſacrarum & Hebr. literarum prof. Tigurinus. Vitam *Th. Beza* & *Boiſſard.* icon. part. 4. n. 32. *Melch. Adami* in vit. Germ. theol. adde *Thuan.* l. 16. (t) *Paul. Buchlin* tabernæ Rhen. natus, theol. Iſnenſis. Heidelb. Argentor. tandem in Anglia mortuus, corpus effoſſum & rogo impoſitum, de quo J. *Foxus* hiſt. rerum in eccleſ. geſtarum. Vita in *Theod. Beza* & *Boiſſardi* icon part. 4. n. 27. *Jac. Verheiden* in effig. *Melch. Adami* in vit. Germ. theolog. (u) *Seb. Munſterus* Ingelheim. linguæ S. prof. Baſil. Strabo Germanorum in epitaphio dictus, de quo *H. Pantaleon.* proſop. part. 3. *Th. Beza* & *Boiſſardus* icon part. 2. pag. 258. *Melch. Adami* in vit. philoſ. Germ. adde *Thuanum* lib. 11. (vv) *Th. Bibliander* Helvet. theol. & philologus Tigurinus, cujus vitam *H. Pantaleon* proſopogr. part. 3. *Melch. Adami* in vit. th. Germ. adde *Thuanum* l. 36. (x) J. *Calvinus* Novioduni in Piccard. natus, paſtor eccl. Argentinenſ. poſt Genevenſis, cujus vitam *Theod. Beza* & *Jac. Verheiden* in icon. *Melch Adami* in vitis theol. Exter. Peſſime deſcribitur a *Jacobo Laingao* in vitis hæret. melius a *Thuano* l. 36. adde *Ludov. Maimburg.* in hiſtor. Calviniſmi. Multa de *Calvino* & ſcriptoribus vitæ illius agit *Ant. Varillas* in hiſtoria Revelat. Europæ in cauſa relig. tom. 6. lib. 26. (y) Jac. *Almainus* Senon. theologus Pariſ. *Scoti* ſectator, de quo *Bellarminus* paucis. *Phil. Labbeus* tom. 1. de ſcript. eccl. *H. VVharton.* an. 1501. (z) Jo. *Major* Scotus, doctor Pariſ. philoſophus & hiſtoricus, de quo J. *Baleus* de ſcr. Brit. cent. 14. num. 59. *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 3. cap. 13. *Ph. Labbe* de ſcript. eccleſ. tom. 1. *And. du Sauſſay* contin. Bellarm. num. 2. (1) *Fr. Lychetus* Bergomas ord. min. generalis, de quo *Luc. VVaddingus* in ord. Franciſcan. *Bellarmin.* paucis, *Donat. Calvus* in ſcena liter. ſcriptorum Bergomenſ. part. 1. p. 161. (2) *Hadrianus Florentius* Traject. *Caroli V.* præceptor, poſt *Leonem X.* Papa nomine retento VI. dictus. *Onuphr. Panvinius* append. ad *Platinam*, *Bellarminus* & continuator *Andr. du Sauſſay* num. 11. *Boiſſardus* icon. part. 3. num. 3. *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Aub. Miræus* elog. Belg. initio. (3) *Galeoti Pici*, fratris *Johannis* ſupra laudati fil. Mirandulæ & Concordiæ dominus, miris caſibus ad mortem usque agitatus. Vita operibus præmitti ſolet. Lege *Jovium* in elog. *I. M. Toſcan.* in Peplo Ital. l. 2. n. 83. (4) *Thom. de Vio* in urbe Cajeta natus ord. dom. genralis, cardinalis, de quo legendi *Bellarminus* de ſcr. eccl. *Sixtus Senenſ.* lib. 4. bibl. S. *Ambr. de Altamura* bibl. prædicat. *Andr du Sauſſay* addit. ad Bellarm. n. 9. (5) *Franc. Ferrar.* ord. domin. magiſter generalis, de quo legendi *Leander Albertus* lib. 4. de viris ill. ord. præd. *Ambr. de Altamura*, in bibl. præd. *Voſſius* de hiſt. Lat. l. 3. c. 12. (6) *Sylv. de Prierio*, Pedemontanus prof. Bonon. *Leand. Albertus* lib. 4. de vir. ill. ord. præd. *Ambr. de Altamura*, *Sixtus Senenſ.* lib. 4. *Hier. Ghilinus* theatr. Ital. part. 1. *Voſſius* de hiſt. Lat. l. 3. c. 12. *And. du Sauſſay* addit. ad Bellarm. n. 10. (7) *I. Eck* Suevus, prof. theol. Ingolſt. hoſtis Lutheri infenſiſſimus, de quo *H. Pantaleon* proſop. part. 3. *Sixtus Sen.* lib. 4. *And. du Sauſſay* ad Bellarm. n. 17. (8) *Con. Köllin* Ulmenſ. ord. prædic. *Amb. de Altamura* in bibl. prædicat. *Bellarm.* de ſcr. eccleſ. an. 1500. (9) *I. Fabr.* Leutkirch Suevus ob confeſſ. Auguſtanam refutatam epiſcop. Viennenſis. *Sleidanus* lib. 7. *And. du Sauſſay* num. 12. qui perperam *Iacobum*, & Helvetium dicit. *I. A. Quenſtedt* de patriis clar. vir. (10) *Conr. VVimpina* de fagis Franconicis th. D. primus rector Francofurti ad Oder, de quo *I. Chr. Becmannus* in proleg. ad catal. bibliothecæ Francof. *Mart. Frid. Seidel* in iconibus illuſtr. Marchicor. num. 15. Vitam illius *Chr. Gotthold VVilifch* edidit Altenburg. 1725. 8. (11) *Io. Fiſcherus* epiſc. Roffenſis, ab *Henric. VIII.* capite plexus. *P. Iovius* in eclog. *Io. Baleus* ſcr. Brit. cent. 8. n. 68. *I. I. Boiſſardus* icon. part. 2. p. 115. *Sixtus Sen.* lib. 4. *And. du Sauſſay* num. 27. (12) *Th. Morus* ex advocato ob virtutem & eruditionem ad ſummam cancellarii regni dignitatem evectus, a Rége tandem *Henrico VIII.* capite plexus. Lege *Paul. Iovium* in elog. *Io. Baleum* ſcr. Britann. cent. 8. n. 69. *Henr. Hollandus* in herologia Angl. p. 10. *Boiſſardus* icon. part. 2. p. 120. *Voſſium* de hiſt. Lat. l. 3. c. 13. *I. Pet. Lotichium* bibl. poet. part. 4. *And. du Sauſſay* ad Bellarm. n. 28. (13) *Io. Cochlæus* Norimb. th. D. Canon. Mogunt. Wormat. Wratislav. ubi ad S. Johann. ſepultus. Hoſtis Lutheri infenſiſſimus, de quo *H. Pantaleon* proſop. part. 3. *Boiſſardus* icon. part. 2. p. 179. *Bellarm.* de ſcr. eccl. ann. 1500. & *And. du Sauſſay* in add. num. 21. adde *Thuanum* lib. 11. (14) *Alb. Pighius* Campenſis th. D. Colon. mathematicus inſignis, de quo *Iovius* in elog. *H. Pantaleon.* proſop. part. 3. *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Val. Andreas Deſſel.* bibl. Belg. *Aub. Miræus* elog. Belg. claſſ. 3. *And. du Sauſſay* n. 19. (15) *Georg. Wicelius*, Fuldenſis, ab evangelicis ad Romanos deficiens illos fervide oppugnavit. Lege de eo *Sixtum Senenſ.* lib. 4. *Henr. Pantaleon.* proſopogr. part. 3. *Boiſſard.* icon. part. 4. extr. *VVolfg. Crügerum* in catalogo mille viror. celebrium. (16) *Io. Driedo* Tornhoutanus Brabantus doctor Lovanienſis, de quo *Aub. Miræus* elog. Belg. claſſe 2. *Fr. Swertius A-*

mus, (17) profeſſor Lovanienſis, *Ruardus Tapperus*, (18) *Johannes Heſſellius* (19) a Lovanio. In Germania itidem *Julius Pflugius*, (20) Nob. Misnenſis. Eodem temporum ſpacio vixit etiam in Italia *Ambroſius Catharinus* (21) ordin. prædicatorum & archiepiſcopus Compſæ. Habuit & Hiſpania *Franciſcum Victorium*, (22) qui primus theologiam ſcholaſticam in Hiſpania excitavit; hujusque diſcipulos longe doctiſſimos *Dominicum Sotum*, (23) & *Melchiorem Canum*; (24) nec non *Jacobum Payva Andradium*; (25) ac denique *Martinum Azpicueltam* (26) Navarrum, theologiæ moralis luculentiſſimum ſcriptorem.

CAP. II.

De philoſophis.

Hac tempeſtate ex parte quidem recepta hactenus in ſcholis philoſophandi ratio eſt retenta, ex parte tamen etiam mutata. Et quidem quos antea in theologicis laudavimus, *Thomas Cajetanus*, *Franciſcus Ferrarienſis*, *Johannes Major*, *Franciſcus Lychetus*, *Johannes Eccius*, multum ſane juverunt & philoſophica ſtudia; quod etiam poſtea fecerunt *Franciſcus Victoria* & *Dominicus Sotus*. Nonnulli tamen, cum vel totos ſeſe, vel potiſſima ex parte ſtudiis illis dederint, illa tempeſtate ingentem reportaverunt laudem. Hos inter circa exordia ſeculi vixerunt *Paulus Soncinas*, (a) & *M. Antonius Zimara*. (b) Circa annum XX. & XXX. imprimis floruerunt *Petrus Pomponatius*, (c) ingentis ingenii vir, ſed parum Chriſtiani, ejusque æmuli *Alexander Achillinus*, (d) & *Auguſtinus Niphus* (e) *Sueſſanus*; ac præterea *Chryſoſtomus Javellus*, (f) ordin. prædicatorum monachus. Ex *Pomponatii* ſchola circa annum XL. & L. floruerunt *M. Antonius Paſſerius* (g) Genuenſis, *Jacobi Zabarellæ* Magiſter, *Ludovicus de Buccaferrea*, (h) *Simon Portius*, (i) ut doctrina, ſic & impietate magiſtro ſuo ſuppares; *Lucillus Philalthæus*, (k) *Nicolaus Contarenus* (l) Cardinalis, *Franciſcus Vicomercatus*. (m) Sic & *Jul. Cæſar Scaliger*, (n) qui eodem tempore adverſarium ſibi elegit *Hieronymum Cardanum*, (o) admirandi, ſeu potius

thenis Belg. *Val. Andreas Deſſelius* in bibl. Belg. & Faſtis Lovanienſibus. (17) *Iac. Latomus* Camberonenſis Hanno, doctor Lovan. Lutherum oppugnans, de quo *Hier. Ghilinus* theatri part. 2. *Boiſſardus* part. 2. l. c. *Aub. Miræus* claſſ. 2. elog. Belg. *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Val. Andreas Deſſel.* in bibl. Belg. & Faſtis Lovan. (18) *Ruardus Tapperus* Enkhuſanus theologus & cancellarius Lovan. Belgii oraculum; in concilio Trident. celebris, *A. Henr. Pantaleon* proſopogr. part. 3. *Aub. Miræus* elog. Belg. claſſ. 2. init. *Fr. Swertius* in Athenis Belg. *Val. Andreas Deſſel.* in bibl. Belg. & faſtis Lovan. (19) *Io. Heſſellius* Ord Præmonſtr. abbas, prof. Lovanienſis, in concil. Trident. præſens. *Sixtus Senenſ.* lib. 4. *Aub. Miræus* elog. Belg. claſſ. 2. *Franc. Swertius* Athen. Belg *Val. Andreas Deſſel.* bibl Belg. & faſtis Lovan. *And. du Sauſſay* addit. ad Bellarm. num. 59. (20) *Iul. Pflug.* nobil. Miſn. canon. & poſtea epiſc. Naumburgenſis, in concilio Tridentino præſens, præſes colloquii Wormat. de quo multa paſſim *Sleidanus*, *Thuanus*, *Seckendorffius*, vita in *H. Pantaleonis* proſop. part. 3. *Wolfg. Lrügeri* catalogo M. viror. celebr. (21) *Lancellottus Politus* Senenſ. jur. prof. Bonon. poſt aſſumto *Ambroſii Catharini* nomine mon. dominicanus, *Sixti Senenſ.* præceptor, qui de eo libro 4. bibl. S. legendus. Tandem archiep. Compſæ in regno Neap. factus. Lege de eo *Guid. Pancirollum* de JCtis lib. 2. c. 103. *Bellarminum* de ſcr. eccl. ante fin. (22) *Franc. de Victoria* mon. domin. Pariſiis primo, poſt Salamanticæ theol. ſcholaſt. docuit, decus & ornamentum Hiſpaniæ dictus. De eo *Alf. Garſias Matamorus* de doctis Hiſpan. viris, *Andreas Schottus* bibl. Hiſp. tom. 2. claſſ. 2. *Amb. de Altamura* in bibl. prædic. *Bellarmin.* de ſcript. eccleſ. & *And. du Sauſſay* in contin. num 44. (23) *Dom. a Soto* Segovienſ. mon. domin. Victoriæ diſcipulus & ſucceſſor Salamant. confeſſionarius *Caroli V.* Lege *Alph. Garſiam* de doct Hiſp. viris; *Schottum* B. Hiſp. tom 2. claſſ. 2. *Ambr de Altamura*, *Sixtum Sen.* lib 4. *Bellarmin.* de ſcr. eccl. (24) *Melch. Canus* ord. Domin. profeſſ. Salamant. poſt epiſcopus inſular. Canariarum. Lege *Alph. Garſiam*, *And. Schottum*, *Amb. de Altamura*, *And. du Sauſſay* in contin. Bellarm. n. 49. (25) *Iac. Payva de Andrada* Luſitanus, concil. Trident vidit & defendit *Andr. Schottus* B. Hiſp. tom. 3. claſſe 2. paucis, *Andr. Quenſtedt* de patriis ill. vir. (26) *S. Azpicueta* Navarrus, ord. S. Auguſt. prof. jur. canon. Toloſæ, Salamanticæ, Coimbræ. Lege *And. Schottum* bibl. Hiſp. tom. 2. claſſ. 7. *Pancirollus* *Bellarmin.* de ſcript. eccl. & continuator. *And. du Sauſſay* n. 41. *Ian. Nic. Erythræus* pinacoth. 1. init.

Cap. II. (a) *Paulus Barbus*, *Soncinas* ab oppido patrio Lombardiæ dictus ord. Domin. de quo *Ambr. de Altamura*. *Quenſtedt* de patr. ill. vir. (b) *Zimara* Sanctipetrinas, ſcriptis magis, quam vita notus, quæ referuntur a *Conr. Geſnero* in bibl. & *Io. Anton van der Linden* de ſcriptis med. De eo & *Ant. Riccobonus* gymn. Patavini lit. p. f. 221. (c) *Petr. Pomponatius* Mantuanus, interpres *Ariſtot.* & *Averrhois* Bononiæ præceptor *Pauli Iobii*, qui tamen in elogiis illius impietatem reprehendit. Lege de eo *unſchuld. Nachrichten von alten und neuen* an. 1701. p. 52. ſeqq. & 1702. p. 827. ſqq. adde *I. M. Toſcanum* in Peplo Ital. l. 2. n. 66. (d) *Alex. Achillinus* Bonon prof. Patavinus, tandem poſt. *Petr. Pomponatii* injurias Bononienſis. Lege *P. Iobium* in elog. *Io. And. Bumaldum* in bibl. Bonon. *I. M. Toſcanum* in peplo Ital. l. 2. n. 59. (e) *Niphus Philotheus*, *Sueſſa* in Brutiis natus, homo inſicerus, philoſophus tamen acutus, de quo curioſa *P. Iobius* in elog. Lege *Corn. Tollium* in append. ad *Pier. Valeriani* infelicem literat. p. 13. (f) *Chryſ. Iavellus* Canapurius ord. Prædicat. philoſophus inſignis. Lege *Ambr. de Altamura* in bibl. Præd. *I. A. Quenſtedt* de patriis illuſtr. virorum. (g) *M Ant. de Paſſeribus* Genuenſ. hinc *Genua* dictus a quibusdam S. Genua, philoſ. Patavinus, quem citat *Ant. Riccobonus* de gymn. Patav lib 1 fol. 22. b. adde *Iac. Phil. Tomaſini* elog. part. 1. p. 99. ubi imago & alia. (h) *Lud. Buccaferrius* phil. Bonon. celeberrimus, de quo *Io. Ant. Bumaldus* in bibl. Bonon *Hieron. Ghilinus* theatr. part. I. *Tomaſinus* elog part. 1. p. 113. (i) *Sim Portius* Neapol. lit. doctus, ſed impius, Piſis & Neapoli docuit, de quo *Thuanus* lib. 13. I. A. *Quenſtedt* de patriis illuſtr vir. *Conr Geſnerus* opera illius recenſens, librum de mente humana perco non homine dignum judicat. (k) *Lucill Philalthæus* Marcius medicus philoſ. & theol. celebris, qui Tirini Mediolani & Taurini docuit. Vitam recenſet *Hieron. Ghilini* theatri part. 1. p. 198. opera medica recenſet I. A. *van der Linden*. (l) *Caſp.* (non *Nicol.*) *Contarenus* patrit. & ſenator Venetus, cardinalis legatus in German. Vitam ſcripſit *Io. Caſa* epiſcopus Beneventanus. Lege *Iobium* in elog. *Lud. Don. Datteſchium* in flor. hiſtor. cardinal. *And du Sauſſay* addit. ad Bellarm. num. 20. (m) *Franc. a Vico Mercato*, in duc. mediolan. philoſophus inſignis. *Hier. Ghilinus* theatr. vol. 2. opera *Geſnerus* recenſet in biblioth. (n) *I C. Scaliger* a Burden, ex illuſtri familia quam impugnat *Caſp. Scioppius* Satyra virulenta ſub tit. *Scaliger Hypobolimæus*, Miles utplurimum, tamen polyhiſtor admirabilis. Vitam lege in *Theod. Bezæ* icon. *Boiſſardi* icon. part. 3. n. 7. *Scæv. Sammarthan.* elog. Gallic lib. 1. *Io. Imperialem* in Muſ. hiſtor. p. 63. Lege & *Thuanum* lib. 21. Vitam etiam conſarcinavit *Ad. Clarmundus* in vitis clar. viror. part. 7. init. (o) *Hier. Cardanus* Mediolan. medicus & mathemat. magni ſed miri ingenii; Patavii, Mediol. & Romæ vixit. Scripſit librum de vita propria, & de libris propriis, adde *Hier. Ghilin.* theatri part. 1. pag. 221. *Jac. Phil. Tomaſin.* elog. part. 1. p. 55. *Thuan.* lib. 62. De illius atheiſmo lege *unſchuldige*

potius mirifici ingenii medicum ac philoſophum. Eadem tempeſtate reformare nonnihil, ſeu potius reparare rem philoſophicam cœpit *Philippus Melanchthon.* Ad longe maximam gloriam, & immortale fere nomen pervenit *Georgius Agricola*, (p) ſcriptis de re metallica editis, magnum noſtræ Germaniæ ornamentum.

CAP. III.

De jure conſultis.

Hac tempeſtate ut aliarum artium & ſcientiarum, ſic & *jurisprudentiæ* cultorum tantus fere numerus fuit, quantus omnibus præcedentibus ſeculis non fuit; adjecta porro ad jurisprudentiam a nonnullis clariſſimis viris & melioris literaturæ, & Romanarum antiquitatum ſtudia. Hiſpania porro adjicere cœpit & ſcholaſticas ſubtilitates *naturalis juris* ac *theologiæ moralis*; quo factum, ut hoc tempore jurisprudentiæ ſtudia a conſueta ratione plurimum abierint. Omnium autem numerum inire neque facile, neque utile forſan fuerit; præſtantisſimos igitur laudabimus. Initio maxima in opinione fuerunt: *Felinus Sandeus*, (a) *Philippus Decius*, (b) atque *Iaſon Maynus*, (c) item *Ludovicus Gomeſius*, (d) *Johannes Franciſcus Ripa*, (e) *Robertus Marantha*, (f) & *Franciſcus Curtius.* (g) Circa annum XX. & XXX. vixerunt duo illa lumina, alterum Galliæ, Italiæ alterum, *Guilielmus Budæus*, (h) & *Andreas Alciatus*, (i) quem merito, ait *Forſterus*, inter interpretes juris doctisſimum, ac inter doctiſſimos juris conſultisſimum fuiſſe. His vero duobus autoribus in Gallia potisſimum latinior atque elegantior jurisprudentia cœpit florere, Italicis contra ſcholis magna ex parte antiquam docendi rationem retinentibus. Fuere autem hi in Galliis præcipui: *Franciſcus Duarenus*, (k) *Eguinarius Baro*, (l) *Andreas Tiraquellus*, (m) viri infinitæ lectionis, *Franciſcus Balduinus*, (n) *Carolus Molinæus*, (o) *Antonius Goveanus*, (p) gente tamen Luſitanus; *Franc. Hotomannus*, (q) *Barnabas Briſſonius*, (r) & qui omnes omnium fere temporum jurisperitos omnigena iſta jurisperitia longo intervallo poſt ſe reliquit *Jacobus Cujacius.* (s) Hiſpania vero, per quem theologiam ſcholaſticam accepit, eodem autore & philoſophia illa naturalis juris, & theologiæ moralis, cum Romani juris ſtudio eſt conjuncta. Ille vero eſt *Franc. de Victoria*, quo præceptore uſus eſt *Didacus Covarruvias*, (t) quique etiam huic operam dedit, *Ferdinandus Vaſquez*, (u) qui primi omnium longo poſt intervallo veram juris æterni philoſophiam, ſimul cum civilis juris prudentia excoluerunt. Germania quoque tandem aliquando cœpit ſuos jurisprudentiæ ſcriptores monſtrare. Fuere enim illis XXX. primis annis hi

præ-

Nachrichten an. 1701. menſe Maj. pag. 246. (p) *Georg. Agricola* Glauch. Miſnicus, medicus in valle Joachim. & Chemnitii, rei metallicæ peritiſſimus. Vitam habet *Melch. Adami* in vit. Germ. med. Adde *Thuanum* l. 16. *I. A. Quenſtedt* de patriis ill. vir.

Cap. III. (a) *Felinus Sandeus* Ferrar. Prof. Piſanus, Romam vocatus, poſt alias dignitates epiſcopus Lucenſis, de quo *Val. Forſterus* in hiſt. I. civ. lib. 3. cap. 38. *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 3. c. 11. *H. Wharton* addit. ad *Caveum* an. 1494. *Mart. Zeilerus* de hiſtor. part. 3. (b) *Phil. Decius* ſ. de *Dexio* Mediolan. Doctor Piſanus, magnificentia & admirando applauſu ad invidiam celebris, infelix demum. Lege *Panciroll.* de ICtis lib. 2. c. 135. *Val. Forſter.* lib. 3. c. 39. Adde *P. Iovium* in elog. *Boiſſard.* icon. P. 1. n. 34. *H. Wharton* an. 1508. (c) *Iaſ. Maynus* Mediolan. ex juvene diſſoluto magnus ICtus Piſanus & Ticin. Lege *Panciroll.* lib. 2. c. 127. *Forſterum* lib. 3. c. 40. *Iovium* in elog. *Boiſſard.* icon. part. 1. n. 25. (d) *Lud. Gomez.* Hiſp. ICtus Patavin. inde Romam vocatus, tandem archiepiſc. Sarnenſis in Campania, de quo *Valentinus Forſterus* lib. 3. cap. 41. (e) *Iohan. Frid. Ripa* ſ. de *S. Nazario a Ripa* Ticinenſ. ICtus in patria, Valentiæ, Avenione, tandem conſil. Mediolan. de quo *Pancirollus* lib. 2. cap. 157. *Forſterus* lib. 3. cap. 41. (f) *Rob. Marantha* Venuſinus Apulus, ICtus Salernitanus, quem paucis citat *Val. Forſterus* lib. 3. c. 41. (g) *Franciſcus Curtius* Ticin. ex conſil. Gall. Prof. juris Ticin. & Patavii, de quo *Pancirollus* lib. 2. c. 119. *Forſterus* lib. 3. c. 41. (h) *Guil. Budæus* Pariſ. ICtus ſummus, Polyhiſtor incomparabilis, *Galliæ portentum* ab *Eraſmo* dictus, libellorum ſupplicum magiſter in aula, de quo *P. Iovius* in elog. *Boiſſardus* icon. part. 2. p. 130. *Th. Beza* in icon. *Scæv. Sammarth.* elog. Gall. lib. 1. & 2. *Val. Forſterus* lib. 3. c. 41. *Ad. Clarmund.* P. 1. (i) *Andr. Alciatus* Mediolan. ICtus, orator, poeta conſummatisſimus, qui primus jurisprud. nitori ſuo reſtituit. Biturigibus, poſt Ticini docuit. Lege *Panciroll.* lib. 2. cap. 169. *Forſter.* lib. 3. cap. 41. *Boiſſard.* P. 2. icon. p. 134. *Hier. Ghilinus* theatr. part. 1. p. 18. *Ioh. Imperialis* Muſ. hiſtor. p. 51. *Ad. Clarmund.* part. 7. it. *im Leben der Staats-und Rechts-Gelahrten*, P. 2. n. 18. (k) *Franc. Duarenus* Armoricus, ICtus Bituricenſis conſummatiſſ. memoriæ non optimæ, de quo *Val. Forſterus* lib. 3. cap. 41. *Scæv. Sammarth.* lib. 1. elog. Gall. Adde *Thuan.* lib. 23. *Quenſtedt* de patriis ill. vir. (l) *Eguin. Baro* Armoricus, Andegavi, Pictavii, Biturig. docuit, æmulus *Duareni.* Lege *Forſter.* lib. 3. c. 41. *Scæv. Sammarth.* elog. Gall. lib. 1. (m) *And. Tiraquellus* Picto, ſummus ICtus, Senator Regius Pariſ. de quo *Val. Forſterus* lib. 3. extr. Adde *Scæv. Sammarth.* elog. Gall. lib. 1. *Hier. Ghilinum* theatr. P. 2. *Thuanum* lib. 28. (n) *Franciſc. Balduinus* Atrebas, ICtus & hiſtor. inſignis. Biturig. Genevæ, Heidelbergæ, inde religione mutata Duaci, Pariſ. Andegavi docuit. Legatur *Aub. Miræus* elog. Belg. claſſ. 5. prolixe *Hier. Ghilinus* theatr. part. 2. *Scæv. Sammarth.* elog. Gall. lib. 2. *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Valent. Andreas Deſſel* bibl. Belg. *Melch. Adami* in vitis Germ. ICtor. (o) *Car. Molinæus* Pariſinus, advocatus regius, inconſtans in religione. Lege *Thuan.* lib. 6. & 39. *Scæv. Sammarth.* elog. Gall. lib. 2. *Corn. Tollium* infel. lit. p. 60. (p) *Ant. Goveanus* Luſitanus ICtus, orator, poeta &c. Toloſæ, Divione, Valentiæ, Gratianopoli docens, demum conſil. Taurin. *Thuanus* lib. 23. & 38. *Andr. Schottus* bibl. Hiſp. tom. 2. claſſ. 7. *Hier. Ghilinus* theatri part. 2. (q) *Fr. Hotomannus* Pariſ. ex familia *Uthmannorum* Wratislavienſi, ICtus conſummatiſſ. Aureliani, Avarici, poſt nuptias Pariſienſ. exul Genevæ, Lauſannæ, Baſil. docuit. Legatus regius ad Germanos. Lege *Thuan.* lib. 99. *Boiſſard.* icon. p. 3. n. 21. *Scæv. Sammarth.* elog. Gall. l. 3. *Mart. Hanckius* de rer. Rom. ſcript. part. 1. cap. 72. *Corn. Tollium* infel. liter. p. 76. (r) *Barn. Briſſonius* Picto, ICtus & polyhiſtor ſummus, advocatus regius, præſes S. conſiſtorii regii, a furente plebe an. 1591. ſuſpenſus. *Thuanus* prolixe l. 102. *Scæv. Sammarth.* elog. Gall. lib. 4. *Mart. Hanckius* de rer. Rom. ſcript. lib. 2. part. 1. c. 37. *Corn. Tollius* inf. lit. p. 79. *Ad. Clarmundus* part. 9. init. (s) *Jac. Cujacius* Toloſanus, princeps ICtor. ſui temporis. Cadurci, Biturig. Toloſæ, Valent. Taurini docuit. Vita a *Papyrio Maſſono* ſcripta operibus præmittitur. Lege *Thuanum* l. 99. *Scæv. Sammarth.* elog. Gall. lib. 4. *Joh. Imperial.* in Muſ. hiſt. p. 98. *Corn. Tollium* inf. lit. p. 77. *Ad. Clarmundum* part. 2. n. 7. (t) *Did. Covarruvias a Leyva* Toletanus, ornamentum Hiſpaniæ, Prof. Salamanc. redux ex concilio Trident. Conchæ epiſcopus, præſes ſenatus regii, de quo *Thuanus* l. 64. *And. Schottus* B. Hiſpan. tom. 2. claſſ. 7. *Hier. Ghilinus* part. 2. theatri. (u) *Ferd. Vaſquius* Pincianus, ſenator regius, ſummus ICtus, operibus magis

præcipue celebres: *Henningus Goeden*, (vv) *Nicolaus Everhardus*, (x) *Hieronymus Schurffius*, (y) & omnibus hisce doctior *Vdalricus Zaſius* (z) & *Viglius Zvvichemius Friſius*, (†) quem poſtea alii innumero numero ſunt ſecuti.

CAP. IV.

De medicis.

Ars quoque medica longe majori diligentia pariter atque elegantia hac tempeſtate cœpit coli, præſertim laborantibus nonnullis eruditis viris, ut *Hippocratis*, *Galeni*, aliorumque veterum Græcorum medicorum ſcripta poſtliminio quaſi in manus ſtudioſorum pervenirent. Debetur autem illa laus aliqua ex parte Italis & Gallis, ex potisſima tamen noſtris Germanis. Unus nempe eſt *Janus Cornarius*, (a) qui *Dioſcoridem*, *Hippocratem*, *Paulum Æginetam*, *Ætium*, & *Galeni* pleraque in latinum convertit, præterquam quod alios jam editos correxit. Incubuit in eandem operam *Johannes Guinterius* (b) *Andernacus*, ac *Leonhardus Fuchſius*, (c) & *Conradus Geſnerus*. (d) Ut vero conſtet unicuique ſua ætas, floruere circa initia: *Leonellus Faventinus*, (e) *Petrus Bayrus*, (f) *Andreas Thurinus*, (g) *Sebaſtianus Montuus*, (h) *Johannes de Vigo*, (i) chirurgus præſtantisſimus, & *Symphorianus Campegius*, (k) qui tamen omnes ſecuti ſunt antiquum & inelegantem modum. Eodem tempore excoluit elegantius artem medicam *Joh. Manardus* (l) Ferrarienſis, *Nicolai Leoniceni* diſcipulus. *Dioſcoridem* quoque verterunt de materia medica optime meriti *Marc. Virgilius* (m) Florentinus, & *Joh. Ruellius* (n) Gallus. Vixit etiam tunc *Pet. Briſſotus*, (o) & *Matth. Curtius*, (p) mota de ſecanda vena in pleuritide controverſia celeberrimi. Circa annum XL. fuit ingens fama *And. Veſalii*, (q) Bruxellenſis, qui rem anatomicam penitus collapſam, atque ne quidem ab ipſo *Galeno* ſatis traditam accurate etiam tum juvenis ita reſtituit, ut etiam ſenibus omnibus hodieque ſui admirationem reliquerit; quem pari in genere ſtudiorum in Italia tunc ſecuti ſunt *Realdus Columbus*, (r) & *Gabriel Fallopius*. (s) Eodem autem tempore & rem herbariam excoluerunt magna felicitate *Petrus Andreas Matthiolus*, (t) Italus

quam vita notus, præcipue controverſiarum illuſtrium libris 3. &c. (w) *Henn. Goeden* Havelberg. canon. & prof. Erphord. poſt novæ academiæ Witteb. director, monarcha juris dictus. Vide *Val. Forſter.* lib. 3. cap. 41. *Melch. Adami* in vitis ICt. Germ. Imaginem habet *Mart. Frid. Seidel* icon. virorum Marchic. celebr. num. 14. (x) *Nic. Everhardus* Middelb. ICtus conſummatiſſ. præſes Bataviæ, poſt ſummi conſilii Belgici. Lege *Val. Forſterum* lib. 3. cap. 41. *Aub. Miræum* elog. Belg. claſſ. 5. init. *Fr. Swertium* Ath. Belg. *Val. Andream Deſſel.* bibl. Belg. *Melch. Adami* in vitis Germ. ICtorum. (y) *Hier. Schurff.* Helvetius, ICtus & prof. Witteb. demum Francofurtanus, de quo *Forſterus* lib. 3. c. 41. *Melch. Adami* in viris ICt. Germ. Imaginem *Mart. Frid. Seidel* num. 20. Marchicor. celebr. habet. (z) *Udalr. Zaſius* Conſtantienſis, ex juvene liberioris vitæ ICtus maximus Friburgenſis *Forſterus* lib. 3. c. 41. *Boiſſardus* icon. P. 1. n. 36. *Melch. Adami* in vitis ICt. Germ. (†) *Viglius* ab *Ayta Zvvichema Friſius*, Prof. Dolæ, Biturig. Patavii, Ingolſtad. inde ſenator regius Machlin. ordinis aurei velleris cancellarius, ICtus & polyhiſtor maximus. Lege *Guid. Panciroll.* lib. 2. c. 174. *Thuanum* lib. 64. *Aub. Miræum* elog. Belg. claſſ. 5. *Fr. Swertium* Athen. Belg. *Valent. Andream Deſſel.* bibl. Belg. *Melch. Adami* in vitis German. ICtorum.

Cap. IV. (a) *Jan. Cornarius*, *Hagenbott* alias, Zwickavienſ. Med. & polyhiſtor ſummus, docuit Marpurg. & Ienæ. *Henr. Pantaleon* proſop. part. 3. *Boiſſardus* icon. P. 3. n. 26. *Melch. Adami* in vit. Germ. med. Opera, *Ioh. Antonides van der Linden* recenſet. (b) *Joh. Guinterius* Andernaci in Ubiis natus, Lovanii & Lutetiæ docuit, medicus Franc. I. de quo *Thuanus* l. 59. *Boiſſard.* icon part. 4. n. 20. *Hier. Ghilinus* theatr. part. 2. *Melch. Adami* in vitis German. med. *Lindenius* de ſcript. med. (c) *Leonh. Fuchſius* Wembding. Rhætus, Prof. Tubingenſ. celeberr. de quo *Thuanus* lib. 38. Vitam fuſe tradit *Melch. Adami* in Germ. medicis. Scripta *I. Ant. van der Linden.* Adde *H. Pantaleon* proſop. part. 3. *Boiſſard.* part. 4. n. 22. *Pet. Caſtellan.* p. 204. in vitis medic. (d) *Conr. Geſnerus* Tigurinus, inter doctiſſimos mortalium referendus, Lauſannæ & in patria docuit. *Alter Varro & Plinius Germanorum* dicitur a *Th. Beza* in icon. *Lumen Germaniæ & decus Helvetiæ* a *Boiſſardo* icon. part. 4. num. 23. fuſe. Adde *H. Pantaleon.* proſopogr. part. 3. *Thuanum* lib. 38. *Melch. Adami* in vitis Germ. med (e) *Leonellus de Victoriis* Faventiæ natus, Prof. Bononienſis celeberr. *Wolffg. Juſtus* in chronol. med. *I. Ant. van der Linden*, *Ogenſteds* de patriis illuſtr. virorum. (f) *Petr. de Bayro* med. Taurinenſis celeberr. libro: Veni mecum & de prærogativa doctorum juris & medicinæ, inclaruit. *Wolffg. Juſtus* in chronol. medicorum. *I. Ant. van der Linden* ſcripta refert. (g) *Andr. Thurinus* Piſcienſis medicus Florent. poſt archiater Papalis, demum Regum Galliæ. Lege *Wolffg. Juſtum* Oranol. med. *Lindenium*, qui ſcripta recenſet. (h) *Sebaſt. Montuus* ſ. *Montius* Rivirienſis Gallus, cujus ſcripta *I. Ant. van der Linden* refert. Adde *Wolffg. Juſtum* in chronol. med. (i) *Ioh. de Vigo* Genuenſ. chirurgus *Iulii II.* Papæ, de quo vide *Iſr. Spachii* nomenclat. ſcript. med. p. 201. *Ioh. Andr. van der Linden* de ſcript. med. (k) *Symph. Champerius* alias, Lugd. theol. med. hiſtor. orator celebris, Prof. in patria, archiater Lotharingicus, de quo lege *Pet. Caſtellanum* in vitis med. p. 167. *Ioh. Ant. van der Linden* de ſcript. med. multa etiam *Conr. Geſnerus* in bibl. (l) *Ioh. Manardus* Ferrar. archiater *Vladiſlai* Reg. Hungar. poſt. Prof. Ferrar. Lege *P. Iovium* in elog. *P. Caſtellanum* p. 180. *Lindenium.* (m) *Marcell. Virgilius* Florent. reip. Florent. ab epiſtolis, non medicus, botanicus tamen; Linguæ uſum tandem caſu amiſit. *P. Iovius* in elog. *Pier. Valerian.* infel. liter. lib. 2. p. 137. *P. Caſtellanus* pag. 184. (n) *Ioh. Ruellius* Sueſſion. medicus doctisſimus, relicta medicina ſacerdos in otio literario vixit. Lege *Iovium* in elog. *Scæv. Sammarth.* elog. Gall. lib. 1. p. 11. *Pet. Caſtellanum* pag. 182. *Lindenium.* (o) *Petrus Briſſotus* med. Pariſ. controverſia de venæ ſectione in pleuritide inclaruit. *Wolffg. Iuſtus* in chron. med. *Iohann Anthon van der Linden* de ſcr. med. (p) *Matthæus Curtius*, *de Curte* dictus, Ticinenſ. in patria & plurimis Italiæ ſcholis docuit, controverſiæ de venæ ſect. implicitus. Lege *Ren. Moreau* de venæ ſect. in pleurit. *Lindenium* de ſcript. med. (q) *Andr. Veſalius* Bruxell. anatomicorum princeps, archiater *Caroli V.* Sectione infelici triſtis redditus in orientem abiit in inſ. Zazyntho miſere mortuus. Lege *Thuanum* lib. 36. *Boiſſard.* icon. P. 4. num. 47. *Aub. Miræum* elog. Belg. claſſ. 6. init. *Fr. Swertium* in Athen. Belg. *Val. Andream Deſſel.* bibl. Belg. *Melch. Adami* in vitis Germ. medicor. *Pet. Caſtellanum* p 195. fuſe. (r) *Realdus Columbus* Cremonenſis, princeps anatomicorum poſt *Veſalium*. De quo legendi *Paſchalis Gallus* in biblioth. medica. *Ioh. Ant. van der Linden* de ſcript. med. (s) *Gabr. Fallopius* Mutinenſ. medicus, aſtrologus, anatomicus celeberr. poſt itinera per totam Europam, profeſſ. Patavinus. Lege *Thuanum* lib. 34. *Hier. Ghilin.* theatr. part. 1. pag. 129. *Pet. Caſtellanum* in vitis med. p. 206. *Iac. Phil. Thomaſinum* icon. part. 1. pag. 41. *Ioh. Ant. van der Linden* de ſcript. med. (t) *Pet. Andr. Matthiolus* Senenſ. Botanicus incomparabilis, per totam Ital. ce-

Digitized by Google

Senenſis, *Bartholomeus Marantha*, (u) in Germania *Hieronymus Tragus* (vv) vel *Bock*, *Leonhardus Fuchſius*, & *Cunradus Gesnerus*, qui præterea animalium hiſtoriam vaſtisſimis commentariis illuſtravit. Ipſam autem medendi artem præ aliis clarisſima in luce collocarunt *Johannes Baptiſta Montanus*, (x) *Victor Trincavellius*, (y) *Hieronymus Fracaſtorius*, (z) *Nicolaus Maſſa*, (1) *Johannes Argenterius*, (2) omnes Itali; *Johannes Fernelius*, (3) *Iacobus Sylvius*, (4) *Iacobus Hollerius*, (5) *Guilielmus Rondeletius*, (6) omnes pari eruditione Galli. Apud nos vero iidem, quos antea laudavi, *Leonhardus Fuchſius*, & *Iohannes Guinterus* Andernacus; quibus dubio procul plures accesſiſſent, niſi Germaniam tunc temporis dementaſſet ille, qui ſe *Philippum Aureolum Theophraſtum Bombaſtum Paracelſum* (7) *ab Hohenheim* nominavit, monſtrum hominis, in perniciem omnis melioris doctrinæ natum.

Ad
HERMANNI CONRINGII
Commentarium de ſcriptoribus ſupplementa.

Ad SECULI XVI.
CAP. I.
De ſcriptoribus eccleſiaſticis.

Seculum XVI. ob artium bonarum reſtitutionem prioribus longe felicius, non priori modo, ſed & poſteriori parte copiam haud exiguam ſcriptorum eccleſiaſticorum vidit, qui ſive ſacras literas explicarunt, ſive articulos fidei expoſuerunt, ſive hypotheſes ſuas adverſus contraria ſentientes defenderunt, ſive alio labore eccleſiam juvare tentarunt. Sic ab anno L. Seculi eccleſiam evangelicam, præter citatos a *Conringio*, ornarunt: *Joh. Æpinus*, (a) *Ambr. Moibanus*, (b) *Paulus Speratus*, (c) *Joh. Forſterus*, (d) *Erhardus Snepfius*, (e) *Joh. Aurifaber*, (f) *Paulus Eberus*, (g) *Victorinus Strigelius*, (h) *Joach. Mörlinus*, (i) *Stephanus Szegedinus*, (k) *Johan. Pfeffingerus*, (l) *Hieronymus Wellerus*,

---

leberrimus, *alter Chiron, alter noſter Dioſcorides* dicit *Boiſſardus* icon. part. 3. n. 24. Adde *Thuanus* lib. 64. *Wolffg. Iuſtum* chronol. med. *Ioh. Ant. van der Linden* de Script. med. (u) *Barth. Marantha* med. Venuſinus, Botanicus celeberrimus. Opera ab *Eſ. Spathio* paſſim in nomenclat. collecta extant apud *Lindenium* de ſcript. med. Adde *Wolffg. Iuſtum* in chronol. med. (w) *Hieron. Bock ſ. Tragus* Palatinus, theologus med. Botanicus diligens. Vita legitur in *Melch. Adami* medicis Germ. *Wolffg. Iuſtus* chron. med. *Lindenius* de ſcript. med. (x) *Ioh. Bapt. Montanus*, Veronenſ. Prof. Patavinus, de quo legendi *Hier. Ghiling.* theatr. part. 2. *Pet. Caſtellanus* in vitis med. p. 185. *Thuanus* l. 9. extr. *Wolffg. Iuſtus* chronol. med. *Lindenius* de ſcript. med. fuſe. (y) *Victor Trincavella* Nob. Venetus. *Montani* ſucceſſor æque celebris. *Laur. Marucini* oratio de vita *Trincavellæ* operibus promittitur. *Paſch. Gallus* in bibl. med. *Pet. Caſtellanus* in vitis med. p. 190. *I. A. van der Linden* de ſcript. med. (z) *Hier. Fracaſtorius* Veron. medicus, mathemat. poeta excellentiſſ. curioſa de eo refert *Hier. Ghilinus* theatr. P. 1. p. 229. Adde *Boiſſard.* icon. P. 1. num. 17. *Ioh. Imperialem* in Muſ. hiſt. pag. 15. *Thuanum* lib. 12. *Lindenium* de ſcript. med. (1) *Nic. Maſſa* Venetus med. Patavinus, de quo *Wolffg. Iuſtus* in chron. med. & *Lindenius* de ſcript. med. (2) *Ioh. Argenterius* Pedemont. Prof. Neapol. Piſanus. Taurin. *Galeni* adverſarius, novitatis ſtudioſus. *Hieron. Ghilinus* P. 2. theatr. *Wolffg. Iuſtus* in chron. *Pet. Caſtellanus* fuſe pag. 215. *Ioh. Imperialis* p. 84. *Thuanus* lib. 54. *Lindenius.* (3) *Ioh. Fernelius* Ambianus, med. Pariſ. *Galenus* ſui temporis, de quo *Thuanus* l. 21. *Petr. Caſtellanus* pag. 192. *Scæv. Sammarth.* lib 1. elog. Gall. *Wolffg. Iuſtus* in chron. med. *I. A. van der Linden* de Script. med. (4) *Iac. Sylvius* Ambianus. Pariſiis cum ingenti applauſu docuit. *Galeno* deditiſſimus. Opera *Renatus Moreau* edidit, vita & icone præmiſſa. Adde *Hier. Ghilin.* part. 2. theatr. *Sc. Sammarth.* lib. 1. *Lindenius.* (5) *Iac. Hollerius* Stempanus prope Pariſ. medicus Pariſ. de quo *Thuanus* lib. 34. *Paſchal-Gallus* in bibl. med. *Scæv. Sammarth.* lib. 2. elog. Gall. Scripta *Ioh. Ant. van der Linden* recenſet. (7) *Guil. Rondeletius* Monſpell. Prof. in patria celebert. theatr. anatom. ibidem auctor. Vitam *Laur. Iobertus* deſcripſit. Adde *Thuanum* lib. 38. qui libros de Piſcibus *Guil. Pelleterii* epiſc. Mompel. opus eſſe dicit, quod negat *Conringius* introd. in artem med. cap. 4. Lege & *Pet. Caſtellanum* in vit. med. p. 220. fuſe *Scæv. Sammarth.* lib. 2. elog. Gall. *Lindenium* de ſcript. med. (7) *Theoph. Paracelſus* Einſidelii prope Tigur. natus, poſt longas peregrinationes & continuas Baſileæ & alibi rixas, circumvagatus, Salisburgi obiit 1541. Vaniloquus omnium aliorum contemtor. Lege *Boiſſard.* icon. P. 2. p. 290. *Melch. Adami* in vitis Germ. medic. *Herm. Conringium* de Hermet. medic. *Nic. Reuſner.* icon. P. 2. p. 99. *Dan. Georg. Morhof.* in epiſt. de Transmut. metallorum. *Ehregott Dan. Colberg im Platon. Hermet. Chriſtenth.* P. 1. c. 4. Lege & quæ *Thom. Eraſtus* contra, & *Gerh. Dorneus* pro *Theophraſto* ſcripſere.

Cap. I. (a) *Æpinus* Hamb. Paſtor in patria mort. 1553. *H. Pantal.* part. 3. proſop. *Melch. Adami* in vit. Germ. theol. (b) *Moibanus* Wratisl. primus Paſtor Eliſab. m. 1554. *Melch. Adami* in vit. theol. Germ. *Ad. Pantkius* de Paſtor. Eliſab. initio. (c) *a Spretten* nob. Suevus, epiſc. Pomeſan. in Pruſſia m. 1554. *Melch. Adami* in vit. theol. Germ. *Chr. Hartknoch* in Boruſſ. vet. & n. part. 2. cap. 5. §. 7. & in in hiſt. eccl. Pruſſ. (d) *Forſterus* Auguſtanus Prof. Witteb. philologus inſignis m. 1556. *H. Pantaleon* P. 3. *Boiſſardus* P. 4. n. 10. icon. *Ioh. Biſmarcus* in vit. theol. *Melch. Adami* in vit. theol. Germ. *Th. Beza* in icon. *G. Serpilius* in epit. Th. Suev. p. 139. (e) *Snepfius* Heilbrunn. Prof. Tubing. & Jenenſ. m. 1558. *Pantal.* P. 3. *Melch. Adami* vit. theol. Germ. *Georg Serpilius* in epit. Th. Suev. p. 96. (f) *Aurifaber* Wratisl. Profeſſ. Witteb. & Roſtoch. Præſes Conſiſt. Sambienſis Regiomonti, tandem Paſtor Eliſab. in patria m. 1568. Gener Ioh. Heſſi. *Chr. Hartknoch* Boruſſ. vet. & nov. part. 2. c. 5. §. 10. it. in hiſt. eccleſ. Pruſſ. *Ad. Pantkius* in Paſt. Eliſ. num. 4. (g) *Eberus* Kizingenſ. Francus Prof. & Paſtor Witteb. m. 1569. *Pantal.* part. 3. *Ioh. Biſmarcus* in vitis theol. *Boiſſardus* icon. P. 3. num. 39. *Melch. Adami.* (h) *Strigelius* Kaufbayr. Suevus, *Snepfii* Gener theol. Erfurt. Ienenſ. Lipſ. Heidelb. m. 1569. *Hadrian. Beyerus* in ſyllabo Profeſſ. Ienenſ. *Melch. Adami* in theol. German. *G. Serpilius* in epitom. theol. Suevor. p. 107. (i) *Morlinus* Witteb. theol. Witteb. Regiomont. Brunſuic. tandem epiſcopus Sambienſis, *Oſiandri* adverſarius m. 1571. *Melch. Adami Hartknoch* in Boruſſ. vet. & nov. part. 2. cap. 5. §. 9. & 11. item hiſt. eccleſ. Pruſſ. (k) *Steph. Kis*, a patria *Szegedinus* Hungarus, captivitate Turcica celebris mort. 1572. *Melch. Adami* in vitis theol. exter. *Nic. Reuſnerus* icon. P. 1. extr. *Ad. Quenſtedt* de patriis clar. vir. pro Calviniano habet. (l) *Pfeffingerus*, Bavarus. Primus ſuperint. Lipſienſis, mort. 1573. *Boiſſard.* icon. P. 4. n. 13. *N. Reuſnerus* icon.

lerus, (m) *Ioh. Marbachius*, (n) *Abrab. Bucholcerus*, (o) *Mart. Chemnitius*, (p) *Theodoricus Snepfius*, (q) *Ioh. Wigandus*, (r) *Tilem. Heshuſius*, (s) *Iac. Andreæ*, (t) *Nicol. Selneccerus*, (u) & *Sigfridus Saccus*, (vv) quos, æque ac alios ſubſequentes, eo quo ſeculo valedixerunt, ordine citare voluimus. Inter reformatos poſt medium ſeculi, præter adductos ab autore, celebre nomen habuerunt: *Petrus Viretus*, (x) *Petrus Martyr*, (y) *Wolfgang. Muſculus*, (z) *Andreas Gerardus Hyperius*, (1) *Guilhelmus Farellus*, (2) *Auguſt. Marloratus*, (3) *Ioh. Wolphius*, (4) *Ioh. Cnoxus*, (5) *Bened. Aretius*, (6) *Henr. Bulingerus*, (7) *Ioſias Simlerus*, (8) *Zach. Urſinus*, (9) *Ludov. Lavaterus*, (10) *Simon Sulcerus*, (11) *Rud. Gualterus*, (12) *Caſp. Olevianus*, (13) *Ant. Sadael*, (14) *Guil. Whitakerus*, (15) & *Lamb. Danæus*. (16) Inter eccleſiæ Rom. lumina ſcriptis celebria tum referebantur: *Gorg. Caſſander*, (17) *Matthias Citardus*, (18) *Sixtus Senenſis*, (19) *Claud. Eſpencæus*, (20) *Ioh. Geneſius Sepulveda*, (21) *Didacus Covarruvias*, (22) *Laur. Surius*, (23) *Stan. Hoſius*, (24) *Ludovicus Granatenſis*, (25) *Ioh. Molanus*, (26) *Franc. Turria-*

P. 2. *Melch. Adami.* (m) *a Molsdorff* nob. Miſn. Superint. Freyberg. mort. 1573. *Wolf. Kruger* in hiſtorologia. *I. A. Quenſtedt* de patriis ill. vir. *Chriſtoph. Frid. Lammel* in hiſt. *Welleriana.* (n) *Marbachius* Lindavienſ. paſtor Iſnenſis, poſt prof. Argent. m. 1581. *H. Pantaleon* part. 3. *Boiſſard.* icon. P. 2. pag 232. *N. Reuſnerus* icon. P. 2 *Melch. Adami* in vit. th. Germ. *Georg. Serpilius* in epit. theol. Suev. pag. 113. (o) *Bucholzerus* nob. Saxon. paſt. Grünberg. Spr ottav. Freyſtad. chronologus inſignis m. 1584. *Melch. Adami* in theol. Germ. *Hanckius* de R. Rom. ſcript. P. 1 cap. 68. (p) *Chemnitius* Fido-Brizenſ. March. rector & bibliothec. Regiomont. poſt paſtor Brunſuic. theol. ſummus m. 1586. *Thuanus* lib. 84. *Boiſſardus* icon. P. 4. n. 8. *Iac. Verbeiden* in imag. *Melch. Adami. Mart. Frid. Seidel* in icon. celebr. marchicorum num. 44. (q) *Theodoricus Snepfius Erhardi* fil. *Brentii* gener. Wimpin. Suevus prof. & ſuperint. Tubing. m. 1586. *Melch. Adami* in vitis theol. Germ. *Erh. Cellius* in imag. prof. Tubing. *G. Serpilius* in epit. theol. Suev. p. 131. (r) *Wigandus* Mansfeld. prof. Ienenſ. ſuperint. Wiſmar. tandem prof. Regiomont. & epiſcopus Pomeſan. m. 1587. *Pantaleon* part. 3. *Thuanus* lib. 88. *Melch. Adami. Chr. Hartknoch* hiſt. eccl. Pruſſ. (s) *Heshuſius* Veſal. prof. Ienenſ. Regiomont. Helmeſtad. m. 1588. it. *Pantaleon* part. 3. *Melch. Adami. Gebh. Theod. Meierus* in mon. Iuliis inter theologos num. 2. (t) *Jac. Andreæ ſ. Enders*, Weibling. prof. prim. & cancellarius Tubing. formulæ concordiæ autor mort. 1590. Vita a Nepote *Joh. Val. Andreæ* deſcripta. *H. Pantal.* part. 3. *M. Adami* in theol. Germ. *G. Serpilius* in epitaph. theol. Svev. p. 5. ſqq. *Erh. Cellius* in imag. prof. Tubing. (u) *Selneccerus* Hersbruccenſis theol. Ienenſ. Lipſ. Heimſtad. m. 1592. *Boiſſ.* icon. P. 3. n. 41. *M. Adami.* Omnia *Selnecceri* aliquot diſſ. & orationibus expoſuit *G. H. Götzius* Lubec. 1723. 4. (w) *Saccus* Northuſanus, rector, poſt theologus Magdeb. m. 1596. *Wolfg. Kruger* in hiſtorolog. *Paul. Freherus* in theatr. P. 1. ſect. 3. (x) *Viretus* Helvetius theol. Lauſan. Genev. Lugdun. Bearn. mort. 1571. *Th. Beza* in icon. *Iac. Verbeiden* in imag. *Melch. Adami* in vitis theol. exteror. qui eum Sabaudum putat. *P. Freherus* P. 1. ſect. 3. theatri. (y) *Martyr Vermilius* Florentinus, theol. Argent. Oxon. Tigur. m. 1562. *Th. Beza* in icon. *Boiſſardus* icon. P. 4. n. 29. *Iac. Verbeiden M. Adami* in epit. theol. (z) *Muſculus* Duſa Lotharingus, paſtor Auguſt. Donawerd. Conſtant. Bernæ m. 1563. *H. Pantaleon* P. 3. *Th. Beza* in icon. *Boiſſard.* P. 4. n. 31. *Melch. Adami* in Germ. theol. (1) *Gerardus* Ipris in Flandr. natus, hinc cognomen, theol. Marpurg. m. 1564. *H. Pantaleon* P. 3. *Th. Beza* in icon. *Boiſſardus* P. 3. num. 34. *N. Reuſnerus* icon. P. 2. *Melch. Adami* in vit. Th. Germ. (2) *Farellus* Delphinas theol. Genev. Metenſ. Novocom. m. 1565. *Th. Beza* in icon. *Melch. Adami* in vit. theol. exter. (3) *Marloratus* Lotharingius, Biturig. Pictav. Andegavi, Lauſannæ, Rotomagi evangelium docuit, ſtrangulatus 1562. *Th. Beza* in icon. *Iacob Verbeiden* in imag. *M. Adami* in vitis exter. theol. (4) *Wolphius* Tigurinus paſtor in patria diligentiſſ. m. 1572. *Th. Beza* in icon. *Boiſſardus* P. 2. icon. p. 264. *Nic. Reuſnerus* icon. part. 2. (5) *Cnoxus* Scotus, pulſus a *Maria* Genevæ, demum Edenburgi docuit mort. 1572. *Th. Beza* in icon. prolixe *Jac. Verbeiden* in imag. *Melch. Adami* in vitis theol. exter. (6) *Aretius* Bernenſ. prof. Marpurg. poſt theol. in patria, mort. 1574. *Jac. Verbeiden* in icon. *Melch. Adami* in th. Germ. (7) *Bulingerus* Bremgart. Helvet. paſtor Tigurinus, *Zwinglii* ſucceſſor m. 1575. *Pantaleon* part. 3. *Th. Beza* in icon. *Boiſſardus* P. 4. n. 30. *Jac. Verbeiden* in imag. *Melch. Adami* in th. Germ. *N. Reuſnerus* P. 2. (8) *Simlerus* capell. Helvet. theol. mathemat. hiſtor. Tigurinus m. 1576. *Th. Beza* in icon. *Boiſſardus* P. 4. n. 45. *Jac. Verbeiden. N. Reuſnerus* part. 2. *Melch. Adami* in th. Germ. (9) *Urſinus* ſ. *Beer* Wratisl. rect. Eliſabet. ob Calviniſmum dimiſſus tum theol. Heidelb. & Neoſtad. m. 1583. vid. *Franc. Iunii* orat. funebr. operibus additam. *Melch. Adami* in th. Germ. Lege *Frid. Lucæ* chron. Sileſ. part. 2. c. 4. (10) *Lavaterus* Tigur. prof. th. in patria gener. *Bulingeri* m. 1586. *I. Iac. Boiſſard.* icon. P. 4. n. 33. *Iac. Verbeiden. Melch. Adami* in th. Germ. (11) *Sulcerus* Bernas, paſt. & prof. Baſil. m. 1585. *Boiſſard.* P. 4. n. 37. N. *Reuſnerus* icon. P. 2. *Melch. Adami* in theol. Germ. (12) *Gualterus* Tigur. paſtor. in patria m. 1586. *Boiſſard.* P. 4. n. 34. *Iac. Verbeiden. Nic. Reuſnerus* P. 2. icon. *Melch. Adami* in th. Germ. (13) *Olevianus* Trevirenſ. theol. Heidelb. & Herborn. m. 1587. *Iac. Verbeiden. Melch. Adami* in th. Germ. (14) *Sadaël*, baro Chandæus Matiſcon. Gallus, Pariſiis evangel. docuit, tandem paſtor gener. m. 1591. De vita & ſcriptis illius agit *Iac. Lectius* in orat. *Melch. Adami* in theol. exter. (15) *Whitakerus* Lancaſtr. Anglus theologus Cantabrig. m. 1595. *Thuanus* lib. 113. *Henr. Hollandus* in Heroologia Anglica p. 213. *Melch. Adami* in vit. th. exter. *Paul. Freherus* theatr. part. 1. ſect. 3. (16) *Danæus* Aurelian. ex ICto theologus Genev. Lugdun. Gandav. m. 1596. *Iac. Verbeiden. Melch. Adami* in theol. extr. (17) *Caſſander* Flander. ex Inſ. Cadſand. Gandavi, Brugis, Colon. docuit, adverſarius proteſtant. moderatus m. 1566. *Thuan.* lib. 36. *Pantaleon* P. 3. *H. Swertius* Athen. Belg. *Valer. Andreas Deſſel* bibl. Belg. *Mart. Hankius* de R. Rom. ſcr lib. 1. cap. 57. (18) *Citardus* Aquiſgr. prof. Vien. *Ferdin. I.* concion. aulicus ord. Dom. *Henr. Pantaleon* part. 3. *Val. Andreas Deſſel.* bibl. Belg. qui *Zitardum* ſcribit. (19) *Sixtus* Senenſis in patria ord. Domin. vir diligentiſſ. m. 1569. de eo *Thuanus* l. 46. *Amb. de Altamura* in bibl. præd. *Ph. Labbeus* in bibl. biblioth. (20) *Eſpencæus* Campanus Catalaun. Gallus, theol. Sorbon. celeberr. in concil. Tridentino clarus m. 1571. *Thuan.* lib 50. *Sc. Sammarth* elog. Gall. l. 2. *Ant du Sauſſay* addit. ad *Bellarm.* num. 65. (21) *Sepulveda* Cordub. theol. & philoſ. Bonon. & Romæ celebris m. 1572. *P. Iovius* in elog. Thuan. lib. 54. *And. Schottus* bibl. Hiſp. tom. 3. claſſ. 1. (22) *Covarruvias* ſupra inter ICtos deſcriptus. (23) *Surius* Lubec. Carthuſ. Colon. th. & hiſtor. ad mendacia pronus m. 1578. *Hier. Ghilinus* theatr. part. 2. *Thuan.* l. 65. *Mart. Zeilerus* de hiſtor. part. 2. p. 234. *And. du Saſſay* add. ad Bellarm. init. (24) *Hoſius* Cracov. epiſcopus Varmienſ. cardinal. m. 1576. bibliothecam ſuam academiæ Cracov. relinquens. *H. Ghilinus* part. 2. theatri. *Thuan.* l. 68. *Sim. Starovolſcius* in c. ſcript. Polonis init. *And. du Sauſſay* ad Bell. n. 32. (25) *Aloyſius Granata* alias ord. Domin. concionator in aula Luſit. celeb. m. 1589. *And. Schottus* B. Hiſp. T. 2 claſſ 2. *H. Ghilinus* theatr. P. 1. pag. 287. *Ambr. de Altamura* bibl præd. *And. du Sauſſay* add. ad Bellarm. n. 67. (26) *Molanus* Inſulenſ. theol. Lovan. cenſor librorum m 1585. *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Val. Andreas Deſſel* bibl. Belg. *And.*

Turrianus, (27) *Ant. Caraffa*, (28) *Franc. Toletus*, (29) *Gilb. Genebrardus*, (30) *Bened. Arias Montanus*, (31) & *Garſias Loayſa*, (32) qui omnes intra ſeculum hoc ſepulchro illati ſunt.

Ad *SECVLI XVI.* CAP. II.

De philoſophis.

Philoſophorum quidem poſt literarum reſtitutionem per totam Europam ubique larga ſeges apparuit; hoc tamen nomine præ cæteris parte ſeculi poſteriore floruerunt, ſcriptisque ſuis philoſophiam illuſtrarunt: *Daniel Barbarus*, (a) *Jacobus Zabarella*, (b) *Petrus Ramus*, (c) *Bernhardinus Teleſius*, (d) & *Franc. Patritius*, (e) quorum poſteriores tres peculiarem philoſophandi rationem affectarunt. Celebrium mathematicorum nomen ex Germanis quidem *Sebaſt. Münſterus*, (f) *Petrus Apianus*, (g) *Reinerus Gemma*, (h) *Friſius*, *Cyprianus Leovitius*, (i) *Georg. Ioach. Rheticus*, (k) *Eraſmus Oſvvaldus Schreckenfuchſius*, (l) & *Gerh. Mercator*; (m) inter Gallos: *Orontius Finæus*, (n) *Guil. Philander*, (o) & *Ioh. Stadius*; (p) & ex Italis *Lucas Gauricus*, (q) meruerunt.

Ad *SECVLI XVI.* CAP. III.

De jure conſultis.

Multos quidem celebrium ICtorum, qui & poſteriorem ſeculi partem illuſtrarunt, *Conringius* citavit, ex ingenti tamen prætermiſſorum copia ſelectiores quosdam ſuperaddere, non inconveniens videtur. Germanorum itaque ICtorum præcipui a medio ſeculi fuerunt: *Ioh. Sichardus*, (a) *Nicol. Gerbelius*, (b) *Simon Piſtoris*, (c) *Modeſtinus Piſtoris*, (d) *Ioh. Oldendorpius*, (e) *Ioh. Schneidewin*, (f) *Ioach.*

---

du Sauſſay n. 72. (27) *Turrianus* Legion. Hiſp. prof. Ingolſtad. & Roman. in concil. Trident. præſens, ſenex Jeſuita factus, m. 1585. *And. Schottus* B. Hiſp. T. 2. claſſ. 6. *Pet. Ribadeneira* de ſcr. P. 1. p. 74. *Thuan.* l. 80. *Phil. Alegambo* in bibl. Jeſ. *And. du Sauſſay* num. 78. (28) *Caraffa* Neapolit. aulicus *Pauli IV.* cardinalis factus a *Pio V.* rebus max. adhibitus mort. 1591. *Thom. Bozius Eugubinus* mortuum laudavit. Lege *Thuan.* lib. 100. *Aub. Miræum* de ſcript. ſec. XVI. (29) *Toletus* Cordub. S.S. primus ex hoc ord. cardinalis mort. 1596. *Andr. Schottus* bibl. Hiſp. tom. 2. claſſ. 6. *Pet. Ribadeneira* de ſcript. P. 1. p. 72. *I. Nic. Erythræus* Pinacoth. 1. *Andr. du Sauſſay* ad Bellarm. n. 81. (30) *Genebrardus* Arvernus, ord. Bened. Hebr. Ling. prof. Regius, a Papa archiep. Aquenſis dictus, a Rege non admiſſus, mort. 1597. *Thuan.* lib. 119. *Sc. Sammarthan.* elog. Gallic. lib. 4. *And. du Sauſſay* num. 86. (31) *Arias Montanus* Hiſpalenſ. ſacerdos & eques S. Iacobi de Compoſtella, a carne abſtemius omni vita, philologus inſignis, mort. 1598. *And. Schottus* bibl. Hiſp. T. 3. claſſe 1. *Hier. Ghilinus* part. 2. theatri. *Thuanus* lib. 20. *Ad. Clarmund.* part. 7. n. 9. P. *Colomeſ.* in cimeliis liter. c. 34. (32) *Loayſa* Caſtellanus theol. Complut. *Philippi* III. præceptor, archiep. Toletanus m. 1599. *Andr. Schottus* B. Hiſp. tom. 3. claſſe 3. *Thuanus* lib. 122.

Cap. II. (a) *Barbarus* patrit. Venetus, patriarcha Aquileus, philoſ. & mathemat. inſignis, m. 1569. *Hier. Ghilinus* part. 2. theatri. *Thuanus* l. 46 *Paul. Freherus* theatr. part. 4 *Jac. Albericus* in catal. ſcript. Venetorum. (b) *Zabarella* ſ. de *Zabarellis* nob. Patavinus, in patria logices prof. phyſ. & mathematicus, m. 1588. *Thuanus* lib. 96. *J. Ph. Thomaſinus* elog. T. 1. p. 136. *Joh. Imperialis* muſ. hiſtor. p. 115 (c) *Ramus* Veromanduus, prof. eloqu. philoſ. & matheſ. Pariſ. novator ingens, hoſtis Ariſtotelis, occiſus in nuptiis Pariſ. 1572. Lege *Boiſſard.* P. 2. icon. p. 96. *Thuan.* lib. 52. *Sc. Sammarth.* elog. Gall. lib. 2. N. *Reuſner*, icon. P. 1. fere extr. *Corn. Tollium* infel. lit. p. 64 *Mart. Hackium* de R. Rom. ſcript. P. 1. c 62. (d) *Teleſius* Conſentinus, phyſicus & mathematicus, Romæ, Patavii & Neapoli, hoſtis *Ariſtotelis*, m. 1588. *Thuan.* l. 89. *Ioh. Imperialis* in muſ. hiſtor. p. 77. (e) *Patricius* Venetus ſ. Serenſis, ut videri voluit, Ferrar. Romæ & Patavii philoſophiam docuit, m. 1597. *Thuan* l. 119. *Janus Nic. Erythræus* Pinacoth. 1. p. 203. (f) *Munſterus* ſupra inter theologos cap. 1. deſcriptus. (g) *Apianus Bienowitz* dictus, Leiſnic. Miſnicus, ſummus mathemat. prof. Ingolſtad. m. 1552. *H. Pantaleon* part. 3. *Boiſſardus* P. 3. n. 46. *Melch. Adami* in vit. Germ. philoſ. (h) *Gemma* Doccumenſ. medicus & mathem. Lovanienſis, m. 1555. *Pantaleon* part. 3. *H. Ghilinus* part. 2. *Fr. Swertius* Ath. Belg. *Val. Andreas Deſſel.* bibl. Belg. *Melch. Adami* in Germ philoſ. (i) *Leovitius* Hradicenſ. Bohemus, a *Leonicia* cognom prof. Ingolſtad. poſt mathematicus aulicus Vienn. mort. 1574. *H. Pantaleon* part. 3. proſopogr. *Thuanus* lib. 59. (k) *Rheticus* Veldkirchenſis, prof. mathem. Witteb. ſed ſtatione relicta ad *Copernicum* abiit eique adhæſit, mort. Caſſoviæ 1576. *Thuan.* l. 62. *Melch. Adami* in vit. Germ. phil. (l) *Schreckenfuchs* Auſtriacus rect. ſcholæ Memming. inde Hebr. ling. prof. Tubing. demum matheſeos Friburg. m. 1579. *H Pantaleon* part. 3. *I. I. Boiſſardus* icon. part. 2. p. 282. *Melch. Adami* in phil. Germ. (m) *Mercator* Rupelmund. Flander Coſmographus Lovan. poſtea ducis Clivienſis Duysburgi. m. 1593. *H. Pantaleon* part. 3. *Boiſſardus* icon. part. 4. num. 46. *Melch. Adami* in vit. philoſ. Germ. *Fr. Swertius* in Athen. Belg. *Val. Andreas Deſſel.* bibl. Belg. (n) *Finæus* Brianſon. Delphinas, profeſſ. mathemat. regius Pariſ. mort. 1555. *Thuan.* lib. 16. *Scæv. Sammarthan.* elog. Gall. lib. 1. pag. 35. (o) *Philander* Caſtillioneus ad Sequan. Pariſiis, Romæ, Toloſæ vixit. Architectus celebris m. 1565. *Thuan.* l. 38. *Sc. Sammarthanus* elog. Gall. lib. 2. pag. 61. (p) *Stadius* Brabantus prof. math. Lovanienſ. poſt mathemat. regius Pariſ. aſtrologus, mort. 1579. *Thuan.* lib. 68. *Hier. Ghilinus* P. 1. theatri pag. 172. *Fr. Swertius* in Ath. Belg. *Val. Andreas Deſſel* bibl. Belg. *Melch. Adami* in vit. Germ. philoſ. (q) *Gauricus*, Pomponii frater Fani prope Ancon. natus, Venet. & Romæ vixit, epiſcopus Civitatenſis a *Paulo* III. factus, m. 1558. Lege *Thuan.* lib. 23. *Boiſſard.* P. 1. icon. num. 42. *Corn. Tollium* infel. liter. p. 16. *I. H. Toſcanum* in peplo Ital. lib. 2. num. 70.

Cap. III. (a) *Sichardus* Biſcho[illegible]m. Francus, ICtus & philologus prof. Friburgenſ. poſt Tubing. conſil. Wurtenberg. mort. 1552. *Henr. Pantal.* P. 3. *Pancirollus* l. 2. c. 172. *Melch. Adami* in vitis Germ. ICtorum. (b) *Gerbelius* Pforzheim. ICtus & hiſtor. Vienn. & Argentor. m. 1560. *Henr. Pantaleon* P. 3. *Thuan.* l. 26. *Melch. Adami* in vit. ICt. Germ. (c) *Piſtoris de Seuſelitz* ICtus Lipſienſ. cancellarius Georgii ducis Sax. poſt & Mauritii Elect. m. 1562. *Boiſſardus* icon. P. 2. p. 160. *Melch. Adami* in ICt. Germ. *Nic. Reuſnerus* icon. P. 2. p. 255. (d) *Mod. Piſtoris Simonis* F. prof. & Cos. Lipſ. conſil. Sax. m. 1565. *Boiſſardus* P. 1. icon. p. 164. *Melch. Adami* in JCtis Germ. N. *Reuſnerus* pag. 288. icon. (e) *Oldendorpius* Hamb. *Alb. Kranzii* e ſorore nepos, ſynd. Roſtoch. poſt prof. juris Colon. tandem Marpurg. m. 1567. *H. Pantaleon* part. 3. *Boiſſardus* icon. part. 2. pag. 138. N. *Reuſnerus* part. 2. icon. p. 240. *M. Adami* in ICt. Germ. (f) *Schnei-*

Ioach. Hopperus, (g) *Ioh. Eichardus*, (h) *Nic. Ciſnerus*, (i) *Matthæus Weſenbecius*, (k) *Andr. Gailius*, (l) *Lampertus Diſtelmeyerus*, (m) *Joach. Mynſingerus*, (n) *Ludolph. Schraderus*, (o) *Joh. Borcholten*, (p) *Hieron. Panſchmannus* (q) & *Joach. Beuſtius*. (r) Ex Gallis præcipue JCtorum ſcriptis clarorum nomen meruere: *Joh. Corraſius*, (s) *Michael Hoſpitalius*, (t) *Anton. Concius*, (u) *Hubertus Languetus*, (vv) qui quidem inter Germanos conſenuit, *Hugo Donellus*, (x) *Claud. Puteanus*, (y) *Joh. Bodinus*, (z) *Pet. Pithœus*, (1) & *Pet. Faber*. (2) Nec Italis defuit illuſtrium JCtorum copia, quam laudem præ cæteris *Marianus Socinus*, (3) *Hier. Torniellus*, (4) *Benevenutus Stracchа*, (5) *Tiberius Decianus*, (6) *Joſephus Maſcardus*, (7) & *Guido Pancirollus* (8) meruerunt. Inter Hiſpanos juris canonici doctores *Didacus Covarruvias*, & *Mart. Azpicuelta* eminuerunt, qui ſupra inter ſcriptores eccleſiaſticos citati ſunt.

Ad *SECVLI XVI.*
CAP. IV.
De medicis.

Ut reliquæ eruditionis partes, ſic & medicina copiam ſatis largam ſcriptorum exhibuit, ex quibus præcipuos modo, a *Conringio* prætermiſſos, citare noſtrum erit. Ex Germanis, quibus brevitatis ſtudio Helvetios, Belgasque annumeramus, *Joach. Vadianus*, (a) *Georg. Agricola*, ſupra ab autore inter philoſophos laudatus, *VVolfg. Juſtus*, (b) *Hadr. Junius*, (c) *Joh. Bauhinus*,

dewin Stolberg. convictor Lutheri X. annis, prof. Witt. m. 1568. *Boiſſard.* icon. P. 2. p. 150. *N. Reuſnerus* P. 2. p. 314. *M. Adami* in ICt. Germ. (g) *Hopperus* Snec. Friſius, ICt. Lovan. conſil. Reg. Hiſp. m. 1576. *Pantaleon* part. 3. *Melch. Adami* in ICt. Germ. *Fr. Swertius* Ath. Belg. *V. Andr. Deſſ.* in bibl. Belg. & in faſtis Lovanienſ. (h) *Eichardus* Francofurt. ſyndicus in patria, advoc. Spirenſ. m. 1581. *H. Pantaleon* P. 3. *Gu. Pancirollus* l. 2. c. 184. *Boiſſardus* P. 3. icon. n. 19. *N. Reuſner.* icon. P. 2. pag. 385. *Melch. Adami* in ICt. Germ. (i) *Ciſnerus* Mosbac. prof. ethices, inde juris Heidelb. conſil. Palatinus, cameræ Spirenſ. aſſeſſor, hiſtor. & poeta, m. 1583. *Boiſſard.* P. 2. n. 178. *Joh. Petr. Lotichius* bibl. poet. part. 4. *N. Reuſner* P. 2. icon. p. 389. *Melch. Adami* in ICt. Germ. (k) *Weſenbecius* Antwerp. ICtus pius, prof. Jenenſ. & Witteb. m. 1586. *H. Pantal.* part. 3. *Boiſſard.* P. 3. icon. num. 18. *Melch. Adami* in ICt. Germ. *N. Reuſnerus* icon. part. 2. in fine. *Fr. Swertius* in Ath. Belg. *Val. Andr. Deſſ.* bibl. Belg. (l) *Gailius* Colon. cameræ Spirenſ. aſſeſſor. conſil. Maxim. II. cancellarius Elect. Colon. mort. 1587. *Pantaleon* part. 3. *Melch. Adami* in ICt. Germ. *Fr. Swertius* Ath. Belg. & *Val. Andr. Deſſel.* bibl. Belg. (m) *Diſtelmeyer* Lipſ. conſil. & cancell. Brandenburg. m. 1588. *Pantaleon* part. 3. *Melch. Adami* in ICt. Germ. Imago in *Mart. Fried. Seidel* icon. vir. celebr. Marchicorum n. 47. (n) *Mynſingerus a Frundeck* Stutgard. Prof. Friburg. aſſeſſ. cam. Spirenſ. cancell. Brunſuicenſis, ſuaſor academ. Helmſt. m. 1588. *Pantaleon* P. 3. *M. Adami* in ICt. Germ. *Io. Deckherus* in notit. rei jurisque cameralis c. 8. *Gebh. Theod. Meierus* in monum. Juliis inter ICtos init. (o) *Schraderus* Brunſ. conſil. Cæſar. Brandenb. &c. prof. prim. Francof. m. 1589. *Abr. Bucholz.* indice chronol. *I. A. Quenſt.* de patriis illuſtr. vir. *Mart. Frid. Seidel* in icon. Marchic. num. 41. (p) *Borcholten*, Luneb. prof. Roſtoch. poſt Helmſtad. m. 1594. *Melch. Adami* in vitis Germ. ICt. *Gebh. Th. Meierus* in monum. Iul. in ICtis num. 2. (q) *Panſchmannus* Saxo, ICtus celeberr. conſil. Elect. Saxon. aſſeſſ. cameræ Spirenſ. m. 1596. *Abr. Bucholz.* in ind. chronol. (r) *a Beuſt.* in *Planiz* nob. Saxo, prof. juris Witteb. peritus & doctus, conſil. electoralis, m. 1597. *Abr. Bucholz.* in ind. chronol. *Paul. Freherus* theatr. viror. celebr. part. 2. ſect. 4. (s) *Corraſius* Toloſanus, Andegavi, Aurel. Pariſ. Toloſæ, Valent. Ferrariæ docuit, cancell. regni Navarræ an. 1572. Toloſæ cum ſuis miſerr. occiſus. *Gu. Pancirollus* l. 2. c. 185. de ICtis. *Scæv. Sammarth.* l. 2. elog. Gall. p. 81. *Corn. Tollius* de infel. liter. p. 69. Vitam & laudes *Matth. Weſenbecius* oratione peculiari expoſuit. (t) *Hoſpitalius* Arvernus, vir ſummus, totius Europæ ornamentum, primo Sabaudiæ poſt regni Galliæ cancellarius, mort. 1573. *Th. Beza* in icon. *Boiſſardus* icon. P. 3. n. 5. *Thuan.* lib. 56. *Sc. Sammarth.* elog. Gall. lib. 2. extr. (u) *Concius* Noviodun. juris prof. Avarici & Aureliani, m. 1577. *Thuanus* l. 64. *Mart. Hankius* de R. Rom. ſcr. P. 1. c. 64. (w) *Hubertus Languetus* Burgundus, conſil. & legatus Auguſti Elect. Sax. tandem conſil. principis Arauſion. m. 1581. *Thuanus* lib. 74. *Bucholz.* in ind. chronol. De eo memorabilia dicit *Phil. Mornæus* de verit. relig. Chriſt. in præfatione. (x) *Donellus* Cabillon. Burgundus, prof. jur. Biturig. Aurelian. Heidelb. Lugd. Bat. Altorfinus, m. 1591 *Cujacii* adverſarius. *Thuanus* lib. 100. *Boiſſardus* icon. part. 3. n. 43. *I. Meurſius* in Ath. Batavis. *Paul. Freherus*, theatr. part. 2. ſect. 4. *Scip. Gentilis* orat. in *Hug. Donellum* expreſſa Altorf. 1641. 4. (y) *Puteanus* Pariſ. ICtus & criticus exactiſſimus, ſenator regius, mort. 1594. *Thuan.* lib. 109. *Sc. Sammarth.* elog. Gall. l. 4. p. 178. (z) *Bodinus* Andegav. (*Andius ſine bono* per anagramma *Cujacii*) cancell. *Franciſci*, ducis Andegav. præfectus urbis Laudunenſ. ICtus, politicus & hiſtor. celebris, m. 1596. *Thuan.* l. 117. *Sc. Sammarth.* elog. Gall. l. 4. p. 183. *Paul. Colomeſius* in Gall. orient. pag. 74. (1) *Pithœus*, Tricaſſinus ICtus & polyhiſtor inter mortalium doctiſſimos, advocatus Pariſ. & legatus regius, m. 1596. *Thuan.* l. 117. *Sc. Sammarth.* lib. 4. elog. Gall. p. 187. *Pap. Maſſon.* elog. *Pet. Pithœi.* *Ad. Clarmundus* vit. clariſſ. vir. part. 6. n. 5. (2) *Faber* Sanjorianus Gallus & polyhiſtor conſil. regius, præſes ſenatus Toloſani, m. 1600 *Thuan.* l. 123. *Sc. Sammarthan.* elog. Gall. l. 5. p. 211. *Hankius* de R. Rom. ſcr. P. 2. c. 40. *Ad. Clarmundus* clar. vir. part. 6. n. 15. (3) *Socinus* Senenſis, *Mariani Socini* ſec. XV. citati nepos, prof. Piſanus, Senenſis, Patavinus, m. 1556. *Guid. Pancirol.* lib. 2. cap. 161. de ICt. *Paul. Freherus* theatr. part. 2. ſect. 4. (4) *Torniellus* Novarienſ. prof. Ticinenſis celeberr. mort. 1570. *Guid. Pancirollus* l. 2. c. 176. *Laur. Schraderus* monum. Ital. l. 4. (5) *Straccha* Anconitanus ICtus ceberr. libro de mercatura inclaruit; in patria mort. 1589. *Abr. Bucholz.* in ind. chron. (6) *Decianus* comes Utinenſis, ſenator in patria, demum prof. Patavinus, mort. 1581. *Ant. Riccobonus* de gymn. Patav. lib. 2. c. 8. *Guid. Panciroll.* l. 2. c. 170. *Hier. Ghilinus* theatr. vol 2. *Boiſſardus* icon. part. 3. n. 20. *Iac. Phil. Thomaſinus* elog. P. 1. p. 73. *Paul. Freherus* theatr. part. 2. ſect. 4. (7) *Maſcardus* Sarzanenſis ICtus celeberr. mort. 1588. ipſe de ſe multa refert in præfat. ad opus doctiſſ. de probationibus. *Abr. Bucholz.* in ind. chronol. (8) *Pancirollus* Regienſis Lombardus, ICtus Taurin. inde Patavinus prof. primar. m. 1591. De eo *Ghilinus* theatr. P. 2. *Jac. Ph. Thomaſinus* elog. part. 1. pag. 186. *Mart. Hankius* de R. Rom. ſcr. part. 11. cap. 73. *Ad. Clarmundus* vitar. P. 6. num. 9.

Cap. IV. (a) *Vadianus* Sangall. Helvet. theol. med. hiſtor. inſignis, Cos. in patria, m. 1551. *Iovius* in elog. *Henr. Pantaleon* part. 3. proſopogr. *Boiſſard.* P. 3. n. 15. *Melch. Adami* in vitis medic. Germ. (b) *Juſtus* ſ. Jobſt Francof. phyſicus & prof. in patria, hiſtor. inſignis, mort. 1575. *Abr. Bucholzer.* ind. chronol. *Io. A. van der Linden* de ſcript. med. *Mart. Fr. Seidel* in icon. celebr. March. n. 31. (c) *Junius* Hornanus, med. & polyhiſtor magnus. Harlemi vixit, pulſus inde mœrore obiit 1557. *Hier. Ghilinus* vol. 2. theatri, *I. Jac. Boiſſard.* icon. P. 4.

nus, (d) *Thomas Eraſtus*, (e) *Rembertus Dodonaus*, (f) *Joh. Crato*, (g) *Joh. Jac Weckerus*, (h) *Jac. Schegkius*, (i) *Joh. Wierus*, (k) *Petrus Monavius*, (l) *Theod. Zwingerus*, (m) *Jacobus Theodorus Tabernamontanus*, (n) *Joh. Poſthius*, (o) & *Joach. Camerarius*, (p) illuſtrium medicorum titulum meruerunt; quibus meritiſſimo ſuo accenſendus *Joh. Sambucus*, (q) natione licet Hungarus, in aula tamen Imperatoria ut plurimum vivens, medicus & polyhiſtor plurimis anteferendus. Inter Gallos *Joh. Fernelius*, (r) *Joh. Gorraus*, (s) & *Anutius Foëſius*; (t) ex Italis *Joh. Bapt. Montanus*, (u) *Guil. Gratarolus*, (vv) *Hippolytus Salvianus*, (x) *Joh. Argenterius*, (y) *Hieron. Cardanus*, (z) & *Jul. Alexandrius*; (1) ex Luſitanis *Petrus Nonius*, (2) ſcriptis medicis nomen ſuum præ cæteris poſteritati commendarunt.

SECVLI XVI.

CAP. V.

De hiſtoricis, philologis, oratoribus & poëtis.

Tanta erat ſeculi XVI. felicitas, ut ſplendente evangelii luce etiam omnes aliæ artes ſuum diffunderent fulgorem. Cum vero omnes eos, qui hiſtoricis, philologicis, oratoriis & poëticis ſtudiis ſe celebres reddiderunt, recenſere non liceat, primarios ſaltem annotare placet. Germania noſtra multos celeberrimos vidit hiſtoricos, quorum primarii fuere: *Johann. Cuſpinianus*, (a) *Bilibaldus Pirkheimerus*, (b) *Johannes Aventinus*, (c) *Beatus Rhenatus*, (d) *Caſpar Hedio*, (e) *Joh. Sleidanus*, (f) *Caſp. Bruſchius*, (g) *Wolfg. Lazius*, (h) *Georg. Fabricius*, (i) *Simon Schardius*, (k) *Joachimus Curæus*, (l) *Reinerus* Reinec-

n. 40. *Fr. Swertius* Ath Belg. *Val. And. Deſſel* bibl. Belg. *Pet. Caſtellanus* p. 328. *Melch. Adami* in med. Germ. *Ad. Clarmundus* P. 8. n. 10. (d) *Bauhinus* Ambianus Gallus ſed in German. vivens, prof. Baſil. celeb. mort. 1582. *Nic. Reuſnerus* in append. ad part. 1. icon. lit. cc. 6. *Abr. Bucholz*. ind. chron. I. A. *van der Linden* de ſcr. med. (e) *Eraſtus* Badenſ. Helvetius, archiater Palat. poſt profeſſ. Baſil. mort. 1583. *Thuanus* lib 79. *Melch. Adami* in vit. med Germ. (f) *Dodonæus* Mechlin. Archiater Max. II. & Rud. II. tandem prof. med. Lugduni B mort. 1585. *Thuanus* lib. 82. *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Val. And Deſſel.* bibl. Belg. *Melch. Adami* in med Germ. academ. Leidenſ. p. 142. (g) *Crato a Craftheim* Wratislav. Ferd. I. Max. II. & Rud. II. archiater & conſil. illuſtris med. mort. 1585. *Thuan.* l. 82. *Nic. Reuſnerus* icon part. 2. p. 408. *Boiſſard.* icon. part. 3. n. 27. *Melch. Adami* in med. Germ. (h) *Weckherus* Baſil. med Colmarienſis, m. 1586. *Paſchal. Gallus* in bibl. Med. *Abr. Bucholz*. ind. chronol. Jo. A. *van der Linden* de ſcript. med. (i) *Schegkius* Schorndorff. Wurtenb. prof. Tubing. medicus, philoſ. & mathematicus celebris, ultimo decennio cæcus, mort. 1587. *Thuanus* lib. 88. *Erh. Cellius* in imag. prof Tubing. (k) *Wierus* cogn. *Piſcinarius* Gravia Brabantus, *H. Corn. Agrippa* diſcipulus & defenſor, poſt magna itinera med. Clivienſis, m. 1588. *Thuan.* l. 89. *H. Pantaleon* part. 3. *Melch. Adami* in med. German. *Fr. Swertius* Ath. Belg. *Val. Andr. Deſſel.* biblioth. Belg. (l) *Monavius* Wratisl. poliater Wratisl. archiater Rud. II. Pragæ mort. 1588. *Melch. Adami* in vit. Germ. med. (m) *Zwingerus* Baſil. Medicus & hiſtoricus, profeſſ. phil. & medic. in patria mort. 1588. *Thuan.* lib 89. *Nic. Reuſnerus* in addit. ad part. 1. icon. fuſiſſ. *Melch. Adami* in med Germ. (n) *Tabernæmontanus* a patria dictus, ex pharmacopola med. D. phyſicus Wormat archiater palatinus. *Melch. Adami* in vitis Germ. med. Scripta *Lindenius* refert. (o) *Poſthius* Germersheim. Palat. med. & poëta celeberr. archiater Herbipol. poſtea Palatinus, m. 1597. *Boiſſardus* icon. part. 1. init. & P. 2. p. 75. *Jo. Pet. Lotichius* bibl. poët. lib. 3 *Melch. Adami* vit. med. Germ. (p) *Camerarius* Joach. fil. Lipſ medic. & phyſ. Norinberg. m. 1598. *Thuan.* lib. 120. *Melch. Adami* in vit. med. Germ. (q) *Sambucus* Tyrnav Hung. med. & hiſtoriographus Cæſareus, aſylum eruditorum, bibliotheca ingenti celebris, mort. 1584. *Thuanus* lib. 80. *Boiſſardus* icon. part. 3. num. 12. *N. Reuſnerus* icon. part. 2. p. 394. *Dav. Czwittingerus* in ſpecim. Hungariæ liter. fuſe. *Adolph. Clarmundus* vit. vir. clar. part. 5. init. (r) *Fernelius* ſupra deſcriptus cap. ult. *Conringii* mort. 1558. (s) *Gorraus* Pariſ. in patria medicus celeberr. m. 1577. *Thuanus* lib. 64. *Sc. Sammarthanus* elog Gall lib. 3. p. 102. I. A. *van der Linden*. (t) *Foëſius* Divoduno-Mediomatricenſis, medicus Lotharingus, *Hypocratis* illuſtrator, m. 1596. *Thuan.* l. 117. *P. Freherus* theatr. part. 3 pag. 1296. I. A. *van der Linden* de ſcript. med. (u) *Montanus* ſupra cap. ult. *Conringii* laudatus, mort. 1551. (vv) *Gratarolus* Bergomas profeſſ. Marpurgi & Baſil. m. 1562. *Boiſſard.* part. 4. n. 21. icon. *Paſch. Gallus* in biblioth. med. *Donat. Calvus* in icon. liter. Bergomenſ. part. 1. p. 307. *P. Freherus* theatri P. 3. p. 1252. *Lindenius* de ſcript. med. (x) *Salvianus* Tifernus Umber, med. Romanus, opere de piſcibus elegantiſſimo notus, mort. 1572. *Thuanus* lib. 54. *P. Freherus* part. 3. pag. 1265. *Jo. Anton van der Linden.* (y) *Argenterius* ſupra a *Conringio* cap. ult. citatus, mort. 1572. (z) *Cardanus* a *Conringio* cap. 2. inter philoſ. citatus, mort. 1576. (1) *Alexandrin. a Neuſtein* Tridentinus, profeſſ. Patavinus, inde archiater *Max. II.* & *Rud. II.* mort. 1590. *Thuanus* lib. 98. *Paſch. Gallus* in biblioth. med. *W. Juſtus* in chronol. med. *Lindenius* de ſcript. med. (2) *Nonius* Salarienſis Luſit. profeſſ. mathemat. Conimbric. m. 1577. *Thuanus* lib. 64. *And. Schottus* bibl. Hiſp. tom. 3. claſſe 2.

p. V. (a) *Cuſpinianus Spiſhammer* Suinfurt. polyhiſt. *Max. I.* conſil. medicus, mort. 1529. Vitam *Nic. Gerbelius* ſcripſit Cæſaribus præmiſſam, *H. Pantaleon* part. 3. proſop. *H. Ghilinus* theatr. vol. 1. p. 157. *Melch. Adami* in vit. German. philoſ. *Mart. Hankius* lib. 2. part. 1. cap. 16. de R. Rom. (b) *Pirckheimerus* patrit. Norinb. ſenator, conſil. *Max. I.* & *Car. V.* vir toga ſagoque inclytus, m. 1530. *Conr. Seifferhuſius* comment. de vita illius operibus præmiſit. *Pantal.* P. 3. *N. Reuſner.* P. 2. p. 42. *Boiſſardus* icon. P. 2. p. 206. *Melch. Adami* in vit. JCt. Germ. (c) *Aventinus Thurmayer* a patria Abenſperg Bavar. nomen ſumſit, docuit Viennæ, Cracov. Ingolſtad. præceptor ducum Bavar. itineribus inclytus, mort. 1534. *Pantal.* part. 3. *Boiſſard.* part. 2. icon. pag. 222. *Melch. Adami* in philoſ. Germ. *Voſſius* l. 3. c. 10. de hiſtor. Lat. *Ad. Clarmundus* part. 6. num. 21. *N. Reuſnerus* icon. part. 2. p. 57. (d) *Beatus Bildius* Seleſtad. in otio literar. in patria, Baſil. & Argent. vixit, vir. diligent. m. 1547. *Io. Sturmius* vitam deſcripſit, rebus German. præmiſſam, *Boiſſard.* icon. part. 1. n. 41. *Melch. Adami* in phil. German. *Nic. Reuſnerus* icon. part. 2. p. 131. (e) *Hedio* Etlingenſ. Suevus, theol. D. Argentor. & hiſtor. inſignis, mort. 1552. *Pantal.* part. 3. *Boiſſard.* part. 4. num. 42. *Melch. Adami* in vitis theol. Germ. (f) *Sleidanus* Sleidæ in Ubiis natus, hiſtoricus, Pariſiis poſt Argentor. ſtipendio proteſtantium ſuſtentatus, m. 1556. *Thuanus* lib. 17. *Boiſſard.* icon. P. 2. p. 252. *Iac. Verheiden* effig. p. 131. *N. Reuſnerus* part. 2. p. 205. *Val. And. Deſſel.* bibl. Belg. *Melch. Adami* in vit. phil. Germ. *Ad. Clarmundus* P. 1. num. 17. (g) *Bruſchius* Schlackenwald. Bohemus, com. palat. poſt peregrinat. pauper Baſileæ apud *Io. Oporinum* vixit, occiſus prope Rotenburg. in ſylva 1559. *Thuan.* lib. 90. *Melch. Adami* in phil. Germ. *Mart. Zeilerus* de hiſtor. part. 2. (h) *Lazius* Vienn. med. & hiſt. prof. in patria, conſil. *Ferd. I.* mort. 1565. *H. Pantal.* part. 3. *Georg. Ederus* in catal. rect. Vien. ad an. 1546. *Boiſſard.* part. 3. n. 14. *N. Reuſnerus* P. 2. p. 196. *Melch. Adami* in vitis Germ. medic. & philoſoph. *Ad. Clarmundus* part. 2. initio. (i) *Fabricius* Chemnic. rector ſcholæ Miſnenſis, a *Maxim. II.* laureo & nobilitate donatus, mort. 1571. *Thuanus* lib. 50. M. *Adami* in phil. German. (k) *Schardius* Saxo, JCtus & hiſtor. celeberr. conſil. Bipontinus, aſſeſſor. cameræ Spirenſ. mort. 1573. *Pantaleon* P. 3. *Melch. Adami* in JCt. German. *P. Freherus* theatr. part. 2. ſect. 4. (l) *Curæus* Freyſtad. Sil. med. D. phyſicus Glogovienſ. mort. 1573. *Melch. Adami* in vit. med. Germ. *Mart. Zeilerus* de hiſt. part. 2. *Paul. Freherus* theatr. part. 3. p. 1266. De eo *Friderr. Luca* paſſim in

Reineccius, (m) *Henr. Pantaleon*, (n) *Franc. Guillimannus*, (o) *David Chytraus*, (p) *Marquardus Freberus*, (q) & *Cyriacus Spangenbergius*, (r) quibus eodem nomine celebres jungendi ſunt Helvetii: *Joach. Vadianus*, (s) *Sebaſt. Münſterus*, (t) *Hulder. Mutius*, (u) *Joh. Stumphius*, (vv) *Joſias Simlerus*, (x) & *Theodorus Zwingerus*; (y) item Belgæ: *Hadrianus Barlandus*, (z) *Lambertus Hortenſius*, (1) *Hubertus Thomas Leodius*, (2) *Suffridus Petri*, (3) *Pontus Heuterus*, (4) & *Everb. Reidanus*; (5) & qui res Turcicas declararunt, *Augerius Gislenius Busbequius*, (6) & *Joh. Leonclavius*, (7) qui ultimus & multorum Græcorum ſcriptis in latinam linguam translatis clarus evaſit. Ex Italis hiſtoricorum nomen meruerunt: *Raphaël Volaterranus*, (8) *Galeacius Capella*, (9) *Franciſcus*, (10) & *Ludov. Guicciardini*, (11) *Caſp. Contarenus*, (12) *Pet. Bembus*, (13) *Paulus Jovius*, (14) *Polyd. Vergilius*, (15) *Jacobus Nardus*, (16) *Pet. Bizarus*, (17) *Hier. Roſcius*, (18) ſeu *Rubeus*, *Pet. Juſtinianus*, (19) *Natal. Comes*, (20) *Hubertus Folieta*, (21) *Carolus Sigonius*, (22) *Franc. Sanſovinus*, (23) *Paulus Paruta* (24) & *Henr. Catharinus Davila*; (25) quibus & *Thom. Fazellus*, (26) Siculus, annumerandus. Gallorum præcipui hiſtorici fuere: *Philippus Cominæus*,

chron. Sileſ. *Io. Ferinarii* narrat. hiſtor. de vita & morte *Ioach. Curei* Lign. 1701. 4. (m) *Reineccius* Steinheim. Weſtphalus, polyhiſtor celeberr. prof. Helmſt. mort. 1595. *Thuanus* lib. 113. *Mart. Zeilerus* de hiſt. P. 2. *Val. Heinr. Voglerus* introd. in notit. ſcript. c. 11. *Ad. Clarmundus* P. 9. init. (n) *Pantaleon* Baſil. ex diacono & theol. prof. med. D. & phyſ. prof. mort. 1595. M. *Adami* in vit. phil. Germ. *I. P. Lottichius* bibl. poet. lib. 4. (o) *Guillimannus* Friburg. conſil. & hiſtoriographus Cæſareus. *Mart. Zeilerus* de hiſt. part. 3. (p) *Chytræus Kochhaafe* dictus, Ingelfing. Suevus, th. D. reformator provinciarum Auſtriac. prof. Roſtoch. mort. 1600. *Thuanus* lib. 126. *Melch. Adami* in vit. German. theol. prolixe *P. Freberus* theatr. P. 1. ſect. 3. *G. Serpilius* in epit. th. Suev. p. 97 fuſe. (q) *Freberus* Auguſtanus, polyhiſtor inſignis, prof. Cord. Heidelberg. conſil. & vice præſes curiæ archipalat. mort. 1614. *Melch. Adami* in vit. JCtorum German. *Zeilerus* de hiſt. P. 2. *Adolph. Clarmund.* P. 2. num. 5. P. *Freberus* theatr. part. 2. ſect. 4. pag. 954. (r) *Spangenberg* Northuſanus, paſtor Isleb. *Flacii* defenſor. m. 1604. *Melch. Adami* in theol. Germ. I. A. *Quenſtedt* de patriis celebr. vir. P. *Freberus* theatr. part. 1. ſect. 3. p. 328. (s) *Vadianus* cap. anteced. initio deſcriptus. (t) *Münſterus* cap. 1. hujus ſec. a *Conringio* citatus, mort. 1552. (u) *Mutius* Turgovienſ. prof. Baſil. chronico rerum Germ. collecto celebris, vixit circa an. 1555. *Zeilerus* de hiſt. part. 2. qui *Hugwald. Durgaum* vocat. *Conr. Geſnerus* in biblioth. (vv) *Stumphius* Helvetius, miniſter eccleſ. in agro Tigurino, hiſtor. diligentiſſ. mort. poſt an. 1555. *H. Pantal.* part. 3. proſop. (x) *Ioſ. Simlerus* ſupra ad cap. 1. inter theol. citatus. (y) *Zwingerus* cap. anteced. inter medicos expoſitus. (z) *Barlandus* Zuydbereland. in Zeeland. natus, prof. eloq. Lovan. m. 1542. Vita chronico ducum Brabant. ſubjuncta. *Aub. Miræus* elog. Belg. claſſ. 9. *Fr. Swertius* in Ath. Belg. *Val. Andreas Deſſel.* bibl. Belg. *Melch. Adami* in vit. philoſ. Germ. (1) *Hortenſius* Montfort. Ultrajectinus, presbyter, rector ludi liter. Nardenſis, m. 1573. *Fr. Swertius* Ath. Belg. *Val. Andr. Deſſel.* bibl. Belg. *Melch. Adami* in vit. phil. Germ. (2) *Thomas*, Leodii natus, ſecretarius Ludovici & Frid. II. Elect. Palat. ad itinera & res maximas adhibitus, mort. poſt 1573. Plurima ipſe de ſe refert in vita *Frid. II.* Palatini. Adde *Fr. Swertium* Athen. Belg. & plenius *Val. And. Deſſel.* bibl. Belg. (3) *Petri*, Leovard. prof. Erfurt. bibliothec. cardin. Granvellani. Prof. Lovanienſ. ordinum Friſiæ hiſtoriogr. tandem canonicus Colon. m. 1597. *Thuan.* l. 119. *Fr. Swertius* Ath. Belg. *V. A. Deſſel.* bibl. Belg. *Melch. Adami* in vitis phil. Germ. *Aub. Miræus* elog. Belg. claſſe 9. *Voſſius* de H. Lat. l. 2. c. 32. (4) *Heuterus* Delphenſ. canon. Gorichemenſis, præpoſitus Arnheim. mort. 1602. *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Val. Andreas Deſſel.* bibl. Belg. *Aub. Miræus* elog. Belg. claſſe 9. (5) *van Reyd* conſul Arnheim. deputatus inter generales Belg. ordines, m. 1602. *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Val. Andr. Deſſel.* bibl. Belg. (6) *Busbequius* Cominii in Flandr. natus, nobilis, *Ferd. I.* conſil. filiorum ephorus, & legatus ad Turcas, vulneratus in ſylva obiit 1592. *Thuanus* lib. 104. *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Val. Andr. Deſſel.* bibl. Belg. *Aub. Miræus* elog. Belg. claſſ. 9. *Melch. Adami* in vit. Germ. JCt. *Ad. Clarmund.* P. 2. n. 3. (7) *Leonclavius* Amelburno Weſtphalus nobilis, magnis itineribus per orient. & occid. illuſtris polyglottus, mort. 1593. *Thuanus* l. 104. *Melch. Adami* in philoſ. Germ. (8) *Maffeus*, Nob. Volaterranus, vir corpore & anima venuſtus, Romæ & in patria vixit, mort. 1521. *Iovius* in elog. *Boiſſard.* part. 1. icon. n. 33. *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 3. cap. 12. *Ad. Clarmundus* P. 2. n. 14. I. M. *Toſcan.* in peplo Ital. l. 1. n. 30. (9) *Gal. Flavius Capra* Mediol. ſecret. Mediol. poſtea & *Caroli V.* rebus magnis adhibitus, mort. 1537. *H. Ghilinus* theatr. vol. 2. P. *Freberus* theatr. part. 2. ſect. 4. (10) *Fr. Guicciardinus* patrit. Florent. *Leonis X.* præfectus Bonon. Parmæ, & militiæ, mort. in otio literario 1549. Sapientum Italiæ unus e ſeptem, ut *Remigius Florentinus* in vita ejus, hiſtoriæ præmitti ſolitá, loquitur. Adde *H. Ghilinum* theatr. vol. 1. p. 112. *Jo. Imperial.* Muſeo hiſt. p. 95. (11) *Lud. Guicciard. Franciſci* ex fratre nep. Antwerpiæ vixit & ſcripſit, mort. 1589. *Thuanus* lib. 96. extr. *Aub. Miræus* elog. Belg. claſſ. 9. *Fr. Swertius* Ath. Belg. *Val. And. Deſſel.* in append. ad bibl. Belg. (12) *Contarenus* patrit. Venetus, cardinal. doctiſſ. mort. 1543. Vitam ejus Jo. *Caſa* epiſcopus Benevent. ſcripſit. Adde P. *Iovium* in elog. I. M. *Toſcanum* in peplo Ital. l. 3. n. 92. *And. du Sauſſay* add. ad Bellarm. num. 20. (13) *Bembus* patritius Venetus, orator, poëta, hiſtoricus celeberrimus, cardinalis, ex vulnere mortuus 1547. *Thuanus* lib. 3. *Hier. Ghilinus* theatr. vol. 1. pag. 369. *Boiſſardus* part. 1. n 38. *N. Reuſnerus* icon. part. 1. lit. N. J. *Imperial.* in Muſ. hiſt. *Ad. Clarmund.* part. 2. n. 10. (14) *Jovius* Novocom. polyhiſtor in aula Papali, epiſcopus Nucerinus, hiſtoricus celeberr. mort. 1552. *Thuan.* l. 11. *H. Ghilinus* vol. 1. p. 355. *Boiſſardus* part. 1. icon. num. 39. *N. Reuſnerus* part. 1. icon. lit. Q. 5. J. *Imperialis* in Muſ. hiſt. *Ad. Clarmundus* part. 3. n. 10. (15) *Vergilius* Urbinas, ſacerdos Londin. archidiac. Wellenſis, m. 1555. *Jovius* in elog. *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 3. c. 12. I. M. *Toſcanus* peplo Ital. l. 3. n. 112. *Ad. Clarmund.* part. 7. num. 2. (16) *Nardus* Florent. Venetiis vivens, quaſi oraculum nationis Florentinæ, ut *Remius Florentinus* in vita *Fr. Guicciard.* refert. m. poſt 1563. Hiſt. Florentinam diligentiſſ. ſcripſit Ital. *Mich. Porcientius* de ſcript. Florentinis. (17) *Bizarus* Soncinas, inter miniſtros Auguſti Elect. Sax. Antwerpiæ degens, hiſtor. diligentiſſ. mort. poſt an. 1573. *Zeilerus* part. 3. de hiſtor. (18) *Roſcius* ſ. *Rubeus* Ravennas, medicus celebris, hiſtoriam Ravenn. eleganter deſcripſit. Scripta medica recenſet I. A. *van der Linden.* (19) *Juſtinianus* patritius Venet. ſenator, hiſtoricus patriæ celeberrimus, mort. poſt annum 1570. *H. Ghilinus* theatr. vol. 1. p. 373. *Jac. Albericus* in catal. ſcript. Venetorum. (20) *de Comitibus* nob. Venetus, hiſtoria ſuî temporis & aliis clarus, mort. poſt 1580. *Zeilerus* de hiſtor. part. 2. *Jac. Albericus* de ſcr. Venet. (21) *Folieta* nob. Genuenſis, Romæ in otio literario lauto vivens, hiſtoricus inſignis, m. 1581. *Thuanus* lib. 74. quaſi extr. *Hier. Ghilinus* theatr. vol. 1. p. 336. (22) *Sigonius* Mutinenſ. prof. humanior lit. Venet. Patavii, Bonon. mort. 1585. *Thuanus* lib. 82. *Ghilinus* theatr. vol. 2. *Ant. Riccobonus* de gymn. Patavino lib. 1. fol. 29. ſeq. & lib. 4. c. 2. *Mart. Hankius* de R. Rom. ſcript. part. 1. c. 70. fuſe. *Ad. Clarmundus* P. 5. num. 2. (23) *Sanſovinus* Venetus, camerarius *Julii II.* Papæ, Romæ mort. 1586. *Hier. Ghilinus* theatr. vol. 1. p. 123. P. *Freberus* theatr. p. 2. ſect. 4. (24) *Paruta* patritius Venetus, hiſt. patriæ ſcriptor elegans, mort. 1559. *H. Ghilinus* theatr. vol. 1. p. 361. *Thuanus* l. 122. *P. Freberus* theatr. part. 2. ſect. 4. *Jac. Albericus* catal. ſcript. Venet. (25) *Davila* Italus, miles Venetus, ſcriptor bellorum Gall. civilium, m. poſt annum 1598. *Joh. Imperialis* Muſ. hiſt. quaſi extr. (26) *Fazellus*, Siculus ord. Domin. prof. Panormitanus circa med. ſeculi, diligens rerum Sicul. ſcriptor. Lege *Voſſium* lib. 3. c. 7. de hiſt. Lat. in *Falcando*. *Mart. Zeile-*

Cominaus, (27) *Paul. Æmylius*, (28) natione quidem Italus, *Guil. Paradinus*, (29) *Mart. Bellajus*, (30) *Arnoldus Ferronus*, (31) & *Nicol. Vignerius*. (32) Ex Hiſpanis (quorum hiſtoriam & *Joh. Vaſaus*, (33) Belga, ſcripſit;) *Petrus a Salazar*, (34) *Alphonſus Ulloa*, (35) & *Franc. Tarapha*; (36) e Luſitanis *Damianus a Goës*, (37) *Lud. Andreas Reſendius*, (38) & *Hieronymus Oſorius* (39) hiſtoricorum nomen meruerunt. Nec aliis gentibus hiſtorici defuerunt, quo nomine Hungaria *Joh. Sambucum*, (40) Polonia *Matthiam Mechovium*, (41) *Stanislaum Orichovium*, (42) *Martinum Cromerum*, (43) & *Joh. Demetrium Solicovium*; (44) Bohemia *Johann. Dubravium*, (45) & *Wencesl. Hagecium*; (46) Britannia *Hectorem Boethium*, (47) & *Georg. Buchananum*, (48) Scotos; Suecia *Johannem*, (49) & *Olaum Magnos*. (50) laudant. Hiſtoricis adjungendi videntur, qui antiquitates magno conatu eruere laborarunt, inter quos *Lilius Greg. Gyraldus*, (51) *P. Gyllius*, (52) *Æneas Vicus*, (53) *Onuphrius Panvinius*, (54) *Franc. Robortellus*, (55) *Hubertus Golzius*, (56) *Antonius Auguſtinus*, (57) *Matthaus Hoſtus*, (58) *Fulvius Urſinus*, (59) & qui ultra ſeculi finem vixit *Janus Jacobus Boiſſardus*, (60) ſibi celebre nomen pararunt. Chrono-

---

rus de hiſtor. part. 2. (27) *Cominaus* Flander, Argentoni Dominus, ex aula Burgund. ad Gallicam tranſiens, camerarius Regius, & Seneſchallus Pictaviæ fuit, mort. 1509. *Aub. Miraus* elog. Belg. claſſ. 9. Jacob. *Marchantius* in Flandr. lib. 1. de oppido Comineo, *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Val. Andr. Deſſel.* bibl. Belg. *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 3. cap. 10. (28) *Æmylius* Veron. canon. Pariſ. hiſtoricus elegans, mort. 1529. *Jovius* in elog. *Voſſius* de hiſt. Lat. l. 3. c. 12. (29) *Paradinus* Burgundus, canon. Beaujorienſ. hiſtoricus diligentiſſ. *Mart. Zeilerus* de hiſt. part. 2. *Sim. Schardius* rer. Germ. vol. 3. p. 9. (30) *Bellajus* Dominus *Langaus* nob. Gallus, eques ord. Regii, Normand. gubernator, m. 1559. *Thuanus* l. 26. *Sc. Sammarthanus* elog. Gall. lib. 1. *Bellajos* 3. deſcribens. *Zeilerus* de hiſt. part. 1. (31) *Ferronus* JCtus, patritius & ſenator Burdigal. Continuator *Paul. Æmylii*, mort. 1563. *Thuan.* lib. 35. *Sc. Sammarth.* elog Gall. l. 2. p. 58. (32) *Vignerius* Barrienſ. Campanus, med. & hiſtoriographus *Henr. III.* mort. 1596. *Thuanus* l. 117. *Sc. Sammarth* elog. Gall. lib. 4. p. 190. *Mart. Zeilerus* de hiſt. part. 3. (33) *Vaſaus* Brugenſ. Flander, aulicus Ulyſſipon. rhetor academiæ Salamant. mort. 1550. ſ. juxta *Aub. Miraum* claſſ. 9. elog. Belg. 1560. adde *Thuan.* l. 6. quaſi extr. *Fr. Swertium* Ath. Belg. *Val. Andr. Deſſel.* bibl. Belg. *Zeilerum* part. 2. de hiſtor. (34) *Salazar*, civis Madrit. *Hiſpaniam Victricem* Hiſpanice ſcripſit. (35) *Ulloa* Hiſpan. dux turmæ milit. in exercitu Caroli V. poſt Venetiis hiſtoriæ ſcribendæ intentus. *Thuanus* lib. 8. *H. Ghilinus* theatr vol. 1. pag. 16. (36) *Tarjapha* Barcinon. canonicus, ſcriptor de Regibus Hiſpan. fabuloſus, poſt med. ſeculi. *Andr. Schottus* bibliotb. Hiſpan. tom. 2. claſſ. 10. (37) *Damianus a Goës* eques Luſitanus, legationibus & itineribus inclytus, ſenex literis deditus, in patria infelix mortuus. *And. Schottus* biblioth. Hiſpan. tom. 3. claſſ. 2. pag. 490. prolixe. *Paul. Freherus* theatr. part. 4. pag. 1451. (38) *Reſendius* Eborenſ. Luſitanus. ex ord. Dominic. egreſſus aulicus, præceptor filiorum *Emanuelis* Regis, m. 1573. *Thuanus* lib. 64. *And. Schottus* bibl. Hiſpan. tom. 3. claſſ. 2. *Hier. Ghilinus* theatr. vol. 2. (39) *Oſorius* Ulyſſipon. profeſſ. Conimbric. tandem epiſcopus Sylvenſis in Algarbia, vir doctiſſ. mort. 1580. Vita ab *Hier. Oſorio* fratris fil. ſcripta legitur in *And. Schotti* bibl. Hiſpan. tom. 3. claſſ. 2. Adde *Thuan.* lib. 71. *Paul. Freherum* theatr. Part. 1. ſect. 3. (40) *Sambucum* vide ſupra cap. 4. inter medicos deſcriptum. (41) *Mechovius*, *Miechovita*, ſ. de *Mechow* dictus, canon. Cracov. med. D. hiſtoricus diligens, ſimplex licet, mort. poſt 1521. *Sim. Starovolſcius* de cent. ſcript. Pol. num. 42. *Voſſius* de hiſtor. Lat. lib. 3. c. 10. *Chriſtoph. Hartknoch* in præfat ad Boruſſ. vet. & nov. (42) *Orichovius*, ſ. *Orzechowski Okszic* nob. Polon. e Ruſſia rubra, *Demoſthenes Roxolanus* dictus. Annales uſque ad 1553. ſcripſit. *Sim. Starovolſcius* de C. ſcript. Pol. num. 58. Fuſe de eo agit *Jo. Gottl. Krauſe* in præf. ad tom. 2. ſcript. Polon. p. 45. ſeqq. (43) *Cromerus* in oppido Biecz Colon. min. natus, ex ſecretario regio epiſcopus Varmienſis, multis negotiis adhibitus, mort. 1598. *Thuanus* lib. 96. *Sim. Starovolſcius* de C. ſcr. Polon. n. 9. *Paul. Freherus* theatr. part. 2. ſect. 4. *Chr. Hartknoch*, in præf. Boruſſ. vet. & nov. (44) *Solicovius* Polon. archiep. Leopolienſ. in negotiis reipubl. exercitatiſſimus, mort. poſt 1590. De eo quædam habet *Chr. Funccius* in orbe imperante part. 2. cap. 7. p. 630. (45) *Jo. Skala Dubrawsky* Pelſin. Bohem. I. V. D. conſil. epiſcopus Olomucenſ. Dux militaris, tandem epiſcop. Olomucenſis, mort. 1553. Vita hiſtoriæ Bohem. præmiſſa; adde *Thuan.* lib. 12. *Mart. Zeilerum* de hiſtor. part. 1. (46) *Hagecius*, *Hagek* ſ. *Hayk* Libotſchanenſis Boh. ſacerdos, mort. 1553. Bohemice fide non optima chronicon ſcripſit, quod *Jo. Sandelius* German. reddidit. Lege *Zeilerum* part. 2. de hiſtor. (47) *H. Boethius* Deidonanus Scotus, ſocius ſtudiorum *Eraſmi Rot.* profeſſ. Aberdonenſis, mort. poſt an. 1510. *Jovius* in elog. J. *Baleus* de ſcript. Britan. cent. 14. num. 61. *Voſſius* de hiſtor. Lat. part. 1. libri 3. cap. 17. (48) *Buchananus* in Levinia Scotiæ ruſticis parentibus natus, orator & poëta inſignis, ob ſcripta in monachos exul, tandem in patria mortuus 1582. *Thuan.* lib. 76. *Boiſſard.* part. 3. num. 4. *Baleus* de ſcript. Britan. cent. 14. num 71. *Jo. Pet. Lotichius* biblioth. poet. part. 4. *Ad. Clarmundus* part. 3. num. 9. (49) *Jo. Magnus*, *Swinfot*, *Store* ſ. Magnus, Lincopenſ. canon. in patria Nuncius Apoſt. *Hadr. VI.* inde archiepiſcop. Upſal. exul Romæ pauper obiit 1544. Vita prolixe habetur in Jo. *Meſſenii* chron. epiſcoporum Suecor. Adde Jo. *Schefferum* in Suec. literata. *Mart. Zeilerum* part. 2. de hiſtor. (50) *Olaus*, *Johannis* frater, & ſucceſſor titularis, nemine agnoſcente, fabuloſiſſ. ſcriptor. Lege *Meſſenium* cap. 5. extr. hiſtor. epiſcoporum Suecor. (51) *Gyraldus* Ferrar. protonotarius apoſtol. polyhiſtor, ſed ſorte & corpore miſer, in urbis direptione omnia amiſit, mort. 1552. Vita a *Laur. Trizzolio* ſcripta operibus præmiſſa legitur. *Thuanus* lib. 11. *Ad. Clarmundus* part. 4. num. 9. (52) *Gyllius* Albienſ. Gallus, peregrinator ſumtu *Franc. I.* Regis, mort. Romæ 1555. *Thuan.* lib. 16. *Sc. Sammarthan.* elog. Gall. lib. 1. pag. 18. *Corn. Tollius* de inf. liter. pag. 53. *Ad. Clarmundus* part. 9. p. 209. (53) *Vicus* Parmenſ. ſculptor & antiquarius inſignis, Venetiis circa med. ſeculi floruit. Lege *Mart. Hankium* de rer. Rom. ſcript. lib. 2. part. 1. cap. 26. (54) *Panvinius* Veron. Eremita S. Auguſt. antiquarius ſummus, mort. 1568. *Thuanus* lib. 43. *H. Ghilinus* theatr. part. 1. pag. 339. fuſe *M. Hankius* de R. Rom. ſcript. lib. 1. part. 1. cap. 59. (55) *Robortellus* Utin. profeſſ. Bonon. & Patavin. adverſarius *Sigonii*, mort. 1567. *Thuan.* lib. 41. *H Ghilinus* theatri vol. 2. *Io. Imperialis* Muſ. hiſtor. pag. 60. *Hankius* de rer. Rom. ſcript. lib. 1. part. 1. cap. 58. *Ad. Clarmund.* part. 7. num. 6. *Paul. Freherus* theatr. part. 4. pag. 1463. (56) *Golzius* Herbipolita Venlojanus, antiquarius, pictor & ſculptor ſine pari, poëta, philoſophus, hiſtoricus, Brugis mort. 1583. *Thuanus* lib. 77. *H. Ghilinus* theatri vol. 2. *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Val. Andreas Deſſel.* biblioth. Belg. *Mart. Hankius* de R. Rom. ſcript. lib. 1. part. 1. cap. 67. (57) *Auguſtinus* Cæſarauguſt. theolog. JCtus, hiſtoricus inſignis, poſt alias dignitates archiepiſcop. Tarracon. mort. 1588. *Guid. Pancirollus* de JCt. *H. Ghilinus* theatr. vol. 2. *Andr. Schottus* bibliothec. Hiſpan. tom. 2. claſſe 7. *Mart. Hankius* de R. Rom. ſcript. lib. 1. part. 1. cap. 71. (58) *Hoſtus* Berolin. profeſſor Græc. lingu. antiquarius celeberr. Francofurti mort. 1587. *Abr. Bucholz* in ind. chronol. *Mart. Frid. Seidel* in icon. illuſtr. Marchicorum n. 45. 59) *Urſinus* Romanus canon. in famil. *Alex. Farneſii* card. antiquarius incomparab. mort. 1600. *Thuanus* lib. 123. *I. N. Erythræus* Pinacoth. 1. num. 4. *M. Hanckius* de rer. Rom. ſcript. l. 1. part. 1. c. 74. *Ad. Clarmundus* part. 1. n. 10. 60) *Boiſſardus* Veſontinus, Romæ in Græcia & Aſia diu verſatus, tandem Metis vixit & obiit 1602. Antiquarius nulli ſecundus. Imago habetur part. 2. init. icon. *I. Pet. Lotichius* bibl. poet. part. 4. *Mart. Hanckius* de rer. Rom. ſcript. lib. 1. part. 1. c. 76. *Ad. Clarmundus* part. 1. num. 5.

Chronologiam præ cæteris *Johannes Funccius*, 61) *Abrah. Bucholcerus*, 62) *Gilberdus Genebrardus*, 63) *Leonhardus Krenzhemius*, 64) & qui omnium chronologorum princeps eſt, quamvis nonum ſequentis ſeculi annum attigerit, *Joſephus Juſtus Scaliger*, 65) illuſtrarunt. Geographiam accurata ratione ſummaque induſtria expoſuerunt *Gerhardus Mercator*, 66) & *Abrahamus Ortelius*. 67)

Inter philologos Germanos, quorum ingens copia extitit, agmen ducunt *Johan. Capnio*, a) ſeu *Reuchlinus*, *Sigismundus Gelenius*, b) *Valentinus Friedland*, c) *Trozendorfius*, *Nicol. Gerbelius*, d) *Conradus Lycoſthenes*, e) *Joh. Draconites*, f) *Ægidius Tſchudus*, g) *Ioach. Camerarius*, h) *Guil. Xylander*, i) *Johan. Hartungus*, k) *Hieron. Wolffius*, l) *Petrus Vincentius*, m) *Joh. Poſſelius*, n) *Michael Neander*, o) *Frid. Sylburgius*, p) & *Nathan. Chytræus*. q) Belgarum præcipui philologi erant: *Goropius Becanus*, r) *Lævinus Torrentius*, s) & qui ſextum ſequentis ſeculi annum attigit, ſummus polyhiſtor, *Juſtus Lipſius*. t) Italia eo nomine celebres viros dedit: *Phil. Beroaldum*, u) *Johann. Baptiſt. Egnatium*, w) *Jul. Caſ. Scaligerum*, x) *Cal. Secund. Curionem*, y) *Hieron. Magium*, z) *Paulum Manutium*, 1) *Fredericum Commandinum*,

61) *Funccius* Werdæ prope Norimb. natus, theol. & hiſtoricus inſignis, defenſor ſoceri *Andr. Oſiandri*. Concionator aulicus *Alberti* Ducis Boruſſ. capite plexus 28. Oct. 1566. Regiomonti. *Thuanus* lib. 38. *Melch. Adami* in vit. Germ. theol. *Chr. Hartknoch* part. 2. cap. 5. Boruſſ. vet. & nov. 62) *Bucholzerus* ſupra in addit. ad cap. 8. deſcriptus. 63) *Genebrardus* deſcriptus ad cap. 1. inter theol. Romanenſes. 64) *Krenzheim* Iphofient. Francus, paſtor & Superint. Lignicenſis, ob Calviniſmum depoſitus, inde Frauſtadii in Pol. mort. 1598. *Abr. Bucholz* in ind. chronol. *Zeilerus* part. 2. de hiſt. Legantur acta Lignicenſia *Ægid. Hunnii*, & *Wolff. Mamphraſii* &c. 65) *Scaliger Jul. Cæſaris* fil. Aginnenſis Gallus, Prof. Lugd. B. *abyſſus eruditionis*, mort. 1609. *Scæv. Sammarth.* elog. Gall. lib. 1. *Hier. Ghilinus* theatr. vol. 2. *Boiſſardus* icon. part. 3. n. 8. *Paul. Colomeſius* Gall. orientali p. 112. ſqq. fuſiſſime, academia Leidenſ. p. 184. *Henning Witten* memoriis philoſ. dec. 1. *Ad. Clarmundus* part. 1. num. 7. 66) *Mercator* ſupra ad cap. 2. de philoſ. deſcriptus. 67) *Ortelius* Antwerp. poſt peregrinationes in patria geographus *Philippi II.* Regis vixit, bibliotheca, muſeo &c. inſtructiſſimis celebris, geographorum princeps, mort. 1589. *Thuanus* lib. 120. *Frid. Swertius* Athen. Belg. *Val. Andr. Deſſel* bibl. Belgica. *Aub. Miræus* elog. Belg. claſſe 9. *Melch. Adami* in philoſ. German.

a) *Reuchlinus*, Pfortzheim. D. V. jur. Baſileæ, profeſſor Tubingenſ. Ingolſtad. &c. reſtitutor literaturæ Hebraicæ, mort. 1521. *Joh. Biſmarcus* in vitis theol. *Melch. Adami* in vit. phil. Germ. *Ad. Clarmundus* part. 7. n. 14. Vitam recentius *Joh. Henr. Majus* collegit & edidit Franc. 1687. 8. b) *Gelenius* Bohemus, Baſileæ typographis vertendo & corrigendo inſerviens, m. 1554. pauper omni vita, lautiori licet fortuna dignus, ut *Thuanus* judicat lib. 13. Vitam *Cæl. Sec. Curio* deſcripſit. c) *Fridland Trozendorfius* collega Gorlic. poſt rector Goldbergenſis celeberrimus, obiit cælebs Lignit. 1556. Vitam *Melch. Adami* in vit. phil. Germ. habet. d) *Gerbelius* ſupra ad cap. 3. inter ICtos deſcriptus. e) *Lycoſthenes Wolffhart* vero nomine Rubeaquenſ. theol. Baſil. Vitricus *Theod. Zwingeri*, m. 1561. *H. Pantaleon* part. 3. proſopogr. *Melch. Adami* in vit. theol. *Boiſſardus* icon. P. 4. n. 44. f) *Draconites* Caroloſtad. Francus, prof. Marpurg. & Roſtoch. tandem epiſcopus Sambienſis, philologus Hebræus, m. 1566. *Thuanus* lib. 39 *Johan. Biſmarcus* in vit. Th. *Melch. Adami* in theol. Germ. g) *Tſchudus* Glaron. philologus, geographus & hiſtor. celebris, mort. Baſileæ 1572. *Thuanus* lib. 54. h) *Camerarius* Bamberg. Norimbergæ, Tubing. & Lipſiæ docuit, vir animi & corporis dignitate præſtans, mort. 1574. *Thuanus* lib. 59. *H. Pantaleon* part. 3. *Melch. Adami* in vit. Germ. philoſ. *Ad. Clarmund.* P. 6. initio. i) *Xylander* Auguſtanus, prof. Gr. linguæ Heidelb. doctiſſ. & diligentiſſimus, m. 1576. *H. Pantal.* part. 3. *Thuanus* lib. 62. *Boiſſardus* icon. P. 4. n. 41. *N. Reuſner.* icon. P. 2. p. 350 *Melch. Adami* in phil. Germ. *Ad. Clarmund.* part. 6. n. 2. k) *Hartungus* Miltenberg. Francus, Gr. ling. profeſſ. Heidelb. & Friburgenſis. *Thuanus* lib. 68. *Boiſſardus* part. 2. p. 218. M. *Adami* in Germ. philoſ. l) *Wolffius* Oettingenſ. Mülhuſii & Norimb. docuit, poſt rector gymn. Auguſtani & *Fuggerorum* bibliothec. mort. 1580. *Thuanus* l. 71. *Boiſſard.* part. 2. p. 270. *Melch. Adami* in phil. Germ. *Ad. Clarmundus* part. 2. n. 8. m) *Vincentius* Wratiſlav. profeſſ. Wittreberg. & Gryphiswald. poſt rector Gorlic. Lubecenſ. tandem Eliſabetanus in patria, profeſſione hiſtorica inſtituta & dotata celebris, m. 1581. Epitaphium e regione bibliothecæ legitur. *Abr. Bucholz.* in ind. chronol. *Nic. Pohlius* in Hemerolog. Wratiſl. die 18. Apr. & 1. Octobr. n) *Poſſelius* Parchim. Mecklenburg Prof. Græc. ling. Roſtoch. philologus doctiſſ. mort. 1591. *Melch. Adami* in philoſ. Germ. *Ad. Clarmundus* part. 1. n. 25. o) *Neander*, Sorav. Luſatus Northuſanæ, inde Ilefeldenſ. ſcholæ rector celeberrimus, mort. 1595. *Thuanus* lib. 113. *Melch. Adami* in vit. philoſ. German. *Guil. Budeus* in Thanatologia cum ſcriptor. rer. Germ. *Leuckfeld* & *Heinecciauis* edita ad an. 1595. *Ad. Clarmundus* part. 6. p. 22. p) *Sylburgius* Wetteranus in ſchola Leihenſi, inde Neuhuſino gymn. docuit, tandem Wechelianæ & Comelin. typographiæ inſerviit, mort. 1596. *Thuanus* lib. 117. *Melch. Adami* in phil. German. *Ad. Clarmundus* P. 1. n. 11. q) *Chytræus* Menzing. Palat. poſt itinera varia profeſſ. Roſtoch. tandem rector Bremenſis, m. 1598. *I. P. Lotichs* bibl. poet. lib. 3. p. 140. *Ol. Borrichius* de poet. Lat. diſſ. 4. §. 153. *Ad. Clarmundus* P. 3. n. 8. r) *Becanus Johannes Goropius* dictus, cognomen a vico patrio ad Antwerpiam, archiater regius ſui capitis, m. 1569. *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Val. Andr. Deſſel.* bibl. Belg. *Aub. Miræus* elog. Belg. claſſ. 6. s) *Torrentius van der Becke* dictus Gandav. epiſcop. Antwerp. poſt archiep. Mechlin. poeta & philologus excellens, m. 1595. *Hier. Ghilinus* theatr. vol. 2 *Thuanus* lib. 113. *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Val. Andr. Deſſel* bibl. Belg. *Aub. Miræus* elog. Belg. claſſ. 1. *Ad. Clarmundus* P. 4. n. 10. t) *Lipſius* Iſcan. Brabantus profeſſ. Jenenſ. Lovan. Lugdun. & iterum Lovanienſis, mutata religione, mort. 1606. *Hier. Ghilinus* theatr. vol. 1. p. 264. *Boiſſardus* part. 2. n. 2. *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Val. Andr. Deſſel.* bibl. Belg. academ. Leidenſi p. 166. *Melch. Adami* in vit. phil. Germ. *Aub. Miræus* elog. Belg. claſſe 8. prolixe. *Ad. Clarmundus* P. 1. num. 13. u) *Beroaldus* Bonon. ſummus philologus Lutet. Parmæ, Bononiæ lit. human. docuit, m. 1504. ſ. juxta *Trithem.* 1510. Vita per *Berthol. Blanchinum* ſcripta *Horatio Beroaldi* præmittitur: *Jovius* in elog. *Ioh. Ant. Bumaldus* bibl. Bonon. *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 3. c. 11. *Ad. Clarmundus* P. 3. n. 19. w) *Egnatius* Venetus, 40. annis literas humaniores in patria cum admiratione docuit, tandem rude donatus obiit octogenarius 1553. *Thuanus* lib. 12. *Ghilinus* vol. 1. p. 186. *Voſſius* de hiſt. Lat. lib. 3. c. 12. x) *Scaliger* ſupra a *Conringio* cap. 2. inter philoſ. citatus. y) *Curio* Pedemontanus, Mediolan. Ticini, Lucæ, Taurini, Eporediæ &c. docuit, inde exul ob religionem Baſileæ eloquentiæ prof. mort. 1569. *Thuanus* lib. 46. *Chriſt. Urſtiſius* in epit. hiſt. Baſil. *Paul. Freherus* theatr. part. 4. p. 1465. z) *Magius* Anglariæ in duc. Mediol. natus ICtus, judex in Cyprum miſſus, Famaguſta 1571. expugnata in captivitatem Turcicam raptus, in qua libros de tintinnabulis & equuleo ſcripſit, antequam miſerrime ſtrangularetur. *Thuanus* lib. 49. *I. H. Bæclerus* libro memor. ſec. XVI. pag. 637. *Ad. Clarmundus* part. 8. n. 9. 1) *Manutius Ald.* fil. Prof. Romanus, bibliothecarius Pontificum, mort. 1574. *Thuanus* lib. 59. *H. Ghilinus* Th. vol. 1. p. 358. *Ioh. Imperialis* Muſ. hiſt. p. 106. M. *Hanckius* de rer. Rom. ſcript. lib. 1. part. 1. c. 63. *Ad. Clarmundus* P. 1. n. 4. Fuſe apparatum ad vitam *P. Manutii* exhibuit *Ioh. Gottl. Krauſius* Lipſ.

num, 2) *Immanuelem Tremellium*, 3) & *Petrum Victorium*, 4) quibus & peregrinus licet, *Franciſcus Portus* 5) Cretenſis annumerari meretur. Ex Gallis eandem laudem meruerunt: *Ioachimus Perionius*, 6) *Sebaſt. Caſtalio*, 7) *Hadrianus Turnebus*, 8) *Iohann. Mercerus*, 9) *Dionyſ. Lambinus*, 10) *Guil. Poſtellus*, 11) *Gentianus Hervetus*, 12) & *Elias Vinetus*. 13) Inter Hiſpanos *Ferd. Nonius Pincianus*, 14) præ cæteris magni philologi laudem tulit. Celebrium oratorum nomen inter multos alios obtinuerunt: *M. Antonius Majoragius*, 15) *M. Anton. Muretus*, 16) *Johannes Sturmius*, 17) & *Andreas Dudithius* 18).

Demum & poetis fertile hoc ſeculum fuit, ex quibus præcipui fuere Germani: *Ulricus Huttenus*, 19) *Helius Eobanus* 20) *Heſſus*, *Jacobus Micyllus*, 21) *Georgius Sabinus*, 22) *Ioh. Stigelius*, 23) *Petrus Lotichius Secundus*, 24) *Nicodemus Friſchlinus*, 25) *Ioh. Lauterbachius*, 26) & *Paulus Meliſſus*; 27) Itali: *Iacobus Sannazarius*, 28) *M. Hieronymus Vida*, 29) *Torquatus Taſſus*, 30) aliique non pauci; Galli: *Sal-*

1719. 4. 2) *Commandinus* nob. Urbinas mathemat. & philologus inſignis, mort. 1575. *Thuanus* lib. 61. *I. B. Ricciolus* part. 2. chron. Almagest. præf. p. 34. 3) *Tremellius* Ferrar. philologus Hebræus celeberr. Hornbaci, Heidelb. Sedani docuit, m. 1580. *Thuanus* lib. 71. *Melch. Adami* in vit. theol. exter. *P. Freherus* theatr. P. 1, ſect. 3. *Clarmundus* part. 1. n. 11. 4) *Victorius* nob. Florent. ethices Prof. in patria, magnus polyhiſtor, mort. 1586. *Thuanus* lib. 82. *Boiſſardus* P. 3. icon. n. 11. *I. Imperialis* Muſ. hiſt. pag. 156. *Clarmund.* P. 4. n. 3. 5) *Portus* Cretenſ. prof. Gr. ling. Ferrariæ, unde Genevam abiit religionis cauſa, mort. 1581. *Thuanus* lib. 74. *Mart. Cruſius* in Turco-Græcia p. 522. 6) *Perionius* Cormeriacenſ. ex agro Turon. Hebr. & Gr. ling. prof. Regius, Ariſtotelis contra Ramum defenſor, mort. 1559. *Thuanus* lib 23. *Scæv. Sammarth.* elog. Gall. lib. 1. p. 36. 7) *Caſtalio* ſ. *Caſtellio* Sabaudus, prof. Græc. ling. Genevæ & Baſileæ, interpres S. ſcript. m. 1563. *Thuanus* lib 35. *Scæv. Sammarthanus* elog. Gall. lib. 2 p. 54. *Clarmundus* P. 4. n. 4 *A Joach. Urſino* Socinianiſmi accuſatur in præf. ad Caſmanni Anti-Socin. 8) *Turnebus* Andelio-Rotomag. polyhiſtor magnus, typographus & profeſſor Regius, m. 1565. *Thuanus* lib. 38. *Scæv. Sammarth.* elog. Gall. lib. 2. p. 64. *Ad. Clarmundus* P. 1. n. 22. 9) *Mercerus* Uticenſ. Aquitanus ICtus, prof. Hebr. liter. Regius Pariſ. mort. 1570. *Thuanus* lib. 47. *Scæv. Sammarth.* elog. Gall. lib. 2. p. 83. *Paul. Colomeſius* in Gall. orient. p. 47. ſuſe. 10) *Lambinus* Monſtrolienſ. ex agro Pariſino prof. Regius utriusque linguæ, m. 1572. territus cæde *Pet. Rami*. *Thuanus* lib. 52. *Scæv. Sammarth.* lib. 2. elog. Gall. p. 80 *H. Ghilinus* vol. 2. *Corn. Tollius* de infel. liter. p. 65. *Ad. Clarmundus* part. 2. num. 2. 11) *Poſtellus* Barenton. Normannus, ex Ludimagiſtro pagano orient. ling. prof. Regius Pariſ. inde 16. annis per orientem vagatus junior rediit, poſt mira fata & deliria fere centenarius obiit 1581. *Thuanus* lib. 74. *Scæv. Sammarth.* elog. Gall. lib. 2 p. 113. *Paul. Colomeſius* Gall. orient. pag. 59. Lege & *Unſchuldige Nachrichten* an. 1705. ord. 3. pag. 140. 12) *Hervetus* Aurel. theol. Pariſ. philologus Græc oratione pro matrimonio in concil. Trident. habita celebris, m. 1584. *Thuanus* lib. 80. *Abr. Bucholz.* ind. chronol. *I. A. Querſtedt* de patriis illuſtr. vir. 13) *Vinetus* apud Santones in agro Barbezienſi natus, Prof. human. literarum Burdigal. poſt Conimbricenſis, m. 1587. *Thuanus* lib. 88. *Scæv. Sammarth.* elog. Gall. lib 3. pag. 136. 14) *Ferdinandus Nonius*, Pinciæ in Vaccæis, i. e. Valleſoleti natus, profeſſ. Complut. & Salamant. philol. Græcus celeb. m. 1592. *Thuanus* lib. 11. *Andr. Schottus* bibl. Hiſp. tom. 3. claſſ. 3. vitam prolixe habet. 15) *Majoragius Anton Maria Comes* vero nomine Mediolan. coram ſenatu nomen aſſumtum oratione luculenta defendit. Prof. eloqu. Mediolan. mort. 1555. *Thuanus* lib. 16. *Ioh. Imperialis* Muſeo hiſt. p. 124. *P. Freherus* theatr. part. 4. p. 1455 16) *Muretus* Lemovix Gallus, Romæ ethicæ, eloq. & juris civ. prof. mort. 1585. *Thuanus* lib. 82. *Hier. Ghilin* theatr. vol. 1. pag. 318. *Jan Nic. Erythræus* pinacoth. 1 num. 5. *Scæv. Sammarth.* elog. Gall. lib. 3. p. 122. *Ioh. Imperial* Muſ. hiſtor. p. 108. *P. Freherus* theatr part. 4. p. 1477. *Ad. Clarmundus* part. 1. num. 12. 17) *Sturmius* Sleidæ in Ubiis natus, Prof. Gr. & Lat. ling. Pariſ. inde Argentorat. acad. rexit, *Cicero Germaniæ* dictus, mort. 1589. *Thuanus* lib. 96. *Melch. Adami* in phil. German. *Manes Sturmiani* Argent. 1590. excuſi. *Ad. Clarmundus* part. 1 n. 16. 18) *Dudithius Sbardelatus* ab *Horchowiza*, Dominus in Smigla Hungarus nob. orat. & philoſoph. epiſcopus Quinqueeccleſienſis, in concil. Tridentinum miſſus; inde conſil. Maximil. II. Legatus in Polon. religione mutata Wratiſl. vixit, mort. 1589. ubi in templo Eliſab. inſigne Epitaphium legitur. *Thuanus* lib. 96. Vita a *Quirino* Reutero ſcripta, orationibus præmiſſa, it. in monumentis viror. illuſtr. ſelectis, Francof. 1702. editis, it. in *Unſchuld. Nachrichten* an. 1702. p. 875. & in obſervat. Hallenſ. tom. 5. obſervat. 11. *Ad. Clarmundus* part. 6. num. 18. *Chriſtoph. Sandius* in bibl. Antitrinit. eum ſectæ ſuæ accenſet. Fuſe de eo etiam agit *Dav. Czwittingerus* in ſpecim. Hungar. literatæ, p. 125. ſeqq. 19) *Huttenus* eques Francus, miles & poeta celebris, *Lutheri* concitator, mort. 1523. *H. Pantal.* part. 3. proſopogr. *I. P. Lotichius* bibl. poet. part. 3. *Boiſſardus* icon. part. 2. tom. 3. *N. Reuſnerus* icon. part. 2. pag. 32. *Melch. Adami* in vitis phil. Germ. Vitam & epiſtolas *Hutteni* ſollicite exhibuit *Jac. Burchardus* Hildburgh. 1717. 8. 20) *Eobanus* in ditione Zigenhain natus, Noримb. Erphord. & Marpurgii docuit, poeta excell. corpore & animo valens, mort. 1540 *Boiſſardus* icon. part. 3 n. 17. *N. Reuſnerus* part. 2. icon. pag. 83. *I. P. Lotichius* bibl. poet. part. 3. *Melch. Adami* in vit. phil. Germ. 21) *Jac. Moltzer* vero nomine, *Micylli* nomen ex ludo ſcenico aſſumſit. Rect. ſcholæ Francof. prof. ling. Græc. Heidelb. mort. 1558. *H. Pantaleon* part. 3. *I. P. Lotichius* bibl. poet. part. 3. *Melch. Adami* in philoſ. German. 22) *Sabinus* vero nomine *Schulerus* Brandenb. I. V. D. Gener *Melanchthon.* Prof. Francof. inde primus rector Regiomont. poeta incomparabilis, mort. 1560. *Thuanus* lib. 26. *Lotichius* bibl. poet. part. 3. *M. Adami* in vitis Phil. German. Imago in *Mart. Friedr. Seidelii* iconibus *Marchicis* num. 25. *Ad. Clarmundus* part. 8. n. 13. 23) *Stigelius* Gothanus, Prof. poeſ. Witteb. & Jenenſ. mort. 1562. *I. P. Lotichius* bibl. poet. part. 3. *Melch. Adami* in philoſ. German. 24) *Lotichius* Solitariæ in comit. Hanoviæ natus, miles, med. D. & poeta promtiſſ. Heidelberg. docuit, mort. 1560. *Thuanus* lib. 26. ipſe in bibl. poet. part. 3. *Melch. Adami* in phil. Germ. 25) *Friſchlinus* Balingenſ. Würtenb. Prof. Tubing. poſt rector Labaci, in Carinthia, mox Brunſwigæ, ob linguæ petulantiam carceri incluſus, dum fugam parat, miſere periit 1590. *Thuanus* l. 99. *I. P. Lotichius* part. 3. bibl. poet. *Melch. Adami* in vit. philoſ. Germ. *Ad. Clarmundus* part. 1. num. 6. noviſſ. *Carol. Henr. Langius* hiſt. *Friſchlini* accurate expoſuit Ienæ 1726. 4. 26) *Lauterbach a Noſcowiz*, Luſatus, ICtus & poeta inſignis, Gymn. Heilbrunn. rector, mort. 1593. *I. P. Lotich.* bibl. poet. part. 3. *Abr. Bucholzerus* in ind. chronol. 27) *Meliſſus Schedius* Melrichſtad. Francus, miles, peregrinator, com. Palat. Cæſ. bibliothecarius Palatinus, mort. 1602. *Boiſſardus* icon. part. 2. pag. 84. *Thuanus* lib. 127. *Melch. Adami* vit. phil. Germ. *I. P. Lotichius* bibl. poet. part. 3. *Clarmundus* part. 8. num. 15. 28) *Actius Syncerus Sannazarius* dici maluit, eques Neapol. *Ferdinandi* Regis conſil. poeta elegantiſſ. in Pontifices mordax, mort. 1530. *Iovius* in elog. *Lil. Gr. Gyraldus* dial. 1. de poetis ſui temp. *H. Ghilinus* theatri vol. 2. *Boiſſardus* icon. part. 1. n. 35. *N. Reuſnerus* icon. part 1. lit. P. *Paul. Freherus* theatr. part. 4. p. 1441. 29) *Vida* Cremon. canon. Lateran. epiſcopus Albenſis, theol. orat. poeta, mort. 1566. *H. Ghilinus* theatr. vol. 1. pag. 322. *A. Imperial.* muſ. hiſt. p. 35. *N. Reuſnerus* icon. part. 1. lit. L. 3. 30) *Taſſus* Neapol. princeps carminis Ital. Romæ & Ferrariæ vixit, ubique infelix ob adverſarium occiſum, m. 1599. *Thuanus* lib. 123. *Henr. Ghilinus* theatr. vol. 1. pag. 421. fuſe. *Joh. Imperialis* muſ. hiſt. pag. 119. fuſe. *Cornelius Tollius* de inf.

Salmonius Macrinus, 31) *Petrus Ronſardus,* 32) *Guil. Salluſt. Barteſius,* 33) & *Q. Sept. Florens* 34) *Chriſtianus*; & inter Scotos *Georg. Buchananus.* 35) Nec hic omittendi videntur typographi eruditi, qui mira induſtria literarum incrementa juvarunt, inter quos præcipui fuerunt: *Aldus Manutius,* 36) *Rob. Stephanus,* 37) *Iob. Frobenius,* 38) *Guil. Morellus,* 39) *Iob. Oporinus,* 40) *Chriſtoph. Plantinus.* 41) *Franc. Raphelengius,* 42) *Hieron. Commelinus,* 43) & *Henr. Stephanus.* 44) Imo ne quid eruditi ſeculi felicitati deeſſet, fœminæ ipſæ haud paucæ philologicis & poeticis ſtudiis excelluerunt, ex quibus præcipue *Hippolyta Taurella,* 45) *Olympia Fulvia Morata,* 46) *Aloyſia Sigæa,* 47) *Laurentia Strozza,* 48) & circa finem ſeculi *Eliſabetha Iohanna Weſtonia* 49) citari merentur.

SECULI XVII.

CAP. I.

De ſcriptoribus eccleſiaſticis.

Hoc ſeculo adeo floruit ſacrorum, aliorumque ſtudiorum felicitas, ut numerum eruditorum paſſim per Europam celebrium vix capiat paucorum capitum anguſtia. Igitur ex iis, qui durante hoc ſeculo floruerunt, non niſi illuſtriores citare volumus. Ex iis itaque ſcriptoribus qui puram evangelii doctrinam ſcriptis propagarunt, intra primos X. ſeculi annos obierunt: *Ægidius Hunnius,* a) *David Rungius,* b) *Lucas Oſiander,* c) *Sal. Geſnerus,* d) *Phil. Nicolai,* e) *Polycarpus Lyſerus,* f) & *Joh.*

liter. p. 25. 31) *Macrinus* Juliodun. Gallus in Picton. limite, Pariſius in *Bellajorum* familia vixit, & ſenex obiit 1557. poeta inſignis, *Thuanus* lib. 19. *Scæv. Sammarth.* elog. Gall. lib. 1. pag. 20. 32) *Ronſardus* Vindocin. miles, poſt aulicus, & poeta doctiſſ. Græcas poetas amans & exprimens, m. 1585. *Boiſſardus* part. 2. icon. pag. 104. fuſe *I. P. Lotichius* bibl. poet. lib. 4. *Scæv. Sammarth.* elog. lib. 3. pag. 124. *P. Freherus* theatr. part. 4. pag. 1478. 33) *Guil. de Salluſto Bartas* Vaſco, ab avito prædjo cognomen ſumſit. Poeta celeberr. civilibus & militar. negotiis ab *Henr. IV.* adhibitus, m. 1590. *Thuanus* lib. 99. *Scæv. Sammarth.* elog. Gall. lib. 4. p. 70. 34) *Florens Chriſtianus* Aurelian. poeta Græc. & Latin. doctiſſimus, *Henrici IV.* præceptor, mort. 1596. *Thuanus* lib. 117. *Scæv. Sammarth.* elog. lib. 4. p. 184. 35) *Buchananus* ſupra inter hiſtoricos citatus. 36) *Aldus Manutius* ſ. *Aldus Pius Manuccius* Venetus typographus eruditiſſ. qui cum *Andr. Aſulano* ſocero, & Franciſco affine libros accuratiſſ. & copioſiſſ. edidit, mort. 1516. *Paulus* filius, ſupra inter philologos citatus. Nepos ex *Paulo Aldus* jun. prof. human. liter. Bonon. celeberrimus, mort. 1597. deſcriptus ab *Hier. Ghilino* theatr. part. 1. p. 9. *I. N. Erythræo* Pinacoth. 1. p. 184. *Corn. Tollius* de liter. infel. 29. 37) *Stephanus, Henrici* fil. typographus regius, doctiſſ. & laborioſiſſ. ob commentar. in evangeliſtas Sorbonæ perſecutionem paſſus, Genevam fugit, combuſtus in effigie, mort. 1559. *Thuanus* lib. 23. *Jac. Verheiden* imag. p. 127. *Paul. Colomeſius* in Gall. orientali p. 22. optime *Theod. Ianſonius* ab *Almeloven* in vitis Stephanorum. *Clarmundus* part. 8. num. 5. 38) *Frobenius* Hamelburg. Francus, typographus Baſil. eruditiſſ. & diligentiſſ. mort. 1527. ab *Eraſmo Rot.* laborum ſocio impenſe laudatur lib. 2 epiſt. 1. & 13. Generum *Nicol. Epiſcopium*, & filium *Hier. Frobenium* typographos celebres habuit. Lege *Henr. Pantaleon* part. 3. proſopogr. *Melch. Adami* in vitis Germ. philoſ. 39) *Morellus* Tilianus Gallus, Græce doctiſſimus, ab *Andr. Turnebo* ſucceſſor in typographia reg. denominatus mort. 1564. *Thuanus* lib. 36. 40) *Oporinus Herbſt* vero nomine Baſil. med. & philologus doctiſſ. prof. Græc. linguæ, poſt typographus, mort. 1568. *Henr. Pantal.* part. 3. proſop. *Thuanus* lib. 63. *Melch. Adami* in philoſ. Germ. 41) *Plantinus* Turon. Gallus, typographus regis Hiſp. Antwerpienſis, vir doctiſſ. mathematicus inſignis, mort. 1598. *Thuanus* lib. 96. *Aub. Miræus* elog. Belg. *Paul. Freherus* part. 4. pag. 1482. 42) *Raphelengius*, Flander ex ditione Inſulenſi. *Plantini* gener & adjutor, Prof. Hebr. & Arab. ling. Lugdun. Bat. m. 1597. *Thuanus* lib. 119. *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Val. Andreas Deſſel.* bibl. Belg. acad. Leidenſ. p. 19. *M. Adami* in vit. phil. Germ. *Paul. Freherus* theatr. part. 4. p. 1491. 43) *Comelinus* Santandreanus Gallus, typographus Genevenſ. poſt Heidelb. eruditiſſimus, m. 1597. *Thuanus* lib. 119. 44) *H. Stephanus* Pariſ. princeps typographorum, *Roberti* fil. ob apologiam pro *Herodoto* aufugere coactus, in imagine etiam combuſtus, inde Genevæ typographus *Fuggerianus*, mort. 1598. Socer *Iſaaci Caſauboni.* *Thuanus* lib. 120. *Scæv. Sammarth.* elog. Gall. lib. 4. p. 193. *Corn. Tollius* de liter. infel. extr. *Theod. Ianſonius* ab Almeloven in vit. *Stephanorum.* *Ad. Clarmundus* part. 8. num. 6. 45) *Taurella* Mantuana, *Balth. Caſtilione*, oratoris apud *Leon. X.* uxor, lat. carmine promptiſſima, juvenis mortua 1525. Elegia illius ad maritum, & epitaphium inter *Olymp. Fulviæ Moratæ* opera leguntur in fine. Lege *Iob. Sauerbrey* diatrib. 2. de erudit. fœminarum §. 3. 46) *Morata* Ferrar. *Fulvii Morati* philoſ. filia, *And. Grunthleri* Svinfurt. med. D. uxor, religionis & mariti amore in Germaniam abiens, piiſſima & doctiſſima, mort. 1555. æt. 29. Vita legitur apud *Melch. Adami* in Germ. philoſ. adde *Joh. Sauerbrey* de erud. fœmin. diatriben §. 47. *I. And. Planerus* gynæc. doct. p. 55. 47) *Al. Sygæa* Toletana *Didaci Sygæi* epheborum in aula Luſitan. præceptoris doctiſſ. filia Lat. Græc. Hebr. Syr. Arab. docta, *Alphonſi a Cuevas* uxor immature mortua. *Iob. Vaſæus* in rebus Hiſp. cap. 9. fere extr. *Nic. Antonius* in bibl. Hiſp. *Dan. Georg. Morhofius* polyhiſt. lib. 1. cap. 8. *And. Schottus* bibl. Hiſpan. tom. 2. claſſe 9. p. 341. ſeqq. *Joh. And. Planerus* gynæc. doct. p. 63. 48) *Strozza* Florentina, *Zach. Strozza* fil. monialis Dominic. Lat. & Gr. doctiſſima, in philoſ. & muſica excellens, m. 1591. æt. 77. *Thuanus* lib. 100. *Mich. Pocciancius* de illuſtr. Florent. *I. Andr. Planerus* in gynæc. doct. p. 65. 49) *Weſthonia* Angla, *Ioh. Leonis* agentis in aula Cæſar. Pragenſ. uxor, linguarum Lat. Ital. Angl. German. Bohem. peritiſſima, a *Paul. Meliſſo* corona poet. ornata. Opera ſub παρθενικῶν titulo a *Georg. Mart. a Baldhoven* Sileſ. edita. Lege *Joh. Sauerbrey* de erud. fœmin. diatr. 1. §. 50. *Chriſt. Franc. Paulini in gelehrten teutſchen Frauenzimmer &c.* *Joh. And. Planerus* in gynæceo docto p. 67.

Cap. I. a) *Hunnius* Winenda Würtenb. theol. D. Profeſſ. Marpurg. poſt Witteb. m. 1603. *Leonh. Hutteri* threnologia in Hunnium Witteb. 1603. 4. *Melch. Adami* in vitis theol. Germ. *B. Freherus* theatri part. 1. ſect. 3. *Georg. Serpilius* in epit. theol. Suev. pag. 34. fuſe. b) *Rungius* Gryphiswald. theol. D. & Profeſſ. Witteb. mort. 1604. *Melch. Adami* in vit. theol. German. *Freherus* theatr. part. 1. ſect. 3. *Andr. Sennertus* Athen. Witteb. pag. 203. c) *Oſiander Andreæ* F. Norinb. theol. D. Superint. Stutgard. concion. aulicus, m. 1604. *P. Freherus* theatr. part. 1. ſect. 3. *Georg Serpelius* epit. th. Suev. p. 50. d) *Geſnerus* Boleslav. Sil. Rector ſcholæ patriæ, mox Stetinenſis, paſtor Stralſund. tandem theol. D & prof. Witteb. mort. 1605. *Melch. Adami* in theol. Germ. *Freherus* theatr. part. 1. ſect. 3. *And. Sennertus* Athen. Witteb. pag. 203. e) *Nicolai* Mengershuſa. Waldecc. concion. aulic. Waldec. theol. D. paſtor Unnæ in Weſtphal. demum Hamburgi, mort. 1608. *H. Witten* in memor. theol. init. *Freherus* theatr. part. 1. ſect. 3. f) *Lyſerus* Winenda Wurtenberg. privignus *Lucæ Oſiandri* theol. D. profeſſ. & Superint. Witteb. inde Brunſuic. tandem concion. aulicus Dreſd. mort. 1610. *Melch. Adami* in theol. German. *Theoph. Spizelius* in templo honoris num. 2.

Ioh. Pappus. g) Secunda ſeculi decas amiſit *Philipp. Marbachium*, h) *Felicem Bidenbachium*, i) *Steph. Gerlachium*, k) *Johann. Forſterum*, l) *Leonhard. Hutterum*, m) *Andr. Oſiandrum*, n) *Chriſtoph. Helvicum*, o) *Albert. Grauerum*, p) *Johann. Heilbrunnerum*, q) *Conrad. Schlüſſelburgium*, r) & *Matthiam Haſenrefferum.* s)

Inter XX. & XXX. annum mortui ſunt theologi celebriores: *Joh. Arndius*, t) *Joh. Schröderus*, u) *Johann Apſelmannus*, vv) *Balth. Meiſnerus*, x) *Balth. Menzerus*, y) *Fridericus Balduinus*, z) *Valer. Herbergerus*, 1) *Vincent. Schmukius*, 2) *Jacob. Reyhingius*, 3) *Wolfg. Franzius*, 4) & *Joh. Tarnovius.* 5) Quarta ſeculi decade obierunt: *Theodorus Thummius*, 6) *Polycarpus Lyſerus*, 7) *Paulus Tarnovius*, 8) *Johann. Gerhardus*, 9) *Georg. Zeamannus*, 10) & *Conr. Dietericus.* 11) A XL. ad L. annum deſideravit Germania theologos celebriores: *Joh. Himmelium*, 12) *Henr. Höpfnerum*, 13) *Nicol. Hunnium*, 14) *Andr. Keslerum*, 15) *Matthiam Höe ab Hohenegg*, 16) *Joh. Sauberum*, 17) *Arnold. Mengeringium*,

G. Serpilius in epit. theol. Suev. pag. 41. g) *Pappus* Lindav. Suevus th. D. paſtor & prof. Argent. mort. 1620. *Melch. Adami* in vitis theol. Germ. *Freberus* theat. P. 1. ſect. 3. *G. Serpilius* epit. theol. Suev. p. 115. h) *Marbachius* Argent. *Iohannis* fil. th. D. rector ſcholæ Græc. in Styria, inde prof. Heidelberg. tandem Argentor. mort. 1611. *H. Witten* mem. theol. dec. 1. *Freberus* theatr. P. 1. ſect. 3. i) *Bidenbach.* Stutgard. th. D. abbas Maulbrunn. ſuperint. gener. Würtenb. mort. 1612. *Andr. Caroli* memorab. eccl. lib. 2. cap. 8. *Henn. Witten* decad. 7. init. *G. Serpilius* in epitaph. theol. Suev. p. 14. k) *Gerlachius* Knitling. Würtenb. poſt iter CPt. theol. doct. prof. & ſuperint. Tubing. mort. 1612. *Melch. Adami* in theol. Germ. *Freberus* theat. P. 1. ſect. 3. *And. Caroli* l. 2. c. 1. *Th. Spizelius* in templ. hon. n. 4. *G. Serpilius* in epit. theol. Suev. p. 19. l) *Forſterus* Aurbac. prope Cygnæam ſect. Sneberg. paſtor Cygn. th. D. prof. Witteb. Superint. Mansfeld. m. 1613. *H. Witten* memor. theol. dec. 1. *Freberus* th. P. 1. ſect. 3. m) *Hutterus* Ulmenſ. th. D. prof. Witteb. m. 1616. *H. Witten* dec. 1. memor. theol. *Freber.* theatr. parts 1. ſect. 3. *And. Sennert.* Ath. Wittenb. *Th. Spizelius* in templ. hon. n. 5. *G. Serpil.* epith. theol. Suev. pag. 69. n) *Oſiander* Blaubeur. Lucæ fil. conc. aulicus, th. D. abbas Adelberg. ſuperint. & præpoſ. Tubing. cancell. academiæ, m. 1617. *Melch. Adami* in theol. Germ. *And. Caroli* memor. eccl. lib 2. cap. 36. *G. Serpilius* epit. theol. Suev. pag. 49. o) *Helwicus* Sprendling. prope Francof. th. D. prof. Giſſenſ. polyhiſt. m. 1687. *Hen. Witten* memor. theol. dec. 1. extr. *Freber.* th. part. 1. ſect. 3. *Spizelius* in templ. hon. num. 7. p) *Grauerus* Meſecov. March. poſt alias dignitates th. D. & prof. Ienenſis, tandem ſuperint. generalis Vinar. mort. 1617. *Theoph. Spizelius* in templ. hon. num. 6. *P. Freber.* theatr. P. 1. ſect. 3. *Andr. Bayerus* in catal. rect. Ienenſ. *Joh. Caſp. Zeumerus* in vitis theol. Jenenſ. *H. Witten.* dec. 7. n. 2. q) *Heilbrunnerus* Eberlinga-Wurtenberg. th. D. ſuperint. Ambergenſ. concion. aul. Neoburg. tandem abb. Bebenhuſanus, & ſuperint. Würtenb. mort. 1618. *Hen. Witten.* mem. theol. dec. 2. init. *Freberus* theatr. part. 1. ſect. 3. *And. Caroli* memor. eccl. lib. 2. cap. 22. & cap 43. *Georg. Serpilius* in epit. theol. Suev. pag. 31. r) *Schluſſelburg.* Altendorf. Schauenburgicus. paſtor Regiomont. & poſt mutationes alias ſuperint. Stralſund. m. 1619. *H. Witten.* memor. theol. dec. 2. *P. Freberus* theatr. P. 1. ſect. 3. s) *Haſenreffer* Würtenb. th. D. prof. Tubing. celeberr. mort. 1619. *Theoph. Spizel.* templ. hon. num. 8. *H. Witten* mem. theol. dec. 2. *P. Freberus* part. 1. ſect. 3. *Georg. Serpilius* in epit. theol. Suev. pag. 34. fuſe *Andr. Caroli* lib. 2. c. 50. mem. eccl. t) *Arndius* Ballenſter. Anhaltinus, paſtor in patria, Quedlinb. Brunſvigæ Isleb. tandem ſuperint. general. Cellenſis m. 1621. Vita poſtillæ & aliis ſcriptis præmiſſa. *H. Witten* mem. theol. dec. 2. *Freberus* theatr. part. 1. ſect. 3. *And. Caroli* mem. eccl. lib. 3. cap. 5. 26. & alibi. u) *Schröderus* Treiſenſ. Haſſus, paſt. Swinfurt. poſt Norinb. mort. 1621. *Chriſt. Matthiæ* mortuum laudavit. *Io. Micrælius* lib. 3. ſect. 2. hiſt. eccl. *Andr. Caroli* lib. 3. c. 8. memor. eccl. *H. Witten* dec. 7. num. 3. w) *Apſelmannus* Suſat. Weſtph. th. D. prof. Roſtoch. mort. 1624. *Witten* memor. theol. dec. 2. *Freberus* T. P. 1. ſect. 3. x) *Meiſnerus* Dreſd. th. D. prof. Witteb. mort. 1626. *Th. Spizel.* templo honor. n. 9. *Witten* in mem. theol. dec. 2. *Freberus* part. 1. ſect. 3. *Andr. Sennertus* Athen. Witteb. y) *Menzerus* Allendorff. Haſſus, th. D. prof. Marburg. m. 1627. *Theoph. Spizel.* templ. Hon. n. 10. *Witten.* dec. 2. memor. theol. *Freber.* part. 1. ſect. 3. z) *Balduinus* Dresd. ſuperint. Olsnic. inde th. D. prof. & ſuperint. Witteberg. mort. 1627. *Th. Spizel.* templo hon. n. 11. *Witten* dec. 2. memor. theol. *Freberus* theatr. P. 1. ſect. 3. 1) *Herbergerus* Frauſtad. paſtor in patr. concionator celebr. mort. 1627. *H. Witten* dec. 11. n. 2. *Freberus* theatr. part. 1. ſect. 3. Memoriam ejus integro libro expoſuit *Sam. Fried. Lauterbach.* Lipſ. 1708. 8. 2) *Schmuckius* Smalcald. th. D. prof. & ſuperint. Lipſ. mort. 1628. *Hen. Witten* mem. theol. dec. 2. extr. *P. Freberus* theatr. part. 1. ſect. 3. 3) *Reyhingius* patric. Auguſt. ex Jeſuita & conc. aul. Neoburg. th. D. prof. Tubing. conſtantiſſimus, mort. 1627. *Th. Spizelius* in templ. hon. num. 13. *P. Freber.* part. 1. ſect. 3. *And. Caroli* mem. eccl. l. 3. c. 8. & 57. *H. Witten* dec. 7. num. 5. *Georg. Serpilius* in epit. theol. Suev. pag. 149. 4) *Franzius* Plavia-Variſcus, prof. hiſt. poſt th. D. & prof. Witteb. m. 1628. *Witten.* dec. 3. memor. theol. *Spizelius* templ. hon. n. 14. *Freberus* part. 1. theatr. ſect. 3. 5) *Tarnovius* Grevismola. Mecklenb. th. D. prof. Roſtoch. mort. 1629. *H. Witten.* dec. 3. mem. theol. *Freberus* theatr. part. 1. ſect. 3. 6) *Thummius* th. D. & prof. Tubing. ob ſcripta polemica carcerem paſſus, mort. 1630. *H. Witten* dec. 7. n. 8. *And. Caroli* mem. eccl. lib. 4. c. 1. *G. Serpilius* epit. th. Suev. p. 61. 7) *Lyſerus* Witteb. Polycarpi ſupra citati fil. th. D. prof. & ſuperint. Lipſ. mort. 1633. *H. Witten* dec. 3. memor. theol. *Freberus* part. 1. ſect. 3. 8) *Paul. Tarnovius* Megapol. rector ſcholæ Parchim. inde th. D. & prof. Roſtoch. 1633. *H. Witten* in mem. theol. dec. 3. *Freberus* P. 1. ſect. 3. 9) *Gerhardus* Quedlinb. th. D. & prof. inde & ſuperint. Coburgenſ. poſt Ienenſis, theologus & polygraphus incomparab. m. 1637. *Theoph. Spizelius* in templ. hon. n. 17. *Adr. Beyerus* in catal. rect. Ienenſ. *H. Witten.* mem. theol. dec. 3. extr. *Freberus* part. 1. ſect. 3. *Io. Caſp. Zeumerus* in vitis theol. Ien. 10) *Zeamannus* Hornbac. Bipontinus, gener. Jac. Heilbrunn. th. D. prof. Lavingenſ. inde paſtor Campidunenſ. poſt carcerem Tyrolenſem ſuperint. Strahlſundenſis, mort. 1638. *Witten.* dec. 4. memor. theol. *P. Freberus* part. 1. ſect. 3. *Wolfg. Iægerus* hiſt. eccl. l. 10. c. 12. *And. Caroli* mem. eccl. l. 3. c. 57. & lib. 5. cap. 1. 11) *Dietericus* Gemund. Haſſus ex diac. Marpurg. th. prof. & tandem ſuperint. Ulmenſis, mort. 1639. *Th. Spizel.* templ. hon. n. 18. H. Witten. dec. 4. mem. theol. *Freberus* part. 1. ſect. 3. 12) *Himmelius* Stolpa Pom. rector Durlac. poſt Spirenſ. tandem th. D. & prof. Ienenſ. mort. 1642. *Th. Spizel.* templ. hon. n. 19. *H. Witten* dec. 11. num. 3. *Paul. Freberus* part. 1. ſect. 3. *I. C. Zeumerus* in vit. theol. Jen. 13) *Höpfnerus* Lipſ. th. D. & prof. celeberrimus, mort. 1642. *Th. Spizel.* templ. hon. n. 20. *Witten* dec. 4. mem. theol. *Freberus* part. 1. ſect. 3. 14) *Hunnius Ægydii* fil. Haſſus Marpurg. th. D. ſuperint. Iteburg. poſt prof. Witteb. tandem ſuperint. Lubec. m. 1643. *H. Witten* dec. 5. *Seb. Meyeri* orat. funebr. *P. Freberus* theatr. P. 1. ſect. 3. 15) *Keslerus* Coburg. in patria log. prof. th. D. ſuperint. Eisfeld. paſt. Svinfurt. tandem ſuperint. & gymnaſiarcha Coburg. m. 1643. *Th. Spizel.* templo hon. n. 21. *Witten.* dec. 5. *Freberus* part. 1. ſect. 3. 16) *Höe ab Hohenegg* nob. Viennenſis, ſuperint. Plavienſ. paſtor Pragenſ. tandem concion. aulicus Dresd. m. 1645. *Th. Spizel.* templ. hon. n. 22. *H. Witten* dec. 8. init. 17) *Saubertus* Altorf. th. prof. ad S. Laurent. poſt ad S. Sebald. paſtor. & reip. bibliothec. m. 1646. *H. Witten* dec. 5. memor. *Freberus* P. 1.

ringium, 18) *Joh. Hermannum*, 19) *Joh. Behmium*, 20) *Joh. Quiſtorpium*, 21) *Wilh. Lyſerum*, 22) & *Conr. Hornejum*. 23) Sexta decade ſeculi mortui ſunt: *Paulus Röberus*, 24) *Caſpar. Eraſmus Brochmandus*, 25) *Celeſtinus Mislenta*, 26) *Iohann. Valent. Andreæ*, 27) *Chriſtianus Matthiæ*, 28) *Iuſtus Feurbornius*, 29) *Georg. Calixtus*, 30) *Salomon Glaſſius*, 31) *Ioh. Schmidius*, 32) *Ioh. Micrælius*, 33) & *Ioh. Georg. Dorſchæus*. 34) Inter LX. & LXX. annum orbi valedixerunt: *Ioh. Hülſemannus*, 35) *Ioh. Balthaſ. Schuppius*, 36) *Mich. Waltherus*, 37) *Iac. Wellerus*, 38) *Ioh. Conr. Danhauerus*, 39) *Ioh. Henr. Urſinus*, 40) *Ioh. Erneſtus Gerhardus*, 41) *Ioh. Mich. Dilherrius*, 42) *Ioh. Quiſtorpius*, 43) & *Hier. Kromayerus*. 44) Decas ſeculi octava ex theologis noſtris ſuſtulit: *Ioh. Müllerum*, 45) *Ioh. Botſaccium*, 46) *Henr. Müllerum*, 47) *Petr. Haberkornium*, 48) *Frid. Rappoltum*, 49) *Balthaſ. Menzerum*, 50) & *Martinum Geierum*. 51) Nona decade amiſit eccleſia noſtra *Iohann. Muſæum*, 52) *Iohann. Meiſnerum*,

ſect. 3. 18) *Mengeringus* Halenſ. conc. Halenſ. poſt aulicus Dresd. tandem th. D. & ſuper. Halenſis, mort. 1647. *H. Witten* mem. th. dec. 5. *P. Freherus* part. 1. ſect. 3. 19) *Hermannus* Rautena Sileſ. paſtor Köbenenſ. concionator & poeta celebris, m. 1647. *H. Witten* mem. th. dec. 5. 20) *Behmius* Regiomont. th. D. prof. & concion. aulicus in patria, m. 1648. *H. Witten* dec 6. mem. theol. *Freherus* theatr. part. 1. ſect. 3. 21) *Quiſtorpius* Roſtoch. th. D. prof. & ſuperint. in patria m. 1648. *H. Witten* dec. 6. *Freherus* part. 1. ſect. 3. *Th. Spizelius* templ. hon. n. 26. 22) *Lyſerus* Polycarpi fil. Dresd. th. D. Superint. Torgenſ. poſt prof. Witteb. mort. 1649. *H. Witten*. dec. 6. *Freherus* part. 1. ſect. 3. 23) *Hornejus* Brunſvic. prof. ethic. logic. poſt th. D. & prof. Helmeſtad. mort. 1649. *H. Witten* dec 6. memor. *Gebb. Theod. Meyerus* monum. lat. num. 18. Epitaphium in *Juſt. Chriſt. Böhmeri* inſcript. Helmſt. *Freherus* P. 1. ſect. 3. 24) *Roberus* Wurzenas, conc. aulicus Halenſ. inde th. D. prof. & ſuperint. general. Witteb. m. 1652. *Th. Spizel*, templ. hon. n. 24. *H. Witten*. dec. 6. memor. *Paul. Freherus* l. c. 25) *Brochmandus* Coagienſ. Danus, th. D. & prof. Hafnienſ. tandem epiſc. Seeland. mort. 1652. *Theoph. Spizel.* in templ. hon. num. 25. *Eraſm. Vindingius* in rector. Hafnienſ. *Alb. Bartholinus* de ſcriptis Danor. & *Io. Mollerus* in hypomnem. ad Bartholinum. *P. Freherus* theatr. part. 1. ſect. 3. 26) *Mislenta* Angerburg. Pruſſus nobilis, th. D. prof. & paſtor cathedral. eccl. Regiomonti, mort. 1653. Malleus ſyncretiſtarum. *H. Witten* decade 8. memor. th. n. 5. Multa & *Chriſtoph. Hartknoch*. in Boruſſ. vit. & N. part. 2. c. 5. & in hiſt. eccl. Pruſſica. 27) *Andreæ* Tubing. th. D. ducum Brunſvic. & Wurtenberg. conſil. abbas Adelberg. & ſuperint. generalis, mort. 1654. *H. Witten* in diar. biograph. *And. Caroli* memor. eccl. part. 2. lib. 6. c. 29. *G. Serpilius* in epit. theol. Suev. pag. 10. 28) *Matthiæ* Meldorp. Dithmarſus, rect. Durlac. inde th. D. & prof. Altorf. poſt ſuperint. Dithmarſiæ, inde paſtor Soræ in Dan. tandem Hagæ Com. mort. 1655. *Th. Spizel*, templ. hon. num. 27. *Henn. Witten*. mem. theol. dec. 11. n. 5. *Alb. Bartholinus* de ſcript. Danor. & *Mollerus* in hypomnemat. 29) *Feurbornius* Hervord. Weſtph. *Balth. Menzeri* gener, th. D. conc. aul. Darmſtat. theol. prof. Giſſenſ. & Marpurg. m. 1656. *Th. Spizelius* in templ. hon. n. 28. *P. Freherus* theatr. part. 1. ſect. 3. *H. Witten*. dec. 9. num. 2. 30) *Calixtus* Sleſvic. poſt itinera varia th. D. & prof. Helmſt. abbas regiæ Luther. legatus ad colloq. Thorun. mort. 1556. *Gebb. Theod. Meyerus* in mon. Juliis num. 15. prolixe. *H. Witten* mem. th. dec. 9. init. *P. Freherus* part. 1. ſect. 2. 31) *Glaſſius* Sondershuſ. Thuringus, prof. Gr. & Hebr. ling. Jenenſ. inde ſuperint. Sondersh. poſt th. D. & prof. Jenenſ. tandem ſuperint. Gothanus, mort. 1656. *H. Witten* dec. 9. n. 5. *Th. Spizelius* templ. hon. n. 29. *P. Freherus* l. c. *I. C. Zeumerus* in vit. th. Jen. 32) *Schmidius* Budiſſin. th. D. & prof. Argent. præpoſ. Thomanus, præſes conventus eccl. mort. 1558. *Theoph. Spizel.* n. 33. *P. Freherus* l. c. *Henn. Witten* mem. theol. decad. 9. extr. 33) *Micrælius* Cöslin. Pomer. prof. eloqu. in gymn. Stetin. poſt th. D. prof. & rector pædagogii regii, mort. 1658. *D. Iohannes MICræLIVs. H. Witten*. dec. 10. init. *Mart. Zeilerus* de hiſt. part. 2. *Freherus* part. 1. ſect. 3. fuſe. 34) *Dorſchæus* Argentor. th. D. & prof. in patria, tandem Roſtochii, m. 1659. *H. Witten*, dec. 10. num. 4. *Th. Spizelius* templ. hon. num. 31. *P. Freherus* l. c. Vitam refert *Io. Fechtius* in præfat. ad *Dorſchæi* fragm. comment. in epiſt. Judæ. 35) *Hülſemannus* Eſenæ in Friſ. or. natus, th. D. & prof. Witteb. poſt Lipſ. & ſuperintend. mort. 1661. *H. Witten*. dec 10. n. 6. *Th. Spizel.* in templ. hon. n. 34. *Freherus* l. c. 36) *Schuppius* Giſſenſis, prof. eloq. & hiſt. Marpurgi, poſt ſuperint. Braubach, inde paſtor Jacob. Hamburg mort. 1661. *H. Witten*. decad. 10. num. 8. *Paul. Freherus* theatr. part. 1. ſect. 3. *I. A. Fabricius* mem. Hamb. pag. 884. 37) *Waltherus* Norinb. conc. aul. Brunſvic. inde th. D. & prof. Helmeſt. poſt ſuperint. gener. Friſiæ orient. tandem Brunſvic. mort. 1662. *Th. Spizelius* in templ. hon. num 35. *H. Witten*. dec. 10. n. 9. *Gebb. Theod. Meyerus* monum. Iul. n. 17. *Freherus* l. c. 38) *VVellerus a Molsdorff.* Neukirch. Variſcus, th. D. & prof. Witteb. inde ſuperint. Brunſvic. tandem concion. aulicus prim. Dreſd. mort. 1664. *H. VVitten*. dec. 11. n. 2. *Th. Spizelius* templ. hon. n. 36. *P. Freherus* l. c. *Iac. Thomaſius* in oratione 16. de *Jac. VVellero* agit. 39) *Danhauerus* Kundringa Briſgojus, prof. eloqu. poſt th. D. prof. & paſtor Argent. m. 1666. *Th. Spizelius* in templ. hon. n. 37. *Freherus* l. c. *Hen. VVitten* dec. 12. init. 40) *Urſinus* Spirenſ. paſtor. Weingart. inde Spirenſ. tandem ſuperint. Ratiſpon. philologus inſignis, mort. 1667. *Theoph. Spizel.* in T. hon. n. 40. *P. Freherus* l. c. H. *VVitten*. dec. 12. n. 4. *Ad. Clarmund.* part. 7. extr. 41) *Gerhardus Iohannis* F. Jenenſ. prof. hiſtor. poſt th. D. & prof. Jen. mort. 1668. Mortuo parentavit publ. in gymn. Eliſab. Wratiſl. *Georg. VVendius*, & orationem edidit. Adde *Freherum* P. 1. ſect. 3. *Io. Caſp. Zeumer.* in vitis theol. Jenenſ. *H. VVitten*. dec. 12. n. 7. 42) *Dilherrus* Themura-Henneberg. Jenæ prof. eloqu. hiſtor. polit. &c. inde concionator ad S. Sebald. & biblioth. Norinberg. mort. 1669. *Th. Spizelius* in templ. hon. n. 38. *Hen. VVitten*. dec. 12. in fin. *Adr. Beyerus* in catal. rect. Jenenſ. *P. Freherus* l. c. *Io. Caſp. Zeumerus* in vitis theol. Jenenſ. *Ad. Clarmund.* P. 7. n. 16. 43) *Quiſtorpius Io.* fil. th. D. & prof. Roſtoch. paſtor ad S. Jac. m. rector academiæ 1669. H. *VVitten*. decad. 13. num. 4. 44) *Kromayerus* Zizenſ. Miſn. prof. hiſt. & eloqu. inde th. D. & prof. m. 1670. *Theoph. Spizelius* templ. hon. n. 39. *P. Freherus* theatr. part. 1. ſect. 3. *Henning. VVitten* mem. theol. dec. 13. n. 5. 45) *Mullerus* Wratiſl. prof. moral. Witteb. inde th. D. & paſtor primar. Hamburg. mort. 1673. *P. Freherus* in theatr. part. 1. ſect. 3. Oratio de *Mullero* Witteb. a *Sam. Ben. Carpzovio* habita legitur in *Io. Alb. Fabricii* memor. Hamb. volum. 3. pag. 243. ſeqq. Adde *H. VVitten* mem. th. dec. 14. n. 4. 46) *Botſaccus* Herford. VVeſtph. th. D. gymn. Gedan. rect. tandem paſtor templi primarij & miniſt. ſenior mort. 1679. *Hen. VVitten*. dec. 14. n. 8. *Ephr. Prætorius in Dantz. Lehrer Ehren-Gedächtnüſs.* 47) *Müllerus* Lubec lingu. S. prof. inde th. D. prof. & ſuperint. Roſtoch. mort. 1675. H. *VVitten* decad. 15. n. 3. P. *Freherus* theatr. part. 1. ſect. 3. 48) *Haberkornius* Buzbac. VVetteranus th. D. prof. paſtor & ſuperint. Gieſſenſ. mort. 1676. *Hen. VVitten* in diar. biog. *And. Caroli* lib. 8. cap. 43. extr. 49) *Rappoltus* Reichenbac. Variſcus, rect. ſcholæ Nicol. poſt th. D. & prof. poeta celebris, mort. 1676. *P. Freherus* l. c. H. *VVitten* dec. 15. n. 9. *Ad. Clarmund.* P. 4. num. 18. 50) *Menzerus* Giſſenſ. th. D. prof. Marpurg. Rintel. Giſſenſ. tandem concion. aul. Darmſtad. ſuperint. Catimeliboc. m. 1679. H. *VVitten*. decad. 16. num. 2. *And. Caroli* memor. eccl. lib. 8. c. 64. extr. 51) *Geierus* Lipſ. th. D. prof. & ſuperint. Lipſ. poſt concion. aul. ſupremus Dreſd. m. 1680. H. *VVitten* decad. 16. n. 6. *And. Caroli* mem. eccl. lib. 9. c. 1. 52) *Muſæus* Longoperat. Thuringus,

rum, 53) *Ægid. Strauchium*, 54) *Ioh. Adam. Sciberzerum*, 55) *Sebaſt. Niemannum*, 56) *Auguſtum Varenium*, 57) *Abrah. Calovium*, 58) *Ant. Reiſerum*, 59) *Balthaſ. Bebelium*, 60) *Melch. Zeidlerum*, 61) *Ioh. Saubertum*, 62) & *Chriſtianum Dreierum*. 63) Ultima decas recentiori luctu eccleſiam affecit morte *Theophili Spizelii*, 64) *Ioach. Hildebrandi*, 65) *Chriſt. Scriverii* 66) *Chriſtiani Kortholti*, 67) *Ioh. Wilh. Beyeri*, 68) *Abrah. Hinkelmanni*, 69) *Sebaſt. Schmidii*, 70) *Valent. Alberti*, 71) *Auguſti Pfeifferi*, 72) & *Joh. Bened. Carpzovii*, 73) quos vix finito ſeculo *Frider. Ulricus Calixtus*, 74) ſecutus eſt.

Reformata eccleſia amiſit viros celebriores decade prima: *Daniel. Toſſanum*, (a) *Franc. Junium*, (b) *Goil. Perkinſium*, (c) *Chriſtoph. Pezelium*, (d) *Theod. Bezam*, (e) *Jacobum Arminium*, (f) & *Amandum Polanum*; (g) decade ſecunda: *Hugon. Broughton*, (h) *Quirinum Reuterum*, (i) *Barthol. Piriſcum*, (k) *Joh. Druſium*, (l) *Rob. Abbot*, (m) *Joh. Jacob. Grynæum*, (n) & *Paulum Toſſanum*; (o) decade

hiſt & poëſ. profeſſ. tum theol. D. & profeſſ. Jenenſ. primarius mort. 1651. *H. WWitten* decad. 10. n. 7. *Adr. Beyerus* in catal. rect Jenenſ. *Joh. Caſp. Zeumerus* in vitis theol. Jen. 53) *Meiſnerus* Torgav. theol. D. & profeſſ Witteb. mort. 1681. *H. WWitten* dec. 16. n. 9. *And. Caroli* mem. eccleſ. lib. 9. cap. 8. 54) *Strauchius* Witteb. matheſ. & hiſtor. profeſſ. Witteb. inde theol. doct. paſtor & gymn. rect. Danticanus. mort. 1682. *H. WWitten* decad. 16. in fine. *And. Caroli* lib. 2. cap. 52. & 57. it. lib. 9. cap. 15. *Eph. Prætorius in Dantziger Lehrer Ehren-Gedächtniß*. 55) *Scherzerus* Egranus, prof. Lipſ. Hebr. ling poſt theol. D. & prof. prim. præpoſitus capituli Budiſſ. mort. 1683. *Witten*, in appendice decadis 16. mem theol. *Andr. Caroli* l. 9. c. 29. mem. eccl. 56) *Niemannus* Lubec theol. D. profeſſ. & ſuperint. Jenenſis, tandem ſuperintend. general. Sleswicenſ. mort. 1684. *Jo. Caſp. Zeumerus* in vit. theol. Jenenſ. *Henr. Pippingius* in memoriis theologorum dec. 1. num. 2. 57) *Varenius* Hitziger. Luneburg profeſſ lingu. Hebr. poſt theol. D. & prof. Roſtoch. mort. 1684. *WWitten*. in decadis 16. append. extr. *And. Caroli* lib 9. c. 29. 58) *Calovius* Morungen. Pruſſus, theol. D. & prof. Regiom. poſt Dantiſc. tandem prof. & ſuperint. general. Witteb. mort. 1686. *H. Pipping* in memor. theol. dec. 1. extr. *Andr. Caroli* lib. 9. c. 43 mem. eccl. 59) *Reiſerus* Auguſtanus theol. Schemnio, & Poſon. poſt horrendam perſecutionem ſuperatam, rector gymnaſii Auguſt. poſtea paſtor Oringenſis, tandem paſtor Hamburg. ad S. Jac. mort. 1686. *Henr. Pippingius* memor theol. dec. 2. init. *Georg Serpilius* in epit. theol. Suev. pag 152. *I. A. Fabricius* in memor. Hamb. pag 885. 60) *Bebelius* Argent. theol. D. & prof. Argent. poſt Witteb. & ſuperintend general. mort. 1686. *H. Pippingius* in memor. theol. dec 2. num. 3. 61) *Zeidlerus* Regiomont. profeſſ logic. poſt theol. D. profeſſ. & concion aulicus, tandem paſtor cathedralis eccl. m. 1686. *H. WWitten*, in diar. biogr. 62) *Saubertus Johannis* fil. Norinberg. theol. D. & prof. primar. Altorfinus, mort. 1688. *H. Pipping*. in mem. theol. dec. 2. num. 7. 63) *Dreierus* Stetin. Pomer. theol, D. prof. & concion. aulicus prim Regiomonti, mort. 1688. ſyncretiſtarum caput *H. WWitten* diar. biogr tom. 2. *And. Caroli* mem. eccleſ. lib. 7. c. 12. 64) *Spizelius* Auguſtanus paſtor ad S. Jacob. & miniſterii Auguſt. ſenior, polyhiſtor, mort. 1691. *H. Pipping*. dec. 3. num. 7. mem. theol. *WWeiſmannus* ſec. 17. §. 43. num. 54. *Georg Serpilius* in epit. theol Suev. pag. 158. fuſe. 65) *Hildebrandus* Walkenriedanus theol. D & Prof antiqu. eccleſ. Helmſtad. poſt ſuperint. gener. Cellenſis, theologus & hiſtor. ſummus, mort 1691. *H. Pipping*. mem. theol. dec. 3. num. 9. 66) *Scriverius* Rensburg. Holſ. diac. Steudal. paſtor Magdeburg. tandem concionat. aul. Quedlinburg. mort. 1693. *H. Pipping*. dec. 4. memor. theol. num. 25. *WWeiſmannus* ſec. XVII. §. 34. num. 56. 67) *Kortholtus* Bergæ in inſ. Femern natus theol. doct & prof. primar. Kilonienſ. theol. celeberr. mort. 1694. *H. Pipping*. dec. 5. num. 2. 68) *Beyerus* Norinberg. theol. doct. & prof. Jenenſ. mox Halenſ. demum ſuperintend. general. Vinar. mort. 1695. *Henr. Pippingius* decad 5. n. 51 *I. C. Zeumerus* in vit. th. Jenenſ. 69) *Hinkelmannus* Dobelenſ. Miſn rect. ſcholæ Gardeleb. mox gymnaſii Lubec. paſtor Nicol. Hamburg. conc. aul. & ſuper. Darmſtat. prof. hon. Giſſenſ. iterum paſtor Hamburg. mort. 1695. *H. Pipping*. mem. theol. dec. 5. num. 3. *I. A. Fabric.* mem. Hamb p. 874. 879. 70) *Schmidius* Lampertheim. Alſatus, concion. Lindav. poſt theol. D. & prof. Argent. præpoſ. Thomanus &c. mort. 1696. *H. Pipping*. dec. 5. num. 6. 71) *Alberti* Lubnenſ. Sileſ. prof. log. & metaph. theol. D. & prof. extr. Lipſ. mort. 1697. *H. Pipping*. mem. theol. dec. 5. num. 9. *Chr. Eberh. WWeismannus* hiſt eccleſ. ſec. 17. §. 33. n. 62. 72) *Pfeifferus* Saxo-Lauenburg prof. lingu. orient. Witteb. poſt paſtor. Medzibor. & Feſtenberg. in Sileſ. Misnenſis inde, mox archid. Thomanus Lipſ. tandem ſuperint. Lubecenſ. mort. 1698. *H. Pipping*, mem. theol. dec. 6. n. 2. 73) *Carpzov*. Lipſ. theol. D. & prof. prius prof. lingu. S. paſtor. Thomanus, mort. 1699. *H. Pipping*. dec. 6. num. 4. 74) *Calixtus Georgii* fil. Helmeſtad. theol. D. & prof. prim. Helmeſt. conſil. eccleſ. abbas Reg. Lutheræ. *H. Pipping*. mem. theol, dec. 6. init.

(a) *Dan. Toſſanus* Mompelgart. docuit Aureliani, Heidelberg. Neoſtadii, inde theol. D. & profeſſ. Heidelberg. mort. 1602. *Melch. Adami* in vit. Germ. theol. *P. Freherus* theatri P. 1. ſect. 3. (b) *Junius* Bituric. juris ſtudioſus, poſt Atheus converſus evangelium Antwerp. & Heidelb. docuit, tandem theol. D. & profeſſ. Lugd. Bat. mort. 1602. *Melch. Adami* in theol. extr. *Iac. Verheiden* effig. in fine academ. Leidenſ. p. 35. *WWeismannus* hiſt. eccleſ. ſec. 17. §. 21. init. (c) *Perkinſius* Anglus Warwekenſ. theol. D. & prof. Cantabrig. mort. 1602. *Henr. Hollandus* in heroolog. Angl. pag. 219. *P. Freherus* part. 1. ſect. 3. *And. Caroli* lib. 1. c. 10. mem. eccleſ. (d) *Pezelius* Plavienſ. theol. D. & prof. Witteberg. ejectus ob Calvin ſuperint. Bremenſis mort. 1604. *H. WWitten* in diar. biogr. *Mart. Zeilerus* de hiſt. part. 2. *And. Caroli* mem. eccl. lib. 1. c 24. extr. (e) *Beza* Vezelius Baro, *Deodatum Sebam* ſe nominat, jur. licent. poëta lepidus, poſt theologus Lauſannæ, inde paſtor Genev. mort. ſenex vegetus 87. annorum 1605. *Melch. Adami* in vitis theol. extr. in fine. *Thuanus* lib. 134. *Iac. Verheiden* in effig. *Adolph. Clarmundus* part. 7. num. 17. (f) *Arminius* Veteraquinas Holl. miniſter Amſtel. inde theol. prof. Leidenſis, ſectæ ſuæ caput, mort. 1609. Vita legitur in *Ioh. Meurſii* Athen. Bat. & in academ. Leidenſi pag. 33. in *P. Freheri* theatr. part. 1. ſect. 3. *Chriſt. Eberh. WWeismannus* in hiſtor. eccleſ. ſec. 17. §. 37. num. 1. (g) *Polanus a Polansdorff* ſyndici Oppav. filius, th. D. & profeſſ. Baſil. mort. 1610. *Melch. Adami* in th. Germ. P. *Freherus* theatr. part. 1. ſect. 3. (h) *Broughton* Salop. Angl. theol. celebr. mort. 1612. *H. WWitten* in diar. biogr. (i) *Reuterus* Mosbac. Palat. famulus *Andr. Dudithii* Wratisl. inde th. D. prof. Heidelb. mort. 1613. *Melch. Adami* in theol. Germ. *P. Freherus* part. 1. ſect. 3. (k) *Piriſcus* Grünberg. Sil. paſtor aulicus Palatinus, mort. 1613. *Melch. Adami* in th. Germ. *Freherus* l. c. (l) *Druſius*, *van den Driſche*, Aldenard. Flander. profeſſ. lingu. oriental. Cantabrig. poſt Lugduni, demum Franequeræ m. 1616. *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Val. Andr. Deſſel.* bibl. Belg. academ. Leidenſi pag. 9. *Henr. WWitten* memor. philoſ. dec. 2. init. (m) *Abbot* Gvilford. Anglus ſ. *Abbatus* theol. D. prof. Regius Oxon. tandem epiſc. Saliſbur. mort. 1618. *H. Hollandus* herool. Angl. p. 185. *P. Freherus* part. 1. ſect. 2. (n) *Grynæus* Bernenſ. th. D. Tubingenſis, ſed ad reform. tranſiens prof. Baſil. poſt Heidelberg. tandem iterum paſtor Baſil. mort. 1617. *Melch. Adami* in theol. German. *P. Freherus* part. 1. ſect. 3. (o) *Toſſanus Danielis* F. Montargir. Gallus rect. ſcholæ Davent. mox Amſtelod. poſt theol. D. Heidelb. tandem paſtor Hanov. m. 1618. *H. WWitten* in diar. biogr. *P. Freherus* part. 1. ſect. 2. qui mortem in ann. 29. ponit. Imago habetur in bibl. chalcographica *Boiſſardi* nomine edi-

cade tertia: *Daniel. Chamierium*, (p) *David. Pareum*, (q) *Conrad. Vorſtium*, (r) *Philipp. Mornaum*, (s) virum illuſtrem, ſed ſcriptis theologicis celebrem, *Abrah. Sculretum*, (t) *Johann. Piſcatorem*, (u) & *Johann. Rudolph. Hoſpinianum*; (vv) quarta decade: *Matthiam Martinium*, (x) *Chriſtoph. Pelargum*, (y) *Joh. Henr. Alſtedium*, (z) & *Guil. Ameſium*; (1) decade quinta: *Ludov. de Dieu*, (2) *Simonem Epiſcopium*, (3) & *Fried. Spanbemium*. (4) Decas ſeculi ſexta ſuſtulit: *Andr. Rivetum*, (5) *Thom. Gatakerum*, (6) *Jacob Uſſerium*, (7) *Joſeph. Hallium*, (8) *Petrum Molinaum*, (9) & *Stephan. Curcellaum*; (10) ſeptima *Petrum Heylin*, (11) *Moſen Amyraldum*, (12) *Joh. Hornbekium*, (13) *Sam. Bocbarcum*, (14) *Joh. Henr. Hottingerum*, (15) *Carolum Drelincurtium*, (16) *Johann. Coccejum*, (17) & *Joh. Dallæum*; (18) octava *Johann. Lightfootum*, (19) *Sam. Mareſium*, (20) *Gisb. Voëtium*, (21) *Abrah. Heidanum*,

tal. 4. (p) *Chamierius* Delphinas, paſt. Montalbanenſ. in obſidione globo ictus interiit 1621. quod non ſine calumnia refert *G. B. Grammondus* lib. 10. hiſtor. Gall. *Andr. Caroli* mem. eccl. lib. 1. c. 61. & l. 3. c. 10. (q) *Pareus* Francoſt Sil. poſt alia officia, paſtor Neoſtad. inde gubernator collegii ſapient. Heidelb. theol. Henoticus, mort. 1622. *Paul. Freherus* theatr. part. 1. ſect. 3. Vita parti I. operum theol. præfixa. *And. Caroli* mem. eccleſ. lib. 1. paſſim, lib. 3. cap. 17. (r) *Vorſtius* Colon theol. D. paſtor Steinfurt. inde th. prof. Lugd. *B. Arminii* ſucceſſor & defenſor, mort. 1622. juxta Witten. *Freherus* l. c. 1612. mort. dicit. Socinianiſmi ſuſpectus, hinc a *Chr. Sandio* in bibl. Antitrin. pag. 98. multis deſcribitur. Vita & imago in *Acad. Leid.* p. 57. *VVeiſmannus* in hiſt. eccl. ſec. 17. §. 37. num. 4. (s) *Mornæus* Pleſſiaci & Marliani Dominus, ſanct. conſil. *Henr. VI.* præſes ditionis Salmur. vir toga & ſago incomparabilis, mort. 1623. Vita 4. libris prolixe deſcripta Gall. adde memorias *Phil. Mornai* 2. volum. *Paul. Colomeſius* Gall. or. p. 247. (t) *Scultetus* Grünberg. Sil. concion. aul. Heidelb. theol. D. & prof. *Fridericum* Palat. in Bohemiam ſecutus; poſt cladem hujus errans, tandem paſtor Emdanus, mort. 1625. *Paul. Freherus* theatr. part. 1. ſect. 3. Imago in bibl. chalcograph. *Boiſſardi* lit. V. Multas laudes illius habet *Frid. Luca* in chron. Sileſ. part. 2. c. 4. p. 500. ſeqq. *And. Caroli* mem. eccl. lib. 3. c. 3. it. c. 31. (u) *Piſcator* Argent. th. prof. in patria, ob Calviniſmum dimiſſus, Herbornæ theol. docuit, bibliorum interpres, mort. 1625. P. *Freherus* theatr. part. 1. ſect. 3. Imago in bibl. chalcograph. V. 3. *Andreas Caroli* memorab. eccl. lib. 3. c. 38. (vv) *Hoſpinianus* Tigurinus, theol. prof. in patria, vir doctiſſimus, m. 1626. Concordia diſcorde virulentum in evangelicos animum oſtendit, de quo lege *Andr. Caroli* mem. eccl. lib. 1. c. 47. (x) *Martinius* Freienhag. Waldecc. profeſſ. Herborn. inde paſtor Emdanus, demum rect. & theol. profeſſ. Bremenſ. mort. 630. Vita lexici editioni Ultraj. 1097. fol. præmittitur, cujus excerpta in act. erud. 1698. menſ. Aug. pag. 351. habentur. *A. Caroli* mem. eccl. lib. 3. c. 59. extr. (y) *Pelargus* Suidnic. theol. D. diu Lutheranum ſimulans, tandem prof. theol. reformatus Francof. & Marchiæ ſuperint. generalis, mort. 1633. *I. A. Quenſtedt* de patriis ill. vir. *And. Caroli* mem. eccl. lib. 2. c. 15. & lib. 4. c. 10. & 31. (z) *Alſtedius*, Sedulitas per anagr. polyhiſtor inſignis, Herborn. philoſ. & theol. prof. tum Albam Jul. vocatus in Tranſylvan. mort. 1638 *Hen. VVitten* in diar. biogr. Imago habetur in bibl. chalcograph. *Boiſſardi* part. 8 fff. 2. (1) *Ameſius* Anglus, th. D. & prof. Franequar. m. 1639. *H. VVitten* in diar. biogr. Quædam de eo *And. Caroli* l. 2. c. 53. 54. (2) *L. de Dieu* Fluſſinus, eccleſ. Lugd. Bat. paſtor. philologus incomparab. mort. 1641. *H. VVitten* in diar. biogr. *Val. Andr. Deſſel.* bibl. Belg. Imago extat in bibl. chalcogr. part. 9. f. 1. (3) *Epiſcopius* Amſtelod. theol. D. & prof. Lugd. ob *Arminium* defenſum pulſus Antw. Roterod. & Amſtelod. cœtum Remonſtrantium rexit, mort. 1643. Vitam *Steph. Curcellæus* ſcripſit operibus præmiſſam, fuſius hiſt. vitæ Epiſcopii *Phil. a Limborch.* expoſuit Belg. & Latine editam. Academ. Leidenſ. p. 69. Adde P. *Freber.* theatr. P. 1. ſect. 3. *VVeiſmannus* hiſt. eccl. ſec. 17. §. 37. n. 5. (4) *Spanhemius* Amberg. Palat. prof. Heidelb. inde theol. D. & prof. Lugd. Bat. mort. 1649. Filiis 2. relictis celebris. P. *Freherus* P. 1. ſect. 3. Imago exhibetur P. 6. biblioth. chalcogr. lit. n. (5) *Rivetus* San-Maxentianus Picto, th. D. & prof. Lugd. B. m. 1651. *Io. Meurſius* Athen. Belg. P. *Freherus* part. 1. ſect. 3. Imago in bibl. chalcogr. P. 9. lit. c. 4. *VVeiſmannus* hiſtor. ſec. 17. §. 21. num. 4. (6) *Gatakerus* Londin. Cantabrigiæ docuit, lector Lincoln &c. theol. & philol. celeberrimus, mort. 1654. *And. Caroli* mem. eccl. lib. 6. c. 35. *Paul. Colomeſius* in cimeliis literariis c. 33. (7) *Uſſerius* Dublin. Hybernus, archiep. Armachanus, primas Hyberniæ, vir ſummus, mort. 1655. Vitam *Rich. Parr.* Anglice edidit & tertia parte auctiorem *Guil. Dillingham.* Vitam quoque *Uſſerii e Nic. Bernhardi* & aliorum ſcriptis collectam *Io. Georg. Jochius* inſeruit vitis aliquot theologorum inſignium. *Clarmundus* part. 6. n. 8. *VVeiſmannus* hiſt. eccl. ſec. 17. §. 21. num. 30. fuſe. (8) *Hallius* Leiceſtr. epiſc. Norwicenſ. theol. piiſſimus & doctiſſ. m. 1656. *And. Caroli* mem. eccl. lib. 6. cap. 45. Imago videnda in bibl. chalcograph. *Boiſſardi* lit. y. 4. (9) *Molinæus* Vexinas Gallus, prof. philoſ. Lugdun. inde miniſter Pariſ. poſt theol. prof. & paſtor Sedanenſis, mort. 1658. *Ioh. Meurſius* in Athen. Belg. P. *Freherus* part. 1. ſect. 3. Imago habetur in bibl. chalcograph. part. 9. lit. e. 2. *Chriſt. Eberh. VVeiſmannus* hiſt. eccl. ſec. 17. §. 21. n. 2. (10) *Curcellæus* Genuenſ. paſtor Fontis Bellaquei, & poſt alia Lugduni ſucceſſor Epiſcopii, Arminianus Amſtel. mort. 1659. Vita ab *Arn. Poelenburgio* ſcripta operibus præmittitur. *Paul. Freherus* theatr. P. 1. ſect. 3. *Chriſt. Eberh. VVeiſmannus* in hiſt. eccl. ſec. XVII. §. 37. n. 6. *Chriſt. Sandius* ſuis eum annumerat in bibl. Antitrinit. p. 109. (11) *Heylin* Burford. Oxon. theol. D. *Carolo I.* a ſacris, cui conſtantiſſ. adhæſit, & multa pro eo paſſus, m. 1662. poeta, hiſtoricus, orator promtiſſimus. *And. a VVood.* in antiq. Oxon. *Freherus* part. 1. ſect. 3. fuſe. (12) *Amyraldus* Salmur. th. prof. in patria, diſſentiens ab aliis Reformatis in quibusdam, mort. 1665. De eo *Ioh. Andr. Ruelius* de concil. part. 4. *And. Caroli* memor. eccl. lib. 2. cap. 4. lib. 5. cap. 25. & lib. 7. c. 38. *Chriſtian. Eberh. VVeiſmannus* in hiſt. ſec. 17. §. 21. num. 14. (13) *Hornbeck* Harlem. th. D. & profeſſ. Ultraj. poſt Lugd. B. ubi paſtor erat, mort. 1666. Summa controverſiarum ſcripta celebris. Vide *And. Caroli* lib. 6. cap. 12. *H. VVitten* in diar. biogr. Vide act. erud. Lipſ. 1691. Febr. p. 56. *VVeiſmannum* hiſt. eccleſ. ſec. 17. §. 21. num. 20. (14) *Bochartus* Rotomag. eccleſiaſtes Cadomenſis, theol. & philol. incomparabilis, m. 1667. de quo *Paul. Colomeſius* in Gall. orientali p. 235. fuſe & p. 261. Vitam *Steph. Morinus* ſcripſit, ex qua excerpta in actis erud. Lipſ. ann. 1693. Martio p. 104. adde *Ad. Clarmund.* part. 5. num. 14. *VVeiſmannum* hiſt. eccl. ſec. 17. §. 21. n. 32. (15) *Hottingerus* Tigurinus, in patria, poſt Heidelbergæ, iterum Tiguri prof. orient. lingu. & theol. Lugdunum B. vocatus in fluvio Limago ſubmerſus 1667. Vitam *Io. Henr. Heideggerus* deſcripſit. Adde *Paul. Freherum* part. 1. ſect. 3. *And. Caroli* mem. eccl. l. 7. c. 52. (16) *Drelincurtius* Sedunenſ. miniſter. ecc. Carenton. concionator celeberr. m. 1669. P. *Freherus* th. part. 1. ſect. 3. (17) *Coccejus* Bremenſ. philologiæ S. in patria, poſt Franequ. prof. inde theol. D. & prof. Lugd. B. m. 1669. de quo multa *Heinr. Ludolph. Bentheim im Holländiſchen Kirchen-Staat.* *Dan. Hartnaccius* in contin. hiſt. eccl. Micrælii p. 1257. ſqq. *And. Caroli* lib. 7. cap. 67. mem. eccl. & accuratiſſ. *Chriſt. Eberh. VVeiſmannus* in hiſt. eccl. ſec. 17. §. 27. fuſe. Imago in bibl. chalcogr. P. 9. lit. f. 2. (18) *Dallæus* Pictav. paſtor Salmurienſ. Cabillon. Carenton. mort. 1670. deſcribitur a *Chr. Eberh. VVeiſmanno* in hiſt. eccl. ſecul. 17. §. 21. n. 13. (19) *Lightfoot* Stafford. Anglus, paſt. Londin. poſt theol. D. & prof. Cantabrig. mort. 1675. theol. & philol. celeberr. Vide act. erud. Lipſ. 1686. Martio pag. 120. *And. Caroli* mem. eccl. lib. 8. c. 38. (20) *Mareſius* Avimont Piccardus, (Oyſemont) paſtor Laodun. poſt Sedanenſis, inde theol. D. paſt. & profeſſ. Sylvæ Ducis, tandem Groningæ mort. 1673. Legantur vitæ profeſſorum Groning. *P. Freherus* part. 1. ſect. 3. Imago in bibl. chalcogr. part. 9. lit. c. 1. *And. Caroli* l. 8. c. 12. & 38. *VVeiſmannus* hiſt. eccl. ſec. 17. §. 21. num. 18. (21) *Voetius* Heuſdanus, theologus celeberr. in patria & alibi, tandem prof. & paſtor Ultraject. mort. 1676. æt. 87. *H. L. Bentheim im Holland. Kirchen-Staat.* Imago part. 9. bibl. chalc. lit. e. 4. *And. Caroli* mem. eccl. lib. 8.

num, (22) & *Jacob. Altingium*; (23) nona *Johann. Claudium*, (24) *Franc. Turretinum*, (25) *Johann. Pearſonum*, (26) & *Steph. le Moyne*; (27) decima demum *Henr. Whartonum*, (28) & *Eduardum Stillingfleet* (29) amiſit.

Nec minorem ſcriptorum eccleſiaſticorum copiam Romana eccleſia exhibere valet, quæ inter præcipua ſua ornamenta referebat intra primam annorum decadem mortuos ſcriptores: *Gregor. de Valentia*, a) *Cornel. Schultingium*, b) *Nic. Serrarium*, c) & *Ben. Pererium*. d) A decimo ad XX. annum amiſit: *Anton. Poſſevinum*, e) *Jo. Buſæum*, f) *Pet. Ribadeneiram*, g) *Laur. de Zamora*, h) *Seb. Barradium*, i) *Mart. Smiglecium*, k) *H. Sommalium*, l) *Franc. Coſterum*, m) & *Angelum Roccam*, n) Poſt an. XX. obierunt: *Rob. Bellarminus*, o) *Conr. Vetterus*, p) *Mart. Becanus*, q) *Jacob. Gretſerus*, r) *Paul. Laymannus*, s) *M. Anton. de Dominis*, t) *Laur. Beyerlingius*, u) *Car. Scribanius*, vv) & *Heribert. Rosweidus*. x) A XXX. an. orbi valedixerunt: *Adamus Tannerus*, y) *Adamus Conzenius*, z) *Johann. de Pineda*, 1) *Corn. a Lapide*, 2) *Abr. Bzovius*, 3) *Hier. Drexelius*, 4) *Corn. Janſenius*, 5) in quibusdam ab eccleſia Rom. diſſidens, & *Jac. Salianus*,

c. 45. (22) *Heydanus* Francothal. Palat. theol. Nardenſ. inde th. D. & prof. Lugd B. mort. 1678. æt. 81. Imago in bibl. chalcogr. P. 9. lit. d. 4. *And. Caroli* mem. eccl. lib 8. c. 47. & 61. *Chr. Eberh VVeiſmannus* hiſt. eccleſ. ſec. 17. §. 21. num. 21. (23) *Altingius* Heidelb. profeſſ. orient. lingu. poſt th. D. & prof. Gröning. mort. 1679. Vitæ prof. Gröning. *P. Freherus* part. 1. ſect. 3. quaſi extr. *And. Caroli* mem. eccl. l. 8. c. 66. *VVeiſmann.* §. 21. num. 9. (24) *Claudius* Nemauſ. paſtor Montalbanus inde Charenton. exul. mort. Hagæ com. 1687. Vita extat ſub titulo: *Abbregé de la Vie de M. Claude* par A. B. R. Autor morienti adſtitit. *And. Caroli* mem. eccl. lib. 10. cap. 51. (25) *Turretinus* Italus, theol. D. paſt. & prof. Genevenſ. mort. 1688. de quo *Chr. Eberh. VVeiſmannus* hiſt. eccl. ſec. 17. §. 21. num. 40. (26) *Pearſonus* Anglus, presb. & th. prof. Cantabrig. inde epiſcopus Ceſtrienſis, mort. 1688. *Henr. Dodwellus* opuſcula poſthuma illius edens multis de eo agit. (27) *le Moyne* ſ. monachus Morinus Gallus, th. D. & profeſſ. Lugd. B mort. 1689. *H. L. Benthem. in Hollendiſ. Kirchen-Staat. VVeiſmannus* hiſt. eccl. ſec. 17. §. 21. num. 23. Vitam refert & *P. D. Huetius* in orig. de la Ville de Caen, unde excerpta legenda in act. erud. Lipſ. ann. 1704. p. 189. (28) *VVharton* Anglus, archiep. Cantuar. a ſacris domeſt. mort. 1694. ætat. 31. Lege *Gvil. Cabium* in præf. ad part. 2. hiſtor. lit. ſcript. eccl. (29) *Stilling fleet* Anglus, th. D. epiſcopus Wigorn. inde Wiceſtrienſis, mort. 1699. Elogium illius habetur in act. erud. Lipſ. 1695. pag. 160. Vita ampla operibus præmiſſa, unde excerpta leguntur in act. erud. Lipſ. an. 1712. menſe Jan. pag. 7.

a) *Valentia* Methymn. Hiſpan. (Medina Campi) S. I. profeſſ. Dilling. Ingolſtad. Romanus, Neapoli mort. 1603. *Jan. Nic. Erythr.* pinac. 2. init. *Pet. Ribadeneira* de ſcript. S. I. *Phil. Alegambe* bibl. Jeſ. b) *Schultingius* Steinwich. Tranſiſulan. canon. Colon. mort. 1604. *Fr. Swertius* Ath. Belg. *Val. Andreas Deſſel.* bibl. Belg. c) *Serrarius* Rambavill. Lothar. S. I. Herbipoli & alibi, hiſtoricus celebris Mogunt. m. 1609. *Ribadeneira*, *Alegambe*, *P. Freherus* part. 1. ſect. 3. *Mart. Zeilerus* de hiſtor. part. 3. d) *Pererius Valentinus* Hiſpan. S. I. docuit in Sicil. Romæ mort. 1610. *And. Schottus* B. Hiſp. tom. 2. claſſ. 6. *Ribaden. Alegambe.* e) *Poſſevinus* Mantuan. S. I. in Suec. Polon. Moſcov. a Papa miſſus, docuit Avenione, Rotomag. mort. Ferrar. 1611. *Ribadeneira*, *Alegambe*, P. *Freherus* P. 1. ſect. 3. *VVeiſmannus* ſec. XVII. §. 3. num. 9. *Clarmundus* P. 3. n. 14. f) *Buſæus* Noviomag. S. I. Moguntiaci profeſſus adverſ. M. Chemnitii, mort. 1611. *Ribadeneira*, *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Val. Andr. Deſſel.* bibl Belg. g) *Ribadeneira* Toletan. S. I. hiſtoricus in Thuſcia & Sicilia, mort. 1611. Vita ab *Andr. Schotto* in bibl. Hiſpan. tom. 2. claſſ. 6. prolixe deſcripta, opera in fine catalogi S. I. recenſentur. Adde *Phil. Alegambe*, bibl. Jeſuit. *Ph. Labbe* in bibl. biblioth. h) *Zamora* Hortenſ. Hiſpan. mon. ord. Ciſtert. th. D. & prof. Complut. m. 1614. Hortenſis monaſt. gloria, totiusque Hiſp. decus dicitur a *Car. de Viſch* in bibl. Ciſtert. i) *Barradius* Ulyſſipp. S. I. profeſſ. Conimbr. & Evorenſ. mort. 1615. *Ribadeneira*, *Alegambe*, *P. Freherus* P. 1. ſect. 3. k) *Smiglecius* Leopol. Ruſſus S. I. prof. Vilnenſ. & alibi, contra Socinianos multa ſcripſit, m. 1618. *Alegambe*, *Sim. Staroволſcius* in C. ſcript. Polon. n. 69. l) *Sommalius* Dingat. Belg. S. I. Duacenſis colleg. rect. mort. 1619. æt. 85. *Ribadeneira*, *Alegambe*, *Fr. Swertius* Ath. Belg. *Val. Andr. Deſſel.* bibl. Belg. m) *Coſterus* Machlin. S. I. provincialis ſui ord. concionator celebris, Bruxell. mort. 1619. *Ribaden. Alegambe*, *Fr. Swertius* & *Val. And. Deſſelius* l. c. n) *Rocca* Camers ex agro Piceno, eremi S. Auguſt. epiſcopus Tageſtenſis tit. præfectus ſacrarii apoſt. mort. 1610. *I. N. Erythræus* pinac. 1. *And. du Sauſſay* in contin. Bellarm. n. 98. *L. Ell. du Pin* bibl. eccl. tom. 17. pag. 57. o) *Bellarminus* Politiano-Florent. S. I. card. archiep. Capuanus Promachus eccleſ. Rom. mort. 1621. Vitam *Sylv. Petraſancta* ſcripſit. *Ribaden. Alegambe*, *I. N. Erythræus* pinac. 1. *And. du Sauſſay* in contin. Bellarm. p. 94. *Ioh. Imperial.* Muſ. hiſt. pag. 169. p) *Vetterus* Engenſ. Suevus S. I. Ratiſp. docuit, hoſtis evangel. acerrimus. *Ribaden.* & *Phil. Alegambe* in bibl. Jeſ. q) *Becanus* Hilvaribeccenſis Brabant S. I. profeſſ. Mogunt. *Ferdin. II.* concion. aulicus, mort. 1624. *Fr. Swertius* Ath. Belg. *Val. And. Deſſel.* bibl. Belg. *Ribadeneira*, *Alegambe*, *P. Freherus* part. 1. ſect. 3. r) *Gretſerus* Conſtantienſ. S. I. profeſſ. Friburg. & Ingolſt. mort. 1627. maledicus adverſarius multorum. *Ribadeneira*, *Alegambe*, P. *Freherus* part. 1. ſect. 3. *L. Ell. du Pin* in bibl. ſcriptorum eccleſ. tom. 17. p. 63. ſqq. fuſiſſime, *VVeiſmannus* hiſt. eccl. ſec. 17. §. 3. num. 11. s) *Laymannus* Oenipont. S. I. prof. Ingolſt. monach. Dilling. mort. 1625. *Phil. Alegambe* bibl. Jeſuit. t) *M. Ant. de Dominis* Italus, archiep. Spalatenſ. Dalmatiæ & Croat. primas, mox mente mutata in Angliam abiit decanus Winſorienſ. factus; redux Romam, & iterum ſuſpectus in carcere mort. ſ. jugulatus 1625. *Ian. Nic. Erythræus* pinacoth. 3. in *Ioh. Barclajo*, *P. Freherus* part. 1. ſect. 2. *Abr. Bucholzerus* in ind. chronol. Multa de eo habentur in *Vignolianis* (Melanges de la literature) tom. 1. *Ad. Clarmundus* part. 8. num. 7. adde *Andr. Caroli* mem. eccleſ. lib. 2. cap. 31. lib. 3. cap. 16. & 30. *L. Ell. du Pin* bibl. eccl. tom. 17. p. 252. ſeqq. u) *Beyerling.* Antwerp. theol. D. & prof. Lovan. archipresb. Antw. mort. 1627. *H. Ghilinus* theatr. vol. 2. *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Val. Andreas Deſſel.* bibl. Belg. *P. Freherus* part. 1. ſect. 3. vv) *Scribanius* Bruxell. S. I. *Clarum Bonarſcium* ſe interdum dixit, rect. colleg. Bruxell. & Antwerp. m. 1629. *Ribadeneira*, *Phil. Alegambe*, *Fr. Swertius* Athen. Belg. *V. A. Deſſel.* bibl Belg. *H. Ghilinus* theatr. vol. 1. p. 69. *P. Freherus* part. 1. theatr. ſect. 3. x) *Rosweidus* Ultraject. S. I. prof. Duac. & Antwerp. mort. 1629. *Ribadeneira*, *Phil. Alegambe*, *Fr. Swertius* Ath. Belg. *Lud. Ell. du Pin* bibl. eccleſ. tom. 17. p. 93. y) *Tannerus* Oenipont. S. I. prof. Ingolſt. monach. Vienn. Pragenſis, mort. 1631. *Ribadeneira*, *Phil. Alegambe*, bibl. Jeſuit. *VVeiſmannus* ſec. 17. §. 3. num. 13. z) *Conzenius* Juliacenſ. S. I. prof. Moguntin. & alibi, confeſſion. Herbipol. & Elect. Bavar. m. 1635. *Phil. Alegambe*, *Val. Andr. Deſſelius* bibl. Belg. 1) *Pineda* Nob. Hiſp. S. I. prof. Granatæ, Cordubæ, Hiſpali viſitator general. bibliothecar. Hiſpaniæ, m. 1637. *Ribadeneira*, *Phil. Alegambe*, *Paul. Freherus* P. 1. ſect. 3. 2) *Corn. a Lapide* Bucold. ex Eburon. S. I. prof. lingu. S. Lovan. poſt Romanus, mort. 1637. *Alegambe*, *P. Freherus* P. 1. ſect. 3. qui an. 1627. mort. dicit. *Fr. Swertius* Ath. Belg. *V. A. Deſſel.* in B. Belg. 3) *Bzovius* Polon. mon. ord. Prædicat. prior. Wrat. ad S. Adalb. continuator *Baronii*, m. 1637. *Ian. Nic. Erythræus* pinac. 1. *Sim. Starovolſcius* in C. ſcript. Polon. in fine. *Andr. du Sauſſay* in cont. Bellarm. n. 83. 4) *Drexelius* Auguſtanus S. I. Elect. Bavariæ concionat. aulicus, vir pius & moderatus, m. dicitur 1638. ſed in epiſtola *Io. Gans* S. I. Ratiſpon. an. 1642. d. 28. Mart. ad rect. collegii Wrat. ſcripta dicitur, *Drexelium* Wittebergam abiturum captum prope Norinbergam, ab abb. Fuldenſi debitæ pœnæ reſervari, *And. Caroli* mem. eccleſ. lib. 5. cap. 2. 5) *Janſenius* Leerdam. Hollandus theol. D. & prof. Reg. Lovan. tandem epiſcopus Iprenſis circa auxilia gratiæ a reliqua eccleſia Rom. recedens, mort. 1638. Vitam cum eximiis laudibus refert *Val. And. Deſſel* in

nus. 6) Decas annorum quinta deſideravit *Henr. Lancilottum,* 7) *Paul. Sherlogum,* 8) *Sylveſtrum Petraſanctam,* 9) *Didac. Saavedram,* 10) & *Auguſtin. Barboſam.* 11) Sexta decade obierunt: *Nicol. Cauſinus,* 12) *Jac. Sirmondus,* 13) *Maxim. Sandeus,* 14) *Iodocus Keddius,* 15) *Ioh. Euſeb. Nierenbergius,* 16) *Laurent. Forerus,* 17) & *Joh. Morinus.* 18) Sequenti decade ad plures abierunt *Petrus de Marca,* 19) *Theoph. Raynaudus,* 20) *Philip. Labbeus,* 21) & *Jacobus Balde.* 22) Octava decas ſeculo ademit *Vitum Erbermannum,* 23) *Albert. Kojaloviz,* 24) & *Johann. Launojum.* 25) Reliquo tempore *Ioh. Caramuel a Lobkovviz,* 26) *Anton. Arnaldus,* 27) *Joſephus de Aguirre,* 28) *Anton. Pagi,* 29) *Cæleſtinus Sfondrata,* 30) aliique non pauci obierunt, quos Rom. eccleſia inter præclaros ſcriptores numerat.

Nec impietati defenſores defuere; prout hoc ſeculo Antitrinitariorum blaſphemiam *Fauſtus Socinus,* a) *Georg. Blandrata,* b) *Valent. Schmalzius,* c) *Ioh. Crellius,* d) *Ionas Schlichtingius,* e) *Chriſtoph. San-*

bibl. Belg. & in faſtis Lovan. Turbas poſt mortem per *Auguſtinum Ianſenii* ortas fuſiſſ. refert *Melch. Leideckerus* in hiſt. Ianſeniſmi, in compendio omnia accurate exponit *Chr. Eberb. Weiſmannus* in hiſt. eccl. ſec. XVII. §. 6. p. 449. ſeqq. 6) *Salianus* Avenion. S. I. rector colleg. Veſuntini, inde eccleſ. Pariſ. annalibus Vet. Teſt. clarus, mort. 1640. æt. 83. *Phil. Alegambe* bibl. Ieſ. 7) *Lancilottus* Mechlin. erem. Auguſtinianus, theol. D. & regens ſtudii Lovan. mort. 1643. *Hier. Ghilin.* theatr. vol. 2. *Franc. Swertius* Athen. Belg. *Val. Andr. Deſſelius* bibl. Belg. & in faſtis Lovan. 8) *Sherlogus* Menap. Hybernus S. I. rector colleg. Compoſtell. & Salamant. prof. acad. Salamant. & cenſor inquiſit. mort. 1646. *Phil. Alegambe* in bibl. Ieſuit. 9) *Petraſancta* Romanus S. I. theol. prof ibid. & rector colleg. Lauretani, mort. 1647. *Phil. Alegambe* bibl. Ieſ. *Jan. Nic. Erythræus* pin. 3. fuſe. 10) *Saavedra* Faxardus Murkianus regius procurator, in cur. Rom. legatus ad varios, eques S. Jacobi &c. mort. 1648. *H. Witten* diar. Biogr. 11) *Barboſa* Luſitanus, epiſcopus Uxentinus in provincia Hydnuntina Protonot. apoſtolicus, m. 1649. ICtus celeberr. *H. Ghilinus* theatr. vol. 2. *Leo Allatius* in apibus urbanis. 12) *Cauſinus* Trecenſ. Gall. S. I. poeta & orat. inſignis, *Lud. XIII.* confeſſionarius, mort. 1651. *Phil. Alegambe* in bibl. Ieſ. *Clarmundus* part. I. n. 26. 13) *Sirmondus* Ricomagenſ. Gall. *S. I. Ludov. XIII.* confeſſ. vir optimus, profundæ eruditionis, mort. 1651. æt. 90. *Phil. Alegambe*, *Phil. Labbeus* in bibl. bibliothecarum. Vita illius per *Henr. Valeſium* accurate ſcripta inter vitas ſelectorum viror. Londini 1681. 4. prodiit. *Ad. Clarmundus* part. 8. num. 2. *L. Ell. du Pin* bibl. eccl. tom. 17. pag. 203. ſeqq. fuſe. 14) *Sandeus* Amſtel. S. I. Prof. Herbipolit. polygraphus, mort. 1656. *Phil. Alegambe, Fr. Swertius* Athen. Belg. *Val. And. Deſſel* in bibl. Belg. *P. Freherus* theatr. part. I. ſect. 3. 15) *Keddius* Embric. clivius S. I. prof. Viennæ & alibi, controverſiis clarus, mort. 1659. *Phil. Alegambe, Andr. Caroli* memor. eccleſ. lib. 6. cap. 26. & 51. 16) *Nierenbergius* Madritenſ. S. I. prof. in patria hiſt. natural. & theologiæ, polygraphus, mort. 1658. *Phil. Alegambe* in bibl. Ieſ. 17) *Forerus* Lucern. Helvet. S. I. prof. Dilling. & Lucern. polemicis ſcriptis notus, mort. 1659. *Phil. Alegambe* B. I. 18) *Morinus* Blæſenſis presbyt. Congr. orat. Pariſ. philologus ling. oriental. peritiſſimus, m. 1659. P. *Colomeſ.* in Gall. orient. p. 166. L. *Ell. du Pin.* bibl. autor. eccleſ. tom. 17. pag. 227. ſeqq. fuſiſſ. *Weiſmannus* hiſt. eccleſ. ſec. 17. §. 3. num. 22. 19) *Pet. de Marca* Barenſ. nob. Gallus, præſes Parlam. Navarrenſis, poſt alias dignitates archiepiſcop. Pariſ. mort. 1662. Vitam operibus præmiſſam *Steph. Baluzius* ſcripſit. *And. Caroli* mem. eccleſ. lib. 7. cap. 16. *Lud. Ell. du Pin* bibl. eccleſ. tom. 17. pag. 145. ſqq. fuſiſſ. *Chr. Eberb. Weiſmannus* hiſt. eccleſ. ſec. 17. §. 3. num. 16. & alibi. 20) *Raynaudus* Ceſpitell. Gallus S. I. vir doctiſſ. & diligentiſſ. polygraphus, mort. 1663. *Phil. Labbe* in bibl. *Phil. Alegambe* bibl. Ieſ. *L. Ell. du Pin.* bibl. eccleſ. tom. 18. p. 63. ſqq. fuſiſſ. 21) *Labbeus* Bituric. S. I. philoſ. & theol. moral. prof. Paris. diligentiſſimus, polygraphus. De ſe ipſo agit in fine bibl. bibliothecarum, *Phil. Alegambe* bibl. Ieſuit. *Ad. Clarmundus* part. 3. num. 6. 22) *Balde* Enſisheim. S. I. prof. in collegiis variis, concionator in aula Bavar. poeta lepidus, mort. 1668. *Phil. Alegambe* bibl. Ieſuit. 23) *Erbermannus* Weisdorff. Bambergenſ. S. I. prof. Mogunt. & Herbipol. rector Fuldenſ. mort. 1675. æt. 78. *Phil. Alegambe* bibl. Ieſ. *Weiſmannus* hiſt. eccleſ. ſec. 17. §. 3. num. 26. 24) *Kojaloviz, Alb. Wijuck* Lithuanus S. I. colleg. Vilnenſis rect. & prof. hiſtoricus patriæ inſignis, mort. 1677. *Phil. Alegambe, Henr. Witten* in diar. Biogr. *Zeilerus* de hiſt. part. 3. 25) *Launojus de Launoy* Conſtant. theol. Pariſ. doctiſſimus, cordatus & integer, mort. 1678. Elogium illius autore A. A. D. S. Londini 1685. 8. editum. Lege acta erud. Lipſ. 1690. Apr. pag. 156. ſeqq. Adde *Andr. Caroli* mem. eccleſ. lib. 8. cap. 58. *Lud. Ell. du Pin* bibl. eccleſ. tom. 18. p. 34. fuſiſſ. *Chr. Eberb. Weiſmanni* hiſt. eccleſ. ſec. 17. §. 3. n. 32. Huc ſpectat *Ant. Reiſeri Joh. Launojus* evangel. veritatis teſtis & confeſſor. Amſt. 1685. 4. 26) *Caram. a Lobkovviz* Madrit. mon. Ciſtert. in Flandria theol. D. Lovan. philoſophus acutus, polygraph. celeberr. mort. 1682. De eo prolixe agit *Car. de Viſch* in bibl. Ciſtert. *Val. Andr. Deſſel* faſtis Lovan. p. 143. 27) *Arnaldus* Pariſ. doctor Sorbon. *Ianſenii* defenſor, Ieſuitar. adverſarius acerrimus; mort. exul in Belgio 1697. Lege excerpta ex *Baſnagio* in act. erud. Lipſ. 1695. Aprilis fine. *And. Caroli* lib. 8. c. 67. lib. 10. c. 30. *Weiſmann.* hiſt. eccleſ. ſec. 17. §. 6. pag. 453. 28) *Ioſ. Saenz de Aguirre* Hiſp. mon. Benedict. interpres S. ſcript. primarius Salamant. cenſor inquiſitionis, tandem cardinalis, conciliis Hiſp. collectis, & *Nic. Antonii* bibliotheca Hiſp. edita celebris, mort. 1699. Deſcribitur a *Pet. Ambr. Lehmanno im itztherrſchenden Europa* in contin. inter cardinales p. 74. ſqq. *Lud. Ell. du Pin* bibl. eccleſ. tom. 18. pag. 248. 29) *Ant. Pagi* Gallus ord. Minor. conventual. Aquis Sextiis. Vir in antiquit. eccleſ. diligentiſſ. mort. 1699. Lege act. erud. Lipſ. anno 1700. Martio fere extr. *Lud. Ell. du Pin* bibl. eccleſ. tom. 18. pag. 197. 30) *Sfondrata* Mediol. ord. Bened. abb. Sangallenſis, cardinalis eruditiſſ. Papæ contra Gallos defenſor, ſub *Eugenii Lombardi* nomine, mort. 1699. Opera & laudes in actis erud. Lipſ. 1697. menſ. Junio pag. 281. habentur. *And Caroli* mem. eccleſ. lib. 10. cap. 45. & 47. *Chr. Eberb. Weiſmanni* hiſt. eccleſ. ſec. 17. §. 3. num. 38.

a) *F. Socinus* Sinenſis ex illuſtri familia, exul demum in Poloniam venit & Photinianam impietatem diſſeminavit, mort. 1604. Vitam *Sam. Przipkovius* ſcripſit, operibus additum. *Chriſtoph. Sandius* in bibl. Antitrinit. p. 64. ſqq. *Ioach. Vrſinus* in præf. ad *Ott. Caſmanni* Antiſocinum. *And. Caroli* mem. eccl. lib. I. c. 25. Lege hiſtoriam Socinianiſmi exacto compendio expoſitam a *Chr. Eberb. Weiſmanno* hiſt. eccleſ. ſec. 17. §. 18. de *Fauſto Socino* in ſpec. num. 10. b) *Blandrata* Salucienſ. Italus, profugus Ticino & Geneva in Poloniam venit, ſenior cœtus Sociniani, pulſus inde in Tranſylvania, medicus principum *Bathoreorum* fuit, m. 1611. *Sandius* in bibl. Antitrin. pag. 28. ſeqq. multa etiam *Georg. Hanerus* in hiſtor. eccleſ. Tranſylv. *And. Caroli* mem. eccleſ. lib. I. c. 75. c) *Schmalzius* Gothanus, rector Smiglæ poſt Racoviæ paſtor, mort. 1622. *Chriſt. Sandius* bibl. Antitrin. p. 99. ſqq. *Weiſmannus* §. 18. num. 15. d) *Crellius* Helmezheim. Francus, rector ſcholæ, poſt paſtor Racovienſ. mort. 1633. Vitam *Joach. Paſtorius ab Hirtenberg* deſcripſit. *Chriſtoph. Sandius* bibl. Antitr. p. 115. ſqq. *And. Caroli* lib. 5. cap. 32. *Weiſmannus* hiſt. eccleſ. ſec. 17. §. 18. num. 17. e) *Schlichtingius* a Bukowiec. nob. Pol. paſtor Racov. Exul inde in Marchia Brandenb. obiit 1661. Hiſtor. vitæ & mortis illius *Stan. Lubieniecius* ſcripſit. *Sandius* bibl. Antitr. p. 126. ſeqq. *And. Caroli* lib. 5. cap. 32.

Sandius, f) & alii propugnarunt. Fanaticorum anteſignanus fuit *Iacobus Böhmius*, g) ſutor Gorlicenſis, inter ſuos ambitioſo *Teutonici philoſophi* nomine notus, cujus ſomnia *Quirinus Kuhlmannus* h) præ cæteris propagare ſategit. Præter hos & *Ioh. de Labadie*, i) *Chriſtianus Hoburgius*, k) *Antonia Burignonia*, l) aliique non pauci, fanaticiſmo ſuo turbas dedere.

CAP. II.

De philoſophis & mathematicis.

Philoſophia a multis hoc ſeculo exculta eſt, quorum nonnulli antiquam Peripateticorum methodum ſecuti ſunt, alii novam philoſophandi rationem inierunt. Inter illos clarum nomen præ cæteris habuerunt: *Franciſcus Piccolomineus*, a) & Hiſpani duo, *Franc. Svarez*, b) & *Petrus de Fonſeca*; c) imo & huic philoſophiæ omnes fere ex ordinibus religioſorum adhæſerunt. Ex Germanis præcipue in eo philoſophandi genere excelluerunt: *Otto Caſmannus*, d) *Thom. Sagittarius*, e) *Cornel. Martini*, f) *Rudolphus Goclenius*, g) *Jacob Martini*, h) *Chriſtoph. Scheiblerus*, i) *Dan. Stahlius*, k) *Joh. Zeiſoldus*, l) aliique permulti.

Peculiarem philoſophandi rationem ſibi elegerunt: *Franciſcus Baco de Verulamio*, m) qui experimentis nitens eclecticæ philoſophiæ fundamenta jecit; *Thomas Campanella*, n) qui Platonico ductu Chriſtianam philoſophiam magno auſu paravit; *Renatus Carteſius*, o) qui novis a ſe inventis, aut, ut aliis videtur, ex monumentis antiquorum collectis principiis totum philoſophiæ ædificium ſuper-

---

Weiſmannus §. 18. num. 18. f) *Sandius* pater Cruciburg. Pruſſus, conſil. Elect. & ſecret. ſummi regiminis, depoſitus 1663. ob Arrianiſmum, inde privatus Regiomonti vixit, circa 1683. m. Filius, qui libros a patre factos ſub ſuo nomine edidit, juvenis Amſtel. 1680. obiit. Vide de utroque bibliothec. Antitrinit. *And. Caroli* lib 9. cap. 31. lib. 10. c. 39. g) *Böhmius* Seidenberg. Luſatus, ſutor Gorlic. lectione *Theophr. Paracelſi* corruptus, ſuperbis deliriis correptus, ſanam theologiam mire fœdavit, mort. 1624. Vita præmiſſa libro: *Weg zu Chriſto*. Fuſe de eo agit *Ehregott Dan. Colberg. im Plat. Hermet. Chriſtenth.* part. 1. c. 8. *And. Caroli* lib. 1. cap. 67. lib. 2. cap. 11. lib. 3. cap. 32. *Weiſmannus* p. 1234. fuſiſſ. & cum perpetua excuſatione *God. Arnold. Kirch-und Ketzer-Hiſtorie* part. 2. lib. 17. cap. 19. h) *Kuhlmannus* Wratisl. vir eruditiſſ. ſed ex ſuperbia deliriis Boehmianis inſertus. Scripta miſe confuſa, quædam ſub Cyri *Refrigeratorii* nomine edidit. Poſt varia per orbem itinera miſere combuſtus Moſcoviæ 1689. Lege *Colbergii Platon. Hermet. Chriſtenth.* part. 1. cap. 8. §. 5. plurima in Pantheo Fanaticorum it. in diſſ. de Fanaticis Sileſ. ſpeciatim *Quir. Kuhlmanno*, præſ. *Gottl. Wernsdorffio* Witteb. habita a *Gottl. Lietmanno* 1713. *And. Caroli* mem. eccleſ. lib. 8. cap. 33 it. *in Unſchuld. Nachrichten* paſſim. *Gottfr. Arnold Kirchen-und Ketzer-Hiſtorie* part. 3. cap. 19. eum excuſat. i) *Labadie* Vaſco Ieſuita primo, poſt canon. Ambianus, inde reformatus, miniſter Montalbanus, Arauſion. Genevenſis, tandem Medioburg. ubi ob Fanaticiſm. remotus, cœtum peculiarem fecit, ab *Eliſab. Batatium.* abbat. Herford. receptus, cui & *Anna Mar. Schurmannia* acceſſit, mort. 1673. Lege *Chriſt. Niſenii* mathæologiam Labadianam. *Pantheon* fanaticorum. *And. Caroli* mem. eccleſ. lib. 8. cap. 4. n. 31. Hiſtoriam *Labadiſmi* in accurato compendio exhibet *Chr. Eberh. Weiſmannus* hiſtor. eccleſ. ſec. XVII. §. 28. Omnia ut ſolet, excuſat *God. Arnoldus Kirchen-und Ketzer-Hiſtorie* part. 2. lib. 17. cap. 21. k) *Hobburgius* Luneburg. poſt ſcholaſtica officia paſtor Bornenſis, inde miniſter inter Reformatos, demum concionator Mennoniſtarum Altonæ mort. 1675. calumniator miniſterii evangelici, jam *Bernh. Baumannum* mox *El. Prætorium*, *Andr. Säuberlich*, *Chriſt. de Montalto* ſe vocat. Vita a filio Germ. ſcripta extat. Lege *miniſterii Tripolitani Prüfung des Geiſtes Eliæ Prætorii* & alia, *Pantheon Fanaticorum*, *And. Caroli* lib. 5. cap. 46. *God. Arnoldus Kirchen-und Ketzer-Hiſtorie* part. 3. cap. 13. pro ſancto viro habet. (l) *Burignonia* Inſulenſis Flandra, indocta, ſed fanaticis ſcriptis a juventute delectata. Familiam peculiarem per Belgium, Holſatiam &c. circumducebat; expulſa in Friſia moriebatur 1680. Vita ſcriptis addita ab editore & defenſore *Pet. Poireto*. Lege *Colbergium in Plat. Hermet. Chriſtenthum* part. 1. cap. 10. *Iohan. Henr. Feuſtkingii* gynæceum fanaticum p. 188. ſeqq. fuſe. *And. Caroli* lib. 8. c. 11. 18. & lib. 9. cap. 4. *Godof. Arnold Kirchen-und Ketzer-Hiſtorie* part. 3. cap. 16. fuſiſſime, ſed cum perpetua excuſatione.

Cap. II. a) *Piccolomineus* Senenſ. ex illuſtri famil. logices prof. Senis, Maceratæ, Peruſ. Patavii, vir magnæ autor. mort. 1604. æt. 84. *H. Ghilinus* theatri vol. 1. p. 118. *Iac. Phil. Tomaſinus* elog. tom. 1. pag. 207. fuſe. *Ioh. Imperial.* muſ. hiſt. p. 111. *P. Freherus* theatr. part. 4. p. 1498. De Atheiſmo illius memorabilia lege *in Unſchuld. Nachrichten* 1705. April. pag. 118. b) *Svarez* Granat. S. I. Valleſoleti, Romæ, Compluti, Salamant. Coimbræ docuit, mort. 1617. *Pet. Ribadeneira* in catal. ſcript. S. I. *Phil. Alegambe* bibl. Ieſ. *P. Freherus* part. 1. ſect. 3. *Andr. Schottus* bibl. Hiſpan. tom. 2. claſſ. 6. paucis. c) *Fonſeca* Viſenſis Luſit. S. I. rector colleg. Conimbr. epiſcopus Iaponiæ, vir magnis rebus adhibitus, mort. 1619. juxta *H. Witten* in diar. biogr. ſed *P. Ribadeneira* & *Phil. Alegambe* 1599. jam mortuum dicunt. *P. Freherus* theatr. part. 1. ſect. 3. d) *Caſmannus* ex Pontificio Evangelicus rect. ſcholæ Steinfurt. poſt Stadenſis, ibique eccleſiæ miniſter, mort. 1604. *H. Witten* diar. biograph. e) *Sagittarius* Stendal. March. I. V. D. Gr. ling. & log. prof. Ienenſis, inde rector & inſp. Wratisl. Eliſabetanus, mort. 1621. *And. Bayerus* in catal. prof. Ien. *H. Witten* in diar. biogr. *Martin. Hanckius* in erudit. propagator. Wratisl. *Frid. Lucæ* in chron. Sil. part. 2. cap. 5. §. 4. f) *Martini* Antwerp. theol. D. prof. logic Helmſtad. mort. 1621. *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Valent. Andr. Deſſel* bibl. Belg. paucis. g) *Goclenius* Corbac. Waldecc. prof. log. Marpurg. philologus acutiſſ. mort. 1628. *I. P. Lotichius* bibl. poet. part. 3. *Freherus* theatri part. 4. pag. 1522. h) *Martini* Langenſteino-Halberſtad. rector Nordæ in Friſia, inde prof. logices Witteb. tandem ibi theol. D. & prof. mort. 1649. *Th. Spizel.* in templ. hon. num. 23. *Henn. Witten* mem. theol. dec. 6. P. *Freherus* theatr. part. 1. ſect. 3. Epitaph. in *Andr. Sennerti* Athen. Witteb. i) *Scheiblerus* Armsfeld. Waldecc. prof. ling. Gr. log. & metaph. Gieſſenſis, tandem Superint. Tremon. mort. 1653. Mortem ſubitam deſcribit filius *Ioh. Scheiblerus* in dedicat. operis logic. ad ſenatum Tremon. P. *Freherus* theatr. part. 1. ſect. 3. k) *Stahlius* Hammelburg. Francus log. & metaph. prof. Ien. mort. 1654. *Hadr. Bayerus* in catal. rect. Ien. *Henn. Witten* mem. phil. dec. 6. l) *Zeiſoldus* Altenburg. prof. phyſ. Ienenſ. mort. 1667. *Bayerus* in catal. rect. Ien. *Henn. Witten* diar. biogr. *And. Caroli* mem. eccl. l. 7. c. 56. m) *Baco de Verulam.* vice-comes ſ. Albani, ſummus Angl. cancellarius, vir ſummus, polyhiſtor incomparabilis mort. 1626. Vita operibus addita. *Hen. VVitten* mem. philoſ. dec. 2. extr. *P. Freherus* part. 2. ſect. 3. Lege & de eo *Iac. VVilh. Imhof.* in hiſt. geneal. regum patriumque M. Brit. cap. 17. n) *Campanella* Stylenſis Calaber mon. Domin. homo portentoſi ingenii, reformationem omnium ſcient. meditans. Perduellionis reus factus tormentis & carcere 25. annor. afflictus, tandem evaſit in Gallia mort. 1639. *I. N. Erythræus* pinac. 1. *Leo Allatius* in apibus urb. pag. 342. *Corn. Tollius* infel. liter. p. 40. *Ern. Sal. Cyprianus* de vita & philoſ. Campanellæ accurate ſcripſit. o) *Carteſius des Cartes* Rhedon. Picto-

perſtruere conatus eſt; *Petrus Gaſſendus*, p) qui Epicuream philoſophiam ab impietate purgatam reſtituit; & *Thomas Hobbeſius*, q) principiis nitens haud parum a vera pietate alienis. Naturalem philoſophiam in ſpecie præter *Baconem*, *Carteſium* & *Gaſſendum* citatos, etiam non ſine laude excoluerunt *Fortunius Licetus*, r) *I. Sperlingius*, s) *Kenelmus Digby*, t) *Martinus Schockius*, u) *Otto Guerikius*, vv) & *Rob. Boylius*. x)

Mathematica ſtudia reliquis non infeliciora cultores ſat multos invenerunt, inter quos eminerunt: *Caſparus Peucerus*, y) *Chriſtoph. Clavius*, z) *David Origanus*, 1) *Ioh. Keplerus*, 2) *Ambr. Rhodius*, 3) *Chriſt. Scheinerus*, 4) *Caſpar Schottus*, 5) *Athanaſius Kircherus*, 6) *Ioh. Hevelius*, 7) & *Erhardus Weigelius*, 8) Germani; *Tycho Brabeus*, 9) primo ſeculi anno mortuus, & *Chriſtophorus Longomontanus*, 10) Dani; *Hadrianus Romanus*, 11) *Willebrordus Snellius*, 12) *Hadrianus Metius*, 13) *Bernh. Varenius*, 14) & *Chriſtianus Hugenius* 15) Belgæ; quibus meritiſſimo ſuo accedunt Itali mathematicis artibus illuſtriores: *Matthaus Riccius*, 16) *Ioh. Bapt. Porta*, 17) *Bernhard. Baldus*, 18) *Ioh. Anton. Maginus*,

---

nob. Gallus, miles, mathematicus & phyſicus exactiſſ. e Belgio, ubi privatus vivebat, a *Chriſtina* in Suec. vocatus, obiit 1650. Vitam a *Pet. Borello* ſcriptam *Hen. VVitten* mem. philoſ. dec. 4. inſeruit. Poſt alios *Adr. Bailletus* vitam accuratiſſ. ſcripſit. Lege *Io. Tepelii* hiſtoriam philoſ. Carteſianæ, *Pet. Dan. Huetii* cenſur. philoſ. Carteſ. & *Andr. Petermanni* vindicationem philoſophiæ Carteſianæ, *Chr. Eber. VVeiſmanni* hiſt. eccl. ſec. 17. §. 24. p) *Gaſſendus* Dinienſis, prof. eloqu. in patria & Aquis Sext. præpoſitus Dinienſ. & mathem. prof. regius Pariſ. mort. 1655. vir doctiſſ. reſtitutor Epicureæ philoſ. ab impietate purgatæ, Carteſii adverſarius. *Sam. Sorberii* ampla diſſert. de vita, moribus & ſcriptis *Gaſſendi* legitur in *Hen. VVitten* mem. philoſ. dec. 6. Lege *Io. Ionſium* de ſcript. hiſt. philoſ. lib. 3. cap. 20. Multa etiam in *Gerb. de Uriet* diſſert. de meditat. *Carteſii a Gaſſendo* impugnatis. q) *Hobbes* Malmesbur. vir doctiſſ. in comitum Devonienſ. aula vitam exigens, impietatis a multis accuſatur, mort. 1679. Vitam Anglus quidam prolixe & accurate deſcripſit, unde excerpta legenda in *P. Freheri* theatr. parte 4. extr. Lege & *Mart. Kempium* in bibl. Anglorum theolog. lib. 3. c. 12. pag. 385. ſeq. Multa & in *Thom. Pope Blount* cenſura autor. pag. 1043. r) *Licetus* Genuenſis, natus ante diem per abortum, & tamen conſervatus, prof. Paravinus, polygraphus celeberr. mort. 1686. Lege *Io. Imperialem* muſ. hiſt. pag. 225. *Io. Ionſium* de ſcript. hiſt. philoſ. lib. 3. cap. 29. §. 3. Scripta fuſe referunt *Io. Hallervordius* in bibl. curioſa & *Io. Ant. van der Linden* de ſcr. med. s) *Sperlingius* Thuringus, phyſ. prof. VVitteb. mort. 1658. *Andr. Sennert.* in Athen. VVittenb. *Hen. VVitten* mem. phil. dec. 7. vitam ex programm. Arnd. refert. t) *Digby* Buckingham. Anglus eques auratus, reginæ cancellarius, tum *Carolo I.* a conclavi ſecret. & rerum marin. adminiſtrator, miles contra Turcos occubuit 1665. H. *VVitten* in diar. biogr. u) *Schokius* Ultraject. prof. Daventr. Gröning. tandem Francof. conſil. Brandenburg. mort. 1669. Excerpta ex vitis profeſſ. Gröningenſ. leguntur in *P. Freberi* theatr. part. 4. Scripta referuntur a *I. A. van der Linden* & *Hen. Witten* in diar. Biogr. (w) *Guerikius* Magdeb. patritius ſenator, conſul 40. annis, conſil. Brand. phyſ. celeberr. mort. 1686. *H. Witten* in diar. Biogr. *Io. Hallervordius* in bibl. cur. x) *Boyle* Anglus illuſtris, armiger, phyſicus experiment. incomparab. mort. 1692. Teſtamento poſt mortem immortalis pro DEI honore aſſerendo. Vita ex opuſculis ſacris *Boylii*, a *Rich. Boulton* editis, excerpta legitur in actor. erud. ſup. t. VI. pag. 494. Opera copioſiſſ. in act. erud. paſſim referuntur. y) *Peucerus* Budiſſ. med. D. philoſ. mathem. & hiſtor. inſignis, gener *Phil. Melanchth.* poſt carcerem X. annorum mort. 1602. Vita prolixe deſcripta a *Melch. Adami* in vit. Germ. med. adde hiſtor. carcerum ab ipſo ſcriptam, a *Chriſtoph. Pezelio* editam & *Thuan.* lib. 127. *P. Freherus* theatr. 3. pag. 1311. z) *Clavius* Bamberg. S. I. mathemat. nulli ſecundus, *Euclides* ſui ſeculi dictus, prof. mathem. Romæ, calendarii *Gregoriani* fere autor, mort. 1612. *Pet. Ribadeneira* in catal. S. I. *Phil. Alegambe* bibl. Ieſ. *Voſſius* de ſcient. math. paſſim laudes habet. *P. Freherus* in theatr. P. 4. pag. 1507. 1) *Origanus* Glacenſ. prof. math. Francofurt. mort. 1619. *I. Chr. Becmannus* in prolegom. ad bibliothec. Franſ. num. 53. *Voſſius* de math. cap. 68. §. 21. *Nic. Henelius* Sileſiograph. c. 7. extr. *Hen. Witten* in diar. Biogr. Imago in notit. univerſ. Francofurt. in folio. 2) *Keplerus* Leoberg. Wurtenberg. mathematicus procerum Styriæ, inde *Rudolphi II. Matthiæ* & *Ferd. II.* mort. 1630. Vita occaſione epiſtolarum Keplerianarum a *Mich. Gottl. Hanchio* editarum accurate recenſetur in actis erud. Lipſ. 1719. initio. A *Voſſio* de ſcient. mathem. paſſim laudatur. 3) *Rhodius* Kemberg. Saxo, med. D. ejusque & matheſ. prof. Witteb. mort. 1633. Vita ex program. funebri legitur in *H. Witten* memor. philoſ. dec. 3. num. 5. *Andr. Sennertus* in Ath. Wittenb. 4) *Scheinerus* Mindelheim. Suevus S. I. prof. Hebr. ling. & matheſ. Ingolſt. Friburg. Niſſenſis in Sil. confeſſ. archiducum, mort. 1650. *Phil. Alegambe* bibl. Ieſ. *Vincent. Placcius* de anonym. c. 7. init. *Voſſius* de ſcient. math. c. 36. §. 43. *Ioſeph. Blancanus* in chronol. mathematicorum. 5) *Schottus* Herbipol. S. I. prof. math. theol. Panormi, poſt in patria mathematicus diligentiſſ. mort. 1666. *Nath. Sotbwell.* bibl. Ieſ. *H. Witten* in diar. Biogr. 6) *Kircherus* Fuldenſ. S. I. lingu. orient. theol. & mathem. prof. Herb. Avenione, Romæ celeberrimus, mort. 1680. *H. Witten* in diar. Biogr. 7) *Hevelius* Gedan. inter conſules vet. urbis aſtronomus incomparab. poſt infinita in orbem liter. merita, mort. 1687. *H. Witten* in diar. Biogr. *And. Charitius* de eruditis Gedan. num. 30. fuſe. *Voſſius* de ſcient. math. cap. 66. §. 16. 8) *Weigelius* prof. mathem. Ienenſis celeberrimus, conſil. Cæſareus & palatinus, mort. 1699. Varia de eo in actis erud. 1693. Majo pag. 216. 9) *de Brahe* nob. Danus, pro naſo Roſtochii amiſſo argenteum gerebat. Arcis Uraniburgi in inſ. Huena fundator & poſſeſſor, princeps aſtronomorum, tandem conſil. *Rudolphi II.* Pragæ m. 1601. Vita a *Pet. Gaſſendo* accurate deſcripta, it. a *Pet. Io. Reſendio*, quam *Hen. Witten* memoriis philoſ. dec. 1. inſeruit. Adde *Alb. Bartholinum* de ſcriptis Danorum, cum addit. *Io. Molleri*, item *Thuan.* lib. 126. *Paul. Freherum* theatr. P. 4. 10) *Longomontanus* a patria dictus, Danus, rector V[illegible]burg. poſt prof. mathem. Hafnienſis, canonicus Lundenſis celeberrimus, mort. 1647. *Ern. Vindingius* in rect. Hafnienſ. *Alb. Bartholin.* de ſcr. Dan. 11) *Romanus* Lovan. med. & mathem. celebris, prof. med. Herbipol. ſacerdos, & prof. mathem. in nova acad. Zamoſciana, m. 1616. *Fr. Swertius* Ath. Belg. *Val. And. Deſſelius* bibl. Belg. *P. Freherus* P. 3. *Io. Blancanus* in chronol. mathem. 12) *Snellius* Lugd. Batavus math. prof. in patria celeberrimus, mort. 1626. *Fr. Swertius* Ath. Belg. *Val. Andr. Deſſel* bibl. Belg. *Io Meurſius* Ath. Batav. *acad. Leidenſ.* p. 224. *P. Freherus* theatr. part. 4. 13) *Metius* Alcmar. med. D. & mathem. prof. Franequ. mort. 1635. *Fr. Swertius* Ath. Belg. *Val. Andr. Deſſel* bibl. Belg. 14) *Varenius* med. D. & mathemat. Amſtelod. geographia generali edita clarus, ſed ſubito amiſſus. In præfatione ad Senat. Amſtel. 1650. data de fatis & ſtudiis ſuis varia habet. 15) *Hugenius* ſ. *Huygens Conſtantini* fil. dominus de *Zullichem* nobilis Belga mathem. & phyſ. incomparabilis, mort. 1695. Legantur *God. Guil. Leibnizii* ſchediaſmata actis erud. inſerta 1695. pag. 371. & 1696. pag. 147. 16) *Riccius* Maceratenſ. S. I. mathematicus inſignis, ad Chinas miſſus, fundamenta religionis Chriſt. jecit, mort. Pequini 1610. Lege *Phil. Alegambe* bibl. Jeſ. *Nic. Trigantium* in expeditione Chriſti apud Sinas ſuſcepta, maxime in declaratione proœmiali ad part. 2. operum *Confucii* Pariſ. 1678. fol. 17) *Porta* nobilis Neapol. Romæ, poſtea Neapoli ſplendide vixit, academiam

nus, 19) *Galilaus a Galilais,* 20) *Andr. Argolus,* 21) *Scipio Claramontius,* 22) *Ioh. Bapt. Ricciolus,* 23) & *Ioh. Alphonſus Borellus;* 24) & Galli: *Marinus Merſennus,* 25) *Ioh. Bapt. Morinus,* 26) & *Iſmael Bulialdus;* 27) quorum plurimi aſtronomiam tanto ſtudio excoluerunt, ut omnes antiquorum labores longo intervallo poſt ſe relinquant.

CAP. III.

De jure conſultis.

Jus civile & canonicum a multis etiam hoc ſeculo excultum eſt, copioſisque multorum ſcriptis explicatum; quo nomine celebriores extitere Germani: *Nicol. Reuſnerus,* a) *Hippolytus a Collibus,* b) *Hieron. Treutlerus,* c) *Georg. Obrecht,* d) *Conradus Rittershuſius,* e) polyhiſtor inſignis, *Andreas Cludius,* f) *Martinus Benkendorff,* g) *Frid. Prückmannus,* h) *Hermannus Vultejus,* i) *Georg. David. Locamerus,* k) *Chriſtoph. Beſoldus,* l) politicus ſatis celebris, *Iohann. Harprechtus,* m) *Godofr. Fibigius,* n) *Henningus Rennemannus,* o) *Franciſcus Stypmannus,* p) *Caſp. Klokius,* q) *Phil. Knipſchild,* r) *Iuſtus Sinold Schützius,* s) *Wilhelmus Ludwellus,* t) *Theod. Reinkingius,* u) *Henr. Ernſtius,* vv) *Johann. Limnaeus,* x) *Bened. Carpzo-*

eruditorum, muſeum illuſtre &c. erexit, mort. 1615. *H. Ghilinus* theatr. vol 1. pag. 198. *Io. Imperialis* muſ. hiſtor. pag. 121. *P. Freherus* theatr. part. 4. pag. 1520. 18) *Baldus* Urbinas, abb. Guaſtallanus, mathemat. ſummus, architectus, Græc. Hebr. Arab. doctus, m. 1617. *H. Ghilinus* theatr. vol. 1. *Jan. Nic. Erythræus* pinacoth. 1. n. 2. 19) *Maginus* Patavinus, prof. math. Bonon. celeberr. mort. 1617. *Io. Blancanus* chronol. mathemat. *Voſſius* de ſcient. mathem. cap. 36. §. 42. & in addendis p. 450. 20) *Galilæus* nob. Florent. prof. math. Patavinus, magni ducis Hetrur. mathematicus, mort. 1640. æt. 84. *H. Ghilinus* vol. 1. pag. 131. *I. N. Erythræus* pinacoth. 1 pag. 279. *Leo Allatius* in apibus urb. *P. Freherus* theatr. part. 4. pap. 1536. 21) *Argolus* Taliacotienſ. Italus, eques d. Marci, prof. math. Patavinus, m. 1648. *Hier. Ghilinus* vol. 2. *Leo Allatius* in apibus urb. *P. Freherus* part. 4. 22) *Claramontius* Cæſenas, Peruſiæ, Piſæ, & in patria math. prof. m. 1653. æt. 88. *Io. Hallervord.* in bibl. curioſa. *Hen. Witten.* diar. biogr. 23) *Ricciolus* Ferrar. S. I. prof. Bonon. Parmæ &c. mathemat. magni Ducis, m. 1671. *Nathan. Sothwell* bibl. Jeſuit. *I. Hallervord.* in bibl. curioſa. 24) *Borellus* Neapolit. prof. phil. & matheſ. Florent. Piſis &c. mathematicus exactiſſimus, m. 1679. Lege act. erud. 1682. pag. 351. Notabilia de eo refert *Franc. Maurolicus* in Archimediis, vide acta erud. 1687. p. 543. 544. Adde act. erud. 1683. p. 73. 25) *Merſennus* Cenoman. ord. Min. Franciſci de Paula mathem. celeberr. m. 1648. *P. Colomeſius* in Gall. orient. pag. 270. ubi vitam *Merſenni* per *Hilar. a Coſta* ſcriptam dicit. *I. Hallervord.* in bibl. curioſa. *Voſſius* de ſcient. math. paſſim. 26) *Morinus* Bellojocenſ. med. D. mathem. prof. regius, aſtrologiæ deditus, Gaſſendi adverſarius, mort. 1656. Vita fuſe & accurate cum imagine præmiſſa eſt aſtrologiæ Gallicæ Hag. Com. 1661. fol. editæ. 27) *Bulialdus* Gallus, mathem. prof. regius Pariſ. Copernicanæ hypotheſeos aſſertor in aſtronomia philolaica & aliis, mort. 1694. Multa de eo in ephemerid. Gall. P. 3. & alibi. *Io. Hallervord.* in bibl. curioſa. *Lud. Ell. du Pin* bibl. eccl. tom. 18. p. 105. fuſe.

Cap. III. a) *Reuſnerus* Leorin. Sil. rect. & prof. Laving. poſt I. V. D. & prof. Argent. & Jenenſ. com. pal. Cæſar. poeta ab ipſo *Rudolpho II.* in comit. Ratisb. coronatus, mort. 1602. *Melch. Adami* in vit. Germ. ICtor. Parentalia a *Dominic. Arumæo* & *Th. Sagittario* Jenæ 1603. edita. *I. P. Lotichius* bibl. poet. lib. 3. *P. Freherus* part. 2. ſect. 4. Effigies & elogia præmittuntur icon. P. 2. it. in bibl. chalcogr. *Boiſſardi* lit. Gg. 2. it. *im Leben der Staats- und Rechts-Gelahrten,* P. 1. n. 23. b) a *Collibus* Tigurinus, I. V. D. prof. Heidelb. & Baſil. inde cancell. Anhaltinus, tandem conſil. intimus Palatinus, maximis rebus adhibitus, mort. 1612. *Melch. Adami* in ICtis Germ. *P. Freherus* part. 2. ſect. 4. c) *Treutlerus* Suidnic. Sil. prof. Marpurg. inde ſynd. Budiſſin. tandem fiſci regii per Luſat. patronus, mort. 1607. *P. Freherus* part. 2. ſect. 4. d) *Obrecht* Argent. I. V. D. & prof. in patria, m. 1612. *M. Adami* in ICt. Germ. *P. Freherus* P. 2. ſect. 4. Imago in bibl. chalcogr. part. 9. lit. g. 1. e) *Rittershuſius* Brunſv. I. V. D. profeſſor Altorfinus, conſil. Noricus, polyhiſtor celeberr. m. 1616. *Melch. Adami* in vit. ICt. Germ. Vita a *Georgio* fil. deſcripta in *Hen. Witten* mem. ICtor. dec. 1. num. 2. legitur. Imago bibl. chalcogr. part. 9. lit. G. 2. *Ad. Clarmundus* P. 2. n. 4. it. *im Leben der Staats- und Rechts-Gelehrten* part. 2. num. 14. f) *Cludius* Oſterod. Saxo, I. V. D. per 32. ann. prof. Helmeſt. conſil. Brunſv. rude donatus in patria m. 1624. Vita in monum. Juliis *Gebh. Theod. Meyeri* inter ICtos num. 10. legitur. Mortem illius *Hen. Witten* in diar. biogr. in ann. 1616. *P. Freherus* part. 2. ſect. 4. in 1598. g) *Benckendorff* Soltquell. I. V. D. cod. prof. Francof. conſil. Brandenburg. m. 1621. Imago habetur in *Mart. Frid. Seidelii* iconibus Marchicis n. 58. *H. Witten* in diar. biograph. h) *Prückmannus* Francof. I. V. D. conſ. intimus Brandenb. cancellarius Marchiæ. *M. F. Seidel* in icon. March. num. 78. *Witten* in diar. biogr. i) *Vultejus* Veterenſ. Haſſus, I. V. D. prof. prim. Marpurg. conſil. Cæſar. & Haſſicus, mort. 1634. Vita a *I. H. Daubero* ſcripta legitur in *Hen. Witten* mem. ICtor. dec. 2. *P. Freherus* part. 2. ſect. 4. k) *Locamerus* Landav. Alſatus, I. V. D. & prof. Argent. m. 1637. *Io. Otton. Taboris* oratio parent. legitur in *Hen. Witten* mem. ICtorum dec. 2. *Freher.* part. 2. ſect. 4. l) *Beſoldus* Tubing. I. V. D. & prof. in patria doctiſſ. poſt ſcepticiſmum diu oſtenſum ad Roman. tranſiit, prof. Ingolſtad. conſil. Cæſ. & Bavar. m. 1638. *Arn. Rath* luctum acad. Ingolſt. de morte *Beſoldi* ſcripſit, ubi vita expoſita. Adde *And. Caroli* mem. eccl. lib. 4. cap. 36. m) *Harprecht* Wallenheim-Würtenb. I. V. D. & prof. Tubing. mort. 1639. Laudatio funebris a *Thom. Lanſio* habita legitur in *Henn. Witten* mem. ICt. dec. 3. init. *P. Freherus* part. 2. ſect. 4. n) *Fibigius* Wrat. I. V. D. & prof. Jenenſ. mort. 1646. æt. 34. *Adr. Beyerus* in catal. rect. Jen. *Freherus* P. 2. ſect. 4. Vita legitur *in Staats- und Rechts-Gelehrten* P. 1. n. 5. o) *Rennemannus* Papenburg. Saxo, I. V. D. prof. & conſul Erfurtenſ. conſil. Henneberg. m. 1646. æt. 80. *Hen. Witten* diar. biograph. Imago in bibl. chalcogr. P. 9. lit. h. 3. p) *Stypmannus* Gryphiswald. I. V. D. & prof. in patria, m. 1650. æt. 37. Laudatio funebr. a *Pomereſchio* habita legitur in *Witten* ICtis dec. 4. q) *Klokius* Soeſtenſ. Weſtphalus, I. V. D. cancellar. Stolberg. ſyndicus Brunſvic. cancell. Mindenſis, Hildeſienſis &c. m. 1655. *P. Freherus* part. 2. ſect. 4. Imago in bibl. chalcogr. P. 9. lit. h. 4. r) *Knipſchild* Treisbach. Weſtph. *Hippolyth. a Treiſpach* ſe interdum vocat. I. V. D. ſynd. Esling. & equeſtris ord. Svevici, m. 1657. *Hen. Witten* diar. biograph. s) *Schützius* Butzbac. Wetter. I. V. D. prof. Marpurg. conſil. Haſſicus intimus, cancellarius, m. 1657. Orat. funebris a *Ioh. Nic. Mislero* habita in *Wittenii* ICtis dec. 3. legitur. *Freherus* theatr. part. 2. ſect. 4. Imago in bibl. chalcogr. P. 9. lit. k. 1. habetur. t) *Ludwellus* Elbing. I. V. D. prof. Altorf. conſ. Norinb. & Sulzbac. ICtus celeberr. m. 1662. Vita ex programm. funebri inſerta *Hen. Witten* vitis ICt. dec. 3. *Freherus* part. 2. ſect. 4. u) *Reinkingius* Curlandus, I. V. D. & prof. Giſſenſ. poſt multas dignitates conſil. & cancell. Regis Dan. Holſaticus, præſes ſupremi judicii Pinnebergenſis, mort. 1664. Orat. funebris a *Wittenio* ICtor. dec. 3. inſerta. *P. Freherus* part. 2. ſect. 4. w) *Ernſtius* Helmeſtad. I. V. D. prof. Soranus in Dania, conſil. Danicus, ſupremi tribunal. aſſeſſor, ICtus, hiſtor. & philol. celebris, mort. 1665. *Alb. Bartholinus* de ſcript. Danorum. *Hen. Witten* in diar. biogr. x) *Limnæus* Jenenſ. I. V. D. conſil. intimus, & camerarius Onoldinus, jure publico aliisque ſcriptis celebris, mort. 1665. Ima-

Carpzovius, y) *Jacob. le Bleu*, z) *Dav. Mevius*, 1) *Joh. Brunnemannus*, 2) *Chriſtoph. Philip. Richterus*, 3) *Johann. Otto Tabor*, 4) *Joh. Loccenius*, 5) *Wolf. Ad. Lauterbach*, 6) *Dan. Claſenius*, 7) *Joh. Strauchius*, 8) *Joh. Pomereſchius*, 9) *Joh. Rebhahn*, 10) *Caſpar Zieglerus*, 11) & *Georg. Adamus Struvius*. 12) Ex Belgis in jure tradendo celebre ſibi præ cæteris nomen pararunt: *Petrus Weſembecius*, 13) *M. Anton. del Rio*, 14) *Obertus Giphanius*, 15) *Petrus Gudelinus*, 16) *Everhardus Bronchorſt*, 17) & *Bernhard. Schotanus*. 18) Itali juris interpretes primarii fuere: *Jac. Menochius*, 19) *Albericus Gentilis*, 20) *Proſper Farinacius*, 21) *Nicol. de Paſſeribus*, 22) *Scipio Gentilis*, 23) politicis ſcriptis celebris, *Dominicus Tuſchus*, 24) & *Jul. Pacius*. 25). Ex Gallis præ cæteris floruere juris notitia: *Dionyſius Godofredus*, 26) *Antonius Faber*,

go habetur in bibl. chalcogr. part. 9. lit. i. 2. *Henn. VVitten* in diar. biogr. Vita legitur *in Staats-und Rechts-Gelahrten* part. 2. n. 15. y) *Carpzovius* Witteb. *Benedicti* ICt. fil. I. V. D. & prof. Lipſ. conſil. intimus Elector. mort. 1666. Vita & progr. funeris legitur in *Henn. VVitten* ICtis dec. 4. init. *Freherus* part. 2. ſect. 4. n. 1172. Imago in bibl. chalcogr. part. 9. lit. I. 4. it. in *Mart. Frid. Seidel* icon. March. n. 98. z) *le Bleu* Oppenheim. Palatinus, I. V. D. prof. linguar. exotic. inde ſyndicus acad. Gieſſenſis, juris & pol. prof. & conſil. Haſſicus, mort. 1668. *H. VVitten* in diar. biogr. 1) *Mevius* Gryphisw. I. V. D. & prof. in patria, ſynd. Stralſund. inde conſil. Suevicus, vice præſes ſummi tribun. Wiſmar. mort. 1670. Vita & progr. funebre leguntur in *Henn. VVitten* ICtis dec. 4. *P. Freherus* part. 2. ſect. 4. 2) *Brunnemannus* Colon. March. ex theol. ſtud. & prof. logices ſummus ICtus, Doctor & prof. Francof. vir pius & integerr. mort. 1672. Vita e progr. funebri *I. C. Becmanni* legitur apud *Freherum* part. 2. ſect. 4. Effigies extat in *Becmanni* deſcript. Franc. in fol. Vita etiam legitur *in Leben der Staats-und Rechts-Gelehrten* part. 2. n. 13. 3) *Richterus* Eisfeld. Francus, I. V. D. & prof. Ienenſ. ſummi dicaſterii aſſeſſor, mort. 1673. Excerpta ex progr. funebri *Ioh. Muſæi* leguntur apud P. *Freherum* theatr. part. 2. ſect. 4. *Andreas Beyerus* in rect. Ienenſ. Scripta in *VVitten* diar. biogr. 4) *Tabor* Budiſſin. I. V. D. & prof. Argent. poſt Gieſſenſ. & academ. cancellarius, mort. 1674. Vitam & elogia lege in act. erud. Lipſ. an. 1688. menſ. Jun. pag. 282 ſeq. *VVitten* in diar. biogr. *Frid. Thomæ* in analect. Guſtr. catal. biograph. pag. 126. 5) *Loccenius* Izehoa Holſat. I. V. D. eloquentiæ & juris prof. Vpſal. biblioth. academiæ, hiſtoriographus regius, præſes collegii antiq. Suev. Goth. mort. 1677. *Ioh. Schefferus* in Suec. liter. inter adoptiv. p. 275. & *Ioh. Molerus* in hypomnem. additis. *Henn. VVitten* in diar. biograph. 6) *Lauterbach* Schlaiza Variſcus, I. V. D. & prof. Tubing. conſil. int. Würtenberg. conſiſtorii Stutgard. director, mort. 1678. Vita & elogia leguntur in act. erud. Lipſ. an. 1690. menſ. Iul. p. 367. *And. Caroli* mem. eccl. l. 8. c. 63. extr. 7) *Claſenius* Luneb. rector ſchol. Magdeb. inde I. V. D. in equ. acad. Luneb. porro in acad. Helmſt. prof. juris, polyhiſtor, mort. 1678. Vita in *Gebh. Theod. Meyeri* mon. Juliis inter ICtos n. 32. *Henn. Witten* diar. biogr. 8) *Strauchius* Coldicenſ. Miſnicus, I. V. D. prof. hiſtor. Ien. poſt Lipſ. inde ſyndicus Brunſvic. poſt juris prof. Ienenſ. conſil. Sax. tandem prof. prim. & pro-cancell. Gieſſenſis, mort. 1679. *Ioh. Caſ. Zeumerus* in vitis prof. Ienenſ. *Ad. Clarmundus* part. 8. n. 27. *H. Witten* in diar. biogr. it. *in Staats-und Rechts-Gelehrten* part. 1. n. 6. 9) *Pomereſchius* Gryphisw. I. V. D. & in patria profeſſ. poſt conſil. Güſtrovienſ. tandem ſynd. Lubecenſ. m. 1689. *H. VVitten* in diar. biogr. Adde *Frid. Thomæ* analecta Guſtrovienſ. in catal. biograph. p. 108. 10) *Rebhahn* Römhild Francus, I. V. D. & prof. Argent. com. pal. cæſar. conſil. principum varior. ICtus celeberr. mort. 1689. *VVitten* diar. biogr. 11) *Zieglerus* Lipſ. I. V. D. prof. Witteb. conſil. elect. ICtus conſummat. mort. 1690. Scripta & elogia in actis erud. Lipſ. copioſe habentur, ut 1688. pag. 223. an. 1693. M. Aug. init. & 1699. menſ. Apr. p. 165. Memoriam illius habet *Ioh. Hen. Bergerus* in orat. de ICtis Wittenb. an. 1703. recitata, it. *im Leben der Staats- und Rechts-Gelehrten* part. 1. n. 20. *H. VVitten* in diar. biogr. part. 2. 12) *Struvius* I. V. D. & prof. prim. Ienenſ. conſil. Sax. intimus, & Haſſo Darmſt. ICtus celeberr. mort. 1692. Lege act. erud. 1693. menſe Jan. quaſi extr. Vita habetur *in Staats-und Rechts-Gelehrten* part. 1. num. 4. 13) *VVeſenbecius* Antwerp. I. V. D. & prof. Ienenſ. Witteb. Altorfinus, conſil. Coburg. m. 1603. *Melch. Adami* in vita patris cognominis inter ICtos Germ. p. 151. *Andreas Beyerus* in catal. rect. Ienenſ. p. 565. 14) *Martinus* ſ. *Mart. Antonius del Rio* Antwerp. ex famil. Hiſpan. natus, ex ſenatore ſupremi conſilii Brabantiæ & fiſci reg. præfecto Ieſuita, theol. D. prof. Duacenſ. Græcenſi, Salamant. mort. 1608. *P. Ribadeneira* & *Phil. Alegambe* bibl. Ieſ. *Franc. Sweertius* Athen. Belg. *Val. Andr. Deſſel* bibl. Belg. 15) *Epiphanius* Barent. Batavus, profeſſ. philoſ. Argent. inde I. V. D. & prof. Altorf. poſt Ingolſtad. tandem conſil. Cæſar. in aula mort. 1609. *Franc. Sweertius* Athen. Belg. *Valent. Andr. Deſſel.* bibl. Belg. *Thuanus* lib. 131. *Ad. Clarmundus* part. 3. n. 2. 16) *Gudelinus* Athenſ. Hanno, advocatus Mechlin. inde I. V. D. & prof. Lovan. ICtus, philoſophus & mathemat. inſignis, mort. 1619. *Fr. Sweertius* Athen. Belg. *Val. Andr. Deſſel.* bibl. Belg. & in faſtis Lovan. *Henn. VVitten* in memor. ICtor. dec. 1. 17) *Bronchorſt* Daventr. I. V. D. prof. Erfurt. inde conſul Daventr. tandem juris prof. Lugd. B. m. 1627. *Fr. Sweertius* Athen. Belg. *Val. Andr. Deſſel.* bibl. Belg Oratio funebris a *Pet. Cunæo* habita legitur in *Hen. VVitten* mem. ICt. dec. 2. Imago & vita in acad. Leidenſi pag. 89. ſeqq. 18) *Schottanus* Leoward. Friſ. ſyndicus in patria, inde I. V. D. prof. Franeq. poſt, Vltrajecti, tandem Lugduni Bat. m. 1682. *Henn. VVitten* in diar. biograph. 19) *Menochius* Ticin. I. V. D. prof. Paravin. inde Ticinenſ. poſt ſenator Mediolan. & conſil. regius, mort. 1607. *H. Ghilinus* theatr. vol. 1. p. 139. *Ant. Riccobonus* lib. 2. de gymn. Patav. *Iac. Phil. Thomaſinus* elog. part. 1. p. 236. *Guid. Pancirollus* de ICtis lib. 2. c. 194. 20) *Gentilis* Anconit. judex Aſculanus, inde prof. juris Oxonii, advoc. perpetuus Hiſpan. nationis in Anglia, mort. 1608. Epitaphium & alia leguntur in G. M. *Konigii* biblioth. Adde *Henn. VVitten* in diar. biogr. *Ad. Clarmundum* part. 6. num. 23. 21) *Farinacius* Romanus, advocatus fiſci in patria, ICtus conſummatiſſimus, mort. 1613. *H. Ghilinus* th. vol. 1. p. 86. *I. N. Erythræi* pinac. 1. *I. P. Tomaſinus* in elog. part. 1. p. 272. 22) *de Paſſeribus* Patavinus, ſpurius, I. V. D. & advocatus, vir corporis & animi dignitate conſpicuus, bibliotheca inſigni & converſatione celebris, ſed mortuus an. 1615. æt. 31. *I. P. Thomaſinus* elog. part. 1. pag. 265. *P. Freherus* part. 2. ſect. 4. 23) *Gentilis* Anconit. *Matthæi* med. filius, *Alberici* frater, qui omnes ob relig. Italiam deſeruere, I. V. D. & prof. Altorfinus, conſil. Noricus, vir celeberr. mort. 1616. Laudatio funebris *Mich. Piccarti* legitur in *H. VVitten* mem. ICt. dec. 1. *G. M. Kőnigius* in biblioth. univ. multis. 24) *Tuſchus* Regienſis, I. V. D. Auditor Rotæ Rom. cardinalis ICtus ſummus, mort. 1620. æt. 90. Ne Papa fieret, *Baronius* impedivit, *Hier. Ghilinus* theatri vol. 1. p. 86. *Iac. Phil. Thomaſinus* elog. part. 1. pag. 321. *P. Freherus* th. part. 1. ſect. 2. 25) *Pacius a Beriga* Vicentinus, prof. log. Heidelb. poſt Sedani, inde jus Nemunſi, Montejuſſ. Valentiæ docuit, conſil. Regis Gall. tandem prof. Patavinus, ultimo iter. Valentiæ, mort. 1635. æt. 85. *Ioh. Phil. Thomaſinus* elog. part. 2. p. 169. *Ioh. Imperialis* muſ. hiſt. p. 181. *P. Freherus* part. 2. ſect. 4. 26) *D. Godofredus* ſ. *Gothofredus* Pariſ. ob perſecut. fugiens, prof. Genevenſis, revocatus ab *Henr. IV.* membrum Parlam. Pariſ. factus, pulſus iterum prof. Argent. & Heidelb. ſummus ICtus & polyhiſtor, mort. 1622. Vita a *Melch. Sebizio* ſcripta in *Henn. VVitten* mem. ICt. dec. 2. legitur, & ex *Matth. Berneggeri*

Faber, 27) *Jacobus Godofredus*, 28) & *Carolus Annibal. Fabrotus.* 29) Ex Hiſpanis præ cæteris claruit *Carolus de Tapia* 30) & inter Anglos *Joh. Seldenus.* 31)

CAP. III.

De medicis.

Medici illuſtriores, qui haud ſegnius reliquis artem ſuam excoluerunt, ſcriptisque ſat copioſis illuſtrarunt, clari extiterunt hoc ſeculo per Germaniam: *Adolphus Occo*, a) *Nicol. Taurellus*, b) *Caſp. Schvvenckfeldius*, c) *Felix Platerus*, d) *Andreas Libavius*, e) *Johann. Ludovicus Havenreuterus*, f) *Ioh. Ieſſenius*, g) *Caſp. Bauhinus*, h) *Melchior Sebizius*, i) *Guil. Fabricius Hildanus*, k) chirurgus celeberrimus, *Gregorius Horſtius*, l) *Daniel Sennertus*, m) *Caſp. Hoffmannus*, n) *Thomas Reineſius*, o) *Ioh. Marcus Marci a Kronland*, p) *Philipp. Iacobus Sachſius a Lövvenheim*, q) *Franc. de la Böe Sylvius*, r) *Guernerus Rolfincius*, s) *Melch. Sebizius*, t) Jun. *Ioh. Ionſtonus*, u) Polonus quidem ortu, ſed habitatione Sileſius, *Val. Henr. Voglerus*, vv) *Georg. Hieronymus Welſchius*, x) *Herm. Conringius*, y) *Iohan. Daniel. Horſtius*,

programm. apud *P. Freberum* part. 2. ſect. 4. 27) *Faber* Sebuſ. Gallus *Baro de Perogres*, ſenatus Sabaud. præſes ſummus ICtus, mort. 1624. Codice Fabriano & aliis notus. *Henn. VVitten* in diar. biogr. 28) *Iac. Gothofredus Dionyſ.* fil. Genevenſis, juris prof. poſt ſenator & ſcholarcha in patria, ICtus ſummus, mort. 1632. Vita cum opuſculis edita, & ex progr. funebri apud *Paul. Freberum* part. 2. ſect. 4. *Henn. VVitten* in diar. biogr. 29) *Fabrotus* Aquæſext. I. V. D. advoc. parlamenti, tum prof. in patria, demum conſil. Parlam. Pariſ. m. 1650. *H. Witten* in diar. biograph. 30) *Tapia* Lanovan. Hiſp. I. V. D. conſil. reg. & cancell. Neapolitanus, mort. 1644. æt. 78. *Henn. Witten* in diar. biogr. 31) *Seldenus* Salvinton Suſſexienſ. ICtus ſummus, hebr. & arab. doctus, polyhiſtor celeberr. parlamentarius Burgenſis & fecialis regius, m. 1654. *Henn. Witten* in diar. biogr. *Iohan. Hallervord.* in bibl. curioſa. *Martin. Kempius* in bibl. Angl. theolog. proœmio p. 24. Lege acta erud. Lipſ. tom. 1. ſupplem. ſect. 8. p. 426.

Cap. II. a) *Occo* Auguſtanus, med. D. & præfectus pharmacop. in patria, antiquarius inſignis, m. 1605. Vita legitur in *Melch. Adami* vitis German. med. & in *Freberi* theatr. part. 3. *Mart. Hanckius* de rer. Rom. ſcript. part. 1. cap. 78. *I. Boiſſardus* icon. part. 4. num. 3. *I. A. van der Linden* de ſcript. med. b) *Taurellus* Montbelgart. med. D. philoſophus celebris, prof. Altorf. mort. 1606. Vita in *Melch. Adami* med. Germ. *P. Freberus* part. 3. *I. A. van der Linden* de ſcript. med. *Paſchal. Gallus* in bibl. med. De Atheiſmo *Taurelli* lege *Unſchuld. Nachrichten* an. 1701. p. 181. c) *Schwenckfeldius* Greiffenb. med. D. & phyſ. Gorlic. m. 1609. *H. Witten* in diar. biogr. *Paſchal. Gallus* & *I. A. van der Linden* de ſcript. med. Vita & laudes extant in *Nic. Henelii* Sileſiograph. cap. 7. pag. 206. d) *Platerus* Baſil. med. D. prof. & practicus in patria, vir curioſiſſimus, m. 1614. *Melch. Adami* in med. Germ. *P. Freberus* part. 3. theatri. *Paſchal. Gallus* bibl. med. *I. A. van der Linden*, *Jac. Burchardi* orat. funebr. *Fel. Platero* ſcripta. Multa de Plateris legenda in *Ioh. Iac. Hofmanni* lex. univerſ. e) *Libavius* Halenſ. Saxo, hiſt. & poeſ. prof. Ien. rector Rotenburg. director gymn. Coburg. primus, med. & phyſ. celeberr. mort. 1616. *Baſil. de Varna* ſe vocat interdum. *Andr. Beyerus* in cat. prof. Ienenſ. *P. Freberus* theatr. part. 3. *I. A. van der Linden* de ſcript. med. fuſe. f) *Havenreuterus* Argent. med. D. ejusque it. metaph. & phyſ. prof. in patria, mort. 1618. *Melch. Adami* in med. Germ. *P. Freberus* part. 3. theatr. *I. A. van der Linden* de ſcript. med. g) *Jeſſenius à Jeſſen*, nob. Hung. M. D. academiæ Prag. cancellarius, orator inſignis, an. 1621. in executione Pragenſi lingua exciſa capite plexus, corpus in partes diſſectum. Lege *Ioh. Amoſ. Comenii* hiſt. Perſ. Boh. c. 74. *Gill. König* in bibl. univerſ. H. *Witten* diar. biogr. *I. A. van der Linden* de ſcript. med. h) *Bauhinus* Baſil. med. D. & prof. in patria, archiat. Würtenb. mort. 1624. Imago habetur in bibl. chalcogr. part. 7. lit. ii. 2. *Paſchal. Gallus* in bibl. med. *I. A. van der Linden* de ſcript. med. i) *Sebizius* Falkenb. Sileſ. e ſtemmate nobili, M. D. poſt multa itinera poliater Hagenoæ, poſt phyſ. & prof. Argentor. celeberrimus, mort. 1625. æt. 86. Vita e progr. funebri legitur in *P. Freberi* theatr. part. 3. Effigies part. 7. bibl. chalcogr. lit. hh habetur. Adde *I. A. van der Linden.* k) *Fabr. Hildanus* à patria dictus, med. & chirurgus celeberr. qui Lauſannæ, Bernæ, Colon. Hadenæ & in patria medicinam fecit, mort. 1634. *P. Freberus* theatr. part. 3. Imago in biblioth. chalcogr. part. 7. lit. ii. Videatur *Lindenius.* l) *Horſtius* Torgenſ. med. D. prof. Witteb. phyſ. Soltquell. prof. Gieſſenſ. archiater Haſſ. tandem med. prim. Ulmenſis, *Æſculapius* Germ. dictus, mort. 1636. Multa de eo in *Henn. Wittenii* memor. med. dec. 1. *P. Freberus* part. 3. Imago part. 7. bibl. chalcogr. lit. kk. *Lindenius.* m) *Sennertus* Wratisl. med. D. prof. Witteb. celeberr. archiater Elect. Sax. mort. 1637. Orat. parent. *Aug. Buchneri* inſerta eſt H. *Witten* mem. med. decadi 1. Adde *P. Freberum* part. 3. Imago ſpectanda bibl. chalcogr. part. 6. lit. i. 4. *Lindenius.* n) *Hoffmannus* Gothanus, med. D. & prof. Altorf. celeberr. per 48. annos, m. 1648. æt. 7. Vita in *Henn. Witten.* mem. med. dec. 1. extr. P. *Freberus* part. 3. Imago in bibl. chalcogr. part. 7. lit. ii. 4. *Lindenius.* o) *Reineſius* Gothan. med. D. prof. Altorf. inde practicus curiæ Variſc. poſt phyſ. & conſul Altenburg. tandem conſil. Saxon. Lipſiæ privatim degens, ſummus polyhiſtor, mort. 1667. Lege vitam in *Henn. Witten* mem. philoſ. dec. 8. n. 8. & in *Ad. Clarmundi* vitis doctiſſ. vir. part. 2. n. 20. *Lindenius* paucis. p) *Marci a Kronland* Landskron. Bohemus, med. D. prof. prim. Pragenſis, conſil. Cæſar. Com. Palat. phyſicus regni Bohem. mathem. & philologus celeberr. m. 1667. Memoriam præceptoris ſui reſtituit, & multis laudat *Iac. Ioh. Wenzesl. Dobržensky de Nigro Ponte* in Orthoſaphia illius edita, imagine præmiſſa Prag. 1681. 4. *Hen. Witten* in diar. biograph. *Lindenius* paucis. q) *Sachs a Lowenheim* Wratisl. M. D. & phyſicus in patria, vir doctiſſ. & celeberr. cui colleg. nat. curioſorum plurima debet, mort. 1673. ætat. 42. Memoria *Sachſiana* poſteris commendata per *Ioh. Dan. Majorem* inſerta eſt ephemer. nat. cur. an. 1673. cum *Cor. Sponii* mauſoleo poetice erecto. *P. Freberus* theatr. part. 3. Scripta refert *Cornel. a Beughem.* in bibliogr. med. r) *de la Boe Sylvius*, Hanovienſ. med. D. practicus in patria, Lugd. & Amſtelod. tandem prof. Lugd. Bat. m. 1672. *Henn. Witten* in diar. biogr. Opera recenſet *Corn. a Beughem* in bibliograph. medica p. 269. & 372. s) *Rolfincius* Hamb. med. D. anatom. chirurg. & botan. prof. Ien. anatomicus celeberr. m. 1673. H. *Witten* in mem. med. dec. 2. P. *Freberus* theatr. part. 3. *Hadr. Beyerus* in catal. rect. Ienenſ. Scripta fuſe recenſet *Corn. a Beughem.* in bibliograph. med. t) *Sebizius* jun. *Melch.* fil. med. D. & prof. prim. Argent. archiatr. reip. præpoſitus Thomanus &c. m. 1674. æt. 95. profeſſ. 61. *P. Freberus* part. 3. *Henn. VVitten* in diar. biogr. *Beughemius* ſcripta patris & filii confundit. u) *Jonſtonius* e famil. Scotica Leſnæ in Pol. natus, ubi & medicinam fecit, tum in prædio ſuo Zibingen duc. Lignic. vixit, polyhiſtor & polygraphus inſignis, m. 1605. Elogia illius copioſiſſ. ſub titulo: *Illuſtris Ionſtonii memoria*, expreſſa. Scripta *Corn. a Beughem* recenſet bibl. med. w) *Voglerus* Helmſt. med. D. & prof. Helmeſt. medicus & philol. celeberr. mort. 1677. Vita legitur in *Freberi* theatr. part. 3. Adde H. *VVitten* in diar. biogr. & *Clarmund.* part. 6. vitar. n. 19. x) *VVelſchius* Auguſtanus, med. D & phyſicus in patria, polyglottus incomparabilis, illuſtre membrum collegii nat. cur. m. 1677. Memoriam illius *Luc. Schröckius* ſcripſit, unde excerpta habet P. *Freberus* part. 3. Lege & *Dan. G. Morhoſium* polyh. lib. 1. c. 6. extr. y) *Con-*

ſtius, 2) *Johann. Joach. Becherus*, 1) *Johann. Sigism. Elsholt*, 2) *Joh. Mich. Febrius*, 3) *Joh. Jac. Waldſchmidius*, 4) *Joh. Dan. Major*, 5) *Johann. Georg. Volckhammerus*, 6) & *Henr. Meibomius*. 7) Ex Belgis illuſtrium medicorum nomen meruerunt: *Joh. Heurnius* 8) *Carolus Cluſius*, 9) *Petr. Caſtellanus*, 10) *Johann. Bapt. Helmontius*, 11) ſingularibus principiis in re medica, aliisque eruditionis partibus notus, *Joh. Ant. Lindenius*, 12) *Anton. Deuſingius*, 13) *Henricus Regius*, 14) *Cornel. Bontekoe*, 15) & *Theod. Craanen*. 16) Inter Danos eodem nomine celebres extitere: *Caſpar. Bartholinus*, 17) *Olaus Wormius*, 18) *Johann. Rhodius*, 19) *Thom. Bartholinus*, 20) & *Olaus Borrichius*. 21) Italia celebres medicos vidit: *Andr. Caſalpinum*, 22) *Horat. Augenium a Monte Sancto*, 23) *Hieron. Mercurialem*, 24) *Vlyſſem Aldrovandum*,

ringius Norda-Friſius, ubique notus, med. & polyhiſtor incomparabilis, profeſſ. phyſ. poſt medic. & polit. Helmſtad. conſil. Suevicus, Brunſvic. &c. mort. 1682. Vita a *Caſp. Corbero* accurate deſcripta epiſtolis præmiſſa. Adde *Clarmund.* part. 5. num. 13. item *Conringiana* epiſtolica per *Chriſtoph. Henr. Ritmeierum* publicata. 2) *Horſtius* Gieſſenſ. med. D. prof. Marpurg. & Gieſſenſ. archiater Darmſt. tandem phyſicus Francof. mort. 1685. *Henn. VVitten* in diar. biogr. Opera recenſet *Corn. a Beughem* in bibliograph. med. 1) *Becherus* Spirenſ. med. D. prof. & archiater Mogunt. inde Bavaricus conſil. Cæſ. cameræ & commerciorum; ſed gratia excedens, in Belgio & Anglia vixit, mort. Londin. 1685. Phyſicus, chymicus & politicus ſingularis. Lege act. erud. 1683. p. 361. & an. 1690. p. 84. Vita fuſiſſ. expoſita eſt *in Hiſt. Schauplatz berühmter Staats- und Rechts-Gelehrten* part. 1. num. 25. it. præmiſſa novæ editioni *der närriſchen VVeisheit und klugen Narrheit.* 2) *Elsholt* Berolin. med. D. archiater Brandenburg. cujus crebra in ephemer. nat. curioſ. mentio, mort. 1688. *Henn. VVitten* in diar. biogr. Opera *Corn. a Beughem* recenſet bibl. med. 3) *Febrius* Kizing. Francus, med. D. conſul prætor & phyſ. Svinfurtenſ. archiater Cæſar. præſes academ. nat. curioſ. mort. 1688. Memoria illius a *Mich. Frid. Lachnero* deſcripta legitur in append. an. 8. decuriæ 2. ephemerid. natur. cur. Scripta refert *Beughem* loc. cit. 4) *VValdſchmid.* Rotheim Wetteran. medic. doct. prof. prim. Marpurg. arch. Haſſicus acad. curioſ. celebris, mort. 1689. Lege act. erud. 1690. p. 588. *H. VVitten* in diar. biogr. In ephemer. nat. cur. dec. 3. an. 1. in catal. collegarum dicitur obiiſſe 1686. Scripta *Beughem* recenſet. 5) *Major* Wratislav. *Eliæ* fil. med. D. & profeſſ. Kilon. vir curioſiſſimus, mort. in Suecia 1693. Memoriam illius per *VVilh. Huldr. VValdſchmid* ſcripta legitur in append. ad an. 5. & 6. dec. 3. ephemer. nat. cur. Scripta multa recenſet *Corn. a Beughem* in bibl. med. 6) *Volckhammerus* Norinb. med. D. archiater Cæſar. com. palat. præſes academiæ nat. cur. mort. 1693. Oratio in laudem ejus a *Georg. Caſp. Kirchmeiero* Witteb. habita legitur in app. ad an. 2. dec. 3. ephemer. nat. cur. Opera *Corn. a Beughem* habet. 7) *Meibomius* Helmſt. profeſſ. med. pract. per 40. hiſtor. & poëſ. per 22. annos, polyhiſtor celeberr. mort. 1700. Lege act. erud. 1700. menſe Jun. quaſi extr. *Ad. Clarmund.* P. 6. num. 16. Lege multa in *Io. Georg. Eccardi monatlichen Auszügen* 1700. p. 158. ſeqq. 8) *Heurnius* Ultraj. med. D. ſenator in patria, poſt prof. med. primar. Lugd. B. m. 1601. *Melch. Adami* in vit. Germ. med. *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Val. Andr. Deſſel.* biblioth. Belg. *Ioh. Meurſius* Athen. Bat. Imago in bibl. chalcogr. part. 6. lit. c. it. cum vita, operibus &c. fuſe in *Acad. Leidenſi* pag. 125. Adde *P. Freber.* theatri P. 3. 9) *Cluſius* Atrebas, *Thom. Rhedigeri* in ampliſſ. itineribus ſocius, inde Viennæ horti Cæſ. præfectus, tandem profeſſ. med. Lugd. B. mort. 1609. *Melch. Adami* in med. Germ. *Hier. Ghilinus* theatri vol. 2. *Fr. Swertius* & *Val. Andr. Deſſel.* *I. I. Boiſſardus* icon. P. 2. init. *Academ. Leidenſ.* pag. 149. *Eberh. Forſtii* orat. funebrem habet *Hen. VVitten* in mem. med. init. 10) *Petr. Caſtellanus* Gerhardimont. Flander. med. D. & prof. it. Græc. linguæ Lovan. vitis medicorum & aliis celebris, mort. 1632. *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Val. Ant. Deſſel.* bibl. Belg & in faſtis. Lovan. *Ph. Labbe* in bibl. biblioth. *I. Ant. van der Linden* de ſcript. med. 11) *Helmontius* Bruxell. nobilis, toparcha in Rogenbrok. &c. Hermeticæ medicinæ deditus, hoſtis Ariſtotelis & Galeni infenſiſſimus, mort. 1644. Vitam *Franc. Mercurius Helmont.* ſcripſit, unde excerpta habet *P. Freberus* in theatr. P. 3. Ipſa vita legitur in *Henn. VVitten* memor. med. dec. 1. *Fr. Swertius* & *Val. Andr. Deſſel.* paucis. Multis de eo agit *Herm. Conringius* de Hermet. medicina. Opera prolixe recenſet *Corn. a Beughem.* 12) *Lindenius* Enkhuſanus, med. D. profeſſ. & pract. Ultraj. poſt Lugd. B. mort. 1664. Scripta ſua ipſe recenſet, it. *Corn. a Beughem.* in bibliogr. med. Orat. funebrem a *Io. Coccejo* habitam inſeruit cum elogiis *Hen. VVitten* memor. med. dec. 2. 13) *Deuſingius* Meurſenſ. medic. D. practicus in patria, poſt phyſ. matheſ. & med. prof. Harderwicienſ. poſt Groningenſis, mort. 1666. Ex vitis profeſſ. Groningenſ. excerpta habet *P. Freberus* theatri part. 3. Scripta habent *I. A. van der Linden* & *Corn. a Beughem.* 14) *Regius ſ. de Roy* Ultraject. med. D. & in patria med. profeſſor, philoſophus Carteſianus, mort. 1679. æt. 81. *Hen. VVitten* in diar. biogr. Imago philoſophiæ natur. præmiſſa eſt. Scripta *Lindenius* & *Beughemius* recenſent. 15) *Bontekoe* Alcmarienſ. med. D. practicus in patria & Hamburgi, inde archiater Brand. & prof. Francof. infelici per ſcalam lapſu mortuus initio anni 1685. Lege acta erud. an. 1683. pag. 354. ſeqq. & an. 1688. pag. 487. & 1689. p. 539. *Hen. VVitten.* diar. biogr. 16) *Craanen* Teutoburg. D. med. & prof. Lugd. B. celeberrimus, tandem archiater & conſil. Brandenb. mort. 1688. *H. Witten* diar. biogr. part. 1. extr. Vide act. erud. 1689. menſ. Octobr. 17) *Bartholinus* Malmog. Scanus med. D. poſt ingentia itinera per totam fere Europam Hafn. profeſſ. linguæ lat. & medic. tandem S. theol. D. & profeſſ. canon. Rotſchild. mort. Soræ 1629. Vita per *Caſp. Er. Brochmand.* deſcripta legitur in *Hen. Witten* memor. medic. dec. 1. Adde *Eraſm. Vindingium* in catal. rect. Hafn. *Alb. Bartholinum* fil. de ſcriptis Danorum, præcipue hypomnemata *Ioh. Molleri*, *Paul. Freber.* theatr. part. 3. Scripta a *Lindenio* & *Beughemio* referuntur. 18) *VVormius* Arhuſ. Jutlandus med. D. poſt varia itinera prof. lit. human. Gr. lingu. phyſic. tandem medicinæ Hafn. philologus & phyſicus inſignis, mort. 1654. Orat. funebris a *Thom. Bartholino* dicta legitur in *Hen. VVitten* mem. med. dec. 2. Adde *Eraſm. Vindingium* l. c. *Freber.* P. 3. theatr. *Alb. Bartholin.* de ſcr. Danor. cum hypomnem. *Ioh. Molleri*, *Adolph. Glarmund.* P. 2. num. 16. 19) *Rhodius* Hafn. med. D. polyhiſtor admirabilis, claudicatem ingenio compenſans. Patavii in otio literario vixit, profeſſiones recuſans. Autor librorum *Iac. Phil. Thomaſini* perhibetur, mort. 1658. Lege *Alb. Bartholin.* de ſcript. Dan. cum hypomnem. *Molleri.* Scripta *Io. Hallervord* in bibl. curioſa, *Lindenius* & *Corn. Beughem.* referunt. Imaginem *Rhodii* *Thom. Bartholinus* diſſ. de Acia præmiſit. 20) *Th. Bartholinus* Hafn. *Caſp.* fil. med. D. & poſt itinera varia prof. Regius Hafn. *Ol. VVormii* ſucceſſ. vir celeberr. mort. 1665. *Er. Vindingius* in rect. Hafn. *Alb. Bartholin.* cum hypomn. *Molleri*, *P. Freberus* P. 3. theatr. Imago videnda bibl. chalcogr. P. 9. lit. k. 3. Scripta apud *Linden.* & *Beughem.* videnda. 21) *Borrichius* Borchenſis Cimber. med. D. poſt 6. ann. iter prof. philologiæ, chymiæ, botan. Hafn. archiater Regius, aſſeſſor tribunal. conſiſtorii & cancell. Regiæ, polyhiſtor conſummatiſſ. m. 1690. cælebs. Lege *Alb. Barthol.* & *Ioh. Moller.* de ſcript. Danorum, *Guil. Ern. Tenzel*, in colloqu. menſtr. 1694. Novembr. p. 940. ſeqq. Acta erud. 1694. p. 32. & 1697. p. 179. ubi vita recenſetur, quam etiam habet *Adolph. Clarmund.* P. 5. n. 9. 22) *Caſalpinus* Aretinus, med. D. prof. Piſanus, archiater *Clem.* VIII. Peripateticus inſignis, *Taurelli* adverſarius, m. Romæ 1603. æt. 84. *Thuanus* lib. 129. *Paul. Freberus* P. 3. Opera *Lindenius* & *Beughem.* recenſent. Adde *Io. Hallervord.* in bibl. cur. additam. 23) *Augenius de Monte S.* Italus a patria dictus, med. D. prof. logic. Maceratæ, inde prof. med. Romæ, Ticini, Patav. mort. 1603. *Iac. Phil. Tomaſinus* elog. part. 1. num. 214. *Petrus Caſtellanus* in vitis med. pag. 245. *Freberus* P. 3. theatr. Scripta fuſe recenſet *Ioh. Ant. van der Linden.* 24) *Mercurialis* Foroliv. medic. doct. & prof. prim. Patavii, Bononiæ, Piſis; in patria mort. 1604. philoſoph. & antiquarius celeberrimus. *Hier. Ghilinus* theatr. vol. 1. pag. 236. qui an. 1596. mortuum dicit. *Ant. Riccobonus* de gymn. Patavino l. 2. c. 30. *I. Phil. Tomaſinus* elog. P. 1. p. 146. ſqq. *Petrus Caſtellanus* in vit. med. p. 251.

dum, 25) *Proſper. Albinum*, 26) *Hier. Fabricium ab Aquapendente*, 27) & *Ludov. Septalium*. 28) Gallia præ cæteris *Joh. Riolanum*, 29) *Jacob. Sponium*, 30) & *Carolum Patinum*, 31) laudavit. Anglia *Rob. Flu-dium*, 32) miri ingenii medicum, & *Guil. Harvaum*; 33) Luſitania *Steph. Roder. de Caſtro* 34) celebriores medicos exhibuerunt.

CAP. V.

De hiſtoricis, philologis, oratoribus & poëtis.

Prout hoc ſeculum in omnibus ſcientiarum generibus uberrimo eruditorum proventu felix fuit, ita præcipue magnam hiſtoricorum & philologorum tulit copiam. Præ cæteris nominandus videtur eruditi magis, quam Regis nomine gaudens JACOBVS I. a) Magnæ Britanniæ Rex, qui ſcriptis haud paucis editis æternitatem nominis quæſivit; cui ad latus poni meretur AVGVSTVS, Brunſuicenſium & Luneburgenſium Dux, b) tam bibliotheca Guelpherbytana propria manu collecta & ordinata, quam ſcriptis *Guſtavi Seleni* nomine publicatis erudito orbi notiſſimus.

Hiſtoricis ſcriptis aut paratis, aut editis inter Germanos celebre præ cæteris nomen meruerunt: *Cyriacus Spangenbergius*, c) *Matthæus Dreſſerus*, d) *Johann. Piſtorius Nidanus*, e) *Pantaleon Candidus*. f) *Nicol. Serrarius*, g) *Elias Reuſnerus*, h) *Marquardus Freberus*, i) *Marcus Velſerus*, k) *Sethus Calviſius*, l) chronologus accuratus, *Hier. Megiſerus*, m) *Melch. Adami*, n) *Philip. Cluverus*, o) *Henr. Meibomius*, p) *Melch. Goldaſtus ab Heiminsfeld*, q) *Iacobus Schickfuſius*, r) *Chriſtoph. Adamus Rupertus*, s) *Everh. Waſſen-*

Paſchal. Gallus in bibl. med. *I. Nic. Erythræus* pinac. 1. pag. 149. *P. Freberus* theatr. P. 3. *Boiſſard.* icon. P. 3. num. 23. *Clarmundus* P. 8. n. 8. 25) *Aldrobandus* Bonon. med. D. prof. Bonon. incomparabilis, Muſeo inſtructiſſ. & ſcriptis celeberr. mort. 1605. *Ioh. Ant. Bumaldus* in bibl. Bonon. *Io. Imperial.* Muſ. hiſtor. p. 144. *Paul. Freberus* theatr. part. 3. Imago in bibl. chalcogr. P. 7. lit. gg. 4. Opera *Io. Hallerford.* in bibl. cur. & *I. A. van der Linden* referunt. 26) *Alpinus* Maroſticæ in agro Vicent. natus, med. D. poſt triennium in Ægypto exactum practicus Genuenſ. inde profeſſ. & horti med. præfectus Patavii, ſurdus mort. 1616. *Iac. Phil. Tomaſinus* elog. P. 2. p. 301. *P. Freberus* theatr. P. 3. Scripta multis refert *I. A. van der Linden.* 27) *Fabricius*, a patria dictus *ab Aqua pendente*, *Gabr. Fallopii* diſcip. & ſucceſſor in prof. chirurgiæ Patavii, it. anatomiæ, fundator theatri anat. mort. 1619. ætat. 82. *H. Ghilinus* th. vol. 1. p. 226. *Ioh. Phil. Tomaſinus* elog. P. 1. p. 313. *Io. Thuilii* orat. funebr. legitur in *Hen. VVitten* mem. med. decade 1. *Pet. Caſtellanus* in vit. med. p. 242. *P. Freberus* P. 3. Opera fuſe refert *I. A. van der Linden.* 28) *Septalius* Mediol. medic. doct. & prof. Ticin. tandem proto-phyſicus in patria, vir corporis & animi dotibus inſignis, m. 1633. *H. Ghilinus* theatr. vol. 1. p. 290. fuſe. *Io. Imperial.* Muſ. hiſt. p. 189. *P. Freberus* th. P. 3. Opera *Lindenius* recenſet, it. *Io. Hallerford.* in bibl. cur. 29) *Riolanus* Pariſ. medici ejusdem nominis an. 1609. mort. filius, med. D. & primar. prof. Pariſ. mort. 1657. Patris & filii laudes & opera refert *Io. Ant. van der Linden* fuſe; Filii *Corn. Beughem.* in bibl. med. *Hen. VVitten* in diar. biograph. 30) *Sponius* Lugdun. *Caroli* medici celeberr. fil. itinere per Græciam, multisque ſcriptis celebris, ſoc. collegii medici Lugdun. poſt reditum, mort. 1685. æt. 38. *Henn. VVitten* in diar. biogr. Vide acta erud. paſſim, præcipue ann. 1683. Sept. init. 1684. Majo 1685. Aug. 31) *Patinus* Pariſ. *Guidonis*, med. celeberr. filius, medicus Pariſienſis, inde poſt fugam Argentorat. demum Patavinus profeſſ. celeberrimus, magnus antiquarius, m. 1694. Filiabus eruditiſſ. *Gabriel. Carola* & *Carola Catharina* relictis. Cauſam exilii refert pater in epiſt. 162. Vide acta erudit. paſſim. 32) *Fludd. a Fluctibus* Cantianus, nob. Anglus, med. D. Oxon Armiger Regis, altiora ſemper & ſingularia ſpirans, Hermeticus, fratrum Roſeæ crucis defenſor, mort. 1637. *P. Freberus* theatri part. 3. Imago extat in bibl. chalcograph. lit. Rr. 4. *Hen. VVitten* in diar. biogr. *Io. Ant. van der Linden* de ſcr. med. *Corn. Beughem* pauca. 33) *Harveus* Folkſton. Anglus, med. doct. ſocius & conſil. medic. Londinenſis, archiater Regius anat. & chirurg. prof. mort. 1657. æt. 80. Phyſicus & medic. celeberr. circulationis ſanguinis inventor. *H. VVitten* in diar. biogr. *Io. Ant. van der Linden* de ſcript. medic. *Cornel. a Beughem* in bibliogr. med. 34) *de Caſtro* Ulyſſippon. med. D. & profeſſ. Piſanus, mort. 1637. *Hen. VVitten* in diar. biogr. *Io. Ant. van der Linden*, & *Corn. a Beughem* ſcripta recenſent.

Cap. V. a) *Jacobus I.* Magnæ Britanniæ Rex primus doctiſſimus, mort. 1625. Opera Regia *Jacob. Montacutius* collecta Lond. 1619. f. edidit. Lege illius hiſtoriam a *Rob. Jonſtono*, *Mr. de Larrey* & aliis deſcriptam. Laus in *Iſ. Caſauboni* epiſt. 599. & *Th. Roſa* idea ſ. narratione de *Jacobi* Regis virtutibus habetur. b) *Auguſtus* Dux Brunſv. & Luneb. eruditiſſ. bibliothecæ Guelpherb. collector diligentiſſ. m. 1666. æt. 88. Sub *Guſtavi Seleni* nomine quædam publicavit. Lege *Joach. Hildebrandi* Auguſta Cæſaris Auguſti & Auguſti Brunſvic. it. *Herm. Conringii* epiſtolam ad *Io. Chriſt. Lib. a Boineburg* de bibliotheca Auguſta, & ejusdem epiſtolam gratulat. natalis 88. *Auguſti* Ducis &c. c) *Spangenbergius* ſupra ſec. XVI. cap. 5. deſcriptus. d) *Dreſſerus* Erfurt. prof. Gr. lingu. in patria, tum eloqu. & hiſt. Jenenſ. tandem profeſſ. Lipſ. & hiſtoriogr. Saxon. m. 1607. *Melch. Adami* in vitis philoſ. Germ. *P. Freberus* P. 4. theatri. *Adr. Bayerus* in catal. rect. Jenenſ. *Ad. Clarmundus* vit. clariſſ. vir. P. 7. n. 12. e) *Piſtorius* Niddanus Haſſus, med. doct. archiater Badenſis, inde ad Romana ſacra tranſiens canon. Conſtant. & Wratisl. *Rudolphi II.* confeſſ. hoſtis Lutheri infenſiſſimus, hiſtoricorum collector diligens, mort. 1607. *P. Freberus* theatr. P. 1. ſect. 3. *Hen. VVitten* in diar. biogr. f) *Candidus*, *Weis*, Pezenkirch. Auſtr. ſcholæ rect. inde paſtor & inſpect. eccleſiæ Bipontinæ, Crypto-Calvinianus, m. 1608. *Melch. Adami* in vit. theol. Germ. *P. Freberus* theatr. P. 1. ſect. 3. g) *Serrarius* ſupra viſus cap. 1. inter Rom. eccleſ. ſcript. h) *El. Reuſnerus*, *Nicol.* frater, Leorinus Sil. med. licent. hiſt. & poëſ. prof. Jen. m. 1612. *Adr. Bayerus* in catal. rect. Jenenſ. Parentatio a *Ioh. Gryphiandro* carm. her. ſcripta legitur in *Henning. VVittenii* memor. philoſ. dec. 1. i) *Freberus* ſupra ſec. XVI. cap. 5. deſcriptus, mort. 1614. k) *Velſerus* patritius Auguſt. JCtus & polyhiſtor celeberr. ſenator, conſul & duumvir in patria, literatorum patronus, mort. 1614. *Melch. Adami* in JCt. Germ. *P. Freberus* P. 2. ſect. 4. theatri. Lege & *Jani Gruteri* præf. ad opus inſcriptionum. l) *Calviſius* Gorſchleb. Thuringus, cantor Portenſis, poſt Lipſienſis & collega Thomanus, muſicus, mathemat. hiſtor. philologus maximus, mort. 1615. *Th. Spizelius* in templo hon. num. 41. *Paul. Freberus* part. 4. Imago videnda quoque in bibl. chalcogr. part. 7. lit. mm. 3. m) *Megiſerus* Stutgard. com. palat. Cæſar. Archiducum & ordin. Auſtriæ hiſtoriographus, Lipſ. & Linzii vixit & obiit 1616. *Mart. Zeilerus* P. 2. de hiſt. *Henn. VVitten* in diar. biogr. n) *Adami* Grotkav. Sileſ. rector pædagogii illuſtr. Heidelb. Vitarum ſcriptor diligentiſſ. reformatis tamen ſuis addictus, m. 1622. *Phil. Labbeus* in bibl. bibliothecarum, *Val. Henr. Voglerus* in introd. cap. 23. adde *Joh. Jonſii* de hiſt. philoſ. ſcriptoribus cum acceſſ. *Iohann. Chriſtoph. Dornii* lib. 3. cap. 27. §. 2. o) *Cluverus* Dantiſc. geographorum recent. ævi princeps, poſt multa itinera Lugdun. Bat. publ. ſtipendio ſuſtentatus, mort. 1623. ætat. 43. Vita legitur in *Mart. Hankii* ſcript. rer. Rom. part. 1. cap. 74. in *Io. Meurſii* Athen. Bat. *P. Freberi* theatr. part. 4. *Andr. Charitii* de viris erud. Gedani ortis num. 11. *Ad. Clarmund.* part. 2. num. 9. p) *Meibomius* Lemgoj. Weſtph. profeſſ. hiſt. & poëſ. Helmſt. philoſ. hiſtor. & poëta celeberr. mort. 1625. ætat. 70. *I. P. Lotich.* bibl. poët. part. 3. *P. Freberus* theatr. part. 4. *Ad. Clarmund.* part. 3. num. 7. q) *Goldaſtus ab Haiminsfeld* Helvet. conſil. Holſato-Schaumburg. inde Saxo-Vinar. ad comitia Norinberg. delegatus, JCtus, hiſtor. imo polyhiſtor ſummus, mort. 1635. *Mart. Zeilerus* de hiſtor. part. 2. & 3. *Henn. VVitten* in diar. biogr. r) *Schickfuſius* Suibuſ. J. V. D.

Waſſenbergius, t) *Ioh. Petrus Lotichius,* u) *Adolph. Brachelius,* w) *Iohann. Freinsbemius,* x) *Martin. Zeilerus,* y) *Iohann. Aldzreiterus,* z) *Iohann. Conr. Dietericus,* 1) *Georg. Hornius,* 2) *Georg. Crugerius,* 3) *Ioh. Henr. Bœclerus,* 4) *Ioh. Andr. Boſius,* 5) *Ioh. Loccenius,* 6) *Cyriacus Lentulus,* 7) *Iohann Schefferus,* 8) *Petrus Lambecius,* 9) *Sigism. Betulius,* 10) *Ioach. Paſtorius,* 11) *Chriſtoph. Hartknochius,* 12) *Bohuslaus Balbinus,* 13) *Vitus Ludov. Seckendorffius,* 14) *Caſp. Sagittarius,* 15) & *Sam. Puſendorffius.* 16) Eadem laude celebres Belgæ fuerunt; *Steph. Vinandus Pighius,* 17) *Paulus Merula,* 18) *Emanuel Meteranus,* 19) *Dominicus Baudius,* 20) *Chriſtoph. Brovverus,* 21) *Lambertus van der Burch,* 22) *Vbbo Emmius,* 23) *Pet.*

ſecret. academ Francof. inde rector gymn. Bregenſ. Ducis Lign. ſecret. tandem conſil. Cæſar. & fiſci Regii per utr. Sileſiam advocatus, mort. 1636. *I Chr. Becmannus* in proleg. ad bibliothec. Francof. *Frid. Luca* in chron. Sileſ. pag. 555. ſeq. & alibi paſſim. *Henning. VVitten* in diar. biogr. s) *Rupertus* Altorf. profeſſ. hiſtor. in patria, hiſtoricus, orator, & poëta inſignis, mort. 1647. ætat. 37. Vita in parent. a *Io Mart. Brendelio* habita legitur in *Hen. VVitten* memor. phil. dec. 4. extr. Lege & *G. M. Kœnig* in bibl. univerſ. t) *Waſſenbergius* Embric. Clivius, Vladiſl. IV. Pol. Regis hiſtoriographus, Floro Germ. & aliis non incelebris, ſed odio in Proteſtantes plenus, mort. poſt ann. 1640. u) *Lotichius* Hanovienſ. med. D. phyſ. Francof. Rintel. & Marpurg. Francof. reverſus mort. 1652. hiſtoricus & poeta inſignis. *Hen. Witten* in diar. biogr. w) *Brachelius* Colon. eruditione & ſcriptis latinus, profeſſione & voto ſacerdos, dicit *Chr. Ad. Thuldenus* in præf. ad continuationem hiſt. belli tricennalis, mort. 1652. *Hen. Witten* in diar. biogr. x) *Freinsbemius* Ulmenſ. *Matth. Berneggeri* gener, eloqu. & polit. prof. Upſal. bibliothec. & hiſtoriogr. Chriſtinæ Reg. reverſus conſil. Palat. & prof. honor. Heidelb. mort. 1660. Lege *Abrah. Freinsbemii* laudation. apud *Witten* mem. philoſ. dec. 7. *Mart. Hankium* de R. Rom. ſcript. part. 1. extr. *P. Freber.* part. 4. theatri. *Ad. Clarmund.* part. 2. num. 23. y) *Zeilerus* Styrienſ. multa itinera, ut ephorus illuſtrium ſuſcepit, tandem Ulmæ conſedit; gymnaſii ephorus & viſitator, polyhiſtor & polygraphus inſignis, mort. 1661. æt. 73. Ipſe part. 3. de hiſtor. opera ſua recenſet. Vita e concione funebri legitur apud *Freber.* theatr. part. 4. *Hen. Witten* mem. phil. dec. 8. init. z) *Adlzreiter* a *Tettenweis* ICtus & in aula Bavar. arcani conſil. cancellarius, hiſtoricus diligens, mort. poſt an. 1661. Lege de eo diſſerentem *God. Guil. Leibnizium* in præfat. ad novam editionem annalium illius Franc. 1710. f. 1) *Dietericus* Berzbac. Wetteran. prof. ling. Gr. & hiſt. Marpurg. tandem prof. Giſſenſis, mort. 1669. Vita ex orat. funebri extat in *Freberi* theatr. part. 4. Lege *M. Hankium* de R. Rom. ſcr. part. 2. cap. 50. & *Hen. Witten* mem. phil. dec. 8. 2) *Hornius* Palatinus medicus, hiſt. & polit. prof. Heidelb. poſt Lugdunenſis, ſub *Honorii Reggii* nomine interdum latet, mort. 1670. Lege *Vinc. Placcium* de pſeudon. §. 497. *Hen. Witten* in diar. biogr. Adde *Joh. Jonſii* de ſcript. hiſt. phil. librum a *Dornio* contin. l. 3. cap. 28. §. 10. 3) *Crugerius* Pragenſ. S. I. prof. lit. human. & concionator, ob ſacros pulveres regni Bohem. editos celebris, mort. 1671. *Nath. Sothwell.* bibl. Jeſ. *Henn. Witten* diar. biograph. 4) *Bœclerus* Heilbrunn. Francus, prof. eloqu. Argent. inde Upſalienſ. hiſtoriogr. *Chriſtinæ* Reg. redux prof. hiſtor. Argent. conſil. Cæſar. polyhiſtor ſummus, mort. 1672. Vita ex programm. fun. legitur in *Henn.* VV*itten* mem. phil. dec. 9. *Ad. Clarmund.* part. 2. num. 28. 5) *Boſius* Lipſ. prof. hiſt. Jenenſ. polyhiſtor celeberr. mort. 1674. æt. 48. Vita ex progr. fun. legitur in *Hen.* VV*itten* mem. phil. dec. 9. it. in *P. Freberi* theatr. part. 4. paulo ante finem. *Hadr. Bayer.* in catal. rect. Jen. *Ad. Clarmund.* part. 2. num. 26. 6) *Loccenius* ſupra cap. 3. inter ICtos deſcriptus. 7) *Lentulus* Elbing. poſt multa itinera prof. polit. Herborn. inde Gr. ling. poeſ. & hiſt. eccl. Marpurg. antiquarius & poeta, mort. 1678. *Henn.* VV*itten.* in diar. biogr. app. partis 1. extr. 8) *Schefferus* Argent. prof. jur. nat. & gent. it. eloqu. & polit. Vpſal. bibliothec. & aſſeſſor collegii antiquit. polyhiſtor magnus, mort. 1679. *Io. Hallervord.* in bibl. curioſa, H. VV*itten* in diar. biogr. 9) *Lambecius* Hamb. I. V. D. prof. hiſt. in patria, inde religione mutata conſil. hiſtoriographus & biblioth. Cæſar. mort. 1679. Opera edita & promiſſa fuſiſſ. exhibentur in proleg. ad illius origines Hamburg. a *I. A. Fabricio* editas. Adde *Fabric.* in memor. Hamburg. pag. 1075. Multa de eo in *Jac. Frid. Reimmanni* recenſione bibl. Vindobon. 10) *Betulius* ſ. *von Bircken* Wildenſtein. Bohemus, ICtus, com. pal. Cæſ. conſil. Noricus, mort. 1681. *Hen.* VV*itten* in diar. biogr. Multa de eo *Chriſtoph. Hendreich* in pandect. Brandenburg. 11) *Paſtorius* ab *Hertenberg* Glogov. med D. prof. Elbing. poſt Danticanus: Religione mutata Regis Pol. ſecret. & hiſtoriographus, proto-notar. apoſtol. canon. Chelmenſ. it. Warmienſ. tandem parochus & officialis Gedan. mort. 1681. Lege de eo *des gelehrten Preuſſens 1. Theil 2. Bogen* pag. 26. *Hen. Witten* diar. biogr. *Chriſt. Sandius* in bibl. Antitrin. pag. 149. 12) *Hartknochius* Paſſenheim Pruſſus, prof. hiſtor. Thorun. vir doctiſſ. & diligentiſſ. mort. cælebs 1687. æt. 43. Vita & ſcripta referuntur *im gelehrten Preuſſen 1. Theil, 3. Bogen* pag. 38. ſeqq. *Henn.* VV*itten* in diar. biogr. 13) *Balbinus* Reginogradec. Bohem. S I. rhetor. prof. Prag. hiſtoricus rerum Bohem. diligentiſſ. mort. 1689. *Hen. Witten* diar. biogr. part. 2. *Alegambe* in bibl. Jeſuit. 14) *Seckendorffius* eques Francus, conſil. intimus Gothanus, poſt electoral. demum Brandenb. politicus pius & doctus, hiſtoricus celeberr. mort. Halæ 1692. Vita legitur in *Caſp. Sagittarii* hiſt. Gothana cap. 16. it. *im Leben der Staats- und Rechts-Gelehrten* part. 1. num. 7. 15) *Sagittarius* Thuringus, theol. doct. hiſtor. prof. Jenenſ. hiſtoriographus Saxon. mort. 1692. Multa de eo in actis erud. paſſim. Vitam & omnia refert *Io. Henr. von Seelen* in Athenarum Lubec. part. 2. ſect. 1. pag. 231. ſeqq. 16) *Puſendorfius* ultimo L. B. a Puſendorff, Chemnic. Miſhicus, conſil. Suecicus, poſt conſil. intimus & hiſtoriogr. Brandenb. mort. 1694. Lege act. erud. 1694. in fine Novembr. Multa *im allgemeinen hiſtoriſchen Lexico.* 17) *Pighius* Campenſis, poſt iter Ital. 8. annorum card. *Granvellano* ab epiſtolis & bibliotheca erat, tum *Carolo* Cliviæ duci ſtudiorum & itineris moderator, infelici exitu, demum canon. Sanctenſis in Clivia, antiquarius maximus, mort 1604. æt. 84. *Aub. Miræus* elog. Belg. claſſe 9. *Franc. Swertius* Athen. Belg. *Val. And. Deſſel* bibl. Belg. *Mart. Hankius* de R. Rom. ſcript. part. 1. cap. 77. 18) *Merula* Dordrac. prof. hiſtor. Lugd. B. *Lipſii* ſucceſſor, academiæ biblioth. mort. Roſtochii 1607. *Io. Kirchmanni* orat. in funere legitur in *H. Witten* memor. phil. dec. 5. init. *Franc. Swertius* Athen. Belg. *Val. Andr. Deſſel.* bibl Belg. Imago & vita in academ. Leidenſi pag. 190. habentur it in *Io. Meurſii* Athen. Batavis. Adde *P. Freberum* part. 4. theatr. *Ad. Clarmundum* part. 7. num. 11. 19) *Meteranus* ſ. *a Mettern,* a quibusdam *Demetrius* dictus, Antwerp. mercator eruditus, patria ob relig. relicta Londini vixit, conſul. nationis Belgicæ & hiſtoricus, mort. 1612. æt. 77. *Fr. Swertius* in Athen. Belg. *Val. Andr. Deſſel* bibl. Belg. *Mart. Zeilerus* de hiſt. part. 2. *P. Freberus* part. 4. theatri. Lege & præfat. *Caſp. Ens* contin. hiſtoriæ Belg. 20) *Baudius* Inſul. Flander. I. V. D. poeta & hiſtor. doctiſſ. prof. eloquent. poſt hiſtor. Lugd. B. hiſtoriographus reip. mort. 1613. *Melch Adami* in vit Germ. phil. quaſi extr. *Swertius* & *Val. Andr. Deſſel. I. P. Lotichius* bibl. poet. lib. 3. *acad. Leidenſ.* pag. 209. *Ad. Clarmund* part. 1. num. 20. 21) *Browerus* Arnheim. Gelder. S. I. lector philoſophiæ Trevir. collegii Fuld. rector, inſignis hiſtoricus, mort. 1627. *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Val. Andr. Deſſel.* bibl. Belg. *Pet. Ribadeneira* & *Phil. Alegambe* bibl. Jeſ. 22) *van der Burch* Machlin. canon. & decanus Ultrajecti, remotus 1582. in otio literar. vixit, mort. 1617. *Fr. Swertius* in Athen. Belg. *Val. Andr. Deſſel* in bibl. Belg. 23) *Emmius* Gretha-Friſius, rector ſcholar. Nordanæ & Leranæ, poſt primus rect. acad. Gröning. hiſt. & Gr. ling. prof. philologus & hiſtor. celebris, mort.

Bertius, 24) *Fr. Swertius*, 25) *Ioh. Meurſius*, 26) *Aubertus Miræus*, 27) *Hugo Grotius*, 28) *Erycius Puteanus*, 29) *Caſpar Barlæus*, 30) *Petrus Corn. Hooſel*, 31) *Nicol. Vernulæus*, 32) *Gerh. Ioh. Voſſius*, 33) polyhiſtor incomparabilis, *Philippus Alegambe*, 34) *Marcus Zuerius Boxhornius*, 35) *Dan. Heinſius*, 36) *Godofr. Henſchenius*, 37) & *Eman. Schelſtratenus*. 38)

Inter Gallos hiſtorica laude celebres extitere: *Ioh. Papyrius Maſſo*, 39) *Iacobus Bongarſius*, 40) *Iacobus Auguſtus Thuanus*, 41) princeps hiſtoricorum recentioris ævi, *Rudolphus Boterens*, 42) *Iohann. Barclajus*, 43) fabuloſo hiſtoriarum genere utens, *Petrus Matthæus*, 44) *Scævola Sammarthanus*, 45) *Scipio Pleixius*, 46) *Iac. Sirmondus*, 47) *Dionyſius Petavius*, 48) *Gabr. Naudæus*,

1625. *Fr. Swertius* Ath. Belg. *Val. Andr. Deſſel* bibl. Belg. Vitæ profeſſ. Gröningenſ. *H. Witten* in mem. philoſ. dec. 5. *Mart. Hankius* de R. Rom. ſcript. part. 1. cap. 45. *Clarmund.* part. 4. num. 12. 24) *Bertius* Beverenſ. Flander. prof. moral. Lugd. & bibliothec. Arminianus; inde religione mutata geographus Reg. Gall. & prof. Pariſ. mort. 1629. *Fr. Swertius* & *Val. Andr. Deſſel.* *P. Freherus* part. 4. theatr. Imago in bibl. chalcograph. lit. c. 4. habetur. 25) *Swertius* Antwerp. mercator eruditus, variis ſcriptis celebris, mort. 1629. Ipſe in Athen. Belgicis ſe & ſcripta ſua refert, it. *Valent. Andr. Deſſel.* in bibl. Belg. *Phil. Labbe* in biblioth. bibl. *Hier. Ghilinus* theatri part. 2. 26) *Meurſius* London. I. V. D. Gr. ling. & hiſt. prof. Lugd. B. hiſtoriographus ord. Belg. inde prof. polit. & hiſtor. Soræ in Dania, hiſtoriogr. regius, vir incomparabilis, mort. 1639. *Fr. Swertius* & *Val. Andr. Deſſel. acad. Leidenſi* pag. 216. *Henn. Witten* in mem. philoſ. dec. 4. *P. Freher.* th. part. 4. *M. Hankius* de R. Rom ſcript. part. 1. cap. 87. *Ad. Clarmundus* part. 2. num. 18. 27) *Miræus* Bruxell. canon. Antwerp. decanus, & epiſcopi vicar. generalis, *Alberto* & *Iſabellæ* a ſacris, vir doctiſſ. & diligentiſſ. mort. 1640. *Fr. Swertius* & *Val. Andr. Deſſel.* fuſe. *H. Ghilinus* theatr. vol. 2. *P. Freherus* part. 4. *Ph. Labbe* in bibl. bibl. *Adolph. Clarmund.* P. 4. n. 14. 28) *Grotius* Delphenſis, fiſci Holland. advoc. ſynd. Roterod. delegatus ordd. Holland. & Weſtfriſ. poſt carcerem & fugam notabilem conſil. & legatus Suecicus, m. poſt naufragium Roſtoch. 1645. *Swertius* & *Val. And. Deſſel* fuſe. *Henn. Witten* in mem. philoſ. dec. 4. *Ioh. Imperialis* muſ. hiſt. in parergo. *P. Freherus* theatr. part. 2. ſect. 4. *Ad. Clarmundus* part. 3. num. 12. Lege de morte *Grotii* epiſtolam *Ioh. Quiſtorpii* inter epiſt. præſt. vir. 29) *Puteanus* Venlojanus Gelder. I. V. D. prof. eloqu. Mediolani, poſt Lipſii ſucceſſor Lovanii, hiſtoriogr. regius, mort. 1646. *Fr. Swertius* & *Val. Andr. Deſſel.* uterque fuſe. Vita a *Valer. Andrea* ſcripta in *Hen. Witten* mem. philoſ. dec. 4. habetur. *P. Freherus* P. 4. th. *M. Hankius* de R. Rom. ſcr. lib. 2. part. 1. cap. 49. *Clarmund.* part. 1. num. 25. 30) *Barlæus* Antw. med. D. log. prof. Lugd. inde moral. in gymn. Amſtelod. orat. & poeta celeberr. mort. 1647. *Val. Andr. Deſſel* in bibl. Belg. Judicium de eo lege in *Sam. Sorbierii* epiſtola ad *Guid. Patinum*, quæ in *Paul. Colomeſii* Gall. orient. pag. 207. extat. *Henn. Witten* in diar. biogr. 31) *Hooſel.* Amſtelod. dynaſta Muydenſ. eques S. Michaël. judex provincial. Goylandenſis, politicus, poeta, hiſtor. inſignis, mort. 1647. Lege tit. & præfat. hiſtoriæ Belgicæ illius. *Hen. Witten* diar. biogr. Opera refert *Corn. a Beughem* bibliogr. hiſt. claſſe 7. 32) *Vernulæus* Robelmont. Luxenb. prof. eloq. Lovanienſ. hiſtoriographus Cæſar. & Hiſpan. mort. 1649. *Fr. Swertius* & *Valent. And. Deſſel.* multis etiam in faſtis Lovan. Vita in *Henn. VVitten* mem. philoſ. dec. 5. 33) *Voſſius* Heidelberg. patre *Iohanne* Ruræmundano natus, hinc ipſe Belgis interdum annumeratur, rector ſcholæ Dordrac. mox prof. eloqu. & chronol. Lugd. B. demum theol. & hiſtor. Amſtelod. Vir incomparabilis, mort. 1650. *Fr. Swertius* in Athen. Belg. *Joh. Meurſius* in Athen. Batavis, *Henn. VVitten* mem. phil. dec. 5. *P. Freherus* part. 4. theatr. *Ad. Clarmundus* part. 2. num. 12. 34) *Alegambe* Bruxell. S. I. theol. D. prof. Græcenſ. inde Romæ generali ſui ord. a ſecretis, m. 1652. *Nath. Sothwell* in cont. bibl. Ieſ. *Phil. Labbe* in bibl biblioth. *H. VVitten* diar. biogr. 35) *Boxhornius* Bergopſom. prof. eloqu. poſt hiſtor. & polit. Lugd. Bat. mort. 1653. æt. 41. *Val. And. Deſſel* bibl. Belg. *Mart. Hanckius* de rer. Rom. ſcript. part. 1. cap. 91. Orat. funebr. a *Lamb. Barlæo* habita legitur apud *H. VVitten* in mem. phil. dec. 6. *Adolph. Clarmundus* part. 2. n. 21. 36) *Heinſius* Gandav. eques S. Marci, conſil. & hiſtoriograph. Suecicus, liter. human. poſt hiſtor. & polit. prof. Lugd. Bat. cancellarius & bibliothecarius academiæ, polyhiſtor & poeta magnus, mort. 1655. *Fr. Swertius* & *Val. And. Deſſel* uterque prolixe. *Hier. Ghilin.* vol. 1. *I. P. Lotichius* B. poet. lib. 3. *Ant. Thyſii* orat. funebr. legitur apud *Henn. VVitten* dec. 6. mem. philoſ. *P. Freherus* part. 4. *Clarmundus* part. 1. num. 18. 37) *Henſchenius* Venrad. Gelder. S. I. *Ioh. Bollandi* & poſt hunc Dan. Papebrochii ſocius in actis SS. colligendis, mort. 1681. æt. 81. Imago cum elogio præmittitur actis SS. Maji tom. 1. *Henn. VVitten* diar. biogr. 38) *Schelſtratenus* Antwerp. theol. D. canon. in patria, inde Romæ bibliothec. Vaticanus, mort. 1692. De eo fuſe agit *Lud. Ell. du Pin* in bibl. ſcript. eccl. tom. 18. p. 232. Lege & act. erud. 1693. Febr. p. 95. & 195 an. 1698. Iul. p. 322. 39) *Maſſo* Seguſianus, advoc. in curia reg. Pariſ. & hiſtor. regius, vir doctiſſ. & diligentiſſ. mort. 1611. Vita per *Jac. Aug. Thuanum* ſcripta legitur in *H. VVitten* memor. phil. dec. 1. 40) *Bongarſius* Aurelian. ICtus philol. & orat. ſummus conſil. regius legatus ad exteros varios, mort. 1612. De eo *Caſaubonus* epiſt. 698. 699. *Henn. VVitten* in diar. biogr. *Ad. Clarmundus* part. 8. n. 16. 41) *Thuanus* Pariſ. vir illuſtris & vere magnus, conſil. regius & præſes Parlam. Pariſ. m. 1617. Vitam ipſe prolixe deſcripſit. Adde *Mart. Zeiler.* de hiſt. part. 2. *P. Freherum* th. part. 2. ſect. 4. *Ad. Clarmundus* part. 8. initio. 42) *Botereus* advocatus in magno Franciæ conſilio, hiſtoricus diligens & celebris ad an. usque 1609. *Mart. Zeilerus* de hiſtor. part. 3. 43) *Barclajus* Muſſipontanus, I. V. D. ad Reformatos tranſiens regis Angliæ cubicularius; ſed reverſus ad priora ſacra Romam abiit, ibique obiit 1621. æt. 36. *I. N. Erythræus* pin. 3. *Jac. Phil. Thomaſinus* elog. part. 2. p. 181. fuſe. *Ioh. Imperial.* p. 175. muſei hiſtor. *P. Freherus* part. 4. theatri. 44) *Matthæus* Sequanus, conſil. & hiſtoriogr. regis Gall. peſte mort. 1621. Hiſtoriam Gall. panegyrico ſtylo ſcripſiſſe dicitur a *Gabr. Barth. Grammondo* lib. 10. Lege *Mart. Zeilerum* part. 2. & 3. de hiſtor. *C. Sorellus* in bibl. Franc. p. 347. ſeqq. *Ioh. Imperialis* muſ. hiſt. pag. 172. 45) *Sammarthanus* ſ. de *S. Martha* Juliodun. Picto, nob. Gallus, ærarii præf. & præſes Pictav. autor elogiorum Gall. m. 1622. reliquit 2. filios ſimul natos *Scævol.* & *Ludovicum* corpore & ſorte pares, conſiliarios reg. hiſtoricos magnos, Galliæ Chriſtianæ autores. Scævola mort. 1650. ætat. 78. Confunduntur ſæpe, ut ab *Henn. VVitten* in diar. biogr. qui opera filii patri adſcribit, ſed rem an. 1650. corrigit. Lege *Martin. Zeiler.* de hiſtor. part. 3. *P. Freherum* theatr. part. 4. de patre & filiis. Vita *Scævolæ* jun. per *Gabr. Michaelium Rupinalletum* ſcripta, in vitis ſelectorum aliquot viror. Londin. 1681. 4. prodiit. 46) *Pleixius du Pleix*, ICtus conſil. & hiſtoriograph. *Lud. XIII.* qui vaſto opere, adulationibus pleno Gall. hiſtoriam expoſuit, mort. poſt ann. 1643. Lege varia judicia apud *Mart. Zeilerum* de hiſtor. part. 2. & 3. *C. Sorellus* in bibl. Francica. 47) *Sirmondus* ſupra deſcriptus cap. 1. inter ſcript. eccleſ. 48) *Petavius* Aurelian. omnium Ieſuitarum doctiſſimus, rhetor. & theol. prof. Pariſ. theologus, hiſtoricus, mathematicus maximus, mort. 1652. *Elogium* ejus vide in *Pet. Gaſſendi* vita *Peireſcii* lib. 3. Vita ab *Henr. Valeſio* ſcripta præmiſſa eſt *Epiphanio* a *Petavio* edito. Adde *Nathan. Sotvvell* in contin. bibl. Ieſuit. *Paul. Colomeſium* Gall. orient. pag. 217. *Chr. Eberh. VVeiſmannum* hiſt. eccleſ. ſec. XVII. §. 3. num. 21. *Adolph. Clarmund.* part. 8. n. 3.

daus, 49) *David Blondellus*, 50) *Gabr. Barthol. Grammondus*, 51) *Ludov. Maimburgius*, 52) *Ludov. Sammarthanus*, 53) *Iohan. Bapt. Cotelerius*, 54) *Carolus du Freſne*, 55) *Antonius Varillas*, 56) & *Anton. Pagius*. 57) Apud Italos hiſtorici illuſtriores fuere: *Johan. Petrus Maffæus*, 58) *Cæſar Baronius*, 59) *Horatius, Turſelinus*, 60) *Alex. Guagninus*, 61) *Paul. Sarpius*, 62) *Philippus Ferrarius*, 63) geographus, *Famianus Strada*, 64) *Leo Allatius*, 65) Græcus origine, ſed in Italia degens; *Baptiſta Nanus*, 66) *Victorius Sirus*, 67) *Majolinus Biſaccionius*, 68) *Jeremias Bruſonus*, 69) *Galeacius Gualdus*, 70) & *Johann. Ciampinus*, 71) Luſitaniam *Emanuel Acoſta*, 72) Hiſpaniam *Sebaſt. Gonzalez*, 73) *Prudent. de Sandoval*, 74) & *Johann. Mariana*, 75) hiſtorici celebriores ornarunt. Britannia eo nomine claros habuit: *Henr. Savilium*, 76) *Guil. Camdenum*, 77) *Thomam Demſterum*, 78) *Robert. Jonſtonum*, 79) *Thom. Godwin*, 80) *Eduardum Simſonium*, 81) & *Rob. Menteтum de Salmoneto*. 82)

49) *Naudæus* Pariſ. med. D. biblioth. cardin. *Mazarini*, inde *Chriſtinæ* Reg. mort. 1653. multis laudatur a *Gaſſendo* in vita Peireſc. lib. 4. *Leo Allatius* in apibus urb. fuſe. *Io. Imperialis* in Muſ. hiſt. pag. 217. in parergo in fine addito. *Phil. Labbe* in biblioth. bibl. *Clarmund.* part. 4. num. 17. 50) *Blondellus* Cabillon. theol. reform. tandem hiſtor. prof. Amſtel. mort. 1655. Multis laudatur a *Grotio* in epiſtolis ad Gallos epiſt. 193. 194. 196. it. à *Io. Dallæo* in præf. apologiæ pro eccl. reform. *Henn. VVitten* in diar. biogr. *Clarmund.* part. 4. n. 13. 51) *Grammondus* ſenator in S. Regis conſiſtorio, præſes parlam. Toloſani, hiſtoricus inſignis, ſed odio plenus in proteſtantes, mort. 1672. Judicia de eo lege in *Chriſt. Funccii* orbe Imper. tom. 1. p. 443. *Mart. Zeiler.* de hiſt. part. 3. *Henn. VVitten* in diar. biogr. 52) *Maimburg.* Nancej. Lothar. S. I. concionator paſſim per Galliam, ejectus ex ordine ab Innocent. X. hiſtoriographus & lector Græc. liter. Regius, polygraphus, mort. 1686. ætat. 77. De eo agit *Lud. Ell. du Pin* bibl. ſcript. eccl. tom. 18. pag. 238. *Henn. VVitten* in diar. biogr. 53) *Sammarthanus* ſupra cum fratre *Scævola* citatus, huc per errorem poſitus, cum jam 1656. obierit ætat. 84. ſicque poſt *Blondellum* ponendus fuiſſet. 54) *Cotelerius* Nemanſ. doctor. Sorbon. in colligendis monumentis eccleſ. diligentiſſimus, mort. 1686. Vita ex epiſtola *Steph. Baluzii* fuſe & accurate exponitur in actis erudit. an. 1699. init. Adde *Lud. Ell. du Pin* bibl. eccleſ. tom. 18. p. 186. 55) *du Freſne, Dom. de Cange* Samarobrivæ apud Ambianos natus, Franciæ apud Ambianos quæſtor, vir illuſtris, polyhiſtor incomparab. eruditionis & diligentiæ, mort. 1688. Vita legitur in act. erudit. ſupplement. tom. 1. ſect. 8. p. 437. & apud *Lud. Ell. du Pin* bibl. eccl. tom. 18. p. 141. fuſe. 56) *Varillas* hiſtoriograph. Regis Gall. diligens, ſed vanus, præcipiti judicio prudentibus diſplicens, & dura judicia merens, mort. 1692. Opera & judicia paſſim in actis eruditorum inveniuntur. 57) *Pagi* ſupra cap. 1. inter ſcript. eccl. expoſitus. 58) *Maffæus* Bergomas, S. I. in colleg. Rom. docens, m. 1603. ætat. 73. *Pet. Ribadeneira* in catal. & *Phil. Alegambe* bibl. Jeſuit. *Donat. Calvus* in ſcena liter. ſcript. Bergomenſ. part. 1. p. 265. *Mart. Zeiler.* de hiſt. part. 3. 59) *Baronius* Soranus Italus, cardin. presbyter, & Rom. eccleſiæ bibliothecarius, opere annal. eccleſiaſt. celebris, mort. 1607. *Hier. Ghilinus* theatr. vol. 1. pag. 70. *Io. Imperial.* in Muſ. hiſtor. p. 93. *P. Freherus* part. 1. ſect. 2. theatri. 60) *Turſelinus* Romanus, S. I. rector ſeminarii Romani, collegii Florentini & Lauretani, mort. 1609. *I. N. Erythræus* pinacoth. 2. *Phil Alegambe* bibl. Jeſ. *Clarmund.* part. 6. num. 16. 61) *Guagninus* Veronenſ. comes palat. Lateran. miles in Polonia ſub *Henr. Valeſio* & *Stephano* Bathor. tandem Cracoviæ in otio literario vixit & obiit 1614. *Sim. Starovolſc.* in C. ſcript. Polon. n. 82. *Math. Stryikowski* in hiſtor. Lithuaniæ præfat. de plagio illius acerbe queritur. Lege *Chr. Hartknoch* in præf. ad Boruſſ. vet. & novam. 62) *Sarpius* ſub *Petri Suavis Polani*, vel *Minucio Minucci* nomine latens, Venetus, Servita, reipubl. theologus & conſiliarius, ob hiſtoriam concilii Trident. & patriam contra *Paulum V.* defenſam celebris, mort. 1623. Legantur *Cæſar. Aquilinus* de 3. hiſtoricis concil. Trident. *Io. Rhodius* in catal. ſuppoſitit. num. 9. & 10. *Vincent. Placcius* in catal. pſeudonymor. num. 596. & 716. *Henn. VVitten* in diar. biogr. 63) *Ferrarius* Ovilii in agro Alexandr. natus, ord. Servorum B. Mariæ virg. generalis ſui ordinis, per 48. annos mathemat. geographiæ & hiſtor. prof. Ticin. mort. Mediol. 1626. ætat. 75. *Hier. Ghilinus* theatr. part. 1. pag. 101. ubi prolixum epitaphium additum & opera recenſentur. *Henn. VVitten* in diar. biograph. 64) *Strada* Romanus, S. I. rhetor. profeſſ. in patria, hiſtoria belli Belgici & aliis ſcriptis celebris, mort. 1649. *Phil Alegambe* in bibl. Jeſ. *Mart. Zeilerus* de hiſtor. part. 2. *Henn. VVitten* in diar. biogr. *Ad. Clarmundus* P. 4. num. 8. Lege & *Caſp. Scioppii* infamiam Famiani. 65) *Allatius* Chius, poſt tranſitum ad Roman. Romæ in *Card. Biſcia* domo vixit, inde bibliothecarius Vaticanus, Heidelbergenſem huic junxit, mort. 1670. theol. hiſtor. & poeta inſignis. Ipſe ſcripta ſua fuſe recenſet in apibus urban. pag. 284. ſeqq. *Hier. Ghilinus* theatr. part. 2. *P. Freherus* P. 4. *Phil. Labbeus* biblioth. bibliothecarum. *Lud. Ell. du Pin* bibl. eccleſ. tom. 18. *Clarmund.* part. 6. num. 4. 66) *Nanus* nob. Venetus, ſenator, procur. S. Marci, capitaneus contra Turcas, hiſtoricus prudens & accuratus, mort. 1678. Hiſtoriam ab an. 1603. ad 1644. ſcripſit. *Henn. VVitten* in diar. biogr. 67) *Sirus* ſ. *Victor Sirius* Italus, abbas, conſil. eleemoſinarius & hiſtoriograph. Regis Galliæ, hiſtoricus prudens & ampliſſ. Memorias reconditas & Mercurium Ital. 24. tomis expoſuit in 4. Annus mortis dubius. *Mart. Zeilerus* de hiſt. part. 3. 68) *Biſaccionius* comes Æſinas, camerarius Regis Gall. diu etiam in Germania verſatus, hinc bellum *Guſtavi Adolph.* in German. bella Civilia, Turcica &c. deſcripſit uſque ad 1654. Annus mortis non conſtat. *Mart. Zeilerus* de hiſt. P. 3. 69) *Bruſonus* Italus, qui hiſtoriam patriam ab an. 1627. ad 1660. 28. libris Ital. deſcripſit Venet. 1660. 4. 70) *Gualdus* comes prioratus Vicentinus, hiſtoriographus Cæſ. hiſtoricus diligentiſſ. Venetiis ut plur. vixit, mort. 1678. *Zeilerus* part. 2. de hiſtor. *Henn. VVitten* in diar. biograph. 71) *Ciampinius* Romanus, magiſter brevium gratiæ, referendarius papalis & abbreviator majoris præſidentiæ, antiquitatis curioſus & diligens, m. 1699. Multa de eo in actis erudit. paſſim, e. g. an. 1694. Mart. p. 112. 321. ſeqq. 72) *Acoſta* Ulyſſip. S. I. rector colleg. Braccar. m. 1604. ætat. 85. Rerum per ſocietatem in India geſtarum collector. *P. Ribadeneira* & *Phil. Alegambe* bibl. Jeſuit. *Henn. VVitten.* diar. biogr. 73) *Gonzalez* Braccar. Luſ. S. I. novit. magiſter Eboræ, inde præfectus domus profeſſorum Goæ in India m. 1619. Geſta Jeſuitar. etiam deſcripſit. *Phil. Alegambe*, *Hen. VVitten* in diar. biogr. 74) *Sandoval* Pincienſis, ord. Bened. epiſcopus Tudenſis, poſt Pampelonenſ. hiſtoriographus Regius, mort. 1620. Geſta *Caroli V.* fuſe deſcripſit. *Henn. VVitten* in diar. biogr. 75) *Mariana* Elborenſis prope Toletum, S. I. Romæ in Sicilia, Pariſ. demum Toleti vixit, ſcriptor rerum Hiſpan. diligentiſſ. mort. 1623. fere nonagenarius. *And. Schottus* bibl. Hiſpan. tom. 2. claſſ. 6. *Pet. Ribadeneira* & *Phil. Alegambe* bibl. Jeſ. 76) *Savile* nob. Anglus, eques auratus, a ſtudiis Reginæ *Eliſabethæ*, præpoſitus collegii Ætonenſis, mort. 1621. æt. 81. *Mart. Hankius* de R. Rom. ſcript. l. 1. c. 83. Adde *Voſſium* de ſcient. mathem. cap. 58. §. 4. *Mart. Kempium* in bibl. Anglorum theolog. pag. 513. 77) *Camdenus* Londin. gymnaſiarcha Weſtmonaſt. ſocius collegii fecialium, prof. hiſt. Oxon. mort. 1623. ætat. 74. Oratio funebris *Lud. Molinæ* legitur in *Hen. VVitten* memor. philoſ. dec. 2. *Mart. Zeilerus* de hiſtor. part. 2. *Henn. VVitten* in diar. biograph. *Io. Hallervord.* bibl. cur. 78) *Demſterus* Baro *de Mureſc* Scotus, JCtus, prof. Pariſinus, Piſanus, Bonon. polyhiſtor celebris, ſed rixoſus, mort. 1625. *Hier. Ghilinus* theatr. volum. 2. *I. Nic. Erythræus* pinac 1. *Mart. Hankius* de R. Rom. ſcr. lib. 2. part. 1. c. 44. *Clarmundus* part. 1. n. 29. 79) *Jonſtonus* Scoto Brit. hiſtoricus diligens, candidus & eruditus, qui hiſt. Angl. ab an. 1572. ad 1628. Libris 22. lat. ſcripſit opus a *Io. Seldeno* emendatum. Annus mortis incertus. *Io. Hallervord.* in bibl. cur. 80) *Godwin* Somerſet. theol. D. & prof. Oxon. m. 1642. antiquitatum ſacr. diligens inveſtigator. *Ioh. Hallervord.* bibl. curioſ. *Henn. VVitten* diar. biogr. 81) *Simſon* in *Middelſex*, non procul Londino natus, th. D. miniſter Canta-

to. 82) Ex Danis *Joh. Iſaacus Pontanus*, 83) inter Polonos *Salomon Neugebauerus*, 84) *Stanislaus Lubienskius*, 85) *Joh. Innocentius Petricius*, 86) *Stanislaus Kobierzick*, 87) & *Paulus Piaſecius*; 88) & apud Hungaros *Nicolaus Iſthuanfius* 89) hiſtoricis ſcriptis celebre nomen ſibi pararunt.

Vix minor fuit celebrium philologorum numerus, ex quibus non niſi illuſtriores nominare volumus. Exornarunt eo nomine Germaniam: *Chriſtoph. Colerus*, a) *Laurentius Rhodomannus*, b) *Mart. Cruſius*, c) *Eilhardus Lubinus*, d) *Everhardus Elmenhorſtius*, e) *Iacobus Pontanus*, f) *Ioh. Buxtorffius*, g) *Caſp. Dornavius*, h) *Eraſmus Schmidius*, i) *Matthias Berneggerus*, k) *Petrus Kirſtenius*, l) *Henr. Lindenbrogius*, m) *Caſpar Scioppius*, n) *Elias Ebingerus*, o) *Andreas Rivinus*, p) *Caſp. Barthius*, q) *Theod. Hackſpanius*, r) *Lucas Holſtenius*,

---

brig. rector in Eaſtling &c. polyhiſtor diligentiſſimus, mort. 1651. Elogia illius in epiſt. *Ioh. Goſſe* ſocii colleg. Magdeb. Oxon. chronico cathol. præmiſſa leguntur, *Martin. Zeilerus* de hiſtor. part. 3. 82) *Mentet de Salmonet*, illuſtris Scotus, in Galliam diſceſſit Romanæ fidei addictus, ibi usque ad an. 1652. vixit, & turbas Anglic. deſcripſit ſtylo Gallico adeo venuſto, ut Gallis admirationi eſſet. Laudes ejus legendæ in præfat. partis 2. motuum Britann. 83) *Pontanus* Helſingor. med. D. phyſ. & matheſ. prof. Hardevvic. hiſtoriographus regis Dan. & ſtatuum Geldriæ, mort. 1640. *Mart. Zeilerus* de hiſt. part. 2. *Alb. Barthol.* & *Johan. Mollerus* de ſcriptis Danorum. 84) *Neugebaur* a Caduno Boruſſus, fratrum illuſtrium *Joh.* & *Andr. Firlejorum* gubernator, itinere 10. annorum per Europam excultus, redux hiſtoriam Pol. magna induſtria, judicio optimo ſcripſit. Annus mortis incertus. *Mart. Zeilerus* de hiſtor. lib. 2. 85) *Lubienski* illuſtris Polonus, archidiac. Cracov. tandem regni pro-cancell. & epiſcopus Plocenſis, mort. 1639. non confundendus cum 2. Socinianis ejusdem nominis. Vita illius in fine vitarum epiſcoporum Plocenſium legitur. *Henn. Witte* in diar. biogr. 86) *Petritius* Polon. prof. eloqu. Cracov. hiſtor. Polon. per partes ab an. 1620. Cracov. publicavit. 87) a *Kobierzicko Kobierzicki* nob. Polon. caſtellanus Gedan. Hiſt. *Uladislai* & Sigism. III. ſtylo nitido ab an. 1595. ad 1632. deſcripſit. 88) *Piaſecius* ſ. *Piaſecki* nob. Pol. abb. Claræ Tumbæ, poſt epiſcop. Camenec. tandem Premisl. Senator regni, vir doctiſſ. Hiſt. Polon. ab an. 1571. ad 1645. ſcripſit. *Mart. Zeilerus* part. 3. de hiſt. 89) *Iſthuanfius* illuſtris Hungarus, omnium fere linguar. Europæ gnarus, *Max. II.* & *Rudolph. II.* in rebus Hungar. ſecret. & conſil. maximis rebus adhibitus, paralyſi tactus cum 1608. ad coronationem *Matthiæ* Poſon. equitaret, inde hiſtor. Hungar. abſolvere non potuit. Lege *Dav. Czwittingeri* ſpecimen Hungar. literatæ pag. 188. *Mart. Zeiler.* de hiſt. part. 2. & 3. & in epiſt. 411.

a) *Colerus* Francus, ICtus & philologus celeberr. profeſſ. jur. Altorf. mort. 1604. in Auſtria. *Caſp. Cunradus* proſopograph. mel. millen. 1. *Joh. Jacob Bayerus Nachricht von Altdorff* pag. 78. *Henn. VVitten* diar. biograph. b) *Rhodomannus* Stolberg. rector ſcholæ Luneburg prof. Gr. lingu. Ienenſis poſt Witteberg. quaſi in ipſa Græcia natus, mort. 1606. Vita ex *Dan. Sennerti* progr. habetur in *Henn. VVitten* mem. phil. decad. 1. *P. Freherus* part. 4. theatr. *Adr. Beierus* in catal. R. Ienenſ. *Adolph. Clarmundus* part. 2. num. 25. Epitaph. in *Andr. Sennerti* Athen. Wittenb. legitur. c) *Cruſius* Gerberna Bambergenſis, rect. ſchol. Argent. & Memmingenſ. inde prof. Gr. lingu. Tubingenſ. polyhiſtor celeberr. commerciis orientalibus clarus, mort. 1607. *Melch. Adami* in vitis phil. Germ. *Thuanus* lib. 73. *P. Freherus* theatr. part. 4. *Viti Mylleri* orat. de vita *Cruſii* Tubing. 1608. 4. d) *Lubinus* Weſterſted. Oldenb. prof. poeſ. Roſtoch. inde theol. D. & prof. philol. & poeta inſignis, mort. 1621. Vita in *Henn. Witten* mem. theol. dec. 3. init. legitur, & apud *P. Freherum* part. 1. ſect. 3. e) *Elmenhorſtius* Hamb. in patria ſenator vixit, autoribus antiquis edendis & emendandis intentus, mort. 1621. Vita ab anonymo edita Hamb. 1723. 8. *Henn. Witten* in diar. biogr. f) *Pontanus* Bruggenſ. Bohem. S. I. Lector liter. human. Ingolſtad. & alibi, mort. 1628. ætat. 84. *Pet. Ribadeneira* & *Ph. Alegambe* bibl. Ieſuit. *Henn. VVitten* in diar. biograph. g) *Buxtorffius* Camena Weſtphal. prof. hebr. ling. Baſil. philologus celeberr. mort. 1629. Orat. funebr. a *Dan. Toſſano* habita legitur in *Henn. Witten* memor. *P. Freherus* part. 4. theatri. Imago in bibl. chalcograph. part. 6. F. 1. h) *Dornavius* a *Dornau* Zigeruckenſ. Variſcus, med. D. rector ſcholæ Gœrlicenſ. poſt prof. Bethanienſ. tandem conſil. Bregenſ. mort. 1631. *Mart. Zeilerus* part. 3. de hiſt. *Caſp. Cunrad.* proſop. melica mill. 1. *Iohan. Henr. Cunradus* Sil. togatæ p. 59. *Frid. Luca* in chron. Sil. part. 2. c. 5. num. 3. p. 569. i) *Schmidius* Delitienſ. Miſn. Gr. lingu. & poeſ. prof. Witteb. philologus doctiſſ. mort. 1637. *Th. Spizel.* temp. hon. num. 44. *Henn. Witten* mem. philoſ. dec. 3. extr. *God. Suevus* in academ. Wittenb. & ex eo in *P. Freheri* theatr. part. 4. *Ad. Clarmundus* part. 3. num. 17. k) *Berneggerus* Hala Tyrol. rector ſcholæ Durlac. mox gymn. Argentor. poſt prof. hiſtor. canon Thomanus, polyhiſtor celeberr. Orat. funebr. a *I. H. Bœclero* habita extat in *Henn. Witten* mem. phil. dec. 4. *Th. Spizelius* in templo hon. n. 45. *P. Freherus* part. 4. theatri. *Ad. Clarmund.* part. 3. num. 3. l) *Kirſtenius* Wratisl. med. D. rect. gymn. Eliſab. philologus Arabs, ſed depoſito officio poliater, inde *Axel. Oxenſtirna* medicus, tandem prof. Upſal. mort. 1640. Orat. funebris a *Joh. Loccenio* habita legitur in *Henn. Witten* memor. med. dec. 1. *Johan. Schefferus* in Svec. literata. *P. Freherus* part. 3. *Frid. Luca* chron. Sileſ. part. 2. c. 5. p. 572. *Nic. Pohlius* hemerol. Wratisl. d. 5. Aug. *I. A. Cunradus* Sil. tog. p. 151. m) *Lindenbrogius* Hamburg. bibliothecarius Gottorp. mort. 1641. Polyhiſtor inſignis. Lege vitas *Lindenbrogiorum* editas Hamb. 1723. 8. *Henn. Witten* diar biogr. n) *Scioppius* ſ. *Schoppius* Neagora-Palat. ob crimina Altorffii infamis factus ad Romanenſes tranſiit, virulento vero ſcribendi genere gratiam ubique perdidit, civis Roman. eques S. Petri, *Comes de Claravalle* conſil. *Ferd. II.* & *Phil. IV*, m. 1649. Vita apud *Ioh. Imperial.* in muſ. hiſtor. in parergo p. 214. habetur; extollitur magnis laudibus ab *Oct. Ferrario* in præluſ. academ. *Ioh. Limnaeus* de jure publ. tom. 4. p. 411. ſcripta docta & laborioſa vocat, ſed ſtylum ad ſcommata & convitia factum dicit. Lege & *Mart. Zeilerum* de hiſtor. part. 3. *Georg. Hornium* hiſt. eccleſ. Per. 3. artic. 3. § 6. *And. Caroli* memor. eccleſ. lib. 4. cap. 5. extr. *Joh. Ludolph. in der Schaubühne des* XVII. *Sec.* lib. 12. c. 5. §. 67. o) *Ebingerus* in cœnob. Oettingenſi Chriſtgarthen natus, paſtor Keſmarckii, inde rect. ſcholæ Rotenb. poſt prof. & gymnaſiarcha Auguſtanus, pulſus inde rect. Portenſis, tandem gymnaſii poetici Ratispon. mort. 1653. *Th. Spizelius* templ. hon. n. 47. Vita ex conc. funebri apud *Henn. Witten* in mem. phil. dec. 6. & in *Freheri* theatr. part. 4. p) *Rivinus Bachmann* ante, Halenſ. rect. ſcholæ Northuſ. inde poeſ. prof. Lipſ. tandem med. D. & prof. ibid. mort. 1656. Vita in programm. funebri legenda, apud *Henn. Witten* in mem. phil. dec. 6. ſcriptis additis. Adde *Witten* diar. biograph. q) *Barthius* nobilis March. Guſtrin. polyhiſtor ſummus, poſt multa per Europ. itinera Lipſiæ in collegio Paulino privatus inter literas conſenuit, mort. 1658. ætat. 71. *Theoph. Spizelius* in templ. hon. num 49. Programma & ſcript. in *Henn. Witten* mem. phil. dec. 7. *P. Freherus* part. 4. theatr. e concione fun. *Ad. Clarmundus* part. 2. n. 22. Imago habetur in *Mart. Frid. Seidelii* icon. Marchicis num. 92. r) *Hackſpan.* Vinar. prof. hebr. lingu. Altorfinus poſt & theolog.

nius, s) *Ioh. Buxtorffius*, t) Jun. *Iohann. Frid. Gronovius*, u) *Chriſtianus Ravius*, vv) *Chriſtoph. Schraderus*, x) *Iacob. Thomaſius*, y) *Chriſtoph. Arnoldus*, z) *Chriſtianus Daumius*, 1) *Matthias Waſmuthius*, 2) *Andr. Sennertus*, 3) *Ioh. Ludov. Praſchius*, 4) *Dan. Georg. Morhofius*, 5) *Frid. Bened. Carpzovius*, 6) & *Vincent. Placcius*. 7) Ex Belgis celebriores fuere philologi: *Bonaventura Vulcanius*, 8) *Thomas Erpenius*, 9) *Ianus Gruterus*, 10) *Andr. Schottus*, 11) *Iohann. Meurſius*, 12) æquali jure ſupra inter hiſtoricos relatus, *Iacobus Golius*, 13) & *Iſaacus Voſſius*. 14) Inter Gallos eo nomine eminuerunt: *Iohan. Paſſeratius*, 15) *Ioſ. Iuſtus Scaliger*, 16) *Iſaacus Caſaubonus*, 17) *Fronto Ducæus*, 18) *Iul. Cæſar Bulengerus*, 19) *Nicolaus Rigaltius*, 20) *Claudius Salmaſius*, 21) *Henricus Valeſius*,

philol. celeberrimus, mort. 1659. *Th. Spizelius* templ. hon. num. 50. *P. Freherus* th. P. 4. e progr. funebri. *G. M. König* bibl. Vet. & N. s) *Holſtenius* Hamburg. poſt varia itinera Romæ antiquitatum amore ſubſtitit, religione mutata canon. Vaticanus & bibliothecarius, polyhiſtor inſignis, mort. 1661. *Leo Allatius* in apibus Urban. *Lud. Ell du Pin* bibliothec. ſcript. eccleſ. tom. 18. init. *Ad. Clarmundus* part. 3. num. 5. Vita & encomia leguntur in act. erud. an. 1684. nov. init. Vita prolixe deſcripta prodiit Hamburg. 1723. 8. t) *Buxtorffius* jun. *Johannis* fil. diac. Baſil prof. lingu. S. inde theol. D. & prof. mort. 1664. Vita ex orat. funebri legitur apud *P. Freherum* part. 4. theatr. *Henn. Witten* diar. biogr. u) *Gronovius* Hamburg. ICtus & polyhiſtor celeberr prof. Daventr. inde *Dan. Heinſii* ſucceſſor Lugduni B. poſt multa itinera, mort. 1672. *Jac. Revius* in hiſt. Daventr. lib. 6. *I. A. Fabricius* in mem. Hamburg. p. 612. Vitam recenſet *G. M. Königius* in bibl. vet. & nov. Adde *Ad. Clarmundum* part. 1. num. 19. w) *Ravius* Berolin. itinere CPtano, multisque libris orient. reportatis clarus, prof. orient. lingu. Ultraj. Amſtelod. Oxonii, Upſal. Kilon. tandem Francof. mort. 1677. *G. M. Königius* in bibl. Vet. & N. *Henn. Witten* in diar. biograph. x) *Schraderus* Luneb. præpoſ. Bergenſ. profeſſ. eloqu. Helmſtad. ſcholar. Inſpect. Generalis, mort. 1680. æt. 78. Lege *Reinhard. Henr. Rollium* in memor. philoſ. dec. 1. num. 8. Epitaphium egregium legitur in *Iuſt. Chriſtoph. Böhmeri* inſcript. Helmeſtad. *Henn. Witten* in diar. biograph. y) *Thomaſius* Lipſ. profeſſ. ethices, log. eloqu. Lipſ. rector ſchol. Thomanæ, polyhiſtor inſignis, mort. 1684. Lege *act. erud.* 1683. April. pag. 176. an. 1693. Sept. p. 427. *Henn. Witten* in diar. biograph. z) *Arnoldus* Norinb. polyhiſtor inſignis, diac. Marianus & in gymn. prof. eloqu. poeſ. & Gr. lingu. mort. 1658. Lege *Georg. Matth. Konig.* in bibl. vet. & nov. *Henn. Witten* in diar. biograph. 1) *Daumius* Zwickav. Conrect. Geranus, poſt rector ſcholæ patriæ, philologus celeberrimus, m. 1687. Lege acta erud. 1698. Auguſt. p. 377. *Ioh. Caſp. Löſcheri* memoria *Daumii* legitur in Reinh. Henr. Rollii memoriis dec. 2. num. 8. Adde *Ad. Clarmundum* part. 3. n. 18. 2) *VVaſmuthius* Kilon. prof. log. Roſtoch. inde theol. D. hujusque & lingu. orient. prof. Kilon. philol. & mathemat. inſignis, mort. 1688. *Chr. Eberh. VVeiſmannus* hiſt. eccleſ. ſec. 17. §. 34. num. 51. Lege act. erud. 1686. Ian. p. 34. *Henn. VVitten* diar. biograph. part. 2. 3) *Sennertus* Witteb. prof. lingu. orient. per 51. ann. mortuus 1689. æt. 84. *Henn. VVitten* diar. biograph. part. 2. De ſe ipſo agit in Athen. Wittenb. pag. 146. & alibi paſſim. 4) *Praſchius* Ratisbon. in patria ſenator, ærarii director, Conſiſt. & ſcholar. præſes, deputatus ad comitia imperii, vir excellentis ingenii & eruditionis, Pſyche Cretica, origine Germanica lat. linguæ & aliis clarus. Uxor erudita varia quoque ſcripſit, mort. 1690. *Henn. Witten* diar. biograph. part. 2. fere extr. Lege act. erud. 1685. pag 583. an. 1686. p. 325. & paſſim alibi. 5) *Morhofius* Wiſmar. prof. poeſ. Roſtoch. inde I. V. D. & prof. eloqu. poeſ. hiſtor. Kilon. polyhiſtor celeberr. mort. 1691. Vita diſſert. & epiſt. Hamburg. 1699. editis præmiſſa, unde excerpta in act. erud. 1699. menſe Jul. init. habentur. Sic & *Ioh. Mollerus* polyhiſtori iterum edito addidit. Lege & *Guil. Ern. Tenzelium* colloqu. menſtr. 1691. Sept. extr. Lege & vitam, merita, ſcripta in *Reinh. Henr. Rollii* memoriis dec. 2. n. 9. & in *Adam Clarmundi* part. 5. num. 19. 6) *Carpzovius* Lipſ. in patria mercator, ſenator, ædilis, ſummusque polyhiſtor mort. 1699. Lege præfat. ad catalog. bibliothecæ Carpzovianæ, it. act. erud. 1699. Iunio. extr. it. *Chriſt. Iunckeri* epiſtol. ad *Ioh. G. Pritium* Schleuſ. 1699. 4. 7) *Placcius* Hamb. I. V. Lic. prof. eloq. & phil. pract. in patria, mort. 1699. catalogum librorum editorum & edendorum plurimis ejusd. libris additus eſt. Lege act. erud. an. 1699. m. Iul. extr. Vita habetur *in dem Leben der Staats-und Rechts-Gelehrten* part. 2. n. 16. 8) *Vulcanius* Brugenſ. Flander ex Hiſpania Baſileam ivit, inde Lugd. Bat. prof. Gr. linguæ factus, philologus celeberr. mort. 1614. Vita in *Melch. Adami* philoſ. Germ. extr. *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Val. Andr. Deſſel.* bibl. Belg. *Ioh. Meurſius* Athen. Bat. academ. Leidenſ. p. 178. *H. Ghilinus* theatr. vol. 2. *P. Freherus* part. 4. *Ad. Clarmundus* part. 2. n. 11. 9) *Erpenius* Gorcomio-Batavus, prof. lingu. oriental. Lugd. Bat philologus incomparabilis, Arabs præcipue, mort. 1624. Orationem funebr. a *G. I. Voſſio* habitam inſeruit *Henn. Witten* memor. phil. dec. 2. Adde *Fr. Swertium* Athen. Belg. *V. A. Deſſel.* bibl. Belg. *Ioh. Meurſium* Athen. Bat. academ. *Leidenſ.* p. 226. in fine. 10) *Gruterus* Antw. ICtus polyhiſt ſummus, prof. & biblioth. Heidelb. polygraphus, mort. 1627. Laudes a *Balth. Venatore* ſcriptas exhibet *Henn. Witten* in mem. phil. dec. 2. *Fr. Swertius* Athen. Belg *Valent. And. Deſſel.* bibl. Belg. *H. Ghilin.* th. vol. 2. *Ioh. Pet. Lotichius* bibl. poet. part. 3. *Ad. Clarmundus* part. 2. n. 19. 11) *Schottus* Antw. S. I. polyhiſtor diligentiſſ. prof. Gr. ling. rhetor. Toleti, Cæſaraugus, Romæ mort. 1629. æt. 77. *Pet. Ribadeneira* & *Phil. Alegambe* bibl. Ieſuit. *Fr. Swertius* & *Val. And. Deſſel.* fuſe. *Mart. Hanckius* de rer. Rom. ſcr. part. 1. c. 87. *Ad. Clarmundus* part. 3. n. 20. 12) *Meurſius* ſupra inter hiſt. n. 26. citatus. 13) *Golius* Hagienſ. *Th. Erpenii* diſcipulus & in prof. ling. oriental. ſucceſſor Lugd. B. poſt iter per Africam & Aſiam mort. 1667. æt. 71. *I. Frid. Gronovius* mortuum laudavit. Lege *Voſſium* de theol. Gentil. lib. 3. cap. 37. *Phil. Labbe* in bibl. bibliothecarum. *Henn. Witten* in diar. biogr. 14) *Voſſius Gerh. Ioh.* filius Lugdunenſis hiſtoriographus ord. Holland. canon. Windſor. in Angl. mort. 1689. ætat. 71. *Henn. Witten* in diar. biogr. *Ioh. Hallervord.* in bibl. curioſa. 15) *Paſſeratius* Trecenſ. eloqu. prof. & interpres regius Pariſ. mort. 1603 Elogium a *Ioh. Pap. Maſſone* ſcriptum legitur in *Henn. Witten* memor phil. dec. 1. *Scæv. Sammarth.* elog. Gall. lib. 4. *Ioh. Pet. Lotichius* bibl. poet. P. 4. *Ad. Clarmundus* P. 5. n. 11. 16) *Scaliger* ſupra deſcriptus ſec. XVI. c. 5. 17) *Caſaubonus* Delphinas, gener *Hen. Stephani* prof. Genev. poſt regius bibliothec. Pariſ. tandem conſil. regis Angliæ, mort. 1614. *Ioh. Andr. Quenſtedt* de patriis illuſtr. vir. Genevenſem facit. Vitam ex variis collegit *Ad. Clarmundus* part. 1. num. 8. Adde *G. M. König* in bibl. vet. & nov. *Henn. Witten* in diar. biogr. 18) *Ducæus* Burdigal. S. I. eloq. & S. liter. prof. vir in patrum ſcriptis eruendis & emendandis diligentiſſ. mort. 1623. *Pet. Ribadeneira* & *Phil. Alegambe* in bibl. Ieſ. *G. M. König* in bibl. Vet. & N. *Henn. Witten* in diar. biogr. 19) *Bulengerus* Iuliodun. S. I. in juventute, egreſſus ordinem prof. Piſanus, ſenex ad ordinem rediit, & theol. docuit, m. Cadurci 1628. antiquarius & hiſtor. inſignis. *Phil. Alegambe* bibl. Ieſ. *Mart. Hanckius* de rer. Rom. ſcript. P. 1. c. 86. *Iohan. Hallervord.* in bibl. curioſa. 20) *Rigaltius* Pariſ. ICtus antiquarius inſignis, conſil. regius in curia Metenſi, tandem bibliothecarius regius, m. 1632. *Iohan. Hallervord.* bibl. cur. *Henn. Witten* diar. biogr. *Ad. Clarmund.* P. 8. n. 4. 21) *Salmaſius* Divionenſ. eques, ex Pontificio reformatus, ICtus & polyhiſtor ſine pari, tandem Lugd. B. prof. honorarius, mort. 1652. Vita & elogia illius epi-

ſius, 22) & *Ægidius Menagius*. 23) Ex Italis *Laurentius Pignorius*, 24) & *Octavius Ferrarius*; 25) ex Anglis *Thomas Farnabius*, 26) & *Eduardus Pocockius*, 27) præ cæteris celebres extitere. Oratorum laudem inter multos alios aſſecuti ſunt, inter Germanos quidem *Hermannus Kirchnerus*, 28) *Michael Piccartus*, 29) & *Auguſtus Buchnerus*; 30) inter Belgas *Dominicus Baudius*, 31) & *Edo Neubuſius*. 32)

Ex poëtis demum hujus ſeculi, præter *Barlaum*, *Heinſium*, multosque alios ſupra alio nomine laudatos, latino carmine præ cæteris *Janus Douſa*, a) *Salomon Frenzelius*, b) *Gregor. Bersmannus*, c) *Frider. Taubmannus*, d) *Johan. Hermannus*, e) *Nicol. Avancinus*, f) *Joh. Fechnerus*, g) *Renatus Rapinus*, h) & fœminæ celeberrimæ, *Anna Maria Schurmannia*, i) & *Helena Cornelia Piſcopia*, k) clarum ſibi nomen pararunt; id quod Germanico carmine *Mart. Opitius*, l) *Paulus Flemmingius*, m) *Simon Dachius*, n) *Andreas Gryphius*, o) *Chriſtianus ab Hoffmannswaldau*, p) *Dan. Caſp. a Lobenſtein*, q) & *Henricus Mühlpfortius*; r) Belgico *Jacobus Catſius*, s) *Juſtus Vondelius*, t) & *Conſtantinus Hugenius* u) aſſecuti ſunt.

Varian-

ſtolis præfixa leguntur, unde ampla excerpta habet *P. Freherus* part. 2. ſect. 4. theatri, it. in *Henn. VVitten* memor. philoſ. dec. 5. *Paul. Colomeſ.* Gall. or. *Ad. Clarmund.* P. I. num. 14. 22) *Valeſius* Pariſ. in ſumma curia advocatus, hiſtoriogr. Regius, polyhiſtor ſummus, tandem unum oculum poſt alterum amiſit, matrimonio ſero & felici notabilis, mort. 1676. Vita per fratrem *Hadrianum* ſcripta inter vitas ſelectorum viror. Londin. 1681. & ſeorſim eod. anno Lipſ. prodiit. Vide *Henn. VVitten* in diar. biogr. *Ad. Clarmund.* part. I. num. 15. 23) *Menagius* Andinus, advoc. Pariſ. conſil. & eleemoſ. Regius, vir doctiſſ. & ingenioſiſſ. in latinitate autodidactus, mort. 1692. æt. 79. Epitaphium a *Franc. Priſſonio* erectum in actis erud. 1695. Maj. p. 227. legitur. Opera ad calcem Menagianorum recenſentur & in act. erudit. 1694. April. p. 159. Adde act. erud. 1701. Jun. p. 247. *Ad. Clarmund.* part. 5. num. 18. 24) *Pignorius* Patavinus, in patria parochus, canon. Tarviſinus, antiquarius celeberrimus, Muſeo inſtructiſſ. clarus, m. 1631. *Jac. Phil. Tomaſinus* elog. P. 2. p. 199. fuſiſſ. *P. Freherus* theatr. P. 4. *Jo. Hallervord.* bibl. cur. *Ad. Clarmund.* P. 5. n. 8. 25) *Ferrarius* Mediol. liter. hum. prof. Patavinus, orator & polyhiſtor celeberr. mort. 1682. ætat. 75. *Hier. Ghilinus* theatr. vol. I. p. 342. fuſe *Car. Patinus* in Lycæo Patavino *Greg. Leti* in Ital. regnante. *Ad. Clarmundus* P. 6. n. 10. Adde acta erud. 1682. Decembr. p. 375. 26) *Farnabius* Anglus, collegii Merton. Oxonii ſocius, ludimagiſter Cantinenſis, m. 1647. *Henn. VVitten* in diar. biogr. 27) *Pocockius* Anglus, theol. D. lingu. Hebr. prof. Regius, prælector lingu. Arab. ædis Chriſti præbendarius, mort. 1691. quod refertur in act. erud. 1691. Novemb. p. 543. 28) *Kirchnerus* Hersfeld. Haſſus, hiſtor. & poëſ. prof. Marpurg. juriſperitorum eloquentiſſimus, & eloquentium juriſperitiſſimus dictus, per melancholiam fere mente motus obiit 1620. *I. P. Lotichius* bibl. poët. part. 3. *P. Freherus* theatr. P. 4. 29) *Piccartus* Norinb. profeſſ. logic. poſt poëſ. & metaphyſ. tandem polit. & hiſtor. mort. 1620. ætat. 47. *Frid. Röſchii Piccartomnema* inſertum eſt *Henn. VVitten* memor. philoſ. dec. 2. *P. Freherus* part. 4. theatr. *G. M. König* in bibl. vet. & nov. 30) *Buchnerus* Dreſden. prof. poëſ. poſt eloquent. Wittenb. Orator celeberr. mort. 1661. Epitaph. inſigne legitur in *Andr. Sennerti* Athen. Witt. pag. 218. Programm. funebre *Andr. Cunadi* inſertum legitur *H. VVitten* memor. phil. dec. 7. extr. *P. Freherus* th. P. 4. *A. Clarmund.* part. 4. n. 24. 31) *Baudius* ſupra inter hiſtor. Belg. n. 20. viſus. 32) *Neubuſius* Steinfurt. Weſtph. rector, gymnaſ. Leoward. orator nitidus & prudens, mort. 1638. Vita a filio *Reinero Neubuſio* Alcmar. gymn. rectore deſcripta ab *Henn. VVitten* inſerta eſt memor. philoſ. dec. 5.

a) *Douſa* Nordowici Dominus, nob. Belga Lugdun. academiæ Autor & per 29. annos curator, ſenator in ſuprema curia Hollandiæ, Belgii decus incomparabile, poëta promtiſſimus, mort. 1604. *Melch. Adami* in vit. JCt. Germ. *Franc. Swertius* Athen. Belg. *Valent. Andr. Deſſel.* bibl. Belg. *Io. Pet. Lotichius* bibl. poët. part. 3. *Acad. Leidenſ.* init. poſt principes Arauſ. *Ad. Clarmund.* part. 2. num 6. b) *Frenzel a Freidenthal* Wrat. profeſſ. ethic. Helmeſtad. inde inſpect. ſcholæ Rigenſ. poëta promtiſſ. mort. 1605. *I. H. Cunradus* Sileſ. togat. pag. 79. *Henn. VVitten* in diar. biograph c) *Bersmannus* Annaberg. *Joach. Camerarii* in prof. poëſ. Lipſ. ſucceſſor; dimiſſus ob Crypto-Calviniſmum rect. ſcholæ Serveſt. mort. 1611. I. P. *Lotichius* bibl. poët. part. 3. *Ad. Clarmund.* part. 2. num. 13. d) *Taubmannus* Womſen. Francus, profeſſ. poëſ. Witteb. poëta & philoſ. ſummus, mort. 1613. Orat. fun. *Er. Schmidii* in Witten mem. phil. dec. 1. legitur, I. P. *Lotich.* lib. 3. biblioth. poët. *P. Freherus* theatr. part. 4. *Ad. Clarmund.* part. 1. num. 23. Vita pecul. edita German. e) *Hermannus* ſupra cap. 1. inter theologos citatus. f) *Avancinus* Tyrol. S. I. profeſſ. moral. & rhetor Græcii, theol. profeſſ. Viennenſ. poëta lyricus ſuaviſſimus, m. Romæ 1686. *Henn. VVitten* diar. biogr. *G. M. König* bibl. vet. & nov. g) *Fechnerus* Freyſtad. in ſcholis Leoberg. & Budiſſ. docuit, inde profeſſ. Eliſab. Wratisl. tandem rector Magdal. poëta elegans, præceptor noſter optime meritus, mort. 1686. ætat. 81. *Henn. VVitten* in diar. biogr. *Mart. Hankius* gener. in erudit. Wrat. propagat. h) *Rapinus* Turon. S. I. prof. liter. human. Pariſ. mort. 1687. *Hen. VVitten* in diar. biogr. Lege acta erud. 1687. April. p. 192. ſeqq. i) *Schurmannia* Ultraject. monſtrum eruditionis, linguarum plur. orient. & occident. gnara, pingendi & fingendi artifex: demum cœtui *Labadiano* acceſſit, mort. 1678. æt. 71. *Lud. Iac. a S. Carolo* in bibl. illuſtr. fœminarum. *Chr. Franc. Paullini im Gel. deutſchen Frauenz.* k) *Hel. Lucretia Cornelia Piſcopia*, *Ioh. Bapt. Cornelii (Cornaro)* procur. S. Marcii Venet. filia ordin. Bened. Hebr. Græc. Arab. Lat. Gall. Hiſpan. docta, mort. 1684. Vita in actis erud. an. 1689. init. l) *Opitius de Boberfeld* Boleslav. Burggr. a Dohna poſt Regis Polon. ſecretarius, conſil. Bregenſis, vir doctiſſ. princeps carm. German. mort. cœlebs Dantiſci 1639. Oratio de laude illius a *Chriſtoph. Colero* dicta legitur in *Henn. VVitten* memor. philoſ. dec. 4. *P. Freherus* theatr. part. 2. ſect. 4. *I. H. Cunradus* Sil. togat. p. 205. m) *Flemmingius* Variſcus, med. D. ſocius itineris Moſcowit. Perſici *Ad. Olearii*, in quo crebra illius mentio. Mortuus ſponſus Hamburg. 1640. ætat. 31. *H. VVitten* in diar. biogr. n) *Dachius* Memelenſ. conrector ſcholæ Kniphov. poſt prof. poëſ. Regiomont. Poëta ſuavis & eruditus, mort. 1659. Vita ex progr. funebr. legitur in *Hen. VVittens* memor. philoſ. dec. 7. vide ejusd. diar. biogr. o) *Gryphius* Glogov. JCtus & polyhiſt. inſignis, ſynd. provinc. Glogov. mort. apoplexia 1664. *Fr. Luca* chron. Sil. p. 621. *Henn. VVitten* diar. biograph. p) *Hoffmannswald.* Wrat. conſil. Cæſar. & præſes reipubl. Wratisl. poëta ſuaviſſimus, mort. 1679. Legatur oratio funebr. *Lobenſteiniana* cum operibus poëticis expreſſa. q) *Lobenſtein* Nimicenſ. JCtus, conſil. Olsnenſ. poſt ſyndicus Wratisl. Arminio & poematibus editis notus, mort. 1683. Vita legatur *im Schauplatz der Staats- und Rechts-Gelehrten*, part. 1. num. 3. r) *Mühlpfortius* reipubl. Wratisl. ab expeditionibus lat. & archivarius, poëta feliciſſ. lat. & German. mort. 1683. vide poemata edita. s) *Catſius* eques Zellandus penſion. Hollandiæ, curator academ. Leidenſ. mort. 1660. *Ioh. Pet. Lotichius* part. 3. biblioth. poët. *Henn VVitten* diar. biograph. *Fr. Swertius* Athen. Belg. *Val. And. Deſſel.* bibl. Belg. t) *van Vondelen* Colon. incola Amſtelod. Virgilius Batavus dictus, comœdiis aliisque poematibus inclytus, mort. 1679. *Henn. VVitten* diar. biogr. u) *Hugenius* ſ. *Huygens* nob. Belga Zullich. Dominus ſecretar. & conſil. principis Arauſ. vir. doctiſſ. poëta lepidiſſ. mort. 1687. *Val. And. Deſſel.* biblioth. Belg. *Henn. VVitten* in diar. biograph.

Variantes lectiones ex libello Conringii de ſcriptoribus XVI. poſt C. N. ſeculorum.

Prior *columna indicat lectionem MSti Cranziani impreſſi;* ſecunda *MSti Reimanniani ſub ſigno A.* tertia *MSti alterius.*

Impreſſ.	*Manuſcr. A.*	*Manuſcr. B.*
	Seculum I. Caput I.	
pag. 786. Cum naſceretur Salvator noſter, divinæ religionis doctrinæ penes ſolos Judæos & Proſelytas erat.	Cum naſceretur Servator noſter revelata divinitus doctrina inter ſolos Judæos & Proſelytas, ſeu Helleniſtas, verſabatur. Erant enim alii Abrahami proſapia oriundi, alii vero alienigenæ.	Concordat cum MSCto A.
Sicut autem hi erant diverſarum nationum, ita & ipſi Judæi, quod per omnem terram disperſi vagarentur; ſimiliter diverſæ admodum erant, non aliter fere atque hodie, & linguæ & patriæ,	Quemadmodum enim hi diverſarum erant - - - ſimiliter diverſæ admodum & linguæ fuerunt & originis, non aliter fere atque hodie uſu venit.	Concordat cum exemplo Cranziano impreſſo.
Dum ſcilicet nec Judæis deeſſent, quia ſuam propagarent.	Dum ſcilicet nec Judæis deeſſent, qui iſtam propagarent.	- - - - - - - qui illam.
Fuit porro, quemadmodum ante, ita & hac tempeſtate non una doctrinæ ratio; aliis nempe præter ea, quæ ſacris Moſaicis in voluminibus ſunt exarata literis, nihil; aliis ad hæc δευτερώσεις & manu traditam quandam legem &c. - - - - multum diſcedentibus &c.	Hæc omnia deſunt.	In hoc MSto adſunt.
Ex illis vero Judæis græciſſantibus, qui &c.	Ex Helleniſtis Judæis, qui &c.	
Omnem allegoricum ſacræ ſcripturæ ſermonem promanaſſe.	Omnem allegoricum S. S. ſermonem in eccleſiam promanaſſe.	Concordat.
(Si ſane ejus eſt, quod habemus.)	(Si ſane ejus eſt, quod habemus, quod aliis adfirmantibus ab aliis negatur.)	
p. 787. Hillelis diſcipulorum, qui numero fuere octoginta. Nihil &c.	Deſunt.	Adſunt.
Apoſtolicis viris e ſeptem diaconis.	Apoſtolicis diſcipulis ex ſeptem primis diaconis.	
Inter hujus tempeſtatis ſcriptores.	Inter hujus gentis ſcriptores.	
Neque pauca ejus nomen præ ſe ferunt.	Neque pauca hodie &c.	
Jam perierunt, præter unam ad Corinthios epiſtolam, nuper in Anglia editam; quæ vero alia feruntur, pleraque a doctis Clementi abjudicantur.	Jam periere: quæ vero nunc exſtant, a doctis plerisque Clementi abjudicantur.	
Et aliis, omnia ſunt rejecta.	Et aliis quam multis omnia ſunt rejecta.	
Defenſionem tamen eorum jam alii ſuſcipere non deſierunt. - - - tum inprimis &c.	Neque numero neque doctrina fortaſſis inferiores; tum inprimis &c.	
Quarum tamen plerasque ab illis olim laudatis &c.	Quas tamen ab illis olim laudatis.	
Ut proinde hujus ſeculi ſcri-	Ut proinde facile pateat, hu-	

Digitized by Google

Impreſſ.	*Manuſcr. A.*	*Manuſcr. B.*
ptores eccleſiaſtici & olim fuerint rari, & modo inveniantur longe rariſſimi.	jus quidem ſeculi ſcriptores eccleſiaſticos & olim fuiſſe raros &c.	
Quod olim - - - - conſcripti.	Hæc verba hic deſunt.	
	Cap. II. De ſcriptoribus philoſoph.	
Nam Peripatetica quidem philoſophia, quæ libris illis Ariſtotelicis, quibus hodie utimur, L. Syllæ tempeſtate in lucem rurſus erutis nonnihil reſpiraverat, floruit &c.	Nam Peripatetica quidem philoſophia non multo ante Auguſti ævum L. Syllæ tempeſtate poſt aliquot ſeculorum ſepulturam in lucem iterum eruta Ariſtotelicis illis libris, quibus hodie utimur, floruit in Cratippo &c.	
p. 788. Deſumpta - - -	Quæ ſeorſim edita ſunt.	
Ex *Ciceronis* libris acad. quæſtion.	Ex *S. Auguſtini* libris acad. quæſt.	
Licet quam diutiſſime duraverit.	Licet longiſſime omnium duraverit.	
	Caput III.	
p. 789. Tanta pertinacia aluerunt defenderuntque.	Tanto partium amore defenderunt.	
Reſponderunt, quicunque fiduc. ſtud. ſacr. habebant ſtudioſosque juris.	Reſponderet, quilibet qui fiduc. S. ſtud. habebat.	
	Caput IV.	
Item Antonius Pachius.	Ætate Tiberii item Ant. Pachius.	Idem.
p. 790. Aſtronomica fragmenta.	Aſtrologica fragmenta.	
	Caput V.	
Sub finem denique hujus ſeculi C. Cornelius Tacitus.	Sub finem denique hujus & exordium ſequentis ſeculi C. Cornel. Tacitus.	Concordat.
Qui Tacito ſolet adſcribi.	Qui Tacito ſolet *perperam* adſcribi.	Concordat.
pag. 791. Commentar. in Virgil.		Vide Voſſium de hiſtor. latin. p. 124.
	Secul. II. Cap. I.	
Reperiebat.	Reperiebat ubivis.	
Pro Chriſti fide vir auſterus & vehemens, doctus tamen adeoque.	Pro Chriſto vir doctus & vehemens adeoque.	
Eodem ſeculo.		Eodem tempore.
Aut internecione deletis, etiam Rabbinica ſtudia per imperii Romani terras una cum ſcholis exoleverunt. Ne tamen hoc infortunio &c.	Ad internecionem deletis, ne hoc infortunio &c. periret.	
Quas Judæi legi Moſis ſcriptæ æquant, quarum notitia ex patrum, ut ferunt, ore accepta conſtat Judæorum ſapientia, jacta ſunt Talmudis Babylonici initia, textus ejus, quem miſchnam vocant, auctore R. Jehudæ, quem ſui Hakkadoſch vel ſanctum, principem, & Rabbi vocant, anno CCXX. poſt excidium templi - - - amplius.	Quas Judæi legi Moſis ſcriptæ æquabant, imo in Moſen autorem referebant, cœptum a Babylone Talmud Judaicum conſcribi autore R. Jehuda, quem ſui Antonini Pii &c. digeſtus.	
Veriſimile redditur.	Veriſimile ſatis reddi poteſt, ſi res exigeret.	

Severo

Impreſſ.	*Manuſcr. A.*	*Manuſcr. B.*
Severo Imperatore denuo. - - - - - prodiit.	Deſunt.	Deſunt.
	Caput II.	
Hoc ſeculo floruerunt, minus tamen quam ante, omnes Græcæ philoſophiæ ſectæ.	Hoc ſeculo floruerunt etiamnum omnes Græcæ philoſophiæ ſectæ.	
p. 791. Superſtitibus declamationibus clarus.	Superſtitibus declamationibus philoſophicis clarus.	
Philoſoph. etiam Platonicus.	Philoſoph. idem Platonicus.	
Hac tempeſtate novum fere genus.		Hac fere tempeſtate novum genus philoſoph.
Omnes Græcorum philoſophorum ſectæ ſacra &c.		Omnium philoſophorum ſacra &c.
Præſtigias magicas.		Præſtigias magnas.
Quod ſane non alia occaſione eſt factum quam &c.	Quod equidem non video qua alia ſit occaſione factum, quam quod &c.	
Præter ludicrum transformati aſini fabulam.	Præter ludicrum ſcriptum de aſino aureo.	Vixerat Apollon. T.
Vixerat ille celebris magus Apollon. Tian.	Floruerat ille celebris mag. Ap. T.	
Auſi ſunt contendere.	Solent contendere.	
Vitam ejus hoc ſeculo conſcripſit, a Severi Imperatoris uxore invitatus Philoſtratus, etiamnum ſuperſtitem.	Vitam vero hoc ſeculo deſcripſit Philoſtratus, etiamnum ſuperſtitem.	
	Caput III.	
Diſſenſiones.		Diſcuſſiones.
Adeoque Proculeanus ſecta.		Adeoque ſecta.
Id vero incerta, ſi non inepta ſit conjectura, quam ipſa latina loquendi ratio refutat.	Id vero nonniſi incerta ſit conjectura, adeoque in medio a nobis merito eſſe relinquendum.	
p. 793. JCtum in paucis excellentem.	In paucis clarum.	In paucis clarum.
Ad ſecul. 3. eoque, vere dici poteſt, ſectas illas.	Ad ſec. 3. quo patet, breviter dici poſſe, ſectas illas.	
	Caput IV.	
Etſi minus claris autoribus.	Etſi obſcurioribus auctoribus.	
Hippocratica quaſi revixiſſe dicitur.	Hippocrat. q. floruiſſe videtur.	Hippocratica quaſi revixiſſe videtur ſchola.
Longe quam antea accuratius exercuerunt.	Longe quam ante erat factum accuratius exercuerunt.	Longe quam antea erat factum &c.
Olympianus.	Olympicus.	Olympicus.
Huc etiam pertinet Athenæus Attalenſis - - -	Deſunt h. v.	
Et Rufus Epheſius.		Et Rufus.
Ætate Galeni vixiſſe Aretæum.	Ætate plane Galeni floruiſſe Aretæum Capp.	Ætate plane Galeni floruiſſe Ar. C.
At cumprimis finem ſeculi hujus exornavit Cl. Galenus, qui omnes omnium temporum medicos & eruditione & librorum multitudine ſuperavit.	At imprimis finem ſeculi, imo Marci Antonini Commodi & Severi tempora exornavit Cl. Galenus, qui omnes omnino temporum medicos & eruditione & ſcriptorum multitudine quam longiſſime ſuperavit, ut merito ceu numen aliquod artis ejus a doctiſſimis quibusque habeatur.	At imprimis finem ſeculi, imo Marci Antonini, Commodi & Sev. tempora exornavit, Cl. Galenus, qui omnes &c. - quibusque habeatur.
	Caput V.	
Ælian. variæ hiſtoriæ ſcriptor.		Ælian. variarum hiſtoriarum ſcriptor.

Digitized by Google

Impreſſ.	*Manuſc. A.*	*Manuſc. B.*
Florus, cujus compendium hiſtoriæ Rom.		Florus, cujus complementum hiſtor. Rom.
p. 794. In ipſo flore ætatis.	In ipſo adoleſcentiæ flore.	
Anton. Pio circiter Imperatore.	Anton. Pio imperante.	
Cujus hodieque ſuperant dipnoſophiſtica nec non Julius Pollux: Lexicographus inſignis ſub finem ſeculi floruerunt.	Cujus hodie ſuperant δειπνοσοφιστικὰ ſub finem ſeculi: eodemque tempore Julius Pollux Lexicogr. inſ. floruerunt.	
Deſunt. h. v.	Poetarum aliorumque ſcriptorum nihil hodie ſuperat, quare non eſt quod eos hic memoremus.	Poetarum . . . . commemoremus.
Huc etiam pertinet Lucianus, quem dubites, an hiſtoricis, an oratoribus debeas annumerare.	Videtur ad hoc ipſum ſeculum pertinere & Lucianus, quem dubites, philoſophisne, an hiſtoricis, an oratoribus annumeres.	Videtur tamen ad hoc ſeculum pertinere Lucianus, quem dubites, philoſophisne, an hiſtoricis, an vero oratoribus debeas annumerare, utpote qui &c.
Vixit etiam hoc ſeculo, tempore Severi Imper. Neſtor quidam Larendenſis, Piſandri pater, qui Iliadem non invita Minerva ſcripſit, ut M. Ant. Delrio cenſet.	Deſunt h.	Deſunt.
	Seculum III. Caput I.	
Doctos & eloquentes.	Chriſtianos doctos & eloquentes.	Chriſtianos doctos & eloq.
Vitam Chriſtianam erudierunt.	Vit. Chriſt. docuerunt.	
Clem. Alex. presbyter & ſcholæ theol. magiſter.	Cl. Alex. presbyter.	
Severo Imper. conſcripſit.	Severo circiter Imper. conſcripſit.	Severo Imper. circiter conſcripſit.
Et prima hiſtoriæ ad gentiles, qui doctrinam Chriſtianam titulo novitatis infamant, convincendos, fundamenta jecit Jul. Africanus.	Deſunt.	
Semina.		Multa ſemina.
Quæ, nempe, incert. autor. noviter repertæ, præter IV. &c.	Duæ nempe incertorum autorum præter quatuor &c.	Duæ nempe incert. aut noviter repertæ præter &c.
Idem LXX. ſeniorum verſionem ſingulari ſtud.	Deſunt.	
Et duas novæ verſionis V. T. prodiiſſe.		Et duas novæ verſionis Græcæ N. T. prodiiſſe.
p. 795. Ob miracula edita.	Ob miraculorum edendorum virtutem.	
Superat ille martyr Cyprianus.	Superat ille ſanctiſſimus martyr Cypr.	Superat ſanctiſſ. ille martyr Cypr.
Dubium eſt.	Dubium magnum eſt.	
Huic coævus fuit Dionyſius Alexand. epiſcopus, magnæ olim dignationis vir, ſed cujus fere nihil eſt reliquum.	Deſunt.	
Diocletiano demum imperante Arnobius 7. contra gentes libros confecit, doctos quidem ſed aſperiori ſtylo.	Diocletiano demum Imperatore vixit Arnobius, cujus extant 7. contra gentes libri.	. . . . Stilo tamen aſpero.
	Cap. II.	
Inepte philoſopharentur.	Inaniter valde philoſopharentur.	

Dogmat.

Digitized by Google

Impreſſ.	*Manuſcr. A.*	*Manuſcr. B.*
Dogmat. de Deo Pythagorica.		Pythagorica nec non ſua dogm. de Deo.
A Porphyrio digeſti.	A Porphyrio diſcip. digeſti.	
Plotinus, Ægypto oriundus, cujus libri in Enneades &c.	Plotinus, Ægypto oriundus, Platonicus vulgo habitus, cujus libri in Enneades &c.	
Niſi ille ſuis voluminibus.	Niſi ille quindecim voluminibus.	Niſi ille 15. voluminibus.
Videtur ad hoc ſeculum potius quam ſequens referendus Dexippus Herennius.		Videtur ad hoc ſeculum referendus Dex. Herennius.
	Caput III.	
Juris Romani ſtudia.	Juris Rom. prudentia.	
Ætate Caracallæ.	Ætate Severi & Caracallæ.	
A Spartiano dictus.	Quem Spartianus Hiſtoricus &c.	
p. 796. Ex illa ſchola prodierunt, diſcipuli doctiſſimi.	Ex eadem illa ſchola Papinian. prodierunt.	Viri doctiſſimi.
Pomponius, Celſ. Alphen. jun. Mæcianus junior, Junius Frontinus.		Pomponius Celſus, Alphen. jun. Junius Frontinus.
Aliique, ex quorum libris compoſitæ ſunt pandectæ Juſtiniani.	Et nonnulli alii, ex quorum libris conſutæ ſunt pandectæ Juſtiniani.	
	Caput IV.	
Ætii & Pauli per infrequens fit mentio.	Ætii & Pauli per tamen & frequens mentio.	Ætii & Pauli per tamen eſt frequens mentio.
	Caput V.	
Terræ ambitum delineavit.	Terræ ambitum conſcripſit.	
Poeta Græcus Oppianus.		Poeta Oppianus.
Et Feſtum Avienum.	Et Rufum Feſtum Avienam.	Et Rufum Feſtum.
	Seculum IV. *Caput I.*	
p. 797. Quod illa non amplius craſſa & inficeta eſſet, ſed ſpeciem aliquam probitatis præ ſe ferret.	Quod illa non amplius craſſa & inficeta eſſet, qualis antehac fuerat, ſed ſpeciem &c.	qualis antehac fuerat, ſed ſpeciem aliquam probabilitatis præ ſe ferret.
Lactantius lacteæ prorſus eloquentiæ homo.	Lactantius lacteæ plane ſapientiæ homo.	
	Caput II.	
p. 798. Magicæ arti operam dederunt.	Magicæ impietati operam dederunt.	Mag. impietati operam dederunt.
	Caput III.	
Adeo ut & mater ſtudiorum illorum audiret.	Adeo ut & mater illorum ſtudiorum jam tunc dici meruerit.	Adeo ut & mater illorum ſtudiorum jam tum dici meruerit.
	Caput IV.	
Et quidem Alexandriæ.	Et quidem præcipue Alexandriæ.	Et quidem præcipue Alexandriæ.
Comes ſeu præcipuus apud Valentinianum Imp. &c.	Comes ſeu præcipuus Archiatrorum apud Valent. Imp.	
	Caput V.	
p. 799. Ammianus Marcellinus prudentibus doctiſque &c.	Ammian. Marc. qui temporibus Conſtantii & Juliani nec non Valentiniani Cæſ. floruit, prudentibus doctiſque &c.	Amm. Marc. qui temporibus Conſt. &c.
Et ſui temporis res geſtas publicis monumentis conſecravit.	Conſcripſit & ſui temporis res geſtas publicas.	Conſcripſit & ſui temporis res geſtas publicas.

Euſebii

Impreſſ.	*Manuſcr. A.*	*Manuſcr. B.*
Euſebii & Ruffini eccleſiaſticorum ſcriptorum, jam ante mentionem injeci.	Euſeb. & Ruffini eccleſiaſticorum hiſtoricorum facta jam eſt ante mentio, ut ſuperfluum fuerit iſthæc repetere.	Euſeb. & Ruff. eccleſ. &c. - - - repetere.
Solent vulgo cum Plinii panegyrico edi.	Solent vulgo edi ſimul cum Plinii panegyrico, quem ille Trajano Imp. dixit.	Solent &c. - - - - Traj. Imper. dixit.
Id genus hominum debet jungi.		Id genus hominum adſcribimus.
	Seculum V. Caput I.	
Reliquias habuit ſeculi prioris.	Habuit reliquias prioris aurei ævi.	
Auguſtinum Hipp. omnium patrum ut ingenioſiſſimum ita acerrimum diſputatorem.	Aug. Hip. Africanum omn. patrum ut ingen. ita acutiſſimum diſputatorem.	Aug. H. African. omn. patr. ut ing. ita acutiſſimum diſp.
Cum idola adhuc colerent.	Cum idolis adhuc ſacrificarent.	Cum idolis adhuc ſacrificarent.
p. 800. Fauſtus ex monacho Lirinenſi epiſcopus Regienſis.	Fauſtus ex mon. Lir. epiſc. Reg. Galliæ.	
Aluit Roma S. Leonem; præter hunc autem in tota Italia nemo doctior degit, quod Gothorum incurſibus omnia vaſtarentur.	Habuit Romæ S. Leon. præter hunc autem tota Italia nihil, quod Gothorum & Herulorum irruptione omnia vaſtata eſſent.	
In Oriente.	In orientali eccleſia.	
Hoſtilibus infeſtationibus contabeſcebat.	Hoſtilibus incurſionibus contabeſcebat.	
Narrator.	Diligens narrator.	
	Caput II.	
Omnis fere philoſophia.	Omnis fere Græca philoſ.	
Nihil pene philoſophorum.		Nil penitus philoſophicum.
p. 801. Romæ geſſiſſe, cum adoleſcens &c.	Romæ geſſiſſe ſimulque multa ſcripſiſſe, cum adoleſcens &c.	
	Caput III.	
Usque ad illam ætatem, codex Theodoſianus &c.	Usque ad illam ætatem rerum erant poſiti, codex Theodoſianus.	
	Caput IV.	
Ætius Amidenus.		Ætius Amidenus Op. gubernator.
	Caput V.	
Hunc legunt inprimis illi, qui ad politicam prudentiam adſpirant.	Deſunt.	
Fuit quidem hic tum temp. ſatis doctus, ſed ſi cum aliis illum comp. parvi momenti; ſpacio n. L. annorum omn. eruditio in Italia Hiſpan. & Gall. pene fuit deleta.	Deſunt.	
Ejus hiſtoria tripartita.	Ejus hiſtoria tripartita eccleſiaſtica.	
Qui omnes a Virgiſio usque carminis felicitate ſuperavit.	Quippe qui omnes a Virgilii usque ætate per aliquot mille annos carminis felicitate quam longiſſime ſuperavit.	
Patria Ægyptius dicitur & primus panegyricos carmine ſcripſit. Fuit & clarus Græco verſu Cyrus Theodorus Prodromus &c. - - - - - - - Falconia.	Deſunt.	Et primus panegyricos ſcripſit &c.

p. 802.

Impreſſ.	*Manuſc. A.*	*Manuſc. B.*
p. 802. Hoc ſeculo vixit S. Benedictus qui pater eſt omnium monachorum &c. &c.	Deſunt.	
- - - in latinam linguam tranſtulit.		
Imo & ipſa Eudoxia & proba Falconia.		Deſunt.
Sed infelici ſucceſſu.		Sed male fuit inſtituta.
Cit. h. deeſt.		Vid. Caſſiod. lib. 1. epiſt. 45.
	Seculum VI. *Cap. I.*	
Omnem quoque doctrinam.	Omnem quoque eruditionem.	
Occupantibus eam Longobardis.	Loco, Gothorum eam occupantibus Longobardis.	
Ut eruditioni locus haud ſuperfuerit.	Ut eruditioni vix quiſquam ſuperfuerit locus.	
Stipendia eſſent detracta.	Stipendia publica eſſent detracta.	
S. Fulgentium Ruſpenſem.	S. Fulgentium.	S. Fulgentium.
Sed notandum venit, omnes hoſce ſcriptores ſi omn. &c.	Deſunt.	
- - - aut Hieronymus.		
Non minus eruditione quam pietate clarum.	Deſunt.	
Et denique Aratorem.	Ac denique abbat. Aratorem.	
Deſunt.	Ornaverunt hujus ſeculi initium Italis etiam Boetius & M. Aurelius Caſſiodor. at horum jam ſupra mentionem fecimus.	Ornaverunt etiam ſeculi hujus initium Italis etiam Boetius, quo in tanta barbarie nemo melior nec ante quidem in latina philoſophia ſcripſit, & M. Aurelius Caſſiod.
Nihilo melior Africa & Græcia.	Nihilo melior Aſiæ & Græciæ ſtatus.	Nihilo melior Africa & Græcia Ital.
Cæterum ſub finem hujus ſeculi.	Cæterum poſt annum L. hujus ſeculi.	Cæterum poſt annum L. hujus ſeculi.
pag. 803. Habuit denique Conſt. unum Evagrium.	Sub finem ſeculi habuit Conſt. unum Evagrium.	Sub finem ſeculi habuit denique.
	Caput II.	
Clarum nomen invenit.	Clarum nomen meruit.	
Ariſtotelis libros.	Platonis & Ariſtotelis libros &c.	
	Caput III.	
Codicem per ICtos fecit conſcribi, qui ſequenti anno &c. promulgatus eſt.	Codicem per 10. ICtos, quorum princeps erat Tribonianus, fecit conſcribi, quem ſeq. &c. promulgavit.	
p. 804. Qua mutando, qua abolendo, qua addendo.	Qua mutando, qua addendo.	
Ut liquet ex Procopio.	Ut liquet ex Procopii libr. 1. de bello Perſico.	
Schola Conſtantinopolitana.	Juris ſchola Conſtantinopol.	
	Cap. IV.	
Nec hi duo, mea ſententia, ætate iſthac poſſunt eſſe antiquiores.	Nec omnino multum hi ætate iſthac poſſunt eſſe antiquiores.	
Neque enim poſt hoc ſeculum quenquam Græcum medicum alicujus famæ aut habuit &c.		Neque enim quenquam medicum alicujus famæ poſt hoc ſeculum habuit &c.
	Caput V.	
Chronicon ſuum compoſuit.	Latine chronicon ſuum ſcripſit.	

Digitized by Google

Impreſſ.	*Manuſc. A.*	*Manuſc. B.*
Primus Germanici generis ſcriptor.	Primus originis Germanicæ ſcriptor.	Primus ſanguinis Germanici ſcriptor.
Grammaticus quoque ille latinæ linguæ notiſſimus.	Grammaticus quoque ille notiſſimus.	
Heſychius Mileſius.	Heſychius Mileſius illuſtriſſimus.	
	Seculum VII. Caput I.	
p. 805. Inter opuſcula bibl. Patrum ſolent numerari,	Inter opuſcula bibl. Patrum ſolent numerari,	
Deſunt.	*præter Gregorium M. & Iſidorum, quorum ſcripta juſtæ magnitudinis volumen conſtituunt,*	hic reperiuntur.
præter hos vero neque philoſoph. &c.	præter hos vero neque philoſoph. &c.	
Neque medicum, aut deniq; vel poetam vel oratorem &c.	Neque medicum, neque hiſtoricum, denique aut poetam aut oratorem &c.	
Anaſtaſius epiſcopus Nicenus.		Anaſtaſius Epiſcopus Nicenus, de quo vide Conringium, in notis ad epiſt. Leonis I.
	Seculum VIII. Caput I.	
Nobiliſſimis omnibus.		Nobiliſſimis pene omnibus.
Hujus igitur initio vixit Romæ Gregorius junior.		Igitur initio ſeculi floruit Romæ Gregorius junior.
	Caput II.	
p. 806. Nulla eſſet ſchola.	Nulla eſſet ſchola, qua vel alphabetum ediſcere potuiſſes.	
	Seculum IX. Caput I.	
Relicta idololatria avide accepit &c.	Relicta avita idololatria accepit &c.	
Ex abbate Fuldenſi epiſcopus Moguntinus.	Ex abbate Fuldenſi archiepiſcopus Moguntinus.	
Haymo epiſcopus Halberſt.		Haymo Halberſt. epiſc.
Deſunt.	Deſunt.	*qui epitomen S. Script. conſcripſit publicique fecit juris.*
p. 807. Nec non Hincmarus Rhemenſis epiſcopus.		Nec non Hincmarus Rhem. epiſcopus nobili Francorum ſtirpe ortus, in aulicis regni negotiis ætate Ludovici Pii ejusque filiorum verſatiſſimus. Vide Conringii diſſert. de civibus §. 30.
Nicolaum I. hujus nominis Papam.	Nicol. I. Pontificem.	
Photius &c. homo ſumma eruditione.	Photius &c. homo ingenti eruditione.	
	Caput II.	
Cœperunt rurſum effloreſcere.	Cœperunt paſſim per terrarum orbem nonnihil effloreſc.	
In Aſia Saraceni.	In Aſia Saraceni Caliphæ.	In Aſia Caliphæ.
Mandaverat inſtitui.	Curaverat inſtitui.	
Albategnius Aracta.	Albategnius Mahomed Aracta.	
	Caput III.	
Recenſitæ ſunt.	Recenſitæ ſunt ac ſcriptis traditæ:	
Deſunt.	quibus aliquot ſeculis gentes Germanicæ per Italiam, Galliam & Germaniam in foro uſæ ſunt.	
Nomocanonem.	Nomocanonem vel procanonem.	
Græca eccleſia eſt uſa.	Græca eccleſia ſemper uſa eſt.	
	Caput IV.	
Nomina famoſa.	Nomina clara.	

Impreſſ.	*Manuſcr. A.*	*Manuſcr. B.*
p.808. Alpharabum item inter clariſſimos medicos habent Maronitæ.	Deſunt.	
Deſunt.	Deſunt.	H. Ben Iſaac abdita multa dicitur ſcripſiſſe in arte medica teſt. Maronitis.
Ætate Lotharii Cæſaris; vixit etiam hoc ſeculo Adelhardus, ejuſdem Caroli propinquus & conſiliarius, mox abbas Corbejæ utriusque, Gallicæ & Germanicæ, qui ſcripſit libellum de ordine Palatii; nec non Freculphus - - - - - ſol vidit. Sub finem &c.	*Ætate* Loth. Cæſaris eodemque tempore Freculphum; medio ſec. Anaſtaſium bibliothecarium, qui vitam Rom. Pontif. ſcripſit, atque Aimoinum hiſtoriæ Francicæ ſcriptorem. Sub finem &c.	*Æt.* Loth. Cæſ. eod. tempore Freculphum: medio ſecul. - - - - - - - - - - - - - - - - Hiſtor. Francicæ ſcriptorem. Vixit & hoc ſec. Adelhard. Caroli Magni propinquus & conſ. mox Ab. Corbej. utriusque Gallicæ & Germanic. ſcripſit libellum de ordine Palatii. Poetica hac ætate &c.
Quondam Helmſtadii editus. *Neque enim* debuit ille forſan ſicco pede præteriri.	*Quondam* hic editus. *Neque* enim debuit ille fortaſſis omnino ſilentio præteriri.	
	Seculum X. Caput I.	
Cum Bellarmino.	Cum cardinal. Bellarm.	
Niſi fortaſſis & Leonem ſapientem Imperatorem Conſtantinopolitanum, quis velit huc trahere, cujus ſunt epiſtolæ pro Chriſtiana fide ad Imper. Sarracenum, & nonnullæ orationes.		Niſi fortaſſis & Leonem ſapientem, Conſtantinopolitanum Imperatorem Saracenicum - - - - - *Reliqua vero ſunt omiſſa.*
Aſtrologicæ *vanitatis* ſane autor maximus.		Aſtrologicæ *veritatis* autor ſane maximus.
Qui & ipſi non fuerunt nulli.	Qui & ipſi non profecto *non* fuerunt nulli.	
Philoſophus nuncupari geſtiit.	Philoſophi nomine voluit dici.	
pag. 809. Scriptum aliquod philoſophicum elaborare &c.		Scriptum aliquod philoſophicum elucubrare &c.
	Caput V.	
Abbas Rhemenſis.	Abb. Rhem. Gallus.	
Pertinet & huc Abugiafar Mahumetanus hiſtoricus qui XII. libros Arabico ſermone condidit.	Deſunt.	Pertinet huc & Abugiafar Taborita. *Cætera deſunt.*
	Seculum XI. Caput I.	
Circa annum 1080.	Circa an. 1071.	Circa an. 1071.
	Caput IV.	
p.811. Verſis - - ſcriptis medicis in ſermonem latinum, aliisque a ſe de novo conſcriptis. Quo factum &c.		Verſis - - - ſcriptis. Quo factum &c.
	Caput V.	
Lambertus Schaffnaburgenſis.	Lambertus.	
Et monaſteria Anglica deſcripſit Ingulphus, abbas Anglicus.	- - - - - - - -	Deſunt.
Ad annum usque 1080.		Ad annum usque 1081.
Vixit etiam ſub Conſtantino Duca, Simeon Metaphraſtes & Johannes Xiphilinus patriarcha Conſtantinopolitanus.	Deſunt.	

Digitized by Google

Impreſſ.	*Manuſcr. A.*	*Manuſcr. B.*
Cujus exſtat Dionis Caſſii hiſtoriarum epitome.	- - - - - -	Deſunt.
	Seculum XII. Caput I.	
pag. 812. Quod poſtea in omnibus ſcholis prælegi meruit.	Quod in ſcholis omnibus poſt ſeculis prælegi meruit.	
Arnoldus Carnotenſis, Abbas Bonæ Vallis.	*Hic Arn. C. non comparet.*	
Schol. *orientalis* eccleſiæ.		Schol. *occident.* eccleſiæ.
Johannes Sarisberienſis, natione Anglus, vir &c.		Joh. Sarisb. vir &c.
	Caput II.	
Hac tempeſtate ſcholæ Aſiaticæ videntur valde defeciſſe.	Hac tempeſtate ſcholæ Saracenorum Aſiaticæ videntur.	Hac tempeſtate ſcholæ Saracenorum videntur friguiſſe &c.
Fuerunt autem iidem, quos antea in theologia laudavimus; præ reliquis vero &c.	Fuerunt autem iisdem theologicis quoque ſtudiis dediti adeoque iidem, quos ante in theologis laudavimus, præ reliquis &c.	
Ac quorundam Ariſtotelis eſſe uſos.	Ac quorundam Ariſtotelicorum uſos eſſe &c.	
	Caput III.	
p. 813. Friderico I. vero Imperatore.	Friderico vero Barb. Cæſare.	
Sub finem ſeculi.		Sub finem ſec. & initium ſequentis.
Montepeſſuli in Gallia.		In Gallia Montepeſſuli trans Alpes.
	Caput IV.	
Medici Saraceni floruerunt.	Medici Saraceni in Africa inprimis floruerunt.	In Africa inprimis floruerunt.
Ægidius quoque Cordubenſis, qui medica quædam verſibus conſcripſit, hoc tempore archiatrum Philippi Auguſti Gallicarum Regis egit.	Deſunt.	
	Caput V.	
p. 814. Benjamen Tudelenſis itinerarium ſuum compoſuit.	Deſunt.	
Güntherus Ligurini autor, qui &c.	Güntherus Ligurinus, qui res geſtas &c.	Güntherus Ligurinus, qui &c.
	Seculum XIII. Caput II.	
Theologicis ſcriptis inclaruerint.	Theologicis ſtudiis inclaruerint.	
Præ reliquis tamen inter illos ſcholaſticos inclaruerunt: Albertus M. &c.	Præ reliquis tamen inter illos ſcholaſticos theologos philoſophiæ peritia inclaruerunt: Albertus M. &c.	
	Caput III.	
p. 816. Patavii & Neapoli.	Patavii.	
Inſigne artis medicæ nomen deportarunt.	Inſigne nomen artis medicæ libris invenerunt.	
Rogerius & Rulandus Parmenſis. Non multo poſt &c.	Rogerius & Rulandus Parmenſis artem chirurgicam excoluerunt. Non multo poſt &c.	
Johannes XXI. dictus.	Johan. vigeſimus dictus.	Johan. 20. dictus.
Cum artis medicæ cognitione conjunxit.	Cum artis medicæ profeſſione conjunxit.	Cum artis medicæ profeſſione conjunxit.
	Caput V.	
p. 817. Quem hic inter hiſtoricos connumeremus.		Quo meruit ut hic inter hiſtoricos numeretur.

Impreſſ.	*Manuſcr. A.*	*Manuſcr. B.*
	Seculum XIV. Caput I.	
Guilhelmus Occam.	Guilhelmus Occam lima ingeniorum.	
Lyranus vocatus.	Vulgo Lyranus nuncupatus.	
S. Thomæ defenſorem.	Dogmatum S. Thomæ defenſorum.	
Scriptis piis.	Scriptis piis & devotis.	
p. 818. Taulerus &c. concionator Argentoratenſis.	Taulerus &c. concionator.	
	Caput III.	
Præterea & jus dicendi ratio a veterum conſuetudine nonnihil deflexit, & ad dialecticum arguendi diſputandique modum deducta eſt. Illa docendi via &c.	Præterea & jus docendi ratio a veteri conſuetudine nonnihil deflexa eſt, irrepente quoque in ſcholas juridicas legum autoritate ad controverſias agitandas abutendi. Illa docendi via &c.	
Diſputatio juris.	Interpretatio juris.	
Ejusque frater Angelus de Ubaldis.	Deſunt.	
A Clemente Pontifice.	A Clemente V. Pontifice.	
p. 819. Aſteſanus Aſtenſis Italus.		Aſteſanus Aſtenſis.
Circa annum 29.		Circa annum 19.
	Seculum XV. Caput I.	
p. 820. Vel in alia ſtudia.		Vel in alia ſtudia raro.
Doctus reprehenſor.	Doctiſſimus reprehenſor.	
Scholaſtici nomine invaluit Joh. Baſſolius.		Scholaſtico acumine floruit Joh. Baſſolius.
Doctor Chriſtianiſſimus.		Doctor Chriſtianiſſimus titulo Galliæ Regibus uſitato.
	Caput II.	
p. 821. Circa annum XL. & LX.	Circa annum 60. & 70.	
Philoſophiæ Platonicæ & Ariſtotelicæ peritus. Ex Græcorum autem exulum ſchola profecti ſunt.	. . . . .	*Omiſſa ſunt hæc verba.*
Interpretatione & defenſione clariſſimus.		Interpretatione clariſſimus.
Mathematica tractarunt Nicolaus Cuſanus & Petrus de Alliaco, ... Johannes de Danachioniis.	Deſunt.	
	Caput III.	
pag. 822. Circa annum 30. claruit Johannes de Anania.	Circa an. 30. claruit Joh. de Imola & Joh. de Anania.	
Floruerunt autem circa annum L. numero tres.	Fuerunt autem circa annum 80. tres numero.	
	Caput IV.	
p. 823. Recenſitis.	Recenſitis atque emendatis.	
Franciſcus Poggius Florentinus.	Franciſcus Poggius.	
Circa annum L. & LXX.	Circa annum 50. & 60.	
Philologus peritiſſimus.	Philoſophus peritiſſimus.	
Viguit fama.		Celeberrima fuit fama.
p. 824. Laudavi.	Inter literatores laudavi.	Inter literatores laudavi.

Digitized by Google

Impreſſ.	*Manuſcr. A.*	*Manuſcr. B.*
Æneas Sylvius.		Æneas Sylvius poſt Papa Pius II. dictus.
Non indoctum.	Non inelegantem.	
Rerum Saxonicarum aliarumque ſeptentrionalium &c.	Rerum Saxonicarum, Sclavicarum ac Venet. aliarumque ſeptentrionalium &c.	
Diligentisſimum doctorem.	Diligentisſimum autorem.	
	Seculum XVI. Caput I.	
p. 825. Ut hactenus nunquam.	Ut hactenus nunquam poſt natum Chriſtum.	
Matthias Flacius Illyricus.		Matthias Flacius Illyricus vixit Jenæ, cujus effigies adhuc Jenæ in bibliotheca academica videtur; domicilium ejus ſtatim penes collegium occidentem verſus oſtenditur.
p. 826. Non multum inferior.	Inferior.	
Ut qui membrum eccleſiæ Proteſtantium eſſe noluerit.		Utpote qui membrum eccleſiæ Proteſtantium fuit.
	Caput II.	
p. 828. Eadem tempeſtate reformare nonnihil ſeu potius reparare rem philoſophicam cœpit Phil. Melanchthon.	Eadem tempeſtate in Germania & Phil. Melanchthon reparare nonnihil rem philoſophicam conatus eſt.	
	Caput III.	
A nonnullis clarisſimis viris.	A nonnullis.	
A conſueta ratione.	A conſueta ac recepta ratione.	A conſueta ratione diſcendi.
Fuere autem hi in Galliis præcipui, Franciſcus Duarenus, Egvinarius Baro, Andreas Tiraquellus, vir infinitæ lectionis, Franciſcus Balduinus, Carolus Molinæus, Antonius Goveanus, gente tamen Luſitanus, Franciſcus Hotomannus, Barnabas Briſſonius &c.		Fuere autem in Gallia hi præcipui, Franciſcus Duarenus, Egvin. Baro, Carolus Molinæus, Andreas Tiraquellus, vir infinitæ lectionis, Antonius Goveanus, gente tamen Luſitanus, Hotomannus, Barnabas Briſſonius &c.
Qui omnes omnium fere temporum jurisperitos omnigena iſta jurisprudentia longo intervallo poſt ſe reliquit Jacobus Cujacius.	Qui omnes omnino fere temporum Rom. jurisperitos illius juris notitia una cum antiquitatum Græcarum Romanarumque peritia longo intervallo ſuperavit Jac. Cujacius.	
Quique etiam huic operam dedit.	Quique hunc etiam audivit.	
Monſtrare.	Oſtentare.	
	Caput IV.	
Johannes Gvinterius Andernacus.	Johannes Andernacus.	Andernacus.
Deſunt pag. 830. lin. 2.	Plane tum temporis Georgius Agricola rem metallicam elucubravit pari, ſi non majori felicitate.	hic adſunt.

De

De Familia Lotharingiæ Ducum.

CAPVT I.

De Lotharingiæ nominis ac ducatus origine & antiquiore hujus ſtatu.

§. 1.

Lotharingia olim ampliſſimo tractu in Galliæ Germaniæque confiniis inter Rhenum, Moſam, Scaldim & Burgundicum regnum protenſa, cum eadem fere inter cæteras Francorum regni portiones Auſtraſiæ ſive Metenſis regni vocabulo prius appellata eſſet, novo poſt nomine iſto a Lothario Imp. Caroli Magni nepote, vel quod aliis videtur, a filio Lotharii Imperatoris Lothario Auſtraſiæ ipſius Rege dici *cœpit.* (a)

Auſtraſia (b) nomine ideo appellata, quia fuit pars orientalis regni Francorum, quod tum dividebatur in 4. partes, 1. in regnum Pariſiorum, 2. Aquitaniæ & Neuſtriæ quaſi VVeſtriæ ultra Ligerim, 3. Burgundicum & 4. Auſtraſiam verſus ortum, quæ corruptum nomen obtinet ex Germanico *Oeſterreich*, quaſi Oſtraſia, tempore ſcilicet Merovingicæ familiæ.

Cum enim Ludovici Pii, qui patris Caroli Magni in Francorum regno ac Imperii dignitate unicus ſucceſſor fuerat, filii primum ex patris diſpoſitione, deinde poſt cruentum inter eos geſtum bellum ipſi inter ſe de regnorum partitione pacti eſſent, ac *Carolus* (c) quidem cognomento Calvus, Ludovici filius natu minimus, eam quæ ultra Moſam Scaldimque eſt Galliam, Ludovicus vero ſecundo genitus Germaniam ab Hungarorum, Slavorum, Danorumque finibus ad Rhenum usque una cum aliquot urbibus in altera Rheni ripa ſitis, Spira, VVormatia ac Moguntia, vicinoque iis tractu obtinuiſſent, Lotharius fratrum natu maximus, tum alias nobiliſſimas provincias, Italiam, in eaque urbis Romæ cum Imperatoris titulo ac dignitate dominium, regnumque Longobardorum, & in ipſa Gallia Burgundiæ ſive Provinciæ regnum, tum iſtum quoque quem antea Rhenum inter ac Moſam cæterosque illos limites interjectum deſignabamus, tractum ſibi vindicavit. Referunt hanc rem ex veteribus *RHEGINO PRVM. in chron.* & ejusd. verbis *MARIANVS SCOTVS*, tum *SIGEB. GEMBLAC.* ac ſequentes alii, qui omnes exinde Lotharingiæ nomen huic parti attributum cenſent. De diviſione vero iſta præter illos veteres jam citatos legi etiam poſſunt *LEHMAN. chr. Spir. l. 2. c. 46. CONRING. de fin. imp. c. 3.* Cæterum cum Lotharius Imp. rurſus 3. filios reliquiſſet, nova inter eos regni ſui diviſione facta, Ludovico Italiam cum Cæſarea dignitate, Carolo Provinciam ſeu Burgundiam, Lothario Lotharingiam aſſignavit, a quo proinde juniore Lothario regnum ejus proprium Lotharingiæ nomine potius videri cœpiſſe appellari, quam ab ejus parente, tum alii quidam viri docti cenſent, tum *PETAVIVS* quoque *rat. temp. P. 1. lib. 8. c. 10.* Carolo autem Provinciæ Rege extincto inter fratres Ludovicum & Lotharium portio ejus iterum eſt diviſa: Lotharii vero ipſius quoque poſtea ſine liberis defuncti regnum cum Carolus Calvus Galliæ Rex occupare conaretur, a fratre Ludovico Germ. Rege repulſus, & mox tamen inter hos duos idem Lotharingiæ regnum, excluſo fratre Lotharii Ludovico Cæſare & Italiæ Rege, in duas partes *diviſum* (d) fuit. Vid. *AIMOINI app. it. tabulæ ſive capitula diviſionis inter Ludov. German. & Carolum Calvum facta, edita* a *JACOBO SIRMONDO*, citante *CONRING. tr. cit. c. 7.* it. *RHEGINO, HERM. CONTRACTVS &c. &c.*

§. 2. Ita primum poſt diviſionem univerſi Francorum regni inter filios Ludovici Pii factam dimidia pars Lotharingiæ, quæ regni nomine deinceps adhuc longo tempore fuit appellata, Germanici regni juribus acceſſit, Factum id an. 870. & cum poſtea an. 876. Calvus Lotharingiæ finibus iterum inhiaret, a Ludovico filio Ludovici Germanici, cui poſt patris obitum pars Germaniæ obtigerat, magna clade repulſus fuit: *AIMOINVS l. 5. c. 33. 34. Ann. Franc. PITHOEI.* Decennio vero poſt illam Lotharingiæ diviſionem anno nempe 880. defunctis jam Carolo Calvo ejusque filio Ludovico Balbo, cum in Gallia rerum potirentur duo filii nothi illius Balbi, & legitime natus Carolus ſimplex poſtea dictus adhuc infans eſſet, in Lotharingia vero VVolradus Lotharii Regis filius ſpurius novas res moliretur, idem ille Ludovicus partis Germaniæ Rex, a quibusdam ſimul Galliæ proceribus invitatus, in Galliam movit, cujus vim ut a toto illo occiduo Francorum regno occupando Balbi filii ac cæteri proceres averterent, legatis ad eum miſſis, alteram illam dimidiam Lotharingiæ partem, quæ Galliæ regno acceſſerat, ei *obtulerunt*, (e) qua accepta ille in Germaniam rediit, atque ita totum Lotharingiæ regnum Germanico demum regno conjunctum fuit, ducibusque poſthac regendum commiſſum, qua de re legi poſſunt ſcriptores adducti.

§. 3. Fuere quidem ſemel iterumque Gallici Reges eam ad ſe retrahere conati, & ipſi etiam proceres ejus ad illorum partes inclinarunt, rebus nempe Germaniæ per inteſtina regum principumque diſſidia & Hungarorum incurſiones tunc admodum attritis: Verumtamen & ipſe qui eam anno

(a) *cœpit*) Celeberrimi *MASCOVII diſſertatio de nexu regni Lotharingici cum regno Germaniæ* §. 3. *LVDWIGII Lotharingia vindicata* §. 6.

(b) *Auſtraſiæ*) Vid. *SCHVRTZFLEISCH & VAGADIS diſſertat. de regno Auſtraſiæ. CLVVER. introduct. in geograph. lib. II. c. 13. §. 6.*

(c) *Carolus*) De hac diviſione agunt *THEGNANVS, NITHARDVS, Annales Metenſes, Bertiniani, Fuldenſes &c.*

(d) *diviſum*) *DV CHESNE ſcript. rer. Francic. tom. II. p. 453. MIRÆI oper. diplomat. & hiſtor. tom. I. cap. 21. p. 29. ſeqq.*

(e) *obtulerunt*) *Annales Bertiniani & Metenſes ad annum 879.*

no 912. occupaverat Carolus ſimplex, poſtea anno 925. Henrico Auc. illam *reddidit,* (a) & deinde cum circa annum 939. Giſelberto Lotharingiæ Duce autore proceres ejus ab Ottone I. Imp. ad Ludovicum Transmarinum Caroli Simpl. filium defeciſſent, victis ab Ottone Giſelberti partibus ipſoque Rheni aquis ſubmerſo, Ludovicus Rex affinitate cum Ottone per ſororem ejus Giſelberti viduam uxorem ductam juncta, univerſam ei Lotharingiam reſtituit, Ottoque ex eo Regem ſe Lotharienſium & Francigenum ſive Francorum *appellavit.* b) Similes quoque conventiones poſtea inter Ottonem II. ac III. Galliæque Regem Lotharium Ludovici Transmarini filium, qui & ipſe violatis pactis prioribus Lotharingiam invaſerat, ſunt factæ. Ceu hæc omnia referunt autores ab eodem Conringio loco illo alleg.

§. 4. Inter hos vero Otto II. Imperator ut Lothario Galliæ Regi ac proceribus ejus factionis ægre faceret, fratri ejus Carolo ad ſe evocato Lotharingiam *conceſſit*, (c) ſed magna ſimul ejus parte detracta. Nam & Brabantia tunc avulſa ab ea dicitur, nec exigua pars Colonienſi ac Leodinenſi eccleſiæ attributa, & Antvverpiæ marchionatus imperii titulo affecta. Quæ quidem prima videtur fuiſſe Lotharingici regni imminutio. Vid. *GVICCIARD. deſcript. Belg. edit. vet. p. 56.* De ipſo vero Carolo Lotharingiæ duce contra fratrem facto, vid. ex antiquis *SIGEB. chron. HERM. CONTRACTVS, LAMB. SCHAFNABVRG. AIMOINVS l. 5. c. 45.* Cum porro poſt obitum Ludovici filii Lotharii Galliæ Regis Carolus hic Lotharingus tanquam unicus ex Caroli M. familia adhuc ſuperſtes regni hæres illud ſibi vindicaturus ab Hugone Capeto captus, inque carcere eſſet mortuus, filius ejus Otto Lotharingiam tenuit, ob quam cauſam novum inter Germanos Galloſque bellum *exortum fertur,* (d) ejuſdemque tempore, ut in Atlante maj. dicitur, a Lotharingia Alſatia fuit *ſeparata.* (e)

§. 5. Tandem vero, præſertim cum & Otto ille ſine maſculis liberis obiiſſet, poſt varias ultro citroque factas transactiones, Henricus II. Imper. ducatum hunc contulit Gothefrido comiti *Arduennæ.* (f)

Arduenna eſt ſylva *ampliſſima* (g) aliquot dierum itinere, etiam a Cæſare jam in commentariis ſuis deſcripta, in finibus epiſcopatus Leodicenſis Brabantiæ & Hanoniæ, & fuit comitatus a ſylva illa appellatus a tempore Caroli M. & ſeqq.

Quem recentiores quidam ſcriptores ab Ottone illo quem jam diximus Caroli fratre adoptatum ajunt, ejusque genus, ſed nullis certis veterum teſtimoniis, ad 1. antiquos Francorum reges Merovingos referre conantur, Gothefrido ſeu frater, ut a Sigeberto dicitur, ſeu filius Godelo ſucceſſit, huicque rurſus filius Gothofridus itidem turbatur dictus, cujus cum filius Gotofredus III. cognomento Gibboſus ſine liberis obiiſſet, filia Ida vel Itta nupſit *Euſtachio* (h) Flandriæ ſeu, ut alii vocant, Boloniæ vel Bononiæ C. eique ut illi volunt, dotalem Lotharingiæ ducatum attulit. Cæterum huic recentiorum quorundam narrationi contradicit vir doctiſſimus Joh. Jac. Chiffletius in tractatu quem Lotharingiam maſculinam inſcripſit, & cum Lotharingiæ ducatus feudum maſculinum eſſet Imperii, tum Henricum II. Imp. prætèrita ſorore Ottonis, quod fœmina eſſet, in feudum contuliſſe eum Gotofrido comiti Arduennæ, ex diverſis veteribus annalibus ab ipſo citatis, tum poſtea etiam poſt obitum Gotofridi illius gibboſi *Henricum IV.* (i) Imp. filio ſuo Conrado eum tradidiſſe, ex Lamberti Schafnaburg ſcriptoris coævi chronico ad anno 1076. & manuſcripto exemplari Sigeberti probat: Ida vero cum allodialia bona in eadem Lotharingia haberet, in iis quidem ei ſucceſſiſſe ejus ex Euſtachio illo filium Gotofridum Bovilionii comitem, quem comitatum ut & alios quosdam vicinos tanquam allodiales etiam ex teſtamento avunculi, Gotofridi Gibboſi poſſediſſe. Eidem tamen Gothofrido Boullio, imo idem poſtea Imperator Henricus IV. anno 1089. ipſum quoque Lotharingiæ, ſed inferioris (de qua diſtinctione mox dicetur) ducatum tandem tradidit, ut porro Sigeberti & Alberici teſtimoniis a Chiffletio probatur.

§. 6. An-

(a) *reddidit*) *SIGEBERTVS ad ann. 924. CONTINVATOR RHEGINONIS ad eundem ann. BALVZIVS tom. II. capitul. Franc. c. 3. p. 299. SCHILTER. tom. I. Jur. P. §. 4. c. 9.*

(b) *appellavit*) *SIGEBERTVS ad ann. 927. BVTKENS in troph. Brabantinis. MASCOWII diſſert. cit. §. 5.*

(c) *conceſſit*) *SIGEBERTVS ad ann. 977.* Controverſum eſt, quam Lotharingiam Carolus acceperit, an ſuperiorem, an inferiorem, an utramque. Hanc ei vindicat *JOHANN. BESLY in peculiari diatribe, cui titulus: de quelle Lorraine Charles fils de Louis, d'outre mer, etoit Duc.* Tractatus hic ejus hiſtor. comitum Pictavienſium Gallice ſcript. eſt inſertus. *CHIFLETIVS in comment. Lotharienſi pag.* 100. ſolam inferiorem ipſi datam eſſe ſtatuit.

(d) *exortum fertur*) Robertus pacto cum Henrico II. inito omni in Lotharingiam juri renunciaſſe dicitur. *SIGEBERTVS ad ann.* 1023.

(e) *ſeparata*) Vid. *OBRECHTI prodrom. rer. Alſat.*

(f) *Arduennæ*) De Lotharingiæ Ducum ſtirpibus confer. DE ROSIERES, archidiaconus Tullenſis, in quo tamen a THVANO, aliisque viris doctis multa deſiderantur. Vid. LVDWIG §. 9. kk, fuitque autor juſſu Henrici III. ob illum librum Baſtiliæ incluſus. *Conſiderations hiſtoriques ſur la genealogie de la maiſon de Lorraine, par LOVIS CHANTERAVX LE FEBVRE, WASSEBVRGIVS, VIGNIER la veritable origine de tres illuſtrè maiſon d'Alſace, de Lorraine, d'autriche de Bade.* Stemma Lotharingicum refert quoque IMHOFF *in genealog. Francic. p. 79. ſeqq.*

(g) *ampliſſima*) *HARIGERI geſta Pontific. Tungrenſium* apud *CHAPEAVILL tom. I. c. 55.*

(h) *Euſtachio*) Cui Guilielmum peperiſſe dicunt: Verum hunc Guilielmum fictitium eſſe FEBVRIVS *in præfat.* libri citati probare nititur.

(i) *Henricum IV.*) Alberto Henricus 1045. poſt Gothelonis Lotharingiæ Ducis obitum Moſellanicum ducatum contulit. Illo autem triennio poſt a Godofredo Gothelonis filio occiſo idem Imperator ducatum Gerardo III. Geardi II. filio conceſſit. Ab hoc familia omnis Lotharingica defluxit. IMHOF *l. c. p. 80.*

§. 6. Antequam autem ad ulteriora & ipſam hodiernam familiam Lotharingiæ ducum progrediamur, id jam monendum eſt, Lotharingiam, quæ quidem amiſſo paulatim regni nomine poſt Ottonis I. tempora perpetuo deinceps ducatus tantum nomine appellata fuit, ab antiquis illis temporibus diviſam fuiſſe *in ſuperiorem & inferiorem.* (a) Inferior ut etiam in Atlante maj. dicitur, habebat *Brabantiam*, (b) Haſpaniam (comitatum in Brabantiæ & Leodienſis epiſcopatus finibus ſitum) Geldriam & Cliviam. Superior epiſcopatum Leodienſem, Luzenburgum, Limburgum & ducatum ut tunc dicebatur Moſellanum, palatinatum Surenſem, tractum Obrincanum (Trevirenſis epiſcopatus & Palatinatus partem) & regionem illam omnem quæ hodie ſingulari titulo Lotharingia appellatur. Poſtquam vero ducatus etiam ipſe, ut ante ex parte indicavimus, detractis plerisque cæteris illis ditionibus, admodum fuit imminutus, aliquandiu tamen diſtinctionis illius in ſuperiorem & inferiorem nomina manſere, ac ſingulis etiam ſui duces, quemadmodum jam de inferiore, qui tamen poſtea prorſus abolitus in diverſos principatus abiit, exemplo Gothofridi Boullionei ab Henrico IV. eo ducatu donati cognovimus, Imperatoribus ita diviſim eos conferentibus aliquandiu præfuere.

§. 7. De inferiori vero cum ut jam diximus, fuerit dudum abolitus, non eſt quod pluribus jam agamus. Illud tantum operæ pretium adhuc eſt monere, quod de nomine ſive titulo Lotharingiæ a Burgundiæ ducibus ſive Auſtriacis interdum uſurpato habet *GVICCIARDINVS in deſcr. Belg. loc. ſupra cit.* quod poſtquam Henr. V. Imper. & ipſe Lotharingiæ ducatum duobus diverſis Principibus, & inferiorem quidem Godofredo C. Lovanienſi contuliſſet, eundem Godefridum cum maternum ſuum genus ad Carolum illum Lotharingum, quem ultimum ex Caroli magni poſteris ſupra dicebamus, referret, aſcito vel reſumto potius Brabantiæ ducis titulo (ut quondam anteceſſoribus ſuis uſurpato) non omiſiſſe interea illum quoque Lotharingiæ titulum, cum in utramque ſimul ſuperiorem & infer. (nempe ut videtur ex illo ſuo materno genere) jus prætenderet. Atque hinc adeo eſt (ait jam porro Guicciardinus) quod hodieque ejus ſucceſſores (Brabantiæ duces) titulum illum Lotharingiæ ſeu Lothariæ ducis retineant (comparet enim ille adhuc in titulo Caroli V. Imp. etſi hodie in Auſtriacorum titulis ille fere omittatur) cum tamen nihil de ea habeant, ac nomen ſimul & ditio (Lotharingia nempe) manſerit Lotharingis (ſuperioris Lotharingiæ ducibus.) Hæc ita Guicciardinus. Planior autem hujus tituli Lotharingiæ a Brabantiæ ducibus & eorum ſucceſſoribus Burgundis adhuc longo tempore & ab ipſo Carolo V. uſurpati ratio videtur, quod Brabantia non exigua imo primaria pars eſſet inferioris Lotharingiæ, cujus proinde duces, etſi jam Brabantiæ ducum antiquum titulum reſumerent, non deſtiterunt tamen Lotharingicum ſimul titulum prioribus harum terrarum principibus uſurpatum ſibi ſuisque poſteris conſervare.

§. 8. Cum vero obliterato penitus in inferiore iſto tractu nomine Lotharingiæ illud tandem in parte duntaxat ſuperioris, quam quidem hodie ducatum Lotharingiæ appellamus, permanſerit, ad ſequentia rectius intelligenda ſitum ſive limites hujus regionis, prout detractis cæteris, quas quondam in ſuperiore Lotharingia numeratas antea dicebamus, ſeorſim jam *Lotharingiæ nomine* (c) cenſetur, verbo etiam deſignare oportebit. Ea inter Germaniam Galliamque Belgicas item provincias ac Burgundiæ comitatum ſatis amplo adhuc tractu, ſi cum aliis plerisque Germaniæ Galliæque ducatibus conferatur, protenſa, ab ortu Alſatia, a meridie Burgundiæ utriusque finibus, ab occidente Campania, a ſeptentrione montibus ſylvisque Luzenburgenſis ditionis ac Trevirenſi diœceſi, Palatinatusque partibus terminatur. Antiquis temporibus Mediomatrices & Leuci ejus incolæ appellati. De Barri ducatu qui a tergo Lotharingiæ ducatus per Campaniæ fines longo tractu decurrit, ſeorſim alio loco dicemus. Quæ etiam ipſa Lotharingia dominiorum ac dynaſtiarum nomina hodie contineat, itidem ex ſeqq. fiet planum. Illud antea omiſſum adhuc indicandum, quod cum Moſella fluvius longo tractu ſuperiorem hanc Lotharingiam mediam intercurrat, ea ipſa Moſelani quoque ducatus nomine antiquiore ævo fuerit appellata, quo etiam Chifletius paſſim eum adhuc vocat: licet alii, ut antea quoque juxta Atlantis majoris enarrationem fecimus, diſtinctum adhuc a Lotharingiæ ducatu Moſellanum faciant, etſi ubi præter vel juxta Lotharingiam ſuperiorem ille eſſe potuerit vix appareat. Nonnulli & inter hos *SPANGENBERGIVS* citante *ZEILERO itin. Germ. P. 2. c. 21.* Luzenburgenſem ac Limburgenſem ducatus ac vicinos his comitatus eo nomine comprehenſos, ſed conjectura admodum incerta ac vix probabili opinantur.

CAPUT II.

Hodierna familia Lotharingiæ ducum origine ac ſucceſſione uſque ad Renatum R. Neapolitanum.

§. 1. In origine ac majoribus hodiernæ domus Lotharingicæ deſignandis maxima ſi usquam Genealogicorum aliorumque ſcriptorum eſt diſcrepantia. Cauſa hujus diverſitatis præter certorum monumentorum antiquorum defectum, videtur inprimis neglecta a plerisque illa quam ante indi-

(a) *in ſuperiorem & inferiorem.*) *BVTKENS in troph. Brabantinis lib. I. c. 3. BLONDELLVS in genealog. Franc. plenieri aſſertione p. 270. MASCOW. l. c. §. VIII. XVII.*

(b) *Brabantiam*) Hinc Henricus Brabantiæ Dux in diplomate de anno 1184. ſe Lotharingiæ ducem vocat *MIRÆI diplomata Belgica c. LX.* Vid. aliud ejus diploma l. c. cap. LXXIII. ubi ſe vocat Lothar. ducem & R. I. marchionem.

(c) *Lotharingiæ nomine*) *MASCOW. §. XV. ſeq.*

Indicavimus Lotharingiæ in ſuperiorem & inferiorem diverſosque adeo ducatus, diverſis plerumque etiam principibus commiſſos diſtinctio. Sane cum hi, quorum nunc res tradere aggreſſi ſumus, una cum majoribus ſuis, ſolius ſuperioris Lotharingiæ duces & diverſi adeo ab inferioris ducibus a primis uſque initiis extiterint, plerique tamen ſcriptores res ac majores hodiernorum ducum enarraturi unam tantum Lotharingiæ ducum ſeriem ab inferioris ducibus exorſi ad hodiernos uſque ac ſuperioris adeo Lotharingiæ duces pertexunt. Videre hoc licet non tantum apud *HENNINGESIUM, REUSNERUM*, aliosque, ſed & *ZEILERUM in itinerar. Germ. P. 1. & 2.* ex ipſo quem hic etiam adducit, Franciſco de Roſieres Lotharingo Barroducenſi, qui amplis VII. voluminibus ſtemmata ac res geſtas Lotharingiæ & Barri ducum deſcripſit; de quo quidem ſcriptore poſtea etiam aliqua erunt dicenda. Neque vero etiam *GABRIEL BUCELLINUS in Germania notiɛis genealogica p. 47. 48.* aliam ingreſſus eſt viam. Omnes hi antiquos Lotharingiæ duces poſt regnum Lotharingiæ ab Henrico Auc. Ottone I. ac II. Impp. Germaniæ regno iterum vindicatum enarrantes, eos tantum, quos ſuper. *cap.* §. *4. & 5.* ex ipſorum relatu indicavimus, Carolum nempe Lotharii Francorum in Gallia Regis fratrem, ejusque filium Ottonem: inde Gothefridum Barbatum quem Arduennæ comitem antea fuiſſe dicebamus ab Henrico II. Imp. Lotharingiæ ducatu inveſtitum, hujus deinde filium Godelonem ſeu Gozelonem ac nepotem Godefredum II. ac denique pronepotem Godefredum III. gibboſum, commemorant. Hoc ſine liberis defuncto Idæ ſororis ejus maritum, Euſtatium vel Euſtachium Boloniæ ac Flandriæ comitem, quem a Gibboſo illo Idæ fratre etiam adoptatum volunt, Lotharingiæ ducatum ſive ex jure illo adoptionis ſive tanquam uxoris Idæ dotalem accepiſſe ajunt. Euſtatii filii fuere Godefridus Boullioneus celeberrimus ille inter Chriſtianos principes, qui Henrici IV. tempore expeditionem in orientem ad palæſtinam ex infidelium manibus recuperandam ſuſceperunt, primusque ab iis Hieroſolymæ Rex electus; hujusque frater Balduinus & ipſe poſt illum Rex ibi factus. Hi ſane ambo & inprimis Godofredus non ab illis tantum quos antea indicabamus genealogiarum ſcriptoribus, ſed & omnibus aliis illius ac ſeqq. temporum hiſtoricis Lotharingiæ duces appellantur, ac idem Godofredus etiam ad ſumtus ſacræ illius, ut putabatur, expeditionis ſuſtinendos comitatum Bouillonenſem, quem allodii jure a majoribus acceptum poſſe debebat, Alberto epiſcopo Leodienſi *vendidit*: (a) qui proinde comitatus, vel ut poſtea dici cœpit ducatus, cum epiſcopatu Leodienſi hodieque eſt conjunctus, de quo videri poteſt etiam Thuanus l. 2. Præter illos duos vero Reges Hieroſolymæ factos ibique mortuos tertius Euſtatii filius ab illis fuiſſe dicitur Guilielmus Baro Jovillæ, quem in abſentia fratrum, rectorem, ſive adminiſtratorem ducatus Lotharingiæ ab iis relictum ajunt, & ab eo per Theodoricum cognomento violentum, ejus, ut putant, filium recta porro ſerie Lotharingiæ ducum familiam ad hodiernam uſque deducunt. Et ſeorſim inſuper Bucellinus ut eosdem illos veteres ita hanc quam eorum aſſerit progeniem e Caroli M. familia oriundam certis ut ipſi videtur, rationibus deducere laborat.

§. 2. Cæterum omnes hos qui hactenus a nobis enarrati fuere, inferioris tantum Lotharingiæ, qui poſtea mutata in priſtinum nomen ejus appellatione, Brabantiæ dictus fuit, ducatui præfuere, præter unum Gozelonem antea dictum Godefridi I. Barbati filium, qui cum Lotharingiæ inferioris Dux eſſet a Conrado II. Imp. etiam ſuperiori ducatui præfectus fuit. De cætero ſuperior hic toto illo tempore, quo iſti in inferiore Lotharingia floruere, proprios ſuos duces habuit, qui plerumque tamen Moſellaniæ (de quo nomine antea diximus) duces in ſcriptoribus appellantur. Horum vero non fuit una familia, quæ quidem continua ſerie ex monumentis antiquis aut ſcriptoribus floruiſſe poſſit colligi, cum etiam extranei interdum ducatui huic tanquam feudo tunc prorſus militari ab Imperatoribus fuerint præfecti, donec anno 1046. Henricus III. Imp. Albertum Alſatiæ comitem conſobrinum ſuum, & poſtea anno 1048. fratrem ejus Gerhardum de ducatu iſto inveſtiret, cujus Gerhardi filius jam fuit Theodoricus ille violentus antea a nobis dictus, ſive potius ut alii appellant ſtrenuus, quem priores illi Genealogici perperam Wilhelmi illius Boullionii inferioris Lotharingiæ ſeu Brabantiæ adminiſtratoris filium comminiſcuntur: & ab hoc deinceps hodierena ducum Lotharingiæ, ut in ſeqq. porro dicetur, recta jam ſerie eſt propagata familia.

§. 3. Originem vero hujus familiæ quod attinet, de eo ita ait Spenerus in indice theatri nobilitatis Europeæ, ſive tabularum progenealogicarum: De familiæ (Lotharingiæ ducum) origine ab Alſatis ducenda, atque ita cum pluribus Erchinoaldinæ gentis ſuperſtitibus ſtirpibus agnatione, nunc quam olim genealogorum ſtudio clarius conſtat. Fuit autem, ut breviter hæc explicemus, Erchinoaldus circa annum Chriſti 650. (nam poſt 660. obiit) Dux Francorum & in Neuſtriæ ac Burgundiæ regnis, (duæ hæ portiones erant ex 4. illis regnis in quæ per Cladovei M. filios totum Francorum imperium fuerat diviſum) majoris domus ſive Regii Palatii præfectus: quæ dignitas regali proxima poteſtate interdum ſupra ipſos Reges aſcendebat, etſi ea poſtea per Carolum Magnum fuerit imminuta, de qua inter alios videri poſſunt *EGINH. in vit. Car. M. SIGEB. chron. ad an. 662. OTTO FRISING lib 2. cap. 13.* ex recentioribus *JOANNES TILIUS chron. ad an. 667.* qui magiſtrum equitum interpretatur. FRANC. HOTTOM. *in Franco-Gallia, CHIFLETIUS Stemm. Auſtr. cap. 45.* Hujus Erchinoaldi cum filius Leudeſius eadem majoris domus dignitate ex nepotibus vero ac pronepotibus 3. Alſatiæ ducum titulo ac poteſtate floruiſſent, reliqui deinceps eorum poſteri per 300. annos comitum appellatione diverſis per Alſatiam & Alemanniam tractibus præfuerint, donec ex iis, ceu diximus, circa annos Chriſti 1046. & 48. Albertus primum & poſt hunc frater

ejus

(a) *vendidit*) Andeberto nempe. Vid. *deſcript. epiſcopat. Leodienſ. p. 27.*

ejus *Gerbardus* (a) Alſatiæ hactenus comites ab Henrico III, Imp. conſobrino ipſorum ſuper Lotharingiæ duces crearentur, a quo Gerhardo deinceps perpetua ſerie domus Lotharingica hodierna deſcendit. Quod vero de ejus cum pluribus aliis Erchinoaldinæ gentis ſuperſtitibus ſtirpibus agnatione in verbis antea adductis Spenerus innuebat, ſane ex iisdem Erchinoaldi poſteris Gerhardi jam dicti agnatis proximis, non tantum plures aliæ comitum ducumque familiæ jam dudum extinctæ, int iisque Briſigaviæ comitum ducumque Zavingiæ & Teccæ, ſed & hodierni marchiones Badenſes & ex Altenburgi ab Habsburgi comitibus ipſa Auſtriæ Archi-Ducum ac Hiſpaniæ Regum familiæ certa propagationis ſerie deſcenderunt, adeoque eundem cum Lotharingiæ ducibus originem agnoſcunt; quemadmodum hæc pluribus videri poſſunt apud *DAV. BLONDELLVM præfat. apolog. adverſus Chifletium* ſub tit: Stemma Auſtriac. quaternione XXIX. 4. XXX. & ſqq. usque ad XXXIX. 3. ubi inter alia Chifletium quod Lotharingiæ duces ab Erchinoaldi poſteris conetur excludere, ſæpius perſtringit.

§. 4. Gerhardo illi porro, Alberti I. ex hac familia ducis fratri ac ſucceſſori duo apud Blondellum aſſignantur filii Theodoricus ille ſtrenuus & Gerhardus, ex quibus Theodoricus patri in Lotharing. ducatu ſucceſſit, Gerhardus vero pro more ilius ævi, quo non niſi regentes principes ducum titulo honorabantur, comes Vadani montis dictus fuit (Gallice Vaudemont) quem comitatum quidem tanquam allodialem per matrimonium ſibi comparaverit. Et hæc prima diverſarum linearum ſecundum diverſas quoque dominiorum ac titulorum appellationes in Lotharingia familia diſtinctio eſſe cœpit pluribus poſtea accedentibus aliis, quarum tamen pleræque ſequentibus temporibus una cum extinctis ipſis illis lineis iterum deſiere. Theodorici filii fuere Simon I. cognomento craſſus qui unus patri in ducatu ſucceſſit: reliqui vero duo Theodoricus & Gerhardus rurſus comitum tantum titulo ſunt affecti, ille Flandriæ iſte Egensheimii. Eodemque modo ſequentes etiam duces ſemper primogenitos filios, vel, ſi nullos maſculos liberos reliquerunt, fratres proximo loco genitos ducum titulo ſucceſſores habuere, cæteris minoribus comitum, quin & baronum titulo contentis. Cæterum neque adhuc ducum quoque ipſorum ſeries uno modo a genealogicis proponitur, inter quos tamen is qui a Blondello utpote poſt omnes aliorum relationes diligenti examini ſubjectas in præfatione apologetica adverſus *CHIFLETIVM l. c.* quaternione *XXXIIX. 3. 6. & ſeqq.* in Erchinoaldinæ gentis gradibus ſimul exhibetur, optimus certiſſimusque nobis apparet. Ut autem omiſſis natu minoribus ſive appanagiatis, cum & Vadani montis comitum prima illa linea dudum defecerit, ducum tantum ipſorum regentium ſeriem porro nudis eorum nominibus (res geſtæ ſingulorum fuſe ſunt deſcriptæ a *Roſierio* (b) ſupra memorato, etſi alicubi diverſum ab eo illorum ordinem Blondellus exhibeat) proponamus: Theodorico illi ſtrenuo, Gerhardi II. poſt fratrem Albertum in hac familia ducis anno 1070. defuncti filio, cum & ipſe anno 1028. ut ex Roſierio Teilerus, vel potius, ut Chifletius tum alibi in vindiciis Hiſpanicis *p. 338.* notat, an. 1115. eſſet mortuus, filius natu major Simon I. jam ante memoratus & huic jam porro filius Matheus I. huicque rurſus filius Simon II. ei vero anno 1207. ſine liberis mortuo frater Fridericus I. in ducatus regimine ſucceſſit. Friderici I. ſucceſſor factus filius Fridericus II. & hujus rurſus filius natu major Theobaldus I. Poſt hunc vero ſine liberis defunctum minor ejus frater Mathæus II. Hujus porro filius ac ſucceſſor fuit Fridericus III. & hujus itidem filius Theobaldus II. quem anno 1311. excepit filius Fridericus IV. & hunc porro Rudolphus, eumque filius Johannes, qui anno 1382. rebus humanis exemtus filios reliquit Carolum I. cognomento Audacem, & Fridricum Jovillæ baronem, ac tandem per matrimonium cum Margaretha ultimi ex prioribus Vadani montis comitibus filia ac hærede rurſus Vademontis factum comitem.

§. 5. Poſt Carolum vero illum, tum ſucceſſionis tum nominis quoque ducum Lotharingiæ ſeries aliquandiu in hac familia fuit interrupta. Ac ſane perpetuo ducatus hujus poſſeſſione ea tunc excidiſſet, niſi is eodem, quo antea ab ea avulſus fuerat matrimonii jure poſtmodum ad eam rediiſſet. Carolus enim ille I. ſeu Audax anno 1430. defunctus cum nullos reliquiſſet liberos maſculos, filia ejus unica Iſabella nupſit Renato D. Andium ſive Andegavenſi (Anjou) ac Barri & comiti Provinciæ, ac poſtea etiam Regi Neapolis, Siciliæ ac Hieroſolymæ poſt obitum fratris Ludovici Regis a Johanna Regina facto; Huicque poſt patris Caroli obitum ducatum Lotharingiæ totum in dotem attulit, excluſo patruele Antonio, filio Friderici illius Vadani montis comitis ante Carolum fratrem anno 1415. in prælio occiſi, ad quem poſt mortem patrui ſucceſſio ducatus videbatur pertinere

Johannes D. Lotharingiæ.

Carolus I. Audax D. Lothar. ob. 1430. — Fridericus Jovillæ Baro Vaudemont.

Iſabella, uxor Renati R. Neap. ob. 1452. — Antoninus C. Vaudemont.

Johann. D. Calabr. & Lothar. ob. 1470. — Jolanda, uxor Friderici C. Vaudemont. — Fridericus C. Vaudemont. maritus Jolandæ.

Nicolaus D. Lothar. & Calabr. ob. 1473. — Renatus D. Lothar. Junior, ſtirps ſqq. ducum.

Contra-

(a) *Gerbardus*) Vid. *IMHOF. genealog. Franc. pag. 79.*

(b) *Roſierio*) Vid. *CONRING. ad Lampadium part. 3. cap. 5. §. 24.*

Contradixit vero his Antonius Vaudemontius, cumque verbis nihil efficeret, an. ſq. 1431. armis rem aggreſſus ipſum Renatum auxilio Philippi cognomento boni Burgundiæ D. prælio victum cepit, Burgundoque cuſtodiendum tradidit. Manſit nihilominus Renatus per uxorem virilis prorſus animi ac fortitudinis fœminam in poſſeſſione ducatus, & cum ad Sigism. Imp. ac concilium Baſileenſe controverſia delata eſſet, præſente ipſo Antonio, pro Renato ab Imper. pronunciatum, ipſeque ex jure uxoris de regalibus ducatus inveſtitus fuit. Vid. *CHIFLETIVS in Lothar. maſcul. cap. 3. p. 10. & ſqq. BLONDELLVS* adverſ. *CHIFLETIVM præfat. apol. XXI. 1. 2. 3.* Tandem a. 1434. (Blondellus vult 1432. vel 33.) Renatus adhuc in cuſtodia detentus, cum mox etiam Neapolis & Siciliæ Rex ſeu diximus deſignatus eſſet, hæc pacis conditio a Philippo Burgundo eſt propoſita, ut Renati & Iſabellæ filia Jolanda, quæ tunc 5. annorum puella erat, Friderico Antonii filio deſponſaretur, atque ita poſt Iſabellæ obitum Fridericus & ex eo nati inter hæredes illius (Iſabellæ) computarentur. Quo pacto Renatus anno 1436. vel 37. ut Blondellus numerat, libertati fuit reſtitutus: Nuptiæ vero inter Jolandam ac Fridericum poſtea anno 1444. ut Chifletius, vel ut Blondellus vult 1441. peractæ ducatus Lotharingici poſſeſſio autem adhuc penes Renatum R. & Iſabellam manſit, eaque anno 1452. defuncta, filius ejus Johannes Calabriæ & Lothar. D. dictus illum obtinuit, cui pariter anno 1470. mortuo, ipſius quoque (in regno Neapolitano natu filius maximus Regis & futurus ſucceſſor dicebatur Dux Calabriæ) filius Nicolaus itidem Calabriæ dux ſucceſſit. Tandem vero poſt hunc an. 1473. ſine liberis defunctum, Jolanda amita ejus Renati Regis filia, Friderici interim defuncti vidua, ducatum Lotharingiæ pro ſe ac filio ſuo Renato jun. regendum accepit: avo quidem Renato ſen. ſive Rege adhuc ſuperſtite, atque ita Renatus ille junior antiquo familiæ ſuæ ducatu recepto ſeqq. poſthac Lothar. ducum nova quaſi ſtirps & propagator extitit. Vid. tab. ſupra adjectam.

CAPUT III.

RENATO II. LOTHAR. ejusque filiis & familiæ in duos ramos diviſione, Lotharingicum & Guiſium.

§. 1. Renatus II. Friderici Vaudemontii C. & Jolandæ filius una cum ducatus Lotharingici titulo recepto, qui licet avitum patrimonium ejus habitus, poſt obitum tamen conſobrini Nicolai velut nova hæreditas ei obtigerat, ut & ex avi Renati ſenioris Regis Neapolitani jure alios etiam novos titulos ac jura in familiam ſuam intulit. Et præter ipſum quidem Lotharingiæ ducatum a Nicolai obitu per matrem ceu diximus acceptum, etiam vel ex ejusdem Nicolai hæreditate, vel quod nepos Renati Regis eſſet, (cum in regno Neapolitano Regum filii Calabriæ duces plerumque fuerint dicti) Calabriæ ducis titulum aſſumſit, in quæ ſuos etiam poſteros Lotharingiæ duces ad hodiernum usque transmiſit, poſt ipſius vero avi anno 1482. defuncti obitum, omnium ejus provinciarum ac jurium ſucceſſionem ad ſe tanquam unicum ex legitime natis illius nepotem pertinere contendit. Itaque tum alios avi ſui, tum regni etiam Siciliæ (Neapolis. Hæc enim pars Italiæ iſto ævo Sicilia cis Pharum ſeu fretum Siculum dicebatur, cum Siciliæ trans *Pharum* (a) ſeu ipſius inſulæ Siciliæ regnum a veſperis usque Siculis, de quibus vero in not. ad tabb. chronol. ſec. 13. an. 1282. & adeo ipſis ducentis annis ante Renati Regis obitum in Hiſpanorum poteſtate fuerat) & Hieroſolymæ titulum non minus ac inſignia quoque illorum regnorum prioribus ſuis ſive antiquis Lotharingicis adjecit. Hieroſolymæ regnum, ut obiter hoc quoque adjiciamus, a Friderico II. Imper. quidem Rex utriusque Siciliæ erat, aliquando an. 1228. recuperatum & per breve tempus poſſeſſum, exinde titulo Regum Siciliæ ad Carolum usque V. Imper. adhæſit. Cæterum Neapolitano quidem regno ipſe Renatus Rex, cujus jure iſta ad ſe trahere volebat nepos Renatus, dudum ab Alphonſo Arragoniæ R., quem ante Renati fratrem Ludovicum R. Johanna adoptaverat, cum præterea teſtamentum illud, in quo Renatus regni hæres a Johanna ſcriptus erat, a Neapolitanis falſo ſubjectum diceretur, fuerat ejectus, & filius quoque Renati Johannes, quem Calabriæ ducem ſupra dicebamus, a patre poſt mortem Alphonſi cum copiis ad recuperandum illud miſſus a Ferdinando notho Alphonſi filio repulſus excluſusque, manesque adeo Regis ac Calabriæ ducis tituli a patre filioque ex eo tempore uſurpati fuerant. Videatur *PANDVLPH. COLLENATIVS hiſt. Neap. l. 6. FRANC. GVICC. lib. 1. hiſt. ſui temporis.*

§. 2. Præterea vero ipſe Renatus avus teſtamento anno 1474. poſt obitum nempe Nicolai nepotis condito nepoti ſuo Lotharingo, quem adhuc captivitatis ſuæ extortique per vim filiæ ſuæ matrimonii per totam vitam memor, minus videbatur diligere; Barri tantum ducatum (qui Lotharingiæ ab occidua parte trans Moſam eſt finitimus, quique a pluribus ſeculis propriis comitibus ac ducibus poſſeſſus, Renato Regi per donationem Ludovici cardin. ultimi Barrenſis ducis acceſſerat) titulo paterni heredis legaverat, reliquarum vero omnium ſuarum ditionum juriumque hæredem univerſalem ſcripſerat fratris ſui Caroli filium, Carolum ducem Mainiæ eique adeo pleraque etiam iſta adhuc vivus tradiderat: ceu ex Blondello in Barro Campano Francico *pag. 33.* ubi etiam ipſa teſtamenti ſive donationis verba adducuntur, videre licet, & Carolus ex eo etiam Regis titulo fuit uſus, quo appellatur etiam *COMINÆO l. 7. c. 2.* ille vero poſtea cum liberis careret, an. 1481. adhuc ante Renatum Regem decedens, omnia ſua jura ac poſſeſſiones in Ludovicum XI. ipſum Galliæ

(a) *Pharum*). Pharus eſt turris, quæ in portubus eſt exſtructa, ut noctis ignes in ea accendantur, ad monſtrandum iter navigantibus. Nomen accepere ejusmodi turres, ab unica turri, quæ haud ita procul ab Alexandria ad oſtium Nili ſita Pharus dicebatur.

liæ Regem tranſtulit: ex quo jure etiam Rex Carolus VIII. Ludovici XI. filius poſtea expeditione in Italiam ſuſcepta regnum Neapolitanum, licet brevi poſtea rurſus amiſſum, ſibi vindicavit. Renatus vero Dux cum ſe ab avo per injuriam hereditate ejus excluſum ac fratris ejus filio poſtpoſitum conqueſtus, non tantum titulos ejus omnes ſibi arrogaret, ſed & ex ejus ditionibus provinciam Narbonenſem occupare vellet, a Ludovico XI. R. fuit prohibitus & ipſe etiam Barri ducatus ab avo, ceu diximus, ei teſtamento legatus, ab eodem Rege occupatus: cujus quaſi tyrannidem ac vim fugiens Renatus Venetias abiit: ſed paulo poſt illo mortuo, in Lotharingiam ipſamque Galliam ac regiam aulam reverſus, a Carolo VIII. R. Barri ducatum certis quibusdam conditionibus recepit: De Provinciæ vero poſſeſſione controverſia legitimæ diſceptationi quadrienni fuit ſubjecta: & per iſtud tempus in ſingulos annos duci aliqua pecuniæ ſumma a Rege interim promiſſa, ſed cum Rex a ſuis perſuaſus ſemel conſtituiſſet, Provinciam non dimittere, elapſo illo ſpatio Dux in aulam vocatus, cum a regiis miniſtris certi quid obtinere haud poſſet, indignatus inde diſceſſit, atque ita Provinciæ comitatus a Rege detentus fuit, ceu hæc omnia legere licet apud *COMIN. l. c.*

§. 3. De Neapolis vero regno illo ipſo tempore, quo in aula regia litibus de Provinciæ poſſeſſione tempus inutiliter terebat Renatus, bona illi ſe, ut Cominæi verba ſunt, *l. c.* fortuna obtulit, ſi intelligere eam potuiſſet; totum enim Neapolitanum regnum in Regem Ferdinandum (illum quem ante diximus Alphonſi Arragoniæ R. filium nothum) rebellabat, ob immanem ipſius & liberorum tyrannidem, proceribus univerſis & tribus ſtatibus Pontifici (ad quem tanquam feudi dominum regnum illud ſpectare putatur) ſe ſubmittentibus. Quapropter Pontifex & dicti proceres invitabant Lotharingum (Renatum) ut regnum ipſe capeſſeret, navibus ad id paratis longo eum tempore, quo is in aula regia diſceptationibus vacabat, Genuæ, duce cardinali quodam, expectantibus. Ad hæc ſinguli proceres Neapolitani apud eum inſtabant per legatos ut profectionem accelerarct. Quin ipſe Galliæ Rex (licet quotidie quidam, ad ipſum ſpectare regnum Neapolitanum, apud eum ingeminarent) una cum conſiſtorio regni (ſeu principibus ſenatus regii) per omnia ſe auxilio futuros, promiſſa ei etiam & ex parte ſtatim numerata pecunia ſpondebant. Sed propter ineptam, ut iterum Cominæus ait, dilationem occaſio tandem illa periit, omnesque amici ejus morantem expectando defecerunt, ita ut ad extremum Pontifex (factum id anno 1487) rem Neapolitanam componeret, proceresque regni compoſitioni fidem habentes Neapolim redirent, ubi tamen omnes comprehenſi inque carcere poſtea necati ſunt. Unus ex iis Salerni Princeps cum tribus nepotibus evaſit, qui cum Venetorum ſenatus ab ipſo conſultus Lotharingum pro mortuo jam habendum judicaret, (*COMIN. l. 1. c 3.*) ex ejusdem ſenatus conſilio ad ipſum Carolum VIII. Regem ſe contulit, ab eoque ut ipſe, ſibi vindicato illo Renati Regis jure, regnum Neapolitanum armis repeteret (quod tamen anno demum 1494. factum) obtinuit. Renatus vero Dux, quem cum magno pudore ad ſuos rediiſſe, neque unquam poſtea apud Carolum Regem ulla autoritate fuiſſe ait Cominæus, amiſſa centum equitum præfectura, qua ab illo antea donatus fuerat, & pecuniæ reditu, quem nomine Provinciæ habuerat; ne tamen nihil in ſua cauſa egiſſe videretur, Romæ, ut ab Henningeſio in genealogia eſt annotatum, pro juribus regnorum Siciliæ & Neapolis coram Pontifice Martino V. anno 1492. fuit proteſtatus.

§. 4. Ex omni itaque Renati Regis hereditate ad nepotem Renatum D. unus tantum Barri ducatus, ſed neque is totus pervenit. Etenim haud exiguam ejus portionem, marchionatum Moncionis, ſive Pontis Mouſſonis ut gallice vocatur, idem Rex Renatus e Barrenſi ducatu exemtum Johanni naturali ſive notho filio ſuo eadem diſpoſitione legaverat, penes quem etiam ille permanſit usque ad annum 1525. quo mortuo Johanne illo Antonius Renati filius Dux Lotharingiæ marchionatum illum, excluſa Johannis filia, titulo forte maſculini feudi ſibi vindicavit. Vid. *BLONDELLUM l. c. pag. 33.*

§. 5. Ipſe vero Renatus D. per matrimonium quoque aliis adhuc titulis ac prætenſionibus, ſed pariter ſine re, familiam ſuam auxit, ducta anno 1485. poſt divortium cum priore uxore ob ſterilitatem factum, altera uxore ſua Philippa, Adolphi Egmondani Geldriæ ducis ac Lütphaniæ C. filia. Hujus enim cum frater Carolus ſine liberis obiiſſet, ad ipſum ducatus illius ac comitatus hæreditas pertinere videbatur. Sed ob Adolphi patris ejusdem Geldriæ Ducis impietatem, qui patrem ſuum *Arnoldum*, (a) quod diutius viveret, in carcerem conjecerat ducatuque exuerat, primo quidem Carolus audax Burgundiæ Dux ab Arnoldo, impium filium exheredante, heres adſignatus, Geldriam occupaverat: Poſtea vero cum Carolus Adolphi filius, frater Philippæ eam recuperaſſet, poſt longa bella tandem cum Carolo V. Imperatore ille ita tranſigere eſt coactus, ut ſi ipſe ſine liberis obiiſſet, Geldriæ ducatus & Lütphaniæ comitatus ad Carolum Imperatorem adeoque Burgundicam domum perveniret. Atque ita, licet etiam Carolus mutato rurſus animo Wilhelm. Cliviæ D. hæredem ſcripſiſſet, poſtea eſt factum, ac Lothringiæ duces ex Philippæ progenitricis ſuæ hæreditate nil niſi nudos Geldriæ ac Lütphaniæ titulos, quibus tamen una cum earundem inſigniis hodieque utuntur, accepere.

§. 6. Vnum de Renati rebus adhuc inprimis eſt memorandum, ex quo ipſe in omni hiſtoria eſt celebris; quod licet ante illas de Renati avi hæreditate contentiones contigerit, ob continuam tamen narrationis ſeriem ſuperius dictis imponere haud fuit commodum. Eſt vero illud bellum cum Carolo iſto audace Burg. Duce potiſſimum: cui cum antea amicus fuiſſet, arte Ludovici XI. Galliæ Regis, & hortatu Friderici III. Imperatoris anno 1475. inductus fuit ad bellum illi inferendum,

(a) *Arnoldum*) *COMINÆUS lib. IV, cap. 1.*

dum, eo tempore, quo is *Noveſium* (a) ad Rhenum obſidens totum imperium armis petere videbatur. Renatus itaque cum Lotharingiæ ducatum a morte Nicolai ſupra dicti vix biennio tenuiſſet, bellum Carolo indicere auſus adjuvantibus Helvetiis Lucenburgenſem ducatum vaſtavit. Sed Carolus pace cum Imperatore facta, ac converſa mox in Renatum totius belli mole, Lotharingiæ potiſſimam partem occupavit, & ipſum Nancejum obſeſſum die 28. Nov. deditione cepit. Renatus tota ditione pulſus, ad Galliæ Regem *confugit*, (b) auxiliumque ejus petiit: Sed dum Rex nondum aperto bello cum Burgundo congredi auderet, potiusque occultis artibus ſocios ejus ab eo alienare laboraret, Renatum interim Helvetiis commendavit: ſed & hi bellum a Carolo quod ipſis minitabatur ſerio deprecantes, cum nihil obtinerent, ſequenti anno 1476. duobus eum præliis profligarunt & Renatus victoriam perſequens Nancejum obſeſſum d. 6. Octobr. recepit: quem tamen mox ſequenti menſe Carolus reparato exercitu denuo Lotharingia expulit, Nancejumque iterum obſidere eſt aggreſſus. Sequentis 1477. anni initio Renatus novis Helvetiorum ac aliorum Germanorum inſtructus copiis, cum commeatum Nancejo adhuc a Burgundis obſeſſo inferre vellet, prælium inde ortum fuit, in quo fuſis Caroli copiis ipſe *occiſus fuit*, (c) atque ita Renatus potentiſſimo hoſte præter omnem ſpem liberatus ingenti ex eo gloria parta, Lotharingiam poſthac tranquille *poſſedit*. (d)

§. 7. Obiit Renatus D. vel ut ipſe ſe vocavit Rex Hieroſolym. & Neapolis anno 1508. menſe Decembri relictis 4. filiis. Ne vero vel diviſione principatus potentia & vires imminuerentur, vel, quod avus ipſius paternus Antonius expertus erat, per fœminarum matrimonia, totus ad alienos devolveretur, teſtamentum anno 1506. condidit, quo indiviſos poſtmodum Lotharingiæ & Barri ducatus cum omnibus iisdem annexis marchionatu item Pontis-Muſſonis ac Vadimontis comitatu eſſe voluit, & jure primogenituræ inter ſuos conſtituto Antonium filium natu maximum unicum hæredem & ſucceſſorem in dictos ducatus eſſe juſſit, huicque rurſus filium primogenitum, vel eo deficiente ſubinde proximo ex gradu agnatum ſuccedere: Excluſa ita tantiſper, dum mares in tota familia ſupereſſent, fœminarum ſucceſſione. Quod *teſtamentum* (e) etiam poſt ejus obitum anno 1508. ab utriusque ducatus ordinibus, præſente ipſa vidua ejus Philippa Regina ut vocabatur, fuit approbatum. Vide CHIFLETII *Lothar. maſcul. c. 5.* ubi ipſum teſtamentum Renati integrum habetur. Et illud etiam ita deinceps obſervatum fuit. De quo vero ſeu de ejusdem validitate ac vi, ſi quidem quod Barri ducatum attinet, ſine Regis Galliæ tanquam feudi Domini, ut ipſi ajunt, conſenſu illud fuit conditum, magnæ lites, ut poſt dicetur, ſunt exortæ.

§. 8. Ex Philippa illa Geldrenſi ceu diximus reliquit filios ſuperſtites, cæteris ut & filiabus in prima ætate extinctis. Fuere autem illi ſuperſtites Antonius, Claudius, Johannes, Ludovicus, Franciſcus. Ex his 3. poſteriores quod attinet, Johannes ex patris proviſione epiſcopus Metenſis factus eſt ac poſtea Cardinalis. Ludovicus itidem ſacris a patre in teſtamento dicto illo, de optione tamen ipſi etiam alterius vitæ generis relicta, deſtinatus, ex epiſcopo Verdunenſi poſtmodum comes Vadimontii factus eſt, & militiam ſequens anno 1527. cum Roma urbs a Cæſareanis expugnaretur, occiſus fuit. Vltimus eorum Franciſcus cum teſtamentum anno 1506. Majo menſe pater conderet, ut ex ipſo conſtat, nondum erat natus: huic tamen quod uxor tunc eſſet gravida, non minus ceteris pater in eodem teſtamento proſpexerat, ut ſi filius naſciturus eſſet, ſive eccleſiaſticum titulum ac beneficium, ſive ex ducatus reditibus certæ ſuſtentationis ſuæ portionem; ſin filia foret, dotem ſibi convenientem aſſignatam haberet. Natus vero altero poſt conditum teſtamentum menſe anni illius 1506. atque adeo biennio adhuc ante patris obitum, ac poſtea militiam & caſtra Franciſci I. Galliæ regis ſecutus anno 1525. in prœlio Ticinenſi, in quo ipſe Rex Franciſcus a Cæſareanis captus fuit, occubuit.

§. 9. Vt autem porro ex illo teſtamento, quid de reliquis duobus filiis natu majoribus pater conſtituerit, diſtinctius referamus, Antonius quidem primogenitus, ut a patre vocatur (licet alii tunc mortui ante eum nati fuerint) hæres ab eo duorum ducatuum Lotharingiæ & Barri, deinceps ut tunc erant perpetuo conjungendorum, una cum omnibus eorum pertinentiis, ditionibus ac dominiis in ſolidum conſtitutus fuit, juncto etiam marchionatu Pontis-Muſſonis & comitatu Vaudemontii. Claudio omnes, præter illos duos ducatus aliaque jam dicta, poſſeſſiones, quas pater in diverſis Gallici regni a Belgii provinciis tenuerat, fuerunt aſſignatæ. Unde cum plura illorum dominiorum ſint nomina, plures illæ Guiſiæ familiæ in Gallia lineæ appellationesque, quas ſuo loco indicabimus, ſunt ortæ. Quod vero regna Siciliæ &, ut ibi additur, Arragoniæ (nam hujus etiam jus aliquod prætendit Renatus, qua de re, quia ſupra prætermiſſa, alio loco monebimus) attinet ducatum item Andegavenſem, comitatum Provinciæ & Meduanæ (Gallice ſe Maine, de quo itidem infra dicetur) aliasque ditiones ad ipſum pertinentes, quarum poſſeſſionem hactenus non adierat, (ex Renati enim avi donatione ceu diximus ad Carolum Mainii ducem fratris ejus filium, & ab hoc eodem donationis titulo ad ipſum Galliæ regem pervenerant, ab eoque fuerant occupatæ, contradicente nihilominus Renato D. ac jus in eas ſuum quoad vixit aſſerente) in iis rurſus ſolum primogenitum Antonium ejusque liberos maſculos legitime naſciturus ſibi ſuccedere voluit, & mandavit.

(a) *Noveſium*) Inter Rupertum Palatinum & Haſſiæ Landgrafii fratrem de archiepiſcopatu Colonienſi erat contentio, ubi Carolus Audax Palatini tuebatur partes, & in ejus favorem Noveſium obſidione cingebat. COMINÆVS *lib. IV. c. 1.*

(b) *confugit*) COMINÆVS *lib. V. c. 2.*

(c) *occiſus fuit*) COMINÆVS *lib. V. c. 11. ſeq.*

(d) *poſſedit*) COMINÆVS *l. VII. c. 1.*

(e) *teſtamentum*) *Preuves & obſervations ſur les memoires de Comine liv. V. p. 166. ſeqq.*

vit. Antonio porro ejusque poſteritati maſculæ ſi ea deficeret, Claudium ejusque legitime liberos natos maſculos, & huic viciſſim ejusque poſteris maſculis forte extinguendis Antonium ejusque maſculam prolem legitimam ſubſtituit: quod ſi ambæ hæ lineæ ſive earum maſculæ progenies defecerint, tunc ex reliquorum filiorum (quod non Clerici ſive ſacris ordinibus initiari, aut religioſi profeſſi fuerint) poſteritate maſcula, majorem natu in iſta omnia ſuccedere; omnibus vero in univerſum forte deficientibus, tum ad eos quibus ſecundum jura & conſuetudines regionis & locorum, in quibus ditiones illæ ac dominia ſita ſunt, convenerit, earum hæreditatem tranſire juſſit. Hæc ex iſto teſtamento, tum quod poſtea, uti ſuperius dictum, diſputatum de eo fuerit, tum quod ex eo diſtinctio hodierna familiæ hujus, diverſorumque dominiorum appellationes poſſint intelligi, paucis adducere fuit viſum. Sane a duobus iſtis natu majoribus univerſa poſtea domus ſive familia Lotharing. propagata, ac per ipſos in duos ramos ſive lineas ducalem Lotharingicam & Guiſiam (quæ tota Galliæ regno inſerta) diviſa fuit, ceu ex ſequentibus porro intelligetur. Nunc priore loco de Antonio, ejusque filiis ac ſucceſſoribus in linea Lotharingica usque ad ſeculi hujus initium dicemus.

§. 10. Is ut Heiningeſius tradit, in Galliæ Regis Ludovici XII. aulam anno 1501. arceſſitus eidem anno 1509. contra Venetos, nec minus etiam poſtea Franciſco Regi adverſus Helvetios militavit: cum quo ſemper deinceps quoque amicitiam ita coluit, ut tamen neque Cæſarem Carolum V. Franciſci perpetuum hoſtem offenderet, pacemque alioquin inter eos anno 1539. ad foſſas Marias (oppidum id provinciæ Narbonenſis ad foſſam, quam olim Romanorum ævo C. Marius ex Rhodano in mare deduxit, ſitum) conciliaret. Inter alias vero res ejus iſta inprimis hoc loco eſt memoranda, quod is anno 1542. in comitiis Norinbergenſibus per legatos ſuos transactione cum Ferdinando I. Rege tunc Romanorum inita obtinuerit diploma, quo ducatus Lotharingiæ ab omni jurisdictione imperii *liber* (a) ac ſui juris, & imperio, ut loquitur, non incorporabilis (nempe ut alias feuda vacua & caduca imperio accreſcant & ei incorporari debeant) & ipſe adeo Antonius D. ejusque in illo ducatu ſucceſſores abſolutus princeps ac nemini ſubjectus declaratur, prohibeturque adeo Cameræ imperii judicio, ne quem in eum, aut ejus ſubditos proceſſum ratione iſtius ducatus, aut in rebus ad illum pertinentibus decernat. De cætero vero ratione feudorum ſive ditionum quarundam particularium ſui ducatus, quas ab imperio teneret, ut hactenus majores ejus, ita ipſe quoque porro ejusque ſucceſſores ea in feudum decenti modo *accipiant* (b) & habeant. Ipſum tamen propterea ducatum Lotharingiæ cum iis, quæ ad illum tanquam ad ducatum pertinent, ipſumque adeo etiam Antonium ejusque hæredes manere debere inpoſterum quoque & in perpetuum ſub tutela & protectione Imperatoris & imperii. Cujus quidem cauſam offert Dux, & adeo pro ſe & hæredibus ſe obſtringit de omnibus & qualibuscunque taxis & contributionibus, quæ imponerentur aut concederentur a ſtatibus imperii generalibus, conferre & perſolvere ratam ſuam portionem, quæ quidem duas tertias conficiat portionis unius Electoralis. Speciatim ibi genera collectarum enarrantur pro conſervatione pacis publicæ in imperio erecta, pro ſecuritate & ſalvo conductu, quorum nomine Cæſaris & imperii jurisdictioni illi adhuc ſubeſſe, & ad id ſpectare debeant. His vero ſolis exceptis, ab omnibus proceſſibus aliis, mandatis, citationibus &c. ipſi eorumque ſubditi liberi ac immunes exiſtant. Hanc tranſactionem inter Ferdinandum Regem & Lotharingiæ ducis legatos illo tempore initam non tantum approbarunt ac ſubſcriptione ſua ratam habuere præſentes tunc in comitiis 3. Electores eccleſiaſtici & Palatinus: ſed & ipſe Cæſar Carolus V. ſequenti anno 1543. in comitiis Spirenſibus eandem novo diplomate, cui Ferdinandi illud cum dictorum Electorum ſupſcriptionibus integrum inſertum eſt, confirmavit. Ipſum diploma Ferdinandi Germanice extat apud *Limnæum* (c) J.P. *tom.III.l.V.c.11.* Latine vero una cum Caroli V. confirmatione apud eundem *t. V.* addit ad L. eundem. Quod poſterius exſcriptum ex *CHIFLETII Comment. Lotharienſi c. 9.*

§. 11. Cæterum ad melius intelligendum quomodo illa in diplomate iſto conceſſa Lotharingici ducatus exemtio ſe habeat, & quousque ſit extendenda, non negligi debent ea, quæ idem ille *CHIFLETIVS* in eodem tract. *c. 10.* affert ex apologetico, quem pro ipſo Franciſco II. Lotharing. Duce ſcripſit doctus, ut ait & ingenioſis vir Franciſcus Thouveninus eidem principi a conſiliis & ſecretis; in quo de Norinbergica pactione ſic ille ediſſerit: *Verum eſt Lotharingiæ duces poſtremis temporibus conatos fuiſſe plenam obtinere ab imperio libertatem: ſed qualicunque cura adhibita manſerunt ſemper tali obligatione imperio obſtricti, ut nullo modo ſe a veris clientelæ officiis liberare potuerint. Pactum quo majorem acquiſivere immunitatem fuit tranſactio Norinbergæ inita anno 1542. inter Ferdinandum Rom. regem fratris ſui Caroli V. imperatoris nomine & D. Antonium. Abſolvuntur duces a reſumtione & dominio ſui ducatus: prohibetur appellari ab eorum ſententiis ad cameram imperii: in ſumma declarantur Principes liberi, nihilominus obligantur ad ſolutionem ſubſidiarii imperialis tributi, inita proportione duarum tertiarum ad ratam*

(a) *liber*) Ducatum olim quoque ſub imperii obſequio fuiſſe, valide ſatis probari poteſt. Conf. *MASCOVV. l. c. §. IX. X.* Fridericus I. Matthæum *ducem ſuum & imperii fidelem vocat. DVCHENE t. IV. p. 582. CHIFLETIVS in comment. Lotharienſi p. II.* Fridericus II. ab Alphonſo ut Romanorum Rege inveſtituram accepit. *LEIBNIT.* L. J. C. *diplomat. part. I. p. 18.* Lites inter Renatum Andegavenſem & Antonium Vaudini montis comitem de ſucceſſ. in ducatu Lotharingiæ ab Imperatore Sigismundo ſunt deciſæ. *WASSEBVRGIVS lib. VII. fol. 482. BLONDELLVS in præfat. apologetica ad aſſert. genealog. Franciæ fol. XXI. PIVS II. in comment. de ſtatu Europæ ait: Huic* (ducatui) *hac noſtra ætate Renatus præfuit, dux gentis ab imperio conſtitutus.*

(b) *accipiant*) Talia ſunt 1.) *Marchionatus pontis montis* 2.) *Comitatus Blanckenberg.* 3.) *Marchionatus Hattonis caſtri.*

(c) *Limnæum*) *PASTORIVS lib. V. Flori Europæi §. 45. LEONARD recueil des arrets p. 137. LVNIG part. ſpecial. cont. II. p. 299.*

nuam partem unius principis Electoris: obſtringuntur ad obſervationem publicæ pacis ſanciæ in imperio & ad ſalvos conductus, quos Germani vocant, Geleides: horumque ratione reſpondere debent & cameræ imperii juriſdictionem ſubire. Hæ profecto prærogativæ inſignes ſunt & præcellentes, cum pauci Principes ſint in imperio, ſi Belgicos excipias, qui tales usquam ſint adepti. Verum non abſolvuntur, nec liberantur duces a fide, quam cliens debet domino ſuo, in qua vera & unica feudi eſſentialis forma conſiſtit: quandoquidem obligantur ad obſervationem edicti publicæ pacis, vulgo *Land-Friede*, quæ nihil eſt aliud, quam merus fidelitatis effectus; quemadmodum ejusdem pacis infractio eſt fidei violatio. Præterea non eximuntur duces a feudali obſequio, quandoquidem obſtricti ſunt ad ſolutionem ſubſidii pecuniarii, vulgo *Geleides*, quod unusquisque vaſallus imperii conferre ſolet pro ſubſiſtentia exercitus imperialis, proque ſumtibus comitatus Imperatorum, quoniam Cæſares cauſa coronationis Romam proficiſcuntur: quam ſubſidii præſtationem omnes JCti ponunt in primo ordine debitorum feudalium. Ultra quod quia per dictam transactionem dicitur permanſuros duces ſub imperii protectione, altero fidelitatis vinculo eo ipſo ſunt obſtricti, illud enim de fide ſimplicis protectionis non eſt intelligendum, ſed de fidelitate feudali. Ratio quia perſona ſimpliciter protecta nihil habet a ſuo protectore, nec ipſi aliam debet fidem, quam pro ſecuritate defenſionis & auxilii, quod ab eo ſperat & expectat: e contra vaſallus fidem debet domino ſuo cauſa feudi quod ab ipſo accepit: in cujus poſſeſſione & fruitione tenetur eum tutari & conſervare. Eſt porro manifeſtum, fidelitatem Imperatoris a Lotharingiæ ducibus obſervari debere non ratione ſimplicis protectionis duntaxat, ſed etiam cauſa ipſius ducatus, qui alias a Cæſaribus ipſis datus eſt infeudatus. Hæc ille conſiliarius Lotharingus, quibus recte expenſis intelligi poteſt, quo ſenſu ſint accipienda quæ de abſoluto ac ſupremo, & ut ita loquamur, dependente Lotharingiæ principatu, tum in diplomate ipſo Ferdinandi (verbis illis pro libero & non incorporabili ducatu, ſuperioritate & principatu recognoſcatur) tum ab aliis ſcriptoribus dicuntur: quemadmodum & a *LIMNÆO tom. 4. addit. ad l. 5. c. 11.* reſpectu ducatus Lotharingiæ dux ejus juxta transactionem illam dicitur eſſe abſolutus & ſupremus princeps, æque ut alius, qui ſolum Deum & enſem agnoſcit, ut non videantur (ita porro addit) errare qui hoc reſpectu ei Majeſt. jura attribuunt &c. &c.

§. 12. Ratione vero earum particularium ditionum, ob quas ut in diplomate indicatur, imperii vaſallum ſe dux agnoſcit & profitetur, non tamen debito & conſueto more feudum petere, & homagio aliisque præſtandis præſtitis accipere tenetur, ſed & ut omnes conſentiunt, imperii ſtatus ac certi circuli Rhenani, nempe ſuperioris membrum exiſtit, & in comitiis tum illius circuli tum univerſalibus imperii ſeſſionem ac votum habet. Quæ vero illæ ditiones ſint, & quarum reſpectu ut ſubditus ac ſtatus imperii in comitiis adhuc compareat, de eo non adeo certa & uniformis eſt ſcriptorum juris publici ſententia. In literis inveſtituræ de anno 1609. quæ Rudolpho II. Imperatore, ut *LIMN. tom. 5.* ad *l. 5.* & *c. c.* loquitur, adſcribuntur, apud *CHIFLETIUM citato itidem commentario Lothar. c. 12.* in ſpecie jus in feudum eo diplomate conceſſorum fit mentio marchionatus Pontismontis, comitatus Blanckenberg, ſive albi montis, Belleſtheim & Clarimontis, marchionatus Hattonis caſtri (horum plerorumque ut & aliorum hactenus commemoratorum ſitum ac deſcriptionem poſtea adjiciemus) cum illorum pertinentiis: item *aliorum adhuc* (a) minoris momenti locorum ut & certorum quorundam jurium Lotharingiæ duci competentium. Eædem quoque iisdem verbis repetitæ leguntur in inveſtituræ diplomatibus a Matthia Imperatore Henrico duci anno 1613. & a Ferdinando II. Carolo hodierno duci anno 1627. conceſſis. Ex hoc vero porro oritur, an earundem ditionum ratione in comitiis compareat ac jus ſeſſionis & voti habeat Lotharingus: ſane in matricula imperii ſive taxa ordinum, quam ex *WEHNERO, GOLDASTO, LIMNÆO*, aliisque contemtam *ZEILERUS itin. Germ. P. 2. c. 1.* inſeruit, Lotharingiæ dux iſta habere dicitur ratione comitatus (potius marchionatus) Nomenii (de quo itidem cum cæteris alio loco dicetur:) Et ita in ſubſcriptione receſſus Ratisbonenſis de anno 1598. legi, ubi legatus ducis titulum marchionis in Nomenii ſubſcripſit. Teſtatur ipſe *LIMNÆUS tom. 4. l. c.* & in eandem ſententiam etiam Sprengerus, quod Lotharingiæ dux conſideratione marchionatus Nomenii in comitiis compareat, votumque habeat, tum alibi, tum in *lucerna c 2.* & *in fragmentis J. P. p. 383.* affirmat: idque etiam ſubſcriptione receſſus de anno 1654. patere ait. Cæterum non tamen in omnium aliorum receſſuum ſubſcriptionibus, ubi quidem Lotharingiæ ducis nomine ſubſcriptum fuit, exceptis tamen annorum jam dictorum 1598. & 1654. receſſibus, iſtam reſtrictionem ratione marchionatus Nomenii non adjectam legi, obſervavit *in addit. tom. 5. LIMNÆUS:* & quod mirum, quemadmodum illorum dominiorum, quæ in diplomatibus inveſtiturarum nominatim expreſſa diximus, nulla in ſubſcriptione receſſuum fit mentio, ita viciſſim Nomenii illius marchionatus neque in inveſtituræ illis diplomatibus Rudolphi II. Matthiæ, & Ferdinandi II. Imperatorum inter imperii feuda ibi commemorata, ullum fuit indicium. Vide plura de hac re apud *LIMNÆUM tom. 4. & 5. addition. ad l. 5. cap. 11.* Illud obſervatu dignum eſt, Lotharingiæ ducem in comitiis inter cæteros imperii principes locum tenere non pro-

cul

(a) *aliorum adhuc*) 4) *Advocatia civitatis in Tullein & monaſterii in Rumelſperg*, 5) *diœceſis Tullenſis, de conductu in terris & aqua partium ſuarum*, 6) *de villa Yve (Deivelme pres de ſaint die) cum moneta, quam in jam dicta villa poteſt cudi facere, una cum jure quod ipſe dux prætendit antiquitus ad ſe ſpectare, & ad prædeceſſores ſuos ſpectaſſe, nempe quod quicunque inter Rhenum & Moſam duellare voluerit, hujusmodi duella coram eo fieri debeant, & non alibi conſumari: & quod filii Clericorum, qui in terris ejus naſcuntur ad ipſum pertinere debeant.* Habet tamen adhuc alia ab imperio in feudum & ſubfeudum, ut dynaſtiam Falckenſtein &c. *Reichs-Archiv part. ſpec. continuat. II. pag. 209.* Tabulas inveſtitur. Rudolphi II. Mathiæ, Ferdinandi II. refert *CHIFLETIUS in commentar. Lotharienſ.* Adde *comment. de pace Monaſter. l. 1. p. 64.*

cul ab ultimo, unde ſatis apparet, (ceu verba ſunt *LIMNÆI l. c. l. 4.*) eum hic non ratione totius ducatus, quem tenet, ſed reſpectu partis tantum conſiderari. Quod autem circuli Rhenenſis membrum ſit, id fundamentum habere idem ait in ordinatione Cam. de anno 1507. Conſtantiæ publicata, ut & *in Erklärung des Land-Friedens, Noribergæ de anno 1522.* Contributionem vero, quam in transactione ſupra dicta in ſe recepit, non pro illis tantum feudis (nam ita nimia illa foret) deinde, quod cum toto ducatu ſuo ſub protectione imperii ſit, æſtimari debere: ut adeo fundamentum primum contributionis illius ſubjectio ſit, ſic vero conventio monet. Idem *LIMNÆUS* ibidem.

§. 13. Reliquit Antonius, anno 1544. defunctus, præter Annam filiam Renato Naſſovio principi Arauſionenſi nuptam, duos filios, Franciſcum & Nicolaum, per quos iterum ipſa ducalis Lotharingica linea in duas novas lineas ſive ramos ſubdiviſa fuit. Et Franciſcus quidem patri in ducatu ſucceſſit, altero vero ſtatim anno poſt patris mortem nempe 1545. & ipſe obiit. Uxorem habuit Chriſtinam, Chriſtiani II. Daniæ regis, tyrannide, & exilio ac captivitate ſua notiſſimi, ex Iſabella, ſorore Caroli V. Cæſaris, filiam: antea Franciſco Sfortiæ duci Mediolan. nuptam: ex qua unum filium Carolum patris in ducatu ſucceſſorem, ac duas filias Renatam ac Dorotheam reliquit. Caroli hujus cum puer adhuc eſſet, tutelam geſſit tum Nicolaus C. Vaudemontius ejus patruus, (Vide *CHIFLET. commentar. Lothar. c. 11.*) tum mater Chriſtina Danica; cujus in educando filio diligentiam hujusque egregiam indolem laudat etiam *HUBERTUS THOMAS Leod. in vita Friderici II. Pal. l. 13. n. 58.* Ab illa cum fidem ſive homagium ſibi ratione Barri ducatus, ut ſuperiores Lotharingiæ duces feciſſent, præſtari Galliæ Rex Henricus II. poſtularet, Caroli V. Cæſaris avunculi ſui juſſu illa recuſavit: quam rem mox Rex inter alias cauſas allegavit, cum, fœdere cum Mauritio Saxon. Elect. aliisque Germaniæ principibus facto, anno 1552. eidem Cæſari bellum inferret, apud *THUANUM l. 3.* (de quo quidem Chriſtinæ facto contrarias cenſuras vide apud *CHIFLETIUM loco jam citato,* & *BLONDELLUM in Barro Campano Francico p. 78.*) Ipſam vero Lotharingiam tunc ingreſſus rex, cum Nanceji honorifice a Chriſtina & filio ejus Carolo, puero tunc undecimum ætatis annum ingreſſo, exceptus eſſet, altero poſt die Carolum a matre ejus partibus adverſa vel ſuſpecta abſtractum in Galliam miſit, eo prætextu ut cum filio ſuo Delphino educaretur, ac adultus filiam ipſius (Regis Henrici) duceret: id quod quidem poſtea etiam factum: Chriſtinæ vero a tutela ita remotæ dotem (ſive reditus certos) conſtituit Rex; Lotharingiæ vero præfecit Nicolaum Vaudimontium pueri patruum & jam ante, ceu diximus, tutorem, ut in eodem libro Thuanus refert, & contrariis judiciis ſuper eo diſceptant Chiffletius & Blondellus locis citatis. Defuncto poſtea anno 1559. Henrico II. filius ejus Franciſcus II. Rex factus, Barri ducatum (quem ipſius pater Henricus II. occupaſſe exinde intelligitur, etſi id neget Blondellus) Carolo duci ſororis ſuæ jam marito cum pleno dominio reſtituit, quemadmodum id idem refert *THUANUS ad annum dictum l. 23.* de cujus reſtitutionis modo ac ſenſu iidem illi duo jam allegati inter ſe diſceptantes videri poſſunt. Porro ex ſororibus hujus Caroli ante memoratis Renata quidem VVilhelmo Bavar. duci nupta mater extitit Maximiliani Bavari Elect. poſt proſcriptum Palatinum facti, & Alberti: aviaque adeo fuit hodiernorum duorum Electorum Bavari & Colonienſis. Altera vero Dorothea nupſit Erico Jun. duci Brunſuicenſi Calenbergico anno 1575. (Vide *BUNTING. in chronica Brunſuicenſi*) qui etiam cum eam aliquamdiu Hannoveræ ac Calenbergæ ſecum habuiſſet, an. 1582. una cum ea in Italiam abiit, & Derthonæ, quam Mediolanenſis ducatus urbem Chriſtina mater Dorotheæ a priore marito Franciſco Sfortia alimentorum nomine ſibi aſſignatam adhuc tenebat, per ſeſqui annum adhuc moratus anno 1584. Pavia deceſſit nullis ex ea relictis liberis: ex cujus perinde ſive dotis repetitæ jure, vel aliorum forte tunc factarum expenſarum nomine prætenſio aliqua a Carolo hodierno Lotharingiæ duce *adverſus Duces Brunſuico-Luneburgicos* (a) ante aliquot annos moveri fama erat.

§. 14. Cæterum ille de quo nunc agimus, Carolus II. cognominari ſolet, ob primum illum Carolum, quem audacem ante appellavimus, patrem Iſabellæ, ob cujus matrimonium Renatum Andegav. Ducem ac Regem Siciliæ Lotharingiæ ducatum occupaſſe antea pluribus relatum fuit. Frequens Caroli hujus II. mentio fit in hiſtoria motuum regni Galliæ, quorum præcipua pars ac cauſa fuere agnati ejus Guiſii, ceu capite ſequenti explicabitur. Ipſum quoque ut a Cæſaris partibus, quibus mater ejus Chriſtina addicta erat, abſtraheret, ac una cum eo Lotharingiæ ducatum in ſua parte haberet, puerum adhuc, ceu ante dictum, in Galliam abduxerat, eique poſtea filiam ſuam Claudiam in matrimonium anno 1559. collocarat Henricus II. Rex, qui nova cum filiis Henrici ſequentibus Galliæ Regibus, Franciſco II. Carolo IX. & Henrico III. affinitas non parum auxit Lotharingicæ domus ac Guiſiorum in Gallia potentiam. Antequam vero in liberorum ac poſterorum ejus ſucceſſione enarranda progrediamur, ad ea quæ hactenus ſunt dicta, quoque porro jam dicenda erunt, melius intelligenda, rurſus in tabella quadam ſeriem ſuccedentium ſibi Lotharingiæ ducum a Renato duce ſupra memorato, Renati Regis ex Jolanda filia nepote, usque ad hodiernum Carolum III. omiſſis reliquis ad hunc ſcopum non pertinentibus, exhibebimus: ex qua etiam Guiſiorum,

(a) *adverſus Duces Brunſuico-Luneburgicos*) Chriſtiano Ludovico duci Brunſ. comminatus erat, niſi ſummam quandam (quam nominavit forte 20. l. 40000. thaleror.) ſolveret, ſe ducatum invaſurum, & hoſtiliter devaſtaturum eſſe: Sed irriſus fuit ejus conatus & minæ a Chriſtiano Ludovico, & legati ejus tali reſponſo dimiſſi: *Er ſolte kommen, ſo wolte er ihn mit ſeinen Schäfern wieder aus dem Lande jagen laſſen.*

ſiorum, de quibus non plura dicenda erunt, agnationis cum illis conjunctionem licebit perſpicere.

Renatus II. Lothar. dux.

Antonius dux Lothar.		Claudius dux Guiſiæ Aumalia &c. ſtirps Guiſianorum.	
Franciſcus dux Lothar.	Nicolaus dux Mercurii C. Vaudim.		
Carolus II. dux Lothar.	Philippus Emanuel dux Mercurii.	Henricus Comes de Chaligni.	
Henricus dux Lotharingiæ.	Carolus cardinalis.	Franciſcus II. C. Vaudimontii & poſt dux Lotharingiæ.	
Nicolaa nupta Carolo III. duci Lotharingiæ.	Claudia nupta Nicolao Franciſco duci Lothar.	Carolus III. dux Lothar.	Nicolaus Franciſcus.

§. 15. Filii itaque Caroli II. ducis ex Claudia Henrici II. Galliæ Regis filia fuere Henricus, Carolus & Franciſcus. Ex quibus, ut de Carolo primo loco dicamus, fuit is epiſcopus Metenſis & cardinalis, ex eo vero in Germanica hiſtoria celebris exiſtit, quod ab Argentinenſis eccleſiæ cathedralis canonicis Pontificiis in epiſcopum fuerit electus, qui Johannem Georgium march. Brandenb. a canonicis Evangelicis, adeoque cum horum plures fuerint majore capituli parte jam ante electum & introductum anno 1592. expulit. Ex quo cum utraque pars aliorum principum auxiliis ſublevaretur, bellum fuit ortum, quod diœceſin illam ac vicinas ditiones per aliquot annos graviter afflixit; tandem vero aliorum interventu compoſitum, ac marchioni Brandenburg. reditibus quibusdam aſſignatis, Carolus cardinalis epiſcopatum retinuit.

§. 16. Henricus vero primogenitus Caroli II. ducis patri in ducatus regimine ſucceſſit. Tertius vero Franciſcus Vaudimontii comitatum obtinuit. Henrici altera uxor fuit Margaretha filia Vincentii Gonzagæ ducis Mantuani, cujus cum filius ipſius Margarethæ frater Vincentius jun. Mantuæ dux ſine maſculis liberis circa finem anni 1627. obiiſſet, ducatusque ille a Carolo Nivernenſi, qui filiam Franciſci prioris ducis ac Margarethæ fratris natu majoris duxerat, occuparetur, Margaretha & ipſe jus aliquod in ducatum illum prætendunt. Cum vero poſt bellum exinde inter Cæſarem ac Nivernenſem ducem, cui Galliæ Rex aſſiſtebat, ortum, in quo etiam ipſa urbs Mantua a Cæſareanis expugnata fuit, tandem anno 1630. pax inter Cæſarem & Galliæ Regem componeretur, Lotharingicæ duciſſæ prætenſio ad amicabilem compoſitionem, vel proceſſum ordinarium & Cæſaris deciſionem remiſſa fuit, ceu patet ex pacis articulo, qui continetur *in theatr. Europ. tom. 2. p. 200.* Ad ipſum autem Henricum ducem ut revertamur, is cum ex priore conjuge nullos liberos habuiſſet, ex, quam jam diximus, Margaretha Mantuana duas tamen ſuſcepit filias Nicolaam & Claudiam: ad quas perinde deficientibus maſculis bonorum ejus & adeo ipſius etiam ducatus hæreditas ex pacto Iſabellæ Caroli Audacis filiæ, quæ ad Renatum Andevagenſem Siciliæ regem ducatum illum dotis loco attulit, videbatur pertinere: eoque nomine etiam Carolus III. Franciſci Vaudemontii filius dux hodiernus matrimonium cum Nicolaa, utpote primogenita iniit, ut ejus jure ad Lotharingiæ ducatum perveniret. Quæ vero poſtea hac de re controverſiæ ac diſſenſiones ſint exortæ, infra ubi de hoc ipſo Carolo agemus, explicabitur.

§. 17. Ut autem prius eos, qui præter jam dictos in tabella antea propoſita Lotharingicæ ſtirpis principes indicantur, eorumque res aliquas enarremus, de Claudio quidem altero Renati II. ducis filio, Guiſiæ ducis totiusque adeo Guiſiæ domus, quæ in Galliæ regno potentiſſima poſtea facta eſt, parente, ejusque numeroſa ſobole ac poſteris, diverſisque eorum titulis capite proximo ſeorſim agere conſtituimus. Nunc itidem de eo ac cæteris omnibus, ex Lotharingica familia prognatis obſervari poteſt, ipſius Lotharingiæ & Barri ducis (de quo poſteriore poſtea dicemus,) titulum ſolos tamen regentes principes, ipſiusque adeo ducatus Lotharingiæ dominos, quorum cum indiviſus ille ex majorum conſtitutione manere debeat, ſemper unus tamen exiſtit, ſibi vindicare: cæteros omnes familiæ quidem nomine plerumque retento ducis tamen titulo, quod Lotharingiam attinet, abſtinere, ac tamen de appannagiis, quorum tamen pleraque hodie Galliæ regum beneficio ducatus honore inſignita ſunt, ſe appellare. Sic Claudius in inſtrumentis quibusdam quæ extant apud *CHIFLETIUM in Lotharingia maſcul. c. 6. & 7.* appellatur Claudius a Lotharingia Dux Guiſiæ &c. Sic etiam Nicolaus Antonii filius, de quo jam dicemus, in altero inſtrumentorum apud *CHIFLETIUM cap. 7.* ſe ipſe ita appellat, Nicolaus a Lotharingia, Dei gratia adminiſtrator epiſcopatuum Metenſis & Virdunenſis. Sic alii plures, ut ex ſequentibus poſthac explicatis fiet conſpicuum. De ipſius ducis filio primogenito, adeoque proximo in ducatum ſucceſſore id monet *SPRENGERUS in Luc. c. 5.* eum nondum maritatum (uxoratum) titulum habere marchionis de Ponte Mouſonis, maritatum vero ducis de Barri titulo inſigniri.

§. 18. Porro ut cæterorum qui in tabula adhuc reſtant, ſeriem abſolvamus, Antonii, majoris natu filii Renati II. ac ducis adeo Lothar. duos rurſus filios ibi memoravimus, ex eorumque natu majo-

mejore Franciſco I. duce ceteros Lotharingiæ duces deſcendentes hactenus enarravimus. Alter vero natu minor Antonii filius fuit Nicolaus; is primo epiſcopus fuit, ut ipſe ſe in inſtrumento jam allegato apud *CHIFLET. cap. 7.* appellat adminiſtratorem perpetuum epiſcopatuum Metenſis & Virdunenſis, poſtea vero uxore ducta Vadimi montis comes dictus. Inter fratres hoſce pater ipſorum Antonius teſtamento facto, ob jus primogenituræ per patrem ipſius Renatum II. ceu ſupra diximus, in filia ſua confirmatum, ita conſtituerat, ut Franciſcus primogenitus hæres ipſius ex aſſe & ſucceſſor adeo in omnibus ejus ditionibus, ducatibus, marchionatibus, comitatibus &c. eſſet, Nicolao vero pro jure hæreditatis & legitimæ, ut verba tenent, ex omnibus ejus bonis filio competentis donavit & legavit quatuor & viginti millia Francorum Lotharingicæ monetæ cenſus annui & vitalitii &c. Nicolaus vero hac paterna diſpoſitione poſtea non contentus interventu patruelium obtinuit inſuper a fratre velut in ſupplementum legitimæ ex paterna hæreditate baroniam ſive dominium Mercurii in Avernia Gallici regni provincia ſitum, cum omnibus ejusdem oppidis, arcibus, juribus &c. Ex hoc itaque titulus ille fluxit, quo poſtea baronia illa in ducatum evecta, dux Mercurii a Carolo IX. Rege anno 1569. (ut in tabulis Rittershuſii notatur) creatus fuit. Supra §. 13. de hoc Nicolao diximus, quod is poſt obitum fratris Franciſci tutor filii ejus Caroli II. adhuc minorennis una cum matre ejus Chriſtina fuerit. Verum ut refert *BLONDELLVS præfatione apolog. XXII. num. 4.* is quidem conatus fuit Chriſtinæ matri regimen pupilli & totius ducatus, (ſub tutelæ ſibi competentis prætextu) anno 1545. præripere, qui conatus tamen in irritum, ut verba ſunt Blondelli, cecidit, prout ex transactione poſtmodum inſecuta id patere ille ait. Obtinuit tamen poſtea quod voluerat Nicolaus per Henricum II. Galliæ Regem, ceu pariter antea diximus, qui Carolo pupillo in Galliam abducto, ac matre, quod a Thuano prætermiſſum alii addunt, in Germaniam cum filiabus ablegata, Nicolaum ducatus Lotharing. gubernationi præfecit.

§. 19. Liberos Nicolaus ex tribus uxoribus ſuſcepit plures, ex quibus tamen cum cæterorum nomina in tabulis genealogicis videri poſſint, iſtos commemorabimus: 1. Louiſam, nuptam Henrico III. Galliæ Regi, de quo in Guiſiorum rebus plura dicenda erunt. 2. Philippum Emanuelem Mercurii ducem, qui in Gallia Guiſianorum factioni conjunctus inter cæteros Henrico IV. Regi, utut Pontifex eos ad agnoſcendum regem, ab ſe jam plene abſolutum, hortatus fuerat, diutiſſime reſtitit: Tum vero anno 1598. ſoluta jam penitus factione illa, cum ipſe Aremoricæ (tractus occidui & maritimi in Galliæ regno) Britanniæ minoris, Nannetenſis, & vicinarum regionum præfectus eſſet, & ipſe ad regem pacem oratum miſit, quam etiam tolerabilibus conditionibus, retenta quoque præfectura ſua obtinuit. Anno 1600. cum bellicæ virtutis gloria apud omnes eſſet celebris, a Cæſare Rudolpho II. in Hungariam ad bellum Turcicum adminiſtrandum accitus, ſummus exercitus Cæſarei dux conſtitutus eſt, multisque prudenter inprimis ac fortiter geſtis anno 1602. cum in Galliam ad ſuos redire vellet, in itinere Noribergæ deceſſit, relicta unica filia, quæ poſtea Comiti de Vendome Henrici IV. Regis filio naturali nupſit. De rebus ejus videri poſſunt THVANVS libris diverſis ad dictos annos, *RVDOLPHVS BOTEREJVS l. 15. 7. 9.* in quo ultimo inſigne ejus elogium habetur; it. *METERANVS, Mercurio Gallo-Belgico, SLEIDANVS contin. chron. Hungaria* & alii. 3. Carolum epiſcopum Tullenſem & Cardinalem. 4. Henricum C. de Chaligny: qui itidem in Hungaria militans ibi deceſſit relictis aliquot liberis, inter quos Henricus C. de Chaligny, ex matris hæreditate marchio de Mouus. Durat vero comitum de Chaligny familia hodieque, etſi certam eorum ſucceſſionem indagare nobis jam non liceat. *ZEILERVS in itinerar. Germanico, parte 2. cap. 1.* ubi matriculam imperii exhibet *p. 14.* comitatum Nomenii (de quo ſupra diximus) a comite de Chaligny poſſideri ait.

§. 20. De Caroli II. Lotharingiæ ducis filiis & quod in ducatu illi ſucceſſerit Henricus, natu eorum maximus, pater Nicolæ, jam diximus. De tertio eorum Franciſco C. Valdimontio, & poſt Henrici fratris obitum Lotharingiæ ducatum ſibi vindicante, id jam adhuc addendum eſt, eum uxorem duxiſſe Chriſtinam filiam unicam Pauli C. de Salm (qui comitatus in finibus Lotharingiæ & Alſatiæ ſitus eſt) unde cum frater Pauli Joannes an. 1600. ſine liberis obiiſſet, Chriſtina hæres ejus facta omnia comitum Salmenſium bona in Lotharingia ſita (Zeilerus in dicta matricula imperii, quam habet itinerarium Germanicum *loc. cit. pag. 26.* dimidiam comitatus partem vocat: Alterum dimidium a Wild- & Rheingrafiis poſſideri ajens) marito in dotem attulit: unde ex eo tempore pars illa comitatus iſtius cum Lotharingiæ ducatu conjuncta manſit. De reliquis vero Franciſci hujus, quem II. vocant, rebus aliqua adhuc deinceps dicenda erunt. Nunc antequam ad ſequens caput tranſeamus, nomina aliquorum dominiorum in Lotharingiæ & Barri ducatu exiſtentium, vel licet in Galliæ regno ſint ſita, ad ipſam tamen ducalem Lotharingicam lineam ſeorſim adhuc pertinentium, indicabimus.

§. 21. De ipſo *Barri ducatu* (a) cujus ſupra in hoc capite §. 2. jam facta mentio, ſitusque ejus ex parte fuit indicatus, nunc iſta hoc loco addimus, eum maximam partem trans Moſam flumen in Campania regni Gallici provinciæ ſolo ſitum Lotharingiæ latus occidentale fere totum claudere, eique hic inde velut inſertum ac innexum eſſe: unde poſtquam Renatus II. Dux eum ex Renati, ſive avi, Siciliæ Regis teſtamento accepiſſet, ipſe poſtea teſtamento condito conſtituit, ut deinceps Lotharingiæ & Barri ducatus perpetuo & inſeparabiliter permanerent. Vide illud apud *CHIFLETIVM Loth. maſcul. cap. 5.* Unde etiam tum amborum tituli a ſequentibus ducibus ſemper junctim quaſi

(a) *Barri ducatu*) Vid. *BLONDELLVM in Barro Campano Francico* & *CHIFLETIVM in commentar. Lotharienſ. MASCOVV. L. 6. §. XIV.*

quaſi unus eſſet ducatus, fuere uſurpati, & ipſi ambo ducatus ac ditiones ſub uno ſummo regimine ſive ſenatu principali ac parlamento fuere adminiſtratæ: donec Galliæ Rex Barri ducatum, quem feudum ſuum aſſerebat, hodierno duci ob *feloniæ crimen*, (a) ceu dicebat, commiſſum eriperet: quo tempore etiam an Barri ducatus feudum eſſet regni Galliæ, diſputari cœpit: de qua re infra ſuo loco pluribus dicemus. Nomen habet hic ducatus a caſtro ſive arce primaria ducum ſede, quam tempore Ottonis I. Imperatoris circa annum 960. condidit Fridericus Dux ſuper. Lotharing. ad Campanorum comitum irruptiones cohibendas; ceu pluribus de ea legi poteſt apud CHIFLETIUM *comment. Lothar. cap 1.* oppidumque poſtea illi fuit adjectum, quod una cum arce vulgo appellatur Bar le duc, Barrum ducis, ad diſcrimen nempe aliorum oppidorum hujus nominis in Galliæ regno ſitorum, quæ & ipſa tamen adjectis fluviorum, quibus adjacent, vocabulis cognominantur, ut Bar ſur la Seine &c. Sunt vero in hoc ducatu etiam comitatus ac dynaſtiæ, quarum titulis vel ipſi duces Lotharingiæ, vel alii familiæ hujus principes, ut quibus in appennagia conceſſæ ſunt, utuntur. Ab ipſo duce uſurpatur titulus marchionis Pontis montis vel Mouſſonis, qui etiam Moncionis a latine ſcribentibus effertur: quem in Barrenſis ducatus territorio ſitum, ſupra in hoc capite *n. 4.* ex Renati Regis teſtamento memoravimus. Fuit autem olim comitatus nomen habens ab oppido hujus nominis hodie academia celebri ſito ad Moſellam flumen, cui pons ibi eſt impoſitus, a quo & vicino monte vitifero Mouſon dicto, ceu notat JODOC. SINCERUS *in itinerario Gallico pag. 27.* nomen pontis Mouſſonis factum eſt. A Carolo IV. Imperatore caſtrum Barri in ducatum & pontis Mouſſonis in marchionatum evectus eſt anno 1354. ceu videre eſt apud CHIFLETIUM *comment. Lothar. cap. 3. & 4.* & ipſa urbs pontis Moncionis in civitatem imperialem, ibidem *c. 5. 6. 7.* In eodem Barri ducatu ſita ſunt dominia comitatus Claramontis ſeu Clairmont & Hattonis caſtri, quæ ambo etiam in diplomatibus Rudolphi II. & ſequentibus Imperatoribus ſupra *§. 12.* memoratis tanquam feuda imperii duci Lotharingiæ collata exprimuntur, ceu videre eſt ex enumeratione præfecturarum Barri ducatus apud CHIFLETIUM *comment. Lothar. c. 21.* Aliæ vero dynaſtiæ in Barrenſi ducatu ſitæ, quarum titulis appennagiati familiæ hujus principes quidam utuntur, ut Joinville &c. ad Guiſiam familiam pertinent, adeoque ſequenti capite erunt indicandæ.

§. 22. Porro, ut alia dominia ipſius ducalis Lotharingicæ lineæ propria permiſcue jam addamus; de Mercurii baronatu, poſtea in ducatum evecto, qui quidem longe a Lotharingiæ finibus (in Arvernis quippe) ſitus ab oppido hujus nominis, ut cæteri omnes appellationem habet, jam ante verba fecimus. Nomeny (quod nomen etiam eodem ducis titulo legitur) itidem antea baronatus fuit vel comitatus, hodie vero marchionatus, pariter ab oppido nomen habens ſito ad dextram Moſellæ fluminis tribus ab urbe Metenſi milliaribus verſus meridiem. Chaligny oppidum & comitatus, de quo pariter ante diximus, eſt ad eundem Moſellam flumen ſupra Tullum urbem. Hic appennagii titulo cum Vadimontis comitatu conjunctus fuit, ac poſtea diviſione ejus rurſus facta proprios comites ex Philippi Emanuelis Mercurii ducis poſteris accepit, ceu ſupra *§. 19.* indicatum. In titulo ducis eſt etiam comitatus Blamontii, quod nomen in iisdem inveſtituræ literis Rudolphi II. & cæterorum Imperatorum antea memoratis Germanico etiam vocabulo *Blanckenberg*, latine vero ibidem Albimontis nomine effertur: Situm vero eſt oppidum Blamont vel potius Blancmont in parte orientali Lotharingiæ verſus Alſatiam. Vide ZEILER. *itinerarium Germanicum part. 1. c. 10. n. 1.* JOD. SINCERUS itinerario Gallico Vaudemont corrupte ex valido monte (unde Valdimontium etiam ſcribitur) vel ut alii ſcribunt Vadano monte, vel denique ut corrigens Chifletium, qui Vaudimontium latine ſcripſerat, vult Blondellus (confer apologiam XX. 2. b.) Vadonismonte, appanagium hodie notiſſimum comitatus vel principatus titulo inſignitum; quod plerumque ducum Lotharingiæ filii ſecundo geniti ex iisque deſcendentes tenuerunt, ab eoque cognominari ſolent. Oppidum ipſum, a quo nomen habet comitatus, in colle ſitum, ſex Leucis Gallicis a Tullo urbe diſtat in Auſtrum, uti 6. a Nancejo, quemadmodum ſitum ejus deſcribit Baudrandius in lexico geographico. Sunt vero aliæ dynaſtiæ & comitatus in Lotharingia, quorum tamen titulis duces non utuntur, ut Marſal baronia, it. comitatus Amance, Richecourt & *alii*, (b) qui videri poſſunt apud PAULUM MERULAM *Coſmograph. part. 2. lib. 3. cap. 44.* De comitatu Salmenſi ante diximus, qui ſub propriis comitibus in Lotharingia quidem vel ejus finibus eſt ſitus, imperio tamen immediate ſubjacet: cujus dimidiam partem vel quantum ejus in Lotharingia eſt ſitum, per matrimonium Franciſci C. Vaudemontii cum filia Pauli C. Salam. ad Lotharingiæ duces perveniſſe antea dicebamus. Comites vero Salmenſes etiam beneficii vel feudi nexu aliquo obligatos eſſe ducibus Lotharingiæ, illud argumento eſſe videtur, quod ex Choppino monet LIMNÆUS *tomo IV. addit. ad lib. 5. cap. 11.* comites Salmenſes vulgo prædicari marſchallos Lotharingiæ hæreditarios. Neque vero vulgo tantum ita prædicari, ſed revera quoque tales eſſe & teneri patet ex inſtrumento Nicolai Lotharingi epiſcopi Metenſis ſupra *num. 17. & 18.* ex CHIFLETII *Lotharing. maſc.* adducto, ubi inter teſtes tranſactionis illius anno 1545. initæ memorantur C. Salm. Lotharingiæ, ut ibi additur, & Barri mareſcalkus.

CAP. IV.

(a) *feloniæ criminis*) Vid. LUDWIGII *Lotharingiam vindicatam cap. II. §. IV.*

(b) *alii*) Phalsbourg, Lixheim, comitatus Sarwerdenſis pars, Hombourg, S. Avaux, Savalben, Saarbourg.

Digitized by

CAPUT IV.

De Claudio Guiſiæ duce, ejus liberis ac poſteris ſive domo Guiſiæ in regno Galliæ.

§. 1. Ex pluribus Renati II. Lotharing. ducis filiis duos tantum Antonium & Claudium familiam propagaſſe, & ab Antonio, quem pater unicum in Lotharingiæ & Barri ducatibus ſucceſſorem conſtituerat, lineam ducalem ſive Lotharingicam ſpeciatim ita dictam deſcendiſſe capite præcedenti §. 9. & deinceps fuit indicatum. Claudio minori ex his duobus, quicquid præter iſtos duos ducatus aliaque ibi expreſſa in Francia, Normannia, Flandria, & alibi pater habuerat, (a quibus tamen ut ex ante dictis intelligitur, etiam Mercurii Baronia in Arvernis ſita, ſpeciali forte adhuc titulo ad Lotharingiæ ducatum pertinens excepta fuit) ab eo in eodem teſtamento fuit aſſignatum. Atque is perinde plurium illorum dominiorum titulis primus uti cœpit, quibus mox etiam novæ dignitatum in Gallia munerumque in regno Galliæ appellationes Regum beneficio ipſi ac poſtea filiis ejus collatæ acceſſere. Dominiorum quorum titulis ipſe Claudius vel filii etiam ejus fuere uſi, iſta ſunt præcipua: Guiſe, Aumale, Mayenne, Elbœuf, Harcourt, Joinville. Quorum perinde etiam ut antea aliorum ad Lotharingicam lineam pertinentium ſitum ad ſequentia rectius intelligenda, antequam ad ea progrediamur, indicare nunc operæ erit pretium.

§. 2. Guiſe oppidum parvum munitum, una cum arce ſplendida in Picardia Galliæ provincia ad Oeſiam flumen verſus Belgium Hiſpanicum ſive confinia Hanoniæ ſitum. Tractus ſive regio circa eam Tiraſcia vocatur. Ipſius Guiſii comitatus ſive dynaſtiæ exigua eſt ditio. Ipſe tamen Claudius tum quod uxorem regii ſangvinis, ut poſt dicetur, duxiſſet, tum ob præclara ejus merita a Franciſco I. Galliæ Rege Dux Guiſiæ, & Pair Franciæ creatus fuit anno, ut notatur in *tabulis RITTERSHVSII*, 1527. Ex quo tempore tum primogenitus ejus filius, tum porro ex hoc deſcendentes primogeniti, ducum Guiſiæ titulum uſurparunt. Antiqua porro tempora Guiſiæ comitatus quod attinet, eum ante Renatum ducem & quidem ante annum 1403. Lotharingorum neminem poſſediſſe certum eſt. Falſo perinde Guiſiæ comitis titulo tum Renatus ante illum annum, tum ejus majores a Chifletio vocantur; id quod fit etiam ab Henningeſio, qui proavum Renati Fridericum Caroli Audacis fratrem iſto nomine afficit. Ab anno 1180. ubi veterum Guiſiorum ſtirps extincta, ad alias aliasque familias delatus eſt comitatus. Anno 1360. ad Andegavenſem dotis nomine pervenit, ex qua anno 1417. Renato Iſabellæ Lotharingicæ poſtea marito ac Regi Siciliæ cum aliis nonnullis fundis attributus, ac tandem poſt ejus mortem, quæ anno 1482. contigit, nepoti ejus Renato II. duci datus fuerit. Ab hoc itaque primum comitatus hic poſſesſus poſtea per teſtamentum in filium Claudium, ut diximus, qui eum demum ducatus titulo inſignitum celeberrimum reddidit, eſt translatus. Aumale, Albamala, ut Baudrandius, vel ut Blondellus loco proxime citato aſſerit, Alba Maria; urbs eſt in Normannia ſita ad initium Burinæ flumen, 14 Leucis Gallicis a Rhotomago I. Rouen urbe diſtans. Cujus dynaſtiam itidem ducatus titulo Galliæ Rex in Guiſii gratiam ornavit. Ad Lotharingicam familiam pervenit per matrimonium Antonii comitis Vadimontii avi paterni Renati II. ducis cum Maria de Harcourt. *PAVL. MERVL. Cosmograph. part. 2. lib. 3. c. 30.* Le Maine comitatus I. hodie itidem ducatus in regione ſive provincia Cenomanorum vulgo Mayenne dicta, inter Normanniam & Andegavenſem ditionem ſita: in qua etiam urbs & comitatus, le Mans dictus, exiſtit. Fluvius eum irrigat itidem Maine dictus, qui etiam eam urbem alluit ejusdem nominis, vel Mayenne vulgo dictam, latine autem Meduanam, quamvis Blondellus verbis admodum obſcuris hæc nomina videatur diſtinguere; neque etiam ſatis aperte hæc explicat Baudrandius. Thuanus tamen paſſim principem de Maine (unum ex Guiſii filiis) Meduanum appellat. Clarius hæc diſtingvit *MERVLA loc. cit. c. 22.* Andegavenſibus, inquiens, Thuronenſibus, Normannis, & Perchenſibus contiguus eſt comitatus Cenomanenſis, vulgo comte de Maine. Tota regio ſuperioribus annis in duas quaſi abiit partes. Civitas Cenomanenſis le Mans ditioni addita eſt Regis Franciæ: urbs autem Mainia, Maine, cum marchionatu nunc in ducatus decus erecto, Guiſiæ gentis agnoſcit dominium. Hæc ille. Sequitur in dominiis ante commemoratis Elbeuf, Elbovium; oppidulum, ut vocat Baudrandius, in Normanniæ provincia ducatus titulo inſignitum, ad Sequanam flumen tribus Leucis ſupra Rothomagum in auſtrum diſtans. Harcourt oppidulum (ita rurſus vocat Baudrandius) cum caſtro in Normanniæ provincia & in Ebroicenſi tractu, ſeptem plus minus Leucis ab Ebroico (Evreux) diſtans eſt. Hinc dicti principes Lotharingi & comes bello percelebris hiſce ultimis temporibus. Pervenit autem ad domum Lotharingicam hic comitatus ſimul cum comitatu Aumaliæ, ut ante ex *PAVL. MERVLA* indicavimus. Joinvilla denique in inferiori Campania ſita ad Matrolum flumen cum arce ſplendidiſſima: Appannagium, ut in Atlante maj. dicitur domus Guiſiæ: ubi etiam Claudii ducis tumulus ſive ſepulchrum eſt ſuperba ſtupendaque ſtructura. Antiquiſſima hæc eſt baronia antiquorum Lotharingiæ ducum, quo nomine etiam Joinvillæ nempe baronis appellatur a ſcriptoribus Godofridi illius Bouillonei ducis Lotharingiæ (inferioris) & Regis Hieroſ. frater, Guilielmus; a quo, ut ſupra docuimus, falſo Lotharingiæ ſuperioris duces deducuntur. Principatus autem dignitatem Joinvilla accepit ab Henrico II. Rege. *PAVL. MERVLA loc. cit. c. 23.* Nunc ad ipſos principes revertimur.

§. 3. Claudius, de quo dicere ante cœperamus, alter Renati II. ducis filius, poſt obitum patris in illum ac matrem ſuam fere impius, Antonium fratrem natu majorem, quem pater ſucceſſorem in Lotharingiæ & Barri ducatibus teſtamento conſtituerat, dejicere ducatu eſt conatus, eam

 præten-

prætendens rationem, quod pater ſuus Renatus repudiata priore uxore ſua Margaretha (ob ſterilitatem ceu ſupra *cap.3. §.5.* diximus) alteram duxiſſet Philippam Geldrenſem, ex qua tum Antonius tum ipſe etiam nati fuerant: ſed Antonius, vivente adhuc priore illa a patre repudiata uxore, ac perinde quaſi ex adulterio, cujus hac ratione patrem matremque Claudius inſimulabat, procreatus. Se vero ut jam mortua illa priore uxore natum, legitimum demum illorum filium eſſe ajens: quemadmodum hoc Guiſiis objicitur in oratione aliqua apud *THVANVM lib.24.* Cæterum acquieſcere in patris diſpoſitione coactus Claudius, aſſignatis ſibi a patre in Galliæ regno ſitis comitatibus & dynaſtiis ibidem ſedem fixit, ſeque totum in Galliæ Regum clientelam contulit: ducta etiam regii ſanguinis uxore Antonia Franciſci Borbonii ducis Vindicini filia. Inde fratris cardinalis & archiepiſcopi Rhemenſis, qui gratia apud Franciſcum I. R. pollebat, commendatione, ab eodem Franciſco Rege Campaniæ ac Briæ *Seneſchallatum* (a) obtinuit, & ut quidam addunt, Prorex etiam Burgundiæ factus fuit. Erat autem dux belli ſtrenuus, laborum patientiſſimus vaſto & eleganti corpore: & cum jam ab initio ad altiora in regno adſpirare cœpiſſet, ex præfectura ſua aliquando, ſine Regis mandato auxiliares copias Antonio fratri ab Anabaptiſtis, ut ajebat (ruſticis rebellibus) infeſtato adduxit: quod quidem Franciſcus Rex, qui majeſtatem ſuam eo læſam cenſebat, adeo impatienter tulit, ut pœnam de eo ſumere cogitaret, niſi in ejus fratris gratiam (qui quidem ut *THVANVS lib.6.* de eo ait, ſolo voluptatum miniſterio & ſtolida libertate (forte liberalitate) Franciſco carus, juſtam ejus indignationem erga Claudium conceptam mitigavit) ei injuriam hanc condonaſſet: quam tamen ea lege remiſit, ut Claudius in poſterum aula abſtineret, nec in conſpectum ſuum veniret. *THVAN. lib.24.* Hæſit tamen adeo tenaciter in animo Franciſci ejus rei memoria, ut etiam moriens ille Henricum filium inter alia præcepta ipſi data inprimis moneret, ut ſibi a Guiſianorum ambitione (nam jam plures, ut mox dicetur, Claudii erant filii adulti ac in regno opes & potentiam affectantes) caveret, ac proinde ejus publicæ rei gubernaculis ne admoveret, quod prævideret fore, ut ſi ad regni adminiſtrationem illi admitterentur, ſpoliatis alias enim ipſius liberis, populum Galliæ omni re exutum ad extremas miſerias eſſent redacturi; ut *THVAN. lib.3.* commemorat: vel ut Regis hoc vaticinium ex Mornæo Pleſſæo adducit *LIMNÆVS J.P. l.4. addit. ad lib.5. cap.11.* futurum ut Guiſii regios filios pallio privarent, vix *veſte iis relicta*, (b) ſubditos vero veſtibus exutos indulio contentos eſſe cogerent. Obiit autem Claudius belli dux, ut *THVAN. lib.6.* loquitur, ſuo tempore magnus & pace gravis, anno 1550. magnaque pompa funeratus eſt, etiam edito pompæ funebris libro, ut in Regum exequiis fieri ſolet, ne quid familiæ jam tunc ad ſumma quæque adſpiranti, ceu rurſus *THVANVS lib.6.* ait, deeſſet, quod illi ornamentum & dignitatem conciliare poſſet.

§. 4. Suſcepit autem ex Antonia illa Borbonia numeroſam ſobolem, nempe 4. filias ac 8. filias, inter filias duæ *abbatiſſæ* (c) ſunt factæ; ex reliquis Maria, quæ inter omnes liberos natu maxima, primum Ludovico Aureliano D. Longovillano, deinde Jacobo V. Scotiæ Regi nupta, unicam ei filiam peperit Mariam regni Scotiæ heredem & per matrimonium *Franciſci II.* (d) etiam Galliæ reginam factam, ac proinde Guiſianorum in Gallia potentiæ fulcrum eo tempore maximum. Poſt obitum vero Franciſci II. cum nullos ex eo liberos haberet, in Scotiam, regnum ſuum hereditarium rediit, ubi pluribus motibus ac turbis agitata ac tandem in Angliam ſe recipere coacta, cum ibi quoque contra Eliſabetham Angliæ Reginam regnumque ejus conſilia agitare deprehenſa eſſet, ab Eliſabetha in cuſtodiam data, ac ob iſta & plura alia quorum accuſata fuit ſupplicio affecta. Flius ejus fuit Jacobus VI. Angliæ & Scotiæ Rex, Caroli I. Regis poſtea decollati pater, hodierni Caroli II. avus. Altera Claudii filia Ludovica nuptum data primum Renato principi Arauſionenſi deinde Philippo Croye D. Arſchotano, ceu in hujus familiæ enarratione dicetur. Inter filios vero Claudii natu maximus fuit Franciſcus, qui proinde, ut antea quoque diximus, Guiſiæ ducis titulum, ut inter paternos præcipuum, ſolus ſibi vindicavit, ac inprimis, ut mox referemus, ſummam in Galliæ R. aula ac ipſo adeo regno potentiam affectavit. Alter fuit Carolus archiepiſcopus Rhemenſis ac cardinalis, præ aliis fratribus maxime ambitioſus, & omnium turbarum, quæ in Galliæ regno illo tempore exortæ ſunt, autor & incenſor præcipuus. 3. Ludovicus epiſcopus Metenſis & itidem cardinalis. 4. Claudius ducis Aumaliæ titulo affectus. 5. Franciſcus Magnus Franc. prior. 6. Renatus *marchio Ellebovii.* (e) Horum vero res actioneſque cum omnes ad eundem ſcopum fuerint directæ, junctim eas, ſed breviter enarrabimus.

§. 5. Henricus II. R. contra patris Franciſci I. conſilium admonitum, Guiſios ceu Claudii filios non ad bellicas tantum dignitates ac præfecturas, ſed & arcana regni ac civilis adminiſtrationis conſilia admiſit. Et Carolo quidem mox poſt patris obitum non tantum cardinalitiam dignitatem a Pontifice impetravit, ſed & galerum cardinalitium a Pontifice miſſum capiti ejus ſua manu impoſuit, referente id *THVANO l.3.p.62. edit. Francof. in fol.* Frater ejus Ludovicus epiſcopus Metenſis ejuſdem Regis beneficio ad cardinalitium culmen evectus, non quidem magnum in regni rebus ac turbis publicis

(a) *Seneſchaliatum*) Senechallus in Gallia vocatur, qui provinciæ cum poteſtate juris dicendi præeſt. Claudius etiam magni venatoris Galliæ officio illuſtris fuit. De rebus ab eo præclare geſtis conf. *LE PERE DANIEL, tom.V.pag. 13.134.177.378.*

(b) *veſte iis relicta*) Hæc in ſcripto reformatorum contra Guiſios Franciſco II. oblato ita exprimuntur: *Que ſi jamais cette mechante maiſon de Guiſe gouverneroit le Roy ſon fils, elle le mettroit en chemiſe.*

(c) *abbatiſſæ*) Aloiſia abbatiſſa Rhemenſis, & Antonia abbatiſſa Fermonſter.

(d) *Franciſci II.*) Vid. *Hiſtoire de France par le P. DANIEL, tom.V.pag.443.600.632. ſeq.*

(e) *marchio Ellebovii*) Petrus infans, & Philippus poſt aliquot a nativitate dies eſt denatus.

cis momentum fuiſſe legitur, homo quippe voluptatum imprimis amans, & quantum Carolus frater ſobrius & in negotiis aſſiduus, tantum ipſe intemperans & commeſſationibus deditus, ut *THVANVS l. 65. p. 232.* ei elogium hoc tribuit: In omnes tamen, ut ibidem additur, fuit contumelioſus, & quas Carolus frater in regno factiones *ingenii vi*, (a) dum in vivis eſſet, parturierat, ille poſt obitum ejus, jam adultas porro perta vi fovere non deſtitit; & inprimis anno 1577. ut poſt dicetur, occulti & exitialis catholicorum quorundam adverſus proteſtantes fœderis negotium maxime promovit. Thuanus ibidem. Cæteri vero fratres, cum eidem Henrico II. Regi militarent, & per matrimonia diverſis regni familiis ſe inſinuaſſent, omnes ab eo tum præfecturis militaribus, tum civilibus ſui regni muneribus ac dignitatibus ſunt ornati. Inprimis autem Franciſcus D. Guiſius poſtquam adhuc, ſub Franciſco Rege, in expeditione contra Anglos, anno 1545. accepto infra oculum in maxilla haſtæ ictu, ac cuſpide cum ſeſquipedali haſtilis trunco in vulnere remanente ipſe neque equo tanta ſe ſuccuſſione dejici, & poſtea in hoſpitio truncum ſine ullo doloris licet acutiſſimi indicio educi paſſus, inſignem fortitudinis ſpeciem præbuiſſet, (*THVANVS l. 1. p. 24.*) ex eo Henrico Franciſci R. filio ſeu Delphino imprimis carus fuit, a quo etiam ſchedulam obtinuit, qua is, cum primum ad regnum veniſſet, de reſtituendo ipſi Provinciæ principatu, in quem pariter ac in Andegavenſem ducatum, ceu ſupra dictum, Franciſci hujus Guiſii avus Renatus II. Lothar. D. ex avi ſui Renati I. Regis hereditate jus prætenderat, fidem ſuam interponebat; quod tamen, cum contra regni leges id eſſet, in effectum dare poſtea Henricus R. factus ſive noluit ſive nequivit. Eodemque modo, ut de Andegavenſi quoque ducatu hoc addamnas, cum frater Franciſci Guiſii Carolus card. mox poſt Henrici II. coronationem Romam profectus, Andegavenſem ſe ibi ducem (quo nomine jam regum filii ſolebant affici) appellaſſet, Rex a quibusdam, quo hæc Guiſianorum ambitio tenderet, edoctus, eos monuit, ut Andegavenſibus inſignibus, quæ ceu pariter antea dictum, Renatus II. D. & ejus poſteri ad jus ſuum conſervandum retinuerant, contenti eſſent, nomine vero abſtinerent. Eodemque tempore etiam ſcheda illa, quam ab Henrico tunc Delphino iis datam fuiſſe dicebamus, ab iis fuit repetita: ceu hæc apud *THVANVM l. 24. §. 490.* memorantur. Non deſtitit tamen Henricus Rex aliis modis Franciſci Guiſii & ejus fratrum incrementis favere, ad quæ etiam illi viciſſim, tum aliis rationibus, tum rebus belli geſtis viam ſibi ſubinde magis magisque muniebant. Anno 1548. Franciſci nuptias cum Anna Regii ſanguinis virgine, utpote Ludovici XII. Galliæ R. ex Renata familia, Herculis Ferrariæ D. uxore, nepte apud Pariſiorum urbem celebravit, quibus ipſe Rex cum tota aula interfuit, cum eum paulo ante etiam Patritium ſive Parem ut vocant Franciæ creaſſet. *THVANVS l. 5. p. 105.* Anno 1551. idem Rex adverſus Carolum V. Cæſarem movens Franciſcum Guiſium ac fratres ejus Claudium Aumaliæ D. & Renatum Ellebovii march. ſecum habuit, quibusdam copiis præfectos. *THVAN. l. 10.* Sequenti vero anno cum Carolus Cæſ. ad *Metim* (b) obſidendam veniret, urbi defendendæ Franciſcus a Rege impoſitus eam per plures menſes fortiter defendit, donec Cæſar hiemis inclementia obſidionem ſolvere cogeretur. *THVANVS l. 11.* Poſtea anno 1554. in Belgico adverſus ipſum Cæſarem præſentem Guiſius dux exercitus conſtitutus apud *Rentiacum* (c) commiſſo prælio ſumma virtute Cæſareanos repulit, in quo rurſus etiam fratrum ejus Aumalii, Ellebovii, & Franciſci, magni Franciæ prioris, fortitudo celebrata fuit. *THVANVS l. 13. p. 274. & ſeqv.* An. 1557. ruptis Pontificis inſtinctu a Gallis cum Cæſare induciis Franciſcus Guiſius cum exercitu in Italiam, ut adverſus Philippum Hiſpaniæ R. Pontifici ſuppetias ferret, comitantibus eum rurſus fratribus, copiasque ſub ipſo ductantibus miſſus eſt. Qua occaſione uſus, ut ſuis ſimul rebus proſpiceret, regnum *Neapolitanum*, (d) in quod, ut ex ſuperioribus conſtat, jus adhuc prætendebant Lotharingi, invadere conſtituit, ſed irrito conatu: quippe poſt unum alterumve oppidum in finibus ejus regni expugnatum, cum neque pecunia a Pontifice promiſſa neque auxilia præſtarentur, inde in Latium ſe recipere eſt coactus, eoque ipſo tempore cum interim in Gallia ad Sanctum *Quintinum* (e) in Belgii finibus Galli maximo prælio ab Hiſpanis ſuperati ac præcipui eorum duces vel cæſi vel capti eſſent, ipſe a Rege in Galliam revocatus eique ſummum exercitus regii imperium commiſſum fuit. *THVAN. l. 18. p. 364. & ſeqv. l. 19. p. 394.* Nec ingloriam eam Guiſius militarem præfecturam geſſit, expugnato in ea expeditione, licet media hyeme ſub ipſum anni 1558. initium, *Caleto* (f) arce oppidoque ac portu munitiſſimo ad mare Britannicum, unde breviſſimis ex Gallia in Angliam trajectus eſt, ſito: quod Angli ante annos 210. cæſis Creſſiaca pugna Gallis poſt integri anni obſidionem ademerant, & cum majorem ſimul Galliæ partem una cum regni titulo ſibi vindicaſſent, amiſſis paulatim cæteris ipſum huc usque in poteſtate retinuerant, quo demum per Guiſium jam recepto Angli poſt tam longum tempus penitus Galliæ finibus iterum excluſi, & Gallia priſtinæ ſervitutis illa quaſi nota liberata fuit. Vid. *THVAN. l. 20. p. 402. & ſeqq.* Is inde alia expeditione per ejusdem anni ætatem ſuſcepta, *Theonis quoque villam*, (g) (Germ. *Dietenhofen*) Lucenburgici ducatus oppidum munitiſſimum ad Moſellam ſitum, poſt validam oppugnationem deditione in poteſtatem redegit, quo ipſo haud exiguum momentum gloriæ ejus eſt adjectum.

§. 6. Eo-

(a) *ingenii vi*) Confer. *Hiſtoire de Henri II. & Francois II.* par VARILLAS.

(b) *Metim*) *Hiſtoire de Henry II. par VARILLAS tom. I. p. 271. ſeqq. Hiſtoire de France par le P. DANIEL tom. V. p. 1028. MASSENII anima Hiſtoriæ lib. VII. p. 164.*

(c) *Rentiacum*) *Hiſtoire de Henry II. par VARILLAS tom. I. p. 360. ſeqq.*

(d) *Neapolitanum*) *VARILLAS l. c. tom. II. lib. V. in fine & lib. VI.*

(e) *Quintinum*) *VARILLAS l. c. in fine lib. VI. L'Hiſtoire de France par le P. DANIEL liv. V. p. 580 ſeqq.*

(f) *Caleto*) *VARILLAS l. c. p. 248. ſeqq. Le pere DANIEL l. c. p. 593. ſeqq.*

(g) *Theonis villam*) *VARILLAS l. c. p. 305. ſeqq.*

§. 6. Eodem porro anno illo 1558. nuptiæ illæ Franciſci Galliæ Delphini cum Maria Stuarta Scotorum Regina, Jacobi V. & Mariæ, Guiſianorum ſororis, jam ſupra §. 4. nobis memoratæ filia, ſunt celebratæ: quam Guiſianorum cum regia domo affinitatem multos ſumma prudentia præditos Galliæ rebus exitioſam auguratos, Thuanus ait, aucta ex eo Guiſianorum potentia, qui jam tum ex æmulorum captivitate (procerum Gallicorum qui in prælio jam dicto ad S. Quintinum ab Hiſpanis capti erant) occaſionem captantes, nihil non agebant, ut in aula factionibus ſciſſa ſummam autoritatem ſibi compararent. *THVAN. L. jam cit. p. 407.* Neque vero in aula tantum ac regno Galliæ Regis ac procerum ut & populi favore, ſed etiam externis auxiliis opibusque potentiam ſuam firmare illi laborarunt, offerente ad hoc commodam occaſionem Chriſtina illa, de qua ante diximus, quæ ob ereptam ſibi ab Henrico R. Caroli filii tutelam Gallicum nomen, ut Thuanus loquitur, peroſa. Philippum Hiſpaniæ R. in Belgio hactenus comitata, eodem illo, quem ante dicebamus, anno 1558. Galliæ regis permiſſu Peronam venerat, ut cum filio, qui in regis aula adhuc educabatur, colloqueretur. Huic a Rege adjunctus erat Carolus cardinalis Guiſii frater; cum Chriſtina vero venerat Antonius Perenatus Gravellani filius Atrebatenſis (Arras) epiſcopus, Philippi conſiliorum præcipuus adminiſter. Inter hos itaque de ſectariis per Galliam opprimendis, ob eamque cauſam pace inter ambos Reges procuranda ſermone injecto, Perrenotus Guiſios ſolos eſſe ajebat, qui tantæ rei pares eſſe poſſint: eosque proinde denunciata eis Philippi R. amicitia, ad ſuſcipiendum religionis in Gallia patrocinium, tollendosque vel dejiciendos adverſarios, variis argumentis incitavit, pactumque inter eos de conſiliis poſthac per perſonas internuncias communicandis fuit initum. Fœdus poſtea inter ipſos R. Hiſpaniæ & Galliæ (Philippum II. & Carol. IX.) de extirpandis hæreticis, ut vocabant, Bajonæ, præſentibus Catharina Medicæa & Carolo IX. adhuc impubere, ab altera parte Iſabella filia Henrici II. R. Galliæ, Regina Hiſpaniæ & Ferdinando D. de Alba eſt factum, referente id *REIDANO l. 1. hiſt. Belg. DAVILA p. 115. Hiſtoire de Charles IX. par VARILLAS tom. I. p. 22. ſeqq.* Et hæc quidem principia memorati, Thuanus ait, amicitiæ & conſiliorum a Lotharingis cum Hiſpano initorum: quæ quidem pro ratione temporum ſæpius mutata, ſed ſemper renovata fuerint. Vid. *THVAN. l. 20. p. 480.* Sane ex eo tempore ſtatim etiam turbarum ac factionum in aula ac regno Galliæ initia pullularunt, donec in apertum bellum civile erumperent, id quod Hiſpanis, Galliæ vires hac ratione a Belgicis provinciis averti poſſe, & Galliam plane etiam everſum iri credentibus, unice fuerat propoſitum.

§. 7. Summa in Galliæ regno poſt Regem ejusque domum ac fratres ſemper extitit principum ſanguinis, ut vocant, ſive regii generis autoritas, ut qui ex eadem Regum ſtirpe prognati, etiam, ſi regiam maſcula progenies defecerit, indubitati ejus in regno ſucceſſores, ex immutabili regni lege ſunt futuri. Hinc etiam tum alia præ cæteris regni Ordinibus habent privilegia, tum rege minorenni in regni adminiſtratione poſt reginam matrem proximus illis locus & poteſtas competit. Ipſique absque ullis titulis & patritiorum (parium Franciæ, de quibus vid. *PAVLVS MER. coſmogr. P. 2. l. 3. addit. ad cap. 17. p. 125.*) privilegio gaudent, & patritios omnes natalium prærogativa, non patriciatus (ſive pariatus) ratione præcedunt, ut *THVAN. l. 27.* loquitur. Vid. plura de iis apud *MER. l. c. p. 112.* Tales illo tempore erant ex familia Borbonia Antonius D. de Vendosme & frater ejus Ludovicus Princeps de Conde. Antonius inſuper ob matrimonium cum Joanna Albretana, Henrici Navarræ R. filia & herede, Regem Navarræ ſe appellabat: licet ipſum Navarræ regnum, certe præcipua ac maxima ejus pars jamdudum avo Joanne erepta erat a Ferdinando Hiſp. R. Illum itaque poſthac, ut verborum fiat compendium, Navarri Ludovicum V. Condæi nomine appellabimus. Erant vero præter hos ſanguinis Principes etiam ſumma in regno autoritate Annas D. Monmorantius Franciæ Conneſtablius, (eſt hic ſummus exercituum regni poſt Regem præfectus) eidemque etiam ſumma aulæ ſive palatii, ut Thuanus vocat, præfectura una cum ſigilli arcani regii cuſtodia (propria hæc olim ſummi regii cubicularii, ſed munus id ſuſtulerat Franciſcus I.) erat commiſſa. Vid. de his offic. *PAVL. MER. l. c. p. 116. 125.* Nec exigua præter hunc apud R. Henricum gratia & autoritate erat Caſpar Colinius, ſummus maris præfectus, Momorancii ex Louiſa ſorore nepos. *THVAN. l. 23. p. 459.* Hos itaque omnes magna in regno potentia & apud Regem autoritate prævalentes cum conſiliis ſuis Guiſiani fratres, ac ſummo, quod affectabant culmini obſtare cernerent, omiſſis quidem aliquantum prioribus illis (Navarro & Condæo ſanguinis principibus) cæteros paulatim dejicere ſunt aggreſſi. Colorem auſis ſuis conatibus quærebant religionem; occaſionem vero commodam datam ſibi putabant, quod Colignius (ita Ammivalem deinceps vocabimus, cum alter Andelati nomine ſoleat deſignari) & frater in prælio illo ad S. Quintinium capti & adhuc ab Hiſpanis in cuſtodia detenti aula abeſſent. Itaque cum primum cardinalis a colloquio iſto cum Perrenoto habito in aulam rediiſſet, Andelotum quaſi impie de religione ſentientem apud Regem detulit, cumque is ab ipſo Rege interrogatus, non ad ejus ſententiam reſponderet, iratus Rex in carcerem duci juſſit, ac præfecturam militarem ei ademtam ex Guiſii commendatione in Monlucium, qui puer in Lotharingiæ D. aula educatus, eique proinde familiæ addictisſimus erat, tranſtulit, inde aliis etiam quibus Monmorantii autoritas paulatim labefactari potuit, peractis, non veritus eſt inſuper Guiſius oblique a rege petere ut alterum Montmorantii munus, palatii puto præfecturam, cujus jam promiſſum filio Montmorancii erat factum, ſi quidem Montmorancius decederet, in ſe transferret. Tandem, ut religionis ardorem inprimis præ ſe ferrent, autor Regi cardinalis fuit, ut in ſenatorum ſummi ſenatus regii Pariſienſis religionem inquireret, cumque inter eos aliqui de abuſuum in eccleſia emendatione, præſente rege, liberius ſententiam dixiſſent, in carcerem deducti,

unus-

unusque ex iis vir maximæ autoritatis poſtea Rege interim mortuo urgente potiſſimum Cardinale ob religionis profeſſionem ſupplicio affectus fuit. Vid. *THUAN. L. 20. p. 409. Lib. 22. p. 458.*

§. 8. Cum Henricus II. R. anno 1559. media fere æſtate ex vulnere in haſtiludio accepto obiiſſet, Franciſcus vero II. filius natu maximus Mariæ illius Stuartæ Guiſianorum ex ſorore neptis, de qua ante §. 4. diximus, maritus, & animo & corpore imbecillis eſſet, mater ejus Catharina Medicæa Henrici Regis vidua, imperii ſupra modum cupida, Regem & totius regni adminiſtrationem in ſua poteſtate ſe habituram putans, ſi Guiſios Reginæ avunculos & eo nomine Regi percharos ſibi addictos haberet, protinus amoto ab aulæ negotiis Momorantio, illis ſe *adjunxit*, (a) inde aliis qui hujus Momorancii rebus favere vel Guiſiorum potentiæ minus æqui putabantur, ab eadem Reginæ aula pulſis, ii viciſſim muneribus ejus præficiebantur, qui vel jam Guiſiis obnoxii erant, vel eorum mox partibus ſe aſſociabant. Ipſe vero Rex ejusdem patris inſtinctu ſummo ſenatui Pariſienſi, per ejus deputatos ad ſe miſſos indicavit, Franciſcum Guiſium & Carolum Cardinalem fratres ſuos, a ſe eſſe matris conſilio electos, quibus regni univerſi conſilia & negotia committeret, ita ut ille quæ ad bellum ſpectaret, hic rem pecuniariam curaret, proinde ſe velle ac jubere, ut Senatus eos in poſterum adiret ac conſuleret, Momorantium vero paulo poſt ipſe etiam Rex ex aula domum ire *juſſit*, (b) ſe, ſenectutis ejus levandæ cauſa, armorum ac rei pecuniariæ curam in dictos illos transtuliſſe ajens, & licet Momorancius domum jam reverſus *Navarri* (c) inprimis ope dignitatem ſe retenturum ſperaret, occultis tamen Reginæ minis & Guiſianorum metu coactus, tandem quaſi ſponte Magiſtri Palatii dignitate quam Guiſius in aula jam exercebat, ſe abdicavit. *THUAN. L. 23 p. 457. & ſeqq.*

§. 9. Hac aula quaſi in poteſtatem redacta Lotharingi, ut Thuanus (p. 458.) loquitur, rerum in regno potentes ſunt facti. Vt vero etiam ſanguinis principes, ad quos in tali caſu, ſi Rex minus ſit idoneus, ex regni legibus aulæ ac negotiorum regni cura pertinebat, excluderent, Navarrum quidem, cum is tandem continuis Montmorancii & aliorum monitis, ne injuſta Guiſianorum dominatione regni libertatem opprimi fineret, impulſus in aulam *veniſſet*, (d) ac mox Condæum quoque, tum variis injuriis ac contumeliis paulatim deprimere ſunt aggreſſi, tum ut Rex eos, ſub ſpecimine honorificæ legationis, & quidem longisſime a ſe invicem remotos, Navarrum quidem ad Hiſpaniæ Condæum vero ad Belgii *fines* (e) procul ab aula amoveret effecere. Vid. *THVAN. L. c. p. 459. 460.* Vt vero etiam populi, ac inprimis Cleri favorem ſibi magis magisque conciliarent, Reginæ autores fuere, ut Lutetia, tanquam in regni urbe primaria, *inquiſitio* (f) in eos qui reformatæ religioni eſſent addicti, inſtitueretur, ſparſis ſimul in vulgus immanibus calumniis de horrendis criminibus, quæ illi in conventibus ſuis committerent, quas etiam Cardinalis Loth. ad ipſam Reginam detulit, eandem ita ad gravisſimum eorum odium induxit. *THVAN p. 461.*

§. 10. Crebreſcentibus autem de his rebus querelis, imprimisque de publica regni adminiſtratione a regii ſanguinis principibus & ordinum conſiliis, ad quos de jure & antiquis regni legibus ea pertinebat, ad Guiſianos translata, conjuratio adverſus eos occulte inire cœpit, in quam plurimi præcipuæ dignitatis nomen dederunt: conſtitutumque inter eos fuit, ut copiis per omnes regni provincias clam collectis, ad certum diem Amboſiæ ubi Rex cum Guiſiis futurus erat, convenirent, ac diſſipatis regiis copiis Cardinalem Loth. & fratrem ejus Guiſium D. opprimerent. Detecta vero ea conjuratio, & cum jam in itinere cum copiis ſuis eſſent conjurati, emiſſis contra eos regis copiis, plerique partim ſunt occiſi, partim intercepti ac ſupplicio affecti. Guiſio vero quod dudum voluerat, ſummum armorum imperium ac ſuprema regni præfectura a Rege commiſſa: Condæus a captivis torturæ ſubjectis quaſi conjurationis particeps, imo caput ejus indicatus cum aulam veniſſet, animoſe ſe coram rege purgavit, Guiſio ipſo in aula eum defendente; ſed cum nihilominus ſe in periculo eſſe animadverteret, ex aula ad Navarrum fratrem ſe recipit, fruſtra eum Guiſiis per literas conantibus revocare. Rex vero ob motus iſtos ſolemnem ordinum conventum Aureliani indixit, ad eumque etiam Navarrum & Condæum evocavit: Sed cum interim ex literis quibusdam interceptis nova Condæi adverſus Guiſianos conſilia patefacta eſſent, illeque nihilominus una cum Navarro, licet multis diſſuadentibus *in aulam veniſſet*, (g) mox in arctam cuſtodiam fuit datus, omnique quam ſibi ut principi ſanguinis & Pari Franciæ competere ajebat, ad Regem ac ſummum Senatum Pariſienſem ac paruum judicium, provocatione ei denegata inſtantibus Guiſianis decretum de morte ejus factum fuit, licet ob morbum forte Regis ſubſcriptione ejus nondum confirmatum manſerit. De Navarro etiam, qui in liberiore cuſtodia adſervabatur, occidendo in ipſo Regis conclavi conſilium ſumtum fuerat, ſed poſtea tamen, cum Navarrus propterea ad Regem vocatus jam comparuiſſet, a Rege pœnitentiam ducto, multum fremente, qui adminiſtrabat & Regis ignaviam poſtea incuſante Guiſio, immiſſum. De Condæo vero, quo minus *ſupplicium* (h) ei jam decretum ſumeretur, mors Regis ſubita impediit, cum qua cum circa exitum anni 1560. is obiiſſet, omnis ſimul Guiſianorum in aula poteſtas concidit; regni jure in fratrem ejus

(a) *adjunxit*) *Hiſtoire de François II. par VARILLAS p. 13. ſeqq. Hiſtoria delle guerre civile di Francia libr. 1. p. 15.*

(b) *juſſit*) *Hiſtoire de France par le P. DANIEL tom V. 634. 635. VARILLAS l. c. p. 32. 33.*

(c) *Navarri*) *Hiſtoire de François II. par VARILLAS liv. I. p. 17. ſeq.*

(d) *veniſſet*) *DAVILA libro I. p. 20.*

(e) *fines*) le P. *DANIEL l c. p. 635.*

(f) *inquiſitio*) *DAVILA p. 23.*

(g) *in aulam veniſſet*) *Hiſtoire de François II. par VARILLAS p. 201. ſeqq 286.*

(h) *ſupplicium*) *VARILLAS l. c. p. 288. 293.*

ejus Carolum adhuc minorennem devoluto. Condæus etiam ſtatim poſt Regis obitum *liber* (a) dimiſſus eſt, cuſtodia tamen egredi recuſabat, niſi prius quo accuſante in carcerem conjectus eſſet ſciret, a quo tamen poſtulato cum omnia in Regis defuncti mandatum conferrentur, deſiſtere tandem eſt coactus. Vid. *THVAN. L. 24 25. 26.*

§. 11. Carolo IX. novo R. ceu jam dictum, adhuc *minorenni* (b) metuentes Guiſii, ne in regni comitiis, quæ ipſo illo tempore agebantur, ordinum ſuffragiis juxta regni leges Navarro ſumma negotiorum regni adminiſtratio decerneretur, Catharinam matrem Regis injectis ei variis ſuſpicionibus ab eo alienarunt. Vnde rurſus in aula factiones. Navarrus tamen ultro Reginæ matri cedens regni regimen illi detulit, accepto interim præſidis per univerſum regnum titulo. Condæus vero in aulam a Rege vocatus, & a Senatu Regis innocens ab objectis criminibus declaratus, priſtinum in regio conſiſtorio locum rurſus occupavit. Haud multo poſt tamen novæ inter Navarrum & Reginam ſimultates ſunt exortæ, quod Guiſianos ille ſibi contumelioſe ab ea prælatos quæreretur. Illa vero viciſſim Montmorantium a Navarro & Condæo ob diverſæ religionis ſtudium occulto inſtinctu alienavit: qui tamen mox ipſam Reginam cum Navarro clam de religione conſpirare ſuſpicatus Guiſio ſe adjunxit: cum eoque opera Cardinalis fratris ejus arctiore ſubinde amicitia firmata novum cum eo fœdus iniit, aſſumto in ſocietatem Jacobo Albono C. Sant. Andreano equitum tribuno ſeu Marſchallo, qui cum antea apud Henricum II. R. præcipuum gratiæ locum obtinuiſſet, poſtea ſub Franciſco II. Guiſiis jam dominantibus, ne aula per eorum factionem pelleretur, iis ſe addixerat, pactaque cum iis affinitate, præcipuus partium eorum propagator extiterat. Hæc nova inter præcipuos illos tres aulæ proceres conſpiratio ac quaſi triumviratus (unde & ipſi triumviri ex eo appellati) novis ac maximis motibus ipſique bello civili, in quo tamen omnes illi periere, ſeu cauſam ſeu initium præbuit, præſertim cum & ipſe Navarrus, domeſticorum quorundam Guiſiis clam addictorum impulſu, ad ipſos inclinaret, ſpe ipſi facta de regnis Sardiniæ ac Tunetano, quæ Rex Hiſpaniæ ipſi pro Navarræ regno traditurus eſſet. Unde & in religione nutare cœpit, & a fratris Condæi & Proteſtantium cauſa ſubinde alienior, in aula cum aliqua poteſtatis atque autoritatis ſpe remanſit. Vid. *THVAN. lib. 27. 28.*

§. 12. Circa idem tempus Septembri & Octobri menſe anni 1561. *Poſſiaci* (c) colloquium fuerat habitum inter Pontificios & Reformatos præſente ipſo Rege, Regina ac præcipuis aulæ proceribus: in quo etſi de controverſis articulis non potuiſſet conveniri, decretum tamen a Rege fuit, ut concilium, quod Pontifex Tridenti rurſus inchoaturus erat, expectaretur; & interim ſub anni ſequentis 1562. initium in ſummo ſenatu Pariſienſi edictum fuit conditum, quo eccleſiaſtici in bona ac loca a Proteſtantibus occupata reſtitui jubebantur, Proteſtantibus vero ad *ſacra ſua* (d) conveniendi toto regno (ſed tamen juxta urbium portas) poteſtas fiebat: addita tamen poſtea clauſula: donec a concilio univerſali de tota re decretum aut a Rege ſtatutum fuerit. Ita Proteſtantibus publ. autoritate per Galliæ regnum pax & ſecuritas, ſacrorumque poteſtas fuit conceſſa. Hoc vero edictum, quod Januarium a menſe quo conditum appellari ſolet, triumviri qui tunc aberant, ut vitio factum averſabantur, adjunctoque jam ad partes ſuas Navarro id impedire vel evertere omni modo laborabant. Ipſius etiam edicti autoritas mox per Guiſii comitatum, licet ipſe ſe invito factum dixerit, per Reformatorum cladem fuit infracta, dum Foſſiaci Campaniæ oppido haud procul Jonvilla ſito cum Guiſius una cum fratre Ludovico Card. ac aliquot equitum turmis illud ingreſſus eſſet, ſtatim a comitatu ejus in Reformatos, quorum ad 1200. in ædibus quibusdam ad ſacra peragenda convenerant, impetu facto eorum ad 60. occiſi ac ducenti vulnerati fuerant: ipſo vix Guiſio, qui cum Proteſtantium aliqui ſe defenderent, leve inde vulnus acceperat, ſuos, ne dilapſos ulterius perſequerentur, valente revocare. Hoc initio ſeditionis facto, mox tota Gallia, factioſo quaſi claſſico, ad arma adverſus Proteſtantes capienda incitata. Hanc vero lanienam cum Condæus apud Reginam ſupra modum exaggeraſſet, ipſaque etiam a triumvirorum illorum conſpiratione ſuæ potentiæ nimium jam metueret, Regis nomine literis Guiſio, ne Lutetiam ubi Navarrus cum Momorantio erat, ingrederetur, prohibuit, atque ad Regem, qui Meldis tunc erat, venire, Sant Andreanum vero in provinciam ſuam Lugdunum abire juſſit, cum vero neuter illorum paruiſſet, & omnes illi una cum Navarro Lutetiæ conveniſſent, Regina Condæo, Regem, ſe & liberos ac regnum univerſum commendavit, ac ut cum nobilium & amicorum comitatu in aulam veniret cum obſecravit. (confer. *vita Catharinæ Medicææ p. 29. 30.*) Mox vero cum majores triumvirorum vires, ut qui religionis prætextu ſummam potentiam ad ſe trahebant, eſſe cerneret, oſtentato quoque ab iis majore periculo, ad illos rurſus inclinavit. Qui porro etiam ut Regem in ſua poteſtate *haberent* (e) (cum utri parti ſe Rex ac Regina adjungerent, altera quam desererent rebellionis crimen incurrere videretur) eum licet invitum ac lachrimantem una cum matre Lutetiam eo prætextu quaſi Condæus illum in poteſtatem ſuam redigere conaretur, ſe recipere, additis militum ab utroque latere ſtipantium copiis compulerunt. Inde ſtatim a fœderatis de bello Condæo & ejus ſequacibus indicendo, conſultatum fuit. Condæus vero qui abfuerat in aulam proficiſcens cum copiis, cum Reginam mutato animo cum Rege Lutetiam conceſſiſſe adverſariosque

(a) *liber*) *Hiſtoire de Charles IX. par VARILLAS p. 11. ſeqq. tom. 1.*

(b) *minorenni*) Decimum agebat annum, cum frater Franciſcus II. diem ſupremum obiret.

(c) *Poſſiaci*) *MEZERAI abregé chronologique tom. V. p. 45. ſeqq. Hiſtoire de Charles IX. par* VARILLAS *tom. I. p. 66. ſeqq.*

(d) *ſacra ſua*) VARILLAS *l. c. p. 119. ſeq.*

(e) *haberent*) *Hiſtoria delle guerre civile di Francia libro II. p. 72.*

que Rege ſecum abducto potiores jam cauſam videri cognoviſſet, & tamen ulterius jam profectus eſſet, quam ut regredi tuto poſſet, quaſi jacta alia, *Aurelianum,* (a) quæ inter præcipuas regni urbes, perrexit, & eam per ſuos occupavit. Ita belli civilis initium fuit factum, cujus quidem a ſe ſuſcepti neceſſitatem Condæus ſcripto edito excuſavit, & in triumviros, qui Regem captivum tenebant, culpam contulit, in eamque ſententiam ad proteſtantes Germaniæ principes literas dedit, imprimis Regis captivitate exaggerata. Viciſſim vero Regis Reginæque nomine edictum fuit propoſitum, quo ſparſi de captivitate eorum rumoris vanitas elevabatur, ac ne Proteſtantes ullum belli prætextum haberent, edictum Januarium de convenienti libertate illis conceſſa, excepta tamen jam Lutetia, confirmabatur. Ipſa interim Regina mater, ut in vita ejus ſeorſim ſcripta narratur, occulte Condæi partibus ſemper favit, Navarrum contra ut in regni adminiſtratione parem poteſtatem ſibi vindicantem, extreme peroſa. Inde varia utrinque ſcriptis & armis geſta, donec Navarrus in obſidione Rhotomagi, quam Condæus occupaverat, *interficeretur.* (b) Paulo poſt prælium in Neuſtria commiſſum eſt, ambigua fere victoria, ſed ducum caſibus maxime memorabile: in quo Montmorancius conneſtablius, ſummus regni exercitus Imperator, a Condæanis, inde viciſſim Condæus a Regiis capti ſunt; Andreanus dum Condæanos inſequitur occiſus. Aumalius frater Guiſii equorum conculcatione protritus ac luxatus, poſtea tamen ſanitati reſtitutus fuit. Solus ex ducibus primariis Guiſius incolumis *permanſit*, (c) eique a Regina ſummum exercitus imperium commiſſum eſt. Sed & ipſe paulo poſt dum Aurelianum obſidet, a quodam in inſidiis latente globo trajectus atque *occiſus* (d) fuit die 24. Febr. anno 1563. Poſt hæc pax eſt facta & Condæo ac Montmorancio utrinque libertati reſtitutis, Proteſtantibus religionis exercitium non tamen ea, qua Januario edicto, libertate, conceſſum fuit. Vid. de his omnibus *THVAN. lib. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34.*

§. 13. Reliquit Franciſcus Guiſiæ D. ex *Anna Ateſtina*, (e) ſupra §. 5. memorata plures liberos, ex quibus nunc præcipue memorandi (cæterorum nomina vero in tab. geneal.) 1. Henricus patre vivente princeps Joinvillæ dictus, poſt obitum vero ejus dux Guiſiæ. 2. Ludovicus cardin. & archiepiſcopus Rhemenſis. 3. Carolus march. & poſtea dux Meduanus ſeu Mayenne, aut Mainius etiam a ſcriptoribus appellatus. Soror vero horum Catharina nupta fuit Ludovico duci Montpenſerio & altero Borboniæ gentis, poſt Vendoſmiam ſive Navarri & Condæi lineam, ramo: qui etiam Guiſiorum partibus contra agnatos ſemper fuit conjunctus. Henricus in adoleſcentia Cæſari in Hungaria adverſus Turcas militavit, inde domum reverſus novis interim in Gallia turbis ac bellis civilibus inter Regem ac Proteſtantes denuo ortis, in quibus anno 1567. prælio prope Lutetiam commiſſo Annas *Montmorancius* (f) Franc. conneſt. pene octogenarius, anno vero 1569. in pugna *Baſſæſana* (g) in Pictonibus ipſe Ludovicus Condæus occiſi fuere. Henricus Regi militans ad majora paulatim viam ſibi muniit, juvante eum ac conſiliis ſuis regente patruo cardin. Lotharingo, qui præcipuus turbarum illarum incenſor ac fomes habebatur. Pace rurſus facta poſtea anno 1572. in infami illa ac omni alio ævo inaudita Proteſtantium *laniena* (h) in ipſis nuptiis Henrici Navarri ac ſororis ſuæ a Rege propterea inſtitutis, Colignius Admiralis ac plerique procerum Proteſtantium cum maxima hominum multitudine, nulla ſexus aut ætatis habita ratione, intra paucas horas occiſi fuere. Ut Guiſianis inprimis inſtigantibus illud conſilium a Rege fuerat ſuſceptum, ita ei exequendo Henricus Guiſius cum ſummo imperio fuit præfectus, ipſeque primum in ædes Colignii milites præcedens fecit impetum. Vide de his *THVAN. lib. 52.* Ipſe Rex poſtea lanienæ hujus & bellorum civilium inde rurſus exortorum, (in quibus anno 1573. Claudius Aumalius D. Franciſci Guiſii frater tormenti ictu diſcerptus fuit) cum non tam ob religionis cauſam quam ob regni factiones exarſiſſe ea crederet, pœnitentia ductus, autores ejus Lotharingios & Montmorancios peroſus, utramque familiam evertere ſtatuit, inprimisque de Guiſio e medio tollendo aliquoties cogitavit. Cumque is deinde quendam e Regiis ſtipatoribus injurioſe pulſaſſet, Rex eo usque excanduit, ut vix univerſæ familiæ & Caroli ipſius Lotharingiæ ducis, pro gentili ſuo pœnam ſuppliciter a ſe deprecantis interventu, ipſo Guiſio in genua tanquam reo procumbente, injuriam remiſerit. *THVAN. tom. 2. l. 17. p. 67.*

§. 14. Poſt obitum Caroli IX. Regis, cui anno 1574. defuncto frater ejus *Henricus III.* (i) *Poloniæ* (k) jam Rex factus ſucceſſit, Lotharingorum potentia in Gallia rurſus prævalere cœpit, cum ipſe

(a) *Aurelianum*) *MEZERAI abregé chronologique tom. V. p. 56. ſeqq.* DAVILA *l. c. p. 73. ſeq.*

(b) *interficeretur*) *MEZERAI tom. V. p. 641.* teſtatur, cum in obſidione non lethali accepto vulnere amicæ amplexibus nimium indulgentem mortem ſibi acceleraſſe; mortale vero ipſi vulnus inflictum fuiſſe, docet LE P. DANIEL *l. c. p. 759.* Adde VARILLAS *p. 258. 265. 266. l. c.* DAVILA *libro III. p. 89. 90.*

(c) *permanſit*) De pugna hac vid. VARILLAS *hiſtoire de Charles IX. tom. I. pag. 259. ſeqq.* DAVILA *l. c. pag. 98. ſeqq.* *Hiſtoire de France* par LE P. DANIEL *tom. V. pag. 769. ſeqq.* *Memoires de* COSTELNAV *lib. IV. cap. V.*

(d) *occiſus*) MEZERAI *l. c. p. 73.* DAVILA *pag. 104.*

(e) *Anna Ateſtina*) *DAVILA lib. III. p. 110.*

(f) *Montmorancius*) *Hiſtoire de Charles IX. par VARILLAS tom. II. p. 72. MEZERAI l. c. p. 99. ſeq. DAVILA lib. IV. p. 138.*

(g) *Baſſæſana*) Sermo hic eſt de prælio ad Jarnacum commiſſo. *MEZERAI l. c. p. 116. LE PERE DANIEL l. c. p. 898 ſeqq. DAVILA lib. IV. p. 166.*

(h) *laniena*) *Abregé chronologique tom. V. p. 150. ſeqq. Hiſtoire de France par LE PERE DANIEL tom. V. p. 969 ſeqq. DAVILA lib. V. pag. 211. ſeqq. Hiſtoire de Charles IX*, par *VARILLAS p. 265. ſeqq.*

(i) *Henricus III.*) Huic ſacro baptiſmate tingendo nomen inditum fuit *Eduardi Alexandri* ab Eduardo VI. Angliæ Regi, & Antonio Borbonio patrinis; mater autem voluit, ut Henricus in Henrici patris memoriam diceretur.

(k) *Poloniæ*) *L' Hiſtoire de France par LE P. DANIEL tom. V. p. 990. ſeqq. & tom. VI. p. 6. ſeqq.*

ipſe Rex agnati ſcriptorum Nicolai C. Valdemontii ac Mercurii D. (de quo ſupra diximus) filiam Louiſam matrimonio ſibi jungeret. Aliquam tum tamen rebus eorum impedimentum attulit circa idem tempus mors cardinalis Caroli Lotharingi, quem præcipuum turbarum ac factionis Guiſianorum autorem ſæpius jam diximus: obitus ejus una cum cenſura morum ac conſiliorum legi poteſt apud *THVAN. lib. 59. pag. 92.* Cœperant vero vivente adhuc Carolo R. duæ in aula ac regno ipſorum pontificiorum factiones, Guiſianorum & Montmoranciorum, quas ipſas Regina mater ab utrorumque inter ſe concordia potentiæ ſuæ metuens ſtudioſe fovebat. Qui Montmorantiis adhærebant, politici & alio nomine malecontenti appellabantur, quibus etiam ipſe Regis frater Franciſcus D. Alenconius acceſſerat. Poſtea vero Proteſtantes ob non ſervatas ſibi pacis conditiones ſubinde bellum renovabant, in quorum partes etiam malecontenti illi ſeu politici inclinabant, & tunc quidem prævalentibus in aula per Reginam Guiſianis alterius partis præcipua capita Alenconius & Navarrus nec non Franciſcus Montmorantius & alii eo prætextu, quaſi contra ipſum Regem conjuraſſent, cuſtodiæ traditi, de quibusdam etiam ſupplicium ſumtum erat: Condæus vero princeps Henricus Ludovici ſuperius memorati filius fuga captivitatem antevertens in *Germaniam* (a) ſe receperat. Cum vero Henricus R. e Polonia in Galliam jam veniſſet captivis illis partim dimiſſis, partim elapſis bellum quidem cum Proteſtantibus aliquandiu *continuatum*, (b) ſed tamen tandem transactione 1576. compoſitum, edictumque a Rege in favorem Proteſtantium promulgatum fuit. Vid. *THVAN. l. 57. ſeqq. usque ad 63.*

§. 15. Statim vero hæc pars turbata fuit novo Catholicorum quorundam contra Proteſtantes *fœdere*, (c) primum Lutetiæ clam cœpto, ac poſtea Perone in Piccardia plurium ſubſcriptione *confirmato*, (d) inſtigante potiſſimum ac capite factionis Henrico Guiſio paternis veſtigiis inſiſtente, nec non patrui Caroli cardin. conſiliorum participe; Cumque paſſim contra pacis conditiones Proteſtantes ſe premi quererentur, & jam alicubi rurſus ad arma res devenſſet, Rex comitia Bloeſis indixit, ubi ne fœderis illius Catholicorum, quod ut regno pernicioſum omnino abolere cupiebat, quemadmodum & poſtea fecit, principatus in Guiſium, ceu conjurati volebant, transferretur, ex matris conſilio ipſe Rex ſe caput ſeu principem ejus profeſſus eſt: ac mox urgentibus epiſcopis ac Guiſianorum factione decretum de una *eademque religione* (e) poſthac in regno toleranda factum: quod cum a Proteſtantibus ut vitio factum rejiceretur, ex eorundem conſilio *bellum* (f) adverſus eos decretum, ac cum inprimis Guiſiani illud urgerent, cum altera exercitus parte (unam enim frater Regis ducebat) Meduanæ Dux Carolus Guiſii frater contra eos miſſus fuit. Cæterum Rex Guiſianorum conſiliis paulatim perſpectis & ipſe ſibi ab iis cœpit metuere, eodemque adhuc anno, quo hæc acta erant 1577. *pacem* (g) Proteſtantibus iterum conceſſit, condito edicto quod ſuum appellavit, in quo mutatis aut interpellatione temperatis durioribus ſuperiorum edictorum conditionibus, æquabile jus inter omnes conſtitutum eſt: ipſeque Rex, Regina, mater ac frater ejus jusjurandum de eo ſervando interpoſuerunt. Vid. *THVAN. lib. 63 64.*

§. 16. Ex eo jam pacato aliquantum regni ſtatu cum ipſorum factionibus non tam commodus ibi eſſet locus, ad externa potentiæ ſummæ in eo conſervandæ adminicula Guiſiani cœpere reſpicere, occultumque primo fœdus ab Henrico Guiſio cum Johanne de *Auſtria* (h) Hiſpano Belgiis gubernatore eſt initum, titulo quidem pro utriusque coronæ Hiſpaniam puta & Gall. defenſione, quarum illi ſibi velut patrocinium ſumebant, in ſuo utroque Rege. De quo videri poteſt *THVAN. lib. 64.* Poſt Johannis vero obitum R. Hiſpaniæ ex chartis defuncti conſpiratione ejus cum Guiſio intellecta, utilem ſibi eam ad Galliæ ſtatum turbandum poſthac fore exiſtimans, *fœdus* (i) cum illo in occulto renovavit, ad ejus onera ſuſtinenda in ſingulos annos 50000. *aureorum* (k) ei ſe numeraturum pollicitus. Fœderi quæſitus a religione color, ut quæ in Gallia Regis ignavi ac nimium otio gaudentis diſſimulatione & conniventia duarumque religionum tolerantia non mediocriter labefactaretur. Guiſius accepta conditione cum ſummam ex eo in Gallia potentiam & vel ipſum regnum ſe obtenturum ſperaret, conſilio cum fratribus ac reliquis agnatis ipſoque Carolo Lotharingiæ D. inito, communi omnium nomine de certis conditionibus cum Hiſpaniæ Rege transegit, ac viciſſim Philippus, cujus ſtipendiis bellum gerendum erat, ut hac ratione Belgicas provincias rebellantes eo facilius debellaret, Guiſianos ad turbas in Gallia ſine mora excitandas inſtigabat. Illi vero licet omnis moræ alias impatientes, aggredi tamen rem non ſunt auſi, fratre Regis Franciſco, qui tunc Andium Dux dicebatur, & in Belgio contra Hiſpanos bellum pro Ordinibus gerebat, ſuperſtite. Huic itaque inſidias parantes per quendam Nicolaum Salſedam Hiſpanum, qui ipſi legionem adducendam offerebat, tollere eum decreverunt. Sed Salſeda ille, cum Antvverpiam ad Andinum veniſſet, ex indiciis quibusdam comprehenſus, & cum totius rei rationem, ac Guiſianorum cum Hiſpano fœderis ordinem explicaſſet, Lutetiam ad Regem miſſus eſt: ubi initio quidem iſta, quæ jam confeſſus erat, recantare auſus, torturæ tamen ſubjectus, eadem denuo affirmavit, ſupplicioque exinde affectus fuit. Summa conſilii fœderatorum (inter quos præter Hiſpan.

(a) *Germaniam*) *Hiſtoire de France par LE PERE DANIEL tom. VI. p. 4. 5.*
(b) *continuatum*) *LE PERE DANIEL l. c. p. 5. ſeqq.*
(c) *fœdere*) Hoc ſanctæ ligæ nomine venit. *LE PERE DANIEL l. c. p. 40. ſeqq.*
(d) *confirmato*) Rex etiam Henricus III. ipſi nomen dedit. *MEZERAI abrege chronologique tom. V. pag. 220. LE PERE DANIEL l. c. p. 51. 55.*
(e) *eademque religione*) *Hiſtoire de la France par LE P. DANIEL tom. VI. p. 53.*
(f) *bellum*) *LE PERE DANIEL l. c. p. 56. 57.*
(g) *pacem*) *Loc. cit p. 58.*
(h) *Auſtria*) Hoc fœdus patri DANIELI dubium videtur *loc. cit. pag. 50.*
(i) *fœdus*) *LE P. DANIEL l. c. p. 48.*
(k) *aureorum*) *DAVILA lib. IX. p. 422.*

Hiſpan. R. & Henr. Guiſ. omnesque Guiſianæ familiæ principes ac provinciarum præfecti, cardinales item quidam & ipſe denique Pontifex ab eo indicati erant) hæc fuiſſe dicitur, ut Rege in carcerem conjecto, Andino fratre ejus in ordinem redacto ac regia familia omni oppreſſa regnum Franciæ in Regis Hiſpaniæ manus conſignarent. Cæterum Rex nimia ſecuritate & *otii amore*, (a) hæc a Salſeda prolata, præſertim cum & ipſe cum ad ſupplicium duceretur, Jeſuitæ cujusdam inſtinctu denuo omnia negaſſet, contemſit, & a fratre tantum iisque qui circa ipſum erant ad turbas tantum in regno ciendas conficta arbitratus, ad contemnenda ea ſubinde etiam a matre inducebatur: quæ Andino filio interim extincto, Rege vero liberis orbo cum Navarrum, cui tanquam proximo agnato ſucceſſionis jus competebat, extreme adiſſet in Claudiæ filiæ ſuæ liberos, quæ Carolo Lothar. Duci nupſerat, regnum transferre cogitabat, eaque de cauſa Guiſianorum occultæ factioni favens eam apud Regem extenuare non ceſſabat. Vid. de his *THVAN. l. 75. 76. 80.*

§. 17. Anno 1585. ſub ipſum anni initium in arce Jonvillæ Guiſius ſecreto fœdere cum Hiſpanis renovato arma mox cepit delectusque in omnibus regni provinciis quaſi contra Proteſtantes ſine Regis mandato ſunt habiti, quos Rex quidem edicto de fruſtra tollere conabatur. Carolus etiam Lothar. Dux promiſſas ſibi a Guiſiis inter fœderis conditiones, Verdunum & Tullum urbes, quas Henricus II. Rex Germanico imperio eripuerat, armis occupavit: Meti etiam ſed regiis defendentibus fruſtra tentata. Pertractus etiam erat a Guiſio in fœderis ſocietatem Carolus Borbonius card. Navarri patruus, cui quaſi ad ipſum pertineret regni ſucceſſio, ille perſuaſerat, & licet jam ſenex eſſet, ſororem ſuam in matrimonium obtulerat. Horum itaque omnium nomine a Rege petebatur, ut interdicta omni alia religione (ſecus quam jam aliquoties conventum fuerat) ſola catholica in regno inſtauraretur. Et licet Rex ad id ſe induci paſſus conditionibus ſubſcripſiſſet, edictaque contra Proteſtantes emiſiſſet, tamen cum Pontificis diploma, quo is ex fœderis legibus Navarrum & Condæum, ut ab eccleſia catholica alienos, proſcripſerat, omnibusque ſuis juribus dignitatibus & bonis excidiſſe pronunciaverat, in Gallia executioni dare recuſaret, ac tantum ſuo nomine edicta contra Navarrum & ſocios jam paſſim aperto bello cum fœderatis congreſſos, emitteret, nova contra ipſum Regem tanquam Navarro faventem pro Guiſiis conjuratio circa initium anni 1587. Lutetiæ eſt *inita*, (b) ſæpiusque de eo nunc capiendo, nunc occidendo conſilia ſuſcepta, ſed Regi tamen ſemper per fidum quendam hominem detecta. Ad eam itaque opprimendam cum ipſe Rex in urbem tandem ſeq. anno 1588. veniſſet, a factioſis tamen qui Guiſium in urbem advocaverant, & ipſo adeo Guiſio ignominioſe cum ſuis ex omnibus urbis partibus quas occupaverat expulſus, ac tandem cum ſummo regiæ majeſtatis dedecore clam inde profugere coactus fuit, magiſtratusque omnes a Guiſio abrogati ac novi ſuffecti. Matris tamen Reginæ quæ apud Guiſium in urbe remanſerat opera pax inter Regem Guiſiumque & reliquos fœderatos eſt facta & ex illorum præſcripto pacificationis decretum conditum & promulgatum fuit, quo ſola catholica religio in regno permiſſa, nec ad regni ſucceſſionem quenquam admitti debere ſancitum, niſi qui illam profiteatur, utque unio ſive fœdus inter ipſos initum maneat, nec bellum, niſi exſtirpatis omnibus ſectariis, deponatur, Guiſio propter magiſtri palatii dignitatem, quam jam tenebat, etiam ſummum in exercitus totius regni imperium, (quod Conneſtabilii eſt) fuit attributum, fœderatis, quo tutum contra quemvis haberent receptum, Aurelianum aliæque urbes permiſſæ. Poſt hæc Guiſius a Regina matre ad Regem adductus ab eoque humaniter exceptus fuit, mox tamen Regem amplificatæ ita ac nimium auctæ Guiſiorum potentiæ pœnitere cœpit; cum præſertim novæ ſubinde de ejus ac fœderatorum conſiliis ſuſpiciones apud eum orirentur, ac jam Pontificis quoque literæ in Galliam allatæ, & mox typis quoque editæ eſſent, in quibus præter alia Regis dignitatem imminuentia Guiſius etiam Judæ Machabæi titulo affectus fuerat. Vide de his omnibus *THVAN. lib. 81. ad 92.*

§. 18. Ex ejusdem pacificationis legibus comitia a Rege Bloeſis indicta erant: quorum initium calendis Novembris factum. In iis unionis illud edictum de una religione ac ſucceſſore regni catholico futuro pro fundamentali regni lege promulgatum, ac Navarrus, qui ſuo & Proteſtantium nomine per libellum Regi & ordinibus oblatum interceſſerat, ob hæreſin ſucceſſione indignus declaratus fuit. Rex vero cum decreto huic ſubſcribere recuſaret, & legationem prius ad Navarrum decernendam cenſeret, accedentibus præterea multis odiorum & ultionis ſtimulis, quodque inter ipſum & Guiſium (pro quo ut conneſtablii ſeu ſumma exercituum Imperatoris poteſtas ei conferretur, ordinum legati acriter inſtabant) de Aureliano fœderatis tradendo acerba altercatio facta eſſet, de ipſo Guiſio, ut nimium jam poteſtiam ſibi arrogante, e medio tollendo conſilium tandem iniit. In Senatum itaque ſive procerum conventum ille cum veniſſet, mox ut ad Regem in conclave ejus veniret, vocatus, a militibus, quos Rex ibi collocaverat, multis vulneribus *confoſſus fuit.* (c) Frater quoque ejus Ludovicus card. & alii factionis ſocii, quorum plurimi ex civitatum delegatis ad comitia miſſis, qui in ſenatu aderant, comprehenſi; & cardinalis, quod adhuc minus ſpirare non deſiſteret, ſequenti die juſſu Regis pariter a cubiculo evocatus, ac Deo ſe commendare

 juſſus

(a) *otii amore)* *MEZERAI l. c. 229. ſeq.* Mollitiei addictus. *MEZERAI l. c. p. 251. le P. DANIEL l. c p. 64.*

(b) *inita)* Vel potius tunc primum in Regis venit notitiam. *le PERE DANIEL l. c. p. 164, 165.*

(c) *confoſſus fuit)* *MEZERAI abregé chronologique tom. V. p. 329. ſeqq. Le PERE DANIEL tom. VI. p. 248. ſeqq. DAVILA lib. IX. p. 420. LABOVREVR additions aux memoires de CASTELNAV lib. VII. c. 4. Lettres des PASQVIER lib. XIII. pag. 27. ſeqq. Diction. hiſtor. & critique par BAYLE tom. II. pag. 1356. ſeqq. MAIMBOVRG hiſtoires du Calviniſme p. 491. & de la ligue p. 295. ſeqq. VARILLAS hiſtoire de Henry III. lib. VII. pag. 216. ſeqq.*

juſſus in obſcuro loco militum haſtis confixus fuit. Erant præterea in aula regia Guiſii ipſius filius Carolus Jonvillæ Princeps ac frater Guiſii uterinus D. Memoroſius cum amborum matre, nec non Carolus D. Ellebovius Guiſii patruelis: qui omnes una cum cardinale Borbonio, qui regni ſucceſſorem, excluſo Navarro, a fœderatis per ipſorum factionem invito Rege ſe deſignari paſſus erat, in cuſtodiam dati, ac niſi quod Nemoroſius paulo poſt aufugerit, mater vero Guiſii ab ipſo Rege dimiſſa fuerit, diu in ea poſtea detenti ſunt. Ex captivorum confeſſionibus ac ſcriniis ſeu chartis Guiſii excuſſis, plene fides facta eſt conſiliorum cum Philippo Hiſpan. Rege & Sabaudiæ duce, qui circa idem tempus Galliæ bellum moverat, a Guiſio ſociiſque initorum; ratioque inita pecuniæ ab Hiſpano a morte Johannis Auſtrii usque acceptæ, 1500000. *aureorum.* (a) Regina mater Catharina *Medicæa,* (b) cum ex morbo convaluiſſet, ob dolorem & indignationem, quod factionis quam ipſa foverat, tam funeſtus fuiſſet exitus, recurrente febre brevi poſt extincta, atque ita Gallia peſte illa liberata fuit.

§. 19. Rex poſt ſublata conjurationis capita & conſilia eorum in comitiis divulgata factionem deſituram ſperaverat, itaque & ad conciliandum ſibi Ordinum ac plebis favorem edictum illud, quo Catholicorum unio ſancita fuerat denuo confirmavit: ſed ſpe ſua penitus deceptus fuit, quippe jam nimis altas conjuratio radices egerat, & plebis animi per *concionatores,* (c) quos Guiſii ſibi ab initio adjunxerant, jam pridem ea opinione occupati, quaſi Guiſii catholicæ religionis, quam Rex negligeret, amici propugnatores exiſterent, audita cæde illorum prorſus efferati novis tumultibus inprimis in Pariſiorum urbe omnia miſcebant. Superant præterea ex Guiſianis Carolus D. *Meduanus* (d) ſive Mainius, ipſius Guiſii occiſi frater, qui aula tunc abſens, cognita fratris cæde, celeri fuga exitium ſeu captivitatem anteverterat: & præter hunc Guiſii vidua, quæ Lutetiam atrata in ſenatum veniens, ac de mariti cæde ſatisfactionem de jure fieri petens, magnum apud omnes animorum motum excitavit. Nemoroſius quoque, ceu jam dicebamus, ex cuſtodia corruptis ſive deceptis cuſtodibus elapſus ac Lutetiam profectus ingenti lætitia ſeditioſos tumultuantes impleverat. Mainius adjunctis ſibi vel occupatis pluribus urbibus Lutetiam (ubi factioſi ex quorundam *Sorboniſtarum ſententia* (e) liberos ſe a Regis obſequio profeſſi, ſenatores regios, qui ibi remanſerant, pleroſque in carcerem rapuerunt) cum veniſſet, ut commune conſilium unionis Catholicorum, qui de cauſæ communis negotiis decernerent, inſtitueretur, autor fuit, & ipſi ſumma belli ac negotiorum regni poteſtas titulo generalis vicarii ſtatus regii & coronæ Franciciæ commiſſa eſt. Denique & ex Lotharingica domo Philippus Emanuel Mercurii D. de quo ſupra diximus, Armoricæ ſive Britanniæ Galliæ præfectus, cujus ſororem ipſe Rex in matrimonio habebat, aperte fœderatorum partibus acceſſit. In his itaque anguſtiis conſtitutus Rex, & cum ſubinde plures urbes ab eo deficerent, cum Navarro induciis primo factis, mox cum eo fœdus contra juratos, & armorum ſocietatem pepigit. Sed dum jam ea ratione adverſus apertos hoſtes ſe utcunque tutum putabat, Rex Henricus III. paulo poſt in occultas eorum inſidias incidit, a monacho quodam Dominicano, Jacobo Clemente, qui (incertum ſua ſponte an aliorum inſtinctu) quaſi ſecreta ad eum mandata haberet, ab eo admiſſus fuerat, dum literas a monacho ſibi porrectas legeret, ancipiti cultro in imo ventre ab eo vulneratus, ex quo ſeq. die, qui ſecundus Auguſti erat, anno 1589. *deceſſit:* (f) cum prius de juſta ſua intentione multa locutus, Navarrum ut legitimum regni *ſucceſſorem* (g) adminiſtrantibus Proceribus commendaſſet. Ipſe percuſſor monachus ſtatim poſt vulnus Regi inflictum a circumſtantibus trucidatus fuit. Vid. de his omnibus *THUAN. lib. 93. & ſeqq. usque ad 96.*

§. 20. Henricus Navarrus, ut proximus Regis agnatus vi legis *fundamentalis* (h) regni Gallici jus ſucceſſionis certum ac indubitatum habens, mox poſt obitum Regis a præſentibus proceribus advocatus, & Franciæ Rex ſalutatus fuit, Henricus IV. ex eo appellatus: ſed fœderati quod a catholica religione alienus eſſet, eum extreme averſati, patruelem ejus cardinalem Borbonium, qui adhuc a cæde Guiſii in cuſtodia apud Regem detinebatur, Regem dixere. Meduanius vero ſollicitatis ad arma urbibus, a Philippo Hiſpan. Rege auxilia, ut in cauſa religionis, petiit, & cum Duce Parmenſi, qui Hiſpani Regis nomine Belgio præerat, de Hiſpanorum exercitu in Galliam adducendo pactus eſt. Henricus interim Rex felicibus plerumque ſucceſſibus per diverſas regni provincias uſus, magnam ejus partem brevi tempore ſibi vindicavit, & Lutetiam ipſam obſeſſam ad extrema prope adegit, ita ut trimeſtri illo, quo obſidio duravit, ad 12000. hominum fame abſumta fuerint. Tunc tamen a Meduanio & Parmenſi adducto Hiſpanorum exercitu urbs liberata, & mox ibi urgente legato Pontificio ac Hiſpano a Meduano ad Regem Galliæ eligendum (nam Borbonus card. interim an. 1590. in cuſtodia deceſſerat) comitia indicta ſunt. Ibi poſt varias diſputationes, cum Galli Regis Hiſpaniæ filiam alicui ex Gallicis Principibus nupturam, ut & Auſtriacos a legato Hiſpanico propoſitos

(a) *aureorum*) *DAVILA lib. IX. p. 422.*

(b) *Medicæa*) Dubium an regii conſilii conſcia fuerit. *Le PERE DANEL l. c. p. 252. 256. ſeqq.*

(c) *concionatores*) Hi Guiſios martyres profitebantur, populumque in furorem contra Regem agebant. *MAIMBOURG hiſtoire de la ligue p. 300. BAYLE l. c. pag. 1357. LE PERE DANIEL l. c. p 287.*

(d) *Meduanus*) *MAIMBOURG hiſtoire de la Ligue p. 294. 456. ſeqq. BAYLE l. c. p. 1360.* Hic ſub *lorum tenentis generalis ſtatus & coronæ Gallicæ p. 267.* regiam exercebat poteſtatem. *LE PERE DANIEL l. c. p. 267. ſeqq.*

(e) *Sorboniſtarum ſententia*) *MAIMBOURG hiſtoire de la Ligue p. 300. Memoires de la Ligue tom. III. memor. della vita di Moroſini lib. III. c. XXIII. BAYLE l. c. p. 1357.*

(f) *deceſſit*) *MAIMBOURG hiſtoire de la Ligue lib. III. pag. 353. BAYLE dict. H. & C. tom. II. p. 1439. VARILLAS hiſtoire de Henry III. lib. XI. p. 252.*

(g) *ſucceſſorem*) *Hiſtoire de France par le P. DANIEL. l. c. p. 302.*

(h) *fundamentalis*) *Le PERE DANIEL l. c. p. 307. BAYLE l. c. p. 1442. MEZERAI tom. VI. p. 1.*

ſitos rejeciſſent, ipſe Guiſius Dux Carolus Henrici Guiſii occiſi filius ex cuſtodia in qua poſt cædem patris, ceu antea indicatum, detentus fuerat, jam *elapſus* (a) ab eodem Hiſpanico legato *Rex nominatus* (b) fuit: non ſine occulta patrui Mainii ſeu Meduani Ducis indignatione, cui jam pridem poſt fratris Guiſii cædem a fœderatis ſumma belli ac negotiorum regni poteſtas ac titulus Generalis vicarii ſtatus Regii & coronæ Franciæ, ceu ſupra itidem jam relatum, commiſſus fuerat.

§. 21. Interea vero ipſe Rex Henricus IV. ut adverſariis prætextum rebellionis adimeret, & regni tandem quietam poſſeſſionem obtineret, anno 1593. relicta quam hactenus defenderat, Proteſtantium religione pontificium *profeſſus* (c) eſt, ſolenni ritu ab epiſcopis quibusdam eccleſiæ, ut loquebantur, reconciliatus: licet ab ipſo Pontifice per legatum quem ea de re Romam miſerat, impediente Hiſpanorum factione, tunc quidem abſolutionem obtinere haud *potuerit*, (d) mox tamen & ſeq. inprimis anno 1594. plures oppidorum ac provinciarum præfecti & civitates ad eum tranſierunt, ac in ipſa urbe Lutetia, occulta cum præfecto ejus conſpiratione ei tradita, ſumma mox populi lætitia fuit exceptus. (e) *Lutetiam* plurimæ urbes aliæ ſunt ſecutæ, tum ipſe dux Guiſius cum Rege eod. illo anno *transegit*, (f) optimis ei conditionibus una cum ſumma Provinciæ (proprio nomine ita appellatæ) gubernatione conceſſis. Diutius adhuc Hiſpanorum auxiliis ſubnixus reſtitit D. Mainius: ſed & ille cum anno 1595. ab Hiſpanis quibus ſuſpectus eſſe cœperat, diſceſſiſſet, poſtea ſeq. anno 1595. plene Regi *reconciliatus fuit*, (g) incluſis huic pacificationi omnibus, qui religionis cauſa perſuaſi arma hactenus contra regem geſſiſſent, modo intra dies 40. ab iis deſiſterent. Idem adhuc ante Mainium obtinuerat Carolus dux Ellebovius, Renati Ellebovii ſupra memorati filius. Diutiſſime in bello contra regem & fœdere Hiſpanico perſtitere Carolus *Aumale* (h) D. Claudii Aumalii itidem ſupra memorati filius ac Philippus Emanuel jam ſæpius nobis dictus, D. *Mercurii* (i) & C. Vaudimontii, in quos ambos etiam tanquam perduelles a ſummo ſenatu Pariſienſi proſcriptionis & mortis ignominioſæ ſententia lata, ſed a Rege certis conditionibus ſuſpenſa fuerat. Aumalius tamen cum non tantum oblatas a rege conditiones plane reſpueret, ac Hiſpanis regni oppida tradidiſſet quædam, tanquam proditor publicata ſententia mox damnatus, ejusque effigies ignominioſiſſimo ſupplicio affecta fuit, de quo vid. *THVAN l. 112. pag 671.* Mercurianus cum & ipſe, non obſtante quod Rex etiam ab ipſo Pontifice jam abſolutus ac pro legitimo rege eſſet agnitus, adhuc rejectis, quæ ipſi offerebantur, conditionibus in provincia ſua contra regios graſſaretur, Rex ipſe anno 1598. contra eum cum exercitu eſt profectus, unde tandem illi ſe ſubmittere, ac conditiones ipſi præſcriptas accipere, provinciamque quam hactenus rexerat, Britanniam ſive Aremoricam relinquere eſt coactus. Rex tamen ejus loco annuum ei ſtipendium conſtituit; nuptiasque filiæ ejus adhuc ſexennis cum filio ſuo naturali Cæſare Vindocino *pactus eſt*. (k) Et ita tandem tota Lotharingica ac Guiſia domus (excepto Aumalio jam in effigie ſupplicio affecto, qui apud Hiſpanos in Belgio exul relicto filio deceſſit, ipſo etiam filio ſine liberis ibi extincto) in regis Henrici IV. gratiam rediit, ex eoque porro in Gallia extincta, qua antea ob factiones & ambitionem flagrabat, invidia quietiore ſtatu floruit. Ipſe Rex ſororem ſuam Catharinam Henrico Barri tunc duci Caroli Lotharingiæ ducis filio, ac poſtea ſucceſſori anno 1569. in matrimonium *dedit*, (l) licet adhuc reformatæ religionis, in qua educata fuerat, tenaciſſimam: unde ipſe dux Henricus poſtea Romam profectus, veniam iſtius matrimonii cum ea initi a Pontifice petiit, ac intercedente etiam Rege impetravit. Circa idem tempus Henricus filius Caroli Meduani ſive Mainii D. a Rege dux Aquillionis in Agimenſi agro, ac Pair Franciæ creatus fuit, referente *THVANO l. 123.* Claudius vero Jonvillæ princeps Caroli Guiſiæ ducis frater exeunte anno 1602. pernirioſa adverſus Regem conſilia agitaſſe delatus, in cuſtodiam datus eſt. Et cum rem ut erat, confeſſus eſſet, deprecante pro eo tota familia ac per legatos etiam Lotharingiæ duce inprimisque fratre Guiſio, in gratiam receptus eſt, ut idem *THVANVS ſub fin. l. 128.* refert. De hactenus vero narratis omnibus fuſe legi poteſt idem *THVANVS* a *l. 97.* usque *ad 138.* ſeu finem totius operis. De iis vero, quæ inter hæc ab anno usque 1594. contigerunt, etiam addi poteſt *RVDOLPH. BOTEREJVS in comm. rer. ſui temporis.*

§. 22. Nunc ad iſta melius animo retinenda, præcipuos Guiſiæ familiæ principes, de quibus hactenus diximus, brevi incluſos tabellæ, una cum eorum poſteris ad præſens usque tempus celebrioribus, exhibebimus.

(a) *elapſus*) *BAYLE l. c. p. 1361.*
(b) *Rex nominatus*) *BAYLE. l. c. p. 1360.*
(c) *profeſſus*) *Le PERE DANIEL l. c. p. 504. 505.*
(d) *potuerit*) *Lettres du cardinal d' Oſſat 1, 3, 4, &c.* obtinuit tandem abſolutionem per cardinalem Perronium. *Lettre XXIII. du cardinal d' Oſſat. MEZERAI Abregé chronologique tom. VI. p. 144. Le PERE DANIEL l. c. p. 508. 574. 591. ſeqq.*
(e) *Lutetiam*) Le PERE DANIEL *tom. VI. p. 543. ſeqq.*
(f) *transegit*) *Le* PERE DANIEL *l. c. pag. 562.* BAYLE *p. 1361.*
(g) *reconciliatus fuit*) *Hiſtoire de France par Le* PERE DANIEL *p. 632, 633.*
(h) *Aumale*) Le PERE DANIEL *l. c. p. 633.*
(i) *Mercurii*) Le PERE DANIEL *l. c. p. 627.*
(k) *pactus eſt*) *Abregé chronologique de MEZERAI tom. VI. pag. 185. lib. XV. delle Guerre civile di* DAVILA *in fine.*
(l) *dedit*) *Hiſtoire de France par* Le PERE DANIEL *tom. VI. p. 628. 715.*

Clau-

Claudius Lotharingus.

Maria N. Jacobo V. R. Scot. — Franciſcus D. Guiſ. ob. 1563. — Carolus card. ob. 1574. — Ludov. card. ob. 1578. — Claud. D. Aum. occ. 1573. — Franc. M. Franc. Prior. — Renatus d'Elbove ob. 1566.

Maria N. Franciſco II. R. Gall. — Henricus D. Guiſ. occiſ. 1588. — Ludov. card. occiſ. 1588. — Carolus D. Main. ob. 1611. — Carolus D. Aumal. proſcript. — Carolus D. Ellebov.

Carolus D. Guiſ. ob. 1640. — Ludov. card. ob. 1621. — Claudius princeps Jonvillæ ob. 1657. — Henricus D. Main. factus D. Aiquillon & Pair Franc. ob. 1641. — Carolus D. Aum. in exilio obiit. — Carol. Ellebov. ob. 1657. — Henr. C. de Harcourt. ob. 1666.

Franciſcus D. Guiſ. n. 1614. — Ludovicus D. Joyeuſe m. 1654. — Carolus D. Ellebov. ob. 1692. — Franciſc. princeps de Harcourt ob. 1694. — Franciſc. Maria princeps de Liliboune ob. 1694.

Ludovicus Joſephus (a) m. 1671. — Carolus princeps de Harcourt. — Ludov. Armagnus.

Henricus C. de Brioſme nat. 1661.

CAPVT V.

De Franciſco II. C. Vaudemontio & poſtea Lotharingiæ ducatum ſibi vindicante ejusque filiis & inprimis Carolo III. D. hodierno.

§. 1. Cum Henricus D. Lotharingiæ Caroli II. ducis filius, nullos maſculos liberos ſed duas tantum filias reliquiſſet, Nicolæam & Claudiam, ceu ſupra c. 3. §. 16. dictum fuit, frater ejus Franciſcus C. Vaudemontius ſuſceptis ex uxore Chriſtina Salmenſis comitatus hærede duobus filiis, ſolus Lotharingicam proprie dictam ſive ducalem familiæ hujus lineam conſervavit. Erant vero iſti Carolus hodieque ſuperſtes & Nicolaus Franciſcus. Ipſius vero ducatus Lothar. ac Barri hæreditatem, ſi filii deſint, ad filias transire, excepta Iſabella (de qua ſupra c. 2. in fine diximus) cum omnibus perſuaſum eſſet, Nicolæa Henrici D. primogenita a patre pro ducatus hærede declarata fuit ex aſſe, non contradicente ejus fratre Franciſco jam nobis memorato, C. Vaudemontio. Quin ut in familia poſſeſſio ducatus permaneret, Carolus filius Franciſci Nicolæam illam anno 1621. in matrimonium accepit, atque confectis ſuper eo tabulis dotalibus, quibus ipſe pater ejus Franciſcus ſubſcripſit, matrimonii illius jure poſt Henricum ſocerum anno 1624. defunctum, Lotharingiæ & Barri ducatum jure adminiſtratorio tantum ſeu uxoris nomine *obtinuit*. (b) Cæterum mox poſt dictum Henrici D. obitum idem frater ejus Franciſcus pacta illa matrimonialia revocavit, tanquam ex ignorantia & errore confecta: cum Lotharingiæ & Barri ducatus ex Renati II. D. teſtamento, ceu ſupra etiam c. 3. §. 7. retulimus, inſeparabiliter conjuncti permanere, eorumque ſucceſſio ad ſolos filios agnatosque proximos perpetua deinceps lege pervenire debeant; Quod teſtamentum etiam Renati poſt obitum ejus a Statibus horum ducatuum anno 1508. præſente ipſius Renati vidua Philippa approbatum fuerit, ac ſolenni juramento confirmatum, (vid. *CHIFLETIVM Lothar. maſc. cap.* 5. qui etiam ſequentes duces & agnatos idem approbaſſe docet cap. 6. & 7.) ſe autem tenorem hujus teſtamenti nuper demum cognoviſſe (ait jam porro Franciſcus) & ſimul inde ad ſe ſolum ſucceſſionem in ducatus iſtos fuiſſe delatam, tanquam ad proximum in linea maſculina Henrici defuncti agnatum. Ex ignorantia itaque diſpoſitionis hujus Nicolæam filiam Henrici ſucceſſiſſe in ducatum, & maritum ejus Carolum adminiſtratorio conjugis nomine eundem tenuiſſe, nec non matrimonii tabulis Nicolæam declaratam hæredem univerſalem horum ducatuum. Cognito vero nunc jure illo, ſe intentionem & finem teſtatoris & declarationis a Statibus factæ, firmam & ſucceſſionem maſculorum perpetuari velle. Cum vero filius ejus Carolus ducatum jam teneret, ipſe pater porro jus illud ſuum in eundem filium Carolum transtulit eique ceſſit, atque ita eum Lothar. D. non uxoris amplius beneficio, ſed jure proprio a patre in ſe translato eſſe voluit, utque poſthac, retento ſemper primogenituræ & proximæ agnationis jure, inter maſculos familiæ hujus ſucceſſio in ducatus iſtos continuaretur, conſtituit. Ita ex literis Franciſci anno 1625. d. 6. Nov. ſuper hac re confectis refert *LIMN. J. P. T. 4. addit. ad L. cit.* Carolus vero jam novus dux patris ceſſione factus ſeq. anno 1626. primo Martii ſolenni pompa Nancejum primarium Lothar. urbem eſt ingreſſus, ſuæque hæreditatis magno nobilitatis comitatu poſſeſſionem adiit: ſeq. vero die ordines congregati, eundem Carolum III. ducem ex proprio capite pro ſuo naturali ac legitimo principe agnoverunt. *CHIFLET. Lothar. maſc. c.* 8.

§. 2. Ca-

(a) *Ludovicus Joſephus*) Huic natus fuit Franciſcus Joſephus filius unicus & ſuæ ſtirpis ultimus ob. 1675.

(b) *obtinuit*) Controverſia inter CHIFLETIVM potiſſimum & BLONDELLVM ventilata an Lotharingia maſculina, an fœminina. Lothar. fœmininam ante BLONDELLVM defenderunt GRAMMOND *lib XV. p.* 670. & ANONYMVS. Vid. LVDWIG *opuſc. p.* 364.

§. 2. Carolus vero D. cum jam non amplius uxoris beneficio ducatum ſuum, ſed jure proprio obtineret, alieniore quoque animo ab ea fuit, & cum jam 29. annos eam in matrimonio habuiſſet, nec tamen liberos ex ea haberet, tandem eo prætextu, quod in matrimonium illud, utpote ſe plane adoleſcentulo, a patre ſuo cum patre Nicoleæ pactum, non conſenſiſſet, anno 1640. divortio cum ea facto, aliam uxorem duxit Beatricem de Cuſſance Eugenii Leopoldi Comitis de Cantvoojæ (Sanctæ Crucis) viduam. Ob hanc cauſam a Pontifice Urbano VIII. cum ſemel iterumque per epiſcopos ac legatos pontificios urgente continuo Nicolæa, & honoris ac famæ ſui reſtitutionem fieri poſtulante, monitus, illam dimittere ac priorem uxorem recipere, neglecta etiam excommunicationis comminatione recuſaret, bulla promulgata anno 1642. una cum Beatrice fuit excommunicatus. Sed is non tantum contra bullam illam exceptiones ſuo & Beatricis nomine a procuratore generali curiæ ſupremæ ſeu Parlamenti Lothar. per appellationis modum oppoſuit, quibus nullitatem ſententiæ illius oſtendere conatus eſt; ſed & Beatricem ſecum retinuit, ſuſceptis ex ea liberis Carolo Henrico, quem principem Vaudemontii appellavit, & Anna filia, quæ anno 1660. nuptum data Franciſco Mariæ principi de Lislebonne Caroli Ellebovii, ut ex tabella proxime propoſita cognoſcitur, filio. Fratrem autem Caroli Nicolaum Franciſcum quod attinet ille initio clericus ac cardinalis etiam factus, poſtea tamen cum Carolus frater nullos ex Nicolæa liberos ſuſciperet, & præterea bello a Galliæ Rege peteretur, ejuſdem ſuaſu anno 1633. relicto pro more ſtatu uxorem duxit Claudiam alteram Henrici Divi filiam & ipſius adeo Nicolææ ſororem, qua de re paulo poſt pluribus iterum dicemus.

§. 3. Ut autem jam Caroli Ducis res proſequamur, varia & plerumque adverſa ejus fuit fortuna cum militiam toto fere vitæ tempore ac plerumque partes Cæſaris & Hiſpanorum ſecutus, nimis ex eo gravem ſibi Galliæ Regem ſubinde experiretur. Anno 1619. vel 20. in bello Bohemico, adhuc adoleſcens, ſolenni Cæſaris diplomate tribunus militaris declaratus, quinquies mille peditum legionem conſcripſit, quæ in Pragenſi prælio principalem locum obtinuit, ut loquitur *CHIFLETIUS in comment. Loth. c. 22.* famamque illuſtrem ex recte factis conſecuta eſt. Ducatu jam aliquot annis poſſeſſo, Cæſari poſt cladem Lipſienſem anno 1631. a Sueciæ Rege & Sax. El. acceptam ipſe una cum Principe Pfalzburgio auxilia adduxit 12000. (15000.) militum, cum quibus Tillius ad liberandam obſidione Wurzburgenſem arcem, ſed ſerius, ſe conjunxit, atque ita rurſus maximum exercitum collegit, qui tamen poſtea maximam partem fame, frigore ac aliis incommodis imminutus & diſſipatus fuit, ac Pfalzburgio Monachii mortuo ipſe Dux cum paucis Rhenum apud Argentinam tranſire permiſſus, domum ſe recepit. *Theat. Eur. T. 2.* Fuerat jam pridem fœdus arctiſſimum initum inter Galliæ Regem Ludovicum XIII. ac R. Sueciæ Guſt. Adolphum, unde Rex illa auxilia Cæſari a Lotharingo adducta graviter admodum *tulit:* (a) & cum præterea ſeq. anno 1632. D. Aurelianenſis Regis frater occulta de ipſo Rege regno dejiciendo conſilia una cum matre ipſius agitare deprehenſus, e Gallia profugiſſet, ac ab Helvetiis non admiſſus apud Carolum Lotharingum receptum habuiſſet, Rex ſubito cum exercitu in ipſam Lotharingiam movit; bellum tamen illud mox quorund. interceſſione fuit compoſitum, ſed præcipua aliquot Ducis munimenta Clermont, Stenai & Jametz a Rege, qui præſidia iis impoſuit titulo cautionis, *retenta*, (b) Duxque copias dimittere ac fidem ſuam Regi obſtringere coactus nihil ſe contra Regem regnumque Galliæ unquam quocunque etiam prætextu moliturum. Hæc prima ducatus Lotharingici imminutio atque occupationis initium extitit, magni illorum locorum ab ſe occupatorum ad regni Galliæ ſecuritatem atque incrementum acceſſionem æſtimante Rege, ut ex literis ejus cognoſci poteſt, quæ una cum hujus rei narratione extant in eod. *T. 2. theatr. Eur. p. 689.*

§. 4. Non deſtitit tamen propterea Carolus pro Cæſaris partibus juvandis bello ſe immiſcere, cum initio ſtatim ſequentis anni 1663. ex occulto quodam cum Cæſareanis pacto duo munita in Alſatia Argentoratenſis diœceſeos oppida Tabernas Alſaticas (*Elſas-Zabern*) & *Dachſtein* ab illis ne in Suecorum poteſtatem venirent ſibi tradita, is in tutelam ſuam (ut qui neutralis eſſet) accepit, præſidioque ſuo firmavit. Qua quidem de re non tantum Sueci, ſed & ipſe Galliæ Rex graviter fuit conqueſtus, pacis leges ex facto violatas ajens. *Theatr. Eur. T. 3. p. 4.* Julio vero menſe iſtius anni cum interim exercitum circiter 9000. collegiſſet, aperte jam contra Suecos movit, titulo quidem primum defendendæ ſuæ ditionis, revera ut Hagenoam a Suecis obſeſſam liberaret. Cum itaque apud Tabernas cum ſuis conſtitiſſet, Sueci initio mox belli facto priores adverſus eum aliquot equitum turmas miſerunt, qui cladem etiam aliquam Lotharingicis intulere. Dux inde progreſſus oppidulum Pfaffenhoven, quod in comitum Hanovienſium de *Buſweiler* ditione eſt, nullo Suecorum præſidio tunc munitum, tanquam arcem belli ſibi vindicare aggreſſus, defendentibus ſe fortiter civibus ruſticisque, mox altero die adventante Suecorum ſub Chriſtiano Pal. Birkenfeld exercitu prælium committere coactus eſt, in quo ipſe victus, cæſis ſuorum 900. & plerisque diſſipatis, amiſſis ſimul omnibus impedimentis, annona ac tormentis, ipſe cum paucis in Lotharingiam ſe recepit. *Th. Eur. T. c. p. 88. & ſeqq.* Galliæ Rex, quod iſta non tantum contra Suecos, ſed & contra ſe violatis pactis arma Dux cepiſſet, bellum adverſus eum declaravit, & exercitum

(a) *tulit*) Et obinde Galli, in Lotharingiam irruptione facta, illum eo adegerunt, ut non ſolum amicitiam Auſtrio-Hiſpanorum ejeraret, ſed & in fidei pignus oppidum Marſal Regi traderet. *CHIFLETIUS comm. Lothar. c. XV.*

(b) *retenta*) *FREYBERG German. perturbata part. IV. p. 137. CHIFLETIUS comm. Lothar. c. 16.*

citum ſuum qui apud Metim conſtiterat in Lotharingiam immiſit: Ducem vero quod ita etiam contra officium vaſalli & fidem, ratione puta Barri ducatus, ut poſt dicetur, ſibi tanquam domino feudi debitam egiſſet, quodque etiam ad illud usque tempus ab initio fidelitatis juramentum ratione ducatus illius præſtare recuſaſſet, a procuratore generali fiſci Francici coram Regio Senatu Pariſienſi eo nomine accuſari fecit, ac ut Barrenſis ducatus, quo jam is jure excidiſſet, ipſi ademtus Regi adjudicetur poſtulavit. Quare ſtatim a Senatu in eam ſententiam decretum conditum, & Dux diplomate 30. Julii edito ad Parlamentum citatus fuit, ad videndum, *ducatum Barrenſem* (a) cum coronæ bonis conjungi propter non præſtitam ab ipſo fidelitatem, ut hæc ex Mercurio Francico tum Chifletius in epiſtola dedicatoria comment. Lotharienſ. tum ex eodem aliisque *LIMNÆVS J. P. T. 4. & 5. addit. ad L. 5. c. 11.* referunt. Prætendebat aliud etiam neglecti officii & fidei factum adverſus ducem Rex, quod permiſſu ac conſenſu Ducis ſoror ipſius Margaretha cum fratre Regis D. Aurel. Rege inſcio & mox prohibente matrimonium iniiſſet, quod raptum clandeſtinum Rex appellabat, & tanquam ſibi ac regno ignominioſum prorſus irritum declaravit. Ob utramque vero cauſam etiam a Metenſi Parlamento bellum contra eum declaratum fuit, & exercitus Regius, ceu jam dictum, junctis ſibi aliquot Suecorum copiis ad 20000. Lotharingiam ingreſſus, pleraque ejus loca occupavit, Nancejumque obſedit. Barri vero ducatus ordines & incolæ Regi ſacramentum dicere compulſi ſunt. Mitigare Regis iram conabatur frater ducis Card. Lothar. Nicolaus Franciſcus, ſed ad colloquium Regis non admiſſus fuit. Poſtea vero Septembri menſe inter Cardinales *Richelium* & *Lotharingium* (b) Regis ac Ducis nomine pacis compoſitio eſt facta, inter alias conditiones & hæ erant, ut Dux omnibus fœderibus, cum iis, qui coronæ Francicæ adverſantur, nominatim vero cum domo Auſtr. initis, renunciaret, nec ullas copias, quamdiu bellum in Germania duraturum eſſet, ſine conſenſu Regis conſcriberet: Nancejum intra triduum in manus Regis traderet, tam diu ejus præſidio tenendum, donec Rex de fide Ducis certus, & periculum pace in Germania reſtituta ceſſaverit: quæ tamen conditio ad quadriennium in eodem inſtrumento reſtringitur &c. Ita Dux ad Regem eſt egreſſus, cives vero Nanceji Gallicum præſidium admittere penitus recuſarunt, vitamque ſe potius ac fortunas omnes amittere ſe paratos, quam jugum illud ſibi imponi paſſuros, ſunt profeſſi. *Th. Eur. T. c. p. 90. 91. 101. 102. 119. 120. 121.*

§. 5. Ipſe Dux etiam pacta hæc a Regiis ſibi non ſervata conqueſtus, retentis ſuis copiis denuo cum Cæſareanis conſilia conferre perrexit, & quaſi jam in exilium abiens, ſub initium anni 1634. Rheno trajecto octingentis circiter militibus ſtipatus cum iis ſe conjunxit. Ut vero Regis iram utcunque placaret, vel ſaltem eum a Lotharingia occupanda averteret, regimine ejus ſe abdicavit, idque in fratrem Nicolaum Franciſcum cardin. transtulit: qui & ipſe ut in familia ducatus poſſeſſionem conſervaret, reſignato, ceu jam diximus, ſtatu clerici, matrimonium cum Claudia Nicolææ ſorore iniit. Rex vero his minime contentus copias ſuas, quæ in Lotharingia erant, ſine omni mora Lunevillam urbem, in qua cardinalis ſponſa cum ſorore ejus aliisque primariæ dignitatis utriusque ſexus hoſpitibus nuptiarum celebrandarum cauſa convenerat, obſidere juſſit. Unice Gallis fuerat propoſitum matrimonium illud, ne hæredes ducatus legitimi inde procrearentur, quibuscunque poſſent modis impedire: ſed nuptiis interim ſumma feſtinatione pactis ſequenti die illi in oppidum ſunt admiſſi, qui cardinalem cum nova nupta ſub militari cuſtodia Nancejum abduxerunt: ex eoque omnia totius Lotharingiæ munitiora loca occupata, ne Dux aliquid ibi moliretur, præſidiis firmarunt, Pontifice interim nuptias illas per diploma miſſum ratas legitimasque pronunciante. Rex vero etiam Guiſios præterea ſuſpectos habens, Caroli Guiſii D. de quo ante nobis dictum, uxorem cum liberis Rhemos relegavit, fratrem vero Guiſii Claudium D. Capruſio (de Chevreuſe) Pariſiis ad poſſeſſiones ſuas abire juſſit. Poſt alias munitiones ducis expugnatas etiam la Motte Barri ducatus in extremis ejus verſus Burgundiam finibus ſitum oppidum, natura & arte pene inexpugnabile factum, poſt acerrimam aliquot menſium oppugnationem tandem occiſo præfecto d. 16. (26.) Julii fuit deditum, & ita univerſa Lotharingia in Regis poteſtatem redacta. Quo ipſo etiam tempore Rex Carolum D. qui interim junctis cum Cæſareano exercitu, auctisque ſubinde ſuis copiis, ditiones ſuas recipere moliebatur, tertia vice ad audiendam quam ſupra diximus ſententiam publice tubis ſimul ſonantibus citari fecit. Vid. *THVAN. Eur. tom. cit. p. 152. 168. 169. 210. 211. 268. 298. 320. 321.*

§. 6. Quod vero de Barri ducatu aliquoties jam indicavimus, Galliæ Rex feudum regni Galliæ illum eſſe aſſerens, a duce ut homagium ejus nomine præſtaret, ſæpius poſtulaverat, tum vero in transactione quæ anno 1632. d. 26. Junii inter eos facta erat, non tantum articulo 5. Clarimontem urbem, intra triduum ſibi tradi Rex voluit, tum totum comitatum Clarimontenſem tanquam proprium & coronæ ſuæ ſubjectum ſibi vindicavit (non obſtante, quod in omnibus inveſtituræ diplomatibus Imperatorum Germ. ſupra memoratis comitatus ille ut feudum imperii ducibus collatus fuerit) ſed & art. 6. pepigit, ut Dux fidem & homagium, quod Regi ob Barrenſem ditionem utpote ad coronam pertinentem, deberet intra annum ab eo tempore præſtaret. Sequenti vero anno 1633. cum Rex executionem illius articuli hominiumque adeo pro Barrenſi ducatu a duce exigeret, dux ita reſpondit, ejusmodi clientelæ ſe nullo modo obſtrictum eſſe: hominia, quæ a deceſſoribus ſuis præſtita jactarentur, fuiſſe duntaxat amicas aditiones ad viſitandos ſalutandosque Franciæ Reges: Nihil unquam in acta relatum, ut in veris hominiis fieri ſolet, quo animoſo ducis reſponſo

(a) *ducatum Barrenſem) Continuator Meterani lib. 51. p. 266. PVFFEND. rer. Suec. lib. V. p. 116.*

(b) *inter Cardinalem Richelium) CHIFLETIVS comm. Lothar. c. 17. p. 68.*

ſponſo Rex commotus, eum ceu ante diximus, per procuratorem generalem in jus ad Pariſienſe parlamentum vocari juſſit. Ex *Mercurii Francici tom. 18. 19. CHIFLET. comment. Lothar. cap. 16.* refert. Cum vero eodem tempore denuo quoque armis Rex ducem pacem rurſus petere, ac Nanceium, ceu ſupra dictum, ſibi tradere coegiſſet, inter conditiones a regiis duci tunc præſcriptas art. 6. conventum eſſe, quod Barrenſis ducatus (qui jam totus a Rege occupatus erat) in eo ſtatu, quo tunc erat, manere deberet, nimirum ſequeſtratus parlamenti Pariſienſis arreſto, quoad Regi ſatisfactum fuerit ratione ipſius. *CHIFLET. loc. cit. cap. 17.* Ex eo tempore inter ſcriptores etiam de jure & ſupremo dominio Barrenſis ducatus diſputari cœpit, ut infra rurſus pluribus dicetur.

§. 7. Expulſus vero, ceu diximus, anno 1634. tota Lotharing. Carolus, cum ad Cæſareanos ſe contuliſſet, paulo poſt a filio Cæſaris Hungariæ Rege, copias hinc inde per Germaniam diſperſas & auxilia undique tunc convocante, accitus fuit ad Nordlingam, ubi celeberrimum illud prælium inter Cæſareanos ac Suecicos commiſſum fuit, in quo Suecicis fere ad internecionem cæſis, Lotharingiæ Dux cum copiis ſuis non leve ad victoriam momentum Cæſareanis attulit, ac præcipuos adverſarum partium duces Guſtavum Hornium & Crazium C. ambos marte proprio, hunc autem propria ſibi dextra mancipavit, ut CHIFLETIUS de eo loquitur *comm. Lothar. c. 22.* Exinde cum parte Cæſareani exercitus in Alſatiam rediit, tentataque fruſtra per litteras Argentinenſi civitate, ut ad Cæſaris partes accederet, cum Lotharingiæ rurſus imminere videretur, Rex omnia totius ducatus oppida ac loca munitiora, exceptis tamen Nancejo & La Mota, mœnibus munitionibusque nudari juſſit. Præterea ab omnibus ejus ſubditis ac ſtatibus per utrumque ducatum fidelitatis jusjurandum exegit, cujus formula in *theatro Eur. pag. 368.* poteſt legi; prætereaque ſummum ſenatum regium ſive parlamentum Nanceji inſtituit, quo ſubditi etiam ad juramentum illud præſtandum convenire ſunt juſſi. *Theatr. Eur. pag. 321. 336. 340. 343. 352. 354. 367. 368. 381.* Dux interim una cum Cæſareanis copiis, cum jam ad 12000. exercitum haberet, inſuper Alſatia & Burgundia, paſſim Suecis Galliſque negotium faceſſivit, captis ac direptis pluribus oppidis, cladibusque viciſſim illatis, & majore tamen plerumque cum fœnore acceptis. Die 18. (28.) Maji anni ejus 1635. ad prælium conſerendum a Marſchallo de la Forſe compulſus, per biduum infeliciter pugnavit, tandemque Gallis victoriam relinquere coactus. *Theatr. Eur. pag. 419. 456. 465.* Mox tamen conjunctus cum Cæſareano D. Joanne de *Werth* ſuis copiis in Gallici regni fines denuo irrupit, omnibusque Burgundiæ ducatus oppidis & pagis Divionem (Dyon) usque vaſtatis, ſubito in ipſam Lotharingiam converſus incolarum auxilio, qui cum plerique inprimis ex nobilitate & clero ei adhuc eſſent addictiſſimi, magno numero ad eum confluebant, brevi majorem ditionis partem recepit, cui Rex quidem evocata ex vicinis provinciis undique nobilitate, binos exercitus oppoſuit, unde bellum, præſertim cum ab altera parte Gallaſius cum Cæſareano exercitu primario, nec non Hiſpanicæ ex Belgio copiæ, ab altera Bernhardus Vin. Sax. Dux cum exercitu Suecico, noviſque Gallorum auxiliis accederent, per iſtum & ſeqq. annos usque ad 1640. in regionibus illis trans Rhenanis, inprimis Lotharingia, Alſatia, Briſgovia, Burgundiæ comitatu & ducatu, Campania, Piccardia aliisque vicinis locis varia utriusque partis fortuna geſtum magno utriusque partis damno, nec ullius fere emolumento aliquo inſigni, niſi quod a Gallorum & Suec. parte D. Bernhardus, qui inter alias plures victorias etiam Carolum Lotharingum duobus iſtis præliis, altero ad Veſontionem in Burgundia anno 1637. altero in Alſatia, cum Briſaco obſeſſo commeatum inferre conaretur, *devicit*, (a) ipſum illud Briſacum maximi momenti fortalitium ad Rhenum, poſt longam obſidionem deditione deinde Bernhardus cepit, quod poſt ejus obitum Galliæ Rex ſibi vindicatum, magno Germaniæ incommodo *tenet.* (b) Vid. de Lotharingi inter hæc geſtis (quorum præcipua verbo quidem, ſed ita, ac ſi ſemper fere victor ille extitiſſet, refert CHIFLET. *comment. Lothar. cap. 22.*) *theatr. Eur. tom. cit. 3. pag. 419. 456. 465. 530. 531. 532. 548. 583. 596. 649. 650. 746. 747. 800. 825. 861. 862. 984. 992. tom. 4. pag. 10. 11. 12. 123. &c.*

§. 8. Sed nonnullorum interventu jam anno 1639. conditiones quædam quibus Galliæ Regi Dux reconciliari poſſet, ipſi propoſitæ, de quibus vide *theatr. Eur. pag. 25.* ſed cum illæ non placerent, Dux porro in bello contra Regem perſeveravit. Vid. itidem *theatr. Eur. p. 30.* Anno vero 1641. ineunte, a quibusdam inductus Lutetiam ad Regem profectus eſt, licet nondum omnibus prius transactis ac certo concluſis, ac proinde (ceu CHIFLET. hac de re loquitur) jam non aliam, quam quæ Regi placuiſſet, fortunam ſubiturus, eum poſſeſſionibus ſuis dejectum ſe reſtiturum Rex ſpopondit, ſibique pro Barrenſi ducatu fidem & hominium præſtandum aſſeruit, ſed Claromontis oppidum & comitatum, Stenacum, (Stenach) Jameſium, & Dunum coronæ Franciæ jam adjuncta ſibi in perpetuum Rex addixit. Marſali mœnia (quod inter præcipua ducatus munimenta) antequam id duci reſtituatur, ſolo æquari poſtulavit: Nanceium non niſi publica ſive univerſali pace ſancita reddere conſtituit, ſi quid contra hæc & reliqua conventionis capita Dux commiſerit, omnes ejus ſtatus, dominia ac poſſeſſiones ipſi denuo adimendas ac Franciæ regno rurſus uniendas, pronunciat. Ipſa capita ei tunc propoſita & quæ etiam cuſtodia jam ſeptus coactus fuit admittere, vid. CHIFLET. *comment. Lothar. c. 19.* Eadem Germanice reddita, ut & quibus ritibus Regi deprecatus, reconciliationem ejus ac quod reſponſum ab eo obtinuerit, vid. *in theatr. Eur. tom. 4. pag. 531.* Inter cæteras controverſiam cum Nicolæa uxore ab eo repudiata Rex tanquam ad ſe non pertinentem judicio eccleſiaſtico decidendum relinquit: ſed dux antequam illis conditionibus ſubſcriberet, ac homagium

(a) *devicit*) PUFFEND. *rer. Suecic. lib. X. pag. 336.* (b) *tenet*) Sed pace Badenſi recentius ad imperium rediit.

magium dictum præſtaret, diu multumque tergiverſatus fuit, inter alia, quid a ſe ratione homagii præſtandi poſtularetur, ſe non intelligere coactus, ſed cum a ſuis aliisque per occultas ſchedulas vim ſibi & vel carcerem vel cædem parari intelligeret, occulta prius proteſtatione apud quosdam edita, conditionibus illis ſubſcripſit, homagium vero ita præſtitit, ut urbanis geſtibus ac officioſa comitate Regem his verbis allocutus: Domine, quia Majeſtas veſtra ita jubet, & propter meum ſingularem in ipſam honorem & affectum, ego ipſi venerationem exhibebo, mox Regis manum oſculatus, inde vero ad adſtantes card. Richelium & Franciæ cancellarium converſus ex tempore dixit, non exiſtimo me hoc facto clientis obſequium edidiſſe. Facta autem hæc ſunt Pariſiis menſe Martio anni illius 1641. Mox vero in Lotharingiam reverſus in urbe Spinallo coram tabellione & teſtibus alteram edidit proteſtationem, per quam aperte proteſtatus eſt, ſe pactis abs ſe extortis Lutetiæ ſimulate conſenſiſſe propter ingens & imminens periculum, in quo tunc verſatus eſſet &c. Nec minus poſtea frater ejus Nic. Franciſcus antea cardinalis, qui Viennæ tunc erat, ſolennem proteſtationem contra capita illa a fratre ſuo cum Galliæ Rege pacta emiſit, menſe Septembri anni illius 1641. quæ omnia poſſunt legi apud *CHIFL. l. c. cap. 20.*

§. 9. Plenius vero iſta de confirmatis non tantum Lutetia, ſed & poſtea Barri etiam a Carolo Duce pactis illis referuntur in *th. Eur. T. c. p. 533.* ubi d. 2. Aprilis in templo ſeu capella arcis poſt celebrata ſacra veſpertina coram ipſo Rege, Regina ac pluribus principibus ſolenni juramento factis ſeu in manum acceptis ſanctis evangeliis & miſſæ canone pactis illis ſe obſtrinxiſſe, ipſe poſt plures dies 19. Apr. peculiari ſcripto, quod manu ſigilloque ſuo munivit, faſſus eſt: itidemque poſtea cum jam in ditionem ſuam ipſi a Rege reſtitutam rediiſſet, Barri in arce ſua binis ſcripturis d. 21. & 29. Apr. datis eadem repetiit, ac denuo ſub jurisjurandi fide ſe pacta illa ſervaturum, neque ut ullo modo ſive directe ſive indirecte contra ea a quoquam aliquid agatur permiſſurum, promiſit. Rex etiam, quo plene eum ſibi reconciliatum teſtaretur, inſigni cimelio (*Bruſt-Bild*) & 10000. donavit: card. Richel. vero cum aliis ingentis pretii donis eum affecit. Eodemque tempore copias etiam ſuas ſecum habuit, juſſu Regis cum ipſius Regis copiis illas conjuncturus, inque Burgundiæ comitatum irrupturus, pro quibus etiam poſtea Junio exeunte ſtipendii nomine aliquot centena millia Francorum ipſi numerata fuere. (*drittehalb Francken machen 25. Ggr.*) *Th. Eur. p.* 432. 535. Ipſe vero ex eo ſubinde mutatus, cum copiis ſuis ita ſe circa Moſam continuit, ut ad quam vellet partem Gallos Hiſpanosve nemine impediente poſſet accedere. Circa finem Auguſti cum jam in Hiſpanorum caſtris fuiſſet, mox tamen iterum inde receſſiſſet, gravamina ſua Regi Lutetiæ exponi fecit, ſed tunc ipſe ſi quid vellet, venire juſſus fuit, & jam tum a ducibus regiis major Lotharingiæ ac Barrenſis ducatus pars denuo in poteſtatem redacta erat. Octobri menſe Cæſaris militiæ aperte rurſus ſe addixit, ac interdum cum Hiſpanis in Belgio copias ſuas junxit, plerumque vero quaſi ſuas tantum res ageret, ſeorſim ab aliis circa Moſellam & ad Rhenum in Palatinatu, Durlacenſi marchionatu, Alſatia ac vicinis locis hinc inde vagatus, incurſionibus tantum oppidorumque direptionibus toto ſeq. anno 1642. dedit operam, variis interim cladibus etiam acceptis, donec exeunte iſto anno pleraſque ſuas copias cum Bavarico exercitu conjungeret. Vid. *th. Eur. d. T. 4. pag. 536. 543. 879. 880. 881. 882.*

§. 10. Cum anno 1647. Aprili menſe cum aliquot equitum peditumque legionibus ſive regiminibus ad Rhenum conſtitiſſet, Haſſicus tribunus *Raben-Haupt* improviſa irruptione facta aliquot 100. ex iis una cum uno tribunorum ejus occidit, duosque alios tribunos captivos fecit: ſed mox in auxilium veniente Naſſovio-Sigenſi, Lotharingici redintegratis ordinibus Haſſicos profligarunt, liberatisque ſuis etiam ipſum viciſſim tribunum *Raben-Haupt* captivum abduxerunt. *Th. Eur. tom. 5. p. 383.* Cœperat vero jam pridem Octobri menſe anno 1642. Dux denuo per amicos quosdam reconciliationem cum Galliæ Rege quærere (*th. Eur. tom. 4. pag. 882.*) de qua etiam hoc anno 1644. per quosdam internuncios agebatur, ſed irrito ſucceſſu, & ipſe rurſus cum Hiſpanis conjunctus acceptaque ab Hiſpaniæ Rege pecunia in palatinatu arcem *Falckenſtein*, aliaque loca in poteſtatem redegit. Interim tota ejus ditio jam a Rege rurſus in poteſtatem *redacta*, (a) & de ipſa Lotharingia Galliæ regno incorporanda decretum factum erat, Rege tamen illius executionem certis de cauſis adhuc ſuſpendente, unum ejus munimentum La Motte adhuc ſupererat, per integrum annum iſtum & ultra a regiis obſeſſum. Vide autem de iis, quæ hoc anno 1644. ab eo geſta ſunt, *th. Eur. tom. 5. p. 383. 395. 396. 413. 441. 608. 660. 700.*

§. 11. Cum vero potiſſimum ob auxilium Cæſari contra Suecos præſtitum, Galliæ Regis inimicitiam Carolus Dux incurriſſet, eaque occaſione vel cauſa ditionibus ſuis exutus eſſet, cauſam ejus viciſſim Ferdinandus II. Cæſ. ita urſit, ut etiam in pacificatione Pragenſi anno 1635. cum Saxon. El. facta Cæſar non prius ab armis ceſſandum decerneret, donec Lotharingiæ Dux in omnes ſuas ditiones ac jura plenarie reſtitutus eſſet. Deinde in comitiis anno 1641. Cæſar Ferdinandus III. eandem ejus reſtitutionem Imperii Ordinibus ſerio comendavit, ac denique in pacificatione Monaſter. inter poſtulata Cæſareanorum Galliæ Regis *legatis* (b) anno 1645. propoſita, eandem illam etiam inprimis urſit; ut hæc in *theatr. Eur.* tomis diverſis leguntur. Junctim vero ac breviter ea repetit *CHIFLET. comment. Lothar. c. 22.* Cum vero Ordines Imperii eam controverſiam ad

(a) *redacta*) PRIOLVS *hiſtor. Gall. lib. II. §. 26.*

(b) *legatis*) Sed minus ipſi Auſtrio-Hiſpani favebant, cum anno 1644. denuo nutare & in Gallorum partes propendere inciperet. *LEONHARD. tom. III. pag. 1. LVNDORP. tom. VI. lib. III. cap. 41. PVFFEND. rer. Suec. lib. XIX. §. 152. PFANNER. hiſtor. pacis pag. 642. ſeqq.*

ad ipſum Imperium non pertinere, ipſiusque tranquillitati ante omnia prius conſulendum eſſe, contenderent: tum in comitiis illis Lotharingica cauſa in aliud tempus dilata fuit, tum in inſtrumento pacis Cæſareo-Gall. hæc controverſia vel arbitris utrinque nominandis ſubmitti jubetur, vel tractatu Gallo-Hiſpanico vel alia amicabili via componenda decernitur, liberumque relinquitur Imperatori & Statibus ejus compoſitionem amicabili interpoſitione aliisque pacificis officiis juvare ac promovere, non tamen armis aut bellicis mediis.

§. 12. Ipſe interim dux cum copiis ſuis in Belgium & loca inter Rhenum ac Moſam abiit, ubi poſthac tum iſto an. 1645. tum ſeqq. pluribus usque ad 1654. partim cum Hiſpanicis copiis, partim ſeorſim contra Gallos, Suecos ac fœderatos Belgas, propterea fere in expeditione fuit, etſi plus infamiæ ex provinciis oppidisque ubique direptis ac vaſtatis incolisque crudeliſſime ac plus quam barbare more tractatis cladibusque etiam ſæpius acceptis, quam gloriæ ex rebus fortiter ac feliciter geſtis, ejus copiæ retulerint. Non licet ordine jam ſingula referre, præcipua tantum aliqua vel ab eo geſta vel ad res ejus pertinentia indicare nunc ſuffecerit. Iulio menſe anni illius 1645. La Motte per integrum annum cum magno Gallorum detrimento obſeſſum, oppugnatumque tandem illis deditum, atque ita dux omnibus demum ſuis ditionibus penitus exutus fuit. Vid. *th. Eur. tom. 5. p. 829.* Id ipſi lætum exeunte illo anno accidit, quod a Pontifice tunc banno, quo ob divortium cum uxore factum aliamque ductam conſtrictus fuerat, rurſus exemtus, & certis ceremoniis abſolutus, eccleſiæque usque ad ſententiam definitivam iterum reconciliatus eſſet. *pag. 1007.* Anno ſeq. 1646. Exercitus regii Hiſp. Duxelleris ei arcem Hammerſtein ad Rhenum ſitam Trevirenſis ditionis, ut ibi copias pro Hiſpanis colligeret, ipſius præſidio cuſtodiendam tradidit. *p. 1019. 1035.* Ex qua deinde plurimum damni vicinis intulit, multumque de reſtitutione ejus etiam poſt pacem in Germania factam tum Monaſterii & Oſnabrüggæ & in conventu Noribergenſi inter partium legatos, tum ab Ordinibus Imperii univerſis in comitiis laboratum fuit: Duce tum quod in pacificatione ſui nulla fuiſſet ratio habita, admodum conquerente, tum quod Suecis ac Haſſis pro ſatisfactione & ad ſtipendia exercitibus exautorandis ſolvenda 5. milliones imperialium, itemque ab altera parte etiam Cæſari ac Bav. electori integrorum circulorum collectæ ſeu contributiones permiſſæ eſſent, ſibi quoque ſatisfactionis loco aliquam ſummam aſſignari poſtulante, cum & ipſe pro Cæſare & publ. imperii ſalute, durante hoc bello, plusquam 100000. militum ſuo ære conduxiſſet, ac ſtipendia iis perſolviſſet, ceu ex literis ejus ad legatos Monaſterii & Oſnabruggæ congregatos datis videre eſt. *Th. Eur. tom. 6. pag. 452.* Iidem vero Hiſpani etiam Limburgenſem ducatum ei pignoris loco pro mutuo datis 400000. imperialium poſſidendum tradidere. *tom. 5. pag. 1241.* De reliquis ejus rebus ad annum hunc 1646. ut & ex parte 1647. vid. eund. *tom. 5. pag. 928. 1038. 1039. 1061 1145 1165. 1204. 1241. 1325.* Rurſus ad *annum 1648. pag. 354. 355. 531. 532. 533. 534.* ubi magna Lotharingicorum atque Hiſpanorum clades in Flandria menſe Auguſto a Gallis accepta legi poteſt. Ad *annum 1649. tom. eod. 6. pag. 796. ad annum 1650. pag. 1089. & ſeqq.* inter quas *p. 1089.* iterum magna eorum Gallicarumque copiarum, quæ in inteſtino Principum quorundam Galliæ cum Rege diſſidio, ſub Thurenio duce ad Hiſpanos ac Lotharingicos tranſierant, clades juſto prælio accepta memoratur. Ad *ann. 1651.* & *1652. tom. 7. p. 11. 47. 164. 165. 168. 186.* Inprimis autem ad annum 1652. memorari debet ejus in Galliam expeditio dum a duce de Orleans Regis fratre, Principe Condæo aliisque, qui cardinalem Mazarinum regno expellendum volebant, ac propterea ex iis Condæus a Rege proſcripturus erat, evocatus ac regiis ab obſidione Stamparum (Eſtampi) oppidi inter Lutetiam & Aureliam ſiti ſe recipere coactis, Pariſiis etiam ad ipſos principes fœderatos venit, ac maximis honoribus muneribusque ab iis affectus, mox tamen ipſis inſciis & præter omnium opinionem transactione quadam cum Rege inita, acceptisque ab eo duobus millionibus aliisque muneribus, Principes ſubito deſtituit, inque Campaniæ fines copias ſuas reduxit, multum de perfidia ejus Principibus inprimisque Condæo conquerentibus. *Tom. eod. 7. pag. 194. 195.* Quomodo tamen illud factum poſtea excuſaverit legi poteſt in *hiſtoria pacis ad Pyrenæos montes inter Hiſpaniam Galliaque Reges inita*, ex italico in latinum a Petro Axen Holſato verſa. *pag. 66.* Alias præterea ejus copiarum hoc anno ad Rhenum factas eruptiones vid. *tom. c. p. 282. 284.*

§. 13. Anno 1653. in comitiis Ratisbonenſibus cum legato ejus Ordines Imperii de 300000. imper. ei ſatisfactionis nomine perſolvendis, reſtituendisque ab eo viciſſim Hamerſteinio, Homburgo, *Landſtuhl &c.* transegere, etſi neque tum pecunia ipſi numerata, neque dicta loca, cum & alia quædam, in quæ jus aliquod prætenderet, reſtituere recuſaret, ab eo legitimis poſſeſſoribus fuerint reſtituta. *Tom. c 7. p. 396. 372.* Interea eodem iſto anno per Alſatiam ac alias trans Rhenum provincias inprimis graſſatus, omnia paſſim diripuit, incolis ab ejus militibus inauditis crudelitatis exemplis maxime afflictis, ac Gallis viciſſim Lotharingicos non una clade afficientibus. *pag. 383. & ſeqq. 402. 403.* Anno 1654. ineunte in comitiis Ratisponenſibus poſt oblatam legato ejus illam 300000. imperialium ſummam Cæſar ex Ordinum decreto mandatum inhibitorium & avocatorium ad omnes illi militantes emiſit, ad ipſumque datis literis, eum ut accepta juxta pacta inita pecuniæ illius prima portione, loca de quibus conventum erat, reſtitueret, de reliquis vero in quæ prætenderet, tum judicii Cæſarei ſententiam cum commiſſariorum ac deputatorum ex Ordinibus tractationem expectaret, monuit. *pag. 482. & ſeqq.* Ad quæ legatus ejus, acceptis ab eo mandatis, ducem tractatus iſtos admiſſurum, copiasque ex imperii finibus in honorem Cæſaris abducturum promiſit. *p. 498.* quæ vero ille per ſuos in Alſatia & epiſcopatu Leodienſi ineunte hoc anno 1654. geſſit, legi poſſunt *p. 576. 579. 580.*

§. 14. Dum vero iſta Ratisponæ cum legato ejus agebantur, ipſum interim ex epiſcopatu Leodienſi, quem cum ſuis graviter aliquandiu afflixerat, Bruxellam ad archiducem Leopoldum

cta ac concluſa fuit, cujus beneficio etiam Carolus D. in libertatem & majorum ditionum ſuarum partem, ſed tamen duris conditionibus reſtitutus eſt. Sane cum Hiſpanis jam inde ab initio ſocietatis cum iis initæ pactus fuerat, ne illi pacem cum Galliæ Rege niſi ipſo etiam ſimul incluſo ac ditionibus ſuis reſtituto unquam facerent, itaque videri illi jam volebant, quaſi pro ejus commodis multum laboraſſent, ipſorumque adeo opera ipſe ducatum ſuum reciperet. Ut vero ex pluribus, qui inter pacis iſtius *articulos* (a) ad ducem Carolum pertinent, aliquorum tantum ſummam referamus, promittit quidem Galliæ Rex ſe Carolum D. in poſſeſſionem ducatus Lothar. velle reſtituere, ita tamen ut primo Nanceji (quæ primaria ducatus urbs) munimenta prius omnia deſtruantur, nunquam poſthac inſtauranda, omnibus ſimul tormentis & reliquo apparatu bellico inde affectis. 2. Excepto etiam & detracto toto ducatu Barri regionibusque ac urbibus & oppidis quibus tum ea ducatus illius pars conſtat, quæ Regi Galliæ ut feudum obnoxia exiſtit, tum quam ei non obnoxiam quidam contendant. Excepto pariter & detracto comitatu Clermont. ejusque dominio: oppidis item præpoſituris & agris Stenay, Dunum & Jamez: item urbe Mediovico ſive Mogenvio, ad Barri ducatum pertinente, quæ omnia cum ſuis acceſſionibus appendicibus & adjunctis Galliæ Regis dominio in perpetuum ſint conjungenda. Nec dux in poſſeſſionem ſuarum ditionum aut ullius oppidi reſtituatur, priusquam ſyngraphia Regi tradita renunciarit, & ceſſerit omnibus jam memoratis, itemque de aliis plurimis Regi eadem ſyngraphia cavebatur, quod omnia, quæ Rex interim in ducatu conſtituiſſet, in eo ſtatu relinquerentur. Quodſi vero hæc circa ipſum inter Reges conventa probare aut rata habere noluerit, aut implere impoſterum neglexerit, Rex Galliæ non teneretur, quicquam eorum quæ ipſi promiſſa vel remiſſa ſunt præſtare vel remittere &c. Quemadmodum hæc omnia pluribus legi poſſunt in ipſo inſtrumento illius pacis, quod integrum tum latine extat in ſæpius allegata hiſtoria pacis ad Pyrænęos inter duos iſtos Reges initæ, tum Germanice ſeorſim & in *diario Europ. app. P. 3.*

§. 17. Pace vix dum penitus confecta dux Octobri adhuc menſe anni illius 1659. ex Hiſpania dimiſſus ad utriusque regni confinia, & duos illos, quos ante diximus adhuc ibi commorantes primarios regum miniſtros acceſſit, honorificentiſſime ab illis exceptus & habitus. Vid. *hiſt. pacis cit. p. 82. & ſeqq. & diar. Europ. P. 4. p. 41.* ubi ad eadem loca etiam audito Caroli D. ex Hiſpanica captivitate reditu, officii & honoris cauſa ex Gallia ei obviam profecti memorantur duo Lotharingicæ gentis principes Henricus dux Guiſ. & ejusdem nominis C. de Harcourt, ſed cognitis ibi quæ de ſe in pacificatione iſta conſtituta erant, dux Carolus ſtatim adverſus ea (cum nemini mortalium neque tractandi quicquam ſuo nomine, neque concludendi negotium, mandatum ſe dediſſe diceret) ore ac ſcripto proteſtatus eſt, parumque abfuit, quin ab Harro, cui pro tot officiis Auſtriacæ domui jam inde a Pragenſi prælio, cui cum 8000. ſuorum militum interfuiſſet, præſtitis, gratiæ ſibi minime relatæ crimen acri & pungente ſermone ſubinde exprobrabat, denuo in cuſtodiam daretur. A Mazarino cum ſpe majoris gratiæ a Rege obtinendæ dimiſſus, ipſam aulam, quæ tunc Avenione erat, acceſſit, omni comitate & benevolentiæ honorisque ſpecie a Rege Reginaque matre exceptus. Ibi intentius ut poſtulatorum ſuorum ratio haberetur inſtanti ambiguis verborum blandimentis & pollicitationibus os ſublitum: cumque per aliquot dies cum marchione de Lionne regiorum arcanorum adminiſtratore ſucceſſu exiguo tractationem inſtituiſſet, totum negotium Lutetiam in Regis reditum rejectum fuit. Vid. *hiſtoriam pacificat. Pyren. p. 81. & ſeqq.*

§. 18. In eo itinere cum Blæſas etiam ad D. Aurelianenſem Regis fratrem, comitante D. Guiſio divertiſſet, frater ejus Nicolaus Franc. cum filio Carolo Leopoldo ad eum venit, ſummaque concordia & amore mutuo ambo fratres una fuere, mirantibus cunctis, quod non leves offenſæ inter eos jam a multis annis fuiſſent, Carolo D. poſt repudiatam Nicolaam & ſuſceptos ex altera uxore liberos fratrem ejusque filios ducatus ſucceſſione excludere laborante. *Diar. Eur. tom. 4. p. 41. 73.* Eodem vero vel proxime inſequenti tempore etiam plene inter eos fuit tranſactum, & Carolus D. fratrem Nicolaum ejusque filium Carolum Leopoldum legitimum ſucceſſorem & hæredem omnium ſuarum ditionum & ſtatuum agnovit ac declaravit: ceu id intelligi ex *diar. Europ. P. VIII. ad ann. 1642. 4. Febr. p. 72.*

§. 19. Seq. anno 1660. poſt longam tranſactionem Nov. menſe Pariſiis in palatio card. Mazarini ita inter Regem ac D. tranſactum ut dux recepta Lotharingia Regi ad militiam copias, quoties opus fuerit, verſus Germaniam & ad Rhenum mittendas 3. tranſitus ſive vias & eo nomine quædam loca præſidio Regio cuſtodienda relinqueret, pro quibus Rex ei Barri ducatum reſtitueret & intra 5. annos etiam Nancejum. His conditionibus & aliis quibusdam dux d. 17. Nov. ſubſcripſiſſe, excepta tantum una pagina, cui ſubſcribere tum adhuc recuſavit, fertur. *Diar. Europ. tom. 6. p. 93.* plene vero cum illo poſtea anno ſubſeq. 1661. die ult. Febr. *tranſactum* (b) intelligi ex *diar. Europ. tom. 8. p. 89.* Cæterum cum idem D. Carolus, ut ſupra quoque retulimus, durante bello Germ. aliqua loca in imperio ſita occupaſſet, quorum quidem aliqua illo jam in cuſtodiam dato & in Hiſpaniam abducto, ceu itidem indicavimus, fuerant ei rurſus erepta, reſtabat inprimis fortalitium *Homburg*, item integer comitatus *Saarwerden*, & præfectura *Herbisheim*, quæ pars comitatus Saræpont. omnia ad comites Naſſovios in *Saarbrück* pertinentia, quorum reſtitutio in inſtrumento pacis art. 4. decreta erat: Sed dux præſertim cum pecunia illa, in comitiis Ratisbonenſibus anno 1654. ei ab Ordinibus promiſſa, impediente tunc quidem Gallico legato, non numerata eſſet,

(a) *articulos*) Pax Pyren. a §. 62. usque ad 74. Lotharingiæ ducem ſpectat. BRACH. *tom. V. p. 63.* (b) *tranſactum*) Conf. BRACHEL. *tom. V. p. 85. Corps diplomatique tom. VI. part. II. p. 348. ſeqq.*

eſſet, illa huc usque in poteſtate ſua retinuerat. Occaſione itaque tractationis illius quam reſtitutione ſua Dux cum Card. Mazarino anno 1660. Lutetiæ inſtituerat, usque legatus Suecicus *Berenklau*, qui tunc ibi morabatur, Cardinalem per literas 27. Novembris anni illius 1660. datas monuit, ne cum Duce tranſigatur, aut ille in ditiones ſuas reſtituatur, priusquam ille jam memorata Comitibus Saræpontanis reſtituiſſet: ſiquidem etiam Rex Gall. id comitibus non ſemel ante pacificationem promiſiſſet, tum ut ipſa pacificatione Monaſt. ita conſtitueretur, voluiſſet. Vid. literas ipſas in *diar. Eur. P. 6. p. 113.* ad diem 27. Nov. Quid vero legatus illis tunc obtinuerit ibi non memoratur. De comitatu autem illo *Saarwerder* (a) ac reliquis, & quod jus in ea Lothar. Dux prætendat, alibi forte commodius explicabitur. Vid. interim *SPRENG. in pretenſ. illuſtr.* ubi citatur etiam ſcriptum aliquod Germanicum de occupato a Franciſco (patre Caroli) comitatu Saarwerdano anno 1630. His adde *diar. Eur. l. c. p. 263.*

§. 20. Non deſiitit vero porro omnibus modis Galliæ Rex id agere, ut totam Lotharingiam in poteſtate ſua retineret, itaque quos dudum antea agitaverat tractatus tandem anno 1662. menſe Februario *perfecit*, (b) ac nova cum Carolo D. transactione inita, ita cum eo pactus eſt, ut (præſertim cum Dux nullos liberos haberet, qui hæredes ſtatus ſui ac ducatuum eſſe posſint) ambo ducatus Lotharingiæ & Barri cum omnibus eorum pertinentiis & juribus regiis coronæ ſive regno Franciæ incorporati poſthac ſint futuri, ac poſt obitum Ducis a Rege occupari ac posſideri deberent: in cujus pacti fidem ac firmitatem, & ne Dux poſthac ullis novis exactionibus ac tributis provincias iſtas oneret, oppidum ac fortalitium Marſall. Regi nunc tradere jubetur, qui ſtatim præſidium ac præfectum, prout ipſi videbitur, imponet, vicisſim vero Rex, coronæ Franciæ incorporatis ita dictis iſtis ducatibus, omnes ac ſingulos Principes domus Lotharingicæ ex eo tempore idoneos & habiles declarat ad ſucceſsionem in regno, eoque nomine eos in regiam ſuam familiam adſciſcit; ita ut poſt domum Borbonicam ipſi ſinguli ſuo ordine proxime posſint & deberent ſuccedere, dignitatisque ac præcedentiæ prærogativam præ omnibus aliis principalibus aut ex Regum naturalibus filiis deſcendentibus familiis habeant, in omnibusque adeo rebus libertate ac prærogativa, quæ principibus ſanguinis competit, & ipſi gaudere deberent. De reditibus ducatuum Duci ad dies vitæ Rex aſſignat in annos ſingulos 700000. librarum (libra Francica eſt paulo major tertia parte imperialis thaleri) & ſi ſumma ea ex iſtis non pervenerit Rex tam iſtam, quam quæ ad æris alieni ſolutionem erit neceſſaria, aliunde perſolvi curabit, ita tamen, ut poſt obitum Ducis illa ſumma penitus ceſſare, nec ulli perſolvi debeat. Promittit vero porro etiam Rex duci tantum ditionum ac dynaſtiarum ſe illi conceſſurum, ut earum reditus 200000. librarum implere posſit: inter quas dynaſtia etiam aliqua ſeu principatus qui titulum & dignitatem ducatus ſeu pariatus Franciæ annexum habeat, ſive in ipſa Francia ſive Lotharingia aut Barrenſi tractu fuerit ſitus, ut & ſummam redituum decieſcentum millium librarum ex certis ac quibuscunque Dux voluerit regiis reditibus ipſi aſſignandam: quam pro ſe ſuisque poſteris una cum dictis terris ac dynaſtiis Dux posſideat, de iisque in favorem filii principis Vaudemontii aut cui alii ejusmodi conditiones voluerit, diſponere ipſi liceat. Rex etiam omne æs alienum a Ducis anteceſſoribus Henrico patruo & Franciſco patre legitimo modo contractum, & ad quod ſolvendum Carolus D. obſtrictus eſt, in ſe recipit perſolvendum, ita ut neque ipſe neque filius ejus Princeps Vaudemontius propterea in percipiendis dictis reditibus ac ditionum illarum poſſeſsione ullo modo turbari aut impediri deberet &c. Hæc ita inter ſe ac Carolum D. conventa ac in formam inſtrumenti perſcripta, Rex die 17. Febr. in Parlamento Pariſienſi ſolenni ritu, cui præter ipſum Regem frater ejus D. Aurel. & Principes ſanguinis ac Franciæ Mareſchalli aliique magnates præſentes fuere, propoſuit, inque acta publica referre ac confirmari juſſit. Vid. ipſum inſtr. Gallice & Germ. in *diar. Eur. P. 8. p. 83. ſeqq.*

§. 21. Nondum hæc penitus ita conventa ac concluſa erant cum Carolus, princeps Lotharingus, Nicolai Franciſci, qui ſup. ut dixi anno obierat, filius, quemque ipſe patruus Dux Carolus ceu ſupra §. 7. retulimus, legitimum ſucceſſorem ac hæredem omnium ſuarum ditionum ac ſtatuum agnoverat & declararat, novum hoc patrui cum Rege pactum, ut quo ipſi omnis ſpes futuræ ſucceſſionis, de jure ſibi competentis, præcideretur, *graviſſime ferens*, (c) indignabundus ex aula Regis ac Galliæ diſceſſit, venia quidem prius a Rege petita, cujus juſſu tamen mox comes Fürſtenbergius (Wilhelmus ille jam Viennam deductus) eum adhuc in itinere Veſontione aſſecutus, neque blandis verbis, neque ampliſſimis promiſſis inducere eum potuit, ut pactis illis inter patruum ac Regem initis ſubſcriberet: quin ipſe interim ex itinere literas ad Regem miſerat, quibus plurimum de patrui erga ſe iniquitate conqueſtus, ſaltim a Rege petiit, ut ea, quæ totius provinciæ confeſſione, ipſoque patre Regis Ludovico XIII. ac parlamento regio pridem agnoſcente, ad ſe ſolum certo & indubitato jure pertinerent, ſibi potius relinquere velit, quam tradente eo, qui ipſe mera tantum agnatorum tolerantia ſeu conniventia ea hactenus poſſediſſet, cum totius Chriſtiani orbis improbatione invadere. Ex Gallia Carolus princeps primum in Bavariam ad Electorem, inde in Tyrolim ad archi-ducem Oenipontanum, ac porro Romam ad Pontificem, & denique Viennam ad Imper. profectus, apud omnes de patrui, qua is eum afficeret, injuria conqueſtus eſt: actionem etiam in judicio Cæſaris contra patruum inſtituturus. Interea vero ſcriptum ſive ut vocant Manifeſtum juris ſui conſervandi cauſa edidit, quo adverſus tractatus iſtos patrui ſui cum Rege habitos pro-

(a) *Saarwerder*) *SHWEDERI theatr. pretenſ. lib. IV. ſect. 18. c. 1. p. 513. Corps diplomatique tom. VI. part. II. p. 401. LVNIG R. A. part. ſpec. contin. II. ſub Lothar. p. 326.*

(b) *perfecit*) *BRACHEL. tom. V. p. 85. LONDORP. tom. VIII.*

(c) *graviſſime ferens*) *PRIOLVS lib. X. §. 24.*

proteſtatus eſt. Huic Caroli D. nomine reſponſum oppoſitum, quo cauſæ indicantur, quibus Dux ad hæc conſilia ſe impulſum dicit, nempe ut ea ratione tum Cæſarem, tum Regem Hiſpan. ulciſceretur, ut qui poſt tot officia tam longo tempore præſtita, non tantum ipſum deſtituiſſent, ſed & tandem præmii loco in carcerem conjeciſſent. *Diar. Eur.* §. 8. *pag.* 71. 72. 78. & *ſeqq. usque ad* 102. *it. pag.* 273.

§. 22. Ipſum vero etiam Carolum ducem brevi poſt concluſos tractatus iſtos *pœnitentia* (a) facti ejus dicitur ſubiiſſe, dum quaſi excuſandi ſui cauſa varias proteſtationes ſeu objectiones ab agnatis ſuis domus Lotharingicæ principibus ut & ordinibus ſuperioribus ducatuum ſuorum ſibi factas, Regi per literas propoſuit. Et ſane ipſe etiam Guiſius D. qui antea promiſſa ei a Rege Guiennæ præfectura, non parum tractatus iſtos promoverat, ne jam de more ut Par Franciæ in Parlamento illos ſubſcriptione ſua comprobare neceſſe haberet, morbum ſimulans domi ſe continuit. Ordines vero Lotharingici legatis ad Regem miſſis, quod Duci ſine ipſorum conſenſu ne minimum quidem iſtorum facere licuerit, omnibus & ſingulis iſtius tranſactionis capitibus ſolenniter contradixerunt; neque minus etiam præfectus Marſalli fortalitium illud Regi tradere recuſabat. *Diar. Eur. l. c. p.* 95. & *ſeqq. it. p.* 102.

§. 23. Manſere itaque in ambiguo res toto anno usque in Auguſtum menſem anni ſequentis 1665. quo Rex armis rem aggreſſus Marſchallum de la Ferte Marſallum oppidum obſidere juſſit, ipſeque Pariſiis die $\frac{15}{25}$. Aug. iter in Lotharingiam ingreſſus, mox obviam habuit nobilem cum literis a Duce miſſum, quibus is obſequium ſuum erga Regem pleniſſime conteſtabatur, ſed Rex verbis ſe non contentum fore ajens, ipſe ex ſuis quendam ad Ducem miſit, denunciatum ei, Regem niſi præſtitis, quæ inter ipſos conveniſſent, nil quicquam ejus nomine poſthac auditurum eſſe. Inde Metim profectus, quo omnes Principes & Mareſchallos ad bellicum conſilium convocaverat, ut quæ ad obſidendum Marſallum neceſſaria eſſent, ibi conſtitueret. Sed interim nuncius ille a Duce remiſſus, Regi obſequium Ducis renunciavit, ac Marſallum ſine mora ei traditum iri promiſit. Iſpe deinde Dux die 24. Aug. ad Regem venit amiceque ab eo exceptus ac tradito ei Marſallo reliquas de quibus convenerat, conditiones denuo confirmavit. Aliæ vero quæ ſupererant difficultates, commiſſariis componendæ ſunt relictæ. *Diar. Eur. tom.* 10. *pag.* 559. 560. 633. 634. Novembri menſe anni illius 1663. Carolus Franciſci filius princeps Lothar. Luteriam indicio adventus ſui Regi non prius facto venit, in omnibus ſe Regi obſequentem fore ajens, de quibus hactenus aſſentiri noluiſſet. Sed Rex ſtatim illum eadem hora rurſus equo conſcenſo ex Pariſiorum urbe & tota Gallia ſe recipere, ita ut neque ipſam Lotharingiam ingrederetur mandavit, cui mandato etiam ille ſine mora paruit, niſi quod Ducis Aurel. (patrui Regis) vidua, amita Caroli a Rege peteret, ut ſibi eum videre permitteretur; quo impetrato cum per aliquot horas cum ea cœnaſſet, media adhuc nocte iter ſuum proſecutus eſt. *Diar Eur. T. eod.* 10. *p.* 818. Actum pridem fuerat de conjugio inter ipſum & filiam Caroli Eman. D. Nemoroſii (de Nemours) cum ampliſſima dote, cujus confirmationem etiam Rex per Furſtenbergium Wilhelmum, ceu ante dictum, ad eum miſſum, ei obtulerat; *Diar. Eur. T.* 8. *p.* 72. poſtea vero cum ipſe conſtanter pactis ante dictis ſubſcribere recuſaret, Rex ſponſam ei denegatam anno 1665. Sabaud. Duci in matrimonium elocavit. *T.* 12. *p.* 438.

§. 24. Anno 1664. Carolus D. una cum Galliæ Rege auxiliares copias miſit Electori Moguntino ad obſidendam Erfordiam (*D. Eur T.* 11.) quas in deditionem accepta illa urbe Elector ſecum retinuit, ad bellum Electori Pal. ſeq. anno 1665. inferendum, ob controverſiam de Wildfangiatu, cui una cum aliis vicinis Principibus, Comitibus & Nobilitate etiam Carolus D. Lothar. fuit implicitus ratione comitatus *Falckenſtein*, in quo pariter Palatinus jus illud Wildfangiatus ſibi *vindicabat*; (b) ſed de hac re ſatis diximus in Palatinis. Vid. plurima de ea in *diar. Eur. T.* 16. ubi ſeorſim Lotharingicarum copiarum graſſationes & geſta anno 1666. p. 109. 110. 111. 116. 220. 224. 225. 226. 227. 347. 350. it. T. 27. referuntur. Ipſum laudum ſeu deciſionis per arbitros Regum Galliæ & Sueciæ legatos factæ inſtrumentum anno 1667. menſe Febr. publicatum extat in app. T. 14. Anno vero 1668. nova diſſenſionis occaſio & cauſa inter eund. Electorem & Carolum D. extitit ob arcem *Hoheneck*, quam Carolus Lothar. D. emerat, Palatinus vero eam ex parte feudum ſuum adeoque citra conſenſum ſuum idque cum periculo vel incommodo ſuæ ditionis abalienari non poſſe aſſerebat. Unde iterum bellum inter Electorem Palatinum & Carolum Lothar. exortum, Electore arces & oppida *Hohenek* & *Landſtuhl*, ut mox dicetur, armis occupante. *Diar. Eur. T.* 17. *in Append.* Inprimis autem exarſit illud menſe Jul. anno 1668. cum Elector conducto haud exiguo militum numero, qui poſt pacem in Belgio inter Hiſpaniæ Galliæque Reges factam, a Rege Galliæ & partim etiam a Ducibus Lüneburg. dimiſſi fuerant, exercituque ita ſeptem vel 8000. confecto adverſus Lotharingiæ D. movit. Cauſa ab Electore prætendebatur, quod Dux loca in bello Germ. occupata & ad comites Saræpontanos pertinentia *Homburg* & *Landſtuhl*, quorum reſtitutio quidem in inſtrumento pacis Oſnabr. decreta fuerat, in illum usque diem retineret, ac per præſidiarios ſuos vicinis regionibus, earumque incolis continuis excurſionibus, & exactionibus moleſtus eſſe non deſiſteret. Vid. *lit. Elect. Pal. hac de re ad Elect. Mog. ſcriptas* & hujus *reſponſorias in D. Eur. T.* 21. *p.* 58. & *ſeqq.* Verum enim vero id conſilii non tantum in illis literis Moguntinus improbavit: ſed

(a) *pœnitentia*) *HENRICUS BREWERUS Hiſtor. decennii lib. III. c. IX. p.* 297.

(b) *vindicabat*) *Conf. acta Wildfang.* & LUNIG in act. publ. ad domum Palatinam ſpectantibus *part. ſpecial. contin. I. LONDORP.* tom. VII. VIII. IX.

ſed & alii plures Palatini in eo temeritatem accuſarunt, quod bello non neceſſario ſuas ac vicinorum ditiones involveret, cum ab imperii Ordinibus pridem decretum fuiſſet, duci pecuniæ aliqua ſumma numerata amicabili potius ratione illa loca recipere, quam novis in imperio turbis occaſionem præbere. Quorum tamen accuſationi Elector per legatos ſuos in comitiis Ratisponenſibus reſpondit. *Theatr. Europ. tom. 10. pag. 7. 8.* Ineunte Auguſto, poſt vi expugnatum ab Electore oppidum *Landſtuhl*, arceque ejus deditione capta mox etiam arx *Hobeneck* per aliquot dies oppugnata die 10. Auguſt. deditionem fecit. Sept. menſe prælium commiſſum fuit æquo fere Marte, licet Lotharingici, ſe ſuperiores & Palatinorum ad mille ducentos cæſos fuiſſe, ſcripſerint. Interfuere illi Principes Vaudimontius ducis filius & Franciſcus Maria C. de l'Islebonne ejusdem ex Guiſia domo agnatus & gener, ambo exercitus ductores: ut etiam Carolus C. ſ. marchio de Harcourt Generalis Major exercitus & alii plures præcipuæ nobilitatis ac dignitatis viri. *tom. e. p. 73. & ſeqq.* Poſt prælium ad duo millia nova auxilia Lotharingicis acceſſere, laborantibus interim pro compoſitione iſtius belli vicinis principibus: inprimis Cæſar hujus rei cauſa ambos marchiones Badenſes, Badenſem & Durlacenſem commiſſarios ſeu mediatores conſtituit: qui tamen ut interim induciæ inter partes fierent, obtinere haud ſtatim poterant: Electorque Palatinus Galliæ Regem arbitrum hujus controverſiæ elegit; Lotharingus vero Cæſarem tanquam judicem imploravit. *pag. 113. 149.* Rex accepta mediatione utriusque partis poſtulata ſcripto comprehenſa ſibi exhiberi voluit, utque dux exercitum dimitteret ac rem cum Electore pacifica ratione componi pateretur, voluit. *p. 168.*

§. 25. Decemb. menſe Cæſar miſſis novis mandatis utrique parti, ut ab omni vi hoſtili deſiſteret, iterum edixit, quibus obſecutus Palatinus ſtatim inducias per caſtra ac totam ditionem ſuam promulgavit, nec quicquam ab eo poſt deditione captam arcem *Falckenſtein*, quæ mox poſt Lotharingicorum abitum ſuppoſito & incenſo pulvere tormentario everſa fuerat, hoſtile poſthac eſt factum. Itaque ad Carolum quoque D. mediatores miſſis literis an Cæſaris mandatis parere, & ab armis ut Palatinus feciſſet diſcedere vellet, intra octiduum aperte & plane (cathegorice) ſibi ab eo reſponderi poſtularunt. *pag. 199.* Fama autem erat eum proximo vere exercitum 17000. ſub ſignis habiturum, unde Galliæ Rex tum delati ſibi a Palatino arbitrii ratione, tum quod Carolum tanto exercitu inſtructum alia quædam ſeu res novas moliturum ſuſpicaretur, Crecquio duce cum 10000. verſus Lotharingiam miſſo, denunciari juſſit Carolo, ut pacem cum Palatino admitteret, copiasque ad eum numerum, qui pacis Pyren. legibus ipſi permiſſus eſſet, reduceret. Mandatum quoque Regis a Crecquio fuit promulgatum, quo omnes e Galliæ regno oriundi præfecti militares ac milites, duci militantes, ab ejus ſignis diſcedere ſub pœna læſæ Majeſtatis jubebantur, ipſique comiti de Harcourt, ni militiæ ducis renunciaret, ne unquam in Galliam pedem referret, indictum. Cumque etiam eo tempore comes de l'Islebonne Lutetiam a duce miſſus veniſſet, Rex indicare ei fecit, ut niſi dimiſſarum vel ſtatim dimittendarum copiarum certam fidem facturus adeſſet, protinus domum ſe reciperet. Statimque pluribus copiis verſus Lotharingiam ire juſſis, ipſe etiam Rex cum alio exercitu comitantibus pluribus principibus iter illuc ingredi conſtituit. Quibus omnibus motus tandem Carolus Regis voluntati ſe obſequentem fore, & ab armis proinde diſceſſurum, promiſit: ac paulo poſt, urgente rurſus Rege, promiſſum imminuto ad normam Pyrææ pacis copiarum numero explevit. Cumque jam ante reſponſum a Carolo obtentum Palatinus quoque partim reverentia mandatorum Cæſaris, quod Rex eum contra omnem Lotharingi vim tutum ſe præſtiturum polliceretur, copias ſuas dimiſiſſet, finis ita bello huic ineunte jam anno 1669. fuit impoſitus. *tom. eod. p. 217. 218. 246. 266. 339 340.*

§. 26. Fervebat interim eod. anno 1668. & ineunte 1669. in Polonia poſt abdicationem regni a Johanne Caſimiro R. factam negotium eligendi novi Regis, interque cæteros, qui aperte regni candidatos ſe profitebantur, ducem Andegavenſem Condæi D. filium, ducem item ſ. Palatinum Neub. & filium magni D. Moſcoviæ, erat etiam Carolus Leopoldus princeps Lotharingiæ, de quo ante diximus, Nicolai Franciſci filius, pro hoc imprimis Cæſar per legatum ſuum laborabat, & Carolus patruus jam pridem ipſi reconciliatus ingentem pecuniæ ſummam in regni commodum conferendam pro eo offerebat. Vid. *D. Eur. tom. 10. pag. 118. 206. 248. 312. 372. 373. 422. 487.* Cum vero præteritis omnibus iſtis candidatis Poloni præter omnium opinionem indigenam principem Michaelem elegiſſent, Cæſar ut alia ratione Carolo Leopoldo conſuleret, Julio menſe anni hujus 1669. eum Hiſpan. Reginæ quam diligentiſſime commendavit, utque Belgii Hiſpan. gubernatio ipſi committeretur, petiit. *tom. eodem 10. pag. 550.* Ejusdem cauſam etiam patruus ejus Carolus D. Octobri menſe, nobili quodam in Hiſpaniam miſſo, a Regina petiit, ut cum inter nepotem illum ſuum & unam ex Cæſaris defuncti filiabus, vel aliam Auſtriacam matrimonii tractatus tunc agitentur, ſi perfectum illud fuerit, nepoti ſuo (perinde ut ante hac Alberto Auſtriaco qui Iſabellam infantem duxerat) plena & hæreditaria Belgii gubernatio committeretur. Quod illa tanquam rem maximi momenti ad conſilium ſe relaturam dixit. *tom. 11. pag. 153.* Cæterum utrumque iſtud conſilium pariter hactenus quidem ſucceſſu caruit. Cum vero idem Carolus princeps nunc iterum hoc anno 1674. inter candidatos regni Poloniæ nomen ſuum profiteatur, eventus ipſe brevi erit expectandus.

§. 27. Etſi autem ut jam dictum pro nepote ſuo Carolo Leopoldo, & ut illi una cum affinitate Auſtriacæ Belgii ſimul gubernationem impetraret, Carolus D. nuncium illum in Hiſpaniam miſiſſe perhiberetur, non potuit tamen effugere, quin alia longe tum de legatione illa, præſertim cum frequentia & arcana nuncius ille colloquia cum primariis aulæ Hiſpanicæ miniſtris haberet (Vid. *th. Eur. t. 11. p. 282.*) tum de omnibus aliis ducis conſiliis denuo ſuſpicaretur Rex Galliæ. Objectum etiam jam antea Majo menſe illius anni 1669. duci fuerat & Regis nomine ei indicatum, Regem frequen-

frequentia colloquia, quæ Dux cum filio conneſtablii Hiſpanici, Belgicarum tunc provinciarum Gubernatoris inſtitueret, non poſſe aliter interpretari, quam quod duci promiſſa ſua in pactis anno 1661. initis facta, quibus cautum eſſet, ne cum Hiſpanicis Belgii Gubernatoribus conſiliorum commercia inſtitueret, ſervare animus haud eſſet. Ob quam cauſam Regem conſtituiſſe præſidia ſua Caſtello & Spinello, ne ex novis illis fortalitiis damni aliquid rebus ſuis enaſceretur, imponere. *Tom. 20. pag. 486.* Auxit porro procul dubio ſiniſtras de eo opiniones, quod Aprili menſe ſequentis anni 1670. filius ducis princeps Vaudim. Viennam ad Cæſarem veniret, eique 6000. militum, quibus ipſe quidem dux futurus eſſet, offerret: quod tamen Cæſar, gratiis pro officio eo actis, non accepiſſe tunc dicebatur. *tom. 22. p. 335.* Maxime vero ducem Regi ſuſpectum & exoſum dicitur reddidiſſe, quod is ad fœdus illud triplex (vulgo Triple-allianz) quod ad ſiſtendos Galliæ Regis adverſus Hiſpanos progreſſus inter Hiſpaniæ Angliæ Sueciæque Reges & Belgas fœderatos factum, acceſſerit. Quicquid vero horum ſit, cum Rex Galliæ jam ab aliquot menſibus magnos apparatus bellicos feciſſet, & nunc ſub itineris ſpecie in Belgicas urbes, nupero bello Hiſpanis ereptas, copias ſuas duxiſſet, nunc reductis iis, aliis bellum minari videretur, tandem quid conſilii hactenus agitaſſet, Auguſto menſe anni hujus 1670. manifeſtum fecit. Tunc enim primo nobiles quidam ſeu primariæ dignitatis præfecti militares Gallici ad Carolum D. Nancejum velut honoris cauſa illum inviſuri venerunt, comiter ab eo excepti & omni honoris illis convenientis genere affecti: dum vero cum illis hilariter viveret, literas accepit ab amicis Lutetia miſſas, quibus monebatur, caveret ſibi, conſtituiſſe enim Regem in poteſtatem ſuam ipſum redigere. Itaque ſtatim ſequenti nocte ipſe cum filio principe Vaudim. & genero C. de l'Islebonne *clam* (a) inde Spinallum & porro Veſontionem ſe recepit. In mandatis illi habuiſſe dicuntur a Rege, ut ducem ſeu vivum ſeu mortuum Pariſiis adducerent: ac proinde etiam 500. equites juxta urbem vicino loco collocaſſe dicebantur. *Diar. Europ. tom. 23. p. 42. 43.* Mox (erat d. 6. (16.) Auguſti) mille quingenti equites & 500. ſclopetarii equeſtres (*Dragoner*) partim Pontem Moſſonis, partim Nancejum (ut quarum urbium pariter ac cæterarum fere omnium totius Lotharingiæ munitiones Rex ſuperioribus annis, antequam Carolo illas reſtitueret, dejici ac ſolo æquari fecerat) adierunt & Nanceji ſtatim arcem petentes, ducem ibi ſe inventuros putabant: ſed is quadrante unius horæ antea inde Spinallum ſe receperat. Sequebatur autem has copias amplus exercitus Regis ſub duce de Anguin multis ex nobilitate eum comitantibus. Paulo poſt mandatum Regis nomine per totam Lotharingiam promulgatum fuit, quo omnes ſubditi relicto duce Carolo Regem dominum ac protectorem ſuum agnoſcere, ſub pœna amiſſionis bonorum, omnes item nobiles barones ac comites ſub bonorum ac vitæ jactura huic mandato parere, ac milites denique præfectique militares in ſuas quisque ſtationes ſe recipere, & Regis militiam deinceps ſub comminatione ſuſpendii ſequi jubebantur. Cum de ſubita ac violenta hac Galliæ Regis impreſſione Dux apud Cæſarem & Ordines imperii conqueſtus eſſet, Rex eo cognito has cauſas facti ſui promulgavit: 1) quod dux contra pacis Pyr. leges plures militum copias clam aluiſſet, utque eo occultius fieret, partem earum juxta ſuam ditionem habuerit collocatam. 2) quod contra ejusdem pacis leges diverſa loca ditionis ſuæ (quorum munimenta Rex deſtrui curaverat) rurſus munierit. 3) quod ſine præſcitu Regis fœdera cum aliis feciſſet. 4) quod quosdam maleficos ex Regis territorio vi abripi juſſiſſet, re præfectis Regiis non prius indicata. 5) quod palos, quos Rex in finibus Alſatiæ erigi, ac regiis inſignibus inſigniri fecerat, dejeciſſet. 6) quod impoſitis novis vectigalibus, & interdicto ad ſubditos ſuos emiſſo communia illorum cum regiis ſubditis in Metenſi, Tullenſi ac Virdunenſi ditione commercia ſuſtuliſſet. *T. eod. 23. p. 70. 71. 72.* Rex etiam ut invidiam occupati ita a ſe ducatus & ejecti ducis adhuc magis a ſe averteret, ſorori ejus ducis Aurel. viduæ, quæ Lutetiæ erat, indicari fecit, non ideo expeditionem illam abs ſe ſuſceptam eſſe, ut ſibi provinciam eam vindicaret, ſed eam ſe Carolo Leopoldo Lothar. principi tradere conſtituiſſe; quandoquidem Carolus D. homo inconſideratus & temerarius tam male & contra datam fidem ſeſe gerens, regiam patientiam toties lædendo in furorem tandem convertiſſet. Viennam quoque curſorem cum literis ad legatum ſuum miſit, ut ille Cæſari cauſas hujus irruptionis exponeret, & ſimul Carolo principi, qui in aula Cæſaris tum morabatur, ducatum offerret. *p. 71. 90.*

§. 28. Statim poſt factam illam Gallorum irruptionem dux, ceu jam innuimus, ordinibus imperii in comitiis Ratisb. per legatum ſuum indicari fecit, conſiliumque & celerem eorum opem petiit. Cui quidem tunc ab epiſcopo Aichſtedenſi, qui Cæſaris nomine comitiis præerat, reſponſum fecit, mirum videri, quod dux nunc ab imperio conſilium auxiliumque petat, cum tamen nunc harum nunc aliarum ſit partium, imperiumque ſuis copiis ſubinde infeſtarit. Neque ejus decretis reſtituendis ſæpius memoratis locis paruerit, aut portionem ſuam collectarum imperii (*des Römer Zuges*) perſolverit: velle tamen ſe petitionem ejus ad ordines imperii referre. *Tom. 23. pag. 41.* Et ſane ut loca illa, de quibus ſæpius diximus, comitibus Saræpontanis reſtitueret, tot jam annis fruſtra cum eo actum fuerat: inque iisdem comitiis adhuc anno 1669. legatus ejus pro ſolius arcis (*Homburg*) reſtitutione 200000. imperialium duci perſolvi poſtularat. *tom. 21. p. 120.* Cæterum ad ſcriptum, quod Lotharingicus legatus de vi domino ſuo a Galliæ Rege illata, Ordinibus imperii exhibuerat, Gallicus, qui pariter Ratisbonæ hærebat legatus alio ſcripto reſpondit, quo pluribus illæ cauſæ, quas a Rege promulgatas antea diximus, adjectis etiam aliis, fuere expoſitæ, cui viciſſim

(a) *clam*) *Theatrum Europæum tom. X. pag. 346.* **BREWERI** *hiſtor. decenn. lib. III. cap. 9.* **VALCKNIER** *verwirretes Europa part. II. pag. 78.*

viciſſim Lotharingiæ Ducis nomine alia ſcriptura reſponſum, rurſusque poſtea mutuæ ejusmodi ſcripturæ Ordinibus fuere exhibitæ, quæ omnia una cum aliis ad hanc rem pertinentibus legi poſſunt in *diar. Eur. app. T. 22.* item *T. 23. p. 124. ſeq.* Menſe Septembri Crecquius Dux cum Gallico exercitu Spinallum obſedit, cumque per aliquot dies fortiter a præſidiariis defenſum eſſet, tandem ad deditionem illi arbitrio victoris faciendam ſunt compulſi. Qui ultra duci permiſſum numerum Galli in ea ſunt deprehenſi partim in patibulum acti, partim ad triremes damnati ſunt. Eodem modo etiam, qui ex ſubditorum delectu erant, ibi fuerunt tractati. Inde Caſtellum ad Moſam & alia loca, deditionem facientibus præfectis, ab eodem Crecquio ſunt occupata. Metuebatur etiam in Alſatiam & vicina Germaniæ loca Gallorum irruptio licet Rex ad Principes & Ordines Rhenenſis tractus ſemel iterumque datis literis nihil a ſe imperio aut ulli illorum metuendum eſſe, conteſtatus eſſet. Bitſchenſis arx in Alſatiæ finibus præſidio Lotharingico tenebatur, quo plurimi etiam ſubditorum & nobilium ex Lotharingia ſe receperant. Ne itaque adverſus illum Galli aliquid conarentur, Principis Vaud. conjux literas ad Regem dedit, quibus arcem eam a marito dotalitii nomine ſibi conceſſam eſſe ſcribebat, ac proinde cum ea juxta Lotharingiæ ducatum in imperii finibus ſita eſſet, ut ei parceretur, petebat, portas ejus adventantibus aut tranſituris Regis copiis ſemper patentes fore, pollicita. Vid. de his *T. c. 23. p. 89.* 102. 103. 104. 136.

§. 29. Dum ita omnia armis ac vi aperta in Lotharingia gerebantur, interim etiam amicabili ratione Naſſovienſes comites comitatum *Saarwerden* & præfecturam *Herwiezheim*, de quibus ſupra diximus, concedente tandem duce, per commiſſarios Cæſareos receperunt. Etenim Decembr. menſe anni ſuperioris 69. inter Imperii Ordines & legatum ducis in comitiis Ratisbonenſibus hac de re transactum erat, & decretum de ea factum, executioque ejus Electori Trev. & Georg. Wilhelmo Duci Brunſv. & Lun. tanquam commiſſariis Cæſareis commiſſa, qui nunc Duce jam Lotharingia a Gallis ejecto, menſe Octobri 1670. per legatos ſuos decretum illud executi ſunt; & poſtquam a ducis ſubdelegatis ſubditi jurejurando, quo duci ſe obſtrinxerant, ſoluti eſſent, comites Naſſovios, quorum quinque ibi præſentes in poſſesſionem miſerant. *T. c. 23. p. 130. & ſeqq.* Vid. etiam *p. 180. 81. 83. & ſeqq.* Reſtabant autem arces Homburg & *Bitſch*, quas Dux donec ipſi ſatisfactionis dudum prætenſæ loco promiſſa ab Ordinibus Imperii 140000. thal. perſolverentur, pignoris loco adhuc retinebat. Has vero cum Crecquium marſchallum nomine Galliæ Regis aggredi, ac ut reliquas ducis ditiones occupare velle fama ſeq. anno 71. percrebuiſſet, Cæſar. 7. Apr. ejus anni ſcriptis ad electores Mogunt. Trev. & Sax. literis negotium illis dedit, ut ad avertendum a finibus imperii periculum ſine mora arces iſtas in ſequeſtrum accipiant, ſuisque præſidiis occupatas ſervent, donec duci ſumma iſta ab Ordinibus Imperii perſolveretur, in quod etiam ipſe Dux Carolus ita conſenſiſſet. *Eod. 23. p. 440. 441. 442.* Protracta tamen illa res fuit usque in Aug. menſem, quo tandem educto præſidio ſuo dux illas arces in manus Electoris Trevirenſis tradi curavit, qui una cum capitulo Trev. illi viciſſim cavit de illis 140000. ab Ordinibus Imperii intra annum ei perſolvendis *T. 24. p. 517. 518.* Atque ita tandem moleſtia illa imperium fuit liberatum.

§. 30. Ut autem ad priorem annum ipſiusque Caroli res revertamur, ille Gallorum manibus, ceu ante dictum, elapſus, Veſontione Limburgum abiit, quo etiam filius ejus Princeps Vaudemontius cum maxima pecunia Baſileæ accepta (ubi ut & Venetiis ac aliis in urbibus Dux ingentes pecuniæ ſummas habebat depoſitas *T. 23. p. 89.*) ut & Princeps Carolus Leopoldus Vienna profectus, qui tamen paulo poſt illuc rediit, ad eum venere. Moguntiam etiam profectus, ab Electore petiit, ut vi pacti cum eo initi, juxta quod ipſe illi ad Erfurtum in poteſtatem redigendum 4000. militum auxilio miſiſſet, Elector viciſſim nunc ſibi totidem auxilio concederet; ſed Elector nihil aliud quam de eo ſe cogitaturum reſpondit. *T. 23. pag. 183.* Cæſar vero ejus cauſa comitem de *Windiſchgräz* in Galliam ad Regem miſit, ut ejus reſtitutionem urgeret, qui Decembr. menſe a Rege auditus, poſt aliquot dierum cum Lionnæo March. colloquia, primum hoc reſponſi tulit, petere Regem ab Imperatore, ne ſe huic negotio immiſceat, Lotharingiam propterea abs ſe occupatam, ut ſatisfactionem a duce obtineat, poſtea vero novis mandatis a Cæſare acceptis comes percontari juſſus eſt, cui ex domo Lothar. Rex ducatum velit reddere, ſiquidem omnino fixum illi eſſet animo, Carolo Duci ob commiſſa ejus adverſus regnum Galliæ nolle reſtituere. Cum vero Regem quidem Carolo Leopoldo Principi illum velle concedere, ſed non niſi gravibus conditionibus, & præſtito prius coronæ Galliæ homagio, cognoviſſet, re infecta Viennam rediit. *T. 23. p. 187. 230. 305. 306. 349. T. 4. p. 107.*

§. 31. In ducatu interim Lotharingico nobilitas ad præſtandum Regi homagium citabatur, & omnia judicia ſuprema abolita appellationesque ad Parlamentum Metenſe fieri juſſæ. Cumque inter documenta in archivis Lotharingicis reperta quædam archiepiſcopatum Trevirenſem ante 500. annos ſub protectione Ducum Lothar. fuiſſe fidem facere viſa eſſent, Crecquius Dux ejus juris in Regem jam translati poſtulavit a civitate Trevirenſi, ut præſidium Gallicum reciperet *T. 23. pag. 229. 376.* Ipſi vero Carolo Duci agnati ejus vel conſanguinei in Gallia degentes ſuaſerant, ut Regi ſe ſubmitteret & pro Lotharingia alias ditiones cum ſupremo imperii jure acciperet. Sed is rejectis his conditionibus armis fortunam adverſus Galliæ Regem experiri ſtatuit ſchedasque typis excuſas per Lotharingiam ſpargi curavit, quibus omnes, cujuscunque ordinis incolas, ut ad ſe accederent hortabatur, omnia lauta ac ſplendida illis pollicitus *p. 229.* *Coloniam* (a) poſtea una cum

(a) *Coloniam*) BROWERVS *lib. III. c. 9. p. 303.*

cum filio ac genero ſe contulit, ubi ab Egone Furſtenbergio epiſcopo Argentin. qui tamen jam Gall. Regi una cum fratre Wilhelmo erat addictiſſimus, ſplendido convivio exceptus fuit, qui etiam ædes decani *die Dechentey*, proinde ut Elector alias in eadem urbe ſitas ædes ipſi habitandas obtulit. Miſerat circa id quidem tempus etiam copias trium ut appellant legionum ad epiſcopum Monaſter. tunc adverſus duces Brunſv. bellum, ut videri volebat, apparantem, qui tamen jam occultum adverſus Belgii Ordines fœderatos cum Galliæ Rege fœdus inierat, unde cum eodem tempore ab iisdem Ordinibus etiam auxilia Dux peteret, illi inconſtantia ejus offenſi, quam fida ſibi ejus futura foret ſocietas, non leviter addubitarunt. *T. 23. p. 263. 366.* Cum jam certum eſſet, Galliæ Regem bellum fœderatis Belgii Ordinibus illaturum, eique etiam Hiſp. Regem implicitum iri, nemini eſſet dubium, Carolus Dux filium ſuum Bruxellas ad Belgii Gubernat. Hiſp. Com. de Monteseg. miſit, cum comitatu bis mille equitum, ubi ſplendidiſſime exceptus fuit. *Diar. Eur. T. 25. p. 647.* Ibi procul dubio de armis contra Gallos ſociandis tractatus inter eos ſunt inſtituti, quod & eventus poſtea docuit, dum expeditione ab El. Brandenb. contra Gallos menſe Sept. illius anni ſuſcepta, cui etiam Cæſaris aliquæ copiæ acceſſere, ipſe Dux Carolus Halberſtadium ad Electorem venit, deque armorum ſocietate inter eos actum fuit. Et ut omnibus notum eſt, idem firmo jam non tantum cum Cæſare atque Hiſpaniæ Rege, ſed & fœderatis Belgii Ordinibus fœdere inito ſup. an. 1673. copias ſuas cum Cæſareanis, Colonienſem diœceſin ingreſſuris conjunxit, Bonnæque obſidioni adfuit, interque alias pacis inter Belgii Ordines cæteroſque fœderatos ac Galliæ Regem componendæ remoras ac difficultates haud minima fuit, quoniam illi ulteriores tractatus admittere recuſarunt, niſi Lothar. quoque ducis legatis pariter locus in iis & futura pacificatione concedatur, duxque adeo poſtea ſuis ditionibus reſtituatur.

§. 32. Antequam hanc tractationem abſolvamus alia adhuc quædam de eo ejusque rebus in ſup. prætermiſſa adjiciemus. De Barri ducatu ſæpius antea mentio eſt facta, quod illum Galli regno ſuo tanquam ejus feudum vindicare conentur, contra alii illum Germanici Imperii beneficium eſſe contendant, quæ *controverſia* (a) inprimis acriter diſputata anno 1649. & ſeqq. inter *CHIFLETIVM in comment. Lothar.* & *BLONDELLVM in oppoſito illi Barro Campano Francico*, quorum ille pro Imperio, hic pro Galliæ regno pugnat. Cæterum diſtinctione hic utendum eſt tum temporum, tum ditionum. Et antiquis quidem temporibus ipſum Barrum caſtrum & oppidum cum adjuncto comitatu, ad regnum Lotharing. & ex eo ad Germanicum Imperium pertinuiſſe, ſatis evidenter evincunt ea, quæ a Chifletio libri cit. capitibus prioribus & in libr. de finibus Imperii cap. 7. afferuntur. Quomodo vero anno 1301. Henricus Barri caſtrum cum adjuncta caſtellania ſive dynaſtia feudum Regis facere coactus, ex eoque tempore illud caſtrum cum dynaſtia iſta aliisque nonnullis pauciſſimis per ſequentia tempora ſemper a Galliæ Regibus pro feudo ipſorum, ducesque Barri ſequentes propterea pro vaſallis eorum habiti, cætera vero, quæ aliunde vel a Barri Ducibus, vel poſtquam ad Lotharingos Barri ducatus pervenit, ditioni illi ſunt adjuncta, & in unum principatum quaſi compacta (prout hodie plurimæ dynaſtiæ & præfecturæ, quarum quædam expreſſe in inveſtituræ diplomatibus ab Imperatoribus Lotharingiæ Ducibus conceſſis & ſupra a nobis allegatis memorata extant, Barrenſi tamen ducatui nunc annumerantur) a Galliæ Regibus non aſſerta, aut pro feudis eorum fuerint habita, atque adeo ut nec integer ducatus, prout hodie ex diverſis computatur Germanici ſive imperialis juris, ita nec totus Gallici juris ſit dicendus.

§. 33. Filios Carolus ex altera uxore (nam ex priore ab eo repudiata Nicolæa nullos ſuſcepiſſe pridem diximus) duos procreaſſe vid. *in hiſt. pac. Pyr. p. 69.* Sed unus tantum ab aliis memoratur, & præter hunc filia Anna, quæ nupſit Auguſto Lud. vel rectius Franciſco Mariæ C. de L'Islebonne. Filius vero cui Carolus Henricus nomen, cum vivente adhuc priore legitima patris uxore natus eſſet, a ſucceſſione quidem ducatus (ut antea itidem jam indicavimus, & legitimum ducatus hæredem ab ipſo Carolo pronunciatum diximus fratris filium Carolum Leopoldum) excluſus Principis tamen Vaudimontii titulo afficitur, & anno 1669. ſplendidas nuptias celebravit, cum - - - - - - - - - Ellebovia ex Guiſiana domo prognata, ceu id refertur in *diar. Eur. T. 20. p. 446. 1663.* & 64. auxiliis Electori Moguntino ad obſidionem Erfurti a patre miſſis & poſtea in bello contra Palatinum 1665. & 68. copiis paternis præfuit. Hodie vero una cum patre bello adverſus Galliæ Regem pro recuperanda Lothar. navat operam, dum interim patruelis Carolus Leopoldus Viennæ vel in finibus Poloniæ comitiorum illius regni eligendo Regi indictorum præſtolatur eventum.

CAPVT VI.

De Guiſianæ domus in Gallia lineis ac ſingularum propagatione, item de inſigniis ducatus ac Ducum Lotharingiæ.

§. 1. Claudium Renati II. Lotharingiæ Ducis filium natu minorem Antonii D. fratrem aſſignatis ipſi a patre ditionibus in Galliæ regno ſitis, ſedem fortunarum ibi conſtituiſſe, ac Guiſe Ducem paremque Franciæ creatum, ejusque poſteros ſummum in eo regno potentiæ culmen ipſumque etiam regnum affectaſſe in ſuperioribus eſt expoſitum, quorum ſeriem nunc breviter repetitam porro ad noſtra usque tempora perducemus. Per 3. autem Claudii filios (præter eos nempe,

(a) *controverſia*) Vid. quæ de ea ad libr. de finibus imperii diximus.

qui ſacri ex iis ordinis ac duo ex iis etiam card. fuere) totidem etiam lineæ ſunt propagatæ, in unaquaq; earum ſemper parentis dignitate ac titulo more Galliæ uſitato penes primogenitum tantum permanente. Singulas autem lineas, & quæ ex iis defecerint, quæque ad magnam ætatem perdurarint, & qui in iis hoc numero ſec. inprimis claruerint verbo tantum referemus. Fuit autem ex iis natu maximus Franciſcus ac proinde Guiſe dux poſt patrem nominatus: primus una cum fratre Carolo cardin. turbarum illarum, quas itidem antea expoſuimus, in Galliæ regno autor & incenſor. Hujus 3. inprimis celebres fuere filii Henricus poſt patris obitum Guiſii nominis & principatus hæres: & hujus frater Ludovicus card. ambo majorum adhuc in Gallia motuum concitatores, ac juſſu Henrici III. Galliæ R. tandem anno 1588. occiſi. Tertius fuit Carolus dux Meduanius ſeu Mainius, qui principatum ſuum filio Henrico reliquit, unde rurſus nova linea ducum Meduanii exorta, a Carolo hoc deſcendens, quæ tamen Henrico Caroli filio ſine liberis defuncto, poſtea rurſus defecit: *Henrici* (a) vero Guiſii filii præter alios Ludovicum nempe card. & duos alios equites Melitenſes, memorandi nobis ſunt duo Carolus Guiſe dux poſt patrem, & Claudius novo titulo dux Capruſii (Chevreuſe) dictus, qui tamen ſine liberis maſculis anno 1657. defunctus lineam ac titulum ab ſe cœptum ipſe terminavit. Carolus vero Guiſius ſolus ex Franciſci ſtirpe generis ſui propagator cum adhuc adoleſcens eſſet, & pridem patre occiſo ab Henrico III. Rege in cuſtodiam datus, ex eaque porro elapſus, a factioſis Rex Galliæ contra Henricum IV. electus, ſed poſtea ei reconciliatus, Provinciæ gubernator factus eſt. Aulæ etiam Regiæ præfectus ac primario poſt ſanguinis principes loco. Poſt obitum Henrici IV. novis contentionibus & motibus inter Henrici viduam, quæ tutelam filii Ludovici ſuſceperat, ac rerum regni adminiſtrationem ſibi depoſcebat, ac principes ſanguinis exortis, Guiſius medius fere initio poſt a Reginæ partibus ſtetit. De quibus motibus ac Guiſii tunc geſtis legi poteſt continuator *THVANI l. 7. 8. 9. 10.* Caroli Guiſii anno 1640. defuncti filii hic indicandi veniunt Henricus D. Guiſe & Ludovicus dux Joyenſis. In *theatr. Europ. tom. 4. p. 805.* narratur, quod Henricus cum anno 1641. (procul dubio agnati ſui Caroli Loth. D. ſuaſu, cum is pacta illa cum Rege ex coactione ac metu anno illo inita, ſupra c. 5. n. 8. 9. a nobis relata, poſtea revocaſſet, ut in communi familiæ ſuæ eorundem conſiliorum particeps) Regem offendiſſet, iram ac vindictam ejus metuens ad Hiſpanos in Belgium ſe receperit, a quibus tamen, cum non magni ſe æſtimari cerneret, Bruxellis Leodium transgreſſus, Cæſari operam ſuam in bello obtulit: ſed cum neque ab illo fidei ipſius multum tribueretur, & ipſe vanis Hiſpanorum promiſſis diu ſuſpenſus, ex inopia equos ac currum ſuum vendere coactus eſſet, ad Galliæ Regem ſupplices literas dedit; verum & illæ a Rege primum rejectæ ſunt; tandem vero amicorum opera ei reconciliatus in Galliam & ad dignitates officiaque ſua rediit. Commiſſa ipſi fuerat rei maritimæ præfectura, omniumque portuum Galliæ inſpectio. *T. eod. 6. pag. 796.* Cum itaque anno 1647. immanis illa ſeditio in urbe ac regno Neapolitano contra Hiſpanum Proregem exorta eſſet, Galliæ R. eam fovere cupiens Henricum ducem Guiſium cum *claſſe* (b) Neapolin ire juſſit, qui & ipſe cupide illam expeditionem ſuſcepit, ſperans ex antiqua Lotharingicæ domus in regnum illud prætenſione factioſorum opera illo ſe potiturum: Et initio quidem a Neapolitanis receptus, ac dux belli contra Hiſpanos factus eſt, mox etiam principatu ei a plebe delato ad eum modum, quo Auraniæ princeps in Belgio rerum bellicarum terra marique adminiſtrationi eſt præfectus: ſed cum poſtea, ſedata ab Hiſpanico Prorege ſeditione, plerique civium ac procerum ad officium rediiſſent, Guiſius ab omnibus deſertus cum aliis Gallis in fuga, dum Romam terreſtri itinere recipere ſe conaretur, captus, ac per aliquot annos in captivitate *detentus* (c) fuit. *Theatr. Europ. tom. 6. p. 364. 365.* usque 368. Anno 1654. iterum cum claſſe ex portu Thulonienſi ſolvens Neapolin perrexit, arcemque ad urbem Caſtellamaro & aliqua oppida expugnavit ſeu deditione cepit; ſed repulſus ac in naves recipere ſe coactus, cum mox etiam tempeſtate claſſis diſperſa eſſet, in Galliam re infecta *rediit*, (d) ac ad Regem veniens de infelici expeditionis ſucceſſu ſe excuſavit, novaque auxilia & alia neceſſaria ad illam iterandam ab eo petiit, quæ tamen Rex ei denegavit. *Tom. 7. pag. 599. 601. 602. 731.* Obiit Henricus dux Guiſius anno 1664. ut in *diar. Europ.* annotatur, & cum liberis careret, terræ ejus ad ducis Joyeuſæ, qui anno 1654. deceſſerat, filium Joſephum Ludovicum pervenerunt, qui tamen etſi nomen non exprimatur in *diar. Europ. tom. 24. p. 255. ad 1671.* menſe Julio obiiſſe refertur anno ætatis 19. *relicto filio* (e) & uxore gravida.

§. 2. Alter ex Claudii Guiſii filiis qui familiam propagarunt fuit Claudius D. Aumaliæ ab altero patris principatu ita dictus. Hic fratris Franciſci & Caroli card. partium & conſiliorum particeps ac propugnator anno 1573. in bello contra Proteſtantes occubuit: colubrinæ ictu in obſidione Rupellarum diſcerptus. *THVAN. l. 56. p. 24.* Fratribus autem ante ipſum defunctis, reliquit duos filios Carolum paterni principatus ac tituli hæredem, & Claudium equitem Melitenſem anno 1591. defunctum. Carolus cum una cum cæteris agnatis Henrico IV. Regi jam Pontificiam religionem amplexo, & ab omnibus fere pro legitimo Rege agnito pertinacius, ac diutius adverſaretur, a Parlamento Pariſienſi tanquam perduellis proſcriptus & publice ſententia in eum lata, ejusque effigies

(a) *Henrici*) Vid. *IMHOF. geneal. Francic. l. 37.*
(b) *claſſe*) Ille ſcaphæ exili ſe ſuamque commiſit futuram.
(c) *detentus*) In Hiſpaniam captivus abductus.
(d) *rediit*) *GALOTTI hiſtoria delle guerre d' Europa parte I. libr. III.*
(e) *relicto filio*) Hoc in tenera ætate vita functo, Maria, Mademoiſelle de Guiſe dicta, avi ejus ſoror in ampliſſimas familiæ poſſeſſiones ſucceſſit. Hæc Guiſiæ ducatum anno 1684. Harcurtii principi gentili ſuo venditionis titulo contradidit.

gies ignominioſe per vicos tracta fuit, ipſe in exilio poſtea Bruxellis vixit, una cum filio Carolo, quo ſine liberis ibi defuncto, Claudii Aumalii linea eſt extincta. Filia vero ejus Anna hæres ducatus Aumaliæ Henrico de Sabaudia D. Nemoroſio (de Nemours) nupta, ducatum illum a Lotharingica ſive Guiſianorum familia in Sabaudicam ſeu Nemoroſiam tranſtulit.

§. 3. Tertius ex ante indicatis Claudii Guiſiæ D. filiis, a quibus familia fuit propagata, Renatus marchio de Elboeuf uxorem duxit Louyſam Claudii comitis de Harcourt filiam, cujus jure, extincta maſcula comitum horum ſtirpe, comitatus illius ditio ac nomen in Elleboviam hanc lineam tranſiit. Filius ejus Carolus D. Elleb. anno 1605. defunctus duos reliquit filios Carolum D. de Elleboeuf & Henricum C. de Harcourt, qui ambo pluribus relictis liberis numeroſæ poſteritatis hodie florentis progenitores extitere. Carolus D. Elleb. anno 1643. ob conſpirationem cum aliis principibus contra cardinalem Mazerinum factam una cum cæteris ex aula regia relegatus, narratur in *theatr. Eur. tom. 5. p. 140.* Deinde iterum anno 1649. pro Parlamento & ſanguinis aliisque principibus contra eundem cardinalem & regem ſtetit. *tom. 6. p. 896.* Deinde ad Regias partes reverſus anno 1651. in Belgio ab Hiſpanis & Condæo principe victus fuit. Celebrior rebus bello geſtis ac dignitatibus fuit frater ejus Henricus C. de Harcourt Generalis regii exercitus in Picardia contra Hiſpanos. Inde Prorex Cataloniæ anno 1644. factus, præclare provinciam victis Hiſpanis & oppreſſis factioſis adminiſtravit. *tom. 5. p. 751. 754. 782. 800. 803. 829. 1025. 1061. 1262.* Ex qua tamen provincia ob querelas provincialium ſe dimitti petiit anno 1647. *p. 1328.* Anno 1649. Gubernator ſuperioris & inferioris Alſatiæ (quæ per pacem Monaſt. jam Regi relicta fuerat, conſtitutus in Belgio tamen ſimul bello contra Hiſpanos præfuit, ubi Yperas obſeſſas liberare fruſtra conatus fuit, moxque in locum Condæi principis ſummus dux ſeu Generaliſſimus Regii exercitus deſignatus. *tom. 6. p. 392. 994.* Exorta interim principum contra Mazarinum ac regem conſpiratione illa, dux Regis nomine contra principes miſſus Normanniam Regi vindicavit *pag. 900.* & contra Condæum in Belgio bellum adminiſtravit anno 1651. *tom. 7. p. 50. 53. 186.* Obiit vero anno 1666. Caroli Ellebovii an. 1657. defuncti filii ſunt Carolus D. Elleboeufius, qui ex duobus uxoribus itidem plures ſuſcepit liberos, ex quibus Carolus princeps de Elboeuf & alii porro utriusque ſexus. Et 2. Franciſcus Maria C. ſeu princeps de L'Islebonne, quem Annam Caroli Lothar. D. filiam ex altera ejus conjuge natam duxiſſe & copiis ejus præfuiſſe, ac jam cum ſocero Lotharingia ejectum ante diximus: ex qua ille Carolum filium 1664. natum & aliquot filias ſuſcepit. Henricus autem princeps de Harcourt ſuſceptis 6. filiis in tabula Rittershuſ. memoratis, ex duobus illorum nepotes quoque vivus adhuc vidit, & ex majore quidem natu Carolo principe de Harcourt nati 1. Alphonſus Henricus Carolus C. de Montlaur dictus, qui jam & ipſe uxorem habet, ac 2. Cæſar Chevalier de Harcourt dictus. Ex altero vero Ludovico Armagnaco genitus Henricus C. de Brioinne. Cæterum de his omnibus exactiora nunc tradere aut inquirere, inſtituti noſtri ratio haud patitur, quæ quilibet deinceps, prout in hiſtoria Gallica aut novis genealogiarum *deſcriptionibus* (a) ea occurrent, poterit adjicere.

§. 4. Coronidis loco de *inſignibus* (b) ducatus Lotharingiæ & aliorum principatuum, prout ea ab hodierno duce Carolo uſurpata exhibet in fronte commentarii Lothar. CHIFLETIVS ex ejusd. expoſitione quam c. 23. illius tractatus ſubjunxit, & integram quoque *LIMNÆVS tom. 5. addit. ad l. 5. cap. 11.* exſcripſit, aliqua adhuc adjiciemus. Et ipſius quidem Lotharingici ducatus inſigne ab omni memoria fuit ſcutum aureum baltheo exornatum coccineo dextro, ut CHIFLETIVS loquitur: in aureo ſcuto baltheus ſeu tænia rubra a ſiniſtro ſcuti angulo ſuperiore oblique verſus dextrum inferiorem ejus ambitum deſcendens, cui quidem baltheo impreſſæ 3. aquilulæ (alciones etiam vocat. CHIFLETIVS genus avium, aiglerons) argenteæ. Olim 3. delphinos in campo albo DD. Lothar. fuiſſe inſigne ex *VLYSS. ALDROV. Ornithol.* refert *HOPPING de jure inſign. c. 6. p. 5. §. 15.* qui poſtea in 3. alites fuerunt commutati, ex occaſione & cauſa, quod Godofridus Bullionæus primus poſtea R. Hieroſol. in obſidione illius urbis in turrem Davidicam ſagittam jaculatus 3. alites transfixerit; ex quo tempore Lothar. duces hoc transfixorum alitum inſigni in hunc usque diem religioſe utuntur, ceu idem Hopping ex *Paradino* (c) refert, & narratur etiam ab *HENNING. in gen. P. 1. p. 80.* Sed perperam Loth. inf. quæ fere tota Brabantinum nunc ducatum conſtituit, duces, ex quibus fuit Godofridus ille de Bouillon, cum ſuperioris Lotharingiæ ducibus confundi aut pro progenitoribus ſeu ſtirpe maſculina Lothar. vulgo haberi ſupra indicavimus. Aliam longe antiquiorem trium iſtarum aquilarum in inſignibus familiæ Lotharingicæ originem ibidem porro commemorat HOPPING ex *WOLFFG. LAZII commentar. in genealog. Auſtriac. l. 1. cap. 2. pag. 30. 42. 47.*

§. 5. Poſt Lotharingicum inſigne proxime ſpectandum Barrenſe ſive Barri ducatus, ut cujus titulum etiam Lotharingico conjunctum uſurpant hodierni duces & qui alteram etiam ditionis illorum partem conſtituit. De hoc verba tantum adſcribemus CHIFLETII: *antiquiores*, ait, *Barri comites de ſtirpe maſculina comitum Montionis & Montis Belsardi (Pont Mouſſon & Mompelgardum) præferebant multos barbatos binos aureos dorſis obverſos in ſcuto cæruleo, donec Renatus I. C. in Syriam profectus anno 1147. adjecit aureas cruces in ſpicam mucronatas, aliisque terminatas cruciculis incerto numero parma impreſſas.*

§. 6. Lo-

(a) *deſcriptionibus*) IMHOF *l. c. l. 38. p. 88.* HVBNER *part. 1. tab. 283. 284.*

(b) *inſignibus*) SPENER. *oper. Herald. part. 2. lib. I. c. 58.*

(c) *Paradino*) Vid. *Deviſes heroiques de Paradin. p. 88.*

§. 6. Lotharingicum inſigne, quod ante deſcripſimus, ſolum ſive nudum (puram teſſeram Chifletius ex artis heraldicæ loquendii uſu appellat) prætulere antiquiores Loth. ſup. Duces, ut eorum ſigilla, monetas ac ſepulchra teſtari ait, usque ad Renatum II. Ducem, qui cauſa matris Jolandæ ſcutum geſtavit quadripartitum, in quo, præter ducatus Loth. teſſaram Ungarica (cauſam hujus mox addam) ſicula, item Neapolitana, inde Hieroſolymitana, porro Andegaviæ & Barri ac denique Provinciæ inſignia ſive ſymbola erant expoſita. Conſtituerat Renatus II. majorum ſuorum exemplo pura ſive ſola Lotharingiæ teſſera ſcutum ſuum deſcribere, ſed ab avo materno Renato R. Andeg. Duce præter rationem invitatus ut (relictis Lotharingicis) Andegavenſe nomen & arma ſola præferret; (procul dubio id a Renato R. tentatum ut ea ratione Renatum e filia nepotem a Lothar. jure excluderet, illudque filio ſuo Johanni ejusque poſteritati firmaret. Vid. *tab. ſup. c. 2.* in fine propoſ.) ſed junior Renatus avo cordate reſpondit, ſe paternum Lotharienſe nomen & inſignia non poſſe relinquere, quippe quæ vetuſtæ eſſent, & præcelſæ nobilitatis, libenter vero cum illis ſe Andegavenſium conjuncturum, & una geſtaturum: quod & fecit, inque ejusdem Jolandæ matris gratiam ſigilli ſui majoris aream liliis (Andegavenſis ducatus teſſera) conſperſit, ut ex *WASSENBERGIO l. 7.* refert *CHIFLETIUS.*

§. 7. Poſt Renatum II. filius ejus Antonius Philippæ matris intuitu Geldriæ ducatus, cui ex materno Geldriæ ducum genere Juliacenſia inſignia ſunt conjuncta, parmam ſcuto illi paterno quadripartitio adjecit: ex quo jam illud præter Lothar. ducatus parmulam in medio reliquarum arearum collocatam, in 8. areas diviſum, eo modo, quo initio comment. Lothar. æri inciſum a Chifletio, rudius autem ab *HENNINGESIO in Geneal. T. 4. P. I. p. 61.* exhibetur, a ſequentibus ducibus in hunc usque diem uſurpatum fuit. Eſt autem illud transverſim ſectum 4. in ſummo, totidem in imo ſcuto laterculis, ſeu areis exiſtentibus.

§. 8. Primus in ſup. parte laterculus Hungarici regni inſignibus eſt conſpicuus: quæ ex jure Regum Siciliæ ſive Neapolitanorum Andegavenſium, ex quorum familia ab anno 1289. & ſeqq. duo Carolus & Ludovicus Hungariæ Reges fuere, (Vid. *HENNING. P. 2. p. 56.*) in avum ſuum maternum Renatum I. R. devoluta Renatus II. Dux Lotharingiæ pariter cum reliquis avi titulis atque inſignibus ſibi vindicavit. Unde ſunt iſta Hungarici regni inſignia (alias etiam a diverſis Regibus diverſa fuere uſurpata, vid. *HOEPPING. de jure inſign. c. 6. claſſ. 6. p. 317.*) 8. trabes, ut vulgo loquuntur, vel ut ex artis præceptis hodierni Heraldici, teniæ transverſim collocatæ, & alternantibus coloribus albo & rubro ſive argento & minio diſtinctæ. Juxta hunc ſecundus laterculus Neapolitani regni inſignia continet, ſparſa nempe lilia franc. adjecta lambella trifida (aliquando quadrifida.) De hujus regni juribus a Renato II. D. ex avi materni Renati I. Regis hæreditate prætenſis ſupra ſatis fuit dictum. 3. Hieroſolymitani regni proponit ſymbolum crucis ſc. majoris & figuræ inſolitæ mediam partem, quæ a dextris eſt, flavam, & alteram, quæ a ſiniſtris rubeo exornatam pigmento, cum ejus coloris crucibus minoribus in utroque latere appoſitis, in clypeo ſeu area argentea picturam, ceu ex Adrigomii deſcriptione Hieroſolymæ *STUMPF. chr. Helv. lib. 1. MUNST.* & aliis deſcribit *HOEPPING. c. c. 6. P. 3. §. 2.* Cur vero hoc inter inſignia ſua habeant Lothar. a Gothofrido illo Bovillonæo cauſam arceſſunt, ceu videre eſt ap. *HOEPPING. l. c. c. 6. p. 5. §. 15.* Sed vera cauſa eſt prætenſum ab iis jus in regnum Neapolitanum, de quo jam quoque iterum diximus; cujus Reges ex eo quod Frid. II. Imp. Rex Neapolis & Siciliæ etiam Hieroſol. Rex coronatus fuerit, ſeſe etiam appellarunt Reges Hieroſolymæ, quem titulum etiam Carolus V. Imp. tanquam Rex Neapolis adhuc uſurpavit. 4. *laterculus* (a) Provinciæ comitatus teſſeram exhibet, quam ex Regis Renati avi ſui materni hereditate Renatus II. D. ſibi imprimis aſſerere laboravit, a Galliæ tamen Rege ea per vim exclusus, ceu ſupra c. 3. n. 2. ex Cominæo indicavimus. Et meminit etiam ejus Lotharingorum in Provinciam prætentionis *THUANUS l. 24. p. 490.* & *L. III. ad ann. 1594. p. 643.* Ipſa autem comitatus illius inſignia, ut apparet, ſunt trabes ſive teniæ ad perpendiculum in ſcuto aſcendentes diverſorum colorum, quas quidem, quænam ſint, inveſtigare, jam per temporis anguſtiam nobis nondum licuit.

§. 9. In inferiore parte occurrit 1. parma ſeu areæ inſignium Andegavenſis ducatus, quem pariter ad ſe ut omnem Renati Regis hæreditatem pertinere contenderunt non tantum Renatus II. Dux, prout ex teſtamento ejus ſupra memorato patet, ſed & ejus poſteri. Unde etiam cum inſignia ducatus illius ſemper retinuiſſent, etiam nomen aliquando denuo ſibi vindicare conati fuere Guiſii in Gallia, quos tamen Rex a ſuis monitus, Andinis inſignibus contentos eſſe, nomine vero abſtinere juſſit. *THUAN. l. 24. p. 490.* Sunt autem iſta inſignia lilia incerto numero per aream ſparſa. Secundo loco ibi conſpicitur ſymbolum ducatus Geldriæ *leo* (b) in lævam converſus aureus cauda duplici ſive fiſſili corona lingua & falculis aureis. De jure ac titulo Geldriæ ducum a Lotharingis ſibi vindicato ob Philippam Geldriæ D. filiam Renati uxorem ſupra c. 3. §. 5. diximus. Et quia Geldria paulo ante cum Juliacenſi ducatu conjuncta fuerat, hinc in tertio laterculo etiam Juliacenſis ducatus, ut Chifletius interpretatur, inſignia ſunt adjecta leo niger lingua rubra dentibus ac falculis (ſeu unguibus) argenteis in campo ſeu area cærulea; quamvis ſoli etiam Geldriæ binos leones tribuat *HENNING. in geneal. T. 4. P. 2. p. 373. BESOLD. Theſ. pract. voc. Wapen,* & *MEIBOM* citante *HOEPPING c. 5. n. 34.* Et ipſe Chifletius utrumque leonem Geldrenſem & Julia-

(a) 4. *laterculus*) Quatuor palis rubeis arragonicis exaratur. *CHIFLETIUM,* qui hanc teſſaram provincialem dicit, *SPENERUS* p. 231. refutat. Penes hunc vide plura de inſignibus, quibus hodie Lotharingi utuntur.

(b) *Leo*) *VREDUS in ſigillis comitum Flandriæ p. 96. 97.*

liacenſem pro Geldrenſi teſſera ſtare dicit. Ubi obiter obſervare licet, plures ac vel pleroſque Belgii principatus leones in inſignibus geſtare, Geldriam nempe binos, ceu jam dictum, ſingulos vero Hollandiam, Seelandiam, Flandriam, ducatum Brab. Juliacenſem, Montenſem &c. cujus cauſam vel occaſionem referunt in expeditionem ſacram, quam una cum Godefrido Bouill. plerique Belgii proceres ſuſcepturi concordi conſenſu variorum colorum leones in arma ſeu inſignia ſua aſſumſerunt. *MEIERUS ann. Fland. l. 6.* Vid. etiam *MEIBOM. ad A. B. Andronici.* Quarto denique loco Barrenſis ducatus emblema conſpicitur, quod ſupra jam deſcripſimus.

§. 10. Scuto imponitur caſſis diademate tortili ex auro & minio ſeu rubro colore tecta & coronata, cui inſiſtit aquila corona inſignita alis ad volatum expanſis. Quæ præterea in inſignium illorum pictura a more Germaniæ Principum diverſa apud *CHIFLETIUM* conſpiciuntur adjecta, ut palliolum ducale, telamones item ut vocant ſeu ſuſtentantes ea utrinque aquilæ cum teſſera militari, cruce nempe ex Hungariæ Regum inſignibus accepta, aliaque ea apud ipſum *CHIFLETIUM* legi poſſunt.

§. 11. Inter titulos Ducis Lothar. proxime poſt Lothar. & Barri Ducis nomina collocatur etiam Marchiſi ſeu Marchionis titulus nudus ſine adjectione alicujus ditionis: quamvis etiam mox iterato ſed adjecto ditionis nomine Marchionem Pontis montis & Nomyni ſe appellet. Cauſam hujus rei explicat ib. *CHIFLETIUS* (a) *p. 96. 97.* quod nempe Dux Lothar. ſuperioris ſeu Moſellanicæ in ipſo illo ducatu ſuo ſimul ab antiquo Marchio Imperii in limite illo Germaniam inter Galliamque fuerit habitus, & ab Imperatoribus etiam de marchia illa inveſtitus; tradito ei in manus peculiari inveſtituræ ejus ſymbolo nempe gladio. Ut enim Duces per vexillum inveſtiri olim ſolebant, ita Marchiſi per gladium. Quod exemplis etiam ibi firmat Chiflet. Unde etiam gladii Imperatori præferendi, quod alias Saxoniæ Electoris eſt officium, in Auſtraſiæ illis ditionibus jus ſibi vindicare Lotharingiæ Duces, ac propterea anno 1356. quæſtionem ſubortam inter Rudolphum Sax. D. Sacri R. Imp. Archimareſchallum & Wenceslaum Loth. & Brabant. D. ex *DINTERI Chron. l. 6. c. 17.* refert Chiflet. nec non ſigilla vetera ducum Lotharingiæ & Brabantiæ in anteriori parte Ducem cum haſta vexillifera, Ducis titulo in ambitu adſcripto, in adverſa ſive in contraſigillis ut vocantur Marchiſum cum exſerto regni enſe in dextra, & ſcuto in ſiniſtra, inſcripto ad oram titulo Marchionis Imperii, exhibentia ex *CHRISTOPH. BUTKENS trophæis Brabantinis* idem *CHIFLETIUS p. 98. ejusd. comment. Loth.* commemorat.

De bello contra Turcas prudenter gerendo libri varii, ſelecti & uno volumine editi

cura

HERMANNI CONRINGII.

Ill. & Excellentiſſ. Viro

ROBERTO GRAVELL

Chriſtianiſſimi Franciæ & Navarræ Regis in Germaniam Legato

HERMAN. CONRINGIUS

S. P. D.

SExcentos circiter annos eſt ex quo Chriſtianus orbis cum Turcarum potentia collidi cœpit. Simulac nimirum Tangrolypecis, ſive ut ſui illum vocant Togræ Selzuccii, felicibus auſpiciis Sarracenorum per Aſiam vis deſtructa, & nova ibi Turcica longe lateque patens monarchia exorta eſt, mox in novæ Romæ Imperium non minus feliciter verſa ſunt Turcarum arma. Non dubitavit quidem Europa reponere illis bellum, in ipſam Aſiam plurimis ſacris expeditionibus ſuſceptis, & ducentos propemodum annos cum armis Turcicis, circa Palæſtinam præcipue, ſucceſſu ſæpe non infauſto conflixit: tandem tamen omnia victoribus Turcis cedere coacta fuit; innumera Chriſtianorum multitudine, & ipſo flore fortiſſimorum quorumque univerſæ fere Europæ hominum, per illum longi temporis tractum, miſere perdita & abſumpta. Quamvis autem illa Turcarum prima monarchia, cum inteſtinis diſſidiis ſciſſa tum Tartarorum armis victa, fœde ad ultimum interiit: mox tamen Aladino duce ex Perſide profugi Turcarum nobiliſſimi, occupatis Iconio & Sebaſtia inclytis urbibus, novum per minorem Aſiam regnum condiderunt, & ſuperatis Græci imperii provinciis aliquot, feliciter per nonaginta circiter annos, tenuere. Oguzii quoque, alius Turcarum populus ſed vilior & hactenus in plauſtris vagus, itidem profugi, initio ob navatam ſtrenue Selzucciis gentilibus ſuis operam, prædiis & agris in Bithynia Phrygiaque donati, paulatim vicinos Chriſtianorum fines carpſerunt, ab Aladiniis denique regibus deficientibus, Oſmano duce non tantum omnem Turcarum ſuperſtitem vim, ſed antiqua gentis fortuna in ſe verſa, omnem fere minorem Aſiam in ditionem ſuam transtulere. Hoc novum Oſmanidarum regnum illud eſt, quod

(a) *CHIFLETIUS*) Vid. *SPENER lib. 1. c. 58. §. XIV.*

quod inuſitata dudum bellandi felicitate & univerſum novæ Romæ imperium, & tam multos alios Aſiæ Africæ Europæque florentiſſimos populos, victricibus armis ſuam in poteſtatem redegit; quodque centum annis amplius Germaniæ quoque intendit jugum, imo totius reliqui orbis dominatum certa ſpe animo ſuo jam tum deſpondit. Sexaginta prope annos quieverunt quidem nonnihil adverſa utrimque arma, pace licet infida ſaltim aliquatenus tamen conſtituta: nunc vero pactis conventis inſuper habitis immanis illa bellua denuo nos aggreditur. Ea res non patitur temere quenquam ſecurum eſſe: non prudentem ſane quenquam, & quo cum hoſte nobis res ſit gnarum. Et vero quod Rudolpho Auguſto Cæſare geſtum nobis cum Turca bellum ultimum fuit, majoribus noſtris minus periculi intentaverat, quod Tranſylvania omnis & Moldavia & Walachia validiſſimas copias una nobiſcum Turcæ objeciſſent, & ſic Danubius nec commeatus nec armorum quidquam Conſtantinopoli ſubmiſiſſet, ab oriente etiam Perſa tergo hoſtili imminuerit, imo haud parum illius ferociam fregiſſet jam quo tempore bellum illud geri cœptum eſt. Erant circa initia & Hungari omnes ad bellum prompti paratique: non leve profecto in victoriam momentum. Nunc adverſa omnia experimur. Illi tum ſocii jam hoſti militant: Iſter totus Osmanidæ ſervit: imbellior jam Perſa nec Turcæ facile metuendus, & dudum ibi alta pax eſt: nec terreſtribus copiis aliquid pridem damni illatum a quoquam fuit: in Hungaris poſtremo, poſteaquam eos diffidere ipſis præſidibus ſuis multiplices fecere ſacræ injuriæ, plane illæ quæ Rudolphi olim omnem victoriam corruperunt, vel exiguum vel incertum præſidium eſt collocatum. Adhoc Germania omnis diuturno bello domi exhauſta, hinc luxu inops, neutiquam priſcas vires adferre idonea eſt. Tantum vicinæ gentis periculum indubie movit Chriſtianiſſimam Regiam Majeſtatem, ad tam prompta & valida auxilia ſubmittenda & promittenda majora: ſapientiſſime ſcilicet expenſo, ſuam quoque rem agi, ardente ut ita loquar pariete proximo. Utinam parem laudem mererentur & alii, quorum haud diſpar cauſſa eſt! Nunc dum nonnulli otioſos agunt ſpectatores, alii & fovent hoſtiles impetus modo quæſtum faciant, verendum ſane, ne dum ſinguli pugnant univerſi vincantur. Enimvero in communi incendio omnes accurrere, & pro virili juvare addecet, ne ſpreta flamma vim accipiens jam adaucta eludat reſtinguentium conatus. Hac ſane de cauſſa, & ego officii mei eſſe cenſui, non ſupine me tanto in diſcrimine gerere, nec tamen cum Diogene κυνικῶς dolium volvere aliis ſerio laborantibus; quocirca, quod unum potui, ſaltim bona quæque prudentum conſilia quaſi ex tenebris in lucem & ex ſitu in uſum revocavi. Agnoſco nimirum, quam ipſe ego bellicæ artis ſim rudis; nec eam & Turcicorum & noſtrorum armorum peritiam conſecutum me, ut ipſemet conſilio meo ſuccurrere huic bello noſtro aptus ſim: itaque aliena dudum prudentiæ laudem merita producere, ſatius fore exiſtimavi, quam vel nihil vel inter Annibales Phormionem agere. Neque ego dubito, abs te etiam, excellentiſſime Legate, hoc meum inſtitutum haud improbatum iri: conſcius & ſapientiæ tuæ pariter & æquitatis. Tuo autem judicio ſi abſolvar a culpa, potero equidem quamvis aſperas aliorum voculas ſecure contemnere: tantum abeſt ut anxie mihi quærenda aliunde ſuffragia fuerint. Quin igitur Deum potius obſecro, ut quæ hoc volumine ex multo numero congeſſi, illa armis noſtris felix ſuggerant conſilium; nec noſtris ſolum ſed in univerſum omnibus, quæ ſive mari ſive terra uſquam locorum in Turcam expedienda veniunt. Et vero videor, me cum ex libellis hiſce tum quadamtenus & Veneti belli uſu didiciſſe, omnium feliciſſime Turcam mari expugnari poſſe: nulla enim parte magis eſſe debilem aut latere minus tecto. Eoque & illis maritimis armis bene conſulere utique oportet, non minus quam terreſtribus; imo his potiſſimum proſpera quæque par eſt apprecari. Hinc ſane ſoleo ego Chriſtianiſſimam Regiam Majeſtatem plurimis paſſim laudibus prædicare, quod non contenta lectiſſimum in Hungariam militem mittere, claſſe etiam inſtructiſſima Africam ipſam, illam Turcicæ piraticæ ſedem ipſam & receptaculum, aggreſſa ſit: idque non quæſtus captandi gratia, (quod mercatoria ſolent ingenia, quæ etiam a piratica iſthac lucrum exſpectant, modo ſibi videlicet haud noceat) non potentiæ ampliandæ ergo, ſed in communem Chriſtiani orbis uſum; quod vere eſt Regium, vere dignum Rege Chriſtianisſimo. Secundet Deus hoſce etiam conatus, faxitque ut proſperitate ſua ad majora audenda ſint incitamento. Sane longe maxima a LUDOVICO exſpectat orbis, poſtquam ita in illum ornandum omnigena jam tum quaſi conſpirat felicitas. Quæ inter profecto eſt & illud, ut claſſe Chriſtianisſima expugnata Conſtantini urbs deſinat eſſe quod hodie eſt impuri Mahumetis metropolis, ſed Chriſto reddita hunc ſolum rurſus impoſterum adoret ac veneretur. Quidni vero tantus Rex præſtiterit, quod Flander olim Balduinus rei modicæ & Francico regno ſubditus Princeps effecit? Quidni nunc fiat quod inevitabile ſibi eſſe, conſtituentibus ita fatis, ipſimet Turcæ ejulabundi confitentur? Deſinat in Mahumete imperium quod in Mahumete cœpit. Nemo Capetanæ familiæ Regum ad illas vires opesque hactenus aſcendit: nemo ad nutum usque adeo omnem habuit populum: nunquam milite domeſtico bellis exercito ita inſtructa Francia veſtra fuit: nunquam perinde & claſſe valuit, quin hoc unum præcipue viſum eſt hactenus Francicæ potentiæ defuiſſe. Jactentur Oceani fluctibus & vagentur in remotis, quibus unice quæſtus cordi eſt: ad Mediterranei quod vocant maris imperium oportunus ipſe ſitus Franciam quaſi evocat. Nusquam melior, nusquam expeditior, parandæ gloriæ & Chriſtiano orbi vindicando Chriſtianisſimo Principi campus patet. Hoſtis Chriſtiani nominis domi quærendus, in hoſtico vincendus eſt, ubi bellum ſeipſum alit: velut Perſas in Perſia Alexander, Pœnos in Africa & Carthagine Scipio domuit. Habeat hæc noſtra ætas LUDOVICUM MAXIMUM, ut alia PIUM, alia SANCTUM, alia SAPIENTEM, alia JUSTUM venerata eſt. Sentiant iterum Turcæ in ipſis viſceribus ſuis jam olim formidata ſibi Francorum arma: & eo feliciore quidem ſucceſſu, quo hæc bella juſtiora ſunt illis in Palæſtinam

beſtinam majorum expeditionibus. Sed quo prolabor? Hoc volebam, illuſtrisſime GRAVELLE, doceri hiſce libellis, qui non terra tantum ſed mari etiam ſuperandus ſit Turca, & quidem mari potisſimum promptam victoriam illos polliceri: idque proinde a Chriſtianisſimo Rege merito orbem Chriſtianum exſpectare. Cæterum fefellerint ne nos libelli iſti, an ſalutaria ſuaſerint, Tu quidem rectisſime omnium judicaveris, qui & rerum uſu & nativa polles prudentia. Omnium quoque optime Chriſtiani orbis de LUDOVICO REGE deſiderium & mea vota expendere poteris, quem nihil fugit etiam arcanorum Franciæ penetralium. Cumque belli ejus, quod contra Turcas in Hungaria nunc Chriſtianisſimi quoque Regis felicisſimis auxiliis geritur, cura Te tanti Regis Legatum indies occupet, utique non a munere, quo ſumma cum laude in Germania jam pridem fungeris, aliena fuerit hæc diſceptatio; imo quotidianum hoc exercitium Te indubie aptisſimum talium rerum judicem cenſoremque jam effecit. Enimvero in id præcipue Tibi præ omnibus hæc nunc publice offero, uti publice conſtet, quantum huic farragini ſit tribuendum fidei. Pauci ſcilicet ſalubria a noxiis, vana a ſeriis, recta ab iniquis norunt diſtinguere: quamvis promiſcue omnes ſibi hoc ſumant, & in vulgo credantur omnes ſapere, ſaltim illi qui a Principibus ſapere juſſi ſunt. Quæ perſuaſio ſumme tamen rebuspublicis detrimentoſa eſt: cum ſoli Tui ſimiles h. e. oppido pauci audiri jure debeant. Itaque bene profecto de communi ſalute Chriſtiani orbis mereberis, illuſtrisſime GRAVELLE, ſi quod Tu in paucis potes complures alios doceas, quid hiſce conſiliis in tam periculoſi momenti negotio tribuendum ſit. Docebis vero ſi vel abjeceris illa vel benigne exceperis, ſepoſito illo quo offerentem me pridem favore es proſequutus. Neque vero velim cenſuram tuam adeo utilem benevolentia mei flecti in mitiora: ſed æquam plane & ſinceram expeto. Alias vim affectus illius tui in me, quem & coram in aula Neſtoris noſtri Germanici AUGUSTIque heri mei, & per literas abſens aliquot jam annis exhibuiſti, expromas licet (quin imo ut pergas patrocinio me tuo complecti, etiam atque etiam rogo, perinde atque ego operam dabo, ut mea Tibi officia & debita reverentia nunquam non ſibi conſtent) nunc tamen quo ab affectu iſthoc fueris liberior eo acceptius judicium futurum eſt.

HERMANNUS CONRINGIUS
BENEVOLO LECTORI
S. P. D.

PRæclare meritus quondam eſt de republica Nicolaus Reuſnerus vir multiplici præſtans doctrina, collectis in volumina aliquot cum epiſtolis tum orationibus & diſſertationibus variis de eo quod Chriſtiano orbi cum Turcis eſt bello: quamvis non multo poſt ſumma ingratitudine nomen ejus expunctum ſit. Ea nimirum belli illius eſt gravitas, illud inde diſcrimen impendet, ut omni ſtudio excitandi ſint animi, ne per ignaviam aut ſocordiam detrimenti quidquam ſalus communis patiatur, præſertim quum error omnis damnum pariat tantum non irreparabile. Mihi tamen non eſt propoſitum, vel meo quem calamo cohortari ad arma ſtrenue gerenda, vel aliorum adhortationes nunc edere, (id enim a Reuſnero & aliis abunde actum eſt) ſed tantum nonnulla quæ mihi omnium optima ſunt viſa, de bello illo prudenter gerendo a præſtantiſſimis ſcriptoribus ſuggeſta conſilia in hoc unum volumen ſeligere. Neque vero ipſemet ego par ſum, qui hoc meopte Marte agam; ut aliorum autem ſcrinia compilem ab animo meo eſt alieniſſimum: nec tamen me tanto in communi periculo ſupine quieſcere & nihil agere, permittit patriæ & Chriſtiano orbi debita pietas. Quamvis autem quæ hic edo non ſint nova, aut in uſum hujus adeo temporis conſcripta, ſed vetera jam, nonnulla quoque præteritæ ætati ſeorſim quaſi conſecrata, non minus tamen noſtris commodis profutura illa judico. Haud multum ſcilicet & Turcarum & noſtræ res mutavere a priſtino, in plerisque fabula ut ſic dicam eadem eſt mutatis tantum perſonis. Ut pauciſſimis exceptis eadem quæ olim & noxæ & uſui hodieque ſint. Quod ſi ſane & Romanæ bellicæ rei monumenta nunc quoque inſignem utilitatem adferre apta ſunt, quanto plus fructuum exſpectare licuerit, ab hiſce adeo nobis & viciniis & plane affinibus?

Cæterum in hac noſtra collectione primum locum mereri mihi viſa ſunt, quæ ex Italico ante hos ſexaginta amplius annos Latine vertit ediditque Jacobus Geuderus inclytæ Norimbergenſium civitatis patricius. Et vero hæc etiam inter, me quidem judice, eminet LAZARI SORANZII Veneti opuſculum: quod proinde reliquorum agmen quaſi hic ducit. Auctor libelli nobiliſſima Superantiorum familia Venetiis editus, ille ipſe eſt, quem anno ſeculi hujus ſecundo defunctum hoc elogio ornavit princeps hiſtoricorum noſtri ævi vir illuſtris Jacobus Auguſtus Thuanus libro 127. *Lazarus Superantius patricius Venetus, cujus exſtat de rebus Turcicis magni judicii ac prudentiæ commentarius, hoc anno Aprili menſe ad meliorem vitam in patria migravit.* Eſt vero & hic libellus is a Thuano ita deprædicatus commentarius. Non eſt ille quidem ea qua par eſt exaratus vel dictionis vel methodi elegantia; judicium tamen & diligentiam in tradendis omnibus ad rem militarem neceſſariis, ut & prudentiam in iis expendendis, non temere deſideraveris. In nullo certe hujus argumenti ſcripto tantam bonæ frugis copiam reperias. Quod procul dubio debetur & auctoris indoli ad rempublicam natæ, & ſapientiſſimis Venetæ civitatis inſtitutis, & majorum civiumque Superantii aliorum, quibus Turcarum omnia curæ & cordi ſunt, accuratiſſimis monumentis. Natus enim fuit Lazarus patre Benedicto Soranzio qui in victoria Corzolaria contra Turcas fortiter pugnans obiit, habuitque patruum Jacobum Venetæ reipublicæ ad Portam Oſmannicam legatum; & abundat reſpublica illa ſapientiſſimis rerumque Turcicarum peritiſſimis viris: a quibus ſedula percunctatione accipi

cipi proinde talia potuerunt. Meruit præſtantia libri, ut ſimulac Italice anno 1598. in lucem prodiit, biennio poſt & Latine pariter & Germanice verteretur. Perſequutus vero eſt ille ſumma induſtria ſtatum Turcici Imperii iſtum quidem præcipue, qui fuit Mahomethe tertio regnante anno 1597. quoniam vero ne nunc quidem is omnis mutavit, audeo ex hujus libri accurata lectione noſtro quoque tempori fructus inſignes polliceri.

ACHILLES TARDVCCIVS Italus & ipſe fuit: minore quidem Turcicarum rerum notitia, at cætera Soranzio doctior & peritior ſcribendi docendique, adhoc Tacticæ artis ſcientia plane inſignis. Qua domo natus fuerit equidem ignoro: eodem autem anno 1557. paulo poſt Agrienſe prælium ſcripſiſſe hunc libellum, liquet ex nonnullis quæ parte tertia diſſeruntur. Quum multa vero tradat, quæ non propria ſunt bello Turcico, ſed in omni prælio obſervanda, communior poteſt eſſe libelli uſus atque extra etiam Turcica negotia.

ANONYMI tertium opuſculum longe eſt infra priorum duorum laudem, fateor. Nec abs me illo fuiſſet loco collocatum, niſi Gevderianas operas dividere religioni habuiſſem. Tanti tamen jam olim fuit factum, ut & Philippus Honorius & Nicolaus Bellus & Caſparus Ens ſuis illud diſſertationum voluminibus inſeruerint. Nec vero fortaſſis imprudenter diſſeruit auctor de maritimo contra Turcam bello: quoniam & Soranzius illud omnibus aliis expeditionibus prætulit, quaſi hac parte minime omnium valeat Turcica potentia: id quod & noſtra iſthæc ætas decemnovali hoc Cretico bello facile didicit. Cæterum libellum hunc exaratum eſſe circiter annum ſuperioris ſeculi octuageſimum quintum, paulo ante quam Amurathes in Hungariam arma verteret, manifeſtum eſt.

AVGERIVS GISLENIVS BVSBEQVIVS neque ingenii elegantia, neque varia doctrina, neque prudentia & agendarum rerum dexteritate, neque poſtremo Turcicarum ſui ævi rerum peritia cuiquam fuit ſecundus. Perfunctus quippe ſemel iterumque eſt ſumma cum laude, Ferdinando Imperatore (quo tempore florentisſimæ Turcarum ſub Solymanno, Hungariæ autem afflictiſſimæ res erant) ad Portam legationibus: poſteritatem quoque nitidiſſimis & lectu jucundiſſimis epiſtolis plenius & rectius ſolito multa docuit Turcici ſtatus, quæ ſcire intereſt: neque ex eo illorum qui ipſi ſucceſſerunt quiſquam paria facere vel conatus eſt. Quem hic exhibemus libellum Maximiliano imperante videtur conſcriptus; cum ipſe Busbequius demum anno ſeculi antegreſſi nonageſimo ſecundo in Gallis deceſſerit. Vtiliſſima illum ſuaſiſſe, & quæ nunc etiam debeant obſervari, nemo temere prudentior negaverit. Si ſane talem militem, qualem ille voluit noſtrum eſſe, hoſti oppoſuiſſemus hactenus, non in illas anguſtias, quibuscum nunc conflictamur, perveniſſent forte res noſtræ. Vtinam vel tandem prudentiſſimis viri monitis aures præbeamus!

Magnum quondam rebus pace belloque præclare in Polonia geſtis nomen nactus eſt JO. TARNOVIVS COMES: habuit quoque ille Turcicam militiam regni patrii archiſtrategus penitiſſime cognitam. Igitur & illius de hoc argumento prudentes ſane ſermones, quales ipſimet Carolo V. Imperatori offerre non dubitavit Joannes Straſius, heic inſerere duxi operæ futurum pretium. Et vero quidni audiatur in hoc quaſi militari ſenatu magnus belli dux etiam ex Sarmatia advocatus, poſt tres Italos & unum Germanum?

Quæ LAZARVS SVENDIVS in medium attulit, Hungariæ cumprimis & Germaniæ tutandæ faciunt. Cujus ille rei rationes omnes & uſu exploratiſſimas habuit pariter, & qua valuit exacta bellandi ſcientia acri judicio perſpexit intime; non conſilio minus quam manu felix. Multa fateor jam tum ex ipſius monito in Hungaria ſunt conſtituta, quibus fere ſolis ſervata hactenus fuerunt illa, quæ ibi ſuperant: at cum multa neglecta fuerint non ſine magno damno & majore etiam in futurum periculo, denuo fortem illum & ſapientem heroem attente audire, ex uſu fuerit. In id ſane a me libellus illius huc allatus eſt.

FELIX PETANCIVS nunc ſero nimis audiatur. Non enim ille eſt rerum ſtatus, ut de iſtis itineribus nunc ſimus ſolliciti; pridem perdita maximam partem Hungaria, quæ Vladiſlao Rege integra perſtabat. Adjunxi igitur hoc opuſculum, ſaltim ut appareat, quam generoſi olim fuerint Hungarorum conatus, & quo nunc omnia reciderint. Vtinam vero ea ſit armorum noſtrorum hoc bello felicitas, ut iſthoc viæ monſtratore nobis opus ſit! Interim diſcere tamen hinc licebit viarum omnium, quibus Turcis longius diſſitis in Hungariam eundum, conditionem: quod haud neſcire itidem utile eſt.

CHRISTIANI FRANCI fictum nomen eſt, mihique proinde ignoratus ſcriptor. Vixiſſe quo tempore Rudolphi Cæſaris auſpiciis geſtum cum Turca bellum, nemo non videt. Neque illum ad laudem aliorum accedere, ultro fateor; eoque volui ut agmen clauderet. Quædam tamen ſatis opportuna loqui viſus eſt, ac proinde in iſthoc ſapientum militari conventu ſaltim extremum locum dignus qui occupet.

Quæ HENRICI TOVRENNII COMITIS nomine exſtat oratio, omnibus jam editis in manus meas pervenit: nec adhuc ſatis ſum certus, an ipſiusmet fortiſſimi Herois ſermo ſit, an vero ex perſona illius conficta ab alio diſſertatio. Quicquid ſit, & prudentiæ, & eloquentiæ, & generoſi pariter piique animi nitidum eſt ſpeculum: nec par quidquam hactenus hujus argumenti in lucem prodiit, quod equidem ſciam. Digna certe quam Chriſtianisſimus Rex audiat, & usque adeo vetus bellandi dux habeat oratio, digniſſima vero quæ ad omnem poſteritatem perenni cum laude transferatur.

Hæc illa ſunt, BENEVOLE LECTOR, quæ hoc Tibi volumine exhibeo. Aliena quidem omnia; in quibus tamen edendis plurimum mihi moleſtiæ ſuſtinendum fuit, quod nihil non infinitis

nitis mendis laboravit, a quibus ut liberarentur omnia ſedulam ego operam dedi. Indignum ſcilicet judicavi, tam præclaros libellos adeo fœde ſordideque hactenus habitos a librariis, paſſimque vix intelligi potuiſſe, cum lectu eſſent digniſſimi. Vt habere igitur iterum poſſis, quæ manibus dudum exciderant magno reipublicæ malo, utque pura emendataque cum fructu verſare queas adeo utilia, hoc demum debetur mihi. Quod ſi & pia arma Chriſtiani orbis hinc commodi aliquid acceperint, magnum me pretium operæ cepiſſe exiſtimabo. Id certe uti eveniat Deum veneror obſecroque. Helmeſtadii Kal. Septembr. anno cIↃ IↃ CLXIV.

LAZARI SORANZII

Patricii Veneti

Ottomannus ſive de Imperio Turcico.

Ex Italico vertit JACOB. GEUDERUS ab Heroltzberga.

Illuſtribus & Generoſiſſ. BB.

D. ALBERTO A LIMBURG,

S. Rom. Imperii Pincernæ Hæreditario, ſemper libero:

Et

D. WEICKARDO LIBERO BARONI IN POLHAIM

Domino in Buchaim & Wartenberg, Sacr. Cæſ. Maj. a conſiliis,

DD. ſuis plurimum obſervandis.

QUIBUS virtutibus, & animi corporiſque dotibus, Illuſtris & Magnanimus heros JOACHIMUS antiquioris proſapiæ COMES IN ORTENBURG, præditus fuerit, multis jam antea ſatis notum eſt; pluribus vero ex aliorum, me longe doctiorum, ſcriptis & commentariis innoteſcet. Mira ſane & rara fuit E. G. in vera & orthodoxa religione conſtantia, quam ardentiſſimo zelo & indefeſſo ſtudio ita coluit, ut nullis honorum & præmiorum pollicitationibus, nullis ærumnis aut miſeriis, quibus longo ſatis vitæ ſpatio varie jactatus & afflictus fuit, ab ea divelli aliove flecti potuerit. Quid juſtitiam dicam? cujus in privatis æque ac publicis rebus & negotiis omni vitæ tempore fuit obſervantiſſimus. Quid prudentiam? quid temperantiam? quid magnanimitatem, juxta patientiam vere Chriſtianam? qua infinitos adverſæ fortunæ caſus & inſultus fortiter ſuperavit; tum facultatum quoque jacturam non ſane exiguam animo æquo pertulit. Ea porro Illuſtris hujus viri humanitas extitit, ut non modo ſuæ aut lautioris quoque conditionis homines, ſed quosvis etiam alios, viri modo boni & honeſti, nec a ſana doctrina abhorrentes eſſent, animo benevolo complexus, omnique officiorum genere proſequutus fuerit: ita ut nulli, cui prodeſſe modo ſe poſſe exiſtimabat, operam ſuam unquam denegaverit. Hanc benevolentiam etiam me quotidie expertum eſſe libenter & ultro fateor, ac ni facerem, ingratitudinis crimen, a quo tamen ſemper abhorrui, meo merito incurrerem. Doctorum virorum, ipſe non mediocriter omni eleganti doctrina imbutus, & vir ὁμιλητικὸς colloquio, converſatione, literis & ſcriptis plurimum delectatus fuit, nec ullas accepit literas (quotidie autem plurimæ e diverſis Europæ regionibus ad eum fuerunt perlatæ) ad quas non e veſtigio ipſe ſuo autographo reſponderit. Nec rei bellicæ imperitus fuit, cujus cum hiſtoria veteri atque recenti exactam cognitionem tenuit. Patriæ ſalute & proſperitate, ad quam omnia referenda, nihil prius, nihil antiquius habuit, eamque omni ratione promovere & procurare pro viribus ſemper eſt adnixus. Scio equidem his, quæ a me ſummatim ſtrictimque & vix uno verbo dicta ſunt, non omnes æque fidem adjuncturos: vera tamen me dixiſſe, multi Principes aliique magni nominis viri non diffitebuntur. Vos, Barones Generoſiſſimi, ejus rei teſtes laudo omni exceptione majores. Partem tantum minimam laudum & virtutum hujus herois me attigiſſe ipſemet fateor, quas doctioribus perſequendas libens relinquo.

Biennium vero jam agitur, quo E. G. in libellum Lazari Soranzii de Ottomannico Imperio ſcriptum incidit; quo ſæpius perlecto, de Turcico Imperio, deque attritis jam ipſius viribus & exhauſta potentia, deque ejus exſtirpandi ratione, nihil unquam elegantius in lucem prodiiſſe, recte judicavit, dignumque ob id cenſuit, ut omnibus Germanis, quibus patriæ ſalus & libertas cordi eſt, innoteſceret. Ejus igitur ex Italico idiomate in Latinum transferendi negotium viris aliquot eruditione & linguarum cognitione præſtantibus, commiſit; ſed illi gravioribus occupationibus impediti, voti compotem E. G. reddere nequiverunt. Quod cum videret, mihi tandem ejus rei provinciam delegavit, mihi inquam omnium indigniſſimo, qui Italicæ linguæ ſtudium vix primis, quod dici ſolet, labiis attigi; Latini vero ſermonis, etſi eo velis remiſque contendam, exactam cognitionem hactenus mihi vendicare non poſſim. Obſequendum tamen erat tanti viri de me meiſque omnibus optime meriti, voluntati ac juſſui: unde non invitus ad hoc onus ſuſcipiendum me accinxi, etſi obtrectatorum & invidorum reprehenſionibus & calumniis me expoſitum non neſciebam, quas tamen, hujus viri reſpectu parvi faciendas ſemper exiſtimavi. Ut autem elegantiora & magis concinna ſingula prodirent, rectiuſque mens autoris a lectoribus percipi poſſet, a Cl. viro Scip. Gentile JCto, quem honoris cauſa nomino, precibus obtinui, ut ipſe emendationem ſuſciperet, & ſicubi videretur, interpolaret. Quanquam vero jam ante ſeſquiannum finem huic labori impoſueram, liber

 ber

ber tamen ob quædam impedimenta, quæ intervenerunt, vivo illuſtriſſ. Comite imprimi non potuit. Quo factum, ut ego ſpe Domino Comiti gratificandi, ipſe vero laborum meorum, licet exiguorum, optatis fructibus, temporis injuria fraudatus fuerit. Ne tamen interea labor iſte omnino vanus eſſet amicorumque flagitationibus aliquo modo ſatisfieret, eum cum aliis in lucem dare,& publici juris facere viſum eſt. Vobis autem illuſtres & Generoſiſſ. Barones, qui defuncti comitis ultimæ voluntates executores, ut vocant, conſtituti eſtis dignisſimi & vigilantisſimi, eum dedicandum cenſui, quo palam omnibus conſtaret, eodem me defuncti memoriam, totamque illuſtr. Ortenburgicam & veſtras quoqueGeneroſisſimas familias honore & obſervantia proſequi,qua jam antea vivum ſemper colui & obſervavi: obnixe rogans, meum ut hoc erga vos ſtudium animo & fronte ſerena accipiatis, meque vobis ſemper commendatum habere dignemini. DEUS opt. max. quam diutisſime vos ſalvos & incolumes conſervet. Valete. Perſcriptum Heroltzbergæ, ipſis Kal. Januariis, anni 1601. cujus ingreſſum vobis illuſtribusque familiis veſtris, atque adeo toti Chriſtianæ reipubl. fauſtum ſalutaremque exopto.

VV. Generoſ.

ſtudioſiſſ.

JACOBUS GEUDER
ab Heroltzberga.

LAZARI SORANZII in Ottomannum ſuum
PROOEMIVM.

VT principes viri rectiſſime ſuo officio in regendo principatu & juſtitia adminiſtranda fungantur, duo ipſis inprimis neceſſaria eſſe videntur: quorum alterum in eo conſiſtit, ut rerum ſuarum perfectam cognitionem habeant: alterum vero vicinorum imperiorum ſtatum & conditionem reſpicit. Quod omnium politicorum & rerum agendarum judicio & ipſamet experientia comprobatur. Verum in utroque aſſequendo, maxima ipſis cura atque diligentia adhibenda eſt, ut a falſo verum perfecte diſcernere diſcant. Nam, ut de priori taceam, ſi in poſterioris, quod aliorum imperia conſiderat, inveſtigatione noſtra opinio & cognitio veritati non eſt conſentanea, nunquam ſalutaria conſilia, ea de re habita, proſperum ſucceſſum & eventum optatum ſortiri poterunt. Conſtat enim falſam inquiſitionem vel informationem de dicto aliquo, re geſta, vel loco habitam,idem prorſus damnum atque periculum ſecum trahere, quod conſiliarius minus prudens, & mendax, vel dux belli imperitus & inexpertus inducere poteſt. Magna igitur laude eos principes dignos judicamus, qui non modo ingenia & fidem ſuorum miniſtrorum pernoſcere & explorare ſtudent; verum etiam primum in ipſa aula, deinde in peregrinis quoque & exteris regionibus conſiliarios ſuos habent, aliosque viros prudentes & expertos alunt: quorum illi quidem in hiſtoriis & ſcientia civili egregie verſati, hi vero in aliorum principum actionibus, imperiorum inclinationibus, conſiliis, negotiationibus, theſauris, armis, fœderibus, apparatibus, & viribus inveſtigandis, oculatiſſimi & perſpicaciſſimi ſint. Ad quam rem plurimum conducet, regionum cognitarum, aut recens inventarum, vel quæ nondum in noſtram notitiam pervenerunt, cognitio. Qua in re ſempiterna laude & memoria Joannes ille Luſitaniæ Rex, & Iſabella Aragonum regina celebrandi erunt, quod ipſorum auſpiciis & opera India orientalis totusque novus orbis fuerit repertus.

Sed ut ad cauſas earum rerum, quas modo diximus, perveniamus: priores quidem, conſiliarios ſcilicet, quod attinet, cum plurima dicantur, aut ſcribantur adulandi animo, in favorem principum excogitata, vel utilitatis ſpe, vel ex falſa aliorum relatione, vel ab ejusmodi perſonis,qui rebus non interfuerunt, aut qui metu percuſſi veritatem in lucem edere non audent: maxima cautione & judicio ejusmodi acta vel ſcripta ab ipſis legenda ſunt & perſpicienda. De poſterioribus vero ſic ſtatuendum, oculata teſtimonia majoris eſſe ponderis & fidei, quam ſunt illa quæ ex ſolo auditu & aliorum relatione percipiuntur. Quod quam verum ſit,illi cognoſcunt,qui regiones ipſimet perluſtrarunt,varios poſtea in libris coſmographicis,geographicis & chorographicis errores de principum imperiis,populorum conſuetudinibus,locorum ſitu,vulgo receptos obſervant.Qui tamen paſſim in antiquorum & recentiorum libris ſparſi ſunt, quod autores, qui de iis rebus ſcripſerunt, plurima affirmant, quorum nunquam perfectam cognitionem habuerunt, aliorum deſcriptiones imitantes, quæ tamen hodie rei veritati parum reſpondent: neglecto eorum judicio, qui rebus ipſis interfuerunt, vel intelligentia præditi ſunt, quo obſervare talia poſſunt. Homerus Vlyſſem prudentiæ titulo ornat (qui omnium pulcherrimus eſt, qui viro principi, vel belli duci conveniat) non modo quod aures præbuerit ad percipienda quæ alii referebant, ſed quod ipſemet obſervaverit conſuetudines populorum, varias perluſtraverit regiones & urbes plurimas. In hunc finem Plato lege caviſſe videtur, ne quis civium ſuorum peregre ad luſtrandas exteras provincias proficiſceretur, niſi quadrageſimum ætatis annum prius complevisſet: ut nimirum annorum plurimorum decurſu, animo ipſius prudentia confirmato, ad res, quæ in hoc mundo occurrere ſolent, conſiderandas maturiori cum judicio accedere, easque ad communem patriæ utilitatem conferre poſſit. Sed in aliorum facta non opus eſt ut inquirant principes, qui peregrinos contra jus gentium a ſuis limitibus arcent; ut incolæ Chinæ Moſci & Abysſini alios ſuo commercio privare ſolent; vel qui aditus ſuarum regionum præſidiis muniunt, ne quis ſuorum exteros accedat: verentes cum Platone, ne peregrini mores & conſuetudines patrias & uſu jam receptas corrumpant. Verum qui majori humanitate præditi, omnes

Digitized by Google

omnes ſine diſcrimine admittunt, cum omnibus converſantur & commercia tractant, quique a potentiorum vi ſe defendere coguntur, illi jure & merito vigilare debent in ſingulas horas & occaſiones, non modo quæ in genere, ſed quæ particulatim eveniunt ponderare, & neglectis rebus privatis mercatorum, quid reipublicæ adminiſtrationem concernat, perpendere, ipſorum eſt officii.

Quemadmodum igitur hiſtoriarum lectio hanc nobis utilitatem conferre debet, ut ex præteritarum rerum eventu edocti in præſentibus & futuris prudenter nos geramus: ſic præſentia recte cognoſcere & inveſtigare debemus, ut in tempore periculis occurramus; generali nimirum cognitione inſtructi, particularia illa ad eandem cum judicio referamus. Hic enim verus noſtræ ſcientiæ ordo eſt, ut a ſingularibus denique ad univerſalia deſcendamus. Hinc Veneta reſpublica rationes & jura dominationis adprime callens, non modo alios principes imitans, legatos ad exteros principes, judicio & ingenio perſpicaci præſtantes, mittere ſolet, verum etiam lege ſanxit, ut ubi quis legatorum domum redierit, vere & particulatim omnia ea in ſenatu referat, quæ in aula principis, apud quem legati munus obiit, tum quoad ipſum principem, tum ipſius imperii ſtatum & ordinem, obſervare potuit. Hujus legis ſanciendæ cauſa extitit, ut juventus ad patriæ commodum in rebus politicis a primis ſtatim annis inſtituatur. Ejusmodi relationes in archivis diligentisſime aſſervantur, ut reipublicæ in futurum exemplis rerum præteritarum melius conſulatur, & nova informatione præſentium utiliter proſpiciatur.

Hæc me quoque cauſa movit, ut cum viderem palam, alios plurimum rebus Turcicis detrahere, alios contra veritatem eos attollere, quod vera informatione potius careant, quam ut ſtudio alios decipere ipſis animus ſit, publicæ plurimorum utilitati inſervire laborans, ſtatum Imperii Turcici examinare, & conſilia ejus qui nunc eo potitur contra Chriſtianum orbem excogitata, aperire & manifeſtare mecum ſtatuerem, idque modo convenienti, quatenus officii ratio illud permittit. Et cum quotidie experiar, relationibus olim habitis non ſemper eſſe inſiſtendum, licet veræ ſint: quod imperia vel propter principum mutationem vel temporum ſucceſſiones vel alias ob cauſas facillime mutari ſoleant: Venetæ quoque relationes, quibus plurimum fidendum, ſub gravi pœna nemini communicentur, veteres etiam parum ad propoſitum noſtrum faciant: & quæ de recentioribus epitomæ circumferuntur falſæ ſint ut plurimum, & hominum potius imaginationes quam res geſtas contineant. Ideoque de rebus etiam minimis, quæ ad propoſitum hoc noſtrum facere videntur, maxima diligentia & induſtria inquirere volui, cum bellum quod nunc geritur fere ſolum mundum univerſum ſuſpenſum teneat. Cum multis etiam viris judicio & experientia rerum præſtantibus ſæpiſſime ipſe de rebus contuli, quos recenter iis ex locis veniſſe noveram. Neque mihi ipſi fiſus ſum, licet ibidem antehac plurimum viderim & obſervarim. Tandem rem totam in compendii formam redegi, ut uſui Chriſtianorum principum, quorum illam ſcire refert, inſerviret. Nam cum mihi exemplo Benedicti Soranzii patris mei, qui in victoria Corzolaria contra Turcas fortiter pugnans obiit, in bellum propter valetudinem minus commodam proficiſci minime liceat, bonum tamen publicum & commune, ad quod omnes ſtudia ſua conferre tenentur, ut Polyænus Macedonicus Antonino & Vero imperatoribus reſcripſit, pro animi viribus promovere potius conabor, quam privatam vitam agendo ocioſus & nemini utilis domi deſidere. Sic Diogenem legimus dolium ſuum in plateis ſæpius circumvolviſſe, ne interea ocioſus ipſe conſpiceretur, dum alii cives in patria defendenda ſtrenuam operam navabant. Igitur in præſenti noſtro libello Turcicum Imperium deſcribere, cujusmodi ſub Mahemete III. ſtatus ejus usque ad exitum anni 1597. fuerit, decrevi. Temporis vero mentionem feci, quod me non lateat belli eventum dubium eſſe & ancipitem, quo facile plurima immutari poſſunt, & principum inſtabilitatem & neceſſitatem res novas indies inducere conſideratu dignas. Eum vero ſcopum inprimis mihi propoſitum habeo, ut quæ pertinent ad cognitionem belli, quod Turca cum Imperatore & Tranſylvano gerit, innoteſcant, vel quæ belli præſentis occaſione requiri poſſunt, aperiantur. Nam ſi alia mihi ſcribenda in hoc argumento ſumpſiſſem, veritus ſum, ne nimis longus aut alicui tædio forem. Tum etiam quod alii cuipiam ſcripto, & ad alias oportunitates, plurima ſtudio reſervavi. Interim plurima in medium adducam, quæ Chriſtiano orbi quovis tempore utiliſſima ſunt futura, ut qui nunc vivunt & eorum poſteri aliquem ex his laboribus fructum percipiant.

Ordinis igitur commodioris cauſa in tres partes librum hunc dividam. *Prima* de capite membris & viribus Imperii Ottomannici aget. *Secunda* de conſiliis Mahemetis III. de cauſa belli quod nunc geritur, ejus de origine & progreſſu, tractabit, ſumto initio ab Amurathis imperio qui Mahemetis pater fuit. In *Tertia* parte quæſtio decidetur: Num Cæſar & Tranſylvanus pacem a Turca oblatam acceptare debeant, nec ne? Simul etiam oſtendetur, tum quid detrimenti iidem Turcico Imperatori inferre, ſi bellum continuent: tum quemadmodum alii Chriſtianorum principes ipſi nocere posſint; ut omni tempore periculis, quæ Chriſtiano orbi a Turcarum armis impendere videntur, obviam eatur.

LAZA-

LAZARI SORANZII OTTOMANNVS.

PRIMA PARS.

In qua agitur de capite, membris, & viribus imperii Ottomannici.

Cur nomen Mahumetis Chriſtiani deteſtentur, Turcæ illud tanquam fatale perhorreſcant & abominentur.

IS qui nunc Ottomannico ſeu Turcarum potitur imperio, Mahumetes eſt ejus nominis tertius. Quod nomen, ut omnium Chriſti fidelium deteſtatione & execratione digniſſimum, propter duorum, qui hunc præceſſerunt, ejusdem nominis Imperatorum facinora horrenda & immanitates, quibus Chriſtianum nomen perſecuti ſunt: ſic ipſi quoque Turcæ propter ſiniſtras quasdam & fatales opiniones, quas de eo mente conceperunt, illud perhorreſcunt. Anxii enim in eo verſantur metu & ſollicitudine, ne, quod prius ſæpe contigiſſe norunt, nunc quoque eveniat. Sciunt enim, Conſtantinopolim quæ caput eſt imperii, poſt priorem illam everſionem, ſecunda ſua initia & incrementa Conſtantino Magno debere, eandem poſtea ſub alio Conſtantino Chriſtianis ereptam & vi captam eſſe, quorum uterque matrem habuit eodem Helenæ nomine. Plane ut Romanum imperium, quod cum ab Auguſto initium cepiſſet ſub Auguſtulo quodam extinctum fuit. Similiter ergo & illi verentur, ne Mahumete Imperatoria dignitate fungente, ſedes regni Conſtantinopolitani iterum illis eripiatur, quemadmodum a Mahumete II. bello atque armis in poteſtatem ejus redacta fuit.

I.

Natura ingenium & mores Mahumetis III. Turcarum Imperatoris. Cur odio proſecutus ſit nanum Naſuf Agam. Ejus mater & avia quænam fuerint. Suſpicio ſiniſtra, quam pater Amurathes de eo habuit. Exempla crudelitatis & immanitatis ab ipſo perpetrata.

Mahumetes igitur Turcarum Imperator, cujus præcipue in hac narratione facienda erit mentio, natura ſagaci ingenio feroci præditus eſt; mollis tamen timidus & valde effœminatus, quod exempla quædam rerum ab ipſo tum antequam ad imperium veniſſet, tum in ipſo imperio perpetratarum teſtantur. Cum adhuc valde juvenis in aula (quam illi Senalium quaſi clauſtrum vocant) de more gentis incluſus teneretur, nanum Naſuf Agam acerrime odiſſe cœpit; quod in favore & gratia patris Amurathis plus ipſum quam quemvis alium poſitum eſſe cerneret. Indagandis ejus actionibus diligenter incubuit, ſenſitque quotidie calathum floribus refertum ab eo ex aula emitti: inde dubio procul aliud quippiam magis precioſum ſub iſtis floribus latere ſuſpicatus eſt. Die igitur quadam cum ſummo mane de more calathum efferri videret, illum qui geſtavit conſiſtere coegit, & inverſo calatho floribusque in terram ſparſis auri copiam magnam abſconditam reperit. Qua de cauſa ira & indignatione percitus, graviſſime cum patre expoſtulavit, quod mancipia in majori ab eo precio & favore haberentur quam filius, cui plerumque illud ipſum denegatum ſit quo illi abundent; eo nomine patris accuſans avaritiam quam minime probabat. Præterea tam elato & ſuperbo erga ſuos fuit animo, ut ferre nequiverit, quod avia ipſius, (quæ, ſi modo vera ſunt quæ vulgo dicuntur, nobilis Veneta ex familia Bafforum fuit) in aula dominaretur, neque regimen illud propriæ matri, quæ e pago quodam Rezi nomine (qui eſt in Albania ad montes Ducaginos) oriunda erat, concedere voluit. Cum his de cauſis patri lites moveret crebriores, & majores indies cauſas & occaſiones ſiniſtri quippiam de ſe ſuſpicandi daret, iramque paternam magis magisque in ſe concitaret (ea enim æmulatione Imperatores Turcici de ſua ſalute ſunt ſolliciti: inducti videlicet humana ambitione & efferata immanitate, quæ ipſis fere propria eſt, ut ne liberis quidem a ſe pronatis parcant) tandem circumciſione ejus ex lege Mahumetana perfecta: cui legatus Cæſaris Moſcovitæ Perſarum Regis & nomine reipublicæ Venetæ Jacobus Soranzius patruus meus interfuit, primasque partes inter principes Chriſtianos eo in negotio tenuit: a patre in Magneſiam, ubi domicilium ſuum haberet, ablegatus eſt. Quo cum perveniſſet, tantum abfuit, ut de ſua crudelitate & immanitate aliquid remitteret, ut ſpecimina ejus ſingulis diebus ederet evidentiora. Nunc indignatione nunc alio perverſo animi impetu raptus, forcipibus ignitis mammas fœminis eruere. Ad 2000. ſcholaſticorum (qui Softi ipſorum lingua vocantur) morte crudeliſſima mulctavit, propter nullam gravioris momenti cauſam, quam quod erga eum ſignificationem aliquam cogitationis minus pudicæ edidiſſent. Plurimos alios ob quamvis leviſſimam cauſſam trucidavit: & ut breviter dicam, alienum ſe prorſus a Venereis delitiis & voluptatibus, unice vero bellicis ſtudiis & Martis actionibus animo deditum ſeſe eſſe manifeſte demonſtravit. Hac ſua vivendi ratione patris diffidentiam erga ſe confirmavit. Quam auxere non leves quædam ſuſpiciones ſecretæ cujusdam conſpirationis: quam in aula cum Sinano Baſſa (illo qui Jaurinum occupavit & anno præterito vivere deſiit) ſub ſpecie amicitiæ arctioris conflaviſſe verebatur. Unde ipſum non modo ſeptum arctiori cuſtodia tenere, ſed vita etiam privare, niſi protinus animum mutaret, Amurathes plane conſtituerat. Qua de re cum ſæpius a matre certior factus & admonitus eſſet, ut ſuſpiciones ejusmodi patris animo eximeret, mentemque ad voluptates & delectationes adplicaret, aſſenſit tandem & parere monitis decrevit. Ab eo tempore omni illecebrarum genere ita fuit irretitus, ut natura ipſa vel mutata vel obducta, in Principem luxurioſiſſimum ſubito evaſerit. Idque ex habitu quodam crebro uſu comparato: vel arte quadam adjutus (ut quidam putant) cujus Græcæ Hebraicæ & Turcicæ mulieres peritiſſimæ habentur. Ipſa quoque vita injucunda ipſi ſolet eſſe, niſi Veneris

affluant

affluant deliciæ, etiam in ipſis caſtris & militia. Res quoque & conſilia maxime ſecreta ſuis communicare ſolet pellicibus & amaſiis; quare nihil quicquam eſt Principe viro indignius nihilque perniciosius. Veruntamen his qui putant illum mulierum corruptelis luxuria atque libidine impeditum fuiſſe, quo minus citius in bellum ipſemet profectus fuerit, non aſſentio: cum hæc mora graves & magis veras rationes habuerit, quas poſtea recenſebimus.

II.

Cur Mahumetes ſerius in bellum profectus ſit. Cur unam ex amaſiis propria manu occiderit. Mortem matri minatus. Autoritas primorum conſiliariorum (quos Viſirios vocant) quare diminuta. Benevolentiam militum quomodo ſibi conciliarit. Quo nomine Turca ſuum Imperatorem inſignire ſoleant.

Ut primum regnum eſt auſpicatus, opes ejus & vires cognoſcere voluit. Non latebant ipſum ſimultates & contentiones mutuæ quæ in Baſſis vigebant, in Sinano & Ferato præcipue, qui tunc regni gubernacula fere ſoli tractabant, ut ſuo loco demonſtrabimus. Conſtantinopolim urgebat annonæ & rerum omnium ad victum pertinentium, frumenti inprimis & panis, extrema caritas. Intelligebat ſubditos minime contentos propter plurima debita a patre nondum ſoluta; quibus ipſe poſtea ſatisfecit. Quid Perſarum Rex Mehemet Qudabenda moliturus eſſet, cum non ita pridem ipſius ex filio Emiro Hampſa nepos, Haidazus nomine, quem obſidis loco ad Turcas miſerat, obiiſſet, certo non conſtabat: in primis cum oblati veneni ſuſpicio ad eam mortem accederet. Præterea ipſi duces præcipui & inſigniores belli confectionem ipſo Mahumete etiam abſente promittebant; quod eo ab ipſis fiebat animo, ut propriis emolumentis & commodis tanto melius conſulere poſſent. Credebat præ omnibus aliis Sinani Baſſæ conſiliis: qui ut quam diutisſime imperio reipublicæ ſupremo præeſſet, & nomen ſuum illuſtrius redderet, non modo perfacilem Tranſylvaniæ Principis everſionem, ſed ipſius etiam Cæſaris Romani ruinam illi pollicebatur. Illud porro verum eſt, a pacis ſtudio & tractatione etiam tunc ipſum non fuiſſe alienum. Quæ enim natura ipſi inſita erat ferocia, delitiarum & voluptatum velut ignibus emollita, paulatim diminuta & confecta fuit, ut nunc verius animi tyrannici impetus quam viri militaris fortitudo dici mereatur. Quod nunc maxime teſtatum fecit: cum a quadam ſua pellice, quæ ipſi chariſsima erat, multis precibus & lachrymis rogatus eſſet, ne proficiſcendo in bellum periculis ſeſe objiceret, propter ſomnium infauſtum & prodigioſum, quod nocte præcedente habuerat. Ille iratus quod gloria quam ſibi promittebat, hoc modo ſe privari, & ipſiusmet imperii Turcici ſtabilitatem & firmamentum in dubium vocari crederet, nulla interpoſita mora propria manu eam occidit. Idemque ſupplicii genus matri ſæpius minatus eſt, licet aliis in rebus maxima apud illum polleat autoritate & gratia.

Hodie porro extra controverſiam eſt, illum tanti non fieri a ſubditis, neque eam obedientiam illi præſtari, quæ prædeceſſoribus ipſius exhibita fuit: ideo ſane neceſſitati & tempori ſæpius cedere coactus eſt. Ea enim quæ ſolius & ſupremi Viſirii Baſſæ (qui ſunt conſiliarii intimi) antehac ſolebat eſſe autoritas, aliis etiam Viſiriis Baſſis, ipſo connivente, attributa eſt. Ita beneficium vel decretum gratioſum, quod quis ab uno eorum abſtulerit, ab aliis ſæpe revocari contingit. Qua re nihil quicquam eſt, quod amorem & benevolentiam ſubditorum magis imminuat, & contemptum eorundem erga Principem pariat.

Quo nomine quoque a patre Amurathe multifariam peccatum eſt; qui ob quamvis leviſſimam cauſam Viſirios Baſſas officio ſuo privavit, alioſque ſpe lucri & pecuniæ aucupandæ ſubſtituit; quatuor prioribus quinque alios adjunxit, ut novem tandem eſſent qui illo honore præfulgerent. Hujus rei cauſam ſtatuemus eſſe crebram primorum belli ducum mutationem. Quæ inde provenit, quod de ſtatu ſui regni tunc ipſi non bene conſtitit, nec ingenia ducum plane perſpecta ipſi fuerint: vel etiam quod natura inſitum Turcis ſit, ut officia pro libitu ſæpius mutent, & animi propoſitum ad fortunæ varios & incertos eventus accommodent. Variis enim cladibus acceptis ſemper exercitui novos duces præficiebat, ut (quod interdum eveniſſe ſcimus) capite mutato, reliqua membra promptiora & audaciora ad belli pericula ſubeunda redderet.

His rationibus omnibus ſepoſitis, aliæ magis graves magiſque ſeriæ fuerunt, quæ ipſius in caſtris præſentiam urgebant & requirebant. Milites ſcilicet (qui egeni, tyrones, & propter avaritiam eorum, qui prius bellum adminiſtrarant, abalienatis animis erant) præſentiam ſui Principis veri & legitimi cupide deſiderabant, idque vel maxime propter dona & congiaria quæ illis dari ſolent ubi ipſemet in caſtris verſatur Turcicus Imperator. In iis cum Mahumetes tandem apparuiſſet maximam authoritatem ſibi conciliavit, extincta opinione minus honeſta, quam multi de ipſo conceperant, & ſuis quantum potuit ſatisfecit. Idque potiſſimum quod benevolentiam militum ſibi conciliare in primis ſtuduerit, non modo liberalitate erga eos uſus commemoranda, verum etiam, quantum fieri potuit, omni re ipſis quam commodisſime proſpectum & conſultum eſſe volens. Sæpe pedes ipſorum tentoria & caſtra perambulans, cum a conſiliariis propterea admonitus eſſet, ne contra majorum ſuorum conſuetudinem nimis aperte ſe periculis objiceret, in hæc Cyri verba ipſis reſpondit: Cum omnes, qui meum ſequuntur imperium mihique inſerviunt, fratrum loco mihi ſint habendi, de ipſis quoque non aliter ac de me ipſo ſollicitum eſſe convenit. Militum quoque benevolentiam ſummopere ſibi conciliavit. Cum in ipſo itinere veſpera quadam partem ſuperiorem tentorii ſui conſcendiſſet, vidiſſetque equitum Spahioglanorum tentoria a reliquis caſtris remotius ſita, ut inſidiarentur his qui a caſtris aberrarent. Quod latrocinium cum deprehendiſſet Spahioglanos illos Janizariis ſuis diripiendos dedit, eorum vero corpora palis affigi curavit.

Hactenus (ut alia in locum magis oportunum rejiciamus) de natura, moribus, & vitæ ratione Turcarum imperatoris diximus: quem illi *Sultan Alem*, id eſt dominum orbis terrarum, vel Regem regum nominant. Utuntur quoque vocabulo *Vlu Padiſchach*, quod idem valet ac ſummus imperator. Hic caput eſt quod nunc Ottomannicum Imperium regit. De ejus filiis, ut ordo requirere videbatur, ſtudio loqui ſuperſedeo.

III.

Filii Mahumetis Imperatoris. Quando ipſius filii publice conſpici poſſint. Quam ex ſuis concubinis chariſſimam omnium habebat.

Hoc unicum adjiciam, duo ipſi cum fuerint filii, primogenitum non ita pridem mortuum eſſe. Inter hos etiam, qui nunc vivunt, is qui natu eſt maximus, decimum quartum ætatis annum agit vel circiter, qui tamen nondum cuiquam publice viſus eſt. Prius enim quam circumcidantur Turcicorum Imperatorum filii, in publicum prodire ipſis non permittitur. Cum autem plurimarum mulierum commercium habeat (inter quas chariſſima ipſi eſt Flatra quædam in Cypro nata) dubium non eſt, quin ipſo mortuo materiam ampliſſimam poſt ſe relicturus ſit ſucceſſori, Tragœdiæ Ottomannicæ in fratres de more gentis exercendæ.

Nunc membra hujus imperii aggrediar, & initio quidem quæ in eo inſigniora ſunt recenſebo.

IV.

Num Imperium Turcicum præclaris belli ducibus deſtituatur. Qua ratione Turca per gradus ad ſummos honores in militia aſcendere conſueverint.

Multi in hac verſantur opinione, Turcicum Imperium hoc noſtro tempore præclaris ducibus, & rei bellicæ peritis carere. Evulgata enim eſt mors Pialii Baſſæ, qui Cyprum occupavit: Pertaſi, Ali, Vlucchiali, Baſſarum, qui in mari a confœderatis Chriſtianis Principibus anno 1551. victi fugatique fuere. Hos ſecuti ſunt Oſmanus, Feratus & Sinanus Baſſæ, qui omnes & in Perſia & paſſim alibi magna virtutis & fortitudinis ediderunt documenta, quæ ubivis locorum prædicantur. His quos modo diximus, extinctis, viros fortes & ſtrenuos in Turcia vivere deſiiſſe multi putant. Quod ſane a vero non omnino alienum eſt. Conſtat enim diuturno illo & difficillimo quod contra Perſas geſtum eſt bello, quamplurimos interemptos eſſe belli duces, qui & autoritate & experientia plurimum valebant.

Veruntamen cum hoc imperium virtute bellica primum naſci & oriri, exinde per eandem creſcere indies cœperit, & vi magis quam amore ſuſtineatur, certum eſt cunctos, qui aliqua nominis ſui gloria tenentur militiæ ſeſe tradere, per quam & divitias acquirere, & honores præ aliis conſequi ſe poſſe ſperant. Hic enim mos in Turcico Imperio vulgo receptus eſt in honorum & munerum diſtributione, ut non is qui nobilitate generis alios ſuperat (exceptis qui in aula ſerviunt vel cubiculo Imperatoris præficiuntur) ſed qui fortitudine & experientia rei bellicæ reliquis præſtat, ad ſupremas dignitates evehatur. Quas immenſæ opes & divitiæ neceſſario ſequuntur. Inde fit, ut nunquam huic imperio duces ſpectatæ experientiæ & probatæ fortitudinis deeſſe poſſint, idque vel maxime, cum quivis etiam ex privatis militibus per gradus ad ſupremum belli imperium pervenire poſſit. Sed cum in omni militia res feliciter geſtæ in gloriam & laudem ſummorum belli ducum, qui illud adminiſtrarunt, & non in alios redundare ſoleat: ſic cum in Turcia pari modo illi, quorum nomina præ omnibus aliis nota & clara erant, quaſi eodem momento extincti ſint, vanus ille in vulgus rumor ſparſus eſt: Imperium Turcicum viros non habere ad militare imperium idoneos, quibus illud tuto demandari poſſit.

Nomina eorum qui inter primos habentur in aula Turcica recenſebo. Licet enim quidam eorum jam mortui, alii officiis ſuis ſpoliati fuerint, tamen propter ea quæ neceſſario a nobis recenſenda ſunt, illorum mentio ad reliquorum cognitionem non parum proderit.

V.

Aſſan Baſſa Conſtantinopolim regit abſente Mahumete in Ungaria. Quare Cairo illuc evocatus fuerit.

Cum Mahumeti Conſtantinopoli diſcedendum eſſet, regimen graviſſimum ejus urbis (quæ variarum nationum & diverſiſſimorum ingeniorum hominibus repleta, eſt hujus vaſtiſſimi Imperii ſedes præcipua) Aſſano Baſſæ eunucho demandavit. Hic natione Epirota (qui hodie Albani dicuntur) in pago Cicaleſſi, qui eſt in territorio Elbaſſano, natus eſt. Sub Baſſæ nomine Cairum in Ægypto anno 1582. rexit, ſed ad Portam (ſic curiam illi & palatium Imperatoris vocant) citatus cum ſe multorum criminum accuſatum ſciret, diu quid faciendum ſibi foret, dubius hæſit: num litigandum cum adverſariis, an vero fuga verſus Ormutzum & Indias ipſi capeſſenda eſſet. Tandem Conſtantinopoli comparuit, ubi captus ab eo, qui quondam magiſter ipſius aulæ fuerat, 500. coronatis ex ſervitute emptus, iterum propter ſuam virtutem & ingenii dotes, ad eam qua non ita diu ipſum pollere vidimus, eminentiam & dignitatem evectus eſt. Qui, ſi diutius ipſi vivere contingat, ad altiora ni fallor aſpirabit & pertinget. Prudentia enim ſingulari præditus eſt, & pleriſque gratus & acceptus, Chriſtianis favet, Judæos acerrime odit.

VI.

De Hibraimo Baſſa & ejus ineptiis.

Exercitus totius ſummum imperium, ante prælium ad Agriam commiſſum, penes Hibraimum Baſſam fuit, qui in provincia Hertzecovina dicitur natus. Imperatori ſanguine junctus eſt, parum judicii

judicii habet, ad imperandum plane ineptus, liberalis tamen & facetus eſt, ne dicam fatuus & ridicularius. Venetam & Raguſeam (olim Epidamnum) reſpublicas ſuas vocat cognatas. Mediolanum claſſe, Melitam vero actis cuniculis infra inſulam ſe occupaturum dicere ſolet, & hujus generis plures ineptias effutire. Apparet ad pacem ipſum maxime inclinare, non modo quia omnium timidiſſimus eſt, verum potius ut Sultanæ (quæ Imperatoris mater eſt) eidemque uxori ſuæ gratum faciat ac morigeretur.

VII.

Sinan Cicala cur Hibraimo in officio ducis & primo Viſiriatu ſucceſſerit. Cur ab iiſdem officiis depoſitus & in Burſiam relegatus. Cur Venetis non faveat. De Meccha. Ratio una præſentis belli Turcici declaratur.

Hibraimo ſucceſſit in ducis officio Sinan Cicala. Nam cum in pugna ad Agriam non ita pridem commiſſa, ille parum idoneus ad tam grave imperium gerendum adparuiſſet, hic vero contra, ipſius etiam Mahometis judicio, illius defectum ſuppleviſſet, eoque magis ſtrenuum ſe præſtitiſſet, quam in ipſius diligentia fuiſſet jure requiſitum (exercitum namque recollegit; Imperatoris perſonam in tutum redegit, prælii eventum dubium & ancipitem reliquit) igitur non modo primarii ducis officio dignus habitus, ſed primus etiam Viſir Baſſa creatus eſt. Tandem utroque privatus fuit, quod Imperatori nimis audacter conſuluiſſet, ne Sultanarum verbis fidem haberet, matris inprimis: quæ ne iterum filius in bellum proficiſceretur, omnem movebat lapidem, omnemque excogitavit modum quo ipſum effœminatum & imbellem redderet. In Burſiam igitur Aſiæ urbem quondam Turcicorum Principum ſedem relegatus eſt, non citra periculum vitæ. Mater enim Mahumetis (more mulierum, quæ conceptum vel amorem vel odium acerrime animo retinere ſolent) precibus filium fatigare non deſinet, donec de ipſius morte certi quid ipſi a filio promiſſum fuerit. Ferre enim non poterit, mancipium eo audaciæ procedere, ut matrem in filii malam gratiam collocare conaretur. Hujus rei ſollicitudo diu anxium ejus animum tenuit, non modo propter inconſtantiam & mobilitatem Principis, inſignemque erga mulieres affectum atque mollitiem, verum etiam quia cum Hibraimus, ad mandatum Sultanæ & impulſus a conjuge, Conſtantinopolim recuperato primi Viſirii officio (alias enim domum redire ipſi non licuiſſet) ſit reverſus, non ſine cauſa ſuſpicatur, fore ut omni inſidiarum genere eum Sultana perſequatur, accuſationemque, quam non ita pridem demortui Ferrathi Baſſæ amici ipſi moverunt (qui ejus capitalis inimicus fuit) fovere & redintegrare conetur.

Sed his omnibus ſepoſitis, cum Cicala ſit opulentiſſimus, ingenio valeat, ſtrenuus, & rei militaris, terreſtris inprimis, cognitionem exactam teneat, utpote qui in Perſicis bellis fere enutritus fuit, non eſt dubitandum, quin ubi hic primum Mahumetis furorem atque impetum effregerit, tela in ſe directa & conjecta ita eluſurus ſit, ut facile quæ amiſit recuperare poſſit. Cujus rei jam antea ſpecimen edidit, cum ab Architalaſſi officio remotus, non modo propter ſuſpicionem quam de ſe dederat ejus frater proficiſcendo Conſtantinopolim quam ut ea ratione reipublicæ Venetæ ſatisfieret, cujus ipſemet Turcicus Imperator rationem habitam in eo removendo eſſe palam profitebatur, volebat. Odium quod in rempubl. Venetam animo conceperat jam adoleſcens & Chriſtianus, inde originem traxit, quod ejus reipubl. triremes myoparonem, qui ipſius parentis fuerat, rapuiſſent nec reſtituiſſent. Patrem habuit Genuenſem; mater Turca fuit Caſtellinovi nata: ipſe vero Meſſinæ procreatus. Injuriarum acerrimus vindex fuit. Uxorem duxit neptem filiæ Ruſtemi Baſſæ, quam is ex filia Imperatoris Solymanni ſuſceperat. Hæc ipſa eſt, quæ non ita pridem immenſis ſumptibus aquæ ductum longiſſimum in deſerto Arabiæ, ut peregrinantium ad Mecham commodis neceſſitatibusque ſubveniret, ædificavit. Meccha autem, vel Macca ut Arabes vocant, ea eſt urbs, quam communi ipſorum vocabulo Medina Alnabi, id eſt urbs prophetæ, quo nomine ſeductorem illum Mahumetem intelligunt, dicitur. Hæc Sinani Baſſæ ſocrus noſtra memoria eo nomine clara eſt, quod cauſſa non infima extitit belli Cæſari Rudolpho ab Amurathe moti, dolore incenſa, quod ipſius filius unicus isque chariſſimus in prælio ad Cobapim præteritis annis ſub Aſſano Baſſa commiſſo, cum aliis occiſus fuerit.

VIII.

De Giafer Baſſa & cur ab officio fuerit remotus.

Ducis officio vel vicarii potius anno præterito in Vngaria ad Belgradum (quæ Alba Græca dicitur) functus eſt Giafer Baſſa eunuchus, natione Hungarus; quo tandem eandem ob cauſam qua & Hibraimus privatus eſt. In Perſia ſub Oſmano Sinano & Feratho Baſſis militavit, donec Baſſa Tabriſii (quæ olim Ecbatana nunc Tauris vocatur) creatus fuit, quæ cum a Perſis obſideretur, acerrime ab ipſo, inſigni fortitudinis prudentiæ & liberalitatis ſpecimine edito, defenſa fuit.

IX.

Aſſan filius Mahumetis Socolovichi. Officium Beglerbegi Græciæ. Herzecovina provincia. Quo nomine Turcæ illum vocare ſoleant, qui ſecundum ab Imperatore locum obtinet. De Vidino vel Bidena urbe.

Beglerbegus Græciæ nunc eſt Aſſan Baſſa. Græcia autem a Turcis Rumelia ab ipſis Græcis Romania ſcilicet Europæ dicitur. Eo enim nomine, ut hiſtoriæ teſtantur, tanslata Romani Imperii ſede Conſtantinopolim, non modo Aſia, ſed ipſa etiam Europa inprimis vero Græcia vocata fuit.

Hic Aſſan Baſſa oriundus eſt e regione Herzecovina, qui olim ducatus ſanctæ Savæ dictus. Eſtque Boſniæ provinciæ pars quæ verſus Raguſiam protenditur, illo itinere quod Conſtantinopolim ducit. Patrem habuit Mahumetem Socolevichum, a loco quodam Socol, qui eſt in Herzecovina, ſic nominatum: fuitque Vizir Azem, id eſt, Princeps conſilii, & gubernator ſummus Imperii Ottomannici, ſub tribus Imperatoribus: quod officium Diadar vel Devidar a Mamalucis in imperio Sultani Ægypti, a Græcis vero πρωτοσύμβολοι vocatur. Militibus gratiſsimus eſt propter comitatem & humanitatem. In comitatu ſuo plerumque mulieres plurimas ſecum circumducere ſolet, & propter ſumptus immenſos, quos facit, fere non amplius eſt ſolvendo, bonis ſuis pene omnibus decoctis. In Perſia militem egit, & ultimis bellis Ungaricis interfuit. Cumque ipſius Imperium dignitate & autoritate præſtantius ſit reliquorum præfectorum, itaque ejus juriſdictio & dominium latiſsime ſe extendit: Bulgariam videlicet Serviam & Albaniam comprehendens, atque ideo multi eum ſectantur. In Roſgrado Bulgariæ urbe cum exercitu aliquandiu commoratus eſt, ut Wallachos & Tranſylvanos tranſitu Danubii prohiberet, & rebus ſic requirentibus cito ipſemet transfretare poſſet. Nunc ſubito Vidinum, olim Bidenam, miſſus eſt, qui Sangiachatus eſt, Græciæ Beglerbego (non Zezeborenſi Baſſæ, vulgo Temeſuar, ut alii volunt) ſubjectus. Si vita ipſi diuturnior continget, dubio procul in virum præcipuum & primarium totius Imperii evadet.

X.

Hafis Haemat cur ab officio fuerit remotus. Ipſum primum fuiſſe qui equitibus Turcis ſtipendium ſolvit.

Hafis Haematus Cairi quondam Baſſa, eunuchus eſt, Vonari Albaniæ pago non procul a Cicaleſſo diſſito natus. In Croatia & Boſnia bello præfuit, ſed negligentiæ accuſatus quod Petrinam non occupaſſet, ab officio dejectus eſt. In gratiam tamen rediit, & in Scopiis nunc degit. Juſtitiam colit, prudentia valet, ductus ſuperſtitione onus hoc ſuſcepit. Concionatorem Mahumetanum prius egerat, quod vox Hafis denotat. Ille primus fuit, qui equitibus Turcis ſtipendium ſolvit, & pecuniam mutuo dedit petentibus. Qua in re ſi Principes Ottomanni noſtrorum morem imitari vellent, immenſas copias tam equeſtres quam pedeſtres facile colligere poſſent.

XI.

Sophi Sinan Baſſa. Mehemeto Satarzgi cur faveat Sultana mater. Haidar Baſſa. Odaverti. Velli.

In exercitu ad Agriam erat etiam Sophi Sinan Baſſa, Budenſis, Albanus natione, e montibus Ducaginis ortus, quem Turcæ propter prudentiam & fortitudinem plurimi faciunt. Aderat quoque Mehemet Satarzgi Albanus & ipſe. Præcipui enim duces Turcici ex ea gente originem trahunt. Diu Caramaniæ Baſſa fuit, ubi prudentiæ plurima edidit ſpecimina. Jam ut plurimum ingenio & voluntati Sultanæ matris, (quæ ex eadem gente eſt) ſeſe accommodat, & paci ſtudere ſimulat, inde officium Tzader Mecter Baſſi (quem magiſtrum tentoriorum vocare poſſumus) adeptus eſt: quam ſi qua cœpit benevolentia proſequi perget, non dubitandum, quin ampliſſimis tandem præficiatur muneribus. Ferunt eum cum adhuc in aula ſatellitem ageret in certamine quodam ludicro, non procul a Caſtro veteri, ubi palatium regium eſt, habito, tam ſtrenuum ſe geſſiſſe, adverſariis in fugam conjectis, aut conſciſſis ingentibus vulnerum plagis, quales inferre lanii ſolent, ut Satarzgi inde vocatus ſit. Alii putant, revera ipſum lanium fuiſſe. Præter eos, quos modo recenſui, in exercitu quoque fuit Haidar Baſſæ. Is Beglerbegus cum eſſet, ab Amurathe in Muldaviam miſſus, officio ſuo tam probe atque induſtrie functus eſt, ut aliquo modo illexiſſe videretur Polonos ad donum quoddam & munus annuum Turcæ quod mitterent decernendum, & res quæ in controverſiam venire poterant amice componendas. Nunc in Perſia verſatur. Belgradi tunc conſiſtebant Odaverdi & Velli Baſſæ. Ille in bello, quod in Croatia & Boſnia geſtum eſt, claruit: Hic Muldaviam Serini Petro, qui eam cum turma Coſaccorum majori temeritate quam prudentia occupaverat, rurſus eripuit. Adfuerunt inſuper in caſtris plurimi alii Baſſæ & Sangiacchi ordinarii, quorum nomina, cum ſint novitii neque ita celebres, nobis nondum innotuerunt.

XII.

Aſſan Baſſa, quare concitarit reliquas Mudahari in Gemen.

Præterea e Gemen ſeu Gimin, Arabiæ felicis urbe evocatum fuiſſe ferunt Aſſan Albanum: qui ſeniori Sinan Baſſæ ſanguine junctus ab eoque nutritus erat. Hic artificioſe reliquias familiæ Mudahari, quæ ab Oſmanno quoque defecerant, concitavit, & honeſtas de illis reportavit victorias. Affluit divitiis, unde facile militum favorem ſibi conciliare poteſt.

XIII.

Halil Baſſa Archithalaſſus, & ejus ignavia. Giafer.

Halil Baſſa claſſis præfectus, Turcico Imperatori cognatione junctus, Ungarus eſt, in Boſnia natus, homo novus, nec ulla re clarus quam quod donaria Imperatori ſuo, a piratis qui in mari Ægeo & circa Peloponeſum prædantur, exigit. Hoc anno monaſterium Callogerorum, quod erat in Strophadum inſula (duæ ſunt ejuſdem nominis, hodie Strivali dictæ) exuſſit, quod claſſem Hiſpanicam recepiſſent. In nulla habetur exiſtimatione. Putant quidam hoc officium ab illo in Giafer translatum iri. Qui in Calabria natus, ab Ulucchiali illo, qui anno 1571. e ſtrage maritima evaſit, enutritus fuit. Hunc rei maritimæ peritiſſimum eſſe prædicant.

XIV. *Præ-*

XIV.

Præfecti rei maritimæ. Piratæ. Cur Solymannus opera Ariadini uſus ſit.

Non eſt ut quis dubitet, quin Turcico Imperio viri rei nauticæ periti & ad gerendum bellum maritimum idonei deſint. Conſtat enim ab anno 1572. usque ad hunc diem perexiguam a Turca emiſſam eſſe claſſem. Deficiente igitur occaſione, quantum valeat virtus militaris cognoſci non poteſt: langueſcit potius & ſæpe etiam omnis extinguitur. Verum neceſſitate ſic urgente, ut claſſis valida ipſi paranda, inſtruenda & emittenda ſit, anteceſſorum ſuorum conſilio uti poſſet, mercede fortiſſimum quemvis e piratarum ducibus conducendo: quibus receptaculum præbere ſolet Thiniſſæ (quæ hodie Tunetum) Hypponis, quæ Bona olim, & Buſcæ aliisque in portubus. Inter quos archipiratas celeberrimi hoc tempore habentur Cara Deli, Amurat Bei, Mehemet Bei, tres e familia Memorum, duo Albani, Cyrneus quidam (Cyrnus hodie Corſica vocatur) Sala Bei, & alii non minus celebres in hac arte quam periti. Gallus quidam Politicus ſcriptum reliquit, Solymannum Imp. præmiis ſplendidiſſimis & precioſiſſimis illuſtrem illum piratam Ariadinum Barbaroſſam ad ſe allicere ſtuduiſſe, ipſo etiam Archithalaſſi officio oblato. Idque propterea ab eo factum eſſe ſcribit, ut vires ſui Imperii augeret, & ipſum Ariadinum ita ſibi devinciret, ne amplius rebus Ottomannicis damnum inferret.

Et hæc hactenus de ipſis belli ducibus. Nunc milites & membra minus principalia deſcribere aggrediar. Horum duo ſunt genera. Alii ſunt proprii, auxiliares alii. Priores in equites & & pedites diſtribuuntur. De illis priori loco nobis dicendum erit, cum in equitatu omne pene Turcarum robur bellicum conſiſtat.

XV.

De Spahis & duobus ſtipendiorum generibus, Timaro & Ulefe. De S. Theodoro Stratilato.

Turcici equitatus præſtantia in *Spahis* conſiſtit, qui ſtipendii loco certos habent reditus quos illi Timari vocant. *Timarum* proprie dici poteſt penſio quædam vel aſſignatio certorum redituum, qui ex fundis percipiuntur bello acquiſitis, qui certa proportione diſtribuuntur militibus, quorum præ cæteris emicuit magnanimitas, quique ſtrenuam in bello navarunt operam. Cum coloniis antiquis, vel feudis, vel quæ noſtra ætate dicuntur Commendaturis, comparari poſſent. Præmium, quod Romani in milites bene de repub. meritos conferre ſolebant, ut ad dies vitæ fruerentur, *beneficio* adpellabant: *beneficiarios* vero qui illo præmio fruebantur. Cum his convenit, quod Græcis τιμάριον, & τιμαριῶται perſonæ dicuntur. Etymologia a voce τιμὴ ducta, quæ honorem ſignificat. Unde de Theodoro (non eo qui Tiro, ſed qui Stratilatus, id eſt, prætor vel militum ductor, vocatus eſt) legitimus, quod a Licinio Auguſto arcem Heracleæ in vicem Timari accepit, idque diu antequam ad martyrium propter fidem Chriſtianam tractus fuit: ut habet Philo poeta Græcus, Damaſcenus, Nicephorus Calliſtus. Sicut etiam in Meniæo, quod eſt Officium Græcorum menſtruum, legitur. *Ulefe* dicitur ea merces, quæ de die in diem a quæſtore militibus, qui ſtipendium accipiunt & reliquis qui in aula Imperatoris ſerviunt, perſolvitur. Qui *Ulofezgi*, vel Olophagi dicuntur, quaſi quibus de ſolo victu proſpectum eſt; a Græco illo ὀλοφάγοι voce deducta.

Eorum qui pro timaro in Europa militant ad 1600. numerantur. Quilibet Spahorum, qui circiter 3000. ad 6000. aſpros annuos habet in reditum, in bellum cum equo uno proficiſci obſtrictus eſt: qui circiter 5000. ad 10000. habet, cum duobus ſe ſiſtere cogitur. Idem de reliquis qui plus minusve habent in reditu, habita proportione ſtatuendum eſt. Nonnulli plures equos alere ſolent, prout quis vel dives eſt, vel honoris & gloriæ deſiderio tenetur.

Horum Spahorum pars maxima Beglerbego ſubjecta eſt, quorum numerus ad 9000. Timariorum accedet. Reliqui Boſniæ, Budæ, & Zoroborenſi (vulgo Temesvvar dicitur) Baſſæ parent.

XVI.

De Spahoglanis, Selectariis, Ulofezgi & Guraaba.

Præter eos, quos modo commemoravi Spahos, ſunt *Spahoglani:* qui in aula nutriti delicatuli ſunt, aut aulicorum more polite & ſplendide veſtiuntur habitu Perſico. Equitant more Aſiatico, parvis utentes ephippiis, e quibus facile deturbari poſſunt. Quondam non tenebantur in bellum proficiſci, niſi præſente Imperatore: ſed non ita pridem eorum plurimi a Sinano & Giafer nolentes in militiam tracti ſunt, quod aliis militibus deſtituerentur. Qui cum in Servia & Bulgaria hybernaſſent, tam male extorſionibus & rapinis mulctarunt miſeros ruſticos, ut peius ne ab ipſis quoque Tartaris tractari potuiſſent: quorum etiam veſtitum & perſonam ſæpius induerunt, ut ſub ea ſpecie delicta ſua facilius cooperire poſſent.

Horum quatuor ſunt ordines in aula Imperatoria: videlicet *Selectari*, *Ulefezgi*, *Guraba* & *Spahoglani*. Sed poſteriorum numerus omnium maximus eſt. Igitur eorum nomen ſine diſcrimine omnibus attribui ſolet. Selectari & Spahoglani in duo agmina diviſi ſunt: videlicet in Selectaros dextri & ſiniſtri lateris, & Spahoglanos dextri & ſiniſtri lateris. Diverſis ſignis invicem internoſcuntur. Quibus ſi eos, qui Guraba & Ulefezgi nominantur, adjicias, agmina ſex efficient. *Guraba* autem nomen plurale eſt, a Carip ductum, quod pauperem & nudum denotat. *Ulefezgi* autem, ut ſupra diximus ſtipendiarii dicuntur. Horum ordinum quilibet proprium ſuum habet Agam, qui duobus vel tribus equitum millibus imperat.

XVII.

De Acanziis & Haiduchis. De provincia Dobruccia.

Qui *Acanzii* vocantur, ut plurimum agricolæ ſunt. Sed falluntur, qui eos Haiduchis Hungarorum comparant, cum illi equites hi pedites militare ſoleant. Nec recte eos a Jovio & aliis ſcriptoribus recentioribus voluntarios milites appellari puto, cum propter exemptiones ipſis conceſſas in bellum proficiſci cogantur, ſæpius tamen Zingarorum vel Tartarorum more integras regiones deprædando pervagentur & devaſtent. Non magna ipſorum ratio habetur: in Dobruccia Bulgariæ provincia ut plurimum ad Danubium deſident & morantur.

XVIII.

De iis qui Gionli, Banali, & Muteferagâ dicuntur.

Ii qui *Gionli* dicuntur vere ſunt voluntarii milites; qui, ſicut & hi, quos *Banali* vocant & ſpe alicujus muneris conſequendi militant, voluntarie ſine ſtipendio in bellum proficiſcuntur. Iis Chriſtiani plurimi admixti ſunt. Quemadmodum & reliquis, quos *Muteferaga* nominant, ſeſe adjungere ſolent (qui ſunt præcipui aulici) nec in bellum niſi Imperatorem comitandi cauſa ire coguntur, ab oneribus militiæ eximuntur. Liberrime omnia devaſtant: exercitum præveniunt tanquam præcurſores: ex præda acquiſita partem quintam Imperatori offerunt. Reliqui *Banali* Baſſarum & Sangiachorum familiis & Spahorum ſervitiis ſe immiſcent.

XIX.

Numerus Timarorum Aſia, Africa & Europa. De voce Beglerbegi. De Beglerbego Græcia & Anatolia. De Divano. De Sophia, Tibiſca, Nicopoli, Scopia, Sardica, Triadiza, Gutbegia, Stamboli ſeu Conſtantinopoli. De Præfecto maris & ejus reditibus.

Timarorum in Aſia numerus ad 50000. ſeſe extendit: quæ ſubducta ratione 150000. tam equitum quam peditum, ſervis annumeratis, efficiunt. Multitudine Europæas duabus tertiis ſuperant, ſed armis non bene inſtructi parumque fortes ſunt, nec ad bellum idonei: exceptis iis pauciſſimis, qui ad mare habitant & militiæ nauticæ addicti ſunt.

Initio poſtremi belli Perſici triginta fuere in Aſia Beglerbegi, & exinde numerus eorum actus fuit. Africa tres habet. Feſſæ & Marocci regna nullos habent, ſed potius Turcæ tributaria dici poſſunt. Europa habet ſex Beglerbegos. Quæ vocabuli explicatio mihi ſubjicienda erit; cum ſæpius ejus a me facta ſit mentio.

Vox illa Turcica *Beglerbeg* idem valet, quod dux ducum, ſeu princeps principum. Hi enim ſupremi ſunt duces & præfecti, quibus reliqui omnes, qui aliquo in provincia ſibi commiſſa imperio militari præſunt, ſubjecti ſunt. Hi eandem poteſtatem obtinent quam illi, qui *Melicul Vmerca* Arabibus, & Græcis ἄρχοντες ἀρχόντων vocantur. Quorum tres authoritate & dignitate reliquos ſuperant, & eundem cum Baſſis Viziris locum obtinent. *Viziros* autem vocant Turcæ, qui in Divanum ſeu conſilium regium admittuntur, ut ibi in præſentia Imperatoris ſententias dicant. *Divanum* autem non recte a quibusdam Dovana & Tiphanum dicitur.

Rumeli Beglerbegus primus eſt, qui Romaniæ ſeu Græciæ imperat, & ſedem habet in urbe Sophia, quæ olim Tibiſca dicta eſt: metropolis tamen Bulgariæ, vel Volgariæ (a populis qui a Volga fluvio eo migrarunt ſic nominata) non eſt, ut falſo quidam opinantur. Neque eo loco habenda eſt Nicopolis, quæ propter victoriam, quam Trajanus de rege Dacorum Decebalo reportavit, claret. Errant quoque qui Sophiam pro antiqua Scopia vel Dardania vel Macedonia ſumunt. Neque etiam Sardica eſt, a qua ſynodus Sardicenſis ſub filiis Conſtantini habita nomen accepit: hodie enim Triadiza nominatur.

Aſiæ minoris ſeu Anatoliæ Beglerbegus inter primarios ſecundum locum obtinet. In Cutheia reſidet, quæ (Cotyæum quondam) in Phrygia ſita: imperite a quibusdam in Galatia ponitur.

Denizi Beglerbegus, qui & ſupremus Baſſa dicitur, maris imperium habet: ut plurimum Conſtantinopoli moratur, quam Turcæ corrupto nomine Stamboli vocant. Hic armamentarii curam geſſit, priusquam a Solymanno ad honorem Beglerbegi evectus eſſet, & Sangiacco di Gallipoli vocabatur. Ad ſuſtentationem ſui fruitur reditibus quos habet officium Subaſſi di Galata ſeu fiſcus Perz, quod pro 16000. coronatis elocatur. Habet etiam uberrimos proventus novem inſularum, quarum præcipua eſt Nixia.

Atque hactenus de equitatu, ſequitur de peditatu.

XX.

De Agiamoglanis & Ianizaris. Vera etymologia Ianizarorum, & qui apud Perſas Janitores fuerint. Quomodo ducem præcipuum adpellare ſoleant. De voce Aga & Agalari. Qua de cauſſa Janizari ſuperbiant, & de priſtina ſtrenuitate & fortitudine plurimum remiſerint. De moneta Turcica. De monte Hajon Horos. De Dephterdariis.

Pedites præcipui apud Turcas ſunt *Janizari* qui e numero *Agiamoglanorum* (qui ſunt Chriſtianorum liberi maſculi, quos in decimis pendere coguntur) ad id vitæ genus a pueris ſeliguntur & enutriuntur. Reliqui in aula viliſſima quævis ſubeunt munia. Cum navigiis (quæ Caicchi vocant) hinc inde navigant, vel hortos colunt, vel aliis ejusmodi rebus perficiendis adhibentur, ſalarium unius tantum aſpri in dies ſingulos accipiunt. Aſper ſeu Aſprus (non, ut quidam volunt,

Aſperus) Græcis dicitur ea moneta, quam Arabes, Oſmanni, & Turcæ Acſe vocant ab albedine, quia ex argento conſtat. Eorum ſpecies duæ ſunt, majores & minores, horum uſus frequentior eſt, licet viliores, & minus pulchri ſint: illi bonitate materiæ priores ſuperant. Eo monetæ genere Turcicus Imperator militibus ſuis & aulicis ſatisfacere ſolet.

Scriptores quidam Syderocapſiam vocant, ab arce Syderocapſa, quæ in provincia Thaſſi ad Athon montem celebrem ſita eſt. Hunc montem Græci αἰγαῖον ὄρος, vel quod mari Ægeo immineat, vel quod capris paſcentibus ubique ſit refertus, appellant: aliis dicitur ἅγιον ὄρος, mons ſanctus, quod Turcis ſonat Seitdag. Nam 23. in eo ſita ſunt monaſteria Calogerorum, qui ſunt monachi in ſolitudine viventes. *Aſper* valet 24. manguris. *Mangurus* moneta cuprea eſt, idem valens, quod numulus antiquus. Quinque aſpri ſi boni ſint, & juſti ponderis, drachmam: duodecim drachmæ thalerum efficiunt. Thalero uno & medio conſtat *Cecchinus* Venetus, qui ejuſdem eſt valoris cum Sultanino Turcico aureo, quæ omnium præſtantiſſima moneta Turcarum eſt, ſedecim Paulinos Romanos valens. *Sultaninus*, quem alii Soldanum vocant, a Sultanis ſeu principibus Ottomannis nomen habet, ſicut Cecchini dicuntur ducati, quod duces reipublicæ Venetæ eos ferire ſoleant. Et Byzantii vel Byzantini tempore Græcorum ab urbe Byzantio denominabantur, & ejuſdem fere cum prioribus erant pretii. Scriptores nonnulli diverſe de hac computatione ſcripſere, precium namque ſui temporis conſiderabant. Aſper conſtabat 8. tantum manguris. Drachma 4. aſpris, 9. aſpri thalerum efficiebant. Cecchinus vel Sultaninus valebat 54. aſpris. Nunc monetarum ratio omnis mutata eſt. Thalerum efficiunt 70. vel 80. aſpri, Cecchinum vero 110. 120. 125. aſpri, quod propter varia tributa Conſtantinopoli & paſſim propter bellum Perſicum imperata & impoſita, factum eſt. Ejus monetæ, quæ quondam in Imperio Ottomannico currebat, uſus nunc eſt prohibitus propter varias imagines, quibus ſignata erat, a quibus Mahumetana religio penitus abhorret. Verior tamen ejus rei cauſa poteſt allegari, quod videlicet ex ea moneta, quæ puriſſimo conſtat argento, ſi rurſus cudatur, multum lucri & theſaurus Imperatoris, & theſaurarii ipſi percipere poſſunt. Sed ab eo zelo & ſuperſtitione nunc paululum remiſerunt, eam pro legitima habentes, quæ materia conſtat perfectiſſima. Hæc eo a me animo ſcripta ſunt, ut de ſtipendio, quo Imperatores Turcici ſuis militibus ſatisfacere ſolent, certi quid conſtet. De reliquis monetis, Ægyptiaca videlicet, Arabica, Syriaca & Perſica, quarum per univerſum regnum Turcicum uſus eſt, videatur liber, ea de re non ita pridem ſcriptus, cujus lectio tamen a magiſtratu interdicta eſt, quod nonnulla minus pia contineat, quo niſi laboraret vitio, cognitione omnium digniſſimus eſſet, propter plurima ſecreta rerum Turcicarum quæ in eo continentur.

Janizari igitur pro optimis habentur militibus, qui in regno Turcico reperiuntur, quorum opera & miniſteria cum iis conveniunt, quos milites prætorianos olim vocabant, & ut Mammalucci corpus ſui principis circumſtipant, vel ut juvenes iſti ſtrenuiſſimi Perſarum quos Ianitores vocabant (quorum mentionem facit is, qui ſub nomine Ariſtotelis librum de mundo compoſuit) Regem vel Imperatorem ſemper comitantur, & cuſtodiunt. Putarunt nonnulli eos a janua nomen ferre, alludentes ad nomen portæ, quæ eſt regia Imperatoris, verum qui opinioni huic innituntur, errant. Nam Turcis porta capi dicitur, non janua. Unde is qui ſupremam regiæ curam habet Capizi Baſſa vocatur. Vox autem Janizari a Turcico vocabulo Ienigzeri derivata, novam militiam ſignificat. Nova dicitur non propterea, quod recenter in uſu eſſe cœperit, ſiquidem ab Oſmanno Gaſi (quem alii Ottomannum vocant) inſtituta, ab Amurathe primo ex conſilio Cara Ruſtem, quem Turcæ ut ſanctum colebant, renovata & aucta fuit: Sed quod Ianizari fere omnes Chriſtianorum filii ſunt.

Hi parentibus in juventute a miniſtris quibus illud commiſſum eſt negocium, quinto vel ſeptimo quovis anno interdum etiam ſæpius tributi nomine eripiuntur, cum octavum, vel decimum, etiam cum vigeſimum ætatis implerunt annum. Poſtea in partes Anatoliæ diverſas diſtribuuntur, ut in lege Mahumetana inſtituantur, conſuetudines & linguam Turcicam addiſcant, laboribus & ærumnis aſſueſcant, vocanturque Agiamoglani, ut ſupra quoque oſtendimus, ubi ætatem, quæ tractandis armis convenit, attigerunt, & exercitiis bellicis aſſuefacti ſunt, ad portam remittuntur, ut in numerum Ianizarorum aſcribantur. Qui militiæ minus apti ſunt, ad naves & triremes relegantur, ut rei maritimæ ſtudeant. Qui bonitate indolis & ingenii præſtantia alios ſuperant, illi in Seraliis, quæ ſunt Adrianopoli, Conſtantinopoli & Peræ includuntur. Inde pedetentim ad miniſteria aulæ & cubiculi Imperatoris adhibentur, certos ſuos præfectos habent quibus obedire coguntur. His ſtipendium 5. vel 6. aſprorum in dies ſingulos ſolvitur. Tantundem vero habent nonnulli ex Agiamoglanis qui diverſo a Ianizaris habitu veſtiuntur. Illis duæ veſtes annuæ dantur, tormenta dexterrime tractant, & vere tormentarii, ſeu pyrobolarii cuſtodiæ Imperatoris dici poſſunt, honoris acquirendi cauſa obſtinatiſſime certare & pugnare ſolent. Agiamoglani vero unicum veſtitum annuatim accipiunt.

Ianizarorum quidam ad limites Imperii in præſidiis habentur. Pauci ad mare habitant, & militiæ nauticæ addicti ſunt. Eorum pars maxima aulam & Imperatorem ſequuntur, & plerumque Conſtantinopoli morantur, ubi fere omnes creari ſolent. Nam qui Damaſci, Cairi, vel alibi creantur, ubi Conſtantinopolim pervenerint, & ibidem in eo officio non confirmantur, reticulum illud quod Zercula vocant, geſtare non audent.

Cum ultimam in expeditionem ſub ipſorum Aga profecti ſunt, præter morem, ordinem potius militiæ turbarunt quam ut ſtrenue ſuo functi ſint officio. Non enim libenter obediunt primario duci, quem Serdar voce Perſica vel Serdsker lingua Arabica nominant. Tum etiam quod noſtra me-

memoria a diſciplina & præceptis majorum ut plurimum declinarunt, neque in bello ea animi præſentia & fidelitate ſerviunt, qua quondam ſolebant eorum prædeceſſores.

Præfectus Janizarorum Aga vocatur, qui primus eſt Agalariorum, qui ſunt equites præcipui, qui nunquam a latere Imperatoris diſcedunt, ab Aga, id eſt, baculo, ſic dicti, qui poteſtatis, qua pollent, ſignum eſt: Chiliarchas, Tribunos, & Druncarios ſeu Truncarios imitantes, quo olim quoque ejusmodi baculos vel truncos ferre ſolebant.

Janizarorum maxima inſolentia eſt, non modo erga privatos, qui eos vehementer timent, ſed etiam erga ipſummet Imperatorem. Sciunt enim robur omne Imperii & potentiæ Ottomannicæ ipſorum in manibus verſari. Raro etiam vel leviter propter delicta caſtigantur, unde quanta ſit ipſorum potentia, quoque in loco paſſim ab hominibus habeantur, perſenſerunt. Imperatori ſæpius indigniſſime minati ſunt abrogationem Imperii, & filii in patris regnum ſubſtitutionem. Ab eodem interdum extorſerunt furore quodam barbaro & importunitate maxima res omnium iniquiſſimas. Cujus rei ut exempla vetuſtiora ſileam, Amurathem proxime defunctum coegerunt, vel vivos vel mortuos ſibi dedere Dephterdaros & Mehemetum Baſſam Armenium, quem unice diligebat, accuſantes eos, quod falſam ab ipſis monetam accepiſſent in ſolutione ſtipendii. Dephterdari enim theſaurarii ſeu quæſtores ſunt tres, quorum unus ſummus eſt, & præſidet ærario, reliqui ejus collegæ fiſcum curant. Superbiæ & inſolentiæ cauſa quoque non minima extitit, numerus eorum paucis ab hinc annis valde auctus, idque culpa miniſtrorum, qui ad hoc conſtituti ſunt, ut quos officio illo dignos æſtimant, a reliquis Agiamoglanis ſecernant. Qui non optimum quemvis, & ad militiam aptiſſimum, ut quondam fieri ſolebat, ſed quos modo nanciſci potuerunt, militum inopia coacti, elegerunt, etiam Turcas naturales, & Janizarorum filios: verum ut id faciant, pecunia corrumpendi ſunt. Quod uberrime, præteritis annis maxime, contigit, ubi corporis ſolius diſpoſitionem, & annorum modo numerum in exercitus collectione reſpexerunt, quo ſubito magnas conſcribere copias potuerint, inter veteranos aſſumptis iis, qui militari diſciplina omnino non erant imbuti.

XXI.

Spahi pedites.

Spahi quidam pedites ſunt, qui Eubœæ Lacedæmone (hodie Miſithra) & aliis locis maritimis commorantur, reique maritimæ ſtudent, & Archithalaſſo parent præcipuoque uſui in triremibus ſolent eſſe.

XXII.

De iis, qui Aſappi, Besli & Huſaroni dicuntur.

Præſidiarii inſuper pedites ſub nomine Aſappi & Besli comprehenduntur, qui falſo a Græco quodam autore Huſſaris Hungaris comparantur, cum illi pedites ſint ſtipendiarii, hi vero equites.

XXIII.

De iis, qui Culcardaſi vocantur.

Tandem cum Amurathes poſtremus reipſa expertus eſſet, tantam ſibi non eſſe militum copiam, quam quondam habuere ipſius majores, propter certas quasdam rationes, de quibus infra a nobis agitur, novam inſtituit militiam tam peditum, quam equitum, ruſticorum videlicet, Turcarum. Quibus ampla privilegia & honores plurimos decrevit, proprio ipſis indito nomine *Culcardaſiorum:* quod ſervorum ſive mancipiorum fratres ſignificat. Quæ adpellatio cum ſolis tribuitur Chriſtianis in Mahumetanam ſuperſtitionem adſcriptis ac degenerantibus, apud Turcas omnium eſt honorificentiſſima.

XXIV.

Milites Africani.

In Africa Turcæ equitatum fere nullum aut ſane perexiguum habent. Præſidiarii pedites Algerium, Tunetum, Tripolim, Gulettam, atque alia loca quæ in ea regione poſſident, metu Hiſpanorum ſerio cuſtodiunt. Hiſpani enim propugnacula & arces munitiſſimas iis in locis habent, quæ ne ipſis eripiantur diligentiſſime & firmiſſimis præſidiis munire ſolent.

Atque hæ ſunt Turcarum copiæ militares equitum & peditum, quibus Imperator in omni bello tanquam mancipiis uti poteſt. De quibus pauca quædam conſiderare convenit.

XXV.

Obſervationes quædam autoris de exercitu Turcico.

Notandum igitur, exercitum Turcicum quem modo deſcripſimus, & qui primo intuitu immenſus apparet, fama potius & opinione hominum, quam revera tam magnum & validum eſſe. Militum enim perſpectæ fortitudinis & experientiæ maxima eſt raritas, qui mediocriter in rebus bellicis ſunt verſati non magno conſtant numero. Qui vero ad res gerendas plane ſunt inutiles, & quorum nulla habenda eſt ratio, ut ſunt ſervi, calones, lixæ & his ſimiles, horum ingens eſt copia. Conſtat etiam, equites Turcicos, in quibus robur atque opes illius Imperii potiſſimum conſiſtunt, non ea animi alacritate, & promptitudine in bellum proficiſci, neque ea patientia & tolerantia labores & incommoda ſufferre poſſe ut quondam maxima cum laude ſolebant. Bellis enim in Perſia geſtis attenuati valde ſunt. Inprimis vero Ungaricis hac tempeſtate; ubi hordei & rerum omnium ad ſuſtentationem hominum æque atque equorum & camelorum neceſſariarum indigentia & caritas maxi-

maxima fuit. Denique & illud obſervandum eſt, Spahos qui primarii ſunt Turcarum equites, difficillime hoc tempore equos bellatores, ne oblato quidem precio nanciſci poſſe: non modo propter equorum & rerum omnium caritatem maximam, ut modo diximus, verum etiam quod equi ut plurimum in bellis periere, & rarisſime inveniantur qui ad belli uſum valeant: tum etiam quod Spahi, quibus alii reditus non ſunt, niſi quod ex timaris percipiunt, amiſsis prioribus equis, deſtituantur fere rationibus quibus alios comparare ſibi posſint. Alii in ocio vivere deſides conſueti, pecuniam fœnore accipiunt, qua timara potius emunt quam equos; vel apud alios pecuniam occupant, a quibus poſtea cedendo bonis ea defraudantur.

Etſi vero præteritis annis equitatum habuerint copioſisſimum, diverſa tamen ejus rei cauſa fuit. Turcæ enim nunc multo molliores & effœminati e Perſarum delitiis, quæ eosdem fere in ipſis, quos luxuria in Romanis quondam & Græcis effectus habuerunt, redditi, plurima impedimenta, quæ ad commoditates lectorum & rerum ad victum pertinentium conducunt, ſecum trahere ſolent, ut multis ad eam rem equis uti neceſſe ſit. Neque quisquam eſt equitum, licet ruſticus ſit vel alias paupertate prematur, qui non plures uno ſecum in bellum ducat equum; qui tamen ſtrigoſi, male habiti & ad militiam plane inutiles ſunt, quod eventus pugnæ ad Agriam commiſſæ declaravit.

Cum diminutionis exercitus Ottomannici variæ a variis cauſæ afferantur, non puto me abs re facturum, ſi ea in re meum quoque interpoſuero judicium.

XXVI.

Cauſæ diminutionis Imperii Ottomannici. De Candileskieris & Cadis. Cur Græcia non tam bene habitata & culta ſit, ut olim. Cur Turcarum regiones frequentia incolarum careant.

Extra controverſiam eſt, Ottomannicum Imperium ea militum copia carere, quam quondam in bellum poſt ſe trahere Imperatores ſolebant. Hujus defectus cauſæ ſunt plurimæ, quas ſingulatim diſcutiemus. Prima eſt. Cum Turcarum potentia nunc valde aucta & amplificata ſit, ii qui quondam propter anguſtiam regionis, quam tum incolebant, locuſtarum inſtar in bellum, Tartarorum more, effundebantur, nunc majores commoditates delicias & regiones multo fertiliores nacti ſunt. Inde fit, ut non niſi coacte & ægerrime propria relinquant, & ad incerta acquirenda in bellum proficiſcantur. Secundo, ipſæ Turcarum regiones & ditiones, tam vagæ & ſpacioſæ ſunt, ut difficulter milites contrahi, & ad bellum congregari propter locorum diſtantias posſint. Neque regiones omnes propter vaſtitatem incolis frequentari poſſunt, cum Turcarum Imperatores, provincia aliqua armis ſubacta, incolas & habitatores ejus vel extirpare penitus vel alio transferre conſueverint. Tertio, his cauſis etiam hæc addi poteſt, quod Imperio Turcico valde dilatato, & quamplurimis nobilisſimis regnis & urbibus illi additis, Turcæ commoditates majores nacti ſunt mercaturæ exercendæ, quam quondam fere negligere & contemnere ſolebant. Hæc quamplurimos ita velut oppignoratos tenet, ut ſtatuere ipſi ſecum non posſint quo eam rationem vitæ deſerant. Quapropter ſponte ſua nunquam, ſed coacti tantum militiæ nomina dare ſolent. Majori enim cum periculo, & incertitudine rerum ſuarum ad eas opes & divitias Martis alea pertingere queunt, quas per mercaturam facile poſſunt acquirere. Quarto, Turcarum exercitus fere totus ex mancipiis, quæ fidem Chriſtianam ejurarunt, conſtat. Perſas enim & Tartaros mancipiorum numero Turcæ non ſolent adſcribere, ne bellicas functiones ac dignitates, in quibus præcipua autoritas & divitiæ conſiſtunt cum illis partiri cogantur. Quæ dignitates profecto tantæ ſunt & tam expetendæ, ut ſola hæc ratio opponatur ingenti illi periculo, quod imminere Turcico Imperio videtur ex tanta hujusmodi alienigenarum mancipiorum multitudine atque potentia. Illi qui Aſiam incolunt, quibus quondam omnes belli functiones concredi ſolebant, nunc Turcæ nativi ſunt, quorum plane nulla habetur ratio: æſtimantur timidi, nulloque in precio ſunt, nec minus effœminati & molles cenſentur, quam quondam antiquis Aſiæ populi habiti ſunt. Kadileskierorum & Cadorum honores illis ſolummodo attribuuntur; paucis exceptis, qui militiæ, & Sangiachis atque Basſis inſervire ſolent. Sed & hi tamen plerique mancipia Europæ ſunt, in Aſiam ad certa munia obeunda miſſa.

Kadileskieri ab Arabibus *Kaſiaskeri* dicti, judices ſunt in regno Turcico ſupremi & ordinarii, qui in rebus civilibus & criminalibus jus dicunt. Suntque duo: quorum alter Anatoliæ præſidet, alter Romaniæ. Illi qui Cairi moratur, non recte a quibusdam nomen illud attribuitur, cum rectius Cadus magnus dici mereatur, fuitque a Selimo inſtitutus, cum Armeniæ, Ægypti, Syriæ & Arabiæ partem ſibi ſubjeciſſet.

Hunc militum defectum nonnulli ad imminutionem incolarum & habitatorum in provinciis Turcicis referunt infrequentiam. Nam Ægæi maris inſulas & Macedoniam, & Græciæ provincias, ut plurimum cultoribus ſpoliatas vident, quæ tamen regiones omnium præſtantiſſimæ ſunt, quas Turca poſſidet. Sed his reſpondere poſſumus; ab eo usque tempore, quo Græcæ reipublicæ flos atque vigor extinctus eſt, multitudinem incolarum imminutam, nec unquam poſtea ad eam copiam qua prius pollebat perveniſſe. Paulus Æmilius in Epiro una die ſeptuaginta tam urbes quam oppida deſtruxit. In mari vicino plurimæ ſunt inſulæ, quæ propter ſterilitatem incultæ relinquuntur. Sed & bella civilia a Romanis geſta, ipſa Græcorum Imperatorum inertia atque deſidia, infeſta Saracenorum, Latinorum & Turcarum arma variis temporibus Græciæ illata, crebræ piratarum excurſiones, nunquam quieſcere & a damnis reſpirare inſulas illas & regiones florentiſſimas ſivere. Negari tamen non poteſt, multa milliaria in Turcico itinere faciendo peragrari, ubi nemo mortalium peregrinantibus obviam fiat, vel ædes ubi diverti poſſint appareant. Quoniam incolæ oppidis & pagis,

pagis, qui plerumque ad vias regias & tritas ædificati ſunt, relictis, loca remotiora & deſerta magisque munita petunt, ut tutus ipſis pateat receptus contra direptiones & deprædationes militum, qui ſuo ex arbitrio quosvis vivere cogunt, vel cædibus & rapinis omnia miſcent, eo ipſos inſtigante contra veræ militiæ leges propria malitia. Quod utinam ne ſæpius a Chriſtianis noſtris quoque, cum jactura rerum maximarum, & periculis maximis, experiri cogeremur; quemadmodum fuſius a me libello de militia Chriſtiana demonſtratum fuit.

Hæ ſunt, meo quidem judicio, & cauſæ & rationes minus dubiæ, ob quas imminuti & ad exiguum numerum redacti exercitus Turcici videntur, itemque cur majori ex parte iis conſtent militibus, quos extrema inopia, vel libido per injuriam alterius diteſcendi, aut deſperatio rerum ſuarum in bellum ire compellit. Quod eo frequentius evenire ſolet, quoniam ipſimet Spahi domi deſidentes, ubi ad ſumenda arma compelluntur & citantur, ſervos ſuos inutilia terræ pondera in militiam mittunt; qui ut & alii plerique diutius caſtra non ſequuntur, quam ubi aliquam adhuc prædæ ſpem ſupereſſe norunt, qua deficiente continuo domum repetere ſolent. Quod Sinan Baſſa anno præterito in Walachia expertus eſt; ubi plerique ex militibus leviter & peſſime veſtiti, alii induſiis ſolum tecti, nec contra rigorem ſatis muniti, ne frigore & fame perirent, ab initio ſtatim, ubi prædæ nihil amplius ſupereſſe cognoviſſent, ipſum deſeruerunt. Cum vero Alba Græca diſcedens Conſtantinopolim verſus iter teneret, omnes fere ipſum comitari voluerunt, & difficulter a ducibus in præſidiis retenti ſunt.

Dixi de militibus propriis, nunc de AVXILIARIIS nobis dicendum erit. Omnium igitur quos Turca in auxilium evocare ſolet, primi copioſiſſimi & fere unici ſunt *Tartari.* Quorum notitiam perfectam cum non omnes habeant, ego eam ea fide tradam, quo & ſuperiora a me propoſita ſunt, & quæ adhuc dicenda reſtant, proponentur. Qua in re ſolummodo hominum fide digniſſimorum, & qui diu inter ipſos verſati ſunt, ſequar judicium & relationem: omnibus fabulis, quas nonnulli de illis finxere, ſepoſitis. Adjiciam quoque de *Circaſſiis,* qui ab ipſis aliquo modo dependent, ut & de *Curdis, Druſis* & *Arabibus* nonnulla ſcitu digniſſima.

XXVII.

De Tartaris Crimæis; cur ſic appellentur & cur dicantur Præcopii. De vocabulo Han, Zar, Kiokai, Kzerei. Cur Moſcovita ſibi a Tartaris metuat, & quænam Tartarorum gens ipſi pareat. De Sarmatis.

Tartari vel Tattari inde dicti putantur, quod reliquiæ eorum Iſraelitarum, qui ultra Mediam, quæ tunc inculta jacebat, transportati fuerunt. Quod vox Tartari in lingua Syriaca apprime denotare videtur. Gens autem populoſiſſima eſt & varia. Nos de iis tantum loquemur, quos ad rem & propoſitum noſtrum facere cenſebimus.

Hi regem habent cui parent, qui in Taurica Cherſoneſo moratur. Eorumque alii in Europa, alii intra Aſiæ fines & Mæotidem paludem (Italis hodie, mar delle Zabacche) Tanaim & Volgam (quæ ipſis Rha dicitur) habitant, Mengreliis & Circaſſiis vicini, qui omnes Nagajenſes vocantur. Alii vero, qui partem ulteriorem Volgæ intra Moſcoviam mare Caſpium (nunc mar di Baccu dictum) & Georgianos incolunt, partim Moſcoviæ duci ſubjecti ſunt, partim ſua fruuntur libertate. Nonnulli Turcico parent imperio, ubi Demir Capi eſt, quondam portæ Caſpiæ dictæ.

Tartarorum autem rex, cujus non ita pridem mentionem fecimus, Tartarus Cremii, quæ eſt metropolis imperii, adpellatur: quamquam alias ut plurimum in eo Tauricæ Cherſoneſi loco, qui illis Jegnibazca, Polonis autem & Ruſſis Perocopska dicitur, reſideat. *Cremum* vel Crimæum urbs extra Cherſoneſum ſita eſt, ad eam foſſam, quam quondam, cum Iſthmum perfodere & Tauricam in inſulæ formam redigere cogitabant, excavarunt. Unde Poloni & Ruſſi eos Præcopitas, a *Procop,* quod foſſionem ſignificat, denominare ſolent; ſecus quam alii ſtatuunt, qui a rege quodam Procobio ſic vocatos eſſe putant. Errant tamen qui eam foſſam recenter factam eſſe aſſerunt; quod ex Herodoto liquet, qui Cremtii emporii in ſua Melpomene meminit.

Regum Tartarorum titulus eſt *Han;* quod herum ſeu dominum denotat. Minus recte a quibusdam Chan ſcribitur, niſi Italorum & Germanorum in aliquibus vocabulis pronunciationem aſperiorem ſequi velint. Poloni eum Zar ſeu Cæſarem vocant.

Ejus familia *Kirei* dicitur. Unde nota ſunt nomina Principum, qui non ita pridem adhuc vivebant; videlicet Mehemet Kirei Han. Rex qui nunc rebus præeſt Alip vocatur.

Ea pars Cherſoneſi, quam mare nigrum usque ad Boſphorum Cimmerium & introitum Mæotidis alluit, Turcæ ſubjecta eſt; quæ vero Mæotidem attingit & in meditullio ſita eſt, ad Tartarorum Han ſpectat; licet multi Chriſtiani Græcos ritus obſervantes ibi quoque habitent.

Hos quos modo recenſui Tartaros peſſime timet Moſcovitarum Dux; propter ſubitas eorum & improviſas excurſiones & deprædationes, quibus obvia quævis devaſtare, incolas captivos abducere, & Turcis aliisve vendere ſolent. Anno 1570. ipſam urbem Moſcoviam combuſſerunt. In majori vero metu & periculo verſaretur, ſi quando ipſi ex ditione ſua alio diſcedendum eſſet. Eos vero qui ad Aſiæ oram ſunt impedire poteſt, ne Chriſtianis damnum inferant, impediendo eos ne Volgam tranſeant. Quare ſæpius jam factum eſt, ut numero pauciores in bellum Ungaricum profecti ſint, quam communis de ipſis rumor & fama fuerit. Qui Moſcovitæ obediunt Cæſari *Astrahan* & *Citrahan* vocantur: hi nihil ad propoſitum noſtrum faciunt. Illis, quos dixi in Europa intus & extra Tauricam & Mæotidem & ad Euxinum Pontum habitare, Moſcovita ſine Polonorum auxilio reſiſtere non poteſt. Coguntur enim neceſſario horum ditionem attingere, ſi iter ad urbem

bem Smolenſcho, vel aliud ad Tunaim vel Mœotidem ducens, tenere volunt; quæ aſperrima longinqua & propter fluvios & paludes difficillima ſunt.

Hi ipſi quondam Sarmatæ Europæi & Aſiatici ab antiquis dicebantur; qui tamen Scythiam cum Sarmatia ut plurimum confundere ſolebant.

XXVIII.

Quibus armis inſtructi Tartari in bellum proficiſcantur.

Tartarorum arma ſunt machæra & arcus. Sagittarum lignearum copia cum deſtituantur, eas ex calamis, quibus abundant, conficere ſolent. Acutisſimæ ſunt; quibus hoſti nocere tum propellendo & invadendo, tum etiam a tergo ejaculando & fugam ſimulando, optime norunt. Illorum belligerandi ratio latronum incurſionibus, quam veræ & legitimæ militiæ eſt ſimilior. Omnes equis vehuntur; qui exigui & parvi ſunt, ſoleis carentes. In harum vicem clavum aduncum uni ipſorum pedi infigunt, ubi glacies, quæ iſtis in regionibus frequens, ſuperanda eſt. Animoſi ſunt, laboribus aſſueti, & perferendis incommodis maxime idonei.

XXIX.

Tartarorum amicitiam cur Turca & alii Principes vicini expetant & are comparent. Solymanni judicium de Tartaris.

In bello Turcæ Tartarorum ope uti conſuevere, quod eandem cum ipſis habeant originem, & ejusdem ſuperſtitionis Mahumetanæ ſint aſſeclæ. Verum alia cauſa ſubeſt, his gravior; ne ſcilicet contra Turcas ſocietatem cum ipſorum hoſtibus ineant. Quo nomine ipſos valde metuunt: ſiquidem facilime Conſtantinopolim usque cum comitatu immenſo excurrere poſſunt, priusquam fama ea de re ad Turcas pervenire, vel ipſi contra eorum impetum juſtos defenſionis apparatus facere poſſint. Idem Solymannum Imperatorem veritum eſſe ex eo conſtat, quod ipſemet in concilio quodam de iis principibus, qui damno aliquo imperium Ottomannicum afficere poſſint, habito, id faſſus eſſe dicatur. Hinc omnibus officioſis ſtudiis & beneficiis eos ſibi demereri & conciliare ſtudent, cognatione ſibi eos jungunt (Solymanni enim mater Tartara fuit natione, Mehemetis Kirei filia) contributiones, multaque ipſis dona conferunt. Unde belli tempore Turcis ſatis caro conſtat Tartarorum militia; quibus tantum donare coguntur, quo & ipſis eorumque conjugibus, & liberis quos domi relinquunt, ſatisfieri queat. Verum ut majori cum ſecuritate ipſis fidere poſſit, præter beneficia, quibus ſibi eos obſtringunt etiam nolentes ſibi obedire cogunt. Tempore enim Solymanni eo adacti ſunt Tartari ſub Seda Kireo ipſorum Principe, ut aliquo modo imperium Turcicum revereri & recognoſcere cogantur.

His ipſis Tartaris etiam Moſchorum Princeps & Polonus, ut ab ipſorum excurſionibus & deprædationibus, quas tempore meſſis facere conſueverunt, ſecuri atque immunes ſint, dona quædam mittere ſolent. Moldaviæ Princeps, licet Turcæ tributum pendat, inſuper tamen Tartarorum dominium aliquo modo reſpicere & venerari cogitur. Tanti igitur Tartarorum amicitia a principibus vicinis fieri ſolet, quanti Helvetiorum confœderationes & ſocietates a principibus illis finitimis merito fieri videmus.

Sed cum variis itineribus expeditiones ſuas poſteriores in Ungariam ſuſceperint, & in poſterum ſuſcepturi fortaſſe ſint, non abſurdum neque inutile futurum puto, ſi vias præcipuas, quæ illos ex patria in Ungariam ducant, oſtendero. Ut Chriſtiani proceres eos tanto facilius, vel impedire, vel ad minimum remoram quandam ac frænum ipſorum furori & repentinis incurſionibus injicere queant.

XXX.

Itinera per qua Tartari in Ungariam proficiſcuntur, videlicet per Ruſſiam, Podoliam, Premisliam, Sambur & Severinum.

Ut Tartari Turcico ſeſe exercitui conjungant, ditiones Polonicas neceſſario attingere coguntur. Quæ vel habitatæ & cultæ ſunt, vel deſertæ. Inter habitatas refero Ruſſiam & Podoliam, quæ ipſis ad latus dextrum ſitæ ſunt. Subita quadam irruptione infra Premisliam valles illas attingere poſſunt, quæ recta eos in Ungariam ſuperiorem ducant. Sed hac via facilime Poloni Tranſylvani & exercitus Imperatoris illis, quo minus ſuſceptum iter perficiant reſiſtere poſſunt. Poſſunt etiam Sambur urbem petere, vel Tranſylvaniam propius attingere: verum hæc via omnium eſt difficilima.

Per regiones deſertas duæ ipſis patent viæ: una quæ a mari eſt remota, altera quæ vicina. Si *priorem* tenent, fluminis Neſtri curſum ſequuntur in Moldaviam usque, inde per mediam Wallachiam proficiſcentes, ad Severinum (quod ita a noſtris ob memoriam Imperatoris Severi nominatur) perveniunt. Verum eo in itinere Poloni pariter & Moldavi cum Valachis eos impedire poſſunt. Priusquam Severinum cum ditione finitima infeſtum ſibi atque alienum haberent, iter multo brevius ſecundo Danubii fluvio incedentes conficere poterant; verum quia Tranſylvanus jam & loco illi & regioni adjunctæ dominatur, ſi illius fluvii curſum ſequi vellent, armis viam ſibi aperire cogerentur; id quod æque ipſis foret difficile quam ſi terra proficiſcerentur.

Ubi *poſterius iter* quod ad mare propius eſt ſequi volunt, ad fluvium Neſtrum (Tyram quondam vocatum) ſe conferunt; quem prope Achermanum trajiciunt. quæ Polonis Bialogrod, Moldavis Cittatalba, Ungaris vero Neſter Alba dicitur. Eſtque Sangiachatus Turcicus ad fluvium Neſtrum (errant igitur, qui ad Iſtrum ſeu Danubium eum collocant) ſitus non procul diſtans a Sangiachatu Benderæ, quam Moldavi & Poloni Tegina vocant. Bendera urbs eſt in Moldavia ſita, quam Aron

ejus regionis princeps Turcis conceſſit, quo ſe a rebellionis crimine, quod contra Turcas in bello quod etiamnum viget admiſerat, purgaret.

Per hoſce duos Sangiachatus Tartari bifariam Ungariam attingere poſſunt. Aut enim Pruto & fluviis trajectis in Walachiam irruunt; aut iis fluviis relictis, in Bulgariam Turcæ provinciam copias ultra Danubium traducunt. Hæc poſterior via licet omnium maxime ſecura & commoda ſit, difficultatibus tamen non caret: ſiquidem ipſimet Turcæ nunquam non gravate Tartaris per ſuas ditiones (quas ne devaſtent & deprædentur metuunt) tranſitum permittunt.

Prima vice qua in expeditionem in Ungariam profecti ſunt, iter Præmisliam verſus inſtituerunt: in reditu Severini cœnobium petierunt; ſed cum a Valachis & Tranſylvanis damna ſæpius maxima in tranſitu accepiſſent, ut tanto commodius & facilius domum repetere poſſent, ultimam viam, quam dixi per Bulgariam eſſe, ingreſſi ſunt.

XXXI.

De Tartaris Gibelis. De muro, quem Imperatores Græci ad litus Ponti Euxini conſtruxerunt. Cur Turca opera Tartarorum Gibelorum, & aliorum qui in Sangiachatu Achermanni & Bendera morantur, uti ſoleant. Via, per quam Tartari Europæi in Perſiam proficiſci ſoleant.

Præter eos, quos modo enumeravimus, Tartarorum populos, alii quoque ejusdem nationis reperiuntur, qui *Gibeli* vocantur. Quorum ad plurimum ſunt 2000. Machæra, arcu galea & lorica in bello utuntur, unde Gibeli, id eſt, armati dicuntur. In Dobrucia provincia ultra Danubium ſita habitant ad ruinas muri, quæ in Sogdiana regione ab urbe Siliſtria Conſtantiam usque, quæ eſt ad Pontum Euxinum, pertingunt. Hic murus ab Imperatoribus Græcis quondam ædificatus dicitur.

Hoſce Tartaros Turcæ ſæpiſſime in bellum vocant, ut aliis perſuadeant, Tartaros Crimæos ſibi auxilio veniſſe. In eundem finem ſæpius *paucos iſtos*, qui in ultima Moldaviæ parte, intra Neſtrum & Danubium fluvios, in Sangiachatu Benderæ & Achermani habitant, quorum ſuperius mentionem fecimus, auxilio ſibi venire compellunt; ut timorem in noſtris, & rumorem de ſuis viribus augeant.

Et hæc quidem hactenus de Tartaris dicta ſunto. De quibus hoc unicum adjiciam, quod memoria & conſideratione digniſſimum eſt. Videlicet Tartaros Europæos Romanorum tempore in Perſiam per Demir capi (id eſt, per portas ferreas per quas Alexander Magnus ad Georgianos tranſiit) copias traducere ſolitos eſſe. Quorum veſtigiis noſtra memoria Oſman Baſſa inſtitit, & eadem via in Perſiam tendit. Semper enim eo animi & virium omnes intendit nervos, ut Domitium Corbulonem & Pompejum Magnum (de quibus Tacitus & Dio prolixe ſcribunt) & alios viros bello claros, magnitudine rerum geſtarum non modo imitaretur, verum etiam ſuperaret.

XXXII.

De Circaſſiis. Oſman Baſſa a Coſſacis cæditur. De Phaſi fluvio.

Circaſſii quondam Zigæ dicti; a Polonis Pientzcorſchii, id eſt incolæ quinque montium vel quinquemontani dicuntur. Horum ditio Cimmerio Boſphoro Mœotide & Euxino Ponto ſepta, Caſpium mare non attingit; ut falſo nonnulli opinati ſunt. Quidam eorum ſunt liberi, reliqui Tartaro Crimæo parent. Græcorum ritus, variis ſuperſtitionibus mixtos, obſervant. Turcis ſuam operam pecunia elocant, paupertate coacti: ſeque invicem vendunt, & in ſervitutem aliis tradunt, tum quod Mengreliis vicini ſint, & ipſis quoque Tartaris, quibuscum interdum quod agant habent; tum etiam propter Turcicum propugnaculum Afaf, quod eſt in oſtio Tanais. Strenui ſemper & ingenioſi habiti ſunt. Tempore Sultanorum, qui in Ægypto regnarunt, plerique Mamaluchorum ex ea gente originem trahebant, unde Mamaluchi a Turcis Zercas vocati ſunt.

In Circaſſia non ita pridem magna clade a Coſaccis (qui hi ſint, ſuo loco dicetur) affectus eſt Oſman Baſſa, cum redux e Perſia Conſtantinopolim contenderet, & tranſiiſſet Phaſin fluvium Mengreliæ ſeu Colchidis, quæ eſt ad Pontum Euxinum, in Trapezuntis confinibus. Qui fluvius propter vellus aureum celebris habetur; quem Pompejus fugientem Mithridatem inſequens tranſire, præ metu Tartarorum, Circaſſiorum, & populorum vicinorum, non eſt auſus.

Huc uſque de Tartaris & Circaſſiis.

XXXIII.

De Curdis, vel de Chaldæa. De Druſis & Arabum extorribus. Num Turcicum Imperium merito de his ſibi timeat.

Solet Turca non raro *Curdos* ſeu Gurdos ad belli ſocietatem evocare. Hi Mahumetani ſtrenuiſſimi. Libertate fruuntur. Babyloniæ provinciæ, quæ hodie eſt Bagadat, eam partem incolunt, quæ Curdiſtan ſeu Chaldæa Arabibus vero Kelden dicitur.

Hos maximo damno aliquando Turcico imperio futuros nonnulli arbitrantur. Quod periculum eidem a Druſis (qui milites ſunt Libani montis accolæ) & Arabum extorribus imminere exiſtimant. Sed meo quidem judicio Imperium hoc potentiſſimum parum ſibi ab illis timere debet. Nam primi regiunculam perexiguam poſſident, ſecundi numero pauciſſimi ſunt, tertii latrones ſunt nullo ordine in militiam proficiſcentes.

Ultimo loco *de viribus Imperii Turcici* mihi diſſerendum puto; qua videlicet ratione Imperator Turcicus commeatu armis & munitionibus exercitui terreſtri & claſſi proſpicere poſſit. Cum nemo

mo ſit, cui non conſtet, irritos conatus futuros ejus, qui inſtructus maximis copiis, rebus quibus & homines & pecudes ſuſtentet & ad bellum inſtruat, deſtituatur, & fruſtra parari claſſem ſine materia & militibus qui illi imponantur. Oſtendendum quoque eſt, qua ratione illum vel ſpoliare, vel difficilem apparatum ac copiam rerum earum hoſti reddere poſſimus. Unde palam fiet, quantum hoſtis contra nos præſtare valeat.

XXXIV.

Commeatus & cibaria, quæ Turca in Aſia & Europa parare poſſunt. Error veterum de Macedonia & Servia regionibus. Quomodo commeatus per Pontum Euxinum in Ungariam deferri poſſit. Item per Theſſalonicam Scopiam & Albam regalem. Item per Ciabrum ſeu Morava Serviæ fluvium. De Coſſovo ſeu Oſſæ planitie. Quomodo Turcis commeatus vel eripi, vel ne in Ungariam eum transferant impediri poſſit. De homagio, quo Sangiachi Spahi & Ruſtici Turcæ tenentur commeatum exercitui proſpicere. De pane biſcocto qui Belgradi conficitur.

Commeatus cura prima & diligentiſſima debet eſſe omnium belli ducum, ſine cujus ſubſidio exercitus diu ſuſtentari atque haberi non poteſt. Turcis autem frumenti copia non deeſt.

Hujus maximam copiam paſſim in Aſia colligere, & variis itineribus in Ungariam comportare poſſunt. Per Euxinum Pontum ad Danubii oſtia tuto id fieri non poteſt, metu Walachorum, qui a Tranſylvani imperio dependent. Conſtantinopoli usque in Ungariam ut deferatur, via nimis longa & remota eſt. Liberrima vero & facillima per mare patet, quo Theſſalonicam usque (quæ *Saloniccbi* hodie dicitur) transportatur. Inde per Scopiam urbem Belgradum defertur. Indeque planiſſima patet regio, qua commode quævis de loco in locum transferri poſſunt. Quod minori etiam cum difficultate fieret, niſi carrorum & vehiculorum copia deſtituerentur.

Europa parum commeatus Turcæ conferre poteſt. Moldavia & Walachia hordei & frumenti feraciſſimæ provinciæ, belli cladibus tam infœcundæ ſunt redditæ, ut non modo parum colantur & arentur, ſed & exiguum illud quod terra producit militibus in prædam cedit, vel ab equis conculcatur. Walachiæ & Moldaviæ Principes tanquam vaſalli homagio tenebantur, quantum poſſent rerum omnium ad bellum neceſſariarum Turcico exercitui ſubminiſtrare & procurare, ſed neuter ſuo nunc fungitur munere. Ille enim jugum Turcicum plane excuſſit: hic vero vix ſe ſuosque alere poteſt.

Per Macedoniam & Serviam, provincias fertiliſſimas, commeatus tuto & facile in Ungariam deferri poteſt; quod eæ regiones planæ ut plurimum, & montes propter ſaxa & rupes non ſint invii.

Patet & alia via non minus commoda. Si videlicet Theſſalonica per Ciabri, ſeu Moravæ Macedoniæ fluvii, campos in Serviam non procul a fertiliſſima Coſſoviæ planitie transvehatur, quam merularum campos, ab avium iſtarum copia, quæ ante pugnam, in qua Amurathes primus occiſus eſt, comparuit, ſcriptores noſtri vocare ſolent. Hinc errorem veterum quorundam videre licet, quibus perſuaſum erat, Macedoniæ & Serviæ montes vehiculis non patere. Sed non erat plane difficile itinera & vias illac emunire; iis tamen exceptis montibus, qui ex Epiro in Macedoniam tendunt, per quos vehicula duci non poſſunt.

Ut vero Turcis impedimentum quoddam Chriſtiani inferant, quo minus commeatum in ea loca ubi belli ſedes eſt transportare queant, maximas difficultates & incommoda illis obſtitura puto, ſi maritima æque ac terreſtria itinera ſpectes. Pars enim commeatuum, quæ ex Aſia atque adeo ex Ægypto transmittitur, Alexandriæ Damiatæ atque in aliis portubus in naves imponitur, quibus cum inſtructiſſima claſſe occurrendum eæque pugnando ſuperandæ & capiendæ eſſent. Tum etiam quod Ægæum mare, (quod maxime infeſtum reddere conveniret) plurimos canales habet, in quos tutus navibus receptus datur. Itinera terreſtria ſi ſpectes, unicus eos impediendi modus ſupereſt (niſi forte Turca regiones ſuas omni præſidio & militibus nudare velit) ut videlicet Tranſylvanus a Valachis adiutus trajecto Danubio, intra Bulgariam & Serviam, quæ quondam Miſiæ dictæ ſunt, caſtra metetur. Sed ad eam rem inſtructiſſimo, & ad pugnam paratiſſimo ipſi opus foret exercitu, cum citra periculum impedimentum inferre nequiret.

Omnes præterea Spahi aliquam cibariorum partem pro ſe ſuisque alendis in militiam ſecum ferre coguntur. Sangiachi farinæ hordei & aliarum rerum, quantum maxime & quam ſæpiſſime poſſunt, ad exercitum mittere tenentur. Ruſtici in pagis, quanta ipſis imperatur, frumenti copiam ſuppeditare militibus adiguntur. Albæregali maxima copia panis bis cocti ex frumento & hordeo ordinarie confici ſolet, qui poſtea inter milites dividitur.

XXXV.

Cur Turcæ expeditiones ſuas anni parte majore elapſa ſuſcipiant, & exercitum non diu ſub ſignis retineant.

Hoc inſuper certiſſimum eſt, Turcam priusquam herba creſcat & meſſis facta ſit, in bellum proficiſci Ungaricum non poſſe. Tum quod frumentum & alia, quæ Spahi exercitui præſtare coguntur, ante illud tempus nullibi parari queant; tum etiam quod neque milites, ſi his deſtituantur rebus, diu caſtra ſequi poſſint; maxime ubi exercitus copioſus ſit; quales plerumque Turcarum ſunt, qui hominum equorum & camelorum maximo numero conſtant. Inde quoque uſuvenit, quod ejusmodi exercitus diu in aliquo loco ſubſiſtere vel conjunctus manere non poſſit.

XXXVI.

De Oriza.

Scopia aliquantulum orizæ (cibus Turcis familiaris) ſuppeditat. In Alexandria quoque ejus copia haud vulgaris creſcit; inde a mercatoribus ad nos defertur.

XXXVII.

De carnibus; & Tzorba pulmento.

Tota regio omni genere carnis abundat, maxime vero ubi exercitus ſubſiſtit vel ſedes belli eſt. Vervecum, & boum inprimis, ut ita dicam, copia innumerabilis reperitur in iis campis atque paſcuis. E Moldavia pecudes mel & butyrum maxima quantitate in caſtra Turcica deferuntur, Principe id permittente, propter tributa, quæ ipſi hoc nomine penduntur. Verveces tamen ea copia nunc, qua ſolebant olim, nanciſci non poſſunt; quod multo plures hodie, quam quondam in Poloniam abigantur. Quæ res Turcas peſſime habet, cum ea carne in primis delectentur, bubulam vero tanti non faciant. Circumferunt quoque ſecum carnem quandam ſale conditam, quæ in pulverem redacta, nutrimentum illis optimum præbet: in primis ubi eam cum pulmento, quod *Tzarba* vocant, miſcent & condiunt.

XXXVIII.

De aqua, vino, & tzarbet, quod eſt potus genus apud Turcas. De regno Tarſi. Quomodo Mahumetes Pſeudopropheta aſſeclas ſuos in arte militari inſtruxit & ad eam idoneos reddidit.

Ad potum quod attinet, nemo eſt qui dubitet, quin ubivis locorum, ubi bellum hodie geritur, aquarum ſint fontes perennes & fluvii. Nec Turcis hic potus vel rarus vel inuſitatus eſt, quod ex lege Mahumetana eam bibere teneantur. Carthaginenſes quoque eo potu olim utebantur. Vt etiam nunc illo uti, religionis cauſa, feruntur incolæ Tarſi regni; quod eſt in Aſia ad Cathaiæ confinia ſita, cujus etiam literæ ſacræ propter magos, qui inde ad adorandum Chriſtum Bethlehemum profecti ſunt, mentionem faciunt. Quantum iſte aquæ potus Turcis conducat, illi æſtimare poſſunt, qui aliquamdiu Germanos frequentarunt; licet olim & hi aqua contenti vixere.

Et ſi quod res eſt fateri lubet, Mahumetes ille Turcarum Legiſlator aſſeclis ſuis, ut a vini potu abſtinerent, non aliam ob cauſam tam ſerio edixit, quam quod armis ſuarum legum obſervationem ſancire cupiens, ſobrietatem illis præcepit, quo ad belli munia obeunda ſemper parati promptique eſſent, ducibus parerent, & ad Martis aleam ſubeundam intrepidi impavidique adgrederentur. Legem quoque tulit, ut crebriori lotione utantur; ut videlicet mundi ipſi, munde in exercitu omnia tractentur, ne morbis, quos immundicies & ſpurcicies generare ſolent, milites corripiantur, ſed potius ad perferendas omnis aeris & cœli tempeſtates & incommoditates apti & idonei reddantur.

Potum inſuper Turcæ, quem *Tzerbet* vocant, ex uvis paſſis & aqua conficiunt, admixto citrii ſucco & muſco; quæ omnia ſaporem ſuaviſſimum efficiunt, tentare etiam caput ſolet uti vinum. Quod ſi vinum bibere Turcæ aliqui interdum cupiant, Ianizari in primis qui eo mirifice delectantur, magna eis copia eſt in Hungaria, præcipueque in ſuperiori, ubi vinum Toccajum nobiliſſimum habetur.

XXXIX.

Materia ſive ligna. De Bazca & Srema provinciis.

Lignis Turcæ non poſſunt deſtitui: quorum uſus in exercitu, ut Cyrus Rex Perſarum dicere ſolebat, æque atque aliarum rerum neceſſarius eſt. Etſi vero in quibusdam Serviæ locis, ea quæ toti exercitui ſufficiat ligni copia non reperiatur, hunc tamen defectum ſupplent reliqua loca, per quæ iter faciunt Conſtantinopoli Belgradum, atque inde cis Danubium Veſprinum usque. In primis vero ligno abundant Bazca & Srema provinciæ. In hac urbs Sirmium, quæ propter concilium quod ibi celebratum fuit celebris eſt. Ambæ Danubio Dravo & Savo fluviis cinctæ, quibus furor belli (quod exercitus Turcicus ſemel tantum ſub Sinano Baſſa illac tranſiit) cum pepercisſet, omnibus rebus neceſſariis plus quam aliæ Vngariæ provinciæ abundant.

POSTQVAM ea quæ ad hominum & animalium ſuſtentationem pertinent diſcuſſimus: nunc conſiderandum eſt, quo *armorum* genere Turcæ utantur, & quomodo *bellicas munitiones* tam ad defenſionem quam offenſionem nanciſci poſſint.

XL.

Arma offenſiva & defenſiva Turcarum. De Pusdogan machæra & aliis armis.

Spahi Europæi ut eminus hoſtem lædant, lancea pura & pomo ferreo utuntur. Vt cominus feriant, clavum ferreum, quem *Pusdogan* vocant, & machæram geſtant. Hoc armorum genus Perſis quondam in uſu fuiſſe Xenophon ſcribit. Turcæ illud *Cedare*, Arabes *Selte*, Germani *Sabel*, a voce Vngarica & Sclavonica Sabla, nominant. Alii etiam ſecures & ſicas ferunt. Alii peltas & ſcuta. Reliqua corporis membra armis non cooperiunt. Tormentorum uſum non habent; multi ſagittas & tela tantum in hoſtem tendunt. Qui in Croatiæ & Vngariæ finibus militabant, plerique thoracibus ferreis & lorica induti fuerant. Sed hi fere omnes in militia periere. Qui his ſucceſſerunt, nondum huic armorum generi aſſuefacti ſunt. Ianizari omnes & nonnulli Aſappi tormenta tractant, ſed non ea dexteritate qua noſtri ſolent. Acanzii, Spahoglani, Chiausſii (qui Tur-

carum

earum legati ſunt) aliique equites aulæ Turcicæ, arcu & ſagittis, alii lanceis Aſiaticis pugnant. Pedites fere omnes galeas non geſtant, ſed machæris & gladiis Græcorum more accinguntur. Equites Aſiatici ſariſſis quoque utuntur: alii ſagittarios agunt: ephippia exigua habent de quibus facile deturbari poſſunt.

XLI.

De Giebegis, Topigis, Armenis, & quare hi Bocgi vocentur. De Voinicis & Sarbor.

In exercitu Turcico diverſi ſunt miniſtri & officiarii, qui varia obeunt munia. *Giebegi* ſunt, qui arma componunt ac tergunt. *Topigi* vocantur machinarum & tormentorum magiſtri. E quibus nonnullis ſtipendia ſolvuntur, alii ſine ſtipendiis aliunde multa corradunt. *Armeni* foſſores & munitores ut plurimum ſunt, & apud Turcas ea præſtant, quæ caminorum purgatoribus apud nos committuntur, unde per ludibrium Bocgi vocantur. Exercitum quoque ſequuntur multi *Voinici*, quod lingua Sclavonica bellicoſum ſignificat, quod in bello quondam ſtrenuam operam navarint. Hi ruſtici ſunt in Servia & Bulgaria habitantes, & Græco more viventes quosvis labores ſubeunt. Sunt & alii pariter qui ſponte ſua in exercitu vivunt, quos *Sarchor* nominant; foſſores agunt, & viliſſima atque abjectiſſima quæque perficiunt.

ORDO requireret, ut integrum nunc de *militari diſciplina Turcarum* tractatum ſubjicerem, ſed de eo multi alii doctiſſime ſcripſerunt, ad quos lectores remitto. Pauca tamen quædam hic inſeram non nota omnibus, ne lectorem hinc jejunum dimittam, cui in aliis me ſatisfeciſſe ſpero.

XLII.

Turcarum diſciplina militaris. Quænam in milite Chriſtiano requirantur. Victoria Chriſtianorum contra infideles. Defectus quibus laborant exercitus Turcici. De Scanderbego. Robur & vires Turcarum. Qua ratione tormenta pilas & pulverem nanciſcantur.

Turcarum milites a noſtris, qui quidem exercitati ſint, ſuperari certiſſimum eſt. *Noſtros* autem voco, non Italos modo, ſed & Hiſpanos, Gallos, Hungaros, Germanos, atque aliarum nationum homines, qui ſub noſtris ſignis militant. *Exercitatos* vero intelligo non tam eos, qui artem tractandorum armorum probe & longa experientia didicerunt, quam qui ſub Chriſti militia merere probe aſſuefacti ſunt; ut videlicet eorum fortitudinem animi ſinceritas & vitæ inculpatæ probitas comitetur, quo eo ſecurius belli periculis ſeſe objicere, & victoria ſub noſtrorum principum auſpiciis potiri valeant, licet militum numero hoſti longe cedant.

Nota ſunt & clara inſignium victoriarum exempla, quas Chriſtiani ſub Marco Aurelio, Conſtantino, duobus Theodoſiis, Honorio, Aetio & aliis de infidelibus reportarunt; in primis vero de Saracenis ſub Pelagio primo Caſtiliæ rege, qui cum mille ſuorum 20000. hoſtium delevit. Carolus Martellus unico prælio 375000. hoſtium devicit. Vt eas omittam, quibus ſub Alfonſo Caſto Ranimirus; ut & Ferdinandus, & VValterus Teutonicorum Equitum magiſter, potiti ſunt. Quorum hic 100000. Tartarorum una vice delevit, unico ſolo ex ſuis militibus deſiderato. Corvinus, poſtquam maximarum pugnarum victor evaſiſſet, octava vice cum 80000. Turcarum manus conſerere non dubitavit, licet ejus exercitus ultra 15000. militum non conſtaret. De qua re diligentiſſime ſcripſit Thomas Bozius in libro ſuo contra Machiavellum edito.

Conſtat porro omnibus, qui aliquando contra Turcas bellum geſſerunt, eorum militandi ratio. Caſtra latisſime metantur. In expeditione nullo ordine & confuſe incedunt, ut a tergo facile infeſtari posſint. Quod animadvertens Georgius ille Caſtriotus (celeberrimus omnium qui unquam cum Turcis bella geſſerunt, a quibus *Iskanderbegh*, id eſt, dominus Alexander vocatus, eo nomine ipſi in circumciſione ab Amurathe, apud quem obſidem agebat, indito: tunc enim Turcæ nomina mutare in uſu habent, quemadmodum Chriſtiani ſolent in baptiſmate) multarum horribilium & maximarum pugnarum victor, de hoſtibus ſuis triumphos egit. Inſuper Turcæ ſpem victoriæ in numero & multitudine pugnantium potius, & in fato ſtrepituque inſtrumentorum bellicorum, atque horribili ſonitu barbararum vocum & clamore collocant, quam ut ordini decenti & veræ militiæ ſtudeant.

Econtra res plurimas habent & obſervant quæ illis in maximum emolumentum cedunt. Qualis eſt autoritas ſumma & abſoluta ejus, qui ſupremum caput eſt exercitus & dux generalis. Obedientia militum: quæ tamen hodie aliquantulum imminuta eſt. Auxilia promptisſima, ubi neceſſitas ea requirit. Neque enim opus habent, ut hinc inde mendicando quaſi colligant exercitum more noſtrorum principum. Qui ſæpisſime aliorum viribus plus quam propriis confidunt, & ut exercitum juſtum conſcribant omnes exhaurire theſauros ſuos coguntur; præcipuumque temporis ſpacium & rebus agendis utilisſimum inutiliter plerumque & nihil agendo tranſigunt. Turcæ contra theſauros ſuos ad res maxime ſerias, & donec neceſſitas requirat aſſeruant; vel militibus inde dona liberaliter conferunt, quibus acutisſimi calcaris inſtar ad pugnas & pericula ſubeunda promptisſimi paratisſimique redduntur. Bello finem nunquam aut raro imponunt, niſi hoſtem aliqua ratione debellarint. Vires ſuas in res parvi momenti nunquam collocant. Quæ in bello ſibi expediunda ſumunt, juſto ordine & maximis apparatibus antea factis ſuſcipiunt: prælio raro de ſumma rei decertant, niſi commodisſima illis affulgeat occaſio.

Putant nonnulli, Turcis tormentorum & machinarum magiſtros, & quos ingegnieros Itali vocant, præſtantes deeſſe; adparet tamen nihil eſſe tam validum nihilque tam probe munitum, quod ipſorum viribus non cedat. Propugnacula, quæ inexpugnabilia habita ſunt, ipſi citra moleſtiam

occupant:

occupant: honoribus & vi pecuniæ promiſſa atque ſtipulata duces & præſidiarios, qui ea tuentur, corrumpunt. Nunc æneis machinis horrenda in muros fulmina noctes atque dies jaculando, locum expugnationi aperiunt: foſſas materia replent, cuniculis ſubterraneis in urbes obſeſſas penetrare tentant: obſeſſis a laboribus requiem nunquam concedunt: a propoſito ſuo nunquam recedunt.

Munitiones bellicæ ipſis undique ſuppetunt. Pilas ubi opus ſibi fore putant, maxima copia conficiunt. Machinarum bellicarum ingens numerus Conſtantinopoli, Peræ, Alba Regali, Budæ aſſervatur. Majori ex parte Chriſtianis ereptæ, partim ab ipſis Turcis fuſæ ſunt. Sed ipſorum Chriſtianorum culpa, quibus ſat non fuit hoſtes tam immanes & feritate barbaros ſub Amurathe ex Aſia in Europam transportaſſe, niſi etiam præceptores ipſis in arte bellica extitiſſent. Sed utinam ne iisdem (iram Dei veriti, & ſuam propriam, quæ imminet, ruinam conſiderantes) arma quoque clam ſuppeditarent! Pulvis tormentarius Cairi, & prope Conſtantinopolim in loco qui Aquebianche dicitur, atque alibi conficitur.

Viribus ſuis Turcæ ſtratagemata admiſcent & fraudes, legi Mahumetanæ inſiſtentes. Nec deſunt fraudum & inſidiarum magiſtri. Nam plerique omnes, qui ſemel militiæ nomen dederunt, eo ſtudioſe laborant, ut omnia quæ ad bellum ſcite & cum utilitate gerendum ſpectant, recte addiſcant. Tum etiam quod Turcæ præ omnibus aliis fraudum optimi ſint architecti.

His de rebus commode alia in medium adduci a nobis poſſent; verumtamen, qui plura cognoſcere cupit, eos conſulat, qui præmeditato ſtudio de rebus Turcicis ſcripſerunt; inprimis vero Renatum de Luſinge, dominum de Alimes, qui de origine conſervatione & diminutione Imperii Turcici doctiſſime ſcripſit.

HACTENVS de potentia & viribus Imperii Ottomannici terreſtribus: ſequuntur maritimæ.

XLIII.

De Turcarum navalibus, quæ in Aſia Europa & Africa habent. De Raislaris ſeu navarchis. Quomodo Turcæ ligna ad ædificandas naves habere poſſint.

Turcarum Imperator plurima habet navalia, quæ *Terſani* vocant. Præcipuum eſt Sinopoli non procul Trapezunte ſitum. Conſtantinopoli 137. concamerationes ſunt navium uſibus deſtinatæ. In Nicomedia & Anchiali Thraciæ urbe ad Euxinum Pontum ſita, materia claſſis parandæ maxima abundantia aſſervatur.

Triremes & alia navium genera extruunt, ubi ligna & arbores abundant: ejusque rei curam ut maxime nauarchis committunt, qui *Raislari* vel Raiſi illis vocantur.

Malorum & ligni maximam copiam habent in ſinu Nicomediæ.

In Aſia, e regione Conſtantinopolis, e Ducaginorum montanis per Drinum fluvium in Albaniæ urbem Liſſum, quæ hodie Alexium dicitur, arbores transferri poſſunt. Pars quoque Velonæ conſervatur, & Polonæ ejusdem provinciæ urbibus; quarum hæc propter Auguſtum Cæſarem, qui ibidem literis operam dedit, Cajo Cæſare a conjuratis occiſo, celebris habetur.

In Africa navale habet Poſidii, maris rubri urbe. Ubi triremes quædam in ſtationibus habentur, quæ quondam contra Luſitanos cum expeditionem contra Diu & Ormuz Indiæ urbes ſuſcepiſſent, extructæ ſunt: ſed parum hoc navale conducit, quod regio ipſa lignis careat. Ut vero eo ex Bithynia & Caramania ſecundo Nili flumine Cairum usque atque inde Poſſidium (quæ hodie Suez dicitur) camelis transportetur, multis difficultatibus & ſumptibus conſtat.

XLIV.

Turcarum triremes cur parum valeant. Unde picem nanciſci poſſint. Unde ſevum vela clavos habeant. De myoparonibus Sultanarum.

Turcarum in fabricandis navibus ea eſt negligentia, ut in cædenda materia neque anni tempus neque lunæ curſum obſervent, ſed celeriter omnia & negligenter conficiant. Aſſerum (quibus teguntur) ſtructuras tam male inter ſe compingunt, ut vectores a pluviis & imbribus tuti non ſint. Unde ipſæ triremes diu ſartæ tectæ manere non poſſunt.

Picem duram & mollem habent Velonæ & Rhizinii urbe ad ſinum Rhizonium (vulgo Golfo di Catharo dicitur) ſita. Durior e terra effoditur, mollior ex arboribus colligitur.

Abundant ſevo propter boum & vervecum maximam copiam, quæ iis in locis reperitur.

Cannabis quod ſatis ſit, non habent; unde velorum quoque copia deſtituuntur. Eum defectum augent Sultanarum myoparones triginta, & aliæ octodecim naves quas *maone* vocant. Solent eas Alexandriam variis mercibus onuſtas mittere, quibus inſtruendis permiſſu Imperatoris, quantumlibet velorum funium & aliarum rerum neceſſariarum ex navalibus depromunt. Tum etiam quod ii, qui harum rerum curam gerunt, parum diligenter eas aſſervant, & furtim aliis divendunt, ut aliquid lucri inde percipiant.

Clavos ferreos raro nanciſci poſſunt, in quorum vicem ligneis quibusdam peracutis utuntur.

XLV.

De nautis Turcicis & remigibus. Avariz tributi genus, pro nautarum & remigum ſolutione impoſitum.

Nautarum quantum expedit conquirere poſſunt. Ad eam artem Aſappos præcipue aſſueſaciunt. Ubi vero numerum eorum ſupplere non poſſunt, Cretenſium opera utuntur (quorum plurimi ſemper verſantur Conſtantinopoli) atque aliorum Græcorum qui hujus rei periti ſunt. Nolentes

lentes etiam & repugnantes ad remos compellunt. Exercent quoque in ea re certum puerorum & ſervorum numerum, qui ſemper in navibus tam præſidiariis, quam aliis aſſeruantur.

Sed quod maximi ponderis eſt, remigibus peritis deſtituuntur. Navis enim ſine nauclero nullum eſſe uſum conſtat. Neque ad ea munia Chriſtiana mancipia idonea ſunt, neque quæ ex Africa illis mittuntur. Tartaros vero Perſas & Georgianos in mancipiorum numerum non recipiunt, ne imperium militare, quod totum penes mancipia eſt, ipſis committere cogantur, cujus rei ſuperius etiam mentionem feci, & libro tertio de ea nobis dicendum erit. Imperant ſæpius, ut remigum onera & labores ſubeant Aſappi atque alii viliſſimæ conditionis homines. Quibus ut ſtipendia ſolvantur, tributum Chriſtianis Europæis, quod Avariz dicitur, impoſitum fuit, quod 300000. Cecchinorum ſummam faciebat: qui hodie in alios uſus impenduntur. Ubi ſumma rerum ſic exigit neceſſitas, Armenios Judæos & Chriſtianos vi remis affigere ſolent. Quam conſuetudinem Cicala ultimo imperii ſui maritimi anno ſecutus eſt.

Ad inſularum Africæ, quæ Barbaria dicitur, cuſtodiam, triremibus militant Spahi nonnulli, qui aliud ſtipendium non habent, quam Timarorum reditus; propterea prædas undiquaque & continuo agere ſolent. Ubi præter ordinarias triremes, aliæ quoque, puta ad 30. vel circiter, inſtruuntur & armantur. Janizarorum præſidium illis imponi ſolet.

XLVI.

Commeatus navium.

Panem bis coctum maxima abundantia conficiunt Epidamni, Naupacti, in Eubœa, & ad ſinum Theſſalonicenſem in loco qui Volo dicitur: eo per Axium fluvium, qui hodie Vardare dicitur, omne frumentum, quod in Macedonia & Servia creſcit, ratibus defertur.

ATQVE hæc de robore, & viribus regni Ottomannici terreſtribus æque atque maritimis dicta ſufficiant. Sed cum ex mente præſtantiſſimorum belli ducum, aurum & pecunia nervus ſit validiſſimus belli, qui & ſpiritum & animum reficit, & motum dat exercitui; ſubjiciam quædam de *divitiis Turcicis*, in quibus major pars virium hujus imperii & aliorum principatuum conſiſtit.

XLVII.

De Haſnad ſeu ærario Turcici Imperatoris. Diverſi modi, quibus ærarium ſuum locupletare ſolent. De avaritia Amurathis III. Quare Cairus Ægypti urbs vocetur Miſzir.

Si initio conſideremus, quantum uſus Timarorum Regno Turcico proſit, quidve utilitatis conferat, intelligemus, non facile reperiri Principem vel Monarcham, cui Turcicus Imperator divitiis & potentia cedat. Siquidem ex ſolis Timaris ad 300000. hominum obſtrictos ſibi atque obligatos habet; ut, quoties ipſi libuerit, & quo terrarum loco eos ire juſſerit, in bellum, nullo Imperatoris ſumptu, ſed propriis impenſis, proficiſcantur. Quod ſi tantam militum copiam alere, ipſiſque juſta ſtipendia ſolvere vellet, quot quantisve auri cumulis atque acervis opus haberet, facile quivis judicare poteſt.

Habet inſuper Turca duo Gaſnad (alii cum aſpiratione Haſnad pronunciant) ſeu theſauros, quorum alterum ærarium exterius ſeu peregrinum, alterum domeſticum ſeu interius vocant. *Illud* decem auri milliones annuos habet in reditu; qui in ſumptus regni, & in ſtipendia eorum qui munera gerunt publica, atque alios uſus, ad conſervationem Imperii neceſſario impenduntur. *Hoc* immenſos continet theſauros. Quia omnia dona & munera quæ Imperatori ab aliis Principibus, Chriſtianis potiſſimum, dantur, tum & a ſuis ſubditis & ſervis, atque adeo a cunctis quibus aliqua coram ipſo negotia ſunt expedienda, hunc in locum conferri ſolent. Nemini enim vacuis, quod dicitur, manibus in ipſius conſpectum venire conceditur. Magnificentiæ id tribuunt; quod immenſam ſecum trahit utilitatem. Quod ſi quis penitus in omnes Turcarum actus oculos figere velit, cognoſcet, eo ipſos unice intentos eſſe, quo aliunde cumulate rapiant, ut Imperatori quæ rapta ſunt donent. Sic per eorum manus, tanquam per aquæ ductum quendam, omnes iſti theſauri hujus Imperii diffluunt, ſeque in oceanum avaritiæ Imperatoris exonerant. In hoc quoque ærarium reditus Cairi, qui millionem auri excedunt, deponuntur. (Hanc urbem Turcæ & Arabes Miſzir vocant, corrupta voce Hebraica Mizraim, quam quondam Memphin adpellare ſolebant.) Eodem congeritur precium vel æſtimatio hæreditatum ab opulentioribus relictarum. Quas pro ſuo arbitrio tractat, cum omnes mancipiorum omnium facultates in ipſius manu & poteſtate ſint; non etiam eorum, qui Turcæ naturales ſunt. Huc referuntur confiſcationes, pœnæ pecuniariæ, quæ multæ & magnæ ſunt: tributorum, vectigalium, atque ſalinarum reditus: decimæ omnium ſpoliorum & prædarum quæ terra marique acquiruntur, pecudum, & frugum proventus, metalli fodinarum. Quæ multæ ſunt & diverſiſſimæ in Servia, unde argenti provincia dicitur: in Boſnia prope Iaizam, in Macedonia & aliis in locis. Hi reditus omnes inæſtimabilem auri vim faciunt: prout Imperatorem ſua trahit avaritia, vel miniſtri diligentes ſe & avidos in extorſionibus & exactionibus præbent. Eſt & aliud tributi genus, quod ſoli Chriſtiani ſolvere coguntur, videlicet pro ſingulis capitibus, ubi decimum quartum ætatis annum attigerunt, Sultaninum unum: inſtans tamen bellum Ungaricum fecit, ut tributum illud auctum ſit. Turcæ ex lege Mahumetana ab ejuſmodi tributis eximuntur, ſed in eorum vicem quilibet vigintiquinque aſpros ſolvit, quod donum vocant.

Reperit Mahumetes in ſuis ærariis vim auri immenſam a patre Amurathe congeſtam. Qui omnium avidiſſimus habendi & fere ſordidus in corradenda pecunia, contra in expenſis & largitionibus atque muneribus parciſſimus ſemper fuerat. Unde etiam flores horti ſui divendi, &

pecuniam inde colligi volebat: debitoribus nunquam ſatisfaciebat: militibus dona & congiaria fere nulla, aut perexigua conferebat: quod inſtitutum plane contra morem & conſvetudinem hujus imperii eveniebat. Ut breviter dicam, in omnibus impenſis quotidianis æque atque extraordinariis reſtrictiſſimus & ad exactam rationem diligens erat; exceptis iis, quas in ſuas pellices faciebat, quas nunquam e ſuo complexu, niſi inſigni aliquo munere donatas, vel pretioſa gemma ornatas, diſcedere volebat.

His omnibus adjungi quoque poſſunt (horret animus dicere, & oculi vix lachrymas comprimunt) tributa, vel ut honeſtiori vocant titulo, recognitiones, quas principes Chriſtiani Turcico Imperatori pendunt. Quarum recordatio ſola & memoria animos ipſorum juſta ira & indignatione contra iniquum hunc & barbarum Tyrannum accendere & inſtigare deberet; quo tandem aliquando jugo hoc excuſſo conjunctis viribus & opibus ad gloriam Chriſti, ad ſuam ipſorum ſalutem, vigilarent, & ſumptus hoſce in ipſius Tyranni perniciem atque ruinam impenderent atque collocarent.

XLIIX.

Tributa & recognitiones, quæ varii Chriſtianorum principes Turcis & Tartaris ſolvunt. Quantum valeat certa aſprorum quantitas. Quæ munera Imperatori & ejus miniſtris donentur. Quare eis munera publice in conſpectu offerri ſoleant.

In Ungaria Cæſar, ut pace frueretur, Turcæ ejus regni nomine, ſi recte memini, ſolvebat 45000. thalerorum. Waivoda Moldaviæ ſolvit 31. ſommas aſprorum. Somma autem unica 100000. aſprorum conſtabat; qui 2000. coronatos faciebant, eo tempore, quo tributum illud imperatum fuit. Coronatus enim tunc 50. aſpros valebat; nunc plus 100. valet. Idem Tartaris ſolvit viginti carros, quorum quisque quatuor bobus trahitur, melle onuſtos, & quinquaginta equos: ſed forſitan ex novis conventionibus & pactis hodie plus vel minus ſolvit, quod me latet. Waivvoda Walachiæ, priusquam Tranſylvano ſe conjunxit, quinquaginta ſommas aſprorum pendebat. Et hoc ex ipſis Moldaviæ & Walachiæ commentariis excerpſi, quæ diverſa eſſe ab aliorum qui ea de re ſcripſerunt opinionibus ſcio. Tranſylvanus ante bellum quod nunc geritur 15000. cecchinos ſolvebat. Reſpublica Raguſea (quæ Epidaurus quondam dicta) 12500. cecchinos ſolvit. Reſpublica Veneta propter inſulam Zantem (olim Zacynthum) 1000. cecchinos. Moſcovita Tartaris qui in Taurica Cherſoneſo habitant munera quædam conferre ſolet, ut ipſorum excurſiones impediat: quas vel proprio motu vel inſtigati a Turca in ejus regiones facere ſolebant. Polonus miſit Turcæ anno 1591. pelles Scythicas (Zibellinæ vulgo dicuntur) quæ 25000. coronatis æſtimatæ fuiſſe dicebantur. Sed non eſt cenſus annuus, ut quidam referunt. Tartaris annuatim certam pecuniæ ſummam ſolvit Polonus, qua machæras & veſtimenta comparent, idque ex veteribus quibusdam pactis, ut habent Polonorum annales. Hæc autem munera Tartaris, priusquam cum Turcis ſocietatem inirent, ſolvi a principibus quos nominavi conſueraut. Eaque etiam hodie pendunt, quo ipſimet Turcæ gratum faciant.

Sunt porro etiam alia tributa & dona, quæ principes Afri & Arabes atque Georgiani aliique Turcico Imperatori tribuunt: ſed ea exigui ſunt momenti, & ad noſtrum propoſitum nihil faciunt, ideoque ſilentio præterire volui.

Tandem & alia quamplurima dona ſunt, quæ extra ordinem Principes, quorum ſuperius memini, in miniſtros hujus Barbari Tyranni faciunt, ut eos ſibi concilient: qui occaſione & neceſſitate id requirente etiam ipſi Imperatori ſuo profuſe & liberaliter donare coguntur, ut vel in ejus ſe gratiam inſinuent, vel conceptum erga ſe odium & iram leniant.

Præterea omnes ii, qui aliquod ambiunt officium & munus, vel qui e provinciarum adminiſtratione vel expeditione domum redeunt, res precioſiſſimas Imperatori offerre, quaſi ex debito quodam tenentur.

Hunc in finem omnia quæ donantur munera, publice & in conſpectu omnium offerri vult: ut hoc barbaro faſtu ſubditorum ſuorum & peregrinorum animos ad largiter donandum accendat.

PARS SECVNDA.

In qua conſilia & deliberationes Principum Ottomannicorum erga Chriſtianos Principes declarantur, & cauſa origo ac progreſſus belli quod nunc geritur in Hungaria. Ejus initium ab Amurathe patre Mahumetis repetitur, ut eo melius omnia intelligi poſſint.

Cognita nunc & perſpecta Mahumetis III. Turcarum Imperatoris natura, & qui ipſius mores: tum quæ membra, quod robur, quæ vires immanis hujus corporis ſunt: expedit ad plenam harum rerum omnium cognitionem, ut cogitationes ejus & machinationes, quas animo volvit, contra principes Chriſtianos in primis, inveſtigemus. Ut inde belli, quod nunc Hungariam tam miſere affligit, cauſæ certiſſimæ adpareant, & quod fuerit ipſius initium, quosque hactenus progreſſus habuerit, manifeſtum fiat.

Sed cum regnante adhuc Amurathe (qui Mahumetis III. pater fuit) belli hujus fomes erumpere cœperit, neceſſarium fore puto, ut de eo quædam hic inſeramus, & originem belli ab ejus inde imperio deducamus. Hinc quid illi ut plurimum cum aliis principibus orbis terrarum negocii, quoque animo erga eos affectus ſit, aperietur.

XLIX.

Natura & mores Amurathis III. Quomodo Turcæ & Arabes nominent librum, qui continet ipſarum leges. Cur Amurathes fuerit dictus Bongi. Cur ſæpius uſus ſit opio. Vera cauſa belli Perſici, & cur tandem compoſitum & pax facta fuerit. Quid ſignificet vox Miriſa. Cur Iſmael Perſarum rex Sophi dictus ſit. Cur Perſæ appellentur Khiſelbaſſi. Cur Tartari Zagatai vocentur Jeſchilbaſſi. Quid ſit Turban, & cur ſacris literis pomum appelletur, & quæ ſit ipſius ſignificatio. Expoſitio Oraculi Turcici. De Zercola.

Amurathes Turcarum Imperator Mahumetis pater, moderate ſatis & modeſte, quatenus Turca & infidelis fuit, regnavit. Librum quem Muſchaphum nominant, in magno precio habuit. Nam is leges Mahumetis continet, & Arabibus Alkoran dicitur, quaſi per excellentiam quis dicat τὴν γραφὴν, quemadmodum & Hebræi literas ſacras Kara nominant. Hiſtorias majorum ſuorum libenter legit, Selimum I. imitatus, qui lectione hiſtoriarum Alexandri Magni & Julii Cæſaris mire delectatus eſt. Philoſophiæ quoque ſtuduit, unde per ludibrium Bongi fuit adpellatus, quo nomine quondam Bajazetes II. fuit inſignitus. A vini potu abſtinuit, ſecus quam Selimus ejus pater fecerat. Voluptates ſi ſpectes, in primis vero abominandam illam luxuriam, quæ Turcis alias familiaris eſſe ſolet, continentem ſe præbuit, maxime vero annis aliquot qui proxime ipſius mortem anteceſſerunt. Juris & æqui (quoad in hominem barbarum eumque ſordide avarum cadere potuit) fuit obſervantiſſimus. In eo valde ſolicitum ſe geſſit, ut omnia principum aliorum ſecreta pernoſceret. Ante omnia vero ſtatum imperii ſui ſibi quam perſpectiſſimum eſſe volebat; & in hunc finem proprios commentarios omnium negociorum quæ occurrebant, omnium redituum qui quovis modo ad ipſum perveniebant, & ſumptuum qui diebus ſingulis expendebantur, penes ſe in menſa quadam repoſitos habebat, qui poſt ejus mortem in filii manus pervenerunt, qui eos diligenter aſſervat: ſicuti Tiberium Auguſti ſimiles commentarios diligenter legiſſe hiſtorici tradunt.

His negociis aliquantulum gravioribus diſtrictus & detentus, vel naturæ inclinatione ductus, plerumque valde fuit melancholicus taciturnus & in omnibus rebus ſuſpicaciſſimus. Ut igitur per vices animum ad hilaritatem traduceret, opio uti ſolebat: de quo Turcarum eſt illa opinio, quod colorem faciei egregiam inducat, hominis animum recreet, quique ſemel eo uſus fuerit, nunquam eo non delectetur. Alebat quoque in aula ſua certum pygmæorum & mutorum numerum, quos ſæpius inter ſe committebat, quo ſe tam ludicro & inani ſpectaculo oblectaret. Bella plus religionis cauſa, & ut ſubditos continuo in arte & diſciplina militari exerceret, geſſit, quam quod ingenio bellorum avido & pugnaci eſſet. Cum Mahumethe Quudabenda Perſarum rege (qui Tamas patrem & Ismaelem avum habuit) & cum Abbas, qui nunc eo imperio potitur (quem male quidam *Mirisa* vocant, quod primogenitum regis, & proximum regni ſucceſſorem denotat) ſtrenuiſſime per quindecim vel ſedecim annos bella geſſit. Nec unquam pacem ſe initurum cum Perſa jactavit, priusquam Casbin, quæ eſt ſedes regia, occupaſſet. Idque duabus de cauſis: ut nimirum cineres Bajazetis filii Solymanni recuperaret, qui parentis iram fugiens ad Tamas regem ſe receperat, a quo in gratiam Solymanni, quem ſibi Tamas reconciliare cupiebat, interfectus fuit: deinde ut everteret ſepulchrum Arduelis, patris Iſmaelis illius, qui ſectæ Perſianæ primus author extitit.

Hic *Sophi* cognominatus eſt, vel a σοφὸς, quod originem e gente magorum & ſapientum Perſarum duceret, vel quod ſapientiæ laudem apud Perſas acquiſiviſſet, vel a dictione Arabica Sophi, quæ lanam ſignificat. Perſæ enim pilei illud genus quod Tulpantem vocant, non ex tela ſubtiliſſima, ut ſolent Turcæ, ſed ex lana rubro colore tincta geſtant, quo majori zelo ſe erga religionem affectos eſſe ſimulent. Unde *Kiſelbaſſi* ſeu rubra capita per jocum a Turcis vocantur: ad differentiam Tartarorum, qui Zegatai hodie quondam Bactriani dicebantur, hi enim a Mahumethis prophetæ poſteris ſe ortos gloriantur, viridi colore utentes *Jeſchilbaſſi* dicti ſunt. *Tulpante* vel Tocca, tiara illa Turcica eſt, quæ ſphæræ inſtar, variis circulis & voluminibus faſciarum linearum, quas hodiemi Græci *Φακιόλιον* vocant, conſtat, quo pilei vice utuntur. Rectius tamen Turbante a figura turbinata, quæ Græcis *κῶνος* dicitur, nominaretur. Ea nunc magis rotunda quam quondam utuntur. Quid ſi forte quis conjiciat, propter eam formæ ſpeciem tiaram illam in ſacris literis ſub pomi nomine intelligi? Ubi David Hieroſolymæ ruinam deplorans, dicit: templum Domini in pomorum cuſtodiam poſitum eſſe: quod non abs re de Turcis interpretari poſſe videtur. In Oraculo Turcico, quod notum eſt omnibus, & a variis varie interpretatum fuit, inter alia hæc continentur: fore ut Imperator Turcicus pomum rubrum prius ſibi ſubjiciat, quam a Chriſtianis imperium ejus evertatur. Quo pomo non Conſtantinopolim, ſed regnum Perſicum intelligi, nonnulli volunt. Alii tiaram hanc Turcicam in fortitudinis ſymbolum accipiunt. Quo admoneri volunt, eos qui eo cooperiuntur, ut in bellum proficiſcentes de reditu non cogitent, ſed glorioſe mortem oppetere non dubitent, cum ſindonem ſecum circumferant, qua defunctorum corpora involvuntur & ſepeliuntur. Janizari Tulpante non utuntur: ſed peculiare pilei genus, quod Zercola vocant ex penula alba factum, cujus forma paſſim depicta cernitur, alii rubram penulam, gerunt.

Sed ut ad rem redeamus; Amurathes tandem non minus quam ejus ſubditi diuturni iſtius belli laboribus & curis defatigatus, re cum Perſis compoſita, pacem iniit. Tum quod regionem ampliſſimam maxima ſua cum laude & gloria acquiſiviſſet, qua merito contentus eſſe debebat: tum vero ut ea ratione regionem bello partam componeret, tutamque pace redderet, eamque in Timarorum formam redigeret, quibus inter ſubditos nuper ſibi ſubjectos diviſis eorum benevolentiam ſibi conciliaret, propugnacula paſſim ad limites imperii conſtrueret, quæ ſibi invicem periculo imminente ſubſidio & auxilio eſſe poſſint.

L.

Viſiriorum conſilia, quibus Amurathi perſuadere conati ſunt, ut novum bellum ſuſcipiat. Quinam ſint Viſirii, & quid ſit Porta.

Interim dum Amurathes pace fruebatur, domi deſidebat ocioſus & melancholicus. Conſiliarii ejus intimi multis rationibus ad novum bellum ſuſcipiendum ipſum pertrahere conabantur. Hos *Viſirios* nominant, qui de rebus bellicis & aliis ad regni ſtatum pertinentibus deliberant. Concilium vero, quod ex his conſtat, *Divanum* nominant, ut ſuperius quoque dictum; idque aliud eſt quam *Capi* ſeu Porta, quo aula ipſa ſignificatur. Eaque in re, ut in plurimis aliis, Turcæ priſcos imitati ſunt Perſas; qui ut habet Xenophon, eodem fere nomine Aulam Regiam appellabant.

Conſulebant igitur Viſirii, ut bellum renovaret: quod magna imperia ſine armorum uſu diu conſiſtere non valeant: quia reſpublica Romana quoque cum Carthaginienſibus, & ipſi Romani Imperatores in Germania bella geſſerunt, imperium firmum & ſtabile conſervarint: quod, qui ante ipſum regnarunt Ottomannici Imperatores horum exempla ſecuti nunquam belli finem pacem (ut principes Chriſtiani, & qui ſuis viribus diffidunt, facere ſolent) ſibi propoſitam habuerint, ſed omni tempore bella foverint, quibus non modo Imperium ad eam in qua nunc eſt magnitudinem evexerint, verum etiam ſubditos bellis occupatos & diſtentos, a rerum novarum ſtudio & ſeditionibus, quæ ocium parere ſolent, diſtraxerint. Quod ſubditi tempore pacis alii de bellica fortitudine multum remittant, alii nimis avide mercaturæ ſe dedant, alii deprædationibus inhient. Hinc vero uſum militiæ nauticæ jamdudum intermiſſum omnino diſperire: terreſtrem vero militiam ſi diutius differatur bellum vileſcere & priſtino robore ſpoliari, neminem eſſe qui non videat. Hinc ducum atque militum, qui fortiter & audacter ſe belli periculis objiciant, inopiam neceſſario induci: cum ſolus belli uſus atque exercitatio milites aptos & idoneos ad militiam reddat. Conſtat porro, iiſdem quibus res acquiruntur mediis ut plurimum eaſdem conſervari; quod verum eſſe plurima exempla & argumenta docent.

LI.

Gallorum Regis & Angliæ Reginæ legati Amurathem ad bellum exhortantur. Amurathes tam ſubito, quid in hoc negocio ſibi faciendum ſit, ſtatuere non poteſt.

Baſſæ, qui eas quas dixi belli movendi rationes Amurathi allegarant, maxime ſuum commodum & utilitatem ſpectabant. Inprimis vero Sinan ille & Feratus, inter quos perpetua æmulatione, uter alteri honore præcederet, concertatum eſt. Hi non ignorabant, tanta autoritate ſe pacis tempore frui non poſſe, quanta in bello pollerent: nec ad eas ſe redire divitias, quas præ nimia avaritia immenſa libidine ſitiebant. Bellum igitur mordicus ſuadebant. Nec minus in id incumbebant Galliæ Angliæ & principis in Geilan legati, ut infra quoque dicetur.

Sed in re tam ardua & tam gravi, quid faciendum eſſet, Amurathes ſeſe initio expedire non potuit. Non equidem quod animum non haberet armatum & ad bellum propendentem; ſed quod nondum ipſi certo conſtare videretur, in quem potius, & cum majori ſuo commodo & abſque maximis incommoditatibus & periculis, arma transferret; quod in hac re conſiliarii ipſius minime conſentirent, a quibus diverſæ ſententiæ dictæ in medium allatæ fuerant.

Quæ ſententiæ cum res graviſſimas quæ in toto orbe tunc agitabantur contineant; inprimis vero utilitatem orbis Chriſtiani ſpectent, non pigebit illas eo ordine referre, quo ex aliorum fideli relatione ad nos delatæ fuerunt. Continent inſuper ſecreta quamplurima & res graviſſimas, quæ non in quorumvis notitiam hactenus pervenerunt. Principibus vero Chriſtianis, quæ in eos Turcici tyranni ſint machinationes, aperiet: ut quibus modis ipſi reſiſtere poſſint, non modo conſilium ineant, verum etiam, ut omnes privatas inimicitias reipublicæ condonent, & conjunctis viribus & opibus viriliter & generoſe ipſi bellum inferant, & Deo clementer annuente, tandem ipſum vincant, ejuſque tyrannidem evertant.

Octo autem fuerunt conſiliariorum Turcicorum de bello movendo opiniones.

1. Vt bellum contra Perſas renovetur.
2. Vt arma inferantur Marochienſi & Fezenſi regi.
3. Vt contra regem Hiſpaniarum bellum ſuſcipiatur.
4. Vt Malta inſula obſideatur.
5. Vt armis petatur Veneta Reſpublica.
6. Vt parti alicui Italiæ bellum moveatur;
7. Vel regiæ Poloniæ;
8. Vel ipſi tandem Imperatori & Vngariæ regno.

LII.

Conſilium de renovando bello Perſico. Turcæ Perſiam ſub Azemiæ nomine intelligunt. De Vsbeghan & de Tartaris Ketziebaſſis. De principe in Geilan. De Gurginis.

RATIONES, quibus opiniones ſuas comprobare volebant Principi ſuo conſiliarii, hæ feſe erant.

Vt bellum contra Perſiam, quod Turcæ ſub Azemiæ nomine intelligunt, redintegretur, hæ cauſæ in medium adferebantur. Quod omni tempore, quo Turcas alio bello implicatos noſceret Perſarum rex, pacem rupturus ſit, tum ut regionem ſuo cum dedecore maximo amiſſam recuperet;

Digitized by Google

ret; tum ut tot tantaſque ſibi jamdudum a Turcicis Imperatoribus illatas injurias vindicet. Fore inſuper, ut Chriſtiani principes ejus rei ſuaſores & impulſores ipſi exiſtant: Hiſpanus in primis, qui propter Indiæ vicinitatem, illud abſque rerum ſuarum diſpendio procurare, & machinarum atque tormentorum magiſtros ipſi commode ſuppeditare poſſit, quod non ita pridem factum eſſe conſtabat. Regionem nuper acquiſitam in ſtatum quietum & tranquillum nondum eſſe redactam: propugnacula recens extructa & eorum incolas in periculo verſari: nec ipſis propter itineris difficultatem & diuturnitatem prompte ſubſidio veniri poſſe. Quod ſi Perſæ nullum aliud inferunt damnum, quam ut prædas e provincia illa agant, eamque depopulentur, dictos incolas in eas redactos iri anguſtias, ut regio acquiſita rurſus deſerenda, vel fame ipſis pereundum ſit. Non tantum vincere, ſed victoria uti atque eam perſequi, veram tandem eſſe gloriam. Caveret ſibi Amurathes, ne iram & indignationem Mahumetis in ſe concitet. Nam cum ipſius favore & auſpiciis, tot victorias, quot quiſquam alius ex ſuis majoribus de hoſtibus ſuæ religionis reportarit; decere principem pium & religioſum, ut injurias Deo & hominibus illatas ſevere vindicet.

His addebatur, quod Vsbegh Han promptum ſubſidium & auxilium ad illud bellum offerret. Hic Princeps Tartarorum eſt, qui proxime Perſiam attingunt. Eorum regio Bahera a Turcis dicitur, quondam Battra vel Bactra vocata; ipſi Ketziebaſſi, quod penula caput tegant, nominantur. Nec ita dudum Vsbegh Han, de quo modo dixi, mortuus eſt, filio duodecim annorum relicto.

Idem quod Tartarus offerebat etiam princeps qui in Geilan dominatur; quæ provincia a mari Caſpio magis verſus ortum tendit.

De victoria, quam jam in manibus ſe habere putabant, ex ſucceſſibus priorum bellorum Turcæ judicium faciebant. Neque a Perſarum equitibus, licet Arabibus utantur equis, ſibi quicquam timendum rebantur, quod ex timiditate ſæpius jam in fugam verſi fuiſſent. Neque etiam verendum, ut in Perſarum gratiam Georgiani (quos Gurgginos Turcæ vocant, quondam Iberi dicti ſunt) arma ſumant; quod nonnulli eorum Turcis pareant, & Baſſæ in Tifiis & aliis, poſtquam Baſſalucchi a Muſtapha facti fuerunt, ſint ſubjecti; alii vaſalli ſint Turcæ: reliqui ſuos habeant principes Simonem & Alexandrum, quorum imperium haud gravate ſequantur, nec ad altiorem fortunam aſpirent, ſed ſua regione licet parva, contenti, eam tueantur atque defendant; quæ natura loci & ſitu munitiſſima eſt, ut vix aditus ad eam pateat, propter montes ſylvas & viarum anguſtias quibus paſſim cingitur.

LIII.

Conſilium de bello inferendo Seripho. De portubus Aguero & Larace. De rebellione cujuſdam Marabut. De quibusdam locis, quos Hiſpani in Africa tenent.

SECVNDA, quæ dicta fuit, ſententia erat, ut bellum in Africam contra Seriphum transferatur, propter has fere cauſas.

Ottomannico Imperio magno probro & dedecori futurum, quod Mauros iſtos & Afros, qui numero pauciſſimi ſunt, hactenus ſubjugare non valuerit. Nec minus turpe & inhoneſtum, quod in Africa, quæ tertia pars orbis terrarum eſt, & propter vicinitatem Italiæ tam diu Romanos bello exagitavit, exiguam adeo terræ particulam poſſideant. Algerium & Tunetum nunquam tuto poſſideri; neque ſubditos & piratas, qui eas urbes incolunt, contentos fore & quieturos, donec regnum illud integre libereque poſſideant. Occupandum eſſe promontorium Aguero & portum Lixæ ſeu Lariſſæ (quæ loca extra fretum Herculeum ſita ſunt) quod Anglis & aliis Turcarum amicis, qui in eo mari prædatoriam exercent, multum commoditatis allatura ſint, & eorum navigationem tutam redditura. Quamvis Seriphus Mahumetanæ religioni ſit addictus, & regnum ſuum in feudum ab Ottomannico imperio teneat, clam tamen cum Hiſpano & Equitibus Melitenſibus conſpiraſſe dicitur; unde hi non ita pridem Tripolim ipſo connivente ex improviſo fere occupaſſent. Quod rebellionem, quam movit Morabut & ejus ſucceſſor, clam promoverit: atque etſi hominum multitudine valeat, re tamen pecuniaria deſtituatur. Quamvis etiam Hiſpani in Africa poſſideant Maraſchebir, Oran, Pegnon, Tangir, Arzillam, Mazagan, Ceutan, & Septam, atque adeo Mauros juvare illiſque aſſiſtere queant, illorum tamen impetus & conatus inſtructa claſſe facile cohiberi, & ipſam Hiſpaniam infeſtari poſſe. Tum etiam quod expugnationem Tuneti & Golettæ (quæ ab Hiſpanis inexpugnabiles judicatæ, a Sinano vero Baſſa magna ſua cum laude captæ ſunt) tam recenti adhuc memoria Hiſpani teneant, ut non facile quid contra Turcas in gratiam Maurorum moliuri videantur.

LIV.

Conſilium de bello Melitenſibus inferendo.

TERTIA de bello movendo ſententia contra Melitam ſeu Maltam Inſulam dicta fuit, quam claſſe obſideri & debellari volebant.

Quod equitum ſacrorum triremes indies maximis damnis tum mercatores, tum qui religionis cauſa Mecham contendunt, afficerent. Non igitur religionis ſolummodo cauſa bellum eo transferendum, quo viam, quæ eo ducit, ab equitum incurſionibus tutam reddat: verum etiam ut veteres injurias, & damna jamdudum accepta ulciſcatur; in primis vero ut dedecus atque infamiæ notam, quam Solymannus incurrerat, cum fruſtra Melitam obſediſſet, deleat, damnumque reſarciat. Præterea etiam communes ſubditorum querelas in medium afferebant. Eſſe videlicet quamplurimos

qui amicorum; plures, qui cognatorum, quos miſeram ſervitutem apud equites ſervire ſciebant, ærumnas & calamitates defleant, a quibus tandem eos liberari petebant. Querentes tantum abeſſe, ut ſub ejus majoribus talia Turcis perferenda fuerint, quin ipſos contra equites Rhodo inſula & propugnaculo fortiſſimo, quod verſus Orientem Chriſtianum defendebat orbem, ſpoliarint. Pœna inſuper equites multandos, quod Afros rebelles omni munitionum genere juverint, & Methonem, hodie Modon dictam, ex improviſo occupare tentarint.

LV.

Conſilium de Hiſpano oppugnando. De Algerio Urbe. Quomodo Hiſpanus a Mauris Gallis & Anglis ſimul bello peti poſſit. Qua ratione in Mari rubro & ſinu Perſico ipſi reſiſtendum.

QVARTO loco eorum, qui Hiſpanum bello petendum eſſe rebantur, ſententia nobis dicenda eſt.

Hi contendebant fieri non poſſe, ut Turcicum Imperium ad totius mundi monarchiam, tanquam ad ſcopum, ad quem omnes omnium Turcarum actiones & machinationes directæ ſemper fuerint, pertingat, niſi prius Hiſpani debilitentur vires & immenſa potentia, qua omnes alios Chriſtiani orbis Reges & Principes longe ſuperare credatur. Nullum eſſe periculum, ut Hiſpanus Algerium obſideat; quam nunc longe melius munitam norit, atque fuerat tempore Caroli V. Imperatoris; quem Turcæ Crai voce Sclavonica nominare ſolent. Et quamvis Hiſpani ſine intermiſſione Regem de ea expeditione ſollicitent, quod nova indies damna & calamitates a piratis Afris accipiant: tamen quo minus illorum petitioni annuat, obſtare periculum, quod ab hoſtili claſſe: quam eo modo in mare Hiſpanicum attracturus eſſet, ſibi ſuisque imminere ſciat. Præſidiarias Hiſpanorum triremes, non facile regiones verſus Orientem ſitas, quas Turcæ incolunt, petituras eſſe: ne minus procul a patriæ conſpectu, quæ ipſarum ope ut plurimum indiget, diſcedant. Hiſpaniæ regem vel multitudine negociorum, vel aliis de cauſis retardari, quo minus quæ in concilio militari decreta ſunt, ſubito exequatur. Et quantum ex eo judicare poſſumus, quod non ita pridem ad Nicopolim, quæ Proneza hodie, & Navarinum, quæ quondam Pylus dicta eſt, contigit, Hiſpani ſibi ab armis Ottomannicis ſedulo cavere videntur. Ipſum Regem cautiſſime in ſuis verſari negociis certiſſimum eſt, ne cum Turca bello concurrere tandem aliquando invitus cogatur: quod videre fuit, cum non ita pridem ſub exitum belli Perſici, auxilium Perſarum regi denegarit. cui ſuccurrere poterat & ante ſolitus fuerat. Quod ſi defenſionem parare, & vim vi repellere omnino velit, vix tamen ipſi tantum virium ſupereſſe, ut præter ea, quæ nunc diverſis in locis bella gerit, novum inſuper ſuſcipere, & quantum ſat eſt militum & pecuniæ aliarumque rerum ad bellum neceſſariarum, ſuppeditare poſſit. Inſtare ipſi Belgii defenſionem, & amiſſarum provinciarum recuperationem, quæ propter fluxum maris & multitudinem fluviorum munitiſſimæ, & ab incolis mira animi præſentia & pertinacia, libertatis & religionis conſervandæ cauſſa, defendantur. Hiſpanum capitali odio ab Anglia diſſidere, quæ bellum hoc multis modis juvare poſſit, ſi in Luſitaniæ regnum impetum faciat, vel navibus, quæ Indiæ theſauros advehunt, inſidias ſtruat: vel in alia ejus regna incurſiones tentet, quemadmodum non ita pridem Coronæ portum occuparit, qui locus commodiſſimus eſt ad infeſtandum Hiſpaniam, & impediendas navigationes Indicas, atque alias quæ in Oceano fieri ſolent. Bellum vero Gallicum tam implicatum & ſollicitum tenere Hiſpanum, ut qua ratione citra honoris & bonorum jacturam ſe expediat, modum vix ullum reperire poſſit.

Quod ſi vero cum Principibus ſupra dictis pacem ineat, ut nullum inde inpoſterum periculum ipſi creari poſſit, alia tamen remedia quærenda & in manus ſumenda eſſe: aromatum aliarumque mercium negociationem, ex qua maximos ille percipit fructus, impediendam. Ejus quoque naves, ſi opus fuerit, Perſico ſinu exturbandas ope illarum triremium, quæ Poſidii (hodie Suez dicitur) in ſtatione teneantur. Propugnacula, quæ in illis locis poſſidet, aggrediunda, & ſi fieri poſſit occupanda, quemadmodum contra Luſitanos in Diu & Ormuz tentatum fuit. Quod Alfonſus Albuquerquenſis Luſitaniæ prorex in India efficere ſtuduit, cum celeribus equis regionem illam percurrens, Mecham ſpoliare ex improviſo, & Mahumetis ſepulchrum deprædare contendit. Idemque ſub Imperio Sultanorum quoque evenit: & Trajanus Imperator jam olim eodem modo graſſari conatus eſt. Ea quæ in Africa poſſidet loca, adoriunda eſſe, & litus Hiſpaniæ quod eſt ad mare mediterraneum infeſtandum, ut ſubditis Afris qui indies illud ſollicite rogabant, aliquando gratificetur: quo ſecure negociari, & peregrinari poſſint: ipſique Mauri tandem aliquando ab Hiſpanorum dominio liberentur, quod Selimo proxime defuncto perſuaſum aliquando fuerat: verum id multo commodius hoc tempore fieri poſſe, quod Maurorum gens nunc valde aucta ſit: invitique Hiſpanis pareant, ex mercaturis maximas divitias acquiſierint, naturæ vero ductu & religione moti, odium acerrimum contra Hiſpanos conceperint. Huc non parum conducere Africæ portus, in quos navibus ſemper tutus patebit aditus.

Porro maximi ad hoc bellum momenti rem eſſe, quod Galliæ Rex & Angliæ Regina ſponte continuationem belli contra Hiſpanos offerant. Gallus Navarram invadat, & jus, quod ad illud regnum prætendit, armis repetat. Angliæ Regina non modo ipſum in Indiis occidentalibus, in Oceano verſus Septentrionem & occaſum aggrediatur, ſed & novos tumultus & motus in Portugalliæ regno excitet. Ibi quam plurimi ſubditorum ægerrime Hiſpanorum imperium ferunt. Sibi enim ita perſuadere, & vere quidem: cum poſtremo Portugalliæ Rege, qui verus & legitimus ipſorum erat dominus, omnem proſperitatem & tranquillitatem ſe amiſiſſe. Hic enim pacem cum

Galliæ

Galliæ & Angliæ regibus coluit, unde ſubditi maximas divitias negociando acquirere poterant: ubi vero in Hiſpanorum manus inciderunt, propter bella perpetua, nova indies ſibi damna inferri & pericula creari conqueruntur.

Inſuper magnam exulum Hiſpanorum copiam paſſim reperiri, qui male contenti & pertæſi dominationis Hiſpanicæ, non modo ex Portugallia ſed ex ipſa etiam Arragonia & aliis regni partibus profugerunt, nunc vero in Gallia & Conſtantinopoli degant, qui auxilia & ſubſidia plurima occulte ac palam liberaliter offerant. Eadem Mauros quamplurimos polliceri. Hoſce vero omnes perfacilem expeditionem, & certiſſimam victoriam promittere, ſi ex improviſo quis Hiſpaniam invaderet; quod fere nullus ibi ſit militiæ uſus, cum incolæ raro domi ſeſe in armis exerceant; neque in locis neceſſariis ordinaria præſidia ſint diſpoſita, & perpauci equi ad bellum idonei reperiantur.

Conſiderandum porro, Hiſpaniam viris, qui rem bellicam fortiter & ſtrenue tractarint, valde exhauſtam eſſe, propter crebros copiarum delectus, quæ in Indias Italiam atque Belgium fere quotidie transmittuntur. Inde haud leviter vires earum regionum attritas & extenuatas adeo eſſe, ut ſi valido & numeroſo exercitu impetus in eas fieret, vix a ſuis defendi aut juvare poſſe videantur, ſed aliarum vicinarum ditionum huic regno ſubjectarum, præſidio & auxilio opus habituræ ſint; quæ ſi vel impediantur, vel in tempore adeſſe ceſſarent, tanto faciliorem parti adverſæ victoriam ſui relinquerent.

LVI.

Conſilium de bello Venetis inferendo, & oppugnanda inſula Corzyra, Cathæro, Cerigo, Novigrado, Zara, Butintro, & littore maris Adriatici devaſtando. De Pola, Raguſa, & plurimis portubus Turcarum in eo mari ſitis. De Candia Inſula. De Sinano Baſſa, & cauſis ipſius obitus. De Ferat Chereilam, & cur odium Mahumetis incurrerit, cur Maſul factus, id eſt, ab officio depoſitus fuerit. De Baſtia & Andromico. De Emiris & cur Tulpantem viridem gerant. Qua via vinum Malvaticum ex Creta in Germaniam, Poloniam, & Moſcoviam transvehatur.

Ut pax Venetæ Reipublicæ quondam conceſſa, diſcutiatur, illi qui QVINTO loco ſententiam ſuam dixerunt, Amurathi perſuadere conati ſunt; rationibus utentes veriſimilibus potius quam veris, licet illæ Turcis minus dubiæ videri poterant, quod ea facile & libenter credere ſolemus quæ cupimus.

Dicebant hi, nullam expeditionem minus difficilem futuram hac ipſa: judicio de rebus præſentibus e præteritorum bellorum eventibus ſumpto, in quibus ſemper Turcæ Venetis aliquid eripuerunt, qui ut pacem obtinerent, multis nominibus Turcis ſatisfacere cogebantur. Rempublicam Venetam ſibi a Turcis timere, & a bello alienam eſſe, inde patere; quod ſemper ſibi finem actionum omnium pacem propoſuerit, & nunquam ad arma majorum inſiſtens veſtigiis niſi coacta pervenerit. Quid, ſi forte ad primum armorum ſtrepitum locis aliquibus ultro cedat? ne majori damno afficiatur vel penitus vincatur, quod in Cypri deditione factum eſſe conſtat. Quid, ſi ejus tanta non ſit potentia & belli robur, ut ſola reſiſtere poſſit? Quod ſi cum aliis ſeſe jungat moram haud brevem interceſſuram propter difficultates, quæ in iciendis fœderibus occurrere ſolent. Quod Hiſpano non æque iam ut olim juncta ſit, cujus etiam auxilio nuperrime deſtituta, pacem cum Selimo inire coacta fuerit. Quod ſi omnino Venetis ſe jungere contra Turcas Hiſpano animus ſit, fieri tamen nullo modo poſſe, ut quæ neceſſario ad bella requiruntur, quibus ille nunc eſt irretitus, ſuppeditare poſſit. Ipſo vero abſente, omnem aliam confœderationem ad bellum maritimum gerendum fore inutilem & inanem. Quæ Pontifex huc conferre poſſit, eſſe perexigua. Licet enim officio ille ſuo fungatur, alios Principes ad ferendum auxilium adhortando, & ad bellum inſtigando, præter ſubſidium tamen aliquod pecuniarium e ſuis theſauris vel Eccleſiaſticorum reditibus depromptum, vix ipſum amplius quippiam præſtiturum eſſe: vel ubi ad ſummum res conatum perveniet, cum Veneta claſſe quinque ſuas triremes conjuncturam; quæ cum Sabaudi, Melitenſium equitum, & Florentini navibus, claſſem 20. triremium ſolummodo efficient, quod perexiguum eſſe videtur. Notandum & hoc: inter Venetam Remp. (ut ſibi perſuadent Turcæ) & reliquos Chriſtianos Principes forſitan eam non eſſe animorum conjunctionem & familiaritatem, quam gravitas periculi, quod illi ex bello Turcico imminere poteſt, & ipſa neceſſitas exigit, & requirit. Hactenus diſſolvendis alienis nominibus proximo bello contractis, & conſtruendis propugnaculis, ejus theſauros exhauſtos, forſitan nunc non ea auri copia inſtructos, quam belli moles efflagitat. Tandem cum Venetorum tota ditio paſſim propugnacula habeat quamplurima, fieri nullo modo poſſe, ut ſimul omnia milite aliiſque munitionibus bellicis tam bene munita ſint, quam ratio belli poſtulat & requirit.

IN hoc bellum fere omnes Viſirii conſenſerunt, ſed quo belli primus impetus dirigendus eſſet, variorum variæ fuerunt opiniones quas particulatim recenſebo.

Sinan Baſſa Albanus, natus in pago Topojano, qui eſt in Sangiachatu Philippopolis quæ Preſerem hodie dicitur, anno præterito, vel ex languore quod bellum Ungaricum ex voto minime ceſſiſſet, vel veneno necatus occubuit. Hic primam expeditionem contra *Corcyram* inſulam (quæ hodie Corfu dicitur) ſuſcipiendam eſſe ſuadebat: quod ut juſta de cauſa fieri crederetur, 300. cecchinos prætendebat, quos Corcyrenſes fiſco Turcico ab anno 1537. deberent, propter Baſtiam quæ illis tunc temporis ea conditione conceſſa fuerat. Eſt autem Baſtia deſertus quidam in Epiro locus, pago cuidam Turcico contiguus, Corcyra 12000. paſſuum diſtans. Non pro-

procul inde abſunt ſalinæ ad fluvium Calamattan, quas Turcæ poſſident. Illic merces, quæ ex Græciæ regionibus adferuntur, navibus imponuntur, ut in Corcyram transvehantur. Hanc ille ſuæ expeditioni prætexebat cauſam, ſed aliam fuiſſe, certum eſt; nimiam videlicet ipſius ambitionem, qua titulum & laudem ſtrenuiſſimi expugnatoris & debellatoris arcium acquirendi deſiderio maximo flagrabat. Quam certo ſe conſequi poſſe ſperabat, ſi Corcyram, quæ natura loci & arte munitisſima & inexpugnabilis habetur, expugnaret: eundem ſibi belli eventum promittens, quem expeditio ejus qua Golettam cepit habuerat.

Feratus Baſſa, Charailam ſeu niger ſerpens cognominatus, anno præterito vivere deſiit; Mahumetis ſcilicet juſſu (quam vero prudenter, alii judicent) ſtrangulatus. Accuſatus enim fuerat, quod clam cum Tartaro Crymæo conſpiraſſet, ne, ut debebat, in bellum Ungaricum proficiſceretur, quia Ferat dux belli generalis non fuiſſet creatus: tum quod Michaelem Waiuodam cum Tranſylvano reconciliare tentarit. Quorum defectionis cauſam, non odium erga Turcas, ſed indignationem contra Sinanum Baſſam fuiſſe, in conſilio Viſiriorum dicebat. Verum hæc ficta ab eo fuerant, quo autoritatem Sinani Baſſæ imminueret, a quo capitali odio diſſidebat, poſtquam propter tumultum, qui in circumciſione Mahometis inter Janizaros & Spahioglanos extitit, Maſul factus, id eſt ab officio remotus, cum ignominia fuiſſet. Hic ſuadebat ut *Catharo* (quæ Aſcruvium Ptolomæo dicitur) occuparetur, quod eam obſtare putaret Caſtello novo, & clavis præcipua Dalmatiæ, maris Adriatici & Veneti territorii eſſet. Nimis diu immoratus ſum in Sinano & Ferato Baſſa, quod eorum antehac mentionem fecerimus, & poſtea etiam facturi ſimus, quod primi fere & præcipui ſint, qui clavum reipublicæ tenuerint. Nunc ad reliquos pergo.

Sinan Cicala, Venetorum propter rationes ſupra allegatas hoſtis, *Cytheram* inſulam, Cerigo hodie dictam, invadendam eſſe ſuadebat, lucernam Archipelagi eam vocans, & exploratricem actionum Turcicarum, maxime vero, quod ex ea inſula facillimus in Peloponneſum ſit trajectus. Sic Demaratus Spartanorum Rex in Perſia exulans Xerxi ſuaſit, ut quantocyus posſit, Cytheram inſulam ſibi ſubjiceret, ſi quod affectabat, Græciæ imperitare vellet.

Aliorum Baſſarum erat opinio, ut *Novigradum* & *Zaramirizi* urbes occuparentur, quo injuriæ multis jam annis ab Uſcocchis illatæ vindicentur, & eorum audacia reprimatur, vel ſaltem, ut Veneti ad ea damna, quæ terra marique Turcæ a piratis & latronibus iſtis quondie patiuntur, reſarcienda aſtringatur. Negabant enim Veneti, ſe eo nomine Turcico Imperatori ullo modo eſſe obligatos. Nec quicquam ea de re vel Conſtantinopoli vel alibi in commentariis publicis ſcriptum reperiri. Volebant iidem Baſſæ, ut Veneti a Buthroti piſcationibus (hodie Buotintro dicitur) 10000. paſſuum a Baſtia diſtans, a regione Corcyræ ſita arcerentur. Non equidem, quod ejus loci poſſeſſionem jure quodam ad Turcas ſpectare putarent: (cum Veneti multo antea illum tenuerint, quam Turcæ pedem in Albania fixerint) ſed quod 100000. Cecchinorum in reditu piſcationes illas habere, fama, ſed falſa tamen, ferat, cùm ultra ſex millibus vel circiter nunquam locari ſoleat.

Aliis quibusdam videbatur commodum, ut claſſis Turcica in procinctu ſtans, ventum exoptatum & ſecundum expectaret, quo flante vel ex Peloponneſo vel Naupacto (hodie Lepanto) vel Nicopoli, quæ Prevera, vel Orico quæ Velona dicitur, ſolveret, *maris Adriatici littus omnemque oram maritimam* deprædaretur: & qui ipſis omnium commodiſſimus viſus fuerit locus, eum occuparet. Quod eo facilius ſe conſecuturos confidebant, quin maritimæ oræ terreſtribus etiam copiis a Turcis infeſtari poſſint, utpote qui omnes illas regiones fere obtineant.

Iidem Baſſæ hoc inprimis urgebant, quod abſque difficultate, ſed maximo cum commodo, *Pola* & *Raguſa* occupari poſſent. Illam incolis denudatam portum habere præſtantisſimum & in Iſtria ſitam eſſe: quæ provincia militum & habitatorum multitudine, nec non etiam propugnaculis deſtituatur, ſed inprimis tamen, quia ultra 120. millia paſſuum Venetiis non diſtet. *Raguſa* vero poſt Corcyram, alterius quaſi portæ inſtar ſit, qua in Venetam ditionem per Adriaticum mare aditus pateat, & tam commode ſita, ut tota inde Italia bello peti poſſit. Habere etiam portus tutiſſimos & capaciſſimos, quibus Turcæ iis in oris deſtituantur. Dyrrachii (quæ Durazzo dicitur) portus ultra quatuor triremes non capit, & introitum minus tutum habet propter ſyrtes. Inde ad 12. lapidem ad promontorium, Capo di Lacchi dictum, alius eſt portus 20. navium capax, ſed nec hic tutus, nec aquam bonam habet. In ſinu Velonæ ſeu Orizi alius eſt, totidem capax triremium. Hinc ad 8000. paſſuum eſt portus Raguſæus, qui 20. navium ſtationem habet: verſus ſeptentrionem, occaſum & meridiem a ventis tutus non eſt. Extra ſinum Adriaticum, quem veteres montibus Acroceraunijs (hodie Dichimara vocantur) terminabant, primus qui occurrit ad Epirum, eſt portus di Santi Quaranta, ubi quædam triremes conſiſtere poſſunt. Non procul diſtat Neriho olim Oricum: ubi primum Romani quondam appellere ſolebant, cum Hydrunte in Epirum navigarent, 40. triremium capax, ſed non adeo ſecurus eſt. Soli Raguſæi portus, quorum 5. vel 6. ſunt, inſigni capacitate præſtant. Tres in primis, & ex his ille, qui de ſancta cruce nomen habet, non Turcicam modo, ſed quamvis maximam claſſem capere poſſet. Hæc urbs præter utilitates quas dixi, hanc inſuper rebus Turcicis afferret, quod triremes aliæque naves ex materia, quæ e montibus Ducaginis eo transferetur, ibi conſtrui poſſint, quod ea commoditate in nullo alio ex portubus ſupra dictis fieri poteſt, ut alibi quoque a nobis demonſtratum eſt.

Sed major pars Viſiriorum in expeditionem *Cretæ inſulæ* inclinabant: quam ideo expugnandam judicabant, quo navigatio Turcarum, qui vel Alexandriam negociationis cauſa vel ex ſuperſtitione Mecham petunt, ab Hiſpanis Melitenſibus & Florentinis triremibus, tuta reddatur: quod fieri non poſſit, niſi alterum ex his duobus remediis, quæ præcipuus quidam ex Emiris propoſuerat, obſervetur,

ſervetur, ut videlicet Veneti non modo eo adigantur, ne ullum illis navibus in mari, cujus imperium habent, aditum præbeant, ſed etiam ut damna reſarciant, quæ ipſorum culpa navibus Turcicis ab hoſte inferantur: vel ut eum in finem claſſem Turcicam in Candiam, ubi ſtationem habeat, recipiant. Emiri illi, quorum memini, profitentur ſe ex Mahumetis prophetæ deſcendiſſe proſapia: ideoque tiaram ſeu Tulpantem viridi colore infectum geſtant. Nec dubitandum, quin expeditio hæc felicem habitura ſit exitum, ſiquidem inſulæ illius regnum, propter diſcrepantes ritus, quos Græci & Latini in ſuis eccleſiis obſervant, inter ſe diviſum ſit: Nobiles Veneti (in quo fortaſſis hallucinantur) a Cretenſibus diſſideant: illis etiam, qui privilegiis atque immunitatibus fruuntur, cum reliquis, qui angariis obnoxii ſunt, peſſime conveniat: Ruſticorum animi a nobilibus valde ſint alienati. Sed hoc maxime ad rem facere, quod nullo impedimento a Turcica claſſe quavis ex parte impetus in eam inſulam fieri poſſit, cum Turcarum ditione fere undiquaque cingatur, Natolia ſcilicet, Caramania, Barbaria, Alexandria, Morea, & Archipelago, quæ regiones omnes Turcarum Imperio parent, e quibus ſubſidia & ſupplementum militum nullo negocio ad exercitum mitti poſſint. Præterea ſi inſula hæc, quæ omnis generis fructuum feraciſſima & fertiliſſima eſt, occuparetur, tum omne maritimum imperium in manibus Turcarum poſitum iri. Nam fere centrum non ſolum maris mediterranei ſed totius orbis dici poſſit: quod æquali diſtantia ab Aſia Africa & Europa diſſideat. Unde non incommode a veteribus ſedes mundi opportuniſſima habita eſt. Hoc quoque obſervandum, quod occupata ea inſula, Venetorum claſſis multarum triremium jacturam factura ſit; Ottomannicum Imperium contra oportunitatem maximam adipiſcatur, quam plurimas in ea inſula conſtruendi. Tandem cum Conſtantinopoli maximus ſit Cretenſium numerus, illi de ſocorum oportunitatibus Turcas informare & juvare poſſent. Inter eos quam plurimi ſunt exules, qui eo confugerunt, ut laborando in armentario vel Peræ victum acquirant: vel negotiationem exerceant, vini inprimis precioſiſſimi, quod inſula profert. Inde enim per Pontum Euxinum ad Danubii oſtia, & rurſus ad urbem Chilia, Galaz Rene usque Flaz, quæ eſt in Valachia, transfertur, ubi carris impoſitum in Poloniam transportatur. In Germaniam vero non ea via, ut nonnulli ſcripſerunt deportatur, ſed per Oceanum Hamburgum Lubecam & Gedanum transmittitur. Pars quoque itinere quod Venetias ducit, in Germaniæ urbes præcipuas defertur.

LVII.

Conſilium de invadenda Italia. De expeditionibus quas in Italiam fecerunt Hunni, Alani, Gothi, Vandali, Teutones, Galli, Hiſpani & Saraceni. Laudes Italiæ. Quomodo Itali ſibi de re frumentaria proſpiciant.

Poſthabitis prioribus de bello movendo conſiliis, SEXTA ſucceſſit ſententia. Alii enim Baſſæ omnes imperii Ottomannici vires terreſtres æque atque maritimas contra Italiam dirigi volebant.

Quod ad orbis terrarum monarchiam, quam Turcæ ſemper ſibi, tanquam ſcopum ſuarum actionum, propoſitam habuerunt, nunquam perventuri ſint, niſi prius Italiam in poteſtatem redegerint. Hæc enim tanquam centrum univerſi orbis conſilia reliquis membris & auxilia ſuppeditare ſoleat, quibus aliorum machinationes impediuntur. Romanos tandem totius mundi dominos extitiſſe, quod hanc potiſſimum obtinerent. Huc omnes ſuas cogitationes direxiſſe, qui ex Ungaria per Dalmatiam eo profecti ſunt. Alani & Gothi, qui utramvis Danubii ripam incoluerunt, poſtquam Græciam ſubjugarunt, per Boſniam & Croatiam in Italiam irruperunt. Vandali Hiſpania ſubacta, ex Africa claſſe eo ſolverunt. Teutones Galli & Hiſpani varias in Italiam expeditiones ſuſceperunt. Saraceni (de quibus Romani quondam dicebant, eos vel in amicorum numero habendos, vel non tractandos ut inimicos) poſtquam totam Italiam devaſtarunt, diutiſſime illius imperii potiti ſunt, ipſa dominatrice Roma capta. De qua ſtulte ſane dicere ſolebat Solymannus, eam jure ad Imperium Ottomannicum pertinere, quod a Conſtantino in præjudicium ſucceſſorum fuiſſet alienata.

Concludebant tandem, quod nulla tam honeſta tamque fructuoſa expeditio hac ipſa ſuſcipi poſſit: quod Italia velut Reginæ locum inter alias provincias obtineat, propter ſitus opportunitatem, aeris temperiem, omnium rerum ad victum humanum neceſſariarum abundantiam, maximas pulcherrimas & ditiſſimas urbes, propter ſedem primariam eccleſiæ Chriſtianæ, propter antiquam gloriam & majeſtatem Romani Imperii, aliasque cauſas.

Neque hanc expeditionem adeo difficilem fore; quod Italia diverſis Principibus pareat, quorum imperio quamplurimi ipſorum ſubditorum invite obſequantur: quod incolæ per multos jam annos in pace vixerint, ideoque ad bellum minus apti, ſed timidi atque imbelles exiſterent. Quod ſi antequam ſegetes matureſcant, expeditio illa, vel ex uno, vel pluribus locis incipiatur, Turcis nunquam, quæ ad victum ſpectant defutura: incolas vero, quorum magna eſt frequentia, earum rerum penuria laborantes, & incluſos ſuarum urbium muris & propugnaculis, in extremum famis periculum adductos iri. Id vero inde magis patere, quoniam hoc tempore, quo pace fruuntur, frumentum, quantum ſufficiat ad victum, non habeant, ſed aliunde, in primis vero ex Peloponneſo Conſtantinopoli & urbibus Oceani maritimis, illis advehatur.

Conſiderandum porro quod plerique Italorum non alia ratione, quam ſuis laboribus & manuum ſuarum operibus, vel negociationibus victum ſibi parent. Qua ratione ſi ſpolientur, brevi tempore eo illos redactos iri, ut conditionibus, quas victor propoſiturus ſit, pareant, vel tributa ſolvant, Imperioque Ottomannico ſe ſubjiciant.

Nec milites illubentes in bellum hoc profecturos, quod neque per ſteriles regiones neque gla-

cie congelatas aut incultas, neque per ſylvas vel montes inacceſſos ipſis proficiſcendum ſit; ſed in ſuarum ædium conſpectu, & per proprias ditiones in bellum hoc ituri ſint. Et ſiquidem Turcæ, ut conſtat, ſæpius eo penetrare potuerint, cum limites remotiores & itinera incommodiora haberent, multo facilius id nunc fieri poſſe, cum opportunitatem nacti ſint, & hoſtem in propinquo habeant.

LVIII.

Conſilium de bello in Poloniam transferendo. De Coslou.

Septima quæ dicta fuit ſententia, eorum fuit, qui bellum in Poloniam primum, exinde in Ungariam & Germaniam transferendum eſſe putabant. Cujus rei rationes illi allegabant. Primum dignitati & majeſtati Ottomannicæ detrahi, quod Poloniæ Rex tributum debitum ſolvere aliquoties recuſarit; illud vi & armis repetendum eſſe cenſebant, quod eo facilius impetraturos ſe ſperabant, quoniam inter ipſos Polonorum præcipuos inimicitiæ paſſim gliſcerent. Nec difficile illud bellum futurum, quod Polonia cum Moldavia Tartaris & Sangiachatibus Achermani & Banderæ & Voſia terminatur. Neque tutam & plenariam Moldaviæ & Valachiæ poſſeſſionem unquam Turcas habituros, niſi Polonorum audacia reprimatur: quod earum regionum Principes, quos Waivvodas vocant, ubi multis opibus ſe locupletarint, ſemper in Poloniæ regnum recurrere ſoleant. Fore inſuper ut injuriæ a Coſaccis illatæ (qui Coslou Tauricæ Cherſoneſi urbem occuparant) vindicentur: & mercatura in Moſcoviam liberior & tutior reddatur. Moſcoviæ Duci timorem incuſſum iri, propter regionis vicinitatem: qui Dux imperio Ottomannico impedimento fuerit, quo minus totius Perſiæ regnum obtinuerit.

Et cum hoc modo Germaniæ paulatim appropinquetur, forſitan eo rem deventuram, ut inſigni aliqua clade Imperator afficiatur; eoque magis magisque imperium ejus armis & præſidiis Turcicis exponatur & cingatur.

Poloniam planam & apertam eſſe regionem, neque propugnacula ad reſiſtendum habere; incolas militiæ ſcientia non valere, quod diu jam pacem coluerint, & bellum cum Maximiliano Auſtriaco parum duraverit: Stephanus rex in bellis quæ contra Moſcovitam geſſit, ut plurimum militibus Ungaris uſus ſit, & obſidendo potius, quam pugnando ea bella confecerit.

LIX.

Conſilium de bello Imperatori Romano inferendo. Quomodo a Turcis Imperator & Vitma appelletur. Selymanni & Selymi conſilia & deliberationes. Quanta facilitate bellum Imperatori inferri poſſit.

Qui octavam & ultimam dixere ſententiam, bellum Romano Imperatori inferri volebant: quem Turcæ regem Viennæ (quæ illis Betz dicitur) nominant; olim Vindoniana fuit.

Cauſas belli movendi has proferebant. Quod Uſcocchi eo inſolentiæ proceſſerint, ut terra marique Turcas ſine intermiſſione deprædarentur, unde non modo propter damna, quæ inferantur ſubditis, ſed propter ipſam imperii Ottomannici majeſtatem & honorem, eorum audacia diutius non perferenda. Horum injuriis præcipue factum eſſe, quod mercatores privato ſuo cum damno, & publico Imperatoris detrimento, Narenta ſeu Narona Turcici imperii oppido relicto, emporium ſibi conſtituerint Salonam (hodie Spalato) quæ ditionis Venetorum eſt. Sed ne ſic quidem mercatorum ſecuritati conſultum eſſe, licet pax cum Imperatore & Venetis obſervetur. Nam & terra omnia deprædationibus ipſos miſcere, animalia abigere, pagos exurere, liberos e matrum complexu & ſinu abripere. Hinc quis animus ipſis ſit, facile intelligi poſſe. Nec dubitandum, ſi occaſio ſeſe offerat, quin, ſi aliquod magni momenti propugnaculum occupare poſſint, omni conatu id tentaturi ſint. Quod quantum dedecoris & ignominiæ, ut damnum ſileatur, toti Ottomannico imperio allaturum ſit, facile quemvis æſtimare poſſe.

Nec obſcurum eſt quam vilipenderit Imperator noſter Turcam, eo quo bellum cum Perſis geſſit tempore ſero nimis tributum perſolvens, quod violandæ potius quam ſtabiliendæ pacis ſignum ſit.

Nec adeo dubiam & difficilem fore victoriam, quod & verſus Croatiam Ungariam & Auſtriam impreſſio fieri poſſit. Regionem omnibus rebus neceſſariis abundare, exercitui ſuſtentando commodam propter vicinitatem, & quod fere ſemper in Turcico territorio iter faciendum ſit. Propugnacula præcipua Ungariæ, Belgradum, Budam, Albam regalem, aliaque loca munitiſſima Turcarum præſidiis & milite cuſtodiri, quo milites tanquam in tutum ſeſe recipere poſſint, ſi clade aliqua afficeretur exercitus, vel etiam in amiſſi locum ex præſidiis vicinis alius ſubſtitui poſſit.

Imperatorem Romanum paci potius ſtudere quam bello: quod non eo loco & honore a cunctis Germaniæ principibus forte haberi videatur, quem ipſius & dignitas & majeſtas requirat. Germanorum proceres propter religionem & fines territorii acriter inter ſe diſſidere. In primis vero propter novi Roman. regis electionem, pertæſos imperii domus Auſtriacæ, a qua contrariæ religionis Principes inprimis abhorrere videantur. Tum quod nimis anxie de cumulandis & aſſervandis ſuis theſauris ſint ſolliciti.

Tandem cum multis abhinc annis Germani bella nulla geſſerint, ad arma tractanda minus eos fore idoneos & ducibus parum obedientes. Eos nunquam non diffidere ſolitos Ungaris Italis & Hiſpanis, quod hæ nationes a Germanis parum diligantur, ne dicam odio habeantur. Qui etiam inter ſe propter variarum religionum ſtudia non conſentiant, & ſemper in eo verſentur metu, ne ſi forte Imperator Turcam bello vicerit, religionem, quam ſemel receperunt, iterum ejurare & Pontificis Roman. jugo ſe ſubmittere cogantur. Hanc ob cauſam a bello ipſos potius atque auxiliis ſummittendis abſtenturos, quam ut ſui & imperii defenſionem ſuſcipere velint.

Nec

Nec verendum eſſe, ut exteri Principes Imperatori hoc bello occupato auxilium ferant. Polonum & Tranſylvanum nunc in pace cum Turca vivere, nec belli tempeſtatem in proprias ditiones derivaturos. Tum etiam quod Poloni eo in metu ſint poſiti, ne patriæ limites deſerere & verſus mare glaciale ſe conferre cogantur. Tranſylvanus vero a Turcico Imperatore imperium acceperit, quo rurſus ab eodem exui & ſpoliari poſſit. Regem Hiſpaniarum ea quidem valere potentia, ut maxima domus Auſtriacæ auxilia ſubminiſtrare poſſit, verum aliis in locis ipſum diſtineri. Pontificem Romanum non ubivis locorum præſto futurum. Italiæ Principes neque theſauros ſuos neque ſubditos in alterius gratiam inſumpturos. Venetam Rempublicam non temere Turcarum arma in ſe concitaturam, ſed otioſe potius belli ſpectare exitum, quam alieno periculo ſe immiſcere, præoptaturam.

Hæ præcipue ſunt Viſiriorum de bello movendo ſententiæ; non maturo aliquo conſilio, ut fere ſolet, excogitatæ, ſed ex barbara quadam temeritate profectæ: qua moti plurimarum rerum facilimam expeditionem ſæpius ſibi perſuadent, quas effectu non modo difficilimas, ſed etiam pernicioſiſſimas ſibi experiuntur.

Scio nonnullos eſſe, qui de rerum quas enumeravi certitudine dubitent: quem ſcrupulum ipſis eximere animus eſt. Breviter igitur oſtendam, quomodo Turcis res noſtræ innoteſcant, & Turcarum res in noſtram noticiam perveniant. Demonſtrabo etiam, omnibus Principibus hoc uſu venire, ut de rebus maximi ponderis ejusmodi deliberationes inſtituant, præcipue Ottomannici reges, exemplo a Solymanno & Selymo ducto. Ille enim cum ſuis Baſſis omnium orbis terrarum Principum vires & potentiam examinabat & ponderabat: Hic vero, qua ratione de omnibus Principibus victoriam reportaret, conſilium inibat.

LX.

Quomodo res, quæ inter Chriſtianos Principes aguntur, in notitiam Turcarum perveniant.

Haud dubium eſt, Turcicum Imperatorem ejusque conſiliarios non modo earum rerum quæ inter Chriſtianos quotidie accidunt, verum etiam arcanarum, & quæ ipſis ſolummodo principibus eorumque conſiliariis notæ ſunt, cognitionem habere. Quibus explorandis, tum mercatorum, quorum ex omnibus nationibus Conſtantinopolis magnum numerum alere ſolet, opera utuntur: tum ex mancipiis & captivis, qui ſingulis diebus in ipſorum poteſtatem perveniunt, intelligunt: hi pleriique fidem Chriſtianam ejurant, præmiis allecti, vel pœnarum metu quibus duriſſime affliguntur.

Habent etiam alias rationes hæc expiſcandi. Non ita pridem ſecretarius quidam Imperatoris, qui Conſtantinopoli morabatur, plurima in illorum noticiam pertulit. Et Judæi hac in parte fidelem ipſis navant operam. Hi ſagaciſſimi ſunt exploratores, Chriſtianorum hoſtes; qui paſſim per Turcicum Imperium ſparſi, mercaturam exercent in præcipuis emporiis & vectigalia fere ſoli redempta habent. Unde ſummo ſtudio res noſtras indagant, ut Turcis eas revelando gratiam ab iis ineant, bonis & facultatibus ſuis proſpiciant, ſeque ſuosque liberos in tuto conſervent: tum etiam ut præmium aliquod & mercedem ab ipſis accipiant, ſibique eos devinciant. Occaſio præcipua belli, quod proxime Veneti cum Turca geſſerunt extitit, ut fertur, Joannes Miches Hebræus, qui infeſto erga Venetos animo, quod merces ſuas, quas ſub ficto quodam nomine Venetias advexerat, obtrudere ea ſpecie prohibitus fuiſſet. Johannem Lopes Hebræum affirmant plurima ſecreta Sixti V. Pontificis Amurathi aperuiſſe, quæ exploraverat dum Romæ vixit. Ideo ejus imago ab inquiſitoribus combuſta fuit.

Habent etiam Turcæ exploratores ſuos fere in omnium Principum aulis, quibus certa ſtipendia ſolvunt; etiam (quod mirum eſt, ſed verum tamen) in Helvetiâ & apud Rhætos ſuperiores, ut de copiis & exercitibus, qui inde in alias regiones emittuntur, certiores reddantur.

LXI.

Quomodo de rebus Turcarum certiores reddamur. Quis apud illos Muphti vocetur. Aſſam Baſſæ avaritia & ratio emungendi pecuniam. De Sultana. De Zingi Han. Cur Tartari & Turcæ capitis tegumenta pennis exornent.

Ad Chriſtianos Principes quod attinet, notæ ſunt impenſæ, quas faciunt, non modo ut aliorum conſilia & actiones ſecretiores explorent, etiam cum damno & pudore eorum qui in ea re ipſis inſerviunt, ſed præcipue ut quid Turca, qui communis eſt hoſtis, in animo gerat & contra illos machinetur, expiſcentur. Unde quorum plurimum intereſt, etiam in ipſa urbe Conſtantinopoli, ſuos maximo cum ſumptu alunt exploratores Judæos & Turcas, atque primorum Baſſarum fidiſſimos: & quoties arcanum quiddam ipſis communicatur, liberaliter illis dona conferre ſolent.

Nonnunquam ipſimet Baſſæ Principum legatis ea, quæ in ſecretiori Imperatoris conſilio proponuntur & tractantur, communicare ſolent. Verum huic malo hoc ille ſolet adhibere remedium, ut præcipuos conſiliarios ſub venationis ſpecie rus ſecum abducat, quo ea quæ decreta ſunt minus facile evulgentur.

Variæ autem ſunt cauſſæ, quæ Baſſas movent, ut de Imperatoris ſui conſiliis alios certiores faciant. Sæpius animorum quædam inclinatio eos permovet; qua Mahumetes Socolevich Primus Viſirius ſub Selymo, & Muphtius eo tempore, erga Venetam rempublicam bene affectus, plurima reipublicæ illius legato concredidit. (Muphtius autem apud Turcas primus ejus ſuperſtitionis antiſtes, atque Mahumetanæ legis præcipuus interpres eſt: tantæ in ſpeciem autoritatis in concilio, ut ipſius ſententiæ nunquam quisquam aperte contradicat. Dixi, *in ſpeciem*: nam quoties Impera-

Digitized by Google

tor ſerio aliquid vult, ille vel timore vel adulatione motus princeps ad laudandum & ſuadendum prodit.) Sæpius ubi inter præcipuos Conſiliarios contentiones oriuntur, ut deliberationes ſuorum æmulorum impediant, quo minus optatum exitum ſortiantur, illis quorum intereſt eas patefaciunt; quod Mehemetem Baſſam & Muphtium, nec non ita pridem Sinanum & Feratum feciſſe conſtat. Nonnullos avaritia ad hoc movet. Natura enim Turcæ ſunt avariſſimi ſeu donorum cupidiſſimi. Qua in re Aſſan Baſſa Venetus Cileſtri natus reliquos ſui temporis Baſſas ſuperavit. Hic ante Cicalam Architalaſſi officio functus eſt; & cum quadam die in concilio quidam e Viſirbaſſis Imperatori pollicitus eſſet, ſe ex improviſo Venetias occupaturum, nec ille tamen auditus ſed deriſus potius propter vanitatem & temeritatem fuiſſet: Aſſan iſte ad legatum Venetum ſe contulit, eique conſilium aperuit, quaſi ab aliis in medium allatum, ſe vero naturali inclinatione erga eam rempublicam motum obſtitiſſe, ne executioni mandaretur. Vnde ſplendidiſſimo & ditiſſimo munere fuit donatus.

Sub hoc titulo conſiliarii ſæpius ſervos ſuos & famulos remunerari ſolent. Nam arcana illis communicant, ut ea aliis, qui liberaliter donant, aperiant, atque lucrum inde faciant.

Idem cum ſuis uxoribus obſervant. Vnde Sultanæ (quæ Imperatoris ſunt amaſiæ vel cognatæ (cum perpetuo in Seralio habitent, ubi negotia præcipua tractantur & expediuntur, eorum eſſe inſciæ non poſſunt, eaque per eunuchos, qui ipſarum cuſtodiam habent, principum miniſtris revelant. Student ſibi hoc officii genere principum animos devincire, ut ſplendidum aliquod munus ab iis eblandiantur. Mater hujus Mahumetis honorem ſingularem Venetæ reipublicæ deferre ſimulat, & ſæpius donum aliquod ab ea poſtulat. Non ita pridem omnes Sultanæ a Venetis petierunt, ut prohiberent, ne fictæ illæ pennæ vitreæ, quæ Murani conficiuntur & erodii pennis ſimiles ſunt, Venetiis in Turciam efferantur: quod magno cum applauſu & vili precio paſſim Conſtantinopoli emerentur: unde ipſæ impediantur, quo minus pennas precioſiſſimas, quæ dono ipſis e diverſis regionibus magno numero mitti conſueverunt, eo precio quo ante ſolebant vendere poſſint. Apud Turcas enim mulieres æque atque viri criſtas gerunt, conſuetudine a Tartaris ducta, poſtquam Zingi Han, (perperam alii Cangio eum vocant) ſervatus a bubone fuerat. Cum enim hæc avis arbuſculis quibusdam conſediſſet, ſub quibus Zingi latebat metu hoſtium eum inſequentium, putavere illi neminem in eo loco ubi tam ſecura avis conſideret deliteſcere. In hujus rei memoriam Tartari avem hanc ſummopere venerantur, ut qui ejus pennas tum nanciſci potuit, felicem ſeſe æſtimarit: atque alii deinceps iis pennis capita inſignire ſumme ſtuduerunt, ut eſt apud Haytonem relatum. Sed ad inſtitutum.

LXII.

Quare Amurathes bellum Romano Imper. inferre decreverit. De Aſſan Boſnia Baſſa. De propugnaculo Petrina. De Aſſan Baſſa de Vuan.

Amurathes Turcarum Imperator, ubi diu in ea conſiliorum varietate anceps hæſiſſet, incertus quid nam de bello decerneret, tandem Cæſarem aggrediundum eſſe ſtatuit. Sperabat enim hac quoque in parte gloria & laude ſuos anteceſſores ſuperare, ut in Perſia ſe feciſſe judicabat. Idque eo facilius, quod bellum gerendum eſſet in regione, quæ proxime ſuum territorium attingebat: unde commeatus & alia neceſſaria in caſtra commode deferri poſſent.

In eo propoſito a Sinana Baſſa fuit confirmatus. Qui cum vidiſſet, fruſtra ſe Corcyrenſem expeditionem conſuluiſſe, hanc fovere ſtuduit: ſperans ſe Generalis (ut vocant) & Supremi ducis officio potiturum, quo ſuis æmulis reſiſtere & maximas divitias acquirere poſſet. Quod tandem ipſi ex animi ſententia ceſſit, ſiquidem ad ſeptennium ſupremum belli imperium ea poteſtate, quam Imperator ipſe habet in caſtris, conſecutus eſt.

Illud negocium præ reliquis quoque promovit Aſſan Boſniæ Baſſa, homo temerarius potius quam ſtrenuus, ſi res ejus in Croatia geſtas ſpectes. Putabat eo modo divitias ex eo bello (ut mos Turcarum eſt) maximas, & ſuprema belli munia, quæ a vatibus quibusdam vel potius auguribus promiſſa fuerant (nam eorum auſpiciorum erat inprimis diligens obſervator, cum accipitrariæ rei præeſſet) ſe conſecuturum. Igitur Amurathem indies de damnis, quæ Vſcocchi & alii Archiducum miniſtri & ſubditi inferebant, deque incendiis deprædationibus eorundem & rapinis commonefaciebat. Inſtigans eum, ut in Croatia bellum inciperet: inde vel contra Cæſarem vel Venetos illud continuaret, vel ex improviſo in Italiam impetum faceret, ut ſub Mahumete Balazethe & Solymanno factum fuerat; unde omnibus Italiæ principibus maximus metus incuteretur, & milites ditiſſimis ſpoliis locupletarentur. Ea importunitate tandem effecit, ut poteſtas ipſi data fuerit, bellum in Imperii finibus auſpicandi; ſub hac tamen conditione, ne ipſius Amurathis juſſu ſed proprio motu id a ſe fieri profiteretur. Petrinæ propugnaculum ad Culpam ſeu Colapin fluvium, quam de ſuo nomine Aſſan Grad nominari voluit, extruxit. Inde faciles incurſiones in ditionem finitimam fieri poterant, & periculum minabatur Caroloſtadio Zagabricæ & Metlicæ, aliiſque urbibus & pagis vicinioribus. Omnia terrore lachrymis & querelis percellebantur & perſonabant.

Sed obiter hic ſingulare quippiam obſervandum ducimus; eum videlicet qui primus Perſiæ regiones infeſtavit, antequam bellum proximum motum fuit, & pacem inter Perſas & Turcam violavit, idem cum hoc nomen tuliſſe, & vocatum Aſſan Baſſam de VVan; quæ Mediæ urbs eſt, hodie Siruan & VVaſpracan dicitur, qui eo tempore ultimus Turciæ terminus verſus Perſiam erat.

Sa-

Sæpiſus *Vſcochorum* mentionem fecimus: quinam igitur ſint, clarius ut explicemus, propoſiti noſtri ratio requirit, quoniam cauſa & occaſio tanti belli, quod nunc geritur, extitiſſe dicuntur.

LXIII.

De Vſcochis, & quare ſic dicti. Vbi ipſorum latebræ & receptacula ſint. Vnde ipſis ad mare aditus ſit. Quomodo ipſorum deprædationibus variis modis reſiſti poſſit. De Chimeriottis, Marteloſſis, & Murlachis. Sententia Azam Baſſæ. Decretum Vſcochorum de non diminuendo ſuorum numero.

Vſcochos voce Sclavonica ſaltatorem ſignificat; quod capreoli in morem per præcipitia montium calceis lorariis ſaltare ſoleant. Sed errant, qui cum Iovio inhabitatores Chimeræ eos ſtatuunt; ſiquidem a Chimeriotis ad quingenta miliaria diſtant; qui in Albania Acroceraunios montes ad promontorium Iapygium, quod Capo di Santa Maria dicitur, incolunt. Vſcochi Sclavonicam, Chimeriotæ Albanicam linguam loquuntur: illi Romanos, hi Græcos obſervant ritus: illi collectitii ſunt & pauci, hi vero indigenæ & maximo numero. Inter illos plurimi verſantur Murlachi, quibus ſub Turcis vivere non licet: qui aut ex Veneta vel aliorum principum Italorum ditione proſcripti, vel paupertate coacti, illis ſe adjungunt. Recipiunt quoque in ſuam ſocietatem Marteloſſos, qui exploratores & latrones ſunt ejus ditionis: ut ipſa vox Martelos demonſtrat, quæ profeſſionem non nationem quandam denotat.

De *Morlachis* ſic ſtatuendum. Eo nomine omnes Chriſtianos intelligi, qui montes incolunt. Inprimis vero, qui in monte Lica prope Novigradum & Seniam habitant. Vox ea Marolachia tunc primum innoteſcere cœpit, ubi in Italiam Barbari irruperunt. Nam cum ex VValachia ad mare Adriaticum perveniſſent, eo nomine omnes maris accolas adpellarunt; & ſub voce Vulachi vel Vloſchi Italos omnes intellexerunt; non aliter ac Turcæ, qui Francorum nomine omnes Italos appellitabant.

Vſcochi maritima loca habent Seniam & Buccari: interius vero Othozaz et Vinadol, quæ regio ad Comitem Sedrim pertinet. Et licet omnes oras finitimas deprædentur (quemadmodum Turcomanni quondam in Græcia ſolebant) ab Imperatoris tamen præfectis tolerantur, ne eos a ſe alienent: ſi quidem ſine ullo ſtipendio audaciſsime limites iſtos defendunt & tuentur, Coſaccos Polonos ea in re imitantes; de quibus infra fuſius. Quod cum manifeſte contra pacta conventa, inter Archiducales & Turcas, & cum ipſis quoque Venetis inita, fiat, ſæpius cauſam & occaſionem Turcis dedere, ut ad defendendos ſubditos, & merces quæ Anconam & Venetias deferuntur, arma arripuerint. Eo etiam Venetos redegerunt: tum propter jurisdictionem, quam in mari Adriatico ſe habere Veneti prætendunt: tum etiam ne Turcis occaſionem præbeant, ut armis in Venetos converſis injurias ab Uſcocchis illatas ulciſcantur. Adhoc etiam ne Veneti a Turca odioſe interpellentur: ut fieri ſolet, quoties Turcis aliquo damno adfectis ſatisfactionem ab iisdem Venetis Turcæ petunt. Nec vero Turcarum modo bona prædari ſolent, ſed Chriſtianorum etiam facultates aggredi, Venetorum inprimis; non equidem quo damna quæ in obſidione Seniæ acceperunt reſarcirent, (ut quondam ipſorum Voviadæ & Arambaſsi cauſabantur) ſed potius, ut injuſtisſimis modis divitias & opes acquirerent. Quod eo libentius faciunt, quoniam optime norunt, quod a Venetis vix impediri poſsint, dum ab Imperialibus defenduntur & quoties lubet in tutum ſe recipere queunt.

Vſcocchis tamen quatuor viæ patent in mare ad prædas agendas. Prima eſt inter flumen Veſſiam atque Cherſum inſulas: ſecunda inter dictas inſulas & Arben: tertia inter Arben & Pagum: quarta, denique inter Pagum & Zaram, quæ anguſtisſima & 100. paſſus vix patet.

Veneti triremes habent atque alias naves armatas, quas ad impediendos Vſcocchorum impetus emittunt: ſed quia parum ordinate res adminiſtratur, parum etiam hactenus ipſis nocuerunt. Navium igitur numerus augendus & præſidia in loca opportuna collocanda ſunt, quibus commode ipſis reſiſtatur. In quæ etſi ſumptus majores impendendi eſſent, hæc tamen utilitas inde expectanda, quod Vſcocchis ſemel in fugam compulſis non facile ſeſe recolligere & unire poſſint. Et mercatores ipſi (de quorum ſalute & utilitate ut plurimum agitur) libenter eos ſumptus contribuent.

Vel etiam hac ratione ipſis reſiſtendum, ut Vſcocchorum ducibus certa pecuniæ ſumma ſolvatur, ut a damnis tam Chriſtianis quam Turcis inferendis abſtineant; cum latrocinia vix ulla ratione latronibus illis audaciſsimis & animoſis interdici poſsint, niſi ſerio in id & aperto bello incumbatur. Sed verentur nonnulli, ne ex ea re Turcarum Imperator indignationem contra Venetos concipiat, qui cum Vſcocchis conſpiraſſe ea ratione videri poſſent, ut ipſorum mercatores ſolummodo pace fruantur & tuto negociari poſsint, neglectis aliis. Nec fieri etiam poſſe, ut in hunc modum tam ſecrete cum Vſcocchis transigatur, quin Turcæ reſciſcant. Verum huic malo duobus modis ſuccurri poterit. Primum, ut quid rei cum illis geratur Turcarum Imperatori ſignificetur, cum in eo omnis tractatio conſtat, quo ipſi ſolummodo ſatisfiat. Vel, ut Pontifex bono conſulens publico ſeſe interponat, & acceptam a Veneta republica vel a mercatoribus pecuniam ſuo nomine inter Vſcocchorum duces diſtribuat. Præterea etiam Cæſari ſubſidium aliquod pecuniæ largiri poſſet, ut præſidio valido Seniam & loca vicina muniat. Vel, quod optimum foret, ſi ut pacate inde diſcedant, eaque loca rapinis exercendis commodisſima deſerant, cum ipſis conſtituto precio vel ex pacto conveniri poſſet. Conſtat enim publicos ipſos eſſe latrones, & maximis damnis Chriſtianum orbem afficere.

Alia ratione, nec vires ipſorum imminui, neque etiam penitus extirpari poterunt: quod nunquam a quoquam impediantur, quin militem ſuum augeant, & quosvis ad militiam paratos ſibi aſſocient. Hoc enim lege apud ipſos cautum eſt, ut marito defuncto conjux in omnia defuncti bona ſuccedat, & qui hanc duxerit poſſeſſionem illorum bonorum poſſit acquirere.

Huc usque de Uscocchis, & quomodo ipſorum inſolentiæ reſiſti poſſit, dictum ſufficiat.

LXIV.

Sigismundus Battorius ad Cæſarem tranſit, quod plurimum Cæſari profuit. Quæ Sinan Baſſa Amurathi obtulit. Obitus Amurathis & ejus ſepultura. Cur Turcarum templa ſeu Meſchitæ vocentur Moſcheæ. Succeſſio Mahumetis in regno paterno. Quid Ferat & Sinan Baſſa prætendant. Cur Mahumetes in bellum profectus ſit.

Ubi bellum inter Amurathem & Cæſarem eo quo dixi modo recruduit, Sigismundus Battorius Tranſylvaniæ Princeps Turcis adverſari & Cæſaris partes ſequi cœpit. Quod ut illis præter ſpem & omnem expectationem evenit: ita neque ab his, qui factum hoc Politico more (quem Ragion di ſtato appellant) examinarunt approbari potuit. Soli igitur divinæ providentiæ merito adſcribendam eſſe deliberationem illam cenſemus. Hinc enim dubio procul & Germaniæ & Italiæ nata eſt ſalus atque ſecuritas: & Turcæ machinationes, quas contra Chriſtianos principes intendere voluit, ut plurimum declinatæ & averſæ ſunt, ſingulari ad hanc diem exemplo.

Sinan vero ubi poſt mortem Aſſan Baſſæ imperio militari præfectus eſt, amiſſa omnia ſe recuperaturum eſt pollicitus; ut contra eorum calumniam ſeſe purgaret, qui hujus conſilii de bello Cæſari movendo autorem ipſum ſolum prædicabant.

Quæ ab eo tempore in Ungaria ab utraque parte geſta ſunt, hiſtoricis deſcribenda relinquimus. Sed ecce dum hic Belgrado reditum Conſtantinopolim parat, mors Amurathis ipſi denunciatur. Qui nono Januarii die anni 1595. obiit, ſepultusque eſt in templo, quod vivens conſtruxerat idolo Bahalzebuf, id eſt, muſcarum. Qua fortaſſe de cauſſa talia ædificia vulgo corrupto vocabulo, vel ſane ludibrii cauſa, a noſtris Moſcheæ, hoc eſt domunculæ Muſcariæ nominantur.

Ubi Mahumetes opera Ferati Baſſæ, qui triremem e veſtigio ipſi obviam miſerat, in paternum imperium inductus, & de more ac conſuetudine Ottomannica inauguratus eſſet, conſilia bellica renovata ſunt. Initio apparebat, Mahumetem paci potius quam bello ſtudere: quod Conſtantinopolim caritate annonæ oppreſſam, ſubditos ab eo bello alieniores, Baſſarum animos, inprimis vero Sinani & Ferati, invicem diſſidentes cerneret. Ille enim belli imperium jure ſibi deberi prætendebat, quod Mahumeti ſemper fidiſſimus & amiciſſimus fuiſſet, & parenti quæ de filii morte ex ambitione decreverat diſſuaſiſſet, & ſuſpiciones ea de re conceptas ejus animo exemiſſet; tum quod ſemper de omnibus rebus, quæ in regno quotidie fieri ſolebant, ipſum certiorem feciſſet. Ferat contra optime de Mahumete ſe meritum eſſe ſtatuebat, quod tempore exiguo in poſſeſſionem regni paterni illum collocaſſet. In primis vero tam periculoſo tempore, maximis neceſſitatibus rempublicam urgentibus. His invicem illi altercabantur rationibus, donec tandem alter alterius necis & obitus cauſſa extitit.

Sed ubi rebus domeſticis aliquantulum Mahumetes proſpexit, easque ex voto compoſuit, bello ſe accingere coactus eſt. Tum propter rationes ſuperius a nobis in medium prolatas: tum quod milites palam profiterentur, ſe in militiam non amplius profecturos, niſi Imperatore ipſo præſente, quod a primis belli ducibus Sinano & Ferato in bellis præteritis minime ipſis ſatisfactum, ſed peſſime etiam ab iisdem tractati fuiſſent: tum etiam, quod militum animi alii in alios duces inclinarent, & Cicala facillimam victoriam ipſi promiſiſſet, ſe ipſemet bello intereſſet.

LXV.

Agria occupatur a Turca. De urbis Toccai & Sacmar.

Primo expeditionis ſuæ anno *Agriam* occupavit. Quæ licet non adeo munita ſit, propter montem qui ipſi imminet: ſitus tamen ratione maximi eſt momenti. Quod facile impedimentum inde Tranſylvani & Cæſaris copiis, quo minus ſe conjungant, creari poſſit; & Turcæ viam, quæ Caſſovia Toccaium verſus ducit, continuo infeſtare queant, cum ſuperior illa, quæ eſt verſus Sacmar, multo ſit longior. Quod ſi muri & propugnacula Agriæ reficiantur, nullo negocio exercitus validiſſimus inter utrosque hoſtes ibidem in excubiis haberi poterit.

LXVI.

Expeditio Mahumetis. Fuga ejusdem. De Tamur Han.

Agriæ expugnationem *prælium* eſt ſecutum. De quo vere dici poteſt: quod vel uterque exercitus victoria ſit potitus, Cæſaris ſub principium, Turcarum ſub exitum pugnæ, vel quod neuter ab adverſario fuerit victus, quia ambo ſeſe receperiut, incerto rerum ſuarum ſtatu relicto. Quod inter Ludovicum XI. Galliæ Regem, & Carolum Burgundum eadem fere ratione contigiſſe legimus; ut Græcorum & Romanorum exempla taceam. In primo ſtatim congreſſu Mahumetes propriis ſuis oculis vidit exercitum ſuum diſſipatum, & in fugam conjectum; ipſe de ſua ſalute ſollicitus in montem quendam in ipſo Agriæ conſpectu confugit, faciemque parte veſtis Mahumetis, quam religionis cauſſa ſecum circumferebat, abſterſit.

Quanta vero noſtrorum militum virtus, & in debellando hoſte audacia fuerit, non eſt obſcurum: quod minus quinquaginta milibus militum (quos Franciſcus Maria Urbini Dux ad extirpan-

pandam Turcicam tyrannidem ſibi depoſcere ſolebat) inſtructi, hoſti obviam procedere, manus cum eo conſerere, & exercitum qui trecentorum millium hominum atque adeo totius Imperii Ottomannici robore conſtabat, in ipſius Imperatoris conſpectu in fugam conjicere valuerint. Unde nemo temere dubitare debet, quin ſi noſtri minus avari, melius uniti, magisque providi, inprimis vero erga ducem belli fideliores extitiſſent, victoriam ſplendidiſsimam reportaturi fuiſſent: qualem forſitan ante ipſos nunquam Chriſtiani de Turca tulerunt, ipſo Mahumete capto. Quemadmodum Bajazetem a magno Tamur Han, id eſt, domino ferri (qui corrupte aliis Tamerlanus vel Tamberlanes dicitur) captum eſſe ſcimus.

Et ut tandem hanc partem abſolvam, Turcarum Duces exiguam fortitudinem & rei bellicæ peritiam in eo prælio demonſtrarunt: unde plurimi honoribus ſuis privati, alii vita mulctati ſunt, milites vero timidi & pavidi redditi.

HINC futurum conjicimus, ut eorum Imperator melius rebus ſuis in proximum annum proſpiciat, & vel pacem ineat, vel cum minori ſuo periculo bellum gerere ſtudeat. Interim perplexe Chriſtianus Orbis de ejus machinationibus eſt ſollicitus. Quare cogitationes hoſtium altius examinare, & quid Chriſtiani Principes ad gloriam Dei & ſui conſervationem præſtare poſſint & debeant, judicare noſtri officii eſſe cenſemus.

PARS TERTIA.

In hac parte agitur, an Cæſar & Tranſylvanus pacem a Turca oblatam acceptare debeant, nec ne. Deinde etiam oſtenditur, quid damni iidem Turcico Imperatori inferre, ſi bellum continuarint, tum quantum alii Chriſtianorum Principes ipſi nocere poſſint.

Ut omni tempore periculum, quod Chriſtianitati a Turcis imminet, evitetur.

IN ultima igitur hujus noſtri libelli parte, primo loco demonſtrare animus eſt: num Cæſari atque Tranſylvano expediat, ut pacem, ſi a Turca iis offeratur, accipiant. Tum etiam exponam, quæ Turca ſibi pericula a Cæſare & Tranſylvano, tum etiam ab aliis Chriſtianorum Principibus imminere timeat, ſi bellum quod nunc geritur continuetur. Multarum quoque gentium & locorum deſcriptionem addemus, quæ non minus jucunda quam utilis lectori erit futura.

LXVII.

Conſilium Mahumeti datum, ut pacem cum Cæſare ineat. Tranſylvanus Cæſari ſe conjungit, quem Turca maxime timent. Cur Mahumetes belli continuationem tandem decreverit.

Cum belli initium in Ungaria Amurathes feciſſet, pacis tractationem penitus recuſavit. Quam tamen Galliæ & Angliæ regum legati ſtrenue urgebant: ex adverſo vero bellum maritimum contra Hiſpanum ſuſcipiendum, diligenter hi ſuadebant, ut a bello, quod contra Galliam & Angliam Hiſpani gerebant, diſtraherentur. Majori ſtudio & contentione eandem rem tractarunt, poſtquam duplici clade in Croatia & Ungaria Amurathes affectus eſſet, & Conſtantinopoli domeſticæ ſeditiones & civiles diſcordiæ palam ſerperent, & indies latius manarent.

Poſt Amurathis obitum Mahumeti ſucceſſori ſæpius eadem in animum revocarunt, belli hujus difficultatem ipſi oſtendentes, & quanto facilius expeditionem in Hiſpaniam ſuſcipere poſſit. Hoc inprimis ipſi ponderandum relinquentes; quod Tranſylvanus præter omnem ſpem Cæſari ſe conjunxiſſet, unde Turcarum rationes belligerandi ſummopere impeditæ fuerint. Siquidem Princeps ille juvenis & audax, maxima nunc autoritate apud amicos æque atque inimicos ob ampliſſimas res geſtas polleat; qui nunquam ad officium reduci poſſit, niſi pace cum Cæſare facta ipſe excludatur. Sed ejusmodi pacem vix eſſe ſperandam, propter utriusque emolumentum, quod alter ab alterius ſalute dependere videatur: tum etiam propter confœderationem recens inter eos initam, & novam affinitatem, qua Cæſari non ita pridem fuit junctus. Allegabant etiam Raſcianorum rebellionem, & quod Moldaviæ & Walachiæ Waivvodæ ſeceſsionem a Turcis feciſſent: tum etiam quod omnes Turcarum ſubditi in maximo timore verſarentur, ne vires Imperii Ottomannici a Tranſylvano non modo deprimantur, ſed ne penitus illud regnum deſtruatur & evertatur.

Hiſce Legatorum rationibus & monitis Mahumetes patulas præbuit aures. Illud etiam veritus, ne ſocietatem mutuam Chriſtiani Principes contra ſe inirent: a qua re Turcarum Imperatores ſemper ſibi valde timuerunt. Igitur ex reſponſo quod legatis dedit, & ipſius quoque actionibus apparuit, ejus animum a pace non eſſe alienum. Permiſit enim Græciæ præfecto (quem Beglerbegum vocant) ut ea de re cum Imperatoris Tranſylvani & Walachi officialibus ageret.

LXIIX.

Cur Turca libenter de pace tractent. Ferdinandi Archiducis conſilium. Cur Maximilianus Imperator Albam regalem non occuparit.

Sed verior tamen opinio fuit, Mahumetem etiam tum, non minus quam Amurathem, armatum animum geſiſſe, maxime vero poſtquam in Croatia cæſus fuerat; ut amiſſam ſcilicet recuperaret gloriam. In qua ſententia etiam Ferdinandus Archidux erat. De pace tamen tractare ſimulate volebat: tum propter rationes ſuperius allegatas, tum vero ut in hac quoque parte uſum militiæ, in primis vero Ottomannicæ, ſequeretur. Siquidem ea tractatione hoſtem negligentem & dubium

dubium in conſiliis definiendis & apparatibus faciendis reddere cogitabat. Sperabat etiam fore, ut durante ea tractatione noſtrates tardius & remiſſius in bello contra eum procederent, ne majoribus injuriis ejus indignationem in ſe concitarent. Qua in re Maximilianum II. in occupanda Alba Regali deceptum fuiſſe ſciebat, dum de pace ineunda cum Solymanno tractaret: quæ licet confecta, tamen non diu poſt, maximo cum Chriſtianorum damno, iterum diſſoluta & diſcuſſa fuit.

Sed ſtatuamus, Mahumetem eo tempore pacis fuiſſe cupidum, vel eam nunc ſerio ab ipſo deſiderari; expedit tamen ut diligenter, quid in hoc negocio rationes noſtræ poſcant, conſideremus. Ego particulatim omnia ea referam, in quibus cardo hujus rei graviſſimæ verſatur. Quorum quædam ad Cæſarem ſpectant; quædam ad Tranſylvanum: reliqua ad dignitatem & emolumentum totius Chriſtiani orbis pertinent. Judicium penes alios eſto.

LXIX.

Quæ pacis conditiones Turca propoſiturus videtur. Turcarum mos non reſtituendi quæ ſemel in bello ceperunt. Cur Georgius Vacowichius ditionem ſuam ab Amurathe receperit. Cur Ferat Bei plurima loca Jacobo Soranzio reſtituerit. Quænam loca a Cæſarianis & Turcis in hoc bello occupata fuerint. De vocabulo Bannus.

PRIMVM quod in conſiderationem venit in eo conſiſtit, quod Turca nunquam pacem cum Cæſare & Tranſylvano facturus eſt, niſi uterque quæ hoc bello ipſi ademit reſtituat: econtra ipſe haud facile quæ occupavit, inprimis vero quæ alicujus ſunt momenti, reddet. Sic enim inter Turcas conſtitutum eſt, ut quæ ſemel ipſorum equi pedibus calcarunt, ubi ea occuparunt nunquam reſtituant: maxime vero ſi templa vel Meſchitas ibi conſtruxerint, vel commodum & emolumentum inde ſperent.

Etſi enim Amurathes II. Georgio Wocovichio Serviæ dominatum, quo ipſum ſpoliarat, reſtituerit: id tamen præcipue factum eſt, quod Amurathes Ungaros, quorum potentiam verebatur, ſibi conciliare voluerit. Tum etiam quod Princeps ille hujus filiam, quæ Græcorum tamen religionem colebat, in matrimonio haberet a patre collocatam. Quod unum ex iis graviſſimis ſceleribus exiſtimari debet, propter quæ Deo ultori viſum eſt opibus & libertate plurimos ejus gentis regulos ſpoliare. Sicut plane eidem Georgio contigit poſt ultimam illam Ladiſlai cladem. Unde in Sclavonicis cantilenis vulgo adpellatur *Heviernith*, id eſt, infidelis.

Veneti quoque Ceſaloniam inſulam hodie poſſident: quam Turcico Imperatori auxilio Conſalvi Cordubenſis (quem magnum Capitaneum vocant) eripuerunt. Sed putat forſitan Turca, hanc inſulam ſibi parum conducere, vel ejus acquiſitionem fore difficillimam. Selymus pace non ita pridem cum iisdem inita permiſit, ut Ferat Bei (qui non ita pridem mortuus eſt Budæ, ubi Baſſa fuit) Jacobo Soranzio reipublicæ legato tredecim oppida prope Zara (olim Zacynthum) ſita, quæ Turcæ in bello ipſis ademerant, reſtitueret, quatuordecim vero prope Sebenicum, & nonnulla prope Spalatum. Cupiebat autem Venetorum amorem eo modo retinere, ut a fœdere Chriſtianorum, quod maxime timebat, eos diſtraheret.

Poſtulata Turcæ, quæ verendum eſt ne noſtris proponat, hæc erunt, ni fallor. Ut ſibi reſtituatur a Cæſarianis, in Croatia quidem propugnaculum munitiſſimum Petrinæ, & quæ ipſi ad viam, quæ ultra Dravum Caniſa uſque Bahoz ducit, quæ Sigetho vicina eſt, erepta fuerunt: tum in Hungaria inferiore Strigonium & Vicegradum: in ſuperiori vero Vaccia Fileckum & Novigradum. Muros etiam Hatvvani reſtaurari petet. Hiſce addet tributi augmentum, & ut ſumptus quos in bellum hoc fecit ipſi rependantur. A Tranſylvano poſtulabit ſibi tradi Walachiam: & ut omni ſuo juri, quod in eam prætendit, renunciet. Lippam ad Mariſſonem fluvium ſitam, arcem maximi momenti Temeſvariæ Baſſæ ante ſubjectam dedat; precium Sangiachatuum duorum Janomæ, & Bezcherech, aliorumque minus celebrium locorum hoc in bello a Tranſylvano exuſtorum, ſibi ſolvi, cum muneribus & annuorum tributorum auctione, poſcet.

Contra vero eorum, quæ ipſe noſtratibus eripuit, non eſt ut quis reſtitutionem ſperet. Tenet autem Turevopoliæ ditionem, quæ intra Savum & Culpam ſita, olim Banno paruit. Dicuntur autem Banni provinciarum rectores, Beglerbegis autoritate & poteſtate inferiores. Nec reſtituet Biz vel Bicagi: quæ verſus mare vergit, non procul a ditione Veneta ſita, ea via quæ verſus Novigradum ducit: nec in Ungaria citeriori Veſprinum & Jaurinum, nec in ulteriori Agriam quam poſtremo occupavit.

Hæc fuſius a nobis ideo poſita ſunt, ut quæ loca utraque pars hoc in bello occupavit, innoteſcat & clarius fiat.

LXX.

Imperatorem & Tranſylvanum neque conjunctos neque disjunctos invitem pacem cum Turca facere debere. Quo nomine Turca ſe læſum a Tranſylvano putet.

SECVNDO loco & hoc conſiderandum eſt, ſi Mahumetes cum ambobus pacem facere recuſet, an alter ſeorſum ab altero conſentire paci debeat.

Qui in rebus agendis ſunt exercitati, facile dijudicare poſſunt, ſi hi Principes a mutuo fœdere diſcedant, eum qui viribus erit inferior, vel a pace excludatur, in maximum conjectum iri periculum. Tum hæc animorum disjunctio, fœdera & pacta conventa juramento confirmata, & promiſſionem ſummo Pontifici præſtitam, violaret atque infringeret.

Quod ſi a parte Cæſaris primum offendatur, quis non videt, quanta ingratitudinis & neglecti

officii

officii culpa in ipſum ſit redundatura, quod eum deſerat, qui tempore maxime neceſſario in ſuas partes contra Turcam conceſſerit?

Quod ſi Tranſylvanus officii immemor pacem cum Turca ineat, credo erit timendum ipſi, ne in ſummum dedecus apud quosvis incurrat, quod immemor promiſſionis toties iteratæ, (cujus inprimis tenax eſt) tandem præ formidine conditiones ejusmodi inierit, quas in hunc usque diem fortiter reſpuerat; licet commoda majora & perpetua protectio, tum ab hoc Mahumete, tum ab ipſius patre Amurathe, oblata & promiſſa fuerint. Quæ ſi Ferdinandus Imp. conſideraſſet, non omnis ferme Ungaria in jus Turcarum ditionemque conceſſiſſet. Præterea quis tam demens unquam, tamque omnis rationis expers ſit, ut in fide hominis infidelis acquieſcere velit? cui tantum non ſemper id metuendum ſit, fore ut ad quamvis occaſionem quæ Turcæ ſpem aliquam lucri faciendi præbeat, fœdera pacis prohibita violet & rumpat, cum hujus rei nunquam prætextus idonei deeſſe poſſint, Barbaris in primis principibus qui fraudi ſtudent. Hujus rei teſtes erunt Veneti; quibus anno 1570. pax fuit a Selymo violata; præter alia exempla infinita, quæ in medium adferre poſſemus. Quod ne ſibi quoque contingat, ſi quisquam alius Principum, certe Tranſylvanus merito timere debet. Siquidem domus Ottomannica omnes ſibi illatas injurias ipſi ſoli imputat, & damna hoc bello accepta ab uno ſe accepiſſe Tranſylvano putat. Sola ipſius rebellione (ſic illi juſtum deſiderium, quo eximere ſe Turcicæ ſervituti voluit, nominant) conſilia ſua impedita, ſeque a curſu victoriarum, quas animo jam volvebat, retardatum fuiſſe. Id porro eo magis metuendum, quod vix ac ne vix quidem tantis Turcarum viribus reſiſtere poſſet, ſi in ipſum ſolum converterentur: niſi vel Polonus vel Imperator manus ipſi porrigat vel eum defendat, quod exiguæ alias Tranſylvani vires & divitiæ ſint. Quod ſi ejus ditiones natura & locorum ſitu munitæ eſſe videantur, ut facile ad tempus defendi poſſint, cogeretur tamen vel ſponte ſua vel vi coactus immenſæ huic potentiæ cedere; quæ univerſo jam orbi formidabilis eſt, adeoque propter hominum multitudinem divitias & omnis bellici apparatus copias inſuperabilis videtur.

Neque Cæſar omni metu atque periculo vacuus erit, ſi Tranſylvanus cum Turca tranſigat. Id ſolummodo enim ſpectat Turca, ut Principes hosce armis ſemel exuat, & a bello ſecuros reddat; quod milites eorum, ubi ſemel domum ad propria defluxerint, non facile militiam repetere ſoleant. Qua re Cæſarem maxime laborare novit: quod bellum auxiliaribus potius quam propriis copiis gerat, ad quarum collectionem plurimum temporis, & Ordinum atque circulorum Imperii conventus, requiruntur.

Ex his quæ diximus facile unusquisque intelliget, pacem ejusmodi Cæſari atque Tranſylvano parum utilem, ſed perniciosiſſimam potius futurum. Quos nempe ubi arma ſemel depoſuiſſe cognoverit Turcicus Imperator, non erit illi difficile, bellum cum majori commoditate, & locis maxime opportunis redintegrare.

LXXI.

Contra quos belli molem Turca ſit converſurus, ſi pacem cum Cæſare & Tranſylvano ineat. Quod Perſis non facile bellum moturus ſit. De Turcomannis & Corizzis.

TERTIO denique & ultimo loco, non modo Cæſari & Tranſylvano, ſed omnibus aliis Chriſtiani Orbis Principibus conſiderare expedit, quonam certo Turca videatur belli molem inpoſterum converſurus, ſi pacem cum Cæſare & Tranſylvano ſanciat, eamque ad tempus conſervet? Nam haud dubium eſt, quin Turcica Monarchia ſubditos ſemper novis bellis implicatos teneat, ut quæ originem ab armis ſumpſerit, & vires inde atque incrementa omnia ceperit.

Quod PERSIAM intentatam ſit relicturus, hoc præcipue tempore, & ad bellum non provocatus, inde conſtat. Quia milites Europæ (in quibus nervus militiæ Turcicæ conſiſtit) ab illa expeditione maxime abhorrent, propter aſperum & longinquum iter, & rerum ad victum pertinentium inopiam, tum etiam propter Perſarum ferociam, quam non parum timere videntur. Inprimis vero quod non ita pridem Turca cum Perſarum Rege pacem inierit: & fundamenta recens acquiſitarum arcium nondum recte ſint ſtabilita. Neque Perſis unquam deeſſe milites poſſunt. Quorum fere tria ſunt genera, Turcomanni ſcilicet, qui noſtros Vaſallos referunt; Corizzi, vel Coryshi, qui ſtipendia merent: & auxiliarii, quorum nomine Armenii, Georgiani atque alii intelliguntur, qui omnes ſtrenui ſunt atque audaces, equites inprimis, e quibus fere ſolis ipſorum militia conſtat, quæ maxima eſt militiæ Perſicæ labes.

LXXII.

Turca bellum Mulei Ameth Maroccenſi Regi non inferet. Quid Seriphi, quid Sultani vox ſignificet. De regno Gago.

Nec adducor, ut credam Mulei Ameth, Regi in FESSA & MAROCCO (quem Mauri Seriphum nominant, quod nomen, ſicut Turcarum Sultanus, Regem & Dominum denotat) bellum illatum iri, quod parum lucri, jacturam vero & detrimenta maxima inde ſit facturus. Tum etiam quod Mulei Ameth, (qui fratres habuit Abdalam & Mahumethem) bello ſtrenuus ſit & fortiſſimus. Nam etſi regnante Abdala voluptatibus & libidinibus ſe maxime deditum ſimulavit, ut ſuſpiciones quasdam fratris animo eximeret (quod Mahumethem quoque, qui nunc imperat, feciſſe diximus, ut patris iram leniret) attamen ubi poſt fratris obitum regnum auſpicatus eſt, aliud inſuper, quod *regno del Gago* hodie vocant, acquiſivit, quod auro puriſſimo abundat. Unde tota ejus provincia plus centum dierum itinere circumſcribitur, ab Oceano Tripolim usque pertingens.

LXXIII.

Turca Maltam non aggredientur, & quodnam in ea re Cicalæ conſilium Amurathi datum.

MELITAM inſulam non aggredientur Turcæ. Nam ex Sinani Cicalæ Archithalaſſi conſilio, quod Amurathi dederat, parum ad dignitatem Ottomannici imperii conducet, ſi immenſam ſuarum opum vim atque potentiam late patentem in exiguæ illius inſulæ expugnationem & acquiſitionem conferre velint. Ea etiam quin ſit futura difficillima, non eſt dubitandum. Verendum magis ipſis eſt, ne ſucceſſu omni deſtituantur, quod multo melius nunc quam Solymanni tempore munita ſit. Neque in ea defendenda equitum ſacri ordinis priſtinam & innatam fortitudinem atque audaciam eſſe imminutam ſcimus. Tum quod a reliquis Chriſtianorum Principibus haud gravate, ſed multo facilius nunc, quam olim, auxilia ad eam tuendam impetrari & obtineri poſſint.

LXXIV.

Turca bellum Hiſpano non movet. Turcici & Hiſpanici imperii termini.

Neque HISPANO Turca bellum movebit, ſpe concitandorum Maurorum. Non enim tanta alacritate & promptitudine hi res novas exequuntur, quanta aviditate eas deſiderant. Eo vero minus eorum rebellioni inſiſtendum, quod pluribus locis apertis & diſſitis ſejuncti, ipſi armis minime inſtructi ſint, & eorum fides merito in dubium vocari poſſit. Igitur in expeditionem tarde & lente proficiſcentur, præ metu ne ſuas domi amittant divitias. Luſitanos & Arragonenſes quod attinet (a quibus ex ſententia Baſſarum regi Catholico aliquid periculi imminere poſſet) ſciendum, hos non modo honeſtum ſub jugum miſſos, verum etiam ſua ſponte ipſos neceſſitati ſeſe & tempori accommodaſſe. Et qui rerum agendarum ſunt periti facile judicare poſſunt, non leviter exulum conſiliis atque inſtigationibus contra patriam aures eſſe præbendas, quod multum damni inde ſæpius acceperint, qui minus caute in ea re ſunt verſati.

Nec temere contra ſe Hiſpani arma Turcicus Imperator concitabit, quod potentiſſimus ſit omnium Regum Orbis terrarum. Et licet variis in locis bella gerat difficilima, facile tamen ubivis pacem vel inducias inire poterit, ubi a Mahumete ſe peti viderit. Ut taceam, tantam ipſius eſſe potentiam, ut durantibus quæ nunc gerit bellis, Turcis tamen reſiſtere valeat, claſſe imprimis quam ſingulis annis emittere ſolet. Nec in ea inſtruenda novos facere ſumptus cogetur, ut Turcarum littora & oras maritimas infeſtet.

Neque potentia vel imperii magnitudine Turcæ Hiſpanus cedit. Ille quidem latiſſimas & maximas ditiones poſſidet. In Aſia quidem quicquid Euxino Ponto Sinu Arabico & Perſico clauditur, a mari Caſpio ad fluvium usque Araxin, & Perſiæ terminos, qui magis verſus ortum poſiti. Ab Helleſponto ad Nili oſtia pertingit. In Africa poſſidet, quicquid intra Nilum jacet usque ad Algerium, & in meditullio partem maximam ejus provinciæ quæ Ægypto & mari rubro terminatur. In Europa Buda ipſius imperii eſt terminus, Conſtantinopolim usque Neſtro, Danubio, Ægæo & Adriatico mari clauditur: Euxini littora usque ad Tanaim fluvium comprehendens, omnesque porro Aſiæ inſulas & pleraſque Græciæ. Sed Hiſpani imperium magnitudine non eſt inferius, quia ab occidente in orientem usque ſeſe extendit, novum orbem complectitur, a Moluccis inſulis, quæ ultimæ ſunt ex orientalibus, ad fretum usque Herculeum pertingit.

LXXV.

Turca Polonis bellum non inferet. Cur Romani Danubii littora munierint.

Nec POLONIAM bello petet; quæ regio fere in ipſis regni Turcici viſceribus ſita eſt. Pollet inſuper & hominum armatorum & equorum copia; qui ubi Muldaviam & Walachiam ſibi ſubjecerint, trajecto Danubio Bulgariam invadere, vel Romanos imitantes Danubii littora munire, & Conſtantinopolim usque, quæ caput eſt imperii, excurrere, totamque eam ditionem devaſtare poterunt. Horum audaciam & ferociam Turcæ jam olim in bellis ſunt experti.

LXXVI.

Turca non aggredientur Tartaros.

Nec TARTAROS aggredientur; quod eandem cum Turcis religionem colant & fœdere invicem juncti ſint; quibus victis parum emolumenti ad victorem ſit perventurum, quod omnium ſint pauperrimi, in campo ſub tentoriis viventes, qui ubi hoſtem ſibi appropinquare ſentiunt, in tutum ſe conferre ſolent, eo diſcedente amiſſa recuperant. Ab illis plurima beneficia recipere poſſunt, ubi amicitiam cum ipſis colunt, nec minora damna ubi eos ſemel irritarint.

LXXVII.

Neque Moſcovitam.

Neque tandem MOSCOVITAS armis petet; quod regionem habitent glacie congelatam, vel paludibus inviam, infœcundam, a Turcico imperio longe diſſitam. Dux ipſe magna & equitum & peditum caterva ſtipatus incedit, qui tormentorum & ſclopetorum uſum apprime norunt.

Ergo vel in Venetam rempublicam, vel univerſam denique Italiam furorem ſuum effundet, ſi cum Cæſare pacem faciat, quod contra alium ex his quos commemoravimus, bellum moturum ipſum eſſe vix credi poſſit.

LXXVIII.

Qua de cauſa, & quibus modis, Turca Venetos ſit aggreſſurus, & cur omnibus Chriſtianis illud bellum periculoſiſ-

culoſiſſimum ſit futurum. Cur Hiſpanus merito Venetos juvare contra Turcam teneatur. Turcarum opes frangendi imperiique excindendi rationem unam eſſe, ſi mari ſuperentur. Cur Græcia victa & Conſtantinopolis capta. Cur Pius II. Mahumeti II. ſcripſerit. Ejuſdem oratio. Clementis VIII. zelus. Venetæ reipublicæ laus & potentia. Quomodo Turcæ Hieroſolymam vocent, & quare a Chazilaris religionis cauſa frequentetur.

Si VENETAM rempublicam Turcicus Imperator aggrediatur, maxima omnibus Chriſtianis Principibus, vicinis inprimis, pericula incumbent; quod Italiæ bellum proxime & ſedi religionis immineat.

Nam Græciæ Principes in hoc unico fere peccarunt, quod diſſidentes invicem, iis, quos Ottomannorum armis proxime expoſitos eſſe ſciebant, opportuno tempore auxilio & præſidio non venerunt; unde omnibus poſtea idem fuit ſubeundum periculum, & imperii habenæ (Deo ſic ipſorum luxum & diſcordias civiles puniente) omnibus pariter fuerunt ereptæ. Inprimis vero ob contaminatam variis erroribus religionem, & legitimum Dei cultum corruptum, ſevere fuerunt caſtigati. Nam in Gothorum primum, Bulgarorum & Saracenorum poteſtatem conciderunt: tandem miſera & deploranda Turcarum tyrannide fuerunt oppreſſi, qua adhuc illaqueati tenentur. Quod ipſis a Nicolao V. Pontifice in literis ad Conſtantinum Imperatorem ſcriptis veriſſime prædictum fuerat. Cardinalis Beſſario Italiæ Principibus graviter exprobrat, quod Conſtantinopolim ſolis 50. millibus coronatorum juvare noluerint, cauſaque extiterint ut poſtea a Turca occuparentur. Qui perpetuo victoriarum curſu Trapezuntem, Sinopem, inſulam Lesbum (quæ Metelin hodie) Peloponneſum, Caramaniam cum regionibus vicinis Pamphiliæ, Bosniam, Bulgariam, inferiorem Ungariam, cum Epiro & maxima parte Dalmatiæ & Illyrici, tandem quoque Eubœam quæ Nigropontus dicitur, Imperio ſuo adjecit. Sed merito in omnium Principum auribus Urbani Pontificis verba ſonare debeant, quibus Chriſtianorum Principes Claromonte Arverniæ urbe congregatos ad Hieroſolymitanam expeditionem ſuſcipiendam concitavit, & recuperandam Hieroſolymam. Quæ Turcis etiam ipſis Cuzzimubaret, ſeu locus ſanctus & inclytus dicitur, propter Salvatoris noſtri ſepulchrum, quod illi æque ac Bethlehemum revereri, & ipſorum Chazillarii, qui religionis cauſa Mecham proficiſcuntur, viſitare ea loca ſolent. Neque etiam ignota eſſe debeat Petri Eremitæ adhortatio ad Chriſtianos Principes habita. Et fratris Johannis Capiſtrani conciones, quibus ad 40000. crucigerorum coegerat, qui omnes contra Turcas, in eaſdem regiones, ubi nunc geritur bellum, ſeſe contulerunt; aliorum etiam piorum virorum, inprimis Pontificum, ardentiſſimæ admonitiones ad bellum Turcæ fortiter inferendum extant, quarum pleni ſunt conſiliorum & hiſtoriarum eccleſiaſticarum libri. Neque ſanctiſſimus Clemens VIII. qui nunc pontificatum regit, hac in parte ſuo officio deeſt, hortando, impellendo: qui velut alter Jacobus, noctes dieſque ſine ceſſatione laborat in procuranda ovium Labani ſalute, id eſt, fidelium Jeſu Chriſti, altaque voce in precibus ſuis multiſque cum lachrymis Deum pro ſalute noſtra implorat & veneratur.

Hic omnibus aliis relictis, nobis in præſenti ſufficiet ea commemorare, quæ Pius II. (qui prolixa epiſtola Mahumetem II. ad Chriſtianam religionem traducere voluit) in concilio Mantuæ habito, poſtquam ruinam Græciæ & aliorum regnorum Turcæ ſubjectorum deploraſſet, in conſeſſu Chriſtianorum Principum, in hanc ſententiam locutus eſt. *Ipſa quidem æquitas religioniſque ſtudium, illuſtriſſimi & Chriſtianiſſimi Principes, hoc a vobis flagitat atque requirit, ut aliquando expergiſcamini, præſentique animo tandem miſeris iſtis & calamitoſis hominibus, qui ſub Turcica detinentur tyrannide, ſubveniatis. Quis quæſo veſtrum eſt, qui commune hoc atque noſtrum omnium cervicibus imminens periculum non videat, planeque ſentiat? Nam ut reliquas pulcherrimas atque ditiſſimas regiones, quas jam pridem immaniſſimus ille Tyrannus contra omne jus & fas occupavit, taceam, Adrianopolis & Nicopolis ante paucos annos ſpacio multo majori a Turcis erant diſſitæ, quam illi Chriſtiani ſunt, quos non ita pridem in bello cepit, & omni crudelitatis genere miſerrime affligit. Ad hoc piiſſimi religioſiſſimique Principes veſtrummet munus noſter Salvator humeris veſtris impoſuit, vos obſtringit atque obligat. Ille enim non modo e faucibus antiqui ſerpentis vos liberavit, verum etiam Principes & Rectores ſui populi vos conſtituit, ut diligentium Paſtorum inſtar pro ſalute gregis vobis commiſſi vigiletis intrepide, ne a lupis ei quid detrimenti inferatur. Deus, cujus nomen ſit benedictum in ſecula, in manus vobis ſceptrum tradidit, gladioque accinxit, atque juſſit vos, miſericordiam & juſtitiam exercere, atque tueri bonos, & debellare ſuperbos, omnes privatas utilitates Deo condonare. Cedant divinis humanæ rationes. Sed & propria commoda & humanæ rationes nobis perſuadeant, ut arreptis armis fortiter audaciam immaniſſimæ iſtius belluæ reprimatis, quæ Leonis inſtar rugientis continuo florentiſſimum Chriſtiani Orbis campum devaſtat, ut partem aliquam noſtrarum vel vicinarum regionum degluttiat. Liceat ex alterius damno ſapere. Extinguamus ignem, qui parietem proximum atque fratrum noſtrorum inflammat, ne conſumamur una cum ipſis. Occurramus opportune atque deſtruamus torrentem hunc rapidiſſimum atque præcipitem, ne ejus inundatione noſque noſtrique agri ſubito pereant. Ergo agite bellatores inclyti atque fortiſſimi, vobiſcum tandem ſtatuite & decernite, ne ulla ratione ſeculum in quo vivimus, anteactis minus ſit glorioſum minuve celebre, virorum præſtantiſſimorum inopia. Imitamini illum Gotofredum, Balduinum, Boemundum, reliquoſque Argonautas celeberrimos, qui, ut hoſtibus crucis Chriſti ſepulchrum redemptoris noſtri eriperent, propria quævis bona vendiderunt, patriam domoſque deſeruerunt, mare transfretarunt, variis laboribus atque periculis immenſis jactati in mari, fatigati in terra. Nunquam melius theſauros, arma, vireſque ſuas ſe impendere poſſe judicarunt, quam in ſanctam hanc & laudabilem expeditionem. Quis igitur veſtrum erit, qui præeundo aliis ſancto exemplo, primus ſe cruce ſignabit? Quis ducem itineris, quis comitem ſeſe præbebit? Ubinam ſunt Chriſti milites validiſſimi, qui glorioſum hoc vexillum ſequentur? Quis tandem erit tam impius, ut privata odia atque inimicitias domeſticas communi omnium ſaluti condonare nolit?*

 Sed

Sed hæc obiter dicta ſufficiant, ad quæ non propoſito noſtræ orationis curſu, ſed juſtiſſimo quodam & pio ardore dicenda delatus ſum, quo & honorem Dei noſtri, & ſalutem tot animarum, quæ Chriſti ſanguine redemptæ calamitoſiſſima Turcarum tyrannide opprimuntur, procurare ſemper ſtuduimus.

Si igitur, ut ad rem redeamus, Turca Venetis, quod abſit, bellum moveat, periculi quod impendet gravitas neceſſario requireret, ut omnes Chriſtiani Principes huc ſolummodo ſua conferrent conſilia, ne quid illa detrimenti capiat, ſed in priſtino ſuo conſervetur ſtatu, idque eo magis, quod ſingulari moderatione omnium Principum favorem retinere, & indignationem evitare ſemper ſtuduit. Ea enim tanquam ſingulare quoddam mundi ornamentum & Chriſtiani orbis propugnaculum firmiſſimum, digniſſima eſt, ut etiam propter optime conſtitutam reipublicæ formam, quam diutiſſime floreat, & nunquam a quovis occupata, incorrupta & inviolata libertate perfruatur.

Verum præ aliis omnibus, ut id faciat, Hiſpaniæ Rex multis nominibus obſtrictus tenetur, fœdere nimirum ut ſe ipſi jungat, vel alia ratione auxilium præſtet. Quis enim ſibi perſuadere poterit, Turcas Venetis devictis a bello quieturos? Quin potius majoribus fruentes commoditatibus univerſam ſibi Italiam ſubjicere conabuntur, in qua pulcherrimas atque florentiſſimas regiones Hiſpanus poſſidet. Nam reliquorum Principum vires & bellicum robur non ſufficiet, ut hoſti tam potenti in mari reſiſtere poſſint, cum mutuis ſibi auxiliis, pecunia, milite, commeatu, & navibus aliisque rebus ad bellum neceſſariis, raro ſibi invicem ſuccurrere ſoleant.

Quod tamen merito conſiderare deberent, cùm optima Turcas vincendi ratio ſit, ut claſſe ipſis occurratur, & bellum inferatur maritimum, hoc præcipue tempore, quo claſſem nullam habent paratam, nautis deſtituantur, navarchis prudentibus & rei maritimæ peritis careant. Tum etiam quod Turcæ a navalibus abhorreant certaminibus, quod difficillima ſint, multoque ſanguine conſtent, & plerumque in illis victi fugatique fuerint. Nec eos latet, quin ubi in mari clade aliqua fuerint affecti, in terra quoque facile a noſtris vincantur. Ejusmodi conſilium Evagoras Cyprius & Conon Athenienſis Perſarum regi contra Lacedæmonios dederunt. Sic Marci Antonii claſſe ab Auguſto devicti exercitus, qui jam triumphabat, & 80000. peditum, 22000. equitum conſtabat, absque prælio victus, & nullo negotio diſſipatus eſt. Hac vincendi ratione etiam Rogerius Calaber, Regis Aragoniæ Admiralis, uſus eſt, Galliæ regem magni prælii victorem in mari aggreſſus, & Gallica fugata claſſe, amiſſa recuperavit, atque utriusque victoriæ fructum ſolus percepit. Quis ignorat quantos Chriſtianorum exercitus ſucceſſus contra Turcas 1581. & 1572. facere potuiſſet, ſi lectis magis idoneis navibus, primo ſtatim impetu Ægæi maris loca præcipua vel Peloponneſum aut Cyprum aggreſſus fuiſſet? ut prudentiſſime ſane Venetæ claſſis Inſpector generalis, cui Soranzio nomen erat, in medium conſuluerat.

Haud dubium eſt, Venetam rempublicam hoc noſtro ſeculo eſſe potentiſſimam, non modo propter immenſos auri argentique theſauros, quos longa pace cumulavit, omni ære alieno, quod ante bellum proxime geſtum & in ipſo bello contraxerat, diſſoluto; verum etiam propter magnum triremium numerum, commeatus aliarumque rerum ad bellum pertinentium copiam. Quibus rebus inſtructa, forſitan ſola hoſti reſiſtere valebit. Idque eo commodius, ſi quam parvi hoſtem faciat, inde oſtendat, ultro bellum inferendo; ſi Alcibiadis Athenienſis conſilium ſecuta, & belli facto initio ſtrenue pergat, atque aliquos ex locis, quos infra nominabimus, ex improviſo occupet, priusquam ille belli juſtos apparatus facere poſſit.

Paſſim vero reipublicæ hujus Imperium tam probe fortiterque munitum eſt, ut perparum ipſi a Turcarum machinationibus & conſiliis ſit metuendum. Inter alia propugnacula, tria hæc *Corcyra*, *Aſcrunii* ſeu *Cathari*, atque *Zara*, inexpugnabilia habentur: idque eo magis quod perexiguo intervallo Venetiis diſtent, unde ſubito præſidia mitti poſſint. Hæc clavium maris Adriatici vicem obtinent, hoſtem ab ingreſſu prohibentes, vel ad regrediendum velociter eum compellentes, ut velut in reti captus detineatur. *Candia* ſive Cretæ inſula, & loci ſitu & præſidiis firmiſſimis ad defendendum apprime inſtructa videtur; ut non niſi maximo cum diſcrimine & periculo evidentiſſimo Turca eam tentare poſſit. Nam ſi milites in eam exponere velit, natura loci, quod portubus careat, impeditur: pars altera a milite præſidiario atque incolis ſtrenuis, qui de ſalute propria ſolliciti fideliter Principi ſuo obtemperant, facile hoſtes ab ingreſſu arcebunt, ut vel nullas omnino vel certe cum maximo ſuo damno copias exponere poſſint, ubi recte ad defendendos inſulæ portus in ſuos ordines diſpoſiti eſſent. Quod ſi vero hoc potius quam illud contingat, reliqua tamen hoſtium manus & claſſis reliquiæ in maximo verſabuntur periculo, ne a noſtris vincantur, quod Turca propter regionum ſuarum longinquitatem ſuis ſubſidio venire nequeat. Neque ipſamet Turcarum claſſis diu in hoc mari verſari poterit, absque naufragii periculo, vel metu claſſis Venetæ, cum qua neceſſario prælio concurrendum eſſet. Tandem *Palmæ* propugnaculum, quod nunc exædificatur a Venetis, non modo Turcis omni tempore, ubi Iſtriam aut Forum Iulii invadere volent, reſiſtet, ſed omnium inſuper Barbarorum, qui in Italiam irrumpere conabuntur, vim atque impetum coercebit.

Et hæc quidem de Veneta republica ſufficiant. Univerſam quod attinet ITALIAM, ſuperius a me rationes, quæ Turcicum Imperatorem ad eam expeditionem movere poterunt, recitatæ & expoſitæ ſunt. Nunc quibus itineribus eo pervenire poſſit, ut reſpondeatur iis, qui difficultatem aliquam in hiſce rebus ponunt, demonſtrabo.

LXXIX.

Si Turca in Italiam bellum transferat, quibus itineribus Turca eam invadere poſſit.

Duæ ſunt viæ, quæ Turcam e propria ditione in Italiam ducunt. *Prior* quæ optima & equitatui aptiſſima, Belgrado intra Dravum & Savum fluvios: *Altera* vero citra Savum. Utraque Lubianam usque (quæ Labacum Germanis, olim Nauportus dicebatur) pertingit, fertilisſima, & quæ commodisſime bello ſedem præbere poſſet, regio eſt. Urbs autem ipſa facilis occupatu eſt.

Huc cum ventum fuerit, duæ rurſus patent viæ, una quidem verſus Goritiam, altera vero per Peucæ & Karſtiæ provincias Falconis montem usque, qui Veruca olim dicebatur, ducit. Sic utraque Natiſone ſeu Piſontio fluvio, quem Turcæ aquas albas vocant, finietur. Qui fluvius celebres habetur, tum propter Theodorici Gothorum & Odoacri Herulorum regis res geſtas, tum etiam quod Turcæ non ita pridem huc usque, atque adeo ad Caſas Cæſarianas (hodie San Caſſano) passim omnia devaſtando & deprædando excurrerint. *Prior* Goritiam ducens, propter commeatum & ad deducendum equitatum multo eſt commodior. *Poſterior* tamen, etſi aliquantulum ſaxoſior, & in Peuca ſylvæ ac anguſtiæ quædam eam difficiliorem reddant, inprimis vero prope Scelesenytabor, arcem præſidio paucorum ruſticorum munitam ; attamen non eſt prorſus invia & equitatui inacceſſa. Hanc Attila tenuit, cum Tergeſtum & Aquileiam peteret.

LXXX.

Cur Theodoricus Monfalconem, Odoacer Gradiſiam, Veneti Palmam munierint. Alia via, quibus Turca in Italiam venire poteſt.

Hæc cauſa Theodoricum Gothorum regem, ubi Italiam ſibi ſubjeciſſet, movit, ut locum, quem Falconiſmontem vocant, ad eam viam poſitum muniret. Cum non ita pridem ante Gradiſia ab Odoacro, qui tunc Italiæ imperitabat, exædificata fuiſſet; quam tamen paulo poſt ipſe Theodoricus a Zenone Imperatore contra Odoacrum cum exercitu miſſus, occupavit. Harum arcium extruendarum cauſa eadem fuit, quæ Venetos ad ædificandam Palmam contra Turcas movit.

Sed Turcico exercitui alius patet in Italiam aditus, ne Conſtantinopoli diſcedentes Belgradum pervenire cogantur. Si videlicet unam prædictarum viarum ingrediantur, & verſus urbes Nis & Præcup tendant (ſunt enim ibi anguſtiæ quædam non procul ab urbe Sophia) relicta Alba Græca ad manum dextram; vel denique relicta Sophia urbem Novibazar petent, & per Ducatum Herzecovinæ in Boſniam verſus Bagnalucam iter inſtituant, & continuo rectoque curſu, duorum tantum dierum itinere, Venetam ditionem attingent, prope eum locum ubi Turcarum exercitus quondam convenire ſolebant, quando Italiam invadere deſtinarent. Hæc via plana eſt, & trahendis vehiculis tormentis atque aliis impedimentis commoda. Hinc Ammianus Marcellinus ſcribit, Gallum Juliani fratrem curru Petovia urbe Polam usque vectum fuiſſe.

LXXXI.

Quomodo Turca Italiam bello maritimo aggredi poſſint. Exempla Auguſta, Cotrona, Rhegii & Montis ſancti Angeli. Vires & regimen Italiæ. Thucydidis judicium de cavendis periculis.

Sed ut majori damno Italiam afficiat Turca, uno eodemque tempore partem exercitus terreſtri itinere eo mittere poterit, partem vero claſſe. Quod Mahumetes II. facere tentavit, & huic qui nunc regnat a Sinano Baſſa anno præterito perſuaſum fuerat. Eo videlicet conſilio, ut Hiſpanus & Veneti tanto facilius invicem disjungantur, ſi Venetis in mari Adriatico quid negotii atque periculi creetur: Hiſpanus vero in Siciliæ & regni Neapolis littoribus bello petatur, vel Calabria atque Apulia devaſtetur; Omnia timore atque damnis involvendo.

Nec oblivioni adhuc tradita eſt Hydruntis occupatio, quæ tempore prioris Mahumetis contigit. Sentitque adhuc Curia Romana, quanto metu perculſa non ita pridem fuerit, cum in Tyrrheno mari Turcica claſſis apparuiſſet. Nam Italiæ littora legendo, Subſolano Noto & Auſtro ſpirante, vel Zephyro aut Africo flante, e Barbaria usque Centum Cellas (quæ Civitas Vecchia hodie) excurrere poteſt. Notiſſimum eſt, quid Auguſtæ, Cotronæ & Rhegii Turcæ: quidve ante illos Saraceni in monte Gargano, quem hodie Sancti Angeli nominant, deſignaverint.

Equidem ſcio, non absque maxima difficultate Turcarum deliberationes, quarum ſuperius parte ſecunda hujus libri meminimus, in effectum produci poſſe, quod nobilisſima hæc provincia, ut rem breviter complectar, paradiſus atque deliciæ orbis terrarum, natura & operibus perfecte munita, divitiarum & incolarum abundantia repleta, commeatu etiam abundet (niſi ex divina quadam pœna, vel ob alios caſus fortuitos, ſegetes minus lætæ atque uberes interdum proveniant) a Principibus denique Catholicis ſtrenuis gubernetur, & contra vim hoſtium defendatur. Inde rectisſime concludere poſſumus, Turcam ſi eam invadat, breviter propria domicilia eſſe repetiturum, vel ſepulchrum ipſi Italiam futurum, quod multis aliis ante ipſum Barbaris contigiſſe novimus. SED cum veri politici prudentia præcipiat hoſtem formidare, eumque nullatenus contemnere, ut Thucydides monebat; quo majori cum induſtria & cautione de remediis quibus vinci poſſit deliberetur atque ſtatuatur, noſtri quoque officii eſſe rati ſumus, breviter remedia quædam proponere, quibus pericula, quæ a Turcicis machinationibus Italiæ imminere poſſint, evitentur, quæ etiam in bello, quod nunc geritur, commode adhiberi & uſurpari queunt, quod Turcæ diligentisſime ſibi ab illis caveant, eaque formident.

LXXXII.

Quomodo bellum Turcicum declinari, & alio diverti poſſit. Veterum quorundam opinio ſuper hanc rem. Martini Segonii ſententia.

Inter alia remedia, quæ, poſtquam Mahumetes II. Hydruntum occupaſſet, in medium fuerunt allata ut Turca ex Italia depelleretur, hoc quoque quod Martinus Segonius Epiſcopus Olchinenſis (hodie Dulcigno vocant) propoſuit, non fuit poſtremum: Illud ad Sixtum IV. Pontificem ſcriptum miſit, cujus hæc fere ſunt verba: *Pannonum Rex cum ſuo exercitu confœderatiſque populis præſentet ſe ad Danubium, fama præcedente, quod in Raſciam ſit trajecturus. Futurum inde, ut omnium Turcarum multitudine ſibi obviam ad Iſtri trajectum progrediente, gentes nuper Valonam & ad alia Epiri maritima loca miſſa ad Italiam transfretandа, ſtatim ob metum Pannonum ad caſtra Turci revocentur.*

SED cum pro unico Hungariæ Rege & Cæſarem habeamus & Tranſylvanum, de utroque quod ſatis eſt loquar. Ut cognoſcatur, quanto cum detrimento totius Chriſtianitatis hi Principes pacem, vel hoc ſaltem tempore, & tam ſubito, quod multi verentur, ineant. Docebo inſuper hunc certiſſimum eſſe modum, ut reipublicæ ſtatus in tuto collocetur, ne a potentibus adverſariis invadatur, quem etiam quivis duces præſtantiſſimi maxime approbarunt. Nam Hannibal Antiocho conſuluit, ut Macedoniam infeſtaret, ne Philippus auxilia Romanis ſuppeditaret. Idem conſilium Hiero Siculorum Rex Romanis dedit, ut videlicet in Africam bellum transferrent, quo Carthaginenſes impedirentur, ne novum exercitum ad Hannibalem in Italia belligerantem mitterent.

LXXXIII.

Alia rationes, ob quas Imperator pacem cum Turca inire non debeat. Quid Mahumetes in futurum ſit facturus. Itinera, quæ Turcas Viennam ducunt. Tria alia itinera oſtenduntur, quibus Turca in Italiam pervenire poſſint, ſi Viennam cepiſſent. Cur Mahumetes exercitum ex Croatia revocarit.

IMPERATOR jam totus eſt in armis occupatus, & licet quædam loca ipſi fuerint erepta, alia tamen non minoris momenti in amiſſorum locum cepit. Nec bellum difficile eſt, propter regionem & propinquitatem. Milites jam arma tractare didicerunt; forti animo horribilem hoſtium clamorem contemnere norunt; frigori aliiſque hyemis incommodis ſunt aſſuefacti. Ipſi duces in diſciplina militari, qua contra Turcas utendum eſt, probe ſunt inſtructi. Quod ſi exercitus Chriſtianorum primus in hoſtico compareat, vel obſidione vel ex improviſo occupare quædam ex locis amiſſis conari debent, quod in tempore vix auxilium laborantibus Turcæ laturi ſint. Nam qui domicilia repetierunt quovis tempore in Ungariam redire non poſſunt, ob fœni herbæ & commeatus inopiam. Qui in propugnaculis limitaneis hybernarunt, vix ad eorum defenſionem, ut taceam aliorum offenſionem, ſufficient. Nec pauci erunt, qui quovis modo domi manere ſtudebunt propter inediæ famiſque metum, aëriſque inclementiam quam valde perhorreſcunt.

Præterea non abs re ſperare poſſumus, fore ut potentiſſimi æque, atque minoris conditionis & nominis Principes Germaniæ tandem aliquando ſuo fungantur officio; quia non modo de defendendis Ungaris, quos odio maximo proſequuntur, verum etiam de ipſorummet conjugum liberorumque ſalute, & divitiarum conſervatione agitur. Quod ſi forte quis eo dementiæ deveniat, ut eadem libertate & opportunitate bona quæ poſſidet, ſub Turcarum Imperio ſe conſervaturum confidat, hic de tota re facilime certus fieri poterit. Græcorum tantummodo ſpectaculum Tragicum & horrendum ſibi ob oculos ponat; qui ubi ſemel a Turca fuerunt devicti eaſdem perpeſſi ſunt calamitates & miſerias in quas Hebræi inciderunt. Rege enim & imperii ornamentis omnibus privati, libertate & divitiis exuti, & quod vix ſine horrore dicere poſſum, jucundiſſima conſolatione, quam ex dulciſſimo amplexu chariſſimorum liberorum percipere ſolebant, deſtituuntur. Ad hæc ſi bellum continuetur, nemo quidem jure dubitare poterit, quin Principes Imperii etiam inviti Cæſaris atque ipſorummet defenſionem ſuſcipere cogantur. Siquidem ſemper hoc illis timendum erit, ne Turcæ copias ſuas, vel contra Toccaium ducant ut Cæſaris atque Tranſylvani conjunctionem protinus impediant, vel contra Viennam expeditionem ſuſcipiant. Quod Sinan nuperrime Mahumeti perſuaſit, oſtendens illi, qua facilitate expugnari poſſit, quæ gloria inde ad illum redundatura, & quantum momenti expeditio illa habitura ſit, quod capite male affecto reliqua membra cuncta debilitentur.

Quod exercitum ex Croatia revocaverit, non id factum tam ut ſuſpicionem & æmulationem Italis Principibus, qui de rebus ſuis valde ſunt ſolliciti, adimeret, Venetis in primis, qui ea de cauſſa in Palma munienda ſtrenue pergebant; quam potius ut copias undiquaque colligeret, quibus inſtructus expeditionem Viennenſem majoribus viribus ſuſcipere poſſet. Verum ut ut res ſeſe habeat, conſtat interim, nullis Venetorum muneribus & donis ad hoc ipſum fuiſſe adductum, ut falſo nonnulli crediderunt.

Porro ut periculi magnitudo innoteſcat, conſiderandum: Mahumetem a teneris annis hanc expeditionem animo voluiſſe, ſemperque in eam inclinaſſe. Ab eo ſane tempore patrem Amurathem ſollicitare nunquam deſtitit, ut gloriam, quam ex hac expeditione ſperabat, ſibi relinqueret. Quod ſi res ex voto ipſius (quod Deus clementer avertat) cederet, non modo graviſſimam jacturam facturum eſſet Romanum Imperium ſed Italia quoque; ſiquidem ea urbs clavis inſtar aditum in utramque regionem præbet. Quarum poſteriorem Turcici Imperatores tanquam ultimum

mum ſcopum ſuorum conſiliorum ſemper ſibi propoſitum habuerunt. Nam citra ullum impedimentum ad Iaurini propugnaculum usque (quod ex conſilio Alfonſi Ferrarienſis fuit conſtructum, unde Turcis ad devaſtandam Auſtriam & Stiriam patet aditus) pervenire poſſunt, intra Danubium & Dravum facto itinere. Quod ſi Vienna quoque in ipſorum poteſtate eſſet, facilime Italiam invadere poſſent, duabus viis. Quarum una per Tirolenſem Comitatum & Alpes, quæ ſunt prope Tridentum, in Veronæ campos ducit, vel Baſſanum verſus. Prius iter Alaricus fecit, poſterius vero Germani milites ſæpius, ubi in Italiam profecti ſunt. Altera via recta per Villacum in Forum Julii verſus Venzone vel Cividale tendit. Sed & adhuc alia patet, per quam Barbari ſæpius Italiam ſunt ingreſſi, videlicet per Tolmez, quæ eſt in Carnia, & Cadore verſus progreditur: verum hæc minus commoda illis eſſet futura.

Sed inter alia quæ obſtant, quo minus Cæſari debita auxilia & ſubſidia mittantur, tria potiſſimum ſunt obſervanda, quæ hic nobis recitanda erunt.

LXXXIV.

Rumores quidam in Imperio ſparſi impediunt auxilia debita, quo minus in tempore Cæſari mittantur. Conſilium Petri Moldaviæ Waiwodæ.

Primum igitur rumores quidam inter eos qui aliam quam Pontificiam religionem in Imperio ſequuntur, gliſcunt: fore ut Cæſar eos ad amplexandam religionem Pontificiam cogat, ſi victoria contra Turcas potiatur. Quod & Principes & ſubditi peſſime execrantur. Illi quidem propter uſurpata bona Eccleſiaſtica, quæ poſt mutatam religionem fiſco ſuo addixerunt: Hi vero quod miniſtri & concionatores ipſis continuo inculcare ſoleant, præſtare Turcico Imperatori quam Pontifici Romano obedire; unde probare videntur, Calviniſmum proxime ad Mahumetiſmum accedere. Vita etiam licentioſa & voluptuaria, quam ipſis agere licet, in illo errore eos confirmat.

Secundo nonnulli libere profitentur, fore ut Cæſar pacem ineat, quod ab Imperii Ordinibus lente & tarde auxilia ipſi ferantur, & debita ſubſidia nunquam integre mittantur. Vereri enim Imperii Ordines, ne fruſtra ſumptus faciant; & vero ad pacem omnes inclinare dicunt. Id multis aliis Chriſtianis Principibus occaſionem præbuit (Poloniæ regi inprimis & Venetis) quo minus ſe contra Turcas movere voluerint: verentes ne in medio periculo deſerantur, & ſumptus inutiliter collocent. Sed hujus rei forſitan alia ſubeſt cauſa, quod nonnulli, qui inclytæ Domui Auſtriæ minus favent, falſo & perverſe ſpargere auſi ſunt, Imperatorem parum ad bellum inclinare: tardioremque eſſe factum, tum propter conjurationes quasdam nefarias nuper detectas, tum ob prædictiones cujusdam Angli, videri. Veruntamen ſi vel propter haſce, vel propter alias conſiderationes Cæſar pacis eſt cupidus, multo conſultius fuiſſet in belli ſtatim principio quam hoc tempore eam procurare & inire; quemadmodum alibi quoque multis rationibus, & argumentis clare oſtendimus. Quod & conſuluit Ferdinando Archiduci Petrus Moldaviæ Waivvoda; qui anno 1594. in montibus Rhæticis prope Balzanum mortuus eſt, cum Romam ad oſculandos B. Pontifici pedes, quamvis religione Græca imbutus, veniret: de quo ego, mandatu ejus, apud Pontificem egeram.

Tertio denique eſt loco, quod Ordines Imperii ſumptus tam immenſos ferre nolint, niſi quæ bello capiuntur Imperio acquirantur: Contra vero Cæſar illud nunquam permiſſurus ſit, propter jus quod Auſtriaca Domus in Hungariæ regnum habet. Unde utraque pars res difficillimas in conſiliis proponit, quæ nunquam exitum ſortiri poſſunt. Nec immerito credimus, Cæſarem optime noſſe, quanti præjudicii res ſit, ſi omnibus Principum poſtulatis morem gereret, quod hi re ipſa minime ſint præſtituri quæ verbis pollicentur.

Et hæc quidem de Imperatore.

LXXXV.

Transſylvani virtus bellica ſeu fortitudo. Cur Turcæ ipſius vitæ inſidientur. Vaticinia Turcarum de fine & everſione Imperii Ottomannici. De voce Muſulman.

Quod ad TRANSSYLVANVM attinet, qui ſecundus eſt, quem vices quodammodo Hungariæ olim regis in bello gerendo obire dicere quis poſſit; dubium non eſt, quin propter religionis ſtudium & innatam magnanimitatem acerrimus Turcarum hoſtis ſit. Res enim ab ipſo hactenus in bello geſtæ (quicquid ſane alii contra garriant) univerſo mundo teſtatum faciunt, ipſum manu promptum & ſtrenuum, in deliberationibus magno judicio præditum, ejusque conſilia felicem ſemper habuiſſe exitum; quæ tria veteres ſapientes in quovis duce neceſſario requirebant. Sed hæc non a Fortuna fictitia, ſed a Deo qui eſt dominus exercituum, illi tanquam ſecundo Davidi vel Judæ Machabæo, fuerunt conceſſa: cujus patrocinio contra omnem hoſtium vim ſtrenue defenditur.

Turcæ ipſum vehementiſſime timent propter antiqua vaticinia; quæ licet levia ſint & parvi facienda, magnum tamen omnibus Barbaris timorem & formidinem incutere ſolent, Mahumetanis præcipue qui abſoluto omnia fato tribuunt. Hoc inprimis illos terret, quod dicatur: fore, ut ex Transſylvaniæ rupibus aliquando Princeps prodeat, qui vincat & in nihilum redigat Ottomannicum Imperium. Idem fere refert Flavius Vopiſcus in vita Imperatoris Floriani, ſuo tempore de Principe Hungaro, qui Barbaros omnes ſuo imperio ſit ſubjecturus, prædictum fuiſſe. Simile quippiam (quemadmodum Principibus adulatores nusquam deſunt) habet Cajus Suetonius de Imperatore Galba.

Inſuper Turcæ firmiter credunt, Mahumetanam ſectam ultra mille annos non duraturam (qui

qui forſitan brevi finientur) neque Muſulmannos (ſic Mahumetani ſe invicem vocant, quaſi recte de religione ſentientes) ultra quatuordecim vel quindecim Imperatores eſſe habituros. Errant igitur, qui ſeptendecim ordine numerant, ſiquidem Mahumetes, qui nunc imperat decimus quartus vel quintus eſt, ſi Moſen vel Muſan annumerare quis velit.

Denique conſtat, Turcas magnopere Transſylvanum timere. Unde non modo diabolicis præſtigiis ipſius magnanimitatem debilitare, ſed etiam vita eum privare conantur. Opinantur enim, ſecreta ipſum conſilia etiam Conſtantinopoli tractare, ut ſeditionem iis in locis ſuſcitet. Id facile ipſum effecturum putant, quod Transſylvani libentiſſime ipſius imperium ſequantur, & Walachi, Raſci, Bulgari, Siculi aliique populi bellicoſisſimi & audaciſſimi ſibi dominum & Principem ſæpius popoſcerint.

Id quod paulo fuſius demonſtrabo, cum harum gentium noticia ad cognitionem rerum, quæ in bello, quod nunc geritur, fiunt, plurimum conducat.

LXXXVI.

De Transſylvanis Moldavis & Walachis. Cur Romani tributum Dacis pependerint.

Non injuria TRANSSYLVANI inter bellicoſisſimas Europæ gentes numerantur. Hi cum Moldavis & Walachis ſub antiquo Dacorum nomine intelliguntur; quos Romani adeo formidarunt, poſtquam Domitiani exercitum deleviſſent, ut eis tributum annuum ſub Domitiano & Nerva atque Trajani Imperii initio pependerint, ne ultra Danubium depopulatum excurrerent. Neque id Turcas latet, propter clades quamplurimas, quas ſub Corvino, duobus Bathoriis, & eo qui nunc vivit, acceperunt.

LXXXVII.

De Michaele Waivoda Moldavia, ejus ſubditis & Dracola.

Michael MOLDAVIÆ Waivoda a Turca quondam Principatum obtinuit, hodie Transſylvano paret: ſub cujus protectione procul dubio manebit, quod Turcis amplius fidere non poſſit, cum ſæpius ab ipſo irritati læſique fuerint. Inprimis vero morte eorum, quos Aſſan Baſſa pacis tractandæ cauſa in Walachiam miſerat, quos Michael necavit.

Non ſolum autem Walachi (quorum præſtantiam in rebus bellicis Turcæ ſub Dracola duce ſunt experti) ſed etiam plurimi Hungari & Transſylvani, nonnulli Albani Bulgari & Raſciani ſub eo militant. Tormentarios paucos habet, quibus etiam Transſylvanus deſtituitur, quod gentes illæ, inprimis vero Hungari, cominus quam eminus pugnare malint. Plerique equites ſunt, lanceas geſtantes, neque facile hoſtium conſpectum fugiunt.

LXXXIIX.

De Raſcianis, & cur ulteriora Danubii littora occuparint.

Raſciani in concilio Conſtantienſi SIRFI adpellati fuerunt, ex Myſia ſuperiore orti, quæ hodie Raſcia & Servia dicitur. Quondam propter bella Turcica ulteriora Iſtri littora occuparunt, hodie prope Temesvvar & Lippam locisque vicinis habitant. Turcarum Imperio ſe ſubtraxerunt & Transſylvano nunc ſerviunt.

LXXXIX.

De Bulgaris & Alexandro Magno.

Bulgarorum quidam omnem eam regionem usque ad Danubium incolunt, quam Myſiam inferiorem antiqui vocarunt, e regione Walachiæ ſitam. Alii vero cum Græcis in Thracia, alii in Macedonia juncti Servianis & Albanis ſeu Epirotis habitant. Strenui ſunt & bellicoſi. Nonnulli qui domicilia ſua deſeruerunt, Transſylvano parent. Et plures ſe ipſi jungerent, niſi rebus neceſſariis, quibus ipſos ſuſtentare poſſet, deſtitueretur. Suntque maxime idonei ad rebellionem in patria & locis finitimis excitandam, ſi quis eos ad id perpetrandum ſerio inſtigaret; maxime vero ſi Transſylvanus illud faceret, quem præ omnibus aliis in ſumma admiratione habent, nec minus ipſum venerantur, quam Magnum illum Alexandrum: qui fere ipſorum ſympatriota fuit, Pellæ natus, quæ Macedoniæ urbs eſt. Non indocta ab Hieronymo Frachetta Transſylvani cum Alexandro Magno facta eſt comparatio in oratione, quam ad Principem illum perſcripſit.

XC.

De Siculis, & tumultu inter eos excitato.

Siculi denique, qui montes verſus Poloniam & Moldaviam incolunt, ruſtici ſunt, & Tartaris potius quam Chriſtianis ſimiles. Unde rectius Scythali nominari debent. Plerique ſunt pedites, bombardis utentes, pauci vero equites. Anno 1595. Transſylvanum ſecuti ſunt in Walachiam contra Sinan Baſſam proficiſcentem. Promiſſa ipſis fuerat immunitas a nobilium exactionibus, cum obtuliſſent ſe aliam regionem parem magnitudine illi, quam tunc incolebant, occupaturos: ſed cum quæ promiſſa fuerant minime fuiſſent præſtita, dum Princeps ipſe Pragæ morabatur tumultum excitarunt. Qui tamen facile ſedatus fuit præcipuis quibusdam autoribus capite mulctatis.

XCI.

Transſylvanum re pecuniaria maxime juvandum. Conſilium Demoſthenis & Soranzii. Damno maximo Chriſtianum orbem affectum iri, ſi Transſylvanus cum Turca tranſigat.

Neque Transſylvanus tamen omnes, qui militiæ nomina dare volunt, quique libenter ſub ipſius auſpiciis

auſpiciis militaturi eſſent, in militum numerum recipit, quod ea pecuniæ vi deſtituatur, quæ ad ſolvenda ſtipendia tam numeroſo exercitui ſufficiat; ſine quibus tamen ſub imperio & diſciplina milites teneri non poſſunt; neque ad victum & commeatum prædæ, quæ aguntur, vel ſegetes quæ ibi proveniunt, ſufficiunt, belli præſertim tempore, ubi plerumque omnia in pejus ruunt.

Dico igitur atque concludo, optimum belli cum Turca gerendi modum Principes Chriſtianos nactos eſſe, ut quiete interim ipſis domi deſidentibus bellum ab ipſorum ditionibus remotum ſit, atque furor ipſius atque potentia infringatur & debilitetur, ſi aures præbere atque obſecundare velint Demoſthenis conſilio, quod Athenienſibus dedit, cum cives Olynthi Thraciæ urbis contra Philippum Macedonem auxilia ab ipſis poſcerent. Ego, licet cum ſummo iſto oratore nulla re ſim comparandus, hoc tamen aperte fateri audeo, optimum ad ſalutem communem procurandam conſilium fore, ut prompte juveni huic animoſo & audaci pecuniarum copia proſpiciatur. Quod aliqua parte a Pontifice & Hiſpano jam factum eſt. Ut ſcilicet & hi & alii Principes partem theſaurorum, quibus a Deo ditati ſunt, ad ejus nominis gloriam & ſalutem omnium propagandam impendant. Nihil enim reperiri poteſt, quod proſperos contra hoſtem ſucceſſus magis impediat, quam pecuniæ inopia, qua conſiliis prudentiſſimis ſæpius mora infertur. Nihil nunc dicam, quod majores belli apparatus ſine ea fieri non poſſint. Redituum ſuorum partem maximam in ſtipendia militum conferre cogitur. Bipartitum enim habet exercitum. Quorum alter in Walachia contra Turcas in excubiis eſt, ne quid incommodi illis in locis accipiatur: alter vero ad Transſylvaniæ & Moldaviæ fines ipſis Moldavis & Tartaris aliiſque hoſtibus eſt oppoſitus. Nec injuria quis vereri poſſit, ne Transſylvanus, ſi rebus neceſſariis deſtituatur, quibus ſeſe in eo, quo nunc verſatur ſtatu, honeſte ſuſtentare, & bellum viriliter promovere nequeat, conditiones alias, vel magis pias, vel quæ ipſius ſecuritati melius conducant initurus ſit, priusquam infideli & ethnico alicui Principi ditiones ſuas concedat, vel ei ſe ſubmittat. Quod ſi fiat, ſubvereor, ne Chriſtianus orbis maximum inde patiatur detrimentum, propter tanti bellatoris tamque ſtrenui ducis jacturam. Cujus rei quædam jam nunc indicia emergere videntur.

DIXI Cæſarem & Transſylvanum commode & honeſte pacem cum Turca inire non poſſe. Nunc ultimo loco ea proponam, *quæ Turca pertimeſcunt*, ne ſi a noſtris adhibeantur, in maximum ipſorum damnum & perniciem redundent.

XCII.

Quantum ſibi a Chriſtianis Principibus Turca timeat. Quæ auxilia ad Hungaricum bellum, Dux Mantuæ, Hetruriæ, & Pontifex Romanus contulerint. Quid Veneti quondam a Pontifice requiſiti, contra ejusmodi hoſtes facere conſueverint. Cur defenſores religionis Chriſtianæ dicantur.

Primum igitur Turcæ verentur, ne Italiæ Principes tandem aliquando & Cæſarem & Transſylvanum, vel exercitu vel pecunia juvare decernant. Vidit nuper Hetruriæ Ducem ad illud bellum fratres & nepotes ſuos in Hungariam miſiſſe: eundem Transſylvano duces belli & pecuniam ſuppeditaſſe. Vidit Pontificem Romanum nepotem ſuum copiis inſtructiſſimis eo ablegaſſe, quorum opera & Strigonii & Vicegradi occupatio facilior contigit, & quod ambos pecunia hactenus juvarit: quod ipſum continue facturum putat, donec bellum finiatur. Vidit Mantuæ Ducem bellum ſua præſentia cohoneſtaſſe. Unde Turcæ animis præcipere cœperunt, fore ut ad ejus exemplum reliqui quoque Italiæ Principes animum ad bellum applicent.

De Venetis quoque non parum ſibi timet, ne inviti tandem arma capere cogantur, vel propter commoda propria, vel ut Pontificis mandatis morem gerant, a quo indies ea de re ſollicitantur. Quod etiam ſub Leone IX. Nicolao II. Gelaſio II. Alexandro II. Calixto II. Clemente III. Honorio III. Nicolao IV. aliiſque Pontificibus fecerunt. Unde propter egregiam navatam operam, non modo ſumma ab Imperatoribus & Pontificibus privilegia obtinuerunt, verum etiam titulo *defenſorum & propugnatorum religionis Chriſtianæ* fuerunt inſigniti. Quapropter Turca omni ratione cavet, ne illos ſibi infenſos reddat, omnibusque illorum poſtulatis libentiſſime atque promtiſſime aſſentitur.

XCIII.

Cauſæ, cur Turca defenſivum potius quam offenſivum bellum ſint geſturi, ſi Polonus bellum ipſis inferat.

Præterea etiam magnopere Turcæ metuunt, ne POLONIÆ REX contra illos ſeſe moveat. Sciunt illi a Pontifice maximam vim pecuniæ ad Turcicum bellum offerri: cui (quia mediocris & infirmæ ſunt conditionis homines) in eo regno avidiſſime inhiant, quod nulla alia ratione gratiam ſui Regis commodius ſe acquirere poſſe putant, undeque mercedem poſtea ab ipſo accipiant, quam ſi in bellum ipſum ſequantur.

Hanc ſuſpicionem auget, quod Hiſpanus ad Regis Poloniæ literas non ita pridem reſponderit: ad quem prius ſcribere noluit, propter offenſiones nonnullas, quæ in pacis tractatione inter Polonos & Maximilianum Archiducem contigerunt.

Novit quoque Turca, quod defenſivum potius quam offenſivum bellum ei gerendum foret, ſi Poloni ſerio ipſi bellum inferant, unde ſibi maxima damna atque pericula imminere intelligit. Idque *propter tres cauſas.*

XCIV.

De Moldavia; & quomodo Pontifex ejusque miniſtri Jeremiam Waiwodam tractare debeant.

Quarum PRIMA eſt, quod neceſſario Moldaviam amittet. Quæ Satrapia a Poloniæ Rege non ita pridem Jeremiæ Waivvodæ fuit conceſſa, qui a rebus noſtris non videtur prorſus alienum

habere animum. Neque etiam negligendus eſt, quod Turcarum machinationes mature explorare, & omnis commeatus copiam exercitui ſuppeditare poterit.

Summa igitur Pontifici ejusve miniſtris adhibenda erit cura, ut Jeremiam hunc nunquam ſibi non devinctum habeant; & ſolerter proſpiciant, cujus generis & conditionis homines ad ipſum ejusmodi negotiorum tractandorum cauſſa ablegentur, & quibus verbis ad ipſum literæ exarentur: cum iſti homines veri ſint Davi & Getæ, quos in fabulis ſuis introducit Terentius, id eſt, natura ſagacisſimi & ſuſpicaces. Honores ipſi quoque exhiberi, & quos ille vel Romam vel ad Nuntios Apoſtolicos miſerit, benevole excipi conſultisſimum fuerit. Nam Turca omni ratione eum ſibi adjungere ſtudet, vel ut a nobis ipſum divellat, vel ut eum decipiat, quo artificio Ottomannici ſæpiſime uſi ſint. Præſtat igitur quantum fieri poterit amicum ipſum & benevolum habere.

XCV.

De Coſacchis. De Janlo, Suitta & Jano. De Voſia & Boryſthene.

Secunda cauſa eſt, quod Coſacchi majori cum audacia & ſine metu Turcas ſint aggreſſuri: ſiquidem Poloniæ regi parent, (quemadmodum Uſcocchi Romano Cæſari) & ab ipſo præfectum ſeu generalem accipiunt, cujus imperium milites ſequuntur. Tum etiam quod facta ipſis poteſtate Voſiam comburere posſint. Quæ Turcarum propugnaculum eſt ad Boryſthenis oſtium ſita: Polonis Occhiacovia, Moldavis vero Daſſova dicta. Nam & anno 1583. Benderam exuſſerunt, duce Janzo Ungaro, qui a Stephano Rege ipſis præpoſitus fuerat. Alia quoque damna ſæpius ipſis intulerunt ſub Suitta Ruſſo, & Comite Jano Baſilii ducis Oſtroviæ filio, aliisque ducibus Polonis. Ipſi inſulam quandam in Boryſthene incolunt, quæ quatuor dierum itinere a Voſia diſtat, vocaturque Cirches. Fluvius vero ab ipſis Nis, vulgo Neper dicitur. Bombardis & arcu dexterrime utuntur, naturæ inclinatione & profesſione Turcis ſunt infenſisſimi. Ideoque eorum plurimi Transſylvano vel Michaeli & Jeremiæ Waivvodis ſerviunt: alii cancellarium Poloniæ ſequuntur: alii in Podolia ſparſim habitant. Omnes tamen Turcas æque atque Tartaros infeſtis animis atque armis proſequuntur.

XCVI.

Demonſtrantur alia rationes, quod bellum Polonia Rex cum maxima utilitate Chriſtiani orbis Turcis inferre queat. Errores nonnullorum de Moldavia, Walachia, Islakia, Moridavia, Bogdania, & Carobogdania. Sinani Baſſa poſtulatum & cancellarii Polonia ad idem reſponſio. De Dacia Ripenſi. Cur Conſtantinus a Zoſimo fuerit reprehenſus.

Tertia denique & ultima ratio eſt, quod ſoli Poloni iter nobis Conſtantinopolim verſus facilimum reddere & aperire posſint. Si quidem eo noſtris aliquando erit neceſſario tendendum, modo præclari quippiam perficere velint. Et ſi Polonus hoſti bellum indicat, Transſylvani exercitus tranſitum per Walachiam liberiorem habebit. Nam ſi relicta Walachia Moldaviam petere velint, iter ipſis foret multo difficilius; tum quod mari nimis ſit vicinum, tum etiam quod Bulgariam petentibus retro proficiſcendum ſit, ut pabulationem facilem habeant, & infauſtum Varnæ locum evitent.

Obiter hic errores nonnullorum detegam, quod non minus gratum, quam utile lectori futurum puto, idque alibi etiam me feciſſe memini. Jovii igitur inſignis error eſt, quod Walachiam & Moldaviam deſcribens, easdem plane confundit, ambiguo Polonorum verbo deceptus. Aliorum non minor eſt error, qui Walachiam eam provinciam, quam Ungari Transalpinam minorem, nominant; quæ ſi cum Moldavia conferatur, major potius dici merebitur. Hi quoque credunt Walachiam, quam Turcæ Islakiam vocant (ſumpta denominatione ab antiquis Flaccis Romanis) iisdem etiam Bogdaniam & Carabogdaniam dici. Siquidem eo nomine Turcæ Moldaviam intelligunt; vel quod eo genere frumenti, quod Turcicum vel Saracenicum vocant, abundet: vel quod unus e Moldaviæ Principibus, quibus cum Turcæ bella geſſerunt, Bogdano vel Theodorus ſeu Adeodatus fuerit appellatus, addito vocabulo Cara, quod nigredinem ſignificat. Moldavia etiam a Davis primis inhabitatoribus nomen accepit, & a mollitie atque fœcunditate glebæ & terræ potius, quam a nigredine: unde falſo alicui Mori Davia vocatur.

Sed ut ad Poloniam revertamur, reſponſum hic ſubjicere lubet, quod cancellarius ejus regni Sinano Baſſæ, tributum pro Imperatore poſcenti, non ita pridem dedit. Ille enim per nuncium quendam cancellario denuntiabat, ut citra moram tributum, quod prætendebat, ſolveret; quod ſi facere renueret, ſe continuo ipſum a limitibus regni ad mare usque glaciale expulſurum. Huic poſtulato cancellarius reſponſum dedit: ſe videlicet non expectaturum, donec Sinan ipſum aggrediatur in patria, ſed ubi vim contra ſe parari intellexerit, ſe Turcicum territorium invaſurum, & Danubii littora ab utraque parte muniturum, ut tranſitum amplius quo velit progrediendi liberum habeat.

Et hæc quidem eſt Dacia illa Ripenſis, quæ, ut habet Procopius, a Romanis munita fuit. Unde Zoſimus Conſtantinum graviter reprehendit, quod propugnacula illa ad Danubium conſtructa negligeret. Quorum veſtigia apparent adhuc in Roſcic, Vidimo, Nicopoli, Siliſtria, & aliis in locis quæ hodie a Turcis poſſidentur.

XCVII.

Quomodo Moſcovita, ut bellum Turca inferat, perſuadendum ſit. Quomodo Pontifex Romanus a Turcis & Per-

& Perſis vocetur. De Califa. Cur Turcæ Moſcoviæ ducem timeant. Quomodo Moſcovitæ ad religionem Romanam converti queant. Quid Legati Moſcovitæ Imperatori noſtro renunciarint.

Turcicus Imperator Pontificem Romanum non modo pro capite Principum Chriſtianorum agnoſcit, penes quos ea polleat autoritate, ut facile quosvis contra ſe in bellum protrahere & firmo fœdere conjungere valeat: verum etiam pro temporali Principe illum habet, propter dominium quod in Italiæ aliquot regionibus non infimi nominis poſſideat, eumque Franchbeg, ſeu Principem Italiæ, & Rumbeg, ſeu Romæ Principem nominat. Perſæ vero Rumſcah dicunt. Halife vel Chalifa ipſis vocatur, qui ſupremum locum inter ipſorum ſacerdotes obtinet.

Veretur igitur Turca, ne Pontifex magni nominis legatum ad MOSCVM mittat, cujus opera inter eum Principem & Imperatorem pax ſanciatur; vel ipſi ſaltem perſuadeat, ut Tartaros in Ungariam proficiſcentes tranſitu prohibeat; quod qua ratione fieri poſſit, ſuperius demonſtravimus.

Abhorrent quoque Turcæ a Moſci armis (quem Czar vel Cæſarem Moſcovitæ nominant) tum quod ſubditis ſuis abſolute imperet, & ſolus ſit qui eam ob rem cum Turcico Imperatore conferri poſſit: tum quod in recenti adhuc memoria teneant clades, quas ſæpiſſime a Moſcis acceperunt Turcæ. Maxime vero, cum non ita pridem Tanaim cum Volga fluvio conjungere cogitarent, Moſci cum Tartaris Præcopenſibus maxima clade ipſos affecerunt. Habent enim & Turcici Imperatores commentarios rerum a ſuis majoribus geſtarum.

Sed & alia ſubeſt cauſa, cur Turca merito Moſcovitam ſuſpectum habeat; ne videlicet de unione quadam inter ipſum & Pontificem in religionis negocio ineunda tractetur. Quod ſub Adriano VI. Leone X. & Clemente VII. fuerat tentatum; ut Albertus Campenſis ſcribit, & Antonius Poſſevinus Jeſuita in libro de Moſcovia, quem Gregorius XIII. ad Johannem Baſilidem Ducem Moſcorum eandem ob cauſſam miſit, occaſione ſumpta a bello, quod tunc Johannes cum Stephano Rege Poloniæ gerebat.

Suſpicatur etiam, ne Pontifex Moſcovitam generalem & caput omnium, qui religionem Græcorum ſequuntur, conſtituat. Quod ſi fieret, periculum foret, ne Græci qui ſub imperio Turcico vivunt rebellionem excitent, ipſique ſe conjungant. Neque hæc res alias difficultates habitura eſſet, præter ſummam rerum ignorantiam, quæ paſſim in Moſcovia graſſatur; ubi nemini libere converſari, & evangelium de Chriſto prædicare licet.

Noſtrum erit Deum ſollicite precari, ut e tenebris denſiſſimis, quibus adhuc iſtarum gentium animi obcæcati tenentur, ad clarisſimam evangelii lucem eas vocet, & Principi, qui nunc regnat, mentem Baſilii illius inſpiret, qui opera Johannis Daniæ Regis a Julio II. Pontifice petiit, ut ad concilium legatos mittere ſibi liceret.

Hanc ſuſpicionem auget, quod Maronitæ qui in Syria Libanum montem incolunt, Pontifici ſe ſubjecerint, a Jeſuitis ad id perſuaſi. Quorum exemplum & Ruſſiæ epiſcopi nonnulli & ipſorum ſubditi, opera Sigismundi II. Regis Poloniæ, ante paucos annos ſecuti ſunt; ut cardinalis Baronius in annalibus eccleſiaſticis ſcriptum reliquit. Hæc converſio tanto majoris facienda, quod opera & miniſterio horum epiſcoporum vicini Moſcovitæ facilius ad eandem religionem converti poterunt, perque Moſcoviam citra magna pericula & immenſos ſumptus in Aſiam ad prædicandum evangelium Chriſti liber aditus patebit.

Denique etiam hoc Mahumetes veretur, ne quoties Cæſar ſtrenue contra Turcas bellum gerat, Moſcovita arma quoque capeſſat; quod ejus legati ad Cæſarem cum amplisſimis muneribus proxime miſſi ultro obtulerunt.

XCVIII.

Qua ratione Pontifex efficere poſſit, ne Tartari Turcæ auxilium ferant. Cur hactenus minori, quam ſperabant Turcæ, numero comparuerint. Alipe Han tractatio cum miniſtris Pontificis. Cur Usbegh Han ab Amurathe offenſus fuerit. Lites inter Alipe Han, & ejus fratrem Harath.

TARTAROS quod attinet, tum qui liberi ſunt, tum qui Tartaro Crymæo parent, de iis quoque Turcicus Imperator ſubveretur, ne Pontifex legatos, qui autoritate & judicio valeant, ad eos mittat, & præcipuos eorum duces pecunia corrumpat, ne in ipſius gratiam in bellum proficiſcantur: quod in Helvetia ſæpius cum fructu tentatum & machinatum fuit. Qua in re Pontificis nomen aperte publicare & profiteri expedit. Siquidem Tartari de ipſius theſauris, & autoritate maxima quævis ſibi pollicentur, eoque facilius ipſi gratum facturi ſunt. Quos etiam a Cæſare & Transſylvano pecunia corruptos fuiſſe Turcæ ſuſpicantur: quod ea multitudine in Hungaria non comparuerint, quam promiſerant.

Scio etiam quosdam noſtrorum fidem huic famæ dediſſe, ſed deceptos fuiſſe inde conſtat, quod Alip Han cum Nuncio Pontificis tractarit, ut contra fratrem Hirach ipſi auxilium impetraret, quo in tranquillo rerum ſuarum ſtatu permanere poſſit. Cum igitur domi negocium ei crearetur, copioſum exercitum extra regnum mittere non voluit. Alii hujus rei cauſam eo referunt, quod Tartari ab Amurathe graviter offenſi fuerint, in pacis tractatione cum Perſa inita. Quam nunquam illi fieri volebant, priusquam tantum territorii Perſæ ademiſſent, quo libere a ſua regione Mecham usque contendere poſſint, ne Turcicas ditiones attingere cogantur. Sed horum error in eo deprehendi poteſt, quod non Tartari Crymæi, ſed illi qui Usbeg Han obediunt, gravisſime ab Amurathe fuerint offenſi; non propter cauſam modo dictam (quod Turcicas ditiones neceſſario tranſire cogantur, qui ex Tartaris Mecham tendunt, niſi totum Perſiæ regnum ſibi ſubjeciſſent) ſed quod in ea pace ab Amurathe nulla ipſorum ratio habita, ſed maximo cum ſuo detrimento neglecti fuiſſent.

Minus vera adhuc fuit ratio, quam abſentiæ ſuæ ipſimet Tartari apud Turcas prætexerunt; quaſi a Moſcovita impediti & retardati fuiſſent. Conſtat enim inter ambos illos fratres mutua exorta fuiſſe odia & contentiones. Alipe Han regnum avitum conſervare, Hirach eum inde pellere conatus eſt. Vnde tota illa regio tumultibus & factionibus repleta & agitata fuit; ad quam defendendam pars utraque quas potuit vires collegit. Alipe quidem etſi rebus ille præſit, non omnibus tamen Tartaris imperat. Neque Hirachi imperium alii, quam quorum ipſe in hoc bello dux eſt, agnoſcunt. Quem etſi quidam putant fore ut de fratre triumphet, quod Mahumetes ſevere omnibus edixerit, ut huic ſoli obediant, & hunc pro rege agnoſcant, ipſumque in bellum ſequantur: attamen qui in rebus Tartarorum melius ſunt verſati, eosque exactius norunt, contrarium ſtatuunt, non modo quod etiam inter Barbaros illos jus naturæ valeat & obſervetur, ſed potius quod Hirach a ſuis parum ametur, ſiquidem avarus, & neque judicio neque fortitudine præditus ſit.

Ultimo loco etiam hoc Turca videtur timere, ne ſcilicet Pontifex & Hiſpanus terra marique ejus ditiones ad ſeditiones irritent, ut ea ratione præcipuas ipſius machinationes invertant, atque in nihilum redigant.

QVOD cum plurimis modis fieri poſſit, operæ precium me facturum puto, ſi quod res eſt breviter indicavero.

XCIX.

Turca veretur, ne ad SEDITIONES ipſius ſubditi concitentur. Quibus modis & quo prætextu uti debeant, qui ad hoc negotium perficiendum a Chriſtianis Principibus emittuntur.

PRIMVM Chriſtiani Principes, & inter hos Pontifex præcipue, varias in regiones Turcæ ſubjectas miniſtros emittere poterunt. Quibus ut major habeatur in excitanda rebellione fides, ii eligendi erunt, qui originem ex ea ad quam mittuntur regione trahunt. Inprimis vero decet, ut linguæ ſint periti, quo ipſi intelligant alios & ab aliis ipſi quoque intelligantur: ut judicio valeant: præcipue vero ne pecunia ipſis deſit, qua Principes populorum cum quibus tractant corrumpere poſſint, potentioribus vero remunerationem amplam & ſplendidam promittendi poteſtatem habeant. Tandem ut eo facilius in regiones illas admittantur, neque cito expellantur, convenit, ut omnes ſuas actiones religionis prætextu tegant. Non ut ſerpentem ſub herba abſcondant, quemadmodum perverſi Politici ſolent, ſed ut ſemen verbi divini inter ſpinas errorum denſiſſimas ſpargant. Eo utentes prætextu, quaſi eccleſias in Tartaria, vel Circaſſia, Bulgaria, VValachia, Moldavia aut Græcia reſtaurare velint.

Præterea cum territorium Turcicum, illud inprimis quod in Europa poſſidet, partim a Turcis naturalibus vel iis qui Chriſtianam fidem ejurarunt, partim a Chriſtianis incolatur, non abs re Mahumetes veretur, ne aliquando ſeditio inter ipſos oriatur. Inprimis vero ſi exercitus ipſius a Chriſtianis in fugam verteretur, vel præcipui quidam ipſorum duces ære corrumperentur. Inde ſane rebellio generalis exiſtere facilime poſſit, cum maximo ipſius damno, ne dicam interitu. Quo ſtratagemate Cæſarem deviciſſe quondam Jubam legimus.

VT vero melius intelligantur, quæ de rebellione excitanda diximus, convenit, ut qui ſint illi populi, quos modo nominavimus, amplius explicemus.

C.

De Turcis naturalibus, quare animis exulceratis ſint.

TVRCÆ NATVRALES, ſeu qui e priſcis iſtis Turcarum gentibus originem trahunt, etſi ingenii bonitate iis qui fidem Chriſtianam ejurarunt præſtent, peſſime tamen contenti ſunt, ut exigua opera ad rebellionem excitari poſſunt, ſi ejus rei ducem oportunum nanciſcerentur. Cauſa irarum inde procedit, quod omnia militaria officia, in quibus & honores & divitiæ in illo Imperio poſitæ ſunt, inter Renegatos diſtribuuntur; pauciſſimis exceptis, quibus ex ſingulari gratia, vel Sultanarum filiis aliqua conceduntur. Inde evenit, ut nihil magis honeſtum, inter omnes qui ſe Muſulmannos vocant, reperiatur, quam Imperatoris mancipium vocari, nihilque infamius ſit, quam Turcæ adpellatio, quæ ruſticum denotat. Quemadmodum Græci ſub voce Nomadis, eum qui in Numidia natus erat, & ruſticum intelligebant: hinc enim & Strabo Scythas Nomades vocat. Vnde non incommode modernus quidam ſcriptor animadvertit, eundem morem apud Turcas obſervari quem Itali habent. Ubi enim hi in ſuis Comœdiis Zanos introducunt, qui ruſtici ſunt Bergomates: ſic illi in ſuis fabulis Turcam habent, ſub quo hominem rudem incultum & ruſticum repræſentant. Alii vocem hanc ab Hebræis derivant, qua exulem ſignificari volunt; propter easdem rationes, ob quas Tartari ſe nominant reliquias, qua de re vide ſuperius.

CI.

De Turcis qui fidem Chriſtianam ejurarunt.

SI TVRCÆ, QVI FIDEM CHRISTIANAM EJVRARVNT, ea gratia a Deo illuminarentur, ut recognoſcere poſſent quam præſtans & ſingulare bonum amiſerint, non eſt dubium, quin ſtatim rebellionem excitarent, & Turcicum Imperium protinus ſubverterent. Siquidem penes hos ſolos & autoritas & divitiæ, quas & fides & obedientia ſubditorum neceſſario ſequitur. Sed cum ingeniis corruptiſſimis præditi ſint, ipſisque liberum ſit in omni ferocia ac licentia plusquam belluina vitam agere, atque abſolutam quidvis agendi & deſignandi poteſtatem habeant, malunt hac infami libertate gaudere, quam rebus novis ſtudere.

CII. Quo-

CII.

Quomodo Chriſtiani a Turcis vocentur. De Græcis, Armenis, Georgianis, Iacobitis, Æthiopibus & aliis. Iudicium Solymanni de Hæreticis. Rebellio in regione Plana ſub Gordano VVaivoda.

CHRISTIANI a Turcis *Chiauri* id eſt gentiles & infideles dicuntur, idque propter multitudinem rituum variorum & diverſorum, quos præcipue ii qui in Imperio Turcico vivunt obſervare ſolent. Miſeri enim cum ignorent unicm eſſe eccleſiam, unum Baptiſma, atque unam fidem; Græcorum alii; alii Latinorum ceremonias habent.

Sed de his qui a Græcorum religione deſciverunt, ut ſunt Georgiani, Armenii, Æthiopes, Jacobitæ, atque alii, qui ſub Turcico Imperio in Aſia Africa & Europa habitant, dicere ſuperſedeo, quod alii ante me prolixius de iiſdem ſcripſerint: Tum etiam quod res ſit difficillima, ut hi propter ipſorum diverſos mores, & longinquitatem regionum ad concitandam rebellionem inſtigari poſſint; unde Turcico Imperio aliquid damni creari poſſit.

Etiam hæreticos omitto, qui e variis provinciis in Turciam ſe contulerunt, ut majori libertate fruerentur & venena ſua ſpargere poſſint; ſiquidem & Turcæ eos deteſtantur & abhorrent, quod turbatores ſint publicæ tranquillitatis (quemadmodum Solymannus ad reginam viduam Tranſylvaniæ olim perſcripſit) & hi parum aut nihil ad præſentem rem quam tractamus conferre queant.

De iis tantum *Græcis* dicam, qui noſtro propoſito conducunt nulla religionis habita ratione, quid de iis ſperare poſſimus, quod rebellionem in regno Turcico promovere velint, oſtendam. Græci itaque naturæ quodam ſtimulo imperii cupidi, novitatis procul dubio ſunt avidiſſimi, ſiquidem præter modum a Turcis omni crudelitatis genere premuntur, rebellionem non inviti amplectuntur, qua ſperant tanquam ultimo remedio ſe jugum immaniſſimæ hujus tyrannidis & ſervitutis excutere poſſe. Maxime vero ſeditioni ſtudere videntur, qui Peloponneſum & Theſſaliam aliaſque regiones ad mare ſitas incolunt; quod auxiliis peregrinis facile illis ſubſidio veniri poſſit. Sed hos omnino hoc ſtudio ſuperant Serviani, qui ab Albaniæ montibus ad Danubium uſque habitant. Inter hos variis nominibus adpellantur, qui Dardaniam incolunt, videlicet, Piperi, Cucci, Clementes, Bellopauligi, & alii in regione Plana. Ex his multi Albani more Romano vivunt, neque adhuc ſub jugum Turcicum plane miſſi ſunt, quod loca munita, & præcipitia montium habitent, ipſi vero natura ferociſſima præditi ſint. Hujus rei illuſtre non ita pridem ediderunt ſpecimen, tyrannidi Turcicæ ſubtrahere ſeſe volentes. Cum enim fama ad ipſos manaſſet, Mahemetem ad Agriam victum & cæſum fuiſſe, rebellarunt & arreptis armis Turcarum, quos in ſuis regionibus reperiebant, maximam ediderunt ſtragem, duce Gordano VVaivoda, atque ulterius progreſſi fuiſſent, niſi contrarium mox intellexiſſent. Peſſime igitur contenti latibula ſua & montes repetierunt.

CIII.

Cautela quædam in ſeditionibus movendis obſervanda. Cur Turca Abyſſinorum regi fere totam provinciam Bernacaſſi eripuerit. Quomodo Chimeriota & alii a Turcis fuerint puniti. De Cliſſa & cur Murlacchi contra Lencovicium pugnarint.

SED hæc res inulta non manſit. Siquidem a miniſtris Turcicis ſeveriſſime fuerunt caſtigati, unde non modo magis perterriti, ſed etiam gravioribus ſuppliciis continuo oppreſſi. Duces quidem capite plexi; reliqui filiis orbati, alii occiſi, & quod ſupererat facultatum & pecuniarum, exiguum licet, omne tamen ipſis ademptum fuit. Hinc adparet veriſſime Joannem Boterum in Africæ deſcriptione, & Antonium Brunum in tractatu de Beglerbegatu Græciæ ſcripſiſſe, difficillimum eſſe tale quippiam tentare, niſi adſint vires ad continuandum, & modi ad producendam rem ad felicem exitum. Alias enim ſcilicet crabrones, ut habet proverbium, excitantur, hoſtes irritantur, & enſes ipſis ad feriendum in manus traduntur, atque adeo ipſis autoribus nocentiſſima, & iis qui eos ſequuntur periculoſiſſima omnis ejuſmodi actio eſſe ſolet; maxime vero ſi omnia, quæ occurrere poſſunt, non recte conſiderentur, vel conſulantur, aut juſto & opportuno tempore incipiantur.

Quod quam verum ſit, in *Abyſſinorum rege* non ita pridem vidimus. Cui Turca fere totam Barnagaſſi regionem ademit, quod Luſitanis faciliorem in mare rubrum aditum conceſſiſſet, ab ejuſque miniſtris naves Luſitanorum receptæ, & omni re neceſſaria contra Turcas adjutæ fuiſſent. Ab eo tempore Arabes muniverunt & occluſerunt ſuos portus, qui antea omnibus patebant.

Idem quoque *Chimeriotæ*, quorum ſuperius memini, experti ſunt. Ab Athanaſio enim Lichnidenſi (hodie Ochrida dicitur) Epiſcopo perſuaſi rebellarunt: cum ſperarent ab Imperatore (cum quo Athanaſius ſe conſpiraſſe dicebat) & Hiſpano auxilia ſibi miſſum iri. Tandem multis ſuis damnis, & conditionibus duriſſimis Turcæ reconciliati ſunt.

Nec diſſimile accidit noſtro tempore Ducatis ipſorum vicinis, qui a Pirro Baſſa cum Sangiachatui Deluini adhuc præeſſet, peſſime tractati, tandem in Neriho fuerunt transportati.

Et ut alia antiquiora omittam, ea quæ Coronæ, & Caſtelnovi ſub Caroli V. Imperio contigerunt, quæ in Cliſſæ occupatione non ita pridem facta ſunt, conſideremus. Nam donec Cæſarianos in arce illa occupanda ſibi affuturos Murlachi credebant, fortiter ſeſe geſſerunt, licet pauci numero fuerint. Verum illi conſpecta ea paucitate militum, quorum copiam multo majorem ſibi polliciti fuerant, e montibus in ſubſidium Turcarum progreſſi, ipſummet Lencovicium Cæſarianorum du-

cem aggreſſi ſunt, & in fugam compulerunt; palam profitentes ſe Turcico Imperatori fidem debitam ſervaturos.

CIV.

De Latinis exteris. Cur Amurathes Chriſtianos qui Conſtantinopoli morantur occidere voluerit. De Caffaluchis. Quomodo bellum civile in Turcia excitandum. Quomodo varii libri & ſcripta in Turciam ſpargi poſſint, qui Turcis errores, in quibus harent, detegant. De Sophilariis & Erdevil. Confeſſio & mors notabilis aulici cujusdam juvenis. Laudantur illi principes qui ejusmodi libros imprimi curant.

Sed ut ad eas gentes revertar, quæ in Turcia habitant, ſupereſt, ut de LATINIS aliquid dicamus. Quorum aliqui tantum peregrini eas regiones frequentant, alii continue ibi morantur. Illi mercaturam vel ſuo vel aliorum nomine exercent; & parum Turcis officere poterunt, cum neque ducem habeant neque arma, & paucisſimi ſint atque hinc inde per regiones ſparſi.

Quidam Latinos, qui Conſtantinopoli vivunt cum aliis Chriſtianis ritibus tamen differentes, conjungunt, eosque putant maximam atque Turcis perniciosiſſimam ſeditionem machinari poſſe. Siquidem in ea urbe major ipſorum copia, quam Cairi Aleppi vel Ecbatanæ, quæ Tauris hodie, aut quavis alia urbe reperiatur. Pera tamen conjuncta, quæ fere a falſis Chriſtianis incolitur; paucis Caffaluchis ſeu Theodoſianis, qui e Caffa ſeu Theodoſia a Mahemete eo deducti fuerunt, exceptis. Quare tanto facilius coire propter vicinitatem, & armis ſibi proſpicere poſſe videntur: ſed hiſce Turcæ diligentiſſime Chriſtianos iſtos ſpoliare ſolent, ut rebus ſuis tanto melius conſulant. Hinc regnante Amurathe, qui proxime mortem obiit, factum eſt, ut qui tunc Conſtantinopoli fuerunt Chriſtiani vitæ periculum adierint; accuſati videlicet, quod in aliquas urbis plateas ignem immiſiſſent; quo flagitii genere falſo quondam ſub Nerone Chriſtiani quoque incuſati fuerunt. Juſſerat igitur Amurathes, ut paſſim nullo habito perſonæ reſpectu in fruſta eos diſſecarent Janizari. Sed horum Aga Turcico Imperatori, quantum periculum propter eorum multitudinem ſententiæ hujus executio adlatura eſſet, demonſtravit; tum etiam quod tributa imminuerentur, & jus gentium violaretur. In Chriſtianorum ergo vicem mulieres quædam Hebrææ, quæ Amurathi hoc conſilium dederant, occiſæ fuerunt.

Alii putant, præter Turcarum ſuſpicionem, miniſtros quosdam ſub negotiationis prætextu in ditionibus Turcicis, Conſtantinopoli vero inprimis, conſtitui poſſe, qui donis liberaliter alios corrumpant, aliorum ambitionem foveant, vel iras & inimicitias inter præcipuos Baſſas excitent, & civile bellum accendant. Quod non ita pridem facilime evenire potuiſſet, ſi quis ſedulo æmulationes & inimicitias Baſſarum foviſſet promoviſſetque, Ferati videlicet & Hibraimi, Pirri & Muſtafæ, & Mehemetis, atque ultime defunctorum Sinani & Ferati; vel illas etiam, quæ adhuc inter Cicalam & Hibraimum viventes gliſcunt. Sed hoc negocium Principis potentis divitias requirit, & miniſtros qui judicio & prudentia valent. Minus vero difficultatis hæc res habitura eſſet, ſi plures fratres eodem tempore ad imperii culmen aſpirarent; quod ſub Mahemetis, Bajazetis & Solymanni filiis evenit, vel ſi naturali & legitimo hærede Imperium hoc deſtitueretur.

Et cum duobus modis hominis voluntas, eo quo volumus pertrahi poſſit, vel vi coacta vel rationibus perſuaſa: nonnulli putant, rebellionem in Turcico imperio non ſolum modis ſupra dictis excitari poſſe, verum etiam ſi Turcis, qui fidem Chriſtianam ejurarunt, & Janizaris inprimis, partim ipſorum ortum & nativitatem, atque etiam Baptiſmum quo fuerunt initiati, ante oculos quis poneret, partim vero nugas & fabulas Alcorani a Cardinale Cuſano & aliis deſcriptas oſtenderet. Multo tamen commodius libri ea de re lingua Sclavonica & Arabica conſcripti illud efficient; quod Johannes Andreas Maurus & Alfacquius ex urbe Sciativa ortus fecerunt. Qui Sclavonica lingua ſcripti erunt, in Europa ſpargantur. Qui vero Arabica, ab Indis Mozambiquam Africæ ditionem usque; vel Zofalam & Quiloen Aſiæ provincias; vel in Moluccas, in Covien, Goa, Dium, Ormuz, & alias urbes, quas Turcarum mercatores frequentant: vel in Oran aut Arzila aliaque loca Hiſpanis ſubjecta; vel denique per loca Ethnicorum amicorum, & confœderatorum, videlicet Calicut Zeilam Cambaia, ad Turcas deferantur; quin & in omnes Europæ partes, quæ Turcas attingunt; quo in notitiam ipſorum perveniant. Quod ſi forte libri ejusmodi penes Turcas eundem effectum, quem apud nos, qui rerum novarum ſumus cupidi, non habeant, quod ab iis Turcæ magis abhorrere videantur quam nos, qui iis curioſe ſtudemus: magni tamen alicujus boni occaſionem aliquando præbere poterunt, ſi quis potens novæ cujusdam ſectæ autor exiſtat, qui maxima copia aſſeclas undiquaque ſibi conciliet. Quod in Germania Anglia & Gallia contigiſſe novimus, atque adeo inter ipſos Turcas in Africa, & in Perſia inter Sophilarios; qui Ali ſectam, qui quartus Mahumetis prophetæ ſocius numeratur, ſunt amplexi, quæ poſtea ab Erdevil fuit renovata, quem Jovius Arduelem vocat, eumque patrem Iſmaelis, cui Sophi cognomen fuit, conſtituit. Nec ſilentio mihi prætereundum, quod non ita pridem ſub Amurathe Conſtantinopoli contigit. Quo regnante quidam ex juvenibus qui in Seralio enutriuntur, occaſionem legendæ ſacræ ſcripturæ nactus, errorem quo irretitus tenebatur, inſpirante gratia divina agnovit, & in conſpectum Amurathis perductus ei aperte in faciem dixit, ſi damnationem æternam evitare velit, ut impiam ſuperſtitionem Mahemetis abjiceret, & contritus toto corde Jeſu Chriſti fidem amplecteretur. Cumque propter hanc loquendi alacritatem & audaciam, tanquam ob enorme ſcelus, condemnatus eſſet ut vivus palo ferreo tranſfigeretur publice, tam audacter eandem vocem ad populum protulit, ut complures permoti & divino ſpiritu incenſi indigniſſime ejus mortem

tem tulerint, itaque commoti verbis injurioſis & minis Amurathem fuerint inſecuti; ut niſi Janizari ad primum ſtatim plebis impetum præſto fuiſſent eumque cohibuiſſent, dubio procul ſeditio periculoſisſima in ea urbe conſecuta fuiſſet. Maxima igitur laude Hetruriæ ducem dignisſimum judicamus, quod plurimos libros utiles & bonos literis Arabicis imprimi curat, qui in Africa & alibi diſſeminentur. Quæ res etſi non ita pridem ab Antonio de Flores Neapolitano opera Siriffi fuit impedita; futurum tamen, ut effectum aliquando ſortiatur, quem Gregorius XIII. & qui nunc vivit Pontifex aliique boni ſæpisſime exoptarunt, ſperamus.

CV.

De Albanis & Latinis, qui in regionibus Turcicis vivunt. De Ducaginis, Preſeremo, Giuſtendil, & duabus Juſtinianis.

Sed cum inter Chriſtianos, qui in Turcico Imperio continuum habent domicilium, maxima ALBANORVM copia ſit, de iis aliquanto prolixius mihi dicendum erit.

Albani nonnulli Latinorum, alii Græcorum ritus obſervant. Non modo Albaniam incolunt, quæ ab occaſu Olchinio urbe (vel Dulcigno) & Labeatide palude, ſeu Lago di Scutari finitur, ab ortu vero Baſtia, quæ Corcyræ inſulæ oppoſita eſt; ſed etiam in aliis Peloponneſi & Græciæ locis habitant, quo vel belli occaſione, vel ab Imperatoribus Orientalibus ſeditionum cavendarum cauſa transportati fuerunt.

De *Albanis qui Latinorum religionem ſequuntur*, ſcribit Brunius ipſorum compatriota in Tractatu ſuperius allegato; eos optime armis inſtructos, & fide ſincera Chriſtianam fidem ſervare, ſemper ſtrenuisſimos ab omnibus habitos, & propter continuos ipſorum motus Turcas peſſime ſibi ab ipſis timere. Propter cauſas ſcilicet quasvis minimas tumultuantur, non modo qui in planitie verum etiam qui in montibus habitant. Qui tamen inviti poſtea ad officium redire animosque ſubmittere coguntur, cum ſoli Turcis reſiſtere non valeant, minusque etiam Chriſtianis vicinis, a quibus plus ſæpius damni patiuntur, propter continuas deprædationes, quam a Turca, aſsimulatione fidelitatis. Sangiachi quoque ſæpius ipſis rebellandi occaſionem præbent; vel ut prædas ex ipſorum ditione agant, vel ut ſeſe ulciſcantur, aut juſtam cauſam domi manendi habeant ne in bellum proficiſci cogantur. Eum in finem & Sangiachus, qui in Ducaginis reſidet, nunquam inde ſe commovet, ſicut & Angeli Caſtri præfectus; eo videlicet prætextu, ut domi regionem a Chriſtianorum incurſionibus ſalvam conſervet.

Ducaginenſes in monte Scardo habitant, qui ad confinia Perenopolis (hodie Preſeremo dicitur) in Dardania poſitus eſt. Hæc urbs ad Albaniæ limites ſita, majori ex parte ab Albanis quam Servianis inhabitatur. Errant igitur, qui hanc cum Guiſtendil eandem eſſe putant, quod trium dierum itinere hæ invicem diſtent, in eadem licet provincia ſitæ. Errant quoque qui Guiſtendil primam non vero ſecundam Juſtinianam eſſe putant; quique Preſeremo vel Guiſtendil Juſtiniani patriam ſtatuunt, quem Lychnidi ſeu Juſtinianæ primæ, quæ hodie Ocrida vocatur, natum eſſe, multis argumentis probari poteſt.

Quia via regia & trita longius habitant, eos montium aſperitas tuetur, quo minus tributa ſolvere cogantur. Mons vero, quem incolunt, Niger dicitur; quo nomine plurimi alii in Turcia nominantur.

Albania, qua parte ad mare Adriaticum vergit, altisſimis montibus clauditur. In meditullio plana & multis atque maximis fluviis irrigua. Quibus pedites impediuntur, quo minus ſe, cum volunt, cum reliquis Chriſtianis, qui ibi habitant conjungere posſint; Equites non habent; neque tenent rationem pontium conſtruendorum. Loca munitiora in Turcarum manibus ſunt, a quibus nullo firmo præſidio cuſtodiuntur. Quod (inquit Brunius) ideo dicere libuit, ut opinionem eorum refellamus, qui haſce gentes ſine exterorum ſubſidio egregii quippiam præſtare poſſe contra Turcas exiſtimant, quique putant illis famam Italici vel Hiſpanici auxilii vexillo tantum ſublato ad ſeditionem movendam ſufficere; quemadmodum Ludovici Mediolanenſium Ducis legatus Carolo VIII. Galliæ Regi demonſtrarat. Utinam hæc aliquando eveniant, ſed abſque miſerorum iſtorum damno & periculo! neve opportunitas in poſterum quippiam efficiendi inde omittatur.

Et hæc quidem de Turcis naturalibus, Renegatis ſeu Apoſtatis, Græcis, & Latinis qui in Turcia commorantur, dicta ſufficiant.

CVI.

Quomodo Turcarum loca maritima occupari posſint.

ULTIMO denique loco Turcicus Imperator veretur, ne Hiſpani naves, quas in regno Neapolis in Sicilia & Genuæ in ſtatione habent, cum Pontificis Melitenſium Florentiæ & Sabaudiæ Ducum navibus conjungantur; quæ claſſem haud contemnendam efficerent, qua ex improviſo ſecundo vento ſpirante, vel Caſtellum novum, vel Velonam vel alia Albaniæ loca aggrediantur, & occupent. Quod ſi Venetæ Reipublicæ hac in re parcerent (quæ imperium maris Adriatici ſibi vendicat, propter rationes, quas recenſet Hieronymus Bardus) Peloponneſum invadere, vel Dardanellos (qui ſunt Seſtus & Abydus) vel alium quempiam magni momenti locum ejus imperii adoriri poſſent.

Quod equidem diligentisſime ponderari debet. Ideoque in gratiam benevoli lectoris, qui forſitam ſitus & munitionum horum locorum perfectam cognitionem non habet, ſpeciatim quid

quid dicam; ut quinam commodiſſime oppugnari, & qua ratione facillime expugnari poſſint, intelligatur.

CVII.

De Caſtelnovo, & propugnaculo Varbagno, quod a Soranzio fuit everſum.

CASTELNOVUM in Aſcruvii canali, qui hodie di Catharo dicitur, ſitum eſt. Hujus ingreſſum anguſtiæ quædam oſtii difficilem reddunt. Ubi non ita pridem a Jacobo Soranzio Venetæ claſſis imperatore (Proveditorem ipſi vocant) propugnaculum Varbagno, quod Turcæ ædificarant, everſum fuit.

Ad hunc locum expugnandum cuniculis res agenda eſſet: ſed e regione finitima facile ab hoſtibus ſubſidio veniri poteſt. Ab Hiſpanis quondam occupatum fuit, ſed contra furorem Barbaroſſæ diu illud retinere nequiverunt: magnam tamen apud Turcas laudem (ut ex ipſorum annalibus patet) Hiſpani hinc ſunt conſecuti.

CIIX.

De Velona & promontorio Sanctæ Mariæ.

VELONA, quondam Aulon navale dicta, in Albania ad extremitatem maris Adriatici ſita eſt, e regione Apuliæ promontorii S. Mariæ, quod olim Japygium dicebatur, & 60. milliaribus Italicis Hydrunto diſtat. Portum triremium capacem omnino non habet, niſi ad tria milliaria proxima. Introitus defenditur paludibus ſtagnis & ſalinis. Propugnaculum non eſt adeo bene munitum. Ad illud tamen occupandum duo prius caſtella e medio tollenda eſſent; alterum in planitie poſitum oppido fere contiguum, opera Pignatelli Neapolitani exulis conſtructum: alterum in alto ſitum, milliari unico ab urbe diſtans; quod Canina vocatur, & a Turcis incolitur, Chriſtianis inde propter ſuſpicionem pulſis.

CIX.

De Albania.

ALBANIÆ reliqua loca quæ occupanda forent, vel in meditullio ſita ſunt, vel ad mare quæ tamen portus non habent. Regionis incolæ a majorum virtute plurimum degenerarunt. Qui licet quondam fortiſſimi contra Turcas extiterint, maxime vero ſub Georgio Caſtriota ſeu Scanderbeg, idem tamen noſtro tempore præſtare non poſſunt, quod non modo hoſtis domi ipſis imperet, ſed fere nunquam ab ipſorum latere diſcedat; quod tunc temporis aliter ſeſe habebat. Hodie etiam ad exiguum numerum redacti ſunt; & ducem non habent, qui fortis prudens & rerum Turcicarum ſit peritus, locorum regionis gnarus, & ab incolis pariter atque militibus ametur.

CX.

De Dulcigno & Scutaro.

Urbs DULCIGNO, quondam Olchinium, ſeu Colchinium vocata, claſſe oppugnari poteſt. Nam licet portum non habeat, tempore tamen minus tempeſtuoſo milites ad plana littorum navibus actis exponi poſſunt. Situs ratione fortiſſima eſt, ſed majori ex parte vi terræ motus concidit. Igitur ſi occupatam nobis reſervare vellemus, novis propugnaculis munienda eſſet. Hanc SCOARA ſequetur, quæ Scutari hodie dicitur, arte & natura munitiſſima: tam negligenter vero cuſtoditur a Turcis, ut tempore nocturno ex improviſo facile quis eam ingredi poſſit.

CXI.

De Dyrrachio.

DURAZZO vel Dyrrachium in planicie ſita, non eſt adeo firma; ſed tamen omnium commodiſſima foret, unde in hoſtem excurſiones utiliter fieri poſſent, quod Italiæ ſit propinqua, & in medio Illyrico ſita, ſed periculo tamen valde obnoxia circumſeſſionis hoſtilis.

CXII.

De Morea, ſeu Peloponneſo; & de optima cum Turca belligerandi ratione.

Gravioribus damnis Turcæ afficerentur, ſi Peloponneſum, vel MOREAM quis armata manu invaderet; quod ea regio in umbilico fere Turcici Imperii, illius quod eſt in Europa, poſita ſit, atque adeo bellum in Turciam ipſam transferretur. Quem omnium optimum belligerandi modum veterum duces præſtantisſimi judicarunt. Quo Cyrus Cæſar Hannibal aliique cum maximo commodo & emolumento rerum ſuarum uſi ſunt; quicquid alii recentiores contradicant. Inde quoque futurum, ut claſſis Turcica domi detineretur ne noſtris moleſta eſſet.

CXIII.

Theſſalonica capta, quomodo Turcis noceri poſſit.

Denique THESSALONICÆ, quæ Salonicchi dicitur, occupatio multis ſane nominibus rebus noſtris conduceret. Siquidem in ea urbe copiæ exponerentur, quæ facillime inde ad reliqua loca, quæ ad viam Conſtantinopolitanam conſita ſunt, deduci poſſint, & præcluderetur dicta via Græcis. Quemadmodum Romani quondam fecerunt, & Alaricus Gothorum Rex, qui poſtea cum ſolis triginta millibus armatorum ipſos in poteſtatem redegit Romanos. Huc conduceret, ſi eodem temporis momento Polonus & Transſylvanus arma caperent, & ſuperato Danubio Bulgariam devaſtarent, crebriſque excurſionibus Conſtantinopolim uſque penetrarent.

CXIV.

Digitized by Google

CXIV.

Obſervationes quædam, ad executionem ſuperiorum conſiliorum pertinentes. Conſilium Haytonis Armenii. Modus legitimus & verus, quo res magna in effectum facile mandari, & inimicorum arcana reſciri poſſint, ex ſacris literis petitus. Cur Principes eorum ſæpius conſilia ſequantur, qui minus ſunt prudentes & rerum periti.

VERVM, quo commodius omnia, quæ in hoc libro conſilia de Turcis oppugnandis in medium fuere allata, in effectum ponantur, unicum & præcipuum hoc principibus noſtris obſervandum erit, ut clam omnia & ſecreto agant. Huc facit Haytonis Armenii Monachi digna vox, quam tractatui ſuo de viſitatione terræ ſanctæ inſeruit. *Unitum*, dicit, *neceſſarium mihi commemorandum eſt, ut videlicet Chriſtiani, quanto poſſunt ſecretius omnia ſua conſilia tractent, ne illa cum animi deliberationibus hoſtibus innoteſcant. Qua in re cum annis præteritis Chriſtiani peccaſſent, multa mala perpeſſi ſunt: hoſtes vero plurima pericula evitarunt. Hinc Chriſtiani impediti fuere, quo minus animi ipſorum deſideria feliciter ceſſerint.* Cujus rei, ut omiſſis Ethnicis exemplis ſacra tractemus, Juditham legimus, ubi Holofernem occidere pio & generoſo inſtinctu ſibi propoſuiſſet, quo Bethuliam urbem ab obſidione liberaret, non modo conſilia ſua nemini communicare voluiſſe, verum etiam ipſiſmet ſacerdotibus in hæc verba reſpondiſſe: *Vos nolo ut ſcrutemini actum meum, & usque dum renunciem vobis, nihil aliud fiat niſi oratio pro me ad Dominum Deum noſtrum.* Hujus viduæ fidem & devotionem ſi noſtris temporibus Principes ſequerentur & imitarentur, non opus foret, ut de eventu felici ſuorum conſiliorum dubitarent, vel anxie & curioſe in hoſtium arcana inquirerent. Deus enim, qui nunquam eos deſerit qui pro ejus ſanctiſſimi nominis gloria pugnant, rationes optimas novit ſervis ſuis hoſtium ſecreta manifeſtandi. Cujus rei exemplum in Eliſæo habemus, cui divinitus omnia ea, quæ Syriæ Rex nemini quam intimis ſuis nota eſſe volebat, fuere detecta.

Inſuper quoque neceſſario requiritur, ut claſſis Chriſtiana certis quibusdam hominibus inſtructa ſit, qui locorum, in quibus belligerandum eſt, peritiſſimi. Ne idem eveniat, quod Melitenſibus equitibus, qui in occupanda Modone ſpe ſua fruſtrati fuerunt, quod neſciverunt, poſt primum urbis ingreſſum pontem ipſis eſſe tranſeundum. Ejusmodi homines linguas noſſe, judicio fide & autoritate valere convenit; inprimis vero ut reipublicæ Chriſtianæ ſalutis ſint ſtudioſi. Quales nonnulli hodie reperiuntur, quibus executio rerum maximarum tuto concredi poſſit, ſi Principes eorum opera uti vellent.

Papa Julius II. Conſtantinum Cominianum hac de cauſa conduxerat. Pius V. Olchinio evocarat fratrem Caſparem Brunium, commendatorem Hieroſolymitanum, cujus opera bello maritimo contra Turcas & aliis rebus maximi momenti uſus eſt. Sed in hoc ſæpius Principes noſtros deceptos vidimus, quod munia ejusmodi hominibus ineptisſimis commiſerint; vel ex gratia quadam ea indignis elargiti ſint; vel iis qui ſumtus minores ad bellum conficiendum poſtularunt, ut eo prætextu ſuæ ambitioni & avaritiæ ſatisfacerent. Interim ſane detrimenta accipiunt Principes, & qui ipſorum cauſam promovere nituntur.

CXV.

De Dardanellis, & quomodo Turca bello maritimo aggrediendi. Quo ſpacio Dardanelli a ſe invicem, & Gallipoli atque Conſtantinopoli diſtent.

In ſumma veretur Turca, ne claſſis Hiſpanica Junio menſe Cæcia vento ſpirante ſolvat; ſed poſthabitis Patris ſeu Patraſſo, quam ſuperiori anno vaſtatam deprædata eſt: poſthabita itidem Alexandria, quam tentare non ita pridem voluiſſe viſa eſt: Africa etiam, quo claſſi iſti facilis patet aditus, aliisque locis extra vel intra mare Adriaticum relictis (quæ nominare in præſenti mihi religio eſt, ne quædam arcana & hiſtoricis indicta per me detegantur, quæque tentari (quis ſcit?) aliquando poſſent, feliciſſimo eventu) ex improviſo caſtella DARDANELLOS, qui ſunt Seſtus & Abydus, aggrediantur. Hæc antemœnium ſive primorum inſtar murorum primum in Turcæ regiam aditum præbent, ideoque a Mahemete II. poſt Conſtantinopolis expugnationem egregie munita fuere. Cæcia igitur flante, pauciſſimis diebus eo pertingere poteſt, ſecura ab hoſtium claſſe, ſi per ſinum Lanciatum curſum dirigat. Quod ſi forte contingeret, ut noſtræ in Turcicarum navium quæ in portubus in ſtatione ſunt conſpectum venirent, eas tamen pro Turcicis atque adeo amicis habituræ eſſent. Non igitur prius expeditio hæc ſuſcipienda, quam claſſem Turcicam portu ſolviſſe certo conſtet. Non autem hoc dico, Dardanellis captis ipſammet Conſtantinopolim exiguo labore & tempore oppugnari poſſe (ut quidam ſcribere auſi ſunt) ſed tantum tamque immenſum in ea urbe pavorem & timorem inde excitatum iri, ut non difficulter, exorto aliquo graviori tumultu, noſtratibus ultro ingreſſus aperiatur; maxime vero ſi clam prius conſpiratio quædam facta, vel Turca inſigni aliqua clade ſive terra, ſive mari affectus fuiſſet.

Seſto in Europa mons imminet, qui eam ubique ſuperat. *Abydus* vero Aſiæ Dardanellus in planitie ſita eſt. Ambo propugnacula facillime expugnari poſſent, quod ædificia illa antiquo more ſint conſtructa, in loco arenoſo; ad maris ſcilicet littus, ubi montes ex arena congeri, & cuniculis perfodi poſſunt, ut Turcæ in more habent. Diſtant invicem plus uno milliari Italico: Gallipoli vero triginta, Conſtantinopoli centum ſexaginta vel circiter.

CXVI.

Quomodo Poloni Hungari & Transſylvani in Turcicas ditiones excurrere poſſint. De Taiſilis.

ALIÆ quoque viæ patent, per quas Poloni Hungari & Transſylvani terreſtribus itineribus, in Turcicas regiones excurrere, & meſſis tempore alicujus momenti loca tentare poſſunt. Maxime

vero ſi in ea loca curſum dirigant, de quibus illi nunquam antea ſoliciti fuerant, aut verſus mare directo itinere, quo claſsis noſtra ipſis ſubſidio venire poſſet. Sic apud Zoſimum legimus, quingentos tantum Taifilos, qui hodie Transſylvani ſunt & Walachi, ſub Conſtantino Imperatore Conſtantinopolim usque maximo cum civium horrore excurriſſe. Sed viæ de quibus magis ſibi Turcæ timent, ſunt, quæ Sophiam Adrianopolim & Philippopolim atque in regiones vicinas ducunt.

CXVII.

Quomodo ex Italia pluribus itineribus in Turcicam pervenire poſſumus.

Verum ut Principes Itali de via, qua e ſuis ditionibus in regiones Ottomannicas recta pergere poſſint, ſecuri ſint, profectiones legant Conſtantini, Licinii, Maxentii, Juliani, Theodoſii, Eugenii, Arbogaſti, Theodorici Gothi, Odoacri Heruli, Alarici Gothi, & Attilæ; quos ſuperius quoque recenſui. Conſiderent etiam, quo itinere quondam Mithridates e Ponto & Scythia, ſeu Circaſſia & Tartaria, in Italiam pervenire decreverat: Regis Philippi Macedonis conſilium de transfretando Adriatico mari: Romanorum contra Macedones expeditionem: Veſpaſiani ducum e Syria in Italiam reditum. Sed & primi Antonii, Mutiani, Boemundi atque aliorum, qui terram ſanctam conquiſiverunt, itinera ex hiſtoriis petent.

CXVIII.

Epilogi loco, Leonis X. conſultatio de bello Turca inferendo ponitur.

Epilogi loco ex Franciſco Guicciardino Leonis X. conſultationem de defenſione contra Turcas inſtituenda, adducam.

Verebatur ille, ne Selymus Italiæ bellum moveret. Sacris igitur peractis omnibus Chriſtianis Principibus periculum imminens aperuit, eosque hortatus, ut ſepoſitis inimicitiis privatis, religionis Chriſtianæ, & propriæ ſalutis defenſionem ſuſciperent, animosque viresque conjungerent, ad aggrediendum hoſtem domi ſuæ. Bella interim ubique ceſſare juſſit, inducias inter omnes Principes gravi ſub cenſura publicavit: & ut majus pondus hæc res haberet, cardinales autoritate & rerum uſu pollentes ad Principes ea de cauſſa ablegavit: Rem totam cum eorum oratoribus & legatis ſæpius multumque conſultavit: conſilia virorum militarium exquiſivit; cum iis qui locorum erant periti de regionum & provinciarum conditione, ſitu, incolarum viribus & armis multoties contulit: tandem decrevit, ante omnia vim auri maximam congerendam, tum ex ordinariis Principum contributionibus, tum etiam ut omnibus Chriſtianis hominibus certum aliquod tributum hujus belli nomine imperetur.

Cæſar cum Hungarorum & Polonorum equitatu, juſto etiam exercitu peditum & equitum Germanorum, recto Danubii curſu in Serviam delatus, inde per Thraciam Conſtantinopolim petat, Gallus omnibus regni ſui viribus inſtructus, Veneti atque reliqui Italiæ Principes, Helvetiorum peditibus adjuti, Brunduſio in Albaniam ſolvant; ubi Chriſtiani qui in Græcia habitant libentiſſime ipſis ſe conjungent, duriſſimæ Turcicæ tyrannidis pertæſi, & ad rebellionem promptisſimi. Hiſpani Luſitani Angli naves ſuas in Carthagenæ portu & aliis vicinis congregent & conjungant, cumque ducentarum navium claſſe, Hiſpanis atque aliis militibus inſtructa, Gallipolis fretum occupent, & Dardanellos capiant. Eo quoque Pontifex tendat, centum navium roſtratarum ſeu triremium claſſe ex Anconæ portu educta.

Hunc igitur in modum terra marique Turcarum potentia oppugnata, Deo feliciter annuente, proſperum ejus belli exitum ſperare poſſemus.

CXIX.

Concluſio totius operis, in qua de fœdere Chriſtianorum Principum contra Turcam ineundo agitur.

Faxit Deus, ut omnes Chriſtiani Principes, arcto inter ſeſe fœdere inito, collatisque æqualiter ſumptibus, omnia ſua conſilia atque deliberationes eo dirigant, ut immaniſſimum hoſtem cum fructu adoriantur & devincant. Quod difficilimum licet, propter peccata noſtra & varias calamitates quibus urgemur, non tamen impoſſibile futurum ſperamus. Deus vero omnipotens ardenter nobis orandus & exorandus eſt, ut oculis juſticiæ in Turcas reſpiciat atque illis non amplius tanquam flagello ad punienda noſtra delicta utatur: ſed ſaxo quaſi divinæ ſuæ potentiæ ſuperbum hunc & inutilem coloſſum in minutisſimas quasvis particulas comminuat; vel ſaltem, ut Principes noſtros miſericordiæ oculis intueatur, ipſorumque mentibus veræ pietatis ardorem inſpiret, ut vinculo charitatis devincti propriis utilitatibus, aliisque quæ ipſis occurrere & officere poſſint rationibus poſthabitis, veram & ſolidam nec fictam ſocietatem ineant, ad defendendam gloriam divinam & propriam ſalutem contra omnes hoſtes promovendam, ſibique magnum illum Gottofredum Bullionæum imitandum proponant, non modo, quantum ad animi promptitudinem in capiendis conſiliis, verum etiam, ſi neceſsitas ita requirat ad proprias ditiones divendendas, quo contra Turcas bellum continuare poſſint. Quod Bullionæum aliosque magni nominis Principes maxima ſuæ cum laude feciſſe novimus: qui ſancto inito fœdere Hieroſolymæ regnum infidelium barbarorum manibus eripuere, totumque orientem ſibi ſubjecere.

Achillis Tarduccii Turca vincibilis in Ungaria.

Nunc primum Latinitate donatus

A

JAC. GEUDERO AB HEROLZBERGA.

Illuſtri & Generoſo Baroni

D. RICHARDO A STAREMBERG,

Dn. in Wudsberg & Riedeck, Domino ſuo omni obſervantia colendo

S. D.

Durante bello Pannonico, generoſe & inclyte Baro, quod D. Rodolphus II. Romanorum Imperator S. A. pro vindicanda e Turcarum faucibus Hungaria, & tot Chriſtianorum millibus ab immaniſſima crudeliſſimorum Barbarorum Tyrannide liberandis, gerit; varia doctiſſimorum & rerum bellicarum peritiſſimorum virorum conſilia, de bello proſpere contra hoſtes gerendo in lucem prodierunt. Quorum nonnulla jam olim emiſſa, & non ita pridem denuo recuſa, ad nos etiam longo fere intervallo pervenerunt. Inter hæc omnia vero, facile principem locum obtinet Lazari Sorantii Ottomannus, & Achillis Tarduccii Turca vincibilis: quibus addi poteſt Johannes Thomas Minadous, qui hiſtoriam poſtremi belli Turco-Perſici accuratiſſime deſcripſit. Detexerunt hi, quicquid arcani Turcicum imperium habuit, plurima ſtratagemata, conſilia, aliasque maximi momenti res, quæ noſtros latuerant hactenus, manifeſtarunt, hoſtisque ſuperandi facilitatem quaſi digito monſtrarunt; unde merito ab omnibus quibus patria ſalus & incolumitas cordi eſt, cognoſci & legi debebunt: & legerentur procul dubio, niſi ſua in lingua, hoc eſt Italica, auctores iſti ſcripſiſſent. Ne quis vero imperitia linguæ a lectione ipſorum ſe abſtractum queri poſſet, ſimulque amicorum voluntati mos gereretur, in Latinum ſermonem, noſtratibus hominibus frequentiorem, a me ſunt traducti. In qua quidem μεταφράσει plus laboris & difficultatis ſum expertus quam initio cogitaram, cum quadam perobſcura ſint, quarundam etiam rerum nomina & Romanis incognita, quæ Latinis verbis commode reddi nequiverunt. Veniam igitur apud benevolos lectores & æquos rerum æſtimatores me impetraturum ſpero, ſi ipſorum expectationi & voto meo minus recte ubivis ſatisfactum erit.

Tibi vero generoſiſſime Baro, hanc laborum meorum particulam, Tarduccii ſcilicet Turcam vincibilem, dedicare & nuncupare placuit; ut teſtatum viciſſim facerem animum meum, tibi ſemper ad quævis paratiſſimum. Ea enim erga me, fere ignotum, benevolentia & humanitate nuper uſus es, ut nunquam non apud quosvis grata recordatione eam prædicare debeam. Huc accedit quod patriæ ſalutem (ad quam tanquam metam unicam & ſcopum hæc noſtra tranſlatio directa) tibi ſumma curæ eſſe, eamque conſilio & ope pro viribus a te juvari & procurari certo cognoverim. Tum etiam quod ſciam, te præceptis militaribus, quibus Tarduccius paſſim eſt refertus, mire delectari; ut qui bello hoc Ungaro-Turcico ipſe aliquoties interfueris; tum in literarum quoque ac linguarum ſtudiis non mediocriter verſatum eſſe. Scio equidem eruditiora tibi politioraque deberi: ſed ſint hæ amoris & obſervantiæ meæ primitiæ. Quas ut benevolo animo accipias & offerentem mutuo, ut cœpiſti, amore complectaris etiam atque etiam rogo. Deus opt. max. generoſitatem T. Ill. quam diutiſſime patriæ & familiæ generoſiſſimæ ſalvam & incolumem conſervet. Perſcriptum Herolzbergæ anno a reparata ſalute 1601.

T. Generoſ.

obſervantiſſ.

Jacobus Geuder ab Herolzberg.

Demonſtratio, quod Turcæ in Hungaria vinci poſſint exiguo Germanorum auxilio adhibito.

PROPOSITIO ET DIVISIO TOTIUS LIBRI.

Cum demonſtrare conſtituerimus potentiam Turcicam, quæ toti fere terrarum orbi hactenus terrorem incuſſit, in Ungaria vinci poſſe, non dico a tota Chriſtianitate (in qua præter unionem & concordiam nihil deſideramus) ſed ab ea parte Hungariæ, quæ nondum ejus imperio ceſſit,
exiguo Germanorum auxilio adhibito; initio quidem neceſſarium videtur, modos & media aperire, I.
quibus ad tantam potentiam Turcæ pervenerunt, iis inveſtigatis facilius erit, viam quoque II.
& rationem inire, qua exſcindi rurſus atque convelli poſſint.

PARS PRIMA.

Conſideremus initio, *utrum prudentia & arte, an ſingulari quadam fortuna Turcarum imperium primum enatum & ad culmen tantæ Majeſtatis atque potentiæ evectum fuerit.* Hic inprimis conducet
hiſtoriarum cognitio. Eam paucis foliis ab initio hujus imperii ad noſtra usque tempora, 1.
non quidem omnia minutim perſequendo, ſed præcipuas tantum & inſigniores eorum actiones 2.
evolvendo, clare & dilucide tradam. Tunc de *viribus* ipſorum ſubjiciam. Quæ præcipue in obedientia rara & perfecta: in theſauris inexhauſtis: & exquiſita atque ſtricta diſciplina militari: atque ordine alias inconſueto a ſolis Turcis hactenus uſitato, conſiſtunt.

Non fortunæ ſed prudentia ductu Turcas ad tantam potentiam aſcendiſſ.

QVEMADMODVM nonnulli extiterunt, qui progreſſus, quos Romana quondam fecit reſpublica fortunæ ludibrio attribuere auſi ſunt, qui potiore jure prudentiæ ac virtuti debebantur; ſic quoque non defuerunt qui dixere, multos quidem fortunæ inclinatione in ſupremum dignitatis gradum, modis incognitis antea & extraordinariis collocatos, ſemper tamen ad eandem inclinationem virtutem comitem acceſſiſſe. Sic Alexandri Magni fortitudo & magnanimitas, ſic Cæſaris prædicatur celeritas & ingenii præſtantia. Iidem proſperis Turcarum ſucceſſibus, nulla facta mentione virtutis, primam & præcipuam gloriam rerum proſpere geſtarum ipſi fortunæ adſcribunt. Quod ſi qui in hac ſunt ſententia ex veræ Philoſophiæ præceptis didiciſſent, Fortunam non eſſe quandam cœleſtem ſubſtantiam, ut nonnulli fabulantur, ſed ſpontaneum quendam concurſum plurium cauſarum ad eundem effectum: non temere tot præclara facta caſibus fortuitis attribuiſſent, ſed diligentius inveſtigando comperiiſſent, plurima virtutis adminiculo geſta fuiſſe.

Fortunæ nonnulli adſcribunt, quod Romana reſpublica nunquam duobus bellis ſimul implicata fuit, ſed uno exorto alterum fuit ſopitum. At hoc ipſum ſoli Romanorum prudentiæ adtribuendum. Illi enim videri volebant non ambitione, vel regnorum acquirendorum deſiderio, ſed innocentiæ zelo, ad defendendos injuria oppreſſos, & juvandos ſocios qui ſub ipſorum protectione & patrocinio vivebant, bella a ſe geri. Vnde non erat difficile a bellis abſtinere, quæ juſtas etiam ob cauſas mota fuerant; maxime ubi hoſtium arma horrebant & prælio certare periculoſum rebantur. Huc accedit, quod Romana reſpublica poſtquam non mediocriter excreviſſet, & imperium ejus auctum eſſet, nec exigua apud alias gentes auctoritate polleret, vicinos ſibi fœdere & ſocietate devincirit, ejus fœderis prætextu non modo ſeditiones & rebelliones, quæ in vicinia indies oriri ſolebant, compeſcuit, verum etiam ſociorum auxilio in remotiores provincias arma extulit, & imperii terminos anguſtos latius prolatavit, belloque capta ſibi ſoli vendicavit. Quam fraudem nimis tarde ſocii deprehenderunt, cum in immenſum potentia Romanorum elata ei obſtare amplius nequiverunt. Quælibet igitur Provincia non ſatis potens, ut bello cum Romana republica decertaret, quieſcere maluit: interim dum proximiores expugnabantur, quorum armis Romanos victos vel debilitatos iri, reliqui ſperabant.

Præter hunc imperii accreſcendi modum Romani alium quoque peculiarem habuerunt, peregrinis ſcilicet & exteris jure civitatis Romanæ donatis, & in civium numerum adſcriptis qui maximis privilegiis gaudebant. Qua libertate plurimi allecti eo habitatum ſponte accurrebant, præter eos qui bello victi eodem migrare cogebantur. Hinc Vrbs mirum in modum civibus & militibus aucta: vicinæ vero Provinciæ incolarum copia denudatæ fuerunt. Factum itaque, ut ſub ipſis Regibus octoginta millia militum in aciem educere potuerint. E quibus poſtea conſcriptæ fuerunt coloniæ, quæ tanquam firmiſſima propugnacula hoſtium furori ad limites territorii opponebantur. Qui diligentius hæc Romanorum ſtratagemata perpenderit & obſervarit, exiguo vel nullo Fortunæ adminiculo opus habebit. Id Fabius ille Maximus teſtatur, jubens eum belli Imperatorem, qui prudentiam ducem ſequitur, parum de fortuna ſollicitum eſſe. Huc facit & illud, quod *quilibet ſuæ fortunæ faber* eſſe dicitur; & tritum illud: *ubi plus conſilii, ibi fortuna minus.*

Liv. l. 12. Saluſt. Ariſt. 1. pol. c. 2. & 2. Eth. c. 5.

Turcas igitur non mera fortuna, ſed potius prudentia ad tantam potentiam perveniſſe, & in hoc ipſo Romanos apprime imitatos: eorum exempla ſecutos eſſe ſtatuemus; idque in perluſtranda ipſorum hiſtoria clare docebimus.

Compendium Hiſtoriæ Turcicæ.

HISTORIAS præcipuas rerum quæ ab initio ſectæ Turcicæ evenerunt, paucis aliquot chartis proſequar; ſecutus autores graviſſimos, Zonaram, Nicephorum, Laonicum, Græcos, & Bonfinium qui Latine ſcripſit. Quorum ſcriptis merito fides adhibenda eſt, quod iisdem illi temporibus vel paulo poſt, quo omnia ea quæ narrant geſta ſunt, vixerint. Non improbo tamen Neotericos quoſdam ſcriptores, vel aliorum hominum, qui Conſtantinopoli officio Legatorum functi ſunt, relationes fidas & accuratas, idque maxime propter militiam & militarem diſciplinam.

Con. in Coſt. glad. Laoni l. 1. Bonfin. l. 8. Pio 2. Vug. c. 4. 600. Laon. l. 3.

NVM a Scythis vel Parthis primam ſuam ducant originem Turcæ, non expedit hic longius perſequi, neque quam vere a Sara Saraceni, vel ab Agar Agareni, vel denique Turci quaſi Teucri appellentur, quod prope Ilii & Troiæ regiones commorarint, longius perquirere juvat. *Mahometes* ſane regnante Heraclio imperatore (alii volunt ſub Mauritio Gregorio Papa Anno 597.) natus eſt in Arabia, patre nobili viro ethnico, matre vero Iſmaelita. Ingenio fuit perſpicaci præditus & crebriori Chriſtianorum converſatione uſus, legem Evangelicam aliqua ex parte didicit. Unde variis legibus ordine digeſtis novam ſectam introducere ſtatuit, ceſſitque ex animo propoſitum, ejus conſilia Spiritu maligno inprimis regnante & agitante. Principio ad perſuadendum uſus eſt eloquentia, qua pollebat, & vita auſtera, tranquilla & ſolis contemplationibus dedita; qua homines in admirationem ſui rapere, ſibique auctoritatem conciliare ſtuduit. Multorum animos, Principum inprimis, brevi tempore ſibi devinxit, & in tantum ejus excrevit audacia atque auctoritas, ut a populis iſtis paſſim pro Propheta habitus & cultus fuerit; qui pro ipſius defenſione, & religionis quam profitebatur aſſertione vitam profundere non dubitabant. Certamina & rixas, quæ religionis cauſa movebantur connivendo adprobavit, vel ſaltem quo minus excitarentur non palam obſtitit, donec undique motus bellici vehementius exarſerunt, eaque occaſione, quæ opportune ſeſe obtulit, arrepta, armis & vi aperta, quæ perſuaſionibus nequibat efficere conatus eſt. Doctrinæ

ipſius

ipſius caput præcipuum erat, ſecreta divinæ legis non humanis diſputationibus aſſerenda & per-
ſuadenda, ſed vi atque potentia introducenda & defendenda, ab illis, qui ad ejusmodi munus di-
gni & idonei habiti fuiſſent. Vbi quadrageſimo ætatis anno vitam cum morte commutavit, ſecta,
cujus ille author exſtitit, paſſim per Aſiæ Provincias prædicata & exculta, ab ejusque ſucceſſori-
bus iisdem armis & artibus, quibus ille innixus fuerat, plantata & amplificata fuit. Schiſmate
quoque inter ipſius aſſeclas exorto, nulla alia ratione, quam armis lis ea dirimi potuit. Non ſo-
lum vero juſtis exercitibus, ſed ſæpius excurſionibus & latrociniis Aſiam ita devaſtarunt, ut ipſo-
rum potentia plurimum inde aucta fuerit, ipſa ſubjugata Perſia, & multis Chriſtianorum pro-
vinciis, qui acriter ipſis reſiſtebant; Græcis Imperatoribus eorumque militibus antiquum fidei ca-
tholicæ cultum adhuc obſervantibus. Vbi poſtea mollities atque diſcordiæ in Græcia radices ege-
runt altiores, Turcæ amplificandi imperii occaſionem nacti, præter reliquas Aſiæ provincias,
quas ſibi ſubjecerunt, ad littus usque Conſtantinopolitanum arma promoverunt, permoti Con- *Zonar. l. 3.*
ſtantini Gladiatoris prodigalitate væcordia atque inertia, qui theſauris exhauſtis, pecunia inu- *in vita.*
tiliter conſumpta, tributa quoque liberis provinciis impoſuit, pro quorum ſolutione eas im-
munes reliquit ab alendis præſidiariis, qui Barbaros aditu Romanarum ditionum, ut antea, pro-
hiberent, & locorum anguſtias tuerentur; contentus vectigalibus quæ in horum vicem iisdem
imperaverat.

Hunc in modum Aſia Turcæ ſunt potiti, citiusque in Græciam pedem intuliſſent, niſi Chriſtia-
ni Principes maximis expeditionibus in Aſiam ſub auſpiciis Gottofredi Bullionei, furorem Saraceno-
rum retudiſſent & repreſſiſſent.

Sed in occiſorum locum alii, hydræ inſtar, ſurgebant majori numero. Igitur Conradus Oc- *Bonfin. l.*
cidentis Imperator, & paulo poſt Ludovicus Galliæ Rex, ut Chriſtianis in Aſia militantibus ſub- *15.* 1145.
ſidio venirent, maximis belli apparatibus undique factis, ipſi in eam expeditionem profecti, do- *vel* 1151.
lo & fraude Emanuelis Imperatoris Conſtantinopolitani circumventi, brevi tempore immenſam
militum copiam amiſerunt, ut re infecta reducere exercitum coacti fuerint. Nolebat enim
Emanuel Latinorum (ſic Græci vocant, quotquot Romanæ Eccleſiæ obediunt) Principum poten-
tiam in Aſia augeri, igitur malitioſis conſiliis & vanis conatibus ipſorum eluſit conſilia, & frumento
veneno infecto copiis ſubminiſtrato, vires ipſorum attrivit atque diminuit.

Animos igitur reſumſerunt Turcæ, Saladino duce, quem Sultanum vocabant, homine ſtre- 1182.
nuo fortiſſimoque qui tam diu bellum cum Hieroſolymæ regibus geſſit, donec eam provinciam 1103.
tandem in ſuam poteſtatem redegerit. Tunc novos in Græcia motus excitavit Balduinus, ut pri-
vatas quasdam injurias vindicaret: bello multis annis pertracto Conſtantinopolim Græcis eripuit, 1185.
quam usque ad Paleologum primum tenuit. Iis diſcordiis durantibus Turcæ ocium nacti, impe-
rium ſuum in Aſia confirmarunt & ſtabiliverunt, Græcis paucis quibusdam urbibus primariis re-
lictis, quarum vires ad reſiſtendum hoſti pariter qui Conſtantinopolim tenebat, & ſimul Barba-
ris minime ſufficiebant. Vbi denique tota Aſia atque Græcia Latini fuerunt expulſi, facilime
Turcæ, nemine prohibente, totius Orientis dominatum ad ſeſe rapuerunt. Palæologus ea re- *Niceph. l. 6.*
rum confuſione, & ob ſchiſma religionis cauſa excitatum, perturbatus, primariis ſuis non fide- *7. & 8.*
bat, quos propter ſiniſtras quasdam ſuſpiciones a ſe dimiſerat, eorum vice in bello exterorum
(quos maximis impenſis conduxerat) opera utens. Tandem maximas copias e fugitivis Scythis,
& plebeia multitudine collegit, eosque nullis ordinibus diſpoſitos hoſtibus objicere, & ad ma- *Niceph. l. 5.*
nus venire auſus eſt. Horum imperitia rerum bellicarum non latuit Turcas, ideoque ubi in pu-
gnam Imperator deſcendit, Turcæ nunc fugiendo, nunc reſiſtendo hoſtibus, tam diu ſeſe oppoſue-
runt donec inſtructas inſidias eos pertraxerunt, ubi maxima accepta clade Imperator ægre Conſtan-
tinopolim evaſit, omnemque de recuperando Aſiæ dominio ſpem amiſit; Saracenorum ingluviem,
atque avaritiam pecunia ſedavit, eorum (ut dicit Nicephorus) exemplo, qui ut luporum gratiam in- *Niceph. l. 8.*
eant, venas ſibi proprias incidunt, quo ſuo ſanguine ipſorum voracitati ſatisfaciant. Nova igitur
tributa per ditiones ſuas imperavit atque impoſuit, quibus ſubditorum animos protinus a ſe aliena-
vit, & ad ſeditiones ac rebellionem concitavit.

SALADINO mortuo civilibus diſcordiis laborarunt Turcæ, & imperium ad varios dominos 1190.
devolutum, ejus robur, atque potentia diviſa atque debilitata fuit; ſed non extante hoſte externo
qui ipſos urgeret arctius, facile vires ſuas recollegerunt; inprimis vero cum regni gubernacula ad
Ottomannum delata fuiſſent.

Ottomannus cujus memini, vir fuit bello ſtrenuiſſimus, & ingenio ſagaci præditus. Cui inpri-
mis curæ fuit, non modo diſcordias inter Principes ſerere, & jam ortas conſervare atque fovere:
verum etiam ſub amicitiæ ſpecie nunc huic nunc illi belli ſocium ſeſe adjungere, cunctorum do-
nec vires paulatim attriviſſet: ut brevi temporis ſpacio partem præcipuam eorum potentiæ ad ſe-
ſe pertraxerit. Tunc fraudium relictis ambagibus, vi aperta bellum gerere & ſectæ ſuæ principa-
tum aſſerere omni cura aggreſſus. Interim Andronicus Imperator, regni cauſa a nepote, cui & ipſi
Andronico nomen erat, bello laceſſitus, primus Turcas in ſui auxilium evocavit; ut eorum ope ne-
poti & Genuenſibus qui Phoceam tenebant, & Boſnenſibus reſiſtere valeret. Vado poſtea & tran-
ſitu cognito, & Europæ deliriis perceptis Turcæ in Thraciam excurrere, & pedem ibi figere cœpe-
runt; transmiſisque in Aſiam ſpoliis opimis & præda opulentiſſima, ſocios quoque ad fretum ſu-
perandum invitarunt.

1330. *Niceph. l. 9.* Ubi Andronicus nepos Imperium adeptus eſt, *Orcani*, qui Ottomanno ſucceſſit, bellum intulit, quo Niceam, metropolim Græcarum urbium quæ ſunt in Aſia, obſidione liberaret. Collectaque immenſa multitudine imperitorum hominum, iisque tumultuarie & ſine militari diſciplina diſpoſitis, in bellum duxit, vix duo millia veteranorum militum ſecum trahens. Hoſtium conſiliis atque conatibus intellectis; Orcanes cum octo millibus militum illis occurrit, eosque non pugnando ſed velitando aggreſſus eſt; modo timorem ſimulavit, modo defeſſos exceſſivo ſolis æſtu, & armorum pondere defatigatos, tanto impetu adortus eſt, ut exiguis copiis, quæ integræ & ſalvæ erant, eorum aciem ruperit atque fregerit. Tempore matutino ſæpius cum trecentis tantum equitibus Græcorum caſtra recognovit, ſtragem eorum maximam edidit, pleriſque fuga evadere conantibus, quod univerſum Turcarum exercitum ſibi inſtare putarent. Nicea fame coacta hoſtibus ſeſe dedit, quam paulo poſt Nicomedia ſecuta eſt. Andronicus omnem ſpem Imperii Aſiatici protinus amiſit, & quod ipſius theſauri pecunia exhauſti eſſent, conſtituit, nullam amplius claſſem in procinctu habere atque conſervare, ut ſumptibus parceret. Unde Turcæ ſibi jam undique mare patere intelligentes, triremes ædificare inſulas maximo Chriſtianorum detrimento percurrere atque devaſtare cœperunt. Cujus rei culpa ſolis Græcis imputanda, quemadmodum ipſorummet ſcriptores cum tædio commemorant. Totius Aſiæ dominium Orcanes cum acquiſiviſſet, ſtatum
Leunclav. l. 1. illius confirmare atque ſtabilire decrevit, priusquam in Europam moveret. Quod negotium non parum promovit Cantacuzenus, qui filium Imperatoris Andronici, cujus tutor fuerat, imperio defraudarat. Is Orcani amicitiam nuptiis filiæ ſuæ quam ei deſponſavit, redemit, quo melius rebus ſuis conſuleret, eosque in tutum ac tranquillum ſtatum collocaret. Adeo Chriſtiana Religio apud Græcos in contemptum venerat, ſola ambitione omnia regnante.

[illegible] Orcani ſucceſſit *Solymannus*. Qui jam antea ab his, qui Europam perluſtrarant ejusque amœnitatem omniumque rerum abundantiam ampliſſime prædicarant, inſtigatus & allectus, tum quod tranſitus, quem illi ſolerter depinxerant, facilis eſſet & periculo careret, in Thraciam excurrit, & in Cherſoneſo utplurimum ſubſtitit. Pactus cum Græcorum Imperatore fœdus mutuum, in ipſius auxilium contra Bulgaros in bellum profectus eſt; a quibus Turcæ cæſi, atque fugati fuerunt. Sed cum illi, victoriæ proſpero ſucceſſu elati, ſine ordine in campo diſperſi vagarentur, Solymannus id prævidens, maxima & conſueta celeritate collectis copiis, victores denuo aggreſſus eſt & in fugam conjecit. Victoriæ curſum proſequens Adrianopolim & Philippopolim eodem impetu cepit. Quarum urbium expugnatio firmiſſimum fundamentum rebus Turcicis præbuit ejus imperii terminos in Europam usque prolatandi; quod tamen morte præventus exequi non potuit, ſed rem inceptam fratri *Amurathi* perficiendam reliquit.

1350. Is primus ex Aſia ſedem Imperii Adrianopolim tranſtulit. In bello fulguris inſtar proceſſit; plus tamen benevolentia atque comitate quam vi aperta effeciſſe viſus eſt. Namque bello victis Principibus non graviores impoſuit pacis conditiones, quam ut aulam ſuam ſequerentur, & copias ſuas cum reliquo exercitu conjungerent. Hæ conditiones victis ſatis æquæ atque benignæ videbantur. Neque obſtinate ſeſe defendebant, imperiti artis & doli, quem Amurathes machinabatur; qui Principes Græcos Græcorum viribus & militibus ſubjugare, & proſternere moliebatur. Aulam brevi tempore Principum multitudine florentiſſimam & illuſtrem reddidit, ut omnibus formidabilis exiſteret. In Aſia crebri tumultus, frequentes ſeditiones fuerunt motæ, quas domuit, Europæis copiis inprimis adjutus, cognita rebellione quam filius in Europa excitarat, maxima celeritate illuc rediit ut rebelles opprimeret. Extrema hic Conſtantinopolitanorum Imperatorum væcordia atque timiditas apparet; qui tam ſplendidis rei bene gerendæ occaſionibus nihil moti Turcarum amicitiam ſectabantur, eamque caro precio comparabant, quin & proprios filios in aulam Turcicam in Imperatoris obſequium miſerunt. Amurathes triginta ſeptem præliis ipſe interfuit; in quibus ſemper victor evaſit.

1377. Ei ſucceſſit in regno *Bajazethes* filius aliud fulmen bellicum. Hic ubi Bulgaros, occiſo eorum Principe, domuit; alio efficaciſſimo remedio adcreſcendæ potentiæ uſus eſt; coloniis copioſiſſimis ad limites Imperii collocatis, prioribus & antiquis incolis e propriis ſedibus alio habitatum traductis. Unde tantam penes Græcos autoritatem ſibi conciliavit, ut ab ipſius nutu cuncti dependere viderentur. Regno privare ipſos Conſtantinopolitanos Imperatores, & in eorum locum alios ſubſtituere non eſt veritus. Namque Andronicum collocavit in regnum, quod tributum ſolvere ipſi pollicitus eſſet; & contra hunc ipſum fovit Emanuelem, quod majus hic tributum ſpopondiſſet, inque bello ipſius auſpicia ſequi promiſiſſet. Imperavit igitur Andronico, ut una cum filio aulam Turcicam frequentaret. Bellis quibusdam in Aſia confectis, maritimas expeditiones contra Græcos ſuſcepit, eumque juvabant ſtrenue ipſi Græci Principes; qui in aula Turcica hærebant, quo & reliqui qui Bajazethis Imperium hactenus detrectarant ſub jugum mitterentur, ipſi quoque ſponte, non coacti, parere viderentur. Ab altera parte non ceſſabant Chriſtiani qui in Græcia ſuperſtites erant, Turcarum potentiam aſtu & clandeſtinis machinationibus infringere; cauſſam eorum qui ob ſchiſma a reliquis ſeceſſionem fecerant nomine potius quam re juvare, & Chriſtianorum Principum, quos ſibi fidei nomine obligatos credebant, auxilium implorare, & eorum auſpiciis id tandem recuperare, quæ levitate ac timiditate amiſerant, omni cura atque ſoler-
1397. tia ſtuduerunt. Non latuerunt hæc artificia Bajazethem, qui ea in Conſtantinopolitanis primum
Leun. l. 4. caſtigare conſtituerat, niſi Tamerlanus bello ipſum prævenilſet, victumque in Aſiam deduxiſſet.

Quo vita functo Græcorum Principes ſine magno labore & difficultate, vicinorum auxiliis adjuti, omnem Turcarum poſteritatem Europa expellere potuiſſent; ſed *Amurathes* ſucceſſor, compoſi-

poſitis fraternis diſſidiis, ruinam Conſtantinopolitani imperii aſſidue animo volvit: plurimas urbes, 1450.
propter admiſſum perfidiæ crimen, graviſsime punivit: alias culpam ſuppliciter deprecantes, im- 1353.
menſis tributis pacem redimere coegit.

Succeſſit in imperio *Mahometes*, qui primos belli impetus contra Conſtantinopolitanos direxit. Quos reliqui Græci, mutuis diſcordiis flagrantes, ope & ſubſidio turpiter deſtituerunt, & patriam potius deſerere, vel hoſtium furori exponere, quam tributum licet graviſſimum ſolvere maluerunt. Quin & victi jam, hoſtibus ſæviendi cauſſam atque occaſionem præbuerunt, ob varias innovationes atque tumultus, quos indies excitarunt, pertæſi tam strictæ obedientiæ qua premebantur. Conſtantinopoli aufugerat præcipua Nobilitas, quam poſtea hinc inde per Græciam diſperſam Mahomethes delevit. In ejus vicem urbem ille maxima multitudine habitantium e diverſiſſimis gentibus collecta replevit; ut impoſſibile videretur in tanta hominum & nationum diverſitate mutuam & unanimem rebellionem excitari poſſe. Hac urbe capta, non ideo tamen diſcordiis finis impoſitus eſt Græcis præcipuis in Peloponneſo ſeu Morea congregatis, quos mutuis armis aliquamdiu ſe invicem conficere Mahemetes ſivit; ubi deinde occaſio & tempus viſum ei eſt commodum & opportunum, illos aggreſſus, Græciam univerſam cum Lesbo crudeliter & perfide ſibi ſubjecit. Reverſus Conſtantinopolim, frabricandis propugnaculis ad anguſtias Helleſponti operam dedit, ne per illos hoſtili claſſi aditus pateret. Jam enim tunc animo meditabatur, arma vel Venetis vel Hungaris inferre, quibus paulo poſt, devaſtata Boſnia, cauſſam belli ampliſſimam ipſe primus dedit.

HVNGARIÆ non minus quam Græciæ porta ſponte illi fuit aperta. Stephanus enim Wala- 1395. alii
chiæ Waivvoda, cum ſecunda vice a Sigismundo Ungariæ rege defeciſſet, primus auxilium Turci- 1397.
cum in provincias Ungariæ ſubditas aſcivit. Quod *Bajazethes* haud illubens ei miſit, ne tam optata Bonf. lib.
occaſio e manibus elaberetur; SIGISMVNDVS tamen victoria tunc potitus eſt, capta Nicopoli minori. 22.
Stephanus vero Bajazethem vehementius in bellum hoc inſtigavit, præmii loco filiam promittens in
marrimonium collocandam. Anno ſequenti Bulgariæ, quæ Ungariæ parebat, vaſtatio ſecuta eſt. 1396.
Qua motus & ipſe Sigismundus cum aliis Chriſtianis Principibus expeditionem contra Nicopolim majorem ſuſcepit. Ubi ad pugnam fuit perventum res infeliciter ceſſit; Gallorum inprimis culpa, qui ante tempus impetum in hoſtem fecerant, quem cum Turcæ viriliter ſuſtinuiſſent, langueſcente Gallorum fervore, illisque perterritis, in fugam fuerunt conjecti, unde & reliqui timidiores facti ordines deſeruerunt, & hoſtibus egregiam victoriam reliquerunt. Ab armis tunc ad aliquot
annos ab utraque parte ceſſatum fuit, donec Sigismundus Romanorum Imperator & Bohemiæ Rex Bonf. l. 23.
electus fuit; novisque ac pene innumeris occupationibus alibi impeditus, ſegnius Ungariæ res cu-
rare cœpit. Quod perſpiciens Hermojanus Boſniæ Princeps, homo inquietus, & rerum novarum 1415.
cupidus, a Sigismundo defecit, auxilioque Turcico in Boſniam evocato Hungaros ſingulari ſtrata-
gemate fudit. In Walachia quoque novis excitatis tumultibus, exercitus Sigismundi Turcarum 1416.
auxilio victus & cæſus fuit. Sed non inulte tot damna Imperator ab hoſtibus accepit, cum quibus vigeſies proſpere manus conſeruit, & auſpiciis Pipi Florentini belli ducis primarii, toties victoriam reportavit.

Sigismundo ſucceſsit ALBERTVS AVSTRIACVS, cui ſeditiones Bohemorum plurimum nego-
cii atque moleſtiæ creaverunt. Eam occaſionem Turca minime negligens Serviam invaſit, Sinde- 1437.
roviam priusquam Albertus obſeſſis veniret auxilio expugnavit. Hujus exercitus cum ob nimium æſtus fervorem debilitatus, & variis morbis vexatus eſſet, pars ejus maxima miſere periit, præcipui duces diſſentientes invicem, & ipſe Albertus graviter ægrotans copias re infecta reduxit.

Paulo poſt mortem Imperator obiit gravida relicta conjuge; quæ eodem tempore, quo in
Ungariæ regem VLADISLAVS fuit electus, filium enixa eſt Ladislaum; qui ab iis qui Vladislai ele- 1439.
ctionem minime probabant, Rex fuit coronatus. Unde civiles diſcordiæ exortæ, quæ per integros 1440.
viginti octo annos Ungariæ regnum varie & graviſsime afflixerunt. Ungariæ rebus hunc in modum comparatis, *Amurathes* totam ſibi Serviam ſubjecit, & Albam usque Græcam cum exercitu ex-
currit. Per ſeptem menſes iis in locis commoratus, ad viginti quinque millia hominum amiſit. Bonf. l. 24.
Alacrior atque audacior factus Hungarorum ſeditionibus, non ſolum Temesvariam, ſed ad Dravum uſque & Savum fluvios, omnia devaſtando progreſſus eſt. Adeo Ungarorum animi mutuis odiis exacerbati erant, ut maluerint Turcarum armis ſupprimi, quam mutuas & privatas injurias patriæ condonare. Exſtitit tandem fortisſimus Ungariæ defenſor Corvinus ille, qui e Tranſylvanis ac Walachis milite conſcripto biennii ſpatio octies cum Turcis proſpere conflixit, pugnasque commiſit acer-
rimas. Inter quas illa fuit celeberrima, qua quindecim ſolummodo militum millibus ſtipatus cum octo- Bonf. l. 26.
ginta millibus hoſtium juſta acie dimicare auſus eſt, eorumque partem præſtantisſimam proſtravit. 1443.
Tandem ubi regni quietem & pacem Uladislaus confirmavit, inſtructisſimum exercitum licet ſero anni tempore, in hoſtem duxit, & ad montem uſque Hemum progreſſus, tranſitus ei a Turcis fuit obſtructus, accedente locorum difficultate & glacie atque frigore: coactus igitur præda onuſtum exercitum reducere, cujus agmen noviſſimum a Turcis nonnunquam infeſtatum fuit. Haud minores in annum ſequentem fecit belli apparatus: ſed ejus conatus fraude Amurathis, qui in Aſiam neceſſario proficiſci cogebatur, interrupti & impediti fuerunt. Nam Serviæ Deſpotæ ſeu Principi Corvini corrumpendi negocium dedit, promiſſa regni & filiorum reſtitutione, ſi pacis autor exiſteret; quæ ſancita quidem, ſed diu rata non fuit habita. Subito enim ubi de Amurathis in Aſiam tranſitu rumor increbuit, & reditum ei a claſſe Italica impeditum certo affirmatum fuit, Uladislaus cum exercitu (qui durante pacis tractatione diminutus & ad viginti quinque millia hominum redactus fuerat) inſtante hyeme ad Hemum uſque Thraciæ montem proceſsit: ibique de Amurathis reditu in Europam certior fuit factus.

Cui

Cui cedere inhoneſtum & parum commodum exiſtimabat; in aciem ideoque deſcendere maluit, coactus frigore & rerum ad victum neceſſariarum inopia; ſed loci ubi pugna committebatur incommoditate factum, ut Rex ſuis ſuccurrere cupiens in acie cum multis aliis occubuerit. Græci tamen
1444. aliter hæc referunt, ambo nimirum Turcarum cornua ab Hungaris in fugam conjecta atque profligata fuiſſe; cumque hi fugientibus inſtarent vehementius & juſto longius hoſtes proſequerentur, Rex cum caterva ſuorum ſolus derelictus, & Amurathi, qui ſtipatus erat ſuorum præſtantiſſimis, objectus, moræ impatiens, donec reliqui ex perſecutione redirent, in Amurathem, qui in commodo loco ſubſtiterat, impetum feciſſe, ubi morte ſua ſplendidiſſima victoria Hungariam ſpoliavit. Ferunt Amurathem perculſum timore inſtantis prælii aufugere voluiſſe niſi a ſuis vi quadam retentus fuiſſet: & votum ſolenne, imperio ſeſe abdicare & vitam ſolitariam agere, voviſſe: plus victum quam victorem ſeſe ob cruentum hoc prælium agnoſcens. Tertia denique die caſtra Ungarorum aggredi auſus eſt, veritus ne quædam ibi laterent inſidiæ: & tantus ipſius timor extitit, ut quadriennio proximo Ungariam intactam reliquerit. Quod ſi Corvinus, intellecta morte Regis, caſtra repetiiſſet, incertam ſine dubio & ancipitem victoriam Turcis reddidiſſet; ſed ille regnum repetere maluit, ut præcaveret tumultus, qui exoriri poterant. Sic Amurathes, propter inſignem ſtragem ſuorum, cruenta ſane victoria potitus, ſuperior quidem hoſtibus ſuis extitiſſe, ſed victor evaſiſſe, dici revera non poteſt.

Corvinus LADISLAI tutor & regni gubernator conſtitutus, ut priorem cladem ulciſceretur
1448. viginti duo millia militum collegit, pactoque cum Deſpota & Schanderbego, ut ſecum vires conjungerent, ille non modo promiſſis non ſtetit, ſed Albanos quoque ſeu Epirotas perfide impedivit, quo minus officio fungerentur, omnia conſilia atque conatus Chriſtianorum Turcis aperuit, qui cognitis quibus Corvinus urgeretur neceſſitatibus, ut Albanorum adventum prævenirent, crebris excurſionibus & invaſionibus ad pugnam condeſcendere ipſum coegerunt antequam auxiliares copiæ advenirent. Per triduum duravit prælium, ſolis noctibus certamen interrumpentibus; tertia denique nocte Corvinus Hungaros in proximas ſylvas ſe recipere & fuga ſaluti conſulere juſſit, quod de victoria plane deſperaret, ſiquidem ſemper recentes milites Turca tot præliis defatigatis & fractis Chriſtianis opponeret, & Hungari læſos & vulneratos vix curare poſſent. Perierunt octo millia Hungarorum, occiſis triginta quatuor millibus Turcarum. Iterum igitur ſuperior Chriſtianis Amurathes, non autem victor extitit. *Mahomethes*, poſt Conſtantinopolim occupatam, non fuit exceptus benignius nec tractatus mitius, Belgradum diu obſederat, arctiſſime oppugnarat, foſſas materia impleverat, oppugnationes viginti quatuor horis ſine intermiſſione continuarat, muro ipſo ſupe-
Bonf. l. 28. rato, plurimiſque e Turcarum exercitu urbem jam ingreſſis, Corvinus e propugnaculo erumpens
1456. tanta vehementia tantoque furore occurrit, ut pleriſque fere obtruncatis, reliquos in propria uſque tentoria rejecerit, occiſis viginti millibus hominum, impedimentis ablatis. Tam ſtrenuo tamque egregio belli facinore edito, Corvinus morbo correptus vitam cum morte commutavit, decies feliciter explicatis ſignis ſtatarias commiſit pugnas, quatuordecim tumultuarias, bis tantum propter militum paucitatem hoſte evaſit inferior, qui tamen ſe viciſſe gloriari nequibat.

1458. Hoc igitur defuncto & brevi poſt Ladiſlao mortuo, in regno ſucceſſit MATTHIAS, qui ubi Boſniæ Principem, a Mahomete in aulam vocatum & nefarie contra datam fidem quo ejus ditione
1463. potiretur excoriatum fuiſſe comperit, potentiſſimo exercitu eam provinciam invaſit, partem ejus re-
Bonf. l. 30. cuperavit, Jaizzam locum fortiſſimum recepit; quem etſi Mahometes denuo arctiſſima obſidione cinxiſſet, eam tamen ſola fama de Matthiæ adventu percepta, ſolvit, & trepide inde in tutum ſe re-
lib. 31. cepit. Anno ſequente Matthias ſubſidium pecuniarium ex Italia accepit, partem Raſciæ occupavit,
lib. 32. & majores progreſſus facturus videbatur, niſi Principum Chriſtianorum diſcordiæ interveniſſent, quæ
1471. plerumque Turcis conſuetam vincendi portam aperire ſolent. Primum in Tranſſylvania & Wala-
1473. chia tumultuatum fuit; inde propter religionis certamina in Bohemia motus fuerunt excitati; quos excepit bellum Polonicum ob Regis Bohemici electionem exortum; & tandem bellum illud in Au-
1476. ſtria geſtum, quod ad ultimum uſque vitæ terminum ipſum diſtinuit. In illud tanta vehementia
lib. 34. Ungari incubuerunt, ut Turcis non aliter quam defenſive reſtiterint: ſubſidium pecuniarium, quod ex Italia ſubminiſtrari ad bellum Turcicum conſueverat, Matthiæ fuit denegatum, ne Ungaris belli nervus contra Auſtriacos ſuppeditaretur: Ungari irritati præſidia quæ Dalmatiæ limites defendebant evocarunt. Unde Turci liberum aditum nacti in Forum Julii prædabundi excurrerunt, ſæpius iteratis impreſſionibus prædas fecerunt ampliſſimas. Veneti bellis Italicis preſſi, nulla ratione cum
1478. lib. 35. Ungaris rem componere voluerunt, ſed pacem cum Turca, quam toties ante reſpuerant requiſiti,
lib. 31. tunc ultro maximo ſuo incommodo & diſpendio inierunt. Mahometes interim non negligebat oc-
1466. caſiones tam exoptatas, cum videret Ungaros, (tot cladibus Turcis terra marique in Europa atque
lib. 32. Aſia oppreſſis) terminos imperii non ſtuduiſſe prolatare, ſed alibi tempus triviſſe, concluſit, in ipſam
1468. Ungariam prorumpere & aditum ſibi in eam parare. Maxima celeritate propugnaculum Sabaz ad Savum fluvium ædificavit. Hoc quanto cum detrimento & præjudicio Hungariæ fieret, ubi Mat-
1469. thias cognovit, ſine mora cum Bohemis atque Polonis pacem ſanxit, collectiſque copiis non modo Sabaz expugnavit, ſed totam Bulgariam domuit, unica Sinderovia excepta, quam arctiſſima obſidio-
1475. ne cinctam dereliquit; majori cum exercitu reverti, & glaciei adminiculo eam ſuperare cogitans. Sed fama de pulchritudine ac præſtanti forma ſponſæ Beatricis, quæ ex Italia ei adducebatur, ſparſa,
lib. 34. adeo eum perculſit, ejuſque animum, invictum alias, emollivit, ut bellicis apparatibus ſepoſitis, ad nuptiales pompas omnes ſuas cogitationes & curas applicarit, ad quas omnes regni Proceres atque nobiles convocarat. Sed nihilo ſegnius res ſuas curabat Turca, nec fruſtra elabi tempus paſſus eſt.

in

In Dalmatiam primum irrupit, eamque vacuam nobilitate devaſtavit; inde ſubito converſo curſu, Sinderaviam petiit, & glaciei ope propugnacula quibus illa vallata undique premebantur, deſtruxit, urbem gravi obſidione liberavit, inde in Tranſſylvaniam atque Walachiam delatus, ferro flammaque omnia populatus, maxima collecta præda ad quadraginta millia animarum abduxit. Quod graviſſime Ungaros afflixit, qui non amplius offendendo bellum gerere deliberabant. Interim dum 1474.
Matthias Rex in pacis tractatione cum Bohemis ineunda, magnificis conviviis & ludis campeſtribus Bonf. l.35.
in ſponſæ deductione habitis, tempus fruſtra tereret, Turca motus ſiccitate atque ariditate temporis, Savum atque Dravum ſuperat, & in Styriam usque crudeliſſimas incurſiones tentat; ſed temeritatis tantæ haud indignas ab Hungaris luit pœnas. Univerſa quoque Dalmatia recuperari potuiſſet, ſi eodem ſtudio atque diligentia in Turcicum, ut in Auſtriacum bellum incubuiſſent. In Tranſſylvaniam cum ſexaginta millibus militum Turcæ deſcenderunt; quorum pars major induſtria at- lib. 36.
que fortitudine Stephani Battorii Waivvodæ periit. Mahomete extincto, omnes Ungarici regni 1480. 1481.
provincias Matthias recuperare potuiſſet (ipſo *Bajazethe* teſte) quod fratres Turcæ de Imperii ſuc- Bonf. l.40.
ceſſione inter ſe litigarent, & præcipui Macedoniæ Nobiles ab iis ſeceſſionem feciſſent; ſed ad alia 1482.
cogitationes & conſilia ſua ille direxit, rebusque aliis intentus VValachiam Bajazethi in prædam reliquit, alio converſis armis & milite, qui ad defenſionem hujus provinciæ conſcriptus fuerat. Sæpius 1486.
de pace ipſum Mahometes requiſivit, quam cum minus ſecuram & tutam fore judicabat, veritus Laon. l.4I.
ne ſub pacis tractatione majores inſidiæ ſtruerentur, & bellum acrius conflaretur, eam inire recuſa- 1490.
vit, reſpondens: Ungariæ Regi non eſſe licitum, vel pacem vel inducias cum Turcis paciſci, ſe rebus ſuis ad limites regni proſpecturum, prout eos animatos vel inſtructos noverit. Neque in poſterum legatos in ſuum conſpectum venire paſſus eſt.

Matthia vita functo, modus procedendi contra Turcas totus fuit immutatus, pax precibus ſuis exorata, quam toties ille reſpuerat. Tantum efficere queunt diſcordiæ atque diſſidia. Namque VLADISLAO (poſthabitis competitoribus Maximiliano Auſtriaco, Alberto fratre Vladiſlai, & Corvi- Bonf. l.42.
no naturali Matthiæ filio, quorum quilibet plurimos in regno habebat aſſeclas) in Regem electo, mi- 1491.
ſeræ illæ provinciæ graviſſime fuerunt afflictæ. Turca eas biennio integro impune devaſtavit, nec 1492.
Croatiæ pepercit; Ladiſlaus pacem a Bajazethe petiit, & aliquandiu ejus legati ſine reſponſo retenti fuerunt, tandem pacem ſeſe initurum negavit, niſi liber ei in Croatiam & Walachiam tranſitus concedatur. Quo intellecto pacem cum vicinis Ladiſlaus ſtabilivit, & conſcripto ſexaginta millium militum 1493.
exercitu, in Bulgariam hoſti obviam profectus, qui ad obſidendam Albam Græcam tendebat; ſed de Regis adventu certior factus, mutato conſilio Conſtantinopolim repetiit, relictis triginta millium equitum ad limites regionis, & miſſis legatis, qui cum Rege de induciis agerent; quo & tempore & occaſionibus rei gerendæ eum fruſtraret. Ea tractatione durante, Walachiam & Albaniam, tum etiam Tranſſylvaniam devaſtando, maximis tamen damnis a Siculis acceptis, percurrit. Poſtea evocatus a Croatis quibusdam proceribus, Carniam atque Carinthiam invaſit; & paſſim tanta cru- 1494.
delitate in incolas ſæviit, ut relictis patriis ſedibus in regiones quæ ad Savum & Dravum ſitæ ſunt, ha- Bonf. l.44.
bitatum migrare deliberarint. Inde Savo ſuperato Petroviam usque progreſſi ſunt Turcæ; acciti, ut credebatur, ab Ungaris quibusdam proceribus, quibus cum Rege non adeo recte conveniebat. Verum Vladiſlaus anno ſequente par pari retulit. Namque Bulgariam ad centum fere milliaria devaſtavit, prædamque tulit opimam. Qua cum exercitus onuſtus eſſet, ulterius progredi periculo- Bonf. l.45.
ſum ratus, pedem retulit; cum Conſtantinopolim usque faciliime penetrare quiviſſet, ubi jam tumultus atque ſeditiones gliſcebant, propter Imperatoris abſentiam, qui in Aſia maximas aliquot clades a Perſis acceperat. Rectius igitur ut rebus ſuis conſuleret pacem ab Uladiſlao petiit, & tandem Sambucus.
obtinuit; ortis ſeditionibus nonnullis in Ungaria quæ Regem aliquandiu occupatum tenuerunt. 1514.
Ubi *Selimus* regnum auſpicatus eſt, Ungarorum vires inertia & diſcordiis attenuatas, nec tanta ſucceſſuum proſperitate eos in bello ut quondam procedere comperit. Initio regni Sabaz & Tonninum aggreſſus eſt, totam Croatiam ſibi ſubjicere parans; cum vero Uladiſlaus maximos belli apparatus inſtrueret, pacem Selimus propter clades Turcis in Aſia illatas petiit; eamque obtinuit, quod plebs Ungarica diuturna pace corrupta contra nobiles arma corripuiſſet, vitio illis vertens, quod poſthabito bono publico univerſorum, ſui commodi cauſa bella foverent. Quod manifeſtum erat indicium proximæ ruinæ, quia hoſti quaſi liberum relinquerent, pacem petere & quoties vellet obtinere.

Poſt Uladiſlaum regno potitus eſt LVDOVICVS decem annorum puer. Cujus tutela & regni 1516.
gubernatio parum fideliter a tutoribus adminiſtrata fuit; unde Rex negligenter educatus, & inteſtinis diſſidiis regnum laboravit. Secutus eſt Majeſtatis regiæ contemptus; nonnulli de corona occupanda clandeſtina inire conſilia auſi fuerunt; & militiæ ſtudium protinus fuit neglectum, pace iis regionibus a Selimo conceſſa, ſiquidem in Aſia, quod ageret, abunde haberet. Sed ad regnum ubi pervenit *Solimannus*, qui gloriæ rerum a patre in Aſia geſtarum invidebat, haud minus lætos belli ſucceſſus in Europa ſibi pollicitus, Belgradum initio occupare, Ungarosque otio ſopitos expergefa- 1521.
cere atque excitare conſtituit. Dum illi atque alii Principes Chriſtiani conſiliis habendis, & celebrandis comitiis atque dietis operam dant, Solimannus cum ducentis millibus hominum in Croatiam atque Tranſſylvaniam irrumpit, & alteris totidem propugnaculum totius Ungariæ expugnat. Inde ruinam tanti regni præmeditans, & neceſſarios ad bellum adparatus faciens, Ungarica nobilitate diſcordiis atque rebellionibus attrita, tandem verſus Albam Græcam, cum trecentis millibus militum movit, eamque trecentis machinis oppugnavit. Ludovicus etſi exigua apud ſuos autoritate 1526.
valeret, ad conſueta tamen remedia tantorum malorum, & ad externa & peregrina auxilia recurrit.

In comitiis regni ſuis proceribus & militibus locum aſſignavit, quo convenire deberent ad reſiſtendum hoſtibus, ne Savum tranſirent, donec reliqua auxilia adventarent. Ipſe ut tempore conſtituto Toluam attigit, neque Tranſſylvaniæ neque Croatiæ neque Bohemiæ copias auxiliarias reperit. Et qui comparuerant Nobiles ulterius progredi contra hoſtem recuſant, rege reliquos operiunte, ſua adducentes & allegantes privilegia quod non niſi regem comitandi cauſſa in bellum proficiſci tenerentur. Interim certo affirmatur Savum Solimannum ſuperaſſe. Quo intellecto Ludovicus hoſti ad Dravum cum viginti quinque militum, quos ſecum habebat, occurrere ſtatuit. Ubi ad oppidum Mohaz pervenit nunciatur ei, Solimannum Dravum quoque ſuperaſſe, & duobus tantum milliaribus ipſius caſtra inde diſtare. Rex attonitus nec retrocedere ſine manifeſto periculo, neque ad manus venire ſine gravi temeritatis nota ſibi licere videns: tandem neſcio quo ſuo fato eorum aſſenſit ſententiæ, qui prælium committendum ſvaſerunt, quod totum exercitum promptiſſimum & alacrem ad prælium cerneret, & in hoſtium exercitu ultra ſeptuaginta millia militum non reperiri compertum haberet, reliqua vero multitudo ad certamen inutilis eſſet. Ungari primum in aciem progreſſi ſunt, ſed Turcæ ante tertiam horam pomeridianam caſtris non ſunt egreſſi. Qua mora Ungari pertæſi, & impatientes redditi, primam hoſtium turmam quæ comparuit citra neceſſitatem adorti ſunt, eaque ſubito in fugam conjecta, & victoriam & triumphum clamarunt, fugientes diutiſſime inſequendo. Ad primum hujus pugnæ ſucceſſum Rex quoque cum ſuo comitatu in hoſtem movit; ad anguſtum quendam vallis aditum undiquaque paludibus cinctum pertractus, maxima tempeſtate machinarum bellicarum & recentibus hoſtium copiis fuit exceptus. Metum atque pavorem auxere ſtrepitus bombardarum & fumus crebris machinarum ictibus excitatus; unde Ungaris plus damni, quam a globulis ignitis fuit illatum. Eorum acies confuſa & ad fugam inclinans retrocedere nequibat propter ſociorum qui ſequebantur multitudinem. Coacti igitur ad latus ſe convertere, & in paludes proximas ſe præcipitare; ubi miſere perierunt, vel ab hoſte interempti fuerunt, Rege ipſo in fuga extincto. Nec ultra horam unam & mediam clades illa duravit. Solimannus longius hoſtem inſequi noluit, veritus ne in inſidias incideret, unde nonnulli noctis beneficio periculum evaſerunt. Hoſtis tam inſigni victoria potitus, hinc inde citra ullum impedimentum excurrendi & prædandi liberam commoditatem nactus, ad utramque Danubii ripam & regionem contiguam ſævijt, ut ducenta millia hominum in Ungaria ea vice deſiderata fuiſſe nonnulli affirment. Nec curæ ipſi fuit propugnacula & loca munita in ſuam poteſtatem redigere: ſed revocatus in Aſiam, propter tumultus quosdam recens ibi natos, Ungariam peſſime conſtitutam dereliquit.

Joannes Zapolita Tranſſylvaniæ Waivvoda apud pleroſque ſuſpicionem incurrit ſtudio ipſius copias ante prælium domi retentas fuiſſe. Nam ſubito ubi regis mortem inaudivit, cum exercitu
1526. comparuit, & in regem a quibuſdam fuit electus. Eum tamen FERDINANDUS Auſtriacus, qui
1527. a potiori parte nobilitatis & ob graviores rationes Rex fuerat creatus, vi cedere coegit. Unde Joannes implorato Turcarum auxilio patriam Solimanno nefarie prodidit. Ubi lacerum ac pene convulſum Ungariæ regnum Ferdinandus adeptus eſt, etſi alibi ſatis haberet quod ageret, ob motas in Bohemia & Germania religionis cauſſa diſcordias, Carolo V. aliis bellis impedito, non deſtitit tamen omnibus ſuis viribus contra tam potentem hoſtem illud defendere. Bellum Ungaricum Solimannus diligentius fovebat; quod Johannes, ſi regno Ungarico potiretur, tributum illi ſolvere annuum pollicitus eſſet; qui nec propriis viribus & copiis ad expugnationes locorum, & reliqua belli munia juvanda præſto eſſe detrectabat. Plurimi præ timore ultro deditionem fecerunt: alii commiſſa ſibi propugnacula vacua defenſoribus deſeruerunt. Subito Solimannus nemine id verente,
1529. Viennam uſque cum trecentis millibus militum excurrit; in qua tamen expeditione florem militiæ ſuæ præcipuum amiſit; elapſis viginti duobus diebus, iterum fugientis inſtar diſceſſit, cum præſidium Germanorum adventare intellexiſſet. Nec minus turpiter anno ſequenti ex Ungaria, cujus limites cum quingentis millibus hominum infeſtaverat, aufugit; ubi primum Caroli V. Imperatoris diſceſſum Auguſtam intellexit: & tantum maturavit abitum, ut ne adventum quidem centum quinquaginta militum, quos verſus Aurelianum ſeu Linzium deprædatum emiſerat, expectarit, majora quoque damna ejus exercitui illata fuiſſent, niſi expreſſo mandato copiis iis Chriſtianorum, quæ circa Viennam in excubiis erant, injunctum fuiſſet, ne ante Imperatoris adventum quicquam tentarent. Joannes Rex homagio adſtrictus domui Ottomannicæ, Budam defendendam a Solimanno acceperat, additis tamen cuſtodibus, ſine quorum conſenſu nihil quicquam tentare audebat. Inde ſentiens fraudem, qua Turca citra ſuorum periculum Ungariam acquirere machinabatur, cum Ferdinando pacem iniit; ea conditione, ut regno quam diu viveret frueretur, poſt ejus obitum Ferdinando illud cederet, conceſſa tum filio, ſi quem ſuperſtitem relicturus eſſet, Tranſſylvania & regio-
1538. ne ultra Tibiſcum ſita. Moriens Joannes filio recens nato, cui Joannis quoque nomen inditum
1540. erat, tutores reliquit matrem Iſabellam, & fratrem Georgium; qui moti ſingulari quadam ambitione, ne adminiſtratione tanti regni privarentur, pactis conventis ſatisfacere recuſarunt, & quo commodius Ferdinando reſiſterent Turcarum implorarunt auxilium. Ii primo ſtatim impetu inſulam prope Budam ceperunt, haud ſincere noſtro exercitu eam defendente; qui paulo poſt a Solimanno, qui maximas adduxerat copias, ſtragem atque cladem immenſam accepit, amiſſis impedimen-
1541. tis omnibus & Peſto oppido hoſti in prædam derelicto. Solimannus puerum illum Joannem ad
Hortenſius in bello Tranſſyl. ſe duci, ejuſque matrem in deſtinatam Tranſſylvaniæ & regionis ultra Teiſſam ſeu Tibiſcum ſitæ adminiſtrationem proficiſci juſſit: Budæ vero Turcicum præſidium impoſuit. Ferdinandus per legatos de pace cum ipſo agere nitebatur, ſed ille ſucceſſu tam proſpero elatus conditiones haſce propoſuit: ut Ungaria excedat, & Auſtriæ nomine tributum ſolvat, ſin minus pacem ſe nunquam

initu-

initurum. Nec multo poſt cum alibi Ferdinandum occupatum ſciret, cum ducentis viginti millibus militum reverſus Strigonium obſedit, & poſt multas oppugnationes deditione, non citra proditio- 1542.
nis ſuſpicionem, eam cepit. Inde verſus Albam regalem converſus non tam vi quam ope denſæ nebulæ eam adeptus eſt. Ubi tandem Ferdinandum cum quadraginta millibus Poſſoniam veniſſe, & recta contra illum tendere intellexit. Cujus adventum cum expectare nollet, dimiſſis copiis Conſtantinopolim repetiit. Ferdinandus ulterius cum exercitu profecturus a Bohemis fuit impeditus, qui tranſire Danubium negabant, inclementem cœli temperiem cauſantes; potior tamen cauſſa fuit, quod voti compotes facti fuiſſent, hoſte impedito ne ultra Danubium exercitum promoveret. Pax tandem inter Ferdinandum & Solimannum concluſa, a Georgio Joannis Regis fratre homine inquieto turbata fuit. Ille enim abſolutum Transſylvaniæ dominium ſibi poſcens, Iſabellam indigne tractabat. Quæ cum Turcarum auxilium imploraſſet, ille ad Ferdinandum recurrit, qui octo millibus militum duce Caſtaldo in præſidium ei miſit. Sed vidua artibus potius quam vi placata, 1551.
regionis iſtius dominium retinuit. Ad quam recuperandam Turca exercitum miſit copioſiſſimum & Lippam atque Temesvariam occupavit. Utraque tamen paulo poſt a ſeptuaginta millibus Transſylvanis ei fuit erepta. Moti fuerunt anno ſequenti novi in Germania tumultus; ob quos per- 1552.
exigua in Hungariam miſſa fuerunt præſidia, & eadem a ducibus male fuerunt conducta. Aldano qui Lippam defendebat, male ceſſit Segedini occupatio, quam cum urgeret obſtinatius, ejus milites qui deprædationi inhiabant, maxima clade a Turcis fuerunt affecti. Cumque Lippam arctius & diligentius quam Temeſuariam tueretur, hæ illi primum erepta fuit, illam ſponte nondum hoſte conſpecto turpiter deſeruit. Non multum poſt, Solmias propugnaculum in monte eminenti ſitum Turcarum ceſſit poteſtati. Locus hic commodus & opportunus ad Lippam recuperandam fuiſſet, quod exiguo intervallo ad ictum bombardæ inde diſtet. Secuta eſt clades ſex millium militum, qui ſub Deufelio & Palavicino militantes cæſi fugatique fuerunt, quod parte exercitus hoſtilis fugata, nimis attenti ad prædam fuiſſent. Cum itaque nullibi quiſquam compareret, qui partes Ferdinandi defenderet & hoſti ſe opponeret, Turcæ Solnock, unde præſidiarii aufugerant, occuparunt, & Agriam tentarunt fruſtra, inde depulſi ditionem omnem ferro flammaque devaſtarunt.

Tot cladibus acceptis Transſylvani de Ferdinandi patrocinio atque defenſione a vi hoſtili deſperarunt; Turca quoſdam qui contrariæ factioni erant addicti fovebat. Idem faciebat Rex Poloniæ. Solimannus preces Iſabellæ libenter admittebat, quæ ſe deceptam querebatur, quod promiſſa non fuiſſent ſervata. Subditi tot malis, quæ tam ab amico quam hoſtili exercitu perpeſſi fuerant, maxime fuerunt irritati. Itaque ut primus Coſtaldus ex provincia diſceſſit, infans *Joannes* in eam fuit reſtitutus, Turcarum inprimis auxilio. A quorum devotione cum tota ea ditio, una cum Mol- 1553.
davia & Walachia dependeret, majores progreſſus contra Ungariam ſuſcipere ſtatuerunt. Quorum nonnulli lætos habuerunt exitus, ſiquidem Sigetum atque Julam regni totius claves præcipuas, occuparunt: illam vi cum maxima ſuorum ſtrage, hanc per proditionem ut ſuſpicamur, quod dux 1566.
præcipuus qui illam defendebat, Battoriis, qui a Joannis partibus ſtabant cognatione junctus eſſet. *Sambucus.*
Ex hac Battoreorum familia plurimis duces præſtantiſſimi belloque ſtrenuiſſimi, & magnanimi heroes extiterunt. Primam gentis ſuæ originem e regia trahentes, in regni diſſenſionibus plerumque iis aſtiterunt, qui nobilium defenderunt partes: in hoc bello Auſtriacorum auſpicia ſecuti ſunt. Sed neſcio qua ratione ſceleratorum quorundam opera poſt Ferdinandi mortem ab eodem alieniores fuerunt facti. Culpa imputatur gubernatori qui Zatmariæ præfuit; quod ob rebellionem Trans- 1564.
ſylvania exulans, hujus loci cura ipſi a Ferdinando commiſſa fuiſſet, id Transſylvani in ſui contemptum factum interpretabantur: ipſe vero Zatmariæ præfectus quaſdam propter juriſdictionem Somlii, quæ ad Stephanum Battorium ſpectabat, rixas excitavit. Jus quoque Battorei ſuper Zatmariam prætendebant. Unde primum differentia nata; qua aucta poſtea cum Joanne defuncto, *Stephanus* in Transſylvaniæ principatum ſucceſſit, & brevi poſt Poloniæ regnum adeptus eſt. Nec ſub ejus fratre Chriſtophoro extincta. Ad tertium tamen hæredem, Chriſtophori ſcilicet filium Sigiſmundum non tranſiit; quin præteritarum injuriarum oblivione illud in arctiſſimam amicitiam & neceſſitudinem fuit converſum. Sigiſmundo non amplius Waivvoda vel gubernatore, ſed vero Domino Transſylvaniæ Moldaviæ & Walachiæ, tum etiam Principe imperii exiſtente; ſub cujus imperio hæ provinciæ ad debitam obedientiam redactæ, unde primus in hoc regnum Turcis patebat aditus. Ungaria firma ſpe fruitur, tandem aliquando jugum Turcicum protinus excutiendi, accedente ad ipſius virtutes fauſto nominis omine; ſiquidem ſub priori Sigiſmundo primum tyrannidem experta Turcicam, a qua hujus alterius ope brevi totam ſe, reſtituta priſtina libertate, liberatam iri confidit.

Ad hanc hiſtoriæ Turcicæ epitomen, collectam ex quam plurimis auctoribus, addi potuiſſent, quæ in bello, quod adhuc viget, contigerunt. Ea enim compendii inſtar ſunt; pleraque actionum Turcicarum hactenus uſitatarum, ſi perfidiam in pace temere rumpenda, & juris gentium violationem in ſacroſancta legatorum perſona perpetrata, tum etiam locorum expugnationes & pugnæ committendæ rationem ſpectes. Sed cum de plurimis ſucceſſibus nondum vere judicare liceat, ad aliam hiſtoriam particularem ea reſervabimus. Sufficiat nobis, res geſtas ubi opus erit breviter indicare quam de iis judicium ferre.

Ex hac narratione facile videre eſt, Turcas non caſu quodam, vel fortuna ducta ad tantam potentiam perveniſſe, ſed artibus atque potentia, invictis quoque viribus, ea potius eſſe. Cum autem ob brevitatem qua in recenſenda hiſtoria uſi ſumus, peculiares quidam modi, & procedendi rationes a Turcis obſervatæ, indicari nequiverunt, de iis ſingularia capita inſtituemus, & de ASTUTIA & artibus Ottomannicis, de eorundem fraudibus, tum etiam de VIRIBUS quæ in obedientia, theſauris, & militia *conſiſtunt, ſubjiciemus.* SECTIO II.

CAPUT I.

De fallaciis & artibus Ottomannicis.

Nemo unquam ſublimem atque eminentem quandam dignitatem ſolis viribus, nulla adhibita fraude, adeptus eſt; plurimi ſola fraude ac violentia ad eas pervenerunt, ut annotat ille bene *lib. 2. c. 13.* notus Secretarius. Romani ſub prætextu ſocietatis & amicitiæ cum vicinis pactæ, potentiam ſuam auxerunt, adjuti ſociorum auxiliis. Quibus poſthabitis ſibi ſolis parta bello attribuebant; ſocios poſtea ipſos, cum fraude cognita rebellionem molirentur, aggreſſi, eos domuerunt. Xenophon verum Principem ſub Cyri perſona deſcribens, dicit illum Armeniam atque Mediam non armis ſed fraude acquiſiviſſe; innuens eum ſine dolo ad tantam potentiam & dignitatem non fuiſſe perventurum.

Duo autem notantur fallaciarum genera. *Primum* intelligitur, pro omni effectu actionis cujuſpiam incognitæ & inexpectatæ, vel ſaltem quæ judicatur inepta & inutilis, ut tale quippiam in ejuſmodi perſona, tempore & loco producat. *Deinde* fallaciam dicimus, omnem actionem & effectum inexpectatum, non propter aliam cauſam quam quod impoſſibilis haberetur in tali perſona loco & tempore, interveniente jure amicitiæ vel fidei datæ. In primo genere præſupponimus certum quoddam ingenii acumen ac promptitudinem; & recte ars vel aſtutia vocari poteſt, quæ in plurimis cum ipſa prudentia convenit, unde laudem quandam meretur. Alterum genus fallaciarum malignitatem adjunctam habet & hominum commercio adverſatur, quo leges violantur, jura communia & naturalia evertuntur, proprie fraus, dolus, perjurium, proditio nominari debet: illudque comitatur vituperium. Vt igitur cognoſcamus, quid laudis, quid vituperii habeat Domus Ottomannica, utrumque genus fallaciarum, artes videlicet ipſius atque fraudes examinabimus.

Ars & aſtutia Ottomannicorum dici poteſt, ſingularis illa ſolertia atque diligentia, qua in omnes occaſiones intenti vigilarunt, nec ullam e manibus ſibi elabi paſſi ſunt commoditatem, quæ rebus ipſorum conducere poterat, vicinorum diſcordias non ſolum fovendo, ſed etiam procurando, ut debilitatos facilius vincere poſſint. Aſtutiæ ipſorum adtribuendum, quod omnibus qui ipſorum opem implorarunt auxilium præſto tulerint: Partem igitur alacriorem & potentiorem auxilio debilioris oppreſſerunt, debiliores multo facilius ſuperarunt. Ipſi ſæpius auxilia obtulerunt ſub prætextu innocentiæ, ut oppreſſos injuria vindicarent. Vladiſlao regi Vngariæ auxilium per legatos
Bonf. l. 24. 1439. obtulerunt contra Albertum Auſtriacum: verum ille morte fuit præventus. Corvino filio natura-
lib. 40. 1491. li Matthiæ promiſit auxilium ſponte quadraginta millium militum, cum quibus regnum paternum Vladiſlao II. eriperet; prætendens Baiazethes ſe jure id facere, ob parentis in ſe meritum, qui du-
lib. 46. 1514. rante diſſenſione cum fratribus maxima illi damna inferre potuiſſet, ei tamen pepeciſſet. Sic Laurentio illi qui ab Vngaris deſciverat maxima promiſit auxilia, pro quibus unicum ſolum propugnaculum in Dalmatia ſibi popoſcit, cujus ope aliunde impreſſionem facere poſſet: ille tamen utrumque reſpuit. Vltro igitur Turcæ, ubi non fuerunt vocati, ſeſe inſinuarunt: ubi vocati ſemel fuerunt admiſſi non facile rurſus potuerunt expelli. Imitati herinaceum illum, de quo fabulæ tradunt, illum ſemel pluvioſo cœlo a ſerpente in anguſtum antrum admiſſum; ibi commode ſuos aculeos explicaſſe & ſerpentem offendiſſe, ſerpenti conquerenti reſpondiſſe ſi manere nolit abire liceat. Aſtutia Turcæ dicenda, quod ſentiens plus ſibi ad acquirendam victoriam ſtrictam atque ſeveram diſciplinam militum quam arma conferre, celeritate in bellis uti conſuevit, brevi tempore iiſdem finem impoſuit, maximoque cum exercitu atque apparatu eadem geſſit; Romanorum hac in parte exemplum imitatus. Vbi igitur expeditionem quandam cum numeroſiſſimis copiis ſuſcipit, eam feliciter ad finem perducit: copias reducit ſubito, antequam noſtrates qui tardiores ſunt in apparatibus faciendis, pedem moveant, unde & tempus & pecunia fruſtra inſumitur. Neque unquam ad pugnam deſcendit, niſi de victoria vel propter immenſam ſuorum multitudinem, vel ob alias commoditates, quæ ipſi potius quam hoſti ſerviunt, certo confirmatus ſit; neque turpe etiam ducit hoſti cedere, modo id ſuo cum commodo fiat. Aſtutia & non caſus fortuitus fuit, quod excurſiones crebras & immenſas (ad quas magis idoneum ſe ſuoſque quam ad ſtatarias pugnas cognovit) ſæpius tentavit; iiſque plurimas provincias devaſtavit, & in eum ſtatum reduxit, ut quæ per deſperationem ejus imperio non ceſſiſſet, vel tributum ſolvere parata eſſet, nullo negocio ab ipſo ſuperari & vi opprimi potuerit. Huc accedit, quod ejuſmodi excurſionibus milites ſemper laboribus bellicis exercitati & præda opima locupletati fuerint. Aſtutia Turcica dicenda, quod ubi ad manus venire aliquando coacti fuerunt, ſuis incommoditatibus aliunde proſpexerunt: non audacter in hoſtem impetum faciendo, ſed eundem excipiendo: nunc timorem nunc fugam fingendo, noſtras copias armorum gravitate defatigatas, & earum ordine turbato tamdiu ludificarunt & circum egerunt, donec manifeſto conſpexerunt ſuum commodum. Vnde victoriis potiti ſunt celeberrimis; in Aſia quidem contra ambos Palæologos, in Vngaria vero ad Varnam & Mohaz, & forſitan, ſi quis id credere velit, ad Agriam. Aſtutia quoque fuit, unde ut Græci referunt plurimum Turcarum res promotæ fuerunt, quod bello capta mancipia hinc inde in varias provincias dimiſerunt, & incolas atque habitatores diverſarum regionum invicem commutarunt, atque eos duntaxat quos maxime idoneos ob ætatem & ingenium judicabant, in ſecta Mahometana inſtitui curarunt. Hinc Turcarum copiæ vehementer auctæ, colonias Romanorum more, ad Imperii limites ducere potuerunt, qui regiones vacuas habitatoribus incolerent. Hæ artes junctæ inſtitutioni militari (de qua inferius) & ſtratagematibus, quæ annotamus, origo fortunæ atque incrementi re-

rum

rum Ottomannicarum dici poſſunt. Quæ conſiſtunt in induſtria & prudentia; in quibus Turcam non barbarum ſed vere Græcum eſſe, abunde apparet.

Fraudes atque doli, malitioſum genus fallaciarum, domui Ottomannicæ turpiſſimam inuſſerunt maculam, ejusque gloriam haud mediocriter obſcurarunt. Sed quid mirum? Ex media barbarie orti Turcæ, ad Europæ humanitatem atque civilitatem progreſſi, Græciam ſibi domicilium ac ſedem firmam elegerunt; ubi fides ipſa una cum religione, non modo penes privatos, ſed etiam apud ipſos Principes atque adeo Imperatores, extincta & abolita fuerat, neque promiſſorum, neque juramenti ulla habebatur ratio. Quod ad nauſeam usque in hiſtoricis Græcis legimus, & vitium il-
lud multoties in ipſis Palæologis deprehendimus. Si ex Græcis autoribus ruptæ ab Ottomannis *Niceph. l. 5.*
fidei exempla compilare vellemus, integra nobis conſcribenda forent ejus rei volumina. Sed cum
jam a multis annis, aſtutia ſeu perfidia potius Turcica in Vngariæ regno notiſſima ſit, ſufficit mihi 1524.
relictis vetuſtioribus exemplis annotare quid contigerit præſidiariis, qui Budæ, Volpii, Soclesiæ, Stri- 1543.
gonii, Albæ regalis Iulæ, & Agriæ deditionem fecerunt, ubi fidem habentes pactis juratis, Turcis 1552.
ſeſe crediderunt, qui ut eorum bonis potirentur juncta perfidia cum avaritia miſere eos occiderunt. 1565.
Neque Princeps excuſari poteſt, quod ſe invito & nolente ejusmodi facinora a militibus perpetren- 1596.
tur: tum quod nunquam dignas propter ejusmodi enormitates ipſis pœnas inflixerit, tum etiam
quod ſuo exemplo, omni crudelitatis genere, ad ſimilia perpetranda eos inſtigarit. Mahometes *Bonf. l. 30.*
ſub prætextu colloquii de ſeriis & maximis momenti rebus habendi, Stephanum Boſniæ & Raſciæ 1463.
Regem ad ſeſe evocarat; quem, ubi comparuit, perfide ſecum retinuit, & vivum crudeliter exco- 1542.
riari juſſit, occupatis quas poſſederat ditionibus. Idem plane & eodem modo contigit Mailato
Tranſylvaniæ VVaivvodæ. Sed neque Legati, qui apud omnes gentes ſancti & inviolabiles ha-
bentur, ſecure apud Turcas verſari potuerunt. Laſcus a Ferdinando pacis tractandæ cauſa ad So- 1542.
limannum miſſus, in carcerem fuit detruſus, inde dimiſſus in itinere ex oblato veneno exſtinctus
eſt. Initio ejus, quod adhuc durat, belli, Legatus Cæſareus Grocovicius ad mortem usque in car- 1593.
cere fuit detentus; quod poſt Bicciam contra pacis conditiones captam, Cæſarem non impediviſ-
ſet, quo minus arma in vindictam rupti fœderis ſumeret, & autor exſtitiſſet, ut conſueta tributa
dona & munera Turcis mitterentur, ne ulterius procederent. Eo proceſſit Barbarorum arrogan-
tia noſtris diſcordiis confirmata, ut continuos de nobis triumphos agere cogitent. Et videtur ſane,
perfidiam Domus Ottomannicæ augeri indies, ubicumque ſpes lucri vel imperii accreſcendi occaſio
intervenit. Quin ſingularis ſtratagematis loco, perfidia utuntur, ut vicinis metum atque formidi-
nem incutiant; quaſi ipſorum amicitia non indigeant, freti ſuis armis. Eodem recidit Mahome- *Bonif. l. 23.*
tis dictum ex Euripide allatum, quo etiam Julius Cæſar uſus eſt; ſcilicet *ſolius regni cauſa jus violan-*
dum eſſe; cogitabat enim Europæis, rupta pace ſancte jurata atque inita, bellum inferre. Eadem *l. b. 13.*
fuit Bajazethis ſententia, cum Sigismundi legati ipſum hortarentur, ut Bulgaria abſtineret, quæ
nullo jure ad ipſum ſpectaret; Legatos in domum quandam duxit, quæ undique armis ſtrata &
ornata erat, eisque reſpondit, jus ſuum ſupra Bulgariam ad muros usque ſeſe extendere: innuens
rationes potiores quibus inniteretur in armis conſiſtere. Non igitur absque ratione Matthias, co-
gnita Turcarum perfidia, Mahometis II. Legatos admittere voluit, quod ſub ſpecie pacis gravius
bellum eum machinari cognoſceret.

Et hæc hactenus de fallaciis atque fraudibus Ottomannicorum dicta ſufficiant.

CAPVT II.

De viribus Turcarum.

Cum non ſolum aſtutia & fraude, ſed viribus etiam adhibitis & violentia, ut fieri ſolet, Domus Ottomannica ad tantam potentiam pervenerit; conſiderandum in quibus rebus robur ejus præcipuum conſiſtat, nimirum in *auctoritate,* ſive obedientia, *theſauris* & *militia.*

De auctoritate ſeu obedientia.

Tanta erga Imperatores Turcas eſt ſubditorum obedientia, ut major vix mente concipi, par autem introduci non poſſit, niſi eadem adhibeantur media quæ efficaciſſima hæc Religio & Secta experta eſt.

Primum quod occurrit medium ardentiſſimus Zelus Religionis eſt. Cujus ſuprema jurisdictio cum Regia atque adeo abſoluta autoritate penes Imperatores conſiſtit, à primo Mahomete ad ſucceſſores translata. Ejus ſtimulis adeo irretiti tenentur ſubditorum animi, ut vere beatum ducant, qui in regis obſequio vitam profundit, id qui facere recuſat vel obſtinatum ſeſe præbet, graviſſima pœna & caſtigatione, ut qui & Deum & Prophetam graviter offenderit, dignus cenſetur.

Secundum medium in eo conſiſtit, quod omnis imperandi poteſtas ab uno ſolo dependet. Nec magis ſingularis vel abſoluta aut exactior poteſtas in aliquo imperio cernitur, quam ipſi Turcarum Imperatores habent. Eam duobus modis acquiſiverunt, *tum* quod nunquam habuerunt imperii æmulos vel ſocios, occiſis omnibus cognatis qui jus aliquod ſuper illud prætendere poſſunt. Ars barbara & execranda, quæ tamen ad reprimendas diſcordias plurimum valet. *Deinde* quod nullum genus dominii ſubditis permiſerunt integrumque reliquerunt, unde rebelliones exoriri poſſent. Idque hac ratione: cum Ottomannus principatum atque imperium ſubditorum ſine competitore acquiſiviſſet, morem introduxit; ut omnia immobilia Imperatori cederent, & ex reliqua præda decimæ ipſi penderentur. Hinc provinciarum atque urbium dominium conſecutus, iisque guber-

nato-

natoribus, quos pro libitu mutare poterat, regundis conceſſis, duobus modis id commodis ipſius conduxit. Quod nimirum fortitudinem militum recompenſare potuerit, conceſſis iisdem provinciarum adminiſtrationibus, unde favor ei & benevolentia parata erat, & alios ſpe remunerationis ad virtutem excitavit: deinde omnem rebellionis cauſſam atque occaſionem ablato dominio ſuſtulit, filios ſpe parentum amplas hæreditates acquirendi privavit, ne anſam haberent vitam otioſam agere, ſed potius excitarentur ad paternas virtutes imitandas, ob quas digni haberentur, qui in officiis quoque illis ſuccederent: oppida, domos, campos & rura bello capta inter milites ſpectatæ fortitudinis diſtribuit, ea tamen lege, ne vel teſtamento, vel quovis alio modo alienare ea poſſent; Imperatori integro relicto, eadem cum vellet repetere, ſolo uſufructu ſubditis conceſſo, quo tanquam beneficiarii fruantur. Eadem fere ratione, quemadmodum apud nos vaſalli feuda a Dominis feudatariis accipiunt; quæ tamen paulo ampliori cum jurisdictione largiuntur. Pro ratione igitur prædiorum Ottomannus vaſallis unum vel plures equos & ſervos in bellum ducendos obſtrinxit: hi redituus habent ex decimis quas ruſtici ſolvunt, ex mulctis & muneribus quæ ipſis offeruntur.

Huc accedit coloniarum uſus, quæ ad ſubigendas provincias & domandos ſubditos plurimum proſunt. Si enim ex uno loco omnes incolæ priores alio habitatum ducantur, unde in patriam redeundi, priſtinamque libertatem recuperandi ſpes eis aufertur, & in horum locum novis inquilinis regio eadem locupletetur, quibus tota provincia dicto modo diſtribuatur, nullæ ſeditionum vel rebellionum cauſſæ ſupererunt, tota regione cum novis habitatoribus fere immutata.

Tum etiam conſuetudo Aulæ & modus procedendi, in illis principiis obſervatus, veram obedientiam peperit. Aula namque refertiſſima erat illuſtribus viris, qui e regio ſanguine deſcenderant: ibidem non alebantur ut officiis & provinciarum adminiſtrationibus præficerentur, ſed potius ut ornamento eſſent aulæ familiæque imperatoriæ, tum etiam ne rebus novis ſtuderent, ſi abeſſent longius. Non enim moris eſt quenquam ad ſublimes dignitates promovere, niſi qui cubiculo Imperatoris præfuerit, ii ab infantia in aula nutriuntur, ut alium dominum fautorem vel patrem non non agnoſcant, quam ipſum Principem. Hinc fit, ut omnes Baſſæ, Beglerbegi, Agæ, & reliqui officiarii atque milites aulici, Imperatoris ſint mancipia. Qua ſervitute & nomine cum nunquam liberentur etſi ſupremos dignitatis gradus conſcendant, factum ut brevi tempore omnes incolæ & univerſa regio in ſervitutem Imperatori ceſſerit. Quæ ſervitus non modo in vitam mancipiorum, ſed in omnia etiam bona ipſorum, divitias, & liberos ſeſe extendit. Non igitur oſtentationis & humilitatis cauſſa Baſſæ, & reliqui officiarii inferiores mancipia ſeſe nuncupant: ſed quod revera jurisdictionem abſolutam Imperator in eorum bona & vitas habeat.

Hac conditio eſt ſubditorum Turcici Imperatoris, inprimis vero eorum qui arma tractant; quorum vita & opes a mera & nuda voluntate Principis dependent, neque ulla, vel ſpeciali libertate vel privilegio ejus imperium coercetur, liberum ei eſt absque conſenſu & conſilio ſubditorum de ipſorum vita & bonis pro libitu diſponere, neque ei quisquam contradicere audet.

II.

De reditibus & theſauris regiis.

Nimis foret curioſum ac difficile, inquirere & perſcrutari qui & quanti ſint Turcici Imperatoris reditus; ſufficit nobis oſtendere, Turcicos theſauros inexhauſtos eſſe, & nulla ratione noſtris opibus vinci poſſe, alia igitur media invenienda ut ipſum ſuperemus. Ducatus autem Turcicus, quem cum Ungarico & Zecchino Veneto convenire precio fingimus, quinquaginta quatuor Aſpros valet.

Unde nonnulli reditus Turcici Imperatoris hunc in modum ſupputant. Ex Zeccha ſeu monetaria officina ſingulis annis percipit centum millia ducatorum. Ubi novus Princeps inauguratur, novi cuduntur aſpri, quorum decem faciunt duodecim veteres, inde octingenta millia ducatorum ærario regio accedunt. Primum hanc conſuetudinem Mahometes II. voluit ſingulis decenniis obſervari, quod tamen poſtea fuit immutatum. Metalli fodinæ conferunt centum millia ducatorum. Tributa, vectigalia & portoria millies ſeptingenta millia. Salinæ quingenta millia. Sub Bajazethe luſtrata fuerunt 1112000. Chriſtianorum, qui omnes tributa ſolverunt. Sub Selimo 1333000. non connumeratis iis qui in Aſiæ Provinciis nuper devictis habitant, & 6000. domibus Chriſtianis, quæ homagii loco unum tantum falconem donant. Lege Mahometana cautum eſt, ne a Turcis ullum exigatur tributum; in cujus vicem honorarium hi tantum ſolvunt, viginti quinque aſprorum pro capite; Chriſtiani triginta contribuunt, præter extraordinarias impoſitiones, 30. 40. vel 50. aſprorum, quibus onerantur ſinguli ubi claſſis inſtruitur. Ejus tamen pecuniæ pars non exigua, ſolutis omnibus ſumptibus Imperatori remanet. Cairi Regnum quindecim mille equos, & auri millionem Conſtantinopolim ſingulis annis mittit. Officiorum quæ vocant reditus Imperator ipſe percipit; ii in ſingulos annos quingenta millia ducatorum efficiunt.

Si quis ſine hærede moritur, bona quæ reliquit, vel ſi quæ alia extant cujus dominus ignoratur, ad Principem devolvuntur: unde ſexcenta millia ducatorum annuatim colligit. Decimæ prædarum, quæ terra marique rapiuntur Imperatori penduntur, quemadmodum & reliquæ ex frugum & pecudum reditibus collectæ, quæ cum mulctis in ſtipendia militum conferuntur. Neque quisquam ex officialibus reperitur, licet annuum ſtipendium percipiat, qui homagii nomine ſingulis annis Imperatori munus quoddam non offerat. Ex hiſce reditibus omnibus ferunt nonnulli,

tem-

tempore Solimanni, militum ſtipendiis & aliis impenſis ſolutis quinque milliones ſingulis annis in ærarium Imperatoris fuiſſe reconditos, præter tributa, quæ Chriſtianæ provinciæ conferunt ut pacem ſibi redimant.

Nec eſt ut quiſquam putet, Turcam continuis bellis theſauros ſuos exhaurire. Nihil enim in bella inſumit, ſed lucratur inſuper modis extraordinariis. Siquidem exercitui certa ſunt pacis bellive tempore aſſignata ſtipendia, quæ ubi contra hoſtem milites educuntur non augentur. Tribus autem modis potiſſimum in bello lucrum facit. *Primum*, omnia oppida & pagi obligati ſunt in caſtra Imperatoris farinæ & hordei quantitatem, quocunque jubentur, deportare. Sub Selimo in Europa numerata fuerunt ſeptuaginta millia pagorum mediocrium, præter eos qui in Aſia & provinciis ab illo acquiſitis reperiuntur. *Secundo* decimas, ut dixi, ex raptu & præda habet. *Tertio* loco ſunt munera. More enim receptum eſt, ut omnes Baſſæ Beglerbegi Sangiacchi & alii officiales Imperatori ubi ad exercitum pervenit ſeſe ſiſtant, & munere quodam ipſum honorent. Id cum fiat in publico & in conſpectu omnium, ambitioſe invicem certare ſolent, quis ſplendidius & præſtantius donum Imperatori offerat. Non igitur expendit ſed colligit pecuniam belligerando. Secus evenit noſtris Principibus, qui raro ditiores, ſed plerumque exhauſtis ærariis pauperiores ex bello redeunt. Quod ſi verum eſſet, quod dici ſolet. *Belli nervum in pecunia conſiſtere*, plane invincibilis nobis Turca habendus eſſet. De qua re paulo inferius.

III.

De Militia Turcica.

Cum Lex ipſa Mahometana armorum patrocinio primum exorta & in poſterum conſervata ſit, poſthabito omni auxilio quod a Philoſophiæ & Theologiæ ſtudiis promanare poſſet, ejus aſſeclæ ſolam militiam, tanquam verum & unicum ſcopum omnium ſuarum actionum, propoſitam habuerunt, & tanto ſtudio ei incubuerunt, ut efficaciſſimum belligerandi modum invenerint. Qui tanto majoris faciendus, quod eo tam diuturno tempore imperium conſervarint, idque violentiſſimum alias latiſſime ampliarint, contra ipſam naturam violenti quod nunquam diuturnum eſſe ſolet.

Igitur de Militia Turcica aliquid dicendum: Quam dividimus commode in Portam *ſeu aulam, in* Timoriatos, *&* *in* eas copias quas ad Imperatoris mandatum ſubditæ provinciæ in bellum mittere coguntur.

De primo Militiæ genere; Porta ſcilicet ſeu Aula Turcica & ejus ſtipendiariis.

Cum officia & munera aulica cum ipſis Monarcharum & Imperiorum incrementis indies mutentur, nemini mirum videbitur, ſi ſcriptores, in recenſendis rebus Turcicis, nominibus, & militum numero atque militiæ conſtitutione, varient. Nos in harum rerum deſcriptione præter antiquiores, fidorum quorundam hominum relationes ſequemur; qui ſtatum harum rerum, cujusmodi ſub Solimanno fuit, deſcripſerunt; cum ſub hoc Imperatore Imperium Turcicum maxime floruiſſe credendum ſit.

Etſi nonnulli Portæ ſeu Aulæ conſtitutionem Ottomanno tribuant; Amurathes tamen ad perfectionem & ſplendorem eam perduxit, eamque illuſtrium virorum copia ac præſentia ornavit. Porta autem dicta fuit, quaſi apertum quoddam aſylum, omnibus iis patens, qui benignæ protectioni hujus Imperii ſe ſubjecerint. Dicunt nonnulli ſub Bajazethe octodecim mille ſtipendiarios enutritos in aula fuiſſe. Eorum numerum ſub Selimo & Solimanno ad triginta quinque millia excreviſſe. Qua in re duo obſervanda occurrunt. *Primum* quod inter ſtipendiarios non recenſentur niſi præcipui & domini ipſi, ſervis eorum quos ad belli uſum alere coguntur, non numeratis. *Secundo* quod in hoc numero non milites ſolum comprehenduntur, ſed alii quoque officiarii. Muftius ſcilicet qui primus & præcipuus eſt Legis interpres; Cadileſcieri qui ſunt ſupremi judices: Caſſinataarbaſſi qui ſupremi Theſaurarii officio fungitur: Emitlemus, qui belli inſignia diſtribuit: Eunuchus præcipuus, qui præeſt Reginæ cubiculo: Viſieri: Eunuchi qui in Seraglio ſerviunt: Oſtiarius; Coquus; Hortulanus, quibus alii collegæ & miniſtri parent: Tum qui armamentarii reparandi & inſtaurandi curam habent. His omiſſis, & ſtipendiariis in alium locum rejectis, ad alios tranſeamus.

Sciendum initio aulicam militiam & officiarios cunctos hac ratione in Turcicam ſervitutem devenire & mancipiorum numero adſcribi. Cum Turcicus Imperator abſolutam imperandi poteſtatem, & ſupremam juriſdictionem in ſuos ſubditos obtineat, neque ejus imperium ullam limitationem vel exceptionem patiatur, præter decimas redituum & ſpoliorum, decimas quoque e liberis Chriſtianorum exigit. Res miſerabilis & deploranda, quæ miniſtrorum qui ad tributum hoc exigendum conſtituti ſunt, crudelitate magis miſera & calamitoſior redditur. Hi elapſo quinquennio omnes provincias pervagantur, ſibique omnes Chriſtianorum filios, qui decimum vel decimum quartum ætatis annum attigerunt, adduci in conſpectum cogunt; ex iis ſemper quintum ſegregant, qui maxime ipſis arridet. Robur inprimis & corporis conſtitutionem conſiderant. Facta collectione, quæ aſcendit ad decem vel duodecim millia puerorum, Conſtantinopolim eos deducunt, ubi cum iis, qui ex præda Imperatori cedunt & ære comparantur, in duas claſſes ſeu cohortes dividuntur. In priori aſſervantur ii, qui liberaliori ſunt vultu & facie decentiori. in altera vero qui rudiores & agreſtiores videntur.

Hi *qui rudiores*, per Natoliæ oppida diſtribuuntur, & ruſticis operibus ruri ſcilicet arando, & pecudum gregibus cuſtodiendis, materiæ atque lignis ad ædificia portandis, aliisque ejusmodi laboribus applicantur, ut corporis vires roborent & confirment, quo magis

magis idonei ad militiam evadant. Nonnulli ad remos alligantur; non ut naviculariam diſcant, ſed ut aſſiduis moleſtiis callum obducant. Ubi decimum octavum ætatis annum attigerunt (quo tempore nullo precio Imperatori conſtiterunt) & in Turcica lingua & moribus ſatis ſunt edocti, qui mari ſerviunt Galliopolim vocantur, ubi triremibus impoſiti curæ ac diſciplinæ ſeniorum Janizarorum committuntur, arte militari, donec reliquorum Janizarorum matriculæ inſerantur. Qui in Natolia fuerunt enutriti in Seraglium Conſtantinopolitanum vel alia pertrahuntur: ubi militarem addiſcunt artem, inprimis vero arcum tendere, bombardas explodere, & reliqua belli exercitia tractare diſcunt. Ex hac claſſe ſuppletur numerus cuſtodum aulæ regiæ: quorum numerus conſtat duodecim mille Janizaris ſelectiſſimis, ſumptibus Imperatoris inſtitutis. Hi alium patrem vel fautorem præter Imperatorem non agnoſcunt; in aula nihil aliud præter ejus Majeſtatem, liberalitatem & laudes decantari audiunt, unde affectus & reverentia erga Imperatorem adeo in ipſorum mentibus obfirmatur, ut tanquam ab ipſo creati, fideliſſimi & obedientiſſimi exiſtant. Hi dum eandem habeant originem, & eadem diſciplina & arte inſtituti & imbuti ſint, nervum robuſtisſimum Turcicæ militiæ efficiunt, imitantes eam quæ toties commendatur Macedonum phalangem, vel Romanorum legionem, licet hi leviter tantum ſint armati. Eorum Aga vel Dux præcipuum munus aulicæ militiæ gerit. Hi ſunt quibus cura atque cuſtodia præcipua totius aulæ & palatii regii commiſſa atque concredita eſt, qui ipſum Principem & ejus theſauros tuentur atque defendunt. Ubi regni cauſa lis atque diſſenſio oritur, illi etiam decidendi poteſtatem habent; plerumque enim in regno ſuccedit, quem illi, tanquam palatii rectores, eligunt. Eorum benevolentiam Imperatores ſæpius multis privilegiis & immunitatibus ſibi compararunt. Quibus inſolentiores redditi, ipſis ſæpe Imperatoribus metum atque timorem incuſſerunt. Matrimonia non contrahunt. Ob nullum atrocius delictum, ne ipſum quidem homicidium, graviori pœna quam capitis diminutione, nomine ipſorum e matricula deleto, vel relegatione in præſidia longinqua, ubi gravius ab hoſte periculum imminet, affici queunt. Propugnacula Janizari tuentur. Aſapii vero duplici numero urbis portas cuſtodiunt, ut immunes ſint a Janizarorum inſolentiis. E Janizaris eliguntur ducenti ſatellites, qui ſemper latus Imperatoris circumſtipant. Ex iiſdem trecenti alii ad portas aulæ excubant: quorum dux Capibaſſi dicitur, quod officium inter præcipua refertur, quod aditus inde ad Sangiacharum pateat. Mille Janizari canes venaticos curant. His omnibus Aga imperat. Sunt tamen inferiores quoque duces Jacabaſſi ſeu Centurio, Oddobaſſi Decurio ſeu vicarius, Alfier judex, & ſcribæ. Oddobaſſi ſeu Decurio ſubditis ſuis militibus de hoſpitio & victu, in expeditione vero de equis ac tentoriis proſpicere tenetur. Nemini tamen equo incedere permittitur, præter centurioni, vicario, & judici, ſtipendia ipſis numerantur ſingulis menſibus. Aga ex timaris ſeu feudis percipit ſex mille ducatos annuos; a theſaurariis vero plus mille aſperis ſingulis diebus. Vicarius ejus habet ter mille ducatos ex timaris & ducentos aſperos: centurio ſexaginta aſperos: quadraginta decurio; Janizzari privati quinque habent, ob benemerita tamen octo interdum ipſis numerantur; ubi egregia fortitudinis ediderunt ſpecimina ad gradus altiores vel ſatellitum vel oſtiariorum, vel aliorum promoventur (quorum quilibet viginti aſperos in dies ſingulos accipit) quidam etiam Sangiacchi creantur. Præter ſtipendia illis dantur ſingulis annis arcus, duo induſia, & panni tantum, unde ad conficiendam veſtem eis ſufficiat. Hi ſunt qui ex claſſe poſteriori robuſtorum & agreſtium puerorum, deſumuntur.

Quod attinet ad *alteram claſſem puerorum*, qui nobiliori & acutiori ingenio præditi eſſe videntur, illi per Seraglia, quæ ſunt Conſtantinopoli Peræ & Adrianopoli diſtribuuntur. Eorum quingenti Conſtantinopoli aluntur ſub Eunuchi diſciplina, iique e tota cohorte ſegregantur, ut in lege & lingua Turcica, atque aliis honeſtis armorum & rei equeſtris exercitiis inſtituantur. Ex his ſex ad cubiculum regium deſtinati ſunt; ejus curam atque cuſtodiam bini ſingulis diebus per vices gerunt: ubi hoc munere ad tempus functi ſunt, alii ipſis ſubrogantur. Priores vero qui octodecim annos nati in Spahorum numerum aſſciſcuntur, & ad graviora munera promoventur, prout ætas at-
Leoni l.59. que induſtria ipſorum meretur, nimirum Agæ vel Baſſæ creantur. Spachi (Spachioglani ſeu juvenes equeſtres ab aliis dicti) initio pauci fuerunt numero, ad ducentos fere. Plerique Principum erant filii; unde ferunt in Peloponneſi expugnatione nobilium filios in Serägliis fuiſſe conſervatos, & Imperatoris Trapezuntis filios eodem collocatos fuiſſe, ut diſcerent & ſeſe exercitarent. In hac turma verſabantur quoque initio imperii ii Principes, qui aulam ſequi neceſſario cogebantur. Ubi vero paulatim illuſtres Græciæ familiæ extinctæ & abolitæ fuerunt, nnmerus vero equitum iſtorum ad tria millia excrevit, fieri non potuit ut eodem rigore electio hæc fieret. Nobilium igitur familiarum defectum ſupplevit honeſta & liberalis faciei & corporis conſtitutio. Horum Spachorum quilibet quinque ſervos equites in bellum ducere, & in eundem uſum ſemper alere cogitur. Ii in ſeparata turma ad latus dominos ſuos ſequuntur, ſed ob ſplendidum veſtitum quo induuntur non minus ſunt conſpicui, quam ipſi domini, qui ſericis & Attalicis veſtimentis induti & generoſis equis inſtructi, ſplendidiſſime incedunt. Eorum arma præcipua ſunt machæra, clava & lancea. Poſt Perſicum bellum ferreis quoque thoracibus affabre factis armari cæperunt. Ipſorum Aga ex Timaris & ſtipendio habet quingentos aſperos in ſingulos dies; Spachorum vero quilibet viginti quinque uſque quadraginta aſperos accipit. His ubi ad maturiorem ætatem attigerunt, in matrimonium collocantur puellæ quæ ab infantia tanquam mancipia fuerunt enutritæ in Seraglio privato, ubi ſemper trecentæ aluntur. *Slicbtari* aliud genus equitum numero & pompa Spachis ſimiles, viliora habent ſtipendia, & tres vel ad ſummum quatuor ſervos alere tenentur. Ex Seraglio puerorum Conſtantinopolitano ſegregantur, cujus defectum alterum quod eſt Peræ ſupplet. Agam habent & reliquos

liquos belli miniſtros. In acie & expeditionibus ſiniſtrum cornu Imperatoris defendunt: Spachi vero dextrum. Ex iis quingenti diurnas atque nocturnas excubias armati ad Regis cubiculum agunt; a quibusdam eodem cum Spachis nomine comprehenduntur, cum exigua inter illos ſit differentia. Duæ adhuc equitum ſunt cohortes numero & pompa prioribus inferiores, quibus tamen armis & robore bellico non cedunt. Utraque peculiarem habet Agam. Altera mille equitibus ſelectisſimis conſtat, ex ignobilioribus hominibus collecta, quorum tamen virtus & fortia facta nota ſunt. His multi ſeſe adjungunt Janizari, tum Imperatoris, Baſſarum & aliorum magnatum ſervi ac mancipia. Illi enim honori ſibi ducunt, ſi quem e ſuis militantem habeant, inter eos qui ob virtutem Imperatori chari ſunt. Altera cohors mille equitum eſt, e Turcis natis collecta atque conſcripta. Qui ſoli in aulam recipiuntur; nec admittuntur, niſi exercitatisſimi, quique multis heroicis facinoribus fortitudinem ſuam teſtatam fecerunt. In iis inprimis requiritur dexteritas & agilitas in equitando, in vibranda lancea & ſtringenda machæra: ut videatur cohors hæc ad oſtentationem dexteritatis collecta eſſe. Ordines æque atque priores in acie obſervant, iisque non ſunt inferiores, viliora tamen ſtipendia habent nec ultra duos ſervos alunt.

Deſcripſi totam aulicam militiam: quæ conſtat duodecim millibus peditum & quadraginta millibus equitum; militibus ſcilicet ſelectiſſimis. Inter proficiſcendum Janizari quaſi corona cingunt Imperatorem; a latere eum circumſtipant Spachi atque Slichtari: hos ſequuntur duo reliqui equitum ordines: ſervi a latere, remotiori tamen loco, ſuos comitantur dominos. Poſt Janizaros proximo loco incedit Emitlemus: coram quo Imperatorium vexillum albo & viridi colore inſignitum portatur. Illum excipiunt ſex Sangiachi; quorum quilibet lanceam, (cujus cuſpis aureo globulo, & parte caudæ equinæ, armata) geſtat. Eodem ordine acies inſtruuntur, & caſtra metantur. In quorum medio aula & prætorium conſtituitur, quod reliquus exercitus tanquam agger circumvallat. Quin & Janizari ſæpius ſua tentoria palis in terram defixis muniverunt, quemadmodum ad Varnam contigit; vel machinarum catenis invicem devinctarum atque ligatarum vallo ſeſe muniunt, ut ad Agriam vidimus.

Præter eas, quas modo numeravi copias nonnulli alii reperiuntur, quos vel genus familiæ, vel officii ratio in bellum trahit: Judices nimirum, Theſaurarii, & Conſiliarii. Hi longos mancipiorum ſeries ſecum ducunt. Quidam eorum tria alii quatuor vel quinque millia ſervorum poſſident; qui ſolis veſtibus armis & dominorum inſigniis internoſcuntur. Sed notandum hic, cum omnia officia iis conferantur, qui Chriſtianis parentibus nati ſunt, non ignominiæ verti, ſi captivi ſervi fidem ejurent, quin etiam ubi fortes ſeſe in bello præbent, domini libentius eis filias matrimonio quam ipſis Turcis elocant. His præter victum & veſtitum domini certum quoddam ſtipendium numerant, ne furentur. Quin ne ipſi quidem domini propriis ſumptibus eos nutriunt, ſed cum teneantur pro quinque aſpris equitem in bellum ſingulis diebus ſiſtere, tot ſolent alere mancipia: iis qui copiam ſervorum majorem habent, præter ſtipendia ex timarorum reditibus proſpectum eſt. Si quis ea quæ dixi diligentius examinet, inter ſtipendiarios Turcas reperiet ad minimum duas tertias e Chriſtianis conſtare qui fidem ejurarunt; non ſolum propter aulicorum verum etiam eorum copiam qui Timaris fruuntur, & Beglerbegorum atque Sangiachorum ſervos, quorum maximam multitudinem alere ſolent; iis maxime fident, quod ſub ipſorum ſtipendiis & auſpiciis tanquam propria quædam cohors militent.

Tres quondam ſolebant eſſe Conſiliarii intimi, qui ad Imperatorem omnia negocia deferebant, & reſponſa lata exequebantur. Sed tamen & Beglerbegorum judices ſupremi (quos *Cadileſchieer* vocant) in concilium intimum admittebantur; in quo Muftius præſidet, cui nemo contradicere audet. Numerum Baſſarum auxit Solimannus, quarto prioribus tribus, Barbaroſſa ſcilicet, addito, quem etiam Baſſæ titulo condecoravit; eadem etiam poteſtate & titulo Beglerbegis conceſſo, quo noſtro tempore etiam Sangiachos gaudere cernimus. Unde in Europa tot Baſſæ numerantur, qui quondam Sangiachi tantum vocabantur; ut eſt Bulgariæ, Boſniæ, Temesvariæ, & Budæ, nec non etiam hodie Javarini Baſſa. Gallipolis Sangiachatus qui mari dominatur, in Baſſæ officium ſub Barbaroſſa fuit converſus. Volunt nonnulli etiam Beglerbegorum numerum in Europa auctum eſſe, ut prius in Aſia contigit. Sed numero creſcente, decrevit dignitatis autoritas. Fuit tamen differentia quædam inter Baſſas obſervata; ut qui in aula viverent *Viſieri* ſeu conſiliarii, & inter illos maximus Viſierus Azem ſeu præſes vocaretur. Ad hanc dignitatem, quemadmodum etiam ad reliquas ſupremas, nulli admittuntur, niſi qui cubiculo regio quondam præfuerunt. Barbaroſſa ſolus favore Solimanni, qui ipſi plurimum fidit, ad hunc honorem aſcendit. Supremus Viſierus viginti quinque millia ducatorum habet in reditum; Reliqui non minus ſedecim millibus. Ad ſervos autem nutriendos, & ſuſtentandam familiam haud minorem ſummam ex Timaris percipiunt. Tum etiam avaritia impulſi, munera a quibusvis libentisſime accipiunt, unde maximos theſauros brevi tempore cumulant. Nemo enim ſine muneribus ullam ſibi gratiam vel favorem apud officiarios promittere poteſt; qui dedecore ſe & ignominia affectos exiſtimant, quaſi ipſorum imminuatur autoritas, niſi dona ipſis crebra offerantur, quæ in ſignum recognitionis accipiunt. Hujus rei uſum optime didicerunt Chriſtianorum Principum Legati, qui aditum in aulam & favorem ſibi ære & muneribus comparare ſolent.

Hæ ſunt aulæ Turcicæ vires, quæ contra hoſtem educi poſſunt ſexaginta fere hominum millia; præter ſervos miniſtros & mancipia, quorum numerus viginti millia aſcenderet. Neque hic comprehendo innumeram copiam eorum, qui carros & rhædas ducunt; nec qui magnatum camelos & mulos qui impedimenta geſtant, comitantur. Ferunt nonnulli, ante Selimum quadraginta

ginta millia Camelorum a Turcicis Imperatoribus fuiſſe nutrita: Selimum vero horum numerum auxiſſe: in Cairi expugnationem, cum deſertum eſſet tranſeundum centum triginta millia camelorum fuiſſe conducta; quorum tamen pars non exigua tempore belli coëmpta, vel a mercatoribus commodato ſumpta fuerat. Facile etiam crediderim rumorem vulgo ſparſum, quod tum in reliquos apparatus belli tum ad comparandos camelos Turcicus Imperator auri millionem erogarit, non omnino vanum extitiſſe; cum conſtet ex longinquisſimis regionibus victum in caſtra comportandum eſſe.

Ex hoc apparatu conſtat, quantum ad bellum neceſſaria ſit ipſius Imperatoris præſentia, cum tot millia hominum domi maneant, ubi ipſe foras in bellum non proficiſcitur. Eo vero præſente, militia non modo confirmatur ejus reputatione, ſed viribus quoque innumeris augetur.

De ſecundo militia genere, feudatariis videlicet, qui ex Timaris ſeu reditibus vivunt.

Ex nobilium puerorum cohorte qui Conſtantinopoli educuntur, præcipua nobilitas Aulæ eligitur. Alii adſciſcuntur ex Seraglio, quod eſt Peræ, Adrianopoli & alibi. Iique ubi decimum octavum ætatis annum attigerunt Spachorum militiæ adſcribuntur, certi illis reditus ex timaris ſeu terræ proventibus aſſignantur. Diſtributi in varias provincias demortuorum loca vacantia occupant, Sangiachorum imperio ſubjecti quibus ſemper parent.

Diviſum eſt univerſum Turcicum imperium in duas partes principaliores, Europam ſcilicet & Aſiam. His quondam duo gubernatores ſupremi cum ſummo imperio præfuerunt. Sed cum Selimus plurimas Aſiæ provincias imperio ſuo addidiſſet, ratus tot ampliſſimas procul invicem remotas provincias non commode ab uno ſolo regi poſſe, plures gubernatores conſtituit; qui nullius alterius præter ſolius Imperatoris imperium recognoſcerent, ſubditas haberent regiones, quas regendas Sangiachis concederent. Ipſi vero gubernatores præcipui Beglerbegi, ſeu domini dominorum vocabantur.

Europæ Beglerbegus, qui etiam Græciæ ſeu Romaniæ vocatur, præcipuus eſt & primus. Unde Imperatore abſente ipſe exercitui imperat, ejusque imperio ſine exceptione omnes, etiam Imperatoris filii ſi qui ſint in caſtris, obſequi tenentur. Caſtra ejus ad dextrum latus prætorii collocantur; & in acie dextrum latus Imperatoris claudit. Imperat quadraginta Sangiachis vel circiter (niſi forſitan eorum numerus hodie auctus ſit) ſub quorum imperio ſexaginta millia Spachorum continentur; quos Timariatos vocant, quod ex Timaris & prædiorum ruſticorum reditibus victum habeant. Non enim accipiunt aliud ſtipendium. In cujus vicem certi ipſis aſſignati ſunt pagi & campi; quorum cultores decimas illis ex omnibus proventibus reddere coguntur. Iidem viginti quinque aſpros per capita ſolvunt, quæ pecunia ad Imperatorem redit: tum & angarias ſerviunt, & alendis pecudibus, fructibus ſubminiſtrandis, atque aliis modis premuntur. Mulcta quoque ad Timariatos pervenit, & ipſi ruſticorum judices ſunt & de cauſſis cognoſcunt. Inde nata eſt illa extrema neceſſitas, qua miſeri illi premuntur: ut vix tantum eis relinquatur, unde vitam miſere tolerare poſſint. Semper enim duplex ſtipendium ad minimum exigunt. Beglerbegus ex Timaris ſedecim mille ducatos annuos habet in reditum, ille tamen plus quadraginta millibus percipit. Sangiachi qui hoſti ſunt proximiores, vel ad limites imperii morantur, plures Spachos ſub ſe habent, & ampliores etiam reditus a quinque in duodecim millia ducatorum poſſident. Spachi initio quidem ultra ſexaginta ducatos annuos non percipiunt, ſed pro ipſorum meritis ſtipendium eis augetur usque ad trecentos ducatos. Pro centum ducatis equitem lancea & machæra armatum, atque duobus ſervis ſtipatum, in bellum mittere tenentur. Multi centum, alii quinquaginta mancipia alunt, prout amplam habent mercedem. Beglerbegus ultra mille ſervos tenet. Si cui Spachorum propter merita luculentius ſtipendium præter trecentos ducatos aſſignandum eſſet, ad altius officium promoveretur, puta *Subaſſi*. Quorum quadraginta in Europa reperiuntur, iique quadringentos mille ducatos percipiunt, plurium cohortum duces ſunt, & vel urbem quandam regunt, vel propugnacula defendunt. Exiſtimo eoſdem eſſe, quos in finibus proximis Beghas noſtri vocant. Hinc judicare licet, quam probe ſtipendia apud Turcas diſtribuantur; neque quicquam fruſtra collocetur; ſed qui plus præmii habet, plures milites in militiam ducere cogitur. Pacis tempore domi hi manent, & ſuis Timaris fruuntur: in excurſionibus vel in bello, quocunque mittuntur, ad primum ducis mandatum proficiſci coguntur.

Soli Europæ Beglerbego, qui Sophiæ reſidet, Conſtantinopoli morari & Viſierorum concilio intereſſe licet. Reliqui ſine licentia provincias ſuas egredi non audent. Stipendia poſſunt diſtribuere ad ſexaginta usque aſperos, pro libitu; quibus ſuis cognatis & familiaribus inprimis proſpiciunt.

Cum *Aſiam* unus tantum gubernaret Beglerbegus, majores quidem vires habuit quam Europæus, ſed autoritate illi fuit inferior. Quæ tamen poſtea magis imminuta fuit, cum officium illud diviſum & pluribus conceſſum fuit.

Natoliæ Beglerbegus quatuordecim mille ducatos habet ex Timaris. Ei parent duodecim Sangiachi; quorum ſtipendium eſt quatuor vel ſex mille ducati: & decem mille Spachi. Abſente Græciæ Beglerbego ipſe imperat militibus, & ad ſiniſtrum latus Imperatoris incedit.

Caramaniæ Beglerbegus decem millia ducatorum, ſeptem Sangiachos, & quinquies mille Spachos habet.

Beglerbegus *Amaſiæ* habet octo millia ducatorum, quatuor Sangiachos, & quatuor millia Spachorum.

Armeniæ minoris Beglerbegus decem millia ducatorum habet; ſeptem Sangiachos; ſeptem millia Spachorum.

Meſopo-

Meſopotamia Beglerbegus in Perſiæ confiniis triginta millia ducatorum habet: duodecim Sangiachos: decem millia Spachorum.

Beglerbegus *Damaſci Syriæ & Indiæ* habet viceſies quatermille ducatos, duodecim Sangiachos, viginti millia Spachorum.

Cairi Beglerbegus habet triginta millia ducatorum, ſedecim Sangiachos, & ſedecim millia Spachorum.

Omnes iſti Beglerbegi Sangiachi & alii ſervos alunt, ut dixi, prout ratio ſtipendiorum patitur. Etſi igitur ultra centum triginta millia Timariatorum in exercitu non compareant, hi tamen ultra trecenties mille milites, qui in aciem educi poſſunt, ob ſervorum copiam, efficiunt. Non annumeratis iis, qui carros vehicula & jumenta conducunt, vel qui mercaturæ exercendæ & lucri faciundi cauſſa caſtra ſequuntur. De quorum immenſa multitudine ex prioribus copiis judicium facere licet.

De tertio militiæ genere: nempe de iis copiis quas ſubdita provinciæ ad mandatum Imperatoris in bellum mittere coguntur.

Ubi primum Turcæ in Europam tranſierunt, præda allecti excurſionibus inprimis fuerunt deditit. Neque ulli labori vel periculo pepercerunt, lucrum modo facerent, cui inprimis inhiabant; adeo ut cum jam pedem fixiſſent in ea regione, & colonia quædam in Thracia ſubſtitiſſet, ægre a ducibus continere potuerint, quin more ſuo prædatum excurrerent. Decreto igitur promulgato ut abſtinerent ab ejusmodi deprædationibus, illi cupidiores redditi ſunt: utpote qui jam aſſvefacti eſſent ex raptu victum quærere. Ubi vero aliud propoſitum fuit edictum, ut qui excurrere prædatum vellet, in conſtituto loco & præfixo tempore armatum ſeſe ſiſteret, ſæpius ducenta ſæpius trecenta millia hominum in eum eventum convenerunt. Ex tanta multitudine duces præcipui eos ſecernebant ad futuram expeditionem, qui ipſis videbantur maxime apti & idonei, & armis quoque optime inſtructi eſſent: reliqui domum repetere jubebantur. Quilibet autem ſtudebat talem ſeſe præbere, ut dignus haberetur ad excurſionem. Unde mos ille primum inter ruſticos invaluit, tum etiam in urbes atque oppida irrepſit: ubi ad trigeſies mille homines deſignati fuerunt, quibus non modo permiſſum erat in bellum proficiſci, ſed cogebantur quoque inviti, ad mandatum Imperatoris, in conſtituto loco, equo armis lancea & machæra inſtructi comparere. Conſuetudo illa adeo ſucceſſu temporis fuit inveterata, ut jam officii ratione teneantur ſubditi eam obſervare.

Qui hunc in modum frequentant militiam *Acanzi* vocantur ſeu voluntarii milites: ex natis Turcis ſelecti, qui ſolummodo quibusdam gaudent privilegiis, nec aliud ſtipendium recipiunt. Ruſtici victum ipſis ſuppeditant. In tranſitu præcedunt exercitum, luſtratum & deprædatum loca ubi pervagantur. Ex horum numero fuerunt quindecim illa Turcarum millia, quæ in ſecunda Solimanni expeditione Viennenſi Linzium usque excurrerunt. Sed in Europa numerus eorum acquiſitione novarum provinciarum crevit. In Aſia quoque ingens eorum multitudo eſt. Selimus devicta Paphlagonia & Armenia minore, in utraque triginta millia Acanziorum creavit. Hi, etſi magis idonei ad excurſiones quam ad pugnas exiſtunt, eorum tamen plurimi armis & equo optime inſtructi in bello comparent, & fortiſſimos ſeſe præbent: ut haud raro, ex Sangiachorum recommendatione, Beglerbegi ipſis de Timaris proſpiciant.

Comitantur hos plerumque qui *Martoloſſi* dicuntur, & *Walachi*, atque *Tartari* vel alii, qui callum obduxerunt in latrociniis; maxime vero in earum regionum confiniis, in quibus deprædandi & excurrendi commoditas eſt. Ubi lubenter ad partem prædæ admittuntur, quod locorum & viarum ſint gnari & experti.

Hinc inde per provincias multi reperiuntur milites veterani & emeriti, vel quibus ob alias cauſas immunitas a bellis conceſſa eſt. Aſſignantur illis prædia & pagi in recens captis regionibus; pro quo beneficio equorum illi vel peditum certum numerum in bellum mittere tenentur. Transmittuntur prædia ad ſucceſſores quoque. A Turcis *Maſellini* vocantur. In Europa ſex millia ejusmodi equitum, peditum vero maxima copia reperitur. Exigua tamen eorum opera in pugnis exiſtit; licet provinciarum inſpectores ſedulo iſthuc laborent, ne homines inutiles in bellum mittantur.

Aſappi pedites ſunt Turcæ, quorum ingens multitudo, ſtipendia licet viliſſima accipiant. Eorum in Europa quadraginta millia inveniuntur. Haſta arcu & machæra pugnant. Verum cum neque aſſveti ſint ad militiam neque exercitati, præſtat illis uti ad expugnationes locorum, ad comportandam materiam, & cuniculos agendos, quam ut in aciem producantur. In hunc tamen uſum maxima copia foſſorum conduci ſolet, præter eos qui certa habent ab Imperatore ſtipendia, & quos pagi in militiam mittere coguntur. Aſappiorum quoque magnum numerum Imperator hinc inde per urbes, Natoliæ inprimis, in præſidiis habet, ut bellicis aſſveſcant laboribus; quo eorum opera in re maritima uti poſſit.

Sæpius quoque contigit, ut *ære conducti* fuerint milites noſtro more; cum præſidiarios evocare e confiniis hoſti oppoſitis & alio transferre non videbatur omnino tutum. Solimannus in Aſiam proficiſcens hac ratione uſus eſt. Eandem ſi hoc tempore Turca obſervare velit, dubium non eſt, quin præter eas, quas modo recenſui, innumeras alias copias adunire & colligere poſſit.

Adparet igitur, non fruſtra ſæpius ſparſum fuiſſe rumorem, de Turcici Imperatoris expeditione cum centies quater vel pluribus hominum millibus ſuſcepta. Plus admirationis habet *ordo*, quo tempore breviſſimo colliguntur. Ubi primum nuncii cum mandatis ad eos perveniunt & tempus profectionem admittit, ſeſe parati ſiſtunt. Stupenda eſt tranquillitas unio & obedientia,

quæ in immenſis illis caſtris obſervatur. Vbi ſtrepitum & clamorem excitare ob quamvis etiam cauſam prohibitum eſt; quo tumultus evitentur.

Finem hic PRIMÆ *parti opuſculi mei imponam. In qua videre eſt, quibus mediis Domus Ottomannica ad tantum imperium pervenerit. Recenſui igitur brevem hiſtoriam rerum a Turcis geſtarum: tum artes & vires eorundem; & inſerui nonnulla de adminiſtratione Imperii, quæ non parum faciunt ad noſtrum propoſitum. In* SECVNDA *parte oſtendam, qua ratione potentia hæc in Vngaria adhibito mediocri Germanorum auxilio vinci poſſit.*

PARS SECVNDA.

CVM in parte priori declaratum fuerit, quibus artibus fraudibus & viribus Domus Ottomannica ad tantum Imperii culmen pervenerit, ſupereſt ut videamus, quomodo Hungarorum potentia adhibito Germanorum auxilio, vinci & ſuperari poſſit. Vires igitur utriuſque nationis examinabimus, & cum hoſtium potentia eaſdem conferemus. Vnde quæ partis utriuſque commoditates ſint quibus alteram ſuperat, vel incommoditates quibus cedit, tum quomodo ad victoriam conſequendam in bello procedendum ſit, innoteſcet.

SECTIO PRIMA.

CAPVT I.

De viribus Germaniæ.

Quæ ſint vires Germaniæ atque Hungariæ, ex rebus antehac ab utraque natione geſtis, conſtat. Germani quondam plurimis Romanorum legionibus fortisſime reſtiterunt. Sola Saxonia per triginta annos continuos cum Carolo Magno pro libertate patriæ certavit. Non ita pridem in civilibus diſcordiis paucæ civitates Imperiique ordines, ad centum millia hominum optime inſtructorum in bellum eduxerunt. Inde quid reliquæ poſſint, ex incolarum fortisſimorum multitudine, ex regionis opulentia, propter varia mercimonia quæ ibi exercentur, & metallorum quæ effodiuntur copiam, ex fertilitate & rerum ad vitam humanam neceſſariarum abundantia, conjicere licet. Quælibet civitas libera ſi mille milites, quod exigui momenti res foret, contra Turcas in bellum mitteret, immenſus copiarum numerus exiſteret. Conſtat ſane, unam earum, reliquorum ſociorum auxilio deſtitutam, Imperatori ſeſe opponere auſam fuiſſe. Supervacuum puto, ex ſingularum provinciarum & urbium hiſtoriis & annalibus rationes deducere, quibus Germania ſola centum vel plurium millium hominum exercitum per annum ſuſtentare valeat; ut interim neque artificia neque agricultura detrimentum patiatur. Siquidem ab Imperio, iis nimirum urbibus & provinciis, quæ Imperatorem Romanum tanquam dominum ſupremum agnoſcunt, (e quibus patrimonium Domus Auſtriacæ excipimus) ſolummodo triginta hominum millia tam equitum quam peditum in quatuor annos poſcimus. Totidem a provinciis Auſtriæ Archiducatui & Bohemiæ regno ſubjectis petimus; additis neceſſariis impedimentis bellicis, tormentis, machinis, & iis quæ ad victum hominum, atque pecudum requiruntur. Nec rem petimus impoſſibilem, vel quæ nulla ratione fieri poſſit, ſed ne difficilem quidem. In annos tantum quatuor hunc apparatum requirimus: ut diſcant viciniores quanta cum facilitate rabies & furor hoſtis tam immanis cohiberi poſſit; quem jam ad portas fere Germaniæ perveniſſe Javarino Agriaque capta, imo in Germaniam ipſam paulatim tendere, eoque omnia ejus conſilia directa eſſe, cernimus.

CAPVT II.

De potentia Hungariæ.

Idem ſane de Hungaria ſtatuendum eſt. Nam etſi pars ejus maxima & fere præcipua a Turcis poſſideatur, quæ tamen Chriſtianis adhuc patet tam egregie culta & habitata eſt, ut ſi vires ſerio conjungere vellet, patriam univerſam e tam gravi jugo in libertatem vindicare, ejusque poſſeſſionem hoſti ancipitem reddere valeret. Sub Hungaria vero omnes eas provincias intelligo, quæ verſus VValachiam Tranſylvaniam & Croatiam tendunt, & huic regno ſubjectæ fuerunt, cum pri-
1394. mum Turcæ arma illi intulerunt. Sola *Tranſylvania*, propriis viribus in unum coactis, Turcarum
1440. impetum ſæpius repreſſit, maximaque eis intulit damna. Inprimis vero ſub Corvino, Stephano
1450. Battoreo, & non ita pridem ſub Andrea Battoreo, qui Ferdinandi Imperatoris nomine eam guber-
Hortenſ. navit, egregia fortitudinis & potentiæ ſpecimina edidit. Hic quinquaginta millia militum tunc
1551. collegit, ut ingreſſu prohiberet Turcas, & cum ſeptuaginta millia militum Lippam obſedit. Quid
1595. vero nuperrime Sigismundus Princeps contra hunc Tyrannum non eſt molitus? Nonne Sinan Baſſam fortisſime ex VValachia ejecit? eique gloriam rerum proſperrime in oriente & occidente geſtarum, & tanto temporis ſpacio acquiſitam eripuit, maximamque ejus laudibus maculam inuſſit; ut animi dolore & indignatione tandem mortuus dicatur. Nec unquam Turca unguibus ſuis Tranſylvaniam arreptam retinere potuit, licet aſtu & inſidiis ſæpius id tentarit. Tantum abeſt ut hoc tempore illud efficere queat, cum tam fortes heroes ipſi reſiſtant, qui non modo omni fide & diligentia eam tueantur, ſed imperii quoque limites diutisſime prolatant. Nec *VValachia* ſuo defuit officio, cum ſtrenuos nacta eſt duces & Principes; qualis Dracola fuit, cujus ſtrenuitatem & alacritatem hoſtes ſæpius experti ſunt. Nec raro Turcicarum copiarum hæc regio ſepultura exſtitit. *Hungaria ſuperior* cis & ultra Tibiſcum ſita, tanta incolarum multitudine eſt referta, ut juſtus inde exercitus conſcribi poſſet, ſi vero zelo patriæ ſuccurrere velit. *Croatia* inter omnes regni provincias in peſſimo ſtatu verſatur, nec niſi paucisſimos, ſed optimos tamen, milites in bellum mittere poteſt.

Sed

Sed quid tam exacte minutiſsima hæc examinare juvat? cum ex omnibus hiſce regionibus tantum quadraginta millia hominum in bellum per quatuor annos continuos mitti poſcamus; quod fieri poteſt commodiſsime & facilime.

Hunc in modum facta computatione, ad Vngariæ fines centum millia hominum tam equitum quam peditum convenient, qui in tres partes, ut paulo poſt dicemus, diſtribuendi ſunt.

CAPVT III.

Comparatio Turcica & Chriſtianæ militia.

Videndum jam porro, quomodo cum tanto militum numero ter quater vel quinquies centena Turcarum millia ſuperare valeamus. Initio utriusque partis potentiam & commoditates belli tum incommoditates quoque comparabimus. In quo examine quatuor conſideranda veniunt quæ militiam diverſam & variam reddere ſolent: unde commoditates exercitui accedant: Dux *nimirum* belli Generalis, Milites, Arma *& denique* Comeatus. *Hinc tandem oritur Ratio procedendi contra hoſtem de qua ultimo loco dicendum eſt.*

Dux belli generalis.

Non hic locus diſſerendi de belli duce, quibus ille qualitatibus & virtutibus dotatus eſſe debeat, de qua re integrum volumen conſcribendum foret. Nec quantum momenti perſona ducis universo exercitui afferat. Nam ſapientes judicarunt, ſatius eſſe cervos militare ſub leonis quam leones ſub cervi auſpiciis. Ipſa docet experientia, multa maxima pericula & difficultates ducum prudentia averſas & ſuperatas fuiſſe, ubi copiarum robur vanum exſtitiſſet. Plurimi exercitus ex abjectiſsimis hominibus collecti maxima ediderunt belli facinora, ſtrenui ducis virtute allecti & conducti. Nec unquam legimus, ducem puſillanimum & abjectum ex optima conſtituta militia fortiorem & prudentiorem evaſiſſe. 1

His igitur rebus in aliam occaſionem remiſsis, unicum mihi, quod ad hoc bellum plurimum conducet tractandum reſervo, auctoritatem ſcil. ducis; quæ in Turcico exercitu plus quam usquam alibi viget. Namque Turcicus Imperator abſolutus eſt dominus. Cujus ex arbitrio pendet quidlibet pro libitu diſponere & imperare; nec alios in conſilium adhibere, vel aliorum rogare conſenſum etiam in rebus graviſsimis tenetur. Non igitur mirum, ſi imperatores bellici tanta inſtructi autoritate res præclariſsimas gerant. Parem ac prorſus eandem poteſtatem Turca ducibus ſuis quos exercitui præficit largiri ſolet; nihil ſuæ auctoritati reſervans, quam de bello gerendo vel pace ſancienda deliberationes. Titus Livius in pulcherrima illa Alexandri Magni cum ducibus Romanis comparatione idem plane confirmat; quod nunquam Romani duces plenam de bello gerendo poteſtatem habuerint: ſæpius a Tribunis plebis delectus antequam Roma diſcederent impediti fuerint; quod poſt tempus ad bella iverint: quod ante tempus comitiorum cauſa revocati fuerint; in ipſo conatu rerum circumegerit ſe annus: quod collegæ nunc temeritas nunc pravitas impedimento aut damno fuerit: quod male geſtis rebus alterius ſucceſſum ſit: quod tyronem aut mala diſciplina inſtitutum exercitum acceperint: Sed reges non liberi ſolum impedimentis omnibus ſed domini rerum temporumque, trahant conſiliis cuncta non ſequantur. In eandem ſententiam ſuaſit Fabius Maximus Senatui Romano, ut Annibali ducem quendam ſtrenuiſsimum opponant, eique liberam imperandi & decernendi poteſtatem tribuant, nec temporis vel belli gerendi modum ei præſcribant. *Lib. 9.* *Lib. 24.*

Duo hæc teſtimonia ex accuratiſsimo authore deprompta nos admonent, quid ducibus noſtris, quos contra Turcas emittimus, inprimis deſit; libera ſcilicet agendi & imperandi authoritas, Qua cum polleret Alexander, tanquam Princeps abſolutus, quidvis imperavit pro libitu. Secus poterant Romani duces, qui reipubl. parebant, hos tamen eadem pollere auctoritate Fabius volebat. Tritum eſt Politicorum axioma, rerumpublicarum deliberationes & executiones tardius procedere, quam Principum; quod in illis plurimorum conſenſus & judicia requirantur, quæ ſæpius propter varia conſulentium ingenia varia ſunt & diverſa. Germania atque Hungaria mixtum quoddam imperium habent. Princeps enim reliquorum ordinum conſenſum in comitiis requirere & impetrare tenetur; ſine quo in bellum proficiſci non poteſt. Etſi in omnibus aliis rebus ad rempublicam & ad libertatem contra tyrannos vindicandam ſpectantibus hic procedendi modus approbari poteſt: in rebus tamen bellum concernentibus damnoſiſsimus & periculoſiſsimus eſt. Inprimis vero ubi cum adverſario potenti, qui libere imperat & expeditiones celerrime proſequitur, bellum gerendum eſt.

Ejusmodi militandi rationem revera Turcæ obſervant. Quos arma arripuiſſe, & excurſionem ad felicem eventum produxiſſe, ac reduxiſſe copias vidimus, citius quam noſtri, comitiis atque conventibus immorati, vires colligere & militem conſcribere potuerint. Huic malo remedium commodius illo Fabii Maximi applicari non poteſt. Vt nimirum dux belli eligatur, qui ſupremam imperandi autoritatem atque poteſtatem habeat, isque de rebus omnibus inſtruatur perfectiſsime, unde conſilium in fortuitis caſibus capere poſſit, ne teneatur aliunde illud petere, cum belli fortuna & vices, ex Scipionis ſententia, non ſemper admittant conſilium maturum capeſſere, vel ex longinquo illud accerſere, ſed ſubito ſæpius ineunda ſit ratio agendi & ex ipſis eventibus & ſucceſſu rerum petenda. Secretarius ille qui diſcurſus ad Livium ſcripſit, dicit respublicas quasdam, ubi ſuos in bellum duces emittunt, & quid ipſorum ſit officii eos admonuerunt, probe illos inſtruxiſſe ſibi videri, cum ultimo loco ſevere ipſis imperant, ne ulla ratione manus cum hoſte conſerant, niſi *lib. 3. c. 10.*

 prius

prius Senatus ea de re ſententiam rogarint. Sæpius ſane evenit, ut hoſtis procul ab urbe diſſitus pugnandi occaſionem præbeat commodiſſimam, & tam ſubito, ut ſtrenuus dux vix illam animadvertere poſſit, quæ etiam minima interjecta mora elabatur. Hoc incommodum ex falſa quadam imitatione prudentiæ Fabianæ in prolatando bello oriri, idem auctor ſcribit, cujus ſpecie eas respublicas deceptas aſſerit. Et vero Fabius legitimo exercitu quem Annibali opponeret inſtructus Martis aleam nunquam fugit; ſed ex prioribus cladibus cautior factus, commoditates pugnandi diligentius explorare & experiri voluit; quæ ſi ipſi ſerviebant, aggredientem Hannibalem nunquam reformidavit: nec Hannibal omiſiſſet illum in propriis munitionibus aggredi, niſi caſtra ipſius optime munita, & ſatis virium, quibus ſe ſuosque tueretur, eum habere noviſſet. Neque Fabius potuiſſet evitare pugnandi neceſſitatem, niſi caſtra ab Hannibale ad aliquot milliaria remota collocaſſet. Quod Philippo contigit, quem Romani armis aggreſſi fuerant, in locis difficillimis & anguſtis; hos cum ille, ſæpius mutatis belli ſedibus, ex provincia in provinciam fugeret, regionem univerſam de qua controverſia erat hoſti deprædandam & devaſtandam reliquit; unde cognovit, plena Romanos victoria frui, niſi eam jacta fortunæ alea denuo ipſis eriperet. Fieri itaque non poteſt, ut contra imminentes hoſtes regio defendatur & ſalva atque incolumis conſervetur, niſi aliquando ma-

1448. manus conferantur, hoſte inprimis illud requirente, quod Hungaria in ſuo Corvino experta eſt. Errant igitur ſummopere, qui prohibent duces, quibus regionis defenſionem committunt, ne niſi juſſi expreſſo decreto cum hoſte dimicent. Quin potius iiſdem imperandum foret, ut pugnent

Veg. lib. 3. c. 26. oblata occaſione commoda, quæ plus ſæpius in bello quam vires ad victoriam facere ſolet. Ejusdem fuit ſententiæ Marchio ille Savornanus, interdicta pugnandi copia duci auctoritatem tribui dicens ut vincatur, ſed ut ipſe hoſtem vincat eidem adimi & auferri.

Qui igitur in Hungariam mittendus eſt belli imperator, abſoluta pollere debet auctoritate, ſine exceptione imperandi quæ commoda quæque neceſſaria ipſi videbuntur. Neque ad præſcriptum tempus conducendus; neque ſingulis annis novus ſubſtituendus, ſed bellum tamdiu uni alicui committendum, donec tandem ad finem perducatur. Hoc etiam Fabii fuit conſilium, & Romani ſæpiſſime id ſecuti ſunt in bellis longinquis, prorogato ducibus imperio ſub Proconſulum nomine, quod ad hanc potius quam ad aliam expeditionem hos quam alios magis idoneos judicarent, quod rerum omnium perfectam haberent cognitionem & notitiam. Neque ob unum vel alterum infortunium ab officio dimoveri debent ſed confirmandi potius, cum clades acceptæ prudentiores eos & magis cautos reddere ſoleant. Tum etiam ne in eorum locum alios minus expertes ſubſtituamus, qui noſtro etiam periculo & damno tandem ſapere, & belligerandi rationes quibus hoſtes utuntur diſcere cogantur, cum hæ cuivis obviæ & notæ eſſe minime ſoleant. Verum enimvero, ſi libera agendi poteſtas uni cuidam ſummo duci tribuatur majori ſolertia atque induſtria munus ille ſuum obibit; ſiquidem omnis gloria rerum præclare geſtarum, tum etiam vituperium & infamia ad ipſum ſolum reditura ſit. Nec prætendere poſſit a remotiori conſilio ſe impeditum fuiſſe, in quod nullum ei fuiſſet imperium, cujusmodi habet in privatum conſilium, quod ſemper illum comitari debet. Quod cum in rebus arduis conſuluiſſent præſtantiſſimi duces, res præclaras magna ſua cum laude geſſerunt: contra multi magno ſuo cum damno & vituperio illud aſpernati ſunt. Nec parum in bello imperatori confert, ſi peritorum probe novit conſiliis uti; quod in tractatu de conſiliario bellico brevi me demonſtraturum ſpero.

Milites.

II. Sunt qui nervum belli pecuniam ſtatuant, ſuamque ſententiam (ut dicit ſecretarius) ex Salluſtio probare conantur, cujus tamen mentem illi probe non aſſequuntur. Vult enim Salluſtius, non modo pecuniæ defectum, ſed munitionum & victus inopiam, tum etiam alias occaſiones, ſæpius pugnas accelerare, ut inviti manus conſerere cogamur. Nam ſi, ut volunt illi, pecunia nervus belli exiſteret, Darius qui auri & argenti grande pondus poſſidebat, nunquam ab Alexandro victus fuiſſet: nec Romani Græcos atque Antiochum bello ſuperaſſent. Sapienter Solon Crœſo, cum illi omnes ſuos theſauros tanquam potentiæ ſuæ fundamentum commonſtraſſet, reſpondiſſe fertur: cum bella ferro conficiantur, facile aurum tibi adimere poterit, qui ferro melius inſtructus te aggrediatur. Non ſemper auro præclari milites conduci poſſunt: facilius ſtrenui milites aurum & opes acquirunt.

Quod in hoc ipſo argumento de Turcarum potentia infringenda dextre probabimus. Eam nimirum theſauris atque opibus invictam quidem manere, ſed ob copiarum atque militum defectum optime vinci poſſe. Licet plurimi hanc noſtram ſententiam, tanquam abſurdam, paradoxi loco habituri ſint: ob eandem tamen cauſam pecuniam inter ea præcipue, quæ ad militiam requiruntur, non poſcimus, ſed copias & milites, quod hi verus belli nervus exiſtant. *Primum* conſideremus copiarum quantitatem; *deinde* qualitatem, quæ in uſu equitum atque peditum conſiſtit: *tertio* denique, utrum hoſtium an vero noſtri milites in diuturniori bello deteriores vel meliores fieri ſoleant.

1. Quod ad *multitudinem* attinet, non eſt dubium, quin Turcicus exercitus Chriſtianorum copias longe ſuperet: ſed videndum num hæc vera ſit belli prærogativa, an ſaltem talis eſſe vulgo credatur.

7. Polit. 4. Sane perdifficile eſt & fere impoſſibile, ut dicit Ariſtoteles, urbem populoſiſſimam, & innumera habitantium multitudine refertam in officio continere, & probe ac dextre regere, quod ejusmo-

lib. 3. c. 1. di hominum multitudo non ſit capax ordinis. Vegetius in candem ſententiam dicit, non æque facile eſſe, cum numeroſiſſimo exercitu quam cum mediocri ex ſtrenuis militibus collecto victoriam conſequi.

conſequi. Unde Romani in bella, quæ haud periculoſa videbantur, decem millia peditum, & duo millia equitum ſub Prætore mittere ſolebant: in ea quæ plus videbantur habere periculi, bis totidem ſub Conſule mittebant: quæ videbantur difficillima & atrociſſima, ambo Conſules adminiſtrabant, quorum exercitus quadraginta millibus peditum, & octo millibus equitum conſtabat. Ejusmodi militum numero gentes plurimas & maxima hominum multitudine inſtructas vicerunt. Xerxes Darius Mithridates atque alii Reges, plus damni ab immenſa multitudine ſuorum quam a fortitudine hoſtium acceperunt. Nimia multitudo tarde incedit in expeditionibus; facile vel a fronte vel a tergo oppugnari & carpi poteſt, maxime vero in anguſtiis viarum vel fluviorum: quæ ad victum atque munitiones pertinent tantæ hominum multitudini difficulter procurari poſſunt: in præliis plærumque pars aciei tam immenſæ fugit, priusquam ad manus veniatur, ſolo conſpectu hoſtium fortiter ingruentium & reſiſtentium perterrita: ubi ſemel in fugam conjectus eſt miles, nunquam fere recolligi, & in pugnam reduci poteſt, fugam tandem ſequitur ſtrages & clades cruentiſſima, quod multis ſane exemplis probari poteſt. Plus igitur Turcico Imperatori obeſt quam prodeſt tanta hominum multitudo.

Ea in bello cum carere non poſſit, majores incommoditates experiri cogitur. Cum enim milites Turcæ armis non bene inſtructi, & ob id etiam ad oppugnationes atque reliqua belli munia, quoties noſtris copiis probe armatis & equis ponderoſis objici debent, inepti ſint, nunquam velitationes vel pugnas ineunt, niſi hominum multitudine ſe longe ſuperiores exiſtere ſciant. Sequuntur aliæ quoque incommoditates, quibus hoſtes urgentur. Cum enim milites eorum leviter ſint armati, & ad excurſiones quam ſtatarias pugnas magis idonei, majorem in equitatum quam peditatum curam collocant: ſed ubi oppugnationes aggrediundæ ſunt, vel aggeres demoliundi, aut foſſæ ſuperandæ, vel præcipitia occupanda, in quibus equorum nullus uſus eſt, peditum opera utuntur exercitatiſſimorum; quorum qui maxime præſtant ſunt Janizzari, quibus plurimum fident quod eorum virtute ac fortitudine plurimas victorias conſecuti ſint. Fatentur tamen imperfectam ſuam eſſe militiam, quia ad exercitia pedeſtria inutiles eſſe ſolent. Fugatis enim equitibus, quod ſupereſt refugium ad pedites pertenue eſt, & exiguum propter eorum paucitatem. Quibus non comprehenduntur Aſappi, quod fere inermes ſint & ad pugnas prorſus inutiles. In peditatu ſane gravitas potius & præſtantia armorum, & robur ac vires corporis, propter vehementem impetum, quam agilitas atque dexteritas requiritur. Hac Turcæ præſtantiores quam illa exiſtunt; unde eorum exercitus, ut dixi, plus in excurſionibus, & velitationibus ſeu tumultuariis pugnis, quam in alio belli uſu valet. II.

Sed utrum Chriſtianorum vel Turcarum milites longo belli uſu deteriores fiant vel meliores, videndum. De Turcis prius dicam; quorum autoritas atque reputatio quondam conſtitit in exacta obedientia, exercitiis militaribus; parſimonia in victu & veſtibus, patientia in expeditionibus & laboribus; quodque nec mortis tangebantur metu, ſiquidem fato quod evitari nullo modo poſſit omnia ſibi obvenire credebant. Ut autem nunc etiam talis ſit fieri fere non poteſt. Ex Secretario ſane conſtat, quod omnis res, quæ ſub cœlo continetur vitæ ſuæ finem ac terminum habeat certum & præfixum, cum ſit ſubjecta infinitis alterationibus, ob quas bonitas, quæ illam ſolet conſervare, ſucceſſu temporis corrumpitur, niſi quid extrinſecus interveniat, quod ad priorem temperiem eandem reducat. Communis medicorum eſt opinio; quotidie in corpore humano aggregari aliquid, quod quandoque indigeat purgatione, ſi hæc medicina & cura nimium differatur tandem corruptionem inde naſci. Hoc ut verum eſt in reliquis corporibus, in corpore myſtico rerumpublicarum facilime evenire ſolet; ubi non ſolum accidentia naturalia operantur, ſed variæ conſulentium opiniones, propter privata lucra, plurimum ad id conferunt. Reſpublicæ igitur atque regna, præfixo quodam tempore renovatione quadam opus habent, cujus auxilio ad eam qua prius florebant complexionem atque perfectionem reducantur. Inde concludimus, imperium, mortuo Principe ſtrenuiſſimo, ad abjectum quendam & timidum translatum, facile ab eo conſervari, modo ipſius gubernatio non duret longisſime, idque inprimis propter auctoritatem prioris & optimam imperandi formam & ordinem, ob quem tam cito cuncta corrumpi non poſſunt. Quod ſi huic timido alius ſuccedat Princeps ſtrenuus & fortis, regnum is facile ad priſtinum nitorem reducere & defectus emendare poteſt. Sed ſi timidum & abjectum alius excipiat, qui nihilo ſit melior, ſequetur ſine dubio certisſima regni univerſi ruina atque interitus. Quemadmodum contra, ubi duo Principes ſtrenui imperium adipiſcuntur, non mirum ſi terminos ejus longe lateque prolatent. Exemplum habemus in regno Romano; ubi Romulus bellator ſucceſſorem nactus eſt Numam pacificum, qui pace atque quiete uſus ad legum promulgationem: hunc ſecutus eſt Tullus animo feroci præditus, qui uſum armorum revocavit: Ancus vero ejus ſucceſſor ad pacem non minus quam ad bellum aptus, cum ad illam potius inclinare videretur, eaque de cauſa in contemptum apud ſuos perveniſſet, hoc arripuit: atque hiſce vicibus ad tantum imperii culmen Romana aſcendit reſpublica. Contrarium Judæorum regnum expertum eſt. In quo Davidi prudentisſimo & bello fortisſimo Regi Salomon filius ſuccesſit, qui in pace regnum non propria virtute ſed patris potius auctoritate & dignitate, quæ adhuc in animis ſubditorum atque exterorum vigebat, conſervavit; quod Roboamo, qui hunc ſecutus, non pari eventu ſuccesſit, ſiquidem paterno avo virtute atque auctoritate longe inferior eſſet. Hæc remedia inprimis adhibenda ſunt in iis regnis, quæ non ratione vel legibus reguntur, ſed a nutu & voluntate Principis & violentia quadam dependent, ad quorum conſervationem ſuprema quædam virtus, nec interrupta ſed continua requiritur. Sane Ottomannicum Imperium præ aliis violentum eſt, quod ab arbitrio unius ſummi Regis dependet. Nec ulla libertatis

lib. 3. c. 1.

lib. 1. c. 19.

III.

ſpecie

ſpecie gaudet, eoque magis expoſitum eſt mutationibus, quod ſtatuta imperii non obligent ſubditos ad quietam & tranquillam vitam agendam, ſed cogant quaſi, ut armis atque rapinis ſtudeant. Quas cum extra territorium exercere non poſſint, domi invicem cum regni interitu eas tractare coguntur. Inde fit ut nunquam intermiſſio a bellis concedatur, ſed uno finito aliud incipiendum ſit, ne milites otio torpeſcant.

Qui diligenter Turcarum hiſtorias ab initio ejus imperii ad noſtra usque tempora evolvet, reperiet feliciſſimos ſemper in bello exſtitiſſe maximosque feciſſe progreſſus eos Imperatores, qui manu ſtrenui & animo forti atque invicto præditi fuerunt; qui legis & ſectæ, quam profitentur,
1300. ſtudio in bellis ſeſe exercuerunt, ne otio virtus ipſorum tabeſceret. Indefeſſa fortitudo & vis ani-
1481. mi invicta apparet in iis Imperatoribus, qui ab Ottomanno regnarunt ad Mahemetem usque Secundum, qui Conſtantinopolis atque Trapezuntis imperium cum plus ducentis urbibus Chriſtianis ad ſe rapuit. Ipſimet bella caſtrave ſequebantur. Severiſſima diſciplina militum inſolentiam atque luxum cohibebant; turpe ut duceretur militibus etiam qui majora obibant munia, auro vel ſerico veſtiri, vel in caſtris alio lecto, niſi tapeto humi ſtrato, uti. In juſtitia adminiſtranda ſeveriſſime prohibebant, ne iniquis extorſionibus ſubditi premerentur. Sæpius in publico comparebant, & privatorum querelas audiebant; quas ſequebantur pœnæ atque caſtigationes graviſſimæ. Hic regnandi ordo a Bajazethe II. intermiſſus, quod vitæ privatæ deditus eſſet, corruptelas in regnum plurimas induxit; quæ temporis ſucceſſu auctæ fuiſſent, niſi mature Selimus filius illud occupaſſet. Revocavit ille majorum & prædeceſſorum ſuorum conſvetudinem in audiendis ſubditorum querelis, & juris adminiſtrationem reformavit: ipſe bellis præfuit, militiam atque aulam ad priſtinam auſteritatem reduxit, & continuis bellis exercuit. Unde non modo in Europa limites imperii ſui latiſſime extendit, ſed in Aſia quoque Cairi regnum & Armeniam minorem occupavit,
T. Liv. lib. ac plurimas regiones Perſis eripuit. Ex quarum conquiſitione exercitus ipſius eosdem tulit fru-
99. ctus, quos Romani ex ſuperata Aſia perceperunt: cum milites victores luxum & mollitiem exterorum, ſplendorem ſupellectilis, inſtrumenta ludicra & muſica in conviviis, & ciborum exquiſitas delitias, in civitatem induxerunt, ad quæ cum ambitio ſenatorum accederet, ruina exſtiterunt tam probæ inſtitutæ reipublicæ. Sic ruinæ imperii Turcici principium ex Perſicis ſpoliis natum. Quibus aula tapetibus auro & rebus precioſis opulentior reddita fuit; cumque primum tanquam trophæa illata fuiſſent, poſtea in uſum quotidianum ceſſerunt, & pompæ pernicioſiſſimæ inſtar habitæ fuerunt. Ad conſervationem ejus magnificentiæ, cum multum pecunia opus eſſet, extorſiones
1520. atque angariæ ſubditis impoſitæ natæ ſunt, & officia auro venalia eſſe cœperunt. Quod ſi Selimo alter Bajazethes ſucceſſiſſet, dubio procul Turcica militia funditus everſa fuiſſet; verum Solimannus bellicoſus & ſtrenuus Imperator, qui continuis bellis maximo cum Chriſtianorum damno mili-
1556. tes in Ungaria imprimis exercuit, diſciplinam priorem reſtauravit. Succeſſorem habuit Selimum II. qui in ea paſſim fuit exiſtimatione, ut neminem haberet quem jure timeret; geſſit quædam bella, ſed maritima pleraque, ipſe vero domi permanſit. Sub hoc Imperatore militia aulica, otium atque opes nacta, delitiis indulgere potuit; quibus adeo abuſa eſt, ut per oſtentationem aulici & officiarii certarent invicem, quis ſplendidiora & pretioſiora munera Imperatori offerret, majorem aleret mancipiorum numerum, magnificentius auro ſerico & gemmis ornatus atque veſtitus incederet; unde precium pecuniæ auctum, & ad ſummum avaritiæ gradum omnia fuerunt redacta, nec amplius munera atque officia inter bene meritos diſtribuebantur, ſed iis qui plus æris obtuliſſent conferebantur. Qui dignitate erant inferiores modum potius cumulandi pecunias, quam gloriæ ex rebus bene & fortiter geſtis adipiſcendæ quærebant; ut illius ope ad munera altiora aſcenderent; omnis miſeria redundabat in miſeros agricolas, qui angariis opprimebantur, & in extremam redacti neceſſitatem agriculturam deſerebant, fugaque ſibi conſulere cogebantur: inde regionum vaſtitas inducta, decimæ non fuerunt ſolutæ, & ſtipendia feudatariorum ſeu Timariotorum ceſſaverunt. Nec ſumptus ſubminiſtrati fuerunt ad aulam & militiam ſuſtentandam. Unde præter loca maritima & limites imperii reliqua ditio fere univerſa deſerta quaſi videbatur.

Ex his quæ in medium fuerunt allata concludimus: Turcam in hiſce bellis, in quibus una cum provinciis bello captis ſubditos ad bellum idoneos nullos ſibi ſubjicit, deteriorem potius quam meliorem ſtatum imperii ſui reddere; idque magis, quo diutius protrahuntur & ſæpius iterantur ejusmodi bella, & factiones inter milites copiarum numerum minuunt. Quarum defectus, niſi ordinem militiæ immutare velit, nusquam alibi quam ex Seragliis ſuppleri poteſt: in quibus tantus eſt puerorum numerus, ut ſi ter vel quater inſigni clade exercitus afficeretur, defectus occiſorum ſuppleri poſſit. Sed ulterius non ſufficient, etſi extraordinaria puerorum collectio vel exactio fieret; qui tam ſubito excreſcere & ad bellum ſi continuetur aſſveſieri nequeunt. Interim provinciæ incolis privantur, præter ruſticos, quorum nulla habetur ratio, qui ſingulis annis in expeditionibus moriuntur; Aſappi ſcilicet, foſſores, & qui commeatum in caſtra conferunt. Bis ſingulis annis extrema illis calamitas a prætereuntibus militibus infertur; quos hoſpitio excipere & ſtipe juvare tenentur, præter reliquas inſolentias, quæ ipſis inferuntur. Coactus igitur & invitus Turca breviora quidem bella, ſed immenſo cum apparatu gerit; & ſemel in Aſia pace inita, quo ruſtici qui ibi ſunt poſt tot tantasque miſerias perpeſſas quieſcere & ſeſe recolligere poſſint, bellum in Europam transfert, ne otio torpeſcant & corrumpantur milites.

Hinc igitur adparet error quorundam, qui bellum continuando deteriorem Chriſtianorum ſtatum fore exiſtimant; quod non copias ſed pecuniam belli nervum ſtatuant. Quod equidem nunquam

quam mihi perſvadere potui; tum propter rationes ſuperius allegatas, tum quod ipſa experientia fuerim edoctus, Turcas non diuturna ſed vaſtuoſa bella gerere. Quod ſi potius e re ſua fore cognoviſſent, bellum protrahere quam finire, dubio procul conſuluiſſent rebus ſuis, prout ipſis viſum fuiſſet commodiſſime. Nec dubitandum quin ſæpius hac de re in concilio tot Imperatorum fortiſſimorum, totque ducum ſtrenuiſſimorum inſtituta fuerit conſultatio. Namque imperio quam longiſſime dilatato incommoditas illa aucta eſt. Siquidem milites ab extremis limitibus ad alteram imperii extremitatem, per media quaſi deſerta deduci nequeunt, niſi cum proprio detrimento & ruſticorum everſione. Quod firmum eſt argumentum inſtantis ruinæ, quæ minatur monarchiam hanc, ad tantam amplitudinem & vaſtitatem propagatam, ut partes extremæ a ſuo centro debita auxilia atque ſubſidia difficulter accipere poſſint. Verum nimis diu in hac materia immorati ſumus, quæ tamen conſideratu digniſſima eſt; unde fundamentum præcipuum noſtræ quæſtionis, quam decidendam ſumpſimus, dependet.

Ad deſertionem & deſolationem provinciarum, quæ ex nimia ruſticorum & ſubditorum extorſione & miſeria provenit, aliud acceſſit ſub Selimo II. incommodum non minus grave quam præcedens. 1571. Claſſe enim Turcica poſt expugnatam Cypri inſulam profligata atque deſtructa, & maximo rerum maritimarum apparatu amiſſo, adeo Imperator animum a belli maritimi ſtudio ſubduxit, ut à navigatione & mari protinus abſtinere ſecum ſtatuerit. Secus ac fecerunt majores ipſius, qui incrementi & authoritatis ſpem non minimam in re maritima poſuerant; cum Græci ut ſumptibus parcerent ejus imperium ſpreviſſent & neglexiſſent. Remedium huic malo afferri quiviſſet, ſi quis Solimannus regnum adeptus eſſet: ſed Amurathes III. ſucceſſit, qui mollis ipſe aulam delitiis & ocio perditam habuit, nec Turcicam militiam enervatam atque corruptam e fundamentis reſtaurare & ad priorem ordinem revocare; nec pacem cum vicinis conſervare novit, qui Solimanni fortitudine perterriti, ab armis hactenus quieti abſtinuerant. Imperator delitiis Seraglii vel aulæ vacabat, res quæ imperii ſtatum concernebant conſiliariis tractandas relinquebat, neque proprias neque hoſtium vires atque potentiam explorare & perſcrutari curabat. Sinani Baſſæ conſiliis, qui primi Viſieri officio fungebatur, irretitus, bellum quod nunc in Ungaria durat, in ejus favorem ſuſcepit, ut inquietæ ipſius voluntati atque naturæ obſecundaret: cujus tamen fructus nimis amaros, præventus morte, guſtare non potuit. In imperio ipſi Mahometes III. omnium cum applauſu & lætitia ſucceſſit, 159[illegible] quod ad bellum magis patre Amurathe inclinare, idque a juventute foviſſe, videretur. Attamen mulierum illecebris corruptus, non eſt profectus, ut tot malis hoc in bello illatis ſuccurreret, & remedium afferret, verum etiam duces militiæ præcipuos vita temere privavit, cladium cauſas non corrupto exercitui ſed ipſis ducibus imputans. Primum Ferathum Baſſam virum bello præſtantisſimum ad Sinani querelas & accuſationes laqueo ſuffocavit; Sinanus ipſe non abſque 1595. ſuſpicione veneni periit, quod a Tranſſylvaniæ Duce anno proxime elapſo cæſus fugatusque fuiſſet. In tanto ducum præſtantium defectu claſsis curam ejusmodi homini commiſit, qui rei maritimæ ſtudium nec didicit unquam neque tractavit. Ipſe vero cum Cigala in Ungaria comparuit, forſitan quod exercitus, niſi ipſius ſub auſpiciis, in bellum proficiſci nollet. Agriam exigua ſua cum laude cepit, quod neque ſitu neque manu eſſet munita, & præſidiariorum culpa in ejus occupatione haud levis interveniſſet. Exercitum Chriſtianorum culpa noſtrorum fugavit, cum prius milites ipſius turpi fuga multoties ſalutem quæſiviſſent, quorum numerus infinitus periit. Quod ſi, fortuna æque ac virtus bellicumque robur eos deſtituiſſet, hoc anno fundamentum ſuæ libertatis Hungaria primum ac firmum jeciſſet. Magno ſane conſtabit labore Turcico Imperatori, ut rurſus confirmet tot cladibus fractum ſuorum militum animum; unde ab exiguis noſtris copiis ſæpius immenſa ipſius multitudo cæſa atque deleta fuit. Hinc cauſſæ patent, ob quas provinciæ quædam integræ ejus jugum excuſſerunt, Walachia ſcilicet atque Tranſſylvania, e quibus militiæ Turcicæ plurimæ quondam commoditates proveniebant. Quod ſcilicet a potentia & viribus earum provinciarum nihil eis periculi metuendum eſſet, quas ſemper antea horruerant atque formidarant. Apparent quoque occaſiones, cur tam invite militiæ nomina dent ſubditi, qui ſponte quondam ſua & ultro in bellum procurrebant. Notæ ſunt æmulationes atque diſcordiæ, quæ inter præcipuos duces vigent: inter Sinanum quidem & Ferathum non ita pridem, hodie inter Hibraimum, (cui Sultanæ favent, quod paci ſtudeat & bellum deteſtetur,) atque Cigalam, qui officio primi Viſieri, quod virtute militari commeritus fuerat, privatus ad alios regni limites relegatus fuit Giaffer Baſſa ſuffocatus periit. Quod ſi hæc tyrannis in reliquorum aulicorum notitiam perveniret, non mirum foret, ſi communis quædam rebellio ſequeretur; cum cuilibet extremum periculum vitæque diſcrimen jure timendum ſit, quod ad libitum mulieris, etſi nihil gravius ſit commeritus, incurrere poſſit. *Et hæc de Turcico exercitu dicta ſufficiant.*

Noſtrum exercitum quod attinet, jure dicimus continuo belli uſu longe meliorem eum exiſtere. Namque *Germanorum* civiles diſcordiæ authoritate atque prudentia Imperatoris Rodolphi ſublatæ, & bellorum occaſiones extinctæ fuerunt. Ille quidem diu præmeditans, atque ſecum animo bellum volvens, ad id pacis tempore ſeſe inſtruxit: interim Germanorum animos pacavit, remotis diſſenſionibus, quibus irretiti non conſiderabant periculum, quod ab inſtante hoſte potentisſimo imminebat. Hinc factum, ut majora auxilia quam unquam antea Germani contra Turcam miſerint. Iidem edocti, quanta facilitate ſuis viribus Turcicam potentiam infringere poſſint, relicto priſtino belligerandi modo, non ſolum quæ adhuc poſſident defendunt, ſed hoſti quoque offenſivum inferre bellum, atque ejus propugnacula & urbes tentare obſidere & expugnare audent. Imperator noſter Ancum Romanorum regem imitatus, non minus ad bellum quam ad pacem aptum ſeſe declarans,

 ſubito

ſubito bellum acceptavit, cum Turcarum perfidia, occupata Biccia Croatiæ propugnaculo, & violatis legatis pax rupta fuit.

Quantum valeat *Hungarorum* virtus contra Turcas, ex eo patet; quod ipſi ſoli per ducentos fere annos fortiſſime hoſti reſtiterunt. Ut nunquam vel minimam partem hujus regni ſub jugum mittere potuiſſet, niſi civiles diſcordiæ aditum præbuiſſent, & fere januam in id aperuiſſent. Notæ ſunt clades, quas a noſtris accepit; tum etiam victoriæ, ob quas plurimi ſane duces, qui in Hungaria contra Turcas militarunt, triumphos adhuc hodie agunt. Idem probant tot factiones quæ adhuc vigent. Cum enim plurimi duriſſimum ejus jugum amplius perferre nequeant, animo confirmato ſeceſſionem fecerunt. Qui nunc difficillima quæque tentant & maxima cum laude ad finem perducunt; inprimis vero cum e ſua natione nacti ſint Principem Chriſtianum & bello ſtrenuum, qui memoriam Stephani & Matthiæ regis renovat.

Quæ ſint *Germani* militis laudes bellica virtute partæ, non opus eſt ex hiſtoriarum ſerie longius repetere. Natura videtur Germanos complexione & corporis diſpoſitione armorum & belli oneri perferendo aptos procreaſſe; nec aliud ipſis deeſt præter exercitium, quo ob diuturnam pacem caruerunt, eoque deſtituti timidiores in proximis expeditionibus exſtiterunt. Siquidem nemo ea fortitudine natura doratus eſt, ut primo hoſtium impetu (niſi ira ſit commotus) animum non dimittat: verum ubi aliquoties ad manus cum eo fuit deventum & pugnandi modum didi-
1480. cit, abjecto omni timore ipſe prompte in aciem deſcendit. Ejus rei exemplum in Italis vidimus,
Bonf. lib. 6. qui ad Hydruntem, licet bello aſſueti ne aſpectum quidem hoſtium ferre potuerunt; perciti novi hoſtis fama & timore. Tum quod novam pugnandi formam prius non fuerant experti, adeo fuerunt perterriti, ut non dubitarint ex Ungaria copias quasdam extrahere & evocare, qui Turcis reſiſtere ſcirent. Sane uſus atque neceſſitas plurimum ad inſtruendos milites in bellica diſciplina conducunt. Vidimus in his ipſis regionibus veteres Germanorum legiones fortiſſime ſeſe in bello gerere, & exiguo militum numero non modo hoſtem non fugere, vel detrectare prælium, ſed ipſum quoque ad pugnam quærere provocare atque inſectari. *Bohemorum* equitatus male apud quosdam audit, quorum rationes ego non intelligo. Namque in Aſia Cairi deliciæ & aeris temperies homines molles & effœminatos producere ſolet. Exſtiterunt tamen plurimi ejus regionis incolæ, qui Mamuluchorum exercitui ſeſe junxerunt, & diuturno belli exercitio tam ſtrenui
Bonf. lib. 4. evaſerunt, ut cum ipſis Janizaris congredi, & manus conſerere auſi fuerint. Rex Matthias in Moraviam quondam delegaverat equitum quasdam turmas, ut hyeme atque æſtate ibidem militarent, quæ propter faciei nigredinem atræ legiones fuerunt vocatæ. Harum virtus adeo claruit, ut ſi quando una earum in exercitu numeroſo militabat omnibus formidabilis exiſteret, & reliquis copiis authoritatem conferret. Quid obſtat, quin hoc idem noſtro tempore eodem eventu tentetur, & in effectu ponatur?

Concludimus ergo, militiam noſtram diuturnitate belli meliorem factam eſſe: apud Turcas vero contrarium eveniſſe, ſiquidem tam ſubito copias in occiſorum locum propter provinciarum defectiones reſtaurare nequeant, tum quod in præliis plerumque fortiſſimi quique cadunt, quorum in hoc bello ad minimum centum millia occubuerunt, illi in primis qui in hiſce regionibus magis erant verſati & cogniti. Quod ad reliquam fæcem exercitus, collectam ex viliſſimis quibusvis, attinet, occiſorum numerus commemorari non poteſt. Turca quidem in tam vaſtuoſo imperio facile immenſam multitudinem hominum ſcribere poteſt; ſed pauci in ea milites ſtrenui reperientur, niſi juſtis præſidiis propugnacula limitanea denudare & privare velit. Objiciunt quidam, etiam a noſtris tyrones & novitios in militum numerum referri, qui nunquam antea hoſtis conſpectum viderunt. Fateor id quidem; ſed Turcarum diverſam eſſe rationem dico; ſiquidem noſter exercitus hominibus conſtat liberis, qui etſi cuncti in rebus bellicis non ſint exercitati, ingenia tamen ad militiam applicant, & uſum tractandorum armorum gladii in primis & bombardæ norunt. Contra Turcarum exercitus, præter Timariathos & milites qui privilegiis gaudent, conſtat hominibus abjectiſſimis & viliſſimis mancipiis, quæ nulla ſpecie libertatis fruuntur, reliquorum militum inſolentiis expoſita. Ruſticis in primis, quibus ne arma quidem relinquuntur; quos Judæorum fæci abjectiſſimæ, qui inter Chriſtianos vivunt, vere comparare lubet. Huc accedit, quod in regionibus ſeptentrionalibus homines naſcuntur ſanguine completi: unde etiam cordatiores exiſtunt, pericula ſpernunt, nec vulneribus terrentur, ut Phyſici dicunt, facilius quoque aeris intemperiem perferunt.

Hæc de militibus, nunc de armis.

De Armis.

III. Arma quod attinet, duo primum in conſiderationem veniunt: Quantitas ſcilicet & Qualitas. Ea autem in omni exercitu armorum *quantitas* habenda eſt, ut non ſemel inde milites armari poſſint, ſed cum ob varios caſus illi pereant, vel uſu conſumantur vel abjiciantur in fuga, alia ſemper aſſervanda ſunt quæ militibus in perditorum locum tradantur. Nec eadem ad cunctos belli uſus conducunt: ſæpius ubi ſtratagemate hoſtis vincendus eſt, expedit paribus vel ſimilibus armis militem induere, ut hoſtem decipiamus. *Qualitas* armorum in uſu & prærogativa conſiſtit. Alia enim offenſiva ſunt, alia defenſiva. Illis aggeres diruimus, quibus tormenta bellica & omne genus machinarum comprehendimus, & hoſtem cominus & eminus petimus. Cominus ut eſt haſta, lancea, gladii & ſimilia. Eminus vero, ut arcus, bombardæ, & omne genus miſſile. Defenſiva arma ſunt, clypeus, ſcutum, ferrei thoraces, loricæ, & quicquid denique tutum corpus ab ictu hoſtili conſervat, quibus dubio procul noſtri Turcas longe ſuperant. Armorum prærogativa non omni-

omnibus nota eſt, ſiquidem e ſubtili hominis ingenio proficiſcitur: cum nimirum diligenter perpendimus, quæ arma hoc loco, hoc tempore, & in hiſce actionibus utiliter adhibenda ſint. Quod qui non obſervarit diligentius, contrarium forte ſuo conatu eventum experietur.

De hac materia inferius, ubi de aciebus ordinandis explicandum erit, fuſius dicemus.

De Commeatu.

Inter reliquas difficultates, quibus nonnulli moti, domi hoſtem expectandum ſtatuerunt, præcipua fuit commeatus & rerum ad victum pertinentium defectus atque penuria. Siquidem enim offenſivum bellum ſit gerendum, longius in hoſticum, per deſertas ſcilicet provincias, proficiſcendum, & commeatus qui tanto exercitui ſufficiet maximo cum labore & ſumptu portandus foret; cum milites noſtri, qui bonis cibis & vini potui aſſueti, ejusmodi nutrimento ſani & incolumes conſervandi ſint; Germani inprimis maxima copia indigent; tum pedites propter tot meretrices lixas & calones, inutile genus hominum, qui ipſorum ſequuntur caſtra, tum equites, qui propter armorum gravitatem & ne equos perdant ſæpius quieſcere ſolent. Minori apparatu Hungari utuntur. Minimo vero Turcæ atque Tartari. Equos ut plurimum ſolo ſtramine & fœno alunt. Milites deſtituti pane carne & vino ſæpius pulmento vel oryza contenti vivunt; laute ſe vixiſſe putant ſi fruſtum panis biſcocti nanciſcuntur: vel carne ſalſa, obdurata, in pulverem redacta, & aqua calida macerata, veſcuntur. IV. Jovius.

Tam auſterum vitæ genus quondam apud Turcas in uſu fuiſſe potius credo, quam ut hodie eo utantur. Qui in hac opinione ſunt, ſententiam ſuam Vladislai exemplo confirmant, quod defectu commeatus potiſſimum, cum ad Hemum usque proceſſit, copias reduxiſſe credatur. Eandem victus penuriam cauſſam extitiſſe, quod ad Varnam pugna cum maxima incommoditate fuerit commiſſa. Tum etiam quod in Croatia nihil laude dignum effici queat; ob caritatem annonæ potius fieri, quam propter militum paucitatem & defectum. 1443. Bonf. l. 6.

Ut ad hanc objectionem reſpondeam, equidem ſatis mirari non poſſum, ſapientes quosdam viros hiſce difficultatibus irretitos, conſuluiſſe tam inſignem errorem, ut hoſtem ſcilicet domi expectemus, in regione florentiſſima & fertilisſima, ubi commodisſime ſeſe poſſit ſuſtinere, ne cogatur longius adferre commeatum. Non igitur ſterilitas ſed difficultas commeatum deducendi, & quæ inde ſecutæ ſunt confuſiones, noſtros perterruerunt, quod nullum huic malo remedium adhibere ſciverint. Quod ſi recte fertilitatem regionis, & commoditatem tot fluminum navigabilium, tantam copiam armentorum & vehiculorum perpendiſſent, certe ulterius penetraſſent. Quod in hunc usque diem noſtra in primis culpa & incolarum diſcordiis intervenientibus nondum tentare auſi ſumus. Vladislaum quod attinet, nunquam ille ſibi perſuaſit fore ut Turca pugnam fugiat, vel quod tranſitu ipſum impedire poſſet. Non vero credidit fore, ut ex Aſia tam cito Amurathes contra inſtructiſſimum Chriſtianorum exercitum revertatur in Europam, ut ipſum prævertetet antequam in Thraciam provinciam fertilisſimam perveniret: quod ſi tale infortunium ſuſpicatus fuiſſet, facillime rebus ſuis aliter conſulere quiviſſet. Croatiæ defectibus quo minus conſulatur & proſpiciatur, noſtra potius confuſione, tum quod Ordines regni a bello adhorreant, quam ex ignorantia vel impoſſibilitate quadam evenit. Cum videamus, hoſtes Conſtantinopoli usque jumentorum dorſis ſuos adferre commeatus, & ob eam cauſſam immenſum impedimentorum numerum & acervum ſecum in bellum extrahere.

Primum ſciendum Chriſtianum exercitum ad trium provinciarum limites emittendum. Viginti mille in Croatiam: triginta mille ad Tranſylvaniæ & Walachiæ confinia: quinquaginta mille ad Danubii ripas ſubſiſtent. Neceſſitate tamen urgente bina caſtra conjungi poſſunt. Suppono alteram quoque neceſſariam belli rationem; quod nunquam locus hoſtilis proficiſcenti exercitui a tergo relinquendus eſt; in primis vero prope flumina, ne qui commeatum adportant impediantur; qui non modo ab hoſtium inſidiis defendendi ſunt verum etiam ab incolarum latrociniis. Et ſemper turma quædam equitum emittenda, ad loca ſuſpecta perluſtranda & detegendas inſidias, ne metu prædonum impediatur commeatus comportatio. Opera quoque danda, ut pro ratione periculorum, & diſtantia locorum, unde merces afferunt mercatores, honeſtum hi lucrum percipiant, quo in poſterum ad mercimonia diligentius exercenda inſtigentur. Deligendi ſunt certi quidam officiarii, qui mercibus pretia juſta imponant. Certus eſt locus deſignandus, quo mercatores ſecure, tanquam in emporio, conveniant, & quæ attulerunt venalia exponant, vel aliis mercatoribus divendant, a quibus poſtea vehiculis & carris tuto in caſtra deferantur. Proficiſcente enim exercitu non ſemper ad ea loca, ubi ſubſiſtat, perveniri juſto tempore poteſt; & mora interveniente, merces quæ durare non poſſunt, corrumpuntur & fruſtra pereunt. Quod ſi iſta ſtricte obſerventur, non eſt dubium quin rerum omnium abundantia in exercitu ſit futura, propter tot fluvios navigabiles, qui per regiones fertilisſimas & copioſiſſimas dilabuntur. Leonc. lib. 7.

Cum vero ea loca ubi plus imminet periculi mercatores adire non ſoleant, neceſſarium foret (in Croatia imprimis) ut ejus provinciæ Ordines, qui militibus ſtipendia ſolvunt, granaria quædam publica in locis ſecuris conſtituant, unde avenam atque panem militibus ſtipendii loco numerent. Quin & pro ſingulis militum vexillis vehiculum vel jumentum quoddam ſolo pane bis cocto vel frumento onuſtum circumvehi poteſt. Nec tamen eo ſine permiſſu belli ducis utendum, ſed ad ſubitas expeditiones conſervandum; ne quæ mora injiciatur, vel occaſio amittatur, donec de victu ſibi milites proſpiciant. Ubi vero per dies aliquot in loco certo quieſcendum eſt, jumenta atque vehicula tuto ad conſtituta illa emporia provinciæ vel mercatorum mitti poſſunt, ut quilibet pro ſuo vexillo quæ neceſſaria ſunt comparet. Quin & ſentina illa hominum inutiliſ-

ſimorum, mulierum puta atque colonum, ab exercitu abigatur atque depellatur: paucis exceptis, qui ægrotos curent & linteamina lavent. Quod peditibus Germanis inprimis uſu venit, qui laceratis veſtibus fere nudi revertuntur e bello, vel pereunt veſtibus deſtituti.

Poſtquam Tranſylvania atque VValachia (quæ vera Turcarum fuerunt granaria) ab ipſis defecerunt, maximis inde neceſſitatibus urgeri cœperunt, ſiquidem commeatum ex Aſia navibus Conſtantinopolim quidem, inde jumentis in Vngariam tranſportare coguntur. In Europa parum frumenti ex provinciis, quas poſſident etſi fertiliſſimis nanciſci poſſunt; quod exigui ſuperſint pagi, & ipſi quidem incolis vacui. Tum etiam quod per tranſitus militum, qui toties iterantur, omnis fere commeatus abſumatur, & regio depopulationibus quaſi deſerta reddatur: Si quis itaque commeatus comportandi rationem qua Turca utitur, deinde qui ſumptus requirantur ad alenda tot mancipia qui eos conducunt, tum quantum frumenti abſumat exercitus antequam ſedem belli attingat, recte perpendet, ſane reperiet fieri non poſſe, ut per tres vel quatuor ſeptimanas in
Lib. 9. uno loco Turca immoretur. Quod pabulationes quibus equitatus vix ſuſtentari poteſt, multo minus jumentis quæ vehicula trahunt alendis ſufficient; quorum numerum majorem eſſe Laonicus dicit, quam hominum qui militiæ inſerviunt. Ad Agriam proxime nonnulli opinati ſunt, prælium differendum eſſe quod hoſtis pabulationum & commeatus defectu brevi inde diſceſſurus ſit; cujus penuria plus damni in his regionibus percipit, quam arma hoſtilia ei inferre poſſint.

SECTIO ALTERA.

Quomodo in bello procedendum & bellum ſit gerendum.

Quæ hactenus a nobis dicta fuerunt, ad intelligenda reliqua in medium inprimis fuerunt allata, ſiquidem principalis hujus materiæ ſcopus in iis verſatur. Vt igitur probe intelligantur omnia, præcipua capita obſervanda ſunt: *Bellum* ſcilicet offenſivum in poſterum gerendum; *tum* quo ordine hoſtilis regio ſit aggrediunda; *poſtea* qua ratione acie cum hoſte ſit decertandum, & quod bellum pluribus annis protrahendum, & hyeme quoque gerendum, *denique* quomodo bello capta ſint conſervanda. Quod ſi in tam brevi compendio hæc omnia pro rei dignitate diſcuti, & examinari nequeunt, ii ſaltem, quorum plurimum intereſt, ea diligentiſſime conſiderare, & ad calculum ſingula revocare debent.

I.

Bellum offenſivum gerendum eſſe.

Quæ commoda quæve incommoda bella offenſiva vel defenſiva ſequantur, primum generaliter, tum particulariter conſideremus.

Ad prius quod attinet pluribus ſane exemplis comprobatum eſt, *Bellum commodius*, Guicciar-
lib. 18. dino teſte, *hoſti inferri, & in hoſticum derivari quam domi illud excipere.* Ejus rei exempla multa apud
Tit. Liv. Romanos ſcriptores legimus, qui earum partes plerumque potiores exſtitiſſe prædicant, qui primi arma,
lib. 1. arripuerunt. Vt habet Livius in conſultatione de bello Samnitis movendo, vel in Macedoniam
lib. 21. 18. transferendo: in oratione Scipionis de Africa debellanda: in conſilio Hannibalis, Antiocho dato,
lib. 24. de bello Italiæ inferendo; quæ loca omnia ſententiis exquiſitis ſunt referta. Inter quas hæ fere ſunt præcipuæ: præcaveri deſtructionem propriæ ditionis: hoſtem impediri, quo minus pro libitu ſuorum ope atque præſidio uti poſit, ſubditorum facultatibus hoſtilis exercitus devaſtatione everſis: hoſtem timidiorem reddi, cum qui aggrediuntur ſemper ſint ferociores: milites cordatiores ad pugnam reddi, quod procul a ditione propria & patria abſint: occaſionem ſuppeditari multorum animos explorandi, qui erga Principem male poterant eſſe affecti: victoria lucrata regionem hoſtilem poſſe occupari, priusquam hoſtis exercitum reſtauret. His rationibus aliæ opponuntur contrariæ,
lib. 9. quas idem Livius recenſet, deſcribens incommoda, quæ Alexander M. habiturus fuiſſet ſi in Italiam
lib. 18. deſcendiſſet: ut Fabius in Senatu contra Scipionem probat, & Paulus contra Hannibalem. Qui
lib. 22. idem hoc tandem fatetur: quod domi quisque majores copias colligere, quam extra ditionem ducere poſit: clade accepta patere, quo ſe in tutum recipiant milites a nece ſuperſtites: exercitum reſtaurari facilius poſſe: ſitus locorum & viarum cognitos eſſe, quos in noſtrum uſum convertere poſſumus; res neceſſarias domi ſuppeditari, quibus in peregrina regione ſit carendum.

lib. 2. c. 12. In hac materia Secretarius in hunc modum diſtinguit. Si, inquit, potentia ejus qui oppugnatur inferior ſit hoſtili, defenſivum bellum gerere debet, cum auxiliis externis deſtituatur; ſecus faciendum, ſi vires ejus tantæ ſint, ut acie cum hoſte concurrere, nec de victoria deſperare auſit. Duo inſuper hic conſideranda: Num regio natura ſitus, vel arte ſit munita, num pateat undique; Deinde utrum exercitus noſter e propriis ſubditis conſtet, quos convocare poſſumus pro libitu, an vero conductitios milites habeamus, iique conſenſu plurium conſcribantur. Quod ſi regio munita ſit, & militia ex ſubditis conſtet, hoſtis propter dictas cauſas domi expectari debet: Sin vero aperta ſit regio, & milites ab alterius arbitrio dependeant, non expedit ut defenſivum bellum geramus, ſed melius erit hoſtem prævenire, maxime vero ſi ille ſit vicinus & potens, cujus imperium ſubditi abſolute recognoſcant, quos ille pro libitu convocare & hinc inde emittere poſſit, qualis revera Turca eſt. Ejus rei Hungari exemplum præbent, quos nunquam hoſtis ſubegiſſet, niſi di-
lib. 31. ſcordiis civilibus irretiti (ut dicit Bonfinius) defenſivum bellum gerere conſtituiſſent; quod revera nihil aliud erat quam bellum gerere, non ut illis conducebat; ſed potius ut hoſti commodum videbatur. Maximis ſumptibus ingens ſæpius exercitus fuit collectus, isque ſine ullo fructu iterum dimiſſus, quod hoſtis rebus ſuis proſpere geſtis diſceſſiſſet vel anni tempus non pateretur

amiſſa

amiſſa recuperare. Accedit & alia haud levioris momenti cauſa; quod cum nos eo tantum animo bellum ſuſcipimus, ut nos defendamus, probe illud ſuccedere non poſſit: cum econtra ubi hoſtem offendere velimus, poſſit. Turca movendo nobis bellum offenſivum, omnes ibi impendit regni nervos, illis expugnans urbes & arces, hiſce oppugnans & debellans noſtros exercitus. Id quod non poteſt, cum ad defenſionem ſui tantum intentus eſſe velit. Prærogativa defenſorum conſiſtit in altitudine propugnaculorum, tectorum, & juſto laterum ordine extenſorum; qua ſic ſtante pauci multorum aſſultus ſuſtinere & reprimere poſſunt; ea jacente vincuntur. Jam quis merito ſperare poteſt, quatuor ſex aut decem hominum millibus diu hoſtem impedire? qui in obſidione loci alicujus centum aut ducentis millibus, his agendo curriculos, illis effodiendo terram foſſasque replendo, iſtis munimenta & aggeres educendo, ſtrenue occupetur, & totidem aliis in hoſtem eductis confligat: quia brevi temporis intervallo ſuperior evadat, ac munitiſſimum etiam propugnaculum evertat? & quodcunque præſidium enervet inque nihilum redigat abſque ulla militari arte, & ingenii ſolertia; niſi illud ſingulari naturæ beneficio inſigniter munitum ſit? Præterea rationes noſtræ effectum non ſortiuntur, cum ad ſuccurrendum obſeſſo alicui a Turcis caſtro certum præfinimus tempus: metientes illud non ex potentia hoſtili in hoc belli genere: ſed vel ex propugnaculorum magnitudine, quoad nos: vel ex commoditate ſitus: vel ex præſidii virtute, quam alias fortaſſis reſiſtendo viriliter conſpicuam fecit: non indagantes veriores eventuum cauſas. Vnde poſtea fit, ut ſuccurſus iſti ſemper tardius adveniant. Cui ſæpe accedit præſidiariorum perfidia, aut animi abjectio; ſicut hujus rei teſtis eſt omnis Vngariæ palmus. In eo autem belli genere, quo nos hoſtem aggredimur & impugnamus, eque ſuis latebris in planitiem ad arma conſerenda provocamus, multo ſecius evenit. Non enim poteſt in præliis campeſtribus ſicut in obſidionibus, uſurpare palas & ligones: ſed tantum lanceas, haſtas, & bombardas. Et hæc cauſa eſt, quod raro ad prælium apertum adduci poteſt; ſatis perſpectum habens, quantum hoc ſuis rebus vel proſit vel obſit.

II.

Quo ordine regio hoſtilis ſit aggredienda & debellanda.

Quæritur quis locus primum, quis poſtea ſit oppugnandus.

Diviſimus exercitum noſtrum in tres partes, tum ut hoſtium vires diſtrahantur, tum propter commeatus rationem, tum etiam ut præcaveantur confuſiones. Cum parte præcipua, quinquaginta ſcilicet millibus tum peditum tum equitum hoſti ad Danubii ripas occurremus. Altera pars, quatuordecim nimirum peditum, & ſex equitum millia in Croatiam mittenda; quæ cum ſterilis ſit & montuoſa regio, minores copias & plures pedites quam equites capere poteſt. Reſtant triginta millia hominum: e quibus Tranſylvano major numerus equitum Germanorum ſex millia ſcilicet, & quater millia peditum mitti poterunt. Sub ipſo quoque decem millia equitum, & totidem pedites Hungari militent. Siculi præſtantiſſimi forent, ſi haſtis præpilatis uterentur.

Exercitu hunc in modum diſtributo, duæ regulæ ducibus ſunt obſervandæ 1. Quod nullus a tergo locus hoſtilis ſit relinquendus: Altera, ut tempus & labor in loco, qui alicujus ſit momenti, occupando, inſumatur, & in eo honor & ſumptus qui impenduntur conſiderentur. Priori regula periculum avertitur, ne exercitus intercludatur, & ſecuritati eorum, qui commeatum comportant, conſulitur. Alterius obſervatio faciet, ut cum recentibus copiis loca munita & principaliora facilius occupemus; quæ minora alia ſequentur, quorum occupatio forſitan eadem opera & labore quo priora fuerunt expugnata, conſtitiſſet. Hoc conſilium Aſdrubal capta Placentia ſecutus eſt. *Ti. Liv.*
Marcello, cum Agrigentum occupaſſet, ſexaginta aliæ urbes & oppida ſeſe dediderunt. Antiochus *lib.* 17.
univerſa Theſſalia potitus eſt, cum Pheras in ſuam poteſtatem redegiſſet. Idem innuit Marcellus, *lib.* 16. 26.
Fabium Collegam reprehendens, quod Caſilinum exiguum caſtrum obſediſſet, quod ne tentare qui- *lib.* 24.
dem debuiſſet, eo tamen ſemel obſeſſo, propter honorem deſeri non poterat, etſi propter difficultates inde emolumenti parum & fere nihil Romanis accedebat.

Hoc igitur in primis tribus noſtris exercitibus obſervandum; ut nunquam hoſtilem locum a tergo inexpugnatum relinquant, ea maxime quæ ad fluvios ſita ſunt. Tum ut ſemper aggrediantur loca principaliora, & præclariora. Inde præter alia ſequetur, ut hoſtis ſi auxilio obſeſſis venire velit, nobis magna ſua cum incommoditate ſeſe accommodare cogatur. Nec a tergo aciem noſtram aggredi & confundere poſſit; quo unico modo noſtros prælio ſuperare antea conſueverat.

Vt ad ſingularia veniam, puto exercitum noſtrum majorem ad *Budam* occupandam initio applicandum eſſe; poſthabita Soluock, Agria & Harvvana, quod urbes iſtæ hoſti potius impedimento quam emolumento ſint futuræ & ex iis commeatus, qui per Danubium defertur, impediri nequeat. Buda vero ob has rationes capienda, quod nimirum una ſit ex urbibus regni primariis; hoſtes eam optime munitam æſtiment: regni ſit metropolis, & quod eſt præcipuum in meditullio fere ſita, unde verſus Solnock & Agriam commodiſſime præſidium mitti poteſt; nobis vero neceſſaria & peropportuna propter Albæ regalis obſidionem, qua ſimul etiam Iavarinum intercluditur & obſidetur. Si Solnock Agriam vel Hatvvanam obſidere velis, Danubii commoditate deſtitueris; in Iavarino occupando eædem difficultates & forſitan majores occurrent, minores tamen utilitates inde ad nos redundent, & parum honori noſtro conducet ſi defenſionibus aſſiduo, & amiſſis recuperandis innitimur. Fateor Iavarinum gravis inſtar ſtimuli eſſe, qui fortiter nos pungit, propter vicinitatem multorum locorum, qui magni ſunt momenti, & quod hoſtis inde magno ſuo cum fructu bellum

 gerere

gerere poſſit. Nobis tamen omnium rerum commoditas inſervit, foſſorum inprimis, qui maxima copia in ea regione reperiuntur.

Una Budæ obſidioni difficultas obſtat, quod exercitus dividendus & intervallo maximorum fluviorum ſeparandus erit. Eodem enim tempore Peſtam (quæ ad alteram ripam poſita eſt) cingere & premere convenit. Itaque ſub menſis Junii initium, coram hac urbe comparerem, cum hoſtis copias ſuas nondum conjunctas habet pontem ſuper fluvium conſtruerem, & melius cuſtodirem, quam in priori obſidione anno milleſimo quingenteſimo & quadrageſimo primo & nuper ad Javarinum factum, ubi pontis expugnationem deditio urbium ſecuta eſt.

1594 His primordiis ita conſtitutis, ambo loca ſimul aggrederer. Budæ fingerem arctius inſtare, ſed re ipſa vehementius urgerem Peſtam, quod facilior captu ſit, tum quod copiæ quæ Peſtam obſident facilius reliquis, ſi hoſtis auxilium Budenſibus ferre conetur, ſe conjungere poſſint. Quod ſi res ex voto cedat, nec aliud periculum ſupereſſe videatur, copiæ iſtæ Seghedinum obſidebunt; quod locus ille commodiſſimus ſit, non ſolum ad deturbandum hoſtem ex Hungaria ſuperiori, verum etiam ad tranſitum in Tranſſylvaniam confirmandum. Cujus Princeps occupato Chinadino, quæ parum a Lippa diſtat, ponte Tybiscum junget, eoque firmo præſidio munito, conſilia & auxilia noſtra quovis tempore excipere poterit. Ob hanc unicam cauſam, niſi adeſſent aliæ quoque, Budæ expugnatio non eſt omittenda; nec ſuaderem Tranſſylvano & Temesvvariam oppugnaret, niſi obſeſſa vel expugnata Buda, ne molem exercitus Turcici contra ſe irritet & convertat, cui noſter exercitus propter longitudinem itineris in tempore auxilio venire nequeat. Quia prius tranſitus confirmandus, & cavendum ne a tergo quid periculi immineat, priusquam tanti momenti res ſuſcipiatur.

In Croatia duo ſunt præcipua itinera, alterum ad Savum, ad Dravum alterum tendit. Illud confirmandum Petrinæ propugnaculi auxilio, & fluvius occupandus. Quod ſi ab ea parte Biccia cum locis finitimis occupari poſſet, confinia illa contra Boſniam tuta exiſterent, & exercitus ibidem ſubſiſteret. Inde alterum iter, quod ad Dravum ducit tentandum, quod Bobaccia exiguo intervallo ab eo diſtet, & propugnacula iis in locis quædam conſtruenda, quo ſeſe exercitus recipiat, ſi majoribus viribus Turca ingrueret: Hac ratione plurimum damni hoſtibus inferri poteſt, tum propter vicinitatem Sigethi, cujus illi maximam curam gerunt, tum propter commeatus defectum, atque impedimentum, ſi verſus Budam excurrere velint. Itaque exercitus hic ſi in iſtis regionibus ſolummodo quietus ſubſiſtat, reliquis duobus plurimum conducet: donec vel revera Temesvvariæ obſidio ſuſcipiatur, vel ſaltem fingatur, ut hoſtium conſilia atque copiæ diſtrahantur, quo Buda vel Alba regalis majori cum ſecuritate obſideri poſſit. *Hæc de præſenti materia dicta ſufficiant. In reliquis idem ordo & eadem regula in tribus illis exercitibus obſerventur.*

II.

De pugnis & præliis.

Secretorius de arte militari l. 2.

Artes quibus dux belli in primis excellere debet in ordinandis aciebus & pugnis committendis conſiſtunt. In his ſi probe verſatus & inſtructus eſt, reliqui errores qui ipſius culpa committuntur facile corrigi & perferri poſſunt. Qui contra artibus hisce deſtituitur, etſi reliquam militarem diſciplinam optime ſciat, nunquam tamen ad proſperum finem bellum arduum deducet. Namque pugna proſpere commiſſa defectus priores omnes delet & obliterat: victoria vero amiſſa reliquas actiones quæ præceſſerunt inutiles & vanas reddit. Quantum porro gloriæ & honoris victoria habet, tantum ignominiæ & periculi clades adferunt. Siquidem in rebus bellicis fortuna ut plurimum dominatur, in pugnis ejus imperium in primis adparet. Ubi decretum ducis non recte intellectum vel perceptum; ubi ordo præſcriptus non recte obſervatus: ubi temeritas aut vana quædam vox a minimo milite edita victoriam hoſti parat quem victum credebamus; ubi denique ex improviſo innumeri caſus eveniunt, quos dux belli conſilio ſuo prævertere vel aſſequi nunquam potuit. Ideoque ſuperius, ubi de militibus dixi, tandem in hunc ſenſum concluſi: Turcam commodius vinci non poſſe quam crebris pugnis, in quibus tamen magnam ille prærogativam habet. Ideoque relictis communibus illis ſtratagematibus ad ea revertar, quibus ut plurimum victoriam nobis hoſtes eripuerunt. Ante omnia de acierum ordine dicendum foret, quomodo tam numeroſo exercitui reſiſti poſſet, ſed cum ea materia pluribus capitibus conſtet, ad finem hujus libelli eam reſervavi.

Perpendi autem ſæpius mecum & examinavi pugnas celebriores, in quibus Chriſtiani a Turcis victi, eas præcipue quæ in Ungaria commiſſæ fuerunt, ubi (poſthabitis cauſis, ob quas ad manus ventum fuit) quatuor præcipuos errores & cauſas cladis noſtræ me reperiſſe puto; qui neceſſario inpoſterum præcavendi & corrigendi ſunt. Error inſignis videtur *ſi* exiguæ copiæ prælio cum immenſa hoſtium multitudine confligant: *ſi* nimio pugnæ fervore & cupiditate hoſtem aggrediamur: *ſi* milites ordines deſerant vel prædas agant, hoſte nondum penitus devicto vel lucrata victoria: ſi nimis diu hoſtem fugientem inſequantur. Hos errores, & quæ adhibenda ſint remedia, ubi pro dignitate materiæ probe deduxero, ſpero me ſatis evidenter demonſtraſſe, Turcam in Ungaria optime vinci poſſe.

Primus error.

Etſi victoriæ non hominum multitudine, ſed militum ſtrenuorum fortitudine apprehendantur, innumera ut exempla teſtantur eorum qui cum impari plane hoſtium numero manus feliciter conſe-

conſeruerunt: (Inter quæ clariſſima omnium Luculli eſt victoria; qui aperto Marte cum ſex millibus equitum & quindecim millibus peditum Tigranem immenſa hominum manu ſtipatum profligavit. Qui cum Romanorum caſtra e longinquo luſtraſſet, per jocum dixit; ad legationem tot hominibus non opus eſſe, ad exercitum majores copias requiri.) Attamen Turcæ non adeo ſunt ſtupidi & inſulſi, cujusmodi a nonnullis finguntur, ſiquidem ab infantia ad labores & bellica exercitia aſſueſiunt. Neque in noſtro exercitu ea diſciplina militaris cernitur, quæ quondam floruit; unde pauci ſæpius heroica plane facinora & quaſi miracula contra numeroſiſſimos hoſtes ediderunt.

Quemadmodum igitur belli dux merito ignorantiæ vel timiditatis accuſaretur, ſi ad Turcam vincendum trecenta vel quadringenta hominum millia conſcribere vellet, quo æqualem hoſtili exercitum haberet, non conſideratis aliis prærogativis: Sic ſtultæ temeritatis notam merito quidam incurret, ſi cum quindecim vel viginti millibus militum victoriam ſibi promitteret. Nam etſi ejus rei exempla in regibus & ducibus quibusdam habeamus, ii tamen non ſtudio ſed vi & extrema neceſſitate coacti ad manus pervenerunt. Vladislaus putans Amurathem plane Europa excluſum eſſe, 1444. cum viginti quinque millibus in expeditionem profectus eſt: (etſi Dracola ipſum præmonuiſſet, ne *Bonfin. l.* cum tanta paucitate ulterius procederet, ſiquidem Turca ad venationes majores copias ſecum trahe- *26.* ret) hoſte igitur ſubito comparente tuto ei cedere & pedem referre non licuit; nec ſubſiſtere etiam poterat, quod commeatus inopia exercitus laboraret, fortunam itaque tentare coactus fuit. Paulo 1441. poſt Joannes Corvinus, ut ignominiam illam antiquaret cum viginti duobus millium pugnam invi- *Ibidem.* tus cum eodem Imperatore iniit, priusquam reliqua adventarent auxilia. Neque Ludovicus ſtudio contra Turcarum aciem, quæ trecentis millibus hominum conſtabat, cum viginti quinque in prælium 1526. deſcendit, ſed cum hoſtem ad Dravum tranſitu prohibere cogitaret, & ſerius adveniſſet, nec ſubſiſtere poterat commode donec reliqua auxilia adventarent. Huc tamen non debet referri Sigismundi 1398. clades, qui cum ſexagies millibus militum cæſus fuit; non quidem propter exercitus debilitatem, *Bonfin.* ſed propter alios errores de quibus poſtea dicemus. Ad Agriam nuper exercitus noſter quinquaginta fere millibus militum conſtitit, cæſus tamen, non quidem copiarum defectu vel hoſtium fortitudine, ſed propter alias quasdam confuſiones; vel quod exemplo Ludovici in inſidias fuerint deducti, vel quod nimis præcipitanter ut Sigismundus in prælium procurrerint, unde poſtea conſternati milites vano terrore perterriti fuerunt.

Sufficient igitur quinquaginta millia militum ad pugnam cum Turcis ineundam; maxime ſi ejus vires, ut ſupra dixi, diſtractæ nec in unum locum collectæ ſint. Præter rationes ſuperius allegatas exemplum me movet Romanorum, qui contra copioſisſimos hoſtium exercitus majores copias non duxerunt. Accedit ad rationem experientia quoque; quæ non ex ſucceſſu examinanda, in quo fortuna partem quoque ſibi vendicat, & aliæ occaſiones præter pugnantium fortitudinem interveniunt, ſed ex hoſtium confeſſione propria deſumenda. Cum Vladislao ſane, qui in prima ſua 1443. expeditione quinquagies mille hominum in aciem duxit, manus conſerere Amurathes auſus non eſt, quin ne ad pugnam cogeretur tranſitus difficiliores Thraciæ obſtruxit. Multo minus Vladislaum 1492. II. cujus exercitus ſexagies millibus conſtabat, in acie expectare voluit, ſed ut tuto copias reducere *Bonfin. l.* & domum reverti poſſet, ſpecie legationis & induciarum eum decepit, & variis excurſionibus ipſum *42.* diſtraxit. Solimannus omnium Imperatorum Turcicorum fortiſſimus bis in Auſtriam cum trecenties & quingenties millibus militum, Germanorum innixus diſcordiis, deſcendit; verum ubi ſolum 1529. exercitum a noſtris conſcribi intellexit, qui tamen nondum in ipſius conſpectum venerat, turpiter 1530. inde diſceſſit, ejusque diſceſſus fugæ haud fuit abſimilis. Idem Strigonium atque Albam Regalem cum ducenties viceſies millibus militum expugnavit: ſed cum Ferdinandum cum quadraginta mil- 1543. libus hominum Poſſonium adveniſſe & recta contra ipſum tendere inaudivit, ſubito reduxit exercitum copiasque dimiſit. Infinita ejusmodi exempla in medium adduci poſſunt. Agria quoque ejus rei teſtis eſt; ibi quæ geſta ſint recenti adhuc memoria tenemus. Sane perinvitus, nec absque timore, hoſtis in aciem deſcendit, cogitans noſtrorum ſaltem animos tentare, vel confuſiones inter eos excitare, quæ ipſius commodo ſervirent: ubi vero noſtros ſuperare paludes & arctius illi inſtare vidit, neglecto armorum præſidio fuga ſalutem quæſivit.

Rationes denique ex multitudine hominum deſumo, cui neque de victu & commeatu proſpici, nec ea certo ordine regi & freno contineri poteſt. Dein vere mihi perſuadeo, copias noſtras armis inſtructas eo ordine in aciem collocari poſſe, ne ab hoſte inermi circumdari poſſint. Tandem quod hoſtium vires disjunctæ ſint, ad plures Imperii limites defendendas. Quod ſi omne ſuum robur omnemque potentiam unitam haberet, noſtri quoque contra non ſecus cunctas ſuas copias recolligere vel conatus ejus eludere poterunt; donec reliqui exercitus in aliis provinciis, juſtis præſidiis privatis, alias expeditiones perficiant. In diſceſſu vero extremum ejus agmen aggrediendum & infeſtandum foret.

Secundus error.

Secundus error e nimia militum audacia & pugnandi deſiderio provenit. Etſi enim militaris audacia in pugnis probatur, imo duces quoque militum animos ad eam excitare debeant, ſemper tamen, ex Pauli Æmilii conſilio, penes belli ducem conſiſtere debet, locum tempus & formam pugnæ deſignare; quæ ducis munia ſi milites ſibi ſumant, officii rationem excedunt, ſiquidem verus militiæ ordo invertitur & confuſiones introducuntur, quas ordinarii ſequuntur effectus, cujusmodi Ungaria ſæpius maximo ſuo malo experta eſt. Clades ad Nicopolim Ungarorum & Gallorum contentione contigit. Hi enim ne gloria privarentur, quod primi hoſtem aggreſſi eſſent, ante tempus impetum in Turcas fecerunt. Illius ad Varnam cauſa extitit nimia quarundam legionum temeritas,

temeritas, quæ hoſtem in planitie circumcurſitantem conſpexerant: eumque aggreſſi, contra ordi-
nem præſcriptum inſectando, in loca incommoda fuerunt delati, quæ cauſſa ruinæ totius exercitus
fuit. Ad Mohaz Ungari differre potius, quod commode poterant, quam inire prælium debuerant,
donec adventu auxiliorum exercitus ipſorum confirmatus fuiſſet. Illi vero primas hoſtium turmas
quæ e longinquo comparuerunt cum impetu adorti eos fugarunt, & tam diu inſecuti ſunt donec in
inſidias inciderunt. Etſi clades ad Agriam noſtro exercitui, non propterea quod paludes milites
ſuperarint, ſed ob alias quaſdam confuſiones quibus ordines fuerunt turbati, illata fuerit: negari
tamen non poteſt, ſummo cum periculo pugnæ initium fuiſſe factum; ſiquidem hoſtis dum noſtri
alibi paludes ſuperant, in alio loco, ubi minime cogitarant, adoriri pro libitu aciem Chriſtianam
potuiſſet. Niſi ruinæ cauſſas prædandi deſiderio potius quam pugnandi ſtudio adtribuere veli-
mus; ſiquidem avaritia equites ſeducti in funes & tentoria hoſtium fuerunt delati, ubi miſere pe-
rierunt. Paulus Æmilius non ſolum nimiam militum in pugnis ſed in verbis quoque temeritatem
caſtigabat: cum non datum ſit cuilibet duci conſtantiam & lenitatem Fabii Maximi imitari, qua
erga Minutium uſus eſt.

Tertius error.

Tit. Liv. Tertius error deprædationibus committitur. In militia Romana cautum erat, ne miles præ-
lib. 5. das ageret priuſquam certum a ducibus ſignum ederetur. Nec difficile erat ſub ordinibus copias
Bel. civil. continere. Cæſar in clade Pompeji Pharſaliea ſubito reſtituit ordines, ut profligaret Pompejanos
lib. 3. quoſdam qui collem proximum occuparant. Utiliſſima hæc & neceſſaria eſt diſciplina omnibus qui
Tit. Liv. lucratam victoriam in dubium revocari nolunt; ut ſæpius evenit. Siquidem milites ſpoliis atque
lib. 2. 6. 7. exuviis colligendis adeo diſperguntur, ut in aciem reduci nequeant. Quodcunque ſane periculum
lib. 1. c. 26. immineat, ſæpius eo ſtratagemate milites fuerunt decepti, quibus hoſtes ſimulata fuga ſpem prædæ
lib. 2. cap. 5. opimæ injecerunt, caſtra omni genere ſpoliorum referta eis diripienda conceſſerunt, inter fugien-
dum res pretioſas projecerunt, vel carros atque vehicula ſubducere, ne hoſti in manus venirent, ſi-
mularunt, ut eorum aciem hac ratione dirimerent. Cujuſmodi ſtratagemata Frontinus plura recen-
ſet. Multi duces ut errorem hunc evitarent, commoditates ejuſmodi ſuis præripuerunt: plurimi
Guicciar. propugnacula magni momenti, jam victa fere, capere noluerunt; quod hoſtibus præſidium licet
lib. 14. exiguum adventare ſcirent, verentes ne dum milites in colligenda præda occupati eſſent, hoſtes eos
adorirentur imparatos.

Turcæ ejus rei obſervantiſſimi. Nec urbes nec caſtra diripere ſolent, niſi omni ſuſpicione
imminentis periculi vacui ſint & liberi, ne amittant certam victoriam ſpe prædæ exiguæ, quæ, ut
Cæſ. bel. dicebat Ambiorix, victoribus tandem ſero licet cedit. Ad Varnam Turca per triduum a direptio-
Gal. lib. 5. nibus caſtrorum abſtinuit. Poſt pugnam ad Agriam commiſſam, ſequenti die integro omnia im-
pedimenta ſalva viſa ſunt & intacta. Sane qui hac ratione in bello procedunt, non timide ſed
prudentiſſime agunt. Secus quam fecerunt quidam e noſtris centurionibus, a quibus vix hoſtis
diſceſſerat, non vi in fugam conjectus, ſed ſponte ſe ſubducens. Nam etſi hoſtis non ut noſtros
deciperet ſed præ timore aufugit, illi tamen ſuos ipſimet ordines turbarunt, & hoſti cauſſam præ-
buerunt inſidias ſtruendi & in aciem redeundi. Antiqua hujus rei exempla minus nota ſunt, ſed
1552. noſtra recentiora omnibus patere debent. In Ungaria Aladana, & paulo poſt Deutelius, maxima
ſuorum ſtrage, inſignes amiſerunt victorias jam partas, quod nimis avide prædæ inhiarent milites.
1596. Ob eandem cauſſam Cliſſa propugnaculum fortiſſimum nuper amiſſum fuit: ex cujus conſervatio-
ne fructus ſperabamus ampliſſimos.

Guicciar. Non igitur milites in loca ducendi ſunt ubi ſe ſubducere poſſunt. Quod ſi aliquando evi-
lib. 10. tari nequeat, Foxii iſtius Gallici ducis regula tenenda; quam obſervavit cum ex arce Breſciana urbi
jam captæ ab hoſtibus præſidio acceleraret, imperans ut proximi quique omnes eos trucidarent, qui
in ædes civium, priuſquam hoſtis penitus devictus atque fugatus eſſet, ſeſe ingererent. Quin &
Turcarum more officiarii quidam poſt acies ſubſtituendi; qui ſine diſcrimine primos occidant, qui
ordines egrediuntur vel deſerunt. De qua re inferius, ubi de ordinatione aciei dicendum.

Quartus error.

Quartus error hoſtem inſequendo committitur. Conſtat equidem non eandem eſſe pugnan-
di rationem, ſed eam mutari pro varietate nationum: quarum aliæ ſtatariis aliæ velitaribus pugnis
magis ſunt aſſuetæ.

Stataria pugna omnium ſecuriſſima & optima eſt: ſæpius tamen ſuperata ab his qui velita-
ribus utuntur; non aliam ob cauſſam, quam quod crebriori impetu hoſtium ſæpius iterato ſolidi-
tas & robur copiarum infirmatur & inſtabilis redditur. Milites vero ad ſtatariam pugnam armati,
bel. civil. ob gravitatem armorum minus apti ſunt ad velitationes; in quibus diu ſubſiſtere nequeunt, ſed
lib. 1. & 5. cedere tandem coguntur. Omnibus hoc ſolet initio contingere donec aſſveſcant. Cæſaris legio-
nes in Hiſpania atque Africa idem ſunt expertæ, ſæpius ordinibus hoſtium inſtabilitate perruptis;
unde Cæſar, tanquam tyrones & novitios in hoc certaminis genere milites, pugilum more exercere
1480. & inſtituere coactus fuit. Non meliori conditione uſi ſunt veteres Italorum cohortes Turcis ad
Bonf. l. 36. Hydruntem oppoſitæ. Siquidem ſtatariis pugnis ipſis nocere nequiverunt, nec contra velitationes
reſiſtere, nec prohibere excurſiones potuerunt, quin ad præcavenda majora damna & pericula copiæ
quædam ex ipſa Hungaria evocatæ fuerunt, quæ leviter armatæ hoſtium pugnandi rationem jam
didicerant.

Sane

Sane leviter armati, ſi a tergo eos qui gravi armatura ſunt induti aggredi poſſunt, circumvolutionibus eos fatigant, ordines turbant, & facile vincunt. Levis enim armaturæ propria eſt agilitas & crebra agitatio atque mobilitas. Nunc fugit, nunc redit in aciem, nunc hoſtem a tergo vel quocunque lubet aggreditur; quod ubi in ſtataria pugna uſu venit, jam rupta cenſetur.

Hanc prærogativam Turcæ optime didicerunt, eaque uti melius, quam noſtri ſuos ſervare ordines, norunt; ſæpius enim fugiendo quam pugnando victores exſtiterunt. Neque caſu vel fortuito, ſed ſtudio & ex legibus ſuæ militiæ hac ratione in pugnam deſcendunt, ſiquidem impetu contra noſtram aciem nihil efficere poſſunt. Michaëlem Palæologum velitationibus diu detinuit *Nic. lib. 3.* & defatigavit; tandem fugam ſimulans in inſidias eum deduxit & inſigni clade affecit. Andronicum per integrum diem nunc fugiendo nunc iterum propellendo diſtinuit; defatigatum omnibus *lib. 9.* copiis aggreſſus eum profligavit. Ad Varnam, Corvini diuturnis velitationibus, inſignis illa ſtrages ſecuta eſt. Ludovicus defatigatus, (quod per integrum diem equo vectus eſſet) victus fuit ab hoſte; quem fugere credebat, cum ſine ordine victoriam incertam proſequeretur. Nuperrime ad Agriam cum hoſtis tergum vertiſſet, nimis audacter eum noſtri inſecuti ſunt, unde victoria ſplendidiſſima illis e manibus elapſa eſt. Non ſemper hoſtis fugit cum tergum vertit. Qua de re inferius de ordinatione plura dicentur.

IV.

Bellum pluribus annis continuandum.

Fructus ejus qui vicit in uſu victoriæ conſiſtit: qua qui uti neſcit majorem incurrit infamiam, quam ſi nunquam viciſſet. Majus enim dedecus eſt defraudari rebus quæ in noſtra poteſtate conſiſtunt, quam quæ a fortuna dependent. Ideoque potiſſimum id agendum, ut hoſtem inſequamur, & opprimere atque internecione delere pergamus, donec in pavore & timore adhuc hæret, ne tempus ipſi concedamus ad animum reſumendum & vires recolligendas. Graviter fuit Hannibal reprehenſus, quod poſt pugnam ad Cannas feliciter commiſſam victoria uti neſciviſſet.

Hungaria noſtra defenſivum ſemper bellum geſſit, quaſi hoſtis cum quo ei res eſt plane eſſet invincibilis; quo in errore non fruſtra nos hærere nonnulli putant. Verum ſi fundamentum potentiæ Turcicæ perpendimus, quod in Seragliis conſiſtit, quæ ſolummodo bello diuturno & continuo evacuari poſſunt, vere apparebit, graviter a noſtris peccatum fuiſſe, quod bellum diutius non protraxerint, & poſt inſignes clades illud quoque continuarint. Matthias Rex dicere ſolitus eſt; Turcam vinci non poſſe, niſi ipſi tempus præcidatur & occaſio vires recolligendi, quæ in ipſis victoriis *Bonf. l. 31.* debilitantur. Ipſe tamen Matthias, vel impeditus aliis bellis Ungarorum culpa, nuptiis quoque interveniendibus, Sinderoviæ obſidionem neglexit, cum ſola reſtaret ad liberandam Bulgariam; quæ *1475.* cauſſa fuit, quod tota ea provincia Turcæ imperio poſtea ceſſit. Quid commodi ceſſit Chriſtiano *Bonf. l. 34.* orbi ex illa celeberrima victoria in mari anno 1571. parta, claſſe Selimi II. cæſa atque fugata, cum victores curſum victoriæ ſecuti non fuerint, quo ejus fructum perciperent? Quod ſi ſingulari Dei providentia hoſtis animum a re maritima haud deſpondiſſet, jam dudum experti eſſemus, quam exiguam quietem tanta expeditione acquiſiviſſemus. Nunquam forte continget, ut Chriſtianiſmus ejuſmodi claſſem contra Turcam, niſi extrema coacta neceſſitate, inſtruat. Quod ſi nunc pacem ineamus curſum victoriæ ſane deſerimus. Quam adhuc a noſtris partibus ſtare jure affirmo, non obſtante Agrienſi clade: ſiquidem hoſtis non modo in aliis præliis, ſed hoc ipſo anno longe majorem militum numerum quam noſter exercitus amiſit: tum quod ipſius potentia adeo attenuata, ut amplius fere reſiſtere nequeat niſi tempus ei concedatur vires reſtaurandi.

Faxit Deus, ut exoptatam hanc commoditatem tyranni hujus opprimendi recte perpendamus, nec rurſus eam in vanum elabi patiamur; & certo cum Matthia rege nobis perſvadeamus, Turcicam pacem ad gravius bellum præparationem fore. *Pax eſt*, dicit Polybius, *res dulciſſima, & bellum* *lib. 5. hiſt.* *omni ratione vitandum, ſed extrema quævis non ſunt tentanda, ut ad pacem perveniamus*, ſiquidem reipub. æquitas incolumitas & libertas cuivis paci præferuntur. Nec Pindari ſententiam probo, qui cives ſuos hortabatur, ut tentarent omnia quo pacem & tranquillitatem recuperarent. *Pax ſane*, idem ſubjicit, *res eſt pulcherrima, ſi juſta ſit & honeſta*; quo nihil quicquam pretioſius inveniri poteſt. Denique nihil quicquam vel injuſte vel turpiter committendum, ut pace fruamur.

V.

Bellum etiam tempore hyberno gerendum.

Si bellum commodiſſime pluribus annis continuari poteſt, ut ſupra probavi, ſequetur ex iiſdem rationibus etiam hyberno tempore cum utilitate & fructu illud geri poſſe. Idem Appius Ro- *T. Liv. l. 5.* manis ſuaſit cum Vejos obſideret; quod hyeme interveniente, labores & ſumptus jam impenſi inutiliter cedant, & nunquam expeditioni finis imponatur, ſed bellum continuando hoſti occaſionem præripi, ſpiritus & animum reſumendi atque vires reſtaurandi, eumque defatigari.

Quod ita ſe habere in bello Turcico experimur. Ad quod tarde noſter exercitus ſeſe parat; potiorem anni partem in apparatibus faciendis conſumit; vix duo vel tres menſes militando tranſiguntur, interim ſtipendia pro quinque menſibus perſolvuntur. Pleraque igitur pecunia in profectionibus & apparatibus impenditur. Secus fieret, ſi per integrum annum bellum duraret, & ſtipendia pro duodecim menſibus ſolverentur, etſi novem ſolummodo miles in caſtris verſaretur. Ea ſæpius aëris eſt temperies, ut miles in campis per totum fere hyemem morari poſſit. Glacies nonnunquam expeditiones faciliores reddunt. Sereno cœlo educi poſſunt milites, qui aëri Ungarico

magis ſunt aſſueti. Si ſtipendia longius durent, milites dilationem ſolutionis atque diminutionem minus graviter ferent: ſiquidem nullum fere commodum ex ſtipendiis percipere poſſunt, quod militia cito diſſolvatur. Sed gravia incommoda in itineribus, & multum detrimenti in ſolutione ſtipendiorum patiuntur; quorum loco & arma & aliæ merces eis dantur, unde maximum lucrum ad duces redit, qui ob id ſingulis annis novam militiam inſtruunt. Adde quod in Ungaria ſemel tantum exercitus luſtratur; e quo primo ſtatim menſe quarta fere militum pars fuga dilabitur vel morbis perit; quorum ſtipendia duces ſibi reſervant cum provinciarum maximo damno, quod exiguo cum fructu bellum geri poſſit propter militum paucitatem. Diligenter hæc conſiderari & ſevere reformari debent. Huc accedit, quod ſingulis annis miles per eaſdem provincias bis proficiſci ſoleat, unde plurimum damni miſeris ruſticis infertur, & onera illa graviora ſint quam ipſa tributa quæ pendent.

Non ſolum autem noſtris proderit bellum hyberno tempore continuare propter cauſſas modo dictas, ſed inprimis hoſtibus illud impedimento erit; ſiquidem Turcæ (ut Rex Matthias dicere ſolitus erat) aqua & paucisſimo cibo contenti, hyemis injurias & vim frigoris non æque perferre poſſunt, ut Hungari qui vino & victu lautiori recreantur. Tum quod milites Aſiatici temperatiori aeri ſunt aſſueti. Uſus camelorum qui impedimenta geſtant in hyeme vanus eſt & inutilis, quod ſuper glaciem incedere nequeant. Incommoditates augent viæ lutoſæ & herbarum inopia unde tot equi & reliqua animalia ſuſtententur, in æſtate ex campis nutriri poſſunt. Unde fit, ut raro copias, antequam herbæ excreverunt, educat hoſtis, hyeme nunquam quicquam tentavit præter excurſiones, quibus ſingulis diebus in alia loca perrumpere poteſt, ut habeant milites unde vivant. Cum igitur præter ordinaria præſidia nullus hoſtium exercitus in Ungaria hyberno tempore ſubſiſtat, non opus erit univerſas noſtras copias, ſed earum partem præcipuam, peditatum ſcilicet omnem, nova militum luſtratione habita, ibidem retinere. Reliquis qui dimittuntur tempus certum, quo denuo in caſtris comparere debeant, aſſignetur. Cum propter tempeſtates educi milites nequeunt, in hyberna debent collocari in vicina oppida, unde facile coire & congregari poſſint.

(Bonf. l. 3.)

Nec Germanis atque Ungaris difficilius erit in Ungaria hybernare quam Romanis in Italia. Utraque enim provincia aeris temperie, incolarum habitu, qui altera dicitur natura, & corporis complexioni reſpondet. Nam Germani poros & meatus magis conſtipatos habent, ut frigus tam facile ad partes corporis interiores penetrare, vel calor naturalis exhalare nequeat. Unde propter ſanguinis abundantiam corpulenti evadunt, nec vulneribus terrentur. Nec in Germanis quicquam
1443. deſidero præter exercitia, quæ uſu & experientia addiſcuntur. Prima Vladislai expeditio in hyemem uſque duravit. Fremebant milites & indignabantur, quod non eſſent aſſueti contra vim
1444. frigoris & glaciei & hoſtem ſimul ſeſe defendere. Rex tamen difficultates nihil moratus copias non reduxiſſet, niſi penuria commeatus exercitus laboraſſet. In ſecunda expeditione non hyemis
1475. ſævitia ſed annonæ inopia pugnæ cauſſa extitit. Matthias in hyeme Zenderoviam obſeſſam reliquit, in caſtra cum majori exercitu rediturus, ſi Danubius glacie congelatus oppugnandi occaſionem præbuiſſet. Idem in Moravia equitum conductitiorum ordinem inſtituit, qui in hyeme ex-
Bonf. l. 43. cubabant in caſtris, unde in æſtate ſtrenuiſſime ſeſe contra hoſtem gerebant. Exercitium dubio procul fortiores producit milites quam ipſa natura; qui & calorem exceſſivum, & frigus aſperrimum, & omnem militarem auſteritatem perferre poſſunt.

VI.

Quomodo nos gerere debeamus in cladibus.

Quod ad cladem attinet duo conſideranda veniunt. Quomodo ſcilicet noſtros in ordinem reducere, vel poſt cladem acceptam nos gerere debeamus. Prius ad caput de aciebus ordinandis rejiciam. De poſteriori hic dicendum.

Profligato & cæſo exercitu duo obvenire ſolent. Vel enim omnes milites in fugam ſe conjiciunt, idque tam præcipitanter, ut duces malum prævidere & remedium afferre nequeant; vel ſolum pars eorum fugit eorumque fugam pars altera excipit, unde duces commoditatem nacti rebus ſuis proſpicere & conſulere poſſunt. De hoc itidem fuſius in capite de ordinandis aciebus dicendum. Quod ſi eodem momento univerſus exercitus fugam arripit; neque conſilium, neque artes, neque vires uſquam reperiuntur, quæ fugientes retrahere vel remorari poſſint, ut dicit
(De arte mil. lib. 4. Tit. Liv. lib. 26.) Secretarius. Sic Cn. Fulvius in Senatu ſe excuſat, quod non ſua culpa exercitus ex acie fugiens fuerit profligatus; ſe enim recte officio ſuo functum probe omnia prævidiſſe & ordinaſſe; nec ſuorum animos nec hoſtium in poteſtate habuiſſe, ſed vi aperta armis & acie victum, cumque fugerent omnes ſe quoque turba ablatum fuiſſe, ut Varro Cannenſi pugna, ut multi alii imperatores; ſe ſolum reſtantem in acie nihil prodeſſe Reipublicæ potuiſſe. Ne fortitudo ſed temeritas dicenda, ſi negligantur & ſpernantur ea quæ jure timeri debent. Vituperio quam laude dignior eſt Vladislaus, qui ad Varnam occubuit. Nihil emolumenti ſed maxima ruina in Hngariam ex morte Ludovici redundavit. Quod ſi ſua culpa victoriam amiſſam & cladem exercitui illatam dux belli cognoſcit, non animum tamen deſpondere, ſed caute extra periculum ſe ſubducere, & ut ſuos in tutum collocet omnes inire rationes; ſe denique meliori reipublicæ fortunæ perſervare debet, Varronis exemplo, qui fuga ex Cannenſi clade elapſus a Senatu fuit laudatus, eique gratiæ fuerunt actæ, quod de republicæ ſtatu non deſperaſſet ut collega ejus.

Sed ut habeant duces unde in tantis infortuniis ſeſe conſolentur, legant errores non ab uno duce

duce, ſed ab ipſo Senatu Romano, capta a Gallis urbe, admiſſos de quibus Livius in hæc verba prorumpit. *Tanta*, inquit, *fortuna in obcæcandis animis hominum eſt potentia, cum ſibi non patitur reſiſti.* lib. 5. Unde Secretarius ſubjicit: *Neminem fruſtra deſperare debere, cum neſciamus qua via nos operiatur fortuna, qua plerumque per vias inflexas & incognitas incedit: ſemper meliora ſperanda in bello inprimis, ubi vis atque poteſtas ejus maxime adparet, ſiquidem multi exercitus una ſola voce, vel falſa quadam ſpecie, in fugam fuerunt conjecti: multi cum victi eſſent denuo victores extiterunt.* lib. 2. c. 2.

Turpiſſimum igitur duci poſt res male geſtas, quod ſupereſt per deſperationem negligere. Cum milites in latam fugam verſi ſunt, opera danda, ut eos in tutum extra periculum collocet, eos certiores reddat, quo fugam capeſſere, & quibus viis incedere debeant. Ut hoſtis, ſi copias ſuas dividere cogatur, ab inſequendo ceſſet. Quod ſi ante fugam ſignificare non licuit, in ipſa fuga id faciendum, miſſis nuntiis ad tranſitus præcipuos ubi neceſſario tranſeundum eſt copiis fugientibus. Tutiſſime in caſtra fuga inſtituitur; quæ in eum eventum ante pugnam muniri & præſidio firmari ſolent. Tit. Liv. lib. 2. Reditus enim in caſtra fugæ ſpeciem non habet, ne victos nos eſſe arguit. Veget. l. 3. cap. 25. Poſſunt etiam omnes illi modi & ſtratagemata adhiberi, quæ Vegetius docet, ut victoriam a noſtris partibus ſtetiſſe hoſtibus perſuadeamus. Inprimis vero in iis pugnis, ubi par eſt occiſorum numerus & conditio, ſæpius victi fuerunt habiti qui primi caſtra deſeruerunt; Liv. l. 4. 7. 10. in quibus ſi diutius immorati fuiſſent, hoſtes in eam, qua ipſi premebantur, neceſſitatem conjeciſſent.

Pompejus & Scipio non injuria reprehenduntur, quod cum eorum milites in caſtra recurrerent ipſi procul aufugerunt; Appian. cum denuo Martis aleam tentare quiviſſent. Ad Varnam Amurathes adeo cruento prælio fuit attonitus, ut tanquam victus retrocedere cogitarit, niſi ei nuntiatum fuiſſet caſtra Chriſtianorum deſerta & derelicta eſſe. Anceps victoria ad Agriam fuiſſet, ſi Princeps in caſtra reverſus ibi ſubſtitiſſet: Sed cum ibidem paucos quosdam milites, eosque inermes offendiſſet, reliqui magis remotiora loca peterent, ipſe quoque Caſſoviam abiit, ut copias ibi colligeret. Quo etiam Dieffenbachii & Tranſylvani exercitus per viam quæ Tokaium ducit convenire debebant, ne tota regio hoſtium excurſionibus expoſita eſſet. Sane qua occaſione tanta inter noſtros fuga excitata fuerit, nondum in hunc uſque diem certo intelligere vel percipere potui. Nec cauſſa tanti terroris & metus reddi poteſt ſufficiens: niſi in ſimili caſu quondam ab Hungaris ignominioſa ſumpta reſolutio; qui cum ex variis & diverſis partibus contra ſe a Turcis impreſſiones & excurſiones fieri viderent, eo ſolo ita ſtatim conſternati fuere, & viluſcere eorum cœpit animus, (quod lib. 30. dignum obſervatione Bonfinius notat) ut ſtatuerint ſe cum Turca bellum amplius niſi defenſivum gerere nolle; obliti omnino per hanc minimam cladem tantarum & tam illuſtrium victoriarum, quas olim contra Turcas Rex ipſorum Matthias Corvinus obtinuerat. Quapropter ſi rationes evidentiores excutere volumus, eos reperiemus omnes in contrario. Nam Turca nunquam commodius vinci potuit, quam hoc ipſo bello; amiſſa inſigni provinciæ parte, & militibus innumeris hoc quadriennio occiſis. Quod attinet ad Agriæ occupationem, quæ multis defectibus quoad ſitum & munitiones laboravit: tum ad pugnam, in qua noſtri propter confuſiones non vi atque robore hoſtili fugati fuerunt, intelligimus exiguum inde honorem ad Turcam rediiſſe, quod ipſemet cum omnibus ſuis viribus & potentia noſtros oppugnavit, & milites multo plures ex ipſius quam ex noſtro exercitu fuerunt deſiderati.

Propter hos ſucceſſus tam proſperos Hungaria animum deſpondere, & pacis rationes inire non debet. Quam Matthias toties ei denegavit, dicens Hungariæ regem jure pacem cum Ethnicis ſancire non poſſe. Bonf. l. 9. 1444. Cognovit tandem Hungaria gravem errorem ſub initio regni Uladislai commiſſum, pace cum Turcis inita & jurejurando confirmata. Siquidem ab eo tempore & honor & authoritas & imperium inclinare cœpit; cum ea perpetraſſet, quæ ipſorum regum ſententia atque decreto prohibita erant. Nec jugum excutere poterit, quin omnem pacis tractationem & commercium cum Turcis intermittat. Quod ſi Matthias præter Turcam nullum alium habuiſſet inimicum, propriis armis & potentia eum ex Thracia expuliſſet: ſat enim habebat virium, & magnanimitate Chriſtiana præditus erat; nec latebat ipſum hoſtium potentia, quam bello continuo ſolum vinci & infringi poſſe ſciebat. Quo intermiſſo, tempus & occaſio conceditur vires reparandi. Ut Herculi contigit quoties Anteum tangere terram permiſit: quæ fabula poetica commodiſſime ad noſtrum propoſitum allegari & revocari poteſt.

VII.

Quomodo bello capta retineri & defendi debeant.

Dixi de pugnis & præliis; tum quomodo amiſſa recuperanda ſint. Supereſt, ut videamus quomodo eadem retinenda.

Qui bello gerendo conſultant hoc inprimis ſpectant, qua ratione provincias acquirere & acquiſitas retinere queant, ne detrimentum accipiant, ſed ditiores & potentiores evadant. Hoc conſilium Romani ſecuti ſunt in coloniis emittendis, & præda colligenda. Cum enim bellum in locis diſſitis & remotis gerendum erat, ærarium unde militibus ſtipendia ſolvebantur, ſubito fuiſſet exhauſtum niſi prædæ pars maxima militibus erepta & in fiſcum relata fuiſſet. Propter ſtipendia vero, quæ tunc militibus fuerunt decreta, contenti illi fuerunt recognitione quadam pro libitu imperatorum diſtributa; qui benemeritis etiam præmia dabant ex reliqua præda, quæ mercatoribus qui caſtra ſequebantur vendebatur; quod ſupererat in ærarium publicum referebatur, ea ambitione, ut certarint invicem, quis vi pecuniæ inſigniori & majori ærarium locupletius reddidiſſet. Coloniarum uſu provincias ſuas ditiores & ſecuriores reddebant. Victis enim hoſti-

hoſtibus partem territorii pœnæ loco auferebant, idque diſtribuebant inter eas familias, quæ Roma eo migrarant, tanto numero ut hoſtium excurſionibus reſiſtere poſſent. Extra Italiam integræ legiones ductæ fuerunt. Hac ratione Vrbs ſuperflua civium parte fuit liberata, & Romanis hoſtium reditus ceſſerunt; tum etiam limites ſine ſumptu ab hoſtium incurſionibus & deprædationibus defendebantur, donec juſtus belli adparatus fieret.

Vtrumque Turcæ imitati ſunt, ut ſuperius dixi. Cur idem apud nos fieri nequiret? Præda jure ad Principem pertinet; milites ſuo contenti eſſe debent ſtipendio. Quod ſi ex præda inſuper decimæ eis concedantur, nullo modo conqueri poſſunt. Coloniæ non modo propter fructum qui inde redit, ſed propter ipſam neceſſitatem in uſum revocari deberent, ſi divina favente clementia regnum Hungariæ Turcis denuo eriperetur, & libertati ſuæ reſtitueretur. Expulſis enim hoſtibus ditio incolis vacua foret; unde intermiſſa agricultura ſalva ſubſiſtere nequiret, nec exteri milites ibi ſuſtentari poſſent: plus igitur damni quam commodi ad recuperatorem, qui maximis ſumptibus eam acquiſivit, redundaret. Coloniæ igitur in loca quædam regni præcipua deducendæ eſſent. Quod ſi Ungari ſatis agri ad excolendum habentes, non cuperent aut non poſſent relinquere patriam alio ſe recipiendi cauſa, ne dum nimis amplis & arduis occupati eſſent expeditionibus tota regio inculta & deſolata remaneret, Germania populoſiſſima colonos ſuppeditare deberet, qui loca quædam majoris momenti occuparent, extendens ſe ita coloniarum miſſione in partes exteras. Id quod maximo ſuo cum honore faceret: ſiquidem earum gentium vices obiret, quæ magna ſua cum laude colonias quondam in Germaniam duxerunt. Qua in re nulla alia provincia Germaniæ præferri poteſt ob incolarum multitudinem & artificum copiam. Cum vero ii qui agros colunt ut ſuis atque aliis victum ſuppeditent, militiæ vacare nequeant: artifices ad eam aſſuefaciendi, tum etiam præſidiarii nonnulli conducendi ſunt, qui confinia tueantur. Et quo promptius habitatores confluant, urbes vel provinciæ quæ eos mittunt, pecuniæ frumenti pecudum & aliarum rerum neceſſariarum eis ſubſidium & auxilium præſtabunt; debiti partem ſinguli quotannis reſtituent, donec totum mutuum perſolvatur. Vel alia ineatur ratio, ut quadrageſima vel quinquageſima familia e ruſticis & artificibus ex unaquaque civitate vel provincia deſcribatur; reliqui qui domi permanent mutuo vel dono quodam eos juvent. Novi porro coloni decimas redituum ad præſidiariorum & militum ſuſtentationem perſolvant.

Quod ſi hac ratione bellum offenſivum per annos quatuor cum centies millium militibus geratur, & nullæ pugnandi occaſiones omittantur, omniſque mora & armorum intermiſſio caveatur & præcidatur, dubio procul hoſtibus ſuperiores exiſtemus; nec ſingulis annis novæ præparationes ad oppugnationes fieri debebunt; & acquiſita optime retinere ac tueri, confinia denique coloniarum præſidio multa cum laude & utilitate defendi poterunt.

PARS TERTIA.

Qua ratione commodiſſime bellum contra Turcas in Vngaria cum quinquaginta millibus militum geri, & eorum potentia infringi atque everti poſſit, libris ſuperioribus a nobis demonſtratum fuit. Supereſt ut videamus, quo ordine & qua ratione pugna cum hoſte ſint ineunda. De quibus diligentiſſima & exactiſſima, antequam committatur, deliberatio & conſultatio inſtituenda & habenda eſt. Relictis igitur præceptis generalibus, de utilitate neceſſitate atque varietate præliorum, materiam totam in quatuor capita præcipua diſtribuam: In quibus de *quantitate & qualitate armatorum:* de *quantitate & qualitate acierum & turmarum:* de *copiarum diſtributione ratione ſitus:* & tandem, *quomodo in acie contra hoſtem procedendum ſit, dicam.*

CAPUT I.

De quantitate & qualitate armorum.

Conſtat militum numerus, quem ad hoc bellum requirimus, quinquaginta ſcilicet hominum *4. polit. 13.* millibus. Videndum quibus armis inſtructi eſſe debeant. Etſi vero (ut Ariſtoteles dicit) quondam acierum robur & vis in equitatu poſita fuerit, quod peditum uſus nondum eſſet cognitus, qui niſi ſevera diſciplina in officio contineantur, parum commodi ad bellum adferunt: nihilominus tamen in Græcia ſub Philippo & Alexandro phalanx Macedonica, & in Italia legiones militiam pedeſtrem tam celebrem reddiderunt, ut plus ponderis ſæpius quam equeſtris habuerit. *T. Liv. lib. 11.* Legio Romana ſex millibus peditum, ſolis trecentis equitibus conſtabat. Eundem morem Carthaginenſes obſervarunt; *Guicciard. lib. 5.* unde graviora damna Romanis, quam quævis alia natio populiſſima, intulerunt. Ante noſtram ætâtem diſciplina militaris propter crebras Barbarorum excurſiones in Italiam graviter fuit labefactata, quod majori ex parte equitatu conſtaret, cujus uſus contra hoſtem minus commodus exiſtebat. Nec error fuit agnitus, donec Helvetiorum quædam turmæ noſtros, magno ſuo *Sueton. lib. 1. c. 18.* cum damno, prudentiores reddiderunt. Experti namque ſunt peditum aciem recte ordinatam, ab equitatu difficillime ſuperari poſſe; quin contrarium ſæpius evenire, ut ad Carminolam contigit, cum victi jam equites ab Helvetiorum turma, in terram deſcendere ordinibus recte diſpoſitis & inire pedeſtre prælium coacti, ſuperiores tandem hoſte extiterunt. Peditatus igitur non poteſt ſuperari, niſi ab alio peditatu melius inſtructo & ordinato. Romani equites extremo urgente periculo ſæpius ab equis deſcenderunt, & victorias illuſtres pedeſtri certamine contra equites & pedites conſecuti ſunt. Cumque in prælio quodam equites ſoli audaciſſime & pertinaciſſime invicem pugnarent. Romani equis relictis hoſtem pedeſtrem pugnam capeſſere coegerunt, potiores peditum *Bel. civ. 16.* quam equitum partes eſſe invenientes. Idem Cæſar alio quodam exemplo confirmat. Hujus rei

hæc

hæc videtur cauſa reddi poſſe, quod qui pedes pugnat, firmius ſubſiſtere, vel hoſti inſtare, vel cedere pro libitu poſſit: ſecus vero qui eques certat, calcaribus & freno efficere, nec ſuo modo equum, qui modo parum modo nimium velociter vel tarde incedit, regere queat. Huc accedit, quod equi nonnunquam ſint refractarii vel calcetroſi. Tum ut ſtrenuus interdum eques equum habeat ſtrigoſum & male habitum, contra timidiores milites nanciſcantur equos generoſos, quorum utrorumque opera vana exiſtit. Denique facilius pedes equum vel equitem ferire poteſt, quam ut ab equite vulneretur, quod hic pro libitu ictum tendere & ſtringere nequeat. Quoties equitatus ultro levíſſimas ob cauſas in fugam ſe conjecit? In pugna contra Pyrrhum & Hannibalem equos elephantorum odor fugavit. Idem Crœſus camelorum opera, & Hetruſci cum carris ſtrepitum excitantibus effecerunt. Selimus tormentorum manuariorum ſonitu Perſas & Soldanum in fugam conjecit. Sed notandum: quemlibet peditatum cuivis equitatui non recte opponi, ſed aptiſſimum cum exiſtere, qui gravi armatura munitus ſit, ut in loco aperto primum equitum impetum ſuſtinere poſſit; ubi equites ſolum peditatum ſuperant, leviter armati, ut ſunt tormentarii, cum armis deſtituantur quibus ingruentes equites repellant, etſi quoſdam interficiant, tamen ſemper in pugna ſtataria inferiores exiſtent, niſi lancearii ipſis adjungantur. *T. Liv. lib. 10. 12. Secret. de arte milit. lib. 4.*

Etſi igitur communi omnium judicio, tum experientia & rationibus validis edocti, peditatus primas in bello partes obtineat, tamen in hac mea diſpoſitione viginti quinque peditum millia ſolummodo retineo: tum quod illi tardius in expeditionibus incedant, nec provinciæ ab hoſtium incurſionibus, qui equites plerique pugnant, defendi poſſint; tum etiam quod Germani equites, qui ferreis thoracibus induuntur, atque ordines in acie ſtricte obſervant, & ab hoſtibus vehementer formidantur, non minori loco quam pedites habendi ſint, inprimis vero Turcarum equitibus oppoſiti, qui levi armatura utuntur. Quod ſi igitur acie in loco aperto, cum hoſte (qui anguſtias propter multitudinem equitum fugiet) decertandum foret, hunc in modum quinquaginta illa militum millia armis inſtruenda eſſe concludo. Primum decem millia lanceariorum peditum; tum ſeptem mille & quingentos moſcetarios; totidemque tormentarios requiro. Quibus addo ſeptem millia equitum Germanorum; duodecim millia lanceariorum, & ſex millia tormentariorum equitum.

CAPVT II.

De quantitate & qualitate agminum & turmarum.

Hoc caput quaſdam continet difficultates, quæ neceſſario explicandæ ſunt. Primum *igitur, num magis conducat omnes copias in acie conjunctim explicare, vel plura agmina ſeparatim educere.* Deinde *num ea aciei conſtitutio magis probanda ſit, in qua uno agmine & eadem ſerie milites in ordine collocantur, vel ubi plures turmæ ſeparatæ, & diſtantes invicem ponuntur.* Tertio *num uno eodemque genere armorum in unaquaque phalange utendum, an vero arma invicem permiſcenda ſint.* Tandem, *quam magna acies eſſe debeat dicendum.*

Plures acies ex diverſis agminibus conſtituendas.

Nonnulli putant hoſtem uno agmine, in quo omnes militiæ vires ſint conjunctæ, excipiendum eſſe; tum ut majori fortitudine ei reſiſtatur; tum ne copiis diviſis debiliores ſingulæ exercitus partes reddantur, unde facilius vinci poſſint; tum ut commodius laborantibus vel fugatis cum integris copiis auxilio veniatur: quod poſt cladem milites ea animi fortitudine & virtute quam ante amiſſos ſocios, nunquam in acie perſiſtant, tum quod ſæpius milites tanto furore adverſarios adgrediantur, ut eorum quoque ordines rumpant, qui ſuccurrere & auxilio venire prioribus jam victis deſignati erant. Non igitur plures acies ordinandas, ſed in unum agmen omnem vim militarem conferendam exiſtimant, quo cum omnibus viribus belli alea & fortuna tentetur, nec cum parte quadam exercitus totus in diſcrimen adducatur. Hac ratione phalangem Macedonicam conſtitutam dicunt, qua Philippus & Alexander tot victorias illuſtriſſimas acquiſiverunt. Sed phalangi Livius legionem Romanam longe proponit. Vtraque firmiter ordines ſervabat; phalanx tamen (in qua lanceati pugnabant) immobilis erat, & uno eodemque armorum & hominum genere conſtabat. Legio Romana magis erat diſtincta & ex pluribus partibus erat compoſita, facilius dividebatur, & commodius primum in locum redibat, & in unum corpus coibat. Alibi dicit, Romanos conformem Macedonicæ phalangi quondam aciem habuiſſe, eam tamen poſtea immutatam & emendatam fuiſſe. *lib. 9.* *lib. 8.*

Probatur igitur aciei in plura agmina & diſtincta armorum genera diſtributio, a Romanis quondam obſervata: licet ea noſtræ militiæ diſciplina ſit, ut cohors fugiens ab altera, quæ laborantibus auxilio venire cogitat, commode excipi & a fuga retrahi nequeat, ſiquidem mercenariis plerumque & novitiis atque tyronibus exercitus conſtent, qui ordines dextre obſervare ignorant. Sed quo confuſiones & turbæ evitentur, a latere auxilium eſt ferendum. Vnde fieri nequit, ut eadem fronte acies inſtituatur ſed in multa agmina diſtribuenda eſt, tanto intervallo invicem diſpoſita, ut ſubſidiarii facilem aditum & ingreſſum habeant. Huc tamen accedent reliquæ conditiones magis neceſſariæ, quæ in conjungendis disjungendis ac transportandis hinc inde citra confuſionem militibus prælio ipſo durante, neceſſario obſervanda ſunt. Qua re plus quam quavis alia Cæſar adjutus multis clariſſimis victoriis potitus eſt. Sæpius enim contigit, ut copiæ in uno agmine ſint ſuperfluæ, quæ in alio deſiderantur. Nec ea ratione moveor, quod virtus unita & conjuncta ſolidior & præſtantior exiſtere ſoleat. Hoc enim axioma Phyſicorum in rebus naturalibus propter com-

communicationem partium cum toto verum eſſe agnoſco, ſed in actionibus voluntariis minus neceſſarium illud comperio. Quid in acie, ubi centum claſſes ſunt, ii milites, qui in ultima ſerie conſiſtunt, magis ad primas juvandas conferre poſſunt, quam qui in medio vel in vigeſima ſerie pugnant? Non nego tamen milites audacius in hoſtes ituros, ſi non modo pugnæ ſocios prope ſe conſpiciant, ſed alios quoque a tergo in ſui præſidium, qui vulneratos vel defatigatos aut alia neceſſitate preſſos e periculo liberent, & eorum vices obeant, præſto eſſe ſciant. Facilius quoque perſiſtent, ſi alios eandem conditionem & fortunam ſubire videant: quod firmiſſimum eſt fundamentum, quo pleræque acies & earum ordines nituntur. Non igitur ad confirmandos militum animos plures ſuperflui militum ordines in phalange ſunt conſtituendi: ſed ii ſufficiunt, qui ad auxilia ſibi invicem ferenda valeant. Ob easque difficultates cohortes longiores non ſunt producendæ: ubi iis qui in prima ſerie pugnant difficilius ſuccurritur, quam ſi in turmas acies diſtincta eſſet.

Sæpius Romani & ad Novaram Helvetii tam invicto animo in acie ſteterunt, ut ſe in fruſta potius ſecari paſſi fuerint, quam latum unguem de loco receſſerint. Id apud nos quoque contingere poſſet. Sed ejusmodi tamen aciem ſic conglobatam non multum roboris atque virtutis habere exiſtimarem, ſiquidem ea, quæ neceſſario requiritur, conditione deſtituatur; quod ſcilicet milites re ita poſtulante ſeparari & manipuli pro neceſſitate hinc inde diſtribui nequeant. Addo quod in acie hac ratione ordinata prima ejus frons plerumque locum ſtationemque amittit recedendo, & conſtringendo maxime vero haſtati (quemadmodum contigit Antiocho) adeo ſe involvunt & confundunt, ut neque dextre commodeque dimicare, neque ultimi acceſſum ad juvandos primos habere poſſint. Hinc aut cæſi aut a turba retroacti totum agmen perturbant, ſuoque loco dimovent etiam qui hactenus firmiter ſubſtiterant.

Liv. lib. 8. Legiones Romanæ in tres acies non admodum magnas diſtribuebantur: quarum una victa, intervallum quoddam commoditasque ſecundæ relinquebatur, qua debellatos in ordinem ſuum excipiebat, vel magno impetu in fractæ aciei locum ſuccedebat & penetrabat. Hanc tertia denique & ultima ſequebatur. Unde hoſtes non aliter victoriam reportare & adverſarios vincere poterant, quam ſi tertia vice feliciter dimicando ſuperaſſent. Imo neque phalanx neque ulla alia militia ſufficiens ad reſiſtendum erat.

Varii caſus & accidentia in pugnis exiſtunt, quibus non modo viribus ſuperiores, ſed qui jam manibus victoriam tenent, ſuperantur. Unde temeritatis ſignum, uno impetu rem totam periclitari, unique conflictui totum negotium committere. Qui ſi ex ſententia non ſuccedat, nullum niſi in fuga ſubſidium & ſpes ſalutis repoſita eſt. In committendis igitur & ineundis præliis parata ſemper auxilia atque ſubſidia requiruntur, cum in noſtra militia mercenaria, (ubi milites non ex profeſſione ſed neceſſitate coacti pugnant) ea diſciplina, qua Romani quondam & hodie Turcæ præſtant, receſſus ſcilicet & acceſſus turmarum citra periculum & confuſionem, revocari in uſum nequeat. In cujus locum plura agmina ordinanda ſunt, exiguo intervallo invicem diſtincta, unde ſubſidium laborantes vel a fronte vel a latere prompte excipere & ſuppetias ferre queant.

Longitudo & latitudo aciei.

Quod ad longitudinem primæ frontis aciei & latitudinem laterum attinet, quidam exiſtimant aciem quadratam plurimum excellere, in qua ſcilicet totidem milites in lateribus collocentur quot in prima fronte conſiſtunt. Alii quadraturam hanc ratione ſoli metiuntur & conſiderant, ut pediti uni ſcilicet ſpacium trium pedum attribuant, & ſeries ſeptem peditum intervallo invicem diſtent, unde ſpacium terræ duplex majus a latere quam a fronte cuilibet militi aſſignant. Hæc aciei forma ob quadraturam æquilateram elegantior, & quod majorem pugnantium numerum & copiam referat commodior priori videtur. Juxta illam mille milites in triginta & unum ſeriem diſtribuuntur, quarum quælibet triginta & unum militem contineat. Juxta hanc quadraginta novem milites a fronte & viginti a latere ponuntur. Hæc acierum ratio longe eſt, dubio procul, præſtantior; non tamen adeo frequens, ut certa regula de ea tradi poſſit, conſideratis circumſtantiis, numero ſcilicet militum & hoſtium, temporis & loci, quæ omnia variantur. Secus fecit Tartalius, qui poſthabitis & neglectis variis militiæ accidentibus, quæ ſubito evenire poſſunt, contemplationibus mathematicis ſolum inſiſtit; cum potius ſit, aciei magnitudinem ſecundum numerum militum, & diverſitatem armorum, tum oppoſitam hoſtium multitudinem, conſiderare & inſtituere.

Quoties igitur dux, cujus milites exigui quidem numero armis bene ſunt inſtructi, cum numeroſa hoſtium ſed inermi manu congredi debet, milites in claſſes latiores & breviores diſponat, ſiquidem inermes aciem armatorum, licet nonnihil remotiores invicem ſint, penetrare nequeant. Et cum in acie mille virum, quadraginta novem a fronte, viginti a latere ponantur, eadem ratione tria millia diſponenda erunt; quæ in claſſes triginta ſeptem diviſa octodecim milites quælibet continebit. Quod ſi viginti claſſes lanceatorum hoſtibus reſiſtere valent, reliquæ ſuperfluæ erunt, & in alia loca commode transferri poterunt.

Romani apprime gnari, quid armorum præſtantia, quid exacta diſciplina militaris ad victoriam conferat, multis conſtrictis agminibus (pro ratione ejus temporis) pugnabant, eorumque beneficio numeroſiſſimos exercitus fuderunt, nec ordinem mutarunt, etſi hoſtis eadem qua illi aciei diſpoſitione contra illos procederet. Livius Romanorum & Latinorum rebellium aciem deſcribens, tria agmina quindecim ordinum utrosque habuiſſe dicit. Frontinus Legiones Pompeji in Campis Pharſalicis in tres quoque acies, quarum ſingulæ denos ordines haberent in latitudinem, diſtribuit; in qua pugna non vi ſed arte Pompejus a Cæſare victus fuit, lateribus aciei equitatu denudatis. Antiochus

tiochus in Aſia cum Romanis manus conſerturus, Hannibalem, cui artes Romanæ optimæ cognitæ & perſpectæ erant, conſultorem habuit; cujus ſuaſu ſedecim haſtatorum millia in unam phalangem collocata, & in triginta duos ordines diſtributa fuerunt. *Liv. lib. 37.* Hæc quidem coarctatio non improbanda fuit; licet illa phalanx, fugatis levioris armaturæ militibus & curribus falcatis ingruentibus, rupta fuerit (cui malo obviari quiviſſet, ſi ea militum copia non in uno agmine pugnaſſet, ſed in plura diſtributa fuiſſet) improbatur tamen nimia phalangis longitudo, quod medii extrema cornua proſpicere & contemplari nequiverint. Cæſar hoc errore lapſus, in maximum diſcrimen ſe incidiſſe oſtendit; ſiquidem unus toti exercitui, denegata proſpiciendi in omnes angulos facultate, imperare nequiverit. Accidit tamen hic error Cæſari non propter nimiam aciei longitudinem, ſed quod pugnæ locus inæqualis collibus vallibusque interruptus eſſet. Acies igitur non eſt longius extendenda, quam a duce qui medium occupat locum omnes ejus anguli & latera oculis contemplari & perluſtrari poſſint, niſi ſitus loci ad pugnam deſtinati impedimento fiet. Nec curanda hoſtium ingruentium multitudo, qua noſtros a latere circumdare poſſit; ſiquidem huic malo parata ſunt remedia, de quibus infra latius dicendum erit.

Ad magnitudinem ſeu vaſtitatem acierum quod attinet, non Romanorum quidem ordo imitandus, ſed conſuetudo longiſſimo tempore obſervata a ducibus præſtantiſſimis, qui copias per intervalla diſponere ſoliti ſunt, retinenda videtur. Igitur contra Turcarum aciem inermem & vaſtuoſam multo longiora quam latiora agmina conſtituenda cenſemus. A fronte plures, a latere pauciores pugnent. Nec quadratura vel ſoli vel armatorum conſideretur. In Belgio ubi exercitus raro quindecim vel vicena millia hominum excedunt, agmina quingentis lanceatis vel equitibus conſtant. Totidem in Hungaria contra Turcarum aciem ſex vel octo millia perſonis refertam ſufficient; maxime cum non Romano more una acie, ſed diſtinctis per intervalla agminibus pugnam ineamus, quæ omnia re ita poſtulante in pugnam educi poſſunt. Verum quæ noſtra ſit intentio, ex iis quæ de varietate armorum dicturi ſumus, magis apparebit.

CAPUT III.

Armorum in acie diſtributio quoad ſitum.

Quæritur quæ arma in mediam aciem, quæ in cornua & alas ſint rejicienda. Qua in re pro loci & ſitus ratione & commoditate diverſa ſtratagemata adhibentur, & pars principalis exercitus varie diſtribuitur. Peditatus militiæ nervus præcipuus ſæpius in cornua: equitatus vero in mediam aciem ponitur. Eaque diſtributio, tum in fronte, tum in lateribus, variari & immutari ſolet.

Una tamen penes omnes certa conſtat regula; gravioris armaturæ militem, in quo vis & robur præcipuum ad oppugnandum hoſtem conſiſtit, in mediam aciem diſponendum, quod ibidem hoſtibus plus quam alibi nocere poſſit, quod munitus ſit a latere, ubi pedites plus quam alibi ab equitatu ſibi timent. Denique quod firmius ſubſiſtere, & minus facile moveri & diſturbari, fortiusque propter conjunctionem reſiſtere valeat, ſi forte levioris armaturæ milites a latere ejus abſcedant. Hi enim ut ſeſe offert occaſio, vel in hoſtem prorumpunt ultro, vel ejus impetum ſuſtinent, & propter agilitatem corporis volatiles dicuntur. Pro armaturæ igitur vel gravitate vel levitate & mobilitate, aciei ſitus conſiderandus, & partes graviores ſemper propius ad mediam aciem collocandæ: tum ita ſunt copiæ & turmæ diſtribuendæ, ut quælibet ſuas vices in pugnando obeat. Pedites in mediam aciem, equites in cornua & latera ponantur. Pro ſitus tamen ratione, & propter machinas, ſæpius pedeſtres quædam copiæ in lateribus diſtribuendæ ſunt; peditatus extremæ partes muniri debent lanceariis, & qui miſſilia ejaculantur, ſagittariis nimirum, bombardariis atque moſquettariis.

Contra Turcas lancearii commodiſſime in pugnam producuntur, quod eorum latera bene munita, a fronte nihil eis periculi imminere videatur. Idem ordo in equitatu ſervandus. Equites Germani, & qui thoracibus ferreis induuntur, cum gravioribus armis utantur & facilius ſubſiſtere poſſint, proxime peditibus adjungentur. Ultra hos lancearii ſubſiſtent, prioribus leviores & mobiliores, apti tamen ad hoſtes aggrediendos, & eorum impetum ſuſcipiendum. Extremum agmen pyrabolarii atque ſagittarii defendent, qui neque ad propellendos adverſarios, neque ad excipiendam vim hoſtilem, armis muniti & inſtructi ſunt. Eorum opera in excurrendo, & hoſtem a latere atque eminus impediendo & profligando, conſiſtit. Plus vero terroris quam roboris habent; ideoque Tartaris utiliſſime objiciuntur, & opponuntur. Hinc apparet Hungarorum qui lanceis utuntur error haud vulgaris in pugna ad Agriam commiſſus. Ubi contra omnium prudentum conſilium atque judicium medium in acie locum ſibi popoſcerunt, & ſuſtinere voluerunt. Quo non ſolum in rationes modo adductas graviter impegerunt, ſed a priſtino ſuo valore protinus deſciverunt. Carolus Quintus contra Solimannum bellum geſturus copias in Auſtria eadem forma in aciem diſpoſuit, qua contra tam potentem hoſtem uti decreverat; tormentis enim majoribus, tanquam firmo quodam aggere, militiam circumdedit & communivit. *1530. P. Jovius lib. 30.* Verum Hungari indignum rati ejusmodi munimenti genere ſe defendi, machinarum ſepto includi recuſarunt, copiasque ſuas in duas alas extenderunt & explicarunt. Neque in hac noſtra diſtributione jure conqueri poſſunt, quod majoribus periculis ſint oppoſiti, quia ab utroque latere equites pyrabolarii eos defendant, licet charitas erga patriam eis præcipuum belli onus imponat: tum quod periculum hoc (cum iisdem quibus hoſtes armis utuntur) citra gravem Hungariæ ignominiam detrectare & ſubterfugere vix poſſint.

CAPUT IV.

Quomodo amplius contra hoſtem procedendum.

Hic quid ordo probe obſervatus conducat & in bello valeat ex ipſo uſu apparet. Ubi primum ſingulorum

rum armorum excellentia: Deinde *num præſtet in hoſtem impetum facere, vel ejuſdem excipere*: Tum *quibus armis pugna initium fiat*: Quomodo *victoria ſit proſequenda*: Quo *ordine in clade exercitus in tutum deducendus ſit, & laborantibus auxilium ferendum*: Quomodo *latera munienda*: Tandem *quem locum in acie ipſi duces capeſſere debeant, & quod ipſorum ſit officium, conſiderandum venit.*

I. De armorum uſu & excellentia.

Hæc cognitio adeo neceſſaria eſt, ut ea neglecta omnis armorum uſus inanis & vanus ſit futurus.

Inter omnia armorum genera præſtantiſſimæ ſunt haſtæ illæ prælongæ, quas Macedones ſariſſas appellaſſe creditur. Et merito in illis aciei nervus in ſtatariis pugnis conſiſtere cenſetur, ſiquidem milites qui iis pugnant peditibus & equitibus pariter reſiſtere valent, cum in adoriundo ita conglobentur, ut prima militum ſeries quinque cuſpidum ordinibus defendatur. E contra ſi in eos impetus fiat, non modo quinque priores ordines ſuccurrunt, ſed plures alii: plerumque tamen ſex proximæ ſeries, quæ prioribus quinque junguntur, eodem tempore reſiſtere poſſunt. Unde neceſſario in quovis haſtatorum agmine undecim ſeries & ordines requiruntur. Cum hunc in modum coarctantur, & reſtringuntur milites, pro indicio habetur audaciæ ac fervoris in reſiſtendo & oppugnando vehementioris: contra ordinum relaxatio & dilatatio, terrorem conſternationem & fugæ meditationem indicat, non ſolum in lanceariis ſed in omnibus aliis copiis. In primis vero ſi in locis interruptis aut ſaxis vel foſſis impeditis prælium contingat. Nocte, propter longitudinem, haſtæ difficillime explicari & tractari poſſunt, unde facilius quoque diſturbantur. Perſeus optatam quandam pugnandi occaſionem elabi paſſus eſt, quod in ſitu inæquali exercitus ſubſiſteret, ubi phalangem haſtatorum extendere nequibat, *quæ*, ut dicit Livius, *propter minimas quasvis ſitus incommoditates inutilis redditur.* Et paulo poſt ſubjungit: *Cladis ſuperioris cauſſam manifeſtiorem nullam aliam extitiſſe, quam quod eodem momento pluribus in locis pugna initium factum eſſet, unde phalanx perturbari & proſterni cœperit, cujus robur invictum & intolerabile alias maneat, cum ſtricte obſervantur ordines & denſæ ſtringuntur lanceæ. Quod ſi partes ejus ſingulas aggrediaris, vel a latere aut a tergo periculum quoddam naſcatur, facile turbatur & profligatur.* Romani non aperta fronte phalangem adoriebantur, ſed iteratis vicibus impetus in eam faciebant ubi minus videbatur valida; tum latera ſæpius & vehementiori vi oppetebant, quod illibi facilius labefactari & ordines divelli poſſent. Sin phalangem a fronte adorti fuiſſent, & militem militi oppoſuiſſent, ipſi haſtarum ſpiculis ſeſe intruſiſſent & involuiſſent, nec impetum aciei tam bene inſtructæ ſuſtinuiſſent. Livius dicit Romanos, quo minus in urbem quandam per disjectam muri partem penetrarint, a lanceatis qui ad foramen muri fortiter & immoti conſtiterant impeditos fuiſſe; cum hos tueretur ab utroque latere pars muri ſuperſtes, & in anguſtiis certamen fieret, ubi ordines ex impetu ingredientium turbari nequeunt. Hinc uſum haſtatorum conſpicimus; qui pari & gravi motu tum ab utroque latere probe muniti incedere debent. Cavendum etiam ne frons aciei latior ſit, quam ut æqualiter milites contra diverſos hoſtium impetus procedere valeant; ſed ita conſtituatur, ut dux qui in medio conſiſtit in illa longitudine ad omnes caſus ſuis adeſſe, & in omnibus locis conſilio & auxilio laborantes juvare, eosque ſapienter & cum judicio regere poſſit. Præſtat igitur numeroſum exercitum in plura agmina interjectis intervallis diſtingvere; ut hoſti inſecutio cum majoribus copiis difficilior, cum minoribus perículoſior exiſtat, ſiquidem ab utroque latere moſcetariorum & tormentariorum cuneis ſeſe immiſcent & implicant, a quibus eminus plura damna accipient, quam ab haſtatis, qui horum terga ab incurſionibus equitum defendunt. Equites autem a phalange ſemper abhorrent, niſi circumdare, & a tergo ut ordines turbent eam aggredi poſſint. Adde, quod nullum tam præſtans armaturæ genus repetiatur, quibus in phalangem penetrari & invadi queat, dummodo firma illa & ſtabilis ſubſiſtat; nec crebriori motu occaſionem præbeat, ut a latere turbetur. Hac in parte in exemplis ſuperius allegatis erratum fuit. Ad Ravennam & Carminolam idem contigit.

Liv. lib. 34. *lib. 22.* *Guicc. l. 10.*

Concludo igitur ex utilitate haſtatorum, neceſſario quandam exercitus qui in Hungariam mittitur partem hoc armorum genere inſtruendam eſſe. Etſi omnes ferreos thoraces non habeant, inſeri tamen inter armatorum ordines commode poterunt. Transſylvanus eorum opera inprimis indiget, cum peditatu Germano deſtituatur: in cujus locum Siculos ſibi ſubditos haſtis inſtruat, octodecim vel decem millia, cum robuſto corpore & ingenio non inepto prædití ſint; qui ſi haſtis pugnare aſſveſcant & arte in hoſtem ducantur, facile vim Turcicam reprimere & eludere poterunt.

Mediæ longitudinis haſtæ & arma, ſecures ſcilicet gæſa & ſpari, tunc multiplicem uſum in militia habent, cum ſariſſæ minus commodæ exiſtunt. Ubi tormentarii ad velitationes emittuntur, nonnulli qui his armis inſtructi ſunt eis adduntur, ut illis pugnantibus hi excubias agant & ſuppetias ferant. Quin & haſtati quidam ex horum numero expreſſe & ſtudio tormentariis adjunguntur, ut latera eorum tueantur. Tum ſigna atque vexilla plerumque hi comitantur & circumſtipant. In eum videlicet finem; ut cum primæ ſariſſarum ſtationes perruptæ ſunt, cum armis brevioribus & agilioribus commode ulterius penetrari poſſit. Ad nocturnas impreſſiones, ut & in locis inæqualibus interruptisque, in oppugnationibus difficilioribus, tum etiam ad præcavenda & avertenda damna atque pericula, quæ ab ictibus machinarum metuuntur, plurimum utilitatis conferunt; longiores atque ſariſſas commoditate ſuperant. Qui his armis pugnant milites, conjuncti atque permixti cum equitatu, poſtquam impetus factus eſt, vel in loco pugna committitur ubi equi minus dextre regi queunt, non leve momentum ad victoriam contulerunt. Hujus ſtratagematis primi authores atque inventores extiterunt Romani; qui a tergo equorum dorſis ſemper ferebant juvenes

Guicc. l. 28. *Liv. lib. 16.*

nes dexteritate & agilitate præſtantes, in hoc militiæ genere apprime exercitos. Cæſar hac ratione *Val. Max.* acie inſtructa cum millenis ſuorum ſeptem millia Pompejanorum equitum in lato campo fudit. *lib. 2. cap. 1.* Arioviſto ſex millia Germanorum equitum erant, totidemque numero pedites velociſſimi ac fortiſ- *Bel. civ.* ſimi: quos ex omni copia ſinguli ſingulos ſuæ ſalutis cauſſa delegerant: cum his in præliis verſa- *lib. 3.* bantur: ad hos equites ſeſe recipiebant: hi ſi quid erat durius concurrebant: ſi quo longius erat prodeundum aut celerius recipiendum, tanta erat horum exercitatione celeritas, ut jubis equorum ſublevati curſum adæquarent. Horum opera plurima facinora Arioviſtus edidit. Svevi in aſpero *Bel. Gal. li.* quodam prælio, relictis equis pedites pugnam inierunt, & Romanis ſuperiores exſtiterunt. Simile *Liv. lib. 23.* quippiam in Macedonia iisdem contigit; ubi equitibus permixti pugnarunt pedites, qui hoſtium equis ungulas præſciderunt. In Hungaria Vladislaus proſpero ſucceſſu contra Turcas hoc certami- 1443. nis genere uſus eſt; verum id caſu potius quam certo conſilio factum, ſiquidem equitatus hoſtilis *Bonf. l. 26.* in loco incommodo ſubſtiterat.

Legimus quoque equitibus pedites ſagittarios permixtos in aciem eductos fuiſſe. Licet igi- *Bel. Gal. li.* tur noſtris quoque ſtratagemata ejusmodi ad juvandum & confirmandum equitatum invenire & ex- *lib. 7.* cogitare: tum præter haſtatorum & tormentariorum copias, certos quoque milites e toto exercitu deligere & conſcribere, qui una cum equis incedere, & ſine timore cum illis verſari, vel hoſtibus ſaltem, ubi loci iniquitas equorum uſum & impetum vehementiorem prohibet, reſiſtere ſciant.

Duobus ſupradictorum armorum generibus Turcæ deſtituuntur. Aſappii haſtas quidem geſtant, ſed ſariſſis breviores, & exiguis cuſpidibus munitas, quibus punctim ſolummodo feriunt. Unde nec haſtis noſtris, nec cum ſecuribus comparari, nec iisdem reſiſtere valent. Gladii noſtri communes ſtricti & longi cum in ea pugnantium turba ad cæſim feriendum vibrari nequeant, & parum etiam contra acinaces latiores valeant, optime ad punctim lædendum adverſarium uſurpantur: iis remotiorem hoſtem, qui breviori gladio pugnat, facilius & tutius ferire vulnusque periculoſius ac mortale infligere licet. Quæ omnia ſi probe obſerventur; licet exigui momenti videantur, magnum tamen pondus in militia habent. Turcicæ atque Ungaricæ haſtæ, ubi cum impetu in hoſtem procurrere licet, utiliſſimæ quidem, ſed propter longitudinem & quod pleræque ſint concavæ, fragiles ſunt atque infirmæ. In locis parum impeditis & interruptis, ubi vehementi curſu impetum eques facere nequit, plane inutiles exiſtunt.

Arma quibus eminus hoſtem oppugnamus, omneque genus miſſile, nocte & in tenebris plane nullum uſum habet; quod meta propoſita quo ictum dirigimus perſpici nequeat. Paulus Æmi- *Liv. lib. 44.* lius difficilem quendam tranſitum, ubi legio propter anguſtiam loci inutilis videbatur, occupaturus, nocte id aggreſſus eſt, quod hoſtem miſſilibus potius quam Romanos inſtructum & in eo armorum genere probe exercitatum ſciret; in tenebris autem jactus & ictus incertus eſt, & nusquam certo dirigi poteſt. Sed alio quoque defectu hoc armaturæ genus laborat, quod pedites in planitie & ſpatioſo campo, haſtatorum ſubſidio & auxilio deſtituti, ne leviſſimo quidem equitatui reſiſtere valeant: carent enim quod ingruentium equitum inſultibus opponant, unde facillime diſturbantur. Optimum ad hos fundendos remedium exſtat, ut quam vehementiſſime urgeantur, & in eorum ordines prorumpatur; quod non modo alias contra tormentarios ſed moſcetarios etiam in Belgio Hiſpani obſervare ſolent. Prima enim vice tormentis illis exploſis, cum gladiis manus admoventur, illi in hoſtes ſtrictis ordinibus properant, eorum ordines invadunt, & ſi fieri poteſt divellere atque perrumpere tentant. Ejus generis ſunt arcus, bombardæ, tormenta majora quæ moſcettæ vocantur, & æneæ machinæ ſeu catapultæ. Poſtquam bombardæ & tormenta inventa ſunt arcuum uſus deſiit, & parum apud nos amplius curantur. In bello Hungarico Tartari utplurimum illis utuntur. Leviter enim armati, & ipſorum equi, velociſſimi licet, propter debilitatem tamen ad faciendum impetum minus idonei, ſolummodo ad devaſtandam regionem, impediendos commeatus, & ſimulandam circumventionem apti ſunt. Unde noſtros aliter oppugnare cum nequeant, hoc genus miſſile uſurpant; quod plus terroris quam periculi adfert iis qui illi minus ſunt aſſveti; optime equites bombardarii illis objiciuntur.

Sclopetorum autem tria genera ſunt, pro diverſa magnitudine diſtincta, quædam minora ſunt, Italis *piſtole*, alia media, iisdem *archebuſi*, denique majora quædam vulgo *moſquetta* dicta, quorum hæc omnium maxima ſunt quæ manu tractari & explodi poſſunt. Horum armorum magna eſt differentia, non inter ſe modo, ſed etiam ratione uſus in quem adhibentur. Alio enim modo ad venationem & inimicitiam privatam, alio ad bellum inſtruuntur & præparantur. Ad primum, ſumendus eſt pulvis nitratus, qui bonus ſit & juſta proportione probe infectus paratusque. Ad ſecundum, qui munitionum intermedius dicitur. Horum impletio, primis ejaculationibus exceptis, aut non proportionata eſt, ejecto ſæpius fruſtra pulvere, aut non ſatis glande ſua conferta & coarctata. Unde ſummo ſtudio cavendum eſt, ne primæ globorum emiſſiones ſint fruſtraneæ. Ajunt enim moſquettum in velitatione conficere ſpatium ducentorum paſſuum, ſicut & ſclopetum quod inimicitiæ cauſa geſtatur: & ſclopetum militis quantum bombarda ſeu piſtola inimicitiæ, octuaginta nempe paſſuum, quorum quilibet quinque pedes in dimenſione habet. Bombarda vero militis omnino nullius eſt momenti, niſi adurat & conſumat ſuumque conficiat ictum, proinde non niſi velut ad hoſtile pectus admotam explodi volunt.

Hinc notentur ſequentes obſervationes. *Manuariis tormentis* ſeu ſclopis equites qui ferreis thoracibus armantur plerumque uti ſolent. Juramento hi adſtringendi ſunt, ne citius explodant quam in hoſtem recta ictum direxerint, & de eo vulnerando dubitare nequeant. Lanceæ igitur impetus prius expectandus; quo facto, vel hoſte quam proxime imminente, feriendus eſt. Hoc

armorum genus ad reſiſtendum & impetum excipiendum, fortiterque ſtationem tuendam, quam ad aliam in acie impresſionem faciendam, accommodatius eſt; unde ordines eorum arcte & confertim conſiſtere debent. Apparet etiam, quam imperite & negligenter officio ſuo fungantur, qui cum primæ ſtationes exploſerunt non expectant quo ordo eos quoque tangat; vel in aerem vel in ſocios vel procul ab hoſte explodunt. Quæ negligentia & imperitia ſæverisſime inhibenda & caſtiganda eſt. Gallici quoque thoraces quam Germanici præſtantiores ſunt, & facilius ictum ſcloporum longiorum eludunt. Quin & magnum inter utroſque equites thoracatos diſcrimen adparet. Gallus unico tantum ſervo ſtipatus in militiam proficiſcitur; Germanus contra non duobus equis pro ſe & ſervo, ſæpius ne octo ne decem quidem contentus, ingens ſervorum famulitium poſt ſe trahit. Ea res abuſum habet manifeſtisſimum & periculoſisſimum, ob plures cauſas. *Prima* eſt, quod habita luſtratione, quæ ab initio tantum & ſub finem expeditionis fieri conſuevit, multi ex ſervis illis deſiderantur; ſive quod dimisſi ſint ſive quod ficta nomina geſſerint & ſuppoſititii fuerint. *Secunda* eſt: quod in tanto numero multi inveniuntur equi ſtrigoſi & ad bellum inutilisſimi. *Tertia* eſt: quod turmæ ex vilisſimis hominibus, ſervis & ſtabulariis, qui ad bellum ineptisſimi ſunt complentur. Vnde mirum nemini videri debet, ſi eos eventus expeditiones noſtræ minime nanciſcantur, quos ſperamus ex ejusmodi apparatu. Qui ſi in nobilibus & ſtrenuis viris conſiſteret, eorumque virtus, vel pars ſaltem eorum, præſtantiæ armorum correſponderet, quamvis velitum etiam immenſam multitudinem, ut Turcica plerumque eſt, excipere & reprimere valeret. Cum enim cominus manus conſerendæ ſunt, harpæ quocunque feriunt corpus ferro munitum offendunt, enſes vero inermia Turcarum pectora eaque remotiora ubique penetrant perforantque; qui tamen in tanta cinguli, quo lateri aptantur, anguſtia a multis difficulter admodum evaginari poſſunt. Eo meliori conditione Gallorum thoracati propter veruta quæ geſtant exiliunt.

Bombardæ longiores, quas *archibuſi* Itali vocant, leviſſima arma ſunt, quibus equites atque pedites utuntur. *Pedites* eum in acie locum tenere ſolent, ubi plus dexteritatis & agilitatis requiritur: in campo aperto equitatui & haſtatis peditibus reſiſtere nequeunt, niſi alio munimento tuti reddantur. Vnde haſtati plerumque eis adduntur, vel ad horum latera collocantur. Idque duabus fere rationibus. Siquidem quinque vel ſeptem primi ordines, quot nimirum haſta tegere & defendere poteſt, haſtatis non indigent, cum firmiter contra oppoſitas hoſtium turmas conſiſtant nec magis quam illa moveantur, licet inter dimicandum quidam immutari, & alii in ſociorum locum ſuccedere ſoleant. Hi proprie latus agminis vocantur. Alii brachia dicuntur, quod manuum & brachiorum inſtar a cohorte dependeant & nunc hic nunc illic hoſtem lædant: in defeſſorum locum recentiores & qui viribus integri ſunt ſuccedunt. Bombardariorum igitur particulares quædam cohortes haberi ſolent, iisque haſtati quidam adduntur. Vulgo copiæ perditæ dicuntur, quod ſæpius maximis periculis objiciantur, & capiendis foſſis rupibus vineis vel aliis ejusmodi locis, unde hoſti plus damni inferri poſſit, adhibeantur. *Equites* ſclopetarii veterum ſagittariorum vicem ſuſtinent. Hi eminus hoſtes lædunt; unde extra reliquam aciem collocandi ſunt; neque in uno loco nec firmiter ſubſiſtunt, nec impetum facere nec ſuſtinere, & ſuis laborantibus difficulter ſubſidio accurrere poſſunt quin eosdem quoque lædant. Siquidem ictus bombardæ, ab equite inprimis factus, incertus eſt & fallax. Quod igitur potiſſimum hoc armorum genus habet, in primo pugnæ initio conſpicitur & plurimum valet. Cum vero in eos ab hoſte impetus fiat, recedere & periculo ſe ſubducere poſſunt. Illorum officium præcipuum & fere primum eſt, ut latus hoſtile oppugnent, ſuorum vero latera defendant. Nec certis ordinibus in acie diſtinguuntur, cum errabundi & volatiles ſint: nec aſſueti ad vim atque impetum hoſtilem ſuſtinendum, ſed ut haſtati turmatim & catervatim incedunt. Commodiſſime Tartaris opponuntur, quos propius, quam hi ſagittis ſuis, attingere poſſunt: maxime ſi bombardæ ſint aliquanto majores; cujusmodi Itali & VVallones geſtant, Germanorum vero manuaria tormenta Gallica (piſtolæ nominantur) minus apta videntur. *Moſquettum* propter gravitatem minus dextre & agiliter tractari poteſt; longe omnium remotiſſime ferit. Vnde locus illis qui hoc armorum genere pugnant remotior ab impetu adverſariorum conceditur; plerumque peditum cohortibus inſeruntur & eorum tergo annectuntur. Hi bombardarios, qui ab haſtatorum dependent lateribus, defendunt & forficem efficiunt. Quidam moſquettariorum ut & ſclopetariorum ordines hinc inde oberrare, & prout commodum eis videtur vel a tergo vel a fronte hoſti nocere ſolent. Ianizaris bombardarii non recte opponuntur: ſed moſcetarii perfectiores ſunt, quod remotius feriant.

Tormenta & machinæ in campo ſpacioſo ſubito impediuntur ab incurſionibus quo minus præter primum ictum ſæpius in hoſtem explodantur. Plus terroris quam damni atque periculi inferunt; ut in clade Ludovici animadverſum fuit, noſtris timore & fumo potius quam glandibus perterritis. Huc venti commoditas recte obſervata plurimum conducit. Non ſolum autem propter machinarum defectus & imperfectiores ictus ſæpius fruſtrantur, verum etiam propter diſtantiam ſcopi & metæ ad quam diriguntur. Cum enim non ſemper æquales ſint planities, nec eædem hominum ſtaturæ, facilime, vel nimis alte ultra capita eorum quos ferire debebant glandes ejaculantur, vel nimis remiſſe antequam metam attingant ad terram deprimuntur, iterumque magno interpoſito ſpacio reſultant. Cum primi ictus perfecti ſunt, leviter armati & velites emittuntur, ut rejiciant eos qui machinas occupare tentant. Vnde harum uſus plane ceſſat, quando amici cum hoſtibus permixti internoſci & diſtingui nequeunt: niſi forte in loco eminenti vel munito undique poſitæ ſint, vel aquarum aut locorum interruptorum adminiculo ab hoſtium incurſionibus defen-

dan-

dantur. Ad Ravennam Galli hoc medio victoria potiri ſunt. Solent etiam aggeribus muniri, eisque peditum cohortes validæ adduntur. In mediam aciem plerumque collocantur peditatui vicinæ. A latere autem locus eminens & natura munitus pro eis deligendus eſt, vel is propugnaculis & peditum cohortibus muniendus, ut contra equitatum hoſtilem tutæ conſiſtant. Hic ordo in noſtra acie inprimis conſpicitur. *Guicciard. lib. 10.*

II. Vtrum primum aggredi hoſtem, vel ejus impetum ſuſtinere præſtet.

Duo quondam Romanorum Conſules pugnam inituri periculoſiſſimam, diverſa plane certaminis ratione in debellando & aggrediundo hoſte uſi ſunt. Alter militibus ſuis edixit, ut ipſi ſuſtinerent hoſtis impetum, quo primo aggreſſu fortiter rejecto & eluſo futurum ſperabat, ut paulatim ab ardore & furore vehementiori iidem remitterent, animumque ſenſim deſponderent, faciliusque in fugam agerentur. Quod conſilium ex ſententia ei ceſſit, victoriaque potitus eſt. Alter vero quanta fieri poſſet vehementia atque audacia majori ſuos in objectam hoſtium aciem impreſſionem facere juſſit. Sed hoſte inferior hic exſtitit, victusque ac cæſus fuit. *Sueton. l. 1. c. 45. 4. cap. 63.*

Nec mirum: ſiquidem celeriter & feſtinanter incedentes tam probe ordines ſervare, pedem in conſtituto loco firmare, greſſumque ſiſtere & mutua conferre auxilia nequeunt, quam ii ſolent qui intra ſtationes ſuas permanent. Huic accedit, quod commoditates, quibus hoſte exiſtunt ſuperiores, negligunt & deſerunt, adverſarios in locis oportunis & qui ipſorum commoditatibus ſerviunt, in quibus haud ſuperari & vinci poſſint, offendunt. Denique ſe ſuosque temere machinarum ac tormentorum ictibus objiciunt, & manifeſto diſcrimini exponunt. Nec ea feſtinatio alium fructum habet, quam ut vanam fortitudinis & audaciæ oſtentationem ferat; quo parum movebuntur milites, quos duces ſtrenui jam antea certiores reddidere, moram longiorem non ex timore proficiſci, ſed maturo conſilio hoſtem ea ratione vincere conſtitutum eſſe. Sane milites de hoſtium pugnandi & belligerandi modo diligenter edocendi & inſtituendi ſunt: ne ſi quid forte novi interveniat, confuſio in acie oriatur; cujusmodi ſunt clamores, ululatus, & ſaltus, aliaque id generis vaniſſima, quæ ut Mallius dicebat ipſis hoſtibus plurimum detrimenti afferunt cum primo impetu fortiter repelluntur. Volſcos in aciem currentes Romani pede firmo exceperunt anhelantes, eosque fugarunt. Hoc uti ſtratagemate in campis Pharſalicis Pompejus conſtituerat; ſed ſtudio ſuos in hoſtem Cæſar properare, & in medio curſu, ad recipiendum anhelitum, ſubſiſtere juſſit. *Liv. l. 10. Front. l. 2. cap. 1. Bell. civ. l. 3. Front. 16.*

Animadvertendum igitur, ubi hoſtium robur præcipuum in primo impetu conſiſtere novimus, commodiſſime adorientem excipiamus, non ſine ſpe victoriæ, ut plura teſtantur. Quin & cum Turcis manus conſerturi haud parum momenti hic reſiſtendi modus ad victoriam habiturus eſt. Sed contrariam rationem noſtri obſervant, plus fiduciæ in potentia quam in arte collocantes; unde tot inſignes in Hungaria ſtrages Chriſtianis illatæ numerantur. Ad Nicopolim contentio inter ordines de adoriundo hoſte mota cladis non minima cauſa fuit. Ad Varnam in locis incommodis exercitus contra ducum imperium hoſtes aggreſſus eſt. Ad Mohatz, nulla neceſſitate urgente, milites impetum in hoſtem fecerunt, eundem in loca Turcis quam Chriſtianis opportuniora ſtructasque inſidias inſecuti ſunt. Num quid horum ad Agriam proxime elapſo anno commiſſum fuerit, hiſtoria ſuo loco ſuoque tempore aperiet. Certa nobis & indubitata conſtaret victoria, ſi eadem induſtria in hoſtis naturam fraudes & aſtutiam, ut ille in noſtras ſolet actiones, inquireremus. Optime novit impatientiam noſtram; ideoque pugnandi occaſionem præbet, nec tamen copias promovet, ſed ubi pugnæ deſiderio noſtros æſtuare cognovit, in prælium deſcendit, certa victoriæ ſpe nixus, ut exempla ſuperius adducta declarant. *1393. 1444. 1526. 1596.*

Pugnandi igitur ratio & methodus immutanda, cogendusque hoſtis ut in locis quæ commodiora nobis videntur ipſe nos adoriatur. Quod facile obtineri poteſt vel urbium vel propugnaculorum præcipuorum obſidionibus, vel ubi propius ad ipſum accedimus, nec unquam e conſpectu ipſius diſcedimus, donec preſſus penuria vel manus conſerere vel copias reducere cogatur, vel arrepta alia quapiam peroportuna pugnandi occaſione, quæ nonnunquam ſeſe obferre ſolet. Neque velitationes majores ineundæ, in quibus laborantibus aſſidua mittantur præſidia: ſiquidem Turcæ hoc certaminis genere longe noſtros ſuperant. Quin potius junctis viribus, iisque in ſua agmina recte diſtributis, hoſtem aggrediemur: unde aciei forma immutata, alius victoriæ & prælii ſucceſſus ſequetur.

III. Quomodo prælium ſit ineundum.

Pugnæ initium levioris armaturæ milites faciunt, qui eminus hoſtem petunt, ubi tormenta ſunt exploſa; ſclopetariorum turmæ emittuntur, ut hoſtium machinas diſturbent, ne damnum nobis inferant. Idem cum hoſtes facere conantur, levia certamina & velitationes oriuntur. Eodemque tempore ex alis equites arcularii ſeu tormentarii prorumpunt, qui latera & cornua hoſtium infeſtent: ſæpius hi recedunt & a tergo impetum facere tentant, ut hoſtium ordines turbent. Quod ſi his auxilium feratur, vel objiciantur inæqualis armaturæ milites quibus reſiſtere diffidant, paulatim recedere & priorem pugnæ locum capere convenit. Sic alliciuntur hoſtes, ut inſiſtant retrocedentibus, donec undiquaque pugnæ initium fiat. Siquidem hoſtibus ſemper recentes copiæ auxiliares advolant, augeturque pugnantium numerus, quos noſtra acies excipit; quæ tamen non ſemper integra pugnat, ſed pars ejus ſæpius certamen init. Multi hoc ſtratagemate uſi ſunt. Scipio nervum exercitus in uno cornu collocarat, quo in pugnam educto alterum debilius quietum

tenuit. Exercitus hoſtilis parte fugata ambo cornua ad reliquos devincendos conjunxit. Alia vice robur militiæ in duo cornua diſtribuit, infirmiorem exercitus partem in mediam aciem conjecit, eamque validiſſimis hoſtium copiis oppoſuit. Illis quieſcentibus, cornua ſua contra tergum aciei hoſtilis, ubi debilior erat, eduxit, eaque parte fugata, reliquos facile ſuperavit. Alii duces aliis hoſtem vincendi modis uſi ſunt.

Front. l. 2. cap. 3.

Hoc inprimis obſervandum, ut dum agmina & turmæ promoventur, eadem diſtantia invicem milites incedant; ne ſi nimium in hoſtem properent vel in denſitatem inter equitandum contrahantur, & alter alterum præcedere contendat, confuſio in ordinibus oriatur, unde non levia damna inferri ſolent. Priori modo terminos a ducibus præſcriptos milites tranſeunt, nec ab officiariis amplius regi, nec præſidia laborantibus ferri, nec errores cognoſci, aut priusquam in immenſum creſcant corrigi queunt. Interequitando poſtea ordo eorum, qui ad ſubſidia ferenda conſtituti erant, turbatur, & latera noſtrorum & vicinorum agminum denudantur, certisque intervallis aperiuntur, ut hoſtium incurſioni pateant: denique occaſio datur, ut eodem in loco plurima agmina aggrediundo impingant. Quod ut ſemper periculoſiſſimum, ita maxime vitandum, ubi cum immenſo hoſtium exercitu congrediundum, qui quoad fieri poteſt late diſtractis copiis oppugnari debet. Hunc errorem Aladanus in Seghedinenſi clade commiſit, facto impetu cum duobus equitum turmis in immenſum quoddam Turcarum agmen; quo cæſo fugientes Chriſtiani inſecuti ſunt, tunc ad prædas converſi occiſos ſpoliare & exuere cæperunt; ſic palantes & nullo ordine diſperſos duæ Turcarum alæ, quæ integræ permanſerant, aggreſſi eximia ſtrage eos affecerunt.

Hortenſ. 1552.

Hæc duces ipſi noſcere debent: ſiquidem belli imperator non ubivis locorum ſubſiſtere & ſigillatim quosvis inſtruere poteſt. Ex horum imperitia & culpa confuſiones clades & fugæ militum oriuntur, quæ imperatoribus plerumque adtribui ſolent, cum fugarum principia ut plurimum lateant.

Præter reliquos errores in Agrienſi pugna a ducibus admiſſos, hi a viris belli peritis notantur. Quod exercitus noſter cum ſuperatis paludibus hoſtem aggredi vellet, dextrum cornu non recta in oppoſitum hoſtium cornu ſiniſtrum impetum fecerit, ſed verſus dextrum ſeſe converterit. Contra vero ſiniſtrum Chriſtianorum cornu in Turcarum cornu ſiniſtrum moverit, atque adeo in medio itinere obviam ſibi facti invicem, crucis figuram incedendo effecerint, ordinesque interequitando turbarint. Biduo antequam hoc contigit, in alta quadam ripa Turcæ fluvii vadum quærebant; nec retrocedere poterant propter ſociorum multitudinem, qui eos premebant a tergo; ne procederent ulterius, Hungari quidam eis impedimento erant qui tranſitum tuebantur. Poſt hos Germani quidam equites excubias agebant, qui non modo in vanum manuaria ſua tormenta in hoſtem exploſerunt, ſed multos etiam ex Haiduccis vulnerarunt, atque adeo triplici culpa lapſi, majora damna amicis quam hoſtibus intulerunt. Quod ſi alibi hoſtes fluvii tranſitum, quem ſedulo inveſtigabant, reperiiſſent, actum ſine dubio de omnibus iis copiis fuiſſet. Priori tamen caſu facultate utendi oblata occaſione, poſteriori vero peritia & ſcientia deſtituti fuerunt.

IV. Hoſti fugienti quomodo inſiſtendum.

Guicci. l. 2.

Hoſti fugienti aureum pontem ſtruendum nonnulli judicarunt. Quorum opinioni repugnare videtur vulgo in bellis recepta regula, victoria utendum eſſe, nec hoſti tempus ad animum reſumendum viresque recolligendas concedendum. Hæc duo ut concilientur invicem, fugæ diſtinctio facienda. Vel enim hoſtis integras adhuc & incorruptas copias, armis probe inſtructas ſub ſignis reducere & in tutum collocare tentat, vel aperta fuga deſertis ordinibus & ſignis relictis armisque abjectis tergum vertit. Qui priores intercludere viamque illis præripere vellet, neceſſitatem pugnandi & ſeſe defendendi imponeret, ſiquidem armati id facere poſſint. Non igitur impediendi ſed evadendi commoditas libera eis relinquenda. Quin potius tanta vehementia iidem urgendi ſunt, ut in fugam ſolutam avertantur; quo impetrato ſecure ipſis via prædudi poteſt, ut majori ſtrage afficiantur. Hanc opinionem Vegetius & Scipio probant; iter ſcilicet fugientibus hoſtibus non obſtruendum, per quod fugere deſtinarant. Si enim apertum illud & liberum conſpiciant, fugæ deſiderium omnes invadit: ſemel in fugam conjecti ordines rumpunt faciliusque delentur: via autem impedita cum evadere nequeant, deſperatio animum addit pavidis, timorque ſæpius arma miniſtrat ubi nulla ſpes ſalutis ſupereſt.

lib. 3. c. 21.

Qui igitur hoſtem fugientem inſequi cogitat, primum videat neceſſe eſt, utrum tota acies an pars ejus cæſa & fuſa ſit. Poſteriori caſu pars fugiens tamdiu propellenda, donec diſperſa undique ſuos recolligere & in ordinem reducere nequeat: poſtea ab inſequendo retrahendi ſunt milites, ut reparatis ordinibus vel a tergo vel a latere aggrediantur eos, qui adhuc manus conferre & reſiſtere audent. Sæpius enim contigit, ut exercitus pars victa ſit, cui tamen ab alia parte victoria integra manſit. Hannibal ad Cannas Romanum equitatum fuſum & fugatum non eſt inſecutus, ſed eundum impune elabi paſſus, recta vero in latus agminis hoſtilis invectus, tam inſigni victoria potitus eſt. Si ad Varnam Corvinus hoc præcepto uſus eſſet penes ipſum certiſſima victoria ſtetiſſet. Quin & Ludovicus ſuperior evaſiſſet, niſi Turcarum agmen fugiens liberius, tanquam in manifeſta victoria, inſectatus eſſet, cum ducenta hoſtium millia ſupereſſent, qui nondum in aciem deſcenderant. Ad Agriam temere nonnulli duces, ut primum hoſtes tergum vertere conſpexerunt, ordines turbarunt, & immemores officii prædas agere milites permiſerunt. Sed hoc poſteriori caſu, non ſolum pars quædam, ſed univerſus exercitus hoſtilis in fugam conjectus videbatur. Nec tamen ea militibus in perſequendo hoſte licentia permittenda, ut ordines plane

Livius l. 1.

plane diſſolvant. Velites & leviter armati ad inſequendum hoſtem emittendi, gravioris armaturæ milites paulatim obſervatis ordinibus eos inſequi debent; quo prioribus tutus receſſus pateat. Nec tamen leviores iſti nimis late explicandi, vel longius invicem diſpargendi ſunt, niſi arma hoſtes abjeciſſe & ordines deſeruiſſe conſtet. Tunc etiam fugientibus via ſolo equitatu obſtruenda, & late copiæ deducendæ, ut major ſtrages edatur. Sic evitantur errores, quos vitare Vegetius jubet: exiſtimans hoſtibus evadendi occaſionem dari, dum recens victoria ſuperbos & incautos victores reddit. Siquidem in inſequendo major audacia quam ſollicitudo & cura viget, ſed remiſſa illa ſecuritas plena eſt immenſi periculi. Qui nihil plane timent, inconſulte diſperſis ſuis, ſequuntur: quod qui faciunt quam ipſi acceperant adverſario dare victoriam volunt. T.Liv.l.6. P.Jov.l.29. Guicc.l.13. lib.3.c.25. cap.12. cap.20.

Hæc militaria præcepta, ut & alia probe Turcæ obſervare & re exequi norunt. Contenti enim ſecura victoria, nec ſpolia & prædas, nec qua clade hoſtis afficiatur curant, fugientes non inſequuntur temere. Cujus rei Varna Mohaz & Agria teſtimonium perhibent.

Fugam hoſtium & deſertionem caſtrorum ſequitur deſtructio & devaſtatio regionis, & locorum expugnatio, dum præ formidine cuncta trepidant, & faciliores quævis expeditiones, difficillimæ licet, exiſtunt, propter autoritatem qua victor pollet. Qua in re uſus victoriæ conſiſtit.

V. Quomodo in tutum reducantur milites, & laborantibus auxilium feratur.

Aciei perfectio in eo conſpicitur, cum primis turmis ſecundæ juſto tempore ſubſidio veniunt, & hos tertiæ deinde in hunc uſum reſervatæ excipiunt.

In materia fugarum duo reperio notatu digniſſima. *Primum* quod major plerumque conflictus graviusque certamen inter parvos vel mediocres exercitus committi ſolet, quam ubi immenſa copiarum multitudo congreditur; cui major plerumque ſtrages in fuga quam in prælio infertur. Cum enim manus conferendæ ſunt non fugiendo ſed in hoſtem properando, alii quidem animo confirmato incedunt, alii vero perterriti confuſionem excitant, facileque ſine certamine rejiciuntur & in fugam convertuntur. Hujus mali cauſſa eſt, quod in tanta multitudine plurimi reperiuntur abjectiſſimæ ſortis homines, qui nullo imperio ſub ordinibus contineri poſſunt. Expectatio quoque primi impetus, qui ſemper vehementiſſimus eſſe & omnium animos ſuſpenſos tenere ſolet, confuſionem cauſſare & ordines perturbare poteſt. *Alterum* eſt, quod licet in priori militum ſerie nonnulli vacillent, & fugam inclinent, pedemque referre cogitent, fuga tamen plerumque in poſteriori claſſe oritur; quibus firmiter perſiſtentibus, priores reſiſtere inviti etiam coguntur.

Hinc concludo, præcipuum belli ducis officium in eo poſitum eſſe, ut militum animos initio pugnæ probe confirmet, quo fortiter hoſti reſiſtant, vel ſaltem audaciam firmiter in hoſtem properando ſimulent, quod in ingenti exercitu maximum pondus ad victoriam habet. Ubi primus impetus feliciter ceſſit, poſteriores animum recolligunt, adeoque roborant, ut prioribus cedentibus illi horum loca ſupplere non dubitent; maxime ubi ad fortitudinem a ducibus & officiariis fuerint adhortati, qui ſemper hac in parte ſtrenue ſuo officio, turmas obequitando & hoſtium pugnandi modum declarando, fungi debent, ne milites novitate aliqua forte perturbentur. Non modo autem in primam ſeriem optimi & præſtantiſſimi quivis militum & officiariorum collocandi, ſed in ultimam quoque claſſem pars eorum reſervanda; quo illi fortiter pugnando reliquis exemplo ſuo præeant hi vero timidioribus ſpem fugæ adimant. In Romana acie, ut quisque videbatur fortior, eo magis in noviſſimum agmen reſervabatur, primipilis exceptis qui erant omnium ſtrenuisſimi. Ubi duces nec minis nec exhortationibus ſuos in hoſtem animare poſſunt, ſubſidiarios advocare & eorum adventum pugnantibus certiorem facere debent, quo citra confuſionem recedant & recentibus pugnandi locum concedant, ne victi fugam meditari ſed ad recipiendum anhelitum cedere videantur. Hoc ſi duces a ſuis impetrare poſſunt, non minori laude digni cenſendi quam ſi plena victoria potiri eſſent. Hæc enim in fortunæ ludibrio conſiſtit, ad quam militum audacia & ſtrenuitas accedit: in ducum vero virtute ſola poſitum eſt, prudentia præcavere periculum & cladem evitare atque avertere. Cum igitur hunc in modum e certamine milites deducti ſunt, vulneratos curare, & defeſſos recreare, tum ad repetendum prælium, & auxilium iis qui prius ſuccurrerant vel a fronte vel a latere ferendum ſuperſtites adhortari & confirmare debent. Hoc utiliſſime plurimis ceſſiſſe exemplum Xantippi & Sertorii demonſtrat. Subſidiariorum dux diligenter inquiret, quæ in ea parte aciei cui ille ſubſtitutus eſt gerantur. Debet quoque de ſucceſſu prælii cum militibus, ut præſenti ſint animo communicare; reluctantes rationibus veris vel veriſimilibus refutare: & paulatim contra hoſtem eos incitare: hilari fronte tempus prælii exoptatum, ut virtutis ſuæ ac fortitudinis ſpecimina edere poſſint, annunciare, eosque officii admonere. Tunc firmiter coarctatis ordinibus cum gravi & audaci inceſſu, qui magnanimitatis ſpeciem præ ſe fert, proxime ad latus eorum qui recedunt copias promovere debet, priusquam in plenam avertantur fugam, quæ utrisque terrorem maximum ſolet incutere, ne fugientes animum protinus deſpondeant, ordines deſerant, nec facile ducum imperio amplius pareant. Marcellus ab Hannibale cæſus & fugatus fuit, quod lente ſubſidio veniret laborantibus: quibus in fugam conjectis cum reliquo exercitu vim hoſtilem ſolus ſuſtinere nequivit. Nec ea tamen lege ſubſidiarii adſtringendi, ut neutris præter ſibi commiſſis auxilium ferant: quin ubi neceſſitas requirit, ex conſilio imperatoris belli vel aliorum ſummorum ducum, pro aciei ſucceſſu alio transferri poſſunt ſubſidia. Tum infinita alia ſtratagemata in variandis & immutandis aciebus ipſo prælio durante, nunc equitibus peditum loca capeſſentibus, nunc peditibus equitum vicem ſupplentibus, atque alia ejusmodi adhiberi poſſunt. Quæ etſi exigui momenti eſſe videantur, maximum tamen pondus ſæpius ad clariſſimas victorias reportandas contulerunt. Front. l. 2. cap. 3. Liv. l. 27.

VI. Quomodo aciei tergum & latera munienda.

Cui a prima aciei fronte numeroſiſſimus exercitus oppoſitus eſt, in maximo verſatur periculo, ne a tergo quoque circumveniatur. Nam ubi ante oculos hoſtis verſatur difficulter ad tergum vel latera reſpicimus; tum ſtrepitus variique clamores quibusvis etiam fortiſſimis terrorem incutere ſolent; quilibet enim propriam ſalutem perpendit, eamque in fortitudine alterius poſitam exiſtimat. Tum diverſæ voces nunc huc nunc illuc milites in diverſum rapiunt, animos ſuſpenſos tenent, ordines perturbant, & fortiores etiam timidos reddunt.

Cum igitur acies non ſemper longius produci queat, ne nimium extenuetur & debilitetur in medio, varia huic inconvenienti remedia a ducibus excogitata fuerunt. Quidam aggeres ad latera aciei ad frontem usque erexerunt, eosque machinis impoſitis muniverunt. Sylla & Cæſar ſæpius hoc munimenti genere uſi ſunt. Ad Agriam ſimile quippiam decretum, ſed re minus executum fuit. Alii copiis diviſis ad utrumque latus ſubſidiarios in excubias poſuerunt. Quidam cornua & alas in lateribus duplicarunt, & plures copias, quam in media acie erant, illuc collocarunt; ut neceſſitate ſic urgente extendere eas & latius explicare poſſent. Quidam ob paucitatem militum pugnæ locum idoneum elegerunt, cujus oportunitate (vel quod præruptus eſſet, vel ſylvis montibus fluviis aut paludibus conſitus ac munitus) unum e duobus lateribus a vi hoſtili defenderetur; quod in pugna Pharſalica & contra Antiochum aliosque plurimos feliciter ceſſit. Qua in re ſciendum, machinis quibus hodie utimur, minus commode hoſtem impediri eique noceri poſſe, & primariam cauſam cladis ad Ravennam acceptæ inde dimanaſſe. Sylla præter aggeres palos quoque terræ infigi curabat, quibus curruum falcatorum uſum hoſti adimebat, relictis in acie intervallis e quibus equites & levioris armaturæ pedites durante prælio prorumperent; eoque ſtratagemate, exiguum licet exercitum haberet, immenſum Archelai equitatum vicit.

[Front. l. 1. c. 3. — Bell. Gall. lib. 2. — [illegible] l. 1.]

Artificia hæc curruum falcatorum & lignorum terræ infixorum commode noſtro tempore adhiberi, & merito nova excogitari debent; ſiquidem cum ejusmodi hoſte bellum nobis gerendum, cujus potentia vires noſtras longe ſuperat. Quoties Hungaricas pugnas cum Turcis commiſſas altius perpendo & mecum conſidero, ſæpius mirari ſoleo artes tam parum illibi valuiſſe: unicum robur & vim in præliis adhibitam fuiſſe, quaſi brutorum inſtar ſolis viribus nec rationibus etiam certandum nobis eſſet. Huniadem ac Stephanum Battorium ſolos reperio agminum latera carris muniviſſe. Ludovico idem fuit conſilium datum; & ad Agriam quoque ejus mentio facta ſed in effectu non fuit poſitum. Quin plurimi in Hungaria ludibrio harum rerum artifices & ſtructores habituri eſſent, licet nihil quicquam ad eorum rationes refutandas proferre in medium poſſent. Utinam Germani artium militarium majori cura tangerentur, quo tempori & militibus in expugnationibus parceretur! Fateor non magni momenti rem eſſe palos infigere aggeresque ducere; ſed cum videamus harum rerum uſum, ubi juſto tempore & locis idoneis adhibitus fuit, utentibus proſpere ceſſiſſe, a nobis tanquam ineptæ & viles minime ſperni debent.

[[illegible] l. 9.]

Contra equitatum hoſtilem permulta ſunt artificia, defenſiva & offenſiva, a veteribus uſurpata noſtro vero tempore revocata & aucta. Tum etiam quomodo in planitie pedites contra equitatum ſubſiſtere & ſe defendere valeant, nova excogitata ſunt ſtratagemata: ſed vileſcunt, niſi ex improviſo arripiantur hoſte nihil tale cogitante; prævisa enim minus nocent & facile eluduntur.

VII. Quod ſit officium ducum; & quem locum capeſſere in præliis debeant.

Proprium omnium belli ducum officium eſt, ſalutaria capere conſilia. Armorum tractatio ad milites proprie ſpectat. Scipio ad duellum provocatus, non militem ſed ducem ſe a matre genitum dicebat. Hinc ex veterum Spartanorum judicio, major gloria ducibus qui arte quam qui vi hoſtem ſuperarunt deferenda: priori ratione parta victoria gallum, poſteriori vero bovem ſacrificabant. Conſtat equidem multos victorias lucratas fuiſſe, quod duces ipſi præſentes & participes fuerint periculorum; eum tamen vincendi modum minime probandum judico. Illi enim fortunæ debent, quod ſalvi & incolumes diſcrimen evaſerint; cujus ope ſi deſtituti fuiſſent, maximo ſuo cum damno inſignem ignominiam incurriſſent, quemadmodum Uladislao & Ludovico contigiſſe novimus. Plus igitur ducem prudentia, quam manu certare: milites in ordinibus ſervandis, in itineribus faciendis, in armis tractandis exercere; imaginariis pugnis ad omnia belli munia fortiter & intrepide ſubeunda, ad impreſſiones, ad ſuſtinendum hoſtilem impetum, ad receſſiones, ad militaria imperia excipienda & exequenda aſſuefacere, conducit. Hinc enim promptiores & cordatiores evadunt milites; ſiquidem, ut Vegetius dicit, *quilibet audacius illud faciendum aggreditur, quod eum didiciſ ſe effecturum putat.* Virtuti enim cum vis conjungitur, propter vinculum mutuum, cautior illa hæc validior in militia exiſtit.

[[illegible] l. 1.]

Primum belli imperatoris in prælio committendo officium eſt, ut priusquam impetus fiat in hoſtem, hilari & jucunda facie apud copias pleraſque compareat, brevi ſed gravi ac ponderoſa oratione officii eos admoneat, honorem & gloriam propriam eis in mentem revocet, patriam denique ac religionem pro qua pugnant eis recommendet: adhortetur eosdem ut ducibus & officiariis debitam præſtent obedientiam, ſibique certam & indubitatam promittant victoriam, ob juſtam belli cauſam quam defendunt: quod fortitudine & armis longe ſuperent hoſtium exercitum, qui ex viliſſima & inermi multitudine invite & coacte in bellum protracta conſtet, qui nunquam ſuperiores nobis extitiſſent, niſi confuſio noſtrorum victoriam eis creaſſet; nunc malis illis omnibus abunde proſpectum & proviſum eſſe, modo obtemperent recte monentibus: nunquam eos non victuros, dum-

modo

modo victoriam tanquam unicum omnium actionum ſcopum ſibi certo proponant, & vel vincere vel mori ſecum ſtatuant. Hæc vel ſimilia duces inferiores ſuis militibus continuo inculcare & repetere debent.

Tum imperator repetit locum ſuum peculiarem, in media acie, quo ſecurior & undiquaque proſpicere poſſit, ei deſtinatum: ſtipatus conſiliariis & nobilibus rerum peritis qui omnes ſucceſſus probe intelligant & dijudicent, recteque renunciare ſciant cum ab imperatore ad recognoſcendum emiſſi fuerint. Nec imperator ſolum ſuos habeat delegatos, per quos ſingulis momentis ſtatum pugnæ cognoſcet, ſed reliqui duces inferiores, cornuum ſcilicet & alarum, tum vicarii & caſtrorum præfectus, quid geratur ei ſignificent vel ipſi referant, centuriones atque tribuni ad duces ſuos recurrant, quo confuſiones vitentur. Imperator tamen ubi neceſſitas requirit ipſe auxilio accurrere laborantibus, & præſens omnia ſpeculari ac cognoſcere poteſt. Conducet ei in loco paululum eminentiori ſubſiſtere, ut commodius ſingula oculis intueri, & rebus dubiis conſilium & auxilium ferre poſſit.

Præter imperatorem nemo ducum autoritatem habet quicquam in imperio militari & caſtrenſi decernendi. De pugnis idoneo tempore & loco committendis imperator cum ſuis conſiliariis deliberet. Decreta concilii omnes ſtricte obſervent, & transgreſſores vel inobedientes ſæveriſſime puniantur. Quod uniuscujusvis ſit officium ſcripto comprehenſum ſingulis tradatur, ut diſcordiarum confuſiones & rixarum cauſæ præcidantur. Cunctis ejusmodi munera imponantur, quæ ſunt cujusvis officii; ne imperia confundantur: & diligenter in concilio perpendatur, quid cujusque ducis jurisdictio requirat, ne inter officiarios æmulationes oriantur.

Ubi igitur pugna cum hoſte decertare decretum fuerit, caſtrorum præfectus & teſſerarius ad concilium referant aciei formam & ordinationem; quo mature deliberetur, num præſcripto modo inſtituenda, an quippiam in ea immutari placeat. De hac ubi conſtat, ducibus tribunis centurionibus ac reliquis officiariis, quem locum capere & tueri debeant, indicandum. Quibusdam cornua regenda committuntur; viris ſcilicet qui autoritate pollent, principibus & provinciarum rectoribus. Alii peditatui & medio agmini præficiuntur, cujus curam teſſerarius plerumque gerit. Turmæ proprios habent chiliarchas ac tribunos, qui eis imperant. Hi omnes quam diligentiſſime antequam ad manus venitur edocendi & inſtruendi ſunt; quomodo in certamine, in ſubſidio ferendo, in clade denique ac victoria ſeſe gerere debeant.

Legato imperatoris & caſtrorum præfecto certus locus non eſt deſignatus, ſed libere hinc inde vagantur, ut periclitantibus undique ſuccurrant, & decretorum executionem procurent. Nec armamentarii tribunus certo loco affixus eſt. Quæ enim ipſius curæ commiſſæ ſunt machinæ & tormenta non uno in loco hærent, ſed varie hinc inde pro ſitus ratione diſpoſita ſunt; quibus ſemel exploſis, diligenter in omnes occaſiones attendendum, num promotis copiis denuo hoſti machinis noceri & detrimentum afferri queat. Nunquam enim commoditates probe fungendi officio deerunt, qui ſolerter iis invigilet. Cornuum & agminum ductores locum intermedium tenent militibus undiquaque circumſtipati; ſed urgente neceſſitate ipſi accurrant ubi periculum eorum præſentiam requirit, vicario cuipiam jurisdictione delegata; in his auctoritas potius, ut decreta & mandata recte perficiantur, quam exacta rei bellicæ ſcientia requiritur.

Tribunos & centuriones, quibus rerum ac conſiliorum executio commiſſa eſt, inprimis decet prudentia, qui niſi officio ſuo recte fungantur, nihil proderit imperatori cuncta ſuo ordine recte diſpoſuiſſe & ſalutaria de rebus agendis conſilia cepiſſe. Fieri enim non poteſt, ubivis locorum ſemper ille præſens adſit ad frenandam audaciorum temeritatem, confirmandos remiſſiores ac timidiores, inſtruendosque imperitos. Ubi copioſus eſt exercitus difficilius ſane hoc fieri poſſit. Unde imperatori merito adſcribuntur errata bellica poſthabitis ducibus, quorum tamen culpa ut plurimum evenire ſolent: ſiquidem penes ipſius ſtat arbitrium ejusmodi duces ac tribunos militibus præficere qui apti & idonei ſint ad munus tam grave ferendum. Secus tamen ſtatuendum, cum imperator belli hac poteſtate deſtituitur; ut fieri ſolet in copiis auxiliaribus, cum penes exteros Principes, qui mittunt auxilium, officiorum diſtributio conſiſtit. Eæ enim copiæ non alios quam proprios duces recipiunt. Hoc caſu merito parcendum imperatori, & clades autoribus ſuis, ducibus ſcilicet copiarum, imputandæ ſunt. De ſucceſſu belli anno præterito geſti, hiſtoricorum erit veritatem ſcribere & ad poſteros transmittere. In certamine centurio vel tribunus medium inter primipilos locum obtinet; ei reliqui officiarii adſtant; ipſe omnes occaſiones perſpicit, & a tergo ac latere commode imperare poteſt. Ejus imperium vicarius a tergo excipit & ad reliquos transfert.

A latere & in noviſſima ſerie periti quidam & autoritate præditi duces ſubſiſtunt, militibus quibusdam ſtrenuis comitati: eum ſcilicet in finem inprimis illuc poſiti, ut quosvis trucident ſine reſpectu, qui propter aliam quam hoſtis occidendi cauſam ordines deſerunt. Pœna quoque ſeveriſſima ducibus proponenda, in quorum agmine prima confuſionis cauſa datur. Prius tamen in exercitu publicandum, hoc non fieri, ut de fortitudine militum ſtrenuorum dubitemus, ſed verendum, ne inter eosdem nonnulli abjecto & timido animo præditi lateant, quibus potius curæ ſit fugæ & latrocinii quam pugnæ certamen inire; cavendum igitur ne horum culpa ruina optimorum militum & totius exercitus proveniat, & eorum exemplo alii quoque ſeducantur. Quin (ſi ita videtur commodum) ſinguli quoque milites adhortandi & inſtigandi ſunt, ut ſocios quos fugam meditari vident occidant, ejusque rei certa occiſoribus præmia, ac ſi quempiam ex hoſtibus interfeciſſent, proponenda ſunt.

Noviſſimo agmini turmæ quædam equitum adjungendæ, quorum curæ ſit hinc inde perpetuo vagari

vagari & excurrere, ut equites recte in ordine contineantur, transgredientes vero ſine ullo reſpectu continuo occidantur. Quilibet enim firmiter ſubſiſtere debet, quouſque primipili centurio & reliqui officiarii, qui maximi periculis ſunt expoſiti, perſeverandum in acie ſtatuunt. Quod ſi hoc ſupplicium homines abjectiſſimos & timidisſimos in officio continere nequeat, cogitent illi, periculum ab inſtante hoſte ſe nunquam evaſuros. Quod nunquam incurrent, ſi cum reliquis audacter in prælio perdurent, nec eandem cum cæteris fortunam ſubire dubitent. Subſidiariorum dux dum vacat a certamine, & ipſius opera pugnantes non indigent, aciei ſtatum diligenter eminus perluſtret, ſuos de proſpero ſucceſſu certiores reddat, errores & damna mitiget & extenuet, in reliquis ſuo officio probe fungatur.

Hæc præcepta, aliaque magis generalia, ubi recte in bello Hungarico obſerventur, non dubitandum quin eventu magis proſpero pugnas cum hoſte commiſſuri ſimus. Bonum enim ordinem ipſa fortuna ſemper comitari ſolet. Quo dextre obſervato, haud erit difficile Turcam vincere, qui hactenus cunctis invincibilis viſus eſt.

Anonymi cujuſdam diſſertatio de ſtatu imperii Turcici, cujusmodi ſub Amurathe III. fuit: deque ejus evertendi modo.

Quam ex Italico in Latinum tranſtulit

JAC. GEUDER AB HEROLTZBERGA.

IN bello quod nuper in Perſia geſtum eſt Turcicus Imperator jacturam ſexcentorum millium hominum fecit, præterquam quos peſtis nuper Conſtantinopoli abſumpſit; viros conſilio graves, authoritate & rerum experientia præditos amiſit. Indies fere Chiauſii ſeu nuntii ab aula in diverſas imperii provincias ablegantur, qui militem cogant: etiam loca maximi momenti ſæpius præſidiis denudantur, quod in bellis præteritis ad annum usque 1585. non fuerat tentatum. Sed ceſſit neceſſitati conſvetudo & mos antiquus. Aprili proximo nuntii Conſtantinopoli comparuerunt, qui e Vallona & Gianina, Morea ſeu Peloponneſo, & Dalmatia ſeu Illyrico & Hungaria præſidiarios avocarint. Quod manifeſtiſſimum ſignum eſt penuriæ hominum & incolarum, ampliſſimum licet & vaſtuoſiſſimum ſit Turcicum imperium. Id alio quoque argumento confirmatur. Cum proximo Septembri Ucchialy cum viginti duabus triremibus Pontum Euxinum ſuperaturus eſſet, milites quibus claſſem inſtrueret fere nuſquam reperit, ſed eam multitudine abjectiſſimorum & viliſſimorum hominum complevit. Plurimi Græci inviti & coacti ad remos fuerunt relegati. Octobri ſequenti multi Agiamaglani in Janizarorum numerum fuerunt recepti: qui paucitate annorum a militia illa libera, & quæ magnam experientiam quondam requirebat, arcebantur. Eodem menſe edictum fuit propoſitum, ut quicunque officium vel munus ambiret, ab Oſmanno, tunc belli Imperatore, in caſtris id obtineret; aliter imperatum irritum habitum iri. Quin & Janizarorum ordinī fuerunt adſcripti Turcæ nati; idque contra morem & conſvetudinem aulæ Ottomannicæ, quæ præterquam renegatis nullis aliis niſi ex ſingulari favore locum in ea militia dabat. Hoc anno in Martio menſe cum ſtipendia militibus perſolvebantur, Spachi rebellarunt; in bellum amplius proficiſci recuſantes, Imperator ipſe niſi militiæ intereſſet. Horum furori Amurathes cedere coactus decrevit, ne aulici amplius in bellum niſi præſente Imperatore traherentur, ſponte ni militare vellent. His diebus archiducales Croatiæ locum Ochozanchi nomine ceperunt, Uſcochi vigilia Johannis Baptiſtæ ſuburbium urbis Broazzo exuſſerunt, utrisque pauci reſtiterunt. Namque Spachi in ſuis confiniis non excubant, & habitatoribus atque incolis provinciæ vacuæ ſunt. Nec militum ſolum eſt raritas, ſed inprimis viri conſilio prudentia & bellica arte præſtantes deſiderantur. Imperator vitam otioſam in matris ſinu in deliciis gynæcei degit, uſu & experientia rerum prorſus deſtituitur: conſveta Turcis arrogantia præpollet; morbo caduco nonnunquam laboravit, unde cerebrum illi læſum credimus, ut præcipitanter & non præmeditate ſæpius decreta ſanxerit perniṫioſiſſima, quæque in ſummum illi detrimentum vergebant. Id videre fuit, cum anno 1579. omnes Judæos qui Conſtantinopoli vivunt mortis ſupplicio addixit. Anno 1584 Chriſtianos hac ratione e medio tollendos decrevit. Priores impetum ejus & indignationem declinarunt largiter & profuſe numerata pecunia Sultanæ matri & Janizarorum Agæ. Et ſententia illa in vanam legem tranſiit, ut nimirum Judæi pro Turbante, uſitato Turcis capitis tegumento, eo genere pileorum uterentur, quem Medici Judæi antea ſoli uſurpaverant. Chriſtiani præſentiſſimum evaſerunt periculum, quod nulla arma in ipſorum ædibus reperta fuerint, ut ex falſa delatione Amurathes ſuſpicatus fuerat.

Ex his quæ diximus apparet, potentiam Turcicam indies declinare & aſſiduis illis ac diuturnis bellis imminui. Ad eam penitus evertendam, nihil aliud quidem quam concordiam Principum Chriſtianorum requirimus. Cogitent ſaltem, quæ damna indies percipiant; quæ pericula immineant; amœniſſimam ac felicem urbis Conſtantinopolis ſedem ante oculos ponant. At facilius voto & cogitatione confœderatio & ſocietas inter Principes, ſimilis proximæ, concipitur, quam revera in effectum ponitur. Nos ab iis principibus qui periculo proxime ſunt expoſiti ligna duntaxat milites frumentum & pecuniam requirimus: ut mediocris potentia colligi & in hoſtem duci poſſit. Succeſſus felices propter incommoda quibus Turcæ premuntur ſperamus; cujusmodi alio tempore vix longe majoribus viribus contingent.

Quicun-

Quicunque igitur bello Turcas aggreſſurus eſt, tria inprimis ponderanda ſibi proponet.

1. Ut expeditionem quampiam certam & finitam ſecum decernat.
2. Ut conſtet numerus militum & reliquus apparatus quibus eam perficere poſſit.
3. Ut compertum habeat, unde hos apparatus habere poſſit & conquirere debeat.

Hæc poſtrema conſideratio Imperatoris belli propria eſt; cui incumbit de omnibus diligenter proſpicere. Id illi ſoli diſcutiendum relinquimus: nos brevitatis cauſa de prioribus loquemur.

Priorem quod attinet nulla unquam expeditio magis celebris, pluſque laudis minusve periculi habitura eſſet quam Conſtantinopolitana, Africanis Illyricis & Græcis urbibus omnibus poſthabitis. Illius ſitus plus beneficii, quam facinoris gravitas terroris, ad expugnationem conferret. Hæc urbs intra duo freta poſita eſt: alterum verſus ortum ad Pontum Euxinum Boſphorus Thracius dicitur: alterum verſus occidentem ad mare Ægæum Helleſpontus vocatur. In vere & æſtate naves Alexandrinæ oryza onuſtæ per Helleſpontum Conſtantinopolim navigant; ibique exoneratæ per Pontum Euxinum in Aſiam permeant, frumentum in eandem urbem reportantes. Quod ſi Chriſtiana claſſis intra hæc duo freta conſiſteret, has naves facile impedire vel deprædari, denique etiam imperium maris ſibi vindicare poſſet. Quæcunque alia claſſis nihil noſtræ officiet. Navale enim Conſtantinopolitanum navibus vacuum. Nec ligna in promptu habentur, unde naves conſtrui poſſint, unde a Conſtantinopolitana claſſe nihil periculi incumbet. Quæ naves Trapezunte adduci vel ibidem fabricari poſſunt, tria obſtacula & incommoda habent. 1. Quod naves ex recens ſecta materia & ligno modo cæſo ædificatæ ad navigationem inutiles ſint. 2. Etſi aliquem uſum haberent, tamen in illo littore Aſiatico nulli remiges, nulli milites, qui imponantur claſſi, reperiantur. Remiges enim mancipia ſunt; quæ vel Conſtantinopoli vel in Barbaria conquiruntur, vel ruſtici Europæi coacti ad remum relegantur. Ut claſſis hoſtilis nova nec armis nec milite probe inſtructa nunquam noſtram aggreſſura vel in fretum intrare auſura ſit, ſi noſtra ibi in ſtatione maneat & mari dominetur. Eandem ob cauſam neque Afri neque Aſiatici & Orientales obſeſſis ſubſidio venire poterunt. Sed danda inprimis opera, ut claſſis noſtra menſe Aprili & Majo parata & in procinctu ſit: ne tempus & commoditates aliæ ad expeditionem plurimum conducentes amittantur.

In hunc modum obſeſſa Conſtantinopoli, non diu quæ ad victum neceſſaria incolis ſuppetent; commeatus enim fere omnis per Helleſpontum infertur; nec ullum huic negotio impedimentum adferet Heraclea, Silicema, Perinthus quæ Rodoſlo vocatur, Palermo quæ Panormus dicitur, & Marmora. Namque Marmora & Palermo a noſtra claſſe prohibebuntur: quod illa in inſula, hæc in Aſia ſita ſit. Tres priores in littore Europæ poſitæ, navigationis uſu deſtituuntur. Quod ſi frumentum carris vel vehiculis in urbem deferre vellent, magna equitum multitudine ad arcendum noſtrum exercitum (de quo poſtea dicemus) opus habebunt. Quin potius, quicquid commeatuum erit hæ urbes ipſæ reſervabunt, cum pauperes ſint & nullius fere momenti. Si igitur undique prematur Conſtantinopolis, credendum illam brevi a pleriſque deſertam iri. Id quoque in conſiderationem venit, quod ibidem ultra ducenta millia Chriſtianorum & Judæorum reperiuntur, qui Turcis infenſiſſimi libentius Chriſtianorum quam hoſtium imperium ſuſcepturi. In ejusmodi vero confuſione nihil minus verendum quam hos quieturos eſſe. Quin potius certo credendum, eos pro virili communem cauſam adjuturos, maxime ſi armis inſtruantur.

Hæc de ſpe proſperi ſucceſſus hujus expeditionis dicta ſufficiant: reliqua ad potentiam & robur bellicum ſpectant. Turcicum Imperatorem, rebus ſic ſtantibus, validum exercitum educere poſſe minime quidem credimus. Id tamen ſi fieret, paratum eſt remedium quod omni metu nos liberat. Nam a quacunque parte Turcicus exercitus ad fretum accedet in ea ſubſiſtere cogetur, quia ad alterum latus, terra firma concedere nequeat. Equitatus trajici non poteſt, niſi multis defixis palis pons ſtruatur. Id genus ædificii longo tempore & apparatu indiget, & facillime a noſtris navibus diſturbari poteſt. Contra exercitus noſter libere poterit vagari in eo littore ubi nullus erit exercitus hoſtilis. Liberum enim noſtris mare relinquitur ab omni parte. Impedita igitur navigatione commeatus nullus Conſtantinopolim inferri poterit. Neque annonæ comportandæ facultas commodior erit, ſi terreſtres copias habeat; quod nulla ratione fieri poſſit, ut hoc tempore alium domi, alium in Perſia, denique & Theodoſia (quæ Caffa hodie) alium exercitum alat.

De modo ingrediendi Helleſpontum quæritur, quod illa duo caſtella quos Dardanellos vocant ad defenſionem ejus freti & prohibendum aditum extructa, tormentis bellicis munita & in ipſo fere mari poſita ſint. At ſciendum eadem facilitate & temporis ſpatio utrumvis horum occupari poſſe, quo copiæ in terram exponuntur. Quod ſi alterutrum eorum equitatus hoſtilis defendat, alterum eo præſidio carebit, quod mare interluat equitibus inſuperabile. Ea quoque potentia Turcæ nunc plane deſtituuntur, ut præter priores alium inſuper in Aſiam alium in Europa exercitum, qui nunquam conjungantur, ſuſtineat. Et uno quidem caſtello capto claſſis tuto tranſmitti poteſt, ne ex altero tormentis infeſtetur. Alia inſuper ſtratagemata nocte dieque deducendi exercitus excogitari queunt. Sed de Dardanellis fuſius dicendum. Hæ duæ arces antiquo more & forma ædificatæ, uno ſaltem & quidem ſimplici muro, nullis aggeribus nullis propugnaculis munitæ, nec magnæ ſunt nec recte cuſtodiuntur. Aſiæ Dardanellus quadrangularis eſt, in planitie littoris ſitus, ubi facillime cuniculi agi poſſunt. Europæus ovali figura conſtat, poſitus ad radices montis qui illi totus imminet & dominatur. Nec in ſummo culmine propugnaculum ullum eſt. Muri plane ſimiles prioribus. Mons non e ſaxo ſed terra & arena conſtat ut plurimum. Pauci præſidiarii ſub præfecto & tormentorum magiſtro ibi excubant. In eo ſumma negotii totius vertitur, ne in eaſdem inſidias incidamus quas hoſti ſtruimus; commeatu ſcilicet & rebus ad victum neceſſariis ut claſſis deſtituatur. Ante omnia

frumenti inſignis copia coacervanda, panis biſcoctus parandus, iſque iiſdem navibus quibus milites vehuntur imponendus. Quod ſi bellum longius protrahatur, in Candia vel Tina Venetorum inſulis granaria inſtituantur, & rerum omnium proviſione inſtruantur. Quod ſi hæ nimis remotæ a belli ſede videantur, earum vicem ſupplebit Marmora: quæ in ipſo freto ſita, facillime capi & muniri poteſt. Expediet quoque ut præter arma quibus milites noſtri utuntur alia circumferantur, quæ inter Chriſtianos dividentur; ſi qui pertæſi tyrannidis nobis ſe conjungere & ab hoſte ſecedere velint. Conſtat in bello nuper geſto Græcos Peloponeſiacos rebellaſſe, eoſque Archiepiſcopum in Italiam ad arma comparanda miſiſſe. Celanda quoque expeditio eſt & diverſus rumor ſpargendus, vel de Africa infeſtanda vel alio loco oppugnando, & conformia quædam negotia inſtituenda, quæ rumorem illum comprobent.

II. Nunc de bellica potentia, qua hæc expeditio tentari & perfici poſſit, videndum. Hoc tempore, quo exhauſtæ ſunt Turcarum vires, longe minor requiritur, quam ſi integræ ſtarent; ubi potius erit defenſioni inniti, quam hoſtem laceſſere & irritare. Primum quadraginta millia peditum & duo millia equitum ad hanc expeditionem ſufficere putamus. Hic exercitus ſemper in acie longa & protenſa procedat, & a mari nunquam longius abeat. Ubi ſitus locorum collibus diſtinctus, ei propugnaculi & munimenti inſtar contra hoſtilem equitatum erit. Secundo claſſem centum triremium (quas Galeras vocant) requirimus; eaſque naves ita comparatas volumus, ut quovis tempore quocunque locorum appelli & deduci poſſint. His aderunt quoque naves, quæ militem transportabunt; pro quarum parte decem navigia ejus generis, quæ vulgo Galeazze vocant, inſtruenda cenſerem, quorum uſus commodiſſimus eſt ad hoſtis impetum excipiendum, ad fugiendum vero & inſequendum parum conducunt. Belli ſumptus quod attinet, quatuor auri milliones toti huic expeditioni in fallor ſufficient, ſi modo bona fide pecunia conferatur & expendatur. Pedes ſingulis menſibus quinque coronatos accipiet; quod uno anno ſummam duorum millionum & quadragintorum millium coronatorum facit. Ad equitatum alendum ſedecem millia coronatorum unoquoque menſe requiruntur. Unde ſumma unius anni pro equitatu nonaginta duo millia coronatorum facit. Triremis quælibet decem millibus coronatorum uno anno conſtabit; unde tota claſſis millione & ducenties millibus coronatorum opus habebit. Reliquæ naves & decem Galeazzæ trecentis & quinquaginta millibus coronatorum conſtabunt. Summa igitur omnium ſumptuum hujus expeditionis pro anno uno facit 4142000. coronatorum.

Quod ſi ad optatum finem expeditio produci nequeat, id ſaltem, quod fieri poteſt, intentatum relinqui non debet. Hoſtis inprimis exagitandus & moleſtandus eſt, cogenduſque ut duos exercitus in tres dividat. Quod fiet ſi Archiduci Carolo pars pecuniæ conferatur, qui ſuos ſubditos ab una parte ab altera Uſcocchos in hoſtem immittet, & paulatim aliquid territorii ſub prætextu privatarum contentionum & incurſionum ei eripiet. Uſcocchorum hodie ultra duo millia numerantur, eorum dux Georgius Meſuh vocatur; nullus eſt qui in prælio contra Turcas quatuor virorum vicem ſupplere nequeat. Pax enim inter Auſtriacos & Turcas rupta nullo modo intelligitur, niſi machinæ & tormenta bellica proferantur. Proximis annis impune ipſemet Budenſis Baſſa cum multis aliis in velitationis certamine periit, nec quiſquam eam cladem vindicavit. Regiones per quas iter exercitui foret Turcis ſubjectæ paſſim Chriſtianis hominibus incoluntur, qui natura robuſtiſſimi & Turcis infenſiſſimi ſunt. Odii cauſa non tam dicenda miſera illa ſervitus, qua fere opprimuntur, dum quotidie a Timariotis bonis omnibus ſpoliantur multiſque inſuper plagis afficiuntur; quam quod ſingulis annis liberos ſibi chariſſimos vi rapi & vaniſſimæ ſuperſtitioni Mahumetanæ mancipari propriis oculis intueri coguntur. Eodem momento pars triremium, ſiquidem otioſæ quædam ſint, in plagam orientalem emittenda foret, ad deprædanda loca maritima & diſquirendas naves, quæ Conſtantinopolim petent. Quin & Romanorum Imperator & Poloniæ Rex aliique Principes & dynaſtæ, ſi fieri poſſit, ad id bellum pertrahendi eſſent.

Augerii Gislenii Busbequii Legati Cæſarei ad Suleimannum Turcarum Tyrannum

Exclamatio ſive de re militari contra Turcam inſtituenda Conſilium.

Captis a Cyro Perſarum Rege Sardibus, cum ea urbs diriperetur multaque paſſim cædes fieret, memoriæ proditum eſt, unum de Cyri militibus in ipſius Lydorum regis Crœſi cubiculum penetraſſe, ignarumque quis eſſet, ſtricto gladio mortem ei afferre voluiſſe: qua re commotum puerum Crœſi filium, qui aderat, ad id tempus mutum & elinguem, ſoluto derepente linguæ impedimento clamorem ſuſtuliſſe, eaque primum verba protuliſſe, quibus militem ab occidendo rege deterreret: ita pietatem in patrem & periculi magnitudinem ſermonis potentem feciſſe eum, cui uſum ejus ad id tempus natura negaviſſet. Atque haud ſcio an mihi, quanquam in re diſſimili, ſimile quiddam uſu veniat: ut quem pietas dicendi rudem & imperitum, & qui publice verbum nullum unquam fecerim, diutius mutum eſſe non patiatur, ſed in graviſſimo patriæ diſcrimine vociferari & exclamare cogat: non ut hoſtem ejus jugulo ferrum intentantem deterream (neque enim id ejus immanitas patitur) ſed ut eam moneam ut ſibi caveat, & ſimul cives meos commonefaciam, ut dum tempus eſt ei opem ferant & ſaluti ejus conſulant.

Nam

Nam (Dii veſtram fidem!) quid hoc, malum, infelicitatis? quæ hæc miſeria eſt? Sæviſſimus hoſtis Turca, innumeris pene gentibus devictis, per tot regum regnorumque ſtragem atque cadavera ad nos iter ſibi patefecit, patriæ noſtræ jugulo mucronem admovet: neque tamen commovemur, aut ſaluti ejus conſulimus. In urbe ſi quod ortum eſt incendium, nemo eſt qui non relictis rebus ad reſtinguendum concurrat, qui non pro viribus opem ferre conetur. At nos qui patriæ cives amantes haberi volumus, in tanto ejus periculo otioſos duntaxat & inertes ſpectatores nos præbemus; nec ejus aſpectus turpiſſime deformandus, non ſacra, non religio mox abjuranda, non conjugum & liberorum tacitæ voces, ne ſe in fœdiſſimam ſervitutem abripi patiamur deprecantium, commovent. Ignaviſſimum quodque animal ubi prolem periclitari ſentit nulla vi retinetur; per ferrum & flammam opitulatum ruit. Contra nos viri fortes, poſteritatem noſtram nefariis hoſtibus ad omnem injuriam & turpitudinem, ope noſtra deſtitutam, prodemus? Nam quæ reliqua nobis ſpes, quod columen, quod præſidium? Num in ejus hoſtis bonitate atque clementia ſpei aliquid reponemus: qui poſtquam ex ſuis latebris erupit humani ſanguinis rivus fluere nunquam deſtitit? An in ejus æquitate & moderatione? qui pacem qui fœdera nunquam pili fecit; apud quem nullæ valent communes reliquarum gentium leges; quem nullus pudor nulla honeſti ratio continet; qui fidem qui jusjurandum homini Chriſtiano datum violare, ubi rationibus ſuis conducit, non modo nullum nefas verum etiam pium & ſanctum putat; quem in nos profana ſtimulat religio, armat majorum æmulatio, regnique propagandi cupiditas; rapit denique ſacra & inexplebilis bonorum noſtrorum ſitis. Nam tota quidem nos erramus via, ſi aut patientiam noſtram, aut injuriarum oblivionem, vel tantillum ad ſecuritatem noſtram profuturam ſperamus. Quo nos modeſtiores, quo pacis atque pactorum, quoque æqui & boni obſervantiores oſtenderimus, eo magis in nos ejus hoſtis inſolentiam provocabimus: qui hæc omnia non virtuti non bonitati noſtræ refert accepta, ſed timiditati ſed ignaviæ ſed deſperationi rerum noſtrarum imputat. In hoſte non eſt quod ſpem ullam collocemus, in nobis ſi nulla eſt. Neque ſane reſtat aliud, quam uti ſolent homines judicum ſententia morti addicti, ut placide ad ſupremum caſum nos componamus, & tanquam clauſis oculis ferrum in præcordia recipiamus: niſi forte vires aut fortunam ei defuturam putemus, quem ex ignotiſſimo, tot victoriæ tam terra quam mari breviſſimo temporis ſpatio partæ, tantopere nobilitarunt: quo velut igne a parvis initiis orto omnes jam fere totius orbis terrarum partes conflagrarunt: quem bellis fracti reformidant Orientis populi, Aſſyrii Perſæ atque Armenii: cujus vim atque arma ipſi quoque Scythæ ſæpe jam ſenſerunt, & qui ſuis ex altera parte caloribus tuti eſſe poterant Æthiopes. Nam de noſtra Europa quid dicam? Captum vidimus Belgradum, obſeſſam Viennam, & prædas Linzio usque hoſtiliter abactas. Tantos progreſſus ad noſtram perniciem, præter alias victorias, unus Suleimannus facere potuit. Noſtrorum regum eſt pro terræ ceſpite ab ſtirpe ultima ad ſeros usque nepotes inter ſe bella continuare: Othomannorum ſinguli (utinam ne tam vere quam dolenter dicam!) ſuis victoriis regna regnis ſemper accumularunt: ita ut quicquid olim florentiſſimæ nationes imperiis ſuis complexæ ſunt, Aſſyrii Perſæ Macedones Romani, ſoli jam ſua ditione continuaſſe videantur. Et neſcimus adhuc quo verſemur in periculo? Quod mare, qui montes, quæ ſolitudines, aut qui populi in medio relicti, quorum præſidio nos ab horum injuria tutos fore ſperemus? Amiſſa, proſtrata omnia. Hærent in cervicibus noſtris, quos procul perhorreſcere debemus. Patriæ ſanguine atque ultimo ſpiritu litandum eſt hoſti cruentiſſimo. Nam ne id quidem ſolatium relinquitur, quod fere ſolet in graviſſimis mortalium cladibus, ut cum bona ſpe ſimus hæc mala non fore diuturna. Sæpe quidem Barbaræ nationes, multis provinciis, tanquam ſubita aliqua procella, gravem calamitatem intulerunt. Sic Gothi, VVandali, Alani, Hunni, Tartari, multas regiones inundarunt, magnisque cladibus affecerunt: quæ tamen eo tolerabiliores videri potuerunt, quod certa ſpes perpetuas non fore relinqueretur. Itaque poſtquam illa veluti tempeſtas prætererat, quæ afflicta imo pene deleta videbantur mox recreata revireſcebant. Sed hic hoſtis ea eſt vigilantia, eam ſervat diſciplinam, ea utitur in conſervandis iis quæ ſibi adjunxit ratione, ita regnat ac dominatur; ut ubi ſemel veſtigium fixerit inde ſe moveri nunquam patiatur, nunquam ſe attollat ſeges quam ſemel illa calamitas depreſſerit. Adeoque difficile dictu videtur, ſit ne in acquirendo acrior, an in tuendo quæ acquiſierit firmior atque validior. Tanto igitur in periculo poſiti, cur non conſulimus in medium? cur non molimur? cur non omnia tentamus? cur ſtupet in nobis ingenioſa illa neceſſitas admirabilium effectrix operum? Feras equidem videmus extremo caſu deprehenſas quam multa pro ſua libertate fortiter conentur, nihil non audeant, omnia periclitentur, ſi quam forte evadendi viam invenire poſſint, neque ante ceſſent quam vitam una cum ſanguine profundant.

Sed hic fortaſſe dicet aliquis: Quid eſt ergo tui conſilii? Nam præſentem rerum ſtatum deplorare, de periculo atque imminentibus malis declamare, cuivis facile eſt: remedio eſt opus: id exquiritur, de eo die ſi quid habes. Dicam, & quidem paucis. Armis opus eſt: opus eſt armis: contra vim atque arma ſine armis fieri nihil recte poteſt. Horum præſidio ſalus patriæ munienda, aut nobis omnibus ad unum pereundum: nullum hoc verius oraculum. Sed Dii meliora! Arma capeſſamus potius. Quæ quidem non intimis terræ viſceribus abdita latent (&, ſi laterent, magna quavis molitione eruenda eſſent) neque aliunde procul ex ultimis terris arceſſenda, ſed ſunt parata, ſunt in promptu, ſunt ſi velimus in manibus. Naſcuntur etiamnum apud nos viri: eſt copioſa juventus, bello apta, pro patria pro aris & focis ſanguinem fundere parata. Non equi, non ferrum, non aurum, non opes, non machinæ tormentaque, non reliqui ad bellum apparatus deſunt. Omnia quæcunque ad res magnas & ſuſcipiendas & conficiendas requiruntur nobis larga manu ſuppeditavit divina benignitas: modo

ne ſumere recuſemus. Voluntas, inquam, noſtra & manus tantum deſiderantur. Quas mature admoveamus, dum juſtæ adhuc vires ſuperſunt; antequam debilitata ruant omnia. Alioqui ſero & nequicquam conſilia prætermiſſa reſpectabimus; nobisque idem eveniet, quod ægrotis: qui dum tempus eſt & vires ſunt integræ ad medicinæ mentionem nauſeant, neque poſſunt ulla ratione adduci ut ſalutaribus in tempore potionibus utantur, ſed ubi oportunitas præteriit morbusque adeo invaluit, ut debilitatis viribus medicamento non ſit locus, fruſtra medici fidem neglectaque remedia requirunt. Quorum exemplo nobis cavere debemus, & antequam pluribus illatis vulneribus hoſtis plane nos conficiat, dum plaga nulla lethalis eſt, dum nondum omnis profluxit ſanguis, remedium in tempore adhibere, hoc eſt arma expedire, totosque nos ad defenſionem comparare. Quæ meditantes atque agentes Deo rite ſupplicabimus; eumque preces noſtras haud averſarurum merito ſperare poterimus. Quod ſi per ſimulationem pietatis inertiæ noſtræ velificari volemus, & male quæſito compendio a Deo ſine opera ſine ſtudio ſine labore noſtro impendentibus malis opem ſolis precibus impetrare, ne ille injuſtæ petitioni noſtræ ſe haud facile æquum præbebit. Ipſi inprimis noſtro fungamur officio, & partes diligentiæ conſtantiæ virtutis & fortitudinis in hunc potiſſimum uſum ab eo nobis datas impleamus: Niſi aret ſerat ac metat agricola, fruſtra a Deo copioſam meſſem poſtulet. Certum in iſtis rebus inferioribus ordinem ſtatuit Deus, quem haud temere neglectum vult: labori diligentiæ aſſiduitati ſolertiæ virtuti multa præmia propoſuit, quæ negavit inertiæ. Vis ſcire litteras, Muſicam, Aſtronomiam, Mathemata? diſce, labora, nervos contende: hæc oicioſo tibi nullum inſpirabit numen: per eam viam eosque gradus quos Deus poſuit tibi perſequenda ſunt: inſtrumenta ad ea conſequenda, modo tibi ne deſis, largitus eſt; ea adhibe, iis utere: dabit ille benedictionem & incrementum. Vis tueri patriam, hoſtem profligare, potiri victoria? non hoc conſequeris ſedens, non iners, non otioſus: inſurgendum eſt, arma capienda, tractanda, adhibenda exercitatio. Aſſueſcendum eſt labori ſoli pulveri ſiti atque inediæ. His armatus atque inſtructus divinam opem implora: atque ita bonæ ſpei plenus procede in aciem. Munere tuo functus es: iis inſtrumentis quæ tibi Deus dedit rite uſus es: ſervaſti ejus ordinem; neque poſitas ab eo leges contempſiſti, rei exitum piis precibus vitæque integritate ejus clementiæ & bonitati commenda. Non eſt noſtri arbitrii neque facultatis victoria; ſed Dei ſolius beneficio contingit: cujus tamen non legitime neque ordine petentem haud ſæpe compotem fieri videmus: & ſi ſecus quandoque fiat (quod ſane fit rariſſime) id tribuendum eſt miraculo. At nos Deum tentare non debemus, neque temere quicquam conari. Nec male, meo quidem judicio, Cato apud Saluſtium, Senatum adhortatus ut contra Catilinam arma capiat, his verbis utitur: *Scilicet res aſpera eſt: ſed vos non timetis eam, imo vero maxime; ſed inertia & mollitia animi, alius alium expectantes cunctamini: videlicet diis immortalibus confiſi, qui hanc rempublicam ſæpe in maximis periculis ſervavere. Non votis neque ſuppliciis muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando, agendo, bene conſulendo, proſpere omnia cedunt. Ubi ſocordia te atque ignaviæ tradideris, nequicquam deos implores; irati infeſtique ſunt.* Nos ergo, quod eſt partium noſtrarum exſequamur; eodemque tempore non injuſtis precibus divinam opem atque miſericordiam imploremus, armati in caſtris in opere atque negotio.

Sed occurritur mihi a bonis atque prudentibus viris; iſtam publicæ calamitati medendi rationem aliquoties tentatam minus feliciter eveniſſe; nosque, quoties ad arma & manus cum Turcis ventum ſit, inferiores diſceſſiſſe. Audio: neque nihil eſt quod dicitur: atque eo ut veniremus, hæc fere mihi erat inſtituta oratio. Armis (inquis) contra Turcam hactenus parum profecimus. Eſto. Sed quibus tandem armis? Hoc expendere & in eo aliquantum morari eſt operæ precium. Cum Turca fines noſtros infeſtaret, aut cum numeroſo exercitu ad nos aſcendere nuntiaretur, dedimus operam ut nos quoque copias cogeremus. Sed quas copias? quem militem coegimus? num veteranum? num eum, cujus virtutem multis jam ante documentis cognitam habeamus? quo vincere conſueveramus? Non opinor, ſed potius huic diſſimilimum. Pulſata longe lateque tympana: ad eorum ſtrepitum convenere lucelli ſpe quibus viſum eſt: Tertius fortaſſe, quisque qui loricam aut thoracem numquam induerat, nec hoſtem vel a belli limine ſalutarat. Reliqui quales? homines luxu perditi, decoctores, ganeones, aleatores, obærati, exſules, atque his ſimiles (paucis exceptis) fere reliqui: quos eo perduxit non patriæ caritas, non æquitas cauſæ, non religionis ſtudium, non amor exercendæ virtutis, ſed ebrietatis, aleæ, rapinarum, ſacrilegiorum, ſtuprorum, & (ut uno verbo dicam) ſcelerum & flagitiorum omnium impunitas atque licentia. Cum hujusmodi turba nullo delectu collecta, vel potius cum fece perditorum hominum, Deo pariter atque hominibus inviſorum, contra tantum hoſtem, ſacrum videlicet auſpicamur bellum. Itaque non tam militum conventus, quam Bacchanalia, noſtra caſtra videri poſſunt: ubi luxuria, corruptelis, libidine, impietate, crapula, tumultu, rixis, atque cædibus ſtrepunt & permiſcentur omnia. Hic tamen tam bellus miles, magnis impendiis procul eſt e ſuis ſedibus excitandus: magnaque cum jactura temporis, ubi etiam res ſummam celeritatem exigit, perducendus. Fortem & aſſuetum laboribus Hannibalis militem Campaniæ luxus & deliciæ fregerunt: nobis nulla opus eſt Campania; imbelles enervati perditi in caſtra venimus. Itaque ſi hoſtis deſit, mora paucorum menſium, aut caniculæ fervor, aut primorum frigorum morſus, quantumvis magnas copias noſtras mactant & jugulant. Et nos miramur, cum hoc tali milite nihil nobis contra exercitatiſſimum hoſtem procedere? Si quas privatim paulo periculoſiores ſimultates gerimus, aut per loca latrociniis infeſta nobis faciendum ſit iter, non temere niſi ſpectatiſſimis comitibus corporis noſtri cuſtodiam committimus: ſed nec ſi gravioris quicquam negotii incidit id niſi hominibus experientibus & peritis mandare ſolemus. Hic ubi tanta res communisque omnium ſalus agitur, tam ſumus negligentes, ut copias non modo non idoneas,

neas, ſed jam pene profligatas antequam in aciem producantur, hoſti tot victoriis claro objicere non vereamur. Revertor itaque eo quod initio dixi: aut idoneorum armorum præſidio publicam incolumitatem tuendam, aut nullam rem relinqui, quæ nos ab univerſo exitio vindicare poſſit.

Quem igitur militem requiro? Noſtrum inprimis; in noſtris ſedibus natum; de noſtris popularibus delectum. Nam cum in rebus bellicis plurimum valeat celeritas, eaque vel maxime contra Turcam hoſtem expeditiſſimum neceſſaria ſit; milite opus eſt eo qui non procul arceſſendus diuque exſpectandus ſit, ſed ſit in promptu & tanquam ad manum ſemperque noſtræ poteſtatis. Atque hunc non temere, neque caſu oblatum, ſed percenſitis omnibus qui arma ferre poſſunt, magno judicio delectum. In quo maxime cavendum, ne is eligatur qui molliori cultui atque victui aſſueverit; aut quem prava educatio vitiis infecerit, aut fregerit otium; ne vecors ne inſanus ne contumax ne turbulentus ne ſeditioſus: ſed ſit adhuc a deliciis integer, aptus tolerando labori; & cum bono corporis habitu, tum vero qui ſimplicitatem animique magnitudinem quandam toto vultu atque omnibus oris lineamentis præ ſe ferat ac ſpiret. Qua de cauſa, arti alicui laborioſæ quam ſedentariæ aſſuetum, ruſticum quam urbanum, in monte quam in planitie, in re tenui quam in mediis divitiis, natum malim. Hunc ita electum militaribus præceptis armorumque ſcientia erudiri velim. Armatus haſtam vibrare & verſare, gladio item & minore bombarda ſcienter uti, ſervare ordinem, & ſub armis ad multum ſpacium decurrere conſueſcat: veram laudem appetere, flagitium pejus letho odiſſe, pietatem colere, & ab omni in Deum verborum contumelia ſibi temperare, diſcat. Idem dicto audiens ſit ſuo duci, ejusque animadverſionem patienter admittat: in hoſtem ferox, in commilitonem lenis & tractabilis: victus parſimonia neque crapula neque ebrietatis ſuſpicioni locum relinquat: poſtremo ſuo ſtipendio ſit contentus, atque ab omni præda præterquam conceſſa ſe abſtineat. Hujusmodi diſciplina informari militem oportere dico, qui contra tantum hoſtem poſſit conſiſtere. Neque tamen eum ſtatim in aciem produci, aut de ſumma rerum tyronem cum veterano velim decernere: ſed in ſtativis præſidiisve eum collocari, & excurſionibus levioribusque præliis paulatim in belli conſuetudinem venire. Qua ratione vulnus pati, hoſtis conſpectum ferre, & timorem, quem omnis novitas afferre ſolet, ſenſim deponere, conſueſcat. Hoc ita inſtituto & confirmato, non contemnendum gradum ad ſpem melioris fortunæ factum affirmare audebo. Quare in eo vel potiſſima laboris & curæ pars ponenda: ut homines armorum & rei militaris peritiſſimi conquirantur, a quibus ii quos dico tyrones veris & germanis diſciplinæ militaris præceptis formentur. Hos ſumma virtute continentia & ſobrietate præditos, nullis avaritiæ ſordibus contaminatos requiro; ut non modo hanc ſobolem, in communis ſalutis ſpem ſuccreſcentem, arte militari imbuant, verum etiam vitæ & integritatis exemplo ad omnem virtutem erudiant, utque eorum fidei hic noſter exercitus, cum eum in hoſtem tempus evocabit, recte committi poſſit. Quibus ſane ducibus periculum non erit, ne falſum militum numerum referentibus publicum fraudetur ærarium: ex quo communium præfectorum ſcelere hodie fieri videmus, ut quantumvis amplæ regum opes alendo paullo diutius exercitui non ſufficiant, & ſæpenumero ubi acie confligendum ſit magnum adeatur periculum, dum imperatores ea ducum relatione decepti ſe copias numeroſiores habere quam res ſit credunt.

Sed antequam longius progrediar, hic locus poſtulare videtur, ut quorundam bonorum virorum ſententiæ reſpondeam; quorum cum omnis intelligentia ejus ſeculi atque regionis in qua nati ſunt finibus circumſcribatur, neque longius ſit evagata, hæc dici vehementer admirantur, eaque ut nova & inuſitata quæque in effectum perduci nequeant rejiciunt. Noſtri, inquiunt, majores eo milite eaque qua nos utimur rei militaris ratione contenti præclare multa geſſerunt. Fateor, ſed geſſerunt adverſus eos, qui in eadem pravitate iisdemque vitiis verſabantur. Fuit ex hac parte exercitus inexercitatus, collecticius, externus, imbecillus, diſciplinæ expers: fuit & ex altera. Itaque inter pares neque vitia valde eminebant, & parvo ſæpe cum diſcrimine diſcedebatur. Ut ſi duo mutili, duo cœci, duo claudi concurrant; haud magnopere in altero membrorum integritatem requiras. At ſi cum manco integrum, cum cœco videntem, cum claudo rectum committas; mox conditionis inæqualitas apparebit. Nobis inter nos cum vicinis & pene popularibus noſtris errare licuit ut libuit; paria enim, ut dixi, vitia non magnum inter utrosque diſcrimen conſtituebant. Sed nunc alia res eſt. Etenim negocium eſt nobis cum Turca, hoſte vigilanti, induſtrio, ſobrio, exercitato, labori aſſueto, rei militaris ſcientiſſimo, diſciplinæ obſervantiſſimo. Quæris, quid iſta valeant? A finibus Perſiæ ad Viennæ usque mœnia omnia devicit. Quid noſtra arma cum hoc collata poſſint, utinam ignorare nobis liceat; neque quotidianæ clades tanto nobis documento ſint. Et dubitamus adhuc, utrum vitia noſtra emendemus potius quam defendamus.

At ſunt nova, ſunt inuſitata, quæ proponimus. Nimirum quia novus & peregrinus hoſtis; cujus vis & uſus armorum nihil vulgare, nihil commune, nihil remiſſum patitur. Fuerunt quondam ſudor Anglicus & lues Gallica, morbi peregrini & incogniti: quos cum medici longe lateque vagantes uſitatis & communibus medicamentis reprimere conati eſſent neque quicquam proficerent, tandem multorum pernicie edocti, novis remediis adverſus novas ægritudines ſibi pugnandum intellexerunt. Quod quidem adeo feliciter cadebat, ut uterque morbus, qui antea invictum ſe præſtiterat, mox cederet, & in ordinem redigeretur. Quod medicorum inſtitutum proponere nobis ad imitandum debemus: & cum ad reprimendum Turcarum impetum fruſtra his temporibus uſitata adhibuerimus arma, ad aliam armorum rationem tranſire, & novis malis nova remedia applicare. Quanquam minime ſunt iſta nova ſed antiquiſſima potius; quibus populus Romanus

tanta cum laude totum terrarum orbem ditionis ſuæ fecerit: tantumque abeſt, ut hac noſtra ætate inuſitata ſint, ut hoſtis, de quo nunc maxime eſt ſermo, nulla alia ratione cum noſtram ſalutem in dubium quotidie vocet, dum ditionis ſuæ terminos cum Imperio Romano pene jam nunc adæquarit.

Quibus de rebus paulo copioſius dicam infra; ubi iſtis iiſdem ad eam quam ſibi animis fingunt difficultatem reſpondero. Etenim ita fere hujus molliſſimi ſeculi moribus receptum eſt: ut res quæcunque quantumvis præclara, quantumvis utilis, modo in exequendo aliquid difficultatis præ ſe ferat, pro eo habeatur ac ſi perfici nullo modo poſſit. Qua animi imbecillitate illi quos dico adducti, cum in uſitatis armis nihil eſſe præſidii ſatis ſint experti, ab ea vero quam probamus belli gerendi ratione difficultate abſterreantur, eo ſubinde relabuntur, ut imminentem capitibus noſtris peſtem non aliter depelli poſſe credant, quam pace aut induciis quacunque ratione cum hoſte pactis. A qua ſententia tanquam a Jovis ara aut ſtatua Imperatoris avelli ſe nullo pacto patiuntur: itaque facienda putant omnia, quo in aliqua parte pacis cum Turcis, ſeu prece ſeu precio ſeu quacunque indignitate hæreamus. Neque animadvertunt, in rebus difficilibus hanc unam eſſe vel difficillimam, quæque omnium minime ſperari poſſit. Quid enim? Tam capitalis hoſtis, tantum terrarum emenſus, tot exhauſtis laboribus, ut ad nos pervaderet: ubi ſe jam voti compotem factum videat: in tanta materia laudis, tanta prædæ opportunitate, tanta imperii, tanta religionis propagandæ occaſione; ſubito velut attonitus conſiſtat, neque longius progredi curet? Quod ſi qua pacis ſpes relinquatur; quis adeo demens ſit, ut bello cum hoſte tam potenti contendere malit? aut adeo cœcus, ut certæ paci dubios incerti Martis eventus poſtponendos non videat? Sed non ea res agitur: neque enim alterutrum nobis liberum relinquitur. Ad bellum omni ſpe pacis ſublata cogimur. Nullæ hic conſilii, nullæ arbitrii noſtri partes: vis neceſſitatis omne occupavit. Ad bellum violenter rapimur: bellum nobis vel invitiſſimis ſubeundum, gerendum, exantlandum. Quid fruſtra obnitimur? quid circumſpectamus? quid vanis pacificationibus ſomniandis nos decipimus? In media nimirum flamma otium nobis falſa cogitatione fingimus; malumque, cujus (ſi advigilaremus) remedia aliqua eſſe poterant, differendo nutrimus, & parum providendo reddimus inſanabile. At præclarum eſt belli mala diſtuliſſe. Præclarum, niſi id eo valeat ut paulo poſt gravius erumpant, noſque certius pereamus; ut ſi medicus dum blanditur ægroto neceſſaria remedia differat, atque ex eo morbus ita ingraveſcat, ut brevi mors conſequatur. Nam noſtras quidem res haud exiguis momentis quotidie deteriores fieri videmus: hoſtis vero econtra indies magis invaleſcit; & præterquam quod de noſtro ſemper aliquid decerpit quod adjungat ſuo, non deſinit interea viam ad nos munire & complanare, omniaque comparare quæ ad exitium noſtrum maturandum pertineant; ut, cum, amotis omnibus quæ moram aut impedimentum adferebant, viſum ei fuerit alieniſſimo noſtro tempore claſſicum canere, nos alta quiete ſepultos ac proinde a rebus omnibus imparatos, ipſe paratiſſimus, intoleranda belli mole derepente obruat. Huc ejus omnia ſpectant conſilia, hoc unum aſſidue molitur & agit. Quo demum tempore, & tamen ſero, nos in eum locum deductos intelligemus, ut nulla ſpe auxilii reliqua, inevitabili exitio nobis pereundum ſit. Et hic erit morarum noſtrarum & intempeſtivæ ceſſationis fructus.

Quare etiam atque etiam, dum tempus eſt & res patitur, providendum moneo, ne falſæ ſpei præſtigiis obcæcati nos inertiæ & deſidiæ tradamus, qua ex re quantas jam clades ſubierimus cum meminiſſe poſſumus, tum ultimam reipublicæ ruinam appropinquantem proſpicere. Ergo & judicio utendum eſt nobis acri; ne in re tanta hallucinantes falſa pro veris remedia periculoſiſſimis malis admoveamus, & cum rationibus omnibus ſubductis quæ ſpei ſumma reſidua ſit deprehenderimus, hanc unam omiſſis reliquis complecti ad eamque omni ſtudio incumbere debemus. In quo non labor, non difficultas, non novitas, nec quicquam eorum, quæ ſegnes & infirmos animos morari ſolent, nos merito retardaverit. Ingentibus animis pro rei magnitudine eſt opus. Nihil humile, nihil abjectum res tanta requirit. Supra ſeculi noſtri captum hic nos efferamus neceſſe eſt, & eorum heroum virtutem pauliſper referamus, qui fortitudinis & conſtantiæ magnitudine quosvis labores ſuperarunt, qui nihil turpius nihil ſe indignius duxerunt quam ullius difficultatis aut impedimenti magnitudine deterreri, quo minus id quod cum reipublicæ dignitate & commodo conjunctum eſſe ſtatuiſſent ad exitum perducerent. Quorum e numero unum ſilentio præterire Lycurgum Lacedæmoniorum legiſlatorem non poſſum. Qui cum inter reliqua inſtituta (quibus optime conſtitutam & fundatam Spartanorum rempublicam relinquere in animo habebat) bonorum æqualitatem in eam civitatem introducere, eaque de cauſſa rem poſſeſſionesque omnium ex æquo partiri vellet, ut quantum divitibus detraheretur tantum accederet tenuioribus, nullumque, niſi quod virtus faceret, inter cives diſcrimen eſſet; in eo multos habuit adverſarios, præſertim illos qui facultatibus pecunia & divitiis præſtabant. Etenim indigne ferebant rem a majoribus traditam, aut ſuo labore quæſitam ſibi eripi, & ad alienos poſſeſſores transferri. Cumque ea res & injuſta & abſuda haberetur, fiebatur ut ejus legis perferendæ magna difficultas Lycurgo objiceretur. Sed illo nihilominus in ſententia perſeverante, & quod rectum & reipublicæ eſſe ſalutare in animum induxiſſet perficere contendente, variæ quotidie rixæ periculoſæque concertationes miſcebantur; in quibus denique Lycurgo alter oculus effoditur. Poterat ea res bonum virum ſatis admonere, quantam rem quamque arduam ſuſcepiſſet; ac proinde deterrere, ne perſiſteret in incepto, ſed potius rei infeliciter tentatæ tanto accepto malo conſilium deponeret. Quod ſane longe ſecus accidit: tantum enim abſuit ut ille heros ob eam calamitatem deſiſteret,

ut

ut ei potius animum addidiſſe videretur, multoque ardentius in cauſſam incumberet. Itaque non conquievit ante, quam legem quam rogarat de bonorum æqualitate omnium conſenſu perferret. Quo veluti fundamento reliquorum præclariſſimorum ejus inſtitutorum, talem rempublicam conſtituit, ut Græcia nullam habuerit parem, nomenque ejus etiamnum hodie ſumma cum admiratione virtutis celebretur. Fecit hoc ille nullo imminente Turca, nullo vaſtitatem interitumque rerum omnium intentante: & nos hoc rerum ſtatu gravius aliquid aut difficilius, quam ut ſubire velimus, videri nobis patimur, in quo ſalutis noſtræ ſumma poſita ſit? Pellenda eſt nobis ex animo iſta ſegnities, prorſus nobis, nomine noſtro prorſus, indigna; & reliquis cogitationibus vanis & fallacibus omiſſis ſub unius ſecundum Deum rei militaris præſidium confugiendum.

Romani cum gravior caſus inciderat, unde mali aliquid timeretur, ibant ad ſaga, ſervabant juſtitium, Conſulibus denunciabat Senatus, viderent ne quid reſpublica detrimenti caperet. Nobis multo magis magis idem faciendum; quibus non tantum a communi reipublicæ detrimento, verum ab univerſa ejus ruina periculum impendet. Eundum eſt, inquam, nobis ad ſaga; arma capienda, tractanda, meditanda: diſciplina militaris depravatiſſima corrigenda: revocanda vetus & integranda. Hoc unum juſtitio veluti indicto, hoc eſt clauſis pene tabernis & reliquis rebus poſthabitis, ardentiſſimo ſtudio nobis agendum perficiendumque; ſi modo rem publicam, ſi nos, ſi liberos, ſi conjuges, ſi denique aras atque focos ſalvos & incolumes velimus. Quid enim, ſi Turcarum arma prævaluerint, nobis reliqui futurum eſt? Certe non pudor, non honeſtas, non dignitas, non libertas, non religio, nulla unquam gens non vilius periclitata eſt. Extremum, crede mihi, malorum eſt, vinci a Turca. Nihil erit quod illo victore (quod utinam ne tam ſit in propinquo) rapi, agi, ferri, diſſipari, incendi, conculcari, & profanari non videamus. Quod ut ne videamus ac ferre cogamur; ad ſaga potius & ad arma eamus, & (ut Probus inquit) *militemus.* Qui cum eſſet renunciatus Imperator, multaque damna, quæ iis temporibus Romana reſpublica acceperat, rei diſciplinæque militaris corruptelæ referret accepta, cui emendandæ inprimis ſtudendum duceret, in hujus rei argumentum hanc primam teſſeram militibus ſuis dedit. Nec vero minus ille re præſtitit quam verbo oſtenderat. Siquidem exiguo tempore adeo profecit, remque militarem pene totam prolapſam ita reſtituit, ut nomen Romanum, quod pleriſque gentibus contemptui eſſe cœperat, amplitudini & majeſtati ſuæ denuo redderetur. Cujus exemplo militemus & nos; armaque, quæ vetuſtate & vitio temporum obtuſa & ærugine corrupta habemus, multo ſtudio ad priſtinum nitorem bonitatemque revocemus.

A quo (ut dixi) cum labor & difficultas nos avertere non debent: tum vero minime omnium ſumptus reique familiaris diminutio. Ubi enim ſumptum ponemus rectius, quam ubi vitam ipſam impendere grave nobis videri non debet? Aut qua in re bonorum noſtrorum partem melius conſumemus, quam ut caput & ſumma collocentur in tuto? Boni certe patresfamilias nulli ſumptui neque impenſæ parcunt; nullum claudendi ſepiendi muniendive finem faciunt, dum res & poſſeſſiones ſuas in tuto conſtituant: quas ſe inſtabiles & caducas haberi arbitrantur, quamdiu eas fortuitis caſibus, incurſionibus latronum, aut furum inſidiis expoſitas habent. Nautæ quoque ſæviente tempeſtate potius quam navem frangant & de vita in dubium veniant, quamvis pretioſarum mercium jacturam facere malunt. Sed nec medici aliquot humani corporis partium jactura reliquorum membrorum & totius corporis incolumitatem redimere dubitant. Enimvero quid eſt quod quiſquam tali hoſte vicino ullam cujuſquam rei poſſeſſionem ſtabilem aut diuturnam promittere ſibi poſſit? Cum ſingulis momentis exſpectanda ſit dies, qua vicini improbitas cuncta eripiat, contraque omnium edicta Prætorum ad ſe transferat. Quid ſeris? quid metis? quid colligis ac recondis? cum non minus tua omnia hoſtis ſua numeret, quam quæ Aſiaticis, quæ Græcis, quæ Thracibus, quæ Bulgaris, quæ Illyricis, quæ Hungaris (ut alios populos taceam) jam diu erepta poſſidet? Neque enim opes facultatesque noſtræ, ſine juſto militum (quos dico) præſidio illius avaritiæ minus patent, quam pateat furibus nullo cuſtode nullis clavibus in publico projecta vis auri aut precioſa ſupellex.

Quod ſi inopiam dementiæ prætexere & paupertatem ementiri juvat, videamus, ne noſtro interitu noſtriſque ſpoliis dives factus hoſtis, magna cum noſtra infamia mendacii nos redarguat. Sed tamen eos ſumptus non requiro, quos magnopere pertimeſcamus. Quos quidem extra belli tempus minimos eſſe velim, belli vero tempore mediocres, certe longe tolerabiliores, quam quibus vulgaris & tumultuarius miles conducitur. Qua ex re duo etiam conſequuntur commoda: unum, ne pecunia extra ditionis noſtræ fines eliminetur; alterum, ne tribunorum & præfectorum nefario quæſtui locus ſit, quibus hodie per fœdiſſimum peculatum cum ſummo reipublicæ damno locupletari præclarum ſtratagema habetur. Sed hæc alterius ſunt loci; neque enim in præſens particulatim de ſingulis, ſed ſummatim tantum quid hac de re univerſa ſentirem ſignificandum mihi eſſe ſtatui.

Ergo imitemur in reipublicæ communique ſalute munienda, populi Romani prudentiam; qui ſemper præſidio militum ex ſuis hominibus delectorum, imperium ſuum remquepublicam & privatam tutatus eſt. Neque enim ille aut irrumpentium Gallorum ferocitati par, aut bella ſubinde renovantium Italicorum pertinacia ſuperior, eſſe potuiſſet, aut tam fortiter adverſus vim Annibalis integrum imperium conſervaſſet, aut de Philippo deque Antiocho triumphaſſet, niſi ſuum & proprium militem habuiſſet, eamque quam dico in eo inſtituendo rationem ſecutus fuiſſet. Qua de re tota tempus eſt, ut copioſius exponam: quo magis perſpicuum ſit, nihil me novi introducere; utque nobis exemplum propoſitum ſit quod ſequamur.

In

In quo quidem omnes, qui de rebus Romanis ſcripſerunt conſentiunt: paſſimque apud eos videre eſt, quantum curæ Romani poſuerint in tyrone deligendo inſtituendo & exercendo. Sed ego, ne ſim prolixus multis auctoritatibus colligendis, utar compendio; uniusque antiqui moris & diſciplinæ militaris graviſſimi auctoris Vegetii teſtimonio ero contentus; qui ea quæ ſequuntur di-

lib. 1. cap. 1. verſis in locis, in libris de militiæ Romanæ inſtitutis ad Cæſarem Valentinianum ſcripta reliquit. IN OMNI PROELIO NON TAM MVLTITVDO ET VIRTVS INDOCTA, QVAM ARS ET EXERCITIVM SOLENT PRAESTARE VICTORIAM. *Nulla enim alia re videmus Populum Romanum ſibi orbem ſubjeciſſe terrarum, niſi armorum exercitio, diſciplina caſtrorum, uſuque militiæ. Quid enim adverſus Gallorum multitudinem paucitas Romana valuiſſet? Quid adverſus Germanorum proceritatem brevitas potuiſſet audere? Hiſpanos quidem non tantum numero, ſed etiam viribus corporum, noſtris præſtitiſſe manifeſtum eſt. Afrorum dolis atque divitiis ſemper impares fuimus. Græcorum artibus prudentiaque nos vinci, nemo unquam dubitavit. Sed adverſus omnia profuit, tyronem ſolertem eligere: jus (ut ita dixerim) armorum docere; diſciplinam quotidiano exercitio roborare: quæcunque evenire in acie atque in prœliis ſolent, omnia in campeſtri meditatione perroſcere: ſevere in deſides vindicare.* SCIENTIA ENIM REI BELLICÆ DIMICANDI NVTRIT AVDACIAM: NEMO FACERE METVIT QVOD SE BENE DIDICISSE CONFIDIT. ETENIM IN CERTAMINE BELLORVM EXERCITATA PAVCITAS AD VICTORIAM PROMTIOR EST: RVDIS ET INDOCTA MVLTITVDO EXPOSITA SEM-

lib. 2. c. 18. PER AD CÆDEM. *Si quis igitur pugna publica ſuperare Barbaros cupit, ut divinitatis nutu, diſpoſitione Imperatoris invicti, reparentur ex tyronibus legiones, votis omnibus petat. Intra breve autem temporis ſpatium, juniores diligenter electi & exercitati, quotidie non ſolum mane ſed etiam poſt meridiem, omni armorum diſciplina vel arte bellandi, veteres illos milites, qui orbem terrarum integrum ſubegerunt, facile coæquabunt. Nec moveatur, Cæſar, tua Majeſtas, quod olim conſuetudo eſt mutata quæ viguit. Sed hujus proviſionis ac felicitatis eſt perennitas tua, ut pro ſalute reipublicæ & nova excogites & antiqua reſtituat. Omne opus difficile videtur antequam tentes. Cæterum ſi exercitati & prudentes viri delectui præponantur; celeriter manus bellis apta*

lib. 2. c. 23. *poterit aggregari, & diligenter inſtitui. Quidvis enim efficit ſolertia: neque longitudo ætatis aut armorum numerus artem bellicam tradit, ſed continua exercitationis meditatio.* POST QVANTA VOLVERIS

lib. 1. c. 3. STIPENDIA INEXERCITATVS MILES SEMPER EST TYRO. *Nunquam credo potuiſſe dubitari aptiorem armis ruſticam plebem, quæ ſub dio & calore nutritur, ſolis patiens, umbræ negligens, balnearum neſcia, deliciarum ignara, ſimplicis animi, parvo contenta, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris, cui*

Ibid. *geſtare ferrum foſſam ducere onus ferre conſuetudo de rure eſt.* ET NESCIO ETIAM QVOMODO MI-

lib. 1. c. 4. NVS TIMET MORTEM, QVI MINVS DELICIARVM NOVIT IN VITA. *Nunc qua ætate milites legi conveniat, exploremus. Equidem ſi antiqua conſuetudo ſervanda eſt: incipientem pubertatem ad delectum cogendam nullus ignorat.* NON ENIM TANTVM CELERIVS SED ETIAM PERFECTIVS IMBIBVNTVR QVÆ DISCVNTVR PVERIS. *Deinde militaris alacritatis ſaltus & curſus ante tentandus eſt, quam corpus ætate pigreſcat. Velocitas enim eſt, quæ percepto exercitio ſtrenuum efficit bellatorem. Adoleſcentes legendi ſunt; ſicut ait Salluſtius. Nam primum juventus, ſimul ac belli patiens erat in caſtris per laboris uſum militiam diſcebat. Melius enim eſt, ut exercitatus juvenis cauſſetur, ætatem nondum adveniſſe pugnandi, quam doleat præteriiſſe. Habeat etiam ſpacium univerſa diſcendi.* NEQVE ENIM PARVA AVT LEVIS ARS VIDETVR ARMORVM. *Sive equitem, ſive peditem ſagittarium velis imbuere, ſive ſcutatum armaturæ numeros omneſque geſtus docere, ne locum deſerat, ne ordines turbet, ut miſſile & deſtinato ictu & magnis viribus jaciat, ut foſſam ducere, ſudes ſcienter figere norit, tractare ſcutum, & obliquis ictibus venientia tela deflectere, plagam prudenter vitare, audacter inferre. Huic taliter inſtituto*

l. 1. cap. 6. *tyroni pugnare adverſum quoslibet hoſtes in acie formido non erit ſed voluptas. Sed qui delectum acturus eſt, vehementer intendat; ut ex vultu ex oculis ex omni conformatione membrorum eos eligat, qui implere valeant officium bellatoris. Namque non tantum in hominibus, ſed etiam in equis & canibus virtus multis declaratur indiciis. Sit ergo adoleſcens Martio operi deputandus, vigilantibus oculis, erecta cervice, lato pectore, humeris muſculoſis, valentibus digitis, longioribus brachiis, ventre modicus, exilior cruribus, ſuris & pedibus non ſuperflua carne diſtentis, ſed nervorum duritia collectis. Cum hæc ſigna in tyrone deprehenderis, proceritatem non ma-*

lib. 1. c. 7. *gnopere deſideres. Utilius eſt enim fortes milites eſſe quam grandes. Sequitur ut cujus artis tyrones vel eligendi vel penitus reſpuendi ſint, indagemus. Piſcatores, aucupes, dulciarios, linteones, omneſque qui aliquid tractaſſe videntur ad gynæcea pertinens, longe arbitror pellendos a caſtris: fabros ferrarios, carpentarios, macellarios, & cervorum aprorumque venatores, convenit aſſumere in ſocietatem militiæ. Et hoc eſt in quo totius reipublicæ ſalus vertitur; ut tyrones non tantum corporibus ſed etiam animis præſtantiſſimi deligantur. Vires regni & Romani nominis fundamentum in prima delectorum examinatione conſiſtunt. Nec leve putetur hoc officium, aut paſſim quibuscunque mandandum: quod apud veteres inter tam varia genera virtutum in Sertorio præcipue conſtat eſſe laudatum. Juventus enim, cui defenſio provinciarum, cui committenda bellorum fortuna, & genere ſi copia ſuppetat & moribus debet excellere. Honeſtas enim idoneum militem reddit. Verecundia dum prohibet fugere, facit eſſe victorem. Quid enim prodeſt, ſi exerceatur ignavus? ſi pluribus ſtipendiis moretur in caſtris? Nunquam exercitus profecit tempore belli, cujus in probandis tyronibus claudicarit electio. Et quantum uſu experimentique cognovimus: hinc tot ubique ab hoſtibus illatæ ſunt clades, dum longa pax militem negligentius incurioſiusque legit, dum honeſtiores quique civilia ſectantur officia, dum poſſeſſoribus addicti tyrones per gratiam aut diſſimulationem probantur, taleſque ſociantur armis quales domini habere faſ-*

l. 1. cap. 8. *tidiunt. A magnis ergo viris magna diligentia idoneos eligi convenit juniores. Sed hujus rei uſum diſſi-*

Prolog. l. 3. *mulatio longa ſecuritatis abolevit. Quem invenias, qui docere poſſit, quod ipſe non didicit? Primi Lacedæmonii experimenta pugnarum de eventibus colligentes rem militarem, quæ virtute ſola vel certe felicitate creditur contineri, ad diſciplinæ peritiæque ſtudia revocarunt, ac magiſtros armorum juventutem ſuam uſum varie-*

tatem

*tatemque pugnandi praceperunt edocere. O viros ſumma admiratione laudandos! qui eam pracipue artem
diſcere voluerunt, ſine qua alia artes eſſe non poſſunt. Horum ſequentes inſtituta Romani, Martii operis pra-
cepta & uſu retinuerunt & literis prodiderunt. Quantum in praliis Lacedamoniorum diſciplina profuerit (ut* Ibid.
*omittam cateros) Xanthippi declaratur exemplo: qui Attilium Regulum Romanumque exercitum ſape victorem,
cum Carthaginienſibus non virtute ſed artis fere ſolo auxilio proſtratis exercitibus, cepit ac domuit: unoque con-
greſſu triumphans bellum omne confecit. Nec minus Hannibal petiturus Italiam Lacedamonium doctorem qua-
ſivit armorum, cujus monitis tot conſules tantaſque legiones inferior numero ac viribus interemit.* ERGO
QVI DESIDERAT PACEM PRÆPARET BELLVM: QVI VICTORIAM CVPIT MILITEM
IMBVAT DILIGENTER: QVI SECVNDOS OPTAT EVENTVS DIMICET ARTE NON
CASV. NEMO PROVOCARE NEMO AVDET OFFENDERE QVEM INTELLIGIT SVPE-
RIOREM FORE SI PVGNET. *Tempore hyemis de tegulis & ſcandulis, qua ſi deeſſent certe de cannis* l. 2. cap. 23.
*ulva & culmo, & porticus tegebantur ad equites & quadam veluti baſilica ad pedites; in quibus tempeſtate vel
ventis aëre turbato, ſed tecto armis erudiebatur exercitus. Cateris autem hibernis diebus, ſi nives pluviaque
ceſſarent, exerceri cogebantur in campo: ne intermiſſa conſuetudine animi militum debilitarentur & corpora.
Sylvam cadere, portare onera, tranſilire foſſas, natare in mari ſive flumine, gradu pleno ambulare vel currere
etiam armatos cum ſarcinis ſuis, frequentiſſime convenit; ut quotidiani laboris uſus in pace difficilis non vi-
deatur in bello. Sive ergo legio fuerit ſive auxilia, exerceantur aſſidue.* NAM QVEMADMODVM
BENE EXERCITATVS MILES PROELIVM CVPIT, ITA FORMIDAT INDOCTVS. POSTRE-
MO SCIENDVM EST, IN PVGNA VSVM AMPLIVS PRODESSE QVAM VIRES. NAM SI
DOCTRINA CESSET ARMORVM NIHIL PAGANVS DISTAT A MILITE.

Omitto hic brevitatis cauſſa multa, quæ variis in locis ad eadem rem pertinentia ab eodem
Vegetio præclare dicuntur: & quemadmodum tyrones ad gradum militarem & curſum, & ad pa-
lum, & uſum natandi exerceri velit: præterea ut potius punctim quam cæſim ferire; ut miſſilia de-
ſtinato ictu, lapidem item jacere, arcu ſcienter uti, pondus grave portare, decurrere, ſervare in acie
ordinem, caſtra ſolerter munire diſcant. Quæ qui velit apud eum videat: mihi hoc unum quod
ſequitur caput epilogi cujusdam inſtar adjeciſſe ſat erit. *In delectu atque exercitatione tyronum ſi quis* l. 1. c. 28.
*diligens velit exiſtere, ad antiquam virtutis imitationem facile corroborare poterit exercitum. Neque enim de-
generavit in hominibus Martius calor: nec effœta ſunt terra, qua Lacedamonios, qua Athenienſes, qua Marſos,
progenuere. Sed longa ſecuritas pacis, homines partim ad delectationem otii, partim ad civilia traduxit officia.* Ibid.
*Ita cura exercitii militaris primo negligentius agi, poſtea diſſimulari, ad poſtremum olim in oblivionem per-
ducta cognoſcitur. Nec aliquis hoc ſuperiore atate accidiſſe miretur, cum poſt primum Punicum bellum, vi-
ginti quatuor circulis & quod excurrit annorum, pax ita Romanos illos ubique victores otio & armorum deſue-
tudine enervaverit, ut ſecundo bello Punico Hannibali pares eſſe non poſſent. Tot itaque conſulibus, tot ducibus,
tot exercitibus amiſſis, tunc demum ad victoriam pervenerunt; cum uſum exercitiumque militare condiſcere
potuerint.* SEMPER ERGO LEGENDI ET EXERCENDI SVNT JVNIORES. VILIVS ENIM
CONSTAT ERVDIRE ARMIS SVOS, QVAM ALIENOS MERCEDE CONDVCERE.

Ex his unius Vegetii ſcriptis, quibus omnium hiſtoricorum conſenſus accedit, ſatis conſtare arbitror: quæ fuerit olim apud Romanos rei militaris diſciplina atque inſtitutio. Neque ea ſolum Romanis fuit, ſed & Perſarum ante fuerat, & nonnulla etiam ex parte Macedonum, & omnium denique populorum qui claram nominis ſui memoriam ad poſteros tranſmiſerunt, Qua de re videat qui velit Xenophontem, hominem rei bellicæ peritiſſimum, quæ ſcribat de Cyri majoris in militibus legendis exercendiſque ratione, ab ea quam modo dixi Romanorum conſuetudine haud longe diverſa. Quo quidem ille ita parato exercitu brevi tempore bene totius orientis imperium ſibi adjunxit. Arriânus etiam haud ignobilis ſcriptor concionantem in Macedones Alexandrum, eosque ut beneficiorum immemores accuſantem, his verbis inducit: *Philippus pater vos errantes ac vagos, rerum omnium inopes, pleroſque etiam pellibus amictos paſtores, pro quibus cum Illyricis Triballis Thracibuſque finitimis continue pugnabatis, in tutelam ac fidem ſuam recepit: ex montibus aſperis in plana & culta deduxit: pro pellibus chlamides ornatas ferre dedit: armis inſtruxit: rem militarem docuit: ut non magis locorum munimentis ac ſitu contra finitimos quam armis & virtute veſtra tuti eſſetis.* Quibus ex verbis ſatis apparet: quibus primordiis jacta ſint illius celebris rei militaris Macedonicæ fundamenta: nimirum ex hominibus agreſtibus montanis & paſtoribus. Sunt etiam iis quæ ſupra dicta ſunt conſentanea, quæ memoriæ prodidit Diodorus Siculus: *Philippus,* inquit, *converſus ad emendandum militarem diſciplinam, curavit, ut decentibus armis milites ſui inſtructi eſſent, ut meditationibus bellicis exercerentur.* Excogitavit præterea ordinem illum phalangis, quæ Macedonum peculiaris fuit, ſumpto exemplo heroum qui clypeos clypeis conjungebant in bello Trojano. De his jam factis veteranis, deque eorum fortitudine, ubi Alexandrum urbem Halicarnaſſum oppugnantem deſcribit, idem Diodorus ita meminit: VETERANI *Macedones, qui per totum atatis ſpatium ſemper in rebus arduis & periculoſis verſati erant, & ſub Philippo merentes frequenter victoriam conſecuti ad ſummam fortitudinem ita provecti fuerant: prudentia & rei militaris cognitione longe omnibus praſtantes: tyronibus pugnam detrectantibus amariſſimis verbis ignavia exprobrata, ipſi in unum coacti confertis ſimul clypeis, hoſtes, qui jam ſe viciſſe arbitrabantur, exceperunt, Ephialteque & multis aliis interfectis reliquos in urbem fugere compulerunt, &c.* Horum militum virtuti devicti orientis & tanti imperii gloriam Alexander acceptam retulit.

Sed jam eoſdem (quos ſupra dixi) obclamantes audire mihi videor, aliam fuiſſe illorum aliam noſtri temporis eſſe rationem: illa jamdiu obſolevisſe: puerile ac nugatorium eſſe, vetuſtate ſepulta in lucem & uſum velle revocare: debere nos noſtri ſeculi ſapientia contentos eſſe. Ego vero etsi poſſum oſtendere, quod illis temporibus utile & fructuoſum fuerat, non minus utile & accom-

modatum fore rebus noſtris, tamen non agam multis rationibus cum iis, qui rationi non facile videntur velle dare locum, ſed ratiocinatione omiſſa ducam eos in rem præſentem & veluti digito fontem commonſtrabo. Rogabo itaque ex illis, qui cum ipſi nihil quod opus ſit facto in medium adferant, tamen ne nihil ſapere videantur alienis conſiliis impenſe detrectant: Num militem Turcicum in militibus numerari patiantur? Ac credo equidem, qua ſunt pervicacia, non facile aſſenſuros. Sed tamen ſi dubitent, ego pro eis reſpondere non dubitabo: eum qui tantum terroris toti terrarum orbi intulerit, quacunque ingreſſus ſit tantam ſtagem fecerit tantum trophæorum erexerit, jure militem cenſeri. Rogabo deinceps, hic miles quomodo in militiam legatur, quomodo inſtituatur.

Quod ſi ſe ſcire negabunt, dicam quæ ipſe præſens vidi, quæ meo periculo didici: Militem Turcicum nihil aliud eſſe; quam hominem ita natum, ita lectum, ita informatum & exercitatum, ut paulo ante de Romanis dixi, & a nobis contendo fieri oportere: niſi quod hic aliquanto deteriore conditione eſt. Nam quod ad militem attinet, qui ituro in expeditionem Turcarum Principi ultro ſe offert ac nomen dat, quem Alcangiam vocant, ei apud Turcas exiguus honor eſt. Is miles habetur in pretio, qui perpetuo ejus Principis ſtipendio meret, quique certo judicio ac ratione in ejus Principis legiones prætorianas relatus eſt. Cujus deligendi hæc fere ratio eſt. Mittit quotannis Turcarum Princeps certos homines in diverſas provincias, qui de pueris e Chriſtianis hominibus natis tertium aut quartum quemque poſcant. Horum puerorum gregibus Conſtantinopolim perductis, qui liberaliore ſunt aſpectu, aut ingenii majorem indolem præ ſe ferunt, ipſius Principis, aut Baſſarum, aut aliorum Satraparum domeſticis uſibus applicantur. Reliqui perducuntur in locum, in quem magna omnis generis hominum multitudo præſertim ruſticanorum confluxit. Hi de iſtis pueris ab eo qui ei negocio præeſt quos viſum eſt depoſcunt. Ille, accepto nummo aureo, puerum petenti tradit: prius nomine ejus patria & conditione pueri, item annis ſignisque quibus per omnem ætatem dignoſci poſſit, in publicas tabulas relatis. Sic illi liberum eſt, ſeu ruſticus ſit ſive urbanus, puerum trans mare in Aſiam, ſeu quocunque terrarum velit, ubi domicilium habeat, abducere: ubi aſſidue labore atque opere eum ut mancipium exerceat. Puero cibaria præbentur panis & aqua, & interdum, loco obſonii, pultis aliquid aut fructuum aut herbarum: veſtitus ſuppeditatur, quo ſe adverſus cœli injuriam tueri utcunque poſſit. Ad hæc diſciplina & religione Mahumedana inſtituitur. Ita deliciarum neſcius, procul a propinquorum blanditiis, in virum robuſtum & cuivis labori ferendo parem adoleſcit. Hic cum eſt opus ab illo fiduciario hero repoſcitur, & ad rem militarem traducitur: atque ex hoc veluti ſeminario, diminutis Gianizarorum legionibus, ſupplementum ſubrogatur. Ad Gianizaros reſcriptus primo meret menſtruo ſtipendio, paulo plus minus unius ducati cum dimidio. Id enim militi novitio & rudi ſatis eſſe cenſent. Sed tamen ne quid victus neceſſitati deſit, cum ea decuria in cujus contubernium aſcitus eſt, gratis cibum capit; ea conditione, ut in culina reliquoque miniſterio toti ei decuriæ ſerviat. Sed eum rurſus, qui eſt ejus decuriæ armorum peritiſſimus, præceptis militaribus erudit, quotidianaque exercitatione arma ſcienter tractare docet. Ita robur laboris patientiam & uſum armorum adeptus tyro, nec dum tamen ſuis contubernalibus honore neque ſtipendio par, unam in ſola virtute ſe illis æquandi ſpem habet; utpote, ſi militiæ, quæ prima ſe obtulerit, tale ſpecimen ſui dederit, ut dignus judicetur qui tyrocinio exemtus honoris gradu & ſtipendii magnitudine reliquis Gianizaris par habeatur. Qua quidem ſpe plerique tyrones impulſi multa præclare audent, & fortitudine cum veteranis certant. Itaque ampliore honeſtantur ſtipendio; quod octo ducatorum in Gianizaro ſummum eſt. Quem tamen ſi virtus ac merita ad altiorem locum vocent, aut ordinibus inter ſuos ducendis præficitur, aut equitibus prætorianis, quos Spahias vocant, adſcribitur. Qui ſuperſunt ex iis pueris quos ſupra dixi, Conſtantinopoli variis operibus exercentur. Itaque ſæpe videas CC aut CCC purgare aream, amoliri rudera, ferre lapides aut tigna, aut alia onera. Otium nulli permiſſum, nec cui victus gratis conſtat. Hi ſimiliter poſtquam adoleverunt, aut in terreſtres aut maritimas copias transferuntur. Et qui in Principis aulam ſervitiumque lecti ſunt, fere evadunt in viros primarios, maximisque muneribus, ut cujusque aut ſors aut mores tulerunt, præponuntur. Ex his ſupremi Gianizarorum duces, claſſium præfecti, Bellerbeghi, atque ipſi denique Baſſæ Viſirii deliguntur; his etiam in matrimonium ipſius Principis filiæ collocantur. Quibus me ſatis planum feciſſe arbitror, qui ſit ortus, delectus, diſciplina, atque educatio, illius toto terrarum orbe tantopere formidati militis Turcici. Neque tamen negavero, patere item alios ad ordinem militarem aditus: ſed hæc ratio atque via inter illos uſitatiſſima eſt. Nam quandoque etiam militem legunt ex iis pueris aut adoleſcentibus, quos excurſionibus aut bello nobis indicto captos, intra clauſtra domosque, quas Seraglia vocant, multos annos incluſos habuerunt. In quibus, poſteaquam omnem memoriam ſenſumque patriæ & rerum noſtrarum ac præſertim religionis depoſuiſſe, atque in ludis cum Arabicarum literarum tum armorum Turcicorum ſub præceptoribus eunuchis ſatis magnos progreſſus feciſſe videntur, eos demum ſeptis illis emiſſos cœlo reſtituunt, & ad ea rei militaris munera traducunt, ad quæ maxime videntur idonei. Baſſarum quoque atque aliorum purpuratorum ſervi, bello vel alia ratione quæſiti, in numerum militum ſæpe reponuntur. Nec tamen ex his, quos dixi, quisquam ſine certo diſcrimine judicioque recipitur, ſed explorata prius uniuscujusque corporis atque animi firmitate, ut tueri eum locum poſſit cui ſit adſcriptus. In quo ſane ſæpenumero ſum admiratus vim diſciplinæ atque inſtitutionis Turcicæ, cum viderem homines apud nos contemptos & abjectos, paucis annis tantum profeciſſe apud iſtos, non modo ut gregarii militis nomen egregie

ſuſti-

ſuſtinerent, verum etiam omnium Turcarum judicio digni haberentur, quorum diſciplina alii militiæ rudimentis imbuerentur. Fiebat enim nonnunquam, ut cum animi cauſa de feneſtra in publicum proſpicerem, aſſidentes Turcæ quoſdam mihi commonſtrarent, quos propter egregium armorum uſum tyronibus inſtituendis præfectos dicerent. Rogabam qua gente aut qua natione eſſent oriundi. Nam qui inter eos armorum opinione tantopere excellent, neſcio quos Parthos Bactrianos aut Maſſagetas cogitatione mihi fingebam. Sed audiebam, hunc eſſe Hungarum, illum Croatam, tertium Germanum. Mirabar equidem; verumtamen hanc tantam præſtantiam ex uſu armorum quæ apud nos tractaſſent, quod nobili loco nati, quod liberaliter inſtituti, quod militaſſent, proficiſci ſuſpicabar. Pergebam quærere, num ſcirent, quem illi apud nos locum tenuiſſent, quodve genus vitæ ſecuti fuiſſent. Illi cum aliquantiſper cogitaſſent, in memoriam venire ſibi ajebant: hunc ſolitum dicere, ſe neſcio cujus coqui fuiſſe puerum: alterum ſe vitæ monaſticæ initiatum: illum vero cauponi promendo vino locaſſe operas: eoſque belli vel induciarum tempore interceptos, atque in reliqua præda Conſtantinopolim perductos, in iſtius vel illius Baſſæ familiam perveniſſe. Hic ego etiam magis admirans: & quinam, inquam, fieri potuit, ut iſti evaderent in tantos bellatores? Commemorabant, dominos quibus illi obtigiſſent domi habuiſſe viros inſignes magiſtros armorum, magno judicio ſcientiaque rei bellicæ præditos, quibus (cum eos tum ex corporis tum ex animi ſignis dignos judicaſſent, quibus operam impenderent) in diſciplinam traditi eſſent: ſub quibus brevi tempore tantum profeciſſe, ut omnes æquales longe ſuperarent, & non obſcuram futuræ virtutis ſpem de ſe darent: ſecuta deinde fuiſſe bella, in quibus navata ſtrenue opera eximiæ fortitudinis ab omnibus laudem ac teſtimonium reportaſſe: hinc ad tantam auctoritatem perveniſſe. Cum hæc audirem afficiebar non mediocri dolore; noſtros mores ab hac Turcarum conſuetudine tantum differre; hanc illis rationem invidebam. Habent enim hoc omnino Turcæ, ut hominem nacti egregium, tanquam adepti rem precioſam, vehementer gaudeant; neque in eo excolendo quicquam laboris aut ſtudii prætermittant, præſertim ſi ad rem militarem idoneum eſſe cognoverint. Noſtra longe diverſa eſt ratio. Nam nos quidem ſi quem bonum canem, accipitrem, aut equum ſumus nacti, valde lætamur: neque ulli rei parcimus dum illum ad ſummam in ſuo genere perfectionem perducamus: in homine vero ſi quem præclara indole nanciſci contigerit, non perinde elaboramus; neque ejus inſtitutionem ad nos magnopere pertinere exiſtimamus. Ac nos quidem ex equo cane atque accipitre belle aſſuefactis varias oblectationes multiplicemque uſum capimus: ſed Turcæ ex homine bonis moribus informato tanto majorem, quanto reliquis animantibus natura hominis præſtantior eſt atque excellentior.

Jam vero ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, ſatis conſtare arbitror: non novum neque inauditum eſſe, quod de milite certo cum judicio deligendo inſtituendoque contendo: ſed cum ab ipſis Romanis, tum a cæteris gentibus quæ imperia tenuerunt aut armorum laude floruerunt, uſurpatum; neque rurſus adeo obſoletum aut a noſtræ ætatis moribus tam remotum, ut ad uſum noſtrum revocari non poſſit, quandoquidem experiamur quotidie, quid exculta tali diſciplina Turcorum arma valeant: modo ne nos pigeat rei adeo neceſſariæ ab illis partem mutuari, quando illos tam multa quæ ex uſu ſuo eſſent de nobis ſumere non puduerit. Quod ſi fecerimus, faxim profecto, ut brevi cognoſcamus, non minus ad ſalutem nobis bonam diſciplinam valere, quam hactenus ad noſtram perniciem valuiſſe ſenſerimus. Quæ quidem una reſtat, in hac periculoſiſſima tempeſtate veluti anchora ſacra: qua afflictæ reipublicæ noſtræ pene naufragam navem retinere, jugum a cervicibus, cædem a capitibus noſtris depellere queamus. Vnaquæque res qua ratione paratur eadem ſtabilitur & conſervatur. Vt regna atque imperia virtute militari beneque inſtituti exercitus viribus quæruntur, eadem etiam ratione conſervantur. Si tollas arma, removeas militem, diſciplinam negligas: mox aut per ſe regnum concidet, aut in prædam cedet finitimus. Ad regni majeſtatem conſervandam non tam diadema aut ſceptrum prodeſt, quam ferrum. Fruſtra illo caput ornes, hoc dexteram, niſi gladio accinctum ſit latus. Niſi ferro muniatur, debile ac mancum fuerit omne imperium. Neque ulla unquam diuturna poteſtas erit, quam arma non tutentur. Sed arma dico; non falſo nitore ſpecieque fallentia, ſed vera, ſed ſolida, ſed omni vitio expurgata. Quicquid corruptum eſt atque a ſua perfectione degeneravit, aut minimum adfert utilitatis, aut non modo nihil prodeſt verum etiam nocet. Quamdiu arma Romana militari diſciplina viguerunt, extremæ tum quæque orbis terrarum oræ eorum legionibus paruerunt: ſed poſtquam diſciplina corrumpi, virtuſque militum neglectis veteribus inſtitutis remolliri cœpit, non modo maxima imperii pars amiſſa, ſed ne ipſius quidem urbis Romæ mœnia ſuo præſidio Quirites a cæde direptioneque incolumes præſtiterunt. Itaque tunc illa gentium omnium caput ac princeps civitas cunctis nationibus prædæ aut ludibrio fuit: non ſecus ſua ſpolia atque exuvias repetentibus, quam ab illo graculo Æſopico cæteræ aves ſuas plumas. Nobis vero eo minus tergiverſandi occaſio datur, quo mortiferum vulnus nobis propinquius imminet, quo magis viſcera noſtra hoſtium telis nuda patent, nec ulla nobis præter hanc unam ad ſpem ſalutis via proponitur. Quam ſuperatis & perruptis quibuſcunque impedimentis, ſi quicquam nobis rerum noſtrarum carum eſt, ſine dubitatione perſequi debemus. Eſt ubi reipublicæ moderatori, propter rei novitatem, propter præſentis ſeculi mores, propter civium captum & ingenium, aliaſque item manifeſtas difficultates, ab eo quod erat rectiſſimum nonnihil interdum deflectere liceat. At in hujuſmodi anguſtiis deprehenſis, ubi certum communis ſalutis excidium ante oculos poſitum ſit, conſtanti animo per eam ſemitam, quæ ſola ad arcem & præſidium patet, enitendum. Iis populis, quibus adhuc longæ ſunt ſpes quod ab hoc hoſte procul disjuncti ſunt, licet quibuſvis vel linteis ſi velint armis corpus tegere, adverſus

tela quæ nondum ad eos pertingere poſſunt. Nobis, qui intra hoſtilis teli jactum verſamur, vel qui cum hoſte potius jam ad manus & gladios venimus, non niſi probatiſſimis & firmiſſimis armis ſalutis noſtræ tutela committenda.

Sed non deerunt, quibus hic noſtrarum virium apparatus tenuior, neque ſatis idoneus videbitur qui tantis Turcarum opibus atque potentiæ opponatur. Quibus reſpondeo; a me id agi, ut ſolida perennis exercitus fundamenta jaciantur, iisque ſemel conſtitutis in reliquo ædificio conſtruendo non multum fore negotii polliceri. His enim initiis poſitis, quicquid acceſſerit auxiliorum mox juſti exercitus corpus efficiet. Acceſſura autem impenſius auxilia, ubi jam nos nobis de non contemnendo præſidio proſpexiſſe, paratisque in hoſtem copiis excubare, longe lateque fama diſſipaverit, clarius eſt quam ut multis demonſtrare ſit opus. Etenim natura pene ipſa nos iis conciliat, quos armis atque animis ad quemcunque fortunæ motum conatumque paratos videmus. Contra vero ab eorum benevolentia nos revocat, quos inermes imbellesque cuicunque obnoxios injuriæ animadvertimus. Itaque præclare Xenophon ut reliqua omnia, eos qui ſemper in promptu & expedita habent arma hoc conſequi dixit, ut amicos habeant multos, inimicos nullos: ſiquidem ad eorum amicitiam qui poſſint prodeſſe omnes libenter accedere, tanquam ad arcem ubi rebus ſuis dubiis temporibus perfugium paratum ſit: quemadmodum ex altera parte inimicum habere nemo velit, quem ita ſemper inſtructum & paratum norit, ut cum velit nocere poſſit. Qua ratione fit, ut dum ceſſamus ipſi neque quicquam conamur, dum haſtas abjicere ac de noſtra ſalute deſperare videmus, atque ex aliena tantum ope pendemus, omnes propemodum non modo vicinitatis ſed etiam ſanguinis neceſſitudine nobiscum juncti nos contemnant & deſerant: ad armatum vero & ſibi prævidentem hoſtem etiam illi ſeſe aggregent, quos ſi nihil aliud certe diverſisſima religionis ratio retraxiſſe debeat. Tanta vis eſt expeditorum armorum. Quod itaque felix & fauſtum ſit, in Dei omnipotentis nomine eamus ad ſaga, capeſſamus arma; eo quidem animo quo decet contra tantum hoſtem. Ipſi primi armipotentis Minervæ ſacris initiemur; ejusque ſtudiis nos totos devoveamus: primi manum adhibeamus ſtivæ: & noſtro pro viribus fungamur officio. Deus mox conantibus aderit. Neque deerunt cum vicinorum tum neceſſariorum auxilia; ubi nos nobis non deeſſe cognorint. Non conquieſcamus; donec ut minimum (quod exempli cauſa dictum velim) præter ordinaria præſidia ad XII. millia peditum (nam de equitatu dicemus alias) ex noſtris popularibus delecta, probe armata exercitataque habeamus. Hic animus & hoc inſtitutum noſtrum non modo vicinorum & neceſſariorum noſtrorum, verum etiam alienorum inſperata auxilia cum res poſcet conciliabit & adjunget. Quod ſi quandoque nos omnia deſtituant, his tamen copiis, & æſtatis tempore munitionibus incluſi hoſtium impetum reprimere, & hyeme ita in eorum fines incurrere poterimus, ut laceſſiviſſe illos pœniteat; atque inducias, quas vix nunc a ſe redimi patiuntur, cum petant ultro, tum multo quam fert eorum conſuetudo ſervent diligentius. Nunc quicquid inrepuerit trepidare cogimur: & ſi præſidia noſtra laborent, aut nec opinata aliqua vis ſubitam opem requirat, nihil habemus, quo vel noſtris ſubſidio ire vel hoſtium impreſſionem morari ſaltem & retardare queamus.

Sed hæc (dicendum eſt enim tanta de re ſæpius) ſtudium quoddam eximium & ſingulare deſiderant. Neque vero alibi non modo cogitationum ſed nec delectationum noſtrarum majorem partem rectius collocaverimus. Neque alia ex re laudem juſtius quæſiverimus: quam ſi noſtras copias indies virtute & diſciplina magis magisque proficere & coaleſcere videamus. Placeant ſibi alii auratis tectis: alii exquiſitis hortorum amœnitatibus delectentur: ornamenta domus alii ſigna tabulas & plurimum lautæ ſupellectilis oſtentent. Nobis hæc pacis decora, hæc belli præſidia faciant animos, his nos amicis qui ad nos diverterint venditemus, his gloriemur. Quid enim præclari hoſpitis oculis poſſit eſſe gratius, quam videre tantum ſelectæ juventutis numerum, armis fulgentem, robore & velocitate præſtantem, ſclopeto haſta gladio & quocunque teli genere pulcerrime decertantem, ad omnes præfectorum nutus quacunque ſe circumagentem verſantemque, denique ſumma vultus atque animi alacritate hoſtem & prælium depoſcentem? Hujusmodi juventutem, imperii ſpem ac fundamentum, videlicet Gianizaros, non immerito Turcarum Princeps filios ſuos vocat. Memorant Philopœmenem, quem Græcorum imperatorum ultimum dixerunt, cum videret antiquam Græcorum rei bellicæ laudem per ignaviam & diſciplinæ militaris neglectum ſeneſcentem brevi intermorituram, atque ei rei ut patriæ amans civis inprimis ſubventum cuperet, haud parvum nobiliſſimæ juventutis comitatum ſibi aſciviſſe, quem belli artibus inſtitueret: cumque aliquando cum hoc juvenum globo, militari veſtitu decenter ornato, in quoddam Græciæ theatrum multitudine hominum refertum introiiſſet, magnum illi ab univerſo illo populo plauſum datum, ſummisque exceptum laudibus. Cujus quidem plauſus is ſenſus fuit; quod ille populus intelligebat quid ei civi deberetur, qui patriæ gloriam quantum in ſe eſſet ab interitu revocaret, & juventutem ad militare decus virtutemque capeſſendam excitaret. Nos quoque quis dubitet, quin Diis hominibusque approbantibus, ſummo totius populi Chriſtiani applauſu, communis ſalutis cauſam ſimus ſuſcepturi, labentemque rei militaris laudem in priſtinam dignitatem vindicaturi.

Sed non ero longior; & finem faciam ſi prius eo paucis me retulero unde hæc defluxit oratio: ſi monuero & inclamavero, ſi obteſtatus fuero, ut in tanto periculo, in quanto poſt orbem terrarum conditum nulla unquam gens verſata eſt, ab eo cui indormiviſſe videmur veterno aliquando excitemur, reique publicæ ad exitium ruenti ſuccurramus: has ſedes, hoc nomen, hæc decora, tanta cum laude a majoribus noſtris parta & nobis tradita, conſervata velimus. Conſervandi autem

tem unicam eſſe rationem: ſi adverſus vim ad vim & arma nos convertamus; arma vero non fortuita neque tumultuaria nec procul quæſita, ſed expedita, ſed magno judicio magnaque ratione delecta exculta & inſtituta. Nihil poſtremo nobis debere videri tanti ſciamus, quod ut huc perveniatur non cupide ſubeamus. Exemplo eorum qui loco parum munito formidoloſa premuntur obſidione: qui cum jam jamque in hoſtis poteſtatem venturos ſe videant, omniaque extremæ crudelitatis exempla ab inſolenti victore timeant, ad eum repellendum nihil non perpetiuntur & faciunt, neque quicquam grave ſibi ducunt, neque ulli rei parcunt, modo ſummæ rerum & publicæ ſaluti conſulant. Quod ſi ſecus ſtatuerimus, nobisque & reipublicæ per ignaviam aut mentis errorem defuerimus, relictum iri aliud nihil, quam ut aut migremus in alias terras, (quod multæ ſæpe fecerunt gentes vicinorum injuria coactæ) avitisque poſſesſionibus hoſti pro victoriæ cumulo relictis ejus immanitatem fuga declinemus, aut certe ad unum pereamus omnes. Sed migremus citius: (ſi adeo in nobis omnis obſolevit virtus) bonaque noſtra agros tecta lares hoſtis ante poſſideat, quam corpora: quam ſanguinem noſtrum hauriat, quam liberorum & conjugum pudori fœdisſime illudat, & (ut uno verbo dicam) potius quam eam rerum omnium indignitatem videamus, quam tot Aſiæ Africæ atque Europæ populi ab Orientis regionibus ad noſtros usque fines majore terrarum quam temporum intervallo ſubierunt. Nam cum iisdem nos quibus illi veſtigiis ad exitium præcipitemus, ſitque idem prorſus rerum noſtrarum qui fuit illorum antequam perirent ſtatus, idem in cauſa pari nos exitus manet. Sed cur migremus? Militemus potius: & quæ nobis ſalutis ſubſidia largisſima manu Deus benigne ſuppeditat, alacres & grati ſuſcipiamus. Nos ad arma, in quibus poſt Deum ſpes una ſalutis ſupereſt, ingentibus animis atque ita convertamus, ut virtute noſtra, & magnitudine periculi, & exitio quod nobis impendet, dignum eſt.

Joannis Comitis Tarnovii, in Poloniæ Regno Strategi Nominatiſſimi, De bello Cum juratiſſimis Chriſtianæ fidei hoſtibus Turcis gerendo

Diſputatio ſapientiſſima.

Cum præfatione Joannis Straſi ad Carolum V. Rom. Imp. ſemper Auguſtum.

ETſi nullum tempus prætermitti, CAROLE IMPERATOR, a tua Majeſt. certum eſt, aſſidue cogitandi de communi Chriſtianæ reipubl. ſalute, atque immanisſima barbarie Turcica propulſanda: non ob id tamen arbitror ejus officium reprehenſum iri, qui tam anxio & perturbato planeque confuſo communium temporum ſtatu, humiliter atque fideliter conſulere aliquid in medium pia quadam & Chriſtiana propenſione conetur. Siquidem hujusmodi rerum facies oculis objecta eſt, ut merito cuivis conſulenti pro communi ſalute, tanquam gregarii militis voci inclinatis rebus in acie apud Imperatorem, locus eſſe debeat. Immo ſæpe profuiſſe in publica trepidatione infimorum conſilia, haud obſcuris documentis eſt cognitum. Neque enim, IMPERATOR INVICTISSIME, hoc quisquam ſuſcipit aut tentat, ut curas aut ſolicitudines divini animi tui, orbis terræ procurationem complexas, ſe acuere, augere, aut limare poſſe exiſtimet. Quod in tanta ſapientia tua, ac tanto maximarum rerum uſu, & ſumma copia prudentisſimorum hominum, cogitare eſſet extremæ dementiæ atque intolerabilis arrogantiæ. Sed cum ipſum periculum in præſentia vel longisſime disſitos attingat; jamque hoc flagrans incendium longe lateque devaſtationem ac ruinam minetur: æquum eſt omnes paratos promtosque ad ejus extinctionem accurrere: ac tuæ M. Principi & auctori pulcerrimi operis præferenti ſigna, officium quisque ſuum pro virili exhibere. Sic ego, etſi forte ſapientiæ tuæ in tanto Imperii faſtigio probare meam ſedulitatem & conatum minime poſſum, tamen deferendum putavi: ne in tanta concurſatione proferentium undecunque debitum ſuum officium, ſolus relictus ignaviæ ac ſocordiæ maculam ſuſtineam.

Quod interim ita a me exhibetur, ut nihil hic ſit meum, atque proprium, exque meo penu depromtum. Totum eſt illius viri, qui propter ſummam autoritatem, & incredibilem rerum omnium experientiam, in ſubſelliis omnis prudentiæ conſultisſimorum meritisſimo principem locum obtinebit. Non ſum neſcius, SAPIENTISSIME IMPERATOR, Comitem Tarnovium ſupremum ducem Regni Poloniæ, Majeſtatis Tuæ notum eſſe & acceptum: qui propter peritiam rei bellicæ, & inſignes victorias a barbaris hoſtibus reportatas, toto terrarum orbe illuſtrium meritorum fama celebratisſimum nomen eſt conſecutus. Hic tantus vir, optimus dux & gravisſimus Senator, non modo ſuſtinet perſonam hujus conſilii ſed ejus indubitatus autor eſt & architectus. Apud quem e caſtris Hungaricis reverſus, & Auſtriacam peſtilentiam vitans, complures dies commoratus: pro veteri mihi conſtituta cum illo obſervantia & familiaritate, operam dedi, ut, quæ ille pro ſingulari ſua erga rempublicam Chriſtianam pietate, & incredibili erga M. Tuam ejusque fratrem Ferdinandum ſtudio, tam neceſſario tempore maxime neceſſaria eſt locutus, in ſcripta referrem. Quæ nunc in cœtu palam ſe adeuntium decumbens ex dolore pedum dixit: nunc remotis arbitris ſeorſum mecum tractavit. Quæ quidem ex illius ore excepta, ſine ullis orationis cincinnis & calamiſtris pure ſimpliciterque recenſebo. Et quamvis ejus vim & gravitatem in dicendo exprimere non poſſum: tamen enitar, ut fines & terminos illius ſermonis non excedam. Qui ſane ſermo, quamvis non uno tempore ab eo decurſus eſt continenti oratione; ſed interpolatis diebus & ſucceſſivis horis habitus: tamen ita dilucide graviter articulate de toto negotio Latine diſſeruit; ut facile animadverti potuerit, in quot partes ſermo ille per eos dies habitus eſſet diviſus. *Primum* enim ratioci-

ratiocinatus eſt de concordia Chriſtianorum Principum: *Deinde* de officio Imperatoris ad tantum bellum, & quibus rebus nobis Turci præſtarent: *Poſtremo* quibus copiis & viribus, DEI ope, cum hoſte barbaro poſſit confligi, ac quibus Chriſtiani illos antecellant.

Utinam Majeſt. Tuæ, INVICTISSIME IMPERATOR, conatus hic meus tam gratus exiſtat, atque magna animi alacritate ſuſcipitur: ut ſi forte vir ille, ex raro hominum genere Dux, inſtitutum tuum nullo invento juverit: tamen non inglorium putandum eſt, Principes viros, longiſſimis locorum ſpatiis disjunctos, cum Majeſt. Tua multo ſapientiſſima, idem ſentire. Sed jam ipſum loquentem audiamus: Quis ſit ejus ſenſus de univerſa re exponam. Ipſe autem introducitur perpetuo contextu ſingulas partes tractans, ne moleſtiſſimæ illæ voces, inquam & inquit, ſæpius repetantur. De concordia autem ſic exorſus eſt.

Equidem mihi conſcius ſum in omni rerum uſu mediocritatis atque adeo potius tenuitatis meæ: tamen cum poſt hanc funeſtam cladem, tantam ubique trepidationem, pavorem, ac conſternationem ſecutam audio; ut Chriſtiani fracti ac debilitati barbari hoſtis adventu animos deſpondere videantur; putavi me ſine ſcelere & communis religionis offenſione prætermittere non poſſe, quin ſenſum meum de hoc ſtatu rerum aperirem, & ſi forte nihil novæ medelæ præter cæteros afferrem, bene tamen & recte ſentire voluiſſe cum aliis bonis viris cognoſceret. Sed cum de modo & ratione arcendi hujus hoſtis cogito, nihil tam adverſarium eſt, nihil tam obſtat ſpei & fiduciæ conficiendi hujus belli, quam diſſidium Principum Chriſtianorum, ac mutuo ſe delendi, nunc clam, nunc palam, mirifica ſtudia. Quæ ſane niſi reſtincta fuerint, remiſſa, aut ſedata; fruſtra recipitur omnis cogitatio de Turco profligando. Quare non poſſum non aperte & libere, quid de hac parte ſentiam, referre; antequam rationem ipſam gerendi belli attingam. Longum eſſet Chriſtianos Principes admonere ſui officii: cujus rationem referendam eſſe aliquando Summo DEO, non poſſunt ignorare. Taceo illa, quæ etiam in privatorum reconciliatione interponuntur: hoc vel illud reſarciendum: ſi quid delictum ſit compenſationem inducendam, atque id genus paſſim nota. Hoc autem animadvertant, ultionem ex privato odio, quam arbitrantur in inimicum tendere, omnino in detrimentum ac perniciem totius Chriſtianitatis vergere. Deberet profecto maledictio, & dira hominum imprecatio, atque perpetua illa infamia, quæ ipſis ob hujusmodi facta inuritur, aliqua ex parte eos movere. Deberent Reges nominum dignitatem & vim tueri quam ſuſtinent, niſi ſe notatos omni macula & turpitudine apud poſteritatem velint. Deberent in idem incumberere & facto qui evangelium ſequi ſe pure profitentur. Nam vel ipſo ſole clarius eſt, religionem noſtram, nobis diſſidentibus inteſtinis odiis & bellis, opprimi & extingvi, Mahometi ſectam creſcere & propagari. Diſcant Chriſtiani Principes, exemplo verborum hoſtis noſtri fidem ſuam propagare. Is in confœderatione olim cum Joanne Rege requiſitus, ut aliqua caſtra reſtitueret; reſpondit, id ſe libenter facturum, niſi obſtarent templa Mahometicæ religioni dicata: quæ non licere ſibi tradere in manus GAVRORVM (ita enim Chriſtianos vocant) proferebat. Si commiſeratione & pietate non moventur, cogitent commune periculum, & futuram calamitatem aliquando in ipſos redundaturam. Nam conſtat, non defuiſſe potentes monarchas, florentes magnis opibus, quos publicus Chriſtiani nominis hoſtis ejusque majores ſubjugarunt. Decimus jam Turcorum Cæſar dominatur: qui ſane quantum ſibi ditionum ſubjecerit, nemo eſt qui non videt. Fallitur, qui putat eorum ambitionem facturam modum. Graſſabitur hoc malum, quouſque pervadat eorum dominia, qui nunc ſunt non parva cauſa hujus diſſidii. Nemo arbitretur ab eo occupatam Hungariam, ut conquieſcat, ejusque finibus contenta aut expleta ſit infinita & inſatiabilis Barbari cupiditas. Non eſt exiſtimandum aliter, quam eos multo acrius gloriæ & famæ ſtimulis agitari, quam Chriſtianos. Ubicunque trophæa fixerunt, ibi non modo finis cupiditati, ſed initium aliud ex alio novæ cupiditatis novo ſucceſſori locatur. Certe ob privatas ſimultates non deberet Chriſtiana reſpublica negligi; cum videamus omnibus ſeculis apud Ethnicos privatas offenſiones crebro ſalutis reipublicæ cauſa ſapienter condonatas. Quanto æquius eſt nos facere; quibus ne privatis quidem mutuo inter ſe flagrare odio, noſtra perſvaſione conceſſum eſt? Turcus non propulſat, ſed infert bella Chriſtianis: Principes autem Chriſtiani potius in mutua viſcera haſtas vibrant, quam in illum hoſtem capitaliſſimum eas contorqueant. Cum vero id agunt ut videantur velle reſiſtere, nunquam talem ordinem & delectum faciunt, ut juſtis viribus eum propulſare queant. Plus hoc modo hoſtem irritant, quam arceant, aut populos fidemque Chriſtianam defendant. Vereor ne quis me concionatoris munus obire loquatur, ſi dixero: Principes a Deo in terris conſtitutos, ut juſtitiam ex æquo adminiſtrent omnibus, ſubditos defendant, fidem propugnent. Adhæc infimum quemque de plebe coram DEO & hominibus reum agi, ſi non ſatisfaciat debito ſuo officio ac vocationi ſuæ: Quanto magis ipſos Principes, quorum fidei & tutelæ commiſſi ſunt, id facere par eſt? Sed hæc & id genus complura non dubito ab aliis dicta eſſe multo diſertius. Utinam a principibus in actionem deducantur, quæ optima mente, quamvis odioſe, a viris bonis proferuntur! Non eſt ambigendum, ſi quis producto catalogo bonorum & malorum Principum interrogetur: cujus ſe ſimilem eſſe optaret; quin reſpondeat mox niſi amens ſit, ſe malle potius Principis boni nomen & vitam referre, quam mali, ut Neronis utpote tyranni, famamque ſibi peroptare ſupereſſe bonam quam malam. Nihil enim magis tyrannicum, quam negligere ſuam famam, nec curare quid quisque de ſe exiſtimet. Hanc ſi viam affectant; ita ſe gerant in adminiſtranda republica, ut laudabilem & ſempiternam famam bonis operibus poſt ſe relinquant. Habet Cæſar & Rex Galliæ cæterique Principes Chriſtiani latiſſimum campum bene merendi de fide noſtra, ſibique & poſteris ſuis æternum decus & nomen immortale comparandi. Summi Pontificis partes viderentur vel præcipue, poſthabitis privatis

negotiis

negotiis, Imperatorem & Regem Galliæ ad concordiam reducere: & ſi non poſſint firmam ſtabilire pacem, ſaltem in aliquod tempus, ut ſi Rex tam ſanctum inſtitutum adjuvare nolit nec tamen impediat. Eorum enim diſſidio Turcus nanciſcitur opportunitatem Chriſtianos vexandi & affligendi bellis. Quod ad Imperatorem attinet, non eſt obſcurum, & olim cum magnis ſumptibus in exercitus atque apparatum claſſium factis, multis fœderibus initis, diſſimulatis & condonatis injuriis, ſtrenuam operam reipubl. Chriſtianæ navaſſe: (Sic Viennæ, & in Aphrica, aliiſque in locis factum: ſed ſemper neſcio quo fato, impeditum) & nuper Ratisbonæ, quantum fieri potuit, Principes inter ſe conciliaſſe: idque ſedulo eum facere & facturum perpetuo minime dubito. Utinam complures ad hoc ſanctum opus ſua pietate provocet, incendat, atque inflammet! Utinam tandem eatur obviam hoſti; ne ultra graſſetur in Chriſtianos, lanietque ac diſſipet & in nihilum redigat ovile CHRISTI! Forſan DEVS ſervat IMPERATORI hanc laudem, ac omnibus qui ad tantum tam pium opus exſequendum ſuas vires conferent; nimirum ad propulſandum Turcum a cervicibus Chriſtianorum. Si Rex Franciæ negat opem, aut ad hanc rem multo ſanctiſſimam perficiendam ſubſidium, ſaltem non ſit impedimento: & vel hac modeſtia præmium a DEO ab hominibus laudem promerebitur. Perſpecta eſt optima voluntas Regis FERDINANDI, tot jam annos maximos labores ſumptus & pericula pro republ. Chriſtiana ſuſtinentis. Credibile eſt etiam, domeſticas diſcordias Germaniæ non futuras impedimento: Si Cæſarea Majeſtas ſuſpenſis controverſiis ad aliquam legitimam cognitionem, concedat partibus pacem, vel ad tempus aliquod. Nam & proprium periculum quod impendet a Turcis, & alia multa impedimenta retinent eos, ne moveant ulli inteſtina bella. Quod ſi IMPERATOR conſpirantem bonorum Principum voluntatem offendet, & hanc tam neceſſariam tam piam expeditionem parabit, providendum erit, ut id ſit certum ac cum conſtantia quadam ac fide bona agatur: ne poſthac relinquantur in periculo qui eos adjuverint, quique viciniores fuerint. Ut Venetis contigit bis: nec non Vladiſlao Ungariæ & Poloniæ Regi, ad perſuaſionem Pontificis Eugenii ſuſcipientis bellum. Nunquam patuit Chriſtianis facilior aditus ad eum invadendum, quam hoc tempore, quo penetralia Chriſtianarum ditionum eſt ingreſſus. Non erit per aſperos difficileſque montes quærendus: non per longe diſſita periculoſaque maria inſectandus: ſed jam eſt in viſceribus Chriſtianitatis. Nunquam hominum memoria potuit facilius & cum minore periculo quam nunc debellari. Quando autem tam ſanctum opus, juſtum, pium, & neceſſarium eſt aggrediendum? Neque enim ſine extremo malo omitti poteſt. Eſt hic hoſtis invadendus, antequam in Hungaria poſſeſſionem corroboret pedemque figat. Difficile enim poſthac ejici poſſet. Hungaria enim eſt provincia fortiſſima, validiſſimis oppidis & arcibus ac pluribus caſtris mirabiliter munita, Danubii fluvii infinita commoditate proviſa. Et profecto Hungaria propugnaculum Chriſtiani orbis. Inde niſi in tempore occurratur, hujus barbari hoſtis furore amiſſis copiis, reliquæ florentiſſimæ nationes longe lateque direptione & incendiis deformari ac devaſtari poſſunt, multo etiam quam olim ab Attila crudelius & immanius. Videmus enim & olim Romanis Imperatoribus maximæ curæ fuiſſe Pannonias, tanquam medium locum Europæ & cor imperii. Inde patet aditus in Italiam, Germaniam, Poloniam: & ab altera parte in Illyricum & Turciam & totum orientem, nec ad Europam occupandam ulla ſedes oportunior eſt. Magnitudo rei quam cautionem & proviſionem requirat, ipſa me tacente per ſe loquitur. Si in iſta provincia (quod DEVS prohibeat) dominium ſuum firmaverit, difficulter exſtirpabitur. Quod ſi barbarus ad inducias aliquas ſe demittat, non eſt exiſtimandum, eas diuturniores fore, quam quoad ille voluerit. Nec diutius ſane volet, donec in ſolo Hungariæ firmum pedem fixerit. Nemo debet ambigere, niſi prorſus alienus a Chriſtiana fide, quin collocata fiducia in DEVM, Turcam poſſimus propulſare, ac etiam delere. DEVS non ſolet pro fide ſua pugnantes deſerere, ſi id bona fide egerint. Nec timenda eſt eorum multitudo: quæ magna ex parte imbellis eſt & inermis. Qui velint animum ad hoc inſtitutum intendere, poſſunt animadvertere; non multitudine eos vincere, ſed præcipuo adjumento eos uti ad victoriam diſſenſione Chriſtianorum. Multa ſane exempla adduci poſſunt, quod Turcus fere nihil obtinuerit, quin ſemper innixus hac vel illa inter Principes Chriſtianos diſcordia: quibus inter ſe digladiantibus pro hoc aut illo loco (ut nunc in Hungaria factum eſt) cum magna prærogativa ſuæ fortunæ nos adortus eſt.

Hæc ſunt, quæ DVX TARNOVIVS, non minori doctrina quam eximia prudentia inſignis, de Principum diſcordia diſſeruit: ad quæ me aliquid affingere vel adſuere de meo, & ipſius dignitas vetat, & mea me exiſtimatio prohibet, ac ipſe pudor non ſinit. De his, quibus Turci Chriſtianis ſuperiores ſunt, deque officio Imperatoris belli provinciam ſuſcepturi, in hunc modum verba fecit.

Etſi multa ſunt, ad quæ advertere animum ducem hujus expeditionis deceat: quorum ſingula perſequi non eſt neceſſarium: hoc in poſtremis ponendum non eſt, diligenter expendere, quibus Turci Chriſtianis præſtent. Videmus autem illos uti inprimis præcopioſo equitatu, Chriſtianos peditatu. Quod non arbitror magno commodo nobis cedere. Nam certum & exploratum habetur, Turcos a peditibus noſtris, qui paucos aut nullos habent equites, detrimento affici non poſſe. Præterea hoc incommodi accedit; quod equites nequeant Turcos profligare ſeparatim iſtis levioribus præliis. Ita illis relinquitur facultas, quaqua verſus, ſine ullo obſtaculo, libere depopulandi ac devaſtandi. Deinde multum contra nos facit, quod Turcus habet gentem unius ſubjectionis atque obedientiæ: apud noſtros longe eſt diverſum. In Chriſtiano quippe exercitu diverſæ militant nationes, diverſorum inter ſe animorum. Una natio aliam odit. Ut nonnunquam acciderit, tantam in uno exercitu diſcordiam atque diſſidium ortum, ut vix (quod valde deteſtandum eſt) a mutua cæde ſibi temperarint. Quid dicam de ducibus & præfectis ordinum, ex variis natio-

nationibus conflatis? quam crebræ inter illos non modo rixæ & altercationes, ſed noxiæ diſſenſiones? dum unus alteri non concordat, ac non modo non favet, ſed aperte invidet. Hinc efficitur, ut ſi juſtus aliquis exercitus cogatur, diſcordia tamen hujuſmodi facile dilabatur ac diſſipetur. Nunc quanta vis atque facultas Turcorum Cæſari in theſauro poſita eſt? quem in ſua manu ac poteſtate obtinet,eumque erogat pro arbitrio & neceſſitate,uti illi melius & conſultius videtur.Contra vero habent neceſſe Chriſtiani, ſi velint reſiſtere, ex diverſis loculis depromere: atque omnino contribuere neceſſe eſt: quod ipſum tamen perexiguum eſt, neque eo numeroſus exercitus ali aut certe diu ſuſtentari poteſt. Inde inſignis ille error ſequitur; ſæpe conduci militem cum minime res tempuſque poſtulat, maxime autem neceſſario tempore deſiderari. Videmus Turcas in oppugnandis civitatibus & caſtris abundare numero operariorum, ad foſſas ducendas & vineas agendas aliaque onera ſubeunda: Chriſtianis vero magna ex parte deeſſe, aut pauciores omnino eſſe quam neceſſitas depoſcat. Illud haud ſcio an primas teneat in rebus feliciter gerendis: occulta hoſtis habet ſua conſilia, apud Chriſtianos noſtra paſſim vulgari ac diſpergi pingendo & ſcribendo, antequam ad rem veniatur, non levis error eſt. Unde hoſtis non modo edoceri commode noſtra conſilia, ſed jure ſumtibus in exploratores parcere poteſt. Quanquam interim ille abundat peſſimis hominibus, qui ſe a religione noſtra abdicarunt; etiam Judæis, quorum impigra in noſtris rebus ſpeculandis utitur opera, eaque non ignava. Principes vero Chriſtiani vix ullam impenſam in exploratores faciunt; rem adeo neceſſariam, ut talium beneficio res maximas perfici poſſe, nemo paulo peritior neget. In præſenti vero ſumma commoditas iſtarum rerum ad manum eſt; parvo ſumtu, tum nullo pene negotio in vicinis locis, & quaſi domi noſtræ, ne procul ſint, in certa ſpe reditus, ablegandi. Quid jam de victu Turcorum dicemus? Illi non alio cibo neque potu utuntur in caſtris quam domi: atque eam ob rem non incidunt in ægritudines iſtas, quibus Chriſtiani plerumque ſunt obnoxii. In exercitu enim Chriſtiano, quamprimum milites aquam continuo potant, pecudum recens excoriatarum carnes adhuc tepidas aut fructus avidius vorant: quo ſæpe impellit lautitiarum inopia; mox febribus, dyſenteria, atque aliis morbis corripiuntur: Turcis vero hic victus familiaris eſt & quotidianus. Quibus rebus omnibus ſuperius a me commemoratis ut obviam eatur & proſpiciatur, hæc quæ ſequuntur ab Imperatore aut ejus vicario vel ſubſtituto aut primario belli duce curari & provideri convenit. Principio ut belli nervus talis congregetur, qui ſtipendio militibus dando (de quorum numero mox agemus) ad biennium ſufficiat: deductis interim ſingulis annis trimeſtri ſtipendio: ut paulo infra oſtendemus: ne defectus ſtipendii, hac ratione parandi nervi, poſthabita, memorabiles occaſiones remoretur impediat aut perimat. Nam cum his rebus in tempore minus proſpectum eſt, emendicanda laborioſe venit pecunia, & a multis ægre præſtatur ac vix unquam opportune apportatur. Et hoc pacto exercitus aut ſerius conflatur, aut citius dimittitur quam expediat: ac tum opera (quo ajunt,) & impenſa perdita eſt, hoſti animus creſcit. Summopere præſtandum eſt duci belli, ut perſuadeat ac annitatur, ut quæcunque in exercitu fuerint nationes, earundem ſint voluntatum & ſimilium ſtudiorum: procul exterminatis odiis, tumultu, factionibus, veriſſimis peſtibus clariſſimorum exercituum, atque adeo rerum in omni adminiſtratione maximarum. Præterea cavendum, ne indies in ſocios prædas atque rapinas exerceant: quod peſſimo exemplo nonnunquam contigit. Qua inſolentia non modo hominum odia in ſe concitant: ſed & DEI OPT. MAX. majeſtas graviſſime offenditur. Meminiſſe conſentaneum eſt eos qui bello interfuturi ſunt, ſe non ad diverſa opera, ſed omnes in unum maxime idque maxime pium & Chriſtianum opus conveniſſe: nimirum ut ſempiternum hoſtem omnium nationum & Chriſtiani maxime nominis propulſent, fidemque ſanctam defendant. Ita danda eſt opera, ne una natio alteri ſit infeſta atque infenſa: & quamdiu ſtipendia ſimul faciunt ſe mutuo fraterna benevolentia atque amore complectantur: nec aliud quærant ex hoc, quam gloriam Dei & honorem, & gloriam quæ ultro & ſponte præclara geſta comitatur. Ducum belli, tribunorum militarium, & centurionum munus eſt: ne alius in alium hoſtili aut inimico ſit animo. Quod quiſque intelligit ac providet, libere in medium proferat atque conſulat: benigne quiſque alium audiat: nemo alterius dicta aut facta impediat, quæ ad utilitatem aliquam rei bene gerendæ faciunt. Quilibet enim perſuaſum habeat; ubi res proſpere geſta fuerit, omnes participes & ſocios ex æquo præclari facti & partæ gloriæ futuros. Quo autem a me adducta concordia & conſenſio animorum, inter tot diſperſas nationes, lingua & moribus diſcrepantes, coeat: neceſſe eſt, ut aut IMPERATOR CAROLVS, aut Rex aliquis, vel loco ſui vicarius, ſummam belli adminiſtret (nec aliter res ſuccedent) quem externæ nationes ament, revereantur, obſervent, atque exactiſſima obedientia colant. Ipſe etiam præſtandum curet, ſeveritate ſciplinæ militaris, & delictorum pœnis ſine exceptione aut reſpectu infligendis. Hæc una vel adeo ſola mihi videtur ratio, tollendi hujuſmodi diſſenſiones: ſi omnes ſubſint uni capiti, ac unius imperio obtemperent. Nec par eſt, ad tantam belli molem geſtandam aliam rationem iri. Nam ſi quis inferiore conditione homo imperio præficeretur, non aut Rex aut Dux ſive Princeps, (cum raræ Regum perſonæ ſint, & jure omnibus tanquam numina venerandæ) non deeſſent, qui verecundia impedirentur, aut honorem aut ſe ſubmittere: quem tantum abeſt ut timerent, aut honorem aut triumphum illi faverent, ut ne obſecundare quidem illi aut morem gerere ulla in re vellent. Quo ſtatu rerum nihil perduci ad laudatum exitum poteſt, nec natio nationi ullo modo ſtudebit aut ex animo cupiet. Multa mihi dicenda eſſent de correctione diſciplinæ militaris: ſed quia ea res a multis eſt animadverſa, brevior ſum. Hoc quidem inprimis gravi pœna ſanciri vellem: ne quis ſacroſanctum Dei nomen flagitioſe proſcinderet, & præter incommodum luxum, tantam quoque colluviem ſcortorum ſecum pertrahendi illaudatum mo-

rem poſthaberent: unde non modo commeatui pernicies, ſed dedecus quoddam ac infamis diſſolutio naſcitur. Commoveat eos indigniſſima vox cujusdam Baſſæ; qui in ſuperioribus præliis, in expugnatis caſtris Germanorum intuitus copiam meretricum, dicebat iratus: ſe adductum non ad oppugnanda caſtra militum ſed luparum. Quisquis itaque Regum hoc onus ac provinciam adminiſtrandæ atque moderandæ hujus gubernationis ſuſcipiet: is, cum ſe mortalem genitum eſſe ſciat, ſi forte in tam memorabili ac Chriſtiana occupatione mortem oppetet, nullum deſiderium de ſe clarius, nullam famam celebriorem, nullam gloriam denique magis perennem relinquere optimo jure poteſt.

Hæc iisdem fere verbis pertractavit vir peritiſſimus; gravitate quidem alia, ſed mihi inimitabili; nunquam tamen ab ejus ſententia diſceſſi. Nullam ego hic laudem eloquentiæ, aut gloriolam induſtriæ aucupor: modo candoris mei & fidei ratio Majeſt. Tuæ conſtare poſſit. Sed nunc illum ipſum, de numero militum ad hoc bellum neceſſario, audiamus, & de ratione ſuperandi hoſtes.

Reliquum eſt, ut dicam (eſt enim hoc ſummopere neceſſarium) quanto numero militum animoſe cum hoſte confligi & conſeri manus poſſint. Interim illud obſervari præcipiendum, ut ſupplementa ſemper in tempore mittantur. Accidit enim, nunc morbis, nunc parvulis præliis, ſæpe etiam fuga, milites abſumi, aut deſiderari. Exercitus erit, Equitum levis armaturæ XXXII. millium; gravis armaturæ VI. millium: Peditum XXXII. millium: Foſſorum duo millia. Adhæc bombardarum, quanta parari poteſt copia. De qua re nihil præſcribo, nam duces rei bellicæ periti facile judicare poſſunt, quali apparatu & quanto numero ad talem exercitum ſit opus. Sed cum ad talem exercitum multa impenſa ſumtuque ſit opus (non quod aut fieri aut perfici nequeat: imo ſpes certa & fiducia mihi eſt in Deo, his copiis impigre & gnaviter illi reſiſti poſſe: ad vires Imperatoris & Germaniæ accedent Bohemi Moravi Sleſitæ ac pars Hungariæ: quorum adjunctione hunc numerum compleri facile poſſe exiſtimo) qui cum poteſtate in expeditione futurus eſt, ſi qua fieri poterit ut ſtipendium minuatur, curet. Haud æquum eſt, quemquam terreri multitudine hoſtium; ſed etiam alia conſideranda ſunt, num hoſtis in omnibus ſuperior ſit? Omnia vero fortunæ poteſtati concedere, eſſet non modo male mulctandæ ſtultitiæ, ſed extremæ cujusdam ac exitioſæ dementiæ. Hoc porro diligenter & accurate conſiderandum, quo hoſtis antecellat, quove rurſus nobis ſit inferior. Quanquam Turci ſint copiis numeroſiores: gratia tamen & ope Dei bellicoſiores ſunt Chriſtiani, & armis melius inſtructi, & equos habent in congreſſu robuſtiores & valentiores, ſuntque equites omnes haſtati. Turci non omnes haſtis utuntur, ſuntque plerique inermes. In Turcorum exercitu multi ſunt ſervi (quos Sclavos vulgo vocamus) multi illiberi homines diverſarum nationum: qui in bello non ſolent eſſe conſtantes. Quod autem in hoſtili exercitu conſtanter manent, id minime mirandum eſt ab iſtis fieri. Vident Chriſtianos negligenti ordine, ac pravo regimine, & corrupta diſciplina res ſuas conſtituere: fortunam Turcarum optatis uti ſucceſſibus. Non dubium eſt: ſi Chriſtianorum fortunam viderent mutari, animum & ipſi mutarent. Quis enim illiber poteſt conſtanter in prælio manere? cum peroptaret potius ſuum Dominum extingui, ut libertatem recuperaret. Ad inſtitutum noſtrum non parum facit; quod cum parvus ſit exercitus noſter, commeatus erit facilior procuratio. Ad hæc in certam ſpem venio, Chriſtianos in congreſſu fortiores fore. Si in anguſto loco erit congrediendum, adjuvabit loci commoditas. Si in plano & ſpatioſo; profuerit majorem in modum carris in orbem connexis pro vallo uti, illis, quando res poſtulat, progredi, & caſtra metari. Poſtremo hoc nobis non parvos animos addit fiduciamque confirmat: Turcorum Cæſarem non poſſe habere ſupra ſexaginta millia delectæ gentis: idque ita eſſe experientia ſumus edocti. Sed jam præter ipſas vires & robur, quæ res externæ ſunt, nonne fide in DEVM nos erigi decet, qui juſtos & ſperantes in ſe nunquam non juvare ſolet? Stat pro nobis juſtitia. Illi enim inferunt bellum: Chriſtiani propulſant. Si viri ſumus, confortatos nos eſſe decet. Ipſi enim agunt pro dominatu, pro ambitione, pro opinione illa inſculpta illorum mentibus, ſectam armis propagandam. Nos religioſius multo, pro vera fide, pro ipſa vita & ſanguine, pro liberis uxore parentibus atque omnibus denique fortunis noſtris: ne vel hoſtili gladio ut oves ſine protectione pereamus: vel in fœdam & crudelem ſervitutem rapiamur. His ſupra commemoratis adjungenda & illa ratio eſt: omnes qui in bello cum imperio aliquo futuri ſunt, ipſe autem ſupremus imperator inprimis, genus belli dignoſcere debent: ut cum quo hoſte pugnandum ſit, & quomodo ſe in conflictu gerant, ſuos ſciant edocere, & quo pacto ſe habere debeant. Turci enim pugnant fugiendo: & quamvis videantur fugere in primo congreſſu, (ſimulant enim & pulchre mentiuntur fugam) duces deberent cavere, ne temere eos inſequantur; ſed provide & cum ordine: ne noſtros palantes & diſperſos nacti circumdatos opprimant. In hoc quoque non minimum momenti erit, immutanda eſſe multa in exercitu Chriſtiano; utpote ordinationem & diſpoſitionem acierum. Nam Chriſtiani non alio ordine incedunt contra Turcum, quam inter ſe congredi conſueverunt. Quare ſumma cura providendum erit, ut perpendatur modus Turcorum in congreſſu: ad quem accommodanda erit ratio inſtruendi Chriſtianorum aciem. Quæ ſane conſideratio mihi non videtur in poſtremis collocanda. Totus autem fortunæ eventus pendet ab una victoria. Nam Turcus non externis ſed ſuis copiis utitur, & quocunque ille proficiſcatur eo robur ſuum omne educit: quo ſemel profligato & proſtrato nunquam amplius cervices eriget. Et ſane vanus eſt ille terror; exiſtimare, eum perpetuam habere fortunam, cum homo ſit non Deus, poteritque profligari deleri vinci & quidvis aliud. Quod ſi etiam juſta acie profligatus aut ſuperatus non fuerit: ſatis tamen victoriæ & non parum gloriæ partum erit, ſi Hungaria ab illius tyrannide vindicata fuerit,

fuerit, & Chriſtianorum virtute compellatur ad remotiores ſedes retrocedere, atque intra ſui regni fines ſe continere. Non eſt in ejus manu, ut annis continuis bella gerat: neceſſe eſt, eum gentibus a ſe longiſſime diſſitis dare otium, quietem, tempus. Ad hyemem poſſunt de ſtipendio majoris exercitus partis deduci tres menſes; & ſervari duntaxat aliquot millia equitum leviter armatorum: ne Turci vaſtent illa loca, per quæ Chriſtianorum exercitui faciendum eſt iter: quos equites qui ſervabuntur levibus prælìis arcere poterunt.

Hæc TARNOVIVS *magna ex parte his verbis commemoravit; ſuam curam & ſolicitudinem, quam animo circumfert de republ. Chriſtiana, ſæpe magno cum gemitu ſignificans: repetens omnes veteres & noſtri temporis expeditiones, ſuſceptas adverſus tyrannidem Turcicam, præcipue ab Hungaris & Polonis; quorum voluntatem & virtutem prædicabat. Horum armis diu reliquam Europam defenſam eſſe dicebat: nunc vero cæteras nationes intellecturas, quanto ſint in periculo, quaſi nudatas vallo & muro, amiſſa Hungaria. Sed hac ſe conſolatione ſuſtentari oſtendebat, quod certum eſſet,* DEVM *non conceſſurum eſſe, ut penitus deleatur Chriſti nomen: deinde, quod, cum Imperatoris* CAROLI *excellens ſit virtus auctoritas pietas felicitas, ſpes eſſet* DEVM *ejus conſiliis adfuturum eſſe. Magnum etiam in Regis* FERDINANDI *diligentia & virtute, & in Divorum fratrum concordia & mutua pietate præſidium eſſe dicebat. Videtur & hoc ſingulari* DEI *clementia in hoc extremo periculo orbis terrarum proviſum eſſe; ut Imperii faſtigium teneret* CAROLVS IMPERATOR, *non ſolum potentia ſed etiam autoritate & charitate multarum gentium antecellens prioribus Imperatoribus. Multum enim momenti allatum eſt ad rem tantam conjunctio Italiæ, Hiſpaniæ, Germaniæ. Denique ſæpe teſtabatur* TARNOVIVS: *ſe nihil magis optare, quam ut reipubl. Chriſtianæ opera ſua, conſilio, ſtudio, & amore, ac omnino qualicunque ratione prodeſſe poſſet.*

Habes invictiſſime IMPERATOR, *Domine Clementiſſime,* TARNOVII *Ducis fortiſſimi ſententiam de bello gerendo: quam duxi ſignificandam eſſe Majeſt. Tuæ: ac oro, ut ſtudium meum pro tua heroica clementia boni conſulas. Non ambitione, non curioſitate, ad hæc ſignificanda incitatus ſum; ſed quadam pia conſolatione, in hac tanta trepidatione publica, ac obſervantia debita Majeſt. Tuæ. Quam, precor, ut* DEVS *Pater cæleſtis, verus exercituum dux & dominus, ad propugnandam Filii ſui gloriam, ad tuendam & propagandam Chriſtianam ſalutem, cum ſempiterna nominis ſui gloria, quam diutiſſime, pro ejus merito, ſervet incolumem. Datum Cracoviæ XIV. Calend. Octobr. M. D. XLII.*

LAZARI SVENDII L. Baronis Conſiliarii & Archiſtrategi Cæſarii quomodo Turcis ſit reſiſtendum Conſilium.

CVm Imperium Turcicum ſit haud dubie percuſſio & flagellum Dei ad vindicanda peccata Chriſtianorum, ideoque inauditos habuerit hactenus ſucceſſus & incrementa, cum admiranda ſerie & ſucceſſione domus Othomannicæ: cumque nullus hactenus populus, nulli Imperatores, Reges, & Principes, illius potentiæ reſiſtere potuerint, & vel tempeſtive pacis vel fœderis conditiones cum aliqua ſubjectione & tributi exſolutione acceptare, vel durum jugum ſervitutis & tyrannidis cum publici ſtatus exitio ferre coacti ſint: & nos in Imperio Germanico in eodem periculo ac præcipitio indies magis ac magis verſemur: hoſtis autem potentia, & regni ſui firmitas, & diſtractio noſtra talis ſit, ut neutiquam ad illum debellandum pares & ſatis inſtructi eſſe queamus: imo cum nobis difficillimum ſit, nos & noſtra ab imminente illius tyrannide & certo quaſi exitio ſuſtinere & defendere: maxime cum onus belli nobis ſolis quaſi intolerabile ſit, & a reliquis Chriſtianis in iſta perverſitate temporum nulla nobis aut perexigua auxilia ſperanda ſint: facile hinc apparet, qualia de noſtra conſervatione & ſalute nobis conſilia inſtituenda, & quorſum noſtri conatus bellici dirigendi & expediendi ſint: ut poſſibilem & ſalutarem finem & effectum, Deo dante, conſequamur. Itaque de bello Turcis ultro inferendo, cum viribus, cum nervis belli, cum auxiliis, cum occaſione, cum ducibus, cum ordine & diſciplina militari, cum denique belli continuatione longe impares ſimus: cumque non tantum cum hoſtium potentia, ſed cum ira & vindicta numinis res nobis gerenda ſit: item cum tam calamitoſa tot ſeculorum exempla, tot Imperatorum, Regum, Principum, populorum, civitatum, qui bello devicti, etiamſi viribus & multis aliis commoditatibus eſſent inſtructiſſimi, præ oculis habeamus: non puto in hac temporum neceſſitate ullam conſultationem fruſtra ſuſcipiendam eſſe. Nam ſicut res omnes creatæ & naturales certo ordine & providentia divina reguntur, & ſuis viciſſitudinibus ſunt obnoxiæ: ita non eſt dubium res hominum & imperiorum maxime gubernationes divino conſilio & per ſuas viciſſitudines corrumpi, debilitari, labaſcere, mutari, interire. Hactenus res Turcicæ ſpacio aliquot ſeculorum proximorum in perpetuo & fatali quodam ſucceſſu & incremento fuerunt: itaque fruſtra conati ſunt vicini Imperatores, Reges & Principes eas viribus & conatibus ſuis opprimere, vel curſum felicitatis ſuæ impedire. Jam noſtro tempore cum plus, quam alias unquam, illorum potentia ordo & virtus militiæ & gubernationis vigeat; cum nihil appareat quod nutet aut labaſcat, cum totum fere Orientem & Europæ majorem partem duro ſervitutis jugo oppreſſerint, vel ſibi confœderatam & tributariam habeant, cum reliqui Chriſtiani inter ſe minus quam antea unquam ſtabili unanimitate & concordia ſint colligati: quæ inſania eſſet, Germanos ſolos tali rerum ſtatu bellum Turcis velle ultro inferre? Certe ratio & noſtra neceſſitas potius ſuadet & poſtulat, ut omnibus modis pacem amplectamur: canem dormientem in certum noſtrum exitium minime excitemus. Immo ut omnes potius cauſas & occaſiones evitemus, quibus tantus hoſtis ad bellum excitari vel irritari poſſit. Et quanquam fateri oporteat, pacis & fœderum nullam certam apud tyrannum & religionis noſtræ hoſtem eſſe aſſecurationem: interim tamen videmus multa regna & populos Chriſtianos longa cum illis pace, ratio-

ratione fœderum vel tributi & ſubjectionis alicujus, frui: ut Polonos, Perſas, Moldavos, VValachos, Armenios, Georgianos, Marguillos. Deinde ſi paci cum Turcis conſtanter inſiſtimus: nihil inde noſtris viribus, nihil defenſioni & conſervationi noſtræ decedit: modo homines eſſe & viri, & rerum noſtrarum ſatagere velimus. Imo quo magis pax eſt dubia, & belli periculum ac diſcrimen nobis certo impendens: eo magis eam pacem appetere & amplecti debemus: ut interim, dum illa frui licet, cum rebus noſtris tam male ſit proviſum, noſtram defenſionem melius inſtituamus, & provideamus, ut, vis belli Turcici ſi ingruat, nos non ſimul opprimere, ſed quaſi clauſtris & repagulis per meliorem confiniorum fortificationem & defenſionis noſtræ præparationem impediri atque infringi queat.

Experientia hactenus nos docuit, apertis præliorum conflictibus Turcas vinci & debilitari non potuiſſe: & ſi aliquando cladem a Chriſtianis acceperint, eos irritatos ad vindictam paulo poſt bellum majoribus viribus reſtauraſſe: imo pleraque regna & populos propterea, quod ſalutem ſuam præliorum diſcrimini temere expoſuerunt, miſere interiiſſe & ſub jugum Turcicum veniſſe. Facile quoque eſt conſiderare & cernere, quod ex noſtra parte ſola natio Germanica non poſſit eſſe inſtructa & ſufficiens ad eum potentem & ſolertem hoſtem publico prælio debellandum: aut, ſi hoc fieri poſſet, ſicuti victoria apud ſolum Deum ſtat, tamen non niſi ſumma neceſſitate vel ex nobis divinitus oblata meliori aliqua occaſione id tendandum eſſe. Nam etſi robore equitatus & armorum genere multum valeamus: tamen numero, diſciplina, agilitate, patientia, ordine aciei, & ſolertia confligendi longe inferiores & impares ſumus Turcis. Et ſi contingeret, noſtrum equitatum in prælio Turcarum equitatum primo impetu profligare (ſicuti non puto eſſe, divina voluntate non repugnante, dubium) tamen adhuc longe a victoria abſumus: cum illorum equitatus ſit quadruplo aut quintuplo numeroſior, quam noſter eſſe poſſit: & cum per turmas ſibi invicem ſuccedentes, non una fronte & acie pugnare ſoleant: & illorum acies, etiamſi ſemel profligetur, non propterea in plenam fugam effundatur: ſed ordines ſtatim reparet, & iterum in prælium redeat, vel ad munitiones pedeſtris aciei, tanquam ad munitam civitatem ſeſe recipiat, ut ibi conjunctis viribus, ſi hoſtis eo uſque victoriam proſequatur, iterum ac longe validius pugnet. Eſt autem pedeſtris acies ita apud Turcas inſtructa: & tormentis, curribus, camelis, & ſi opus ſit, vallo & foſſa munita: & Ianizerorum virtute & præſtantiſſimorum equitum robore ſubnixa, ut impoſſibile quaſi ſit equitibus illam interrumpere ac profligare. Sicuti etiam hactenus in multis præliorum conflictibus invicta ſemper permanſit. Et exempla teſtantur, tam apud Chriſtianos quam Perſas & alios populos: etiamſi primo victores extiterint, tamen ad ultimum, cum denuo ad munitiones & vallum pedeſtris aciei eſſet pugnandum, iterum fuiſſe profligatos. Ita olim Rex Vladislaus & Hunniades: ita Sigiſmundus Imperator: ita Sophus Rex Perſarum: ita Sulthani Ægyptiaci: ita Rex Ludovicus Hungariæ fuerunt devicti. Noſtra autem moderna ratio confligendi eo eſt deterior: quod levioribus equitibus, quibus antiqui abundabant, fere omnino deſtituamur, & quod Germani equites in proſequendo hoſte prorſus ſint impares atque inutiles. Deinde quod reſtauratio prælii, & reparatio ordinum, ſi ſemel in conflictu vel inſecutione diſſolvatur, apud noſtros ſit etiam valde difficilis: maxime cum contra tam verſatilem hoſtem vel nulla vel parva experientia bellandi & confligendi ex noſtra parte accedat. Tandem eſt hoc perículoſiſſimum: quod in noſtra bellandi ratione nunquam pedeſtres copiæ in eam diſciplinam & ordinem fuerint redactæ: ut ſimul cum equitatus robore progredi ac pugnare, & cedentibus hoſtium turmis uſque ad pedeſtris aciei munitiones penetrare poſſint: quod omnino neceſſe eſt fieri, ſi de Turcis victoriam conſequi voluerimus. Accedit & aliud, quod noſtram bellandi conditionem etiam nobis periculoſam & difficilem reddit. Turcæ mirabili celeritate & levitate belligerant, progrediuntur, retro cedunt: quomodo & quando volunt, locant facile & mutant caſtra: excurrunt dies & noctes, commeatu fere nunquam deſtituuntur. Noſter exercitus contra difficulter ſe movere, progredi, caſtra locare & mutare, & hoſte propinquo ad frumentationem excurrere poteſt: & ſi commeatu, aquatione, frumentatione intercluduntur, ſi per plures dies equis inſidere, æſtum & ſitim famem & laborem ferre oportet, illico viri & equi langueſcunt: quod hoſtibus noſtris de nobis optime notum eſt. Itaque hoc ſolum urgent; ut in planiciem nos provocent: prælium, ad quod ipſos invitos vix cogere poſſumus, quotidie oſtentent: & continuis aſſultibus & velitationibus nos infeſtent: & delaſſatos, & a commeatu ac frumentatione excluſos & debilitatos tandem eo melius vincere poſſint.

Inde factum eſt etiam, quod proximis annis, poſt devictum prælio Regem Ludovicum, quotieſcunque Turcarum Imperator perſonaliter eſt egreſſus, noſter exercitus nunquam auſus fuit illi obviam progredi, & aperto campo occaſionem pugnandi quærere: ſed ſemper ſe munito loco, & commeatu accommodo continere: atque inde hoſtis ulteriorem & liberiorem progreſſum impedire & detinere coactus fuerit: ratione ſcilicet & experientia extorquente, ac nobis imprimente: quod ſalus & conſervatio noſtra pro ſtatu rerum noſtrarum potius ex bello defenſivo, quam offenſivo dependeret. Vidimus quoque noſtris oculis, poſtquam Germani defenſionem Vngariæ reliquæ ſuſceperunt, & ratione defenſiva maxime bellarunt: Turcas, etiamſi ſæpius potentisſimo exercitu egreſſi ſunt, tamen per tot jam annos Vngariam plane devincere non potuiſſe: ſed coactos fuiſſe fruſtulatim jam hæc, jam illa confiniorum loca, non ſine magna temporis & exercitus jactura expugnare & ad ſua reverti.

Ex cauſis ſupra dictis & multis aliis rationibus, quæ brevitatis cauſa omittuntur, plus ſatis apparet: de bello offenſivo & ſpontaneo contra Turcas, rebus ſic ſtantibus, non poſſe ulla conſilia & conatus ſalutariter ac commode inſtitui: ſed potius paci, quoad fieri poteſt, inſiſtendum eſſe; ac pro-

providendum, ut hoſtis per ſubitam pacis fractionem nos minus ſubito opprimere queat. Minus enim tale aliquid audeat, cum nos probe ad noſtram defenſionem inſtructos & paratos videat. Et cum facile quoque ſit animadvertere, exteras nationes hoc jam callide agere, ut bellum Turcicum a ſe avertant & in cervices noſtras convertant: tanto magis certe nobis elaborandum eſt, ut pacem conſervare cum Turcis poſſimus: ut ita vires ſuas in continuationem belli maritimi convertant, & in illo magis ac magis implicentur. Nam ita ex noſtra parte tutiores permanebimus: & interim eo melius, quæ ad defenſionem noſtram pertinent præparare ac inſtituere poterimus.

PACIS autem conſervandæ ratio potiſſima hæc erit. *Primo* tributi ſive honorarii ordinaria & tempeſtiva ſolutio. *Deinde* pacifica confiniorum cuſtodia per bonam diſciplinam & ſufficientia præſidia: ita tamen ut hoſtiles hoſtium excurſiones, hoſtiliter & fortiter etiam repellantur atque reprimantur. *Tum* reliquarum pacis conditionum ſincera obſervatio. *Præterea* omnium rerum evitatio, quæ Turcas irritare poſſent. *Poſtremo* abſtinentia a regno Poloniæ; cum tali tractatione & accordatione, quæ perpetuam amicitiam & confœderationem cum domo Auſtriaca & Rom. Imperio conſervare poſſit, & nihil indignitatis habeat. Hanc haud dubie Battorius offerret ac ſpondebit ultro, cum nihil magis appetere poſſit. quam quietam regni obtentionem: & non ſit tam væcors, quin bene intelligat, ſibi ab auxiliis Turcicis multo magis quam ab hoſtilibus noſtris conatibus extimeſcendum eſſe.

EST autem belli defenſivi ratio duplex contra Turcas. *Primum* neceſſe eſt confiniorum loca ſufficienter munire, & neceſſariis præſidiis cuſtodire, item artilleria ac commeatu providere. *Alterum* eſt, majori vi belli ingruente, majoribus ſubſidiis & auxiliis ſuccurrere confiniis, & juſto bello ſi opus ſit reſiſtere. Quod duplici ratione fiet: videlicet per militiam ordinariam, ſive ordinem defenſivum inter ipſos provinciales inſtitutum & intertenendum; deinde copiis auxiliaribus a Statibus Imperii ſubmiſſis.

Quod ad confinia attinet, primo hoc conſiderandum eſt & maxime ponderandum, ſummopere intereſſe Germaniæ, ut Ungariæ reſtantia confinia pertinaciſſime defendantur, ne hoſtis ad ipſam Germaniam penetrare poſſit: ubi longe difficilior & periculoſior bellandi neceſſitas nobis incumberet, quam præſens in Ungaria eſt. Nam ibi confinia jam ex magna parte ſunt munita: populus ad bellum aſſuefactus: & ad omnes calamitates & neceſſitates quaſi induratus. Taceo mille alia incommoda, damna, clades, calamitates, miſerias; quæ inde conſequuntur & cuilibet ſunt præ oculis. Deinde hoc quoque certum & evidens eſt, Cæſaream Majeſtatem cum ſuis provinciis ad retentionem neceſſariam & ordinariam confiniorum non poſſe ſolam amplius ſufficere: & multa damna & jacturas & amiſſiones in confiniis ex eo ſolo defectu contigiſſe, quod confinia neceſſariis præſidiis & proviſionibus fuerint deſtituta: videlicet milites pauci & illi non ſoluti, & vix ex media parte inſtructi ac præſentes, loca non ſufficienter munita ſive fortificata & a commeatu & artilleriis proviſa: item in periculo & neceſſitate nullus ſuccurſus, nulla auxilia, nulla majora præſidia in promptu. Ergo omnino & inevitabiliter modus & ratio invenienda eſt, confinia ſecurius & melius conſervandi & intertenendi.

PRIMO ut eo magis cuſtodiæ & conſervationi confiniorum invigiletur, & tempeſtive ac bono ordine omnia provideantur & gerantur, & animi ſubditorum eo magis excitentur ad ſolicitudinem & exercitum bellicum: neceſſarium omnino erit, militiam ordinariam, ſive ordinem defenſivum inter provinciales nuper inſtitutum, ſtrictiſſime & ſeveriſſime obſervari. Deinde erit conſultiſſimum, confinia inter ipſas provincias diſtribuere, & cuilibet certa loca aſſignare, quorum curam gerere debeat: videlicet exſolvendo militibus ordinaria & menſtrua ſtipendia: providendo illis de commeatu & aliis rebus neceſſariis: luſtrando milites, ut ſemper juſto numero adſint: promovendo fortificationes neceſſarias, & his a Cæſarea Majeſtate præſcriptos ac definitos ſumtus ſuppeditando: & invigilando, ut omnia debito modo fiant, & expenſis inutilibus parcatur; e contra concedatur cuilibet provinciæ, ut ſumptus ad ſua confinia impendendos, ex præſcripto Cæſareæ Majeſtatis deputatos ex ſuis contributionibus, quæ alioquin in Cameram deportantur, deſumere ac retinere poſſit. SECVNDO cum antiquitus Ordo Teutonicus in hunc finem & uſum ſit conſtitutus, & tantis divitiis dotatus, ut contra infideles perpetuis ſuis præſidiis militet: jam autem longo tempore otioſus domi deſideat, & rei familiari tantum intentus ſit: reformetur ille in iſta neceſſitate & diſcrimine publico, & in Ungariæ confinia transferatur: & illic cuſtodiam certorum aliquorum fortalitiorum in ſe recipere teneatur. Eodem modo ac ordine, quo Melitenſes equites in Italia militant, & Melitam inſulam defendunt. Augeantur illorum reditus: & conſtituantur novæ & plures commendariæ ex monaſteriis & bonis eccleſiaſticis collabentibus, & alioquin in Secularium manus devenientibus. TERTIO cum nec iſtis prædictis mediis, provincialium ſcilicet ordinis militia & Ordinis Teutonici reformatione ac translatione, ſufficienter confinia præſidiis firmari & interteneri poſſint: omnino & inevitabiliter faciendum eſt, ut Status Imperii ſua quoque auxilia ordinaria addant, & provinciales Ordinemque Teutonicum certa ſumma pecuniæ annuatim juvent. Deliberetur ergo de modo perpetuæ contributionis, prout Statibus Imperii commodiſſimum videbitur. Habeat Imperium ſuos ac proprios quæſtores & commiſſarios; qui pecuniam diſtribuant, & enumerent in tales uſus, in quos fuerit deſtinata. Supputentur rationes ſumptuum ſingulorum confiniorum: & ratione ſubducta ſuſtineat Cæſarea Majeſtas cum ſuis provincialibus & ſubditis mediam partem: alteram Status Imperii præſtent. Fiat denique confiniorum certa diſtributio, & deſignatio cum bono modo & ordine. AVSTRIA curam habeat præſidiorum Jaurinenſium, Toccavienſium, Gomorrenſium, Veſprinenſium. Bohemia cum Sileſia & Moravia ſuperioris Ungariæ & montanorum. Archidux

chidux Carolus cum ſuis provinciis curam gerat Croatiæ & Dalmatiæ: & juvetur quoque certa ſumma pecuniæ ab Imperio. Ordo Teutonicus ſuſcipiat in ſe defenſionem Caniſæ & vicinæ regionis.

Præterea ordinetur in quolibet loco numerus ſufficiens. Videlicet ſi præſidium, quod in præſens eſt collatum, ſufficiat, relinquatur ita: ſin minus, augeatur. Imponantur in omnia potiora loca præſidia Germanica: & illis ſit potisſima cura, cuſtodia defenſionis demandata: addantur aliquot pedites Ungari: item equites Ungari: item certus etiam numerus equitum Germanorum in potioribus locis. Item Ungari equites magno numero cum non reperiantur, interteneatur certus numerus Archibuſianorum equeſtrium, ex omnibus nationibus collectus. Deputentur Capitanei in quælibet loca ex illis ipſis provinciis, qui illorum locorum curam gerant; ſi idonei reperiantur. Milites quoque Germanici, pedites & equites ex provincialibus ad præſidia deligantur, vel paulatim ſuppleantur; ita ut in demortuorum vel diſcedentium locum ſemper aliqui ad militiam apti ex qualibet provincia ſuccedant: & eo deputentur ea conditione: ut per biennium vel triennium ibi permanere & militare teneantur: & antea non dimittantur aut mutentur. Ut ita paulatim uſus & exercitium militiæ inter provinciales inducatur. Ita tamen ut milites ex Imperio nobiles & ignobiles, qui in Ungaria militare volent, liberum etiam acceſſum ad ſtipendia habeant. Præſidia Ordinis Teutonici eodem fere modo & ordine inſtituantur: quo equites Johannitæ in inſula Melitenſi utuntur.

COHORTES aliquot militum ſupernumerariæ interteneantur: & collocentur in certis quibusdam & diverſis confiniorum locis: quo ad omnem ſubitam hoſtium incurſionem parata eſſe, & conjungi, & a provincialibus, ſecundum ordinem defenſionum, majoribus ſubſidiis, ſi opus ſit, juvari & augeri celeritate posſint. Aut ſi melius videbitur, ſupernumerarii milites iſti, ſecundum allegatum defenſionis ordinem, ex numero peditum triceſimorum electorum capiantur: & ex iis equitibus, quos Nobilitas pro quantitate facultatum & cenſus centum librarum alere, & ad prima quæque pericula & neceſſitates paratos & inſtructos habere tenetur: ita ut per vices ſufficiente numero ad confinia eligantur & mittantur, & per trimeſtre ibi permanere cogantur: donec ſcilicet alii ſucceſſerint: ut ita omnes provinciales ſucceſſive militiam diſcant & experiantur.

PLANE natura & ratio, temporumque neceſſitas, & omnium ſeculorum & populorum exempla nos docent; pro patria, pro liberis, pro aris & focis pugnandum & viriliter pugnandum eſſe. Armentur igitur, luſtrentur, exerceantur omnes Cæſareæ Majeſtatis ſubditi ad militiam apti, in omnibus ſuis hæreditariis provinciis. Nobilitas inprimis teneatur, pro cujuslibet facultatibus & viribus, militiæ equeſtri eſſe addicta & inſtructa. Cæſarea & Regia Majeſtas, & filii Principes in ſuis aulis, & inter ſuos nobiles & aulicos primarium exemplum præbeant. Sint in honore & æſtimatione militares viri: & promoveantur ad dignitates & officia. Statuantur ſeveræ leges militares & ſumptuariæ. Strictisſime & ſeverisſime obſervetur ordinatio & prompta evocatio ad confinia triceſimorum peditum & equitum, ſecundum cenſum centeſimum. In majori neceſſitate inſurrectio nobilitatis, & decimi vel quinti cujusque ex ſubditis ſequatur: prout in ordine militiæ defenſivo latius iſta explicantur.

JAM cum magis ac magis conſtet, quæ vis, quæ induſtria Turcarum ſit in expugnandis locis munitis: & cum præcipua ratio ſalutis & conſervationis noſtræ, ut ſupra dictum eſt, ex defenſione confiniorum dependeat: omnino Cæſareæ Majeſtati & Statibus Imperii faciendum eſt, ut munitiones magis neceſſariæ accelerentur & perficiantur, ac rebus neceſſariis provideantur. Videlicet Caniſæ fortificatio: cum ibi hoſtis liberum habeat ingreſſum ad Auſtriam & Stiriam, & non ſit aliud obſtaculum. Gomorri quoque fortificatio emendanda & extendenda eſt: prout multoties fuit conſultatum: cum caſtrum modernum vim hoſtilem minime ſuſtinere diu queat. Vienna perficienda item: cum non parum ſit periculi, ne illius obſidionem hoſtis tentare velit, ſi perſonaliter egrediatur. Omnino autem ſunt in tempore ſuburbia demolienda, aut, quantum fieri poteſt, transferenda, ut ibi nova civitas conſtituatur, & etiam fortificetur. Nam hoc modo Vienna fuerit difficilis occupationis: & ſemper poterunt ſubſidia immitti. Sileſia & Moravia & provinciæ Boemiæ rectisſime facerent, ſi fortificationem Turnaviæ in ſe vellent recipere: cum illic ſummopere etiam ingreſſus hoſtis ſit timendus, & non ſit aliud propugnaculum. Ad pleniorem fortificationem Jaurini propugnacula aliqua ex altera parte Danubii addenda. Agria omnino perficienda & acceleranda. Caſſoviæ quoque fortificatio non negligenda, cum ſit principalis urbs totius Sepuſii, & ſuſtentaculum reliquorum locorum & fortalitiorum: item receptaculum commeatus, artilleriæ, militum ſupernumerariorum. Ad labores fortificationum colonorum opera per vices continue adhibenda: & nullo modo illis parcendum eſt.

SVMPTVS in fortificationes faciendi, ſimiliter ut aliæ impenſæ bellicæ, ex media parte a Cæſarea Majeſtate & ſuis ſubditis ac provinciis, & altera media parte a Statibus Imperii præſtentur. Fiat reviſio & æſtimatio ſtructurarum, & operum neceſſariorum in ſingulis confiniis: &, quoad fieri poteſt, certa ſumptuum computatio: & conveniatur inter Cæſaream Majeſtatem & Status Imperii vel commiſſarios ejus: quantum quolibet anno impendendum ſit, & quæ loca maxime acceleranda.

COMMEATVS vero providendi & ſufficienter & utiliter ſubminiſtrandi in ſingulis confiniis non eſt melior ratio: quam ut potioribus locis ſui coloni, qui agriculturam exercent, deſignentur: ut proxima dominia, quantum emptionibus & juſtis rationibus fieri poteſt, applicentur: ut ita ſuos certos reditus & proventus & ſervitia habeant. Deinde ut decimæ omnes ad propinqua loca advehantur: & militibus ad rationem ſtipendiorum diſtribuantur: ſicuti jam in Ungaria in aliquibus

 præſi-

præſidiis fieri ſolet. Deſtinentur etiam certa & commoda loca: in quæ copia commeatus reponatur ad alendum exercitum: ſi neceſſe ſit bellum gerere & exercitum educere. Sumptus in commeatus proviſionem faciendos ſuſtineat Cæſarea Majeſtas cum ſuis provinciis: & commodo etiam fruatur, quod ex tempeſtiva proviſione & diſtributione vectigalium inter milites, ſive venditione, ſequi & acquiri poteſt.

Tormenta, arma, pulverem & reliqua ad defenſionem locorum pertinentia, & in armamenta neceſſaria Cæſarea Majeſtas ipſa de ſuo ad ſingula præſidia provideat: & juvetur certa ſumma pecuniæ ab imperii ſtatibus.

Sequitur nunc altera pars belli defenſivi, nimirum de confiniis in periculo ſuccurrendis, & aperto bello reſiſtendo.

Tripliciter confinia periclitari poterunt: etiamſi præſidia ſufficienter eo modo, quo dictum eſt, ſint conſtituta. *Primo*, ſi Turcæ in confiniis ſe conjungant, & noſtra confinia ex improviſo invadant; ſicut anno ſuperiore factum eſt. *Secundo*, ſi novæ copiæ & auxilia illis ex Turcia mittantur, veluti ſi Baſſa aliquis vel Beglerbegus Græciæ exeat. *Tertio*, ſi Turcarum Imperator perſonaliter exierit. Itaque ex noſtra parte triplici etiam modo reſiſtendum, & confiniis ſuccurrendum eſt. *Primo*, ut ſecundum ſupra allegatum militiæ defenſivæ ordinem in proximis confiniorum regionibus, utpote Auſtria, Stiria, Sileſia, Bohemia, & provinciis Archiducis Caroli, itemque Ungaria ipſa delectæ ſint & in promptu habeantur copiæ equeſtres & pedeſtres: ut ſubito ad confinia evocari & accelerari poſſint: & ſufficientes ſint ad Turcarum præſidiarios ſuſtinendos ac repellendos, & ad viciſſim aliquid conandum & tentandum, ſi occaſio ſe obtulerit. *Secundo*, ſi novæ copiæ ex Turcia exeant, ut tempeſtive confinia, ubi majus periculum imminere videtur, ſufficientibus præſidiis & aliis rebus neceſſariis firmentur. Deinde ut prædicti populi & regiones vicinæ ex præſcripto & ordine inſtitutæ militiæ iterum majori equitatus & peditatus numero, pro hoſtilis periculi qualitate, inſurgant, & ad confinia properent. Item ut in tali caſu certa ſubſidia ab imperio in promptu ſint: videlicet ut publicis ſumptibus aliquot millia equitum & peditum conducantur, & in auxilium Cæſ. Maj. mittantur. In quem finem reponatur certa ſumma pecuniæ certis locis in imperio. Conducantur etiam, & certis annuis ſtipendiis intertenenantur certi capitanei & præfecti, tam equitum, quam peditum, virtute militari & amore patriæ præſtantes: qui in neceſſitate milites prompte colligere, & ad confinia ducere poſſint. Totius exercitus officia & præfecturæ diſtribuantur æqua ratione & proportione inter viros idoneos ex imperio & provinciis ac ſubditis Cæſar. Majeſtatis. Præſit bello gerendo ſua Majeſtas conſilio, mandato, auctoritate: prout neceſſitas & occaſio id poſtulabunt: ſive ſit præveniendus hoſtis: ſive ſuccurrendum loco obſeſſo: ſive denique cum hoſte confligendum. Habeant ſtatus imperii ſuos commiſſarios & conſiliarios deputatos, qui ſuæ Majeſtati aſtent, ſive belli duci aſſiſtant. *Tertio*, ſi Turca perſonaliter exeat: ut tunc non tantum prædictæ vicinæ provinciæ totis viribus pro defenſione patriæ inſurgant: ſed ut totum imperium omnes ſuas vires eo conferat: & a reliquis Chriſtianis, quæ poſſit, etiam impetret auxilia: & ut tunc maxime bellum bono modo & ordine geratur, & hoſtis a confinibus repellatur vel ſuſtineatur: ut tandem re infecta, cum diu manere non poſſit, reverti cogatur: & aliquid præclari, Deo juvante & occaſionem demonſtrante, peragatur.

Modus autem & ordo tanti belli ſuſtinendi ac repellendi is eſſe poterit. Primo, cum apparatus & exitus Turcarum Imperatoris adeo clam & ſubito fieri nequeat, quin aliquot menſibus antea certo ſciri per exploratores poſſit: omnino curandum eſt, ut in exploratoribus non ſit defectus. Deinde deliberandum & conandum; ut vel hyeme præcedente, quod longe eſſet conſultiſſimum, vel primo ſaltem vere, pars exercitus noſtri ex confiniis & provinciis hæreditariis: item ex imperio ſufficientibus copiis educatur: & hoſtis, qui ante mediam æſtatem adventare non poteſt, bello præveniatur. Videlicet, tentetur oppugnatio unius vel alterius loci ſeu fortalitii Turcici: quod erit eo facilius; cum munitiones eorum magni momenti non ſint, & violentiæ artilleriæ, ſi recte inſtructa & adhibita fuerit, reſiſtere diu non queant. Expugnentur & demoliantur omnia ipſorum minora caſtella & fortalitia per Ungariam, ubicunque ea noſter exercitus attingere poterit. Exuratur & devaſtetur tota provincia Ungariæ citra & ultra Budam: ut hoſtes advenientes eo magis commeatu & aliis commoditatibus deſtituantur. Muniantur & firmentur ea loca maximis præſidiis: quæ illi adventanti primo erunt obviam: & quorum oppugnationem maxime tentare velle & poſſe videbitur. Ponantur noſtra caſtra in loco aliquo vicino & ſecuro: item opportuno ad ſuccurendum, ſi occaſio fuerit, loco obſeſſo: & ad impediendum hoſtem: ne pro libitu ulterius progredi poſſit: & unde, cum hoſtis acceſſerit, libere cum illo confligere; vel tuto ibi nos ſuſtinere vel recedere poſſimus. Obſervetur ubique certus modus caſtra metandi & muniendi; ut commeatu & pabulatione non deſtituamur: & ut a celeritate & aſſultibus hoſtium opprimi ex inopinato non poſſimus. Inſtituatur ab initio ſevera diſciplina militaris, & ordo militiæ. Prohibeantur ſerio nimiæ illæ & perpetuæ commeſſationes, epulæ & crapulæ: quibus morbi in caſtris cauſantur, & nulla copia ſufficere poteſt. Velitationes, excurſiones, frumentationes bono ordine & ſecure permittantur: ita ut noſtri milites non temere hoſtibus objiciantur, & non neceſſariis periculis exponantur. Inſtituatur certus modus & ordo confligendi cum hoſte; ſi neceſſitas vel occaſio ita tulerit, & edoceantur milites illum obſervare. Videlicet *primo*, ut integris ordinibus pugnetur cum hoſte: & turmæ equitum & peditum nunquam, etiam fugiente hoſte, diſſolvantur. *Deinde*, ut primum agmen tantum inſequatur hoſtem, nec aliter quam turmatim. *Tertio*, ut in media acie pedites & equites ſemper progrediantur, & maneant conjunctim. *Quarto*, ut peditatus ſit circumvallatus levioribus tormentis concatenatis: item curribus, ſclope-

ſclopetis & bombardariis inſtructis, prout ſpecialiter explicabitur. *Quinto*, ſi equitatus Turcicus a primo agmine fuerit repulſus, ut noſtri non nimis procul inſequantur: neque mediam aciem nimis procul deſerant: cum hoſtium maximus ſit numerus, & facile ad pugnam redeant: ſed potius ſe ante mediam aciem recipiant, ut junctim cum illa ad equeſtrem & pedeſtrem hoſtium aciem, & totum illorum robur oppugnandum progrediantur. *Sexto*, ſequatur illico poſterior acies: atque ad latera, &, ubi opus fuerit, prioribus ſuccurrat, & a tergo hoſtes ſuſtineat. *Septimo*, pugnandi occaſio Chriſtianis præbebitur, ſi hoſtis in oppugnatione alicujus loci diu vel fruſtra defatigatus fuerit: ſi tabes vel peſtis vel fames exercitum invaſerit: ſi laſſus & debilitatus retro cedere ac reverti cogatur. *Octavo*, quod ſi contigerit, illum Deo dante etiam non profligatum reverti: conſultiſſimum eſſet, bellum per totam hyemem ſufficientibus & integris copiis continuare, & confiniorum integram expugnationem tentare, & loca recuperata ſumma celeritate munire: ut ita hoſtes quam procul a confiniis arceantur: & majore belli difficultate in poſterum detineantur. Reliqua quæ ſunt, & quæ huc etiam poſſent adduci, tempus & occaſio, neceſſitas, experientia, & ducum militarium virtus edocebunt. Numerus copiarum pedeſtrium & equeſtrium, item diverſitas nationum, & militum exterorum, quorum opera etiam neceſſaria eſt ad tantum bellum, poterit ſingulari ſcripto explicari, & ſtatibus proponi: ſi eo usque in tractatione fuerit proceſſum.

Porro fruſtra fortificantur confinia, & præſidia aliæque res neceſſariæ imponuntur, & damnoſus eſt univerſus belli apparatus: niſi a bonis ducibus cum bono modo & ordine regatur. Eſt autem proprium munus Regum & Principum, bellum recte adminiſtrare & ſubditos defendere. Sit ergo Imperator ipſe ſummus belli dux: ſubſtituat aliquem ex filiis, cui cura & adminiſtratio rerum bellicarum ſit demandata: ad quem omnes reliqui duces & præfecti poſt ſuam Majeſtatem reſpiciant: & ad quem omnia negocia bellica expedienda & tractanda deferantur. Adjungatur illi bellicum conſilium, ut mox dicetur: referat hoc negocia magis importantia & urgentia ad reſolutionem ſuæ Majeſtatis. Sub eo habeat ſuprema Ungaria ſuum ſupremum belli ducem: habeant loca antemontana: habeat Jaurinum & loca vicina: Caniſæ ſit magiſter ordinis, vel ſuum locum tenens: in Carinthia, Stiria, Croatia ſit Archidux Carolus. Quilibet præſit militiæ in ſuis confiniis; & pendeat a mandatis Cæſareæ Majeſtatis & generalis capitanei. Si exeundum ſit ad bellum apertum, vel contra Beglerbegum, vel ipſum Turcarum Imperatorem: exeat ipſe capitaneus generalis: vel ſubcapitaneus & locum tenens: prout tempus, occaſio & neceſſitas id poſtulaverit.

Conſilium bellicum, quod Viennæ reſidet, ea negocia, quæ in confiniis ſe quotidie offerunt, & adeo magni momenti non ſunt, tractare & expedire debet: ne Cæſar. Majeſtas vel capitaneus generalis iis nimium moleſtetur & obruatur: ita tamen ut de ſingulis ad capitaneum generalem referatur: & ipſe in tractatione arduorum negociorum præſens ſit. Summa cura & ſolicitudo conſilio bellico eſſe debet: ut ordo confiniorum interteneatur & obſervetur: ut ſinguli capitanei & præfecti & officiales ſuum officium ex præſcripto ſuarum conductionum & inſtructionum bene adminiſtrent: ut ubique confiniorum neceſſitatibus tempeſtive provideatur & ſuccurratur: ut milites, qui a præfectis ad aulam mittuntur, vel propter privata negotia veniunt, prompte & humaniter tractentur & expediantur: & oretenus potius cum illis agatur, quam per ſcripta: ut exploratoribus hoſtilibus diligenter intendatur: ut contentiones & querelæ militum ex æquo & bono concordentur: ut noſtrorum militum temerariæ & non neceſſariæ excurſiones & periclitationes in tanta Ungarorum paucitate non ferantur; nec per illas hoſtibus cauſa juſtarum querelarum præbeatur: ſed pacta pacis ſtricte obſerventur: ita tamen ut excurſiones Turcarum hoſtiles fortiter inhibeantur atque reprimantur: &, ſi contigerit Turcas a noſtris cladem pati, ut illico ad vicinos Baſſas ſcribatur, & factum noſtrorum excuſetur & juſtificetur, ne falſæ querelæ Conſtantinopolim delatæ Imperatorem Turcarum irritare facile poſſint. Luſtrationes & ſolutiones militum ſingulari fide & ſolicitudine fieri curent: videlicet, ut bonos & fidos viros & induſtrios pro commiſſariis & luſtratoribus deligant, & ſtricto juramento obligent: ut diligenter reviſiones & ſecretæ inquiſitiones fiant ſuper luſtrationes, & commiſſariorum acta & regeſta: ne nervi belli fraudulenter & male conſumantur. Ut experti & fidi architecti & ingeniarii ſint liberalibus ſtipendiis conducti, quorum conſilio & opera fortificationes recte deſignentur, promoveantur, & perficiantur, & nihil fruſtra vel inutiliter impendatur. Ut ſæpius aliqui ex conſiliariis bellicis ſtructuras revideant; ne error vel culpa admittatur: & ut ea quæ neceſſaria ſunt tempeſtive ſubminiſtrentur. Ut ſimul etiam revideant confiniorum ſtatum, & inquirant de ſufficientia & defectu capitaneorum, præfectorum, militum, item commeatus, artilleriæ &c. Utque provideant illico de remedio, vel ſuper illo ad Cæſaream Majeſtatem vel capitaneum generalem ſcribant. Ut modus & ordo ſtatuatur utrique conſilio, tam bellico quam cameræ: ut quodlibet cum altero ſuper negociis & neceſſitatibus quotidie emergentibus, moderate & absque rixa & invidia tractet, ſuum officium faciat, & publicam utilitatem reſpiciat. In conſilium bellicum adhibeantur ſemper, & tunc maxime ſequentes præfecti, quando de rebus ad illorum officium ſpectantibus tractatio & deliberatio incidit: nimirum præfectus artilleriæ & fortificationum, præfectus commeatus, ſupremus commiſſarius luſtrationum, capitaneus ſive præfectus Vienenſis. Deligantur ad functiones horum officiorum viri præcipui, auctoritate experientia & fide præſtantes; ſine ulla prolongatione & ſtipendiorum reſpectu: cum absque hoc ordo & recta rerum bellicarum adminiſtratio conſtare non poſſit.

Poſtremo cum imperii ſtatus medietatem ſumptuum ad intertenenda confinia contribuant: cumque in majori neceſſitate belli præcipuum robur militum & exercitus ſubminiſtrare debeant: æquum eſt, ut omnia communicatis conſiliis, mutua opera, & æquali ſcitu & intertentione regantur

& gerantur. Itaque ordinentur certi Quæſtores & Commiſſarii ad tractandam rem pecuniariam, ad ſolvendos milites, ad luſtrationes inſpiciendas, ad promovendas fortificationes, ad debitas expenſas ſubminiſtrandas; una cum Commiſſariis & miniſtris Cæſareæ Majeſtatis & Provinicarum. Sint deputati Conſiliarii Bellici unus atque alter ab Imperio, qui bellico Conſilio interſint, & adjuvent rectam & neceſſariam rerum bellicarum adminiſtrationem.

Felicis Petancii Cancellarii ad Vladislaum Hungariæ & Bœmiæ Regem, libellus de itineribus aggrediendi Turcum.

ACcepimus, Sereniſſime Rex, majores noſtros, cum de inferendo bello conſultarent, prius itinera, quibus tuto in hoſtes pergerent, multorum & ſcriptis & documentis accuratius inveſtigaſſe. Qua ex re ſæpe compertum eſt, eos fuſis validioribus copiis ampliſſima regna atque opulentisſimas provincias ocyus fuiſſe adeptos. Ea propter operæ precium erit Majeſtatem veſtram commonuiſſe, quos terrarum limites quasve gentium regiones adeat in Turcos expeditionem affectans. Et quamvis decenti & matura perſuaſione ad proviſionem ruinæ Chriſtianæ opus eſſet exordire prolixioribus verbis; ſtatus tamen perturbatiſſimus rerum me prohibet: eoque maxime, quod majores noſtri, quorum exemplis innitimur, in hujusmodi arduis & mature navandis rebus impigri ac ſemper citisſimi extiterunt.

Igitur omisſis oris maritimis, quæ verſus Aſiam navigantibus patent, referam duntaxat, qui tramites ex Septentrionali plaga in Thraciam & Orientem dirigant. PRIMVM igitur ex Pannonia ad Iſtri & Savi confluentem trajicitur in ſuperiorem Myſiam, prope Belgradum oppidum. Ubi duæ concurrunt viæ: altera ſuperior in Thraciam, ſive Romaniam; altera inferior ad Dardanos & Macedones mittens. Sed ſuperiorem viam ſequendo patentibus campis Godomiri præter celebre fanum Reſſare, Regum atque Principum illuſtratum ſepulchris, non procul ſuperato amne majoris Muravæ, relictisque ſiniſtrorſum agris Bardilovæ, per pagum Branicerum pergitur ad Neſum; olim (ut ex ruinis cernitur) civitatem peregregiam, nunc inſtar vici redactam & a Turcis & Bulgaris habitatam. Adjacet ea altisſimis montibus ex finitimo Rhodope progresſis, fluvio Niſavæ a quo denominatur; magnaque venalium copia rerum inter alios Myſiæ & Triballorum pagos cenſetur præclara. Abeſt a trajectu Belgradi CXX millibus paſſuum. Ex ea aſcendendo ad vicum Pirothi, ſitum in montanis: peragrato vaſto montis Cunorovicæ jugo arduo atque difficili; cum ob profunda circumvenientium rupium concava, tum propter denſisſimum nemus, longioresque anfractus, fit per quinquaginta milliaria acceſſus ad Sophiam metropolim Triballorum; emporium noſtro ſæculo memorandum. Jacet in plano; ſpectans ab oriente inferiorem Myſiam, hoc eſt, Sagoriam: ex Chyabro flumine, circa Bionium & Nicopolim oppidum, porrectam per limites Iſtri ad mare Ponticum: a meridie Thraciam; ab occaſu & ſeptentrione Cordiſcos, Triballos, & excelſas montis Vaſiglicæ alpes. Hinc Rhodope præ aliis quam plurimis, quos habet, verticibus eſt eminentior: quaſi omnibus finitimis montibus imperitans: quod ex ipſa Græca denominatione plane innuitur: per cujus aſperos & anguſtisſimos aditus biduo pertranſitur ad plana Philippopolis vel Romaniæ. Hac Romani Aſiæ quondam imperium ſibi vindicantes iter habuere: quorum inſigne ad hæc uſque tempora in montis medio marmoreis erectum columnis conſpicitur. Hinc & Gotifredum Bullionium, dum terram promisſionis recuperaturus pergeret, ad Helleſponti ſive Callipolis trajectum ex ſuperiori Myſia tranſcendiſſe, memoriæ proditum eſt. Hiſce etiam anguſtiis Uladislaus Pannoniæ & Poloniæ Rex olim ab Amurathe Turcorum principe obſeſſus, retrocedere, & in Pannoniam ire fuit compulſus. Ex Philippopoli via tridui, eaque campeſtri continue ad latus Maricæ ſive Hebri fluminis pervenitur Adrianopolim: vocatam apud priſcos Odryſum ſive Oreſtida. Ea quantum pulchritudine & rerum geſtarum gloria inter omnes Thraciæ urbes ſemper claruerit, hinc vel maxime deprehenditur; quod ejus fœcunditate veteres Bithyniæ Reges allecti, ex Aſia in Europam commigrantes ipſam ſibi in domicilium atque imperii ſedem diu ante Byzantii expugnationem tenuere. Ab ea in Propontidem & Helleſpontum ſive Callipolim milliaria LX. in Conſtantinopolim vero CXX. computantur.

Altera via inferior, quæ ex eodem Belgrado per Dardanos & Triballos montes Æmum transgreſſa, prope Hebrum cum ſuperiori via conjungitur.

ALTERA inferior via eſt acceſſu perfacilis. Patet enim ex Belgrado ad limites Myſiæ & Dardanorum CCLXXX. millibus paſſuum. Progrediens circa Oſtermicæ oppidum & Racanicenſe monaſterium; adducit primo ad Moravam (olim Moſchum dictum) ad latus arcis Cruſcevæ fluentem, quandoque imbrium exundatione invadabilem: dehinc ad Baſilicam albam, & Apennini montes, Myſiam invicem ſeparans. Raſciani enim primi hujus provinciæ populi feroces ac bellicoſi eam partem incolunt, quæ ad Dravum Savum & Iſtrum flumina ſpectat: Valachi montani, genus agreſte hominum; hi gregibus tantum pollent & armentis. Aliam autem, quæ ad Dardanos Macedones & Triballos vergit, Serviani; gentes uſu mitiores, & ſiderum aſpectu benigniore eo quod magis ad meridiem tendant, & frequentia commeantium mercatorum. Pertranſitis itaque montibus, ſequitur planum Dubotizæ frequenter inhabitatum. Sed dimiſſo aliquantiſper ad lævam tramite; qui ad villam magnam Procopiæ & Niſum dirigit: non procul offert ſe vallis Caſſovicæa, cum Labo flumine per medium ejus decurrente: procedens ad latisſimum Coſſovum campum, celebratum toties diverſarum gentium certaminibus. Verum ex mul-

tis quæ hic præclare geſta in antiquis narrantur annalibus pauca in hujus campi memoriam repetam. Galli olim Græciam atque Aſiam occupaturi, illic primo tumultuantes cum circumfinitimis populis prælium iniere, non ſine magna ſtrage: ut ex eorum monumentis apparet. Precibus namque vix inducias obtinuerant, donec traditis ſepulturæ occiſorum corporibus, a provincia abirent. Præterea anno jam CL. Amurathi Turcorum Regi magna cum Barbarorum multitudine ex Thracia in Myſiam irruenti Lazarus Deſpotus hic cum multis millibus obvians, fuit occiſus; paucis ex ſuo exercitu ſuperſtitibus, apud Turcos victoria remanente: non incruenta tamen; peremto ibidem eorum rege; ubi ejus adhuc inteſtina marmoreo condita tumulo jacent. Cadaver enim in Burſam ſive Byrſam Bithyniæ metropolim deportatum eſt cum aliis ex Othomannorum familia Regibus ſepeliendum. Poſtremo hic fuit illa infauſta & omnibus ſæculis execranda clades, Joannis Huniadis, genitoris D. Matthiæ Pannoniorum Regis: ex conflictu habito cum Amurathe & Mahumete Calepino ejus filio: qui fuit pater moderni Turcorum Imperatoris. Hujus campi planicies protenditur circiter LXX. millia paſſuum; uſque ad viam Cuzamici, & fauces Cliſſuræ quæ ad Scopiam ducit: poſita inter duo flumina Sithnizum & Labum, vallata undique montibus; quorum extrema perabundant vicis & pagis; habens ad latus opulentiſſimum pagum Priſtinam, qui ob maximam ubertatem fuit quondam Myſiæ dominis in maximis deliciis. Eſt inſuper ad decem milliaria Novo montana civitas, Germanorum colonia. Principio namque Saxones in Myſiæ partibus metalla & argenti materiam reperere. Cæterum juxta Horavizæ lacum & paludes, divertendo ab ea via quæ ducit Binzum: Moravam, ad montes Crivicina infra Myſiam & Dardanos jacentes, itinere unius diei ab ingreſſu Cliſſuræ, patet acceſſus ad Scopiam, caput Dardanorum & terminum Macedoniæ. Hæc civitas eſt ferax, & abundans omnibus precioſis terræ fructibus; plena divitiis: diverſorium peculiare principis: irrigua ſalubri flumine Vardaro; ſcaturiente ex jugis altiſſimis Orbe montis: qui imminet Macedoniæ, Triballis, Myſiæ, Dalmatiæ, ac Epiro: propterea opportuna ad convocandum exercitum. Inde iter arripiendo per planiciem Gegligovæ, vallem Conopnizæ, Balnea Beobuſci, pontemque Strymonis, dirimentem Macedones a Triballis ſive Bulgaris, prope villam ripæ Rubeæ: perluſtratis campis Samocovi & ſilvis vaſtisque ſolitudinibus montis Hæmi: apud Triballos ejus accolas Coſtegnazo difficili admodum via deſcenditur ad Marizam, hoc eſt Hebrum fluvium, & campos Philippopolis ſive Romaniæ. Ubi hæc via inferior, diſtans a Scopia CCXXX. millibus paſſuum, conjungitur cum ſuperiore: ex monte Vaſiglita ſive Rhodope ad hæc plana progrediente.

De cognomine & ſitu Romaniæ.

ROMANIA autem, de qua paulo ſuperius mentionem fecimus, eſt regio aprica; affluens omnibus, quæ ad humanum expediunt uſum: a Romanis olim ob magnam ſitus amœnitatem diu habitata. Unde propter frequentes in ea provincia Romanorum colonias, & præſertim Conſtantinopolim, quæ quaſi altera Roma vulgo nominari conſuevit. Ejus longitudo a littoribus Ægæi æquoris & Strymone fluvio CCCXC. millibus paſſuum progreſſa; ab oriente, Ponto; a ſeptentrione Iſtri ambitu, non longe a Rhodope, juxta Ciabrum amnem, cum inferiori Myſia finitur: latitudo vero ex vicinis Hæmi latebris incipiens ad meridiem CLXXX. verſus Callipolim protenditur.

Alius locus unde ex Pannonia in Myſiam juxta Saslon oppidum trajectus eſt.

SECVNDVS autem locus, unde ex Pannonia tranſitus in Myſiam eſt, prope Saslon, ſive Sabacum oppidum; non procul inde ubi Drina ex Dalmatia decurrens Savo immiſcetur. Ultra Savum duæ ſequuntur provinciæ, Belgina & Maza; relictis ad dextram flumine Albo, & his montibus, Sacero, Chirbenico, Crupino, Saeza. Et tunc itur ad famoſum vicum Vagbem, montesque Larzi: exercitibus propter currus & alia impedimenta immeabiles. Ex parte ſiniſtra fit progreſſus ad vadum majoris Muravæ, alluentis ibidem Cruſſevam arcem: adhærendo ſemper aliis itineribus ſuperius memoratis.

Via quæ ex Pannonia per Tranſylvaniam mittit verſus Thraciam & Pontum.

EST & tertium iter opportunius minusque laborioſum; ducens & Pannonum finibus in Thraciam, & ad alia loca vicina Ponto. Verum quia tam ipſos Pannonas, quam reliquos trans Danubium commorantes populos, illud minime latet: cum ex concurſu commeantium invicem mercatorum: tum ob continuum bellum, quod circa oram Iſtri & eas regiones Turcos propulſando exercent; pauca tantummodo ad hanc viam neceſſaria aggrediar. Buda itaque abeſt a Varadino LXXX. millibus paſſuum; interjacentibus Cumanorum locis & flumine Tibiſco. Hinc ad Rhium oppidum prope Criſſiam amnem eſt via unius diei, ſemper campeſtris. Ex eo patet acceſſus per vallem longam in Colusvariam ſive Themisvariam. Inde ad Sibinium, pari ſpatio itineris & perfacili. Hæc civitas eſt principalis ex Septem Caſtris. Quæ regio vulgo Tranſylvania ſive Herdelia appellari conſuevit: bello inſuperabilis. Parit enim ſtrenuos, ac fortiſſimos milites. Eſt in ea Huniad oppidum, loci natura munitiſſimum: unde Joannes pater D. Matthiæ regis oriundus fuit: qui hic primum Turcis, eorum duce Mesribecho interfecto melioribus ſemper auſpiciis victoriam perſequendo, adeo hoſtibus terrori, & ſuis admirationi extitit, ut omnium ſententia in regni gubernatorem depoſceretur. Ex Sibinio ſequitur Corona ſive Breſovia: ultimum oppidum Tranſylvaniæ: adjacens montibus: qui dividunt eam provinciam a majori Valachia ſeu Dacia. Hinc tertia die aditur Tragoviſcus, metropolis Valachorum, & ſedes peculiaris Principum inacceſſibilis: non muro, non mœnibus cincta, ſed foſſa, vallo & agge-

aggeribus tantum, cum ſudibus præacutis exterius poſitis; ſita inter paludes, obductas lutoſis ſyl-vis & lacunis aquarum: ita ut hyeme tota pene circumfinitima regio immeabilis ſit. Hæc eſt pro-vincia Dacia dicta apud veteres, Romanorum colonia: unde ejus Aborigines hac etiam noſtra tem-peſtate paſſim Latino utuntur colloquio. Eſt ea gens barbara, crudelis, divinationibus & auguriis dedita, rapinis ſemper & prædæ inhians. Ex his locis declinando viam ad trajectum Bidinii & Ni-copolis dirigentem: ad lævam offert ſe Vaſillum caſtrum: medium ferme conſiſtens inter Valachiam majorem & minorem, quæ & Moldavia dicitur: ubi ſæpe cum Turcis certatum eſt. Dracula enim cum paucis ſed delectis militibus Mahumetum Turcorum imperatorem potitum jam majori Vala-chia, & ad minorem occupandam maturantem; hic ad ſecundam vigiliam noctis aggreſſus, converſum in fugam ad Danubium, cum magna ſuorum cæde & ignominia, regredi coegit. Hic denique Stephanus Moldaviæ princeps Soleimannum Baſſam et Ducem Romaniæ ſic proſtravit, ut ex XXX. Turcorum millibus pauci admodum, qui forte velocioribus equis inſederant, evaſerint. Ex Vaſillo circiter XXX. millia paſſuum pertranſitur Iſter ad Brilagum, ſive Braillorum oppidum. Vltra quod occurrit Græcia; procedens ultra ſeptem ora Danubii usque ad Pontum. Vbi eſt cam-pus Varnæ; celebratus primo conflictu Imperatoris Sigismundi et Ducis Burgundiæ; poſtmodum cæde Vladislai Pannoniæ et Poloniæ Regis atque Legati Apoſtolici.

Via per quam ex Varboſania itur verſus mare & montes Corbaviæ.

RELIQVVM eſt, ut quam breviſſime enarretur: ex quibus Dalmatiæ partibus Turci irruant in Germaniam, & in alias circumfinitimas nationes. Eſt igitur in ea provincia locus qui Varboſania dicitur: caput & ſedes principalis Ducis ejus gentis: quo omnes ex Aſia & Europa barbari prædæ ac rapinarum avidi confluunt: propterea quod inde facilius diſcurritur ſive ad oram maritimam, ſeu per Licham & montes Corbaviæ, in Liburnos, Iſtros, Lubianam, & Forum Julium: vel ex mon-te Adrio, qui ferme medius inter Boſnam & ſinum Adriaticum conſiſtit, ad Croaciam declinando, in Carniolam, Ciliam, Carinthiam, Stiriam usque Auſtriæ penetratur fines. Sed ex declinatione itinerum, quibus ad eas tranſitur gentes, ubi quæque regio ſita ſit plenius apparebit. Hoſtes ita-que ex Varboſania ad planitiem Thimæ ſive Sethiæ, diſtantem CLXXX. millibus paſſuum, & ad alia loca proxima mari diſcurrere volentes; etſi plures aditus habeant, duos tamen continuis excurſio-nibus ſibi magis cognitos, & quaſi faciliores frequentant: altero circa Viſochii Ganzam & Proſori-um oppida deſcendunt ad Cliſſum, Spaletum, Tragurium & Sebenicum: altero autem longius ad Cluci arcem porrecto, præter Biſtrizam, intrant in Jadræ plana usque ad fretum patentia, dirimens Inſulas ab invicem a promontorio Corbaviæ, cæteriſque mediterraneis locis. Verum regrediendo ex iſtis campis ad Cluci oppidum & montes, unde in hæc littora divertitur, duæ offerunt ſe viæ: alia verſus Bichachium & Hunam fluvium pergens: altera per anguſtias Corbaviæ pleriſque in locis tranſitu difficili & arcto, vix pedibus peragrando, dimiſſis ad lævam Novii & Buchari oppidis, cum Iſtria, Tergeſto & Monte Falconis. Feruntur ex limitibus Boſnæ CCCXX. millibus paſſuum, ad Hiſſunitium amnem.

Via quæ ex Cluci oppido verſus Hun fluvium progreditur, & per quam itur in Germaniam.

SED ſuperiorem viam tendendo; trajicientes Hun fluvium ad latus Bichachii; relicta Crup-pa ad dexteram; ſemper locis campeſtribus ſpacio L. milliarium offendunt omnem regionem Croaciæ circa Modruſium, usque ad Cruppam & Savum fluvios. Hinc etiam Lubianam excurſio-nes fieri poſſunt per eosdem montes Gorbaviæ; via ſtricta, lapidoſa & aſpera. Poſt Cruppam amnem ſequitur Methlica: in cujus finibus eſt mons arduus, tranſitu difficilis, porrectus ad quatuor millia-ria: ubi pauco admodum præſidio iter hoſtibus præcluderetur. Inde ad Savum & Carniolam trans-currunt, & ultra Savum per Giliam, Carinthiam & Stiriam provincias Dravo flumini adjacentes depo-pulaturi, dextra Muram fluvium & Auſtriam adoriuntur.

Via Egnatia ex Epiro ſive Dyrrhachio, per Æmathiam in Thraciam progrediens.

DVXI præterea peroportunum fore, ſi noſtræ ætatis hominibus ſimul atque poſteris notum fie-ret: per quæ itinera olim Romani exercitus ex Epiro in Macedoniam ſive in Orientem tranſibant: præſertim cum & aſſidua bellorum vaſtitate & temporum viciſſitudine nomina urbium atque loco-rum obliterata, omninoque hodiernis Chriſtianis militibus incognita exiſtant. Proinde duæ ſunt viæ. Altera Egnatia, ex Dyrrhachio in orientem: quam Strabo geographus ad Hebrum fluvium Thraciæ per millia paſſuum DXXXV. menſus eſt. Altera autem ex Apollonia: quæ Candavia a monte Illyrici denominatur, in Macedoniam CCLXVII. Theſſalonicam usque progrediens. Sed prior Egnatia ex Dyrrhachio per Pharſalicos & Æmathiæ campos: linquendo ſiniſtrorſum Fandam fluvium, & montes Ducagmorum; circa Liſum, Æmathiæ quondam nobiliſſimam civitatem, et fre-quentiſſimos Vrachiæ et Dibri pagos: pergens ad Belgradum oppidum ferme medium inter Æma-thiam Theſſalos, et Macedones; dimiſſis ex parte dextera Theſſaloniæ montibus: læva vero Drina fluvio: peragratis ſylvis et nemoribus finitimorum montium; deſcendit in planiciem Macedoniæ, extenſam verſus Hebrum et Thraciam.

Via Candavia maritima, ex Apollonia ad fauces Propontidis extenſa.

SECVNDA vero via quæ Candavia dicitur, ex Apollonia, unde ſumit initium Epirus, ad ſi-num Ambracium, præter Aulonis ſive Valonæ lacum procedens. Dextrorſum adjacent ſibi gentes Epiroticæ: quas Siculum mare alluit. Hæc regio vulgo Arbanus nuncupatur; diu ſub Aranito-

rum

rum dominio habita; cum Acheloo, vel (ſecundum accolas) Pachicolamo amne e Pindo decurrente conjungitur. Illic terminus Epiri. Ab eo per Acarnanes ad Evium ſeu Phidarim fluvium; qui in os ſinus Corinthiaci influit: dirimentis Ætoliam a Peloponneſo; ad Anthirium flumen Iſthmo pertinet. Verum tota hæc via ſuperius memorata continue extenditur per oram maritimam; aditu quibusdam in locis aſpero, et longius a mari ambiendo; ob crebros prominentes in hæc littora montes. Ea poſt Iſthmum ab Ægeo excepta pelago, per Locros, Phocenſes, Bœotios, Atticos, et Megarenſes, Græciæ maritimos populos: circa Eubœæ atque Theſſalonicæ ſinus, dimiſſa ad lævam Lariſſa, deſcendit usque Theſſalonicam clariſſimam Macedoniæ urbem. Dehinc rurſus ad latus ejusdem freti verſus meridiem, Athon montem declinando: per plana et montes Strymonem transgrediens, qui Macedones a Thracibus dividit, locis ſemper maritimis ad Æmionem oppidum extenditur; ubi Hebrus Thraciæ fluvius Ægeo immergitur æquori. Hinc duo patent itinera: Alterum per LX. milliaria verſus Adrianopolim: Alterum autem ad lævam per pontem Æginæ, ſupra paludes et lacus miro artificio tribus millibus paſſuum extenſum, præbetur acceſſus ad Callipolim, ex ea in occaſum divertendo facile ad fauces pervenitur Propontidis, ſive Dardanellum.

HÆC ſunt itinera a Romanis olim toties peragrata exercitibus, nunc a Chriſtianis obnixius affectanda, ſi pulſis ex Europa barbaris perpetua pace poſtri concupiſcunt. Non eſt itaque expectandus hoſtis, neque dimicandum cum eo in limitibus et gremio Italiæ. In Epirum ſive Macedoniam transportandæ ſunt copiæ uno atque eodem momento. Hinc ex Pannoniæ oris bellum Thraciæ inferendum eſſe, nemo jam ambigit: non defuturum enim militem, neque commeatum; omniaque neceſſaria præſto fore. Aderunt & ex circumfinitimis provinciis undique fideles populi, ſolam expeditionem Chriſtianam præſtolantes, parati hoſtes undique adoriri, ubi primum ſenſerint Chriſtianorum caſtra Iſtrum, & ex Italia exercitum Adriæ fretum trajeciſſe. Hæc eſt una atque extrema via debellandi hoſtem. Legimus namque Alexandrum Magnum cum Dario Perſarum Rege in Aſia decertaſſe. Xerxes ne ab Athenienſibus in regno ſuo circumveniretur, prior ipſe Græciam invaſit. Hannibalis quoque una atque eadem ſententia ſemper erat: ut in Italia bellum gereretur: neque ab ea jam victor revocari potuit prius, quam translato in Aphricam bello. Cæſari etiam tanta in opprimendis hoſtibus celeritas inerat, ut plerumque ipſe famam ſui adventus præveniret. Sed prætermittenda ſunt tot exterarum gentium exempla. Solummodo unum relinquitur dignum memoria, ac celebrandum poſteris documentum Joannis Huniadis. Qui nunquam paſſus eſt Turcos adverſus Chriſtianos expeditionem moviſſe: quin eos in ipſa Thracia aggrederetur. Cujus præclara ac ſanctiſſima pro defenſione orthodoxæ reipubl. incepta noſtræ tempeſtatis Principes æmulari atque imitari, Dominus JESVS CHRISTVS, DEVS OPTIMVS MAXIMVS faxit.

CHRISTIANI FRANCI Dolium Diogenis, ſtrepitu ſuo collaborans dynaſtis Chriſtianis, bellum in Turcas parantibus.

TVmultuantibus Philippi Macedonis hoſtili adventu Corinthiis, atque aliis aliam ob cauſam ſolicite per urbem, ut fit tali rerum ſtatu, diſcurrentibus; legimus Diogenem, Corinthi tunc forte habitantem, otioſum in tumultu illo non fuiſſe: ſed dolium ſuum, volubilem domum ſuam, tam ſerio ſurſum deorſum volutaſſe, quam cæteri arma reliquaque ad bellum neceſſaria comportarent. Vos jam, o Germani, cæterique bellatores magnanimi gerendo bello Turcico incumbentes, me de re tanta ſcribentem cogitate tantulum quendam Diogenem, vel miſerum etiam quendam Tantalum: nec tam ſuaviter deridete, quam Hannibal Phormionem illum deriſit Peripateticum: qui homo minime militaris, de militia tamen, coram tanto Duce, auſus fuerat diſſerere. Non enim ad ſcribendum mea ſponte veni, aut oſtentandi ingenii, aut venandi proprii alicujus commodi cauſa: ſed rogatus, ut in hac omnium cura & ſolicitudine parandi belli, ipſe quoque aliquid agerem: ſi nihil aliud poſſem, vacuum potius Diogenis quam plenum Bacchi dolium volutarem. Igitur Diogenico hoc dolio excitabitur quidam tantum ſtrepitus: tum ad alios quosdam excitandos; tum ad ſua ſponte pronos & currentes magis etiam incitandos. Bellum enim infert Chriſtianis, nominis Chriſtiani hoſtis barbarus, ſed prudentia minime barbara. Nam ſi non eſt literarum, nec tamen poculorum, ſed armorum ſtudioſus, ſobrius, vigilans, belli ſciens, in omnes fortunæ occaſiones intentus. Videt ille optime, perpaucos jam Germanis eſſe claros militiæ duces: Regem Hiſpaniæ bello diſtineri, & diſtrahi Belgico: Galliæ Principes de ſceptro decernere ferro: Angliæ Reginam capitali odio a reliquis Chriſtianis diſſidere: Polonos, Venetos pactis induciis non poſſe adjumento eſſe Germanis. Et hos ipſos non eſſe concordes: non conſulere in commune: pleroſque privatis, quam publicis commodis eſſe propenſiores. Ex præteritis conjecturam facit de futuris. Scit ademptum Chriſtianis Byzantinum Orientisve Imperium; cum inter Græcos & Latinos, æſtuantibus religione animis, nulla firma pax ſanciri aut ſtabilis concordia iniri potuiſſet. Hinc jam animo concipit Occidentis etiam Imperium: quod diſcerptum novit ab aliquot Regibus & Regulis: qui a communi aliquo Rectore non pendentes, arbitratu ſuo graſſentur in inferiores. Quibus graſſationibus intra paucos annos plures confecti ſint Chriſtiani; quam vel ipſe ex omnibus ſuis Regnis ad victoriæ ſuæ deſignationem poſſet educere: vel Chriſtianis ad ipſum profligandum planeque delendum forent neceſſarii. Iſtiusmodi rerum ſtatu Romana olim Ariſtocratia corruit ſuis ipſius viribus: Pompejo æqualem, Cæſare ſuperiorem ferre nolente; infeſtis eſt armis concurſum; donec unius dominatu forma reipublicæ mutaretur.

Neque una & ſimplex eſt diſcordia Chriſtianorum, uti olim Romanorum, ſed multiplex & varia.

varia. Nam ad communem dominandi affectum, miſcentem & turbantem omnia, ſi unius alicujus vi & autoritate non coerceatur, accedunt capitalia, planeque fatalia, tum religionum, tum nationum diſſidia. Religionis varietate diſtracti noſtrates non plus poſſunt, quam in diverſa nitentes equi uni currui juncti; ut veriſſime dixerit Lactantius, religionem non a relegendo, ut Cicero voluit, ſed a religandis animis nomen traxiſſe. Turcica ſuperſtitio tantam non recipit opinionum varietatem: totaque ad rem bellicam eſt accommodata: quippe cum intimis omnium ſenſibus hæreat infixum; unicuique a Deo præfinitum & genus, & tempus mortis, quod ſi in ipſo pugnæ diſcrimine nec dum adſit, vel unum innumeros profligaturum Chriſtianos, ſin autem hora fatalis jam præſto ſit, ex prælio mox evolaturos in cœlum, ibique eo majores paratas ſibi voluptates, quo plures occiderint aut læſerint inimicos. Nationum autem odia etſi naturalia ſunt, ob naturarum, morum, linguarum, ſtudiorum diſſimilitudinem; quam ad amicitias vel conſtituendas vel retinendas aptam eſſe negat Ariſtoteles: eum tamen affectum minuit temperatque Turcis prudentia quædam bellica: qua nullum ſoleant faſtidire hominum genus, in quo virtutis aliqua ſignificatio appareat. Qua quidem re barbari plane imitantur veteres Romanos, qui ad ſe quavis ratione allectis & attractis cujusvis nationis magnanimis viris, orbem complexi ſunt terrarum.

Ad dictam prudentiam bellicam hoc accedit, quod redundantem, & generatione excreſcentem hominum multitudinem, non ſinant domi mori inutiliter; ſed contra inimicos, præſertim Chriſtianos, tanquam in colonias ablegent. Inde regnum illud duplicem accipit commoditatem: alteram, ut domi minus multi ſint facinoroſi, quales parit multitudo in anguſto ſolo minime apto plurimis alendis: expurgata autem tanta hominum quaſi ſentina, cæteri copioſius & tranquillius domi vivunt; alteram: ut imperii fines indies magis magisque proferantur, & novæ quotidie exſtructæ arces Chriſtianis irrupturis objiciantur, omnisque eis facultas & ſpes recuperandi amiſſa regna præcidatur. Chriſtianorum autem ſuperfluam multitudinem partim capiunt monaſteria, (excipio eos, qui non egeſtate, ſed vera ducti pietate ſeſe abſtrudunt in religioſam ſolitudinem) partim ſupplicia auferunt, partim peſtis abſumit. Ubi enim hominum, ibi & ſordium creſcit multitudo: ſordes facile poſtea peſtem concipiunt.

Jam vero in tanta prudentia bellica illud faciunt prudentisſime: quod cum aliis icto fœdere, cum aliis interim Chriſtianis bellum gerant: pervagato utentes ſtratagemate hoſtes diſperſos ſigillatim invadendi. Non ignari, caudæ equinæ pilos ſeorſim facile evelli, & ſingulas ſagittas vel a puero poſſe confringi; quibus exemplis Sertorius & Scylurus Scytha ſunt uſi; ut quantum poſſit concordia, quamque infirma ſit diſcordia, docerent. Tantam autem concordiam in tam vaſta Imperii Turcici mole maxime conſervat metus. Qui Ciceroni malus eſt diuturnitatis cuſtos; ſed barbaris illis regnum facit adamantinum: propterea quod metus ſtabilis ſit & durabilis in ſervilibus ingeniis: amor autem mutabilis etiamſi multa beneficia dederis. Metuunt mancipia alieno arbitrio: amant fere ſuo tantum: igitur magis in tyranni manu eſt ut timeatur, quam ut ametur & laudibus vehatur. Ex timore conſtans ſurgit obedientia: quæ magnum Imperii Turcici eſt firmamentum: cujus teſtes ſunt pervulgatæ illorum & percelebratæ hæ voces: *Unus in cœlis Deus, unus in terris Princeps.* Alta autem ingenia, cujusmodi multa alit Chriſtiana Reſpublica: abjecto metu potentiorum, miſcent & turbant omnia regnandi cupiditate: exiſtimantes, omnia deberi ſuæ virtuti & ſapientiæ tam exaggeratæ, ut nec terra, nec mare, imo nec cœlum ipſum eis jam magnum videatur. Utinam vero iſtiusmodi infinitæ humani ingenii mentes, immenſis philoſophiæ finibus poſſent includi: melior profecto, tranquillior, & conſtantior foret orbis Chriſtiani ſtatus. Nunc autem ut orbes cœleſtes perpetua quadam vertigine rotantur, ſtatisque temporibus in idem, unde diſceſſerant, punctum revertuntur: ita cœlum humanum, cerebrum inquam alte ſpectans, nunquam quieſcit, ſed ſemper volvitur revolviturque, motuque ſuo eadem conſilia, eadem bella, easdem occaſiones, easdem tyrannides, eosdemque omnis generis felices infelicesque rerum eventus ſubinde tanquam in orbem reducit. Quamobrem Plato & Ariſtoteles dixerunt, naturales quoque rerumpublicarum eſſe converſiones: ducta ratione ex analogia ſeu proportione: quæ inter rempublicam & ſingulos homines, quibus reſpublica conſtat, perſpicitur. Singulorum corpora hominum cum e contrariis elementis conſtent, eodem ſemper ſtatu permanere non poſſunt: ſed in ea principia, ex quibus coaluere, redeant aliquando oportet: ut ſuæ quidque naturæ in mundo reddatur: ut quod igneum eſt, igni: quod aereum, aeri: quod aqueum, aquæ: quod terreſtre ſuſcepit, id totum terræ reſtituatur. Itaque omnis etiam reſpublica, ex variis, diſparibus, diſcrepantibus naturis conflata, & ad temperiem quandam redacta, in ſeipſa habet interitus ſui principium: quod legibus aliquandiu compreſſum & occultum, erumpit tandem per ambitionem ſuperbiam invidiam avaritiam: ſicuti in Græcorum & Romanorum factum Imperio ſcimus. Et quemadmodum maxima quæque flumina ab exiguis orta fontibus, augentur ſubinde multorum rivorum & mediocrium adventu fluviorum, auctaque in immenſum & ipſa a mari abſorbentur: ſic magna imperia & regna fieri ſolent minorum majorumque regionum acceſſione: id quod fieri vix poteſt ſine multorum injuriis & oppreſſione: ad ſummum tandem perducta faſtigium, a potentiori quopiam rapta transferuntur ad alienam ſtirpem. Cujusmodi rapina partim aperte exercetur, ut nunc a Turcis & Scythis: partim honeſto aliquo prætextu velatur. In quo religionis velum obtinet principem locum: quandoquidem omnis religio pietatis ſe putet munere fungi aliorum cultibus delendis. Unde perpulchre Carneades apud Romanos, audientibus Catone & Galba cenſoribus, diſſeruiſſe fertur: ſi juſtitiam & æquitatem ſpectare vellent, ad reſtim, quod ajunt, ad caſas quidem certe, res eis redituras eſſe. Non enim a poſteris jure poſſideri, quæ majores eorum per fas nefasque accumulaverant. Omnem autem

tem Romanorum potentiam, omnes opes ex rapinis alienorum eſſe congeſtas. Prætexebant illi quidem varias bellorum cauſas: ſed veram cauſam fuiſſe ſcimus infinitam habendi & regnandi cupiditatem; quæ, Plutarcho teſte, hiſce gradibus aſſurgit: *qui vinctus eſt, cupit eſſe liber: qui liber eſt, vult eſſe dominus: qui dominus eſt, optat eſſe Princeps: qui Princeps eſt, deſiderat eſſe Rex: qui Rex eſt, expetit eſſe Deus, tonare quodammodo & fulgurare cupiens.* Quid multa? ita certe vivitur in mundo: ut, qui plus armis poſſit, ſatis ſe habere cauſæ putet ad alios opprimendos; ſitque idem inter homines, quod inter piſces in mari, inter aves in aere, inter feras in ſylvis; ut imbecilliores prædæ ſint fortioribus. Hoc veteres quidam admirati, hominem eſſe quoddam Deorum ludibrium dixerunt: quod Deus & natura ludere videantur cum genere humano, uti pueri cum molli cera: quam nunc in hominem, nunc in beſtiam, nunc in corbem, nunc in aliam atque aliam fingunt formam: confundentes priores, ac ſæpe quoque formas meliores, ut novas faciant quantumvis deteriores. Quem fortunæ ludum contemplatus Seneca Poeta Tragicus pulchre depinxit hiſce verbis:

Nulla ſors longa eſt: dolor, ac voluptas
Invicem cedunt, brevior voluptas.
Ima permutat brevis hora ſummis.
Nemo confidat nimium ſecundis,
Nemo deſperet meliora lapſus.

Atque hanc philoſophiam ex Diogenis dolio (liquore tantum, non natura vacuo) depromptam putatote. Melior procul dubio ex divinis literis, atque ex aliorum etiam officinis philoſophorum afferri doctrina poſſet. Verum non ſtat mihi nunc aut in theologorum infinitas poſſeſſiones exſpatiari, aut philoſophari hoc loco multis. Ad rem ergo. Ob cauſſas commemoratas, & ipſe Turcarum Tyrannus jam animo & ſpe, ut dixi, orbem Chriſtianum expugnavit: & non pauci in Polonia atque Tranſſylvania Chriſtiani deſperant noſtræ reipublicæ incolumitatem. Deſperatio autem illa præcipue eſt ob hoſtium multitudinem & potentiam: quæ comprimi non poſſe videatur, niſi conjunctis Chriſtianorum Principum omnium opibus & viribus: ejuſmodi vero conjunctio optanda magis, quam ſperanda credatur; cum in multis ſemper aliqui ſoleant eſſe, qui vel ſtoliditate vel improbitate ab officio retrahantur. Stoliditatis eſt, ardente pariete vicino, exſpectare donec propriæ incendantur ædes: improbitatis autem, ob privata quædam ſive commoda ſive incommoda deſerere bonum commune.

At vos, o Germani, reliquique cordatiores Chriſtiani, nequaquam terrore iſto animi veſtri magnitudinem inflecti ſinetis: ſed quanto propius nos tantus hoſtis accedit, tanto magis de concordia inter vosmetipſos conſtituenda, de egregiis militiæ ducibus perquirendis, de milite ſcribendo, primo quoque tempore laborandum ſtatuetis. Aſianarum gentium major ſemper fuit multitudo, ſed minor in bellis virtus. Id quod & Græci & Romani, maxime vero Alexander & Pompejus ſunt experti. Idem hodie in Ungaria experiuntur milites Cæſariani: qui numero longe inferiores, conferta acie impetu in hoſtes facto, magnam eorum multitudinem ſæpe profligant; quorum tamen plerique ſunt Europæi, robuſtiſſimi exercitatiſſimique latrones. Magnum profecto imbecillitatis Turcicæ in tanta hominum multitudine, & virtutis Ungaricæ in tanta militum paucitate, argumentum eſt; quod centum jam & eo amplius annis uni Ungariæ Regno ſubjugando tantus Tyrannus incumbit: ipſeque Solymannus omnium Ottomannorum bellicoſiſſimus, quinquies in Ungariam dicitur totam fere ſuam potentiam contuliſſe: nec tamen eam totam in poteſtatem ſuam potuit redigere: nec poſteri ejus potuerunt. Omnino incomparabile propugnaculum Germaniæ fuit Ungaria: eſtque adhuc aliqua parte. Quæ ſi a vobis deſeratur, eadem prorſus erit conditio noſtratum, quæ nunc eſt Ungarorum: atque haud ſcio, an Germania tam diu reſiſtere ac repugnare Turcis poſſit, quam hactenus reſtitit & repugnavit Ungaria. Ea tota ſubacta, liber Turcis erit excurſus in Germaniam: ipſique Ungari quaſi deſerti & contempti a Germanis, omni animi impetu irruent cum Turcis in noſtrates: eosque opprimere, exſcindere, ſpoliare, juſtum, glorioſum, & memorabile facinus eſſe ducent. Nam ut ſatis jam populoſa & armata ſit Germania: tunc quidem certe quotidianis latrociniis, inſidiis, velitationibus, præliis minutis, & majoribus, ad eandem redigetur paucitatem, ad quam nunc Ungaros videmus redactos.

Hoc autem tempore tota adhuc ſpes defendendæ Germaniæ in ipſis noſtris hæret Germanis, ſi ex iis collectus exercitus alatur in finibus; non ad annum, ſed aliquot annis, & tamdiu, donec perpetuus Chriſtiani nominis hoſtis a cervicibus noſtris repulſus, & in Thraciam vel in ipſam etiam usque Aſiam fuerit retruſus. Cujus negotii totius cardo in eo vertitur: ut ineatur ratio, qua nunquam deficiens cogatur pecunia ad exercitum continenter in finibus alendum. Non inepta fortaſſe fuerit ratio, ſi præter Principum & rerumpublicarum ſtipem in belli ſumptus collatitiam, denique tum cives tum ruſtici alant quotannis unum militem: ſique ditiores etiam Nobiles, Generoſi, Illuſtres Domini, ex inutilibus deliciis aliquid detractum conferant in commune. Qua pecunia neceſſitate expreſſa efficietur, ut & diutius ſuis illis frui fortunis poſſint, & longius ſimul vitam producant, detracto gulæ non neceſſario cibo & potu. Poſteaque decidendum aliquid erit ex ſuperbo quoque cultu corporis muliercularum: eædemque monendæ, ne gravatim laboranti & periclitanti patriæ ſubveniant. Flagitante reipublicæ neceſſitate Romani olim nec uxores, nec flamines ſuos, & ſacerdotes immunes a contributione eſſe voluerunt. Et Imperator Antoninus cognomento philoſophus, omnem Imperatoriam ſupellectilem vendere, ac ſplendore aulico carere maluit, quam Imperio, quod a barbaris infeſtabatur, deeſſe.

Hæc generatim tantum de pecuniæ ratione potui ſcribere. Pragmatici homines quibus ſumma ſapientia eſt, privatim acquirendæ pecuniæ intelligentia, meliores ſine dubio norunt rationes colligendæ publice pecuniæ. Diligenter vero inquiratur in rationes Belgarum, quibus per tot annos cum Rege invictiſſimo bellum gerentibus (non facio alienam litem meam, ſed quid ex ea decerpi poſſit boni narro) ſatis ſemper fuit pecuniæ. Ineatur igitur eadem ratio: qua illi ſuſtinuerunt tanti & tam diuturni belli ſumptus: neque prudenti parcendum pecuniæ, ubi libertas periclitatur: cum veriſſimum ſit, quod vulgo jactatur: *Non bene pro toto libertas venditur auro.* An vero tota Germania minus poſſit, quam Belgium? An minus etiam, quam nunc Hollandia, & Selandia?

Cumulata pecunia belli nervo; reliquum erit, ut quærantur HOMINES; partim tales prorſus, quales Diogenes clariſſimo die quærebat accenſa laterna, nec tamen inveniebat, partim etiam quales ubique ſine laterna videbat. Primi generis ſunt ingenioſi, prudentes, magnanimi, & regendis aliis apti: qui immortalem gloriam mortali corpore ſtudeant comparare: aſpernandamque putent hanc noſtræ mortalitatis colluvionem: ex qua brevi alioqui diſcedendum ſit; ſi non in bello, at in pace, fatali plane neceſſitate. Alterum hominum genus omnes eos complectitur, qui fere ventris tantum cauſſa vivunt: qualium, ut Plinius ait, maxima pars eſt mortalium: hi percolando cibo & potu, doliove ſuo pertuſo implendo occupati, nihil altum, nihil magnificum, nihil hominis præſtantia dignum in vita deſignare poſſunt. Etſi enim vere nobilis etiam & ingenuus homo, non minus ſine cibo potuque poſſit vivere, quam vel aſinus vel homo ſtolidus: dolet tamen, tanta ventris importunitate, tam ſæpe, in rebus proprie ad hominem, ad religionem, ad doctrinam, ad rerum gerendarum gloriam pertinentibus, interpellari. Ex qua naturarum differentia, tum nobilitatis, tum ignobilitatis ratio, in orbem Chriſtianum atque etiam olim in imperium Romanum profluxit. Quicquid enim optima parens rerum natura ſapientiſſime facit, id mens humani ingenii, ſi modo ſit ejuſmodi, ut ex cogitatione conferri ad rem poſſit, diligentiſſime imitatur. Facit autem natura ex ignobili elemento nobilius, & contra, ex nobiliori ignobilius; ut ex aqua aërem, ventos, tonitrua, fulmina: & viciſſim ex aëre aquam fabricatur. Quod naturæ opus Chriſtiana reſpublica effingit; quando ex ruſticis & civibus intelligentibus, beneque pro aris & focis defendendis dimicantibus, facit nobiles: & hos rurſum, ſi a virtute deficiant & natales ſuos dedecorent, ad ignobilium deprimit conditionem.

Jam horum tam nobilium, quam ignobilium animos religionis controverſiis exulceratos ſanare poterit inſtans periculum, & conſentiendi ſumma neceſſitas: ut belli ſaltem tempore *ſint unum, maneant unum, moriantur & unum:* pro quibus ipſe Chriſtus eſt mortuus; quoſque jungit unum fœdus, unumque baptiſma. Non me fugit quam difficile ſit, animi vulnus diſſentientibus de religione opinionibus inflictum diſſimulare. Sed quid facias? Finge tu qui meliore te donatum religione putas, rem tibi eſſe cum ægroto valde impatiente: cui in multis ſit rebus connivendum: ſi prudenter agere nec charitatem ſcindere velis. Si conviciis evangelicus afficeris; cogita illud tui Eraſmi; *Fugax ætas, & vitrea valetudo non quibuslibet rebus impendenda: ſed quædam deſpicienda ſunt, & animus ad magna erigendus.* Vere *magni eſt animi, quaſdam injurias negligere, nec ad quorumlibet convicia habere vel linguam, vel aures.* Si Catholicus aliquid pateris, volve animo illud tui Marſilii Ficini: *Ad majora ego debeo eſſe paratus. Didici enim a Zenone, & Socrate, ne ipſam quidem mortem eſſe pertimeſcendam: didici a Thalete, & Heraclito, cuncta mortalium ſive bona ſive mala, dum oriri videntur, occidere: didici a Pythagora & Platone, dormire in corpore animum; & quæcunque hic agere aut pati videmur, nihil aliud eſſe quam ſomnia: didici denique a Chriſto Optim. Maxim. nobis defixis in omnem æternitatem oculis, cunctas mortalis hujus vitæ injurias eſſe negligendas.* Et vero irreligioſis noſtris de religione altercationibus infirmamus illam ipſam ſanctiſſimam Chriſti religionem: prodimus hoſti externo rempublicam Chriſtianam: ludificandos nos ad indignum modum Turcis & Judæis præbemus: deridendos nos ethnicis omnibus propinamus. Hi Auguſtini adhuc tempore Chriſtianis imputarunt Romani imperii dilacerationem, ejuſque brevi ſecuturam ruinam: quid nunc quæſo illi dicturi eſſent? Quid vero Symmachus idolorum Pontifex? Is apud Ambroſium, perſvadere Arcadio, Honorio, Valentiniano Imperatoribus volens, unicuique nationi ſuam eſſe religionem relinquendam; *Omnes,* inquit, *gentes aſpirant ad arcana divini numinis, ſed non iisdem modis, cum non omnes ejuſdem ſint ingenii, ſed variis viis ad eundem tendunt DEUM.* An non ille ſuam nunc idololatriam, diſſentientium Chriſtianorum exemplo corroboraturus eſſet?

Sint igitur animi liberi & vacui perturbationibus: nihil non juſte ac prudenter, quod ad rem Chriſtianam pertineat, judicetur: omnia præſentia & futura pericula ſuo pondere examinentur: non dubito, quin decreta *ἀμνηστία* bona fide in gratiam redituri, & conjunctis viribus atque opibus omnibus, in communem hoſtem ſitis pugnaturi. Nulla unquam cum hoſte iſto eſſe vobis vera pax & concordia poteſt: nec bello, nec pace tuti eritis ab ejus inſidiis. Etſi enim non ſemper infert vobis bellum: ſemper tamen occaſiones quærit vos opprimendi. Negligit omnem animi culturam, a Muſis & Gratiis alieniſſimus: ut nullum vivendi cauſſam iis relinquat, qui ingenio quam ventre malunt vivere. Contemptis artibus liberalibus unam colit rei militaris diſciplinam: qua opprimemini tandem (experientiæ credite) niſi provideritis. Accidit etiamnum vobis, quod finitimis Romæ populis; qui apud Livium conqueruntur de Roma: caſtra potius quam urbem in medio poſitam, quæ pacem omnium & tranquillitatem turbaret. Tollit omnem nobilitatem; ne ſuperſint, qui impatientia ſervitutis & contemptu propriæ ſalutis aliquando ipſum tollant tyrannum. Imperium ſuum non æquitate, ſed haſtæ longitudine metitur: nimirum omnem eum agrum ſuum eſſe cenſet,

cenſet, quem vi & armis occupare poſſit. Fide non ſtat in dictis atque conventis: fœdera eatenus ſervanda exiſtimans; quatenus tyrannidi ſuæ augendæ conducunt. Sic non ita pridem hic Amurathes fœdus rupit Perſis: ſic nunc idem frangit Chriſtianis. Duriſſima premit ſervitute omnes Chriſtianos, qui Chriſto nuncium remittere, & Mahometi nomen dare ſuum recuſant: non liberis eorum, non uxoribus, non ſupellectili parcit miles: quidvis quovis tempore in ædibus illorum impune & tentat & perficit. Unus omnia tenet: cæteri omnes ejus mancipia ad pecudum utilitatem abjecta. Ut valde mirandum ſit, & auditu horrendum: eſſe quoſdam in Germania Chriſtianos, qui dictitent, ſe Turcico Tyranno malle parere, quam catholicorum ſocietatem amplecti. Colludit nunc ille quibuſdam Chriſtianis tantiſper: dum devictis potentioribus, eos quoque veram ſervire ſervitutem cogat. Exemplo ſint Græci, omneſque alii, qui ad ſacra Mahometis necdum defecerunt.

Eadem plane nunc eſt ratio Turcarum & Chriſtianorum, quæ olim fuit Perſarum & Græcorum: illi barbari, hi humanitate perpoliti: illi ducebantur ſuperſtitione, hi ratione: illi multitudine, hi arte pugnabant. Xerxes quinquagies centenis hominum millibus in Græciam invaſit; nec tamen victor, ſed turpiſſime victus fuit. Faceſſat proinde animorum puſillitas, & deſperatio ob hoſtium multitudinem: quando non tam multitudo vincit, quam ordinum ex arte militari inſtructio, & pugnandi vincendique pertinacia, ex conſcientia bonæ cauſæ nata: quibus virtutibus noſtrates longe antecellunt Turcis. Græci olim & Romani prodigi vitæ fuerunt odio ſervitutis, amore patriæ, atque commodorum miſeræ hujus vitæ: & vos Chriſtiani, quibus patria eſt æternitas, veræ divitiæ divinitas, mortalem hanc vitam immortalitati anteferetis?

Sed jam facio finem; infinite rogans magnifice generoſum benigniſſimumque D. Anſelmum de Vels in Intzing, ſacratiſſimæ Cæſareæ Majeſtati a conſiliis cameræ aulæ, patronum incomparabilem: ut breve hoc ſcriptum ſuo tueri patrocinio contra malevolos dignetur. Invidum enim mortalium ingenium arrodit & lacerat omnia; ne a ſanctiſſimis quidem viris abſtinens, nedum a me, quem calumniatoribus valde opportunum reddidit ſuperioribus annis iniquitas fortunæ. Quocirca optabam etiam magnifici D. Jacobi Curtii ab Senfftenavv, non tantum genere, ſed ingenio & doctrina clariſſimi viri, Sacræ Cæſar. Majeſt. a ſecretis conſiliis, & imperii procancellarii, patrocinium: verum non auſus ſum præſens præſentem tantum Heroëm compellare: nunc tamen Diogenis hoc dolium ad ædes illius devolvendum curavi. Ut enim nec magni momenti: nec tanti & tam eruditi Domini cognitione dignum: volubilitate tamen ſua & ſtrepitu (inania ſiquidem majorem quam plena edunt ſonum) excitabit fortaſſe & pertrahet in eam ſpeculam: ex qua divus Hieronymus univerſam terram ſub pedibus poſitam optabat videri, ut Heliodoro ſuo oſtendere poſſet totius orbis ruinam, gentes gentibus regnis regna colliſa, alios torqueri, alios cœcari, alios abſorberi fluctibus, alios ad ſervitutem trahi, hic nuptias illic planctum, illos naſci, hos mori, alios diffluere deliciis, alios mendicare. Quarum rerum memoria ſi laboranti reipublicæ ſubveniri non poſſit a viro ſapiente; at luctus ipſi minuitur, & animo ejus præſtans illa divinaque ſapientia ingeneratur, qua (ut Ciceronis utar verbis) perceptas penitus & pertractatas habeat res humanas: qua nihil, cum acciderit, admiretur: nihil antequam evenerit, non evenire poſſe arbitretur. Omnia autem homini, quantumvis ſapienti & potenti, evenire tandem poſſe, cum ipſa loquitur experientia (videmus enim eos etiam, qui ſapientisſimi & potentisſimi habentur, paullo momento proſtratos extremis malis confici) tum non reticet clarisſimi aſtrologi admirabilis illa ſententia: qua cœlo quies terræ circularis motus tribuitur. Stat quodammodo cœlum ob tam ſtatas leges motuum, certasque vices revolutionum: terra autem volubilis cernitur infinitis turbis bellis aliiſque miſeriis. Unde magni quidam philoſophi dixerunt: cum cœlum aſpicimus facile nos divinam agnoſcere providentiam, ſed cum ad terram oculos reflectimus, omnia fortunæ arbitrio relicta, omnia videri, cœco caſu volvi. Qua orbis humani volubilitate, in bello civili inter Cæſarem & Pompejum offenſus Cato, philoſophus Stoicus, magnam eſſe in rebus divinis caliginem exclamaſſe, ſibique ipſe mortem conſciviſſe dicitur. At Chriſtianus philoſophus altius evectus, omnia vitæ incommoda divinæ adſcribit providentiæ: quæ commodis incommodiſque permiſcendis, vitam bonorum temperare ſoleat: ut diſſipatas per ſecundam fortunam animi partes recolligat per fortunam adverſam: ut cum humanum corpus deteriore poſt mortem ſit conditione quam belluarum, (nemo enim ex mortui hominis vel amicisſimi corpore aliquid cupit habere: ex beſtiarum autem cadaveribus expetuntur permulta, ut pelles, cornua, dentes,) aliquid ſaltem animi ſtudeat viventibus relinquere.

Henrici Turrii Vicecomitis de Tourenne ad Regem Chriſtianiſſimum de bello Turcico oratio

Habita Marſilii 31. Auguſti 1663.

Si quidquam in vita mihi jucundum unquam evenit, id omne cedit voluptati, quam flexa jam in ſenium ætate percipio; quum te florentiſſimo exercitu omnium regni tui procerum, & quod vivens nemo ſubjectum oculis habuit, octo amplius millium ex Gallica nobilitate, te tuaque caſtra gratuita opera ſequentium, comitatu & obſequio cinctum, urbs hæc non armato impetu, ſed ſolo imperatricis tubæ ſonitu, victorem ſponte aperta recepit, ac totius Lotharingiæ dominum volens libenſque, atque etiam ultro geſtiens ſuo in reliquas Provinciæ urbes exemplo, agnoſcit, veneratur,

neratur, ac ſecundis in omnia, quæ regno ætatique tuæ multo opimiori ſub ſpe pollicentur fata adjudicaturaque ſunt, votis & ominibus proſequitur. Enimvero quid ad ſummam humanæ felicitatis porro tibi deſit, Rex Chriſtianiſſime, quid optare, quid deſiderio quamvis improbo concipere ac concupiſcere potes amplius, quum quod jam poſſides, habes, tuaque in manu ſitum eſt? Hoc unum dicam audacter, Regum clementisſime, ut me aliosque bene conſulentes audias. Intra vigeſimum quintum ætatis tuæ annum nihil non quod voto effingi vel a fortuna exoptari queat, prono effectu conſecuto tibi, hoc unum eſt, quod non fortuna ſed mens recta & a Deo illuminata adſtruere poſſit, ut felicitate tua bene utaris. Atque ut heſterni diei experimento, cum in hanc urbem introiſti, nobili ſub ſpectaculo apparuit, quantum tibi bellatorum ſuppetat: tantundem tibi optimorum conſiliariorum adeſſe, vel conſeſſus hic probat. In quo ſumma cum animi voluptate intueor adſidentem Eſtræum collegam meum, octuaginta annorum ſtipendiis emeritis ſeſe tamen non minus impigre, quam juvenum quemquam, tibi ad res ſeu manu ſeu conſilio gerendas offerentem. Macte virtute, & hoc tam inſigni crudæ & nec dum ſe oblitæ ſenectutis ſpecimine, fortiſſime Heros: cujus nulla obliviſcetur memoria temporum: digne, ut quod vir æque ac juvenis omnibus belli pacisque artibus anniſus facere es magnum, nunc antequam vita concedas, inter omnia Chriſtiana imperia Galliæ regnum ſpectes maximum. At cum te imitari, nobis collegis tuis non ex decoro duntaxat ſed ex debito noſtro ſit; allaborabo, ut in me utilia Regi regnoque, non ſecus ac factis præſtiti nunc etiam verbis ſuadenti, eadem nec diſſimilia tibi lineamenta agnoſcas.

Verum antequam ad rem ipſam aggrediar, pauca de me præmittenda ſunt: nam quod conſilii tibi, o Regum invictiſſime, dandi libertatem uſurpo, ſcis illam a te mihi datam. Ut ſæpe numero miratus ſit nonnemo me, quamvis diverſorum a te ſacrorum profeſſione diſcrepem, tamen vel in arcanis deliberationum mecum communicandis, vel in rerum non levis momenti mandandis muneribus, perraro fuiſſe præteritum. Quam ego profitear religionem, in propatulo ac palam eſt: nec illa tamen me tam religioſum aut tam timidum facit, quin tibi libere ingenueque ſuadeam etiam ea quæ ex ejusdem uſu religionis minus eſſe videntur. Hæc nempe Gallicorum ſpirituum eſt ſinceritas: quæcunque ſacra ſequamur, una nobis ex omnibus res ſecundum divinum numen ſacroſancta eſt maxime, regni populique ſalus & tua & gloria & utilitas. Nec a longinquis argumentis arceſſenda probatio eſt. Inclitæ memoriæ virum, Dominum de la Noue, qui avo tuo, poſt parricidialem Henrici tertii cædem, qua ratione facillime regni Gallici ſucceſsio, tum inter Catholicos ac nos, qui Reformati vocamur, inteſtino diſſidio ſciſſos, capeſſenda eſſet, in arcano inter ipſos Reformatos conſultante, brevisſimis verbis reliquorum ſententias varia cenſentium præſcidit, nunquam eum Regem Galliæ fore niſi Catholicus fieret aſſeverans: vel ſi jubes me, ſpecta. Nam ut tuis auſpiciis in Germania nuper bellantem nemo Catholicorum illic in ſe acerbiorem, quam fas belli permitteret, me fuiſſe incuſavit: ita tu recens adeo meminiſti, cum de armis Romano Pontifici inferendis deliberatio eſſet, me tot inter Pontificios pene ſolum extitiſſe, qui bello illo abſtinendum ſententiam ferret. Nec me ita cenſuiſſe pœnitet: id ſaltem conſecutum, ut pateat omnibus, me quæ in conſilium afferam, non a privatis dictata affectibus proferre, ſed publicæ utilitatis momentis exigere. Male proinde iis ſit, qui me aliosque idem mecum de religione ſentientes, intempeſtivis cum Catholicis odiis collidere geſtiunt. Nam magni illius Mornæi Pleſſæi, qui quoad vixit Reformatæ in Gallia religionis, qua toga qua ſago, columen fuit, affirmata Avo tuo opinio certi mihi inſtar dogmatis eſt, quærenti: num Pontificios ſalvari crederet; haud dubie reſpondentis, nam infinitam Dei benignitatem, eosque ab ea excludere temerarium eſſe, & utcunque prolixi & non neceſſarii circuitus navigatione utantur, in eundem tamen portum, quo nos plana navigatione pervenimus, tandem & eos recipi.

Quid igitur in tanto Catholicorum conſeſſu unus vel cum paucis diverſa de religione ſentiens, tibi ſuaſurus ſum? Hoc nimirum: ut in Turcam bellum pares, & quam acerrime gerendum cures. Qua de re orantem me quæſo ita audias, ut ulla unquam de re, ad ſolidam Gallici nominis gloriam ac decus in perpetuum ſtabiliendum, diſceptantem quemquam audiſti. Cum totus Chriſtianus orbis civilibus turbis involutus, diraque inter ſe laniena furens, apertum exteris hoſtibus, & cæca rabie in ſua viſcera ſæviens, indefenſum latus præberet, mirum fuit, Turcas ſtatim ac quisque eorum naſcitur exitiabili in Chriſtianos odio imbutos educatosque, in tanta Imperii Turcici opulentia & magnitudine, aut non intellexiſſe occaſionem aut non æſtimaſſe, ac temperaſſe ab injuriis, quibus nullo unquam tempore opportuniores ac magis pro libitu eorum expoſiti fuimus. At nunc cum nullum pene Chriſtianis inter ſe, quam ſocero tuo Hiſpaniarum Regi cum Luſitanis, bellum ſit, cætera pactis fœderibus compoſita, nondum quidem obducta cicatrice ſed plagis utcumque percuratis, in ſolidi iterum concordisque corporis robur coaleſcere incipiant; haud minus mirum videtur, quid ſit, quod Turcæ Chriſtianos, quos inter ſe bellantes vincere proclive fuerat, non tum aggreſſi ſint, ſed nunc pacatos aggrediantur. Haud me fugit, quæ Gallos nequiter calumniandi penes quosdam libido, quid criminis nobis imponere volupe ſit, hoc nempe: nobis potisſimum auctoribus Turcarum in Cæſarem arma eſſe commota. Quam ego criminationem non ulla orationis defenſione, ſed re ipſa confutandam cenſeo. Et egregie refutabis, ſi ad id, ad quod te hortor, extemplo te accingas, nec in longiorem diem proferas, ſed e veſtigio repræſentes; & eo ſpecimine in hanc belli Turcici arenam rei Chriſtianæ opitulaturus deſcendas, ut nullum ſiniſtris rumoribus nullum ſuſpicato ſilentio locum relinquas.

Nec iverim tamen infitias, poſſe aliquos eſſe e noſtris, qui non quidem Turcas ad Cæſarem bello

bello appetendum per te concitari debere, ſed armis jam ſponte ipſorum motis tantiſper tibi cunctandum, & ope Cæſari ferenda ſuperſedendum putent, dum ille redactus ad incitas ultro ſupplices tibi manus tendat, agnoſcatque in te beneficii potentiam, fateaturque ſe ſalvum niſi per te eſſe non poſſe. At ego ſophiſma hoc politicum impium eſſe judico & inviſum Deo; uſque adeo, ut credam, ſi res eo deventura ſit, quo ea, ut deveniat, optant callidi iſti periculorum alienorum inſidiatores & otioſi ſpectatores, ut nimirum Cæſari ſuis exuto nullum ſuperſit niſi ad Gallorum miſericordiam perfugium, Deum tibi quoque vires neceſſarios ademturum, quibus vel illum vel ſane teipſum a periculis, callida diſſimulatione in majus, quam quæ unus ſuſtentare valeas, auctis explices, ſed eadem ruina, quam a proximo amoliri ſuperſediſti, tu etiam ipſe, maturus videlicet pœnæ a divinæ vindictæ legibus invento tam impio debitæ, involvaris, & cum innoxiis noxius pereas. Nam commentum hoc: fovere aut favere turbis ut in turbido piſceris; a Stygio genio ſuppeditatum contrario prorſus effectu damnabit evertetque Deus, teque etiam ad propria tuenda inopem nudumque deſtituet, qui tuum ex alienis calamitatibus lucrum ac compendium quæſiiſti. Age ergo, o Rex Chriſtianiſſime, procul hanc vafritiem abige, & quod a te beneficium Chriſtianus orbis expetit, & quam opem res trepidæ Cæſaris deſiderant, occupa præſtare, nec ullum temporis intervallum ſuſpende. Præterquam enim quod jucundius & in animo accipientis perennius eſt illud beneficium, quod obviam venit, quod ex ſe non rogatu alieno naſcitur, & quod prævenit interpellantem; non glorioſe duntaxat Chriſtianæ reipublicæ diſcriminibus ſuccurres, ſed tutius quoque exorti incendii flammas, in alieno quam in tuo, in longe remotis quam propioribus tibi finibus, exſtingues.

Jam cum iſtis veteratoribus, qui in benefaciendo non Regem ſed mercatorem te ſed cauponem agere cuperent, faceſſant & illi, qui ex hac tua Lotharingica expeditione neſcio quid te porro in vicinos aggreſſurum, aut gratuito fingunt, aut male ſuſpicaces metuunt, aut ultro te facere vellint; ut tanto majus tibi imperioque tuo odium concilietur, quanto inviſius eſt, cum hoſtem non habeas, aut ſi habeas prætereas, in amicos graſſari. Quaſi vero in numero hoſtium Rex Chriſtianiſſimus eos non habeat, qui Chriſtum, qui Chriſti gregem tanta rabie oppugnant, ut ignominiæ ſibi ducant, eſſe quemquam in terris qui Chriſtum colat. Sunt enimvero haud dubii hi hoſtes tibi; nec minus illi, qui ne veros hoſtes agnoſcas amicos pro hoſtibus objiciunt, teque in eos infeſtum infenſumque ferri cupiunt, quorum cum confeſſis obſequiis uteris, ſtultum fuerit per injurias extorquere quod jam ultro ab his habeas. Nam quid in Germania uſpiam eſt, quod te non revereatur, in Italia quod non colat, in Belgio quod non ſuſpiciat, in Britannis quod non obſervet, in Hiſpaniis quod non honoret? Quis vero hoc Regum ante te ullus conſecutus eſt, ut Chriſtianas omnes oras amore reverentia obſequio ac cultu, qui tibi ab omnibus quos nominavi, adde & a Suecis Danis ac Polonis, competit, devinctus haberet? Hæc vera regnorum imperiorumque gloria, hæc ingenua regiæ & ad divinam prope accedentis majeſtatis effigies & exemplar eſt, non per vim ire poſſeſſum quæ cupias, ſed per venerationem benevolentiam, & ejusmodi affectum qui læte libenterque obſequentibus etiam animi ſui vultum induat, habere addicta. Multo quippe certior eſt ab amicis: quos meritis & inpenſis officiis, quam a ſubjectis quos metu contines, fides; & ille demum magnus eſt, cujus magnitudinem magnitudine ſua quamplurimi ſubſtruunt, ut tutelæ ille ſuæ præſidiique umbram largius poſſit ſpargere. Quæ ſi tu recte intelligis, Rex maxime, ſi opes tuas inde æſtimas, ut non tam quod velis poſſe te, ſed amicos fœderatos vicinosque idem quod te ipſum & ſubjectos tibi populos velle, & ut efficiatur avere cernas: næ tu jure tuo, non adventitio & in aliis ſitæ opinionis ſuffragio felix es; ac felix in perpetuum eris, quamdiu in hoc animi ſeſe ſibi ſine fuco oſtendentis habitu perſeverabis. Sed non deſes, non otioſa, non ſibi ſoli propria ac beata, & domi tuæ cuſtodita ſit hæc felicitas: exeratur, uſum ſui præbeat, fructum ſpargat, ſeque cum totius humani generis felicitate communicet.

Quam vaſta vero, quam ingentia ſeſe exemplorum ſpatia tibi pandunt, ut felicitatem hanc tuam, alios reddendo felices & quaſi in opere habens, augeas & extendas! Uti immenſus cœli ambitus a ſole, ita infinitus terrarum mariumque tractus a te ut illuſtretur, tuis radiis ſplendeſcat, tua ope foveatur, appetit. Sed infeſto adſitum periculo ac properi ſubſidii neceſſitate, nihil eſt quod æque colluctatur ac ſub magno diſcrimine paveſcit, atque Ungariæ ſolum, Turcicarum illa vetus & exercita calamitatum arena. Tum proxime huic adhæreſcens Germania. Quibus ex oris (proh dolor!) indies alios ſuper alios miſeriarum illuc ex improviſo longe lateque ſeſe effundentium nuncios accipimus: quibus niſi commoveamur, indigni ſumus qui Chriſtiani vocemur. Huc ego te voco, his duabus provinciis ſub extremi confinio exitii laborantibus, ut cæteris rebus omnibus relictis ſubvenire matures, hortor. Non quidem ut ipſe expeditioni interſis (quanquam & hoc non degeneris a majoribus tuis, a Ludovico præſertim Sancto eſſet exempli, qui ſemel in Ægyptum iterum in Africam trajecto exercitu res magnas glorioſius ſuſcepit quam geſſit) aut e Laribus tuis, unde in omnia regimen, excedas; ſed delecta copiarum quæ jam ſub ſignis tibi robora (hoc etenim ſolum a te poſtulatur) periclitantibus ſubmittas, paratus ingraveſcenti diſcrimini tota regni mole obviam ire.

Atque ſi mihi nunc operæ eſſet, de toto belli quo Turcicæ vires convellendæ ſint genere diſſerere, autore uterer eodem, quem ſupra nominavi, Domino de la Noue: cujus hac ſuper re ſcripta extant typis vulgata, plena militaris prudentiæ. Verum ego pro eo qui nunc eſt rerum ſtatu quæ ſentiam profabor. Germania omnis in decem deſcripta eſt partes, quos Circulos vocant, Auſtriacum, Burgundicum, Rhenanum triplicem, duplicem Saxonicum, Franconicum inde, Bavaricum

cum et Suevicum. Ex his ego Circulis octo illos quos poſterius nominavi ſegregem (nam priores duos Cæſari eximios peculiareſque relinquam) conſcribique ab eis oportere ac ſub ſignis haberi putem 21. millia peditum, 4000. non minus equitum gravioris armaturæ: ſtatoque ſtipendio ali, ac ſub ſeveriſſima diſciplina (quam, ſi ſtipendia militi rite atque ordine exſoluta procedant, facillimum erit conſervare) haberi. Ad quod ſtipendium definito tempore repræſentandum, ſumtuſque alios bellicos tres florenorum Germanicorum milliones neceſſarii. Nec arduum fuerit, ex collatione tot qui ſub his circulis cenſentur populorum, id æris colligere; dummodo æqua in omnes partita ſint onera, & pro facultatum modo quivis conferat, nec plus juſto gravetur qui minus poteſt. Nam ſi in tanta mortalium, qui his Circulorum finibus incolunt, multitudine, quilibet unus non plus quam unicum quotannis florenum pendat: (quis autem ille mihi tam erit afflictus & miſer, qui duodecim menſium ſpacio tantulum æris vel mendicando, vel eſuriendo ſi aliter nequeat, non facile corrodat? tres iſti milliones ſub manu naſcentur. Hic vero facere nequeo, quin admoneam Circulorum horum Principes Regulos Dynaſtas ac Magnates, ne totum tributi hujus onus ſoli plebi imponant immunes ipſi, & quod luxu expendant publicæ neceſſitati ſubtrahentes, ſed præcipuum in ſe recipiant, ſumtuſque aulæ & domeſticos alios ſupervacaneos contrahant ac reſecent, nec infelicium ſubditorum ſanguinem ac medullas exſugant, ipſi ſoli pingues opulenti ac beati: id quod Deus in illos commeritis ſuppliciis dire olim vindicaturus eſt. His Germanicis agminibus ſi Tu, O Rex, ſex peditum duo equitum, Sueci quatuor peditum millia quingentos equites, Vngari autem ac Tranſilvani tria peditum quinque equitum millia, (quos ſuo tamen ære conſcriptos alant) junxerint; formidabilem Turcis exercitum, triginta ſex millia nempe peditum duodecim equitum, in aciem educere poterimus, ſat validam quæ cum centum Turcarum millibus aperto campo confligat.

Stipendii autem annui & quod præterea ſumtuum fieri neceſſe, ſumma ad quinque milliones excreſcet: quorum Germania dixi tres, Tu unum cum dimidio, millionem alterum dimidium Suecus Danuſque tum Hanſeaticæ ſocietatis affines urbes pendant, & in commune conferant. Qua in re tibi imprimis auctor ſum, ut ad prompte conferendi alacritatem aliis facem præluceas. Inibi enim locorum, cum de pecunia promenda agitur, oppido lentæ impenſeque continentes ſunt manus noſtræ; quas non facile niſi magno ſub exemplo, ut officium ſuum faciant, excites & laxes, atque eo fine confeſtim decies illud Ludovicæorum nummum centenorum millium, quæ tua eſt portio, præſenti pecunia partim Francofurti, partim Lipſiæ & Vratislaviæ, per mercatores collybo tranſmiſſum in promptu eſſe, ſed depoſiti fide tantiſper cuſtodiri cures, donec reliqui, præſertim Germani, periculo proximi, adeoque & neceſſitati ut ſemetipſos adjuvare properent propiores, tantæ pecuniæ aſpectu incitati ea quæ ab illis proficiſci debent explere ſatagant. Et quam facile hoc decies centies millies repræſentatu tibi, O Rex, ſi cum Fouquetio uno ærarii tui diribitore rationem ponas, & paululo duntaxat pecudem hanc auream attondeas? Neque enim dignius & religioſe magis illam hujus Ægiſthi & Cornificii, nundinatricem beatarum noctium, noſtrarum forium obſidetricem pecuniam, quæ niſi intercepta fuiſſet non unius in Danaes ſinum per imbrem aureum defluxiſſet, expiare & tuam illic expreſſam effigiem luci reddere potes; quam ſi pulveris Cyprii coemtione dehoneſtatam nitrato defrices, ablatamque Veneri Marti tradas, & caſtris, non caſtratam, ſed a caſtratis, quorum ille gregem per ſolam vocis maricidio redemtæ commendationem acceptum & pretioſum alere ſolebat, vindicatam dedices.

Effervescet extemplo, cum quod tuæ portionis eſt militum, condicto loco in expeditionem paratorum, atque tanto cum ſtipendio inſtructorum comparebit, & reliquorum pari in re par eoque impenſius ſtudium, cum major eorum quam tua res hic agatur. Nec multi laboris erit, ut quilibet ex illis quos nominavi Germaniæ Circulis, bis mille ſexcentos pedites, equites quingentos armis æreque militari ornatos, breve intra tempus ad ſigna ſiſtat. Nec Sueci, nec Danus, & Vrbes fœderis Hanſeatici, quod ad eos pertinet ſubmittere militum & pecuniæ ad tuum aliorumque exemplum ceſſabunt; & licet ultimi terrarum ultimi in opera ſedulo patriæ navanda non erunt.

Huic ego exercitui, quamprimum aut totus aut digna ad res gerendas ſpecie compoſitus atque ordinatus ſub ſignis erit, iter per Saxoniam agrumque Brandeburgicum ac Sileſiam, qua proximum in ſuperiorem Vngariam & a latere adſitam Tranſilvaniam (quo minus Auſtriacas, de quibus poſt mihi ſermo erit, provincias proprio milite onuſtas prægravet) recta capeſſendum ſuaſerim, ſedemque bello Caſſoviam deligendam; ſummam autem imperii Electori Brandeburgico committendam. De cujus virtutibus multa profari nunc operæ non ſit; nec dubitandum, qui ut hactenus ita etiam in expeditione hac Turcica locum principem dignis Principe factis egregie ſit impleturus, acceptus futurus Cæſari, acceptus tibi, ipſis etiam Pontificiis acceptus bellator. Ne de iis qui de religione mecum ſentiunt, dicam; ut ſunt majorem partem Vngari. De quibus mihi certo hoc polliceor, quam ad hoc uſque temporis ſegnius Cæſare evocante (forte ob hunc ipſum religionis reſpectum) ad arma inſurrexerint, quam primum hunc ducem ad fines ſuos adventare inaudierint, plenis agminibus in caſtra ejus convolaturos. Alteras a Brandenburgico qui teneat, Te penes ſit, vel Principem Harcourtium, vel me ſi dignum putes, eligere. Neque ego neque Harcourtius juſſa detrectabit; ut qui quo ego animo Bullionicæ, eodem Lotharingicæ domus funebria ſpectarit, uterque melioris ſpem fortunæ merito nobis noſtro alibi, & ubicumque tu volueris, locorum pignoraturus. Non deſunt Suecis, non Danis, quorum opera utantur, ſelecti belli duces. Eadem Germanis, eadem Vngaris virorum fortium & expertorum facultas. Nihil proinde

proinde ut deſit, quam ut Tu primus occipias oſtendere, quid tibi ſit animi. Te auctorem, Te auſpicem nemo erit quin ſequatur.

Hunc quem oratione mea concinno, non minus autem, ſi res ſerio ſtudio agatur, reipſa concinnatu facilem, exercitum ſuperiori Vngariæ præſidere velim. Nec ullus dubito, non longi intra temporis ſpatium tam ſecundo rerum eventu bellatum iri, ut non tantum pars illa Vngariæ, ſed Tranſilvania Moldavia ac Valachia, opulentiſſimæ regiones, Turcicæ tyrannidis exemtæ pedicis, nobis ſint acceſſuræ. In Vngaria vero inferiore alium exercitum, ex Auſtriaco Burgundiacoque circulis Bohemiaque & Sileſia coactum habeat Cæſar: (viginti nempe peditum tria equitum millia) cui & conſcribendo, & ſtipendio ſtato ſuſtentando, illæ ipſæ ſat habiles & ſufficientes ſunt provinciæ. Quibus ſi Helvetii, in communi fidei Chriſtianæ diſcrimine per tuam vel ſolam autoritatem haud exoratu difficiles, duo millia peditum ſuæ nationis, Rex porro Hiſpaniarum quinque millia peditum mille equites, Principes ac Reſpublicæ Italiæ (Pontifice Venetiſque exceptis, quorum opera alibi locorum, ut poſt indicaturus, æque utilis erit) tria peditum millia equites mille, Ordo tandem in Germania Teutonicus liberaque Imperii nobilitas mille itidem equites, Croati ad extremum & illius oræ Vngari quatuor peditum totidem equitum millia addant, Cæſarque ipſe ſuo ductu præſens res adminiſtrandas ſuſcipiat, aut non temere ulli alii quam ex Auſtriaca aliave inter primarias in Germania familia nato Principi committat; eccui erit dubium, quin hæ quadraginta quatuor millium ſummam exæquantes copiæ tota Turcas quæ ad illud Danubii latus eſt Vngaria ſint exacturæ? Hic pro ſtipendio annuo & reliquis militiæ expenſis quatuor cum dimidio Germanicorum florenorum milliones habeantur neceſſe eſt. Duo cum dimidio a Cæſare ex Auſtriaci Burgundiacique circulorum collationibus ac tributis ſuppeditandi; unus cum dimidio, quæ eadem tuæ, O Rex, portionis ſumma eſt, a ſocero Tuo Hiſpaniarum Rege; qui deſit alter dimidius millio, a reliquis quos memoravi expeditionis ſociis exſolvendus.

Pontificem belli a te impendentis metu liberum (nam rem cum eo tranſactam dat poſſeſſus a te Avenio, & tua Parmæ Mutinæque impenſa acceptaque beneficia, ut benefactorem malint amicum habere quam vicinum, multo minus ament Larium ſuorum inquilinum) quid impediet, quo minus, quam nunc coactam habet leviſſimam militum manum, brevi navigationis per Adriaticum trajectu copiis Venetis jungat? hæque una ſociatæ Dyrrachium, aut Aulonis in Epiro portum Turcis (nil tale, ut nunc res ſunt, opinantibus, conſtareque tibi propoſitum arma in Pontificem inferendi credentibus) tentent, ut ſi res ſucceſſum habeat, oræ illius habitatores plerique Chriſtiani profligare Turcicam ſervitutem, & ſinum Turcici Imperii armis noſtris patefacere queant.

Valebit haud dubie tua & apud Batavos & Anglos autoritas: exhortantis ut quidquid mari poſſint (ſunt autem navales iis immenſi apparatus) infeſta navigatione inferant Africæ littoribus, & infames illic piratarum, (ſub quibus tot ex utraque natione capti miſerrimi hominum immanem dictu ſervitutem ſerviunt) nidos & luſtra exſcindant. Præſertim cum perfidis pactis toties ab eis ſibi impune usque adhuc illuſum, mariaque omnia atque ipſum adeo Oceanum, ad oras usque Britannicas ac Batavicas, prædatoriis horum Barbarorum navigiis audaciſſime pererrari cernant; ut nusquam non locorum Chriſtiano cuivis plena periculis & anxia metu ſit navigatio. Nec vero Galli ipſi, internaque maris noſtri & in Oceanum obverſa Galliæ littora, ab eorum latrociniis libera ſunt. Vnde decorum tibi erit, & quidquid maritimæ potentiæ tibi ſuppetit cum claſſe Batavica atque Anglica pariter in hoſtem emittere, & a ſocero quoque tuo ut idem faciat impetrare; quippe cujus regiones longiſſimo terrarum littorumque tractu latronum horum incurſibus multo latius ſunt expoſita.

Luſitanis profecto, ſi idem ſocer tuus ad pacem eis aut annorum aliquot inducias concedendas reipublicæ Chriſtianæ bono ſe permoveri patiatur, quid optatius contingat, quam metu Catholici Regis liberos poſſe ſe quidquid habent virium ad communem Chriſtiani nominis cauſam tuendam conferre, & incenſa a conſanguineis populis odia in Turcas & Mauros effundere, & per horum excidia inſepultis Regis olim ſui cineribus parentare?

Nec mihi minor de Polonis ſpes eſt, qui utique in reliqui orbis Chriſtiani contra Turcas conjurati conſeſſu non quieſcent; ſed in eodem ſacramento nec inter extremos eſſe volent: præſertim cum refractarius ille Regi ſuo miles, qui ſeceſſione ſua res Polonicas hactenus in ambiguo tenuit, pernumerato ſtipendio pacatus jam in juſtos ferri hoſtes, jam legitima mereri vulnera, impenſe ardeat. Quid ſi & Moſci & Poloni ut concilientur, communi totius Chriſtiani nominis deprecatione ac ſuppliciis a ſe impetrari ſinant? quo promtius ipſi Coſaccis Ponti Euxini accolis ſociati in viſcera Turcici Imperii invadant: Moſcus autem diverſa parte, qua fines ejus a Turcicis propius abſunt, nova belli mole in eos incumbat; ipſumque adeo Perſam, profeſſum ac perpetuum Ottomannorum hoſtem, ad manum ſecum jungendam, & per inviſæ gentis exitium ſatianda innata in Turcos Perſis odia commoveat & concitet.

Hujusmodi te cogitationibus, O Rex, ſuccinge. In hujusmodi ſucceſſu tentanda diſcrimina te arma. Ad talia te experimenta facienda ducem atque auctorem præſta. Atque adeo temetipſum a te præſenti interroga: quibus ſcilicet conſederis arvis, quas terras premas. Has nempe, ex quibus Gottofredus Bullionæus, non ille earum ut tu opum ſed fortunæ permodicæ Princeps, auſus eſt tamen animi ſui magnitudinem ac ſpes ſuas in penitiſſimos Orientis ac Palæſtinæ fines proferre. Ac protulit pertulitque re ipſa, per infinita terrarum ſpatia ducto voluntario ducentorum amplius millium bellatorum exercitu, ac tandem Hieroſolymitana & urbe & regno potitus, glorioſiſſimum tibi prævivit imitationis exemplum; ut eo minus extra hujusmodi cogitationes ſis, quo major es ſed ad paria ac ſublimiora aſpires. Nec tamen ad id gloriæ faſtigium ut pervenias, neceſſe tibi te domo commovere;

ſed quod velis, quod tibi in voto ſit, efficaciter velle. Nam ſi conſtanter quidquid id ſit, hoc præſertim quod ipſe Deus concitat, velis, poteris quoque, modo tibi ipſi poſſe videaris.

Jam primum Germaniæ Ordines omnes, ad quorum latus ſævit belli periculoſiſſimi incendium, tuam implorant opem: te adjutorem protectorem auxiliatorem ſuum reſpiciunt, tibi ſe ſalutemque patriæ commendant. Major ex illis pars peculiari tecum ſociata fœdere, ut ex fide quoque tua ſit eis opitulari. Cæteri, atque illi præcipue qui Auguſtanæ confeſſionis nomine cenſentur inſignibus, vel me teſte, beneficiis a te affecti (quæ reticeo, ne exprobrare videar) a te tuaque autoritate nunquam diſſentient; ſed tuis ſuffulti ſubſidiis, tuo animati ductu & exemplo, armabunt quidquid quiſque habet virium & egregium brevi militem ſacramento adactum producent. Tum autem Cæſar ipſe conſobrinus tuus, tam arcto ſanguinis nexu junctus tibi, quid a te non jure merito exſpectet? in tanto ſuo & totius reipubl. Chriſtianæ adeo nunc valido ictu percuſſæ diſcrimine? Quam tu per omnium facultatum tuarum, quam per proprii ſi res poſtulet ſanguinis effuſionem, eo pacto quo filius matri civis patriæ mortalis Deo obſtringitur, tegere ac tueri obligatus es. Poteriſne tu ſecundum Ungariam Turcarum faucibus immerſam, Auſtriam quoque ab iisdem omnibus barbaricæ & inhumanæ atrocitatis tormentis dilaniatam, ſiccis oculis, immoto ad commiſerandum pectore, nullo ſubveniendi æſtu ac fervore, nullo ad innoxiorum tot populorum cogitatu etiam fœdas calamitates, doloris ſenſu intueri, immemor tui ipſius, immemor Auſtriaci ſanguinis, quo dimidio a matre promanante & ipſe vivis & quo itidem dimidio qui ex te vivent victuri ſunt?

Venit nunc in mentem mihi quadringenties mille Ludovicæorum illud nummum, a cardinali Mazzarinio in Turcici uſum belli ſupremis Cæſari tabulis legatum; cum ille ſub propinquæ jam mortis diſciplina doctus eſſet, & docere poſſet alios, ſi qui audiant, quæ maxime laudatæ & rite impenſæ ſint opum eccleſiaſticarum erogationes. Hanc tu pecuniam cur domi cuſtoditam teneas, cur non emittas, quo ire juſſa eſt, quo ipſamet tendere geſtit? Cur hoc noviſſimæ voluntatis ſuæ fructu defunctum, hominem qui omnibus in te vivens moriensque officiis defunctus eſt, fraudes? Neſcio quem ad te excuſandum tui ſi eos conſulas theologi, tuæ conſcientiæ arbitri & rectores colorem dicere aut quid obtendere queant. Mearum ſane in religione partium theologos ſi interroges, negabunt legatam Cæſari pecuniam in tam acceptum Deo uſum, in tanta neceſſitate, ſine gravi a te piaculo retineri poſſe; imo moram quoque, quod tardius ſolveris, condigno fœnore redimendam ac ſupplendam.

Eja ergo, quid cunctaris, quid deliberas, quid in tu te oblivionem immergis? Res Chriſtiana tota in te ſuſpenſo hæret vultu: tuum nutum, tua operitur auſpicia. En paratus tibi lectiſſimus miles. Ex quo quid erit negotii ſex non amplius peditum duo equitum millia ſegregare, & in tam glorioſi incepti expeditionem præmittere, donec ſi opus fuerit tota regni mole ſubſequare? Par rebus gerendis præſentis pecuniæ vis in manu tibi; plura inexhauſtæ tributis Galliæ pollicentur. Et hic belli nervus, hæc rerum anima, hic omnium actionum ſpiritus eſt, huic omnia obediunt, obſequuntur, & ejus ſubſidio ſuſtentata ſeſe factu facillima reddunt. Germanus, Suecus, Danus, Polonus, Anglus, Batavus, & quicquid uſquam Chriſtianæ notæ eſt, Italus ac Hiſpanus ipſe, non concedent tibi. Et quivis eorum approperabit, ſi inter primos eſſe nequeat, ſaltem ne poſtremus ſit. Quid autem Gallica nobilitas? quo ſe animorum ardore tua poſt juſſa incitabit, ad hoc bellum tam glorioſum, tam neceſſarium nomini Chriſtiano propinquo ab interitu vindicando? Crede mihi, crede orbis univerſi famæ & voci: horrent Turcæ vel ſolum Gallorum nomen. Nam oraculo eis proditum, & ipſi prona fide credunt: Gallorum virtute & armis Imperii Ottomannici ſtatum everſum iri: magniſque pene quotidie lamentis, cum in templorum ſuorum adytis Machometo ſuo ſupplices, id ſolum ut in longinquum fata ipſis imminentia proroget, (nam ut omnino effugiant, nulla ipſis fiducia aut ſpes) impetrare contendunt, conteſtatum nobis & certum reddunt; at magno emant ne ad nos emanaverit. Hoc tu oraculum verum maturumque & eventu ipſo comprobatum facito, Ludovice. In hæc te facta natum eſſe præſumito. Multis antiquitus expeditionibus inclaruerunt per Orientem Gallorum arma: ac proinde quiſquis ibi Chriſtianus audit Gallus ſeu Francus nominatur; inſigni documento, quanti populis illis Galli fiant, quorum nomine totius Chriſtiani orbis univerſitatem inſigniunt.

Potuit Gottofredus Bullionæus Solyma, potuit Balduinus Flander Byzantium expugnare: quota parte opum tecum comparandi? Ne deſis exemplo, qui vicibus immenſum ſuper es. Aude & te dignum oſtendere, qui poſteritati inter exempla ſis.

Ea es ætate, quæ M. Alexandrum ingentibus belli facinoribus vel maxime exercitum intentumque habuit. At ille orbis prædator, tu vindex eris. Ille ſibi, tu Chriſto vinces. Terris ille omnibus, tu ſecundum terras cœlo potiri contendis. Non unus illi orbis; nec tibi ſufficiet, ad ſuperos, ſed tum demum ut vovemus transgreſſuro, cum ille totus a te domitus doctusque Chriſtum adorabit, ne mortalitatem tuam prius expleas quam immortalibus mortalia omnia beneficiis affeceris; tum, cum inter Chriſtianos lætum erit Turciam in Turcia quærere, excisis Machometiſmi veſtigiis Chriſtianorumque in oriente ſervitute commutata in imperium, ut iisdem ergaſtulis conſtrictos Turcas includant, quibus nunc ab his, ſub intolerabilibus humanæ patientiæ tormentis ac ſuppliciis continentur.

Horum calamitoſorum voces te audire, horum lurida & deformia ora intueri te, o Rex, finge. Illoſque vel ſolos Gallos tuos cogita, quorum infinitus numerus vel in Africa penes piratas, vel alibi apud Turcas, non ſervit (humanum hoc) ſed beſtiarum in morem habetur affligitur & premitur.

Horum

Horum, a te paſſis manibus opem dulceque libertatis nomen inclamantium, quin te miſereſcat; quin eis opitulatum eas, ſcio te vitæ uſura tibi interdicturum. Tanta in te pietas: tantus in tuos amor: tanta erga illos caritas: ut hujus potiſſimum virtutis in te ad Chriſti exemplum exprimendæ incenſo ardore & ſtudio, dignum te Chriſtianiſſimi Regis nuncupatione ac nomine oſtendas.

F I N I S.

HERMANNI CONRINGII
Diſcurſus politicus de militia lecta, mercenaria & ſocia.

Aprilis Menſe MDCLXIII. ventilatus

Reſpondente

JOACHIMO CHRISTIANO Koch, Straleſund. Pom.

Nobiliſſimo Ampliſſimo & Conſultiſſimo

DN. JOACHIMO Carſtens,

JCto celeberrimo, Inclytæ Reipublicæ Lybecenſis Syndico graviſſimo,

Patrono ac Promotori ſuo ætatem inſtar Avi devenerando,

Hunc diſcurſum, obſervantiæ ſuæ teſſeram conſecrat

L. M. Q.

JOACHIMUS CHRISTIANUS Koch.

A. D. T. O. M.

THESIS I.

ADmodum accurate philoſophum noſtrum Ariſtotelem *Pol. 7. c. 14.* omnem vitam humanam diviſiſſe videmus, in negotium & otium, BELLUM & PACEM. Hanc prævalere, tanquam rem nobiliorem, utpote ad quam recuperandam negotia belli dirigenda ſunt *Polit. 7. c. 2. it. 2. cap. 7. Cic. lib. 1. off.* multarum rerumpubl. intereſſet; Verum quoniam illa non ſemper poteſt obtineri ſalva regiminis eſſentia, nec cuivis etiam reipubl. unus eſt ſcopus, hinc niſi ſuccurratur ei tempore belli ingruente, non bene ſeſe habent res totius civitatis. Commode idem noſter philoſophus *Rhet. 1. c. 4.* in omni deliberatione de republ. inſtituenda ad bellum & pacem accurate attendendum eſſe monet.

II. Proinde ut ad utrumque tempus recte ſeſe habeant reſpublicæ neceſſarium eſſe, ex his patet, quo pace non abutantur, ut belli negotia non negligant. Alias enim a ſeditionibus imo ipſo interitu non immunes eſſe, colligimus. Contingit autem non raro, quod reſp. quædam ad pacis artes bene ſit conformata, ad belli negotia minus, vel omnino non. In hujus peccati culpam merito incurrit Phaleas, qui ſuam rempubl. pacis ſolum temporibus accommodavit; quem Ariſt. etiam hoc nomine graviter increpare non dubitat *lib. 2. cap. 5. polit. Neceſſe* (inquit) *eſt, rempubl. inſtructam eſſe ad robur bellicum.*

III. Contra reperias reſpublicas non paucas belli artibus faciendis ſatis idoneas, pacis autem temporum eſſe impatientes. Etiam hoc vitium *Polit. 2. c. 9* juſta de cauſa in republ. Laconica reprehendit Ariſtoteles noſter, redarguens Lycurgum, aliosque reipubl. illius conditores erroris non exigui, quod ad bellicam virtutem cives ſuos ſolum aſſuefecerint. Eandem animadverſionem facile quis hiſtoriæ peritus obſervabit rempubl. Romanam meruiſſe; quæ neglectis pacis occupationibus, bellicis maxime incubuit. Bellum ex bello excitavit, ad pacis tempora aut propemodum nullis, aut raro incentis conſiliis. Ut inde *Tacitus lib. 3. annal.* Duodecim tabulas finem æqui & juris fuiſſe, *at ſecutas leges, adipiſcendi illicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob prava, per vim latas eſſe*, veriſſime dixerit. Hinc non miretur quis, fieri potuiſſe, imo eveniſſe, quod reſpubl. Romana inter otia fere torpuerit, & bellandi ferocia abolita virtus civium paulatim expirarit. Idem pene omnibus bellicoſis gentibus & pacis artes ignaris accidit. Schytæ mille annorum bellis ſub jugum redegere pene totum orbem, devictum retinere non potuere. In Perſarum rebus geſtis non diverſum obſervabis.

IV. Conſulitur autem omnium optime utrique huic incommodo legibus & armis. Cui aſtipulatus Ariſtoteles: *Opus eſt* (dicit *Pol. 3. c. 8.*) *juſtitia & bellica virtute*, neque enim ſine his civitas habitari poteſt. Sic Polybius lib. 6. *Duo ſunt, quibus omnis reſpubl. ſervatur, in hoſtes fortitudo, & domi concordia.* Primo itaque rebus tranquillis adhibendæ ſunt bonæ leges, quæ dirigant civium actiones ad ordinem concinnum totius civitatis. Ut ſcilicet cives virtuoſe operentur & cum virtute *αὐτάρκειαν* habeant conjunctam. Hac ratione juſtitia accommodata eſt civitati. Jus enim civile ſocietatis eſt ordo *Pol. 1. c. 2.* De legum autem forma & utilitate non eſt ulterius, quod hic dicamus.

 V. Secun-

V. Secundo ut civium animi a conſtanti propoſito virtutem colendi non avellantur, nec præſente otio effœminati fiant ipſorum mores, etiam in ipſa pace bellicis exercitiis corpora ſua confirmare debent, quo antequam bellum ingruat, illud arcere ſciant. Quemadmodum enim ferrum, niſi uſui quotidiano adhibeatur, rubigine conſumitur: ad eundem modum in pace viventes, ſi deſides ſint *polit. Ariſtot. lib. 7.* Ut vero incomparabile emolumentum hujus præcepti non omittam quod Ariſtoteles argute attendit, illud eſt conſervatio libertatis. Hinc *polit. 4. cap. 4.* contra Platonem quintum genus civium neceſſarium in omni republ. eſſe cenſet ſcilicet milites, *quo cæteri non ſerviant in ipſos hoſtiliter incurſantibus; & ex liberorum hominum cœtu non fiat multitudo ſervorum. Nam ii quibus arma deficiunt ſunt ſervi eorum qui illa gerunt. pol. 2. cap. 8.* Neque enim in quenquam potentiorum injuriæ magis invehuntur, quam in eum, quem omni præſidio deſtitutum impune offendi poſſe noverunt.

VI. Juvenes ſimiliter ad bella gerenda eligit philoſophus noſter, quoniam aptos hoſce cenſet, natura ipſis conferente corporis robur, animique promptitudinem *7. polit. cap. 9.* Præterea, cum omnis reſpubl. non ſolum ad defendendum, ſed etiam ad offendendum compoſita eſſe debet, armis non poſſe carere eam, liquet. Si enim cives ab injuria oportet defendere etiam adverſus vim externam, apparet illam per contraria infringendam eſſe. Quemadmodum autem & illud, ſic quoque vim vi repellere licere, intelligentium, jure naturæ armis arma repelli conceſſum eſt. *Grot. lib. 1. de jur. bell. & pac. c. 2. §. 3. & 4.* Nec injuſtum eſſe videtur, ob gravem illatam injuriam alterum populum bello petere, vindicando ablata, & puniendo ſontes. Idem adſtruente Grotio *libr. 2. cap. 2.* Ob eam enim cauſſam ſuſcipienda bella ſunt, ut ſine injuria in pace vivatur. Cicero *lib. 1. off.* Quid de illis vero rebuspubl. aſſeremus, quarum ſcopus poſitus eſt in lata potentia conſequenda, quæque adeo neglectis pacis negotiis, bella tantum non ſemper gerunt lucri cauſa, cui ſupra modum inhiant, in quarum numerum tu referre poſſis Romanam & Spartanam? Sane illas multo minus, & non niſi cum damno militibus poſſe carere, ſatis manifeſtum eſſe puto, modo finem conſtitutum non relinquant.

VII. Non jam diſputatione prolixa opus eſt, an bella geſta talium rerumpubl. conveniant cum jure naturæ, nec ne? aut quænam ſint juſtificæ cauſæ bellandi. Certum tamen eſt, hoc fine reipublicæ electo, illicito modo plæraque ſuſcipi bella; propterea quod amplificandi imperii cupiditas cum iniquitate fere ſemper ſit conjuncta. Verum hæc ceu ab inſtituto noſtro aliena removeamus: nam longe commodius hac de re agitur alibi, & pertractatum eſt hoc argumentum accuratiſſime a ſupra dicto H. Grotio in aureo opere de jure belli & pacis. Nos, (ut in orbitam redeamus) militiam ad reipubl. conſervationem adeo utilem ſtatuentes, de eadem, pro ingenii viribus nonnihil acturi ſumus. Faveat benigniſſimum Numen Divinum.

VIII. Non incommode autem videbimur feciſſe fortaſſis, ſi militiam prius definiverimus cum J. Lipſio *lib. de milit. Romana dialog. II. Multitudinem aptam & compoſitam in armis ad vim faciendam aut arcendam, certa lege.* Hæc autem vel ex noſtris colligitur, vel conducitur, vel auxilio mittitur. Omnem igitur militiam cum nobil. & ampliſſ. Dn. præſide *in animadverſ. ad Machiav. principem* diſpeſcimus in lectam, mercenariam & ſociam. Mercenariam ruſus in eam quæ domi & illam quæ foris conducta eſt. Auxiliarem ſeu ſociam iterum in talem, quæ promiſſa pecunia militat, & eam, quæ alterius utilitatis reſpectu, pecuniæ aut ſtipendii non multum habita ratione, militat. Plurimas adhuc alias diviſiones afferri poſſe non ignoramus, & multa de re militari & bellica politice diſſerenda venire, quod politica militiam in uſum ſuæ civitatis adhibeat eaque utatur ut miniſtra; Verum enim vero nobis hac vice animus eſt, uſum ac præſtantiam dictarum trium ſpecierum unice perſequi, eandemque ſingulis applicare rebuspubl. commode ad id data occaſione, & face (ut ita loquamur) accenſa, ab ampliſſimo domino præſide. Cui hoc de argumento non pauca ad *Machiav. principem* tradere ex re futurum viſum eſt: tum quod crediderit exigere hoc hujus argumenti nobilitatem, tum quod hæc ab aliis, nec ab ipſo quidem antehac, pro dignitate illuſtrata fuerint.

IX. Antiqua autem monumenta ſcrutantibus non mirum videri debet, rempubl. Romanam ad tantum faſtigium potentiæ perveniſſe, quamvis tot graviſſima cum potentiſſimis gentibus geſſerit bella; quia raro infelici ſucceſſu eadem confecit. Negari quidem non poteſt, præliis ſæpius eos fuiſſe inferiores, in bello tamen nihilominus apparet felicitate ſtupenda Victoriam tandem penes Romanos ſteriſſe. A primis ejus reipubl. levioris momenti initiis, cauſas magnitudinis ad quam evecta eſt, præcipuas arceſſere, non libet. Cæterum, ſi paucis uti ſe res habet, edicamus, unice fortunam & amplitudinem Romanorum imperii armorum ſtudium ſibi vendicat. *Veget. de re milit. lib. 1. cap. 1. & Dione Caſſio lib. 38.* ſuffragante nobis. Certe pacis artibus vel nihil, vel parum hujus roboris conſecutos eſſe Romanos, facile demonſtrabitur. Prout enim antea dictum, cum tranquillitatem regiminis aſpernarentur, nec fere aliquid ſuppeteret, quo extirpata imperandi cupidine ex civium animis honeſtam quietem revocare poſſent, propterea, ut in pace viverent, nullis aut paucis virtutem civilem præcipientibus legibus uſi fuerunt. Quid? quod Jani templum pacis tempore claudi ſolitum, paulo minus 700. annorum intervallo duabus vicibus tantum potuerit obſerari. Ut ſic respublica ſuper armis fundata, armis provecta, armis etiam ſteterit.

X. A ſuis civibus autem apud Romanos munia militaria expediebantur. Quod qua ratione factum ſit, ex Polybii interprete Lipſio *dial. 3. de milit. Romana* dignum eſt accurate expendi. Meretur certe mos hic pleriſque (ne dicam omnibus) rerumpubl. formis adeo utilis, ad imitandum obſervari. Ne prolixi tamen ſimus, verborum Polybianorum recenſionem hic omittimus. Ex eodem autem non obſcure videre licet, delectum illum ex indigenis hunc in finem fuiſſe inſtitutum, quo prom-

promptos ſtatim haberent ad bellum, ſi occaſio ingrueret. Ita ſane evenit, ut pleriſque animus additus fuerit exercitiis militaribus incumbendi; quod ſcilicet cerneret quiſque ab honoribus ſe non excludi, modo ad munus aliquod ſolenne militiæ pertingere confidens, nomen ei dediſſet. Facile ergo fidem adhibemus Livio, de primo cenſu qui actus eſt Servio Tullio Rege ſic aſſerenti *lib. 1. millia 80. eo luſtro civium cenſa dicuntur. Adjicit ſcriptorum antiquiſſimus Fabius Pictor, eorum qui ferre arma poſſent, eum numerum fuiſſe.* Alibi *lib. 23.* bellis Punicis, poſt Cannenſem cladem, quamvis multis in ea civibus cæſis, duodeviginti legionibus rem geſtam legimus. Fidem pene ſuperat, quod imminente bello Gallico de Romanis prædicat Plinius. *Italia* (inquit) *L. Æmilio Paulo C. Attilio Regulo conſulibus, nunciato Gallico tumultu, ſola ſine externis ullis auxiliis, atque etiam tunc ſine Transpadanis, equitum 80. millia, peditum ſeptingenta millia armavit, lib. 3. cap. 20.* Non deſunt qui plura addunt.

XI. Si hoſtis in vicinia erat, aut vicinis ſubitum auxilium ferendum, omittebant tribus, & militem confuſe rapiebant non inexercitatum. Id genus militum ſubitarios vocabant. *Lipſ. de milit. Romana dial. 4.* Si tumultus oriretur, bellum ſcilicet vel Italicum vel Gallicum, quia ſingulos interrogare non vacabat, qui erat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium, & exinde proferebat duo vexilla, unum roſeum, alterum cœruleum, prius, quo pedites evocabat, alterum, quo equites, dicens: Qui vult ſalvam rempubl. me ſequatur; & cum conveniſſent, militia illa vocabatur conjuratio. *Liv. lib. 45.*

XII. Nobili hoc inſtituto militari Romani per aliquot ſecula floruerunt mirum in modum. Idem aſſerere eadem ex parte de Venetis poſſumus, *quorum* (uti Machiavellus in Principe ſuo loquitur) *progreſſus ſi examinentur, facile quis intelliget, eos tutiſſime ac feliciſſime tunc ſe præſtitiſſe, cum ex propria gente collecti eorum exercitus bella gererent.* Pergit. *At ubi primum terra bellum gerere cœperunt, hanc virtutem neglexerunt, moresque Italicos ſunt ſecuti.* (Hi autem milites conduxerunt.) *Quod ſi vero Veneti hac in re, uti in reliquis pari prudentia uſi fuiſſent, procul dubio novam monarchiam nobis in orbe produxiſſent.* Nic. Machiav. *de arte milit. lib. 1.* Et vero poſtquam etiam milite proprio Romani non ulterius uti cœperunt, vigor reipubl. non potuit non deſinere. Factum autem id ipſum tempore Cæſarum. Primus Mæcenas hoc ipſum Auguſto perſuaſit in ſuo ad eundem de republ. conſtituenda conſilio, quod ex Dionis *lib. 52.* interprete Xylandro peti poteſt; cujus verba prolixitatem fugientes huc transſcribere noluimus. Cæterum hoc liquet, *ex iſto conſilio* (uti ſtatuit ampliſſimus dominus præſes) *ubique per univerſum imperium Romanum populum pecunia exhauſtum, & usque adeo factum imbellem, ut poſt, cum ingruentibus validioribus barbarorum gentium copiis miles iſte par non eſſet, vaſtum illud imperium totum corruerit.* Jam ſane Severus Imperator exercitu ſuo Italiam petens omnes ejus urbes metu perculit, adeo, ut ad ſonum militum Severi advenientium tantum non omnes trepidarint. Hæc ſecuta ſunt imprudens illud conſilium. Absque hoc vero fuiſſet, res Romanæ melius ſeſe habuiſſent.

XIII. Germani veteres noſtri, ut ex Taciti lib. de moribus Germanorum apparet, milite e ſuis lecto itidem ſunt uſi. *Ex omni* (hiſtoricus ille inquit) *juventute delectos ante aciem locant.* Gens bellicoſa profecto, nec inferior armis ulli facile genti, quibus Romani inclaruerunt. Et vero retinuit hunc militiæ morem Germania perquam multis ſeculis, ut ſero demum is mutaverit. Helvetica ſociata gens una, ut Germanorum priſtinos mores antiquos adhuc multos alios ſartos tectosque ſervat, ita milite lecto magna hactenus geſſit bella, ſeque aſſeruit in libertatem. Mamaluchi quoque Ægyptum & Syriam domeſtico quaſi (nec enim omni ex parte vere delectus ille fuit & domeſticus) milite collecto tenuerunt feliciſſimo eventu ad trecentos usque annos. A prima quippe pueritia raptum ad arma atque educatum, militarium operum aſſiduitate labores tolerare aſſuefecerunt. *Horum numerus ſatis ingens, invicta bello manus vicinas gentes domuerant,* ut loquuntur *P. Jovius in Selimo & Guicc. lib. XIII. hiſt.* Plura exempla ſuppeditant res geſtæ multorum populorum.

XIV. Quamvis autem talia exempla non pauca poſſint afferri, quæ militiæ domeſticæ utilitatem probare queant, nihilominus in contrarium poſſunt quædam adduci, quæ militiam mercenariam non vano ſane documento rebuspublicis conſervandis opem tuliſſe, confirmant. Experientia enim & uſu noſtri & præteritorum ſeculorum, maximo fuiſſe uſui militiam hanc, ſatis liquido apparuit. Perſas ſane magno regni commodo conduxiſſe militem Græcum quis ignorat? & ab aliquot ſeculis imperium Romanum ſub Cæſaribus illius militis auxilio defenſum non tantum, ſed & prolatis finibus floruiſſe? Quæ non geſſerunt Carthaginienſes olim milite mercenario? quantam amplitudinem imperii ejus auxilio ſibi acquiſivere? Secus tamen cenſuit Machiavellus tam in de Principe libro, quam de arte militari. Mercenaria enim arma ſine omni diſcrimine ſimpliciter inutilia eſſe & periculoſa cenſet. *Quicunque enim ſtatum ſuum ſuperſtructum habet his armis, eum ſecure non conſiſtere, c. 12.* Nullumque militem, quam proprium utilius haberi *lib. de arte milit. p. 29.* docet.

XV. Quid igitur hac in re, prima fronte dubia, ponendum firmiter fuerit, ſtatim forte non adparet. Illud tamen in univerſum absque conſideratione longiori aſſeri poteſt; hac de quæſtione, *an utilius ſit armis lectis quam conductitiis uti,* indefinite quid non poſſe decidi, quamvis id a nonnullis factum ſit. Et vero propter diverſitatem regiminis & ingenii popularis, ut multa alia civilia inſtituta diverſimode habere ſeſe debent, ita & ejus diverſitatis circa militiam habenda eſt ratio. Sunt autem respubl. ita compoſitæ, ut in aliis quidem & imperantis & ſubditorum ſalus ex æquo quæratur, non attentis privatis commodis, quæ ab Ariſtotele vocantur rectæ ſeu laudabiles. In aliis vero dominantium ſalus primo & unice intenditur, ſubditorum non niſi per accidens, quæ Ariſtoteli audiunt declinantes ſeu aberrantes, h. e. vitioſæ.

XVI. Ad hanc amuſſim ſi jam examinaverimus utramque militandi rationem, haut difficulter conſta-

conſtabit, quænam poterit ſingulis rebusp. eſſe utilis. In monarchia, prima illa rerumpublicarum rectarum vere tali, in qua Rex ſaluti civium primo & per ſeſe conſulens Imperium tenet, nihil magis conducere ad res tuendas exiſtimamus, quam ſi miles proprius ex ſubditis delectus ad manum ſit. Cum enim regnum illud conſervari interſit omnium, oportet etiam communibus viribus in id incumbere, iis quidem, quæ pares ſint ſaluti communi defendendæ. Has vires autem quam maxime acquiri poſſe cenſemus, ſi monarcha ille populum ſuum domeſticum (qui quidem alias per ætatem aut conditionem in qua vivit, ferre poteſt) univerſum promiſcue ad arma tractanda aſſuefieri jubeat ac permittat. Hoc ipſo ſane prohibetur, nec civium animi emolliantur, ſuisque defendendis ſupereſſe nequeant, & peregrinorum vel fidei vel infidelitati committere ſeſe teneantur. Fitque pariter, ut talis ſubditos ſibi habeat benevolos; quibus nimirum acceptum eſt tutelæ reipublicæ ſimul operam navare.

XVII. Monendum autem eſt, ne cui de hac noſtra poſitione dubium ſuboriatur (utrum hoc ſimpliciter in omni regno habeat locum,) regni eſſe ſpecies duas, quantum quidem huc attinet. Aliam, & priorem quidem, quæ ad utilitatem communem ſubditorum adminiſtratur civili plane imperio: Aliam magis aſtrictam ſive duram, & minus civilem, quæ non multum abludit a Tyrannide; quoniam ſcilicet non contra leges nec in invitos exercetur, ſecus quam fit in Tyarannide proprie ſic dicta. Eſt autem hæc illa regni ſpecies quam Philoſophus *lib. 3. Polit.* barbaricam appellat, quod Barbaris nimirum gentibus tum eſſet familiaris per Aſiam & Africam: perinde atque nos hodie illam apud Aſiaticas & Africanas gentes fere omnes obtinere cernimus. In ejusmodi regno deſpotico diverſe quoque militiæ rationem comparatam eſſe debere videtur, quia nimirum metuenda eſt ſeditio a populo armis pollente adverſus dominicum imperium. Anſa ſane arrepta ſervitutis abolendæ. aut majoris libertatis adipiſcendæ cauſa, omnes imperii habenas facile ad ſe trahit, aut præſentem ſtatum confundit evertitque. Nec tamen eſt quod plane non utatur talis Rex lecto milite. Quemadmodum enim accurate obſervavit idem Stagirita, etiam hæc Imperia legibus & conſuetudine tuta ſunt; ac proinde & ipſa Monarcharum cuſtodia eſt Regia non Tyrannica *l. 3. c. 10.* modo tamen caveatur, ne ferox fiat populus armorum uſu: quod infra deinceps animadverſuri ſumus.

XIIX. Expoſitis hiſce, ad alteram laudandarum rerump. formam devenimus, Ariſtocratiam ſcilicet: inde ita dictam, tum, quod in ea optimi & virtuoſi plures imperant, aut ſalutis publicæ ſtrenui defenſores ſunt. Hic nil officit, quo minus arma cum populo tuto communicentur. Cum enim virtuti operam dent qui imperant, cives ſuos ad virtutes tam pacis quam belli componere decorum iis non ſolum, ſed neceſſarium inſuper eſt, ut ſalus publica ſibi conſtet. Fieri tamen poteſt etiam, ſi plebis numerus longe major ſit quam nobilium ſeu virtuoſorum, ſi abſque diſcrimine arma ipſi permitterentur, ut fuerit periculoſum. Oportet igitur, monente Ariſtotele, ex ſubditis ſeligere milites, tamen non ad magnum numerum: & præficere ipſis nobiles, qui ducum officia exſequantur, milite vero etiam extraneo admiſto potentiam plebis refrænare.

XIX. Attamen in illa optimatum republica, ubi non ita populi, ſed regentium utilitas ſpectatur maxime, miles lectus ita duriuſcule habitus imperantibus terrorem ac perniciem afferre poſſit. Reliquum igitur eſt ut de tertia illa ſpecie rectarum, politia ſcilicet diſpiciamus. Minus autem dubium eſt, quoniam omnes ad utilitatem communem ipſi imperant & viciſſim parent, arma in ipſorum poteſtatem concedere juſtum eſſe, & requiri; omnesque aptos reddendos ad bellum aut defendendæ patriæ, aut alios offendendi gratia, gerendum.

XX. Quod ſi vero rationes, ob quas miles lectus mercenario rebuſp. antea recenſitis utilior ſit, examinaturi ſimus, non paucæ ſe nobis offerent graviſſimi momenti, idipſum evicturæ. Cum enim ſubditis his periculum præſens (belli ſcilicet) ante oculos verſetur, ſuæque reipublicæ quantum exinde accreſcere damnum poſſit hi conſiderent, conjuges præterea ſuas, liberos, chariſſima ſua pignora, vitam denique ſuam & bona quæ poſſident, intueantur, & niſi hæc acerrime defendant, erepturos ſibi hoſtes eſſe, facile colligere poſſint, libertatis in qua tamdiu vixerunt meminerint; ſtatum hunc amantes, utpote quietum, nihil non molientur, quo aras ſuas & focos, cæteraque omnia, quæ in maximo habent pretio propugnando tueantur, nec ullum periculum præ amore patriæ ſuæ aut terræ ejus in qua vivunt, extimeſcere in animum inducent. Et vero manifeſtum etiam hinc eſt, metum non poſſe incidere, eos patriam ſive regionem ſuam prodituros, quibus tantum ſitum eſt in ejusdem incolumitate momentum.

XXI. Cui quidem ſi accedat exercitatio, quæ neceſſario comitari debet, tali ratione militiæ nil poteſt eſſe magis tutum reipublicæ. Quando ſane jam perpetuis militaribus exercitiis arma recte tractare didicit, aptior longe redditur ad ſpernenda pericula, juvante ad id ſtudio præſentis reipublicæ ſtatus, venerando ac ſuſpiciendo loca ſedesque patrias. Huic igitur obſequium & patientia imperii longe præſtantior, quam exteris. In prima nimirum fronte concurrens, & adverſa vulneribus pectora ferens ne Imperatoris ſui ſigna vertantur. *Senec. 1. de clementia.* Non minoris emolumenti eſt, quod, cum ad delectum iſtum inſtituendum armis exerceri debeat, quo bello poſſit operam dare, eo ipſo prohibeatur ne civium animi deſides ad otium inclinent, & per hoc effœminentur, ſed ut erecti ſint efficiatur, in omnem belli eventum, ne res ſuæ in univerſum quid capiant detrimenti.

XXII. Repetamus definitionem militiæ, quæ dicitur *eſſe multitudo apta & compoſita ad vim aut avertendam aut faciendam certa lege.* Porro vero hoc quoque principium firmum eſt: quicunque vult & poteſt aliquid agere, ille agit. Jam quod hi milites delecti velint fortitudinem colere, antea

tea demonſtratum; quidvis enim præ amore ſuorum ſuſtinebunt. Poſſe eosdem, hoc arguit; quod ſint ad id inſtructi exercitiis aſſiduis, adeoque apti ad pugnandum. Vitæ ſuæ nimirum partem non exiguam ſic in negotio tranſegerunt; & mores eorum integri ſunt, facilesque ut coerceantur diſciplina, qua nihil in bello eſt magis ſalutare. Eſt ſane diſciplina ſtabilimentum Imperii. *Valer. Max 11.c.6.* Paucos enim viros fortes natura procreat, bona inſtitutione plures reddit induſtria, *Veget. de re milit. 2. c. 26.* Hi utique non ad otium inclinant, & quæ illud comitari ſolent ſeditiones non audent excitare, quas plerumque ex otio, cui aſſueverunt milites & ſolitorum munerum intermiſſione oriri, Polybius *lib. 1* teſtatur. Exemplum exſtat in Pannonicis legionibus ap. *Tacit. l. 1.* Itaque hoc modo eveniet, ut ille quidem non ſit inſolens, nec regioni ex qua lectus eſt gravis, quoniam id civium ſuorum amor & neceſſitudo vetat. Prædæ quoque non ita eſt deditus, quæ ad exitium facit nonnunquam rerumpublicarum.

XXIII. Præterea (ut non ſemel antea monitum eſt) ex re eſt regiminis bene conſtituti, ut omnem in caſum milite ſit munitum; miles vero ſæpiſſime pecunia apud exteros non poteſt conduci, ſeu quod exteri nolint permittere, cum ſuis ipſi expeditionibus eundem adhibere debeant, ſeu quod ineptus plane ſit, ſeu quod vicinia noſtris rebus infenſa ſit: ſi vis tamen hoſtilis ingruat, ſalvi eſſe non poterimus, niſi quam fieri poteſt citiſſime, ex noſtris eligere poſſimus, qui illi invaſioni obſiſtere valeant. Et vero ſi hunc expeditum adeſſe cognoverit qui nos debellare ſuſtinet, aut prorſus nihil contra nos movebit, aut majore ſuſcepta deliberatione. Domi quidem talis miles poſſit plerumque conduci, & minori longe cum incommodo quam foris; ſed cum nondum exercitatis raro bellum feliciter geſſeris, quippe qui in maximum diſcrimen rempublicam adducunt. Taceo quod raro domi ſufficiens numerus poſſit colligi.

XXIV. Ulterius. Miles ille lectus etiamſi majori numero alatur, viribus ſuis aut non, aut raro abutitur, ſed omnes ſuas actiones in reipublicæ patriæ emolumentum dirigit, quo pacis fructus obtineat. Non temere ſane ſupra civium ſuorum opes a republica flagitabit ſtipendium conferri. Quo fiet, ut nervus ille præcipuus reipubl. conſervandæ, in divitiis civium conſiſtens, ſalvus maneat. Præter quam ſane, quod ad conducendum illum pauca ſubſidia, ad conſervandum non multo majora requirantur, modico utique ſeſe demulceri plerumque patitur. Multo minus rempublicam cui adeo devinctus eſt, opprimere miles ille ita lectus ſuſtinet: quamvis ad id efficiendum viribus ſatis interdum par ſit, quando nimirum armorum dominio gaudet. Porro & neceſſitate non amplius urgente, quoniam in arbitrio reipublicæ eſſe oportet militem iterum ad ſuas ſedes remittere, ſi ullus, certe hic facillime poterit dimitti aut exauctorari. Simul ſane animus redit, conjugem, liberos, domum ſuam ac bona quæ reliquit reviſendi, pro virili pacem deſiderat, & liberari ſeſe poſſe exoptat. Accedit lucri, (potius dicam quæſtus) vel negligentia, vel deficiens expectatio ex bello, melioris vitæ conditionem domi inventurum ſperat, ubi labore ſuo acquirere quotidie integrum eſt, quo vitam commode traducere poſſit.

XXV. Contra in conductis militibus res peſſime ſe habent. Ob ſtipendium ſiquidem dum militant iis, cum quibus nulla neceſſitudo & per conſequens nulla amicitia intercedit, nec quicquam ancipiti fortunæ aleæ, qui belli comes, habeant ſubjectum, quod quidem tueri incumberet, omnia autem extra hanc poſita ſunt, ideo quicunque tandem ſit eventus belli, ſeu fauſtus ſeu infelix, expectare decernunt; amore Imperantis aut eorum quibus ſerviunt, raro ducuntur. Iidem tamen fidelitati, qua alias obſtrictos eſſe conveniebat, minimam curam impendunt: imo adverſante fortuna interdum a proditione non ſunt alieno multum animo. A fortitudine præterea rariſſime eos laudes, quia plerique magis mollitiem quam artes militares ſunt edocti. Prælio inſtante ſine pudore flagitii, ſine cura ducum, abire & fugere, Tacitus *III. Hiſtor.* veriſſime dixit. Quibus quemadmodum Homerus in Iliad. ſcite canit.

inque pedes cunctis mens decidit imos.

vere galeati lepores.

XXVI. Præterea quotidie fere videas magnam partem eorum, ſpe liberius vivendi, aut etiam otii, vel quæſtus, huic militiæ nomen dare; impellente ad id facilitate animi, qua ſe bellis quibusvis devovent, & vitam ſuam auro venditant. Tritum illud Lucani his occini poteſt:

Venaleſque manus, ibi fas ubi maxima merces

Non mirum, quippe quibus illud in ore eſt: *Quæritur belli exitus, non cauſſa.* Hos porro fere bellorum inſolentes, pronos ad latrocinia, ſedibus ſuis extorres, queis neque boni intellectus nec mali cura, miniſtros ſceleribus omnibus, in univerſum plerumque moribus plane depravatis, in officio continere graviſſimum erit. Ducibus etenim ſuis non ſunt obedientes, ſed laſciviæ ac malitiæ ſuæ habenas magis magisque relaxant. *Procacitatis & petulantiæ inter ipſos* (uti proh dolor! experiri coguntur multi) *certamen eſt:* ut Taciti verbis utar. Hinc ſane tantus ille neglectus incolarum terræ, quorum ære etiam conducti ſunt. Et vero horum omnia tanquam externa aut urbes hoſtium, urere, vaſtare, rapere conſueverunt, *populatores terræ quam a populationibus vindicare debebant*, ſicut eleganter Curtius eos depingit. Ad ultimum, niſi omnia abunde ſuppetant ipſis, ſæpenumero non dubitant, ob hanc aut aliam quamvis levem cauſam, inſurgere contra miſeros ſubditos, & ſeditione mota rempubl. reddere magis afflictam.

XXVII. Quam difficulter ad hæc poſſint juſto numero cogi, cum bellum ante fores eſt, idque propterea, quod aut in altera illa regione pauciores velint conduci, aut nolit illa ſuos conduci, vel ob potentiæ tuæ nimiæ metum, vel aliam ob cauſam, ſuperius a nobis explicatum eſt. Taceo ſumtus illos: quibus ferendis respublicæ niſi ſint ſumme divites, impares ſunt, cum primis ſi ad hanc militiam mercenarim totæ ſe convertant. Ut conducti autem fuerint milites magnis impenſis, longe

longe plura impendenda erunt ad conſervationem & ea omnia quæ ad bellum requiruntur, quo in reipubl. utilitatem officium ſuum faciant, nec anſa detur, aliunde quam debebant, mercedem ſuam vi extorquere, quod ſaltem turbas movere aptum eſt. Periculum porro, quod a multitudine illorum pendet, ſatis eſt ingens. Facillime enim evenire poteſt, & ſolet, ut milites iſti viribus ſe ſuperiores cernentes, reipubl. fundamenta labefactare (ne dicam convellere) cogitent: feliciter ſuccedente hoc conſilio, cumprimis, ſi Ducem habeant ſive conductitium ſive etiam domeſticum, maligni animi, qui mala iſthæc molimina nec evulgare, nec impedire velit, ſed potius iis ipſis in rem ſuam abuti.

XXIIX. Vbi præterea bello compoſito aut periculo depulſo dimittendi ſunt milites conductitii, ægerrime diſcedunt, probe conſiderantes, hoc facto ſuum quoque ceſſare quæſtum, vitæque, cui delicatæ aſſueverant, rationem multum mutatum iri; proſpiciendum igitur denuo ſibi eſſe de victu amictu & aliis quæ ad vitam ſuſtentandam requiruntur. Nonnunquam exauctorationi adverſa fronte reſiſtunt, aut, ſi eam admittunt, latrociniis, furtis, rapinis, cædibus adeo reddunt infeſtam ipſam illam cui hactenus militarunt regionem, ut diuturno temporis intervallo vix reſpirare poſſit. Quibus omnibus damnis ſi hoc malum accenſeatur, quod ipſi cives, qui ſe totos militiæ illi ſtipendiariæ quaſi manciparunt, armorum uſus maneant ignari, adeoque imbelles animis fiant, ſicque exiguum in militibus illis & nihil in ſemetipſis præſidii collocatum habeant; tali republ. nulla poteſt eſſe magis miſera & corrupta.

XXIX. Hæc modo allata imbecillitatem & periculorum armorum mercede conductorum arguunt. E contrario commoda ex lecto milite quæ poſſunt proficiſci, præprimis ſi rite armetur ac ordinetur, non obſcura ſunt aut acceptu difficilia. Invictum ſane eſſe conductitium militem nemo affirmaverit rerum quarumcunque ſaltim Romanarum non plane imperitus, cum jam olim a Romanis copiis Hannibal ipſe eſt devictus. Militem lectum porro ditionem propriam occupaturum eſſe, ſi ducem ad id pronum nactus fuerit, non eſt quod temere metuas. Nec vero tale quid a ſubditis autoritate legum armatis fuit fere unquam patratum, potius illos libertatis ſuæ fuiſſe vindices & propugnatores fortiſſimos, docuit omnium ſeculorum uſus. Sparta 800. annis, Roma 400. libera armorum iſtorum præſidio ſtetit. In genere obſervavit Machiavellus *lib. de arte milit.* nullum unquam fuiſſe Reipubl. novæ conditorem, qui non ſimul cogitaverit, iis ipſis, quibus partum fuit imperium, armis defendendum eſſe.

XXX. Quot ex adverſo reſpubl. inveniemus propriis armis non armatas prædæ fuiſſe exterorum! Italiæ miſerrima facies quæ cum illa militia cœpit, non minus ex vero quam accurate deſcribitur a Machiavello *in ſuo de Principe lib.* Mediolanenſium Dux electus Sfortia ad oppreſſionem eorundem conſilia ſua dirigere non dubitavit. Omnium prudentum (proh dolor!) animadverſioni expoſitum eſt, Imperii noſtri ſummum ex militia conducta ortum detrimentum. Poſtquam ſcilicet hoc malum irrepſit, decrevit & robur & auctoritas reipublicæ. Committimus totam noſtram ſalutem exteris quos conducimus, aut noſtris quidem civibus, ſed iiſdem ad nihil minus, quam ad bellandum compoſitis. Dummodo otio & deliciis paſcere animos poſſimus, armis pro patria muniendа tractandis curam aliis relinquimus: creſcente interim undique periculo, & domi rebus per luxum ad egeſtatem collabaſcentibus. Nec tamen difficile fuerit antiquam vim & fortunam revocare, veteri ratione militandi reſtituta in integrum.

XXXI. Olim ſane tempore Taciti, uti ſupra innuimus, non peregrino milite ſed domeſtico pugnatum eſt, eoque vires Germanicæ, quamvis non arcibus, non caſtellis, non munitis urbibus aut armis idoneis munitæ fuerint, & populis nulla eſſet communis reſpublica, non terribiles duntaxat infinitis Romanis copiis fuerunt, ſed tandem & ſuperiores. Quin, ſi adhuc Helvetiorum (qui unicus Germaniæ populus ſic militat) morem ſaltem ſequamur, ut quotannis ſubditos noſtros ad arma inſtructos non exiguo numero alamus, aut quibus opus non ſit, eos aliis data mercede militare permittamus, non minus ac Helvetiorum, res noſtras florere poſſe, non ambigimus, ſicque vicinorum terrori & ſuæ defenſioni ſatis idonea eſſet Germania. Sed uti hoc optare, ita impetrare fortaſſis integrum non eſt, malis moribus ita inveteratis, ut medelam fere haut admittant.

XXXII. Quantumvis autem militem lectum conductitio præferendum eſſe cenſuerimus, & ſemper in qualibet republ. ſaltim potiſſima vis ſit in evocato ſive lecto milite collocanda; non tamen, in bonis licet & rectis civitatibus, omnem omnino conductitii militis uſum reprobaverimus. Ceſſant ſcilicet quæ alias hinc naſcuntur incommoda, modo illi non niſi in complementum adſciſcantur & auxilium, domeſticis lectæ militiæ viribus multum prævalentibus.

XXXIII. Cæterum illa quæ de lecti militis utilitate diximus, forte nonniſi in illa rerumpubl. ſpecie habent locum quæ commodum totius populi non minus quam imperantium ſpectant. Aliis poſſit videri non convenire, ſed mercenariam præferendam eſſe. Et vero quoniam diximus, quemadmodum in bonis ſeu rectis illis rebuspubl. habere ſeſe militia oporteat, reſtat, ut de iis aliquid addamus, in quibus dominantium ſalus primario ſpectatur. Dicuntur autem hæc herilia Imperia, quæ cum ſervitute nonnihil conjuncta eſſe, vel ex ipſo nomine liquet. Servis autem, quos duriter habemus interdum ſi in officio continere velimus, nil utique eſt permittendum, quo ſe in libertatem aſſerere poſſint. Si hoc, ſubditis item iſtorum imperiorum inſtrumenta, quibus idem poſſint obtinere, adimenda videntur. Hoc ſane generaliter quaſi ponendum exiſtimamus, ut & talia inſtrumenta eſſe arma. Verum quum heriles reſpublicæ non minus atque rectæ differant ſpecie, ſintque adeo non minus in frequenti hominum uſu, interdum & frequentiores, idque ab omni retro

tro memoria, haut abs re fortaſſe fuerit, per ſingulas illarum ſpecies militiæ rationem nonnihil exactius diſcernere.

XXXIV. Prima autem depravatarum herilium eſt tyrannis; quæ triplex *ab Ariſtot. traditur lib. 4. polit. c. 10.* Prima eſt Æſymnetia, altera Barbarorum, quæ partim regni, partim tyrannidis naturam referre dicitur. Harum duarum ſpecierum, intermediarum quaſi, emolumentum non adeo quidem, ut illius quæ ſequitur magis tamen quam in republ. recta, in externo milite conſiſtere cenſemus. Tertia vero tyrannis definitur imperium in pares vel meliores invitos, nullis rationibus obnoxium, omniaque ad dominantis utilitatem referens. Eſt autem hæc omnium duriſſima monarchiæ ratio. Etenim cum imperetur invito reluctantique populo, quem ſatis prudentem eſſe contingit, non poteſt non hic iniquo animo illam ſervitutem contra naturam ſuam ferre, & quamcunque occaſionem arripere, excutiendi illud jugum. Igitur in tali dominatu ſi populus arma habeat, & ad militiam exerceatur, facile profecto talis dominatus poterit everti. Hoc igitur tanquam deſtruens ſuam poteſtatem, omni modo cavet haut immerito tyrannus ille, potiusque ferocem animum populi ſtudet compeſcere & imbellem reddere. Viribus igitur potius externis ſeſe tuebitur, civesque ſuos ab armis plane revocabit. Dixi nimirum jam tum ſuperius: notam regii quodammodo ſtatus eſſe, non ab exteris ſed a ſuis cuſtodiri. Ita vero nota etiam tyrannici eſt, milite extero non autem ſuo ſtipatum eſſe. Niſi ſane hoc ſequatur conſilium, ſalvum & diuturnum eſſe nequit talis tyranni imperium.

XXXV. Hic certe modus per otium ſubditos a cura reipubl. avertendi ſæpiſſime fuit opportunum tyrannidis inſtituendæ initium, & conſervandæ frenum. Ita Cæſares nonnulli primis ſeculis poſt Chriſtum natum populum Romanum hac umbra libertatis ita deceperunt, ut & ſub jugum ſuum acceperint haut gravatim, & ſecure retinuerint. Theatra ampla inſtruere, ludos parare ad excitandam populo dulcedinem otii, non intermiſerunt. Adeo autem eo Romani pellecti ſunt, ut demortuis Cæſaribus, qui vere eorum ſæpe erant tyranni, de priſtina felicitate jactitaverint, in cœlum usque laudibus elata magnificentia demortuorum. Sic Nero mortuus ſupra modum a plebe deſideratus eſt, teſte Tacito *Hiſtor. lib. 1.* Etiam ſuperiore ſeculo Florentinorum primo Duce Alexandro inſidiis peremto, populus de recuperanda libertate ne quidem cogitavit. Ariſtodemus Cumanorum tyrannus ſubditorum ſuorum liberos fœmineis moribus usque ad 20. ætatis annum educari juſſit. Cyrus Lydis arma equosque ademit, cauponas & lenocinia exercere juſſit, teſte Dionyſ. Halicarnaſſenſi *lib. 6. Rom. antiq.* & ante illum Herodoto iisdem illecebris Schytarum animos fractos ſibi devinxit Johannes Comnenus Imperator, ut narrat Nicetas *Choniates 1. Annal.*

XXXVI. Secunda declinantium rerumpubl. Oligarchia quoniam continet divites imperantes plebi in ſuum tantum emolumentum, periculum itidem eſt, ne populus magno numero valens, cum a paucis divitibus regi ſe videat, ſi armatus eſt, formam reipublicæ (divitibus iſtis ab imperio deturbatis) immutet. Ideoque tantum non ſemper oportet milite extraneo uti, nec ſuis temere arma induere. Hoc autem commode fieri poterit, ſi nobiles aut divites alliciantur pœna gravi conſtituta, ut armis ſeſe exerceant. Contra plebs non quidem aperte armis prohibeatur, (alias enim facile erigit criſtas & vi eadem ſibi captat,) ſed non urgeatur ad arma, jubeatur vero parare quæ magno emuntur, nulla mulcta addita non comparantibus, plane autem non exerceantur in ullo armorum uſu. Ita ſane, cum non ſint obligati ad arma ferenda plebeji, ſuis item domi laboribus vacabunt, & imbelles deſidesque fient, exercitiis militaribus neglectis. Atque ita nobilibus aut divitibus ſalva erit reſpublica.

XXXVII. Tertia depravatarum rerumpublicarum Ochlocratia eſt, quæ plebis tantum ſalutem quærit, divitum vero detrimentum. In hac unice eſt ſollicita plebs, armata ut maneat, & ſuperior divitibus, ne iſti rempubl. mutare facile poſſint. Igitur hic quidem miles evocatus haut inidoneus fuerit: divites tamen non temere ſunt armandi: aut vero armati ita tractandi quomodo in Oligarchiis plebem tractandam, paulo ante diximus. Quantumvis vero ex iis, quæ attulimus appareat, pleriſque minus rectis rebuspublicis magis conductitium quam lectum militem utilem eſſe: attamen nihil vetat, etiam in hiſce, ſi ſubditi ſint depreſſiore animo, ſaltem aliquem lecti militis uſum admittere. Hinc ſane hodie ne Turca quidem ab iis abſtinet. Quin imo fieri poterit, ut ſine magno periculo ſolo lecto milite etiam herilis monarchia utatur; ut videmus fieri hodie in Moſcovia & Perſia. Qua de re videatur Ampliſſimus Dn. Præſes *in animadverſ. ad Machiavelli Principem.* Et vero ne mirum cui videatur, ipſe Ariſtoteles *lib. 5. polit. c. 10.* jam docuit, tyrannum altera civitatis parte conciliata, ad ſuam defenſionem propriis eorum armis contra alteram uti poſſe.

XXXVIII. Cæterum de iis quæ de militiæ duabus ſpeciebus, reſpectu quidem ſex ſimplicium rerumpubl. dicenda erant, plus forte ſatis. Quid de iisdem in rebuspubl. compoſitis ſeu mixtis conducat, ſingulis facile judicatu fuerit, ſi modo id, quod in ſingulis præpolleat attendatur. Hoc enim ſemper cumprimis eſt notandum. Itaque non etiam opus eſt, ut de illis quidem militiæ ſpeciebus hic quidquam adferamus. Ratio tamen promiſſi ac ordinis exigit, ut de tertia militiæ ſpecie (Socia ſcil.) adhuc quædam addamus.

XXXIX. Ac Tacitus quidem *lib. 6. Annalium* obſervavit in Seleucienſi populo, cujus civitas potens fuit, arma auxiliaria fuiſſe eidem ſumme pernitioſa. Sic autem ille diſſerit: *Quoties concordes agunt, ſpernitur Parthus, ubi diſſenſere, dum ſibi quisque contra æmulos ſubſidium vocant, accitus in partem adverſus omnes valeſcit.* Apud Xenophontem quoque *lib. 7. Cyropæd.* animadvertimus, eundem in modum Caros a Cyro ſubactos eſſe ſub ſpecie auxilii. De Philippo item Macedonum Rege *Juſtinus lib. 8.* refert, *auxilium inferioribus ferendo victos pariter victoresque ſubire Regiam ſervi-*

ſervitutem coegiſſe. Nec diſſimile a Polybio *lib. 1.* accepimus, Meſſanenſes a Romanis hac amicitiæ illecebra deceptos. Non narrabo jam, quid Britanni a Saxonibus perpeſſi ſint: referentem hoc *Ubbonem Emmium* præſtat legere. Refertæ ſunt antiquarum gentium res geſtæ documentis, milites in auxilium vocatos aliunde, reſpublicas in detrimentum, & non raro in exitium adduxiſſe.

XL. Verum etiamſi hæc ita ſe habeant, ſimpliciter tamen nemo hinc recte inferet, hanc militiam nulli rerumpublicarum convenire, nec univerſam nec partem ejus. Fini fortaſſis illarum rerumpubl. quibus nocuit, aptum non fuit ſic militare; aut vero nimium quantum militiæ illi hæc tribuerunt. Nec vero diffitemur, venire haut pauca, perinde atque a conductitia, etiam ab hac militia ſocia metuenda. Nihilominus tamen, ſi ex præcepto Livii *lib. 25. c. 13. caveatur a ducibus, ne ita externis credant auxiliis, ut non plus ſui roboris ſuarumque proprie virium in caſtris habeant*, nihil poterit rebuspubl. in univerſum omnibus nocere.

XLI. Non abs re tamen fuerit nonnihil adhuc inquirere, quænam arma ſocia rebuspubl. recte proſint? Diviſa autem ſuperius auxiliaria militia eſt in eam quæ mercede, & eam quæ gratis militat. Illa rebus noſtris ſervandis magis eſt tuta, quod ſpectans præſentem utilitatem quam ex mercede accipit, imperium magis revereatur. Sic hodie Helvetiorum milites ab aliis Regibus aut Principibus ſeu imperantibus conductos, ex fide munia ſua ad quæ aluntur præſtare, maximo cum fructu illorum quibus ſerviunt, notum eſt.

XLII. Altera vero illa militiæ ſociæ ſpecies, quæ ſcilicet nobis communis utilitatis reſpectu in ſubſidium mittitur, minus tuta eſt. Primum enim ſimul utilitas illa minus cœpit eſſe communis, facile nos in ipſo ſummo diſcrimine deſerit. Deinde licentioſior a rapinis ægre abſtinet. Frenum tamen etiam hujus luxuriæ poteſt quodammodo injici, & deprædationibus terminus, ſi miles proprius perennis ſimul alatur & quidem majori numero. Hac ſane cautela adhibita quantum Romanis contulerint auxiliaria arma, exinde conjicere licet, quod Latini quondam gloriari non dubitaverint, Romanos ſociali exercitu adjuncto duplicare vires ſuas, teſte *Livio lib. 6.* Adeo certe potentes illos fuiſſe, ipſi Romani agnoverunt, ut, cum male conveniret inter eos & ſocios, & ab hiſce contra Romanos bellum moveretur, ipſi Romani illud bellum periculoſiſſimum & graviſſimum omnium, quibus unquam afflicti fuiſſent, exiſtimarint. Non neceſſum eſt, plura hic exempla cumulare, quibus militem ratione fœderis auxilio miſſum res ſuas optime geſſiſſe conſtat; ſufficit, ad memoriam & noſtri & præteritorum ſeculorum provocare. Quæ ſane a Machiavello objiciuntur tum in *libro de Principe c. XIII.* cum *diſputat. de rep. c. 20.* & paſſim alibi, tanti non ſunt, ut iis quicquam hic reponamus. Et vero uti in cæteris de hoc argumento traditis, ita hac etiam in parte animadverſiones Ampliſſimi Dni Præſidis conſuluiſſe ſatis eſt. Eoque nec nos, poſtquam fine noſtro pro temporis & ingenii modulo potiti ſumus, hiſce diſſertationibus ulterius immoramur.

COROLLARIA.

I. Reſpublica Veneta quamvis alias ſic ſatis prudenter ſit inſtituta, ad belli tamen minus quam ad pacis negotia compoſita eſſe videtur.

II. Contra evenit non raro, reſpublicas ubi ad belli artes tantum, aut maxime, ſunt inſtructæ, externis diſſidiis ceſſantibus, arma in ſua viſcera convertere.

III. Polonorum hodie res militiæ conductæ inſidum præſidium, ſummo cum detrimento illius regni, arguunt.

IV. Germaniæ noſtræ res ita ſunt comparatæ, ut bella nobis maxime ſint fugienda, ob depravatam belligerandi rationem.

V. Non minus ac in aliis negotiis, in bello apparet vis quædam occulta major, ſeu aliquid divini.

VI. Fines ob quos ſuſcipimus bella, varii ſunt.

VII. Bellum non ſemper ſuſcipitur propter pacem.

IIX. Ubi judicia deſinunt, ibi incipit bellum.

IX. Privatorum lites utplurimum judiciis, populorum negotia bello dirimuntur, niſi amicabilis fiat compoſitio.

De controverſiis Sueco-Polonicis, ſive de jure quod in Sueciam Regi, ad Livoniam regno Poloniæ, nullum competit

HECTORIS JOANNIS MITHOBII

Diſſertatio.

HERMANNVS CONRINGIVS

BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

NOn nuper demum ſed jam annos integros amplius quinquaginta ſex, armis inter ſeſe concertavere duo validi populi, Sueci Polonique. Ea vero diuturnitate hoc effectum eſt, ut hodie

hodie quidem plærosque lateant tantorum bellorum primæ cauſæ: præſertim quum in remota & peregrina inquirere plærisque grave ac moleſtum, etſi judicare de iis, prout affectus movet, perquam multis promptum ſit ac familiare. At vero nemo prudens non aut ſuſpendit judicium, aut non niſi ſedulo & accurate expenſis omnibus judicat. Certe vel in lite de caſa ruſtica non admiſeris temere judicem, qui pronunciare auſit partium rationibus utrinque non auditis, imo non cum cura diſquiſitis. Quanto minus ferendi ſunt temerarii illi cenſores, earum quæ inter regna & populos intercedunt contentionum! Quum hodie itaque diuturna illa inter Suecos Polonosque controverſia usque adeo in aciem quaſi producta ſit, ut omnem pene orbem commoveat, & in omnium incurrat judicia, operæ videtur pretium, producere in medium ſaltim potiora quæque rei iſti arbitrandæ idonea. Potiora inquam. Sunt enim complura hinc inde & ſcripta & edita: verum illorum nonnulla ſatius eſt æternis tenebris involvi, alia lectu non indigna ſunt, imo intereſt ut legantur, attamen denuo publicare oneroſum nonnihil fuerit, non eſt ſane neceſſarium. Inter ea vero quæ pro Suecorum cauſa prodierunt hactenus in lucem, mihi quidem nihil viſum eſt quod comparari mereatur cum hoc opuſculo, ſi videas accuratam brevitatem cum rationum pondere ſimul & argumenti amplitudine conjunctam: utpote quum alia plæraque vel non omnia attingant, vel a rationibus aptis non ſatis idonea, vel denique diffuſa tractandi ratione lectori nonnihil occupatiori moleſta ſint. Et vero edidit libellum auctor ante hosce annos quatuor, quum ſecunda vice de pace inter Suecos Polonosque componenda Lybecæ ageretur: conſcripſit vero anno priore, quo tempore prima habebatur eodem loci de pace congreſſio. Voluit tum non niſi initialibus nominis ſui literis auctor innoteſcere: intereſt vero nomen integrum haud ignorari, eoque a me iteratæ huic editioni eſt additum. Neque vero eſt hodie quidem, quare vel invidiæ vel odio declinando auctor latere amplius debeat: multo minus pudere illum jure poteſt tam eruditi libelli. Me certe in laudando illo nihil dediſſe amori, quo virum longe eximium, doctrinæ virtutis & induſtriæ ſingularis, ut & quod gnavum auditorem illum in hac Julia habuerim, nomine proſequor, ipſemet libellus ſatis teſtabitur. Tria nimirum ſunt quæ in ejusmodi ſcriptis omne punctum merentur: provocatio ad leges & jura controverſiis liberorum populorum judicandis idoneas: facti aut geſtarum rerum ex teſtimoniis monumentis & tabulis fidelibus inſtituta recenſio: & denique expenſio accurata facti ad legum illarum normam. Exegit igitur omnia auctor ad leges illas, quas ipſa rerum natura ſanxit aut moratiorum gentium conſenſio inſtituit: quibus ſolis liberi populi, quales Sueci ac Poloni ſunt, merito obligantur. In controverſia porro quæ inter Regem Sigismundum & Suedici regni proceres interceſſit, provocavit adhæc prudenter ad inſtituta & conſuetudines regno illi proprias. Atque adeo caute vitavit illum vulgo receptum errorem, ejusmodi gentium lites ad unius populi Romani dudum extincti, uniusque adeo longe a noſtris diverſiſſimæ civitatis, jura examinandi. Præſertim cum neutra gens Romana illa vel in fora ſua admiſerit, imo illa de Principe legibus ſoluto tanquam *carmina ſervitutis* (verba ſunt Stanislai Orichovii Poloni) ex omni felice republica cenſeant eliminanda. Narrationem geſtarum rerum fide & induſtria præclara itidem expreſſit auctor ex optimis quibusque monumentis, uſus in id familiari opera magni ſane viri, regni Suedici Legati & ſenatoris Joannis Adeleri Salvii, cujus ſummam gerendarum rerum peritiam orbis admiratus eſt, ipſe amicitiam ſancte mecum cultam grata ſemper mente recordabor. Bene an ſecus omnia in libello diſputata ſint, nolo ego nunc definire, ſed tuo, Lector, judicio integrum relinquere. Niſi tamen vehementer fallor, audeo mihi promittere ſaltim in plærisque tuam aſſenſionem. Eſt autem inter controverſias hasce tempore quidem prima illa de Æſtiæ poſſeſſione: gravitate vero maxima, quæ de ipſiusmet regni Suedici imperio, inter regni illius incolas & Sigismundum ejusque filios Poloniæ Reges primario, donec auxiliis ferendis ſuam illam fecere Polonorum quoque optimates, jam pene ſexaginta annos viguit contentio. Quapropter huic merito auctor primum locum dedit. Quæ de Livonia (nobiliſſima heu nuper Imperii Germanici provincia!) vertitur lis, bello jam fervente demum nata eſt. Recentiſſimam dixeris de utriusque regni prærogativa quæſtionem: niſi quod jam tum in Baſileenſi concilio acriter regni Suedici dignitatem adverſus omnes tutatus ſit Nicolaus Ravallus archiepiſcopus Upſalienſis, cujus eruditam nobis orationem conſervavit Joannes Magnus *hiſtor. Gothica. l. 16.* Ut proinde & juſtus ordo ſic ſatis recte in libello hoc ſit obſervatus. Unum non poſſum diſſimulare: perperam Polonis crediſſe auctorem, quod jam ab Ottone III. Imperatore regiam coronam Polonia acceperit, qua ſit uſa usque ad Gregorii VII. Papæ interdictum: id enim fabuloſe tradi, nos jam evicimus *cap. 18.* operis *de finibus Imperii Germanici*, oſtendentes Poloniam ſero admodum jugum Germanici Imperii excuſſiſſe. Quod ad dignitatem regno Suedico contra Polonos aſſerendam facit plurimum.

De jure, quod in Sueciam Regi, Regno Poloniæ ad Livoniam, nullum competit,

Diſſertatio.

CAPUT PRIMUM.

In Suecicum regnum nullum eſſe Regi Poloniæ jus.

INclyti regni Suedici & Gothici ſceptra libera & ſpontanea Procerum populique electione, jure uſufructuario, non hereditario ullo ſucceſſionis ac pleno proprietatis jure, Regibus antiquitus obtigiſſe, ex hiſtoriis gentis manifeſtum, atque apud omnes in confeſſo eſt. Verum non antiquiſſimis

modo retro temporibus, ſed & ante Guſtavi, primi iſthoc nomine Regis, gubernationem proximis, eundem electionis ritum, morem ac jus viguiſſe conſtat. Utut enim technis Margaretæ Danicæ, Svecici cum Daniæ & Norvegiæ regno ſempiternum fœdus & unio, ſeu Latinius ut loquar, conjunctio perpetua ejusmodi machinata & procurata fuerit, ut ne peculiarem ac diverſum dehinc amplius ſingulis gentibus præeſſe Regem liceret; ſed, qui tribus unus imperaret, communi omnium in tribus regnis ſtatuum conſenſu & ſuffragio in confinio Hallandiæ oppido Halmſtad eligeretur, ſalvis cæteris cujusque regni legibus ac privilegiis.

Non magis tamen iſto pacto Sveciæ, quam Daniæ ordinibus conſveta deperiit electionis libertas: quippe pari utrorumque hac in re conditione, & ſolum in unius ejusdemque Regis electionem libere & amice conſpirandi mutuo mirabili impoſita lege: ſiquidem ita appellari meretur. Namque tantum abfuit, ut vim atque obligationem publicæ legis & conſvetudinis apud Svecos indepta fuerit ſervilis iſthæc uni, Danis ac Norvegis communi, Regi parendi neceſſitas: ut haud diu poſt A. C. CIↃ CCCC LXIX. ex indigenis in Regem electo Carolo Canuti, eique longa temporis ſerie ſuffectis cum Regia poteſtate regni gubernatoribus, omnium bonorum patriæque amantium concordibus & animis & factis reprobata ac everſa fuerit inſolens illa & inaudita huc usque, Margaretæ ambitione, ſuæque factionis opera in conventu Calmarienſi A. CIↃ CCC XCV. promulgata conſtitutio. A qua cum primi receſſerint Dani, capto ex comitibus Palatinis & electo ſibi, Svecis inſciis & inconſultis, A. CIↃ CCCC XXXIX. Chriſtophoro Rege; præterea quod propria Svedici regni jura ac privilegia; quæ ut illibata ſervarentur unitioni dicta fuerat lex & conditio; multis modis imminuta & ſubverſa a Danicis illis Regibus fuerint: tanto minus ejusdem obſervandæ amplius nexu adſtricti fuere Sueci.

Ni, quem Dani ſoli cepiſſent, ſibi quoque obtrudendi Regis, ſervili, Norvegorum exemplo, poteſtatem, iis tribuere voluiſſent. Id quod nec Margareta petere auſa eſt, nec tantum de jure ſuo concedere Svecis in mentem venit. Quin imo ipſius Margaretæ ſucceſſores, Ericus, Chriſtophorus, Joannes, Chriſtianus I. & II. in obtinendo Sveciæ regno non deſierunt ſollicito quodam ſtudio tam clientum in Svecia ſuorum, quam cæterorum procerum populique ambire ac prenſare ſuffragia, eorumque & electionis (poſthabito licet juris, morisque majorum reſpectu, nec ab omnibus, ad quos pertinebat, rite ſemper factæ) jure maxime niti.

Nec quicquam hanc Regis, quæ tunc in uſu fuit, eligendi libertatem turbat aut infringit, quod diu patribus filii, & ex filio filiave nepotes, certe eodem plerumque genere familia & ſangvine prognati, in Svecia ſucceſſiſſe comperiantur. Ad tuendam enim eam ſufficit, ſolo ſtatuum placito, non absque eo, ſubſtitutum in regno ita, ubi idonei forent paternæque virtuti reſponderent, fuiſſe patri filium, proximosque ſibi invicem cognatos. Quemadmodum in conventu Warburgenſi anno CIↃ CCC XLIII. celebrato accidit: ubi Ordines libera voluntate, pacisque bono, magno Sveciæ & Norvegiæ Regi, cognomine Smeck, promiſere electione ſubrogaturos ſe Ericum, aut, eo ſine liberis mortuo, alium, qui aptior haberetur, filium; ſalva de cætero iis defunctis electionis priſtina libertate ac juribus. Adhæc turbatum ſæpe eſſe conſtat poſtulante neceſſitate iſtam, pro cognationis proximo gradu ac jure, ſuccedendi rationem: dum ob ignaviam aut tyrannidem abdicatis & deſtitutis Regibus non filii, ſed fratres, patrueles, aut conſobrini, quandoque incerta aut longinqua cognatione juncti alii, gubernando reipub. clavo idonei magis, ab ordinibus dati ſunt ſucceſſores. Quæ omnia ſatis oſtendunt & adſtruunt illam, quam dixi, in eligendo Rege liberrimam ſtatuum Sveciæ diſpoſitionem. Alioqui ſimiliter nec Germanis nec Danis, Bohemis, aut Polonis ſua conſtituta erit, quam diu ſibi vindicarunt jactaruntque, libera electionis facultas.

Cæterum regnante in Svecia Guſtavo I. ut in poſterum omnes tollerentur diſcordiæ, ſeditiones, mala & incommoda, quæ circa electionem Regis diſſenſione & factione Ordinum eligentium ſuboriri ſæpe conſuevere; quæque Sveciam continuo huc usque, jam inde a morte Magni Smeck peregrinis adſcitis regibus, miſerandum in modum afflixerant diu: partim ut ſummis Guſtavi meritis, ob aſſertam adeo liberali manu a Chriſtiani II. tyrannide, tutatam, gubernatam, variis auctam emolumentis, conſtitutamque feliciter tanto cum labore, & vitæ ſæpius adito diſcrimine, rempubl. condigna aliqua referretur gratia; quod hucusque electitium plane fuerat, ei, ejusque progeniei maſculæ, concordi omnium ſententia, & ſpontanea voluntate ordinum, in comitiis primum Orebrogenſibus CIↃ IↃ XL: dein Aroſienſibus CIↃ IↃ XLIV, poſtremo Stockholmenſibus CIↃ IↃ LX. congregatorum, datum factumque fuit hereditarium.

Minime tamen eo ipſo monarchica ſimul, ſeu illimitata omnium rerum, aut iis, quæ huc usque ſemper in electitio regno obtinuerant, & in quas, antequam electi reciperentur aut inaugurarentur, aliorum exemplo Reges omnes ſancte jurare neceſſum habuerunt, legibus (fundamentales vulgo vocant) ſoluta poteſtas vel Guſtavo, vel ſucceſſoribus ejus indulta fuit, obtigitque. Cujus efficiendæ rei mens ac voluntas nec tum, nec poſtea unquam populo ac proceribus Sveciæ ulla fuit: quippe nullis plane declarata ſignis, verbis, factisve. Quæ ideo nec tanto eorum cum præjudicio facta dici cogitarique poteſt. Maxime cum hereditariæ Regum ſucceſſioni per ſe, niſi diverſum ita ſtatuatur uſuque obſervetur, minime juncta ſit abſoluta eorundem regnandi poteſtas. Quemadmodum nec electionem neceſſario ſemper comitatur, obnoxium legibus populi aut optimatum placitis Regis imperium. Quanquam haud raro, imo plerumque conjuncta ea videamus, quod tamen per accidens fieri certum eſt. Etenim ſucceſſione non aſſignatur forma imperio; ſed vetus electione cœptum hereditario jure continuatur, ut quantum prima electio contulit, tantundem, & non plus, tribuat ſucceſſio. Exemplo inter alios eſſe poſſunt Reges Lacedæmoniorum, & veteres

Roma-

Romanorum Imperatores. Quorum illi regnum, ephororum licet poteſtati valde obnoxium, ad heredes transmiſere: hi ſolutum legibus, omnique populi ac ſenatus auctoritate, imperium ſenatus militumve electione adepti fuere. Eodemque facit, quod Ariſtoteles lib. Pol. III. barbaricorum Regum fuiſſe ſcribit *ἐκ γένους ἀρχὴν δεσποτικήν*: Æſymnetarum *αἱρετὴν τυραννίδα*. Et de Laconico regno, quod maxime legibus alligatum, & priſcis ſimiliter in uſu fuit, agens, *τούτων βασιλειῶν*, inquit, *αἱ μὲν κατὰ γένος εἰσίν, αἱ δ' αἱρεταί*.

Quæ cum ita ſint, jus quidem fuit Sigiſmundo III. Poloniæ Regi, Guſtavi I. ex Joanne F. nepoti, adeundi & capeſſendi A. cIↃ IↃ XCIII. parentis morte vacui, & jam ante in comitiis Stockholmenſibus cIↃ IↃ XC. vi renovatæ ſæpius hereditariæ unionis, nominatim ab ordinibus delati ſibi regni Svecici. Privilegia, inſtituta, leges, & immunitates ejus, ſolenni jurejurando ſub inaugurationem, & diu ante miſſis ad ordines literis ac nunciis ſæpius a ſe agnitas & ſancitas ſpernendi ac violandi; proque arbitrio Regiæ auctoritatis & poteſtatis quidvis faciendi & intermittendi, ac libere in hereditario regno dominandi (ut ſibi ipſe perſuaſit falſo vel ab imperitis & malignis male perſvaderi eſt paſſus) jus minime omnium fuit.

Id quod factum omnino eſſe & hiſtoriæ, editaque in illis turbis procerum ſcripta loquuntur, & in multorum adhuc verſatur memoria.

Dum Sigiſmundus Rex, ſtatim ac in Sveciam crebris Ordinum nunciis literis & legationibus evocatus, honorifice exceptus & deductus Stockholmiam veniſſet; adducta ſecum haud exigua pontificiorum presbyterorum, duce Papali ominoſi nominis legato Franciſco Malaſpina Vrbini epiſcopo, ac Polonorum militum, qui variis in urbe cædibus non temperarunt, caterva; & ubi Regium Upſaliæ diadema accepiſſet, receptam per ſexaginta annos in univerſo regno, Guſtavi Regis teſtamento ſtabilitam, & in generali Upſalienſi ſynodo A. cIↃ IↃ XCIII. denuo approbatam religionem eliminare, papiſticam autem, in qua ipſe contra Regni leges educatus cuique deditiſſimus usque fuit, reducere omnibus modis ſtuduit & annixus eſt. Cum quidem ante adventum ſuum, in reſcripto quodam Warſaviæ IX. Januar. cIↃ IↃ XCIII. emiſſo, ambiguis verbis *neminem ſe religionis nomine odio aut amore proſecuturum*, Ordinibus regni promiſiſſet, vel illuſiſſet potius: poſtulatamque Ordinum nomine a legatis ſuper eo aliiſque capitibus, aſſecurationem præſtare ante coronationem pertinaciter diu recuſaſſet. Præpoſterum autem, cujus modo faciebam mentionem, Romanenſis theologiæ Svecis obtrudendæ zelum & conatus reapſe multifariam exſeruit, templo arcis, alioque in urbe tum primum erecto, nec non Drottningholmenſi arce & Waſtenenſi monaſterio, Jeſuitis partim, partim aliis Pontificiis ſacerdotibus attributis: Præfecto item arcis Stockholmenſis conſtituto Erico Brahe comite, hujus ſectæ acerrimo fautore; ejusque fidei & cuſtodiæ commiſſis Regiis inſignibus, grammatophylacio, armamentario, claſſe, & tormentis bellicis. Denique præcipuis propugnaculis & provinciis, Finlandia, Smalandia, Weſtrogothia, Oſtrogothia & Eſthonia eorum ſummo ac pleno regimini ſubjectis, qui affinitate, ejuſdemque factionis ſtudiis Erico comiti arctiſſime fuere juncti. Quo facto mox, paucis poſt inaugurationem menſibus, inſciis ſtatibus, e regno turbato, nullo certe idoneo regimine tunc aut poſtea ad interpellationem Ordinum firmato, magna autem feneſtra diſſenſionibus civium animorumque diſtractionibus callide aperta, in Poloniam ſubito anno cIↃ IↃ XCIV. diſceſſit.

Ob incertam, imo præciſam ferme, reditus ſpem, adminiſtrandi regni curam ſuo jure capeſſentes ordines ac ſenatores, eorumque placito, nec non proximæ cognationis & hereditariæ ſucceſſionis jure, gubernationi ſecundum leges manus una admoventem Carolum patruum, Principem regni Sveciæ hereditarium, Sudermanniæ Nericiæ & Wermelandiæ Ducem (quem Joannes Rex per filii abſentiam pro Regis titulo Sveciæ præeſſe, teſtamento juſſiſſe perhibetur; & cui ipſe Sigiſmundus paulo ante parentis obitum, & ſuſceptam in Sveciam profectionem, rurſumque inde egreſſus, gubernandæ ſe abſente una cum ſenatoribus reipubl. clavum commiſerat ultro; cujusque conſilio omnibus in rebus ſe uſurum, cunctaque regni negotia jurato promiſerat moderaturum) gravi, imo capitali odio & indignatione proſecutus fuit. In invidiam eosdem & crimen infidelitatis ac læſæ Majeſtatis vocavit. Minis, interdictis, pollicitationibus ab inſtituto dimovere; celebratos ab iis extrema urgente neceſſitate Sudercopiæ & Arbogiæ, A. cIↃ IↃ XCV. & XCVII. ſe inſcio, conventus impedire, inhibere, diſſolvere; omniaque in eis ad ſalutem & ordinationem regni ſecundum receptas & in coronatione juratas leges, nullo cum Regis, Regiæque eminentiæ, jurisdictionis, & poteſtatis præjudicio, propoſita conſilia, conventaque pacta (ceu incepto ac propoſito ſuo infringendæ ſenſim Sveciæ libertatis adverſa) ſola auctoritate ſua & paucorum, in ſuas partes quos attraxerat, procerum, quibusque in tutelam receptis ſupremam regni gubernationem, ordinibus inſciis & ſine ulla cauſæ cognitione remoto patruo, demandarat, improbare & reddere irrita; factionibus item, ſeditionibus, & diſcordiis inter Ordines graviſſimis excitatis, ſibique addictis protegendi ſe facta poteſtate, & huic fini omnibus ad arma excitis, eorum eludere cœpta omni niſu allaboravit. Nec vitæ Caroli patrui inſidias ſtruere eſt veritus. Præterea copioſum in Finnonia & alibi, prætextu Moſcici belli, licet jam compoſiti, Duce Claudio Flemingio collectum, & ad ſua caſtra petractum militem ad invadendam Sveciam longo tempore aluit. Cujus ſuſtentationi & graviſſimis exactionibus impares, ad extremam redacti inopiam & famem provinciæ illius incolæ, cum flagitante neceſſitate ſe opponerent; miſere paſſim ab eo connivente, nec quicquam ſubditorum querelis & calamitatibus conſulente, imo approbante & incitante Rege, conciſi, trucidati, bonis omnibus exuti, & horrendis ſuppliciis affecti fuere.

Denique

Denique ubi parum ita profici videt, ipſe ad vindicandam plenam, quam ſibi aſſeruit, ac monarchicam ſcilicet Majeſtatem ſuam, cum inſtructo octo millium ex peregrinis nationibus, Germanis, Polonis, Hungaris, Heiducis ac Scotis collecto exercitu, & centum navium claſſe, in Sueciam, hoſtis magis quam mitis ac pacifici regis ſpecie, certe hoſtili animo, anno CIↃ IↃ XCVIII. regreſſus fuit. Quem animum ſatis ſuperque declararunt Calmariæ ultro deditæ violenta occupatio, præfectis contra datam fidem in vincula conjectis: Sectatorum quorundam Caroli proſcriptio: Finnonum & Eſthonum in Sueciam evocatio: Poſtulatæ toties æquiſſimæ ac neceſſariæ cautionis de non opprimendis vi, aut injuſto judicio Statibus ac civibus, præſertim Carolo patruo, ſed juſta ac recepta in univerſalibus comitiis via, ex legum præſcripto ordinumque conſilio, lites ſubortas terminandi, de peregrino dimittendo milite; nec non oblatæ amicæ per arbitros compoſitionis induciarum & petiti a Carolo ſecuri cum Rege colloquii, præfracte denegata ſpes: iniqua hac & intolerabili propoſita conditione, ut priores ab armis, juſto quæ metu ac defendendi ſui injuriæque propulſandæ ergo ceperant objecerantque, diſcederent Gubernator ac Status, infeſtoque Regi locorum & arcium omnium, copiarum, claſſis, & armamentarii ante traderent poſſeſſionem, omniaque in priſtinum reſtituerent ſtatum. Inprimis amicam & benignam Regis erga cives ſuos, qui omnem ei reverentiam & obſequium detulerunt, voluntatem manifeſto prodidit tentata aliquoties eorum oppugnatio, & atrox demum illa ad Lincopiam, quanquam infeliciter, conſerta pugna. In qua cum Sigismundus, ejusque exercitus ad internecionem deleri penitus ab irritatis ordinum copiis potuiſſent, benigne a victoribus conſervati ſunt, induciisque proclamatis majori ſanguinis effuſioni mature temperatum fuit.

Rex ipſe, poſtquam ſpei ac voto inceptisque minus reſpondiſſet prælii fortuna, tandem ad mitiora, jure ac judicio controverſias diſceptandi, offenſiones omnes condonandi, & perpetua oblivione ſeu *ἀμνηςία* ſepeliendi, denique ex legibus moreque majorum adminiſtrandi in poſterum regni conſilia flecti ſe paſſus eſt. Verum ſimulate ea omnia, quemadmodum antehac ſemper, & contra animi ſententiam a rege capta, malaque fide impleta ſunt; perſuaſo ſine dubio & infecto pernicioſo illo Romanenſium dogmate, hæreticis non eſſe ſervandam fidem. Quippe cum intra quatuor menſes univerſalia & libera comitia (in quibus controverſiæ, lites, & actiones omnes, quas vel Rex, vel Gubernator cum ſubditis Suecis, aut hi inter ſe haberent, præſertim quæ dirimi aliter non potuiſſent; nam ſubortæ inter regem ac ducem diſſenſiones per *ἀμνηςίαν* omnino ſopitæ fuerant; coram arbitris ſinceris, neutrique parti addictis diſceptarentur & componerentur) indicere & celebrare, captivos, ut illic ſe ſiſterent, dimittere; militem peregrinum omnem ex toto regno ablegare, Suecicum quoque exauctorare; emiſſis in omnes provincias pactis hiſce & diplomatibus, intentatis per calumniam quorundam criminibus patruum levare; armis dehinc & vi omnibus interdicere: ac viciſſim hiſce peractis a Carolo Duce arces, claſſem, tormenta, & cætera omnia huc uſque Regis nomine poſſeſſa recipere in poteſtatem, ex promiſſis pactisque Lincopenſibus Rex deberet; ejusque ergo Stockholmiam magna omnium exſpectatione propediem acceſſurus omnino putaretur. Mutata ſententia protinus is, nulla adactus neceſſitate, inſciis denuo ordinibus, ad extremos regni fines, indeque Dantiſcum & in Poloniam remeavit. Abductis ſecum ut Stockholmiam eum deportarent obviam miſſis navibus omni bellico apparatu inſtructis; captivis item omnibus exportatis, Calmariaque ſibi retenta, & externi militis præſidio ac commeatu ſubinde probe firmata, a quo nulla non aperti hoſtis edita facinora.

Ad Polonos reverſus adeo non iteratis ſæpius humillimis Caroli, ordinumque Sueciæ literis ac precibus vehementisſimis, de pactis Lincopenſibus præſtandis, de reditu quamprimum maturando, aut emittendo filio ſuo, nec deponenda ita omni regni cura; ni ad priſtinam obedientiam ſibi renunciandam, aliumque circumſpiciendum regem adigere eos vellet; reſponſum aut locum ullum dedit, ut exacerbati, hoſtilis, & vindictæ cupidi magis magisque animi luculenta ediderit ſigna: detentis, captis, & confiſcatis Suecorum, quascunque & ubicunque potuit, navibus mercibusque; commerciis cum iis, idque in magna annonæ caritate, ſevere interdictis; factionibus in Suecia ſuis ſollicite reſuſcitatis, & Finnonibus ſpe auxilii minime lati ad invadendam ac vaſtandam eam denuo cum pernicie ſua concitatis.

Imo ſervandæ Lincopianæ tranſactionis obligatione minime ſe teneri palam poſtmodum aſſerere non dubitavit. Credo ob imminuta Majeſtatis ſuæ jura, aliaque commoda; & quod vi ac neceſſitate quadam poſt cladem Lincopenſem ad ea pacta ineunda ſe putarit coactum. Cum tamen reſtitutio, quæ juris eſt civilis, locum non habeat adverſus acta, promiſſa, & contractus regum, qui tales, ſeu regios; & longe alia ratio ſit vis metusve huic illive homini a privatis, alia publico, ſolenni, juſto præſertim, bello regibus aut populis ab aliis intentatæ. Quo caſu de vi metuque injuſte illato exceptionem prætoriam ad reſcindenda in bello, aut ejus finiendi cauſa promiſſa minime admittunt naturæ gentiumque jura. Alioqui vix ullæ pacis conditiones, ad quas victi demum a victoribus juſto metu compelluntur, ratæ & ſtabiles forent; imo nulla facile pax oppreſſis indulgeretur, lataque aperiretur porta perpetuis inter gentes diſſidiis ac tumultibus bellicis, internecinis odiis, & ſtragibus crudelisſimis. Quod ne fiat humanæ ſumme intereſt ſocietatis.

Præterea idem Sigismundus non deſtitit ex eo tempore adverſus Carolum regni gubernatorem & ordines, variis criminationibus ac famoſis libellis ceu rebelles ac perduelles traductos, vicinorum aliorumque Regum ac Principum concitare odia & arma; eosque ceu capitales hoſtes majoribus quam antea unquam viribus debellandos aggredi.

Horum

Horum nihil ei per vetuſtas regni Sueciæ leges, per noviſſimas conſtitutiones, per naturæ & gentium jura, nec in Polonia talia patrare licuiſſe, evidentius eſt, quam ut longa & operoſa egeat demonſtratione. Idque vel ex ſolis ſacramenti & pacti in coronatione poſt longam & obſtinatam tergiverſationem præſtiti capitibus, ſi cum ſuperioribus factis ſingula conferantur, cuivis manifeſto patebit.

Quocirca univerſis regni ordinibus, maxime ſenatoribus, qui jurejurando adſtricti ſunt regni jura illæſa conſervare, & ut idem Rex faciat ſeriam dare operam; horumque inſtantiſſimis precibus ſæpius invitato, nec non ſuo jure nixo Carolo (cui propterea, & ſingularis ob provectam ætatem, longumque rerum uſum, prudentiæ nomine in gubernando eo regno nemo potuit præferri, prout jure quoque Suecico, & Guſtavi Regis teſtamento cautum eſt) injuſtis & perniciosis illis Regis Sigismundi conatibus, factis, & imperio obſiſtere licuit, reipublicæ, abſente minusque curante Rege, ſuſcipere adminiſtrationem, vim vi repellere, religionem libertatemque ſuam omnibus modis aſſerere & tutari. Maxime cum pactis Lincopenſibus hæc annexa fuerit clauſula, *ut, ſi alterutra pars præter ſpem ab iis recederet, aut ea violaret, ordines regni parti violanti reſiſtendi jus ac poteſtatem haberent:* Adhæc jure Suecico *c. 9. tit. de regalibus* cautum ſit, *ut ſenatores* (eadem cæterorum ordinum ratio) *legitimam regi obedientiam exhibeant, ejusque mandata in iis omnibus exequantur, quæ rationabiliter & legitime eis injungit, atque ut coram Deo & hominibus ille quod mandaverit, & hi quod obtemperaverint reſponſione juſta defendi poſſit.* Licuit Statibus Sueciæ ejus ergo, cum opus fuit, convenire publice, deliberare, ordinare, ſtatuere, ſtatuta promulgare & exequi; in præjudicium libertatis a Sigismundo acta, legibus & juramento ejus minime conformia, abrogare, reſcindere, cunctaque legum præſcripto, ſaluti, utilitati, ac neceſſitatibus reipubl. accommodare. Licuit regiæ dominationis magis quam patriæ ſalutis amantes, & a ſuismet antehac in conventu Sudercopenſi conventis juratisque pactis deficientes populares hoſtium ac perduellium habere loco: quæ decreto Sudercopenſi inſerta fuit conditio. Nec quod hi ſuffragiis ſuis minime firmarunt plurium numero in comitiis acta & decreta, vim obligationis demere eis potuit; cum in quavis civili ſocietate conſtet, majoris partis, maxime ſi ſanioris eadem ſit judicii, præ minore valere ſententiam ac conſenſum, eoque ſingulos in ſocietate conſtitutos obſtringi: nec ſane fieri aliter poſſe aut negotia expediri, quod iniquiſſimum ſit majorem partem cedere minori.

Licuit denique eis poſt tam longam tot injuriarum & calamitatum patientiam, tam flebiles & ſollicitas toties fruſtra interpoſitas admonitiones, preces, obteſtationes, Sigismundum Regem, officio ſuo toto regiminis tempore minime ſatisfacientem, nec juramentis pactis promiſſis literis ullis ſtantem; regni jura cum Eſthoniæ tentata alienatione; tum tradita Moſchis, antequam de pace perpetua actum & conventum eſſet, arce Kexholmenſi, nec non petita a Danis (quam hi antea a Suecis impenſe flagitarant, & vix demum obtinuerant) dilatione decidendæ ſuper uſu inſignium regni Sueciæ propriorum, trium ſcilicet coronarum controverſiæ; imminuentem: & de quo ob toties læſam fidem, tam graves illatas injurias ac damna, & propter pertinax Pontificiæ religionis (quam, delata ſibi in comitiis Warſavienſibus ab Hiſpaniæ Rege equeſtri aurei velleris dignitate, omnibus modis propagaturum ſe, hæreticorum autem exſtirpationi pro viribus invigilaturum, juraſſe ſcribitur) in Sueciam per emiſſarios ſuos, ſpecie libertatis religioni indultæ, invehendæ ſtudium, nil bene amplius, eumque ad ſaniorem mentem reverſurum ſperare poterant; in comitiis Stockholmenſibus annno CIↃ IↃ XCIX. abdicare, & privare regno, quo ipſe ſua culpa, & dum Jeſuitarum pravorumque conſiliariorum, qui regnum ſucceſſionis, incolas ſervitutis jure regendos eſſe ſtatuerunt, ſuggeſtionibus obſequitur, exciderat.

Ejus rei juſtitia quamvis in obſcuro amplius ex iis, quæ diximus, non ſit: tentabimus tamen, num magis certa & perſpicua adhuc fieri queat. Non lubet autem in præſens ingredi & agitare hic arduam & ſpinoſam illam, multorum etiamnum quæ torquet ingenia ac judicia, de Principum ac Regum jure & poteſtate, ſubditorumque obligatione in univerſum, diſquiſitionem.

Quo in argumento doctiſſimi quique conſentiunt, nec diffiteri poſſunt, fuiſſe olim tempus, quo ignotum plane, idque ſatis diu, fuerit regium nomen æque ac imperium. Generis auctore familiæ cuique Regis ad inſtar imperante. Si in vicum ſeu pagum diffuſa magis fuiſſet multitudo (quomodo antiquiſſimis temporibus non Græcos modo, aliosque populos, ſed Germanos etiam vicatim diu incoluiſſe conſtat) ſeniore, aut prudentiore uno, vel pluribus, conſilio cæteris, aut precario ad tempus imperio præeunte, vel etiam unoquoque privatim ſibi, in communi incidente neceſſitate, de communi omnium aut plurium ſententia conſulente. Cujusmodi σποράδην extra rempubl. vivendi formæ exemplis ſuis iisque plurimis non carent. Porro ut ut ſucceſſu temporis, belli ob vindicandas injurias hoſtesve propulſandos juſtitiæque adminiſtrandæ neceſſitas, ſive commoditas potius, occaſionem populis, civitatibusque præbuerit unum aliquem ſibi regio cum imperio præficiendi: Tamen ſaltim plerumque factum illud eſſe conſtat libero populi conſenſu, publicæ gratia ſalutis & utilitatis. Nec temere credi poteſt ea gentis alicujus aut ſocietatis fuiſſe voluntas, ut alicujus ſive abſoluto & ſummo, ſive limitato ac ſummo minori imperio ultro ſe ſubderent, aut ſuſceptum neceſſario tolerarent, quem publicam utilitatem vel omnino non vel non præcipue putaſſent fore curaturum. Nedum ut allecturæ ſponte, aut electum perpetuo toleraturæ fuerint ſuorum tantum commodorum cum detrimento & injuria civium ſatagentem, multo minus contumeliis, libidine, cædibus, ac rapinis promiſcue in omnes graſſantem. Quam extremæ miſeriæ ſervitutisque neceſſitatem ac legem populis quantumvis Chri-

nis (quibus injurias omnes tolerandi eminentisſima virtus novo fœdere ſuaderi magis potuit, quam præcipi) imponere velle durum ſane fuerit, certe *ἀδύνατον*. Repugnat enim naturæ, advertitur primæ regnorum origini, populorumque intentioni, inter alia per jurisjurandi Regibus gubernationem inituris delati obligationem ſatis declaratæ. Quam certe inanem, aut ſupervacaneam minime putarunt, neque eſſe ullo modo, nedum ſervitutis iniquitatis, tyrannidis vinculum exiſtere voluerunt, religioſi adeo veteri ævo ſacramentorum cultores. Quod quidem omnino fit, ſi Regi aut Principi manifeſto iniqua, aut promisſis contraria imperando impune a juramento recedere liceat, ſubditis nihilominus ſui juramenti & omnium obſequiorum religioſo nexu ei obſtrictis. Nec ulla unquam gens tam modeſtam & patientem ſe hac in re præbuit præbebitque, ut non injuriarum quandoque dolore inſtigata imperio minimum ſubmovendos putarit ac putatura ſit malos & tyrannicos rectores; ſalutisque ſuæ curam, quæ non niſi cum vita ſimul deponi poteſt, plane a ſe abdicarit vel perpetuo abdicatura ſit.

Sunt quidem aliæ aliis nationes hic faciliores, Regii dominatus ſervitutisque patientiores; nulla tamen pene ſervili usque adeo & ignava prædita mente, in qua non aliquando emicuerint primævæ ac naturalis libertatis quidam igniculi. Aſiaticos, Africanos, aliosque populos, Barbarorum nomine a Græcis notatos, natura ad ſerviendum cæteris aptiores, jugum haud iniquo animo ferre, dudum Ariſtoteles aliique prodidere. Verba philoſophi ſunt: *Διὰ τὸ δυλικώτεροι ἔιναι τὰ ἤθη φύσει. οἱ μὲν βάρβαροι τῶν Ἑλλήνων, οἱ δὲ περὶ τὴν Ἀσίαν τῶν περὶ τὴν Εὐρόπην ὑπομένυσι τὴν δεσποτικὴν ἀρχὴν ὐθὲν δυχεραίνοντες.* Europæis gentibus plerisque aliam longe ac libertatis amantiorem mentem benigniſſimam rerum parentem naturam indidiſſe, inde colligere eſt, quod vix unam alteramve proferre liceat, in qua non olim, idque maximam temporis partem, liberum electitium, variis circumſcriptum legibus, quandoque nullum etiam, viguerit Principis aut Regis imperium: quæque integram, ſi minus libertatem, at ſervitutem ferre æquo animo potuerit: Ariſtoteles in politicis libris cum quartam feciſſet regni, ſeu *μοναρχίας βασιλικῆς* ſpeciem, quam Heroicum nominare placuit propterea quod Heroum (qui vetuſtiſſimis temporibus in Europa floruere) ævo in uſu, iisque & ſucceſſoribus eorum propter beneficia a majoribus in populum collata, vel artibus, vel bello, vel propter congregationem aut acquiſitionem terrarum, ſecundum leges adminiſtrandum ſponte a populo delatum fuerit; addit habuiſſe eos Reges non omnium, ſed certarum ac determinatarum ſolum rerum poteſtatem. Fuiſſe ſcilicet *κυρίυς τῆς τε κατὰ πόλεμον ἡγεμονίας, καὶ τῶν πρὸς τὺς θεὺς, ἢ τῶν θυσιῶν, ὅσαι μὴ ἱερατικαὶ, καὶ πρὸς τύτοις δικαςάς.* Quam poſtremam tamen controverſias dijudicandi poteſtatem inſequentibus temporibus detrectante (graves, credo, ob cauſas) populo multi Reges amiſerint. Ipſum Tyranni nomen, quod, cum primum, ut eſt apud Nepotem, ſignificaret *eum, qui poteſtate eſſet perpetua in ea civitate quæ libertate fuerat uſa;* temporum decurſu in malum ſenſum degeneravit, argumento eſt, priſcis una cum nomine inſolitam & ignotam fuiſſe pravam ejusmodi, nullis circumſcriptam finibus, perverſæ dominationis formam. Qui poteſtatem illam poſtea injuſte occuparunt & exercuerunt in invitos (volentes enim, aut ſervili ejusmodi natura præditas ingenio & corpore, quale nonnullis hominum attribuit Ariſtoteles, integras gentes aut civitates aliquot, non eſt quod temere fingamus) juſte ſine dubio, ubi is animus, occaſio & facultas populo fuit, ea potuere exui & deturbari. Nec malitiæ eorum patrocinari potuit vi obtentus aliquandiu uſus, ſeu præſcriptio: Quæ absque titulo, bona fide, & adverſus agere non valentem, non facile procedit. Nec vero ita recepiſſe regiæ adminiſtrationis formam, aut imperandi ſibi pro arbitrio Regi talem feciſſe populum poteſtatem præſumi poteſt, ut nullo unquam facto aut ſcelere ſuo excidere ea poſſet.

Cæterum naturam & originem regiæ gubernationis ſcriptores politici rectisſime repetunt a jure, regimine, poteſtate, & imperio patrum in liberos. Quæ doctrina ut veriſſima eſt, ita ſuavitatis & æquitatis plenisſima. Neque enim melior civium ac ſubditorum conditio eſſe aut fieri poteſt, quam ſi Rex paterno eos complectatur affectu, procurandæque eorum ſalutis potisſimam, aut non minorem ſaltem ac ſuæ, ubique habeat curam & rationem adeoque verum patriæ patrem agat. Quemadmodum viciſſim melius cum Rege ac Principe agi nequit, quam, metum & obedientiam non ſervilem, ſed filialem ei exhibentibus ſubditis amorem fiduciam obſequium & reverentiam. Qua quidem major inter homines eſſe nequit; qualemque Deus ipſe ter Opt. Max. ſibi exigere haud eſt dedignatus, tribuique gaudet. Nec multum hinc abit Ariſtotelis *παμβασιλεία*, quæ, ut ab illo deſcribitur, III. Pol. c. XIV. & XVII. lib. VII. cap. XIV. nemini non vehementer placere poteſt. Non autem forte ſequitur, ut, cum patrem durum quamvis & inhumanum liberis abdicare non liceat, Regem quoque tyrannice & immaniter ſe gerentem ſubditis impugnare & dejicere fas non ſit. Eſt enim nonnihil diſpar: major ſcilicet aliquanto liberorum erga parentes obligatio propter largitionem *τῦ ἔιναι*. Quo fit, ut pater eſſe non deſinat, quocunque tandem modo ſe gerat; licet ea de cauſa ſolutus non ſit juris, legum, & actionum vinculis, Rex autem nomen eſt officii. Siquidem juris & juſtitiæ adminiſtrandæ cauſa eos primitus a populo conſtitutos, ſapientum antiquiſſimi fatentur. De vita libertate & bonis liberorum ut parentes pro arbitrio ſtatuerint, juris fuit non naturalis, ſed gentium certarum non omnium. Quæ ut licere id voluerint, commotæ ſunt ſummo natura inſito parentum erga liberos amore & affectu: quo fieri non poſſe putarunt (qualis in alios, ac Reges præſumtio non cadit) ut poteſtate ſua, quantumvis maxima, patres abuterentur. Adeoque impunitatem quidem ejus rei facere potuere. Quod proin nec Reges erga ſubditos, horumve, eodem patrum exemplo, omnimodam abdicationem vel alienationem vindicare ſibi & exercere me-

re merito potuerunt, niſi in quantum ſubditi aſſenſerint, cum liberi & ad divinæ mentis imaginem creati homines non ita ſint in dominio patrimonio ac commercio, nec eodem jure ex conditione cenſendi, qua animantia bruta pecora fundi aut agri.

Verum generalibus hisce principijs & dogmatibus confirmandis, fuſiusque explicandis (id quod alias forſitan cura graviore fiet) immorari nunc nec animus, nec neceſſe etiam eſt. In hypotheſi ſolum & circa regnum Sueciæ noſtra potius hoc tempore occupabitur oratio.

Ei, ut ſupra dici cœptum, per multa ſecula ſua fuere jura, ſtatuta, & privilegia, ſuæ conſuetudines & immunitates. Videlicet, ut juſtitiam omnibus tam ſummis, quam infimis, tam pauperibus, quam divitibus æqualiter & incorrupte Rex adminiſtraret. Antiqua jura privilegia ac conſuetudines nulla in re violaret. (Cujus inter alia generis ſunt: regnum peregre profecto Rege, ex indigenis præſide ſeu gubernatore electo adminiſtrandi; Conventus poſtulante neceſſitate cogendi; jus dicendi, ſublata ad Regem extra regnum conſtitutum provocatione; diſtribuendi officia: Juris patrocinio ſe ac ſua contra Regem tuendi viliſſimo cuique; Regum peregre degentium juſſa non aliter quam per Senatum conſulta fuerint exequendi; Impuberis Regis tutelam per certos ex ſuo aut Senatorum ordine gerendis Ordinibus competens facultas.) Ut peregrinos in regnum nullos Rex induceret, nec officia eis aut feuda conferret; tributis & exactionibus inſolitis præter neceſſitatem populum ne gravaret. Ut ne quid gravioris momenti rerum ſine conſilio & aſſenſu Senatorum & Statuum ſuſcipiat agatque. Quibus poſtea per hereditariam unionem ac Regis Guſtavi I. teſtamentum, leges acceſſere aliæ, de colenda etiam ipſi Regi Principibusque conſervanda nec immutanda vera Auguſtanæ confeſſionis religione in regno tunc vigente, deque limitibus regni non imminuendis. Quæ omnia electum Regem, antequam reciperetur inaugurareturve, jurejurando ſpondere, & ſancte obſervare ſemper oportuit. Ni faceret, jus ac poteſtas Ordinibus fuit vi armisque reſiſtendi ei, & ſine ulla rebellionis nota obedientiam denegandi.

Quam ſibi libertatem, non minus ac Poloni, Dani aliæque gentes, diſertis verbis in delatione Imperii ſæpe ſtipulati ſunt, crebrisque actibus teſtatam omnibus fecerunt. Utpote Ragualdo & Suerchero Regibus, ut anteriores ſilentio præteream, ob crudelem dominationem bello oppugnatis ac cæſis: Waldemaro Birgeri Jerl. F. ob malos & ignavos mores regno in cuſtodiam una cum Erico filio detruſo: Birgero Magni Ladalos, qui fratri Waldemaro ſubſtitutus fuerat, filio ob commiſſum Erici & Waldemari fratrum parricidium: nec non ſucceſſore ejus patruele Magno Smeck ob libidinem, perfidiam, crudelitatem, tyrannidem, & alienatam Scaniam, regno pulſo & ejecto: Alberto Meckelburgenſi, Magni ſororis Margaretæ, (quæ matrimonio fuerat juncta Haquino Norvegiæ Regi, Magni illius cognomine Smeck filio) Erico Pomerano, Chriſtiano & Joanne Oldenburgicis, quod leges ac conditiones in coronatione juratas variis modis transgreſſi fuiſſent, bello impugnatis partim, partim fugatis & excluſis, electisque ex ſuo ordine Gubernatoribus Engelberto, Carolo Canuti, Stenone, Suantone, & hujus filio Stenone Sturiis; qui præclare diu ac feliciter regno præfuerunt. Denique Chriſtierno II. ob immanem perfidiam & tyrannidem regio deturbato ſolio, inque ejus locum electo Strengnesiæ A. CIↃ IↃ XXIII. interjecto autem quadriennio Regiis Upſaliæ inſignibus decorato Guſtavo Erici, equite, genus alto a ſangine Regum S. Erici, & Caroli Canuti ducente.

Cujus temporibus libera ordinum ſuffragiis, quæ huc usque obtinuerat, electio libero populi conſenſu in hereditariam ſucceſſionem mutata eſt, nullius autem præterea alterius legis, juris, aut privilegii regni facta antiquatio. Quæ idcirco in vigore ſuo priſtino manſere per regiam ſucceſſionem minime ſublata. Teſtante id rurſus Erici Regis Guſtavi F. ob illegitimum regimen, ſævitiam in fratrem, & crudelem Upſaliæ præcipuorum conſiliariorum & regni Senatorum patratam cædem, A. CIↃ IↃ LXVIII. facta depoſitione, & excluſis in perpetuum ejus liberis, ceu ex indecoro matrimonio procreatis, Joannis fratris, patris Sigismundi, ſubrogatione. Quæ alias fieri minime potuiſſent.

Quin itaque easdem, imo graviores ob cauſas eodem jure erga Sigismundum (cui, ut toties dixi, ex ſucceſſione non plus juris, auctoritatis, & potentiæ acceſſit, quam Reges priores libera electione rerum ſummæ præfecti habuerunt) poſtea uti potuerint, dubium nullum habet.

Poloni certe, qui ſtrenui adeo ſuæ libertatis vindices, & privilegiorum aſſertores eſſe & videri volunt, inficias ire nequibunt. Si enim illis licitum fuit Uladislaum, Miecislaum, Boleslai III. filios, pluresque olim alios, regno pellere, ſuperiore autem ſeculo Henricum Regem adeundi & conſtituendi, mortuo fratre Carolo, aviti Franciæ regni ergo inſciis Ordinibus Polonia egreſſum, nec præſtituto paucorum menſium ſpatio reverſum, ob hoc ſolum, licet conſtituendæ eorum conſenſu certæ regni in abſentia ſua adminiſtrandi formæ percupidum, publice A. CIↃ IↃ LXXV. abdicare: Qui minus idem quæſo licuerit Suecis? Ni forſitan quæ jure ipſi agunt, eadem ſi alii ejusdem imo melioris conditionis ac libertatis faciant, injuſtitiæ arguere iniquiſſimo judicio velint.

Nec eſt, quod quis dicat, non potuiſſe Ordines regni Sueciæ in propria cauſa eſſe judices, ſententiamque ferre. Primum enim certi juris eſt, iis in regnis, ubi aſtrictum legibus, aut populi vel optimatum aſſenſui obnoxium eſt Regis imperium, ſubortas Regem inter & Status, imo civium quemcunque controverſias a Proceribus & populo, ſeu cunctis Ordinibus, qui totum regnum ac populum univerſum in claſſes diſtributum repræſentant, cognoſci, examinari, decidi recte poſſe. Nec licere latam ab iis ſententiam, tanquam incompetentium ſuſpectorum aut corruptorum judicum, vitii incuſare aut repudiare. Cum ſuperiorem judicemve alium regna illa non habeant: ar-

 biiro-

bitrorum autem in vicem judicis capiendorum nec neceſſitas ſemper, nec commoditas ſæpe ſit: adhæc Ordines non tam ex ſui animi ſententia, quam legum, quæ gratia odiove carent, præſcripto judicent, quæque in iis haud obſcure antea continetur, ſententiam promulgent tantum. Certe qui jus habent leges Principi, quibus teneatur, præſcribendi; quique imperium certis de cauſis revocabiliter ei dederunt; jus etiam & poteſtatem habebunt de actis Principis, num legibus illis conveniant, cognoſcendi, actus illegitimos per eas leges irritos reddendi, ac jus ſuum juxta pacta conventa tuendi & exequendi. Alioquin nulla fieri poſſet aut potuiſſet olim Regis alicujus depoſitio. Ita jure feudali controverſias inter vaſallum & feudi dominum intercedentes cæteris convaſallis, quos Pares Curiæ vocant, dijudicandi jus eſt & facultas. Deinde ipſe Sigiſmundus arbitros, de quibus convenerat, præſtituto & inſequente tempore, ſæpius licet ab Ordinibus rogatus, convocare plane ſuperſedit.

Jure itaque cognoſcere, dijudicare hanc litem, diſcuſſa ea Regio Sigiſmundum exuere diademate, & omnem, qua jurisjurandi ac hereditariæ unionis nomine obſtricti fuerant, obedientiam illi renunciare potuerunt Illuſtriſſimi Regni Sueciæ Ordines. Quippe cum juramentum ſubjectionis, ſeu homagium ab illis præſtitum Regis juramento & pacto, ceu conditioni & cauſæ, fuerit innixum. Quo violato & transgreſſo corruit quoque & evanuit prioris illius obligatio. Siquidem una parte contra pacta conventa agente, alteri etiam impune ab iis recedere legibus eſt permiſſum. Inter Regem autem talem ac ſubditos æqualis fidei obtinet relatio, ut fidus dominus, quemadmodum proverbio dici ſolet, fidos efficiat ſubditos.

Porro quanquam non divino ſolum, ſed naturali quoque & gentium jure ob delicta parentum liberi pœnæ loco privari poſſint commodis & juribus illis, quæ a parentibus alioqui ad eos transmiſſa fuiſſent, cum ſuccedant in jus parentum, quod mortis tempore habuere, qui ſi illud facto ſuo amiſerunt, pro heredibus quoque amiſere; quod durum & abſonum ſit filiis adverſarii aut hoſtis, de quorum vindicta & ſucceſſione in odium inimicitiasque paternas magis, quam de meliori fruge certi eſſe poſſumus, neceſſario ea relinquenda eſſe bona, quibus excidere, indignosque ſe reddidere parentes: Et hos meliorem quidem, non autem deteriorem liberorum conditionem facere, iisque nulla in re præjudicare poſſe. Cum contra potius in hereditariis cauſis qui jus a ſe abdicat aut amittit, non ejus quicquam in liberos poſſit transferre; nec hi alio quam parentis jure ad vindicandum id venire queant. Eadem autem ſit regnorum hereditariorum ratio, ad quæ, niſi ſint in patrimonio Regis, ſeu pleno proprietatis jure (cujus ſortis & conditionis Suecia nunquam fuit) proprium jus liberi nullum habent, ſed parentum jure, & quidem mortuis demum illis nituntur. Nam quod vulgo traditur, feudis ex pacto & providentia non privari ex paterno delicto filium poſſe, ut qui ea poſſideat non ex parentis aut proximi poſſeſſoris, ſed primitivæ inveſtituræ ac primi acquirentis jure & perſona: id totum juris eſt feudalis, ſeu poſitivi quod locum non habet in Regum ac populorum controverſiis definiendis.

Quamvis, inquam, hisce de cauſis Sigiſmundo Rege remoto filium quoque ejus a gubernaculo regni removere Ordines merito potuiſſent; quomodo jam olim VValdemaro & Magno Smeck Regibus ſceptro privatis utriusque filium Ericum & Hacquinum eodem excluſerant: Hoc tamen ſummo jure uſi non ſunt, ſed eidem nihilominus ſingulari propenſione & reverentia erga Regiam Guſtavi proſapiam ducti, regnum ſponte in comitiis Stockholmenſibus obtulerunt, dummodo præfixo ſemeſtri ſpatio animi ſui ſuper hac re voluntatem Sigiſmundus Ordinibus aperiret, & intra ſequentes ſex menſes in Sueciam eum ablegaret, educandum illic ſub legitima Caroli patrui aliorumque optimatum tutela, in ſincera evangelica regno propria religione, & linguam mores ac conſuetudines regni, ut par eſt, edocendum. Quod cum pater ſæpius per literas a Carolo & Ordinibus admonitus & interpellatus, prorogato etiam usque ad Kal. Septembr. CIↃ IↃC II. ea de re deliberandi & ſtatuendi ſpatio, nullo plane, ne verbulo quidem, dato reſponſo, non fecerit, nec faciendum ſibi putarit: juſtiſſimam omnino cauſam Status Regni Sueciæ habuerunt in comitiis Lincopenſibus A. CIↃ IↃC filium Sigiſmundi, totamque ejus progeniem ſpe & ſucceſſione regni excludendi, & cum frater Sigiſmundi Joannes Oſtro-Gothiæ Dux jure ad id ſuo ſponte ac ſolemniter coram Ordinibus Regni in comitiis Norcopenſibus A. CIↃ IↃC IV & dein Orebrogiæ CIↃ IↃC VI pro ſe & heredibus ceſſiſſet (quod facere eum potuiſſe indubium eſt) adhæc minus idoneus ob juvenilem ætatem nullumque rerum uſum gubernando & conſtituendo in tantis motibus & periculis regno eſſet, in proximo gradu agnatum Carolum patruum, tam præclare de regno meritum, ejusque poſteros, etiam feminei ſexus deficiente maſculo, per reformatam hereditariam unionem in Norcopenſibus comitiis A. CIↃ IↃC IV. illud transferendi.

Qui quidem Carolus tantum abfuit, ut temeraria ambitione regnum in ſe transferre molitus ſit (quæ ſi cupiditas ei fuiſſet, dudum pro auctoritate & facultate ſua effectam reddere commodiſſime potuiſſet;) ut conſervare etiam omnibus modis Sigiſmundo ejusque ſoboli, ceu ex ſupra dictis patet, ſtuduerit, oblatum ſæpe recuſarit, ægreque tandem omni exquiſita mora dilatum diu, efflagitantibus Statibus & publica ſalute, deferri ſibi ſit paſſus. Delatum vero toties ita graviſſimo Ordinum judicio, proprioque ſucceſſionis jure, recte potuit acceptare.

Unde illud jam perſpicuum profecto eſt, quod primo loco demonſtraturum me pollicitus ſum, nullum omnino hodie jus ſupereſſe Poloniæ Regi aſſerendi ſibi regni Suedici, tituli que ejus uſurpandi.

CA-

CAPVT SECVNDVM.

Ad Eſthoniam nullum jus competere regno Poloniæ; quæ deditione partim, partim occupatione bellica juris facta ſit Suecici.

Cum tres ſint Livoniæ provinciæ ſeu partes, Eſthia, Letthia, & Curlandia; quarum priores duæ a Suecis hodie per multos annos poſſidentur; quo id jure tituloque fiat, inſtituti noſtri ratio paucis ſimiliter ediſſerere poſtulat. Ac primum quidem agemus de Eſthonia. In ea, ut notum eſt, Revalia urbs, illato A. CIↃ IↃ LVIII. a crudeliſſimo Moſcorum ſive Ruſſorum Imperatore, Joanne Baſilide Livoniæ, ſibique etiam denunciato A. CIↃ IↃ LIX. funeſtiſſimo bello, cum nec a popularibus ſuis, ſeu Equeſtris Ordinis Teutonici in Livonia magiſtro, cujus pleræque copiæ jam profligatæ & cæſæ, arces occupatæ vireſque attritæ erant; nec a fœderatis Hanſeaticis civitatibus, nec ab Ordinibus & Imperatore Germaniæ, aut Daniæ, cui ſe dedere voluerat, Rege, ſæpius imploratum auxilium adverſus injuſtam vim impetrare ullum potuiſſet; nec ipſa tutari ſe contra tam potentiſſimum & infeſtiſſimum ad portas urbis quotidie ſine intermiſſione excurrentem hoſtem valeret; omni deſtituta ope & præſidio, extrema ad evitandam imminentis exitii cladem neceſſitate adducta eſt, ut propinqui Sueciæ Regis Erici, re ſæpius deliberata, & cum paullo ante denuo magiſtri Livoniæ per legatos fruſtra expetiiſſet opem, renunciato ei fidelitatis juramento, ſponte & ultro ſe A. CIↃ IↃ LXI. una cum vicina Harria & VViria dederit imperio ac tutelæ.

Jam vero conſtat deditionem & ſubjectionem ejuſmodi, omnium gentium jure optimum & juſtiſſimum ſemper habitum eſſe dominii acquirendi titulum & modum. Ita in Romanorum ditionem Faliſci, Samnites, Campani, Collatini ſe dedidere. Epidamnii a Corcyræis deſerti Corinthiis ſe ſubjecerunt, ut protegerentur adverſus Taulantios & exules. Ut plura alia exempla brevitatis cauſa omittam.

Nec vero vanus is Revalienſium metus, aut gratuita Suecis deditio fuit. Siquidem tum effudere ſe in Livoniam ingentes numero, barbarie immanes Moſcorum copiæ, libidine, rapinis, incendiis, cædibus crudeliter ubique graſſatæ. A quibus totus ille ad Dunam fluvium uſque Livoniæ tractus, Revalia & Riga exceptis, occupatus & miſerabilem in modum devaſtatus fuit. Revalia ipſa bis per menſes complures obſeſſa, & ſumma vi oppugnata: Verum ſubmiſſis liberaliter a Rege regnoque Sueciæ militum, armorum, commeatus, pecuniarum ſubſidiis graviter æque ac feliciter defenſa eſt, priſtinæque libertati reſtituta. Ut adeo jure optimo ſubjectam imperio ſuo eam urbem tenuerint Sueci.

Si quis oggerere velit, non potuiſſe Revalienſes legitimæ magiſtratus ſui, Livoniæ nempe magiſtri, juriſdictioni, ditioni & imperio ſubtrahere ſe, & ceu membrum Livoniæ a capite ſuo corporeque ſeparare, ac Regi Sueciæ dedere, cum non fuerint in ſua, ſed magiſtri Ordinis Livonici poteſtate. Cujus in univerſam Livoniam jus omne, cum ejus tum omnium Statuum voluntate, ceſſum ſit regno Poloniæ. Ideoque non Revaliam tantum, ſed Eſthoniam totam Polonos recte potuiſſe vindicare ſibi & repetere. Iſtis objectionibus occurri ita poteſt.

Si magiſtro, Archiepiſcopo, & Statibus Livoniæ licuit inconſulto & invito Imperatore Germanorum, ſupremo magiſtratu ac feudi domino, dedere ac ſubjicere ſe Polonis: partim etiam, ut ab Oſilienſi & Curonienſi epiſcopo factitatum, Danis; & ſi dominii titulus ex eo facto his fuit acquiſitus (nullo autem alio nituntur) non minus Revalienſibus cum vicinis licuit conſulto at invito magiſtro, in ditionem concedere Regis regnique Sueciæ, a quo ob vicinitatem certius auxilium, & commerciorum nomine longe majora commoda exſpectare poterant. Licuit huic cum ſublevandæ afflictæ miſerorum fortunæ, tum propriæ ſecuritatis ergo, ut vicinos Ruſſos, intolerabiles alioqui Finnoniæ & Sueciæ futuros, a finibus arceret, in ditionem recipere eos, dominiumque ea deditione omnino fuit translatum. Verum enimvero ſumma illa, de qua ſupra diximus, neceſſitas & auxilii a vicinis omnibus in tanto periculo deſtitutio, jus ac poteſtatem dat membro ſeu parti ſocietatis alicujus, ſive reipubl. ut majoris mali vitandi cauſa, & ſi evidenter ſe aliter ſervare nequeat, a reliquo corpore abſcedere, ipſamet ſibi conſulere, ac quamvis honeſtam inire rationem poſſit, etiam cum diſpendio bonorum ac libertatis (cujus tamen nihil Revalienſibus iſtac deditione deceſſit) declinandæ certæ & extremæ perniciei. Id quod apud omnes gentes ſemper licuit, licebitque. Ad hæc Revalienſium illa deditio facta eſt pluribus ante menſibus, quam militiæ Livonicæ magiſter & Ordines Polonis ſe dedidiſſent.

Nec vero certam & indubitatam in longius diſſitis Polonis contra Moſcos auxilii ſpem habere Revalienſes potuerunt, cum totam non Eſthoniam modo, ſed Lethiam etiam poſtmodum miſere ab iis devaſtari & occupari permiſerit ad Dantiſci obſidionem deſidens Stephanus Polonorum Rex. Qui geſto per annos tres adverſus Moſcos bello, (non tamen ſine manifeſto Svecicarum copiarum auxilio, velut in expugnatione Wendæ, A. CIↃ IↃ LXXXII.) demum pace cum iis ac fœdere, inconſultis & excluſis Svecis, inito, Lettiam ab iis reſtitutam recuperavit. Cujus tamen rei potiſſimam cauſam Svecorum victoriis, & communis hoſtis oppugnationi aſſcribendam omnino Poloni habent. Nam abſque iis ſi fuiſſet, nunquam in eas pacis ac Livoniæ cedendæ conditiones Moſchi cum Polonis ſolis, & tam facile conveniſſent.

Eſthoniam autem univerſam a Polonis defendi ac liberari neglectam, & cujus pleraque loca ante Moſcorum invaſionem nunquam in Polonorum poſſeſſionem devenerant, ejectis & profligatis aperto Marte Moſcis A. cIↄ Iↄ LXXXI. occupavit Joannes Sveciæ Rex: diſerte per literas & legatos antea profeſſus una venturum ſe in belli contra Moſcos cum Polonis gerendi periculum ac ſocietatem, ſed ut cuique capta & recepta loca ſervare ac retinere fas ſit. Cujus belli mollem adverſus Ruſſos ſolus diu ſuſtinuerat Rex Joannes, antequam Stephanus Rex de oppugnandis eis cogitaſſet. Qui occupatis bello adverſus Moſcos Svecis ne literula quidem juriſdictionis in Eſthiam ſuæ, ſed demum præter ſpem feliciter confecto eo mentionem fecit. Imo per epiſtolam Svecici exercitus Duci Ponto de la Gardie de Weſenberga & Tolsberga receptis gratulatus eſt.

Non injuria proinde ſubtractam graviſſimo barbaricæ ſervitutis jugo, armisque partam tanto cum ſangvinis & pecuniarum impendio Eſthoniam, ſervare ſibi belli jure potuit Joannes Rex Sveciæ. Maxime cum Livoniæ tutela ac defenſio ab Impp. Germaniæ ei & anteceſſoribus commendata & ab iisdem Cæſaribus & ſtatibus imperii, eo quod longo nimis intervallo Livonicæ iſtæ provinciæ ſejunctæ, ipſique inteſtinis partim, partim Turcici belli motibus implicati eſſent, poteſtas his facta fuerit vicini alicujus Principis, ut Regis Sveciæ, auxilium & patrocinium ambiendi. Cujus rei fidem prolatis Caroli V. Ferdinandi I. & Maximiliani II. Cæſarum literis facturum ſe jam tum profeſſus eſt idem.

Imo ut ut Poloni ante Ruſſorum occupationem nonnulla, vel omnia Eſthoniæ loca poſſediſſent, ea tamen bello amiſſa, & iis per Svecos erepta, non potuere vindicari a Polonis, eo quod gentium jure dominium eorum primo Moſcis, dein Svecis fuerit acquiſitum. Quo titulo in ſacris literis defendiſſe ſe legitur Jephthes & David, *Jud. XI, 23 24. & 27. 1. Reg. XXX, 20.* Ut inique proin Eſthoniam ſibi ac reliquæ Livoniæ reſtituendam gratis poſtularint, alienoque labore magno partum emolumentum in ſe derivare auſi fuerint Poloni. Cum, etiamſi nullum ad eam jus aut titulum habuiſſent, tamen quousque graves belli ſumtus & impenſæ neceſſario in Moſcorum exturbationem factæ, pecunia item centum viginti millium thalerorum a Joanne Rege Sigismundo Auguſto affini mutuo data, nec non debita & promiſſa uxoris dos, hereditasque paterna & materna refunderentur, omni jure retinere eandem potuerint Sveci.

Nec eſt, quod pacificatione illa Ruſſica A. cIↄ Iↄ LXXXII. nominatim hanc provinciam ſibi a Moſcis redhibitam ceſſamque fuiſſe cauſentur Poloni. Cum enim nullum ad eam jus Moſcovitis antehac competierit, poſſeſſionem vero armis acquiſitam bello iterum ante pacem cum Polonis conventam amiſerint: non habuere quod cedere Polonis poſſent, nec præjudicium iſtac ceſſione inferre potuere Svecis.

Hi vero partum jus ſuum conſtanter exinde tutati ſunt. Ita cum mortuo Stephano Poloniæ Rege, eligendi in ejus locum ob ſangvinis & generis, quod ex illuſtriſſima Jagellonum familia ducebat, propinquitatem Sigismundi, Regis Poloniæ Sigismundi ex filia Catharina nepotis, patri Joanni ſpem Anna Stephani uxor, & procerum Polonorum aliquam multi feciſſent: ablegatis ad comitia prope Warſaviam inſtituta aliis quoque de cauſis (nempe ut exigerent ſolutionem pecuniæ illius Sigismundo Auguſto Regi Poloniæ mutuæ datæ, dotis & hereditatis uxoriæ, nec non fœdus contra Moſcos inſtituerent) Erico Sparre, & Erico Brahe Comiti expreſſe in mandatis a Joanne Rege datum fuit: *debere eos ſignificare Reginæ, ſenatui & ordinibus regni, ſe ex hac parte nihil facturum, neque velle, ut filius unicus, qui paternum regnum hereditario jure ſperaret, Rex Sveciæ jam deſignatus, externum Poloniæ regnum precio aut precibus venaretur, multo minus per intolerabiles quasdam conditiones, juſtitiæ regnique Sveciæ dignitati & emolumento contrarias, illud cum patriæ ſuæ pernicie & detrimento acceptaret.* Illi tamen, ſive malitioſa cum Polonis colluſione & prævaricatione, ſive eorundem & Reginæ viduæ ſtudio ac perſvaſione, hæc ſcripto (inſtructionem vocant) conſignata mandata perfide transgreſſi ſunt, quando inter duras alias conditiones intolerabilem hanc ſibi præſcribi paſſi ſunt, ſuoque conſenſu & jurejurando firmarunt: *Ut illam Livoniæ portionem, quam Joannes Sveciæ Rex pro tempore occuparet, teneretur Rex electus Sigismundus incorporare & adjungere parti ad regnum Poloniæ & Lithuaniæ ſpectanti.* Quæ idcirco Regem regnumque Sveciæ, ut eam ratam haberet præſtaretque, obligare nullo modo potuerunt. Quamvis nec ſimpliciter ita, ſeu abſolute emiſſa fuerit pactio illa, ſive Eſthoniæ cedendæ promiſſio, ſed disjunctive & annexa conditione (qua alioqui nihil fuiſſet opus) *ut præſtandæ ejus rei ergo, velut Legati Svecici promiſerint, Regina Poloniæ peculio ſuo Polonos aſſecuraret, illis ſcilicet bonis, quæ tam in Regno Neapolitano, Ducatu Bareſano, Roſano, Duoano & Foggiano poſſideret, quam dote & parapherniis, reliquisque poſſeſſionibus mobilibus & immobilibus in regno, aut extra regnum poſitis:* ſive ut omnia bona ſua vadimonii & pignoris loco regno inſcriberet. Quæ proin deficiente pacti præſtatione, hypothecaria in rem actione perſequendi ſolum, nullum autem præterea, ac promiſſa Legatorum a Rege omnino exigendi, jus Polonis fuit.

Sigismundus ipſe electus Poloniæ Rex antequam Calmaria ſolviſſet datis ad Carolum patruum literis teſtatus eſt: *Quanquam ordinibus regni Poloniæ diſſoluta quædam ſpes aliquo modo ſuper Livonia facta ſit, ſe & parente prorſus inſciis, & absque eorum mandato ac permiſſione; Tamen præſentes Poloniæ legatos cum reliquis magnatum nunciis ingenue faſſos eſſe, quin etiam ſtipulatione & jurejurando ſecurum ſe reddidiſſe, quod nihil ejusmodi a ſe exigetur. Ut nec ullo unquam tempore id concedere, quod regnum Sveciæ multorum inſignium ſanguine virorum, præter ingentem argenti aurique vim, longo tempore & labore comparaverit, apud ſe firmiter decreviſſe.* Et cum adeundi illius regni ergo idem Sveciam inſciis prorſus Ordinibus A. cIↄ Iↄ LXXXVII. egreſſus ad Viſtulæ oſtium veniſſet, navi egredi recuſavit

vit antequam propoſita ſimplex iſthæc conditio remiſſa a Polonis, ac ſuſpenſa per proteſtationem fuiſſet. Quam ante inaugurationem a Polonis denuo præſcriptam ac vehementi diu contentione efflagitatam inire præfracte recuſavit; aperte profeſſus malle ſe potius egredi & carere electitio Poloniæ regno, quam vel minimum hereditarii Svecici iſthoc pacto imminuere jura, limites, ac poſſeſſiones. Quæ proin irrita tum quoque manſit. Cum tamen in ſequenti tempore ejuſdem ceſſionis aſſenſum & effectum petere atque urgere Poloniæ proceres minime intermiſiſſent, caute ſemper id declinaſſe ſe negotium integrum differendo, nec in vita nunquam illuc deſcenſurum fore, ſollicito ea de re parenti, patruo, & ordinibus, variis literis Sigiſmundus ſignificavit.

Sin ſecius clanculum vel tum vivo parente, (cum nec dum ullum in Eſthoniam jus ſibi delatam haberet, multo minus alienandi jurisdictionem ac poteſtatem) vel poſtea adito & adepto etiam Sveciæ regno (quem in eventum nonnulli hanc de Eſthiæ ceſſione tractationem diſtuliſſe eum ſcribunt) egit, cumque Polonis convenit; contra regni Svecici leges, contra Avi teſtamentum (cui ceu fundamento hereditaria unio innixa, & quo diſerte interdictum filiis fuit, *ne regni limites a majoribus multo ſangvine deſignatos imminutum ulla ratione irent, ſed eosdem potius proferre & tutari allaborarent*) præter parentis voluntatem, & datam fidem id fecit. Ex quo proin nulla efficax obligatio naſci, nec ordinibus & regno Sveciæ, non intercedente eorum conſenſu, præjudicare potuit illiciti facti, quodque non fuit in poteſtate promittentis, promiſſio.

Potuit autem cauſa iis inter alias graviſſimam præbere abdicandi eum regnoque privandi. Id quod nemo incorrupto fruens judicio, & mediocri juris cognitione præditus, ſat ſcio, diffitebitur.

CAPVT TERTIVM.

Letthiam belli jure poſſideri a Svecis, adeoque Polonici juris eſſe deſiiſſe.

Superius diximus Sigiſmundum Poloniæ Regem, poſteaquam ſubjugandi Polonorum viribus hereditarii Sveciæ regni conſilia improſpere ſucceſſiſſent, eosque conatus Lincopenſi pugna nimis detectos eſſe animadvertiſſet, procerum populique voluntati diffiſum propere e Svecia contra datam fidem, pactaque Lincopiæ inita, quorum vix ullum caput obſervarit, in Poloniam quaſi diffugiſſe. Ubi dehinc unum hoc impenſo ſibi ſtudio & curæ habuit, quomodo ſervile obſequium detrectantem Sveciam armis denuo perſequi, & reluctantes dominationi ordines, patruumque Carolum in ordinem plane redigere poſſet. Quem in finem nullas non molitiones ac rationes adhibuit confirmandorum ſuæ factionis aſſeclarum, diſſenſionum in Svecia ac turbarum excitandarum, civilique bello denuo involvendi eam & divexandi.

Sed cum omnes illi motus & conatus in herba, quod dicitur, oppreſſi fuiſſent, tandem in Livonia bellum Svecis ſumma vi inferre aggreſſus eſt; Carolo patruo & regni ordinibus palam hoſtibus proclamatis, & evocato collectoque ex Polonis, Lithuanis, & Livonis, quantum maximum per feſtinationem potuit, exercitu. Non deſierunt equidem illi omnibus modis declinare id bellum, diſſenſionumque componendarum varias inire rationes & vias, miſſis eo & ad præfectos Polonicos crebris literis & nunciis; quorum nonnulli contra gentium jura ab iis in carceres fuere compacti. Sed ira, vindicta, odio flagrans Sigiſmundi Regis animus ne audire quidem voluit, nedum admittere, ullas frequenter oblatas æquiſſimas pacis aut induciarum conditiones.

Reverſis itaque ſine ullo reſponſo legatis ſuis, ſublataque omni amicæ transactionis pacis & quietis ſpe, ſe quoque ad arma, propulſandamque vim parare & accingere Sveci neceſſum habuerunt. Unde utrinque exacerbatis magis magisque animis atrox illud & calamitoſum Livoniæ bellum exortum fuit, quod vario Marte ab eo tempore per annos quadraginta & quod excurrit, geſtum; induciis quidem ad tempus aliquod ſufflaminatum, ſed nec dum plane extinctum eſt. In eo autem juſtæ Svecorum cauſæ poſtremo ita favit belli fortuna, ut non ſolum Letthiam integram, ſed Boruſſiæ quoque bonam partem in poteſtatem ſuam redegerint, inque Lithuaniam & Poloniam victricia retulerint arma.

Ac Boruſſi quidem, ad promovendum eo melius in Germania, quod cum tuendæ & aſſerendæ religioni ac libertati ſtatuum evangelicorum, tum propriæ ſaluti in tuto collocandæ, bonis auſpiciis modo ſuſceperant, nuper felici eventu terminarunt bellum, Polonis ceſſerunt. Letthiam autem retinuerunt, eamque jure retinere poſſunt. Siquidem certi & perpetuo omnium gentium conſenſu recepti juris eſt, non eum modo qui juſta de cauſa bellum gerit, ſed quemvis in bello ſolenni victoriæ jure dominum fieri eorum quæ hoſtibus eripuit. Ipſi Poloni præter deditionem præcipuarum civitatum ac nobilium, a magiſtro ordinis Teutonici ad Caſimirum Regem anno cIↃ CCCC LIV. deficientium, non alium olim, quam bellicæ ſubactionis, habuere Boruſſiæ ac Pomerelliæ ſibi aſſerendæ titulum. Quod autem juris ipſi in alios ſtatuerint ac probarint, eodem ne alii erga ſe utantur declinare & efficere nullo pacto queunt. Nec vero ita Letthiæ dominium ac poſſeſſionem ſibi acquiſiverant Poloni, ut nullo unquam tempore ea potuerint deperdere, quæ nulli hactenus in orbe terrarum genti ac reipublicæ obtigit immunitas & libertas. Bello porro Livonico originem & cauſam unice præbuiſſe Sigiſmundum Regem, dictum eſt ſupra. Injuſtam eam fuiſſe ſimiliter ex iis, quæ hactenus ediſſertavimus, in proclivi cuivis intelligere eſt. Quapropter ſequitur juſtam fuiſſe Svecorum defenſionem; & quæ propitii Numinis indulgentia evenit, Letthiæ occupationem.

De

De cætero ſibi habent quod imputent Poloniæ Ordines, ſi vindicandi partim Regis ſui ſtudio, partim Eſthoniæ repetendæ ardore longius quam par erat abrepti, id ſibi diſpendium ſuo, quod dicitur, jumento arceſſivere, injuſtæque Regis cauſæ jam tum A. cIↃ IↃ XCVIII, in claſſe & exercitu, quo Sueciam invaſit, comparando ſuppetiis ei ex opibus & ærario Poloniæ latis infelices extitere propugnatores: cum tamen nihil hæc & Sueciæ res, ceu liberæ ac diverſæ reipubl. ad eos aut injuriam eorum pertinerent.

CAPUT QUARTUM.

Reginæ regnoque Sueciæ nullo jure Regem regnumque Poloniæ denegare poſſe dignioris loci ac honoris prærogativam.

Coronidis loco hanc quoque attexere placuit, ſi alicujus animum forte ea de re ſubeat dubitatio, quæſtionem. In qua omnes tam ICti, quam politici & hiſtorici, qui de præcedentia, ut vocant, Regum, Principum, ac rerumpublicarum ſcripſere, quosque mihi videre licuit, tria præcipue reſpicienda voluere: Antiquitatem originis, ſeu reipubl. durationem, nominis rerumque geſtarum celebritatem, nec non magnitudinem ſeu potentiam, denique juris illius poſſeſſionem vel quaſi. Ex quibus principiis hujus quoque controverſiæ deciſio petenda erit.

Non dicemus autem nunc quicquam in laudem Suedicæ ac Gothicæ gentis, jam tum veteribus, Ptolomæo, Plinio, Tacito, Sueonum nomine celebratæ. Ex qua Suevos, & qui totam ferme Europam bellis peragrarunt, Oſtro Gothos & Wiſigothos ſuam duxiſſe originem, haud levibus probari poteſt argumentis. Illud non poſſumus non commemorare, vetuſtum valde omnium hiſtoricorum fide regnum eſſe Sueciæ, ut quod diu ante Caroli M. Imperatoris tempora & ab antiquiſſima hominum memoria ſuos habuerit Reges, nullius ſuperiori poteſtati obnoxios. Polonis autem, quorum nomen & origo antiquis ferme ignota, ducibus primum, quorum primus fuit Lechus, paruiſſe conſtat, usque ad Boleslaum Chobri, ſeu Acrem, Miecislai, qui primus Chriſtianam religionem in Poloniam invehere cœpit, filium; qui ab Ottone III. Germanorum Imperatore regio nomine ac honore decoratus eſt A. cIↃ I. Ut adeo ſatis nupera ac recens, imo omnium prope in Europa regnorum noviſſima, ſit regni illius origo. *Quis vero in uno eodemque genere dignitatis prior eſſe debuerit, niſi qui prior meruit dignitatem?* Verba ſunt Theodoſii & Valentis Imperatorum in l. 1. C. de conſul. Ut nunc mittam, quod cum A. cIↃ LXXIX. Gregorius VII. Papa ob cædem S. Stanislai Boleslaum II. Regem una cum regno excommunicarit, prohibueritque ne quis ſe in conſulto Rex deinceps inaugurraretur; ſucceſſores illius, Principum titulo iterum non regum, usque ad Præmislaum & anno cIↃ CC XCV. per annos CCXV. fuerint uſi.

Res geſtas utriusque gentis ſi cui comparare libuerit; deprehendet is plurima & continua fere Suecorum cum Danis & Norvegis ſtrenue non minus ac feliciter geſta bella. Leget in Finlandiam & Ruſſiam crebras expeditiones jam ante quinque & ſex ſecula factas: quo tempore nil dum quicquam memoratu dignum a Polonis patratum eorum in literas referre hiſtorici potuere. Inſequentibus & hodiernis temporibus utra gens majora ediderit bellicæ fortitudinis opera & documenta; Suecine, qui cum Danis Ruſſis Livonis & aliis plerisque in nupero bello gentibus, imo cum ipſis Polonis, felici Marte toties dimicarunt: an Poloni, quibus cum Barbaris ferme gentibus, Ruſſis, Tartaris, Walachis, & Turcis negotium fuit (quales vincere facilius jam tum veteribus habitum fuiſſe legimus) nec raro tamen maximis ab iis affecti ſunt cladibus & omnimodis vaſtationibus, quique Germaniæ Imperatorum diu tributarii fuerunt. Uter, inquam, populus majus hac in re fecerit operæ pretium, facile judicabunt æqui & periti harum rerum cenſores.

Regni utriusque amplitudo & potentia ſi ex veteri ævo repetenda & æſtimanda fuerit; non ſane poterit vaſtis Sueciæ & Gothiæ terris, quibus Hallandia etiam & Scania aliquandiu, nonnunquam Dania quoque & Norvegia ſub ejusdem Regis Suecici regimine juncta fuit, conferri Poloniæ ſive ducatus ſive regnum, anguſtis olim finibus concluſum. Ut quod demta Ruſſia, Lithuania, & Boruſſia (quarum illa a Caſimiro M. partim, partim a Jagellone circa A. C. cIↃ CCC XL. & LXXXVII. iſta a Jagellone A. cIↃ CCC LXXXVI. hæc A. cIↃ CCCC LIV. a Caſimiro Rege, Poloniæ regno primum unita & acquiſita fuit) eas ſolum continuerit provincias, quæ hodie majore & minore Polonia includuntur. Sin vero ex hodierno ævo ac ſtatu, ambarum gentium terra marique potentiam, provinciarum tractum, amplitudinem, firmitatem, & dapſilem proventum dijudicare placuerit; facilior etiam ejus diſcernendæ rei, puto, opera & facultas erit.

Porro cum ad dignitatem regiam, quæ majeſtas dici ſolet, faciat quoque habendi modus: Major ſine dubio ea erit in Regina Sueciæ, quæ jus regni perpetuum ſive hereditarium obtinet, quam in Poloniæ Rege, cui temporarium ad vitam modo competit.

Quod ſi denique ad promerendam dignitatis præeminentiam valet Chriſtianæ religionis prior profeſſio, ſeu cultus antiquior; (prout ſane antiquitus in conciliis univerſalibus judicatum & obſervatum fuit) Suecis rurſum ea cedet. Quos certum eſt jam Caroli M. ævo, circa A. C. IↃ CCLXXX. regnante in Suecia Biorno Alacri F. qui potentiſſimi illius Imperatoris meruit eſſe fœderatus, Chriſtianæ fidei notitiam habuiſſe. Quippe a Carolo M. rogatu Biorni, Chriſtiani Regis primi, complures pii doctique viri, eosque inter Herbertus, primus eccleſiæ Lincopenſis in Oſtro-Gothia Antiſtes, in Sueciam convertendæ ad Chriſtum ei genti miſſi fuiſſe memorantur. A Ludovico Pio ejus filio S. Ansgarius amandatus A. IↃ CCCXVI. ac deinceps aliquoties ejusdem rei gatia Sueciam feliciter

liciter adivit. Polonos autem ſub Miecislao Duce primum anno a nato Chriſto I) CCCC LXVI. Lithuanos ſub Jagellone A. cIↃ CCCLXXXVII. Chriſtiana fide imbutos eſſe conſtat.

Ex quibus omnibus firmiter concludere licet, aut nullam plane eſſe darique poſſe litis de præcedentia inter Reges Principesque definiendæ rationem, aut vero ſi receptis uſu, prudentiſſimorumque hominum judicio firmatis argumentis, cauſis ac rationibus inſiſtendum ſit; Reginæ regnoque Sueciæ omnino deberi præ Rege regnoque Poloniæ ſuperioris loci & dignitatis prærogativam.

Quod cum ipſe Poloniæ Rex Sigismundus antehac aperte probarit, dum immutationem regii tituli & ſigilli ante coronationem factam parenti per literas ſollicite ita excuſavit, *neque ſua, neque miniſtrorum ſuorum negligentia aut perverſo judicio illud contigiſſe: Sed Polonorum ſolum culpa, qui in hisce aliisque negotiis, moleſta & tædioſa illa ante coronationem litigatione mirabiles adeo ſe præbuerint, nullas rationes aut probationes illis ſatis inculcatas exiſtimantes; quique de induſtria rei illius deciſionem diſtulerint in ultimum ante coronationem momentum, quando temporis anguſtia ſigilli mutationem non pateretur, & plurima confeſtim diplomata ſigillanda fuerint, quæ procraſtinationis moram nullo modo admitterent. Interea vero temporis nihilominus aliud ſigillum integris regni Sueciæ inſignibus in medio, in proximo circuitu faſciis, ultimo ſtemmate Polonico adjecto, ſculpi ſe curaſſe, quo in privatis ſuis negotiis ſit uſurus, non attendendo cuicunque Polonorum id diſpliceat: Imo pro virili allaboraturum, ut quæ cancellarius & ordines regni in poteſtate haberent, ſigilla etiam immutarentur.* Item dum Sueciæ Regis nomen Poloniæ Regis nomini in literis ad ordines regni Sueciæ datis publicisque ſcriptis ſæpiſſime præmiſit. Tanto minus igitur ea de re litem nunc Suecis movendi filio ejus ac Polonis voluntas, credo; non certe jus ac facultas erit.

CAPVT QVINTVM.

In quo præterea a parte Regis Poloniæ nupero ſcripto propoſitæ objectiones & exceptiones, ſingillatim denuo eluduntur & confutantur.

Cum hæc ita literis conſignaſſemus, commodum ecce in manus noſtras venit Latina quædam haud ita diu, ut videtur, nec typis hactenus adornata commentatio: cujus auctor omnibus modis, jus ſucceſſorium & imperium in Sueciam Regis Sigismundi monarchicum (de hoc enim, ceu præcipuo capite, & ex quo totius, etiam Livonici, belli juſtitia dependet, ſolum agit) aſſerere & propugnare eſt conatus. Allatæ autem hanc in rem rationes & argumenta ejus pleraque omnia licet ſuperius perſtricta a nobis & ſoluta ſint, aut ſolvi refellique ex iis, quæ illic attulimus, facili negotio queant: neque enim difficile valde & operoſum eſt, vera adſtructa firmataque cauſa ſeu theſi, antitheſin convellere. Majoris tamen evidentiæ & certitudinis cauſa eadem hic ordine excutere denuo & breviter confutare placuit.

Primus igitur ac præcipuus ſcriptoris illius labor in eo vertitur, ut perſuaſum lectori velit, prioribus quidem ſeculis, cum liberis ordinum ſuffragiis Sueciæ eligerentur Reges e ſtirpe regia, vel ex Proceribus dignitate meritisque conſpicuis, poſtmodum vero, & inde ab exturbatione Magni Smeck A. cIↃ CCCLXIII. extranei fere omnes; certas iis ante receptionem & coronationem imperandi præſcriptas, & pro rerum perſonarum & temporum circumſtantiis varie intenſas auctasve fuiſſe leges & conditiones, meritoque præſcribi pro lubitu graviores etiam potuiſſe: quippe qui & ob peregrinitatem ſuſpecti forent, & nullo alioqui jure ac modo regnum illud indipiſci, & alias libere non eligi & aſſumi, rejicive poſſent; verum ex quo tempore certæ, Guſtavi nempe I. indigenæ, familiæ ac ſtirpi hæreditarium id obtigit, deſita electione deſiiſſe quoque iſtam legibus & pactis Regem regiamque poteſtatem circumſcribendi, & conditiones ſibi expreſſe reſervandi, Statuum conſuetudinem ac neceſſitatem. Itaque Guſtavum Ericum, & Joannem in nullas ejusmodi & novas, priorum Regum & externorum exemplo, conditiones, præter publicas leges, fuiſſe adactos: nec adigi potuiſſe, cum peculiari ſucceſſionis ac hereditatis jure, quamprimum nati forent, regnum irrevocabiliter ad eos citra novas conditiones pertineret; idque invitis etiam poſtea Statibus, non eadem, qua prius, libertate ac poteſtate præditis, vindicare ſibi poſſent. qui equidem Status Guſtavi I. tempore, ſingulari de filiis ejus poſterisque fiducia, jus eis capeſſendi adminiſtrandique in poſterum regni ſine mora, & absque ullo alio facto ſuo, aut propoſita implendaque conditione attribuerint; adeoque immutarint regni ac reipublicæ ſtatum.

Quibus objectionibus, quod ſupra oſtenſum eſt, paucis reponimus: Succeſſionem neque per ſe mutare, nec in Suecia immutaſſe Regis obnoxiam antea legibus poteſtatem, reipublicæque formam. Ut id fiat, opus omnino eſſe peculiari ſive expreſſo, ſive tacito populi ſeu ordinum aſſenſu; qui ex ſucceſſoria regni delatione ſolum colligi arguique nequit. Voluntatis iſtius, ſeu aſſenſus Suecorum nulla poſſe proferri indicia & ſigna. In contrariam autem partem, & quod nullo modo antiquata & abolita eſſe voluerint priſtina regni jura, conſuetudines, ac libertatem, multa exſtare argumenta, facta, & documenta. Veluti illuſtre illud regno excluſi una cum liberis ob eorum jurium violationem fratris Joannis grandioris natu, Erici, filii Guſtavi I. Quibus quod nullæ delati imperii dictæ fuerint leges ac conditiones, plane eſt falſum. Siquidem inaugurandi illi jurarunt, & jurare neceſſe habuerunt in receptam juramenti formulam, *ſe antiqua regni jura, conſuetudines, immunitates, ac privilegia populi ſarta tecta conſervaturos.* Quo uno ſatis cautum fuit Sueciæ libertati. Quid, quod confirmatæ A. cIↃ IↃ XC. in comitiis Stockholmenſibus hereditariæ unioni; qua inter vivos adhuc agenti Joanni ſubrogatus Sigismundus F. & filiabus etiam, nullis exiſtenti-

bus filiis, jus regni datum fuit; eadem conditio diſerte poſtremo loco adjecta eſt. Verba conſtitutionis ita habent: *Pro his autem ſpontaneis noſtris pollicitationibus & obligationibus Sereniſſimi regales & ducales Suedicæ coronæ & regni hereditarii Domini viciſſim promiſerunt, ſeque obligarunt pro Regia & ducali ſua auctoritate veritateque pro ſe & ſuis ſucceſſoribus, quod nobis inviolabiliter & irrefragabiliter regni Sueciæ ſenatoribus, equitibus & nobilibus, atque univerſis regni ſubditis, pauperibus & divitibus, eccleſiaſticis & politicis, ſecundum jura Suetica ſcripta, & comparata ab antiquo tempore, dataque privilegia vivere ſint permiſſuri; neminemque unquam coacturi, aut in conſcientia ad ullam religionem amplectendam moleſtaturi. Quæ regales & ducales obligationes ſemper renovandæ, quoties aliqua in regimine fit mutatio, ut alter alteri legaliter, & ſecundum unionem hereditariam, præſentemque noſtram obligationem in throno & dignitate Regia ſucceſſiſſe dignoſcatur.* Nec vero ad ſummam rei obligationisque vim quicquam intereſt, num ſtatim in aditione regni, an in coronatione, quæ haud longo temporis-ſpatio ſubſequi illam ſolet, interponatur iſta promiſſio; dummodo facta aliquando aut facienda omnino ſit, ex eaque regnum adminiſtrandum.

Porro Guſtavus & Johannes Reges ita ſe & laudabiliter adeo in gubernanda republica geſſerunt, ut verbis factisve propugnare adverſus eos leges ac privilegia regni minime ordinibus fuerit opus. Sin ſecus illi egiſſent, non defuiſſent quoque hi protinus jurium ſuorum defenſioni ac tutelæ. Ut adeo præſcriptio, contrariave conſuetudo, quæ abſque actibus contradictoriis fieri nequit, interceſſiſſe hic nulla dici ac fingi queat.

Diſcrimen autem & indicium ſummi aut ſummo minoris imperii, petere tantum ex delatione imperii per ſucceſſionem aut electionem, ineptum eſt, a doctioribus dudum exploſum dogma; quod rationibus & exemplis luculenter ſupra demonſtravimus.

Multo magis ridiculum, imo abſonum erit, eo quod per hereditariam unionem Guſtavo I. ejusque ſoboli perpetua ſucceſſione regnum Sueciæ a populo conceſſum ſit, nulla facta in ea jurium ſuorum libertatisque reſervatione; opinari exinde & colligere velle, ſponte remiſſa ea omnia, plenumque regibus imperium noviter tributum eſſe. Cum potius ex eo, quod nulla ſit facta hujus rei in ſucceſſoria delatione mentio, nec abrogata nominatim, (quod fieri diſertis verbis oportuit) antiqua, eo usque in regno electitio quæ viguerant, jura inſtitutaque majorum, concludendum & ſtatuendum ſit, nil tale factum eſſe, nec fieri ordines voluiſſe. Quam rem mentemque ſuam verbis factisque poſtea, ut toties dixi, abunde ii declararunt. Aliam tamen nihilominus iis ſententiam, prout auctor noſter facit, affingere, vix ſanæ eſſe videtur mentis.

Hoc jam adverſariorum principio & fundamento convulſo, multæ quoque uno impetu corruunt, ei quæ innituntur & ex eo eductæ iſtic leguntur, illationes & traditiones. Ut 1. quod inique a Carolo & ordinibus per vim (recuſato alias homagio & ſolemni regiorum inſignium collatione) libertati ſuæ adeundi hæreditario jure regni jam delati plane contrariam, adactus ſit Rex Sigismundus juramento in inauguratione & ſcripto promittere, nullum a ſe receptæ Evangelicæ doctrinæ præjudicium ullo pacto inferendum, nec utendum ſibi eſſe ullo in munere diverſæ religionis hominum opera, quæ nulli antea regum dictæ, nec juramento unquam inſertæ fuerint leges: ideoque nec ſe iniquis, novitiis illis, & vi metuque amittendi regni extortis pactis obligari jure potuiſſe. 2. Quod iidem involarint in peculiaria Regis jura, comitia indicendo & celebrando, leges in iis novas condendo, jurisdictionem ſublata ad regem provocatione exercendo. 3. Quod, dum inſuper habitis & contemtis Regis interdictis in eo inſtituto perſeverarint, præfectos illius & miniſtros loco ſuo ac munere detruſerint, Regi ipſi conſiliis, dictis, factis, & armata manu reſtiterint, juratæ fidei violatores fuerint ac rebelles, jureque proin ut tales a Rege haberi, tractari, coerceri potuerint.

Quæ omnia longe abſunt a vero. Nam quod ad primum attinet, ex ſuperioribus hic repetendum eſt, Guſtavi I. Regis teſtamento & hereditaria unione (quæ omnium ordinum aſſenſu & jurejurando firmatæ vim & obligationem in Suecia ſemper habuere publicæ ac fundamentalis legis; & quibus præſens regni ſtatus Regiæque familiæ jus dignitas & poteſtas omnis unice innituntur) omnes ejus poſteros obligatos fuiſſe agnoſcendi, colendi, & tuendi orthodoxam Auguſtanæ Confeſſionis, qualis tum in regno vigebat, religionem; interdictumque iis, ne quam aliam falſam aut ſuperſtitioſam doctrinam inveherent amplecterenturve. Contra hanc regni legem cum nepos Guſtavi Sigismundus, cura & ſtudio matris Catharinæ Jagellonicæ, pontificia religione imbutus & innutritus fuerit, dubium non eſt, quin vi teſtamenti aviti inidoneus & indignus ſit factus capeſſendo regno. Quod autem nihilominus id ei attribuerint detulerintque ordines, nec ſummo ſuo rejiciendi illius jure uſi fuerint, benignæ eorum voluntati, & erga Guſtavianam proſapiam propenſioni, non ulli juris obligationi, aſcribendum Sigismundus habet. Cæterum, qui ei ſuæ, veritæ licet atque improbatæ, religionis profeſſionem reliquerant integram; eandem veræ & receptæ doctrinæ ſectandæ libertatem vindicare ſibi recte potuerunt proceres ordinesque Sueciæ. Et cum hac in re a Rege, tam vehementer Romanenſi imo Papiſticæ & Jeſuiticæ Theologiæ addicto, in primo regni ingreſſu legati papalis, nec non Jeſuitarum, monachorum, Pontificiorumque hominum, conſiliariorum, aulicorum, militum numeroſa caterva ſtipato, merito ſibi metuendum haberent: quidni ejus aſſecurationem petere, & inter alia paciſci nominatim potuere, nec contenti eſſe priſtina Regii juramenti formula, qua non ſatis eis cavebatur? Indultam enim ſim-

ſimpliciter religioni libertatem non minus de ſua, ut fecit, interpretatus Sigismundus, nec prohibitus ita fuiſſet admittere ea omnia, quæ poſtea non conſervandæ & ſtabiliendæ ſolum ſed magis etiam promovendæ ſuæ ſectæ vi ac fraudibus eſt aggreſſus. Ipſe auctor haud diffitetur, ſuperioribus ſeculis in electione Regum, quoties ſuſpicione aliqua ii laborarent, novis in eam rem legibus ac conditionibus latis præſcriptisque, ordines ſibi mature caviſſe. Hanc itaque nunquam ſublatam aut remiſſam libertatem poſtea ſumma flagitante neceſsitate in aſſumptione Sigismundi iidem rurſum recte uſurparunt vindicaruntque. Quamvis nec tum primum inventa & condita, ſed diu ante in hereditaria unione & Guſtavi Regis teſtamento præſcripta & injuncta fuerit lex illa, ſeu conditio Evangelicæ religionis non infringendæ. Qua ſoluti Sigismundi anteceſſores minime fuere, licet non diſerte ac ſpeciatim ita ab eis exacta & promiſſa ſit. Cujus rei neceſſitas nulla tum fuit, quippe eadem illis ſacra & religionem cum ſubditis communiter colentibus, & tali animorum diſſidio nec dum exorto. Non eſt itaque, quod primus iſta promiſſione gravatus immerito dicatur Sigismundus.

Ad cætera eo melius dijudicanda tenendum eſt, id quod ſupra itidem attigimus, Sigismundum Regem quarto poſt Regia accepta inſignia menſe, ſine regni ordinum aſſenſu, e Suecia in Poloniam fuiſſe digreſſum; reipubl. ſe abſente adminiſtrandæ ordinationem idoneam minime reliquiſſe. Quam vero e portu Elsnabben ad Carolum patruum miſit gubernationis una cum ſenatoribus regni ſuſcipiendæ formulam, ſeu plenipotentiam; eam imperfectam, inutilem, & vitioſam multis modis fuiſſe. Ut quæ non rite in loco convenienti, & adhibito Caroli ac Senatorum, omnium conſilio & aſſenſu confecta ſed in navi & itinere externorum quorundam arbitrio fuerit compilata. In qua Prorex, ſeu gubernator deſignatus nullus, qui tamen in bene conſtituta republ. requiritur, & in Suecia antehac eo in caſu, item in interregnis creari ſemper conſuevit: ut inter alia teſtantur cum unio regnante Margareta inita, & poſtea ſub Erico renovata; cujus tempore Dapifer regni abſente Rege pari qua Rex præditus fuit poteſtate; tum varia, qui id nomen & officium geſſere, Torchilli Canuti, Matthiæ Chetelmundi, Engelberti, aliorumque exempla. Imo æquali poteſtate Carolo adjuncti fuere ſenatores. Præcipuis autem provinciis caſtrisque nihilominus ſumma & abſoluta cum poteſtate ſui antea præfecti gubernatores, nullius præterquam Regis dicto audientes. Adhæc interdicta & ademta formula iſta regni adminiſtratoribus, comitia ſive conventus publicos celebrandi, ſtatuta & leges condendi, antehac per abſentiam Regis ſemper iis quæ competierat, facultas. Qua ſine publicæ rei & utilitati conſuli recte ut plurimum nequit.

Cum itaque tot vitiis ſcateret, Regisque juramento & juribus ac privilegiis regni manifeſto adverſaretur illa Sigismundi formula (ad quam proin acceptandam obligari & cogi imperioſe nullo modo potuere) reipubl. autem neceſſitas certam & idoneam adminiſtrandi rationem omnino, idque mature, efflagitaret; reditus porro Sigismundi longinqua imo dubia plane eſſet ſpes, eo quod in Polonia per totam vitam manſurum ſe ſenatoribus illius & ordinibus promiſiſſet: Senatores regni Sueciæ præcipui, publicæ ſaluti quamprimum conſulendum eſſe rati, crebris hujus ergo literis, nunciis ac precibus Carolum evocarunt. Ejus ſociata opera & conſilio, extrema neceſſitate urgente ad avertenda imminentia pericula, (de quibus, & ſingulis deliberationis capitibus per quendam ſuorum nomine Artziovvsky mature præmonitus & edoctus Rex fuit,) comitia indicta ſunt Sudercopiæ; in iisque, cum ab interpellato Rege nulla impetrari potuiſſet gravaminum emendatio, unanimi ſenatorum, procerum & ordinum omnium voluntate decretum: ante omnia ut data Regi fides & obedientia religioſe ſervaretur; verum exequendo Regis promiſſo ac juramento, omnia Pontificiorum conventicula & ſacrorum exercitia tollerentur, ſacerdotes & concionatores e regno emitterentur; nulli a recepta religione alieni muneribus regni ullis fungerentur; tolerarentur tamen ſi quieti forent; Ut una tantum Auguſtanæ Confeſſionis religio, prout extremis Guſtavi ac primis Johannis Regis temporibus obtinuerat, in Upſalienſi ſynodo nuper ſancita, & Regis juramento confirmata fuerat, ubique in Suecia locum haberet, nec ullius alterius doctrinæ publica profesſio admitteretur, niſi in Regiæ aulæ ſacello, cum Rex in regno fuerit conſtitutus: Carolus Dux ut Præſidem ac gubernatorem regni per Regis abſentiam porro ageret; Officia regni ab eo cum collegii ſenatorii & primariorum ordinum, quorum intereſt, conſilio & aſſenſu, poſtulante neceſsitate idoneis & indigenis conferrentur; permiſſa tamen abſenti Regi ex tribus oblatis candidatis unum eligendi facultate: Lites & cauſæ omnes in Suecia ſolum ut terminarentur ex patrio jure ac legibus: Denique addita clauſula, ut ea omnia inviolate ſervarentur, & adverſus quoscunque communii ope ac conſilio propugnarentur; refractarii pro turbulentis & abſciſſis regni membris reputarentur.

Hæc fuere illius conventus, Sigismundo tantopere inviſi, in Arbogenſibus dein comitiis repetita & denuo ſancita capita; non nunc primum ita conſtituta, ſed jam ante conventa, iterum firmata ſolum & executioni demendata; juramento Regis regnique juribus omni ex parte conſentanea; ut adeo horum executioni potius, quam abſente Rege perficere licuit, quam Sudercopenſis & Arbogenſis conventus ac conſtitutionis auctoritati ea omnia tribuenda fuerint. Semper enim, ut aliquoties dixi, Sueciæ ordinibus & qui Regis vice funguntur abſente Rege, in utilitatem reipubl. & ubi opus foret, conventus indicendi & cogendi, leges, ſtatutaque condendi & exequendi jus fuit, nullis præciſum legibus, imo crebro, præſertim ſub Erico XIII. Chriſtiano I. & Joan-

Joanne regibus, ut & paulo ante Upſalienſis celebratione ſynodi uſurpatum vindicatumque. Nec ea Ordinum poteſtas, ſi in emolumentum reipubl. ad concordiam religionis, adminiſtrationem juris et juſtitiæ *ἀταξία* abolita ſanciendam, denique Regis non oppugnationem ita, ut iſtic factum, uſurpetur, quicquam imminuit, imo firmat regum jura ac dignitatem. Quibus præſentibus etiam hi convenire, et de publicis negotiis deliberare pro ſuo jure, nec id in malam accipere partem publicæ ſalutis et tranquillitatis amantes Reges potuiſſent.

Ita in Germania nil eſt novi, convenire inter ſe Imperii Ordines non abſente etiam et invito licet Imperatore. Idem cum alibi, tum in Polonia ſæpius factum eſſe legimus, et quidem circa idem tempus A. CIↃ IↃ XCV Toruniæ ab Evangelicis Proceribus ac provinciis, item A. CIↃ IↃC VI. a Rocoſſanis, invito et prohibente Sigismundo intra regnum conſtituto. Ibidem abſente Rege Archiepiſcopum Gneſnenſem comitia convocandi et SCta definiendi habere conſtat poteſtatem. Cæterum cum leges, ut dixi, in comitiis Sudercopenſibus non tam novas et prioribus contrarias tulerint, quam veteres et conſtitutas in uſum revocarint Carolus Sueciæque Status: tanto minus id in dubium vocari et improbari a Sigismundo ejus rei præmonito potuit.

Quibus Suecici regni ſtatus propius eſt cognitus, haud ignorant, hodie etiamnum Rege præſente acta iſtic, conſilia, ſeu decreta comitiorum, ſola expreſſa Ordinum (quos inter non Senatores modo, Proceres, Nobiles, Epiſcopi ac civitates, ſed ruſtici etiam cenſentur, ac in ſua quivis claſſe curiatim ſententias ferunt) non Regis, niſi tacita, auctoritate expediri & promulgari. Quanta vix alibi, certe non in Polonia, viget libertas, ut proin falſo & inſcite hæc & alia mere juris Regii eſſe ſcripſerit Auctor: quæ nec regi in Suecia præſenti ſine Ordinum conſilio & aſſenſu attingere, nedum decidere licet, interdicta Guſtavi I. quoque teſtamento ejus rei poteſtate. Cujus verba hæc ſunt: *Dilecti filii noſtri omnes, non ſolum ille, qui cum ſua progenie nobis in regali throno ſubrogatur, ſed etiam reliqui filii noſtri chariſſimi cum ſuis legitimis ſucceſſoribus, neque per ſe aut cum peculiaribus ſuis conſiliariis, famulis, & ſubditis molientur, tractabunt, aut decident ea negotia, quibus univerſi regni felicitas & bonos innituntur, bello, induciis, fœdere, aut aliis mediis reipublicæ magni momenti negotia expediendo, niſi hoc fiat omnium eorum & Ordinum regni primariorum conſilio & aſſenſu.*

Officiorum quoque & munerum collatio per abſentiam Regis ſemper lege quadam competiit vicariis ejus, ſeu proregi, quo antiquitus munere abſente Rege, ut dixi, functus eſt regni Dapifer: prout teſtantur expreſſæ leges & conſtitutiones regni, ac regum diverſorum privilegia, tum trium borealium regnorum unio. Imo jure Suecico *c. 1. de judic.* expreſſe Regi abſenti, judicem conſtituere provincialem, interdictum legitur; nedum ut officia alicui pro lubitu conferre graviora tum ei liceat. Quid? quod ne in regno quidem conſtitutus Rex immediate munera regni digniora, niſi ubi in ſenatum aliquis cooptandus, & in aliis majoribus officiis, uni ex tribus provincialium ſuffragio & commendatione ſuffultis elargiri poteſt.

Similiter ne cauſæ, lites, & controverſiæ Ordinum & incolarum Sueciæ ex eo regno ad peregrinum & incompetens forum, ſeu ad Poloniæ tribunal, manifeſta cum majeſtatis Suecicæ reipublicæ detractione traherentur, aut a tam longe diſſito Rege, nullo Suecici juris conſulto homine ac judice inſtructo, peregre tantis cum litigantium ſumptibus ac moleſtiis, probationum difficultatibus, & protelationibus litium, jura leges, reſponſa, & deciſio peterentur; ſed in Suecia ſolum, ceu loco contractus & delicti, per habiles & competentes judices in vicem Regis ſecundum jura Suecica diſceptarentur, inhibita eo usque, quoad abeſſet, ad Regem appellatione, non relatione: nihil continuit novi & iniqui, & quod non multis ante ſeculis hoc in caſu apud Suecos aliasque peræque gentes fuerit obſervatum, legibusque regni cautum.

Veritatem & evidentiam hujus argumenti, ab uſu tot ſeculorum ducti, cum infringere non poſſet Auctor Polonicæ diſſertationis, nec inficiari, conventus forte publicos indicere Gubernatores ſive præſides regni, Duces exercituum, & alia quædam, in abſentia aut incertitudine regum, conſtituere Ordines Sueciæ certas ob cauſas antehac jure meritoque potuiſſe; vim tamen ejus ita elidendam putavit, ut mutato poſtea per hereditariam ſucceſſionem regni ſuæque libertatis ſtatu, & Sigismundi temporibus minime amplius id eis licuiſſe, neque exinde argumentum duci poſſe contendat. Verum nos quod pluribus in locis firmiter ſupra demonſtravimus, conſtanter tenemus, in nullo penitus, niſi eligendi Regis facultate, mutatum eſſe Suecanæ reipublicæ ſtatum; nec ulla alia jura, inſtituta, & privilegia veteris ævi ſive expreſſe ſive tacite abrogata fuiſſe. Quando itaque in Sudercopenſi conventu ea omnia denuo Carolus Gubernator & Ordines ſtatuerunt & executi ſunt, minime Regis jura ac poteſtatem injuſte invaſerunt imminueruntque: ſed quæ ex privilegiis diuturno uſu ac præſcriptione, ad hæc Regis juramento ac promiſſis ſua ac propria erant, juſte ſibi vindicarunt. Rex Sigismundus contra dum ea illis eripere, & ad ſe transferre molitus eſt, vere in alienam meſſem falcem miſit.

Quod porro hac in re literis, diplomatibus, juſſis, & edictis Regiis, legibus & jurejurando ejus contrariis, adeoque apertæ nullitatis, non obtemperarint: quod jus ſuum auferri ſibi paſſi non ſint, præſertim Carolus quod gubernationem regni injuriis & criminationibus Sigismundi commotus aliquoties a ſe abdicatam, poſt Sudercopenſia inprimis comitia, non tam a Rege, quam Ordinibus regni, (qui eam renunciationem omnibus modis deprecabantur, nec permittere volebant) delatam rurſum in comitiis Arbogenſibus reſumſerit, retinueritque: quod redituro Regi, quamdiu pacifici

ejus

ejus adventus, amicique animi ab injuria & vi alieni certior non fuit, claſſem mittere obviam, ſecurumque regni ingreſſum & in eo commorationem noluerit polliceri: quod vim & arma intentanti Regi ejusque adjutoribus ad arcendam a ſe injuriam armata itidem manu occurrerint, vitio illis verti non poteſt. Siquidem non abſoluta, ſed legibus, juramento, & pacto circumſcripta; non quidvis pro arbitrio, ſed æqua, pia, & juſta imperandi Regi in Suecia fuit poteſtas. In qua Regibus hoc ſolum licet, quod honeſtum eſt; eaque poſſunt, quæ jure poſſunt. Viciſſim ſubditorum fides & obedientia non ad omnia ſerviliter, neque ad illa extenditur, quæ nominatim legibus & pactis excepta & vetita Regi fuere.

Quocirca nec pro rebellibus reputari, & ceu tales haberi, proclamari, oppugnari, puniri potuere, qui Regi in jura non ſua involanti, & qui eatenus imperium nullum habuit, vim juſtam oppoſuerunt.

Quin contra potius Sigismundus ipſe, dum non civilem modo, ſed religionis quoque (quæ extra finem & objectum poſita eſt politices, adeoque Regis aut Principis ullius imperio non ſubjacet) libertatem Suecis ereptum & imminutum ivit, & cum fortunis eorum corporibusque, tum quod ſolius Dei eſt conſcientiis dominari per vim, præter jus & antiquas regni leges voluit & aggreſſus eſt, a tyrannide ac maleficio excuſari nullo modo poteſt. Injuſte certe & abſurde a parte Regis, majeſtatis, auctoritatis, ac jurium ſuorum prætenditur defenſio, quæ nulla ei, rite autem Carolo & Ordinibus pro ſua libertate competebat.

Conatus quidem eſt Auctor lectori perſuadere, quaſi minime id conſiliis agitarit, aut factis tentarit Sigismundus, ut Pontificiæ Sueciam ſubderet religionis, aut civilis ſervitutis jugo: quod a malignis conjectoribus & ſomniatoribus falſo ſit præſumptum confictum & in pejus exaggeratum. Verum enimvero res omnis evidentior eſt, quam ut excuſari, nedum negari poſſit. Quid enim ſibi voluit tot Jeſuitarum (qui harum rerum artifices ſunt & machinatores aſſidui) monachorum, presbyterorum, imo oratoris Pontificii malæ ſpinæ ſub primam regiminis aditionem in Sueciam inductio? Quid denegata longo tempore Statibus ſuæ ubique retinendæ religionis inter alia ſecuritas? Quid tentata per Nuncium Papalem Statuum perſuaſio, ne juramento & pacto aſſecurato Regem gravare vellent; diadematis item ſolenni ritu Regi imponendi contra majorum inſtituta ac regni leges præ Upſalienſi Archiepiſcopo ambitus honor? Aut quid magis obtinendo fini ac ſcopo ſuo efficere & præſtare Sigismundus in initio regni potuit, quam ut inductos honeſto titulo Jeſuitas & ſacerdotes Pontificios in metropoli regni, & vicinis quibusdam locis collocaret; concionum & ſacrorum per eos exercitio, libellis item in vulgus ſparſis, & affectata juventutis inſtitutione, præparandos paullatim & conciliandos ei doctrinæ animos hominum, præſertim minus peritorum, curaret? Eorum qui huic ſectæ aperte dediti jam erant, aut occulte favebant, Procerum, ut Erici Brahei, Sparrii, aliorumque affectus & ſtudia, delatis ampliſſimis muneribus & dignitatibus firmiter ſibi devinciret? Plura quo minus tentarit, peregeritque, non prolixa Regi voluntas, ſed occaſio & facultas defilit, temporumque prohibuit injuria. Certe qui ſimul norit, quam deditus & addictus toto vitæ tempore Papiſticæ Theologiæ & Jeſuiticæ ſocietati fuerit Sigismundus; quam morigerum eis ſe & obſequentem in omnibus præbuerit: quantopere diverſas a Romanenſi religiones (quarum libertatem cultoribus jurato promiſerat) in ipſa quoque Polonia, & Boruſſia præcipue, fuerit inſectatus, & exſtirpare publici prohibitione cultus & templorum ereptione ſtuduerit; quantos idcirco & quot concitarit motus & turbas periculoſiſſimas; Cui, inquam, præterea hæc ex Polonorum annalibus ignota non erunt, nunquam induci poterit, ut credat aliam erga Suecos mentem & voluntatem Sigismundi fuiſſe.

Monarchicum ejusdem ingenium & affectatam dominationem ſatis arguunt ac produnt eorum, qui monarchiam aut tyrannidem moliuntur propriæ, veris Regibus indignæ & inſuetæ artes. Vt quod tuendæ optimatum libertatis petitam toties aſſecurationem large quidem, ambiguis haud raro verbis promiſerit; reapſe eludere ac ſubterfugere ſit conatus. Quo prætextu turbarum ac periculorum in Polonia ſubortorum; revera nulla tali adactus neceſſitate; brevi poſt inaugurationem temporis intervallo e Suecia, nullo idoneo regimine firmata, imo ea, quam reliquerat, gubernationis forma penitus turbata, ac magis magisque turbanda, intempeſtive exceſſerit. Neque enim ignorabat, vel ignorare poterat; nunquam inter Carolum patruum, Principem regni hereditarium, & quos pari huic poteſtate adjunxerat, dignitatis inani tantum prærogativa ei relicta, de adminiſtranda republ. conventurum, ſed alterum alterius conſiliis & conatibus perpetuo interceſſurum fore. Nec vero conſentientes etiam eos ullam momenti alicujus rem, & quæ obligationis haberet vim, effecturos ſciebat, conventus Ordinum cogendi, legesque condendi novas poteſtate deſtitutos. Quam ſibi uni ſervarat, adeoque litium & controverſiarum graviorum omnium, de quibus inter Adminiſtratores convenire non poterat, ideoque ad Regem neceſſario referendum erat, pro arbitrio ſuo dijudicandarum facultatem. Statuta & leges quasvis, ſicubi minus placuiſſent, novitatis attributo epitheto, facile, prout effectu etiam declaravit, rejecturus. Adhæc non in omnibus quidem (ne aperte nimis pateret fraus,) ſed præcipuis ac limitaneis Sueciæ Provinciis, Smalandia, Gothia utraque, Finlandia, & Eſthonia, Præſides, ſeu Gubernatores cum ſumma, ſuo tantum imperio obnoxia, poteſtate conſtituerat, ut iis in terris inanem & ludificatoriam redderet ſupremam & vicariam Gubernatoribus regni attributam auctoritatem. Quid vero tandem ludere homines ac ſubſannare eſt, ſi hoc non eſt?

Cæterum præterea appellationis beneficio omnes regni Sueciæ cauſas ac lites ad tribunal in Polonia ſuum pertrahere eſt conatus, & ut quis illuc ſe de Caroli & Ordinum regni ſententia aut facto aliquo, immerito licet, conqueſtum contulit, benigne ſtatim veniam, mandatis & interdictis Regiis injuſtisſimæ quantumvis cauſæ ſuppetias nactus fuit, tutelamque invenit paratam, re cum Præſide & Adminiſtratoribus ne quidem communicata, nedum per eos cognita & executa.

Quibus molitionibus quis non videt hoc unice intendiſſe Sigismundum, ut translatis ad ſe præcipuis majeſtatis juribus, omnium in Suecia rerum moderator & arbiter foret, etiam abſens; quod ne præſenti quidem per leges licuiſſet: item ut in tanta reipubl. ἀταξία & ἀναρχία turbis, factionibus, odiis, diſſidiis & ſeditionibus inteſtinis incolas, Ordines, & provincias involutas lento collideret duello, & vel per ſuos ſpectator ipſe cæteros opprimeret, vel accisis per mutuas clades utrorumque viribus, imbecilles & fractos integer ipſe cum illatis copiis facili negotio debellaret, omnemque ac plenam ita occuparet majeſtatem.

Quod quidem, quantum in ſe fuit egregie effectum dedit. Cum enim dolus minus ſucceſſiſſet, & mature nimis detectus fuiſſet, vulpina exuta pelle leoninam induit: miſſa in Sveciam legatione, imminuta nefarie decreto Sudercopenſi Majeſtatis ſuæ jura graviter queſtus, & ni ei renunciarent, pœnas & vindictam ſevere interminatus; Carolo præſertim Proregi, variis criminationibus onerato, quaſi is religionem ſtatumque reipubl. immutarit, regnum peſſime adminiſtrarit, ea quæ Regis erant propria exercuerit, auctoritatem & potentiam omnem detrahere conatus. His quoque fruſtra tentatis, ſuarum partium ſectatores, quos recte hucusque foverat, e latebris undique evocavit, produxit, in unum coëgit, arma induere, iisque ſe ac majeſtatem ſuam contra invaſores propugnare juſſit. Verum ubi ſic quoque ſuccumbentibus illis voto minus potitus eſſet, tandem opportune ipſe cum inſtructo exercitu & claſſe laborantibus ſuis ſuppetias latum ivit, labaſcentes eorum animos ac vires reſtituit. Et cum acie ſuperiorem evaſurum ſe omnino putaret, nulla adduci ratione potuit, ut cum adverſariis in regno legibus jure & judicio potius, quam vi armis & bello experiretur controverſiasque diſceptaret, aut ut quicquam derogari pateretur regiæ & monarchicæ ſuæ, quam ſibi arrogabat, verbisque crepabat, majeſtati. Ex quibus omnibus obſcurum profecto eſſe nequit, qui fuerit ſenſus armorum ejus, quæ ejus mens, conſilia, ardor animi, quid cupierit, quid intenderit Sigismundus.

Quod vero Polonus ſcriptor in libello iſto Carolum ubique accuſat & inſectatur, quaſi is cuncta ad libidinem geſſerit, regni adminiſtrationem ſponte involarit, & excluſis ſenatoribus in ſe ſolum transferre, Regiam auctoritatem & poteſtatem labefactare & exſtingvere, ſuam conſtituere, turbis omnia involvere, populi a Rege animos abalienare ſtuduerit, perfeceritque: acta & decreta comitiorum omnia ſua ſolius & ſuæ factionis auctoritate concinnarit, promulgarit, executus ſit, imaginario adhibito ſacrorum ordinumque conſenſu, qui partim non intervenerit, partim fraudibus, vi, terrore, & minis in ſuum emolumentum fuerit exortus: Quodque iis, & occupatæ claſſis, armamentarii, ærarii, arcium provinciarumque præſidiis inſtructus Regi regnum (cujus in ſe devolvendi ambitione ſemper jam temporibus Joannis Regis arſerat) eripuerit. Ea omnia nullis idoneis probationibus nixa meræ ſunt calumniæ, & falſæ criminationes ex affectu & corrupto judicio profectæ: quas diluere pluribus hic neceſſe non eſt, cum per ea, quæ ante commemoravimus, & inſtrumenta literarum ac comitiorum publica manifeſtæ falſitatis convincantur.

Inepte præterea & malitioſe iſtic Carolo exprobrantur inſidiarum Joanni Regi intentatarum, conſpirationis cum Mornæo & Kurſilio militum præfectis initæ & Revaliæ occupandæ conatus. Quorum omnium ipſe commentor fatetur minime convictum eſſe Carolum, nihilque magis eum negaſſe. Quomodo itaque damnari, aut veniam iis nominibus petere potuerit? Sane ſi tam ardenter & fraudulenter, ut Polonorum quorundam eſt ſuſpicio, regnum Carolus affectaſſet, jamdudum & ſtatim poſt primum Sigismundi e Suecia diſceſſum, vehementer abalienatis ab eo ob diffidentiam & admiſſa jam tum popularium animis, acquirere ſibi facillime potuiſſet. Nec opus habuiſſet tot cum ærumnis injuriis moleſtiis ac periculis poſtea longo tempore conflictari, & extrema quæque experiri: Multo minus profligatis jam ex tota Svecia Sigismundi ſectatoribus delatum toties ab Ordinibus ſceptrum per multos annos recuſare. Ipſe Carolus & literis ad Regem ſuis, & coram ejus legatis A. CIϽ IϽ XCVI. aperte non ſemel eſt profeſſus, ſæpius id ſibi oblatum eſſe, & porro offerri ab ordinibus poſſe, ſi Rex jusjurandum ſuum & jura regni, quo cœpiſſet modo, transgredi pergeret.

Quibus notitia & uſus Caroli fuit, omnes ſatis noverunt, eum minime alienarum rerum appetentem & rapacem fuiſſe. Atque ita de eo etiam ii, qui alioqui minus æqui, ſemper exiſtimarunt. Sane Jacobus Typotius, qui per motus illos in Svecia degit, & poſtea in aula Cæſarea ac comitatu Hiſpanici legati deceſſit, homo a Proteſtantium religione alienus, ſic de Carolo, qui cum familiariſſime vixerat, in relatione ſcripſit, ut eum ab omni invadendi alieni cupiditate maxime abhorruiſſe affirmarit: verum, dum efferveſcentis in ſe religionis æſtu rapitur, & proprio periculo & neceſſitate coactum, tandem ad Regium faſtigium præter voluntatem ab Ordinibus regni evectum. Cujus viri incorruptum judicium operi hiſtoriarum ſuo totidem verbis inſeruit vir illuſtris Jacobus Auguſtus Thuanus lib. CXXXI.

Præter-

Præterea conſtat, oblatam Regiam ſibi dignitatem Carolum in fratrem Sigismundi Joannem, perniciaIium fratris conſiliorum minime conſcium, nec ſocium malefactorum, proximo cognationis jure transferre omnibus modis ſtuduiſſe: Hunc vero honorem a Carolo delatum, & impar humeris onus, iſto rerum ſtatu, a ſe deprecatum, ultroque ſe illud ſive decus, ſive onus Carolo deferre oratione coram Ordinibus publice habita teſtatum fuiſſe. Idemque tribus interjectis annis cIↃIↃCVII. cum decimum nonum ætatis annum attigiſſet (quousque Regio, ut moris eſt, cingi diademate Carolus diſtulit) denuo repetiiſſe, ſeque de cætero in Caroli patrui & regni ordinum poteſtate fore declaraſſe, nec Sigismundi unquam conſiliis participaturum jurejurando interpoſito religioſe promiſiſſe. Ut adeo de libero ejus & ſpontaneo conſenſu dubitari non queat; & vanis tantum conjecturis, malisque ſuſpicionibus nitatur, quod Polonicæ diſſertationis auctor ſcribit, non eſſe præſumendum jure ad regnum potiore ſuo ſponte ita ad ludibrium ac ſervitutem alterius ceſſiſſe Joannem: verum inſtinctu, perſvaſione, vi & minis Caroli patrui tutoris, in rem ſuam auctoris, id eſſe factum, impubere adhuc eo exiſtente; ab hoc vero præſcriptam, quam coram ordinibus in comitiis Norcopenſibus recitarit, ceſſionis formulam. Quæ quidem longe ſunt falſiſſima. Quod ſi pravis hujusmodi ſuſpicionibus indulgere ſatis eſſet, iisque rei geſtæ veritas elidi poſſet; nemo fere ullam in judicio cauſam probaturus & obtenturus foret.

Non eſt itaque quod amiſſi regni cauſam alterius ullius culpæ operoſe attribuat auctor, ſed ſolius Sigismundi ſuperſtitioni Jeſuiticæ, obfirmatæ contumaciæ, violentiæ & pollutæ fidei eam aſcribendam habet; qui contra Avi voluntatem, & in comitiis regni promulgatas leges, religionem mutare conatus eſt, libertates ac jura regni ſtatumque labefactavit & convulſit, promiſſis juratisque pactis ſtare noluit, & imprudentibus Jeſuitarum ac Machiavelliſtarum conſiliis temere eſt obſecutus.

Improbat idem ſcriptor ex vindicatoribus Svecicæ libertatis, & gubernatoribus regni, temporibus Erici Pomerani, Engelberti acta, eorumque aliqua dicit illegitima fuiſſe, vel dubia, vel ambigui juris, ut qui privatus per minas & vim coëgerit aliquando ſenatum, trucidarit proceres, & alia præter fidem datam ac non legitimo more egerit. Cujus proinde exemplo & factis conſimilibus niti non potuerit Carolus. Verum principium, ut logici vocant, ita petit auctor. Quando enim miſere oppreſſos avaritia & crudelitate præfectorum Danicorum Dalacarlos, aliosque Suæciæ populos, ad dejiciendos eos concitavit Engelbertus; vindicandæ armis, cum aliæ nil proficerent rationes, libertatis ducem ſe iis privatus præbuit; & ſtrenue feliciterque vi, cum excidio, damno & dedecore hoſtium perfecit: nil aliud egit niſi quod Brutus, Thraſybulus aliique tyrannidis everſores, olim fecere, & quod poſtea in Svecia Sturii, ac Guſtavus I. itidem magna cum laude repetiere. Quos proin eodem nomine in crimen ſuo more vocare ridicule potuiſſet commentator.

Idem operoſe, ſed fruſtra, defendit cauſam ſenatorum regni illorum, qui cum injuriarum nomine, ob falſas apud Regem Joannem delationes, poſt ejus mortem in gratiam cum offenſo Carolo rediiſſent, ad regni adminiſtrationem & gubernationem eum invitaſſent & perduxiſſent, ſuoque conſilio & aſſenſu Sudercopenſe decretum ſponte firmaſſent, ſanciviſſentque; paullo poſt in gratiam Regis ac veteri erga Carolum livore ab eo defecere, illiusque partibus & factionibus toti ſe applicuere. Quas Optimatum Sudercopenſi conſtitutioni adhærentium, & periculi minime tamen intentati metu a patria ad Regem profugos, inde cum eo reverſos & poſt cladem Lincopenſem Carolo Duci traditos, ut legibus cum iis ac judicio experiretur, hic lata a delegatis Ordinum, & ab univerſis ſtatibus confirmata in comitiis Lincopenſibus anno cIↃIↃC. capitali ſententia, ceu hoſtes patriæ ac rebelles, perjurii & perduellionis reos, omniumque fere diſcordiarum, machinationum, ac turbarum in regno, nec non ſuſceptæ a Rege bellicæ in Sveciam expeditionis auctores, ſuique delatores, convictos & damnatos capitis ſupplicio affecerat. Quod injuſte & per vim factum eſſe auctor contendit, propterea quod Carolus promiſiſſet pactis Lincopianis, corpori fortunisve eorum non nocitum iri: dein quod non adhibitis, ut convenerat, arbitris per ſuos ſibique obnoxios judices eam ſententiam ferendam curarit. Cum tamen promiſſionis illa, ceu quævis ſalvi conductus formula, non ſimpliciter, ſed tacita hac cum conditione intelligenda omnino fuerit, ſi innocentes in judicio deprehenderentur. Alias inanis & ſupervacanea fuiſſet eorundem judicio ſiſtendorum, cauſæque ex legibus examinandæ & decidendæ a Sigismundo ipſo indulta poteſtas, ſi rei reperti vita aut fortunis mulctari pro merito non potuiſſent debuiſſentve. Jam vero ex legibus Svecicis *cap. 8. & 9. tit. de crim. cap. cit. 9. de regal.* & clauſula decreto Sudercopenſi ab ipſiſmet approbato appoſita, perduellionis convicti capitisque damnati ſunt. Quod arbitri, quos Sigismundus adhibiturus erat, non adfuerint; ejus culpa & negligentia factum fuit, qui interpellatus illis evocandis ſuperſedit. Adfuere tamen Joannis Adolphi Holſatiæ Ducis Legati, non quidem ut controverſiarum judices, ſed accuſationum teſtes, auditores, conciliatores. Qua ſolum, non majori, poteſtate eos præditos futuros, ipſe Sigismundus per literas Carolo ſignificarat, mentemque ſuam declararat; veritatis inquiſitione & ſuprema ſententia in regno ſibi reſervata, quæ facultas abſente & negligente eo Ordinibus & Proregi ceſſit. Ut adeo hac in re nihil fecerint Carolus & ſtatus præter Sigismundi mentem. Nec vero neceſſe habuerunt in vicem judicis arbitros capere, aut ſi ita eos cepiſſent, aliter quam ſecundum leges Svecicas (quibus, ut regula, judicis illic officium adſtringitur) & ut ab Ordinibus factum eſt, judicare hi potuiſſent.

Mili-

by Google

Militarem in Sveciam Regis Sigiſmundi expeditionem ita frivole excuſat auctor, ſatellitio ſe tum honoris cauſa, tum ne Caroli & ſequacium injuriis expoſitus & obnoxius foret, munire neceſſum omnino Sigiſmundum habuiſſe. Quaſi vero ad ſatellitium corporisque cuſtodiam opus habuerit, tot militum millibus, iisque peregrinis, nec ſine armis committere ſe potuerit fidei & benevolentiæ ordinum, ſeu ſubditorum, omnem obedientiam & reverentiam prolixe verbis factisque ei deferentium, quod Rex bonus, civibus ſuis non diffidens facere haud recuſarit: & vero Sigiſmundus ipſe ad Lincopiam prælio victus poſtea facere ad breve tempus ex parte eſt coactus.

Porro ut Lincopenſis tranſactionis poſt ſtragem a Carolo illatam initæ obligatione Sigiſmundum exſolvat ſcriptor Polonus, his utitur rationibus. Quod per injuriam, vim, & metum, qui in conſtantem virum cadere potuerit, ad iniquas, damnoſas, & regia Majeſtate indignas conditiones a Carolo patruo ſubdito & rebelle, Rex fuerit compulſus, ut qui conſtrictus evadere illinc non potuerit, niſi eas oblatas acceptaret. Ad quæ reſpondeo Sigiſmundum nullam habuiſſe graviter ita ſibi a Carolo metuendi cauſam, ut qui ſumma poſt victoriam moderatione & humanitate erga eum fuerit uſus, ſponte ad eum acceſſerit ipſe omnemque illi exhibuerit honorem & cultum; adhæc majore exercitus ſui parte ſalva adhuc exiſtente. Quod ſi quis metus victo a victore fuit, is minime fuit injuſtus, nec ad reſcindenda iſta pacta idoneus, quod ſuperius eſt oſtenſum. Conſimiliter ſupra demonſtravi, Carolum ejusque ſectatores juſte obſtitiſſe Regi, adeoque non fuiſſe rebelles, quo ſenſu auctor id vocabulum accepit. Nec quod ſubditi hi fuerint & quidem hereditarii, ademta propterea omnis eis poteſtas fuit juſta & gravi de cauſa armis impetendi Regem ſeque defendendi, aut inhabiles fuere tranſactionis & pacis cum eo pangendæ. Fuerunt enim non mancipia regiæ libidinis ſed liberi homines; Carolus præſertim Princeps regni hereditarius, & ordines certis conditionibus ac juſto ſolum *κατὰ νόμον* Regis imperio ſubditi & obſtricti. Quibus jus belli in Regem ſuum, partem duntaxat imperii habentem pro ea parte quæ ipſius non fuit, & hoſtili animo adverſus ſe manifeſte graſſantem, competere omnino potuit. Ideoque hoc eorum factum & cauſa cum independentium, ut vocantur, Anglicanorum diſſimili plane exemplo male & inepte ab auctore confertur.

Putidum quoque vere & ridiculum eſt quod ſcribit, non veniſſe Sigiſmundum ad Carolum vel alium quempiam quieſcentem fidelem ac morigerum opprimendum, multo minus ad patriam (cujus partes non egerit Carolus) bello impetendam ſed ad ſuam tantum ſecuritatem ſtabiliendam: habuiſſe militem ex ſubditis ſuis, & in amico non hoſtili Poloniæ regno collectum; quoque nulli plane vim intulerit ullam. Carolum vero limites inculpatæ tutelæ exceſſiſſe, dum Regem quieſcentem prior oppugnarit, refugientem perſecutus ſit, & in eas leges adegerit, per quas regno eum ſpoliaret. Quibus ineptis aſſertionibus refellendis momentum temporis impendere piget.

Conditiones porro pactis Lincopenſibus conventæ minime fuere iniquæ. Ut de ſingulis id ſpeciatim oſtendam: Nihil in ſe iniqui habuit *ἀμνηστία* & offenſionum venia; quæ in gravioribus longe cauſis, diſcordiis, & admiſſis ſæpe interpoſita eſt, & adhiberi poteſt. Nihil militis, peregrini præſertim, exauctoratio, omni fidæ paci neceſſaria ex parte & ſolennis. Non injuſta itidem fuit Senatorum, qui belli & turbarum auctores, faces & incentores præcipui fuerant, traditio ad hoc, ut jure legibusque cum eis ageretur. Similiter ut Rex conſueto & mediocri ſatellitio ſtipatus Stockholmiam veniret; ut comitia ordinum indiceret ac haberet; ex eorumque & arbitrorum ſententia cauſas & lites cum ſubditis ſuas, aut horum inter ſe, dijudicari permitteret, interibi vero omnia in præſenti ſtatu manerent, nec quicquam novaretur; ut gubernandi regni rationem ad jurisjurandi, cautionis in inauguratione præſtitæ, legumque Suecicarum præſcriptum revocaret; nulla cum injuſtitia fuere conjuncta, nec aliter his in caſibus agere Succiæ quicunque Rex potuit, aut potuiſſet, etiamſi nunquam diſcordiæ illæ eveniſſent. Clauſula denique adjecta, ut non implenti bona fide illas conditiones reſiſtendi ordinibus facultas foret, nec iniqua, nec nova fuit, quippe paullo ante in aſſecuratione Caroli a Rege adhibita. Quod vero iſti, quam ſibi finxit, & imperioſe in vanum arrogavit, majeſtati, ignominioſa, damnoſa, & intolerabilia ea omnia putarit jactaritque Sigiſmundus, ad rem minime intereſt, nec Caroli Ordinumque juri hilum detrahere potuit.

Quam male itaque & injuſte Rex obſervationem pactorum iſtorum neglexerit, & ex regno ſe ſubduxerit ſtatim, evidenter hinc patet. Nam quod auctor porro diſceſſum illum variis nominibus excuſat, quaſi omni præſidio militis ac Senatorum nudatus non potuerit Stockholmiam ad comitia (in quibus cuncta ad nutum Caroli proceſſura fuerint, & ubi ludibrio Rex eſſet futurus ſine ulla auctoritate & poteſtate, Carolo in omnibus obnoxius) venire, adeoque fidei & poteſtati infeſti patrui, eique addictorum & obnoxiorum ordinum, ob metum & memoriam priorum, ſe cum honoris ac vitæ periculo committere: Sed neceſſitate & injuriis Caroli compulſus fuerit præſentiſſimo diſcrimini & exitio fuga ſubtrahere ſe, quanquam invitus, & non animo deſerendi regni: ad quod præterea adverſa eum coegerit tempeſtas. Hæc omnia quam falſo dicantur, ſuſpicionibusque futiliter præſumantur, inde elucet, quod cum Sigiſmundum Regem cum ſuis, cum occidione interimere iratus & tanto fortunæ ſucceſſui indulgens victor ad Lincopiam facile ac ſine probro potuiſſet, non modo incolumem ſervarit, ſed benigne etiam ac honorifice habuerit; Carolo ultro ad colloquium ejus deſcendente, ſeque fidei ejus & poteſtati committente; arcem Steeburgenſem, omniaque in ea & alibi amiſſa optima fide Regi reſtituente; adhæc, præter redhibitas regiæ claſſis, ſuas ei ac Suecicas naves, quibus Stockholmiam honorificenter veheretur, attribuente. Ubi ut ſecu-

re

re agere poſſet, omniſque vis ab eo tribunali abeſſet, copias inde longe reductas exauctorare conſtituerat.

Hæc cum negare haud potuerit ſcriptor Polonus, impudentia tamen an malitia incertum majore, aſſerere haud veretur, non animum quidem perimendi Regis Carolo Lincopiæ ſtatim, ſed facultatem partim, partim juris ſpeciem, auctoritatem ac prætextum aliquem honeſtum defuiſſe: quapropter ſatis tunc habuerit, Regem pactis extortis Lincopenſibus in ſuam quaſi redactum, magisque pro lubitu redigendum poteſtatem, majori ejus rei opportunitati Stockholmiæ (ubi eadem rerum facies ac poteſtas, quæ Lincopiæ, reditura erat) reſervare. Vah audaciſſimum ac ſuſpicaciſſimum calumniatorem! Imo poteſtas & auctoritas Sigismundo illic in comitiis & regno obfutura erat, quæ Regi ex legibus competit, & qua hodie adhuc gaudent. Non ex affectu & voluntate cujusquam, ſed legum omni gratia & odio vacantium, præſcripto negotia tractanda erant & componenda; nec defuturum tuendo corpori ſuo decens ac conſuetum Regi ſatellitium. Ut proin vanus plane & injuſtus fuerit ille Sigismundi metus, quem verbis tantopere ac fictis rationibus frivolis exaggerare ſtuduit auctor.

Et quod poſt initam pacem atque *ἀμνηστίαν*, poſt tot luculenta benevolentiæ, obſequii, ac reverentiæ ſingularis a patruo, ordinibus, civibus ac popularibus ſuis edita ſpecimina, tanta nihilominus erga eos diffidentia & abalienata ob perpetuam & occultam veterum offenſionum memoriam animi voluntate ductus fuerit Sigismundus; in eo non tam regios quam tyrannicos mores expreſſiſſe videtur. Siquidem tyrannorum proprium eſt diffidere perpetuo civibus, ſeu ut Ariſtoteles V. Pol. XI. ſcribit, *τὸ μάλιστ' ἀπιστεῖν τοῖς φίλοις, ὡς βουλομένων μὲν πάντων, δυναμένων δὲ μάλιστα τούτων αὐτοὺς καθελεῖν. maxime diffidere amicis, quaſi velint quidem omnes, hi autem inprimis eos ſubvertere poſſint.* Boni Reges ut civium ſuorum benevolentia & amore nil potius ducunt, ita quoque nullas ejus conſervandi, augendi, & ſi forte remiſerit, excitandi rurſus rationes negligunt, eisve ſe concredere haud timent. Quorum nihil plane ſtudio tum habuit noſter, alio longe ac diverſo ductus ac præditus ingenio.

De tempeſtate quod dicitur & Sigismundus ipſe cauſatus fuit, quaſi ea, cum Stockholmiam tenderet, oborta Calmariam rejectus fuerit; id minime ita contigit, ſed futilis fuit regreſſus deſtinato facti prætextus. Nec quicquam ad eundem, ſicut nec priorem A. CIↃIↃXCIV. ſubitaneum diſceſſum excuſandum valet, quod factus dicitur non emanendi, ſed mox brevi, vel aliquando redeundi animo. Imo criminis hac in re arguendo Regi ſufficit, quod ſimpliciter ita is ante reipublicæ turbatæ conſtitutionem, idque inſciis Proceribus, e Suecia abierit. Quod nec in Poloniæ regno ei licitum unquam fuit. E quo diſceſſurus ſemper opus habuit petere *ab ordinibus* commeatum. Et ad oppugnandam patriam A. CIↃIↃXCVIII. profecturo præſcriptum fuit, ut die Bartholomæi anni ſequentis iterum ſe in Polonia ſiſteret. Idem autem jus, eademque Sueciæ regni ſtatibus erga Regem competiit a Sigismundo toties violata & ludificata libertas. Nec vero de reditu ejus aut redeundi animo quicquam his conſtare potuit. Contra certo conſtabat, Regem jam olim ordinibus regni Poloniæ, priusquam inde ſolveret, fidem dediſſe, ſimul ac regno eſſet inauguratus, conſtitutisque in Suecia rebus, ſtatim ad illos reverſurum ac reliquum vitæ tempus ibidem exacturum: prout exemplar obligationis, Polonis Cracoviæ præſtitæ, Carolo a comite Erico Nicopiæ XV. Januarii, exhibitum aperte oſtendit.

Porro quando in comitiis Jenecopenſibus, extremæ dominationis jugo, præſertim vero dominationis Pontificiæ, imperio ac ſervituti parere in poſterum nulla ſe ratione velle ordines regni Sueciæ decreverunt, penitusque illi renuntiarunt: ſuæ tantum religionis libertati teſtamento Guſtavi I. ſancitæ jure conſuluerunt. Cui poſtremo hæc a teſtatore graviſſima ſubdita fuit obteſtatio: *Itaque ſubditos noſtros univerſos ac ſingulos pro ſalute animæ ac hereditate illorum cœleſti admonemus & hortamur, quo tam certo, ac cupiunt precioſi & innocentis ſanguinis Chriſti profuſionem ſibi in ablutionem ac remiſſionem peccatorum cedere, atque divinam maledictionem tam animæ quam corporis in ſe provocare nolunt, extremam voluntatem noſtram firmiter omnino ac inviolabiliter exequantur & obſervent.* Nec, ut auctor garrit, Pontificiæ dominationis imperium rejicere & detrectare, ac gubernatoris Caroli denuo confirmare regimen, idem plane fuit, ac Sigismundi Regis Pontificii imperium repudiare. Quaſi vero, rempublicam abſente Rege ſecundum leges adminiſtrante Carolo, aut ſine Pontificia hoc eſt conſcientiarum dominatione, ſalva ſua Sigismundo minime eſſe potuerit regia in Suecia dignitas ac legitima poteſtas. Aut quaſi Rex nullam aliam in regno tolerare honeſte queat, niſi quam ipſe profitetur ac veram putat religionem.

Quod falſum ac pernicioſum dogma imbibit ac propugnavit auctor noſter, dum præterea ſcribit: iniquam, impoſſibilem, barbaram, & paganam, imo beſtialem, ut ita loquar, fuiſſe eam, quam in Stockholmenſi conventu Ordines Sigismundo Pontificio præſcripſerint; Uladislaum filium in Sueciam, educandum illic & imbuendum Auguſtanæ confeſſionis doctrina, ſi Regem eum eſſe vellet, mittendi conditionem. O extremam hominis veſaniam! o intolerandam impudentiam! qui talia in literas referre, & Avum Sigismundi Guſtavum (qui in teſtamento ſuo eam poſteris legem ac conditionem diu ante tulerat) iisdem criminationibus ſimul inceſſere ac ſugillare haud eſt veritus. Et qua efficitur, certæ & indubitatæ veritatis eſſe Pontificiorum dogmata, Chriſtianam vero minime Auguſtanæ confeſſionis doctrinam; nullamque plane inter Chriſtianos, præcipua fidei capita ſymbolo comprehenſa apoſtolico, communi conſenſu amplectentes, eſſe poſſe ſecun-

dariis de rebus, & ad ſalutem minus pertinentibus quæſtiunculis, opinionum diſcrepantiam. Sed unumquemque ita credere oportere ſuæ religionis & ſententiæ veritatem, ut diverſæ aliæ omnes hæreticæ ſimul habeantur, & cujus ſectatorum nemo poſſit ſalvari. Quæ omnia abſona ſunt, & vero minime conſentanea.

Ejusdem farinæ eſt, quod ait illuſoriam fuiſſe Sigismundi Regis in Sueciam evocationem, quippe ſine milite, nullis obviam miſſis navibus, aut ſecuri adventus præſtita cautione factam, & ut perpetuo illic maneret. Quarum conditionum poſterior de perpetua manſione falſa eſt, prior fuit neceſſaria, cautionis autem illius præſtatio ſupervacanea; nec opus Statibus fuit emittere naves ad Regem advehendum, antequam de animo ejus redeundi facti eſſent certiores.

Reliquus quoque ſcriptoris Polonici labor totus occupatur in invertenda, ſuisque accommodanda partibus facti narratione, affirmando ea, quæ in rem ſuam ſunt, quæ vero minus iſtuc faciunt, aſtute negando, juxta vetus præceptum, *Si feciſti nega.* Quo ſane nihil eſt facilius, nihil litigantibus commodius vulgatiusque; qui nunquam non in eo occupati ſunt, ut ſpeciem facti, ejusque circumſtantias ſuæ quisque cauſæ optent, iisque immutatis deciſionem ſimul juris & ſententiam judicis ſolerter invertant. Adeo, ut Comicus ait, *nihil eſt, quin male narrando poſſit depravier: Si quis id quod boni eſt excerpat; dicat, quod mali eſt.* Nos autem quanquam tuto poſſemus omni iſtius rei ſuperſedere confutatione, noſtræque tantum narrationi inhærere: in nonnullis tamen gravioribus capitibus inſuper defendere noſtram, illius convellere, relationem aggrediemur, ut eo melius de minutioribus cæteris, quæ ſilentio & contemtu transmittemus, judicium ferri queat.

Ait ſubſtitutæ a Carolo novæ gubernationis formulæ (in qua ipſius primum ceu Gubernatoris cum conſilio Senatus omnia facere fuerit adſtrictus) decreto item comitiorum Sudercopenſium, expreſſe hanc additam fuiſſe ſine exceptione conditionem & clauſulam, ſi Rex ea omnia rata haberet. Quæ nec opus fuit, nec in inſtrumentis legitur & inveſtigantis oculis, non certe meis, occurrit.

Similiter quod ſcribit, aventanti Regi portum portasque arcis Calmarienſis fuiſſe clauſas, præfectisque illius a Carolo mandatum, ut Regem quidem admitterent, ſi mitis ac manſuetus veniret, non tamen ſine ſcitu & permiſſu ſuo: Id omne falſum eſt, nec poſteriora hæc verba, ut Auctor aſſerit, in mandatis comparent. Contrarium teſtatur res ipſa, munitiſſimæque arcis deditæ occupatio, quæ alias profecto non ita facile contigiſſet.

Quod præterea addit, falſo Carolum ſubornata fœmina, lacerati infantis cadaver circumferente, milites Regis ceu anthropophagos infamaſſe: id ut a vero alienum non fuit, ita nec divulgatione ejusmodi habuit opus. Neque enim ignota, & ab hiſtoricis ſilentio involuta eſt Hungarorum in cæſorum primo ad Steceburgum conflictu Suecorum cadavera belluina exercita rabies, & ſævitia inaudita.

Porro refert ſcriptor Polonicus, Carolum variis artibus nunc colloquium petendo, nunc tractatus ſimulando, rem protraxiſſe donec vires magis magisque contraheret, quibus in regios poſtmodum noctu irruerit, & durioribus indies ſemper propoſitis auctisque conditionibus ſtudio hoc eum egiſſe, ne res componeretur, & ut Rex dimitteret militem, ipſe retineret. Quæ ſane procul abſunt a vero.

Verum res tota breviter ita ſe habet, Carolus ſtatim cum intellexiſſet Calmariam Regem cum numeroſo milite appuliſſe, per literas vim & arma deprecatus eſt, militemque peregrinum dimitti petiit. Poſtea copiis nonnullis & ipſe inſtructus Steceburgum venit exploratum, quam tandem ob cauſam tanto cum exercitu regnum Sigismundus fuiſſet ingreſſus, & quid ſibi ab eo foret expectandum. De quo per literas & internuncios Regem amice ſciſcitatus eſt, crebro flagitans ut ad colloquium Regis opportuno loco, obſidibus utrinque datis, admitteretur. Ideoque in propinquo caſtra eſt metatus. Reſponſo diu nullo, & obſcuro denique dato, mox oppugnatis ab Hungaris & cæſis ſupra centum ſuorum, cadaveribusque eorum horrenda rabie laceratis, crudeli experimento edoctus eſt Regii adventus cauſam. Nihilominus tamen ad pacificationem & inducias ſe obtulit: ſed quæ contemtu & pertinacia Regis Sigismundi coire non potuere. Electoris quoque Brandenburgici, Marchionis Ansbacenſis, & Meckelburgenſis Ducis legati, qui in ſpeciem a Rege exciti ad componendas diſſenſiones in Sueciam venerant, vehementerque in id laborarant, re infecta & deſperata retro abiere. Petiit autem Carolus ſæpiſſime & inſtanter cum per literas, tum per internuncios, & tam per ſuos, quam Germanorum Principum legatos, ut vel vadibus, aut pignoribus, vel literis (quibus adjecta eſſet clauſula hæc: ut regni Ordines parti in præjudicium horum capitum aliquid agenti, obſiſtere obligati forent) ſibi ac ſociis ſuis caveretur de injuſta & violenta oppreſſione; miles peregrinus dimitteretur & tota controverſia in liberis comitiis, præſentibus aliorum Principum legatis, ceu arbitris, legitime examinaretur. Quibus promiſſis confeſtim ſe, quem ſub ſignis haberet, militem dimiſſurum, domum conceſſurum, promte exhibiturum omnem Regi obedientiam, cunctaque ei, claſſem, arces (indigenarum tamen militum præſidio firmandas) reſtituturum. Quæ profecto non intolerabiles & iniquæ fuere conditiones, a Sigismundo ad extremum haud improbatæ, niſi quod omnino voluit, in eaque iniqua poſtulatione obſtinate perſeveravit, ut Carolus ab armis non ſimul eodem tempore, ut moris eſt, ſed prior, & poſſeſſione eorum, quæ ad Regem ſpectarent, ante omnia decederet. Hic contra, quod Regi armis inſtructo, & cui fidem fal-

lere

lere toties ſollemne fuerat, fidere inermis minime poſſet, ut ex peregrino milite conflatum exercitum prius diſſolveret, Senatoresque illos (quibus Regi ad latus hærentibus pacem confectum minime iri prævidebat) a ſe ablegaret, haud injuria contendit. Tandem duodecim utrinque homines, ſex nobiles, ſex militares diſceptando negotio propoſiti ſunt, ſed non deſignati, neque adhibiti. Imo ſub id tempus a Badenſi Marchione & VVeiero tormentis exploſis Carolini infeſtati: Duci quoque Regii exercitus G. Farensbekio a Rege demandatum, ut nocte intempeſta caſtra Ducis ex inſidiis adoriretur. Tentatam rurſus per delegatos, & colloquii licentiam, & amicam transactionem Sigismundus callide protelavit, ut ex Finlandia adventuras auxiliares copias interim jungere ſuis poſſet. Quas cum fruſtra præſtolari ſe, claſſemque Ducis haud procul abeſſe intellexiſſet, timore perculſus noctu cum ſuis Lincopiam profectus eſt, fruſtra ad ineundas per delectos utrinque homines pacis rationes retrahente eum & obſtante denuo Carolo. Donec res iterum ad manum illic, ſed cum inſigni regiorum clade pervenit.

Cujus prælii infortunium perfidiæ Caroli aſſcribere haud veretur Auctor, quaſi is literis de induciis paullo ante ad Regem miſſis ſecuros factos Regios, & nil hoſtile timentes, adeoque imparatos & inopinantes per proditionem invaſerit oppreſſeritque. Cum tamen falſiſſimum ſit, ſolennes inducias illius pugnæ tempore viguiſſe. Nam utut Carolus eas Regi per literas, ut Auctor vult, obtulerit; minime tamen ſancitæ eo ipſo fuerunt, quamdiu Rex aſſenſum ſuum non declaravit, nec mutua voluntate pactæ ſunt. Ut adeo invadendi armis tum copias hoſtiles Carolo minime præciſa fuerit facultas. Et quod ſecuri ita, ut Auctor vult, imparatique egerint, ſuæ imprudentiæ negligentiæ ac temerariæ fiduciæ imputandum habeant Poloni; quam præſtare neceſſe non habuit Carolus. Campana ſignum ipſis Polonis, capiendorum ob adventantes hoſtes armorum, dediſſe potuit templi in oppido æditnus: ut non neceſſe ſit, proditorie in gratiam Caroli id factum ab eo eſſe, dicere. Quanquam & hic locum habere omnino potuerit dictum illud vetus: *Dolus, an virtus, quis in hoſte requirat?* Verum circumſtantiæ & occaſiones illius pugnæ diverſimode quidem, longe aliter tamen, quam Commentator narrat, ab Hiſtoricis referuntur: prout ex Thuano aliiſque videre eſt.

Ultimo loco Auctor diſſertationis Polonicæ oſtendere nititur, penes Suecos ſtetiſſe, quo minus pax, aut induciæ belli Livonici, toties tentatæ fruſtra, coierint. Nos vero omnem eam in Polonos jure meritoque removemus culpam: qui antehac æquas & honeſtas a Suecis propoſitas ſæpe conditiones ſuſque deque ac contemtim habuere, literas in eam rem Regis & Ordinum Sueciæ contumelioſis haud raro verbis exceperunt; inducias non niſi ſubdole extrema coacti neceſſitate inivere, ſæpeque violarunt, & ſuos ad pacificationem aut induciarum productionem delegatos, aut non idoneis aut ambiguis plane mandatis inſtruxerunt.

Nec vero culpari propterea Sueci poſſunt, quod nullam plane in iis mentionem tituli Regis Sueciæ, aut juris ad eam Sigismundo competentis indulgere amplius voluerint; adeoque ullum juri ac libertati ſuæ, perpetuo ſolennis abdicationis edicto firmatæ, & tot præſtantiſſimorum civium ſanguine obſignatæ inferri præjudicium, noluerint pati. Uſi enim ſunt ea in re ſuo jure ſupra ſatis ſuperque demonſtrato. Sigismundus autem ob commiſſa omni ſuo quod habuerat jure exciderat, quod itidem abunde hactenus eſt oſtenſum. Ideoque inepte ignominioſa & impoſſibilis habita ab eo fuit imaginarii iſtius juris remiſſio, cum patrare ea non ſit veritus, quibus Regio faſtigio indignos ſe Reges reddunt. Sane præpotens Hiſpaniarum Rex redimendæ pacis cauſa ab Ordinibus Belgicarum, quæ ab tyrannico Avi illius imperio ſimilem in modum defecerant, provinciarum, haud dubitavit nuper nunciare juri ſuo, quod ad eos habere ſe putavit. Ut mirum profecto ſit, ſi Rex quiſpiam Poloniæ ἀδύνατον id ſibi ſoli putet, quod a nemine non fieri poteſt, totiesque factitatum eſt a multis.

Porro nil quicquam hæc Caroli Gubernatoris Ordinumque cum Sigismundo ceu Sueciæ non Poloniæ Rege, agitata controverſia attinebat ad rempublicam Senatum & Ordines regni Poloniæ. Cui ſe illi de facto, & ſine cauſa, ſtudio dataque opera ſtatim immiſcuere, eamque ſibi ita ſuo periculo fecere propriam.

Similiter quod Guſtavus Adolphus, glorioſæ memoriæ Rex Polonos bello aliquando perſecutus ſit, a Turcis eodem tempore oppugnatos, vitio illi verti non poteſt. Cui poſt rejectas toties æquas & honeſtas pacis aut induciarum oblatas ſtudioſe conditiones, in hoſtem quandocunque movere, eumque capta temporis opportunitate debellare licuit. Imo ſibimetipſis imputandum habent Poloni, quod in periculo belli ac invaſionis Turcicæ conſtituti non melius proſpexerint ſibi, & ad pacem, aut inducias cum Rege Sueciæ pangendas deſcenderint, ſuæ imbecillitatis optime conſcii, & inſtantis memores periculi.

Atque hæc ſunt, quæ ad prolixam Polonici ſcriptoris commendationem breviter notare hic & reſpondere modeſte placuit. Si qua hic omiſſa videbuntur ea aut ſuperius enucleata & refutata reperientur; aut talia erunt, ut ſollicita confutatione non magnopere indigeant. In quibus proinde noſtræ inſiſtimus exegeſi, quæ ille affirmat pernegando, quæ inficiatur aſſeverando: de cætero totius cauſæ & controverſiæ hujus dijudicationem juſto & incorrupto æqui benigni & eruditi lectoris judicio committentes.

CYRIACI THRASYMACHI
De juſtitia armorum Svecicorum in Polonos perque ea liberata a magno periculo Germania
AD
ANDREAM NICANOREM
EPISTOLA.

Rutilius de Roma.

Juſtis BELLORUM CAUSIS, NEC PACE SUPERBA
Nobilis ad ſummas gloria venit opes.

CYRIACUS THRASYMACHUS
ANDREÆ NICANORI, Amico Suo,
S. P. D.

IDentidem ex me quæris, Amice, num quas ego cenſeam juſtificas cauſſas eſſe illorum armorum, quæ *Sereniſſimus Potentiſſimusque Rex Carolus Guſtavus*, & inclytum illud Svecorum regnum in Poloniæ Regem & rempublicam hodie movent: an item exiſtimem bellum illud Polonicum Germanicæ ſaluti obfuturum, nec ne. De utroque enim per te dubium reddi, variis in utramque partem hominum ſermonibus: non poſſe tamen non ſollicitudine quadam duci cum Germaniæ quia patria eſt, tum Sveciæ, quia haud dubie eſt Germaniæ a ſuis quondam oppreſſæ liberatrix, & adverſus imminentia pericula præſidium. Si videlicet nullæ ſint juſtæ Svecicorum armorum cauſſæ, verendum eſſe, etſi initia feliciter ſuccedant, exigentibus id forte Polonorum in Deum commiſſis, tandem tamen fatali ruina & illa vindicatum iri, ſummo pariter Germaniæ diſpendio. Ad hoc, quaſi pro lorica fuiſſe hactenus Poloniam Germaniæ adverſus barbaros populos, Moſchos & Tartaros: qua fracta videri nos jam impoſterum iri expoſitos eorum tyrannidi & incurſibus.

Ego vero agnoſco animum amantem boni publici pariter & intelligentem. Non eſt autem quare te curæ quidem iſtæ mordeant. Etenim *interdum injuſta quoque arma, (qua Dei eſt ſapiens humanarum rerum adminiſtratio, antequam magnus ille & terribilis dies juſtum ſceleribus ſupplicium decernet)* diuturna ſatis felicitas excipit. Svecorum vero huic bello juſtificarum cauſſarum, quales ſolent a populis & inter populos paſſim acceptari, nihil deficere: ac proinde non eſſe quod hactenus quidquam vereare: ſimul vero, nec fractis licet Polonorum rebus, periculum aliquod a Tataro Moſchoque Germaniæ imminere, imo ab eo periculo nos hiſce armis potiſſimum liberari, quoniam ita vis, docebo.

Poteras vero prius illud jam tum didiciſſe, ſi qua par erat attentione expendiſſes, quæ editæ ſunt *charta de cauſis novi hujus belli.* Abunde enim illæ exhibent omnia, niſi quod brevitate ſint fortaſſis tardiori cui lectori nonnihil obſcuriores. Non vacat ſane culpa, quod illis lectis nondum acquieſcas: ſed vulgi ſermonibus tanquam fluctu circumagi te patiaris.

Attamen, ceu promiſi, dabo operam, ne quis te error amplius hac in re agitet: quoniam id poſtulat amicitiæ noſtræ jus, & tua expectatio. Ordine igitur agam: initio belli hujus juſtitia expoſita; deinceps facto progreſſu ad id, ut metu libereris de imminente impoſterum Germaniæ a Moſcho & Tataro periculo. Niſi autem vehementer fallor, armorum quidem juſtitiam clare docuero, ſi oſtendam duo: per Polonos ſcilicet non per Svecos ſtetiſſe hactenus, quo minus dudum inter populos illos firma ac perpetua pax viguerit; Polonos porro multis modis induciarum leges fregiſſe, quæ ſancte hactenus a Svecis ſint obſervatæ, ac proinde culpa ſua latiſſima ante tempus arma hæc in ſe ſe provocaſſe.

Principio igitur tenendum eſt, bellum Svecis cum Rege & populo Polonico non demum nuper cœpiſſe, ſed fuiſſe jam per annos quinquaginta ſex, & quidem perpetuos; niſi quod non æque annis omnibus illud ferbuerit, & ſemel iterum per inducias aliquamdiu fuerit quaſi ſuſpenſum. „*Originem belli non Sveci ſed Poloni dederunt.* Nec enim Svecorum aliquis ante hac unquam Polo„norum quenquam læſerat, multo minus rempubl. eorum aliqua affecerat injuria, donec *Sigismundus* „infeſtis armis, adjutus valida Polonorum manu, patrium Sveciæ regnum anno 1598. adortus eſt. Infeliciter quidem conatus ille ceſſit Sigismundo ejusque auxiliariis, imo cum non deſineret injuriarum, ab ordinibus regni Svecici, quos penes jus illud erat, *proſcriptus ille eſt* anno ſequente *& regni illius dignitate exutus, neque deinceps recuperare quidquam perditæ auctoritatis potuit:* moliri tamen nunquam deſiit cum ſuis Polonis, clam palamve, prout vires ferebant, quo regni Sveciæ ſtatum ſubverteret.

Non repetam Carolo Rege hinc inde geſta. Simul gubernaculo regni eſt admotus *Guſtaphus Adolphus*, non multo poſt iterum more ſuo claſſicum cecinit Sigimundus: multum profecturus, niſi nondum Ruſſico bello ſolutus ſveta ſibi imprudentia fuiſſet rem aggreſſus, & in Sveciæ populo viguiſſet patriæ amor novoque Regi data fides. Agebatur tunc annus ſeculi hujus decimus ſextus. Recitabo tibi illius moliminis hiſtoriam, non meis, non alterius, forte ſuſpecti aut non ſatis rerum gnari teſtis, ſed ſcriptoris Poloni verbis, quo minus dubites. Eſt ille *Paulus Piaſecius gente nobilis Polonus, dignitate primum abbas Claratumba, inde epiſcopus initio Camenecenſis mox Pramiſlienſis regni Polonici*

lonici ſenator, cujus prudentiam & candorem loquuntur quæ edidit chronica. Is cum feciſſet verba quædam de comitiis Regni Polonici Ordinum, anno iſthoc quem dixi habitis, pergit: Subſidia quoque Sigiſmundo Regi pro recuperando regno Sveciæ fuerunt promiſſa. Ad hoc enim ille animum tunc magis quam unquam alias applicaverat, perſvaſus quod, dum Guſtavus Rex adhuc eſſet ætate immaturus, facile ab ejus obſequio Sveci poſſent avocari. In quo negotio miſerat quoque ad Regem Daniæ ſuum legatum Joannem Veiher præfectum Pucſenſem, poſtmodum promotum ad palatinatum Culmenſem, ut illius animum tempeſtive ad juvandas partes ſuas flecteret. Nec vana erat talis conjectura, cum iſte ſtudia popularia necdum ſibi devinxiſſet, & plures ibi adeſſent, qui illatas ſibi a Carolo ejus Patre injurias aliqua occaſione vindicare cuperent: ſi modo Sigiſmundus Rex tali opportunitati rei bene gerendæ conſilia cautiora conjunxiſſet. Verum omnia intempeſtive, præpoſtere, ac magis ad præmonendum hoſtem fiebant. Nihilque de iſtis cum conſiliariis Polonis conferebat Rex, ſed cum Svecis ac Germanicis tantum, qui pauci, illique rerum & præſertim belli ducendi inexpertes in ejus aula aderant. *Michael Adolphus Comes ab Altheim*, (qui etiam ſub hoc tempus inſtituendo novo ad debellandos Turcas Ordine militum ſpecioſius quam utilius laborarat) præcipuus belli illius arbiter in ſe receperat, quod 20. millia militum Germanorum conſcriberet, & claſſe in Sveciam transportaret, qui tamen nullum experimentum comparandi exercitus, vel conquirendæ claſſis habebat. Et nihilominus expeditionis iſtius moderatores, præſertim *Franciſcus Tenagel*, (carcerem & tormenta a Matthia Imperatore propter arcana Rudolphi Imper. perpeſſus) quem Rex Sigiſmundus Cancellarium Sveciæ renunciarat, ac Gabriel Poze Svecus, illo bellico apparatu ab Altheinio promiſſo freti, (quaſi exercitus in procinctu haberetur) bellum in Svecia divulgarunt, typo impreſſis Regiis edictis per provincias ibi ſparſis, quibus populi illi contra Guſtavum, uti illegitimum Regem concitarentur. Ac commoverat hoc non leviter eam gentem, rationesque Guſtavi turbaſſet gravius, ſi ibi adfuiſſet præſto robur aliquod militare, cujus præſidio partes Sigiſmundianæ fultæ ſuccreſcere potuiſſent. Sed cum illæ copiæ & claſſes Altheinii nusquam apparerent, omnes earum partium veriti exemplum, quod ibi tempore Caroli Regis multos ſimilibus Regis Sigiſmundi conſiliis confiſos fruſtratosque perdiderat, ſeſe a novandis rebus continuerunt. Guſtavus quoque tali prænuntio admonitus, tempus longum habuit, ut in ſingulis provinciis fideliores ſibi rectores inſtitueret, qui diligentius omnes hoſtiles conatus obſervarent, & patrem imitatus, prævenire periculum maluit, bellumque induxit in Livoniam anno ſubſequente.

Hæc Piaſecius. Narraverat ille jam tum ad annum 1613. nonnulla de Sigiſmundi in Sveciam molitionibus, in comitiis Warſavienſibus, fruſtra tamen, agitatis. In recuperatione, inquit, regni Sveciæ ſubſidium a republ. tantis anguſtiis preſſa ſperari non poterat: inſinuatum tamen fuit, ut admoneantur Ordines, quod Moſchua, unde Rex in Sveciam divertere propoſuerat, amiſſa, averteretur quoque tanta rei bene gerendæ pro vindicando illo regno occaſio, & bellum quod inde Livoniæ immineret, meliori compendio Moſchovicarum virium averti potuiſſet. Narrat idem in deſcriptione rerum anno 17. & 18. geſtarum, expeditionem Svecorum, claſſico Sigiſmundi excitorum, in Livoniam duce Farensbachio inſtitutam, ejusque proditione poſt corruptam: ut &, quemadmodum majore felicitate ipſe *Rex Guſtavus Adolphus* an. 21. in Livonia Rigam occupaverit, anno autem 23. Sigiſmundus nova clam agitarit conſilia de transferendo in Sveciam bello, quæ Guſtavi adventus turbaverit. Sed hæc nihil ad rem noſtram, eoque non eſt quare hoc loco repetantur.

Quamvis vero omnia infeliciter Sigiſmundo ac Polonis, Guſtavo autem Adolpho Regi ex voto quaſi ceſſerint, non tamen *Guſtavus Adolphus Rex* regnique Svecici Ordines pacem Polonis offerre æquis conditionibus jam tum anno 23. omiſerunt. Non diſſimulavit hoc Piaſecius. Verba ejus hæc ſunt de Rege Sveco: Præ ſe ferebat ille tunc, quod ad tractandam pacem inclinaret: ſed tam importune, absque præparatione, cum hoſte tam ſuperba oſtentatione tumente tractare, indignum videbatur. Stabat in anchoris nimirum prope Gedanum Guſtavi claſſis, excita illo rumore de traducendis armis in Sveciam; impar erat gerendo bello Sigiſmundus, & tamen indignum ſcilicet Polonis viſum pacis oblatæ conſilia agitare.

Sequente anno 24. irritis comitiis Warſavienſibus, ob populi Polonici diſſidia, etſi ſumme tenues eſſent Polonorum vires, Svecorum interim res in Livonia florerent, rurſum *pax Polonis oblata* fuit, ſed fruſtra. Dabo iterum teſtem illum Piaſecium. In privatis, ait, colloquiis proceres, maxime Lithuani, Regi ſvadebant, ut conſideret quod populi totius regni bellis præteritis exhauſti, ad vocem tributi ſumptusque bellicos ſubminiſtrandos induruerant, eoque bellum Svecicum difficilius duci poſſit: potius honeſtis mediis cum illo hoſte transigeret.

Ac proponebant conditiones pacis non indecoras, quas fidiſſimi Guſtavi Regis Sveci familiares ſuggeſſerant: nempe ut reſtituta regno Poloniæ Livonia, univerſam Eſthoniam & Finlandiam cum ſpe ſucceſſionis in regno Sveciæ, ſi Guſtavus decederet ſine prole maſcula, unus ex filiis Sigiſmundi Regis haberet: titulo quoque Regis Sveciæ Rex Sigiſmundus uteretur, dummodo Guſtavus cum eodem titulo Regio regnum Svecicum ſecure teneret. Sed nihil profecerunt.

Anno 25. denuo pacem perennem, vel ſaltim longas inducias Polonis Sveci, florentiſſimis rebus, obtulerunt: iterum vero rejecti ſunt a Polonis. En teſtem tibi illum eundem Piaſecium. Præcipuum, inquit, deliberationum comitialium caput fuit de bello cum Svecis Livonico: ad quod iſti dum induciæ ad menſem Aprilem proximum ſtabilitæ finirent, majores vires apparabant. Nec induci poterant ad prorogandas illas inducias in tractatu interim ſuper hoc habito, niſi Rex Sigiſmundus eas longiores, nempe in multos annos eſſe vellet, vel Sveciæ regno ſe abdicaret, pacemque faceret perennem. Et majores illi ſumpſerant animos, cum inaudiſſent in conventibus terrarum (qui antecedere ſolent comitia generalia) Poloniæ Ordines a bello abhorrere, ſuisque Nuntiis ad iſta comitia man-

data dediſſe, ut nulla tributa pro impenſis belli illius concederent; quibus Regem Sigiſmundum deſtitutum, etiam iniquiores conditiones pacis ſuſcepturum Sueci ſperabant. Nec eos fefellit conjectura quoad tributa; exigua enim fuerunt conceſſa & quæ vix debito in præteritis expeditionibus contracto exolvendo ſufficerent. Sed tamen Rex leges pacis aut induciarum ab ipſis propoſitas non probavit: quamvis proceres evidentioribus argumentis reliquæ Livoniæ jacturam & majora reipublicæ incommoda inde naſcitura demonſtrarent.

Vindicavit tam iniquam repulſam Deus, & illo quidem anno omnem Livoniam, excepto uno Dunemundo, ſequente magnam Pruſſiæ partem, donavit felicibus Suecorum armis; Jaroslaviam quoque urbem, penu locupletiſſimum totius Poloniæ, ſubito incendio perdidit.

Interea tamen Guſtavus Rex tractatum pacis inſtitui petit, teſte eodem Piaſecio pag. 385. (utor editione Batavica) imo anno 27. per legatos Hollandicos vel pacem vel triginta annorum inducias ampliſſimis conditionibus offert Polono, ſed, ut ante hac ſemper, fruſtra. Audi quæſo narrantem & hoc Piaſecium. Legati Hollandici ſic abruptum de pace tractanda colloquium, adveniente ad caſtra Rege Sigiſmundo menſe Septembr. iterum inſtaurarant, & prope ad optatum finem peduxerant, adnitentibus proceribus Poloniæ, Regemque ſuum pro tranquillitate publica deprecantibus. Tanto magis quod Guſtavus omnium ablatorum reſtitutionem offerret, præter Rigam, quam ad plenam ſuper jure ſucceſſionis in regno Sueciæ, durantibus triginta annorum induciis, faciendam deciſionem, retinere voluerat. Sed totum illud negotium pene maturum, evertit nova Regi de recuperando regno Sueciæ ſpes injecta ab Auſtriacis, quorum intererat, ut Guſtavus bello Polonico deſtineretur & a Germanicis rebus averteretur. Ad finem enim tractatuum, cum poſtridie pacis leges concludi & publicari debuiſſent, advenerat cum Stanislao Rakouski ab Hiſpano Rege miſſus Gabriel Roy, & paulo poſt ejus collega Baro de Auchi, qui promiſit: quod intra duos menſes Regis Hiſpaniæ impenſis, claſſis viginti quatuor navium bellicarum in ſinu Baltico comparanda eſſet, eique imponendi duodecim mille millites, a *Valnſteinio* jam ad hoc deſtinati, in Sueciam trajicere, ibique ſedem belli figere deberent, ac impenſis Regis Hiſpaniæ ſuſtentari, donec bellum duraret: Ad quod ducenta millia talerorum Imperialium in collybis ſe habere prompta dicebat. Tam ſpecioſis itaque promiſſis confiſus Rex, induciis pro regno Sueciæ, quod vivens illis auxiliis recuperare matuiſſet longioribus ſubſcribere renuit, & rebus infectis Varſaviam rediit ad comitia regni.

Deluſus fuerat ab Hiſpano Sigiſmundus, adhæc claſſem novem inſtructiſſimarum navium perdiderat, Guſtavo contra pleraque feliciter ſucceſſerant; hic tamen promptus fuit ad acceptandas inducias, interventu Galliæ & Angliæ Regum, ex uſu Poloniæ potius quam ſuo anno 29. pactas, Sigismundus vero perdifficilis. Diſerte idem teſtatur Piaſecius; Regem talem pactionem improbaſſe. Exoratus tamen, addit, a ſenatu, ut bellum illud tam difficile ad feliciora reipubl. tempora differret, eam ſuſcepit, approbarique publico ordinum decreto permiſit. Audi vero ſodes & Stanislaum a Kobyerzycko Kobierzicki, caſtellanum Gedanenſem, florentiſſimum hiſtoriæ Vladislai Principis ſcriptorem. Verba ejus hæc ſunt L. II. pag. 926. Tandem bellum illud Prutenicum quod ultra quadriennium geſtum erat, induciis in quinquennium ſtabilitis conquievit. At Rex Sigismundus difficulter in eas conſenſerat, & antea multoties ſollicitatus ab ordinibus, ut honeſtis, quas offerebant Sueci conditionibus, vel perpetuam, vel plurium annorum termino circumſcriptam conficeret pacem, neve rempubl. moleſto implicaret bello, nunquam adduci potuit; ſpei injectæ ab Auſtriacis ultra modum memor tenaxque, quam illi ad recuperandum patrium regnum fecerant. Multa alia idem ille laudato ante loco narrat, quæ luculente docent, quantum inhiarit etiam tum Sigiſmundus vanis Hiſpanorum promiſſis, de invadenda Suecia, plura forte additurus, niſi illum claſſis Hiſpanicæ, quam Hollandi poſt Trompio duce deleverunt, conſilia latuiſſent.

Tertius inſecutus annus Guſtavum pariter & Sigiſmundum extinxit. Nemo tamen non facile videt, quamdiu quidem Guſtavus potitus eſt rerum, per Polonos ſtetiſſe ſolos, quo minus firma pax inter utrumque regnum coierit. Eluxit ſane idem ſtudium pacis in Guſtavo, etiam defuncto jam Sigiſmundo, quod ad Polonicum ſenatum interregni tempore miſſo legato, ſtudioſe illum monuerit ea agere, quæ impoſterum paci componendæ poſſent prodeſſe. Narrabo & rem illam verbis Piaſecii qualia habentur pag. 452. Orator (inquit) ille repetitis longo temporum ordine principiis cultæ Polonis cum Suecis amicitiæ, eandem fato malo interruptam, cum jam, inquit, obicem ſors removerit (Sigiſmundum Regem innuebat, ne verbo tamen eum læſit aut nominavit) facile reconciliari poſſe, Suecorumque ſtudium ad hoc non defore aſſerebat. Iteratisque orationis ſuæ argumentis perſuadere conabatur, ut ordines dum ſui juris eſſent, & priusquam Regem eligerent, ea omnia, quæ reconciliationem hujusmodi, pacemque tractandam impedirent, tollere ſtuderent. Nempe ut non eligerent Regem ex Regis Sigiſmundi filiis, niſi prius iſti renunciarent hæreditati regni Sueciæ: quod unicum pro renovanda cum regno Poloniæ pace perpetua Suecus Rex expoſcebat. Reſponditque ei Archiepiſcopus ac Mariſchallus equeſtris, rempublicam a pace juſta & honeſta non abhorrere, & circa electionem Regis ea quæ e republica futura eſſent, curare velle. Tandem anno 35. pactæ ſunt Stumdorfianæ poſtremæ induciæ in annos ſex & viginti. Etiam tum vero Sueci pacem maluiſſent: impediverunt autem *Vladislaus Rex* ejusque fratres, & quibus eorum favor potior fuit quam ſalus publica. Diſerte Piaſecius p. 480. Et quidem propoſitum omnibus erat, univerſas inter hæc regna controverſias ſopire, ſolidamque in perpetuum pacem ſtabilire. Sed cum Rex Vladislaus cum ſuis germanis fratribus, uti Sueci requirebant, titulo Regis Sueciæ, & jure hæreditariæ ſucceſſionis in regno Sueciæ abdicari (licet hoc circa ſuam inaugurationem Polonis ſyngrapha ſecretiori caverat) omnino nollet; non niſi in-

duciæ ad annos viginti ſex, nempe ad undecimum menſis Julii diem, anno Chriſti 1661. fuerunt ſtabilitæ. Imo ipſæ illarum induciarum leges pacis ſtudium in Suecis manifeſtum fecere. Reddiderunt enim hi Polonis Elbingam, Mariæburgum, Dirſaviam, Brunsbergam, Pilaviam, & in univerſum omne quicquid Pruſſiæ occupaverant, ſola Livonia ſibi retenta; ſimulque pepigerunt, ut durantibus induciis ſemel atque iterum de pace componenda ageretur.

Nec vero etiam illas de pace tandem aliquando conſtituenda tractationes Sueci, quantum in ipſis fuit, intermiſerunt. Bis magnis factis ſumptibus, & corrogatis hinc inde mediatoribus, legati Lybecam illi fini miſſi ſunt. Advenere quidem & Polonici. Sed hi primo ſtatim congreſſu non dubitarunt producere tabulas plenipotentiales, quas appellat, non tantum multis vitiis refertas, verum tales etiam, quibus Polonus Rex Sueciæ Regem ſe ſe diceret, atque ita regnum Sueciæ ſibi palam vindicaret. Vetitum id omne diſerte erat legibus nuperis induciarum, atque adeo ne quidem ſalvis induciis id licebat, quei potuit hoc ergo tolerari cum de componenda pace ageretur? Nonne aperte illud nudavit, ſtatim circa initia, a pace alienum animum? Serio moniti Polonici legati a legato Galliæ Regis, negotiorum pacis mediatore, agnoverunt etiam ipſi delictum, polliciti intra tres quatuorve hebdomades emendata hac culpa, novis tabulis juſto Suecorum commiſſariorum deſiderio ſe ſatisfacturos. At quid fit? Abeunt dies, abeunt hebdomades indjctæ, magna ſumptuum, maxima temporis jactura. Conventi iterum Polonici legati, poſtremo affirmant: non ſe fuiſſe auſos Regem ſuum de omittendo titulo Regum Sueciæ compellare. Non temere quidem id crediderit haud neſcius, *quanta procerum Polonorum in Regem* ſit *auctoritas.* „Eſto vero. At ſi Rex contra pacta conventa ne titulo quidem illo voluit abſtinere, & ſi Commiſ- „ſariis ejus certum fuit, hoc etiam indignum facinus approbare, nonne liquet Polonis ſtudium pa- „cis, tum ſane, ne quidem fuiſſe cordi?„

Fruſtraneum hunc de pace primum congreſſum excepit non multo poſt alter. Etſi enim juſta indignatione moti *Sueci* potuiſſent ſecundum conventum Polonis denegare, noluerunt tamen in ſe quidquam deſiderari eorum quæ ad pacem reducendam faciunt; quo tandem aliquando quieti publicæ regnorum conſuleretur.

„*Legati Suecici* exhibuerunt ſuas quas vocamus plenipotentias; In iis ne momus quidem aliquid „quod reprehenderet, potuit invenire.„ *Polonorum* vero *tabulæ* inſcriptum quidem illum titulum non dederunt; in ſigillo tamen & regni Sueciæ inſignia pariter & Regis Sueciæ nomen aperte præ ſe tulerunt. Quod eſt altera manu lapidem altera panem porrigere. Et vero hoc quoque ludibrium ipſis induciarum legibus receptisque moribus adverſari, agnovit ipſemet *Zadzechim, caput legationis Polonicæ*, regnique magnus Cancellarius: agnoverunt Angliæ pariter & Fœderatorum Belgico-Germaniæ ordinum legati, pacis tractatuum futuri mediatores. Queſti hanc novam injuriam quidem ſunt Sueci & quidem jure merito; paratos tamen ſeſe oſtenderunt non modo ignoſcere & huic culpæ, ſed exſpectare Lybecæ emendationem, quo integris tabulis procuratoriis tandem aliquando ſanctum pacis negotium liceat aggredi. Urſerunt illam emendationem moderatores etiam atque etiam. Fruſtra & hæc omnia.

Poſt longam tergiverſationem reſponſum denique eſt a Polonis: Regem ſuum Coſakis debellandis occupatum vix admiſſurum ſigilli mutationem: utque id perſuaderi poſſit, non tamen ibi in promptu fore artificem ſigillis ſculpendis idoneum.

Quaſi vero ingens opus ſit ſigillum ſculpere, & ſi non in caſtris, tamen in vicinis oppidis deſint id qui præſtent. Ita denuo Poloni cum Rege ſuo, ne id quidem, quod paci componendæ ceu fundamentum ex pacto jam ſubſtratum erat, ratum habentes, adverſum paci animum palam præ ſe ſe ferre haud ſunt verecundati.

Paulo *antequam regni aviti ſceptra inuſitato exemplo deponeret Sereniſſima Chriſtina*, advenit quidem Holmiam legatus a Poloniæ Rege miſſus ad Reginam *Canazilius*, affirmans Regem regnique Poloniæ proceres ſuos legatos plenipotentiis exacte inſtructos in Sueciam miſſuros, qui de pace tranſigerent: Sed quis prudens non advertit, tantum in ſpeciem hoc actum, non ſerio, poſt eluſos binos illos per induciarum leges indictos ſolemnes de pace congreſſus. Imo quis non ſuſpicetur aliquid monſtri legationem illam aluiſſe; utpote quum ipſo illo tempore novanda eſſet regni Suecici adminiſtratio, quam ſibi uni jure deberi Rex Polonus noluerat hactenus vel leviter diſſimulare?

Pro candore ſuo, & qua pollèt, animo generoſitate, non potuit hoc noviter tum conſtitutus *Rex Sereniſſimus Carolus Guſtavus diſſimulare*; nec tamen etiam ita ipſe deſiit, ad ſeriam de pace tractationem vel tandem aggrediendam, Regem proceresque Polonos invitare. Hinc per ipſummet regni Sueciæ magnum cancellarium, ut ſenio gravem ita meritis longe illuſtrisſimum, Oxenſtiernam, Canizilio juſſit reſponderi. Se quidem teneri ſingulari deſiderio componendi iſthæc diuturna & cruenta utriusque regni diſſidia: ſed antecedentium temporum veſtigiis admonitum vereri merito, vel eadem quæ hactenus data ſunt ludibria & injurias, vel rerum inania & eluſorias procraſtinationes. Nec vero fas eſſe aut ſatis ex decoro, perinde ut factum ante hac, poſtulandis mediatoribus moleſtiam Regibus & Principibus exteris creare; ſpecioſo apparatu quaſi maxima acturos in conſpectum orbis prodire, at mox obice agendis rebus injecto diſcedere. Quo ludibrium vicinis gentibus, inter regna pacanda mutuæ ſuſpiciones, animi conciliandi ad magna odia commoventur. Induciarum legibus per binos, etſi irritos, congreſſus, a parte Sueciæ abunde eſſe ſatisfactum. Cum primis eo, quod Regis Poloniæ ludibriis ſemel iterumque in primo Lybecenſi conventu Suecia ignoverit. Quod idem Rex ſolemniter per actus primi congreſſus admonitus, non dubitaverit etiam alterum congreſſum iisdem prope ludibriis rumpere, id vero vel patientisſimi Principis animum lædere. Si tamen etiamnum cordi ſit Poloniæ Regi pax certa, ſolida, & duratura, prætermisſis tandem aliquando illis inutilibus præjudiciorum injuria-

rum-

rumque plenis legationibus, veniret ille & reſpublica Polonica per idoneos plenipotentiarios ad rem ipſam pacis, ſine ulterioribus ambagibus, & quidem veniat cito. Experturos Polonos in omnibus regiam ſuam æquanimitatem. Diſſidia regnorum Sueciæ & Poloniæ alias gentes non tangere. Solo longo annorum decurſu merito eſſe debere obliterata. Quo compendioſius eo rectius componi omnia. Si non placeat Regi & proceribus Poloniæ ea pacis compoſitio, nihil ſua intereſſe. Profuturum tamen, ſi legatus nullus redeat non ſatis munitus facultate componendæ pacis. Sin, fore id ſibi certo documento, non pacis deſiderio, ſed quocunque alio potius conſilio ambages illas inſtitui. Et vero ſi pergant Poloni mittere eos Legatos qui ſeſe orbemque univerſum decipiant, aut literas juribus dignitatique regni Sueciæ derogantes, non poſſe non ſeſe tot documentis edoctum aliud judicare, quam Regem Poloniæ ſusque deque habere ſacro ſanctam pactorum fidem.

Cum hoc acri reſponſo, quod tamen ſimul ſeriam ad pacem adhortationem comprehendit, dimiſſus ad ſuos eſt Canazilius. Indubie & Regi pariter & Proceribus Poloniæ nihil non horum ex fide ille retulit. Nonne par itaque fuiſſet, cum alterutrum ut agerent usque adeo ſerio admoniti eſſent, vel tandem mittere idoneos componendæ pacis Legatos, vel ſaltim inidoneis mittendis gliſcentes jam ſuſpiciones non fovere, & animos ægros non porro accendere, ſi Polonis fuit aliquod pacis non fucatum ſtudium.

Verum hisce etiam omnibus habitis inſuper, advenit Holmiam ſuperiore hyeme ex Polonia miſſus *Joannes Morſtenus*, non inſtructus facultate componendæ pacis, ſed quantum præ ſe ferebat, paraturus tantum præliminaria, quæ dicuntur, circa locum & tempus futurorum de pace tractatuum. Directe hoc adverſabatur illi per Canazilium dato reſponſo regio. Juſſus ex more, antequam admitteretur Morſtenus, apographum fiducialium literarum exhibere, produxit tabulas, in quibus etſi utriusque Regis titulis ſolito rectius fuerit cautum, ſub finem tamen numerati ſunt Poloni Regis regnorum anni: vana quidem, occulta nihilominus juris in Sueciæ regnum, ex more conſueto, commemoratione. Cumque ſtudioſe fuiſſet inter Reges pactum, *de vocula & cætera*, quibusdam tituli regis vocibus adjicienda, omiſſam illam eſſe deprehenſum eſt. Minutias dixeris: at in illis latent grandia, & toleratæ ad ſolidas injurias muniunt viam. Poſterius ſane conjunctum eſt cum tacito Regis Sueciæ præ Polono vilipendio; quaſi ille hoc ſit inferior. Prius arcanam jurium in Sueciæ regnum vindicationem continet: rem & Regi & Ordinibus regni Sueciæ neutiquam tolerandam. Si minutiæ ſunt, quare per illas Poloniæ Rex pungere Regem Sueciæ voluit? Certe etiam hæc arguunt, quam ille ſit animo a vera concordia alieno.

Morſtenius culpam excuſare conatus eſt, incuria ſcribarum regiorum. Sed quis non videt hoc quam ſit frivolum? Quaſi ſcribis Polonicis ſolemne ſit, errare in ſolis literis ad Reges Sueciæ ſcribendis. Et vero incuria ſcribentium, ab iis, quibus relegere ſcripta in officio eſt, quare emendata non eſt? Enim vero ipſamet talis incuria conjuncta eſt cum contemptu. *Nec* enim *per incuriam tractari ſolent res grandes, & majoris momenti: quales utique ſunt quæ paci aut bello poſſunt anſam aut fomentum dare.*

Commovit hæc quidem recens injuria generoſum Regis animum; ſufficere tamen in pœnam credidit, nec literas ipſas nec Morſtenium tanquam internuntium admittere. Quo nihilominus oſtenderet Rex, adhuc ſibi eſſe animum in pacem propenſum, benigniſſime Morſteinio ſignificari fecit: Quamvis Rex non amplius obligetur illi per Canazilium datæ declarationi de admittenda pacis tractatione, cum illam irritam Poloni reddiderint; non paſſurum tamen divelli ſe a conſtante inſtituto de pace rebus omnibus præferenda, ſi ea quæ per Canizilium indicata eſt ratione, citra ambages, & ex neceſſitate horum temporum, talis pax obtineri poſſit, qua dignitati regiæ ac regni, & ſubditorum ſecuritati, impoſterum ſatis eſt proſpectum. Idem per Senatores regni Sueciæ ad Senatores regni Poloniæ plenius perſcribi Rex curavit. Et vero indubie viſa tibi eſt, amice, & lecta illa Senatorum Suecicorum epiſtola. Si ſane eam qua decet cura expenderis, liquido apparebit, & ſerio illos ſtuduiſſe componendæ paci, & Senatores Poloniæ, graviſſimis adductis rationibus, ad pacem, quaſi ſolemnibus literis, invitatos eſſe. Ex adverſo in Polonia etiam hæc monita vel ſurdis auribus vel non æquis animis videntur excepta: etſi ipſæ illorum res afflictiſſimæ nullum promptius remedium quam ſolidam cum Suecis pacem flagitarent. Quod ſane ego ſciam, Legati nulli de componenda pace advenerunt ex Polonia, niſi cum jam pars exercitus regii excubaret in illorum finibus, & ipſe Rex armatus ſtaret in procinctu.

Igitur Suecos hoſtilia agitare in Polonos juſtiſſimis de cauſis, utique ex hisce omnibus palam eſt. Quæ enim illi, animo alio fuerint, cum Poloni pacem omnem toties honeſtis conditionibus oblatam repudiaverint? Nec vero licet non hoſtem agere in eum, qui pax quo minus coeat obnititur, niſi opprimi velis.

Cæterum dixeris tu fortaſſis, inducias tamen pactas inter utrumque populum in annos ſex & viginti, ac proinde anno demum ſexageſimo primo finiendas; quas præpropere adeo infeſtis armis abrumpi, nefas eſſe. At vero quis ſive juſtus ſive prudens affirmaverit, omnium omnino induciarum, nullo habito diſcrimine, finem demum ſemper exſpectandum? Interdum arma juſtiſſime maturari in partem, quæ fidem induciarum fregit, apud omnes gentes receptum eſt. Attende vero, mi Nicanor, quemadmodum circa inducias ſeſe Poloni geſſerint, & Uladislao pariter & Joanne Caſimiro Regibus.

Fervebat Uladislao vivo bellum Suecorum cum Cæſare, cautumque lege erat: Quod Rex Uladislaus ac ejus ſucceſſores Reges Poloniæ, regnum item Poloniæ & magnus ducatus Lithuaniæ, cum provinciis & Principibus ſibi ſubjectis, nil hoſtile moliri debeant durantibus iſtis induciis, contra Chriſtinam Reginam regnumque Sueciæ & ejus provincias ac civitates, & nulla claſſe armata uti, neque eam aliis quibuscunque ſubminiſtrare contra illud regnum.

Non

Non numerabo inter læſa conventa, quod ſimul induciæ pactæ ſunt, ſex millia equitum Polonorum, duce Paulo Noskonski præfecto Lomziacenſi, ſigna Cæſarea acceperint; etſi hoſtiles vires permultum eo creverunt. Id non agam quia non proxime in Suecos, ſed illorum fœderatos Gallos tantum illi pugnaverint, quodque proceres Poloniæ illos mox ſeveris edictis in patriam revocaverint. Accepto nimirum hanc excuſationem. Non computabo etiam inter injurias, quod Polonorum alii multi Cæſari adverſus Suecos ipſos militaverint. Nemo hoc Polonis hactenus non condonavit: eoque nihil habuit cauſæ nuperus Polonus Legatus *Chriſtophorus Przimski*, cur id defenderet a culpæ criminatione. *Fruſtra ſane excuſat quod incuſat nemo.* At vero quod per mediam Poloniam Cæſareus hoſtilis miles, nemine vetante, nemine vel leviter ſeſe opponente, bis in provincias regno Suedico ſubditas Uladislao Rege penetraverit; hoc vero non vacat culpa fractæ fidei. Prima excurſio fuit Botio duce in Livoniam nihil hoſtile tum exſpectantem: Altera in Pomeraniam duce Crockovio. Ad neutram hoſti fuit aditus niſi per mediam Poloniam. Non alia etiam via utraque incurſio fuit inſtituta, non alia repulſus hoſtis ſe recepit & ultimum exitium evitavit. Quis non videt, talia iuſtitui non potuiſſe, niſi republica Polonica, non connivente tantum, ſed conſpirante clanculum in perniciem Sueticorum exercituum? Nec ſane talia fieri ſolent in regno rebus ſuis ſatagente. Erat vero ipſa quaſi ſalus Suedici exercitus collocata ſaltim in Pomeraniæ tranquilla poſſeſſione: quam proinde plurimum profecto læſiſſet Crockovius, niſi celeritate & felicitate Königsmarckii fuiſſet oppreſſus. Hunc vero non ſolum per Poloniam invadere Poloni permiſerunt; ſed monitus etiam & rogatus a regni Suedici Senatoribus Senatus Polonicus, ſaltim ut redire hominem prohiberet, hunc tamen per Poloniam effugere paſſus eſt, Königsmarckio autem perſequenti tranſitum denegavit. Imo illi Crockovio ex arce Pucſenſe aliiſque Poloniæ caſtellis arma ac tormenta bellica ſubmiſſa ſunt. Botii inruptionem, conquerentibus regni Suedici proceribus, excuſare quidem conati ſunt Poloni, frigide tamen, ignorantiam cauſati. Ut proinde in Crockoviano hoc negotio ſaltem nullo eos colore fucaveris, a culpa hoſtilium molitionum contra induciarum leges.

Porro cum *Oeſeliam inſulam* Danus regno Sueciæ ceſſiſſet, inter reliquas pacis conditiones, idem ille Vladislaus Rex non dubitavit inſulanos ad defectionem a Suecis, in regni Poloniæ ditionem, miſſo multis cum literis & mandatis ad Oeſelienſes ſuo nobili camerario Bergio, invitare. Literæ quam multæ hodieque ſuperant: & palam adeo res acta eſt, ut negari non potuerit a quoquam. Eo vero conatu ruptam induciarum illam quam præmiſimus legem, non minus luce meridiana eſt clarius. Quid enim eſt moliri aliquid contra regni Suedici provincias, ſi hoc non eſt.

Ad hoc Vladislaus ille Rex ipſos quoque Livonos ſollicitavit, ad defectionem a Suecis. Clancułariis quidem artibus res, ut ſolet, geſta eſt, emanavit tamen & plurimis teſtimoniis innotuit, uſque adeo, ut nec hæ molitiones queant fronte haut erubeſcente negari.

Magis arcanis conſiliis agitati fuerunt conatus Vladislai cum Chriſtiano IV. Daniæ Rege, cum Arnheimio, & Baudiſio; ita tamen, ut prudentem neminem temere fefellerint, in perniciem regni Suedici eos inſtitutos, ſolo numine fruſtrante iniqua facinora.

Hæc omnia jam tum Vladislao Rege contigerunt. *A Joanne Caſimiro nemo non Sueciæ Procerum, cum Regina ipſa Chriſtina & Rege Carolo Guſtavo, majorem pactorum fidem expectaſſet.* Defuncto Vladislao fratre, rogata ab illo pariter fratreque ejus Carolo Ferdinando, Sereniſſima Regina de eligendo Rege conſultantibus Polonis Joannem Caſimirum in Regem ſtudioſe accurateque commendaverat: ac proinde omnium una ſpes erat, tandem aliquando vetus carcinoma, poſt tot annorum intervallum, animorum æſtu jam deferveſcente, remedium admittere, inque id Joannem Caſimirum novo beneficio devinctum, operam ſedulo daturum. Accedebat quod *Poloni* a Coſaccis, Tataris, Moſchis undique premerentur, domi conſiliis viribusque, foris auxiliis omnium Chriſtianarum gentium nudati.

Quis itaque non ſperaſſet, ſaltim nunc ſerio incubituros cum ſuo Rege Polonos paci, aut minimum induciis cum Sueco pactis. Quid autem Poloni? Piaſecius ipſe p. 509. teſtatur propendiſſe illos magis in Caſimirum Regem eligendum quam fratrem ejus Carolum Ferdinandum, quod eſſet ſuffultus prærogativa hæreditarii tituli Regis Sueciæ. Septennium circiter eſt, cum Joannes Caſimirus potiri rerum cœpit: tantum abeſt vero illum interim ſerio conſilia pacis agitaſſe, ut pene nunquam deſiiſſe dixeris fidem induciarum violare. Harum legibus adjectum erat, quid in titulis regiis utrinque obſervari debeat, & quidem *Poloniæ Regibus abſtinendum a titulo Regum Sueciæ*, imo hoc quaſi in baſin ſubſtratum fuit induciis, utpote quum eo caveretur regno Sueciæ de libertate ſua, regibus de ſecuritate. At vero novus hic rex nunc vafro commento uſus, lingua & more Gallico literas ſcripſit, (quas antiqua conſuetudo Latinas exigit) ne ſcilicet videretur ex lege abſtinuiſſe debito ſibi titulo, aut Reginæ indebitum tribuiſſe, nunc Latine ſcribens, palam ſive in ſigillo, ſive in ipſo titulo nomen Regis Sueciæ ſibi uſurpavit. Nunquam, id quod lege erat cautum, ut obſervaret potuit induci: etſi bis ſolemnis de pace tractatus ea una pene de cauſa irriti redditi ſint, ceu jam ante narravimus. Nec vero Regina duntaxat hiſce ludibriis a Rege illo fuit contra induciarum pacta perpetuo exagitata, ſed & Rex Carolus Guſtavus, quamvis erga hunc ſolito modeſtiorem ſeſe exhibuerit.

Audiviſti jam de injuriis hiſce monitos ipſos regni Poloniæ Senatores a Senatoribus regni Sueciæ. Dum exſpectatur emendatio, ex variis locis certiſſimis teſtimoniis adfertur, Regem Poloniæ, more ſui fratris, Livonos ad defectionem invitare, imo illos pacandis Coſakis in prædam offere. Quæ molitio inimica quam maxime eſt utique ſanctis induciarum pactis. Non ſane eſt quod exiſtimes, incerto hæc rumore niti, cum in promptu ſint teſtimonia quamplura.

Nec his vero contentus Rex ille, nova clam fœdera molitur, tantum in perniciem regni Sueciæ. Noviſti, Nicanor, quanti interſit illius regni, ne qua *peregrina claſſis* Balthico mari incumbat. Vertitur in eo ſane ſalus regni: utpote cujus provinciæ pleræque mari illo alluantur, ac proinde expoſitæ ſint incurſibus cujusque validæ claſſis, ſi ſit infeſta. Hinc prudenter caverunt dudum Reges Senatoresque regni Sueciæ, ne-

qua claſſis peregrina maris illius tranquillitatem perturbaret. Diſerte in pactum induciarum eſt receptum, quod jam audiviſti: ne Polonus armata claſſe utatur, nec eam aliis ſubminiſtret in regni Suedici detrimentum. Ex adverſo *Rex Polonus* vicinos amicosque Suecorum, præſertim mare Balthicum vel accolentes vel navigantes, ſolis Suecis excluſis, omni ſtudio allicit in fœdus de paranda claſſe, & quidem peregrinis viribus maxime fulcienda, fœderis formula jam concepta. Non indiget Poloniæ regnum claſſe, ſaltim quamdiu induciæ valent. Quare ergo jam claſſem meditatur niſi in Suecici regni damnum? Quur ab illo ſuo novo fœdere ſolos Suecos excluſos vult? Certe communis boni, ſi quod ab illa claſſe fuerit expectandum, etiam hi utique participes debebant eſſe, quum *omne mare illud Balthicum finibus Suedicis potiſſimum ſit incluſum.* Id prorſus intolerabile, hæc agitari ipſo illo tempore quo pacis componendæ cauſa in Sueciam legati a Polono ſunt miſſi. Cui enim prudenti non ſuboleat, miſſitationes illas inſtitutas fraude quadam, ut nimirum eo tutius laterent inſidiæ, & Sueci pacis ſpe inflati, minus debito rebus ſuis attendentes, eo promptius circumvenirentur.

Tot modis uno non integro ſeptennio, non dubitavit, in ſumma licet virium ſuarum debilitate, laceſſere Suecos contra induciarum leges Rex ille *Joannes Caſimirus.* Quid cenſes fuiſſe facturum, ſi animo facultates reſpondiſſent? Sed non eſt quare quidquam divinemus de futuro, cum nimis liquido pateat, quantum non *Uladislaus* tantum, ſed Joannes quoque Caſimirus Rex ſanctam fidem induciarum violaverint fregerintque.

Dixeris forte, omnia hæc nullo ſucceſſu facta & incaſſum: ac proinde non oportere vanos conatus revocari ad animum. At vero ipſas molitiones quasque jam percepiſti induciarum legibus eſſe vetitas. Et vero quæ ſint induciæ illæ, quarum ope non ſis tutus adverſus molitiones? Certe *bellum apertum utilius fuerit illa quiete, quæ molitionibus quibusve hoſtilibus expoſita eſt.* Nemo profecto prudens talem quietem feret, aut illam hoc nomine dignabitur. Quis itaque non merito indignetur, ſi ſentiat nunquam ſe non peti molitionibus occultis, quo tempore ſacramento tranquillitas firmata erat? *Nullum ſane majus argumentum eſt iniqui & ſuperbi animi, quam ſi viribus deſtitutus injuriarum non deſinat. Inſolentiam in potente ut excuſes, in debili intolerunda eſt.* Sed ſoli Reges peccaverunt forte, nulla reipublicæ Polonicæ integræ culpa. At vero, utique non potuerunt regni Senatores latere, ea quæ memoravimus facinora, quum in vulgus pene omnia innotuerint. De quammultis conqueſtum apud illos ſæpius eſt. Quare itaque paſſi ſunt Reges ſuos ita inſoleſcere contra pacta conventa totius reipublicæ? Parcere nimirum voluerunt Regibus quo gratiam eorum obtinerent, quaſi tanti non ſit in Sueciam peccare. Aperte ſane id patuit primo de pace Lybecenſi congreſſu, quum poſt longam moram tandem legati cauſarentur, non ſe auſos Regem ſuum de mutando titulo appellare. Atqui *apud omnes populos recepti eſt juris, ut reipubl. univerſæ imputetur crimen, in quod cum poſſit & debeat animadvertere, permittit illa impune: nec a moribus Polonicis eſt alienum, ſed ſatis familiare, Regum actus ſevere improbare ac perſtringere.* Itaque quod ad hæc omnia præter morem maluerint connivere, culpa jam omnium facta eſt & communis & publica.

Verum tamen cautum fuit induciarum legibus, ut de injuriis interea temporis obortis, utrinque circa Livoniæ fines conventus fierent, per Commiſſarios, ſalvis induciis. Ita eſt. At non eſt pactum, onus petendi Commiſſiones illas Suecis incumbere. Conqueſti Sueci ſunt ſæpius de iis quæ fierent adverſus pacta, apud Reges & Senatores regni Poloniæ. Polonorum itaque erat, querelis illis commoda excuſatione aliqua diluendis, conventus indicere aut petere; utpote cum non Sueci ſed Poloni injuriarum & fractæ fidei arguerentur. At vero ne quidem ſemel ab iis id ſerio factum eſt. Imo quandoque ad Suecorum querelas ne quidem per literas aliquid eſt reſponſum; alias non niſi frigida excuſatione querelæ rejectæ, inani obtentu ſcil. ignorantiæ in publica omnium conſcientia, vel extenuatione iniqua commiſſi facinoris. Quem fructum ergo etiam commiſſionum potuerunt ſperari Sueci, ſi quas petiiſſent, tam indigne habiti? Et vero, nonne Lybecenſes bini illi de pace congreſſus, in quibus non dubitaverunt Poloni ipſa induciarum pacta violare, & plenipotentias vitioſiſſimas producere, ſatis oſtendunt, quam futuri fuiſſent inutiles ſin non pernicioſi de ſopiendis querelis conventus? Non fuit ſane ex dignitate Regni Suecici, etiam poſt acceptas injurias, a Polonis emendicare commiſſiones illas quas vocant. Poloni quod hac in re jure imputent Suecis, non habent: cum ipſi crediderint infra ſuam dignitatem eſſe, læſis etiam & conquerentibus Suecis mitigandis, conventus ejusmodi procurare.

Hisce omnibus ad hunc modum nonnihil majore cura abs te expenſis, nonne jam vides, Nicanor, potuiſſe merito Suecos vel paci renunciare, ſi quæ illis pax cum Polonis interceſſiſſet? Certe ſimilibus de cauſis gentes pacatiſſimas paſſim ad arma convolare, idque bellum non injuſtum videri, notiſſimum eſt. Illis utique populis, qui maxime nunc accuſant Suecorum arma, longe levioribus prætextibus bellum gerere, ſolemne eſt. Ut facile appareat, uti illos potius felice armorum ſucceſſu, quam injuſtitia: & hanc non niſi inane invidiæ odiique eſſe pallium.

Si pacis vero tempore ejusmodi injuriæ bellum mereantur, quanto magis non niſi per inducias ſuſpenſis armis? Multum intereſt ſcilicet, Nicanor, *inter pacis & induciarum ſtatus, nec quod in illo idem, & in hoc tolerabile videtur, aut venia dignum.* Rectiſſime *Gellius*: non pax eſt induciæ, bellum enim manet, pugna ceſſat. Stricti juris omnia ſunt per inducias: adeo ut ſi pars minus ex fide illas obſervet, alteri parti mox jus in ſeſe det armorum, niſi ſpeciali conventione aliter ſit pactum. Quali ratione non vivitur in pace.

Video nonnullos haud quidem diffiteri, juſto dolore, motos Suecos arma tandem corripuiſſe: arbitrari tamen, diſſimulandas fuiſſe omnes injurias & condonandas, quod jam tum Poloni miſere affligerentur: nec enim afflicto addendam afflictionem. Quorum probitas vehementer placet. At ſi afflictus aliquis, nec injuria forte afflictus, non deſinat alios quietos hactenus & ſibi indulgentes injuriis laceſſere, imo in perniciem eorum conſpirare, an is propterea dignus eſt miſericordia quia jam tum affligitur? Neutiquam. *Extremæ enim ſignum eſt inſolentiæ, etiam inter adverſa moderari non poſſe impotenti animo, ac proinde pœna dignum eſt exquiſitiſſima.* Quid ſi certiſſimum ſit, fore ut is qui jam affligitur, ubi liberatus fuerit ab ærumnis, te majore ſolito damno afficiat, an pietas exigit parcere illi afflicto, donec emerſerit? Non ſane hoc exigit pietas, &

fuerit hoc ſummæ imprudentiæ. Adhoc, *eſt quædam afflictio interdum alterius afflictionis remedium, perinde ut dolor dolori nonnunquam medetur. Itaque eſt interdum etiam ex re ejus qui affligitur, ut denuo affligatur.* Habent hæc omnia in Polonis locum. Non deſierunt illi hactenus, rebus etiam turbulentiſſimis maximeque afflictis, inducias Suedicas violare, illique reipublicæ ſtruere inſidias contra conventa pacta; ceu audiviſti. Certum eſt ex ſignis innumeris, Polonos recuperatis viribus infeſtiſſimos hoſtes futuros regno Sueciæ, & nihil nunc conatibus obſtare perinde, atque ea quibus cum confligantur Moſchorum & Coſaccorum arma. Denique *jam redierunt eo res Polonicæ, ut niſi armis in Suedorum ditionem redigantur, ſuccubiturum illud regnum omne ſit ſævitiæ Moſchorum, Coſaccorum, Tartarorum, Turcarumve:* quod paulo poſt liquebit.

Quum itaque jamdudum Poloni in ſeſe dederint Suecis juſtam belli copiam, nec a mora ulteriore ullum malis remedium, ſed pericula maxima utrique parti (nam & Suedici regni ſummo cum diſpendio fuerit conjuncta Moſchorum Tartarumque de Polonis victoria) certo immineant, non pium amplius, nec prudens fuiſſet, & pericula, & injurias juſtorum armorum abſtinentia alere.

Niſi vehementer fallor, Amice, ſatis jam feci primæ dubitationi tuæ.

ALTERAM itidem nunc, paucis tamen, expediemus. Et quidem demonſtrabimus primo, rempubl. Polonam non fuiſſe Moſchis Coſaccisque parem, ſed certo fuiſſe ſuccubituram, atque ita futurum fuiſſe, ut latus illud Germaniæ populis iſtis barbaris detegeretur: deinde vero, novis viribus prudentique Suecorum adminiſtratione, ita ſuffulciri Poloniam poſſe, ut Germania ab iſthoc periculo ſit libera.

Prius illud palam eſt, vel ex iis quæ hoc proximo quingennio contigerunt. Quantos enim progreſſus fecit Czar Moſchorum brevi tempore per Lithuaniam & Ruſſiam Poloniam! Quam invalidam & levem manum tantæ multitudini tantoque robori objecit Polonus! Quanta porro ſunt multitudine pariter & præliandi promptitudine rebelles Coſacki, & qui cum iis conſpiravere agreſtes Ruſſi! Quantillum eſt quod Poloni oppoſuere! Quamve omnia infeliciter ſucceſſerunt! Nonne per eſt veriſimile, ſi Sueca vis & auctoritas interceſſiſſet, futurum fuiſſe, ut vel hæc hyems proxima Germaniæ finibus Tataros, Moſchos, & Coſaccos miſcuiſſet? Nec vero eſt quod expectare meliora a Polonis potuerimus, quæ illorum fuit corrupta reſpublica.

Luſtra ſodes, mi Nicanor, militiam Polonicam. Nulla illi populo auxilia ab ulla Chriſtiana gente. In Tartaris ſpes fuit reipubl. poſita: hoc eſt in iis qui in ſpeciem amici, aſt infidi incertique, & ſub ipſa amicitiæ ſpecie ſævi ſunt regionis vaſtatores, in univerſum Chriſtianæ hoſtes fidei & Polonorum veteres inimici, ſoli prædæ intenti.

Jam cum miles ſit alius delectus aut evocatus, alius mercenarius, uterque ſive pedeſtris ſive equeſtris, & quidem aut peregrinus aut patrius: non equidem negavero, olim magnum robur fuiſſe evocati equitis Polonici, confiſus illis quæ *Samoſcius in Gallia jactavit*, Poloniæ Regem cum bellum illatum propulſandum fineſque defendendi ſunt, nulla impenſa facta, ſupra centum millia hominum armare; quanquam vehementer laboret annalium Polonicorum fides apud quam multos, dum præclara nobilis illius militiæ facinora narrant ad poſteros. At vero jamdudum in illo quidem Polonico equite oſtentationis & inanis famæ plus fuit quam ſolidi præſidii. Ne quidem ipſi Poloni, gentis ſuæ haud parci laudatores, vitium hoc manifeſtiſſimum auſi fuerunt diſſimulare. Unum pro multis nunc tibi producam teſtem, gente Polonum, Simonem Starovolſcium, doctum & eloquentem ſcriptorem libelli cui Poloniæ nomen eſt. Is diſerte ſuo loco diſſerens de regni viribus, cum multum jactaſſet nobilem Polonicum equitatum, addit: Sed in illa multitudine duo deſiderantur quæ in bellis gerendis maxime ſunt nociva, celeritas nimirum & obedientia. Quia & tarde nobiles ſub ſigna conveniunt: comitiis primo tot hebdomades celebratis, ſine quibus bellum edici non poteſt: & difficulter ab œconomia ſua uxoribus atque liberis divelluntur: usque tertium edictum expeditionis bellicæ prava conſuetudine exſpectantes. Cumque jam ad locum deſignatum convenerint, tum ſe unitos & armatos animadvertentes, aut contra Regem, aut contra Senatum tumultuantur; Vel etiam interdum Reges ipſi tardius in expeditionem procedunt, & mora tempus elabi ultro patiuntur: ne vel a nobilitate ob malum regimen exagitentur, vel prætenſioni eorum cum diminutione ſuorum redituum aliquid tribuant. Vnde incommoda iſta reſpubl. proſpiciens, ſtipendiario milite ordinarie bella peragere conſuevit, generalem autem nobilitatis expeditionem in ultimum tantum caſum reſervavit, ut, ſi vel tributa non ſufficerent, vel hoſtis ita potens eſſet, ut ei reſiſtere conſcripto milite Generalis belli nequiret, tum ad generalem omnium nobilium expeditionem tanquam ad ultimum remedium confugiendum putarent. Idem Starovolſcius paulo poſt: Quo autem in ejusmodi expeditiones paratior nobilitas fieret, ſtatutum eſt jamdudum publico comitiorum decreto, ut prima poſt Paſchatis feſtum Dominica, in ſingulis ſatrapiis luſtratio in armis fieret, & quisque Palatinus ſuorum provincialium nomina in tabulas referret. Quod, æque ut & alia inſtituta patriæ, aut penitus negligitur, aut certe neglectim peragitur, pœna in delinquentes valde levi aſſignata. Accedit porro, quod illa nobilium multitudo evocata, licet velit, non poſſit tamen unum in corpus coire, propterea quod præſidiario milite pene ubivis ſit deſtituta Polonia, ut & circa fines commodis arcibus contra ſubitas incurſiones paratis. Fatetur etiam hoc Starovolſcius hisce verbis: illa ingens nobilium equitum multitudo ob malum reipubl. regimen nullatenus ſimul convenire contra hoſtem poteſt: nam aliter nudarentur provinciæ conterminæ potentibus viciniis, quas utique cuſtodire oportet, cum militem in urbibus præſidiarium nullibi omnino habeamus, qui impetum ſupervenientis aliquo modo reprimere poſſit, præter paucas cohortes in Ruſſia quæ excubant. Vide mihi jam quæſo decantatum illud robur nobilis equitatus Polonici quam ſit invalidum: & tamen hoc & debebat eſſe & olim fuit dextera quaſi manus regni illius.

Inſtituerit olim & peditem evocatum, prudente conſilio, *Rex Sigismundus Auguſtus.* Audi vero & de illo Starovolſcium. Pedeſtris quoque militia Auguſti Regis invento, tam ex urbana quam e pagana plebe delecta, fere jam evanuit: & vix aliquot centena jam numerantur, eaque nullius frugi, qui quindecim millia ſuperare debuerunt. Reliqui omnes, avaritia præſidum, cenſum exſolvere juſſi & ruſticanis labori-

bus adſcripti, cingulum militare depoſuerint. Laudo quod ille ſubjungit conſilium, de juventute deligenda etiam ex agreſti plebe in pedeſtrem militiam: neque dubito fore id utiliſſimum. At obſervo heic, non quid fieri poſſit, aut debuerit, ſed quemadmodum ſeſe nunc adeo habeat militia Polonica. Et vero unice meretur annotari, illarum Ruſſiæ partium plebem, quæ Starovolſcio judice ad delectum omnium aptiſſima, multis injuriis irritatam, correptis armis aliquot jam annos oppugnare rempubl. Polonicam, ita ut hanc hodie experiatur acerrimum hoſtem. Sed & in univerſum de illo peditum Ordine habemus fatentem Starovolſcium illam. Pedites paucos habemus, (inquit,) eosque e plebe omnes; non ita ad pugnam quam ad labores caſtrenſes evocatos: ut nimirum foſſas dum opus fodiant, vallum excitent, pontes conſtruant, vias ſternant, tormenta & impedimenta bellica conducant, atque demum caſtra ipſa cuſtodiant. Quod ſi vero oppugnationem loci alicujus meditamur, tum e Germania aut Ungaria mercenarios nobis pedites adducimus, qui ſunt exercitatiores noſtris.

Saltim itaque in evocato milite domeſtico nihil eſt præſidii reipubl. Polonicæ. Specta ſodes jam & conductitium. Equite vix alio utuntur Poloni, etiam mercenario, quam ex nobilitate patria conſcripto, quem quod parte quarta regiorum proventuum in ſtipendium fruatur, ex inſtituto Regis Sigiſmundi Auguſti, Quartianos appellitant. Solet ſane ille fortem ſatis ſeſe oſtendere. At vero ſimul diſciplinam non audit, & ſi recte rem æſtimes plus ferociæ habet inconſultæ, quam conſtantis fortitudinis. Sed & illorum ferocium parva admodum manus eſt: alii magis lingva quam pectore valent, & ut primo impetu animoſi, ita repreſſi leviter ſtatim langvent atque a fuga præcipite quærunt ſubſidium. Multus quidem eſt in iis laudandis Starovolſcius: at ſi ex vero æſtimes illius narratiunculas, apparebit, vehementer illum errare, dum ſoli illi equitatui adſcribit facinora, quorum laudem maximam admiſtus pedes meruit.

Nec ego nec tu illis rebus interfuimus, Nicanor, provocare tamen non dubito ad ipſas Polonorum hiſtorias, quæ neutiquam profecto Starovolſcio conſentiunt.

Majus hactenus robur & præſidium rebus ſuis invenit Polonia in illo pedite gentis ſuæ mercenario Coſaccorum Zaporovianorum. Et vero ex quo hanc militiam in ordinem & leges redegit *Stephanus Rex*, munimentum ille regni ferreum fuit adverſus Scythicas præcipue incurſiones, nunquam pene non metuendas, & vim Turcarum. Verum hoc olim fuit. Nunc quantum mutavit! Rebus geſtis, & numero, & remotiore a regia loco, ipſo denique ſolo ſuo & cœlo, cum non in tempore caviſſent Poloni, in eam magnitudinem miles ille ſenſim excreverat, ut coërcentium morderet frena; ac proinde prudenter ita erat tractandus, ut non advertenti (*ἐκ προσαγωγῆς τοῦτο δρᾷν* jubent ſapientiſſimi Græcorum) ſubtracta quidem inſoleſcendi facultate, in amore tamen & reverentia Polonicæ reipublicæ perſeveraret. *Poloni* vero primum Coſaccos injuriis irritare, inde arma in eos vertere, omnem militem illum pene exauctorare, nec ita quidem ab injuriis abſtinere. Unde tandem Bogdano Chmielnicio duce, acerrimum illud belli incendium ortum, quo ſeptem jam annos Polonia univerſa tantum non conflagravit.

Multis injuriis læſos Coſaccos, ne quidem prudentiores Poloni ipſi diſſimulant. De illis inter multa alia hæc ſunt verba Stanislai Lubienski epiſcopi Plocenſis, in cenſura laureæ Auſtriacæ Julii Belli. Cæterum quadranginta proximis iſtis annis, numero & fortunis quas ex Aſiaticis prædis corradunt aucti, prædia quoque & domicilia in oppidis Regiis & Nobilium habere cœperunt; quibus & uxores & res pretioſiores deponerent. Cumque locorum domini & Regii præfecti eos cenſu ac tributis gravarent, & quaſi in ſervitutem redigere vellent, ſæpe illis rebellarunt. Ita orto ex libidine & cupiditate privatorum diſſidio, aliquoties eos publicis armis & impenſis coërcere opus fuit. Conſule vero, Nicanor, & Piaſecium. Ille narrabit, jam anno 32. defuncto Sigiſmundo, tempore interregni, cum alia tum religionis Græcæ ſalvas immunitates ſibi petiiſſe Coſaccos a regni Ordinibus, nihil tamen aliud accepiſſe reſponſi, quam curæ ſibi futuras religionis Græcæ rationes. Priſtinæ ſcilicet & avitæ Græcæ religionis, cui aſſueverant, loco per vim invitis Sigiſmundus curaverat obtrudi, ut & aliis Ruthenis, ritus Latinos aut certe illos, per unionem cum Romano Pontifice inſtitutam, Papali cultu interpolatos. Quæ intolerabilis eſt animorum ſervitus. Ejusdem Piaſecii hæc ſunt verba p. 494. Hoc anno 1637. licet fortuna exituque triſtiore, Coſaki pro retinendis libertatibus ſuis laborarunt. Cum enim adverſi proceres regni Poloniæ, in ditionibus Kyovienſibus, Coſaccorum præcipuis ſedibus, multas poſſesſiones partim emptione partim liberalitate Regis acquiſiviſſent, cenſus earum ut augerent, licentiam Coſackorum quæ tali ipſorum propoſito obſtare videbatur, refrenari oportere, apud Regem ſenatumque prædicabant. Narrat mox prolixius, quemadmodum poſt acerrimum conflictum, victis Coſaccis, dux eorum *Paulucus* cum quatuor aliis anteſignanis poſt acceptam fidem deditione ſint capti. Idem p. 501. multis perſequitur, contra datam fidem ducem Paulucum cum ſuis capite plexum: & publico comitiorum decreto omnes immunitates una cum oppido Techtimirow Coſaccorum ſocietati conceſſas a Regibus Poloniæ fuiſſe abrogatas, negotio dato præfectis bellicis, ut nova expeditione ſuſcepta, comitiorum illi decreto reſiſtentes extirparent. Cum deinceps retuliſſet, belli illius adverſus Coſaccos initi variam fortunam, Coſaccosque deditionem tandem feciſſe accepta ſecuritate, fore ut in proximis comitiis priſtinæ libertates ipſis reſtituerentur, addit, ſolutis caſtris cum diffluerent manipulatim ad propria, plurimos eorum a milite regio trucidatos, privilegia ipſorum in ambiguis comitiorum deliberationibus manſiſſe; quodque magis, (inquit) tribunus ſeu commiſſarius illis a Rege nunc unus nunc alter datus ſtipendia ipſis defraudabat, ſerviliterque eos tractando, non niſi quæſtum quærebat ex illorum obſequio. Fatetur idem Piaſecius p. 508. Bogdanum Chmielniki, ob injuriam atrociorem acceptam a præfecto domicilii ſui Corſumi, redditum inſolentiorem, imprudentia vero ducum Polonicorum omnem Coſaccorum ſentinam, jam exacerbatorum acceptis diverſis a præfectis locorum injuriis, tum & a tribunis ſeu commiſſariis apud eos regiis, quaſi ſtipendia ipſis retardarent, & eorum obſequio ad ſuos quæſtus abuterentur, ad ſeditionem provocatam eſſe. Hæc omnia Piaſecius non dubitavit ad poſteritatem referre. Sicut ingenua etiam ejus confeſſio extat pag. 569. de plebe Ruſſica, quæ eo-

dem

dem cum Coſaccis tempore, anno nimirum 1648. arma corripuit: illam nimirum cum eſſet Græci ſchiſmatis, pertinacius infenſam ritui Latino, dominisque ſuis, unione ut vocant iſtos ritus confundentibus; & quod ab ea colonaria (quia plerumque ibi Nobiles fundos ſuos locant Judæis, inſatiabili avaritia augendis poſſeſſionum cenſibus aſſveti) immenſa extorqueant.

Sed non eſt quare de cauſis motuum Coſaccorum hoc loco diſſeram. Satis eſt ſi obſerves, Nicanor, ab illo milite nihil exſpectari hodie poſſe præſidii adverſus Moſchos quidem. Et vero eorum utrique ritus ſacros Græcos colunt; jamque adeo Coſacci in ditionem pene Magni Moſchorum Ducis conceſſerunt: non adeo pridem fœdere cum Tataris pacto Polonos aggreſſi ſunt. Certe jam ſeptem annos integros infenſiſſimum reipubl. ſuæ hoſtem experta *Polonia* eſt Coſaccos ſuos, ſuntque illi hodie Moſchorum Duci ſacramento adſtricti, tantum abeſt ut ingruentibus Moſchis ſeſe ſint oppoſituri.

Supereſt unus miles externus: Et vero illo ſolet uti Polonia ex Hungaris, præcipue tamen ex Germanis conducto. At vero hactenus quidem nunquam ille ad inſignem numerum excrevit. Nec Germani noſtri ſigna Polonica amant, quod durius plerumque habeantur & iniquius ab inſolente Polonico equite. Ne quid nunc dicam de illo odio, quo plerique Poloni in gentem omnem Germanicam feruntur. Certe nec Poloni niſi ægris oculis Germanum militem vident, nec Germani Polonum fidum ſibi ſolent experiri. Ut vero aliquid reipubl. Polonicæ opis ſit poſitum in illo milite externo: quantillum, amabo, illud eſt! Quam impar ſane Moſcho, Tataro, Coſaccis! Et vero in univerſum *miſeram illam rempubl. cujus robur eſt in milite peregrino collocatum!* Expende porro, Nicanor, quam etiam reliqua, ſine quibus bellum non geritur aut miles officium non facit, fuerint apud Polonos non ſatis idonea iis immanibus hoſtibus repellendis. Audi vero, ſodes, ante omnia communem aliquam de iis omnibus Starovolſcii confeſſionem. Cum ad potentiam, ait, & firmitatem cujusque ſtatus requiratur numeroſitas virorum bellicoſorum, abundantia commeatuum, pecuniarum magnitudo, armorum ſufficientia, & frequentia munitionum, nullum prorſus ex prædictis conditionibus debite & convenienter habemus. Hæc ille prudenter ſimul & ingenue. Audiviſti jam tum ejusdem æque ingenuam confeſſionem de milite ipſo: & a nobis ille oculis tuis modo eſt exhibitus. De ſingulis reliquis in promptu eſt adferre itidem plurima: ne moleſtus ſim tamen, non niſi uno illo Starovolſcio teſte nunc utar.

Hujus hæc ſunt verba: De commeatu non eſt dubitandum, qui tantam in bellis multitudinem Rex Poloniæ alere poſſit: cum ſit cuique manifeſtum, regnum Poloniæ poſſe alia duo ſimilia regna, prout ipſum eſt, non modo frugibus ſed & carnibus & alio campanatico ſuſtentare. Nihilominus *nos Poloni in qualibet expeditione bellica fame laboramus:* atque ſæpiſſime res jamjam ad finem perductas, propter commeatuum penuriam, turpiter deſerimus. Quod totum procedit ex ſocordia præfectorum belli, aut potius reipubl. Ordinum, qui dum aliquorſum bellum edicunt, nusquam in partibus illis de commeatu provident, ſed quod cuique militi ſors offert, id rapit in tranſitu; & poſtea ſeſe cum equis & famulis in caſtris ſuſtentat. Fame vero oborta, aut morbis paſſim omnes intereunt, aut nolunt obedire ducibus ſuis, & dilabuntur. Quod ſi vero reſpubl. primum ibi de commeatu provideret, quo exercitum mittere vellet, & commeatus ille, ob abundantiam rerum omnium, parvo certe conſtaret, & expeditionem propoſitam facile ad finem optatum deduceret.

Pergit idem Starovolſcius: jam autem quoad pecuniam, parata illo in ærario nusquam reperitur, ſed tum demum, cum bellum per comitia edicitur, provincialibus imponitur, vectigaliaque diverſa bello finiendo ſufficientia ſtatuuntur. Sed & hæc ipſa, vel tarde conferuntur, vel non ex integro in ærarium inferuntur, potior pars privatorum cupiditati cedit. Quæ ſi paulo ordinatius colligerentur, atque etiam tum, cum bellum nobis nullum eſt, moderate imponerentur, & aſſervarentur in promptuariis: profecto & exercitus noſtros celerius in hoſtes educeremus, & militem ipſum obſequentiorem in bellis haberemus: qui dum avaritia gubernantium ſtipendia ſibi retineri vident, facile in perniciem patriæ conjurant, quod jam ſæpiſſime ſumus experti. Hæc de pecunia publica illa. Debuiſſent autem merito addere, pecuniæ exiguam vim poſſe contrahi, quoniam epiſcopi & religioſi nihil de ſuis bonis in publicum conferunt, cum tamen habeant opes longe maximas, multo certe majores opibus Nobilium, Regiis proventibus pene ſuppares. Quo nihil eſt indignius.

Sed audiamus porro Starovolſcium. Arma quisque ſibi privatus curat e Germania, aut aliqua alia gente vicina portari: quia Rex aut reſpubl. nullum armamentarium publicum habet. Sunt tamen aliquot in locis repoſitoria tormentorum majorum nuperrime a Sereniſſimo Rege Vladislao IV. inſtituta: ſed plura multo & ordinatiora civitates habent, itemque nobiles nonnulli & proceres regni.

Poſtremum & hæc addit. Quantum ad munitiones & fortalitia, candide fatendum eſt, illa omnino in Polonia nulla exiſtere, præter aliquot caſtella privatorum; idque ſparſim per provincias & regnum, ut eſt Zamoſcium, Lancutum, Zbaralium, Neſuizia, Lachovicia, Medirecia, Dulona, aliæque minutiores populationes. Hæc Starovolſcius: Vult quidem idem ille: propugnaculis n[illegible]ſſe opus, quod Poloni ſua facile vel pectoribus ſuis tueri posſint: prout hactenus tutati ſint, aperto potius Marte cum hoſte decertando, quam vel ſtratagematis utendo vel propugnaculis ſeſe includendo. Verum hæc quidem perſvaſio æque eſt inanis atque illa veterum Laconum: quam proinde ſapiens vir Ariſtoteles in opere politico & nimiæ ruditatis nomine traducit & præclaris rationibus convellit. Et vero, ceu ille quoque dicebat, errorem illum res ipſæ convincunt, & conſenſio omnium gentium prudentiorum veteris pariter noſtrique ævi. Nec profecto quod aperto Marte hactenus tuta fuerit Polonia, etiam impoſterum par fortuna ſperanda. Imo ſperari illa non poteſt, poſtquam virtus priſca militaris multum adeo mutavit, & potiſſimum militem ſuum *Polonia* hodie experiatur hoſtem. Certe cum Poloniam natura ipſa vel mari, vel fluvus, (Boryſthenem excipio: ſed illum jam tum ſuum fecit Moſchus) vel montibus niſi Hungariam verſus, vel ſylvis aut paludibus inacceſſis neutiquam muniverit, & ab arte nihil acceſſerit præſidii, præ omnibus Europæ rebuspubl. Polonia virium imbecillitate laborat. Quum in hunc modum vero omnis res militaris

 Poloni-

Polonica ſeſe habeat, cui non patet, imparem eſſe Poloniam repellendis vel ſolis Moſchis; præſertim poſtquam non tantum Ruſsica plebs Poloniæ, verum etiam Coſacci ipſi in Czaris imperium tranſierunt? Neque vero eſt quod cogitemus tempora priſca, aut veterum Polonorum in Moſchis domandis felicitatem; plurimum enim decrevit vis Polonica intra paucos annos, præſertim ex quo Zaporovianus miles plebe Ruſsica ſtipatos Polonos deſeruit, quod jam ſæpius monuimus. Ex adverſo longe melior hodie eſt ratio Moſchicæ militiæ quam fuit olim. Utpote quum Germanico more ſigna ſequi, ordinem ſervare, audire diſciplinam, & quidem ſub ducibus Germanis cœperit. Quodque maximum eſt, hodie ſub imperatore eſt miles ille, juvene belli avido, omnibus domi pacatis: quum paulo ante a domino ignavo, & rebus domi vel corruptis vel certe poſt diuturnum civile bellum feſsis, haberetur. Nec enim nunc repetam, quanta Moſchorum viribus facta ſit acceſsio per Caſaccos & agreſtem Ruſſorum Poloniæ manum.

Non eſt etiam quod exiſtimes, potuiſſe Polonos reſtituere in integrum res ſuas. Primo enim ea utique vis fuit Moſchica, isque irruentis mali impetus, ut niſi parato jam & conſtituto remedio reipubl. interitus haud potuerit averti. In omni mora periculum fuit, dumque deliberaſſent Poloni de componenda rectius republ. jam periiſſent & in finibus Germaniæ jam hæſiſſet Moſchus. Is deinde fuit ſtatus reipubl. Polonicæ, ut nec vitia ſua ferre amplius potuerit, nec domeſticam medicinam admittere. Conſultationibus publicis comitiorum quid potuit eſſe magis confuſum, factioſum, & turbulentum? Parum abeſt quin Euripideum illud de iis affirmare licuerit: οὐδεὶς οὐδενὸς ἀκούει οὐδέν. Quid magis pernicioſum reipubl. quam paucorum Nuntiorum terreſtrium, quos vocant, obnunciatione, integra regni comitia reddi interdum irrita! Quanto in vilipendio fuit Regia auctoritas! Quid Regibus tandem reliquum manſit præter tenuem ſplendorem! Non diſputabo nunc, quibus de cauſis & per quos ingentem illam jacturam fecerit Regia majeſtas. Scio enim & a Regibus ipſis illam præcipitatam, & a regni ordinibus ſenſim eſſe ſubrutam. At profecto ea eſt populi illius indoles, ut etſi ferre nequeat dominatum integrum, nequeat tamen etiam ferre integram libertatem, ac proinde niſi Regis dignitate ſalva ipſe ſalvus eſſe non poſſit. Jam cum ante hac magiſtratus ſacri pariter profanique libera Regum prudentia conſtituerentur, quantis factionibus, quantis tumultibus, res ſancta & reipubl. ſumma neceſſaria jam annos aliquot cœpit involvi! Dixeris nihil perinde rempubl. aliquam diu turbaſſe. Ipſa ſumma judicia laboraſſe, ut ita loquar, lethaliter, querela publica omnium fuit. Ipſemet Starovolſcius non dubitavit inter cauſas felicium armorum Guſtavi Adolphi Regis in Polonos referre iram Numinis, ob tot ſcelera publica impunita. Porro in omni popolo Polonico credin fuiſſe qui ſerio optarint reipubl. ſtatum qui erat integrum? Mihi vix videtur. Primum enim utique religionis obtentu inter ſeſe hoſtili prope fuerunt Poloni animo, ex quo Sigismundi Regis cura Jeſuitæ in regno illo invaluerunt. Jam a multis ſeculis ſcilicet Ruthenica gens, quæ aut Poloniæ, Regibus aut Magnis Lithuaniæ Ducibus ſubeſt, Græcos ritus ſenſusque amplexa eſt, multum a Romanis diverſos, quibus populus reliquus fuit addictus. At ſemper inter illos pacata omnia, nec ſacrorum diverſitas reipubl. civilis commune ſtudium turbavit. Poſteaquam Romanus cultus avorum memoria paſſim terrarum ab erroribus ſuperſtitioſis purgatus eſt, in Polonia quoque numeroſa ſatis multitudo novis illis partibus acceſſit: non ſine aliquo motu quidem, qui tamen intra modum fuit, nec aliquod animorum divortium induxit. Simul vero Sigismundus Rex Jeſuitarum conſilio & opera ſacra profanaque omnia cœpit regere: jam omnia turbari, ſolis Romanæ ſuperſtitionis aſſeclis honores dignitatesque vindicari, diverſa ſentientes conviciis & contumeliis affici, in eos tanquam hæredicos extema meritos omnem reliquum populum incendi, omnes urbes Jeſuitarum collegiis alliciendæ juventuti idoneis repleri, miſero denique Ruthenorum populo atque adeo & Zaporovianis Coſaccis Romanenſia illa per vim obtrudi. Unde ita in partes ſciſſus eſt populus, ut jam ipſimet reipubl. ſuæ indignentur partes quæque. Romanenſes enim illi, etſi numero & dignitate reliquis prævalent, accenſi indocto zelo, cum injuria conjunctum exiſtimant quod ſuperſint qui ſentiant aliter, præſente felicitate ſua neutiquam contenti. Reliqui dolent, deprimi ſe & honoribus debitis privari tantum ob innoxios ſenſus. Multo maxime fremunt Rutheni vim paſſi. Nulla harum partium igitur amare potuit præſentem reipubl. ſtatum, quippe quum nulla non de injuria conqueſta ſit, quam ex publico ſtatu acceperit.

Lege ſodes, Nicanor, quæ ipſemet Piaſecius narrat, de Jeſuitarum quidem auctoritate apud Sigismundum p. 300. quemadmodum illi Jeſuitæ innumeris contentionibus urbem Rigam ad deſperationem adegerint p. 347. de turbis ex unione quorundam Ruſſorum antiſtitum cum Papa Romano facta exortis, p. 139. & 444. & 459. Quo ultimo loco ut & p. 445. 448. 456. 458. ſimul diſces, Evangelicorum tolerantiæ, ſacramentis Regiis dudum confirmatæ, quam ſe ſe oppoſuerint in illo poſt Sigismundum interregno optimatum primores, quodque illam non admiſerint præſules, niſi addita illa clauſula: ſalvis juribus Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, quæ quid ſibi velit nemini eſt occultum. Indico duntaxat tibi loca, quæ poſſis conſulere ſi libet, nec enim mei eſt inſtituti hæc omnia plene narrare. Starovolſcius non dubitavit affirmare, eo rem rediiſſe, ut nemo in ſenatum admitti, aut ad minora ſubſellia vocari quiſquam potuerit, niſi Romanæ profeſſionis. Kobie[illegible]ius vero, quo loco defuncti Sigismundi laudes ſe defundit, l. 1. Vladislai Principis, hiſce verbis utitur: [illegible]antiſſimum maternæ pietatis cultorem habuit Polonia: quam ſerpente hæreſeos contagione leni at efficace (efficace ſane apud ambitioſos, at iniqua & communi omnium libertati diverſa) medicina ad veteris orthodoxæque religionis revocavit ſenſum, cum præfecturas & magiſtratus deferret viris avitæ majorumque fidei apprime tenacibus: eoque dominationis arcano retento, (fuit ſane arcanum dominationis, utpote cum hoc ipſo unam eamque majorem partem procerum Zelotarum ſibi Rex plurimum devinxerit, exiguo tamen commodo) hæreſes abſque illo ſtrepitu partim ſupprimeret, partim memorandæ pietatis exemplo ad priſtinum reduceret ſtatum. Et qui potiſſimam præcipuamque ſenatus partem novo ac recenti addictam dogmati in primordiis regnorum repererat, decedens duos tantum relinqueret, Sigismundum Gradzinium Caliſsienſem, & Raphaelem Leſzynium Benzenſem Palatinos, illum quidem occultiori cuidam ſectæ deditum, proindeque minus noxium, hunc Calvini ſequacem, ſummæ nihilominus probitatis civem patriæque ſtudentem commodis,

Pecco

Pecco forte, Nicanor, quod probare inſtituam teſtimoniis illa, quæ omnibus Polonicarum rerum gnaris ſunt notiſſima. Utile tamen duxi ſaltim pauca hæc adferre in medium, quo omnis dubitatio tuo animo eximatur, quoniam haud facile ſoles credere, (quæ tui eſt ingenii probitas) ſequiori famæ etſi vulgatiſſimæ.

Non vero illa tantum ratione diſſecta eſt in partes Polonia, verum etiam in univerſum inter ipſos equites & prælatos, quos penes cæteroquin ſumma eſt reipubl. peſſima convenit. Capita contentionum (ſunt autem ponderis haud exigui) legere licet apud Piaſecium p. 444. Neque equitum cauſſæ juſtiſſimæ à republ. ullum poteſt eſſe remedium, quum clerus curiæ papalis favore ſe tueatur. Et tamen nemo prudens non videt, illa quæ Epiſcopi arrogant ſibi jura, non poſſe ſalva republica admitti.

Quis crediderit porro, populum omnem ingenuum reliquum amaſſe illam rempublicam quæ ſe ſe excluſit àb honoribus abeundis? Non ſane firmo eſt loco civitas quæ pleroſque habet inhonoratos.

Longe vero iniquior eſt conditio plebis Polonicæ: quia duriſſima premitur ſervitute. Ceu jam ſupra audivimus, plebem agreſtem Ruthenorum, ob ſummas injurias, in ipſos dominos ſuos arma corripuiſſe. Multo minus ergo plebs potuit præſentem reipubl. ſtatum amare.

Taceo alias privatas lites, quibus Polonia hodie eſt refertiſſima, ipſomet teſte Staravolſcio: idque quoniam minus quam reliqua diſſidia in publicum nocent. Etiam illa tamen animos ab amore publici ſtatus multum avertunt. Nihil etiam dicam de immani luxu pariter & luxuria, quibus ditiſſima patrimonia brevi abſorbentur, & qui ad egeſtatem ſunt redacti incitantur ad res novas. Non tangam quoque illam ſuperbiam qua factum, ut alios tantum non omnes præ ſe contempſerint Poloni, cum primis ipſos hoſtes ſuos. Minimi ſeſe ſemper feciſſe Suecos, ultro fatetur Staravolſcius. Silebo denique illam diteſcendi cupiditatem, quæ aliquamdiu inter Polonos præter ſolitum exarſit. Prudenter tamen Staravolſcius fatetur, illa cupiditate hoc effectum, ut minus publicis rebus modo ſint intenti Poloni, & quiſque eorum privato commodo ſtudeat: ex quo procerum aſſiduæ diſcordiæ, nobilium inobedientia, aulæ ſuſpiciones, Principis contemptus, rerum neglectus paſſim.

Non poſſum vero non tibi conſiderandum exponere immodicum illud libertatis ſtudium, qua lue laborat univerſa nobilitas Polonica. Nec enim illa veram libertatem denique cupiit, ſed in licentiam effuſa nec leges amplius nec Regis aut magiſtratuum juſſa audiit: uno quovis plenum ſuarum rerum arbitrium affectante. Hoc enim eſt evertere penitus rempublicam & convellere, omnem ſocietatem civilem. Certe hiſce moribus rempublicam tueri ſalvam, unum eſt eorum quæ ſunt impoſſibilia. Nec vero eſt quod ſperare meliora quem jubeant tempora mollia, quæ interdum hiſce vitiis laborantes respublicas aliquamdiu ſuſtentant. Simul enim vel domi vel foris gravior aliquis motus exoritur, reſpublicæ ejuſmodi illico collabaſcunt. Perinde atque domus aliqua aut navis lacera cœlo benigno quidem ſupereſt & mentitur aliquod robur, tempeſtati tamen mox ſuccumbit.

Atqui tantis morbis laborantem Poloniam invaſit immani multitudine Moſchus. Qui potuiſſet itaque non illa tota in tam potentis hoſtis ditionem pervenire? Et vero pene omnem Lithuaniam, & Ruſſiæ Polonicæ pleraque, inſperata armorum felicitate, ſpatio temporis perexiguo Moſchus jam ſubegit. Nec potuerunt Poloni diſſimulare ſuam imbecillitatem, maximum ruentibus ſuis rebus, præſidium a Tartaro, capitali gentis hoſte, exſpectando.

Jam ante oſtendi, in tanto diſcrimine & tam præſente, rempublicam ſuam non potuiſſe Polonos ita emendare ut eſſet par tuendis reliquis. Non obſcurum vero eſt etiam ex iis quæ in medium attuli: etiamſi tempus hoc admiſiſſet correctionem; mores tamen eos eſſe, eoque rediiſſe Polonica omnia, ut niſi vi adhibita respublica quo par eſt modo componi haud potuerit; Numquid enim cui fiat veriſimile, homines illis moribus & inſtitutis non tinctos, non imbutos, ſed plane immerſos, innutritoſque, ſponte ſua, boni publici cauſſa, mutaturos illa ſibi adeo accepta, laudata, uſitata? Alienum eſt hoc ab omni humano ingenio. Et vero quis illis perſuadeat, ſaltim improbum eſſe illud libertatis ſtudium quo ducuntur? Utque multis hoc perſuadeas, cum pauciſſimi quid expediat publice, præ inani cupiditate privatæ rei, intelligant, ſaltem apud plurimos doctrina ſola nihil effeceris. Sed & qui intelligunt bona malaque, tamen raro ea ſunt virtute, ut quæ intelligunt ſectentur. Vi ergo quadam opus omnino fuit reipubl. Poloniæ ſi corrigi debuit. Vi, inquam. Nec vero tales rerumpubl. morbos niſi vi ſanaveris. Certe ut corporis ita & reipublicæ mala quædam ferrum & ignem exigunt: molli aut lenta medicina exaſperantur augeſcuntque. Cæterum nec domi (in ipſa inquam Polonia) partis alicujus fuit vis par illi carcinomati edomando. Non Regis ſane non alicujus nobilium ordinis illa fuit potentia. Utque fuiſſet, attamen num pars victrix fuiſſet omnia ex uſu publico compoſitura, per profecto eſt incertum. Ut ſequiora quæque ſuſpicemur, movent nos plerorumque mores efferi. Quicquid hujus ſit, non potuiſſe amplius Polonos Moſchorum potentiæ reſiſtere, ac proinde futurum brevi fuiſſe, ut omne illud Germaniæ latus barbaræ Moſchorum tyrannidi & Tatarorum incurſibus nudaretur, haud dubie, perſpecta penitius Polonorum republ. etiam tu, Nicanor, jam confiteberis. Cave vero, dubites, Suecorum conſilio & viribus impoſterum ab illo quidem immenſo periculo nos tutos fore. Favet illorum conatibus altiſſimum Numen: ceu palam eſt. Præeſt Rex, pietate non fucata, prudentia, dexteritate agendarum rerum, animi generoſitate & fortitudine, vigilantia, modeſtia, benignitate, clementia, nemini eorum quos hic ſol vidit, rebus magnis gerendis pares, ſecundus. Huic ad manum ſenatus fidelis, gnavus, cautus, exercitus bellandi vetus, obſequens, numero magnus, virtute maximus, ſemper victor, nunquam victus. Abunde eſt prudentiæ ad componendam feliciter rem Poloniæ: abunde potentiæ ad improbos & refractarios coercendos. Quanto magis junctis Sueciæ viribus idonea impoſterum erit Polonia, procul abigendis Moſchis, Tataris, aliiſque barbaris! Non ſine cauſa profecto jam tum Conſtantinopoli trepidatur ad hanc potentiam. Certe non major fuit Alexandri vis, qua Perſis ſuperatis omnem Aſiam domuit. Et ex illis ad Pontum locis Gothi quondam Macedoniam, Græciam & Aſiam populati ſunt. Legi quidem nuperrimi Polonorum Legati Chriſtophori Przimski orationem, ad Regem Carolum Guſtavum habitam: qua tumidus orator ille etiam hoc perſuadere voluit, non poſſe feliciter Poloniam cum Suecia con-

conjungi, quod diſtinctiſſima ſint regna: diviſiſſe naturam mari: diſſociaſſe conſtitutionem imperii & religionem: diſcrepare legibus, moribus, habitu, lingua: in nullo ſibi populos hoſce eſſe ſimiles, niſi ferocia diſcordiarum omnium fomite. Non potui vero non ridere, hæc a Polono eoque Caſimiri Regis Legato, dici: quum tamen jam ſexaginta prope annos perpetuos Polonorum Reges affectaverint in Suecos imperium, & Polonici regni Proceres Regum ſuorum illa deſideria conſilio, ære, milite juverint: imo cum in ſuam rempublicam receperint Poloni ipſi olim, & Ruſſos inſtitutis ſacris pariter profaniſque multum alienos, & Boruſſos Livonoſque lingua & moribus ſemper, hodie etiam religione diverſos, & Lithuanos denique cum adhuc fœda barbarie & paganiſmo eſſent collutulati. Diſtinctiones ejuſmodi obſtare conſtituendæ reipublicæ alicui abſolutiſſimæ omnibusque numeris perfectæ, fateor. At illam ut voto optare licet, ita aſſequi non licet. Platonicæ civitatis ea felicitas fuerit. De illa condenda nulla hodie deliberatio eſt. Gentes non minus atque Poloni ſunt & Sueci, mari diviſas & inſtitutis differentes, in unum reipubl. corpus ſic ſatis feliciter poſſe concreſcere, jam a plurimis ſeculis inter omnes homines uſu compertum eſt. Ad linguam moreſque alienos addiſcendos ipſi Poloni longe ſunt aptiſſimi. Non dubitavit ſane eorum ingenium hoc nomine commendare ipſemet *Starovolſcius*: quod non ſolum ad convictum atque familiaritatem quorumlibet faciles, verum etiam ad mores & imitationem eorum cum quibus vivunt, externorum præſertim, ſint flexibiles, quod item libenter peregrinentur, & earum gentium linguas ad quas perveniunt cupide & facile addiſcant. Non ſane vel in medio Latio tam multos reperiri cum quibus Latine poſſis loqui (quod idem dicit) veriſſima Poloniæ laus eſt. Ut mores aut habitus aut leges omnium iidem ſint, non eſt neceſſum in republica, qualem conſtituere vulgo ſolemus. Satis ergo fuerit; ſi impoſterum uterque populus conveniat in legibus, quæ utriusque ſalutem bonumque commune attinent. Nec ea eſt ferocia Suecorum (quod Przimsky forte exiſtimat) quæ Polonum non ferat. Germanicus genti animus eſt: qualem in Pruſſis & Livonibus Poloni utique non ſunt averſati. Ne Polonorum quidem ea ferocia fuit, ut non ultro ſibi expetierint Regem olim quidem Lithuanum Jagellonem, non adeo pridem Henricum Valleſium Gallum, Stephanum Bathorium Hungarum, Sigismundum Suecum: imo non paſſi ſint per aliquot centum annos Germaniæ noſtræ Reges ſibi dominari. Quod ſi quorundam major hodie eſt ferocia, cogitemus vetus illud:

Nemo adeo ferus eſt qui non miteſcere poſſit.

Non deſunt remedia compeſcendæ ferociæ, & mitigandis ſuperbis pectoribus.

Maximum concordiæ ſtaturninandæ obſtaculum videtur fore papalem religionem, qua plerorumque procerum aliorumque animi faſcinati ſunt. At vero jam audiviſti, Nicanor, plurimis ſeculis Ruſſos Græcis ſacris addictos cum Polonis Latinorum rituum aſſeclis pacate in unam rempublicam coaluiſſe: inter eoſdem porro Polonos & Proteſtantes ſic ſatis bene conveniſſe: donec Jeſuitarum magiſterio in odium omnium Diſſidentium multi Polonorum incenſi ſunt. Non diffiteor, manente illo amaro zelo, ſinceram aliquam animorum unionem haud ſperari poſſe. Poteſt vero & ille in concordiam paulatim temperari modo non uno, tantum ſi removeantur e medio illi incendiarii. Nec vero fortaſſis fiet hoc invitis multum Polonis ipſis: utpote quum jam ante hos quadraginta annos idem agitaverint procerum complures, quod libri tunc editi docent: & annui reditus habeant quidem illi magiſtri plus quadringentis millibus, tanto ſumptu tamen tamque inſano, oratorem nullum, hiſtorici politici ne umbram quidem, Semitheologaſtros ſcholaſticos aliquot, Philoſophum ſeſquialterum, qui non dicere ſed dictare tantum ſciat, habeant, quod ipſa academia Cracovienſis illis publico libro exprobravit.

Sed non eſt quare nos, Nicanor, ea cura mordeat. Deus qui inuſitata felicitate Suecorum arma hactenus fortunavit, Sereniſſimo Regi ejusque prudentiſſimo ſenatui conſilia componendæ reipublicæ non denegabit. Et vero quidni hodie præſtent *Suenones Gothique*, quod olim æterna cum nominis laude Weſtrogothi Oſtrogothique in Italia Hiſpania & alibi præſtiterunt? Imo quod Gothi quondam effecerunt in ipſis illis Polonici hodie regni provinciis. Ex Jornande ſane diſcimus; Gothos ſimul trans Viſtulam migraverunt, gentem Spalorum (quæ eſt ipſa noſtra Polonorum trans Viſtulam tunc habitans) victricibus armis ſuperaſſe, & denique Hermanerico Rege (quo tempore Gothi Ruſſiam rubram & Walachiam incoluerunt) omnes populos inter mare Balthicum, Euxinum pontum & Danubium ſuo imperio ſubjeciſſe. Nec tamen eſt quare hiſce antiquis exemplis optima quæque nunc ſperare te jubeam, cum alia ſint ad manum recentiſſima. Ego potius quoniam tuis dubitationibus, niſi fallor, abunde ſatisfeci, & jam modum pene exceſſi epiſtolæ, tandem deſino. Deum autem veneror, ut pergat favere victricibus inclyti populi armis, nobisque Germanicis integram ſervet tranquillitatem.

Vale VI. Kal. Novembr. cIↃ IↃCLV.

——— ——— Arma ferenti
Omnia dat qui juſta negat.

F I N I S.

A01 1467966

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google